BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
1
E
19
NAPOLI

d by Co

# R. P. DIDACI DE CELADA IN ESTHER COMMENTARII.

# R. P. DIDACI DE CELADA MONTELADENSIS,

SOCIETATIS IESV,

Theologiæ quondam Profeſſoris, nunc verò in Collegio Imperiali Madridenſi pro ſcholis regiis ſacrarum litterarum interpretis.

# IN ESTHEREM

## *Commentarij Litterales & Morales*

CVM DVPLICI TRACTATV APPENDICE,

*Altero de Aſſueri conuiuio myſtico, id eſt, Euchariſtico: Altero de Eſthere figuratâ; in quo Virginis Deiparæ laudes in Eſthere adumbratæ prædicantur.*

CVM QVINQVE INDICIBVS.

I. Paragraphorum moralium. II. Quo traditur inſtitutio Politico-Chriſtiana. III. Ad Conciones de Tempore, & Sanctis copioſiſſimo. IV. Locorum Sacræ Scripturæ. V. Rerum & Verborum.

EDITIO VLTIMA A MENDIS EXPVRGATA.




LVGDVNI,
Sumptib. PHILIP. BORDE, LAVR. ARNAVD, & CLAVD. RIGAVD.

M. DC. LVIII.

*CVM PRIVILEGIO REGIS.*

# MAGNÆ MATRI,
## SACROSANCTÆ
# VIRGINI MARIÆ
## DEIPARÆ
# DIDACVS DE CELADA
## Seipſum, & hanc litterariam lucubratiunculam deſtinat.

VMBRAM corpori do, typum offero antytipo. Sanè Eſther ab aſtro nominis arrogantiam fœnerat; Te verè (aſtrum matutinum) tranſnominare vocabuli ambitio affectat. Eſther Amani & Amanitarum dentatum ſtragibus gladium ſeuerè cruentat: Tu pulchra Satanæ fraus, inferni generoſa pernicies, & Diabolorum excidium extitiſti. Eſther periclitantis populi Dei fuit vindex acerrima; Tu orbis totius cum filio Deo Corredemptrix opinatiſſima. Ergo Eſtherem Eſtheri reſtituo, id eſt, Te Tibi dedico, dico: non poſſum dono meliori, ſanctiori, auguſtiori munerare Te, niſi alteram

Te Tibi deſtinem. Quin & eandem ipſam ſapientiam tuam in Te regerere præſumam. Porrò Eſther huius Libri cenſetur Auctor: Tu (liber incomprehenſibilis es, quæ Verbum Patris mundo legendum exhibuiſti, Tu quæ cunctos Trinitati credentes illuminas.) Exindè de Eſtheris, ſeu Aſtri vocabulo nominaris, ſiderea (lux illuſtrans omnia quæ latitant.) Ergò myſteriorum in hoc libro arcanè latentium ſcrutinium facere litterale pariter ac ethicum ſub tuis auſpiciis ritè exambio, felici vtinàm ingenioli mei temeritate. O, adſis mihi (humani ingenij ſpongia) quæ ſi quid fuerit ab ignorantiæ labe defæcatum, attrahas, & combibas; fæculentum verò excutias ac refutes, quò ſincerum Commentarium eruditis propinem. Mihi gratulor, quòd peridoneè appellaris, (Sophiæ dos: de Te igitur aliquâ ſapientiæ ſuppellectili, hanc meam Lucubratiunculam (dotari) expeto. Hæc mihi à Te piè voueo, & per Te ſpero maiora.

S. Epiphan.

Ioannes Geometra.

Idem.

Geometra.

AVCTORIS

# AVCTORIS VOTVM,

## *ID EST,*

## Biblicarum Heroydum hiſtorica & ethica commentaria.

IVDITH olim ( mitto Patriarchas Benedictionibus auctos , & Tobiam patriarchali dignitati adlectum ) nunc Eſther exhibetur; Ruth iam iam exhibebitur;& Deo auſpice,veteris Teſtamenti reliquæ exinceps Heroïnæ. Voueo ſemper verum illud Senecæ in Publij Mimi prouerbiis : *Res ipſa , vt ipsâ re poſſimus , efficiet , ſi polliceri properamus honeſta.*

Belliſſimè Plutarchus in opuſcul. de virtut. mulier. *De virtute mulierum non aſſentior Thucydidi. Nam ille quidem eam demùm,cuius nulla foris vel ad vituperium vel ad laudem fama ſit , primam cenſet eſſe : putátque perindè nomen ac corpus occluſum probatæ mulieris , & obſeptum eſſe oportere. Magis ſcita nobis videtur eſſe Gorgiæ ſententia,non ſpeciem formæ debere , ſed exiſtimationem vulgò notam eſſe.* Eſtheris ergò ac reliquarum ſeriatim Heroïdum cultiſſimam *exiſtimationem* agreſti linguâ buccinare audemus : pia tandem *meruit impudentia, quod negabat vrbanitas* cauta ( ait Ennodius lib.1. epiſt.3. ) Itaque præſcriptam voti ac ſtudij noſtri faciem præmaturè eruditis præſentare operæpretium eſt, ne aliquis non bonus longinquæ mentis interpres , ſuper à me edendis Lucubratiunculis ( hem quantula res !) ex incertæ relationis arbitrio exinceps harioletur : & indè ſemper appeller audacter promiſſorum imperitè reus.

---

*Facultas R. P. Prouincialis Prouinciæ Toletanæ Societatis* IESV.

EGo Ioannes de Pina Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Toletana , poteſtate ad hoc mihi facta,à Reuerendo admodum Patre noſtro Mutio Vitelleſchi, eiuſdem Societatis Præpoſito Generali; facultatem facio : vt Tomus inſcriptus, *Eſther illuſtris,perpetuo Commentario literali & Morali , à Patre* DIDACO DE CELADA in noſtro Imperiali Matritenſi Collegio , pro ſcholis Regiis , Sacrarum Litterarum interprete , compoſitus ; Et eiuſdem Societatis grauium & Doctorum hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem , has litteras, manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas , dedimus. Matriti in noſtro Imperiali Collegio , die octaua menſis Februarij , anno 1645.

IOANNES DE PINA.

Approbatio

## *APPROBATIO DOCTORVM.*

REuerendi Patris DIDACI DE CELADA Societatis IESV *Commentaria in Librum Eſther* nos Doctores in Theologia Facultatis Pariſienſis perlegimus, nihilque quod fidei orthodoxæ,& bonis moribus aduerſetur reperimus. In quorum fidem noſtrum ſignum manuale, die decima tertia Ianuarij 1649. Lugduni appoſuimus.

F. STEPHANVS MOLIN Carmelita.

F. FRANCISCVS LORNET Prior Prædicatorum Lugd.

## *LICENTIA ORDINARII.*

VIſa à nobis authentica approbatione & atteſtatione RR. Patrum in facultate Sacræ Theologiæ Pariſienſi Doctorum ſuper R.P. Didaci de Celada Societatis IESV in Librum Eſther Commentariis, qua aſſerunt omnia in iis contenta Sacris Eccleſiæ documentis ex toto conſona, Nos in eorum ſententiam imus & prælo mandanda in bonum publicum cenſemus. Lugduni 13. Ianuarij 1648.

DEVILLE Prouicarius Generalis.

## *CONSENSVS.*

HOc Volumen inſcriptum, *R. P. Didaci de Celada in Eſtherem Commentaria*, typis mandari,& in lucem edi hac in vrbe, Sumptibus Heredum Proſt,Philippi Borde, & Laurentij Arnaud,Bibliopolarum Lugdunenſium,Ego Regis in Præfectura Lugdunenſi Procurator non impedio. Die 14. Ianuarij 1648.

LORIN.

## *PERMISSIO.*

VIſo Procuratoribus Regis conſenſu hunc Librum typis mandari ſupradictis Lugdunenſibus Bibliopolis concedimus, & ne quis vltra dictam facultatem denuò excudat prohibemus. Lugduni die 14. Ianuarij 1648

SEVÉ.

## *Facultas R.P. Præpoſiti Prouincialis Societatis* IESV *in Prouincia Lugdunenſi.*

CLAVDIVS Maucler Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunenſi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico Magno dicto IV. huius nominis, 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. 14 Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque Superiorum permiſſione imprimant, Permittit Hæred. Petri Proſt, Philippo Borde, & Laurentio Arnaud Bibliopolis Lugdunenſibus, vt *R. P. Didaci de Celada Societatis Ieſu Commentaria in Librum Eſther* ad decem proximos annos imprimere ac liberè diuendere poſſint. Datum Lugduni die 15. Decembris 1647.

CLAVDIVS MAVCLER.

SERIES

# SERIES PARAGRAPHORVM MORALIVM.


*Prolegomena in Eſtheris hiſtoriam.*

ESTHERIS *vindicis, ac vindicatæ encomium, materiatum de alieno, concinnatum de proprio.* pag. 1

*Eſtheris nobilitas, educatio, pædagogia, venuſtas.* p. 1

*Eſthere ad inſuſpicabile imperium ſublimatâ, ſublimatur etiam Aman ad regiam familiaritatem, è qua Hebræi populi ſtrages atrocius negotiatur.* p. 2

*Eſther piè ambitioſo ieiunij & ſacci ſqualore, preces armat.* p. 4

*Iniuſſa Eſther ſtat coram Rege; metu ſuo exarmat metuendam eius ferociam; & inter epulas ſtrenuè Amanum detriumphat.* p. 6

*Eſtheris de crudelitate vindiciæ: & encomij clauſula.* p. 7

*Diſceptatiuncula proœmialis ad ſciolos, de conſilio, & forma noſtri Operis.* p. 9

*Spongia vulgaris maledicentiæ.* p. 12

*Huius libri inſcriptio elucidatur: & illius Auctor traditur.* p. 15

*Quæ huius libri auctoritas? Qui Interpretes?* pag. 15


CAPVT I.


*Quàm ſit vita hominis fugax, caduca, fragilis, incerta, ita ludit dies!* p. 42

*Bonum inbonúmue initium, rei progreſſum & exitum benè aut malè metitur.* p. 44

*Regibus olim ſollenne fuit, diem natalem ſumptuoſiori luxu, & læto funeſtè augurio celebrare.* p. 45

*Largior beneficentia, illuſtrioris famæ aucupandæ artifex eſt, de beneloquæ gratitudinis arbitrio.* p. 47

*Lautior ſumptuoſioris gulæ intemperantia multis caſtigatur.* p. 49

*Ingluuies, ſeu inſana palati libido adhuc vapulat.* p. 51

*Menſales gulonum deliciæ adhuc acerbiùs ſuggillantur.* p. 53

*Immodicus vini vſus, eſt Bacchicus fomes, voluntarius Dæmon, Legis tabulas frangit: & milites ac magiſtratus maximè dedecet.* p. 54

*Sobrius vini potus, eſt hominibus additamentum vitæ, defecatio ſenectutis, & auſterioris ingenij ſuauitas.* p. 56

*Boni principis eſt ſapientes conſulere: ſed eorum cautè examinare ſuffragia, eiuſdem peritia eſto.* p. 58

*Non bene Princeps conſilium aduocat, vt vel malum decernendum excuſet; vel vt quod ſibi non benè arridet, auctoratiùs decernat, facili conſultorum adſenſu.* p. 60

*Peritus conſiliarius nec de aliorum ſuffragio, nec de aulicorum ſuaſione, nec de Principis nutu, conſilium haurit.* p. 61

*Quæ maior pars eſſe videtur, ſæpè peior eſt: nam paucitas magiſtra eſt diſciplinæ.* p. 63

*Illuſtratur opinatiſſima illa ſententia: Poſtquam docti prodierunt, boni deſunt.* p. 65

*Ex leui etiam occaſiunculâ, hominis concupiſcentia ad libidinis voluptates non leuiter ſufflammatur.* p. 67

*Verecundia, flos eſt virtutum, probitatis tinctura, pulchritudinis decor, Orationis vigor, Vrbanitatis refuga: & quæ de occurſu virginitatem enunciat.* p. 69

*Pulchra femina, etiam tuta ſibi, aliis intuta, obuiis ſpectatorum oculis obiicit ſeſe.* p. 70

*Ira id æquum videri vult, quòd iniquè iudicauit; dum æquitatis prætextum iniquitati*

*iniquiùs oſtendit.* p.72

*Non bonæ mulieris imbonâ elogia addenſantur, ſi fortè nimius erga eas virorum amor interſtinguatur.* p.74

*Bonorum coniugum vnitas, conſenſio, pax, requies, felicitas pluriſariam commendantur.* pag.76

*Nuptiæ deliciarum obtentu hominibus arrident; ſunt autem perſæpè iuge ærumnarum ſeminarium, & tribulationum officina.* p.78

*Sacræ hiſtoriæ ductu, ſaltuatim multa ac præſtrictim de nuptiis delibantur.* p.80

*Bonis mundialibus rara eſt manendi fides, oblectandi nulla.* p.81

*Fallax & fugax eſt humanæ felicitatis gloria, & viduatæ animæ iudicium.* p.83

*Euchariſtica Chriſti Dei caro, ſine interpretatione, & intentâ exploratione, cruda, ne comedatur; vt in eâ tuam eſſentiam, & bonam fortunam inuenias.* p.85

*Euchariſticus ſcyphus improſpera æternitatis auguria indignis offert quos gehennalibus pyris condignè addicit.* p 87

*Chriſtus in Euchariſtiâ eximiè pulchreſcit: & dum homines Euchariſticè paſcit, glorioſè paſcitur.* p.89

*Euchariſticus cibus eſt deficientis vitæ noſtræ vigor, baſis, firmamentum, & quodammodò hypoſtaſis, ſeu eſſentia.* p.90

*Chriſtus Deus ad humani palati gloriam, Euchariſticum apponit panem: cuius tanta eſt opulentia, vt ipſe quaſi egens mendicitatibus Creatoris dicatur.* p.92

*Vitale Euchariſtiæ alimentum, vitam tribuit, vitas etiam præbet; & frequentiùs atque abundantiùs viuere facit.* p.94

*Auida cibi Euchariſtici appetentia, deſideriis hians, erit ſumptuoſior gratiarum menſura.* pag.96

*Itum ad cælũ metiri debemus Euchariſtico prandio: Euchariſtia enim eſt via viuens, ibíque Chriſtus nobis viam ambulare videtur.* p.98

*Homo Euchariſtico cibo paſtus, brutas paſſiones deſueſcit, & non bonas phantaſmatum reliquias excuſſit.* p.100

*Deliciis gloriæ æmulis, & beatam gloriam definientibus, in Euchariſtia alimur.* p.101

*Plura in quibus magnificum Aſſueri conuiuium, conuiuium Euchariſticum adumbrat, perſtrictim ac ſaltuatim delibantur.* p.103

*Eadem materia adhuc ampliatur.* p.105

CAPVT II.

*Ad herbaceos voluptatum floſculos homo arctiùs illigatur.* p.125

*Feſtinatio capeſſendi conſilij, improuida eſt, & cæca: tempeſtiua cunctatio egregiè, conſilium adornat.* p.127

*Blanda libido, & durior ſæuitia, affectus ſunt indiuiduè cognati: de amoris enim ſcintilla furor accenditur.* p.129

*Libido, gehennalis incendij ſcintilla eſt, ferè æternæ damnationis ſententia, & propè immedicabilis morbus.* p.131

*Delicatula nimis eſt pudicitiæ valetudo; ſollicitudine languet, ætatis integritate periclitatur: & quæ oculos patitur, tota iam virgo ferè non cenſetur.* p.133

*Tenera nimis eſt pudicitiæ fama, defenſione læditur, inquiſitione dehoneſtatur. Quaſi potentia ad ſtuprum, aliqua ſtupri paſſio ſit.* p.135

*Volupe hominibus eſt, credibilem putare alienam virtutem, quæ vitij ſpeciem obtendit, vel quidpiam vitio confine.* p.137

*Metuitne virginitas, ne ſit ampliùs quàm vocatur? indè aliquot eius elogia delibantur, ſi fortè pium eius faſtum adæquent.* p.138

*Boni operis theſaurum ab aliorum oculis cautè abſconſum, à tuis etiam cautiùs abſconde* p.140

*Patrem eſſe negat, qui ſeuerus erga filios non eſt.* p.142

*Vitioſæ imitationis ſcabiem conuictor conuictori allinit, peruerſâ morum æmulatione.* p.144

*Malum exemplum noxiè exhibetur, expromptiùs arripitur, & punitur acerbiùs.* p 146

*Bonum virtutis exemplum, afflatæ imitationis beneficio, virtutes affricat, ſeminat, propagat, magno ſanctitatum fœnore.* p.147

*Chriſtum ſequi, & moribus imitari; & ipſi pergratum eſt, & nobis perquam proficuum, piè fauſto æternæ felicitatis augurio.* p.149

*Vita ſolitaria felicem Dei eſſentiam æmulatur, diuinæ viſioni aptior eſt, cælum habet apertum: illam percupiebant Apoſtoli, tanquam Chriſtianæ libertatis ſymbolum.* p.151

*Solitudo viduata ſpectatorum cenſurâ, peccandi pudore exuta ſæpè vitia fœcundè maritat,* pag.153

*Encomium Virginitatis; cuius laude ſic Eſther vſque ad nuptias regales floruit, vt ipſa felix dicatur alienæ luxuriæ ſuffragio.* p.155

*Boni viri lingua de alienis defectibus garrire cautè præcauet: quæ ſicut occultas aliorum laudes prædicare ſcit, ſic vel publicam aliorum infamiam eructare neſcit.* p.157

*Gratiæ vis oſtenditur, dum religioſos domi clauſos continet.* p.159

*Politior veſtium ornatus, & fucata pigmentis facies, idololatriæ propè affinis dicitur, libidinis ludibrium, & luxuriæ meditatio: atque multimodè aliundè infamatur.* p.161

*Sacerdotum ambitioſa auaritia, & ſumptuoſior veſtium ambitio, multis vapulat* p.164

*Libidinis*

*Libidinis concupiſcentia, Diaboli cachinnos ciet, hominem Deo clauſum tenet, primordiali delicto interfuit: facit pecuinos mores, quos conuertit in ſacra: Diabolíque æſtum amulatur.* p.166

*Alieno arbitrio agi, eſtne Euangelicæ perfectionis meta, & atrocior martyrij acerbitas.* p.168

*Diſtrictior morum Diſciplina, fomes bonæ indolis dicitur, alteram naturam quodammodò tribuens; imber boni ingenij, & mali fermentum.* p.170

*Virtutibus diu adſuetus, etſi in vitium impingat, ad priſtinam gratiam citò adſurgit* p.172.

*Peritior obedientia eſt fidei æmula, cæcò oculata.* p.173

*Vir obediens de obſequio vitam mutuatur: creatura enim ſentit creatorem; non viuendo, ſed obediendo.* p.175

*Honorem impotenter cupidis ſatiùs, eſſe inter minimos magnum, quàm inter magnos minimum.* p.177

*Reſpublica vbi nullum eſt parium diſpariumque diſcrimen, & ſeditionum in cælo ſuſpecta foret, & confuſam inferni inordinationem in terrâ æmularetur.* p.179

*Non obeundum Munus, ſed Muneris gloriam, & commoda ambire, peruerſitas ambitionis eſt.* p.181

---

## CAPVT III.

*In poſteris maiorum ſuorum auita odia, heredes nacta, malè perdurant.* p.193

*Mutuus amor ſanguini cognatus, ſi ex aliquâ fortè occaſiunculâ exaſperatur, in acerrima odia inhumanè degenerat.* p.194

*Sibi potiùs conſulit, qui rancida deponens odia, recentem amicitiam cum inimico init.* p.196

*Æquum eſt, vt vnuſquiſque cum religione colat Deum, quem ſuis moribus colere promeretur.* p.198

*Idololatrix vituperatur, irridetur, culpatur: quippe qua omnia delicta vno crimine expungit.* p.200

*Gentium idola tormentis in Deos excudebantur: ſaltem tormenta martyrum diuinitatem quandam quodammodò manifeſtant.* p.202

*Nimis arguta & ſubtilis de Fide diſputatio, ſæpè deſtruit, quod adſtruit: quia fides non eſt, vbi quæritur fides: neque res diuina humani mendacij indiga eſt.* p.204

*Cautè nimis cum Hæreticis agendum eſt, ne rubiginem blandientium errorum ſenſim affricent.* p.205

*Humana arrogantia faſtus magni æſtimat ambitioſæ comitatis nugas: vir autem magnus in vltimum reiectus locum, non eſt ceteris poſtpoſitus ſed ſuperpoſitus.* p.207

*Neſcit ambitio naturæ ſuæ menſuram agnoſcere: indè & indecora, & flagitioſa ſedulò ſibi negotiatur.* p.209

*In animi morbis ſuus eſt etiam dies criticus, in quo vitiorum ægritudo plus deſæuit.* p.211

*Criminoſa calumniatorum delatio, quæ clam & ex inſidiis adoritur egregiè vapulat.* p.213

*Maledica improbitas id vnum ſæpè quærit, vt aliquid aduerſus alium quoquomodò dicat, non vt veroſimile quippiam dicat.* p.215

*Quàm ſit in hominibus exprompta maledicentiæ prurigo.* p.216

*Detractor ore, & mente, citiùs de ſe, quàm de aliis, ipſâ ſuæ cenſuræ ſiniſteritate obloquitur.* p.218

*Nil facilè credere, atque omnia ſagaciùs cauere, boni Principis elogium eſt.* p.220

*De ſubdolo mendacij ingenio, ſimplex veritas teſtiùs fatigatur.* p.222

*Impiè ſæuit, quiſquis falſato pietatis prætextu ferit.* p.224

*De malè acuto malitiæ ingenio venit, vt homines virtutis penicillo vitia colorent, quò impudentiùs delinquant.* p.225

*Perennes mandatorum fontes obturantur; & traditionum laciniæ legibus malè aſſutæ reſecantur, ne ſubiectus populus offendat, & paſſim impingat.* p.227

*Qui legem accipit, velut ſeruiliter extrahitur à loco quo circunſcribitur, & quaſi in Adamum refingitur, & aduerſarium patitur, & rigidâ dilectionis formâ imprimitur.* p.229

*Auſteriores hominum leges; dum præ arduitate terrorem incutiunt, violationem ſubornant.* p.231

*Nimia vetuſtatis olim reuerentia, Idololatriæ plaudit, Iudaiſmo militat, Euangelio obſtrepit: ergò ſibi Chriſtianus inuideat veri in Chriſto Numinis nouum inuentum.* p.233

*Non faſtuoſa diſputantis auctoritas, ſed diſputationis ipſius veritas, ad perſuaſionis energiam requiritur.* p.235

*Reciproca beneuolentia concordiæ matrix, agnata Chriſtianis eſt, qui ſe amant mutuò penè antequam nouerint.* p.237

*Mutua charitatas, & vicaria ſententioſè dicitur, & apud nos retineri iubetur, vt quiſque ſui mater & filius ſit, hinc dum prædicatur concordia, diſcordia vituperatur.* p.239

*Fraternæ charitatis nexus, arctiùs adhuc ſtringitur.* p.241

*De ſpirituali deuotionis cauſa, gulæ ſtipendia captare, hypocritarum elogium eſt.* p.242

## CAPVT IV.


*Non eſt magnus animus, quem curuat calamitas: flecti neſcia in aduerſis conſtantia, aliquis virtutis faſtus eſt.* p.250

*Perſecutionem patientibus impunè inuidere licet: eſt enim perſecutio, à perſecutore aſylum, concupiſcentiæ baptiſmus, & in terram promiſsionis proiectio.* p.251

*Ærumnoſior tribulatio, extrinſecus auſtera videtur, medullitùs autem angoris inops, in naufragio ſecuritas, cognatio cum Angelis, & felicitatis gratulatio eſt.* p.253

*Vltro votiua calamitatum ſuſceptio, illarum moleſtias magnanimiter exarmat.* p.255

*Ne qui dudum erat pauperculus opifex, aut laborioſus ruſticanus, fiat in religione ambitioſè delicatulus.* p.257

*Aſsidua nunc mortificatio, futuræ beatitudinis alimentum eſt, & perfectionis menſura: ſepulturam Chriſto præparat, & hominis mortalitatem exhaurire dicitur.* p.258

*Dum mors è vicino imminet, negotium beatæ æternitatis operoſè agendum eſt.* p.260

*Mortis memoria, affectuum nix eſt; gazis cæleſtibus opulenta, vicarias Dei gerit vices: & de crudæ mortalitatis indigeſto ructu immortalem hæreditatem ſpondet.* p.262

*Patientia eſt Dominicæ diſciplinæ ſanitas, fidei præſes; virtutum portus, & conſummatio: & quâdam propè impaſsibilitate miſeriam refingit in gloriam.* p.264

*Animo dolenter querulo nihil oportet credere.* p.266

*Maieſtati maior ex longinquo reuerentia: nam frequens conſuetudo, aut contemptibiles inuenit, aut facit.* p.268

*Frequens aſpectus minùs verendos magnos viros ipſa ſatietate facit.* p.269

*Propè omnes actiones humanas metitur ſua cuiuſque vtilitas?* p.271

*Ieiunium Sacramentorum gratiam æmulatur; nominatúrque Sacramentum redemptionis, fomitis interſtinctio, & contra vitia virtutum Præſes.* p.274

*Voluptabile quoduis aut naturæ, aut gratiæ graui labore aut periculo comparatum, concupiſcentiæ gratiùs adridet.* p.275

*Homo propriæ imaginationis tormento, & tentamento, ſæpœnaliùs vrget, & ſceleroſiùs exagitat ab inteſtino phantaſiæ dæmone.* p.277

*Incertus perplexitate animus, dum conſilij inops multa dubiè mentitur ſibi; non dubiè angitur, ſauciatur, vritur.* p.279

*Quàm ſit humanum patrocinium debile, friuolum, futile, caducum; quò diuinum potiùs exambias.* p.281

*Spes non timet, ne non veniat ſperata felicitas: nam qui ſperat, rei expectatæ gaudium iam momordit.* p.282

*Deus dum ideò quæritur vt inueniatur, iam propè inuentus eſt vt quæreretur.* p.284


## CAPVT V.


*Recta operantis intentio, boni operis vigor, & anima, & pulchritudo eſt.* p.290

*Recta hominis Ratio, à ſummo Deo dictata; Dei ſermo, & veſtigium dicitur: per eam Deus in nobis eſt, vicarias Spiritus-ſancti vices obit, & animæ vita eſt.* p.292

*Bonus imbonúſve affectus dum merita cudit in voluntatis officina, iudiciorum arbiter eſt.* p.294

*Perquàm arduum eſt ſine vllâ conſcientiæ offenſâ, tenere vocis & ſilentij temperamentum.* p.296

*Effuſa in Principibus liberalitas caſtigatur, ne liberalitate liberalitas pereat.* p.297

*In forenſibus actibus, ſicut inſanæ moleſtiæ ac impenſæ, ſic rara litigantium virtus inueniuntur.* p.299

*Sit Princeps, Principúmque Senatus, ſecretorum ſcrupuloſè cuſtos.* p.301

*Dum diuites de pauperum inopiâ diteſcere cambiunt, & paupertatem ſibi negotiantur, & ſuam ruinam ædificant.* p.303

*Perfecta paupertas) quæ Apoſtolicus character, & cæleſtis gloriæ ſpecimen dicitur) perrarò inuenitur in terris.* p.305

*Opulentè diuites ſunt diuitiæ, quæ à paupertate ſunt.* p.306

*Dura egeſtas dum nihil habet, ſuſtinet totum, magnâ ſæpè probitatis iacturâ.* p.308

*Veniet tandem ad illum diu impiè felicem ſua portio. Quiſquis videtur à ceſſante diuinâ prouidentiâ dimiſſus, dilatus eſt.* p.310

*Gratior impiorum proſperitas, & illis adridens fortuna, calamitoſi infortunij minæ ſunt.* p.312

*Addenſantur inuidiæ elogia, quæ Amani æmulam inuidentiam ſumptuoſiùs culpant.* p.314

*Non præceps paſsione ſcelus, ſed præmeditata conſilioſè malitia, criminoſior cenſetur, & conſilij ſuffragio ſceleroſior.* p.316

*Vitium quod per conſuetudinem in mores abit, propè incurabile cenſetur: adeò vt eius curatio, cauillatio nominetur.* p.318

*Num eò infelicitatis praua conſuetudo deducit, vt eſſe malum propè neceſſe ſit?* p.319

*Iudex, quia periculoſè nimis iuſtus eſt, ſub ſecuritate (ſi ritè poteſt) ſemper ignoſcit; in alienâ calamitate ſibiipſi conſulens.* p.321

*Qui excuſſo peccandi pudore, verecundiam impuden*

*impudenter abiecit, in flagitioſiora ſcelera effrenis proruit.* p.323

## CAPVT VI.

*Eruditio,& ſapientia Reges adornat,& regimen egregie felicitat.* p.331

*Quàm facile virgo veritas pro varia referentium libidine conſtupretur: eadem enim res in relationibus rarò eſt eadem, ferè ſemper eſt alia.* p.333

*Arcana Dei prouidẽtia, per inidonea humanitùs media præfixum ſibi ſcopum perſæpè collimat.* p.335

*Diuinæ prouidentiæ officioſitas, etiam ex inuerſo ſapienter operatrix,& inſcrutabiliter arcana eſt.* p.337

*Sola virtus, & exploratum candidati meritum, ad dignitatum electionem ſubornet.* p.339

*Præmiâ qui tollit, ferè virtutem, Sapientiam, atque peritiam omnem pariter ſuſtulit.* p.341

*Summa eligentis dignitas & æquitas, præcipua electi pōpa cenſetur, quæ dignitati dignitatem fœnerat.* p.342

*Cognata atque idonea muniis ingenia, ſollerter quærere, & explorare, peritioris electorum politiæ labor eſto.* p.344

*Conſultior apud homines electio, viros pares negotiis, neque ſuprà deſtinat.* p.346

*Humilis conſcientia, dum Primatum fugit, ad eum feſtinat: indignus verò in Dignitate conſtitutus, Dignitatis obtentæ lucrũ quærere poteſt, inuenire non poteſt.* p.348

*Strenuus labor Opere aſpectabilis, virtutem, virtutiſque præmia glorioſè captat.* p.350

*Superbus candidatus tantò indigniùs Dignitates ambit, quantò humiliùs.* p.352

*Tuta ſcelera eſſe, ſecura eſſe non poſſunt; de agnato conſcientiæ tormento, delinquentis viſcera ſenſim morſicante.* p.353

*Curioſitas erga diuina & humana, egregiè vapulat.* p.356

## CAPVT VII.

*Hominis prudentia(cuius præſtantiam ex defectu æſtimamus eſt operis faciendi negotium, velut baptiſmus eſt, & tanquam Dei intellectus homini aſſiſtens.* p.363.

*Ne vir in capeſſendis conſiliis, aut officiis obeundis, vxoris ſuæ ſuaſionibus ſit obnoxius.* pag.365

*Expenduntur feraliſſima gehennæ infernalis cruciamenta; quorum memoria voluptates infuſcat.* p.367

*Apud inferos placebit Deo, & Sanctis in pœnâ, iuſtâque vindictâ, quæ nunc diſplicuit in culpâ.* p.369

*Quaſi in noſtram naturam verſum eſt confuſionis tormentum:pia venuſtatis abſconſione feminas cruciat: adeóque verecundia terrori eſt, vt mortis compendio moras pudoris redimat.* pag.370

*Iracundia rationem excutiens, homines recudit in belluas: quæ etiam dum pia eſt, intuta valde eſt.* p.372

*Mora in deliberando, conſilium adornat: nam ad pœnitentiam properat,qui repentè decernit.* pag.374

*Homo ſuiipſius infeſtior hoſtis exiſtit; aduerſus ſe de propriâ imbecillitate potenter armatus.* pag.376

*Garrulas omitte excuſationes, quibus ſcelera honeſtè colorare feſtinas:nemo, nemo inquam, peccat inuitus.* p.378

*De voluntatis officinâ affectibus vitiata: temeraria in malum excuduntur iudicia, quæ veritatem recuſant: cùm tamen improbè iudicet, qui quod alij merentur, ſentit.* p.380

*Sæpè inter fortunam maximam & infimam, nihil medium eſt.Sic ſublimiſſima ruina vicinantur?* p.381

*Rerum ora ne propriæ defenſioni obſtruantur: nam in ipſius rei ore viuacior affulget defenſio, exindè Deus ſecundum multitudinem iræ ſuæ, non quærere perhibetur?* p.383

*Principum aulam puta flendi agonem: in ea per pericula ad pericula venis, per ornamenta deceptus, & aſſentationi obnoxius.* p.385

*Qui Regi propiùs adhæreſcere exambit, aulæ regiæ periculoſam aleam ſubeat neceſſe eſt; quam ſapientes ſollerter effugiunt.* p.387

*Ambitioſior aulicorum adulatio; & Principum aures aſſentationi faciles, egregiè vapulant.* p.389

*Adhuc vapulat aulica adulationis inſania.* p.391

*Homone iiſdem concitationibus quibus agebatur ad vitia, virtutibus militare debet?* p.393

*Qui impenſiùs amat, & obnixiùs aliquid vult, immetatâ quodammodò potentiâ vltra vires eualet.* p.395

*Breuis eſt mundana felicitas, fugax,incerta, caduca.* p.396

*In ipsâ acerbiori calamitate, felix calamitatis exitus tranſparet.* p.398

*Crux humiles altè erigit, Sirenes voluptatis excantat, terram reddit fœcundam:trabis eſt in oculis, lumen vultus Dei hominibus impreſſum, & pretioſum Ieſuanæ gloriæ auctarium.* p.400

## CAPVT VIII.

*Pagana ambitio pauperem & abiectam cognationem faſtidit, quâ Chriſtiana modeſtia generosè gloriatur.* p.411

*Præfectorum reciprocus inter ſe aſſenſus, regiminis peritia eſt: iudiciorum autem diuortium, politiæ euerſio.* p.412

*Regius familiaris maximi æſtimare ſolitus, vt niſi de ſuo arbitrio nemo à Principe muneretur.* p.414

*Ex variis ſparſim huius hiſtoriæ locis Mardochæi elogia concinnantur.* p.416

*Diuitum crimen eſt, quod diuitiarum eſſe putatur: aliquandò enim aſpectabilis virtus, opulentiæ ſtipendium eſt, & opulentia reconciliationis ſuffragium.* p.419

*Sapiens in actuoſæ prudentiæ officinâ, fortunam ſibi ſedulus fingit.* p.421

*Præmium malum, luculentior ſubſecuti boni interpretatio eſt.* p.423

*Sua etiam & victo pompa eſt, & de inuerſo gloria. Qui Chriſtianè ſapit, etiam cùm contemptim vincitur, glorioſè vincit.* p.425

*Hypocritarum fictitius populus, dum Virtutes mentitur, vitia flagitioſius amplificat.* p.427

*Homo iiſdem profanis affectibus, quibus agebatur ad vitia, Deo religioſiùs conſecretur, & virtuti obnixiùs militet.* p.429

*Chriſtiani dum mori poſt mortem timent, interim mori non timent, & ſanè timor fit ter incrementum fidei; & dum voluptate ſuâ ſe parit, euadit dilectio funereo ambitu mirabilis.* p.430

## CAPVT IX.

*Magiſtratus agnatâ cupiditate munera expetunt: quibus acceptis, & corrumpunt gratiam & animam vendunt atque oculorum velamen ſordidè emunt.* p.439

*Apud hominem, Dei voluntas, altera ipſa ipſius voluntas eſto; quam non ſuæ flectere, ſed ſuam diuinæ flexilem exhibere debet.* p.441

*Nullum aſylum ſatis tutum eſt ab hoſtili inimicorum rabie; quæ infernalem Diabolorum hoſtilitatem impotenter æmulatur.* p.443

*Solitaria bonitas ſine comite iuſtitiâ, Deum fingeret inerter ſtupidum, & hominibus gubernandis inidoneum.* p.445

*Rara virtus eſt, quæ offenſori prorſus ignoſcit & grauiter ſauciantem, nec leuiter referit.* p.446

*Meta beneficentiæ eſt, ſi quis iniurias beneficiis remetiatur, inuerſo gratus officio.* p.448

*Aliquis perfectæ virtutis factus eſt, ſui vltorè potiùs quàm ſuo offenſori ſuccenſere, & iniurias beneficiis vlciſci.* p.450

*Largior erga pauperes beneficentia, terrenas non minuit opes, ſed auget: & cæleſtium bonorum beatâ cupiditate antecedit auaritiam* p.452

*Miſericordiæ faſtus eſt, eleemoſynas erogando, preces pauperum anteuertere; ne ſibi inuidiam rogando concites.* p.454

*Piè beneficus, & in faciendis eleemoſynis laudatior, ſentiri ſe magis cupit, quàm videri; ne hoſtiliter, ſed quaſi diuinitùs ſuccurrat.* p.456

*Sic peccata expungit eleemoſyna, vt ferè baptiſmo indulgentior cenſeatur: beatam æternitatem nutrit, & cæli verticem manu tangit. ergò in pauperes, & benefici & grati ſimus.* p.457

*Pauper ſuccurrendo pauperi, (vt vt poteſt) non exemptus, ſed obæratus eſt.* p.459

*Indiga ſubſidij acceptio, arrogantiæ fastum deprimit, dum de largitoris mendicitatibus ſe victitare fatetur.* p.461

*Supplex hominum rogator nimis vileſcit, quandoquidem alienæ opis (& quidem humanæ) indignum ſe fatetur.* p.463

*Mixtim traduntur eleemoſynæ laudes, anteſcriptarum theſium appendices.* p.465

## CAPVT X.

*Tributorum durâ exactione, Chriſti Dei paſſio adumbratur: & ſub Nabuchodonoſore, Dei populus vectigalibus liqueſit.* p.473

*Quandò Regis ſceptrum in exactorum dumtaxat manu eſt, proximæ ruinæ regnum vicinatur.* p.475

*Virtus nobiliter generoſos facit, citiùs quàm præluſtria maiorum ſtemmata.* p.476

*Ratio ſæpè inuitanda eſt ad gymnaſium ſomni: homini finem laboris adulatur ſomnus, in quo animus futuram in morte abſentiam ediſcit.* p.478

*Euidentior, & atteſtatior credibilitas, humanæ incredulitati è diuerſo perſæpè adulatur; & contrà.* p.480

*Abiectior humilitas, ſublimioris gloriæ arbitrium eſt.* p.482

*Magnorum ſubſiſtentia, quæ glorioſam altè magnitudinem fundat, humilitas eſt.* p.485

*Virtutis ſtudioſus, diuerſiſſima, & velut ſibi pugnantia munera, integro ſuccidué ardore pleniùs adimplet.* p.487

*Sol de largiori beneficentiâ notiſſimus, naturæ gratia,*

*gratia, præſtantia creaturæ, vinculum ad bonum, cœli cor ac mens, atque ſignificatiua & euidens diuinæ bonitatis imago nuncupatur.* p.489

*Qui rem magnam, quam alij promouent, primus incœpit, & auctor illius dicitur, & potiorem gloriam ſecurus delibauit.* p.492

*Non vera rei eſſentia, ſed vel falſata apparentia vulgarem rei cenſum procudit.* p.493

*Vitiorum inſolentia, Dei populo virtutum eruditio eſt, & animoſæ probitatis gymnaſium.* p.495

*Excelſior virtus, audacioris vitij nomine, re vitij vacuo ad virtutis exaggerationem coloratur.* pag.496

*Nimius de alienâ emendatione zelus, ad ſimilia in zeloſo vitia, aut facit, aut augeatur.* p.498

*Acres Iuſtorum tentationes, dum Dei offenſas periculoſè fabricare videntur, diuinæ gloriæ è peruerſo militant.* p.500

*Grandiora pericula facilè eludit ſpes; quæ ſi excidat, vel magnanimus ſimul corruet.* p.502

## CAPVT XI.

*Si quid Ethicum in hoc Capite tranſparet, perſtrictim denotatur.* p.507

## CAPVT XII.

*E perbreui capitulo obſeruantiunculæ ad mores.* p.510

## CAPVT XIII.

*Moralitatum ex hoc Capite ſpicilegium fit.* p.515

## CAPVT XIV.

*Erectior in mundialibus bonis ſeu auxiliis fiducia, languor ſpei eſt, & ficta erectionis titubatio.* p.522

*Non bona peccantis elogia, perfectior pœnitentia è diuerſo piè æmulatur, redintegrat, reſculpit.* p.524

*Vera pœnitentia ſic hominem refingit in alium, vt eadem grauatè iam ferat, in quibus nuper deliciabatur.* p.525

*Feſtinata pœnitentia famæ peccatoris conſulit, feſtinatiorem inuenit veniam, in Dominum velut transfert peccatum, & peccati alium fomitem reſecat.* p.527

*Dubia ſemper eſt ſalus, propè certa damnatio eius, qui ſceleroſæ vitæ pœnitentiam vſque ad horam mortis procraſtinat.* p.529

*Appendices pœnitentiæ laudes confertim prædicantur.* p.531

*Lacrymæ ſunt delictorum ſpongia, iugis & expromptus velut baptiſmi fons; adoptionis radios inſertos habent, quibus vitæ fructus matureſcunt; citiúſque ſine rogandi pudore veniam impetrant.* p.533

*Ne dum lacrymis conſcientiam diluis, lutum facias: nam nimis frequens abſque emendatione pœnitentia, impœnitentiæ aut rea, aut ſuſpecta eſt.* p.535

*Horrentis cilicij, & ſqualoris piè ambitioſi, beatæ calamitates commendantur.* p.537

*Suam, ac Dei cognitionem homines deſcriptam legant in puluere ac cinere: qui flos incendij, & mortalium præfectus eſt.* p.538

*Sic eſt fauſtum orationis initium, vt antequam quis ſuppliciter oret, feliciter Deum exoret?* p.540

*Sæpè humana oratio ſic accedit impetrationis ſecura, ac ſi diuinâ promiſſione ſubnixa, beneficium petitione præguſtarit.* p.542

*Quaſi dogma eſt, neminem ex non petentibus, diuina accipere beneficia?* p.544

*Humanas preces licet appellare victoriales, cùm victricem opem ritè precantibus modulentur.* p.546

*Hominum preces, Dei gloriam ſumptuoſiùs prædicant, & generoſiùs negotiantur.* p.547

*Vana gloria orantibus multimodè inſidiatur, vt prædiuites orationis gazas ſubdolè diripiat.* pag.549

*Oratio multorùm, dignitas eſt precantis, & deprecantis vigor.* p.551

*Bona opera, ad elogium orationis, & negotium impetrationis feliciter acceptantur.* p.553

*Humilitatis auxiliare patrocinium, piâ exambit oratio: eſt enim humilitas, impetrationis vigor.* p.554

*Quàm gratè Deus humanis precibus delicietur, illáſque expetat.* p.556

*Vt in nobis Spiritus-ſanctus præſit, operoſâ diſpoſitione, & iteratâ ſupplicatione opus eſt* p.558

*Muta patientis calamitas, clamor eſt, & grandis clamor, diuinam opem precariè implorans.* p.559

*Friuola, & ſæpe noxia eſt oratio, quæ mundialia bona precario voto auidiùs ſuſpirat.* p.561

*Sacri textus ductu, orationis elogia elucidatione miſcellaneâ addenſantur.* p.563

*Suffuſus confeſſioni pudor piè neglectus, ſupplicij compendium eſt, memoriam ſcelerum abolet; & Dei munificentiam publicans de verecundiæ bono extra inuidiam publicatur.* p.566

*Exilium inſipienti calamitas eſt; ſapienti verò, virtutis occaſio, & gloriæ acceſſio.* p.567

*Humana promiſſa apud homines, niue algent, & dubia, aut nullius fidei ſuſpecta ſunt.* p.569

*Grande quidem eſt templorum numen, in quod irreuerentes granditer peccant.* p.571

*Quò imperitior eſt ſermo, hoc illuſtrior ratio eſt; quoniam non fucatur gratâ pompâ facundiæ.* p.573

*Iurandi vſus acerbè culpatur: periurium autem acerbiùs ſugillatur.* p.574

*Humilitas honores repudians, ab honoribus ambitur; arcanè velut immetata eſt eius perfectio, menſura magnitudinis, honoris honor & ſeipsâ quodammodò celſior.* p.576

*Benè Eſther cruciatur felicitate gloriæ: Nam Sanctorum elogium eſt, calamitatibus deliciari, gloriari, beari.* p.578

*Mundialia bona ſi non concupiſcimus, poſſidemus; concupiſcentia enim illorum amittendorum arbitrium eſt.* p.580

*Grauis peccati enormitas enucleatiùs expenditur.* p.581

*Qui in viis Dei ambulat, non leniter timet leue delictum: quod tabes animæ dicitur, ſtipula ſpineæ coronæ, & peracerbâ reprehenſione dignum.* p.583

*Perſæpè qui ad magnas difficultates ſtrenuè eualet, modicis imbecillè vritur, cedit, ſuccumbit.* p.585

*Aliquis faſtus gratiæ eſt, vt nuſquam magis quàm in minimis tota eſſe videatur.* p.587

*Mundialis felicitas, aut infelicitatibus permixta eſt, aut valde confinis.* p.588

## CAPVT XV.

*Arcanâ quâdam non virtutum, ſed quaſi vitiorum hypocriſi, vitia in virtute, oſtentare, aliquis pius virtutis faſtus eſt.* p.594

*Intus omnia populo diſſimilia ſint in re virtutis, quæ foris apparent, populo conueniant, nec ſint de ſingularitate arroganter famoſa.* p.596

*Viro conſummatè perfecto ſint animitùs omnia diſſimilia à populo, frons tamen populo conueniat, quo inſolentis vitæ faſtus ſobriè caſtigetur.* p.598

*Diuina gratia quodammodò, ſerpentinæ fraudis æmulatrix eſt: ſine conatu vrget, & eâ Dei ſpiritus proſperatur ingenio alliciendi.* p.600

*Pulchræ feminæ etiam dum grauitatem ſimulant, aut langhore franguntur, meræ & veræ ſunt caſtitatis inſidiæ, cælites in tuto ſint, caueant terrigenæ.* p.601

*Superbus dum inſolentiùs vltra ſuum faſtigium præſumit, in abiectiores vilitates ſceleſtè degenerat.* p.603

*Humani periculi anxius timor, ſæpè acerbiùs quàm ipſa calamitas excruciat; dum vanis & nunquam venturis angitur malis, inani metu præſumptis.* p.605

*Ne homo Angelis naturam inuiderit, cuius gloriam in gratiæ officinâ in ſeipſo refingere eualet.* p.607

*Angelorum elogia, quæ in hoc ſacri textus loco ſubobſcurè tranſparent, perſtrictim elucidantur.* p.608

*Exertæ Iuſtitiæ ſeuerus pro rei merito, rigor; Principum gloriæ ſumptuoſiùs militat.* p.612

*Cæleſtis beatitudo humanæ rapinæ expoſita eſt; apprehendi poteſt, æſtimari non poteſt; propè eam neſcientes allicit; eius contemptus, titubatio fides eſt, & gehennæ cenſus.* p.614

*Num idoneè Beatus in cæleſti patriâ quaſi in tentorio habitare, inibi peregrinari, & Deum inuentum arcanè quærere perhibetur? Id terrenæ, non cæleſtis voluptatis probrum eſt.* p.616

## CAPVT XVI.

*Nimium in magiſtratibus amplandæ iuriſdictionis ac potentiæ ſtudium, egregiè hic vapulat.* p.622

*Prudens cautela, tametſi falſos, veroſimiles tamen de ſe rumuſculos præcidit, humanam præcludens maledicentiam.* p.623

*Homo in officinâ ingratitudinis, ex beneficiis aduerſus benefactorem arma cudit.* p.625

*Quiſquis ingrato benefacit, & beneficium perdit, & vltrò inimicum acquirit.* p.627

*Homo tot beneficiorum reus eſt, quorum & ingratus.* p.629

*Scelerum loco eſt, apud inertem dignitas.* p.630

*Quibus abeſt conſcientia pudicitiæ, nil verum adeſſe ſolet: quaſi mendacium ſit luxuriæ ſequela, & veritas caſtitatis appendix.* p.632

*Grande in Principibus malum eſt, nolle videri erraſſe: inde nutritur pernicacia in errore; quæ multis elogiis culpatur.* p.637

*Homo de luteâ origine mutationibus corporatus, ad conſueta nauſeans, varietate gaudet, noua ſemper exambiens.* p.637

*Male acutas ſubditorum contra Præpoſitos querelas, ſiſtat dubia poſtulandi cauſa, & humana abuſiuè paternitas ſiſtat.* p.639

*Non annoſitas otioſè cana, ſed in minore etiam ætate eruditior negotioſè peritia, ad obtinendas dignitates merita cudit.* p.640

*Malè*

*Malè ſenes, annorum ſcalis ad dignitatum faſtigia conſcendere præſumunt.* p.642

*Deum vis magnitudinis ſuæ, & notum hominibus obiecit, & ignotum: & quem comprehendere præ ſua amplitudine nefas eſt, planè ignorare præ noſtra ſocordia ſceleroſum.* p.644

*Num ex errorum gymnaſio, fidei Chriſtianæ veritas aliquandò ſumptuoſiùs ornatur?* p.646

*Impenſius Sanctorum ſtudium de amplificanda Dei gloria, auguſtè glorioſum Chriſto eſt.* p.647

*Non qui eloquitur magna, ſed qui viuit, Euangelium, & Euangelij mores feliciter perſuadet.* p.649

*Infelix eſt ſuadela Prædicatoris, qui quod ore docet, opere non loquitur.* p.651

*Comitas placida in Doctore, perſuaſionis lenocinium eſt: opprobria verò diſputantium, noctem vel perſpicuis diſputationibus offundunt.* p.653

*Quæſtuaria in Euangelico Prædicatore auaritia, multis ſuggillatur.* p.654

*In verbi Dei adminiſtris, viliſſima ſordidi lucelli auaritia, qua cibario aut nummario pretio veritatem cauponatur; multis culpatur.* p.656

*Cæleſtium diſciplinarum, ſeu concionum audientiæ Præſes eſt Chriſtus: qui quodammodò diſcit in auditoribus, quorum aures ſanguine ſuo madent.* p.658

*Contumelioſa ſcelerum obiurgatio, emendationem ſæpè corrumpit, & obiurgantem deuenuſtat.* p.660

*Acerbior delictorum reprehenſio, emendationem plerumque faſcinat.* p.662

*Ad rem vitij ſæpè infamia facit, quod vix tentatio præſumit.* p.664

*Paci ſtudet Superior, qui vibratis minis, & inflictis idoneè ſuppliciis, Reipublicæ pacem inquietare videtur.* p.665

*Aſſueri regimen, quod in multis grauiter deliquit, in pauculis obiter vapulat.* p.667

TRAC

# TRACTATVS APPENDIX
## DE
# ESTHERE FIGVRATA,
## In quo
## Virginis Deiparæ laudes in Eſthere adumbratæ prædicantur.

*PROOEMIOLVM.* p.672

*SANCTVM Mariæ nomen (quod Angeli audire deſiderant) diuinam Maternitatem præſagit; gratiam, & gloriam ſpirat, aliquo nominis Sacramento.* p.672

*Plura gratiarum elogia in glorioſo Mariæ nomine, velut ſub ænigmate arcanè latent.* p. 676

*Sacroſanctum nomen Ieſu, quod Deiparæ nomen integrat, appendice laude commendatur.* p.677

*Omnia certatim ſecula ſibi Deiparam vendicare, pia gloriæ auaritiâ exambiunt.* p.680

*Fundamentum immaculatæ Conceptionis ſuper ore Patrum incumbens, nemo mente, aut ore fruſtrà labefactare audeat.* p.682

*Figurata Eſther populi ſui vindex, ab Originali labe multimodè vindicatur.* p.684

*Materia præcedentis Paragraphi, pro immaculatâ Deiparæ Conceptione, ab originali labe limpidiſſimè immuni, productiùs ampliatur.* p.685

*Deiparæ pura Conceptio, à peccato Originali immunis adhuc multis aſſeritur.* p.687

*Marianæ pulchritudinis vitalis fulgor, obumbratione nitet: quæ nitet etiam pulchritudine diuinâ, cuius corpus ſanctitatis pulchritudine fulget: exindè pulchritudinum pulchritudo nominatur.* p.689

*B. Deipara alioqui paupercula nummario cenſu, opulentiſ ſanctitatum omnium gazis prædiues fuit.* p.691

*Marianæ gratiæ plenitudo proponitur, & multimodè expenditur.* p.693

*Deipara eſt naturæ miraculum, gratiæ prodigium, & vtriúſque ſtupor; adeò vt extra omnia cenſeatur.* p.695

*Immenſitas Marianæ gratiæ, beata gloria iuſtificatio dicitur, & diuinæ gloriæ auguſtior expreſſio: ipſáque B. Virgo ſuorum prærogatiuis meritorum glorioſior.* p.697

*Profunda Deiparæ humilitas, in tantâ diuinæ maternitatis auctoritate, multimodè elucidatur.* p.698

*Depreſſior humilitas, index, & comes virginitatis, in B. Virgine micanter elucet.* p.700.

*Tam eſt præcelſa Deiparæ magnitudo ſuper eius puritatem fundata, vt non ſolùm incrementis, ſed etiam diminutione creſcat; emineátque ſemper ſuâ quoque gloriâ maior.* p.702.

*Meracior Deiparæ virginitas, filij ſui diuinitatem ſumptuoſiùs manifeſtat.* p.704

*Deiparæ virginitas à partu ampliata, de bonis carnis Deo adulatur, piâ quadam pudicitiæ obſtinatione; quæ diuinum Verbum in ſe corporandum probat.* p.706

*Deiparæ virginitas, Caſtri Dei virginitatem venuſtat: cuius æterna virginitas, cenſus illius eſt; vitæ perpetuæ idea, & quaſi vitales Angelorum deliciæ.* p.707

*Verecundia, quæ eſt fœcunda & virgo, Deiparæ typus eſt: hæc dum intra merita ſui honoris modeſtè hæret, diuinæ Maternitatis characterem inſigniter præfert.* p.709

*Deus in ſplendoribus, B. Virgo in obumbratione, eundem generant Filium: ex hac obumbratione Marianus glorias metari, aut metiri licet.* p.711

*Myſterium Incarnationis (in quo Deus non tantùm*

*tantum ex Virgine, ſed à Virgine, carnem ſumpſit) quo ſenſu* inoperatum *dicitur; tuncque Deipara ad quandam quaſi cum Deo æqualitatem eleuat?* p.713

*Chriſtus Deus, totus Matris virginis eſt; quæ ſolum opus Incarnationis, & redemptionis Opus ſententioſè appellatur.* p.715

*Quid ſit Virgo Deipara Filio Deo, planè inſcrutabile eſt, ineffabile eſt.* p.717

*Beata Deipara Dei maieſtate veſtita, de ſuo vellere Agnum induit ſuum: & de ſui Agni vellere homines etiam veſtit.* p.719

*Virgo Deipara eſt tabula digito Dei conſcripta: & puriſſima charta, in quâ Pater Verbum diuinum ſcripſit Spiritus-ſancti calamo.* pag.721

*Commendatur multimodè arcana Sapientia Deiparæ; ex quâ cæli ac terræ Doctor dignius prodiret.* p.722

*Beata Deipara de congruo cum Filio Deo Corredemptrix eſt; apud quem peridonea Mediatrix eſt.* p.724

*Eua per ænigma, in corredemptricem Mariam redintegratur, & transfunditur: quæ per latronem Adamum rursùs paradiſum complantat.* p.726

*B. Virgo Euæ reſtinguit appetentiam, dum concupiſcentiam quodammodò in voluntatem reformat; & carnis paſſionem ſoluens, mutat in ſpiritum?* p.728

*B.Virgo Chriſti panoplia,& dura pugnaciter bellatrix eſt: ſed quæ de imbecillitate valentiam mutuauit, quò typicam Eſtherem adimpleat.* p.730

*Totus Filius cruxifixus eſt in intimis viſceribus Matris, quæ iuxta crucem ſtabat velut impaſſibilis per patientiam.* p.731

*Materni doloris acerbitas adhuc copioſè expenditur, tunc autem Deipara iuxta crucem cum diuinitate ſtabat ipſa immobilis, & gaudens.* p.733

*Ieiunium (quæ ſpecies aliqua humilitatis eſt) ſic ne præcelluit in Dieparâ, vt, ac ſi foret quodammodò ſui corporis pars, ad conceptionem Redemptoris adiuuerit?* p.735

*Quàm altum gratiæ & gloriæ pelagus, in Deiparâ exundet.* p.737

*Ineffabilis eſt beata Deiparæ gloria; quæ principium ignorare, & finem neſcire perhibetur: Maria enim velut gloriæ æternitate confecta dicitur.* p.739

*E cumulo Marianæ gloriæ, quanta vbertim gloria in Filium Deum exundet.* p.740

*Auguſtiſſima Mariæ gloria, in Cælites omnes, empyreis gloriis vbertim exundat.* p.742

*Ne degeneri titubatione ſpes noſtræ imbecillè nutet, in precariâ Deiparæ omnipotentiâ ſtudioſè fundata eſt.* p.744

*Oratio ad Mariam, donorum impetratio eſt? eſt enim ipſa precandi ratio, & precum complementum adeò vt etiam qui malè eam ſupplicat, ei adulari dicatur.* p.746

*Deipara ne ſupplici imperio, an imperiali prece Filium Deum orat & exorat.* p.748

*Dei, ac Deiparæ Voluntas, velut ipſa altera eſt, duæ vnum, & idem ambæ.* p.750

*B. Virgo eſt officina, quæ ex peccatoribus Sanctos excudit: & velut ex quâdam benignitatis lege, dum gratiam donat, debitum implet.* p.752

*Num miſericordia Chriſti, ſit etiam ſoboles Mariæ; quandoquidem ab eâ æternæ pietatis indolem generoſè expreſſit?* p.753

*Beata Deipara humanas neceſſitates & preces, præpropera fauentia cumulatè anteuertit.* pag.755

*Beata Virgo eſt perennis gratiarum fons, diuinorum influxuum Præſes, officina ſanctitatum, velut fulcrum miſericordiæ, hominum in vtero baiula, & Patris æterni de pietate æmula.* p.757

*Quiſquis Chriſtum Deum, in Mariâ, & per Mariam quærit; & felicius inuenit, & ſecurius tenet.* p.759

*B. Deipara velut ex repercuſſione diuini luminis ſuos imitatores denſius irradiat: exindè ipſa nobis imitatione incorporanda, quaſi hominis veſtigium, aut veſtigium oculorum apparet, præluſtri calceamentorum gloriâ fulgens.* p.761

*B. Deipara legem beneuolæ clementiæ ſanciens, ſuorum clientum pax & concordia eſt.* p.763

*Quam operam Virgo Deipara ad ſacram Euchariſtiam contulerit.* p.765

*Ad Beatæ Deiparæ deuotionem arcanâ quâdam vt homines populariter feruntur.* p.767

*Figuratæ Eſtheris aſpectu ad Eſtherem typicam, plura elogia delibatim addenſantur.* p.768

*Materia præcedentis Paragraphi eâdem methodo productius ampliatur.* p.770

*Adhuc eâdem ſeruatâ methodo, Deiparæ laudes periſtrictim delibantur.* p.772

*Sub eâdem adhuc methodo, Deiparæ ſaltuatim perſtrictæ laudes.* p.774

*Mariani ſtromatis clauſula.* p.775

*S. Ioſephi, Deiparæ ſponſi Laus.* p.777

# Series Paragraphorum moralium.

*Quo genere Filiationis Chriſtus Deus Ioſephi Filius perhibetur.* p.777

*Per Mariæ ac Ioſephi coniugium (quod vtriuſque virginitate deputatur) vna amborum mens, vna fides, vnus ſpiritus cenſentur.* pag.779

*Puriſſimæ caſtitatis prærogatiua, quæ in Mardochæo tranſparet, in Ioſepho micanter elucet.* pag.781

*Quàm ſit Ioſepho præcelsè auguſtum, quòd Chriſti Dei pater appelletur.* p.783

*Sanctus Ioſephus & Deipara virginitatis, & myſterij Incarnationis Aſſertor nominatur.* pag.784

*Virgo Deipara, & eius Filius Deus tanquam, Sponſo, ac Patri, Ioſepho parent reuerenti obſequio: paret etiam Ioſephus Filio Deo, quem velut legem ſenſibus intimauit.* pag.786

*In ſiniſtris Ioſephi ſuſpicionibus, & ipſius gloria tranſparet, atque è diuerſo pulchrum Mariani pudoris ſuffragium.* p.788

# PROLEGOMENA IN ESTHERIS HISTORIAM.

## PROLEGOMENON I.

*Eſtheris vindicis, ac vindicatæ encomium, materiatum de alieno, concinnatum de proprio.*

IVDITHAM, incomptæ eruditionis noſtræ ſoloce malè ornatam, olim dedimus: nunc (poſt Patriarchas Benedictionibus auctos, & Tobiam ad honores Patriarchales adlectum) Eſtherem dudùm promiſſam damus: matronale ſumptuoſius parallelum: vt hinc ſumant auſpicium reliqua *Biblicarum Heroïdum parallela*, quæ iam diu molimur, tanquam aſpectabilem morum ideam; quò ſtrenua in feminis virtus, muliebres vitiis homines, in viros reformet. Eſtherem inquam, do, Iudithæ de animoſitate æmulam, æuo ſupparem, nec imparem facinoris claritudine. Itaque in hoc commentariorum veſtibulo non addenſabo veterum ſcriptorum obuia ſegmata, quæ quiduis de Eſthere frigidè delibant, ne *hyeme frigidior, crebris verborum nimbus*, æſtuans tanti facinoris tepeſcat ardor. Ergo verba, & *ſententias, forſan pulchras & acres, è priſcis ſcriptoribus variè conquiſitas*, ad huius Heroïnæ res geſtas luculentiùs exponendas, in vnum conduxi; ſi forte vario ſermonis ductu, & rerum ac verborum exiguo flexu, ſpiritum, vitam & lucem afflarem; ne *hanc primam vmbram planè ſine lumine colorarem.*

*Auctoris vota.* — *Sermonum nimes.* — Tertull. l. 1. adu. Marc. c. 1. — S. Naz. orat. 4. — Lipſius in Prologo ad Polit. — Tertull. adu. Herm. c. 2.

### § I.

*Eſtheris nobilitas, educatio, pædagogia, venuſtas.*

2. HIſtoriam ſcribo, non panegyricum (niſi fortè præluſtris Heroïnæ meracior hiſtoria, ſchemata panegyris æmuletur) Eſtherem inquam, publico Eccleſiæ theatro ſpectandam damus, eruditorum ſuperciliis malè obnoxiam. Scilicet quod Vaſthi regina pudicè renuit, pulchros inquam, in publico *oculos extollere, quorum lenocinio mundus in flore eſſet*; per meam nunc *pudenter impudentiã*, formoſiſſima Eſther (illi in Perſico ſceptro ſuccedanea) audacter adimplet. Quippè *quæ tota ſupra feminam, & exemplum eſt virtutis, & inſtrumentum*... *vita bona boni ſeculi reliquia: per quam & ſexus reſpirat ad gloriam, & genus elabentem retinet dignitatem.* Indubia fide ſtat huius hiſtoriæ veritas, quæ Eſtheris elogia altè fundat; ne vnquam de humano nutet cenſu, tantæ Heroïnæ irreuerenter ingrato. O quàm *grauis hiatus patitur alienæ gratiæ commiſſa credulitas!* Profectò ipſis Gratiarum manibus facta puella, ab ipſis crepundiis gratiæ moribus enutrita, Spiritum ſanctum exigebat encomiaſten; nequis de eius elogiis, niſi licentiâ hæreticâ, aut pagano priuilegio ambigat. *Organum diuinum ipſa eſt, inſtrumentum ratione præditum, quod à præclaro artifice, hoc eſt, à Spiritu ſancto concinnatur, atque pulſatur.* Sic Eſther ad concinnæ virtutis harmoniam cunctas modulabatur actiones! In cuius debita laudatione, *Si me anguſtia non coarctauerit eloquentiæ ſub certa lege currentis, vt ſaltem cruda per ordinem digeram facta meritorum; nihil tamen de laboribus eius tam mediocre vel humile inueniam, vt neceſſariis illud bullis viridi ſermonis amplificem.*

S. Hieron. in Epitaphio Paullæ. — *Pulchre oculorum lenocinio mundus in flore eſt.* — S. Zeno ſer. 1. in Pſ. 110. — P. Didac. Celada in Eſtherem. — S. Paulinus epiſt. 4. — Hildeb. epiſt. 26. — *Per Eſtherem genus reſpirat ad gloriam.* — S. Ennod. l. 1. epiſt. 1. — *Grauiter patitur hiatus humana credulitas.* — S. Nazian. orat. 5. — S. Ennod in vita Epiph.

3. Et ſanè huic auguſtiſſimæ Heroïnæ *vtriuſque generis decus pietas fuit*: non tanquam vindiciæ de ingenua conditione, (Perſicæ tunc ſeruituti obnoxia) neque quòd illi defuerit regij generis nobile ſuffragium: quippè quam inclytis retrò Saülitis Principibus generosè prognatam, non tam nobilitauit *floſculus ſuperuenientis imperij*, quàm palàm omnibus euulgauit. *Sed quid auorum retexam ſanguinis prærogatiuam, quorum familiæ & nobilitati caput eſt Filia?* Aſcendit ambitiosè quæſita ad Perſicum ſublimiſſimè imperium, ſine ſui tamen cremento: *creſcere enim ſumma non recipit.* Tantam vndecumque, tamque auguſtam generis nobilitatem in Eſthere, *ſecum dignitas regia non attulit, ſed inuenit.* Inuenit enim præluſtrem Ionathæ ſobolem, virtutis auctario generoſam. *Credidi votorum ſummam fatigari, ſi te natalibus reddidiſſes. Sat fuerat parentum tuorum deſideriis ſeniora te ornamenta æmulari; vincere poſſe, ſicut nemo credidit, ita nullus optauit. Vides quantùm polita conuerſatio pretiis benè naſcentis adiungat? Quod iubar ſanguinis præſtitit, ſuperauit induſtria caſtigantis*, id eſt, pædagogi

S N(a)z. orat. pro Baſil. — *Eſtheris nobilitas à ſanguine, à virtute.* — S. Ennod. in Panegy. — Idem in vitâ Epiph. — S. Paulin. epiſt. 3. — Hildeb. ep. 4. — S. Ennod. l. 1. epiſt. 1. — *Iubar ſanguinis ſuperat pædagogi induſtria.*

 Mardochæi

Plinius in Panegy.

Mardochæi inquam. *Ille enim nullo magis nomine publicus parens, quàm quia tuus; quem pax, & adoptio, & exoratum terris Numen dederunt. Paruiſti enim* Eſther, *& ad Principatum obſequio perueniſti. Nihilque magis à te ſubiecti animi factum eſt, quàm quod imperare cœpiſti.* Inſſerat id pater morum; te, non aulica, ſed empyrea idole, intentiùs reluctante; cùm in tua diu educatione, atque inſtitutione *abundè expertus eſſet, quàm benè humeris tuis ſederes imperium.*

*Non niſi de Mardochai imperio imperat Eſther.*

Idem inibi.

4\. Itaque Mardochæus *eſt omnia* Eſtheri *infanti, & pater, & mater, & pædagogus, & altor*; illamque optimis diſciplinis ſimul cum lactis ac mellis ſocietate ſapienter infantat. Exinde Eſther *cana conſilia in annis puerilibus meditabatur. Vernabat in illa præ ceteris mater bonorum operum verecundia. Ita famulabatur* patruo *libens, vt ſiquid operis gereretur ab altero, grauiter ferret ſubreptum ſibi fuiſſe ſeruitium. Erat primis ſubiecta, æqualibus blanda atque officioſa, ſequentibus mera charitate communis: nulli ſe præferens, cùm religioſo curſu per cæleſtem tramitem omnibus anteiret laudationis amore vacua, cùm in ea quotidie laudanda adoleſcerent: cùmque res gloria dignas per horarum momenta conſummaret, perire fructum gloriæ opinabatur atque mercedem, ſi prætuliſſent homines, quod ſoli Deo exhibebat abſconditè.* Sic in præternarum ædium ſeceſſu pulchram ætatulam inuiſa tranſegit! Quæ poſtmodùm, *etſi adhuc flore annorum virebat, tamen morum ſenectute caneret, & ætatem puellæ ſtipendiis ſenectutis ornabat.* Adeò vt propter ſtrenuam pædagogiam Mardochæi, ambiguum iam ſit, *vtrùm ſit efficacius ad rectè viuendum, rectè inſtitui, aut feliciter naſci.* Sub te altore, & educatore, ô Mardochæe, Eſther recuperauit ſpiritum & ſanguinem, & patriam, ac Hebræam gentem ab excidio liberauit. *Vt iam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experiretur: & creſceret de tuo, quæ creſceret tibi.* Creſcat tibi, creſcat religioni, creſcat tuorum incolumitati regalis puella, quæ *fidem moribus anteuertens, eſt Spiritus domicilium, Domini voluntas, & fidei fulcimentum.* Sic Mardochæus Eſtherem ſuam alens, & inſtituens, *pietatis gymnaſia moderatur.* Quid ergò, ô Eſther, miremur tam potentem te eſſe, meritorum tot gratiis à pueritia exundans? *Dubitabimus etiam nunc, an perfecta ſis, quæ de perfectione cœpiſti? & ſi legitimè coronanda ſis* (nunc Perſico, poſteà diademate olympio) *cùm currere cœperis à corona?* Itaque feliciter beata eſt, quæ ſic à cunis inſtituta eſt: beatior, quæ ſemper meminit quibus moribus dudùm inſtituta fuerit: *beatiſſima, quæ infantiam ſuam prouectu temporis non mutauit.*

Cle. Alex 1. l. Pædag c. 6.

S. Ennod. in vita Epiph.

*Eſther in paruula ætate, cana matronarum conſilia æmulatur.*

S. Paulli. ep. 35.

*Mardochai laus à pædagogia Eſtheris.*

Plinius in Panegy.

Idem inibi.

S. Naz. Orat. in laud. Patris ſui.

Idem Orat. pro Baſil.

S. Paullin. epiſt. 26.

*Adhuc puella à perfectione cœpit.*

S. Zeno ſer. 4. ad Neoph.

5\. Et ſanè hæc Heroïna, quæ à receſſu, ſine *abſconſione*, Eſtheris nomen ſortita eſt, ita ſemper modeſtiam coluit, *vt omnes in ſe carnis illecebras ab ipſa funditùs radice præcideret: & aures, & oculos in vernantis ac floridæ* ætatis *indeficienti viredine cuſtodiret*; non neſcia, *omnes improbas cupiditates in cor per oculos, quaſi per naturales cuniculos, introire.* Sic modeſtiſſima puella venuſtate opinatiſſima, in ædium penetralibus abſconſa, implere feſtinat quod Deus *iuſſit ab eis cautiſſimè etiam minima vitari. Scilicet vt quàm pura eſt pupilla oculi, tam pura eſſet* ipſius *vita: & ſicut ſaluâ intuitus incolumitate, pulueris labem in ſe oculus non reciperet, ſic vita noſtra labem in ſe penitùs impudicitiæ non haberet.* Sic Eſther ſecundùm *ſui præſagium nominis* prima oculorum tela præmaturè exarmauit. *Hæc ſicut inter multas gemmas pretioſiſſima gemma micat, & iubar Solis* (cui poſtmodùm comparatur) *paruulos igniculos ſtellarum obſcurat; ita cunctorum virtutes & potentias ſua humilitate ſuperauit: minimáque fuit inter omnes, vt omnium maior eſſet; & quantò ſe plus deiiciebat, tantò magis à Deo ſubleuabatur. Latebat, & non latebat; fugiendo gloriam, gloriam merebatur: quæ virtutem quaſi vmbra ſequitur; & appetitores ſui deſerens, appetit contemptores.* Idcircò de caſula ad palatium, de captiuitate ad regnum transfertur.

Petr Dam. ſer. 25.

*Eſtheris abſconſio, & modeſtia.*

Salu. l. 3. de Gubern.

Idem inibi.

Petr. Dam. ſer. 15.

S. Hieron. in Epitaph. Paulæ.

*Eſther gloriæ refuga, latebat, & non latebat.*

6\. *Illud verò* de Eſthere *libandum eſſe non abnuo, quòd formoſitas in illa lucis corporeæ, index animæ fuit; & tantùm contra ſtudium illius* (ſic cultum negligebat! *forma decus enituit, vt nec forti viro poſſet oppugnante ſubuerti. Ridebant genæ, etiam cùm animus mæſtitudine torpuiſſet: nitida ſimul labia commendabant dupliciter mella ſermonum: nec non quocunque vertiſſet oculos, ſerenitatem mentis nunciabat aſpectus: frons cerea pulchritudinis, & candoris illius, quæ ſolis paſſa radios colorem traxit ab æthere: nares in tanto naturaliter ſplendore formatæ, vt illas nequiret imaginibus corpora repræſentans pictor æmulari, manus teretes, prolixi digiti, de quibus aliquid & alienigena gauderet accipere. Statura proceritas decens, quæ eminentiam ſecuturæ dignitatis præſignaret in membris; nec tamen modum ornatiſſimæ proceritatis excederet.* Sic vernabat in Eſthere *corporis floriarium, & roſa pudoris.* Sanè *egregius flos verecundia* eſt. *Neque hæc quidem laſciuo vnquam ornatu delectata eſt; verùm ornatus contemptum pulchritudinē indicauit. Sic contra ſtudiū illius forma decus enituit!* quippè quæ *erat formoſa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur*; adeò *vt in illa gloriæ materiam quæſiſſe natura videretur.* Itaque Eſther, *quæ conſummata fuit in mulieribus,* præcellebat *pulchritudine ſancta*, vſque ad ſtuporem virorum, & feminarum inuidiā. *Per quam pulchritudinē ipſa quoque ſeipſam tranſmittit ad artificem, & id quod eſt verè pulchrum, ſanctum ſignum, lucidum iuſtitiæ characterem oſtendens Angelis.* Scilicet puellā in paucis formoſam, captiuam, vtroque parente orbatam, neque *peccandi licentia, & cœlebs iuuenta ab anguſto ſalutis introitu, & arduo itinere virtutis, in mollem illam & ſpatioſam multorum viam reuocare potuerunt.* Quin potiùs *ita ſe geſſit, vt nunquam de illa etiam maledicorum quicquam auderet fama confingere,* Quæ eſt venuſtioris pudicitiæ hyperbole.

S Ennod. in vita Epiph.

*Eſtheris rara pulchritudo.*

*Eſther politi ornatus negligens.*

S Zeno, ſer. de Lazaro.

S Naz. Orat. ad Virg. exhort.

S. Naz. Orat. in laud. Gorg.

Ennod. ſuprà.

Eſther. 2. v. 15

S. Naz. Orat. pro Baſil.

Clem. Alex. 4. Strom. 6. & 2. Strom. 9. & 4. Str. 6.

*Eſtheris pulchritudo fuit lucidus iuſtitiæ character.*

B. Paullinus epiſt. 1.

S. Hieron. in Epit. Paull.

---

## §. II.

*Eſthere ad inſuſpicabile imperium ſublimatâ, ſublimatur etiam Aman ad regiam familiaritatem, è qua Hebræi populi ſtrages atrociùs negotiatur.*

1\. CVm ergo Perſæ ambitioſiùs ſalaces, *barbaras libidines conſecraſſent*, orphana Eſther, ſicut libertatis inops, ita & obſequij

S. Paulli. ep. 10.

prodiga

prodiga; de diuinæ gratiæ cenſurâ, de humanæ pulchritudinis ſuffragio, & de inopinato ambitu ſeruitutis, ad ſuperbas Aſſueri nuptias eligitur. Deus, Deus inquam, fuit, *qui inſuſpicabilem diademate exornauit*; vt regio *gereret nomine, quam poſſidebat meritis dignitatem.* In regale gynæceum inuita ducitur; ſed eligentis iudicij debitrix, & obnoxia fauori ſublimantis. *Non non tyrociniorum infirmitate titubans, nouitatis vitio vel innocenter errauit; ſed abſtinentiæ firmato veſtigio, imitando vixit exemplo.* ibi degens *vt domini ſuæ hoſpes*, & proprij palatij nobilis inquilina; ſciens *mortem non pluribus ſtadiis ab aula, quàm à tugurio diſtare.* Nuper *in fimo ſedens, vnde caderet non habebat, & habet vnde conſurgat per eum qui ſuſcitat de terra inopem, & de ſtercore erigit pauperem, & in ſtercora erigit ſuperbos.* O iam infauſtum Amano augurium! ) *Sed ſi ſollicitè conſideras, Eſtheris vita, materia eſt ad glorias, non deſcenſus ad ruinam.* Ad eam enim imperij gloria ab aliis hiantet ambita, vltrò inquæſita venit. Inde Perſicum ſceptrum vel inuita præripit, *quaſi quadam iuſtitiæ hereditate* debitum. Imperij corona Eſtherem ambit; Eſther autem pia quadam virtutis ambitione, nec flocci eam æſtimat; *tanquam ſcenam, aut vulgarem quandam, temporariamque laruam, huius mundi fabulam agens.* Sic Eſther regiam *domum contempſit, atque omnem huius vitæ ſcenam pedibus protriuit: alta & ſublimis effecta eſt, & inteſtinos animorum motus ablegauit, nihil ex ipſis attrahens, non ignauiam, non inanem gloriam, non opum cupiditatem*, quæ ſunt aulæ cognata elogia. Porrò in regia Eſtheris familia *tantum vbique ſilentium, tam altus pudor, vt ad paruos penates, ad anguſtum larem, ex domo Principis modeſtiæ & tranquillitatis exempla referantur.* Quæ eſt frugalitatis meta.

*Inſuſpicabili diademate Eſther coronatur.* — Idem ep. 4. — S. Naz. Orat. 1. in Iulian — Caſſiod. l. 1. Var. ep. 13. — Idem l. 13. epiſt. 4. — S. Paullinus epiſt. 1. — Hildeb. ep. 1. — S. Paull. epiſt. 10. — 2. Hild. ep. 37. — S Paullin. epiſt. 10. — S Naz Orat. in laud. Cæſarij. — S Iſid. Peluſ. l. 1. ep. 210. — *Imperium quaſi ſcenam depretiat Eſther.* — Plinius in panegy.

3. Rarum eſt regnum non ambire; inſolens illud pati, aut repudiare. *Nam quantulum refert, deponas, an patiaris imperium?* ô pulchra Eſtheris ad Deum vox! *Tu ſcis, quòd abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ* ( regium diadema inquam ) *& deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ.* Ibi autem, ô Eſther *patiendum imperium fuit, vt tuis humeris patriam ſuſtentares. Et licèt parendi, magis quàm ſeruiendi haberet voluntatem, mutauit tamen per officium perſonam, ſeruiendi animum non amiſit.* Ambitioſo Eſther famulitio Reginam agebat, & in faſtigio regiæ dignitatis ſupra omnes ſublimis, cunctis ad nutum obtemperantibus; & tamen tunc *quicquid Mardochæus præcipiebat, obſeruabat Eſther: & ita cuncta faciebat vt eo tempore ſolita erat, quo eam paruulam nutriebat*, ac ſi alieni *cenſura iudicij*, illi foret *gloriæ titulus*, aut imperij gloria. Sic patruo obſequebatur, ardua quæque iniungenti per epiſtolas, ac ſi *Spiritus ſanctus calamum temperaret*. aut *calamum quaſi ex ſpiritus pyxide moueret.* Profectò tam exprompto debuit parere obſequio, quæ in palatio regio, velut in ſeceſſu, vitæ exul, & laborans penuriâ mundi degebat: nam Sophus quiſpiam, *ſeceſſionem à rebus ex materia concretis, propenſionem ad obediendũ nuncupauit.*

Plinius in panegy. — Eſther. 14. v. 16. — *Eſther patitur imperiũ, quod alij ambiunt.* — Plinius in Panegy. — S Ennod. in vita Epiph. — Eſther 2. v. 20. — Salu. l. 1. de Gubern. — Petr. Dam. ſer. 48. — S. Naz. Orat. pro Baſil. — *Mortificatio eſt propenſio ad obediendũ.* — S. Iſid. Peluſ. l. 1. ep. 1.

4. Tunc, ſicut captiuitate vilis, ſic & prauitate ſceleroſus erat Dei populus: *magis enim damnabilis eſt malitia, quàm titulus bonitatis accuſat: reatus impij eſt pium nomen.* Idcircò ad ſuperbum regiæ familiaritatis faſtigium, *fraudis ac mendacij ſcalis* aſcendit Aman, Aman inquam ille de Amalecitarum colluuie concretus, de Brontis, Steropiſque chalybiâ ad omnem ſæuitiam exculptus. Hunc inconſulta Aſſueri vecordia, imperij ſui *propugnatorem, vnius diecula ſpatio, velut ſimulacrum ex argilla finxit. Hic fragili felicitate prouectus, fortunæ ludo ad apicem faſtum repentinis ſucceſſibus euolauit.* Sublimatur Aman, & auguſtioris imperij Antiſtes derepentè inuenitur, *non elaboratus, ſed recens quaſi nunc ad dignitatem ſimul ſatus editus, quemadmodùm poetæ gigantes finxerunt.* Eheu quales viri repudiati ſunt, vt agreſtis Aman præ omnibus ſublimaretur? *Non tam æquatur nequitia melioribus, ſed & colitur: vt in pluribus neſcias, vtrum ſit deteſtanda prauitas, an optanda felicitas.* Hæc autem incertæ felicitatis aſcendendi conditio, *potiùs eſt viciſſitudo, quàm præmium.*

Saluian. l. 4. de Gubern. — *Reatus impij eſt piũ nomen* — Tertul. alibi expenſus. — *Derepentè ſublimatur Aman.* — S Naz. Orat. 1. — Caſſiod l. 1. Variar. epiſt. 4. & 17. — S. Naz. Orat. pro Baſil. — Minut Felix in Octau. — *Felicitas improbos auget.*

5. Ergo è Tartarorum caueâ, Diabolorum hoſtiliter atrociſſimus, produxit aduerſus Dei populum *belluam illam, ſpiritus impuri ſupplementum.* Hic, & ipſe Amalecites, quaſdam prætexens incimilitatis nugas, quas ipſi non adorantes exhibere, Mardochæo religio fuit; inueterata retrò odia contra Hebræorum reliquias immaniſſimè recentat. *Quamuis agas id, vt nequis merito tuo te oderit, erunt tamen ſemper qui oderint.* Nempè *nihil æmulum mali non bonum; ſicut & boni æmulum nihil non malum*, & ipſe non bonus *bona ſua creſcere malis arbitratur alienis.* Ecquis in Amane, & Amanitis curaret *auaritiæ lepram, & inuidiæ ferruginem, & intemperantiæ cæcitatem, & iracundiæ phreneſim?* talium *oblatratione curarũ*, in Dei populum ſæuè ferociunt. *diſpliceamus ergo his, & gratulemur eiſdẽ nos diſplicere, quibus & Deus diſplicet. Hi enim gratis ad facinus cõcurrunt, ad honeſtum nec pretio.* Igitur cùm *aut diffidentia aut malitioſitatis conſilium ſit fallendo quid promouere*, clanculario inſidioſè vaſtamento, Iſraëlitarũ clades Amanus molitur. Amanus inquã, *Dei muneribus inſolens, Deo egens, peccato diues, vitâ ſterilis, morte fœcundus.* Imò & mortibus *fœcundus* Aman, cuius apud Aſſuerum *Omnipotens auctoritas*, vt omnem omninò Dei populũ deleat, veræ *fidei æmulam fraudem* obtendit: atque ferale extorquet edictum, *ſtylo culpæ, & reatus ipſius atramento* exaratum. *Quidam quoſdam occidunt inimicos, non quia habeant, ſed quia habere meruerunt.*

Idem init. — S. Naz Orat. 1. — *Aman fuit Spiritus impuri ſupplementum.* — Publ. Mim. — Tertull l. 2. adu. Marc. c 11. — Salu. l. 2. ad Eccleſ. — S. Paullinus epiſt. 12. — S Paullin. epiſt. 6. — Hild. ep 39. — Tertull. adu. Marc. l. 3. cap. 15. — S. Paulli. ep. 14. — *Aman fuit mortibus fœcundus.* — Clem. Alex. 4. Strom. c. 1. — S. Paulli ep. 34. — S. Chryſol. ſerm. 123. — Publ. Mim.

6. *Ille caput ſcelerum* Aman, tot ſtrages ſubdolâ inertis Aſſueri gratiâ meditatur: & niſi cælum fauentiam incunctanter opportunam terris adſpiret, *mors cruda & dira ſequetur.* Siquidem illius ſæua vaſtricies, *vt iram nutriat, cauſſas colorat*: & legem Moſaïcam omnium vetuſtiſſimã, ſuperſtitioſæ nouitatis accuſat. Idololatriæ verò *victricem vetuſtatem* ſolletter vendicat, vt Regibus, ac Dynaſtis, & inde ſibi *abreptiones diuinitatis* veroſimiliùs affectat. Aſſerit tamẽ merũ *figmentũ temporis ope ac præſidio fultũ.* Sic clã tecentat *eos, qui vetuſtate cõputruerũt.* Teneo tamẽ falsũ antiquitate generoſum. Quin & pro legiſlatorum ætate, de omnibus coæuã ſiue matrice, ſiue officina, leges edũtur: *nam mundi opificium*

Claud. Mar. Vict. l. 1. & 2. in Geneſ. — S. Chryſol. ſerm. 16. — Tertull l. 3. adu. Marc. c. 5. — S Iſid. Peluſ. alibi expenſus — S Naz Orat. in Sanc. lum. — S Iſidor. pel. l. 1. epiſt. 57.

Philo l.2. de vita Moyſ.
S.Zeno ſer. de patient.

*eſt legum exordium.* Plura alia confertim apud Regem criminatur ambitioſa Amanis inuidia; quæ res eſt *lubrica, ſe ſemper impugnans: animus infidelis, improuidus, inſtabilis, cæcus, incautus, totus concitatus in ruinam: res ſine ſubſtantia, negotium ſine perſona, omnia tentat, omnia turbat; mater criminum, acumen temeritatis, auctor deteſtabilium, pariter ac magiſtra malorum.* Hoc temeritatis *acumine* ſeſe Amanus citiùs ſubuertit, iſtiuſmodi agitatus zelo, *qui ſuum rodit auctorem; & dum æmulum lædere nititur, in ſemetipſum proprio furore bacchatur.* O nimis verè!

*Amani zelus proprium rodit auctorem.*
S.Hieron. in Epitap. Paul.

7. Vbi ferale pro valuis perpendite dictum, omnes vniuerſatim Iudæos velut deſtinà trahens ad cædes, ad direptiones, ad ſtrages; *redemptoricibus lacrymis* irremediabiliter opplorat Mardochæus, totius tragœdiæ auctor; cuius *perſonale delictum proſcripſit vniuerſos.* (Si deliquiſſe putandus eſt, in cauſſa pietatis tam viriliter magnanimus) Nimis *peccauit peccatum* eius, quandoquidem iſtiuſmodi *peccati cenſum* Iudæi pendunt vniuerſi, quorum exindè iam *anima in confiſcato* eſt. Perſæ verò cognatâ barbarie inſolentes, *putant homines* (Iudaïcæ tunc religionis cultores) *hæc quaſi ſtipendia fidei ſuæ à Deo captare debere.* Omnis ergo Hebræorum populus dira calamitate proſtratus; quin & ipſe pariter Mardochæus, *lacrymas quaſi euaporando dolori permittunt,* atque in ſacco & cinere volutantur.

Auguſtini ſudatus locus.
Hildeb. ep. 56.
Idem inibi.
Tertull. l de pudic c.3.
Idem de Fuga in perſ. c.12.
Salu.l.de Gubern.
S. Paullin. epiſt.35.

8. Quibus citiùs præſagâ iam mente gratulandum foret de felicitate periculi ſui. *Fluctus vtrimque te voluunt:* ſed in atrociori tempeſtate portus aliquis offenditur *proſpero errore, & cæca felicitate.* Putaret imperitus diuinæ prouidĕtiæ cenſor, Dei populum *hypobrychiū irreſpirabile* iam ſubiiſſe: ſed calor fidei *naufragium digerit,* & ſperantes facit feliciter naufragos. *Mare* enim *ventis laceſſitū cùm iraſcitur quamis reciproca viciſſitudine, nunc pulſantibus cælum, nunc requirentibus terram, æſtuantibus vndique vitreis armatum montibus, violentis vndarum ſæuientium cumulis, toto corpore inſaniat; tamen extremorum pallido ex recurſu voluminum, quaſi iam terræ cognoſcens, ac violare deuitans, mirâ patientià in ſe refrangitur, iiſdémque fluctibus quibus cogitur, refrænatur.* Itaque ſæuior calamitas, velut vorticoſum decumanis fluctibus mare, in ſeipſam frangitur, & vndis quibus effrænis inſanit, è diuerſo refrænatur. *Habet has vices conditio mortalium, vt aduerſa ex ſecundis, ex aduerſis ſecunda naſcantur. Occultat vtrarúmque ſemina Deus, & plerumque bonorum malorúmque cauſſæ ſub diuerſa ſpecie latent.* Et ſanè *ſicut maris cælique temperiem turbines tempeſtatéſque commendant, ita ad augendum pacis gratiam illum tumultum præceſſiſſe credimus.* Nimis verum illum *Námque inde perire poſſe datum eſt cunctis, vt viuere dulcius eſſet.* Hebræus autem populus huius arcanæ viciſſitudinis tunc oblitus, mœſtiſſimè angitur, illacrymat, vlulat, opis maximè indigus. *Quis enim vexatis atque laborantibus opem tribuat, cui improborum hominum violentiæ etiam* Proceres *non reſiſtunt? Nam aut tacent plurimi eorum, aut ſimiles ſunt tacentibus etiam ſi loquuntur: & hoc multi non inconſtantiâ, ſed conſilio, vt putant, atque ratione: exertam enim voluntatem proferre nolunt, quia eam aures improborum hominum ſuſtinere non poſſunt: nec ſolum effugiunt, ſed etiam oderunt, & execrantur.* Hæret ergo populus mentis inops, inopinatá calamitate proſtratus.

Tertull. l.3. adu. Marc. c.7.
Idē de Anim. c.2.
Idē de Idolol. c. vlt.
S.Zeno ſer de Iona.
Idem ſer de Patient.
*E naufragio ſoſpitas, proſpero errore.*
*Ex aduerſis ſecunda naſcuntur.*
Plinius in Panegy.
Claud. Mar. Vict. antel. 1.Geneſ.
Saluian. l.5. de Gubern.
*Nemo opem miſeris ferre audet.*

9. Mardochæus autem, cui nondum ſpes ænigmatici ſomnij clarè affulſerat, neque adhuc excuſſerat timorem; virum conſiliosè prudentem cautè implet. *Nam ſpes ſine timore, præſumptio eſt; timor ſine ſpe, deſperatio eſt.* Ergo *nec viri fortis in illo deeſt ſecuritas, nec cautela metuentis geminam in vno Principe virtutum plenitudinem!* Repentinus atrociter *caſus mentis inops* eſt. (Hem *qui eſt prope Deum plenus eſt flagellis!* Iudaïci miſerabiliter excidij paſſim crebreſcens rumor, calamitatem euulgat, buccinat, exagerat. *Vbi verò alij didicerūt ex alijs geminabatur comploratio, accedente grauantéque dolore publico, vt ne conſolator quidem, exiſteret: quis enim ſolaretur alterum, ipſe conſolatione indigens?* Secū. & forsā cum ſenioribus, Mardochæus conſilium init, de populi redemptione ſollicitus, & *ſtatim de theſauro diuinitatis,* Eſtheris *nomen euoluitur.* Quæritur *ianua vitæ, & totius religionis aſſertio:* è cuius erga Regem precaria ope remediū calamitatis obnixè depoſcit, vigorem per litteras afflat, & *fidem dictis fortibus armat.* Hem *nouum litigium,* inquit, *iuſtus vapulat, reus damnat!* Succurre tuo, hoc eſt, Dei populo cum religione labſanti. *Moueat te natura, potentia moueat; quia quantò potentior, tantò miſericordior eſſe debebis.* Nec te ardua negotij difficultas, & grande periculum exanimet: nam maior potentia, magis cōtribulibus miſeris obærata eſt. Sic audet Mardochæus præcipere Eſtheri reginæ, *quæ penes extraneum ſeruam ſenſerat libertatem,* adhuc *penes patrem credit futuram liberam ſeruitutem.* Tam funeſta ſuorum tragœdia valdè perculit auguſtè pium Eſtheris animum. Aſt feminę tam viriliter piæ in tanto periculo, nec defuit fidei ſecuritas, nec mœſtiſſimus pauor metuentis. Verùm dum *timore ad maiorem ſalutem magiſterio vtebatur,* ſuæ vitæ, & regiæ dignitatis *piè prodiga,* vigore ſpei alacris, proprio periculo redimere ſatagit alienum: & *quantò ſcit Dominum non eſſe mendacem, tantò propenſiùs eius de pietate præſumit.* Sanè *miniùs diligo proſpera quæ ſumunt à deſperatione principium.* Itaque mœſta caſu, ſpe alacris expoſcit ſibi auxiliares totius populi precationes, & viuida à macilento ieiunio ſuffragia; *vt aduerſum peccata noſtra,* aiens, *pro nobis aciem orationum dirigant.* Nimirùm animo periculoſum ſtrenuè facinus, pauidè voluit. *Neſcio an in extremis aliquid tentare, medicina ſit; certe nihil tentare, perditio.* Extremam opem, quam regina Eſther audacter promiſit, abundè præſtitit: *nec promiſſio venerabilis claudicauit inter proſpera.*

Hild. ſerm 1.
S.Ennod. in Panegy.
Clau. Mar. Vict. l. 1. in Geneſ.
Clem. 2. Strom.4.
*Hebræi mœrore affliguntur ſine conſolatore.*
Philo l.1. de vita Moyſ.
*Vigorē ad facinus Eſtheri Mardochæus afflat.*
Petr. Dam. ſer. 11.
Idem ſer. 23
S.Paullin. epiſt 12.
Petr. Dam. ſerm. 32.
Idem ſer 44.
S Chryſol. ſerm. 2.
*Timor eſt magiſterium ad ſalutem.*
S.Naz. Orat. ad Iul Trib.
S.Paullinus epiſt.4.
S.Zeno ſer. de Iona.
S.Ennod. in Paneg.
*Orationis acies diriguntur.*
S.Paullin. epiſt.14.
Saluian. ad Eccleſ l.1.
*In extremis nihil tentare, perditio eſt.*
S.Ennod. in Panegy.

## § III.

### *Eſther piè ambitioſo ieiunij & ſacci ſqualore, preces armat.*

PVlchrum eſt periculum ad Deum transfugere, exinde periculum periculo excutiens, & ex fœdo periculo periculum pulchrum faciens, *Eſther,*

Clem. Alex. in adh. ad Gent.
*Pulchrū periculum.*

Eſther 14. v. 1. 2. *Eſtheris ieiunium opinatiſſimum.* Eſther 4. v. 16. *Eſther de palatio ſolitudinem fecerat.* Petr. Dam. epiſt. 8 ad viros illuſtr. S Hieron. in epiſt. Paullæ. *Ciborum ambitio glorioſis eſcis.* Tertull. l. 2. adu. Marc. cap. 18. Clem. Alex. 7. Strom. 7. S. Ennod. in vita Epiph. S. Paulli. ep. 3. & 2 & 7. *Ieiuniorum ænigmata.* Theophil. Alex. ep. 3. Paſch. S. Naz. Orat. ad Arian. S. Zeno ſer. 2. de Natiu. S. Ambr. de Elia, c. 9. Tertull. adu. Pſych. c. 5. & 11. Philo l. 1. de vita Moyſis.

*Eſther regina confugit ad Dominum, pauens periculum quod imminebat. Cúmque depoſuiſſet veſtes regias, fletibus ac luctui apta indumenta ſuſcepit, & cinere & ſtercore impleuit caput, & corpus ſuum humiliauit ieiuniis . . . . Et deprecabatur Dominum Deum Iſraël.* Nec ipſa ſola, *Ego,* inquit, *cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo,* &c. Conſiderandum planè quantis regina Eſther fuerit digna præconiis, quæ tanto religionis, ac ſui populi periclitantis æſtuabat zelo, vt congruo regij officij limite non contenta, *ad hæc vſque ſancta religione proceſſerit, vt iam non ſola, ſed cum ancillis ſuis fieret eremita. De domo* regia *reclusorium fecit, & in populoſa vrbe amor artifex, ſolitudinem reperit:* atque *auro tecta fulgentia infirmis luti vilitate mutauit . . . . vt qui eam non vidiſſet, ſed celebritate nominis videre geſtiiſſet, ipſam eſſe non crederet, ſed ancillarum vltimam.* Non tunc *ciborum ambitio glorioſis eſcis* luxuriatur; tantùm fiduciæ conferens, quantùm de eſculentis ſibi detrahit. *Nouit ipſa ieiunij ænigmata:* nec iam *cibos iuſſit ſibi placere viliores;* Sed inediæ ſaginâ; vel potiùs *gulâ charitatis* adipatur: nec ſic macilenta *areſcit, viuens ſucco radicis æternæ:* & inde *ſobriè temulenta.* Neque Reginam egena dedecebat inedia; ſic enim à Rege *impetrat quod deſiderat, & in terra captiuitatis ſeruat generis nobilitatem* probroſiſſimè damnatam. porrò cùm non *turgida, cibiſque congeſta menſa, ſtupidique ventris incantamentis effertur, Spiritus ſancti conuiua* efficitur. Sic *ſobria vigore conſilij,* de Amane *victoriam reportauit.* Sic Eſther *in virgine adhuc ſaliuâ,* impranſa & incœnata triduo ſtetit: ſicque Dei clementiam acceſſit, dum ferruginoſi populi flagitia, *ipſius ieiuniis eliminantur.* Itaque illi toto illo triduo, *nec loqui, nec audire, nec cibis frui licebat, ſed per ſilentium fame cruciabatur, nulli vacans ſenſui, præſenti malo prægrauante.*

2\. *Eſther regiis veſtibus exhonoratur.* Saluianus l. 2 de Gub. *Pœnitentia ambitus meretur indulgentiam.* Saluian. l. 1. ad Eccleſ. Petr. Dam. l. 8. epiſt. ad vir. illuſtr. *Eſther ſacco exaſperatur.* S. Paullinus epiſt. 7. Idem ep. 10. *Eſther pœnitentia ornatu decenter inculta.* S. Paullinus epiſt. 21. *Spinoſitate protegitur, velut erinacius.*

Iam verò ſi attendenda eſt ipſius facies naturaliter venuſtiſſima, & nuper veſtium ambitioſior ornatus; quale illud fuit, cùm Reginarum auguſtiſſima cum pauciſſimis ancillulis latebroſa & lucifuga ſecederet, in cõparatione dudùm ſui ſola, in comparatione ſui miſerabilis. *Gemmas regias abdicat, crepitantia auro textili indumenta deponit, purpurâ exuitur, diademate exhonoratur, cultu & corde mutatur, totã Reginã cum ornatibus ſuis abijcit; prouidam pœnitentiam cum patrocinio ambitioſi ſqualoris aſſumit, ieiunio exugitur, ariditate ſiccatur, fletu effunditur, ſolitudine carceratur.* Sic Eſther delicatulum durè macerat corpus, vt *indulgentiam ſcilicet abſolutionis æternæ, præſentis pœnæ ambitu mercatur.* Et ſanè *quo pacto ambiret veſtium cultum, cuius aſſiduè terebat membra cilicium? An fortaſsè lautioribus epulis eſſet intenta, quam quotidiana macerabat inedia?* Sic angitur Eſther, pœnitentiæ & *pudicitiæ ornatu inornata, & decenter inculta. Sic mulier celſiori gradu ad humilitatis cultum eſt deiecta ſublimiter, vt viros deſides, in infimo ſexu fortis argueret; arrogantes in vtroque ſexu perſonas, paupertata diues, & nobilis humiliata confunderet.* Sic Eſther cilicinâ ſacci aſperitate compuncta, *efficitur vt erinacius, qui paruum corpuſculum aſpero tegmine armatus, naturalibus iaculis aduerſus hoſtiles caninos* (Amani, & Amanitarum inquam) *incurſus munitur.* O inſolentem ſacci penè conuiſcerati ſpinoſitatem! *Rigida veſtis, duriſſimis hiſpiditatibus contexta, rigore ſqualifero corpus afficit: carnémque tenerrimam immatura diſtrictio diſciplinæ feritate coarctat: teneros artus, & ſacratiore ſpiritu circumfuſos continui caſſat longitudo martyrij. Cibus autem eius qualis erat? Nec aliquam, niſi fallor, legimus in veteri officina ad legis huius adſpirare faſtigium. Veſtis aſpera, cibus* nullus, *mens deuota perfectam conſecrant* Heroïnam.

Petr. Dam. ſerm. 23. *Hiſpida ſpinoſæ veſtis perfectam conſecrat Heroinam.*

3\. *Ieiunij appendices ſordes.* Tertull. l. de reſur. Car. cap. 8. Eſther 14. v. 2. *Sordes victrices ſponſi quærunt augmentum.* S. Hieron. epiſt. 10. ad Furiam. *Eſtheris cor ſtercore pingueſcit.* S. Paullin. epiſt. 15. *De bono opere nihil nimis.* Saluian. l. 1. ad Eccleſ. S. Naz. Orat. de Pace. Tertull. de Reſ. car. c. 16 *Ieiunio refrænatur pulchritudo.* Simon de Caſſia lib 4. de vita Salu. S. Naz Orat. de Machab.

Contempſit Eſther in faneſcente corpore diuitem, negauit diademate abiecto Reginam, diſſimulauit cilicinis aſperitatibus innocẽtem, & in pœna ſui corporis ſanctam. Suſpice nunc in Eſthere *ieiunia, feras & aridas eſcas,* imò nullas, & *appendices huius officij ſordes:* ſiquidem *pro variis vnguentis, cinere & ſtercore impleuit caput, & corpus ſuum humiliauit ieiuniis.* Sic ſic ab Amane, ipſa cum populo Dei hoſtiliter oppreſſa, *confecta ieiuniis, & habitu lugubri ſordidata, ſqualore corporis ſponſi quærebat augmentum . . . . & ad victrices ſordes* adſpirat. Itaque ambitioſus ſacci ſordidioris ſqualor, & ſpinoſi cilicij *victrices ſordes,* de agreſtis Amani crudelitate triumphum egerunt. Eſther ergo velut Euangelio præcoqua, populo *ſpondens aſſiduas orationes, tanquam illum Apoſtolicum Euangelici ſtercoris cophinum pollicetur quò cordis terra pingueſcat,* ad omnium ſanctitatum opimam fertilitatem. *Sed fatiſcente iam* tenello *corpore, vbi exercebit diſtrictionis officium cenſor animus?* Aſt *de bono opere nihil nimis eſt:* nam aſſumpta vſque ad deliquium pœnitentiæ *afflictio, optimum eſt ad ſalutem pharmacum.* Aenigma diuinioris prouidentiæ eſt, atque è diuerſo *mira ratio, de defraudatrice ſeruatrix: vt redeat, intercipit: vt cuſtodiat, perdit: vt integret, vitiat: vt etiã ampliet, priùs decoquit.* Indè pulcherrima puella vſque ad deliquium animi *ieiunium non relaxabat, vt refrænaret pulchritudinem, honoraret ieiunio caſtitatem.* Itaque Eſther diro ſupplicio ſponiè afficitur, ne Dei populus excidio mulctetur. *O virilem animam in muliebri corpore!*

4\. S. Paull. l. 2. de vita S. Mart. Salu. l. 4. de Gub. S. Ambr. in Orat. pro Satyro. *Eſtheris dolor, publici doloris redemptio eſt.* Saluian. l. 1. de Guber. Tertull. aliàs expenſus. Ioſue 10. v. 14. *Eſther's dominans oratio:* Tertull. l. de Orat. c. 4. *Eſtheris lacrymæ ſunt Amani naufragium.* S. Iſid. Peluſ. l. 1. ep. 134. S. Naz. Orat. in laud. Patr. Salu. l. 1. de Guber. S. Paulli. ep. 35. S. Naz. Orat. in laud. Cyp.

Profectò Eſther ciliciis *intexta,* ieiuniis arida, & madida lacrymis, *piiſſimum Deum tanta precum ambitione pulſat.* O quantâ precum ambitione cælum pulſat, quæ ſic ſupplicat: *Deo igitur gratias,* inquit, *quia in hoc omnium metu, cùm omnia motibus ſint ſuſpecta barbaricis, communem dolorem priuato dolore tranſigo, & in me conuerſum eſt quicquid timebamus omnes: atque vtinam hic conſummatum ſit, vt dolor meus publici doloris redemptio ſit.* Et ſanè *id quod dicitur diuinas aures in precibus ſemper eſſe iuſtorum, non audientia tantùm Dei, ſed quadam quaſi obedientia deſignatur.* Hæc, hæc inquam, eſt *Dominans oratio,* nimirum *obediente Domino voci hominis.* Hæc oratio funditur ad Deum, & ſuæ religioni, ac populo fauſtum augurium eſt: nam Eſther in hac oratione *quicquid ſibi optat, in Deum auguratur.* Piis ergò huius orationis præſtigiis, qua proſpera Deo auguratur, eũque ſibi velut obſequentem facit, atque Amanem *feram & indomitam belluam incantat:* & barbaricam eius ferociam *precibus velut excantat:* quia ſine vllo interuallo coniunguntur & lacrymæ precatricis, & indulgentia exauditoris. Sic Hebræus populus *officioſâ viduarum patientiâ liberatur.* Sic Eſther *lacrymas quaſi euaporando doloris permittens,* facit *communis peccati diluuium,*

P. Didac. Celada in Eſtherem.

& Amani, id eſt, calamitatis naufragium His Eſtheris *precibus patuit cælum; orationis arte arma victricia fabricauit, quibus aduerſa confligeres, & paueſcẽtes viros fœmina vindicaret.* Itaque *ipſa ieiunijs arida, & omni continentiâ expreſſa, ab omni vitæ fruge dilata, in ſacco & cinere volutans, inuidiâ cælum tundit, Deum tangit,* piâ fidei audaciâ præſumens, *non longum fore tempus, etiamſi humanæ impatientiæ tardum videatur, quin Dei ſtatim videatur auxilium.*

S.Aug.ſerm. 66.in appẽd.
Tertull. Apol.c 50.
S.Hieron.in Epitaph. Paull.

5. *Ecce* Eſther *poſt precem & ſaccum, poſt cineres ad cultum puellarem redit, ſpes omnium populorum procedit, ſollicitos populos redditura ſecuros.* Ergò eadem pietas, quæ Eſtherem regalibus ornatiùs veſtimentis exuit, illa ipſa eandem ſumptuoſiùs induit, aduerſus periculum *cultu munitam.* It iam ad Regem hilaris *vultu*, non bono tunc mœſti *animi interprete*: ſiquidem *ipſa roſeo colore vultum perfuſa, & gratis ac nitentibus oculis triſtem celabat animum.* Pergit *formoſa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa & amabilis: Angelicæ indolis* puella, *cui eſt vultus vitæ ſimilis.* Sic venuſtiſſima Eſther *poſt ſolennitatem tridaani ieiunij, capite vncto, & lota facie, ita internæ affectionis triſtitiam tegit, vt ſimulato gaudio lætari hoſtibus videretur: ac ſic demum per lætitiam vultus ieiunium texit, & ab hoſte triumphum victoriæ reportauit.* Verùm enimuerò *veſtitus ideò accuſabitur, quia pretioſiùs comparatus, in ambitionem tumeſcit:* ornatior enim pulchritudo ſuperbiæ confinis eſt. Eſther verò ſic exculta, *ambitioſâ humilitate* ſuperbit. *Eſt autem & ſancta ſuperbia, & humilitas iniqua.* Quippe ambitioſiùs pulchritudinem exaggerat, vt Aſſuerum ab Amane incantatum, pulchritudinis officioſo faſcino excantet. Cùm autem ad tantum periculum ambitioſius exornata procedit, Dei populus *hoc ei plus debet, quia dilectionis ſuæ nimietate peccauit:* quippe quæ *pro ſuorum vita mortem emit ſumptuoſè, adhuc* animitùs *lacrymans felicitatem periculi ſui.* O quale illud fuit, *ſe malle pro omnibus periclitari, vt omnes eximeret periculo!* Si aliter feciſſet periculoſè delicata foret. Itaque *omne periculum contemnens pro patria, ſeipſam tradidit hoſtibus in fide Dei.*

S.Aug.ſerm. 66.in appẽd.
*Eſther poſt ſaccum ad cultus puellares redit.*
Tertull. de Reſ. carn. cap. 52.
Hildeb. ep. 53.
Eſth. 15. v. 8. & c. 2. v. 15.
Petr.Dam. ſerm. 17.
S. Ennod. in vita Epiph
Chron. in c. 5. Matth.
*Eſtheris vultus, vita ſimilis.*
Tertull. adu. Marc. l. 1. cap. 29.
*Ambitioſa humilitas.*
Salu l. 2. ad Eccleſ.
S Paull. ep. 20.
*Peccauitne Eſther dilectionis nimietate.*
S.Paulin. ep. 31.
*Eſther illacrymat felicitatẽ periculi ſui.*
Idem ep. 34.
S Ambr. l. 3. de off. c. 13.
Hild. ep. 64.
Clem. Alex. 4. Strom. 4.

---

## §. IV.

*Iniuſſa Eſther ſtat coram Rege; metu ſuo exarmat metuendam eius ferociam; & inter epulas ſtrenuè Amanum detriumphat.*

1. IGitur Eſther audacter ingreſſa cuncta per ordinem oſtia: *ſtetit contra Regem, vbi ille reſidebat ſuper ſolium regni ſui, indutus veſtibus regiis, auroque fulgens, & pretioſis lapidibus, eratque terribilis aſpectu. Cùmque eleuaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, Regina corruit, & in pallorem colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinauit caput.* Nimis timet Eſther, *non quia, vt videtur ad ſpeciem, contumaci aliquid aut inofficioſa ſaltem mente commiſerit; ſed ipſo officio inofficioſa fuit, quia iniuſſa præſumpſit.* Vultus pallore, & animi deliquio (dum *ſanguis animi gelaſcit*) ſe feminam probat, & puellare ingenium implet: nec tamen *defectæ temeritatis, & improuidæ notam, &*

Eſther 14. v. 9. & 10.
*Eſther in ipſo officio inofficioſa cẽſetur?*
Salu. l 6. de Guber. & lib. 5.
*Eſther defecta temeritatis arguitur.*
Tertull. in Scorp. c. 1.
S Paullinus epiſt. 12.

*irriſionem fruſtrà audacis ignauiæ* ignominiam incurrit. Porrò *animo vincens, fragilitate corporis vincebatur.* Scilicet *vincitur humana mentis auctoritas præuiſione periculi: labaſcit fortium conſcientia, quoties formidanda oculis ingeruntur.* Muliebrem tranſcendit faſtum, animi motus rationi inexpugnabiles inhibuiſſe. *Baſilidis ſectatores animæ perturbationes conſueuerunt vocare appendices:* (animæ inquam) *& eas eſſe quoſdam in eſſentia ſpiritus appenſos animæ prædita per quandam conturbationem, & confuſionem principalem.* Perturbatio enim in Principes etiam fœminas cadit: *perturbatio ſiquidem interitus meditatio eſt.* Timet autem Eſther præſentiſſimum mortis periculum: nam *indignatio Regis, nuncij mortis* ſunt. Dein timet Eſther ſubnixa ſuæ pulchritudinis officioſâ gratiâ, quâ dudùm Aſſuero tantopere placuit. Aſt *fallax gratia, & vana eſt pulchritudo. Etenim corporum amores, quia rerum fluxarum ſunt, fluunt quoque ipſi, non ſecus ac veris flores. Nam nec flamma conſumptâ materiâ remanet, nec cupiditas marceſcente fomite ſubſiſtit.* Prætereà Eſther ex Regis furore, arcano quodam timore corripitur: timet enim non ſibi, ſed Dei populo: timet non ſibi, ſed religionĩ, ſed Deo. Porrò timere, expaueſcere, expalleſcere, *vbi Deus nobis periclitatur,* timor eſt audaciæ confinis, & aliquis religioſæ magnanimitatis faſtus.

S Hier. in epiſt. Paullæ.
S Ennod. in Panegy.
2. *Vincitur humana mentis auctoritas præuiſione periculi.*
Clem. Alex. 2. Strom 9.
*Perturbationes dicuntur, animæ appendices, & appenſi ſpiritus.*
S.Naz. orat. 3. de Theol.
*Perturbatio eſt interitus meditatio.*
Prou. 16. v. 14
*Pulchritudinis dubia vis.*
Prouerb. 31. v. 30.
S. Naz. orat. pro Baſil.
*Valde timere oportet, vbi Deus nobis periclitatur.*
S.Naz. Orat. pro Baſil.

3. Rurſus timet Eſther (vellem ſtrenuam Heroïdem à puſillanimitatis ſuſpicione vendicare) *& in pallorem colore mutato, corruit,* vt ipſa timoris imbecillitate, tanquam inimica materia, furor Aſſueri detrimentum ſentiat; illúmque maiori concutiens timore, ſumptuoſiùs edomet, debilitet, frangat: *cùm muliebris infirmitas non modo ſexum ſuperet, ſed & mundi huius Principem inſuperabili mentis magnitudine triũphet.* Nec mirùm quòd Perſarum Principem vincat languida delicatulæ puellæ vis, cuius languens amor, *in Deum exercet potentiam, atque homines domat.* Domuit itaque Aſſuerum; de gratiæ ſiquidem officioſitate venit, vt vbi vidit Eſtherem pauidè timentem, *feſtinus ac metuens exilierit de ſolio, & ſuſtentauerit eam vlnis ſuis, donec rediret ad ſe.* Thronum deſerit, & pauidè metuens ipſe, illius ſupplex precariè redditur. *Precibus etſi aliàs vnquam incumbens, humique prouolutus. Nam reges quoque humiles & abiectos reddit calamitas,* pauidus inquã, metus ex amore natus & in timorem *nobiliter degenerans.* Idcircò Eſther nunquam magis mitigandi atque exorandi Regis ſecura accederet, *quàm cùm aditus animæ formido laxauit.* Pulchrè ergo tum Eſther metuit, & *metu inducit metus vacuitatẽ,* eiúſque è diuerſo *bellator animus alienum pectus obſedit,* & timore timendum debilitat, & exarmat. *Quos enim non expugnat ratio, eos manſuefacit metus.* Grande quidem ſpectaculum! *Cerneres trepidare Regem, quaſi ipſe addictus fuiſſet, timere percuſſorum dexteram, pallere ora alieno timentium periculo.* Hunc feminei timoris virilẽ triumphum, hîc admirari licet. Profectò *timor eſt inſignis admiratio.*

Eſther 14. v. 10.
*Muliebris infirmitas mũdi Principem detriumphat.*
Petr. Dam. ſerm. 35.
*Mulierum amor homines domat.*
Clem. Alex. 6. Strom c. 1.
*Metus inducit metum vacuitatem.*
Eſther 15. v. 11.
*Calamitas Reges facit humiles.*
S Naz. Orat. pro Baſil.
*Metus laxat animi aditus.*
S. Ennod. in Panegy.
Tertull. in Scorp. c. 1.
Clem. Alex. 2. Strom. 4.
S.Aug. ſerm. 67. in appẽd.
Clem. Alex. 2. Strom. 4.
S.Ambr. l. 1. de Virg.
*Timor eſt inſignis admiratio.*

4. Molliter itaque Regina animi deliquio languens, de Regis blandieiis reſumit animos; atque aduerſus Amanem acerbiùs obduratur. Nõ tunc *otioſa dilectio* Aſſueri, dilectæ Eſtheris ſuæ vota ſpebus implet. Illa autem ad lautum opi-

Clem. Alex. 2. Strom 4.
Caſſiod l 1. variar. ep 1.
*Saturitas parit ferociam.*

parè

paṙe epulum cum Rege Amanem inuitat, vt Regis potiùs furorem adipet. *Saturitas enim pariet ferociam, vt eſt in vetere prouerbio.* Hic prudenter cauta Amani fraus, ad ipſius inſuſpicabile exitium, regiæ gratiæ lenocinio inuiſa feſtinat. *Negligenter cauetur hoſtis, cuius ingreſſus pacificus expectatur. ô, quod tam inſidum mare, quàm blanditiæ Principum?* Sub ſpecie conuiualis lenocinij latebat *terror & metus, & illa ex periculis facta prudentia.* Sub delicata vbertim lauti conuiuij fercula, *erat ſub oculis naufragium Amani, quem inſidioſa tranquillitate proiectũ improuiſus turbo perculeret.* Itaque Eſther conſultioris cenſurâ iudicij dum petitionem ſuam tunc non euulgat, negotium petitionis abſcondit, quò admirandum ſeculis facinus *ſecretis patrocinantibus peragat.* Præſertim cum Amane & Amanitis, *cum ſagaciſſima*, inquam, *gente habitans, & quam nulla ſuſpicionum aura præteruolat.* Sic Eſther iſtiuſmodi conuiualis gratiæ lenocinio, vel ſagaciſſimum Amanem perſtrinxit ac fefellit, & feſtinatæ cautelæ aditum præcluſit. *Grandis cautio eſt aduerſarij animum adnouiſſe: etenim hoſtem protinùs ſenſiſſe, ſuperaſſe eſt: perdunt ſemper deprehenſa odia ſtimulos, quos occulta conceperant.*

Philo lib. de Charit. *Blanditiæ Regum inſidum mare.* Hild. ep. 31. Plinius in Panegy. Idem inibi. Idem ibid. *Amanẽ nulla præteruolat ſuſpicionum aura.* Salu. l. 1. de Gaber. S. Ennod. in vitâ Epiph. Idem inibi.

5. Tandem ex Aſſueri præceptione tempeſtiuâ, Eſtheris *ex abundantia cordis os loquitur, & ſapor mentis in ore guſtatur.* Scilicet ad hunc oris ſui ſaporem guſtandum, Amanus fuerat inuitatus. Ergo pro ſua, ac ſuorum vita Eſther aduerſus Amanum verba facit plena acuminis, plena ingenij: *ac velut leonum curator erat, eum qui Principatum tenebat arte demulcens.* Nec miror, vt quæ *Spiritus ſãcti limâ acuminata* erat, tam facilè Regem felici ſuadelâ tranſuerſum egerit: Aſſuerus enim dixit: *Quæ eſt petitio tua Eſther, vt detur tibi? & quid vis fieri? Iuſto enim dicit Deus: Pete, & dabo tibi: cogita, & faciam.* Rem planè euicit Eſter, & quidem perarduam, cùm abſconſa in animo vota pulchro ore clarauit. *Nunquam ſic duras aſpides verborum digitis incantator Theſſalus violentis poterit euocare carminibus, quomodo illa effectum petitionis ſuæ à negaturis extorquet. Pendet in arbitrio eius, cùm loqui cœperit, ſententia audientis.* Ecce iam tibi Amanus *regiæ gratiæ prodit gloriam, dum exercet inuidiam.* Stupet anxius Aman cùm *de vultu* Regis *iudicium prodit*: & confeſtim damnatiſſimum caput obuelatur: *ſucciſáque eſt eius præſumptio, poſtquam eum contigit de fallacia non iuuari.* O verè Principum lubricè *lutoſam gratiam!* ô aulæ faſtigia, ruinæ meritò proxima!

S. Paullin. epiſt. 15. *Sapor mentis in ore guſtatur.* S. Naz. orat. pro Baſil. S. Zeno ſer. de Circumc. Eſth. 7. v. 2. Clem. Alex. 7. Strom. 6. *Cogitationibus Eſtheris patet Aſſuerus.* S. Ennod. in vitâ Epiph. *De arbitrio eius pendet ſententia audientis.* S. Cæſarius homil. 5. Pſal. 16. v. 2. S. Ennod. in Panegy. Rupert. in Exod. c. 1.

6. Aman ad tantam dignitatem ſublimiſſimè euectus, *dignitate excidit; & per mentis altitudinem, de dignitatis altitudine deturbatur.* Scilicet in Eſtherem, Dei populi vindicem, Amanus incidit; *atque in tantum ſcopulum impactus ſeſe infregit, ac diſſoluit.* In Eſtherem enim ac Mardochæum impegit, *tanquam in duas Symplegades naufragij ſui:* & ſtragem, quam aliis parabat, miſer pertulit. *Suſpenſus eſt itaque Aman in patibulo quod parauerat Mardochæo:* & ſic *improbitas æſtuata ceſſauit.* O temeritatem atrociùs lædendi ſiſtat iuſtus *timor talionis per eundem ſaporem paſſionis. Nihil amarius, quàm idipſum pati, quod feceris aliis.* O miſer Aman; quid infelix ſtrages aliis moliris, quas ipſe perferas? Iuſtè patibulatus occumbis in cruce, quam inconſultâ temeritate immerito Mardochæo altiùs extruxiſti. *Vale anima de ſobrio conuiuio ebria, vale adultera, vale deteſtabilis, impia, térque quatérque infelix. Te flamma expectat æterna. Te repandæ tartari iam fauces accipiunt. Te inferarum fornacum clauſtra in æternum iam coërcent, vſtulant, excruciant.* Sed ad ſuperos redeamus.

Baſil. Seleu. orat. 23. *Aman impactus in Eſtherem.* S Naz Orat. pro Baſil. Tertull. l. 1. adu. Mar. c. 2. *Æſtuata improbitas ceſſat.* Eſth. 7. v. 10. Tertull. l. 2. adu. Marc. cap. 18. Idem inibi. *Timor talionis per eundẽ ſaporem paſſionis, homines, ſiſtit.* Serarius in c. 13. Iudith. *Amani ſceleſtis caſus.*

## §. V.

### *Eſtheris de crudelitate vindiciæ: & encomij clauſula.*

1. SVſpenſus eſt itaque Aman in patibulo quod parauerat Mardochæo, & Regis ira quieuit. Regis inquam, non Reginæ *ira quieuit*, quæ aliquâ cruentarum cædium velut gulâ, ad nouas Amanitarum ſtrages adhuc hiat: & quaſi ipſam inimici ſanguinis *ſitim habere, impleri ſcit, neſcit expleri:* vt quantum pluribus excidiis impletur, tantùm maiori auiditate fatiſcat. Adeò vt ex Amanitis *ſeptuaginta quinque millia* ſupra octingentos, Iudæi trucidauerint, ad Eſtheris præcaria vota cruentis hoſtium ſtragibus adhuc inhiantis. *O pietatem de crudelitate ludentem!* Hinc nonnulli dum cruentam hanc vltionem Chriſtiana benignitate taxant, Eſtherem quaſi immiſericordem. & crudelitati confinem admirantur. Quaſi Eſther & Mardochæus *diuino quodam furore correpti, aſperiores, agreſtioréſque ſint effecti. Aſt bonus animus læſus grauiùs multo iraſcitur.* Quin & Eſther non ſeipſam in ſceptri aſylo tutam; ſed Dei populum, fidem ac religionem vlciſcitur, & vltione tuetur. *Animi enim acrimonia, cùm ad pietatem acceſſerit, zelum parit: ab eo autem in tuto fides collocatur.* Ex hoc zelo (vt aliàs paſſim in Bibliis) ſpecies crudelitatis aut de ſæuitiæ liuore, aut de inhumanitatis inuidia notabilis impunè graſſatur: atque adeò, ô Eſther, *omnia ſæuiſſima abſque inuidia glorioſarum mortium peragis.* Sanè Amanitarum iniuriis laceſſita acerrimè fuiſti; ſed tuam vocem te dignam ſubaudio: *Non futurum eſſe quemquam, qui me, niſi cum Deo noſtro poſſit offendere. At nunc negotium patitur Deus omnipotens,* & omnipotenter ſcelerum vindex.

Eſth. 7. v. 10. *Eſther inimici ſanguinis ſitim bibiſſe videtur.* Emiſſ. de Epiph. homil. 3. Eſth. 9. v. 16. Tertull. de reſ. carn. c. 1. *An Eſther diuino furore correpta ſit* Philo l. de Nomin. mutat. S. Naz. orat. in laud. Hero. *Omnia ſæuiſſima abſque inuidia glorioſarũ mortium peragit.* S. Hilar. ad Conſt. Aug. S. Ennod. in vita Epiph. Tertull. adu. Marc. l. 2. c. 2.

2. Dein Eſther & Mardochæus Saülitæ eſſe perhibentur: Aman verò Amalecites, ex omnium ſcelerum colluuie gens coalita: & propterea Amalecitarum excidium à Deo fuit commiſſum Saüli: qui nimiæ benignitatis titulo damnatur. *Deum diſcimus tam optimum, quàm iuſtum. De ſuo optimum, de noſtro iuſtum.* At nunc Amanus, & Amanitæ *eum iuſtum patiuntur ex cauſſa ſua neceſſitate. Tametſi & hoc ipſo optimum, quòd iuſtum.* Itaque Eſther & Mardochæus Saülitæ, *ex cauſſæ ſuæ neceſſitate*, ſtrages contra Amalecitas recentant. Exinde Amalecites Aman cum ſuis, *reliquias excipere furoris illius emeruit*, cui ſubirato Deo malè à Saüle parcitum eſt. Profectò *duritia vincenda eſt, non ſuadenda:* ſiquidem peruicax malitia, non modò oculorum, ſed etiam *aurium cæca* eſt, nec niſi per extremas plagas edomatur. *Cædi aures ſuas Deus dicit clamoribus peccatorum, ne differatur pœna peccantium*, qui exertâ vi, ac malitioſâ fraude ſuum populum, ſuamque inſimul religionem proculcare, cruentare, & extirpare au-

1 Reg. 15. v. 23. Tertull. de reſurr. carn. cap. 14. *Deus, de ſuo optimus, de noſtro iuſtus, dicitur.* Emiſſen. homil. de S. Steph. *Duritia vincenda eſt, non ſuadenda.* Tertull. in Scorp. cap. 2. Idem l. de Anim c. 10. Saluian. l. 1. de Guber. *Aman à Deo exterquet vt cũ ſuis pereat*

Idem inibi.

dacter præſumunt. *Probat vtique nobis Deus, quod ipſe eos noluerit perdere, ſed ipſi extorſerint, vt perirent.* Tot ergo ſtrages ſibi imputent, non

Theophil. Alex. ep. 3. Paſch.

*Amor & furioſus, & faſtidioſus dicitur.*

Philo lib. de Charit.

Clem. Alex. l. 3. Pædag. cap. 8.

Idem inibi.

*His cladibus Deus notitia ſui armat.*

Seneca epiſt. 108. Tertull. adu. Marc. l. 1. c. 11.

Eſtheri, cuius manu hæc Iupiter fulmina vibrat, *docens hac ſplendentium diſciplinarum fulgura.* Itaque Eſther ex amore erga charam patriam, & Dei legem, fidem, ac religionem, ſeueriorem hanc peragit mulctam: ſed priùs diligenter *amorem examinat, num merè furioſus faſtidioſúſque ſit, an aliquid rationis admixtum habeat*, benè ſcia, quòd *amor* eſt *violentum, ac iuſtum medicamentum.* Æquo autem examine ritè præmiſſo, *benignè impatiens* extendit vltionem, ne à benigna ſua tunc patientiâ, iterùm Hebræa gens cum Dei religione atrociùs periclitetur. *Optimum eſt pati, quod emendare non poſſis*, aut obſtinatè nolis. Et ſanè apud barbaras gentes, de quarum ingeniis omnis idololatria & atheiſmus animatur, *tantis operibus notitiam ſui Deus armauit.*

3. S. Naz. Orat. 5. in Pentec.

*Imbecillitas dicitur Clementia affinis.*

Itaque peritior Eſtheris ſapientia, regiam potentiam condignis Amanitarum ſupplieiis vendicat, & exornat. Nam ſæpè *parum cauta eſt ſimplicitas, clementiæque adiuncta eſt imbecillitas*; quaſi aliquando elementia plus æquo ſcelerosis conniuens imbecillitatis conſcientiam coloret. Sic Deum miſericordiæ plurimum, & iuſtitiæ nullum, atque adeò imbecillè inertem, vetus malè finxit Philoſophia. *O Deum veritatis præuaricatorem, ſententiæ ſuæ circumſcriptorem! Timet damnare quod damnat; factum ſinit, quod fieri non ſinit: mauult oſtendere quid nolis, quàm probare. Hoc erit bonitas imaginaria, diſciplina phantaſtica: & ipſa perfunctoria præcepta, ſecura delicta. Audite peccatores, quique nondùm hoc eſtis, vt eſſe poſſitis.* Bellè dictum: *Quis boni auctor, niſi qui & exactor?* Exindè ad vindicias de potentia, ac iuſtitia ſua, *erga quaſdam perſonas, ac familias cenſura Dei inexorabilis eſt*: ſi erga aliquos, maximè erga ſceleſtiſſimos atrociter Amalecitas, erga quos dudùm Saül, reus clementiæ pœnaliſſimè fuit. Meritò igitur Saülitæ Eſtheri, *in meditatione pietatis, bona impatientiæ ignis exarſit.* Fateor, in cunctis tot prouinciarum vrbibus miſeræ paſſim ſtrages edebantur, & plurima funeſtæ mortis imago oculos eruentabat; quod autem reſipiſcentiæ ſignum tunc Amanitæ præbuerunt, vt iuſtas mitigarent iras? *Cùm hæc omnia fierent, quid aliud talis populus agebat, niſi vt cùm eum Eſther perdere adhuc fortaſſè nollet, tamen ipſe exigeret, vt periret?*

Tertull. adu. Marc. l. 1. cap. 27.

*Quis boni auctor, niſi qui exactor.*

Idem adu. Marc. l. 2. cap. 13.

Salu. l. 1. de Gubern.

1. Reg. 15. v. 23.

S. Paullin. epiſt. 3.

*Erga quaſdã perſonas ac familias, Dei cenſura inexorabilis.*

Salu. lib. 6. de Gubern.

4. Pub. Mim.

Sapiẽt. 5. v 1.

Theoph. Alex. ep. 3. Paſch.

*Aliquãdo eſt Clemẽtia irrationabilis.*

Idem ep. 2.

*Sæpè patientia noſtra eſt aliena temeritatis fomes.*

Hildeb ep. 4.

*Lenitas diuina ludibrio habetur.*

S. Iſid. Pel. l. 1. ep. 140.

*Multos timere debet, quem multi timent*, quia nec à ſanctiſſimis tutus eſt. Porrò *ſtabunt iuſti* (Eſther & Mardocheus) *in magna cõſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt.* Nonne has Iuſtorum voces non exaudire, *irrationabilis clementia* Regis foret? Sanè iſtiuſmodi agreſtis natio ſæua dudùm hoſtilitate obſtinatior, Iuſtorum *patientiâ, quaſi quodam temeritatis fomite abutitur.* Fortè præcauet Eſther, ne debitam periclitantis patriæ, ac religionis vltionem negligens, acerbioris vindictæ *fomitem* benignitate ſubminiſtret? *Scio quidem* (aiens ad Amanem) *ſcio te abuſum patientiâ meâ, & lenitatem meam malè te multa docuiſſe.* Ergo Eſther & Mardochæus *magnâ conſtantiâ* iuſtam vindictam vrgent, ne atrociter barbarica Amalecitarum gens *diuinam lenitatem ludibrio habeat.* Meritò itaque ſic acerbè tot hominum millia trucidantur à *iudice furibundo', & miſericordiam neſciente.* Ergò Aman, & Amanitæ *tollantur è cœtu mortalium, & quo vno modo poſſunt, deſinant eſſe mali .... Non eſt illa ira, ſed miſera curatio*: neminem igitur perſtringat ſeueriſſimum noſtræ Heroïnæ facinus, & vitij nomine deuenuſtet. Auſim dicere: Eſtheris *vitia, aliorum eſſe virtutes.* Semper illud verum: *Crudelem medicum intemperans æger facit.*

Petr. Dam. ſerm. 45.

Seneca l. 1. de Ira. c. 14.

*Seuerior punitio, non eſt ira, ſed miſera curatio.*

S. Hieron. in Epitaph. Paullæ.

Publ. Mim.

5. Clem. Alex. l. 2. Pædag. cap. 9.

*Eſther eſt fons ſolis.*

Eſth. 10. v. 6.

Ioſue 18. v. 17.

*Dei populus ruina protectus.*

S. Naz. Orat. 11.

S. Paulin. epiſt. 26.

S. Naz. Orat. in laud. Cæſ.

Tertull. l. de reſ. car. c. 57.

Itaque de arcani illius quondam *ſomni gymnaſio*, in Eſtheris pellucido fonticulo ſagaciter auguratus fuerat Mardochęus inopinatũ Amani naufragiũ: eodemque ſimul *fonte* tanquã viuido *Sole* vſtulari, torreri, decinereſcere. *Paruus*, inquit, *fons, qui creuit in fluuiũ, & in lucem, Solémque conuerſus eſt, Eſther eſt.* Scilicet hic eſt *fons ſolis*, in Bibliis typico ænigmate dudùm opinatiſſimus; euius beneficâ largiùs ope, Amani & Amanitarum lugubris *tragœdia hoſtibus* Hebræis, *comœdiæ argumentum ſuppeditauit. Sic ordinante Domino quandam operis ſui pompam!* Sic ſub magno Deo *certaminis Præſide*, ipſius populus *incolumis euaſit, ipſâ ruinâ protectus.* Ecquis in hac ruina periit? qui nuper erat in ſummo faſtigio ſublimis. *Quis incolumis? Qui exanimis.*

6. Clem. Alex. l. 3. Pæd. c. 2.

S Ennod. in Panegy.

Origen homil. in Iud. cap 7.

*Eſtheri vincit, qui contra illam arma ſumit.*

S. Ennod. in Panegy.

*Eſther redemptæ religionis eſt victima.*

Tertull. in Apolog. c. 39.

Emiſſen. de Paſchâ homil. 5.

*Eſtheris facinus feſto encænio colitur.*

S. Naz. Orat. 2. de Paſchâ.

S. Ennod. in Paneg.

Profectò *ſolam Eſther inſtè inuenimus ornatam; ſed eius pulchritudo pretium inuenitur, quo liberatus ſuit populus, qui interficiebatur.* Dei populi periclitantis victrix *libertas, eius armis obnoxia eſt.* Audacter *ſola proceſſit ad bellum, non in armis, neque in equis bellicis, aut in ſubſidiis militaribus freta; ſed virtute animi, & confidentiâ fidei, conſilio ſimul & audaciâ hoſtem peremit; & quam viri perdiderant, fœmina reddidit patriæ libertatem.* Profectò Aman contra tuum populum hoſtiliter pugnauit; ſed *tibi vicit, qui contra te ſumpſerat vota pugnandi.* O inclyta Heroïna, *ſub te vidimus euentus optimos de aduerſitate generari, & fieri ſecundorum matrem occaſionem periculi.* Hinc honorariis totius Hebræi populi vocibus non modo tuæ gentis, ſed etiam *redemptæ religionis* victima proelamaris, anniuerſariâ exinceps ſoléniotis feſti eelebritate eolenda, *vt coleretur iugiter per myſterium, quod ſemel offerebatur in pretium: vt quia indefeſſa currebat pro hominum ſalute redemptio, perpetua eſſet etiam redemptionis oblatio: & perennis illa victima viueret in memoriâ, & ſemper præſens eſſet in gratiâ.* Exindè ſingulis æternùm annis Hebræi huius redemptionis immortale *encænium celebrant*: nam *quod deſcendit à ſuperis ſola hymnorum licet mercede taxari.*

7. Plinius in Panegy.

*Hebræus populus ſibi vouet quæ pro Eſthere precatur.*

*Nuda Aſſueri fides. fide Eſtheris ornatur.*

Claud. M. Victor in Poëm. Gen.

S. Naz. Orat. in laud. Gorg.

S Cæſ. homil. 7.

Tanto plauſu hoc præluſtre facinus ſtrenuè peregiſti, vt exinceps *te paruuli noſcere, oſtentare iuuenes, mirari ſenes, ægri quoque neglecto medentium imperio ad conſpectum tui quaſi ad ſalutem ſanitatémque properabant. Deinde alij ſe ſatis vixiſſe te viſa; alij nunc magis eſſe viuendum prædicabant .... Vt plena altaribus, anguſta victimis cuncta?* vt *in vnius ſalutem collata omnium vota? cùm ſibi ſe, ac liberis ſuis intelligerent precari, quæ pro te precarentur.* Tu tui populi inſuſpicabilis redemptrix, tuo periculo redemiſti alienum. Tu tuum Aſſuerum *nuda fide* inueſtem, veræ fidei empyreis veſtibus ſumptuoſiùs ornaſti, vt tu *ſic toto corpore Deo conſecrareris, vt non dimidia tantùm ex parte perfecta diſcederes, ipſiúſque aliquid imperfectum relinqueretur.* Quin & *propterea ita ordinauit di-*

*uina*

*Eſtheris fides nutrit Aſſueri intellectum.*

*uina prouidentia, vt quod capere* in homine gentili *ratio rerum malè victa non poterat, tua fides deuota conciperet, & intellectum credulitas robuſta nutriret.*

S. Hier. in epitaph. Paullæ. *Cur poſt hoc facinus, Eſtheris ſilet hiſtoria.* Plin. in Panegy. ad Traianum. Hild. ep. 48. *In Eſthere præter virtutem nil virius inuenit.* S Zeno ſer. de Iob. *Sermo de Eſthere, cur in medio ære naufragauit.* S Zeno ſuper *Attende tibi* S Ennod in Panegy.

8. Verùm enimuerò *dudùm prolixior* relatio *cuditur, dum timemus ad vltima peruenire; quaſi, tacentibus nobis, & in laudibus tuis occupatis, differri poſſit occubitus.* Et ſanè poſt hoc opinatiſſimum omnibus ſeculis facinus, vtraque eruditio de te altè ſilet; *ne quid poſt illud immortale factum mortale faceres. Deberi quippè maximo operi hanc venerationem, vt nouiſſimum eſſet, auctorémque eius ſtatim conſecrandum* conſultiſſimo ſilentio diſcamus. Tandèm *fateamur neceſſe eſt te deceſſiſſe Reginam, cui nec ex opulentis delicijs, nec ex poteſtatis licentia, nihil ex lenocinio ſexus, ad honeſtatis periculum ſubrepſit. In te præter virtutem, nil virtus inuenit.* Itaque huius *ſacra hiſtoria ad hoc nobis eſt tradita legenda narratio, vt* Eſtheris, *ſi fieri poteſt, ſaltem aliqua ex parte mores imitemur, ſi non poſſimus imitari virtutes: tantâ enim probitate vixit, vt pars felicitatis ſit, nôſſe quid fuerit.* Sume pectoris vota, parce oris ruditati, Olympia ſublimiſſimè Heroina; ſiquidem *in medio aeris ſermo transfretans naufragauit. Tuum eſt, ô inclyta, deuotioni pretium dare.*

## *PROLEGOMENON II.*

1. Seneca in Prouerb. *Benè dormit, qui non ſentit quàm malè dormit.*

NVNQVAM ſatis dicitur, quod nũquam ſatis diſcitur, *Benè cogitata ſi excidunt non occidũt.* Ergo rediuiuo nouiter ſcriptionis vigore, ſalutares voces altiùs crepent virtutum virtutes, & vitiorum vitia, quibus ad omnes ſanctitates excitetur homo nimis ad vitia exſomnis, ad virtutem altè dormiens. O quàm *benè dormit, qui non ſentit quàm male dormit!* Itaque in hac morum efformandorum chalybia *eandem incudem tundere* ſæpiùs licet, ſi fortè à vitiorum *ſomno excitem eum*, linguato tunſionum crepitu, & minaci æternitatis fragore. Neque enim adhuc *ingenio manus eſt, & ceruix cæſa*; quamuis à tergo gannias: *Bucca noſcenda eſt menſura tua* Profectò *improborum natura eſt, hoc ſentire de omnibus quod merentur.* Saltem *beneficium eſt ſemper reddere bonitatis verba.* Verum ſemper illud: *Nunquam ſe mentitur, quem ſtimulat charitatis imperium,* Hoc pio œſtro extimulari amo, & diligo.

Publ. Mim. Eraſm. in Adag. Ioann. 11. v. 11. Iuuenal. Satyr. 9. Idẽ Saty. 11. S. Ennod l. 2. epiſt. 12. Publ Mim. S Ennod. l. 3. epiſt. 17.

## §. VI.

### *Diſceptatiuncula proœmialis ad ſciolos, de conſilio, & forma noſtri Operis.*

2. Plin. in Præf. Hiſtor ad Veſpaſ.

NOn *fiducia Operis hæc eſt, ſed indicatura.* Niſi fortè ex *indicatura* auſim *fiduciam* præſumere. Scilicet mihi paupertinæ eruditionis meæ benè conſcio, vt adhuc ſcribam, imò & ſcripturire videar, *audacia ſola Supereſt. Hanc igitur tibi imputabis, & in noſtra culpa tibi ignoſces*, cùm vel præſumptæ fauentiæ aliquantula dignatio tua, *audaciam* afflauerit meam. *Credulitas ſubleuat humiles, premit inuidia potiores.* Tametſi *non quàm multis placeam, ſed quibus ſtudeo*: nam omne etiam vitium habet patrocinium ſuum. Ergo adhuc ſcribo: quia noſtræ *vitæ ſpatia doctrinam ſpectant*, quæ Dei cognitionem, & morum inſtitutionem faciat nempè iuuat benè *de pluribus merendo fatiſcere.* Sanè *potior ſitis eſt, quam vndarum guſtus exaggerat.* Adhuc ſcribo: quia vt docet opinatiſſimus Bibliorum Sophos: *Qui inebriat, ipſe inebriabitur*, vbi Paraphraſtes Chaldæus: *Qui docet, etiam ipſe diſcet.* Bellè dictum: *Tranſibit ſermo in affectum, ſi honeſta loquamur.* Adhuc ſcribo: quia benefica calami noſtri vitia, dignatione gratâ mercaris, *augens famam noſtram per patientiam tuam.* Sanè *Nihil prodeſt didiciſſe, benefacere ſi ceſſes*: operis enim perſeuerantia, illius vigor eſt. Adhuc ſcribo: quia *nobilis poſſeſſio ſapientia eſt, quæ diſtributa ſuſcipit incrementum, auarum dedignatur poſſeſſorem, citò niſi publicetur elabitur.* Euangelicus ille ſeruus, qui vnum ſibi creditum in terra talentum, *Quaſi timidus fænerator, vel quaſi auarus poſſeſſor abſcondit, non mediocrem Domino reuertente offenſam incidit: iure nobis verendum eſt, quibus licet ingenium tenue, neceſſitas tamen maxima, eloquia Dei credita populi fænerari mentibus, ne vocis quoque noſtræ poſcat vſuram. Vnde ſcribendi aliquid ſententia fuit.* Non timet *ſpes noſtra adhuc cæca mundi luce veſtita*; ſiquidem *victrix fortunæ ſapientia eſt.* Quin & forſan par eſt noſtræ dudùm garrulitati degeneri, vlterioris vicem ſermonis opponi, vt per ipſum callem, per quem venerat error, exiret. Cetera ſiluiſſe præſtaret, *ne cogeremur de alieno pendere faſtidio.*

Idem inibi *Cauſſæ adhuc ſcribendi cõglobantur.* S Ennod. l. 4. epiſt. 40. Publ. Mim. Baſil. Seleu. Orat. 1. de Paup. amor. S. Ennod. l. 1. epiſt. 26. Prouerb. 11. v. 25. Chaldæ. ibi. Seneca in Prouerb. Caſſ. l. 10. ep. 5. Publ. Mim. *Sapientia cur dicitur nobilis poſſeſſio?* Seneca in Prouerb. S. Ambr. l. 1. de Virg. Matth. 25. *Victrix fortuna ſapientia.* S. Ennod. l. 4. epiſt. 10. Iuuen. Saty. 13. *Scriptor pendet de alieno faſtidio.* Caſſiod. l. 9. var. ep. 21.

Itaque inſtitutum & forma noſtri Operis, 3.
(citò dicam) illa ipſa eſt, quæ dudùm fuit, & exinceps erit. Ex aliis lucubratiunculis, huius ideam exploratam habes; & forſan vindicem, aut vindicatam. Verùm ſicut *nulla eſt tam bona fortuna, de qua nihil poſſis queri*: ita nulla eſt tam bona mens, votum, ſtudium, quod calumniis non pateat. *Miſerrima eſt fortuna, quæ inimico caret.* Sanè à vulgari maledicẽtiâ quiduis tutum eſſe poteſt, ſecurum eſſe non poteſt: nam *cuiuis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.* Scilicet *eſt quædam publica etiam eruditorum reiectio*, quam Procerum nemo etiam extra omnem aleam poſitus, vllo æuo effugit, effugiẽtue. *Hæc doctiſſimum Perſium legere nolo, Lælium volo.* Hic ingenio eruditè pacato præcellit; ille *primus condidit ſtili naſum.* Hic quid reprehendat, aut inuenit, aut facit: ille præ multimodâ eruditione, & indolis bonitate, benignus rerum interpres eſt: dicitque cum Socrate, poſtquam perlegerat obſcurum Heracliti librum: *Quæ intellexi proba ſunt; credo, & quæ non intellexi.* Nimis acer virtutis vindex, iniquitatis reus ſiſtitur:

*Inſani Sapiens nomen ferat æquus iniqui,*
*Vltra quàm ſatis eſt, virtutem ſi petat ipſam.*

Et quidèm bellè *Ignorantia, cæca domina* nuncupatur, quæ inſcitè maledicentiam imperat, vt *obtrectatione alienæ ſciẽtiæ famam ſibi aucupetur.* Maledicis Phariſæis & Scribis Apoſtoli, Chryſoſtomi ore, id eſt, aureo, reſpondent: *Nos homines fuimus ruſtici & obſcuri in plebe; vos ſacerdotes & ſcribæ: Sed in nobis bona voluntas facta eſt quaſi lucerna ruſticitatis noſtræ; in vobis autem malitia facta eſt quaſi caligo ſcientiæ veſtræ.* Poſtmodùm cæleſtem doctrinam præluſtri miraculo fundat Chriſtus Deus, & confeſtim

Publ. Mim. *Miſera eſt fortuna, quæ inimico caret.* Seneca in Prouerb. Idem inibi. Plin. in Præf. Hiſt. ad veſp. Idem. ibi. *Obtrectatione alienæ ſciẽtiæ fama quæritur.* Socrat. apud Lipſ. in Præf. ad Polit. Horat. l. 1, ep. 6. Philo de Mig. Abrah. Plin. ſuprà. S. Chryſoſt. apud Caten. Matth. 19. *Malitia eſt caligo ſcientiæ.*

Lucæ 6. v. 11 feſtim notanter ſubdit Euangeliſta. *Ipſi autem repleti ſunt inſipientiâ.* Scilicet imperfecta oculorum acies perſtringitur ad perfectæ doctrinæ fulgores: nam *qui perfectum nouit, imperfectus non eſt.* Nemo igitur eruditè ſapiens *in legendo aſperum ſe præbet aut moroſum.* Hoc aut illud non ſtatim capitur? Iterùm dicam tibi, quod Gladiatoribus, *Repete* Adhuc non arridet? ne confeſtim damna aut abiice. *Mora omnis odio eſt, ſed facit ſapientiam.* Opinor, *ad pœnitentiam properat, cito qui damnat.*

Clem. Alex. l. 1. Pæd. c. 6. Lipſ. in præf. ad Polit. *Mora facit ſapientem.* Seneca in Prouerb. Publ. Mim.

4. Si de rebus ipſis velitari iuuat: (nam de vocibus poſteà prælium initur: *ſunt enim vt in caſtris, ſic etiam in litteris noſtris plures cultu pagano*) ſingulas theſes, imò & ſingularum theſium probationes, è Biblicæ eruditionis ſacrario depromimus: *Legem & Prophetas cum Euangelicis & Apoſtolicis litteris miſcemus, & indè potamus fidem*, quâ rigatur auditorum ſitis. Eam fidem, inquam, quam morales argutiæ exigunt. *Sed vulgus gregale putat eos malè ſaginari, qui paſcuntur diuinis eloquiis:* quia forſan aliquis, vt cano capite, ſic mente infantili, reuerendus de cenſorio ſupercilio, litteraliores mallet expenſiones, quodam zeli typho ſubmuſſitans: *Etiam de oliuæ nucleo mitis & opimæ & neceſſariæ, aſper oleaſter exoritur etiam de papauere fici gratiſſimæ & ſuauiſſimæ, ventoſa & vana caprificus exurgit*, ita & concionatorij hodie tractatus de veritate Scripturarum fructificauerunt, ſed *degeneres veritatis grano, & mendacio ſilueſtres.* Boni illius patrisfamilias coloni minimè boni, *eiectum* illius filium *extra vineam occiderunt.* Ad quæ verba ita ſcribit Sophus quiſpiam: *Quidam autem per vineam Scripturam intellexerunt: vndè extra vineam, id eſt extra Scripturam dicitur Dominus paſſus.* Quaſi olim Chriſtus Deus extra Scripturam ſuam paſſus ſit; nunc verò in ſua Scriptura, & de Scriptura ſua acerbè multa patiatur, dum ſenſus litteralis negligitur. *Sed nunquid in damnum gratiæ diſciplina debet excurrere?* Sic frigidè arguuntur, ac ſi idem foret litteralem ſenſum negligere, ac intermittere; vt verborum per accommodationem ſententia, ad ſenſus morales ethicè deriuetur. Lectitent Auguſtinum, Chryſologum, Ambroſium, Gregorium, Philonem, Rupertum, & ferè Latinos Patres, qui illud Nazianzeni legere potuerunt: *Hæc nobis ad vos dicta ſint, non improbè ac veteratoriè, ſed ſimpliciter, non circumforaneè, ſed concionatoriè & eccleſiaſticè; non ambitioſè, ſed fructuoſè.* Profectò quæ non diſparat concionatorium moraliter argumentum, à neruosè Ariſtotelico, & ſeuerè theologico *bruta litterarum peritia* eſt, & inconſulta maledicendi libido. Qui neſcit Scripturæ ſacræ varios ſenſus, prima illius elementa prorsùs ignorat. *Ignorantia* autem *eſt phantaſia cedens, quæ dimoueri poteſt à ratione.* Si conciones ſanctorum Patrum vel curſim legant: vt hanc phantaſiam dimoueant neceſſe eſt. Secùs, *ambos perdidit ille oculos, & luſcis inuidet.*

Plin. l. 7. Epiſt. ad Ruſum. *Scriptores cultus paganus.* Tertull. l. de præſcrip. c. 36. Philo l. de Cong. quær. *E Biblijs potatur fides.* Tertull. inibi. *Theſes morales non ſunt degeneres veritatis grano.* Idem ibi. Lucæ 20. v. 15. Theophyl. indidem. *Chriſtus extra Scripturam paſſus, & quæret* S. Ennod l. 7. epiſt. 16. *In damnum gratiæ non excurrat moralis diſciplina.* S. Naz. Orat. 10. *Concionatoriè loqui licet.* S. Naz. Orat. in laud. patr. ſui. *Ignorantia eſt phantaſia cedens* Clem. Alex. 2. Strom c. 7. Iuuenal. Satyr. 9.

5. Idoneè ergo è Bibliorum adytis, arcanos ethicè ſenſus, non omnibus penitos, eruere molimur. *Sicut Verbum Dei carne veſtitum proceſſit in hunc mundum; & aliud quidem erat quod videbatur, aliud quod intelligebatur, (carnis aſpectus in eo patebat omnibus, paucis verò & electis dabatur cognitio diuinitatis) ſic verbum Dei & ſpiritus ipſe litteræ velamine tegitur, vt littera Scripturarum aſpiciatur tanquam caro, latens intrinſecus ſpiritus tanquam diuinitas ſentiatur.* Pulchrum ſanè ad rem Scripturarum elogium, quo Scriptura ſacra Chriſto Deo apprimè comparatur: vbi littera omnium oculis patet, ſicut patebat Chriſti humanitas: ſenſus autem morales, ſeu Scripturæ ſpiritus, *Diuinitati* ſimilis eſt, qui arcanè deliteſcens, pretium & æſtimationem Scripturis reddit, à quo illarum cenſus eſt. Cenſus ergo moralium theſium peridoneè à Scripturis petendus eſt. *Locum ipſum Magi licèt diuinitus ſpirati neſcierunt: quippè qui non in Bethlehem, ſed primùm Ieroſolymam venerunt, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? Hoc Magi neſcierunt. Et quidem hoc facere potuit Deus in primis quod fecit poſtmodùm, vt ſcilicet venientes illos ab Oriente, continuò ſtella, quam viderant, antecederet vſque dum veniens ſtaret ſuprà vbi erat puer: ſed dilatio hæc vtilis erat, vt interim qui de cælo acceperant ſignum, audirent etiam de Scriptura teſtimonij firmamentum.* Nimirum Magi licèt diuinitùs inſpirati ſidereâ cæli linguâ excitantur, vt recens natum Chriſtum adorent: ſtella duce & fulgorum indicio, non in Bethlehem, ſed in Ieruſalem ferūtur, vt *qui diuinitus ſpirati erant, & de cælo acceperant ſignum, audirent etiam de Scriptura teſtimonij firmamentum:* vt quod aſtra cæleſti voce præclarè loquuntur, de Scripturæ teſtimonio *firmamentum* inueniat. Tantam combibit auctoritatem petita de Scripturis ſuadela!

Ferus in c. 2. Matth. *Scriptura cur dicitur corporato Verbo ſimilis?* *Senſus myſticus, dignitate in Chriſto aſſimilatur.* Rupert. in Matth. 2. *Magi de cælo edocti, de Scriptura quærũt firmamentũ.* *Moralitas ex vtroque teſtamento habeat acumen.* Iuuen. Saty. 8.

*Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.*

Exindè ſtrenuus quiſquē moralium theſium Scriptor, glorioſè ſatagit, vt *prædicatio ſermonis diuini, ex vtraque parte habeat acutum veteris ac noui Teſtamenti.*

Theophilus Antioch. l. 4 in Euang.

6. *Fundit potiùs qui mittit in plenum.* Saltem in tanta hodie librorum exundātia, & eorum condendorum prurigine quæſtuaria adhuc ſcribere, otium eſt, non negotium. Hæc garriat, qui *queritur ſe diem, quem non perdiderit, perdidiſſe.* Heus tu, quid operis agis, qui cenſuræ de omnibus ferendæ vacas? *Satius eſt (vt Attilius eruditiſſimè ſimul ac facetiſſimè dixit) otioſum eſſe, quàm nihil agere*, tui ſimilis. Has librorum condendorum ſuperuacuas tibi curas permitte tempori, qui eſt huius negotij, aut otij arbiter. *Nulla poteſtas eſt, quæ qualitatem famæ ſuæ de ore hominum poſſit auferre.* Temporis eſt euentilare & cribrare eruditionem, & reiectaneas inutiles paleas, à grano ethicè proficuo diſpatare. Fateor, vſque ad faſtidium ſcripturit hæc ætas Sed *non ſunt imparia tempora noſtra tranſactis.* Nunc etiam *ſcribimus indocti, doctique poëmata paſſim:* & tamen lucubrationes eruditæ *nullâ degenere vicinitate ſordeſcunt*; imò de aliorum obſcuris ſordibus magis ſcintillant. *Quid prodeſſet tantos viros latere litteris defæcatos?* Licet enim magnum ſit, non laudari, & eſſe laudabilem: ſanè quiſque *venerabilis Magiſter, ingeniorum lima, & fabricator ſenſuum*, ſua taciturnitate profectum poſteritati inuidiſſet. Quid ergo ſi in tam vaſto Scriptorum hodie pelago, ingenioli noſtri cymba velificet? Itaque otij mei negotium hoc eſt, hæc votorum ſumma. Vetuſta non reſcribere, noua non prorſus condere; ſed in recentem ſaporem antiqua libamenta digerere: ſi fortè hæc Lucubratio

Caſſiod. l. 12. epiſt. 27. Plin. l. 1. ep. ad Soſium. Idem l. 1. ep. ad Arium. *Præſtat otioſum eſſe, quā nihil agere.* Caſſiod. l. 7. epiſt. 2. *Ætas noſtra, non eſt impar tranſactis.* Caſſiod. l. 7. epiſt. 13. Horat. l. 1. epiſt. 1 ad Auguſt. Caſſiod. l. 5. epiſt. 40. Idem lib. 8. epiſt 31. *Lima ingeniorũ, & fabricator ſenſuum.* S. Ennod in Natali S. Laur. *Delectamur vetuſtatis memoriâ.*

Tertull.l.de Pallio c. 1.
Caſſiod.l.2. epiſt.4
Plin in Præf. Hiſtor. ad Veſp
*Res eſt ardua, vetuſta renouare.*
Senec.ep.65.
*S. Hieronymus non à ſe ipſo docet, ſed ab Antiquis.*
S.Hieron. in Epit.Paullæ.
Caſſiod.l. 4. epiſt. 51.
S Ennod.in Natal.S. Laur.
*Vetuſtas cano flore hodie vernat.*

cubratio noſtra euadat *vetuſtate nobilis, nouitate felix*. Enimuerò (quod forſan mirere) *delectamur vetuſtatis inuentu. Sanè res ardua, vetuſtis nouitatem dare, nouis auctoritatem, obſcuris lucem faſtiditis gratiam; dubiis fidem, omnibus verò naturam, & naturæ ſuæ omnia. Itaque etiam non aſſecutis, voluiſſe, abundè pulchrum atque magnificum eſt.* Profectò (quod ſine reuerendæ antiquitatis inuidia dixerim) *etiam ſi omnia à veteribus inuenta ſint, hoc ſemper nouum erit, vſus, & inuentorum ab aliis ſcientia, & diſpoſitio. Multùm egerunt, qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt.* Ad hanc magni Philoſophi gnomen, vel Hieronymus ipſe, Sapientiæ meritiſſimus ſequeſter, compoſitus eſt, dum componens Biblicos commentarios, ait: *Propter crebras poſtulationes præſtitis: vt docerem, quod didiceram, non à meipſo, id eſt, à præſumptione, peſſimo præceptore; ſed ab illuſtribus Eccleſiæ viris.* Scilicet commendantur priora poſterioribus: *& noſtris temporibus videtur antiquitas decentius renouata:* quò vetuſtas *nunc in cano flore vernet.* Votum noſtrum hunc collimare ſcopum ſatagit. Bonus autem ſagittarius non debet ſemper, ſed aliquandò deerrare. Culpam neceſſariam venia anteuertat.

7\.
S.Hier.epiſt. ad Nepotian.
Philo l de Cong. quær.
*Dictionis elegans ambitio caſtigãda eſt.*
*Felicitas in rebus, non in verbis inuenitur.*
S. Ambr. in Lucæ c.16. apud Caten.
Philo de Cõgr. quær. eru.
S. Ambr. ſuprà.
*Sermo habena, & ſtimulus eſt.*
*Sapor mentis in ore guſtatur.*
S.Paul.ep. 15.
*Ne res ſentiat eneruati dãna ſermonis.*
S.Ennod.in Paræn.Didaſc.
Plin.in præf. Hiſtor.ad Veſp.
Seneca l. 3. de Ira c. 9.

Quod attinet ad dictionem, *ne à me quæras pueriles declamationes, ſententiarum floſculos, verborum lenocinia, & per fines capitulorum acuta quædam, breuitérque conciſa, quæ plauſus & acclamationes excitet auditorum,* lectorúmue. Eheu remediis, citiùs quàm morbis laboramus! *Nam ſicut apud medicos, quæ dicitur logoiatria multùm abeſt, vt ægrotos adiuuet; remediis enim & chirurgiis & diætis, non verbis morbi curantur, ſic in Philoſophia* (id eſt, morum diſciplinâ) *verba tantum quidam venditant & venantur, vitam autem moribus refertam curare nec poſſunt, nec volunt: nec pudet eos à teneris annis ad vltimam vſque ſenectutem ſententiolas frigidas oppugnare, propugnaréque, tanquam felicitas in nominibus verbiſque, & in immodica inanique curioſitate ſita ſit, & non potius in componendis moribus: qui fons ſi benè ſe habeat, exulant vitia, virtus reſtituitur.* Exinde Sapiens quiſque, *ſiue Apoſtolicus aliquis, pauper in verbo, locuples in fide, verborum infulas non requirit.* Inflatior dictionis ambitio, tumor animi eſt, non rei magnitudo: *Neceſſe eſt igitur, vt Sapientiæ ancilla ſit loquendi facultas.* Ergo loquẽdi facultas ethicæ doctrinæ obſequenter ancilletur, non arroganter principetur. Verùm enimuero quia Euãgelici Concionatoris *ſermo, habena eſt, ſtimulus eſt;* aurigandi peritiam habeat, quâ vitia frænet, & ad virtutes incitatiùs extimulet; congrueque verbis oportet armari, ornaríque, vt ſit & ſciẽtiâ, & linguâ eruditus. Quid proderit proficua ac ſublimia quæque animitus altè concepiſſe, ſi ſermone mentis interprete deſtituitur ore viduato? *Ex abundantia enim cordis os loquitur, & ſapor mentis in ore guſtatur.* Sapiens mẽs in ore fatuo planè deſipit. Hinc aliquãdo dictio apud ſanctos Patres animoſiùs audet, *ne ſentiat virilitas operis, eneruati damna ſermonis.* O malum fortè neceſſarium! Hodie *magna pars ſtudiorum amœnitates quærit.* Sic languet ſeuera virtus, vt lætis etiam amœnitatibus aliquando excitanda ſit! *Confuſis oculis proſunt virentia, & quibuſdam coloribus infirma acies acquieſcit: quorundam ſplendore perſtringuntur: ſic mentes ægras ſtudia læta permulcent.* Per me igitur amœnior dictio aliquando non deſit, ſemper autem adſit perſpicua. *Atque vtinam mihi potius quinque verba loqui contingat, quàm ſexcenta in linguâ & voce tubæ, obſcura & incerta.* Vis noſſe quis qualiſque debeat eſſe boni Eccleſiaſtæ ſermo, audi quendam ſophum ſuo æuo magnum: *Qui Deum ſequitur, neceſſarios habet comites eius ſermones, qui nominari ſolent Angeli.* Scilicet qui Dei verba captui auditorum dignè adtemperat, Angelos loquitur. Quid luculentius?

*Hodie ſtudii amœnitates quærit.*
S.Naz. Orat. in Plag. Grand
*Perſpicua lingua Angelos loquitur.*
Philo de Migr. Abrah.

8\.
Tertull.l. de Vel. Virg. c.4.
Plutarchus in phocione.
*Optimus ſermo eſt ſicut nummus, & quare*
Plin.l.1. ep. ad Cor.Tac.
*Preſſior, an laxior dictio ſit optima.*
Idem inibi.
*Plus agit inculcator rationis.*
Caſſiod.l.12. epiſt 1.
Plin l 1.ep. ad Cornel.
*Laxior ſtilus maioris ingenij vitiũ eſt.*
*Laconiſmus vituperatur.*

*Naturaliter compendium ſermonis, & gratum & neceſſarium eſt: quoniam ſermo lacinioſus, & oneroſus & vanus eſt.* Omnibus ſiquidem licet *animaduertere idem ornationi ôuenire quod nummis, quì eò ſunt pretioſiores, quò in minori materiâ plus valoris ac pretij amplectuntur. ſic optimum videtur orationis genus id, quo paucis multa ſunt grauiter, ſapienter, acutéque ſignificata.* Aſt breuitati cognata obſcuritas ſubeſt: inde etſi ſermonum *lacinias* non amamus, Laconiſmus perſæpe diſplicet. Porrò in Concionatore *præuaricatio eſt curſim & breuiter attingere, quæ ſunt inculcanda, infigenda, repetenda. Nam pleriſque longiore tractatu vis quædam & pondus accedit, vtque corpori ferrum, ſic oratio animo non ictu magis quàm morâ imprimitur.* Ad hæc, *Delectare, perſuadere, copiam dicendi, ſpatiúmque deſiderant: relinquere verò aculeum in audientium animis is demùm poteſt, qui non pungit, ſed infigit. Non enim amputata oratio & abſciſſa, ſed lata, magnifica, & excelſa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat, ac miſcet.* Sententiosè dictum: *Plus agit inculcator rationis, quàm poſſit exercere terribilis.* Modus autem hac in re tenendus eſt, quis neget? *Sed non magis ſeruat modum, qui infra rem, quàm qui ſupra: qui adſtrictius, quàm qui effuſius dicit. Itaque, quod audis frequenter, vt illud immodicè, & redundanter: ita hoc ieiunè, & infirmè, alius exceſſiſſe materiam, alius dicitur non impleſſe: æquè vterque: ſed ille imbecillitate, hic viribus peccat: quod certè etſi non limitatioris, maioris tamen ingenij vitium eſt. At eſt gratior multis dictio breuis. Eſt quidem, ſed inertibus, quorum delicias, deſidiámque quaſi iudicium reſpicere, ridiculum eſt. Nam ſi hos in conſilio habeas, non ſolùm ſatiùs eſt breuiter, ſed omnino non dicere.*

9\.
*Modo roris doctrina inſtillanda eſt.*
Geneſ. 27. v.28.
Philo de Migrat. Abrah.
*Nullum Sapientis opus eſt exiguum.*
Philo ſuprà.
Tertull. l.de Anim. c.2.
*Certa ſemper ſunt in paucis.*

Itaque ſermonis lacinias non amo, contractior autem Laconiſmus diſplicet. Perplacet tamen ſingula themata non onerare probationibus: nam bella varietas amœnior eſt: & quò probationes numeroſiùs addenſantur, eò decreſcit theſium numerus. *Det tibi Deus de rore cæli.* ac ſi dicat: *Primùm continuâ te intelligibili cæleſtique irriget pluuiâ, non largâ, vt inundet, ſed ſenſim leniterque modo roris deſcendente.* Satiùs ergo eſt vnam aut alteram exornare probationem, non ſpiſſare multiplices, quæ non pariter ſcopum colliment, quæ auditoribus faſtidio ſint, & ſenſim horam ſuffurentur. Exiguum id putant, ſed *nullum Sapientis opus eſt exiguum.* Profectò *habuit Philoſophia libertatem ingenij ad extendendos tractatus; latè queruntur incerta, latiùs diſputantur præſumpta. Quanta difficultas probandi, tanta operoſitas ſuadendi . . . . Chriſtiano autem paucis ad ſcientiam huius rei opus eſt: nam & certa ſemper in paucis, & amplius illis quærere non licet.* Ceſſi tamen, & præter mei iudicij cenſuram, conniuens plurium poſtula

poſtulationibus, expoſtulationibuſúe, contractiori ſtilo thematum probationis vberiùs, prolixiùs inquam, addenſaui. *Honeſtè ſeruit, qui ſuccumbit tempori.*

*Honeſtè ſeruit, qui ſuccumbit tempori.* Seneca in Prouerb.

Demùm (procul calumnia) liceat mihi dicere cum S. Thoma Theologiæ ſidere, ac Bibliorum faculâ: *In aſſumendis autem Sanctorum teſtimonijs, plerumque oportuit aliqua reſcindi de medio ad prolixitatem vitandam, nec non ad manifeſtiorem ſenſum; vel ſecundum congruentiam expoſitionis, litteræ ordinem commutaui.* Raro tamen id fit; & multiplici punctulo lineatim iacente denotatur.

S Thomas in Prologo ad Caten. aur. *De auctoritatibus aliqua reſcindere licet.*

---

## §. VII.

### *Spongia vulgaris maledicentiæ.*

1\. S. Cyrill. apud Caten. Lucæ 1.

TAnquam pergrauis olim reprobata in Euãgelio fuit *onerosa Legiſperitorum officina*, cenſuram moleſtam exudans, & reiectaneum cenſens, quicquid præter eorum ſenſum prouulgaretur. *Væ vobis Legiſperiti, quia tuliſtis clauem ſcientiæ; ipſi non introiſtis, & eos qui introibant, prohibuiſtis.* Et ſanè clauis ſcientiæ, *humilitas* eſt, non turgens eruditionis arrogantia. Hic autem *iactat ſuam doctrinam, credens ſe ſolum auctorem eruditionis, atque ita ſupinus incedit & inflatus ſubducto ſupercilio, quaſi ſolus inueniſſet theſaurum ſapientiæ.* Iſtiuſmodi Legiſperiti, qui *tulerunt clauem ſcientiæ*, non modò oſtium niſi de ſuo nutu non aperiunt, ſed vel ſaltem ſapienter ambigendi rimulas obturant. *Magnum per diuina ridiculum!* Illa Euangeliſtæ ſententia: *Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum*, dubia eſt, an Regulus dicatur fuiſſe in Capharnaum; an fuiſſe Regulus quidam, cuius filius in Capharnaum ægrotus eſſet. Vtraque expoſitio patronos numerat locupletes. Non debuit ergo quiſpiam minimè bonus loci interpres, *claues ſcientiæ* auferre, & *propterea mutare verborum ſitum, vt pro Scriptura ſacra ſuam nobis ſententiam exprimeret; ſed ambigua verba, ambigua relinqueret. Quid enim ſi alius fortè melior eſt ſenſus? Non debet, cùm Scriptura duos probabiles ſenſus habere poteſt, alterutrum præcidere fidelis interpres. Ambiguitas ipſa, pars aliquando Scripturæ eſt.* Benè monet noſter Euangeliorum Pharos: benè monentem ſequere. Porrò ſi aliter fiat, *vellet homo ea quæ ſunt de ingenio ſuo adſcribere Spiritui ſancto* Arroganter ſtupida Sapientiæ tyrannis, hominibus inuidioſa, & contumelioſa Deo, quod ſolius Dei eſt, proprio ingenio arrogare præſumit. *Turpe eſt perfectò in diuinis diſputationibus principatum ac tyrannidem ſibi vindicare, ac ſupra omnes legis doctores ſupercilium attollere. Quid autem eſt, quam ob rem graue & intolerandum putes, ſi non in omni diſputatione domineris, atque in omni quæſtione, & problemate primariam ſedem obtineas?* Non præcipitur Sapientia audacioris cenſurâ iudicij, imperitis vulgò peruia: ſed ratione ſapientia, eruditâ, ac ſolidâ perſuadetur. *Conſtitue Domine Legiſlatorem ſuper eos.* Hebræus textus pro *Legiſlatore*, habet *Doctorem*, Hieronymus *Terrorem*. Scilicet *terrori* eſt *Doctor* in docendo *Legiſlator.* Non amo hos *Doctores*, qui ſuas opiniones velut leges condunt, &

Lucæ 11. v. 52.
S Aug qq. Euang. l. 2. c. 23.
Philo de Cong. quær. erud.
*Nemo auferat clauem ſcientiæ.*
S Ennod. in Panegy.
Ioan. 4. v. 46.
*Ambiguitas ipſa, pars aliquãdo Scripturæ eſt.*
Apud P Maldonat. inibi.
*Ne quæ ſunt de noſtro ingenio, Scripturæ adſcribamus.*
Abul. in c. 1. Matth. 9. 44.
S Naz. Orat. Quod non eſt cuiuſuis hominis, &c.
*Turpe eſt in diuinis diſputationibus tyrannidem ſibi vindicare.*
Pſal 9. v. 21. Hebræus. S. Hieron.
*Doctor ne ſit velut Legiſlator, & vltor.*

in earum tranſgreſſores minis armantur: hi enim cæcum obſequium, citiùs quàm oculatum aſſenſum extorquent Exindè illud Pſalmi, *Vt deſtruas inimicum, & vltorem.* Hebraicè, *Vt quieſcere facias inimicum, & vltorem*, id eſt, *Sapientes huius mundi*, ait inibi locuples quiſpiam Interpres. Nimirùm qui ſimul eſt *Doctor*, & ſuæ doctrinæ durus *Legiſlator*; vnà dicitur tranſgreſſæ doctrinæ *inquietus vltor.* O aliquandò quieſcant! *Principium diſcordiæ eſt aliquid ex communi proprium facere.*

Pſal. 8 v. 10. Hebræus. Bellar. ibi.
*Quod eſt cõmune, proprium ne facias.* Publ. Mim.

*In regno quidem nullus; in errore animi omnis homo ſibi conſortem quærit:* & indè neſcio quas affinitates aucupantur, vt doctrinæ factionem ſectentur. Vellem, ſi fieri potuiſſet, vt Sapientes quique in tradenda, aut probanda doctrina, quæ opinionibus ſubeſt, *nec vllam ciuitatem, aut domum, aut ſodalitatem hominum ſcirent, placita multitudinis conuellendo, veritatem ita vt eſt nudam ſcrutarentur*, non veſtitam domus, familiæ, aut ſodalitatis ſuæ habitu. *Moyſes ille puriſſimus intellectus, verè elegans .... & cognatus veritati.* Hoc elogium Scriptoris canonici eſt, qui veram cum *veritate cognationem* habet. Nemo ergo vſurpet hanc cum *veritate cognationem, domus*, familiæ aut *ſodalitatis* titulo. Veritati potiùs affinis eſt *puriſſimus intellectus, veritatem, ita vt eſt, nudam ſcrutatur.* Profectò *Barabbas* interpretatur: *Iſte filius Magiſtri.* Scilicet præſumpta arroganter ſcientia literariæ hæreditatis titulo *ſeditioſos* Barabbas inuenit, aut facit. Itaque nemo iam illa obſequij verba à ſapientiæ ſtudioſis exambiat: *Sola in litteris meis officij verba prætendo, & ſenſum à tuo corde degenerem, pudore inertiæ confuſus occulto.*

2\. Hild. ep. 51. *Nõ in regno, ſed errore conſors quæritur.*
Philo de migr. Abrah. *Doctor nullã ſodalitatem agnoſcat.*
Idem l. de Cong. quær. erud.
*Male putat Doctor, ſe eſſe veritatis cognatum.*
Alcuin. in Caten Ioan. 18.
*Barabbas eſt, Magiſtri filius.*
S. Paullin. epiſt. 15.

*Natura rerum eſt amare collegam*; quamuis eiuſdem ſtudij profeſſio diſcordiam perſæpè nutriat; ſed mente tenus, affectu diſſidia ſapienter ignorante; *nam ædificatus libris locum non relinquit iniurijs.* Indè *non aduerſario* (ſiqui forſan erunt) *contumelijs & conuicijs inceſſimus, quemadmodum plerique faciunt, non cum dogmate, ſed cum dogmatis aſſertoribus confligentes: ac rationum & argumentorum infirmitatem maledictis interdùm contegentes.* Pacata eſt Chriſtiana ſapientia, non pugnaciter contentioſa, & contumelioſè pugnax. (*Impunè in eum pecces, qui peccat rariùs.* (Præſertim cùm *ad impugnationis fidem, ſolum aduocatur pro teſte propoſitum.* Chriſtus Deus ſic Prædicatores ſuos monet, & munijt: *Ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos. Nempè denotans ſimplicitatem & innocentiam: nam debacchantes & ſua enormitate naturæ iniuriantes, non agnos appellat, ſed hædos.* Agnos mittit ad offenſam elingues, non Satyros de ſuo mordaces. *Conſiderandum nobis eſt, quia ſicut agni inter lupos mittuntur, vt ſenſum ſeruantes innocentiæ, morſum malitiæ non habeamus.* O caue in re literariâ caninum malitiæ morſum! Eheu *adhuc hodie multi inuidia dictante, malè interpretantur Scripturas, vt alios mordeant.* Peruerſionis exaggeratio eſt, beneficâ Spiritus ſancti mititate caninum rictum ad morſus ſæuos armare, quod faciunt nõ Catholici, ſed Heretici heretico priuilegio. *O canes, quos foras Apoſtolus expellit, latrantes in Deum veritatis: hæc ſunt argumentorum oſſa, quæ abroditis!* Profectò fruſtrà morſũ timeas *à canibus pigris, ſcabiéque vetuſtâ leuibus, &*

3\. Caſſiod. l. 11. Var. ep. 1. Caſſi. l. 3. ep. 11.
S. Naz. Orat. in præl. 150. Epiſcop.
*Cum dogmate, non cum eius aſſertoribus confligendum eſt.*
Seneca in Prouerb.
Ennod. l. 1. ep. 6.
Lucæ 10. v. 3.
Iſid. Abb. apud Caten. ibi.
S. Greg. indidem.
*Malè interpretatur Scripturas, vt mordeant.*
Hugo Cardinal. in Lucæ 13.
Tertull. l. 1. adu. Marc. c. 5
Apocal. 22.
Iuuenal. Satyr. 8
Clem. Alex

*ſuccæ*

*ſucca lambentibus ora lucernæ.* An remordere,& referire eos licet, vt ſic ſe à mordendo contineant? *Nam canis ſic dicitur eſſe continens, dum eum timet qui tollit baculum.* Et Dei populus dum iamiam è ſordida Ægypto exit; vt ad terram promiſſionis pergat, iubetur *in manibus baculum tenere, quo canes arceantur.* Ne tamē tollito: nā pacata Euangelicæ veritatis cauſſa & minimè pugnax Chriſti *fides, faciet de cane ouē.* Quin & *quibuſdā ſambus ſic innatū eſt, vt nō pro ferſitat ſed pro cōſuetudine latrēt.* Permittatur latrare, imò & mordere; forsā *pollutā caninā facundiā linguam, Chriſti laudibus expiabit.* Permittatur inquam:

Clem. Alex. 4. Strom. c. 7.
S. Nyſſ. de vita Moyſ.
S. Hieron. in Caten. ad Marci 7.
Seneca de Rem. fort.
S. Paulli. epiſt. 1.

*Nam luctata canis nodum abripit; aſt tamen illi*
*Cùm fugit à collo trahitur pars longa catenæ.*

Perſius Saty. 6.

Denique ad patientiam & ſilentium moueat, quòd *honeſta turpitudo eſt pro bonā cauſſā contumelias pati.* Ne ergò timeatur vel *vultur ipſe, cui vita eſt cadauer alienum.*

Publ. Mim.
Caſſiod. l. 2. epiſt.

4. Non neſcio, nimis id apud ſciolos percrebuiſſe, *Facilè vileſcit quidquid facilè percipitur: quod autem ingenij noſtri aciem ſuperat, quo aſſecutu difficilius, eò etiam maiorem ſui admirationem mouet.* Cúmque hæc fabricādarum moralitatum ars ethicè fœcunda fit *cōgreſſus intellectus virtutiſque, liberos ſibi quærentium*, vt ſubtilitatem patris repræſentet malunt, quàm vt piè matrizet. Exindè ſubtiloquentia, vel potiùs ſuperbiloquentia, maximè à quibuſdam expetitur, & proiecti quidam ſenſus vltra veritatem audaces, argutā ſubtilitate ſublimiùs acuminati. Non eſt hæc peritia, ſed peritiæ præuaricatio: nam *aleator quātò in arte eſt melior, tanto eſt nequior.* Sanè illa nobilis *M. Ciceronis ſuſpiratio*[1]: *O te felicem M. Cato, à quo rem improbam petere nemo audet;* me hac in re penè arrogātem facit: nemo enim à me rem hanc in paucis improbam petet; vel quia, ſi vellem, non poſſem; vel quia, etiam ſi poſſem, minimè vellem: cauere enim poſſem, *nec amicū virtutibus exiſtere, nec fidum vitiis inueniri.* Non ſum tam malè pedatus, vt claudicem in vtramque partem. *Equidem ita ſentio, peculiarem in ſtudiis cauſſam eorum eſſe, qui difficultatibus victis, vtilitatem iuuandi prætulerunt gratiæ placendi.* Profectò moraliſſimè *ſolebat dicere Fauianus, non ex his cathedrariis, ſed ex veris & antiquis, Contra affectus impetu, non ſubtilitate pugnandum.* Ius ſuum videtur perdere Dei ſermo, dum in argutè obſcuras ſubtilitates euaporatur. Faceſſat igitur à ſacris concionibus *argutatio ſophiſtica, præſtigias faciens per coniecturas quaſdā perſuaſibiles.* Poſſum verè dicere; Quid iſta Mea legis inaniſſimus ventoſæ ſubtilitatis captator, vanæ gloriæ vēditator, & diuini verbi præuaricator: Hæc *humili vulgo ſcripta ſunt, agricolarū, opificum turbæ* prædicanda. Non Ariſtotelico more, ſed Apoſtolico, ideſt, piſcatorio, morū doctrina tradenda eſt, virtutes efflandæ, & vitia expugnanda ſunt. *Deliquit, opinor, diuina doctrina, ex Iudæā potiùs quàm ex Græcia oriens. Errauit & Chriſtus piſcatores citiùs quàm ſophiſtam mittens.* Si homines & iumenta ſaluabit Dominus, iumentis etiam ſuum congruè pabulum apponendum eſt. *Malè accipit idiotes, aut peruerſus quiſque hoc dictum*, qui de acuminū ſapore præclarum nomē exambit. At Scriptura ſacra, velut quoddam præſepe proponi dicitur: ſiquidem *humilem Chriſti aduentum, paginis Scripturæ ſacræ inſertum, quaſi in præſepio poſitum Chriſtum infantem* inuenimus. Gratulemur ergo Eccleſiæ, cui olim Dei nomine dicitur. *Ecce ego ſuſcitabo*

S. Naz. orat. de Pau. amore.
*Vileſcit quod facile percipitur.*
Philo l. de Cong. quær. erud.
*Congreſſus intellectus & virtutis.*
Senec. in Prou.
Plin. in Præf. Hiſtor. ad Veſp.
*Aleator quātò in arte eſt melior, tantò eſt nequior.*
S. Ennod. dict. 20.
Plinius ſuprà.
*Vtilitas iuuandi præferenda eſt gratiæ placendi.*
Seneca de Breu. vitæ cap. 10.
*Cōtra vitia, impetu, non ſubtilitate pugnandum.*
Philo l. de Cong. quær.
*Sophiſtica ars præſtigias facit.*
Plin. in Præf. Hiſtor. ad Veſp.
*Piſcatores, nō Sophiſtas Chriſtus elegit.*
Tertul. l. de Anim. c. 3.
*Chriſtus in Scripturis, velut in præſepio.*
Idem adu. Prax. c. 9.
Beda in Lucæ 2. apud Caten.

[1] P. Didac. Celada in Eſtherem.

*per vos Medos, id eſt, Prædicatores menſuratos in vita, qui argentum non quærunt, id eſt, eloquentia venuſtatem; nec aurum velint, id eſt, humanæ ſapientiæ grauitatem. Sancti enim laborant ad ſermonis facilitatem, vt intelligant homines & iumēta.* Quid ergò arcanas quaſdam argutiarum ſubtilitates in fabrilibus ambitioſæ facundiæ caminis excuſas, aucupantur, qui dicere, atque audire debēt quæ *homines & iumenta* percipiant. Certè *nunquam vidi homines magis aſinos*, quàm qui id expoſtulant. Profectò *ingenioſa eſt pietas*, neque enim virtus renunciauit ingenio. At exuccæ, friuolæ, & obſcuræ ſubtilitates, & audaciores argutè ſenſus, fidem & captum ſupergreſſi, theatralis ambitiosè diſciplina eſt, ad ſeculum cum ſua dote releganda. Bonitatis verba argutiis adulterare, maior malitia eſt, magno luēda. O caue!

Hugo Card. in Iſaiæ 55.
*Iumenta intelligunt, quæ Concionator prædicat.*
Plautus.
Caſſiod. l. 5. epiſt. 15.
*Ingenioſa eſt pietas.*

5. Ceterùm in tanta hodie moralium librorum ethica exundantia, atque Concionatorum, concionúmq; frequentia; impar morū reformādorū prouentus exiſtit. Sed idcircò à ſcriptione ceſſandum non eſt; *præſertim cùm ſtudium à nobis Dominus, non profectum requirat.* Sibi non profeciſſe imputet, quiſquis infructuosè profutura legit, & audit. Doctrinæ ſalubris exundantia, virtutum ſterilitatem minimè negotiatur. Profectò *mendicus fluminum curſus eſt, qui tantum nobiliſſimorum ſatiare putatur ardorem: vbertas imbrium, & nihil profutura ſaxa perfundit.* Et ſanè vel ieiunus de re virtutis ſermo, non eſt exſuccè ſterilis. Ea enim diuini verbi vis eſt, vt non ſolùm ſtudentes, ſed etiam conuerſantes iuuet. *Qui in ſolem venit, licèt non in hoc venerit, colorabitur. Qui in vnguentariā tabernā reſederunt, & paullò diutiùs commorati ſunt, odorem ſecum loci ferunt. Et qui apud Philoſophum fuerunt, traxerint aliquid neceſſe eſt, quod prodeſſet etiam negligentibus.* Opinor, hæc culpa maligni ethicè prouentus, moralium theſium Scriptoribus non benè ſubeſt; malè autem ineſt ineruditis, inertis Concionatoribus, & ſciolis ambitiosè auditoribus, *Idem & docenti & diſcenti debet eſſe propoſitum, vt ille prodeſſe velit, hic proficere.* Quid ergò? Non nouimus quoſdam arroganter ſciolos, qui multis apud ſacras conciones annis perſederunt pertinaciſſimè quidem aſſiduos, quos non tam diſcipulos illuſtrium Concionatorū, quàm inquilinos appelles; nullo tamen, aut perexiguo morum prouentu? Hi *veniunt vt audiant, non vt diſcant, ſicut in theatrum voluptatis cauſſā ad delectandas aures, oratione vel voce ducuntur. Magnam hanc auditorum partem videbis, cui Philoſophi* (id eſt, Magiſtri morum) *ſchola diuerſorium otij ſit. Non id agunt, vt aliqua illic vitia deponant, vt aliquam legem vitæ accipiāt, ad quā mores ſuos exigant, ſed vt oblectamento aurium perfruantur.* Nil moribus profuturum iſti audiēt, legētve, dum ambitioſæ voluptatis votum, animi profectū pertinaciter excutit. Venio ad Concionatores, qui libros ethicè conſcriptos auidè lectitant; cum his enim cauſſatiùs & intentiùs res eſt, vt concionatoriæ vocis vitium, Scriptoris calamum excuſet.

*Studium noſtrum, non aliorum profectum, Deus à nobis requirit.*
S. Ambr. l. 1. de Virg.
S. Ennod. l. 7. epiſt. 22.
*Imber nil profutura ſaxa rigat.*
Seneca ep. 109.
*Sermo de Deo, non modo ſtudentes, ſed conuerſantes iuuat.*
Seneca ep. 109.
*Idem docēti, ac diſcenti debet eſſe propoſitum.*
Idem inibi.
*Cōciones aliqui, tāquam otij diuerſorium hodie frequentant.*

6. Nonnulli Concionatores (ſolùm claro nomine magni) quibus ambitioſior ſubtiloquentia pro Numine eſt; dum quæ legunt in theſibus moralibus vniuerſatim (vt par eſt) dicta, ſigillatim ad mores minimè digerunt; *tam ſine profectu alieno diſcunt, quàm ſine ſuo audiunt*, aut legunt. Putat Concionator, litterarij laboris iuratus hoſtis, vernaculus otij hoſpes, & deſidię

*Sine profectu alieno diſcitur, quod ſine proprio legitur.*
Seneca ep. 109.

 rivalis

*Strenuus concionator debet apes imitari, & quomodo.*

rivalis, cui aliquod ſuppetit ab ingenio acumẽ, à memoriâ promptuarium, ab habitu & ore lepor; ſi electiores tot librorũ theſes ad propriæ linguæ idioma eleganter tranſlatas, fideliter recitet, operæ pretium abundè feciſſe (neque enim loricâ poſcebat Achillis Therſites, in qua ſe traducebat Vlyſſes) quin eas de ſuo ad auditorũ mores viuidè & moraliſſimè adaptet, quò afflet virtutes, & vitiorum præſtigias ſapienter excantet. O homines verè theatrales! Strenuus Concinator *apes (vt aiunt) debet imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt. Deindè quicquid attulere diſponunt, ac per fauos digerunt. Ille quoque has apes debet imitari, & quæcumque ex diuerſa lectione congeſſit, ſeparare: Deindè adhibitâ ingenij curâ & facultate, in vnum ſaporem* ſuadendæ virtutis *varia libamenta confundere.* Ecquis eſt tã bardus ac truncus, qui à Bibliorum Interpretibus id exigat, dum ex commentandæ litteræ occaſione, ad amœniores moraliter theſes curſim exſpatiãtur? Mira ſanè, & conſilioſa eſt illa à Concionatoribus præcautio: *Nolite portare aurum, neque argentum, neque pecuniam.* Scilicet *aurum ſæpè legimus pro ſenſu, argentum pro ſermone, æs pro voce. Hoc non licet vobis ab aliis accipere, ſed data à Domino poſſidere.* Quaſi parùm foret, *ſenſum,* atque ipſum *ſermonem* accipere; præcauetur, ne alienam etiam *vocem* Eccleſiaſtes vſurpet. O quàm eſt furax, deſes quorundam peritia! Benigniùs deſidiæ imputatur, *ſed* forſan *inopia naturæ partum* ingenij *negabat.* Animaduertere in nonnullis licet has ſubdolæ ambitionis thecnas, nempè Auctorem libri aeriùs vituperare, vt clãdeſtina furta tectiùs abſcondant. *Sunt multi, qui plurimũ verbis, non re contemnunt; ſed ipſa quæ ſpernunt, clam furantur.*

*Iuuen Satyr. 11. — Senec. epiſt. 75. — Senſum, & ſermonẽ, quin & vocẽ, vetat concionator è libris mutuare. — Matth. 10. v. 9. — S Hier. ibi apud Caten. — Inopia naturæ partũ ingenij negat. — Baſil. Seleu. orat. 7. — Ea, quæ in libris ſpernunt, clam furãtur. — Publ. Mim.*

7\. *Obnoxij profectò animi, & infelicis ingenij eſt, deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere; cùm præſertim ſors fiat ex vſura.* Prædonem illum Angelum de arrogantia famoſum, ſubſannat Propheta aiens: *Perdidiſti ſapientiam in decore tuo.* Non quidem in decore, ſed in decore ſuo perdidiſſe ſapientiam perhibetur, quod belliſſimè magnus quidam Sophos adnotauit: *Perdidit Sapientiam, cùm fecit ſuam, vt non ſit aliud, In decore ſuo, quàm in ſua ſapientia perdidiſſe ſapientiam: proprietas in cauſſa eſt, quod ſibi ſapiens fuit. . . . . Illud eſt quòd eam perdidit; imò iſtud eſt, quòd eam perdidit: etenim ſic habere, perdere eſt.* Quo oſtendit Deus ſe eſſe ſuæ ſcientiæ perpetuum zelatorem, expetereque meritò à nobis, quod petierat à diſcipulo Thales Mileſius. *Is enim cùm quandam nouam de cælo rationem ſenex inueniſſet, eámque docuiſſet amanter Mandritam philoſophum; rogatus à diſcipulo, qua mercede ſibi tantum donum rependi vellet? Reſpondit ille: Satis mihi fuerit, ô Mandrita, ſi id, quod à me didiciſti, cùm proferre volueris, tibi non adſcripſeris, ſed eius me potiùs repertorem prædicaueris.* Aliqui enim perfricant faciem, & de alienâ eruditione, ob furtum malè iam ſuâ, inuerecundè ſe iactant. Cùm autem deprehenduntur in litterario furto omnibus peruio, egregiè vapulat vana gloria. *Eſt autem benignum (vt arbitror) & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris. Scito enim conferentem me auctores deprehendiſſe à iuratiſſimis & proximis veteres deſcriptos, non illâ Virgiliana virtute vt certarent, non Ciceroniana ſimplicitate, qui in libris de Republica, Platonis ſe comitem profitetur.* Præſtet igitur Euangelicus Concionator, quod Philoſophorum proceeres cum laude præſtiterunt. Præſtabit autem, facietque ſuum, ſi fecerit *quod in corpore noſtro videmus ſine vlla opera noſtra præſtare naturam. Alimenta quæ ſumpſimus quandiu in ſua qualitate perdurant, & ſolida innatant ſtomacho, onera ſunt. At cùm ex eo quod erant, mutata ſunt, tunc demùm in vires & ſanguinem tranſeunt. Idem in his, quibus aluntur ingenia præſtemus, vt quæcunque hauſimus, non patiamur integra eſſe, nec aliena ſint, ſed concoquamus illa: alioqui in memoriam ibunt, non in ingenium. Aſſentiamur illis fideliter, & noſtra faciamus, vt vnum quoddam fiat ex multis, ſicut vnus numerus fit ex ſingulis.* Sic, ſic inquam, Eccleſiaſtes ritè adimplebit Apoſtolicum dogma: *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*

*Plin. in Præf. Hiſtor. ad Veſp. — Turpe eſt, in furto deprehendi. — Ezech. 28. v. 17. — S. Bern. ſerm. 74 in Cant. — Perdit alienã ſapientiam, qui malè facit ſuam. — Thales apud Prado in Ezech. c. 27. v. 10. — Nemo ſibi arrogariter adſcribat, quod alienum eſt. — Plin. in Præf. Hiſtor. ad Veſp. — Benignũ eſt, fateri per quos profeceris. — Seneca ep. 75. quod ex Aulo Gellio aliàs exſcripſimus. — Concoquenda eſt aliorum doctrina, ne in noſtram memoriam, non in ingenium eat. — Ad Rom. 15. v. 4.*

8\. Saltem (obſtrepis) minutula quædam à Bibliis ambitioſe expenduntur, vt indè ſumptuoſior acuminis pompa ſublimiùs exurgat. Minutum cenſes, quod in ſacra pagina Spiritus ſanctus afflauit? *Arrige aures mi Pamphile,* & audi concionatoriæ peritiæ ideam. Is exponens illud Geneſeos: *Adæ verò non inueniebatur adiutor ſimilis eius,* ſic opportunè ſcribit: *Quid vult breuis hæc dictio, Adæ verò? Quare appoſuit coniunctionem? Annon ſufficiebat dicere, Adæ? Non abſque ratione, nec curioſitatis gratiâ inquirendi talia nobis ſtudium eſt, ſed vt diligenter omnia vobis interpretantes, doceamus vos neque dictionem paruam, neque ſyllabam in diuinis litteris contentam, eſſe prætereundam. Non enim verba tantùm ſunt, ſed & Spiritus. ſancti verba: & propterea magnum in his theſaurum inuenire licet etiam in vna dictione.* Ne ergo ſciolus quiſque imperitè cenſor, quaſi imperitam damnet, curioſam, vel Biblici commatis expenſionem. Nil non arcanè magnum, & ſenſum grauidum, in hoc diuinioris ſapientiæ ſacrario. Eccur dein tot recentes quæſtiunculæ? Et cur indies plures non recentantur in diuinis verbis, & ſanctorum Patrum oraculis, moralitatum immetatè fœcundis? Chriſto Deo docente turbas *in doctrina ſua. . . . cùm eſſet ſingularis, interrogauerunt eum.* Qui verba Chriſti non capit, arcanos ſenſus quærat diligenter: *quod enim quæritur, capi poteſt; quod negligitur verò effugit, vt ait Sophocles.* Quare etiam toties increbreſcunt hæ voculæ. *Quaſi, Tanquam, Quodammodò?* Scilicet vt piam ſenſuum audaciam mitigent. Audi Afriæ olim eruditorem agentem de Gabrielis miſſione *ad Virginem deſponſatam. Deſponſata enim,* inquit, *quodammodò nupta. Tamen inter Quodammodo & Verum ſatis intereſt duntaxat hoc loco: nã alibi ita ſanè habendum eſt.*

*Plautus. — Gen. 2. v. 20. — S Chryſ. ibi. — Apices etiam in Scripturis ſunt ſententiarum fœcundi. — Quod quæritur, capi poteſt, ſecus quod negligitur. — Marc. 4. v. 10 — Clem. Alex. l. 5 Strom. cap. 1. — Vſus voculæ, Quodam, modo. — Luc. 1. v. 27. — Tertull. de Vel. Virg. c. 6.*

Denique non amo illud fortunatè ſuperbum:

*Honeſta quædam ſcelera ſucceſſus facit.*

9\. Non ſpecto felicẽ temerè ſucceſſum, ſed Chriſtiani ſucceſſus meritum. *Grauant conſcientiam Chriſtiani quicquid afferũt blandimenta præconij.* Exinde vel opera quæ edidi, ſemper facio, nunquam feci: *tanquã inchoatâ ſemper arte & imperfectâ, vt contra iudiciorum varietates ſupereſſet artifici regreſſus ad veniã, velut emendaturo quicquid deſideretur. Ego planè meis adiici poſſe (detrahiq;) multa cõfiteor: nec his ſolis, ſed & omnibus quæ edidi, vt obiter caueã iſtos Homeromaſtigas.*

*Seneca Tragœd. in Hip. — S Ennod. l. 1. epiſt. 14. — Plin. in Præf. Hiſto. ad Veſp.*

Profectò

*Proximum ad innocentiam tenet locum, verecunda erroris confeſſio.*
Publ.Mim.
Philo de vita Moyſis.
*Doctrina non eſt tuenda more cauſidicorum.*
S.Ennod.l.2. epiſt. 1.
*Pœnitentia ſi non diluit, ornat.*
Idem l. 8. epiſt. 28.

Profectò *proximum ad innocentiam tenet locum verecunda peccati confeſſio.* Quiſquis ſic ad iudicium venit, interuenit. Deſcendam autem ad examen aut correctionem, *intactus à contentionibus veritatem quærens: nempè qui nihil præter eam admitto. Longè aliter quàm iſti, qui accepta ſemel qualiacumque dogmata obſtinatè defendunt, ſiue probata, ſiue improbata, more cauſidicorum mercenariorum, ius & æquum negligentium.* O quàm Chriſtianè pulchrum illud, & animi votis intentiùs expetendum! *Pœnitentia etſi in ipſo non inueniſſet quod dilueret, inuenerat quod ornaret: quæ quoties innocentibus datur, coronam pro humilitatis affectione conciliat.* Sat de more, magis quàm de neceſſitate cum ſciolis velitatum eſt: ergò *conſummatis congreſſionibus, de ira hæreditate nil remanet.*

## PROLEGOMENON III.

*Pro Commentario Litterali.*

### §. VIII.

*Huius libri inſcriptio elucidatur: & illius Auctor traditur.*

1. Serrar. Prædic. 1. in Eſter.

HÆc ſacra hiſtoria, quam elucidandam ſuſcepimus, in vulgatis Bibliis hanc habet inſcriptionem: *Liber Eſther.* Ab Hebræis autem ferè vocatur, *Volumen Eſther*, vt Serarius adnotauit. Olim tamen hac duntaxat epigraphe denotabatur, *Eſther*, vt habet Hieronymus epiſt. 105. Quod explicatius tradit epiſt. 140. aiens: *Ruth, & Eſther, & Iudith tantæ gloriæ ſunt, vt ſacris voluminibus nomina indiderint.* Huiuſce nominis *Eſther* interpretatio multimoda traditur infrà §. 53. n. 9. vbi etiam agitur de *Ediſſæ* nomine, ductu ſacri Hiſtorici cap. 2. verſ. 7.

S Hieron.

2. Quis autem fuerit auctor huius hiſtoriæ, quæ *Liber Eſther*, ſeu *Volumen Eſther*, ſeu abſolutè *Eſther* (quod perindè eſt) nominatur, variè ſentiunt Interpretes. Anniani Philo, Ioachimum filium Ieſu ſacerdotis, auctorem huius libri nominat. Reineccio facile fuit credere Pſeudophiloni perilluſtri mendaciorum architecto, qui ſub opinatiſſimo Philonis nomine veritati clanculum inſidiatur. Sed qua veroſimili coniectura, ſiue auctoritatis ſuffragio id probet, non curat. Saltem, vt conſtabit ex dicendis ad cap. 1. v. 1. §. 10. quiſnam fuerit Eſtheris Aſſuerus perſpicuum erit, hunc Ioachimum vità functum cùm accidit hæc hiſtoria. An frigida eius oſſa prophetarunt? an in Pſeudophilonis ore mendacium calet?

Pſeudophilo lib. 2.
Reinecc. to. 2. f. 275.
*Quis huius hiſtoriæ auctor fuerit.*

3. Nonnulli apud Euſebium in Chronico anno mundi 4734. Eſdram eſſe putant. Quæ ſententia placuit Auguſtino lib. 18. de Ciuit. cap. 36. & Iſidoro lib. 6. Orig. cap. 2. & quibuſdam Hebræis in lib. Bababathra cap. 1. Hæc ſententia magnis patronis auctorata, ideò minùs placuit Interpretibus, quia veroſimilius iudicant, poſt Eſdræ ætatem contigiſſe quæ in hac hiſtoria narrantur. Idcircò alij ſingularem nullum eſſe putant huius libri auctorem, ſed vniuerſum cœtum, aut Iudæorum Synagogam magnam ad quam Mardochæus litteras ſcripſit cap. 9. verſ. 20. & 29. Ita Rabbi Moyſes Gamius in lib. *Darche. Ieſchochon hocodeſch.* Quæ ſententia aliquâ ex parte vera eſt, vt ex dicendis conſtabit.

Euſebius.
Auguſt.
Iſidor.
Rabbini.



Et ſanè hoc litigium ex ipſo Eſtheris libro dirimendum eſt. Nam c. 9. v. 20. ipſe Mardochæus huius libri auctor videtur adſtrui: *Scripſit itaque*, ait, *Mardochæus omnia hæc: & litteris comprehenſa, miſit ad Iudæos.* Et c. 12. v. 4. *Rex autem quod geſtum erat, ſcripſit in commentariis: ſed & Mardochæus rei memoriam litteris tradidit.* Itaque certum eſt, Mardochæum (quippè qui rebus ſingulis interfuerat, & quarum pars magna fuit) rem totam ſcripſiſſe ad Iudæos & Synagogam magnam, vt feſtum Sortium celebrarent. Quod vt feliciùs perſuaderet, perſpicuum eſt, omnia ſigillatim, & ex ordine ſcripſiſſe. Exindè hanc ſententiam ferè omnes amplexi ſunt. Moyſes Hiſpanus, Rabbi Abenezra, Vatablus editionis Geneuenſis, qui in Salmanticenſi ait eſſe communem Hebræorum, Lyra, Dionyſius Cartuſianus, Ioannes Druſius, Sixtus Senenſ. lib. 1. Bibliothecæ ſect. 2. Cornelius hìc, Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 7. & de Scriptor. Eccleſ. in Eſther, Serarius in Prædic. 2. Sanctius Proleg. 1. Tirinus, Emanuel Sà, Menochius, Gordonus ibidem. Salianus an. mundi 3602. n. 7. Leander Prælud. 2. Euſebius Nierembergius lib. 10. de Orig. Sacræ Script. cap. 15. & apud eundem Fabianus Iuſtinianus; & innuit Chaldaïca paraphraſis apud Salianum ſuprà, quæ expreſsè non loquitur. Benè notant Serarius, Sanctius, Tirinus, & Euſebius, re communicata cum ipſa Eſthere, hanc hiſtoriam Mardochæum ſcripſiſſe, ipſamque non pauca narrationi inſeruiſſe. Quin & veroſimile eſt, ipſam quoque Eſtherem re etiam communicata cum patruo Mardochæo peculiarem ſcripſiſſe narrationem, quod non obſcurè cap. 9. tradunt Græci codices: *Et ſcripſit Eſther Regina filia Aminadab, & Mardochæus Iudæus quæ feciſſent, ipſámque confirmationem epiſtolæ Phurim.* Et ſanè cùm vtriúſque aut vna, aut duplex (aut fortè multiplex ad diuerſos) narratio, ad magnam Iudæorum Synagogam miſſa ſit, ſatis veroſimile apparet, Synagogam, quæ à regina Eſther, & patruo Mardochæo diuerſis epiſtolis narrata ſigillatim ſunt, vt illos rei benè geſtæ certiores facerent, eoſdémque incitarent ad inſtitutionem feſti Phurim, ſiue Sortium; in vnum volumen digeſſiſſe: aut ſaltem ſubtexuiſſe àdditiunculas, quæ felicem exinceps Iudæorum ſtatum ſubſecuta ſunt. Quod in aliis etiam ſacris Bibliorum voluminibus fieri ſolitum, in confeſſo eſt, & aliàs notabamus. De laciniis autem à c. 10. verſ. 3. quæ in Hebræo non habentur, & è Græcis codicibus exſcripſit Hieronymus, pleniùs diſſeremus §. ſequenti, & ſuis poſtmodum in locis.

4

Hic cap. 12. verſ. 4.
*Mardochæus cum Eſthere huius libri auctor.*
Rabbi Moyſ.
Abenezra
Vatablus.
Lira.
Carthuſ.
Druſius.
Sixt. Sen.
Cornelius.
Bellarm.
Serarius.
Sanctius.
Tirinus.
Emman. Sà.
Menoch.
Gordonus.
Salianus.
Leander.
Euſeb. Nier.
Iuſtinian.
Chaldæus.
Hic cap. 9. in Græco text.
*Magna Synagoga excludenda non eſt proriùs ab huius libri ſcriptione.*

### § IX.

*Quæ huius libri auctoritas? Qui Interpretes?*

HVnc Eſtheris librum, tanquam incertæ fidei & auctoritatis Anabaptiſtæ abiecerũt, 1.

Sixt. Senenſ. l.8.Biblioth.

apud Sixtum Senenſem. Lutherus, plures Caluiniſtæ; & aliæ ex hoc cœno ranæ idem coaxant, ſuſpicantes eſſe Tragicomœdiam, ſicut de Iudithæ hiſtoria hi de proprio cerebro conſultiſſimi cenſores iudicarunt.

*Canonica huius libri auctoritas.*

Et ſanè nouem priora capita vſque ad capitis 10. verſiculum 4. hiſtoriam canonicam continere validè probant P. Bellarminus l.1.de Verbo Dei c.7. & P. Serarius hic, è quibus reliqui armantur.

Bellarm. Serar.

Quod probant ex Rabbinorum ſcriptis, ex SS. Patrum ſuffragiis, & Conciliorum oraculis. Nec officit, quòd Melito Aſianus apud Euſebium, & Athanaſius in Synopſi, & Nazianzenus in carmine de genuinis Scripturis hunc librum Eſtheris extra canonem Scripturarum conſtituant: nam contrà ſtant reliqui ferè Patres, & diſertæ Conciliorum ſanctiones, & ceteri è Synoagoga, & Eccleſia Doctores, quos longa ſerie & accurata eruditione Bellarminus, & Serarius inibi recenſent. Id etiam iam iam dicendis & explicatiùs intelligetur, & firmiùs roborabitur.

Melito. S.Athanaſ. S.Nazianz.

2. Nonnulli librum quidem Eſther vſque ad capitis 10. verſiculum 4. inter ſacras Scripturas recenſent: ſed exindè ſeptem nimirùm poſtrema capita, quod in Hebraïcis textibus non habeantur, vera eius libri membra eſſe negarunt, & velut aliena, è reliquo corpore amputanda eſſe cenſuerunt. Quod ſubindicat Hieronymus in Præfatione ad hunc librum, & diſertè tradunt Lyranus, Dionyſius Richel, Hugo Carenſis, & Caietanus. Et hi quidem ante Concilium Trid. Poſt quod, Sixtus Senenſis lib.1.& 8.Bibliothecæ ſanctæ idem auſus eſt affirmare. Sed obſtat grauiſſimum diſertè oraculum Concilij Trid. quod ſeſſ.4.inter libros canonicos numerans librum Eſtheris, tandem ſubdit: *Siquis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in vetere vulgata Latina editione habentur, pro ſacris, & canonicis non ſuſceperit . . . . anathema ſit.* Euaſiones autem Sixti Senenſis eruditè præcludit noſter Bellarminus inibi, oſtendens *integrum* non manere librum Eſther, ſi hæ partes ab eo reſecentur. Nec valet, ſi dicas, Concilium loqui de veris partibus, non de additamentis. Porrò ſi, quia aliquandò dubitatum eſt de aliqua parte alicuius è ſacris Bibliis, ideò cenſetur additamẽtum; neque Danielis, neque Marci, neque Lucę, neque Ioannis libros *integros* recipere teneremur: nam de aliquibus eius partibus aliquandò dubitatum eſt.

S Hieron. Lyranus. Richel. Hugo. Caietanus. Sixt. Senenſ.

*Appendices etiam huius libri canonica ſunt.*

Conc. Trid. ſeſſ. 4.

Quòd verò in Eccleſia Catholica legi conſueuerint hæc poſtrema Eſtheris capita, manifeſtè ibi Bellarm. & Serarius demonſtrant. Vnde expurgatorius Index generalis Inquiſitionis Hiſpanæ editus anno Domini 1640. hæc ſcribi iubet ad Sixti Senenſis marginem, vbi præfatus Doctor agit de poſtremis Eſtheris capitibus: *Appendices iſtæ receptæ ab Eccleſia ſunt, & minimè computandæ inter apocryphas Scripturas, iuxta Decretum ſeſſ.4.* Hàc ſuper re legi poſſunt Bellarm. Serar. & Euſebius nuper allegati, qui aduerſariorum obiecta diluunt, & rem plena eruditione tractant. Siquid autem ex his poſtremis capitibus pugnare videatur cum prioribus, ſuis in locis commodiùs expediemus: item quis harum appendicum auctor cenſendus ſit, ne multa hìc crudâ & indigeſtâ mole congeramus præcoquâ feſtinatione.

Bellarm. Serarius. Index expurg.

3. Quinam extiterint huius libri Interpretes, diſſertè tradit Hieronymus epiſtola 112. quæ omninò legenda eſt ab eo qui volet hâc de re pleniùs erudiri. Itaque S.Hieronymus inibi fatetur ſua ætate varias circumferri tranſlationes cùm Latinas, tum Græcas; ipſe autem *de archiuis Hebræorum, librum iſtum releuans*, (ſic habet nouiſſima Hieronymi editio, non *reuelans*) *verbum è verbo tranſtulit expreſſius.*

*Huius libri tranſlationes.*

Nimirùm Hieronymus ex Hebræa origine librum hunc plana fide verbo tenus tranſtulit, Latinúmque fecit: & quoniam in Hebræorum archiuis tantùm reperit vſque ad capitis 10. verſiculum 4. reliqua exinceps tanquam huius hiſtoriæ appendices ſeu lacinias non omiſit: vnde ſexdecim omninò capita ſcripſit. (Quæ omnia capita cum omnibus ſuis partibus indubiam habere certitudinem fide ſanctam n. 2. oſtendimus) Inibi Hieronymus editionis illius vulgatæ meminit. Hanc Græcam editionem vulgatam eſſe tranſlationem ſeptuaginta Interpretum, quidam ſuſpicantur: nam in Hieronymi obſeruatiuncula ad c. 10. editionis vulgatæ (Græcæ quidem) mentionem facit, è qua appendices tranſtuliſſe ſatetùr, quod apertiùs inſinuat in præfatæ epiſtolæ fine. Quænam fuerint aliæ tranſlationes Latinæ Græcæve, præter hanc vulgatam editionem LXX. Interpretum, non tradit Hieronymus. Qui ſæpè in obſeruatiunculis ad appendices præmonet, ea quæ ſuperaddit tantùm in editione vulgatâ reperiri, quaſi ſaltem aliqua ex his quæ addiderat, in aliis tranſlationibus ſcripta non repererit. Præter hanc Hieronymi ex Hebræo tranſlationem, extat Sixtiana editio LXX. interpretum, quæ plenè non conſentit cum editione, cuius meminit Hieronymus, ſicut nec Græca tranſlatio Complutenſis & Regia. Extat etiam ex Hebræo Pagnini & Vatabli, & Chaldaïca paraphraſis. Hæc Eſtheris hiſtoria traditur etiam à Flauio Ioſepho (vt Horionem omittam) lib.11. Antiquit.

Sixtiana editio LXX. Interpr.

Bibl. Cõplut. & Regia. Pagninus. Vatabl. Chaldæus.

Neque adducar vt credam Sixto Senenſi, has lacinias magna ex parte tranſcriptas eſſe à Hieronymo ex Ioſepho, apud quem extat exemplum litterarum Aman, & epiſtolæ regis Artaxerxis. Et cur non veroſimiliùs putabitur Ioſephus tranſcripſiſſe hiſtoriam Aſſueri & Eſtheris, ex Bibliorum exemplaribus, qui fuit ipſius labor, & quem ſe præſtiturum fideliter, ſæpè pollicetur? Audiendus eſt lib.10. Antiquit. cap.12. *In ipſo hiſtoriæ meæ principio propter eos, qui quæſtionem faciunt, aut in aliquo culpare nituntur, adſtruxi dicens, tranſlaturum me libros Hebraicos in eloquium Græcum: & hos volentibus aperire, neque adiicere me aliquid ſeorſim, neque ſubtrahere me promittens.* Vnde ſuſpicatur Bellarminus has lacinias quæ in Hebræo Hieronymus non reperit, & aliqua ex parte in Ioſepho leguntur, ex Hebraïco textu forſan excidiſſe. An verò Lyſimachus Ptolomæi filius, c. 11. tranſtulerit, inibi dicetur, §.250. n.2.

Ioſeph.

Bellarm. ſuprà.

Et ſanè hæc Aſſueri & Eſtheris hiſtoria, & à multis. & multimodè ſcripta eſt. 4.

Primò Mardochæus illam compoſuit, vt habetur c.9.verſ.20. *Scripſit itaque* (ait) *Mardochæus omnia hæc; & litteris comprehenſa miſit ad Iudæos* Item c.12.ver. 4. *Rex autem quod geſtum erat, ſcripſit in commẽtariis: ſed & Mardochæus rei memoriã litteris tradidit*: En Mardochæus hanc Eſtheris & Aſſueri hiſtoriã & epiſtolariter ſcripſit ad Iudæos, vt illos admoneret diuinæ prouidentiæ erga Hebræã gentem, alliceretque ad inſtitutionem feſti Phurim, id eſt, Sortium: & ſimul rei geſtæ memoriam

Eſth.9 v.20. & c.12. v.4.

*Multimodè hæc hiſtoria deſcripta eſt à Mardochæo, & Eſthere.*

memoriam hiſtoricè tradit: Ad hæc veroſimile eſt (vt plures obſeruarunt) præfatos *commentarios* in Perſarum archiuis adſeruandos, conſcriptos etiam fuiſſe ab eodem Mardochæo: hic enim oculatus teſtis, & fidus arbiter rei geſtæ fuerat, eruditione illuſtris, & rei ſummæ præfectus. Quin & in cap. 9. in Græcis codicibus

*Eſth. c. 9 in Græco tex.*

dicitur: *Et ſcripſit Eſther regina filia Aminadab, & Mardochæus Iudæus quæ feciſſent, ipſámque confirmationem epiſtolæ Phurim.* Itaque multimodè hæc Eſtheris & Aſſueri hiſtoria conſcripta eſt, & epiſtolariter, & hiſtoricè, & ab Eſthere, & à Mardochæo: in aliis narrationibus breuiùs: in aliis longiùs, exactiùs, & prolixiùs. Saltem credibile non eſt, in annalibus Perſicis deſcriptas eſſe deuotiſſimas orationes Eſtheris & Mardochæi, & alia quæ Perſæ minùs curarent, minúſque rei Perſicæ intererant. Ergò vt (non inidoneè, opinor) philoſophati ſumus de auctore libri Tobiæ, in noſtris

*Auctor in Tobiã §. 12.*

Commentariis nuper in lucem editis, §. 12. ſic procliue eſt cenſere de auctore libri Eſther. Ibi enim ſuſpicabamur Tobiam ſeniorem, & iuniorem diuerſos edidiſſe illius hiſtoriæ commentarios; & ex alterutro Græcos codices, ex altero Vulgatum fuiſſe conſcriptum: ſic etiam Hieronymus Hebraïcam Eſtheris narrationem nactus eſt ex his breuiorem; Flauius Ioſephus vberiorem, è quâ Græci codices, è quibus (teſte Hieronymo) præfatæ appendices mutuatæ ſunt, copioſiùs exundarunt. Hæc in re obſcura, & in qua coniecturis potiùs agendum eſt, veroſimilia mihi videntur, donec veroſimiliora inueniam. Fateor Perſicos commentarios huius hiſtoriæ eam non habere auctoritatem, vt in catalogum Scripturarum cenſeri potuerint: at

*Vnde mutuata ſint huius hiſtoriæ appendices.*

eoſdem commentarios, vt potè à Mardochæo conſcriptos, aptéque conſentientes cum his quæ ipſe Mardochæus & epiſtolariter, & hiſtoricè compoſuerat, & quæ Eſther ſcripſerat; pronum eſt credere à magna Iudæorum Synagoga approbatos fuiſſe. Nec adducar, vt aſſen-

*Sanct.*

tiar Sanctio exiſtimanti, has Eſtheris lacinias ex iſtiuſmodi annalibus deſumptas; imò potiùs (ſi coniecturæ hac in re aliquid eualent) ſuſpicari liceat, ipſam quam in Vulgato habemus Eſtheris hiſtoriam vſque ad appendices, ex Perſarum archiuis mutuatas, & à Synagoga approbatas fuiſſe: lacinias autem huic narrationi ſubſcriptas, ex aliis narrationibus, quæ Mardochæus & Eſther conſcripſerunt expromptas. Nam (vt nuper obſeruauimus) veroſimile non eſt in ſecularibus Perſici imperij annalibus deuotiſſimas illas Eſtheris & Mardochæi precationes potiùs deſcriptas fuiſſe, quàm in Iudæorum relationibus.

*Huius libri Expoſitores. Caſſiod.*

5. Quod verò ad libri huius expoſitores attinet, eſt apud Caſſiodorum lib. 1. diuin. lect. 3. Bellator, item Rupertus lib. 8. de Victor. Verbi, Rabanus Maurus quoad allegoriam, Lyranus, Hugo Carenſis, Dionyſius Richel, Cardinalis Caietanus, Franciſcus Feuardentius, noſter Nicolaus Serarius, Gaſpar Sanctius, Cornelius à lapide, Emanuel Sa, Ioannes Mariana, Iacobus Tirinus, Stephanus Menochius, Iacobus Gordonus, Iacobus Salianus tom. 5. ann. m. 3602. de cuius ingenij limâ, Eſtheris hiſtoria mirè ſplendet. His accedit Hebraïcus *Peruſch*, ſiue *expoſitio*, auctore Laone, ſeu Rabbino Eliſà Gelico, Ioſephus Gorion, & Flauius Ioſephus, hîc lib. 11. Antiq. cap. 6. ille editionis Cracouienſis lib. 1. cap. 4. & editionis Baſileenſis lib. 2. cap. 1. Et de Mardochæo, Chriſti figura, plura nunc ſcripturit noſter Didacus de Baeſa, polito vir ingenio, & ſubtili eruditione locu- *P. Leander de Murcia.*
ples. Et nunc P. Leander è ſacro Capucinorum Ordine, luculentum commentarium litteralem ac moralem adornauit.

6. Quis fuerit hic Eſtheris Aſſuerus, dicemus §. 10. Et ex ibi dicendis liquidò conſtabit quo tempore hæc hiſtoria acciderit.

*Quo modo hæc hiſtoria digeſta.*

Denique obſeruare oportet in hoc commentationis veſtibulo, quòd inter Latinos & Græcos codices non leue diſcrimen eſt. Latini in ſedecim nihilominùs capita hanc hiſtoriam digerunt; Græci verò decem duntaxat numerant: neque ideò minùs habent Græci, quàm Latini habent. Nam Hieronymus, vt quæ in Hebraïcis codicibus tantùm inuenit, merè & ſincerè exſcriberet, ea ſeparauit ab his quæ in Græcis codicibus duntaxat reperta ſunt, & in ſeptem poſteriora capita reiecit: Græci autem in illis decem capitibus illa omnia ſuo loco, rerum geſtarum ſeruato ordine, poſuerunt. Nos autem in hoc commentario vulgatæ editionis ordinem ſequemur; notabimus autem cui ex præcedentibus capitibus loco congruat, quod ex attextis laciniis expoſuerimus, quod doctrinæ ordini, & temporum rationi non exiguam lucem accendet. Hæc rerum geſtarum perturbatio, & eiuſdem rei aut ſuccinctior, aut prolixior repetitio, & in propria loca neceſſario confuſanea (quantumuis in digeſtam perſpicuitatem impenſius adnitamur) diſtributio, in cauſſa fuit diuturnæ cunctationis in his edendis commentariis. Sed fides audacioris piè promiſſi tandem fideliter ſoluenda eſt, & excuſſis pigræ cunctationis vinculis, Eſther Iudithæ æmula, rudi ſoloce meæ tenuitatis amicta, in lucem prodit. Vmbras de meo offundo, quibus tantæ heroïnæ fulgores præniteant. Sed (vt in veteri prouerbio dicitur) *Multa vident pictores in vmbris.*

*Totius hiſtoriæ argumentum, & allegoria.*

7. Argumentum huius libri eſt depreſſio Vaſthi & Aman: exaltatio Eſtheris & Mardochæi: & Hebræi populi liberatio. Allegoricè Chriſtus per Aſſuerum: B. Virgo Deipara, vel Eccleſia per Eſtherem: pij euiuſque anima per Mardochæum: Diabolus, mundus, caro per Vaſthi, & Amanum. Quâ de re conſulendus eſt Hieronymus epiſt. 112. P. Caniſ. lib. 1. de B. Virg. c. 2. & lib. 5. c. 23. P. Martinus del Rio in Florid. Mar. in feſto Aſſumpt. Ergò his pauculis neceſſariò prælibatis, quod felix fauſtúmque ſit, commentationem auſpicemur.

*Hieron. Caniſius. Del Rio.*

# ESTHER
## ILLVSTRIS PERPETVO
## COMMENTARIO LITTERALI
## ET MORALI.

## SYNOPSIS CAP. I.

*Rex Aſſuerus, qui & Artaxerxes Longimanus Perſarum rex ad opum, potentiæ, & gloriæ ſuæ oſtentationem toto ſemeſtri ſplendidiſſimum inſtruxit conuiuium, in quo nihil ad copiam, ad elegantiam nihil deſiderari poterat. Ad quod vt ille primarios regni viros, ſic regina Vaſthi heroïnas inuitauit. At Vaſthi accerſita à Rege, vt ipſius venuſtatem omnibus oſtenderet, venire recuſauit; quod Aſſuerus adeò moleſtè tulit, vt ſeptem Principum legitimo conſilio euocato, repudiata ſit, & è regni faſtigio eiecta.*

## CAPVT I.

1. IN diebus Aſſueri, qui regnauit ab Indiâ vſque Æthiopiam ſuper
centum viginti ſeptem prouincias: 2. quandò ſedit in ſolio re-
gni ſui, Suſan ciuitas regni eius exordium fuit. 3. Tertio igitur
anno imperij ſui, fecit grande conuiuium cunctis principibus, &
pueris ſuis, fortiſſimis Perſarum, & Medorum inclytis, & præfe-
ctis prouinciarum coram ſe, 4. vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, ac
magnitudinem, atque iactantiam potentiæ ſuæ, multo tempore, centum vi-
delicet & octoginta diebus. 5. Cùmque implerentur dies conuiuij, inuitauit
omnem populum, qui inuentus eſt in Suſan, à maximo vſque ad minimum:
& iuſſit ſeptem dierum conuiuium præparari in veſtibulo horti, & nemoris, quod
regio cultu, & manu conſitum erat. 6. Et pendebant ex omni parte tentoria aërei
coloris, & carbaſini ac hyacinthini, ſuſtentata funibus byſſinis, atque purpureis,
qui eburneis circulis inſerti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli
quoque aurei & argentei, ſuper pauimentum ſmaragdino & pario ſtratum lapide,
diſpoſiti erant: quod mira varietate pictura decorabat. 7. Bibebant autem qui
inuitati erant, aureis poculis, & aliis atque aliis vaſis cibi inferebantur. Vinum
quoque vt magnificentia regia dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur.
8. nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, ſed ſicut rex ſtatuerat, præpo-
nens menſis ſingulos de principibus ſuis, vt ſumeret vnuſquiſque quod vellet.
9. Vaſthi quoque regina fecit conuiuium feminarum, in palatio, vbi rex Aſſuerus
manere conſueuerat. 10. Itaque die ſeptimo cùm rex eſſet hilarior, & poſt
nimiam potationem incaluiſſet mero, præcepit Mauman, & Bazatha, & Harbo-
na, & Bagatha, & Abgatha, & Zethar, & Charchas, ſeptem eunuchis, qui in con-
ſpectu eius miniſtrabant, 11. vt introducerent reginam Vaſthi coram rege,
poſito ſuper caput eius diademate, vt oſtenderet cunctis populis, & principibus
pulchritudinem illius: erat enim pulchra valde. 12. Quæ renuit, & ad regis im-
perium, quod per eunuchos mandauerat, venire contempſit. Vnde iratus rex, &
nimio furore ſuccenſus, 13. interrogauit ſapientes, qui ex more regio ſemper ei
aderant, & illorum faciebat cuncta conſilio, ſcientium leges ac iura maiorum

(14. Erant

(14. Erant autem primi & proximi, Charſena, & Sethar, & Admatha, & Tharſis, & Mares, & Marſana, & Mamuchan, ſeptem duces Perſarum atque Medorum, qui videbant faciem regis, & primi poſt eum reſidere ſoliti erant) 15. cui ſententiæ Vaſthi regina ſubiaceret, quæ Aſſueri regis imperium, quod per eunuchos mandauerat, facere noluiſſet. 16. Reſpondítque Mamuchan, audiente rege atque principibus: Non ſolùm regem læſit regina Vaſthi, ſed & omnes populos, & principes, qui ſunt in cunctis prouinciis regis Aſſueri. 17. Egredietur enim ſermo reginæ ad omnes mulieres, vt contemnant viros ſuos, & dicant: Rex Aſſuerus iuſſit vt regina Vaſthi intraret ad eum, & illa noluit. 18. Atque hoc exemplo omnes principum coniuges Perſarum, atque Medorum paruipendent imperia maritorum: vnde regis iuſta eſt indignatio. 19. Si tibi placet, egrediatur edictum à facie tua, & ſcribatur iuxta legem Perſarum atque Medorum, quam præteriri illicitum eſt, vt nequaquam vltra Vaſthi ingrediatur ad regem, ſed regnum illius, altera, quæ melior eſt illa, accipiat. 20. Et hoc in omne (quod latiſſimum eſt) prouinciarum tuarum diuulgetur imperium, & cunctæ vxores tam maiorum, quàm minorum, deferant maritis ſuis honorem. 21. Placuit conſilium eius regi, & principibus: fecítque rex iuxta conſilium Mamuchan, 22. & miſit epiſtolas ad omnes prouincias regni ſui, vt quæque gens audire, & legere poterat, diuerſis linguis, & litteris, eſſe viros principes ac maiores in domibus ſuis: & hoc per cunctos populos diuulgari.

---

## §. X.

### *Commentarius litteralis.*

*Verſ.* 1. In diebus Aſſueri, qui regnauit ab India vſque Æthiopiam ſuper centum viginti ſeptem prouincias.

1. HEBRÆVS textus, *Et fuit in diebus*, &c. *Vau* & Hebræis non ſemper copulatiua vox eſt, ſed ſermonis initium, qui eſt genuinus linguæ idiotiſmus, ſæpè à nobis alias denotatus. Hebraïcæ tranſlationes pro *Aſſuero* habent, *Ahaſueros*, vel *Achaſuero*; Chaldaïca paraphraſis, *Abhaſueros*; alij *Aſchaſueros*; Græcæ autem exſcriptiones, *Artaxerſes*. Opportunè notat Iacobus Tirinus in Idiotiſmis linguæ Hebrææ & Grææ, § 19. quòd ſæpè nomina propria Hebræa cùm in aliam linguam transferuntur, ita mutantur, vt vix eadem eſſe videantur, maximè cùm Interpretes ad aliud etymon ſuæ linguæ adludunt. Sic qui Hebraicè & Chaldaicè vocatur *Achaſueros*, (id eſt, magnum caput, ſeu magnus capitaneus) & Latinè *Aſſuerus*, Perſicè nominatur *Ochoſuarſes*, *Oxoarſes*, *Xerxes* (id eſt, bellator) *Axurſes*, *Artaxerxes* (id eſt, magnus bellator, teſte Herodoto) Græcè verò *Oxyares*, id eſt, acer Mars. Idem ergo eſt, qui *Aſſuerus* dicitur, & qui *Artaxerſes* nominatur. Quis autem fuerit hic Aſſuerus, qui & Artaxerxes Perſarum Rex, & Eſtheris maritus; Interpretes, Chronologi, & Hiſtorici diu certant, & nemo litem hactenùs compoſuit.

*Aſſuerus idem eſt, ac Artaxerxes, id eſt, magnus Capitaneus.* Tirin. Herodot.

2. Dubium non eſt quin nomen Aſſueri ſeu Artaxerxis Regem Medorum atque Perſarum denotet: hi enim his nominibus inſigniti ſunt; non reges Chaldæi, qui Nabuchodonoſoris vocabulo denotantur: ſicut Ægyptiorum reges nominabantur Pharaones, & Medorum Arpacadi, & Romanorum Cæſares. Ergo vt perſpicaciùs inueniri poſſit, quis ſit hic Aſſuerus, ſeu Artaxerxes Perſarum rex, reges Perſarum ſubiiciam, ex quo tempore capta Babylone, & occiſo Balthaſare, Chaldæis, Aſſyriis, Medis, & Perſis imperarunt, & Monarchæ eſſe cœperunt, quæ Perſica Monarchia per ducentos annos, hos Reges numerat. Cyrus filius Cambyſis Perſæ, & Mandenes filiæ Aſtyagis regis Medorum, regnauit quidem totis triginta annis; ſed poſt exciſam Babylonem, cum Dario annum vnum; ſolus annis ſeptem. Cambyſes eius filius totidem annis imperauit. (omitto Magum eum fratre ſex ſeptémve menſes regnaſſe, falſato Smerdes vocabulo) Darius Hyſtaſpis filius, imperauit annis triginta ſex, ſeptémve. Dein Xerxes eius filius annis viginti. (omitto Artabanum qui occiſo Xerxe imperium obtinuit menſibus ſeptem) Artaxerxes Longimanus Xerxis filius occiſo Artabano regnauit annis quadraginta, (omitto etiam Xerxem alium, & Sogdianum, qui pauculos menſes imperarunt) Darius Nothus annis nouendecim. Artaxerxes Mnemon annis quadraginta tribus. Artaxerxes Ochus annis viginti tribus. Arſes annis tribus, quatuórve. Darius annis ſex. Qui ſeptimo anno ab Alexandro Macedone victus, imperio ſpoliatus, Perſicæ Monarchiæ finem impoſuit. Hæc ferè ex Bellarmino, Tirino, & aliis exſcripſimus, qui hac ſuper re accuratiùs. Facta eſt ſupputatio annorum, quibus regnauerunt, quoniam id valdè facit, vt internoſcatur quiſnam fuerit hic Aſſuerus ſeu Artaxerxes Eſtheris maritus. Octo ergò circumferuntur opiniones. Prima adſtruit fuiſſe Aſtyagem, patrem Darij Medi, qui vno anno cum Cyro regnauit; ſed anteà Medis diu regnauerat. Ita Gerardus Mercator in Chronologia. & Mariana Lanſelij in cap. 11. verſ. 2. Secunda ipſum Darium Medum Aſtyagis filium. Ita Cedrenus fol. 97. & 117. Harum opinionum alterutram ſuſcipiendam cenſuit Melchior Canus lib. 11. de locis, cap. 6. Ego neutram putauerim, ſed vtrámque omninò reiiciendam. Porrò Eſtheris Aſſuerus centum viginti ſeptem prouinciis regnaſſe dicitur, ab India vſque ad Æthiopiam. quod neque Aſtyagi Medo nec Dario Perſæ conuenire poteſt; cùm tantùm Mediæ aut Perſidis reges tam

*Recenſentur omnes Perſici imperij Monarchæ.* Bellarm. in Chronol. Tirinus in Chron. c. 37. *Nec Aſtyages, nec Darius Medus fuit Eſtheris maritus.* Mercator. Mariana. Cedrenus. Canus.

tam amplum imperium non poſſederint quovſque poſteà Chaldæorum & Aſſyriorum Monarchiam Perſico, Medióque regno adſociarunt occiſo Balthaſare. Aſtyages autẽ, & hic Darius ante exciſos Chaldæos, & Aſſyrios regnarũt, tametſi Darius vno duntaxat anno ſuperuixerit Chaldæorũ excidio, quod nihil ad rem proficit. Dein Iudæi capti fuerunt à Nabuchodonoſore rege Chaldæo: vnde ſuperſtite Chaldæo imperio, in Suſianâ & Perſide Iudæi nunquam habitarũt, ſed in Babyloniâ, regionibuſque Chaldæo regi ſubiectis. Quod autem Perſis & Media Chaldæis Imperatoribus ſubiecta non eſſent, & tradit Xenophon lib. 2. & 3. & ex vtraque eruditione liquidò conſtat: Darius enim Medus, & Cyrus Perſa, occiſo Balthaſare vltimo Chaldæorum rege, Chaldæum & Aſſyrium imperium, ad Perſicum tranſtulere. Quomodo ergò ante Babylonis excidium, ſub hoc Dario Medo (etſi Aſſuerus nuncupetur) Mardochæus cum tot Iudæis, Suſis tunc habitabant? vt habetur in hoc Eſtheris lib. c. 2. verſ. 5. & cap. 1. in Græcis codicibus. Poſtquam autem vni Perſarum regi omnes iſtæ regiones parere cœperunt, facile fuit Mardochæo & concaptiuis aliis illò migrare: nam vtrobique eidem Imperatori parebant. Præthereà cap. 16. ſcribitur, quòd hic Aſſuerus veritus eſt ne Amã gente & animo Macedo, Perſarum imperium ad Macedonas transferret: at Macedonum regnum tunc erat obſcurum, nec terrori fuit Perſis, niſi poſt ducentos ferè annos, ſub finem Philippi patris Alexandri magni, vt teſtatur Iuſtinus lib. 6. & Diodorus lib. 17. Plures alias rationes aduerſus vtramque ſententiam vibrant Bellarminus lib. 1. de verbo Dei, cap. 7. & Serarius in 2. p. 1. cap. q. 3. cui Bellarmini argumenta non valdè adrident. Fateor, quòd ſi alterutra ex his opinionibus veroſimilis mihi foret, non inidoneè componeret annos Mardochæi, etſi ipſe cum rege Iechoniâ captiuus in Babylonem ductus ſit, vt inſinuare videtur hæc hiſtoria: tunc enim Mardochæus foret ſeptuagenarius: nam licèt duodennis aſcenderit, cùm Aſtyages, & Darius Medus ante ſeptuaginta annos exactæ captiuitatis Babylonicæ regnauerint, fit vt Mardochæus circiter ſeptuagenarius tunc fuerit, quæ non videtur inidonea admodum ætas Reipublicæ adminiſtrandæ. Qui verò his poſteriores Reges conſtituunt, non facilè hunc nodum extricant; etſi, me iudice, haud difficulter expediatur. Neque enim adducar, vt aſſentiam his qui ducentos ætatis ſuæ annos, aut centum ſeptuaginta quinque, vt minimùm Mardochæo tribuunt, cùm Amano deiecto rem Perſicam adminiſtrare cœpit à Rege ſecundus.

Xenoph.

Eſther c. 1. & 11.

Iuſtinus
Diodorus.

Bellarm.
Serar.

3.
*Cambyſes nõ fuit Eſtheris maritus.*

Tertia ſententia Cambyſem Cyri filium, affirmat eſſe hunc Eſtheris Aſſuerum; ita Rabbini in Seder, Lyranus, Vatablus ſubobſcurè, & Genebrardus in Chronico, Cerda Benedict. in Iudith, Academ. 3. liter. num. 38. Contra quos validum eſt argumentum, quod nemo non vibrat. Porrò Cambyſes octo ad ſummum annos regnauit, & à Perſide toto ferè imperij ſui tempore abſuit: quomodo ergo *duodecimo anno regni ſui*, tantam perniciem Iudæis in vrbe Suſis ſtruebat? Ad hæc Cambyſes Iudæis infenſus dicitur 1. Eſdræ 4. & inchoatam templi fabricam prohibuiſſe: at hic Aſſuerus aliquandò infenſus de Amani technis, ſed poſteà valdè propitius & beneficus. Dein ſi apud Cambyſem tanta pollebat gratia Eſther, tantâ Mardochæus, quomodo nuſquam leguntur petiuiſſe, aut impetraſſe, ne prohiberetur inchoati templi fabrica, qua re nil charius, nil Hebræis optabilius?

Cerda Benedict.

Eſth. 3. v. 7.

1. Eſdræ 4.

Quarta Darium Hyſtaſpis filium mauult, qui fuit tertius Perſarum monarcha. Ita Magaſthenes, Ammianus, Rabbi Salomon, Henricus Samerius in ſuâ Chronologiâ, Ioannes Benedictus in Notis Biblicis, Lyranus hîc, Feuardentius in Commentario, Iacobus Tirinus inibi, Cornelius, Euſebius Nieremb. Strom. 14. lib. 1. & 2. & Leander à Murcia. Probat Tirinus ex 3. Eſdræ 3. verſ. 1. & 2. vbi quod hîc de amplitudine imperij Aſſueri dicitur, idem prorsùs totidem verbis de Dario Hyſtaſpis affirmatur. Dein quia Dario Hyſtaſpis ſoli ab Herodoto tribuitur ſubactio Indorum. Ad hæc quòd c. 16. v. 16. huius libri Aſſuerus hîc agnoſcat, beneficio Dei Iſraëlis traditum ſibi, ſuiſque maioribus. & conſeruatum regnum, optimè conuenit cum voto quod fecit Deo cæli Darius Hyſtaſpis, vt obtineret regnum 3. Eſdræ 4. v. 43. & narrat Ioſephus, & ad amuſſim quadrat cum edicto eiuſdem Darij de inſtaurando templo Ieroſolymitano 1. Eſdræ 6. Denique ex ætate Mardochæi hîc cap. 2. v. 6. qui alioqui nimis longæuus, & multò maior centenario fuiſſet. Hæc ſententia reliquis hactenùs relatis meritò præferenda eſt, nam in Darium Hyſtaſpis ea quadrant, quæ Tirinus adducit, & priùs Serarius addenſaucrat. Illud in opinione Tirini, & Cornelij incommodat non parum, quòd ſcilicet Mardochæum nimis longæuum facit, cùm rei Perſicæ adminiſtrandæ pondus ſuſcepit Aſſueri gratiâ. Porrò ſi Mardochæus captiuus abductus eſt cum rege Iechoniâ, vulgò putatur duodennis: adde ſeptuaginta annos captiuitatis. Dein cùm Cyrus ſoluerit captiuitatem initio anni 1. vt habetur 2. Paralip. vlt. & 1. Eſdræ 1. v. 1. reſtant ſex anni imperij Cyri; & Cambyſis eius filij octo anni. Smerdis Magi, & moræ de eligendo Perſico Imperatore, aut conſtituendâ Ariſtocratiâ, ſtatuitur annus vnus. Denique ſi hic Darius eſt Aſſuerus, anno duodecimo regni ſui, necdum Mardochæum exaltauerat. Hæc autem annorum ſumma nimis longæuam Mardochæi ætatem arguit, nempe vltra centenarium. Planè annoſus nimis, vt tanti imperij adminiſtrandi onus ſuſtinere inciperet, præſertim poſt quingentos, & eo ampliùs annos à Dauide, apud quem octogenarius quaſi iam inutilis cenſebatur. Hoc argumentum quod Tirinum vrget, & fruſtrà eludere tentat, neque hanc, neque noſtram ſententiam labefactat, ſi modò Mardochæus non in ſe, ſed in ſuis parentibus duci captiuus dicatur, vt infrà num. 11. adſtruetur. Dein hic Aſſuerus ait cap. 16. v. 16. quòd regnum ipſi, ac parentibus eius à Deo traditum eſt. Quis autem neſciat, Darium Hyſtaſpis non paterno iure, ſed de auſpicij incerto regnum obtinuiſſe, cùm ipſe eſſet ex Optimatibus regni quiſpiam? Ergò Perſicum ſceptrum non parentibus eius, ſed ipſi traditum eſt. Ad hæc in hâc ſententiâ difficile eſt, quòd ſub hoc Aſſuero Hieroſolymitanum templum iam extructum legatur, vt habetur cap 14. v. 9. *Volunt* (ait Eſther) *tua mutare promiſſa, & delere hæreditatem tuam . . . . atque extingue*

4.
Magaſth.
Ammian.
Rabbi Salo.
Samerius.
Ioan. Bened.
Lyranus.
Feuardent.
Tirinus.
Cornel.
Eſth 3. v. 1.
Euſeb.
Leander hîc Commẽt. 2. Sect. 1.
*Darius Hyſtaſpis nõ fuit Eſtheris maritus.*

3. Eſdræ.
Ioſephus.

Eſth 2.

1 Paralip.
1. Eſdr. 1.

Eſther 14.

*extinguere gloriam templi & altaris tui*. Perſpicuum autem eſt, quòd anno duodecimo regni Darij Hyſtaſpis, templum & altare extructum non erat. Item cap. 16. v. 14. eò tendere

Esther 16.

Amani inſidias affirmat Aſſuerus, *vt regnum Perſarum transferret in Macedones*: at ſub Dario Hyſtaſpis, à Macedonum regibus tunc obſcuris nihil metuendum erat, vt ex profanâ eruditione liquidò conſtat. Neque veroſimile eſt, Amanum, vel ad ſe, qui gente Macedo, vel ad Macedonum regem, poſſe imperium Perſarum transferre, expulſo Dario Rege in paucis ſtrenuo, & reluctantibus Perſarum Satrapis; niſi validè à Macedonibus adiutus; quod fecit Cyrus jam Mediæ & Perſidis rex cùm Chaldæum regnum Perſico ſociauit, excuſſo Bal-

Tirinus.

thaſare. Et ſanè non iuuat Tirinum pugnantem pro Dario Hyſtaſpis, quòd inter eius vxo-

Herodotus. Scaliger.

res, ab Herodoto lib. 7. numeretur *Artiſtona*: Sicut nec Scaligerum decertantem pro Xerxe, vxor *Ameſtris*. Nam vtraque cum Eſtheris nomine ſimilitudo adeò eſt exigua, vt potiùs non omnimoda diſſimilitudo ſit. Adde, quòd vtriuſque & parentes, & mores in Eſtherem non quadrant.

5. Genebrard. Druſus. Scaliger.

Quinta Xerxem Darij filium Eſtheris maritum facit. Ita Pineda de rebus Salomon. lib. 1. cap. 7. num. 2. Genebrardus, Ioannes Druſus in cap. 2. Eſther, plures Sectarij, ſed præcipuè Scaliger lib. 6. de emendat. temp. & in Euſeb. qui ſola vocabuli enodatione pugnat, Xerxem trahens è viſceribus Aſſueri, ſiue *Achaſueros*. In quâ grammatica (ait Salianus) ita ſibi

Salianus ann. m. 3550. n 5.

placet, vt non ſolum arguat Græcum interpretem, qui Hebræam vocem non verterit Aſſuetum, Oxyarem, aut Xerxem, ſed plumbeos

*Xerxes non fuit Eſtheris maritus.*

etiam eſſe dicat, imò & aſinos, & cerritos, qui alium regem ſub hoc nomine Hebræo hariolantur; nec poſſe habere aliquid hominis, qui rei tam manifeſtæ refragentur. Vides exemplum hæreticæ modeſtiæ, Caluini vt catulum facilè agnoſcas. Nec videt pro aureo illo ſuo acumine, quòd nos plumbei tamen agnoſcimus, non ſatis eſſe conſentire nomina, ſi res ipſa aut tota, aut magnâ ex parte diſſentiat. Itaque licet Aſſuerum in equuleum tollat, vt inde Xerxem extundat, atque exprimat, nihilominùs verſat *ſaxum ſudans nitendo, nec proficit hilum*, niſi vt omnes agnoſcant hominis intemperantiſſimæ linguæ petulantiam, qui procacium inſtar feminarum, cùm ratione careat, repugnantes abſterrere maledictis, atque abi-

Capellus ann. m. 3522. Serarius. Salianus. Eſther 2. Serarius.

gere à ſe contendat. Eum refutat etiam Capellus, licèt ex eodem Caluini grege ſectarius Porrò (vt ex Serario arguit Salianus) Eſtheris Aſſuetus anno ſexto & ſeptimo in ſuâ patriâ ſuóque in palatio Suſis morabatur, cap. 2. verſ. 15. & 16. Xerxes autem in Græciæ expeditione verſabatur: nam anno imperij ſui ſexto Sardes venit, vbi & hyemauit anno ſeptimo, traiecit Helleſpõtum, & pugnauit apud Termopylas, & anno nono Sardibus manſit. De quo eruditè Serarius q. illâ 3. Item Xerxes princeps infeliciſſimus fuit, turpi fugâ & infamiâ notus, atque aduerſariorum victoriis fractus, & multis prouinciis imminuto imperio, à ſuis & exteris contemptus. At Eſtheris Aſſuerus magnâ inclytus gloriâ perhibetur; quippè cui proſpere & ex voto cedebant omnia, vt in hâc hiſtoriâ oculis videre licet. Conſule Herodotum lib. 7. Sabellicum Æneade 3. Diodorum lib. 15. & vide ſiquid forte quæ de Xerxe ſcribunt, aliquâ

Sabellicus. Diodorus.

ſaltem ex parte conſentiant cum his, quæ ſacer Hiſtoricus de Aſſuero commemorat. Tres ergò ſuperſunt Artaxerxes, nempe Longimanus, Mnemon, & Ochus, è quibus aliquem eſſe Eſtheris maritum, veroſimiliùs cenſetur. Ergò tametſi præfatis Perſarum regibus temporis antelatione Longimanus præcellerit, de Artaxerxe Mnemone, & Ocho priùs diſſeramus: nemo enim è reliquis vel tanquam Eſtheris riualis ab vllo admittitur, neque admitti poteſt præter Darium Nothum, cùm nemo eorum attigerit duodecimum imperij annum, quo Eſtheris maritus perniciem Hebræis parabat.

6. Euſebius. Beda. S Hier. S. Iſidorus. Pereira. Sigonius. Torniellus. Otho. Driedo. Philo Ann. Bellar. ſuprà allegatus.

Sexta ergò ſententia Artaxerxem Mnemonem Eſtheris maritum facit. Ita Euſebius in Chronico ſub Olymp 94. Beda in lib. de ſex Ætat. Hieronymus in Ezech. 4. vbi tantùm ſententiam Hebræorum refert. Iſidorus item. Pererius lib. 13. in Daniel. cap. 11. & lib. 10. Sigonius in Sulpic. Torniellus ann. 204. ſextæ ætatis. Citatur etiam à Serario Ottho Friſing. Driedo, & Philo Annianus. Sed contrà arguit Bellarminus: Nihil eſt in vitâ Artaxerxis Mnemonis, quam diligenter ſcripſit Plutarch. quod ſapiat Eſtheris Aſſuerum, quod ſigillatim demonſtrat, & obuium eſt in Plutarcho

Plutarch. Ioſephus.

legere: ergò hic Mnemon non eſt Eſtheris vir. Dein ſcribit Ioſephus lib. 1. contra Appionem, non haberi apud Hebræos in canone

*Artaxerxes Mnemon non eſt Eſtheris maritus.*

ſacrorum librorum, qui ab Eſdrâ confectus non eſt: ſed conſtat Eſdram iam diu vitâ functum tempore Artaxerxis Mnemonis (quippè qui vixit ætate Artaxerxis Longimani) cùm autem liber Eſther cenſeatur in canone Bibliorum, vt colligitur ex eodem Ioſepho inibi, & lib. 11. Antiquit. c. 6. Non igitur hiſtoria huius libri ad tempora Mnemonis referenda eſt,

7. Serarius. Gordonus. Adrichom.

Septima Artaxerxem Ochum Eſtheri maritum dedit. Ita Serarius in cap. 2. q. 3. Gordonus in ſuâ Chronolog. cap. 14. num. 26. & in Præfat. ad ſuum Comment. in Eſtherem, Adri-

Gretſer.

chom. ann. m. 3544. P. Gretſerus in defenſ Bellarm. tom. 1. lib. 1. cap. 7. Huic ſententiæ non parum incommodat geminata ratio contra præ-

*Artaxerxes Ochus nõ fuit Eſtheris maritus.*

cedentem vibrata: nam quantumuis adnitantur eius ſectatores, nullum ex veteribus inuenient patronum, qui ne vnam quidem actionem Aſſueri, aut Mardochæi, aut Eſtheris afferat, quæ Ocho, aut eius regno congruat. Nec vicinitas amplioris regni Macedonum quicquam prodeſt, vt ex dicendis n. 12. liquidò conſtabit.

8. Diodorus. Cteſia.

Darius Nothus è pleriſque annos tantùm decem imperaſſe dicitur: à Diodor. lib. 13. annos vndecim; à Cteſiâ annos nouemdecim. Ergò ſecundùm priores annorum ſupputationes Dario Notho anni deſunt, quo minùs ſit Eſtheris Aſſuetus. Quod forſan in cauſsâ fuit, vt, licet

*Darius Nothus non eſt Eſtheris maritus.*

ſecundum Cteſiam anni ſufficientes adſint, nemo tamen eum eſſe cenſuerit Aſſuerum, quem quærimus: hic enim anno duodecimo imperij ſui excidium in Iudæos moliebatur.

9. Ioſephus. Aliqui apud Euſebium. Nicephor. Sabellic.

Octaua ſententia & communior, & veroſimilior aſſerit Aſſuerum Eſtheris maritum non eſſe alium quàm Artaxerxem, qui dictus eſt Macrochir, ſiue Longimanus. Ita Ioſephus lib 11. Antiq. Iudaic. cap. 6. Aliqui apud Euſebium in Chronico, Nicephorus Conſtantinopolitanus in Chronico, Sabellicus Æneade 3.

lib. 3.

Sulpicius. Caietanus. Bellarmin. Sanctius. Menoch. P. Salian. Viues. Suidas. Zonaras.

lib. 3. Seuerus Sulpicius lib. 1. Hiſtoriæ ſacræ vindicatus à Saliano, Caietanus hîc, Bellarminus tom. 1. lib. 1. cap. 7. Sanctius, & Menochius hîc, Salianus tom. 5. ann. m. 3590, n. 10. Viues, Suidas, Zonaras apud eundem ibi, & alij apud Serarium q. illâ 5. Ratio eſt, quâ & Serarius pugnans pro ſuo Ocho, & quiſquis diuerſam à nobis ſententiam ſequens, pro eâ certare adnititur quò eam adſtruat, & quæ hâc in re magni momenti eſſe debet, ea eſt: Nomen Aſſueri conuenit Artaxerxi Longimano, beneuolentia erga Iudæorum gentem, habitatio in Perſide, imperij magnitudo, Dei Hebræorum cognitio, morum affinitas, & ſi quæ ſunt alia quæ in hâc hiſtoriâ recensētur, & quæ nemini cæterorum Regum conueniunt omnia, etſi aliqua conuenire videantur; nec inconuenit Mardochæi ætas: ergò Artaxerxes Longimanus Aſſuerus Eſtheris maritus cenſendus eſt. Hæc ratio ex obiectorum ſolutione clariùs elucidabitur.

*Artaxerxes Longimanus fuit Eſtheris maritus.*

10. Eſth. 2. v. 6.

Primum argumentum, & quod putatur validiſſimum eſt à Mardochæi ætate petitum. Porrò cap. 2. verſ. 6. ſcribitur de Mardochæo, *Qui tranſlatus fuerat de Ieruſalem eo tempore, quo Iechoniam regem Iuda Nabuchodonoſor rex Babylonis tranſtulerat.* Cùm ergò à tempore ſolutæ per Cyrum captiuitatis vſque ad Longimanum effluxerint centum anni, quibus ſi addas ſeptuaginta annos captiuitatis, & vel pauculos quos habebat, cùm captus eſt, conficientur centum ſeptuaginta anni plus minúſue. Inidonea ſanè ætas rei Perſicæ adminiſtrandæ, quam tunc ſuſcepit. In has anguſtias redactus Sanctius, planè fatetur Mardochæum tunc agere annum 170. Sed quantumuis ex Plinio lib. 7. cap. 48. & ex noſtrâ hâc ætate nonnullos adducat, qui in tanto ſenio adhuc vitam trahant, tamen incredibile eſt, Mardochæum, qui ſaltem poſt quingentos à Dauide annos floruit, ſub tam prolixâ annoſitate exactâ in duræ captiuitatis ærumnis, adhuc per ætatem valdè idoneum eſſe, qui totius Perſicæ Reipublicæ adminiſtrandæ onus ſuper ſe tolleret. Et quidèm in tam longæuâ ætate adhuc vegetum eſſe, perrarum eſt & inſolens, neque ipſe aut Eſther huius narrationis auctores, illud vel leuiter non indicaſſent, quò diuinam erga Iudæos prouidentiam glorioſiùs extollerent: neque puellaris ætas Eſtheris idoneè componitur cum tanto patrui ſui ſenio: fuit enim Eſther filia fratris Mardochæi. Vndè non adducar, vt aſſentiam meo Magiſtro P. Sanctio, niſi aliâ viâ ſacræ Scripturæ verba tueri non ualeam. Occurrit autem alia, nec valdè impedita.

*Annoſitas nimia Mardochæi reijcitur.*

Sanct. ibi. Plinius.

11. Rupertus. Burgenſ. Carthuſian. Serarius. Pererius. Sanct.

Reſpondet Rupertus lib. 8. cap. 5. Burgenſis hîc, Carthuſianus, Serarius q. 6. Pererius lib. 10. in Daniel cap. 19. relatiuum *qui*, cùm dicitur, *Qui tranſlatus eſt*, non eſſe referendum ad Mardochæum, ſed ad Cis; ita vt Cis, aut aliquis alius commemoratus in Mardochæi proſapiâ tranſlatus fuerit cum rege Iechoniâ, & ſimul cum eo in Babylonem abductus. Non valdè abnuit Sanctius huic expoſitioni, quam perdoctus vir veroſimilem alias nouit: ſed vrgere nos conatur ex verbis cap. 11. verſ. 2. quæ hanc interpretationem pati non poſſunt: *Vidit*, inquit, *ſomnium Mardochæus filius Iairi, filij Semei, filij Cis de tribu Beniamin, homo Iudæus, qui habitabat in vrbe Suſis. Erat autem de eo numero captiuorum, quos tranſtulerat Nabuchodonoſor rex Babylonis de Ieruſalem cum Iechoniâ rege Iuda.* Addit Sanctius: Nemo credo hæc ad alium referet, niſi ad Mardochæum. Quæ ſi vidiſſent, qui contrà ſentiunt, nunquam opinor, illis veniſſet in mentem cogitatio prior. Hactenùs ille. Aſt viderat hæc Bellarminus, viderat Salianus, & neque Longimani mentem excuſſerunt, neque penè effœtum Mardochæi ſenium admiſerunt. Porrò P. Salianus tom. 5. ann. m. 3591. num. 2. præſcripta verba cap. 11. Eſtheris reſcribens, & præfatam difficultatem proponens, num. 3. his verbis reſpondet: Verùm communis expoſitio eſt, inquit, vt dicatur Mardochæus tranſlatus in auo ſuo vel proauo, à quibus in captiuitate genitus eſt. Sic 1. Eſdræ 2. dicitur Zorobabel, & Ioſuë, & Nehemias reuerſi in Ieruſalem, de captiuitate quam tulerat Nabuchodonoſor; qui tamen nunquam viderant Ieruſalem, nec tranſlati indè fuerant, ſed eorum parentes. Et Geneſeos 46. verſ. 27. ita ſcribitur: *Omnes animæ domus Iacob, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuere ſeptuaginta.* Et tamen in iis numerantur duo filij Ioſeph, qui ibi nati ſunt, & ingreſſi in fœmore parentis Ioſeph. Quin (vt inibi olim multis tradidimus) & plures qui etiam dicuntur tunc cum Iacobo in Ægyptum ingreſſi, aliqui in lumbis tantùm parentum ingreſſi ſunt, non in ſeipſis, vt compleri poſſit ſeptuagenarius numerus. Lege ibidem Pererium, Martinum Del' Rio, Bonfrerium, & Cornelium. Non eſt animus non neceſſariâ eruditione noſtros opplere commentarios. Loca exponenda ſunt, non quantùm capiunt, exacianda. Sat in theſibus ad mores fabricatis, exſpatiamur. Ergò neque ex huius libri 2. aut 11. capite cogimur ad vllum Mardochæi tunc ſenium. Sicut neque arctamur ad aſſignandos Eſtheris annos. Huic tribuimus quotquot tantæ venuſtatis nitori congruunt; Mardochæo verò eius patruo, quotquot ſufficiant ad prudentiæ maturitatem, & totius Reipublicæ onus humeris ſuſtinendum vegeto animi & corporis robore. Igitur ipſe in ſeipſo *Mardochæus vidit ſomnium.... Erat autem de numero captiuorum, quos tranſtulerat Nabuchodonoſor.* &c. Nempè cum aliis, qui in ſeipſis tranſlati ſunt, tranſlatus etiam eſt Mardochæus in lumbis parentum. Sicut cum his, qui cum Iacobo in ſeipſis *ingreſſi* ſunt in Ægyptum, alij etiam in lumbis parentum *ingreſſi* ſunt. Fruſtrà ergò præſcriptum argumentum tanti facit noſter Sanctius, & P. Leander à Murcia.

Eſth. 11. v. 2.

Bellarm. P. Salian.

*Mardochæus non in ſe, ſed in Maiorum lumbis ingreſſus eſt Babylonem.*

1. Eſdr. 2.

Gen. 46. 27.

Pererius. Rio. Bonfrer. Cornel.

Leander hîc comment. 2. ſect. 8. n. 9.

12. Secundum argumentum deſumitur ex cap. 16. verſ. 14. vbi Eſtheris Aſſuerus metuit, ne Aman gente Macedo, *regnum Perſarum transferret in Macedonas:* ſed ætate Longimani nihil Perſici Imperatores metuerent à Macedonibus tunc obſcuris: ergò hæc hiſtoria magis idoneè ad tempora Artaxerxis Ochi, aut Mnemonis referenda eſt, quorum ætate res Perſica nutare cœpit, & Græcorum nomen clareſcere. Reſpondet Salianus ex Bellarmino, non obiici Amano ab Aſſuero, eum velle regnum Perſarum transferre in Macedones, quaſi iam Macedones cum Perſis de imperio contenderent; ſed contrà potiùs voluiſſe Amanum gentem ſuam, tunc obſcuram & ignobilem, tranſlato imperio nobilitare: ſicut Cyrus Perſas iampridem obſcuros

*Cur Aſſuerus ab Amano Macedones tunc metuerit.*

Salianus. Bellarm.

obſcuros, tranſlato à Babyloniis & Medis imperio, clariſſimos reddiderat. Adde noſtrum Lõgimanum fuiſſe filium Xerxis, qui malè conciſus à Græcis imperium debilitauit, & magnâ ex parte imminuit: vndè nil mirum ſi Longimano eius filio Græci dudùm victores terrori eſſent. Macedonum nomine Græcos hîc Aſſuerus intelligit, cùm Macedonia pars Græciæ nobiliſſima ſit, & Amanus Macedo fuerit.

13. *Satisfit 3. argumento.*

Tertium argumentum. Si Artaxerxes Longimanus filius fuit Xerxis, qui re infeliciter & ignauè apud Græcos geſtâ, imperium magnâ ex parte imminuit, cùm non pauci è Satrapis aduerſus illum rebellarint; quomodò dicitur regnaſſe ſuper centum viginti ſeptem prouincias? Reſpondeo, aliquas tandem recuperaſſe, & vt diximus in noſtris commentariis in Iuditham ad cap. 1. §.22.num.126.& Arphaxadum, qui Mediam vſurparat, bello vicit. Et ſanè, vt hæc vera non forent, in comperto eſt Reges etiam amiſſorum regnorum titulos adhuc retinere, in quæ ius ſe habere contendunt. Sic rex Angliæ, ſe regem Franciæ nominat, & Franciæ rex ſe Nauarræ regem appellat.

14. Euſebius.

Quartum argumentum vibrat Euſebius in Chronico, ita ſcribens: Ea quæ de Eſther & Mardochæo ſcripta ſunt, quidam affirmant ſub hoc rege (Longimano inquam) geſta, quod ego non puto. Nunquam enim Eſdras de Eſther ſiluiſſet, qui ſcribit hoc tempore Eſram & Nehemiam reuerſos ex Babylone. Et ſanè miriſſimum eſt, quod neque in libris Regum, neque Paralipomenon, neque in libris Eſdræ alicubi fiat mentio Eſtheris, aut geſtorum, quæ in eius hiſtoriâ enarrantur, præſertim cùm ſummam rei Iudaïcæ contineant. At hoc argumentum æquè aduerſus reliquas ſententias retorqueri poteſt: vniuerſatim enim omnes euertit. quin & hiſtoriam Tobiæ, & præſertim Iudith adæquè labefactat. Reſpondet autem Salianus, ideò Eſdram ſiluiſſe, quia ſciebat librum ex profeſſo eâ de re ſcriptum fuiſſe. Sic in lib. Iudicum nulla eſt mentio Ruthæ, quæ tamen tempore vnius Iudicum vixit: nec Tobiæ, aut Iudithæ in libris Regum, aut Paralip. licèt eorum temporibus floruerint, & tamen liber etiam Iudithę, ſicut & Eſtheris, non fortunam vnius priuati hominis vt liber Tobiæ, ſed Reipublicæ Iudæorum ſummam continet. Verùm ſub hoc Artaxerxe Longimano, aliqua forſan Eſtheris mentio fit: nam cùm Longimanus miſit Nehemiam, vt fabricam templi conſummaret, 2.Eſdræ 2.ver.6. Reginæ iuxta Regem ſedentis beneuolentia non ſiletur. Veroſimilis eſt autem quorundam coniectura, non caſu, ſed re priùs conſultâ id accidiſſe, vt Regina Eſther non tam peteret templi ædificationem, quàm petitionem Nehemiæ promoueret. Et ſanè Nehemias *Suſis* habitaſſe dicitur 2.Eſdræ 1.verſ.1.& Regis pincerna dicitur: neque forſan tam nobile obiret in palatio munus, niſi de Eſtheris & Mardochæi erga ſuos beneficentiâ.

*Cur nulla alibi mentio Eſtheris, aut Mardochai.*

P. Salianus ſupra.

2.Eſdræ 2.

2.Eſdræ 1.

15. *An profani Hiſtorici de re huius hiſtoriæ tacuerint.*

Quintum argumentum. Quomodo apud profanos Hiſtoricos, qui rem Perſicam exactiùs deſcripſerunt, tam altum ſilentium de rebus, quæ in hâc Eſtheris hiſtoriâ continentur? Hæc etiam obiectio reliquas pariter ſententias labefactare nititur. Verùm ſicut ex præfatis ſententiis hiſtoriæ ſeculares fauent, noſtræ potiſſimè fauere videntur. Quâ de re audiendus eſt Salianus vtraque eruditione altè imbutus: Poſitum ergò ſit, inquit, non alium quærendum eſſe Aſſuerum, ſiue Artaxerxem (vt LXX. nominant) quàm Artaxerxem Longimanum, quem ſcribit Diodorus, vindicato nuper imperio, & cædis paternæ reis ſupplicio affectis, regni ſui ſtatum compoſuiſſe, ſatrapas ſibi minùs beneuolos abdicaſſe, & idoneos, ac fidos in eorum locum ſubſtituiſſe. Quibus conſentiens Ioſephus ait epulum ab eo celebratum, cùm conſtituiſſet centum & viginti ſeptem Satrapiarum principes. Quod negotium & magni momenti, & magni operis, hunc & ſequentem annum tenuiſſe videtur, Rege præſertim contra Græcos, & ſuorum defectionibus occupato; quibus denique ritè compoſitis tertio anno nobiliſſimum conuiuium celebratum eſt. Adde quòd hæc obiectio plures Biblicas hiſtorias labefactare æquè annititur.

Salian.

Sextum argumentum. Artaxerxis Longimani ingenium mite fuit, blandum, ſuaue (quod eruditè probat Sanctius Proleg. illo. 3.num.6.) at Eſtheris Aſſuerus, acre, immite, ferox, imò & atrox, vt probat ferale edictum de Iudæorum excidio; & poſtmodùm de Amani familiæ ſtragibus. Verùm omnes Perſarum Reges auſteriores eſſe naturâ ex hiſtoriis conſtat: non tamen in Aſſuero deſunt miritatis indicia, etiam in his, quę videtur geſſiſſe crudeliùs, vt adſtruit Sãctius ſuprà n. 7. Accuſatur Aſſueri in Vaſthi vxorem ſæuitia, & in conuiuio à regni faſtigio deiectio: ſed non niſi conſultis ritè conſiliariis, etiam in vini, & exiſtimatæ iniuriæ furore. In Iudæos ſæuire decernit, ſed non ex agnatâ ſæuitiâ ſed vt Amano familiari intimo placeret: ſicut in eundem poſteà ſæuiit, vt chariſſimæ Reginæ, & Mardochæo gratum faceret. Quæ non tam ſunt ſæuitiæ, quàm blandioris ingenij documenta. Alia ſunt leuiora argumenta, quæ in hanc ſententiam aliarum ſectatores fruſtrà torquent; & quæ ex doctrinâ traditâ eluduntur. Non poſſum non ingenuè fateri, quòd ſententiæ, quæ Eſtheris Aſſuerum adſtruunt eſſe aut Darium Hyſtaſpis, aut Artaxerxem Mnemonẽ, Ochúmve, valdè veroſimiles ſint; (cùm longęuitas Mardochæi impedimento iam non ſit) at omnibus attentiùs ſpectatis, Artaxerxes Longimanus ceteris præponendus videtur. Ergò hic Aſſuerus, ſeu Artaxerxes Longimanus florebat, ſecundùm Bellarminum, ann. m. 3528. ſecundùm Salianum ann.m. 3591. Et quidèm cùm Artaxerxes Longimanus ſynchronos fuerit Eſdræ & Nehemiæ, facile erit tempus quo vixerit ſtatuere; etſi in re Chronologicâ nil ratum ſit, inconcuſſum nihil. 16.

Sanct.

*Non fuit valde auſterum Longimani ingenium.*

Sanctius.

*Quo tempore floruerit rex Aſſuerus.*

Bellarm. de Scrip. eccleſ. in Mardochæo.

Salian.

His igitur de Aſſuero ſtatutis ſingulæ ſententiæ, quæ commentario indigent, ſigillatim exponendæ ſunt. *In diebus.*] Nota & vulgaris Hebræorum phraſis, quâ dies pro omni ponitur tempore. Exempla & quia nimis multa ſunt, & in re compertâ minimè neceſſaria, prætermus. *Aſſueri.* Græcè *Artaxerxis*, quem eſſe Artaxerxem Longimanum, multis nuper adſtruebamus. 17.

*Dies pro annis ponuntur.*

*Qui regnauit ab Indiâ vſque Æthiopiam.&c.*] Aſſueri ergò tã latè patebat imperiũ, vt ab indiá, quæ ab Indo flumine nomẽ habet, vſque ad Æthiopiam protenderetur. India erat ſui imperij terminus Oriẽtalis, Occidẽtalis verò Æthiopia. Et ſanè cùm latum imperium ſignificare intendimus, 18.

*Termini Perſici imperij deſcribuntur.*

dimus, extremos illius fines metamur, quò vaſta quæ interiacent terrarum ſpatia, ſignificamus. Sic Hebræis promiſſum fuit imperium à fluuio Ægypti vſque ad flumen magnum Euphratem: ſic Iuuenalis terram vno amplexu metitur à Gadibus vſque ad auroram & Gangem. Non eſt quare quiſquam ambigat, Indiam Perſico Monarchæ ſubiectam, cùm, teſte Herodoto lib. 4. Darius Hyſtaſpis Longimani auus Indiam ſubegerit. Æthiopia, quæ Biblico more *Chus* appellatur, duplex eſt, altera Aſiana, & Palæſtinæ proxima, quæ Madian appellatur: vndè Moyſis vxor Æthiopiſſa dicitur: altera vltra Ægyptum ſe latè porrigit. Hanc rex Sennacherib ſubiugauerat 4. Regum 19. bellum inferens Tharacæ Æthiopum regi: illam, Madianitidem inquam, Xerxi parenti huius Longimani; debellauit Holofernes, vt habetur Iudith 1. quod & nos inibi notabamus.

Iuuenalis. Herodot. 4. Reg. 19. Iudith. 1.

19. *Super centum viginti ſeptem prouincias.* ] Nemo eſt qui ambigat, Perſarum tunc imperium fuiſſe latiſſimum, cùm Aſſyriorum Chaldæorumque exorbuerit imperia, illaque Perſarum ac Medorum regnis adſociauerit. Vnde Aſſuerus hic ſubiectos habebat Aſſyrios, Babylonios, Chaldæos, atque etiam Indos, Ægyptios, Madianitas, Perſas, Medos, Parthos, Hyrcanos, Meſopotamos, Armenos, Syros, Iudæos, Idumæos, Moabitas, Ammonitas, & innumeros populos his longè lateque adiacentes; adeò vt mirum non ſit in 127. prouincias diſtribui potuiſſe: nec opinor, valdè amplas. Porrò vbi Vulgatus habet *prouincias*, Hebraicè habetur *medinach* à radice *dun*, quæ *iudicare* ſignificat. Exindè meritò cenſent Serarius, & Sanctius, quòd idem eſt hic *Medinach*, ſeu *prouinciæ*, ac vrbs metropolis, quæ habet ſubiectos populos, in quos iuriſdictionem habet ad dirimendas lites, & tributa exigenda: aut (quod perinde eſt) omne eius imperium erat diſtributum in 127. ſatrapias, totidem ſatrapis, ſeu Præfectis ſubiectas. Neque huic expoſitioni quicquam officit, quòd fortè tunc aliquæ ex his prouinciis Perſici imperij iugum rebellando excuſſerint: nunquam enim Reges regnorum quæ amiſerunt, titulos omittunt. Sic Angliæ rex, rex etiam Franciæ nominatur: Rex Franciæ, rex Nauarræ inſcribitur; Hiſpaniæ rex, Athenarum, Hollandiæ, & Ieruſalem, rex dicitur. Quòd forſan Perſarum regibus accidiſſe nuper adnotauimus. Plures alias prouincias Aſſuero ſubiectas referemus infrà, §. 254. num. 1.

*Quam latè Aſſuerus imperauerit.* Serarius. Sanct.

## §. II.

*Commentarius litteralis.*

*Verſ.* 2. Quandò ſedit in ſolio regni ſui, Suſan ciuitas regni eius exordium fuit.

1. PErſarum reges (ſiqui alij) quòd nimis molliter ac delicatulè vixerint, ab illius æui ſcriptoribus paſſim infamantur. Adeò vt Xenophon tradiderit, quòd hyemem Babylone tranſigunt, ver Suſis, æſtatem Ecbatanis, quò perpetuò illis cælum vernet. Non opinor id ratum & ſolenne fuiſſe apud omnes, ſed apud pleroſque: nam Aſſuerus nullibi in hâc hiſtoriâ niſi Suſis habitare perhibetur. Suſan vrbs eſt nobiliſſima inter Perſidē & Babylonem, ad fluuium Choaſpen, ſitu peramœno. Nominatur autem *Suſan* à liliis; quia inibi plura: nam Perſis & Hebræis *Suſan*, vel *Suſana* lilium ſonat. Tradit Plinius Suſan conditam à Dario Hyſtaſpis. Sed, vt explicat Ælianus, valdè ab illo amplificata fuit: ideò condita dicitur. Sic Babylon condita à Nabuchodonoſore dicitur, & Ecbatanæ ab Arphaxado, vt aliàs tradidimus. Porrò vt ex eodem Æliano, Herodoto, Strabone, & Caſſiodoro hic habet Tirinus, Suſan condita fuit à Memnone Titoni filio, à quo Memnonea dicta eſt. Scribit Beniaminius palatij Aſſueri in Suſan hodie ſupereſſe admiranda veſtigia. Et Boderianus ex Iudæorum ſententiâ tradit, nunc Tauris nuncupari, quæ eſt regia vrbs magni Sophi Perſarum Imperatoris. De magnificentiâ vrbis Suſan conſule Ptolomæum lib. 6. cap. 3. Herodotum lib. 5. Athenæum lib. 12. cap. 3. Plinium lib. 6. c. 27. Aduertit Mariana quòd Hebraicè habetur, in *Suſan Habirah*, quaſi *Habirah* ſit illius vrbis cognomen, nempe *in Suſan palatio*. Nehem. 1. ver. 1. Ego eram *in Suſan Habirah*, quod Vulgatus vertit *in Suſis caſtro*. Et quidèm *Birah* palatium ſignificat. Suſan autem vocata eſt palatium, quia (vt ſcribit Ptolomæus, Strabo, & Plinius) Suſis fuit nobilis illa Cyri regia, quæ candido varióque marmore, columnis aureis, magnáque gemmarum copiâ exornata erat, cæli in lacunaribus habens ſimulacrum, ſtellis micantibus inſignitum. Putat Mariana, quòd Suſan appellata eſt *Habirah*, ſeu palatium, ab elegantiâ, quod vniuerſa inſtar palatij cuiuſdam eſſet. Non valdè abnuo; ſed prior coniectura veroſimilior videtur. Addit Strabus Suſis etiam extitiſſe plurium virorum illuſtrium magnifica ſepulchrorum monumenta; & vicinā regionem ab ea vrbe Suſianam nuncupari.

Xenoph l. 8. Cyrop. *Vrbs Suſan ſic dicta eſt à liliis.* Plin. lib. 6. c. 27. Ælian. de Animal. 13 c. 18. & 59. Tirin. ibi. Beniam. in Itinerario fol. 78. Boderian in ſuo Syrochal. Ptolomæus. Herodot. Athenæus. Plinius. Mariana. *Suſan ciuitas, palatium appellatur.* Mariana ibi. Strab.

*Suſan ciuitas regni eius exordium fuit.* ] Et 2.
quomodo cùm agitur annus tertius imperij regis Aſſueri, dicitur tunc *exordium* regni eius in vrbe Suſis? Pineda de rebus Salomonis lib. 2. cap. 7. num. 2. ſic locum exponit: Tunc primùm cœpit poſſeſſionem regni Suſanici, cùm in Suſan ſedit in throno regni. Sed cur Suſiani regni poſſeſſionem toto triennio diſtulit, Hinc putat Tirinus ſecutus Serarium, ideò anno tertio ab inauguratione dici *exordium* regni eius in Suſis, quoniam tunc in eâ tanquam in Perſidis metropoli ſolemniſſimè coronari voluit. Sicut Imperator Romanus primò, Francofurti; ſecundò, Aquiſgrani, tertiò, in Italiâ coronari ſolet: & tunc demùm dicitur incipere perfectè ſuum imperium. Adnuunt Tirino Salianus & Menochius: verùm hæc virorum eruditiſſimorum coniectura, omni eruditione viduata traditur: neque enim probat ex aliquo antiquo auctore Imperatores Perſicos præcoquo ritu æmulatos fuiſſe Romanos ſeu Germanos Imperatores: iſtiuſmodi autem ritus nullum veſtigium in ſacrâ profanâue eruditione tranſparet: adhuc ergò manet impeditum quomodo poſt triennium, regni eius *exordium* ponatur.

Pineda. Tirin. ibi. Serar. q. 9. *Quare poſt trienniū ponitur regni exordium.* Salian. Menoch.

P. Sanctius exiſtimat, quod Suſan ciuitas 3.
Aſſueri regni *exordium* fuiſſe dicitur, quia ibi defuncto patre Xerxe, Aſſuerus rex primùm inauguratus eſt. Hæc expoſitio niſi amplius explice

Sanct. ibi.

explice

explicetur, duriuſcula eſt: nam cùm verſ. ſequenti innuatur tunc agi imperij ſui annum tertium, nimia videtur triennij mora, & incredibilis regni capeſſendi, aut regiæ inaugurationis cunctatio, in tam auidâ regnandi ambitione hominibus ingeneratâ. Fortè autem dici poſſet,

*Aliter præſcriptæ difficultati ſatisfit.*

verſ. ſequenti, quo agitur de celebrato conuiuio, dici tunc agi annum tertium à ſuâ inauguratione in regem. Nimirùm cùm Aſſuerus defuncto patre rex eſſe cœpit, in Suſis regiâ Perſarum vrbe inauguratus eſt: qui poſt tres annos in eadem vrbe celebrare conuiuium inſtituit, quod exindè ſacer Hiſtoricus denarrat. Nempè Aſſuerus defuncto patre rex eſſe cœpit in regiâ vrbe Suſan, vbi poſt tres annos regiâ magnificentiâ epulum extruxit. Hanc expoſitionem tradere videtur Vatablus. Scilicet cùm iam Aſſuerus ſummâ tranquillitate, & altâ pace frueretur; & cùm iam victis hoſtibus pacatè ſederet in ſolio ſuo, quod erat in Suſan, regiâ & metropolitanâ vrbe, triennium exactum fuit, poſt quod inſtruxit celebre illud conuiuium. Hæc expoſitio quantumuis à Vatablo emollita, adhuc duriuſculè auditur.

Vatabl. ibi.

4. Sanct. ibi.

Idem Sanctius (fortè priori expoſitioni parum fidens) aliam ſubiicit ex Biblico idiomate depromptam, & rei clarandæ magis idoneam. Scilicet iuxta Hebræorum idioma, quæ meliora ſunt, prima dicuntur, vel initia, quod eruditè probat ad illud 1. Reg. 15. verſ. 12. *Saul offerebat ſacrificium Deo de initiis prædarum.* Quod autem *initium* (aut quod idem eſt *principium*, aut *exordium*) idem ſit quod præcipuum, probat illud Eccleſiaſtici 29. verſ. 28. *initium vitæ hominis aqua & panis, & veſtimentum, & domus protegens turpitudinem*, ita poſt Sanctium exponit hunc locum P. Cornelius inibi. Fauet Tigurina, quæ pro τὸ *initium vitæ hominis*, exſcribit, *ſumma vitæ humanæ*. Et quidem aqua, panis, veſtimentum, & domus; prima non ſunt ſed præcipua vitæ humanæ ſubſidia. Eſt ergò ſenſus: Quando Aſſuerus ſedit in ſolio regni ſui, Suſan ciuitas regni eius fuit *exordium*, ſeu *initium*; id eſt, vrbs præcipua, & imperij metropolis. Vnde reliquæ tranſlationes omittunt τὸ *exordium*, & pro eo Hebraicè & Chaldaicè ſubſtituitur, *metropolis*, aut *ciuitas regia*, hoc eſt, vrbs regni præcipua. Sic enim habet Pagninus: *Cùm ſederet rex Achaſueros ſuper ſolium regni ſui, quod erat in Suſan regiâ.* nec aliter tranſtulit Vatablus. Scholiaſtes Hebræus: *Cùm quieſceret à bello Indico & Æthiopico, conſtituit Suſan Habira metropolim ac ſedem regni ſui.* Paraphraſtes Chaldæus: *Quãdò quæſiuit rex Ahhaſueros ſedere ſuper ſolium regni ſui, quod erat in Suſan metropoli.* Quaſi idem ſit, quòd Suſan fuit regni initium ſeu *exordium*, ac *metropolis*, aut *regia ciuitas*. Vndè non rectè (opinor) noſter Mariana ambigit, an qui ſic exſcribunt, rectè locum tranſtulerint. Idem enim Hebraico idiomate ſonat, vrbs regni initium ſeu *exordium*, ac *regia vrbs*, ſeu regni *metropolis*. Huic expoſitioni fauent nonnulli apud Gordonum, nec ipſe aliam exhibet: eam etiam tandem amplectuntur Salianus Menochius, Feuardentius, Hugo, Lyranus, & Dionyſius Richel. Nec videtur ſibi valdè conſentire Menochius ſecutus Salianum, dum τὸ *exordium* accipiens pro regni inchoatione, tandem accipit pro regni metropoli ſeu regiâ vrbe, ſatiùs enim foret alterutram expoſitionem ſignatè amplecti, quàm mixtim vtramque, ſunt enim valdè diuerſæ.

1. Reg. 15. — Eccl. 29. — Cornelius. Tigurina. — *Exordiũ ſumitur pro primo ſeu præcipuo.* — Pagnin. ibi. — Vatablus. Schol. Hebr. — Chaldæus. — Mariana inibi. — Gordon. ibi. Salian. ann. m. 3592. p. 3. Menoch. Feuardent. Hugo. Lyranus. Dionyſ. Richel.



*Verſ.* 3. Tertiò igitur anno imperij ſui fecit grande conuiuium cunctis principibus, & pueris ſuis, fortiſſimis Perſarum, & Medorum inclitis, & præfectis prouinciarum coram ſe.

5. Serar. q. 5. Sanct. ibi. n. 7.

Quænam fuerit lautioris huius conuiuij occaſio ambiguum eſt. Serarius & Sanctius putant, quòd rex Aſſuerus diem ſuum natalitium ſplendido celebrarit conuiuio: & plura adducit Sanctius ex profanâ eruditione vt adſtruat id Regibus præcipuè Perſicis, fuiſſe ſolenne. Eruditio ſanè haud difficile parabilis ex Briſſonio lib. 2. ſed neſcio an ſatis idonea loco exponendo. Porrò conuiuium vſqueadeò lautum & magnificum, & toto ſemeſtri celebratum accerſitis vndique regni Principibus, Ducibus, Satrapis, ac Præfectis; veroſimile non eſt quotannis exhiberi: quotannis autem dies Regum natalitius celebrabatur. Tum etiam quia ſacer Hiſtoricus cauſam huius munificentioris epuli non omiſit aiens verſ. 4. *Vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentiæ ſuæ, multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus:* Ergò aliquid ſingulare & inſolens hîc innuitur ſingulis annis exhiberi inſolitum. Itaque etſi certum ſit Perſicos reges natalis ſui diem geniali effuſiùs gaudio celebrare ſolitos, ſed probabile non eſt celebritate vſqueadeò magnificâ eorum natalitia quotannis peragi: ergò licèt tunc fortè (quòd omninò incertum eſt) dies natalitius Aſſueri occurrerit; alia occaſio peruestiganda ſupereſt, quare ordinario natalitij feſto hæc munificentior effuſioris gaudij & epuli adiectio facta ſit. Putat Feuardentius ſolemnioris lætitiæ & conuiuij feſtum agi ob imminuta tunc tributa quibus ad militares ſumptus premabatur populus. At in hoc feſto conuiuio nulla imminutorum vectigalium mentio fit: quæ explicatius facta eſt cap. 2. verſ. 18. in celebratione nuptiarum cum Eſthere. Quin & citiùs ipſe populus ob imminuta ſibi tributa feſtum ageret, quàm Rex vectigalibus tot prouinciarum imminutus. Et ſanè ſumptuoſior Regis magnificentia inidoneè exhiberetur cùm regius theſaurus tot congerendis opibus depauperabatur. Imò potiùs proderet Rex fruſtrà populos ad militares ſumptus oppreſſiſſe, cùm magnificentiæ effuſiùs oſtentandæ ſumptuoſiores opes adhuc ſupereſſent.

Briſſonius. — *Quare hoc ſumptuoſius conuiuiũ exhibetur.* — Feuard. ibi. — Eſther. 2.

6.

Igitur, ſi coniecturis aliquid dandum eſt, citiùs putauerim, quòd Aſſuerus debellatis hoſtibus tertio regni ſui anno, in Suſiano ſederit ſolio, quod Cyrus magnificentiùs extruxit (de quo aliàs) Voluit ergò Rex, & belli ducibus, & regni Optimatibus, & prouinciarum Præfectis, & ſibi etiam de victoriis gratulari, ob eaſque partas geniale diu conuiuium celebrare. Quod verò antè hoc conuiuium hoſtes Aſſuerus debellauerit, expreſsè tradit Mariana, Vatablus hîc n. 2. Hebræus Paraphraſtes adductus n. 4. & inſinuat Ioſephus l. 11. Antiq. c. 6. ſub initium his verbis: *Dimiſſis etiam per totam ditionem nunciis, edixit vt feriati ab operibus feſtum pro incolumitate regni diebus aliquot agerent.* Hoc enim ſumptuoſiori & diuturniori epulo ſuam

*Cauſa huius epuli exhibiti.* — Mariana. Vatabl. Hebr. Paraph. Ioſephus.

voluit oſtentare potentiam, gloriam, & opulentiam; tum etiam regni Summates, & ſubiectos populos ſibi arctiùs deuincire. Addit Salianus quod hic Rex conuiuiorum ſtudioſior fuit. Vnde infrà cap. 3. *Statimque in Suſan pependit edictum, Rege & Aman celebrante conuiuium.* Vnde Eſther ad eius ſe propenſionem accommodans, ſemel & iterum eum excipit conuiuio, antequam aperiret quod haberet in animo. Denique valebat iſta conuiualis celebritas, non ſolum ad regiam magnificentiam oſtentandam, ſed ad conciliandos ſibi, ac magis magiſque demerendos recèns electos prouinciarum Satrapas, ſiue quos emittebat ad bellum, ſiue quos in ſuas prouincias remittebat. Denique aliam huius opulentioris conuiuij occaſionem poſſet quis meditari ex verbis LXX. Interpretum, qui agentes de hoc ſemeſtri epulo, ita habent: *Quandò autem impleti ſunt dies nuptiarum, fecit rex conuiuium gentibus.* An nuptiarum dies accipit pro diebus conuiuij, quia in nuptiis conuiuia celebrabantur? An hoc munificentius conuiuium pro nuptiis cum Vaſthi reginâ celebratum eſt?

Salian. ann. m 3592. n. 2.
Eſther. 3.
LXX. Interp.

7\. *Cunctis Principibus.* ] Hebræi codices *Principes* exſcribunt, Chaldæus *Magnates*, LXX. interpretes habent *Amici*, regni inquam Proceres. *Pueris ſuis.* ] Hebraicè *ſeruis ſuis*, nempè aulicis. Poſteà *Fortiſſimis Perſarum.* ] Vatablus, *Robur Perſidis & Mediæ*, duces inquam, bello clari, & copiarum præfecti. *Medorum inclytis.* ] Benè notat Mariana quod Hebræum *Hapaz temim* ſignificat viros magnos, & claro ex genere. Denique *Præfecti prouinciarum.* ] Hebraicè, *Principes prouinciarum*. Chaldaicè, *Qui præfecti erant regionibus*, Græcè, *Satrapæ*. quo etiam vocabulo nominantur infrà cap. 3. & alibi paſſim. Quod nomen etſi Perſicum, à Græcis ac Latinis frequenter vſurpatur. Nempè huius ſumptuoſioris epuli conuiuæ erant, & palatini, & prouinciarum copiarumque ſummates, Exindè è populo infimi ac mediani ab hoc conuiuio excluſi ſunt, & ſummi duntaxat aſciti.

Hebræus.
Chaldæus.
LXX. Interp.
Vatablus.
*Qui ad hoc conuiuium aſciti ſunt?*
Eſther. 3.

*Verſ.* 4. Vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui ac magnitudinem atque iactantiam potentiæ ſuæ multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus.

8 Ecce occaſionem munificentioris & diuturnioris effuſiùs conuiuij. Quâ liberalitate, & opum oſtentatione principum & officiariorum ſuorum animos ſibi obſequentiores & fideliores reddere voluit, & ſpebus erigere ad præmia opulentiùs promerenda: contrà verò factioſorum & rebellium tali opum, potentiæ & magnificentiæ ſuæ oſtentatione deterrere, nequid aliquandò in ipſum auderent moliri ſub ipſo noui imperij ſui initio, vt benè Feuardentius adnotauit.

*Quæ huius conuiuij cauſſa?*
Feuardent. ibi.

*Iactantiam potentiæ ſuæ* ] id eſt, ſplendorem. Actus pro obiecto, quod obuium eſt in Bibliis. Conſule Tirinum in Idiotiſm. §. 46. Pineda de rebus Salom. lib. 6. cap. 1. num. 2. *Vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem atque iactantiam potentiæ ſuæ*, quod propriè ex Hebræo legitur, *Et honorem ac decorem magnitudinis ſuæ*, id eſt, honorificentiſſima, atque pulcherrima ornamenta. Aptè quidem. *Centum & octoginta diebus.* ] Nempè toto ſemeſtri conuiuium primariis viris exhibitum eſt, veroſimilius enim putatur annum tunc apud Perſas trecentis ſexaginta diebus conſtare. Quod hîc diſquirere, vt obuium, ita & ſuperuacuum ac faſtidioſum foret. Legatur Serarius hîc quæſt. 10.

Tirinus.
Pineda.
Hebræus.
Serar.

Lyranus hîc putat non eſſe veriſimile, quòd homines qui è remotis regionibus aderant, totis ſex menſibus vacauerit. Et quidem difficile quis mentem inducat, omnes centum viginti ſeptem prouincias primariis viris, belli ducibus & prouinciarum Satrapis ac præfectis viduatas totis ſex menſibus. Ecquis enim tunc tot prouinciis idoneè præeſſet? quis hoſtiles finitimorum incurſiones arceret? Exinde ſeriò cenſet Lyranus hos centum octoginta dies non conuiuio, ſed conuiuij opulentioris præparationi impenſos fuiſſe: adeò vt Aſſuerus ſeptendiale tantùm exhibuerit epulum. Quare mox ſubditur: *Cùmque implerentur dies conuiuij, inuitauit omnem populum, qui inuentus eſt in Suſan, à maximo vſque ad minimum: & iuſſit conuiuium ſeptem diebus præparari in veſtibulo horti.* Hanc loci expoſitionem Dionyſius Richel *ineptiſſimam* putat. Primò quoniam ſacer Hiſtoricus explicatius inter duo iſta conuiuia diſtinguit tam quoad locum, quàm quoad tempus, & quoad inuitatos. De primo namque conuiuio ait: Fecit grande conuiuium multo tempore, videlicet centum octoginta diebus, nec mentio ibi de ſpeciali loco: deindè agit de conuiuio ſeptendiali; nec in deſcriptione primi conuiuij vlla fit mentio de præparatione conuiuij ſed de exhibitione duntaxat. Imò in deſcriptione conuiuij ſeptem dierum fit mentio de *præparatione* conuiuij, & nihilominùs exponitur hoc de conuiuij exhibitione; ergò potiùs primum. Deinde, deſcripto primo conuiuio ſubdit, Cùmque implerentur dies conuiuij; & conſequenter tractat de ſecundo conuiuio, quod affirmat ſeptem duraſſe diebus. Rursùs primum conuiuium aſſerit exhibitum cunctis Principibus, pueris Regis, fortiſſimis Perſarum & Medorum inclytis, & præfectis prouinciarum: ſecundum verò conuiuium dicit factum omni populo à minimo vſque ad maximum, in ciuitate Suſan inuento. Itaque haud dubiè cenſendum eſt duplex fuiſſe conuiuium, alterum Principibus, alterum populo etiam exhibitum. Ita Ioſephus, Hiſtoria Scholaſtica, Dionyſius Richel, Hugo Carenſis, Feuardentius, Caietanus, Serarius, Sanctius, Salianus, Menochius, Euſebius, innuit Vatablus.

9\. *In priori conuiuio 180. dies impenſi ſunt, non in illius præparatione.*
Lyran. hîc.
Ioſephus.
Hiſt. Schol.
Dionyſ.
Hugo Card.
Feuardent.
Caietan.
Serarius.
Sanctius.
Salianus.
Menoch.
Euſeb.
Vatablus.

Rationem pro Lyrani expoſitione adductam facile expedit Caietanus. Enimverò tametſi ſacer Hiſtoriographus diſſertè aſſerat ſemeſtre conuiuium exhibitum fuiſſe *cunctis Principibus*, &c. Non cogimur aſſerere omnes omninò tot prouinciarum primarios viros ſimul adfuiſſe; ſed aliis atque aliis venientibus, alios acceſſiſſe, ne omnes prouinciæ Præfectis carerent. Addit Serarius, *omnes*, id eſt, paucis, qui quaſi nulli erant, exceptis, omnes ſimul adfuiſſe. Saltem hoc epuli fini magis congruebat, vt Rex regiæ potentiæ ac munificentiæ maiorem admirationem, & ex mutuo Procerum conſpectu maiorem vltro citróque

10\. Caiet ibi.
Serar. q. 8.
*Obiectio pro Lyrano adducta expeditur.*

tióque hilaritatem,& ad regalia obeunda miniſteria alacritatem cumularet. Qui etiam poſtremo conuiuij die cunctis ſimul Principibus, & omni populo eximiam Reginæ pulchritudinem oſtentare voluit. Nec putandum eſt ſingulas prouincias vicariis, ſeu inferioribus Præfectis interim deſtitutas, qui ſi quid litigij, aut hoſtilitatis occurreret, præſto eſſent.

---

## §. XII.

### *Commentarius litteralis.*

*Verſ. 5.* Cúmque implerentur dies conuiuij, inuitauit omnem populum qui inuentus eſt in Suſán, à maximo vſque ad minimum; & iuſſit ſeptem diebus conuiuium præparari in veſtibulo horti, & nemoris, quod regio cultu, & manu conſitum erat.

1 Ambiguum eſt apud Interpretes, an præter ſemeſtre epulum Principibus exhibitum, aliud ſeptendiale populo etiam appoſuerit, ita vt omne conuiuij tempus 187. diebus durauerit. Affirmant Lyranus hic, Carthuſianus, Euſebius, Vatablus, & Serarius q. 10. fauent Græci, & Hebraici codices; ſic enim LXX. exſcribunt: *Quando autem impleti ſunt dies nuptiarũ*, &c. Sanct. Pagninus, *Et cùm impleti fuiſſent dies ipſi*, &c. Vatablus, *Cúmque impleti fuiſſent dies illi.* Sed præſtat hærere Vulgato, qui non exſcripſit, *Cùm impleti eſſent*; ſed potiùs, *Cùm implerentur*, quod impletos non dicit, ſed iamiam implendos, nempè vltimâ totius ſemeſtris hebdomade. Ita Salianus, & Menochius. Et ſanè cùm hoc ſeptemdiale conuiuium non populo duntaxat, ſed Principibus etiam exhibitum ſit, (ſcribitur enim inuitatos fuiſſe *à maximo vſque ad minimum.* Quin & vltimâ epuli die, reginæ Vaſthi pulchritudinem & Principibus, & omni populo oſtentare voluit) ideò dicit centum octoginta diebus duraſſe conuiuium. Non dimittam innotatum, quod nuper ex LXX. Interpr. pro *conuiuio* ponuntur *nuptiæ*. Putat P. Leander, iſtiuſmodi conuiuio celebrari ab Aſſuero anniuerſarium nuptiarum diem. Sed iactantiæ & gloriæ magnitudinem in hoc ſumptuoſiori perdiu conuiuio, potiùs oſtentare ambit. Quia ergo familiare ſemper, & vbique nuptiis fuit, eas opiparis per plures dies conuiuiis celebrare; inde lautum ſplendidè conuiuium, nuptiale, vel nuptiæ nuncupatur. Sic Hiſpanè repetitum conuiuium, etſi nuptiale non ſit, *Tornabodas* nominamus. De quà aliàs.

(Margin: Lyranus. Carthuſ. Euſebius ſuprà. Vatablus. Serarius. LXX. Interp. Pagninus. Vatablus. *Conuiuium tantum 180. dies durauit.* Salian. anni m. 1592. n. 5. Menoch. ibi. Leander hic in c. 1. Com. 2. ſect. 1. n. 1. & ſect. 2. n. 1.)

2. *Inuitauit omnem populum, qui inuentus eſt in Suſan, à maximo vſque ad minimum.*] Cùm Ioſephus legeret apud LXX. Interpretes: *Fecit Rex conuiuium gentibus inuentis in Suſan*, &c. hos ſeptem poſtremos epuli dies deſtinat conuiuio plurimarum gentium, & earum legatorum. Nimirum homo Iudæus Phariſaïco faſtu & ſupercilio pauperes ac plebeios epulis fruſtrà excludit. *Septem diebus.*] Græci codices *ſex dies* habent. At Græcorum codicum numeri ſæpè ſuſpecti ſunt, vt in Iudithæ commentariis non ſemel adnotabamus. Niſi fortè ſex dies conuiuio tribuunt, in quibus eſculentæ & poculentæ deliciæ præcipuè incaluerunt; ſeptimum autem diem negotio reginæ Vaſthi deſtinant. Subtilis quidem Serarij coniectura, ſi fortè vera. *In veſtibulo horti.*] Nimirum in regiorum hortorum atrio conuiuium apparatur promiſcuæ & copioſæ populorum turbæ, tum quia plebeios nec decebat, nec licebat interiora palatij & hortorum penetrare, vt ſuſpicatur Salianus: tum etiam quia tantam turbarum multitudinem clauſus non capiebat locus, quocircà in apertum coactus eſt, vt putant Sanctius. Ambiguum autem eſt, an in regio palatio, an intra hortos ipſos & lucos conuiuium ipſis Principibus exhibitum ſit. Videtur autem veroſimile, ſaltem his ſeptem diebus, quando populus in veſtibulo hortorum epulabatur, regni Proceres intra ipſos hortos & lucos ſumptuoſiùs admiſſos. De his regum Perſarum hortis, quos delicioſiſſimos fuiſſe haud dubium eſt, plura Hiſtoria ſcholaſtica poëtatur citiùs quàm denarrat, vt putà vitium argenteos ſtipites, aureos palmites, gemmeos botros, & ſexcenta adſimiliter figmenta fide maiora. Conſule hìc Feuardentium. Quo autem tempore incœperit hoc ſemeſtre conuiuium, dubium eſt. Saltem hoc ſeptemdiale in atrio epulum aut verno, aut autumnali tempore exhibitum videtur ſub temperato cælo; alioqui populus intra tecta non receptus, aut brumâ frigeret, aut caloribus æſtuaret, etſi papilionibus protectus. Exiſtimauerim in autumno incœpiſſe conuiuium, & in vere dimiſſum. Sic Principes intra tecta admiſſi, hiemem tranſigere poſſent, & cum vere intermiſſas hieme expeditiones, aut reſtaurare inchoatas, aut inchoandas alactiùs auſpicari: De quo infrà, num. 11.

(Margin: *Quinam è populo inuitati, & vbi diſcubuerint.* LXX. Interp. Ioſephus. Serar. q. 10. Salian. ſuprà. Sanct. ibi. Hiſt. Schol. Feuard.)

3. *Quod regio cultu & manu conſitum erat.*] Principum præcipuè Perſarum impenſius ſtudium fuit in deliciis vndelibet captandis: eæ autem honeſtiſſimæ & dignitatis plenæ, quæ in hortis & xyſtis collocantur, quo frequentium negotiorum nauſeam excutiant idoneo animi laxamento. Nec alienum fuit à regia dignitate aliquam operam in hortorum cultu ponere, quod fecit Cyrus Perſarum etiam rex, ingenio præſtans, & tanti imperij gloriâ clariſſimus, vt ex Xenophonte ſcribit Cicero in lib. de Seneɛt. & nemo non hìc ſcribit. Addit Serarius ex Venantio lib. 6. Childebertum Francorum regem. Audiendus eſt Auguſtinus lib. 8. de Geneſi ad litteram cap. 8. vbi exponens illud, *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illum*, de agricolationis iucunditate ita ſcribit: *Ita ſanè arbitraretur*, (laborioſè inquam terram coli) *niſi videremus cum tantâ voluptate animi agricolare quoſdam, vt eis magna pœna ſit inde ad aliud auocari . . . . Quid enim maius mirabiliúſque ſpectaculum eſt, aut vbi magis cum rerum naturâ humana ratio quodammodo loqui poteſt, quàm cum poſitis ſeminibus, plantatis ſurculis, inſitis malleolis, tanquam interrogatur quæ vis radicis & germinis quid poſſit, quidve non poſſit: vnde poſſit, quid in ea valeat numerorum inuiſibilis interiórque potentia, quid extrinſecus adhibita diligentia?* Plura

(Margin: *Reges agricolationi iucunde vacãt.* Xenoph. Cicero. Venant. S. Auguſt. Gen. 2. v. 15.)

Plura inibi in hanc ſententiam Auguſtinus. Itaque Aſſuerus, ſeu Artaxerxes Longimanus propriâ induſtriâ & manu iucundæ agricolationi tantiſper operam dabat, & honeſtiori animi laxamento hæc iucunda colloquia cum rerum naturâ ore tacente miſcebat, non æſtuans agricolationis labore, ſed opere placidè philoſophus.

*Verſ. 6.* Et pendebant ex omni parte tentoria aërij coloris & carbaſini ac hyacinthini, ſuſtentata funibus byſſinis, atque purpureis, qui eburneis circulis inſerti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei & argentei, ſuper pauimentum ſmaragdino, & pario ſtratum lapide depoſiti erant: quod mira varietate pictura decorabat.

4. Eſther. 5.

Tametſi apud Latinos prorſus idem non ſit *veſtibulum* & *atrium*; pro *veſtibulo* tamen hîc Hebræum verbum eſt, quod infrà cap. 5. verſ. 1. *atrium* vertitur. Hoc ſeptendiale conuiuium plebeiis exhibitum eſt in veſtibulo regij horti ac nemoris, quod eſſe peramplum oportebat, quippe quod capere poterat tot hominum turbas ex regiæ vrbis indigenis, & adſcitis vndique alienigenis. Putauerim hoc veſtibulum tot myriadum capax ſeptis clauſum non eſſe, ſed apertum, & ſubdiu nudo, vt congruè opinari licet de peramplo nimis veſtibulo, & quidem horti ac nemoris, non regij palatij. Pagninus habet, *In atrio horti palatij Regis.* Nō vrbici, ſed ruralis palatij, vt §. ſequenti num. 5. adſtruetur) Exinde ampliſſima etiam tentoria ſuſpenſa ſunt: nam licèt veroſimile ſit plures iuſtim proceras arbores patulis diffuſas ramis eminere, quæ odorata & florida texerent vmbracula; tamen nequid deſideraret delicioſis conuiuarum luxus, aut ambitioſior regiæ potentiæ oſtentatio, vela etiam oppanſa ſunt, quorum obiectu & temporis arcerentur iniuriæ, & conuiuantium exaggerarentur deliciæ. Verùm huius veſtibuli pauimentum vario ac pretioſo conſtratum lapide, nonnihil impedimenti affert. Porrò ſi hoc *veſtibulum* intra regia hortorum tecta locaueris, incredibile videtur tot hominum myriades capere, nec valdè congruum videtur tentoriis ſeu papilionibus obumbrari, quæ eſt idonea ſupellex eorum, qui ſub aperto cælo morantur: ſi autem extra hortorum ſepta *veſtibulum* locos, mirum ſanè eſt tam amplum extra hortorum aream ſpatium, pretioſo ex interuallis lapide ſtratum. Sed miriora in hoc ambitioſo ad oſtentationem conuiuio videas, luxum & magnificentiam Perſicam ſumptuoſius ſpirantia. Præſtat autem ſic rem componere, quàm cum Serario dicere plebeios ad hortos interiores admiſſos: nam penitiores horti, luci, nemora Primoribus ſeruabantur, quibus licebat, non vulgari turbæ, interiora penetrare. Tum etiam quia interiores horti inidoneè appellarētur *veſtibulum horti*. Non renuit Sanctius concedere prope veſtibulum arbores etiam, & forſan hortos vernare, ſed exteriores, & illis ad topiarias Regum delicias conſitis, longè amœnitate impares. Pro *τὸ tentoria* alij exſcribunt *aulæa*, ſed quæ conuiuis obumbrandis ſuſpendunt, non quibus parietes ad ornatum veſtiant.

*[Margin: Quid veſtibuli nomine hic ſignificetur. — Pagninus. — Ser. q. 11. — Sanct. ibi.]*

*Aerij coloris.* ] Itaque oppanſa conuiuis tentoria, alia erant candida, qualis apparet 5.
aër lucis ſplendore pellucidus. Vnde Pagninus, Vatablus & Mariana, ex Hebræo *candida* excribunt. Gotthica & Regia *aëria.* Quidam codices *æris coloris* habent, hoc eſt, fului. Putauerim, aliquem malè ſcioſum, voluiſſe Latinum *aërium* (quod fortè non capiebat) in affines vocis *æris* ſyllabas emendare. Itaque Hieronymus *aërium colorem* pro candido poſuit tum hîc, tum etiam c. 8. verſ. 15. Carbaſini. Profectò carbaſus genus lini eſt, non ſpecies coloris. Hebræum *carpas* viride ſonat, vnde Caietanus, Pagninus & Vatablus *viride* habent; LXX. verò *carpaſini*, ſic & Biblia regia. Idcircò nonnulli apud Sanctium ſuſpicantur Hieronymum non *carbaſinum*; ſed potiùs *carpaſinum* excripſiſſe retentâ Hebreâ radice, (quod fecere Græci codices) ſed vnius litteræ facili euariatione, *carpaſinum* in *carbaſinum* fuiſſe conuerſum. Viderint eruditiores. Chaldæus pro *carbaſini*, aut *carpaſini*, habet *Sapphiri*: reliqui interpretes viridem hîc colorem agnoſcunt. Hiacinthini. Hebræi pro *Hyacinthino* habent *rubrum*: at color hyacinthinus potiùs eſt violaceus aut fuluus: quare Sanctius & Mariana *purpureum* colorem intelligunt, etſi Feuardentius *cæleſtem colorem* malit.

*[Margin: Pagninus. Vatablus. Mariana. — Bibl. Gotth. Bibl. Regia. — Qualis tentoriorum color. — Caietan. Pagninus. Vatablus. Sanct. — Chaldæus. — Sanctius. Mariana. Feuard. ibi.]*

*Suſtentata funibus byſſinis, atque purpureis,* 6.
&c.] Hæc tentoria, ſeu tentoriorum aulæa cortinæne, quæ à ſummo ad terram vſque laxiùs defluebant, caſtrenſium papilionum formam expreſſiſſe, pronum eſt exiſtimare. Scilicet totum veſtibulum ad certa interualla marmoreis columnis diſtinctum erat, in quarum ſummis capitellis circuli (aliàs cubi, aut taxilli, Hiſpanè *gurruchas*) extabant, per quos illi funes byſſini atque purpurei traiecti, cortinas capaciſſimè tendebant. Iſtiuſmodi autem aulæa, ſeu cortinæ, tametſi erectis ex interuallo præcipuè columnis fulciantur; funibus tamen per taxillos traiectis *ſuſtentari* dicuntur, quia funibus prætentis totam ſinuum ſuorum ambitionem laxè explicant, quæ tot habitatores capere poſſit; alioqui ſi funes prætenti non eſſent, tentoriorum aulea ſeu cortinæ, ſine ambitu forent, & contractiùs defluerent, vt perſpicuum eſt. Itaque funes dum aulæorum peramplam laxitatem diſtendunt, ne arctè complicetur, tentoria *ſuſtentare* perhibentur.

*[Margin: Quo pacto tentoria funibus ſuſtentari dicuntur.]*

*Funibus byſſinis atque purpureis.*] Haud du- 7
biè *byſſus*, genus lini eſt habentis fila tenuiſſima: nec byſſus vnicolor eſt: nam Apocalypſis 19. *Datum eſt*, inquit, *illi, vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido.* Suidas & Heſychius vterque in voce Βύσσος, colorem purpureo ſimilem illi tribuunt. Pauſanias verò ſcribit, byſſo non ineſſe à naturâ candorem, ſed ſufflauum aliquid, aut rubrum. Nihilominùs Sanctius inibi cenſet, quòd cùm iſtiuſmodi funiculi byſſini & purpurei eſſe dicantur, comparationem in coloribus fieri, ſiue innuatur byſſus candida, ſiue ſufflaua, aut rubra. Non adducar vt adſentiam: nam ſi de funium coloribus ſermo

*[Margin: Apocal. 19. v. 7. — Suidas. Heſych. — Pauſanias apud Sanct. — Sanct. ibi. num. 13. — Byſſini funes non colorem, ſed materiam dentant.]*

eſt

eſt, etſi purpureus color diſertè traderetur, byſſinus nimis confuſaneè. Putauerim, non agi de coloribus, nec colorem purpureum byſſino opponi; ſed potiùs funium materiam & colorem tradi. Nimirùm funium, quibus tentoriorum aulæa prætendebantur, materia erat byſſina; id eſt, è nobili lino, quæ byſſus dicitur; funium autem color ſiue natiuus, ſiue ab arte aſcitus, erat purpureus, quod ſubindicat inibi Menochius.

Menoch. ibi. LXX. Interp. Chaldæus. Bibl. Regia. *Eburnei circuli, quare aurei & argentei dicuntur.*

*Eburneis circulis.*] LXX. Interpretes pro *circulis* habent *cubos*, Chaldæus Paraphraſtes *fibulas rotundas*, Hebraica Vulgato conſentiunt; Biblia regia *taxilos* habent. Hiſpanè iſtiuſmodi *circulos* appellabis *garruchas*. Animaduertere autem oportet, quòd reliquæ tranſlationes iſtiuſmodi *circulos*, cubos, aut taxilos, non eburneos, ſicut Vulgatus, ſed *aureos argenteóſue* faciunt, forſan quia cùm eſſent ex ebore, cruſtis aureis & argenteis cælati ornatíque erant. *Columnis marmoreis fulciebantur.*] Iſtiuſmodi columnæ marmoreæ præſcripta tentoria *fulcire* dicuntur, quia columnis innitebantur aulæa; quæ etiam funibus *ſuſtentari* perhibentur, quia eorũ expãſio à prætentis funibus tota erat, vt nuper exponebamus. Itaque non vnum tentorium multorũ millium capax, vt putat Ioſephus, ſed plura ex interuallo erecta, & oppanſa erant, quæ non ſimul, (quod incredibile foret) ſed ſucceſſiuè, tot hominum millia caperet. Suſan enim vrbs erat valdè magna, & tanti imperij metropolis, & tunc adſcitis alienigenis frequens.

Ioſephus.

8. *Lectuli quoque aurei & argentei.*] Hi lectuli non cubiculares erant ad capiendum ſomnum, ſed tricliniares ad epulandum, vt nemo interpretum non aduertit. Egregiè notat Salazar exponens hunc locum, lectos aureos argenteos, nuſquam legi, niſi in conuiuiis. Qui addit, nihil eſſe certius: & pro ſe allegat Fuluium Vrſinum in triclinio Romano, eum conſule hâc ſuper re, & Lipſium lib. 3. antiq. lect. c. 1. & Manutium in libello de hâc ipsâ re. Inde paſſim tori, biclinia, triclinia, accubitus, diſcubitus. Addunt Prado, & Serarius quòd apud Rabbinos, *beth hommitoth* domus lectorum, idem eſt ac domus conuiualis. Benè aduertit Tirinus, quòd licèt priſci præproperè more iam noſtro ſolerent etiam ſedibus vti, & aſſidere menſæ, vt conſtat ex Geneſis 43. verſ. 33. Philone, Athenæo, Homero & aliis; poſtea tamen mollitie & luxu inualeſcentibus cœpiſſe Perſas, Iudæos Græcos, Ægyptios, Romanos & penè omnes Orientales vti accubitu ad menſam. Formam accumbendi ipſe inibi tradit: tradiderãt olim imaginibus illuſtratã Prado & Villalpandus in Ezechielis c. 23. v. 41. ſub finem commentarij. Quã ſuper re aliàs egimus. Exindè non opinor, Lyra, Strabus, & Carthuſianus, per *lectulos* non toros, ſed ſedilia in modum lectorum interpretatur. Porrò in eiuſmodi lectulis ſaltem viri non ſedebant, ſed decumbebant, inde *accubitus*, & *diſcubitus*, quia ad menſam accumbebant, & diſcumbebant. 1. Reg. 16. verſ. 11. *Nec enim diſcumbemus, priuſquam huc ille veniat.* & Cantic. 1. verſ. 12. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo*, conuiuia inquam. Et alibi paſſim in Bibliis. Et licèt Ezechielis 23. verſ. 41. de meretrice illa dicatur. *Sediſti in lecto pulcherrimo, & menſa ornata eſt ante te*; ſedenti autem ſella conuenit, lectulus non niſi accumbenti: at, vt inibi eruditè Prado ex Ariſtotele, Hegeſandro, & Valerio

Salaz Prou. 25. verſ. 11. n. 47. Fuluius Vrſic. Lipſius. Manutius. Prado infrà. Serar. q. 12. Tirin. ibi. Geneſ. 43. Philo. Athenæus. Homerus. Prado. Villalpand. Auctor in Iudith c. 13. Lyra. Strabus. Carthuſ. 1. Reg. 16. *De toro, ſeu lectulo diſcubitorio.* Cantic. 1. Ezech. 23. Prado. Ariſtotel. Hegeſand. Valerius.

Max. probat, poſterioribus ſeculis ſolemne fuit viris diſcumbere ad menſam, pueris autem, atque feminis ſedere. Quem morem perpetuò ſeruatum non fuiſſe, traditur in hoc lib. cap. 7. verſ. 8. vbi ſupplex Aman corruiſſe dicitur in diſcubitorio lecto, vbi regina Eſther ad menſam iacebat.

Eſther. 7. Prado in Ezech. 23.

9. *Lectuli quoque aurei & argentei.*] Teſte Varrone lib. 4. Latinis *lecti* dicti ſunt à legendis herbis & ſtramentis, ex quibus fierent. Tori etiam vocantur à tortis herbis, quæ accumbentium humeris ſupponebantur, ita Iſidorus lib. 2. Etymol. & Seruius in lib. 5. Æne. Poſteà eiuſmodi lecti diſcubitorij ex lignis, mox ex materiâ arte fabrefactâ compacti ſunt. Dein (vt ſcribit Plinius lib. 33. c. 11.) victâ Aſiâ primùm Romam adducta ſunt triclinia, ſeu lecti diſcubitorij ærati. Denique luxu inſoleſcente, tradit Varro lib. 8. Plinius lib. 9. c. 11. Apuleius lib. 10. ex auro, argẽto, ebore & teſtudinum Indicarum putaminibus in laminas ſectis, fabrefactos fuiſſe. Adſimilem lectorum tricliniarium luxuriem Samaritis, & Hieroſolymitanis exprobrat Amos cap. 2. & 3. & Regi Perſarum hîc tribuitur. Hæc ferè ex Prado ſuprà, qui addit, non minorem luxum in lectorum apparatu, quàm in eorum materiâ fuiſſe. Iſtiuſmodi *lectuli* hîc dicuntur *aurei & argentei*; quod denotat materiam, potiùs quàm eorum apparatum, ſeu auro & argento textiles culcitras, quod Lyranus exiſtimauit: nam, vt nuper tradidimus & auro, argento, ebore, & Indicâ teſtudine, lecti exſtruebantur: Nec ſine culcitrarum ornatu iacebant lecti, de quo infrà, num. 11.

Varrone. *Lectorum materia.* S. Iſidorus. Seruius. Plinius. Varro. Plinius. Apuleius. Amos 2. Prado. Lyran. ibi.

10. Diſcubitorios *lectulos* ex argento & auro affabrè elaboratos, in hoc regali conuiuio legimus, nec menſarum hîc vlla fit mentio, neque in Vulgato, neque in reliquis tranſlationibus. Putat noſter Mariana, induci lectulos, non menſam, quia lectis decumbentes comedebant. At cùm lectuli è pauimento ſublati ſint, quid prohibet lectos ſterni, & menſas apponi? Et ſanè Ezech. 23. verſ. 41. & diſcubitorios lectos & menſam legimus: & nuper ex Ariſtotele, & aliis tradidimus in conuiuio vbi viri diſcumbebant in toris, feminas & pueros ſedere ad menſam. Et in lectis quos Prado ſuprà deſcripſit, & lectulos, & menſas videmus. Non putauerim quòd ſacer Hiſtoricus qui ambitioſum huius regij epuli apparatum ſic exactè deſcripſit, vt funium colorem atque materiam, & vel pauimenti emblemata non tacuerit; menſã intermiſiſſet in exactâ deſcriptione conuiuij. Exindè ſuſpicari liceat, eiuſmodi lectos diſcubitorios non Principibus, ſed plebeis ſtratos, etſi pretioſi forent, valdè tamen humiles fuiſſe, & modicè è terra ſublatos adeò vt pauimentum inſtar menſarum foret: & ideò vario & pretioſo argutè conſtratum lapide deſcribitur, nec forſan menſæ apponerentur hoc pauimento ornatiores. Quod autem, cùm non regni proceres, ſed plebeij aduocantur ad Regum Perſarum conuiuia, humilis ſternatur lectus, nullâ menſarum factâ mentione, conſtat ex Iudith cap. 12. vbi de ipsâ inuitatâ ad cœnam Holofernis, quẽ Tertullianus Regem appellat, ita LXX. Interpretes ſcribunt: *Et acceſſit ancilla eius, & ſtrauit ei ante Holofernem humi pelles, quas acceperat à Bagao ad quotidianum vſum ſuum, vt manducaret accumbens ſuper eas: & ingreſſa recubuit*

Mariana ibi. *Quare hic menſarum nulla mentio.* Ezech. 23. Tertull. Iudith 12. apud LXX. Interpr.

Auctor in Iudith c.12. §.16.n.72. *Iudith.* Inibi autem probabam, Iuditham non accubuiſſe ad Holofernis menſam: alioqui inurbanè abſtinuiſſet Holofernianæ menſæ cibis, de quo inibi. Itaque etſi illo ſeptiduo Aſſuerus in toris cum Principibus ad menſam recumberet, veroſimile eſt plebeios Regis conuiuas, ac ſi rex accumberet, pretioſos habuiſſe lectos pro tanti Regis magnificentia; humiles autem pro Regis decoro, menſarum vicem tenère pretioſo in primis pauimento. Vndè Athenæus lib.4.cap.6. vbi Rex in ſublimi toro accubuiſſe perhibetur, alij autē humi: *Cùm venerint, inquit, conuiuæ vnà cum illo bibunt; hi humi ſedentes, ille in toro pedes aureos habente accumbit.* Proceres humi ſedent ad Regis menſam apud

Athenæus. Athenæum; plebeij nunc in humilibus, etſi pretioſis toris regio conuiuio accumbunt, pretioſo pauimento vicem menſarum obeunte. Nimirùm in regio conuiuio id fit pro Regis decoro, quaſi Rex ſingulis tricliniis quodammodo accumberet, quod ad ſumptuoſiorem regij epuli magnificentiam ſpectare videtur. Nec

Mariana. inuitus in hanc ſententiam Mariana venit: alioqui virum eruditiſſimum non latebat, menſas cum toris in vtrâque eruditione paſſim ſociari. Vndè quidam apud Salianum ex Villalpando pauimentum ſmaragdinum pro menſâ fuiſſe putant. Verùm mox in hoc eodem cap. verſ.8. menſarum fit expreſſa mentio; cùm ſinguli de Principibus *menſis* plebeiorum præponi dicuntur. Nimirùm quod huic verſiculo 6. deeſſe

Salian. tom. 5. ann. m. 3592. n.6. Hic verſ.8. videtur, verſiculo 8. ſufficitur: ita inibi Salianus. Cui non plenè adſentiam: nam in verſ. 8. *menſæ* pro tricliniis accipi videntur. Quaſi dicat: Singuli principes ſingulis tricliniis, vbi plures epulabantur, præerant. Alioqui miriſſimum foret in tam exactâ deſcriptione aliarum rerum, quæ conuiuium exornabant, nullam menſarum fieri mentionem, vt nuper expendebamus. Quâ de re iterùm redibit ſermo §. ſequenti n. 4.

11. *Super pauimentum ſmaragdino, & pario ſtratū lapide.*] Quàm fuerit ambitioſa Principum luxuries in ornandis non tantùm tectis & parietibus, ſed etiam in calcandis pauimentis, per-

Sanct. hic n.16. & 17. *Quomodo pauimentum è ſmaragdo ſtratum erat.* ſtringit hîc Sanctius: obuium id, & paratu facile. Singula verba nobis exactè exponenda ſunt. In ferè confeſſo eſt, *parium* lapidem eſſe candidum. Pro *Smaragdino* non putauerim intelligi Smaragdum, quæ eſt rationalis gemma: quæque *barequet* Hebraicè ſcribitur; hæc autem *bahath.* Et ſanè ſmaragdus gemma eſt in paucis pretioſiſſima, de quâ multis agit noſter

Alcazar. Plinius. Alcazar in Apocalyp. 21. ver. 20. notatione 15. & Plinius lib. 37. cap. 5. Hebræa vox *ba-*

Mariana. *thath*, teſte Marianâ lapidem ſignificat marmori ſimilem, quam Chaldæus *cryſtallum* expreſſit: & addit vtramque vocem Hebræam, quæ pro lapide *ſmaragdino* & *pario* ſubeſt, ignotæ

Salian ſuprà. Pagninus. Vatablus. ſignificationis nunc eſſe. Salianus ſecutus Pagnini & Vatabli tranſlationes, *parium* & *ſmaragdinum* lapidem pro marmore *candido* & *porphyretico* diuerſicolore accipit (ſed quod viridantem ſmaragdi colorem referet) ad quod ex-

Vulgatus. Serar. q. 12. Tirin. ibi. primendum addit Hieronymus: *Quod mira varietate pictura decorabat.* Conſule ſuper his Hebræis vocibus Serarium, qui plura è Rabbinis adducit. In voce enim ignotæ ſignificationis plura illis de more ariolari licuit. Conſule etiam Paez in Canticum Moyſis Textu 2. Annotat. 2. Niſi velis cum Tirino quòd pauimentum opere inſititio (ſiue muſiuo, vel Moſayco) ex lapidibus diuerſicoloribus concinne iunctis picturam etiam nobiliſſimæ manus ſubindè mentiebatur. Addunt Græci codices: *Et ſtrata pellucida variè ornata floribus: & in circuitu roſæ ſparſæ.* Quod vel referri poteſt ad varia emblemata inſititio lapide deſcripta in pauimento: vel ad ſtragula ſeu culcitras, quæ lectulos adornabant. Et roſæ vbilibet dicuntur ſparſæ ad ornatum & odorem quod vernum tempus huius epuli denotat, vt ſuprà adnotabamus. n. 2.

Pineda lib. 5. de rebus Salom. cap. 5. num. 87. ſic Pineda. locum exponit: *Pauimentum ſmaragdo & Pario ſtratum lapide; quod mirâ varietate pictura decorabat.* Potiùs referri hæc debent ad variegaturam ipſorum lapidum, quàm ad ſtragula picta, quæ importunè occultarent pulchritudinem & varietatem pretioſorum lapidum. Quo loco in originali eſt *Sohheret*, quod ad negotiationem pertinet, quaſi diceretur, *lapis negotiationis*, aut mercaturæ, vel mercatorum, quòd eſſet ea materia pretioſa, & per manus mercatorum compararetur. Peridoneè quidem Pineda.

## §. XIII.

*Commentarius litteralis.*

*Verſ.* 7. Bibebant autem qui inuitati erant, aureis poculis, & aliis atque aliis vaſis cibi inferebantur.

Tametſi innumera promiſcui populi turba, ad hoc ſeptendiale epulum inuitata ſit, 1. De huius conuiuij poculis, & patinis.
in aureis poculis vinum ſingulis propinabatur. Eſcaria autem vaſa fuere varia: vndè lances, patinæ, & orbes ſæpè mutabantur, quo innuitur ferculorum multitudo. Eiuſmodi autem eſcaria vaſa ex auro, argento, aliâque pretioſâ materiâ fuiſſe, quaſi indubium tradunt Commentatores; nam Perſici apparatus, ſicut & Medicæ menſæ prouerbio celebrantur. Multa Sanct. ibi.n. 18. & 19.
hîc Sanctius ſicut de Perſicâ olim frugalitate, ita de Perſico mox apparatu, ac luxu; adeò vt non tam ſuos ornarent, quàm onerarent abacos. LXX. Interpretes nullâ patinarum ad inferen- LXX.Interp.
dos cibos mentione factâ, ita hunc locum exſcribunt: *Pocula aurea, & argentea, & gemmatus calix propoſitus è talentis triginta millibus*, æſtimatione, non pondere, vt perſpicuum eſt. Ioſephus autem ita hunc locum tradit; *Miniſtrabatur aureis, & gemmeis poculis, ad delectationem ſimul & miraculum factis.* Sed in Græco textu *Paruus calix è carbunculo* traditur apud Salianum, qui plura inibi de gemmeis calicibus ex Theophraſto & Plinio eruditè addenſat, vt neceſſe non fuerit cum Feuardentio dicere gemmas aureis poculis inſertas; ſed poculum fuiſſe ex gemmâ affabrè excauatâ. Pagninus & Vatablus nullam ex Hebræo textu. vaſis eſcarij mentionem faciunt: Serarius autem faciendam contendit.

Ioſeph.lib. 11. Antiq. c.6. Græcus. Salian. tom. 5. ann. m. 3592. n.7. Theophraſt. Plinius. Feuardent. Pagninus. Vatablus. Serrat. q.13.

Vinum quoque, vt magnificentiâ regiâ dignum erat, abundans & præcipuum ponebatur.

Tametſi de Cyro Perſarum primo Monarchâ 2.
referatur

Apud Feuar. hic ad verſ. 2. Serar. q. 14.
*Quàm fuerit generoſum hujus epuli vinum.*
Pagninus. Pineda.

refertatur, fluuij Choaſpis aquâ vſque adeò delectatum, vt eam in vaſis aureis & argenteis circumferret; nunc regis Perſici conuiuæ inducuntur meribibuli: atque in hoc epulo, non aqua propinatur, ſed vinum. Pagninus & Vatablus *vinum regium* habent. Hebraicè *vinum regni*, vel, vt ſcribit Pineda de rebus Salom. lib. 5. cap. 14. num. 25. In Hebræo eſt: *Vinum regium multum ſecundùm manum Regis.* Quod Pagninus dixit, *ſecundùm potentiam Regis.* Quod myſticè in vinum Euchariſticum apprimè quadrat. Et ſanè licèt vinum quod è Chalibone aduehitur, præſtantiſſimum ſit apud Athenæum & Strabonem; forſan abſque ſufficiente fundamento videntur aliqui cenſere, indè aduectum fuiſſe ad regium Suſis conuiuium. LXX. *Vinum multum & ſuaue, quod ipſe Rex bibebat.* Sed apud Athenæum, Regis conuiuæ non eodem vino potantur: *Cùm venerint*, inquit, *conuiuæ, vnà cum illo bibunt, at non tamen etiam idem vinum.* Aptiùs opinor, Chaldaica paraphraſis. Et bibebant vinum dignum quod biberetur à Rege, iuxta regiæ manus liberalitatem, id eſt, vinum optimum & generoſiſſimum & regiâ menſâ & poculo dignum. Tametſi non ſemper ratum fuit illud Athenæi: nam Danielis 1. verſ. 5. *Conſtituit eis Rex de vino vndè bibebat ipſe.* Et infrà verſ. 8. *Propoſuit Daniel ne pollueretur de menſa Regis, neque de vino potus eius.* Rabbini è proprio cerebro fabulantur, Amani Iudæis iam inſidiantis verſutiâ factum, vt iis menſæ dapibus Moſaïcâ lege vetitis refertæ apponerentur, quas ſi comederent, Deum haberent offenſum, ſi illis palam abſtinuiſſent, Regem. At quo auctore, quâ coniecturâ ſuum colorant mendacium?

Athenæus lib. 1. Strabo l. 15. Athen. l. 4. c. 6. Chaldæus. Daniel. 1. v. 5. & 8. Rabbini.

*Verſ.* 8. Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, ſed ſicut rex ſtatuerat præponens menſis ſingulos de principibus ſuis, vt ſumeret vnuſquiſque quod vellet.

*An fuerit lex apud Perſas prouocandi ad bibendum.* Salian. ſupr.

1. Non tam accuratè id Regis reſcripto præcaueretur, & notaretur à ſacro Hiſtorico, niſi in corrupto illo æuo familiare, ac penè legitimum Perſis foret, ſympoſiotas ad bibendum prouocari aliquâ malè ebriâ coactione. Putat Salianus hîc inſinuari lege Perſarum cogi ſolitos conuiuas ab bibendum, quâ lege ſolutos voluit Rex hoc tempore conuiuas. Quod diſertè tradere videntur LXX. Interpretes: *Potus autem hic non ſecundùm propoſitam legem fiebat. Sic enim voluit Rex, & præcepit œconomis facere voluntatem ipſius, & hominum.* Adſimiliter Biblia regia Hebræus textus, ſicut & Vulgatus obſcuriùs loquitur de hâc Perſarum lege. Opinor, Ioſephus rem tetigit: *Mandauit etiam miniſtris, ne quem more Perſarum ad bibendum cogerent, ſed arbitratu ſuo quemque appoſitis frui ſinerent.* Paraphraſtes Chaldæus: *Et potatio iuxta aſſuetam conſuetudinem corporis, & nemo erat qui cogeret.* Hebræum textum ſic exſcribit & exponit Mariana: *Et potatio ſecundùm legem* (id eſt, hæc erat lex potandi) *non cogens* (erat) *quia ſic fundauit* (id eſt, ſtatuit) *Rex.* Non diſſentit Caietanus, niſi quòd pro *lege*, *conſuetudinem* habet: nam Hebraica dictio vtrumque ſignificat. Itaque non erant Perſæ (qui nuper frugaliſſimi) vſqueadeò impudenter intemperantes, vt apud ipſos lege ſancitum eſſet compotationum ebriè certamen: ſed ſicut de quorundam ſeptentrionalium nunc populorum (ô malum!) more eſt, ita de *Perſarum more* fuiſſe ſcribitur. Et quemadmodum ea vini potandi effuſior concertatio, Principum reſcriptis apud Serarium interdicta eſt; ſic in hoc ſaltem regio conuiuio, hæc barbarica intemperanter conſuetudo, Regis edicto nunc vetita. Itaque Aſſueri edictum ſympoſiotis, & Sympoſiarchis intimatum his verbis exponi poteſt: Nemo eſto qui ad pocula vrgeat, nemo qui ad bibendum cogat. Exindè cadus non erat ſiccandus, ſed pro arbitratu riganda ſitis. Ebria illa vini potandi concertatio, egregiè hîc vapulat à Feuardentio, Serario, & Sanctio, qui adiri poſſunt. Nos aliqua in paragraphis moralibus delibamus.

LXX. Interp. Ioſeph l. 11. Antiq. c. 6. Chaldæus. Hebræus. Mariana. Caietanus. Serar. q. 16. Feuardent. Serar. q. 16. Sanctius.

*Præponens menſis ſingulos de principibus.*] Hi viri principes, qui à Vulgato dicuntur, *Præpoſiti* menſarum, à LXX. interpretibus *œconomi* appellantur; Biblia regia habent, *Diſpenſatores domus ſuæ*; Chaldæus, *Præfecti & curatores domus ſuæ*; Pagninus & Vatablus, *Magiſtri domus*; Ioſephus, *Diaconi*, quos eius interpres *Miniſtros* excripſit, Caietanus, *Maiores domus*, *Magiſtros*, vel *principes* effert Villalpandus in Ezechiel. cap. 28. verſ. 14. qui notat, quòd Hebræum verbum ſignificat hîc, & alibi ſæpè hominem honorabilem, inclytum, magnæ exiſtimationis & dignitatis, ob multiplices dignitates, quibus pollet. Hi erant Sympoſiarchæ, qui & Modipetatores, ſtrategi, aut reges appellabantur in vini & ciborum regno. Exindè notare etiam licet, quòd §. præcedenti num. 10. perſtrinximus, nimirùm quòd licèt dicantur *Præponi menſis*, ſiue *Menſarum præpoſiti*, non indè efficaciter colligitur *menſarum* vlla mentio: nam licet in hoc regio lautè conuiuio pauimentum vario ac pretioſo lapide ſtratum, pro menſâ fuerit pro regiæ auctoritatis decoro, nihilominùs quiſquis ſingulis tricliniis præerat, & cibum ac potum moderabatur, ſicut Sympoſiarcha, aut Modiperator, aut conuiuij præfectus, ſic etiam & *menſarum præpoſitus* nominari poteſt, quia conuiuio præeſt, ſiue menſa ſublimis erecta ſit, ſiue pretioſum pauimentum mappis intertectum, menſarum vices obtineat. Quo obtinere exambio, quod in hoc regio Suſis conuiuio nulla *menſarum* expreſſa mentio fit: ſi autem *menſæ* appoſitæ fuiſſent, miriſſimum foret in tantâ reliquorum expreſſione tantum fuiſſe in conuiuio menſarum ſilentium. 4.

LXX. Interp. Bibl. regia. Chaldæus. Pagninus. Vatablus. Ioſephus l. 11. c. 6. Caietan. ibi. Villalpand.
*De huius conuiuij Sympoſiarchis.*

*Verſ.* 9. Vaſthi quoque regina fecit conuiuium feminarum in palatio, vbi rex Aſſuerus manere conſueuerat.

Æmulâ Regis oſtentatione regina Vaſthi conuiuium feminis extruxit, loco tamen diſpar, vt femineum decebat pudorem. Nam conuiuium Aſſueri in veſtibulo horti & nemoris exhibitum eſt; Reginæ verò epulum in Regis palatio, loco ſcilicet tectis operto & qui non egebat tentoriis, & à viris ſeparato. Ex his verbis liquidò conſtare videtur, Regis conui- 5.

*Femina ſeparata à viris conuiuia obeunt.*

uium non fuiſſe celebratum in atrio, ſeu veſtibulo hortorum vrbici ſeu ordinarij palatij, ſed in rurali, vbi horti, & nemora ad regios ſeceſſus. Eruditè aduertit Sanctius in more poſitum apud plures nationes fuiſſe, vt feminæ virorum conuiuia non obirent. Idem probat inibi Feuardentius. Quá ſuper re hîc copioſè agit, & nos aliqua perſtrinximus in Comment. in Tobiam §. 267. num. 9. agentes de Tobiæ iunioris & Saræ nuptiali epulo. *Vaſthi*, ] quæ ſic etiam appellatur a Pagnino & Vatablo, à LXX. Interpretibus *Aſtin* nominatur, à Ioſepho *Vaſte*; Zonatæ interptes *Vaſtam* vocat, & in Græcis Bibliis reperitur *Aſi Vaſthi* nomen apud Feuardentium, Latinis eſt. *potans, bibens*; apud Serarium eſt etiam *duplicans*, ſeu *ponens*, ſeu *ſtamen*. Quænam fuerit hæc regina Vaſthi, ignotum eſt apud eos qui propriam ſententiam auctoritatis & rationis trutinâ pendunt; cùm in profanâ eruditione nullibi inter regum Perſarum vxores reginæ Vaſthi mentio fiat; & eâ de re ſacet Hiſtoricus omninò ſileat. Hebræi putant, filiam fuiſſe ſceleroſiſſimi illius Balthaſaris Chaldæorum regis, cuius flagitia cap. 5. Daniel propheta deſcripſerat, paternúmque odium aduerſus gentem Hebræam egregiè æmulatam: ſiquidem Hebræas mulieres, quas ancillas domi habebat, non ſinebat die Sabbato iuxta ritum gentis quieſcere; & cogebat obambulare nudas, duráque ſeruitia contumelioſè obire. Atque idcircò iuſtè repudiatam, nudam, & ſeptimo die, hoc eſt in die ſabbati meritò peremptam. Hoc Hebræorum commentum, vt nemo eſt interpretum qui non referat, ita nemo eſt qui plenè approbet, aut planè non reprobet, cùm nullâ auctoritate, rationéve nullâ hæc coniectura fundetur. Veroſimiliùs ſuſpicatur Serarius, ſuperiorum Regum, aut cuiuſpiam è Proceribuss filiam fuiſſe. Quin & ſororum nuptias non reſpuebant Perſæ, vt ex Herodoto, Curtio, Plinio, & Ouidio refert Serarius: qui addit ex Plutarcho: filias patribus apud Perſas nupſiſſe. Non putauerim, apud Perſarum reges tanto ſtudio quæri reginæ futuræ auitam generis nobilitatem, quàm formæ præſtantiam: Eſther ſiquidem captiua indiſcuſſo & ignorato eius genere, inuenitur regio thalamo digna ob formæ nobilitatem. Vulgare eſt ex Xenophonte, Ammiano, & Plutarcho, Perſicas fœminas venuſtatis gratiâ excellere: inde eas appellauit Alexander, *Oculorum dolores*, vt aliàs ex Plutarcho adnotabamus, inde etiam æſtimanda eſt Vaſthi pulchritudo, quæ ſic reliquas excellebat.

Sanct. hic n. 23.
Feuardent. inibi.
Pagninus.
Vatablus.
Ioſephus.
*De regina Vaſthi nomine, & de eius genere.*
Zonaras.
Feuardent.
Seratius.
Daniel 5.
Serar. hic 3. p. q. 2.
Herodot.
Curtius.
Plinius.
Ouidius.
Plutarch.
Xenoph.
Ammian.
Plutarch.

*Verſ.* 10. Itaque die ſeptimo, cùm Rex eſſet hilarior, & poſt nimiam potationem incaluiſſet mero, præcepit Mauman, & Bazatha, & Harbona, & Bagatha, & Abagatha, & Zethar, & Charchas, ſeptem Eunuchis, qui in conſpectu eius miniſtrabant.

6. Non die ſabbati, vt hariolantur Hebræi; ſed die ſeptimo, qui terminabat ſeptendiale illud conuiuium populo exhibitum. Apud LXX. Interpretes *Rex exhilaratus* dicitur, nullâ vini mentione factâ. Hebraicè, *Cùm bonum cor Regis in vino*. Sed an amotâ interim mente ebrius fuerit, hîc ſacer textus non dicit, neque verba cogunt vt ebrietatem intelligamus, vt notant Lyranus, Caietanus & Mariana, qui id probat ex 1. Reg. 25. verſ. 36. vbi poſtquam dicitur Nabalis cor *bonum eſſe*, ſeu *iucundum*, ad exprimendam ebrietatem conſultò addit Vulgatus, *& erat ebrius nimis*, quaſi *cor bonum eſſe in vino*, ebrietatem aut temulentiam non expreſſerit. Adde quòd qui nuper ſobrietatem indixerat, vino ſtatim madere, veroſimile non ſit. Denique vel iratus conſulit, quod ebrius irâ exagitatus non faceret. *Precipit Mauman*, &c. ] Hæc nomina ſeptem eunuchorum valdè diuerſa ſunt apud Hieronymum, & apud LXX. Interpretes. Hieronymus in vulgatis Bibliis habet: *Mauman, Bazatha, Harbona, Bagatha, Abagatha, Zethar, Charchas.* Quæ verò his reſpondent apud LXX. Interpretes, hæc ſunt: *Aman, Bazan, Thara, Barazi, Zatholtha, Abaraza, Tharaba.* Putat Feuardentius hanc diuerſitatem prouenire ex eo quòd hæ voces barbaræ ad ritum diuerſi idiomatis tranſlatæ, inflexæque ſint. Verùm nimia eſt quorundam ex his nominibus diuerſitas, adeò vt meritò Serarius cenſuerit, vnum nomen pro alio poſitum, aut Græcos codices eſſe depravatos, cùm Hæbræum Latinus omninò exprimat, miſſis tantùm illis, quæ ex aſpirationibus & punctis plerumque oriuntur.

*Ab ebrietate Aſſuerus vindicatur.*
LXX. Interp.
Hebræus.
Lyranus.
Caietan.
Mariana.
1. Reg. 25.
Feuard.
Serar. q. 3.

*Septem eunuchis.* ] De *eunuchis* paſſim in Bibliis occurrit difficultas, an exſectos, ſeu ſpadones, an Principum miniſtros etſi non euiratos ſignificet. De variis eunuchorum generibus, & eunuchizandi modis tractant Interpretes in Matthæi cap. 19. & Deuteronomij 23. & Leuitici 10. De quo Paullus Ægineta copioſè agit. De variis autem eunuchorum miniſteriis pudicis impudicíſque, noſter Pererius eruditionis helluo vberrimè tractat in Geneſeos cap. 37. verſ. 36 num. 111. & 112. Negare, niſi malè Catholicus non poteſt, τὸ *eunuchos* pro hominibus caſtratis accipi, vt expreſsè habetur cap. illo 19. Matthæi. Non tamen adducar, vt aliquibus aſſentiam, qui ſeriò putant, in Bibliis ſemper *eunuchos* pro hominibus euiratis accipi. Et ſanè Geneſeos 37. verſ. 36. vbi Putiphar Ioſephi dominus, dicitur *eunuchus Pharaonis*, & *magiſter militum*, difficile creditu eſt fuiſſe caſtratum, & maſculofeminam (vt ſic de homine euirato loquar) eſſe Pharaonianæ militiæ cum ſummo imperio Ducem: præſertim cùm infrà cap. 41. dicatur habuiſſe filiam, quam Ioſephus duxit vxorem. Scio quid reſpondeant Hebræi in Hebraicis traditionibus apud Hieronymum, & quàm parùm veroſimile à multis putetur. Et quidem Vatablus pro *Eunucho Pharaonis*, habet *Cubiculario Pharaonis*. Nam, vt ſcitè inibi obſeruat Pererius, nomen Eunuchi primò dictum eſt à cuſtodia cubilis, vt vox ipſa Græca indicat. Pagninus, non *Eunuchus Pharaonis*, ſed *princeps Pharaonis* vertit. Pagnino adſentit tranſlatio Chaldaïca, cuius explanator Fagius inibi ita ſcribit: *Hebraicè vocem* Saaris, *quam Eunuchum interpretantur, cenſent non ſemper vulgo dictum Eunuchum, id eſt, caſtratum ſignificare, ſed aliquando principem & præfectum: & hâc ſignificatione hanc vocem accipi.* Cui ſententiæ ſuffragatur inibi Abulenſis, ibidem, & in hoc loco Lyranus; Oleaſter Hebraïcè peritus cenſet vocem 7.

Ægineta.
Pererius.
Matth. 19.
*Eunuchi ſignificatio latè patet.*
Geneſ. 37. & 41.
S. Hieron. in Tradit. Hebr. in Geneſ.
Vatablus.
Peret. ſuprà.
Pagninus.
Chaldæus.
Fagius.
Abulenſ.
Lyranus.
Oleaſter.

cem *Saris* ſignificare potiùs cuſtodem domus ſeu perſonæ,quàm Eunuchum propriè dictum. Hebræus autem apud Caietanum, ad illum locum Geneſeos ſcribit: *Eunuchi nomen æquiuocum eſſe, patet.... Vnde autem huiuſmodi æquiuocatio acciderit, neſcio.* Exiſtimauerim ſciuiſſe noſtrum Sanctium,ad illud 4.Reg.20. verſ.18. *Sed & de filiis tuis.... tollentur, & erunt Eunuchi in palatio regis Babylonis*, dum verba præſcripta ita commentatur: Eunuchi vox latiùs ſe extendit, quàm putat Grammaticorum vulgus, neque enim ſemper emaſculatos, ſeu exectos ſignificat, ſed eos aliquando qui in aulis morantur Principum, ipſiſque adſtant ad aulicas curas, & ad exequendum familiare mandatum. Erant quidem olim ſpadones, qui gynæceis præerant, aut quibus credita erat feminarum cuſtodia, quia ab illo euirato hominum genere tutus videbatur feminarum pudor. Vnde factum eſt, vt quicumque cum Principibus familiariùs ageret, diceretur Eunuchus. Hoc apud regem Babylonis munus obierunt, qui è regio genere, id eſt, ex Ezechiæ ſanguine prognati ſunt: vt conſtat ex Danielis c. 1. vbi quidam è regio ſanguine traditi dicuntur Eunuchorum præfecto, vt ad Chaldæorum diſciplinam inſtituti aulicis miniſteriis redderentur idonei: inter quos fuit Daniel, quod idem ibi Sanctius pluribus oſtendit. Ex hac doctrinâ, quam à meo Magiſtro olim didiceram, plura clarantur Scripturæ loca, alioqui nimis obſcura. Porrò ex ipſo contextu intelligendum eſt,quando τὸ *Eunuchus* pro ſpadone,quandóve pro cuſtode domus regiæ, regiíve corporis, aut aliùs obuij in aulâ miniſterij accipiatur. Exindè non placet Lyranus hîc,qui etſi aſſerat, *Eunuchos* nunc non accipi pro euiratis; addit *Eunuchos* appellari, ob inſignem pudicitiæ laudem: quia etiamſi caruiſſent qui regia obibant miniſteria, nihilominùs *Eunuchi* dicebantur.

Caietanus. 4 Reg. 20. Sanct. ibi. n. 30. Daniel. 1. Lyranus.

8. *Septem eunuchi.*] Septenarius miniſtrorum numerus valdè celebris apud Perſas fuit. Quâ ſuper re pluribus nuper egimus in noſtris Commentariis in Tobiam,§.377. vbi de Raphaële, qui erat vnus è ſeptem Angelis, qui Deo adeſſe perhibentur. Qui in conſpectu eius miniſtrabant. Eunuchorum,qui Regi Perſarum ad obuia menſarum miniſteria aderant, vſque adeò fuiſſe diſciplinam ſeueram, vt à Regis facie numquam auertant oculos, quò expromptius præſtent reuerenter obſequium, hic ex Ammiano tradidit Sanctius. Hi ſeptem Eunuchi paſſim ab Interpretibus putantur regio menſarum miniſterio deputati: tunc enim Aſſuerus epulo diſcumbebat, cùm eos miſit.

Auctor. in Tobiam. Sanctius. Ammian.

*Verſ.* 11. Vt introducerent reginam Vaſthi coram Rege, poſito ſuper caput eius diademate, vt oſtenderet cunctis populis & principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valdè.

9. Nuper oſtentarat Aſſuerus penè ſuperbas opes, & regiam munificentiam; nunc reginam Vaſthi venuſtatis gratiis exornatiſſimam adduci ad ſe coràm iubet in omnium populorum & Principum conſpectum, vt ex illius pulchritudine conuentus ille hominum aliquam caperet voluptatem, & ipſe iudicaretur in primis fortunatus, cui tam ſpecioſa vxor contigiſſet. *Poſito ſuper caput eius diademate.*] Nonnulli apud Feuardentium contra vulgatum contendunt, non ſic legendum; ſed cum *Cidari regiâ*, eo quòd inter diadema & cidarim aliqua differentia ſit. Nam cidaris linguâ Hebræâ *cheter* dicitur, à quo mutuata vox Græca κίταρις dicitur Tiara, quod ex Plutarcho & Xenophonte adſtruunt. Diadema verò quid diuerſum eſſe à tiarâ, ex eodem Xenophonte confirmant, qui de Cyro ſcribit, quòd habebat circum tiaram diadema. Sed eſto, *diadema* quid diuerſum ſit à *tiarâ* (de quo infrà) cur malunt *tiaram* potiùs quàm *diadema*; cùm *diadema* habeat Hieronymus Hebraïcè peritiſſimus,& ex Hebræo codice Pagninus & Vatablus, & Græcæ tranſlationes *diadema* habeant? Chaldæus paraphraſtes *coronam* poſuit. Scilicet expetiuit Aſſuerus, vt coràm adeſſet Regina regio inſigni caput ornata.

Feuardent. inibi. Plutarch. in Themiſtocle. Xenoph. l.8. *Diadema te an tiarâ ſoret exornanda Regina?* S.Hieron. Pagninus. Vatablus. Græci codices. Chaldæus.

---

## §. XIV.

*Commentarius litteralis.*

*Verſ.* 12. Quæ renuit, & ad Regis imperium, quod per eunuchos mandauerat, venire contempſit.

1. SErarius Mendoça in Regum cap.9. v.2. & Sanctius reginæ Vaſthi renutum excuſant; imò egregiè commendant: adducuntque decantatiſſima illa Sulpitij verba: *Stulto Rege conſultior, pudens virorum oculis ſpectaculum præbere iuſſa,abnuit;tantò ipſa laudabilior, quantò in legum pudoriſque cuſtodiâ perſeuerantior.* Fundamenta, quæ hos Doctores in hanc ſententiam impulerint, mox ſubiicimus. At reginam Vaſthi hîc accuſant Dionyſius Catthuſianus, Feuardentius, Cornelius, & Salianus, in eam tandem Lyranus inclinat. Et Sanctius nuper illius vindex, tandem num. 33. illius *ingenium peruicax, & liberum reſponſum* notat. Ioſephus etſi Reginam excuſare videatur ptopter ſeruandarum legum ſtudium; at dum eam mox peruicaciæ ream facit, quippe quæ ſæpius vocata abnuerit, factum damnaſſe videtur: alioqui non contumax foret, ſed in bono conſtanter perſeuerans. Hæc ſententia veroſimilior mihi videtur. Porrò vulgatus non tantùm imperio Regis ac mariti *renuiſſe*, ſed ad eius imperium venire *contempſiſſe*, quæ verba Reginam haud dubiè arrogantiæ cuiuſdam arguunt: quaſi renutus fuerit etiam cum aliquo regij imperij *contemptu*. Et licèt mollior eſt aliquantulùm Hebraïca phraſis, & mitiùs Græci codices rem exprimunt; at fide ſanctum eſt, vulgatum Interpretem, qui duriuſcula locutus eſt, rectè ſententiam facti textus expreſſiſſe: quod de reliquis tranſlationibus non conſtat. Ad hæc, licèt Rex largiùs potatus,& penè tentato capite, ſicut hactenùs oſtentarat opulentiam & munificentiam, nunc oſtentare voluiſſet cunctis populis & Principibus Reginæ venuſtatem, eandémque importunè venire mandaſſet; illa tamen quæ vxor erat, marito & Regi in re tam parui momenti,& quæ ex ſe mala non erat, ſed indifferens (vt ſcholaſtici loquuntur) parere debuit;

Serar.q.4. Mendoça. Sanct. ibi. Sulpitius lib. 11. hiſt. cap.6. Carthuſ. Feuardent. Cornelius. Salian. tom. 5. ann. m. 3592. n.9. Sanctius. Ioſeph.l.11. Antiq.c.6. *Accuſatur regina Vaſthi inobſequela.*

debuit : præſertim cùm honeſto ornatiùs amictu, regio diademate, comitatu Reginam decente, & honeſtiſſimâ ſeptem principum eunuchorum legatione, aduocata ſit. Et ſanè Rex qui eam publicè in conuiuio venire iuſſerat, non parùm huiuſmodi renutu dehoneſtabatur, cùm perſpicuum omnibus foret, Reginam ſibi inobſequentem & immorigeram eſſe ; & qui reliquis imperabat, Reginæ & vxori indecenter parere. Quod etiam non bono ad imitationem exemplo, in omnes regni prouincias ſerperet, ne principes feminæ maritis obſequi vellent. Quæ ratio vſque adeò viſa eſt valida, vt ſeptem illos Regis conſiliarios, ſapientiæ famâ præluſtres, in hanc ſententiam ad vnum coëgerit. Et ſanè cum in aliquibus prouinciis Perſidi finitimis vxores viri domi imperarent, ſeriò præcauerunt, & timuerunt hi ſapientes conſiliarij, ne de Reginæ exemplo ad ſimilem inſolentiam Perſicæ mulieres adſurgerent. Quod infra perſtringimus.

2. Ioſeph. l. 11. Antiq. c. 6. Obiicis ex Ioſepho: *Illa verò* ( Vaſthi inquam ) *volens Perſarum leges ſeruare, quæ vxores vetant ab aliis præter domeſticos conſpici, non iuit ad Regem : & cum non ſemel ad eam eunuchos eâ de cauſâ miſiſſet, nihilominùs in negando fuit peruicax.* Quòd ſi Vaſthi leges ſeruare volens, renuit virorum adeſſe conuiuio, eius inobſequela marito excuſanda atque laudanda, potiùs quàm vituperanda eſt. Verùm leuicula apud me ſemper fuit auctoritas Ioſephi ; quippe qui Rabbinicum commentum ſuum ſacris Bibliis clanculùm inſerit, & commentarium pro textu vafrè ſupponit non bonâ fide. Quod ſæpè notat Ioſephomaſtix, Salianus inquam. in eius hiſtoriâ paſſim offenſans. Et ſanè Perſarum morem de honeſto feminarum receſſu à virorum conuiuiis, *legem* Ioſephus appellat. Sicut Perſicus mos certaminum in potationibus apud conuiuas, lex nuncupatur, vt notabamus §. præcedenti num. 3. Sed eſto, demus Ioſepho, legibus id ſtabilitum ; an non Rex dum ſeriò Reginam venire ad conuiuium iubet, in lege palàm diſpenſat? Inde forſan in Regina hanc obſequelam legum, ipſe *peruicaciam* appellat.

*Primum argumentum proponitur, & ſoluitur.*

3. *Satiſfit ſecũdæ obiectioni.* Obiicitur ſecundò æquum non eſſe vt Regina penè temulento Regi ac marito pareret, in quo vinum citiùs quàm ratio imperabat. At Regis tunc ratio amota non erat, nihilque iubebat iniquum. Imò Regis mens inter pocula penè ſobria erat, Reginæ autem à naturæ ſtultitiâ, & formæ arrogantiâ propè dementata: Rex enim etſi non valdè ſobrius, adhuc de re gerendâ Sapientes conſulit ; Regina verò arroganti pulchritudinis faſtu, re inconſultâ conſilium præcipitat. Conſultior erat Rex penè in ebrietate, quàm in ſtolidâ ſobrietate Regina.

4. Macrob. 7. Satur. c. 1. S. Ambr. de Elia, c. 15. Iuſt. l. 41. Plutarc. in Artaxer. Diod. Sicul. in a. 2. olym. Tertiò arguit Serarius, ſolas concubinas, non coniuges in conuiuia induci à Parthis ſolitas vt tradit Macrobius & Ambroſius. Addit Iuſtinus quòd Parthoperſæ *feminis non conuiuia tantùm, ſed & virorum conſpectum interdicunt.* Adeò vt, teſte Putarcho, & Diodoro, capitale eſſet apud Perſas, Reginæ aut regiæ alicuius concubinæ lecticam propius accedere, ipſamque videre. Verùm Parthorum, aut Parthoperſarum mos, quid ad ipſos Perſas? Imò de Perſarũ olim ante imperium ſobrietate nonnulla ſuprà præſtrinximus ; cum imperio autem ambitioſior luxus, & effuſior libido graſſabatur. Legimus apud Herodotum, Darij Perſæ legatos ad Amyntam Macedonum regem poſt lautam cœnam dixiſſe: *Nobis Perſis conſuetudinis eſt quoties magnã exhibuimus cœnam, tunc etiam concubinas, & adoleſcentulas vxores ad aſſidendum introducere.* Quin & ſi ex Plutarcho ſtatuunt, pro regis Perſici ſiue zelotypiâ, ſiue decoro, capitale eſſe Reginam vel regias concubinas aſpicere: ergò veroſimiliter credi poteſt, Regem tunc iucundius munificum erga ſubiectos populos, illis humaniter tunc adnuere, & opinatiſſimam Reginæ venuſtatem coram ſpectandam proponere voluiſſe, nihilque impudicum, & tanto ſpectaculo inidoneum meditari. Quod res ipſa loqui videtur, cùm alioqui vel ipſe aſpectus vitabatur pro regio vtriuſque coniugis decoro; quæ etiam videtur ipſiſſima ſacri Hiſtorici mens : cùm Rex per honeſtam ſeptem principum eunuchorum legationem, Reginam accerſiri iuſſerit, *vt oſtenderet cunctis populis & Principibus pulchritudinem illius : erat enim pulchra valdè*; & quidem regio cultu & inſigni aſpectabilem. Herod. l. 5. Eſther. 1. v. 11.

*Tertium argumentum ſoluitur.*

5. *Quartũ argumentum proponitur, & ſoluitur.* Poſtremò obiectant, quòd regina Vaſthi pudore ruboreque femineo perfuſa, formam ſuam ita cunctis ſubditis proſtituere, & virorum concupiſcentiæ vino tunc ebriæ, pulchritudinis fomitem ingerere recuſauerit. Profectò gratulandum eſt reginæ Vaſthi ethnicæ aut atheæ feminæ in Perſici palatij regio culmine luxum & arrogantiam adſpirante, tam piè beneuolos interpretes nactam fuiſſe, vt tam modeſtiæ ſtudioſam effingant. Forſan præproperè legerat libros Tertulliani de Habitu muliebri, aut cultu femin. ſiue Cypriani de Habitu Virg. vt tanto ſui diſcrimine, non incurrere in virorum oculos ſic præcauerit. Quorsùm autem modeſtior Reginæ pudor, Regis & mariti *contemptum* aduocat auxiliarem? Rem non malam maritus imperat, ( ſibi imputet, quiſquis oculorum ſolitariâ libidine animitùs ſcortetur ) ex legis diuinæ præſcriptione iubenti marito obtemperet, ſtudeatque ſolerter nil impudicum in re non impudicâ admittere. Sanè huiuſmodi venuſtiſſimæ Reginæ inobſequela arrogantiam ſubolet; *Faſtus ineſt pulchris, ſequiturque ſuperbia formam.* Quæ etiam abſque contemptu, renuit obaudire marito rem non iniquam præcipienti, Dei vocem contemnit: *ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Ouidius 1. Faſtor. Gen. 3. v. 16.

6. Paraphraſis Chaldaica. Paraphraſis Chaldaïca noſtræ Complutenſis bibliothecæ ſcribit: Quia regina Vaſthi ab Hebræis feminis ignominiosè nudis ancillare exigebat obſequium, ipſam quoque nudam apparere iuſſit Aſſuerus, vt ingens illa populi multitudo pulchritudinem videret, quam ipſe prius fuerat admiratus : quam ideò Rex coronam regiam afferre iuſſit, cetera nudam, quia illius pater Balthaſar Danielem prophetam purpurâ donauerat. Quæ ſi vera forent, quis non excuſaret, imò & prædicaret Reginæ pudorem, quem non recuſaret regio throno, & ſceptro emere? Verùm hæc paraphraſis Chaldaïca, Rabbinicæ nugæ ſunt, Talmudica figmenta, & vacui cerebri inaniſſimæ fabellæ, quas ſparſim reſcribit Sanctius, non ad ſapientum eruditionem, ſed ad Hebrææ gentis commiſerationem, quæ ſic in clarâ luce cæcutit, & paſſim impingit. Nec vacat, nec iuuat impugnare, quod abſque vllo telo, oculorum duntaxat aſpectu vltrò ruit.

*Iuſſa non eſt regina Vaſthi apparere nuda.*

Sanctius hîc & aliàs ſæpè in Eſtheris Comment.

*Verſ. 13.*

*Verſ.* 13. *&* 14. Vndè iratus Rex, & nimio furore ſuccenſus.

6: Tragicus feſti ſumptuoſiùs conuiuij exitus fuit, dum inconſulta Reginæ contumacia conceptam pediu lætitiam in momento inceſtauit. Nimirùm tumidus regio faſtu Imperator, ſummam contumeliam putat, ſe coram omni populo, & regni Summatibus, à propriâ palam vxore contemni: & cui tot Principes obſequia ad nutum præſtabant, leue à propriâ vxore obſequiolum impetrare non poſſe. Iratus tamen Rex, & nimio furore ſuccenſus; fecit tamen quod irati Reges facere non ſolent. Nam, *Interrogauit Sapientes, qui ex more regio ſemper ei aderant.*] Et rectè quidem, quandoquidem nihil iuſti rectique per iram & furorem fieri poteſt. Neſcit ira Aſtrææ mediocritatem. Veroſimilis valdè eſt Saliani & Menochij coniectura hos Sapientes à Rege non fuiſſe conſultos coram tot populorum frequenti multitudine, ſed ſeorſum in regio conſilio. *Offenſus Rex*, ait Ioſephus, *dimiſſos conuiuio ſeptemuiros illos, penes quos apud Perſas legum eſt interpretatio, conuocat.* Plura de his Perſarum Sapientibus in hoc verſiculo inſinuat ſacer Hiſtoricus, quæ perſtrictim clarare oportet. Primò, Septem fuiſſe dicuntur, is enim numerus ſequenti verſiculo ſubſcribitur, & *Septemuiros* ex Ioſepho recitauimus. Septenarius etiam numerus. 1. Eſdræ 7. v. 14. traditur: hic enim ſeptenarius numerus apud Perſas valdè celebris fuit, vt nuper de ſeptem Eunuchis notabamus. Nec inidonea videtur Serarij coniectura: ſuſpicatur enim quod imitatio quædam erat ſeptem Planetarum, quibus omnis cælorum dignitas; vis; & efficacia ineſſe putatur. Siue adludi ad ſeptem Græciæ ſapientes. Vel forſan quia ſeptem Principes Perſarum tyrannos Magos feliciter ſuſtulerunt, renunciatúſque eſt Rex Darius Hyſtaſpis filius, cuius poſteri Perſicum ſceptrum exindè tenuerunt. De hoc ſeptenario numero apud Perſas, & indè apud alias gentes opinatiſſimo, latè agebamus in noſtris comment. in Tobiam §. 377. Deinde hi qui ſapientiâ apud Perſas excellebant, hîc *Sapientes*; aliàs *Magi* vocabantur; quia forſan magicarum artium periti erant, tametſi in hoc loco alia eorum peritia laudatur: Hi è vulgo non erant, ſed Procerum filij, & qui ad ſpem regni ſæpè educabantur; vt ex Laërtio, Plutarcho, & Themiſtocle Serarius tradit. Perſæpè dicuntur Principes, & LXX. hîc eos vocant, *Amicos* Regis.

Salian. ſupr. Menoch. ibi.
Ioſeph. l. 11. Antiq. c. 6.
1. Eſdræ 7. Serar. q. 5.
*Quare Septẽviri ad conſilium electi erant.*
Auctor in Tobiam.
Laërtius. Plutarch. Temiſtoc. Serar. q. 5.

7. *Scientium leges, & iura maiorum.*] Pagninus & Vatablus ex Hebræo habent, *Scientibus legem, & iudicium.* Ioſephus: *Penes quos apud Perſas legum eſt interpretatio*, id eſt, legum interpretandarum ſcientia, & ex munere cura & peritia, ſcilicet Perſarum iuriſperiti; qui omnia eorum inſtituta, conſuetudines, & leges callerent optimè. Addit Hebræus textus: *Scientibus tempora*, quod quidam ad Aſtrologiam, alij ad Chronologiam referunt: ſed præſtat hiſtoriarum gnaros interpretari: hiſtoria enim prudentiæ peritiæque mater iure cenſetur. Vatablus illud *ſcientibus tempora*, ſic exponit: *Qui callebant quæ retroactis temporibus geſta fuerant à maioribus, qui vetuſta multa exempla tenebant memoriâ.* Peridoneè quidem. Et ſanè licèt alij eſſent complures qui iuri dicundo præerant, hi tamen ſeptem Sapientes nobilitate, peritiâ, & dignitatis gradu reliquos excellebant. Vnde mox de illis ſubditur: *Qui videbant faciem Regis; & primi poſt eum ſedere ſoliti erant.* Qui ſemper Regi aderant, ſiquid fortè negotij occurreret: Regique dignitate, loco, affinitate proximi. Pagninus & Vatablus, *Videntes faciem Regis, qui ſedebant primi in regno.* LXX. Interpretes, *Qui propè Regem, qui primi aſſidentes Regi.* Chaldæus paraphraſtes, *Videntes faciem Regis; qui ſedebant in gradu anteriori qui erat in ſolio regni.* Magna ſane horum principum Senatorum dignitas, poſt Regem primos, & ante reliquos omnes in regni ſolio ſedere.

Pagninus. Vatablus. Ioſeph. ſupr.
*Quæ fuerit Conſiliariorũ ſapientia.*
Vatabl. ibi.
Pagninus. Vatablus.
LXX. Interp. Chaldæus.

8: *Illorum faciebat cuncta conſilio.*] Quaſi Perſarum Rex nihil alicuius momenti ſeptemuiris inconſultis ageret. An id Rex faceret ex vltroneo iuſtitiæ ſtudio, an ex Perſici regni inſtituto, inter expoſitores non conuenit. Meditatur Feuardentius, quòd Perſæ Reges ſuos conſultiſſimis Iudicibus, velut cuidam grauiſſimo Senatui ſubiecerunt. Id ſubindicare videtur ſacer textus, aiens: *Illorum faciebat cuncta conſilio.* Alioqui cùm auſteriores forent Perſarum reges, non ſic forſan in cunctis conſilium inirent, & conſiliariis parerent. Et quidem poſt Magorum cædem, cùm improle Cambyſe deleta fuerit Cyri ſoboles; Perſarum monarchiam in ariſtocratiam ſeu Rempublicam transferre, Perſici Summates ſeriò meditati ſunt (vt ex profanâ eruditione refert Euſebius) Indè forſan creandum denuò Regem (Darium inquam, Hyſtaſpis filium, de hinnitu equi ſceptra capeſſentem) hâc lege Monarcham Perſarum renunciarunt. Et ſanè cautiùs timuerunt, ne ſoluta Regum poteſtas, in tyrannidem aliquandò degeneret, aulicâ inſuſurrante adulatione, *Si libet, licet.* Idcircò olim apud Lacedæmonios creati ſunt Ephori, id eſt, officiarij, qui Reges eorum delinquentes vel abdicatione, vel morte punirent. Apud Romanos Tribuni plebis, id eſt, Iudices è corpore populi eligebantur, qui eum contra nobilium ac patriciorum violentiam defenderent. Apud Germanos ſeptem principes Electores, & rurſùm Cameræ imperialis Iudices, qui de Imperatoribus, atque etiam Electoribus iudicent, eliguntur. Apud Gallos duodecim Patres creabantur, quibus poſtremò adiuncti fuerunt octo ſummi Senatus, qui iura tam Regibus, quàm populis ſubiectis dicerent. Apud Hiſpanos Aragonica iuſtitia habet ſupra Regem imperium, ſiquid aduerſus patrias leges admiſerit. Apud Anglos & Scotos Conuentus ordinum totius regni, quem Parlamentum vocant. Inter Vngaros, Bohemos, Sueuos, Danos, Polonos, primi regnorum officiarij, quos Palatinos appellant, Regum poteſtatem ſub legibus continent. Quod etiam inter Taprobanæ inſulæ veteres incolas pro more ſeruatum ſcribit Plinius. Hactenùs Feuardentius hîc, qui hanc regiminis politiam miris laudibus deprædicat, Mihi autem adhuc ambiguum eſt, an Perſarum Monarchæ, regni legibus ex inſtituto ſic paruerint. Conſule tamen quæ infrà traduntur §. 15. n. 7. *Charſana.* &c.] In Græcis codicibus paullò aliter hæc Conſiliariorum nomina efferuntur.

Feuard. ibi.
Euſebius Strom. 14. l. 1. c. 6.
*Apud plures nationes, regni legibus quibuſdam Reges ſubduntur.*
Plin. lib. 6. cap. 22.
Feuard. hîc.

*Verſ.* 15.

*Verſ.* 15. Cui ſententiæ Vaſthi regina ſubiaceret, quæ Aſſueri regis imperium, quod per eunuchos mandauerat, facere noluiſſet.

9\. Hanc Regis cauſæ relationem, ſeu depoſitionem apud Septemuiros, qui regiis adſtabant conſiliis, iniuſtitiæ atque imprudentiæ Salianus accuſat, quia quaſi iam cõſtaret reginam Vaſthi magni cuiuſpiam criminis ream eſſe, quæri voluit, *cui ſententiæ ſubiaceret.* Verùm ipſe Salianus, qui nuper eam arrogantiæ damnauerat, damnare forſan non debuit Regem, quaſi ſuppoſuerit reatum aliquem ſecundùm leges plectendum. Addit Menochius, quòd dum Rex parum conſideratè delictum in Reginâ ſupponit, occaſionem Conſultorum adulationi dediſſe, vt Reginam regno deponerent. O nimis verùm! Pulchræ feminæ cauſſa non eſt tota rea. Verùm ex Hebræo textu ſic locum Vatablus exſcribit: *Secundùm legem quid faciendum de reginâ Vaſthi, eò quòd non fecit ſermonem regis Ahaſueros per manum eunuchorum?* Vatablo adſentiunt Caietanus, Mariana, Pagninus & ferè Chaldæus. Septuaginta verò Interpretes ita habent: *Et dixit* Rex *amicis ſuis: Secundum hæc locuta eſt Aſtin: Facite igitur de hoc legem & iudicium.* Imò hinc ad Principum exemplum admirari licet, quòd Rex in conuiuio benè ſatur, & largiùs potatus, coram tot populis ac Principibus offenſus, & indè nimis iratus ſic fuerit æquitatis ſtudioſus, vt præceps in vltionem non ruerit; ſed præſcriptos Septemuiros conſuluerit; *Secundùm legem quid faciendum de reginâ Vaſthi, eò quòd non fecit ſermonem Regis, per manum eunuchorum?* Vbi factum narrat perſpicuè notum, & auctoritate ſeptem principum eunuchorum comprobatum: & addit: *Secundùm legem quid faciendum?* Quaſi dicat: Hæcne inobſequela digna eſt quæ ſecundùm leges puniri poſſit, & debeat? Nimirùm ex tranſlatione Hebræâ, Chaldaicâ, & Græcâ aucupandus eſt vulgati Interpretis ſenſus, ita vt idem ſit, *Cui ſententiæ Regina ſubiaceat, quæ Regis imperium facere noluit,* ac *Secundùm legem quid faciendum de Reginâ, eò quòd non fecit ſermonem Regis?* Nempè hîc *ſententia* perindè eſt, ac iudicium ſecundùm legem. Notandum eſt, non exaggeraſſe iniuriam, quod facere ſolet offenſus: non enim dixit, Venite iuſſa, *venire contempſit*; ſed, *Imperium Regis facere noluit,* ſubticens faſtum, quo renuit. Aduerte etiam pro regio ſiue faſtu, ſiue decoro, tametſi Rex de ſe loquebatur, non dixiſſe, ſuum mandatum, ſed *Aſſueri regis imperium facere noluiſſe. Opportunus ſanè Euphemiſmus, ne ipſe de ſe dicat Reginæ inobſequelâ contemptum.*

[Margin: Salian. tom. 5. ann. m. 3592. n. 12. — *Aſſuerus à reatu iniquæ accuſationis vindicatur.* — Salian. ſuprà n. 9. — Menoch. ibi. — Vatablus. — Caietanus. Mariana. Pagninus. Chaldæus. LXX. Interp.]

## §. XV.

*Commentarius litteralis.*

*Verſ.* 16. 17. & 18. Reſpondítque Mamuchan, audiente Rege, atque principibus, *&c.*

1\. NVper verſ. 14. hoc ordine ſeptem Sapientum conſiliariorum nomina recenſentur: *Erant autem primi & proximi, Charſena, & Sethar, & Admatha, & Tharſis, & Mares, & Marſana, & Mamuchan.* Scilicet poſtremus inter ſeptem nominatus, primus dicit ſententiam. Putant Feuardentius, Euſebius, & Serarius eo dignitatis ordine hos Sapientes hîc recenſeri, quo re ipsâ erant. Hic verò dignitatis ordinẽ ſeruatũ textus indicat maximè Hebræus (ait Serarius) in quo ſingulari numero dicitur de primò, *appropinquans ad regem,* id eſt, ei proximus, omniumque honoratiſſimus. Quomodo autem Mamuchanus qui poſtremus erat, primus ſententiam dixerit, exponit; quia alicubi moris eſt, vt qui vel ætate, vel auctoritate minores ſunt primi ſententiam dicant, forſan ne aliorum auctoritatem ſecuti, non quæ ſibi, ſed quæ aliis viſa fuerint, affectant; vel eorum gratiam colligere cupientes, aut certè collectam iam non effundere. Vnde Tiberius Cæſar dicendi primo loco ſententiam, exemit Druſum Conſulem deſignatum, ne ceteris adſentiendi neceſſitas foret vt ſcribit Tacitus. Et ſanè in ſummo Caſtellæ ſenatu, Senator poſtremò adſcitus, & gradu poſtremus, ſententiam primus dicit; vltimus verò antiquitatis honore auctoratior. Verùm enimuerò ſi verba ſacri textus attentiùs expendantur, & phraſis Biblica penitùs attendatur, nõ putauerim ex recenſitionis ordine, ordinẽ dignitatis inſinuari. Porrò Vulgatus ſic de omnibus iunctim loquitur: *Qui videbant faciem Regis, & primi poſt eum reſidere ſoliti erant,* LXX. Interpretes, & Biblia regia: *Qui propè Regem, primi aſſidentes Regi.* Chaldaica paraphraſis: *Qui ſedebant in gradu anteriori qui erat in ſolio regni.* Pagninus & Vatablus ex Hebræo: *Qui ſedebant primi in regno.* Caietanus, *Sedentes primi in regno.* Nec ſuffragatur Serario, quòd vbi paullò antè in illo eodem verſ. Vulgatus habet, *Erant autem primi & proximi, Charſena,* &c. in Hebræo legatur, *Propinquus ei Charſena,* &c. Nam vt ſcitè Mariana locum ex Hebræo exſcribit, & exponit: *Proximus ad eum Charſena: pro, proximi ad eum.* Et ratio ex ipſo textu perſpicua videtur: ſic enim habet: *Propinquus* (aliàs *proximus*) *autem illi Charſena, Sethar, Admatha, Tharſis, Meres, Marſena, Memuchan, ſeptem principes.* Vndè in comperto eſt, quòd vox *propinquus* repetenda ſit, adeò vt adæquè ſecundo, ac ſeptimo ſicut & primo congruat. At τὸ *proximus* ſepties pariter repetitus, perindè eſt ac, *proximi.* Quod, quia rectè percalluit Hieronymus, ideò in Vulgato exſcripſit: *Primi & proximi, Carſena, &c.* Ex quo videtur liquidò conſtare, neminem hîc alteri præponi, aut ex recenſitionis ordine ſumendum eſſe dignitatis gradum.

[Margin: Hic verſ. 14. — Feuard. ibi. Euſeb. ſupr. Serar. q. 6. — Hebræus. — Tacitus l. 3. Annal. — *Mamuchanus non putatur fuiſſe Senatorum poſtremus.* — Hic v. 14. LXX. Interp. Bibl. Regia. Chaldæus. — Pagninus. Vatablus. Caietan. — Hebræus. Mariana.]

2\. Et ſanè cùm omnes ad vnum Conſiliarij (quod perrarum eſt inter Sapientes) Mamuchani ſententiam amplexi ſint, quin ad illam vllus (nec Rex quidem) quicquam addiderit, detraxeritque; non leue inde argumentum ſumitur ad exiſtimandum, Mamuchanum dignitate, gradu, auctoritate, & rerum peritiâ fuiſſe opinatiſſimum: & idcircò ante reliquos ſententiam dixiſſe, aut dignitatis munere, aut canæ auctoritatis priuilegio. Quod autem poſtremo loco recenſeatur, nil mouere debet biblicè peritos: nam vt doctè monet noſter Maldonatus in Matthæi cap. 1. moris eſt Scripturarum poſtremo loco recenſere, eum, qui poſtremus non

[Margin: *Quare Mamuchan, primus ſententiam dixit.* — Maldon. in Matt. 1. v. 1.]

non eſt,ſed primus aut medius, quandò de illo ſermo ſtatim texendus eſt. Sic ex ſententia Hie-
S.Hieron. imbi. ronymi, & incerti Chryſoſtomi, Matth.1.v.1.
Imperfect. ibidem. in Chriſti Dei genealogia primus recenſetur Dauid,& deindè Abrahã,etſi Abrahamus fuerit
Matt.1.v.1. antiquior generis patriarcha; ſcilicet Dauidi poſtponitur præferendus Abrahamus, quia de Abrahamo, non de Dauide continuò ſermo inſtituendus erat. Subiiciam Maldonati verba:
Gen.1.v.1. *Hæc ratio*, inquit,*multis placuit,nec mihi quidem diſplicet: Sic enim Hebræos loqui ſolere ſcio, vt cùm res multas numerant, eam vnde volunt incipere, vltimo loco ponant, vt Geneſis 1.v.In principio creauit Deus calũ & terram, terra autem*,&c. Proſit vel in tranſitu hæc non vulgaris loci Geneſeos expoſitio. Alias autem ex eodem libro
Gen.10.v.1. ſubiicere obuium eſt.Geneſeos 10. *Hæ ſunt ge-*
Gen.11.v.27 *nerationes filiorum Noë, Sem, Cham, & Iapheth.* Fuiſſe autem Iaphethum natu maximum inter Noëmi filios, ex multorum ſententia multis inibi olim adſtruebamus: ponitur autem Iapheth reliquorum poſtremus, quia eius poſteritas mox cenſetur. Et Geneſis 11. *Hæ ſunt generationes Thare:Thare genuit Abrã, & Nachor, & Aran.* Fuiſſe autem Aran primogenitũ Tharæ, Abrahamum verò natu minimum,receptior hodie ſententia eſt, quam Interpretum proceres ſequuntur, & quæ aptè componit rem biblicæ chronologiæ, alioqui nimis impeditam: vltimo autem loco recenſetur Aran natu maximus, quia confeſtim de illo ſermo texitur, & genuiſſe Lot refertur. Itaque in quocunque gradu fuerit, in quocumque loco ſederit Mamuchan, vltimo loco ponitur, quia eius mox ſententia referenda erat. Et ſanè forſan inter hos viros principes nulla erat in ſedibus præeminentia: omnes enim adæquè dicuntur primi & proximi Regi. Sicut Hiſpaniæ Magnates, etſi non omnes æquali auitæ nobilitatis aut auctoritatis gradu emineant; at in ſcamno poſt regium ſolium, omnes pariter confuſaneâ permiſtione ſedent: & prior aduentus, non potior nobilitas, primã ſedem occupat poſt Regem.Et in ſũmo ſtatus cõſilio(quod huic Perſico Senatui reſpondet) pro Regis arbitrio,ſiue ſede primus, ſiue nouiſſimus, omniũ primus ſententiam fert.

3. Tradunt Hebræi, quod hic *Mamuchan*, fuit
Hebræi in Rituali libro, *Aman*, de quo poſteà prolixior ſermo; fuit
Chald. Paraph. enim Hebraicæ tragœdiæ auctor: ita ſcribitur in eorum Rituali libro,& in Chaldaicâ illa pa-
*Mamuchan nõ fuit Amã.* raphraſi. Quæ ideò dicit, reginam Vaſthi ab Amano damnatã,vt Reginâ repudiatâ, Rex eius
Mariana ibi. filiam duceret.Nugæ. Mariana verò non abnuit Hebræorum Rituali libro,quia fortaſſe hoc decreto ad nutum Regis fabricato, illius gratiam iniuit.Verùm gratiã inde partam mox perdidiſſet,cùm Regem digeſto iam vino,& irâ ſedatâ, repudij pœnituit. Debili ſanè fundamento hæc coniectura fundatur,& alterutrius nomen cum altero minimè conuenit. Et quidèm primus ſeptem Eunuchorum, in Græcis codicibus *Amã*
LXX.Interp. nominatur. Miror Hebræos infenſiſſimum ſibi Amanum, non potiùs inter Enuchos, quam inter primos,& Regi proximos principes, iam diu illum recenſuiſſe; quem etiam ſui obliti,viliſſimum eorum mancipium fuiſſe tradunt, quiduis de proprio cerebro fingere expromptiſſimi.

4. *Non ſolum Regem læſit regina Vaſthi, ſed & omnes populos & principes*, &c ] Vix vllũ eſt humanũ dictum factúmve, quod non ſit in vtramque partem flexile, & ambigua cauſſa de oratoris facundiâ,affectu,perſuaſione, aut contentione,meritum accipere ſolitat. Salianus, Serarius, Salian.ann. m.3592. n. 13.
Sanctius,Menochius, Euſebius, qui pro reginâ
Vaſthi nuper depugnarunt honorariâ panegyri; Serarius ſuprà.
illam nunc aduerſus Mamuchani ſententiã recendunt in ſatyram. Aiunt enim quòd cùm ad Sanctius.
verba Aſſueri non reſpondiſſet, adulationis arbitrio ad eius guſtum reſponſum temperauit. Menochius, Euſeb.ſuprà.
Porrò interrogatur, *Cui ſententiæ regina Vaſthi ſubiaceret*; explicatiùs in Hebræo, *Quid ſecundùm legem faciendum Reginæ?* Mamuchan verò, *Mamuchani ſententia à quibuſdam reprobatur.*
ſi,quid maiorum leges & ſcita iuberent, dicere voluiſſet, amplis potiùs eam ornare laudibus debuiſſet, quæ vt Perſicas femineæ modeſtiæ leges obſeruaret, Regis mandato abnuit conſtantiâ maſculâ. Vndè Mamuchan ad Regis iracũdiam,potiùs quàm ad Reginæ innocẽtiam orationem accommodauit, quemadmodum improbi ferè conſiliarij ſolent. Quâ ſuper re legi poteſt Serarius hic q.7. Euſebius Strom.14.l.1.c.
24.& Sanct.n.35. Addit Ioſephus de la Cerda Ioſephus
adulantis Mamuchani commẽtũ fuiſſe, quòd Cerda Academ.12.morall in Iudith n.4.
Regina non ex verecundiâ,& legum obſeruantiâ, ſed ex contemptu renuerit. Verùm id non dixit Mamuchan,ſed ſacer Hiſtoricus hîc verſ.
12. *Quæ renuit, & ad Regis imperium venire contempſit.* Ergo conſiliario imputat, quod Reginæ imputandum fuerat.

Verum Dionyſius Carthuſ. & Feuardentius 5.
qui vecordem Reginæ contumaciam nobiſcum Carthuſ.
nuper condemnarunt,Mamuchani hîc panegy- Feuard.ibi.
rim inſtituũt.Reſcribam ipſa Feuardentij verba,quæ eleganter id ſuadent & probant: Admiranda,inquit,videtur huius conſiliarij regij conſtantia,quãdò nil timet liberè loqui,& Reginæ peccata explicare, coarguere & damnare, idque coram toto ſenatu,adeóque ipſómet Rege.Non formidat in vtriuſque indignationẽ incurrere, nec cogitat quòd aliquandò in gratiam redeuntes, nimiæ libertatis ſuæ pœnas ab eo repetent, aut ſuis opibus, dignitatibus & officiis ſpoliabitur:ſed conſtanter palámque pronunciat peccatum Reginæ omnibus modis grauiſſimum ſibi videri, primò in ipſum Regẽ:adhinc in vniuerſos regni ordines, qui tunc aderant, denique in abſentes:quando malo exemplo ſuo concitatura ſit ſeditionem mulierũ aduerſus maritos in toto
Perſarum imperio. Hoc autem quantum confu- *Defenditur*
ſionis,dedecoris, & turbarum afferet? Hactenùs *Mamuchani*
ille.Hæc Mamuchan ſententia,quâ Reginę cõ- *ſententia.*
tumaciam & faſtum damnat, improbanda vniuerſatim non eſt, ſed aliquâ ex parte cũ Feuardentio laudanda. In quo autem ipſe peccauerit, infrà n.8.declarabitur.Quòd autem objectãt aduerſus Mamuchani ſententiam, non reſpondiſſe Regis quæſtioni,leue eſt, & oppoſitũ ex contextu liquidò conſtat.Scilicet interrogatur,*Cui ſententiæ regina Vaſthi ſubiaceret*:reſpondit,repudio mulctandam eſſe, quia contumax in Regem & maritum:& quia hoc Reginæ exemplo reliquæ vxores maritorum imperia parui pendent.Quòd ſi omiſſò Vulgato Hebræã tranſlationem ſectari malint,interrogauit Aſſuerus, *Quid ſecundum legem faciendũ Reginæ?* rectè etiam Mamuchanus reſpondit.Porrò tametſi eſſet aliqua lex (quam potiùs eſſe conſuetudinẽ, nuper adſtruebamus) quę feminas virorũ cõuiuiis adeſſe prohiberet;in eâ iam Rex diſpẽſauerat,vt gratũ faceret populis quibus interdictum erat regias vxores aſpicere,

& in quos ſe valdè munificum exhibere cupiebat. Cúmque vxor lege naturali, diuinâ ac humanâ teneatur parere marito, dum rem non malam præcipit; ſed aut bonam aut ſaltem indifferentem; præſertim ſi imperet coram frequenti multitudine, & inobſequela poſſit in alios malo exemplo ſerpere, & putari contemptus; in leges Vaſthi regina deliquit, & ſecundum leges ritè puniri potuit, ac debuit; quandoquidem in maritum & regem coram tantâ populorum ac principum frequentiâ contumax fuerit. Quòd autem pulchra regina regio amictu ornata, regi marito aſſideret in conuiuio, & tot populis benè pranſis & meliùs potatis ſpectanda obiiceretur, de ſe malum non eſt, (vt ſuprà adſtruebamus) Quis enim damnaret quamlibet Septentrionalem populorum Reginam, quæ etiam contra patriam conſuetudinem, à Rege ad publicum conuiuium publicè vocata, & regio amictu ornata, marito Regi aſſideret? & tamen in hoc Perſico conuiuio ſobrietatis lex indicta erat, quæ apud aliquos Boreales populos non viget. Illud verò quod adducit Sanctius, de periculo quod pulchra fœmina virorum oculis ingerit, præſertim in conuiuio vbi largiùs merum potatur, parum probat, quia nimis probat: rarò enim pulchra femina in publicum innoxia procederet. Nec crediderim, Reginam ſcrupulo conſcientiæ ad renutum adactam, ſed aliquo dignitatis, aut pulchritudinis faſtu. Reliqua patent; nec in verborum ſyntaxi, aut tranſlationum varietate aliquid notatu dignum inuenio. Illud, *Egredietur ſermo Reginæ*, vel *ſermo* accipitur pro reſponſo, quod Eunuchis dedit; vel potiùs Hebrææ phraſi, pro facto. Sic verbum aut ſermo vſurpari ſolet.

*Verſ.* 19. *&* 20. Si tibi placet, egrediatur edictum à facie tua, *&c.*

6. Hactenùs culpa examinatur, & deprehenditur, nunc incipit Conſiliarij ſententia. Vrbane quidèm, vt par erat præmiſit Mamuchan, ferens ſententiam coram Rege, *Si tibi placet.* Non quia ad Regis renutum pronunciatam mutaret ſententiam; ſed quia ciuilitas comptior loquentis ad Regem, eiuſmodi vrbanitatem exigit. A facie tuâ, à te, inquam, ô Rex. Chaldæus, *ex ipſius auctoritate.* Perindè eſt. τὸ *facies* ſæpè redundat, eſtque pleonaſmus Hebrææ linguæ familiaris. Geneſeos 1. v. 2. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, id eſt, ſuper abyſſum, ſeu aquarum voraginem; alioqui non tantùm aquæ ſuperficies tenebroſa erat de lucis abſentiâ. Obſtrepunt Interpretes, quòd Mamuchan rogatus ſententiam ſecundùm leges, nullam legem allegat, quam Regina violauerit, ſed nouam legem ſeu edictum ſanciendum mauult, quo Regina damnetur & vxoria maritis ſubiectio ſtatuatur. Verùm qui ſemel oſtenderat, quòd Regina Vaſthi negauerat Regi marito obſequium, lege naturali, diuinâ, & humanâ debitum; edictum petit, quod obſequelam puniat turpi repudio, & publicâ exauctoratione, ne regiæ vxoris inobedientia præſcribat, & non bono exemplo inobſequelæ contagium ſerpat in reliquas ſummas, infimas; vt maritorum imperia minimè contemnant: ſimulque petit, vt noua lex ſanciatur, quæ explicatiùs præcipiat, ſecundùm cuiuſque prouinciæ morem, vxores debere maritis ſubdi tanquam familiæ dominis ac principibus, vt conſtabit infrà n. 10. & 11.

*Vox facies ſæpè redũdat.*

Chaldæus.

Geneſ. 1.

*Adhuc aſſeritur Mamuchani ſententia*

Et ſcribatur iuxta legem Perſarũ atque Medorum, quam præteriri illicitũ eſt.

LXX. Interpretes, *Scribantur ſecundum leges Medorũ & Perſarum.* Quæ verba explicatiùs ex Hebræo tradũt Pagninus, & Vatablus: *Scribatur inter leges Perſarum, & Medorum.* Mariana, *Scribatur in legibus.* Hoc eſt, inter leges Perſarum. Non quod olim ea lex fuerit; ſed ſuadet, vt ea lex noua cæteris olim latis denuò adiungatur, ſenſu n. 6. explicato. *Quam præteriri illicitum eſt.* Hebraicè, *Non tranſeat.* Vrbanè quidem ſignificat, quòd legem ſemel latam tranſgredi non poterit ipſemet Rex. Sic Perſarum reges ſuis legibus obſtringebantur! Quod liquidò conſtat ex Danielis 6. vbi Satrapæ Regi dixerunt: *Scio Rex quia lex Medorum atque Perſarum eſt, vt omne decretum, quod conſtituerit Rex, non liceat immutari.* Id etiam ex Diodoro Siculo lib. 14. probat Sanctius hîc, & ad præſcriptum Danielis locum. Ex quo videtur adſtrui quòd nuper §. 14. n. 8. ſupicabamur, ſcilicet Perſarum Reges immunes non fuiſſe à regni legibus. Conſule hac ſuper re Feuardentium hîc ad verſ. 19. Quâ ſuper re iterùm ſermo ad cap. 8. verſ. 5. §. 202. num. 6 & 7. Poſſet aliquis politicè attentus meditari non inidoneâ ſuſpicione, quòd prudenter Mamuchanus hoc Regis edictum fore irreuocabile exambiat ne ſi fortè reuocetur, & Regina rediret in Regis gratiam, damnatæ à ſe Reginæ ſubiret hoſtilitatem. *Vt nequaquam vltra Vaſthi ingrediatur ad Regem.* Repudium, & indè exauctorationem regio & irreuocabili edicto; & in Perſica tabularia referendo, fieri ſuadet. Fortè exilium regiæ vxoris repudio confine erat: dedecere enim videtur, vt nuper Regina à Regio palatio & toro ob ſcelus commiſſum ablegata, in regiâ vrbe ſimul cum Rege moraretur. *Quæ melior eſt illâ.* [ Sic reliquæ etiam tranſlationes. Paraphr. Chaldaica: *Quæ pulchrior eſt quàm illa.* Quaſi bonitas feminæ à ſola pulchritudine foret. Denique verſ. 20. traditur iſtiuſmodi legis denuò condendæ finis, & expetenda cunctis vtilitas. Nimirùm omnes vxores hâc lege caſtigatæ ſeueriùs Reginæ, eò quòd non paruerit marito, in vxorio officio continere licebit, quæ aliàs femineo faſtu maritis inſolenter dominari exambient, impunis reginæ exemplo perverſè in cunctas ſerpente. Videlicet cùm Perſæ, (vt ex Athenæo & Plutarcho refert Serarius) maximè eſſent zelotypi, & in proprias vxores vltrà quàm par eſt, ſeueriores, adeò vt dominium propè deſpoticum æmularentur; ſatagit Mamuchanus, ne Reginæ exemplo ſuam libertatem vxores vindicent, & in maritos inſoleſcant. Vndè infra verſ. 22. Sancitum eſt edicto regio, *eſſe viros principes & maiores*, (id eſt dominos) *in domib. ſuis.* Quâ de re infrà, n. 9. 10 & 11.

Etſi veroſimilius ſit quod dudùm multis probauimus, reginam Vaſthi ſaltem in foro politico, in Regem maritum deliquiſſe, & indè ſupplicio obnoxiam; certè tota Mamuchani oratio liberior ac durior fuit, & auſterior cenſura. Potuiſſet enim mitiorem in partem Reginæ

7. LXX. Interp.

Pagninus.

Vatablus.

Mariana.

*Perſarũ Reges non erant legibus immunes.*

Dan. 6. v. 15.

Diodorus.

Feuardent.

Chaldæus.

*Perſarũ auſterius dominium in vxores.*

Athenæ.
Plutarch.
Serar. q. 8.

Eſth. 1. v. 22.

*Mamuchani ſententia tā quam nimis auſtera damnatur.*

Reginæ aonutum interpretati, pudori ac modeſtiæ adſcribere, noluiſſe conuiuio intereſſe coram innenum vulgo malè ſobrio, & bene ebrio; pro excuſatione afferre iſtiuſmodi auitæ conſuetudinis ſeruandæ ſtudium. Et fortè putaſſe, plus ſe placituram marito dum pudori ſeueriùs ſtudet, quàm ſi in re leuicula obſequiolum denegaret: forſan etiam exiſtimaſſe, accerſitam fuiſſe, vt ſibi gratum fieret, ſi regio diademate ac cultu exornata coram tot ſubiectis populis ac Principibus appareret; ſumptuoſiori autem ſpectaculo pudoris gratiâ ceſſiſſe. Potuiſſet etiam cauſſæ deciſionem protelare, vt conſultior mora Regem magis ſobrium inueniret, aut faceret. Nam *dilatione feruor iræ elangueſcit, & caligo mentem premens aut decidit, aut minor ſit.* Itaque dum inauditam Reginam damnat, & irreuocabili regni depoſitione mulctat, multò ſeuerius quam par erat, cenſuit: aliâ enim mitiori pœnâ potuit occurri mali exempli contagio. (Niſi fortè de ſibi penitius notâ vxorum inſolentiâ, cenſuit auſteriori ſupplicio opus fuiſſe, vt vxorum audacia compeſceretur.) Quin ſi Mamuchanus rigidæ iuſtitiæ ſeuerus vindex, ſic damnat Reginam; cur non prædamnat Regem qui omittens patrios auſterioris modeſtiæ ritus, Reginam ad conuiuium non ſemel vocauit, quò Reginæ culpa non modicè dilueretur? Qui Reginæ inobſequelam damnauimus, nimiam Mamuchani auſteritatem non abſoluimus. Verùm quemadmodum de Phariſæorum culpa Chriſtum in ſuo concilio damnantium, bonum redemptionis operatus eſt Deus; ſic diuinior prouidentia de vtriuſque delicto glorioſam Eſtheris exaltationem perfecit, ad miriſſimam ſui populi redemptionem. Illud autem, *Tam maiorum quàm minorum*, Prouerbiali formâ dicitur, ſuper quâ conſulendus eſt Martinus del Rio, tom. 1. Adag. §. 24.

*Seneca.*

*Martinus del Rio.*

*Verſ.* 21. Placuit conſilium eius Regi & principibus: fecítque Rex iuxta conſilium Mamuchan.

9. Nec mitior Reginæ venuſtas, nec coniugalis amor, Regis iram vel ad mitiorem pœnam mitigauit. Sic eum ira vltra amorem excæcauerat! Etſi dicatur Mamuchani conſilium *placuiſſe Regi. & principibus*; non putauerim, quòd Mamuchani oratio priùs Regi placuit, ſuumque placitum vocali ſententiâ declararit, antequam reliquos conſiliarios audiret; ſed quòd iunctim omnibus placuit: ponitur enim Rex dignitate prior, non ſuffragij ordine. Scilicet quod ſimul placuit omnibus, priùs adſentiente omnium conſiliariorum calculo adprobatum eſt; & confeſtim regiâ approbatione ſancitum. Alioquin nimis feſtinaſſet Rex conſulens, ſi ante audita reliquorum ſuffragia, ſuffragium vnius ſibi placuiſſe pronunciaret. Sed quomodò eum ſecuti ſunt ad vnum ſapientes reliqui? Si hic Mamuchanus fuit Aman (vt Hebræi putant) regiâ iam familiaritate ſublimis, quid mirum ſi Regis Priuato conſiliarij omnes obſequenter adnuant? Nemo in contrarium vel mutire impunè auderet. Putant nonnulli, quòd cùm hi Conſiliarij Regem ità ſufflammatum viderent, animaduerteréntque nutibus Mamuchani ſententiam adprobaſſe, eidem ſeſe & ipſi ad vnum conformarunt. Veroſimiliùs puto cum Serario, voluiſſe etiam adſerere, & firmum tueri Perſarum in vxores dominium, iuxta auitum gentis inſtitutum, quò eſſent ipſi vxorum ſuarum domini; veriti ne Reginæ exemplo quicquam de hoc iure conſuetudine vetuſtâ obfirmato, detraheretur. Quod adnotabamus ſuprà num. 7. & num. 10. vberiùs tractabitur. Nimirùm hi regij Conſiliarij, & Regi de ſuffragio adulari, & propriæ vtilitati velificari exambiunt, qui eſt geminus boni conſilij ſcopulus, prudentiæ naufragio infamis.

*Quare Mamuchanum ſecuti Sapientes reliqui?*

*Serar. 8.*

*Verſ.* 22. Et miſit (Rex) epiſtolas ad vniuerſas prouincias regni ſui, *&c.*

10 Dum adhuc calet iræ æſtus, malè ebriis vini ructibus ferale edictum pronunciatur, & nimiæ auſteritatis haud delebili atramento ſcriptum, in omnes regni prouincias euulgandum quam ocyſſimè mittitur. *Vt quæque gens audire & legere poterat, diuerſis linguis & litteris.* Hebræus textus ſic habet: Et miſit epiſtolas ad vniuerſas prouincias regni ſui, *ad vnamquamque prouinciam iuxta ſcripturam eius, & ad vnumquemque populum iuxta linguam eius.* Videlicet Perſarum Monarcha ab Æthiopiâ vſque ad Indiam latè centum viginti ſeptem prouinciis imperans, edictum ſingulis non Perſico idiomate, ne non intelligeretur; ſed iuxta cuiuſque prouinciæ linguam, & ſermonis proprietatem, vſitato charactere ſcribi de more iubet. Mox ſubdit quid hoc edictum contineat, ſcilicet quod Mamuchanus intendebat, qui fuit Conſultorum ſcopus, *Eſſe viros principes ac maiores in domibus ſuis. Maiores*, id eſt, Dominos, ita communiter Interpretes. Hoc maritorum ius, quod de Reginæ exemplo nutare apud Perſas videbatur, ſtabilire ſatagunt. Magnum ſanè viris momentum, ne vxoribus ſeruire cogantur. Et ſanè de Ægyptiis ſic apud Feuardentium Diodorus ſcribit: *Inter Ægyptios plus honoris ac honeſtatis impendi ſolet Reginæ, quàm Regi: & in priuatis, mulierem viro dominari, profitentibus in connubiali contractu, viris omnibus eſſe vxori parendum.* Scribit etiam Ariſtoteles, quòd ſaltem illæ feminæ maritis præeſſe exambiunt, quæ amplum patrimonium conſecutæ ſunt. Addit ex Rhodigino, Catonem ſeniorem; ac Themiſtoclem principes inter Romanos Græcóſque viros, dicere ſolitos: *Nos omnibus imperamus, at vxores nobis.* Id in cauſsâ fuit, vt Perſarum Sapientes tam ſeuerè imperium in vxores ex more patrio vindicarent: ne nuper domini ac principes in domibus ſuis, propudioſè ſeruire vxoribus cogerentur.

*Hebræus.*

*Mariti in vxores ius Perſarum Sapientes tuentur.*

*Diodor. apud Feuard. hic.*

*Ariſt. lib. 8. Ethicor. c. 16.*

*Rhodig. lib. 14. c. 14.*

Et hoc per cunctos populos diuulgari. Satis perſpicuus videtur vulgatæ editionis textus. 11
Scilicet cùm Mamuchani ſententiâ placuiſſet Regi, & reliquis Cōſiliariis, vt coërceretur vxorum in viros petulantia, & dominandi libido, Regis edictum hâc ſuper re ſcriptum eſt charactere vſitato cuiuſque prouinciæ, *& hoc per cunctos populos diuulgari* iuſſum. Vulgato LXX. Interpretes conſentiunt; ſic enim habent: *Et miſit in omne regnum per regionem iuxta ſermonem eorum, vt eſſet timor eis* (id eſt viris) *in domibus ſuis.*

*LXX. Interp.*

Pagninus. Vatablus. Mariana.

ſuis. Textus autem Hebræus apud Pagninum, Vatablum, & Marianam, pro eo quod habet Vulgatus, *Et hoc per cunctos populos diuulgari,* ita exſcribunt; *Et loquatur* (*vir*) *ſecundum linguam populi ſui.* Adſimiliter Caietanus: *Et loquens* (maritus) *ſicut lingua populi ſui.* Nōnemo per *linguā* mores intelligit: nam conſentaneum eſt, quòd vxor mariti mores ſequatur, id eſt, ſe accommodet ad mariti ingenium, inſtitutum, mores; non contrà: quod in viris dominium denotat. Mariana verò cenſet, hîc præcipi, vt vir non cogatur vti ſermone vxoris. Sed contrà vxor viri linguâ loquatur, vt habet expreſsè Chaldæus, *obligans eam vt loquatur lingua viri.* Id enim imperij argumentū, vti ſuâ linguâ qui præeſt, ſubditos illam addiſcere. Sed quomodò ſubditorum linguâ regium hoc edictum ſcribit Aſſuerus? Quid hoc ad ſcopum horum Sapientum, qui in omnibus ſubditas, non petulanter dominas, vxores habere intendebant? Caietanus cenſet, quòd cùm nuper dictum ſit marito eſſe principem ac dominum in domo ac familiâ ſuâ, ſtatim additur, *loquens ſicut linguâ populi ſui.* nempè, quod loquatur, id eſt, imperet iuxta linguā populi ſui, (*loqui* enim præcipere eſt, ſicut contrà audire, obaudire, ſeu obedire ſonat) hoc eſt, quòd ſic dominetur vt tamen præcipiat iuxta morem populi ſui: moderatio ſiquidem eſt dominij maritorum. Itaque hoc regio edicto mariti erga vxorem dominium declaratur; ſed imperans loqui debet linguâ populi ſui, & ſecundum patrios mores imperium moderari, ne vxori ſicut ancillæ ad nutum imperet. Melius opinor, Vatablus: Vt viri *loquerentur ſermone populi ſui*, id eſt vernaculo, hoc eſt, & promulgent linguâ propriâ edictum regium vxoribus, vt ab illis intelligi poſſet. De hac enim edicti promulgatione locum intelligit vulgatus.

Caietanus. — *Maritus loqui debet cū vxore iuxta linguā, id eſt, mores populi ſui.* — Mariana. — Chaldæus. — Caiet. ibi. — Vatablus.

12. Hoc regio edicto regina Vaſthi exauctorata eſt, & à regio toro & maieſtate deturbata, & quidèm in ipſo conuiuio, vt qui teſtes fuerant contumaciæ, inflicti ſupplicij teſtes forent. An verò Vaſthi aliud ſupplicium ſubierit, Scriptura non denarrat. E regiâ Suſorum vrbe eiectam, veroſimile putatur, vt nuper ſuſpicabamur. Adducunt Hebræi apud Feuardentium & Sanctium, capitali pœnâ damnatam. Fides appellet Rabbinos. Hic lugubris Reginæ ſucceſſus geniale lautioris conuiuij feſtum inceſtauit. Hic eſt conuiuiorum finis, & humanæ lætitiæ exitus. *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Audit moraliſſimè Seneca: *Vt periculoſa eſt ſecundum Hippocratem ſummè bona corporis valetudo; ita rebus maximè proſperis ac iucundis metuenda aduerſa fortuna eſt.*

*An Vaſthi præter exauctorationem ſubierit aliā pœnam.* — Feuardent. Sanctius. — *Lautioris cōuiuij lugubris exitus.* — Prouerb. 14. v. 13. — Senec. ep. 36.

## §. XVI.

*E fœcundo litteralis ſenſus aruo, breue carptim ſpicilegium ethicè proponitur.*

*Verſ.* 1. In diebus Aſſueri, qui regnauit ab India, *&c.*

1. SIc Perſarum regnum ſuperbiloquentia, nomina arroganter multiplicauit, vt hunc Aſſuerum & notum nobis obiecerit, & ignotum. Appellatur *Aſſuerus* cognato Medorum regum vocabulo: vocatur *Nabuchodonoſor*, quo nomine in Iudithæ hiſtoriâ eius pater indigitatur: nuncupatur etiam *Artaxerxes* proprio regum Perſarum nomine: *Cyrus* quoque tranſnominatur, à Cyro illo Perſicæ monarchiæ erectore. Et quaſi tot vocabulorum elogia vnum non caperent hominē, idem *Aſſueri* nomen geminatione repetitâ ampliatur. Quâ ſuper re ita inibi ſcribit Caietanus: *In diebus Aſſueri. Iuxta Hebræum habetur: Et fuit in diebus Achaſueros: ipſe Achaſueros imperans ab India, &c. Quare autem repetatur illius nomen libenter diſcerem.* Sed pace tanti Doctoris dicam ethicè de tot nominum conſilio & cenſu, quòd de fallaciâ numeroſæ nominationis nauſea nominis inaccreſcit: caducâ enim potitur laude, cui in nominum lubrico honor eſt. Alto ſtilo dixit Tertullianus de hominis carne: *Poſt totum ignobilitatis elogium caducæ carnis in originem terram, & cadaueris nomen, & de iſto quoque nomine periture in nullum indè iam nomen, in omnis iam vocabuli mortem.* Scilicet dum Aſſueri ambitio nomina ingeminat & multiplicat, multiplicat etiam & ingeminat tot illuſtrium vocabulorum *mortes*, & appellationum *cadauera*; vt vno Aſſueri interitu & funere, tot cognominum cadauera tumulentur. Vocabulis etiam ſua mors eſt. Quæ æternitatis candidata nomina fingis, ſimul facis *de iſto quoque nomine peritura in nullum indè iam nomen, & omnis iam vocabuli mortem.*

*Aſſuerus nomina multiplicans, appellationum cadauera parat.* — Caiet. ibi. — Tertull. de Reſur. carn. cap. 4

*Verſ.* 2. Quando ſedit in ſolio regni ſui, Suſan ciuitas regni eius exordium fuit.

Tertio regni Aſſueri anno hæc peraguntur, & tunc *exordium* regni eius dicitur, & primùm in ſolio vrbis regiæ *ſediſſe?* O tarda nimis cunctatio in negotioſâ regnandi ambitione hominibus cognatâ! Opportunè Vatablus: *Cùm ſummâ tranquillitate, & altâ pace frueretur, cùm victis hoſtibus ſederet in ſolio ſuo, quod erat in Suſan.* Nimirùm pace partâ, armis ſilentibus, & victis hoſtibus, tunc *exordium* regni dicitur, & tunc primùm Rex in regni ſolio *ſedere* perhibetur. O quàm multa paucis ad Principum eruditionem! 2.

*Regni exordium, à victis hoſtibus dicitur.* — Vatabl. inib.

*Verſ.* 2. Suſan ciuitas regni eius exordium fuit.

Hebraicè, *In Suſan Habirah.* Hoc vrbis epitheton ſic exponit Mariana: *In Suſan Habirath, cognomen illius vrbis, quaſi dicat, Suſan palatio. Et quidem Birah palatium ſignificat, eáque vrbs ſic vocata eſt ab elegantiâ, quòd vniuerſa inſtar palatij cuiuſdam eſſet.* Nempe, vt inibi Strabus Fuldenſis notat; *Ibi* (in Suſan inquam) *eſt regia domus Cyri lapide candido & vario, columnis aureis & lacunaribus, gemmiſque diſtincta, cæli continens ſimulacrum, ſtellis micantibus inſignitum.* Itaque vrbs in quâ domus regia ſuperbo ſtructuræ genere ſumptuoſiùs eminet, ſic incolæ priuatas domos ſumptuoſè ædificarunt, ambitioſâ Regis æmulatione, vt vrbs *vniuerſa inſtar palatij cuiuſdam eſſet*, & indè *Suſan Habirah*, id eſt, vrbs palatium nominatur. Sic priuati ciues in ædium 3.

Mariana ibidem. — *Regia Aſſueri vrbs, cur palatium dicitur.* — Strabus in Gloſſa ibi.

ædium ſubſtructione, cum inſanâ Cyti fabricâ contendunt? O immodicum priuatorum faſtum, vltrà proprium faſtigium arroganter audacem! Niſi fortè Aſſueri domus ſic vaſtis ſpatiis per vrbis aream tendebatur, vt vniuerſa vrbs Suſan, vna domus Regis foret, anguſtiores habitatiunculas ciuibus relinquens iuxta illud Poëtæ:

Martialis. *Roma domus fiet; Beios migrate Quirites,*
*Si non & Beios pertigit vſque domus.*

*Verſ.* 3. Fecit grande conuiuium cunctis principibus, *&c.*

4. Huius regij conuiuij magnificentiam, & penè inſanam opulentiæ oſtentationem ſacer Hiſtoricus latè deſcribit: de quo ita ſcribit Strabus Fuldenſis: *Fecit grande conuiuium, &c. Huius conuiuij hiſtoria pompam diuitiarum, & luxum Regis oſtendit: ſed Chriſti ſpirituales delicias, quas vnicuique diſpenſat, allegoricè ſignificat.* Miriſſimum ſanè eſt, quòd Euchariſticum conuiuium adumbretur per hoc Aſſueri conuiuium, quod Aſſueri ambitioſiùs pompam, & regium ſumptuoſiùs luxum & faſtum arroganter ſpirat. Citò dicam. Ea eſt Euchariſtici epuli magnificentia, vt apud homines (qui rei magnitudinem ſenſibus metimur) forſan non incongruè ambitioſioris vitij nomine declaretur, re vitij vacuo. Plus ſæpè vitia audent, quippè quæ nullis vnquam metis arctantur, de ambitionis & temeritatis humanæ audaciâ: virtus autem remiſſior plerumque eſt. Vndè quò viuaciùs adumbretur diuinioris beneficentiæ pignus, quo Deus ipſe in æternitatis alimoniam datus, homini arcanè conniſceretur; ſuperbè ambitioſo, & ambitioſiùs opulento Aſſueri conuiuio proponitur, virtute ſuperans opulentam illius vitioſitatem.

*Strabus ibi.*

*Ambitioſa huius conuiuij pompa, quomodo Euchariſticum conuiuiũ adumbrat?*

*Verſ.* 8. Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum.

5. Paraphraſis Chaldaica ſic locum exſcribit & exponit: *Et potatio iuxta aſſuetam conſuetudinem corporis, & nemo erat qui cogeret.* Vatablus autem ex Hebręo: *Potatio verò erat ſecundum legem, nec erat qui cogeret.* Nimirum in hoc regio Aſſueri conuiuio, quod Euchariſticum adumbrat, (propinabatur enim *vinum multum & ſuaue, quod Rex ipſe bibebat*, vt efferunt LXX. Interp.) potatio fit *iuxta aſſuetam conſuetudinem aut legem corporis.* An non potiùs animi æſtuantis præ arcanâ ſiti? Quænam eſt hæc *aſſueta conſuetudo aut lex corporis*, ſecundum quam Euchariſtica potatio præſcribitur? Corpus ne ſitit Euchariſticas delicias? *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* De hâc corporis anhelâ ſiti, aliàs non pauca delibauimus. In hâc metaphorâ ſagaci ingenio plura ruſpari licet.

*Chaldæus. Vatablus.*

*LXX. Interp. ſuprà v. 7.*

*Potandúſne eſt calix iuxta conſuetudinem, aut legẽ corporis? Pſal. 83. v. 3.*

*Verſ.* 8. Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, ſed ſicut Rex ſtatuerat.

6. Vatablus ex Hebræo: *Potatio ſecundum legem, quia ſic fundauerat, id eſt, præceperat Rex.* Moraliſſimè quidem in linguâ Sanctâ, præcipere, *fundare* eſt. Leges puta ſanctitatum *fundamenta*, ne virtutis fabrica vnquam nutet.

*Vatablus.*

*Præcipere fundare eſt.*

*P. Didac. Celada in Eſtherem.*

*Verſ.* 11. Vt introducerent reginam Vaſthi coram Rege, poſito ſuper caput eius diademate.

Anſelmus laud. per Vaſthi allegoricè intelligit Eccleſiam Iudæorum, quæ tunc erat vera Eccleſia: & addit: *Poſito ſuper caput eius diademate*, id eſt, *honore religionis.* Nempè *honor religionis*, religioſi diadema eſto, & corona in vertice nitens. Sic debet quiſque honori propriæ religionis ſtudere, & honorari auguſto religionis ſuæ honore. 7.

*Anſel. inibi.*

*Honor religionis, religioſi corona eſto.*

*Verſ.* 11. Vt introducerent reginam Vaſthi coram Rege, poſito ſuper caput eius diademate.

LXX. Interpretes, *Vt introducerent Reginam ad ipſum, ad faciendum eam regnare.* An non Vaſthi iam dudùm regina erat? quo igitur pacto dicitur accerſiri, *ad faciendum eam regnare?* An regnare potiùs dicitur pulchra femina, cùm excultiùs ornata in publicum prodit? An quia aduocatur vt adſit regio conuiuio, Euchariſtiæ antitypo? Sat eſto, digitum intendiſſe. 8

*LXX. Interp.*

*Pulchra femina comtiùs ornata, in publicum prodiens, regnare dicitur.*

*Verſ.* 14. Qui videbant faciem Regis.

Hi ſapientes conſiliarij *faciem Regis videre* dicuntur, id eſt, *voluntatem*, vt Anſelmus exponit. An quia adeò erant Regi obſequentes, vt nutibus parerent? Nollem conſiliarios, qui in Principis vultu, eius *voluntatem* legentes, & illi ad nutum pareant, coaptantes ſententiam ad Regis vultum. Quod nunc factum reprehendimus: nam Rege non benè irato, ipſi malè ſæuiunt. Non rogantur conſiliarij quid velit Rex; ſed quid ipſi de re ſentiant, vt Rex velit quod æquum eſt. 9.

*Anſel. laud. inibi.*

*Conſiliarius in Regis vultu eius voluntatem malè videt.*

*Verſ.* 14. Qui videbant faciem Regis, & primi poſt eum reſidere ſoliti erant.

LXX. Interpretes ſic locum exſcribunt: *Et acceſſit ad eum* (Regem inquam) *Arceſæus*, &c. An non hic Arceſæus erat primus è ſeptem illis Sapientibus ſeu Principibus, qui primi poſt Regem ſedebant? Quomodò igitur ad Regem propiùs *accedere* potuit? Opinor, gratiâ ſuffragij adulantis regiæ iracundiæ, ad Regem proximiùs *accedere* ſatagit. Attende conſiliariis de ambitioſo ſuffragij ingenio ſuſpectis, an ad rigidam legum obſeruantiam, an ad magiſtratum Regi proximiorum, ſuffragiorum greſſibus feſtinent. 10.

*LXX. Interp.*

*Regi proximus, accedere ad eum ſatagit ſuffragij greſſibus.*

*Verſ.* 16. Reſpondit Mamuchan.... Regem læſit regina Vaſthi.

Mariana pro τὸ *Regem læſit*, ex Hebræo reſcribit, *Iniquè egit.* Aurea planè ſententia. Quiſque in Republicâ iniquè agit, etſi alioqui fideliſſimus Regis cultor, *Regem læſit.* Heu paſſim obuia maieſtatis læſæ flagitia! Optimi Principis elogium eſt, exiſtimaſſe ſe quouis ſubiectorum delicto lædi. Sed de hoc aliàs. Paraphraſis Chaldaica habet: *Non aduerſus Regem tantùm rebellauit regina Vaſthi*, &c. An inobedientia *rebellionis* elogium implet? Multa breui Chaldæus compendiauit! 11.

*Mariana.*

*Quiſquis iniquè agit, Regem lædit.*

*Chaldæus.*

*Verſ.* 17. & 18. Egredietur ſermo Reginæ ad omnes mulieres .... atque hoc exemplo omnes Principum coniuges paruipendent imperia maritorum.

12. Mariana. *Quàm citò apud feminas malum exẽplum ſerpat.*

Mariana pro τò *hoc exemplo*, ex Hebræo textu legit: *Et die hoc.* Vaſtiſſimum ſanè erat Aſſueri imperium; quod ab Indiâ vſque ad Æthiopiam per centum viginti ſeptem prouincias pertingebat: non bonum Reginæ exemplum, quo à maritorum ſubiectione immunitatem mulieres ariolantur; illâ ipsâ die, quâ exhibitum eſt, tam citò innoteſcere, & tam latè ſerpere ſapientes timent. Sic eſt omnibus, feminis præſertim, procliue & expromptum malum exemplum arripere?

*Verſ.* 19. Egrediatur edictum à facie tua, & ſcribatur iuxta legem Perſarum.

13. Mariana. *Conſiliarij ambitioſa adulatio, peſtis cõſilij eſt.*

Hebraicè traditur ad rem explicatiùs, ſic enim ex Hebræo exſcribit idem Mariana: *Scribatur in legibus, id eſt, inter leges Perſarum. Itaque Hebraica ſignificant, fore vt ea lex noua ceteris earum gentium adiungatur.* O quàm, ſi attentiùs inſpicias, citò deprehendes conſiliarios in fatuâ ambitione ſuffragij! Interrogauerat iratus Rex verſ. 15. *Secundum legem quid faciendum in reginâ Vaſthi?* & cùm Regis iræ, potiùs quàm iuri reſpondere vellet, poſt exaggeratum criminoſiùs factum, cùm nullam legem violaſſe videret, vaferrimè ſuadet, vt legem denuò condat, quam violaſſe videatur: & huic ſuffragio quod ambitioſa adulatio concinnauit, omnes conſiliatores adnuunt. Profectò conſiliariorum ambitio, & adulationis ſtudium, peſtis conſilij eſt. Rex licet iratus conſulit, conſiliarij iræ expertes, irato nequiores ſunt, dum Regis irâ debacchantur.

Supra v. 15. In Hebræo.

## §. XVII.

### *Quàm ſit vita hominis fugax, caduca, fragilis, incerta, ita ludit dies!*

1. Senec. ep. 78.

INhæreat illud animo, & tanquam miſſum oraculo placeat: *Quomodò fabula, ſic vita, non quandiu, ſed quàm benè acta ſit, refert.* Nil ad rem pertinet, quo tempore, quâ ætate, quo loco, quâ rerum opportunitate aut importunitate deſinas: quocumque volens deſine: tantùm bonam clauſulam vitæ impone. O quanta dementia eſt ſpes longas de prolixis occupationibus inchoantium! Emam, ædificabo, credam, exigam, honores geram, purpurâ induar. Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia ſunt: cùm vita fragilis & caduca, ſit ſpei humanæ ſubſiſtentia. Nihil ſibi quiſque de futuro debet promittere. Id quoque quod tenetur, per manus exit, & ipſam quam premimus horam caſus incidit. Voluitur tempus ratâ quidem lege; ſed per obſcurum. Quid autem ad me, auctori naturæ certum eſſe, quod mihi incertum eſt? Ad latus mors eſt: quæ quoniam nunquam cogitatur, niſi aliena, ſubindè nobis ingeruntur mortalitatis exempla, non diutiùs quàm dum miramur, hæſura.

*Humana vita breuitate incerta ludit.*

Sententiosè Publius Mim. *Quotidie eſt deterior, poſterior dies.* Adeò vt *neſcias quid optes, aut quid fugias, ita ludit dies.* Etſi vita miſero videatur longa, felici breuis, vtrique breuiſſima eſt, & quidem breuitate dubiâ. Non annis, non menſibus, ſed diebus, ſacer Hiſtoricus hîc metitur Aſſueri vitam, ab hoc documento hunc librum auſpicatus, aiens: *In diebus Aſſueri regis*, &c. Publ. Mim. Hic verſ. 1. 2.

2. Geneſeos 4. in humanæ vitæ limine mortis tabula legitur: iuſtus enim Abel iniuſtè à morte occupatus, humanæ vniuerſatim mortis funeſtum ius immaturo præſcriptionis principio indubitatè propagat: *Conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.* Nimirùm audierat Adam ſeuerum illud Dei edictum, vt ab vnâ paradiſi arbuſculâ temperaret: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Præcepto infidè cõtumax, comedit de interdicto arboris fructu, & forſan pœnitentiæ calore non coxit, pomum adhuc crudum eructat in filium, quẽ nunc crudo funere lamentatur. Hâc ſuper re ita Veronenſis Zeno ad rem præſentem philoſophatur: *Adam,* inquit, *in arce cùm eſſet adhuc paradiſi conſtitutus, beatiſſimúſque beati orbis imperio potiretur, tandiu felix, tandiu inexterminabilis vixit, quandiu imperata regalis edicti continuit; at vbi ſiniſtro conſenſu ſacræ arboris pomum male dulce delibauit, lacrymas reperit, dolores, & gemitus ſibimet comparauit:* (Penſita attentiùs quæ ſubdit verba) *Vltimóque ſudore turbatus poſteris hereditatem indigeſtæ mortis, quæ homicidium mox peperit, dereliquit.* Cain, Deo ſpectante negotium, & ſedulò dehortante, parricida eſt: in ætatis vere Abelus moritur, ſanctitatis primum florem inuidia fraterna decuſſit. Pater fructum, non tam ſcientiæ, quàm mortis comedit, & *indigeſtæ mortis hereditatem poſteris dereliquit.* Adhuc Adamus crudum ructat pomum, & indigeſtæ mortis cruditate nauſeamus, ſed numquam eam euomimus. Adhuc crudam mortem nauſeabundi in ſtomacho geſtamus, eamque de paternâ hereditate ſingulis momentis eructamus: nec cruda nauſea mortem vomitu foràs egerit, ſed velut crudâ digeſtione ſic decoquit, vt in hominum ſubſtantiam propè conuerſa abeat, & vitam incerto ructu, momentóque inopinato foràs pellat: & à primo vitæ auſpicio vſque ad fatale tandem exitium, viuentis pertæſa elogium, cadaueris nomen exambiat. Heu de pomo vetito hauſit Adamus, vt *poſteris hereditatem indigeſta mortis, quæ homicidium mox peperit, derelinqueret.*

Gen. 4. v. 8.

Gen. 2. v. 17. *Adam poſteris hereditatem indigeſtæ mortis reliquit.*

S. Zeno ſer. de Patient.

Geneſeos 6. *Hæ ſunt generationes Noë: Noë vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis.* Quoniam τò *generatio* multimodâ acceptione in ſacris Bibliis legitur, non conuenit inter expoſitores, quid ſignificet ſacer ſcriptor aiens, quòd Noë fuit vir perfectus *in generationibus* ſuis. Si τò *generatio* pro filiis accipiatur, vt ſæpè accipi ſolet, opinor, maior ſobolis pars ſcelerata tunc fuit. Si verò *generatio* pro ſeculo ſumatur, quod crebrò fit; hæc laus fructu ſuo vacat: nam exigua admodum virtus in æuo ſceleratiſſimo facile ſuperexcelleret. At ſacer Hiſtoriographus hæc verba quaſi grande Noëmi elogium concinnauit. P. Ioannes Maldonatus vir omni æuo magnus, cùm in vno Matthæi 1. cap. toties audiatur hæc vox *generatio*; ſic inibi exponit quem verſamus Geneſeos locum, aiens: *Noë dicitur profectus in generationibus ſuis,* 3. Gen. 6. v. 9.

*Qualibet pars vitæ hominis, noua eius generatio nuncupatur.*

Mald. in c. 1. Matth.

*ſuis, id eſt, in omnibus partibus vitæ ſuæ.* Literaliſſimè pariter ac moraliſſimè. Nempè quælibet pars vitæ hominis adeò obnoxia eſt morti, vt ſi illam homo declinet, & ſuperſtes euadat, quaſi eiuſdem hominis noua *generatio* nuncupetur. Heu ſic eſt caduca hominis vita, ſic eſt fugax, fragilis, futilis, friuola, vt quaſi ſingulis renaſcatur momentis quibus durat, de recenti ſibi *generatione* gratuletur! Sanè luculenter.

4. Ioan.4.v.47. Ioannis 4. erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audiſſet quia Ieſus adueniret à Iudæâ in Galilæam, *abiit ad eum, & rogabat eum vt deſcenderet, & ſanaret filium eius: incipiebat enim mori.* Eſtò, hic reguli filius periculosè ægrotet propè iam deſperatâ ſalute, minus philoſophicè dictum videtur, quòd *incipiebat mori.* Porrò ſi preſſiùs loquendum ſit, vita noſtra tota ſimul finitur, & mors in momento peragitur. Imò ſi ethicâ proprietate loquendum eſt, vitæ exordium, mortis principium eſt: non tantum quia mortalem agimus vitam; ſed quia vnaquæque eius periodus præcedentis mors eſt. Infantia hominis puerilitate obiit, puerilitas iuuentute decedit, iuuentus virilitate interit, virilitas ſenectute moritur. Quin & vnuſquiſque dies diei præcedentis funus agit. Exinde homo à ſua natiuitate *mori incipit*, & viuas ſui exequias ſingulis horis repetito funere neſcius concelebrat. De ſuo Arcadio martyre, penè membratim exectò, & cui truncum corpus, ſeu ſpirans cadauer tantùm ſupererat, ita Zeno Veronenſ. ſcribit facili flexu ad rem præſentem peridoneè: *Numerent*, inquit, *martyria, qui poſſunt numerare ſupplicia. Sed durat inter hæc martyris ſpiritus, morarum numeroſitate ſeruatus perſtat viuus, parte ſui corporis iam ſepultus. O dignus glorioſi exitus finis. Aſcenſurus altitudinem cæli, corporis ſuis impedimenta præmittit, & exequias funeris ipſe præcedit.* Ecce tibi quiuis homo dum à vitæ exordio *mori incipit*, morarum numeroſitate ſeruatus perſtat viuus, parte ſuæ vitæ rediuiuâ ſucceſſione ſepultus. Vndè quia ſingulis ætatibus, annis, menſibus, diebus, horis, momentis homo aliquâ ſui parte moritur, *exequias funeris ipſe præcedit*, dum numeroſa vitæ portio identidem in viuo corpore tumulatur. Quam tandem appellas mortem, non prima, ſed vltima mors eſt, eamque plures præcedunt. Imò & homo ipſe pompam repetiti funeris ſemper præcedit: & quod Arcadio martyri ſemel contigit, ſingulis hominibus ſucceſſiua mortis numeroſitate contingit. Heu caducam humanæ vitæ fragilitatem! Iam *mori incipit*, quiſquis viuere incepit. Pulchrè Seneca! *Agunt opus ſuum fata, nobis ſenſum noſtræ necis auferunt, quòque faciliùs obrepat mors, ſub ipſo vitæ limine latet: infantem in ſe pueritia conuertit, pueritiam pubertas, iuuentutem ſenectus abſtulit; incrementa ipſa ſi benè computes, damna ſunt.*

*Iam mori incipit, quiſquis viuere incœpit.*

S. Zeno ſer. de S. Arcad. *Pulchrum Martyris elogium.*

Seneca de Conſol. ad Marciam. cap.20.

5. Gen.1.v.20. Geneſeos 1. dies mundi quinta animantium productione dedicatur: *Dixit etiam Deus: producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cæli.* Ne cui verò ſubreperet dubium, volucres ex aquarum gurgitibus primò enatas, etſi in terrâ alantur, & in aëre verſentur, ita factum fuiſſe, ſacer Hiſtoricus confeſtim adteſtatur. Quâ ſuper re ſic ad theſim præſentem Rupertus addubitat: *Quæri nunc poteſt*, inquit, *cur cùm omnia volatilia aqua produxerint, non etiam ſub aquis natalibus viuere poſſunt? .... Sed hæc, vel cetera cùm de aquis producta ſint, non etiam ſub aquis viuere poſſunt. Cur ergò natura illis quaſi à materno vtero tam diuerſa ſuccedit? Cur illic vitam retinere non poſſunt, vnde vitam ſumpſerunt?* In pulchrò Ruperti dubio arguta tranſparet ſolutio. Eheu quod vitam largiùs dat, morti inuidiosè militat! Ex aquis tanquam è cognatâ matrice prodeunt volucres; & ne confeſtim pereant, velut inquilinæ aëra, & terras inhabitantiâ natali ſolo exules, ne donatæ vitæ exilium patiantur, in alieno elemento peregrinari coguntur: quia *illic vitam retinere non poſſunt, vndè vitam ſumpſerunt.* O genitalium aquarum crudelitatem, & donatæ vitæ auaritiam! Recens enata aquarum ſoboles terræ velut nutrici mandatur, ne materno fotu fœtum perimat ſuum: exindè volucres *vitam retinere non poſſunt, vnde vitam ſumpſerunt.* O cognatâ naturaliter parricidia! Natale principium fugiant volucres, ſi viuere iuuat. Cui tutò credat vitam, cuius morti patentes incubant? Natura volucrum refuga ſit genitricis aquæ, ne mors illis fiat vitæ ſuccedanea. Malè tutus erit inter extraneos, qui inter ſuos periclitatur. Vterus volucrum, mox fiet earum tumulus: & ſobolis ad genitricem reditus, funeris ſui exequias deducit: quoniam *vitam retinere non poſſunt, vnde vitam ſumpſerunt.* O vitæ pericula viuentibus impiè cognata! Proles ſtatim ac naſcitur, ne confeſtim pereat exponitur?

*Volucres vitam retinere non poſſunt, vnde vitam ſumpſerunt.*

Rupert. l.1. in Geneſ. cap.50.

Geneſis 2. *Formauit igitur Dominus Deus* 6.
*hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius* Gen.2.v.7.
*ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Auguſta ſanè hominis dignitas: nam tametſi è luto ſibi cognato materiatus ſit, tamen Dei inſpiratione, & argutâ ſui fabricâ valdè nobilitatus eſt, & Dei imagine impreſſus, ſublimiſſimè decoratus. *Creauit Deus hominem* (ait Seleucienſis Baſilius) *non egentem vtero,* Baſil. orat.1.
*non in natura officinâ luteum embyronem, neque loci anguſtiâ naturaliter obſeſſum, non expectantem, non tempus manentem, quo de ventris carcere captiuus exoluatur, neque poſt partionem reticulis faſciarum reformatum, non probroſo per terram inceſſu dedecoratum, non ad ætatis imperfecta gradus admiſſum cum labore: ſed vidit hominem immortali manu editum, pro matrice creatoris manu vſum.* Quid non magnificum ſpondeat prænobilis creatio Hominis immortali Dei manu editi, & qui pro matrice Creatoris manu vſus eſt? Glorioſum ſanè ſumptuoſiùs Hominis principium, ſed tamē principium: principium autem inter inceptionis auſpicia, infauſtè finem auguratur, funeſto ſui interitus prognoſtico. *Quæ autem* (inquit Ambroſius) S.Ambr. in
*initium habent, & finem habent: & quibus finis* Exhaëm.
*datur, initium datum conſtat.* Quaſi vitæ initium ſit ſui finis præambulum, & augurium funeſti interitus præmaturum. Heu felix vitæ auſpicium eſt præpropera mortis prophetia?

*Vita auſpicii illius finem inauſpicato auguratur.*

Matthæi 15. Chriſtus Deus rudes adhuc di- 7.
ſcipulos ſic ſeuerè erudit de miſerâ hominis Matth.15.
conditione. Adhuc, inquit, & vos ſine intelle- v.19.
ctu eſtis? Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemia, &c.* Tolerabilis eſt hoſtis cùm muros

arietat extrinſecùs, cùm foris poſitus cædit aliquando conflictu: cui verò eſt etiam intùs inimicus, cuius aduerſarius in ipſis quoque penetralibus ſæuit; iſte ſe intelligit, & ſentit oppreſſum, iſte ſe captiuum, aut iam mortuum deplorat. O quot hoſtes vitæ ſpiritualis ac corporalis, homo medullitùs ſentit, & extrinſecùs patitur! Sed qui latent intrinſecus, certiùs vrgent ad mortem, dum vitæ inceſſanter inſidiantur, & mortem acceſſunt. S. Chryſoſtomus ſer. 171. præſcripta verba exponens, ita eleganter ſcribit: *Nouus eſt hic ordo bellandi: de homine contra hominem gentes exeunt bellatura: non contenta in occulto vincere, proſternere in abdito, quaſi qua famam quærant hominis de ruinâ.* Hæc de animæ expugnatione vera nimis; & de ruinâ corporis æquè vera. Quaſi inteſtini vitæ propriæ hoſtes, non modò perpetuo adroſu vitæ inſidientur; ſed foràs erumpant, & nos ipſi manus laceſſamus hoſtiles, aliquâ de noſtro interitu *famæ* ambitione, & gloriæ pompâ.

*Homo de ſuo interitu famam quærit, inſanâ gloria pompâ.*

S. Chryſol.

## §. XVIII.

*Bonum imbonumúe initium, rei progreſſum, & exitum benè aut malè metitur.*

1. *Exordium rei cenſus eſt.*

QVisquis auſpicatò negotium inchoat, iam propè illud feliciter abſoluiſſe putatur. Quaſi de fauſto initio rei progreſſum & finem metiri liceat. Audiendus eſt ſacer textus hic, & conſulendi Commentatores: *Quando Aſſuerus ſedit in ſolio regni ſui, Suſan ciuitas regni eius exordium fuit.* Ea autem ciuitas Aſſueri regni *exordium* fuiſſe dicitur, aut quia ibi defuncto patre Rex primùm inauguratus eſt: aut quia iuxta Hebræorum idioma, quæ meliora ſunt, prima dicuntur, vel initia. Sic 1. Regum 15. v. 12. *Saül*, inquit, *offerebat ſacrificium Deo de initiis prædarum.* Quo etiam genere loquendi vſus eſt Ezechiel cap. 20. v. 40. Quod autem *initium* aut quod perindè eſt *principium*, ſeu *exordium*, idem ſit quod præcipuum, docet illud Eccleſiaſtici 29. v. 28. *Initium vitæ hominis aqua, & panis, & veſtimentum, & domus protegens turpitudinem.* Hæc enim, vt apparet, non prima ſunt, ſed præcipua humanæ vitæ ſubſidia. Vndè *exordium* regni, idem erit ac præcipuum, quaſi ab *exordio* ceteras principandi felicitates taxare liceat: atque *exordium* ſit rei ſuccedentis cenſus, & menſura.

Hic Verſ. 2.

Sanct. ibi n. 6.

1. Reg. 15. v. 12.

Ezech. 20. v. 40.

Eccl. 29. v. 28.

2. Actorum 1. ita ſcribit Lucas: *Primùm quidem ſermonem feci de omnibus ô Theophile, quæ cœpit Ieſus facere, & docere vſque in diem, quâ præcipiens Apoſtolis per Spiritum-ſanctum, quos elegit, aſſumptus eſt.* Mirum ſanè eſt quòd Lucas Euangeliſta ſignatè dixerit, ſe in euangelio ſuo ſcripſiſſe de *omnibus*, cùm Ioannes ſuum Euangelium finiens, dicat: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Vidit hanc difficultatem Oecumenius, & his verbis eam diſertè proponit: *Verùm cùm ait: de omnibus: videtur Ioanni Euangeliſtæ repugnare: ille namque dicit poſſibile non eſſe hæc ſcribere: neque enim mundum poſſe capere libros qui ſcriberentur: hic autem de omnibus ait ſe librum feciſſe ab exordio vſque ad aſſumptionem. Quid ergò dicemus?* Reſpondet autem propoſito dubio, *Quòd hîc ſe nihil prætermiſiſſe ait eorum, quæ cohærent, ac vrgent, in quibus diuinitas ac veritas prædicationis comprehenditur.* Verùm ipſe quoque Ioannes de his omnibus adæquè diſſeruit. Profectò Cardinalis Caietanus, quo pollebat ſubtili ingenio, difficultatis nodum diſſoluit opportuniſſimè ad rem: *Primùm quidem*, ait, *Sermonem feci de omnibus quæ cœpit Ieſus facere, & docere, &c. Non dicit, Quæ Ieſus fecit, & docuit, ſed, Quæ cœpit facere, & docere.* Ecce tibi inſinuat Caietanus, quòd S. Lucas de *omnibus* Chriſti Dei miraculis & virtutibus compendio ſcripſit; non ſingula particulatim recenſens, ſed felix Chriſti in terris initium delibans, de eius enim natiuitate, & pueritiâ, & vberiùs & explicatiùs agit, quàm reliqui Euangeliſtæ. Et aliqua ſaltuatim perſtringens, ex quibus procliue eſt pernoſcere, qualia ad finem vſque vitæ operatus ſit. Exindè non ait: *Sermonem feci de omnibus, quæ Ieſus fecit, & docuit; ſed quæ cœpit facere, & docere.* Quaſi qui exordij auſpicium dicit, reliqua exinceps vſque ad optatum finem complecti videatur, arcano narrationis compendio. (Scio quid *τὸ cœpit*, Biblicâ phraſi ſignificet; ſed premo verba cum Caietano, quò tempeſtiuum ad mores ſenſum exprimam.)

Actor. 1. v. 1. & 2.

Ioan. 21. v. 25.

Oecumen. in Actor. 1.

*Qui initium exactè denarrat, reliqua vſque ad finẽ narraſſe perhibetur.*

Caiet. inibi.

Geneſis 38. Iudas Iudææ gentis princeps Patriarcha, fœminâ Chananitidem vocabulo Sue vxorem duxit: & acceptâ vxore, ingreſſus eſt ad eam. Quæ concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eis Her. Rurſúmque concepto fœtu, natum filium vocauit Onan. *Tertium quoque peperit; quem appellauit Sela. quo nato parere vltrà ceſſauit.* Magno fœcunditatis auſpicio Sue exoptatam partionem inchoauit; ſed poſtmodùm *ceſſauit parere.* Quæ verba ſic exponit Caietanus: *Ceſſauit parere Hebraica dictio non deficere, ſed mentiri ſonat.* Caietano Lipomanus adſentit ſic inibi fatus: *Sciendum quod verbum Cazab* (pro quo *ceſſauit* vulgatus vertit) *mentiri, fruſtrari, fallere, & deficere ſignificat.* Vterque edoctus eſt ex Hieronymo in qq. Hebraicis, vbi ita ſcribit: Hebræum *Chazbi* (Vulgatus *ceſſauit*) *non nomen loci, ſed mendacium dicitur. Mentietur opus oliuæ; id eſt fructum oliua non faciet.* Itaque *ceſſare* ab opere feliciter inchoato, egregium *mendacium* eſt. Falſatâ operis fide palàm mentitur, quiſquis bonum quod cœpit, non perficit. Sed innotatum hîc non omittam, quòd ex mente Hieronymi idem eſt, *parere ceſſauit*, ac *pariendi mendacium.* Sanè fœcunditas mendax eſt; quot partus, tot *mendacia* edit, dum mentitam prolem enititur. Sic eſt vita hominis fugax, mentita, futilis, caduca! Sola virginitas verè parturit, & æternùm ad vitam æternaturam perenniter ſoboleſcit. 3.

Geneſ. 38. v. 5.

*Qui ceſſat ab opere feliciter cœpto, egregiè mentitur.*

Caiet. ibi.

Lipom. ibid.

S. Hieron. in qq. Hebr.

Habakuc. 3. v. 17.

*Quæ hominẽ parit, mendacium edit.*

Geneſis 2. igitur toto ſextidui opificio perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. *Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat.* Bene hic notat Rupertus cum communi interpretum hunc diem ſingulariter non conflari ex *mane* & *veſpere*, ſicut & reliquos hactenùs dies, in quibus creaturæ omnes productæ ſunt: vndè hunc ſeptimum diem æternæ diuini Verbi productioni myſticè Rupertus deſtinat: ceteros omnium creaturarum creationi adſcribit. Hinc exponit hic magnus Doctor quo modo reliqui ſex dies, in quibus creaturæ formatæ 4.

Geneſ. 2. v. 2.

*Dies creaturarum, ex non eſſe, & eſſe quodammodò adintegratur.*

*Rupert. 2. in Gen. c. 13.*

tæ ſunt, ex *veſperè & manè* conſtantur. Sic ergò ad rem præſentem Rupertus fatur: *De ſingulis quidem*, ait; *ceterorum dierum, erat quando non erat, rectè dicas; quia videlicet erat veſpere quandò non erat, & factum eſt manè quando quilibet eorum dierũ cæpit exiſtere.* Scilicet de die creationi creaturarum adſcriptâ moraliſſimè dicitur, *Factum eſt veſperè & manè dies vnus, & dies ſecundus*, &c. quia dies ille conſtat *ex veſperè quando non erat, & manè quando cæpit exiſtere:* quaſi veſper, id eſt, *quando non erat*, ſit principium, ex quo & *manè*, hoc eſt, quo iam explicatiùs res eſſe cœpit, quodammodò adintegretur creaturarum dies. Quid ergò mirum ſi res creata adeò ſit friuola & caduca, ſi eius inchoatio à *veſperè*, id eſt, quando non erat, incœpit? *Manè* vitæ habet, ſed fugitiuo curſu præcipitanter properans ad occaſum, quæ incœpit à veſperè illo quando non erat; ſicque illi imputatur, ac ſi eius eſſe, ex *veſperè* non eſſendi, & exiſtendi *manè* quodammodo integretur. Quid boni aut ſolidi ſpondeat creaturarum vita, quæ ab hoc *veſperè* initium habet? Et quæ priùs quàm verè ſit, eius non eſſe feſtinat, vt illi principium tribuat; quàm futilem & caducum proceſſum & exitum pollicetur? *Factum eſt veſperè & manè dies vnus, dies ſecundus*, &c. *quia videlicet erat veſperè quando non erat, & factũ eſt mane quando quilibet eorum cæpit exiſtere.* Heu antè incæptionem propè deficere incipit, qui à *veſperè*, ſeu non eſſe ſui incipere perhibetur! quaſi tota dies ex non eſſe, & eſſe myſticè adintegretur.

5\. Iudicum 13. vxori Manuë Danitæ apparuit Angelus, & dixit ei: Concipies, & paries filium: caue ergò ne bibas vinum ac ſicerã: quia paries filium, cuius non tanget caput nouacula: *erit enim Nazaræus Dei ab infantiâ ſuâ, & ex matris vtero, & ipſe incipiet liberare Iſrael de manus Philiſthinorum.* Quæ Angeli verba confeſtim marito ſuo referens, ait, dictum illi fuiſſe: *Ecce concipies & paries filium: caue ne vinum bibas.... erit enim puer Nazaræus Dei ab infantiâ ſuâ, ex vtero matris ſuæ vſque ad diem mortis ſuæ. Orauitque Manue ad Dominum, & ait: Obſecro*; &c. Addubitant Interpretes, eccur Manue ab vxore ſuâ inſtructus de ſingulis, Deum orauerit, vt iterùm inſtrueretur ab Angelo? Subtiliter inibi Abulenſis ſic dubiũ expedit: *Vt doceat nos quid facere debeamus*, &c. *Scilicet vt plenè nos doceat: quia vxor mea non fuit plenè inſtructa ab ipſo circa omnes ceremonias, quæ obſeruandæ erant in puero naſcituro.* Nempè Manue plenè inſtrui vult, quaſi non ſit ab vxore plenè inſtructus. Et ſanè Angelus dixiſſe illi ſcribitur: *Erit Nazaræus Dei ab infantiâ ſuâ, & ex vtero matris ſuæ.* Vxor verò ſic retulit marito: *Erit puer Nazaræus Dei ab infantiâ ſuâ, ex vtero matris ſuæ vſque ad diem mortis ſuæ.* Ecce tibi, hæc inſtructiſſima femina, & iterato Angelorum colloquio digniſſima, quaſi Angeli verba proponit, quòd qui Nazaræus Dei erit ab infantiâ ſuâ ex vtero matris ſuæ, in ſacro nazaræatu perdurabit *vſque ad diem mortis ſuæ.* O bonam bonæ feminæ additiunculam ad ea quæ dixiſſe Angelum ſcribitur: & (vt apparet) Angelo adnuente obfirmatam! Id non ſcribitur dixiſſe Angelus; ſed femina ſapiẽter addidiſſe videtur: nam qualis quis eſt *ab infantiâ ſuâ*, talis plerumque eſt, *vſque ad diem mortis ſuæ.* Sic felix initium, auſpicatò finem ominatur: & in initio haud dubiis characteribus finis legitur. Hoc Manue cum aliis educandi pueri ceremoniis, ſcire exoptat: & hoc etiam ad noſtram eruditionem moraliſſimè edocetur. Quaſi è cælo afflata ſynonyma cenſe: *Nazaræus Dei erit ab infantiâ ſuâ*, ac: *Nazaræus erit ab infantiâ ſuâ vſque ad diem mortis ſuæ.* Quod omiſiſſe videtur Angelus tanquam vulgò notum; hæc mulier ſapienter expreſſit, & de hoc opinatiſſimo morum dogmate maritum peritè erudiuit.

*Iudicum 13. v. 7 & 8.*

*Abul. ibi. q. 24.*

*Qualis quis eſt in pueritiâ, tales plerumque eſt vſque ad vitæ finem.*

Actorum 8. de Spiritus S. afflatu Philippus adiunxit ſe currui Eunuchi, & expoſito Iſaiæ oraculo, quod ſpado verſabat, Chriſtum illi euãgelizat. Flectit animum fidei, & obuiâ aquâ expetitum baptiſmum vltrò ſuſcipit. Et iuſſit ſtare currum: & deſcenderũt vterque in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptizauit eum. *Cum autem aſcendiſſent de aquâ, Spiritus Domini rapuit Philippum, & ampliùs non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam ſuam gaudens.* Admirabilitate plenum eſt, Philippum tam citò *ereptum* fuiſſe Eunucho recens baptizato, & in viâ curſim de rebus fidei duntaxat erudito. An nouè re Chriſtianâ foret, vt illum diutinâ inſtitutione imbueret de arcanis fidei noſtræ ſacramentis, quæ humanæ mentis faſtigium longè magnitudine ſuperant? Profectum videtur negligere catechiſta, qui re auſpicatò incœptâ neophytum ſuum dimittit. Appoſitè ad rem Tertullianus: *Dominus oſtenditur; fides non moratur, aqua non expectatur, Apoſtolus perfecto negotio eripitur.* Citò negotium perficitur, quod auſpicatò inchoatur. Quod tam fauſto incipit initio, ad profectum ſic properat, vt perfectionem tenuiſſe dicatur. In viâ properè catechizatur Eunuchus, quantum ſatis erat auido auditu arripit, properante fide tenet, & tinctione non expectatâ feliciter ſignat. Exindè diuturnior prolixè catecheſis moraliſſimè omittitur, & *Apoſtolus perfecto negotio eripitur, & ampliùs non vidit eum Eunuchus.* Re necdùm plenè perfectâ eripi Philippus videtur: ſed qui tantâ gratiæ officioſitate fidei imprimitur, & aquâ non expectâtâ aſpergitur ab inopinato & inexpectato ſpontè magiſtro, vlteriorem catecheſim non expectet: quare *Apoſtolus perfecto negotio eripitur.* 6.

*Act. 8. v. 39.*

*Quare Philippus tam citò eripitur ab Eunucho?*

*Tertull. de Bapt. c. 18.*

Itaque qui rem virtutis feliciter inchoauit, ferè negotium perfecit, cùm validiores infernalis aduerſarij impetus fregerit. (*Diabolus enim* (ait Chryſologus) *ſemper primordia boni pulſat, tentat rudimenta virtutum, ſancta in ipſo ortu feſtinat extinguere, ſciens quòd ea ſubuertere fundata non poſſit.* Indè in ipſo arreptæ fidei exortu, & feſtinatæ intinctionis lauacro, & primis catecheſeos rudimentis feliciter peractis, primo iam Diabolorum impetu ſuperato, *Apoſtolus perfecto negotio eripitur.* 7.

*S. Chryſol. ſerm. 21.*

*Cur Diabolus ſancta in ipſo ortu feſtinat extinguere?*

---

## §. XIX.

*Regibus olim ſollenne fuit, diem natalem ſumtuoſiori luxu, & læto funeſtè augurio celebrare.*

Diem natiuitatis ſuæ feſto epulo Aſſuerus nunc celebrat, celebrat & Pharao, & Herodes celebrat; (non bona, opinor, Principum trinitas) cùm inſtabili curſu, multiformi proſperitate redimitos, temporum ſolleni veſtigio diem

idem recurit, idem ſui ſucceſſor, idémque deceſſor, longæuâ ſemper ætate nouellus, anni parens, annique progenies antecedit, ſequiturque tẽpora & ſecula infinita, parit ſibi de hinc principium, & tamen à cunis genitalibus non recedit; natiuitas imaginem portat, & ortu rediuiuo concelebrat. Per hunc diem natiuitatis ſuæ, ſuæ felicitati Princeps gratulatur; & ſuæ mortalitatis oblitus, Neſtorios ſibi annos pollicetur. Principij memor, finis ſui obliuiſcitur: & tamen omne principium finem auguratur. Perantiqua eſt hæc ſuperſtitio apud Principes diem ſuum natalem ingenti magnificentiâ luxúque celebrandi. Fuit hoc in more apud priſcos illos Perſas (& hâc de cauſsâ quidam putant hoc conuiuium ab Aſſuero magnificentiùs celebrari) totius Aſiæ regnatores, vt tradit Plato: *Cùm primus natu, inquit, filius regi natus fuerit, & cuius regnum eſt futurum, natalem eius primò celebrant omnes qui in regiâ ſunt, quibuſque dominaturus eſt: deindè in reliquum tempus eiuſdem natalem diem omnis Aſia celebrat, & ſacrificat.* Idem mos à barbaris tranſiuit ad Græcos, mox ad Romanos. Adeò vt monſtrum illud, & peſtis humani generis, Caligula Imperator, Conſulibus Romanis oblitis de natali ſuo edicere, magiſtratum abrogauerit. Tanti apud profanos Principes natalis ſui celebritas ducebatur!

*Regibus olim ſollemne fuit diem natalis ſui feſto luxu celebrare.*

Hic verſ. 3. Plato in 1. Alcibiade.

Suetonius in Calig.

2. Marci 6. Ioannes Baptiſta inceſtum Herodi palàm exprobrat, vincitur in carcere propter Herodiadis inſanas muliebriter iras. *Et cùm dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit principibus & tribunis, & primis Galilææ.* Verùm perempti Ioannis tragœdia regiam natalis ſui ſcenam funeſtauit. Quid Herodes luxui, arrogantiæ, tyrannidi, & Tartaro natus, ſui ortus diem tam feſto ac ſumptuoſo plauſu concelebrat? Eloquenter inibi Seleucienſis Baſilius: *Herodes natalis ſui cœnam fecit, &c. Tandem aliquando natalium Herodis tempus inſtabat, ſplendidaque luxurioſi regis erat menſa, & conuiuium regifici luxus notis inſigne, in quo ebrietas perbacchabatur, & dæmonum fraternitas natiuitatis tempus feſtum ducebat. Etſi triſtitiæ potiùs tradere ſe oportuit, & lugubrem agere diem, cùm tam rari adulteri opifex productus eſt.* Vis noſſe quid ſumptuoſiori feſto, ac laſciuè crudeli faſtu Herodes celebret? Diem natalis ſui feſtum agit, id eſt *Dæmonum fraternitas natiuitatis tempus feſtum ducebat.* Qui diem natalis ſui ſic magni ducit, tam regifico apparatu, & menſarum luxu agit, infauſtâ cum *dæmonibus fraternitatem* concelebrat: iam indè hâc non bonâ cognatione funeſtus, dum ortus ſui infelicitati gratulatur. Iſtiuſmodi profana mens quaſi ſemen Diaboli eſt, quâ in natiuitate ſuâ dudùm homo natus, in Diaboli filium regeneratur, & in diabolorum *fraternitatem* refingitur.

Marci 6 v. 21.

*Herodes diem natalis ſui agens, fraternitatem cum dæmonibus celebrat.*

Seleu. Baſil. orat. 18.

3. Iob 3. patiendo defeſſus, erectior tamen illa patiẽtiæ columna, aduerſus omnes diaboli machinas inconcuſſa, ſic tandẽ fatur: Poſt hæc aperuit Iob os ſuum, *& maledixit diei ſuo, & locutus eſt: Pereat dies in quâ natus ſum, & nox in qua dictum eſt: Conceptus eſt homo.* Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus deſuper, & non illuſtretur lumine: obſcurent eum tenebræ, & vmbra mortis, occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine &c. Prætereàquàm quòd tolerantiſſimo viro inidoneum videtur rei inſenſili fruſtrà maledicere, & euentus illi tragicè lugubres imprecari; diei iam præterito, nec iam extanti; ſed qui de cognati fluxus ſui irrequietâ inconſtantia dudùm euanuit, quorsùm cupit, vt pereat? Quod iam diu periit, nec redire poteſt, vt iteratò pereat, fruſtrà nũc vt *pereat*, obnixiùs imprecatur. Hæc verba animi inerter proſtrati, & inſipienter dolentis eſſe videtur; non viri magnanimâ conſtantiâ ſapienter flecti-neſcij, qualis Iob fuit. Notat inibi Pineda noſter ex Hebraica originè, quòd τὸ *maledixit diei ſuo*, ſignificat & *dicere mala*, & *verbis contemnere*, & *vilipendere.* Itaque Iob diem ſuum contempſit, vilipendit, & verbis paracerbè incuſauit. Quis autem ſit hic dies natiuitatis ſuæ, cui maledicit, & quem *perire* optat, optimè exponit Sanctius, qui exiſtimat eſſe natalis ſui diem, quem *perire*, id eſt, exinceps non celebrari, & è memoriâ hominum aboleri percupit. *Pereat dies in quâ natus ſum*, id eſt, deleatur è faſtis: ne quod hucuſque fecere mei familiares, ac domeſtici: & illi etiam, quos ego etiam pro meâ regiâ dignitate moderabar, illũ genethliaco conuiuio, & plauſu celebrent; petatque vt quam ſæpiſſimè anniuerſario circulo recurrat. Aut certè mutatâ ſpecie, luctus tunc & lamenta perſonent, & obſcuretur nebula; vt non tam mihi de more Genethliacum naſcenti, quàm Epicedium mortuo cantari videatur. Hactenùs ille. Vide hîc quâ Iobus habuerit exoſam eovſque lætiſſimam natalis ſui celebritatem. Verùm S. Gregorius de hoc Iobi natali die ita inibi philoſophatur: *Pereat dies in quâ natus ſum. Dum igitur dies vt pereat, optatur, & paullò poſt inuoluendus amaritudine dicitur; quem credamus, quòd vir ſanctus Dei nomine exprimere voluit, niſi apoſtatam ſpiritum, qui in viuendi eſſentiâ, etiam moriendo ſubſiſtit? quem perditio vitæ non ſubrahit, quia in æterno dolore poſitum, ſeruando mors immortalis extinguit.* Ecce tibi, celebritatem diei natalitij, in quo Herodes *fraternitatem cum dæmonibus* dicitur celebrare à Baſilio; hic hic inquam, natalius dies vniuerſatim, dæmon, ſeu *apoſtata ſpiritus*, à Gregorio nominatur. Vt omnibus innoteſcat, quàm ſit humani ortus dies flebiliter lubricus, & funeſtè periculoſus. Qui natalis ſui diem lætanter concelebrat, de periculo ſibi videtur gratulari; & ruinæ proximus, de ſecuritate gaudere.

Iob 3. v. 2. & 3.

Pineda ibi.

Sanct. ibi n. 26.

*Natalitius dies, apoſtata ſpiritus nominatur.*

S. Greg. l. 4. Moral. c. 8.

Ieremiæ 17. Ego non ſum turbatus, te paſtorem ſequens: *& diem hominis non diſideraui, tu ſcis.* Grande hinc inter Expoſitores litigium, quid per *diem hominis* intelligatur. Plures ſecuti Hieronymum cenſent, quòd *dies hominis* eſt ille, quo homo proſperatur, potẽs eſt: honoratur, laudatur, deliciatur, felicitatur. Quæ expoſitio etſi placeat Sanctio, addit: *Et quidèm Ieremias diem hunc horrere potiùs videbatur, quã amare, cum dicebat: Maledicta dies, in quâ natus ſũ: dies, in quâ peperit me mater mea, non ſit benedicta.* Itaque dies natiuitatis, quæ *dies hominis* dicitur, & quæ felicitatem vitæ auſpicatur, & quæ anniuerſariâ celebritate recurrit, ab ipſo Ieremiâ Iobi adinſtar, maledicitur, & diris impetitur. Vndè aliqui pro τὸ *diei hominis, fragilem, ærumnoſam, duram, obliuioſam* appoſitè exſcribunt. Vide hîc quo ſenſu & cẽſu Ieremias habeat *diem hominis*, id eſt, diem natiuitatis feſto plauſu quotannis recurrentem, ne tantæ felicitatis memoria excidat. Eheu *obliuioſa* dicitur, ad cuius reſtaurandam memoriam, anniuerſaria ſolennitas per annos ſingulos feſto plauſu recurrebat! 4.

Ierem. 17. v. 16.

*Anniuerſaria natalis diei ſolennitas, & læta dicitur, & dura & obliuioſa.*

Sanct. ibi n. 46.

Ierem. 20. v. 14.

Siracides

5. Eccl. 10. v. 11. & 12.

Siracides Eccleſiaſtici 10. *Omnis potentatus breuis vita. Languor prolixior grauat medicum. Breuē languorē præcidit medicus: ſic & Rex hodie eſt, & cras moritur.* Omnis potētatus, (in genitiuo caſu) eſt abſtractū pro concreto, ponitur pro potente principe, rege: *breuis vita*, aliàs *via*, perindè eſt; vita enim via eſt ad mortem, quæ Regibus breuior eſt. Reddit rationem ex medico, & langore petitam, quæ legi poteſt in Ianſenio Palacio, & noſtro Cornelio. Tandem concludit conſectariè ad ea quæ prædixerat, Omnis potentatus breuis vita. *Sic & Rex hodie eſt, & cras moritur.* Græci codices habent: *Sic & Rex hodie, & cras moritur.* Arabicus, *Sic & Rex hodie iam mortuus eſt, & cras iam mortuus eſt.* Sic eſt breuis vita omnis potentatus, vt hodie iam non eſt, & cras iam non eſt? Cras moritur, qui hodie iam mortuus eſt? Sententiosè pariter ac verè Saturninus Imperator apud Vopiſcum: *Neſcitis*, inquit, *amici quid mali ſit imperare. Gladij & tela noſtris ceruicibus impendent, imminent haſtæ vndique, vndique ſpicula, ipſi cuſtodes timentur, ipſi comites formidantur, non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro iudicio, non arma pro ſtudio.* Bellè ergo Siracides de breui Potentatuum æuo dixit: *Hodie iam mortuus eſt, & cras iam mortuus eſt.* Sæpè moritur, qui ſemel viuit. Viuentem Principem curæ, angores, & pericula occidunt, præuento mortis officio. *Quicquid in altum fortuna tulit, ruitura leuat: modicis rebus longius æuum eſt.* Hunc natalis ſui diem funeſtè breuem, acceleratā ac repetitā morte tragicum, celebrauit Pharao, Aſſuerus nunc celebrat, celebrabit Herodes: qui viuas citiùs exequias concelebrant: nec tam Genethliacum naſcenti, quàm Epicedium mortuo cantare videntur. *Sic Rex hodie iam mortuus eſt, & cras iam mortuus eſt!*

Ianſenius. Palacius. Cornelius.

Græcus. Arabicus. *Rex hodie iā mortuus eſt, & cras iam mortuus eſt.*

Vopiſcus apud Cornel. ibi.

Seneca in Agamem.

6. Sapient. 7. v. 1. & 5.

Sapientiæ 7. ſic ſapienter rex Salomon de ſe loquitur: *Sum quidem & ego mortalis homo ſimilis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro.* Et poſt ſeriatim commemoratas humanæ natiuitatis ærumnas flebiliter miſeras, addit: *Nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium.* Quò ambitiosè mentita Regum ſuperbia detumeſcat, de iiſdem vniuerſatim naſcendi vilitatibus, & flebili natiuitatis ſqualore. Heu regia arroganter dignitas ſic humanam naturā dediſcit, vt hâc regis Salomonis admonitione indigeat: *Sum quidem ego* (& ſi rex potentiſſimus) *mortalis homo ſimilis omnibus*: Græcè, *æqualis omnibus*. Id autem planè verum, & miſerandum quod videmus, & ſcripſit Plutarchus de Amore prolis, *nihil ita eſſe imperfectum, inops, nudum, informe, ſpurcum, vt homo eſt: à partu ſtatim conſpectus, cui ſoli ferè ne exitum quidem in lucem mundum natura conceſſit, ſed ſanguine inquinatus, tabóque oppletus, & occiſo magis quàm nato ſimilis.* Qui ſic naſcitur *ſimilis omnibus, omnibus æqualis*, Filius Adami terreni, limoſi, lutoſi, cœnoſi, & communi natiuitate ſordidè ſpurcus; quid communem natiuitatem dediſcens, ſuam velut ſingularem ambitiosâ celebritate arroganter venditat, iactat, oſtentat? Totum hunc Salomonis locum egregiè expendens Petrus Damianus, Agneti Auguſtæ ſcribens, ita concludit: *Erubeſcat ergò cordis elata ſuperbia; & qui ſe conſiderat inter ortum & exitum communi cum ceteris natura lege conſtringi, deſinat de ſublimiori gloria ſingularitate iactari.* O ſemper illud verum: *Nemo enim ex Regibus aliud habet natiuitatis initium!* Quid lutoſam gratiam omnibus communem, in te tanquam exlegem, & de ſingularitate famoſam, feſto natiuitatis tuæ plauſu arroganter exaggeras?

*Malè ſe Reges de natiuitatis ſingularitate iactāt.*

Plutarch.

Petr. Dam. apud Lorin. ibi.

---

## §. XX.

### *Largior beneficentia, illuſtrioris famæ aucupandæ artifex eſt, de beneloquæ gratitudinis arbitrio.*

Mvnificentiam, quà priuatim, quà publicè Princeps oſtendat, & beneficiis quam plurimos obſtrictos habeat. Ingentes compedes dona ſunt, quibus nec fortiſſimus, nec prudentiſſimus, ac vix optimus ac integerrimus quiſquē ſe exoluat. Vbi verò ſemel aureis his vinculis animos irretiueris, æternum poſſidebis, & vel ſolâ verecundiâ, munifico adhærebunt largitori, opinatiſſimâ Principis gloriâ. Pudet nimirùm ingratum eſſe, & munerum memoria grauis teſtis eſt gloriæ Principalis, quam omnium ora certatim buccinant fama perenni. Exinde rex Aſſuerus tertio anno imperij ſui fecit grande conuiuium cunctis principibus, & pueris ſuis, fortiſſimis Perſarum, & Medorum inclytis, & præfectis prouinciarum coram ſe, *vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentiæ ſuæ.* Scilicet liberalitatis arbitrio famam procurat; & ſumptuoſioris potentiæ ac gloriæ opinionem largitionibus aucupatur. 1. Pollitico-Chriſt. l. 2. c. 5.

*Munera illuſtrem famā negotiantur.*

Hic v. 4.

2. Act. 1. 9.

Actorum 1. blandè Chriſtus Apoſtolos incredulitatis arguit. Et cùm hæc dixiſſet, *videntibus illis, eleuatus eſt: & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.* Tunc Chriſtus Deus triumphali pompâ in cælum aſcendit, & empyrio ſolio ad Patris dexteram collocatur. Aſt *quandoquidèm hìc ſitum erat vniuerſum fidei negotium, principium quidèm rei videri potuit, finis autem non ita. Propterea quoque adſtiterunt viri dicentes quòd in cælo quieſcat, neque enim viſio ad finem pertingebat.* Verùm quia Apoſtoli principium quidèm Dominicæ Aſcenſionis in cælum videre potuerunt, non excelſam ſeſſionem ad Patris dexteram, neque enim viſio ad finem pertingebat; neceſsè fuit in hoc Aſcenſionis myſterio ampliùs confirmari. Exindè poſtmodum, cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes Diſcipuli pariter in eodem loco: *& factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquā aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes.* Sed quâ de causâ hic vehemens ventus (quod fuit quaſi Spiritus ſancti vehiculum) non ſpirat ex aliquâ mundi plagâ, quod ventis agnatum & familiare eſt; ſed è cælo perflat? An vt oſtendatur Chriſtum in cælo ad Patris dexteram glorioſiùs reſidere, ex tanto munere veniente de cælo, id explicatiùs comprobabitur? Audiendus eſt hâc ſuper re Oecumenius, qui ad præfata Actorum verba ita ſcribit: *Factus eſt repentè de cælo ſonus, &c. De cælo autem propter multum impetum, vt oſtendat opus fuiſſe eius, qui in cælum aſſumptus eſt.* Scilicet quia Apoſtoli principium quidèm Dominicæ in cælum aſcenſionis videre potuerunt, non ipſam glorioſam

Oecum. ibi.

*Chriſtus è cælo muneratur, vt in cælo eſſe putetur.*

Act. 2. v. 2.

Oecum. ibi.

ſam ad dexteram Patris ſeſſionem : nam nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum , atque adeò viſio ad finem pertingere non potuit. Ergò è cælo munerentur à Chriſto, prædiuite Spiritus Sancti dono, vt quò non pertingebat viſio, peruium faceret è cælo muneratio. Præluſtris enim gloria ſeſſionis ad dexteram Patris in cælo , ( quod eſt ſublimiſſimum Chriſti elogium) ex cæleſti muneratione credibilitatem quoque hauriet: nam de benefico muneratore , nihil eſt tam ſublimiter auguſtum , quod non fiat valdè credibile , & fidei peruium. Indè *factus eſt repente de cælo, &c. De cælo autem, vt oſtendat opus fuiſſe eius , qui in cælum aſſumptus erat.* Sic largior muneratio , ſublimiſſimæ opinionis habendæ opinatiſſimum artificium eſt , de arcano gratitudinis genio magnifica quæque de largo ſuo muneratore propenſiùs opinante! Apoſtoli initium aſcenſionis in cælum vident , glorioſam eius ſeſſionem ad Patris dexteram non viderunt: igitur *de cælo* largiùs munerantur , vt tanti muneris beneficio affectus quaſi videat , quod oculi non viderunt. ô pias celeſtium munerum velut præſtigias !

3. Ieremiæ 2. ſic Hebræorum vecordiæ exprobrat lugubris hic Vates : *Et nunc* , inquit, *quid tibi vis in viâ Aegipti, vt bibas aquam turbidam?* Nili inquam, qui quoniam limoſus eſt, & oblimans Ægyptum , Græcè μέλας , id eſt , *niger* dicitur. Fluuius turbidè ſqualidus , & nigra Æthiopiæ origine ſordidè lutulentus. Verùm Nilus tametſi cœno turbidus , tanto in pretio propter multiiugam vtilitatem ab Ægyptiis habitus eſt , vt de eo ita ſcripſerit Rupertus : *Nilus dicitur Æthiopiæ fluuius. Ipſe eſt enim, inquit qui circuit omnem terram Æthiopiæ , tantæ commoditatis fluuius , vt eum pro maximo Deo ſuo, quondam coluerit Ægyptus : quippe cuius fluentis irrigata, cunctiſque exindè copiis ſaturata, nũquam ſupernè fuſis indiguit imbribus.* Magnum moraliſſimè ridiculum ! Turbidam & exanimalem creaturam proficua valdè *commoditas* numine donat , & multimoda vtilitas tanquam Deum maximum dedicat, conſecrat, adorat. Hem *commoditatum* præſtigias. Sic commoditatum ſtudium in ridicularias ſuperſtitiones impiè degenerat ? Verus Deus vtilis eſt ei , cui propria commoditas pretioſa eſt.

Ierem. 2. v. 18.

*Cõmoditatis ſtudium numine donauit turbidum Nilum.*

Rupert. lib. 2. in Geneſ. c. 29.

4. Geneſeos 33. Iacob è Meſopotamiâ redux, memor Eſaü fratris quondam offenſi, de primogenituræ , & Benedictionis paternæ ſubdolo raptu; agreſte illius ingenium valdè timet, quaſi de inuiſo eius occurſu , acquiſitæ diu opulentiæ, & numeroſæ peramanter familiæ iacturam feciſſet. *Denique Iacob : Deus patris mei Abraham, erue me de manu fratris mei Eſaü, quia valdè eum timeo: ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis.* Cùm verò illum Eſaü inopinatà beneuolentiâ excepiſſet , parcens Iacobeæ ſubſtantiæ & familiæ ; ſeque itineris ſocium cum ſatellitio amicè obtuliſſet; dixit Iacob ad Eſaü : *Sic vidi faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei.* Quem nuper exhorrebat tanquam vltra belluas agreſtem & efferum , ac ſi ab hominum humanitate barbarus exularet ; non modò nunc quaſi hominem inclytum ſalutat aut velut cæleſtem è genu reueretur , ſed quaſi *Dei vultum* in *facie* Eſaü fratris viderit , reuerenter agnoſcit , & ſubmiſſiùs adorat. *Quid ſibi vult* ( ait inibi Auguſtinus ) *hoc quod Iacob ait fratri ſuo ? Verùm... verba vſque ad adulationem proruperunt ?* Iacob is eſt, qui æmulo & effero Eſaü, cui è cælo prælatus eſt, *adulari* videatur ? ô ſic beneuolentia & beneficentia, æſtimationis cenſum ſubitò amplificat? Quem nuper velut inhumanè agreſtem metuebat, vbi primum humanitate inſperatâ beneuolè beneficum videt ; non tantùm de bonis inuentis, quæ perdenda putabat , ſibi animitùs gratulatur; ſed quædam velut numinis veſtigia in eo venerabundus recognoſcit, aiens: *Sic vidi faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei.* An hæc *verba vſque ad adulationem proruperunt ?* Num qui alienam erga ſe beneficentiam expertus eſt , ſic præbitorem beneficum magni æſtimat de arcanis beneficentiæ preſtigiis, vt quod gratitudine agnoſcit , niſi verbis quæ *adulationem* ſubolent, vix explicare valeat ? Sic munera vel frugalem animum ſubornant ? Neſcio an veritas gratitudini linguatæ turò ſe credat.

Geneſ. 33. v. 10.

S. Auguſt. in qq. ſuper Geneſ. apud Caten.

*Fratrē Eſaü inopinatò beneficum , vſque ad adulationem laudat Iacob.*

Matthæi 8. Leproſi attactu mundati famâ 5.
crebreſcente , acceſſit Centurio ad Ieſum , rogans eum, & dicens : Domine puer meus iacet in domo paralyticus , & malè torquetur. *Et ait illi Ieſus: Ego veniam, & curabo eum. Et reſpondens Centurio , ait : Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum : ſed tantùm dic verbo & ſanabitur puer meus.* Mira ſanè Centurionis fides , & vltra ſpem piè audax ! Audierat præſentis Chriſti contactu leproſum fuiſſe mundatum ; quid reuerenter abnuit cæleſtis curatoris præſentiam , & de verbo dumtaxat ſanitatem ſperat , de quâ propè iam ſibi gratulatur? Incertus Chryſoſtomus hâc ſuper re ita fatur: Centurio iſte inquit primus fructus èx Gentibus , ad cuius fidei comparationem , omnium Iudæorum fides infidelitas eſt inuenta: quæ neque Chriſtum audiuit docentem , neque leproſum cùm mundaretur aſpexit : *ſed auditâ tantummodò ſanitate leproſi, plus credidit, quam audiuit.* Audierat Centurio celebri famâ euulgatum , quod Ieſu ſalubri manus ſuæ attactu leproſum mundauerat ; & ſic inopinatâ fide animoſiùs audet ſuprà fidem? Dum abſens eſt, credit verbo paralyticum poſſe curare , quia manu tangens leproſum coram mundauit ? *Auditâ tantummodo ſanitate leproſi, plus credidit, quàm audiuit.* Vndè erga Ieſum tam ſumptuoſus honoris faſtus , vt fides quæ ex auditu eſt, excellat auditum ? An quia audiuit , *Ego veniam, & curabo eum ?* Optatiſſimam ſanitatem voto præripiens , certâ ſpe beneficij alacer , ſic animoſâ fide Chriſtum præproperè beneficium honorat, vt ad eius fidei comparationem, *omnium Iudæorum fides infidelitas ſit inuenta ?* Sic Centurio indubiæ ſpei voto muneratus , *plus credidit, quàm audiuit ?* ô ſic de noſtro beneficè muneratore generoſiùs opinamur tacitâ beneficij ſuaſione , vt fides auditum excellat!

Matth. 8. v. 7. & 8.

Imperf. homil. 22. in Matth.

*Centurio de benefico curatore , plus credidit , quã audiuit.*

6. Prouerbiorum 11. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt : alij rapiunt non ſua , & ſemper in egeſtate ſunt.* Codices Hebraici ita habent : *Eſt diſpergens , & augetur adhuc.* In comperto eſt apud expoſitores, quòd hîc Salomon agit de beneficentiâ : indè Hebræus largioris beneficentiæ augmentum non reſtringit ad opes. Quò adludere videtur S. Ambroſius, aiens : *Bonorum fructus munerũ in ipſos, qui contulerunt, reuertuntur; & gratia liberalitatis in auctorem boni operis redit.* Nẽpè qui benificẽtiùs diuidit propria, nõ

Prouerb. 11. v. 24.

Hebræus.

*Gratia liberalitatis in auctorem redit.*

S. Ambr. de Naboth. c. 7.

ea

ea amittit prodigus; ſed ea ſpargit ac ſeminat, & multiplici gloriæ auctario vberiùs demetit: nam gratia liberalitatis in auctorem boni operis redit: & piâ quâdam gloriæ auaritiâ, quaſi ambitione beneficâ vberiorem muneribus mercatur gratiam, grato exaggeratiùs ore accipientium. Sic liberalitas incrementa laudum oppignerat!

7. Luc. 23. v. 43. Lucæ 23. dum Hebræus populus, populus Dei quondam, poſt tot beneficia accepta, deicidij reus damnatur, latro in ſuppliciis eligitur: *Et dixit illi Ieſu: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo.* Quæ verba expendens

S. Ambr. in Pſal. 59. Ambroſius alibi aliorsùm enucleatus, ita ſcribit: *Ideò ad iſtorum omnium* (Iudæorum) *condemnationem latro crucifixus abſoluitur; quia ille Chriſtum in ſuppliciis agnouit, quem iſti in beneficiis non agnouerunt.* Sanè nimis peccauit peccatum Iudæus, dum brutâ ingratitudine ſic inſoleſcit barbaricè vt poſt tot retrò beneficia in eum largiùs exhibita, & beneficentiorem Chriſti erga ipſos liberalitatem, ſic obbruteſcant efferè, vt nullam in benefactorem gratiam regerant, nec ſaltem benefactorem in beneficiis agnoſcant. Ante omnium oculos proponatur latro in patibuli tormento Chriſtum agnoſcens, vt iuſtior appareat Hebrææ gentis ſeuerior reprobatio, quia *Chriſtum in beneficiis non agnouit.*

*Benefactorem in beneficiis nō agnoſcere, barbaricum ſcelus eſt.*

8. Regius Vates Pſal. 7. Dauid ſæuam inimicorum hoſtilitatem patiendo defeſſus, auxiliarem ſibi Deum aduocat: Exurge inquit, Domine in irâ tuâ, & *exaltare* in finibus inimicorum tuorum, id eſt, appare ſublimis, dum te, tuámque gloriam præcelsè ſublimas. Sed videamus quid poſtulet Dauid, vt ſic ab

Pſal. 7. v. 6. ſe Deusglorioſè magnificetur: *Exurge Domine Deus meus in precepto quod mandaſti, & Sy-*

Bellarm. ibi S. Hieron. *nagoga populorum circumdabit te.* Pro τὸ *Exurge Domine Deus meus*, rectè adnotat noſter Bellarminus ex Hieronymo, quòd in Hebræo habetur, *Exurge ad me.* Quaſi perindè ſit, *Exurge ad me*, ac, *Exurge Domine Deus meus.* O opinata hactenùs ſynonyma! Idémne eſt, *Exurge ad me*, id eſt, mihi beneficè auxiliaris; atque, *Exurge Domine Deus meus?* Beneficum ſibi auxilium, ope aduerſus inimicos opportunâ, *Dominum Deum ſuum* appellat? ſic Deus de beneficentiæ bono agnoſcitur, vt Deus beneficus; & ipſum beneficium, nominum elogia reciprocent? Altè quidèm, vbi Vulgatus habet: *Exurge Domine Deus meus*, in Hebræâ origine habetur: *Exurge ad me.*

*Apténe ipsū Dei beneficiū, Dei nomine honorabitur?*

---

## §. XXI.

### *Lautior ſumptuoſioris gulæ intemperantia multis caſtigatur.*

1. Seneca lib. de Conſol. ad Albin. CORporis exigua deſideria ſunt (ait Seneca) alimentis famem ac ſitim extinguere vult; quicquid extrà concupiſcitur, vitiis non vſibus laboratur. non eſt neceſsè omne perſcrutari profundum, nec ſtrage animalium ventrem onerare, nec conchylia vltimi maris ex ignoto littore eruere. Dij iſtos Deæque perdant, quorum luxuria tam inuidioſi imperij

*Ambitioſior gulæ intemperantia caſtigatur.*

fines tranſcendit. Vltra Phaſim capi volunt, quod ambitioſam popinam inſtruat: nec piget à Parthis, à quibus nondum pœnas repetimus, aues petere. Vndique conuehunt omnia nota faſtidienti gulæ. Quod diſſolutus deliciis ſtomachus vix admittat, ab vltimo portatur oceano. Vomunt vt edant, edunt vt vomant epulas, quas toto orbe conquirunt: nec coquere dignantur. Hactenùs Seneca, & vlteriùs multa in hanc theſim congruè digerit, quibus Hic verſ. 3. &c. ſumptuoſiorem huius diu conuiuij pompam meritò culpat; multiſque ſubiectis hiſce Paragraphis culpatur.

Geneſeos 9. poſt periculum diuturnæ eluuionis enauigatum, Noëticæ familiæ eſum carnium conceſſit Deus: *Omne*, inquit, *quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum.* Eccur carnibus epulari poſt diluuium hominibus permittit? Fortè ad ſaginam diuitum, & Principum delicias? Scitè Tertullianus: *Quia non paradiſus cuſtodiendus*, inquit, *ſed totus mundus fuerat excolendus, robuſtus cibus carnis offertur, vt ad emolumenta culturæ aliquid humanorum corporum viribus adderetur.* Audis carnis eſum eſſe labori impenſum, debitum agriculturæ, & laborantium priuilegium? Proh operoſæ agricolationis gulæ lenocinium! Iners diuitum otium, laborantium priuilegio peruersè potitur. Male pranſus, & peius cœnatus pauper agriculturæ laboribus miſerè æſtuat; & diues ignauè otioſus, pauperis agricolæ emolumento deliciatur. Fami laborantium detrahitur, quod gulæ faſtidio adiicitur. Sagina diuitum operoſam pauperis famem negotiatur; & pauperis labore diues voluptuoſiùs epulatur. 2.

Gen. 9. v. 3.

*Eſus carnium eſt agricolarum priuilegium.*

Tertull. de cibis Iudai. c. 2.

Exodi 32. *Et ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Hebræum verbum *tſachq*, Latinè *ludere*, præter vulgarem *luſum*, ſubindè ſignificat *duellum* ſeu *pugnam*. Subindè *perſequi* & *vexare*. Subindè *idola colere*. Denique fluxas *ſaltationes* ac *tripudia* inſtituere, vt inibi notant Commentatores. Itaque vbi Hebræus populus ſedit lautiùs manducare & bibere, quaſi excitatæ aut incitatæ fuerint vitioſæ hominis appetitiones, foràs effrenes eruperunt ad omnem impietatem, & luxum. Appoſitè S. Damaſcenus ita ex Nilo ſcribit: *Quiſquis inexplebili voracitate præditus eſt, paſſiones per gulam nouit.* quaſi ante ingluuiem ſic eſſent paſſiones ſopitæ, vt eas ignoraret. Poſt gulam, ſufflammatur iraſcibilis ad rixas & pugnas; hoſtilitas ad perſecutiones & vexationes; religio Dei, ad Idololatriam degenerat; concupiſcentia ebullit in fluxa tripudia, & laſciuientes Veneris luſus, vt *quiſquis inexplebili voracitate præditus eſt, paſſiones per gulam nouerit.* Profundè quidem Damaſcenus! Exindè de hominis intemperanter ſaginati animâ, inquit Chryſoſtomus: *Efficitur námque mollis, ignaua, imbecilla, illiberalis, timida: interdum verò audaciæ, aſſentationis, imperitiæ plena: indignationis, iracundiæ, malorúmque omnium receptaculum, bonis, virtutibúſque omnibus deſtituta.* 3.

Exod. 32. v. 6.

*Qui voracitate præditus eſt, paſſiones per gulam nouit.*

S. Damaſc. l. 1. Parall. c. 77. ex Nilo.

S. Chryſoſt. homil. 13. in 1. ad Tim.

Siracides Eccleſiaſtici 18. *Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, & eſt tibi nihil in ſacculo: eris enim inuidus vitæ tuæ.* Recentiores è Græco exſcriptiones à vulgatâ hic valdè diſſentiunt, 4. Eccli. 18. v. 33.

ſentiunt, ſententiámque referunt ad ingluuiem. Tigurina. Syrus. Vndè Tigurina vertit: *Caue pauper euadas concinnandis de mutuo conuiuiis.* Sic & Syrus: *Ne lateris in multitudine deliciarum, ne ſias pauper & ebrioſus & intemperans & verboſus.* Apponit ſententiæ clauſulam, quâ gulones à menſarum deliciis auertat: *Eris enim*, inquit, *inuidus vitæ tuæ*, Pro τὸ *Inuidus* Græca habent *Inſidiator*, adduntque λαλητὸς, id eſt, *loquela hominum obnoxius*, Vndè vertunt: *Eris enim inſidiator propriæ vitæ, incurrens in dicta hominum.* Ecquis eſt adeò ſtolidè amens vt ſibi inuideat? Profectò inuidia, ſuper alieno bono ambitioſa contentio eſt. Alienum bonum putatur, breue & fluxum voracitatis deliciolum? Et ſanè gulones *vitæ ſuæ inſidiari* dicuntur. Idcircò de Adamo dixit Tertullianus: *Salutem gulâ vendidit.* Nec modò ſuam ipſius ſalutem & vitam; ſed etiam totius humani generis. Ideò ſubdit: *Atque ita ſalutem æmulo modo redaccenderet inedia, ſicut extinxerat ſagina.* Itaque ſalutem & vitam ſagina *vendit* & *extinguit*: vndè opiparè ſaginatus *vitæ ſuæ inſidiatur*, & *inuidet*.

*Gulones vitæ ſuæ inſidiantur, & inuident.*

Græcus.

Tertull. adu. Pſych. c. 3.

5. Redeat iterum aliter expendendus idem Exodi locus: *Et ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Et poſtmodùm ſubdit Deus: *Cerno quòd populus iſte duræ ceruicis ſit.* Quid poſt ingluuiem in ſuo populo videt Deus, vt illum tunc quidem appellet *duræ ceruicis*, ſeu obſtinatè peruicacem, quod fuerat Pharaonis, ſeu obſtinati cordis elogium? S. Petrus Chryſologus agens de diuite illo epulone, ſibi molliter delicatulo, Lazaro autem immiſericorditer præduro, ita ſcribit: *Purpurâ, delicatis veſtibus, epulis blandis ferrea viſcera nutriebat, quem Deus humanæ ſalutis auidus inquiſitor, emollire cupiens*, &c. Ecce tibi delicatiores & blandiores epulæ prædura ac *ferrea viſcera nutriunt*, quaſi mollioribus epularum blanditiis obſtinatè obdurentur. Adeò vt Spiritus ſancti gratia quaſi ad ſilicem euibrata, confeſtim reſiliat. Exindè de Pſychicis, ſeu gulonibus altè dixit Tertullianus: *Hi Paracleto controuerſiam faciunt.* O non bona controuerſia!

Exod. 32. n. 6. & 9.

*Blandæ epulæ ferrea viſcera nutriunt.*

S. Chryſol. ſerm. 121.

Tertull. adu Pſych. c. 1.

6. Habacuc 2. v. 16. Habacuc 2. Væ qui potum dat amico ſuo mittens fel ſuum, & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius. Repletus eſt ignominiâ pro gloriâ: bibe tu quoque & conſopire, *Circundabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.* Vomitus qui ab ægritudine non eſt, & nauſeabundo ægroti ſtomacho, contingit ab intemperantiâ, cùm quis cibo ac potu magis ſtomachum onerat, quàm ferre poſſit, atque concoquere. Cúmque omnis vomitio, quin & ructus, turpis ſit, quæ ab immoderatâ ingluuie prouenit, longè turpiſſima. Quare *vomere ſuper gloriam ſuam*, qualis eſt vomitus à voracitate, nihil eſt aliud, quàm obſcurare gloriam ſuam, quæ nullo modo fulgere poteſt, aut illuſtris videri ſi illam vomitus ab ingluuie attingat, aut ructus crapulæ afflet. Quænam eſt hæc hominum gloria, quam ebrij gulones fœdo ructu ac vomitu fœdant? Pulchrè Chryſologus de diuite Epulone ſic fatur: *Diues variis crapulatus ferculis indigeriem ſuam ructabat ad cælum.* Turpis epulonum fructus cælum violat, cælúmque fœdior vomitio conſpurcat. Profectò ſobrietas *cælum fragrat*; gula verò & crapula *indigeriem ſuam ructant ad cælum.*

*Gula & crapula indigeriem ſuam ructant ad cælum.*

S. Chryſol. ſer. 121.

Tertull. adu. Pſych. c. 5.

7. Apoſtolus cap. 5. Prioris epiſtol. ad Timotheum: *Quæ in deliciis eſt, viuens mortua eſt.* Quæ verba inibi exponens Chryſoſtomus, *deliciarum* nomine intemperantem palati voluptatem intelligit: & multis adſtruit, quòd tametſi ſaginæ viuat, Deo mortua ſit, ita fatus: *Atque vt id manifeſtius noueris, audi quomodò mortuos quoque idem ipſe Redemptor noſter, viuere prædicet: Deus inquit, non mortuorum, ſed viuentium eſt. Sed iſtud quoque, inquies, ænigma eſt: igitur vtrumque ſoluamus. Mortuus eſt quiſque viuens, cùm in deliciis degit. Quonam modo? Ventri ſolummodò viuit, ſenſibus cæteris mortuus: neque enim aſpicit quæ aſpicienda ſunt, neque audit quæ neceſſariò audire conuenit, neque ea loquitur, quæ decet loqui, nihilque in ſe viuere præter ſolam ventris ingluuiem indicat.* &c. Nempe gulones ſunt velut viua quædam cadauera? (quod ænigmati ſimile eſt) nam Deo mortui, ad ſolam ventris ingluuiem, & palati delicias viuunt. Adeò vt omnium Deus, eorum Deus non dicatur. *Non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium.* Exindè qui ad ventris ingluuiem viuit inſtar emortui cadaueris Deo eſt, & velut atheos eſt, atque quodammodò atheiſmi reus: Deus enim quaſi dedignatur eſſe illius Deus, qui palato, ventri, ac saginæ viuit: neque edit, vt viuat; ſed vt edat, viuit.

1. ad Timot. 5. v. 6.

S. Chryſoſt. ibi hom. 13.

Matth. 22. v. 32.

*Qui ad ventris ingluuiē viuit, velut atheos eſt.*

8. S. Damaſcenus ex Baſilio eductus, helluones, infernalibus pœnis hîc affici, his verbis ediſſerit: *Qui menſarum ſtructores quoſdam excogitant, atque & terram omnem, & maria omnia perſcrutantur, ac ventri, velut graui cuidam ac moleſto domino vectigalia perferunt; huiuſce occupationis nomine miſeri ſanè ſunt, nec leuiores pœnas pendunt, quàm ij, qui in inferno excruciantur: vt qui aperte ignem verberent, ac cribro aquam ferant, atque in pertuſum dolium infundant, nec laborum finem vllum habeant.* Saltem diues ille epulo, gehennæ incendium, acerbiùs ſenſit in linguâ, helluationis adminiſtrâ. Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum *vt intingat extremum digiti ſui in aquam vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hâc flammâ.* Ad quæ verba ſic eleganter philoſophatur Chryſologus: *Et lingua meritò prima eſt in gehennâ, in cruciatu præuia, dux pœnarum.* Sententioſè epulonis *lingua* dicitur in gehennâ, *Dux pœnarum*, quaſi reliqui inferorum cruciatus, illi militent. Tertullianus exponens illud Paulli, 1. ad Timotheum 4. *Cauteriatam habentium ſuam conſcientiam*, ita exſcribit, & exponit: *Inuſtam habentes conſcientiam. Quibus oro te ignibus? Credo quibus cœnas quotidiè coquimus.* Vide quàm ſit helluo confinis gehenali incendio.

S. Damaſc. l. 1. Parall. c. 77.

*Helluo amnatur gehennalem pœnā, cui cōfinis eſt.*

Lucæ 16. v. 24.

S. Chryſol. ſer. 24.

1. ad Tim. 4. v. 2.

Tertull. adu. Pſych. c. 2.

9. Petrus Damianus ſcribens ad Marinum ſuum patruelem, ſic eum aduerſus gulæ illecebras inſtituit: *Sobrietas*, inquit, *quotidie*

P. Dam. l. 6. epiſt. 16.

*tidie tibi comes ſit indiuidua: nec aliquandò à tuo ſit collegio, gulâ pruriente, diuulſa. Vbi enim viſcerum pori ciborum repleti ſunt, ſuum illic proculdubiò robur ſibi vindicat flamma libidinis.* Et poſt pauca ſubdit: Nolo ergò, inquit, cibis lautioribus inhies: nolo vino affluenter indulgeas, ſiue de eius coloris, ſaporiſúe diſtantiâ aliquandò diſputare præſumas: Hoc tenuis lageos horror exaſperat; illud venachoricæ debilitatis eneruat; illud porrothaſiam rubet; illud autem aureo mareothidis decore flaueſcit; prohibetur lectio, nauſeanti vappa eſt; baptiſmus irrepſit; expectaui quidèm vinum, ſed huic aquæ perexiguum vini videtur admixtum; huic ſanè vino Aminæa quidèm vitis plurimum contulit, ſed Rhetica propemodùm ſuperare contendit. Noli itaque callere, quid Arigitis, quid Rhodia ſapiat: quem ſuauitatis acrorem cum purpureis Pretiis, Pſitiiſque componat. *Hæc enim omnia gulæ Philoſophantis ſunt argumenta, & ingurgitationis abominandæ materia. Qui enim Chriſtum deſiderat, de quam pretioſis cibis ſtercus conficiat, magnoperè non diſcernit.* Veriſſimè pariter ac moraliſſimè operoſa & arguta gulæ philoſophia ſuggillatur.

*Arguta gulæ philoſophia ſuggillatur.*

*Quid refert de quàm pretioſis cibus ſtercus conficiat?*

---

## §. XXII.

### *Ingluuies, ſeu inſana palati libido adhuc vapulat.*

1. Epictetus. *Corpus & anima excipiẽda ſunt ad conuiuium.*

MOraliſſima Epicteti vox eſt: *Hoc inter epulandum conſidera, duos tibi excipiendos conuiuas, corpus & animam. Tum quod omne in corpus collatum, repentè effluxurum ſit: quod verò in animam, perpetuò ſeruandum.* Benè momentem audi, & facto ſequere.

2. Ad Epheſ. 5. v. 18. S. Hieron. in c. 1. ad Titũ Et epiſt. 83. ad Ocean.

Paulus ad Epheſios 5. *Et nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Venter enim immodico cibó ac mero æſtuans deſpumat in libidinem. Appoſitè Hieronymus: *Vbicumque ſaturitas & ebrietas, ibi libido dominatur: ſpecta ventrem & genitalia, qualis ordo membrorum, talis & vitiorum. Numquam ego ebrium caſtum putabo; qui & ſi vino conſopitus dormiuerit; tamen potuit peccare per vinum.* Quod Biblicâ eruditione in Epiſtol. ad Oceanum eleganter probat: *Noë ad vnius horæ ebrietatem nudat fœmora ſua, quæ per ſexcentos annos ſobrietate contexerat. Lot per temulentiam neſciens libidine miſcet inceſtum; & quem Sodoma non vicit, vina vicerunt.* Itaque libido eſt ebriæ ſaturitatis appendix, quod præſcriptis verbis Hieronymus ex hâc Tertulliani doctrinâ percolauit: *Mirarer* (inquit Tertullianus) *iſtos Pſychicos; ſi ſolâ luxuriâ tenerentur, ſi non etiam ingluuie ducerentur, quâ ieiunia oderunt; monſtrum ſcilicet haberetur libido ſine gulâ, cùm duo hæc tam vnita atque concreta ſint; vt ſi disiungi omninò potuiſſent, ipſi prius ventri pudenda non adhærerent. Specta corpus, & vna regio eſt, denique pro diſpoſitione membrorum ordo vitiorum, prior venter, & ſtatim cetera ſagenæ ſubſtructa laſciuia eſt, per edacitatem ſalacitas tranſit.* Sanè eloquenter! Et S. Baſilius: *Ne dum virginitatem ſeruare proponit, guſtui ſe immoderatè proſtituens, caſtitatem ſuam aliâ fruendi voluptate deuictus, ſenſim dum neſcit, amitit.* Nota illud, *Guſtui ſe immoderatè proſtituens.* Quod meretricium eſt, & corpus ſcortatione euulgat.

*Libido eſt gulæ appendix: nam edacitas in ſalacitatẽ tranſit.*

Tertull. adu. Pſych. c. 1.

S. Baſil. de verâ virg.

3. Ad Epheſ. 5. v. 18. *Libido eſt gulæ ſequela, & gula eſt libidinis pœna.*

Itaque obuia eſt hæc doctrina, quòd ſalacitas ſit edacitatis appendix, quam Eccleſiæ Patres paſſim tradunt, duce Paullo præfatis ad Epheſios verbis, *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Quaſi ebria ſagina tranſeat in luxuriam, & libido ſit edacitatis ſequela. Quid ſi econtrariò etiam immoderata ingluuies ſit luxuriæ indiuidua, & eius appendix? Quâ ſuper re ita Cyrillus philoſophatur: *Non obediam*, inquit, *intemperantiæ gulæ, quæ infirmitatis eſt fons, pœna libidinis, deſipientiæ ſemita, mortis ianua, & nunquam eſt vllis epulis contenta.* Intermittamus nunc reliqua gulæ epitheta, quæ addenſat Cyrillus; & expende illud, *Pœna libidinis.* Nimirùm libido eſt gulæ appendix, & *gula libidinis pœna.* Sic hæc vitia vitioſo circulo in orbem ducuntur, catenantur, & quodammodò perpetuantur; vt libido ſit gulæ ſequela, & gula ſit *pœna libidinis.*

S. Cyrillus l. 4. Apolog. c. 4.

4. Ad Philipp. 3. v. 91.

Paullus ad Philippenſes 3. Multi, inquit, ambulant, quos ſæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti: *Quorum finis interitus: quorum Deus venter eſt: & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.* Quæ verba exponens Clemens Alexand. ita ſcribit *Qui autem eo* (copioſo & ſuperfluo cibo) *vtuntur; nunquam vt ſi ſapiens laborauerit, vt qui mentem in ventre infoderit, admodùm ſimilis piſci, qui aſellus dicitur: quem quidèm dicit Ariſtoteles ſolum ex omnibus animalibus habere cor in ventre. Tales ſunt ij homines; qui in ventrem crediderunt. Quorum Deus venter eſt; & gloria ignominia ipſorum, qui quæ ſunt terrena cogitant.* Quid humanum; & non potiùs pecuinum ſperetur ab homine, *qui mentem in ventre infoderit?* Hi ſunt homines: ſi hominum elogio digni ſunt, *qui in ventrem crediderunt.* De his gulonibus dixit Tertullianus Clementi Alexandrino adſentiens: *Agnoſco igitur animalem fidem.* Profectò ab his; qui *mentem in ventre infoderunt; quorum Deus venter eſt, & qui in ventrem crediderunt;* quid aliud ſperetur præter *animalem fidem?* *Quoniam iſti ſunt (ſemel nominabo) exteriores, & interiores botuli.*

Clem. Alex. l. 2. Pædag. c. 1.

*Qui mentem in ventre infodit, animali fide in ventrem credit.*

Tertull. adu. Pſych. c. 1.

5. Ad Philipp. 3. v. 19.

Redeat iterùm ſemel expenſus Pauli locus *Quorum Deus venter eſt: & gloria in confuſione ipſorum; qui terrena ſapiunt.* Qui ventri per omnia indulgent, qui ſoli ventri toti ſtudent: illud enim cuique Deus, quod maximè colit, cuique totus ſeruit, & ſeſe ſuáque omnia impendit. Et propriè tales ſunt, qui omnia ſua ſtudia, cogitationes, & opes ad gulam & ventrem, quaſi ad ſummum & vltimum bonum referunt. Videtur

Cornel. 1. Reg. 5.

adludere Paullus ( ait inibi noſter Cornelius ) ad Dagon Deum Philiſtinorum. Dagon enim Deus venter; quia ventris cauſsâ colebatur : dicitur enim Dagon Deus fuiſſe piſcium, fœturæ, & frumenti. Lilius Gyraldus putat Dagon fuiſſe Iouem aratrium, quem colebant Phœnices, tanquam frumenti & aratri inuentorem, quaſi Dagon vocetur ab Hebræo דָּגָן *Dagan*, id eſt, frumentum. Et ſanè Dagon Deus venter eſt : quia cùm arca fœderis capta à Philiſthæis collocata eſſet iuxta Dagon, Dagon concidit coram eâ, capite & manibus auulſis à corpore, vt tantum truncus ſeu venter extaret reliquus, quem poſteà coluerunt. Ad præſcriptum Paulli locum, teſte Gentiano Herueto, adludit Clemens Alex. aiens: *Iis autem qui ad luxum menſarum ſunt propenſi, & ſuos ſibi morbos nutriunt, præeſt Dæmon belluo maximus, quem ego non verebor appellare Ventridæmonem, dæmonum omnium peſſimum & pernicioſiſſimum. Is autem eſt reuera ſimilis illi qui dicitur ventriloquus.* Conſule indidèm Herueti illuſtre commentarium. Et S. Gregorius Nazianzenus in Tetraſtichis: *Vinum, libido, liuor & Dæmon pares: hos mente priuant, quos tenent. His in prece medere, fuſis lacrymis, ieiunio.* Exindè S. Baſilius apud Antonium in Meliſsâ punct. 1. cap. 38. *Contumelia Dæmonum nihil audet aduerſus ieiunantem; & vitæ noſtræ cuſtodes Angeli alacriùs manent apud illos, qui per ieiunium purgati ſunt.*

Gyrald. l. de Diis Gentiũ Syntag. 2.

*Gula, Dagon eſt: ventridæmon, ſeu dæmon ventriloquus.*

Clem. Alex. 2. Pædag. c. 1. Gentian. ibi.

S. Nazian. S Baſil. apud Anton. in Meliſsâ.

6. Siracides Eccleſiaſtici 31. *Ebrietatis animoſitas, imprudentis offenſio, minorans virtutem, & faciens vulnera.* Quaſi dicat: Animoſitas & audacia, quam parit ebrietas facit, vt ebriè ſaginatus imprudens offendat, impudens procaciter ac temerariè audeat. Hinc illud Anacharſi apud Laërtium : *In vite tres racemi naſcuntur, primus voluptatis, ſecundus ebrietatis, tertius inſaniæ, furoris & violentiæ.* Addit Nazianzenus in Diſtichis : *Inſolentiæ parens eſt ſatietas.* Et Hebræus Philo agens de poculis in lib. de Plantat. Noë : ait : *Relaxatur autem inſipientium quidem ratio ad peccandum licentiùs.* Itaque ebria ſatietas, inſolentiæ, furoris, ac impudentiæ fomes eſt, quæ inſanâ animoſitate, & effronti audaciâ laxatur ad licentiùs peccandum, & inſolenter audendum. O caue veſanæ impudentiæ malum, ad omnia ſcelera procaciter audax! Pulchrè à Baſilio gula dicitur; *Fons voluptatum, & impudentiæ fomes.*

Eccli. 31. v. 40.

*Ebria ſatietas eſt inſolentiæ, ac impudentiæ fomes.*

Laërtius. S. Nazian. Philo.

S. Baſil. de vera virg.

7. Sententioſè dixit Damaſcenus: *Cùm te vltra quàm ſat ſit, paſcis, imprudens hoſtem paſcis.* Porrò ebria hominis ingluuies, expetitæ Diabolorum deliciæ ſunt. Quâ ſuper re ſic eloquenter fatur ad rem præſentem Chryſologus : *Ieiunantibus nobis Diabolus eſurit, qui noſtris ſemper ſaturatur ex culpis. Ille cibum noſtrum deducit in crapulam, potum noſtrum in ebrietatem effundit, vt mentem faciat amentem, carnem luteam reddat, corpus animi domicilium, animæ vas, murum Spiritus, virtutum ſcholam, Dei templum; in ſcenam criminum, in vitiorum pompam, voluptatum redigat in theatrum. Capit ille ſatietatem, voluptatem percipit, expletur epulis, quando nos luxus ſoluit.* Profectò cùm dixerit Iſaias : *Serpenti puluis panis eſt* : & ſerpenti Dæmoni dictum ſit : *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ* : idcircò ſollerter ſatagit, cibum noſtrum dedacere in crapulam, & potum in ebrietatem effundere, vt hominis *carnem luteam reddat*; & ita electus eius cibus ſit. Profundè quidem hominis caro formata è primordiali luto, quaſi iam cognatum ſibi lutum deſueſceret, per ieiunij inediam, per gulæ intemperantiam iteratò in lutum cogitur, & *caro lutea redditur*, priſtinum originis ſuæ cœnum ingluuie reſculpens. Adſimiliter, *Vino lutum cogitur.* De quo aliàs.

S. Damaſ. l. 1. Parall. c. 77. ex Nilo. S Chryſol. ſerm. 12.

*Ebria edacitas hominis carnem luteã reddere dicitur.*

Iſaiæ 65. v. 25. Gen. 3. v. 14.

8. Prouerbiorum 23. Quandò ſederis vt comedas cum Principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam. *Ne deſideres de cibis eius : in quo eſt panis mendacij.* LXX. interpretes ſic locum excribunt : *Si autem inſatiabilis es, noli concupiſcere eſcas eius, hæ enim obtinent vitam falſam.* Alij codices habent : *Hæc enim adhærent vitæ mendaci.* Aquila & Theodotion *Ipſe enim eſt panis mendaciorum.* Caietanus: *Et ipſe panis fallaciarum.* Ianſenius panem mendacij, ſeu mendacem dictum putat illum cibum, qui cùm valdè delicatus ſit, ac varius, facilè admodùm eum qui iſtiuſmodi menſis accumbit, deludit, & ad intemperantiam pertrahit. Ita enim ferè accidit in magnificis, ac ſplendidis conuiuiis, vt propter ciborum lautitiam, intemperantia etiam temperatiſſimis ſubrepat. Iſidorus Clarius *panem mendacij* appellari dicit delicatiores omnes cibos, qui plerumque tenuiſſimi ſunt, atque adeò edentem malignè alunt : nam ſicut *verus cibus* aptè dicitur, qui edentem nutrit ac roborat, ita etiam panis ſeu cibus *mendax* rectè appellantur cupediæ, & leuiſſima quæque cibaria, quæ veſcentem pro ſuâ tenuitate non reficiunt. Et hic à Salomone dicitur, *Panis mendacij*, aut *fallaciarum.* Hùc adludere videtur Clemens Alexand. ita eloquenter fatus : *Edaces atque omniuori homines, materiam ignis inſtar apprehendentes. Quin etiam facilem cibum, nempè panem effeminant, quod frumenti eſt nutriens excribrantes, vt quod eſt alimenti neceſſarium, ſit probrum voluptatis.* Argutè quidèm dicitur panis *mendacij*, ſeu *fallaciarum*, ille qui ad menſarum delicias ſic *effeminatur*, vt quod eſt frumenti ſucculentum, & verè nutriens, excribretur & excernatur, & duntaxat ſuperſit, quod oculos albore paſcit, & per ſaporem palato blanditur, quod ſanè eſt *probrum voluptatis.* Probrum enim voluptatis eſt dulces aucupari ſaporis fallacias de effeminato pane, qui alimentum mentitur, dum falſatam veri panis ſpeciem oculis repræſentat, nutrimento ieiunium.

Prou. 23. v. 3.

LXX. Interp.

Aquila. Theodot. Caietan. Ianſenius.

Iſidorus Clarius.

*Effeminatus gulonum panis, eſt ludibrium voluptatis.*

Clem. Alex. 2. Pædag c. 1.

9. Iſaiæ 22. Et ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum: *Comedamus, & bibamus : cras enim moriemur.* Vide hîc quò voluptariorum gula eos deducat, vt craſtinæ mortis præſagia cum ebriis ac lautioribus copiosè

Iſaiæ 22. v. 13.

*Gulones craſtinam ſibi mortem augurantur.*

pioſè cibis veſanus deuoret. Pulcrè Alexandrinus Clem. gulones appellauerat *edaces voraceſque belluas*, & mox ſubdit: *An non enim ſunt eiuſmodi qui in ollis verſantur, multiplicibúſque exquiſitorum alimentorum voluptatibus, qui ſunt humiles & abiecti animi, terræ planè filij; qui victum indies perſequuntur, perindè ac non victuri?* Scilicet epulones, citiſſimam ſibi cràs mortem infauſtè ominantur, de voracitatis ebriæ phanaticâ inſaniâ, de animoſitate furoris, aut de atheiſmi impietate.

Clem. Alex. l.2. Pædag. c.1.

## §. XXIII.

### *Menſales gulonum deliciæ adhuc acerbiùs ſuggillantur.*

1\. Muſonius apud Stobæ. PVlchrè apud Stopæum epulones his verbis Muſonius ſuggillat: *Cum exceſſus, inquit, nullâ non in re ſit vitioſus, tum in victu maximè ſuam naturam prodit, dum liguritores & helluones ex hominibus in ſues aut canes quoad ingluuiem transformat; omnis honeſtatis in manibus, viſu eſúque oblitos, tantam ipſis inſaniam cupediarum amor gignit. Quid autem turpius, quàm ita ſe præſtare circa victum, vt bruti potiùs animalis, quàm prudentis hominis imago ſit?* Hem, de profanâ morum ſcholâ, Chriſtianorum frugalitas erudienda eſt?

*Ingluuies homines transformat in belluas.*

2\. Redeat iterùm idem Prouerbiorum locus diuerſimodè expendendus: Quandò ſederis vt comedas cum principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam, & ſtatue cultrum in gutture tuo: (ſic plures è commentatoribus locum diſpungunt, vt hinc exordiatur Verſiculus. Prou.23.v.3. *Si tamen habes in poteſtate animam tuam, ne deſideres de cibis eius, in quo eſt panis mendacij.* Pro illis verbis, *Si tamen habes in poteſtate animam tuam.* &c. LXX. interpretes habent, *Si autem inſatiabilis es, noli concupiſcere eſcas eius.* Quæ verba ſententioſè exſcribit, & exſcriptione exponit Origenes: *Si coniux es animæ tuæ, noli concupiſcere eſcas eius*, quaſi perindè ſit, *Si inſatiabilis es* auidâ dapum concupiſcentiâ, *ac ſi coniux es animæ tuæ* in lautis gulæ deliciis. Quibus ſanè verbis innuitur quædam gulonum libido erga eſcarum concupiſcentiam, pruritui Veneris non abſimilis. Item denotatur velut *coniugium* quoddam inſolubile epulonum cum menſalibus deliciis, & intemperante ciborum voracitate. Sic eſt arduum eos à conuiuiis abſtrahere? Sic helluonum concupiſcentia ingluuiem arctè maritat? ô palati præſtigias!

*Homo inſatiabilis dicitur bellnationis coniux.* LXX. Interp. Orig. apud Salazar ibi. n.37.

3\. Geneſeos 3. Homo nobilitate diuinæ imaginis generoſus, & immortalitatis prærogatiuâ auctus, de Protoplaſti manu conſtitit. Heu gula perdidit, quod innocentiæ incedia præſeruaret. Hâc ergò ſententiâ Adami gula mulctatur: Adæ verò dixit Deus: *Quia .... comediſti de ligno; ex quo, præceperam tibi, ne comederes: maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex eâ cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ.* Scilicet vilis, operoſus, & auſterus cibus Adamo datur in effuſioris gulæ pœnam. Sed viderit curioſus Bibliorum exploratur, an in iſtiuſmodi herbaceis dapibus, ſi minùs reſtaurare, ſaltem conſolari, aut minuere generoſitatis, & immortalitatis iacturam ualeat. Quò forſan adludit Alexandrinus Clemens ita fatus; poſt damnatas palati vbertim voluptates: *Contrà enim planè*, inquit, *qui cibis vtuntur viliſſimis, ſunt robuſtiores, ſaniores, generoſiores; vt agricolæ poſſeſſoribus: & non ſolùm fortiores, ſed etiam Prudentiores, vt Philoſophi diuitibus.* Nimirùm integrum Adamo non fuit ſtatus innocentiæ generoſitatem, & immortalitatem ſemel amiſſam per gulam, recuperare. At pœnæ nomine ad viliſſimos cibos damnatur, qui & ſi palatum non mulceant ſaporis blandimento; ſunt tamen *robuſtiores, ſaniores, generoſiores*, quò minuatur *generoſitatis*, & immortalitatis iactura. Porrò ſi Adamus poſt gulæ delictum, lautè ac opiparè veſceretur, varietate ac ſapore carnium voluptuoſè delectatus, non *robuſtior*, ſed imbecillior; non *ſanior*, ſed infirmior; non *generoſior*, ſed vilior, de ingluuie euaderet.

Gen.3.v.17. & 18. *Adam vilitate ciborum, generoſitatis, ac immortalitatis iacturam minuit.* Clem. Alex. l.2. Pædag. c.1.

4\. Matthæi 4. IESVS ductus eſt in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à Diabolo. Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit. *Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es dic vt lapides iſti panes fiant.* Eccur in hoc rerum articulo Chriſtum Diabolus adoritur? Quare nunc ſic eum ſuſpicit, vt ambigat, an verus Deus, Deíque filius ſit, qui hactenùs inſuſpicabilis Deus, & purus homo à ſe cenſebatur? An Chriſti euſque victus Diabolum ſic perſtrinxit? Tempeſtiuè Chryſologus: *Diabolus*, inquit, *qui manducantem contempſerat Chriſtum, bibentem velut hominem computarat; vbi ieiunantem vidit, ſuſpicatur Deum, Dei filium confitetur: Si filius Dei es, inquit, dic vt lapides iſti panes fiant.* Itaque Diabolus videns quouſque habet oculos, dum aduertit, quòd Chriſtus conuiuiis aderat, & in cibo ac potu hominibus reliquis extrinſecùs conformabatur, *bibentem velut hominem computauerat, & manducantem contempſerat Chriſtum*, inſuſpicabilem Deum inter epulas & pocula reputans, vilioris contemptus cenſurâ. O, hæc Diabolorum cenſura, cenſus menſarum ſit, & cibationis opprobrium! Non ſuſpicatur Deum, niſi poſt caſtigati in deſerto victus, prolixam diu inediam, vel ordinario alimento viduatam. Sic Diabolus *manducantem contempſerat Chriſtum!*

Matt.4. v.1. *Diabolus mãducantem cõtempſerat Chriſtum.* S.Chryſol. ſer.12.

5\. 3. Rgum 19. Minantem Iezabelem fugiens Elias, poſt vnicum pabulum ac potum, quem ab Angelo expergefactus inuenerat, & ipſe quadraginta diebus ac noctibus vacuo ventre, arido ore peruenit in montem Horeb, vbi cùm in ſpeluncâ diuertiſſet quam familiari Dei cõgreſſu exceptus eſt. Ecce ſermo Domini ad eum, dixitque illi: *Quid hîc agis Elia?* Adſimilibus verbis fugientem ac latitantem in paradiſo Adamum compellat Deus: *Adam .... vbi es?* Eadem videtur ſonare Dei vox, ſed verborum ſenſu longè diuerſiſſima. Quod eleganter his verbis

3 Reg 19. v.9. Gen.3.v.9.

Tertull. ad u Pſych. c. 6. *Adſimilis Dei vox ieiuno Eliæ blanditur, Adamo paſto minatur.*

bis Tertullianus adnotauit: *Quid tu Elia hìc? multò amicior iſta vox, quàm, Adam vbi es? Iſta enim paſto homini minabatur, illa ieiuno blandiebatur. Tanta eſt circumſcripti victus prærogatiua, vt Deum præſtet homini contubernalem, parem reuera pari.* Scilicet eadem propè Dei verba, quæ ieiuno homini amica ſunt blandimenta, deliciosè paſto, & indigeriem adhuc ructanti, acerbiores minæ ſunt. Diſſimile ventris meritum, adſimilem Dei vocem, ſic diſparem reddit? Quod ieiuno placidè blanditur, ſaturo dura minatur.

Prouer. 30. v. 16. Hebræus. Pſeudo-Aug. l. de Salut. doc. c. 30. Ianſen. ibi. Quidã apud Salaz. ib. n. 141.

6. Prouerbiorũ 30. *Infernus, & os vulua .... ignis verò numquàm dicit, ſufficit.* Pro τὸ *infernus*, Hebraicè habetur, *Infernum*, vel *ſepulchrum*. Nomine autem *inferni*, ſeu gehennæ, Pſeudo-Auguſtinus auaritiam intelligit. Ianſenius verò iram, ſeu vindictæ libidinem. Alij autem *Inferni* vocabulo gulã ſignificari exiſtimant. Eheu *Inferni*, ſeu gehennæ vocabulo *gula* denotatur! Sic eſt inferno confinis, & gehennæ vicinatur Opinor autem, quod gula aptiùs *inferno*, id eſt, *ſepulchro* adaptatur. Appoſitè Clemens Alexandrinus: *Qui potu nimio delectatur, vel iam rationi mortuum eſſe oſtendit per liuentes oculos, quod eſt ſignum mortui, eam quæ eſt in Domino mortem ei anuncians. Obliuio enim eorum quæ ad veram vitam pertinent, vergit ad interitum.* Itaque *ratio*, quæ eſt potior hominis pars, per ingluuiem in ventre ſepelitur, & cadaueris fœtorem ſubolet. Addit Ioannes Climacus, quòd anima in ventre cibis, diſtento ſepelitur: *Quod ſi vndique*, inquit, *corrupto vino fœtet, & epulis ſatur eſt, cogita infelicem animam in tali corpore velut in ſepulcro defoſſam.* Illud autem quod additur: *Os vulua nunquam dicit, Sufficit*, à Salazare noſtro gulæ etiam ex Plutarcho accommodatur: *Vt meretrices aborſum prouocant, vt rursùs impleantur, & volupruentur; ita quidam hoc ipſum corpus euacuant, vt rursùs liceat ingurgitare.* Nempè nimis ingerunt, vix digerunt, ſemicrudum vomita egerunt. Denique ſubditur: *Ignis verò nunquam dicit, Sufficit.* Quod etiam in gulam apprimè quadrat, teſte Alexandrino Clemente: *Videntur*, inquit, *reuera iſti inſatiabiles, ſolicita ac anxij ciborum indagatores ad delicias ac voluptates ſuas mundum irretire, ſibilantibus ſartaginibus vndique circumſtrepentes, edaces atque omniuori homines, materiam ignis inſtar apprehendentes.* Gulones eſculentam omnem *materiam ignis inſtar apprehendunt, ignis verò nunquam dicit, Sufficit*: idcircò *inſatiabiles* velut ignis, appellantur.

Clem. Alex. l. 2. Pædag. c. 2. *Gula num veter eſt inſtar inferni, aut ſepulcri.* Climac. in Scal. gradu 26. *Gula meretrici ſimilis.* Plutarch. in Moral. *Gula igni aſſimilatur.* Clem. Alex. l. 2. Pædag. c. 1.

Tertull. l. 1. ad vxor. c. 8. Cerda ibi. n. 106. *Gula vitiorũ omnium initrix, & compendium eſt.*

7. Tertullianus in lib. 1. ad Vxorem, ſic eam inſtituit: Stude igitur, inquit, ad virtutem continentiæ, modeſtiæ, quæ pudori procurat: ſedulitati, quæ nugas non facit: *frugalitati, quæ ſeculum ſpernit.* Sed oportet intelligas fundum Tertullianicæ ſententiæ, (ait inibi locuples Commentator) videtur debuiſſe preſſiùs loqui Nam *frugalis* contemnit lautitiam, cibos, menſas, ingluuiem, quæ directè frugalitati aduerſantur. At *ſeculum* alia reſpicit, ſcilicet quicquid delicias propinat, & cadit ſub auaritiam, cognataque ſuperbiæ atque ambitioni vitia. *Frugalis* ergò cur *ſeculum* ſpernat? hoc aliarum etiam virtutum negotium eſt. Eſt hoc latè nimium loqui, & laciniosè; non preſsè, & ſtrictè, vt aſſolet Tertullianus. Soluat nodum quiſquis adſtruat, ventrem & gulam ſequi vitia omnia: exindè *ſeculi* nomine denotari.

S. Chryſoſt. S. Nazianz. orat. 3. S. Nyſſ. ſer. 4. in orat. Dom. S. Baſil. de Abdicat. rerum.

Chryſoſtomus homil. 15. ad Popul. ita ſcribit: *Qui ventri miniſteria impendit; illum premit cibario onere, furari ſæpè cogitur, & aliena rapere, & opprimere, & violare.* Et Nazianzenus vocat *ventrem malorum omnium parentem.* Quâ de re multa eleganter diſſerit Nyſſenus. Baſilius autem ſic fatur de gulonibus: *Qui iſtiuſmodi ſunt, ij mendaces ſunt, ad iuſiurandum parati, periurioſi, litigioſi, pertinaces clamoſi, & qui ſaturi ediſſe ſe pertinaciſſimè pernegent, illiberales, queruli, aliorum curioſi exploratores, tenebriones, totius honeſtæ vitæ de induſtriâ inimici, qui vt gulæ libidinem obtegant, innumerabilibus ſe aliis vitiis inuoluunt.*
*per hanc Lot ſe cum filiabus miſcet, idem ſui-* 8.
*ipſius gener factus ac ſocer: & qui parens anteà, vtrimque in præſcriptos à naturâ hominibus fines petulanter proterruit.* Non potuerunt tam multa breuius ſtringi. Et nuper ſcripſerat turpius gulæ elogium, de obſtinatione ſuſpectum: *Etenim*, ait, *multos ego animaduerti ſæpè, qui cùm alterius cuiuſuis generis vitiis laborarent, ad ſanitatem tamen redierint poſteà: qui autem hoc morbo tenentur, vt aut in occulto eſitare eos delectaret, aut ventris ingluuie duci ſe ſinerent, neminem ex omnibus vidi vnquam, qui conualuerit.* O time gulam, quiſquis virtutem amas, & horres vitiorum barathrum! pertinax proteruè vitium eſt, & obſtinatè ſuaſorium.

*Gula obſtinatio pertinax.*

## §. XXVI.

*Immodicus vini vſus, eſt Bacchicus fomes, voluntarius Dæmon, Legis tabulas frangit: & milites ac magiſtratus maximè dedecet.*

1. NOn eſt animus in ſuâ poteſtate, ebrietate deuictus. Quemadmodum muſto dolia ipſa rumpuntur, & omne quod in imo iacet, in ſummam partem vis caloris eiectat: ſic vino æſtuante, quicquid in imo iacet abditum, effertur, & prodit in medium, ô quàm multa ebrij faciunt, quibus ſobrij erubeſcant. Profectò nihil aliud eſt ebrietas, quàm voluntaria inſania. Extende in plures dies illum ebrium habitum: numquid de furore dubitabis? Nunc quoque non eſt minor, ſed breuior. Omne vitium ebrietas & incendit, & detegit: obſtantem malis conatibus verecundiam, remouet. Vino creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſæuo, malignitas liuido, libido ſalaci. Adiice illam ignorationem ſui, dubia & parùm explorata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, recta ipſa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum: ſtomachi tormenta cùm efferueſcit merum, ac viſcera ipſa diſtendit. Gratulor hîc Aſſuero, quod in tantâ vetuſtioris phalerni copiâ, quâ conuiuium adornat, nemo ad ebrietatem vel inuitus cogatur.

Hæc ferè ex Seneca epiſt. 84. *Conglobata ebrietatis mala.* Hîc verſ. 3. & 7. &c.

2. Sententiosè nobis propoſuit Diodochus, *Myſterium continentiæ.* Grandè planè eſt ſacramentum ſobriæ frugalitatis, ebriæ intempe-

Diodoch. cap 46.

rantiæ

rantiæ contrarium, impudicitiæ exilium, & ſecurum caſtitatis aſylum. Profundè ad rem Tertullianus: Nunc ſi temerè (inquit) rationes caſtigati à Deo victus, ad primordiorum experimenta reuocemus, conſcientiam communem cõſulamus, *ipſa natura enúciabit, quales nos ante pabulũ & potũ in virgine adhuc ſaliuâ exhiberè cõſueris rebus dũtaxat ſenſus agendis quo diuina tractantur, ſi multò pollẽtioris mẽtis, ſi multò viuacioris cordis, quàm cum totũ illud domiciliũ interioris hominis, eſcis ſtipatum, vinis inundatum, decoquendis iam ſtercoribus æſtuans, præmeditatorium efficitur latrinarum, in quo planè nihil tam in proximo ſuperſit, quàm ad laſciuiam ſapere.* Ecce tibi *virgo ſaliua*, exempta à vini ſtupro, & à fluxâ ciborum ſcortatione, quàm ſit habilis ad rem virtutis, & vitiis inidonea. Sanè *virgo ſaliua*, niſi valdè fallor, *myſterium continentiæ* eſt, & caſtum ſobrietatis ſacramentum. Belliſſimè S. Baſilius in lib. de verâ virg. *Virginem enim eſſe, & guſtum virginis conuenit, nullique gula ſuauiter oblectãri illecebræ peruium, integram ſe, & inuiolabilem in hâc parte virgo ſancta ſeruabit.* Ecquis eſt *virgo virginis guſtus*, niſi qui *in virgine adhuc ſaliuâ*, nondum vino conſtupratâ feliciter inuenitur? Hic frugalitatis faſtus eſt, à vini incontinentia ieiunus: planè *myſterium continentiæ*, & ſobrietatis nouum ſacramentum.

Tertull. adu. Pſych. c. 6.

*Virgo virginis guſtus, in virgine adhuc ſaliuâ, myſteriũ continentiæ eſt.* S. Baſil.

3\. Prou. 20. Sic nos ſapienter erudit Salomon: *Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas.* Vide hîc duo vini intemperanter epoti, non bona elogia: alterum de laſciuiæ affinitate, de rixarum ac tumultuum officinâ furenter ebriâ, alterum. Vtrumque Clemens Alexandrinus his verbis nexuit. *Laudo & admiror eos, qui vinum tamquam ignis minas, quàm longiſſimè fugiunt.* Placet ergò vt pueri & puellæ ab hoc medicamento plurimum abſtineant. Non enim feruenti ætati, vinum quod eſt omnium humorum calidiſſimum infundere conuenit, *perindè atque ſi quis ignem in igne deriuet, ex quo agreſtes immanéſque appetitiones ardentéſque cupiditates, & mores ignei incenduntur. Vino itaque efferueſcente, luxuriant, &c. pulſus impudentes anxiam & ſuperuacaneam perſequuntur diligentiam, temperantiam ac moderationem ad ſcelera ac flagitia prouocantes. Oportet autem quam maximè fieri poteſt iuuenem appetitiones conari excindere, minarum quidem Bacchicum fomitem auferentes.* Scilicet homini *igneis moribus* materiato, *ignis minas* immodicum vinum inquam, perperàm obiicis, & *Bacchicum fomitem* ingeris, quo vſtuletur libido, decinereſcat pudicitia, & in fumantes luxuriæ fauillas funeſtè abeat. *Luxurioſa res vinum.* Quin & vſque adeò *tumultuoſa ebrietas* eſt, & ad rixas prona, vt *agreſtes immanéſque appetitiones incendat.* Agreſtes inquam, id eſt, inurbanas, indecoras, ac ruſticanas, atque agreſtibus ſyluicolis cognatas. Et indè vel ipſam pacatiſſimam *temperantiam ac moderationem ad ſcelera ac flagitia prouocat.*

Prou. 20. v. 1.

Clem. Alex. l. 2. Pædag. c. 2.

*Bacchicus libidinum ac tumultuum fomes.*

4\. Emedullandus adhuc eſt nuper expenſus Prouerbiorum locus: *Luxurioſa res vinum.* Alij exſcribunt, *Deriſorem facit vinum.* Alij, *prodigum eſt vinum.* Alij *indomitum.* Alij *incaſtigatum.* Alij *effrenatum.* Vide ergò quàm ſit *vinum* religionis prodigium, incaſtigatum, indomitum, effrene, & diſciplinæ impudenter exlex: *Quod Moyſes* (ait ex Baſilio Damaſcenus) *quadraginta totos dies ieiunans, & orans perfecerat, id omne temulentia vna irritum & infructuoſum reddidit. Nam tabulas Dei digito conſcriptas ieiunium acceperat, has ebrietas perfregit: quòd vidilicet indignum eſſe Prophetæ cenſuiſſet temulentum populum leges à Deo accipere.* Nimirùm diuinam legem, quam Moyſis ſobrietas, & frugalis inedia, digito Dei in petrinis tabulis inſculpſit; Hebræus populus male ſobrius, & largis compotationibus benè ebrius, impudenter fregit, ſtolidè perdidit, & procaciter oblitterauit, atque ebriè bibulo temulentiæ madore petulanti ſacrilegio deleuit. O impiè audacem vini temeritatem! Itaque temulentus populus antequam leges accipiat, eas præproperè frangit ac violat, quò exlex vini natura demonſtretur. Vnde ebrius populus diſciplinæ violationem in mero largè præbibit. O, ſic diuinas leges quas ſobrietas condit, ebrietas auerſatur, præmaturo diſciplinæ aborſu?

Prou. 20. v. 1. Tranſlationes apud Salazar ibi.

S. Damaſ. l. 1. Parall. c. 77.

*Leges Dei digito conſcriptas, vinum frangit & oblitterat.*

Tertullianus in lib. de Spectaculis ita ſcribit: Itaque Pompeius magnus cùm illam arcem omnium turpitudinum extruxiſſet, (theatrum inquam) veritus aliquandò memoriæ ſuæ cenſoriam animaduerſionem, Veneris ædem ſuperpoſuit: ita damnatum, vel damnandum opus templi titulo prætexuit, & diſciplinam ſuperſtitione deluſit. *Sed Veneri ac Libero conuenit. Duo iſta dæmonia conſpirata & coniurata inter ſe ſunt, ebrietatis & libidinis.* Ecce tibi vinum intemperanter potatum, *Dæmonis* elogio denotatur. Tertulliano his verbis Chryſoſtomus accinit: *Ebrius* ait, *eſt mortuus animatus, eſt Dæmon voluntarius, morbus veniam non habens, ruina excuſatione carens, commune generis noſtri opprobrium, cœlum ebriis efficit inuiſum.* His turpiſſimis vituperijs ebrietatem Chryſoſtomus inuitiat. Adſentit Baſilius: *Ebrietas*, iniquit, *eſt dæmon voluntarius, ex voluptate animabus noſtris inditus. Ebrietas malitiæ mater eſt, virtutis inimica, fortem virum reddit ignauum, ex temperato facit laſciuum, iuſtitiam ignorat, prudentiam extinguit. Sicut enim aqua igni eſt aduerſa, ita vinum immodicum rationem ſupprimit.* Addit Ambroſius de hominibus mero exundantibus: *Vocem amittunt, colore variantur, oculis igneſcunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardeſcunt, ſenſu excidunt..... Vigilantes ſomniant, dormientes litigant. Vita his ſomnium eſt, ſomnus his mors eſt.* Vide nunc qualem Dæmonem in vino ſponte ebibant. Rursùs Baſilius: *Non eſt aliud ebrietas, quàm manifeſtiſſimus Dæmon. Ebrioſus quid minus habeatur quam dæmonium? cùm ſe putat bibere, bibitur.*

5\.

Tertull. de ſpect. c. 10.

*Vinũ eſt voluntarius dæmõ: quod adden ſatis vituperiis culpatur.*

S. Chryſoſt. homil. 1. ad. Popul.

S. Baſilius homil. de ebriet.

S. Ambr. l. de Elia, c. 12.

S. Baſil. Admonit. ad filium ſpirit.

Ieremiæ 25. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: Bibite, & inebriamini, & vomite, & cadite.* Quæ eſt ebrij deſcriptio, quam Ambroſius his verbis graphicè expreſſit: *Spectaculum triſte, inquit, Chriſtianorum oculis, & miſerabilis ſpecies. Cernas iuuenes terribiles viſu hoſtibus, de conuiuio portari forâs, & indè ad conuiuium reportari; repleri vt exhauriant, & exhauriri vt bibant. Siquis verecundior fuerit, vt erubeſcat ſurgere, cùm iam immoderatos potus tenere non poſſit, anhelare vehementiùs, ſudare, gemere, ſignis prodere quod pudet confiteri. Vino madidi & ſomnolenti, neſciunt mente quid* 6.

Ieremiæ 25. v. 27.

S. Ambr. l. de Eliâ, c. 13.

*Ebrij cõuiua graphicè depicti.*

*lingua proferat. Vnuſquiſque ſtertit & potat, dormit, & dimicat: Et ſi quandò conſurrectum fuerit, viri præliatores ſtare non poſſunt, greſſu vacillant. Rident ſeruuli dominorum opprobria, manibus ſuis portant dominum bellatorem. Itaque hùc atque illùc, tanquam nauigia ſine gubernatore fluctuant, & tanquam vulnere icti, in terram defluunt, niſi excipiantur à ſeruulis. Alij referuntur in ſcutis, fit pompa ludibrij. Quos manè inſignes armis ſpectaueras eoſdem veſpere cernas etiam à pueruli rideri: ſine ferro vulneratos, ſine pugnâ interfectos, ſine hoſte turbatos, ſine ſenectute tremulos, in ipſo iuuentutis flore arentes.* Longiuſculè, ſed planè eleganter.

7\. Plato l. 2. de legib.

Miles vino prorſus abſtineat.

Et ſanè etſi immoderatus vini vſus, omnes homines dedecet, maximè Magiſtratus, ac milites. De his præter dicta ex Ambroſio n. 6. adde Platonem: *Multò magis*, inquit, *quàm Cretenſium Lacedæmoniorúmque vſum, Carthaginenſium legem probarem, vt nunquam in caſtris quiſquam guſtare vinum audeat, ſed toto illo tempore aqua bibatur.* Et Dialogo 3. de Republ. *Non conceditur*, ait, *cuſtodi, vt ebrietate grauatus, vbi ſit neſciat: nempè ridiculum eſſet cuſtode indigere cuſtodem.* Hùc aduoca quæ n. præcedente dedimus. De Magiſtratibus autem idem Plato ita ſcribit; *In ciuitate nec ſeruus nec ſerua, nec ipſi quidèm Magiſtratus illo quo magiſtratum gerunt anno: neque gubernatores, neque iudices dum munus ſuum exercent, vllo modo vinum guſtent.* Rationem reddit Clemens Alex. aiens: *Iubar eſt anima ſicca ſapientiſſimum & perſpicax, neque madeſcit vini halitu in modum nebulæ craſſeſcens.* Idem præſcribit Baſilius, aiens: *Dynaſtæ ne bibant vinum, nec illi, quibus magiſtratus aliquis mandatus eſt, aut aliqua rerum publicarum adminiſtratio concredita.* Vtriuſque peridoneam rationem adducit Stobæus: *Gubernator ebrioſus, & quiuis cuicumque rei præpoſitus, omnia ſubuertit, ſiue nauigium, ſiue currum, ſiue quam rem fidei ſuæ commiſſam.* Porrò caput illud: quod vinum ſemel tentauit, omni exinceps magiſtratui adminiſtrando ineptum eſt.

Plato ibidẽ. *Magiſtratibus vini vſus interdicitur.*

Clem. Alex. l. 2. Pædag.

S. Baſi. Orat. de Ebriet.

Stob ſerm. 18.

8\. De conuiuiorum autem apparatu, qui hîc magnificè ſumptuoſus deſcribitur, conſule Athenæum lib. 11. & Clementem Alexandrinum lib. 11. Pædagogi, cap. 3. Ebrietatis autem vituperia, in vtráque eruditione vbertim exundant. Ieiunus nimis eſſem, niſi paucula è multis libaſſem: nauſeam mouerem, ſi thema exatiaſſem.

Athen. Clemen Alex.

---

## §. XXV.

*Sobrius vini potus, eſt hominibus additamentum vitæ; defæcatio ſenectutis, & auſterioris ingenij ſuauitas.*

1\. Athenæus.

Athenæus Naucratites lib. 11. Deipnoſophiſtarum ita ſcribit: *Phanedemus*, inquit, *hauſtum è doliis muſtum ad ædem Bacchi quæ eſt in Limnis* (qui eſt Atticæ vicus) *Deo miſcuiſſe, deinde ipſos bibiſſe, ac propterea vocatum fuiſſe Bacchum Limnæum, quoniam aquâ mixtâ tum primum temperatum muſtum biberunt: eâdémque ratione fontes ac nymphas, Bacchi nutrices appellari, quoniam aquâ mixtâ vinum augetur.* (Ac ſi aqua vino ſit mammeum quo nutritur, lac) *Theophraſtus libro de Temulentia ſcribit Bacchi reuera nutrices fuiſſe Nymphas, ideò quòd putatâ vite manat humor plurimus, & naturâ vitis lacrymatur.* Scilicet præproperè vitis ſobriè illacrymat, quòd aqueo iam inſtillato humore, vinum merum cogatur effundere, de crapulâ noxiè infame, & de temulentiâ ebriè furioſum. Ergò furens Bacchus fontium nymphas habeat *nutrices*, quarum aquâ velut lacte ad ſobrietatem nutriatur, & ſobrio nutrimento temperatum, ſanitati, ſapientiæ ac frugalitati militet.

*Cur Bacchus fontẽ & nymphas habet nutrices.*

*Quare vitis vino grauida illacrymat, dum aqueum humorẽ ſtillat?*

2\. Siracides Eccleſiaſtici 31. ſic de vini vſu homines admonet: *Æqua vita hominibus, vinum in ſobrietate: ſi bibas illud moderatè eris ſobrius.* Quam ſententiam ſic aptè Biblia Complutenſia reddunt. *Additamentum vitæ vinum homini.* (Quaſi dicat: Vinum addit, auget & producit vitam homini) *Si biberis illud in menſurâ ſuâ* Biblia Romana: *Æquale vitæ vinum homini* (id eſt: Vinum æquatur, æquiualet, æquipollet vitæ hominis, quia illam conſeruat) *Si bibas illud in menſurâ ſuâ.* Alij ſic locum efferunt: *Vitæ pars eſt vinum homini, ſi biberis illud in menſurâ.* Itaque vinum moderatè hauſtum, dicitur, *Vitæ pars homini*, vel *Additamentum vitæ homini.* Hanc Siracides ſententiam vt eruditiùs claret noſter Cornelius ſic inibi fatur: Hippocrates, Galenus, Dioſcorides, cæterique Phyſici ac medici vno ore docent, vinum moderate epotum mirè conducere vitæ humanæ. Nam vinum, inquiunt, tum roborat, tum nutrit celerrimè: vinum humectat, calefacítque ſolidas partes, vires corporis confirmat, ſuccorum caloriſque bonitatem facit, concoctionem diſtributionémque ciborum adiuuat, *vrinam & ſudores promouet, corporis habitum calefacit, & aduerſus ſenectutis duritiem & frigiditatem ſummum remedium eſt. Sicut enim igne ferrum, ſic vino corpora ſenum molliuntur & temperantur. Vndè vinum vocatur lac ſenum.* Pulchrè ad rem à Paciano Epiſcopo Barchinonenſi in Parænesi ad pœnit. appellatur. *Vinum, defæcatio ſenectutis.* Quaſi temperatus in ſenibus vini vſus, viuifico calore viuentibus cognato, ſenectutis fæces decoquat, euaporet, excreet: & vini lacte ſalubriter potatus, repueraſcat, ac iuueneſcat ad vitam. Hanc incurabilis annoſæ ſenectutis morbus medicinam agnouit, quæ ſerpentis induſtriam æmulatur: Nominandus eſt ſerpens (ait Tertullianus) Nam & quod ſortitus eſt, conuertit corium & æuum. Siquidèm vt ſenium perſenſi, in anguſta ſe ſtipat, paritérque ſpecum ingrediens, & cute egrediens, ab ipſo ſtatim limine eraſus, exuuiis ibidèm relictis nouum ſe explicat: cum *ſquâmis & anni recurantur.* Quod arctior ſpecus ſerpenti, idoneus vini vſus ſenibus eſt. illud *aduerſus ſenectutis duritiem ac frigiditatem ſummum remedium eſt.* Illud eſt, *Defæcatio ſenectutis*: & illo *anni recurantur.* Ergò moderatum vinum homini eſt *vitæ pars*, & additamentum vitæ.

Eccli. 31. v. 32.

Bibl. Comp.

Bibl. Rom.

Cornel. ibidem.

Hyppocrat. Galenus. Dioſcorid.

*Moderatum vinũ eſt homini vitæ pars, additamẽtum vitæ, pars, additamentum vitæ & defæcatio ſenectutis.*

Pacianus.

Tertull. l. de Pall. c. 3.

*Senum annoſitas vino moderato recuratur.*

3\. Idem Siracides in eodem cap 31. *Exultatio animæ, & cordis vinum moderatè potatum. Sanitas eſt animæ, & corpori ſobrius potus.* Tigurina ſic locum excribit: *Lætitiam animi parit & hilaritatem vini potus iuſtus & opportunus: animi ſimul*

Eccli. 31. v. 36. & 37.

Tigurina.

*ſimul & corporis ſanitatem potus ſobrius.* Benè eſt, ſanitatem corpori parit vinum aquâ dilutum,

*Sapiens vino maceratus ſeipſo ſuauior eſt.*

& tempeſtiuè potatum. Quâ de re multa; hîc interpretes. At animi morbos quo pacto vinum curare eualet? Ecquis ſapientum, vini potione, morum languoribus medicinam fecit? Ap-

Philo.

poſitè Philo Iudæus lib. de Plantat. Noë: *Fit enim vir ſapiens vino maceratus ſeipſo ſuauior. Proindè ne hoc quidèm modo errabimus, ſi ei potionem concedamus.* Sapiens ne vino maceratur ad ſuauitatem? Meracior, & ſuauior eſt ſapientia, quam merum aquâ maceratum afflat? Addit Philo: *Videtur enim merum ea, quæ cuique à naturâ indita ſunt augere ac intendere,*

*Sobrius vini potus malas affectiones temperat, bonas erigit.*

*ſeu bona ſeu contraria*, quod & aliæ res pleræque faciunt. Nam & pecunia bono viro auctor bonorum eſt, malo autem, vt quidam ait, malorum. Rursùs gloria inſipientis malitiam reddit illuſtriorem, ſicut iuſti virtutem nobiliorem. *Ita & merum infuſum malas affectiones temperat, bonas benigniores ac clementiores efficit.*

Clem Alex. l. 2 Pædag. c. 2.

Philoni concinit Alexandrinus Clemens peridoneus morum pædagogus: *Vinum enim primùm quidèm facit eum, qui plus quàm antè bibit, ipſum eſſe ſibi æquum & clementem, & conuiuis ſuauem, & famulis mitiorem, & amicis iucundiorem.* Ecce tibi vinum ſobriè temperatum, in viro ſapiente bona quæque ab ipsâ naturâ indita ſunt, excitare, intendere, & augere; hominem ſibiipſi æquiorem, & aliis clementiorem ac ſuauiorem reddere; atque malas affectiones

4.

*Vinum dicitur pulchrum fidei vehiculum, & quare.*

lenire, temperare, corrigere. Verè ergò ait Siracides: *Animi ſimul ac corporis ſanitatem potus ſobrius*, vini inquam, de quo erat ſermo. Exindè nuper dixerat idem Alexandrinus Clemens: *Atque temperatum quidèm vinum pulchrè vehit ad fidem.* Myſticè an hiſtoricè vinum congruè temperatum dicatur, *pulchrum fidei vehiculum*, viderit Auctor, examinet Commentator, emedullet Concionator. Sobriæ è vino hilaritati, nimis mihi tribuiſſe videtur. Niſi fortè vinum dicatur *pulchrum fidei vehiculum*,

Plato. Cornel. in Eccli. 31. v. 36. & 37.

adſpectu ad ſententiam Platonis, qui in Alcibiade veritatem appellat *vini filiam.* Alij autem apud Cornelium, vinum vocant *ſpeculum mentis, indolis & ingenij.*

5.

1. ad Tim. 5. v. 23. Græcus. Clem. Alex. lib. 2. Pædag. c. 2.

*Vinum languenti Timotheo pulchrè admodũ conueniens erat.* Cornel. ibi.

Paullus 1. ad Timotheum 5. *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* Græcè *debilitates.* Quæ Apoſtoli verba expendens Clemens Alexand. ita ſcribit: *Vino autem modicò vtere, aquam bibenti Timotheo, propter Stomachum tuum, dicit Apoſtolus, pulchrè admodùm ægrotanti & languenti corpori conueniens, quod ipſum confirmet ac roboret auxilium adhibens: modicum autem id excernens, &c.* Benè notant inibi Paulli Interpretes, *modicum* dicere adſpectu ad vini quantitatem ſeu menſuram, & ad qualitatem vel generoſitatem vini; ne dum languori medetur, poculentæ ſubrepant deliciæ, quas ſtomachi morbus vtcumque coloret. *Vinum* autem *modicum* menſurâ ac pretio, *pulchrè admodùm conueniens* dicitur ægrotanti corpori. An quia abſque virium debilitate, non *pulchrum*, ſed fœdum nimis foret Apoſtolico viro vti vino etiam modico? Teneo tamen ex Clemente Alex. *Vinum modicum pulchrè admodùm conueniens* eſſe Apoſtolico viro, ſtomachi debilitate, & languore virium laboranti. An quia prædicando Euangelio, & cohoneſtandis ac venuſtandis hominum moribus, vires dat, robur præbet, & vigorem afflat? An quia modico vino hauſto, veritatem tanquam *vini filiam*, credibilem apud homines facit? An quia pulchrum *ſpeculum mentis, indolis, & ingenij* ſui hominibus oſtendit? An quia *vir ſapiens vino maceratus ſeipſo ſuauior* eſt? An quia vinum modicè infuſum *malas affectiones temperat, bonas benigniores ac clementiores efficit?* Itaque vinum modicum *pulchrè admodùm conueniens* eſt, dum corporis ſanitatem, & pulchros animi mores quodammodò inſtillat.

6.

Iudicum 9. v. 13.

Iudicum 9. hoc apologo vſus fuit Ioathan Gedeonis filius: Ierunt ligna vt vngerent ſuper ſe regem: locutáque ſunt ad vitem: Veni, & impera nobis: Quæ reſpondit eis: *Numquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum & homines?*

*Hæreticus dicitur qui ſuper vino non eſt Deo gratus.*

Quemadmodùm in ſacrificiorum ſuorum libaminibus vinum expetebat Deus, Nũm. 1. v. 5. & 7. & 10. ita inanes Gentilium Dij gratum habebant, eóque lætari & gaudere videbantur, Deuter. 32. v. 38. Cauſam verò cur verus lætetur Deus, tradit R. Ionathan in Tract. Beracoth, cap. 6. aiens, *Hæreticos eſſe, qui non dicunt ſchirab ſeu pſalmum halbaiain, id eſt, ſuper vino.* Quaſi hæreticè apoſtata ſit, & infidus fidei refuga; qui ſuper vino hymnum Deo modulatè non cantat.

Numer. Deuter. Ionatham apud Serar. ibi q. 22.

Quomodò autem vinum homines exhilaret, plenâ manu vtraque eruditio tradit. Quàm verò ſit mortalibus lætè proficuũ temperatè hauſtum, Socrates his verbis ediſſerit: *videtur mihi*, inquit, *virorum corpora idem pati, quod plantæ, quæ in terrâ natæ fuerint. Illæ ſiquidèm, vbi cæli nimiis imbribus irrigatæ ſunt, nullo ſe pacto poſſunt erigere, neque auris perflantur. Verùm, vbi quantum ſufficit, biberunt, & rectè & feliciter ſurgunt, & ad fructuum generationem facillimè producuntur. Sic nos etiam ſumus affecti. Nam ſi potum frequentiorem hauriamus, ſtatim, & & mens & corpora noſtra ab æquitate declinant, ac ne reſpirare poſſumus. Quod ſi nobis pueri* (menſis miniſtrantes) *in minora pocula irrorauerint; ſic vino in comitatem, lætitiámque conuertemur.* Procliue cuique eſt ſub præſcriptâ metaphorâ multis ad rem præſentem philoſophari.

Athenæus lib. 11. c. 21. *Qui moderatè vinum nõ bibit, eſt velut planta quæ non rigatur.*

Hinc Varro loquens de vino: *Hoc continet coagulum conuiuia, hoc hilaritatis dulce ſeminarium.*

Varro.

Geneſeos 9. Cœpítque Noë vir agricola exercere terram, & plantauit vineam *Bibénſque vinum inebriatus eſt.* LXX. habent: *& bibit de vino.* Quod peridoneè ad rem adnotauit Ambroſius, ita ſcribens. *Non dixit: Vinum bibit. Neque iuſtus vinum ebibit, ſed de vino, hoc eſt, de eius portione libauit. Ebrioſi eſt omne abſorbere vinum, & intemperantis euacuare quod ſumpſerit.* Exindè geminam diſtinguit ebrietatem, alteram ebriam, quæ perturbet ſenſum, & veſtigia ſupplantet: alteram ſobriam, quæ non tam vinum, quam è vino bibit: *quæ mentem virtutis vaporet gratia, & omnem infirmitatem videatur auertere. Vnde Apoſtolus ait: Vino modico vtere propter frequentes tuas infirmitates.* Scilicet qui non intemperanter vinum, ſed *de vino* modicè bibit, dignus palam dicitur, cuius *mentem virtutis vaporet gratia.* Tanta eſt ſobrietatis in vini potione virtus! Pronum cuique

7.

Gen. 9. v. 21. LXX. Interp. S. Ambr. de Noë c. 29.

*Gratia mentem vaporat eius, qui non vinum, ſed è vino bibit.*

1. ad Tim. 5. v. 23.

que

que eſt, hæc omnia ad Euchariſticum vinum transferre.

---

## §. XXVI.

*Boni principis eſt ſapientes conſulere: ſed eorum cautè examinare ſuffragia, eiuſdem peritia eſto.*

Liui. 22.

*Princeps habeat conſiliarios.*

1. SAlubertimè Romanæ hiſtoriæ princeps ſic Principes monet: *Sæpè audiui*, inquit, *primum eſſe virum; qui ipſe conſulat quod in rem ſit, ſecundum eum, qui benè monenti obediat: qui nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſcit, eum externi eſſe ingenij.* Certè exploratum omni æuo eſt, *Principem ſuâ ſcientia non poſſe cuncta complecti: nec vnius mentem eſſe tantæ molis capacem.* Itaque eſto mihi (vt ait Euripides) *Princeps ſapiens, ſapientium commercio.* Et *adſumat in partem curarum* alios, certius *magna negotia magnis adiutoribus egere*, ait Velleius. Æuum omne videat, *rarò eminentes viros non magnis adiutoribus ad gubernandam fortunam ſuam vſos* reperiet. Thales (prudentiæ olim meta) mihi, ſi volet, Rex eſto. tamen *ſi de ſuâ vnius ſententiâ omnia geret, ſuperbum hunc iudicabo magis quàm ſapientem.* Exinde nunc Aſſuerus, quid facto opus ſit, *interrogauit ſapientes, qui ex more regio ſemper ei aderant, & illorum faciebat cuncta conſilio, ſcientium leges, ac iura maiorum.* Bene Aſſuerus ſapientes conſulit, ſed incautè audit. Conſultorum examinare ſuffragia, Regum peritia ſit, & iudicij libra.

Tacit. lib 3. & lib. 1. Ann. Eurip. apud Lipſ. l. 3. Polit. c. 2. à quo hæc mutuata. Vellei. lib 2. Liui. 44. Hic. verſ. 13.

2. Iudith 2. legatis indecorè ab iectis, Nabuchodonoſor rex Aſſyriorum vlciſcendæ iniuriæ prætextu, *Vocauit omnes maiores natu, omneſque duces, ac bellatores ſuos, & habuit cum eis myſterium conſilij ſui.* Myſterium conſilij ſui dicit, id eſt, arcanum, quod ſecreto tegendum eſt à conſiliariis. Sic dixit Tertullianus: *Cum omnibus myſteriis ſilentij fides debeatur:* datur ergò in conſiliariis & ſilentij fides, & taciturnitatis myſterium, vt inibi exponebamus. Niſi fortè *conſilij myſterium* dicitur, quia aliquid ſacrum deliberationi & conſultationi ſubeſt. Profectò de his qi linguâ & mente in primis Principem iuuant, ab Ariſtotele ſcriptum eſt: *Conſiliari, eorum quæ inter homines, diuiniſſimum eſt.* Et veteri prouerbio vſurpatum à Platone: *Quiddam ſacrum profectò conſultatio eſt.* Ecce tibi cur ſacer Hiſtoricus dixit, *Myſterium conſilij*: nam conſultatio *quoddam ſacrum* eſt, velut aliquâ numinis religione colendum. O quam crebrò, & quàm de facili hoc religioſum conſilij ſacrum à conſultoribus inceſtatur, violatur, profanatur! Scrupuloſa eſt valdè conſilij ſuggerendi religio.

Iudit. 2. v. 2. Auctor in Iudith c. 2. §. 1. n. 3. *Quaſi quoddam ſacrum conſultatio habetur.* Ariſt. Rhet. ad Alex. Plato apud Lipſ. ſupr.

3. Matthæi 2, Stellam itineris ducem ſecuti Magi, ab Oriente venerunt Ieroſolymam, interrogantes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? Audito noui regis nuntio turbatur Herodes rex: *Et congregans omnes principes ſacerdotum, & ſcribas populi, ſciſcitabatur ab eis vbi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: Bethlehem Iuda: Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam.* Prudenter Herodes ſe gerere videtur, legis peritos ad conſilium aduocans, vt quid facto opus ſit curioſè deliberet. Et tamen incertus Chryſoſtomus ſic hâc de re ſcribit: *Congregans omnes principes ſacerdotum, & ſcribas populi, ſciſcitabatur ab eis vbi Chriſtus naſceretur, &c. Ex hoc apparet maximè quia Diabolus turbabatur in Herode; quoniam traditores legis interrogat.* Conſulit Rex ſacroſanctos Dei ſacerdotes, & peritos legis ſcribas, ſanctitatis opinione magnos, & ſacrâ eruditione celebres; ipſique nec latum vnguem exerrant à Scripturarum ſenſu, de quo interrogantur; & *traditores legis* dicuntur? Et quo modo diuinæ legis ſunt proditores, qui ſic ſapienter Regi reſpondent? Scilicet hi regalis curiæ ambitioſi Sapientes non omninò ignorabant quo animo id Rex interrogaret, quàm ſiniſtrè vſurus eſſet eorum peritiâ, quò tenderet conſulentis aſtutia: & inde veritatem tectiùs diſſimulare debuerant, ne veræ ſapientiæ fierent proditores. Parùm eſt ſapientibus principum conſiliariis, vera reſpondere quæſitis: pernoſcant etiam ipſi, an verum ſupponat interrogatio, quò tendat quærentis ſagacitas ſubdola; quæ damna reipublicæ impendant ex eorum etſi verâ, non tamen opportunâ ſententiâ, ne eorum ſuffragium opinatiſſimum malitiam coloret. Qui ſecus faxit legis proditor palam appellatur. Ipſi viderint, an Principis fauor, an fauoris ambitio, an ambitionis quæſtus procuret & extorqueat ſententiam aut de aſſentatione falſam, aut intempeſtiuè veram. Profectò ſi doctus conſiliarius, qui inidoneè vera reſpondet, *Traditor legis* appellatur; quod meretur elogium, qui falſa aut dubia reſpondet ſubornatus vaniſſimis ambitionis ſpebus? Ieroſolymæ Sapientes totius populi excidio Principis fauorem mercantur, & magnâ regni ruinâ proprij honoris faſtigium ædificant. O male pereat ſapientia, quæ mundo non Deo, ambitioni non religioni militat!

Matth. 2. v. 4. & 5. Imperf. Homil. 2. in Matth. *Quàm debeat eſſe cauta conſiliarij ſapientia, ſub iniquo Principe.*

4. In hoc Eſtheris cap. 1. iniquè indignatus Aſſuerus rex aduerſus reginam Vaſthi, quoniam vocata renuit omnium oculis proſtitui: interrogat ſeptem illos ſapientes, qui de more illi aderant, *cui ſententiæ ſubiaceat Regina*, verecundiæ potiùs quàm inobedientiæ rea. Hebraicè: *Secundum legem quid faciendum in Reginâ Vaſthi.* Durè nimis reſpondit Mamuchan, cuius ſuffragio ſubſcripſere reliqui. Non morabor Hebræorum Magiſtros, qui exiſtimant, hunc Mamuchan fuiſſe Aman qui reginæ Vaſthi repudium procurauit vt eius filia in reginæ locum ſuccederet. Hic ergò conſiliarius hâc clauſula nimis ſubdolâ ſententiam ſuam obſignat: *Si tibi placet (ô Rex) egrediatur edictum à facie tuâ, & ſcribatur iuxta legem Perſarum atque Medorum, quam præteriri illicitum eſt, &c.* Communiter putatur Mamuchan hoc dediſſe conſilium ſecutus leges Perſarum atque Medorum, quibus non parere nec Regi licebat: idque eius verba præ ſe ferre videntur. Verùm P. Ioannes Mariana originum ſcrutator peritus, præſcripta verba ſic inibi exponit: *Scribatur iuxta legem Perſarum. Hebraicè, Scribatur in legibus; id eſt, inter leges. Itaque Hebraica ſignificant, fore vt ea lex noua ceteris earum gentium adiungatur.* O non bonam mali conſiliarij verſutiam! Eius iniquè ſubornatum ſuffragium

Hic verſ. 19. *Proprium noxiæ ſuffragii, tanquam lex antiqua proponitur.* P. Mariana inibi.

fragium, quaſi iuxta antiquas leges prolatum effert, & legem diſſimulanter nouam, iræ Regis blandientem, & ſuæ ambitioni auxiliantem, condere ſatagit. Legem antiquam rogatus, nouam, tanquam antiquarum præſcriptionem ſubdolè proponit, adulationis,& ambitionis arbitrio. Suo iniquè ſuffragio nouam ædificare legem ambit; & antiquitatis ſuffragio auctoritatem ei conſiliare præſumit. O ſic cautè debet Princeps conſultorum examinare ſuffragia! quàm multimodè violatur *conſilij myſterium.*

5. Prouerb. 15. v. 22. Prouerbiorum 15. *Diſſipantur cogitationes, vbi non eſt conſilium: vbi verò ſunt plures conſiliarij, confirmatur.* Pro τὸ *Diſſipantur*, Hebræus & Chaldæus habet, *franguntur*, non ſine epitaſi. LXX. Interp. Verùm Septuaginta interpretes aliter locum excribunt, & excriptione exponunt, ad rem præſentem non inidoneè: *Differunt* (ſeu *cunctantur*, aut *præponunt*) *cogitationes, qui non honorant conſeſſus*, ſeu *conſilia*: *in cordibus autem conſultantium manet conſilium.* Nempe Principes quotquot ſuas cogitationes de re ſuper quâ deliberatio fit, cunctantur conſiliariis aperire, quia ſua iudicia aliorum iudiciis præponunt, non ſatis deferunt conſiliis ſeu conſeſſibus ſuorum conſiliariorum, nec ſæpè eorum exquirunt arbitrium: quia, *in cordibus conſultantium manet conſilium.* Aliud nimirum corde verſant, aliud ore concinnant. Itaque Princeps differt ſeu cunctatur *cogitationes* ſuas conſiliariis aperire, eaſque *frangit*, dum cohibet ne foràs erumpant, quia cogitationes ſuas eorum ſententiis præfert: idcirco id accidit, non quia conſiliarij neſciant quid conſultiùs decernendum foret; ſed quia aut Principi, aut Principis Priuato rerum omnium arbitrio adulari ambiũt; aut quia ſuum ſuffragiũ ad ſua aut ſuorum commoda flectere malunt; aut ex aliâ causâ, quæ nunquam aulicis deerit, vera & proficua in corde premunt, & ad adulationem aut proprium commodum excudunt ſententiam in non bonæ politiæ officinâ. Hos conſiliorum ſcopulos peritus Gubernator præcauens, ſuas cogitationes *præponit*, neque (vt par alioqui foret) ſatis *honorat conceſſus*, aut *conſilia*; benè ſcius, quòd *in cordibus conſultantium manet conſilium*, & ore ad gratiam concinnant ſæpè ſuffragium. Quod fecit hîc Mamuchan, & cæteri Perſarum ſapientes, Præſtaret, præſtaret inquam, quòd ſententiam quam deferueſcente irâ, Reginæ damnatæ pœnitudine tulit, nuper conſultorum ſententiis *præpoſuiſſet.*

*Sæpè conſultores præſtantius conſiliũ corde, deterius ore verſant.*

6. Eccli. 8. v. 20. Eccleſiaſtici 8. *Cum fatuis conſilium non habeas: non enim poterunt diligere, niſi quæ eis placent*, id eſt, ſtulta, fatua, periculoſa, damnoſa. Tobiæ 4. v. 19. Proindè Tobias filium monet: *Conſilium ſemper à ſapiente perquire.* Prudenter benè monentem ſequere. Sed heu quàm rari inueniuntur ſapientes, quos impunè poſſis conſulere! S. Bern. in epiſtol. ad Henric. Senon. Audiendus eſt Bernardus ſic ſapienter fatus: *Ad conſilia ſoli eligantur, qui prudentes eſſe videntur, & beneuoli. Vix in multitudine hominum vnum reperias in vtraque parte conſummatum. Haud facilè ſiquidèm, vel prudenti beneuolentiam, vel fideli ineſſe ſapientiam deprehendas, ſine numero autem ſunt, quos vtriuſque muneris expertes eſſe conſtiterit.* Vellem per otium philoſophari in hoc arguto Bernardi problemate, cur prudenti deſit beneuolentia, & fideli ſapientia deſit. An beneuolentia prudentiam excludit? an fidelitas ſapientiam excernit? Saltem rarus eſt, nimis prudens, & valdè fidelis. Nam ſecularis prudentia ſæpè fidelitatis abuſus eſt. Ait ergò Siracides, ſiquidèm ſapiens & fidelis conſiliarius perſæpè deeſt, ſaltem *cum fatuis conſilium non habeas*: præſtat enim rem inconſultam aggredi, quàm cum fatuis deliberare ſententiam. Sed quinam ſunt hi *fatui*? Porrò *fatui* dicuntur homines ſimplices, inſulſi, & inſipientes. Aut *fatui* dicuntur à Fatuâ; de quâ ita ſcribit Iuſtinus: *Fauno fuit vxor nomine Fatua, quæ aſſiduè diuino ſpiritu impleta, velut per furorem futura præmonebat: vndè adhuc qui inſpirari ſolent, fatuari dicuntur.* Profectò fatui homines ſic ſententiis & conſiliis ſuis præfidunt, vt quaſi à Deo forent afflati, ſe putent ſententias loqui, & oracula protuliſſe; & reliquos tanquam mentis ac conſilij inopes, ſuffragium effutire, & mera dare verba rebus exucca.

*Prudenti rarò adeſt fidelitas, & fideli rarò adeſt prudentia!*

*Fatui ad danda conſilia, à Deo agi ſe putant, & oracula dare.*

Iuſtin. l. 43. Hiſtor.

7. Eccli. 37. v. 22. &c. Siracides Eccleſiaſtici 37. agens de conſiliariis ita ſcribit: *Vir peritus multos erudiuit, & animæ ſuæ ſuauis eſt. Qui ſophiſticè loquitur odibilis eſt: in omni re* (Compl. *omni ſapientiâ*) *defraudabitur. Non eſt illi data à Domino gratia.* Itaque à conſiliis arcendus eſt, qui ſophiſticè loquitur, & nimiâ ſubtilitate, ac verbis acutè ambiguis veritatem infuſcans, quiduis peritè fundare adnititur. Aduocandus eſt autem non tantùm qui *peritus* ſit, ſed qui ſuauis eſt, quaſi illi data ſit à Domino rectè conſulendi *gratia.* Eccur hæc *ſuauitas* in boni conſiliarij ſuppellectile ſic requiritur? An vt Principi conſulenti in omnibus *ſuauiſſimè* adnuat? an potiùs vt ingenij atque eloquij *ſuauitate* inhibere poſſit inconſultam Principis ſententiam, vt ſine offenſionis auſteritate bonis conſiliis etiam ſibi ingratis obſequatur? Eleganter Athalaricus Rex hæc Caſſiodori calamo ſcribit Tolocico patricio, Regio quondam Theodorici conſiliario, & ſummo familiariter adminiſtro? *Tu nullos reſponſis fallebas ambiguis. Amaſti in audiendo patientiam, in ſuggeſtione veritatem: ſæpè quæ ad eum falsò peruenerant, recti ſtudio corrigebas: & quod rarum confidentiæ genus eſt, interdùm reſiſtebas contra vota Principis, ſed pro opinione Rectoris. Patiebatur enim inuictus ille præliis pro ſuâ famâ ſuperari, & dulcis erat iuſto Principi rationabilis contrarietas obſequentis.* Pulchra ſanè optimi Principis, atque conſiliarij idea! Ecce tibi *ſuauitatis gratia* (quam Caſſiodorus *dulcem* appellat) regio conſiliario neceſſaria: non vt ſemper Principi *dulceſcat* conſilium, dum ad nutum paret; ſed vt ingratam oppoſiti conſilij auſteritatem, ſic mitiget vrbano rationis vigore, & *ſuaui* eloquio ſic erudiat ad placendi *gratiam*, vt ſit *dulcis Principi rationabilis contrarietas obſequentis.*

*Sit dulcis principi rationabilis cõſiliarij contrarietas.*

Caſſiod. l. 8. Varia. ep. 9.

* *
*

## §. XXVII.

*Non bene Princeps conſilium aduocat, vt vel malum decernendum excuſet; vel vt quod ſibi non benè adri-det, auctoratiùs decernat, fa-cili conſultorum ad-ſenſu.*

1. *Audiat Princeps conſiliarios, ſed cum iudicio.* FRuſtrà diliguntur conſiliarij inprimis idonei, ſi ipſe Princeps inidoneus eſt: & peribit omnis ſalubrium conſiliorum liquor, niſi aptum velut vas ſit in quod inſtillet. Audiat conſiliarios, ſed cum iudicio. Aſſuta aliorum ſapientia, & quam Principis mens non digeſſit in ſuam, parùm ab inconſultâ ſtultitiâ diſtat. Turbis Claudianus ille Rupex, *Cui non amor, non odium, niſi indita & iuſſa.* Qui à Suis *ducitur, vt neruis alienis mobile lignum.* (Tacit. 12. Ann.) Illud M. Antonini Principis peridoneum: *Æquius eſt*, inquit, *vt ego tot taliúmque amicorum conſilium ſequar, quàm tot taleſque amici meam vnius voluntatem.* (Capitol. in M. Anton. Philoſ.) Non ſine ſtrenuâ peritiâ, peritiæ diffidit ſuæ, præfidit alienæ. Itaque cognatæ prudentiæ ad omnes res humanas frequens vſus: ſed ad imperium maximè. Quod ſine eâ non ſolùm infirmum ſit, ſed auſim dicere, nullum. Quis nauim dirigat ſine ferro, quod affricuit ſiderites? Conſiliarios ſolos cogites? fruſtrà. Qualis poëtarum ille Cyclops: talis Princeps, cui abeſt lumen hoc frontis. Cæcum obſequium obedienti congruit, non imperanti: ne ergò aliquis Principum ſtupor, præpoſterè imperium refingat in obſequium. Quod Aſſuerus iſte truncus, nunc fecit, & alibi ſparſim in hâc hiſtoriâ. Niſi malis quòd ideò Aſſuerus nunc Sapientes interrogauit quid faciendum foret ſecundum leges; (Hic v. 13. & 21.) non tam vt eos conſuleret, quàm vt conſuluiſſe videatur; & ne quod iratus optauerat, re inconſultâ decernere videretur. Heu non boni Principis hypocritas conſultationes, non vt potiora ſequatur, ſed vt quod de proprij cerebri officinâ inconſultè lubet, conſilioſæ prudentiæ penicillo coloret, facili conſultorum adſenſu!

2. Geneſeos 1. die mundi ſextâ, reliquis iam creaturis productis, tanquam totius opificij operoſum colophonem, hominem inquam, ſummus opifex efformare meditatur. Vndè ait: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, &c.* (Geneſ. 1. v. 26.) Et quis eſt, qui hominis formationem ſic honorat, vt conſilium aduocare videatur? Et quos etiam conſultores adſciſcit, vt hominis conditionem aggrediatur? Et quamobrem ad hominis creationem velut conſilium cogit, quod in nullius rei formatione feciſſe legitur? (*Conſiliũ ſæpè aduocatur nõ vt deliberetur de bono, ſed vt excuſetur malum.*) Philo Iudæus putat bonos Angelos in Dei conſilium his verbis accitos, & cauſam affert, ob quam ad conſilium aduocati ſunt; ſecùs in rerum exanimalium, & merè animalium productione: Bruta (inquit Philo) carent vitiis, ſicut & mente, proindè non faciunt rea peccati voluntarij, quandò nulla præcedit deliberatio. (Philo in lib. de Cõf. ling.) Solus propemodùm ex omnibus homo habens bonorum malorúmque ſcientiam, ſæpenumero eligit contemnenda, fugit ſectanda magno ſtudio, quapropter meritò peccati ſpontè admiſſi reus peragitur (Nota attentiùs ethicè pulcherrima verba, ſi ea de humanis ſæpè Principibus, non de ſummo Deo protuliſſet) *Conueniemter igitur hominis creationem Deus cum Subpræfectis ſuis communicat, dicens: Faciamus hominem: vt & benefacta eius ad ipſum auctorem ſolum referantur, & peccata ad cæteros ſocios. Nam ipſi omnipotenti non erat conueniens, in rationali animâ viam ad vitia ſternere: quamobrem miniſtris eam partem faciendam commiſit.* Hæc non bona in humanis Principibus tuendæ auctoritatis ſagacitas, malè Deo adſcribitur; & Theologicæ ſcholæ his Philonis argutiis affatim ſatisfaciunt. Moraliſſimè autem indè docemur, quo animo ſæpè humani Principes conſilium cogant, & conſultores aduocent: non vt potiora conſultiùs eligant, ſed vt deteriora ſollertiùs excuſent, ne quicquam non bonum elegiſſe videantur. Heu quoties non bonorum auxiliares, ſed malorum patronos, conſiliarios aduocant! A Chriſtianâ republicâ peſtem hanc malitioſam auerte Deus.

Matthæi 16. Venit Ieſus in partes Cæſareæ 3.
Philippi: & interrogabat diſcipulos ſuos, dicens: Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? *At illi dixerunt, Alij Ioannem Baptiſtam, &c.* (Matth. 16. v. 14.) Diſcipulos conuocat, illos interrogat, cum eiſque quaſi conſilium init: & vt aliàs ſcitè notauit Hieronymus: *Hoc autem fecit, vt Magiſter exemplum tribuat cum minoribus atque diſcipulis communicandi conſilia.* (S. Hieron in Matth. 15.) Opportuna ſanè Magnatibus eruditio, vt hâc ciuilitate minores de facili honorent. Et ſanè in partes Cæſareæ diſcipulos ducit, ait Chryſoſtomus, ibique eos conſulit, *longè eos à Iudæis abducens, vt ab omni timore eruti, liberè dicant, quæ habebant in mente.* (S. Chryſ. ibi) Sic debet eſſe ſpe, ac timore vacuus, quiſquis de re graui debet ferre ſuffragium! Ergò Chriſtus à Iudæâ abductos diſcipulos interrogat: Quem dicunt *homines* eſſe Filium hominis. Non interrogat quid de ſe ſentiant Scribæ, & Phariſæi, qui de affectu, citiùs quàm de mente cenſuram euibrarent; ſed quid cenſeant *homines*, qui candido ſenſu, & rationali iudicio, vtpotè homines de rebus deliberant, de eiſque cenſent. Ex his autem *hominibus*, aliqui cenſent, Chriſtum eſſe Ioannem Baptiſtam: *Alij Ioannem Baptiſtam.* Vndè tam abſurda perſuaſio locum inuenire potuit in *hominum* iudicio non fatuo aut penè deliro? Audiendus eſt hâc ſuper re Origenes ita fatus: *Diuerſas autem Iudæorum opiniones de Chriſto diſcipuli referunt. Vndè dicitur: Alij Ioannem Baptiſtam. Æſtimationem ſcilicet ſecuti Herodis.* (Orig. apud Caten.) O ſic Regis nutus etſi abſurdus & delirus, *hominũ* iudicia captiuauit? Viderant *homines* Ioannẽ baptizantẽ in Iordane Chriſtum. Fortè ſeipſum Ioannes baptizabat. Viderunt hi *homines* Chriſtum paſſim miracula patrantem; Ioannes autem nullum ſignum fecit. Ioannes nec manducans nec bibens perhibetur, abſtemius vſque ad hominum ſtuporem; Chriſtus autem comeſſator, & pocilator, & publicanorum ſæpè conuiua ab obtrectatoribus audiebat. (*Quod Herodi regi placuit. Homines cenſent.*) Quo igitur pacto *homines*, homines inquam, hanc perſuaſionem imbibere potuerunt, niſi vt Principi aſſentirent, & de Regis nutu iudicarent? Adeò ſunt imbecilla

cilla

cilla ac penè nulla *hominum* iudicia, vt vel Potentatuum deliriis, *hominum* opiniones obtemperent? O hominum opiniones, & rerum ſenſus, ad non bonum non bonorum Principum arbitrium flexiles! Heu quoties potentioris conſulentis nutus ferendi à conſultoribus, ſuffragij arbitrium eſt, & opinionis vigor! Ipſe principatus occultâ ſublimitatis vi velut præſtigium quoddam eſt ad extorquendum conſiliarij conſenſum ad principis nutum.

4. Pſal. 12. v. 2.

Regius Vates Pſal. 12. ſic ærumnosè querulus & conſilij inops, pangit, & plangit: Vſquequò Domine, obliuiſceris me in finem? vſquequò auertis faciem tuam à me? *Quandiu ponam conſilia in animâ meâ, dolorem in corde meo per diem?* In priore verſu conquerebatur Propheta, Deum ſui *obliuiſci*, & *auertere faciẽ* à ſe: in hoc ſeipſum reſpicit deliberabundũ, & regio more cũ ſenatoribus amicíſque ſuis ſæpe conſultantem. *Ponendi* verbum oſtendit conſilia eſſe veluti rerum agendarum fundamenta. Vndè notãt Interpretes, quòd *conſilium* dicitur quoque סוד *ſod*, non ſolùm quia *ſecretum*, ſed prætereà quia *fundamentum*. Quocircà quod Pſal. 24. *firmamentum* vocatur illis verbis: *Firmamentum eſt Dominus timentibus eum*, vertit Hieronymus *ſecretum*, alij *conſilium*, Aquila *ineffabile Domini*, Symmacus *myſterium*. Verùm *conſiliũ*, quod adeò debet eſſe ſecretum, vt *myſterium*, ſeu *ineffabile Domini* nuncupetur; quod prudentiæ ſuſtentaculum ſeu *firmamẽtum* eſt, *remedium*, hîc apud Hugonem appellatur. Græcus autẽ apud Chryſoſtomum pro τὸ *Quandiu ponam conſilia in animâ meâ?* profundè excribit: *Quandiu ordinabo ſententias? Quaſi militaria innuat conſilia, & ſtratagemata*, vt inibi Græcum Lorinus expoſuit. Quaſi dicat Dauid: A te vnicè conſilium expecto, ô Deus, qui bona conſilia è cælo afflas & animitùs ſpiras: nam humano & regio more, cùm meum conſilium conſilioſis ſenatoribus canum deliberabundus conſulo, non tam ſententias ſingulorum attento examine libro, quàm *ſententias ordino*, vt vel ſecundum plurium ſuffragia, re indiſcuſsâ iudicẽ; vel *ſententias ordino*, dirigo, aut interpretor in id quod magis ex animo eſt, & quod mihi lubet, pro arbitratu meo decernam. Sententias conſultorum ſciſcitans, videor mihi *ſtratagemata* meditari, & bellicas fraudes; Dum ſæpè quod ſpecie conſilium eſt, reipsâ bellicum *ſtratagema* ſit, & veritatis aut iuſtitiæ inſidiæ. ô affla è cœlo cæleſte conſilium, vt iam deſinã conſiliariorum *ordinare ſententias, quaſi militaria conſilia, & ſtratagemata*? O frequens apud non bonos Principes conſiliorum abuſus? Hæc dicit Dauid, cùm Deo abſente, & ſui immemore anxius deliberat; nec cõſulenti ſibi, nec conſultoribus ſatis fidens. Potuit autem ſibi fidere, tam bonâ mente præditus. Sed in ſe humiliter adumbrat, quod alij arroganter factitant.

*Cõſilium idẽ eſt ac fundamentum, aut ineffabile Domini.* Pſ. 24. v. 14.

*Non benè cõſulit Princeps, qui conſultorum ordinat ſententias, quaſi ſtratagemata.* Græcus apud Chryſoſt. P. Lorin. ibi.

5. Iſaiæ 1. v 22. Pinicus ibi. *Qui conſulit, malè ſpongiã imitatur, quæ aquã cognatam attrahit, vinũ reſpuit.*

Iſaiæ 1. hâc graui reprehenſione Iſraëlem Propheta carpit: *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum miſtum eſt aquâ.* P. Prado, & Cornelius per τὸ *vinum* intelligunt iuſtitiam. Proindè Hector Pintus ſic locum exponit: *Vinum tuum miſtum eſt aquâ, hoc eſt, nulla eſt in te mera atque germana virtus: iuſtitia tua miſta eſt crudelitate, vltione, & malitioſâ quâdam iuris interpretatione! prudentia malitiam ſibi & calliditatem copulauit.* O non bonam miſturam! Hebræus Philo in lib. de Confuſione linguarum artem tradit diſſociandi miſturam ex aqua & vino factam: *Temperatura*, inquit, *non eſt, ſed diſſimilium partium mutua penetratio, quarum ſemel temperaturarum qualitates arte quâdam ſecerni queunt, quod dicunt in vino & aquâ contingere. Nam hæc duo ſi vniantur, temperaturam conficere, quæ nihilominùs redire poſſit ad qualitates priſtinas.* (Penſita attentiùs verba quæ ſubtexit) *Si enim ſpongiam imbuas oleo, aquam ea colligi, vinum relinqui, fortaſſe quia ſpongia ex aquis genita cognatum liquorem ex temperamento attrahit, vinum verò vt alienum reſpuit.* O bonum imboni Principis Hieroglyphicum! Opinor, non bonus Princeps pulchrè adumbratur per *ſpongiam*, non tantùm quia ſubiectorum facultates auarè ebibit; ſed etiam quia conſultorum ſentẽtias probas improbaſque audiens, *malitioſâ quâdam iuris interpretatione*, tantùm eligit, quod illi adridet, quod libidine aut auaritiâ iudicat; & ſalutares admonitiones velut vinum reſpuit: *vinum tuum miſtum eſt aquâ. Spongia* autem *aquam colligit, vinum relinquit, fortaſsè quia ſpongia ex aquis genita cognatum liquorem ex temperamento attrahit, vinum verò vt alienum reſpuit.* Sic non bonus Princeps improbas, & velut aqua fluxas conſultorum ſententias attrahit, tamquam ſibi cognatas, & genio ſuo conformes; vinum verò auſteri & viuidi ſuffragij, *vt alienum reſpuit.* O bona & phyſicè, & ethicè philoſophia, & ad capienda conſilia è diuerſo peridonea! Philo de Cõfuſ. ling.

Neque hinc Princeps quaſi reiectaneum recuſet proprium cordis ſui conſilium ritè examinatum, & quaſi fagineus hic Aſſuerus conſiliariis obſequenter ſeruiat: *Cor boni conſilij ſtatue tecum* (ait Siracides) *non eſt enim tibi aliud pluris illo.* Quaſi dicat: Non tantùm virum prudentem ac peritum debes ad conſilium aduocare; ſed etiam à teipſo, & à corde tuo pete conſilium, poſtquam audieris quid alij ſentiant, & eorum ſententias æquâ lance trutinaueris. Si enim hoc feceris, cor tuum tibi fidelius dabit conſilium quàm quiuis alius prudentiæ laude opinatiſſimus. Alij præſcripta verba excribunt: *Conſilium cordis ſtabile ſit, non enim eſt tibi fidelior eo.* Ben Sira Alphabeto 1. littera *Schin: Sexaginta conſiliarij ſi tibi fuerint, tamen conſilium animæ tuæ non deſeras.* Nam ſtolidum eſt ſic ab aliis pendere, vt nullum tuæ ſententiæ locum relinquas: *Conſilium tuum ſic apud alios ſit, vt abs te auctoritatem accipiat; ſic autem abs te auctoritatem accipiat, ne ſolus id probare videaris.* Monet prudenter Seneca. Benè monentem ſequere.

6. Eccli. 37. v. 17.

*Cõſilium tuũ à te auctoritaté accipiat.*

Ben Sira.

Seneca.

---

## §. XXVIII.

*Peritus conſiliarius nec de aliorum ſuffragio, nec de aulicorum ſuaſione, nec de Principis nutu, conſilium haurit.*

Inter vada cœca ad quæ ſæpè impingit ſuaſoriæ prudentiæ ratis, pugnax Conſiliariorum ingenium eſt. Nam quidam naturâ ita ſuperbè pugnaces ſunt, vt *tantum ſententiis aliorum contradicant; conſilij quamuis egregij, quod non ipſi afferunt, inimici; & aduerſus peritos pertinaces.* Bis ſtulti. Siue quod omnes *ſapere* volunt 1. Tac. 1. Hiſt.

*Superbus vult, omnes ſapere ex eius ore.*

volunt *ex ſuo ore*: ſiue quòd, *ſiquid auctoritatis in ipſis eſt, crebris contradictionibus deſtruunt.* Diſcordia inter conſuaſores conſilium euertit. Sed nollem hîc tantam conſiliariorum & Procerum conſenſionem imperito forſan Mamuchani conſilio (quem Hebræi putant eſſe Amanum, primum è principibus, & ſecundum poſt Aſſuerum, & regiâ familiaritate conſpicuum) Heu arbitrium Regis, regiive Familiaris; ſuffragium omnium eſt, perniciosâ reipublicæ conſenſione! Sanè anima conſilij, libertas conſiliantis eſt, quæ non patitur obturari ſapientiæ & prudentiæ fontes. Ergò libertatem Princeps admittat, nec amet aulæ *verba* illa *byſſina*, & adulatione mellitâ ad gratiam compoſita. Nam libertas ſicut & *Fides, in præſentiâ quibus reſiſtit, offendit; deindè illis ipſis ſuſpicitur laudaturque.*

Lucret. apud Lipſ. Polit. l.3.c.6.

Hic v.21. *Conſiliarius ſi opus eſt, non annuat Principi.*

Plutarch. in Apopht. Plin. lib.3. epiſt.9.

2. 3. Regum 22. Achab rex Iſraël periculoſum bellum contra Syros molitur, ſedebatque in ſolio ſuo indutus cultu regio; & prophetæ omnes, Sedeciâ omnium coriphæo, prophetabant in conſpectu Regis, dicentes: *Aſcende in Ramoth Galaad, & vade proſperè, & tradet Dominus in manus regis.* Vocatus adfuit tunc Michæas, vetus veri Dei propheta, & ait illi rex: Michea, ire debemus in Remoth Galaad ad preliandum, an ceſſare? *Cui ille reſpondit: Aſcende, & vade proſperè, & tradet eam Dominus in manus regis.* Valdè hîc ſudat Interpretum induſtria, vt exponat quo pacto id dixerit propheta Michæas cùm poſtmodùm à Rege adiuratus, palinodiam recantarit, oppoſitum verè prænuncians in nomine Domini. Multa multi hâc ſuper re, & obuia apud expoſitores. Abulenſis inibi conſiderans Michæam coram Rege dicturũ ſententiam & Prophetas reliquos proſpere denunciaſſe, ita ſcribit: *Iſtud dixit Michæas, quia volebat concordare cũ omnibus Prophetis Baal, qui ſic dixerant.* Nimirùm omnes prophetæ numero & auctoritate plurimi apud Regẽ, coram Rege ipſo, proſpera prænunciabant: idcircò Michæas veridicus alioqui propheta, nondùm de cælo afflatus, ſed Regi placendi deſiderio ductus, noluit ſolus diſſentire à plurimis numero, & auctoritate magnis. *Iſtud dixit, quia volebat concordare cum omnibus prophetis, qui ſic dixerãt*; tametſi quod certò affirmabat, dubius ambigeret, vel potiùs ignoraret. Moraliſſimè nunc errauit Michæas (niſi forſan ironicè locutus eſt, de quo infrà) quandò re indiſcuſsâ, ipſe rei dubius, de præſentia & nutu Regis, & de concordi aliorum ſuffragio, ſententiam aſſentatione hauſit, & ore expreſſit. Verus alioqui Dei propheta, falſum dixit errore moraliſſimo, (mox enim à Deo inſtinctus verũ pronunciauit) cùm de Regis nutu, & præcedentium conſultorum ſuffragio ſententiam tulit. Quid refert pluribus adſentire: ſi plures errant? Quandò Michæas cum plurium Regi adulantium ſuffragio concordauit, Regem inducebat in pernicioſum errorem: cùm verò à Deo propheticè afflatus eſt, & de Regis non humani; ſed diuini vultu ſententiam tulit, tunc, tunc quidẽ verum indubiè dixit, proximo euentu ſuffragij veritatem cõprobante; & ſi inibi dehoneſtatus fuerit, culpatus, & indecorè eiectus, ſicut ſolent ſub non bono Principe, qui vera & proficua ſingulariter ſuadẽt. Æquum eſt adſentiri pluribus, niſi ipſi veritati, aut rationi palam diſſentiant. Sed adhuc hoc Prophetæ factum, ad rem præſentem emedullandum eſt.

3.Reg.22. v.15.

*Errauit Michæas quãdò cum pluribus concordauit.*

Abul. inibi. q.9.

Rex Achab animo præliandi aduerſus Syros, 3.
in regio ſedet ſolio ad portam Samariæ: fauſtũ periculoſæ pugnæ euentum, vno ore ominantur, imò prædicũt prophetæ omnes Baal. Adeſt Michæas verus veri Dei propheta, à Rege accitus, & ait illi rex: Michæa ire debemus ad Ramoth Galaad ad prælium, an ceſſare? *Cui ille reſpondit: Aſcende, & vade proſperè, & tradet eam Dominus in manus regis.* Quid tam proſperum, & è Regis voto dici poterat? quid tam clarè ac perſpicuè dictum, in tam ambiguis ſæpè Prophetarum reſponſis? Et tamen Rex ex præclaro reſponſo adhuc dubius, dixit ad eum: *Iterum atque iterum adiuro te, vt non loquaris mihi niſi quod verum eſt, in nomine Domini.* Tũc Michæas prædixit non victoriam, quam nuper de Syris prænunciarat, ſed funeſtam tragœdiam, quam Rex panidè timebat. Rem hanc elucidãs Abulenſis, ita fatur: *Adiuro te, vt non loquaris mihi niſi quod verum eſt. Scilicet hoc quod dicis non puto eſſe verum.... Nunc non loqueris in nomine Domini, id eſt, ex parte Dei, quod ipſe tibi reuelauit, ſed loqueris de corde tuo: ideò falſum dicis, adiuro te ergò vt non loquaris mihi, niſi id quod Deus dixit.* Nimirùm rex Achab etſi infidè idololatra, tamen humana peritia ſagaciſſimus, dum videt verum veri Dei prophetam cum prophetis aulicis concordare, & ſibi ſuffragio obſequi, ad ſuum placitum perſpicuè reſpondens; prudenter coniectauit, *non ex parte Dei, ſed de corde ſuo loqui.* Exindè rursùs adiurat Michæam, vt verum dicat: falſitatis enim ſuſpectum putabat, quod cum Regis voto in omnibus concordabat O bonam Principibus eruditionem, de humanæ prudentiæ adytis moraliſſimam! Suſpectus ſit Principi, quaſi *de corde ſuo*, non de veritatis ſacrario loquatur, qui illi in omnibus annuit. Verùm Michæas mox verum ſuffragium Regi odioſum protuliſſe, non impunè tulit. De quo iam iam ad thema præſens agendum eſt.

*Perito Regi ſuſpectus eſt conſiliarius, qui ad eius nutũ reſpondet.*

3.Reg 22. v.16.

Abul. q.10.

Adiuratus Michæas in Dei nomine, quicquid 4.
proſperum Regi ironicè prædixerat, ſeriò retractat, & Regi improſpera verè prædicit. Quo audito *acceſſit Sedecias, & percuſſit Michæã in maxillam.* Vide veri, ſed non benè placentis ſuffragij præmiũ. Hinc colligit Sanctius hunc Sedeciam prophetarum Baalis coriphæum, fuiſſe aliquẽ è regni proceribus; alioqui niſi magnâ auctoritate præpolleret, coram Rege id auſus non fuiſſet. Vide etiam qualiter regni proceres dehoneſtent, ac culpent eos qui ad conſilium acciti, vero ac prudenti ſuffragio, non boni Regis voluntati refragãtur. Appoſitè inibi idem Abulenſis: *Fuit tamen in hoc Achab nimis iniuſtus, & inurbanus, quia cum vocaſſet ad ſe Prophetam Domini, & coram ſe alapâ percuteretur, non curauit iniuriam eius, grauiter tamen debuerat illam vindicare, tum quia iniuſtè percutiebatur Micheas.... tum quia fuit percuſſus coram Rege, & in hoc etiam ipſe Rex offendebatur. Non tamen curauit Achab, ſi percuteretur Micheas, quia nunc prophetauerat ei mala.* Quid tam ſcrupuloſè ſãctum apud reges, præſertim cùm in regio ſolio auguſtè ſedent, quàm nequid *inurbanum* aduerſus regiam tunc auctoritatem, dignitatem, ac maieſtatem cõmittatur? Aſt gratanter tulit Rex inurbanè in publico tractari, dummodò qui infenſum ſibi tulit ſuffragium, inurbanè & acerbè feriretur. Proprio ſui probro probrum infenſè

3.Reg.22. v.24.

Sanctius ibi.

Abulenſ. ibi. q.15.

*Qui veram ſententiam alapâ mineruit, falſam adprobatam morte emit.*

conſi

conſiliantis redimit: & propriam contumeliam (quod Regibus inſolens eſt) diſſimulat, vt gratanter approbet alienam. *Fuit in hoc Achab nimis iniuſtus, & inurbanus..... Non tamen curauit ſi alapâ percuteretur Michæas, quia nunc prophetauit ei mala.* Ecquis erit tam audacter veridicus, qui ſub malo Principe, ſuffragium ab eius nutu alienum, pronunciare audeat Sed qui veram ſententiam alapâ munerauit, falſas adulatorum ſententias adprobare, ſuorum ſtragibus, & ſuâ cæde condignè emit.

5. Non dimittam innotatum, quod adhuc in hâc hiſtoriâ ad rem præſentem expendendum ſupereſt. Nimirùm quòd regius miniſter Regis obſequio ſedulus, qui miſſus fuerat, vt Michæã ad concilium aduocaret, hæc illi in viâ ſuggeſſerit, quò Regi adulantiùs obſequeretur ſollerti erga eum ſtudio: *Nuncius verò qui ierat vt vocaret Michæam, locutus eſt ad eum, dicens. Ecce ſermones Prophetarum ore vno Regi bona prædicant: ſit ergò ſermo tuus ſimilis eorum, & loquere bona.* Fatuè quidèm! ſimilem autem fatuitatem æmulantur non boni Regis regij Miniſtri, qui tanquam illius obſequio ſeduli, ſubornant Sapientum ſententiam, & conſilioſum ſuffragium vt Theologiam ac Iuriſprudentiam flectant ad Regis nutum: quaſi veritas ſeuerè rigida ac auſtera non ſit, & conſtanter flecti neſcia; ſed ad nutum flexilis, & pro ſuadelâ Procerum, ad Sapientis arbitriũ quoquouersùs verſatilis. Quod idem Abulenſis inibi tempeſtiuè ediſſerit: *Sit ergò ſermo tuus ſimilis eorum, & loquere bona, Ecce quàm ſtultè loquebatur iſte nuncius. putabat enim quòd ex voluntate Michææ penderet bonum vel malum, quod euenturum erat, ideò quod poſſet prænunciare quicquid vellet & non putabat quod à Deo omnia iſta eueniãt, & ſi Propheta aliter dicere conetur quàm Deus inſpiret, dictum ſuum inane erit.* O nimis verè! Aulicâ aſſentatione ſubornata conſilia, præuaricatores aut inueniunt, aut faciunt. Imitare inconcuſſam Michææ conſtantiam, etſi pœnas veri ſuffragij cum ipſo dederis.

9 Reg. 22. v. 13.

*Regij miniſtri fatuè Michæã ſubornant, vt Regi adulat.*

Abul. ibi q. 7.

6. O quàm benè ſibi, ſuóque regno conſuluiſſet Achab, ſi Michææ crederet infelicem rei euentum! Furit autem Rex, qui dum proſpera, quæ non meretur, quærit, improſpera, quæ auerſatur, inuenit. Pulchrè inibi ad rem Angelomus: Ab omnipotentis Dei cultu domus Iſraël receſſerat, & tamen ad Prophetas à quibus decipi conſueuerat, (Nota verba quæ ſubdit) *Sæpè veniebat proſpera requirens; cum ex ore Prophetarum, peruerſa agens, proſpera audire merebatur.* Profundè quidèm! Rex iniquè agens, & in pœnam iniquitatis improſpera paſſurus, è grege adulantium prophetarum, non niſi *proſpera audire meretur.*

Angelomus. inibi.

*Rex iniquus improſpera paſſurus, non niſi proſpera audire meretur.*

7. Iudith 2. Nabuchodonoſor ille, quoniam finitimæ prouinciæ vltrò ſe Aſſyrio imperio ſubiicere ſtrenuè recuſant, nimis indignatus, vocauit omnes maiores natu, omneſque duces, & bellatores ſuos, & habuit cum eis *myſterium conſilij ſui.* Ecquod fuit hoc Nabuchodonoſoriani conſilij Sacramentum? *Dixitque cogitationem ſuam in eo eſſe, vt omnem terram ſuo ſubiugaret imperio. Quod dictum cùm placuiſſet omnibus,* &c. Mirarer truncum Artaxerxem orbis imperium ſtolidè ambiiſſe (ſæpè enim Princeps cum principandi faſtu naturam dediſcit;) niſi cani ac conſilioſi Senatus ſtupor me potiùs teneret. Artaxerxes poſt tot in Græciâ clades malè conciſus, cùm de omni terrâ ſuo imperio ſubiugandâ arroganter cogitat, nullius conſiliarij renutum videt, nullum ex conſiliariis ineptiſſimo periculosè comſilio refragari audit? Tam inconſulta ſunt hominum iudicia, ac penè nulla? an ſic aulica adulatio Principalium conſultorum mentes infatuat, inuitiat, adulterat? Scilicet ante conſiliarios omnes prodiderat Rex ſuam ſententiam, nempè *cogitationem ſuam in eo eſſe, vt omnem terram ſuo ſubiugaret imperio:* exindè nemo refragari auſus eſt; ſed continuò ſubditur: *Quod dictum cùm placuiſſet omnibus.* O ſceptrorum faſtigia mendaciis, ac deceptionibus, id eſt, adulationi infeliciter obnoxia! *Monſtrabo tibi* (ait Seneca) *cuius rei inopiâ laborent magna faſtigia quid omnia poſſidentibus deſit. Scilicet ille qui verum dicat, & hominem inter mentientes ſtupentem, ipſáque conſuetudine pro rectis blanda audiendi ad ignorantiam veri perductum, vendicet à conſenſu, concentúque falſorum..... Non vides quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obſequium ſeruile ſubmiſſa, dum nemo ex animi ſui ſententiâ ſuadet, diſſuadétque ſed adulandi certamen eſt, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quis blandiſſimè fallat?* Eheu nimis verè! Aſt quod ipſi male ſilent, tardè infelix ſucceſſus loquitur. Senec. l. 6. de Benef. c. 30.

Iudith. 2. v. 3. & 4.

*De adulationis ingenio, rara eſt conſultorũ fides.*

---

## §. XXIX.

### *Quæ maior pars eſſe videtur, ſæpè peior eſt: nam paucitas magiſtra eſt diſciplinæ.*

Viuere omnes beatè volunt, ſed ad peruidendum quid ſit quod beatam vitam efficiat, caligant. Adeóque non eſt facile conſequi beatam vitam, vt ab eâ quiſque eò longiùs recedat, quò ad illam concitatiùs fertur. *Si via lapſus eſt, qui in contrarium ducit, ipſa velocitas maioris interualli cauſſa fit.* Cùm agitur de beatâ vitâ, ad quam per virtutis ſemitas itur, non eſt cur mihi reſpondeas, ait Seneca: *Hæc pars maior eſſe videtur. Ideò enim peior eſt. Non enim tam benè cum rebus humanis geritur, vt meliora pluribus placeant. Argumentum peſſimi turba eſt. Quæramus quid optimum factu ſit, non quid vſitatiſſimum: & quid nos in poſſeſſionem fælicitatis æternæ conſtituat, non quid vulgo veritatis peſſimo interpreti probatum ſit.* Sed heu quàm facilè quæuis multitudo in vulgus deſciſcit! quò *maior eſſe videtur, ideò peior eſt?* Non ita benè cum virtute actum eſt, vt in copioſâ multitudine æquè vigeat. Eximia virtus ſtrenuus paucorum labor eſt, qui in multitudine laſſeſcit. Omnes in acie belligerantur, ſed victoria paucorum res eſt, qui manus cum hoſte pugnaciùs conſerunt. Eheu hîc verſ. 21. prauum Mamuchani, ſeu Amani conſilium placuit Regi, ac reliquis Principibus ad conſilium accitis! 1.

Senec. de vitâ beata. c. 1. & 2.

*Quæ maior pars eſſe videtur, ſæpè peior eſt.*

Hic v. 1.

Iſaias c. 9. ſic durè de Synagogâ loquitur adſpectu ad Eccleſiam: *Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam,* id eſt, *fructum* multiplicationis: *lætitiam* ſiquidèm inibi pro *fructu* accipit Sanctius. Exindè hoſtile ſupplicium cõfeſtim minitatur: *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores captâ prædâ, quandò diuidunt ſpolia.* Eheu quod Synagogæ 2.

Iſaiæ 9. v. 3

Sanc. ibi.

*Eccleſia proceſſu ſuo mirè relabi dicitur, & multiplicatione decreſcere.*

Saluianus ad Eccl. lib. II. paullò poſt initium.

gogæ olim accidit, Eccleſiæ etiam euenit: *Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam*, ſeu magnificæ multiplicationis fructum. Saluianus Maſſilienſis, lib. 1. ad Eccleſiam Catholicam toto orbe diffuſam, ita eleganter ſcribit: *Neſcio* inquit, *quomodo repugnante contra temetipſum tuâ felicitate, quantum tibi auctum eſt populorum tantùm penè vitiorum: quantum tibi copia acceſſit tantum diſciplinæ receſſit: & proſperitas venit quæſtuum cum magno fœnore detrimentorum. Multiplicatis enim fidei populis fides imminuta eſt: & creſcentibus filiis ſuis mater ægrotat, factaque eſt Eccleſia profectu ſuæ fœcunditatis infirmior, atq; acceſſu relabens, & quaſi viribus minùs valida. Diffudiſti ſiquidèm per omnem mundum religioſi nominis membra, religionis vim non habentia: ac ſic eſſe cœpiſti turbis opulens, fide pauper: quantò ditior multitudine, tantò egentior deuotione, latior corpore, anguſtior mente, eademque (vt ita dixerim) & in te maior, & in te minor: nouo penè & inaudito genere proceſſus & receſſus, creſcens ſimul & decreſcens.* Longiuſculè. Sed quid omitterem ex aureis Saluiani verbis præſcriptam Iſaiæ ſententiam pulchro gloſſemate fœcundiùs illuſtrantibus? licet acri zelo, & ingenio vir, acriùs fortè quàm par eſt, vitia ſuæ ætatis inceſſit.

3. Geneſ. 6. v. 14. & 15.

Geneſeos 6. dixit Dominus ad Noëmum: *Fac tibi arcam de lignis leuigatis: mãſiunculas in arcâ facies. Et ſic facies eam: Trecentorum cubitorũ erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius.... Et in cubito conſummabis ſummitatẽ eius.* Sicut hæc Noëmi arca deſignat Eccleſiam, ſic & hæ manſiones typicè ſignificant varios illius ordines, in quos diſtributa eſt. Et ſanè cùm arca trecentis cubitis eſt longa, & quinquaginta lata, & ductim ſuccreſcens in cubito conſũmata; neceſsè fuit quòd in tractu inferiori habitatio eſſet laxior, pluresque caperet: in parte verò ſublimiori ſtrictior, & indè pauciores poſſet excipere. Quod eleganter notauit Rupertus alibi aliorsùm expenſus, & ſic inibi fatus: Manſiunculas, inquit, in arcâ facies & in cubito conſummabis ſummitatem eius. Ergò tali ſchemate fabricata, id eſt, inferiùs trecentis cubitis ampla, & deductim aſcendendo cùm in cubitu eſſet conſummata, vbi ſinus altior, illic anguſtior: & econtrà, vbi humilior illic amplior. Sic profectò S. Eccleſia diuerſis ordinibus eſt diſtincta: & quiſque ordo, quantò eſt arctior, tantò eſt & celſior: vel econuerſo, quantò quiſque ordo eſt laxior, tantò & humilior: & quantò altior, tantò anguſtior. (Tandem peridoneum apponens exemplum Rupertus côcludit ad rem præſentem opportunus) *Vt (verbi gratia) virginalis propoſiti decus, quantò altius, tantò & in paucioribus inuenitur: qui ordo, quia vnum quod eſt neceſſarium liberiùs exequitur, pulchrè vno ſummitatis cubito deſignatur dignitas eius.* Ecce tibi quantò perfectior eſt Eccleſiæ ordo, tantò eſt & ſublimior: quantò autem perfectior & ſublimior, tantò eſt & ſtrictior, minoremque numerum in ſinu ſuo excipit. Vndè virginalis ſingularitas, quia in ſummo eſt, ſtrictior & perfectior eſt, & à paucioribus exactè obſeruatur: *Quantò altius, tantò eſt in paucioribus.* Sic religioſa quæque familia in rudi illo ſui initio, cùm paucioribus conſtabat, arctiori plerumque diſciplinâ vigebat, propè ad anguſtum Arcæ faſtigium pertingens: creſcente verò filiorum numero, cùm ampliori & capaciori indigeret ſinu, ad inferiora & magis laxa ſenſim perſæpè deſcendit. Quod Eccleſiæ etiam accidiſſe, num. 2. denarrauimus.

Rupert. l. 4. in Gen. c. 18.

*Quo ſublimior eſt perfectio tantò eſt in paucioribus.*

Actorum 4. de naſcentis Eccleſiæ primordiis ita ſcribitur: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat.* Cùm paucis conſtabat Eccleſia, adeò arcto charitatis vinculo ſtringebantur, vt omnium eſſet cor vnum & anima vna; adeò vt vnus plures potiùs forent: & quod quiſque poſſidebat, alterius putabatur cenſus, citiùs quàm ſuus. Vbi eſt iam nunc hæc naſcentis Eccleſiæ forma, & opulentior de paupertate pulchritudo? Quantum illi multitudinis acceſſit, tantum de his elogiis receſſit. *Abiit quippe* (ait inibi Saluianus) *illa egregia & ſupereminens dudùm primitiuæ plebis tuæ beatitudo, quâ omnes Chriſtum agnoſcentes, caducas rerum mundialium facultates in ſempiternas cæleſtium poſſeſſionum opes conferebant, mulctãtes ſe vſu præſentium, præclarâ ſpe futurorum, immortales diuitias præſenti paupertatis ambitu ementes. At nunc pro his omnibus auaritia, cupiditas, rapina, quæque his ſociæ & quaſi germanâ vnitate coniunctæ ſunt inuidiæ, inimicitiæ, crudelitates, luxuria, impudicitia, proditiones,* &c. Vide nunc Saluiani ætate Eccleſiam multitudine imminutam, acceſſu relabentem, & quaſi viribus minùs validam: & cùm vniuſcuiuſque poſſeſſio, omnium adæquè cenſus foret, *immortales diuitias præſenti paupertatis ambitu ementes*: nunc rapax auaritia, & furax ambitio alienis diuitiis & honoribus ſceleroſè inſidiatur: & vnius vitium, reliquis gymnaſium improbitatis eſt. *Quantò ditior multitudine, tantò egentior deuotione; latior corpore, anguſtior mente. Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam.* Heu effrænes in multitudine mores! Sæpè multitudo, quaſi ius aſyli habeat, impunitatem ſibi vendicat.

4. Act. 4. v. 32.

*Primitiua Eccleſia paucitas immortales diuitias præſenti paupertatis ambitu emebat.*

Salian. ſupr.

5. Gen. 12. v. 2.

Geneſeos 12. dixit Dominus ad Abram: Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ & de domo patris tui, & veni in terram quam mõſtrabo tibi. *Faciamque te in gentem magnam, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus.* Strenuum virtutis athletam priùs in palæſtram prolixæ peregrinationis producit; continuò ſperandũ perniciosis curſus brauium munificè taxat. Ecquod eſt opulentum hoc præmium? *Faciam*, inquit, *te in gentem magnam.* At hæc ſponſio præmio illi promiſſo viduata videtur, aiente Moyſe Deuteronomij 7. *Non quia cũctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus eſt Dominus, & elegit vos, cùm omnibus ſitis populis pauciores.* Populus præ reliquis oppidò exiguus, in *gentem magnam* excreſcere dicitur, cũ exiguo præ ceteris numero circumſcribatur? Argutè Rupertus ad lemma præſens opportunus interpres: *Faciamque te, inquit, in gentem magnam. Non dixit, In gentem multam. Et enim gens illa quæ pro benedictione nunc offertur, comparatione aliarum gentiũ, non valdè multa futura erat.... Benè ergò non ait: Faciamque te in gentem multam, Sed in gentem magnam. Nam verè magna gens, cuius Dominus Deus eius, de quâ magnos Patriarchas atque Prophetas, ac diuerſorum meritorum magnos viros habemus, per quos veram Dei magnitudinem cognouit mundus.* Profectò Abrahamides, quos Deus in gentem *magnam* eligit, non in gentem *multam* eſſe vult: vult enim ex hâc gente erigere Patriarchas, afflare Prophetas, propagare iuſtos, & populum

Deut. 7. v. 7.

*Abrahamidũ gens nõ multa, ſed magna.*

Rup. l. 5. in Gen. c. 5.

pulum Dei eligere, per quem verã eius magnitudinem mundus agnoſcat. Perſæpè enim gens quantò ditior magnitudine, tantò egẽtior deuotione; latior corpore, anguſtior mẽte. *Multiplicaſti gentẽ & non magnificaſti lætitiã. Benè ergò non ait: Faciam te in gentem multam, ſed in gentẽ magnam.* Heu quoties non magna quia multa!

6. Geneſ. 13. v. 16. Pergit adhuc Rupertus expendens adſimilem Dei ad Abrahamum promiſſionem: *Faciamque,* inquit, *ſemen tuum ſicut puluerem terræ: ſiquis poteſt hominum numerare puluerem terræ ſemen*
Numer. 23. v. 10. *quoque tuum numerare poterit.* Huic Dei pollicitationi Balaami prophetia atteſtatur: *Quis,* inquit, *dinumerare poſſit puluerẽ Iacob, & noſſe nu-*
Rup. l. 5. in Gen. c. 10. *merum ſtirpis Iſraël?* Quæ loca pro innumerâ Iſraëlis multitudine, adducẽs Rupertus ita ſcribit Sed quid eſt, inquit, hãc gentẽ prò multitudine cõparari innumerabili terrę pulueri, cùm teſtãte Moyſe (vt ſuperiùs dictum eſt) cunctis populis
*Quomodo Dei populus, quia exiguus eſt, innumerabilis ſit.* pauciores fuerint? *Non ergò ad comparationẽ ceterarum gentiũ, ſed ad quantitatẽ electorũ, qui ex illâ gente futuri erant, hoc eſt referendũ: quia videlicet cùm ſoli electi pertineant ad numerũ; gens autem illa maximâ ex parte reprobata vacuũ nobis fecerit locum, benè pulueri terræ comparati sũt quem dinumerare nobis quidèm impoſſibile: Deo autẽ iudicetur ſuperfluum, apud quẽ ſoli electi noti sũt.* Itáq; veriſſimè pariter ac moraliſſimè electus Dei populus, & exiguus præ reliquis, & præ omnibus innumerabilis perhibetur. Exiguus, quia facilè ceteris numero cedit: innumerabilis præ reliquis, quia ſingulis prolixè ætatibus ampliorem electorum numerũ fœcundè propagat. Imò indè forſan de immetato electorum numero copiosè innumerabilis, quia præ reliquis numero exiguus eſt. *Ergò ad quantitatem electorũ, qui ex illâ gente futuri erant, hoc eſt referendum.*

7. Matth. 1. v. 7. Matthæi 3. ſecundam progenitorum Chriſti teſſeradecadẽ, his verbis Euangeliſta auſpicatur Dauid autem rex genuit Salomonem ex eà, quę
Imperf. homil. 1. in Matth. fuit Vriæ. *Salomon autem genuit Roboam.* Incertus Chryſoſtomus peritiſſimus ethicè etymologus, ſic improbi Roboami nomen exponit: *Salomon autem genuit Roboam, Roboam, id eſt, in multitudine populi: quia quod fit in multitudine populi, ſtatim facile ſeditionem multitudinis patitur.*
*Culpa multorum inuindicabilis eſt: paucitas autem magiſtra eſt diſciplinæ.* *Multitudo enim mater eſt ſeditionis, & cõtumaciæ: quia quicquid à multis peccatur, plerumque manet inuindicabile; paucitas autem magiſtra eſt diſciplinæ.* Porrò multitudo fermè impunè delinquit; nã multorũ ſcelera ſeſe viciſſim fouent, & mutuò tuentur. Indè frequens multorũ malitia, quæ iras acerbiùs vltrices in ſe armare debuiſſet, eandẽ vim vltricẽ exarmat ad vindictam tum ne tota multitudo probrosè infametur. tum vel maximè, ne non valeat Magiſtratus multitudinem numero validam profligare. Peccatorum arcem ædificat, qui aliorũ peccata adſtruit. Hinc (neq; id omittam) enaſcitur frequens hominum ſtudiũ culpãdi alios, & deprehendendi in eiuſdẽ ſceleris reatu; non tantùm vt proprium excusẽt, ſed etiam vt impunè tueantur. Exindè impudicitiæ ſuæ benè conſcius, malè indagat, & peiùs alios arguit impudicitiæ, ad ſceleris ſui patrociniũ: facti reus plures furacitatis accuſat: auarus, iracũdus, ſicarius multos ambit habere vitij conſortes, vt mutuo delictorũ fotu flagitium tueatur ſuũ aduerſus promeritas iuſtitiæ iras. Quaſi aliorũ ſcelus ſit aſylum proprij; & ita *inuindicabile* fiat ex aliorũ patrocinio Hæc malitiæ ſagacitas, & impunitatis arbitrium, ſit ſolleriter perſpicuum Iudicibus, quò facile excusẽt quos palam ſceleroſus accuſat. Id enim non eſt iuſtitiæ ſtudium, ſed impunitatis ſubdola ambitio: *quia quicquid à multis peccatur, plerumque manet inuindicabile; paucitas autẽ magiſtra eſt diſciplinæ.*

---

## §. XXX.

### *Illuſtratur opinatiſſima illa ſententia: Poſtquam docti prodierunt, boni deſunt.*

NOn multùm ſapienti nocebit tranſiſſe quæ 1.
nec licet ſcire, nec prodeſt. Inuoluta veritas in alto latet. Nec ideò de malignitate naturæ quæri poſſumus: quia nullius rei difficilis inuentio eſt, niſi cuius hic vnus inuentæ fructus eſt, inueniſſe. Quicquid nos meliores beatoſque facturũ eſt, aut in aperto, aut in proximo poſuit. *Poſtquam docti prodierũt, boni deſinũt.*
*Antiqua ſapientia* (ait Seneca) *nihil aliud quàm facienda & vitanda præcepit, & tunc longè meliores erant viri. Poſtquam docti prodierunt, boni deſunt* (ô nimis verè! ſubdit rationẽ) *Simplex enim illa & aperta virtus in obſcuram & ſollertem ſciẽtiam verſa eſt; docemurque diſputare, non viuere.* Senec. epiſt. 96.
Profectò animi vigor, quæ eſt potior hominis pars, ſubtilitatibus nimiùm intenta, potiſſimum mentis robur occupat, exhaurit, elumbat; ſæpeque ad actuoſę virtutis ſtudium propè inidoneã ſæpè reddit. Quantũ in vanis ſubtilitatibus diſſiparis, tantùm inactuoſæ deſidiæ adglutinaris. Eſto benè rudis, ne ſis male ſapiens. Saluianus Maſſilienſis poſtquã propoſuit Chriſtianæ perfectionis ideam, ita fatur: *Cuius tu nũc (ô dolor ac lamentatio!) lectionem tantùm habes, virtutem non habes: Cui quantùm ſcientiâ, tantùm interim conſcientiâ abes.* O vide hîc v. 21. quàm prauum decretum à ſapientiæ proceribus emanarit! Saluian. l. 1. ad Eccleſ. Hic verſ. 21.

2. 3. Reg. 3. obnixè Salomon à Deo ſapientiam poſtulat, & vberrimã impetrat: *Ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te ſimilis tui fuerit nec poſt te ſurrecturus ſit.* Quis ſapientior Salomone? & quis tandem ſceleſtior? Sapientiæ à Deo imbutæ abuſu impietatẽ flagitioſiùs dedicauit. Luculenter Ambroſius: Quid, inquit, de Salomone ſancto loquar, cuius poſteriora cùm graui errore non careant, vulgus tamen Iudaicum ipſum exiſtimat veniſſe pro Chriſto? Et quã multos grauis offenſa reuocauit? *Maior itaque culpa plus profuit, ne ſupra hominem crederetur qui vitio non caruiſſet humano.* (Nota verba quæ ſubiicit) *Fuit igitur in eo inuidioſa ſapientia & culpæ ſuaſoria, quæ hominem comprobaret.* Vel occaſione tantæ ſapientiæ à Deo cælitùs inſpiratæ, vertiginem paſſus eſt? Qui à vulgo Iudaico putabatur Deus, Deos Gentilium inſanè adorauit, & Gentilium voluptatibus inſipienter obbrutuit. Heu Salomonis *inuidioſam ſapientiam, & culpæ ſuaſoriam!* ô quàm paucis quàm multa! *Poſtquam docti prodierunt, boni deſunt.* 3. Reg. 3. v. 12. *In Salomone fuit inuidioſa ſapientia, & culpa ſuaſoria* S. Ambroſ. in Apolog. Dauid. c. 3.

3. 1. Corinth. 8: Scimus, inquit, quia omnes ſciẽtiam habemus. *Scientia inflat, charitas verò ædificat.* Pro *inflat* græcè eſt φυσιοῖ *tumet.* Talis eſt ventoſa ſcientia. Hanc damnat duntaxat. Et benè dicitur, *Scientia tumet:* nam vt aliorsùm dixit Seneca; *Tumor eſt, non magnitudo* Notat Cornelius quod quia Scientia tumet, ſiue turget inſtar follis vento diſtenti; inde ſuperbus Diabolus 1. Cor. 8 v. 1. Seneca aliàs expenſus. *Scientia inflat quia tumor ſæpe eſt, non magnitudo.*

P.Cornel.ibi Plato in Craty.

bolus dictus eſt δαίμων quaſi δαήμων, id eſt, doctus, peritus, ſciens Quod in Cratylo docuit Plato. Et quidèm *τὸ inflat*, ad metaphoram ſtomachi crudis dapibus diſtenti, adludit.

S.Ber.ſer.36. in Cant.

Quod eleganter Bernardus his verbis ediſſerit: *Cibus indigeſtus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, non nutrit: ita & multa ingeſta ſtomacho animæ, quæ eſt memoria, ſi decocta igne charitatis non fuerint, & ſic per quoſdam artus animæ, mores ſcilicet atque actus transfuſa atque indigeſta, quatenus ipſa de bonis quæ nouerit, vitâ atteſtante, & moribus bona efficiatur; nonne illa ſcientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus conuerſus in prauos noxioſque humores?*

*Scientia charitate non cocta, prauos mores nutrit.*

Scilicet ſicut cibus in corpus digeritur:ſic ſcientia cruda, & per charitatem non execocta, & male ſtomacho innatat, & fœdè arrogantiam eructat, & in noxios mores conuertitur, & vitiorum pabulum ſcientia facta eſt; vitiaque alit, nutrit,incrementat. *Poſtquam docti prodierunt, boni deſunt.*

4.
Eccl.1. v.16.

Frequens in ſacris Bibliis hæc Spiritus ſancti vox eſt: *Initium ſapientiæ, timor Domini.* Quò Dei timor hominum ſapientiam fundet,alioqui è ſublimi ruituram.Nam ſciētia abſque timore Dei,vitiorum fomes eſt,vanæ gloriæ lenociniū & ficti honoris titubatio.Acutè addubitat Rupertus quamobrem hîc dicatur ſapientiæ initium,& alibi tanquam finis &terminus conſtituatur?Sic fatur Rupertus:*Initium,inquit,ſapientiæ timor Domini.Quare ergò,inquis,alius propheta timorem in vltimo conſtituit,dicendo:Egredietur virga de radice Ieſſe,& flos de radice eius aſcēdet,& requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini,ſpiritus ſapientiæ & intellectus,ſpiritus conſilij & fortitudinis,ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* (Audi ergò quid ſubtili dubio, ad rem præſentem magnus hic Doctor reſpondeat) *Videlicet quia ille, in quem hæc dicuntur,cùm non tantùm homo, ſed & Deus ſit*,&c. Itaque initium & fundamentum omnis humanæ ſapientiæ,timor Domini eſt, ne in arrogantiam euaneſcat,& de virtutis vertice ignobiliter per ambitionis errores ſerpat. Iſaias autem cùm in *vltimo* loco timorem Domini conſtituit, non loquitur de mero homine, cuius adſpectu,initium eſt;ſed de Chriſto Domino,homine Deo, qui eſt corporata Patris Dei ſapientia,quæ non labaſcit, tametſi non ſic in timore Domini fundetur. *Quia ille,in quem hæc dicuntur, non tantùm homo,ſed Deus eſt.*Quaſi hoc ſit grande diuinæ ſapientiæ elogium, quod in timore Domini non fundetur; ſed de ſe, & à ſe firmiter ſubſiſtat, quin fulcro timoris ſubſtentetur, ne corruat, & in prauos mores more humano degeneret.Exindè timorem quem reſpectu ſapientiæ merè humanæ Pſalmographus primo loco poſuit,Iſaias adſpectu ad Chriſtum Deum, *vltimo* loco collocauit, quo diuinæ ſapientiæ perfectionem palam innueret. Heu!ſic humana ſapientia à virtute deſciſcit? *Poſtquam docti prodierunt, boni deſunt.*

*Cur in reliquis præter Chriſtum initium ſapientiæ, timor dicitur?*

Ruper. in Geneſ.lib.1. c.21.
Iſaiæ.11.v. 1.& 2 & 3.

5.
1 Cor.1.v. 19.& 20.
Iſaiæ 29.v. 14.
Iſaiæ 33.v. 18.

1. Corinth.1. *Scriptum eſt*, inquit, *Perdam ſapientiam ſapientum,& prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi conquiſitor huius ſeculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius ſeculi?* &c. Ecce tibi humana ſapientia miſerè inuitiata, deprauata, profligata, magno ſapientium diſpendio. Strabus Fuldenſis exponens Scribatum ad Herodem reſponſum ſuper loco Dominicæ natiuitatis: *In Bethlehem Iudæ: Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam*, &c. ita ad præſentem theſim tempeſtiuus fatur: *Locum natiuitatis Scribæ exprimunt; quem teſtimonio Scripturæ didicerunt; vt ipſa illorum ſcientia illis fieret ad teſtimonium damnationis, nobis ad adiutorium fidei.* O infelicem quorumdam magiſtrorum ſapientiam, qui dum ſuffragium de re ſibi conſultâ, ſuæque eruditioni creditâ, temperant ad Principis conſulentis gratiam, aut ad quæſtus vtilitatem aut ad adulationis blandimentum;propriâ *damnatione* mercantur aliorum innocentiam & commodum, & delictis ſuis redimunt aliena. Nam qui eximiè ſapientem conſulit, tutus eſt apud Deum in aſylo opinatiſſimæ ſapientiæ Iuriſconſulti, aut Theologi: Hi verò dum ſapientiam nundinantes, veritatem intempeſtiuè reſpondent, aut eruditionis priuilegio laxiùs aut licentiùs opinantur blandiendi ſtudio, vt ambitionis ingenio, *ipſa illorum ſcientia illis fit ad teſtimonium damnationis*; conſulentibus verò ad adiutorium probitatis. Quid tam damnabile,quàm alium fieri tuâ improbitate probum, & tuâ *damnatione* ſaluari? Eheu hodie ferè quicquid lubet, licet! cùm Apoſtolus dicat: *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Caue, ne vſura eruditionis, ſit pretium *damnationis.* Qui ſapientiam cauponatur, verum facit prælaudatum Philoſophi effatum: *poſtquam docti prodierunt, boni deſunt.*

Matt.2.v 5.
Strab. ibi.

*Apud Principes, cautè ſapiat eruditus,ne alienā innocentiā depraueetur.*

1. Cor. 6. v.12.

6.

Geneſeos 3. Præceperat homini Deus, *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas.* Ecce iam incipit homo in re ſcientiæ periclitari. Idcircò ſerpens Dæmon vaferrimè callidus, hæc malitioſè ſibilat, vt de ligno ſcientiæ boni & mali comedat: *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* Et confeſtim homo fructum de ligno ſcientiæ boni & mali mandens, cum ambitionis cupâ mortem ſugit: & aperti ſunt oculi amborum. cúmque cognouiſſent ſe eſſe nudos,conſuerunt folia ficus,& fecerunt ſibi perizomata. Vindici autem Deo reos ad ſupplicium quærenti,ſic reſpondet Adamus: Vocem tuam audiui in paradiſo:& timui,eò quòd nudus eſſem & abſcondi me. Cur dixit: *Quis enim indicauit tibi quòd nudus eſſes, niſi quòd ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti?* (ſubdit Rupertus) *Ac ſi diceret: Hæc ipſa ſcientia quâ nudum te eſſe perſpexiſti, culpa eſt, quia rapina eſt. Vnde enim tales tibi aperti ſunt oculi, quos & concupiſcentia commoneret, & conſcientia reuerberaret, atque ita ferre non poſſent, vt nudus incederes?* Benè quidem illa ipſa Adami ſciĕntia,quam ex ligno ſcientiæ boni & mali confeſtim hauſit,arripuit,expreſſit,*culpa* dicitur,*quia rapina eſt.* Eripuit ſibi innocentiam,& pro illâ flagitium acquiſiuit:eripuit ſibi ſimplicitatem, & verecundum ſubrogauit pudorem: diuinæ ſcientiæ *rapinam* affectauit, & pudendæ nuditatis ſcientiam ſuſtinuit. adeò vt nuditatis ſcientia,culpa dicatur,*quia rapina eſt.* Heu!quæ poteſt eſſe in acquiſitione nuditatis *rapina*? O infelicem Adami ſcientiā,quam ex ligno ſciētiæ flagitioſè hauſit;nudúmque illum per *rapinam* reliquit?Caue caue tibi,ne hæc Protoparētis ſcientia ſcientiam filiorum adumbret,magno ſapientiæ,& inocentię diſpendio. Poſtquam doctus prodiit Adam,nudus latuit,& bonus deſiit.

*Adami ſcientia, culpa dicitur, quia rapina eſt.*

Gen.3.v.11.

Rupert. in Geneſ.lib.3. cap.15.

Pſaltes

7. Pſaltes regius ſic modulatè accinit: *Initium ſapientiæ timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio eius manet in ſeculum ſeculi.* τὸ initium, Si Græcam, & Hebraicam explores originem ſignificare poteſt quod præcipuum eſt, ac primum tenet non tam ordinis quàm dignitatis locum. Arnobius caput interpretatur. Peritè notat Lorinus noſter, quòd *pronomen Latinum maſculinum Eum, reſpicere poteſt aut intellectum, aut timorem aut ambos.* Sed licet obuium ſit quòd quis bonis ſapienter operibus poſſit facere timorem Domini: non tamen facilè apparet quo pacto *intellectum bonum facere* poſſit. *Bonus eſt intellectus* (ait Auguſtinus) *quis neget? Sed intelligere, & non facere, periculoſum eſt; bonus ergò facientibus.* Vnde qui male operatur, nec bonis operibus bonum ſibi intellectum fabricat, à boni intellectus elogio deſciſcit, & in paruum intellectum ignobiliter degenerat. Scitè Chryſoſtomus: *Non quærit autem hic ſolum auditorem, ſed etiam factorem. Intellectus enim bonus omnibus facientibus eum. Hoc eſt, iis qui faciunt ſapientiam, & eam factis oſtendunt, bonus eſt intellectus. Intellectus bonus, inquit, quoniam eſt etiam malus intellectus: vt quandò dicit: Sapientes ſunt vt male faciant, bonum autem facere non nouerunt.* Quiſquis timore Domini (qui initium, ſeu *caput* eſt ſapientiæ) rectè operando *bonum intellectum* ſibi non facit, fatuè ſtultam ſapientiam habet: & *ſapiens eſt vt malè faciat*: & ſic per ſapientiæ ſuæ improbitatem egregiè ſtulteſcit. *Poſtquam docti prodierunt, boni deſunt.*

Pſ. 110. v. 10. Arnob. ibi. P. Lorin. ibi. *Sapiens qui bonis operibus non facit ſibi bonum intellectum, inſipiens eſt.* S. Auguſt. in. didem. S. Chryſ. ibi. Iere. 4. v. 22.

8. Geneſeos 48. Iacob dum maiori Manaſſe Ephraimum præfert, extendens manum dexteram, poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris: Siniſtram autem ſuper caput Manaſſe qui maior natu erat, *commutans manus.* Hebraicè: Fecit *prudenter agere*, vel *intelligere manus ſuas.* Quis eſt hic manuum intellectus? Appoſitè Nazianzenus: *Manus*, inquit, *Inſtrumenus, vt Chriſti diſciplinam apprehendant ac per vitæ probitatem, & morum elegantiam ſermonem diuinum in fidem accipiant: quemadmodum ille, qui datus eſt in manu cuiuſdam Prophetæ.* Aggæi, inquam, in cuius *manu* dicitur ſermonem ſeu verbum Dei factum, eſſe. O bonus manuum intellectus!

Geneſ. 48. v. 14. S. Nazianz. orat. in S. Baptiſma. *Manu diſciplina apprehendatur.* Aggæi. 1. v. 1.

---

## §. XXXI.

*Ex leui etiam occaſiunculâ, hominis concupiſcentia ad libidinis voluptates non leuiter ſufflammatur.*

1. Alexander ille magnus cùm Darij filias, Gratiarum manibus factas puellas, apud ſe haberet captiuas, demiſſis eas oculis ſalutabat, idque rarò, ſibi metuens ab illarum inſigni formâ. Apud familiares autem dicere ſolebat: *Dolores oculorum ſunt Perſicæ puellæ.* Quantùm poſſumus quoque nos à lubrico recedamus, qui in ſicco etiam parùm fortiter ſtamus. *Æquè facilitas amoris, quàm difficultas nocet. Facilitate capimur, cum difficultate certamus. Itaque conſcij nobis imbecillitatis noſtræ, quieſcamus. Nec vino infirmum animum committamus, nec formæ, nec vllis rebus blandè trahentibus.* Ait Seneca. Ergò abiiciendæ ſunt vel leues etiam concupiſcendi occaſiunculæ, tametſi diu frenatos & morigeros contineas affectus. *Nil enim facilius quam amor recrudeſcit...... Citò rebellat affectus: quocumque ſe verterit, pretium aliquod præſens occupationis ſuæ inueniet.* Qui occaſiones non fugit, quærit. Rara in periculis continentia eſt. Quis diu ſtet in affectu lubrico, calcaribus voluptatis ſtimulato? Malè hic verſ. 21. pulcherrima Vaſthi damnatur, quæ ſuprà verſ. 15. accuſatur, eò quòd verecundiæ iacturâ hoc periculum obiicere recuſauit.

Plutarc. in vita Alex. Seneca epiſt. 117. & 70. Hic verſ. 15. & 21.

2. Sapientiæ 9. ita ſcribit Salomon: *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Rectè hæc verba de venereis cogitationibus Origenes exponit. Et ſanè *multa cogitat* concupiſcentia, dum vndequaque libidinum formas quibus altè imprimitur, facilè aucupatur. Scitè Minutius Felix in Octauio. *Nunc enim mimus*, inquit, *vel exponit adulteria, vel monſtrat. Nunc eneruis hiſtrio amorem dum fingit, infligit.* Vel ficta libido libidinem veram affricat? Reliqua dum finguntur, futilia ſunt, friuola, & inania: at ficta etiam libido, concupiſcentiæ ſcintillas flabellat, ſemiuſtulat conſcientiam: & niſi flammulam confeſtim excuſſeris, miſerè deflagrabis. Heu vera tela ficta fabula vibrat? & *eneruis hiſtrio amorem dum fingit, infligit!* Sic terrena animi inhabitatio impreſsè deprimis ſenſum multa venereè cogitantem?

Sap. 9. v. 15. Orig. apud Cypr. de ſingul. cler. Minut. in Octau. *Hiſtrio amorem dum fingit, infligit.*

3. Paulus 2. Corinth. 12. *Datus eſt mihi*, inquit, *ſtimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet.* (Quod de concupiſcentiæ ſtimulis proceres interpretum commentantur) Propter quod ter Dominum rogaui: vt diſcederat à me: & dixit mihi: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Non conuenit inter Commentatores, quid *infirmitatis* vocabulo Paullus ſignificet, dum ſe ſtimulis carnis exagitari & colaphizari prædixerit. S. Cyprianus de timore, ſeu fugâ occaſionum in re libinis, ſingulariter hunc locum exponit: Incomprehenſibilis, inquit, Dei pietas; ſecundum pugnas dedit & palmas, vt confitendo maſculorum ſæuitiam ſuperemus, *& timendo fœminarum blandimenda vincamus, dummodò & de virtute & de infirmitate ſuper nos Dominus glorias operetur, vt in omnibus, & per omnia omnipotentem ſemetipſe teſtetur, diuidens differentias triumphorum.* Profectò infinita diuinæ omnipotentiæ vis maximè eminet & apparet, dum inconcuſſa Martyrum fortitudo armatam Tyrannorum ſæuitiam, fortiter reſiſtendo vincit. Parùm hoc foret Omnipotentiæ diuinæ, niſi etiam dum occaſiones libidinis nos timemus, & fugimus, in hâc noſtrâ *Infirmitate*, quæ ſic vincit & detriumphat caſtitatis hoſtes, *ſuper omnia omnipotentem ſemetipſe Deus teſtetur, diuidens differentias triumphorum.* In re caſtitatis ſeruandæ, & amandandæ libidinis timor periculi, victoria eſt; fuga occaſionum, triumphus eſt. Qui audet non timere, gaudet ſuperari: qui ſic fugere, triumphare nouit. O nouum victoriæ genus, quod *infirmitate* perficitur! Fortitudine hoſtes vincere, obuium

2. Cor. 12. v. 9. S. Cyprianus, vel potiùs Origenes lib. de ſingul. Cler. *Timoris infirmitate hoſtes vincere omnipotentiæ documentum eſt.*

eſt, & vulgaribus prælijs familiare: at timoris & fugæ *infirmitate* vincere, ſuper omnia Dei *omnipotentiam* teſtatur. Ergò *ſi gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt gloriabor: cùm enim infirmor, tunc potens ſum.*

2. Cor. 11. v. 30. & ca. 12. v. 10.

4. Pergit idem Cyprianus adhuc exponens præfata Apoſtoli verba: *Virtus in infirmitate perficitur.* Quæ vt dilucidiùs ad rem explicet, præmittit illud Eccleſiaſtici 25. *Beatus homo, cui donatum eſt habere timorem Dei.* Quem locum ita ipſe excribit: *Beatus vir qui veretur omnia per metum.* Addit ad lemma præſens eleganter: *Ille tutiùs ſibi conſulit, qui circa malos ſemper inſidus, ſpecies quaſcumque noxias extimeſcit.... Magna compendia prouidentiæ, vt aliquando fiat virtus & victoria per timorem.* Nota ſententiæ clauſulam Cypriano dignam: *Eſtote timidi, vt ſitis interpidi: & licet timor in certamine infirmitas eſſe videatur, tamen ſecundum verbum Apoſtoli, virtus in infirmitate perficitur.* Qui pauidè timidus eſt ad occaſionum fomenta, ad rem continentiæ ſeruandæ audacter intrepidus eſt: porrò *aliquando fit virtus & victoria per timorem, ſecundum verbum Apoſtoli, virtus in infirmitate perficitur.*

Eccli. 25. v. 15. S. Cyprian. ſupr.

*Qui eſt ad occaſiones libidinis timidus, benè intrepidus eſt ad virtutem.*

5. Geneſis 2. Cùm obdormiſſet Adam, tulit Deus vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro eâ. Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam. *Dixitque Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne meâ.* Hinc eleganter expendit Seleucienſis Baſilius, quàm procliui naturæ propenſione vir in fœminam feratur. *Hoc,* inquit, *quod me modo videt cumque deſiderio videtur, ſtitit errantem viſionem mulieris huius deformatio.... A membro abiunctus philtro vincior: loco ſeiunctum eſt, & deſiderio coniunctum: qui diſtulit corpora, animas noſtras in vnum contulit. Quo modo alienam reputabo, quæ non extrinſecus, ſed à me cœpit originem? Quo modo igitur non erimus vna caro naturæ vi conglutinata, qui anteà cohærente, fuimus?* Ecce tibi, arcano quodam naturæ *philtro* vir fertur ad feminam: & fœmina ad ſe virum allicit. Scitè ad rem magnus Baſilius: *Sicut ſecretiſſimo naturæ,* inquit, *in magnete lapide nouimus, non ipſum ad ferrum duci, ſed ad ſe potiùs ferrum attrahere: ita in femineum corpus aduerſus maſculum ineffabilem accipit vim, per quam fermè dixerim, ignorante animâ quæ in ipſo eſt, viri corpus vltrò ad concubitum pertrahit.* Vide naturæ noſtræ aduerſus caſtitatem inſidias, & vel à leuibus occaſiunculis caue tibi. Nec te innotatum prætereat, quòd femineum corpus *ineffabilem* habet vim, vt velut magnes attrahat viri corpus, ferè *ignorante animâ.* Quod quaſi *philtro* rapi, dixit Seleucus. Benè quaſi quodam naturæ philtro, aut voluptatis præſtigio rapi dicitur, qui fermè *ignorante animâ,* à concupiſcentiâ prolectari perhibetur. Rapida ſanè vis eſt, quæ quodammodò *ignorante animâ* hominem ad cupidines agit. Ergo in re caſtitatis, benè eſt timidus, qui magis eſt ad virtutem intrepidus. O time cognatas libidinis præſtigias! vt ſecurus ſis, magis time; quia dum magis times, magis ſecurus es. Id maximè time, non timere. Præſume de infirmitate victoriam, de timiditate palmam, de fugâ trophæum.

Gen. 2. v. 23. Baſil. Seleu. Orat. 2.

*Sicut magnes ferrũ ita mulier virũ attrahit.*

S. Baſil. de Virginit.

*Fermè ignorante animâ, homo fertur ad rem libidinis.*

Eccleſiaſtici 42. *In medio mulierum noli commorari: de veſtimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Quare tam perniciosum moribus dicitur inter mulieres commorari? Pulchrè Cyprianus vel potiùs Origenes his verbis præfatum locum commentatur: *Cauſale,* inquit, *eſt omne quod fœmina eſt.... & cui adhæſerit contra fas, ineffabilem ingerit plagam.* (Sic putatur irremediabilis luxuriæ morbus?) *De carbonibus ſcintillæ diſſiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aſpides ſibilant; & mulier fundit concupiſcentiæ peſtilentiam. Quam Salomon ſic comparat, dicens: De veſtimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Itaque leuiculam feminam puta gehennalis flammæ *ſcintillam,* qua in tetram libidinis fauillam homo decinereſcit; *aſpidem* luxuriæ venena ſibilantem; & incontinentiæ baſiliſcum, aëra fomentis libidinum toxicantem. *Longè ſit peſtis iſta, & lues, & clandeſtina pernicies. O quàm inordinabilis femina propinquitas iaculatur, cuius vicinia eſt delictorum latrocinium.* Bellè quidèm Cyprianus. 6.

Eccli. 42. v. 12. & 13. S Cypria. de ſing. cler.

*Mulier ſicut aſpis, morum ſibilat morbos.*

Eccleſiaſtici 25. *A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur.* Quæ verba de Euæ delicto ad litteram intelligenda, ſic Origenes nuper laudatus, ad mores deflectens, ita ſcribit: *Aculeus,* inquit, *peccati facta eſt forma feminea; & mortis conditio non aliundè ſurrexit, niſi de muliebri ſubſtantia. Quod Salomon ad noſtram ſolicitudinem memorat, dicens: A muliere initium, &c.* Magnâ cum emphaſi dixit magnus hic Doctor; quòd *forma feminea facta eſt peccati aculeus.* Quaſi hebes & ingrata foret voluptatis illecebra, quæ homines ad peccandum proritat, niſi femineâ formâ velut *aculeo,* exacta, & acuminata foret. Pergit adhuc enucleans præfatum Eccleſiaſtici locum: *A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur. Indè mortales tenemur, nec timemus. Quid ſi iam immortales eſſemus? Per mulierem liberauit nos equidèm Chriſtus: vndè adhuc morimur, formidare debemus. Tunc liberatio ipſa conſtabit in feminâ, ſi à nobis mors reuincatur, quæ per feminam venerat.* (Attentiùs penſita verba, quæ ſubdit) *Cæterùm ſi adhuc per mulierem circa nos ſcandala dominantur, liberationis Chriſti fecimus pro certo diſpendium.* Notanda eſt hæc vltima ſententiæ clauſula, in quâ valdè audet Origenes. Quid eſt, *Si adhuc per mulierem circa nos ſcandala dominantur, liberationis Chriſti fecimus pro certo diſpendium?* Sat eſto intendiſſe digitum ad magni Doctoris acumen. Quaſi redemptionis quodammodò diſpendium fecerit, qui periculum à mulieribus non timens, ſeſe intrepidus occaſionibus ingerit. 7.

Eccli. 25. v. 33. Orig. ſeu Cyp ſup.

*Forma feminea facta eſt peccati aculeus.*

*Qui ſibi à feminis nõ cauet, Redemptionis quodammodo facit diſpendium?*

Geneſeos 39. Accidit quâdam die vt intraret Ioſeph domum, & operis quippiam abſque arbitris faceret: & illius Domina impudenter diu procax, *apprehenſâ lacinia veſtimenti eius, diceret: Dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio fugit, & egreſſus eſt foràs.* Quæ verba elucidans Rupertus, ita de Ioſephi ideali exemplo tanquam de cautæ continentiæ ſcholâ, homines ad caſtitatem erudit: *Tutiùs quippe iudicauit Ioſeph veſtimentum ſuum cum temporali diſpendio excutere, & ignem procùl à ſe abiicere, quàm ſilentio diu premendo flammam femineam in ſinu ſuo alligare cum periculo animæ.* Scilicet ignem 8.

Geneſ. 29. v. 12.

*Fugâ vincere, caſtitatis triũphus eſt.*

Rupertus indidem.

&

& flammam appellat veſtem luxuriantis feminæ attactu omnem libidinem ſufflammatam. Pergit S. Ambroſius quâ ſolet aureâ facundiâ: *Dereliquit tanquam non ſua, quæ adultera ſuis manibus detinebat; & aliena iudicauit quæ tactu impudicæ potuerunt deprehendi ... Contagium enim indicauit, ſi diutiùs moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiua tranſirent. Itaque veſtem exuit, crimen excuſſit: & relictis quibus tenebatur exuuiis, ſpoliatus quidem, ſed non nudus aufugit, qui erat tectior indumento pudoris.* Addam Baſilium Seleucum, ingenio, & eloquio, non ſupparem Ambroſio: *Illa manus in Ioſephum iniecit armatas libidine .... Ille tenacibus manibus retentam permittens veſtem, libidinis effugit anſas.* Deuenuſtarem tantorum Patrum elegantiſſima verba, plena acuminis, plena ingenij, ſi ea ruſticante ſermone elucidare præſumerem. Sed non omittam Auguſtinum ſuper re eàdem ita ſcribentem: *Beatus Ioſeph vt impudicam Dominam poſſet euadere, pallium quo apprehenſus fuerat reliquit, & fugit. Ergò contra libidinis impetum apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam, Nec tibi verecundum ſit fugere, ſi caſtitatis palmam deſideras obtinere.* Fuga vincere, pudoris victoria eſt, caſtitatis palma, & præluſtre continentiæ trophæum.

S. Ambr. de Ioſeph. Patri.

Baſil. Seleu. Orat. 8.

S. Auguſt. ſerm. 250. de Temp.

## §. XXXII.

*Verecundia, flos eſt virtutum, probitatis tinctura, pulchritudinis decor, Orationis vigor, Vrbanitatis refuga: & quæ de occurſu virginitatem enunciat.*

1. Laërt. lib. 7. cap. 1. S. Naz. carm. 63.

Diogenes Cynicus philoſophus adoleſcenti cuidam erubeſcenti, atque ob id perturbato: *Bono animo ſis,* inquit, *fili; iſtiuſmodi eſt virtutis tinctura.* Et Nazianzenus carm. 63.

*Vnus amabilis in mulieribus eſt color, & flos,*
*E que pudore rubor: pinxit eum ipſe Deus.*

Sic è Græco reddit Morellus, non tamen aſſequitur: aſſequeris cum P. Cerda, ſi dicas: *Pudor eſt in mulieribus amabilis flos, & rubor delectabilis.* Qui ſic etiam explicat illud Tertulliani de Idololatria cap. 17. *Neque indicet de capite alicuius vel pudore.* τὸ de *pudore*, Iunius explicat, *de honore*. Fortaſsè quia apud I. Conſultos, *Pudor eſt exiſtimatio hominis, dignitas, opinio, reputatio*, vt explicat Briſſonius. Quaſi pudor ſit probitatis cenſus: nam *iſtiuſmodi eſt virtutis tinctura.*

P. Cerda de Cultu fem. n. 123.

*Pudor eſt flos virtutum, & probitatis tinctura.*

Iunius, & Briſſ. apud P. Cerd. ibi n 282.

2. Eccle. 1. v. 5. & 6.

Eccleſiaſtæ 1. *Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur: ibique renaſcens, gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem: luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus.* Fulgorem prodigus ſol, alternas mundi metas claritate nitidâ, & mirâ celeritate effuſiùs complens; alienis tamen ſiderum ſplendoribus, ſic velut auarè inuidet, vt illas totâ ſolari lampade interſtinguens, fulgere non ſinat. Quid eſt, quod ſplendorum Rex, cùm omnes ſidereas luces ſuis radiis ſordidè obſcuret, Auroræ dumtaxat parcit, quin lacteum ſuum alborem obſcurare exambiat? S. Zeno Veronenſis ita hâc ſuper re appoſitè ſcribit: *Sol*, inquit, *quamuis mira celeritate alternas mundi metas illuſtret, tamen nunquam dilectam verecundámque anteuertit auroram.* Scilicet ſic amabili *verecundiæ* flore capitur Phœbus, auguſtiſſimus fulgorum rex, vt non modo dum reliquas ſidereas luces inuidioſè interſtinguit, argenteam *Auroræ* lucem accendat; ſed neque illam vnquam *anteuertit*; eique primum lucendi locum conceſſerit, expectatiſſimas fulgorum primitias vltrò illi cedens. Sic *verecundia* (quæ eſt probitatis flos, & virtutis tinctura) amabilem, & præluſtrem reddit *Auroram*? Sic eſt gratè aſpectabilis *è pudore rubor? pinxit eum ipſe Deus.* Hoc verecundiæ purpuriſſo, & pulchritudinis venuſtatur gratia, & ſpectatorum amor mirè ſauciatur. O vel ad honorem ſaltem pinge faciem hâc virtutis tincturâ.

*Quare ſol verecundum nō anteuertat auroram?*

S. Zeno ſer. de Patient.

3. Can. 4. v. 3.

Canticorum 4. *Sicut fragmen mali punici; ita & gena tua, abſque eo, quod intrinſecus latet.* Græci Patres, & ex Latinis nonnulli, ita hunc locum exponunt, vt putent, quòd ſub genarum cum malo punico comparatione, honeſtus ſponſæ pudor, ſeu verecundiæ flos appoſitè celebratur. Iuſtus Orgelitanus ita locum exponit: *Illi*, inquit, *in facie Eccleſiæ decorem efficiunt, qui comitante verecundiâ caſtitatem obſeruant.* Quaſi parum foret, verecundiæ rubore, velut virtutis tincturâ, pudicæ feminæ faciem à Deo pingi; indeque eleganter concinnari ad gratiæ ſpecioſitatem: Eccleſiam etiam his verecundiæ pigmentis miriſſimè venuſtatur. O quantus eſt verecundiæ decor, qui totam honeſtat, & venuſtat Eccleſiam? *In facie Eccleſiæ decorem efficiunt.* Obuia cuique ſunt Tertulliani verba in lib. de Cultu feminarum, ſic eas alloquentis: *Prodite iam vos medicamentis & ornamentis extractæ, Apoſtolorum ſumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem; depictæ oculos verecundiâ.*

*Verecundia in facie, in facie Eccleſiæ decorem efficit.*

Iuſt. Orgel. inibi.

Tertull.

4. Exhod. 3. v. 9.

Exhodi 3. Moſi pollicetur Deus, Hebræam gentem de Ægyptiacâ captiuitate in Terram promiſſionis educere, aiens: *Clamor ergo filiorum Iſraël venit ad me: vidique afflictionem eorum, quâ ab Ægiptiis opprimuntur.* Ad quæ verba ita S. Auguſtinus ſcribit: *Ægyptiorum autem, ſicut clamor Sodomorum, quo iniquitas ſine timore & verecundiâ ſignificatur.* Nempè iniquitas ſine timore & *verecundiâ*, clamor eſt, & grandis clamor, vindictam à Deo inuerecundiæ precibus extorquens. Impudens enim malitia eſt arcanè peruerſa oratio vltionem potenter expoſcens, & indubiè impetrans. Quod ex iam iam dicendis à contrario ampliùs illuſtratur.

S. Aug q. 5. in Exhod.

*Inuerecunda iniquitas eſt oratio vltionem impetrans.*

5. Ioan. 2. v. 1.

Ioannis 2. Nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ, & erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem & Ieſus, & Diſcipuli eius ad nuptias. *Et deficiente vino, dicit mater Ieſu ad eum: Vinum non habent.* Nota Marianæ ſupplicationis modeſtiam, ſuſpice Virginis verecundiam, digniſſimam (etſi aliâ deeſſent) quæ miraculum feliciter impetraret. Non acceſſit, & materno iure palàm locuta eſt, vt audacter coram omnibus omnipotenti filio diceret: Obſecro fili, vinum deficit, erubeſcunt conuiuæ, confunditur ſponſus; ſcio quis ſis, oſtende quid poſſis. Sed licet hæc, & multò plura pectus æſtuans

*Vel Marianæ preces, verecundia patrocinium adſciſcunt?*

angore

angore alieno, & feruens de propriâ pietate, loqui poſſet affectus: priuatim tamen potentem pia filium mater adiit, non potentiam tentans, ſed modeſtè voluntatem explorans. S Bern. de Grad. Humil. prope finem. Eleganter Bernardus hâc ſuper re aliàs aliorſùm expenſus ita ſcribit: *Diſce & in matre Domini magnam in mirabilibus fidem habere, in magnâ fide verecundiam retinere. Diſce verecundiâ decorare fidem, deprimere præſumptionem.* (Nota attentiùs quæ ſubiicit verba) *Vinum*, inquit, *non habent. Quàm breuiter, quàm reuerenter ſuggeſſit, vndè piè fuit ſollicita. Et vt diſcas in huiuſmodi magis piè gemere, quàm petere præſumptuosè, pietatis æſtum pudoris temperans vmbrâ, conceptam precis fiduciam verecundè ſuppreſſit.* Ecce tibi Deipara virgo, de matris priuilegio, gratiarum velut arbitra, & domina precum, vt oportunum conuiuis ſubſidium impetret, verecundiam precibus auxiliarem adſciſcit, quò impetrandi fiduciam *verecundiâ decoraret*: & dum *precis fiduciam verecundè ſuppreſſit*, negotium impetrationis feliciter peregit. O, vel Marianæ preces verecundiæ aduocant patrocinium? Tantus impetrandi vigor pudori ſubeſt?

6. Geneſeos 24. Eliezer Abrahæ œconomus, in Meſopotamiam pergit cognatas Iſaaco nuptias quæſitum. Et prope vrbem Nachor iuxta puteum reſidet: & aliquo Dei inſtinctu expectat puellas vrbeculæ illius, quæ illò ad hauriendam aquam pergerent: Et ecce Rebecca egrediebatur filia Bathuel; Gen. 24. v. 16. *Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro; deſcenderat autem ad fontem, & impleuerat hydriam, ac reuertebatur. Occurritque ei ſeruus, &c.* Egredientem & reuertentem videt Rebeccam, nec verbulum illi facientem, & ex inceſſu, vultu, habitu, ſilentio, non modo puellarem ætatem, & oris venuſtatem, ſed virginem eſſe, & incognitam viro cognoſcit? An *Nō ſatis virgo habetur, quæ requiritur, cùm videtur.* non conſultiùs foret, vt ipſe vrbem ingreſſus de puellæ cognatione, ſtatu, & honeſtatis famâ diſſimulanter quæreret? De occurſu virginem explorat? Et quidèm conſultiſſimè. Serò enim, opinor, virgo de occurſu ignota, de famâ exploraretur. S Ambroſ. l. 3. de virgin. ſub initium. Belliſſimè Ambroſius, *Vocis virginitas prima ſignetur, claudat ora pudor, debilitatem excludat religio, inſtituat conſuetudo naturam. Virginem mihi priùs grauitas ſua nunciet, pudore obuio, gradu ſobrio, vultu modeſto, & prænuncia integritatis anteeant ſigna virtutis.* (Attende ad verba quæ ſubiicit) *Non ſatis probabilis virgo eſt, quæ requiritur cùm videtur.* Ipſe mulieris occurſus præuio verecundiæ bono, de eius integritate annunciat: nec ſatis virgo habetur, de quâ occurrente requiritur, an virgo ſit. *Velatur Rebecca, non decori timens, ſed pudori.* Vndè Abrahami ſeruo occurrens Rebecca, de inceſſu, de ſilentio, de venuſti oris modeſtiâ, *virgo pulcherrima, & incognita viro* ſtatim renunciatur. Adeò autem fuit aſpectabilis Rebeccæ modeſtia, vt cùm primò Iſaacum procùl vidit, *tollens citò pallium* Geneſ. 24. v. 65. *ſuum cooperuit ſe. Et vtique* ait Ambroſius *pul-* S. Ambroſ. Suprà. *chra virgo non decori timuit ſed pudori.* Nimis ambire ſolet deſponſata puella, & hactenùs ſponſo inuiſa; vbi primùm à ſponſo ſpectatur, illi de pulchritudinis gratiâ, & venuſtatis lenocinio perplacere. At Rebecca dum præproperè velamen aſſumit, *non decori timuit, ſed pudori* decoris blandimentum negligens, ne verecundiæ gratiam negligeret.

Geneſis 18. tres illi Angeli ſub humanâ ſpecie apud Abrahamum lautè hoſpitantur. Et 7.
poſt ablutionis tempeſtiuæ, & opipari conuiuij gratum obſequium, dixerunt ad eum: *Vbi* Gen. 18. v. 9. *eſt Sara vxor tua? ille reſpondit: Ecce in tabernaculo eſt.* Mirum ſanè eſt & valdè mirum, quòd Sara, etſi olim pulchra, iam grandæua, coram honeſtiſſimis hoſpitibus, quos domi alebat, nuſquam apparuiſſe dicatur; ſed poſt oſtium tabernaculi abſconſa reſederit, etiam poſtquam pij hoſpites, vbinam eſſet, interrogarunt, vt illi fauſta prænunciarent. Inurbanè *Sit pudica femina non ſatis vrbana, vt ſit ſatis verecunda.* videtur actum inciuilitate ruſticanâ, & adhuc Sara poſt tabernaculi oſtium deliteſcit, verecundiæ citiùs quàm vrbanitati conſulens, aliquâ inciuilitate pudoris modeſtiam exaggerans. Argutè Ambroſius viſitationes feminarum rariores eſſe cupit, ne vbi etiam abeſt libido, verecundia deſit: S. Ambr. l. 3. de Virg. *Teritur enim*, inquit, *officiis pudor, audacia emicat, riſus ſubrepit, modeſtia ſoluitur: Dum affectatur vrbanitas interroganti non reſpondere, infantia; reſpondere, fabula eſt. Deeſſe igitur ſermonem virgini* (cuilibet etiam pudoratæ feminæ) *quàm ſupereſſe malo.... Pudor ornat ætatem, taciturnitas commendat pudorem.* Quid elegantius? ſubindè affert Rachelis exemplum, quæ cum ignoto tunc Iacobo, officia vrbanitatis incautè exhibuit, fletu illicò caſtigauit. Fletum non Iacobo, ſed Racheli adſcribens, ita fatur: Gen. 29. v. 11. & 12. *Quid Rachel? Quemadmodum extorto oſculo fleuit, & gemuit? Nec flere deſiiſſet, niſi proximum cognouiſſet.* An non vides, quàm ſit vrbanitas in feminis verecundiæ periculoſa? Dum aliquâ inciuilitatis notâ inuritur verecundia, pudoris nitor micantiùs ſcintillat. Sit pudica femina non ſatis vrbana, vt ſit ſatis verecunda. Exlex eſt pudor ab his cultæ ciuilitatis nugis, verecundiæ priuilegio. Quid diſertæ vrbanitatis pretio, verecundiæ elogium nundinatis? Vrbanitatis commercium non ſit ſine pudoris iacturâ. Hanc ſententiam Virginibus Deo ſacris Ambroſius deſtinat.

Hinc coniectare liceat quàm inconſultè hîc Hic v. 15. & 21.
Verſ. 21. pulcherrima Vaſthi damnetur, eò quòd Verſ. 15. periculoſam verecundiæ iacturam feciſſe recuſauit. Maluit eſſe pudicè verecunda, quàm inuerecundè Regina.

---

## §. XXXIII.

*Pulchra femina, etiam tuta ſibi aliis intuta, obuiis ſpectatorum oculis obiicit ſeſe.*

PRofectò illa vituperonum de dicacitate 1.
præſcriptio, quæ pulchram feminam negat caſtam, dum aſpectibus non probatur, nemo *Eiuſdem libidinis eſt videre, & videri.* adprobaſſet, niſi aliqui tales, quales feminæ ipſæ, qui videri impenſiùs exambiunt. Tales enim oculi volent pulchram feminam in publico viſam, quales habet femina quæ videri volet. Tertull. lib. de Velam. Virg. c. 2. *Inuicem ſe eadem oculorum genera deſiderant. Eiuſdem libidinis eſt videri, & videre.* Tam ſancti viri eſt ſuffundi, ſi mulierem formoſam viderit, quàm ſanctæ & venuſtæ mulieris eſt, ſi à viro viſa ſit. Ea vtique præſcriptio deligenda

ſigenda, quæ pulchras feminas includit ſolî Deo, & maritis ſuis notas, quibus, præter quòd à Deo non ab hominibus, venuſtatis gloria captanda eſt. Adeò vt ipſum pulchritudinus bonum ſuum illis erubeſcendum ſit: ne ipſæ alieni aſpectus etiam ſtupidæ, intactæ non ſint à ſpectatorum ſtupro, oculorum congreſſione ſubtiliter perpetrato.

2\. 1. Corinth. 8. ita ſcribit Apoſtolus: *Videte autem ne fortè hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis.* Loquitur Paullus de his Chriſtianis, qui idola nihili (vt par eſt) æſtimātes, audebant tamē corām edere idolothyta: & bonā cōſcientiā ſaturi, cibos idolis libatos eſuriebant. Quam Apoſtoli ſententiam extendit, vel potiùs flectit S. Cyprianus ad homines, qui caſtitatis ſuæ ſecuros, de licentiā videndi, aut conuerſandi, infirmis offendiculum parant, ita fatus: *Cùm ergò*, inquit, *nos pulſat coniunctionis huius moleſtia deteſtabilis: etſi adulteros non poteſt facere, facit tamen peiores adulteris & inceſtis. Quis enim cordis alterius ſcrutator qualitatem vniuſcuiſque perpendat; & pro alterā perſonā contra Satanan repugnator, circa Deum verò idoneus fideiuſſor eſſe præſumat? De ſemetipſo demens eſt, qui aliquid pollicetur, ne dicam ſi etiam pro feminā ſponſionem ponere videatur.* Nimirùm demens eſt quiſquis ſuæ fragilitatis conſcius, in lubricā hominis naturā, laſciuiendi occaſionibus ſeſe fidenter inſinuat. Sed eſto, id de te ſpondere audeas: quæ dementia eſt, idem tibi de ſpectatoribus, ſeu contubernalibus ſpondere? Ignita Diaboli tela aduerſus tuos ſpectatores vibrata, deludere eualebis, ſtrenuus pro alterā perſonā contra Satanam repugnator? *Circa Deum verò idoneus fideiuſſor eſſe præſumis?* Pulchra ſanè Cypriani ſententia! Scilicet femina eleganti formā nitens, quæ ſibi periculi ſecura, ſpectatorum pericula confidenter negligit, *fideiuſſionis* apud Deum rea dicitur. Fideiuſſio autem ita fit, ſi interrogetur fideiuſſor ſic: *Fide tuā iubes quod iſte debet? & ille reſpondeat: Fideiubeo.* (vt Inſt. eod. ti. §. *in ſtipulationibus*) Exindè pulchritudo oculorum tenus proſtituta, etſi adulteram non poſſit facere, *facit tamen peiores adulteris & inceſtis*: nam rea eſt adulterij, & inceſti, & reliquorum criminum, in quæ ſpectatores incurrunt. Malè ergò feminæ conſcientia ſibi de ſecuritate adulatur, quandoquidèm concupiſcentiæ peſtem ac luem venuſtate afflans, adulteria & inceſtus ſenſim affricat, ſubtiliter conſtuprata. O malum! *fideiuſſor* exiſtis pro his, quos videndo vris, & clancularia ſcortationis obæratos facis? O neceſſariæ cautelæ ſalutarem eruditionem! Licet in te caſta ſis, in aliis impudicè ſcortaris, ſcortationis per *fideiuſſionem* rea.

1.Cor.8.v.9.

*Pulchritudo, quæ concupiſcentiæ periculum obiicit, fideiuſſionem apud Deum facit?*

S. Cypr. de ſing. Cler.

3\. S. Cyprianus de Habit. Virg. de virginibus quæ in publicum prodeunt, & cerni volunt, ita eloquenter ſcribit: *Pudori ac pudicitiæ corpora dicata proſtituunt.* Iterùm: *Dum liberiùs euagari virgines volunt, eſſe virgines deſierunt, furtiuo dedecore corruptæ.* Furtiuo dedecore corruptas & conſtupratas dicit, quæ pulchram faciem obuiis ſpectatoribus proſtituunt. Et S. Ambroſius lib. 3. de Virg. ait, quod in locis publicis *immuta eſt verecundia*, petulantiam oſtentatiuæ venuſtatis edocta. Tertullianus verò in lib. de Veland. Virg. ita hâc ſuper re fatur: *Omnis publicatio virginis bonæ, ſtupri paſſio eſt. Et tamen vim carnis pati minus eſt, quia de officio naturæ venit: ſed cum ſpiritus ipſe violatur in virgine ſublato velamine, didicit amittere quod tuebatur.* Multa his verbis addenſat Tertullianus, quorum ſingula ſigillatim enucleare, longum foret. Noſter Cerda premit verbum illud *didicit*, quod non ſine epithaſi ſcriptum eſt, cum agitur de pulchritudine in publicum prodeunte, vt frequentibus aſpicientium oculis pateat. *Sublato* (inquit) *velamine didicit amittere quod tuebatur. Quaſi dicat:* (ait Commentator) *Quæ detegitur eſt in ſcholā omnis incontinentiæ & libidinis, diſcitque omnem nequitiam.* Nimirùm detecta feminarum pulchritudo, *Schola* eſt incontinentiæ, & libidinis gymnaſium, in qua concupiſcentia in collegio carnis ediſcens, ad omnem turpitudinem eruditur. Vndè laudanda foret potius regina Vaſthi, quæ venuſtate nobilis, & regio cultu eximè ornata, in Principum populique totius conſpectum venire neglexit: ne quæ erat venuſtatis miraculum, foret incontinentiæ gymnaſium. Niſi ebrietas mariti id non iuberet; niſi ſobrietas vxoris id non recuſaſſet.

S.Cyprian. de Habit. Virg.

S Ambr. l. 3. de Virg.

Tertull. de Velan. Virg cap. 3.

*Omnis publicatio virginis bonæ, ſtupri paſſio eſt.*

P. Cerda in ibi. n. 47.

Hic verſ. 11. & 12 & 15. & 21.

1\. Corinth. 10. Sic ad ipſos Apoſtolus ſcribit: *Si ego cum gratia participo, quid blaſphemor pro eo quod gratias ago.* Quaſi dicat: Etſi mihi impunè licet veſci idolothytis ex gratiā Euangelicæ libertatis gratias agendo Domino, quorsùm tamen cum ſcandalo id faciens, *blaſphemor*, id eſt, aliorum maledictis, aut ſcandalo adſimiliter edendi, me exponam, aut malè de me loquantur, & non bonum mei exemplum arripiant, quaſi idololatra ſim, & idolorum communione pollutus? Hanc Paulli ſententiam ad ſcandala femineæ pulchritudinis, etſi ſibi innoxiæ, aſpicientibus tamen pernicioſæ, eleganter deriuat Origenes: *Sed conſentio*, inquit, *non eſſe caſtitatis huius pudicitiam violatam: ſuſpicioſis tamen malam porrigit famam; & pudicitia bonum fruſtra interinſecùs laborioſo agone cuſtodit, qui illud forinſecùs efficit infamari, deſtruens magiſterium Paulli prouidentis pariter ac monentis: Si ergò gratia participo, vt quid blaſphemor pro eo quod gratias ago?* (Attentiùs perpenſa quæ ſubtexit verba) *Peius eſt quam mœchia, continentiam ducere criminoſam, & infamem facere ſanctitatem.* Quaſi dicat: Si gratiæ gratioris venuſtatis particeps, quid blaſphemaris (cùm ornatior & comptior in publicum prodis) pro gratia pulchritudinis, pro quā Deo gratias agere, & potes & debes. Blaſphemaris autem quia etſi integrā conſcientiā, & ſecura tuæ pudicitiæ publicis te conſpectibus permittas, dum liberiùs euagari voles, pudica eſſe deſiſti, obuiis ſpectatorum oculis & affectibus proſtituta: & indè *peior adulteris & inceſtis*. Nam *peius eſt quam mœchia continentiam ducere criminoſam, & infamem facere ſanctitatem*: cùm in tuā pudicitiæ ſecuritate, ſpectatorum oculi ſubtiliter ſcortentur, eximiæ pulchritudinis lenocinio titillati. Bona tua conſcientia, intuta planè eſt, & furtiuæ ſcortationis rea: tot enim adulteria, & inceſtus, & ſtupra pateris, quot laſciuientium ſpectatorum oculos petulanter admittis. Omnis publicatio gratioris pulchritudinis, aliena ſtupri paſſio eſt, & clādeſtina cupidinū nundinatio. Nemo non ſibi malus eſt, qui aliis improbus eſt. 4.

1\. Cor. 10. v. 30

Corne. libi.

Orig. apud Cyp. de ſing. Cler.

*Peius eſt quàm mœchia, continentiam ducere criminoſam.*

Geneſeos 24 Eliezer Abrahami œconomus, iuxta puteum ſedet cognatas nuptias Iſaaco è diuiniori prouidentiâ captans. Et ecce Rebecca egrediebatur habens hydriam in ſcapulâ ſuâ: puella decora nimis, virgóque pulcherrima, & incognita viro: quam reſpondentem de ſuo genere, potumque largè Eliezero & camelis porrigentem, *Ipſe contemplabatur eam tacitus, ſcire volens vtrùm proſperum iter ſuum feciſſet Dominus, an non.* Lipomanus quâ ſolet eruditione, & linguarum peritiâ ſagaciùs examinat verbum illud *contemplabatur*, ita ſcribens: *Radix verbi eſt* שאה *ſaa, quæ propriè ſignificat deuaſtare & deſolare: & indè poſtea ponitur pro admirari, ſeu cum admiratione contemplari.* Num tacitus Eliezer aſpectu & mente cum venuſtatis admiratione *contemplatus* pulchram virginem, quæ illius oculis vltrò ſe ingeſſit, eam *deuaſtare*, & *deſolare* dicitur? O fuge doloſas oculorum machinulas, pudoris ſæpè ſubtiliter expugnatrices! O amicè hoſtilem ab oculis vaſtitatem! Eliezeris oculos candidè Rebecca paſſa eſt. Aſt *deſolari* & *deuaſtari* cupit, quæ ſuæ venuſtatis conſcia, & pudoris etiam ſibi ſecura, publicis virorum aſpectibus ſeſe obiici ſtudet. Periculosè pulchritudo in oculos incurrit, tanquam in pudicitiæ ſcopulos. Moraliſſimè quidèm vel Eliezeris caſta caſtæ virginis *contemplatio*, *vaſtationis*, aut *deſolationis* nomine denotatur. Linguæ ſanctæ ſignificantiam, non modo myſteriorum, ſed moralitatum etiam grauidam, ſuſpicere licet.

*Geneſ.24.v.21. — Lipom.ibi. — Doloſa oculorũ machinulæ, aſpectabilem pulchritudinem deuaſtare dicuntur.*

8\. Matthæi 28. Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in primâ ſabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrũ. Et ecce terræmotus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cælo: & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum: *Erat autem aſpectus eius ſicut fulgur: & veſtimentum eius ſicut nix.* Angeli cùm apparent eâ ſpecie apparent, quæ conueniat rei propter quam apparent. Cum ergò hìc Angelus appareat vt repræſentet reſurrectionem glorioſam Chriſti, hinc facies eius micanter fulgurabat. Vndè optimè repræſentat quattuor dotes corporis glorioſi, tam Chriſti, quàm Beatorum; ſcilicet claritatem, impaſſibilitatem, ſubtilitatem, & agilitatem. Per reſurrectionem enim Chriſti, ait S. Leo: *Infirmitas in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia tranſiuit in gloriam.* Quin & ſi tropologiam ſpectes, cùm per *fulgur* intelligatur Prædicator, benè Angelus Reſurrectionis magiſter, *ſicut fulgur* apparet: O Baſili (ait Nazianzenus) *Tonitru tuus erat ſermo, at vita fulgur.* Idcircò igitur Angelus apparuit ſicut *fulgur*. Aſt quare *veſtimentum eius ſicut nix* apparet? Aliqui putant niueam induiſſe ſtolam ad apparentiam, vt niueus veſtium candor, gaudium & gloriam Dominicæ Reſurrectionis, præſertim dotem claritatis habitu demonſtraret. Addit etiam noſter Cornelius, quòd niueus hic veſtium *candor & fulgur ſignificat puritatem, innocentiam, & caſtitatem Angelorum.* Vetus etiam quæſtiuncula eſt, cur cæleſtis Angelus puritatis ac caſtitatis habitum induat, cùm Reſurrectionem annunciat? Aliàs perſæpè in Bibliis apparens, nulla mentio veſtiũ inducitur; & in Reſurrectione non ſolùm amictus, ſed nuncupatim niueus Angeli amictus deſcribitur? An *caſtitatis* habitus ad myſterij credibilitatem aſſumitur? Vel fidem Angelo debitam, caſtitatis veſtis auget, & adornat? Verùm enimuerò Angelus cæleſtis vel cæleſtia annunciaturus mulieribus, *Niueum puritatis & caſtitatis veſtimentum* moraliſſimè aſſumit. Quod pulchrè inibi Drumarus adnotauit: *Et veſtimentum eius nix. Ad blanditiam mulierum factum eſt vt Angelus in ſpecie niuis appareat.* O appoſitè! Nimirùm Angelus è mulierum blanditiis ſatis eſt tutus in ſuæ naturæ aſylo. Longè enim eſt corporis ſcoria, à corporis experte Angelorum indole. Aſt cùm in Reſurrectione ſpeciem pulchri iuuenis præferat, fulgoris ſplendore glorioſè amictus, ſibi tutiſſimus, ne mulieribus forſan intutus appareat, exemplari magiſterio præcauet: & qui in pulchrâ iuuentâ gratum fulguris candorem toto ore ſcintillat, *niues* ſpectatorum oculis obiicit, & frigora veſtibus ſpirat, ne vel leuis forſan ſcintilla libidinis incautis ſubſultet. Præcautio Angelis ſuperuacua, ſit humanæ cautelæ gymnaſium. *Ad blanditiam mulierum factum eſt, vt Angelus in ſpecie niuis appareat.*

*Matth.28.v.3. — Per Reſurrectionẽ noſtra mortalitas in immortalitatem, contumelia tranſiuit in gloriam. — S.Leo Serm. de Aſcenſ. — Prædicatoris ſermo ſicut tonitru, vita fulgur. — Nazian. Or. pro Baſi. — Cornel. ibi. — Num Angeli niuea veſtis, mulierũ blãditiem cautè arcet? — Drumar.*

---

## §. XXXIV.

*Ira id æquum videri vult, quod iniquè iudicauit; dum æquitatis prætextum iniquitati iniquiùs oſtendit.*

Ratio nihil præter ipſum, de quo agitur, ſpectat; ira vanis & extra cauſſam argutiis rem malè factam, aut peius faciendam cohoneſtare præſumit. Hoc vitium Iudices putant conſtantiam, & iniqua pertinacia eſt. Cn. Piſo (Senecam legis) memoriâ noſtrâ, vir à multis vitiis integer, ſed prauus, *& cui placebat pro conſtantiâ rigor.* Is cùm iratus duci iuſſiſſet eum, qui ex commeatu ſine commilitone redierat, quaſi interfeciſſet, quem non exhibebat; roganti tempus aliquod ad conquirendum, non dedit: damnatus extra vallum deductus eſt, & iam ceruicem porrigebat, cùm ſubitò apparuit ille commilito, qui occiſus videbatur. Tunc Centurio ſupplicio præpoſitus, condere gladium ſpiculatorem iubet, damnatum ad Piſonem reducit, *redditurus Piſoni innocentiam. Nam militi fortuna reddiderat.* Ingenti concurſu deducuntur, complexi alter alterum cum magno gaudio caſtrorum commilitones. Conſcendit tribunal furens Piſo, ac iubet duci vtrumque, & eum militem, qui non occidit, & eum qui non perierat. Quid hoc indignius? Quia vnus innocens apparuerat, duo peribant. Piſo adiecit & tertium. Nam illum Centurionem, qui damnatum reduxit, duci iuſſit. *Conſtituti ſunt in eodem loco perituri tres, ob vnius innocentiam. O quàm ſollers eſt iracundia ad fugiendas cauſſas furoris. Te inquit, duci iubeo, quia damnatus es, te quia cauſſa damnationis commilitoni fuiſti, te quia iuſſus occidere, Imperatori non paruiſti. Excogitauit quemadmodum tria crimina faceret, quia nullum inuenerat.* Habet hoc malum cognatus Præfectorum faſtus; iuſtitiam & innocentiam erogat, ne quid ſibi derogare videatur.

*1. — Seneca lib. 1. de Ira, cap. 16. — Piſo tria crimina in ſubditis facit, quia nullum quod puniret, inuenit.*

1.Reg.

1. Reg. 18. cùm reuerteretur Dauid percuſſo Philiſthæo, egreſſæ ſunt mulieres de vniuerſis vrbibus Iſraël; cantantes, choroſque ducentes in occurſum Saul regis. Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percuſſit Saül mille, & Dauid decem millia, *Iratus eſt autem Saul nimis:* & à die illâ Dauidi necem moliebatur. Sed vide quo malitiæ actu iracundia deſæuiat, dum inſanè ferocit: Dixitque Saül ad Dauid: Ecce filia mea maior Merob. ipſam dabo tibi vxorem: tantummodo eſto vir fortis, & præliare bella Domini. *Saül autem reputabat, dicens: Non ſit manus mea in eum, ſed ſit ſuper eum manus Philiſthinorum.* O ſcelus! Quid tam impiè ac ſubdolè temerarium, quàm obtentu præliandi bella Domini, hoſtium Domini pugnacem expugnatorem è medio tollere; tot illi deſtinare ſpiculatores, quot ſui ſceptri hoſtes; cognatum ſanguinem innoxiè fundere? idcircò enim generum efficiebat, vt ſubdolum homicidium faceret particidium. O ſæuas irati hominis argutias, impietatis & ingenij plenas! Eloquenter Zeno Veronenſis ita ſcribit: *Impatientia*, iracundiæ liuore exagitata, *quid eſt, niſi mens lubrica, permotionibus crebris & rapidis ſeſe ſemper expugnans, animus infidelis, etiam ſibi factus improuidus, inſtabilis, cæcus, incautus, inconſtans, totus concitatus in ruinam; res ſine ſubſtantiâ, negotium ſine perſonâ ..... acumen temeritatis, auctor deteſtabilium, pariter ac magiſtra malorum?* Profectò tametſi impatientiæ iracundia ſit *res ſine ſubſtantiâ, & negotium ſine perſonâ*, conſultiſſimè dicitur, *acumen temeritatis*. Porrò dum rex Saül, Principum nequam idea, *nimis iratus* dicitur in Dauidem, argutâ nimis temeritate in illum ferocit. Hebes ſanè foret illius inuidioſa & ſceleroſa nequitia, niſi ab iracundiâ veternoſâ *acumen temeritatis* mutuaret. Indè excogitauit quemadmodum multa crimina ſpecie pietatis faceret, quia nullum in Dauide crimen inuenerat. Heu ſæpè Præpoſitis placet pro conſtantiâ rigor; & reorum innocentia, illorum crimen eſt? Non eſt hæc conſtantiâ, ſed arrogantia, & furor. Sæuitia in cauſsâ eſt, & ratio pietas, ſeu iuſtitia prætenditur. Quaſi Iudex hominem deſueſcens, errare non poſſit, pudet palàm errata corrigere. Ipſe præ iracundiâ cæcus, *acumine temeritatis*, ſpectatores perſtringere fruſtrà præſumit.

1. Reg. 18. v. 17.

*Iu laorum iracundia, acumen temeritatis eſt.*

S. Zeno ſer. de Patient.

3\. In hoc cap. 1. male iraſcitur Aſſuerus, quia Vaſthi regio pudori citiùs, quàm mariti crapulæ obedit. *Vnde iratus rex, & nimio furore ſuccenſus, interrogauit ſapientes, qui ex more regio ſemper ei aderant*, cui ſententiæ regina Vaſthi ſubiaceret. Qui omnes ore Mamuchani reſpondent, diuortij, & exilij, aut fortè capitis ream eſſe. Ecquis non miretur tanto conſenſu omnes ad vnum Senatores in tam iniuſtam ſententiam conſpiraſſe, vt nec vnius ſuffragij titubatio innocenti militauerit? ô aulicos ſapientes, id eſt, gradu peritos, ambitione adulatores! Nimirùm vident Principem *iratum & nimio furore ſuccenſum*, & in eius irato vultu ſententiam innocentis legunt. Præſtaret conſilium cunctatione comere, & rationem pacatè conſulere: nam affectus iræ citò cadit, (quod Aſſuero accidit, licet ſerâ pœnitentiâ) æqualis eſt ratio. Sed iratus conſulit de more annuentes conſiliarios, de iracūdiæ ſubdolâ aſtutiâ, & *acumine temeritatis*. Luculenter Seneca humanos affectus velut per anotomiam explorans, ita in re ſimili fatur: *Ratio*, inquit, *vtrique parti locum dat & tempus; ira feſtinat. Ratio id iudicari vult, quod æquum eſt: ira id æquum videri vult quod iudicauit.* Quid accommodatiùs? Nempe Principis ira neutri parti locum dat, ſed feſtinat aulicorum ſapientum adulationem, potiùs quàm peritiam conſulere: nam *ira id æquum videri vult, quod iudicauit*: ratio autem id iudicari vult, quod æquum eſt; nihilque præter ipſum, de quo agitur, ſpectat: ira vanis, & extra cauſſam obuerſantibus permouetur, quæ iræ ingenio, ſeu *acumine temeritatis*, ſapientum ſuffragio ſubdole veſtit.

Hic verſ. 12. & 13. & 18. & 21.

*Ira id æquum videri vult, quod indicauit.*

Seneca lib. 1. de Ira, c. 16.

4\. Geneſeos 4. factum eſt vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui: & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain verò, & ad munera illius non reſpexit: *Iratuſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius. Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? & cur concidit facies tua?* &c. Nimirùm Cain Adæ primogenitus, & humanæ familiæ princeps, cùm impiè irrationali & belluinâ rabie aduerſus iuſtum Abelum iniuſtè ferocit, *iratus vehementer* dicitur. Sed cur iniquæ indignationis, & impiè meditati facinoris cauſſa quæritur, & ratio perueſtigatur? Quam rationem colorando ſceleri idoneam, iratus Cain afferre poterit? Exiſtimauerim, quòd ſacer Hiſtoricus tacitè rationem inſinuat; ſiquidèm poſtquam dixit, Cainum fuiſſe vehementer *iratum*, addidit, *Et concidit vultus eius.* Quaſi familiæ primogenitus & princeps Cain, oculos in terram demittens; non è cælo, quod offendere flagitio molitur, ſed è terrâ, terreniſque cauſis moueatur: *Vehementer* (inquit Rupertus) *iratus eſt, quod ab effectis claruit protinùs, quia concidit vultus eius, videlicet irâ in odium verſa trabali pondere declinauit in terram vultum & oculos eius. Terram namque aſpiciunt qui crudelia meditantur. Vndè eſt illud in Pſalmo: Proijcientes me nunc circumdederunt me, oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Quæ Pſalmi verba ſicut Rupertus expoſuit de irato Caino oculos in terram declinante, & indè mutuante impiæ vltionis cauſſas; ita Hieronymus, Auguſtinus, Caſſiodorus, & alij explicant de iracundiâ Iudæorum, qui in interficiendo Chriſto ſolas cogitationes terrenas aſpexerunt, nempè periclitari locum, & gentem ipſorum, niſi eum occiderent malitioſè prætexentes: *Si dimittimus eum ſic, venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* Sic Cainus, ſic Pontifices Caini æmuli, *irati* in Abelum, & Abeli antitypum, *ſtatuerunt oculos ſuos declinare in terram*, ex quâ eorum ira rationes, quæ terram ſaperent, mutuarent ad enorme flagitium ſceleroſiùs perpetrandum.

Geneſ. 4. v. 5. & 6.

*Princeps iratus oculos in terram deijcit; indéque terra rationes quærit.*

Ruper. l. 4. in Geneſ. c. 3.

Pſal. 16. v. 11.

S. Hierony.
S. Auguſtin.
Caſſiodorus.
Ioan. 11. v. 48.

5\. In hoc Eſtheris 1. cap. regina Vaſthi palàm vocata renuit ad regis Aſſueri imperium, populi temulenti oculis proſtitui. *Vndè iratus rex, & nimio furore ſuccenſus*, interrogauit ſapientes, qui ex more regio ſemper ei aderant, *cui ſententiæ Vaſthi regina ſubiaceret.* Hebraicè, *Secundum legem, quid faciendum in reginâ Vaſthi.* Hi principes conſiliarij aſtutè aduertunt, *iratum regem* ſupplicij acerbitatem colorare velle alicuius legis ſeruandæ ſpecie, ne

Hic,v.19. palam furere videatur. Vndè ſiue irâ Regis ipſi
indignati, vel de aulica aſſentatione regis ira-
cundiæ adulantes, Mamuchani ore reſpon-
dent: *Si tibi placet* (ô rex) *egrediatur edictum*
*à facie tuâ, & ſcribatur iuxta legem Perſarum*
*atque Medorum, quam præteriri illicitum eſt, vt*
*nequaquam vltrà Vaſthi ingrediatur ad Regem.*
*Ingenioſa eſt ira, dum legũ obſeruandarũ ſpecie ſæuit.* &c. Vide nunc malitiæ ingenium, dum ira in
barbaram vltionem exaſperatur. *Iratus rex* au-
licos ſapientes interrogauerat, *Secundum legem,*
*quid faciendum in reginâ Vaſthi?* Illi autem
reſpondent ad nutum Regis, duriſſimam ini-
què ſententiam; & addunt: *Egrediatur edi-*
*ctum, & ſcribatur iuxta legem Perſarum atque*
*Medorum.* &c. quaſi eorum ſententia ſit lata
iuxta antiquas eorum leges. Et tamen, vt ſaga-
Mariana inibi. cius inibi obſeruauit Mariana, Hebræa non
habent, *Scribatur iuxta legem Perſarum; ſed,*
*ſcribatur in legibus, ideſt, inter leges Perſa-*
*rum. Itaque Hebraica ſignificant, fore vt ea lex*
*noua ceteris earum gentium adiungatur.* Ecce ti-
bi quo malitiæ ingenio, ira, & nimius furor
deſæuiat. Quaſi iuxta antiquas & receptas le-
ges, quas præteriri illicitum eſt, operari præ-
tendit, dum nouam ſæuitiæ legem denuò con-
dit, vt iuſtè ſæuire videatur. Iniquam legem
nouè ſtatuit ſub antiquarum vmbrâ, ne non ira
& nimius furor, crudelitatem æquitatis præ-
textu obtendat. Ratio id iudicari vult, quod
æquum eſt: *ira id æquum videri vult, quod iu-*
*dicarit.*

6. Ieremiæ 25. *Dereliquit quaſi leo* (Iſraël)
Ierem.25.v.28. *vmbraculum ſuum, quia facta eſt terra coram in*
*deſolationem à facie iræ columbæ, & à facie iræ*
Pagninus Varablus *furoris Domini.* Pagninus & Vatablus excri-
Hebræus bunt, *à facie oppreſſoris.* Alij ex Hebræâ origi-
Chaldæus. ne, *à vino furoris Domini*, cui Chaldæus Pa-
S. Gregor. raphraſtes concinit, *à facie gladij inimici, qui*
*inebriat ſicut vinum.* S. Gregorius Magnus lib.
*Principis furor ſit velut ira columbæ.* 32. Moral. cap. 7. præſcripta Prophetæ verba
ſic exponit: *A facie iræ columbæ, & à facie fu-*
*roris Domini. Quod iram columbæ prædixerat,*
*hoc furorem Domini ſubiunxit. Columba nam-*
*que valdè ſimplex eſt animal; & quia in Deum*
*nulla furoris inæqualitas ſerpit, furorem Domini*
*iram columbæ nominauit. Vt enim diuinæ diſtri-*
*ctionis vim imperturbabilem demonſtraret, &*
*iram dixit, & columbæ: ac ſi apertiùs diceret:*
*Diſtrictum iudicium inconcuſſus exerit, qui per-*
*manens manſuetus iniuſtos punit.* Moraliſſimè
quidèm Gregorius Dei furorem iniraſcibili &
pacatiſſimæ ſemper columbæ aſſimilat. O vti-
nam ſic ſceleroſè ſontes Principes ac Iudices
S.Hierony. humani punirent. Verùm ſæpè furorem verè
S. Thomas exerunt, & irâ ferociunt, & mentito *columbæ*
Gueuara vocabulo inſanam nimis iram, & animi furo-
Caſtrius Maldonat. rem colorant. Exindè S. Hieronymus, S.Tho-
Cornelius. mas, Gueuara, Caſtrius, Maldonatus, Cornelius,
& alij, per *columbam* accipiunt Nabuchodono-
ſorem & Caldæos, qui ebrio correpti furore,
*Ira oppreſſoris, vocabulo iræ columbæ colorari ſatagit.* & immenſâ amplificandæ Monarchiæ ambi-
tione, non modò vrbem Ieruſalem ad parie-
tinas redegerunt, ſed ſanctum Dei templum,
vnicum orbis ſacrarium immaniter combuſſe-
runt. O, ira *gladij inimici* inebriati vino furo-
ris, *ira oppreſſoris*; *iræ columbæ* honeſtum no-
men exambit? Furor, oppreſſio, arrogantia, in-
ſania, auaritia, potentiæ robore armata, dum
iracundiæ nomen diſſimulare ſatagit, *iræ co-*
*lumbæ* vocabulum quærit, quò inſanè præcipi-
tem *opprimentis iræ* furorem tectiùs abſcondat.
*Columbæ* nomen *iræ* excogitauit: nam *ira id*
*æquum videri vult, quod iudicauit*; quod eſt *acu-*
*men temeritatis*, & inſanæ hoſtilitatis meta.
Obnixiùs ſatagis, vt appareat, & dicatur *ira*
*columbæ*; ſed iracundiæ furor tranſparet; quia
reipsâ eſt *gladius inimici, vinum furoris, & ira*
*oppreſſoris.* Sic ira mentitur pacatæ rationis fre-
nos, vt effrenis inſaniat.

## §. XXXV.

*Non bonæ mulieris imbona elogia ad-denſantur, ſi fortè nimius erga eas virorum amor inter-ſtinguatur.*

AMans quid cupiat ſcit, quid ſapiat ne- 1
ſcit. Amor negotioſus videtur, & ta-
men otioſæ cura eſt ſollicitudinis. S. Hierony- *Nimij amoris non bona elogia addenſantur.*
mus plura non bona amoris elogia, in lib. 1.
aduerſ. Iouinianum addenſat, ita fatus: Scri-
pſerunt, inquit, Ariſtoteles, & Plutarchus, &
noſter Seneca de Matrimonio libros, ex qui-
bus & ſuperiora nonnulla ſunt, & iſta quæ
ſubijciemus. (Nota hæc Senecæ verba, digna,
quæ S. Hieronymus excripſerit) *Amor formæ,* S.Hiero.lib. 1.aduerſ.Iouin. ex Seneca.
*obliuio eſt, & inſaniæ proximus, fœdum mini-*
*meque conueniens animo ſoſpiti vitium, & turbat*
*conſilia, altos & generoſos ſpiritus frangit, à ma-*
*gnis cogitationibus ad humillimas detrahit, que-*
*rulos, iracundos, temerarios, durè imperioſos, ſer-*
*uiliter blandos, omnibus inutiles, ipſi nouiſſimè*
*amori, facit. Nam cùm fruendi cupiditate inſa-*
*tiabili flagrat, plura tempora ſuſpicionibus, la-*
*chrymis, conqueſtionibus perdit, odium ſui facit,*
*& ipſe nouiſſimè ſibi odio eſt.* Vide an in aliquas Hic verſ.11. &c. & 21.
iſtiuſmodi ignominias, nimius erga reginam
Vaſthi amor Aſſuerum illius peramantem,
adegerit.

3. Regum 11. Salomon nuper Dei ſuffra- 2.
gio optimus, poſtmodum à ſcripturâ damna- 3.Reg.11.v.3.
tur. *Auerterunt mulieres cor eius.* De quibus au- *Mulierum noxia epitheta ſpiſſantur.*
det Maximus. *Mulier eſt viri naufragium, quie-*
*tis impedimentum, vitæ captiuitas, quotidianum*
*damnum, voluntaria pugna, ſumptuoſum bellum,* Maximus ſer.39.
*bellua conuiua, ſollicitudo confidens, leæna com-*
*plectens, exornata Scylla, animal malitioſum,*
*malum neceſſarium.* Cauſſam reddit ſapiens:
*Cor humile & facies triſtis, & plaga cordis, mu-*
*lier nequam.* Et in eandem ſententiam Ephrem: Eccli.25.v.31.
*Quid inter quadrupedia leone terribilius, aut in-* S. Ephrem.
*ter reptilia dracone crudelius? verùm nihil ad* apud Politi-
*malam mulierem.* Addit etiam Euripides: *Cùm* co-Chriſtia-
*multæ in terrâ marique feræ ſint, omnium maxi-* num.l.1.c.4.
*ma mulier fera eſt.* Beatus, qui ſe hâc eximere vbi hæc loca addenſat.
potuit, potuitque qui voluit. Quæ vecordia
eſt, ſic hianter ſuſpirare eius amorem, quæ
*amicitiæ inimica* eſt?

Eccleſiaſtici 26. *Sicut bonum iugum*, in- 3.
quit, *quod mouetur, ita & mulier nequam:* Eccli.26.v.10.
*qui tenet illam, quaſi qui apprehendit ſcor-*
*pionem.* Benè de mulieribus Chryſologus: S. Chryſolo.
*Lachrymis arma vincunt, regna fletibus incli-* S.Cyprian. S.Ambroſ
*nant, lamentis totam fortitudinem virorum* apud Politi-
*frangunt.* Addit Chryſologo Cyprianus: co-Chriſtia.
*Quantos leones domuit vna infirmitas deli-* ſup.
*cata,*

*cata, quæ cùm ſit vilis & miſera, de magnis efficit prædam!* Hercules, Sanſon, Adam, Salomon nos docent. Herculeas flammas poëtæ loquuntur, de Samſone illud Ambroſij eſt: *Samſon validus & fortis leonem ſuffocauit: ſed amorem ſuum ſuffocare non potuit: vincula ſoluit hoſtium; ſed ſuarum non ſoluit nexus cupiditatum. Meſſes incendit alienas; ſed vnius mulieris accenſus igniculo, meſſem ſuæ virtutis amiſit.* Sibi felicitatem inuidet, qui feminei amoris blandimenta aucupatur. Odium ſui facit, & ipſe nouiſſimè ſibi odio eſt, inſanus non tam voluptatum, quàm calamitatum riualis.

*Vilis & miſera mulierum infirmitas valida quæque infirmat ſui amore.*

4. Ioſue 10. Quinque reges Amorrhæorum Ioſue pugnaciter inuadit, & totâ die ſtrenuè pugnando male concidit. Vergit ad occaſum Sol, forſan properantiùs, vt à tot ſtragibus oculos pius auertat. Sed victoriæ tempus eripit, dum eius abſentia tenebrarum obſequio, fugæ locum aduerſariis obtendit. Tunc locutus eſt Ioſue Domino in die, quâ tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſraël, dixitque coram eis: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Steterúntque Sol & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.* Imperioſa ſanè hominis vox, & humano faſtidio maior; quippè quæ cæli aſtris ſtitionem indixit, orbe miraculum ſtupente. Sed eſtò, ſolem ſiſtere præſumit Ioſue, quare Lunæ inhibere curſum, & illam habere cum ſole præſentem, ſic exambit? An ſidereos ſuæ victoriæ teſtes ambitioſus aduocat, veritus reliquorum de præluſtriori victoriâ inuidiam? Opinor, lux Solis illi vſui erat, tenuis autem Lunæ nitor, planè ſuperuacuus ad conſummandam hoſtium ſtragem, quæ ardentet in votis erat. Quorsùm Lunam ſiſtere pari vocis imperio molitur? Nemo Interpretum hoc dubium non vidit, ſed nemo præter Abulenſem, difficultatem opportunè diſſoluit, ſic inibi fatur: *Sol contra Gabaon ne mouearis & Luna contra vallem Aialon. Quæret aliquis, cùm Ioſue orauerit ſtare Lunam, quia motâ eâ credebat mouendum ſolem, quare,* &c. Scilicet etſi Ioſue tantùm indigeret lumine ſolis, non putauit ſuperuacuam, ſed prorsùs neceſſarium, Lunam pariter ſiſtere: nam motâ Lunâ non cenſuit veroſimile ſolem ſtare, eamque non inſequi. *Quia motâ eâ credebat mouendum ſolem.* Sic cæli Rex Reginam cæli, & ſuam Phœben Phœbus adamare putatur; eiuſque veſtigia (vtvt poteſt) inſequi, & eiuſdem præſentiam ambire? Eámne opinionem de cæleſti profanè amaſio, ſidereæ venuſtatis riuali, Ioſue imbiberat? Res ſanè miriſſima, & quæ amantium, vel potiùs amentium affectum exaggerat. Poſſibile nimirum cenſuit Ioſue, Solem ipſum à mundi initio ratis, rapidiſque curſibus ex Dei imperio adſuetum, voce ſiſtere, & eius curſum humanâ præceptione cohibere: & impoſſibile iudicauit, motâ Lunâ non pariter mouendum Solem; aut Phœbum ſuæ Phœbæ ardenter amaſium, ſiſtendum in cælo, Lunâ procùl abſcedente. Quid exaggeratius?

Ioſue 10. v. 12. & 13.

*Impoſſibile cenſuit Ioſue, mota Phœbe Phœbum ſiſteret*

Abul. ibi. q. 21.

5. Siracides Eccleſiaſtici 25. *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri,* (ὄφεως, id eſt, *ſerpentis*) *& non eſt ira ſuper iram mulieris.* Mulierum hîc non bonam indolem perſtringit Eccleſiaſticus vt ſibi caueant viri (ait inibi Cornelius) ne earum amori etiam in coniugio nimis indulgeant eaſque perditè ament, ne ab eis perdantur. Serpens venenum gerit in capite, quod in hominem virulenter euomens & expirans, eum lædit, & interimit: Sic mulier ore gerit venenatam iram vel inimicam pulchritudinem, quæ per concupiſcentiam viros perniciosiùs venenat. Græca pro τὸ *mulieris* habent *inimici*: Non bonum planè ſynonymon. Palacius per colubrum intelligit ſerpentem, qui Euam, & per eam Adamum decepit, eoſque venenato ſibilo à paradiſo eiecit. Vide non bonum par, quod hîc Eccleſiaſticus committit: Nempè paradiſeum *ſerpentem*, & *mulierem*: Audiendus eſt hâc ſuper re Hugo Carenſis, qui ſic myſticè philoſophatur. *Coluber eſt Diabolus, quaſi colens vmbras. Caput colubri eſt praua ſuggeſtio Dæmonis. Mulier hîc eſt ſenſualitas, ſiue caro; ira mulieris, concupiſcentia carnis.* Itaque colubri nomine ſerpens intelligitur, qui in paradiſo Euam decepit, nec prauis ſuggeſtionibus ceſſat homines deprauare. Vide compar in malitiâ, & fortè nequius, magiſque idoneum ſeductionis organum, *mulier* inquam quæ dicitur ſynonymum ſenſualitatis, ſeu carnis: *ira* autem mulieris, quæ ſuper omnem iram exardeſcit, *concupiſcentia carnis eſt.* Et ſanè notatione digniſſimum eſt, quòd acrioris *iræ* nomine, *concupiſcentia carnis*, quàm mulier ſufflammat & accendit, denotetur. Planè ira eſt, impotens amoris furor. Hinc Bacchæ in Orgiis ſacro furore initiatæ, & ſerpentibus horridè coronatæ, Euam Euam conclamabant. *Nam* (vt ait S. Epiphanius) *Eua ſi tenui ſpiritu pronuncietur, feminam ſignificat: ſin aſpiretur, Hebræi hoc vocabulo Heuâ ſerpentem intelligunt.* Putabas amare mulierem, & *ſerpentem* iracundè venenatum, ſeu *inimicum* amaſti.

Eccli. 25. v. 22 & 23.

Cornel. ibi.

Palacius ibi.

Hug. Carenſ. ibidem.

*Ira nomine, concupiſcentia carnis denotatur.*

S. Epiph. in Breui Cath: fidei expoſit. n. 10.

6. Lucæ 14. factum eſt cùm intraret Ieſus domum cuiuſdam principis Phariſæorum, *Ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.* Multa multi ſuper morum vitio, quod hydrops ethicè adumbrat. Hugo Carenſis ſic inibi ſcribit: *Per hunc ſignificantur luxurioſi, quia ſicut hydropycus quanto plus bibit, tantò plus ſitit, ita qui ſe luxuria immergit, ampliùs eam appetit.* De facili quiuis ex hydropis comparatione, immetatè auidam libidinis malitiam infamet. Eheu laſciuus ipſam luxuriæ ſitim bibit! & indè ſenſualitatem inquietat, vndè credi poterat mitigata.

Lucæ 14. v. 2.

*Libido hydropi ſimilis eſt, dum ipſa ſitim bibit.* Hugo ibi.

7. Matthæi 19. dum Chriſtus vxoris dimiſſionem, lege antiquâ permiſſam, seriò vetat, dicunt ei Diſcipuli eius: *Si ita eſt cauſſa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Ad quæ verba, hæc non bona mulieris epitheta adlenſat Chryſoſtomus: *Quid aliud eſt*, ait, *mulier quàm amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, neceſſarium malum, naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta?* Pergit Tertullianus in lib de Habitu muliebri ſic mulieres alloquens: *Tu es Diaboli ianua: tu es arboris illius reſeratrix, tu es diuinæ legis deſertrix, tu es quæ ei perſuaſiſti quem Diabolus aggredi non valuit;* Hæc non bonæ, nec pudi-

Matth. 19. v. 10.

S. Chryſoſt. ibi expenſus.

*Mulieris non bona epitheta conglobantur.*

Tertull. de Hab. mul. c. 1.

cæ mulieris elogia ſunt, quas in hoc §. præſtringimus.

8. Matth. 19. v. 10. Redeat iterùm idem Matthæi locus aliter adhuc enucleandus: dicunt ei diſcipuli eius: *Si ita eſt cauſſa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Quaſi dicat: Si ita ſe res habet coniugum, ſi tam arctè vir alligatus eſt vxori, vt cum eâ licèt odioſâ, rixoſâ, deformi, ſpurcâ, propudioſâ debeat viuere, & aſſiduè conuerſari vſque ad mortem, *non expedit nubere*, id eſt, vxorem ducere, vt vertit Syrus. *Fortè noſter* (ait inibi Cornelius) *vertens nubere, alluſit ad ſeruitutem & ſubiectionem, quâ vir adſtringitur mulieri; ac non rarò, ſi velit habere pacem, debet ei quaſi ſe ſubdere, atque patienter ferre eius ineptias, querelas, iurgia, rixas,* &c. Cauſſam aduocat ex Chryſoſtomo: *Leuius enim eſt*, inquit, *contra concupiſcentiam præliari & contra ſeipſum, quàm contra mulierem malam.* Sanè Chryſoſtomus ſibi concinit ſuper hoc Matthæi cap. 19. homil. 63. ita ſcribens: *Si ita eſt cauſſa hominis cum vxore, non expedit nubere, id eſt, ſi hâc de cauſsâ coniuncti ſunt, vt vnum ſint; nec, ſi cauſſam maritus habeat, poſſit eiicere, faciliùs enim hac cupiditate erat ſeipſum abdicare, quàm vxori improbæ repugnare.* Itaque leuius mitiuſque bellum putat Chryſoſtomus, contra concupiſcentiæ rabidam ſæpè appetentiam, & contra ſeipſum, inteſtinâ aſſiduè pugnâ præliari, quàm vxori ſuæ *nubere*, id eſt ſubiici, aut illi repugnare. Et (quòd mirere magis) *facilius erat hac cupiditate ſeipſum abdicare*, quàm vxori imbonæ aut ſubiectione *nubere*, aut cum eâ aſſiduè rixari. ¡O quàm eſt difficilis concupiſcentiæ *abdicatio*, & carnis cupiditatem medullitùs impreſſam, abnegatione dediſcere! Quis à collegio carnis carnem abducat? *At facilius eſt cupiditate ſeipſum abdicare: leuius eſt contra concupiſcentiam præliari, & contra ſeipſum* quàm improbæ vxori aſſueſcere.

Syrus. Cornelius.

*Facilius eſt ſeipſum concupiſcentia abdicare, quã improba vxori aſſueſcere.* S. Chryſoſt.

## §. XXXVI.

### *Bonorum coniugum vnitas, conſenſio, pax, requies, felicitas plurifariam commendantur.*

1. Eurip. apud Stobæ. ſerm. 67. Petr. Dam. ſerm. 1. in Dedic. Eccle. PVlchra Euripidis vox eſt: *ſatis magnum regnum eſt marito liberi & vxor:* adſimiliter vxori cum liberis maritus, quibus amoris cenſus ſobriè conſtat, concordiæ glutinum, & animorum vinculum, quod eſt bonorum omnium in nuptiis compendium: *Nuptiarum ſacramentum magnum eſt, ait Apoſtolus; & Dominus in Euangelio: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vnâ. Quid enim magis vnum, quàm illi, quibus eſt vna caro, vna menſa, vnus torus, hæreditas vna? Honorabile coniugium (dicit vas electionis) torus immaculatus. Hoc deſtruuntur inceſtuoſa coniugia, & legitimorum hæredum digna progenies propagatur.* Hactenus Petrus Damianus.

*Satis magnũ regnum eſt marito, bona vxor. Vxor eſt baſis quietis.*

Quibus verbis connubij vnanimis felicitatem expreſſit, qui eſt huius §. ſcopus. Et ſanè *qui poſſidet mulierem bonam, inchoat poſſeſſionem: adiutorium ſecundum illum eſt, & columna vt requies.* Tigurina habet: *Baſis quietis.* Quaſi bona vxor ſit viro *baſis quietis.* Sic mariti requiem proba vxor fundat; impia ſubruit, & euertit!

Eccli. 36. v. 26. Tigurina.

2. Ruth. 3. v. 1. Ruth cap. 3. poſtquam reuerſa eſt ad ſocrum ſuam Noëmi, audiuit ab eâ: *Filia mea quæram tibi requiem, & prouidebo vt benè ſit tibi.* Eatenùs Rutha quietem non habuerat; ſed vitam agebat inſtabilem, & vagam, dum è regione Moabitide in Chanaanitidem tranſmigrat, vrgente inopiâ vagari cogitur extra domum, & ſpicilegij, aut meſſionis gratiâ alienos agros ſupplex adire. Illi ergò otium & *requiem quærit* Noëmi, ne ſit opus toties inſtabili greſſu ampliùs vagari. Porrò pauperes multis agitantur incommodis, neque vllibi quieſcunt, quia paupertas illos variè iactat & verſat; diuitiis etiam vt nurus Ruth abundet, ſocrus ſatagit Noëmi. Et ſicut in pace omnia continentur bona, ſiue illa delectabilia ſint, ſiue honeſta, ſiue etiam vtilia: ſic etiam in quiete ſeu *requie* hæc omnia continentur: quaſi ſi horum aliquid deſit inquietus eſt animus, & ſe, quaſi nihil habeat boni, infelicem putat. Ita hunc locum Sanctius exponit, *requiem* pro *pace*, ſiue bonorum omnium affluentia interpretatus. Verùm Lyranus opportuniùs locum exponit: *Quæram tibi requiem*, inquit, *id eſt, matrimonium bonum, ita quòd non oporteat laborare pro victu.* Lyrano adſentit Mariana, aiens: *Quæram tibi requiem, id eſt, nuptias.* Nimirùm *requies*, quæ *pacem*, ſeu honorum omnium exuberantiam ſignificat, ſynonymum eſt nuptiarum, in quibus coniuges vnanimi conſenſu, & tranquillâ requie feliciter viuunt. *Quæram tibi requiem, id eſt, matrimonium bonum, id eſt, nuptias.* Porrò ſatis magnum regnum vxori eſt bonus maritus; & marito vxor bona.

*Pax, ſeu requies, nuptiæ appellantur.*

Sanct. ibi. n. 3.

Lyranus. Mariana.

Euangeliſta Ioannes cap. 1. tractans de diuini Verbi incarnatione, & adoptiuâ filiorum Dei progenie, ita ſcribit: In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri Sed ex Deo nati ſunt.* Nimis hìc adlaborant Interpretes vt exponant, quid *carnis*, quid *viri* nomine ſignificetur. Subtiliter Auguſtinus ſic præſcriptum locum commentatur. *In eo autem quod ſequitur: Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, carnem pro feminâ poſuit, quia de coſtâ cùm facta eſſet, Adam dixit: Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne meâ. Ponitur ergò caro pro vxore, quomodò aliquandò ſpiritus pro marito.* Non potuit magnus hic Doctor viuaciùs exprimere arctiſſimum vnionis nexum, quo coniuges fiunt vnum in carne vnâ, quàm ſub metaphorâ corporis & animæ, quæ indiuiduo nexu ſic copulantur, vt diſſoluto vinculo homo non ſubſiſtat, ſed funeſtè cadaureſcat, & in matricem puluerem redeat,

3. Ioan. 1. v. 13. *Vxor carni, maritus ſpiritui comparatur, ob indiuiduam vnionem.* S. Auguſt. tr. 2. in Ioan. Gen. 2. v. 23.

deat. Quin & vtriuſque coniugis functiones clarè inde tranſlucent. Anima imperat, caro obedit, & exequitur imperata. Magna vtriuſque conſenſio eſt, & potentiarum ſympathia. Longum foret hanc perſequi allegoriam, cuius moralis expenſio cuique facile parabilis occurrit. Hinc Vaſthi fatuè & arroganter pulchra, ignorans hoc *carnis* ad *ſpiritum*, id eſt, vxoris ad maritum, debitum obſequium, condignâ inobſequelæ mulctâ feritur, vt in litterali commentario exponebamus. *Eſther. 1. v. 12. &c. & 21.*

4. *Matth. 19. v. 3. & 6.* Matthæi 19. acceſſerunt Phariſæi ad Ieſum dicentes: *Si licet homini dimittere vxorem ſuam, quâcumque ex cauſâ?* Qui reſpondens, ait: Non legiſtis quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, *Et erunt duo in carne vnâ, itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro.* Grande quidèm matrimonij ſacramentum, adeò vt ex duobus vnum conflet. Quæ verba ita exponit Rupertus: *Etenim mox vt pro adiutorio huiuſmodi quilibet vir quamlibet mulierem aſſumpſerit, mediante fide & teſtimonio eius, qui hanc mulierem ad hunc virum adduxit, coſta eius eſt, os ex oſſibus eius, & caro de carne eius eſt. Igitur ſi illam vltrò reliquerit pro qualicumque cauſâ,* (nota quæ ſubiicit verba) *iam apud Deum vir non erit, nec pro integro corpore reputabitur, quia videlicet, vnâ eſt coſtâ mutilatum: coſta inquam, non qualicumque, ſed benè ædificatâ diminutum eſt corpus. Item & mulier ſi virum reliquerit, iam apud Deum in numero non erit quia non corpus integrum, vel tota caro, ſed pars eſſe conuincitur ex lege conditionis, quia de viro ſumpta probatur.* Itaque non integer ſed mutilus homo dicitur, cui coniux defunctus eſt aliquâ ſui parte iam ſepultus, & funeſtè tumulatus.

*Qui cõiugem amiſit, non integer, ſed mutilus homo dicitur.* Rupert. l. 2. in Geneſ. c. 34.

5. *Geneſ. 8. v. 8. & 9.* Geneſeos 8. aperiens Noë feneſtram arcæ, dimiſit coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur. *Emiſit quoque columbam poſt eum.... Quæ cùm non inueniſſet vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad eum in arcam.* Gloſſa Græca apud Lipomanum inibi ita locum exponit: *Columba requiem non inuenit, vel quia per humidum aerem difficulter volabat; vel quia nullum ſui generis inuenit.* Moraliſſimè columba redit ad caueam, quia extra illam ſui generis conſortem non inuenit. Mauult vltrò priſtinam ſubire captiuitatem, quàm in tantâ ciborum copiâ, per aëra liberiùs ſpatiari, & cognatâ libertate frui. Sibi videtur mutila, aut potiori ſui parte viduata, dum chari coniugis exors, aut exul inuenitur.

Caten. Græc. apud Lipo. *Columba redit ad arcam, quia extrà non inuenit conſortem.*

6. *Gen 2. v. 18. S. Paullin. ep. 19. & 11.* Geneſis 2. Dixit quoque Dominus Deus: Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: *faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* S. Paullinus ſic expendit quomodo bona vxor ſit mariti adiutorium: *Adiutorium ſibi: ad te habens conuerſionem ſuam: de tuo nutu pendet, & de tuo ſtatu ſiſtit, in veſtigiis tuis ambulat, in animâ tuâ animatur; pro vitâ tuâ deficit, & in vitâ tuâ reficitur.* Sanè eleganter. Et alibi forſan alludens ad illud *Simile*, hanc etiam ſimilitudinem in morum, gratiarumque ſimilitudine adgnoſcit *Quod alteri veſtrum datur, inquit, vtriuſque veſtrum eſt, quia in vtroque veſtrum vna ratio manet, & ſexum euacuat fides.*

*Bona vxoris idea.* *Vxor non eſt exors gratiarum mariti.*

7. *Gen. 2. v. 18.* Redeat iterùm ſemel expenſus Geneſeos locus: Dixit quoque Dominus Deus: Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: *faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Eccur hîc mulier non dicitur efformari Deo ſimilis, ſed viro ſuo? An non mulier ad imaginem & ſimilitudinem Dei facta eſt, ſicut & vir? Quare ergò ſacer Hiſtoricus ſtylum euariat & virum Deo ſimilem, vxorem viro ſimilem dicit? Tempeſtiuè Rupertus: *Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Addendo autem ſimile ſibi, cuncta comprehendit, quæ in faciendo viro dixit: Ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris.* &c. Nempè hîc mulier non dicitur immediatè ſimilis Deo, & indè imago & ſimilitudo Dei, vt mulieri ethicè intimetur, tunc fore Deo ſimilem, cùm maritum expreſſerit, ſe illi conformando, eius voluntati, nutibus, ingenio, moribus. Num vxor, quæ perfectiùs marito conformatur, Deum impreſſiùs repræſentat? Maritus ne eſt vxoris humanus Deus? Luculenter ſanè Rupertus.

*Vxor Dei imago dicitur, ſi viro ſimilis ſit.* Rupert. ibi.

8. *Matt. 1. v. 5. Imperfect. homil. 1.* Matthæi 1. in cenſu Ieſuanæ genealogiæ, ita ſcribitur: *Booz autem genuit Obed ex Ruth.* Quæ verba incertus Chryſoſtomus ita commentatur: *Ergò Booz pro merito ſuæ fidei Ruth accepit vxorem, vt ex coniugio ſibi ſanctificato genus naſceretur regale. Nam Booz ſenior conſtitutus, non ſibi vxorem accepit, ſed Deo: non propter paſſionem corporis ſui, ſed propter iuſtitiam legis: non magis amore, quàm religione feruentior. Ætate ſenex, iuuenis autem fide.* Rutham in vxorem ducit Boozius iam grandæuus, non tam paſſione libidinis, quàm velut libidine pietatis. Idcircò *non ſibi vxorem accepit, ſed Deo.* Deo nupſit Moabitis, & paupercula Ruth? ô piè ſuperbas Ruthæ nuptias! Dum precario ſpicilegium facit, generoſa Dei connubia inuenit? Scilicet quæ non tam viro, quàm Deo nupſit, meruit geſtare vterum quodammodò Deo plenum, id eſt, Obed gignere, præluſtrem Chriſti Dei progenitorem. O ſic nubant mulieres; nec tam ſic nubent maritis, quàm Deo. Booz enim *non ſibi vxorem accepit, ſed Deo.* Quæ eſt nuptialis felicitatis hyperbole.

*Ruth Deo nubit, & Dei filium in progenitore parit.*

9. *Gen. 3. v. 16.* Geneſeos 3. in pœnam primæui delicti hâc Deus pœnâ mulierem ferit: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Hoc cùm ita ſit, quomodò Abrahæ dixit Dominus: *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius?* Quæ nunc adeſt ſpecialis cauſſa, vt mulier ex Dei maledicto obedire iuſſa, marito imperare iubeatur? Petr. Damianus ſcribens ad Beatricem Duciſſam, Gotifredi ducis Tuſciæ vxorem, vltrò abſtinentem à maritali complexu, ita habet: *Iam ſiquidèm ſolutum eſt in te illud antiquæ maledictionis elogium, quo*

Gen 21. v 12. *Vxoris caſtitas, eam facit marito dominari.*

*primaua mulieri dictum eſt : Sub viri poteſtate eris , & ipſe dominabitur tibi. Conſtat planè Saram caſtitatis ex tunc iam habuiſſe propoſitum , cùm id fieret , quod ſacra de illo narrat hiſtoria , quia deſierant Saræ fieri muliebria. Et inſuper illa dicit : Poſtquam conſenui , & Dominus meus vetulus eſt voluptati operam dabo ? Quibus vtique verbis perſpicuum eſt , eam caſtitatis iam tunc tenuiſſe propoſitum. Et poſt hæc dixit Deus ad Abraham : Omnia , quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius. Ecce , cui priùs Abraham imperauerat , & Dominus dicebatur , iam illi per caſtitatis meritum obedire præcipitur vt eius verbis iam in cunctis obediat , qui ſibi priùs , tanquam Dominus imperarat.* Belliſſimè quidèm Petr. Damianus.

Petr. Dam. l. 7. epiſt. 14.

## §. XXXVII.

*Nuptiæ deliciarum obtentu hominibus adrident ; ſunt antem perſæpè iuge ærumnarum ſeminarium, & tribulationum officina.*

1. *Nuptiæ cælo exulãt: Deus tamen dicitur coniugij Præſes.*

SEmel & iterùm in Euangelio aſſimilantur virgines Angelis adeoque & æquantur. Et excluduntur nuptiæ cælo , terra has nouit ignorat cælum : non ignoraret , ſi aliquid de perfectione mutuarentur , nunc cùm exulent cælo , neceſſum aliquid illis velut imperfectionis adhæreſcere cælo non dignum : non exularent , ſi non adhæreſcet. Non quòd nuptias damnem , quas Deus inſtituit ; Sed quòd excludi illas cælo videam. Video etiam Deum in cælo , nuptiarum in terris conſiliatorem. Geneſeos 24. Abrahami procuratori Rebeccam ad Iſaaci connubium petenti , *Reſponderunt Laban & Bathuel : A Domino egreſſus eſt ſermo* , &c. Ad quæ verba ita ſcribit Ambroſius : *Simplicitas quoque toto hoc loco moralis exprimitur , quòd nullus vel fuerit in coniugij petitione ambitioni locus ; ſed Dominus Præſul coniugij petitionem implevit.* Sententiosè quidèm Deus dicitur, *coniugij Præſes.* Tot , tantiſque abundat litibus ac periculis nuptiale commercium , & coniugij negotium , vt Deum nuptialis conſilij *Præſidem* requirat ! Non eſt animus in hoc §. ( procùl calumnia ) deuenuſtare Sancti matrimonij ſtatum , à Deo inſtitutum ; ſed eius ærumnas exponere , præſertim ſi coniuges ingenio & moribus diſſentiant. Quod & fecerunt ſancti Patres , vt homines ad continentiæ ſtatum reuocarent. Conſule Hieronymum lib. 1. contra Iouin. & expoſitores 1. Cor. cap. 7. quod eſt in vtraque eruditione obuium. Hæc prælibare oportuit propter Sycophantarum inconſultam criſim.

Gen. 24. v. 50.

S. Ambr. apud Caten. ibi.

2. Ioannis 1. agens de Verbi corporatione, & adoptiuâ ſobole filiorum Dei , ita ſcribit Euangeliſta : In propria venit , & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri , his qui credunt in nomine eius : *Qui non ex ſanguinibus , neque ex voluntate carnis , neque ex voluntate viri , ſed ex Deo nati ſunt.* Valdè hîc ſudat Commentatorum induſtria, vt exponant, quid nomine *carnis* , quid *viri* nomine denotetur , vt obſcurum adhuc locum clarare poſſint. S. Auguſtinus quâ pollebat ingenij ſagacitate , & Biblicâ eruditione , ſic locum commentatur *In eo autem quod ſequitur : Neque ex voluntare carnis , neque ex voluntate viri , carnem pro feminâ poſuit , quia de coſtâ cùm facta eſſet , Adam dixit : Hoc nunc os de oſſibus meis , & caro de carne meâ. Ponitur ergò caro pro vxore , quomodo aliquandò Spiritus pro marito , quia ille imperare debet , iſta ſeruire.* Non potuit Auguſtinus viuaciùs exprimere contentiones , diſſidia , lites, iurgia , & rixas coniugibus familiares , quàm ſub hâc metaphorâ *carnis* & *Spiritus* : *Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum : ſpiritus autem aduerſus carnem , hæc enim ſibi inuicem aduerſantur*, vt monet Apoſtolus, & experimento quotidiano compertum eſt. Vnde illa Dei verba : *Faciamus ei ( Adamo ) adiutorium ſimile ſibi*, Caietanus ex Hebræo excribit: *Faciamus ei auxilium contra ipſum*: ( vt aliàs expendebamus) *Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur.* O inteſtinam pertinaciter luctam inter carnem & ſpiritum, ad quæ piè componenda , tota Dei gratia ſedulò adlaborat. Hùc ſpectat quòd refert S. Hieronymus , inuentum olim fuiſſe monimentum ſepulcri , in quo maritus & vxor conditi erant , cum hâc præſcriptione: *Hoſpes , miraculum : hîc vir , & vxor non litigant.* Addit Hieronymus : *Hæc idcircò protuli , vt caſus oſtenderem nuptiarum , à quibus omnibus pudicitia immunis ac libera eſt.* Vide quàm ſit pœnale hoc nuptiarum bonum.

Ioan. 1. v. 13.

*Vxor carni, maritus ſpiritui comparatur, ob inteſtina obſtinatius diſſidia.*

S. Aug. tr. 2. in Ioan.

Gen. 2. v. 23.

Ad Galat. 5. v. 17.

Gen. 2. v. 18. Caiet. ibi.

*In ſepulcro vir & vxor non litigant.*

S. Hier. l. 1. contra Iouinian.

3. *Aliquando nuptiæ ſunt honeſta aliqua inimici perdendi ſpecies.*

1. Regum 18 prælustri illâ de Philiſthæo victoriâ partâ , & puellari concentu ſumptuoſiùs celebratâ , inuidiæ œſtro Saül aduerſus Dauidem tangitur , & necem illi & apertè , & clanculùm machinatur. Dilexit autem Dauidem Michol filia Saul altera *Et nunciatum eſt Saul , & placuit ei.* Gratulor Dauidi quòd philtro cognationis , inimici Saulis hoſtilitas conſopita , & mitigata ſit ; imò in beneuolentiæ commercium reſculpta amico nuptiarum fœdere. Aſt ( malum ! ) confeſtim ſubdit ſacer Hiſtoricus cur tantoperè Sauli placuerit nuptiale Dauidis commercium : *Dixitque Saul : Dabo eam illi , fiat ei in ſcandalum.* Nimirùm de ſæuæ hoſtilitatis arbitrio venit nuptialis calamitas ſcandalum Dauid minitans. Quod poſt Abulenſem , Lyranum , & Hugonem, his verbis noſter Sanctius luculenter exponit : *Quod quidèm Sauli* , inquit , *non diſplicuit , non quidèm quòd benè Dauidi cuperet , cuius multis modis inſidiabatur vitæ ; Sed quia rationem quærebat , quâ illum honeſtâ aliquâ ſpecie , & ſine ſuo labore perderet.* Itaque Saul inteſtinus Dauidis hoſtis , ſuperbas illi nuptias ſtudiosè conciliat , vt inteſtinum illi ſcandalum paret, *& honeſtâ aliquâ ſpecie , ſine labore perderet.* Idcircò illi nuptias , tamquam inſidias , & clancularias ſcandali minas , malitiæ ſtudio ſedulè parat. Similem ad modun Antiochus inſidiatus eſt Prolomæi vitæ , Cleopatræ filiæ ſubdolâ ſponſione. Danielis 11. *Et filiam feminæ*

1. Reg. 18. v. 20.

Sanctius ibi n. 3.

Daniel. 11. v. 17.

*ſeminarum dabo ei, vt euertat illum, & non ſtabit, neque illius erit.* Conſule commentatores indidèm. Adſimilis vafrities adſimilem expenſionem expoſcit.

4. Geneſeos. 19. producuntur iu connubij ſtadio Abrahamus & Sara abſolutiſſimum coniugum exemplar. Simile par ætas priſca non tulit. Et tamen dixit Sarai ad abraham: *Iniquè agis contra me: ego dedi ancillam meam in ſinum tuum, quæ videns quòd conceperit, deſpectui me habet. Iudicet Dominus inter me, & te.* Audi Saræ querelas, quibus Deum tanquam iudicem appellat, & verbis tragicis miſellam ſe dicit quòd deſpectui habeatur ab ancillâ, conniuente marito. O litigia nuptiis indiuiduè cognata! Sententioſè ex clariſſimo quopiam Oratore dixit Hieronymus: *Qui non litigat, cœlebs eſt.* Sic ſunt querelæ, iurgia, & lites nuptiarum appendices, & connubiis ſequela!

Geneſ. 16. v. 5.

*Qui pacatè viuit neſciens litigia, cœlebs eſt.*

7.

S. Hier. l. 5. cōtra Iouin.

6. Geneſis 3. primæui delicti feſtinus vindex adeſt Deus, æquus ſcelerum vltor: & poſt damnatum ſerpentem totius tragœdiæ auctorem: *Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos* (eſt hendiades, *ærumnas conceptuum* inquam) *in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Multiplici maledicto hîc mulier feritur; ſed cui reliquæ feminę vltrò ſe ſubducere poſſunt, adeò vt (ſi velint) ab eo prorsùs immunes ſint, nec illius pœnæ de facto clamitoſiùs obnoxiæ. Quod his verbis eleganter notauit Primaſius: *Sub maledicto*, inquit, *ſe Euæ ſubiicientes, quæ ideò in partu maledictionem accepit, quoniam ſciebat Deus incontinentes futuros homines, vt vel metu doloris à libidine temperarent.* Nempè mulier quæ à virginitate, aut cœlibatu (tametſi licitè) nuptias init, tamen ſpontè *ſub maledicto ſe Euæ ſubiicit, quæ in partu maledictionem accepit.* Itaque auſpicium nuptiarum eſt vltrò ſubire vibratum Euæ maledictum ad acerbiorem primæui delicti punitionem; à quo tranquilla virginitas, & pacatus continentium cœlibatus, immunis interim eſt, innuptæ continentiæ priuilegio. O incontinens nubendi prurigo, quæ Euæ maledictum vltrò ſubit, & illius pœnam accerſit! Heu mulieres Euæ maledicto pariter ac viris auidè maritatas!

Gen. 3 v. 16.

*Quæ nubit vltrò Euæ maledictum ſubit, quod innupta excutit.*

Primaſ. in 1. ad Cor. 7.

6. 1. Corinth. 7. *Si autem acceperis vxorem: non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccauit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi.* Quibus verbis Apoſtolus conſilij ſui rationem exponit. Nequis autem exiſtimaret, ita probari continentiam, vt nuptiæ damnarentur, ſubdit: Si quis vxorem ducat, aut ſiqua virgo nubat, nullum eſſe delictum. Vt autem fideles reuocet à nuptiarum voto ad continentiæ felicitatem, ſubdit: *Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi.* Quæ verba ſic exponit Hieronymus: *Qui ſunt iſti qui tribulationem carnis habebunt? quibus ſuprà indulſerat: Si acceperis vxorem, non peccaſti: & ſi nupſerit virgo, non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. Nos ignari rerum putabamus nuptias ſaltem carnis habere lætitiam: ſi autem nubentibus etiam in carne tribulatio eſt, in quâ ſolâ videbantur habere delicias, quid erit reliquum propter quod nubant, cùm & in ſpiritu, & in animâ, & in ipsâ carne tribulatio ſit?* Belliſſimè pariter ac moraliſſimè Hieronymus. Quod etiam Tertullianus his verbis ediſſerit: *Quoties volunt nubant, ne mœchiæ & fornicationi ſuccidere cogantur: quoniam melius eſt nubere, quam vri. Nimirùm propter continentiam incontinentia neceſſaria eſt, incendium ignibus extinguitur.* Putat hîc Tertullianus, *carnis tribulationem* quam coniugati in connubio patiuntur, eſſe carnis ſtimulos, & concupiſcentiæ igniculos, quibus ſufflammatur veneris incendio. Ne hoc etiam malum coniugibus deſit, dum eorum incontinentia fomitem libidinis ex remedio conflat.

1. Cor. 7. v. 28.

*In coniugatis voluptas carnis, in carnis tribulationẽ reſculpitur.*

S. Hier. ibi.

Tertull. l. de Pudicit. c. 1.

7. Aliter ibidèm Apoſtolus ex coniugij moleſtiis continentiam ſuadet, aiens: *alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem.* Pro τὸ *alligatus*, alij excribunt, *vinctus*. Quaſi vxoratus ſit vinctus, ſeruus, ſeu captiuus: indè cœlebs dicitur liber, tanquam qui nuptiarum iugum refutans, quæſierit, & inuenerit *ſolutionem*, & vindicias ſecundum libertatem. Pulchrè S. Adhelmus: *Virginitas*, inquit, *pax: cœlibatus redemptio, coniugium captiuitas.* Quid eſt quòd *cœlibatus* (qui hîc ponitur pro continentiæ ſtatu poſt amiſſam nuptiis virginitatem) *redemptio* nominatur? Sanè emphaticè loquitur Adhelmus. An quia cœlebs redemptus eſt à nuptiarum ſeruitute? an à *coniugij captiuitate*? an quodammodò à carnis tyrannide? O noua, & conceptuum grauida *redemptio*.

1. Cor. 7. v. 27.

*Cœlibatus emphaticè dicitur redemptio.*

S. Adhel. de laud. Virg c. 9.

8. Petrus Damianus ſer. 1. in Dedicatione Eccleſiæ, duodecim ſacramenta numerat largè vocem ſacramenti accipiendo. Poſtquam autem recenſuit arctioris vitæ ſtatus, qui hæc ſacramenta conſtituunt, addit: *Duodecimum eſt nuptiarum ſacramentum Hoc magnum eſt, ait Apoſtolus . . . . . Hæc ſunt duodecim ſacramenta, quæ (niſi fallor) illæ duodecim cruces ſignificant, quas in circuitu Eccleſiæ videmus impreſſas.* Opinor, Chriſti Dei crux, non voluptatem carnis, & concupiſcentiæ delicias; ſed cruciatus, ærumnas, & carnis tribulationem impreſſiùs adumbrat. Sententioſè ergo Chriſti crux ponitur tanquam idoneus nuptiarum typus.

Petr. Dam.

*Crux ponitur tãquam nuptiarum typus.*

9. Siracides Eccli. 36. Vbi non eſt ſepes diripietur poſſeſſio: *& vbi non eſt mulier ingemiſcit egenus.* Tigurina: *Et cui non eſt vxor, ingemiſcet, &c.* Mirum ſanè quòd S. Ephrem pro *muliere*, ſeu *vxore*, patientiam excripſerit: *Vbi*, inquit, *non eſt patientia, ingemiſcet errans.* Idémne eſt *vxor*, ac *patientia*? O noua hactenùs ſynonyma! Eſtne *patientia*, quâ ipſa nuptiales ærumnas ſuffert? an quas viro tolerandas offert? Si alterutrum, putauerim, & vtrumque. Quod hîc verſ. 18. &c. liquidò conſtat. Et §. ſequenti enucleatiùs ad vtramque partem ventilatur.

Eccli. 36. v. 27.

Tigurina.

S. Ephr. Tra. de Timore Dei.

*Patientia eſt vxoris Synonymon.*

Hic. v. 18. & 21.

***

## §. XXXVIII.

*Sacræ hiſtoriæ ductu, ſaltuatim multa ac præſtrictim de nuptiis delibantur.*

1\. LOngum facerem, ſi omnia quæ in hoc Eſtheris libro, de nuptiis traduntur, ſigillatim ad mores tractaremus. Rei connubialis ſumma præcedentibus paragraphis tradita eſt: quod reliquum ſupereſt, nunc perſtringimus: ne aut exuberans copia nauſeam moueat: aut ieiuna prorsùs tractatio intermittens plurima paupertinam eruditionis venam ſuggillet.

Matt. 1. v. 5. Matthæi 1. *Booz autem genuit Obed ex Ruth.* Quæ verba exponens incertus Chryſoſtomus Imperfect. homil. 1. in Opere imperf. ita ſcribit: *Talis ergò Booz ex tali coniuge Ruth, qualem filium genuit? Obed qui interpretatur ſubditus. Nunc autem qui diuitias eligunt, & non mores, pulchritudinem, & non fidem: & quod in meretricibus ſolet quæri,* Eſther. 2. v. 2. Et cap. 1. v. 11. & 12. *hoc in coniugibus optant:* (quod Vaſthi in Aſſuerus exoptauit, nec in Eſthere quæſiuit) *propterea non generant filios ſubditos vel ſibi, vel Deo; ſed contumaces & contra ſe, & contra Deum.* Nuptiarum candidatis eſto Boozius pulchra vxoris ducendæ idea; qui etſi è regiâ tribu nobilis & opulentus, in vxore non diuitias elegit, ſed mores: non ſuum librauit cenſum cum ſponſæ dote, ſed fidem: non deperiit corporis formam, ſed morum venuſtatem adamauit. *Nemo optet in vxore, quod in meretricibus quæri ſolet.* Nam qui pulchritudinem & elegantiam vnicè expetit, id *optat in vxore, quod in meretricibus ſolet quæri:* meretricias cupit voluptates & blanditias, non vxorias fœcundè delicias. Quis quærat in coniuge elogia meretricis? Meretricem quærit, non coniugem, qui meretricias elegantias exoptat in coniuge. Execraris in vxore meretricios mores, & in vxore quæris meretriciam venuſtatem, fucum, ornatum? non longè abeſt à propudiosá adulterij patientiâ qui in vxore eligit meretricis elogia. Ex huiuſmodi coniugiis naſci ſolitat ambigua ſoboles, & filius non patris, & in nothis filiis, ignoti dubiorum parentum mores, quos præproperè inuitiauit incauta libido.

2\. Geneſeos 6. v. 2. Geneſeos 6. cumque cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent, *Videntes filij Dei filias hominum quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Pro τὸ *Filij Dei*, Lipomanus excribit, & exponit. *Filij Principum, virorum præpotentum, filias hominum, id eſt, plebeiorum,* (ait Vatablus) *acceperunt ſibi vxores, &c.* Nempe de- Lipoman. Vatablus. *E patre nobili, & ignobili matre, nequam filij generantur.* gener proles, à viro prænobili, & plebeiâ vxore progenita, rea fuit tot ſcelerum, quæ eluuionem accerſeret, & funeſtum orbis excidium. O quot ſtrages edit paterna nobilitas, quæ degenerauit ab vtero, & ignobili matris vuluâ! Heu monſtra imparis coniugij! Id ſtolidus non curauit Aſſuerus. Verùm pulchram Eſther. 2. v. 8. duntaxat vxorem quærens, etſi captiuam Eſtherem, regio tamen ſanguine prognatam inuenit, & regiis ſanctitatum moribus dotatam.

3\. Aliter præſcriptum locum verſare iuuat: *Videntes filij Dei filias hominum quòd eſſent pulchræ.* Alcuinus inibi: *Hi ergò auitâ benedictione religioſi, illæ paterna maledictione impudicæ.* Quæ eſt iſta Patris maledictio, quæ filias impudicas parit? Puto illa, quæ Caino intermi- Geneſ. 6 v. 2. Alcuin. ibi. *Egeſtas patris, eſt inopia pudicitiæ in filiâ.* natur: *Maledictus eris ſuper terram.... cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos: vagus & profugus eris ſuper terram.* Scilicet ege- Geneſ. 4. v. 11. ſtas paterni ſenſus, & patris abſentia, in filiabus pulchris inopia pudicitiæ eſt. Velut exlex eſt pauperum venuſtas, & quæ facilè caſtitatem prodit, redimendæ egeſtatis lenocinio. Gratulor pulchræ Eſtheri, quòd patrui Mardochæi Eſther. 2. v. 7. beneuolâ adoptione, ab hoc incontinentiæ periculo præproperè exempta eſt.

Geneſis 4. *Adam verò cognouit vxorem ſuam* 4. *Heuam, &c.* Ecce, inquit Seleucienſis Baſilius, Geneſ. 4. v. 1. Seleuc. Orat. 3. *Sponſam diuinâ factam manu, in dotem creaturam datam.* Totum terrarum orbem, & creaturarum omnium imperium, dedit Adamo *Optima vxoris dos eſt prudentia, quâ virum hereditat.* Deus dotis nomine? prædiuitem Euæ dotem! Ita quidèm. Vxorem opulentiùs dotatam, ſed ſeductricem Adamus accepit. Opinor, captiua & paupercula Eſther opulentiorem attulit do- Eſth. 2. v. 16. tem; à qua vitæ vſuram, & Dei notionem Aſſuerus accepit. Vxoris dotem, non in ſenſu ſed in animo quære. *Filia prudens heriditas viro ſuo.* Quaſi dicat: Optima filię heriditas & Eccli. 22. v. 4. Eſther. 8. v. 2 &c. dos eſt prudentia, eáque magis viro optanda & ambienda eſt, quàm opima opum dos & hereditas, quia per vxoris prudentiam opes quælibet conſeruantur & augentur. Alij ex Græco textu: *Filia prudens hæreditabit virum ſuum.* aut quia hereditate bonâ, ſcilicet ſuâ prudentiâ & ſapientiâ, eum ſuâ conuerſatione & conſiliis donabit: aut quia *hereditabit*, id eſt, virum ſuum poſſidebit quaſi hæreditatem, vt eum regat & dirigat.

Eſtheris 5. Die tertio induta eſt Eſther re- 5. galibus veſtimentis, & ſtetit in atrio domus re- Eſth. 4. v. 2. giæ, ... *Cúmque vidiſſet* Aſſuerus *Reginam ſtantem, placuit oculis eius.* Quid eſt quòd *Cur Luna nō bona vxoris ſymbolū proponitur.* Eſther alibi ſæpè ambitioſi cultus negligens, nunc cùm regem maritum adit, pretioſiorem ſumptioſiùs aſſumit ornatum? Moraliſſimè in Moral. Plutarchus: *Luna,* inquit, *cùm Soli con-* Plutar. *iungitur, tum obſcuratur, & occultatur; cùm abeſt, lucet: contrà, proba vxor præſente marito maximè conſpici debet, eodem abſente maximè condi ac latere.* Et ſanè Vaſthi regina glorio- Eſth. 1. v. 12 ſiùs coram Rege ornatam apparere renuit, Lunam æmulata.

Eccleſiaſtici 25. *Manus debiles & genua diſ-* 6. *ſoluta mulier, quæ non beatificat virum ſuum.* Eccli. 25. v. 32. Tigurina, *beat.* perindè eſt τὸ *beat* aut *beatificat*, poteſt etiam exponi, beatum prædicat, *Bona vxor penè ſine iudicio æſtimet & beatificet virum ſuum.* reuereetur, honorat. Exindè Syrus excribit: *Diſſolutio manuum, & fractio genuum mulier, quæ non exhibet honorem & reuerentiam marito* Eſther. 1. v. 12. *ſuo.* Porrò vxoris honor, obſequium, reuerentia eximiè maritum *beat* (Quæ ſecùs faxit, fatuam Vaſthi perperam æmulatur) Pulchrè Chryſoſtomus: *Vxor neminem debet ſapientio-* S. Chryſoſt. & Imperf. *rem, fortiorem, formoſiorem reputare, quàm virum ſuum: etſi ſit alter ſapientior, fortior, formo-* apud Cornel. ibi. fides allegatorem appellet. *ſior, tamen coram oculis eius talis apparere non debet. Perfectum enim odium, & perfectus amor iudicium rerum non cognoſcit.* Alto quidèm ſtylo, & ſenſu Chryſoſtomus, quem S. Paullinus æmulatur

æmulatur. Nam illum glorioſiùs laudanti Seuero Sulpitio, ſic reſcribit: *Expoſtulandi cauſſa eſt, quod te multa dilectio vſque ad mendacij peccatum trahit.... onera noſtra iniuſtis laudibus cumulans, arguam te in charitatem de charitate peccare.* Quid ad rem exaggeratiùs?

S.Paull.ep.2.

7. Eſtheris 5. die tertio induta eſt Eſther regalibus veſtimentis, & ſtetit in atrio domus regiæ. Cumque vidiſſet Aſſuerus Eſther reginam ſtantem, *placuit oculis eius, &c.* Quod nunc pulchra Eſther Regi eximiè *placuerit*, eius venuſtati adſcribi videtur. Aſt infrà cap. 15. diuinæ gratiæ potiſſimum tribuitur: *Conuertitque Deus ſpiritum Regis in manſuetudinem, &c.* Quaſi aliqua ſit æmulatio potentiæ inter humanam vxoris pulchritudinem, & diuinam gratiam. Eccleſiaſtici 36. *Facies mulieres exhilarat virum ſuum, & ſuper omnem concupiſcentiam hominis ſuperducit deſiderium.* Rabanus hoc Siracidis caput, ita myſticè ſcribit: *Femina quia pulchra & gratioſa, ſignum eſt gratiæ Dei, quæ nos Deo & Angelis facit gratos & ſpecioſos.* Profectò muliebris pulchritudo, peridoneus eſt diuinæ gratiæ typus; quippè quæ eius vim voluntatum illicem, & ad ſe trahendi potentiam æmulatur. O pulchra & gratioſa humanæ pulchritudinis, cum diuinâ gratiâ contentio! Certent, per me certent, vtra potentior. Gratia ne quam armat diuina ſapientia & potentia, vt homines ad ſe trahat? an vxoria pulchritudo, vt quodam voluptatis philtro, & concupiſcentiæ præſtigiis, ad ſe deſideria pelliciat? Alterutra forſan ſufficeret, vtráque in Eſthere ſuſpicitur. Sic fuit officioſa gratia, ſic fuit pulchritudo officioſa?

Eſther. 5. v. 2.

Eſther. 15. v. 11. &c.

Eccli. 36. v. 24.

Rabanus.

*In quo nam Eſtheris pulchritudo diuinam gratiã æmulatur!*

8. Eſtheris 2. Adamauit eam Rex plúſquam omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite eius, fecitque eam regnare in loco Vaſthi. *Et iuſſit conuiuium præparari permagnificum cunctis principibus, & ſeruis ſuis, pro coniunctione, & nuptiis Eſther. Et dedit requiem vniuerſis prouinciis, ac dona largitus eſt iuxta magnificentiam principalem.* Sic vel Aſſuerus nuptias ſuas celebrat. Hinc carpere licet cum Chryſoſtomo impudicè ſcenicas in nuptiis celebrandis chòreas, & ſaltationes planè meretricias: *Vide*, inquit, *quid inuenerit Diabolus. Nam quoniam à ſcenâ, & iis quæ illic ſunt turpia, & indecora, ipſa natura abduxit mulieres, quæ ſunt theatri abduxit in gynecæum, molles, inquam, ſeu pathicos & meretrices. Hanc peſtem innuexit lex nuptialis, abſit, ſed lex noſtræ mollitiei.* (Et poſt multa in hanc ſententiam ſubdit) *Matrimonij enim corruptio eſt ſcortatio... Theatrum enim non eſt matrimonium; eſt myſterium ſeu ſacramentum, & rei magnæ typus: & ſi ipſum non reuerearis, reuerere id cuius eſt typus. Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſiâ.* Quid opus eſt homines à tanto Doctore admoneri, matrimonium eſſe myſterium, *theatrum* non eſſe. Scenica omnia in theatris exhibita, ficta ſunt, mentita ſunt, perſonata duntaxat ſunt, & ad obſcœna delectamenta modulatè compoſita. Nemo nuptias, tanquam theatrales delicias captet. O quàm multa vno verbo compendiauit Chryſoſtomus!

Eſther. 2. v. 18.

*Matrimonij corruptio eſt ſcortatio.*

S. Chryſoſt. homil. 12. in epiſt. ad Coloſſ.

*Matrimonium non eſt theatrum ſed myſterium.*

9. Siracides Eccleſiaſtici 25. *Ne des aquæ tuæ exitum, nec modicum, nec mulieri nequam veniam prodeundi.* Syrus ſic locum excribit, & exponit: *Ne des aquis exitum, neque mulieri faciem & dominium, vel poteſtatem & imperium: ſicut enim rimula aquæ quæ abit, & multiplicatur, ita mulier mala incedit & peccat.* Eruditè inibi notat Cornelius, quòd, *dare faciem*, Syris eſt corridere, hilarem & blandum ſe alicui oſtendere. Vide quàm ſit marito periculoſum, *faciem dare* vxori, & hilarem, blandum ac iucundum ſe illi præbere. Quaſi ex iſtiuſmodi iocosâ hilaritate *dominium, poteſtatem, & imperium* vxor ſenſim vſurpet. Non eſt *theatrum* matrimonium, ſed myſterium, (vt nuper expendimus) & indè ſeriò tractandum. Hîc cap. 15. dum Aſſuerus Eſtheri *blanditur*, & illi *faciem dat*, ſimul vxor ſceptrum accipit, ac ferè *dominium* in maritum, ac precarium *imperium*. Sic exinceps Rex Reginæ annuit, vel in his quæ auſteriora videri poſſent.

Eccli. 25. v. 34.

Syrus.

Cornel. ibi.

*Vxori non eſt danda facies.*

Eſther. 15. v. 11.

---

## §. XXXIX.

*Bonis mundialibus rara eſt manendi fides, oblectandi nulla.*

1. PVlchram ſanè voluptatis, gaudiíue definitionem apud Senecam legimus: *Eſt*, inquit, *animi elatio, ſuis bonis viribúſque fidentis.* & poſtquam res, quæ de humanâ fælicitate voluptatem afferre ſolent, recenſuit, tandèm ſententioſè concludit: *Quæ adeò non ſunt gaudia, vt ſæpè initia futuræ triſtitiæ ſint.* Siquidèm tam infida eſt malorum felicitas, quàm ipſi. Nam vt eleganter Boëtius: *Rara eſt fortuitis manendi fides.* Fortuna enim quæ dare potuit, poteſt auferre. Auferet autem, pro cognatâ ſibi inconſtantiâ. Imò præſentis vitæ gaudia homo dum tangit, amittit. Sic ſunt fugacia, volatica, caduca, mentita! Hæc eſt voluptatis *elatio*; quæ inuenire in mundialibus bonis præſumit verum gaudium, quod pectus impleat.

Senec. epiſt. 60.

*Bonis mundialibus rara eſt manendi fides.*

Boëti. de côſol. 2. Proſ. 3.

2. Siracides Eccleſiaſtici 36. hæc imprimis dura pro proſperis Gentibus ſuæ gentis victricibus obnoxiùs precatur: Immitte timorem tuum ſuper Gentes. Alleua manum tuam ſuper Gentes alienas, vt videant potentiam tuam. Innoua ſigna, & immuta mirabilia. Glorifica manum & brachium dextrum. *Excita furorem, & effunde iram. Tolle aduerſarium, & affige inimicum.* Neque his contentus, alias quoque durìſſimas ſtrages acerbiùs adprecatur. Verùm pro *Tolle aduerſarium*, Hugo, Ianſenius, & alij legunt, *Extolle aduerſarium, id eſt, extolli permitte in ſuperbiam*, ait inibi Hugo. An non aduerſarius in ſuperbiam *extollitur*, ob arridentem ſibi proſperè fortunam? Satis opinor, proſperatus, & exaltatus erat Iudæorum aduerſarius poſt tot eorum clades, poſt tot glorioſiſſimas victorias, poſt tot erecta ſumptuoſiùs trophæa. Num exaltationem illis nouam adhuc vouet? Planè hæc erunt noua ſeu innouata ſigna & mirabilia nouiter immutata. Porrò antiqua Dei miracula ſeu populi hoſtes quondam

Eccli 36. v. 8. & 9.

Hugo. Ianſenius.

*Inter miſeras calamitates, exaltationem aduerſariis apprecatur.*

quondam malè conciderunt ſub Moyſe, Ioſue, Dauide, Ezechiâ, Machabæis. Noua ſigna, & immutata è diuerſo mirabilia poſtulat, aiens, *Extolle aduerſarium*, Verùm inter tot calamitates, quas hoſtibus ſuis apprecatur, humanam forſan extollentiam ſeu felicitatem profundè vouet. O quoties felicitatem, quam nobis chariſſimis votiuè expetimus, ad quæ hiamus, *inimicorum vota ſunt*, vt non ſemel
Seneca. l. de Vita beat. lib. de Conſ. c. 28. ex Senecâ admonuimus. Qui addit: *Iſta quæ ſpectantur, ad quæ conſiſtitur, quæ alter alteri ſtupens monſtrat, foris nitent, intrinſecùs miſera ſunt.* Et alibi: *Omnia iſta bona, quæ nos ſpecioſâ ſed fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia, aliáque complura, ad quæ generis humani cæca cupiditas obſtupeſcit, cum labore poſſidentur, cum inuidiâ conſpiciuntur: eóſque ipſos, quos exornant, premunt; plus minantur, quàm proſunt.* An magnus hic Philoſophus velut Chriſtiano cothurno adſentit Siracidi de-
Hic verſ. 21. & 22. precanti, *Extolle aduerſarium*? Sic eſt fortuna infortunio cognata? O infelices mundi felicitates, & inchoatas ſcenicè tragœdias, exitu infauſto funeſtè lugubres! Quod hîc verſ. 21. & 22. in reginâ Vaſthi videre licèt.

3. Sapientiæ 4. *Ex iniquis enim ſomnis filij qui*
Sapient. 4. v. 6. *naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ aduerſus parentes in interrogatione ſuâ.* Enarratores omnes pro *ſomnis* legerunt *omnes*. Putauit forſan aliquis abſurdam locutionem, naſci ex ſomnis, ideóque illud *omnes* repoſuit. At Græca vox *ſomnum*, vel *ſomnium* ſignificat, vti in Bibliis correctioribus excribitur. Somnus porrò, & dormitio pro concubitu ſeu Venere ſæpè ſumitur in ſacrâ Scripturâ, vt auctores profanos interim omittamus. Sed quare *ſomnus*, vel *ſomnium*
Lorin. ibi. dicitur Venerea voluptas? *Citò tranſit Venerea voluptas velut ſomnus, eâ tanquam ſomno ratio*
*Venerea voluptas ſomnus dicitur, qui filios generat.* *conſopitur, ſeu tanquam paruâ epilepſiâ.* Summa Veneris Cupidiníſque illecebra, & ſalaciſſimæ voluptatum præſtigiæ, *ſomno*, vel *ſomnio* ſapienter comparantur: nam *citò tranſit Venerea voluptas*, & deſpumatâ libidine fugitiua euaneſcit pudore videndi. Sopitur ratio, potior hominis pars dum obſcœno voluptatis ludibrio homo obbruteſcit. Voluptatis blandimentum putatur, & *parua epilepſia* eſt, & mœſtum animi cordolium. Ex non bonis *ſomni*, vel *ſomnij* elogiis, filij non tam generantur, quàm ſomniantur. Quaſi non tam ſit hominis, quàm *ſomni* ſoboles, ( *Ex iniquis ſomnis filij qui naſcuntur* ) genitorem ſomnum impreſſe repræſentans. Vide qualis ſit voluptatum ſumma.

4. Regius Vates Pſalmum 14. ſic auſpicatur: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Et con-
Pſal. 14. v. 3. feſtim reſpondet: *Qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in linguâ ſuâ.* Non conuenit inter expoſitores, quid ſit in corde ſuo loqui veritatem. Porrò loqui veritatem in corde, niſi locutio proſiliat in linguam, nihil aliud videtur eſſe quàm rem probè cognoſce-
*Veritatem in corde ſuo loquitur, qui tēporalia bona nihili æſtimat.* re, & illi ſicuti eſt, idoneè conformari. Quod nihil aliud eſſet, quàm verè, ac ſapienter cognoſcere. Qui foret inſulſus loci ſenſus, & contextui parùm accommodatus. Vndè Cardinalis Bellarminus, ſic dilucidè hunc verſ. exponit: Explicat, inquit, magis in particulari, quis habitaturus ſit in tabernaculo Domini, ac dicit illum eſſe, *qui loquitur veritatem in corde*
*ſuo. Nam omnis qui res temporales pluris æſtimat, quàm valeant, non loquitur veritatem in corde ſuo.* Card. Bellar. ibi. Scilicet ſibi mentitur, qui res temporales valdè æſtimat. In vero cenſu res omnes temporariæ, qui ambitioni, & voluptati adrident, futiles ſunt, caducæ, mentitæ. Quid ergò mendacium in cordis tui officinâ, facere veritatem adlaboras? O quàm facile impoſturam facit quod delectat! O falſatas voluptatis præſtigias! Mendacium tibi paras, & dolum aduerſus, te in corde tuo aſtruis, niſi voluptatum mendacia apud te deſtruas.

Siracides Eccleſiaſtici 40. ſubſtantiæ ( id eſt, 5.
opes, dignitates, felicitas) iniuſtorum ſicut fluuius ſiccabuntur, & *ſicut tonitruum magnum* in pluuiâ perſonabunt. *In aperiendo manus ſuas* Eccli. 40. v. 14.
*lætabitur: ſic præuaricatores in conſummatione tabeſcent.* Tota energia comparationis in ſimilitudine humanæ felicitatis ad tonitruum in ſæuæ tempeſtatis fragore mugiens, ſita eſt. Vnde prius Verſiculi hemeſtichium ſic nonnulli *Hominis fortunati manus, dicitur luces.*
vertunt: *Cum ipſum*, ( ſcilicet *tonitruum* ) *manus aperit, lætatur: ſic, &c.* Quaſi dicat: ( ait Cornelius ex Palacio ) *Iniuſtus eſt velut toni-* Cornel. ibi.
*truum magnum, magnum edens fragorem & ſonitum: at non lætatur, niſi dum aperit manus,* Palacius.
*id eſt, non durat, niſi dum radios velut manus extendit. Loquitur enim de tonitruo fulguri mixto, quod non durat, niſi ferè dum ſuam explicat lucem: ita præuaricatores licet videantur ſonare, & fulgere, breui tamen in ſuâ conſummatione tabeſcent.* Mitto nunc, quòd hominis feliciter fortunati *manus*, dicantur *radij*, ſeu luces. Sic vel obſcura opera à potentiâ, & felicitate ſplendent! Expenſione autem digniſſimum eſt, *Mundialis gloria eſt ad inſtar tonitrui fulgure miſti.*
quòd potentia, dignitas, opulentia, & felicitas impiorum comparetur tonitruo, quandò horrendo cum fragore, fulguri admiſto, ſplendidiùs micat. Nimirùm impiorum proſperitas, timori, & horrori eſt ceteris, dum inſtar tonitrui, horriſono fragore mugit, & vibrat cognata fulgura, ſæui fulminis conſuetas minas. At citò detonuit, deſæuitque immeritæ felicitatis nymbus. Eius formidabilis ſonitus quantocyùs friuolè languet; nam *periit memoria eorum cum ſonitu.* Eius nitor, lux fulguris eſt, quæ in ſui exordio funeſtè tumulatur, & in cunis ſepulchrum inuenit. *Non lætatur tonitruum, niſi dum aperit manus, id eſt, non durat, niſi dum radios* (fulgura inquam) *velut manus extendit: ita præuaricatores licèt videantur ſonare & fulgere, breui tamen in ſuâ conſummatione tabeſcent.*

De caducâ hominis gloriâ ſic pangit regius 6.
Pſaltes: *Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat, & tranſeat: veſpere decidat, induret, & areſcat.* Pſal. 28. v. 6.
Accinunt impiorum voces, Sapient. 2. *Et non pertranſeat nos flos temporis.* Gratiſſimus exoritur flos temporis, dum totam temporalis gloriæ explicat ambitionem: ſed quò lætior & gratior, eò celeriùs marcet, defloreſcit, areſcit. Sap. 2. v. 7.
*Vt in rerum naturâ* ( ait naturalis Philoſophiæ Plin. l. 16. c. 15.
princeps) *quæ ſpectatiſſimè florent, celerrimè mareſcunt, veluti roſæ, lilia, violæ, cùm alia durent: ita in hominum vitâ quæ florentiſſima ſunt, citiſſimè vertuntur in diuerſum,* puta felicitas in infelicitatem, ſanitas in morbum, robur in infirmitatem, fauor in odium, honor in contemptum, amici in inimicos, vita in mortem. Quippè celerrimi æui ſpectatiſſimi flores ſunt,

&

& ad marcidam deflorationem caduci properant. Fruſtrà eorum floridam gratiam ſiſtere feſtinas. *Mane flores, & tranſit: veſpere decidit, indurat, & areſcit.* Indè ſalubriter monet Tertullianus: *Quid tibi cum flore morituro? Habes florem ex virgâ Ieſſe ſuper quem tota diuinitas requieuit, florem incorruptum, immarceſcibilem, ſempiternum.*

Tertull. l. de Corona milit.

7. Pſ. 43. v. 20.

Pſalmo 43. ſic Dauid modulatè occinit: *Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis.* Grande litigium eſt inter Expoſitores, quæ nam fuerit hæc *humiliatio*; & quis fuerit hic *afflictionis* locus. Pro τὸ *humiliaſti*, Hieronymus habet, *deieciſti*, Symmachus, *confregiſti*. At pro *in loco afflictionis*, Auguſtinus habet, *in loco infirmitatis*, Ambroſius, & Chryſoſtomus ex Symmacho, *in loco ſirenum*. Sirenum autem vocabulo voluptas communiter intelligitur, quæ homines carnalis concupiſcentiæ adulatione muſcet, delectat ac decipit. Queritur ergò Propheta, quod in *loco ſirenum*, id eſt, voluptatis, quem appoſitè Auguſtinus *locum infirmitatis* appellat, homines ſint *deiecti*, & *confracti*, atque *humiliati*. Iuuat ſubiicere moraliſſimi Philoſophorum velut commentarium, qui tanquam Chriſtiano cothurno ſic fatur, quaſi exponens præſcripta Pſalmi verba: *Deieciſti*, ſeu *confregiſti*, ſiue *humiliaſti nos in loco ſirenum*, ſiue *infirmitatis*, ſiue *afflictionis*: *Quis hoſtis*, inquit, *in quemquam tam contumelioſus fuit, quàm in quoſdam voluptates ſuæ ſunt? quorum impotentiæ atque inſanæ libidini ob hoc poſſis ignoſcere, quòd quæ fecere patiuntur. Viuunt itaque voluptatibus ſuis, non fruuntur; & mala ſua, quod malorum vltimum eſt amant.* O quam confringitur & humiliatur homo in loco ſirenum ſeu voluptatis, qui idcircò locus afflictionis dicitur!

Apud Lorin. ibi.

*Homo voluptate confringitur, & humiliatur.*

Senec. epiſt. 39.

---

## §. XL.

### *Fallax & fugax eſt humanæ felicitatis gloria, & viduatæ animæ indicium.*

1. VIrtutis ſtudioſo neceſſarium eſt admoneri, & habere aliquem aduocatum bonæ mentis, éque tanto fremitu, tumultuque falſorum, vnam denique audire vocem. Quæ erit illa vox? Ea ſcilicet, quæ tibi tantis clamoribus ambitioſis exſurdato, ſalubria inſuſurret verba; quæ dicat: Non eſt quod inuideas iſtis, quos magnos feliceſque populus vocat. Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia ſunt. Nil ſibi quiſquam de futuro debet promittere. Id quoque quod tenetur per manus exit, & ipſam quam premimus horam caſus incidit. Voluitur Fortuna ratâ quâdam ſuæ rotæ lege: & quidèm per obſcurum. Omnes adæquè pauperes naſcimur. Quod Fortuna dare potuit vtique & auferre poteſt. *Rex es?* (ait Minutius Felix) *tam times, quàm timeris: & quamlibet ſis multo comitatu ſtipatus, ad periculum tamen ſolus es. Diues es? ſed fortunæ male creditur, & magno viatico breue vitæ iter non inſtruitur, ſed oneratur. Faſcibus & purpuris gloriaris? vanus error hominis, & inanis cultus dignitatis, fulgere purpurâ, mente ſordeſcere. Nobilitate geneřoſus es? Parentes tuos laudas: omnes tamen pari ſorte naſcimur, ſolâ virtute diſtinguimur.* Hæc concuſſa ſtat; cetera quæ appellas bona, incerta ſunt, fugitiua, volatica. An non vides hîc verſ. 21. & 22. reginam Vaſthi à ſummo regni faſtigio repentè deturbatam, de infidâ felicitatis fide, & cognatâ fortunæ inconſtantia?

*Quã ſit fallax & fugax mundana felicitas.*

Minut. Felix in Octau.

Hîc v. 21. & 22.

2. Geneſeos 7. in operosè fabricatam arcam tandem Noë mundi iam iam abolendi, inopinatum rurſùs mundi ſeminarium includit. Cumque tranſiſſent ſeptem dies, aquæ diluuij inundauerunt ſuper terram. *Anno ſexcenteſimo vitæ Noë, menſe ſecundo, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cæli apertæ ſunt: & facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Mirùm fortaſſe alicui videbitur, quòd ſacer Hiſtoricus, qui maiora alia prætermittere ſolet, tam accuratè exponat quo menſe diluuium contigerit. Ad chronologiam biblicam multùm id conducere, plures tractant. Ad rem moralem audiendus eſt Ambroſius, qui mores indè eleganter inſtituit: *Menſe ſecundo, &c. Secundum menſem verni eſſe temporis non ambigitur, quandò augentur naſcentia, ager parturit, terrarum pariter atque animantium fœtura ſe fundit. Tunc ergò fecit diluuium, quandò dolor eorum maior foret, qui in ſuâ abundantiâ puniebantur.* Simul cum ſuis diuitiis moriatur homo, cùm ſuâ ſimul dote tumuletur. Fraudetur floridâ fructuum ſpe, qui diu expectatos pœnitentiæ fructus non fecit. Emoriatur cum naufragâ ſpe, merſâ diluuij aquis, qui iam diu fidei fecerat naufragium. Sterilis languore fides infœcundos parturit ſpei fructus. Quid homini acerbiùs contigit? an ipſum mori? an mori ipſius ſpem, prouentu iam iam fœcundam, florente ſecundi menſis, verno lætiſſimè tempore? Heu geminum in vnâ vitâ naufragium! Cùm læti flores iam propè fructus parturiunt, illis conſultò fraudantur; quò mentita bonorum mundialium fallacia publicetur.

Geneſ. 7. v. 11.

*Cur verno tempore mũdi naufragium acciderit?*

S. Ambr. de Noë & arcâ, cap. 14.

3. Geneſis 42. Iacobi filij frumentatum pergunt in Ægyptum, hiante fame oppreſſi. Empto iam frumento, redire cunctantur. Quibus ait Ioſeph: *Vos autem abite & ferte frumenta quæ emiſtis, in domos veſtras.* Hebraicè pro τὸ *Ferte frumenta*, habetur; *Afferte emptionem famis.* Dum expetitum frumentum mercantur, *emptionem famis* mercari dicuntur? Cupito, & magni empto frumento *emptionem famis* negotiantur? Famem emunt; an famis expulſionem? O mundialia bona, præſumptæ commoditatis ieiunia! Appoſitè Octauius aduerſus Cæcilium diſputans: *Quæ poteſt eſſe ſolida felicitas, cum ſit ſomnio ſimilis? antequam tenetur, elabitur.* Quid tam fugax, futile ac volaticum, quàm quod antequam tenetur, diffluit, excidit, elabitur? Dum frumentum ad ſatiandam famem emunt, non tam ſaturitatem, quàm *emptionem famis* negotiari dicuntur. Sic expetiti frumenti vtilitas, *Antequam tenetur, elabitur?* O falſa mundi felicitas!

Geneſ. 42. v. 19.

Hebræus.

*Mundialis felicitas antequã tenetur, elabitur.*

Minut. ſupr.

4. Eſtheris 3, v. 1. ita ſcribit ſacer Hiſtoricus: *Poſt hæc rex Aſſuerus exaltauit Aman filium Amadathi .... & poſuit ſolium eius ſuper omnes Principes, quos habebat. Cunctique ſerui Regis, qui in foribus palatij verſabantur, flectebant genua, & adorabant Aman.* Suſpice ſublimiſſimum Amani faſtigium, mirare regias opes, honorem & cultum penè regium. Verum

Eſther. 3. v. 1. 2.

*Aman in hoc altiùs tollitur, vt decidat altiùs.*

rum

miſſimum Amani faſtigium, mirare regias opes, honorem, & cultum penè regium. Verùm caſuro ſimilis impendet. Eloquenter Minutius ita ad rem philoſophatur: *Niſi fortè*, inquit, *vos decipit, quod Deum neſcientes diuitiis affluant, honoribus floreant, polleant poteſtatibus. Miſeri in hoc altius tolluntur, vt decidant altius. Hi enim vt victimæ ad ſupplicium ſaginantur: vt hoſtiæ ad pœnam coronantur. In hoc adeò quidam imperiis ac dominationibus eriguntur, vt ingenium eorum perditæ mentis, licentiæ poteſtatis liberè nundinentur.* Quid accommotius? Singulas ſententias Amano nunc ſublimiſſimè exaltato adaptare, cuius pronum eſt.

Minut.ib.

5. 1.Petri 1. v. 24. 1. Petri 1. Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in æternum. *Quia omnis caro fœnum & omnis gloria eius tanquàm flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit: verbum autem Domini manet in æternum.* Quæ Apoſtoli verba exponens Oecumenius, ſolidam virtutis vitam, cum vix floreſcente, & iam defloreſcente carnis gloriâ, fragili, caducâ, marceſcente, & deciduâ tempeſtiuè componit, ſic fatus: *Cùm dixerit*, inquit, *regenerati ex ſemine non corruptibili, ſed incorruptibili per verbum viuentis Dei; ſubiungit cum contemptu quàm caduca & fragilis humana gloria ſit, quàmque, vt ita dicam, inſubſiſtens; vt hoc modo ad ſequenda ea quæ propoſuit, auditores alliciat: quippè cùm illa ſtabilitatem in ſe habeant & perpetuitatem; noſtra hæc prius ferè corrumpuntur, quàm ſint.* Viderint Philoſophi quàm multa in hoc vno verbo velut compendio ſtrinxerit Oecumenius, dum carnis gloria appellatur *inſubſiſtens*, quaſi ſubſiſtentiâ, cui incumbat, orbata, nimis futilis & caduca ſit. Parùm hoc niſi addidiſſet, glorioſa quæque ac voluptabilia mundi, ad quæ libido hiat, ſuſpirat ambitio, adeò eſſe *inſubſiſtentia* & inania, vt *prius ferè corrumpantur, quàm ſint*. Spe placent, ſed deſiderantem ſpebus torquent; poſſeſſione aut diſplicent, aut non tam placent quàm deſideriis promiſerant. Aut lapſu fugaci citò elabuntur; aut ſi aliquandiu perſiſtunt, faſtidium ſui generant. Itaque ſiue res mundialis concupita citò pereat, ſiue diu duret; ſaltem omnis gloria eius, adeò eſt *inſubſiſtens*, vt *prius ferè corrumpatur, quàm ſit.* Quod in re naturali paradoxon videtur, in re ethicâ propè dogma eſto. Et ſanè (vt alia deeſſent) bellè dicitur *inſubſiſtens* gloria hominis, cùm ipſa hominis vita, cui gloria innititur, adeò friuola atque caduca ſit. *Nihil eſt tam fallax, quàm vita humana* (ait Seneca) *nihil tam inſidioſum: non me hercule quiſquàm accepiſſet, niſi daretur inſciis. Itaque feliciſſimum eſt non naſci, proximum puto breuitate vitæ defunctos, citò in integrum reſtitui.* O mortalium vita, niſi collocata in his, quæ in confinio immortalitatis verſantur!

Oecum. ibi.

*Mūdi gloria vſque adeò inſubſiſtens eſt, vt prius ferè corrumpatur quàm ſit.*

Seneca de Conſ. ad Marc.c.20.

6. Geneſeos 11. poſt ineluctabile Noëticæ eluuionis naufragium, inerti felicitate, aut malè actuosâ homines fruebantur: dixeruntque adinuicem: Venite faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomen noſtrum. Deſcendit autem Dominus vt videret ciuitatem ac turrim, quam hominum ininterpellata felicitas inſanè
Gen.11. v 6. molliebatur: *Cœperunt*, inquit, *hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.* Sic omnia proſperè impiis ſuccedunt! Audiendus eſt hâc ſuper re Hebræus Philo, in lib. de Confuſ. ling. ſic ad præſcriptà verba ſcribens: *Nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant. O infinitam & immenſam miſeriam: omnia quæcumque aggrediebatur mens dementiſſima, ſuccedunt ex ſententiâ: nec magnus nec paruus conatus fruſtrabitur vllus, vltrò negotiis animæ occurrentibus & ſeſe præbentibus* (Nota verba quæ profundè ſubtexit) *Hæ ſunt animæ viduatæ indicia.* Sic felicitas felicitatibus ſuccidua, animam viduat? Splendidè Philo animam maritauit. Sed forſan intellectum rectâ ratione vtentem, illi virum dedit, quo anima fœcundiùs maritatur ad ingenuam virtutis ſobolem. Secùs vidua eſt anima, lugubris, ſola, flebilis, infœcunda, quæ ſunt conſequentiæ viduitatis, & non bona eius elogia. Ecce tibi, aſſiduis felicitatibus infelicitatur homo, improſperâ viduitate funeſtè lugubris, feliciore fortunâ infortunatus: quâ enim felicitate floreat anima miſerè viduata? nam felicitas, *animæ viduatæ indicium eſt.* Heu ſic eſt confinis infelicitati felicitas? ſic gloria mundi *prius ferè corrumpitur, quàm ſit?* Profectò mundialis proſperitas, aut viduam animam inuenit, aut ſuo aduentu viduam facit.

Philo de cōfuſ. ling.

*Aſſidua felicitas viduatæ animæ indicium eſt.*

7. Iſaiæ 4. v.6. &c. Iſaiæ 40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri .... Verè fœnum eſt populus: exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos.* Quæ verba elucidans Ambroſius, ita in Exaëmero ſcribit: *Omnis caro fœnum, & verè. Viret enim gloria hominis in carne, quaſi fœnum, & quæ putatur eſſe ſublimis, exigua quaſi herba eſt, præmatura vt flos, caduca quaſi fœnum: germinat vita viriditatem in ſpecie, non in fructu ſoliditatem: hilarioris vitæ quaſi flos præcedens iucunditatem, breuiori ſpatio occaſura, ſicut herba fœni, quod priuſquam euellatur areſcit. Quæ enim firmitudo in carne, quæ ſalubritas poteſt eſſe diuturna?* Plura in hanc ſententiam ſubſcribit quo ſolet polito calamo. Et præſcriptum Iſaiæ locum non impari elegantiâ S.Gregorius apud Iuſtinianum verſat: *Iniquorū, ait, potentia fœni floribus comparatur, quia carnis gloria, dum nitet, cadit; dum extollitur, repètè terminatur. Sic in altum ſtipula rapitur, ſed caſu concito ad ima reuocatur, ſic nebula ab infimis ſe erigit, ſed exortus ſolis radius abſtergit, ac ſi non fuerit. Sic ſpumoſæ aquarum bullæ inchoantur pluuiis incitatæ, ſed celerius direptæ pereunt.* Certent in elegantiæ ingenio Gregorius & Ambroſius in hoc ethico ſtadio. Vtrique ſuccedat Bernardus, qui melleo ore amara fella humanæ gloriæ ſpargit: *Infelicitas in cupiditate*, inquit, *Quomodo in cupiditate infelicitas? id eſt, non felicitas vt putatur. Quid enim ſi cui fortè videtur in terrenarum rerum affluentiâ, concupita felicitas arridere? Eo ipſo infelicior eſt, quò vehementius ipſam pro felicitate amplectitur infelicitatem: aut magis immergitur ei, & abſorbetur ab eâ. Væ filiis hominum ab hâc felicitate fallaci!*

S.Ambr. l. 1. Exaēm c.7.

*Quàm ſit caduca humana gloria, floris exemplo elucidatur.*

S.Gre. apud P.Iuſtin. in epiſt. 1. Pet. c.1.v.24.n.4.

S.Ber. ſer. 10. ſuper. Pſalm. Qui habitat.

8. Eccle.7.v. 13. Eccleſiaſtes cap.7. *Sicut protegit ſapientia, ſic protegit pecunia: hoc autem plus habet eruditio & ſapientia, quòd vitam tribuunt poſſeſſori ſuo.* Sapienter inſinuat Olympiodorus, his verbis pecuniam minimè laudari, etiam infrà ſapientiam, ſed ſapientiam ſolam: comparari autem cū pecuniâ, non qualis reapſe eſt, ſed qualis ambitioni auaritiæ proponitur: nam in ſequenti mēbro viuificantem peritiam ſapientiæ attribuit, dum perſuadet cūcta viſibilia quaſi inaniſſima, & nugaciſſima contemnere, & ſolam vitam æternam æſtimare.

Olimpiod. *Pecunia nihil aliud eſt, quàm argenti vmbra.*

Græcus. Vetus tranſl. Chaldæus. Rabbi Iſaac.

æſtimare. Pro τὸ *protegit pecunia*, Græcè habetur *vmbra pecuniæ*, vetus tranſlatio *vmbra argenti*, ſimiliter & Chaldæus Paraphraſtes, & Rabbi Iſaac in Pſal. 111. Ecce tibi *argentum* cuius pretioſa cupiditas hominum appetentiam poſſidet, ambitionem ciet, pectora implere putatur; vſque adeò futile, nugax, mentitum, inane, fallatum, fugax, & vmbratile bonum eſt, vt non tam pecunia, quam *vmbra argenti* dicatur. Rem, de inani æſtimationis tuæ cenſu prætioſam, poſſidere ſuſpiras; ſed poſſeſſio votis mentitur, & *vmbram* apprehendere ambis. O! quid eſt pecunia, in quam hominum auaritia hiat? Reſpondet Eccleſiaſtes: *Vmbra pecuniæ, vmbra argenti*. ſic eſt lubrica, futilis, fugax volatica!

# EVCHARISTICVM

## LAVTE EPVLVM PROPONITVR;

## QVOD ASSVERI CONVIVIVM SVMTVOSIVS ADVMBRAT.

Pſal. 11. v. 9. Cornelius. Mendoça. Gloſſa. Hic à verſ. 3. vſque ad 9.

SECVNDVM *altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.* LXX. Interpret. *epulas inſtruxiſti filiis hominum.* Quod autem hoc Aſſueri conuiuium, conuiuium Euchariſticum adumbret eruditè probat hîc Cornelius, & Mendoça in lib. 1. Reg. tom 3. in cap. 9. verſ. 2. num. 24. qui Gloſſam allegat, & poſtmodum in verſ. 24. num. 3. Ergò quæ in hoc cap. 1. à verſ. 3. vſque ad 9. de Aſſueri conuiuio traduntur, ſubſcribendis paragraphis myſticè elucidantur.

---

### §. XLI.

*Euchariſtica Chriſti Dei caro, ſine interpretatione, & intentâ exploratione, cruda, ne comedatur; vt in eâ tuam eſſentiam, & bonam fortunam inuenias.*

1\. Prou. 23. v. 1. Vulgata antiqua.

AVſpicatò monet Sapiens: *Quandò ſederis vt comedas cum Principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam.* In quibuſdam vulgatis codicibus olim erat: *Quando ſederis vt comedas panem.* Pro τὸ *diligenter conſidera*: Hebraicè habetur: *Conſiderando conſiderabis quæ ad facies tuas.* LXX. verò, *Sapienter intellige*, &c. Auguſtinus: *Attendens intellige.* Quo verba idem Auguſtinus, Chryſoſtomus, & alij paſſim, de Euchariſtico epulo commentantur. Porrò dum accedis ad Euchariſtiæ menſam, *diligenter attende, conſiderando conſidera*, & *ſapienter intellige*, quod viſus & guſtus iudicant ſpecies panis tibi exhiberi, at intellectus fide illuſtratus, intelligit, perſpicit & credit, non panem, ſed ipſum Chriſti corpus ſub ſpecie panis tibi apponi. *Attende* ergo, & dic cum Hebræis manna è cælo ningere cernentibus, *Manhu*, id eſt, quid hoc, vt mihi Chriſtus Deus totum ſe, id eſt, totam humanitatem ſuam cum deitate manducandam proponat? In Euchariſtiâ enim ſumma requiritur conſideratio, vt tanti epuli cibique dignitatem & pretium æſtimes, reuerearis, colas, adores, vti par eſt. Igitur *quando ſederis vt comedas panem, ſapienter intellige.*

Hæbræus. LXX. Interp. S. Auguſt. tr. 47. & 48. in Ioan. S. Chryſ. in Pſal. 22. & 115. & 116. *Qui accedis ad Euchariſticum panē, ſapienter intelligas.*

Exodi 12. agni typici eſum his verbis Moyſes præſcribit: *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, ſed tantùm aſſum igni.* Lex prohibet, ne crudum edant, quamuis tametſi id minimè vetaſſet, nemo Hebræorum, opinor, crudis carnibus veſceretur, quod ferinum ac barbaricum foret, atque Hebrææ genti inſolens. Id autem diſſertè traditur, vt ad myſticum ſenſum ſenſim alliciamur, imò & impellamur, quò Euchariſtici agni ſacramentum Scriptura explicatiùs indigitet. S. Gaudentius præfata Exhodi verba exponens, ita opportunus ſcribit: *Non comedetis ex eo crudum quid, &c. Has immaculati Agni carnes, id eſt, doctrinæ eius viſcera, neque cruda ſine interpretatione ſumi oportet, neque cocta in aquâ id eſt, eorum diſſertione diſſolutâ, atque decoctâ, qui velut aquâ deorsùm fluunt, nihil ſupernum ſentientes; ſed aſſata, inquit, igni, id eſt, Spiritu diuino ſolidata, atque tecta; ignis enim ſurſùm versùm tendit. Vndè dicebat Dominus Iudæis: Vos de inferioribus eſtis, ego de ſupernis ſum.* Nempè typici Agni carnes crudæ vorantur, barbarâ edacitate, quandò *doctrinæ eius viſcera, cruda, ſine interpretatione ſumuntur.* Quaſi Euchariſtici myſterij præuius commentarius, & luculenta *interpretatio*, illius ſacramenta clarans, Euchariſticum cibum condiat, & arcanum eius ſaporem erudiat, ac ſic Euchariſticus ſapor in ore accipientis, de *interpretis* ore ac ſapore guſtetur. Scilicet qui Euchariſticum cibum ſine *interpretatione* ſumit & ſine idoneo commentario accipit; agninam ingluuie agreſti,

2\. Exhod. 12. v. 9. *Praua interpretatio, Euchariſtiam cōdit; ne quis crudas carnes voret.* S. Gaud. tr. 2. in Exhod. Ioan. 8. v. 23.

ſti, & inſolenter barbaricâ *crudam* vorat. Hac *interpretatione* viduati Iudæi, brutâ peritiâ litigabant ad inuicem, dicentes: *Quomodò poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Ne ergò *doctrinæ eius viſcera, cruda, ſine interpretatione ſumantur.* Itaque præuia *interpretatio,* quæ huius myſterij *viſcera* claret, Euchariſtiam condit, ne quis crudas carnes voret.

Ioan.6.v.53.

3. Lucæ 14. v.17.

*Hoc conuiuiū Iudæi ignoranter parauerunt.*

Lucæ 14. Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Et miſit ſeruum ſuum dicere inuitatis vt venirent, *quia iam parata ſunt omnia.* Quærunt diligenter interpretes, per quos nam condita, & parata ſint omnia, quæ in epulo apponenda erant? Pulchrè Auguſtinus: Homo iſte mediator eſt Dei & hominis Chriſtus Ieſus .... Illi (Iudæi inquam) *inuitantes acceperunt, cœnam repudiarunt, Prophetas legerunt, & Chriſtum occiderunt, & tunc nobis cœnam neſcientes parauerunt.* Nimirùm qui hunc cibum *neſcientes parant*, & *Sine interpretatione ſumunt*, crudas Agni carnes, abſque condimento doctrinæ ignoranter apponunt, & inſipidè vorant.

S.Auguſt. de verb.Dom. ſerm.33.

4. Exhod.12. v.23.

*Dum Euchariſtia intenta mente, ore ad redemptionē ſumitur.*

Exhodi 12. vtrumque ædium poſtem, typici agni ſanguine reſpergi Moyſes iubet. Tranſibit enim Dominus percutiens Ægyptios: *cumque viderit ſanguinem in ſuperliminari, & in vtroque poſte tranſcendet oſtium domus; & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras, & lædere.* Eccur poſtis vterque agni ſanguine madere & rubere iubetur, quò percuſſor Angelus Hebræos illæſos tranſeat? An non ad veniæ notaculum, ſat erat agnino illo ſanguine alterutrum reſpergere? Ita quidèm in typico agno, non in antitypo, per illum figurato. Quâ ſuper re ita ad rem philoſophatur Rupertus: *In vtroque poſte agni ſanguis ponitur, quandò Sacramentum paſſionis illius ore ad redemptionem ſumitur, ad imitationem quoque intentâ mente cogitatur.* Quid eſt agni typici ſanguinem *ad redemptionem ore ſumi*? An redemptio, oris Euchariſticâ ſumptione, an potiùs cruentâ Chriſti paſſione peragitur? Ad redemptionem ore ſumitur Euchariſtia? Iterata myſticè in hoc Sacramento Chriſti paſſio, in accipientis ore adhuc redimit? Aſt tametſi *Sacramentum paſſionis ore ad redimendum ſumatur*; quia tamen vterque poſtis typici agni ſanguine rubet velut fruſtrà ore ſumitur, niſi quid ſub ſpeciebus arcanè deliteſcat, *intentâ mente cogitetur.* Fidei animoſæ vires intentiùs mens exerat, & vltra ſenſuum cenſuram fidenter audeat: nam Euchariſtica typici agni caro, dum *ſine interpretatione ſumitur*, cruda, & incondita manducatur, Nempe quandò hoc Sacramentum *intentâ mente cogitatur*, tunc, tunc quidèm *ore ad redemptionem ſumitur*.

Rupert.l.4. in Exod. c.9.

5. Eccli.15. v.3.

Siracides Eccleſiaſtici 15. *Cibauit illum pane vitæ & intellectus.* Quæ verba interpretum Proceres ad Euchariſtiam referunt. Per τὸ *vitæ*, adludi cenſent ad paradiſeum vitæ lignum, quæ fuit Euchariſtiæ vmbra. *Pane* verò *intellectus* cibatur homo, cùm in hâc cæleſti menſâ Euchariſtico pane veſcitur, quia *intellectum* inuenit, & facit: & aduerſus oculorum cenſuram, ſupra quàm quod habet *intellectum* intelligit, & vltra ſuſpicabilem ſaporem manifeſtè ſapit. P.Magallianus illud Apoſtoli ad Thimotheū 3. *Manifeſtè magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne*, ad Euchariſticum panem refert. Profectò *manifeſtè magnum* eſt hoc Sacramentum: ſed cùm ibi Deus abſconditus lateat, quo pacto dici poteſt *manifeſtatum*, quod quandam quaſi euidentiam denotare videtur? Syriaca excriptio, præſcripta Paulli verba ita exponit: *Deus quaſi ſub diaphano cryſtalli apparuit, & effulſit in carne.* Nimirùm, qui hoc *pane intellectus cibatur*, quaſi quodam collyrio, eius mens ſic inoculatur, vt Chriſtus Deus ſub ſpeciebus panis latens, comedenti tanquam ſub diaphano cryſtalli tranſpareat, & arcanæ diuinitatis fulgores tranſluceant. Sic ſublimiter intelligit fidei oculis, qui *intellectus pane cibatur*! ô fidei obtutum intende ad hos Euchariſtiæ *fulgores*!

Ad Timoth. 3.v.16.

Magall.ibi.

*Chriſtus quaſi ſub diaphano cryſtalli tranſparet in Euchariſtia.*

Syrus ibi.

6. Lucæ 2. v.7.

*Hoc frumentum in præſepio, rationalem dignitatem pecuinis hominibus tribuit.*

Lucæ 2. Virgo Deum decenter parturit. Sed vide an decens ſit Dei recens nati inſuſpicabile reclinatorium: *Et peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio.* In pecuino abiectè præſepio infans Deus reclinatur? Eſto, humillimæ abiectionis peramans, abiecta quæque elegiſſet, cur belluinum præſepe, & irrationabile pecorum paſtum, tanquam reclinatorium non abhorret? Quid increatæ ſapientiæ cum irrationabilium iumentorum præſepio, & illorum pecuino pabulo? Opportunè Heſiodus: *Libens reconditur in præſepio, vt qui ſunt pecuini accurrant, & reperiant λόγον, id eſt, ſermonem in præſepio conſtitutum, vt ex eo retineant dignitatem rationalem: & qui currunt ad paleas, frumentum nanciſcantur.* Itaque conſultiſſimè hoc cæleſte granum, futurum in Euchariſtiâ frumentum electorum, in præſepio reconditur, vt qui velut iumenta illò accurrunt pecuino ſenſu, brutâ mente, ac fide paganâ, reperiant ſpicam rationalem, & indè *rationalem dignitatem* nanciſcantur. Pecuinum enim, & irrationale eſt, in Euchariſtico frumento Deum ibi reconditum non agnoſcere, ruminare, venerari; nec mente citiùs quàm ore percipere. Qui non ſic accedit, à *dignitate rationali* degenerat, & bruto ſenſu acceſſiſſe videtur. Igitur hoc frumentum in præſepio rationalem dignitatem hominibus præbeat.

Heſiod.l.2. de laud.Virginis.

7. Oſee.7.v.14.

Oſee 7. ſic è diuerſo Propheta loquitur: *Super triticum & vinum ruminabant.* Omitto expoſitionem difficilis loci quem Græci, ac Latini Patres diuerſimodè verſant. Et ſanè pecuina Iſraëlitarum *ruminatio ſuper triticum & vinum* taxatur: *in quo non plus oſtenditur eſſe mentis, quàm in boue, aut aliâ irrationali naturâ, quæ fœno paſcitur & agreſte pabulum commandit, & ruminat*, ait inibi Sanctius, ô vtinam non pecuino ſenſu, ſed reſtituti ad *rationalem dignitatem, ſuper triticum, & vinum ruminemus*, & quis ibi lateat, mente attentiùs mandere, fidei ſtomacho coquere, & charitate digerere properemus! Et ſanè Chriſtus ipſe antequam Euchariſtiam inſtitueret, ac ſumeret, priùs *ſuper* hoc *triticum & vinum ruminabat*, quod appoſitè adnotauit Paullinus, aiens: *Saluator noſter hanc nobis eſcam ſimul, & ruminauit docens, & prompſit impertiens.* Nobis hanc eſcam *ruminabat* Chriſtus, ne non ruminata ſed tota ſine congruâ ruminatione, & integra à nobis deglutiretur. O, præuiâ attentioris animi conſideratione priùs frangendus eſt hic panis, vt famelicâ eſurie manducetur: *Frange eſurienti panem tuum*, ô Deus.

Sanct. ibi.

*Super triticū & vinum ſedulò ruminare oportet.*

S.Paulinus epiſt.4.

Iſaiæ 58. v.7.

8. Prou.2.v.7.

Prouerbiorum 2. Dominus dat ſapientiam, & ex ore eius ſcientia, & prudentia. *Cuſtodiet rectorum*

*rectorum ſalutem, & proteget gradientes ſimpliciter.* Pro τὸ *cuſtodiet*, nonnulli ex Hebræâ origine reddunt, *occultabit*, ſeu *abſcondet* (verè enim hic eſt *Deus abſconditus*) Et noſter inibi Salazar ſic ex variis Auctoribus locum excribit: *Occultabit Iuſtis formam*, ſeu *ſubſtantiam*, vel *eſſentiam*, aut *fortunam*, ſiue *ſucceſſum.* Et ſic eos *proteget.* Hebraicè, Erit *clypeus ambulantibus perfectè.* Clypei autem nomine Euchariſticam denotari hoſtiam, multis olim tradebamus. Itaque in hoc Sacramento *Deus abſconditus* iuſtis occultat ipſorum *formam*, ſeu *ſubſtatiam*, vel *eſſentiam*, vel potiùs *fortunam*, & felicem rerum *ſucceſſum.* O in hoc cæleſti cibo (in quo Deus abſconditur) explora tuam *formam*, & animi venuſtatem: tuam *ſubſtantiam*, ſiue *eſſentiam* rationis participem, ne bruto ſenſu in pecuinam irrationalitatem degeneres. Tuam etiam *fortunam* explora, ruſpare, & præuide. Nam ſi Deum hîc abſconditum, fidei oculis attentiùs inſpexeris, auſpicatò accedis, & bonam tibi *fortunam* inueniſti. Hinc forſan S. Dionyſius Euchariſtiam appellauit, *Communium inſpectionis.* Et ſanè, niſi antequam ad menſam acceſſeris, diligenter *inſpicias*, *inſpicieris*; & de brutæ impudentiæ enormitate, pœnas magno lues. O auſpicatò *poſitam fortunæ menſam.*

Hebræus.

Salaz. ibi.

*In Euchariſtia homo ſuã præcognoſcat eſſentiam, & fortunam.*

*Euchariſtia dicitur communium inſpectionis.*

S.Dionyſ.de cæleſt. Hierar.c.8.

Iſaiæ 65. v.11.

---

## §. XLII.

### *Euchariſticus ſcyphus in proſpera æternitatis auguria ind gnis offert quos gehennalibus pyris condigne addicit.*

1\. Fulb.Carn.

FVlbertus Carnotenſis in Epiſt. ad Deodatum, ex incarnatione Verbi, & Deiparæ dignitate, meritum requiſitum ad hoc Sacramentum dignè excipiendum, apprimè captat. *Quid indignum Deo,* inquit, *iudicari poteſt, qui vterum Virginis ſubiit, ſi virgineis creaturis infunditur? quæ licèt ſimplicis creaturæ paullò ante præferant imaginem, poſtmodùm cæleſtis cibi ſanctificatione inſpirata maieſtas vera diffunditur.* Pulchrè panis & vinum, ſub quorum ſpeciebus Chriſtus Deus continetur, *virgineæ creaturæ* nominantur, & inſpiratâ maieſtate indè nobiles. Si ergò non modò irrationales, ſed etiam exanimales creaturæ, tanto honorantur elogio, ne indignum præſtent Euchariſtiæ obſequium, viderit rationalis homo quanto debeant dotari merito, vt eius viſcera fiant huius Sacramenti ſacrarium. O time de infauſto, qui non reuereris de honeſto! caue, ne antidotum ad venenum glutiens, venenum damnationis exhauſeris!

*Species ſacramentales appellantur virgineæ creaturæ.*

2\. Gen.44.v.5.

Geneſeos 44. egregiam ſanè ſtropham compoſuit Ioſeph, dum iuſſit domus ſuæ œconomo, vt ſcyphum in ore ſacci Beniamini abſconderet. Qui perſequens viros, apprehenſis dixit: Quare reddidiſtis malum pro bono? *Scyphus, quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet.* Pro *ſcypho* Græcus *poculum* habet, Chaldæus *calicem* ſcribit. Arcanè quidèm Euchariſticus *calix*, ſeu cæleſte Euchariſtiæ *poculum*, per hunc ſcyphum, quo captari auguria ſolitant, præſignatur. Quaſi iſtiuſmodi *ſcyphus*, ſeu *calix* ſit augurium potatorum, aut æternaturæ felicitatis in cælis, aut calamitatis æternæ in gehennæ barathro. Profectò Chriſti calix arcano quodam augurio deſeruire dicitur: dignè ſiquidèm accipientibus empireæ gloriæ felix omen eſt; aliis verò perennantis gehennæ funeſtum infeliciter augurium. Hic *calix* eſt ineffabilis animarum incantatio, hominum fortuna, & mortalium conſultiſſimum fatum. S. Proſper ita de hoc ſcypho ſcribit: *Poculum ſuum Ioſeph in ſacco Beniamin clàm iuſſit immitti: quod requiſitum cùm fratres perturbaret ſuos, inuentum eſt in ſacco Beniamin. Calix paſſionis Chriſti datus occultè per gratiam agnoſcitur.* Pulchrè *ſcyphus* ſeu *calix* auguriorum artifex, Euchariſticus paſſionis Dominicæ *calix* nuncupatur: paſſio enim Chriſti in calice repræſentata, augurium hominum eſt, & mortalium omen. Tanquam cum dilectiſſimo Beniamino nobiſcum agit Deus, quibus immittit paſſionis ſuæ *calicem*, quaſi fauſtum augurium, & proſperioris fortunæ felix prognoſticon. Sed caueant homines, ne hic ſcyphus, quæ eſt beneficentioris beneuolentiæ nota, & æternæ proſperitatis omen, fiat ſcelerum conceptaculum, & damnationis character. Audiendus eſt hâc ſuper re Chryſoſtomus qui loquens de hoc ſcypho ſeu calice, ita fatur: *Scyphus quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet.* Quaſi dibat: *Neſcitis quod hoc ſit vas, in quo auguratur Dominus meus mala, quæ perfeciſtis?* Eheu, Euchariſticus *calix* ſeu *ſcyphus*, quæ beneuolentior Dei beneficentiam hominibus propinat, & quo cæleſtes diuitias velut effundit; *in ipſo auguratur mala, quæ perfecerunt* homines, & dignam ſacrilegis malis pœnam iuſtè ſtatuit, & acerbiùs fulminat! O vide, ne ob tuam ſceleſtosè indignitatem, in hoc Euchariſtico *ſcypho* cæleſtis Ioſeph mala culpæ & pœnæ infauſtæ auguretur!

Græcus. Chaldæus.

*In Euchariſtico ſcypho bona aut mala noſtra auguria captantur.*

S Proſp. de Promiſſ. & Prædict.Dei.

S.Chryſoſt. ibi apud Caten. Lipom.



Iudicum 7. Dei iuſſu ad inimica Madianitarum caſtra, Gedeon noctu deſcendit. Cumque veniſſet Gedeon, narrabat aliquis ſomnium proximo ſuo: & in hunc modum referebat quod viderat: *Vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex ordeo volui, & in caſtra Madian deſcendere: cumque perueniſſet ad tabernaculum percuſſit illud, atque ſubuertit, & terræ funditùs coæquauit.* Vulgare eſt, & nemini non notum, per hunc ſubcinericium Gedeonis panem, panem Euchariſticum impreſſiùs adumbrari. Præſcripta autem verba ſic excribit, & exponit Caietanus: *Rectiùs legitur: Et ecce tremor panis ordeorum voluentis ſe in caſtra Madian.... Significatur enim ad litteram, quod commotio quædam terribilis apparuit panis ordeacei voluentis ſe. Et ex eo quod deſcribitur voluentis ſe, inſinuatur quod huiuſmodi panis erat orbicularis figuræ.* Ecce tibi panis, qui congruam alimoniam, & vitam hominibus conferre ſolitat, quibuſdam factus eſt *tremor*, pauor, horror, & certiſſimum euerſionis ac ruinæ omen. *Ecce tremor panis voluentis ſe in caſtra Madian.* O, tantum pauorem & pallorem *panis* incurrit? Scilicet in hoc pane, qui ſceleratis Madianitis ruinã portẽdit populi Dei victoriam fauſtè augurari licuit. In prognoſtico huius cæleſtis panis populo Dei præpropere victoriatum

3\. Iudi.7.v.13.

Caiet. ibi. *Panis ſubcinericius, tremor panis ſententiosè nuncupatur.*

victoriatum eſt; & improbæ Madianitarum phalanges hoc augurio funeſtè ſuccisæ ſunt proculcatæ, detriumphatæ. O time *tremorem panis voluentis ſe*!

4. Matth.26. v.14.

Matthæi 26. acerrimum odium, ex inuidiæ œſtro, in Pontificibus, Scribis & Phariſæis aduerſus Chriſtum Diabolus ſufflammabat. *Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſariotes ad principes ſacerdotum: & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Immane quidèm nefariæ proditionis piaculum, carnificum deicidio confine. Scribis & Phariſæis à Diabolo feraliter inſtigatis, innocens Dei agnus infidâ proditione traditur? Tempeſtiuè Abbas ſic ad rem fatus de his, qui ad ſacram ſynaxim ſcelerosè accedunt: *Sicut Iudas tradidit Dominum membris Diaboli, ita iſte quantum in ipſo tradidit corpus Dominicum in vas Diaboli, quod eſt corpus ſuum.* Vide proditoris Iudæ in proditionis ſcelere, ac ſceleris condigno ſupplicio, æquabile parallelum: æmulum enim flagitium eſt, Chriſti Dei corpus membris Diaboli tradere, & illudmet tradere corpori ſuo, quod Diaboli vas eſt. Heu Chriſti ſanguis, Diaboli *vaſi* infunditur!

*Qui indignè communicat, Iudæ proditori idoneè aſſimilatur.*

Abbas de Euchar. diſt. 3. tr.1.c.6.

5. Exhod.12. v.9.

Exodi 12. de agno typico ab Hebræis immolando, ita præſcribit Moyſes: Et edent agni carnes nocte illâ aſſas igni. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, ſed tantùm aſſum igni.* Huiuſmodi paſchalis agni aſſationem luculenter emedullat, & ad mores flectit Petrus Cellenſis ſic ad rem fatus. *Certè totâ nocte debet cremari caro agni, quia toto mortalitatis tempore, accenſa caldaria conſcientiæ, facies Saluatoris deſideranda, & vndis deſideriorum fortiter bullientibus, ne in die iudicij ſemicocta offeratur, percoquenda.* Nempè moraliſſimè iubentur Hebræi, vt agni carnes non comedant crudas, ſed totâ nocte, id eſt, noſtræ mortalitatis tempore, ardentium deſideriorum prunis, & deuotæ conſcientiæ feruore illas aſſent, & crement. Quod ſi per inertiam, aut malitiam negligant, non impunè id feretur; ſed loco carnis agninæ, aut crudæ aut ſemicoctæ, aut malè aſſæ, ipſorum carnes æternis gehennæ ignibus perpetuò vſtulandæ, & cremandæ erunt. Itaque hanc pœnam luet à *die iudicij*, ſi agni caro ſemicocta, aut ſemiaſſa, deſideriorum & conſcientiæ tempore offeratur: & æternaturâ carnium ſuarum aſſatione expiabit, quod de conſcientiæ aut deuotionis feruore neglexit. O caue hanc negligentiam magno luendam!

Petr. Cellenſ. l.5 ep. 11.

*Qui deuotionis feruore nō aſſauerit agni carnem, eius caro æternis ignibus cremabitur.*

6. Sapientiæ 16. v. 27.

Sapientiæ 16. poſt decantata elogia cæleſtis mannæ, Euchariſtiam impreſſiùs adumbrantis ita ſcribit Salomon de mannâ: *Quod enim ab igne non poterat exterminari, ſtatim ab exiguo radio ſolis calefactum tabeſcebat.* Grande quidèm malum eſt *tabes* cæleſtis annonæ, quæ appendicem habet hominum eſuriem, defectum, tabem. Ita ne *exiguo radio ſolis*, cæleſtis typicè cibus redditur exuccus, tabeſcit, vaneſcit? Ecquis, aut qualis eſt iſtiuſmodi malignus calor, à quo tam peſtilens cæleſtis alimoniæ exiſtit corruptela! Tempeſtiuè Aponius hùc alludens, de cæleſti illo Manna dicit, *In ſancti Spiritus formâ præceſſiſſe, per quem Pater reuelat abſcondita Sacramenta, quæ manna in Verbo carne facto vitam hominibus conferente ſuſcepit, quod multiplex eſt, & minutum, ſtatim diluculò colligendum, mox vt notitia illius illuxerit in cordibus noſtris.* (notanda ſunt attentiùs verba, quæ ad rem ſubiicit) *antequam ardor auaritiæ, antequam ardor vanæ gloriæ, antequam ardor libidinis exhalet in nobis. Nam vbi æſtus increuerint cordibus noſtris, panem illum cæleſtem, in quo dixit Dominus hominem viuere, ad ſuam retractum materiam, fugant à nobis, neque intra noſtra viſcera eius virtus manebit: ſicut Sole orto manna ad liquoris naturam reuertebatur.* O malum! ſi in accedentibus ad ſacram menſam exhalet ardor auaritiæ, vanæ gloriæ ardor, & ardor libidinis, & cognatis vitiis medullitùs homo æſtuet; *panis ille cæleſtis, in quo dixit Dominus hominem viuere, fugatur à nobis, neque intra noſtra viſcera eius virtus manebit*: quaſi *ſtatim ab exiguo radio* vitiorum *calefactus tabeſcat*. O impiè per te ſacrilegam cæleſtis mannæ velut *tabem*! ab exiguo vitiorum calore, & paſſionum tuarum æſtu, cæleſte manna quodammodò *tabeſcat*? ô impudenter temerariam hominum luem, magno luendam! ô Corporis, & Sanguinis Domini ſceleſtiſſimè reus! reus autem corporis, & Sanguinis Domini, quâ pœnâ condignè mulctabitur? Eheu, quantùm in te eſt, hunc cæleſtem cibum *tabe* corrupiſti!

Aponius l.2. in Cantic.

*Vitiorum calore, & paſſionum æſtu, cæleſte manna velut tabeſcit.*

Regius Vates Pſal. 77. ſic pangit: *Panem Angelorum manducauit homo, cibaria miſit eis in abundantiâ.* Sed cùm malè vitiis diſpoſitum palatum Dei populus haberet: *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* In libro Numerorum ſic denarratur hæc eadem ſententia: *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuſmodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum.* Qualis autem fuerit hæc ira, ſeu furor Domini, nuper retulerat Dauid, aiens: *Ignis accenſus eſt in Iacob, & ira aſcendit in Iſraël.* Quæ verba cum præcedentibus Hugo Carenſis ad indiſpoſitè accipientes Euchariſtiam ſeriò refert. Hinc vetus quæſtiuncula, vndè ſufflamminatus ſit hic ignis, qui in populum Dei *aſcendiſſe* dicitur, dum *eſca eorum erat in ore ipſorum?* Oleaſter putat, è *columnâ ignis*, Lorinus ambigit, an *è cælo*. Abulenſis, *è terrâ* ignem aſcendiſſe cenſet. Videtur enim accipere τὸ *&*, non copulatiuè, ſed exegeticè; vt ſenſus ſit: *Ignis accenſus eſt in Iacob, &* (id eſt, ignis, qui eſt) *ira Dei aſcendit in Iſraël.* An hiante *terrâ* vaſta Gehennæ vorago infernales euomuit ignium globos, qui Euchariſticum typum malè accipientes, benè vſtularet? Sic præcoqua pœnâ Infernus punit indiſpoſitè ad ſacram menſam accedentes? An facula ductrix, ſeu hactenùs dulce *columna* lumen, ſic accerbè caſtigat ingratos? An *cælum*, ſine æther ſacrilegij impatiens, cognatas ſibi flammas in malè voraces iaculatur? An ipſa Euchariſtia, huius *eſcæ* antitypus, tanquam ignitæ prunæ, irreuerenter temerarios conburit, & in funeſtos cineres, ac nigras fauillas redigit? *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, nec defecerat huiuſcemodi cibus*, cùm *ignis accenſus eſt in Iacob, & ira aſcendit in Iſrael.* Pergit Pſalmographus: *Et occidit pingues eorum*, huiuſmodi ſubdito incendio: *& electos Iſraël impediuit.* Quid eſt *electos*, ſiue, innoxios, etiam *impeditos* eſſe? S. Bruno, & Dionyſius Richel. putant,

7. Pſalm. 77. v. 30. & 31. Num. 11. v.33.

Pſalm.77. v. 21.

*E cælo, an à gehennâ decinereſcunt, qui indignè Euchariſtiam ſumunt.*

Oleaſt. Num.11. Lorin. in Pſal.77. Abulenſ. in Num. 11. q.7.

8. *Electis innocés reprœborum acceſſio ad Euchariſtiã.*

S.Bruno Dionyſ. Carthuſ. apud Lorin.

putant, innocentes quoque eiuſmodi reliquorum plagâ impeditos fuiſſe, ne tunc vltra progredi poſſent ad terram promiſſionis, occupati in punitorum funere, quaſi etiam probis & electis noceat, improborum temerariè impu-
7. dens ad ſacram Euchariſtiam acceſſio. O piaculnm ſacrilegè audax, neque vnquam ſatis luendum! Hianter feſtinat Gehenna huiuſmodi ſacrilegos deuorare. O time.

---

## §. XLIII.

### *Chriſtus in Euchariſtiâ eximiè pulchreſcit: & dum homines Euchariſticè paſcit, glorioſè paſcitur.*

1. Zach 9.v.17. *In hoc Sacramento Deus pulchreſcit. & gloriatur.*

REdeat iterùm ſudatus ille Zachariæ locus ad rem Euchariſticam à nemine non tentatus: *Quid bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Quaſi ab Euchariſtico frumento & vino eximiam Deus *pulchritudinem* fœneretur. O magnum ſacræ ſynaxis elogium! ô inſuſpicabilem diuinę *pulchritudinis* accidentiam, quâ eius externa gloria apud homines pulchrè venuſtatur! Paullus ad Hebræos 13. *Beneficentiæ*, inquit, *& communionis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Illud *promeretur* (quod magnum negotium Hæreticis imperitè faceſſit) Syrus vertit, שׁפר *ſcaphar*, id eſt, *pulchreſcit Deus.* Quaſi dicat in ſenſu accõmodationis: Communionis hoſtia *Deo mira eſt voluptati, illâ ſe paſcit, oblectat, pulchreſcit, hilareſcit, & gloriatur.* (quæ ſunt verba Cornelij inibi.) Et quidem potiùs quàm in beneficentiæ hoſtiis. Profectò in hoſtiâ Euchariſticâ mirè ſe *Deus paſcit, pulchreſcit, gloriatur.* Conſultiſſimè ergo exclamat Propheta: *Quid bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* Pulchrum ſanè huius ſacramenti encomium!

Ad Hebr. 13. v 16. — Syrus. — Cornel. ibi n. 108.

2. Cant 2.v.16. *Cùm nos Chriſtus Euchariſtico cibo paſcit, ipſe deliciis paſcitur.*

Canticorum 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia.* Explicat ſponſa quis ſit dilectus ſuus, nempè paſtor; neque è vulgo paſtorum, ſed cuius paſcua ſint vbertatis, amœnitatis, & venuſtatis plena. Non caſu aut temerè præmittit reciprocum vtriuſque amorem, & poſteà ſubdit, *Qui paſcitur inter lilia.* Quæ verba Ambróſius de altaris Sacramento intelligit, aiens: *Bona paſcua diuina Sacramenta. Carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit Reſurrectionis: carpis lilium, in quo ſit ſplendor æternitatis: carpis roſam, hoc eſt, Dominici corporis ſanguinem.* Verùm Hieronymus, & antiquiores Patrum, τὸ *paſcitur*, actiuè ſumunt. At S. Gregorius, Iuſtus Orgel. Caſſiodorus, Aponius, Beda, Anſelmus, & alij, verbum *paſcitur*, paſſiuè vſurpant. Et ſanè Hebræum verbum, quod ſubeſt pro τὸ *paſcitur*, vtramque ſignificationem nempè actiuam & paſſiuam admittit, vt notat Sanctius, ex quo ab aliis adnotatum eſt. Ait ergò anima ſancta Chriſto animarum paſtori & altori in hoc Sacramento: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Ille dum me *paſcit* cæleſtibus deliciis quas in Euchariſtico conuiuio abundè propinat ad pulchram humani palati gloriam; non modò me *paſcit*; ſed ipſe quoque *ſe paſcit, oblectat, pulchreſcit, & gloriatur.* Scilicet reciproca ſunt quodamodò glorioſa vberrimè Euchariſtiæ paſcua, in quibus dum me delicioſè *paſcit*, ipſe etiam glorioſè *paſcitur.* Nempè *dilectus meus mihi, & ego illi*, qui dum me Euchariſticè *paſcit*, *paſcitur inter lilia.* His glorioſè Chriſtus deliciis *paſcitur*, cum homines hoc cæleſti paſtu condignè *paſcit.*

S. Ambr. ſer. 14. in Pſalm. 118. — S. Hier. l. 1. cõtra Iouin — S. Gregorius Iuſt. Orgel. Caſſiodorus. Aponius. Beda, S Anſelm. Sanct. ibi. — Cornel. ſub. P. Didac. Celada in Eſtherem.

Canticorum 1. hæc ſponſæ verba audiuntur: *Introduxit me Rex in cellaria ſua: exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum.* Sponſus hîc, non dilectus (vt aliàs perſæpè) nominatur, ſed Rex, vt *cellarij* maior apparatus, & *vini* pretioſitas innuatur. Et meritò tantus apparatus, & *exultans lætitia* proponitur, cùm agatur de Euchariſtico conuiuio, vt notanter aduertit Ambroſius. Nec cunctanter ſponſa ſponſum & Regem ſuum ad ſimile poculum reinuitare audet, aiens: *Apprehendam te, & ducam in domum genitricis meæ .... & dabo tibi poculum ex vino condito.* Vide nunc ſponſam etiam inuitare ſponſum ſuũ, id eſt, anima ſancta Chriſtum, ad non abſimile poculum. Quò videtur inibi adluſiſſe Philo Carpathius, ita ſcribens: *Nam quòd vino ſalutis potata ſit ſponſa ab ſponſo, idem ipſe declarauit, cùm dixit: Accipite, & bibite: Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur .... Poſſumus etiam intelligere ſponſum à ſponsâ non viciſſim potari per charitatis officia: vt quod à ſponſo gratis accepit, id aliquando rependat eidem.* Itaque dum ſponſa ſponſum ſuum, id eſt, anima ſancta Chriſtum, ad ſimile poculum reinuitat, non eſt ita intelligendum, vt poculum Euchariſticum propinet Chriſto, ſed quòd dum Chriſtus ei Euchariſticum calicem propinat, tanto charitatis & dulcedinis affectu, & grato officij guſtu ipſe delicietur, ac ſi ipſemet Chriſtus reinuitatus à ſponsâ foret ad eiuſmodi poculum, illùdque biberet. Nimirùm cùm ſponſa inuitatur, & potatur Euchariſtico poculo, non reapſe ſponſus à ſponsâ viciſſim potatur; ſed inuitari, & potari dicitur ſponſus, quia gratiſſimum percipit guſtum, quando ipſe condignè à ſponsâ ſumitur, & in calice potatur. Idcircò ſponſa ait: *Dabo tibi poculum ex vino condito.*

3. Cantic 1 v. 4. & 5. — S. Ambr. l. 5. de Sacr. 2. — Cant 8. v. 2. — Philo Carp. inibi. *Quo ſenſu dicatur Chriſtus ſe potare, cùm anima Euchariſticũ potum ſumit.*

Lucæ 14. hæc præſcribit Chriſtus: Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites: ne fortè te & ipſi reinuitent, & fiat tibi retributio. Eccur reinuitandi impotes mauult inuitãdos? *Beatus eris*, inquit, *quia non habẽt retribuere tibi.* Itaque, vt bene notauit Tertullianus, *Qui ſcilicet humanitatis iſtius vicem retribuere non poſſint, hos ad prandium, vel cœnam vocari iubet.* Nimirùm *beatos* vocat, qui ad tale inuitant epulum, vt reinuitari non poſſint. Sic ne *beat* iſtiuſmodi exercere conuiuia? Ita quidem. Nec mirum, quod Chriſtus homines inuitet ad Euchariſticum conuiuium, qui *vicem retribuere non poſſunt*: nam *beatum*, & felicem appellat, qui ſic inuitat, quia dum alios ſic *paſcit*, *paſcitur* etiam deliciis beatitudinem æmulantibus. Serò reinuitaretur Chriſtus ad ſimile conuiuium (etſi inuitari iam poſſet) nam dum ipſe inuitat, quodammodò inuitatur: & dum cibat & potat, velut cibatur & potatur, qui dum *paſcit*, *paſcitur.* Sic guſtu præcoquo Chriſtus deliciatur, cùm homo Euchariſticis deliciis dignè fruitur!

4. Lucæ 14. v. 14. — Tertull. 4. adu. Marc. c. 31. *Chriſtus dũ inuitat, deliciis reinuitationis præmaturè fruitur.*

5\. Matth.25.v.21.

Matthæi 25. ſollers ille ſeruus, ſic lucroſæ negotiationis peritus, qui pro quinque talentis decem obtulit; hæc verba à Domino reuertente lætus audit: *Euge ſerue bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Hanc iſtius ſententiæ clauſulam variè verſant expoſitores, & communiter de empyreâ beatitudine intelligunt.

S. Chryſoſt. apud Hug. ibi.

S. Chryſtomus: *Non dixit*, inquit, *intra ad gaudium, ſed in gaudium, vt poſſeſſor ſit gaudij, non ſpectator: iam non miniſter in gaudio, ſed particeps gaudiorum.*

Pſal.80.verſ.17.

Verùm Richardus Victorinus expēdens pro re Euchariſticâ, illud Pſalmi, *Et de petrâ melle ſaturauit eos*, dum in lapide mella ſudante, Chriſtum in Euchariſticâ agnoſcit, præfata Matthæi verba ad Euchariſtiam nouiter, & argutè flectit:

Richar.l. de exter. mal. par.3.c.11. *Quare dum dignè quis accipit Euchariſtiam, tunc audit, Intra in gaudium Domini tui?*

*Vtique eſſe quis neget, quos Dominus cibauit adipe frumenti, & de petrâ melle ſaturauit eos: iucunditatem enim, & exultationem theſaurizauit ſuper eos. Animaduertitis (vt arbitror) quale ſit etiam hunc lapidem inter ceteros poſſidere, qui fluit iucunditatis melle, & ſatiat intrantem in gaudium domini ſui æternâ dulcedine* Parùm foret dixiſſe de accedente ad ſacram menſam, tantâ illum ſpiritualium gaudiorum ſuauitate frui, vt Deus *iucunditatem & exultationem theſaurizauerit ſuper eum*; niſi etiam, vt notificet, quanto tunc gaudio Chriſtus Dominus exultet, dum dignè manducandus & bibendus in Euchariſtiâ porrigitur, tunc, tunc quidèm dixiſſet, *Intra in gaudium Domini tui*, quaſi tunc cùm dignè accipitur, vberioribus gaudijs exundet, vbertim opulentâ lætitiæ accidentariæ nouiter acceſſione, beatitudinum diuite congreſſu, gaudia vberiùs reciprocante. O; ſic dum Chriſtus nos in altare *paſcit*; *paſcitur ipſe*?

6\. Lucæ 15.v.23.

Lucæ 15. bonus ille Pater non boni nuper filij, luxuriante iuuenture Prodigi; poſtquam illum peramanter excepit, de abalienatione reducem, de pœnitentiâ iam ſuum: *Adducite*, inquit, *vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur.*

Tertull. l.de Pœnit.c.8.

Quæ verba curſim perſtringens Tertullianus, ita ſcribit: *Pœnitentem libens ſuſcepit, immolat vitulum præopimum, conuiuio gaudium ſuum exornat.* Dubium non eſt, quin huius mitiſſimi & beneficentiſſimi Patris nomine Deus innuatur: qui non tantùm pœnitentem libens recipit; ſed poſt pœnitentiam ritè peractam, *conuiuio gaudium ſuum exornat.*

*Deus gaudiū ſuum hoc cōuiuio exornat.*

Scilicet Euchariſticum conuiuium, diuini gaudij *ornatus* eſt. O, Dei ſempiternas delicias, & eſſentiale ac beatum *gaudium*, hoc conuiuium *exornat*? luculenter ſanè Tertullianus!

Geneſeos 18. Abrahamo apparuit Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo feruore diei. Cùmque eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum: quos cùm vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum, & adorauit in terram & dixit: Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum: *Ponámque buccellam*

Geneſ. 18.v.5.

*panis, & confortate cor veſtrum.* Et confeſtim fecit ſubcineritios panes, & mactauit *vitulum tenerrimum & opimum*, & lautum illis apparauit conuiuium.

*Euchariſticū conuiuium, totius Trinitatis lætitia eſt.*

Cùm Abraham tres viderit, & vnum adorauerit, interpretum Proceres, tres hîc ſanctæ Triados perſonas agnoſcunt, per tres Angelos repræſentatas, qui apud Abrahamum credentium patrem, Euchariſtici conuiuij vmbrâ myſticis deliciis præmaturè epulantur. Quâ ſuper re ſic opportunè fatur Eligius:

Eligius homil.8.

*Hoc præſignauit olim, quod Abraham tribus Angelis hoſpitio recepit vitulum tenerrimum occidiſſe legitur, & eis appoſuiſſe: quia immolata pro noſtrâ redemptione caro Chriſti, totius Trinitatis lætitia eſt.* Benè quidèm, & optimè Euchariſticum conuiuium *totius Trinitatis lætitia* dicitur; quandoquidèm Deus *conuiuio gaudium ſuum exornat.*

8\. 1.Cor. 11.v.20.

I. Corinthiorum 11. Paullus copioſè acturus de Euchariſtia, hoc acri prooemiolo, ad ritè frequentandum ſacri altaris myſterium, præfatur: *Conuenientibus vobis in vnum, iam non eſt Dominicam cœnam manducare.* Viuidè cum Corinthiis expoſtulat Doctor Gentium de frequentandæ Euchariſtiæ neglectu: quod hominibus pernitioſum eſt, & cælo inuidioſum.

*Euchariſtia Satanæ phalangas exarmat.*

Ad hæc Paulli verba adludens, & Paullino ſpiritu & zelo actus, ita S. Ignatius martyr ſcribit:

S. Ignatius epiſt.14.

*Date itaque operam, vt ſæpiùs congregemini ad gloriam Dei: quandò enim ſæpiùs in idem loci conuenitis, labefactantur vires Satanæ, & ignita illius ad peccata iacula irrita reſiliunt: noſtra enim concordia & conſenſus fidei, exitium illius, & ſatellitum eius ſupplicium eſt.* Primò ſacroſanctam Euchariſtiam Ignatius (Apoſtolicam gratiam recenter ſpirans) appellat *noſtram concordiam, & conſenſum fidei*: deindè *Satanæ exitium*: per Euchariſtiam enim *ignita illius ad peccata iacula irrita reſiliunt.* O feliciter hominibus bonum Diabolorum excidium! Euchariſticis armis clypeatus, & cataphractus homo, infernales vires, technas, inſidias potenter exarmat. Sed nota, quæ ad rem præmittit: *Date operam*, inquit, *vt ſæpiùs congregemini ad gloriam Dei.*

*Euchariſtia, Gloria Dei antonomaſticè nominatur.*

Vbi ſacra Euchariſtia antonomaſticè *gloria Dei* nuncupatur. O bonum diuinioris gloriæ ſynonymon! Nimirùm hunc cibum & poculum hominibus propinat Deus, ad humani *palati gloriam*: nec mirum ſanè, nam *Dei gloriæ* compendium eſt. Sic in hoc Euchariſtico epulo hominibus oblato, Deus *glorioſè* deliciatur!

---

## §. XLIV.

### *Euchariſticus cibus eſt deficientis vitæ noſtræ vigor, baſis, firmamentum, & quodammodò hypoſtaſis, ſeu eſſentia.*

Horriſonas Deus ore Prophetico minas 1.
intonat: *Ecce*, inquit *Dominator Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & à Iudâ validum & fortem, & omne robur panis.*

Iſaiæ 3.v.1. Concl. & Sanct.ibi.

Notus eſt Hebraiſmus. Hebræi enim *robur*, & (vt Hebraicè eſt מִשְׁעָן *miſan*, id eſt, *fulcrum, baculum*) vocant panem, quia hominem in vitâ ſuſtentat, & fulcit.

*Panis dicitur baculus, ſeu fulcrum, quo ſuſtentamur.*

Hinc panis vocatur *virga* vel *baculus* Leuit.26.& Ezech.4.& 14.

Leuitic. Ezech.

Sicut enim baculus ſenile corpus incuruum & pendulum, ita panis vitam nutantem & deficientem ſuſtentat & fulcit. Exindè plures commentatores τὸ *panis robur*, ad Euchariſtiam ſcitè referunt,

quaſi

quaſi Euchariſticus panis ſit vitæ noſtræ ad vitij barathrum caducæ, *robur*, *baculus*, *fulcrum*, ne offendat, labatur & corruat. Eſt enim *incerta, & lubrica, & periculoſa carnis huius conſtitutio; atque in pleriſque ita imbecillis, vt ne palearibus quidem rationibus retineatur*, vt Gregorius Nazianzenus ediſſerit.

S.Naz.orat. 42.

2. Sapientiæ 16. agens Salomon de manna, qui eſt impreſſior Euchariſtiæ typus, ad hunc modum ſcribit: Angelorum eſcâ nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cælo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem. (ſubdit ad rem) *Subſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat, &c.* Eſt autem hîc *ſubſtantia* non benignitas, vel diuitiæ bonitatis Dei, vt paſſim Latini declarant. Apud nonullos *τὸ ſubſtantia* eſt poteſtas ſuſtentandi, quaſi Dei *ſubſtantia*, ſit poteſtas hoc cæleſti cibo homines alendi (quod aliàs emphaſi non caret) Hieronymus Oſorius in Paraphraſi ad hoc ſapientiæ caput 16. pro *ſubſtantiâ* exponit *ὑπόστασιν hypoſtaſim*, *conſtantiam benignitatis*. Quaſi Euchariſticus panis ſit *hypoſtaſis*, ſeu *baſis*, ſeu *fundamentum*. Quemadmodum à Pſalmographo dicitur, *Panis cor hominis confirmet*. Altè quidèm Euchariſtia nuncupatur humanæ vitæ, corporalis etiam (tametſi præcipuè ſpiritualis) *hypoſtaſis*, ſiuè *baſis*. Sic eſt friuola, & velut accidentariæ naturæ, niſi in hanc cæleſtem *hypoſtaſim* velut incumbat. Sic eſt futilis & caduca, niſi Euchariſticâ *baſi* fulciatur. O firmiter ſubſiſtamus hâc morali firmiter *hypoſtaſi* fulti, ne futilium entium more nutemus, labamus, corruamus.

Sapient. 16. v. 21. *Euchariſtia eſt hypoſtaſis ſeu baſis noſtra vitæ.*

Oſorius.

Pſalm. 103. v. 15.

3. Regius Vates Pſal. 71. ſic de temporibus Meſſiæ prophetat: *Et erit firmamentum in terrâ in ſummis montium; ſuperextolletur ſuper Libanum fructus eius, &c.* Eequod eſt hoc *firmamentum* in terrâ, ſuper ſumma montium iuga fundatum? Quis animum ſuum induceret, vt ſeriò cenſeat, quòd hîc *firmamenti* nomine Euchariſticus panis denotatur, niſi communis foret Interpretum commentatio? S. Hieronymus ſic locum excribit: *Erit memorabile triticum*, vel *memoriale tritici in terrâ, in capite montium*. Alij: *Erit multiplicatio frumenti, &c.* vel *extenſio*, vel *deprecatio*, vel *complacentia frumenti*, vel *erit panis triticeus*. Chaldaicè, *Erit ſubſtantificus panis in terrâ*, vel *erit fulciens*, ſeu *confortans panis in terra*. Et apud Neuienſem, *Erit ſacrificium frumenti in terrâ in capite montium Eccleſiæ*. Non modò à noſtratibus, ſed à Rabbinis etiam *montes* dicuntur eſſe ſacerdotes, in quorum *ſummis*, ſeu *capitibus ſacrificium frumenti* offerri perhibetur. Itaque Euchariſticus panis, & *ſubſtantificus* dicitur, & *fulcrum ſuſtentaculum*, atque *fulcimentum*. Vndè præſagâ mente præcinit Propheta, Et erit *firmamentum* in terrâ; & *firmamenti* nomine, *panis fulciens* intelligitur. Ille enim eſt *fulcrum* ſeu *firmamentum* nutantis, friuolæ, & caducæ naturæ noſtræ, tremulè vergentis ad lapſum, ad caſum, ad ruinam. Procliue eſt reliquas tranſlationes huic Sacramento non ſine emphaſi accomodare.

Pſ. 71. v. 16.

*Firmamenti nomine panis Euchariſticus denotatur.*

S.Hieron.

Apud Lorin.

Chaldæus.

Neuienſ.

4. Siracides Eccleſiaſtici 15. ſic de Sapientiâ diuinâ fatur: *Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aquâ ſapientiæ ſalutaris potabit illum.* Quam ſententiam plures è commentatoribus de Euchariſtiâ intelligunt. Addit opportunè: *Et firmabitur in illo, & non flectetur.* Pius homo hîc cibari dicitur *pane vitæ & intellectus*, ſiue *intelligentiæ*, aut *ſapientiæ* (vt habetur in Græcis codicibus) quod perindè eſt; & tempeſtiuè ſubditur, *Firmabitur in illo, & non flectetur.* Scilicet diuina ſapientia cibans hominem *pane vitæ & intellectus*, id eſt, euchariſtico & ſubſtātifico pane, tantum illi tribuit firmamentum, vt non modò illum confirmet ac roboret, ſed ipſa ſe in illo velut *firmet*, quod eleganter Palacius adnotauit, ita fatus: *Firmabitur in illo; & non flectetur. Aduerte hîc τὸ pium hominem non flecti non eſſe adſcribendum ei, ſed Sapientiæ; quæ ſe in illo firmat. Neque enim nos quia in illâ firmamur, perſtamus recti: ſed quia ſe in nobis illa firmat.* O vide hîc quantâ firmitudine ſuffulciatur homo labilis, fluxus, caducus, Euchariſtico pane confortatus; vt ipſe qui ſe fulcire non eualet, huius panis vigore fultus, diuinam etiam Sapientiam (quæ *firmatur in illo, & non flectitur*) vtut poteſt, ſuffulciat, firmet, ac ſuſtentet. Nutare, aut labi non poteſt diuina Sapientia, quæ à ſe, & per ſe ſtat flecti-neſcia: aſt huius Euchariſtico panis *firmamento*, tam ſolidè ac robuſtè fundatur homo, vt ſi diuina Sapientia, hoc eſt, Deus ipſe nutare aut labaſcere poſſet, per eum maximè qui Euchariſtiæ pane alitur, firmaretur. Sanè piè audax robuſtæ firmitudinis exaggeratio! *Neque enim nos quia in illâ firmamur, perſtamus recti, ſed quia ſe in nobis illa firmat.* In hac ſapientiſſimi huius Doctoris ſententiâ, illud, etiam aliorsùm animaduertere, obiter licet, quòd homo de ſe fluxus & labilis, qui ſe firmare in recto non eualet, ſi eo ſe Deus velut obfirmet, hoc eſt, magnum aliquod opus, vltra eius captum & vires per eum velit perficere; Deum ipſum quodammodo *firmare* dicatur: vt indè robur & vigorem ſumat, vndè credi poterat, corruiſſe. Quæ eſt diuinæ fortitudinis exaggeratio, ex inuerſo innoteſcens, & humano arcanè modo explicata. Hinc forſan homo poſt acceptam Euchariſtiam, *Chriſti baculus* à Cypriano nuncupatur.

Eccli. 15. v. 3. *An diuina Sapientia fir-*

*-metur in homine ab Euchariſtico pane robur manauit?*

Palatius ibi.

*Diuina Prouidentia rebus infirmis velut nitens ab illis quodammodo robur accipere videtur?*

*Chriſti baculus.*

S. Cypr. de cœnâ Dom.

5. Michææ 5. E tu *Bethlehem* Ephrata, paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſraël, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. *Et ſtabit, & paſcet in fortitudine Domini, in ſublimitate nominis Domini Dei ſui.* In Bethlehem, id eſt, in *Domo panis ſtabit*, non quaſi in tranſitu, ſed quaſi, qui verè dicere poterit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Sic ſtabit in domo panis: & indè Dei populum *paſcet in fortitudine*. Impropria ſanè videtur locutio, & à reipsâ valdè aliena. Dixiſſet forſan propriùs, *Paſcet* delicatè, opiparè, lautè, abunde. Quis vnquam in *fortitudine* paſcit, & non potiùs in beneficentiâ, in largitate, aut opulentiâ? Verùm qui paſcit in *Bethlehem*, hoc eſt, *in domo panis* Euchariſtici, bellè dicitur *paſcere in fortitudine Domini*, ſic conuiuas ſuos adipat, ſaginat, roborat, vt fortitudinem ipſius Domini hauſiſſe videantur. Tempeſtiuè dixit ſapientiſſimus ille Magnes: *Qui edit hanc carnem, ad incrementum virium diuinarum venit.* Verè, verè quidèm in Bethlehem, id eſt, in hâc *domo panis* Euchariſtici, Chriſtus homines *paſcit in fortitudine Domini*: quia qui veſcitur

Mich. 5. v. 4.

Matth. 28. v. 20.

*Qui edit hunc panem ad incrementum virium diuinarum quodammodo deuenire dicitur.*

Magnes ad Teaſtenem.

 hoc

hoc pane, atque *edit hanc carnem, ad incrementum virium diuinarum venit.* Quaſi Dei vires, & fortitudinem Dei cum hoc deifico panè ſimul hauſerit. Vide quantum animo vigorem Euchariſtia afflet.

6. Pſ.113.v.8. aliàs v.16.

Regius Pſaltes ſic occinit loquens de Diis Gentium: Simulacra Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Imprecatio grauis cum acerbo ſarcaſmo, ſiue irriſione, tum in eos qui conficiunt Idola, tum maximè in illos, qui colunt, & adorant, & ſpem in iis collocant, *vt ſimiles fiant ipſis, penitùs inualidi, imbecilli, infirmi*, vt inibi Lorinus noſter exponit. Legit Tertullianus, *Similes erunt illis*, &c. quaſi cultores Deorum, ipſo cultu velut quodam arcano initiamento, ſimiles euadant Diis, quos reuerentur, & colunt. Quorsùm hæc; Audi R. Beniaminum in Itinerario, qui loquens de quadam gente, ſic ad rem ſcribit: *Fœdera habent cum Copher althorech, ventorum cultoribus populis, qui in ſolitudinibus vitam degunt. Hi neque panem edunt, neque vinum bibunt.* Nimirùm hi populi Copher, qui neque panem edunt neque vinum bibunt; atque adeò neque Euchariſticâ velut materiâ, aut vmbrâ veſcuntur; hi, hi inquam, *Ventorum cultores* ſunt, vagoſque ventos adorant, & leuitate ac inconſtantiâ Ventis euadunt ſimiles. *Similes erunt illis*, qui eos colunt. Nempè *penitùs inualidi, imbecilli, infirmi*: eiuſmodi enim imbecillitate languent, qui *neque panem edunt, neque vinum bibunt*, vel typicâ Euchariſtiæ alimoniâ deſtituti, & eſculento ac poculento vigore, quem animitùs afflat.

Lorin. inibi. Tertull. in Scorp. c 2. R Beniam. *Languent populi, qui nec panem edunt, nec vinū bibunt, quia ventos colūt.*

7. Matth.6. v.11.

Matthæi 6. ſic omnes orare debemus: *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.* Non conuenit inter expoſitores, quid per τὸ *ſuperſubſtantialis* intelligatur, cùm alij *quotidianum*, alij *futurum* commententur. Plures (quos aliàs referebamus) per *panem ſuperſubſtantialem*, ſacram Euchariſtiam innui putant Rationem reddit luculentam Petrus Laodicenſis, ſic inibi fatus: *Vel quod quidèm οὐσία, hoc eſt, eſſentia, propriè firma & ſtabilis eſt, quippè quæ ſit animi noſtri natura, quæ imaginem inuiſibilis Dei præſefert.* Itaque cùm natura humana, ſit de ſe infirma, imbecillis, vaga, inſtabilis, fugitiua, caduca, & ad interitum vitæ ſpiritualis ac corporeæ funeſtè cadaueraſcens; neceſſarium illi erat conuiſcerandum medullitùs alimentum *ſuperſubſtantiale*, quo labilis eius natura ſubſiſteret, hoc eſt, *firma ac ſtabilis eſſet.* Quaſi hic panis *ſuperſubſtantialis* ſit quodammodò *eſſentia* hominis, hoc eſt, velut eius ſubſtantia, aut ſubſiſtentia; vel potiùs eſſentiæ fulcrum, naturæ baſis, aut ſubſtantiæ retinaculum; & tanquam in huius vitæ pelago firmior anchora, ne inſtabilis fluctuet verticoſo ventorum conflictu, & periculoſo vndatum ad naufragium congreſſu.

*Euchariſtia eſt velut eſſentia hominis, quem ſtabilit & ſundat.* Petr Laodic. in orat. Dom

8. Matt 6. v.11. S Chryſoſt. in 1. ad Cor. hom. 24.

Vel aliter: *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.* Eſt enim Euchariſticus cibus, hominum vigor, ne eneruis corruat. Eleganter Chryſoſtomus vtrumque ad rem nexuit: *Vt frigida ad Euchariſtiam acceſſio periculoſa eſt; ita in illâ myſticæ cœnæ participatio peſtis eſt, & interitus.* (Pende attentiùs quæ ſubdit verba) *Ipſa námque menſa anima noſtræ vis, nerui mentis, fiduciæ vinculum, ſpes, ſalus, & vita noſtra.* Bellè quidèm dicitur Euchariſtia, *animæ noſtræ vis*, ſeu vigor; ſine illâ enim flacceſcit anima, & exuccus languet ſpiritus. *Nerui mentis* etiam; alioqui animus eneruis, velut elumbatus, & enigoratus nutat. *Fiduciæ vinculum* quoque; Euchariſtiâ enim tanquam præualido ac firmo rudente vincitur quâ ſpes noſtra fundatur, ne cauſiuum titubatione vacillet. Denique eſt *ſpes, ſalus, vita noſtra.* Quid ad firmitudinem conſtantius, aut ad rem præſentem exaggeratius?

*Euchariſtia eſt anima vis mētis nerus, & fiducia vinculum.*

---

## §. XLV.

*Chriſtus Deus ad humani palati gloriam, Euchariſticum apponit panem: cuius tanta eſt opulentia, vt ipſe quaſi egens mendicitatibus Creatoris dicatur.*

Iacob ille Iacobææ gentis, & populi Dei Patriarcha, patriæ exul pergit ad Meſopotamiam. Et poſt ſcalæ illius, omni æuo arcanæ viſionem vouit etiam votum, dicens: Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in viâ, per quam ego ambulo, *Et dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum .... erit mihi Dominus in Deum.* Conſultiſſimè Iacob, cùm *panem* petit, (huius cæleſtis panis typum) *Dominum* ſibi futurum in *Deum* præuidet, & munificentioris beneficentiæ elogia recognoſcit. *Iam verò*, inquit Philo, *hæ voces, Deus æternus, idem valet, ac ſi dicat: Non qui aliquandò largitur, aliquandò non; ſed ſemper, & continuè, quia ſine intermiſſione benefacit, qui dona donis cumulando continuat, cuius gratiæ inter ſe coniunctæ ac vnitæ ſemper in orbem redeunt. Hoc ille mediator Iacob poſtulauit in fine precum ſacratiſſimarum, dicens: Erit mihi Dominus in Deum.* O quàm ſe *Deum* in Euchariſtico pane Chriſtus munificis continuò largitionibus oſtentat!

1. Geneſ. 28. v.20.& 21.

*Chriſtus in Euchariſtiam ſe Deum per beneficentiam oſtentat.*

Philo l. de Plant. Noë.

Geneſeos 29. Iacob morti proximus, dum ſingulis tribuum Patriarchis bona precatur extremæ benedictionis nomine, potiora Euangelij Sacramenta prophetat: *Aſer*, inquit, *pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.* Regalis ſiquidèm panis in Euchariſticâ menſâ miniſtratur, regio apparatu ſumptuoſiùs exhibitus, quod iſtiuſmodi regificum Aſſueri conuiuium typicè adumbrat. *Fecit grande conuiuium cunctis Principibus, & pueris ſuis .... vt oſtenderet diuitias regni ſui, & magnitudinem, atque iactantiam potentiæ ſuæ.* Scilicet regio conuiuio mauult regalem potentiam, & opulentiæ gloriam oſtentare. *Menſuræ regalis* (inquit, Caſſiodorus) *apparatus ditiſſimus non parens Reipublicæ probatur ornatus: quia tanta dominus poſſidere creditur quantis nouitatibus epulatur.* Nouus planè cibus Deo plenus nouum etiam vitis genimen, in regno Patris nouè bibendum, in Euchariſticâ menſâ apponitur à Deo; non vt ambitioſè *oſtendat diuitias regni ſui, & magnitudinem, atque iactantiam*

2. Geneſ.49. v.20. Hic verſ.3. & 4.

*Tanta Rex poſſidere creditur, quantis dapibus epulatur.*

Caſſiod.l.12. var.epiſt 4.

*tiam potentia ſua*; Sed vt in hoc Euchariſtiæ epulo opulentus Diuinitatis theſaurus oſtendatur: *quia tanta Dominus poſſidere creditur, quantis nouitatibus epulatur.* Porrò Chriſti Dei opulentia in pane cenſetur: hic enim panis, diuinioris omnipotenter opulentiæ cenſus eſt.

3.
Prouerb. 9. v. 5. & c. 8. v. 18.

Diuina Sapientia, quæ in Prouerbiis Salomonis, ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, & ad homines clamauit: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis*; ipſa ait: Ego diligentes me diligo: & qui mane vigilant ad me inuenient me. *Mecum ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia.* Scilicet diuina Sapientia, potiùs quàm Aſſuerus, diuitias gloriæ ſuæ, in hoc regali

Tertull. l. de Pall. c. 5.

conuiuio ſumptuoſiùs oſtentat. Tertullianus poſtquam caſtigauerat gulam cuiuſpiam viri Romani ambitioſiùs cœnantis: *Filius eius,* inquit, *poſt tale pulmentum potuit aliquid ſumptuoſiùs eſurire: margarita námque vel ipſo nomine pretioſa dehauſit, credo ne mendiciis*

Cerda ibi n. 158.
Plin. lib. 9. c. 35.

*patre cœnaſſet.* Quæ Tertulliani verba illuſtrans noſter inibi Cerda, ex Plinio refert, id feciſſe *Vt experiretur in gloria palati quid ſaperent margaritæ: atque vt mirè placuere, ne ſolus hoc ſciret, ſingulos vniones conuiuis abſorbendos dedit.*

*Euchariſtica margarita propinatur ad palati opulentam gloriam.*

Profectò ſimile eſt regnum cælorum homini negotiatori, *quærenti bonas margaritas*; pretioſiſſimam autem omnium non ambitioſa Aſſueri oſtentatio, non Romanorum opulenta ambitio; ſed diuinior magnificè Sapientia, apud quam *ſunt diuitiæ, & gloria, & opes ſuperbæ*, in Euchariſtico conuiuio omnibus propinat, vt homines *experiantur in gloria palati quid ſaperet margarita*, nouiter iam eſculenta. Sanè hic cibus diuinæ opulentiæ ac gloriæ cenſus eſt, quem ad humani *palati gloriam* inopinatâ munificentiâ largiùs expendit.

4.
Cant. 6. 8.

Canticorum 6. *Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matris ſuæ electa genitrici ſuæ.* Mirum ſanè eſt, quod Eccleſia in tot perſonas, & priuatas eccleſias diuiſa, tantâ adglutinetur vnione, vt iterùm atque iterùm

Petr. Dam. in Opere, Domin. vobiſcum. c. 5.

*vna* nominetur. Quâ ſuper re ita Perrus Damianus ad rem præſentem philoſophatur: *Eccleſia ſiquidèm Chriſtiana tantâ charitatis inuicem inter ſe compage connectitur, vt in pluribus vna, & in ſingulis ſit per myſterium tota: adeò vt omnis vniuerſalis Eccleſia, non immeritò perhibeatur, vna Chriſti ſingulariter ſponſa, & vnaquæque electa anima per Sacramenti myſterium plena eſſe credatur Eccleſia.*

*An quilibet accipiens Euchariſtiã plena ſit Eccleſia?*

Itaque per huius *Sacramenti myſterium*, quia vno adæquè alitur nutrimento, *in pluribus vna, & in ſingulis eſt per myſterium tota.* Vndè vnuſquiſque ab Euchariſtici Sacramenti myſterio, quodammodò *plena eſſe creditur Eccleſia.* Atque idcircò ranta compage nectitur, quia tantum donum, quod ſine menſurâ largiùs communicatur, ſine inuidiâ beneuolentiùs accipitur.

Salu. l. 2. ad Eccleſ.

Eleganter Saluianus: *Pariter & ſingulis*, inquit, *& totum ſe dedit vniuerſis, & vbi vnus hoc accipit, quod vniuerſi, & ſi par eſt menſura, maior inuidia: quo fit vt licet ipſum accipiat, plus debere videatur; quia magis fit vnus obnoxius, qui videtur omnibus comparatus.*

*Etſi par eſt Euchariſticũ donum, maior eſt inuidia, & quare.*

O inopinatum opulentioris beneficentiæ ingenium! idem ſingulis, quod vniuerſis donat, ne ſinguli ſecum reputent, in Euchariſticâ largitione minùs accepiſſe, quàm iunctim omnes acceperunt. Non ſolùm in doni pretio, quo Chriſtus conuiſcerandus præbetur; ſed in donandi arbitrio, quo ſic quilibet æſtimari videtur, ac vniuerſatim omnes æſtimentur. Atque adeò & ſi par eſt beneficij menſura cuiuſlibet, ac vniuerſorum, tamen *maior eſt inuidia*: quia etſi hoc donum inuidiæ ſit exors, cùm tantùm recipiant ſinguli, quantum vniuerſi, & vniuerſi quantum ſinguli; tamen cum ſinguli omnibus exæquentur, magis remanent obærati gratitudini vberiori rependendæ: quandoquidèm pretium doni exaggerat, tantum vni, quantùm vniuerſis donatum. (Opinor, lectorum neminem latet, quid vox *inuidia* preſſiùs ſignificet.)

5.
Ioann. 19. v. 33.

Ioannis 19. Chriſto Deo patibulato, & iam emortuo (heu cruda crudelitas, & paganum atrociter ſcelus!) *vnus militum lanceâ latus eius aperuit. Et continuò exiuit ſanguis, & aqua.* Aqua abundè manat ad mundi lauacrum, & culparum naufragium. Et tamen eodem Euangeliſtâ enarratore, antequam vltimum ſpiritum ageret,

Ioan. 19. v. 28.

*Sciens IESVS quia iam omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur Scriptura dixit: Sitio.* Copioſus è ſacro Chriſti pectore nunc fons emicat, & nuper aridâ ſiti æſtuaſſe perhibetur? Aut non debuit aqua emanere ab exſucco & aridè ſitibundo corpore; aut corpus aquis exundans tam aridè ſitire non debuit.

Arnol. Carn. tract. 4. de ſeptem verbis Domini.

*Mirum dictu* (exclamat Arnoldus Carnotenſis) *tremendum relatu, profluentibus de ſacro latere aquis viuentibus, & emanantibus de fonte vberi ſacris liquoribus, Chriſtus ſitire ſe perhibet; & ipſe mundum irrigans, & fœcundans de ariditate cauſatur omninò.*

*Cur ſitiat Chriſtus, ſi copioſum aquarũ fontem in pectore contineat?*

Nimirum è ſacro pectoris fonte largè manat ſanguis aquâ mixtus, qui calicem implet Euchariſticum, ſingulis, & vniuerſis propinandus, venâ gratiarum perenne; & tamen licet pleno alueo ſacratus liquor exuberet, adhuc Chriſtus ſitit, & viuas iugiter aquas ſitienter anhelat, quo perennes gratiarum riuuli vbertim ſemper exundent. Sitit ipſe, ne Euchariſticus calix vnquam aridè ſitiat ſed gratiarum vbertate ſuperplenus, ſui potatores inebriet. Aquam, quæ è ſacro latere profluat, ſitit ipſe; vt viuas perenniter aquas ſiti hians, quodammodò de mendicitatibus ſuis, profundendæ aquæ venam vberiùs locupletet. Et quaſi parùm foret, quidquid gratiarum immetatè continet, ad plus (ſi fieri poſſet) continendum, auxiliarem aduocat ſitim. Exindè *emanantibus de fonte vberi ſacris liquoribus, Chriſtus ſitire ſe perhibet.* O, quis dignè has beneficientiæ diuitias æſtimet! Tanquam inops præ ſiti aridus emendicat aquam vt plus aquarum è copioſâ lateris ſui venâ profluat.

6.
2. Cor. 8. v. 9.

2. Corinth. 8. ſic hâc de re nos Paullus erudit: *Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopiâ vos diuites eſſetis.* Ecquod eſt hoc arbitrium Ieſuanæ gratiæ, quòd Chriſtus Deus egenus factus ſit vt ſuâ omnes inopiâ diuitaret? O exploremus & ſciamus hanc Domini noſtri Ieſu Chriſti *gratiam*, quæ in ſacris altaribus mirè exundat!

Elegantet

S. Ambr. de Bened. Patr. c.9.

Eleganter ad rem S. Ambroſius: *Quantus eſt diuitiis*, inquit, *qui paupertate ſuâ omnes diuites fecit: ſed pauper propter nos, diues cum Patre. Pauper ille, vt nos inopiâ vindicaret, ſicut Apoſtolus docet dicens. Quia propter vos pauper factus eſt, vt illius inopiâ vos ditaremini. Cuius inopia ditat, ſanat fimbria, fames ſatiat, mors viuificat, ſepultura reſuſcitat. Huius pinguis panis, quem qui manducauerit, eſurire non poterit. Hunc panem dedit Apoſtolis, vt diuiderent populo, hodiéque dat nobis eum, quem ipſe quotidie Sacerdos conſecrat ſuis verbis. Hic ergò panis factus eſt eſca Sanctorum.* Scilicet Chriſtus, in quo conditus eſt cæleſtium gratiarum plenus theſaurus, & perenne chariſmatum conceptaculum, tanquam inops & mendicus factus eſt, quo accedentes ad Euchariſticæ menſæ ſacrarium, opulentiùs adipet cæleſtium bonorum vberiore ſaginâ, & pane vſque adeò pingui, vt *qui* eum *manducauerit, eſurire non poſſit.* Quaſi parùm foret, quod in theſauris infinitè opulentis habet, velut pauper & mendicus, plus habere merendo & precando hiat, vt magis ac magis impertiat. In quem ſenſum olim adducebamus illud Tertulliani: *Ille quidèm vſque nunc, nec aquam reprobauit Creatoris quâ ſuos abluit: nec oleum, quo ſuos vngit, nec mellis & lactis ſocietatem, quâ ſuos infantat: nec panem, quo ipſum ſuum corpus repræſentat, etiam Sacramentis propriis egens mendicitatibus Creatoris.* Nempè pauper factus eſt, vt illius inopiâ nos in hoc conuiuio ditaremur; factuſque in altaris Sacramento, quaſi *egens mendicitatibus Creatoris.* Huc etiam aduocati poſſet illud poëticè ſubobſcurum Coſmæ Ieroſolymitani: *Dominus ens omnium, & conditor Deus fabricatum impaſſibilis mendicans tibi ipſi vniſti, & Paſcha, quibus debebas mori ipſe ens te ipſum prepoſuiſti.* Siue illud *mendicans* adiungatur ad τὸ *impaſſibilis*, ſiue ad *creatum*, Chriſtus dicitur inops, & *mendicans*: quippè *egens mendicitatibus Creatoris,* vt Euchariſticum Paſcha cum ſuis diſcipulis opulentiùs concelebret.

*Chriſtus in Euchariſtia nos ditat ſua inopia.*

Tertull. l. 1. adu. Marci. c.14.

*Chriſtus in Euchariſtia cur egere mēdicitatibus Creatoris dicitur?*

Coſmas Ieroſ. Hymno 6. magnæ feriæ. 5.

7. Pſalmo 80. ſic Dei nomine pangit Dauid: *Dilata os tuum, & implebo illud.* Profectò ſolus hic cæleſtis cibus, ad quem deſideriorum ora dilatamus, ſufficit vt noſtra vota impleantur. *Certè ſi terrena oblectamenta eſuris,* (ait Richardus Victor.) *ſi carnales voluptates ſitis, meliùs eſt tibi os tuum contrahere, quam dilatare; deſiderium tuum reſtringere, quàm extendere; cùm nuſquam locorum inuenias, vndè illud ſatiare, & illi ſatisfacere valeas. Quidnam eſt illud os interioris hominis, niſi deſiderium cordis?* O immetata humani cordis deſideria, quæ hic ſolùm panis excitat! ô gratulemur ei, qui eſculentum ac poculentum dedit gratiarum conflatorium. *Et educet lapidem primarium in manu Zorobabel, & exaquabit gratiam gratiæ eius.* Hebraicè habetur: *Et acclamationes, gratia, & gratia*: cùm gratiæ gratias parturiant, & exundent gratiis.

Pſ.8.v.11.

Rich. Vict. l. de exter. mal. 3. p. c.11.

*Chriſtus in hoc pane, immetata noſtri cordis deſideria implet.*

Zach.4. v.7. Hebræus.

§. XLVI.

*Vitale Euchariſtia alimentum, vitam tribuit, vitas etiam præbet; & frequentiùs atque abundantiù: viuere facit.*

1. Fulbert. ep. 1. *Euchariſtia eſt incarnata Deitatis vitale alimentum.*

PRæclara Fulberti Carnotenſis ad Euchariſticam menſam adhortantis, vox eſt: *Exere palatum fidei, dilata fauces ſpei, viſcera charitatis extende, & ſume panem vitæ interioris hominis alimentum, non arte piſtoriâ fermentatum, ſed incarnatæ deitatis vitale pulmentum.* Verè Euchariſtia eſt panis vitæ & incarnatæ deitatis vitale alimentum, quo interior homo præſtantiùs viuit, æternitatis meritò candidatus.

2. Gen.2.v.9.

Geneſeos 2. Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio. Produxeratque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue: *Lignum etiam vitæ in medio paradiſi.* Communiter ſancti Patres in ligno vitæ, præclarum Euchariſtiæ typum vident. Et Caietanus ſic ex Hebræo textu præſcripta verba legit, & exponit: *Lignum etiam vitæ. Propterea appellata eſt in Hebræo* החיים *hahaiim, hoc eſt vitarum, quia vitas omnes vegetationis, ſenſationis, & rationis ſeruabat.* Nempe Euchariſticus cibus, viuifica alimonia eſt, *panis vitæ, & vitale pulmentum*; à quo vita hominum æternum perennat. Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Porrò Euchariſtia vegetatiuam ſeruat vitam, quam eſcatili nunc Deo ſuſtentat: vitam ſenſitiuam reformat, dum humanos ſenſus elimat. Denique rationalem, cùm caligantem hominum mentem, velut quodam collyrio clarat, & cognatam mortalibus dedolat ruditatem. Nimirùm Euchariſticum *lignum vitæ* triplicem hominis vitam velut format, ac reformat: exindè *lignum vitarum* conſultiſſimè nuncupatur.

Caiet ibi.

*Cur Euchariſtia, lignum vitarum nominatur?*

3. Ioan.6.v.57.

Ioannis 6. de hoc cæleſti cibo, hominibus hactenùs inſuſpicabili, ſic Chriſtus Deus loquitur: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Res ſanè humano faſtigio maior, vt Chriſtus maneat in homine planè luteo, fragili, caduco; & iſtiuſmodi homo maneat in Chriſto Deo. Quorſùm tam confinis propinquitas, quâ homo Deo vicinatur, & quodammodò conglutinatur, ſeu conuiſceratur? Tempeſtiuè reſpondet Niſſenus; *Vt vnione cum eo quod eſt immortale, fieret etiam homo particeps incorruptionis; hæc autem dat virtute benedictionis, in illud tranſelementata eorum quæ apparent natura.* Itaque in hoc cæleſti epulo, per ſumptam dignè Euchariſtiam, homo manet in Chriſto, & Chriſtus manet in homine. Hoc eſt, Chriſtus Deus implantatur homini, & homo Chriſto Deo implantatur: vndè natura humana per hunc vitalem cibum *tranſelementata*, tametſi de ſe fragilis, caduca, mortalis, ex *vnione cum eo quod eſt immortale, fieret etiam particeps incorruptionis,* felici quodam præproperè vitæ immortalis auſpicio.

*Homo per Euchariſtiam tranſelementatur ad vitæ incorruptibilis participationem?*

S. Nyſſ. orat. cathec. c.37.

Ioannis

4. Ioan.6.v.59. Ioannis 6. Caro mea, verè eſt cibus: & ſanguis meus, verè eſt potus. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Et poſt pauca concludit: Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, *& mortui ſunt. Qui manducat* Tertull.l. de orat.c.6. *hunc panem viuet in æternum.* Tertullianus *Euchariſtia indiuiduita-* elucidans orationem Dominicam, vbi ad hanc *tem in corpore Chriſti operatur.* ſententiam adluditur, ita ſcribit: *Spiritualiter potiùs intelligamus: Chriſtus enim panis noſter eſt, quia vita Chriſtus, & vita panis... Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem poſtulamus in Chriſto, & indiuiduitatem in corpore eius.* Scilicet cùm Euchariſticâ fame hiamus ad hunc panem, vitam petimus, quia vita Chriſtus, & vita panis: *qui enim manducat hunc panem, viuet in æternum.* Et ſanè ſic quodammodò tranſelementamur in Chriſti vitam, per huius vitalis panis eſum, vt in nobis Chriſtus maneat, & nos in Chriſto: vndè *indiuiduitatem in corpore eius*, & *perpetuitatem in Chriſto* expetimus. Vide nunc mihi vitaliſſimè arcanam, & inſuſpicabilem in hoc cibo vitam, quæ perpetuam *indiuiditatem* cum Chriſto Deo, huius deifici panis eſu piè præſumit. Hypoſtatica ad Deum vnio, humanitati Chriſti duntaxat contigit; at quandam *indiuiduitatem in corpore* Chriſti Dei, hæc ſacra menſa hominibus pollicetur, quo fiant homines Ieſuanæ vitæ, ac iam immortalis generosè participes, de mortali vitâ ad immortalem tranſelementati. Nam *qui manducat hunc panem viuet in æternum*: in Chriſto enim manet, & Chriſtus in ipſo. Niſi forſan Chriſtus Hug. in c.6. Ioan. Deus, ait Hugo, *panem vitæ ſe dicit, qui noſtram continet præſentem & futuram.* De quo infrà n. 6.

5. Matt.6.v.11. *Euchariſticũ panem dum accipimus, noſtrum facimus.* Matthæi 6. in oratione Dominicâ ſic de Domini præſcripto orare iubemur: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terrâ. *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.* Hærent Interpretes in hâc voculâ *noſtrum*: nam ſic hic panis ſuperſubſtantialis eſt *noſter*, quare illum à munifico Deo obnoxius petere iubemur? Quidam aiunt, *noſtrum*, id eſt, ho- S. Greg.33. Moral.c.5. minum, non pecudum. S. Gregorius: *Ecce ait, & noſtrum dicimus, & tamen vt detur oratur; noſter quippè fit, cùm accipitur, qui tamen Dei eſt, cùm ab illo datur. Et Dei ergò eſt ex munere, & noſter fit veraciter per acceptionem.* Bellè quidèm Gregorius, & quidèm S.Cyprian. dignè qui aliorsùm expendatur. Verùm S.Cyprianus opportuniùs ad rem philoſophatur in expoſitione orationis Dominicæ, ita fatus: *Panem noſtrum, &c. Panis vitæ, Chriſtus eſt, &* *Cur Euchariſticus panis dicitur noſter, & non omnium.* *panis hic omnium non eſt, ſed noſter eſt, & quomodò dicimus, Pater noſter, quia intelligentium & credentium pater eſt: ſic & panem noſtrum vocamus, quia Chriſtus noſter, qui corpus eius contingimus*, (id eſt, edimus) *panis eſt.* Itaque Euchariſticus panis, cùm *panis vitæ* ſit, quo quiſque alitur, *omnium non eſt*; ſed fidelium duntaxat, & eorum ſpecialiter, qui eo digniùs veſcuntur, eoque ad nouam vitam ſpiritualiter vegetantur. Ne putes hunc vitæ panem, quo tu ſpecialiter viuis, omnium indifferenter eſſe; imò potiùs iam vita tua abſorpta eſt in vitâ Chriſti, vitam quodammodò cum hoc vitali pane reciprocans. Licet ergò dicere, *Panem noſtrum; quia panis vitæ, Chriſtus eſt, & panis hic omnium non eſt, ſed noſter eſt*, hunc enim *panem vitæ* accipiendo, facis tuum, dum eo viuis, vegetaris, & creſcis. Nam vt ſcitè dixit Nyſſenus: *Qui* S.Nyſſ. orat. catec.37. *ad alimenta aſpicit, poteſtate aſpicit ad corporis noſtri magnitudinem, & qui panem videt, humanum corpus videt.* Ergò vidè quàm ſit ſententiarum grauida, illa orationis particula, quâ ſupplicamus: *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.*

Lucæ 22. Hæc verba Chriſtum Apoſto- 6. Lucæ 22. v. 29. & 30.
lis dixiſſe Euangeliſta denarrat: *Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Et quæ eſt hæc menſa, quæ empyreo cæli regno beatis diſcipulis apponitur? ô quales epulas beata gloria apparat! *Beatus* Luc.14.v.15. *qui manducabit panem in regno Dei.* Si preſsè loquendum eſt, nullus eſt propriè cibus, nec potus in cælo; & tamen Chriſtus poſt huius Sacramenti inſtitutionem, ita fatur: *Dico* Matth. 26. v.29. *autem vobis: non bibam amodò de hoc genimine vitis vſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei.* Nimirùm *Euchariſtia, portio vitæ æternæ nominatur.* videtur Chriſtus Deus cæleſtem beatorum gloriam explicare, metaphorâ ex Euchariſtico conuiuio deſumptâ: quocircà in olympiâ Beatorum *menſâ*, & apponit *panem*, & *vinum* propinat. Nec mirùm, quod Beatitudo cum Euchariſtiâ vices reciprocare videatur, cùm idem vtrobique apponatur cibus, ipſiſſimus Deus inquam. Eleganter Cyprianus (ſi Cy- S. Cyprian. priani eſt illud Opuſculum de cœnâ Domini, quod inter eius opera legitur) *Hoc ſacramentum*, inquit, *aliquandò corpus ſuum, aliquandò carnem & ſanguinem, aliquandò panem Chriſtus appellat, portionem vitæ æternæ.* Itaque Euchariſticus cibus qui *panis vitæ* dicitur, etiam *portio vitæ æternæ* nominatur: nam & eodem Deo cibat Euchariſtica ac cæleſtis menſa, etſi non eodem modo vtrobique apponatur; & *qui manducat hunc panem, viuet in æternum*: Ioan.6.v.59. vndè *portionem vitæ æternæ* manducare perhibetur. Pulchrè Algerus: *Vitæ æternæ nobiſcum* Alger.l.1.de Sacram.c.vltimo. *fœdus pepigit, vt vndè habemus guſtum in viâ, ſacietatem quæramus in patriâ, & ipſum per ipſum inueniamus.* Idcircò Matthæus Vorma- *Euchariſtia eſt vitæ æternæ præludium.* cenſis Euchariſticum panem & vinum profundè appellat, *Futuræ iucunditatis amabile præ-* Matth. Vormac. homil. in cœnâ Domin. *ludium; Eccleſiæ militantis vnâ cum triumphante ſuaue glutinum; dum eandem dulcedinem, quâ illic fruitur ſine velamento, iſta habet ſub Sacramento.* O feliciter auſpicatum vitæ æternæ præludium!

Siracides Eccleſiaſtici 31. *Quæ vita ei qui* 7. Eccli.31.v.33.
*minuitur vino?* id eſt, Euchariſtico poculo, ac cibo. alioqui homines priſci retrò ſeculi ante Noëmum, ſine vino vixerunt. Quæ ergò *vita* ex his, quas ſuprà num. 2. in hoc Sa- *Qui ad vitalem hunc cibum frequentiùs accedit, frequenter viuit, & abundantiùs viuit.* cramento expendebamus, emedullantes *lignum vitæ*, Hebraicè *vitarum*, vt inibi expoſuimus? *Quæ ergò vita ei, qui* Euchariſtico potu ac cibo abſtinet? Putauerim, non triplicem illam vitam duntaxat tribuere; ſed & eandem triplicem vitam, frequenter in id ipſum repetitam, quod luculenter his verbis S.Baſilius ep.189. Baſilius adnotauit: *Iam verò quis dubitat, quin vitæ frequentiùs participare, non ſit aliud omninò, quàm frequenter viuere?* Itaque quæ ad viuificam hanc menſam, dignè accedit,

multiplicem

multiplicem vitam non ſolùm haurit (quod magnum ſanè foret) ſed etiam qui frequentiùs illam participat, *frequenter viui.* Quaſi parum foret, de huius ſacræ menſæ vitali eſcà, ſemel viuere, & multiplici vitâ pollere; quin & portione vitæ æternæ frui, & vitæ æternùm beatæ prælúdia delibare; niſi qui illam ebriâ fame ac ſiti frequentat, frequenter quoque viuat: nam quiſquis *vitæ frequentius participat, frequenter viuere* neceſſe eſt. Quæ eſt viuendi exaggeratio. Neque tantùm per hanc vitalem alimoniam viuit, & multipliciter, ac frequenter viuit; ſed etiam abundantiùs viuit. Quod ſcitè Gaudentius adnotauit: *Quod enim*, ait, *factum eſt in illo vita eſt. Nempè id, quod in eo ſecundum carnem factum eſt, ipſo teſtante: Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant*, quæ eſt non vulgaris loci expoſitio.

Gaud. tract. 19. in Ioan. 10.v.10.

8. Regius Vates Pſal. 74. *Calix*, ait, *in manu Domini, vini meri, plenus mixto: & inclinauit ex hoc in hoc: verumtamen fæx eius non eſt exinanita: bibent omnes peccatores terræ.* Qui nam ſunt hi *peccatores terræ*, qui Euchariſtico calice ſingulariter potantur? Nouiter Gaudentius nuper laudatus: *Rectè ergò iuxta hunc intellectum ait: Bibent ex eo omnes peccatores terræ: quia peccatores cæli ex Angelis Dæmones facti ſunt: terræ autem peccatores contra venena Dæmonum, morboſque vitiorum, calicem ſalutis accipient ..... Tales enim ſapientia Dei ad iſtum craterem ſalutiferæ mixtionis inuitat.* Ecce tibi expedita eſt pulchra illa quæſtiuncula, cur rediuiuo caſu homines terræ, non tamen cæli Angeli, delinquendo ceciderint: hominéſque vitam poſt primæuam mortem recuperauerint, ſecùs Angeli. Nimirùm Angeli, qui *peccatores cæli* dicuntur, huius viuifici calicis prorſùs exortes ſunt; homines verò (qui *peccatores terræ* nominantur) Chriſtus Deus beneficè inuitat, tanquam illius viuificè accipiendi indignos, & capaces. Quaſi vitæ reſtaurandæ elogium, huic vitali alimento adſcribendum ſit. Indè enim *peccatores terræ*, vitam recuperant, quam *peccatores cæli*, huius Sacramenti exortes, recuperare non eualent, ac ſi ſacra Euchariſtia ſit vitæ cenſus, & reſtituendæ vitæ priuilegium.

Pſal.74. v.9.

Gaudēt. ſup.

*Cur non cæli, ſed terræ peccatores, vitā recuperare poſſint.*

---

## §. XLVII.

### *Auida cibi Euchariſtici appetentia, deſideriis hians, erit ſumptuoſior gratiarum menſura.*

1. Anonymus apud Nouat. Cant.2.v.5.

*Euchariſtia deſideri, flores dicuntur, & quare.*

ANonymus quidam Auctor ineditus, polito vir ingenio, de Præparat. Miſſæ fer. 3. exponens illud Canticorum 2. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo* accommodari mauult ſponſæ peramanter deſideranti ſponſum cæleſtem, vt in Euchariſtiâ ipſe *copulet ſibi chariſſimum ſponſam amore languentem, deſideriorum floribus fultam, atque malorum punicorum virtutibus ſtipatam.* Sanè eleganter Euchariſtici ſponſi, ſeu connubij deſideria, *flores* dicuntur, venuſtâ ſpiritus elegantiâ vernantes ad gratiam, & ad omnes ſanctitates fœcundi, vbere fructuum maturitate.

2. Exhodi 12. de typico agno immolando hæc mandat Deus Moyſis ore: *Decimâ die menſis huius tollat vnuſquiſque agnum per familias .... Et ſeruabitis eum vſque ad quartam decimam diem menſis huius: immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſperam.* Eccur totos quatuor dies, domi incluſus paſchalis agnus adſeruatur? Puto ſibi maciem de inidoneo victu, & heris moleſtiam de abſurdo balatu pariet. Quid Sacramenti ſubeſt huic tam exactæ temporis præſcriptioni? An per impreſſam moleſtiam, immolationis memoriam, & deſideriorum appetentiam ſollicitat? Tempeſtiuè Rupertus dubium proponit, & ſoluit: *Vt quid tandiu*, inquit, *antè tollitis, tanto tempore ſeruaturi? videlicet vt dum ille præſtò eſt, cauſſa quoque eius corda veſtra ſollicitet, ne ſitis immemores, vel imparati, quia tranſeundum eſt, dum ille tantis diebus de profectione parandâ nos admonet; quoties enim ille balatum emittit, toties quaſi tuba ſonitus exituras caſtrorum acies excitet.* Itaque quatriduo ante eſum agni paſchalis, & egreſſum ex Ægypto, illum ſollicitè præparent, domi operoſè contineant, moleſtum perſepè balatum exaudiant; vt dum per moleſtiam, memoriam ſollicitat, deſideriorum vota ſufflammet, ne derepentè ad eſum agni acceſſiſſe contingat.

Exhod.12. v.3. & 6.

*Cur quatriduo ante Paſcha paſchalis agnus parabatur?*

Rupert.l.2. in Exod. c.3.

3. Aggæi 2. hæc dicit Dominus: Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam: *Et veniet deſideratus cunctis Gentibus: & implebo domum iſtam gloriâ.* Pulchellam hinc mouent quæſtionem ethicè eruditi, quare Incarnationis myſterium tandiu Gentium deſideria occupauerit: ſecùs Euchariſtiæ Sacramentum, ante ſuam inſtitutionem Gentibus inopinatum, inſuſpicabile, indeſideratum? Perbellè Euſebius hâc ſuper re ita ſcribit: *Alia beneficia feciſti deſiderari, & præcipuè Incarnationem tuam; at inſtitutionem venerandi myſterij Corporis, & Sanguinis tui omninò gratuitò voluiſti fieri, abſque ſumptu deſiderij cunctarum Gentium.* An humana circa illud deſideria refutans? an illa ardentiùs excitandi cupidus? Nota verba, quæ præſcriptis ſcitè ſubiicit: *Fuit iſtud ſacramentum inopinabilis liberalitas, & inſperata charitas, vt omnia deberentur, & reſeruarentur deſideria erga perceptionem illius; & nihilominùs non ardemus. Adeò tibi placet deſiderium huius myſterij, vt mirabiliter accurras, & acquieſcas animæ te capienti.* Vide arbitrium diuinæ prouidentiæ, vt ſacra ſynaxis ſumptuoſiùs ab hominibus deſideretur. Nempè inopinabilis, & inſperata accidat, ne illius deſideria per tot retrò ſecula velut euaporentur: quia *omnia debebantur, & reſeruabantur deſideria erga perceptionem illius:* nam quantum detrahitur deſiderio inſtitutionis, tantum illius perceptioni *reſeruatur, & debetur.* O, erga Euchariſtiam recipiendam, grande deſideriorum debitum, cui tantum beneficium nos reddit obæratos!

Aggæi 2. v.8.

Euſeb.l.5. c.11.

*Cur non Incarnatio, ſed Euchariſtia, inſperata accidit?*

4. Geneſeos 42. adhuc Ioſeph extraneam perſonam cum fratribus ſuis moleſtè gerit & tanquam exploratores mittit in carnem. Et tandem

Gen.42. v. 19.

tandem eductos ſic alloquitur: Si pacifici eſtis frater veſter vnus ligetur in carcere: *Vos autem abite, & ferte frumenta quæ emiſtis, in domos veſtras.* Pro τὸ *ferte frumenta*, in Hebræâ linguâ myſteriorum grauidá habetur: *Afferte frumentum*, vel *afferte emptionem famis*, vt eruditè inibi aduertit Lipomanus. Frumentum ne *emptio famis* eſt, an famis depulſio, & inediæ exilium? ô pulchrum Euchariſtiæ iam tunc obſcuriùs adumbratæ, typum! Frumento Euchariſtico, quo abundè exaciamur, magis fameſcimus, & hoc cæleſti pane fames acuitur atque præ viuido deſiderio appetentiùs inaccreſcit. Saturitas comedendi, factum eſt arbitrium eſuriendi. Exindè Euchariſticus panis ab eum non comedentibus faſtiditur, & à plus comedentibus magis eſuritur. *Frumentum* perindè eſt, ac *emptio famis.* O de huius cæleſtis panis digno frequenter eſu, illius accipiendi deſideria ſollicitemus, & paruo *famem emamus.* Scilicet ait aliorsùm Emiſenus: *Iucunditate ſui excitat appetitum, ſed non facit de ſatietate faſtidium .... ita anima fidelis & caſta, anima ſapiens impleri ſcit, neſcit expleri: vt quantùm capacitate augetur, tantùm auiditate deficiat.* Expertis veraciſſimam veritatem dicimus; non expertis verò ænigmata loquimur.

*Hebræus.* — *Lipoman.* — *Frumentum profundo ſtilo dicitur, Famis emptio.* — *Emiſ. hom. 3. de Epiph.*

5. Regius Vates Pſal. 62. ſic concinnè modulatur: *Sitiuit in te* (alij *tibi*) *anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* Hieronymus vertit: *Quam deſiderauit ad te caro mea.* Et ſanè Hebræum verbum כמה *chammah* ſignificat *concupiſcere*, & *ardere deſiderio.* Vnde nonnulli apud Hieronymum legunt: *Conſumpta eſt*, vel *contabuit caro mea.* Sunt (ait Lorinus) qui hunc locum declarant, *Arefacta eſt pro te caro mea, nimirùm amore ac deſiderio tui conſumpta.* Scilicet tantâ auiditate appetentia huius cibi animam afficit, vt illius deſiderium exundet in carnem. Vndè caro ſic *ardet deſiderio*, vt *conſumi*, *areſcere*, ac *contabeſcere* dicatur præ fame huius cæleſtis cibi. Et (quod forſan mirere magis) tanti deſiderij gratiſſima moleſtia, ſunt regales deliciæ, quas de Aſeris pingui pane Iacobus prædixit: *Aſer, pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.* Quâ ſuper re audiendus eſt Petrus Damianus ſic eleganter fatus: *Quam delicioſâ fame affligitur, qui cæleſtis promptuarij dapibus ſaturatur: cui cælum fit cellarium, cæleſtis promus exhibet miniſterium.* Pulchrum ſanè huius cæleſtis cibi deſiderium, quod *delicioſâ fame*, quantò moleſtiùs affligit, tantò gratiùs delectat: adeò vt ipſam famem fameſcere, delicioſum ſit.

*Pſal. 62. v. 2. Lorinus qui citat reliquos.* — *Delicioſa fame affligitur, qui hunc cibum deſiderat.* — *Gen. 49. 20.* — *Petr. Dam. ſer. 32.*

6. Siracides Eccleſiaſtici 24. loquens de Euchariſtico cibo, quem diuina Sapientia hominibus propinat, ita fatur: *Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Famis ac ſitis vocabulo, ardens ſumendæ Euchariſtiæ deſiderium exprimitur. Iſtiuſmodi autem vehemens deſiderium, & auida appetentia, aut amoris bibula eſt, aut amor appetentiæ impreſſus. Atque adeò qui non amat, edere non videatur, & qui magis amat, magis edat. Ad hunc Eccleſiaſtici locum videtur alludere Anſelmus in Tract. de Sacramento altar. ita fatus: *Hunc cibum plus manducat, qui ampliùs amat: & plus amando rurſus qui plus, & plus manducat, plus, & plus amat.* Sic alternis fructibus amantis deſiderij, & deuotæ ſumptionis, quaſi reciproco vndarum congreſſu deuotio exuberat! Planè eleganter Anſelmus.

*Eccli. 24. v. 29.* — *Qui plus, & plus manducat, plus, & plus amat: & vice verſa.* — *S. Anſelm.*

7. 2. Regum 23. acre bellum contra Philiſthæos Dauide pugnaciter gerente, ſtatio eorum tunc erat in Bethlehem. *deſiderauit ergò Dauid, & ait: ô ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſternâ, quæ eſt in Bethlehem.* Quæ verba quâ ſolet ſermonis facundiâ, & ingenij felicitate, S. Ambroſius ſic eloquenter expendit, & elucidat: *Exercuit ſubditos ad virtutis officium, vt etiam per pericula regali imperio voluntarij milites obtemperent. Quod autem noluit bibere, declarauit, probandorum militum ſe imperaſſe gratiâ, non ſitis victum neceſſitate: proſpexit etiam ne cui Regum bibendi vſus alienis periculis quæreretur. Poſtremò pia vulnus conſcientiæ deprecatum, eò quòd aqua tot virorum quæſita ſanguine, ſuauitatem bibendi habere non poſſet, quæ propoſita mortis horrore conſtaret.* Scitè quidem ad litteram pariter & ad mores. Pergit ad rem præſentem Ambroſius: *Quòd ſi altiùs velis ſpectare & introſpicere myſterium, ſitiebat Dauid non aquam de lacu, qui eſt in Bethlehem, ſed oriundum ex Virgine Chriſtum in ſpiritu prævidebat. Volebat ergò bibere non aquam fluminis, ſed potum aquæ ſpiritualis, hoc eſt, non aquarum ſitiebat elementum, ſed ſanguinem Chriſti. Denique non bibit oblatam aquam, ſed Domino profudit, ſignificans ſitire ſe Chriſti ſacrificium, non naturæ fluentum: illud ſacrificium in quo eſſet remiſſio peccatorum, illum ſitire fontem æternum non qui periculis quæritur alienis, ſed pericula aliena depelleret.* Itaque Dauid auidè ſitiens aquam de ciſternâ Bethlehem, non tam materialem fluenti potum, quàm Euchariſticum Dominici ſanguinis poculum inhiabat: cumque aqualis ille Euchariſtici ſanguinis vacuus eſſet, noluit bibere, malens Euchariſticum ſitire potum, quàm de aquæ fluento ſatiari Opinor, quòd dum aqualem fregit, munus oblatum amiſit, neque potum Euchariſticæ redemptionis effudit. Effudit autem meram aquam, ne non ſitiret, *ſed ipſam bonorum cæleſtium ſitim biberet*, dum ſitiens aqualem effundit: mauult enim Dominicum ſanguinem ſitire quam inani typicè fluento, faucium ſitim depuliſſe ſatiùs ducens ſitire veritatem quàm ſatiari figuris. Vndè dum adumbratam figuram effundit, ipſam Euchariſtici potus *ſitim bibit.* O hanc ſitim, ſucci plenam, hianter bibamus!

*2. Reg. 23. v. 15.* — *Cur Dauid effudit aquã de ciſterna Bethlehem?* — *S Ambr. in Apolog. c. 7.* — *Dauid dum ciſterna effundit aquã Euchariſtia ſitim bibit.* — *Emiſen. hó. 3. de Epiph.*

8. Canticorum 4. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Hæc verba de Euchariſtico potu exponit Richardus. Fons aquam ſignificat, quæ vbi primum erupit ab ipſo capite, per ſummam decurrit humum. *Puteus* (ait Hieronymus) *eſt qui perpetuas aquas habet, & de viuo fonte manantes.* Eſt ergò Euchariſtia, *puteus aquarum viuentium*: vbi non aquæ aliundè collectæ ſtagnant inertes ſegnes; ſed *aquæ perpetuæ*, quæ pleno alueo, è Libano, hoc eſt, diuinitatis faſtigio humanitatem ſignificante, viuo fonte manant. Abundè igitur ex hoc puteo, *qui perpetuas aquas habet*, ſacros gratiarum liquores haurire peruium omnibus eſt. Niſi vaſis anguſtiæ id vetent, puteus omnibus proſtat, viuus hic fons vniuerſis largè emi-

*Cant 4. v. 15.* — *S. Hieron. in Oſee 1.* — *Noſtra erga Euchariſtiam deſideria, illius gratiarum menſura.*

cat. Per ampla vaſa potemus, quibus copioſam aquam vberiùs haurire poſſimus. *Dilatare ergò, anima mea* (ait Richardus Victorinus) *ad hunc fontem, tam largè fluentem: circui omnia eius loca, vt multam hauriās aquam gratiæ de hoc fonte: nunquam otioſè ad hunc fontem accedis: nunquam ab hoc ſine fructu recedis.* (nota quæ ſubtexit verba) *Tantum de hoc fonte hauries, quantum fuerit deſiderium tuum & fides.* O menſura facile parabilis! Pia votorum audacia, & immetatum deſideriorum votum, erit gratiarum menſura. Quid non audent auara, aut ambitioſa voluptabilium deſideria? Tantundem ergò audeat bona cæleſtium gratiarum auaritia. Pietas impietatem, probitas improbitatem intentiùs æmuletur; vt dum deſideriorum auidâ appetentiâ laxantur animæ ſinus, *tantùm de hoc fonte haurias, quantùm fuerit deſiderium tuum, & fides.* Deſideria, quam non inueniunt capacitatem, certè faciunt.

Richard. in Cant. c. 30.

---

## §. XLVIII.

### *Itum ad cælum metiri debemus Eucharistico prandio: Eucharistia enim est via viuens, ibique Christus nobis viam ambulare videtur.*

1. ELias ventre vacuus, & cordis mœſtitudine abundè ſatur, Angeli vocem audit: *Surge, comede: grandis enim tibi reſtat via. Qui cùm ſurrexiſſet, comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius vſque ad montem Dei Horeb.* Quin & ipſe poſtmodùm arcaniori alio typicè cibo per æthera ſubfertur in cælum: *Ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrumque: & aſcendit Elias per turbinem in cælum. Eliſæus autem videbat & clamabat: Pater mi, pater mi, currus Iſraël, & auriga eius.* Quæ verba huic theſi Guarricus Abbas ſic eleganter implantat: *Caro Christi eſt viaticum, ſpiritus vehiculum, ipſe eſt cibus, ipſe currus Iſraël, & auriga eius.* Videlicet cæleſtis hic cibus, *viaticum* eſt, quo alimur in arduo ac prolixo hoc itinere, quo ad cæleſtem immortalitatem pergimus. Languentis ſpiritus noſtri *vehiculum* eſt, ne deficiat in viâ ad cælum. Tandem *ipſe eſt cibus, ipſe currus Iſraël, & auriga eius.* Tanquam aurigator currum peritè regit, & tanquam currus, ſine noſtro nos labore in cælum ſubuehit.

3. Reg. 19. v. 7. & 8.
3. Reg. 2. v. 11. & 12.
*Eucharistia eſt currus Iſrael, & auriga eius.*
Guaric. ſer. 1. de Reſur.

2. Geneſeos 48. ita ad ſuum Ioſephum Iacob morti proximus fatur: *Mihi, quandò veniebam de Meſopotamiâ, mortua eſt Rachel in terrâ Chanaan in ipſo itinere, erat enim vernum tempus: & ingrediebar Ephratam, & ſepeliui eam iuxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem*, id eſt, *domus panis*; vt vel hinc Euchariſtici panis Sacramentum tranſpareat. Locus nunc in Hebræo textu in paucis ambiguus. Caietanus τὸ *eratque vernum tempus*, ita excribit, & exponit: *Iuxta Hebræum habetur: In adhuc ſicut prandium terræ veniendo Ephratam. Locus mortis Rachel deſcribitur, diſtans à Bethlehem, quantum durante prandio itineris fieri conſueuit.* Duratio prandij erit itineris aut diætæ menſura? Scilicet iter ad Terram promiſſionis (quæ erat paradiſeus cæli typus) eâ gnome menſurandum & regulandum eſt: vt duret *quantum durante prandio itineris fieri conſueuit.* Quandò propinquè vicinaris Bethlehem, id eſt, *domui panis* Euchariſtiam adumbrantis, tunc, tunc quidèm rectâ tendis in Terram promiſſionis, & congruis diætis curſum contendis, vſus peridoneâ temporis, ac viæ menſurâ, ac itineris celeritate.

Gen. 48. v. 7.
*Eucharistico prandio itum ad Terram promiſſionis, metiri debemus.*
Cajet. ibid.

Regius Propheta Pſal. 77. ſic ad rem comcinnè modulatur: *Et mandauit nubibus deſuper, & ianuas cæli aperuit. Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli dedit eis. Panem Angelorum manducauit homo.* Res ſanè admirabilitate digniſſima, & cum admiratione excipienda. Quid eſt, quòd cùm Deus mandat nubibus vt largè manna pluant, priùs aperit cæli ianuas diu clauſas, & poſteà pluit illis manna, & Dei populo cælici panis ſiccus imber abundè deſcendit? Forſan ſatiùs foret vt electus Dei populus, priùs hoc cæli pane cibaretur; & deindè cæli ianuæ obſtinaciùs clauſæ, bifores panderentur, vt qui cæleſti illo cibo epulati ſunt, per apertas tunc cæli portas cateruatim ingrediantur. Eccur præcoquâ ſollicitudine, cæli portæ pranſuris, antequam prandeant, præmaturè aperiuntur? *Ianuas cæli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum.* Argutè Rupertus huius traiectionis, ſeu antepoſitionis cauſſam inſinuat, ita fatus, *Digna ergò Propheta exclamatio: quia ianuas cæli aperuit, panem Angelorum manducauit homo. Vndè hoc? .... Clauſas priùs hominibus ianuas cæli aperuit, ſolutis in carne ſuâ veteribus inimicitiis, ſicque terrenis cæleſtia coniunxit, id eſt, homines Angelis ſociauit.* Videlicet tametſi connaturale videbatur, vt poſtquam pluerat manna, ſeu Angelorum panis; poſtmodùm de eius inopinato guſtu homines ſaginati in cælos conſcenderent, & Angelis ſociarentur: aſt beneficio huius cæleſtis panis, tanta hominum multitudo ſaluanda erat, & quaſi cateruatim cœlos aſcenſura, vt quâdam admiratione ſeu ecſtaſi raptús Propheta, antedixerit, quod Deus priùs ianuas cæli aperuit, & poſteà cælum pluiſſe manna, quæ fuit impreſſior Euchariſtici panis vmbra. Vndè Pſalmographus peridoneâ verborum traiectione conſultiſſimè vſus eſt, aiens: *Ianuas cæli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum: panem cæli dedit eis.* Luculenter ſanè Rupertus.

3. Pſ. 77. v. 23. & 24.
*Quare priùs ianuas cæli aperuit quam pluat manna.*
Rupert. l. 3. in Exhod.

4. Matthæi 6. docuerat nos Chriſtus in ſolenni Eccleſiæ oratione, ſic orandum: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terrâ.* Quibus verbis cæleſtem politiam in terras tranſtuliſſe videtur, mox conſultiſſimè ſubiungit: *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem* (aliàs *quotidianum*) *da nobis hodie.* Exindè Tertullianus hæc verba explicans: *Spiritualiter,* inquit, *potiùs intelligamus: Chriſtus enim panis noſter eſt, quia vita Chriſtus, & vita panis.... Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem poſtulamus in Chriſto, & indiuiduitatem in corpore eius.* Quæ verba alibi emedullanda

Matth. 6. v. 11.
Tertull. l. de orat. c. 6.

emedullanda ſunt. Teneo tamen ex illis per hunc panem *quotidianum*, ſeu *ſuperſubſtantialem*, Euchariſticum panem intelligi. Ergò ſic

Hugo inibi. *Euchariſtia eſt confinium terræ ad cælum.* ad rem Hugo Carenſis ſcribit: *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie. Et hic de cælo datur, ſed in terrâ comeditur. Et ideo petitio iſta confinium eſt, & conueniens tranſeunti de temporali vitâ ad æternam.* Altè quidèm hoc Sacramentum, in quo Deus ipſe ab homine manducatur, dicitur *confinium* vitæ temporalis ad æternam, & terræ ad cælum. O quàm curſum contendit in cælum, qui vbi in terrâ Euchariſticum ientaculum comedit ad iter agendum, in terræ ad cælum *confinio* derepentè inuenitur! Sanè hoc viaticum prolixi & periculoſiſſimi itineris ſecurum compendium eſt; quandoquidèm ſic ſuauiter prandendo, tam proximè cælo vicinatur. *Et ideò petitio iſta confinium eſt.*

5\. Exhod. 12. v. 11. Exhodi 12. agni paſchalis ritè comedendi formam, Moyſes his verbis præſcribit: *Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter.* Nimirùm Dei populus egreſſurus è ſordidâ, agreſti; & ſceleroſâ Ægypto, vt ad Terram promiſſionis, cæli ſymbolum, maturiùs contenderet, hunc paſchalem agnum, Euchariſtiæ vmbram, *feſtinanter comedere* iubetur. Adhuc etiam dum comedit antequam ſe viæ det, & iter arripiat, iam ad Terram promiſſionis feſtinat? ô feſtinantiam notanter præmaturam! Appoſitè Eligius hac

Eligius homil. 4. *Agnum feſtinanter comedit, qui dum comedit, ad cælorum iter ſuſpenditur.* ſuper re his verbis ſcribit: *Nec prætereundum quod dicitur: Comedetis feſtinanter. Feſtinanter namque Paſcha comedimus, cùm nos hîc non habere certam manſionem recolentes, quotidie de feſtinanti, & etiam iam imminenti fine ſuſpendimur, aſſiduè meditantes, quòd incolæ ſuper terram, ac peregrini ſumus*, Itaque Dei populus ad paradiſeam promiſſionis Terram proficiſcens, paſchalem agnum Euchariſtiæ typum *feſtinanter* comedit: ac ſi tam *feſtinanter* iam pergat in cælum, vt terræ peregrinus, velut è cælo *ſuſpendatur* in ipſo itineris auſpicio; & empyreæ patriæ *confinia* ingrediens, coloniam in cælum præproperè duxerit. Scilicet hic cæleſtis cibus non modò cæli itenerarium eſt, & viaticum ardui ad patriam itineris; ſed quo ita in cælum ſubuehimur, & *feſtinanter* pergimus, vt in ipſo itineris initio, prope æthera *ſuſpendamur*, & ad cæli perueniamus *confinia.* O quàm feliciter à terrenis auellitur; & è cæleſtibus *ſuſpenditur*, qui in hâc cæleſti menſâ, cæli *confinium* inuenit! ô quàm eſt exors cognati ponderis, qui *feſtinanter* hunc cibum comedens, à terrâ iam *ſuſpenſus*, prope in cælorum *confinium* ſeſe latè infert! Comedendo feſtinat, qui *comedit feſtinanter.*

6\. Ad Hebr. 10. v. 19. & 20. Doctor Gentium ad Hebræos 10. poſtquam multis egerat de antiquæ legis hoſtiis, & ſacrificiis, atque Pontificio ſacrificandi ritu, multiplicique gratiâ ex ſacrificiis proueniente: confeſtim gradum facit ad nouæ legis ſacrificium, per quod, non ad Sancta Sanctorum, ſed ad cælos patet ingreſſus; modo quidèm miriſſimo: *Habemus*, inquit, *fiduciam in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem: per velamen, id eſt, carnem ſuam, & Sacerdotem magnum ſuper domum Dei.* Cùm in his Paullinis verbis audiatur ſacerdos immolans, immolatum ſacrificium; Chriſti caro & ſanguis ſub *velamine* latentes; de Euchariſtiæ Sacramento agi, cenſet inibi Theodoretus, cui adſentiunt nonnulli, alij minimè refragantur. Quamobrem rectè dixit Theodoretus, Chriſti carnem velamini comparari. *Per eam enim aditum in* Theodor. ib. *Chriſtus in Euchariſtia dicitur via viuens, quaſi ipſe ambulet nobis viam ad cælum, & quo ſenſu.* *Sancta Sanctorum conſequimur: quemadmodùm enim Legis Sacerdos per velamen in ſancta Sanctorum introibat, nec vt aliter ingrederetur fieri poterat; ita qui in Dominum crediderunt, per Sanctiſſimi Corporis participationem ciuitatem cæleſtem adipiſcuntur.* Benè quidèm, & optimè. Sed quomodò Chriſtus ſub *velamine* in Euchariſtiâ latens, *initiauit nobis viam nouam, & viuentem?* An dum conſecrauit Euchariſtiam, & illam ſuis obtulit; pariter conſecrauit, aut dedicauit (id enim *initiare* hîc ſignificat) hominibus viam recentem ac viuam, per quam ad cælum certò ac rectà pergerent; ô quàm eſt noua hæc in cælum via, quæ nobis per *velamen* conſecratur, dum *viuens* dicitur: non tantùm quia frequenti ad cælum viatore frequenter, & quaſi viuenter ebullit; ſed quia ipſamet via *viuens* eſt, à ſe mouetur; & dum ad cælos ducit, ad cælos pariter ducimur & ſubuehimur, abſque operoſâ conficiendi itineris fatigatione viatoribus cognatâ. Hanc *viam nouam & viuentem* multis retrò ſeculis præuidit Euangelicus Vates, aiens: *Et hæc erit* Iſaiæ 35. v. 8. *vobis directa via, ita vt ſtulti non errent per eam.* Vbi Hebræus textus huius rei rationem peridoneam reddit, pro τῷ *hæc erit vobis directa via*, ita excribens: *Et ipſe ambulans vobis viam.* vel vt habet Vatablus: *Ipſe cum eis incedens in viâ.* Hebræus apud Aquado Vatabl. ibi. Itaque Chriſtus, qui in Euchariſtiâ eſt *via* noſtra ad cælum, non tantùm tam certò homines ducit, vt nec viarum imperitus, & itinerarij neſcius, errare poſſit; ſed cùm ipſe Chriſtus ſub Euchariſtiæ velamine ſit *via viuens*; rectè de eo dici etiam poteſt: *Et ipſe ambulans vobis viam.* Quaſi arduum hoc & operoſum ad cælos iter, ipſe nobis conficiat. Non quòd nos non ambulemus, & pigri ac deſides in hâc viâ inerter otiemur; ſed quia ipſe Chriſtus cùm in Euchariſtia ſit *via viuens*, ſic nos ſubuehit, & portat, vt ipſe *ambulare nobis viam* videatur. Vndè antequam hoc huius viæ elogium Paullus prodiderit, ſpem noſtram fiducialiter erigit aiens: *Habeamus fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id eſt, carnem ſuam.*

* *
*

## §. XLIX.

### *Homo Euchariſtico cibo paſtus, brutas paſſiones deſuſcit, & non bonas phantaſmatum reliquias excuſſit.*

1. Zachar. 9. v. 17.

ZAcharias propheta ſpiritualis ornatus pulchrum blandimentum in hoc Sacramento præſagâ mente prævidens, in hæc verba ſtuporis plena, admirabundus erupit: *Quid bonum eius, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Sanè inſolens panis ac vini epitheton, *pulchritudo* eſt. Tempeſtiuè Paſchaſiùs: *Pulchrum eius eſt hoc corpus, ex quo iam ſpecioſa per lauacrum, ampliùs pulchreſcit, & candore lilij, & rubore ſanguinis in hoc myſterio decoratur.* Nempè Euchariſticus cibus & potus vitiorum næuos auellunt, & indè ſpiritualem ornatum & pulchritudinem adſciſcunt, dum de panis candore, & poculenti ſanguinis gratioſo rubore homines animitùs decorantur.

Paſchal. l. de Corp. Chri. *Rubore Dominici ſanguinis pulchreſcit homo.*

2. Iſaiæ 25. v. 6. Euſebius. Cyrillus. Procop. Cyprianus. Ruffinus. *Vinum defæcatum cum fæcibus reſidet.*

Iſaiæ 25. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Euſebius, Cyrillus, Procopius, Cyprianus, vel potiùs Ruffinus in expoſitione ſymboli, hæc accipiunt de conuiuio Euchariſtico corporis & ſanguinis Chriſti. *Vindemia defæcata* dicitur Euchariſticum vinum, id eſt, vinum defæcatum, hoc eſt puriſſimum, limpidiſſimum, & ſuauiſſimum. Eruditè autem notat inibi Cornelius, quod pro τῇ *vindemiâ*, quæ defæcata hîc dicitur, Hebraicè eſt שמרים *ſcemarim*, id eſt fæces quæ ſunt in fundo vaſis, quæque vina ipſa conſeruant: optimum enim vinum eſt, quod in ſuis fæcibus quaſi reſidet, ibique natiuum ſaporem & vigorem retinet & conſeruat. Res ſanè miriſſima, & attentiori expenſione digna, quòd vinum dicatur *defæcatum*, quod adhuc in fæcibus reſidet. Alto ſtilo loquens Cyprianus de Chriſti paſſione, quæ in Euchariſtiâ præſentatur, ita ſcribit: *Chriſti paſſiones, quæ vix ſceleratos animos à voluptarum fæce auellunt.* Itaque Euchariſticum vinum, quod bibit homo nuper ſceleratus, ad Deum per pœnitentiam conuerſus, ſed adhuc fæculentis vitiorum habitibus inquinatus, etſi einſmodi vinum cum potatoris ſui fæcibus reſidere videatur, nunquam tamen magis limpidum ac *defæcatum* eſt: ſiquidèm tunc hominem reliquiis vitiorum inquinatum, natiuo diuinitatis ſapore vigoréque meraciùs defæcat, & à fæcibus vitiorum auellit. Quid tam purum ac limpidum, quàm quod fæces ſui potatoris non contrahit; imò illum à reliquiis vitiorum limpidiùs defæcat? Chriſti paſſiones in Euchariſtiâ repræſentatæ, vitioſos nuper animos, à vitiorum fæcibus emaculant. Ergò quàm potenter vitiorum reliquias Euchariſtia diluat, idem Cyprianus eloquenter his verbis exponit: *Qui de ſacro calice bibit, ampliùs ſitit, & ad Deum viuum erigens deſiderium, ita ſingulari fame vno illo appetitu tenetur, vt deinceps fellea peccatorum horreat pocula, & omnis ſapor delectamentorum carnalium, ſit ei quaſi rancidum, radénſque palatum auctæ mordacitatis acetum.*

Cornel. ibi.

*Euchariſtia vitioſos animos à voluptabilium fæcibus auellit.*

S. Cypri. de Paſſ. Chriſt.

*Hoc calice potatus fellea peccatorum horret pocula.*

S. Cypr. de Cœnâ Dom.

3. Eccli. 34. v. 6.

Siracides Eccleſiaſtici 34 ſic moraliſſimè ſcribit: *Ab immundo quid mundabitur?* & à mendace quid verum dicetur? *Sicut parturientis, cor tuum phantaſias patitur, niſi ab Altiſſimo miſſa fuerit viſitatio.* Totius naturæ faſtum excellit hominé peccatorum ſqualore immundum, verè mundare, quod diuinæ gratiæ elogium eſt. Aſt poſt veram munditiem, quæ per congruam pœnitentiã fit, adhuc extirpãdæ reſident peccatorum fibræ, & vitiorum reliquiæ, id eſt, anteactæ vitioſitatis nequam halitus, qui adimi non bono humanæ naturæ genio, rurſùs ad delinquendum pluriſariam ſollicitant. In hunc ſenſum accipere ethicè licet: *Ab immundo quid mundabitur?* Nam etſi à pœnitentia mundus reapſe euadat, adhuc tamen remanent vitiorum reliquiæ; & anteactæ vitæ recordationes & phantaſiæ, quæ virtutem inquietant, & ad vitiorum errores pelliciunt. Adhuc enim bene pœnitentis cor per confeſſionis gratiam limpidè mundum, *phantaſias patitur, id eſt, à phantaſmatibus immutatur, & trahitur in errorem,* ait inibi Hugo Carenſis. Quid ergò hęc vitiorum vaga phãtaſmata, aut ſopibit, aut euellet? Opportunè Auctor ille anonymus, & ineditus, de Præparat. Miſſ. Dominico die, ita fatur: *Quomodo tu Eliam ad meliorem vitam tranſtuliſti; ita huius ſacramenti perceptione abſorbeat me quæſo, ignita & melliflua vis amoris tui, qui mundo me faciat totum mori, à phãtaſmatibus, & creaturarum imaginibus denudari, à priuato amore liberum fieri; & in te rapi, in te abſorberi, tecúmque vnum perpetuò fieri.* Ergò poſt ritè peractam pœnitẽtiam, ad ſacram Euchariſtiæ menſam accedendum eſt, vt reſidua vitiorum *phantaſmata*, & vagas importunè voluptabilium *imagines* diſſipet, & excantet; & nos ab eis potenter denudet; vt his næuis auulſis, anima *ampliùs pulchreſcat, & candore lilij, & rubore ſanguinis in hoc myſterio decorata.*

*Euchariſtia ritè ſuſcipientes, à non bonis phantaſmatibus voluptabilium denudat.*

Auctor Anonymus.

4. Exod. 12. v. 9.

Exodi 12. agni paſchalis edendi ritum præſcribens Moyſes, ita fatur: *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, ſed tantùm aſſum igni.* Agreſtis eſus foret, Hebræis omni æuo inſolens, crudas belluarum more carnes mandere, quod ferino rictui, citiùs quàm ritui humano congruit. Cur coctio excluditur, & agninæ aſſatio tam ſeuerè iubetur, & exactè cuſtoditur? Putauerim, quòd non tantùm agnus eſt typicus, & Euchariſtiæ vmbra, ſed etiam aſſationis ritus, ſumendæ Euchariſtiæ idoneos ritus adumbrat. Tempeſtiuè Cyprianus. *Puras, ait, ſincerâſque mentes ſanctum quærit conuiuium, in veru crucis boni operis aſſatio omnem excoquat carnalium ſenſuum cruditatem, & induret, ſolidéique omnes mentis affectus.* Nempè Euchariſticus agnus coquendus aquâ non eſt, ne eius carnes fluxæ perſeuerent, & fluxos affectus comedentibus ingenerare poteutur: ergò in veru crucis aſſandus eſt, vt *aſſatio omnem excoquat carnalium ſenſuum cruditatem.* Senſuum humanorum incondita voluptuosè cruditas, dulce blandimentum delictorum eſt, & procliue vitiorum lenocinium: quot enim ſunt in corpore ſenſus, tot ſunt virtutum inſidiæ, & ſanctitatum proditiones, aut ſaltem inteſtinæ rebellionis minæ. Vndè typici agni aſſatio præuia, *omnem excoquat carnalium ſenſuum cruditatem, & induret, ſolideique omnes mentis affectus,* ne

S. Cypr. in Cœna Dom. in princip. *Agni aſſatio, omnem in nobis excoquat ſenſuum carnalium cruditatem.*

ne fluxis cupiditatibus molliculè indulgeant; ſed potiùs ſolidâ virtutis conſtantiâ flecti neſcij velut obſtinatè perſeuerent.

5. Exhod 12. v. 3 & 6. *Quinque diebus aſſeruatur agnus, quia Euchariſtia quinque ſenſus expurgat.*

Exhodi 12. circa ritum paſchalis agni, hæc Moyſis ore Deus mandat : *Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque agnum, &c. Et ſeruabitis eum vſque ad quartamdecimam diem menſis huius : immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſperam.* Eccur quinque diebus ritè debet ſeruari domi typicus agnus ? An non ſufficeret, vt manè adduceretur, ad veſperam immolandus ? Quid cum agno adumbrat quinarius dierum numerus ? Scitè Nazianzenus idipſum addubitat, & dubium ſoluit : *Seruabitis eum vſque ad quartam decimam diem. Aſſeruatur porrò in quintum diem fortaſsè quia victima mea* ( Euchariſtia inquam ) *id habet vt ſenſus expurget, à quibus peccatum oritur, & circa quos bellum committitur, vt potè peccati aculeum admittentes.* Adſimili loco nuper enucleato ex S. Cypriano, adſimilis congruit expenſio, de ſenſuum cruditate mitigandâ, & eluendâ.

S.Naz.orat. 22.

6. Pſ.67.v.10.

Pſalmo 67. ſic occinit regius Vates, *Cæli diſtillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Iſraël.* Quæ verba de nobiliter typico imbre, quo deſcendit manna, intelligunt expoſitores. Exindè pergit Pſalmographus, adhuc agens de eodem manna, *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hereditati tuæ : & infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam.* Itaque Dei hereditati, id eſt, populo Dei, *ſegregabis* ( aliàs *eleuabis*, ) hanc mannæ pluuiam *voluntariam*, Pagninus *munificentiarum*, Vatablus, *liberalitatum*, Caietanus, *voluntatum*, id eſt, *appetitionum populi, appetentis cibum & carnes.* Cui Gloſſa conſentire videtur. Effectum autem huius cibi mox Propheta ſubiungit : *Et infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam.* Quaſi dicat : Etſi infirmus erat Dei populus ( quæ dicitur hereditas Dei ) ante hunc eſcatilem imbrem ; ab illo cæleſti cibo confirmatus, ſanatus, & perfectus euaſit. Pro τὸ *infirmata* alij apud Lorinum habent : *Labore confecta, fatigata, defecta viribus, laſſata.* Nempè Dei populus his languoribus afflictatus, debilis, ac deficiens ; hoc manna, ſeu Euchariſtico figuratè cibo confortatus, confirmatus, ac *perfectus* eſt. Appoſitè Cyrillus Alexandrinus ſic de hoc Sacramento fatur : *Hæc benedictio perfecta non mortem ſolùm, verùm omnes morbos depellit : ſedat enim ſæuientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit : nec in quibus ſumus peccatis conſiderat, ſed ægrotos curat, colliſos redintegrat, & ab omni nos erigit caſu.* Prolixum foret, ſingulas ſententias enucleare ad thema præſens : ſat eſt eas excripſiſſe, & ad earum grauidam profunditatem intendiſſe digitum. Hic ergò cæleſtis cibus ac potus, ſiquod aliud, eſt cognati membrorum fomitis amuletum, atque fugitiuæ vitæ ſecurius aſylum.

Pagninus. Vatablus. Caietanus. Gloſſa. *Euchariſtia ſedat membrorum ſæuientium legem.* Lorinus ibi. S.Cyrill.l.4. in Ioan.c.17

7. Gen.3.v.6.

Geneſeos 3. de ſerpentis maleſuadi ambitioſo auidè ſuggeſtu, *Vidit mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile : & tulit de fructu illius, & comedit : deditque viro ſuo, qui comedit.* O malum ! ab hàc interdictâ Protoparentum ſaturitate, vitiorum fames ; & voluptabilium ſitis hominibus inacreſcit: hoc calcare effrenes paſſionum ſubſultus ſtimulantur ; & peccati fomes bello inteſtino obſtinatè ſæuit. Pulchrè Ambroſius huc adducit illud Ieremiæ : *Venite mittamus lignum in panem eius*, ita ad rem fatus : *Errauit Adam, mandata contempſit, interdicta guſtauit, per lignum cœpimus eſurire ; quia ſuum caro cœpit alimentum. Ideò Dominus in Chriſto carnem iunxit, & lignum, vt fames antiqua ceſſaret, & gratia antiqua redderetur. Beata caro Chriſti, quæ victum omnibus miniſtrauit.* Quaſi Chriſti caro, quæ Euchariſtico pane cenſetur, in quem lignum miſſum eſt, mitigauerit non bonam è ligni vetiti ſacietate reſiduam voluptabilium famem. *Ideò Dominus in Chriſto carnem iunxit, & lignum, vt fames antiqua ceſſaret, & gratia antiqua redderetur.* Itaque Euchariſtico cibo mitigatur, & quaſi ſopitur fames aut fomes peccati : & paradiſea olim gratia quodammodò reſculpitur : *Vt fames antiqua ceſſaret, & gratia antiqua redderetur.* O grande huius Sacramenti elogium ! ô ceſſet rabida paſſionum fames, mandatorum Dei hianter mordax!

Iere. 11. v. 9. S. Ambr. in Pſal 21. *An per Euchariſtiã fames antiqua ceſſet, & gratia antiqua reddatur?*

8. Ioan.6.v 9. & 13.

Ioannis 6. in vaſtâ illâ eremo multa hominum millia Chriſto eſuriunt, eius cæleſti doctrinâ ſaturi. Diſquiritur de annonæ ſubſidio. Et dicit ei vnus ex diſcipulis eius, Andreas : *Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos piſces.* Ergò IESVS in figuram huius Sacramenti, panes multiplicans, turbam illam vniuerſam abundè cibauit. Adeò vt *impleuerint duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus ordeaceis, quæ ſuperfuerunt his, hi manducauerant.* Pulchellam ſanè hîc quæſtiunculam mouent Interpretes, eccur iſtiuſmodi opinatiſſima figura Euchariſtici panis, non in triticeo pane, ſed in ordeaceo, præmonſtrata ſit? Quid ſacramenti hîc deliteſcit ? Argutè Theodoretus : *Ex his qui diuinorum myſteriorum ſunt participes, nonnulli cum agno commune quid habent ; qui videlicet perfectam vitam obtinent : alij verò qui per pœnitentiam peccatorum maculas delent, magis accedunt ad hædum* ( addit ad rem tempeſtiuus ) *Sic & Saluator noſter, non frumentaceis tantùm panibus, ſed ordeaceis pauit eos, qui conuenerant.* Scilicet panibus ordeaceis typum etiam Euchariſtiæ proponit, quo innuat, eos etiam qui propter inolitas vitiorum reliquias habitu poſt pœnitentiam relictas, ob quas *hædorum* naturæ vicinantur, huius ſacramenti virtute, velut naturam dediſcere antiquam, & in *agnos* mirè reformari, eorumque mores induere. Sic homo huius cibi virtute, inolita medullitùs vitia deſueſcit, vt nuper *hædus*, *agnus* euadat ! ô iſtiuſmodi pabulo ſpem ſimul nutriamus.

*Quare in panibus ordeaceis præmonſtrata ſit Euchariſtiæ figura.*

Theodor. q. 24. in Exod. *Euchariſtia hædos transformat in agnos.*

## §. L.

*Deliciis gloriæ æmulis, & beatam gloriam definientibus, in Euchariſtiâ alimur.*

PVlchrè exponit Sapiens delicias mannæ, quæ erat Euchariſtiæ vmbra perſpicua: *An-* 1. Sapient.16. v.20.

*Quam ſit ſapidus Euchariſtia cibus.*

S. Cæſar. homil 7. de Paſch.

*gelorum eſcâ nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti eis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem.* Ad quæ verba adludens S. Cæſarius ita ſcribit: *Iuxta percipientis deſiderium eſca illius nouitas, & dignitas naſcebatur, vnumquemque variis & alienis ſaporibus reficiebat mellifluum pluuiæ illius donum, & multiplex ſicci imbris obſequium.* Varium ac multiplex huius cæleſtis cibi ad delicias obſequium, hîc libamus, vt qui ad Euchariſtici conuiuij delicias hiat, nauſeet ad mundi delicias.

2.

Pſal. 22. v. 1. S August. S. Hieron. apud Lorin.

Regius Vates Pſalm. 22. ſic ad rem modulatè pangit; *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit.* Vbi Auguſtinus, & Hieronymus è Græco textu ſapienter excribit: *Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ, ibi me collocauit.* Quæ verba S. Ambroſius de Euchariſtiæ ſacramento intelligit:

S. Ambr. l. de Ioſeph. c. 7.

*Ab illo ſolo dicitur: Dominus paſcit me: & nihil mihi deerit, qui ſatiatur à Chriſto* Qui à Deo paſcitur hoc cæleſti manna, rectè poteſt dicere, *Nihil mihi deerit* neque ad saginam, neque ad delicias. Adeò vt verè potuerit Eſdras dicere: *Paniſti eos in deſerto, nihil eis defuit.*

2. Eſdræ 9. v. 21.

Nihil omninò, quod neceſſitati ſeruiret, & quod guſtui obſequeretur; imò quod humana appetentia immetatè audax, aut nauſeæ vitio, aut deſiderij ambitione concupiſceret, quod crudelitatis fidem videtur tranſcendere. *Adeò diuinus* (ait Ioſephus) *& incredibilis erat hic cibus, vt hui qunc haberet, alium non deſideraret.* Boni in dapibus ſaporis exaggeratio eſt, vt neque iugis in dies ſagina faſtidium pariat, nec eſculentorum libido, & gulæ præſtigiæ, aliarum nouiter dapum deſiderium inquietet; ſed reliquorum tædium, & ipſius famem cum ipſo comedat.

*Hoc cibo paſtus, aliarum dapum deſideria ſatiat.* Ioſeph. l. 3. Antiq. c. 1.

3.

Prou. 8. v. 31.

Prouerbiorum 8. ſanè difficilis illa ſententia ſcribitur, quæ olim & nunc Interpretum torſit ingenia. Sapientia enim diuina, cuius verbis nulla ſubeſſe poteſt, falſitatis ſuſpicio, ita de ſe loquitur: *Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Eccur non potiùs cum beatis Angelis naturâ, & merito præſtantioribus? Imò quidem neque cum Angelis ipſis nec cum aliâ quâuis creaturâ: neque enim is eſt Deus noſter, qui de mendicitatibus creaturarum delicias captet! Verùm cum præſcripta verba nonnulli de Euchariſtiæ ſacramento accipiant, ad hanc mentem adludens Laurentius Iuſtinianus, ita fatur: *Exhibuit ſe,* ait, *vt tua ſit peregrinationis comes, ignorantiæ tuæ lux, infirmitatis tuæ remedium; tecum habitet, de te lætetur, ſuis tecum deliciis perfruatur; quemmadmodum in Sapientiæ volumine teſtatur, dicens: Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Non quidèm vt ſuas à filiis hominum captet delicias, ſed vt cum filiis hominum communicet proprias.* Quò autem magnus hic Doctor ſuæ mentis profunditatem explicatius claret, pergit ſic rem eleganter ediſſerens, & ineffabiles huius Sacramenti delicias, inſuſpicabili modo adhuc inculcat: *Nequaquam* inquit, *imprudenter arbitrandum eſt, quòd Deus vllam ab Angelis, ſeu hominibus lætitiæ percipiat cauſſam, cum eoſdem ſpiritualibus & æternis faciat exuberare deliciis. Ipſe etenim ſibi ipſi gaudium eſt, beatitudo perennis, ſempiternæ eſſentialéſque deliciæ. Verùm ob præcipuum, quem ad homines gerit, dilectionis affectum, illis* (in Euchariſtiâ) *impertiendo proprias, eorum ſuas aſſerit eſſe delicias.* Itaque Deus, qui ſibi ipſi gaudium eſt, beatitudo perennis, & ſempiternæ eſſentialeſque deliciæ, in hoc Euchariſtico epulo, ſuas ait delicias eſſe cum filiis hominum: non quia indè delicias aucupetur Deus, ſed quia ſuas ſempiternas & eſſentiales delicias tunc cum homine communicat, & *Suis tecum deliciis perfruitur.* Exindè ait: *Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Non quidèm vt ſuas à filiis hominum captet delicias, ſed vt cum filiis hominum communicet proprias.* Vide qualem guſtet voluptatem qui guſtu à terrenis purgato, & ad cæleſtia duntaxat hiante, ad cæleſtem hanc menſam accedit, vbi Deus ſuis cum homine deliciis perfruitur, & ſuas cum filiis hominum delicias communicat. O inſuſpicabilem gratiam quâ homo in terris, cæleſtem Dei beatitudinem, & beatitudinis deliciis quodammodò libat! Niſi fortè reciprocante gaudiorum fluctu, vtrimque deliciarum guſtus exundet.

Laurēt. Iuſt. ſerm. de Euchar.

*Deus in Euchariſtia ſuis cum homine deliciis perfruitur.*

4.

Gen. 9. v. 20 S. Ambr. l. de Noë c. 29.

Geneſeos 9. mundi eluuione peractâ, redit terræ agricolatio, quæ famem depellat: *Cœpitque Noë vir agricola exercere terram, & plantauit vineam.* Ad quæ verba tempeſtiuè addubitat S. Ambroſius. *Quid eſt, quòd Iuſtus primum vineam plantat, & non aut triticum, aut hordeum? Iuſtus priùs quæ voluptaria, quàm quæ neceſſaria ſunt requirit. Neceſſarij enim fructus ſunt tritici & hordei, ſine quibus non poſſumus viuere; vinum autem voluptarium, & cauſâ delectationis datum. Quod quia iuſtus eſt, ideò ſibi magis hoc quod ſecundum erat, quàm quod primum eſt vindicauit.* Qui quammaturè præcoquâ agricolatione ſummum Euchariſtiæ ſacramentum typicè integrare feſtinat, non tam corporali vitæ *neceſſaria*, quam ſpirituali vitæ *voluptaria* quærere contendit. Vulgare hactenus fuerat triticum; vinum autem, quo hoc Sacramentum conſtat, retroacta ſecula non viderant. Exindè iam idonea Euchariſtiæ materia integrè conſtat: in quâ ſic præpropere deliciatur Noë iuſtus, vt *priùs quæ voluptaria, quàm quæ neceſſaria ſunt quæſieris.* Neque enim corporis *neceſſitatem* ſentit, qui *voluptariè* vel in Euchariſtiæ auſpicato typo præproperè deliciatur. O piè vrbana *neceſſitas*, quæ Euchariſticæ voluptati cedit! ô empyrea voluptas, quæ humanam *neceſſitatem* negligit, & ignorat!

*Cur Noë plātans vineam prius voluptaria, quàm neceſſaria quærit?*

5.

Lucæ 15. v. 16.

Lucæ 15. tandem, adoleſcens prodigus conſumpto voluptuoſè cenſu, miſerè fameſcit. *Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant.* O inſanam carnalium deliciarum appetentiam, brutâ fame adumbratam! Quàm crudele miniſterium, quia neque conuiuit porcis, qui viuit porcis. Miſer, qui porcorum deficit, & eſurit in ſaginam: qui vt pretioſiora faciat ſtercora ſumptuoſiùs ſaginatur. Denique paternæ menſæ memor, poſt pœnitentiam, Patris menſam meretur, & ſaginato vitulo deliciatur. Bellè inibi Chryſologus: *Menſa Patris nos alit virtutis cibo, ſalutis epulo, deliciis honeſtatis & gloriæ.* Nempè in hâc cæleſti menſâ, vbi opimo vitulo epulamur, ſaginamur, *virtutis cibo, & deliciis gloriæ*, quas in Euchariſtiâ prælibamus.

*Deliciis gloria in Euchariſtico epulo ſaginamur.*

S. Chryſol. ſerm 1.

Lucæ

6. Lucæ 22. v. 20. *Euchariſticus calix eſt exultatio diuinæ gratiæ.* Theophyl. ibidem.

Lucæ 22. vltimam cœnam cum diſcipulis ſuis Chriſtus concelebrat: & accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum. *Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens: Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Quæ verba ſolito acumine Theophylactus verſans, ſcitè expendit, cur priùs Euchariſticum panem, mox calicem diſcipulis porrexerit: *Primò*, inquit, *datur panis Secundò calix:* prior enim *eſt in ſpiritualibus laborioſus actus velut panis, non ſolùm quia in vultus ſudore laboratur, ſed etiam quia dum comeditur, non eſt facilis ad glutiendum.* (Nota verba quæ ad rem ſubtexit) *Deindè poſt labores ſequitur exultatio diuinæ gratiæ, quæ eſt calix.* Nimirùm Euchariſticus calix, *exultatio diuinæ gratiæ* profundiùs nominatur. Scilicet Dei gratia, alacris ſemper eſt, ſtrenua, audax; in Euchariſtiâ autem hilaris, feſtiua, læta, glorioſa & perfuſis gaudiis lætanter exultans; atque exultanti lætitiâ cæleſtis conuiuij guſtum adornans, dum in hoc cæleſti epulo *Deus ſuis* cum homine *deliciis perfruitur.*

7. Ioan. 6. v. 54. & 55. *Euchariſticus panis eſt vitæ æternæ beata definitio.*

Ioannis 6. dixerat Iudæis Chriſtus Deus: Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendit. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vitâ. Attende ad ſermonis clauſulam *Dixit ergò* IESVS*: Amen, amen dico vobis: Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam.* Vide quoties *vitæ* nomen ingerat, iterat & exaggerat, adeò vt ſeriò affirmet, ſine hoc vitali cibo neminem in ſe vitam habere; & qui illo dignè alitur, *habere vitam æternam.* Quâ ſuper re ita ad rem præſentem alto ſtilo philoſophatur Ambroſius: *Hic eſt enim cibus, in quo vita definitur æterna, quo quiſquis fuerit defraudatus, morte morietur: quãdoquidèm panis viuus, atque cæleſtis ipſe Dominus eſt, qui vitam dat huic mundo: vndè & ipſe ait: Niſi manducaueritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam æternam.* Ad ethicam doctrinam exploranda etiam dialecticè eſt illa Ambroſij ſententia: *Hic eſt cibus, in quo vita definitur æterna.* Porrò *definitio*, ne à dialecticâ functione degeneret, debet definitum ſuum perſpicuè clarare, aut ſaltem explicatiùs prodere: quiſquis ergò auet noſſe ineffabilem Beatorum gloriam, & illius beatum ſaporem, ex ſapidis Euchariſtici panis deliciis, illum tanquam ex definitione captare debet. Tantâ enim *palati gloriâ* cæleſtis hic cibus ſapit, cælum ſuauiſſimè fragrans, vt iſtiuſmodi glorioſus ſapor ſit empyreæ gloriæ expoſitio, definitio illius, & præcoqua libatio. Huius cæleſtis panis exors, quid ſit beatitudo inſipidè inexpertus ignorat: ignorat enim eius definitionem. *Nam eſt hic cibus, in quo vita definitur æterna.* Pulchrè quidèm Ambroſius.

S. Ambr. de Parad. c. 9.

*Hoc elogium aliàs aliorum expenſum eſt.*

8. Iudic. 14. v. 14. S. Paullinus epiſt. 4.

Iudicum 14. opinatiſſimum illud Samſonis problema explicandum proponitur: *De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.* Huius ardui problematis ſolutionem perſpicuam, hæc ſacra menſa Palæſtinis inuiſa, palàm offert, vt vidit S. Paullinus ita fatus: *Hic Leonis catulus, qui Filius Dei: & idem Leo, quia æqualis Patri. Quare (vt mihi videtur) huic aptum eſt Leoni, de comedente exiuit eſca & de potente dulce. A quo niſi à Saluatore noſtro, qui hanc nobis eſcam ſimul, & rumiſauit docens, & prompſit impertiens?* O quanta eſt dulcedo, quæ *de potente* exiiſſe emphaticè perhibetur. quaſi totum fortiſſimæ omnipotentiæ robur contendatur ad gloriam tantæ dulcedinis ſuauiùs condiendam. O quàm multa paucis compendiantur!

*Ad huius cibi glorioſam dulcedinem, omnipotentia robur exeritur.*

---

## §. LI.

### *Plura, in quibus magnificum Aſſueri conuiuium, conuiuium Euchariſticum adumbrat, perſtrictim ac ſaltuatim delibantur.*

MAgnus Ioſeph Patriarcha Ægyptiacâ annonæ præfecturâ: magnus etiam Chriſtus erga totum orbem, beneficâ frumenti erogatione. Quod his verbis Auguſtinus ediſſerit: *Ipſe mihi* (Chriſtus) *in Ioſeph inuenitur qui perſequentibus, & vendentibus fratribus in Ægypto poſt labores honoratur. Didicimus enim labores Chriſti in orbe Gentium, quem ſignificabat Ægyptus .... & nunc videmus honorem Chriſti in eodem orbe terrarum, erogatione frumenti ſui, ſibi omnia ſubiugantis.* Quaſi ſumptuoſiorem Chriſti gloriam & magnitudinem Euchariſtico pane metiri liceat. Appoſitè ait Tertullianus: *Corpus eius* (Chriſti) *in pane cenſetur: Hoc eſt corpus meum.* Quaſi diuitiarum Chriſti *cenſus*, in hoc cæleſti pane conſiſtat. 1.

S. Aug. l. 12. contra Fauſt. c. 28. *Chriſti opulentia in hoc pane cẽſetur.* Tertull. l. de orat. c. 6.

Ad Romanos 2. *An diuitias bonitatis eius .... contemnis?* Quæ verba ſic exponit Hugo Catenſis *Dicit ergo Diuitias bonitatis, id eſt theſaurum diuinæ miſericordiæ, & notatur copioſitas, & abundantia .... Qui mane vigilant ad me, inuenient me. Mecum ſunt diuitiæ & gloria, opes ſuperbæ & iuſtitia.* Has *bonitatis* diuitias, *gloriæ* exuberantiam, & *ſuperbas opes* (ſenſu quo loquitur Salomon) In Euchariſtico pane Chriſtus Deus oſtentat. Ne ergò Chriſtum Deum minorari putes, ſi eius *bonitatem* videas modico pane ac vino cenſeri. Porrò (vt profundè dixit Bernardus) Chriſtus *quantò minorem ſe fecit in humanitate, tantò maiorem ſe exhibuit in bonitate.* Itaque in Euchariſtico pane (quo Chriſtus cenſetur) quantò minorem ſe offert in modicè eſculentâ ac poculentâ ſpecie, *tantò maiorem ſe exhibuit in bonitate*, cuius diuitias, ſuperbas opes & glorias in ſacrâ ſynaxi ſumptuoſiùs oſtendat. 2.

Ad Rom. 2. v. 4. Hugo ibi. Prouerb. 8. v. 17. & 18. *Chriſtus in Euchariſtia maiorem ſe exhibet.* S. Bern. ſer. 1. de Epiph.

Regius Vates Pſal. 67. ita occinit: *Cæli diſtillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Iſraël.* Pergit agens de manna, Euchariſtiæ vmbrâ: *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hereditati tuæ* (populo tuo inquam) *& infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam.* Pluuiam voluntariam appellat ſiccum mannæ imbrem. Pro τὸ *voluntariam*, Vatablus legit *liberalitatum*, Pagninus, *Munificentiarum.* Caietanus, *Voluntatum*: quod mirè congruit Euchariſtiæ. Exindè populo Dei hic *munificentiarum* imber 3.

Pſ. 67. v. 10. Vatablus. Pagninus: Caietanus.

*Chriſtus Deus ſententiosè dicitur in Euchariſtiâ eleuari.* S. Hieron. Pagninus. Felix.

Euchariſticus *ſegregatur*, deſtinatur, conſecratur: quo Deus ipſe ſub ſpecierum velamine latens, cum ſuo iam populo eſt vſque ad conſummationem ſeculi. Verùm S. Hieronymus pro *τὸ Segregabis*, exponit, *Eleuaſti*, Pagninus ex Hebraicâ origine, *Feciſti eleuare*. Felix *Eleuabas*. Nimirùm *pluuiam munificentiarum* (hoc eſt, Euchariſtiam) *feciſti eleuare*. Profundè quidèm Chriſtus Deus in Euchariſtiâ *eleuari* dicitur: quia *quantò minorem ſe fecit in humanitate, tanto maiorem ſe exhibit in bonitate.*

S Bern. ſupr.

4. Ioan. 2. v. 1. *Amor Dei in Euchariſtia exhibitus, quaſi immoderatus dicitur.*

Ioannis 2. *Nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ: & erat mater IESV ibi:* ibique Chriſtus inſuſpicabili derepentè metamorphoſi aquam tranſſubſtantiauit in vinum; poſteâ vinum in ſuum ſanguinem miriùs tranſſubſtantiaturus. Et quaſi alioquod iam tranſluceat huius inſtituendi Sacramenti auſpicium, illud hîc nonnulli Auctores præſagiunt, & velut in vmbrâ, aut veſtigio præuident. Quâ de re ſic notanter fatur Richardus: *Nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ, & erat mater IESV ibi. Cana, zelotypia; Galilæa, tranſmigratio: in Canâ ergò Galilææ, id eſt, in quaſi immoderatâ charitate fecit naturam diuinam tranſmigrare ad humanam.* Quaſi immoderara charitas, & quæ zelotypiam ſubolet præ beneuolentiæ æmulatione, fecit in Incarnatione diuinam naturam tranſmigrare ad humanam; & in Euchariſtiâ tranſmigrare ad homines, illiſque conuiſcerari & velut concorporari. Quod præ ſublimitate humanæ mentis tranſcendit, *quaſi immoderatum* Richardus appellat. Quare autem dicatur quaſi immodicus amor, qui in Euchariſtiâ elucet, redolere, aut ſapere zelotypiam, alibi forſan commodiùs expendetur.

Richar. à S. Laur. l. 1. c. 5.

*Amor Dei in Euchariſtia Zelotypiam ſubolere dicitur.*

5. Pſal. 83. v. 3.

Regius Propheta Pſalm. 83. cuius titulus eſt *Pro torcularibus*, vt vel in limine Euchariſticum muſtum redoleat, ita pangit: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Quis non miretur, Euchariſticis typicè deliciis præmaturè oſtenſis, Dauidem tanto exuberaſſe gaudio, vt effuſior *exultatio*, ex animo & corde in ipſam *carnem*, & ſenſus ipſos, ad ſpiritualia inidoneos, exundarit? Redundat ex parte rationali in ſenſitiuam, atque in carnem ipſam per externa ſigna, honeſta diuinaque lætitia, quandò magna eſt, & pars illa ſuperior ſpiritu Dei acta, ſubiicit ſibi, alioqui repugnantem ſenſum & carnem. Audiēdus eſt hâc ſuper re Pſeudocyprianus, ita fatus: *Eſus carnis huius quadam auiditas eſt, & quoddam deſiderium manendi in ipſo; per quod ſic imprimimus, & eliquamus in nobis dulcedinem charitatis, vt hæreat palato noſtro, & viſceribus ſapor dilectionis infuſus, penetrans, & imbuens omnes animi corporiſque receſſus.* Indè *pro torcularibus* antedicit Propheta: *Cor meum, & caro mea exultauerunt* (Hebraicè, *exultabunt*) *in Deum viuum.* Pro *τὸ exultabunt*, alij ex Hebræâ radice legunt, *geſtire*, *ouare*: quaſi Euchariſtia ſit triumphale lætanter epulum, ac ſi iam victoriatum ſit.

*Euchariſtiæ gaudium imbuit etiam corporis ſenſus.*

S. Cypr. de Cœna Dom.

*Euchariſtia eſt victoriale epulum.*

6. Pſ. 77. v. 19. *Euchariſtia oſtēdit quantum poſſit Deus.*

Pſalmo 77. ſic occinit regius Vates: Et tentauerunt Deum in cordibus ſuis, vt peterent eſcas animabus ſuis, & malè locuti ſunt de Deo: *dixerunt: Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto?* Itaque in paſcendo nunc populo res diuinæ omnipotentiæ agitur, illi enim iſtiuſmodi expoſtulatione negotium faceſſunt, ſed quo ſublimius Euchariſtiæ faſtigium, & eius auguſtior magnitudo altè præſtruitur. Tempeſtiuè Rupertus: *In eo fuit magnitudo peccati eorum: non, quia petierunt; ſed quia tentando, & murmurando eſcas petierunt, & male locuti ſunt de Deo: dixerunt: Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Igitur dum tentantibus oſtendit Deus quid ipſe poſſit; parando menſam illis æquum fuit, vt ipſe verſâ vice tentaret eos, ne neſcirent, quales erant ipſi.* Expende illud, quòd dum figuram Euchariſtici Sacramenti præmonſtrauit, *oſtendit Deus quid ipſe poſſit*. Quaſi Euchariſtiæ Myſterium ſit velut meta diuinæ omnipotentiæ immetatè infinitæ, quâ oſtentatur quantum Deus poſſit, & præſtare ſumptuoſiùs eualeat, ac ſi Euchariſticus cibus ſit Omnipotentiæ menſura.

Rupert l. 5. in Exhod. c. 11.

7. Prouerb. 31. v. 30. *Decor ab hoc Sacramento quodammodò incorruptibilis eſt.*

Prouerbiorum 31. *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo.* Sic eſt marceſcibilis, & breuioris æui humana gratia, & gratioris formæ pulchritudo; fugax, incerta, fallax, vana, fugitiua, inſtabilis, mentita, caduca! ô quàm verè, ac ſolidè pulchreſcit, qui durabilem formoſi decoris gratiam, ab hoc cæleſti cibo mutuatur! Eleganter Iuſtus Orgelitanus: *Audi,* inquit, *filia, & vide, & inclina aurem tuam: quia concupiuit Rex pulchritudinem tuam: quia tu ſola accepiſti decorem incorruptibilis Sacramenti.* Hoc eſt, *decorem* velut incorruptibilem ab hoc Sacramento. Quaſi ſpiritualis gratiæ *decor*, & animæ venuſtas, quæ ab hoc Sacramento venit, quodammodò *incorruptibilis* ſit, & diuturniorem habeat permanentiam; ne paſſionum ardoribus, flos decoris marceſcat. O vtinam auidè ſimus huius *decoris* peramanter riuales?

Iuſt. Orgel. in Cant. c. 2.

8. 1. Cor. 11. v. 25. *In Dominici calicis teſtamento, mortis beneficium nobis donatur.*

1. Corinthiorum 11. hæc verba refert Paullus Chriſti nomine: *Hic calix, nouum Teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hoc facite, quotieſcumque bibetis in meam commemorationem.* Non litigabo nunc cum interpretibus, an *Teſtamenti* vocabulo, Teſtamentum ipſum, an res Teſtamento donata denotetur. Sat eſt noſſe, quid huius Teſtamenti iure nobis obueniat, Quod ſcitè his verbis Ambroſius ediſſerit: *Qui* inquit, *teſtamentum vtrumque ſuo confirmauit ſanguine, vt nos vitæ ſuæ coheredes & vitæ haberemus conſortium, & mortis beneficium.* Nimirùm hic *calix*, qui nouum Chriſti *teſtamentum* eſt in eius ſanguine, id nobis dono dat, vt eius perpetuæ ac beatæ *vitæ habeamus conſortium*; atque eius *mortis beneficium*. Quid eſt, *mortis beneficium*? An in Euchariſtiâ Dominicæ paſſionis ac *mortis beneficium* nobis impenditur? (ô quàm multa paucis!) An noſtræ mortis hactenùs crudæ ac formidabilis horror, in placidæ, gratæ, & glorioſæ vitaliſque *mortis beneficium* mutatur; quippè quæ iam ſit mortis vltimus finis, & vitæ æternùm beatæ confinium? Itaque in hoc noui Teſtamenti calice, *mortis beneficium* nobis donatur; & cum Chriſto glorioſæ *vitæ habemus conſortium*,

S Ambr. de Noë, & arc. c. 11.

9. Exhod 12. v. 8.

Exhodi 12. typici agni eſum his verbis ſuo populo Deus præſcribit: *Et edent carnes* (agni inquam) *nocte illâ aſſas igni, & azymos panes*

cum

*cum lactucis aggreſtibus.* Azymus panis futuram materiam; agnus verò, opinatiſſimum typum Euchariſtiæ offerunt: quare ergò præter cibos Euchariſtiam adumbrantes, olus agreſti ſapore amarum, in hâc menſâ duntaxat apponitur? ecquod eſt conſortium huius ſuauiſſimi cibi, qui ad gloriam palati cælum fragrat, & gloriam ſapit, cum lactucis fatuè incondito ſapore agreſtibus? Sic guſtanti Euchariſtiæ dulcedinem, reliquæ dapes alioqui ſapidiſſimæ, redduntur inſulſæ, amaræ, & agreſtes? Auctor ille anonymus & ineditus in Medit. De præp. Miſſæ fer. 2. hâc de re ſic piè ac eloquenter ſcribit: *O admiranda Christi dignatio, mira mentis iubilatio. Deus meus, ſponſus meus, amor meus factus eſt cibus meus. Sanctorum præmium, gaudium Angelorum, Dei Patris Verbum factum eſt nutrimentum meum lux mundi, Sol cæli, ſapientia Dei facta eſt refectio animi mei. Proles virginea, redemptio humana, cælique gloria facta eſt refectio mea* (Nota attentiùs quæ ſubtexit verba) *Quid vltrà affecto? quid vltrà me poteſt allicere? abſit à me Domine, vt ex quo cor meum habet tam mirabilem cibum, quod circa aliquid quod eſt in toto mundo afficiatur. Quomodo, obſecro, poſt tam nobiliſſimum cibum, ſufficientiſſimum, ſuauiſſimum, & dulciſſimum poteſt cor meum circa vana, turpia, & immunda delectari?* Guſtato hoc cæleſti cibo, omnia voluptabilia deſipiunt, nauſeam mouent, & faſtidium ſui faciunt, ſicut herbaceus fatuè paſtus, & lactucæ amarè agreſtes. *Quomodò poſt tam nobiliſſimum cibum poteſt cor meum circa immunda delectari?* Reliqui iam cibi ſint tibi velut lactucæ agreſtes amaro fatuè ſapore, nec aliud poſſis.

*Cur lactuca amara cum Euchariſtiæ typo comedatur.*

Auctor ille anonymus apud Nouar.

10\. Pſal. 67. v. 10. Pſalmo 67. ita pangit Dauid: *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ* (id eſt, populo tuo) *& infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam.* Nuper in hoc §. num. 3. notabamus hîc agi de cæleſti illo manna, nobiliſſimâ Euchariſtiæ vmbrâ, quam appellat *pluuiam voluntariam.* Pagninus, *munificentiarum*; Vatablus, *liberalitatum*; Caietanus, *voluntatum* habent. Nimirùm tantâ animitùs beneuolentiâ datum à Deo fuit manna, quod hunc cibum præfigurabat, tamque voluntariè donatum erat, ac ſi non vnius, ſed plurium ſimul voluntatum, aut eiuſdem pluriès repetitæ munus eſſet. Nempè Dei voluntas quaſi vna plures in hâc largitione cenſenda videtur. Idcircò de Dei hereditate, ſeu populo his cælicis dapibus munerato, confeſtim ſubditur: *Tu verò perfeciſti eam*, id eſt; hoc cæleſti cibo *perfectum* feciſti populum tuum. Quæ autem ſit hæc perfectio: quam hîc Propheta deprædicat, tradit Symmachus apud Theodoretum qui pro τὸ *perfeciſti*, habet, *emancipaſti.* Miriſſimum ſanè Euchariſtiæ effectum, quòd Dei populum velut *emancipet* quaſi à patriâ Dei poteſtate, ſub quâ hactenùs erat. Et (quod mirere magis) eiuſmodi *emancipatione*, ſeu quodammodò abalienatione eum *perficere* dicatur. Quæ nam eſt hæc Euchariſtica *emancipatio*, quæ dum conuiſcerat ſibi Deum, quodammodò ab eo alienat, & velut extraneum facit? O res diuerſiſſimas! Opinor, quòd cùm attentâ mentis conſideratione librat Euchariſtici doni magnitudinem; & quàm *voluntariè* datum ſit, cùm *pluuia voluntatum* nuncupetur; ſic catenis beneuolentiæ & gratitudinis Deo vincitur, adglutinatur, conuiſceratur, & quaſi concorporatur, vt tametſi *emancipetur*, & velut alienus & extraneus habeatur, atque tractetur; adhuc tamen tanti muneris præbitori vltrò adhæreat, Euchariſtici nexus vinculo adſtrictus; quo magis oſtenditur populi Dei *perfectio*, quæ altè à Symmacho *emancipatio* nuncupatur. Procliue eſt cuiquam hâc ſuper te vberiùs philoſophari. Et ſanè forſan dignè ſumens Euchariſtiam, *emancipari* perhibetur & ſui iuris fieri, quaſi iam exemptus ſit cenſu humano, atque humanâ pædagogiâ; quia cum Chriſto Deo conuiſceratus, de iſtiuſmodi concorporatione diuinum quid participat & quodammodò Deus euadit.

Pagninus. Vatablus. Caietanus.

*Dum Euchariſtico cibo Dei populus perficitur, tùc emancipari perhibetur, & quare.*

Symmachus Theodoretus apud Loun. ibi.

---

## §. LII.

*Eadem materia adhuc ampliatur.*

IOannis 19. Chriſto Deo in crucem acto, & recens demortuo, *Vnus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua.* Hinc (vt aliæ etiam cauſſæ omittantur) in Euchariſtico calice aqua vino admiſcetur adeò vt perfecto iam Sacramento aqua non ſuperſit: ſiue modicum illud aquæ immediatè tranſeat in Chriſti ſanguinem, ſiue, priùs per mixtionem abeat in vini ſubſtantiam, (de quo agunt copiosè Doctores in materiâ de Euchariſtiâ) Paſchaſius lib. de Corpore & ſanguine Chriſti, hâc ſuper re ita ad rem præſentem ſcribit: *Hâc de cauſsâ in hoc Sacramento forſan aqua admittitur, vt tria hæc tribus iſtis ſacrentur myſticè rebus.* (nempè panis, vinum, aqua) *Conſtat igitur, quia etſi tria priùs ponuntur, non niſi caro, & ſanguis poſteà rectè creditur; dans indicium quòd animalis homo totus debeat tranſire in ſpiritum, & ſpiritualis fieri.* Itaque in homine, non tantùm pars vegetatiua, quæ hoc cæleſti nutrimento alitur; & pars rationalis, quæ Dei Verbo, & diuinâ Sapientiâ imbuitur, ac fouetur; ſed etiam pars animalis, quæ ad complendum numerum ternarium deerat, *debeat tranſire in ſpiritum*, vt *homo totus ſpiritualis fiat*, ſe vacuus & Deo plenus. Non dimittam innotatum ſubtile Paſchaſij acumen, ait enim, quòd ſicut panis, vinum, & aqua in hoc Sacramento, propriâ euacuantur ſubſtantiâ, & in corpus & ſanguinem Chriſti tranſeunt: ſic homo (vt vt fieri poteſt) ſuum eſſe animale & ſenſitiuum velut euacuans, conuertitur in virum alterum, & totus ſpiritualis exiſtit: ita vt dicere poſſit cum Paullo: *Viuo iam non ego; viuit verò in me Chriſtus.* Ad Galat. 2. v. 20.

1\. Ioan. 19. v. 34.

*Per hoc Sacramentum animalis homo tranſit in ſpiritum.*

Paſchaſ.

*Materia huius Sacramẽti, homo illud recipiens comparatur, quare?*

2\. Lucæ 9. v. 26. Lucæ 9. *Qui me erubuerit, & meos ſermones: hunc Filius hominis erubeſcet cùm venerit in maieſtate ſuâ.* Chriſtum Deum ſub panis ac vini rudibus elementis latentem, aliqui ex diſcipulis paganâ fide *erubuerunt*, dicentes: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Et alij, *Durus eſt ſermo iſte. Ex hoc multi diſcipuli eius abierunt retrò*, erubeſcentes ſermones Chriſti aſſerentis, *Caro mea verè eſt cibus.* O Domine, quare maieſtatem tuam deponis, & te ſub deſpectis panis ac vini accidentibus ſupponis, adeò vt te Tui

Ioan. 6.

*Erubeſcant?*

Tertull. l. 4. adu. Marc. cap. 21.

*Pia Euchariſtiæ fides velut impudentia, impudentiam idololatriæ expiat.*

*erubeſcant?* Belliſſimè Tertullianus: *Meritò ſe*, inquit, *pro ſuo homine depoſuit, pro imagine & ſimilitudine ſuâ, non alienâ, vt quoniam homo non erubuerat lapidem & ligna, eâdem conſtantiâ non confuſus de Chriſto, pro impudentiâ idololatriæ ſatisfaceret Deo per impudentiam fidei.* Non *erubuit* hominum *impudentia* tot retrò ſeculis lapides & ligna adorare, quaſi aliquid diuinum illis ineſſet: ſubſit ergò ſub exanimalibus panis ac vini accidentibus ipſe Chriſtus Deus; vt brutam Gentium impudentiam pia aliqua velut *impudentia* fidei meritò expiet: & qui non erubuit lapides & ligna tanquam numina colere, non *erubeſcat*, in Euchariſticis panis ac vini reliquiis, Chriſti Dei corpus & ſanguinem adorare. Audaciuſculè, ſed planè luculenter Tertullianus, aliàs aliorsùm quondam expenſus.

3. Lucæ 14. v. 15.

*Euchariſtia eſt de menſa Dei, & Dei vſibus.*

Lucæ 14. poſtquam Chriſtus Deus multa verba fecerat de ſeruandâ in conuiuiis vrbanitate, & de his qui inuitandi erant: *Quidam de ſimul diſcumbentibus, dixit illi: Beatus, qui manducauerit panem in regno Dei.* Hæc dixit quodam tædio nauſeans ad delicatè eſculenta & poculenta hominum conuiuia, & hianter eſuriens cæleſte conuiuium, quo homo in terris per Euchariſticum myſterium ſaginatur: Vndè Chriſtus multa de Euchariſtiæ epulo confeſtim ediſſerit. Quò forſan adludens Zeno Veronenſis, vtrumque tradit; & adhortans ad humani conuiuij faſtidium, & ad Euchariſtici appetentiam, ſic fatus ad Neophytos: Hortor, inquit, vos natiuitatis tantæ feſta læto celebrare conuiuio: *Sed non illo, in quo diuerſis epulis, nutrimentorum lenocinio, ſaporis de ſummâ certantibus obrutum pectus ſæpè crudis, atque acidis vomitibus ingurgitetur: in quo muſti veſtri dulcedo ſecularis, vini pridiani exhalante fœtore corrumpitur;* (quale fuit hoc ſeculare & regium Aſſueri conuiuium: quo faſtidito, aliud typicè adumbratum demonſtrat, ad illudque appetentiam exacuit) *Sed cæleſti prandio, honeſto, puro, ſalubri, atque perpetuo; quod, vt ſaturi ſemper, ac felices eſſe poſſitis, eſurienter accipite. Paterfamilias panem, vinumque pretioſum vobis ex vſibus ſuis ſuâ de menſâ largitur.* Scitè quidèm Euchariſticus panis & vinum dicuntur de menſâ Dei, & de eius *vſibus.* Hoc enim cibo ac potu cibatur ac potatur ipſe Deus, qui ſe ipſo beatè paſcitur empyreis glorioſè deliciis. Deus Deo mente paſcitur; homines autem Deum ore guſtant ad palati gloriam. O ſuperſubſtantialis cibus ac potus, de *menſâ* Dei, & de eius *vſibus* electiſſimus! Supra humanum faſtum eſt percenſere, quibus Dei *vſibus* ſeruiat Euchariſticus cibus ac potus.

S. Zeno ſer. 1. ad Neoph. poſt baptiſma.

4. Gen. 2. v. 9.

*An arbor vitæ vitam perpetuabit, per virtutem Euchariſtici cibi?*

Geneſeos 2. plantauerat Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio: produxitque in eo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue: *Lignum etiam vitæ in medio paradiſi.* Litigent per me commentatores, an arbor vitæ moralem vim, an potiùs naturalem habuerit ad vitam perpetuandam; & quo pacto fieret, vt eduli eius fructu, humana vita de ſe caduca, æternùm duret. Vndè tanta efficacia ineſt huic arbori, quæ ſenectuti, & interitui ſubiecta foret? Iacobus Sarugienſis in Orat. de eiecto Adamo ex paradiſo, ait: *Fieri poſſe, vt arbor illa vitam allatura eſſet, propter quod myſterium Chriſti in illâ lateret; ac proindè occultâ quâdam efficaciâ, ipſius fructus, ramique pollerēt cùm Chriſtus ipſe naturâ ſuâ vita ſit, atque vbicumque ille adeſt in propinquo, illic longè abſit mors.* An fructus arboris vitæ, mortem arceret. & vitam perpetim comedentibus tribueret, virtute ſibi præproperè communicatâ ex Euchariſtico cibo, qui eſt eius antitypus? iam enim olim hunc *vitæ panem* præfigurabat. Hinc Anonymus ille auctor *Facilè in pœnitendam labitur, qui Euchariſtico fructu, qui à ligno vitæ productus eſt, contempto, vetitos cibos quærit.* Sic præcoquâ tot retrò ſeculis efficaciâ, hic vitalis cibus eſt mortis antidotus, & vitæ promptuarium?

Iacobus Sarug. apud Barcepham, de Parad. p. 2. c. 20.

Anonymus apud Nouar.

5. Gen. 3. v. 7.

*Euchariſtia eſt vitalis mundi cibus & noſtræ nuditatis amictus.*

Geneſis 3. Protoparentes de gulæ deliciis mortem incurrerunt. Et quaſi hæc pœna, inidonea foret tanti delicti animaduerſio, nuditatem illicò experti ſunt, & indè erubeſcentiam. Nam vbi primùm Adam comedit, aperti ſunt oculi amborum: *Cumque cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Per Chriſti paſſionem & mortem, copioſa mortis ſecundæ redemptio facta eſt. Aſt adhuc Adam cum totâ poſteritate manet inueſtis. Quid ergò eſt illud: Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit delicti remedium? Adhuc tunicis pelliceis induimur & pelliti mundo vt metallo damur? Adhuc de nuditate turpis erubeſcentia ſupereſt? Verùm hoc Sacramentum, & amiſſæ vitæ promptuarium eſt, & nuditatis amictus. Peridoneè Antipater Boſtrenſis: *Benedictus*, ait, *fructus, qui fuit mundi cibus, & amictus:* nequid per Chriſtum deeſſet, quod per Adamum perdidimus Exindè Euchariſtia, & vitæ *cibus*, & *amictus* noſtræ nuditatis exiſtit. O accedentes ad ſacrum altare, *induimini Dominum Ieſum Chriſtum!* Accinit Paſchaſius lib. de Corpore Chriſti, agens de animâ, quæ dignè hoc Sacramentum frequentat: *Iſto repleta vino, nullum præter Chriſtum amare nouit, nullum alium eſurire, nullumque ſitire: quoniam ſummum bonum eius eſt, & veſtis nuptialis contexta ex vellere agni.* O felix olim nuditas, qui agni vellere amicitur!

Antip. orat. de Ioann. Bapt.

Ad Rom. 13. v. 14.

*Euchariſtia nos veſtit vellere agni.*

6. Matth. 22. v. 11.

Ceterùm vt in hoc Sacramento homo induatur pretioſâ veſte *ex vellere agni contexta*; accedere non debet ſordidè amictus, ſed præuiâ per pœnitentiam diſpoſitione debet ſaltem decenter amiciri. Matthæi 22. *Intrauit autem Rex vt videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit.* Quæ verba expendens, & elucidans Cyrillus Hieroſolymitanus in Præf. ad Catecheſes, ita ſcribit: *Scrutabatur Deus nuptias illas; & veſtem capiens minimè decoram ingreſſus accubuit, & comedit: admittebat enim oſtiarius; ſed oportebat ipſum, cùm videret omnes ſplendidè veſtitos, eiuſcemodi quoque capere amictum. Verùm ille quidèm cibum cum illis ſumebat æqualem, inæqualem autem ornatum habebat. Atqui ſponſus quamuis liberalis, non tamen indiſcretus.* Moraliſſimè quidèm Cyrillus. Singulas ſententias expende.

S. Cyrill.

*Ne æqualis cibus inæquali ornatu ſumatur.*

7.

Lucæ 24. Chriſtus tertiâ die è ſepulcro rediuiuus, comes adeſt diſcipulis euntibus ad caſtellum Emaüs. Et ſanè admirabilitate plenum

plenum eſt, quòd notiſſimum diuturnâ conuerſatione Magiſtrum, neque ex occultâ viſione, neque ex voce audiri conſuetâ, & diu familiari, neque ex verbis corda ſufflammantibus, ſaltem dubitanter agnouerint. Sanctæ mulieres, & reliqui diſcipuli, vbi primum audiunt, aut vident Chriſtum, ferè ſtatim illum cognoſcunt; & hi nec diuturnâ longiuſculi itineris conuerſatione, an ipſe ſit, vel dubiè ambigunt? Verùm cùm in caſtellum ventum eſt, *dum recumberet cum eis accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum.* Profectò mirius eſt in fractione panis cognouiſſe, hactenùs ex facie, & conuerſatione incognitum. Quid hîc myſterij lateat, ad rem Euchariſticam Beda inibi apprimè adnotauit: *Nec quiſquam*, ait, *ſeipſum agnouiſſe arbitretur, ſi eius Corporis particeps non eſt; non incongruenter hoc impedimentum à Satanâ factum eſſe in oculis eorum accepimus, vt agnoſceretur* IESVS*: ſed tamen à Chriſto hæc eſt facta permiſſio vſque ad Sacramentum panis, vt vnitate Corporis eius participatâ remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Chriſtus poſſit agnoſci.* Scilicet aduerſus ſenſuum notitiam, panis ac vini ſaporem ac colorem percipientium, Chriſtum Deum Euchariſtiæ ſubeſſe indubiè cognoſcimus; & dum dediſcimus quod videmus, videmus oculis fidei vltra quam quod naturales habemus oculos. Panis videtur, & de ſupernaturali fidei aſpectu Chriſtus ſenſibus intimatur. Exindè, quia contra ſenſuum naturale ſuffragium, de certâ cæcæ fidei intelligentiâ, Chriſtus ſub panis ac vini ſpecie inuenitur; ſtatuit Chriſtus clariorem ſui notitiam pro ſumptione huius panis diſpenſare. *Accepit panem, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum.* Nimirùm eſus huius panis, ad Chriſti notionem impedimenta ſubmouet & adyta myſteriorum Chriſti, de acceſſu ad ſacram menſam viuaciùs penetrantur: quaſi Euchariſtia ſit Chriſtianæ fidei collyrium, certior myſteriorum penetratio, naufragium infidelitatis, veritatis aſylum, lima credendorum & Chriſti ſublimiùs noſcendi nobilis officina.

*Euchariſtia eſt Chriſti ſublimius noſcendi nobilis officina.*

Lucæ 24. v. 30. & 31.

Beda ibi.

*Euchariſtia eſt fidei collyrium ad noſcendũ Chriſtum.*

8. Geneſeos 4. clanculùm parricida Cain perpetratum à ſe impiè ſcelus obſtinatè negat, & quidèm Deo flagitiorum vindici. Sed vide quem aduocet teſtem: *Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ.* Opinor, iam tunc præproperè Euchariſticus ſanguis præmonſtratur; & quidèm vocalis de Verbo Dei ſibi indiuiduè cognato. Quod altè ediſſerit Clemens Alexandrinus ita fatus: *Verbum eſt omnia infanti; & pater, & mater, & pedagogus, & alter. Comedite, inquit, meam carnem, & bibite meum ſanguinem.* Addit ad rem: *Quod autem ſanguis ſit Verbum, Abel iuſti ſanguis fert teſtimonium, qui Deum interpellat. Sanguis enim vocem nunquam emittet, niſi ſanguis Verbum intelligatur.* Ecce tibi Euchariſticus Chriſti ſanguis, *ſanguis Verbum* eſt, Dei ratio, & ſermo, & indè vocalis, & arcanè linguatus; qui irreuerenter ſacrilegis acerbiorem impietatis vindictam expoſcit. Pro his verò qui altaris myſteria dignè frequentant, hic vocalis ſanguis, qui eſt *ſanguis Verbum*, *Deum interpellat*, & diuina nobis munera indeſinenter extorquet. O linguati huius Sanguinis ambiamus ſuffragium, ne contra nos clamet de terrâ; ſed de cælo nobis miſericordiam exoret!

Gen. 4. v. 10.

Clem. Alex. l. 1. Pedag. c. 6.

*Hic ſanguis Verbum, vocalis eſt, aut pro nobis, aut contra nos.*

Pſalmo 115. ſic pangit Dauid: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Non hîc morabor ſeueriora quorundam Interpretum ſupercilia, an hæc verba in ſenſu rigoroſè litterali, an in merè accommodatitio, de Euchariſtico *calice* accipienda ſint. Sat mihi eſto, præter communem Eccleſiæ vſum magni Hieronymi auctoritas. Eximium palnè beneficium, aliorumque omnium quaſi compendium, auctoramentum, vertex, Deo ipſo cibari potarique, & Chriſtum animitùs ſibi conuiſcerare. Ita homo priora hactenùs beneficia, non niſi nouo maiore beneficio compenſat; ratio ſiquidèm retribuendi eſt ab eo ipſo cui retribuendum: indequè homo gratitudinem ſoluit, vndè credi poterat obligatior. Aſt pro tot perdiu acceptis beneficiis, *calicem ſalutaris accipiens*, Chriſtum Chriſto, & Deum Deo reddens, condignam abundè gratitudinem benefico hactenùs Deo exhibuiſſe videtur. Eleganter Caſſiodorus: *Super his etiam*, inquit, *communicationem Corporis & ſanguinis ſui clementiſſimus Redemptor indulſit, quatenùs pietas Creatoris hinc maximè poſſit intelligi, cùm nos tantis beneficiis, ſi tamen eum puro corde quæramus, feciſſet abſolui.* Conſultiſſimè ergò mente huius Sacramenti præſagâ, exclamat Propheta: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam. Nam communicationem Corporis & ſanguinis ſui clementiſſimus Redemptor indulſit, quatenùs nos tantis beneficiis feciſſet abſolui.* Confeſſione abſoluuntur peccata, beneficia communione *abſoluuntur*. Quid antiqui debiti adhuc reſtat? Bonus Deus, cui homo cetera beneficia beneficio maiore compenſat.

9\. Pſal. 115. v. 3. & 4. Vel 12. & 13.

S. Hieron.

*Confeſſio abſoluit peccata, communio beneficia abſoluit.*

Caſſiod. l. de Diuin. lect. c. 32.

Regius Vates Pſal. 127. ſic occinit: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit.* Alij, *labores fructuum*, &c. Sanè non conſequitur intellectus humanus dicti huius intelligentiam: ex laboribus enim fructus eſt, non ex fructibus labor. Deindè labor miniſterium corporis eſt, fructus verò merces laboris. Miniſterium autem corporis incorporale eſt, licet corpore fit. Nihil edere, niſi quod corporale eſt, poſſumus. Pergit Zeno Veronenſis, & dubium à ſe propoſitum, ſic ad rem ſoluit: *Horum laborum fructus*, inquit, *in æternitate eſt, ſed labor hic æternorum fructuum ante comedendus: eò quòd in viâ hâc corporali anima noſtra alenda eſt per cibum horum laborum, obtinentes panem viuum, panem celeſtem, ab eo, qui dixit: Ego ſum panis viuus de cælo .... Hi ſunt ergo laborum fructus manducandi, eorum ſcilicet fructuum, qui in cælis metentur.* Nimirùm cùm ad ſacram menſam accedis, vt hunc panem cæleſtem comedas; tot bonorum operum *laboribus* diſpoſitus debes accedere, vt cum hoc cibo *labores manuum tuarum*: vel *fructuum tuorum*, & te editurum cenſeas: nam cùm diſpoſitio ſit gratiarum menſura, dum ore manducas Euchariſtiam, *labores manuum tuarum*, aut

10\. Pſal. 127. v. 2.

S. Zeno Ser. de Pſal. 127.

*Euchariſtia vt det vitam æternam, ſit manuum noſtrarum labores, per idoneam diſpoſitionem.*

aut *fructuum* tuorum exiſtimes *manducare*. De illo Hebræorum manna dixit Niſſenus: *Panis eſt abſque ſemine, abſque aratione, abſque alio humano opere nobis paratus, : deſuper defluens in terris inuenitur, terra intacta permanſit; & tamen plena fuit, quò fameſcentes myſterium Virginis perdocti facile ſaturantur.* Tale quidèm fuit illud typicum Manna; non hâc parte ejus antitypus, & vitale Manna. *Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Porrò qui Euchariſticum manna comedit, *labores manuum* ſuarum comedit, & fructus vitæ æternæ demetit.

S.Nyſſ l. de vita Moyſ. *Euchariſtia dicitur Myſterium Virginis.*

Ioa.6.v.59.

11. Ioannis 6. *Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt Hic eſt panis de cælo deſcendens: vt ſiquis ex ipſo manducauerit, non moriatur.* Vetus opportunè quæſtiuncula eſt, eccur non veſpere, ſed mane Sacramentum Euchariſticum peragatur cùm Chriſtus ſub veſperum illud peregerit? Quam his verbis proponit Cyprianus: *At enim* inquit, *non mane, ſed poſt cœnam, mixtum calicem obtulit Dominus. Numquid ergò Dominicum ſacrificium poſt cœnam celebrare debemus vt ſic mixtum calicem Domini offeramus?* Propoſito dubio ſic ad rem præſentem Cyprianus reſpondet: *Chriſtum offerre oportebat iuxta veſperam diei. ... Nos autem reſurrectionem Domini celebramus.* Nimirùm Chriſtus illo *veſpere* ante paſſionem, & mortem ſuam, morti proximus Euchariſticum ſacramentum celebrauit vt typici agni figuram impleret. Nos verò qui in hoc Sacramento, non modò memoriam paſſionis, ſed etiam *Reſurrectionem Domini celebramus*, non *veſpere*, ſed potiùs *mane* illud celebrare debemus. Itaque Euchariſtia rectè dicitur *panis vitæ*, non tantùm quia *ſiquis ex ipſo manducauerit, non morietur*; ſed etiam quia in hoc Sacramento *Reſurrectionem Domini celebramus.* Quæ eſt Hugonis expoſitio: *Ego ſum panis vitæ. Id eſt carnem meam in paſſione mortificatam, in reſurrectione viuificans; quæ caro dignè ſumpta eſt cibus vitæ.*

Ioan.6. v. 48. &c.

S.Cypr.ep. 63. *Euchariſtia manè peragitur, quia in eâ reſurrectionem Domini etiam celebramus.*

Hugo Carenſ.

12. Matthæi 6. Sic à Chriſto Deum orare docemur: Pater noſter, &c. *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terrâ. Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.* Res plane difficilis videtur, & forſan ſupra humanum faſtigium, vt ab hominibus ita obſequenter in terrâ, ſicut à Beatis in cælo, Dei voluntas fiat. Quis id præſtare valeat, in tanto, tamque refractariè pugnaci paſſionum tumultu, appetitionum fremitu, & ſubſultuum hoſtilitate? Beatarum in cælo mentium procliue obſequium, in terrâ præſtare mortales præſumunt? O votum forſan vltra faſtum audax! Ita quidem Euchariſtiæ ſubſidio famelicè exorti; non ei, cui iſte cibus ineffabilem valentiam medullitùs afflat. Appoſitè ad rem Hugo Cardinalis: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terrâ. Sed quia voluntati tuæ per omnia obedire non poſſemus, niſi viaticum haberemus; ideò panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie, quandiu ſumus in hâc vitâ præſenti.* Scilicet ſi communis gratiæ diſpenſatio tantùm ſpectetur, vltrà humanum videbitur faſtigium, ita in terris, ſicùt in cælis, diuinæ *voluntati per omnia obedire*: Idcircò autem ſubindè hic *panis ſuperſubſtantialis* poſtulatur, qui tantam gratiæ officioſitatem operari poteſt. Supra votorum audaciam, Euchariſtici Sacramenti gratia eualet?

Matth.6. v. 10. & 11.

*De Euchariſtia gratia, Deo per omnia obedire poſſumus.*

Hugo ibi.

13. Lucæ 21. peractâ paſchali & Euchariſticâ cœnâ, vbi hoc Sacramentum Chriſtus auſpicatò dedicauit; conſultiſſimè ſubdit Euangeliſta: *Et egreſſus ibat ſecundum conſuetudinem in montem oliuarum.* Magna ſanè eruditio de Dominici itinerarij ſcholâ, quòd vbi primùm ipſe cum Apoſtolis hunc cæli panem comedit, ad montem oliuarum confeſtim aſcenderit. Quod his verbis Hugo Carenſis adnotauit: *Rectè autem poſt communionem aſcendit in montem Oliueti, vt ſic oſtenderet, quòd virtute Dominici Sacramenti aſcenditur ad culmen gratiæ, & indè ad culmen gloriæ, quæ per oleum ſignificatur.* Dein percenſet ſeptem proprietates olei, eáſque ſeptem gloriæ dotibus ſigillatim accommodat, quaſi ex hoc Sacramento effluant. Ex omnibus duas tantùm excribam & expendam: *Item*, ait, *oleum ſupernatat, in hoc ſignificatur agilitas. Item, morbos ſanat: in hoc impaſſibilitas.* Nimirùm laſſatur, languet, & torpet ad rem virtutis, qui ab hoc cibo & potu *agilitatem* non haurit, *agilitatem* inquam, beatæ *agilitatis* æmulam, & beatæ poſtmodùm *agilitatis* obſidem, quæ hanc gloriæ dotem beatè oppignerat. Adhæc quandam velut *impaſſibilitatem* in paſſionibus etiam peracerbis, glorioſè communicat. Exindè martyres deſignati, & acerbioris martyrij animoſiùs candidati, ex hâc ſacrâ menſâ bibunt cruentam atrociter quaſi *impaſſibilitatem*, & in ipſâ cruciatuum lanienâ inhumaniori, quendam in doloribus efferis, ac tormentis durioribus tanquam ſtuporem, quo velut impatibiles rident cruentum ſanguinem, & fruſtratam carnificum truculentiam. Idem cenſus eſt de beatis Confeſſorum calamitatibus ad quas tolerandas, ab hoc cibo quodammodò *impaſſibiles* redduntur.

Lucæ 22. v. 39.

Hugo Carenſ. ibidem. *In Euchariſtia, beata agilitas, & impaſſibilitas quodammodo hauritur.*

14. Siracides Eccleſiaſtici 15. *Cibauit illum pane vitæ, & intellectus, & aquâ ſapientiæ ſalutari potauit illum.* Quoniam verò ſacra altaris menſa cibat *pane intellectus*, & ſapientiæ forſan in Miſſæ canone *oblatio rationabilis* nominatur. Quâ de re ita ſcribit Paſchaſius reddens rationem quare *rationabilis* nuncupetur: *Rogamus*, inquit, *hanc oblationem benedictam per quam nos benedicamur; adſcriptam, per quam nos omnes in cælo adſcribamur; ratam, per quam in viſceribus Chriſti cenſeamur; Rationabilem, per quam à beſtiali ſenſu exuamur.* Peridoneè *panis intellectus* appellatur, hæc *oblatio rationabilis*, per quam homo *à beſtiali ſenſu exuitur*, & ad rationalem moribus dignitatem tranſit. Nequis autem indè ſpiritualem rationabilitatem ſe nactum reputans, nimium tribuat ſuæ rationi & iudicio, quaſi homo ſpiritualis omnia iudicans, & capitonum adinſtar flecti neſcio cenſu de rebus iudicet; qui ab hoc *pane intellectus rationabilis* ſic euaſit, ſuam aliquandò dediſcat rationem, & deponat iudicium, quæ eſt ſublimioris intellectus meta, & aſpectabilis Euchariſtiæ effectus. De quo ita ſcribit ſapientiſſimus Idiota, qui loquens de amore diuino (opinor, qui oritur ex hoc Sacramento,) ſic fatur: *Debiles roboras, mœſtos lætificas, eſurientes reficis, deficientes iucundos reddis.* Attende verbis, quæ nuper præmiſerat: *Vbi tuus eſt amor, Domine,*

Eccli. 15. v. 3. *Euchariſtia hominem à beſtiali ſenſu exuit.*

Paſchaſ. l. de Corp. & Sãg. Chriſt. c. 12.

15. Idiota de diuino amore. c. 5.

*Eucharistia quod rationis & consilij, & iudicij est, detriumphat.*

*Domine, labor non eſt, ſed ſapor; ſeipſo contentus eſt, confundit ordines, ignorat modum, totumque quod opportunitatis, quod rationis, & quod conſilij iudiciiue videtur, triumphat in ſeipſo, & redigit in captiuitatem.* Itaque hic *panis intellectus, & oblatio rationabilis* intellectum præſtat ad rationabilia; non tamen facit obſtinatos in ſuâ humana ratione: ſed aliquandò pro rationabili rerum opportunitate, *quod rationis, quod conſilij iudiciiue videtur, triumphat in ſe ipſo.* Porrò non ſemel ſuam humanam rationem diffiteri, & conſilium ac iudicium ſum dediſcere, ſumma *rationis, conſilij*, atque *iudicij* eſt. Quiſquis ergò ſibi videtur ſpiritualiter ſapiens, ne putet exhauſiſſe ſapientiam; ſed hanc doctrinam ab Idiotâ moraliſſimè ediſcat. Heu quàm multos huius eruditionis neſcios, alioqui ſcios, à viâ veritatis ac virtutis aberrare, & videmus, & dolemus! Quorundam, quos ſpirituales vocant cognatum vitium eſt, ſuæ rationi ac iudicio plus æquo tribuere. Plus aliquandò ſapit, qui idoneè ſcit, ſuam rationem *in captiuitatem redigere.*

# SYNOPSIS CAP. II.

*Dum ab iracundiæ furore, & vini æſtu Aſſuerus ſe recepiſſet, de reginæ Vaſthi exauctoratione, & repudio mæſtus dolet: quem vt aulici conſolenter delectus fit virginum ex omnibus prouinciis formâ præſtantium. Exindè accidit, vt in locum repudiatæ Vaſthi regina ſubrogetur Eſther, vtroque parente olim orbata, ſed in filiæ locum à patruo Mardochæo adoptata. Quæ cùm ſe diu in regio gynæceo cum aliis puellis, ad regiam conſuetudinem præparaſſet, tandem ad regium nomen & thalamum adſcita eſt, & feſto munificè epulo celebratum connubium. Tandem Reginæ opera Mardochæus indicat Regi eunuchorum inſidias. Hi aguntur in crucem, Mardochæi factum in regiis annalibus excribitur.*

## CAPVT. II.

1 HIs ita geſtis, poſtquam regis Aſſueri indignatio deferbuerat, recordatus eſt Vaſthi, & quæ feciſſet, vel quæ paſſa eſſet: 2. dixerúntque
pueri regis, ac miniſtri eius, Quærantur regi puellæ virgines ac ſpecioſæ, 3. & mittantur qui conſiderent per vniuerſas prouincias puellas ſpecioſas & virgines: & adducant eas ad ciuitatem Suſan, & tradant eas in domum fœminarum ſub manu Egei eunuchi qui eſt præpoſitus & cuſtos mulierum regiarum: & accipiant mundum muliebrem, & cætera ad vſus
neceſſaria. 4. Et quæcunque inter omnes oculis regis placuerit, ipſa regnet pro
Vaſthi. Placuit ſermo regi: & ita vt ſuggeſſerant, iuſſit fieri. 5. Erat vir Iudæus
in Suſan ciuitate, vocabulo Mardochæus, filius Iair, filij Semei, filij Cis de ſtirpe
Iemini, 6. qui tranſlatus fuerat de Ieruſalem eo tempore, quo Iechoniam regem
Iuda Nabuchodonoſor rex Babylonis tranſtulerat, 7. qui fuit nutritius filiæ fratris ſui Ediſſæ; quæ altero nomine vocabatur Eſther: & vtrumque parentem amiſerat: pulchra nimis, & decora facie. Mortuíſque patre eius ac matre, Mardochæus ſibi eam adoptauit in filiam.
8. Cúmque percrebruiſſet regis imperium, & iuxta mandatum illius multæ pulchræ virgines adducerentur Suſan, & Egeo traderentur eunucho: Eſther quoque inter cæteras puellas ei tradita eſt, vt ſeruaretur in numero fœminarum.
9. Quæ placuit ei, & inuenit gratiam in conſpectu illius. Et præcepit eunucho vt acceleraret mundum muliebrem, & traderet ei partes ſuas, & ſeptem puellas ſpecioſiſſimas de domo regis, & tam ipſam quàm pediſſequas eius ornaret atque excoleret.
10. Quæ noluit indicare ei populum, & patriam ſuam. Mardochæus enim præceperat ei: vt de hac re omnino reticeret
11. qui deambulabat quotidie ante veſtibulum domus in qua electæ virgines ſeruabantur, curam agens ſalutis Eſther, & ſcire volens quid ei accideret.
12. Cùm autem veniſſet tempus ſingularum per ordinem puellarum, vt intrarent ad regem, expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant, menſis duodecimus vertebatur: ita duntaxat, vt ſex menſibus oleo vngerentur myrrhino, & aliis ſex quibuſdam pigmentis & aromatibus vterentur.
13. Ingredientéſque

dientéſque ad regem, quicquid poſtulaſſent ad ornatũ pertinens, accipiebant: & vt eis placuerat compoſitæ, de triclinio fœminarum ad regis cubiculum tranſibant. 14. Et quæ intrauerat veſpere, egrediebatur manè, atque inde in ſecundas ædes deducebantur, quæ ſub manu Suſagazi eunuchi erant, qui concubinis regis præſidebat, nec habebat poteſtatem ad regem vltrà redeundi, niſi voluiſſet rex, & eam venire iuſſiſſet ex nomine. 15. Euoluto autem tempore per ordinem, inſtabat dies quo Eſther filia Abihail fratris Mardochæi, quam ſibi adoptauerat in filiam, deberet intrare ad regem. Quæ non quæſiuit muliebrem cultum, ſed quæcunque voluit Egeus eunuchus cuſtos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formoſa valde, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur. 16. Ducta eſt itaque ad cubiculum regis Aſſueri menſe decimo qui vocatur Tebeth, ſeptimo anno regni eius. 17. Et adamauit eam rex pluſquam omnes mulieres, habuítque gratiam & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite eius, fecitque eam regnare in loco Vaſthi. 18. Et iuſſit conuiuium præparari permagnificum cunctis principibus, & ſeruis ſuis, pro coniunctione, & nuptiis Eſther. Et dedit requiem vniuerſis prouinciis, ac dona largitus eſt iuxta magnificentiam principalem. 19. Cúmque & ſecundò quærerentur virgines, & congregarentur, Mardochæus manebat ad ianuam regis. 20. Necdum prodiderat Eſther patriam, & populum ſuum, iuxta mandatum eius. Quidquid enim ille præcipiebat: obſeruabat Eſther: & ita cuncta faciebat, vt eo tempore ſolita erat quo eam paruulam nutriebat. 21. Ego igitur tempore quo Mardochæus ad regis ianuam morabatur, irati ſunt Bagatan & Thares duo eunuchi regis qui ianitores erant, & in primo palatij limine præſidebant, voluerúntque inſurgere in regem, & occidere eum. 22. Quod Mardochæum non latuit: ſtatímque nuntiauit reginæ Eſther: & illa regi ex nomine Mardochæi, qui ad ſe rem detulerat. 23. Quæſitum eſt, & inuentum, & appenſus eſt vterque eorum in patibulo. Mandatúmque eſt hiſtoriis, & annalibus traditum coram rege.

## §. LIII.

### *Commentarius litteralis.*

*Verſ.* 1. Recordatus eſt Vaſthi.

1. Poſtquam offenſionis, iracundiæ, & ebrietatis æſtus deferbuit, pupugit Regis animũ ingens amor, & pergrata cum venuſtiſſimâ vxore diu conſuetudo. Putauerim, quòd facti iam pœnitebat; ſed ſerò ac fruſtrà cepit apud aulicos ſibi familiares ſuum damnare conſilium. Obſtabat autem quominùs eam reuocaret, & contumaciæ coram frequenti ſpectaculo inſolentia, quâ omnium etiam maritorum auctoritas inceſtata putabatur; & irreuocabile apud Perſas edictum, per cunctas latè prouincias euulgatum. *Quæ feciſſet*, ] ipſa Vaſthi inquam: cuius contumacia alio modo, aliáve mitiori pœnâ plecti potuiſſet. Regina forſan alioqui optima. *Quæ paſſa eſſet.* ] Exauctorationis, ac repudij pœnam. Sic inibi Cornelius, Feuardentius occiſam tradit; ſed nullum coniecturæ fundamentum adduxit. Addunt è proprio cerebro Hebræi in paraphraſi illâ Chaldaicâ, capitalem ſubiiſſe pœnam; ſed dum Rex ſe à vino ac furore recepit, charæ vxoris immaturum funus Conſiliariorum cæde parentaſſe. Pro his verbis, *Vel quæ paſſa eſſet*, Chaldæus habet, *Et quod decretum erat contra eam.* Ad eundem modum Hebræi codices. Benè autem notat Mariana, quod verbum *nigzar*, irreuocabili decreto ſtatuere ſignificat. Indè dolet Rex, quia Reginam irreuocabili decreto damnatam, euocare non poterat. Hanc Regis recordationem, vel potiùs pœnitentiam, Salianus in

*Aſſueri ſera pœnitentia repudiata Vaſthi.*

Cornelius.
Feuard. ibi.

Paraphraſis. Chaldaica.

Chaldæus.
Hebræus.

Mariana.

Salian. ann. m. 3593. n. 2.

annum ſequentem reiicit. Nimia ſanè mora iræ ſedandæ, & coquẽdo vino. Præſtat cum Serario, & Menochio aſſerere, poſtridie, vel pauculis poſt diebus, regium animũ hanc recordationem cum dolore ſubiiſſe. Quod ſacer textus videtur indicare: nam poſtquã Regis indignatio deferbuit, recordatus Reginæ dicitur: ira autẽ in chariſſimos non graui ex cauſſâ concepta, citò deſæuire ſolet ſedato animo. Et quidèm veroſimiliùs videtur, quòd quæ in cõuiuio deliquerat coram tot populis ac principibus, dum in conuiuij tempore conſilium aduocatum eſt; inibi coram illis ipſis damnata foret ad aliarum coniugum exemplum; ne malum ſerperet, quò regium illud edictum ſpectabat. Præſertim cùm Rex tunc furore ac vino æſtuaret, ira autem nimis feſtinat, & conſiliũ præcipitat, maximè cùm omnium conſultorum adnuẽte calculo id fieret. Leue autem eſt, quod obiicitur nempè regium decretum de Reginæ exauctoratione iam dici in omnes prouincias euulgatum: euulgatio autem in remotiores latè prouincias, plus moræ requirebat. Verùm in fine præcedentis capitis, euulgatum non dicitur, ſed ſententia decreta, edictum iam ſcriptum, & per epiſtolas ad euulgationem miſſum. Vndè hìc Rex non cauſſatur in angore iam peractam prouulgationẽ edicti, ſed publicè decretum, & iam miſſum edictũ irreuocabile. Vbi noſter Vulgatus habet, *Recordatus eſt Vaſthi*, LXX. Interpretes habent, *Non vltrà recordatus eſt ipſius Aſtin.* Sed in Bibliis regiis ac Complutenſibus negatio abeſt, abeſt etiam à Bibliis Pagnini, & Vatabli, à Chaldæo paraphraſte, & Rex apud Ioſephũm ex huius recordatione *mærens* perhibetur. Vndè in LXX. interpretes mendum irrepſiſſe videtur: nec enim ſatis conſectariè dicitur, quòd quia Rex non vltrà recordatus eſt Reginæ Vaſthi,

Serar. q. 4.
Menoch. ibi.

*Citò poſt danationẽ Rex dolet de vxoris repudio.*

Vulgatus.
LXX Interp.
Bibl. Regia.
Biblia Cõpl.
Pagninus.
Vatablus.
Chaldæus.
Ioſeph l. 11. Antiq. c. 6.

Vaſthi, eius miniſtri, ſuggeſſerint vt denuò quærerentur puellæ, è quibus Regina alia eligeretur quæ Regi perplaceret: ſuppetebant enim Regi cõplures in gynæceis puellæ, & concubinæ, ſed quarum nulla, ſicut regina Vaſthi placuiſſet. In Vulgato autem, & reliquis tranſlationibus contextus aptiùs cohæret.

*Verſ.* 2. & 3. & 4. Dixeruntque pueri Regis, ac miniſtri eius, Quærantur Regi puellæ virgines ac ſpecioſæ.

1. *Suggeritur Aſſuero, vt venuſtior quæratur vxor.* Serarius q.1. Sanctius. S. Hieron. mox allegã-dus.

Aſſueri miniſteriales eunuchi, vel potiùs regij conſiliarij, dolentes de Regis angore, & timentes etiam ne in ipſorũ conſultorum caput, tragicum recideret conſilium; (non enim in re connubij regij illis ſtatim adnueret Rex, ſi circumpedes forent iuuenes, vt putat Serarius, & non Regis conſiliarij, vt exiſtimat Hieronymus & Sanctius) Regi ſuggerũt, vt delectus virginũ puellarũ fiat per omnes regni prouincias, nec ex pulcherrimis omnibus defuturam Vaſthi alterã imò longè Vaſthi reginâ venuſtiorẽ, quæ mœſtum Regis animũ exhilaret, & quæ in eius locum ſubrogetur. Id ſuprà in cõſilio Mamuchanus dixerat *Regnũ illius, altera, quæ melior* (Chaldaicè *pulchrior*) *eſt illâ accipiat.* Nimirùm veterem amorem nouo excutiendũ ſuadent. Quod his verbis Hieronymus ad Ruſticum ſcribit: *Philoſophi ſeculi ſolent amorem veterem amore nouo, quaſi clauum clauo expellere. Quod & Aſſuero Regi ſeptem Principes facere Perſarum, vt Vaſthi reginæ deſiderium, aliarum puellarum amore compeſcerent. Illi vitium vitio, peccatum peccato medicantur, nos amore virtutum vitia ſuperemus.* Suggerunt ergò, vt optimi formarum ęſtimatores per omnes mittantur prouincias, vt venuſtiſſimæ in regiũ gynæceũ adducantur. (Quod 3. Regum 1. Dauid calefaciendo factũ legimus) de obſcœnis puellarum adductoribus & nundinatoribus agit Serarius hic, q.2. Ad regẽ Perſarũ adduci ſolitas in vehiculis omnino clauſis, quæ curioſè obuios ſpectatorũ oculos arcerẽt, ſuprà ex Plutarcho tradidimus. De hoc gynæceo, gynæceique Præfecto, poſtmodũ occurret ſermo.

Eſther.1. v.19. Chaldæus. S.Hier.ad Ruſti. 3.Reg.1 v.2. Serarius.

*Verſ.* 5. Erat vir Iudæus in Suſan ciuitate, vocabulo Mardochæus.

3. *Quare Mardochæus Beniaminita, appellatur Iudæus.*

Hactenùs exordium, hinc iam Eſtheris incipit hiſtoria à patruo Mardochæo auſpicium ſumens. *Vir*] dicitur, quo nomine homo princeps, aut prouecta ætate ſignificari ſolet. Vtraque nominis ſignificantia in eum quadrat: alterutra vel fortè neutra hîc innuitur. Si alterutra, prior: fuit enim genere, & dignitate prænobilis. *Vir Iudæus.*] Ambigat quiſpiam, quo pacto Mardochæus ex tribu Beniamin progenitus (vt infrà liquidò conſtabit) *vir Iudæus* dicatur. Profectò poſt Babylonicum exiliũ, perraró auditur aliud Hebrææ gentis nomen: hodieque omnes Iſraëlitæ, Iudæi nominantur. Porrò tribus Beniamin poſt ingentem illam cladem Iudicum 20. ad cẽtum viros redacta eſt; & cùm eſſet ampliſſimæ tribui Iuda confinis, in Roboami obſequio, decem tribubus cum Hieroboamo rebellantibus ſimul cum tribu Iuda permanſit, cuius nomine cenſebatur. Hinc Beniaminitæ etiam nominabantur Iudæi, quin & reliqui ex aliis decem tribubus, quia pauci ex Aſſyria captiuitate redierunt, qui etiam adſimiliter cenſebantur tribus

Iudicum 20. & 21.

Iuda nomine. Hæc obuia ſunt, & à nemine Interpretum non notata. Legi poteſt hic Sanctius num. 8. & Commentatores ad Oſee 1. v. 11. & in Ezech. 37. verſ. 16. & ad Geneſeos 49. v. 10. & alibi paſſim.

*In Suſan ciuitate.*] Hebraicè, *In Suſan Habirah*, quæ vox expoſita à nobis eſt ſup. §. 11. n. 1. Caietanus qui vertit, *In Suſan palatio*, exiſtimat inde colligi, Mardochæum tunc fuiſſe palatinũ Verùm tametſi iam aulicus foret, indè tamen non colligitur, iuxta inibi dicta: eſt enim epitheton illius regiæ vrbis. Putat Ioſephus, quòd ab his pulchrarum virginum ad regias nuptias quæſitoribus, *inuenta eſt Babylone Eſther puella.... patruus verò eius & ipſe Babylone Suſa migrauit.* Ioſepho adnuit Lyranus, quod etiam inſinuat Gordonus, (aiens, inter reliquas puellas adductam etiam Eſtherem in Suſa vrbem) nec renuit Feuardẽtius. Oppoſitum docent Serarius, Sanctius, Salianus. Quod puto veriſſimũ. Nam cùm agitur de ſpecioſarum virginum delectu, tunc dicitur: *Erat vir Iudæus in Suſan ciuitate, vocabulo Mardochæus*, qui Eſtherem fratris ſui filiam, vtroque parente orbatam, in filiam adoptauit quam proculdubiò domi alebat: nam veroſimile non eſt pulchram puellã quam vtroque parente deſtitutam adoptarat in filiam, extra domum ſuam habere, dum captiui eſſent inter homines ſalaciſſimos. Vndè cum pulchræ puellæ hîc v. 8. in Suſa ciuitatem aliundè *adductæ* dicantur; Eſther non perhibetur *adducta*, ſed potiùs *tradita* Eunucho, &c. Quin & abſq; vllo fundamento dicitur Mardochæus cum Eſthere tunc habitare Babylone. Nam etſi Mardochæus in Babylonem, vel potiùs in Babyloniã regionẽ captiuus foret abductus; non tamen captiui omnes Babylone habitabãt, ſed *diſperſi* erãt per õnes Babylonici imperij, & poſteà Perſici, regiones, vt conſtat ex c. 3. v. 8. quo ergò fulcro ſuam coniecturam Ioſephus fundat? Non ibo inficias quòd ſi alicubi Scripturarum expreſsè diceretur Mardochæum tũc cum Eſthere habitare Babylone, arduum nimis non foret hunc locum ſic exponere: verùm dum id non dicitur, præſtat ſacri texus ductum ſimpliciter ſequi, & ſincere verba intelligere.

4. Caietan. Ioſeph.l.11. Antiqu.c.6. Lyran.hic. Gordon.in argum.c.2. Feuardent. Serarius. Sanctius. Salianus.

*Eſther non eſt adducta è Babylone; ſed inuenta Suſis.* Eſther 3. v.8.

*Mardochæus.*] Hoc eſt, *amara contritio*, aut *mirrha contrita, docens contritionem*, aut *mirrha puriſſima*, vt interpretatur Serarius. Addit Hugo in epiſtol. ad Roman. cap. 6. Et in 1. ad Theſſal 2. quòd *Mardochæus interpretatur, Amarè conterens impudicum.* Putant Rabbi Abenezra, Ioſephus, & Euſebius Nieremb. hunc eſſe *Mardochai*, qui 1. Eſdræ 2. verſ. 1. Hieroſolymam cum Zorobabele aſcendit è captiuitate. Verùm id accidit Cyri tempore, centum propè annis à regno Aſſueri, ſeu Darij Longimani, à quo exaltatus fuit hic Mardochæus, qui tunc natus non erat. Annoſiſſimum illud Mardochæi ſenium, ſuprà multis facile labefactauimus, vt potè nimis caducum. Dein ſi attentiùs legatur Eſdræ locus nuper allegatus, qui cum Zorobabele redierunt Hieroſolymam, non aſcenderunt iterùm rediturì ad captiuitatis ſolum: quomodò ergò Mardochæus, qui inter Iudæorum Summates tunc cenſetur, ſic ad optatiſſimam Hieroſolymam nauſeauit, vt ad captiuitatis locum hiauerit? Huic Serarij argumento reſpondet Tirinus, quòd Mardochæus, qui primo anno Cyri cum Zorobabele Hieroſolymam aſcenderat negotiorum

5. Serar.q.6. HugoCard. Abenezra. Ioſeph.11. Antiq.c.4. Euſeb.ſtrom 14.l.1.c.50.

*An hic Mardochæus è captiuitate cũ Zorobabele aſcenderit.* Serar.ſupr. Tyrinus hic.

tiorum cauſsâ, & ad contribules ſuos animandos, neceſſariò debuit in Perſidem redire, quia non potuit diu ab aulâ Regis abeſſe, cùm vt hîc cap.11 v.3. dicitur, *vir magnus* eſſet, *& inter primos aulæ regiæ*. Nempè officium eius erat, vt in hoc cap.2.v.19. habetur, *manere ad ianuam Regis:* quod ſolis regij corporis cuſtodibus, qui è primis erant principibus, concedi ſolebat, teſte Herodoto, & Xenophonte. Verùm tametſi tempore Aſſueri hoc regij cuſtodis officium Mardochæus obibat, id ſatis non eſt, niſi ſub Cyro, à quo dimiſſus eſt, idem in aulâ munus obiret, vt idcircò ſic dimitteretur aſcendere Hieroſolymam, vt poſt breue tempus in Perſidem rediret ad munus regij cuſtodis obeundum. Vndè igitur probabit Tirinus aulicum hoc munus obiſſe ſub Cyro? Forſan reſpondebit: Quia illud obiit ſub Aſſuero, quē ipſe putat eſſe Darium Hyſtaſpis. Verùm aulicæ Præfecturæ pro arbitrio nouorum Principum dantur. Nec putauerim ſub Cyri filio Cambiſe, Iudæis indubiè infenſiſſimo in tam fidelitatis indigâ præfecturâ Iudæum perſeueraſſe: item nec ſub Mago. Multò minus ſub Dario Hyſtaſpis, qui è Cyri poſteris non erat, ſed aliundè ad regnum adſcitus: & indè nouos aulæ Præfectos ex conſanguineis aut familiaribus creaſſet. Denique qui primo anno Cyri inter grandæuos Iudæorum Proceres aſcendiſſe Hieroſolymam narratur poſt ſeptuaginita annos qui numerantur vſque ad Artaxerxem Longimanum, quem eſſe Aſſuerum probauimus, iam præ ſenio Reipublicæ adminiſtrandæ inidoneum cenſere debemus. Quâ ſuper re inibi.

Eſther 11. v.3.
Hic v.19.
Herod.l.3. Xenoph l.1. Anabaſeos.

Filius Iair, filij Semeï, filij Cis, de ſtirpe Iemini.

6. Mardochæi genealogia hîc traditur, quò Eſtheris genus publicetur; fuit enim Mardochæus Eſtheris patruelis aut patruus, de quo agitur infrà ad verſ.7. Vndè tradito Mardochæi genere, genus etiam Eſtheris aperitur. Sic interpretum Proceres exiſtimant Matthæi 1. texi Mariæ Deiparæ genealogiam, dum recenſetur ſeries progenitorum Ioſephi, notum enim erat apud Iudæos (ad quos Matthæus ſcripſit) quo gradu conſanguinitatis, ambo arctiùs iuncti eſſent. *De ſtirpe Iemini* dicitur quod nomen eſt patronimicum, id eſt, *Iemimita*, ſeu quod idem eſt, Beniaminita. Idcircò Græci codices habent *de tribu Beniamin*, quò res liquidò conſtet. Porrò ( vt inibi eruditè Sanctius ) ſicut *Salem* ponitur pro *Ieruſalem*, & *Lehem* pro *Bethlehem*, ſic *Iemini* ponitur pro *Beniamin*. Sic idem Hebræorum Pontifex in libro Iudith, modo appellatur *Ioachim*, modo *Heliachim*: nam *Heliachim* idem eſt ac *Heli Ioachim*: exindè Ioachim etiam appellatur. Quod inibi notabamus ad cap.4. num.9. *Filius Iair*, &c. Benè notant Serarius & Menochius aſſimiliter nomina frequenter legi in tribu Beniamin, vt conſtat ex his qui tempore Saülis vixerunt. *Filij Semeï.* ] Chaldaica illa paraphraſis putat hunc Semei eſſe qui olim maledicebat Dauidem: qui tamen prohibuit ne occideretur à ſatellitibus ſuis, præſcius ex illo naſcituros Mardochæum & Eſtherem; vndè ſupplicium vſque ad tempora Salomonis diſtulit. Verùm *Semei* 2. Reg.16.v.5. filius *Gera* non *Cis* perhibetur. Quin & à Semeï vſque ad Mardochæum ſexcenti anni intercedunt; prolixa ſanè ætas, & duorum hominum vitâ maior. Quo etiam telo feriri poteſt Feruardentius, qui nomine *Cis* patrem Saülis intelligit. Itaque Mardochæus & Eſther fuerunt è tribu regiâ Beniamin; atque adeò regia cognatione præluſtres, an verò in poſteris Saül numerentur, dubiū. Scribit Ioſephus regio genere procreatam Eſtherem: fieri enim potuit, vt Mardochæus & Eſther è Saülis ſtirpe forent per Ionatham. ita Serarius, Cornelius, Euſebius, & Leander. In dexteram partem præclara ſuſpicio eſt: ſed ſuſpicio quidem. Itaque fortè hic *Cis* fuit pater Saülis, hic Ionathæ & Miphiboſeth, ex quo procreati videntur Mardochæus & Eſther. Multæ autē generationes intermediæ omittuntur hîc, vt aliàs perſæpè in Bibliis ( de quo latè agebamus in Matthæi c.1.)

*Præluſtris Eſtheris, & Mardochæi proſapia.*
Græci codices.
Sanct. ibi.
Auctor in Iudith 4
Serar.q 6.
Menoch.ibi.
Paraph. Chald.
2.Reg 16.
Feuard.ibi.
Ioſeph l. 11.
Serarius.
Cornelius.
Euſeb. 14. ſtrom.l. 1. c.30.
Leander 2.4 c.2.com ſect.1.n

*Verſ.6.* Qui tranſlatus fuerat de Ieruſalem eo tempore, quo Iechoniam relem Iuda Nabuchodonoſor rex Babylonis tranſtulerat.

7. Hic verſiculus, qui à multis intellectu arduus cēſetur, explicatus ſuprà à nobis eſt, c.1.n.10.& 11. Nimirū licèt relatiuū *qui*, non ad Cis, ſeu ad proauorū quēpiam referatur, ( vt plures meritò cenſent) ſed ad ipſum Mardochæū; *tranſlatus* biblicâ phraſi dici poteſt, etſi non in ſe, in lumbis tamen parentū, vt inibi exponebamus. Quomodo etiā explicatur verſiculus 2.c.11. cui Sāctius præſidit. Qui hîc dicitur *Iechonias*, 4.Reg.24 v.15. *Ioachin* dicitur (filius Ioacim, filij Ioſiæ) hic autem *Ioachin* nunc dicitur *Iechonias* & 1.Paral. 3.v.16. Quâ de re eruditè noſter Maldonatus in Matth.1.v.11. ad illud: *Ioſias autē genuit Iechoniam, & fratres eius*, de hac *tranſlatione* per Nabuchodonoſorē factâ, ſcribitur 4.Reg.24.v.15.

Auctor ſupr. § n.10.&11.
*Quomodo Mardochæus cum Iechonia tranſlatus.*
4.Reg.24.
1.Paral.3.
Maldonat. in Matt.1. v.11.

*Verſ.7.* Qui fuit nutritius filiæ fratris ſui Ediſſæ, quæ altero nomine vocabatur Eſther.

8. Quo gradu conſanguinitatis Eſther Mardochæum attigerit, ambiguū eſt apud Interpretes In Vulgato hîc perſpicuè dicitur *filia fratris* Mardochęi, atque adeò eiuſdē neptis, & Mardochęus eius patruus. Et infrà v.15. dicitur, *Eſther filia Abihail fratris Mardochæi*. Et c.8. v.1. *confeſſa eſt ei Eſther quod* (Mardochæus) *eſſet patruus ſuus*. Rurſus Ioſephus Mardochæum vocat Eſtheris patruum. Verùm non leuiter obſtat, quod Pagninus, Vatablus, & Mariana, *Filiam patrui ſui* ex Hebræo legunt. Hebræo conſentit Chaldæus. Apud LXX. interpretes ita etiam excribitur: *Filia Aminadab fratris patris ipſius, & nomen ei, Eſther*. quibus Biblia Complutenſia, & Regia conſentiunt, conſentit Sulpitius Seuerus, tametſi cum Vulgato legere ſoleat. Idcircò Caietanus, Serarius, Feuardentius, quibus videntur non diſſentire Salianus, & Menochius: & Euſebius Nieremb. Mardochæi *conſobrinam* vocat, & cenſet, Mardochæum fuiſſe Eſtheris patruelem: ſuſpicantur enim hi auctores Vulgato excidiſſe τὸ *patris* quaſi olim legeretur ( ex quâ lectione tranſlationes reliquæ emanarunt ) *Qui fuit nutritius filiæ fratris (patris) ſui*. Profectò licèt omnium tranſlationū cōſenſus non leue auctoritatis pōdus habeat, plus autē pōderis & auctoritatis habere debet, quod Vulgatus interpres conſtanter Mardochæum appellet

*Quo gradu conſanguinitatis Eſther Mardochæum attigerit.*
Eſther c.6. & c.8.
Ioſeph. l.11. Antiq. c.6.
Pagninus.
Vatablus.
Mariana.
Chaldæus.
LXX. Interp.
Bibl. regia, & Cōplutē.
Sulpitius l.2. Hiſtoriæ.
Caietanus.
Serar.q.5.
Feuardent.
Salian.ann. m.3495.n.5
Menochius.
Euſeb.ſtrom 14.l.1.c.30.

appellet *patruum*, & Eſtherem, *filiam fratris ſui*. (præſertim adſentiente Ioſepho) Et ſanè ſicut hi Auctores emendare nituntur Vulgatum, quaſi illi deeſſet *τὸ patris*; cur non potiùs Hebræas excriptiones, LXX. interpretes, & tranſlationes Græcas, & indè reliquas, quaſi *τὸ patris* redundet? Præſtat enim è Vulgato ceteras tranſlationes corrigere, quàm è ceteris emendare Vulgatum. Præſertim cùm id conſtanter tribus in locis excribat, & faueat Ioſephus, qui ex Hebræo textu ſe ſcribere profitetur. Et quidèm additio *τὸ patris* ſemel facta in Hebræo (ſicut ipſi dicunt factam in Vulgato) indè in tranſlationes reliquas irrepere potuit. Vulgatum adhuc tuentur Lyranus, Dionyſius Richel, Mariana, Gordonus. Athanaſius nec patruum nec patruelem appellat Mardochæum, ſed Eſtheris *cognatum*; abſtinuit difficultate, ſed non aduerſatur Vulgatæ.

Lyra. Carthuſian. Mariana. Gordonus.

## Ediſſæ, quæ altero nomine vocabatur Eſther.

9. *Quid ſignificat Eſther.*

Itaque Mardochæus neptem vtroque parente orbatam, domi quaſi filiam alebat. Hæc vocabatur *Ediſſa* Perſicè; Hebraicè autem *Hadaſſa*, id eſt, *myrtus*, vel *myrtea* ob eximiam pulchritudinem, & corporis ac morum venuſtatem. Appellata eſt etiam *Eſther*, quod Hebraicè ſonat *abſconditam*. Addit Serarius, quòd *Eſther* etiam eſt, *occulta demoliens*, (Amani thecnas inquam) vel *medicina exploratio*, vel *medicina turturis*, vel *pulchra vt Luna*, ſiue Venus. Quin etiam apud Perſas *aſtrum* ſeu *aſter* vocatur *ſter*: indè forſan *ſtella*. Rurſus addit Cornelius, quòd *Eſther* Hebraicè idem eſt, quòd *ignis abſconditus*, vel *ignis turturis*, vel *ignis inueſtigans & ſcrutans*. Dein Arabicè & Perſicè idem eſt, quòd *receptatrix & protectrix*: Syriacè *contradicere deſtruere*: Chaldaicè autem *Eſther* idem eſt, quòd *hilaritas*. Apud Bonauenturam in ſpeculo Virginis lect. 6. & 10. Eſther idem eſt ac *euacuata & eleuata*. Opinatur Sanctius, quòd *Eſther* ob eximiam pulcritudinem non à parentibus, ſed vulgò hominum *Ediſſa* nuncupabatur: quia *Ediſſa* idem valet quod *myrtus*, quæ planta ſpecioſiſſima eſt, quaſi idem haberet cognomentum quod Venus, quæ à profanis appellatur *Myrtea*. Verùm ſi hæc puella Mardochæi neptis, à vulgo eius pulchritudinem celebrante, *Ediſſa* nominata eſt, & à parthenone vocata fuit *Eſther* (vt ipſe Sanctius poſteà fatetur) quo proprio & vſitato nomine dum puellula eſſet à parentibus nominabatur? Fruſtrà, opinor, multiplicantur Eſtheris nomina, nullà ad id neceſſitate cogente. Ceterùm binomines paſſim in Scripturis legimus: nec feminæ viduatæ ſunt ab hâc nominum amplitudine: nam Abſalonis filia (vt Saram omittam, quæ etiam appellatur Ieſca in plurium opinione) quæ 2. Reg. 14. verſ. 27. *Thamar* dicitur illamet 2. Paral 13. verſ. 20. *Maacha* nuncupatur. Ambiguum autem eſt de feminis, ſicut de viris, an à primâ nominis impoſitione, an à vulgi celebritate, aut ab aliquo euentu id acciderit. Itaque veroſimilis eſt & Scripturæ conformis Serarij coniectura, nempè quæ anteà domi nuncupabatur *Ediſſa*, ab ipſo Parthenone accepiſſe *Eſtheris* nomen, quod exinceps illi hæſit, cùm nuſquam poſteà Ediſſa nominetur. Sic Danielis 1. ipſe Eunuchus iis qui ſuæ curæ commiſſi erant alia ab hactenùs vſitatis nomina fecit, ne vel peregrina alienigenarum nomina in Regis aula reſonarent. Cumque *Eſtheris* nomine nuncupata deinceps fuerit ab ipſo etiam Aſſuero, & palatinis, credi queat hoc Eſtheris nomen ab Eunucho factum, ſiue cùm primùm venit in gynæceum, vt putat Serarius; ſiue cùm ad regnum aſſumpta eſt, vt Tirinus exiſtimat.

Serar. initio Proleg. — Cornel. hîc — S. Bonauent. — Sanctius ibi. — Serar. ſupr. — Dan. 1. v. 7. — Serar. q. 5. Tirinus ibi.

## Mortuiſque patre eius ac matre, Mardochæus ſibi eam adoptauit in filiam.

10.

Nimirùm Mardochæus eius patruus, cùm neptem videret vtroque parente orbatam, & in captiuitate orphanam, eam adoptauit in filiam, & domi alebat. Hebraicè quoque ſcribitur, quòd Mardochæus *eam accepit in filiam*. Chaldæus, *Et vocabat eam filiã*. Verùm Græci codices habent *Erudiuit eam in vxorem*. Quod non apparet veroſimile: nam præterquam quod Vulgato, Hebræo, & Chaldæo opponitur, nec vtriuſque diſpar ætas videbatur idonea; ſi id Mardochæus facere ſtatuiſſet, eam anteà duxiſſet, cùm nubilis iam eſſet: & regiis nuptiis matura cenſeretur. Cur diſtuliſſet connubium vir grandæuus, & qui puellæ ætatem nuptiis idoneam expectare potuiſſet? Certè Hebraicè *lebath*, id eſt, *in filiam*, habetur. Notandum autem eſt, quòd Eſther, quæ infra verſ. 15. & cap. 9. verſ. 29. à Vulgato dicitur *filia Abihail*, in hoc v. 7. apud LXX. interpretes, filia *Aminadab nuncupatur*. An Abihail erat binominis? an Græci codices à Vulgato emendandi?

Hebræus. Chaldæus. — Græcus. *Mardochæus Eſtherẽ alebat vt filiam, non quaſi futurã vxorem.* — LXX. Interp.

---

## §. LIV.

*Commentarius litteralis, vbi de gynaceo.*

## *Verſ.* 8. Cumque Regis percrebruiſſet imperium, &c.

1. *Eſther, & Mardochæo inuitis, ducitur in gynæceum.*

CVm ad Regis imperium toto regno euulgatum, in Suſianam aulam venuſtiores tot prouinciarum puellæ adducerentur, Eſther quoque pulchritudine opinatiſſima, non aliundè accerſita, ſed è patrui Mardochæi Suſianâ domo adducta eſt, traditaque Egeo eunucho, qui illarum cuſtodiæ præerat. Quot virgines venuſtate prælustres, adductæ ſint ambiguum eſt. Ioſephus putat, quadringentas. Etſi magnus videatur numerus, tamen 127. prouinciis impar non eſt. Sed vnde hunc determinatum numerum Ioſephus hauſit? *Ei tradita eſt.*] Eſther inquam, Hebraicè, *Accepta eſt Eſther in domum Regis*. Cùm non tam dicatur *tradita*, quàm *accepta*, ſuſpicatur Mariana, à formarum inquiſitoribus inuito Mardochæo acceptam. Addiderim, & ipsâ quoque inuitâ, quod proteſtatur infrâ cap. 14. verſ. 15. & 16. Vndè Paraphraſtes Chaldæus ita excribit: *Sublata Eſther vi, inducta eſt in domum Regis in manum Hegai cuſtodis feminarum*. Non opinor, quòd puella alienigena, orphana, captiua, fuerit auſa regiis Præfectis reluctari, nec mutire quidèm; ſed animitùs inuita adducta eſt religioſiſſima puella ad incircumciſi hominis thalamum. *Egeo eunucho.*] Miniſterialia erga feminas

Ioſeph. l. 11. Antiquit. c. 6. — Hebræus. Mariana. — Eſther. 14. Chaldæus. *Præfecti Gynæcei verè erant Eunuchi.*

minas officia cautiùs obibant euirati homines, indè ad hæc munia eunuchi eligebantur, iuxta ſuperiùs dicta. Idcirco veroſimiliùs cenſuerim, quòd hic Egeus, & reliqui eiuſdem ſubpræfecti, feminarum cuſtodiæ & miniſterio deputati, verè eunuchi erant. Quàm magnæ auctoritatis forent iſtiuſmodi principes Eunuchi, & quàm infidè ſuum munus ſæpè obirent
Serar. 4. p. q. 9. tradit Seratius. Intuta res eſt cum pulchris feminis conuerſatio, etiam ei, qui integrè vir
S. Auguſt. non eſt, & ieiunâ libidine inutilis. Quâ de re legi poteſt Auguſtinus lib. 6. contra Pelag. cap. 14. *Vt ſeruaretur in numero feminarum.*] De loco ſeu parthenone aut gynæceo, vbi virgines ſeruabantur, latè a gemus toto hoc §. à num. 4.

*Verſ.* 9. Quæ placuit ei, & inuenit gratiam in conſpectu illius. Et præcepit eunucho, vt, &c.

2. Ambiguum eſt, cui nunc Eſther (Egeo cum reliquis puellis tradita) *placuiſſe* dicatur. Si textum Hebræum ſpectes τὸ *ei*, ad Egeum eunuchum refertur. Porrò Eſther quoque tradita dicitur *ad manum Egai cuſtodis mulierum. Et placuit puella in oculis eius, & eleuauit gratiam in conſpectu eius, & accelerauit concinnitates eius.* Neque Hebraicè habetur, *Præcepit Eunucho*, quod præpedire videbatur. Hebræo concinit de more Chaldæus, & concinunt Græci codices. Idcircò cùm dicitur *placuit ei*, de *eunucho* interpretantur Feuardentius, Carthuſianus, Vatablus, Cornelius, Caietanus, Mariana, Emanuel Sà, Salianus, Menochius, Tirinus. Putant enim non ſtatim puellas ad conſpectum Regis induci: exindè nec Regi tunc placere potuiſſe. Verùm Serarius, Sanctius, & Salazar conformiùs Vulgato ſentiunt, quòd nunc Regi *placuiſſe* dicatur. Porrò immediatè dictum fuerat: Iuxta Regis imperium plures virgines adduci, & cum eis Eſtherem Egeo eunucho traditam, & ſtatim ſubiungit: *Quæ placuit ei .... & præcepit eunucho*, &c. eunucho inquam, cuius nuperrimè præceſſerat mentio: alioqui ſi Eunuchus nuper nominatus præcepiſſet, dicendum foret, qui præcepit alteri eunucho. Quare Hebræi & Græci codices, qui manifeſtiùs indicant, quod Eſther Egeo eunucho placuit, non habent, *Et præcepit Eunucho.* Vndè, niſi Hebræum textum nunc Vulgato præferamus, dicendum exiſtimo, quòd nunc Eſther *placuiſſe* Regi dicitur, qui præproperè aliquâ forſan libidinis curioſitate oculis explorare voluerit, quàm formoſæ eſſent puellæ vndique conquiſitæ: & cùm moris non eſſet, niſi poſt corporis prolixam in gynæceo curationem ad eum ingredi; præcepiſſe Egeo eunucho, vt Eſtheris, quæ illi præ ceteris *placuit*, *concinnitates acceleraret.* Hic videtur germanus Vulgati ſenſus. Cui accinit perſæpè ſacer Hiſtoricus paſſim referens, Eſtherem Regi placuiſſe. Nunc Eſther vultu Aſſuero placet, *nuptiali* thalamo poſteà perplacet.

Hebræus. Chaldæus. Græcus. Feuardent. Vatablus. Cornelius. Caietan. Mariana. Sà. Salianus. Menochius. Tirinus. Serarius. Sanctius. Salazar in Iſag. ad Cãt. cap. 3. §. 3.

*Eſther Regi potiùs, quàm Eunucho placuiſſe perhibetur.*

Et præcepit eunucho, vt acceleraret mundum muliebrem, &c.

Quæ exponenda ſuperſunt in hoc verſ. 9. cōmodiùs exponentur infrà verſ. 12. & 13. &c. vbi de *domo feminarum*, ſeu gynæceo; in quo vndique adſcitæ virgines, ad corporis lautitias moroſiùs incumbebant. Ibi etiam τὸ *acceleraret*, vt vt poterit, explicabitur.

*Verſ.* 10. Quæ noluit indicare ei populum & patriam ſuam.

*Tò noluit indicare*, non denotat, quòd Regi aut Eunucho ſciſcitanti de patriâ aut genere Eſtheris, ea negauerit ſe quicquam reſponſuram, quod inurbanum, & ſuſpectum foret: ſed nihil hâc ſuper re locutam. Sic habent ex Hebræo Pagninus & Vatablus: *Non indicauit Eſther populum ſuum.* Hebræo textui concinit Græcus, & Ioſephus conſentit. Non autem hâc ſuper re interrogabatur, quia cùm Suſis, aut Babylone (vt videtur) nata & educata eſſet, omnes eam non alienigenam putabant ſed indigenam. 3.

Pagninus. Vatablus. LXX. Interp. Ioſeph. ſup.

*Cur Eſther patriam ſuã celast?*

Mardochæus enim præceperat ei, vt de hâc re omninò reticeret.

Semper enim ſeruile nomen propudioſum eſt, & vilis atque abiecta captiuorum conditio. Aliàs occultandi generis ſui cauſſas adducit ex Saliano Menochius; præſcripta verò mihi cum Sanctio perplacet.

Salianus, Menoch. Sanctius.

*Verſ.* 11. Qui deambulabat quotidie ante veſtibulum domus, &c. curam agens ſalutis Eſther, & ſcire volens quid ei accideret.

Hoc poſtremum hemiſtichion cauſſam aperit, cur Mardochæus iuxta gynæcei veſtibulum frequens obambularet: Hebraicè, *Vt cognoſceret pacem Eſther.* LXX. interpretes, *Speculans quid Eſther accideret.* *Pacis* nomine cuncta proſpera Hebræi indigitant. Putant Serarius & Sanctius iam tunc Mardochæum regio munere in aulâ ſublimem: nam hìc dicitur, *Deambulabat quotidie ante veſtibulum domus*: & infrà verſ. 19. *Manebat ad ianuam Regis*, quod tantùm regij corporis cuſtodibus atque principibus conceſſum erat, prout lib. 3. ait Herodotus, & Xenophon lib. 1. Anabaſeos. Quin & cap. 11. verſ. 2. ſecundo anno regni Aſſueri ſomnium vidiſſe dicitur Mardochæus, *Homo Iudæus qui habitabat in vrbe Suſis, vir magnus & inter primos aulæ regiæ.* Neque inſolens eſt in vtraque eruditione homines captiuos genere, prudentiâ, & probitate nobiles, ad ſublimiſſima aulæ munera accitos: quod multis probat hìc Sanctius num. 14. Sanè facile parabilis eruditio, & quæ in confeſſo eſt apud omnes: cui etiam ipſa poſtmodùm Mardochæi ſublimitas ſuffragatur; ſed poſt cognatæ Eſtheris inaugurationem. An antea? Non putauerim, quia nullum firmum fundamentum inuenio. Cauſſa enim, quam Hiſtoricus ſacer adducit, ea eſt: Mardochæus *deambulabat quotidie ante veſtibulum domus, in quâ electæ virgines ſeruabantur, curam agens ſalutis Eſther, & ſcire volens quid ei accideret*: non ergò tanquam regij corporis cuſtos, & ſatellitum palatinorum Præfectus; ſed tanquam pater charæ filiæ peramans *ſpeculari* ſiquid ei acciderit, cupidus, &

Hebræus. Græcus. Serar. q. 6. Sanct. hic.

Hic verſ. 19. *Ante Eſtheræ exaltationem Mardochæum regiam præfecturam non obiiſſe.* Eſther. 11. v. 2.

& de eius ſalute ſollicitus, ante veſtibulum ſedulus obambulat. Et ſanè ante gynæcei *veſtibulum* hìc *ambulare* dicitur: & indè infrà verſ. 19. *manere ad ianuam:* quo igitur pacto ex eo quòd ante regiarum virginum regiam domum hâc de cauſsâ *deambulare*, & *ſedere* dicitur, colligi poteſt, eſſe tunc regij corporis cuſtodem? Vbi tam perſpicua *deambulationis* ratio traditur, cur alia ex regio munere quæritur, quæ vt eius ſublimitatem fruſtrà adſtruit, eiuſdem erga ſuam Eſtherem pietati valdè detrahit. Ad hæc, Mardochæus dum ſua Eſther erat in virginum gynæceo, *deambulabat quotidie ante veſtibulum domus, in quâ electæ virgines ſeruabantur*, hîc verſ. 11. Et reginâ iam factâ, cùm iam non in gynæceo, ſed in Aſſueri regiâ domo habitaret Mardochæus *manebat ad ianuam Regis.* verſ. 19. & 21. regij autem corporis cuſtos ad regiæ ianuam non ad gynæcei portam maneret. Vndè

Sanctius.

idem Sanctius nobis ſuffragatur infrà ad cap. 6. num. 3. Denique anno ſecundo regni Aſſueri Mardochæus ſomnium vidiſſe narratur, & de eo dicitur, quod erat *vir magnus, & inter primos aulæ regiæ:* non quia tunc talis erat. Quaſi dicat ſacer hiſtoricus: Mardochæus ille *vir magnus, & potens in aulâ regiâ*, ille ipſe eſt qui vidit ſomnium: per prolepſim enim, Bibliis familiarem, hæc de eo narrantur. Sic rex Dauid paſtor dicitur; & regina Eſther captiua: non quia dum rex erat, paſtor foret; aut dum erat regina, captiua eſſet; ſed diuiſim; Illa quæ captiua erat, Regina eſt: & qui paſtor fuit, nunc Rex eſt.

## Domus, vbi electæ virgines ſeruabantur.

4. Salazar in Cantica. *Gynæceum ſummatim exponitur.*

Per domum, vbi hæ virgines electæ ſeruabantur, peridoneè Interpretes parthenonem; ſeu gynæceum exponunt. Quin & ex hoc loco, & toto hoc capite illud adſtruit, eiuſque leges ritè exponit noſter Salazar in Iſagoge ad exponenda Cantica Canticorum, cap. 3. §. 3. cum quo vniuerſatim præmittam, quæ ſigillatim mox in verſiculis ſequentibus examinanda, & exponenda ſunt. Nempe virgines, quæ aſſumendæ erant ad regias nuptias, in eiuſmodi domo per annum (ſic communiter putatur) manebant, vt traditur verſ. 12. Ibi aſſignabantur illis puellæ ad ſeruitium, mundus muliebris ad ornatum, regij cibi ad ſaginam, corporiſque nitorem. Dein adhibebant medicamina & vnguenta, quibus carnis maculas ſordeſve detergerent, & corpus blandiùs emollirent vt habetur verſ. 9. & 12. Denique poſtquam ſic toto anno excultæ erant, ad palatium Regis transferebantur. vt ſcribitur verſ. 13. Ergò ſingula, quæ notantur huius capitis verſiculo, ſeriatim exponenda ſunt. Sed ab hoc verſ. 11. quem exponimus, retrogradi liceat ad verſ. 9. quem ideò hâc ex parte inexplicatum omiſimus, vt quæ de gynæceo hìc traduntur, non ſaltuatim, ſed ſimul traderemus.

## Et præcepit (Rex) eunucho, vt acceleraret mundum muliebrem.

5. *Tò acceleraret*, exigit ſcrupuloſius examen indè poſt exactam ſigillatim gynæcei deſcriptionem commodiùs expedietur. Ergò Egeus eunuchus iubetur, aut iubet Eſtheri recens in parthenonem adductæ celeriter donare *mundum muliebrem*. Quid ſit mundus muliebris, amœnioris litteraturæ ſcioli pugnaciter certant, an pro muliebribus ornamentis, an pro munditiis accipiatur. Beroaldus in Commentariis Apuleianis lib. 4. Aſini aurei cenſet, quòd mundi muliebris appellatione, apud Oratores, Hiſtoricos, Poëtas *non ſolùm illa quibus mundior fit femina, ſed ea quoque quibus ornatior, ſignificantur*. Nam (vt ſcribit Plinius) quem κόσμον Græci nominant eum nos à perfectâ abſolutaque elegantiâ Mundum vocamus, quòd nihil ſit eo mundius, pulchrius, ornatius. Et Liuius lib. 24. *Munditiæ, ornatus, & cultus, feminarum inſignia ſunt: his gaudent, & gloriantur: hunc mundum muliebrem appellauere maiores noſtri.* Verùm Vlpianus in l. argumento, §. mundus ff. de de auro & arg. leg. ita ſcribit: *Mundus muliebris eſt, quo mulier mundior fit .... Mulier enim poteſt eſſe munda, non tamen ornata: vt ſolet contingere in his quæ ſe mundarint lotæ in balneo, neque ſe ornauerint.* Et Varrò lib. 4. de linguâ Lat. *Mundus muliebris*, inquit, *dictus à munditiâ: Ornatus, quaſi ab ore natus.* Plura in hanc ſententiam eruditè addenſat Tiraquellus in 3. legem Connub. num. 34. & hæc videtur prima vocis ſignificatio (licet in aliâ ſignificantiâ laxiori paſſim accipiatur) & in eâ hìc accipitur. Pagninus & Vatablus. Pro τὸ *mundo muliebri*, ex Hebræo habent, *purificatoria*, Græci codices *vnguentum*; Chaldæus, *vnguentum dignitatis eius*. Notat autem Serarius ex Rabbi Dauid quòd Hebræa vox ſignificat id quod ſordes defricet. Vndè in hoc loco *mundus muliebris* eſt quo puella mundior fiat, non ornatior. Quæ fuerint hæc *purificatoria*, poſtea expoſuit, verſ. 12. & nos inibi.

*Mundus muliebris eſt quo mulier mundior fit, non ornatior.*

Philippus. Beroald.

Plin. l. 2. c. 4.

Liuius.

Vlpianus.

Varrò.

Tiraquell.

Pagninus. Vatablus

Græci codices.

Chaldæus.

Serarius q. 3. Rabbi Dauid.

## Et tradere ei partes ſuas.

6. Vatablus, *Portiones eius*. Hebræum *manoth*, teſte Serario, ſignificat omnia quæ ſingulis puellis conſtituta erant parthenonis ritu, nempe dimenſum ciborum, & forſan epulas quæ de menſâ Regis dabantur, (vt & adoleſcentulis illis Danielis 1.) veſtes, & ornatum, vt putà torques, armillas, ſpecula, tiaras: quas cultioris ornamenti lautitias expreſſit Chaldæus. Qui addit, addiderat etiam Hebræus, cubilia in gynæceo è præſtantioribus, ac magis ad habitandum idoneis illi donata, ad illaque cum puellis Eſtherem fuiſſe tranſlatam. *Dieronle el mejor quarto de la caſa.* Certè locus iucundior & ſplendidior valdè iuuat ad bonum corporis habitum, ad bonam valetudinem, & indè ad pulchritudinis nitorem. Perſpicuum eſt, quòd *tò pars* publicâ phraſi, pro hereditate ſumitur (nec ſignificantia abſimilis eſt) Sic noſter Maldonatus exponit illud Lucæ 10. verſ. 42. *Maria optimam partem elegit*, & alia Scripturæ loca. Conſulatur inibi vir eruditus. Salazar verò in Prouerb. cap. 30. num. 192. ita ſcribit Eſther 2. Mulieribus, quæ in gynæceo ad futuras nuptias formam colebant *partes* decernebantur, id eſt, ciborum lautiorum certa menſura. Græci autem codices notant, in gynæceo fuiſſe perhumaniter tractatam. Nimirùm Eſther, quæ ſicut aſtrum virgines reliquas

Vatablus. *Quid per partes ſuas intelligat.*

Daniel. 1. v.

Chaldæus. Hebræus. Græcus. Maldonatus.

In Lucæ 10. v. 42.

Salazar.

venuſtate ſuperabat, dum Regi præ cæteris *placet*, placet etiam & Eunucho, *partes* ſuas ſeu *portiones* cum prærogatiuâ accipit. Et ſanè cùm ipſa cap. 14. verſ. 17. fateatur ſe nunquam Idolothyta guſtaſſe, veroſimile putant Interpretes, quod de piiſſimâ puellâ credi poteſt, ab immundis cibis, qui lege Iudæis vetiti erant etiam abſtinuiſſe. Nec arduum foret delicatulæ nimis puellæ, præſertim apud famulos ſui obſequenter amantiſſimos, obtendere, ſe illa aut illa fercula faſtidire, & in tanto ciborum delectu nunquam deerat, quibus poſſet impunè veſci.

Eſther 14. v. 17. *Eſther cibis abſtinuit Iudaica lege vetitis.*

## Et ſeptem puellas ſpecioſiſſimas.

7. Apud reliquas tranſlationes nulla fit ſpecioſitatis mentio. Pagninus, *Septem puellas dignas vt dares ei.* accinit Vatablus. Græci codices, *ſeptem puellas* excribunt. Ex Hebræo autem conſtat eiuſmodi puellas pediſſequas ei ſelectas è melioribus, vndè à Vulgato dicuntur *ſpecioſiſſimæ*, ab Hebræo, *conuenientes*, *dignæ*, *ſpectabiles*, quæ Eſtheri honoris & obſequij cauſsâ adeſſent. Quod expreſſit Chaldæus, *Septem puellas ad miniſtrandum illi, quæ dignæ eſſent dari illi.* Caietanus autem ſic locum exponit: *Dictio Hebraica non ſignificat ſpecioſitatem, ſed potiùs promptitudinem: vt intelligamus ſeptem puellas promptas ad obſequium ipſius Eſther.* Verùm cùm in Hebræo dicantur, *ſpectabiles* & dignæ vt Eſtheri darentur, benè id expreſſit Vulgatus, eas appellans ſpecioſas; ſed ſpecioſitatis & pulchritudinis gratiâ longè inferiores: ne potiùs Dominam deuenuſtarent ſuam. Quin ſi eam formâ adæquarent, aut ſuperarent, ipſæ citiùs electæ forent in examine venuſtatis.

Pagninus. Vatablus. Græcus. *De ſeptem puellis Eſtheri datis.* Hebræus. Chaldæus. Caietanus.

## De domo Regis.

Veroſimiliùs eſt has ſeptem puellas *de domo Regis* dici, quia erant in virginum gynæceo ſicut quæ erant in ſecundis concubinarum ædibus; vtraque enim regia domus dicebatur. Porrò neceſſe erat, vt numeroſus puellarum inibi aleretur grex, concubinarum ſeruitio deputatus aulicis obſequiis ritè eruditus. Suſpicatur Serarius forſan has puellas concubinis regiis miniſtrantes, eſſe virgunculas aliquas formâ præſtantes, necdum nubiles, quæ tantiſper dum adoleſcunt, aptæque fiunt vt ad Regem irent aliarum pediſſequæ ac miniſtræ forent. At non putauerim, regiæ dignitatis candidatas, & deputatas regio poſtmodum thalamo, & forſan ſceptro; miniſterialibus aliarum obſequiis interim erudiri. Has miniſteriales puellas fuiſſe in gynæceis magno numero tradit Pineda in Salomone præuio lib. 7. cap. 5. num. 6.

Serar. q 1. part. 5.

*Verſ.* 12. Cùm autem veniſſet tempus ſingularum per ordinem puellarum vt intrarent ad Regem expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant, menſis duodecimus vertebatur.

8. Vniuerſarim hìc traditur quoto apud gynæceum tempore excolerentur puellæ, vt ad Regem ingredi poſſent. Scilicet annum ponebant integrum, neque ante eum idoneæ regio thalamo cenſebantur. Et cùm fieri non poſſet, vt omnes illæ virgines exacto anno ſimul ad Regem ingrederentur, ſingulæ puellæ *per ordinem* iuxta parthenonis inſtituta & ritus, ad nocturnum concubitum Regi deſtinabantur. Et ſanè vnum integrum annum in iſtiuſmodi tyrocino exigendum, expreſſe videtur hìc tradi, & ex hoc loco tradunt Doctores. Ita S. Hieronymus in traditionibus Hebraicis, & indè vindicat Saram à ſtupro Pharaonis: *Iuxta librum Eſther*, inquit, *quæcumque mulierum placuiſſet Regi apud veteres, ſex menſibus vngebatur oleo myrtino & ſex menſibus in pigmentis variis erat, & curationibus feminarum, & tunc demum ingrediebatur ad Regem, atque ita poteſt fieri, vt Sarai, poſtquam placuerat Regi, dum per annum, eius ad Regem præparatur introitus, & Abrahæ Pharao multa donauerit, & Pharao poſteà ſit percuſſus à Domino.* Non placet Pererio hæc Saræ à ſtupro vindicatio; admittit autem libenter *per annum* virgines in parthenone præparari. Hoc etiam tempus præſcribit Salazar in Iſagoge ad Cantica cap. 3. §. 3. Carthuſianus, Feuardentius, Vatablus, Serarius, Sanctius, Tirinus hìc. Hùc aduocari ſolet illud Comici: *Dum molliuntur, dum comuntur, annus eſt.* Vbi quidam (vt benè notat Salazar) malè excribunt, dum *moliuntur*, per ſimplex *l*, cùm ſcribendum ſit, *molliuntur*, quò impenſum mollitiei ſtudium denotetur. Sed cur annus integer gynæceo impenditur? Scilicet in eo præter voluptatem, aliqua etiam videtur honeſtatis cuiuſdam habita ratio, ne partus fortè aliquis ex alio conceptus, Regi adſcriberetur, vt putat Serarius. Addit Salazar, quod hæc genæcei cultura maximè adhibenda erat, cùm puella aliqua ruſtica, aut ex infimâ conditione aſſumebatur ad regias nuptias. Erat enim hoc antiquis illis Regibus ſolenne, etiam obſcurioris generis virgines ſiquandò placuerant, iuſto matrimonio ſibi ſociare, vt patet ex hoc Eſtheris 2. cap. ex Ezechielis 16. & ſecundum multorum ſententiam, ex toto Canticorum libro. Addit Sanctius non modicum tempus requiri vt cognatam Orientalibus feminis graueolentiam vnguentis deſueſcerent. Pro eo quod Vulgatus habet: *Cùm veniſſet tempus ſingularum per ordinem puellarum*, Hebraicè habetur: *Cùm incideret circulo tempus puellæ & puellæ*, id eſt, ſingularum puellarum: nam Hebræum תור *thor*, recurrens circulo tempus ſignificat, vt notat Mariana.

*Annus integer in gynæceo exigendus erat.* S. Hieron. in Tradit. Hebrai. Pereira in Gen. 12. v. 19. Salazar. Carthuſian. Feuardent. Vatablus. Serarius. Sanctius. Tirinus. Serar. p. 1. p. 5. Salazar ſup. Sanct. hìc n. 15. & 16. &c. Mariana.

## Sex menſibus oleo vngerentur mirrhino.

9. Vatablus *myrtinum* mauult, ita ſcribit Hieronymus nuper allegatus, & Charthuſianus hìc, & noſter Aluarez de Paz tom. 1. lib. 1. p. 3. cap. 28. At LXX. Pagninus, Mariana. & Serarius, *mirrhinum* habent: Hebræum enim מור *mor*, non myrtum, ſed *mirrham* ſignificat Hoc vnguentum egregiè eualet ad cutis glabritiem & mollitiem, & ad emundationem ab omni fœtore, ſudoreque Conſule Plinium lib. 12. cap. 15. & 16. & lib. 13. cap. 1. Et Prouerb. 7. *Aſperſi cubile meum mirrha*, &

Vatablus. Hier. ſupr. Carthuſian. Aluarez. LXX. Interp. Pagninus. Mariana. Serarius. Hebræus. Plinius. Prou. 7 v. 17. Eccli. 24. v. 20.

Eccleſia

*Quare vnguento myrrhino fœminæ vtebantur.*

Eccleſiaſtici 24. *Quaſi mirrha electa dedi ſuauitatem odoris.*

Quibuſdam pigmentis, & aromatibus.

Salaz. in Iſag. ad Cãt. c.3.§.3. Pſal. 44. v. 9. Sanct. ſup.

Plures ac nobiles aromatum & odoramentorum ſpecies vniuerſatim complectitur, quæ ſpeciatim tradere, vt ambiguum foret, ita & ſuperuacuum. Putat Salazar ad hæc gynæcei odoramenta adludi in Pſal. 44. verſ. 9. cùm de puellis futuras Regis nuptias expectantibus, regius pangit Vates: *Mirrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.* Per domos eburneas intelligens gynæcei fabricam. Non facile adſentiam. Sed nec vacat, nec iuuat locum difficilem perſtrictim examinare. Pinto, Ramirez in Cant. lib. 1. cap. 5. verſ. 6.) hunc locum egregiè verſat, & quæ ſint *vncta cubilia* eruditè tradit. Hîc Sanctius eruditè prodit quàm fuerit graueolentia Orientalibus feminis agnata. Qui attentiùs expenderit quæ ſacer Hiſtoricus hîc ſcribit in hoc verſ. 12. & verſ. 13. & 14 cenſebit, opinor, vniuerſatim tradi ſolennem gynæcei ritum omnibus communem; & hactenùs nihil de Eſtheris ad Regem ingreſſu, qui traditur verſ. 15. de quo latiùs inibi.

*Verſ.* 13. Ingredienſque ad Regem, quicquid poſtulaſſet ad ornatum pertinens accipiebat.

10. Cùm tandem exacto anno præfatæ virgines ab inolitâ immunditiâ purgatæ, & pigmentis excultæ forent; ex gynæcei ritu, & Regis præſcripto, nihil ornamentorum ad elegantiam eis negari poterat. Chaldæus paraphraſtes omiſſo ornatu, ad comitatum verba flectit, ita ſcribens: *Puella intrabat ad Regem, omnis magnus & ſatelles, quos vellet dicere, ſtatim dabantur ei, vt intrarent cum illâ à domo mulierum vſque ad domum Regis.* quaſi principale ſatellitium aliqua pars ornamenti foret.

*Satellitiũ eſt muliebris ornamenti aliqua portio.* Chaldæus.

*Verſ.* 14. Et quæ intrauerat veſpere, egrediebatur manè.

11. Haud dubium quin hoc nocturnum commercium ſignificet concubitum, quem pudicè ſatis ſacer Hiſtoricus declarat. Pro τὸ *manè*, Complutenſia Biblia habent, *ad veſperam*: ſed reliquæ tranſlationes Vulgato conſentiunt.

Bibl. Cõplut. *An poſt concubitum, ad idem, an ad diuerſum gynæceum redirent?*

Atque indè in ſecundas ædes deducebatur, quæ ſub manu Suſagazi eunuchi erant.

Quod vulgatus appellat *ſecundas ædes*, Hebræi & Græci codices *ſecundam domum* nominant. Notat autem Mariana, quod Hebræa vox שני *ſeni* & *ſecundam* ſignificat, & *ſecundò*. Quaſi ad eandem domum redierit, nempe ad diuerſam partem eiuſdem domus, ſub alio tamen Præfecto. Quod ſequitur Rabbi Chimhi, & paraphraſtes Chaldæus. Sic vidimus in aliquibus mulierum cœnobiis, aliquam domus partem religioſis monialibus habitari, aliam ſecularibus virginibus deputari *Voluian à la miſma caſa, y habitauan en otros quartos.* Ex hoc autem ſecundo gynæceo, ad quod redibant, niſi ex nomine euocatæ non ingrediebantur ad Regem. Perſpicuè hîc ſacer Hiſtoriographus deſcribit ordinem, quo Regis concubinæ ad eum ingrediebantur, nempè quæ nominatim euocabatur. Quo autem ordine poſt abſolutum vnius anni tyrocinium in gynæceo, ingrederentur ad Regem, non expoſuit. Exindè expoſitio ſequentis verſiculi adſpectu ad præcedentes, valdè impedita eſt, vt ex iam dicendis conſtabit.

Mariana.

Chimhi. Chaldæus.

---

## §. LV.

### *Commentarius litteralis.*

*Verſ.* 15. Euoluto autem tempore per ordinem, inſtabat dies, quo Eſther filia Abigail fratris Mardochæi . . . debebat intrare ad Regem. Quæ non quæſiuit muliebrem cultum, ſed quæcumque voluit Egeus eunuchus cuſtos virginum, hæc ei ad ornatum dedit, &c.

HVnc locum in paucis obſcurum, clarare ſe facile putat noſter Sanctius, ſi duo tempora diſtinguas: alterum in quo primùm Eſther ab Egeo eunucho ad Regem introducta eſt euoluto anno, quem in ſuo tyrocinio ſeu gynæceo tranſegerat ſub annum quartum Aſſueri: nam anno tertio paratum eſt conuiuium, de quo cap. 1. & in eo è regio throno deturbata Vaſthi. Neque multò poſt quæſitæ ſunt puellæ, & in ſuum compactæ gynæceum: & indè poſt duodecimum menſem ad regium thalamum deductæ: & tunc primò Eſther quoque deducta eſt poſt annum quartum Aſſueri, vt nuper notatum eſt. Deindè anno ſeptimo eiuſdem regis Aſſueri (vt habetur verſ. ſequenti) iterùm adducta eſt ad Regem; non quòd eo interiecto ſpatio, quòd videtur fuiſſe prope triennale, non inierit cubile Regium; ſed quia eo tempore primum accepit diadema & regio nomine decorata eſt. Atque adeò notatus eſt annus, & menſis, quod non videtur faciendum fuiſſe, niſi aliquid contigiſſet illuſtre ac nouum, quod eâ temporum notatione conſignari debuerit. Hucuſque Sanctius. 1.

Sanct. hîc n. 27. Soar. q. 4. p. 5. *Duplex Eſtheris ad Regem ingreſſus proponitur.*

Hæc Sanctij expoſitio de duplici Eſtheris ad Regem ingreſſu, quorum primus traditur verſ. 12. alter verò in hoc verſ. 15. ſi ſpecie tenus vibretur cenſura, ſatis ſpecioſa eſt, & quæ arctum difficultatis nodum non inidoneè extricat. Nimirùm quo pacto Eſther, quæ ſub annum tertium Aſſueri, cùm adducta fuit ad gynæceum ſic illi placuit, vt ſedulò iuſſerit *accelerari* mundum muliebrem; ingreſſa ad eum non ſit vſque ad ſeptimum eiuſdem Aſſueri annum. Nimia ſanè amoris lentitudo in tantâ *accelerationis* impatientiâ: triennalis enim mora incredibilis videtur. Ergò hunc Sanctius ſcopulum declinauit, dum primum ad Regem ingreſſum ſtatim exacto tyrocinio conſtituit verſ. 12. & ſecundum in hoc verſ. 15. quandò 2.

*Duplex Eſtheris ad Regem ingreſſus reijcitur.*

ſic

*ſic placuit*, cùm Regina inaugurata eſt, & ad regium ſolium euecta. Verùm enimuerò hunc quem Sanctius putat ſecundum ingreſſum, qui deſcribitur in hoc verſ. 15. fuiſſe primum, quo poſt quadriennium à depoſitione Vaſthi, Eſther ad Aſſuerum ingreſſa eſt, mihi adeò eſt perſpicuè indubium, vt peritè attentus ſacri textus explorator eâ de re ambigere non poſſit. Porro in illo verſ. 12. vſque ad verſ. 15. gynæcei inſtitutum, & eius ritus vniuerſatim traditur, omnibus puellis indifferenter communis; nihilque ſpeciatim de Eſthere, aliaue puellâ ſigillatim inſinuatur. Attentiùs penſita (procul hinc cuiuſlibet expoſitionis præiudicium) verſiculi 12. verba, vt oculis videatur nihil ibi potiùs de Eſthere, quàm de aliâ quauis innui; ſed gynæcei leges generaliter proponi: quare non benè Sanctius inibi agnoſcit primum ingreſſum Eſtheris ad Regem. Priùs ſacer Hiſtoricus dixerat, cum aliis puellis traditam quoque Eſtherem Egeo eunucho, vt in domo feminarum cum aliis ſeruaretur, & addit Verſiculo illo 12. *Cùm autem veniſſet tempus ſingularum per ordinem puellarum, vt intrarent ad Regem expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant, menſis duodecimus vertebatur: ita duntaxat, vt ſex menſibus oleo vngerentur myrrhino, & aliis ſex quibuſdam pigmentis & aromatibus vterentur. Ingredienteſque ad Regem quicquid poſtularent ad ornatum pertinens accipiebant, & vt eis placuerat, compoſitæ de triclinio feminarum ad Regis cubiculum tranſibant. Et quæ intrauerat veſpere, egrediebatur mane, atque indè in ſecundas ædes deducebatur, quæ ſub manu Suſagazi eunuchi erant, qui concubinis Regis præſidebat.* Ecquis ex recitatis verbis ingreſſum Eſtheris ad Regem; potiùs quàm cuiuſuis alterius intelligat? Imò, ſi ſapiat, nullius ingreſſum colligere debet: nam ritus gynæcei indubitè traditur. Et ſanè quæ recens adducta ad gynæceum, tantoperè viſa *placuit*; cur non in primo congreſſu, quo libatur virginitatis flos: ſed poſt biennium trienniumue ab aſſiduâ thalami conſuetudine, à quâ viri citiùs ad olim optatiſſimas feminas egregiè nauſeant; præcipuè placuiſſe perhibetur? Monſtrum hoc libidinis foret, in viro præſertim ſalacitate monſtroſo.

Hic v. 12. & 13. & 14.

3. *Secundò impugnatur Sanctij expoſitio.*

Sed age iam, & non coniecturarum veriſimilitudine, ſed ipsâ ſacri textus veritate, in hoc verſ. 15. non ſecundum, ſed primum Eſtheris ingreſſum ad Regem tradi, demonſtremus. Porrò verſiculo illo 12. habetur quòd dum virgo à gynæceo ad Regis cubiculum, primò ingreditur *quicquid poſtulabat ad ornatum pertinens accipiebat*, vt in primo aſpectu & congreſſu Regi perplaceret pro arbitrio compta, exculta, ornata; quod de concubinis Regi diu aſſiduis non dicitur: quomodò ergò in hoc verſiculo 15. de Eſthere iam non virgine, & primò ingrediente ad Regem, ſed iam illi diu aſſiduâ, tanquam aliquid magnum, & piè inſolens dicitur, *Quæ non quæſiuit mundum muliebrem, ſed quæcumque voluit Egeus eunuchus cuſtos virginum, hæc ei ad ornatum dedit?* Ergo in hoc verſ. 15. agitur de primo ad Regem ingreſſu, in quo quicquid ad ornatum poſtularent, ex præſcripto Regis accipiebant.

4. Adhuc autem magis perſpicuè aduerſarios vrgeamus: Si in hoc verſ. 15. Eſtheris ſecundus ad Regem ingreſſus deſcribitur; ergò Eſther iam diu non virgo, ſed concubina erat: ergò è Regis cubile non redierat ad gynæceum, nec ampliùs erat ſub manu aut præfecturâ Egei eunuchi, qui erat cuſtos virginum: ſed tranſierat *in ſecundas ædes*, vbi regiæ concubinæ ſeruabantur ſub præfecturâ Suſagazi eunuchi, qui concubinis præerat, vt habetur verſ. 14. ergò ſi in hoc verſ. 15. agitur de ſecundo ad Regem ingreſſu, quandò iam vltra biennium in concubinarum numero Eſther cenſebatur; quorſum de eâ notatur, quòd non quæſiuit mundum muliebrem, *ſed quæcumque voluit Egeus eunuchus cuſtos virginum, hæc ei ad ornatum dedit?* Quare ergò tunc poſtularet ornatum ab Egeo virginum cuſtode; & non potiùs à Suſagazo concubinarum præfecto? Profectò quæ nunc notatur (quaſi res mira & inſolens foret) cùm aliæ virgines ab Egeo virginum cuſtode ornatum pro nutu peterent, ipſam nihil petiiſſe ab eo ad ornatum pertinens, ſed ab eo accepiſſe quicquid donare voluit, proculdubio in virginum gynæceo ſub Egeo virginum cuſtode; & non in *ſecundis ædibus* ſub cuſtodiâ Suſagazi concubinarum Præfecti. Ergò in explorato ſit in hoc verſ. 15. agi non de ſecundo, ſed primo Eſtheris ad Regem ingreſſu: quandoquidem factus eſt ſub *Egeo virginum cuſtode*, non ſub præfecturâ Suſagazi concubinis præſidentis. Valdè fallor, niſi hæc nimis perſpicua ſunt.

*Impugnatur tertiò eadem ſententia.*

Itaque cùm ex Scripturâ indubiè conſtet tertio anno Aſſueri depoſitam Vaſthi; & poſtmodùm puellarum delectum toto imperio factum; veroſimile eſt ferè annum integrum in huiuſmodi delectu poſitum: nam omnes centum viginti ſeptem prouinciæ erant obeundæ & venuſtiores vbique puellæ diligenter explorandæ, & vrbem Suſan adducendæ: quod negotium non modicam exigebat moram. Ergò prope annum Aſſueri quartum omnes electæ puellæ in gynæceum ſub Egeo compactæ ſunt. Quomodo ergo Eſther, cui mundus muliebris *accelerari* iuſſus eſt, toto triennio expectauit, cùm præparationi vnus annus ſufficeret? Vt vim huius argumenti declinaret Sanctius, expoſitionem nuper impugnatam excogitauit. Reſponderi autem poſſet, quòd forſan Eſther in parthenone tandiu expectat dum per ætatem nubilis foret. Fortè Aſſuerus per id tempus, in bello Ægyptiis rebellibus, & Athenienſibus Ægypto auxiliantibus (de quo Chronologi ad ann. m. 3594.) occupatiſſimus fuit: nam etſi Artabazo, & Megabyſo ducibus geſtum eſt; ad 300. bellatorum millia comparanda, & trecentas triremes armandas, neceſſè fuit Suſis abeſſe, & re primò infeliciter ſuccedente, vxoriis tunc deliciis otioſiùs vacare non licebat. Niſi dicamus cum Saliano, tantam fuiſſe multitudinem puellarum, quæ eam vel ætate, vel tempore admiſſionis antecederent, vel ex aliquo alio gynæcei ritu præponendæ neceſſariò forent, vt antequam tempus Eſtheris aduenifſet, ferè triennium effluxerit: idque videtur colligi ex illis verbis Verſiculi 12. quæ leges parthenonis præſcribunt: *Cùm autem veniſſet tempus ſingularum per ordinem puellarum; vt intrarent ad Regem.* Vnde in hoc verſ. 15. conſultò ſcribitur: *Euoluto autem*

5.

*Quomodo accelerari dicatur Eſtheris ad Regem ingreſſus.*

*Conſule Salianũ ad hunc annum, & annos huic proximos.*

Salian. ſupr.

*autem tempore per ordinem, inſtabat dies, quo Eſther.... deberet intrare ad Regem.* Igitur ex parthenonis inſtituto ratus erat aliquis *ordo*, quem violare, quamtumuis Rex ingreſſum *accelararet*, nefas erat. Nam, vt ſuprà notauimus, plures erant ſanctiones apud Perſas, irreuocabili edicto ſanctæ. Ex dictis colligere licet, ſingulari beneficio *accelerari* iuſſum quicquid ad Eſtherem parandam' requirebatur: & tamen quarto demùm à repudiatâ Vaſthi anno vices Eſtheris, quantumcumque *accelerata*, adeſſe
Tirinus ibi. potuerunt, vt peritè Tirinus adnotauit. Quod ſi has aut ſuſpiciones, aut rationes lector repudiauerit, libenter alias, quas adducat veroſimiliores amplectemur; dummodò ante quartum à repudiata Vaſthi annum, id eſt, Aſſueri ſeptimum, primũ Eſtheris ad Regem ingreſſum nobiſcũ conſtituat, quod videtur perſpicuè Scriptura tradidiſſe. Hæc dixerim, ne aſſentirer ſuſpi-
Serar. q. 1. p. 5. çioni, quam Serarius proponit, nec approbat: ſcilicet triennium ad exactam virginum in gynæceo purificationem requiri. Porrò verſiculo 12. vnus tantùm annus requiritur. Nec ſimile eſt
Danielis 1. de pueris alienigenis Danielis 1. ibi enim non mores aulici duntaxat, & miniſtrandi ritus; ſed & lingua etiam, & Chaldæorum ſapientia illis addiſcenda erat. Ergò ſingulas huius v. ſententias enucleatiùs' perſtringamus.

Euoluto autem tempore per ordinem.

6. Conſultò non dicit, abſoluto vtroque ſemeſtri ad præparationes deſtinato, quod dixerat v. 12: vt poſſent ingredi ad Regis thalamum. Non
Totius verſiculi perſtrictim expoſitio. enim quæcumque exacto tyrocinij anno ingredi poterat, ſtatim ingrediebatur: alioqui omnes quadringētæ virgines tunc electæ, ſimul ingreſſæ fuiſſent ad Regem; ergò *per ordinem* ingrediebantur; vndè aliquas poſt exactum tyrociniũ integrum annum, & eo amplius ingreſſum expectare neceſſè erat. Quis fuerit hic *ordo* Scriptura non narrat; exindè coniecturis vtimur in Eſtheris cunctatione, quamuis *acceleratio* iuſſa ſit. *Inſtabat dies*] in cuius *veſpere* ad Regem ingrederetur. *Eſther filia Abihail fratris Mardochai, quam ſibi adoptauerat in filiam.*] Hæc verba expoſita ſunt ſuprà ad verſ. 7. *Quæ non quæſiuit muliebrem cultum.*] Ideò id tanquam quid mirũ notatur: nam vt dicitur ſuprà v. 13. *Ingredientes ad Regem, quicquid poſtulaſſent ad ornatum pertinens accipiebant.* Hìc apparet modeſtia Eſtheris, quæ nec pili quidèm faciebat Regis gratiã, quam reliquæ puellæ ſtudioſiùs ambibant; imò eam habuit exoſam, & regium incircumciſi hominis thalamum, vt ipſa prodit infrà c. 14. v. 15.
Eſther. 14. Nimirùm ipſa nimis pulchra, cunctiſque amabilis, Regis gratiam & fauorem contemnens nil de ſumptuoſiori ornatu curauit, quem potiùs negligebat. Eſtheris gratior venuſtas in hàc hi-
Pineda. Eraſmus. Serarius. ſtoriâ paſſim celebratur. Pineda exponens hunc verſ. l. 1. de rebus Salom. c. 8 n. 3. ſecutus Eraſmũ & Serarium, ex venuſtiſſimâ Eſtheris formâ argumentatur fuiſſe improlem, quaſi ſterilitas ſit pulchritudinis næuus. Quod probat exemplis, quaſi non etiam ſuppeterent de fœdiſſimè diſtortarum ſterilitate, & venuſtè pulcherrimarum fœcunditate.

*Verſ.* 16. Ductáque eſt itaque ad cubiculum regis Aſſueri menſe decimo, qui vocatur Tebeth.

Apud Vulgatum & Hebræum textum dicitur 7.
Eſther ad Aſſuerum ingreſſa *menſe decimo, qui* Serar. q 4. p. 5.
*vocatur Tibeth*; apud Græcos codices, *Duodecimo menſe, qui eſt Adar.* Quod rectè componit Serarius, diſtinguens duplicem Eſtheris ad Regem ingreſſum, primum *menſe decimo, qui vocatur Tebeth.* quandò poſt adſuetas gynæcei præparationes ingreſſa eſt ad Regem, vt cum ea cóſueſceret, ſi ei, placeret: de quo loquitur Vulgatus & Hebræus. Cùm autem Regi oppidò placuiſſet, ſtatuiſſetque vt repudiatæ Vaſthi locum teneret, poſt bimeſtre ſpatium ſecundò ad Regem adducta eſt, vt Regina iam inauguraretur, ſolemneſque nuptiæ celebrarentur: quod peractum eſt *menſe duodecimo, qui eſt Adar*, noſtro Februario ferè reſpondens. Hunc menſem ſtatim ſequitur Ver, quod tempus & Perſarum nuptiis & nuptiarum celebritati (quam ſubdit) maximè opportunum erat. Vulgarem de Menſium nominibus eruditionem, hic ſcribit Sanctius; Sanctius hìc n. 30.
eum adeat quiſquis volet.

Concordia Vulgati cum Græcis codicibus.

---

## §. LVI.

*Commentarius litteralis.*

*Verſ.* 17. Et adamauit eam Rex plùs quàm omnes mulieres.

Qvæ recens ad gynæceum adſcita, præ ceteris aſpectu placuit, toro perplacet. *Habuitque gratiam & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres.*] Gratiam habuit Eſther coram Aſſuero; quia ipſa in paucis gratioſa, & Gratiarum manibus facta puella, præ reliquis illi placuit, philtroque venuſtatis viuidum ſibi amorē conciliauit. *τὸ miſericordiam* putat Caietanus Caietanus.
dici adſpectu ad miſeriam captiuæ Eſtheris, à quâ vilitate exempta eſt, dum ad regium nomen euehitur. Non putauerim nunc miſericordiæ nomen ſic preſsè accipi; ſed vniuerſatim pro fauore, & beneficentiâ. Scilicet non modò Regis beneuolentiam ſibi conciliauit Eſther venuſtatis illicio, ſed largiorem beneficentiam; quandoquidèm ipſam præ ceteris regno ſublimauit, & auxit fauoribus regio nomini cognatis. *Et poſuit diadema regni in capite eius.*] Dicitur *diadema regni*, id eſt, regium, Hebræa phraſi; regiam coronam inquam. *Aureum monile* dixit
Corona, aureum monile appellatur.
Chaldæus. Num regiam coronam ethicè vilipendit? LXX. Interpretes, *Diadema muliebre.* Chaldæus. LXX. Interp.
Nempè diadema femineum, ſiue vxorium, vt diſtinguatur ab eo quod Reges geſtebant. *Fecitque eam regnare in loco Vaſthi.*] Huc tendebat operoſus puellarum delectus, vt habetur ſuprà verſ. 4. Hunc locum S. Bonau. in ſpecul. ad B. S. Bonauentur.
Virginis Aſſumptionem eleganter flectit.

*Verſ.* 18. Et iuſſit conuiuium præparari permagnificum.

Non impar videtur huius epuli munificentia 2.
ac illius; quod c. 1. celebratum eſt. Niſi quod illud toto ſemeſtri perdurauit; iſtud apud Ioſephum, menſe vno, & apud LXX. Interpretes, *per dies ſeptem.* Res planè dubia, nec Serarij coniecturis tutò me credam. *Pro conuiuio nuptiali & nuptiis Eſther.*] Nil tam obuium in ſacris ac profanis literis, quam geniale pro nuptiis apparari

Ioſeph. l. 11. Antiq c. 6. LXX. Interp. Serar. q. 3. p 6. De nuptiali conuiuio apud Hebræos.

Gen. 29. Iudic. 14. Tobiæ 9. & 11. Matth. 22. Apocal. 19.

apparari conuiuium, Geneſis 29. verſ. 22. in Iacobi connubio, & Iudicum 14. verſ. 10. in Samſonis, & Tobiæ 11. verſ. 21. Matthæi 22. verſ. 3. Ioannis 2. verſ. 2. Apocalypſis 19. verſ. 9. Et ſanè in Iacobæis nuptiis apud Meſopotamiam, & Samſonis apud Palæſtinos, & in Tobiæ connubio apud Aſſyrios, vnâ hebdomade nuptiale epulum peragebatur, vt conſtat ex allegatis Geneſeos, Iudicum & Tobiæ locis, quo LXX. Interpretum prædicta excriptio roboratur. Nuptias autem apud Hebræos quinque diebus abſolui, nempe incipiebant à feriæ tertiæ veſperâ vſque ad ſabbati primum mane: & quia cum hebdomadâ abſoluebantur, dici hebdomadam dierum, non quia ſeptem dies durarent, eruditè probat noſter Salazar in Iſag. ad Cantica cap. 3. §. 5. vndè nouè explicat perdifficilem locum Iudicum 14. de conuiuio nuptiarum Samſonis; & de nuptiis Cana Galilææ, Ioannis 1. Conſulatur inibi ab eruditis Nos de nuptiali Perſarum conuiuio agimus. Adi Briſſonium lib. 1. de regno Perſarumt. Notat Pineda lib. 5. de rebus Salom. cap. 4. num. 2. nuptiali cōnuiuio teſtimonium præberi, ſibi placere probarique nuptias. Non hîc examino Pinedæ aſſertum.

Salazar. Briſſonius. Pineda.

*Et dedit requiem vniuerſis prouinciis.*

3.
*In nuptiis Eſther, tributa relaxata ſunt ad tempus.*
Gaietanus.

Non conuenit inter Expoſitores, quæ fuerit iſta *requies*, quam nunc Aſſuerus prouinciis dedit. Caietanus putat quòd relaxauit inquiſitionem virginum pulchrarum, quæ per prouincias fiebat. Verùm ante biennium hæc relaxatio facta eſt: cùm congregandis totius regni venuſtioribus puellis, vnius anni ſpatium ſufficiat. Nec putauerim, graue fuiſſe ſubiectis populis filias ſuas ad ſuperbas cum tanto Rege nuptias deſtinare, & regij nominis candidatas reddere. Ioſephus cenſet, hanc *requiem* fuiſſe feſtos & geniales dies ob gratiſſimum cum Eſthere connubium, ſubiectis populis indictos. feſtus autem dies idoneè *requies* appellatur. Græci codices pro *requie* habent, *remiſſionem*, à tributis inquam: quod explicatiùs Chaldæus paraphraſtes expreſſit: *Et vacationem remiſſionis tributi regionibus fecit.* Hanc expoſitionem ſequitur Lyra, Carthuſianus, Vatablus, Emanuel Sà, Mariana, Serarius, Salianus, Sanctius Tirinus, Menochius, Euſebius Nieremb. laxata tributa, & indictos fuiſſe feſtos ac geniales dies putat. (legatur inibi, qui exindè perelegantrer ad mores de more velitatur) Non abnuo. Nam præter populis gratiſſimam vectigalium remiſſionem, veroſimile videtur, feſtos & geniales dies indici populis pro Regis, id eſt Numinis ſui grariſſimo feliciter connubio. *Et dona largitus eſt.*] Hæc dona putat Sanctius fuiſſe, conuiualia munera, ſeu apophoreta, etiam in priuatorum conuiuiis dari conuiuis ſolita à conuiuij domino Hæc autem munera ea nunc fuerunt, quæ regiam Aſſueri munificentiā decebāt. In Vulgato, Hebræo, & Greco vniuerſatim ſcribitur, dona dediſſe, conuiuis omnibus inquam, præſertim viris principibus. Chaldæus autem paraphraſtes: *Et dedit ei donum, & partem iuxta amplitudinem manus Regis.* Non negat regiam erga reliquos munificenriam, ſed eam erga Eſtherem opulenriùs exaggerat. Nam cum regio nomine, prærer donariua tanto Rege di-

Ioſephus. l. 11. c. 6.

LXX. Interp. Chaldæus. Lyra. Carthuſian. Vatablus. Sà. Mariana. Serarius. Salianus. Sanctius. Tirinus. Menochius. Euſebius. ſtrō. 14. l. 1. c. 27. & 28.

Chaldæus.

*Aſſuerus erga Eſtherem munificus.*

gna; *partem*, id eſt, hereditatem (iuxta ſuperiùs dicta §. præcedenti, num. ) illi largiùs & beneficentiùs donauit. Sudatum eſt illud Ciceronis 5. in Verrem: *Solere, aiunt, barbaros reges Perſarum ac Syrorum, plures vxores habere; his autem vxoribus ciuitates tribuere hoc modo: Hæc ciuitas mulieri redimiculum præbeat: hæc in collum, hæc in crines. ita populos habent vniuerſos non ſolùm conſcios libidinis ſuæ, verùm etiam adminiſtros.* Quâ ſuper re conſule Sanctium in 1. lib. Machabæorum, c. 10. verſ. 29. n. 17. & lib. 2. Machab. cap. 4. verſ. 30. num. 19. ad illa verba: *Contigit Tharſenſes, & Mallotas ſeditionem mouere eò quòd Antiochi regis concubinæ dono eſſent dati.*

Cicero in Verrem. 5.

Sanctius. 2. Machab. 4.

Abſoluto iam Commentario de Eſtheris cum Aſſuero nuptiis, adhuc nonnulla examinanda ſuperſunt. Primò an deliquerit Eſther, cùm in numerum concubinarum aſcita, Aſſueri thalamum init. Aliqui apud Carthuſianum, quibus ipſe ſubſcribit, exiſtimant, Eſtherem & reliquas Gentilium concubinas vſque ad legitimas nuptias, eorum vxores non fuiſſe: quia ſimplex fornicatio apud Genriles innoxia putabatur. Præſtat autem aſſerere iſtiuſmodi concubinas cùm ad Regem ingrederentur, fieri eius vxores, ſecundarias tamen, quas proletarias appellant, quia prolis cauſsâ ſuſcipiebantur. Vndè Eſther cùm hîc verſ. 15. ad Regem ingreſſa eſt, eius etiam vxor facta eſt: poſt duos autem menſes in regium ſolium aſſumpta, non vxor, ſed princeps vxor creata eſt. Ita Caietanus, Lyra, Emanuel Sa, Mariana, Tirinus, Sanctius, Salianus, Menochius, Serarius. Nam ſicut Iſraëlitarum concubinæ verè vxores erant, eo ipſo quòd in domum allectæ, aut in gynæceum compactæ, non ſine tacito aut expreſſo conſenſu; ita de Gentilibus opinari licet: neque enim ex concubinis ſpurios ſed legitimos filios procreare putabant. Itaque aliter egit Iudas cum Thamare, quam exiſtimauit meretricem, ac Dauid, Salomon, Roboam cum grege concubinarum. Quâ ſuper re eruditè Pererius in Geneſ. 25. verſ. 6. diſp. 4. Et ſanè ſicut ante Tridentinum conſtuprata ſponſa ad domum accita, & iam accepta, à tacito conſenſu cenſetur vxor: ſic aduocatio in gynæceum tacitè forſan cenſebantur ſponſalia, & acceptio in thalamum, matrimonialis conſenſus cenſebatur. Hoc autem alius ſcholæ negotium eſt; legi poteſt P. Thomas Sanchez de matrim lib. 3. diſp. 40. quâ ſuper re eruditè vt aſſolet. Polygamiam verò tunc fuiſſe permiſſam non modò Iudæis, ſed & Gentibus, multis Scripturarum exemplis & rationibus docent in ſcholis Theologi, & Bellarminus eruditè exponit lib. 1. de Matrimonio cap. 11. & Pererius in Geneſ. cap. 16. verſ. 3. diſput. 1. Vndè Eſther è virginum gynæceo ad Aſſuerum innoxiè ingreditur, & ingreſſu vxor ſecundaria, ſeu concubina fit; poſtmodùm Regis gratia, & fauore Regina, & eius princeps vxor.

4.

Carthuſ. ibi.

Caietanus. Lyranus. Sà. Mariana. Tirinus. Sanctius. Salianus. Menochius. Serarius.

*Eſther ad Aſſuerum innoxiè ingreditur.*

Pererius.

Th. Sāchez.

Bellarmin. Pererius.

Addubitant plures an Eſther Iſraëlita potuerit ethnico Regi nubere: violaſſe enim videtur expreſſam Deuteronomij legem: *Neque ſociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo: quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me, & vt magis ſeruiat Diis alienis*, &c. Idem inculcatur 1.

5.
Deuter. 7. v. 3. & 4.

Eſdræ

1 Eſdræ 9. — Eſther innoxiè ethnico Regi nupſit. — Salian. ann. m.3596. n. 45.

Eſdræ c. 9. & 10. Reſpondent plures expoſitores ideò Eſtherem non violaſſe preceptum, quia illa prohibitio ad illas tantùm ſeptem nationes videtur pertinere, quæ eodem loco memorantur, & quæ anathemate addictæ erant, nempe Amorrhæi, Hevæi, Iebuſæi, &c. Hæc quidèm veriſſima ſunt, & prorsùs elumbarent argumenti vim, niſi ex ratione legis vires ſumeret: addit enim Legiſlator: *Quia ſeducet filium ſuum*, &c. Hæc autem ratio eandem vim habere videtur in connubio cum aliis ethnicorum nationibus. Verùm vbi eiuſmodi periculum adeſt deficiente etiam prohibitione, contrahentis conſcientia intuta eſt. Abeſſe autem poteſt ex aliquo circumſtantiarum confluxu, quo iſtiuſmodi periculum prudenter remoueri putetur, vt puta ex notâ mulieris probitate, & in re virtutis conſtantiâ: præſertim ſi affulgeat communis vtilitas, qualis tunc ſperari poterat ex ſanctiſſimâ Hebræorum feminâ cum Rege ſuper occurrentibus negotiis populo Dei captiuitate oppreſſo. Et quidèm (vt apprimè notat Salianus) ferè, vbicumque iſtiuſmodi matrimonia à Scripturâ accuſantur, mulieres non ſolum alienigenæ, ſed etiam profanæ, & infideles erant à quibus deprauati ſunt viri: vix autem inuenias deprauatam vxorem fidelem, qualis erat Eſther, à marito infideli. Vice autem verſâ mulier infidelis ſępè deprauauit virũ, vt in Salomone apertiſſimum eſt. Quare non deliquerit Salomõ ducens Regis Ægypti filiam copioſè tractat Pineda lib. 7. de rebus Pharaonis, cap. 3. Eruditè autem luculentam loci ex Deuteronomio obiecti expoſitionẽ tradit Lorinus, vbi hunc Eſtheris locum verſat. Quod autem quidam putant, Eſtherem in his nuptiis, non tam Mardochæi & Regis, quàm diuinæ voluntati paruiſſe, non facile perſuadeant, cùm nullam diuinæ diſpenſationis reuelationem adducant. Nam quod Eſtheri Mardochæus cap. 4. ſcripſit, *Et quis nouit vtrùm idcircò ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris?* ambigentis ſunt, non affirmantis. Sed eſto, affirment: ſerò nimis id Eſtheri denũciatur poſt nuptias diu cõtractas. Quod ſi ante nuptias id Eſtheri Mardochæus denunciaſſet, quo modo eâ de re nunc ambigeret, & dubitãter ſuggereret, quod indubiè affirmarat? quomodo diuinæ volũtati ſic reluctata eſt, vt dixerit: *Noſti Domine quòd oderim gloriam iniquorum, & deteſter cubile incircumciſorum, & omnis alienigenæ?* Itaque lex Deuteronomij vetebat ne cum illis ſeptem nationibus connubia celebrarent: cum aliis verò ethnicis, quando aderat ſubuerſionis periculum. Vndè Hebræi etiam religioſiſſimi in captiuitate poſiti minimè ſcrupuloſè curabant de huius legis obſeruatione: nam veroſimilius forſan putatur ſeptem illos Saræ maritos fuiſſe gentiles potiùs quàm Nephthalitas, vt notabamus ad Tobiæ 3. verſ. 8. §. 234. num. 3.

Pineda. — Lorinus. — Eſth. 5. v. 14. — Eſth 14. v. 15 — Tobiæ 3.

6. An ex his Eſtheris cum Aſſuero nuptiis, liberi procreati ſint, Commentatores addubitant Franciſus Mairon à nobis relatus, & reiectus in Comment. ſuper Iudith, putat Holofernem fuiſſe Eſtheris filium. Hanc opinionem refutat Serarius; quia filius fuiſſet ante matrem. Hæc ratio in noſtrâ etiam ſententiâ vim ſuam retinet, quia ſuprà probauimus, Artaxerxem Lõgimanum eſſe Aſſuerum Eſtheris maritum: hic autem fuit filius Xerxis, quem inibi cenſuimus fuiſſe Nabuchodonoſorem illum, qui miſit Holofernem Hebræos debellatum. Quin & ſine fundamento id aſſeritur, & indè aſſerti credibilitas nutat. Hoc etiam vitio corruit perſuaſio Hebræorum apud Iſidorum Clarium, qui ſeriò cenſent Dariũ Perſam eſſe Eſtheris ex Aſſuero filium: & Brentij, qui Xerxem. Reineccius autem duos illi filios tribuit, Xerxem, & Sogdianum. Hos fuiſſe Aſſueri ſeu Artaxerxis longimani filios, ab Hiſtoricis & Chronologis traditur; dubium autem an ex Eſthere, an ex aliâ principe vxore, aut concubinâ illos ſuſceperit. Serarius inibi putat, nullam prolem ex Eſthere Aſſuerum ſuſcepiſſe. Hoc etiam in ambiguo eſt: neque enim conſtat improlem fuiſſe: Scriptura enim tantùm de eâ narrare intendit, quæ ad nuptias cum Aſſuero attinent, vt indè liberationem populi ſui publicet: à regio autem connubio vſque ad abſolutam populi redemptionem, quinque anni effluxerunt: cetera Scriptura ſilet, dubiè ergò probatur prolem ex eâ Aſſuerum minimè ſuſcepiſſe. Addit Pineda Eſtherem non modo improlem, ſed etiam infœcundam fuiſſe, quaſi ſterilitas ſit venuſtioris formæ ſequela. Probat ex Sarâ, Rebecca, Rachele, Bethſabee, Iudithâ, Eſthere. De tribus prioribus id certiſſimum eſt; de aliis tribus, ambiguum. Potuiſſet opinor, feminarum numerum non imparem ex totidèm eximiè fœdis concinnare.

Mairon. — *An Eſther fuerit improles?* — Serarius. — Iſidor. Clar. in libri huius initio. — Reineccius apud Serarium q. 7. — Serarius. — *Sterilitas pulchritudini putatur affinis.* — Pineda l. 1. de rebus Salom. c. 7.

*Verſ.* 1. *&* 20. Cumque ſecundò quærerentur virgines, & congregarentur, Mardochæus manebat ad ianuam Regis.

7. Locus ſanè impeditus. Quænam eſt hæc ſecundò facta virginum congregatio? & confeſtim inauguratâ iam Eſthere, quorsùm fiat? Hugo, Lyra, Carthuſianus, & Feuardentius cenſent, Aſſuerum nuptias alias in voto ſibi eſſe prætexere, vt hâc arte Eſther patriam proderet ſuam quam de Mardochæi imperio obſtinatius celabat. Quaſi Rex à puellarum inquiſitoribus id ſciſcitari non poſſet, & vndè abducta fuerit pernoſcere. Alij apud Salianum exiſtimant, poſt Eſtheris cum Rege nuptias, reliquas puellas à regio gynæceo ad ſuos ſe recepiſſe, & ſecundò reuocatas, & in parthenonem conpactas fuiſſe. Veroſimile autem non eſt aut concubinas dimiſſas, aut eas vocari virgines. Alij apud Feuardentium autumant, hîc ſermonem eſſe de tranſitu puellarum à gynæceo virginum ad concubinarum domum ſub præfecto Suſagazo. Sed quomodò hæ dicuntur virgines, poſtquam iam concubinæ factæ ſunt? & quo pacto *ſecundò quæri* dicuntur, quæ olim quæſitæ, & inuentæ diu in gynæceo habitarunt? Caietanus exiſtimat, poſt Eſtheris nuptias, iterùm nouam puellarum inquiſitionem fuiſſe factam cuius cauſſam ſe ignorare fatetur. Putãt Cornelius, & Tirinus, & Pineda in cauſſa fuiſſe inſatiabilẽ Regis libidinem. Sed eſto ſalaciſſimus fuerit, vt præcedẽs puellarũ inquiſitio & congregatio fieret, & depoſitio Vaſthi reginę, & Regis Reginâ viduati orbitas, in cauſſâ extitit: in idoneè, ergò cũ perplacet Eſther, noua puellarum inquiſitio indicitur, quæ dum Regi placebat Vaſthi, minimè facta perhibetur. Nõ enim minori in pretio habita eſt Eſther, quàm nuper erat regina Vaſthi: ergò ſi regnante Vaſthi id fuiſſe factum minimè

Hugo. — Lyra. — Carthuſian. — Feuardent. — *Varia hac de re opiniones proponuntur.* — Salian. ſup. — Feuard. hic. — Caietan. — Cornelius. — Tirinus. — Pineda l. 7. de rebus Salom. c. 5. n. 8.

perhibitur; quare in auſpicio regni Eſtheris, dum Regis fauor & gratia ſumptuoſius exaggeratur, id cum tanto Eſtheris dedecore factum credamus?

Vatablus. Salianus. Serarius. Mariana. Sanctius. Sà.

*Qualis fuerit hic ſecundus virginum delectus.*

8. Aptiùs, opinor, Vataolus, Salianus, Serarius, Mariana, Sanctius, Emanuel Sa, Menochius cenſent, in hoc loco non ſignificari poſt Regis cum Eſthere nuptias, iterum nouum virginum delectum fuiſſe factum, quòd ſacer Hiſtoricus iterat iam factum poſt Vaſthi repudiatam, (qui ſecundus delectus fuit adſpectu'ad illum, in quo Vaſthi electa fuit) quod fecit vt aptiùs texeret hiſtoriam duorum eunuchorum, quæ contigerat poſt ſecundum delectum quo Eſther adlecta eſt; cuius cauſsà Mardochæus frequens erat ad Regis ianuam, vndè pernoſcere potuit eunuchorum proditionem. Portò Mardochæus regiis ædibus vbi manebat Eſther à quo tempore adlecta eſt, ſemper aſſiduus erat. Primò virginum parthenoni, mox concubinarum gynæceo, demùm palatio vbi regina Eſther habitabat; & curam illius agens & ancipitem præuij ſomnij exitum attentiùs expectans. Non morabor obiectiunculam Saliani, quod eunuchorum coniuratio accidit cùm Eſther iam eſſet regina. Quod illa verba clarè docent: *Quod Mardochæum non latuit*, ſtatimque nunciauit reginæ Eſther: ne autem putetur per prolepſin dici Reginam, ſequitur, *&* *illa Regi* (nunciauit) *nomine Mardochæi*; atqui Eſther dum *quærerentur virgines*, quarum vna fuit, non viderat faciem Regis, nedum eum alloquebatur. Ingenuè fatemur Eſtherem ad regium ſolium iam euectam, cùm eunuchorum inſidias Regi detulit: verum vt ſignificetur, quòd Mardochæus ad ianuam ſedebat, non modò quandò Eſther recèns adlecta erat in gynæceo, ſed etiam quandò Regina iam facta in palatio degebat; idcircò dicitur, *Cumque ſecundo quærerentur virgines .... Mardochæus manebat ad ianuam.* In Hæbræo apud Caietanum, *Cùm eſſent adunatæ virgines ſecundo*: nam, quandoquidèm Suſis cum patruo habitabat iuxta ſuprà dicta, cum primis virginibus huius ſecundi delectus in gynecæum compacta eſt; non aliundè abducta. Cùm igitur ab illo tempore Mardochæus adeſſet regiis foribus curam gerens ſalutis Eſther, & ſcire cupidus ſomnij exitum, noſcere potuit inſidias enuchorum, qui *ianitores* fuiſſe dicuntur. Pro τὸ *Mardochæus manebat ad ianua Regis*, Græci codices habēt, *Mardochæus autē ſeruiebat in aulâ.* At Vulgatus & Hebręus codex nullam vllius regij muneris mentionem facit. Forte cùm dicatur, *curā geſſiſſe ſalutis Eſther*, in aliquibus rebus illi miniſtrabat, dum ianuæ ſemper aſſiduus aderat.

Salianus.

Caietan.

Græci Codices.

9. Addit ſacer Hiſtoricus verſ. 20 Reginam Eſtherem necdum prodidiſſe patriam & genus ſuum, iuxta patrui Mardochæi iuſſionem. Quod forſan præmittit vt innuat, Mardochæum non fuiſſe Eunuchis *ianitoribus* ſuſpectum; quippè qui non putabatur ob regiam affinitatem ſollicitum fore de incolumitate Regis, quæ nepti ſuæ chariſſimæ nimis expetenda erat. Mirum ſanè quod ſubditur de Eſtheris reginæ obſequio: vbi maximè elucet quantum proba indoles, & attentior educatio ad virtutem faciat. Hoc Eſtheris obſequium hic intertexitur, vt ſignificetur ipſius Mardochæo obſequium in denunciando regiis auribus eunuchorum inſidias.

*Verſ.21.* Irati ſunt Bagathan & Thares duo eunuchi Regis. &c.

Hæc eunuchorum nomina pro excriptorum varietate tantiſper de more immutantur, quod parùm aut nihil ad rem facit. In Vulgato dicūtur *ianitores, & in primo palatij limine præſidere.* Hebraicè *Cuſtodes haſaph*: apud Serarium autem Hebræum *Saph* interdùm ſignificat ianuam; indè à vulgato ianitores, & ianuæ præſides ſiue cuſtodes perhibentur. Vulgato conſentiunt Chaldæus, Pagninus, Vatablus, nec LXX. Interpretes diſſentiunt, Item *Saph* ſignificat etiā vaſa ſeu ſupellectilem: hinc Rabbi Salomon exiſtimat hos eunuchos à poculis Regis fuiſſe, Prior expoſitio quæ placuit Vulgato, aptior eſt, & ad rem magis idonea: explicat enim quomodò Mardochæus ianuæ aſſiduus cognoſcere potuerit ianitorum inſidias: quippè qui frequens cum illis verſabatur. Quare autem *irati* ſint, ſacer textus non prodit: exindè quiſquis quidquam indubiè affirmauerit, planè diuinat. Græci codices, & Chaldæus Ieroſolymitanus putant eunuchos ægerrimè tuliſſe Mardochæum illis præpoſitum. Chaldæus Complutenſis manuſcriptus apud Sanctium, exiſtimat, veritos Reginam Mardochæo impetraturam à Rege eorum præfecturam. Nonnulli quòd malignè illis ſtatuta ſalaria penderentur. Alij quòd iniquè tulerint reginæ Vaſthi repudium, & ignotæ Eſtheris exaltationem. Verùm etſi nemo prudens coniecturis tutò ſe credit, veroſimilius cum Gorionide putauerim, iſtiuſmodi eunuchos Macedoniæ Regis gratiam inire voluiſſe: innuitur enim fuiſſe conſiliarios Aman, quem infrà Rex dicit fuiſſe gente Macedonem, ad eoſque imperium Perſicum transferre voluiſſe. Porrò ex c. 12. verſ.6. ſcimus, quòd Aman nocere voluit Mardochæo, & eius populum delere, pro duobus Eunuchis Regis, qui opera Mardochæi interfecti erant. Vndè credibile eſt eum fuiſſe inſidiarum conſcium & participem: ſic autem apud Regem tractaſſe negotium, vt omnem à ſe ſuſpicionem excuteret. Hoc in re dubiâ ſacro textui conforme magis apparet. Pro τὸ *irati ſunt*, LXX. Interpretes excribunt, *contriſtati ſunt*. Cæterùm triſtitiam eſſe iræ cognatam, manifeſtum eſt ex illo Geneſeos 4. verſ.6. *Quare iratus es? & cur concidit facies tua?* Conſule inibi interpretes. 10.

Serar. q. 2. Rabbi Salo.

*Quare eunuchi has inſidias moliti ſunt?*

Græcus. Chaldæus.

Ioſeph. Gor.

Eſther. 16. v. 10. & 11. Eſther. 12. v.6.

LXX. Interp.

Geneſ. 4.

*Verſ.22.* Quod Mardochæum non latuit.

Vulgato conſentit Hebræus textus in quo obſcurum eſt, in tantâ narrationis perſpicuitate, quo pacto Eunuchorū inſidias Mardochæus nouerit. Non exiguam accendit faculam Ioſephus, aiens, quòd Barnabazus alterius eunuchorum ſeruus, genere Iudæus, deprehenſas inſidias patruo reginæ indicauit: Scilicet cognatio rem aperiendi fiduciam dedit; præſertim quia Mardochæi cauſſa agebatur, cùm Reginæ cauſſa tractaretur: cædes enim Regis non ſine magno Reginæ diſcrimine patrari poterat. Quin & Mardochæus ex hâc notione vlterius inquirere ſollerter poterat. Verum Græci codices rem expreſſiùs produnt: *Cumque* Mardochæus *intellexiſſet cogitationes eorum, & curas diligenter peruidiſſet, didicit quod conarentur in regem Artaxerxem manus mittere.* Nimirum Mardochæus ſollertiâ & prudentiâ conſpicuus 11.

Ioſeph. 11. Antiq. c.6.

*Vnde Mardochæus nouerit eunuchorum contra Regem inſidias.*

Eſth. 12. v. 2. Apud LXX. Interp.

conſpicuus, cùm frequenter cum illis ad ianuam verſaretur, ſubodoratus eſt ipſos aliquid inſolentiùs moliri, & diſſimulata attentione peruigil rem deprehendit, dum ex indiciis vlteriùs progreſſus eſt ad pleniorem ſceleris cognitionem. Ita Salianus & Sanctius, quibus aſſentior. Rabbi Salomon cenſet eunuchos ſermone Tharſenſi hàc ſuper re locutos, & illa paraphraſis Chaldaica affirmat Mardochæum ſeptuaginta linguas perfectè didiciſſe, & inde illos intellexiſſe. Verius, opinor, Gorionides ait, *Cognouit muſſitationem duorum eunuchorum in Regem.* Neque enim tanta illis eſſet temeritas, vt etiam peregrino idiomate auderent inſinuare, ſe cædem Regis moliri; cùm palam noſſent, in regiâ præſertim curiâ nonnullos verſari, qui varias linguas pernoſcerent. Addit paraphraſis illa Chaldaica, Reginæ necem eunuchos etiam moliri. Ergò Mardochæus rem ſuo nomine per Reginam denunciare maluit, vt vtrique ſimul Regis beneuolentia conciliaretur, commendaretur fides, munificentia prouocaretur, vt peritè notauit Salianus. Ex hoc loco ſapientiſſimus P. doctor Ioannes da Sylueira arguit, quam debeant ſibi Reges ab intimis ac familiaribus timere.

Salian. ann. m. 2597. n. 3. Sanct. ibi. Rabbi Salo. Paraph. Chaldæus.
Gorion. l. 2. cap. 1. Salian. ſup.
Sylueira. tom. in Euãgel. c. 4. q. 8.

*Verſ.* 23. Quæſitum eſt, & inuentum: & appenſus eſt vterque eorum in patibulo.

Quomodo id quæſitum, & inuentum, nec Vulgatus, nec Hebræus textus declarat: Græci autem codices explicatiùs id tradunt: *Rex autem examinauit duos illos eunuchos, & ſuſpendit eos.* Ioſephus ſuprà: *Rex verò territus, veritatem per quæſtiones agnouit; & illis in crucem ſuffixis,* &c. Sollenne fuiſſe Perſis ſontes cruci affigere, prodit Amaui ſupplicium Mardochæo paratum. *Mandatumque eſt hiſtoriis, & annalibus traditum coram Rege.* In more poſitum fuit apud omnes penè gentes, in diariis, ſeu annalibus referre, ſiquid alicuius momenti geſtum foret; qui à Ioſepho hìc dicuntur *commentarij*, & apud Hebræos, *liber verborum dierum.* Qua de re Serarius & Sanctius, non modo ad hunc verſ. Ille etiam initio libb. Regum, hic in eoſdem libb. Regum, Proleg. 1. & 4. Hæc Regis cura valdè poſtmodum proficua Mardochæo fuit. LXX. Interpretes habent *Et præcepit Rex ſeponere in commentario in regiâ bibliothecâ pro beneuolentiâ Mardochæi in encomio.* An autem tunc aliquid loco præmij Mardochæus acceperit, poſtcà exagitabitur, ad cap. 6. verſ. 3.

Hebræus. Græcus. *Mardochæi factũ in Perſarum annalibus deſcribitur.*
Ioſephus. Serarius. Sanctius.
LXX. Interp.

---

## §. LVII.

*Appendices ethicè obſeruatiunculæ ſacro textui cognatæ delibatim perſtringuntur.*

*Verſ.* 1. Recordatus eſt Vaſthi.

1\. LXX. Interp. *Regum memoria, obliuiſcendi ſuccedanea eſt.*

ASſuerus inquam, Pro quibus verbis hæc ſubſtituunt LXX. Interpretes, *Et non vltra recordatus eſt ipſius.* O fugacem Regum memoriam erga rem etiam chariſſimam! Sic obliuio memoriæ Principum vicinatur, vt perindè ſit, *Recordatus eſt* Rex *Vaſthi*, ac *non vltrà recordatus eſt ipſius*? Dum cœpit *recordari*, iam obliuiſci incœpit? O æterna Principum obliuia, momentaneæ recordationi ſuccedanea! Huiuſmodi Regibus obliuionem regia dignitas perpetuò ſuggerit.

*Verſ.* 1. Recordatus eſt Vaſthi, & quæ feciſſet.

Pro quâ ſententiâ hanc LXX. Interpretes excribunt, *Et non vltrà recordatus eſt ipſius Aſtin in memoriâ habens qualia locuta erat.* Miriſſimum ſanè eſt, quòd Rex iniuriam ſibi illatam aſſiduus mente verſet, iniuriantis oblitus. An quia poſt vindicatum ſcelus ſibi iniurium, etſi infenſiſſimi ſceleris memoria hæreat, ſceleſti tamen offenſoris nullam vlteriùs memoriam hærere, æquiſſimum eſt? Sic ſcelerati offenſoris ſcelus ſupplicio diluitur! An fortè Aſſuerus memor iniuriæ, quam aduerſus ſe regina Vaſthi commiſerat, illius obliuiſcitur, aliquî obſtinatione vindictæ? ſcilicet obliuiſcitur nuper chariſſimæ & gratioſiſſimæ ſibi Vaſthi, ne illius recordatio ſit reconciliationis illicium. Sic offenſus reconciliationem cum offendente auerſatur! ô geminum obſtinati rancoris monſtrum; & nuper chariſſimorum obliuiſci, & obliuioni offendentis, offenſæ memoriam adſociare! Procliue eſt ingenio obſtetricante, nouos hinc moralitatum fœtus edere: mente iam fœcundè grauida facilis partioni aditus patet. 2.

LXX Interp. *Quo pacto cũ obliuione offendentis, offenſa memoria adhuc hæret.*

*Verſ.* 2. *&* 3. Quærantur Regi puellæ virgines ac ſpecioſæ & mittantur qui conſiderent per vniuerſas prouincias, &c.

Specioſæ formæ, & illibatæ virginitatis geminata gratia expetitur, nec inuentu facilis. Et ſanè tot ſunt pulchritudinis fraudes, à pigmentorum fuco, & ornamentorum concinnitate venuſtatem mentientes: tot latent furtiua ſtupra ſub falſato virginum habitu; vt virgo pulchra in annis etiam puellaribus, non oculorum iudicio, ſed *conſiderationis* cenſu inuenienda ſit: *Mittantur per vniuerſas prouincias, qui puellas virgines ac ſpecioſas conſiderent.* Operoſa eſt harum inuentio, atque vtriuſque cenſus, attentæ *conſiderationis* ſollertia eſt. Ne credas oculis: de formæ ac pudoris fraudibus cum *conſideratione* delibera. O fucata formæ, & honeſtatis ludibria! 3.

*Pulchra virgo non tam oculis, quàm cõſideratione æſtimãda.*

*Verſ.* 7. Qui (Mardochæus) fuit nutritius filiæ fratris ſui Ediſſæ, quæ altero nomine vocabatur Eſther.

Seriò putat Sanctius hunc locum exponens, quòd pulchra Eſther ab hominum plauſu, eius decorem admirante, *Ediſſa* nomen accepit: *Sic credo*, inquit, *Eſtherem vulgo hominum vocatam Ediſſam Hebraicè, quæ idem valet quòd Myrtus quæ planta ſpecioſiſſima eſt, quaſi idem haberet cognomentum, quod Venus, quæ à prophanis appellatur Myrtea.* Mirum quidèm eſt, & valdè mirum, quòd puellæ honeſtiſſimæ venuſtatem neſciat humanus plauſus celebrare, niſi adſpectu ad *myrteam* Veneris profanitatem. Satis pulchrum apud vulgus hominum non putatur quod *myrteam* Veneris ſalacitatem non ſubolet. Quam re arcet impudentiam, nomine præferat, vt ſic placeat. 4.

Sanct. hîc num. 9. *Aſpectu ad myrteam Venerem Eſther appellatur Ediſſa.*

*Verſ.* 7. Mardochæus ſibi eam adoptauit in filiam.

5.
LXX. Interp.
*Eſther putatur erudiri in Mardochai uxorem.*

Pro quibus verbis LXX. Interpretes habent *Erudiuit eam ſibi in mulierem*, id eſt, in vxorem. Nimirùm prouidentiſſimus piè Mardochæus neptem vtroque parente orbatam, captiuam, & tenerâ ac puellari ætate orphanam, domi alendam ſuſcepit, & quaſi filiolam tractauit; tanta autem tamque ſpectabilis pietas in homine vltra centenario erga orphanam puellulam ſanguine iunctiſſimam, non potuit euadere menditati ſaltem coniugij ſuſpiciones. Heu in ſiniſtram partem ſtrenua ſuſpicio eſt.

*Verſ.* 9. Quæ placuit ei, & inuenit gratiam in conſpectu illius.

6.
Caietanus.
*Pulchritudo, ſicut munera, mentem ſubornat.*

Nempe Eſther venuſta, & gratioſa nimis puella, valdè placuit Egeo gynæcei præfecto. Caietanus inibi ſic locum ex Hebræo tranſtulit: *Et placuit puella in oculis eius, & eleuauit gratiam in oculis eius.* (Audi ipſius commentarium) *Adinſtar eleuantis obtulit ſe gratioſam Eſther in conſpectu Egei, tanquam munus aliquod gratum.* (Sic alibi etiam paſſim τὸ *eleuare gratiam*, explicat Caietanus) Scilicet vt exaggeratiùs publicetur quantum fauoris & gratiæ venuſtiſſima Eſther ſibi conciliarit apud ſpectatores, pulchritudinis illicio; comparationem aduocat ex fauore & gratiâ, quam munera & inueniunt, & faciunt. O munerum præſtigias, quarum ſuppar eſt pulchrioris venuſtatis gratia!

*Verſ.* 9. Et præcepit Eunucho, vt accelararet mundum muliebrem.

7.
Chaldæus.
*Feminarum dignitas, malè in fucis & ornamentis collocatur.*

Paraphaſis Chaldaica ita præſcripta verba excribit, & exponit: *Et iuſſit accelerari vnguentum dignitatis eius*, Eſtheris inquam, quæ geminato ſemeſtri his pigmentis & fucis adornanda erat. Eheu iſtiuſmodi exaggerandæ formæ lenocinia, tanto in pretio apud feminas habentur, vt pigmenta *dignitatis* dicantur? vel Reginæ *dignitas* ab ornamento & fuco eſt? ſic pulchræ puellæ has venuſtatis lautitias amant? Ita quidèm. Sed quas mox repudiauit Eſther; quarum contemptus, eius potiùs *dignitas* fuit. Imitare.

*Verſ.* 9. Et ſeptem puellas ſpecioſiſſimas de domo Regis.

8.
Caietan.
*Exprompta obedientia pulchritudinem conciliat.*

Has Egeus Eſtheris ſeruitio deputauit. Sed litteraliſſimè pariter ac moraliſſimè obſtrepit Caietanus: *Dictio Hebraica non ſignificat ſpecioſitatem, ſed potiùs promptitudinem: vt intelligamus ſeptem puellas promptas ad obſequia ipſius Eſther.* Sic expromptum obſequium vices cum ſpecioſitate & pulchritudine ethicè reciprocat, vt perindè ſit dixiſſe, *puellas promptas ad obſequia*; ac *puellas ſpecioſiſſimas?* ô noua ſynonyma! ô pulchra exprompti obſequij venuſtas!

*Verſ.* 11. Qui (Mardochæus) deambulabat quotidie ante veſtibulum domus .... curam agens ſalutis Eſther, & ſcire volens quid ei accideret.

Quæ verba ſic exponit paraphraſis Chaldaica: *Et ſingulis diebus ibat Mardechai, & orabat ante atrium domus feminarum, vt cognoſceret pacem Eſther, & quid fieret illi.* Quid eſt, quod Mardochæus ſic nunc ſollicitiùs angitur pro ſuâ Eſthere? Quid illi deſit in gynæceo regio, vbi ſumptuoſiùs & benigniùs tractatur? Quid obambulat? quid explorat? quid ſciſcitatur? quid *orat* pro puella, quæ regiæ dignitatis candidata, in Regis habitat domo? ô curas ſcrupuloſiùs ſupernacuas, quibus non tangebatur dum neptis ſua priuatam vitam domi peragebat! Ita quidèm. Sed homo vertice & mente canus, tunc vel maximè ægris ſollicitudinibus angitur, cùm ſuam Eſtherem in Regis palatio verſari videt: & quaſi imminenti caſui foret proxima, ſingulis momentis *ſcire vult quid ei accideret*: & parùm fidens humano ſui auxilio diuinum tunc *oratione* ſedulà implorat. Vndè *deambulat quotidie ante veſtibulum domus, & orabat ante atrium domus feminarum, ſcire volens quid ei accideret.* Sic ſunt periculosè lubrica aulæ culmina!

9.
Paraphraſis Chaldaica.
*Quàm ſint lubrica aulæ culmina.*

*Verſ* 13. Ingredienſque ad regem, quicquid poſtulaſſent ad ornatum pertinens, accipiebant.

Chaldæus ſic reddit præfata verba: *Puella intrabat ad Regem: omnis magnus & ſatelles, quos vellet dicere, ſtatim dabantur ei, vt intrarent cum illâ à domo mulierum vſque ad domum Regis.* Num Magnatum ac bellatorum ſatellitium, ad feminarum *ornatum pertinet*? Quid teneritudini venuſtioris puellæ cum ſtrenuo ſatellitum robore? An quia pulchritudo valentiſſimum ac pugnaciſſimum quemque exarmat? Ad pulchritudinis *ornatum* pertinet ſpoliis triumphi ſui ſumptuoſiùs adornari: indè pugnax ſatellitium ad puellarum ornatum conſultius accitur.

10.
Chaldæus.
*Pugnax ſatellitium, ad venuſtioris puellæ ornatũ accitur.*

*Verſ.* 17. Et poſuit diadema regni in capite eius.

LXX. Interpretes ſic locum excribunt: *Et impoſuit ei diadema muliebre.* Moraliſſimè quidèm muliebris corona, non virilis; & Regis propria, Reginæ imponitur. Rex enim ſuam coronam, dignitatem, poteſtatem etiàm vxori chariſſimæ largiri non debet. Indecorè propudioſum foret, cùm omnes Regi ſubdantur, Regem mulieri ſubdi: & cui viri omnes obſequium præſtant, feminæ obſequium præſtare. Conſultiſſimè ergò rex Aſſuerus Eſtheri ſuæ chariſſimæ *diadema muliebre impoſuit*. Dein Chaldæus paraphraſtes pro τὸ *Poſuit diadema regni in capite eius*, ſic habet: *Et poſuit monile aureum ſuper caput eius, & conſtituit eam Reginam.* Regum corona, quod eſt auguſtius eorum inſigne, ſic vili penditur, vt *monile aureum* nuncupetur. O quàm ſunt puerilia, inania, futilia, quæ ambitionis vanagloria tanti æſtimat! Denique Anſelmus Laudunenſis prædicta verba ita exponit *Et poſuit diadema regni in capite eius*, id eſt, *in mente*. Conſultiſſimè quidèm hominis *mens* potiùs quàm caput coronatur. Hoc fortunæ eſt, illud virtutis. O coronæ cuique

11.
LXX. Interp.
*Cur diadema muliebre Eſtheri reginæ imponitur?*

Paraphraſtes Chaldæus.
*Corona, capitis monile dicitur.*

Anſel. Laud.
*Mens potiùs quàm caput coronandum.*

cuique facile parabilem! Si ſtrennè velis, coronatâ *mente*, potiore hominis parte, Rex eris. Sibi auguſtiorem regni dignitatem inuidet, qui negligit mentem coronare ſuam.

*Verſ.* 18. Et dedit requiem vniuerſis prouinciis.

12. Carthuſ. ibi. *Solutio tributorum irrequieta eſt.*

Nimirùm, ait Dionyſius Carthuſianus, *à ſubditis ſuis non exegit ſolita tributa, ſiue obſequia anno illo.* Sic eſt tributorum ſolutio granis, operoſa, irrequieta; ſub vectigalium exactoribus nulla eſt ſubiectis populis *requies*. O furacem exactorum auaritiam, Principum poteſtate armatam! Vt viliſſimi exactores diteſcant, populus vniuerſus euertitur. Numquam ſatis exigitur, quod nimis petitur. Sciunt populi noua vectigalia ſemper pendere, & vectigalium ſolutionem neſciunt. Vel Rex barbarus aliquandò *dedit requiem vniuerſis prouinciis* id eſt, *à ſubditis ſuis non exegit ſolita tributa, ſiue obſequia anno illo.*

*Verſ.* 19. Cumque ſecundò quærerentur virgines, & congregarentur.

13. Caietan. *Hiamus ad deſiderata, ad eadem poſſeſſa nauſeamus.*

Quæ verba ita Caietanus exponit: *Contextus inſinuat congregationem hanc ſecundam fuiſſe factam regnante iam Eſther.* Caietano non pauci Interpretum ſubſcribunt. Profectò mirifſimum eſt & expenſione digniſſimum, quòd vix dictum fuerat, Eſtherem pulcherrimam Regi placuiſſe, & ad eius nuptias aſſumptam, cùm ſubditur, ſtatim nonum virginũ delectum fieri. Audiendus eſt ſacer Hiſtoricus verſ. 17. *Et adamauit eam* (Eſtherem) *Rex plusquam omnes mulieres, habuitque gratiam & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite eius, fecitque eam regnare in loco Vaſthi. Et iuſſit conuiuium præparari permagnificum cunctis principibus & ſeruis ſuis pro coniunctione & nuptiis Eſther.* Vix hæc narrantur, & ſuccedaneâ relatione ſcribitur, *Cumque ſecundò quærerentur virgines*, &c. O humanas voluptates, voluptatis ieiunas! Tam citò nauſeamus ad conceſſa & expromptа, quantumuis anhelo affectu expetita, & nuper gratiſſima? Mundiale bonum, quod ſpe nitet, & deſiderio auidiùs ambitur, ſic ſqualet adeptum? ô fugaces concupiſcentiæ voluptates! Spe ſuſpirant homines, quod ſub poſſeſſione confeſtim tædio eſt. Quid ſemper ad habenda hias: qui ad habita ſic ſemper nauſeas? Mentitum eſt illud bonum, quod deſiderio placet, poſſeſſione faſtiditur. O, fugitiuas concupiſcentiæ voluptates fuge! Quid tam auidè non tam rem, quàm rei nauſeam ſuſpiras? quid toties falſatæ voluptati credis? Ne credas deſiderio, experientiæ crede.

*Verſ.* 20. Quicquid Mardochæus præcipiebat obſeruabat Eſther: & ita cuncta faciebat, vt eo tempore ſolita erat, quo eam paruulam nutriebat.

14. LXX. Interp. Euſeb. 14. ſtrô. l. 1. c. 34.

LXX. Interpretes ita habent: *Et Eſther non mutauit educationem ſuam.* Poſt regnum eadem fuit Eſther, quæ anteà, modeſta, humilis, & parens nutricio ſuo Mardochæo, quem perindè omni obedientiâ coluit in Regiâ, ac in priuatâ domo. Hæc morum æqualitas in fortunæ inæqualitate, auxit gloriam virtutis; quæ cum eadem fuiſſet in magnâ, ac nuper in paruâ fortunâ, maior vtique fuit. Creſcit humilitas in maieſtate, creſcit modeſtia in regno, & naturali miraculo æqualis Principis virtus maior ſe eſt, quia ſe in principatu tenuit. Et cùm non extuliſſet ſpiritus Eſtheris maieſtas, extulit virtutem eius, quia illam non extulit. Quæ fuerat abſconſa in priuato angulo hominis captiui, eadem in regij ſolij culmine fuit. Mirum eſt tantam fortunæ mutationem non mutaſſe Eſtherem, quò altera ab Ediſsâ foret. Nec ſuperbis Aſſueri nuptiis, nec Regis fauore, nec plauſu populorum, nec gloria diadematis, nec oſtentatione maieſtatis, nec dignitatis ambitione, nec ſumptuoſiori nuptiarum lætitiâ, flectineſcia alteratur Eſtheris virtus, niſi vt arcanâ ſpiritus almi æquanimitate creſceret, *& ita cuncta faciebat, vt eo tempore ſolita erat, quo eam paruulam* Mardochæus *nutriebat.* Hactenùs fere Euſebius.

*Mirè elucet Eſtheris æquanimitas in tam inæquali fortuna.*

---

## §. LVIII.

### *Ad herbaceos voluptatum floſculos homo arctiùs illigatur.*

SAtis diu cum rebus aliis litigauimus, nunquam ſatis cum vitiis, & voluptatibus; quas perſequi oportet ſine modo & ſine fine, nam illis quoque nec finis eſt nec modus. Proiice quæ cor tuum falſato gaudio delectant, *quæ ſi aliter extrahi nequirent, cor ipſum cum illis reuellendum erat.* Sic altè hæret vnctæ & nitidæ voluptatis appetentia, ſpebus aſpectabilis, re ipſa contemptibilis, & quæ citò in tædium vertitur, exitu faſtidioſa, quæ propè ſemper de ſui abſentiâ gratiam placendi fœnetat. Itaque imprimis *reſpuendæ ſunt voluptates; eneruant, & effeminant, & multum petunt.* Multum petit quod hominis cor petit, vt impleat & poſſideat adeò vt ſine corde, aut ſine vita ſæpè reuelli nequeat. Hem! ſic futile rationis ludibriũ eualet? 1. Seneca epiſt. 52. & 105. *Cor ipſum cũ voluptate reuellendũ eſt?*

2. Daniel. 4. v. 12. & 20.

Danielis 4. ſomnium quod de ſe vidit Nabuchodoſonor, in hunc modum enarrat: Ecce vigil & Sanctus de cælo deſcendit. Clamauit fortiter, & ſic ait: Succidite arborem, &c. veruntamen germen radicum eius in terrâ ſinite, *Et alligetur vinculo ferreo & æreo in herbis, quæ foris ſunt, & rore cæli infundatur, & cum feris pars eius in herbâ terræ.* Quæ ſententia iteratur infrà verſ. 20. *Alligetur* ſcilicet ille, qui per arborem ſignificatur, putà Nabuchodonoſor. Non morabor hîc Interpretes, an Nabuchodonoſor verè mutatus ſit in feram ſeu beſtiam; an apparenter, & oculorum tenus, an duntaxat in ſuâ imaginatione vitiatâ & corruptâ, ſibi in belluam transformatus videretur: Quocumque igitur modo ſe res habeat, miriſſimum ſanè eſt, & expenſione digniſſimum, ſiue hominem, ſiue feram vinculo ferreo & æreo camporum herbis alligari. Porrò, quandoquidem vinculis ferreis alligari neceſſe fuit, efficaciter innuitur, Nabuchodonoſorem validis tunc viribus præpollere, & vegeto robore. Quid ergò agrorum herbis ferreo vinculo religatur? An non vel modico adnixu facile poſſet herbam euellere, & radicitùs extirpare? Valido trunco aut caudici proceræ arboris religandus potius videbatur. Ideò forſan Vatablus ex Chaldæo

*Nabuchodonoſor voluptatum herbis ferreo vinculo alligatur.* Vatablus.

Chaldæus.

Chaldæo exſcribit; *Alligetur vinculo æreo & ferreo, ponatur in herbâ agri.* Verùm Vulgatus habet: *Alligetur in herbis.* Quæ eſt ergò hæc agrorum *herba*, cui Nabuchodonoſor ab hominibus eiectus, & in pecudum cenſu habitus ſic validè alligatur? Sic *herbis*, quæ illi in pabulum dantur, hæret, vt ferreis vinculis alligari ad illas, velut ad præualidum ſtipitem videatur? Appoſitè ad rem Hugo: *Alligetur vinculo ferreo & æreo, id eſt, forti, & durabili, & indiſſolubili; ſicut animal laſciuum, vel ſicut inſanus .... ad paſcendas herbas.* O! ſic laſciuiæ præſtigium, ſic libidinis illicium, ſic pecuina palati gratia, ſic irrationale voluptatis ludibrium homines arcanâ pellaciâ allicit, attrahit, raptat? Ad pratorum *herbas*, & delicatulos agrorum floſculos, id eſt, ad mundi delicias, & concupiſcentiæ voluptatulas, velut vinculis ferreis & æneis ſic vecordi libidine vincitur homo, vt vincula excutere, & vix ſe poſſit expedire, libera quâdam velut neceſſitate conſtrictus. Hoc herbaceum laſciuiæ vinculum Hugo hyperbolicè *indiſſolubile* appellat. *Nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra,* dicebat totus ille laſciuientium iuuenum grex, duce voluptatis feruore, & deliciarum præſtigiis actus.

Hug. Carenſ. ibi.

5. Ionas, fugitiuus Propheta, è portu ſoluit in Tharſis. Tempeſtate de improuiſo obortâ, in æſtuantis pelagi ſæuos vortices naufragus proiicitur. Adeſt tempeſtiua maris bellua, in cuius aluo Ionas naufragium digerit, & ipſe in littus ſoſpes egeritur. Prædicat in Niniue pœnitentiam. Sed pœnitentia Niniues ſic comminatum auertit ſupplicium, vt iracundia euaſerit veniæ officina. Et afflictus eſt Ionas afflictione magnâ, & iratus eſt,& ait:Nunc Domine tolle quæſo animam meam à me:quia melior eſt mihi mors, quàm vita. Et dixit Dominùs: *Putaſne benè iraſceris tu?* Tacet Ionas & egreſſus de ciuitate ſedit contra Orientem ciuitatis:& fecit ſibimet vmbraculum ibi. Nox erat media, & ſubitò vireſcens hedera ſeu colocyntha, totā frondium ambitionem expādens velut pratum ſupra caput oppandebat, quod Solis radios opacè frangeret. *Et lætatus eſt Ionas ſuper hederâ lætitiâ magnâ.* Et parauit Deus vermem,& abroſit hederam,& cōtinuò exaruit. Et cùm ortus fuiſſet Sol, percuſſit ſuper caput Ionæ,& æſtuabat: & petiuit animæ ſuæ vt moreretur, & dixit: Melius eſt mihi mori, quàm viuere. *Et dixit Dominus ad Ionam: Putaſne benè iraſceris tu ſuper hederâ? Et dixit: Benè iraſcor ego vſque ad mortem.* Benè inibi notat Hugo Carenſis, quòd nuper Ionas *interrogatus à Domino nihil reſpondit quando Niniue pœnitebat, ſed interrogationem Domini ſilentio comprobauit:* nunc autem quandò cucurbita areſcit, ad cuius frondeam viriditatem tantoperè *lætatus eſt*, audacter reſpondet: *Benè iraſcor ego vſque ad mortem.* Sic Propheta herbaceæ commoditati, & leuiculæ voluptati adhæreſcebat, vt illâ viduatus, mortem obnixiùs expetat. *Numquid floſculi deplorabis exitium, & tot hominum myriades pœnæ dedam?* ait Deus Seleucienſis Baſilij ore. Scilicet Nabuchodonoſor *vinculo ferreo & æneo in herbis alligatur:* & Ionas ſic lætatur fugitiuo colocynthæ virore ſicque *floſculi exitium deplorat*, vt præ mœrore votis mortem aſciſcat. *Benè iraſcor ego vſque ad mortem.*

*Ionas vernātis floſculi, ſeu herbæ exitium funeſtè tulit.*

Ionæ 4.v.9.

Baſil. orat. 12.

4. Regius Pſaltes agens de Iſraëlis, vel potiùs Chriſti regno, ſic pangit: *Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius.* Quid eſt quòd ſiniſtra magnum mare tenet,& dextera in tenendis fluminibus tota occupatur? Et quidèm (vt appoſitè inibi notat Lorinus) cùm validior & nobilior ſit dexterâ,tribuendum ei potiùs *Mare* fuiſſe videtur, quàm flumina. Idcircò Græci interpretes per *flumina* terram continentem intelligunt, per quam flumina labuntur. Inuſitata planè locutio, ad quam loci difficultas Commentatores impulit. Hugo Carenſis ſic præſcripta verba myſticè interpretatur: *Ponam in mari manum eius, id eſt, operationem eius in mundo. Et in fluminibus, id eſt, in fluidis hominibus, dexteram eius, id eſt, operationem eius, qui ad dexteram collocabuntur.* Tametſi ſatis idoneè per *dexteram* intelligat *fluidos homines*, & blandis voluptatibus molliculos; tamen explicatiùs Auguſtinus ſic inibi fatur: *Et pones in mari manum eius, hoc eſt, dominabitur Gentibus; & in fluminibus dexteram eius. Flumina currunt in mare, cupidi homines in amaritudinem huius ſeculi.* Ecce tibi *fluidi homines* deliciis dediti, & anhelâ ſiti voluptatum *cupidi*, *dexteram*, id eſt, *validiorem & nobiliorem* manum, labentia voluptatum *flumina* tenere ſtudent, ne celeriter diffugiant fugitiuo perpetim lapſu. Nempè homo ſiniſtra, id eſt, ignobiliori & inualidiori manu reliqua *mundi* tenere exambit; at labentes velut flumina voluptatulas, *dexterâ*, hoc eſt, validiori manu tenere obnixiùs ſatagit. Sic fluidi homines, velut Nabuchodonoſor, *vinculo ferreo & æneo in* voluptatum *herbis alligantur!*

Pſ.88.v.26.

Lorinus.

*Mundus ſiniſtrâ; voluptas dexterâ tenetur.*

Hugo.

S.Auguſt.

5. Profectò fluidi homines ſic ſtulteſcunt, vel potiùs obbruteſcunt, vt cum Nabuchodonoſore, *vinculo ferreo & æneo in* voluptatum *herbis alligentur.* Matthæi 24. *Cùm iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, ſcitis quia propè eſt æſtas.* Quæ Chriſti Dei verba de Antichriſto & mundo tunc deliciis ac voluptatibus vernante, ſic inibi Hilarius exponit: *Cùm tenereſcere cœperit, atque frondeſcere, tunc proxima eſſe æſtas,* id eſt, *dies iudicij ſentietur: frondeſcere autem quâdam peccatorum exultantiâ veritate noſcitur; erit enim tunc flos criminoſorum.* Itaque mundus dum frondeâ voluptatum viriditate tenereſcit, vernat, ac floret, aridæ æſtati funeſtè vicinatur; & tantilla voluptas, quæ eſt *criminoſorum flos* ad momentum nitens, fluidâ caducè gratiâ homines tenet, occupat, poſſidet, & quaſi vinculo ferreo ac æneo alligat Antichriſto, deliciarum fautori, & voluptatum artifici. Eheu mundum tenaciſſimè poſſidet Antichriſtus, dum ab illo crucem Chriſti aufert, & teneram deliciarum gratiam offert ad momentum! Floſculo æſtati proximo ſic inhiamus, ſic adhæreſcimus? voluptatis præſtigium, rationis ludibrium eſt, ſtolidus mentium ſtupor, quo vel Sanſones cæcè illigantur arcano voluptatis lenocinio. O fuge hæc voluptatum vincula, quiſquis virtutis libertatem amas! Et vide hîc Aſſuerum benè ſolutum, & male illigatum in obſequentis Vaſthi amoribus, & pœnitendæ voluptatulæ quam iam nunc ſuſpirat.

Matth.24. v.32.

S. Hil. ibi.

*Areſcit voluptatū flos, cùm vernare incipit.*

Lucæ

6. Lucæ 16. homo quidam erat diues, qui induebatur purpura, & byſſo; & epulabatur quotidiè ſplendidè. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſà diuitis, & nemo illi dabat. *Factum eſt autem vt moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno.* poſt diuitis delicias, gehennale ſepulcrum denarrat, opulentæ felicitati confine. Sic voluptuoſa vita interitui propendet, & ad infernum properat? ô voluptates & delicias gehennæ cognatas! Audiendus eſt S. Baſilius, qui epiſt. 383. ſic eleganter ſcribit: *Eſt qui (vt ait) iſtius vitæ vanitatem deteſtatus, & cognito, quod illius voluptates etiamnum hic cataſtrophen ſuam habeant, fomenta quadam, & ſtrues, æterno illi igni congerentes, quamcelerrimè autem curſu prætervectæ, me acceſſit, cum propoſito deſerendi vitam hanc ærumnoſam, & multis ſuſpiriis refertiſſimam.* Nimirùm mundus hic, cui auidè incumbimus, velut ſcena quædam eſt, quæ ſcenicâ, id eſt, vmbratili voluptate nos ſtupore alligat, & ſuſpenſos tenet, dum cuiuſque vita, velut fabula agitur cothurnato ſæpè oblectamento. Sed ſcenicæ fabulæ *voluptas etiamnum hic cataſtrophen ſuam habet.* Cataſtrophe Latinè ſubuerſio, extrema pars fabulæ eſt, & in eà res turbulentæ in lætum conuertuntur exitum, vt in Comœdiis fieri ſolet: aut contrà quòd res lætæ triſtem ſortiuntur exitum, vt in Tragædiis. O ſcenicæ voluptatis ad momentum læ-
7. tæ, tragicam etiamnum *cataſtrophen*! Diues hic delicioſè opulentus, ſplendidè purpuratus, opiparè pranſus & cœnatus, felicitate miſer, in ſumptuoſa ridentis fortunæ ambitione infidè adnuente tragico continuè exitu, *mortuus eſt, & ſepultus in inferno.* Ecce tibi perpetuo lugubrem fortunæ ad modicum lætæ *cataſtrophen.* O ludicram mundi gloriam gehennalibus æternum tormentis ſeriò luendam? *Voluptates etiamnum hic cataſtrophen ſuam habent.* Confeſtim explicatiùs tradit Baſilius, quæ ſit hæc mundialis gloriæ tragica cataſtrophe. Voluptates, inquit, quam celerrimè curſu prætervectæ, ſunt *fomenta quadam & ſtrues æterno illi igni congerentes.* Opinor, hoc eſt magnum illud gehennalis pyræ ſacramentum. Nam arcanus ille ignis nunquam moriturus, ſic miſera damnatorum corpora comburit, vt dum erogat, reparat, quaſi de voraci incendio pabulum ad æternitatem ſubminiſtret. Quin & ipſa gehennalis pyra iugi ſemper incendio flagrans, ac ſi immortali pabulo aletur, nunquam ardendo deficit. Vndè hoc arcani illius ignis perenne myſterium? Scilicet *voluptates quamcelerrimè curſu prætervecta fomenta quadam, & ſtrues æterno illi igni congerunt.* Nempe ignis gehennalis myſterium, mundialium voluptatum ſacramentum eſt: breuis enim etiamnum voluptas, æternum *fouet* incendium, ô time.

*Lucæ 16. v. 22.*

*Scenica tragica voluptatis caſtaſtrophe expenditur.*

*S. Baſilius.*

*Ignis gehennalis myſterium, humana voluptatis ſacramentum eſt.*

## §. LIX.

### *Feſtinatio capeſſendi conſilij, improuida eſt, & cæca: tempeſtiua cunctatio egregiè, conſilium adornat.*

INter ſcopulos, quibus collidi & frangi con- 1.
ſiliorum nauis ſolet, prima mihi Celeritas occurrit, infamis naufragiis in prudentiæ pelago. Nam qui cupit, feſtinat: qui feſtinat, euertit: *Omnia non properanti clara certaque ſunt, feſtinatio, improuida eſt & cæca*, ait Liuius. Itaque verè dictum: Nihil magnis conſiliis tam inimicum, quàm Celeritas. Lentos ego amo, lentos. Nam quòd nonnulli *in conſultando temerarij, in exequendo viri ſunt*, vt ait Velleius; accuſat Tacitus, quia *ſubiti conſiliis, ſed euentu felices.* Scimus id à caſu eſſe, cui non fido: magis rationi, & huic Liuij dicto: Celeres iſtos *celerem pœnitentiam, ſed eamdem ſeram atque inutilem ſequi.* Vidimus, videmus, videbimus, ſemperque verum, *Scelera impetu, bona conſilia mora valeſcere*, quæ ſunt Taciti verba. Conſulere quidèm oportet lentè, conſulta exequi feſtinanter. Addo à grauiſſimo viro pondus, ab Ariſtotele inquam: *Celeriter deliberata peragenda ſunt, deliberandum autem tardè.* Cruciatur iam nunc Aſſueri regis memoria, ſubiti conſilij ſerâ pœnitentiâ. Nam vt diſſertè Publius Mimus: *Ad pœnitendum properat, citò qui iudicat.*

*Lipſius l. 2. Polit. c. 7.*

*Scelera impetu, conſilia valeſcunt mora.*

*Ariſt. 6. Ethic. cap. 9.*

*Hic verſ. 1.*

Geneſeos 22. dixit Deus ab Abraham: 2.
*Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium quem monſtrauero tibi.* Super quibus verbis benè addubitat Origenes: *Numquid*, ait, *non potuit priùs duci Abraham cum puero ad illam terram exelſam, & imponi priùs in montem quemcumque delegerat Dominus, & ibi ad eum dici, vt offerret filium? Quò hoc ſpectat?* Cur longi itineris moram interponit ad obſequium, quod de expromptiori obſequelâ laudem inuenit? Forſan cæco inopinatæ obedientiæ impetu rem iuſſam incunctanter præſtans, Dei præceptionibus adulantiùs pareret negotio inconſulto; quid longa indicitur mora? quorſum rationis humanæ niuibus, locus datur vt Abrahami feruor frigeſcere poſſit? S. Ambroſius hoc dubium tacitè verſans, ſic expedit: *Vade in terram viſionis, &c. Interponitur ſpatium triduo peragendum, ne præcipitari ſubito videatur affectus, vt illâ dilatione obrepat pietatis gratiâ deſiderium patris.* Scilicet ne Abrahamus piè velut temerario impetu expromptiſſimi ad parendum animi, ſtupendum ſeculis facinus peregiſſe videatur, tridui interponitur ſpatium. Non præceps ſubitò ruat in dilecti filij iugulum quaſi inconſulto parricidio, ſed moras arduo facinori ex Dei præſcripto nectat; vt à morâ conſultius, quàm audacius videatur. Grande quidèm Abrahami facinus audit; aſt ne ſubitò patratum, inconſultæ prudentiæ næuo deuenuſtetur, quàm de piè

*Geneſ. 22. verſ. 2.*

*Orig. ibi.*

*Abrahami facinus, conſultius fuit, an audacius?*

*S. Ambr. l. 1. de Abrah. c. 8.*

ſtrenuâ nobilitetur audaciâ; cunctatione conſilium comat, conſilio facinus exaggerante ad auguſtioris gloriæ cumulum. Porrò ſubita omnia vulgò probantur incauta. Sit ergò Abrahami facinus quaſi ſubitò & inconſultè audentis, nec deſit illi gloria conſiliantis: de parricidio inopinatè audax, de morâ peritè conſultum.

3. Gen. 1. v. 26. Geneſis 1. perampla mundi palatio affabrè extructo, & reliquis animantibus ad ſeruitium & alimoniam, & delicias creatis, magno apparatu hominis creatio præſtruitur Et ait Deus *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Deus ne is eſt, qui conſilium aduocet? Peritiſſima Dei omniſcientia de hominis formatione conſulat? Et quem nam Deus conſulit? de Angelorum mendicitatibus nullam Deus nouè peritiam expectet. An aliqua ex diuinis perſonis ambas conſulit? Sed ex nullius conſultatione vlla recens accreſcet notitia: nam in perſonarum trinitate, ſicut vna eſſentia, ita & vna mens, vna prudentia, & conſilij ratio viget. Quæ ergò eſt hæc noua conſilij ratio, quam in hominis formatione Deus init? Rupertus hanc quæſtiunculam & obuiè proponit, & ad rem argutè diſſoluit. *Faciamus hominem ad imaginem, &c. Non dixit Scriptura, quia dixit Deus, Fiat homo ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & factus eſt homo, ſicut dixit, Fiat lux & facta eſt lux. Quare? Videlicet quia non repentè, ſed operosè agendum erat, vt conſummatus homo ſtaret ad creatoris ſui imaginem.* Nimirum ſacer Hiſtoricus agit de Deo quaſi ſe adtemperarit mori humano: & idcircò vt commendet formationem hominis, in quo ſuam imaginem impreſſit, & conſummatam eius fabricam reliquis mitiorem venuſtet, nobilitet, deprædicet, adeò vt nullus vituperonibus oblocutionis maneret locus; operosè curat, vt homo initio priùs conſilio fiat; ſolletter præcauens, ne etiam *conſummatus* euadens, & ſuâ imagine impreſsè excultus, *repentè* factus exiſtimetur. Sic apud homines ſubita omnia probantur incauta.

*Deus velut inito conſilio hominem cōdit, ne illum repente feciſſe videatur?*

Rupert. l. 2. in Gen. c. 4.

4. Geneſ. 31. v. 32. Geneſeos 31. agteſte Labani ingenium cælitùs mitigatur, ne de clandeſtinâ Iacobi fugâ cum eo grauiùs expoſtulet. Eſtò (inquit ad Iacobum Laban) ad tuos ire cupiebas, *cur furatus es Deos meos?* Reſpondit Iacob: Quòd inſcio te profectus ſum, timui ne violenter auferres filias tuas. *Quòd autem furti me arguis: apud quemcumque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus noſtris. ſcrutare, quicquid tuorum apud me inueneris, & aufer. hac dicens, ignorabat quòd Rachel furata eſſet idola.* Duræ mortis ſententiam dicit Iacobus contra quemcumque ſuſtuliſſet idola Labani; & neſcius ſuas delicias, ſuum corculum, ſuam Rachelem inquâ imperitè condemnat. Quid agis cōſultiſſime olim Patriarcha? Vltrò te tuâ Rachele viduari exoptas? Beniaminum immaturè perimis? Ioſephum videre orphanum feſtinas? ſpem tantæ optatiſſimè poſteritatis vltrò præfocas? Ex ore tuo funeſtior tuæ familiæ tragædia imminet? Eleganter Rupertus: *Apud quemcumque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus noſtris, hac dicens, ignorabat quòd Rachel furata eſſet idola. Non ergò parum in verbo contra ſe ipſum offendit Iacob, qui tam citò protulit ſententiam.* O bonam omnibus, præſertim Gubernatoribus eruditionem! Quoniam *Iacob tam citò protulit ſententiam*, ideò conſultior Dei prouidentia moraliſſimè permiſit, vt ore ſuo & ſe, & ſimul chariſſimum ſibi pignus atrociſſimè feriret. Res ſanè miriſſima, quòd Iacob ſuam Rachelem diræ neci condemnet. Sed quid mirum, *ſi citò protulit ſententiam?* A conſultâ rei agendæ morâ, conſultior hominum prudentia eſt, Perturbatus derepentè animus cui in breui temporis ſpatio multa præuidenda conſilium anteuertunt, imprudentiæ lenocinatur. Mora perturbationem ſedat, mentem tranquillat, conſilia ſuggerit, examinat, eligit. A conſultâ mora conſultior hominum prudentia eſt. Subita omnia ferè probantur incauta. Vel ſe ipſum præmaturè damnabit, qui extemporalem ſententiam dicit.

*Vel ſe ipſum prædamnat, qui citò ſententiam dicit.*

Rupert. ibi.

Geneſis 7. extructâ arcâ, quæ mundi naufragi reliquias reſeruaret, dixit Dominus ad Noë: *Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: te enim vidi iuſtum coram me in generatione hâc.* 5. Geneſ. 7. v. 1 Eſtò, Noëmus præ ceteris illius æui iuſtus prædicetur; quid eſt, quòd in mundi vniuerſali naufragio, illum reddidit dignum, qui ſolus cum ſuâ duntaxat familiâ ſoſpes euaderet? Quid in Noëmo prænitet, vt illi tantum negotium vnice committatur? Conſulendus eſt hâc de re Zeno Veronenſis ita ad rem fatus: S. Zeno ſer. de Patient. Noë inquit, cataclyſmum, quo omnis caro funditus deleretur, denunciante Deo imminere per momenta, & credit, & timet: arcamque cum ſuis, vt ſaluus foret, quam iuſſus eſt facere, *non præcipiti feſtinatione compingit*: nec tantum munus quaſi præſumptor, aut demens rapit, ſed patienter ædificat, patienter exornat, patienter variis animantibus replet. (expende attentius quæ ſubdit verba) *quandò ingredi iubeatur, quandò ianuam claudere, patienter expectat: dignus euadere, qui in tanto orbis metu non feſtinauit euadere.* Nimirùm Noëmus annunciante Deo commune orbis naufragium, & fidelis credit, & imbecillus timet; & arcam ſui, & ſuorum aſylum, *non præcipiti feſtinatione compingit*, ſed prudente cunctatione ſpatia protelat: nec iam iam ingruente procella quæ totum orbem funditus euertat, quaſi conſilij inops ingreſſum præcipitat; ſed moras conſiliosè nectens, patienter expectat: *dignus euadere, qui in tanto orbis metu non feſtinauit euadere.* Quaſi inter tot virtutes, quæ excelsè Noëmum adornant, hæc velut moroſa cunctatio, quâ tantâ timendi occaſione *non feſtinauit*, ſumptuoſiùs præcellat; dignumque fecerit, qui ſoſpitatem in naufragio inueniret, vt incolumitatem prudenti cunctationi debeat, & miriſſimum in perarduo negotio exitum.

*Noë dignus fuit euadere, qui in tanto orbis metu nō feſtinauit euadere.*

6. Prouerb. 10. v. 8. Prouerbiorum 10. *Sapiens corde præcepta ſuſcipiet, ſtultus autem cæditur labiis.* Quæ eſt hæc ſtultitia, quâ ſtultus cæditur labiis; Alij excribunt: ſtultus labiorum *impingit*, vel *obliquat*, vel *claudicat*, vel *fermentabitur*, id eſt, in acorem & amaritudinem reddetur, dum impatientiâ diſciplinæ cum mente verba præcipitat. Quod Vatablus & Tigurina explicatiùs & opportuniùs tradiderunt; *ſtultus feſtinat in labiis*: & ita ſubitò & feſtinanter conſilia, & verba præcipitans, *cæditur* labiis. ore *obliquat impingit, claudicat*, dum in acorem præ impatientiâ *fermentatur*. Stultæ impatientiæ & imprudentiæ

Apud P. Salaz. ibi.

*Quia ſtultus feſtinat labiis, omnia citò tentat, & in momento diſturbat.*

S. Zeno ſer. de Patient.

prudentiæ elogium eſt, *labiis feſtinare.* Quâ ſuper re ita ſcribit nuper laudatus Veronæ Antiſtes: Impatientia, inquit, quid eſt, niſi mens lubrica, permotionibus crebris & rapidis ſe ſemper expugnans, animus infidelis: etiam ſibi factus improuidus, cæcus, incautus, inconſtans totus concitans ruinam: *res ſine ſubſtantiâ, negotium ſine perſona? omnia citò tentat, omnia momento diſturbat.* Nec mirùm quòd tot famoſiſſimis elogiis impatientiam dehoneſtarit; quæ dum *feſtinat labiis, omnia citò tentat, omnia momento diſturbat:* vndè ſerâ pœnitentiâ omnia gerit.

7\. Geneſ. 14. v. 14.

Geneſeos 14. profligatis Pentapoleos regibus, Sodoma hoſtiliter diripitur: necnon & Lot captiuus adducitur. *Quod cùm audiſſet Abram, captum videlicet Lot fratrem ſuum, numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo: & perſecutus eſt vſque Dan.* Benè obſeruat inibi Lipomanus, quòd *Abraham ſtatim vt conſanguinei periculum audit; non cunctatur, non conſultat, ſed prompto conſilio vernaculos gladiis & lanceis armauit.* Vir conſultiſſimus non *conſultat* de auxilio ferendo conſanguineis? Sic expromptus eſt ſanguis ad fouendum & liberandum conſanguineum, vt alacre opis ferendæ propoſitum anteuertat conſultationem, & præeat electionem? Sed ambigere poſſet quiſpiam, an prudenter Abraham re inconſultâ quatuor Reges illuſtri victoriâ inſolentes hoſtiliter perſequi intentarit? An non è re foret aliquâ etſi exiguâ morâ ad deliberandum de periculoſo negotio, facinus adornare? *Non cunctatur*, inquit, *non conſultat.* Profectò vbi non præcedit aliqua capeſſendi conſilij mora, & cunctatio conſilium præit, *res eſt ſine ſubſtantiâ, negotium ſine perſonâ*: nam inconſulta imprudentia, *omnia citò tentat, omnia momento diſturbat.* Verùm S. Ambroſius Abraham egregiè vindicat ab inconſultæ imprudentiæ calumniâ, expendens τὸ *numerauit expeditos vernaculos ſuos*, &c. *Quid eſt*, inquit, *numerauit? Hoc eſt elegit . . . . . Numerauit autem trecentos decem & octo, vt ſcias non quantitatem numeri, ſed meritum electionis expreſſum.* Scilicet tametſi feſtinatione opus erat, vt hoſtes imparatos ad reluctandum, nec in finibus ſuis receptos ſubitò adoriretur: at attentiùs auxiliares *numerat*, *hoc eſt, eligit*, quo verbo ſacer Hiſtoricus *meritum electionis expreſſit.* Moroſè non cunctatur, ne victor hoſtis elaberetur; ſed propè cunctanter agit, dum pugnatorum merita eligit. Quò habeat Abrahami facinus & felicitatem properantis, & prudentiam conſulentis & meritum eligentis. Non deliberat celeriter, ſed celeriter deliberata exequitur; nam dum cunctanter milites auxiliares *eligit*, & attentiùs *numerat*, vires conſulit, & robur expendit. *Non cunctatur, non conſultat* de ope amico periclitanti ferendâ, quod extra conſilij deliberationem eſt; ſed de idoneis viribus, vt improuiſum hoſtem ſtrenuè adoriatur, pugnaciter vincat, feliciter detriumphet.

Lipom. ibi. Propoſitum fauendi cognatis anteuertit conſilium.

Vindicatur Abraham à bello inconſulte ſuſcepto.

S. Ambr. l. 1. de Abrah. c. 3.

## §. *LX.

*Blanda libido, & durior ſæuitia, affectus ſunt indiuiduè cognati: de amoris enim ſcintilla furor accenditur.*

1\. S. Ambroſius lib. 1. de Cain & Abel his verbis ſententioſe de libidine fatur, *Seuus criminum ſtimulus libido eſt, quæ nunquam manere quietum patitur affectum. Nocte feruet, die anhelat, de ſomno excitat, à negotio abducit, à ratione reuocat, aufert conſilium, amantes inquietat, lapſos inclinat, caſtis inſidiatur, potiendo inflammat, vſque accenditur. Nullus peccandi modus, & inexplebilis ſcelerum ſitis, niſi morte amantis extingui non poteſt. Et ideò ait Apoſtolus: Fugite fornicationem: vt veloci fugâ tamquam furioſæ Dominæ declinare ſæuitiam, & tetro ſeruitio exire poſſitis.* Multa hîc Ambroſius conglobat libidinis vituperia, quæ ſingulatim enucleare, etſi non operoſum, prolixum tamen foret. Illud autem nunc perſequar, quòd libido dicitur, *Sæuus ſtimulus, & furioſa domina* inſtigans ad ſæuitiam. Quod mirere magis in vitio blanditiarum mollitie coalito.

S. Ambr. l. 1. c. 5.

Addenſata libidinis vituperia.

1\. Cor. 6. v. 18.

2\. Geneſeos 39. enauigatis Ioſeph fraternæ inuidiæ fluctibus, Ægytum occupat, & ſeruus euadit corpore, cuius animus nulli ſeruitudini erat obnoxius. Conſtanti vrbanè renutu mulierculæ petulantiam deludit, & tenacibus manibus retentam permittens veſtem libinis effugit anſas, fugâ viſus pro armis (& hoc fortitudinis?) tradit veſtem, vt temperantiam teneat, ſtrenuſque miles virtutis ſtadium nudus decurrit, denique nudatur veſte, ne nudetur à temperantiâ. Dominus autem nimiùm credulus verbis vxoris de intentato ſtupro caſtum adoleſcentem malè accuſantis, *Iratus eſt valdè: tradiditque Ioſeph in carcerem, vbi vincti Regis *cuſtodiebantur, & erat ibi clauſus.* Verba huius petulantis ſalaciter mulierculæ, qûibus maritum ad vltionem impulit, expendens Seleucienſis Baſilius, ita fatur: *Luxuriæ verò dux diabolus vnà cum mulierculâ deuictus aliò rurſus arma vertit, amorem in iram conuertit, & ex impudenti deſiderio procudit arma, linguámque accuſatricem ſuſcitat.* Amor in iram conuertitur, & ex impudenti libidinis deſiderio procuduntur arma; & luxuriæ conceptaculum facta eſt crudelioris ſæuitiæ inopinata officina. *O impudica mulier* (ait S. Proſper,) *ardet amans, vulnus alit venis, & cæco carpitur igne. Amat & perſequitur, concupiſcit & ſæuit. Et quia ei ad ſtuprum non conſentit, trucidandum eum ſtatuit, quæritque perire quem diligit.* O amor naturale miraculum, naturæ monſtrum, affectionum ænigma, etiam cùm degenerauit in odium, adhuc viuacior amor eſt; & blandiùs amat, dum ſæuius odit. Quaſi odium ab amore natum, ſit beneuolentiæ exaggeratio, & dilectionis meta: dum amor adhuc in oppoſito affectu corporatus, eliquatus, inuiſceratus, ambitioſius ſcintillet ad gratiam, quò crudeliùs ardeſcit ad ſæuitiam.

Amor ex impudenti deſiderio procudit arma ad ſæuitiam.

Geneſ. 39. v. 19. & 20.

Baſil. Seleu. Orat. 8.

Libido amat & perſequitur, concupiſcit & ſæuit.

S. Proſper. 1. p. Prædic. c. 28.

Siracides Eccleſiaſtici 25. *Non eſt caput*

*nequius*

Eccli. 25. v. 24. & 25. Tigurina. *Ira mulieris concupiſcentia carnis nominatur.*

*nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris.* Græci codices pro τὸ *mulieris* habent *inimici.* vndè Tigurina ſic locum excribit: *Vt nullum caput eſt capite ſerpentis nocentius, ita non ira irâ inimici peſtilentior.* Quaſi *mulier* vices cum *inimico* reciprocet. Parùm foret quòd mulier dum iraſcitur, ſit inimici periphraſis, & moraliſſimum ſynonymum: etiam cùm amat, aut amatur, vices inimici gerit, & inimicas alit iras. Præſcripta Eccleſiaſtici verba exponens Hugo Cardinalis (aliàs aliorsùm enucleatus) ita ſcribit *Coluber eſt Diabolus, quaſi colens vmbras: caput colubri eſt praua ſuggeſtio dæmonis. Mulier hic eſt ſenſualitas ſiue caro; ira mulieris eſt concupiſcentia carnis.* Profundè quidèm Hugo! Ira mulieris dicitur concupiſcentia carnis? Imò concupiſcentia carnis mite ac blandum lenocinium eſt, dum cupiditatis pellaciâ gratè molliculas meditatur blanditias libidini cognatas. Verùm enim verò vſque adeò eſt ira libidini confinis, ſicque illi proximè vicinatur, vt quaſi libido ſit iræ conceptaculum, & inimicæ ſæuitiæ officina, *ira mulieris* (quæ eſt ſæuioris iracundiæ hyperbole) *concupiſcentia carnis* nominatur. Quid opportuniùs?

Hugo ibi.

4. Gen. 3. v. 14. LXX. Interp. S. Hieron. S. Ambroſ. S. Chryſoſt. Philo l. de migr. Abrah.

Geneſeos 3. hâc Deus pœnâ ſerpentem Protoparentum ſeductorem mulctat: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ: *ſuper pectus tuum gradieris.* LXX. Interpretes, Hieronymus, Ambroſius, Chryſoſtomus, & alij addunt, *ſuper pectus, & ventrem,* addit & Philo Hebræorum diſertiſſimus, Qui tractans, quare reptiles beſtiolas inter reprobos Dei populo cibos, legiſlator computauerit, nempe quia ſuper ventrem gradiuntur, ita ſcribit, *Nonnulli autem* homines *his nequiores, non contenti ſolius concupiſcentiæ genere, acquiſierunt inſuper germanum eius affectum iracundiam, vt confirmatis brutis animæ partibus, mentem omninò delerent, quod enim verbis de ſerpente dictum eſt, re verâ de quouis bruto & affectibus dedito homine diuinum eſt oraculum Super pectus & ventrem ingredieris. Nam circa pectus ira eſt, in ventre concupiſcentia. Ceterùm inſipiens ſuper vtraque ſemper ingreditur iram & concupiſcentiam, numquam ceſſando, ex quo aurigam ac præſidem rationem reiecit.* Itaque germanus affectus eſt, & æſtuantis concupiſcentiæ, & iracundiæ furentis, quibus homo præſidentiam rationis abiiciens, ſic obbruteſcit, vt brutæ animæ partes in ſe confirmet, dum concupiſcentiæ ac iræ furore agitatus, non tam rationalem hominem, quàm agreſtiorem belluam moribus repræſentet. Hâc pœna ſerpens dæmon in Suis mulctatur, adeò vt concupiſcentiâ & iracundiâ agitari Suorum character ſit, & reprobationis notamentum. O caue ab iracundiæ furore, quem æſtuantis luxuriæ faces accendunt! *Super pectus, & ventrem tuum gradieris.* Libidinis & iracundiæ greſſibus gehennale barathrum rectâ petitur.

*Germani ſūt affectus, & æſtuans libido, & iracundia furor.*

5. 2. Reg. 11. v. 2.

2. Regum 11. miſſo Ioab ad bellum, remanſit David in Ieruſalem: & accidit vt ſurgeret de ſtrato ſuo poſt meridiem, & deambularet in ſolario domus regiæ: *Viditque mulierem ſe lauantem, ex aduerſo ſuper ſolarium ſuum erat autem mulier pulchra valdè.* Miſit ergò Rex & requiſiuit quæ eſſet mulier. Nunciatumque eſt ei quòd ipſa eſſet Bethſabee vxor Vriæ Hethæi. Ecce iam Dauidem ex iuſto fœdè adulterum, ex mitiſſimo callidâ crudelitate cruentum. Ecce tota tragœdia Vriæ quem non tam gladij Ammonitarum, quàm Regis oculi peremerunt. Cùm enim Dæmon animaduertiſſet (ait Seleucienſis Baſilius) dauidem à recto paullulum oculos deflexiſſe, ſubitò venuſtate mulieris obiectâ confixit. Cùm enim regiè Dauid epulatus eſſet, ac meridianâ ſeſe oblectaret obambulatione, tunc Diabolus tunc animi curæque neruum remiſſum conſpicatus, & mentem paſſionum aurigam indiligenter ſuccinctam, ac paruulâ quâdam ſui parte nudatam ab armis, *Optimatem furtim cecidit, ipſis Iuſti oculis vſus pro telo.* Videns autem Diabolus Dauidem facti ſui pudore confuſum & pudendum vlcus celare cupientem, pudorem vertit in alterius peccati materiam. *Scelus namque admiſſum oberrat ſcelus. Quippè cæde adulterium conatus occulere, & cædis, & adulterij deprehenſus eſt artifex.* Vix concupiſcentiæ deliciis voluptuoſiùs vacat, & ad cruentam Optimatis cædem crudelis hiat: & hactenùs mitiſſimus, dum libidine calenter agitatur, ſæuitiæ artifex inuentus eſt. Serò trucidaret Vriam gladiis filiorum Ammon, ipſe Bethſabee aſpectu ſufflammatus, & amplexu ſuccenſus libidinum flammis, niſi *oculis* ipſis, quibus primò Bethſabeam vidit, *vſus* eſſet *pro telo* quo *Optimatem furtim cecidit.* (Vriam liceat per *optimatem* intelligi) Ipſe aſpectus, qui libidinem oculis haurit, telorum vices præmaturè obit, cedem Optimatis molitur, & ſtrages è peruerſo meditatur. Sic concupiſcentiæ & iræ eſt germanus affectus, & libido vices cum ſæuitiâ reciprocat. Eadem catena, quæ concupiſcentiam illigat, ſæuitiam trahit.

Baſil. Seleu. orat. 17.

*David oculis, quibus Bethſabeam vidit vſitur pro telis ad Vriæ cædem.*

Matthæi 14. die natali Herodis ſaltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Vndè cum iuramento pollicitus eſt ei dare quodcumque poſtulaſſet ab eo. *At illa præmonita à matre ſuâ, Da mihi, inquit, hîc in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.* Ecce tibi in hâc non bona perſonarum trinitate, ſæuitiam libidinis cognatam. Puella venuſtate nobilis, impudenter ſaltat; mater adulterio famoſa, & Herodes incæſtu infamis, ex libidine ſæuitiam procudunt, & ad ſtrages ſalaciter obarmantur. Audi matrem ore Baſilij, filiæ ſaltatrici ſic loquentem: Quid conſilia expectas? etiámne cùm prærogatiua ſit in manibus, quod quæras, ignoras? ecquid Ioannis capite nobis optabilius? quidquamne aliud eius iugulatione in hoc epulo nobis iucundius? *Diſco caput apportetur deliciemur oculis, quandò dentibus minimè poſſumus: diuellit nos à cubili regio, ipſe proprio deuellatur à capite, abſtrahit me meis amoribus, quem ira gladium acuerit, recipiat ..... Eſto mihi pars epularum Baptiſtæ caput: ſitim ſanguine reſtringuam. Videam iugulatum epulandum apponi, potet eius ſanguine.* Vides iram, truculentiam, ſæuitiam libidinis parem. Herodes autem ad petitionem puellæ petulanter ſaltatricis, grato vſus ſilentio lætatur animitùs, oculitùs autem mœret, & ſub religioſæ humanitatis laruâ inhumanitatis partes crudeliter agit. Ergò cùm adhuc explicatæ eſſent menſæ ſatelles aderat elatum in lance caput inferens, & medias inter delicias caput reliquo truncatum corpore portabat: *Spectaculum aliis quidem perhorrendum, vni verò Herodi per intemperantiam*

6. Matt. 14. v. 8. Marc. 6. v. 25.

Baſil. Seleu. orat. 10.

*Libidinis ſæuitia in ſaltatrice puella, in Herodiade, & Herode apparet.*

*tiam lætabile. videbatur.* Ecce tibi inhumanam libidinis truculentiam, quæ in cognatas iras concupiſcentiam armat. Saltatricem denique puellam his verbis inibi Chryſoſtomus dehoneſtat: *Vide autem qualiter crudelis eſt obſcœna ſaltatrix & qualiter mollis eſt Herodes.* Puellæ obſcœnitas crudelitatem parturit, & obſcœna Herodis mollities ſæuitiam eructat. Ira enim & libido, cognatus affectus eſt. Quod nuper vidimus in Aſſuero ſalaciſſimo, & in ſuam Vaſthi mox iniuſtè crudeliſſimo. Cuius ſera pœnitentia hîc verſ. 1. proponitur, ſi fortè hos affectus cohibeat.

S. Chryſoſt. hom. 49. in Matth. Hic v. 1.

7. Matthæi 28. veſpere ſabbati venit Maria Magdalene, & altera Maria, videre ſepulcrum *Ecce terræmotus factus eſt magnus.* Angelus Domini deſcendit de cælo: accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum: *Erat autem aſpectus eius ſicut fulgur: & veſtimentum eius ſicut nix. Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui. Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos.* Ecquis eſt iſte è niue amictus Angelis peregrinus, cùm terræmotu, & fulguris ore minax apparet? Scitè inibi Cornelius: *Et veſtimentum eius ſicut nix. Candor hic & fulgor ſignificat puritatem & caſtitatem Angelorum.* Addit Chriſtianus Drumarus (aliàs ad aliud aſſumptum expenſus) *Ad blandimentum mulierum factum eſt, vt Angelus in ſpecie niuis appareat.* Nempe Angelus cæleſti robore armatus, *terræmotum* horriſonum derepentè ciet, & vltrices minas vultu fulgurat; ne autem crudelitatis ſuſpectus ſit *niueum puritatis & caſtitatis veſtimentum* conſultiſſimè præfert; & pudicitiæ inſigne piarum mulierum oculis primùm obiicit, vt dum caſtitatem oſtentat, rigorum metum adimat, & inhumanitatis ſuſpicionem excutiat *Nolite timere vos.* Tardè opinor, ore dicit, quod *niuis*, id eſt, *puritatis & caſtitatis veſtimento*, mulierū oculis loquebatur vocali pacatæ pudicitiæ amictu. *Ad blandimentum mulierum factum eſt, vt Angelus in ſpecie niuis appareat.*

Matth. 28. v. 3. & 4. *Minax Angelus niueâ caſtitatis veſte, mulieres metu eximit.*

Cornelius.

Drumarus.

---

## §. LXI.

### *Libido, gehennalis incendij ſcintilla eſt ferè æternæ damnationis ſententia, & pr.pè immedicabilis morbus.*

1. PVlchrè Seneca in Prouerbiis: *Amor arbitrio animi ſumitur, non ponitur*: iis voluptatum præſtigiis Venus allicit, vt vel inuitos ſpontè trahat. *Nil eſt enim* (inquit Ambroſius) *quod tam miseræ ſeruituti ſubiciat hominem, quàm libido, atque einſmodi cupiditates quæ iugo quodam criminum graui deprimunt miseram conſcientiam vt ſe nequeat attollere, vt potè quæ libertatem innocentiæ amiſerit.* Eheu, ſic libido hominem verſus inferos deprimit, vt ad cælum *ſe nequeat attollere?*

Publ. Min. S. Ambr. de Noë, & arcâ, c. 9. *Num libido ſic deprimit, vt homo ſe nequeat attollere?*

2. Siracides Eccleſiaſtici 9. *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt.* Non ait, *Improbi* facti ſunt, quod generatim vitiorum omnium elogium eſt. *Reprobi*, inquit, facti ſunt, quaſi libidinis incendium ſit gehennalis incendij inauſpicata inchoatio, & infernalis pyræ ſcintilla & fumus. Itaque τὸ *Reprobi* ab Interpretibus propriè accipitur, quia plures imò maior pars mundi, ob fornicationem & libidinem, à Deo reprobatur & damnatur. Cùm enim libido frequentatur, ita pectus occupat, & animum poſſidet, vt vix euelli queat. Amor arbitrio animi ſumitur, non ponitur. Appoſitè Remigius: *Demptis paruulis*, ait, *ex adultis propter carnis vitium pauci ſaluantur.* Proindè eius cauſsâ totus mundus periit diluuio, quia *omnis caro corruperat viam ſuam.* Idcircò appoſitè mulier à Chryſologo dicitur, *Via mortis, inferni ianua.* De quo alias.

Eccli 9. v. 11. *Libido in cauſſa eſt, vt pauci ſaluentur.*

S. Remig. apud Corn. ibi.

Gen. 6. v. 12. Chryſol. ſer. 79.

3. Matthæi 25. Cùm venerit Filius hominis in maieſtate ſuâ, & *omnes Angeli* cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos abinuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis *Et ſtatuet oues quidèm à dextris ſuis hœdos autem à ſiniſtris.* Tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum: eſuriui enim & dediſtis mihi maducare, &c. Et dicet his, qui à ſiniſtris eius erunt: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi potum, &c.* An non innumeris aliis delictis inuitiati ſunt Reprobi? eccur ob immiſericordiæ ſcelus, æternæ damnationis ſententiam audiunt? Nonne *ex adultis propter carnis vitium pauci ſaluantur?* quare ergò hoc tam frequens damnationis vitium, in fulminatâ Reprobis ſententiâ reticetur? Opinor, in ſententiâ non diſſertè exprimitur luxuriæ reatus, quia iam ſignatè expreſſus erat. An non Reprobi *hœdorum* nuper vocabulo denotati ſunt? ſerò igitur laſciuiæ reatus in Damnatorum ſententiâ exprimeretur. Quâ ſuper re audiendus eſt Hieronymus ita inibi fatus: *Hœdos autem à ſiniſtris. Hœdus autem laſciuum eſt animal, & feruens ſemper ad coitum, & ſemper pro peccatis offertur in lege.* Ecce in ipſomet ſymbolo, quo ante Iudicis ſententiam, Reprobi ſegregantur & deſignantur, obſcœnus eorum reatus denotatur: & in ipsâ cum *hœdis* comparatione, hœdina ſalacitas non dubiis deſcripta characteribus manifeſte tranſparet. Tardè libidinis reatus exprimeretur in damnationis ſententia, qui cognatâ ſui ferè obſtinatâ nequitiâ propè ante ſententiam prædamnat. Porrò in libidinum impudicarum igne, ignium gehennalium non obſcura ſcintilla fumigat. Vndè dum *hœdi* à ſiniſtris locantur, ante ſententiam hœdinæ laſciuiæ reatus proditur, & anticipatâ ſententiâ prædamnatur.

Matth. 25. v. 33.

*Num reprobi ante Iudicis ſententiam de libidinis reatu prædamnentur?*

S. Hier. ibi.

4. Ioannis 8. Adducunt autem Scribæ & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam: & ſtatuerunt eam in medio, & dixerunt ei, Magiſter, hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio. In lege autem Moyſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare. Tu ergò quid dicis? Hoc autem dicebat tentantes eum, vt poſſent accuſare eum. IESVS *autem inclinans ſe deorsùm, digito ſcribebat in terrâ.* Cùm ergò perſeuerarent interrogantes eum, erexit ſe, & dixit eis: Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat. *Et iterùm ſe inclinans ſcribebat in terrâ.* Ardua olim & nunc quæſtio, quid tunc Chriſtus in terrâ ſcripſerit.

Ioan. 8. v. 6. & 8.

*Cur adulteræ ſententiam Chriſtus in puluere ſcribit?*

S. Augu

S. Aug. ibi tract. 13. Hieron. l. 2. contra Pelagian. S. Ambr. l. 7. epiſt. 58. S. Chryſoſt. apud Freire in Proluſ. ad Ioſue. n. 9.

S. Auguſtinus in eo ipſo, quod Chriſtus in pauimento ſcripſerit, grande aliquod myſterium recognoſcit S. Hieronymus, & Ambroſius putant, ſententiam contra accuſatores, non contra adulteram deſcripſiſſe. Econtrariò Chryſoſtomus ita fatur: *Cum in Euangelio à Scribis, & Doctoribus apud Dominum accuſaretur adultera, auertit faciem ſuam, & declinauit in terram, ne crimen cerneret; maluit in puluere ſcribere veniam, quàm dare in carne ſententiam.* Putauerim in ipsâ veniæ ſcriptione, relapſum ad priſtinas obſcœnitates forſan denotari. Sic eſt obſtinatè pertinax impudicitiæ ſcelus, vt repetenda culpa ſit in ipſius veniæ confinio? Porrò non caſu, ſed conſultiſſimo Chriſti Dei conſilio, libidinis venia in vago deſcribitur puluere, quem vel leuis aura diſpergit ac diſſipat; & leni flatu ſcriptum ſic delet, vt nec leue veſtigium ſcriptionis in momento ſuperſit. Conſultò igitur Chriſtus Deus *adulteræ veniam in puluere ſcribere maluit*, vt moraliſſimè innuat, quàm ſit procliue & expromptum poſt libidinis inopinatam *veniam*, rursùm ad conſuetas diu obſcœnitates relabi, agnato concupiſcentiæ fomite iterùm inſtigante.

5. Pſal. 9. ſecūdū Hebræos, 10. v. 5. *Libido memoriam iudicij abolet, & ignem æternū concinnat, & accendit.*

Regius Vates Pſalm. 9. hoc lugubre carmen impiis pangit: Exacerbauit Dominum peccator, ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret. *Non eſt Deus in conſpectu eius: inquinata ſunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur iudicia tua à facie eius.* Quis eſt hic tam ſceleſtè peccator, cuius viæ ſic *inquinatæ* ſunt, vt Deum à conſpectu ſuo tanquam atheus remoueat, nec de acerbo finalis iudicij die apud ſe cogitet? S. Auguſtinus hæc verba exponit de homine, qui obſcœnis libidinibus ſqualidè *inquinauit* ſeſe; *Irremediabile*, inquit, *periculum eſt, ſic aliquem vitiis & cupiditatibus frena laxare, vt ſe rationem Deo non meminerit redditurum. Puto quia magna ſit iam peccati pœna, metum ac memoriam futuri perdidiſſe iudicij..... Refugiamus carnis aliena abominanda contagia, vitemus obſcœna inimicæ voluptatis incendia. Hæc qui agit de ſtipulâ ac lignis iniquitatum perpetuos ſibi ſuccendit ignes, & nunquam extinguendos concinnat vapores.* Eheu ſic homo concupiſcentiæ obſcœnitatibus hebeſcit, torpeſcit, obbruteſcit, vt propè rationem dediſcens, & Deum impiè abnegans; vitiato intellectu, finalis iudicij *memoriam perdiderit?* Sic inferis vicinatur, vt ſemiuſtulatus gehennalibus vaporibus, de impudicarum libidinum *ſtipulâ* ac *lignis* ignes æternos *concinnet*, & *accendat?*

S. Auguſt. tom 10. ſer. 120. de Tēp.

6. Ioā. 11. v. 44.

Ioannis 11. Lazarus peccatorum ſymbolum, defunctus in monumento iacet, & quatriduanus iam fœtet. Et tamen IESVS cum lacrymantibus funeſtè ſororibus pariter illacrymans, ſepulchralem lapidem tolli iubet. Hæc cùm dixiſſet, voce magnâ clamauit: Lazare, veni foras. *Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis.* Multa tradunt Interpretes vt exponant, cur Lazarus reſurrexerit ligatus, pedes & manus *inſtitis?* Si dudum mortuus, rediuiuus ſurgit, hæc manuum ac pedum ligatio, quid typicè præſtat? quid ethicè adumbrat? S. Auguſtinus audiens ex ore Marthæ, quòd *iam fœtet quatriduanus*, in hoc peccatorum ſymbolum luxuriam ſubolet, his verbis ſubtiliter adæquè ac moraliter fatus. *Dicit illi Martha, Domine iam quarta dies eſt, & fœtet. Vltimum quattuor elementorum terra eſt. Significat ergò fœtorem terrenorum peccatorum, id eſt carnalium. Quòd autem exiuit à monumento, animam ſignificat recedentem à carnalibus deliciis: quod verò inſtitis obuolutus, hoc eſt quòd etiam à carnalibus recedentes adhuc tamen in corpore conſtituti, alieni à carnalibus moleſtiis eſſe non poſſunt.* Nimirùm exiens à monumento, & putidi vitij fœtorem excutiens, ſignificat per nouam denuò vitam à carnalibus deliciis receſſum. Aſt ad hanc vitam nouam reſurgit, *ligatus manus, & pedes inſtitis*, id eſt, ad inceſſum non ſatis idoneus, & vlteriori lapſui vicinus nam adhuc carnalibus deliciis quibus diu aſſueuerat, blandiùs titillatur. Viuus è libidinum impudicarum ſepulcro reſurgit; ſed adhuc adſuetæ concupiſcentiæ caloribus ægrotat. Quo ſenſu Venerem Clemens Alexandrinus *morbum immedicabilem* appellauit. Porrò laſciuus per pœnitentiam reſurgit ab animæ morte, non ab agnatâ concupiſcentiæ febri medullitùs conuiſceratâ. Sed hanc Clementis Alexandrini ſententiam multis aliàs expendebamus.

*Lazarus concupiſcentiæ inſtitis ligatus, è luxuriæ morte ad vitam rediit.*

S. Aug. l. 83. qq. quæſt. 65.

Clem. Alex. l. 2. Pædag. c. vlt.

Auctor in comment. ſuper Iudic.

7. Pſalm. 118. v. 19.

Dauid Pſal. 118. adhuc obſcœni adulterij memor, ſic ad Deum ſupplex orat: *Viam iniquitatis amoue à me & de lege tuâ miſerere mei.* Locus aliàs à nobis expenſus. Denuo tamen nunc addam Ambroſij luculenta inibi verba: *Non dixit: Amoue me à viâ iniquitatis, ſed, Viam iniquitatis amoue à me.* Profectò quiſquis non prorsùs amens eſt, & iudicij inops, dum grande aliquod periculum in viâ aliquâ prænoſcit, ipſe ſe amouet à viæ illius periculo, conſulto timoris arbitrio. Fatuè enim quis ab alio poſtularet, vt periculoſam viam amoueret, ne ipſe deuorato vitæ periculo per illam incederet: nam liberum illi eſt, illàc iter non facere, aut ſe ſiſtere diſcriminis horrore, aut aliorsùm pergere diuerſo itinerario. Non hoc Dauidem latuit, quod vel rudioribus peruium eſt. Aſt libidinum impudicarum adſuetis illecebris blandiùs titillatus, *non dixit Amoue me à viâ iniquitatis*, id eſt libidinis; ſed, *Viam iniquitatis amoue à me.* Sic putabat perarduum ac propè impoſſibile, ſi adeſſet via, per illam non incidere. Sat eſto ad rem præſentem perſtrinxiſſe moraliſſimum Ambroſij acumen quò intelligatur quantæ molis ſit ſordidè adſueta carnis vitia excuſſiſſe.

S. Ambr. ibi. *Quare Dauid petat, vt à ſe amoueatur via iniquitatis, nec ipſe ſe ab ea amoueat?*

8. 2 Reg. 12. v. 13.

Hinc fortaſsè cùm 2. Regum 12. Dauid à Nathan prophetâ obſcœni adulterij acerbiùs argueretur; *dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino.* Quod iterat Pſal. 50. aiens, *Tibi ſoli peccaui.* Adducam expoſitionem Auguſtini, quam etſi litteralem eſſe non ſentiam, tamen peridonea eſt ad inſtruendos mores. Ait enim ideò dictum eſſe à Dauide in vtroque loco, vni Domino ſe peccauiſſe, quia cùm vniuerſatim peccatorum (præſertim libidinis de quo ibi agebatur) ſit omnibus noxium, ſoli tamen Deo videtur eſſe vtile, quia in eo peccato delendo, Dei oſtenditur tum miſericordia, atque patientia, tum etiam potentia, quam ad opus illud infinitam eſſe oportet. Sic autem ille: *Hoc agitur vt Deus ignoſcendo glorificetur; quia magna eſt eius miſericordia ſuper confitentes ſibi, & redeuntes ad ſe. Hinc & ipſe Dauid non ſolùm in Pſalmo, verùm etiā cùm eum Deus argueret per Prophetam,*

Pſal. 50. v. 6.

*In venia libidinis, maxima Dei bonitas & patientia elucet.*

S. Aug. q. 55. in Deuter.

*non*

*non ſolùm in Pſalmo, verùm etiam cùm eum Deus argueret per Prophetam non ſine ſpe propitiationis Domini reſpondit: Peccaui Domino.* Qui enim libidini adſuetus dicebat: *Viam iniquitatis* (id eſt, libidinis) *amoue à me,* quaſi quodammodò adactus eſſet per illam incedere; quandò à tam obſtinato langore ſanitatem propiùs ſperat conſultiſſimè ait, *Peccaui Domino. Hoc igitur vt Deus ignoſcendo glorificetur.* In hoc enim maximè diuina pietas, benignitas, bonitas, & omnipotentia oſtenditur, cùm *morbum immedicabilem* curat.

Hic verſ. 1. &c.

Nuper vidimus ſalaciſſimum Aſſuerum ſuam Vaſthi atrociùs condemnantem; cuius amores hîc verſ. 1. confeſtim repullulant, & in tantâ feminarum copiâ, ad alias, atque alias puellas denuò hiat.

---

## §. LXII.

*Delicatula nimis eſt pudicitiæ valetudo; ſollicitudine languet, ætatis integritate periclitatur: & quæ oculos patitur, tota iam virgo ferè non cenſetur.*

1. Tertull lib. de Pudic. c. 1. *Nimis delicatulus eſt pudicitia flos.*

TErtullianus in lib. de Pudicitiâ ita de eâ ſcribit: *Pudicitia, flos morum, honos corporis, integritas ſanguinis, fides generis, fundamentum ſanctitatis.* Vt reliquas ſententias interim omittam, ſententioſè de pudicitiâ pronunciat quòd eſt, *flos morum,* non tantùm quia in eâ tanquam in flore, omnium virtutum fructus ſpe vernant ad maturitatis gratiam, & ſumptuoſam continentiæ gloriam. Sed etiam quia *flos* & molliſſimus & delicatiſſimus eſt. Exinde iſtiuſmodi pudicitiæ *flos* leui attactu, affrictu, halitu defloratur. Quin & vnius dieculæ æſtu ſpontè marcet, & vltrò decidit, delicatulæ indolis caduco feruore marcidus. Idcircò Pudicitia, *flos morum* pulchrè nominatur. O quàm eſt tenera, & periculosè lubrica continentiæ valetudo (Nimis delicatulus eſt pudicitiæ flos Addit poſtmodùm ipſe Tertullianus: *Iſque ſatis caſtus habetur, qui non nimis caſtus fuerit.* Ne quid nimis. Ipſa ſollicitudo nimia, & ſuperuacua nimis cautela, aut libidinem innuit; aut facit: atque è diuerſo periculum ſtruitur. *Noli eſſe iuſtus multum.*

Idem ibidē. Eccl. 7. v. 17.

2. 1. Cor 7. v. 32. & 33.

1. Corinthiorum 7. dum tradit Apoſtolus perfectioris pudicitiæ ideam, & ad Chriſtianam caſtitatem ſeriò fideles hortatur, ita ſcribit: *Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori.* Ecquid rei eſt, quòd Paullus de cælo edoctus, dum perfectâ ſuadet pudicitiam, *ſollicitudinem* arcet, & pudicos vult *ſine ſollicitudine eſſe*? An non ad ceteras virtutes valdè refert ſedula impenſi ſtudij *ſollicitudo,* ne vitiis deſidia ianuam reſeret? Numquid non impenſius virtutis ſtudium, vel rimulas occaſionum in diuerſum trahentium, obturare ſollicitiùs præcurrit? Segnes nos forſan velit; qui hîc in re *vult nos ſine ſollicitudine eſſe.* S. Zeno Veroneſis fortè ad hunc Paulli locum tacitè adludens, ita fatur: *Denique pudicitia in ſollicitudine, quæ à metuentibus vocatur occaſio, ſe tanquam arbitrum timet: omneque ſecretum plus, quã publicum reueretur. Peſti feras odit blanditias carnis inimica: & quicquid ingeſſerit mundus voluptatis, aut muneris; totum reſpuit, præſumens totum ſe habere, ſi pura ſit.* Ecce tibi, vel nimis cautam *ſollicitudinem* pudicitiæ ſeruandæ maturior & meracior pudicitia vetat: adeò enim eſt molliſſimè delicatula, vt cautela ſollicitiùs timendi, dum cauſſas periculi viuaciùs obuerſat pudoris titubatio cenſeatur; & ſollers periculi cautio ruinæ confinis putetur. Heu, Pudicitia, dum labendi occaſiones ſollicitè arcet, aliquandò citiùs acceſſit! *Pudicitia in ſollicitudine quæ à metuentibus vocatur occaſio, ſe tanquam arbitrum timet.* In re caſtitatis ſollicitior periculi cautio periculum aliquandò citiùs incurrit; & nimiè ſollers periculi cautela, intutum periclitandi arbitrium è peruerſo euadit. Quis extraneo in te pudicitiæ fidat, cùm ipſe tanquàm ſui *arbiter,* ſibi ſuſpectus ſit! ô caue tibi à te!

*Pudicitia in ſollicitudine, ſe tanquam arbitrum timet.*

S. Zeno ſer. de Pudicit.

3. Geneſ. 34. v. 2.

Geneſeos 34. Egreſſa eſt autem Dina filia Liæ vt videret mulieres regionis illius. *Quam cùm vidiſſet Sichem filius Hemor Heuæi, princeps terræ illius, adamauit eam: & rapuit, & dormiuit cum illâ, vi opprimens virginem.* Cùm deuirginatur Dina, nominatim dicitur *filia Liæ*: nam filiarum pudicitia, impudicitiave, matribus adſcribi ſolitat. Matrum negligentia, tacitum pulchellæ filiæ lenocinium eſt. Sed quid eſt, quòd poſtquam Sichem iuuenum ſalaciſſimus, *adamauit Dinam, & rapuit, & dormiuit cum illâ*; adhuc eam ſacer ſcriptor virginem vocat? *Si iam* (ait Auguſt.) *cũ illâ dormierat, eamque humiliauerat, quomodo poſteà virginem vocat, dicendo, vi opprimens virginẽ?* Heu ſepè nunc *virgo* nomen innuptæ, non integræ eſt! Quid ſi poſt ſtupri pœnitentiam aliquod reſculpitur virginitatis nomen? Nam de viduis alicubi dixit Tertullianus, *virgine continentiâ* floruiſſe. Pergit inibi S. Auguſt. adhuc quærens, quo pacto Dina vel ante ſtuprum *virgo* dici queat. *Cùm paullò antè,* inquit, *loquens Iacob cum fratre ſuo Eſau, infantes filios ſuos ſignificaret, quæritur quomodo potuerunt facere tantam ſtragem, direptionemque ciuitatis pro ſorore ſuâ Dinâ?* (accuratiùs penſita quæ ſubſcribit verba) *Sed intelligendum eſt diu illic habitaſſe Iacob, donec & filia eius virgo fieret, & filij iuuenes.* Benè eſt: pueri ætate adoleſcant in iuuenes; at Dina tractu temporis virgo non *fit.* Virginitas *fit,* an naſcitur? Genitura, an educatione *fit* virgo? Scilicet forſan ex illo tempore cenſus conteſtatæ virginitatis fit, & virgo planè cenſetur ex quo poteſt virgo non eſſe, & maturum cum viro congreſſum pati. Quaſi nondùm virgo ſit, quouſque poſſit eſſe deſinere. Sic ad maturæ virginitatis elogium, non niſi cum amittendæ virginitatis periculo peruenitur. O inteſtina pudicitiæ pericula! ô clancularié præmaturas libidinis inſidias! Id ex n. ſequenti dicendis explicatiùs tradetur.

*Dina vi oppreſſa, tur dicitur virgo.*

S. Auguſt. in q. q. ſuper Geneſ.

4. Cor. 1 1. v. 10.

1. Corinth. 11. multas rationes Paullus conglobat, vt perſuadeat, mulierem, non virum, debere caput velare. *Ideò,* inquit, *debet mulier poteſtatem habere ſupra caput propter Angelos.* Quæ Apoſtoli verba exponens Tertullianus ita ſcribit: *Sed & ſi propter Angelos velanda eſt, ſine dubio ab eâ ætate lex velaminis operabitur, à quâ potuerunt filiæ hominum concupiſcentiam ſui adducere, & nuptias.* Hoc non ſolius Tertulliani paradoxon alibi refutauimus. Nunc penſita verba quæ ſubiicit)

Tertull. de velan virg. cap 11.

*Num ex illo virgo deſinit, ex quo poteſt non eſſe?*

*Ex illo enim virgo deſinit, ex quo poteſt non eſſe Et ideo penes Iſrael illicitum eſt ad virum tradere, niſi poſt conteſtatam ſanguine* (menſtruo inquam) *maturitatem: ita ante hunc indu em acerba res eſt.* Nempe mulier dum in puellari æſtatulâ verſatur, cruda res eſt, & immatura nuptiis: igitur ab eâ ætate lex velaminis vrget, à quâ poteſt concupiſcentiam ſui ducere: & de conteſtatione menſtrui ſanguinis nuptias pati & viri congreſſum. *Ex illo enim virgo deſinit,* (quod attinet ad ætatem iam nubilem) *ex quo poteſt non eſſe.* Quaſi eouſque puella cenſeatur, nec admittatur ad virginis nomen, niſi *ex quo poteſt non eſſe.* Sic cum ſui periculo virginitas imputatur, vt plenæ virginitatis cenſus ab amittendæ virginitatis periculo auſpicium ſumat! *Ex illo enim virgo deſinit, quo poteſt non eſſe.* O! ſic eſt periculum virginitati cognatum! Quo ſenſu nuper dixit Auguſtinus, quòd expectauerit Iacob, *donec filia eius virgo fuerit*: nec antè per ætatem virgo cenſetur, niſi *ex quo poteſt non eſſe.* Luculenter ſibi mutuò adteſtatur vtrumque Africæ lumen. Et Zeno Veronenſis adſimiliter de Lunâ fatur: *Luna quoque,* inquit, *quæ vera rationis humanæ omnia in ſe lineamenta depingit, nata ſanguineæ teneritudinis, dubio cornu primò quaſi de cunis apparet: paullatimque creſcendo iam puella, iam virgo pro quotidianæ ætatis incremento progrediens laſciui curſus ambagibus carpit penſa diurna.* Primo dicitur *puella,* mox *virgo*: & quæ mero ætatis incremento, *laſciuo curſu* progreditur.

S. Zeno ſer. de Reſurr.

5.

Geneſ. 39. v. 6. & 7.

Geneſeos 39. Ioſephus de fratrum inuidiâ auersè venditur, & ingenuus iuuenis ſeruire compellitur. *Erat autem Ioſeph pulchra facie, & decorus aſpectu. Poſt multos itaque dies iniecit domina ſua oculos in Ioſeph, &c.* Quæ verba ſic eleganter Ambroſius elucidat: *Benè,* inquit, *eum excuſauit Scriptura, dicens: Iniecit oculos in Ioſeph, hoc eſt, non iſte ſe oſtentauit, ſed illa retia ſua miſit, & indagine ſui capta eſt. Laqueos ſuos ſparſit, & ſuis hæſit vinculis. Prima verò adulteræ oculorum tela ſunt, ſecunda verborum.* (Diſcute attentiùs quæ ſubtexit verba) *Sed qui non capitur oculis poteſt verbis reſiſtere. Suppetit defenſio, vbi adhuc liber affectus eſt.* Ioſephi Domina, non Ioſeph, oculos *iniecit*: exindè cupidinis illecebram excutere *potuit* Ioſeph, & ſe verbis clypeare. Sic ſpectatæ in alio ſexu pulchritudinis lenocinium, verba libidine toxicât, vt de impudico aſpectu afflata ſcortentur? *Qui non capitur oculis, poteſt verbis reſiſtere.* Quaſi captus oculis reſiſtere verbis propè non eualeat. Adhæc quid eſt tam homini procliue, quam erga alterius ſexus pulchritudinem leui ſaltem affectu deliciari? ſed caue tibi vel à modico affectu medullitùs latente: nam *ſuppetit defenſio, vbi adhuc liber affectus eſt.* Sic vires ad reluctandum affectus exarmat! Sic eſt delicatula pudicitia?

S. Ambr. de Ioſeph Patri. *Vel modicus affectus erga alterius ſexus pulchritudinē, vires ad reluctandū exarmat.*

6.

*Puella, quæ velata non eſt, tota iā virgo ſibi non eſt?* Tertul. de Velādis virg. c. 3.

Spectata Ioſephi pulchritudo, cùm in eū domina ſua oculos *iniecit*, magnū iuueni periculū exitit; tametſi ipſe non captus oculis, verbis reſiſtere potuit, & à libero affectu illi defēſio ſuppetebat. Exindè Tertul. in lib. de veland. virg. ſatagit, ne liberâ & inuelatâ facie in publicum prodeant, ne virgines vel ex alieni aſpectus cōgreſſu periculū ſubeant pudicitiæ; *Propter eiuſmodi igitur capita nundinantia,* inquit, *trahuntur virgines ſanctæ in Eccleſiam, erubeſcentes quòd cognoſcantur in medio, pauētes quòd detegantur accerſitæ quaſi ad ſtuprū. Non minus enim & hoc pati nolunt. Omnis publicatio virginis bonæ, ſtupri paſſio eſt.* Vide quàm ſit delicatè tenera pudicitiæ valetudo, quæ alienos oculos, tanquam ſtuprum pati dicitur. Pergit magis adhuc ad rem tempeſtiuus: *Denudaſti puellam à capite, & tota iam virgo ſibi non eſt: alia eſt facta.* Et ſanè id Tertul. dicit non de leuiculâ puellâ, ſed de eâ, quæ *erubeſcit* quòd cognoſcatur in medio, quæ *pauet* ſi in publicum deferatur. Hæc inquam, dum faciem inuita oſtendit, pulchritudinem nundinari, ſiue proſtituere perhibetur: & cuius velata facies non eſt, *tota iam virgo ſibi non eſt: alia eſt facta.* Quid exaggeratius?

7.

Cant. 2. v. 2.

*Floridum pudicitiæ ſertum ſpineam coronā mutat in gloriam triūphantis.*

Canticorum 2. caſtus ſponſus eximiè caſtam ſponſam his verbis affatur: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Commendatur autē ſponſa, non ab elegantia & pulchritudine tātùm, reliquis collata montanis feminis, dū *lily* ad inſtar inter ſpinas florere dicitur; ſed cū primis à pudore & honeſtate prædicatur. (quod communiter interpretes adnotarunt) Et ſanè *lilium* (Hebraicè *Suſana*) non ſolum pudoris exhibet ſimulacrum candore ſuo, ſed cognatum etiā deflorationis periculum. *Lilium* enim ſicut venuſtè floret, ſic facile marcet, languet, & effloreſcit, de agnatæ teneritudinis elogio: præſertim in ſpineto naſcens, & inter ſpinas adultum, quæ pudicitiæ florem & tetriùs afflare, & lacerare, & toxicare ſolitant. Pulchrè S. Hieronymus ad deſcripta verba tacitè adludens, ad Principiā virginem ita ſcribit, *Quàm multæ Suſannæ,* (id eſt, *lilium*) *quæ candore pudicitiæ ſponſo ſerta cōponūt; & coronam ſpineam mutant in gloriam triūphantis.* Benè virginis pudor, Suſanna, hoc eſt, *lilium* appellatur, quò agnata delicatè teneritudo, deflorationi proxima etiam dùm gratiùs floret, denotetur; ſpinis libidinum præſertim confinis, quæ illā cōpungunt, vulnerant, perimunt. Itaq; Hieronymus vt ad illibatū pudicitiæ candorem virgines extimulet; ex iſtiuſmodi pudoris *liliis,* ſponſi cæleſtis ſertū componi dicit; ſicut ex *lilio* vicinantibus *ſpinis* libidinū, ſpineaChriſti corona. Sicut enim ſpinea corona per irriſionis ponpam, ſacrum Chriſti caput acerbiori cōtumelia cruentauit ad ignominiā: ſic huiuſmodi pudicitiæ *lilia,* ſerta componunt ad triumphantis gloriam. *Lilia* caſtitatis, triumphantis Chriſti glorioſum ſertum cōponūt: at è luxuriæ *ſpinis,* ſpinea Chriſti corona plectitur. Hoc auertat à cognatâ libidine; illud ad florem pudicitiæ ſeruādum illæſum aduerſus cognata pericula, fomes eſto: ne per inertiam marceſcat *lilium,* quod triumphantis Chriſti ſerta glorioſè componit.

S. Hier. epiſt. 190.

8.

Iudicum 16. v. 17.

S Aug. Ser. 107.

*In cautela velamentis, Chriſtus giganteum caſtitatis robur adſpirat.*

Iudicum 16. tandem Samſon emollitus Dalilæ blandimentis, ſui roboris ſacramentum benè tectum, malè prodit: *Si raſum fuerit caput meum,* inquit, *recedet à me fortitudo mea, & deficiā.* Mirū ſanè eſt, quòd in capillis gigantei roboris vigor cælitùs reſederit. Eccur nō citius in neruoſis lacertis, quàm in fluxis capillis? Tropologiā appoſitè his verbis tradit Auguſt. *Quid eſt quod in capillis virtutem Samſon habebat? Et hoc fratres diligenter aduertite. Virtutem non habuit in manu, non in pede, non in pectore, non in ipſo capite; ſed in capillis, in crinibus. Quid ſunt capilli, quid comæ? Et nos videmus, & interrogatus Apoſtolus reſpondet nobis: Coma velamentum eſt, & in velamento Chriſtus habet virtutem.* Scilicet in tenera puellâ caſtitas virilis, ſexum vincit, & Samſonis ſeu gigantis robur æmulatur: hæc autem robuſta virtus, quam officioſitate

gratiæ

gratiæ Chriſtus afflat, non in lacertis, aut manibus, aut capite eſt; ſed Samſonis æmula, in capillis, in crinibus, in comâ: *Coma velamentum eſt, & in velamento Chriſtus habet virtutem.* Quæ faciem abſcondit, & oculorum velitationes fugit, cauto receſſu conſecrans pudicitiam, ne publicis aſpectibus ſcortetur, robur Samſonis æmulatur: eiuſmodi autem vigor, ſi publicetur, elabitur: nam quæ reiicit circumſpectæ cautelæ velamentum, pudicitiæ virtutem ſenſim abiicit: nam *in velamento Chriſtus habet virtutem.* Qui hanc cautelam negligit, imbecillè *deficit,* ſicut Samſon abraſis crinibus. ô, tam robuſta virtus in rebus tam minutè exiguis collocatur? Materia huius §. nectitur cum ſequenti, vbi n. 3. è ſacro textu elucidatur.

His verſ. 2. & 3.

## §. LXIII.

### *Tenera nimis eſt pudicitiæ fama, defenſione læditur, inquiſitione dehoneſtatur. Quaſi pot ntia ad ſtuprum, aliqua ſtupri paſſio ſit.*

1. Minut. in Octau.

*In quibuſdã nõ tutior caſtitas eſt, ſed impudicitia felicior.*

HOneſtus rumor, alterum feminarum patrimonium eſt, & opulentior dos. Quæ ſis intereſt. & quæ etiam habearis, multùm ſanè refert. Multæ non re, ſed opinione laborant: *in reſiduis impunitatem fecerit, non caſtitas tutior, ſed impudicitia felicior,* ait Felix Minutius in Octauio. Incauta virginum pudicitia, tot propè ſtupra patitur, quot laſcinientium oculorum incurſus, quot petulantes vituperonum linguas. Et quidèm inhoneſtus rumuſculus ſic latè ſerpit, ſic altè inſoleſcit, vt ferè ſine defenſione ſit? irrecuperabili famæ iactura. Eſt enim nimis tenera honeſtatis valetudo, & dum ſanatur, ægrotat; dum perficitur, inficitur; dum defenditur, offenditur, ſuique apologiam recudit in ſatyram.

2. Iudith. 13. v. 10.

*Dubia pudicitiæ irrefragabile adhuc patrocinium, illam dehoneſtat.*

Iudith 13. rediens ex Aſſyriis caſtris, quamprimùm ipſa ſic ad omnem populum loquitur: *Viuit autem Dominus, quoniã cuſtodiuit me Angelus eius & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati reuocauit me Dominus gaudentem in victoriâ ſuâ, in euaſione meâ, & in liberatione veſtrâ.* Non defendit Iuditha ſuæ pudicitiæ famam ab aliquo non boni rumuſculi contagio, ex commoratione cum Aſſyriis oborto; ſed præproperè licentiam ſuſpicionum præcludit, & in ipſo cogitatoriæ meatu præfocat felici abortu. De quâ dicitur: *Nec erat qui loqueretur de eâ verbum malum.* quæ eſt pudicitiæ meta, & bonæ famæ pulchra exaggeratio. S. Hieronymus lib. 1. aduerſus Iouinianum, ita ſcribit: Claudia virgo Veſtalis (inquit) cùm in ſuſpicionem veniſſet ſtupri, & ſimulacrum matris Idææ in vado Tyberis hæreret, ad comprobandam pudicitiã ſuam fertur cingulo duxiſſe nauem, quam multa millia hominum trahere nequiuerant. (addit opportunè) *Melius tamen cum illâ eſſet actum, ſi hoc quod euenit, ornamẽtũ potius exploratæ fuiſſet pudicitiæ, quàm dubiæ patrocinium,* quaſi dubiæ pudicitię patrociniũ, aliquã hoſtilitatẽ è diuerſo exerceat; & patrocinio honeſtatis dehoneſtet. Hæc virgo Veſtalis miraculo (vt putabatur) adſtruit pudicitiam, & infelix eſt pudicitiæ ſuffragio: nam latiùs ſerpit ſuſpicionis retrò diffamia, quo fama miraculi vberiùs propagatur; & dum nuper dubiũ excutit, eam quaſi aliquandò fuerit dubiæ caſtitatis infamat. Deuenuſtatæ pudicitię vulnus qui ſanat, facit. O nimis verè!

Iudith 8. v. 8.

S. Hier. lib. 1. aduerſ. Iouin.

3. Hic verſ. 2. & 3.

*Quomodoque adhuc virgo eſt, ante nuptias vidua eſt?*

In hoc c. 2. ſera Regis pœnitentia pœnitendum reginæ Vaſthi repudium, inconſulti furoris damnat. Dixeruntque pueri Regis ac miniſtri eius: *Quærantur Regi puellæ virgines ac ſpecioſæ, & mittantur qui conſiderent per vniuerſas prouincias puellas ſpecioſas & virgines: & adducãt eas,* &c. puellaris ætas, in facie apparet: virginitas dignoſcebatur habitu, qui maritatas prodit: pulchritudo ſtatim ore prænitet, exindè oculis potiùs quam *conſideratione* egẽt hi miniſtri, qui vniuerſas regni prouincias luſtrãtes, *puellas ſpecioſas & virgines* adducere iubẽtur. Quare ergò non dicit: Mittantur qui videant, ſed qui *conſiderent*? Quid *conſiderare* debent in virgine, vt virgo appareat? Certè quod S. Cyprianus profundè dixit, *Dum ornari cultiùs, dum liberiùs virgines volunt, eſſe virgines deſinunt, viduæ antequã nuptæ.* Nempe dum aliorum oculis ſumptuoſiùs ornari volunt, virgines eſſe quodammodò deſierunt, maritum neſciunt, & virginitatem velut ignorant; *viduæ antequã nuptæ,* quia ex meretricio ornatu, & proſtitutæ vagationis leuitate, ſic ſpectatorum opinione ſcortantur, vt tot amiſerint maritos, quot ſpectatores habuerunt. (aliter viri vxores amant, & aliter amicas diligunt) Ecce tibi, quæ ornatu & vagatione præmaturè nupturit, *vidua antequam nupta* nominatur. Virginem reipsâ vides, ſed *viduam antequam nuptam conſideras.* Idcircò non mittuntur regij miniſtri qui viſu quærant *puellas ſpecioſas & virgines,* ſed qui de opinione famæ eas *conſideratione* explorẽt; ne etiam in caſto corpore *viduam antequam nuptam* inueniant. O miriſſimam hâc in re famæ efficaciam! Quæ adhuc virgo eſt, ante nuptias vidua eſt?

S. Cypr. apud Pollitico-Chriſ. lib. 1. c. 12.

4. Matt. 1. v. 5. Iacobi 2. v. 25.

Matthæi 1. in progenitorum Chriſti cenſu Rahab nominatur: *Salomon autem genuit Booz de Rahab.* Addubitant Interpretes, an quæ principi regiæ tribus viro nupſit, quęque meruit inter Chriſti maiores cenſeri fuerit *meretrix*: ſic enim eam Iacobus nominat. Tametſi Rahab Lyranus ab impudicitiã vendicat, communiter Commentatores eam fuiſſe *meretricem* putant. Nec miraretur impudicitiæ ream eſſe, quæ dubiæ pudicitiæ eſt. Seneca lib. 1. Controuerſiarum, hanc controuerſiam argutè proponit: Lex eſt: *Sacerdos caſta è caſtis, pura è puris ſit.* Aſt quędam virgo à piratis capta veniit, empta à lenone & proſtituta eſt. Venientes ad ſe exorabat ſtipẽ militem qui ad ſe venerat, cum exorare nõ poſſet, colluctantem occidit: accuſata & abſoluta, remiſſa ad ſuos eſt. Petit ſacerdotium. Contra puellã Portius Latro ſic fatur. *Sacerdos noſtra adhuc in lupanari viueret, niſi hominẽ occidiſſet. Inter barbaros quid paſſa ſit neſcio; quid pati potuerit, ſcio. Sacerdoti nec purus quidem contigit Dominus. Deducta es in lupanar, accepiſti locum, pretium conſtitutum eſt, titulus inſcriptus eſt, hactenùs in te inquiri poteſt. Nemo, inquit, mihi virginitatem eripuit. Sed omnes quaſi erepturi venerunt, ſed omnes quaſi eripuiſſent receſſerunt. Quo mihi ſacerdotem, cuius precaria eſt caſtitas?* Multa inibi ad rem præſentem non inidonea addenſat Auctor, quæ ibi legi poſſunt.

Senec. lib. 1. contr. 2.

*Potentia ad ſtuprum in virgine, ſtupri reatus erit?*

Sed non te prætereat ea Portij grauiſſima ſententia, quâ virgo impudicitiæ damnatur: *Inter barbaros quid paſſa ſit, neſcio; quid pati potuerit, ſcio.* Heu quàm eſt in lubrico pudicitiæ fama! Neſcit Portius quid virgo paſſa ſit, *quid pati ſcit*; & ideò eam ad ſtupri pœnam damnat? Potentia ad ſtuprum, ſtupri reatus erit? Quod ignoratur an ſiniſtrè in re caſtitatis acciderit, ſuſpicionum priuilegio quaſi iam factum condemnatur? Tantùm aduerſus dubiam pudicitiam licet!

5. Matthæi 1. *Cùm eſſet deſponſata mater* Iesv
Matt.1.v.18. *Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto.* Celebris ſanè quæſtio in Biblica eruditione, quare Christus Deus non de ſimplici virgine, ſed de virgine deſponſatâ naſci maluerit? Plura hac ſuper re
Rupert.ibi. plures. Rupertus verò ita ſcribit: *Cum eſſet deſponſata, &c. Fieret enim inquiſitio vnde conce-*
*Deipara virginalis pudor non deuenuſtatur arcani partus inquiſitione.* *piſſet, ſi virum non habens, peperiſſet: Igitur laudi deputandum eſt eius, de quo in vtero habebat ſcilicet Spiritus ſancti, Spiritus conſilij, quod mater eius deſponſata erat, & dignè prouidit, vt illa deſponſaretur, vt per hanc occaſionem ab omni quæſtione liberaretur.* Audi quàm ſollerter inuigilet *Spiritus ſanctus, ſpiritus conſilij*, vt Maria deſpõſaretur, quò tractetur dignè Deiparæ pudor, & virginitatis decus, dũ nulla *quæſtio, inquiſitio* nulla fit de Virginis pudicitiâ? Porrò rem pudoris qui diſcutit, ferè prodit pudorem: tenera eſt enim pudoris fama, & propè ad infamiã lubrica: *quæſtione* deuenuſtatur, *inquiſitione* dehoneſtatur, iudicio quodammodò conſtupratur. Dubia caſtitas ſæpe deſciſcit à generoſitate pudicitiæ, & pudoris nitor nubeculas quæſtionis ignorat, à quibus infuſcatur, inuitiatur, obtenebratur. Dubius pudor certæ luxuriæ ſæpè vicinatur, dum conſtuprandæ famæ retinaculo non coërcetur. O viderint, qui ex leuiculis cauſſis, quas ſuſpicioſa malitia fingit rem libidinis in aliis curioſè quærunt, & ſcrupuloſè diſquirunt! Sæpè imprudens inquiſitio facit ad culpam, quod quærit ad remedium: nam culpata inconſultè caſtitas, non ſemel degenerat in libidinem: & zelabilis *inquiſitio* efficitur luxuriandi magiſterium; nec pudet eſſe, quod iam non pudet inquiri. Ergò licet ad diuiniorem prouidentiam ſpectaret, aliundè dubiam Marianæ pudicitiæ opinionem aſſerere, neque in eâ vllum periculum fuit; tamen *Spiritus-ſanctus, Spiritus conſilij* hanc *quæſtionem* anticipatâ tutelâ præcidit, & *deſponſatione* præfocauit. Itaque conſultiſſimè Mariæ defuit, vt agnatus, ſic
Iudit 8.v.8. etiam & quæſitus inhoneſtatis fomes, *Nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* quod olim in Iudithâ velut in typo adumbratum eſt, ad Marianæ pudicitiæ decus.

6. Iudicum 13. erat quidam vir de ſtirpe Dan,
Iudic 13.v.6. nomine Manue, habens vxorem ſterilem. *Cui apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam*: Sterilis es; ſed concipies, & paries filium, &c. Quæ cùm veniſſet ad maritum ſuum, dixit ei: *Vir*
*Pulchra femina cũ Angelo colloquium, ſiniſtris ſuſpicionibus obnoxiũ eſt* *Dei venit ad me habens vultum angelicum, terribilis nimis*: pergitque Samſonis natiuitatem prædicendo. Commentatorum proceres cenſent Samſonis matrem fuiſſe in paucis pulchram: indè alicui veroſimile forſan videbitur quòd dum hæc mulier marito narrat, ad ſe veniſſe virum Dei, qui habebat vultum angelicum addiderit de ſuo, *Terribilis nimis*: neque enim de terribili eius vultu vlla dudùm mentio facta eſt. Tantùm enim ſcribitur: *Cui apparuit Angelus Domini.* Etiam cùm Angelus Domini apparet pulchræ & pudicæ feminæ, eius apparitio ſic intuta eſt humanis ſuſpicionibus, vt hæc mulier pulchrè cauta, illas præfocare affectarit addendo *terribilem* illius aſpectum, vt omnem blanditiarum coniecturam vel ab angelico colloquio procùl arceret? Et ſanè neque indè ſiniſtras ſuſpiciones penitùs excluſiſſe nonnulli putant; dum legunt ipſum maritum Manue Samſonis patrem, ſic
Deum oraſſe: *Obſecro Domine, vt vir Dei quem* Iudic.13.
*miſiſti, veniat iterùm, & doceat nos.* Adeò vt ne- v.8.
ceſſe fuerit quòd S Ambroſius has ſuſpiciones S.Ambr. ep. 80.
inhibuerit, ſic præfata verba exponens: *Manue piè Deum precatus orauit, vt ſibi quoque viſionis eius gratia tribueretur, dicens: In me Domine Angelus veniat tuus. Vndè ego arbitror, non Zelo mulieris quæ eſſet ſpectabilis pulchritudinis, aliquid eum ſuſpectum habuiſſe, vt quidam exiſtimauit,* (Ioſephus inquam) *ſed magis diuinæ Zelo gratiæ prouocatum, conſpectus ſacri voluiſſe participari munere* (Nota rationem; quâ mouetur Ambroſius, vt cẽſeat Angeli colloquium minimè marito ſuſpectum fuiſſe) *Neque enim vitiis animi prauè affectus Manue tantam apud Deum inueniſſet gratiam, vt Angelus in eius domum reuerteretur.* Nempe quia ipſe Manue dignus fuit angelicâ apparitione, indè colligit Ambroſius, angelicum cum pulchrâ feminâ colloquium illi minimè ſuſpectum fuiſſe. Quod ſi Manue vitiis animi prauè affectus fuiſſet, nec Angelicâ viſione dignus, intutus eius vxori fuiſſet Angeli aſpectus, & cum Angelo ſacrum colloquium, ô! ſic de facili ſiniſtræ hâc ſuper re ſuſpiciones animum irrepunt? ſed quod facilem habet aditum, de humanæ malitiæ labyrinthæis coniecturis, non facilem exitum inuenire ſolitat.

Aliqua forſan dicat: Non eſt mihi neceſſa- 7.
rium hominibus probari, nec enim hominum 1.Reg.16.
teſtimonium requiro: *Homo enim videt ea quæ* v.7.
*parent, Dominus autem intuetur cor.* Ita quidèm ſed tanta debet eſſe caſtitatis plenitudo, vt à
corde exuberet, & in reliquas actiones exun- *Chriſtiana*
det; ne locus pateat diffamiæ, quæ imbona eſt *pudicitia non*
pudoris nouerca. Nam quæ puro *corde* conten- *ſatis eſt eſſe,*
ta, famam incautè publicauit, publicationi cor- *verum & videri,*
poris ſæpè vicinatur. quippè quæ caſtitatis fideiuſſorem amiſit. ſæpè enim non valdè diſtat, tale videri, ac eſſe tale. O quoties non bona opinio malum, quod non inuenit, facit. quodam non bonæ cenſuræ occulto faſcino. Eleganter
Tertullianus in lib. de Cultu femin. *Pudicitia* Tertull. l.de
*Chriſtianæ ſatis non eſt eſſe, verùm & videri. Tan-* Cult. femin.
*ta enim debet eſſe plenitudo eius; vt emanet ab* c.13.
*animo in habitum, & eructet à conſcientiâ in ſuperficiem, vt & foris inſpiciat quaſi ſupellectilem ſuam, vt conueniat fidei continuãdæ in perpetuum.*
Non putatur plena ac perfecta in *corde* caſtitas *Non ſatis eſt*
quæ ceſſat pudoris notas eructare in ea quæ hu- *caſta, quæ*
manis oculis foris apparent. Languet in conſ- *ſumptuoſius*
cientiâ pudor, qui in ore, in geſtu, in habitu non *ornatur.*
ſemper tranſparet. *Pudicitia Chriſtianæ ſatis non eſt eſſe, verum & videri.* Vide quantis conſtet pudicitiæ cenſus: vide quàm eſt delicatula integra caſtitatis fama.

§. LXIV.

## §. LXIV.

### *Volupe hominibus eſt, credibilem putare alienam virtutem, quæ vitij ſpeciem obtendit, vel quidpiam vitio confine.*

1\. S. Greg. l. 17. Moral. c. 14. Geneſ. 18. v. 21. *Deus cũ difficultate culpas credere inducitur, ad hominũ eruditionem.*

S. Gregorius exponens illud Geneſeos 18. vbi de perversâ libidinis ſalacitate, quâ Sodomæ æſtuabant, ait Deus: *Deſcendam, & videbo vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non?* ita eleganter ſcribit: *Ecce malum, quaſi cum difficultate Deus credit, cùm audiret, & tamen ſine tarditate percuſſit, cùm verum agnoſcendo reperit; vt nobis daret exemplum, quòd maiora crimina, tardè credenda ſunt, cùm audiuntur.* Porrò ad cenſendum malum de alio homine, quilibet homo nimis expromtus eſt; quaſi in ſiniſtram partem ſtrenua cenſura ſit: Deus autem cùm audit mala hominum, illa quaſi cum difficultate credere inducitur, vt homo mala alterius tardè credere diſcat. Homo de cognato genio, tardè alterius gloriam putat credibilem, ad probrum autem credendum, prono aſſenſu nimis feſtinat. Siniſtram hanc exprompitiùs cenſuram, à natura ſordidè inuidâ arripuimus, hauſimus, expreſſimus.

2\. Ioan. 19. v. 34. & 35. *Cur Euangeliſta Chriſti conuicium oculato teſtimonio adſtruit?*

Ioannis 19. denarratâ probroſiſſimâ Chriſti paſſione, & eius morte accerbius pœnaliſſimâ, refert veniſſe milites, & primi quidèm fregiſſe crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo. Ad IESVM autem cùm veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura: *Sed vnus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis, & aqua. Et qui vidit teſtimonium perhibuit: & verum eſt teſtimonium eius. Et ille ſcit quia vera dicit: vt & vos credatis.* Eccur Euangeliſta Ioannes ſe teſtem oculatum dicit, & obnoxiùs ſatagit, vt verum dixiſſe putetur, quò ab omnibus indubiè credatur? Reliqua, etſi creditu ardua, ſimplici ſtilo Euangeliſta denarrat, & vbi ventum eſt ad hoc feraliſſimum conuicium, teſtem ſe oculatum ſiſtit ad indubiam teſtimonij auctoritatem? Hâc ſuper re ſic ad rem præſentem Chryſoſtomus ibidem philoſophatur: *Et qui vidit teſtimonium perhibuit. Quaſi dicat: Non ab aliis audiuit, ſed ipſe præſens vidit. Et verum eſt teſtimonium eius. Quod conuenienter ſubiungit, conuicium Chriſti enarrans, non magnum aliquod & admirabile ſignum, vt ſic ſuſpectus ſermo redderetur Sed ipſe hoc dixit, futura perſonans myſteria, & eum qui iacebat in eis inſpiciens theſaurum.* Altè quidèm de more Chryſoſtomus! Scilicet præluſtria facinora & grandiora miracula incredibilitatis ſuſpecta ſunt, cùm humana fides de inuidiæ genio, alienam gloriam refutet. At tantùm Chriſti *conuicium* tanto verborum apparatu, & oculati teſtimonij lenocinio, magis credibile fiat; vt qui indubiè credit *conuicio*, ſimul etiam credat gloriæ myſteriorum, quæ in iſtiuſmodi *conuicio* palàm adumbrantur. Appendices *conuicio* glorias facere credibiles ingenioſè ſatagit, qui *conuicij* fidem extruit oculato Euangeliſtæ teſtimonio, vt dum *conuicium* exprompte credunt, glorioſas conuitij conſequentias credere cogantur. Exindè forſan huic verſ. 7. vbi proponitur eximia Eſtheris pulchritudo, morum honeſtas, & regia à Saüle nobilitas; præmittitur eius captiuitas, exilium, orbitas; vt de hâc vilitate, denarranda gloria fidem mutuetur.

S. Chryſoſt. homil. 84. in Ioan.

Hic verſ. 6. & 7.



3\. Ioan. 13. v. 10.

Ioannis 13. ferè pertinaciter renuit Petrus pedum lauacrum: cui tandem adnuit, ne renuru ſe Chriſti exortem redderet. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos ſed & manus & caput. Dicit ei IESVS: *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Acutè inibi addubitat Auguſtinus: *Imò ſi mundus eſt totus, quid ei opus eſt vel pedes lauare?* Hic intendit Dominus obiter oſtendere, vndecim Apoſtolos eſſe mundos baptiſmo, quo abluti, & perfectè mundati erant, vt in Tractatu ſequenti oſtendit idem Auguſtinus. Igitur propoſito à ſe dubio ſic ad rem ſubtiliter reſpondet. *Hoc ergo ait Dominus: Non habet opus niſi pedes lauare, ſed eſt mundus totus. Totus vtique præter pedes, quos habet opus lauare.* Et confeſtim per *pedes* intelligit *affectus*, quos perſæpè lauare & mundificare expedit; quippè qui ſunt moralis immunditiei inteſtinus fomes & iuge conceptaculum. Scilicet Chriſtus Deus vt credibile reddat, ac mundo perſuadeat; quòd Apoſtoli, & quilibet alius poſt ſuſceptum ritè baptiſma, *mundus eſt totus*; addit, egere vt *lauet pedes*, quaſi immundi forent: Non quia aliquid ſit immundum in recèns baptizato; ſed quia in baptizato remanent *affectus*, qui immunditiam, aut immunditiei occaſiones perenniter ſtillant. Itaque vt ſibi credatur, & faciliùs perſuadeat, quòd baptizatus manet *mundus totus*, addit pedum lotione indigere; non quia aliquid (formaliter vt aiunt) immundum habeat, ſed quia manent affectus, à quibus iugiter anima ſordeſcere ſolitat, perenni ſqualoris conceptaculo. Nimirùm vulgus hominum vltro credent, eſſe *mundum totum*; ne diſcredant aliquid eſſe vtcumque immundum. Exinde perfectam munditiem facit vulgò credibilem de abluendorum pedum indigentiâ: & vndè perſuaſionis difficultatem homines haurire poterant, vulgarem inde credibilitatem fœnerauit.

S. Aug. tr. 56. in Ioan.

*Perfecta mũditiae, de lauãdorum pedum indigentia vulgo ſuadetur.*

4\. 1. Reg. 3. v. 2. *Heli lucernam vidit, extinctioni proximum non videt.*

1\. Regum 3. *Factum eſt in die quâdam, Heli iacebat in loco ſuo, & oculi eius caligauerant, nec videre poterat: lucerna Dei antequam extingueretur*, &c. Multi olim codices aliter præſcripta verba diſpungunt, *Nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur.* Quid eſt quòd ſacerdos Heli non poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur? Caietanus ſic locum exponit: *Non poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur, hoc eſt, cùm eſſet prope extinctionem: ita quòd quamuis poſſet videre lucernam Heloim plenè ardentem & lucentem, non tamen poterat videre eam minùs ardentem, minuſque lucentem, cùm propinqua eſſet extinctioni.* O bonus viri boni viſus, qui plenè ardentem & fulgentem videt? & ad minùs ardentem, minuſque lucentem, & extinctioni propinquum, egregiè caligat! Profectò cæca eſt inuidia ad alienos fulgores; ad tene-

Caiet. ibi.

broſa verò, & extinctioni propinqua, perſpicaciter oculata. Hos non bonos inuidiæ oculos, bonus ſacerdotis Heli aſpectus moraliſſimè ſuggillat. Aliter præſcripta verba exponit Angelomus: *Oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei cùm arderet in tabernaculo, antequam lux diurna fieret, quando eadem extinguenda erat lucerna, ſicut per Moyſen præcipitur, vt eadem lucerna luceret vſque mane.* Mirabilis ſanè hîc ſacerdotis Heli viſus deſcribitur, qui niſi de cæli luce terrenam lucem non videt. Caligat ad terrenam lucernam, niſi ad eam videndam de cæli ſplendore inoculetur. Et ſanè cæleſtis exorta lux ſuo ſplendidiùs fulgore terrenam lucem abſcondit; (fruſtrà lucernabis meridiem) Sacerdos autem Heli cæcus eſt ad terrenam lucem, quam cæleſtis ſplendor non illuminat, ô ſi tantùm de cæli luce, quæ cæteros perſtringit & excæcat, ad res peruidendas inocularemur!

Angelom. ibi

*Heli ſacerdos, niſi de cæli luce inoculatus, nil videt.*

5. Denique opportunè ad rem P. Sanctius antiquam hanc translationem exponens, ibi ita ſcribit: *Quidam vſque adeò debilem eſſe exiſtimant Sacerdotis oculorum aciem, vt lucernæ ſplendorem ſuſtinere non poſſet, niſi cùm iam langueret, & penè eſſet extincta. Quemadmodùm multa ſunt animalia, quæ in luce cæcutiunt; & noctu, quandò lux eſt pertenuis, ſine labore, atque offenſione vident.... quæ quia à Solis radiis quaſi à ſpiculis vulnerantur, lucem fugitant, & ideò lucifugæ dicuntur, vt noctuæ.* Vide hîc non bonos vulgaris inuidentiæ oculos graphicè ad rem deſcriptos. Non videt Heli lucentem ſplendidè lucernam; videt tamen propè fumigantem, & penè iam extinctam. Scit Heli lucernam totâ nocte fulſiſſe; non quia lucernæ fulgores videt, ſed quia caliginoſam videt lucernam, iam languentem, & extinctioni iam proximam. Quaſi obſcuras languidæ iam lucernæ vmbras videat, è quibus arguat fulgores & fulſiſſe cognoſcat. O hominem male videntem, qui ex ſubobſcurâ lucernæ vmbrâ, ardentis lucernæ ſplendores agnoſcit: quos non agnouiſſet, niſi vmbram penè extinctæ lucernæ peruidiſſet. *Non poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur*, id eſt, *niſi cùm iam langueret, & penè eſſet extincta.*

Sanct. ibi. n. 6.

*Heli lucentem non videt lucernam, ſed penè extinctã videt.*

6. Ioannis 1. antequam diuini Verbi incarnationem exponat, Præcurſorem Euangeliſta præmittit, vt certiorem faciat arcani myſterij fidem: Fuit, inquit, homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. *Hic venit in teſtimonium vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.* An non lux euidenter oculis perſpicua eſt? non eſt ergò alieni teſtimonij indiga. Quis niſi malè videns aut benè cæcus, obuiæ lucis ad credibilitatem requirat teſtem? Superuacaneus eſt teſtis, cuius teſtimonio oculorum euidentia ſuffragatur. Appoſitè inibi Rupertus: *Quo indigebat lux hominum, vel quod ſibi proſpiciebat emolumentum, vt in conuenticulis hominum tantoperè ſibi prouideret tam magni præconij teſtimonium?* (Nota attentiùs quæ ſubiicit verba) *Num quod parùm luceret ipſa lux?* Scilicet vulgaris hominum fides, vel ſpectatæ oculis lucis admittit, vel requirit teſtimonium, quò luci detrahat, & parùm lucere arguat; quippè quæ externum teſtimonium ad aſſenſum non refutat. Lucere quidem vltrò admittet, dum admittens lucis teſtimonium, ſubinſinuet, non valde lucere quod externum ſuffragium adſciſcit. Sat eſto digitum intendiſſe ad locum, aliàs aliorsùm non ſemel expenſum. Vnus idémque Scripturæ locus, ſententiarum fœcundè grauidus, vnâ expenſione non contentus, plures ambit; quò mores ad omnem ſanctitatem vberiùs fœcundet.

Ioan. 1. v. 7.

*An lux, quæ teſte probatur, modicè lucere arguitur; & inde credita?*

Rupert. l. 1. in Ioan.

## §. LXV.

*Metuitne virginitas, ne ſit ampliùs quàm vocatur? indè aliquot eius elogia delibantur, ſi fortè pium eius faſtum adæquent.*

1. Eccleſia ideò Chriſti Dei ſponſa eſt, quia pudica: ideò iugo thalami cæleſtis honorata, quia etiam poſt nuptias manet poſtmodum virgo perpetua: nos, qui naſcimur de tanto coniugio, omnifariè adniti debemus quemadmodum proſapiæ noſtræ nobilitatem non relatione tantum, ſed etiam fide ſimilitudinis approbemus. Illibata virginitas, prima felicitas eſt, quæ naturæ & gratiæ florem Deo libat. Nupta cogitat quemadmodum placeat marito: virgo, quemadmodum Deo. Hæc extraneis ornamentis fulget: longè illa ornatior, aliundè quia neſcit ornari. Hæc variis vnguentis, & odoribus fragat: illa vnici floris ſui quouis prato amœnior in cælum ipſum honore læto inſpirat, & in terris poſita cælum fragrat. Hic verſ. 7. puellæ Eſtheris ſub patrui Mardochæi diſciplinâ, ſic pulchra virginitas cælum fragrabat, vt puella ſiderea putaretur, (hoc enim Eſther ſignificat) Indè eam terrenus etiam Rex ſic peramanter ambiuit, vt captiua femina ad regales nuptias adſcita ſit.

*Cõgruit virginitas, virginis Eccleſiæ filiis.*

Hic v. 7.

2. Matthæi 19. perpetuitate coniugij præmonſtratâ, dum libellum repudij ablegauit ab Eccleſiâ, gradum facit Chriſtus Deus ad virginitatis encomium. *Non omnes*, inquit, *capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.* Et rursùs. *Qui poteſt capere capiat.* Quaſi virginitatis laudes & priuilegia captum excellant humanum; nec vlla eloquenter exundet panegyris, virginitatis laude condigna: quippe quæ humana encomia longè tranſcendat, & velut aliquo piæ ambitionis faſtu, omni laudatione maior exiſtat. S. Zeno Veronenſis huc adludere videtur, ita eleganter fatus: *Pudicitia, totius humani generis fundamenta confirmat:* (forte adludit ad genituram, quâ virgo ſemper ſoboles procreatur, alioqui minimè procreanda) *hæc nominum proprietates vniuerſis affectibus præſtat hæc in vtroque ſexu conſpicua, in omni ætate miranda, in quâuis conditione non dubia, ſoli ſibi deuota* (Penſita attentiùs quæ mox ſubdit) *Semper benè conſcia, prorsùs nulli rei ſubiecta, vnum tantummodò metuens, ne ſit ampliùs, quam vocatur.* Profundè quidèm S. Zeno! Congruit ne cum Chriſtianâ humilitate nouus hic virginis pudicitiæ timor? Humilis ſobriè ſibi cauet, ne minor ſit quàm laudatorio ſermone prædicatur:

Matth 19. v. 11. v. 12.

*Virginitas, humani generis fundamentum confirmat.*

S. Zeno ſer. de Pudicit.

*Virginitas metuit, ne ſit ampliùs, quã vocatur.*

catur: Virginitas autem ſic magnificè de pudore vni Deo libato concipit, vt hoc *vnum metuat, ne ſit ampliùs quàm vocatur.* Maior eſt enim omni laude. *Non omnes capiunt verbum iſtud: & Qui poteſt capere capiat.* Quaſi timeat, ne virtus de cælo accerſita, & in terris vernans, florens, fructificans, humanis deuenuſtetur laudibus, nec eius elogia panegyris exæquet humana. *Vnum metuens, ne ſit ampliùs, quàm vocatur.* O piè velut ambitioſum virginitatis faſtum!

3. Gen. 6. v. 16.

Geneſeos 6. imminente diluuio, dixit Dominus ad Noë: Fac tibi arcam de lignis læuigatis: manſiunculas in arcâ facies, & ſic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius: *& in cubito conſummabis ſummitatem eius.* Itaque arca tali ſchemate fabricata eſt, vt inferiùs trecentis cubitis fuerit ampla, & ductim aſcendendo cùm in cubito eſſet conſummata, vbi ſinus altior, illic anguſtior: & ècontrariò, vbi humilior, illic amplior. Pergit Rupertus: Sic profectò ſancta Eccleſia diuerſis ordinibus eſt diſtincta: & quiſque ordo, quantò eſt arctior, tantò & celſior: vel econuerſo, quantò quiſque ordo eſt laxior, tantò & humilior: & quantò altior, tantò anguſtior. Indè ad thema præſens opportunè concludit: Vt (verbi gratia) viduitatis propoſitum, quantò coniugali propoſito caſtitate arctius, tantò & meritum eius altius: *& virginalis propoſiti decus, quantò altius, tantò & in paucioribus inuenitur: qui ordo, quia vnum quod eſt neceſſarium libenter exequitur, pulchrè vno ſummitatis cubito deſignatur dignitas eius.* Vide hìc virginalis propoſiti decus, quantò arctius, indè in paucioribus inuentum, atque adeò auguſtè ordinibus reliquis ſublimius: & quia *vnum quod eſt neceſſarium* in re perfectionis Chriſtianæ libenter exequitur, *pulchrè vno ſummitatis cubito deſignatur dignitas eius.* quaſi virginitas ſit omnium Eccleſiæ ordinum apex, & ſublime faſtigium.

*Eſtne virginitas omnium Eccleſiæ ordinum faſtigium?*

Ruper. l. 4. in Gen. c. 18.

4. Lucæ 20. v. 35. & 36. *Virginitas cæleſtis gloriæ beatitatem prælibat.*

Lucæ 20. quò Sadducæorum argutias Chriſtus deluderet, ſic de virginitate fatur: Filij huius ſeculi nubunt; & traduntur ad nuptias: *illi verò qui digni habentur ſeculo illo, & reſurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores: neque enim vltrà mori poterunt: æquales enim Angelis ſunt, & filij ſunt Dei, cùm ſint filij reſurrectionis.* Multa ſuper his verbis de virginitatis laudibus Commentatores addenſant. Cyprianus autem in lib. de diſcip. & habitu virg. hunc locum ſic eleganter exponit: *Quod futuri ſumus, iam vos* (ô virgines) *eſſe cœpiſtis: vos reſurrectionis gloriam in iſto ſeculo iam tenetis, per ſeculum ſine ſeculi contagione tranſitis.* Et paulò ante dixerat: *Seruate virgines, ſeruate quod eſſe cœpiſtis, ſeruate quod eritis.* Rectè quis poteſt conſeruare quod eſt, & quod habet; imò & perſeuerare in auſpicio, quo feliciter eſſe cœpit. Aſt in terris *ſeruare*, quod in cælis *erunt*, ſingulare elogium eſt, & præproperè auguſtum virginitatis priuilegium. *Quod futuri ſumus, iam vos eſſe cœpiſtis, ſeruate quod eritis* Sic in terris virginitas, cæleſtis gloriæ beatitates prælibat?

S Cyp. lib. de Diſcip & habit. virg.

5. Iſaiæ 7. v. 14.

Iſaiæ 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, id eſt, nobiſcum Deus. Et ſanè ſi Deus naſciturus erat ex femina, ex virgine planè naſciturus erat. Eloquenter Veronenſis Zeno, agens de Maria, & Eliſabethâ, ita ſcribit: Per idem tempus duæ cognatæ concipiunt: vna contra ſpem altera verbo. *Elizabeth ſterilis fœcunditate intumet feliciter venter, Mariæ maieſtate.* Illa præconem portat, hæc iudicem. Exultate feminæ, promotionemque veſtri ſexus agnoſcite. *Culpâ deleta veteri, ecce per vos iungitur cælo: anus enim peperit Angelum; & virgo Deum.* Benè eſt, infœcundæ anus effœta vulua Angelum parturit, virginis autem vterus (pro grauidæ virginis, & pro naſcituri Dei dignitate) & *maieſtate tumet*, & non Angelum, ſed *Deum parit.* Porrò grauidam virginem, niſi naſcentis Dei partum dedecebat. Tantùm virginitati licet!

S. Zeno ſer. 1. de Natiu. Chriſt.

*Grauidā virginē, niſi naſcentis Dei partus dedecebat.*

6. Act. 21. v. 9. Œcum. ibi. *Eſtne prophetia velut virginitatis appendix?*

Actorum 21. de Philippo diacono ita Lucas ſcribit: *Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.* Quæ verba ita ad rem exponit Oecumenius: *Animaduerte, inquit, quòd prophetides eius filiæ virgines erant, & quòd propter pudorem magis hoc aſſequebantur, vt & prophetiâ dignæ haberentur.* An hæ puellæ, quaſi virginitatis appendice, prophetiæ ſpiritu afflatæ erant? An ob virginitatis dignitatem earum propheticæ voces dignæ habitæ ſunt quæ velut oracula ſuſpicerentur? Tanta ne à virginitate fides? An indè pudicitia, *Fides generis* à Tertulliano nuncupatur?

Tert. alibi. expenſus.

7. Gen. 2. v. 1. *Pudicitia ornat virginē, & virgo pudicitiam adornat.*

Geneſeos 2. operoſo ſextidui opificio iam peracto, ſacer Hiſtoricus ſcribit: *Igitur perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum.* Benè eſt, hâc ſeptimâ mundi die, diuinæ quieti deſtinatâ, ornati ſint cæli; at cælorum ornatus quomodo perfectus eſt? In die, quâ ab opere quieſcit Deus, adhuc cælos denuò adornat? Quis eſt hic ornatus cælorum, quo ornatus ipſe inactuoſâ opificis quiete perficitur? Inde putauerim, quòd cæli ſuo ornatu iam fulgent & ornatus ipſe pulchrâ cælorum naturâ comptiùs adornatur. Quod apprimè quadrat in virginitatem, quam Lauretus Cetuarienſis cælorum nomine putat allegoricè intelligi. Sic autem Zeno Veronenſis de virginibus, ad rem præſentem tempeſtiuus fatur: *Deum patrem*, inquit, *vos & habere, & poſſidere monſtratis, cùm pudicitiam, in quâ Deus habitat, non dicam diligitis, ſed luculentis moribus adornatis.* (Nota quæ ſubdit verba) *Magna igitur gloria eſt ornare, per quod orneris.* Profectò ſicut cæli ornatus & cælū adornat, & vice verſâ ipſum cælum ornatum ſuum perficit, & adornat; Sic pudicitia virginis ornatus eſt, & rurſùs homo pudicus luculentis moribus pudicitiam adornat reciproco ſumptuoſiùs ornatu. *Magna igitur gloria eſt ornare, per quod orneris.* Tanta, tamque ſublimis eſt virginum dignitas, vt vel ipſam virginitatem, quâ ornatur, adornet!

Lauret. verbo, cælum.

S. Zeno ſer. de Pudicit.

8. 1. Cor. 15. v. 47. & 48.

1. Corinth. 15. *Primus homo* (inquit Apoſtolus) *de terrâ, terrenus: ſecundus homo de cælo cæleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes.* S. Cyprianus (vt Interpretum contentionem interim omittam) ſingulariter hunc locum exponit: per *terrenos* enim, intelligit homines, etiam poſt baptiſmi lauacrum ab originali limo defæcatos: per *cæleſtes* verò, virgines deſignari putat. Sic autem fatur in lib. de Diſcip. & habitu vir-

S. Cypr. de diſcip & hab. virg.

gin. Omnes quidèm, inquit, qui ad diuinum munus & *patrimonium baptiſmi* ſanctificatione perueniunt, hominem illic veterem gratiâ lauacri ſalutaris exponunt, & innouati Spiritu-ſancto, à ſordibus contagionis antiquæ, iteratâ natiuitate purgantur. *Sed natiuitatis iterata vobis* (ô virgines) *maior ſanctitas & veritas competit, quibus deſideria iam carnis & corporis nulla ſunt. Sola in vobis quæ ſunt virtutis & ſpiritus, ad gloriam remanſerunt. Apoſtoli vox eſt: Primus homo de terrâ,* &c. Magna ſanè pudicitiæ laus! Scilicet hominis poſt cæleſte baptiſmi lauacrum nitentes, adhuc *terrenos* appellat: nam in baptiſmo, peccatorum ſordes expoſuerunt, non vitiorum limum excuſſerunt. Virgines autem quaſi carnem, carniſque con-concupiſcentiam exuerint, ac *ſola quæ ſunt virtutis ac ſpiritus ad gloriam remanſerint*, ac ſi coloniam præproperè in cælos duxerint, ac cælum floribus fragret, *cæleſtes* nuncupantur. Profectò in baptiſmo gratia ſpiritualis donatur; ſed adhuc reſtant extirpanda vitia. At virginitas, *flos ille eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum.* O quàm eſt de cæleſti affinitate ſublimis, virginum *læta indoles!*

*Homo etiam poſt baptiſmum, terrenus dicitur; qui virginitatem colit, cæleſtis.*

Idem ibid.

9. 2. Corinth. 11. Sic eos Paullus alloquitur: *Æmulor enim vos Dei æmulatione.* Græcè *zelor*, zelotypus ſum erga vos zelo Dei. Non patior æmulos pſeudoapoſtolos, qui vos quaſi virginem mecum ambiunt. *Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Pulchrè inibi notat Theophylactus de his virginum nuptiis cum Chriſto: *Nouum hîc quiddam*, inquit, *in Eccleſia contingit. In mundo enim poſt nuptias non porrò virgines manent: hîc autem qui antehac virgines non fuerunt, poſt nuptias haſce virgines efficiuntur.* Vide ſpiritualis connubij cum Chriſto ſacramentum. Verùm ambigere quis poſſet, quomodò Paullus dicat ſe velut paranymphum ambire ad Chriſti nuptias *virginem caſtam* exhibere. Poteſtne eſſe *virgo*, quin *caſta* ſit? Imo *caſtitatis* illibatus flos, puritatis cenſus, & pudicitiæ meta, *virginitas* eſt. Sanè minùs eſt eſſe *caſtam*, quàm *virginem* eſſe. Quid ergo quaſi *virginitatis* accidentiam, *caſtitatem* nominat? virginitas enim perpetuâ hactenùs caſtitate cenſetur. Paullo accinit Baſilius de laude Virgin. cui hæc aſſignat encomia: *Virgo*, inquit, *Chriſti vas animatum, Caſtitatis imago, Virginitas ſupra naturæ legem, Virginitas hominem Deo ſimillimum facit, Virginitas vitam noſtram de corruptione ad gloriam colligit.* Intermitto nunc quòd Virginitas dicatur Chriſti Dei *vas animatum*; & quòd vitam noſtram etiamnum hîc *de corruptione ad gloriam colligit*, ac ſi præmaturè beatæ incorruptionis glorioſâ dote potiretur: & expendendum obiicimus, quare à Magno Baſilio dicatur *Virginitas, Caſtitatis imago.* Porrò imago eſt rei per illam repræſentatæ quædam vmbra prototypo ſimilis, & quæ illius perfectionem perrarò in humanis adæquat: quo pacto igitur *Virginitas*, quæ caſtitate integratur, eaque conſtat tanquam ſui parte, *imago Caſtitatis* appellatur? Opinor, & Baſilij encomio laus Virginitatis decreſcit. Verùm enimuerò cùm virginitas ſupra naturæ legem ſit, cognata Angelis, confinis Deo; nil de eâ dici poteſt, quod ipſius perfectionem adæquet; maior eſt enim omni laude. Exindè exaggeratior eius encomiaſtes, quantumuis prædicando infra Deum audeat, eius faſtigium planè minorat; ideóque ſæpè virginitas vel ipſis laudibus decreſcit; qui eſt laudatior Virginitatis faſtus. Nam Virginitas *ſemper benè conſcia, prorſus nulli rei ſubiecta, vnum tantummodo metuit, ne ſit ampliùs quàm vocatur.* O Virginitatis faſtus de ſublimitate virtutis granditer præcelſus?

2. Cor. 11. v. 2.

Græcus.

Theophyl.

*In nuptiis cũ Chriſto, quoddam virginitatis miraculum apparet.*

S. Baſil.

*Quare virginitas dicatur, Imago caſtitatis?*

S. Zeno ſup. n. 2.

## §. LXVI.

### *Boni operis theſaurum ab aliorum oculis cautè abſconſum, à tuis etiam cautiùs abſconde.*

1. HÆc ante omnia ſibi quiſque perſuadeat (ait Seneca) *me iuſtum eſſe gratis oportet. Non eſt quod expectes, quod ſit iuſtæ rei præmium maius quàm iuſtum eſſe Illud adhuc tibi affige: Nihil ad rem pertinet, quàm multi æquitatem tuam nouerint. Qui virtutem ſuam publicari vult, non virtuti laborat, ſed gloriæ. Non vis eſſe iuſtus ſine gloria. At mehercule iuſtus eſſe debebis cum infamiâ. Et tunc ſi ſapis, mala opinio bene parta delectat.* An non tibi videtur aliquis de Chriſtiano gymnaſio ad perfectionem eruditus? Vera & infucata virtus, contenta eſt Deo lucere, non mundo; mundanóſque refutat oculos, tanquam probitatis faſcinum, vel potiùs pietatis baſiliſcus. O quam debet eſſe ſollers virtutis à gloriâ inani cuſtodia! Tenera eſt pietatis humanæ valetudo, & de alieno aſpectu, ac ſæpe de proprio, peſtilenter afflata, languidè marcet: & quod cœperat in virtute conſummatur in vitio. Semper prodeſt bonum eſſe; ſæpè officit bonum videri. Caue tibi ab aliis; à te etiam tibi caue. Nec tuus aſpectus tibi parcet, qui virtuti non parcit. Altè quidèm Eſter vel in ipſo etiam nomine abſconſionem præfert; *Eſther* enim, idem eſt, ac *abſcondita.* Quòd ab aliis abſconſa erat, pudoris fuit; quòd à ſe etiam, humilitatis elogium, & rara ſanctitatis prærogatiua, quæ eſt huius §. argumentum.

Seneca epiſt. 114.

*Mala opinio benè parta delectat.*

Hic v. 7.

2. Matthæi 13. præmittens Chriſtus, quòd qui habet aures audiendi audiat, hanc proponit parabolam: *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro: quem qui inuenit homo, abſcondit; & præ gaudio illius vadit & vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illum.* Annon theſaurus hic (ſiue Euangelium ſit, ſiue Euangelica virtus, ſeu Chriſtiana perfectio) *abſconditus* dicitur, quid neceſſe eſt illum rurſùs *abſcondere*? Actum agere videtur, qui benè abſconſa, iterùm abſcondere ſatagit. Sed ſagaciùs perueſtigare iuuat, à quonam hunc Euangelicæ perfectionis theſaurum iteratò abſcondit: nam ab aliis ne illum ſubripiant, iam dudùm benè abſconſum prædicitur: & ſanè rem virtutis non ſic hianter humana auaritia perueſtigat, vt benè abſcondita rurſùm abſcondenda ſit, ne ab alienâ furacitate effodiatur. A ſe autem quomodò ipſe merita ſua abſcondat? conſcientiam enim ſuam fruſtrà deludere præſumet. Nihilominus S. Bernardus præſcripta

Matth. 13. v. 44.

*Boni operis theſaurum ab aliis abſconſum, à te etiã diligenter abſconde.*

S. Bern. in Pſ. 90. ſerm.

Matthæi

Matthæi verba accuratiùs exponens, ita ad præſentem theſim acutè ſcribit: *Neceſſè igitur eſt*, inquit, *abſcondere interim ſiquid habemus boni, quoniam theſaurum regni cælorum qui inuenit homo abſcondit ..... Neceſſaria eſt ergò hæc abſconſio, non ſolùm ante oculis aliorum, ſed etiam multò magis ante teipſum.* O caue tibi vel à tuæ virtutis blandimento! Nemo virtutem, quam ipſe operatur, ignorare poteſt: nam omne bonum morale ſpontè peragitur, omni autem operi ſpontaneo anticipata notitia prælucet: quomodo ergò quis neſciat rem, quæ illo neſcio eſſe non poteſt? O cognata bono operi pericula! ô propè ineluctabiles à vanâ gloriâ ſyrtes! ô nimis abſtruſum humilitatis ſacramentum! Bonum, quod ſcius patras, à te quaſi neſcius abſcondis, vt videns non videas; ne illud videndo, illi inuideas, dum oculis faſcinas, adulteras, corrumpis. Vide, vt ignores, quòd non potes non ſcire. Virtutis theſaurum, ab aliorum oculis abſconſum, à tuis etiam abſconde: *neceſſaria eſt* enim *hæc abſconſio, non ſolùm ante oculos aliorum, ſed etiam multò magis ante te ipſum.*

3.
Pſ.143.v.13. *In obſcuro & ſordido angulo, venuſtior ſpõſæ pulchritudo apparet ornatior.*
Regius Vates Pſal. 143. ſic concinnè pangit: Quorum filij ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſuâ. *Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ vt ſimilitudo templi.* Quibus verbis glorioſior pulchritudinis ornatus, & excultior virtutum gloria myſticè exponitur, & de templi ſacrario piè venuſtatur. Multa mouent Commentatores, vt hanc cum templo comparationem elucident.
S. Hieron. S. Auguſt. Treuet. apud P. Lorin. ibi.
S. Hieronymus inibi, & S. Auguſtinus in ſpeculo, ſic locum exeribunt, & exponunt: *Filiæ noſtræ, quaſi anguli ornata ad ſimilitudinem templi.* Quod Treuetus exponit de puellis venuſtè pulchris, & comptiùs ornatis; vt ſint aptæ ad nuptias: & vim comparationis eſſe, *Quoniam cùm in angulis præſertim ſordes eſſe ſoleant, ſolent hi in templis præcipuè mundari.*
Caiet. ibi.
Caietanus ad ſtatuas Deorum refert, in templi *angulis* ornatiùs exculptas, & cultiùs ornatas. Quidquid ſit de hâc templi aptiore comparatione, teneo plane *angulos* domus, aut palatij, aut templi pulchritudine, & ornatu ſumptuoſos; & in quibus gratior pulchritudo ornatiùs latet. O in obſcuritate *anguli*, qui ſordibus ſqualere ſolitat, ibi comptior filiarum pulchritudo gratiùs fulget? Puto, *angulus* obſcurius latet, & oculos hominum fugit; & de ſordium conſcientiâ ſuſpectus ſibi eſt vel in ipſâ munditiâ. In obſcuro *angulo* (quem potiùs latibulum dixeris) ſponſæ pulchritudo ornatior apparet, quæ de inuiſi *anguli* comparatione venuſtatur *Filiæ noſtræ quaſi anguli ornata vt ſimilitudo templi.* Gratior animæ pulchritudo, quaſi in templi ſacrario latet in *angulo* inuiſa: ſibi & aliis de elogio loci, apparenter obſcura
Paraphr. Chald. ibi.
& ſordida; reapſe *ſplendida, & accepta ſacerdotibus, qui miniſtrant in medio templi*, vt paraphraſis Chaldaica exponit.

4.
Lucæ 1. v. 35.
Lucæ 1. Gabriel de cælo paranymphus, diuinæ corporationis ſacramentum annuncians, ſic Mariam magnificè ſalutat: Aue gratiâ plena Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.
*Deiparæ obumbratio, forſan fuit arcana quadam meritorum abſcõſio.*
Quibus verbis Mariana elogia in compendium redegit Et explicatiùs edifferens Incarnationis in eius vtero virginali myſterium, ita ſubdit: *Spiritus-ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* latè tractant Interpretes quænam fuerit Deiparæ *obumbratio*, quandò in Filij Dei ac ſui diuinâ corporatione tot de cælo gratiis vberiùs exundauit. Mitto nunc plura, vt citiùs exscribam Bernardi expoſitionem in paucis luculentam. S. Bern. in Pſ.9. ſer.4. Nuper dixerat: *Neceſſaria* eſt hæc virtutum abſconſio, *non ſolum ante oculos aliorum, ſed etiam multò magis ante teipſum.* Subdit poſt pauca: *Qualis forſitan abſconſio fuit vel obumbratio quæ Mariæ facta eſt à Spiritu ſancto ad celandum videlicet tam incomprehenſibile ſacramentum.* Non potuit non ſcire Deipara arcanum Incarnationis myſterium, cuius expetebatur conſenſus, vt in virgineo eius vtero perageretur: nec potuit ignorare propè immenſum gratiarum cumulum, quo cælitus dotata fuit, vt digna Dei mater effici mereretur: ne autem aliquo inanis gloriæ faſtu tangeretur ex humano tot gratiarum blandimento, à Spiritu-ſancto tempeſtiuè *obumbratur*, vt de quâdam arcanâ tot gratiarum abſconſione, quodammodo non ſciret, quod neſcire non poterat. *Qualis forſitan abſconſio fuit vel obumbratio quæ Mariæ facta eſt à Spiritu ſancto, ad celandum videlicet tam incomprehenſibile Sacramentum.* Exindè mater Dei tunc auguſtiùs facta, humili appellatione, quaſi tantam dignitatem dediſceus, ſe *ancillam* appellat. O ſapientiſſima velut inſcitia in tam præcelsâ meritorum ſublimitate, de profundo humilitatis ingenio veniens! Scit, quia ignorare non poteſt quod ſpontè facit: ſed quia ad ineffabilem tanti ſacramenti diuinæ maternitatis abſconſionem, à Spiritu-ſancto ſupernè *obumbratur*, quodammodò ignorat *ancilla*, quæ eſſe Dei matrem, cæleſtium donorum ſublimitate meretur, (Sic ex his Lucæ verbis S. Bernardus ethicè velitatur, ſenſus litteraliſſimi alioqui ſcius.)

Cùm omne malum ex malo naſcatur, (ait incertus Chryſoſtomus) ſola vana gloria de bono procedit, & *ideò non deſtruitur per bonum, ſed magis nutritur:* nullum ergo remedium adæquè idoneum erit, ac præſcripta meritorum abſconſio; ne vel conſcientia, boni operis gratiam latenter arrodat. Hanc inanis gloriæ medicinam fecit Chriſtus Deus Matthæi 6. *Te autem*, inquit, *faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua: vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & Pater tuus qui videt in abſcondito reddet tibi.* Quia ſiniſtra nec ſcire poteſt, nec ignorare, dum metaphoram interpretes quærunt, incredibilem interpretationum varietatem pepererunt. Litteraliſſimè Chryſoſtomus: *Si*, inquit, *poſſibile eſt teipſum quoque ignorare quod facis, ſit tibi hoc prorſus in ſtudio; & ſi fieri queat, nec manus quibus id peragitur, conſciæ ſint.* Quaſi dicat: Adeò debere nos boni operis noſtri teſtes effugere, vt ſi *ſiniſtra* manus noſtra oculos haberet, videre tamen non poſſet, quid dextera boni faceret Itaque Chriſtus Deus ita vult bona opera noſtra fieri, (ait inibi P. Maldonatus) *vt ne ſiniſtra quidem manus, quæ omnium operum dexteræ non modo conſcia, ſed adiutrix etiam eſſe ſolet, ſcire poſſit.* O quantâ cum cautelâ operabitur *dextera*, quod vel oculatam, & adiutricem *ſiniſtram* latere debeat! Et ſanè manus quæ bonum operatur, appoſitè *dextera* nominatur, altera manus oculatè adiutrix, *ſiniſtra* dicitur: quaſi duro boni operis conſcia eſt, *ſiniſtræ* tetrum elogium mercari videatur. Indè *ſiniſtra* morali

5. Imperfect. homil. 15.

Matt. 6. v. 3. & 4. *Siniſtra erit, ſi videat bonum, quod dextera facit.*

S. Chryſoſt. homil. 19. in Matth.

P. Mald. ibi.

moraliſſimè dicitur; quæ male perſpicax, rationi meritorum inſidiatur. Nec te angat, quod tu tua merita ſic non videas: nam Pater cæleſtis, *qui videt in abſcondito*, illa videt ad largius præmium: quæ ſi tu videres, ſciente *ſiniſtrâ* quid faceret dexterâ, ille non ſic vidiſſet, quaſi de tua boni operis cæcitate Deus inoculetur ad præmium: quippe ſic in conſpicuo facta ignorat, *qui videt in abſcondito*.

6. Quòd ſi adhuc difficile intellectu putas, quo pacto fieri poſſit, vt (quantumuis merita noſtra cælitùs obumbrentur, ne clariùs cognita vanæ gloriæ adulentur) ſiniſtra manus dexteræ adiutrix, ignoret quod vtraque indiuiduè præſtat: & theſaurum ab aliorum oculis abſconſum poſſit quis à ſuis abſcondere; audiat Paullum ſic de ſeipſo ad Philippenſes ſcribentem, *Quæ retro ſunt obliuiſcens ad ea verò quæ ſunt priora, extendens me ipſum ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis.* Quæ verba de obliuione meritorum exponit Anſelmus; & Bernardus intelligit de quâdam anteactæ ſanctiùs vitæ velut neſcientiâ ne inani gloriæ male gratis blanditiis notitia adulетur. Itaque Paullus vſqueadeò nos vult impensè occupari, & negotioſè impendi in his aſſequendis, quæ ad ſpiritualem profectum adhuc patranda reſtant, vt præ actuosâ intentione ad futura, præterita quæ retrò ſunt, neglectui & obliuioni tradantur. Neque enim ſine magno periculo quis ab incœpto curſu ſiſtitur, ad patrata nuper merita grarè peruidenda. Quæ eſt peridonea S. Auguſtini expoſitio ad præfata Apoſtoli verba: *Quæ retrò ſunt obliuiſcens, ad ea quæ ſunt priora extendens me ipſum, &c. Adhuc ſequor*, (ait Auguſtinus) *adhuc proficio, adhuc ambulo, adhuc in viâ ſum, adhuc me extendo, nondum perueni. Ergò ſi & tu ambulas, ſi te extendis, ſi ea quæ ventura ſunt cogitas, obliuiſcere præterita, noli in ea reſpicere, ne ibi remaneas, vbi reſpexeris. Mementote vxoris Lot.* Diligens ſtrenuè curſor nil retroſpicit poſt terga relictum: neque ſpatium decurſum ſpectat; ſed ad id, quod ſupereſt, decurrendum, animo, corporeque connititur. Ita quiſquis in viâ virtutis ambulas, præterita virtutum merita ſapienti obliuione dediſce; *noli in ea reſpicere, ne ibi remaneas, vbi reſpexeris. Memento vxoris Lot.* Procliue eſt cuique hoc exemplum vxoris Lot enucleatiùs ad rem expendere, ſat eſto Auguſtini acumen digito inſinuaſſe.

Ad Philipp. 3.v.14.

S. Anſel.ibi. S Bern.ſup.

*Præterita merita noli reſpicere, ne ibi remaneas, vbi reſpexeris, ſicut vxor Lot.*

S. Aug.ſerm. 15.de verb. Apoſt.c.15.

Geneſ. 19. v.26.

7. Canticorum 4. hæc auditur Sponſi vox: *Quam pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecùs latet.* Pro τὸ *quod intrinſecùs latet*, aliqui, excribunt, *præter velamentum*, alij *ſilentium*, ſeu *taciturnitatem*. Quaſi dicat ſponſus: *Quam pulchra es amica mea, quàm pulchra es!* Et confeſtim eximiam hanc venuſtatem nuncupatim exponens, ait: Oculi tui non tantùm ſimiles ſunt oculis columbinis, eo quòd venuſti ſint lucidi, ſimplices, pudici, verecundi, amabiles ſed inſuper eximiam in ſe latentem gratiam & pulchritudinem continent. Porrò Hebræum verbum (vt alibi ex Cornelio expendebamus) *non tam velum, quàm velatum, id eſt, rem ob pulchritudinem, vel reuerentiam velo dignam, obtectamque ſignificat.* Scilicet Sponſum cæleſtem non latebat hæc eximia oculorum Sponſæ venuſtas, etſi reliquis abſconſa atque inuiſa; at quò illam viuaciùs & exaggeratius prædicaret non exponit illam, & publicis oculis auribuſque euulgat, ſed nomine abſconſionis, aut ſilentij appellat: quaſi quod in ſe pulchrum reipſa eſt, exaggeratiorem venuſtatem de abſconſionis lenocinio mutuetur. Sic abſconſio ſeu ſilentium virtutis, ipſius pulchritudinem adornat, venuſtat, exaggerat. Et nota ad rem etiam, quòd hæc abſcondita pulchritudo conſultò in oculis Sponſæ collocatur: nihil enim ipſi homini tam occultum eſt, quàm quod in oculis ſuis eſt: oculi enim à ſe inuiſi, reliqua vident. Porrò eximia præcelsè virtus, nec ſuos oculos patitur, nec admittit alienos; cautè præcauens oculorum faſcinum nimis virtuti noxium. Tanta boni operis abſconſio, aſylum virtutis eſt.

Cant.4.v.1. Tranſlat.variæ.

*Virtutis obtectio, illius pulchritudinem mirè exaggerat.*

Cornel.ibid.

## §. LXVII.

### *Patrem ſe eſſe negat, qui ſeuerus erga filios non eſt.*

OMnium honeſtarum rerum ſemina, etiam puerorum ac iuuenum animi gerunt, quæ tempeſtiuâ parentum diſtrictione excitantur non aliter quàm ſcintilla leui flatu adiuta, ignē ſuum explicat. Erigitur virtus cùm tacta eſt & impulſa. Nihil magis facit agreſtes filios, quam educatio mollis ac blanda. Ideò vnicis quò plus indulgetur: pupilliſque quò plus licet, corruptior & barbarior animus eſt. Quid boni ſperes è puero, cui nihil vnquam negatum eſt, cui lacrymas ſollicita ſemper mater abſterſit, cui de pædagogo ſatisfactum eſt? Amet parentem filius, ſi æquus eſt: ſi aliter, timeat, & ferat. Frangatur ſpiritus, ſi adhuc in minori ætate nimium adſurgere audet, ne licentia iracundiam & inſolentiam nutriat; ac frenos excutiat. Seuerè educatus *Cimon filius, Miltiadis cenſus inuentus eſt.* Verus parentum amor, in blanditiis molliter diffluit, in ſeueritate micantiùs tranſlucet. 1.

*Filius eſt patris cenſus.* Seneca l.9. contr. 1.

Geneſeos 22. vbi ventum eſt ad ſacrificij locum, in quo ex Dei iuſſu Iſaacus à peramanti patre immolandus erat; cùm Abraham alligaſſet filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum, *Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium ſuū.* Abraham, vt pater eſſet multarum gentium, hic iuſtitiam non didicit, ſed genuit. ſtrinxerat in ſe patris pietatem, quò vnicus, quòd ſerò, quòd promiſſus, quòd ſola vnica ſpes totius præteritæ ſterilitatis damna ſarciret. Chariſſimi membra, quæ oſculis premere auebat, armatus gladio parabat truncare. Talem caſum nemo tunc doluit, niſi qui genuit. *Nemo viuas planxit exequias; & innocentiæ hominis obſequium nemo antè fletibus rigat; ne pater dubitaſſe videretur, ſi fleſſet*, ait, S. Zeno. ac ſi paternus dolor lacrymas eliciens an filij ſui pater eſſet, dubium ingeneraret. Addit adhuc ad rem eleganter; vt patris ſeueritatem erga talem etiam filium adornet: *Religioſus carnifex ſtringit gladium, patris erat quòd leuauit, Dei fuit quod pepercit: nec qui feriebatur timuit, nec qui feriebat expauit.* Vide hîc quàm ſit Deus propenſus ad clementiam, & quàm ſuperet paterna viſcera Dei pietas. Dum peramās filij pater, peracerbè ferire parat ſuum Iſaacum Deus vulnus auertit, vt patris eſſet quòd gladium ſtrinxit, & leuauit; Dei verò quòd pepercit 2.

Geneſ.22. v.10.

*De patre, qui flet filiū, dubitatur, an pater ſit?* S.Zeno ſer. 3. de Abrah.

*In Abrahamo, patris erat quòd leuauit gladiū, Dei fuit quòd filio pepercit.*

percit filio. Deo obnixiùs rogatore opus eſt, vt mactando filio Abrahamus parcat? Sic bonus pater erga optimum & dilectiſſimum filium ſeuerè acerbus eſt, dum ſeueritatem expedit exhibere, vt dum Abraham religioſus carnifex quò filium iuguſet, ſtringit gladium, *patris erat quod leuauit, Dei fuit quod pepercit!* quaſi veri patris agat partes, dum ad feriendum filium leuat gladium; non dum ſtrictum condit in vaginam, vt illi parcat. Quid exaggeratius?

3.
Geneſ. 1. v. 20. & 21.

Geneſeos 1. in quintá mundialis opificij die, dixit Deus: *Producant aquæ reptile animæ viuentis: & volatile ſuper terram ſub firmamento cæli. Creauitque Deus Cete grandia; & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundum genus ſuum.* Itaque non piſces maris duntaxat, ſed etiam volucres cæli, è matrice aquâ prodierunt, vdoſque natales ad primæuam aquarum abyſſum referunt. *Quæri nunc poteſt* (ait inibi

Rupert. ibi. l. 1. c. 50.

Rupertus) *cur cùm omnia volatilia aquæ produxerint, non etiam ſub aquis natalibus eadem viuere poſſint? .... Cur ergò natura illis quaſi à materno vtero tam diuerſa ſuccedit? Cur illic vitam retinere non poſſunt, vndè vitam ſumpſerunt?* In aëris terræúe elemento extraneo, peregrino, exotico, volucres perpetuò extorres exulant, & exules peregrinantur materno fotu orbatæ, matrices aquas fugiunt, ne vndè ſumpſere vitam, mortem hauriant? Vitam volucres ex aquis mutuant, eamque de longinquitate conſeruant, quam, cùm ei vicinantur amittunt. O aquarum naturam à maternâ pietate alienam! imò pietatis magiſtram, & paternæ ſeueritatîs ideam. Certiſſimus, indubiuſque eſt amor parentum in filios, quem à naturâ hauriunt, arripiunt, exprimunt; & agreſtiores belluæ, & fatua inertiaque animalcula viuidè repræſentant. Ne autem parentes cenſeant, amorem paternum blanditiis, blandeque molli beneficentiâ ſemper conſtare; exiſtat in natura rerum aliqua mater, quæ ſic velut abalienata ſit à legitima prole, vt nouercalem ſeueritatem, citiùs quàm maternam beneuolentiam repræſentet, vt in eâ legant homines, quòd non ſemper oporteat molli blandoque fotu filios proſequi, ſed pro rei opportunitate expediat, vt paternus amor ſeueritatem induat, blanditias exuat, rigores aſſumat, abalienationem exhibeat & minaciter trucem ſeueritatem repræſentet. Si benè ſic odiſti, meliùs amaſti. Hoc perſonatum odium, exaggeratio amoris eſt. Hinc cæli volucribus *natura quaſi à materno vtero tam diuerſa ſuccedit, vt illic vitam retinere non poſſint, vnde vitam ſumpſerunt.* O, ex âquarum gymnaſio paternus amor è diuerſo erudiendus eſt, ne pater blando amore durum reuerſá odium exhibeat.

*Volucres vitam retinere non poſſunt, vndè vitam ſumpſerunt; & quare.*

4.
1. Reg. 4. v. 18.

1. Regum 4. Heli ſacerdos Domini, & Hebræi populi index, audiens à refuga nuncio; quòd populus malè fuerat à Philiſthæis conciſus, & eius filij cecidiſſent in prælio, & Dei arca capta eſſet: *Cumque ille nominaſſet arcam Dei, cecidit de ſellâ retrorſum iuxta oſtium, & fractis ceruicibus mortuus eſt: & ipſe iudicauit Iſraël quadraginta annis.* Hinc tempeſtiuam Rupertus quæſtionem exagitat: ita ſcribens: *Forte dicit quis, Heli ſacerdos Domini, ipſe quoque Iſrael iudicauit, ſicut ſcriptum eſt.... Cur ergò cum ceteris iudicibus ille non annumeratur?* Poſtmodum his verbis propoſitum dubium ita extricare contendit: *Prædixi enim, ait Dominus, quòd iudicaturus eſſem domum eius in æternum propter iniquitatem eò quòd nouerit indignè agere filios ſuos, & nõ corripuerit eos.* Addit ad rem opportunè *Nimirùm cadendo de ſella retrorsùm, & fractis ceruicibus moriendo, palàm fecit quòd neque ſedile neque coronam auream merebatur habere inter Iudices alios. Proindè confeſtim condolendo Scriptura ſubiungit, Senex enim erat vir, & grandæuus, & ipſe iudicauit Iſraël quadraginta annis. Dolendũ quippè eſt illi, quòd cùm tot annis iudicauerit Iſrael, nihil vſquam memorabile, vel Iudicis officio dignum geſſit.* Scilicet qui ſceleroſos palam filios ſeueriùs non *corripuit*, nihil neque priuatè, neq; publicè ſublimiſſimo illo Iudicis munere egiſſe putatur. Exindè licet totis quadraginta annis & ſummum Sacerdotem, & populi Iudicem egerit, *ceteris Iudicibus non annumeratur, neque ſedile, neque coronam auream meruit habere.* Quaſi ſacerdotem, Iudicem ac Patrem deſueſcat, qui in ſe alioqui probus, improbos filios non arguit, *corripit*, coercet. O time quiſquis filios blandiùs amas!

Rupert. l. 4. de vict. c. 10.

*Heli filios nõ corripiens, neque thronum neque coronã aureã meruit habere, neque Iudicibus annumerari.*

5.
Geneſ. 22. v. 12.

Redeat iterùm nunquam ſatis laudata Abrahami erga chariſſimum filium ſeueritas, ſtricto gladio minax. Et ecce Angelus Domini de cælo clamauit, dicens: Abraham, Abraham. Qui reſpondit: Adſum. Dixitque ei: *Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quicquam.* Auſa filium ferire dextera, quid non ſpondeat ſibi? Tempeſtiuè idem Veronenſis Zeno: *Melius ſeruauit filium, dum non pepercit:* Forſan magnus hic Doctor alludit ad illud Iephte, qui indulgenter procraſtinans filiam ex voto ferire, tandem illam mactaſſe perhibetur. At Abrahamus expromptè in filium ſeuerus, confeſtim è cælo audit: *Non extendas manum ſuper puerum, neque facias illi quicquam.* Ergò *meliùs ſeruauit filium, dum non pepercit.* cui ſi pepercilſet, forſitan non ſeruaſſet. Quæ videtur acerbitas, mera indulgentia eſt & parcendi arbitrium.

S. Zeno ſer. 3. de Abrah.

*Abraham melius ſeruauit filium, dũ non pepercit.*

6.
Geneſ. 22. v. 2.

Hùc etiam aduocari poteſt, quod eodem c. 22. de immolatione Iſaaci dixit Dominus ad Abraham: *Tolle*, inquit, *filium tuum vnigenitum quem diligis Iſaac.... & offeres eum in holocauſtum*, &c. Hebraicè pro *τὸ quem diligis*, Habetur *Quem dilexiſti.* Poteſt accipi hoc præteritum, *Dilexiſti*, quaſi dicat *Cogita illum iam non eſſe, vixit.* ita P. Martinus del Rio, Aliter inibi Ambroſius: *Poſſumus accipere, Quem dilexiſti ad id quod non recenti quodam impulſu amoris, ſed inolito diu, & probato amore ſignificares dilectum.* Vel forſan cum dilectum filium ferire iubet, conſultè dicit, *Quem dilexiſti*, quaſi hactenùs dilexerit: nam cùm feriendus erat, ſic ſtringit gladium, ſic armatur in filium ac ſi eum iam minimè diligeret, ſed eouſque dilexiſſet. Non quòd tunc etiam non diligat, ſed quia dum gladium ſtringit, ſic diffitetur amorem paternum, ac ſi eum non diligeret.

Rio ibi.
S. Ambr. apud Caten.

*Cùm Abraham ſtringit gladium, non tam diligere, quàm dilexiſſe filium dicitur.*

7.
Geneſ. 1. v. 20. Ruper. 5.

Expendebamus nuper n. 3. ad illud Geneſeos 1. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile.* &c. quàm acerbè ſe gerant aquæ, volucrum matrices cum volatili prole, quæ *cùm de aquis producta ſit, non etiam ſub aquis viuere poteſt.* Et vide nunc qualiter ſe gerant marinę aues cum filiolis, maternum aquarum ingenium æmulatæ De Halcyone enim, quæ auis ad maris littora deponit oua, vbi pullos excludit, educatque

*Halcion pullos ſuos fluctibus marinis verberandos obiicit.*

S.Ambr.l.5. Hexaëm. c.13.

catque ſic fatur Ambroſius: *Nec interpellari tot diebus inſidi maris tranquillitatem veretur, tentátque meritum ſuum naturæ iam ſolennitate fundatum, & teneros fœtus non latibulis abſcondit, ſed fluctibus verberandos exponit, nudo & rigenti ſolo tradit, nec defendit à frigore: ſed diuino fotu, quo magis cetera deſpiciat, eo tutiores eſſe exiſtimat.* Scilicet *tutiores* putat pullos ſuos, dum adhuc teneros marinis vndis *verberandos* obiicit. Quod nuper de Abrahamo dixit Veronenſis Zeno: *Meliùs ſeruauit filium, dum non pepercit.*

8. Prouerb. 11. v.29.

Cauendum tamen eſt, ne patres erga filios ſuos nimiùm rigidi, dum eos acerbiùs exaſperant, contumaciores & agreſtiores reddant: *Qui conturbat domum ſuam, poſſidebit ventum,* ait Salomon, Prouerb. 11. Pro τὸ *poſſidebit*, Hebraicè excribitur: *Hereditabit.* Vnde ſic locum Caietanus exponit: *Conturbans domum ſuam (hoc eſt familiam ſuam, filios ſuos ſeu nepotes) habebit heredes ventum: hoc eſt habebit heredem nullum in poteſtate ſuâ. Conturbati enim à patre filij, deſinunt parere patri: ac per hoc ſunt patri ſicut ventus, qui non eſt in poteſtate noſtrâ.* O caue hos paternæ educationis ſcopulos. *Ventum hereditat* quiſquis filios inceſſanter exaſperat.

Caiet. ibi. *Qui filios nimis exaſperat, hereditabit ventum.*

Hic verſ.7.

Miraris ſidereos mores in Eſthere etſi pulchrâ puellâ, etſi captiuâ, in regiâ Perſarum vrbe perditiſſimè ſalaci; admirare etiam hîc attentam Mardochæi pædagogiam, & morum inſtitutionem: alebat illam tanquam filiam, inſtituebat à teneris annis fortè in ſponſam futuram (vt quidam opinantur.) Seueritas morum Mardochæi, & attentior inſtitutionis ſollertia Eſtheres aut inuenit, aut facit.

## §. LXVIII.

*Vitioſæ imitationis ſcabiem conuictor conuictori allinit, peruerſâ morum æmulatione.*

1. Plutarch. tr. de diſcrim. amici & adult.

MOrum ſcabiem conuictori conuictor affricat, & *balbutire diſcit quiſquis aſſiduè cum balbo viuit.* Tanta eſt conſuetudinis vis, vt imprudentes etiam imitemur vitia eorum quibuſcum viuimus. Sic Platonis familiares eius latitudinem humerorum imitabantur: Ariſtotelis amici eius balbutiem exprimebant: Alexandri Magni familiares ceruicis inflexum, & vocis in dicendo aſperitatem effingebant. *Sumuntur*, ait Seneca, *à conuerſantibus mores. Et vt quædam in contactos corporis vitia tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit: ebrioſus conuictores in amorem vini traxit: impudicorum cœtus fortem & ſiliceum virum emolliit: auaritia in proximos virus ſuum tranſtulit.* Propè irremediabilis ille ſtatus eſt, vbi non vitiis excuſatio duntaxat, ſed ex conuerſantium conſuetudine etiam auctoritas datur., & multitudinis conſenſu aſſeritur. Inſanientium multitudo, inſaniæ protectio eſt. Has morum ſyrtes ſecundum nomen ſuum Eſther declinauit: fuit enim mulier ſui nominis, quod *abſconſione* impleuit, vitioſæ imitationis ſcabiem deuitans.

Seneca l.3. de Irâ. *Morum ſcabiem conuictori conuictor affricat.*

Hic verſ.7.

2. Gen.11.v.7.

Geneſeos 11 poſt Noëticum diluuium cum propagatâ ſobole malitia quoque latè ſerpit. Erat autem tunc terra labij vnius, & ſermonum eorumdem: cúmque inſanam Babylonicæ turris fabricam moliri cœpiſſent; deſcendit Dominus vt videret ciuitatem & turrim; quam ædificabant filij Adam, & dixit: Ecce vnus eſt populus, & vnum labium omnibus: cœperúntque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant. *Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui.* Qui aperta ſolùm, & textui obuia ſectantur, putant hîc præcipuè deſcribi ortum linguarum Græcarum, ac Barbararum. *Confuſionem* autem rem hanc Moyſes appellat: qui ſi voluiſſet ortum linguarum duntaxat indicare, aptiùs forſan *diuiſionem* appellaſſet, quàm *confuſionem*. non confunduntur enim, quæ in partes diſtribuuntur, ſed diſcernuntur potiùs. eſt enim confuſio facultatum ſimplicium corruptio, quæ ſimul congeſtæ vnam quampiam generant, diſtinctio autem ſeu ſeparatio eſt vnius in plura ſectio. Hinc Philo Iudæus hanc luculentam ethicè expoſitionem his verbis digerit: *Confundamus ibi linguam eorum, ne audiat vocem quiſque ſui proximi, ac ſi diceret, muta ſurdáque faciamus vitia ſingula, vt nec loquendo, nec aſſentiendo damnum dent. Hæc eſt noſtra ſuper hoc textu ſententia.* Nimirùm tanto conſultioris conſilij apparatu Deus deſcendiſſe perhibetur, vt tacitam alienæ malitiæ confundat linguam, *muta ſurdáque faciat vitia ſingula* conuictorum, ne non boni exempli garrulo lenocinio prauos mores oculi hauriant, aures arripiant, & peſtiferam vitiorum ſentinam humanum cor per imprudentiam exhauriat: & dum alienâ prauitate ſenſim expletur, propriâ iam factâ de celeri abreptione cumulatiùs exundet. O ſi Deus ſic vitiorum linguam confunderet, vt ad prauos proximorum mores, non cæci duntaxat, ſed etiam *ſurdi mutique* redderemur. Alios huius loci ſenſus venari ad linguarum & aurium eruditionem procliue eſt.

*Qui palam non peccat, muta ſurdáque facit vitia.*

Philo lib. de Confuſ. ling. prope fine.

Geneſeos 7. Caini malitiâ in Sethi poſteros per ſalaces connubiorum traduces propagatâ, nequitiæ purgandæ diluuium apparabatur. Iam ergò periculum creabatur, diluuium armabatur, & natura à ratione aliena cum rationali iudicabatur. Extruitur arca paradiſo firmior, fidei vehiculum, & viuentium cuſtodia. Dixit enim Dominus ad Noë: ingredere tu, & omnis domus tua in arcam. *Ex omnibus animantibus mundis tolle ſeptena & ſeptena, maſculum & feminam: de animantibus verò immundis duo & duo, maſculum & feminam.* Quæ Dei verba hoc eleganti dubio Seleucienſis Baſilius elucidat: *Cur ergò tandem immundorum numerum contrahit, bináque iubet induci? cur, cùm ſeruari genus præcepiſſet mundorum numerum ad ſeptenarium vſque profert? Nam ſi natura reliquias ex æquo ſeruari vult, cur non æqualem numeri modum ſeruat in vtriſque? Et profectò ſummâ cum ſapientiâ.* Sic eſt malitia malitiæ fœcunda? ſic immunditia immunditiam propagat? O quàm vbere prouentu vitia ſeminantur! Heu quam de facili nequitia ſerpit! Naturæ reliquias ex æquo ſeruari vult Deus, & animalium mundorum numerum vſque ad ſeptenarium auget; at verò in Immundis *non æqualem numeri modum ſeruat*, ethicè etiam ſcius, ſeptenis mundis bina 3. Gen.7.v.2.

Baſil. Seleu. Orat 6.

*Septenis mundis bina immunda, ad propagationis negotium æquipollens.*

bina immunda ſatis æquipollere ad immunditiei propagandæ negotium, Tanto prolis auctario malitia ſoboleſcit!

4. *Geneſ. 13. v. 6 & 8.* *Parium refert ſua vitia proieciſſe, ſi cū alienis rixandum eſt.*

Geneſis 13. Lot etiam, qui erat cum Abrahamo, fuerunt greges ouium, & armenta, & tabernacula. Nec poterat eos capere terra vt habitarent ſimul. *Vndè facta eſt rixa inter paſtores gregum Abram & Lot ..... Dixit ergò Abram ad Lot: Ne quæſo ſit iurgium inter me & te*, &c. Abraham virtute conſummatus, pacatis moribus, & virtutum tranquillitate perfectus, nullo vitiorum conflictu animitùs turbatur; & tamen de domeſticorum rixâ ſic præcauet ſibi, vt à conuictore hactenùs Lot ſupplex diuortium expoſcat? Scilicet. *Non multum prodeſt vitia ſua proieciſſe, ſi cum alienis rixandum eſt.* Itaque Abraham à quo tempore vocatus eſt, & diuinum ſequens ductum, Deo & virtuti totus impendebatur, *vitia ſua proiecit*; ſollicitus eſt autem de domeſticorum *rixis*, ne rixandi & obiurgandi fomitem ſenſim ingerant: indè domeſtica *rixarum* & *iurgiorum* exempla ſubmouet: *non enim multum prodeſt vitia ſua proieciſſe, ſi cum alienis rixandum eſt.*

*Seneca epiſt. 28.*

5. *Eccli. 28. v. 15. & 16.*

Siracides Eccleſiaſtici 38. Suſurro, inquit, & *bilinguis* maledictus, multos enim turbauit pacem habentes. *Lingua tertia multos commouit* Communiter Interpretes aut leuiter perſtringunt, aut ethicè tradunt, quæ ſit hæc *lingua tertia*, quæ magnam multis perniciem intulit. Hugo Carenſis ſic inibi fatur; *Lingua tertia, id eſt, lingua Hæretica, quæ veteri, nec nouo teſtamento concordat, vt prima lingua ſit veteris teſtamenti, ſecunda noui, tertia Hæretici. Aliter, lingua tertia, id eſt, lingua aduocati, quæ eſt tertia ab actore & reo*, Myſtica hæc ſunt, & forſan ad mores non inidoneæ. Verùm ſi litteralem ſenſum aucupari iuuat, fortè *linguam tertiam* appellat adſpectu ad *bilinguem*, quem verſ præcedenti culpauerat. Appellatur autem *bilinguis, id eſt, aliud coràm, aliud clam loquens. Vel bilinguis, id eſt. quandoque verum, quandoque falſum dicens.* Quaſi non eadem putetur lingua, quæ verum dicit, & quæ falſum effutit, ſed vna & altera; *lingua* verò *tertiâ* hìc inducatur. Valdè autem ambiguum eſt, quænam ſit hæc *lingua tertia*. Putauerim, quòd veluti prima hominis lingua eſt intellectus, qui ſua animitùs profert verba mentis, id eſt, conceptus: ſecunda verò eſt lingua oris, cuius detractorios ſuſurrus nuper culpauerat: tertia ſunt praua exempla & opera, quibus velut linguatâ tacitè garrulitate ſpectatores deprauat, & ſua vitia ſenſim affricat, pronâ nimis æmulatione vitia ſua oculis perſuadente. Nam *procliuis eſt malorum æmulatio, & quorum virtutes aſſequi nequeas, citò imitaris vitia*, ait Hieronymus. Et ſanè pro *linguâ tertia*, Arabicus habet *Homo oris.* Notat autem Cornelius, quòd eſt *Araſbiſmus: Syri enim & Arabes hominem oris vocant loquacem, dicacem, detractorem.* Scilicet qui habet *linguam tertiam*, hoc eſt, qui non bono vitæ exemplo alios deprauat, tam citò vitia ſpectatoribus imprimit, & in illis exprimit, vt ille idem, *Homo oris*, hoc eſt, *dicax*, & *detractor* appellari poſſit, quaſi de ſpectato vitio exprompiùs arrepto, ſpectatoribus *detrahat*, & *dicaci* maledicentia præproperè obmurmuret. Adeò vt malum exemplum coràm præbere, de illo æmulanter arrepto, *detraxiſſe* ſit. Sic *eſt procliuis malorum æmulatio, & quorum virtutes aſſequi nequeas, cito imiteris vitia!*

*Hugo ibi.*

*Hugo.* *Malū exemplum lingua eſt, quæ de imitatione ſpectatoribus detrahit.*

*M. Paez. in c. 5. epiſt. Iacobi.*

*S. Hieron. ep. ad Lætā.* *Arabicus* *Cornel. ibi.*

*P. Didac. Celada in Eſtherem.*

6. *Geneſ. 31. v. 19.*

Geneſeos 31. reditum in patriam clam Iacobus adornat, vt auarè auſterum Laban, & eius agreſtes mores declinet. Tunc Rachel idola Patris ſuffuratur: *Eo tempore*, inquit, *ierat Laban ad tondendas oues, & Rachel furata eſt idola Patris ſui.* Admiratione atque expenſione digniſſimum eſt, quòd cùm multa ad manum filiæ ſuppeterent in opulenta Patris domo, nihil præter idola ſurripuerit, & ſecum tulerit: Quod inibi expendens Chryſoſtomus ſic indidem ſcribit: *Furata eſt Rachel idola patris ſui. Animaduerte quantum in hoc ſtudium impenderet, cùm nihil aliud à Patre auferre voluerit quàm idola eius; idque faciebat ignorante viro.* Diu multumque conuerſata fuerat Rachel cum Iacobo virorum tunc optimo, & vnius Dei eximio cultore: verùm in diſceſſu monſtrauit *quanto ſtudio* arripuerit, & moribus expreſſerit impiiſſimos Labani mores, cùm è prædiuite domo nihil præter idola concupierit; idque tam impenſâ ſtudioſiùs curâ, vt vel in clandeſtinâ diſſimulanter fugâ furari non erubuerit. Sic vicinus conuictor ſua vitia allinit! Sic vicinorum non bonos mores ſtudioſè arripimus, & tenaciter exprimimus peruerſo alienæ malitiæ imitamento! *Animaduerte quantum in hoc ſtudium impenderit, cùm nihil aliud auferre voluerit quàm idola eius.* Moraliſſimè quidèm Chryſoſtomus!

*S. Chryſoſt. homil. 57. in Geneſ.* *Cur Rachel nil præter Labani idola furata eſt, quæ ſecum tulit.*

7. *Iſaiæ 9. v. 6.* *LXX Interp.* *Bibl. Romā.* *Leo Caſtrius* *Pamelius.*

Iſaiæ 9. vbi Vulgatus habet: *Et vocabitur nomen eius, Admirabilis, Conſiliarius*, &c. LXX. Interpretes efferunt: *Et vocabitur nomen eius, Magni conſilij Angelus*, De quâ translatione copioſè inibi Biblia Romana, Leo Caſtrius; & Pamelius in Annotat. ad lib. Tertulliani de Carne Chriſti numero 114. Itaque vnum è Chriſti Dei nominibus eſt, *Magni conſilij Angelus*, non quòd Chriſtus Deus fuerit naturâ, ſed officio Angelus. Quod ſapienter exponit Tertullianus, ita fatus: *An verò per Angelum liberaret hominem? Cur ergò deſcendit ad id, quod per Angelum erat expediturus? ſi per Angelum, quid & ipſe? ſi ſuis, per ſe, quid & Angelus? Dictus eſt quidèm magni conſilij Angelus, id eſt, nuncius: officij, non naturæ vocabulo.* Ex hoc Iſaiæ loco tractant Sancti Patres, Interpretes, ſcholaſtici, quare Deus non miſerit Angelum, vt mundum redimeret? Moroſus eſſem, ſi id retractarem, contentus, referre, non adprobare Syneſij rationem, ad rem præſentem idoneè arguam. Magnus hic Doctor epiſtola 57. ad Andronicum, ita ſcribit: *Ac ſi Angelus poſſet ſupra triginta annos cum hominibus ita conſueſcere, nullâ vt infimâ face rerum contage affectus inficeretur, quid neceſſe eſt deſcendere Filium Dei? Sed eſt virium abundantia quædam ac copia, ita inter deteriora verſari, vt in naturæ ſtatu conſiſtat, neque vllo modo inficiatur, Dei laus, ac prædicatio eſt.* Quæ verba poſtquam excripſit noſter eruditiſſimus Cerda, exponens præſcri-

*Tertull. l. de Carne Chriſti c. 14.*

*Syneſius cenſuit, Angelū non poſſe diis hominibus aſſueſcere, ſine humanæ labis ſceleroſa contage.*

*Syneſius.*

Cerda in lib. Tertull. de Carn. Chriſti. n. 258. ptum Tertulliani locum, ita ſubdit: Quæ Syneſij ſolutio animum meum mirè obſtupuit. Dicit enim, ſi Angelus deſcendiſſet, fore vt non conſiſteret in ſtatu naturæ perfecto; ac proptereà oportuiſſe Deum venire. Non aſſentiar Syneſio: neque enim beatus Angelus poteſt iam vllo modo deficere. At valdè exaggerat quàm ſit periculoſum deterioribus diu aſſueſcere abſque vllâ labis contage, & morum conuictu affricandorum fæce, qui eſt huius paragraphi labor.

## §. LXIX.

### *Malum exemplum noxiè exhibetur, expromptiùs arripitur, & punitur acerbiùs.*

1. *Mores ſuos ſenſim miſcet improbitas.* Minuta quædam animalcula cùm mordent non ſentiuntur, adeò tenuis illis, & fallens in periculum vis eſt: tumor indicat morſum, & in ipſo tumore nullum vulnus apparet Idem tibi in conuerſatione improborum eueniet: non deprehendes quemadmodum aut quandò te deprauarint, deprauaſſe tamen aliquandò deprehendes dum conuictu tacito tanquam quodam affrictu ſua tibi afflauerint vitia, plin. lib. 22. c. 1. *Torpedo piſcis* (ait) *haud nocet niſi contactu, ſed virus ſuum etiam ab ære per linum, & arundinis internodia ad piſcatoris manum mirè tranſmittit: Sic improbi ac peſtilentes haud nocent, ſi nihil cum illis habeas commercij, rerum quacumque conſuetudine contacti, morum venena afflant.* Sic conſuetudine mores ſenſim miſcet improbitas? ô caue à malo præbendo, & arripiendo exemplo, quiſquis virtutem amas.

2. Actor. 10. v. 12. & 13. & 14. *Immundum, cẽſetur, quod etſi alioqui mundum, cũ immundis verſatur.* Actorum 10. dum eſurienti Petro cibi horâ diei ſexta apparantur, in ſolarium interim ad orandum aſcendit. Et cecidit ſuper eum mentis exceſſus: & vidit cælum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum, quattuor initiis ſubmitti de cælo in terram, *In quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentes terræ, & volatilia cæli. Et facta eſt vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. Ait autem Petrus: Abſit Domine, quia nunquam manducaui omne commune & immundum*, Profectò nimis delicatè eſurit Petrus. Nam ſi ei de cælo oſtenſum eſt linteum vas, habens omnia *quadrupedia*, & *ſerpentes* terræ, & *volatilia* cæli: tametſi de terræ ſerpentibus, vtpotè immundis ac venenatis, comedere exhorreat; ſed non eſt cur nauſeet ad *omnia quadrupedia, & volucres cæli*, præſertim è cælo miſſa, & indè ſanctificata. Et ſanè ſi *omnia quadrupedia, & cæli volucres* Petro eſurienti oblata ſunt, eccur ex quadrupedibus & volucribus mundis non eligit ad eſum idonea, & lautè manducat? Communia & immunda ſcrupuloſè reiiciat; mundas autem mundorum animalium carnes, edules, & ſapidas, cur eſuries faſtidioſa repudiet? Ex *omnibus* aliqua eligat, & famem ſaturare poterit: quamuis nunquam manducauerit omne commune, & immundum. Vidit Oecum. indidem. hanc difficultatem Oecumenius, & ſic hâc ſuper re inibi ſcribit: *Manifeſtum eſt autem*, inquit, *quòd non de omnibus cibis pronunciatum eſſe ſermonem voluerit, quo ait: Nunquam edi quidquam commune aut immundum, vt boues & capræ, aueſque ac volucres communia apud eum dicerentur; cùm à Iudæis ortus eſſet Petrus. Nam Iudæi carnes edunt, nec apud eos interdicitur carniũ eſus.* Itaque etſi quæ lege duntaxat interdicta erant, *immunda* ritè cenſebantur, forſan quia munda omnia animalia cum omnibus etiã immundis permiſta erant, è propinquorum conſortio & affrictu, velut *immunda* à Petro exiſtimantur. Vnde tametſi omnia animalia, volucres & ſerpentes, illi mixtim apparent, nil non *immundum* ex *omnibus* ad eſum reperit, nil inuenit, quòd tanquam *mundum* edi poſſe videatur. Sic animalia alioqui *munda*, ab *immundorum* attactu, à venenato *ſerpentium* contagio, & peſtilenti afflatu, *immunda* reputantur? Heu ſic *immunditia* contactu inficit? ſic malitia in contubernales latè ſerpit, conuerſatione propagatur impietas? ſic prauitas morum facile miſcetur?

In hoc Eſtheris c. 1. Mamuchan, cui reliqui Sapientes ſubſcripſere, cõtumaciam reginæ Vaſthi condemnans, ſic fatur: Non ſolùm regem læſit regina Vaſthi, ſed & omnes populos, & principes, qui ſunt in cunctis prouinciis. Egredietur enim ſermo Reginæ ad omnes mulieres, vt contemnant viros ſuos. *Atque hoc exẽplo omnes principum coniuges Perſarum atque Medorũ paruipendent imperia maritorum.* Lingua ſancta vt eſt myſteriorum grauida, apud P. Marianam pro τὸ *atque hoc exemplo*, habet: *Et die hoc omnes Principum coniuges paruipendent imperia maritorum.* Heu, tam celeriter prauum exemplum arripitur, & imitatione exprimitur, vt *die hoc*, quo regina Vaſthi paruipẽdit Aſſueri iuſſa Suſis, *hoc exemplo omnes principum coniuges Perſarũ atque Medorum, paruipendent imperia maritorum?* Sic feſtinanter non bonum exemplum vel in remotiſſimis prouinciis euulgatur? eodẽ illo die velut neſcienter moribus imprimitur, & opere exprimitur? Qui Hebrææ linguæ idiotiſmus eſt, pulchram hyperbolen Latinis exhibet. 3. Hic verſ. 18. P. Mariana ibi. *Malum exẽplum vel in remotiſſimas prouincias vna die ſerpit*

Geneſ. 19. Angeli apud Abrahamum ſpecie tenus benè pranſi, curſum contendunt in Sodomam, vt Pentapoleos, ſic & vitiorum metropolim. *Veneruntque duo Angeli Sodomã veſpere, & ſedente Lot in foribus ciuitatis.* Et ſanè miriſſimũ eſt quòd Lot de Abrahami contubernio nuper ſanctitate nobilis; nunc de Sodomę habitatione inuitiatus non fuerit morum peſtilitate, & inquilinâ vrbis libidine; ſed adhuc *Iuſti* nomen apud Petrum retinuerit, ſedulâ Angelorum curâ à communi Sodomorum ſtrage ſeruatus. Cuius cauſſam inſinuat citiùs quam dicit ſacer Hiſtoricus, vt ibi Ruper. adnotauit: *Porrò*, inquit, *quod dictum eſt, ſedente in foribus ciuitatis, illi congruit, qui animo non ſedebat in ſceleribus ciuitatis. Vndè Petrus Apoſtolus: Aſpectu enim, inquit, & auditu iuſtus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iuſtam iniquis operibus cruciabant.* Conſultiſſimè Lot, quem ſic acerbè excruciabant praua conuictorum opera, non in medio Sodomæ ſedere dicitur, ſed *in foribus ciuitatis*, quaſi in illius exitu, tanquam ſemper indè migrans. O ſalubrem opportunè eruditionem his, quibus neceſſe eſt inter improbos diutiùs commorari! Sedes fixas ibi habeant, ſed pro *foribus*, & quaſi in exitu, quem continuò animi votis meditantur! 4. Geneſ. 19. v. 1. *Benè Lot non in medio ciuitatis, ſed in foribus ſedere dicitur.* Ruper. lib 6. in Geneſ. c. 6. 2. Petri 2. v. 8.

Ad Romanos 7. ita ſcribit Apoſtolus: Quid 5.

dicemus?

Ad Rom. 7. v. 8.
S. Hieron. ad Alg. q. 8.
*Caue, ne dum ſcelera vetas illa ſuadeas.*

ergò dicemus? lex peccatum eſt? abſit. Sed peccatum non cognoui, niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces. *Occaſione autem acceptâ, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat.* Quod explicat Chryſoſtomus exemplo ægri febre æſtuantis, cui medicus frigidæ potũ interdicens, ſitim quodammodò acuit. Pulchrè Hieronymus: *Quicquid licet*, inquit, *minus deſideratur. Quo fit vt contrario ſenſu quicquid non licet fomentum & incentiuum accipiat deſiderij. Et M. Tullius de parricidarum ſupplicio, Solonem quicquam præcepiſſe Athenienſibus negat, ne non tam prohibere, quàm commonere videretur.* Vide quàm ſit exprompta malitia vt ſeſe moribus inſinuet, & peſtilitatem ſuam impreſſiùs affricet, dum vetatur expreſſiùs. Quod his verbis Pacianus Barcilonenſis luculenter ediſſerit: dum cautè Paræneſim de Pœnitentiâ ſcribere cunctatur: *Vnum illud vereor*, inquit, *ne ſolita contrarietatis aduerſis, inculcando quæ fiunt, admoneam magis peccata quàm reprimam. Meliuſque fuerit Attici Solonis exemplo tacere de magnis ſceleribus, quàm cauere, eouſque progreſſis noſtratum moribus vt admonitos ſe exiſtiment, cum vetantur.* Ecce tibi quàm de facili malitia ſerpat, dum, vel prohibitione propagetur vberiùs, è diuerſo fœcundiùs ampliata.

Pacian. in paræneſ. ad Pœnit.

6.
Geneſ. 1. v. 4.
*Cur tam feſtinanter boni Angeli, velut lux à tenebris, id eſt, à malis Angelis diuiduntur.*

Geneſis 1. primâ mundialis opificij die, dixit Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux. *Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona: & diuiſit lucem à tenebris.* Eſtò, nuper creata lux diuinis oculis placuerit, & indè ſui panægyrim è diuino ore incunctanter expreſſerit; quare à tenebris confeſtim diuidi perhibetur? Annon vtriuſque natura ſatis ab alterutrâ diuiſa eſt? ecquis nigras tenebras cum lucis candore confundat? Actum agit quiſquis lucem à tenebris diuidere militat. Verùm Rupertus per lucem & tenebras, bonos & malos Angelos intelligens, opportunam moraliſſimè diuiſionem agnoſcit, ſic inibi fatus: *Quæ enim ſunt iſta tenebræ, niſi omnes Angeli Satanæ cum eodem ſuo Principe? Has vtique tenebras Deus lucemque diuiſit, quia malos Angelos à bonis ſeparauit: diuiſit inquam ſeparatione immutabili, ita vt nec iſti qui ceciderunt, reſurgere, nec illi qui cùm peccare poſſent, peccando cadere noluerunt, vlteriùs vnquam habeant, vel poſſint peccando cadere.* Vide quàm feſtinanter vbi Angelica lux gratiæ ſplendoribus fulſit, ab obſcuris Dæmonum tenebris diſpeſcitur *ſeparatione immutabili.* Nequeunt boni Angeli in virtute iam inflexiles, malorum prauitate inuitiari; & tamen ſic feſtinat Deus illos velut, *lucem* à malis, velut à *tenebris* longo interuallo diuidere? Tametſi iam non *poſſunt peccando cadere,* eorum à malis ſegregatio ſollerter ac feſtinanter peragitur, quò innoteſcat, quàm ſint malorum vitiis inacceſſi, & inflexiles in ſtabilitate virtutis.

Rupert. l. 1. in Geneſ. c. 13.

7.
4. Reg. 3. v. 27
*Acerbiùs Iſraël feritur, cùm eius malum exemplũ Moab arripuit.*

4. Regum 3. Rex Iſraël, & rex Iuda, & rex Edom, malè conciſis Moabitis, eorum agros & vrbes atrociſſimè deuaſtabant. Cùm autem rex Moab repugnare victoribus non eualeret, *Arripiens filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum: & facta eſt indignatio magna in Iſraël.* Multa mouent Interpretes, vt cauſſam perueſtigent, ob quam rex Moab filium ſuum primogenitum iugulauit: & quare ex primogeniti cęde Deus *indignatus* ſit aduerſus Iſraëlitas. Nil enim Iſraëliticus populus operatus eſt ad parricidium, ſi propter parricidium, Deus *indignatus* eſt. Imò rex Moab indè potiùs puniendus eſſet; non ab hoſtili obſidione liberandus. Hac ſuper re ita ſcribit Lyranus: *Et facta eſt indignatio magna in Iſraël. In Hebræo habetur: Ira ſuper Iſraël, ſcilicet ipſius Dei offenſi contra filios Iſraël*, (Audi cauſſam ad thema præſens in paucis opportunã) *eò quòd tunc fuerunt recordatæ iniquitates eorum coram Deo: videlicet quòd ipſi tanta mala, vel peiora fecerant immolando filios ſuos & filias ſuas Dæmonibus; propter quod tunc in vindictam huius mali cecidit peſtilentia & mortalitas in exercitu Iſraël: & ſic fuerunt compulſi recedere ab obſidione propter peccata ſua præterita.* Nimirùm dum malum Iſraëlitarum exemplum rex Moab, licet iniquè & impiè imitatur, illi tunc ignoſcitur; & duriùs ſæuitum eſt aduerſus Iſraëlitas, qui dudùm filios ſuos Dæmonibus immolando, malum quod Moab imitaretur exemplum, iniquè præbuerunt. Hem vbi non bonum arripitur exemplum, ſic acerbè punitur, qui illud olim imitandum exhibuit? Et penè deuicti hoſtis incolumitate, & durâ peſtilitate Iſraël feritur, vbi malum eius quondam exemplum, de aliorum imitatione in memoriam recurrit?

Lyra ibi.

Pſal. 106. v. 37.

8.
S. Cyprian.
*Vbi multi peccant, peccatum excuſatione blanditur.*

S. Cyprianus lib. de ſpectaculis, hâc ſuper re ita eleganter ſcribit: *Oculi noſtri & aures cuſtodiendæ ſunt: citò enim in hoc aſſueſcimus, quod audimus, ſcelere. Etenim vitiorum exempla oppugnant animum, impellunt, immutant, transformant: miraculo erit inter incendia vel non conſumi, vel certè non incaleſcere. . . . . Deplorandus ille ſtatus eſt, vbi iam non vitiis excuſatio, ſed auctoritas datur: nullum enim malum difficiliùs extinguitur, quàm quod multitudinis conſenſu aſſeritur, excuſatione blanditur.* Multas ſententias conceptuum grauidas hîc Cyprianus moraliſſimè addenſat, quas prolixum foret ſigillatim enucleare: Sat eſto intendiſſe digitum.

Ergò hoc morum contagium *abſconſione* Eſther declinauit; cui latenti in domus ſuæ angulo, Perſarum vitia ſurda fuerunt, ac muta. Adeò vt non tantùm ab eximiâ venuſtate: ſed etiam à puritatis nitore, ſidereum Eſtheris nomen mutuarit. Hic verſ. 7.

## §. LXX.

### *Bonum virtutis exemplum, afflatæ imitationis beneficio, virtutes affricat, ſeminat, propagat, mágno ſanctitatum fœnore.*

1.
*Quã ſit proficuum benè operantis exemplum.*

QVemadmodum ſalutaria, citra guſtum tactumque, vel odore proficiunt; ita & virtus, vtilitatẽ etiam ex longinquo, latens etiã fūdit, ſine expatiatur & vtitur ſuo iure, ſanè precarios habet acceſſus, ſiuè otioſa mutaque eſt & anguſto circumſcripta, ſiue palam adaperta: in quocumque habitu eſt, nimis prodeſt. Nemo, nemo parum vtile putet exemplum probè operantis, ſeu benè quieſcentis: tacitè pietates loquitur, mutè virtutes perſuadet, & omnes ſanctitates diſſimulanter adſpirat; quas Mardochæi conſuetudo, Eſtheri indies adſpirabat. Hic verſ. 7.

2. Actor. 3, v. 25. *Filij Prophetarũ dicũtur qui ab illis verbo & exẽplo inſtituũtur.*

Actorum 3, claudo mirabiliter ſanato, tanto prodigio ſtupet frequens inibi populus: tunc Petrus Apoſtolorum lingua, Chriſti mens, atque Euangelici ſermonis arbiter, luculentam habuit concionem ad Hebræos, illos ad ſuſcipiendum Chriſtum ſtrenuè adhortatus. Tandem concludit: *Vos eſtis filij Prophetarum, & teſtamenti quod diſpoſuit Deus ad patres noſtros, dicẽs ad Abraham: Et in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ*, &c. Non eſt intellectu obuiũ quare frequens illa Hebræorum multitudo in illâ concione congregata, dicantur *filij Prophetarum*. Quidam putant, ideò Hebræos dici Filios Prophetarum, quia in maioribus ſuis Prophetas agnoſcũt: ſiue quia ad eos ſpectant Prophetarum oracula. Verum phraſi Biblicâ, *Filij* dicuntur, qui alicuius doctrinâ, familiaritate, & exemplis iuſtituti ſunt: quâ ratione 4. Regũ 2. & 9. Diſcipuli Prophetarum, qui illis familiariter aderant *Filij Prophetarum* nominantur. Audiendus eſt hâc ſuper re Oecumenius ita fatus: *Ne exiſtimetis vos alienos à promiſſionibus Vos eſtis filij Prophetarum, itaque vobis dicebant & propter vos hæc facta ſunt. Vos quidèm eſtis filij Prophetarum, ipſe verò filius Dei eſt, qui participauit in ſe Patris ſubſtantiam, ac ſeipſum aliis participandum dedit.* Itaque illi Hebræi, qui Petro aderant, *Filij Prophetarum* dicuntur, non quia à Prophetis progeniti ſint; ſed quia ad eos Prophetæ (id eſt ſancti viri) locuti ſunt, eorum familiaritate vſi ſunt, quia præclara eorum exempla illis obuia ſunt in auitis Hebræorum monumentis, quibus ſe ipſos illis imitandos & participandos dederunt. Sic etiam Chriſtus, Propheta inquam, ille magnus, & filius Dei; qui participauit in ſe Patris ſubſtantiam, ſeipſum illis participandum dedit. Ecce tibi, qui verbo & exemplo ab aliis ad virtutem inſtituantur, filij eorum nominantur, quaſi boni exempli afflatu, illorum virtutes participent: & bonum exemplum ſit aliquod virtutis ſemen quod ſanctitates omnes filiat, generat, & propagat.

Oecũ. inibi.

3. Geneſ. 1. v. 24. S. Iſid. in Geneſ. cap. 6. *Bona exẽpla viuida virtutum ſemina ſunt.* 1. Cor. 11. v. 1.

Geneſeos 1. in die mundi ſexta, terræ animantia produxit Deus, illiſque ſibi ſimilia generandi vim indidit, propagatione vbertim prolifica: *Dixit quoque Deus: Producat terra animam viuentem in genere ſuo*, &c. S. Iſidorus Hiſpalenſis præfata verba moraliter exponens, ita ſcribit: *Poſt hæc ſextâ die producit terra animam viuam, quandò enim caro noſtra abſtinens eſt ab operibus mortis, viua virtutum germina parturit ſecundum genus ſcilicet ſuum: id eſt, vitam imitando Sanctorum, ſicut ait Apoſtolus: Imitatores mei eſtote. Secundum quippè genus noſtrum viuimus, quandò in opere bono ſanctos viros quaſi proximos imitamur.* Nempe ſicut terra producit animãtes, quæ virtute prolificâ alias atque alias perpetim ſibi ſimiles gignant. Hoc eſt, in genere ſuo. Ita dum caro noſtra abſtinens eſt ab operibus mortis, producit animam viuam in genere ſuo, quandò ſcilicet per viua virtutũ germina, alios atque alios parturit, dum ad ſui imitationem videndo allicit. Itaque bonum exemplum, quaſi ſemen quoddam virtutis eſt, quod viuos homines, virtute, inquam, viuentes, & ad ſimilem pietatem animatos, arcanâ ſanctitatis propagatione generat: afflat enim probitatẽ, pietates affricat, animæ vitam infundit, & omnes ſanctitates parturit, dum vitali propagatione ad ſui ſimilitudinem ſpectatores pertrahit. O miriſſimã boni exempli vim planè vitalẽ quæ *viua virtutum germina parturit ſecundum genus ſcilicet ſuum, id eſt, vitam imitando Sanctorum.* Aliena à te putas, quæ vides Sanctorum exempla: ſed tibi mirè animitùs ingeruntur, & te medullitus fœcundant, quaſi vitali deciſo ſemine, vt omnem parturias probitatem, pio virtutum conceptu, fotu, partu. O, ne per te ſterileſcant tot viuida ſanctitatum ſemina!

4. Actor. 1. v. 1. Caiet. inibi. *Spectata virtus tunc compleri dicitur cùm eam ſpectatores imitatione exprimunt.*

Actorum 1. his verbis S. Lucas ſuam hiſtoriam auſpicatus eſt: *Primum quidèm ſermonem feci de omnibus ô Theophile, quæ cœpit Ieſus facere, & docere*, &c. Priùs facit, poſteà docet, vt poſt facta docendo, feliciter perſuadeat. Vel potiùs faciendo docet, facta enim ſunt doctrinæ energia. Sed attentiùs ad rem nota cum Caietano, quòd ſacer Hiſtoricus non ait ſe feciſſe ſermonem *de omnibus*, quæ Ieſus fecit, & docuit; ſed *de omnibus quæ cœpit Ieſus facere, & docere.* Quid eſt, *cœpit facere, & docere?* An incœpta aut dimidiata dimiſit opera? Num quæ operari cœpit Ieſus, minimè conſummauit, ſed infecta reliquit? Pulchrè Anſelmus Laudun. in gloſſa: *Nihil eſt doctore frigidius, qui verbis duntaxat philoſophatur, neque enim hoc doctoris eſt ſed hiſtrionis ac hypocritæ* (diligẽtiùs adnota quæ ſubiicit verba) *Quæ cœpit Ieſus facere, & docere. Quia omnia quæ fecit & docuit, incœptio quædam fuit, eadem poſteà Apoſtolis facientibus & docentibus, & eorum ſequacibus.* Vide præcelsè auguſtam boni exempli virtutem. Non dicit Lucas ſe ſcripſiſſe *de omnibus*, quæ Ieſus fecit, & docuit; ſed *de omnibus*, quæ Ieſus facere, & docere *cœpit*; nam Ieſu Chriſti operatio, tametſi in ſeipſa fuit perfectè conſummata, tamen *incœptio quædam fuit*: Apoſtoli enim *eadem* poſteà Magiſtrum imitantes faciunt (ac demũ de Apoſtolorum imitamento, eorum ſequaces.) O, ſic eualet boni exempli virtus ad afflandam boni operis imitationem, & vſque adeò perfectum virtutis opus in aliis excudit; vt vel Chriſti opera *incœptio* quædam ſit, quam reliqui exequendo arripiant, hauriant, exprimant? Ecquis erit tantæ virtutis vir, qui Chriſti opera exequi æmuletur? Bonum opus quod in alio vides perfectũ velut prophetia eſt tui: (ſic certò illud ſpondet!) & quaſi *incœptio quædam* eſt, ſuper quam ſpectatores vlteriùs operando, imitationis illicio, ſimile quidpiam reponant. Neque perfectiſſimi operis expetita imitatio quemquam abſterreat, & puſillo animo reddat: nam *omnia quæ Ieſus fecit & docuit, incœptio quædam fuit, eadem poſteà Apoſtolis facientibus, & eorum ſequacibus.* Non quia Chriſti Dei meritum, ſimilia operando, exequi potuerint; ſed quòd adſimiliter (vt vt poterant) operati ſint: & quod IESVS operando & docendo *cœperit*, ipſi conſummauerint, perfecto vtriuſque imitamento.

Anſel. in Gloſſa.

5. Matt. 12. v. 50.

Matthæi 12. Chriſto turbas cælitùs erudienti, quiſpiam dixit: Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te. At ipſe reſpondens dicenti ſibi, ait: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Et extendens manum in diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt; ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt.*

*eſt.* Arctiorem ſanguinis propinquitatem expreſſit, cùm eos qui virtuti impenſius ſtudent, fratres, ac ſorores, imò & matrem appellat. Sed aliquis curioſiùs ſciſcitabitur: quare illos ſicut appellat fratres, ſorores, ac matrem; non etiam Patrem appellet? An nomen Patris ſic eſt auguſtum, vt nemini communicari debeat? an quod his negatur, aliis congruentiùs exhibetur? Ecquis erit ſic virtutis famâ præluſtris, in quem apprimè quadret magnum Patris vocabulum? Cui nam præſtantiſſimæ virtuti, hoc prænobile debetur elogium? Abulenſis, & acutus, & eruditus doctor, accuratiùs verſans celebrem illam quæſtionem, de diuerſitate Dominicæ genealogiæ quã Matthæus & Lucas ſeriatim recenſent, ita ad rem ſcribit: *Quæritur de diuerſitate inter Matthæum, & Lucam quantum ad Chriſti genealogiam. Alij dixerunt; quòd vnus Euangeliſta poſuit veram Chriſti progeniem ſecundum carnem: & alius poſuit progeniem ſpiritualem. Scilicet quia omnes viros iuſtos Lucas dixit eſſe Patres Chriſti: quia ſunt Patres propter ſimilitudinem honeſtatis.* Itaque non quilibet vir iuſtus, & qui Dei voluntatem facit, hâc præluſtri cõpellatione vniuerſatim inſignitur; (hic enim *frater*, aut *ſoror*, aut *mater* nominatur) ſed qui ita honeſtè & perfectè viuit, vt bono ſui exemplo, virtutes aliis ſpiret, quod Chriſtus fecit, hic hic, inquam, idoneè Chriſti Pater nuncupatur, *propter ſimilitudinem honeſtatis.* Sic enim bonum virtutis exemplum præcelsè ſublimatur, vt homo illuſtri ſanctitate præditus, & Chriſtum opere fragrans, *Patris* Chriſti Dei præclaro ſtemmate glorioſiùs nobilitetur. Porrò bonum exemplum velut diuinum quoddam ſemen eſt, quo arcanè generatur, & naſcitur Chriſtus in anima imitantis viſam aliorum ſanctitatem. Quis non ambiat hoc illuſtre cognomen *Patris* Chriſti Dei? Bono exemplo prouoca alios ad arreptiones ſpectatæ ſanctitatis, & in ſpectatoribus Chriſtum genuiſti. O generoſam paternitatem & omnibus facile parabilem!

*Bonum pietatis exemplum velut diuinũ quoddã ſemẽ eſt, quod in ſpectatoribus Chriſtum generat.* Abul. q. 27. in cap. 1. Matth.

6. Geneſ. 15. v. 5.

Geneſeos 15. improli Abrahamo numeroſã præclarè ſobolẽ, quã Dei populus conſtet, & largè Deus promittit, & abundè promiſſa præſtat. Dixitque ad eũ: *Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes. Et dixit ei: Sic erit ſemen tuum.* Quamquàm Abrahamus mathematicè peritus erat, vno obtutu ſigillatim *numerare* non poterat cæli aſtra ſudâ nocte ſplendidiùs micantia. *Nam* (vt peritè notauit Auguſtinus) *quantò quis acutius intuetur, tantò plures* ſtellas *videt.* Quarè iubet Deus quod ad hominem fieri non poſſe, benè prænoſcit? Vel quod eſt impoſſibile tentabit humana pietas, diuini obſequij impenſiùs ſtudioſa; & ea exequi piâ velut temeritate conabitur, vt etiam ab impoſſibili audacior ſtrenuè virtus ſanctitates fœneret. Verùm expenſione dignum eſt, cur electus Dei populus, Patriarcharum & Prophetarum gratiâ exundans comparetur cæleſtibus ſtellis clarâ luce micantibus, & humano aſpectu exploratis. Porrò præterquam quòd ipſæ innumerabiles in ſe ſunt; *quantò quis acutiùs intuetur, tantò plures videt.* Quaſi de attentiore acutiùs videntis perſpicaciâ, earum ſplendidus numerus fœcundetur, & in ampliorem multitudinem admirandâ propagatione magis excreſcat. Spectatus ſiderum fulgor, ſemen eſt, quod arcanâ fœturâ fulgores multiplicat, & aſpectu propagat? De ſpectatâ virtutum luce boni operis exemplo nos admonet Chriſtus: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* O ſuſpice cælum, & attentiùs ſuſpiciens cæleſtium ſanctitatum fulgores in populo Dei eos numera, ſi potes. Non tamen poteris: nam ipſo aſpectu ſic multiplicantur ineffabili imitamenti virtute, vt quaſi viſio ſpectatæ lucis, ſemen illius propagandæ foret; *quantò attentiùs intuetur, tantò plures videt.* Euge ergò electe popule Dei, & tua virtutum lux ſic coram hominibus ſplendidè luceat, vt vel impij ſpectatores videntes opera veſtra bona, *filij lucis* fiant, præclaro & numeri, & virtutum incremento, de boni operis aſpectu vber ùs propagato.

S. Aug. l. 16. de Ciuit. c. 23.

*Aſpectus lucida virtutis, de boni exempli afflatu, virtutum lucem propagat.*

Matth. 5. v. 16.

Ad Epheſ. 5. v. 8.

Lucæ 11. *Vt inquiratur,* ait, *ſanguis omniũ Prophetarũ, qui effuſus eſt à conſtitutione mundi à generatione iſtâ, à ſanguine Abel, vſque ad ſanguinem Zachariæ.* Et cur Abel, & reliqui cauſsâ pietatis occiſi, Prophetæ dicuntur? Porrò aliud eſt inculpatè viuere, & præluſtri ſanctitatũ omniũ exemplo florere, vſque ad ſanguinis pro pietate effuſionẽ; aliud prophetiæ dono cælitùs afflati. Pulchre inibi Cardinalis Toletus: *Prophetarũ nomine comprehendit Iuſtos, qui virtutis exemplo virtutis fuere doctores.* Scilicet inſigniter Iuſtus meritò *Propheta* nũcupatur: nam etſi futura ore non prædicat; bono tamen exemplo ſpectatores erudiens, bonos exinceps eorũ mores quodammodò prophetat. Sic certò bonum Iuſtorum exemplum virtutes afflat, vt eas quaſi prophetare in aliis videatur? ô nonũ à bono exẽplo prophetiæ genus!

7. Lucæ 11. v. 50.

*Bonum exẽplum prophetiam æmulatur.*

P. Tolet. ibi.

## §. LXXI.

### *Chriſtum ſequi, & moribus imitari; & ipſi pergratum eſt, & nobis perquam proficuum, piè fauſto æternæ felicitatis augurio.*

ZEnonem Cleanthes non expreſſiſſet, ſi eum tantummodò audiſſet. Vitæ eius interfuit, ſecreta perſpexit, obſeruauit illum; vt eius mores imitando, ex formulâ viueret. Plato & Ariſtoles, & omnis in diuerſum itura Sapientium turba, plus ex moribus, quàm ex verbis Socratis traxit. Metrodorum & Erymachum, & Poliænũ magnos viros non ſchola Epicuri, ſed ex contubernio ſequela, fecit. Qui ad omnes ſanctitates ingenium concinnare ſatagit, Magnorum imitatione, quorum veſtigia ſequatur, citò proficit; eorumque virtutem aſpectu citiùs quàm auditu hauriens, bibulâ obſeruatione, atque exprompta ſequelâ exprimit felici imitamento. Longum iter eſt per præcepta, quæ agenda ieiunè oſtendunt; breue & efficax per exempla, quæ imitationem ſubornant, ad virtutum ſequelam. Sic Mardochæi exemplum ad omnes ſuæ legis ſanctitates Eſtherem ſubornabat.

1. *Magnos imitari, acquirẽda virtutis cõpendiũ eſt.* Hic verſ. 7.

Iob 23. cap. ſic de ſe animoſiùs loquitur: *Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus, viam eius cuſtodiui, & nõ declinaui ex eâ.* Magna ſanè Iobi virtus, quæ Dei veſtigia (vt vt homo eualet) feliciter ſequi, piè præſumpſit, Pro τὸ *ſecutus* propriè ex Hebræo *Apprehendit pes meus illius greſſum,* aut veſtigium *tenuit*: id eſt, adhæſit firmiter illius veſtigiis & greſſibus. Et ſanè verbum originale propriè dicitur de manibus, quæ ali-

2. Iob. 23. v. 11. Hebræus. *Num pes Chriſtum ſequens beatitudinem videat, ſeu manu apprehendat?*

quid *apprehendunt* ac *tenent* firmiter. Quaſi quòd pes imitatione ſequitur, iam manus firmiter apprehendat. Caiet. inibi. Mirè quidèm Caietanus præſcriptum locum excribit, & exponit: *In beare tuo vidit pes meus.* Quaſi dicat Iob defendendo ſuam innocentiam, quòd *pes ſuus*, id eſt, affectus, aut ſequela, vel potiùs ſequela ex affectu, *vidit*, hoc eſt deſiderauit, aut inſecutus eſt, *beare*, id eſt, beatitudinem diuinam, quâ homines feliciter beat. Et ſanè licet aliqui Expoſitores cum Caietano litigent, an in vulgato verbum *ſequendi*, Hebraicè *videre* ſignificet: negari tamen non poteſt, quòd verbum quod transfertur *veſtigia*, affine ſit *beatitudini*; quam ſignificare, non inidoneè poteſt. Itaque pes hominis, veſtigia Dei imitatione ſecutus, *videre* dicitur, imò & ferè *apprehendere beatitudinem* Dei. Quaſi qui in terris Chriſtum Deum imitatur, iam nunc cæleſtem beatitudinem fere prægustare incipiat, ſequaci feliciter imitatione quodammodò præmaturè beatus. *Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus*, id eſt, *In beare tuo vidit pes meus.* Si minùs idoneè ad literam Caietanus, ad mores ſaltem peridoneè.

3. Matth. 14. v. 13. & 14. S. Chryſ. apud Caten. *Se inuitum ſequentibus, obuiam Chriſtus beneficus exit.*

Matthæi 14. auditâ atrociore Ioannis cæde, IESVS *ſeceſſit indè in nauiculâ, in locum deſertum ſeorſùm.* Et, vt inibi notauit Chryſoſtomus) *ſeceſſit in nauigio vt nullus ſequeretur.* Sed attende ad verba quæ ſubdit Euangeliſta: *Et cum audiſſent turbæ, ſecutæ ſunt eum pedeſtres de ciuitatibus. Et exiens vidit turbam multam, & miſertus eſt eis.* Quid eſt, quòd Chriſtus ſeceſſit in nauigio, *vt nullus ſequeretur*; & cùm videt pedeſtres turbas eum ſtudioſiùs ſecutas, non modò id ægrè non tulit, etſi periculum de eiuſmodi tunc ſequelâ immineret; ſed (vt ait Hieronymus) *egreditur de loco, & obuiam pergit, miſertus eſt eis.* S. Hieron. ibi. Secedit vt eum tunc nullus *ſequatur*; & dum *ſequentes* animaduertit, de ſeceſſu egrediens, *obuiam pergit, & miſertus eſt eis?* Vel quandò ſequelam arcet, ſic amat ſequelam? Inuitum turbæ ſequuntur, & obuiam ſequentibus ſic gratus, ac beneficus pergit? ô ineffabile Dominicæ ſequelæ ſacramentum! Si is fuit cum turbis ſe inuitum ſequentibus; qualis erit cùm ad ſui ſequelam munificentius inuitat?

4. Marci 10. v. 21. *Num pius adoleſcẽs Chriſtum non ſequens, dignus ſit Dominico amore?*

Marci 10. procurrens quidam genu flexus ante IESVM, rogabat eum: Magiſter bone, quid faciam vt vitam æternam percipiam? IESVS autem dixit ei: Noſti mandata, illa obſerua. At ille reſpondens, ait illi: Magiſter; hæc omnia obſeruaui à iuuentute meâ. IESVS *autem intuitus eum, dilexit eum*, & dixit ei: vnum tibi deeſt: vade quæcumque habes vende, & da pauperibus, *& veni, ſequere me. Qui contriſtatus in verbo, abiit mœrens:* erat enim habens multas poſſeſſiones. Magnum ſane huiuſce iuuenis elogium, quòd Chriſtus Deus eum intuitus, & cordis arcana penetrans, animitùs eum *dilexerit.* S. Chryſoſt. apud Caten. ibidem. Verùm Chryſoſtomus, vel potiùs Origenes, pulchram mouet quæſtiunculam ad thema præſens opportunam: *Dignum tamen*, inquit *eſt inquirere, qualiter hunc dilexerit, qui eum non erat ſecuturus?* Et ſanè quantum ad priora dignus erat amore, quæ legis ſunt à iuuentute obſeruans: circa finem verò neque diminutionem prioris dilectionis promeruit, ſicut neque perfectionem ſuſcepit. Et quidèm moraliſſimè miratur Chryſoſtomus *qualiter Ieſus hunc dilexerit, qui eum non erat ſecuturus.* quaſi ſola Chriſti ſequela, eius amorẽ alliciat; & qui Ieſum non ſequitur, Dominicæ dilectionis exors videatur Saltem qui ſic vocatus, renuit Chriſtum ſequi in ambiguo eſt, vtrũ in Chriſti amore diu perſiſtet.

5. Matth. 15. v. 29. & 30. *Claudi Chriſtum ſequentes, in mõtem aſcendunt.*

Matth. 15. ſanatâ Chananææ filiâ, Ieſus venit ſecus Mare Galilææ: *& aſcendens in monte ſedebat ibi. At acceſſerunt ad eum turbæ multæ, habentes ſecũ mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos.* Non mirarer, ad montis ardua, vbi ſedebat Chriſtus aſcendere mutos, cæcos, & alios multos. At *claudi*, ac *debiles*, quo pacto ad arduam montis crepidinem aſcendere potuerunt? Niſi fortè ad ſequelam Chriſti, nemo malepedatus eſt, niſi affectus ſit debilis, & imbecillus claudicet. Chriſti ſequela pedes ſolidat, vt vel in arduum montis verticem poſſimus conſcendere. An non de feliciſſimis Meſſiæ temporibus vaticinatus eſt Iſaias: *Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus.* Iſaiæ 35. v. 6. Itaque *in montem aſcendentem* Chriſtum, *claudi* ac debiles ſequuntur: nam ad ſequelam Chriſti quantumuis arduam, nemo malepedatus eſt: dum enim quærit, ac ſequitur Chriſtum, claudicare deſinit, priſtinæ debilitatis oblitus. Hinc vel *claudi* Chriſtum ſequentes, in montem aſcendunt.

6. Lucæ 8. v. 21. *Non agnoſcitur à Chriſto qui ad illum veniens, foris ſtat, etſi ſit eius parens?*

Lucæ 8. Venerunt autẽ ad Ieſum mater, & fratres eius, & non poterant adire eum præ turbâ. Et nunciatum eſt illi: *Mater tua, & fratres tui ſtant foris volentes te videre.* Qui reſpondens, dixit ad eos Mater mea, & fratres mei hi ſunt qui verbum Dei audiunt, & faciunt. Duriùs ne tractandi ſunt, qui illius veſtigia ſequentes, Chriſtum quærunt, ad illum *veniunt*, & illi propiùs adhærere procurant? Quid tam laudabile & in Chriſtianæ perfectionis negotio adæquè expetendum? Omiſſo litteræ rigore, ſic ad myſticos ſenſus locum flectit Ambroſius: S. Ambr. lib. 6. in Lucam. *Myſticè autem non debuit foris ſtare, qui Chriſtum quærebat. Vndè & ille ait: Accedite ad eum, & illuminamini. Si enim foris ſtant, nec ipſi agnoſcuntur parentes, & propter noſtrum fortaſsè nõ agnoſcuntur exemplum.* Scilicet qui Chriſtum quærit, & ad illum ſequendum *venit*; ſi *foris ſtat*, nec quammaturè feſtinat, vt propiùs adhæreſcens, illum moribus exprimat, non agnoſcetur à Chriſto: etſi eſſet mater, & eius fratres forent. quæ eſt ſumma rei exaggeratio. Sic *ſtatio* in Chriſto quærendo & ſequendo, illi exoſa eſt Sic feſtinatio, quæ illi adhæreſcere ſatagit, vt illum moribus ſequatur, & pro virili imitetur, iucunda & grata. Idcircò qui venientes ad Chriſtum, foris ſtant, ſtant inquam licet ipſi parentes ſint, *propter noſtrum fortaſsè exemplum non agnoſcuntur* à Chriſto. Quid exaggeratiùs?

7. Matth. 1. v. 3. & 4.

Matthæi 1. Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Eſron Eſron autem genuit Aram. *Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naaſſon.* qui ſunt Iudææ gentis Patriarchæ, & progenitorum Chriſti Dei retrò Proceres. Strabus Fuldenſis inibi ex Rabano Mauro, horum nominum ſignificantiam eruditè emedullans; ad Chriſtum eorum filium, his verbis deriuat *Aram, Chriſtus electus, vel excelſus interpretatur..... Ipſe eſt Aminadab, id eſt, voluntarius, qui dicit, voluntariè ſacrificabo tibi. Idem eſt Naaſſon, id eſt augurium.* Strabus ibi. Rabanus. Benè eſt, Chriſtus dicatur *Electus*, & *Excelſus*; quin & *Voluntarius*: quid eſt autem, quòd etiam Chriſtus

*Christus suis imitatoribus, faustum aeternæ felicitatis augurium dicitur quo ſenſu.* ſtus Deus *Augurium* nominatur? Eſtnè *augurium* Deo? an hominibus eſt *augurium*? bonum hominibus *augurium*, an malum? ſcilicet Chriſtus Deus inauguratus homo, fauſtum piè *augurium* Deo eſt, quo optatiſſimam moralium ſalutem Deo feliciter auguratur. O beatum cælo *augurium*; non de incertis hominum coniecturis ſuperſtitiosè falſatis, ſed de prouidentiæ diuinæ certiſſimâ præſcientiâ feliciſſimum! Quin & hominibus etiam proſpetum piè *augurium* eſt, & copioſæ mox redemptionis, & indè fortunatum beatitatis æternæ præſagium. At Chriſtus in te, ô homo, animo imbibi, voluntate excipi, actionibus inſculpi, & moribus imitatione exptimi debet, vt fauſtum piè *augurium* tibi ſit. Exindè ſollertet caue, ne ſi ſequelam eius neglexeris, vt abiecta imitatione, qui felix fauſtúmque *augurium* eſt, ipſe ſit tibi infeſtum omen, & funeſtum æternæ reprobationis præſagium. Velis Chriſtum ſequi, & illum moribus excudere, & fauſtum piè *augurium* tibi Chriſtus eſt, alioqui Rdedemptionis heres, erit Redemptionis reus. Cùm audis à Rabano Mauro & Strabo Fuldenſi, *augurij* nomen ad Chriſti œconomiam tranſlatum, mente procul abiice Gentilium, & vaniſſimorum hominum futiles ſuperſtitiones, & exuto vocabuli ſuperſtitioſo cenſu, intellige Chriſtum Deum reipsâ Redemptorem, nobis eſſe de ſui imitatione, & morum æmulatione, beatæ æternùm felicitatis opinatiſſimum piè *augurium*, & proſperum eximiè præſagium. Qui ſecùs faxit, timeat ne Dominici ſanguinis reus ſit; indéque illi æternam infelicitatem infauſtè ominetur.

8\. *Marci 7. v.33.* Marci 7. rediit Ieſus in Galilæam, & adducunt ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum. *Et apprehendens eum de turbâ ſeorsùm, miſit digitos ſuos in auricula eius: & expuens, tetigit linguam eius*: & ſuſpiciens in cælum, ingemuit, & ait illi: Ephetha, quod eſt adaperire. Et confeſtim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Eccur ſeorsùm apprehendit infirmum, quem mox palàm ſanum oſtendit! Quare etiam proprio ſputo muti linguam oraque ſaliuat? An vt muti lingua de vdore Dominicæ ſaliuæ reddatur lubrica, & idoneæ loquelæ habilis? Verùm Theophylactus hâc ſuper re ita philoſophatur: *Et expuens, tetigit linguam eius. Vt ſcilicet oſtenderet, quòd omnia membra ſacri corporis eius diuina exiſtunt & ſancta, ſicut & ſputum quod vinculum linguæ ſoluit. Etenim omne ſputum ſuperfluitas eſt.* Nil Chriſtianus in Chriſto *ſuperfluum* putet: nam quod eius naturæ *ſuperfluitas* eſt, nobis proficuum, & ſalutare, & medicum eſt, quo noſtri corporis & animæ languores ſanat. Nil modicum, & tibi *ſuperfluum* in vitâ Chriſti reputes: quod *ſuperfluitas* videtur, tibi neceſſarium eſt. S. Chryſoſtomus exponens illud Ioannis 6 quando poſt ſaturatas abundè turbas, de quinque panum, ac duorum piſcium multiplicato pabulo, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: *Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum*, ita eleganter ſcribit: *Non quidem hoc oſtentatio ſuperflua fuit, ſed ne phantaſiam exiſtimarent quod factum eſt. Sed quare non turbis dedit fragmenta portanda, ſed diſcipulis? quoniam hos maxime erudire volebat, qui orbis terrarum debebant eſſe magiſtri. Ego autem non ſolùm admiror multitudinem panum quæ facta eſt, ſed & certitudinem ſuperfluorum, quia neque plus neque minus fecit ſuperfluum eſſe.* Nimirùm tunc eos duntaxat qui futuri erant Eccleſiæ magiſtri, & morum eruditores, de ſcholâ *ſuperfluorum* in ſe, conſultiſſimè erudit; ne quid in Chriſto, Chriſtíque operibus *ſuperfluum* putent, ſed vel quod putant *ſuperfluitatem*, morum eruditionem æſtiment.

*Sputo (quæ ſuperfluitas eſt) linguam muti Chriſtus ſoluit. cur?*

*Theophyl. ibi.*

*Ex ciborum fragmentis Chriſtus neque plus, neque minus fecit ſuperfluum eſſe.*

*Ioan. 6. v. 12. & 13.*

*S. Chryſoſt. homil. 41 in Ioan.*

---

## §. LXXII.

### *Vita ſolitaria felicem Dei eſſentiam æmulatur, diuinæ viſioni aptior eſt, cælum habet apertum: illam percupiebant Apoſtoli, tanquam Chriſtianæ libertatis ſymbolum.*

Antiſthenes Athenienſium ſapientiſſimus philoſophus, rogatus, quid emolumenti cepiſſet ex philoſophia? *Vt mecum*, inquit, *loqui ſiue viuere poſſim.* Virtutis nimirùm ſtudioſus, etiam ſi ſolus ſit, non ſentit tædium ſolitudinis: ſed multa præclara animo verſans, quaſi ſecum loquitur: ſecum in tempore agit æternitatis negotium. Eſt enim otium negotioſiſſimum, quo ſibi aliquandò viuit, qui ſibi ſemper moritur. Nemo vllum auferat diem, nihil dignum tanto impendio redditurus: ſibiipſi animus hæreat, ſe colat, nil alieni agat. O ſerua te totum tibi, redde Deo, ſolitudinis beneficio! 1.

*Laërt l. 6.*

*Magnum eſt poſſe ſecum viuere.*

Ioannis 5. paralyticus ille apud piſcinam diu languidus, inopinato ignoti Chriſti verbo robuſtus, grabatum ſuſtulit, & coràm ambulabat. Ad miraculi rumorem frequens turba concurrit: & interrogauerunt eum: Quis eſt ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula? *Is autem qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet. Ieſus enim declinauit à turbâ conſtitutâ in loco.* Eccur ſuffugit Chriſtus Deus cùm tantum miraculum patrat? Quare ſe diſſimulat deſperatæ ſalutis præbitorem? Quid latibulo illuſtrioris miraculi gloriam abſcondit? Multis hâc ſuper re philoſophantur Interpretes. Auguſtinus verò animaduertens, Chriſtum ignotum adhuc fuiſſe paralytico, & frequentem illuc turbam ad miraculi famam concurriſſe, expoſitionem ſubtiliter tempeſtiuam meditatur, ſic inibi fatus: *Iſte autem nondum Ieſum nouerat, quia & nos credimus in eum, quem non vidimus; & vt non videatur, declinat à turbâ. Quâdam ſolitudine intentionis videtur Deus, turba ſtrepitum habet, viſio iſta ſecretum deſiderat.* Altè quidèm Auguſtinus! Scilicet Chriſtus Deus hactenùs huic homini ignotus erat: multa illuc turba confluxerat: ergò ſollerter refutat Chriſtus, inter turbæ ſtrepitum videri & agnoſci. Sic multitudo cognato ſuo ſtrepitu abſurda, oculos toxicat & infuſcat, ne etiam optatiſſimæ ſanitatis præbitorem agnoſcat? Nec auguſtioris miraculi magnitudo, nec recentis beneficij illecebra, nec tantæ poteſtatis auctoritas, nec occultæ deitatis tranſlucens maieſtas, ſic clarabit

2\. *Ioan. 5. v. 13.*

*Turba ſtrepitũ habet, Dei viſio ſolitudinis ſecretũ deſiderat.*

*S. Auguſt. tr. 17. in Ioan.*

oculos in turbæ ſtrepitu, & hominum frequentiâ, vt Chriſtum Deum idoneè pernoſcat. Vndè illum poſtmodùm ſolum, & à turbâ ſeiunctum, perſpicuè conuenit, & amicè compellat, & ſe illi videndum & agnoſcendum exhibet. *Quâdam ſolitudine videtur Deus: turba ſtrepitum habet, viſio iſta ſecretum deſiderat.* Indè Ieſus corporis ſui glorias ſumptuoſiùs oſtenſurus, Diſcipulos *ducit in montem excelſum ſeorſùm*, quaſi ad locum gloriæ, vt aliàs multis expendebamus.

Matth. 17. v. 1.

3. Deuter. 6. v. 4.

Deuteronomij 6. poſt decalogi præcepta tradita, hæc Deus ſubdit: *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter Dominus vnus eſt.* Hebraicè: *Audi Iſraël Deus, Deus noſter, Deus vnus eſt.* Quò expreſsè denotetur diuinæ eſſentiæ ſolitudo ad beatam Dei felicitatem hominibus demõſtrandam. Philo Hebræorum diſertiſſimus, loquens de Abrahamo patriam vrbem deſerente, & in alieno ſolo in ruſticanis ſolitariè tentoriis vltrò peregrinante, ita ſcribit: *Solus hic* (Abrahamus inquam) *afficiebatur aliter, iucundiſſimam vitam exiſtimans ſeceſſum à multitudine. Sic enim naturâ compertum eſt, vt qui Deum inuenire cupiũt, amicam ei ſolitudinem diligant, hoc primùm modo imitati beatam illam, ac felicem eſſentiam.* Quid tam piè ſuperbum, quàm Dei eſſentiam de aliquâ ſolitudinis prærogatiuâ feliciter æmulari? Sic eſt viro ſpirituali proficuè iucundus à multitudine ſeceſſus, vt ſolitariam agens vitam, beatam ac felicem Dei eſſentiam quodammodò imitetur?

Philo lib. de Abrah.

*Solitarius feliciter beatam Dei eſſentiam æmulatur.*

3. Lucæ 1. v. 80.

Lucæ 1. conceptu & natiuitate Ioannis plenè deſcriptis, gratiæ officioſitate, naturæ ſtupore, & hominum admiratione peractis, ſubdit Euangeliſta: *Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu: & erat in deſertis vſque ad diem oſtenſionis ſuæ in Iſraël.* Multi confortantur carne (ait Origenes) athleta Dei ſpiritu roborandus eſt, vt ſapientiam carnis elidat. Vndè receſſit fugiens tumultum vrbium, populi frequentiam. Sequitur enim: Et erat in deſertis, vbi purior aër eſt, *cælum apertius: & familiarior Deus.* Apertum cælum eſt ſolitudini, quod videtur frequentiæ clauſum: familiarior Deus eſt ſolitariis, quaſi à turbarum tumultu videatur abalienatus. Addit Theophylactus: *Et erat in deſertis locis, vt extra multorum malitiam nutriretur. Si enim fuiſſet in mundo, fortè fuiſſet amicitia & conuerſatione hominum deprauatus.* Sic inimica eſt multorum conuerſatio! Facilè tranſitur ad plures. Auarior, rudior, ambitioſior, luxurioſior, imò crudelior & inhumanior, quia inter homines ſum. Vel Ioanni, Ioanni inquam, gratiarum manibus facto, excutere mentem ſuam tam diſſimilis multitudo potuiſſet? Adeò nemo hominum ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium poteſt! ô non bonum hominum cum hominibus commercium! *Si enim Ioannes fuiſſet in mundo, fortè fuiſſet amicitiâ & conuerſatione hominum deprauatus.* ergò à pueritiâ Ioannes *erat in deſertis, vbi cælum apertius, & familiarior Deus.*

Orig. apud Caten.

*In ſolitudine cælum eſt apertum, & familiarior Deus.*

Theophil. indidem.

*Vel Ioannes in vrbibus fortè eſſet deprauatus improborũ commercio.*

4. Actor. 10. v. 6.

Actorum 10. poſtquam crebris eleemoſynis aſſiduam orationem adipauerat, cælitùs hæc audit Cornelius: Mitte viros Ioppen, & accerſi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus *Hic hoſpitatur apud Simonem quendam coriarium cuius eſt domus iuxta mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere.* Miretur alius Apoſtolorum verticis abiectiorem humilitatem, qui in hominis ſordidè coriarij domo maluit hoſpitium. Admiratione autem digniſſimum eſt, quòd Apoſtolus, cuius vita in publico eſt, vt prædicatione & exemplo omnes gentes Euangelicâ doctrinâ informet, extra vrbem hoſpitetur. Fugiunt ne Apoſtoli hominum frequentiam, qui vt latiùs ſpargant Euangelium frequentiam hominum captant? Tædet Petrum Apoſtolatus ſui, qui ſolitudinẽ extra vrbem elegit? Appoſitè Oecumenius: *Cui domus eſt iuxta mare. Segregata ab vrbibus loca ſectabantur Apoſtoli, vtpote ſolitudinis ac quietis amici.* Scilicet tametſi Apoſtolorum vita in publico eſſet ex munere, & in vrbium multitudine frequens. Nam Euangelij in toto orbe euulgandi negotium, occupatiſſimè negotioſum erat. At ne vel Apoſtolorum vita expers omninò foret ſolitudinis quietis; ſaltem quàm erant ſolitudinis ſectandæ ſtudioſi demonſtrant, dum *ſegregata ab vrbibus loca ſectabantur, vtpotè ſolitudinis ac quietis amici.* Quò (vt vt poterant) actuoſo prædicationis negotio, & numeroſæ hominum frequentiæ, optatiſſimæ ſolitudinis quietem intexerunt. Hoc Apoſtolorum ſtudium, eſto ſucceſſorum magiſterium, & opportunũ ſectandæ quietis gymnaſium. Solitudinis deſiderio vel in aſſiduo prædicationis negotio affici, Apoſtolorum vota ſunt, vt monet Oecumenius. Benè igitur monentem ſequere.

*Segregata ab vrbibus loca ſectabantur Apoſtoli, vtpotè ſolitudinis amantes.*

Oecum. ibi.

1. Regum 10. Saül in Regem inauguratus, Samuelis iuſſu redit in patriam domum poſtquam illi prædixit, quæ in via accident: *Cùmque abieris indè*, inquit: *& vltrà tranſieris, & veneris ad quercum Thabor, inuenient te ibi tres viri.* Sic erat hæc quercus famoſa, vt omni circumcircà regioni nominis elogium tribueret? Vndè vni, ipſique agreſti arbori tanta nominis ſuperbia, & vocabuli ambitio longè latèque diffuſa? Scitè Abulenſis; *Et veneris ad quercum Thabor. Iſta quercus erat in viâ: erat enim iſta arbor famoſa, quia magna erat, & vnica in loco illo.... Vocatur autem quercus Thabor, quia fortè erat in monte Thabor: eſt tamen Thabor quidam mons excelſus, in quo Chriſtus transfiguratus eſt coram tribus diſcipulis ſuis.* Scilicet erat Thabor mons excelſus ſeorſùm, in vaſtâ ſolitudine arduus, vbi erat ſola hæc quercus proceritate opinatiſſima: quæ ſi in querceto foret, ſqualeret anonyma: quoniam verò in vaſtâ ſolitudine arboribus glabrâ, vnicè proſtat, de ſolitudinis elogio ſumptuoſius vocabulum adepta eſt. adeò vt omni regioni de nominis ſublimitate principari videatur. Sic vel agreſtiorem arborem ſolitudinis ſingularitas egregiè nobilitat? *erat enim iſta arbor famoſa, quia magna erat, & vnica in loco illo*, in Thabor inquam, monte excelſo ſeorſùm.

5. 1. Reg. 10. v. 3.

*Quercus Thabor, de ſolitudinis ſingularitate, famoſa eſt.*

Abulenſ. ibi q. 4.

Ezechielis 20. Ex ipſo prophetiæ contextu, & Interpretum commento perſpicuè conſtat, his verbis Prophetam proſpera Hebræis Dei nomine polliceri: *Et adducam vos*, inquit, *in deſertum populorum, & iudicabor vobiſcum ibi facie ad faciem.* An non dura potiùs minari videtur Iſraëlitis, cùm *deſertum populorũ* ante dicit? Intermitto nunc Theodoretum Græcum auctorem, quem Hebræa phraſis fefellit: nam deſertum populorum non ſignificat deſertum inter populos, ſed potiùs deſertum à populis. Sed adhuc ardua reſtat difficultas, quo pacto deſertum fore à populis, inter Hebræi populi

6. Ezech 20. v. 35.

*Deſertũ peridoneum eſt libertatis, & ingenuitatis ſymbolum.*

P.Prado ibi.

populi ferocitate, numerari poſſit? Quæ eſt in deſerto, aut deſerti felicitas? Eleganter P.Hieronymus Prado ſic inibi ad rem ſcribit. *Adducam vos in deſertum populorum. ſignificat autem per deſertum libertatem, quam ex parte quidèm donauit Cyrus, omninò verò Redemptor humani generis Chriſtus Dominus, idque aptiſſimè*, quoniam deſertum opponitur ciuitatibus muratis, caſtriſque concluſis, in quibus ciues omnes, & milites viuunt ſub dominio Principis vel Ducis: *in deſerto verò qui degunt liberè vagantur, & pro arbitratu vitam inſtituunt. Quare deſertum ſymbolum eſt aptiſſimũ libertatis.* Bellè quidèm! Scilicet qui in deſerto degit, ab hominum coſortio remotus, ſibi & Deo vnicè vacans, liber eſt, ingenuus eſt, & nobili iure inhabitati deſerti, vrbium pergrauem ſeruitutem feliciter excuſſit. Deſerti laudes, quæ ſub hâc metaphorâ tranſlucent, procliue cuique eſt oculis cernere, & ſternere ad mores. Sapienter Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ: *Romana cernens mœnia*, inquit, *incluſam ſe eſſe plangebat; oblita ſexus, fragilitatis immemor, non poterat teneri conſiliis amicorum. ita ex vrbe quaſi de vinculis geſtiebat erũpere.* Sic eremi libertate potiri Fabiola peroptabat! At Eſther in mediâ etiam vrbe tanquam in ſolitudine latebat, iuxta ſui nominis elogium.

*Vrbs eſt carcer, deſertum libertas.*

S. Hieron. Hìc verſ. 7.

7. Prouerb. 12. v. 21.

Salomon Prouerbiorum 12. *Non contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit: impij autem replebuntur malo.* Hebræus textus pro τὸ *non contriſtabit*, excribit, *non lugebit* vel *non occurret*. Nempè iuſto non occurret, quod lugeat, aut illum contriſtet, quantumuis aduerſa illi accidant, etſi *omnis iniquitas* contra illum armetur, licèt *omni dolore* exæſtuare videatur, & acerbiùs feriri. Quia Iuſtus tribulationes quaſlibet ſiue à naturà, ſiue ab aduerſario, ſiue à Deo, ſiue à Diabolo obuenientes, patiẽti, forti hilarique animo patitur & ſuſtinet: quo fit vt nullâ ærumnâ turbetur, nullâ afflictione concidat, animumque deſpondeat, ſed placidus fidenſque & imperturbatus conſiſtat. Addit Cornelius hunc locum exponens, quòd hæc imperturbati animi quies maximè cernitur in Vitâ Religioſà & Monaſticâ (vndè *Iuſti* nomine Monachos intellexiſſe videtur) Quâ de re Simon Iunior egregiè in Capp. moralibus cap. vltimo: *Quies Monaſtica* inquit, *eſt impertubatus animi ſtatus, liberæ & exultantis animæ ſerenitas, baſis quadam cordis: nullis agitata turbis, nullis inundata fluctibus, contemplatio luminis, myſtica Dei cognitio, ſermo ſapientiæ, abyſſus conſiliorum Dei, raptus mentis, pura cum Deo conuerſatio, oculus peruigil, intellectualis adoratio, vnio & copulatio cum Deo, terminus, Deificatio, & in magnis aſcetica vitæ laboribus ſine labore requies.* Rationem reddit cap. 52. *Quia in* (Deo) *per vnum vides, & ſeipſum & omnia vides: & in eo abſconditus, nihil omnium videt.* Multa hìc densè conglobat Simon, quæ ſigillatim enucleare, prolixum foret. Illud ad rem præſentem non dimittam innotatum, quòd Vita Monaſtica (rumpantur licet Hæreticorum ilia) *baſis quadam cordis* nominatur, ô ſecularibus cognata cordis titubatio in aduerſis! *baſis* firma, flectineſcia conſtantia, fulcrum, & velut hypoſtaſis cordis Vita Monaſtica eſt. ô quàm firmiter ſubſiſtit, quiſquis in hanc hypoſtaſim aut Baſim ex animo incumbit! *Non contriſtabit Iuſtum* (Monachum) quicquid ei acciderit.

Cornel. ibi. *Vita Monaſtica elogium.*

Simon iun. *Monaſtica vita dicitur baſis ſeu hypoſtaſis cordis.*

---

## §. LXXIII.

### *Solitudo viduata ſpectatorum cenſurâ, peccandi pudore exuta, ſæpè vitia fœcundè maritat.*

1. Senec. epiſt. 95.

PRimus ſapientiæ labor eſt, in naturam ratione conuerti, & eò reſtitui vndè publicus error expulerit. Hoc vt eſſe verum ſcias, aſpice quantò aliter vnuſquiſque populo viuat, aliter ſibi. Non eſt per ſe magiſtra ſolitudo innocentiæ, nec frugalitatem docet: ſed vbi teſtis ac ſpectator abſceſſit, vitia ſubſidunt, quorum mõſtrari & conſpici, fructus eſt. Quis eam quam nulli oſtenderet, induit purpuram? Quis poſuit ſecretam in auro dapem? Quis ſub alicuius ruſticæ arboris proiectus vmbrâ, luxuriæ ſuæ pompam ſolus explicuit? Nemo oculis ſuis lautus eſt, nec paucorum quidèm & familiarium, ſed apparatum vitiorum ſuorum pro modo turbæ ſpectantis expandit. Itaque irritamentum eſt omnium in quæ inſanimus, admirator & conſcius. Ne concupiſcamus efficies, ſi ne videamur effeceris. Ambitio, & luxuria, & impotentia ſcenam deſiderãt. Sanabis iſta, ſi abſconderis. Hic naturæ næuus, & ambitionis fructus, ſi vanæ gloriæ ſordibus emaculatus, virtutis induſtriâ puriùs excoletur; pietati actuoſiùs operandæ adeſt auxiliaris; & ex diuerſo virtutis calcar, ad probitatis facinora ſæpè ſtimulat. Eſtò attentus ſpectatorum oculus, imbonus virtutum incentor ſit, teſtis tamen non inidoneus eſt, ne pietas in arduis langueſcat, & in arduè confragoſis deficiat. Qui aliquandò exanimus propè ſibi vilis eſt, dum ſpectatores reueretur ac timet, ex alieno aſpectu, examine, cenſurâ, ſtrenuos ebibit animos, & vigorem animitùs fœneratur. O quàm ſæpè ancora virtutis, & deficientium retinaculum eſt, ſpectator & conſcius. Theatrum aliquandò ſuum requirit marcida virtus, quæ ſine ſpectatore ſolitaria ſæpè languet, & ad interitum corruit, niſi ſpectatorum cenſoriis tempeſtiuè oculis ſuffulciatur. Non defuit Eſtheri in domus ſuæ angulo, vitæ ſolitàriæ prærogatiua; aderat autem Mardochæus, ſat illi perilluſtre ſpectaculum.

*Languẽs virtus ſpectatorum oculis ſuffulcitur.*

Hìc v. 7.

2. Iudicum 7. v 10. Matth. 17. Lucæ 22.

Iudicum 7. Gedeon ille ſtrenuus è Manaſſe dux, copioſum exercitum contra pugnaciſſimos Madianitas cogit. Ad aquas probat periculoſo bello idoneos: & ignauis meritò reiectis obuiam cum trecentis it denſiſſimis barbarorum copiis. Caſtra autem Madian erant ſubter in valle. Eadem nocte dixit Dominus ad Gedeon: Surge, & deſcende in caſtra: quia tradidi eos in manu tuâ. *Sin autem ſolus ire formidas, deſcendat tecum Phara puer tuus.* Non litigabo cum Expoſitoribus, an Phara, qui hìc *puer* dicitur, puerili, an iuuenili ætate viguerit. Et ſanè mirum non eſt, quòd Gedeon audacter vir magnanimus, ire timuerit. Naturale ſiquidèm eſt, magnarum rerum initio commoueri, pertimeſcere, contremiſcere, prout in ſe ipſo Dominus demonſtrauit, cùm primùm veluti mortis limen ac veſtibulum iniret. At quantùm erat vnum hominem ſolum ad tantas hoſtium copias tam ſibi vni præcipuè infeſtas, tam armatis ac vigilantibus excubiis munitas, tam propè,

vt

vt mutuò colloquentes audire poſſet, accedere? *Sed videri mirum poteſt*, ( notat Serarius noſter ad omnem eruditionem factus vir ) *quomodo vno tantùm adiuncto puero timere deſierit*. Opinor, contra tot armatorum hoſtium perdenſos cuneos, imbellem vnus *puer* præbebit opem. An non præſtaret, quòd Gedeon ( qui dudùm *virorum fortiſſimus* appellatur ) tantum periculum ſolus adoriretur? Quid roboris illi adiiciat vnius hominis auxilium, auxilij potiùs indigum? Putauerim, quòd phara eius armiger, non tam auxiliaris, quàm teſtis mittitur: non tam prælianti opem laturus, quàm ad imbecillitatis, aut roboris teſtimonium. *Sin autem ſolus ire formidas, deſcendat tecum Phara puer tuus.* Adſit tibi teſtis, qui confeſtim euulgabit, an pallor tuam ſuffuderit faciem, cùm hoſtilia caſtra propè exploraueris, an tremore vacillauerint genua; an perrexeris audenter paratus excubiis reluctari; an viriliter imperterritus, & animo ſtrenuo arduum impaucis negotium perfeceris. Quaſi Gedeoni dicat Deus: Non te tibi ſoli relinquam. Fortè reuerentia tui tibi deerit: neque coram te ſolo erubeſces, quod aliis coram erubueris. Non mitto tecum Pharam, tanquam auxiliatorem, ſed tanquam ſpectatorem, & tuæ virtutis exploratorem. Te collige, & redde te totum tibi, tuam virtutem audacter exere; ne quid humanum imbecillè patiaris, quod alius videat, adnotet, euulget. Incomitatus vadis ad auxilium, non ad teſtimonium. Non trado te tibi ſoli, ne ſolitudine præfidens, lenocinantibus tenebris quidpiam imbecillum committas. Solum non te mitto, ne degenerem efficiam. Idcircò Gedeon pauorem ac pallorem excutiens, *vno tantùm adiuncto puero, timere deſiit*. O nimis verum!

Serar. ibi q. 10.
*Cur vnus puer cum Gedeone mittitur ad caſtra Madian?*

3. Matthæi 4. ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. *Et procedens inde vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui . . . . & vocauit eos. Illi autem ſtatim relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eũ.* Nimirũ Chriſtus Deus Euangelij fundamenta poſuit non ſolùm per charitatem, quæ à gratiâ eſt, ſed etiã per beneuolentiam, quæ à naturâ fraternitatis oritur, quo mutua charitas altiùs fundetur. Sic enim fecit Deus in veteri teſtamento ſuper Moyſen & Aaron fratres, ponens Synagogæ initium. Quoniam autem vberior eſt gratia noui teſtamenti, ideò Synagogam ædificauit ſuper vnam fraternitatem, Eccleſiam autem ſuper duas. Vidit duos fratres, Simonem & Andream: *Et procedens indè vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, & vocauit eos.* Aliam rationem, ob quam binos vocauerit, incertus Chryſoſtomus tempeſtiuè adducit: *Et procedens indè vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, & vocauit eos. Erant enim habitatione ciues, dilectione concordes, artificio pares, fraternitatis coniuncti pietate.* ( Nota attentiùs verba, quæ ſubdit ) *Ideò ſimul vocauit eos, ne tot bonis coniunctos diſſimilis vocatio ſepararet.* Scilicet ſi vocatio diuerſo tempore facta, Petrum ab Andreâ, Iacobum à Ioanne inuicem ſepararet; qui mutuò coniuncti, tot naturæ & gratiæ virtutibus pollebant, dum alter alteri, & exemplo, & præſidio, & teſtimonio erat; ſi ( inquam ) vocatio diſſimilis, id eſt, diuerſo tempore facta, eos abinuicem ſepararet; forſan Petrus Andreæ conſortio & aſpectu viduatus, à priſtinâ virtute deſciſceret: & ſimiliter Iacobus, ſibi ſoli relictus abſente Ioanne, à ſe ipſo ignobiliter degeneraret. Idcircò Chriſtus Deus binos eligit, binos ſibi adſociat, & binos ad prædicandum dimittit, vt priſtinæ ſocietatis adiumentum non amittant; & aſpectus mutui cenſura fiat conſummatæ virtutis ſtipendium. *Ideò ſimul vocauit eos, ne tot bonis coniunctos diſſimilis vocatio ſepararet.*

Matth. 4. v. 21.
*Cur binos & binos fratres Chriſtus eligit.*

Imperf. homil. 7.

Lucæ 10. Chriſtus magno numero Diſcipulos eligit, quos ad prædicandum Euangelium confeſtim dimittit, aiens: *Ite, ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos.* An ideò adſociatos mittit, vt alter alteri præſidio ſit? Exiguum ſanè contra lupos auxilium, agnus agno præſtabit. *Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos: & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem, & locum quò erat ipſe venturus.* Dum ſancti Patres, & Interpretum proceres, cauſſam diſquirunt, cur *binos* miſerit, multa de fraternâ charitate, & de bono alterutrius ad alterum exemplo adaggerant, quò & loci litteram aperiant, & mores pariter inſtruant. At locum hunc ad aliam moralitatem Baſilius opportunè deriuat: *Et miſit illos binos ante faciem ſuam. Simul per hoc indicauit, quòd ſi aliqui pares ſunt in ſpiritualibus donis, hoc non ſinet in eis prænalere propriæ opinionis paſſionem.* Idcircò conſectariè additur, Diſcipulos recèns electos dimiſiſſe *binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem, & locum quò erat ipſe venturus*. Nimirùm *binos* mittit, *ſicut agnos inter lupos*, non vt alter alteri præſidio ſit ( quemadmodùm nec Phara Gedeoni contra Madianitas ) ſed vt mutuus alterutrius ad alterum aſpectus, cenſura, teſtimonium, *paſſiones prævalere non ſinat*, quaſi impaſſionabilis quodãmodò ſit, qui mutuum ſocij aſpectum reuereatur. Exindè eos Chriſtus non tantùm mittit *binos*, ſed etiam *ante faciem ſuam*: vt ſocij aſpectus, & Chriſti facies, paſſiones excutiat, ne clancularia delinquendi occaſio ( ſolitariis non infrequens ) probitati, aut perfectioni inſidietur ſuggeſtione clandeſtinâ.

4. Lucæ 10. v. 1.
*Binos mittit Diſcipulos, ne paſſiones præualeant.*

S. Baſil. apud Caten. ibi.

5. Threnorum 3. *Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentiâ ſuâ.* Et confeſtim exponit Propheta, quantùm profecit, qui à pueritiâ diuinæ legi adſuetus eſt, & virtutis moribus iugiter innutritus: *Sedebit*, inquit, *ſolitarius, & tacebit: quia leuabit ſe ſuper ſe.* Hugo, Rabanus, Rupertus, Lyra, & alij: *Quia leuabit ſe ſuper ſe*, ſcilicet à terrenis ad cæleſtia. Quaſi dicat: Iſtiuſmodi homo cæleſtibus tandiu adſuetus, & gratiæ moribus factus hominis faſtigiũ ſupergreſſus, librabit ſe à terrâ in cælum, ab infirmitate ad robur, à lubricâ puſillitate ad inconcuſſam animi celſitudinem: ſiquidem tametſi *ſolitarius* verſetur ſibi relictus, ſecurus *tacebit*, tam alienus à vulgi ſtrepitu, quàm à paſſionum tumultu: *quia leuabit ſe ſuper ſe.* hominem quodammodò deſueſcens, cùm ſolitudo, quæ excuſſit hominum reuerentiam, nullum iam illi vitium perſuadeat. Benè Chriſtiano cothurno dixit Philoſophorum diſertiſſimus: *Omnia nobis mala* ( aliàs *vitia* ) *ſolitudo perſuadet. Cùm iam profeceris tantùm, vt ſit tibi etiam tui reuerentia, licebit vt dimittas pædagogum.*

Thren. 3. v. 28.
Hugo.
Rabanus.
Rupertus.
Lyra.
*Qui ſolitarius peccare erubeſcit, leuauit ſe ſuper ſe.*

Seneca epiſt. 25.

*pædagogum. Interim te aliquorum auctoritate cuſtodi. Aut Cato ille ſit, aut Scipio, aut Lælius, aut cuius interuentu, perditi quique homines vitia ſupprimerent, dum te efficis eum cum quo peccare non audeas. Cùm hæc effeceris, & aliqua cœperit apud te tui eſſe dignatio, incipiam* te *tibi permittere.* ( Nota attentiùs tempeſtiuam huius theſis clauſulam ) *Circumſpice ſingulos. nemo eſt cui non ſatius ſit, cum quolibet eſſe quàm ſecum.* Ergo magnifica laus eſt eius viri, qui ab adoleſcentiâ iugum diuinæ legis portauit, quòd tametſi *ſolitarius ſedeat, tacebit* tamen â paſſionum ſtrepitu, & à vitiis quæ ſolitudo perſuadet: *quia leuauit ſe ſuper ſe,* quaſi hominem deſueſcat, & humanum excellat faſtigium, cui tanta eſt ſui reuerentia, & dignatio ſui, vt *ſolitarius* peccare non audeat.

6. Pſal. 120. v. 9.

Propheta regius Pſal. 120. ſic precatur: *Dominus cuſtodiat te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus.* Ecquod nam periculum tam graue imminet, vt tam ſollicitâ cuſtodiâ opus ſit? *Dominus cuſtodiat*, inquit, *introitum tuum.* Quæ Pſalmographi verba Chaldæus paraphraſtes ſic legit, & exponit: *Dominus cuſtodiat introitum tuum ad ſtudia legis, & exitum tuum ad negotiationes mundi.* Non valdè mirarer, vt Propheta expeteret diligentem cuſtodiam *ab omni malo, ad exitum tuum ad negotiationes mundi*: frequentia enim hominum ſeculariter viuentium, & ambitioſè auaréque negotiantium, peſtilitatem inhalat ſuam, & mores peſtilenter toxicat. At miriſſimum eſt, quòd pari voto ab omni malo precatur vt *cuſtodiat introitum tuum*, quandò intras in receſſum hominibus inuiſum, vbi tecum vnicè viuens, diuinæ legi addiſcendæ, & contemplandæ ſtudes. Sic eſt periculoſa ſolitudo cuſtodiâ ſpectatorum viduata?

Chaldæus. *Non modò exitus ad negotiationes, ſed introitus ad legis contemplationem cuſtodia indiget*

## §. LXXIV.

### *Encomium Virginitatis; cuius laude ſic Eſther vſque ad nuptias regales floruit, vt ipſa felix dicatur alienæ luxuriæ ſuffragio.*

1. S. Athanaſ. *Conglobata virginitatis epitheta.* Apocalyp. 14. v. 4. Ribera ibi.

S. Athanaſius in lib. de virginitate prope finem, de eâ ita fatur: *O virginitas, opulentia indeficiens, corona immarceſcibilis, templum Dei, domicilium Spiritus ſancti, margarita ſpecioſa, vulgo inconſpicua, gaudium Prophetarum, gloriatio Apoſtolorum, Angelorum vita, Sanctorum corona.* Pulchra ſanè epitheta, & expenſionum fœcundè grauida, quibus laudandæ virginitatis præſtantia vtcunque adumbratur. Ioannis in ſua Apocalypſi, cap. 14. Hi ſunt, inquit, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: *Virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum quocumque ierit.* O grande in beatitudine elogium, quo virgines glorioſiùs dotantur! *Si Virgines fuiſſent* (ait inibi noſter Ribera) *quò Chriſto eâ in re ſimiliores, & gratiores eſſent: ſed nec tamen iis, qui eam habent inuident, nec ipſi quòd non habeant, triſtantur.* Nempè tantâ gloriâ excellunt Virgines Agnum ſequentes, in empyreâ beatitudine, vt magnus hic Doctor notatione dignum cenſuerit, quòd reliqui Cælites, etſi beatis gloriis exundantes, nec Virginibus *inuident*, nec de eorum prærogatiuis *triſtantur.* Inuiáne Beatas Cælitum mentes tangere poteſt? Minimè inquam. at ſi *inuidere* poſſent, maximè Virginum dotibus *inuidiſſent.* Quid exaggeratius?

2. Iſaiæ 7. v. 14. Tertull. alibi expenſus. *Chriſtus Deus, & eius Virgo Mater Virginitatem dedicarunt.*

Iſaias cap. 7. ex Hebræâ gente naſcituri Meſſiæ hoc celebratiſſimum *ſignum* præmonſtrat: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, hoc eſt, nobiſcum Deus, Chriſtus Ieſus, homo Deus, Virginis Deiparæ Filius. Porrò *prima felicitas, prima caſtitas* eſt; prima autem caſtitas, virginitatis nitor eſt, perpetuitate ſemper vernans, florens, fructificans. Hunc illibatæ virginitatis nitorē felici ſeculis auſpicio, Chriſtus & in ſeipſo & in Matre conſecrare voluit, velut ambiēs ne alius hanc gloriā illi præripuerit, tanquā ſi aliter feciſſet, ſerò cenſeretur virgo, nec *primam felicitatem* delibaſſe. *Chriſtus* (inquit Damaſcenus) *virginitatis decus eſt & ornamentum, vt qui non modo ex Patre citra congreſſum ſit genitus, ſed etiam carnem ex Virgine ſine virili congreſſu aſſumpſerit, ipſéque omnibus numeris abſolutam virginitatem in ſeipſo oſtenderit.* Parum hoc meraciſſimæ & limpidiſſimæ virginitati Filij Dei, niſi in fine temporum natus retroacta ſecula anteuerterit, vt huius *primæ felicitatis* floridas primitias in ſe, & in Matre dedicaret, quaſi reliquis hanc auguſtam virginitatis gloriam inuidiſſet. Nam, vt tempeſtiuè dixit Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium: *Chriſtus Dominus virginitatem in ſe, & in Matre dedicauit:* Hactenùs enim rara virtus fuit, imparique in pretio habita; neque vllus vnquam qualis Dei Filius, & Virgo Mater eam coluit, habuit, oſtendit: & indè feliciter *dedicauit.* in hoc verbo multa eruditis expendenda tranſparent.

S. Damaſ. l. 4. de Fide, c. 25.

S. Hieron.

3. Geneſ 6. v. 3. & 12.

Geneſeos 6. Cúmque cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent, videntes filij Dei filias hominum quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerunt. *Dixitque Deus: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt ..... Omnis quippè caro corruperat viam ſuam ſuper terram,* Caro hîc dicitur, qui carnis concupiſcentiæ, & obſcœnis carnis libidinibus frena laxat; qui ſalaces à primæuo delicto concupiſcentias, appetitiones, ſubſultus, & noxium peccati fomitē luxuriādo reſculpit; qui Spiritui ſancto obſtinatè rebellis, *Dei gratiam transfert in luxuriam.* Hæc eſt impura concupiſcentiæ libido, laſciuię fomite ſufflammata. Vide nunc è diuerſo pudicæ virginitatis naturam, quæ velut naturæ exlex, vltra naturæ faſtum attollitur. S. Cyprianus lib. 2. de Diſcipl. & habitu Virginū ita ſcribit: Virginitas eſt, *Decus & ornamentum gratiæ ſpiritualis, tota indoles laudis & honoris, opus integrū atque incorruptū.* Nota antitheſim. Nimirū Homo de obſcœnis libidinibus dicitur *corrupiſſe viam ſuam*; Virgines verò appellātur, *Opus integrum atque incorruptum.* Ad hæc, Homo etſi carne & ſpiritu integrè conſtans, ob carnis concupiſcentiam, *caro* hîc nuncupatur, quia ſic impudicè viuit, ſic pudendæ luxuriæ fomite exardeſcit, & paſſione libidinis turpiter inhonoræ, ac ſi meracior *caro* foret; Virginitas autem nuncupatur, *Tota indoles laudis & honoris.* Denique de ſalaciſſimis priſci illius æui hominibus dicitur, *Non permanebit Spiritus meus in*

Iudas. v. 4.

S Cyprian. *Virginitas eſt virtutum indoles, & diuina gratia decus, an etiam viget?*

moraliſſimè dicitur; quæ male perſpicax, rationi meritorum inſidiatur. Nec te angat, quod tu tua merita ſic non videas: nam Pater cæleſtis, *qui videt in abſcondito,* illa videt ad largius præmium: quæ ſi tu videres, ſciente *ſiniſtrâ* quid faceret dexterâ, ille non ſic vidiſſet, quaſi de tua boni operis cæcitate Deus inoculetur ad præmium: quippe ſic in conſpicuo facta ignorat, *qui videt in abſcondito.*

6\. Quòd ſi adhuc difficile intellectu putas, quo pacto fieri poſſit, vt (quantumuis merita noſtra cælitùs obumbrentur, ne clariùs cognita vanæ gloriæ adulentur) ſiniſtra manus dexteræ adiutrix, ignoret quod vtraque indiuiduè præſtat: & theſaurum ab aliorum oculis abſconſum poſſit quis à ſuis abſcondere; audiat Paullum ſic de ſeipſo ad Philippenſes ſcribentem, *Quæ retro ſunt obliuiſcens ad ea verò quæ ſunt priora, extendens me ipſum ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis.* Quæ verba de obliuione meritorum exponit Anſelmus; & Bernardus intelligit de quâdam anteactæ ſanctiùs vitæ velut neſcientiâ ne inani gloriæ male gratis blanditiis notitia aduletur. Itaque Paullus vſqueadeò nos vult impensè occupari, & negotioſè impendi in his aſſequendis, quæ ad ſpiritualem profectum adhuc patranda reſtant, vt præ actuoſâ intentione ad futura, præterita quæ retrò ſunt, neglectui & obliuioni tradantur. Neque enim ſine magno periculo quis ab incœpto curſu ſiſtitur, ad patrata nuper merita gratè peruidenda. Quæ eſt peridonea S. Auguſtini expoſitio ad præfata Apoſtoli verba: *Quæ retrò ſunt obliuiſcens, ad ea quæ ſunt priora extendens me ipſum, &c. Adhuc ſequor,* (ait Auguſtinus) *adhuc proficio, adhuc ambulo, adhuc in viâ ſum, adhuc me extendo, nondum perueni. Ergò ſi & tu ambulas, ſi te extendis, ſi ea quæ ventura ſunt cogitas, obliuiſcere præterita, noli in ea reſpicere, ne ibi remaneas, vbi reſpexeris. Mementote vxoris Lot.* Diligens ſtrenuè curſor nil retroſpicit poſt terga relictum: neque ſpatium decurſum ſpectat; ſed ad id, quod ſupereſt, decurrendum, animo, corporeque connititur. Ita quiſquis in viâ virtutis ambulas, præterita virtutum merita ſapienti obliuione dediſce; *noli in ea reſpicere, ne ibi remaneas, vbi reſpexeris. Memento vxoris Lot.* Procliue eſt cuique hoc exemplum vxoris Lot enucleatiùs ad rem expendere, ſat eſto Auguſtini acumen digito inſinuaſſe.

*Ad Philipp. 3. v. 14.*

*S. Anſel. ibi. S Bern. ſup.*

*Præterita merita noli reſpicere, ne ibi remaneas, vbi reſpexeris, ſicut vxor Lot.*

*S. Aug. ſerm. 15. de verb. Apoſt. c. 15.*

*Geneſ. 19. v. 26.*

7\. Canticorum 4. hæc auditur Sponſi vox: *Quam pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecùs latet.* Pro τὸ *quod intrinſecùs latet*, aliqui, exſcribunt, *præter velamentum*, alij *ſilentium*, ſeu *taciturnitatem.* Quaſi dicat ſponſus: *Quam pulchra es amica mea, quàm pulchra es!* Et confeſtim eximiam hanc venuſtatem nuncupatim exponens, ait: Oculi tui non tantùm ſimiles ſunt oculis columbinis, eo quòd venuſti ſint lucidi, ſimplices, pudici, verecundi, amabiles ſed inſuper eximiam in ſe latentem gratiam & pulchritudinem continent. Porrò Hebræum verbum (vt alibi ex Cornelio expendebamus) *non tam velum, quam velatum, id eſt, rem ob pulchritudinem, vel reuerentiam velo dignam, obtectamque ſignificat.* Scilicet Sponſum cæleſtem non latebat hæc eximia oculorum Sponſæ venuſtas, etſi reliquis abſconſa atque inuiſa; at quò illam viuaciùs & exaggeratius prædicaret non exponit illam, & publicis oculis auribuſque euulgat, ſed nomine abſconſionis, aut ſilentij appellat: quaſi quod in ſe pulchrum reipſa eſt, exaggeratiorem venuſtatem de abſconſionis lenocinio mutuetur. Sic abſconſio ſeu ſilentium virtutis, ipſius pulchritudinem adornat, venuſtat, exaggerat. Et nota ad rem etiam, quòd hæc abſcondita pulchritudo conſultò in oculis Sponſæ collocatur: nihil enim ipſi homini tam occultum eſt, quàm quod in oculis ſuis eſt: oculi enim à ſe inuiſi, reliqua vident. Porrò eximia præcelsè virtus, nec ſuos oculos patitur, nec admittit alienos; cautè præcauens oculorum faſcinum nimis virtuti noxium. Cauta boni operis abſconſio, aſylum virtutis eſt.

*Cant. 4. v. 1. Tranſlat. variæ.*

*Virtutis obtectio, illius pulchritudinem mirè exaggerat.*

*Cornel. ibid.*

---

## §. LXVII.

### *Patrem ſe eſſe negat, qui ſeuerus erga filios non eſt.*

Omnium honeſtarum rerum ſemina, etiam puerorum ac iuuenum animi gerunt, quæ tempeſtiuâ parentum diſtrictione excitantur non aliter quàm ſcintilla leui flatu adiuta, ignē ſuum explicat. Erigitur virtus cùm tacta eſt & impulſa. Nihil magis facit agreſtes filios, quam educatio mollis ac blanda. Ideò vnicis quò plus indulgetur: pupilliſque quò plus licet, corruptior & barbatior animus eſt. Quid boni ſperes è puero, cui nihil vnquam negatum eſt, cui lacrymas ſollicita ſemper mater abſterſit, cui de pædagogo ſatisfactum eſt? Amet parentem filius, ſi æquus eſt: ſi aliter, timeat, & ferat. Frangatur ſpiritus, ſi adhuc in minori ætate nimium adſurgere audet, ne licentia iracundiam & inſolentiam nutriat; ac frenos excutiat. Seuerè educatus *Cimon filius, Miltiadis cenſus inuentus eſt.* Verus parentum amor, in blanditiis molliter diffluit, in ſeueritate micantiùs tranſlucet. 1.

*Filius eſt patris cenſus. Seneca l. 9. contr. 1.*

Geneſeos 22. vbi ventum eſt ad ſacrificij locum, in quo ex Dei iuſſu Iſaacus à peramanti patre immolandus erat; cùm Abraham alligaſſet filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum, *Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium ſuū.* Abraham, vt pater eſſet multarum gentium, hic iuſtitiam non didicit, ſed genuit. ſtrinxerat in ſe patris pietatem, quò vnicus, quòd ſerò, quòd promiſſus, quòd ſola vnica ſpes totius præteritæ ſterilitatis damna ſarciret. Chariſſimi membra, quæ oſculis premere auebat, armatus gladio parabat truncare. Talem caſum nemo tunc doluit, niſi qui genuit. *Nemo viuas planxit exequias; & innocentiæ hominis obſequium nemo antè fletibus rigat; ne pater dubitaſſe videretur, ſi fleſſet,* ait, S. Zeno. ac ſi paternus dolor lacrymas eliciens an filij ſui pater eſſet, dubium ingeneraret. Addit adhuc ad rem eleganter; vt patris ſeueritatem erga talem etiam filium adornet: *Religioſus carnifex ſtringit gladium, patris erat quòd leuauit, Dei fuit quod pepercit: nec qui feriebatur timuit, nec qui feriebat expauit.* Vide hîc quàm ſit Deus propenſus ad clementiam, & quàm ſuperet paterna viſcera Dei pietas. Dum peramās filij pater, peracerbè ferire parat ſuum Iſaacum Deus vulnus auertit, vt patris eſſet quòd gladium ſtrinxit, & leuauit; Dei verò quòd pepercit

*2. Geneſ. 22. v. 10.*

*De patre, qui flet filiū, dubitatur, an pater ſit? S. Zeno ſer. 3. de Abrah.*

*In Abrahamo, patris erat quòd leuauit gladiū, Dei fuit quòd filio pepercit.*

percit filio. Deo obnixiùs rogatore opus eſt, vt mactando filio Abrahamus parcat? Sic bonus pater erga optimum & dilectiſſimum filium ſeuerè acerbus eſt, dum ſeueritatem expedit exhibere, vt dum Abraham religioſius carnifex quò filium iugulet, ſtringit gladium, *patris erat quod leuauit, Dei fuit quod pepercit!* quaſi veri patris agat partes, dum ad feriendum filium leuat gladium; non dum ſtrictum condit in vaginam, vt illi parcat. Quid exaggeratius?

3. Geneſ. 1. v. 20. & 21.

Geneſeos 1. in quintâ mundialis opificij die, dixit Deus: *Producant aquæ reptile animæ viuentis: & volatile ſuper terram ſub firmamento cæli. Creauitque Deus Cete grandia; & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundum genus ſuum.* Itaque non piſces maris duntaxat, ſed etiam volucres cæli, è matrice aquâ prodierunt, vdoſque natales ad primæuam aquarum abyſſum referunt. *Quæri nunc poteſt* (ait inibi Rupertus) *cur cùm omnia volatilia aquæ produxerint, non etiam ſub aquis natalibus eadem viuere poſſint? .... Cur ergò natura illis quaſi à materno vtero tam diuerſa ſuccedit? Cur illic vitam retinere non poſſunt, vndè vitam ſumpſerunt?* In aëris terræúe elemento extraneo, peregrino, exotico, volucres perpetuò extorres exulant, & exules peregrinantur materno fotu orbatæ, matrices aquas fugiunt, ne vndè ſumpſere vitam, mortem hauriant? Vitam volucres ex aquis mutuant, eamque de longinquitate conſeruant, quam, cùm ei vicinantur amittunt. O aquarum naturam à maternâ pietate alienam! imò pietatis magiſtram, & paternæ ſeueritatis ideam. Certiſſimus, indubiuſque eſt amor parentum in filios, quem à naturâ hauriunt, arripiunt, exprimunt; & agreſtiores belluæ, & fatua inertiaque animalcula viuidè repræſentant. Ne autem parentes cenſeant, amorem paternum blanditiis, blandeque molli beneficentiâ ſemper conſtare; exiſtat in natura rerum aliqua mater, quæ ſic velut abalienata ſit à legitima prole, vt nouercalem ſeueritatem, citiùs quàm maternam beneuolentiam repræſentet, vt in eâ legant homines, quòd non ſemper oporteat molli blandoque fotu filios proſequi, ſed pro rei opportunitate expediat, vt paternus amor ſeueritatem induat, blanditias exuat, rigores aſſumat, abalienationem exhibeat & minaciter trucem ſeueritatem repræſentet. Si benè ſic odiſti, meliùs amaſti. Hoc perſonatum odium, exaggeratio amoris eſt. Hinc cæli volucribus *natura quaſi à materno vtero tam diuerſa ſuccedit, vt illic vitam retinere non poſſint, vnde vitam ſumpſerunt.* O, ex aquarum gymnaſio paternus amor è diuerſo erudiendus eſt, ne pater blando amore durum reuersâ odium exhibeat.

Rupert ibi. l. 1. c. 50.

*Volucres vitam retinere non poſſunt, vndè vitam ſumpſerunt; & quare.*

4. 1. Reg. 4. v. 18.

1. Regum 4. Heli ſacerdos Domini, & Hebræi populi iudex, audiens à refuga nuncio; quòd populus malè fuerat à Philiſthæis conciſus, & eius filij cecidiſſent in prælio, & Dei arca capta eſſet: *Cumque ille nominaſſet arcam Dei, cecidit de ſellâ retrorſum iuxta oſtium, & fractis ceruicibus mortuus eſt: & ipſe iudicauit Iſraël quadraginta annis.* Hinc tempeſtiuam Rupertus quæſtionem exagitat: ita ſcribens: *Fortè dicit quis, Heli ſacerdos Domini, ipſe quoque Iſraël iudicauit, ſicut ſcriptum eſt.... Cur ergò cum ceteris iudicibus ille non annumeratur?* Poſtmodum his verbis propoſitum dubium ita extricare contendit: *Prædixi enim, ait Dominus, quòd iudicaturus eſſem domum eius in æternum propter iniquitatem eò quòd nouerit indignè agere filios ſuos, & nõ corripuerit eos.* Addit ad rem opportunè *Nimirùm cadendo de ſella retrorſum, & fractis ceruicibus moriendo, palàm fecit quod neque ſedile neque coronam auream merebatur habere inter Iudices alios. Proindè confeſtim condolendo Scriptura ſubiungit, Senex enim erat vir, & grandæuus, & ipſe iudicauit Iſraël quadraginta annis. Dolendũ quippè eſt illi, quòd cùm tot annis iudicauerit Iſraël, nihil vſquam memorabile, vel Iudicis officio dignum geſſit.* Scilicet qui ſceleroſos palam filios ſeueriùs non *corripuit*, nihil neque priuatè, neq; publicè ſublimiſſimo illo Iudicis munere egiſſe putatur. Exindè licet totis quadraginta annis & ſummum Sacerdotem, & populi Iudicem egerit, *ceteris Iudicibus non annumeratur, neque ſedile, neque coronam auream meruit habere.* Quaſi ſacerdotem, Iudicem ac Patrem deſueſcat, qui in ſe alioqui probus, improbos filios non arguit, *corripit*, coercet. O time quiſquis filios blandiùs amas!

Rupert. l. 4. de vict. c. 10.

*Heli filios nõ corripiens, neque thronum neque coronã aureã meruit habere, neque Iudicibus annumerari.*

5. Geneſ. 22. v. 12.

Redeat iterùm nunquam ſatis laudata Abrahami erga chariſſimum filium ſeueritas, ſtricto gladio minax. Et ecce Angelus Domini de cælo clamauit, dicens: Abraham, Abraham. Qui reſpondit: Adſum. Dixitque ei: *Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quicquam.* Auſa filium ferire dextera, quid non ſpondeat ſibi? Tempeſtiuè idem Veronenſis Zeno: *Meliùs ſeruauit filium, dum non pepercit:* Forſan magnus hic Doctor alludit ad illud Iephte, qui indulgenter procraſtinans filiam ex voto ferire, tandem illam mactaſſe perhibetur. At Abrahamus exTomptè in filium ſeuerus, confeſtim è cælo audit: *Non extendas manum ſuper puerum, neque facias illi quicquam.* Ergò *meliùs ſeruauit filium, dum non pepercit.* cui ſi pepercitſet, forſitan non ſeruaſſet. Quæ videtur acerbitas, mera indulgentia eſt & parcendi arbitrium.

S. Zeno ſer. 3. de Abrah.

*Abraham melius ſeruauit filium, dũ non pepercit.*

6. Geneſ. 22. v. 2.

Hùc etiam aduocari poteſt, quod eodem c. 22. de immolatione Iſaaci dixit Dominus ad Abraham: *Tolle*, inquit, *filium tuum vnigenitum quem diligis Iſaac .... & offeres eum in holocauſtum*, &c. Hebraicè pro *τὸ quem diligis*, Habetur *Quem dilexiſti.* Poteſt accipi hoc præteritum, *Dilexiſti*, quaſi dicat: *Cogita illum iam non eſſe, vixit.* ita P. Martinus del Rio, Aliter inibi Ambroſius: *Poſſumus accipere, Quem dilexiſti ad id quod non recenti quodam impulſu amoris, ſed inolito diu, & probato amore ſignificares dilectum.* Vel forſan cum dilectum filium ferire iubet, conſultè dicit, *Quem dilexiſti*, quaſi hactenùs dilexerit: nam cùm feriendus erat, ſic ſtringit gladium, ſic armatur in filium ac ſi eum iam minimè diligeret, ſed conſque dilexiſſet. Non quòd tunc etiam non diligat, ſed quia dum gladium ſtringit, ſic diffitetur amorem paternum, ac ſi eum non diligeret.

Rio ibi. S. Ambr. apud Caten.

*Cùm Abraham ſtringit gladium, non tam diligere, quàm dilexiſſe filium dicitur.*

7. Geneſ. 1. v. 20. Ruper. 5.

Expendebamus nuper n. 3. ad illud Geneſeos 1. *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile.* &c. quàm acerbè ſe gerant aquæ, volucrum matrices cum volatili prole, quæ *cùm de aquis producta ſit, non etiam ſub aquis viuere poteſt.* Et vide nunc qualiter ſe gerant marinæ aues cum filiolis, maternum aquarum ingenium æmulatæ De Halcyone enim, quæ auis ad maris littora deponit oua, vbi pullos excludit, educatque

*Halcion pullos ſuos fluctibus marinis verberandos eiicit.*

S.Ambr.l 5. Hexaëm. c.13. catque ſic fatur Ambroſius: *Nec interpellari tot diebus infidi maris tranquillitatem veretur, tentátque meritum ſuum naturæ iam ſolennitate fundatum, & teneros fœtus non latibulis abſcondit, ſed fluctibus verberandos exponit, nudo & rigenti ſolo tradit, nec defendit à frigore: ſed diuino fotu, quo magis cetera deſpiciat, eò tutiores eſſe exiſtimat.* Scilicet *tutiores* putat pullos ſuos, dum adhuc teneros marinis vndis *verberandos* obiicit. Quod nuper de Abrahamo dixit Veronenſis Zeno: *Meliùs ſeruauit filium, dum non pepercit.*

8. Prouerb. 11. v.29. Cauendum tamen eſt, ne patres erga filios ſuos nimiùm rigidi, dum eos acerbiùs exaſperant, contumaciores & agreſtiores reddant: *Qui conturbat domum ſuam, poſſidebit ventum,* ait Salomon, Prouerb. 11. Pro τὸ *poſſidebit*, Hebraicè excribitur: *Hereditabit.* Vnde ſic locum Caiet.ibi. *Qui filios nimis exaſperat, hereditabit ventum.* Caietanus exponit: *Conturbans domum ſuam (hoc eſt familiam ſuam, filios ſuos ſeu nepotes) habebit heredes ventum: hoc eſt habebit heredem nullum in poteſtate ſuâ. Conturbati enim à patre filij, deſinunt parere patri: ac per hoc ſunt patri ſicut ventus, qui non eſt in poteſtate noſtrâ.* O caue hos paternæ educationis ſcopulos. *Ventum hereditat* quiſquis filios inceſſanter exaſperat.

Hic verſ.7. Miraris ſidereos mores in Eſthere etſi pulchrâ puellâ, etſi captiuâ, in regiâ Perſarum vrbe perditiſſimè ſalaci; admirare etiam hîc attentam Mardochæi pædagogiam, & morum inſtitutionem: alebat illam tanquam filiam, inſtituebat à teneris annis fortè in ſponſam futuram (vt quidam opinantur.) Seueritas morum Mardochæi, & attentior inſtitutionis ſollertia Eſtheres aut inuenit, aut facit.

## §. LXVIII.

### *Vitioſæ imitationis ſcabiem conuictor conuictori allinit, peruerſâ morum æmulatione.*

1. Plutarch. tr. de diſcrim. amici & adult. MOrum ſcabiem conuictori conuictor affricat, & *balbutire diſcit quiſquis aſſiduè cum balbo viuit.* Tanta eſt conſuetudinis vis, vt imprudentes etiam imitemur vitia eorum quibuſcum viuimus. Sic Platonis familiares eius latitudinem humerorum imitabantur: Ariſtotelis amici eius balbutiem exprimebant: Alexandri Magni familiares ceruicis inflexum, & vocis in dicendo aſperitatem effingebant. *Sumuntur*, ait Seneca, *à conuerſantibus mores. Et vt* Seneca l.3. de Irâ. *Morum ſcabiem conuictori conuictor affricat.* *quædam in contactos corporis vitia tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit: ebrioſus conuictores in amorem vini traxit: impudicorum cœtus fortem & ſiliceum virum emollit: auaritia in proximos virus ſuum tranſtulit.* Propè irremediabilis ille ſtatus eſt, vbi non vitiis excuſatio duntaxat, ſed ex conuerſantium conſuetudine etiam auctoritas datur, & multitudinis conſenſu aſſeritur. Hîc verſ.7. Inſanientium multitudo, inſaniæ protectio eſt. Has morum ſyrtes ſecundum nomen ſuum Eſther declinauit: fuit enim mulier ſui nominis, quod *abſconſione* impleuit, vitioſæ imitationis ſcabiem deuitans.

2. Gen.11.v.7. Geneſeos 11 poſt Noëticum diluuium cum propagatâ ſobole malitia quoque latè ſerpit. Erat autem tunc terra labij vnius, & ſermonum eorumdem: cúmque inſanam Babylonicæ turris fabricam moliri cœpiſſent; deſcendit Dominus vt videret ciuitatem & turrim; quam ædificabant filij Adam, & dixit: Ecce vnus eſt populus, & vnum labium omnibus: cœperúntque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant. *Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui.* Qui aperta ſolùm, & textui obuia ſectantur, putant hîc præcipuè deſcribi ortum linguarum Græcarum, ac Barbararum. *Confuſionem* autem rem hanc Moyſes appellat: qui ſi voluiſſet ortum linguarum duntaxat indicare, aptiùs forſan *diuiſionem* appellaſſet, quàm *confuſionem*. non confunduntur enim, quæ in partes diſtribuuntur, ſed diſcernuntur potiùs. eſt enim confuſio facultatum ſimplicium corruptio, quæ ſimul congeſtæ vnam quampiam generant, diſtinctio autem ſeu ſeparatio eſt vnius in plura ſectio. Hinc Philo Iudæus hanc luculentam ethicè expoſitionem his verbis digerit: *Confundamus ibi linguam eorum, ne audiat vocem quiſque ſui proximi, ac ſi diceret, muta ſurdáque faciamus vitia ſingula, vt nec loquendo, nec aſſentiendo damnum dent. Hæc eſt noſtra ſuper hoc textu ſententia.* Nimirùm tanto conſultioris conſilij apparatu Deus deſcendiſſe perhibetur, vt tacitam alienæ malitiæ confundat linguam, *muta ſurdáque faciat vitia ſingula* conuictorum, ne non boni exempli garrulo lenocinio prauos mores oculi hauriant, aures arripiant, & peſtiferam vitiorum ſentinam humanum cor per imprudentiam exhauriat: & dum alienâ prauitate ſenſim expletur, propriâ iam factâ de celeri abreptione cumulatiùs exundet. O ſi Deus ſic vitiorum linguam confunderet, vt ad prauos proximorum mores, non cæci duntaxat, ſed etiam *ſurdi mutique* redderemur. Alios huius loci ſenſus venari ad linguarum & aurium eruditionem procliue eſt.

*Qui palam non peccat, muta ſurdáque facit vitia.*

Philo lib. de Confuſ.ling. prope fine.

3. Gen.7.v.2. Geneſeos 7. Caini malitiâ in Sethi poſteros per ſalaces connubiorum traduces propagatâ, nequitiæ purgandæ diluuium apparabatur. Iam ergò periculum creabatur, diluuium armabatur, & natura à ratione aliena cum rationali iudicabatur. Extruitur arca paradiſo firmior, fidei vehiculum, & viuentium cuſtodia. Dixit enim Dominus ad Noë: ingredere tu, & omnis domus tua in arcam. *Ex omnibus animantibus mundis tolle ſeptena & ſeptena, maſculum & feminam: de animantibus verò immundis duo & duo, maſculum & feminam.* Quæ Dei verba hoc eleganti dubio Seleucienſis Baſilius elucidat: *Cur ergò tandem immundorum numerum contrahit, bináque iubet induci? cur, cùm ſeruari genus præcepiſſet mundorum numerum ad ſeptenarium vſque profert? Nam ſi naturæ reliquias ex æquo ſeruari vult, cur non æqualem numeri modum ſeruat in vtriſque? Et profectò ſummâ cum ſapientiâ.* Sic eſt malitia malitiæ fœcunda? ſic immunditia immunditiam propagat? O quàm vbere prouentu vitia ſeminantur! Heu quam de facili nequitia ſerpit! Naturæ reliquias ex æquo ſeruari vult Deus, & animalium mundorum numerum vſque ad ſeptenarium auget; at verò in Immundis *non æqualem numeri modum ſeruat*, ethicè etiam ſcius, ſeptenis mundis bina

Baſil.Seleu. Orat 6.

*Septenis mundis bina immunda, ad propagationis negotium æquipellent.*

bina immunda ſatis æquipollere ad immunditiei propagandæ negotium, Tanto prolis auctario malitia ſoboleſcit!

4. Geneſis 13. Lot etiam, qui erat cum Abrahamo, fuerunt greges ouium, & armenta, & tabernacula. Nec poterat eos capere terra vt habitarent ſimul. *Vndè facta eſt rixa inter paſtores gregum Abram & Lot ..... Dixit ergò Abram ad Lot: Ne quæſo ſit iurgium inter me & te*, &c. Abraham virtute conſummatus, pacatis moribus, & virtutum tranquillitate perfectus, nullo vitiorum conflictu animitùs turbatur; & tamen de domeſticorum rixá ſic præcauet ſibi, vt à conuictore hactenùs Lot ſupplex diuortium expoſcat? Scilicet. *Non multum prodeſt vitia ſua proieciſſe, ſi cum alienis rixandum eſt.* Itaque Abraham à quo tempore vocatus eſt, & diuinum ſequens ductum, Deo & virtuti totus impendebatur, *vitia ſua proiecit*; ſollicitus eſt autem de domeſticorum *rixis*, ne rixandi & obiurgandi fomitem ſenſim ingerant: indè domeſtica *rixarum* & *iurgiorum* exempla ſubmouet: *non enim multum prodeſt vitia ſua proieciſſe, ſi cum alienis rixandum eſt.*

Geneſ. 13. v. 6 & 8.
*Parum refert ſua vitia proieciſſe, ſi cū alienis rixandum eſt.*
Seneca epiſt. 28.

5. Siracides Eccleſiaſtici 38. Suſurro, inquit, & *bilinguis* maledictus, multos enim turbauit pacem habentes. *Lingua tertia multos commouit* Communiter Interpretes aut leuiter perſtringunt, aut ethicè tradunt, quæ ſit hæc *lingua tertia*, quæ magnam multis perniciem intulit. Hugo Carenſis ſic inibi fatur; *Lingua tertia, id eſt, lingua Hæretica, quæ veteri, nec nouo teſtamento concordat, vt prima lingua ſit veteris teſtamenti, ſecunda noui, tertia Hæretici. Aliter, lingua tertia, id eſt, lingua aduocati, quæ eſt tertia ab actore & reo*, Myſtica hæc ſunt, & forſan ad mores non inidonea. Verùm ſi litteralem ſenſum aucupari iuuat, fortè *linguam tertiam* appellat adſpectu ad *bilinguem*, quem verſ præcedenti culpauerat. Appellatur autem *bilinguis, id eſt, aliud coràm, aliud clam loquens. Vel bilinguis, id eſt. quandoque verum, quandoque falſum dicens.* Quaſi non eadem putetur lingua, quæ verum dicit, & quæ falſum effutit, ſed vna & altera; *lingua* verò *tertiâ* hîc inducatur. Valdè autem ambiguum eſt, quænam ſit hæc *lingua tertia*. Putauerim, quòd veluti prima hominis lingua eſt intellectus, qui ſua animitùs profert verba mentis, id eſt, conceptus: ſecunda verò eſt lingua oris, cuius detractorios ſuſurros nuper culpauerat: tertia ſunt praua exempla & opera, quibus velut linguatâ tacitè garrulitate ſpectatores deprauat, & ſua vitia ſenſim affricat, pronâ nimis æmulatione vitia ſua oculis perſuadente. Nam *procliuis eſt malorum æmulatio, & quorum virtutes aſſequi nequeas, citò imitaris vitia*, ait Hieronymus. Et ſanè pro *linguâ tertia*, Arabicus habet *Homo oris.* Notat autem Cornelius, quòd eſt *Araſbiſmus: Syrus enim & Arabes hominem oris vocant loquacem, dicacem, detractorem.* Scilicet qui habet *linguam tertiam*, hoc eſt, qui non bono vitæ exemplo alios deprauat, tam citò vitia ſpectatoribus imprimit, & in illis exprimit, vt ille idem, *Homo oris*, hoc eſt, *dicax*, & *detractor* appellari poſſit, quaſi de ſpectato vitio exprompiùs arrepto, ſpectatoribus *detrahat*, & *dicaci* maledicentia præproperè obmurmuret. Adeò vt malum exemplum coràm præbere, de illo æmulanter arrepto, *detraxiſſe* ſit. Sic *eſt procliuis malorum æmulatio, & quorum virtutes aſſequi nequeas, cito imiteris vitia!*

Eccli. 28. v. 15. & 16.
Hugo ibi.
Hugo.
*Malū exemplum lingua eſt, quæ de imitatione ſpectatoribus detrahit.*
M. Paez. in c. 5. epiſt. Iacobi.
S. Hieron. ep. ad Lætā.
Arabicus
Cornel. ibi.

6. Geneſeos 31. reditum in patriam clam Iacobus adornat, vt auarè auſterum Laban, & eius agreſtes mores declinet. Tunc Rachel idola Patris ſuffuratur: *Eo tempore*, inquit, *ierat Laban ad tondendas oues, & Rachel furata eſt idola Patris ſui.* Admiratione atque expenſione digniſſimum eſt, quòd cùm multa ad manum filiæ ſuppeterent in opulenta Patris domo, nihil præter idola ſurripuerit, & ſecum tulerit: Quod inibi expendens Chryſoſtomus ſic indidem ſcribit: *Furata eſt Rachel idola patris ſui. Animaduerte quantum in hoc ſtudium impenderet, cùm nihil aliud à Patre auferre voluerit quàm idola eius; idque faciebat ignorante viro.* Diu multumque conuerſata fuerat Rachel cum Iacobo virorum tunc optimo, & vnius Dei eximio cultore: verùm in diſceſſu monſtrauit *quanto ſtudio* arripuerit, & moribus expreſſerit impiiſſimos Labani mores, cùm è prædiuite domo nihil præter idola concupierit; idque tam impensâ ſtudioſiùs curâ, vt vel in clandeſtinâ diſſimulanter fugâ furari non erubuerit. Sic vicinus conuictor ſua vitia allinit! Sic vicinorum non bonos mores ſtudiosè arripimus, & tenaciter exprimimus peruerſo alienæ malitiæ imitamento! *Animaduerte quantum in hoc ſtudium impenderit, cùm nihil aliud auferre voluerit quàm idola eius.* Moraliſſimè quidèm Chryſoſtomus!

Geneſ. 31. v. 19.
S. Chryſoſt. homil. 57. in Geneſ.
*Cur Rachel nil præter Labani idola furata eſt, quæ ſecum tulit.*

7. Iſaiæ 9. vbi Vulgatus habet: *Et vocabitur nomen eius, Admirabilis, Conſiliarius*, &c. LXX. Interpretes efferunt: *Et vocabitur nomen eius, Magni conſilij Angelus*, De quâ tranſlatione copiosè inibi Biblia Romana, Leo Caſtrius; & Pamelius in Annotat. ad lib. Tertulliani de Carne Chriſti numero 114. Itaque vnum è Chriſti Dei nominibus eſt, *Magni conſilij Angelus*, non quòd Chriſtus Deus fuerit naturâ, ſed officio Angelus. Quod ſapienter exponit Tertullianus, ita fatus: *An verò per Angelum liberaret hominem? Cur ergò deſcendit ad id, quod per Angelum erat expediturus? ſi per Angelum, quid & ipſe? ſi per ſe, quid & Angelus? Dictus eſt quidèm magni conſilij Angelus, id eſt, nuncius: officij, non naturæ vocabulo.* Ex hoc Iſaiæ loco tractant Sancti Patres, Interpretes, ſcholaſtici, quare Deus non miſerit Angelum, vt mundum redimeret? Moroſus eſſem, ſi id retractarem, contentus, referre, non adprobare Syneſij rationem, ad rem præſentem idoneè arguram. Magnus hic Doctor epiſtola 57. ad Andronicum, ita ſcribit: *Ac ſi Angelus poſſet ſupra triginta annos cum hominibus ita conſueſcere, nullà vt infimâ fæce rerum contage affectus inficeretur, quid neceſſe eſt deſcendere Filium Dei? Sed eſt virium abundantia quædam ac copia, ita inter deteriora verſari, vt in naturæ ſtatu conſiſtat, neque vllo modo inficiatur, Dei laus, ac prædicatio eſt.* Quæ verba poſtquam excipiſit noſter erudititiſſimus Cerda, exponens præſcri-

Iſaiæ 9 v. 6.
LXX Interp.
Bibl. Romā.
Leo Caſtrius
Pamelius.
Tertull. l. de Carne Chriſti c. 14.
*Syneſius cenſuit, Angelū non poſſe diu hominibus aſſueſcere, ſine humana labis ſceleroſa contage.*
Syneſius.



N ptum

Cerda in lib. Tertull. de Carn. Christi. n. 258.

ptum Tertulliani locum, ita ſubdit: Quæ Syneſij ſolutio animum meum mirè obſtupuit. Dicit enim, ſi Angelus deſcendiſſet, fore vt non conſiſteret in ſtatu naturæ perfecto; ac propterea oportuiſſe Deum venire. Non aſſentiar Syneſio: neque enim beatus Angelus poteſt iam vllo modo deficere. At valdè exaggerat quàm ſit periculoſum deterioribus diu aſſueſcere abſque vllâ labis contage, & morum conuictu affricandorum fæce, qui eſt huius paragraphi labor.

---

## §. LXIX.

### *Malum exemplum noxiè exhibetur, expromptiùs arripitur, & punitur acerbiùs.*

1\. *Mores ſuos ſenſim miſcet improbitas.*

MInuta quædam animalcula cùm mordent non ſentiuntur, adeò tenuis illis, & fallens in periculum vis eſt: tumor indicat morſum, & in ipſo tumore nullum vulnus apparet Idem tibi in conuerſatione improborum eueniet: non deprehendes quemadmodum aut quandò te deprauarint, deprauaſſe tamen aliquandò deprehendes dum conuictu tacito tanquam quodam affrictu ſua tibi afflauerint vitia, *Torpedo piſcis* (ait) *haud nocet niſi contactu, ſed virus ſuum etiam ab are per linum, & arundinis internodia ad piſcatoris manum mirè tranſmittit: Sic improbi ac peſtilentes haud nocent, ſi nihil cum illis habeas commercij, rerum quacumque conſuetudine contacti, morum venena afflaut.* Sic conſuetudine mores ſenſim miſcet improbitas? ô caue à malo præbendo, & arripiendo exemplo, quiſquis virtutem amas.

Plin. lib. 22. c. 1.

2\. Actor. 10. v. 12. & 13. & 14. *Immundum, cēſetur, quod etſi alioqui mundum, cū immundis verſatur.*

Actorum 10. dum eſurienti Petro cibi horâ diei ſexta apparantur, in ſolarium interim ad orandum aſcendit. Et cecidit ſuper eum mentis exceſſus: & vidit cælum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum, quattuor initiis ſubmitti de cælo in terram, *In quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentes terræ, & volatilia cæli. Et facta eſt vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. Ait autem Petrus: Abſit Domine, quia nunquam manducaui omne commune & immundum*, Profectò nimis delicatè eſurit Petrus. Nam ſi ei de cælo oſtenſum eſt linteum vas, habens omnia *quadrupedia*, & *ſerpentes* terræ, & *volatilia* cæli: tametſi de terræ ſerpentibus, vtpotè immundis ac venenatis, comedere exhorreat; ſed non eſt cur nauſeet ad *omnia quadrupedia, & volucres cæli*, præſertim è cælo miſſa, & indè ſanctificata. Et ſanè ſi *omnia quadrupedia, & cæli volucres* Petro eſurienti oblata ſunt, eccur ex quadrupedibus & volucribus mundis non eligit ad eſum idonea, & lautè manducat? Communia & immunda ſcrupuloſè reiicîat; mundas autem mundorum animalium carnes, edules, & ſapidas, cur eſuries faſtidioſa repudiet? Ex *omnibus* aliqua eligat, & famem ſaturare poterit: quamuis nunquam manducauerit omne commune, & immundum. Vidit hanc difficultatem Oecumenius, & ſic hâc ſuper re inibi ſcribit: *Manifeſtum eſt autem*, inquit, *quòd non de omnibus cibis pronunciatum eſſe ſermonem voluerit, quo ait: Nunquam edi quidquam commune aut immundum, vt boues & capra, aueſque ac volucres communia apud eum dicerentur; cùm à Iudæis ortus eſſet Petrus. Nam Iudæi carnes edunt, nec apud eos interdicitur carnium eſus.* Itaque etſi quæ lege duntaxat interdicta erant, *immunda* ritè cenſebantur, forſan quia munda omnia animalia cum omnibus etiā immundis permiſta erant, è propinquorum conſortio & affrictu, velut *immunda* à Petro exiſtimantur. Vnde tametſi omnia animalia, volucres & ſerpentes, illi mixtim apparent, nil non *immundum* ex *omnibus* ad eſum reperit, nil inuenit, quòd tanquam *mundum* edi poſſe videatur. Sic animalia alioqui *munda*, ab *immundorum* attactu, à venenato *ſerpentium* contagio, & peſtilenti afflatu, *immunda* reputantur? Heu ſic *immunditia* contactu inficit? ſic malitia in contubernales latè ſerpit, conuerſatione propagatur impietas? ſic prauitas morum facile miſcetur?

Oecum. indidem.

In hoc Eſtheris c. 1. Mamuchan, cui reliqui Sapientes ſubſcripſere, cōtumaciam reginæ Vaſthi condemnans, ſic fatur: Non ſolùm regem læſit regina Vaſthi, ſed & omnes populos, & principes, qui ſunt in cunctis prouinciis. Egredietur enim ſermo Reginæ ad omnes mulieres, vt contemnant viros ſuos. *Atque hoc exēplo omnes principum coniuges Perſarum atque Medorū paruipendent imperia maritorum.* Lingua ſancta vt eſt myſteriorum grauida, apud P. Marianam pro τὸ *atque hoc exemplo*, habet: *Et die hoc omnes Principum coniuges paruipendent imperia maritorum.* Heu, tam celeriter prauum exemplum arripitur, & imitatione exprimitur, vt *die hoc*, quo regina Vaſthi paruipēdit Aſſueri iuſſa Suſis, *hoc exemplo omnes principum coniuges Perſarū atque Medorum, paruipendent imperia maritorum?* Sic feſtinanter non bonum exemplum vel in remotiſſimis prouinciis euulgatur? eodē illo die velut neſcienter moribus imprimitur, & opere exprimitur? Qui Hebrææ linguæ idiotiſmus eſt, pulchram hyperbolen Latinis exhibet. 3. Hic verſ. 18.

P. Mariana ibi. *Malum exēplum vel in remotiſſimas prouincias vna die ſerpit?*

Geneſ. 19. Angeli apud Abrahamum ſpecie tenus benè pranſi, curſum contendunt in Sodomam, vt Pentapoleos, ſic & vitiorum metropolim. *Veneruntque duo Angeli Sodomā veſpere, & ſedente Lot in foribus ciuitatis.* Et ſanè miriſſimū eſt quòd Lot de Abrahami contubernio nuper ſanctitate nobilis; nunc de Sodomę habitatione inuitiatus non fuerit morum peſtilitate, & inquilinâ vrbis libidine; ſed adhuc *Iuſti* nomen apud Petrum retinuerit, ſedulà Angelorum curâ à communi Sodomorum ſtrage ſeruatus. Cuius cauſſam inſinuat citiùs quam dicit ſacer Hiſtoricus, vt ibi Ruper. adnotauit: *Porrò*, inquit, *quod dictum eſt, ſedente in foribus ciuitatis, illi congruit, qui animo non ſedebat in ſceleribus ciuitatis. Vndè Petrus Apoſtolus: Aſpectu enim, inquit, & auditu iuſtus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iuſtam iniquis operibus cruciabant.* Conſultiſſimè Lot, quem ſic acerbè excruciabant praua conuictorum opera, non in medio Sodomæ ſedere dicitur, ſed *in foribus ciuitatis*, quaſi in illius exitu, tanquam ſemper indè migrans. O ſalubrem opportunè eruditionem his, quibus neceſſe eſt inter improbos diutiùs commorari! Sedes fixas ibi habeant, ſed pro *foribus*, & quaſi in exitu, quem continuò animi votis meditantur!

4\. Geneſ. 19. v. 1. *Benè Lot non in medio ciuitatis, ſed in foribus ſedere dicitur.*

Ruper. lib 6. in Geneſ. c. 6. 2. Petri 2. v. 8.

Ad Romanos 7. ita ſcribit Apoſtolus: Quid dicemus? 5.

Ad Rom. 7. v. 8. S. Hieron. ad Alg. q. 8. *Caue, ne dum ſcelera vetas illa ſuadeas.*

ergò dicemus? lex peccatum eſt? abſit. Sed peccatum non cognoui, niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces. *Occaſione autem acceptâ, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat.* Quod explicat Chryſoſtomus exemplo ægri febre æſtuantis, cui medicus frigidæ potũ interdicens, ſitim quodammodò acuit. Pulchrè Hieronymus: *Quicquid licet*, inquit, *minus deſideratur. Quo fit vt contrario ſenſu quicquid non licet fomentum & incentiuum accipiat deſiderij. Et M. Tullius de parricidarum ſupplicio, Solonem quicquam præcepiſſe Athenienſibus negat, ne non tam prohibere, quam commonere videretur.* Vide quàm ſit exprompta malitia vt ſeſe moribus inſinuet, & peſtilitatem ſuam impreſſiùs affricet, dum vetatur expreſſiùs. Quod his verbis

Pacian. in parænes. ad Pœnit.

Pacianus Barcilonenſis luculenter ediſſerit: dum cautè Parænesim de Pœnitentiâ ſcribere cunctatur: *Vnum illud vereor*, inquit, *ne ſolitæ contrarietatis aduerſis, inculcando quæ fiunt, admoneam magis peccata quàm reprimam. Meliuſque fuerit Attici Solonis exemplo tacere de magnis ſceleribus, quàm cauere, eouſque progreſſis noſtratum moribus vt admonitos ſe exiſtiment, cum vetantur.* Ecce tibi quàm de facili malitia ſerpat, dum, vel prohibitione propagetur vberiùs, è diuerſo fœcundiùs ampliata.

6. Geneſ. 1. v. 4. *Cur tam feſtinanter boni Angeli, velut lux à tenebris, id eſt, à malis Angelis diuiduntur.*

Geneſis 1. primâ mundialis opificij die, dixit Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux. *Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona: & diuiſit lucem à tenebris.* Eſtò, nuper creata lux diuinis oculis placuerit, & indè ſui panægyrim è diuino ore incunctanter expreſſerit; quare à tenebris confeſtim diuidi perhibetur? Annon vtriuſque natura ſatis ab alterutrâ diuiſa eſt? ecquis nigras tenebras cum lucis candore confundat? Actum agit quiſquis lucem à tenebris diuidere militat. Verùm Rupertus per lucem & tenebras, bonos & malos

Rupert. l. 1. in Geneſ. c. 13.

Angelos intelligens, opportunam moraliſſimè diuiſionem agnoſcit, ſic inibi fatus: *Quæ enim ſunt iſta tenebræ, niſi omnes Angeli Satanæ cum eodem ſuo Principe? Has vtique tenebras Deus lucemque diuiſit, quia malos Angelos à bonis ſeparauit: diuiſit inquam ſeparatione immutabili, ita vt nec iſti qui ciciderunt, reſurgere, nec illi qui cum peccare poſſent, peccando cadere noluerunt, vlteriùs vnquam habeant, vel poſſint peccando cadere.* Vide quàm feſtinanter vbi Angelica lux gratiæ ſplendoribus fulſit, ab obſcuris Dæmonum tenebris diſpeſcitur *ſeparatione immutabili.* Nequeunt boni Angeli in virtute iam inflexiles, malorum prauitate inuitiari; & tamen ſic feſtinat Deus illos velut, *lucem* à malis, velut à *tenebris* longo interuallo diuidere? Tametſi iam non *poſſunt peccando cadere*, eorum à malis ſegregatio ſollerter ac feſtinanter peragitur, quò innoteſcat, quàm ſint malorum vitiis inacceſſi, & inflexiles in ſtabilitate virtutis.

7. 4 Reg. 3. v. 27. *Acerbiùs Iſraël feritur, cùm eius malum exemplũ Moab arripuit.*

4. Regum 3. Rex Iſraël, & rex Iuda, & rex Edom, malè conciſis Moabitis, eorum agros & vrbes atrociſſimè deuaſtabant. Cùm autem rex Moab repugnare victoribus non eualeret, *Arripiens filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum: & facta eſt indignatio magna in Iſraël.* Multa monent Interpretes, vt cauſſam perueſtigent, ob quam rex Moab filium ſuum primogenitum iugulauit: & quare ex primogeniti cęde Deus *indignatus* ſit aduerſus Iſraëlitas. Nil enim Iſraëliticus populus operatus eſt ad parricidium, ſi propter parricidium, Deus *indignatus* eſt. Imò rex Moab indè potiùs puniendus eſſet; non ab hoſtili obſidione liberandus. Hac ſuper re ita ſcribit Lyranus: *Et facta eſt indignatio magna in Iſraël. In Hebræo habetur: Ira ſuper Iſraël, ſcilicet ipſius Dei offenſi contra filios Iſraël*, (Audi cauſſam ad thema præſens in paucis opportunã) *eò quòd tunc fuerunt recordatæ iniquitates eorum coram Deo: videlicet quòd ipſi tanta mala, vel peiora fecerant immolando filios ſuos & filias ſuas Dæmonibus; propter quod tunc in vindictam huius mali cecidit peſtilentia & mortalitas in exercitu Iſraël: & ſic fuerunt compulſi recedere ab obſidione propter peccata ſua præterita.* Nimirùm dum malum Iſraëlitarum exemplum rex Moab, licet iniquè & impiè imitatur, illi tunc ignoſcitur; & duriùs ſæuitum eſt aduerſus Iſraëlitas, qui dudùm filios ſuos Dæmonibus immolando, malum quod Moab imitaretur exemplum, iniquè præbuerunt. Hem vbi non bonum arripitur exemplum, ſic acerbè punitur, qui illud olim imitandum exhibuit? Et penè deuicti hoſtis incolumitate], & durâ peſtilitate Iſraël feritur, vbi malum eius quondam exemplum, de aliorum imitatione iu memoriam recurrit?

Lyra ibi. Pſal. 106. v. 37.

8. S. Cyprian. *Vbi multi peccant, peccatum excuſatione blanditur.*

S. Cyprianus lib. de ſpectaculis, hâc ſuper re ita eleganter ſcribit: *Oculi noſtri & aures cuſtodiendæ ſunt: citò enim in hoc aſſueſcimus, quod audimus, ſcelere. Etenim vitiorum exempla oppugnant animum, impellunt, immutant, transformant: miraculo erit inter incendia vel non conſumi, vel certè non incaleſcere.... Deplorandus ille ſtatus eſt, vbi iam non vitiis excuſatio, ſed auctoritas datur: nullum enim malum difficiliùs extinguitur, quàm quod multitudinis conſenſu aſſeritur, excuſatione blanditur.* Multas ſententias conceptuum grauidas hîc Cyprianus moraliſſimè addenſat, quas prolixum foret ſigillatim enucleare: Sat eſto intendiſſe digitum.

Ergò hoc morum contagium *abſconſione* Eſther declinauit; cui latenti in domus ſuæ angulo, Perſarum vitia ſurda fuerunt, ac muta. Adeò vt non tantùm ab eximiâ venuſtate: ſed etiam à puritatis nitore, ſidereum Eſtheris nomen mutuarit. Hic verſ. 7.

## §. LXX.

### *Bonum virtutis exemplum, afflatæ imitationis beneficio, virtutes affricat, ſeminat, propagat, màgno ſanctitatum fœnore.*

1. *Quã ſit proficum benè operantis exemplum.*

QVemadmodum ſalutaria, citra guſtum tactumque, vel odore proficiunt; ita & virtus, volitatẽ etiam ex longinquo, latens etiã fũdit, ſiue expatiatur & vtitur ſuo iure, ſanè precarios habet acceſſus, ſiuè otioſa mutaque eſt & anguſto circumſcripta, ſiue palam adaperta: in quocumque habitu eſt, nimis prodeſt. Nemo, nemo parum vtile putet exemplum probè operantis, ſeu benè quieſcentis: tacitè pietates loquitur, mutè virtutes perſuadet, & omnes ſanctitates diſſimulanter adſpirat; quas Mardochæi conſuetudo, Eſtheri indies adſpirabat. Hic verſ. 7.

*eſt.* Arctiorem ſanguinis propinquitatem expreſſit, cùm eos qui virtuti impenſius ſtudent, fratres, ac ſorores, imò & matrem appellat. Sed aliquis curioſiùs ſciſcitabitur: quare illos ſicut appellat fratres, ſorores, ac matrem; non etiam Patrem appellet? An nomen Patris ſic eſt auguſtum, vt nemini communicari debeat?an quod his negatur, aliis congruentiùs exhibetur? Ecquis erit ſic virtutis famâ præluſtris, in quem apprimè quadret magnum Patris vocabulum? Cui nam præſtantiſſimæ virtuti, hoc prænobile debetur elogium? Abulenſis, & acutus, & eruditus doctor, accuratiùs verſans celebrem illam quæſtionem, de diuerſitate Dominicæ genealogiæ quā Matthæus & Lucas ſeriatim recenſent, ita ad rem ſcribit: *Quæritur de diuerſitate inter Matthæum, & Lucam quantum ad Chriſti genealogiam. Alij dixerunt; quòd vnus Euangeliſta poſuit veram Chriſti progeniem ſecundum carnem: & alius poſuit progeniem ſpiritualem. Scilicet quia omnes viros iuſtos Lucas dixit eſſe Patres Chriſti: quia ſunt Patres propter ſimilitudinem honeſtatis.* Itaque non quilibet vir iuſtus, & qui Dei voluntatem facit, hâc præluſtri cōpellatione vniuerſatim inſignitur; (hic enim *frater*, aut *ſoror*, aut *mater* nominatur) ſed qui ita honeſtè & perfectè viuit, vt bono ſui exemplo, virtutes aliis ſpiret, quod Chriſtus fecit, hic hic, inquam, idoneè Chriſti Pater nuncupatur, *propter ſimilitudinem honeſtatis.* Sic enim bonum virtutis exemplum præcelsè ſublimatur, vt homo illuſtri ſanctitate præditus, & Chriſtum opere fragrans, *Patris* Chriſti Dei præclaro ſtemmate glorioſiùs nobilitetur. Porrò bonum exemplum velut diuinum quoddam ſemen eſt, quo arcanè generatur, & naſcitur Chriſtus in anima imitantis viſam aliorum ſanctitatem. Quis non ambiat hoc illuſtre cognomen *Patris* Chriſti Dei? Bono exemplo prouoca alios ad arreptiones ſpectatæ ſanctitatis, & in ſpectatoribus Chriſtum genuiſti. O generoſam paternitatem & omnibus facile parabilem!

*Bonum pietatis exemplum velut diuinū quoddā ſemē eſt, quod in ſpectatoribus Chriſtum generat.*
Abul. q. 27. in cap. 1. Matth.

6.
Geneſ. 15. v. 5.

Geneſeos 15. improli Abrahamo numeroſā præclarè ſobolē, quâ Dei populus conſtet, & largè Deus promittit, & abundè promiſſa præſtat. Dixitque ad eū: *Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes. Et dixit ei: Sic erit ſemen tuum.* Quamquàm Abrahamus mathematicè peritus erat, vno obtutu ſigillatim *numerare* non poterat cæli aſtra ſudâ nocte ſplendidiùs micantia. *Nam* (vt peritè notauit Auguſtinus) *quantò quis acutius intuetur, tantò plures* ſtellas *videt.* Quarè iubet Deus quod ad homine fieri non poſſe, benè prænoſcit? Vel quod eſt impoſſibile tentabit humana pietas, diuini obſequij impenſiùs ſtudioſa; & ea exequi piâ velut temeritate conabitur, vt etiam ab impoſſibili audacior ſtrenuè virtus ſanctitates fœneret. Verùm expenſione dignum eſt, cur electus Dei populus, Patriarcharum & Prophetarum gratiâ exundans comparetur cæleſtibus ſtellis clarâ luce micantibus, & humano aſpectu exploratis. Porrò præterquam quòd ipſæ innumerabiles in ſe ſunt; *quantò quis acutiùs intuetur, tantò plures videt.* Quaſi de attentiore acutiùs videntis perſpicaciâ, earum ſplendidus numerus fœcundetur, & in ampliorem multitudinem admirandâ propagatione magis excreſcat. Spectatus ſiderum fulgor, ſemen eſt, quod arcanâ fœturâ fulgores multiplicat, & aſpectu propagat? De ſpectatâ virtutum luce boni operis exemplo nos admonet Chriſtus: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* O ſuſpice cælum, & attentiùs ſuſpiciens cæleſtium ſanctitatum fulgores in populo Dei eos numera, ſi potes. Non tamen poteris: nam ipſo aſpectu ſic multiplicantur ineffabili imitamenti virtute, vt quaſi viſio ſpectatæ lucis, ſemen illius propagandæ foret; *quanto attentiùs intuetur, tanto plures videt.* Euge ergò electe popule Dei, & tua virtutum lux ſic coram hominibus ſplendidè luceat, vt vel impij ſpectatores videntes opera veſtra bona, *filij lucis* fiant, præclaro & numeri, & virtutum incremento, de boni operis aſpectu vberiùs propagato.

S. Aug. l. 16. de Ciuit. c. 23.
*Aſpectus lucida virtutis, de boni exempli afflatu, virtutum lucem propagat.*
Matth. 5. v. 16.
Ad Epheſ. 5. v. 8.

7.
Lucæ 11. v. 50.
*Bonum exēplum prophetiam æmulatur.*

Lucæ 11. *Vt inquiratur*, ait, *ſanguis omniū Prophetarū, qui effuſus eſt à conſtitutione mundi à generatione iſtâ, à ſanguine Abel, vſque ad ſanguinem Zachariæ.* Et cur Abel, & reliqui cauſſâ pietatis occiſi, Prophetæ dicuntur? Porrò aliud eſt inculpatè viuere, & præluſtri ſanctitatū omniū exemplo florere, vſque ad ſanguinis pro pietate effuſionē; aliud prophetiæ dono cælitùs afflari. Pulchre inibi Cardinalis Toletus: *Prophetas ū nomine comprehendit Iuſtos, qui virtutis exemplo virtutis fuere doctores.* Scilicet inſigniter Iuſtus meritò *Propheta* nūcupatur: nam etſi futura ore non prędicat; bono tamen exemplo ſpectatores erudiens, bonos exinceps eorū mores quodammodò prophetat. Sic certò bonum Iuſtorum exemplum virtutes afflat, vt eas quaſi prophetare in aliis videatur? ô nouū à bono exēplo prophetiæ genus!

P. Tolet. ibi.

---

## §. LXXI.

### *Chriſtum ſequi, & moribus imitari; & ipſi pergratum eſt, & nobis perquam proficuum, piè fauſto æternæ felicitatis augurio.*

1.
*Magnos imitari, acquirēda virtutis copendiū eſt.*
Hic verſ. 7.

ZEnonem Cleanthes non expreſſiſſet, ſi eum tantummodò audiſſet. Vitæ eius interfuit, ſecreta perſpexit, obſeruauit illum; vt eius mores imitando, ex formulâ viueret. Plato & Ariſtoles, & omnis in diuerſum itura Sapientium turba, plus ex moribus, quàm ex verbis Socratis traxit. Metrodorum & Frymachum, & Polianū magnos viros non ſchola Epicuri, ſed ex contubernio ſequela, fecit. Qui ad omnes ſanctitates ingenium concinnare ſatagit, Magnorum imitatione, quorum veſtigia ſequatur, citò proficit; eorumque virtutem aſpectu citiùs quàm auditu hauriens, bibulâ obſeruatione, atque exprompta ſequelâ exprimit felici imitamento. Longum iter eſt per præcepta, quæ agenda ieiunè oſtendunt; breue & efficax per exempla, quæ imitationem ſubornant, ad virtutum ſequelam. Sic Mardochæi exemplum ad omnes ſuæ legis ſanctitates Eſtherem ſubornabat.

2.
Iob. 23. v. 11. Hebræus.
*Num pes Chriſtum ſequens beatitudinem videat, ſi manu apprehendat?*

Iob 23. cap. ſic de ſe animoſiùs loquitur: *Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus, viam eius cuſtodiui, & nō declinaui ex eâ.* Magna ſanè Iobi virtus, quæ Dei veſtigia (vt vt homo eualet) feliciter ſequi, piè præſumpſit, Pro τὸ *ſecutus* propriè ex Hebræo *Apprehendit pes meus illius greſſum*, aut veſtigium *tenuit*: id eſt, adhæſit firmiter illius veſtigiis & greſſibus. Et ſanè verbum originale propriè dicitur de manibus, quæ ali-

quid *apprehendunt* ac *tenent* firmiter. Quaſi quòd pes imitatione ſequitur, iam manus firmiter apprehendat. Mirè quidèm Caietanus præſcriptum locum excribit, & exponit: *In beare tuo vidit pes meus.* Quaſi dicat Iob defendendo ſuam innocentiam, quòd *pes ſuus*, id eſt, affectus, aut ſequela, vel potiùs ſequela ex affectu, *vidit*, hoc eſt deſideraiut, aut inſecutus eſt, *beare*, id eſt, beatitudinem diuinam, quâ homines feliciter beat. Et ſanè licet aliqui Expoſitores cum Caietano litigent, an in vulgato verbum *ſequendi*, Hebraicè *videre* ſignificet: negari tamen non poteſt, quòd verbum quod transfertur *veſtigia*, affine ſit *beatitudini*; quam ſignificare, non inidoneè poteſt. Itaque pes hominis, veſtigia Dei imitatione ſecutus, *videre* dicitur, imò & ferè *apprehendere beatitudinem* Dei. Quaſi qui in terris Chriſtum Deum imitatur, iam nunc cæleſtem beatitudinem fere prægustare incipiat, ſequaci feliciter imitatione quodammodò prӕmaturè beatus. *Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus*, id eſt, *In beare tuo vidit pes meus.* Si minùs idoneè ad literam Caietanus, ad mores ſaltem peridoneè.

Caiet. inibi.

3\. Matthæi 14. auditâ atrociore Ioannis cæde, IESVS *ſeceſſit indè in nauiculâ, in locum deſertum ſeorsùm.* Et, vt inibi notauit Chryſoſtomus) *ſeceſſit in nauigio vt nullus ſequeretur.* Sed attende ad verba quæ ſubdit Euangeliſta: *Et cum audiſſent turbæ, ſecutæ ſunt eum pedeſtres de ciuitatibus. Et exiens vidit turbam multam, & miſertus eſt eis.* Quid eſt, quòd Chriſtus ſeceſſit in nauigio, *vt nullus ſequeretur*; & cùm videt pedeſtres turbas eum ſtudioſiùs ſecutas, non modò id ægrè non tulit, etſi periculum de eiuſmodi tunc ſequelâ immineret; ſed (vt ait Hieronymus) *egreditur de loco, & obuiam pergit, miſertus eſt eis.* Secedit vt eum tunc nullus *ſequatur*; & dum *ſequentes* animaduertit, de ſeceſſu egrediens, *obuiam pergit, & miſertus eſt eis?* Vel quandò ſequelam arcet, ſic amat ſequelam? Inuitum turbæ ſequntur, & obuiam ſequentibus ſic gratus, ac beneficus pergit? ô ineffabile Dominicæ ſequelæ ſacramentum! Si is fuit cum turbis ſe inuitum ſequentibus; qualis erit cùm ad ſui ſequelam munificentius inuitat?

Matth. 14. v. 13. & 14. S. Chryſ. apud Caten. *Se inuitum ſequentibus, obuiam Chriſtus beneficus exit.* S.Hieron. ibi.

4\. Marci 10. procurrens quidam genu flexus ante IESVM, rogabat eum: Magiſter bone, quid faciam vt vitam æternam percipiam? IESVS autem dixit ei: Noſti mandata, illa obſerua. At ille reſpondens, ait illi: Magiſter; hæc omnia obſeruaui à iuuentute meâ. IESVS *autem intuitus eum, dilexit eum*, & dixit ei: vnum tibi deeſt: vade quæcumque habes vende, & da pauperibus, *& veni, ſequere me. Qui contriſtatus in verbo, abiit mœrens*: erat enim habens multas poſſeſſiones. Magnum ſane huiuſce iuuenis elogium, quòd Chriſtus Deus eum intuitus, & cordis arcana penetrans, animitùs eum *dilexerit*. Verùm Chryſoſtomus, vel potiùs Origenes, pulchram mouet quæſtiunculam ad thema præſens opportunam: *Dignum tamen*, inquit *eſt inquirere, qualiter hunc dilexerit, qui eum non erat ſecuturus?* Et ſanè quantum ad priora dignus erat amore, quæ legis ſunt à iuuentute obſeruans: circa finem verò neque diminutionem prioris dilectionis promeruit, ſicut neque perfectionem ſuſcepit. Et quidèm moraliſſimè miratur Chryſoſtomus *qualiter Ieſus hunc dilexerit, qui eum non erat ſecuturus.* quaſi ſola Chriſti ſequela, eius amorē alliciat; & qui Ieſum non ſequitur, Dominicæ dilectionis exors videatur Saltem qui ſic vocatus, renuit Chriſtum ſequi in ambiguo eſt, vtrū in Chriſti amore diu perſiſtet.

Marci 10. v. 21. *Num pius adoleſcēs Chriſtum non ſequens, dignus ſit Dominico amore?* S.Chryſoſt. apud Caten. ibidem.

Matth. 15. ſanatâ Chananææ filiâ, Ieſus venit ſecus Mare Galilææ: *& aſcendens in monte ſedebat ibi. At acceſſerunt ad eum turbæ multæ, habentes ſecū mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos.* Non mirarer, ad montis ardua, vbi ſedebat Chriſtus aſcendere mutos, cæcos, & alios multos. At *claudi*, ac *debiles*, quo pacto ad arduam montis crepidinem aſcendere potuerunt? Niſi fortè ad ſequelam Chriſti, nemo malepedatus eſt, niſi affectus ſit debilis, & imbecillus claudicet. Chriſti ſequela pedes ſolidat, vt vel in arduum montis verticem poſſimus conſcendere. An non de feliciſſimis Meſſiæ temporibus vaticinatus eſt Iſaias: *Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus.* Itaque *in montem aſcendentem* Chriſtum, *claudi* ac debiles ſequuntur: nam ad ſequelam Chriſti quantumuis arduam, nemo malepedatus eſt: dum enim quærit, ac ſequitur Chriſtum, claudicare deſinit, priſtinæ debilitatis oblitus. Hinc vel *claudi* Chriſtum ſequentes, in montem aſcendunt. 5.

Matth. 15. v. 29. & 30. *Claudi Chriſtum ſequentes, in mōtem aſcendunt.* Iſaiæ 35. v. 6.

Lucæ 8. Venerunt autē ad Ieſum mater, & fratres eius, & non poterant adire eum præ turbâ. Et nunciatum eſt illi: *Mater tua, & fratres tui ſtant foris volentes te videre.* Qui reſpondens, dixit ad eos Mater mea, & fratres mei hi ſunt qui verbum Dei audiunt, & faciunt. Duriùs ne tractandi ſunt, qui illius veſtigia ſequentes, Chriſtum quærunt, ad illum *veniunt*, & illi propiùs adhærere procurant? Quid tam laudabile & in Chriſtianæ perfectionis negotio adæquè expetendum? Omiſſo litteræ rigore, ſic ad myſticos ſenſus locum flectit Ambroſius: *Myſticè autem non debuit foris ſtare, qui Chriſtum quærebat. Vndè & ille ait: Accedite ad eum, & illuminamini. Si enim foris ſtant, nec ipſi agnoſcuntur parentes, & propter noſtrum fortaſsè nō agnoſcuntur exemplum.* Scilicet qui Chriſtum quærit, & ad illum ſequendum *venit*; ſi *foris ſtat*, nec quammaturè feſtinat, vt propiùs adhæreſcens, illum moribus exprimat, non agnoſcetur à Chriſto: etſi eſſet mater, & eius fratres forent. quæ eſt ſumma rei exaggeratio. Sic *ſtatio* in Chriſto quærendo & ſequendo, illi exoſa eſt Sic feſtinatio, quæ illi adhæreſcere ſatagit, vt illum moribus ſequatur, & pro virili imitetur, iucunda & grata. Idcircò qui venientes ad Chriſtum, foris ſtant, ſtant inquam licet ipſi parentes ſint, *propter noſtrum fortaſiè exemplum non agnoſcuntur* à Chriſto. Quid exaggeratiùs? 6.

Luc. 8. v. 21. *Non agnoſcitur à Chriſto qui ad illum veniens, foris ſtat, etſi ſit eius parens?* S. Ambr. lib. 6. in Lucam.

Matthæi 1. Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Eſron Eſron autem genuit Aram. *Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naaſſon.* qui ſunt Iudææ gentis Patriarchæ, & progenitorum Chriſti Dei retrò Proceres. Strabus Fuldenſis inibi ex Rabano Mauro, horum nominum ſignificantiam eruditè emedullans; ad Chriſtum eorum filium, his verbis deriuat *Aram, Chriſtus electus, vel exelſus interpretatur..... Ipſe eſt Aminadab, id eſt, voluntarius, qui dicit, voluntariè ſacrificabo tibi. Idem eſt Naaſſon, id eſt augurium.* Benè eſt, Chriſtus dicatur *Electus*, & *Excelſus*; quin & *Voluntarius*: quid eſt autem, quòd etiam Chriſtus 7.

Matth. 1. v. 3. & 4. Strabus ibi. Rabanus.

*Chriſtus ſuis imitatoribus, fauſtum æternæ felicitatis augurium dicitur quo ſenſu.*

ſtus Deus *Augurium* nominatur? Eſtnè *augurium* Deo? an hominibus eſt *augurium*? bonum hominibus *augurium*, an malum? ſcilicet Chriſtus Deus inauguratus homo, fauſtum piè *augurium* Deo eſt, quo optatiſſimam moralium ſalutem Deo feliciter auguratur. O beatum cælo *augurium*; non de incertis hominum coniecturis ſuperſtitioſè falſatis, ſed de prouidentiæ diuinæ certiſſimâ præſcientiâ feliciſſimum! Quin & hominibus etiam proſperum piè *augurium* eſt, & copioſæ mox redemptionis, & indè fortunatum beatitatis æternæ præſagium. At Chriſtus in te, ô homo, animo imbibi, voluntate excipi, actionibus inſculpi, & moribus imitatione exprimi debet, vt fauſtum piè *augurium* tibi ſit. Exindè ſollerter caue, ne ſi ſequelam eius neglexeris, vt abiectâ imitatione, qui felix fauſtúmque *augurium* eſt, ipſe ſit tibi infeſtum omen, & funeſtum æternæ reprobationis præſagium. Velis Chriſtum ſequi, & illum moribus excudere, & fauſtum piè *augurium* tibi Chriſtus eſt, alioqui Rdedemptionis heres, erit Redemptionis reus. Cùm audis à Rabano Mauro & Strabo Fuldenſi, *augurij* nomen ad Chriſti œconomiam tranſlatum, mente procul abiice Gentilium, & vaniſſimorum hominum futiles ſuperſtitiones, & exuto vocabuli ſuperſtitioſo cenſu, intellige Chriſtum Deum reipsâ Redemptorem, nobis eſſe de ſui imitatione, & morum æmulatione, beatæ æternùm felicitatis opinatiſſimum piè *augurium*, & proſperum eximiè præſagium. Qui ſecùs faxit, timeat ne Dominici ſanguinis reus ſit; indéque illi æternam infelicitatem infauſtè ominetur.

8. Marci 7. v. 33.

*Sputo (quæ ſuperfluitas eſt) linguam muti Chriſtus ſoluit. cur?*

Marci 7. rediit Ieſus in Galilæam, & adducunt ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum. *Et apprehendens eum de turbâ ſeorsùm, miſit digitos ſuos in auricula eius: & expuens, tetigit linguam eius*: & ſuſpiciens in cælum, ingemuit, & ait illi: Ephetha, quod eſt adaperire. Et confeſtim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Eccur ſeorsùm apprehendit infirmum, quem mox palàm ſanum oſtendit! Quare etiam proprio ſputo muti linguam oraque ſaliuat? An vt muti lingua de vdore Dominicæ ſaliuæ reddatur lubrica, & idoneæ loquelæ habilis? Verùm Theophylactus hàc ſuper re ita philoſophatur: *Et expuens, tetigit linguam eius. Vt ſcilicet oſtenderet, quòd omnia membra ſacri corporis eius diuina exiſtunt & ſancta, ſicut & ſputum quod vinculum linguæ ſoluit. Etenim omne ſputum ſuperfluitas eſt.* Nil Chriſtianus in Chriſto *ſuperfluum* putet: nam quod eius naturæ *ſuperfluitas* eſt, nobis proficuum, & ſalutare, & medicum eſt, quo noſtri corporis & animæ languores ſanat. Nil modicum, & tibi *ſuperfluum* in vitâ Chriſti reputes: quod *ſuperfluitas* videtur, tibi neceſſarium eſt. S. Chryſoſtomus exponens illud Ioannis 6 quando poſt ſaturatas abundè turbas, de quinque panum, ac duorum piſcium multiplicato pabulo, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: *Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum*, ita eleganter ſcribit: *Non quidem hoc oſtentatio ſuperflua fuit, ſed ne phantaſiam exiſtimarent quod factum eſt. Sed quare non turbis dedit fragmenta portanda, ſed diſcipulis? quoniam hos maxime erudire volebat, qui orbis terrarum debebant eſſe magiſtri. Ego autem non ſolùm admiror multitudinem panum quæ facta eſt, ſed & certitudinem ſuperfluorum, quia neque plus neque minùs fecit ſuperfluum eſſe.* Nimirùm tunc eos duntaxat qui futuri erant Eccleſiæ magiſtri, & morum eruditores, de ſcholâ *ſuperfluorum* in ſe, conſultiſſimè erudit; ne quid in Chriſto, Chriſtique operibus *ſuperfluum* putent, ſed vel quod putant *ſuperfluitatem*, morum eruditionem æſtiment.

Theophyl. ibi.

*Ex ciborum fragmentis Chriſtus neque plus, neque minus fecit ſuperfluum eſſe.*

Ioan. 6. v. 12. & 13

S. Chryſoſt. homil. 41 in Ioan.

---

## §. LXXII.

*Vita ſolitaria felicem Dei eſſentiam æmulatur, diuinæ viſioni aptior eſt, cælum habet apertum: illam percupiebant Apoſtoli, tanquam Chriſtianæ libertatis ſymbolum.*

ANtiſthenes Athenienſium ſapientiſſimus philoſophus, rogatus, quid emolumenti cepiſſet ex philoſophia? *Vt mecum*, inquit, *loqui ſiue viuere poſſim.* Virtutis nimirùm ſtudioſus, etiam ſi ſolus ſit, non ſentit tædium ſolitudinis: ſed multa præclara animo verſans, quaſi ſecum loquitur: ſecum in tempore agit æternitatis negotium. Eſt enim otium negotioſiſſimum, quo ſibi aliquandò viuit, qui ſibi ſemper moritur. Nemo vllum auferat diem, nihil dignum tanto impendio redditurus: ſibiipſi animus hæreat, ſe colat, nil alieni agat. O ſerua te totum tibi, redde Deo, ſolitudinis beneficio! 1.

Laërt l. 6. *Magnum eſt poſſe ſecum viuere.*

Ioannis 5. paralyticus ille apud piſcinam diu languidus, inopinato ignoti Chriſti verbo robuſtus, grabatum ſuſtulit, & coràm ambulabat. Ad miraculi rumorem frequens turba concurrit: & interrogauerunt eum: Quis eſt ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula? *Is autem qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet. Ieſus enim declinauit à turbâ conſtitutâ in loco.* Eccur ſuffugit Chriſtus Deus cùm tantum miraculum patrat? Quare ſe diſſimulat deſperatæ ſalutis præbitorem? Quid latibulo illuſtrioris miraculi gloriam abſcondit? Multis hàc ſuper re philoſophantur Interpretes. Auguſtinus verò animaduertens, Chriſtum ignotum adhuc fuiſſe paralytico, & frequentem illuc turbam ad miraculi famam concurriſſe, expoſitionem ſubtiliter tempeſtiuam meditatur, ſic inibi fatus: *Ille autem nondum Ieſum nouerat, quia & nos credimus in eum, quem non videmus; & vt non videatur, declinat à turbâ. Quâdam ſolitudine intentionis videtur Deus, turba ſtrepitum habet, viſio iſta ſecretum deſiderat.* Altè quidèm Auguſtinus! Scilicet Chriſtus Deus hactenùs huic homini ignotus erat: multa illuc turba confluxerat: ergò ſollerter refutat Chriſtus, inter turbæ ſtrepitum videri & agnoſci. Sic multitudo cognato ſuo ſtrepitu abſurda, oculos toxicat & infuſcat, ne etiam optatiſſimæ ſanitatis præbitorem agnoſcat? Nec auguſtioris miraculi magnitudo, nec recentis beneficij illecebra, nec tantæ poteſtatis auctoritas, nec occultæ deitatis tranſlucens maieſtas, ſic clarabit

2. Ioan. 5. v. 13.

*Turba ſtrepitũ habet, Dei viſio ſolitudinis ſecretũ deſiderat.*

S. Auguſt. tr. 17. in Ioan.

oculos in turbæ ſtrepitu, & hominum frequentiâ, vt Chriſtum Deum idoneè pernoſcat. Vndè illum poſtmodùm ſolum, & à turbâ ſeiunctum, perſpicuè conuenit, & amicè compellat, & ſe illi videndum & agnoſcendum exhibet. *Quadam ſolitudine videtur Deus: turba ſtrepitum habet, viſio iſta ſecretum deſiderat.* Indè Ieſus corporis ſui glorias ſumptuoſiùs oſtenſurus, Diſcipulos *ducit in montem excelſum ſeorſùm*, quaſi ad locum gloriæ, vt aliàs multis expendebamus.

Matth. 17. v. 1.

3. Deuteronomij 6. poſt decalogi præcepta tradita, hæc Deus ſubdit: *Audi Iſraël, Dominus Deus noſter Dominus vnus eſt.* Hebraicè: *Audi Iſraël Deus, Deus noſter, Deus vnus eſt.* Quò expreſsè denotetur diuinæ eſſentiæ ſolitudo ad beatam Dei felicitatem hominibus demõſtrandam. Philo Hebræorum diſertiſſimus, loquens de Abrahamo patriam vrbem deſerente, & in alieno ſolo in ruſticanis ſolitariè tentoriis vltrò peregrinante, ita ſcribit: *Solus hic* (Abrahamus inquam) *afficiebatur aliter, iucundiſſimam vitam exiſtimans ſeceſſum à multitudine. Sic enim naturâ compertum eſt, vt qui Deum inuenire cupiũt, amicam ei ſolitudinem diligant, hoc primùm modo imitati beatam illam, ac felicem eſſentiam.* Quid tam piè ſuperbum, quàm Dei eſſentiam de aliquâ ſolitudinis prærogatiuâ feliciter æmulari? Sic eſt viro ſpirituali proficuè iucundus à multitudine ſeceſſus, vt ſolitariam agens vitam, beatam ac felicem Dei eſſentiam quodammodò imitetur?

Deuter. 6. v. 4.

Philo lib. de Abrah.

*Solitarius feliciter beatam Dei eſſentiam æmulatur.*

3. Lucæ 1. conceptu & natiuitate Ioannis plenè deſcriptis, gratiæ officioſitate, naturæ ſtupore, & hominum admiratione peractis, ſubdit Euangeliſta: *Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu: & erat in deſertis vſque ad diem oſtenſionis ſuæ in Iſraël.* Multi confortantur carne (ait Origenes) athleta Dei ſpiritu roborandus eſt, vt ſapientiam carnis elidat. Vndè receſſit fugiens tumultum vrbium, populi frequentiam. Sequitur enim: Et erat in deſertis, vbi purior aër eſt, *cælum apertius: & familiarior Deus.* Apertum cælum eſt ſolitudini, quod videtur frequentiæ clauſum: familiarior Deus eſt ſolitariis, quaſi à turbarum tumultu videatur abalienatus. Addit Theophylactus: *Et erat in deſertis locis, vt extra multorum malitiam nutriretur. Si enim fuiſſet in mundo, fortè fuiſſet amicitia & conuerſatione hominum deprauatus.* Sic inimica eſt multorum conuerſatio! Facilè tranſitur ad plures. Auarior, rudior, ambitioſior, luxurioſior, imò crudelior & inhumanior, quia inter homines ſum. Vel Ioanni, Ioanni inquam, gratiarum manibus facto, excutere mentem ſuam tam diſſimilis multitudo potuiſſet? Adeò nemo hominum ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium poteſt! ô non bonum hominum cum hominibus commercium! *Si enim Ioannes fuiſſet in mundo, fortè fuiſſet amicitiâ & conuerſatione hominum deprauatus.* ergò à pueritiâ Ioannes *erat in deſertis, vbi cælum apertius, & familiarior Deus.*

Lucæ 1. v. 80.

Orig. apud Caten.

*In ſolitudine cælum eſt apertum, & familiarior Deus.*

Theophil. indidem.

*Vel Ioannes in vrbibus fortè eſſet deprauatus improborũ commercio.*

4. Actorum 10. poſtquam crebris eleemoſynis aſſiduam orationem adipauerat, cælitùs hæc audit Cornelius: Mitte viros Ioppen, & accerſi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus *Hic hoſpitatur apud Simonem quendam coriarium cuius eſt domus iuxta mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere.* Miretur alius Apoſtolorum verticis abiectiorem humilitatem, qui in hominis ſordidè coriarij domo maluit hoſpitium. Admiratione autem digniſſimum eſt, quòd Apoſtolus, cuius vita in publico eſt, vt prædicatione & exemplo omnes gentes Euangelicâ doctrinâ informet, extra vrbem hoſpitetur. Fugiunt ne Apoſtoli hominum frequentiam, qui vt latiùs ſpargant Euangelium frequentiam hominum captant? Tædet Petrum Apoſtolatus ſui, qui ſolitudinẽ extra vrbem elegit? Appoſitè Oecumenius: *Cui domus eſt iuxta mare. Segregata ab vrbibus loca ſectabantur Apoſtoli, vtpotè ſolitudinis ac quietis amici.* Scilicet tametſi Apoſtolorum vita in publico eſſet ex munere, & in vrbium multitudine frequens. Nam Euangelij in toto orbe euulgandi negotium, occupatiſſimè negotioſum erat. At ne vel Apoſtolorum vita expers omninò foret ſolitudinis quietæ; ſaltem quàm erant ſolitudinis ſectandæ ſtudioſi demonſtrant, dum *ſegregata ab vrbibus loca ſectabantur, vtpotè ſolitudinis ac quietis amici.* Quò (vt vt poterant) actuoſo prædicationis negotio, & numeroſæ hominum frequentiæ, optatiſſimæ ſolitudinis quietem intexerunt. Hoc Apoſtolorum ſtudium, eſto ſucceſſorum magiſterium, & opportunũ ſectandæ quietis gymnaſium. Solitudinis deſiderio vel in aſſiduo prædicationis negotio affici, Apoſtolorum vota ſunt, vt monet Oecumenius. Benè igitur monentem ſequere.

Actor. 10. v. 6.

*Segregata ab vrbibus loca ſectabantur Apoſtoli, vtpotè ſolitudinis amantes.*

Oecum. ibi.

1. Regum 10. Saül in Regem inauguratus, Samuelis iuſſu redit in patriam domum poſtquam illi prædixit, quæ in via accident: *Cùmque abieris indè*, inquit: *& vltra tranſieris, & veneris ad quercum Thabor, inuenient te ibi tres viri.* Sic erat hæc quercus famoſa, vt omni circumcircà regioni nominis elogium tribueret? Vndè vni, ipſique agreſti arbori tanta nominis ſuperbia, & vocabuli ambitio longè latéque diffuſa? Scitè Abulenſis; *Et veneris ad quercum Thabor. Iſta quercus erat in viâ: erat enim iſta arbor famoſa, quia magna erat, & vnica in loco illo.... Vocatur autem quercus Thabor, quia fortè erat in monte Thabor: eſt tamen Thabor quidam mons excelſus, in quo Chriſtus transfiguratus eſt coram tribus diſcipulis ſuis.* Scilicet erat Thabor mons excelſus ſeorſùm, in vaſtâ ſolitudine arduus, vbi erat ſola hæc quercus proceritate opinatiſſima: quæ ſi in querceto foret, ſqualeret anonyma: quoniam verò in vaſtâ ſolitudine arboribus glabrâ, vnicè proſtat, de ſolitudinis elogio ſumptuoſius vocabulum adepta eſt. adeò vt omni regioni de nominis ſublimitate principari videatur. Sic vel agreſtiorem arborem ſolitudinis ſingularitas egregiè nobilitat? *erat enim iſta arbor famoſa, quia magna erat, & vnica in loco illo*, in Thabor inquam, monte excelſo ſeorſùm.

5. 1. Reg. 10. v. 3.

*Quercus Thabor, de ſolitudinis ſingularitate, famoſa eſt.*

Abulenſ. ibi q. 4.

Ezechielis 20. Ex ipſo prophetiæ contextu, & Interpretum commento perſpicuè conſtat, his verbis Prophetam proſpera Hebræis Dei nomine polliceri: *Et adducam vos*, inquit, *in deſertum populorum, & iudicabor vobiſcum ibi facie ad faciem.* An non dura potiùs minari videtur Iſraëlitis, cùm *deſertum populorũ* ante dicit? Intermitto nunc Theodoretum Græcum auctorem, quem Hebræa phraſis fefellit: nam deſertum populorum non ſignificat deſertum inter populos, ſed potiùs deſertum à populis. Sed adhuc ardua reſtat difficultas, quo pacto deſertum fore à populis, inter Hebræi populi

6. Ezech 20. v. 35.

*Deſertũ peridoneum eſt libertatis, & ingenuitatis ſymbolum.*

P.Prado ibi. populi ferocitate, numerari poſſit? Quæ eſt in deſerto, aut deſerti felicitas? Eleganter P.Hieronymus Prado ſic inibi ad rem ſcribit. *Adducam vos in deſertum populorum. ſignificat autem per deſertum libertatem, quam ex parte quidèm donauit Cyrus, omninò verò Redemptor humani generis Chriſtus Dominus, idque aptiſſimè*, quoniam deſertum opponitur ciuitatibus muratis, caſtriſque concluſis, in quibus ciues omnes, & milites viuunt ſub dominio Principis vel Ducis: *in deſerto verò qui degunt liberè vagantur, &* *Vrbs eſt carcer, deſertum libertas.* *pro arbitratu vitam inſtituunt. Quare deſertum ſymbolum eſt aptiſſimū libertatis.* Bellè quidèm! Scilicet qui in deſerto degit, ab hominum conſortio remotus, ſibi & Deo vnicè vacans, liber eſt, ingenuus eſt, & nobili iure inhabitati deſerti, vrbium pergrauem ſeruitutem feliciter excuſſit. Deſerti laudes, quæ ſub hâc metaphorâ tranſlucent, procliue cuique eſt oculis cernere, S. Hieron. Hic verſ. 7. & ſternere ad mores. Sapienter Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ: *Romana cernens mœnia*, inquit, *incluſam ſe eſſe plangebat; oblita ſexus, fragilitatis immemor, non poterat teneri conſiliis amicorum. ita ex vrbe quaſi de vinculis geſtiebat erūpere.* Sic eremi libertate potiri Fabiola peroptabat! At Eſther in mediâ etiam vrbe tanquam in ſolitudine latebat, iuxta ſui nominis elogium.

7. Prouerb 12. v. 21. Salomon Prouerbiorum 12. *Non contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit: impij autem replebuntur malo.* Hebræus textus pro τὸ *non contriſtabit*, excribit, *non lugebit* vel *non occurret*. Nempè iuſto non occurret, quod lugeat, aut illum contriſtet, quantumuis aduerſa illi accidant, etſi *omnis iniquitas* contra illum armetur, licèt *omni dolore* exæſtuare videatur, & acerbiùs feriri. Quia Iuſtus tribulationes quaſlibet ſiue à naturà, ſiue ab aduerſario, ſiue à Deo, ſiue à Diabolo obuenientes, patiēti, forti hilarique animo patitur & ſuſtinet: quo fit vt nullâ ærumnâ turbetur, nullâ afflictione concidat, animumque deſpondeat, ſed placidus fidenſque & imperturbatus conſiſtat. Cornel. ibi. *Vita Monaſtica elogium.* Addit Cornelius hunc locum exponens, quòd hæc imperturbati animi quies maximè cernitur in Vitâ Religioſà & Monaſticâ (vndè *Iuſti* nomine Monachos intellexiſſe videtur) Quâ de re Simon Iunior egregiè in Capp. moralibus cap. vltimo: Simon iun. *Monaſtica vita dicitur baſis ſeu hypoſtaſis cordis.* *Quies Monaſtica* inquit, *eſt impertubatus animi ſtatus, liberæ & exultantis animæ ſerenitas, baſis quædam cordis: nullis agitata turbis, nullis inundata fluctibus, contemplatio luminis, myſtica Dei cognitio, ſermo ſapientiæ, abyſſus conſiliorum Dei, raptus mentis, pura cum Deo conuerſatio, oculus peruigil, intellectualis adoratio, vnio & copulatio cum Deo, terminus, Deificatio, & in magnis aſceticæ vitæ laboribus ſine labore requies.* Rationem reddit cap. 52. *Quia in* (Deo) *per vnum videt, & ſeipſum & omnia videt: & in eo abſconditus, nihil omnium videt.* Multa hîc densè conglobat Simon, quæ ſigillatim enucleare, prolixum foret. Illud ad rem præſentem non dimittam innotatum, quòd Vita Monaſtica (rumpantur licet Hæreticorum ilia) *baſis quædam cordis* nominatur, ô ſecularibus cognata cordis titubatio in aduerſis! *baſis* firma, flectineſcia conſtantia, fulcrum, & velut hypoſtaſis cordis Vita Monaſtica eſt. ô quàm firmiter ſubſiſtit, quiſquis in hanc hypoſtaſim aut Baſim ex animo incumbit! *Non contriſtabit Iuſtum* (Monachum) quicquid ei acciderit.

## §. LXXIII.

### *Solitudo viduata ſpectatorum cenſurâ, peccandi pudore exuta, ſæpè vitia fæcundè maritat.*

PRimus ſapientiæ labor eſt, in naturam ratione conuerti, & eò reſtitui vndè publicus 1. Senec. epiſt. 95. error expulerit. Hoc vt eſſe verum ſcias, aſpice quantò aliter vnuſquiſque populo viuat, aliter *Languēs virtus ſpectatorum oculis ſuffulcitur.* ſibi. Non eſt per ſe magiſtra ſolitudo innocentiæ, nec frugalitatem docet: ſed vbi teſtis ac ſpectator abſceſſit, vitia ſubſidunt, quorum mōſtrari & conſpici, fructus eſt. Quis eam quam nulli oſtenderet, induit purpuram? Quis poſuit ſecretam in auro dapem? Quis ſub alicuius ruſticæ arboris proiectus vmbrâ, luxuriæ ſuæ pompam ſolus explicuit? Nemo oculis ſuis lautus eſt, nec paucorum quidèm & familiarium, ſed apparatum vitiorum ſuorum pro modo turbæ ſpectantis expandit. Itaque irritamentum eſt omnium in quæ inſanimus, admirator & conſcius. Ne concupiſcamus efficies, ſi ne videamur effeceris. Ambitio, & luxuria, & impotentia ſcenam deſiderāt. Sanabis iſta, ſi abſconderis. Hic naturæ næuus, & ambitionis fructus, ſi vanæ gloriæ ſordibus emaculatus, virtutis induſtriâ puriùs excoletur; pietati actuoſiùs operandæ adeſt auxiliaris; & ex diuerſo virtutis calcar, ad probitatis facinora ſæpè ſtimulat. Eſtò attentus ſpectatorum oculus, imbonus virtutum incentor ſit, teſtis tamen non inidoneus eſt, ne pietas in arduis langueſcat, & in arduè confragoſis deficiat. Qui aliquandò exanimus propè ſibi vilis eſt, dum ſpectatores reueretur ac timet, ex alieno aſpectu, examine, cenſurâ, ſtrenuos ebibit animos, & vigorem animitùs fœneratur. O quàm ſæpè ancora virtutis, & deficientium retinaculum eſt, ſpectator & conſcius. Theatrum aliquandò ſuum requirit marcida virtus, quæ ſine ſpectatore ſolitaria ſæpè languet, & ad interitum corruit, niſi ſpectatorum cenſoriis tempeſtiuè oculis ſuffulciatur. Non defuit Eſtheri in domus ſuæ angulo, vitæ Hîc v. 7. ſolitàriæ prærogatiua; aderat autem Mardochæus, ſat illi perilluſtre ſpectaculum.

Iudicum 7. Gedeon ille ſtrenuus è Manaſſe 2. dux, copioſum exercitum contra pugnaciſſi- Iudicum 7. v 10. mos Madianitas cogit Ad aquas probat periculoſo bello idoneos: & ignauis meritò reiectis Matth. 17. Lucæ 22. obuiam cum trecentis it denſiſſimis barbarorum copiis. Caſtra autem Madian erant ſubter in valle. Eadem nocte dixit Dominus ad Gedeon: Surge, & deſcende in caſtra: quia tradidi eos in manu tuâ. *Sin autem ſolus ire formidas, deſcendat tecum Phara puer tuus.* Non litigabo cum Expoſitoribus, an Phara, qui hîc *puer* dicitur, puerili, an iuuenili ætate viguerit. Et ſanè mirum non eſt, quòd Gedeon audacter vir magnanimus, ire timuerit. Naturale ſiquidèm eſt; magnarum rerum initio commoueri, pertimeſcere, contremiſcere, prout in ſe ipſo Dominus demonſtrauit, cùm primùm veluti mortis limen ac veſtibulum iniret. At quantùm erat vnum hominem ſolum ad tantas hoſtium copias tam ſibi vni præcipuè infeſtas, tam armatis ac vigilantibus excubiis munitas, tam propè,

vt

vt mutuò colloquentes audire poſſet, accedere? *Sed videri mirum poteſt*, ( notat Serarius noſter ad omnem eruditionem factus vir ) *quomodo vno tantùm adiuncto puero timere deſierit*. Opinor, contra tot armatorum hoſtium perdenſos cuneos, imbellem vnus *puer* præbebit opem. An non præſtaret, quòd Gedeon ( qui dudùm *virorum fortiſſimus* appellatur ) tantum periculum ſolus adoriretur? Quid roboris illi adiiciat vnius hominis auxilium, auxilij potiùs indigum? Putauerim, quòd phara eius armiger, non tam auxiliaris, quàm teſtis mittitur: non tam prælianti opem laturus, quàm ad imbecillitatis, aut roboris teſtimonium. *Sin autem ſolus ire formidas, deſcendat tecum Phara puer tuus.* Adſit tibi teſtis, qui confeſtim euulgabit, an pallor tuam ſuffuderit faciem, cùm hoſtilia caſtra propè exploraueris, an tremore vacillauerint genua; an perrexeris audenter paratus excubiis reluctari; an viriliter imperterritus, & animo ſtrenuo arduum impaucis negotium perfeceris. Quaſi Gedeoni dicat Deus: Non te tibi ſoli relinquam. Fortè reuerentia tui tibi deerit: neque coram te ſolo erubeſces, quod aliis coram erubueris. Non mitto tecum Pharam, tanquam auxiliatorem, ſed tanquam ſpectatorem, & tuæ virtutis exploratorem. Te collige, & redde te totum tibi, tuam virtutem audacter exere; ne quid humanum imbecillè patiaris, quod alius videat, adnotet, euulget. Incomitatus vadis ad auxilium, non ad teſtimonium. Non trado te tibi ſoli, ne ſolitudine præfidens, lenocinantibus tenebris quidpiam imbecillum committas. Solum non te mitto, ne degenerem efficiam. Idcircò Gedeon pauorem ac pallorem excutiens, *vno tantùm adiuncto puero, timere deſiit.* O nimis verum!

Serar. ibi q. 10. *Cur vnus puer cum Gedeone mittitur ad caſtra Madian?*

3\. Matthæi 4. ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. *Et procedens inde vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui, . . . & vocauit eos. Illi autem ſtatim relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eũ.* Nimirũ Chriſtus Deus Euangelij fundamenta poſuit non ſolùm per charitatem, quæ à gratiâ eſt, ſed etiã per beneuolentiam, quæ à naturâ fraternitatis oritur, quo mutua charitas altiùs fundetur. Sic enim fecit Deus in veteri teſtamento ſuper Moyſen & Aaron fratres, ponens Synagogæ initium. Quoniam autem vberior eſt gratia noui teſtamenti, ideò Synagogam ædificauit ſuper vnam fraternitatem, Eccleſiam autem ſuper duas. Vidit duos fratres, Simonem & Andream: *Et procedens indè vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, & vocauit eos.* Aliam rationem, ob quam binos vocauerit, incertus Chryſoſtomus tempeſtiuè adducit: *Et procedens indè vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, & vocauit eos. Erant enim habitatione ciues, dilectione concordes, artificio pares, fraternitatis coniuncti pietate.* ( Nota attentiùs verba, quæ ſubdit ) *Ideò ſimul vocauit eos, ne tot bonis coniunctos diſſimilis vocatio ſepararet.* Scilicet ſi vocatio diuerſo tempore facta, Petrum ab Andreâ, Iacobum à Ioanne inuicem ſepararet; qui mutuò coniuncti, tot naturæ & gratiæ virtutibus pollebant, dum alter alteri, & exemplo, & præſidio, & teſtimonio erat; ſi ( inquam ) vocatio diſſimilis, id eſt, diuerſo tempore facta, eos abinuicem ſepararet; forſan Petrus Andreæ conſortio & aſpectu viduatus, à priſtinâ virtute deſciſceret: & ſimiliter Iacobus, ſibi ſoli relictus abſente Ioanne, à ſe ipſo ignobiliter degeneraret. Idcircò Chriſtus Deus binos eligit, binos ſibi adſociat, & binos ad prædicandum dimittit, vt priſtinæ ſocietatis adiumentum non amittant; & aſpectus mutui cenſura fiat conſummatæ virtutis ſtipendium. *Ideò ſimul vocauit eos, ne tot bonis coniunctos diſſimilis vocatio ſepararet.*

Matth. 4. v. 21. *Cur binos & binos fratres Chriſtus eligit.*

Imperf. homil. 7.

Lucæ 10. Chriſtus magno numero Diſcipulos eligit, quos ad prædicandum Euangelium confeſtim dimittit, aiens: *Ite, ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos.* An ideò adſociatos mittit, vt alter alteri præſidio ſit? Exiguum ſanè contra lupos auxilium, agnus agno præſtabit. *Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos: & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem, & locum quò erat ipſe venturus.* Dum ſancti Patres, & Interpretum proceres, cauſſam diſquirunt, cur *binos* miſerit, multa de fraternâ charitate, & de bono alterutrius ad alterum exemplo adaggerant, quò & loci litteram aperiant, & mores pariter inſtruant. At locum hunc ad aliam moralitatem Baſilius opportunè deriuat: *Et miſit illos binos ante faciem ſuam. Simul per hoc indicauit, quòd ſi aliqui pares ſunt in ſpiritualibus donis, hoc non ſinet in eis præualere propria opinionis paſſionem.* Idcircò conſectariè additur, Diſcipulos recèns electos dimiſiſſe *binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem, & locum quò erat ipſe venturus.* Nimirùm *binos* mittit, *ſicut agnos inter lupos*, non vt alter alteri præſidio ſit ( quemadmodùm nec Phara Gedeoni contra Madianitas ) ſed vt mutuus alterutrius ad alterum aſpectus, cenſura, teſtimonium, *paſſiones præualere non ſinat*, quaſi impaſſionabilis quodãmodò ſit, qui mutuum ſocij aſpectum reueretur. Exindè eos Chriſtus non tantùm mittit *binos*, ſed etiam *ante faciem ſuam*: vt ſocij aſpectus, & Chriſti facies, paſſiones excutiat, ne clancularia delinquendi occaſio ( ſolitariis non infrequens ) probitati, aut perfectioni inſidietur ſuggeſtione clandeſtinâ. 4.

Lucæ 10. v. 1. *Binos mittit Diſcipulos, ne paſſiones præualeant.*

S. Baſil. apud Caten. ibi.

Threnorum 3. *Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentiâ ſuâ.* Et confeſtim exponit Propheta, quantùm profecit, qui à pueritiâ diuinæ legi adſuetus eſt, & virtutis moribus iugiter innutritus: *Sedebit*, inquit, *ſolitarius, & tacebit: quia leuabit ſe ſuper ſe.* Hugo, Rabanus, Rupertus, Lyra, & alij: *Quia leuabit ſe ſuper ſe*, ſcilicet à terrenis ad cæleſtia. Quaſi dicat: Iſtiuſmodi homo cæleſtibus tandiu adſuetus, & gratiæ moribus factus hominis faſtigiũ ſupergreſſus, librabit ſe à terrâ in cælum, ab infirmitate ad robur, à lubricâ puſillitate ad inconcuſſam animi celſitudinem: ſiquidem tametſi *ſolitarius* verſetur ſibi relictus, ſecurus *tacebit*, tam alienus à vulgi ſtrepitu, quàm à paſſionum tumultu: *quia leuabit ſe ſuper ſe.* hominem quodammodò deſueſcens, cùm ſolitudo, quæ excuſſit hominum reuerentiam, nullum iam illi vitium perſuadeat. Benè Chriſtiano cothurno dixit Philoſophorum diſertiſſimus: *Omnia nobis mala* ( aliàs *vitia* ) *ſolitudo perſuadet. Cùm iam profeceris tantùm, vt ſit tibi etiam tui reuerentia, licebit vt dimittas pedagogum.* 5.

Thren. 3. v. 28. Hugo. Rabanus. Rupertus. Lyra. *Qui ſolitarius peccare erubeſcit, leuauit ſe ſuper ſe.*

Senecæ epiſt. 25.

*pædagogum. Interim te aliquorum auctoritate cuſtodi. Aut Cato ille ſit, aut Scipio, aut Lælius, aut cuius interuentu, perditi quique homines vitia ſupprimerent, dum te efficis eum cum quo peccare non audeas. Cùm hæc effeceris, & aliqua cœperit apud te tui eſſe dignatio, incipiam te tibi permittere.* (Nota attentiùs tempeſtiuam huius theſis clauſulam) *Circumſpice ſingulos, nemo eſt cui non ſatius ſit, cum quolibet eſſe quàm ſecum.* Ergo magnifica laus eſt eius viri, qui ab adoleſcentiâ iugum diuinæ legis portauit, quòd tametſi *ſolitarius ſedeat*, *tacebit* tamen à paſſionum ſtrepitu, & à vitiis quæ ſolitudo perſuadet: *quia leuauit ſe ſuper ſe*, quaſi hominem deſueſcat, & humanum excellat faſtigium, cui tanta eſt ſui reuerentia, & dignatio ſui, vt *ſolitarius* peccare non audeat.

6. Pſal. 120. v. 9.

Propheta regius Pſal. 120. ſic precatur: *Dominus cuſtodiat te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus.* Ecquod nam periculum tam graue imminet, vt tam ſollicitâ cuſtodiâ opus ſit? *Dominus cuſtodiat*, inquit, *introitum tuum.* Quæ Pſalmographi verba Chaldæus paraphraſtes ſic legit, & exponit: *Dominus cuſtodiat introitum tuum ad ſtudia legis, & exitum tuum ad negotiationes mundi.* Non valdè miraret, vt Propheta expeteret diligentem cuſtodiam *ab omni malo, ad exitum tuum ad negotiationes mundi*: frequentia enim hominum ſeculariter viuentium, & ambitiosè auaréque negotiantium, peſtilitatem inhalat ſuam, & mores peſtilenter toxicat. At miriſſimum eſt, quòd pari voto ab omni malo precatur vt *cuſtodiat introitum tuum*, quandò intras in ſeceſſum hominibus inuiſum, vbi tecum vnicè viuens, diuinæ legi addiſcendæ, & contemplandæ ſtudes. Sic eſt periculoſa ſolitudo cuſtodiâ ſpectatorum viduata?

Chaldæus. *Non modò exitus ad negotiationes, ſed introitus ad legis contemplationem cuſtodia indiget.*

---

## §. LXXIV.

### *Encomium Virginitatis; cuius laude ſic Eſther vſque ad nuptias regales floruit, vt ipſa felix dicatur alienæ luxuriæ ſuffragio.*

1. S. Athanaſ. *Conglobata virginitatis epitheta.* Apocalyp. 14. v. 4. Ribera ibi.

S. Athanaſius in lib. de virginitate prope finem, de eâ ita fatur: *O virginitas, opulentia indeficiens, corona immarceſcibilis, templum Dei, domicilium Spiritus ſancti, margarita ſpecioſa, vulgo inconſpicua, gaudium Prophetarum, gloriatio Apoſtolorum, Angelorum vita, Sanctorum corona.* Pulchra ſanè epitheta, & expenſionum fœcundè grauida, quibus laudandæ virginitatis præſtantia vtcunque adumbratur. Ioannis in ſua Apocalypſi, cap. 14. Hi ſunt, inquit, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: *Virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum quocumque ierit.* O grande in beatitudine elogium, quo virgines glorioſiùs dotantur! *Si Virgines fuiſſent* (ait inibi noſter Ribera) *quò Chriſto eâ in re ſimiliores, & gratiores eſſent: ſed nec tamen iis, qui eam habent inuident, nec ipſi quòd non habeant, triſtantur.* Nempè tantâ gloriâ excellunt Virgines Agnum ſequentes, in empyreâ beatitudine, vt magnus hic Doctor notatione dignum cenſuerit, quòd reliqui Cælites, etſi beatis gloriis exundantes, nec Virginibus *inuident*, nec de eorum prærogatiuis *triſtantur.* Inuiáne Beatas Cælitum mentes tangere poteſt? Minimè inquam. at ſi *inuidere* poſſent, maximè Virginum dotibus *inuidiſſent.* Quid exaggeratius?

2. Iſaiæ 7. v. 14. Tertull alibi expenſus. *Chriſtus Deus, & eius Virgo Mater Virginitatem dedicarunt.*

Iſaias cap. 7. ex Hebræâ gente naſcituri Meſſiæ hoc celebratiſſimum *ſignum* præmonſtrat: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, hoc eſt, nobiſcum Deus, Chriſtus Ieſus, homo Deus, Virginis Deiparæ Filius. Porrò *prima felicitas, prima caſtitas* eſt; prima autem caſtitas, virginitatis nitor eſt, perpetuitate ſemper vernans, florens, fructificans. Hunc illibatæ virginitatis nitorẽ felici ſeculis auſpicio, Chriſtus & in ſeipſo & in Matre conſecrare voluit, velut ambiẽs ne alius hanc gloriã illi præripuerit, tanquã ſi aliter feciſſet, ſerò cenſeretur virgo, nec *primam felicitatem* delibaſſe. *Chriſtus* (inquit Damaſcenus) *virginitatis decus eſt & ornamentum, vt qui non modo ex Patre citra congreſſum ſit genitus, ſed etiam carnem ex Virgine ſine virili congreſſu aſſumpſerit, ipſéque omnibus numeris abſolutam virginitatem in ſeipſo oſtenderit.* Patum hoc meraciſſimæ & limpidiſſimæ virginitati Filij Dei, niſi in fine temporum natus retroacta ſecula anteuerterit, vt huius *primæ felicitatis* floridas primitias in ſe, & in Matre dedicaret, quaſi reliquis hanc auguſtam virginitatis gloriam inuidiſſet. Nam, vt tempeſtiuè dixit Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium: *Chriſtus Dominus virginitatem in ſe, & in Matre dedicauit:* Hactenùs enim rara virtus fuit, imparique in pretio habita; neque vllus vnquam qualis Dei Filius, & Virgo Mater eam coluit, habuit, oſtendit: & indè feliciter *dedicauit.* in hoc verbo multa erudiris expendenda tranſpatent.

S. Damaſ. l. 4. de Fide. c. 25.

S. Hieron.

3. Geneſ 6. v. 3. & 12.

Geneſeos 6. Cúmque cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent, videntes filij Dei filias hominum quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerunt. *Dixitque Deus: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt ..... Omnis quippè caro corruperat viam ſuam ſuper terram.* Caro hîc dicitur, qui carnis concupiſcentiæ, & obſcœnis carnis libidinibus frena laxat; qui ſalaces à primæuo delicto concupiſcentias, appetitiones, ſubſultus, & noxium peccati fomitẽ luxuriãdo reſculpit; qui Spiritui ſancto obſtinatè rebellis, *Dei gratiam transfert in luxuriam.* Hæc eſt impura concupiſcentiæ libido, laſciuię fomite ſufflammata. Vide nunc è diuerſo pudicæ virginitatis naturam, quæ velut naturæ exlex, vltra naturæ faſtum attollitur. S. Cyprianus lib. 2. de Diſcipl. & habitu Virginũ ita ſcribit: Virginitas eſt, *Decus & ornamentum gratiæ ſpiritualis, tota indoles laudis & honoris, opus integrũ atque incorruptũ.* Nota antitheſim. Nimirũ Homo de obſcœnis libidinibus dicitur *corrupiſſe viam ſuam*; Virgines verò appellãtur, *Opus integrum atque incorruptum.* Ad hæc, Homo etſi carne & ſpiritu integrè conſtans, ob carnis concupiſcentiam, *caro* hîc nuncupatur, quia ſic impudicè viuit, ſic pudendæ luxuriæ fomite exardeſcit, & paſſione libidinis turpiter inhonoræ, ac ſi meracior *caro* foret; Virginitas autem nuncupatur, *Tota indoles laudis & honoris.* Denique de ſalaciſſimis priſci illius æui hominibus dicitur, *Non permanebit Spiritus meus in*

Iudas. v. 4.

S Cyprian. *Virginitas eſt virtutum, indoles, & diuina gratia decus, an etiam viget?*

*in homine quia caro eſt*, quaſi *Dei gratiã transferam ad luxuriam*; Virginitas autem nominatur, *decus & ornamentum gratiæ ſpiritualis*. O quale eſt integræ virginitatis bonum, quod in homine male inuitiato de primæuæ culpæ reliquiis, quaſi lapſam naturam quodãmodo reſtaurarit, *totam indolem laudis & honoris* inſculpſit! Grande quidem bonum virginitas eſt, quæ Dei *ſpiritualem gratiam* honeſtat, venuſtat, & adornat. Sic in luxuriæ moribus diuina gratia reſilit re infecta? Sic in virgineâ indole expromptum plenè obſequium inuenit, aut facit? Pulchrum quidèm pulchræ virginitatis encomium, & Cypriani ingenio, & eloquentia dignum!

4. Eſther 2. v. 8. Eſtheris 2. nunquã ſatur Aſſueri libido proditur: Quærantur, inquit, puellę virgines ac ſpecioſæ: & mittantur qui conſiderent per vniuerſas prouincias puellas ſpecioſas & virgines. Et cùm vltra trecentas in gynæceo congregatæ dicantur, adhuc infrà poſt Aſſueri nuptias additur: Cúmque ſecundò quærerentur virgines & congregarentur &c. Cúmque percrebuiſſet Regis imperium, & iuxta mandatum illius *multæ pulchræ virgines* adducerentur Suſan; *Eſther quoque inter cæteras puellas ei tradita eſt vt ſeruaretur in numero feminarum. Quæ placuit ei*, &c. Admirare in Aſſuero immenſam ſalacitatem, & inſatiabilem hominis libidinem, cui vni tot puellæ virgines præparantur, & luxuriæ lenociniis inornãtur. Admirare etiam, quòd puella Eſther virgo pulcherrima, arcano diuinæ prouidentiæ arbitrio, fuit *felix luxuriæ ſuffragio*, vt aliàs dixit Ennodius. Nempè regiæ ſalaciſſimè luxuriæ ſuffragio felix inuenitur virgo pulcherrima Eſther, quæ indè Perſici imperij ſolio ſublimata eſt. Ipſa in ſe virgo caſtiſſimè ſpecioſa; ſed *felix* alienæ *luxuriæ ſuffragio* puella. Vel aliter appoſitè ad rem: Cùm poſt expoſitam tantam vnius hominis ſalacitatem, cui tot libidinũ lenocinia parabantur; ſubiungitur tunc inuenta virgo venuſtiſſima, modeſtiſſima, & caſtiſſima Eſther, *felix luxuriæ* alienæ *ſuffragio* iure prædicatur. Nam miraculi adinſtar eſt, quòd in vrbe tot libidinibus corruptâ, inter vulgares laſciuiæ mores, meratior, & muratior virginitas in puchrâ Eſthere inueniatur. Porrò Aſſueri effuſior libido, pudicæ virginitatis in Eſthere ſuffragium eſt, quòd è peruerſo illam venuſtat, commendat, ac deprædicat. Quaſi nuper recenſita Aſſueri corruptior ſalacitas, ſit menſura pudicitiæ Eſtheris; quæ indè fuit *felix luxuriæ ſuffragio*.

*Virginitas Eſtheris fuit felix, luxuriæ Aſſueri ſuffragio.*

S. Ennod. dict. 21.

5. Matth. 25. v. 1. Matthæi 25. ſimile dicitur regnum cælorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades ſuas exierunt obuiam ſponſo, & ſponſæ. *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.* Mirentur alij *prudentium* numerum, numero *fatuarum* adæquari: nam ſtultorum infinitus eſt numerus, de hæreditario primordialis inſipientiæ cenſu. Putauerim potiùs admirationi eſſe debere, omnes fuiſſe *virgines*, nec omnes fuiſſe *prudentes*: nam prudentia putatur virginitatis hæreditas, per occultas virtutum conſequentias. S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum: *Quid referam*, inquit, *Sibyllas Erithræam, atque Cumanam, & octo reliquas? quarum inſigne Virginitas eſt, & virginitatis præmium diuinatio. Quod ſi Æolici genere Sibylla θεοβύλη appellatur, rectè conſilium Dei ſola ſcribitur noſſe Virginitas.* Itaque in Sibyllis diuinatio, ſeu prophetia, virginitatis ſtipendium dicitur: & *rectè conſilium Dei ſola ſcribitur noſſe virginitas.* Hinc altè dixit Ambroſius, *conſilium virginitatis*. Benè Cõcilium *virginitatis* cognoſcit, & honorat Ambroſius, quia apud Hieronymum, *rectè Conſilium Dei ſola Virginitas* noſſe perhibetur. Quod ſi in lege veteri interrogauerit Iſaias: *Quis audiuit ſpiritum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit?* Iam in noua lege, in qua virginitas magno in honore eſt, reſpondere poſſumus: Virginitas eſt velut optimus conſiliarius: nam *rectè Conſilium Dei ſola noſſe Virginitas ſcribitur.* O conſilioſè prudẽtiſſimum *Concilium*, ſeu *Conſiliũ virginitatis*!

*Conſiliũ Dei ſola virginitas noſſe ſcribitur, quæ etiam concilium appellatur.*

S. Hieron.

S. Amb. apud Cerdam in l. de veland. virg. c. 15. n. 236.

Iſaiæ 40. v. 13.

Præſcriptæ puellæ exiiſſe obuiam *ſponſo*, & *ſponſæ* dicuntur. Vulgare eſt, quòd ſicut *ſponſi* nomine Chriſtus Deus intelligitur, ita *ſponſæ* vocabulo virgines generatim innuuntur: vndè Virgines Chriſti ſponſæ communiter nominãtur. S. Cyprian. lib. 2. de diſcip. & habitu Virginum, ſic eas alloquitur: *Dominus veſter & caput Chriſtus eſt, ad inſtar & vicem maſculi: ſors vobis & conditio communis eſt. Domini vox eſt illa dicentis: Filij ſæculi huius generant, & generãtur: qui autẽ habuerint dignationem ſeculi illius & reſurrectionis à mortuis, non nubunt, neque matrimoniũ faciunt, neque enim incipient mori* (quaſi nuptiæ ſint mortis inchoatio, de quo aliàs) *æquales enim ſunt Angelis Dei, cùm ſint filij reſurrectionis* Itaque Virginum ſponſus Chriſtus eſt, & *ad inſtar & vicem maſculi*, & indè tanquam illius maritus: *Mulier enim*, inquit, *viri portio eſt, ex eóque ſumpta fuit.* Hanc velut identitatẽ coniugalem inter Virgines, & Chriſtum Virginũ ſponſum, his verbis modulatè pangit Nazianz. *Salue virginitas diuino tradita dono, mater inoffenſæ vitæ, bona maxima fundens, Chriſti pars*, &c. Grande quidem Virginum elogium eſt, quòd ab ipſâ virginali copulatione ſpiritualis coniugij, *Chriſti pars* nominentur: *mulier enim viri portio eſt.*

6. Matth. 25. v. 1.

B. Cyprian. *Nuptiæ dicũtur, Mortis inchoatio.*

Idem ibi. *Chriſtus Deus ſponſus Virginum, eorum pars dicitur.*

S. Naz. in Carmine de Virginitate

Verùm ſi ita eſt cauſſa hominis cum vxore, & vxoris cum viro, vt bonum prolis non obueniat ſine iacturâ virginitatis, quæ Virgines Chriſto Deo ſic maritat, vt *Chriſti pars* nominentur; ergò *non expedit nubere.* Reſpondet Chriſtus: *Non omnes capiunt verbum iſtud* virginitatis.... *Qui poteſt capere capiat.* Exindè conniuens humanæ fragilitati, & bono prolis conſulens, *Nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ, & erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem & Ieſus, & Diſcipuli eius ad nuptias.* quas ſuâ, & ſuæ Matris præſentiâ valdè honeſtauit, honorauit, nobilitauit. Ceterùm generoſæ virginitatis iactura, non niſi aliquâ virginitatis acceſſione compenſatur; quam luculenter excogitauit Nazianzenus in Carmine de Virginitate, aiens: *Radix virginitatis coniugium.* Scilicet coniugati virginitatem, quam in coniugio amiſerunt, in virgine prole quodammodò compenſent. Sed hâc ſuper re aliàs vbertim agebamus.

7. Matth. 19. v. 10. & 11. & 13.

Ioann. 2. v. 1. & 2.

*Virginitas in coniugio amiſſa, velut compenſatur in virgine prole.*

S. Nazian.

Matthæi 22. Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem, aduerſus eam pluribus argutãtur. Reſpondens autem Ieſus, ait illis: Erratis neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei. *In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur: ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo.* Quaſi virginitas adhuc in terris, tanquam Angelica portio coloniam iam nunc habeat in cælis, & cæleſtem beatitudinis ſtatum feliciori auſpicio prælibet. S. Auguſt. Serm. 46. de verbis Domini, eos alloquens, qui caſtitatem vouerunt: *Mementote*, inquit, *in quocũque ſexu ſitis ſiue mares,*

8. Matth. 22. v. 30.

S. Auguſt.

*ſiue*

*Quæ virgo eſt adhuc ante mortẽ, reſurrectionis glorias auſpicatur.*

*ſiue feminæ, Angelorum vitam ducere vos in terrà. Angeli enim non nubunt, neque vxores ducunt.* ( Nota quæ ſubtexit verba) *Hoc erimus cùm reſurrexerimus Quantò vos meliores qui id, quod erunt homines poſt reſurrectionem, hoc vos incipitis eſſe ante mortem.* Vide mihi vter elegantiùs ex duobus Africæ hominibus litterariis, Auguſtinus, an Cyprianus, ſic cum Virginibus loquens: *Quod futuri ſumus, iam vos eſſe cœpiſtis: vos reſurrectionis gloriam in iſto ſeculo iam tenetis: per ſeculum ſine ſeculi contagione tranſitis. Cùm caſtæ perſeueratis & virgines, Angelis Dei eſtis æquales, tantùm maneat & duret ſolita & illæſa virginitas, & vt cœpit fortiter, iugiter perſeueret.* Nempè qui virginitatem colit, & in corpore corporis integritatem velut carnis expers, & concupiſcentiæ opulenter inops; præmaturè ante mortem, quaſi glorioſo reſurrectionis ſtipendio fruitur, & cæleſtem vitam, in terræ exilio feliciter auſpicatur: ſiquidèm *quod erunt homines poſt reſurrectionem hoc Virgines incipiunt eſſe ante mortem*; & velut euacuato mortis ſenſu, reſurrectionis glorias auſpicato anteuertunt. *Quod futuri ſumus, iam vos eſſe cœpiſtis: vos reſurrectionis gloriam in iſto ſeculo iam tenetis.* Non omnes capiunt verbum iſtud (ait Nazianzenus) *Non ſecundum carnem viuere, Angelicum eſt, & ſuperius naturà.* Nam in corpore velut ſine corpore viuere, præproperè cæli incola, vltra humanum faſtigium eſt, & ſingulare virginitatis priuilegium.

S. Cypr. l. 2. de diſcip. & habit. virg.

S. Naz. in Carm. de Virginit.

## §. LXXV.

### *Boni viri lingua de alienis defectibus garrire cautè præcauet: quæ ſicut occultas aliorum laudes prædicáre ſcit, ſic vel publicam aliorum infamiam eructare neſcit.*

1\.
Melliſ. ſerm. 69.
*Denuſtata fama vulnus ſi ſanetur, manet tamen cicatrix.*
Eraſm. lib. 8. Apoph.

CVm quidam Platoni narraſſet, nonnullos eſſe, qui ipſum maledictis inſectarentur. *At ego, inquit, ſic viuam, vt illis non habeatur fides.* Eſtò, ita vixerit, vt maledicis eleuaretur fides: at ex detractione neſcio quid diffamiæ inoleſcere ſolet: ſic enim alieni defectus falſata etiam opinio animis noſtris infigitur, vt vix aliquandò tota refigatur. Medius quidam ex Alexandri paraſitis dicaciſſimus, ſolebat alios adhortari, ne metuerent quoduis crimen in quemuis etſi probatiſſimum intendere. *Adiecitque ſcelerato præcepto cauſſam: Vt maximè, inquit, ſanet vulnus, qui delatus eſt, manet tamen cicatrix.* Deletæ infamiæ dubij ſemper leguntur characteres; qui dum recuperatam famam præferunt recuperatonè indigam demonſtrãt. Mala fide redit amiſſus honor: Victoria de re honoris, in bello etiam quo proſperè reportatur, improſperè periclitatur: Vndè homines virtutis ſtudioſi nimis cautè de aliorum defectibus loqui ſolitant.

2\.
Actor. 1. v. 13
*Quantà cum cautelà de Iuda proditione agatur.*

Actorum 1. ſpectatà oculis glorioſà Chriſti Dei in cælos aſcenſione, reuerſi ſunt Diſcipuli Ieroſolymam: & cùm introiſſent in cœnaculum aſcenderunt, *Vbi manebant Petrus, & Ioannes, & Iacobus, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomeus, & Mattheus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes erant vnanimiter perſeuerantes in oratione*, &c. Non fruſtrà ſacer Hiſtoricus Diſcipulorum facit catalogum: ſed ſignificare volens quòd humanum quippiam paſſi erant, at non in lapſu perſeuerarunt. Vndè hæc recenſitio, tacita eorum apologia eſt. De Iudà autem proditore cùm omninò ſileat, cur omiſſionis cauſſam non appouit? Scriptoris ſacri opportunam cautelam his verbis inibi Oecumenius expreſſit *Diſcipulos*, inquit, *nominatim recenſet, vt oſtendat quòd cum Paſſionis tempore lapſi eſſent, Iudas quidem ſeipſum à choro Apoſtolorũ omninò deiecit.* Apoſtolus omnes propè intempeſtiuè recenſet nominatim, vt illos à defectione tacitè vindicet, & de recidiuà fide commendet: atque etiam vt vnum proditorem Iudam omittens, diſſimulanter inſinuet, quòd *Iudas ſeipſum à choro Apoſtolorum omninò deiecit.* Non perſtringit impiè infidam eius prauitatem, cunctis ſeculis deteſtabilem; ſed reliquos nominatim recenſens, eum non fruſtrà expunctum ſubinſinuat: & cæteris omnibus culmen Apoſtolatus recenſitione reddens, tacitè Iudam defectionis inſimulat. O, vide quam circunſpectà cautelà de crimine odioſiſſimo, & quamnotiſſimo agat!

Oecumenius indidẽ.



3\.
Matth. 4 v. 8 & 9.
*Tentator non priùs à Chriſto dicitur Satanas, quã ipſe ſe proderet.*

Matth. 4. ductus eſt Ieſus in deſerto, vt tentaretur à Diabolo. Gulæ autem, & vanæ gloriæ geminas tentationes arcet Scripturarum teſtimoniis tanquam validis armis clypeatus. Tertiò autem illum inuadens Diabolus, *aſſumpſit eum in montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Ieſus: Vade Satana*, &c. Expenſione digniſſimum eſt, quod hactenùs Chriſtus Deus etſi probè nouerat, quòd Tentator ille audacter temerarius, erat Satanas, nunquam tamen hoc contumelioſo vocabulo illum dehoneſtauerat; nunc autem hoc probroſo nomine illum infamat. Quid noui in hàc tertià tentatione inuenitur, quare Chriſtus hanc contumeliam nuncupatim iactauerit, quà in reliquis tentationibus abſtiuuit! Caietan. hanc difficultatem tetigit, & ſic acutè reſpondet: *Quia Diabolus manifeſtauerat ſe eſſe principem mundi, ideò Ieſus non reſpondit illi ſicut homini vt prius, ſed expellit eum: Vade Satana.* Scilicet non in reliquis tentationibus, ſed in hàc dumtaxat dixerat Tentator, ſe eſſe principem mundi, & rectorem tenebrarum harum; ideò, quòd ipſe de aduerſario ſuo benè nouerat, mutà taciturnitate ſignauit. Nunc verò quia tentatione ipsà ipſe ſe prodit & publicat, idcircò contumeliam quam ipſe de ſe priùs euulgauerat, audit, nec hactenùs audierat. Vide quantà cum cautelà Chriſtus Deus agat vel cum aduerſario Diabolo; cum eius infamiam, & probroſum Satanæ elogium, non priùs ore publicet, quàm ipſe ſe palàm priùs prodidiſſet. Chriſti cautela ipſi ſupetuacua, neceſſaria nobis eruditio ſit. Nil enim æquè humanæ linguæ volupe eſt, quàm de alienis defectibus garrire.

Caiet. ibi.

4\.
Matth. 1. v. 20.
*Angelus mittitur Ioſepho, propter ſiniſtra ſuſpicione ſilentium.*

Matth. 1. cum eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu S Ioſeph autem vir eius cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. *Hæc autem eo cogitãte, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei,*

*ei, dicens : Ioſeph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Benè eſt, quòd Angelus Ioſepho ſiniſteritate ſuſpicionum turbato appareat ; & eius cor procellis cogitationum agitato pacatè tranquillet. Sed quid eſt, quòd cum eo ſic amicè agit ? de regio ſtemmate laudat ? ſic blandè compellat ? Angelus ne id eſt, qui homini blandiri videatur. Vidit hanc difficultatem inibi Hieronymus, & ſic ad lemma præſens opportunus reſpondet : *Ioſeph fili David,&c. Et blandientis affectu ei per ſomnium Angelus loquitur, vt iuſtitiam ſilentij comprobaret.* Altè quidem Hieronymus ! Nempè Ioſephus videns intactæ à ſe ſponſæ vterum indies magis intumeſcentem, & myſterij ignarus, ſiniſtris ſuſpicionibus moleſtiùs angebatur : ſed tacitus ſecum ipſe ſuſpicionum moleſtiam concoquebat : ſponſæ dubiè iniurias cogitationes nemini communicans, ſed mutuâ taciturnitate oòſignans, Ergò Angelus Ioſepho apparens, blandè illum proprio compellat nomine, & quaſi *blanditur* de virtutis præſtantia ; vt probet & commendet in Ioſepho *iuſtitiam ſilentij* in tantà obloquendi occaſione, & fandi licentia, niſi præcellens virtus linguæ pruritum inhiberet. Planè ſi Angelo liceret aliquando adulatio, tunc vel maximè verbis *blandiri* congrueret, cum ſtupet ſuſpecti facinoris offenſam muto ſilentio tegi, & compenſari. Cùm nec cognatis, nec familiaribus, nec vultui quidèm ſuo, ſui angoris indicia, cum alienæ famæ diſpendio vllatenùs demouſtrarit. *Et blandientis affectu ei loquitur : vt iuſtitiam ſilentij comprobaret.* Et ſanè conſultiſſimè dicit Hieronymus, *Silentij iuſtitiam :* quia ſiniſtris ſuſpicionibus, quantumuis eas fundet apparens aliqua ratio, donec veritas comprobetur & publicetur, *ſilentium* ex *iuſtitia* debetur. Quiſquis abſurdas ſuſpiciones prodit, innocentem certò reddit ſuſpectum, & ſuſpicionis reum. Profectò alienorum defectuum ſilentium, criminum fuga eſt, virtutum matrix, pulchra iuſtitiæ exaggeratio.

S. Hieron. inibi.

5\. Geneſeos 1. primâ naſcentis mundi die, lucem Deus ore creat : lucem loquitur, fulgores pulchros pulchrè dicit:*Dixitque Deus : Fiat lux Et facta eſt lux. Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona : & diuiſit lucem à tenebris.* Quaſi parùm Deo foret lucem ore dixiſſe, confeſtim addit, lucem à ſe dictam eſſe bonam : vt quod ore Deus dixerat, ſtatim diuinâ approbatione commendaret. Acutè autem notat Rupertus, quòd qui lucem ore dixit, ( loquimur de Deo antropopathῶs ) tenebras non dixit, ſed terris ſuperfuſus prouidenter diſpoſuit, ordine congruo eas à luce ſegregans. *Nunc autem tenebras à laude boni ſecluſit .... Ergò iſtæ tenebræ ſunt eiuſmodi, in quibus nihil intelligitur boni.* Deus, qui malum loqui neſcit,bonam loquitur lucem *Dixitque Deus : Fiat lux. Et facta eſt lux. Et vidit Deus lucem quod eſſet bona.* Sed qui bonam lucem loquitur, tenebras non loquitur : neque enim ſcribitur, quòd *dixit Deus : Fiant tenebræ :* quia *iſtæ tenebræ ſunt eiuſmodi, in quibus nihil intelligitur boni.* Scilicet quia tenebræ à laude boni ſecluſæ ſunt, & in cenſu rerum ita æſtimantur,vt in eis *nihil intelligatur boni*, ideò eas non dicit Deus, ne quid non bonum ore dixiſſe videatur ; ſed eas in noctem digerens, ordini rerum naturæ congruo diſponit. Porrò diuina prouidentia res etiam *in quibus nihil intelligitur boni*, benè diſponit : eiuſmodi autem res loqui recuſare dicitur, ne aliquid non bonum dicere videatur.

Geneſ.1. v. 3. & 4.

*Tenebras non dicit Deus, quia in eis nihil boni intelligitur ?*

Rupert. lib. 1. in Geneſ. c.18.

6\. Matthæi 1.*Booz autem genuit Obed ex Ruth.* Booz inquam, etſi agreſtis & ruſticanus homo, digniſſimus tamen qui in generoſo illuſtrium progenitorum Chriſti Dei catalogo cenſeatur. Porrò cùm puella Ruth ipſi dormienti in agro propiùs adhæreſceret, ab eaque audiſſet : *Extende pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es.* Tunc ille reſpondit : *Benedicta es à Domino filia, quia non es ſecuta iuuenes pauperes ſiue diuites. Noli metuere ,ſed quicquid dixeris mihi, faciam tibi. Scit enim omnis populus qui habitat intra portas vrbis meæ, mulierem te eſſe virtutis.* Incertus Chryſoſt. quo ſolet ingenij acumine, hác ſuper re ita ad rem præſentem philoſophatur : *Quid autem in Booz prædicatur ? Humilitas, caſtitas, & religio : Humilitas quidèm & caſtitas, quia non contigit eam quaſi laſciuus puellam ; nec abhorruit eam quaſi caſtus laſciuam : ſed mox vt verbum eius de lege proximitatis audiuit, nihil horum omnium laſciuiæ imputauit : ſed vniuerſa religioni adſcripſit.* Magna ſanè veterani Boozi virtus, quæ vltroneam puellam ſub pallij ſui ora noctu cubantem, nec leuiter affrictu libidinis contigit. Et quod pluris faciendum eſt, Booz eximiè caſtus neque zelo affinitatis aut virtutis, neque canæ auctoritatis ſupercilio, Rutham quaſi laſciuam *abhorruit*, quod facere ſolent, qui caſtitatem non habent, ſed venditant quaſi haberent, & nimis meticuloſâ libidinis auerſione, pudicitiæ nomen ambitioſiùs mercantur. *Booz non abhorruit Rutham,quaſi caſtus laſciuam.* Et quidèm valdè eſt hominibus procliue, de alienâ laſciuiâ non benè iudicare, & vel leuiſſima impudicitiæ indicia quaſi exploratæ laſciuiæ damnare, & de eâ licentiùs ore garrire. O, malè ſagaces, nec benè prophetas ! O alienæ famæ garrulos vaſtatores ! Booz autem ſinceræ caſtitatis benè ſibi & Deo conſcius ; tametſi aduertit, pulchram & pauperculam puellam ſibi noctu cubanti vltrò adhæreſcere, *mox vt verbum eius de lege proximitatis audiuit, nil horum omnium laſciuiæ imputauit, ſed vniuerſa religioni adſcripſit :* non vituperia de ſuſpicionum pharetrâ effutiens, ſed eximias laudes de bonitatis officinâ beneuolè addenſans. Eſt ne hæc Boozij, an virtutis indoles ? Notam libidinis mente & ore adſcribit religioni, & religione emit puellæ pudorem, & opinionem virtutis.

Matth. 1. v.5.

Ruth. 3. v.9. & 10. & 11.

Imperf.ho. 1. in Matth.

*Booz laſciuiæ indicia non adſcribit libidini, ſed religioni.*

7\. Lucæ 18. duo homines aſcenderunt in templum vt orarent : vnus Phariſæus, & alter publicanus. *Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat : Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut ceteri hominum : raptores, iniuſti, adulteri:velut etiam hic publicanus.* Et tamen publicanus, qui non alium, ſed ſe ipſum accuſauit, *deſcendit iuſtificatus in domum ſuam ab illo.* Quæ verba Chryſoſtomus homil. 3. ad populum Antioch. quæ eſt de Detractione, ſic ad thema præſens appoſitè verſat:*Nequis hoc mihi dicat : Tunc detraho, quando falſa dico. Nam ſi vera loquens maledixeris, & hoc eſt crimen. Etenim Phariſæus ille Publicano veridicus maledixit, ſed tamen hoc ipſi nihil profuit. Dic enim mihi, Publicanus non erat publicanus & peccator ? Cuique certum eſt,*

Lucæ 18. v. 11.

*Intuta res eſt vel notiſſimos aliorum defectus publicare.*

S.Chryſoſt.

quòd

*quòd publicanus erat; ſed tamen quoniam ipſum vituperauit Phariſæus, abiit omnibus amiſſis.* Itaque Phariſæus de Publicani defectibus apud ſe garrit; Deo omniſcio Publicani crimina prodit. Quin etſi flagitia Publicani publicaret in foro publico coram frequenti hominum turbâ, rem publicam, & omnibus notiſſimam euulgaret, nam cuique certum eſt, quòd publicanus erat; ſed *tamen quoniam ipſum vituperauit Phariſæus, abiit omnibus amiſſis.* O quiſquis virtutem amas, time vel notiſſimos aliorum defectus publicare!

Hic verſ. 7. & 8. Sanè miriſſimum eſt, inter ſalaces Perſarum mores, ſic abſconsè ac pudicè ſe geſſiſſe Eſtherem; vt puella à ſidereâ venuſtate opinatiſſima, tametſi orphana, & captiua, obturarit prurientis maledicentiæ ora. Adeo vt de illâ (ſicut de Iudithâ) nemo fuerit qui verbum malum loqueretur, quò ſuperbis Aſſueri nuptiis obſtreperet.

---

## §. LXXVI.

### *Gratiæ vis oſtenditur, dum religioſos domi clauſos continet.*

1\. Cant. 4. v. 2. S. Ber. ſer. 64 de paruis & variis. *Religioſi, ob clauſuram dentibus comparantur.* S. Bernardus religioſæ vitæ exactior idea, exponens illud Canticorum 4. *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro,* ſponſæ dentibus religioſos comparat: Dentes, inquit, *clauſi ſunt labiis, ne videantur: ſic & nos materialibus vallis circumcingimur, ne ſecularium oculis & acceſſui pateamus. Indecens eſt ſi dentes appareant, niſi interdum fortè ad riſum: quia nihil turpius quàm monachus per vrbes & caſtella diſcurrens, niſi cùm illa cogit, quæ operit multitudinem peccatorum. Charitas enim riſus eſt, quia hilaris eſt. Læta quidèm, non tamen diſſoluta.* Indecens ac turpe putat Bernardus religioſos per vrbes diſcurrere; quod peccati ac diſſolutionis graui cenſura taxat, quod duntaxat diſſimulat cauſſâ charitatis, quæ operit multitudinem peccatorum. Sic intra monaſterij clauſtra inuiſos teneri religioſos Bernardus ſatagit, ſicut dentes labiorum vallis clauduntur. Vereor tamen ne fruſtrà Bernardi deſudet induſtria. *Abſcondita* dicitur Eſther in

Hic verſ. 11. Mardochæi domo, nunc clauſa & *ſeruata* in Regis domo; nec rem nominis, quam tanti æſtimabat, cum fortunâ amiſit.

2\. Ioan. 20. v. 19. Ioannis 20. de apparitionibus Chriſti glorioſè à mortuis rediuiui, ita ſcribit Euangeliſta: *Cùm ſerò eſſet die illo, vnâ ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant Diſcipuli congregati propter metum Iudæorum: venit* Iesvs, *& ſtetit in medio, &c.* Quinquies apparuit Chriſtus die illo reſurrectionis. Primò Mariæ Magdalenæ flenti ad monumentum. Secundò duabus mulieribus dum irent nunciare Apoſtolis. Tertiò Simoni Petro. Quartò duobus diſcipulis euntibus in Emaus. Quintò ipſis

*Chriſtus ſerò venit, vt omnes diſcipulos domi congregatos inueniat.* diſcipulis nunc in domo congregatis, de quo dicitur: *Cùm ſerò eſſet die illo.* Mirum ſanè eſt, & valdè mirum, quòd ſumptuoſiores reſurrectionis glorias tam ſerò mœſtiſſimis diſcipulis Chriſtus communicet. An non congruentiùs foret, vt æſtuantes & fluctuantes diſcipulorum animos citiùs recrearet, & ſui videndi auiditatem expleret; quæ eſt hæc velut auaritia gloriæ oſtentandæ ſuæ? Qui tardè venit, quaſi inuitus venire inſinuat. Quid ergò fuit in cauſſa, vt tam *ſerò* veniret, qui tam auidè cupiebat diſcipulos inuiſere, & illis ſuæ reſurrectionis glorias quantocyus communicare? Hoc dubium proponit Hugo, & ex Chryſoſtomo tempeſtiuè ſoluit: *Cùm ſerò eſſet die illo, &c. Sed quare vſque ad veſperem diſtulit? Reſpondemus, vt omnes inueniret: in die enim congregatos ſimul non inueniſſet.* Scilicet Chriſtus vt omnes diſcipulos ſuos domi congregatos inueniret, *ſerò* venit, poſt veſperem adeſt; imò & appetente nocte; vt Chryſoſtomus cenſet. Quin & licèt ſerò venerit, omnes diſcipulos ſimul congregatos non inuenit. Nam *Thomas vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quandò venit* Iesvs. Moraliſſimè expectat Chriſtus vſque ad Solis occaſum, vt ſuos tunc rudiores diſcipulos, domi ſimul congregatos inueniat: neque ſic omnes domi foribus clauſos inueniſſe perhibetur. Taceo.

Hugo ibidē. S. Chryſ. ho. 85. in Ioan. 20. v. 24.



3\. Pſal. 67. v. 7. Regius Vates Pſalm. 67. agens de eductione populi Dei è duriſſimâ Ægypti ſeruitute, in tot prodigiis quæ tunc mirabiliter patrauit; ita pangit: Exultate in conſpectu eius, patris orphanorum, & iudicis viduarum, Deus in loco ſancto ſuo. *Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo.* Quæ verba ſic excribit Quinta editio: *Qui habitare fecit eximios,* vel *eos, qui ſunt, eiuſdem vitæ,* vel *eiuſdem ſtudij in domo.* Auguſtinus habet, *Vniuſmodi*, id eſt, vnius modi & ſtudij, & inſtituti eximios. Quo loquendi modo, valdè fallor, niſi noſtrates religioſos intelligit. Vndè Symmacus habet: *Qui dat monachis habitare domum.* Explicatiùs ad rem Hieronymus: *Qui inhabitare facit monachos in domo, id eſt, in quibus non habitat peccatum.* Profundè quidèm Hieronymus! Nimirùm inter præluſtria Dei mirabilia, quibus gratiæ vires erga ſuum populum electum oſtendit, hoc imprimis, quaſi res valdè eximia, cenſendum eſt; quòd *Dominus inhabitare facit monachos in domo.* Nec omnes ſic continet diuinæ gratiæ vis & officioſitas, (quod foret mirius gratiæ prodigium) ſed eos duntaxat, *in quibus non habitat peccatum.* Sic eſt difficile, & perarduum religioſos viros (taceo feminas) virtute etiam *eximios*, domi continere, ne per vrbes, & domos diſcurrant? Domi habitare, eximia laus eſt eorum, *in quibus non habitat peccatum.* Quid exaggeratius? Rurſùs ſic precatur idem Propheta: *Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum.* Vbi Chaldæus legit: *Dominus cuſtodiat introitum tuum ad ſtudia legis, & exitum tuum ad negotiationes mundi.* Quem locum aliàs verſamus.

Quinta edit. S. Aug. ibi. Symmac. S. Hier. ibi. *Gratia vis oſtenditur, dum religioſos domi continet.* Pſal. 120. v. 8 Chaldæus.

4\. Geneſ. 34. v. 20. & 24. Geneſeos 34. Conſtupratâ violenter Dinâ, tota Iacobæa familia aduerſus ſalacem conſtupratorem generosè ferocit. Offertque religioſum ſuſcipiendæ circumciſionis commercium, ad amicum vltrò citróque fœdus pacatè ineundum cum Sichimitis. Placuit oblatio eorum Hemor & Sichem filio eius: *Ingreſſique portam vrbis, locuti ſunt ad populum, &c. Aſſenſique ſunt omnes, circumciſis cunctis maribus.* Hemor & Sichem vt Sichimitis cir-

cumciſionem ſuaderent, rectè dicuntur iuiſſe ad *portam* vrbis: nam in portis erant commercia & tribunalia, ac proinde frequens populus. Pro *aſſensique ſunt omnes*, nempe qui erant ad portam vrbis, Hebraicè ſcribitur: *Et obedierunt Hemor & Sichem filio eius omnes qui egrediebantur portam ciuitatis illius*, vbi Lipomanus ita habet: *Quod verò dicit Egredientes portam ciuitatis, periphraſis eſt ciuium.* Eccur, non qui portam ingreditur, ſed qui è portâ egreditur, cenſetur illius vrbis ciuis? Ciuis vrbis, & domus incola potiùs dicitur qui ex illâ egreditur, quàm qui ingreditur in illam? Non qui vrbem ingreditur, ſed qui egreditur ex illâ, *periphraſis* eſt habitatoris loci illius? Ideone figunt aliqui domicilium, vt ex illo egrediantur, non vt ingrediantur in illud? Frequentiùs egredi, quàm ingredi apparet? Non ingreſſus, ſed egreſſus, cenſus habitationis eſt? Hæc erit nota, ſeu *periphraſis ciuium*, ſeu habitatæ domus, è domo egredi? (& hoc quidèm cùm religioſo titui adſentit, & populo Dei vltro ciues adgregantur) *Sabeſe qua es morador de eſta caſa, mas por lo que ſale, que por lo que habita en ella.* quod eſt Lipomani commentum: *Quod verò dicit, Egredientes portam ciuitatis, periphraſis eſt ciuium.* qui ex egreſſu, potiùs quàm ex ingreſſu habitatores cenſentur. Viderit Lipomanus an cum ſale, an cum felle id accuratiùs adnotarit.

Hebræus.

Lipom. *Non tam qui ingreditur, quàm egreditur domo, illius dicitur habitator.*

5\. Matt. 8. v. 9. Matthæi 8. Cùm introiſſet IESVS Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & male troquetur. Et ait illi IESVS: ego veniam, & curabo eum. Et reſpondens Centurio, ait: Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum: ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus. *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic: Vade, & vadit: & alij, Veni, & venit.* Non morabor nunc Commentatores, an Centurio hîc arguat, à pari ad parem poteſtatem; an à minori ad maiorem; in quam rem tota eorum incumbit induſtria. Obſeruare autem oportet cum Hugone Cardinali, quid ſit, *Vadere*, & quid ſit, *Venire.* Sic fatur Hugo inibi: *Et dico huic: Vade, & vadit: & alij, Veni, & venit. Eſto ſcilicet, paratus venire.* Itaque itum, & reditum ad præparationem animi refert. Per me referat. Sed cur hic Centurio militiæ Præſes, eidem militi cui itum indicit, reditum non præcipit. Profectò ſi itu, & reditu opus habet Centurio, eidem ſubiecto militi, cui itum indicit, reditum potuiſſet imperare: it enim rediturus. Imò forſan ſic vadit, quaſi non foret rediturus: exindè alij indicit, vt *vadat*; & non eidem, ſed alij præcipit, vt veniat. Quaſi qui vadit, non ſit *paratus venire.* Idcircò cùm opus illi eſt, ſubiecti militis itu & reditu, non mandat ituro militi vt redeat, ſed alij reditum imperat: *Dico huic, Vade, & vadit & alij Veni, & venit.* Sic liceat ad mores velitari.

*Cur militi, cui itus indicitur, non imperatur reditus?*

Hugo.

6\. Prouerb. 12. v. 21. Prouerbiorum 12. his verbis Iuſtis gratulatur Salomon: *Non contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit: impij autem replebuntur malo.* Hebræus textus propiùs ad rem, ita excribit: *Non occurret iuſto omnis iniquitas.* Tigurina, *Iuſto nulla impendet iniquitas* Xantes Pagninus, *Non cauſabitur à iuſto omnis iniquitas.* Quis eſt iſte Iuſtus ſic vallatus ac protectus, cui non *impendet*, ſeu *occurrit omnis iniquitas?* Imò cui iuſto, imò cui etiam ſceleroſè iniuſto omnis iniquitas occurrit? Inſolens ſanè eſt, vt omnis iniquitas alicui *occurrat*, & de occurſu *impendeat.* Alios libidinis æſtus vrit, gloriæ libido alios, alios auaritia vexat, aut iræ feruor, aut vindictæ tabies: cuique propria paſſionis peſtis cognata eſt, nec omnibus iunctim languet. Quid ergò eſt: *Non occurrit iuſto omnis iniquitas*; & quaſi grande illius elogium additur, *Non cauſſabitur à iuſto omnis iniquitas?* Noſter Cornelius exponens præſcriptum locum, præfata verba *de vitâ religioſâ & monaſticâ* interpretatur. Porrò Monachus præter negotioſum contemplationis otium, & familiaria aſceticæ operationis exercitia, clauſtris includitur, turbas fugit, ſecularem tumultum & ſtrepitum, qui magna cum pompâ vitia afflat, & ingerit, ſolitarius deuitat. Ergò de religioſâ ac monaſticâ vitâ ita appoſitè Simon Iunior ſcribit in Capp. moralibus cap. vltimo, *Quies monaſtica, inquit, eſt imperturbatus animi ſtatus, liberæ & exultantis animæ ſerenitas, baſis quædam cordis, nullis agitata turbis, nullis inundata fluctibus, ſermo ſapientiæ, abyſſus conſiliorum Dei, terminus, deificatio,* &c. Reddit rationem cap. 52. *Qui in vno* (Deo) *per vnum videt, & ſeipſum & omnia videt, & in eo abſconditus, nihil omnium videt.* O bellè? Nimirùm vita Monaſtica clauſtris obſepta & occluſa ſuis, *nullis agitata turbis, nullis inundata fluctibus* ſecularium tumultuum, *baſis quædam cordis* eſt, cui tota ſanctitatum fabrica firmiter incumbit. Porrò dum domi clauſus continetur, à ſecularibus turbis pacatè alienus *non occurret ei omnis iniquitas*, imò ei *nulla impendebit iniquitas*, nec *cauſſabitur* ab eo, quia domi occluſus, frequentes ſecularium turbarum *occurſus* cautè deuitat, & morum peſtes vel de *occurſu* aëra toxicantes. Nil quærit per publicas vrbis vias, quas Monachus non frequentat, quia *quies monaſtica, terminus* eſt. Quid vltrà quærat, & per frequentes vias quærendo diu oberret, qui in *termino* eſt? *qui in vno* (Deo) *per vnum videt, & ſeipſum & omnia videt: & in eo abſconditus, nihil omnium videt?* qui in Deo abſconditus, in eo, & per eum omnia videt, nihil vltrà quærere, & videre exambit.

Hebræus.

Tigurina.

Pagninus.

Cornel. ibi.

Simon Iun. *Monachus nullis agitatur turbis, ſed in Deo abſconditus, omnia videt.*

***

§. LXXVII.

## §. LXXVII.

*Politior veſtium ornatus, & fucata pigmentis facies, idololatriæ prope affinis dicitur, libidinis ludibrium, & luxuriæ meditatio: atque multimodè aliundè infamatur.*

1\. S Zeno ſer. de Contin.

Femina ſpeculū, tanquā oraculum cōſulunt.

S Zeno Veronenſis agens de viduis, quæ cùm nimiam oſtentauerint mœſtitudinem decedente marito, ſecundas dein expetunt nuptias; de lenocinij fuco & formā & mores mutaſſe dicit: *Quid hoc eſt?* (inquit) *ecce rurſus ad lenocinia redis: colorem de pixide mutuaris paullò antè damnatum. Ecce indulgenter excolis crinem: odorato puluere luctus puluerem mutas: in ſtibio fletus includis: ornamento ligas, quod ſuſpendio voueras collum: ab ſpeculo oracula inquiris, quàm commodè poſſis circumſcribere petitorem. Vnum tamen ſcio, quia nihil diſtat à prodigio, quiſquis alterius cauſſa & formā mutat, & mores.*

Eſther 15. v.4. & 5.

Forma Eſther mutauit, nō mores; cū nuper ſacco & cinere volutata, poſtmodū *circūdata eſt gloriâ ſuâ & regio fulget ornatu*, vt piâ venuſtatis fraude, ferale Regis edictum reuocaret. Et nota ad rem ſingulas Zenonis ſententias, illam præſertim: *ab ſpeculo oracula requiris, quàm commodè poſſis circumſcribere petitorem*, ſpectatorem. Eā clanculū mente à feminis ſpeculum conſulitur?

2\. Pſ.143.v.12.

Pſalmographus pſal. 143. impiorum felicitatem graphicè deſcribens, Quorum filij, ait, ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſuâ. *Filiæ eorū cōpoſitæ: circumornatæ vt ſimilitudo tēpli* Hæc templi ſimilitudo rē ſacrā ſubindicat. quaſi exquiſitus formoſæ mulieris ornatus, illam quodammodò conſecrare videatur, & velut affinē rebus diuinis conſtituere. Caietanus hunc locum de ſtatuis Deorum intelligit:

Caiet. inibi. Gētnum idola, non cùm fabricantur, ſed cùm ornantur, diuinitatem mutuare putabantur.

*Significantur* inquit, *ornatus mulierum ad ſimilitudinem ornatus ſtatuarum muliebriū in templis, quæ pulchris & pretioſis ornamentis decorantur.* Quaſi feminea pulchritudo non ſolum ab ornatu venuſtatis gratiam fœneret, ſed etiam quandā diuinitatis ſpeciem; & de pretioſo ornamentorum cultu cultum quendam ſtatuis Deorum ſimilem mutuetur. Minutius Felix ſollerter contra ethnicos diſputans, perueſtigat quandò apud ipſos ſtatuæ Deorum diuinitatem combibant: nam nondum Deus eſt infectum ſexum, vel ignum vel argentum.

Minut. Felix in Octau.

*Quandò igitur*, inquit, *hic Deus naſcitur? Ecce funditur, fabricatur, ſcalpitur, nondum Deus eſt. Ecce plumbatur, conſtruitur, erigitur, nec adhuc* Deus *eſt. Ecce ornatus, conſecratur, oratur: tunc poſtremo Deus eſt, cùm homo illa voluit, & dedicauit.* Sic veſtium ſumptuoſior ornatus, velut arreptio diuinitatis cenſetur? *Filiæ eorum compoſitæ; circumornatæ vt ſimilitudo templi. Significatur ornatus mulierū ad ſimilitudinem ſtatuarum in templis.*

3\. O futilem, ridiculariam, & execrandam diuinitatem ab ornatu mutuatam! Et ſanè comptiores feminæ peridoneè *templo* comparantur; ſed (vt eruditè inibi Lorinus adnotauit) templis Ægyptiorum quibus eas tempeſtiuè comparat Clemens Alexandrinus:

P. Lorin. ib. Clem. Alex. lib. 3 Pædag. c. 2.

Iſtæ autem. ait, non animaduertunt dum colunt id quod eſt extrinſecùs, quæ intus in profundo ſita ſunt, eſſe planè inculta; & horrida: cuiuſmodi ſunt etiam ornamenta Ægyptiorum, apud quos templa, & porticus, veſtibula ac luci magnificè inſtructi, eorumque atria multis columnis ſunt cincta: parietes autem lapidibus externis, & artificioſè depictis reſplendent, ita vt nihil deſit: ædes autem auro & argento & electro collucent, & ex Indiâ ac Æthiopia variis fulgentibus lapillis: adyta verò auro intextis obumbrantur peplis.

*Ornata femina Ægyptiorum templis aptè comparatur.*

Sed ſi penetralia templi ambitu ſubieris, & imaginē quæ templum habitat quæſieris, ſacerdos quiſpiam cùm veli aliquantulum contraxerit tanquā Deū oſtenſurus, abunde nobis ſuppeditat occaſionē irridēdi numinis: neque enim intùs inuenietur Deus qui quærebatur, ſed felis, vel Crocodilus, vel ſerpens indigena, vel aliqua alia eiuſmodi belua, quæ tēplo quidem eſt indigna, ſed antro, ſpeluncę, ac cœno magis cōgruit. Apparet Deus Ægyptiorum, belua, quæ ſuper veſtē ſtragulam purpuream volutatur, *Ita etiam mihi videntur feminæ quæ aurum geſtant, & in criſpandis crinibus exercentur, & in genis vngendis, oculiſque pingendis, & pilis tingendis verſantur, & aliam mollitiē arte improbâ perſequuntur, carnalē ambitū ornantes, & verè Ægyptios imitantes, infelices amatores attrahere, &c. Filiæ eorū cōpoſitæ: circūmornatæ vt ſimilitudo tēpli.* Extrinſecùs collucent ornamētis, quæ diuinitatē ſpondēt; intrinſecùs verò incruſtata venuſtate, & intritâ libidine, adulteriis, & obſcœnitatibus ſqualidè ſordēt.

4\. Geneſ. 24. v. 16.

Geneſ. 24.. ſeruus ille, quē Abrahamus in Meſopotamiam miſerat, qui dignam Iſaaco puellam ad nuptias quæreret; ad puteum ſedet de cælo afflatus ſpectās. Ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel, filij Melchæ vxoris Nachor fratris Abrahā: *Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro.* Dubitāt Interpretes quorsùm additū ſit, *& incognita viro*, cùm præceſſerit *virginis* appellatio An qui *virginem* nominat, non dicit ſimul *viro incognitā?* Niſi fortè à viro cognita, adhuc virgo eſſe poſſit. Caiet ſic locū explicat:

Caiet. ibi.

*Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro. Itaque deſcribitur ab ætate puella; à formoſitate, bona aſpectu valdè; ab habitu, virgo; ab integritate carnis, & vir non cognouit eam.*

*Cùm quis virginem videt, dubitare non debet an virgo ſit: dubitat ſi ornatam videat.*

Ecce tibi Rebecca ex habitu, & inambitioſo ornatu, virgo denotatur, virgo agnoſcitur. & cenſetur virgo: nec dubitat Abrahami ſeruus, & fidus Iſaaci pronubus virginē eſſe quam eo amictu indutā videt. *Ab habitu virgo.* Belliſſimè ad rē Cypr. in lib. de Diſcipl. & habitu Virginū

S. Cypr. de diſcip. & hab. virg. n. 3.

*Virgo non eſſe tantùm, ſed & intelligi debet, & credi; vt nemo cùm virginem videt, dubitet, an virgo ſit. Parē ſe integritas in omnibus preſtet, nec bonum corporis cultus infamet. Quid ornata, quid compta procedit, quaſi maritum aut habeat, aut quærat?* Quid oportuniùs?

5\. Pſ.143.v.1

Redeant iterū necdùm ſatis emedullata Pſalmographi verba, ad rē in primis oportuna: *Filiæ eorum compoſitæ: circumornatæ vt ſimilitudo templi;* Quibus verbis denotari feminas ambitioſiùs ornatas, quæ ſimulacra deorum de pretioſo cultu æmulantur, nuper diximus. Ad quod alludere videtur S. Zeno Veronenſis ita fatus.

S. Zeno ſer. 2. de Auarit. Femina ſumptuoſiùs ornata actu colit idola, quæ ore reſpuit.

*Ancilla Chriſti falſum idolū reſpuis: mihi crede, in te colis, cuius ornatū, cuius imaginem non deponis, ad Eccleſiam Dei opere vario totum inaurata corpus, execrabili metallo procedis onuſta, vbique delicata, ſub mollibus fortis.* Et poſt pauca: *Idola Gentium argentum, & aurum. Vndè apparet eum, qui diligit*

*aurum, & argentum, non tantùm Deos colere, ſed eorum mores & actus imitari?* Quaſi idololatriæ quodammodò ſuſpecta ſit femina, quæ pretioſo ſumptuoſiùs cultu exornatur: nam in ſe velut colit idolum, cuius ornatum & imaginem non deponit: & quod ore execratur ambitioſioris ornamenti cultu ſuperſtitioſè æmulari videtur.

6. Geneſeos 35. Iacob conuocatâ omni domo ſuâ, ait, *Abiicite Deos alienos qui in medio veſtri ſunt*, & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra. Surgite, & aſcendamus Bethel, *Dederunt ergò ei omnes Deos alienos quos habebant, & inaures quæ erant in auribus eorum: & ille infodit eas ſubter terebinthum.* Quid eſt quòd Iacobus Deos alienos petit: vt eos abiiciat, & confodiat, & *inaures* etiam illi offerunt? Integram veri Dei fidem in ſuâ familiâ ſtabilire procurat, & corporis ornamenta ſollerter ablegat? *Quæritur*, (ait Auguſtinus inibi) *Quare & inaures, quæ ſi ornamenta erant, ad idololatriam non pertinebant?* Imò quia eorum erant ornamenta & monilia, ad quoddam idololatriæ genus pertinebant, nec fide integrâ illis ornamentis vti videbantur. Audiendus eſt Tertullianus in lib. de Cultu femin. ita ſcribens: *Non de integrâ conſcientiâ venit ſtudium placendi per decorem, quem, naturaliter inuitatorem libidinis ſcimus. Quid igitur in te excitas malum iſtud?* Et poſtmodùm: *Debemus quidèm ita ſanctè & totâ fidei ſubſtantiâ incedere, vt ſecura ſimus de conſcientiâ noſtrâ.* Quaſi pulchra femina, quæ pretioſis veſtimentis ac monilibus excultiùs ornatur, aliquid de *totâ fidei ſubſtantiâ* quodammodò deroget, nec fide integrâ conuerſetur. Accidentia fidei externâ religione oſtendit, & ore præfert; ſed totam fidei ſubſtantiam ferè non implet. *Ancilla Chriſti falſum idolum reſpuit: mihi crede, in te colis, cuius ornatum non deponis.* Exindè dicenti Iacobo: *Abiicite Deos alienos: dederunt ei omnes Deos alienos quos habebant, & inaures quæ erant in auribus eorum:* vt exinceps Iacobæa familia *totâ fidei ſubſtantiâ incederet,*

Geneſ.35.v.4.
S. Auguſt. ibi.
*Num ornatus aliquid de tota fidei ſubſtantia detrahat?*
Tertull. l. de Cult. fem. c. 2.

7. Apocalypſis 17, vnus de ſeptem Angelis ſic Ioannem alloquitur: Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ. *Et mulier erat circundata purpurâ, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis*, &c. Vide oculis qualiter Angelus Ioanni videndam proponat damnatiſſimam meretricem: & vide etiam referente Paciano Barcinonenſe, an illius æui locupletes matronæ, hanc meretricem, veſtium gloriâ, fucûs ambitione, & monilium pretio ſuperent: *Benè*, inquit, *quòd mediocres ſumus; ceterùm & illa faceremus quod quaſdam non pudet lautiores, marmoribus tegi, auro opprimi, ſerico fluere, cocco rubeſcere. Si quid ferruginei pulueris in ſupercilio fulguret, aut ficti nitoris in genas rutilet, aut coacti ruboris in labia ſudet.* Elegantiùs, an veriùs?

Apocal.17.v.4.
*Fucata ornamentorum lenociniis femina, elegans deſcriptio.*
Pacian. in Paræneſ. ad Pœnit.

8. Famoſa illa mulier tot pigmentorum pretioſis lenociniis comptiùs ornata, quam nuper Angelus Ioanni monſtrauit, in vaſta ſolitudine præfulgebat. *Et abſtulit me*, inquit, *in ſpiritu in deſertum.* Et vidi mulierem, &c. *Et mulier erat circundata purpurâ, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, &c. Et in fronte eius nomen ſcriptum: Myſterium.* Ecquod eſt hoc *myſterium* arcanè abſtruſum, quod tanquam famoſum nomen in fronte ſcriptum præfert? Et ſanè *myſterium* eſt quod pulchra femina ambitioſiùs ornata *in deſerto* verſetur. Nã vt ait Tertull. *Propter ipſum conuentum, & mutuum videre ac videri, omnes pompæ in publicum proferuntur, aut vt luxuria negotietur, aut gloria inſoleſcat.* Niſi malis *myſterium* in eo agnoſcere, quòd hæc mulier ambitioſa ornamentorum pompâ, & mentito fucorum artificio, tot principes amatores, falſatæ pulchritudinis riuales, fucatâ pellaciâ attraxerit: atque illis ſic placuiſſe, quæ dum ſe ſic ornauit, priùs ſibi diſplicuit. Porrò femina, quæ auro oppreſſa ſerico fluit, & minio candicat, & cocco rubeſcit: cuius ſupercilia ferrugineo puluere fulgurant, cuius genæ ficto nitore rutilant, & coacto rubore labia ſudant; in ſuam ſuæ pulchritudinis conſcientiam planè delinquit. Diſplicet enim ſibi quod ſic ſtudioſè demutat: *reprehendit enim cùm emendat, cùm adiicit*, ait Tertullianus; & Ambroſius: *Quanta hæc dementia eſt, effigiem mutare naturæ; picturam quærere!* Et rursùm: *Prior enim de ſe pronunciat, quæ cupit mutare quod nata eſt, Ita dum alijs ſtudet placere, priùs ſibi ipſa diſplicet.* Quis decor cum decoris iniuriâ? Ecce meretricium *myſterium* huius famoſiſſimæ & ornatiſſimæ feminæ, exquiſito cultu & fucorum lenocinio priùs ſibi diſplicet, vt alijs perplaceat. *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo.*

Apocal.17.v.5.
Tertull. de Cult. fe.. c.11.
*Fucata mulier priùs diſplicet ſibi, vt aliis placeat.*
*Quod eſt meretricium myſterium.*
Tertull. ſup. c.5.
S Ambr. l.2. de Virgin.
Prou.31.v.30.

Geneſis 18. à conuiuis Angelis audit Sara ſe filium parituram Abrahamo. Erant autem ambo ſenes, prouectæque ætatis, & deſierant Saræ fieri muliebria. *Quæ riſit occultè, dicens: Poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt voluptati operam dabo?* Vox Hebræa *Hedna*, quam libidinis *voluptate* expreſſit Vulgatus, *Tum voluptatem ſignificat, tum nitorem cutis ſeu iuuentutis*, vt P. Mariana ibidem adnotauit. Voluptatis libido *Hedna* dicitur? Cuti accitus nitor, genis rubor, & fucata pigmentis facies, *Hednam*, ſeu libidinis *voluptatem* ſignificat? In feminâ fucati nitoris lenocinium, & blandimentum accitæ mendaciter venuſtatis, vices reciprocat cum Veneris voluptate? Appoſitè Tertullianus agens de Cultu feminarum, quo naturalem pulchritudinem fucatè concinnant & ambitioſiùs exaggerant, ita ſcribit: *Vbi pudicitia, ibi vacua pulchritudo: quia propriè vſus & fructus pulchritudinis corporis, luxuria, niſi ſi quis aliàs eſſe decorem arbitratur. Illæ ſibi formoſitatem & datam contendant, & non datam conquirant.* 9.

Geneſ.18.v.12.
P. Marian. ibi.
*Fucata pigmentis facies eſt libidinis ſynonymon*
Tertull. de Cult. femin. c.3.

Regius Vates Pſal. 44. *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate.* In comperto non eſt, quæ nam ſit hæc femina princeps ſumptuoſiùs ornata. An regina Berſabee, an regina aliqua Niniue, aut quæuis alia. Verùm dum eiuſmodi cultus ſeculari more deſcribatur, τὸ *circũdata varietate* refert P. Lorinus in illud Pſal. 143. vbi de impiorum felicium filiabus dicitur: *Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ vt ſimilitudo templi.* Itaque ſecularis femina, quæ cultiùs ornatur, & ambitioſiùs comitur ad placendi gratiam, ſine ſui mutatione neſcit concinnari. Quaſi eius pulchritudo *varietate* conſtet, & fucorum artificio mutationibus ambitioſè venuſtetur. Quâ de re audiendus eſt Zeno Veronenſis: *Interea*, inquit, *miris excolit artibus ſeſe, faciemque ſuam in ſe, quam* 10.

Pſa.44.v.10.
*Comptior femina nunquã eſt ipſa, ſẽper eſt alia.*
P. Lorin. in Pſal.143.v.12.
S. Zeno ſer. de Pudicit.

*non*

*non habet, quærit. Pingit ſe in ſeipſam: & lenocinante vario magiſtri medicaminis fuco vultum ſuum vultibus veſtit alienis, hoc futura, non quod natura præſtitit, ſed quod ei ad examen ſpeculi arbitrium temporale dictauerit: nunc emendat, nunc delet, quas amouerat ſpecies, nunc ſubiicit alias: nunc parturit nouas. Manibus ſuis facta hydria formarum procax ſemper incedit, quia erubeſcere alienis ſub coloribus neſcit: non domeſticis, non affinibus, non maritis nota, non ſibi: quia non poteſt eſſe notum, nec verum, quod eſt ſemper incertum.* Quid eloquentiùs? Vide nunc quàm prodeat femina dum ambitioſiùs ad placendi gratiam exornatur, *circundata varietate*, corpore, ore, colore, vultu, nunquam ipſa: ſemper alia; vna indies plures.

11. 1.Pet.3.v.3.

1. Petri 3. Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis. *Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus.* Quæ Petri verba de maritatis mulieribus exponens Cyprianus, ornatiorem virginum cultum ſic caſtigat: *Quod ille mulieres quoque admonet coërcendas, quæ excuſare cultus ſuos ſoleant per maritum: quantò id magis obſeruare fas, cui nulla ornatus ſui competat venia; nec deriuari in alterum poſſit mendacium culpæ, ſed ſola ipſa remaneat in crimine?* (Nota in nuptis præfatam excuſationem, *mendacium* moraliſſimè dici, nec niſi reprehenſionis felle) Pergit magnus hic Doctor: Locupletem te dicis & diuitem: ſed non omne quod poteſt, debet & fieri; nec deſideria prolixa & de ſæculi ambitione naſcentia, vltra honorem ac pudorem virginitatis extendi, cùm ſcriptum ſit; *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Omnia licent, ſed non omnia ædificant. Ceterùm ſi tu te ſumptuoſiùs comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuuentutis illicias, ſuſpiria adoleſcentium poſt te trahas, concupiſcendi libidinem nutrias, ſuſpirandi fomenta ſuccendas, vt, etſi ipſa non pereas, alios tamen perdas,* &c. Pereunt enim ſpectatores in tuâ formâ, in eaque miſerè tumulantur: ne te innoxiam & impunem præſumas. Pronum eſt, ſingulas Cypriani ſententias enucleatiùs expendere.

S.Cypr.de Diſcip.& habit.virg. n.5. *Cultior forma, ſpectatorū ſuſpiria poſt ſe trahit.* 1.Cor.6.v.12.

12. Geneſ.3.v.15. *Quæ ſerpentis proculcatione coronatur, de capite ſerpētū gēmas eruet.* S.Hiero. epiſt.ad Marcell.

Geneſ. 3. dixit Dominus Deus ad ſerpentem: Quia feciſti hoc: *inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.* Grandis ſanè mulierum prærogatiua, draconem illum antiquum, ſeu ſerpentem dæmonem pedibus proculcare: &, vt ait Hieronymus ad Marcellam, *Calcato Diabolo coronam iam ſecuritatis accepit.* Quaſi mulier de ſuis protriti ſerpentis veſtigiis coronetur. Sed vereor ne de ornatus ambitioſioris laſciuia, non pedibus caput ſerpentis conterat, ſed de ſerpentis exuuiis ſuum caput exornet. Tertullianus in lib. de Habitu muliebri, adludens ad hanc Geneſeos ſententiam, ita ſcribit: *Aiunt & de frontibus draconum gemmas erui. Hoc quoque deerat Chriſtianæ, vt de ſerpente cultior fiat. Sic calcabit Diaboli caput, dum de capite eius ceruicibus ſuis aut ipſi capiti ornamenta ſtruit.* Arguto quidèm ſarchaſmo gemmata mulierum ornamenta Tertullianus irridet. Nam quæ ſecuritatis *coronam* capiti ſuo imponit, dum ſerpentem conterit; de capitibus draconum gemmas malè eruit, quibus capiti ſuo ornamenta ſtruat.

Tertull.de Habit.mul. c.6.

13. In hoc cap.2. ſacer Hiſtoriographus denarrat, quòd electis puellis venuſtate opinatiſſimis quæ ad regium Aſſueri torum diu excolebantur in gynæceo, quicquid poſtulaſſent ad ornatum pertinens, protinùs exhibebatur: & vt eis placuerat, compoſitæ de triclinio feminarum ad Regis cubiculum tranſibant. Inſtabat autem tempus, quo ingredi debebat ad Regem Eſther. *Quæ non quæſiuit muliebrem cultum, ſed quæcunque voluit Egeus eunuchus cuſtos virginum hæc ei ad ornatum dedit.* Infrequens ſanè eſt, imò de raritate inſolens, vt pulchra femina ſic contemptim negligat pretioſa decoris ornamēta, præſertim vt placeat marito. At Eſther in paucis pudica & religioſa, vt erat caſtitatis peramans, ſic ambitioſa ornamenta quaſi impudicitiæ notacula, aut blandimenta repudiauit. Appoſitè Cyprianus in lib. de diſcip. & habi. Virginum, *Ornamentorum*, inquit, *ac veſtium inſignia & lenocinia formarum, non niſi proſtitutis & impudicis feminis congruunt; & nullarum ferè pretioſior cultus eſt, quàm quarum pudor vilis.* O timeant cultiores feminæ hanc Cypriani coniecturam (quaſi grauiſſimam ornamentorum cenſuram! Animi pudor tranſparet in veſtibus, & inuiſus animitùs pudicitiæ cultus, in exteriori ornamentorum cultu legitur, non dubiis characteribus ſcriptum. Omitte excuſationes, raro aut nunquam femina ornatur inuita. Nulla nulli ſūptuoſioris ambitioſè ornatus cōpetit venia; nec deriuari in maritum poteſt mēdacium culpæ, ſed ſola ipſa manet in crimine. *Nullarum ferè pretioſior cultus eſt, quàm quarum pudor vilis.*

In hoc c.2.v.15. *Illarum pretioſior cultus eſt, quarū pudicitia vilis.* S.Cyprian de diſcipl.& hab.virg.n.6.

Ex Geneſeos 24. redeat iterùm Rachel, quæ inibi dicitur: *Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro.* Redeat etiam Caietanus exponens, quare quæ dicta fuerat *virgo* rurſus dicitur, *incognita viro.* Itaque, inquit, *deſcribitur ab habitu virgo; ab integritate carnis, & vir non cognouit eam.* Quid eſt, quod Rachel, ab habitu virgo nominatur? An ab honeſto amictu & cultu, qui virginem non dedeceat? Bellè Cyprianus: *Dum ornari cultius virgines volunt, eſſe virgines deſinunt, viduæ antequam nuptæ.* Huius autem loci expenſio, & procliuis omnibus eſt, & alibi aliorsū data. Sat eſto acumen inſinuaſſe huic lemmati non inidoneum. 14

Geneſ.24.v.16. Caiet.ibi. *Ornatus ex virgine viduam facit.* S.Cypr.apud Politico-Chriſ.1.c.12.

Matthæi 6. *De veſtimento quid ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia agri quomodò creſcunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloriâ ſuâ coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis.* Lilia enim ſtatuto tempore formantur in frondibus, veſtiuntur candore, implentur odoribus. Et quod terra radici non dederat, Deus inuiſibili operatione largitur. Reuerà enim quod ſericum, quæ Regum purpura, quæ pictura textricum Phrygionúmue poteſt floribus comparari? Quid ita rubet vt roſa? quid tam venuſtè candet vt lilium? hoc ſanè oculorum magis quàm ſermonis iudicium eſt. Pulchrè inibi Chryſoſtomus. *Quantum enim veritatis ad mendacium,* inquit, *tantum veſtimentorum & florum differentia eſt. Si ergò Salomon à floribus ſuperatus eſt, qui omnibus regibus fuit præclarior; quandò tu veſtimentis poteris vincere florum decorem? Eſt autem Salomon ſuperatus à florum decore, non ſemel tantùm, neque bis, ſed per totum tempus regni. Et hoc eſt quod dicit: In omni gloriâ ſuâ, qui nec in vno die ita decoratus eſt vt flores.* Gloria regni- 15.

Matth.6.v.28.& 29. S.Chryſoſt. homil.23.in Matth. *Natura pulchritudo regum ornatum vincit.*

*Glorioſus cruciatur felicitate modeſtia.* eſt omnis Regis gloria? Omnis regni, ac Regis gloria tot ſumptuoſis ornamentorum lenocinijs concinnata, natiuam florum pulchritudinem æmulari non poteſt? Inde Eſther ingreſ-
Eſther 2. v. 15. ſura ad Regem regiam dignitatem auſpicatur, natiuâ duntaxat venuſtate excultior: *Quæ non quæſiuit muliebrem cultum, ſed quæcumque voluit*
Philo lib. de Abrah. *Egeus eunuchus, hæc ei ad ornatum dedit*, etſi gynæcei inuidiam concitet: nam, vt aliorsùm ait Philo; *Sic glorioſus cruciatur felicitate modeſtiæ.*

16. Exhod. 32. v. 2. Exodi 32. tandem conniuet Aaron populo peruicaciter contentioſo, Idola imtemperanter poſtulanti: *Tollite*, inquit, *inaures aureas de vxorum, filiorũq; & filiarũ veſtrarũ auribus, & afferte*
S. Ambroſ. *Glorioſior mulierum ornatus, aut inuenit Euas, aut facit.* *ad me.* Quæ verba ſic exponit Ambroſ. lib. 7. Epiſt. epiſt. 56. *Pulchrè autem dicit: Deponite annulos, & inaures aureas, quæ ſunt in aures mulierũ veſtrarum. . . . Congruè quoque inaures auferuntur mulieribus: ne iterum Eua vocem ſerpentis audiret. Et ideò quia ſacrilegium audierant, conflatis earum inauribus, conflata eſt imago ſacrilegij.* Nimirùm conſultiſſimè Aaron aurea glorioſiùs ornamenta à mulieribus aufert, *ne iterùm Eua vocem ſerpentis audiret.* O, Euas refingit ornatus? Non longè abeſt ab Euæ genio, & ſubdoli ſerpentis obſequio, mulier quæ comptiùs ad placendi gratiam exornatur? quaſi glorioſus mulierum ornatus, Euas aut inueniat, aut faciat, ſerpentis obſequio expromptas.

17. Cant. 6. v. 3. Petr. Dami. Canticorum 6. *Pulchra es amica mea, ſuauis & decora ſicut Ieruſalem.* Quæ ſponſi cæleſtis verba enucleatiùs expendens Petr. Damianus homil. 102. ita ad thema præſens eleganter ſcribit: *Sicut Ieruſalem, non ſicut Babylon, quam vidit Ioannes ornatam purpurâ, & cocco, & inauratam auro, & lapide pretioſo, & margaritis. Ba-*
*Diabolũ ornatur, quæ comptius ornatur. Aſperioribus hominum veſtibus reficitur Chriſtus.* *bylonem hanc Diabolus, Ieruſalẽ inhabitat Chriſtus. Ille luxuriantis amictus varietate reficitur, hic aſperis & humilibus.* O, luxuriante amictu Diabolus paſcitur, & *reficitur?* Quæ ſic ornatur, Babylonis mores repræſentat, & Babylonicæ damnationis pulchrè candidata eſt. Veſtes *aſperæ* & humiles in cæleſtem Ieroſolymam præmaturè coloniam deduxerunt. Heu Diabolo ornatur, quæ comptius ornatur!

18. Marci. 6. v. 22. Marci 6. Herodes natalis ſui cœnam fecit principibus & tribunis, & primis Galilææ: *Cumque introiiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimulque diſcumben-*
Baſil. Seleu. Orat. 18. *Ornatior amictus eſt impudicitiæ argumentum.* *tibus*, &c. Ad quæ verba ita Baſilius Seleucienſis ſcribit: *Herodias autem filia oſtentans habitu matris artes, exactum maternæ libidinis ſimulacrum adſpectu impudenti, fracto corpore, animâ defluente, iactis in cælum manibus pedes in altum ſubrigebat: habitu ſeminando ſuam turpitudinem publicabat.* Sic exquiſito & politulo ve-
S. Ambroſ. ſtium ornatu libido publicatur! Et Ambroſius lib. 1. de Pœnit. cap. 13. *Bonum eſt nubere, magis quàm vri: eſt enim flamma, quæ interna vrit: Vndè hunc ignem non alligemus in ſinu mentis & receſſu pectoris, nec interioris noſtri vramus exuuias, & forenſe hoc noſtræ animæ veſtimentum velamentumque carnale, edax libidinis flamma conſumat.* Eheu edax libidinis flamma conſumet excultius animæ & corporis veſtimentum! Addam, & finio, S. Gregorium Nazianzenum in paræn. carm. ad Olympiadem. *Purpureæ porrò & aureæ, eximiaque & ſplendidæ veſtes his demùm conueniunt, quibus nullus vitæ ſplendor, nullum virtutis decus ſuppetit. At tibi pudicitia curæ ſit, pulchritudoque etiam clauſis oculis admiranda.* O, pudicitiæ, impudicitiæve ſtudium, in veſtibus tranſlucet!

---

## §. XXVIII.

### *Sacerdotum ambitioſa auaritia, & ſumptuoſior veſtium ambitio, multis vapulat.*

Seneca lib. 7. de Benef. ita ſcribit: *Cùm Caius Cæſar Demetrio* (in Stoicorum ſcholâ 1. Seneca l. 7. de Benef. c. 11.
philoſophicè opinatiſſimo) *ducenta talenta donaret, ridens reiecit: ne dignam quidèm ſummam indicans, quâ non acceptâ gloriaretur. Ingentem rem ab illo dici audiui, cum miraretur Caij dementiam: quòd ſe putaſſet tanti poſſe mutari. Si tentare, inquit, me conſtituerat, toto illi fui experiendus imperio.* Hanc ſententiam fere ſobrietatis prodigam, Philoſophicum ethnicè pallium ructauit; vtinam & Chriſtianè ſacerdotale adſimiliter ſemper eructet. Sacerdotium auaritiæ labe fœdatum, ſeueriùs culpant ſancti Eccleſiæ Patres; aliqua è multis in hâc auaritiæ appendice ſeligam, non, vt infuſcem ſacerdotalem Eccleſiæ nitorem; ſed vt portio aliqua forſan infuſcata, ad tanti muneris fulgores micantiùs redeat rediuiuo ſplendore. Porrò ſumptuoſior in ſacerdotibus nitor nimis Chriſti Eccleſiam deuenuſtat. Quâ ſuper re ſic acerbè Bernardus ad Clerum in concilio Rhemenſi congregatum: *Miniſtri Chriſti ſunt, & ſeruiunt Antichriſto: honorati incedunt de bonis Domini, cui honorem non deferunt: vndè hic eſt eis quem quotidiè videmus meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus. Indè aurum in frænis, aurum in ſellis & calcaribus, Plus nitent calcaria quàm altaria. Indè menſæ ſplendidæ & cibis & ſcyphis. Inde comeſſationes & ebrietates. Indè cithara, & Lyra, & tibia, redundantia torcularia, & promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud. Indè dolia pigmentaria, indè referta marſupia.* Et poſt pauca, coram ipſis Epiſcopis & ſacerdotibus in Concilio congregatis: *Diligunt*, inquit, *munera, nec poſſunt pariter diligere Chriſtum, quia manus dederunt mammona. Intuere quomodò incedunt nitidi & ornati, circumamicti varietate, tanquam ſponſa procedens de thalamo ſuo. Nonne ſi quempiam talium repentè eminùs procedentem aſpexeris, ſponſam potius putabis, quàm ſponſæ cuſtodem? Vndè verò hanc illis exuberare æſtimes rerum affluentiam, veſtium ſplendorem, menſarum luxuriam, congeriem vaſorum argenteorum & aureorum, niſi de bonis ſponſæ? Inter hæc eſt quod illa pauper & inops & nuda relinquitur, facie miſeranda, inculta, hiſpida & exanguis: propter hoc non eſt hoc tempore ornare ſponſam ſed ſpoliare: non eſt cuſtodire, ſed perdere: non eſt defendere, ſed exponere: non eſt inſtruere ſed proſtituere.* Hæc tot Epiſcopis & ſacerdotibus coram dixiſſe licuit Bernardo, ſanctitatis ac veritatis priuilegio: ne diuitiarum nitorem excuſent ſacerdotes, quaſi iſtiuſmodi ſumptuoſior ornatus, ad Eccleſiæ ornatum ſpectet Nullum eſt vitium ſine patrocinio. Illud autem turpiſſimum

*Sacerdotum quorundam auaritia, & ſumptuoſior cultus egregiè vapulat.*

S. Bernard.

turpiſſimum eſt, quod religionem prætendit. Vel regi marito inuita Eſther adornatur: *Quæ non quæſiuit muliebrem cultum, ſed quæcunque voluit Egeus eunuchus, hæc ei ad ornatum dedit.*

Hic v. 15.

2\. Geneſeos 47. emit Ioſeph omnem Terram Ægypti, vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas præ magnitudine famis. Subiecitque eam Pharaoni, & cunctos populos eius à nouiſſimis terminis Ægypti vſque ad extremos fines eius, *Præter terram ſacerdotum, quæ à rege fuerat tradita eis quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur.* O, bonam non boin Principis erga ſacerdotes beneficentiam! Origenes homil. 16. in Geneſim, ſic ſuper ſacerdotum diuitiis philoſophatur: *Præter terram ſacerdotum, &c. Vis ſcire quid interſit inter ſacerdotes Dei, & ſacerdotes Pharaonis? Pharao concedit terram ſacerdotibus ſuis, Dominus autem ſacerdotibus ſuis, partem non concedit in terrâ, ſed dicit Ego ſum pars veſtra. Obſeruate ergò omnes Domini ſacerdotes, & videte quæ ſit differentia ſacerdotum, ne fortè qui partem habent in terrâ, & terrenis cultibus ac ſtudiis vacant, non tam Domini, quàm Pharaonis ſacerdotes eſſe videantur. Pharao eſt enim qui vult ſacerdotes ſuos habere poſſeſſiones terrarum, & exercere agri, non animæ culturam; ruri, & non legibus operam dare.* Longiuſculè, ſed quid omitterem? Rigidè: ſed quid prælustre non exigat Chriſti ſacerdotum nitor? Pudor eſt explicatiùs exponere, enucleare, & expendere Origenis ſententias, ne dum non bonos ſacerdotes perſtringimus, ſacerdotium deuenuſtare videamur.

Geneſ. 47. v. 22. *Sacerdotiũne Pharaonis elogium eſt, in terris habere poſſeſſiones?*

Orig. ho. 16.

3\. Matthæi 8. cùm deſcendiſſet IESVS de monte, ecce leproſus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare. Et extendens IESVS manum, tetigit eum, dicens: Volo Mundare: Et confeſtim mundata eſt lepra eius. *Et illi ait* IESVS ..... *Vade oſtende te ſacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.* Iubet vt offerat munus ſacerdoti, vt omnes qui vident eum munus portare, miraculo credant. Vel ideò præcipit offerri munera ſacerdotibus, vt ſi eum poſtmodùm ob Chriſti ſequelam expellere vellent quaſi adhuc immundum, diceret eis, Munera tanquam à mundo accepiſtis, & quomodò me nunc quaſi leproſum expellitis? Vide quas technas inuidia fabricet, quas Chriſtus cautè anteuertit. Vel iubet offerri munus, vt ſic denotet inſignem ſacerdotum auaritiam, quæ Chriſti miraculum vel inuitè fatebitur, ne munerum iacturam faciat. O qualis, ac quanta eſt auaritia, quæ inuidiæ cedit! Aliter inibi Chryſoſtomus: *Offer munus, &c. vt non dicant quoniam ſacerdotum gloriam rapuit.* Quid? ſi homo ille à leprâ mundatus, munus ſacerdotibus non offerret, ſacerdotum *gloriam* Chriſtus raperet? Munus ſacerdotibus oblatum, eorum *gloria* eſt? O non bona in ſacerdotum cenſu ſynonyma! ô *gloriam* horum ſacerdotum, in *muneribus* ac diuitiis auarâ ambitione collocatam!

Matt 8. v. 4. *Num munera ſacerdotibus oblata, eſt eorum gloria?*

S. Chryſoſt. homil. 16. in Matth.

4\. Matthæi 21. iuxta Moſaicæ legis mandatum cùm in venerabili toto orbe Dei templo, de cunctis penè regionibus Iudæorum illùc populo confluente, innumerabiles immolarentur hoſtiæ, maximè feſtis diebus, taurorum, arietum, hircorum; ſæpè accidebat, vt qui de longè venerant victimas non haberent. Excogitauerunt igitur ſacerdotes, quomodò prædam de populo facerent, & omnia animalia quibus opus erat ad ſacrificia, vendebant; *vt venderent non habentibus, & vt ipſi rurſus empta ſuſciperent.*, vt inibi Hieronimus adnotauit. Ergò poſt triumphalem illum plauſum, vbi ingreſſus eſt Ieroſolymam, *Intrauit* IESVS *in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes, & ementes in templo*, &c. Quod Chriſti Dei factum dubius Chryſoſtomus his verbis expendit: *Hoc erat*, inquit, *boni medici, vt ingreſſus ad infirmam ciuitatem ſaluandam, primùm ad originem paſſionis intenderet. Nam ſicut de templo omne bonum egreditur, ita de templo omne malum procedit: ſi enim ſacerdotium integrum fuerit, tota Eccleſia floret; ſi autem corruptum fuerit, tota fides marcida eſt.* Origo paſſionum, quibus tota Reſpublica infirmatur & angitur, ſacerdotum auaritia eſt? Hanc ſic Chriſtus Deus extirpare feſtinat, benè ſcius, quòd ſi ſacerdotium ab hâc labe, & earum appendicibus, integrum ac immaculatum fuerit, *tota Eccleſia floret*, & omnes pietatis fructus ſpondet: ſi autem ita impensè auaritiæ ſtudent, vt in his ſacerdotibus apparet, *tota fides marcida eſt.*

*Auaritia ſacerdotum, eſt origo paſſionis in populo?*

S Hieron. Matth. 21. v. 12.

Imperf. homil. 37.

*Ob probitatẽ ſacerdotum, floret Eccleſia; ob improbitatem, tota fides marcida eſt.*

5\. Actorum 3. claudus ille pariter ac mendicus, à Petro in templum ingrediente eleemoſynam petit. Cui reſpondit Petrus, Eccleſiæ princeps, & ſacerdotum idea, *Argentum, & aurum non eſt mihi: quod autem habeo hoc tibi do: In nominè Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.* Argentum & aurum non habuit Petrus miraculorum autem poteſtatem habuit expromptam Quidam apud Lorinum memorant, cum beato Thomæ Aquinati, qui fortè ad Innocentium IV. venerat, dum coram Pontifice vis pecuniæ magna numeraretur, dixiſſet Pontifex: *Vides ne, Thoma, Eccleſiam non ampliùs, ſicut olim, quandò primùm coaluit, dicere poſſe, Argentum & aurum non eſt mihi?* Cui ſanctus Doctor argutè pariter ac vrbanè reſpondit: *Nec poteſt modo, quod tunc, imperare claudo, vt ſurgat, & ambulet*, Quin & S. Hieronymus in epiſt. ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis, ita diuites immiſericordes perſtringit: *Argentum, & aurum non habeo; quod autem habeo hoc tibi do, &c. At nunc multi*, inquit, *licet ſermone taceant, opere loquuntur: Fidem, & miſericordiam non habeo: quod autem habeo argentum, & aurum, hoc tibi non do.* Aliter S. Bernardus, lib. 2. de Conſid. ad Eugenium Papam: *Vſus tantùm diuitiarum, bonus; abuſio mala, ſollicitudo peior, quæſtus turpior. Eſtò, vt aliâ quâcumque ratione hæc tibi vendices; ſed non Apoſtolico iure: neque enim tibi ille dare quod non habuit, potuit, quod habuit, hoc dedit, ſollicitudinem, &c. Argentum, & aurum non eſt mihi: quòd autem habeo hoc tibi do: In nomine Ieſu Chriſti*, &c. Elige ex his ſanctorum Patrum commentis, ad rem opportuniſſimis. Abutuntur Hæretici his contra facultates Eccleſiæ ſententiis: quaſi verò vel ſemper ſit opus miraculis, vel non maximè deceant opes Eccleſiæ maieſtatem. Non vſum, ſed abuſum hîc damnamus. Sacerdos (ait Bernardus) *qui quærit quæ ſua ſunt cupit honorari, non miniſterium. Honorificabitis autem non cultu veſtium, non*

Actor. 3. v. 6.

Bapt. Gillius Acad Flor. Dial. 5.

*Opulentia nimia ſacerdotum, poteſtatem miraculorũ cohibet.*

S Hieron. in ep. ad Euſt. cap. 14.

S Bernard.

*non equorum faſtu, non amplis ædificiis; ſed ornatis moribus. Quam multi aliter? Cernitur in nonnullis ſacerdotibus veſtium cultus plurimus, virtutum aut nullus aut exiguus. Quibus ego ſi rememorem illud Apoſtolicum, Non in veſte pretioſâ: vereor ne indignetur, dum nimirùm indignum ducant in ſe aſſumptam ſententiam, quam priùs in viliorem ſexum & ordinem prolatam fuiſſe recognouerint ..... Attamen ſi dedignentur pari cum mulierculis, non quidèm à me ſed ab Apoſtolo feriri ſententiâ, dedignentur & cum ipſis eadem inuolui culpâ.* Hæ & aliæ ſanctorum Patrum ſententiæ, quas de facili hîc addenſare poſſumus, hactenùs non præſtiterunt, vt nonnulli ſacerdotes ambitioſæ auaritiæ, & ſumptuoſiori cultui renunciarent Nam vt incertus Chryſoſtomus eleganter adnotauit, *Poſtquam Dominus ſacerdotum reſponſionem proſtrauit, & incorrigibilem eorum conditionem oſtendit: ſicut clerici, ſi male fecerint, inemendabiles ſunt: laici verò delinquentes facilè emendantur; tunc conuertit ſermonem*, &c. O, moribus caueamus hanc acerbiorem Chryſoſtomi cenſuram!

1. ad Timot. 1

*Laici facilliùs emendãtur quàm clerici?*

Imperf. homil. 43.

6. Ceterùm nonnulli ex clericis eccleſiaſtico cenſu locupletes, & Chriſti patrimonio ſumptuoſiùs diuites; tametſi in exteriori habitu & cultu mediocriter ſaltem modeſtis ſacerdotibus conformentur, nec foris valdè veſtibus niteant. Aſt veſtis & cultus interior aliquandò byſſo tenuiſſimâ molleſcit, multicolore fulget ſerico: riget auro Phrygionum ingenio artificioſè intexto, vltra ſeculares cultus & lautitias. *Quis reuelabit faciem indumenti eius & medium oris eius quis introibit?* ſcribitur in lib. Iob cap. 41. Eugubinus poſt Aben Ezra, *Faciem indumenti* intelligit, profundum pelagus, & latibula, in quibus ſolet hic Cetus deliteſcere Quaſi dicat: *Quis eò penetrabit, vbi tanta beſtia decumbit?* ibi enim *reuelatur facies indumenti eius*. Secunda verò pars de *medio oris* paullò aliter legitur in Hebræo textu: *Cum duplicitate freni eius, quis intrabit?* id eſt, ex opinione Hebraizantium: *Ori illius quis frenum iniiciet?* Opinor, iniecerunt Concilia à nobis aliàs adducta, iniecit S. Bernardus, & alij ſanctiſſimi Eccleſiæ Patres, iniiciant & Eccleſiarum Antiſtites, & grauioris cenſuræ lupatu, veſtimentorum luxum frenent.

Iob. 41. v. 4.
Eugubinus
Aben Ezra.

*Quorundam malè clericorum, quis reuelabit faciẽ indumenti?*

Hebræus.

---

## §. LXXIX.

*Libidinis concupiſcentia, Diaboli cachinnos ciet, hominem Deo clauſum tenet primordiali de iſto interfuit: fecit pecuinos mores, quos conuertit in ſacra: Diabolique aſtum æmulatur.*

1. S. Cyprianus in lib. de Bono pudicitiæ, ita ſcribit: Impudicitia ſemper eſt deteſtanda; obſcœnum ludibrium reddens miniſtris ſuis nec corporibus parcens, nec animis. Debellatis enim propriis moribus, totum hominem ſuum ſub triumphum libidinis mittit: blanda prius, vt plus noceat, dum placet, exhauriens rem cum pudore; hoſtis continentiæ, frequenter veniens ad ſanguinem, cupiditatum infeſta rabies, incendium conſcientiæ bonæ, mater impœnitentiæ, ruina melioris ætatis. Hactenùs Cyprianus. Quò plus mireris Aſſueri ſalacitatem, qui hîc verſ. 19. poſt tot nuper accitas puellas venuſtate præluſtres, alium aliarum delectum intemperanter expetit.

S. Cypr. lib. de Bono pudicit.

*Conglobatis ſententiis libido culpatur.*

Hic verſ. 19

2. Geneſis 3. Vaniſſimis ſpebus mulier deluſa, videns quòd vetitum lignum bonum eſſet ad veſcendum, pulchrum oculis, aſpectuque delectabile; tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit: *Et aperti ſunt oculi amborum: cumque cognouiſſent ſe eſſe nudos conſuerunt*, &c. Quid eſt, Aperti ſunt oculi amborum? S. Auguſtinus: *Aperti ſunt oculi amborum ad ſe concupiſcendum*; quos ad id hactenùs clauſos habuerunt. *Inde cognouerunt ſe eſſe nudos. Nempè experti* (vt P. Mariana commentatur) *rebellionem membrorum, quæ veſtibus meritò eſſet contegenda.* Vide hîc quanta vtrique fuerit ignominia, ex mutuâ vtriuſque concupiſcentiâ, & membrorum rebellione. Quod eleganter, exponens præfata verba explicuit Rupertus: Igitur, inquit, duplex quidèm ſenſus in eo quod dictum eſt: Et aperti ſunt oculi amborum, ſed verus vtrobique gemitus, *magnum vndique eſt mutuæ confuſionis opprobrium, Deus iratus, Diabolus riſu cachinno dilatatus, vterque ſexus ignominia percuſſus: & inter hæc omnia, reorum & animi torquebantur, & oculi confundebantur.* Probroſa quidem concupiſcentiæ confuſio, & contumelioſa ignominia, quæ Diaboli *riſum* mouet, & *cachinnos* ciet, Exindè nuper à Cypriano dicta eſt: *obſcœnum ludibrium*. Itaque hominis concupiſcentia, Diaboli riſum & cachinnos ciet obſcœno ludibrio.

Geneſ. 3. v. 7.
S. Aug. l. 11. de Geneſ.
P. Mariana inibi.

*Concupiſcentia. Diaboli riſum & cachinnos mouet obſcœno ludibrio.*

Rupert. L. 3. in Geneſ. c. 10.

3. Pergit ſacer Hiſtoricus, & cùm dixiſſet apertos eſſe amborum oculos, nempe ad ſe concupiſcendum, & cognouiſſent ſe eſſe nudos per rebellionem membrorum; poſt nuditatem malè tectam, cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, *Abſcondit ſe Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi.* Ad quæ verba ſic Rupertus addubitat: *Sed vbi ſe abſconderunt? In medio, inquit, ligni paradiſi. Quod enim medium habes vnum lignum, in quo abſcondi valeant corpora duorum hominum? Abſconſionem ergò hîc oportet intelligi non tam corporis quàm animi, quem Deus maximè requirit,* (Nota attentiùs quæ ad rem tempeſtiuus Rupertus ſubdit) *Quemodo ſecundum animam abſconderunt ſe in medio ligni? Videlicet amando concupiſcentiæ vitium, quod contraxerant per fructum ligni. Nam quandiu peccator blandum amat vitium; tandiu clauſus & abſconditus animus preſſum tenet oris oſtium, & ad Deum vocantem non egreditur per ſimplicem confeſſionis occurſum.* Ecce cur tam ſollerter Deus hominem quærit: non quòd etiam in latibulo eius perpicaciam effugiat, vbinam vtriuſque corpus lateat; ſed quia dum adhuc *amat concupiſcentiæ vitium*, eius animus, quem potiùs Deus requirit, *clauſus & abſconditus* Deo eſt. Sic laſciuiens concupiſcentia hominem Deo inuiſum reddit?

Geneſ. 3. v. 8.
Rup. l. 3. in Geneſ. c. 11.

*Concupiſcentiæ vitium, hominem clauſum & abſconditum à Deo tenet.*

4. Geneſeos 17. ſic Abrahamum ſuum Deus alloquitur: *Circumcidetur ex vobis omne maſculinum: & circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit*

Geneſ. 17. v. 10. & 11.

*Num primordiale delictũ à concupiſcẽtiâ ortum habet?*

*ſit in ſignum fœderis inter me & vos.* Quare Deus hoc inopinatum ſignum electo Abrahamidum populo peculiariter imprimit? Quid ſpondet, quid denotat hæc præputij circumciſio? In officinâ concupiſcentiæ è primordiali delicto petulanter laſciuientis, electi à Deo populi character, & velut ſanctitatis notaculum imprimitur? Subtiliter Zeno Veronenſis in ſerm. de Circumciſ. hâc ſuper re ita philoſophatur: *Adde*, inquit, *quòd circumciſio iſta non tam ſalutem pollicetur, quàm locum caputque criminis monſtrat. Adam etenim cum hoc membro illicitum pomum decerpſit, ſic in genus humanum ius mortis induxit. Neceſſariò ergò luxurioſo populo Deus hoc ſignum dedit: vt locum matricalis culpæ cùm denotat, etiam alia crimina fugienda cognoſcat.* Nimirùm quoniam Adam nimis vxorius, ne ſuas renutu contriſtaret delicias, præuaricatus eſt; aut quia ex primordiali delicto rebellionem concupiſcentiæ perſenſit; ideò dicit, quòd Adam in paradiſo cum circumciſionis *membro illicitum pomum decerpſit*. Exinde circumciſio dedicanda erat, quæ *locum matricalis culpæ denotaret*. quaſi concupiſcentia ſit originalis delicti matricalis origo, & reliquorum exinceps criminum quodammodò originale promptuarium. Eheu quot ſcelera ex matrice concupiſcentiæ origine quam vberrimè exundant! Laurentius Nouarienſis in homil. de Pœnit. tractans illa Chriſti verba ad mulierem effuſiùs peccatricem dicta, *Remittuntur ei peccata multa*, ſic pulchrâ ecphraſi excribit, & exponit: *Propter quod dico tibi, remiſſa ſunt illi infinita.* O quàm multa paucis!

S.Zono ſer. de Circun.

*Sumne infinita mulieris peccatricis delicta.*

Lucæ 7. v. 47. Laur. Nouar. ho. de Pœni.

5. Exhodi 9. Moyſis ore hanc plagam Deus aduerſus Pharaonem; & Ægyptios vibrat: *Ecce manus mea erit .... ſuper equos, & aſinos, & camelos, & boues, & oues, peſtis valdè grauis.* Strabus Fuldenſis hanc Ægyptiorum plagam, quâ ſauciantur brutæ pecudes, componit cum non mœchandi præcepto, mœchumque bruto comparat; & poſt multa ſic philoſophatur de frænanda libidine imperio rationis, ſiqua laſciuis ſupereſt: *Tibi*, inquit *dominationem rationis Creator dedit, tibi præcepta continentiæ tanquam in beſtias inferiores* (Sic brutas concupiſcentiæ appetitiones appellat) *lora conceſſit. Tenes quod pecus non poteſt, & ſperas quod non poteſt pecus. Laboras in continendo, non pecus; gaudebis in æternitate, non pecus. Si opus fatigat, merces conſolatur,* (Expende verba quæ ſubdit) *Quod ſi contempſeris, & imaginem Dei quæ in te eſt poſthabueris, victus cupiditate tanquam dimiſſo homine pecus eris.* Libido hominis ſic eſt beſtialis, vt *hominem dimittat*? Negat hominis laſciuia rationalem hominem, & brutum fatetur pecus? Niſi dimiſſo homine non laſciuit homo? deſueſcit hominem, aſſumit pecus, qui de libidine pecuinos exprimit mores. Ex præcelſo rationalis hominis faſtigio præcipitat, qui luxu in brutam pecudem ignobiliter degenerat. O homo, hominis depoſitione carnis voluptatem mercaris. Eſto benè caſtus, ne ſis malè homo: nam *victus cupiditate tanquam dimiſſo homine pecus eris.*

Exhod. 9. v. 3.
*Homo hominis depoſitione, carnis voluptates mercatur.*
Strab. inibi.

6. Iudicum 2. mortuo tandem Ioſue, egregio Iſraëlitarum ductore, ſuſcitauit Dominus iudices, qui liberarent eos de vaſtantium manibus: ſed nec eos audire voluerunt, *Fornicantes cum Diis alienis, & adorantes eos.* Frequens eſt apud Biblicos expoſitores quæſtio, quare ſacri Scriptores plerumque *fornicationis* vocabulo idololatriam appellent. S Zeno Veronenſis (vt interim alios omittam) libidinis idololatriam adſcribit, de eâ ſic fatus: Diaboli eſt ſanè mancipium, eius enim poſſidet regnum: nam Deos ipſa genuit, ipſa intulit mundo, per quos aut in quibus Diabolus colitur: quorum in actibus origo monſtratur. Ipſa venerem membris omnibus denudatam connexis manibus ſe tegere conantem, imò animi ſui vitium & corporis demonſtrantem; poſt multa adulteria ſpectaculo totius mundi quoque proſtituit. Non opus eſt ire per ſingula .... *vt ſciat vnuſquiſque ad idololatriam pertinere luxuriam. Ipſa, inquam mortuorum ſepulcra conuertit in templa, tumulos in altaria, cadauera in ſimulacra, penetralia in ſacrificia, mores in ſacra.* O inopinatam humanæ ſalaciter concupiſcentiæ vim, quæ de præſtigiatricis luxuriæ blandimento, propudioſos libidinis *mores* ſic adorat, & tanquam numina percolit, vt falſatâ ſuperſtitiosè mente conuertat *in ſacra*. Digna ſanè luxuriæ numina: adorant quidèm quod ſunt, quòd inſanè deperiunt, quod ipſi merentur. Nec mirum, nam homo cupiditate victus, *tanquam dimiſſo homine*, in pecudem ignobiliter degenerat: & indè pecuinos *mores conuertit in ſacra.*

Iudicum 2. v. 17.

S.Zenon ſer. de Pudicit.
*Origo idololatria à libidine eſt cuius mores cõuertit in ſacra.*

7. S.Cyprianus in lib. de Diſcip. & bono pudicitiæ, ita de impudicitiâ ſcribit: *Citò natura corporis periclitatur in corpore, dum rapit illam ſecum caro, quæ ſemper in lapſu eſt. Sub prætextu quippè naturæ, quæ homines ſemper vrget ad effectus, quibus ruinæ collapſi generis reſarciantur, blandimento voluptatis fallentes, non ducit ad conſcientiam legitimæ coniunctionis ſobolem, ſed tactat in crimen.* (Attentiùs penſita quæ ſubiicit verba) *Ergò contra has carnis inſidias, quibus ſe Diabolus & ſocium miſeriæ, & ducem facit, obluctandum eſt omni genere virtutis.* Quò pacto Diabolus carnis expers, ſe poteſt miſeriæ humanarum libidinum ſocium exhibere, quandoquidèm negotium libidinis carne peragitur! Verùm conſultiſſimè ait Cyprianus, non quòd Diabolus ſe miſcet humanæ libidinis ſocium; ſed quòd ſe præbet *ſocium miſeriæ* & calamitatis humanarum libidinum. Scilicet non modò libidinis lenociniun malè dulce eſt, & ingratè blandum: ſollicitudine anxium eſt, Zelotypiâ ſollicitum, langoribus obnoxium, ſumptibus obæratum. Sed etiam humana libido exæſtuans, gehennalis flammæ ſcintilla eſt, & infernalis incendij fumus; & indè Diabolorum miſeria æmulari dicitur, atque adeò laſciuis *ſe Diabolus ſocium miſeriæ & ducem facit.*

S.Cypr. l. de Diſcip. & bon. pudic.
*Quo pacto miſeriæ humanarũ libidinũ sociũ ſe Diabolus præbeat.*

8. Pſalmo. 43. *Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis.* Pulchrè autem Aquilæ interpretatio quemadmodum intelligere debeamus *locum afflictionis* expreſſit, dicendo: *Quoniam humiliaſti nos in loco Sirenum.* Poëtatur autem moraliſſimè antiquitas, Sirenes, quaſdã puellas fuiſſe quæ vocis ſuauitate, canendi illecebris, audiendique ſtudio illectos nauigantes ad littus admouere nauigia prouocabant, eoſque (cùm gratiam vocis ſequerentur) ſcopuloſo in loco naufragium facere ſolitos. Pergit indidèm Ambroſius: *Sirenum autem interpretatio hæc eſt, Voluptas vocis, & quædam adulatio. Ita ergò ſeculi voluptas nos quâdam carnali adulatione delectat, vt decipiat.* Ecce tibi, *locus afflictionis* dicitur

Pſal. 43. v. 20. Aquila S. Ambr. ibi.
*Libidinis voluptas adulatione delectat.*

dicitur carnalis voluptas. Scit ſalacitas quàm carò carnis voluptates emat. Et quidèm ſententiosè libidinis voluptas, *adulatio* dicitur, & velut quadam ambitiosâ *adulatione delectare.* Porrò adulatio, vultu, linguâ, obſequio, quas prædicat laudes, egregiè mentitur. Heu libidinis mendacia! O fucatum humanæ naturæ ludibrium!

9. Ad Rom.7. v.14. *Adulterium eſt Diaboli nummus.*

Doctor Gentium ad Romanos 7. Scimus, inquit, quia lex ſpiritualis eſt: *ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato.* Dicit Apoſtolus de ſe, quòd ſit venundatus ab Adamo pretio pomi ſub peccato. Et ſanè *carnalem* ſe dicit, vbi ſe nominat ſub peccato *venundatum.* Opinor, Apoſtolum in ſe peccatorum perſonam oſtendere. Audiendus eſt Origenes homil. 15. in Geneſim, ita fatus: *Rectè quidèm dicitur redemiſſe nos Chriſtus, qui pretium noſtri ſanguinem ſuum dedit. Quid tale autem, vt nos mercaretur, Diabolus dedit? Ergò, ſi videtur, auſculta: Adulterium pecunia Diaboli eſt: Diaboli enim imago in eo eſt, & ſuperſcriptio. Commiſiſti adulterium? accepiſti Diaboli numiſma.* Quaſi carnis pellacia, & concupiſcentiæ illecebra, qui in adulterium trahit, ſit Diaboli imago & ſuperſcriptio, quâ adulterium, quòd eſt Diaboli numiſma, ſignatur. *Carnalis* eſt qui peccati pretio *venundatus* eſt: adulterium enim, & obſcœna carnis libido nummus eſt: quo peccatores vili mercatur. Non ſic Chriſtus, qui ſanguinis ſui pretio nos redemit. Scio aliam eſſe Paulli mentem, qui peccatum appellat peccati fomitem. De quo aliàs.

Origen.

## §. LXXX.

### *Alieno arbitrio agi, eſtne Euangelicæ perfectionis meta, & atrocior martyrij acerbitas?*

1. P.Greg. in Syntag.l.47. c.39. n.2. Feſtus. Alex. Scot. verbo Arbiter. *Arbiter, & Cenſor formidabilem gerunt dignitatem.*

Arbiter generali ſignificatione is dicitur, qui libera ſententiâ quod ſibi videtur aliquâ de re explicat: & indè arbitrari eſt, liberâ voluntate aliquid declarare. *Arbiter* (inquit Feſtus) *dicitur iudex, quòd totius rei habeat arbitrium & facultatem.* Addit Alexander Scot. quòd Arbitri ſententia ſine iuſta ſiue iniuſta ſemper eſt tenenda, ſi pœna fuerit appoſita. Et quidèm arbitrator non tenetur ſeruare iudiciarium ordinem, nec iuris apices. Vide quàm ſit arduum arbitro ſubiici, cùm vnius hominis arbitrio, ductu iuriſprudentiæ viduato homo ſpontè ſubdatur: neque enim arbiter tenetur ſeruare iuris ordinem; & iniqua etiam ſententia tenet. Hàc etiam de cauſsâ Cenſor apud Romanos tanto metu ac reuerentiâ colebatur: de illius enim arbitrio cenſus cuiuſque in re honorariâ, & nummariâ, ad nutum taxabatur: quo quid acerbius? nam vel conſulem, quòd cœnaſſet ſumptuoſiùs, à conſulatu deturbabat, arbitrario Cenſoris faſtu, per ſummam licentiam dignitatis. Quò mirior apparet Eſtheris laus, *Quicquid enim ille* (Mardochæus) *præcipiebat, obſeruabat Eſther: & ita cuncta faciebat, vt eo tempore ſolita erat, quo eam paruulam nutriebat.*

L.Feneſtel.l. 2.c.17.

Hic verſ.20.

2. Matth.20. v.22.

Matthæi 20. mater filiorum Zebedæi, ſanguinis iure, & neceſſitudinis ſuffragio, primas regni ſedes Iacobo & Ioanni impetrare ambitu præſumit. Reſpondens autem IESVS, dixit Neſcitis quid petatis. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei: Poſſumus.* Hæreticorum interpretes, qui hoc ad calicem Euchariſticum exiſtimant referendum, omninò mihi videntur delirare: quis enim calicem illum bibere non poteſt? Dubium igitur non eſt, quin Chriſtus paſſionem ſuam calicem appelleti. Cur autem paſſio & mors calix appelletur, minùs compertum. Chryſoſt. & Theophylactus ideò vocari putant calicem, quòd paſſionem Chriſtus non minùs libenter obierit quàm ſi poculum vini ebiberit. Origenes & Hieronymus cenſent deſumptam eſſe metaphoram ex antiquâ conſuetudine, quâ ſolebat damnatis ad mortem poculum veneno plenum porrigi, vt eâ ratione vitam finirent. Aliter P. Maldonatus præſcriptum locum & litteraliſſimè & moraliſſimè exponit: *Scio*, inquit, *aliam eſſe in Scripturis metaphoram calicis ex vetere deductam more quo inter Iudæos paterfamilias, aut quiſquis in conuiuio honoratiſſimus erat, vinum pro ſuo arbitrio temperabat, & vnicuique conuiua alij plus, alij minus diſtribuebat. Itaque aliis melior, aliis peior portio contingebat.* Nimirùm vt Chriſtus primas regni ſui ſedes his duobus Apoſtolis concedat, hoc difficile morum examen præmittit, aiens: *Poteſtis bibere calicem*, quem alius pro arbitrio ſuo vobis temperet, & pro ſuo nutu aliis potiorem, deteriorem aliis liberè porrigat? Hic calix adeò acerbus eſt, vt Dominicæ paſſioni aſſimiletur; ſitque morum examen ad primas in Ieſuano regno ſedes obtinendas. Sic eſt acerbè perarduum ab alieno nutu pendere, & alterius arbitrio regi? Nam grauatè admodùm quiuis ſuffert, vt Paterfamilias, ſiue honoratiſſimus quiſque conuiuio aſſidens, pro cenſu aut nutu ſuo ſeu congruentiarum arbitrio, meliorem aut deteriorem calicem ad arbitrium ſuum vino temperatum diſtribuat, quod Dominicæ paſſionis inſtar eſt. Luculenter quidèm Maldonatus!

S.Chryſoſt. Theophyl.

Origen. S Hieron.

Maldon.ibi. *Paſſione aſſimilatur, alterius arbitrio ſubdi.*

Regius Pſaltes Deo gratulans ob Iſraëlitarum eductum de Ægyptiacâ ſeruitute in tot acerbiſſimis plagis cælitus vibratis, ſic modulatè pangit. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei. *Qui educit vinctos in fortitudine: ſimiliter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulcris.* Quæ verba ſic excribit, & excribendo exponit Caietanus: *Educens vinctos in congruentiis: tantùm rebelles habitauerunt ſiccitatem.* Nempè cùm vberiorem gratiæ & fauoris exuberantiam ſuo populo Deus exhibuit, & acrioribus plagis peruicaces Ægyptios malè concidit; tunc ſuum populum eduxiſſe dicitur à Vulgato, *In fortitudine*, vt qui vinculis vndique circumdati erant, fortes euaſerint. Vndè Chaldæus exponit, *Saluauit eos in pompa*, quaſi ſumptuoſior pompa, & aliquis omnipotentiæ faſtus ſit mirabilis illa eductio filiorum Iſraël, quandò illis beneficentiorem, Ægyptiis verò ſe acerbiorem exhibuit. Quod viuaciùs ad rem Caietanus expoſuit, aiens: *Educens vinctos in congruentiis.* Scilicet loquitur de Deo more humano. Homo autem poteſtate ſublimis, dum

3. Pſal. 67.v.7.

Caiet.ibi. *Qui ex congruentiis duntaxat cenſet, ſæpè iniquè iudicat.*

dum non ſeruatâ iuris formâ: ſed velut rerum arbiter cenſet; & de rebus, non ſecundum leges & iuris apices decernit; tunc, tunc quidem de affectuum ſuadelâ ex *congruentiis* iudicat, & huic ſummoperè fauet, illum nimis depretiat deprimit, exacerbat, & bonæ aut malæ affectionis conſilio de rebus cenſet.

Itaque quò exaggeratiùs publicetur quàm impensè Deus ſuo populo fauerit, & duriùs ſauciauerit Ægyptios, humani vitij nomen abſque re vitij aſſumitur, & anttopopathôs dicitur, velut humanus arbiter ex *congruentiis* iudicare, & ſuo populo indulſiſſe, & plagis Ægyptios deuaſtaſſe. *A nadie faltan congruencias parca dar color à lo que quiere.*

4. Geneſ. 3. v. 24.

4. Geneſeos 3. præuaricatorem Adam cum ſeductrice coniuge emiſit Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram de quâ ſumptus eſt, *Et collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubin & flammeum gladium, atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Prima præfectura, quâ Deus cæleſtes ſpiritus honoraſſe ſcribitur; fuit hæc, quâ puniendo ſeueriùs homini ob primæuum ſcelus, Cherubim præficitur paradiſi cuſtodiæ. Meritò autem diſquirunt interpretes, quare ex tot Angelorum ordinibus, ad huiuſmodi præfecturam Cherubinus eligatur? An ad paradiſi cuſtodiam quiſpiam è minoribus non ſufficeret? Quòd ſi è ſublimioribus eligendus erat, cur Cherubinus potiùs quàm Seraphinus, aut aliquis è primoribus eligitur? Verùm congruè Cherubinus ſeligitur, ſi quidem *verſatilis gladius* illi porrigendus erat, vt Hugo Cardinalis inſinuare videtur; *Et collocauit*, inquit, *ante paradiſum voluptatis Cherubim. Cherubim plenitudo ſcientiæ eſt ..... Vndè gladius verſatilis dicitur, quia poteſt remoueri. Remotus eſt autem Henoch & Elia.* Nimirùm Præfectus, qui gladium *verſatilem*, id eſt, qui pro arbitrio poteſt remoueri, & quem ad nutum moderatur, habet in manu, peridoneè Cherubinus eſto, id eſt, *plenitudo ſcientiæ*, & intellectus ſubtilioris dono ſublimiſſimus; vt congruus ſit *verſatilis*, hoc eſt, arbitrarij gladij moderator, ne tantæ potentiæ abuſu, à puniendis hominibus tolerari non poſſit. Eſto Cherubinus, qui de ſcientiæ plenitudine pernoſcat, *verſatili* ad arbitrium *gladio*, ipſóque ad acerbiorem vſtionem *igneo*, Adamo, vniuerſatim poſteris, aditum intercludendum; Enocho autem & Eliæ peruio itinere pandendum. O quàm multa ethicè docet, qui præficit *plenitudinem ſcientiæ*, quæ *igneum* gladium & arbitrio *verſatilem* moderetur!

*Igneus gladius & arbitrio verſatilis, Cherubinum expetit moderatorem.*

Hugo ibi.

5. Ioan. 21. 4. 18. & 19.

5. Ioannis 21. poſt ter repetitum amoris examen, Eccleſiæ Petrus præficitur. Cui confeſtim mors, & pœnaliſſimum mortis genus Chriſti Dei ore prænunciatur: *Amen, amen dico tibi: cùm eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit ſignificans quâ morte clarificaturus eſſet Deum.*

Multa tentant interpretes, & plures quæſtiones mouent; vt præfata verba litteraliter exponant. Illa autem expoſitiò, quam ex Ruperto, & Euthymio fatetur ſe Maldonatus adducere, moralis eſt, & huic themati non inidonea: *Cùm eſſes iunior, id eſt, adhuc ſub lege Moyſis, tanquam ſub pedagogo, non adeò fortis, non adeò perfectus eras, vt pro me mori poſſes; cùm autem ſenueris, id eſt, per legem Euangelicam perfectus euaſeris, pro me morieris.* Nimirùm morum perfectio ſub lege Moyſis, comparatur iuueni, qui pro ſuo arbitrio ſe mouet quocumque vult. vndè impenſus labor de vltroneâ voluntate facilis redditur, quæ eſt obuia morum gnome. Quandò autem ſumma Euangelicæ legis perfectio deſcribitur in Petro (Chriſtianæ perfectionis ideâ) & traditur eius acerbiſſimum martyrium, quod *clarificationis* Dei nomen meruit; tunc, tunc quidem, ad pe[r]ardua Petri facinora in re Euangelicæ perfectionis viuaciùs exprimenda, conſultiſſimè pariter ac moraliſſimè dicitur, alieno nutu & arbitrio tractandus: *Extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis, id eſt, per legem Euangelicam perfectus euaſeris.* Quaſi alieno arbitrio agi, ſit perfectionis Euangelicæ meta & pœnalior martyrij acerbitas.

Rupertus. Euthy. apud Maldon. ibi.

*Alieno arbitrio agi, eſt ne perfectionis meta, & martyrij acerbitas?*

6. Eraſm. l. 3. Apophth. 81.

6. Refert in Apoplitegmatis Eraſmus, quòd coràm prædicantibus beatum Ariſtotelem, quia ſplendido apparatu exceptus fuerat ab Alexandro, cum eóque conuerſaretur, ac viueret; ipſe infelicitatem reputans, quam prædicabant felicitatem: *Ariſtoteles, inquit, prandet cùm vult Alexander, Diogenes cùm vult Diogenes.* Nimirùm Diogenes, cui obuius cibus de perâ expromptus, felicior eſt Ariſtotele, qui ambitioſâ vtitur menſâ ad alterius arbitrium.

*Ariſtoteles prandet cùm eſurit Alexander, Diogenes cùm eſurit Diogenes.*

7. Matth. 6. v. 9.

7. Matthæi 6. ſic à Chriſto orare docemur: Pater noſter qui es in cælis; ſanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. *Fiat voluntas tua.* Hæc petitio ſpectat ad præcedentem de Dei regno: quia quo magis fit voluntas Dei, eò magis propagatur Dei regnum, dum plures illi ſe voluntariè ſubiiciunt. Itaque pretio abnegatæ voluntatis noſtræ, Dei regnum dilatatur, & voluntate noſtrâ obſequentiùs expunctâ, regni Dei dilatationem mercamur. Res tanta tanto pretio emenda erat. Vis noſſe quàm magnum, quamque arduum ſit, abnegatâ propriâ voluntate, Dei facere voluntatem? audi inibi Cyprianum.

*Conformitas cum diuina voluntate martyres cudit iugi martyrio.*

*Fiat voluntas tua. Voluntas Dei eſt, quam Chriſtus & fecit & docuit. Humilitas in conuerſatione, ſtabilitas in fide .... cruci eius fortiter ac fidenter aſſiſtere: quandò de eius nomine & honore certamen eſt, exhibere in ſermone conſtantiam, quâ confitemur; in quæſtione fiduciam, quâ congredimur; in morte patientiam, quâ coronemur.*

S. Cyprian. Tract. de Orat. Domi.

*Obedientia quoddam martyrij genus eſt.*

Num hæc petitio, *Fiat voluntas tua*, martyrium expetit, aut auguratur? Imò repetitum perſæpè martyrium. Scitè Clem. Alex. *Quicumque Seruatoris mandata exequuntur, in vnâquaque actione ſunt martyres.* O, ſic cum diuinâ voluntate conformitas, martyres cudit, iugi martyrio laureatos.

Clem. Alex. 4. Strom. c. 4.

## §. LXXXI.

*Diſtrictior morum Diſciplina, fomes bonæ indolis dicitur, alteram naturam quodammodò tribuens; imber boni ingenij, & mali fermentum.*

1. *Morum diſciplina, quàm ſit hominibus neceſſaria.* VIrtutis ſtudium etſi homini lapſo peregrinum ſit, vigor mentis eſt, vitiorum titubatio, rationis ſubſiſtentia, flos morum, honor corporum, decor ſexuum, fides generis, fundamentum ſanctitatis, præiudicium omnis bonæ mentis; quamuis rarum nec facilè perfectum, vixque perpetuum vniuerſatim inueniatur; tamen aliquatenùs in ſeculo morabitur, ſi natura indole præſtruxerit, ſi diſciplina adhortationibus perſuaſerit, ſi ſeuerior cenſura coërcitione repreſſerit. *Siquidèm omne animi bonum aut naſcitur, aut eruditur, aut cogitur. Sed vt mala magis vincunt; (quod vltimorum temporum ratio eſt) bona iam nec naſci licet, ita corrupta ſunt ſemina; nec erudiri, ita deſerta ſunt ſtudia; nec cogi, ita exarmata ſunt iura.* (Tertull. lib. de Pudicit. c.1.) Vndè ſtudium virtutis cùm eouſque exoleuerit; & probitatis ſemen in homine ſterileſcat; & de inueteratâ malitiæ præſcriptione, legum cenſura propè exarmata ſit; tempeſtiuus reſtat locus *eruditioni* quæ fit per morum *diſciplinam:* è cuius ſcholâ, & præfocanda eſt vitiorum occaſio, & ſtillanda atque fouenda virtutum ſemina, quæ omnes ſanctitates vberiùs fœcundent.

2. Regius Vates Pſal. 2. his verbis modulatè Principes adhortatur: *Apprehendite diſciplinam, nequandò iraſcatur Dominus, & pereatis de viâ iuſtâ.* (Pſal.2. v.12. *Diſciplina ſententiosè dicitur, nutrimentum ac fomes bonæ indolis.*) Tametſi varij variè excribant τὸ *Apprehendite diſciplinam*, ſapientiſſimè LXX. Interpretes rem expoſuerunt; ſignificant enim ſubiicite vos inſtitutioni, præcepto, conſilio, voluntati, caſtigationi, eàque vltrò *arripite*, ait Hilarius: & Euthymius, *retinète tenaciter*, Theod. *firmiter apprehendite.* Nec mirum eſt, quòd Pſalmographus ſic auidè nos apprehendere diſciplinam, hianter arripere, & tenaciter retinere iubeat, quandoquidem magno eâ mortales emolumento potiuntur. Quod eleganter tradit Cyprian. præſcripta Pſalmi verba ſic exponens: (S. Cypr. de Diſcip.& habit.Virg.n.1.) *Diſciplina, inquit, cuſtos ſpei, retinaculum fidei, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, facit in Chriſto manere ſemper, ac iugiter Deo viuere. Hanc & ſectari ſalubre eſt, & negligere lethale. In Pſalmis loquitur Spiritus ſanctus: Continete diſciplinam, ne fortè iraſcatur Dominus.* Quaſi ſuſpecta ſit ſpes, & cuſtodis indiga, quam diſciplina non erudit: & fides, quæ eſt Chriſtianæ vitæ fundamentum, diſciplinæ retinaculo indigeat, ne in infidelitatem migret. Adhæc diſciplina ſententiosè appellatur, *Fomes ac nutrimentum bonæ indolis.* Profectò grāde Dei munus eſt, bona indoles, leni genio pacata, placida, imperturbata: ad malum verecunda, ad bonum facile procliuis. Verùm *bona indoles*, (tanta eſt naturæ humanæ peruerſitas) ignobiliter degenerat in agreſte ingenium, niſi diſciplinâ *nutriatur*, eàque tanquam *fomite* extimuletur. Ergo *apprehendite diſciplinam, firmiter arripite, & tenaciter retinete*, tanquā *fomitem ac nutrimentum bonæ indolis.* A primordiali delicto ineſt hominibus igniculus ad omnia vitia, quē *fomitē peccati* Theologi appellant: igitur auidè *apprehendamus diſciplinā*, tanquam *fomitem bonæ indolis*, qui ad omnē virtutem nos vrgeat ac extimulet.

1. Reg. 10. Saül patris aſinas auidè quærens, regnum ſibi inciter inuenit. A Samuële in regē Iſraëlis vnctione inauguratus, regni adminiſtrandi diſciplinam è Spiritus ſancti magiſterio illi ſpondet; *Et inſiliet in te*, inquit, *Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virū alterum.* Nimirū homo ruſticanus agreſti operi aſſuetus, confeſtim eligendus in Regem, non humani magiſterij prolixâ morâ, ſed ſubitò è cælo inſtituendus erat. Ab accepta eruditione citò Saül degenerauit: ſed dum eam conſilio & opere exhibuit, *mutatus in virū alterum* dicitur. quaſi homo, à diſciplinâ morigerè acceptâ, in virum alium refingatur, in bonæ inſtitutionis officinâ. Sapienter Clemens Alexandrinus ad hunc Samuëlis locum fortè adludens, ita ad rē ſcribit: *Doctrina hominem concinnat, atque componit; concinnans autem, atque componens, alteram naturam tribuit.* (3. 1. Reg. 10, v. 6. *Diſciplina ſic mores concinnat, vt alterā naturam inducere videatur.* Clem. Alex. lib.4. Strom.) Nimirum hominis ingenium, & humana natura, incondite rudis eſt ad virtutem, agreſtis & impolita ad bonum: (ſicut Saül ad regnum derepentè adminiſtrandum) ergò docti pædagogi doctrinâ, & morum magiſtri diſciplinâ, erudienda, elimanda, & expolienda eſt; adeoque apprehenſa diſciplina ſic concinnat & componit hominem, vt *alteram naturam tribuat: & mutaberis in virum alterum.* Profectò homo diſciplinatus, ſeu pædagogi, aut morum præpoſiti eruditione excultus conſiliis, ſuaſionibus, præceptis, caſtigationibus, & congruè ſeuerâ diſtrictione inſtitutus; ſic à ſe ipſo, & ab aliis morum pædagogiâ viduatis, differt, vt in *alteram naturam* refingi videatur. De auidè *apprehensâ diſciplinâ* alter ipſe iam eſt: *& mutaberis in virum alterum*, Sic diſciplina mores concinnat! Sic diſciplina quantumuis durum ingenium feliciter domat, & in bonā indolem eruditione recudit! Ergò *apprehendite diſciplinam*, tanquam *bonæ indolis nutrimentum ac fomitē.* Quam ſic arripuit Eſther è Mardochæi pædagogiâ, vt nec in ſublimi regni gloriâ, nec in ambitiosè ſuperbis palatij moribus, ab illâ degenerarit *Quicquid enim Mardochæus præcipiebat, obſeruabat Eſther: & ita cuncta faciebat, vt eo tempore ſolita erat quo eam paruulam nutriebat.* (Hic verſ.20.) Diſciplinam patrui apprehendens, quaſi *fomitem ac nutrimentum bonæ idolis.*

Sanctus Iob patientiæ & ſapientiæ laude præluſtris, non tantùm ſubditorum regem agebat, ſed etiam morum magiſtrum. Qui me audiebant, inquit, expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad conſilium meum. *Super illos ſtillabat eloquium meum. Expectabant me ſicut pluuiam, & os ſuum aperiebant quaſi ad imbrem ſerotinum.* (4. Iob.29.v.21. & 23. *Stillanda eſt diſciplina, vt humoris inopia ingenij planta exareſcat.*) Viuidè explicat Iob quam auidè hiauerit Idumæus populus ad eius apprehendendam ſeu arripiendam doctrinam. Et quidem ſcitè morum diſciplinam, ſtillæ vel humori cōparat, quo homo velut terra fœcundatur, ne torrente æſtu ſterilis areſcat; ſed vdore madens opimos proferat fructus vbere prouentu. Forſan ad hunc Iobi locum alludit S. Gregorius

Nazianz.

S.Nazianz. ad Nicobolum. Nazianz. ita ſcribens: *Non fontem, fluuium magnum continentem obſtruam: non committam vt humoris inopiâ ingenij planta exareſcat.* Scilicet non intermittam ſpargere doctrinam, quã ad morum eruditionem populi hianter apprehendere ſtudent: nam quemadmodum è minutis ſtillis fons fluit, & ſæpè fons collectione aquarum in fluuium exundat: ſic morum diſciplina populis iniſtillata. Sed altera Nazianzeni metaphora rem explicatiùs proponit. Nēpe *ſuper illos ſtillabat eloquium meum: expectabant me ſicut pluuiam, & os ſuum aperiebant quaſi ad imbrem ſerotinum:* & quam auidè à me apprehendere diſciplinam hiabant, ne *humoris inopiâ ingenij plãtá exareſceret.* Quaſi hominis ingenium, ſiue genius, ſiue indoles, velut planta infœcundè exareſcat, nec virtutum fructus ſterilis ferat, niſi humore ſeu ſtillis diſciplinæ fœcundata nutrimentum accipiat. Cùm enim diſciplinæ ſtillicidium ſit *fomes ac nutrimentũ bonæ indolis, non committam* (ait Nazianzenus) *vt humoris inopia ingenij planta exareſcat.* O quot ingenia alioqui ad virtutum prouentus idonea, diſciplinæ tædio aut neglectu exſucca horrent, infœcunda ſqualent!

5. Prouerb. 10. v.8. Ianſen. ibi. *Stultus de diſciplina acore fermentari ſententiosè dicitur.*

Prouerbiorum 10. inter alias, quas ibi Salomon ſententias addenſat, illa imprimis tempeſtiua eſt: *Sapiens corde præcepta ſuſcipiet; ſtultus autem caditur labiis.* Benè inibi obſeruat Ianſenius, vocem illam *corde,* non eſſe referendam ad verbum *ſuſcipiet*, quaſi dicat, *Suſcipiet corde:* ſed ad illam vocem *ſapiens,* quæ conſtat eſſe in regimine: atque adeò conuertendam eſſe *Sapiens cordis*, hoc eſt, qui verè, & ex animo ſapit, vltrò auſculat, firmiter apprehendit, & tenaciter arripit præcepta diſciplinæ, *Stultus autem* non modò ex inſtitutoris ore diſciplinam non ſuſcipit; ſed illius *labiis cadi* ſe putat. & inde audita correptione ſuccenſet, exaſperatur, iraſcitur. Hebræus. Pagninus. Rodolphus. Hebraicè *labiis præcipitabitur*, Pagninus, *propter labia punietur*, Rodolphus *labiis vapulabit.* Sic enim grauatè diſciplinam ſuſcipit, & correptionem audit, quaſi corripientis labiis *vapulet* & plagis *cadatur.* Sed non ideò ſtultus, & diſciplinæ impatiens, admonendus non eſt; ſed potiùs congruè inſtituendus, arguendus, coërcendus. Theodot. Matth.13.v.13. 1.Cor.5.v.6. Quod pulchrè expreſſit Theodotion excribens ζυμήσεται, quo huius poſterioris hemiſtichij ſenſus redditur luculenter opportunus: *Stultus fermentabitur:* aut *ſubigetur ab iis.* Et ſanè τὸ *fermentum* in bonam etiam partem accipitur: *Simile eſt regnum cælorum fermento*, &c. Nam etſi *modicum fermentum totam maſſam corrumpat*; tamen ſic eam in acorē & amaritudinem vertit, vt eam ſapidè condiat, & ad ſaporem erudiat: & indè electior & gratior panis fermenti ad modicum acore conditur. Ait ergo ſalomon: Sapiens corde diſciplinam vltrò ſuſcipit. Quod ſi ſtultus eâ ſe *cadi* putat, quaſi labiis inſtitutoris *vapulet*; ceſſandum ideò non eſt ab eius eruditione & inſtitutione: nam etſi ad modicum exaſperatus amarulento animo inſoleſcat; poſtmodũ pacatâ iam mente ad ſe reuerſus, diſciplinæ ſalubria monita ruminabit, & in mores digeret tanquam *alimentum bonæ indolis. Stultus fermentabitur*, ſeu *ſubigetur labiis*, & diſciplinatus de ipſo fermēti acore, morum ſaporem combibet.

6. Prouerb.2.v.2.& 2. Prouerb. 2. his verbis ad excipiendam morum doctrinam Salomon homines adhortatur!

*P.Didac.Celada in Eſtherem.*

*Fili ſi ſuſceperis ſermones meos, & mandata mea abſconderis penes te, vt audiat ſapientiam auris tua; inclina cor tuum ad cognoſcendum prudentiam.* τὸ *ſuſcipere* diſciplinæ tradendæ ſermones, aliqui *emere* excribunt ex Hebræâ origine: quæ verba ingentem addiſcendi auiditatem ſignificant, quæ induſtriæ labori, & tempori, & ſtudio, & ſumptibus non parcit. Verùm τὸ *vt audiat ſapientiam auris tua*, Aquila, Symmachus, Theodotion, & LXX. Interpretes vertunt, *obediet ſapientiæ auris tua.* Nam qui ſic auidè diſciplinam audit, eius audientia, obedientia eſt, qua inſtitutoris monita aſſiduo explet obſequio. Ne quis autem nimis moleſtum putet, ſic exactè diſtrictiori morum magiſtro in omnibus parere; nonnulli Interpretes attentiùs conſiderantes, quod diſciplina eſt *fomes & nutrimentum bonæ indolis*, quæ de gratiæ afflatu, virtutũ facinora, quantumuis ardua, aſſiduè patrat, pro τὸ *obediet ſapientiæ auris*, moraliſſimè vice verſâ excribunt, *Obediet ſapientia auri tuæ.* Quaſi dicant: Sic de magiſterio aſſiduæ diſciplinæ (quæ eſt fomes ac nutrimentum bonæ indolis) euadent morigeri, & ad omnes pietates erecti & alacres, & quodammodò procliues, vt non tam ipſos *obedire* doctrinæ, quàm ipſam doctrinam, ſeu morum diſciplinam illis *obedire* videatur. Quaſi morum Inſtitutor illis præcipiat, quod ipſis è corde eſt, quod ipſi etiam iniuſſi ſæpè præſtant: & de exhibitæ virtutis præſtantia Inſtitutor ediſcat, quod aliis pręcipere debeat, vt rectâ pædagogia mores inſtruant, & ad omnes ſanctitates concinnent, atque exquiſitâ morum politiâ comptiùs adornent. *Obediet ſapientia auri tuæ.* Vndè alibi obſeruauimus, de Patriarcharum geſtis Legiſlatores ad condendas morum leges pręſtantiùs erudiri, quaſi in virtutum gymnaſio.

*Numquid diſciplina inſtructo, ipſa diſciplina potiùs obedit*

*Quidã apud P.Salaz. ibi n.6.*

7. Lucæ 14.v.23. Lucæ 14. inuitati ad nuptiale epulũ friuolas prætendunt excuſationes, & indè reſpuũt regale conuiuiũ. Aduocantur alij, & adhuc ſedes in loco conuiuij otiantur ſeſſoribus vacuæ. Et ait Dominus ſeruo: *Exi in vias, & ſepes: & compelle intrare, vt impleatur domus mea*, Auſterum ſane verbũ eſt, *Compelle.* An vi cogendi ſunt liberi homines ad virtutis epulũ, aut beatitudinis cæleſte conuiuium? Pulchrè Aug. S.Aug Ser. 33. de verb. Dom. *Venerunt de plateis & vicis Gentes, venerunt de ſepibus Hæretici. Nam ſepes qui conſtruunt, diuiſionem quærũt, abſtrahantur à ſepibus, euellantur à ſpinis; ſed cogi nolunt, voluntate, inquiunt, noſtra intremus.* (Nota quæ ſubtexit verba) *Nõ hoc Dominus imperauit, Coge, inquit, intrare: foris inueniatur neceſſitas, naſcetur indè voluntas.* O quoties auſterioris diſciplinæ beneficio in neceſſitatis ſchola, voluntas ad omnes ſanctitates eruditur. Sed eheu, virtus aliquatenùs apud homines morabitur, ait Tertull. *Si natura* (de cælo afflata) *præſtruxerit, ſi diſciplina perſuaſerit, ſi cenſura cõpreſſerit. Siquidem omne animi bonum, aut naſcitur, aut eruditur, aut cogitur. Sed vt mala magis vincunt, bona iam nec naſci licet, ita corrupta ſunt ſemina; nec erudiri, ita deſerta ſunt ſtudia; nec cogi, ita exarmata ſunt iura.* Et tamen Chriſtus ait, *Compelle. Foris inueniatur neceſſitas, naſcetur inde voluntas.*

*Foris inueniatur neceſſitas, naſcetur indè voluntas.*

Tertull. de Pudicit. c.1.

## §. LXXXII.

### *Virtutibus diu adſuetus, etſi in vitium impingat, ad priſtinam gratiam citò adſurgit.*

1. Eraſm. in Apopht. l. 7. n.59. *Virtuti aſſueſcendum.*

SEntentioſè dixit Antiſthenes: *Omnia mala habenda pro peregrinis. Vulgus hominum ea tantùm probat, quibus aſſueuit: ab exoticis abhorret, non quia per ſe mala ſint, ſed quia peregrina. At ſapienti nihil peregrinum eſſe debet, niſi quod cum vitio coniunctum.* O, virtuti aſſueſcamus, & quicquid ab eâ vitioſè abhorret, tanquã exoticum & peregrinum adæquè auerſabimur! *In omni re* (ait Nyſſenus) *difficilis eſt, quæ expugnetur conſuetudo: quoniam cùm multam ad attrahendum in ſe animum afficiendumque vim obtineat, tum in eo valet vt aliquam honeſti opinionem afferat.* Itaque conſuetudo, ſi in re etiam virtutis, animum diu obtinet, difficile virtus refigitur, & poſſeſſorem deſueſcit; atque ſemel refixa facile reconſueſcit, quaſi diu concorporata & concarnata, in alteram naturam abierit: à quâ quicquid deſciſcit, quaſi violentum & peregrinum accidit, citò abiturum in morem priſtinum.

S. Nyſſ. l. de Virgin. c. 9.

2. 2. Mach. 1. v. 22. *Æternus ignis in aquã craſſam aliquando conuerſus, vel de radiis Solis ignem concipit.*

2 Machabæorum 1. cùm Ieroſolymis hoſtiliter euerſis, Iudæa gens in Babylonem captiua duceretur, ſacerdotes veri Dei cultores acceptum ignem de altari occultè in valle abſcõderunt. Erat illic veluti patens puteus, aquæ receſſu infrequẽs, nec populari vſui patẽs ignoto & arbitris remoto loco. Ibi obſignarunt iudicio ſacro pariter & ſilentio ignem ſacrum. Poſt plurimum verò temporis quandò placuit Deo, dedit hanc mentem regi Perſarum, vt inſtauraret in Iudæâ templum, & legitimos reparari Ieroſolymis vſus iuberet. Cuius gratia muneris Nehemiam ſacerdotem rex Perſarum direxit. At ille ſecum direxit illorum Sacerdotum nepotes, qui profecturi de patrio ſolo ſacrum ne periret ignem abſconderant: & ſicut narrauerunt nobis, *non inuenerunt ignem, ſed aquam craſſam.* Et iuſſit eos haurire, & afferre ſibi: & ſacrificia, quæ impoſita erant, iuſſit ſacerdos Nehemias aſpergi ipſa aqua, & ligna quæ erant ſuperpoſita. *Vſque hoc factum eſt & tempus affuit, quo Sol refulſit, qui priùs erat in nubilo, accenſus eſt ignis magnus: ita vt omnes mirarentur.* Si ſpecie tenus vibretur cenſura, mirifſimum ſanè videtur, quòd ſacer ille ignis quem appellabant *æternum*, ſicco puteo iam emortuus, & qui in *aquam craſſam* conuerſus, v'us ſtagnabat; in contrarium elementum degener, ad primos Solis inter nubilum languidè fulgores, è veſtigio ad ſe redeat, & in priſtinam ignis naturam reformetur. Inde res in paucis noua, ſpectatorum omnium admiratione honoratur. *Quid illorum fidei contemplatione pulchrius?* (ait Rupertus) *Ignem morientem qui nutriri non poterat, qui vbi nutriretur, non habebat; illi reſuſcitandum commiſerunt...... Quale enim fuit, ligna & ſacrificia ſuperimpoſita, itemque lapides magnos aquâ perfundi, magnumque de contrario elemento ignem accendi?* Grande quidèm prodigium, ſi rerum natura ſpectetur, ex *aquâ craſſa* in puteo ſegniter ſtagnante, ad languidos Solis inter nubila fulgores, acrem & lucidam flammam micare, & è contrario elemento ignem accendi; & vndè ignis alioquin extinguendus foret, indè ignem micantiùs proſilire. Verùm ſi res hæc ethicè cõſideretur, naturale miraculum, & vſu frequens reputabitur. Porrò ignis ille dicebatur *æternus* qui è cælo immiſſus, à tempore Moyſis per iugem indies pabuli appoſitionem, accenſus & lucidus ſeruabatur. Hic ignis in puteum licet ſiccum demerſus, in aquam conuertendus erat. Sic loci qualitas, mores & qualitates ſuas affricat; vt puteus, qui eſt aquæ locus, licet ſiccus ſit, ignem etiam in aquam conuertat! (de quo alibi forſan) Itaque quod perdiu fuerat *ignis* etſi ex aliquo naturæ ſuæ infenſo accidenti, in *aquam craſſam* degenerarit, de facili ad ſuam olim naturam redit, & vel de Solis luce, & languido calore, priſtinam naturam & ingenium concipit, antiquoſque mores reſumit, exprimit, reſculpit: & *ignis æternus*, tametſi iam *aqua craſſa*, vbi Sol refulget, & tantillùm incaleſcit, *magnum de contrario elemento ignem accendit.* Nimirùm. Qui diu ignis fuit & deuotionis calore, & feruore virtutum etſi aliquantulo tempore, deſidiæ hyeme tepeſcat & frigeat; velut in aquam algore conuerſus, ad primos Solis radios, aquam deſueſcit, & priſtinam ignis naturam arripit, & ad feruorem diu adſuetum facile redit. O, virtuti diu aſſueſcamus, ne poſtmodùm vitia in nobis inoleſcant! Sed in tranſitu notare oportet, quòd ſi diu ignis in aquam cõuerſus, de facili ad ignem redit; peccatorum *aqua* diu *craſſa*, quæ leuiter ignem aliquo deuotionis feruore concepit, quàm expromptiùs in priſtinam diu *craſſam aquam* vitiorum redibit. O time, quiſquis virtutem amas.

Rupert l. 10. de Victor. c. 18. & 19.

*Vel puteus ſiccus ignem in aquam conuertit, de loci genio.*

3. *Peccatorum aqua craſſa quæ feruore deuotionis ignem concepit, facile ad ſe redit.*

Canticorum 1. ſic de ſe ſponſa ad Angelos loquitur, *Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Ieruſalem ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me Sol.* Valdè ſudat Interpretum induſtria, vt exponat, quo pacto Sponſa de ſe dicat *Nigra, ſeu fuſca ſum, ſed formoſa:* nam pulchritudo præſertim in feminis, eſt apta membrorum diſpoſitio cum quâdam ſuauitate coloris; fuſcus autem aut niger color, inſuauis eſt, ac difformis, & qui venuſtatem adulterat. Verum hæc difficultas, verborum corticem tangit, non myſtici ſenſus medullam. Porrò Sponſa de ſe loquens, ait *Nigra ſum, ſed formoſa,* quia deformitatem nigri coloris, deformitatis cõfeſſione abſtulit. Quod luculenter Sanctius adnotauit: *Nigra ſum. Inducitur Sponſa modeſtè hoc de ſe, atque ingenuè profeſſa, quod illi maiorem laudem affert, & decorem.* Exindè dum ingenuè ac verè fatetur ac euulgat, quòd *nigra* ſeu *fuſca* ſit rectè ſimul addere poteſt, quod eſt *formoſa,* quaſi defectum illum confeſſione emendauerit, & ipſa maiorem indè decorem aſciuerit. Aliter ad rem Pſellus apud Theodoretum præſcripta verba exponit: *Nigra ſum, ſed formoſa Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me Sol. Ne inquit, exiſtimetis me ita fuſcam, & obſcuram, & nigram fuiſſe procreatam. Tota enim lucida à creatore meo formata ſum. Sed ardens Sol, tentationum æſtus me vehementer exuſſit, ac denigrauit.* Quaſi dicat anima ſancta virtutibus aſſidua, & omnium

4. Cant. 1. v. 5. & 6. *Ingenua fœditatum confeſſio, ſtatim fœditates excutit.*

Sanct. ibi n. 28.

5. Pſellus apud Theodor. ibi. *Sponſa diu moribus pulchra, etſi lapſu nigra, Nigra & formoſa dicitur.*

nium ſanctitatum otio, aut negotio diu adſueta: Tametſi *fuſca* ac *nigra*, nihilominùs *formoſa* ſum: neque enim *fuſca*, *obſcura*, aut *nigra* in paradiſo creata ſum, nec poſtmodùm vitiorum *obſcuritatibus* adſueta; ſed potiùs aſſiduitate ac ſedulitate virtutum innutrita. Idcircò tametſi *fuſca* ſum, id ex *tentationum æſtu* aliquandò accidit: valido autem propoſito tentationum excutiendarum arrepto, quæ perdiu *formoſa* fui, etſi nunc de *tentationum æſtu fuſca*, & *nigra*, iam iam *formoſa* exinceps ero: adeò vt propè auſim dicere, *Formoſa ſum*, quia citò ad priſtinam gratiæ venuſtatem redibo, quam ſpero numquam *tentationum æſtu* infuſcandam. Vnde ſponſa audacter dicit, *Nigra ſum, ſed formoſa*.

6. 2. Machabeorum 1. ſcribunt Solymitani ciues ad eos ſui generis homines, qui morabãtur in Ægypto, aut in varias regiones alias fugitiui diſceſſerant, vt diem illum ſollennem agant, quo pollutum ab Antiocho templum, purificatum fuit: & diem etiam ignis qui in aquâ craſsâ effoſſus eſt è puteo, & Nehemiæ datus. Iraque longiuſculam de inuentione illius narrationem his verbis auſpicantur: *Cùm in Perſidem ducerentur patres noſtri, ſacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè abſconderunt in valle: vbi erat puteus altus & ſiccus*, &c. Hîc ſollerter explorant Interpretes, quomodo cum Iudæa gens, quo tempore ablatus fuit de templo ignis, & in puteum demerſus, abducta dicatur; non in Chaldæam, aut Babylonẽ Chaldææ metropolim, ſed in *Perſidem*, quæ à Chaldæâ longè diſſita eſt. Hinc Hæretici ouant, triumphant, & in Vulgatis Machabæorum libris egregiam labem reperiſſe garriunt licentiâ hæreticâ. Reſpondet Serarius latiùs patere *Perſidis* nomen, adeò vt Chaldæam etiam complecti poſſit, quod eruditè probat. Aliter litem componere Sanctiuś tentat. Verùm ſi rudibus ethicè batuere licet, inter ſtrenuos milites, qui decretoriis validè decertant: peridonea ad mores eruditio hinc ſumi poteſt. Porrò certum eſt Hebræum populum ſub rege Chaldæo in Babyloniam abductum; cùm autem poſtmodùm Perſarum reges Chaldæum ſibi ſubiugarunt, & abſorbuerunt imperium; iam non Chaldæum aut Babylonicum, ſed Perſicum audiebat, vt inibi Sanctius opportunè notauit. Cùm ergò ſoluta ſit captiuitas, non ſub rege Babylonico, ſub quo facta captiuitas eſt, ſed ſub rege Perſâ qui Iudæum populum remiſit in patrios lares: hinc cõſultiſſimè pariter ac moraliſſimè dicunt Solymitani ciues, & reliqua Iudæorum gens: *Cùm in Perſidem ducerentur patres noſtri*. Non dicuntur nunc in Babyloniam, ſed *in Perſidem ducti*, vt in ipſo captiuitatis nomine, & calamitate exilij, reluceret auſpicium futuri reditus, qui futurus erat, non ſub rege iam Babylonio, ſed ſub rege Perſâ, vt in ipſâ calamitate tranſpareat liberationis augurium, & in ipſo exilij nomine, non dubiis characteribus legatur captiuitatis ſolutio, quæ accidit ſub Perſarum rege. Deindè (vt ad rem propiùs accedamus) cùm Terra promiſſionis, & præſertim Ieroſolyma, ſit domicilium electi à Deo populi, ſedes ſanctitatum, & patriarchalium virtutum locuś, dùm Dei populus in captiuitatem abducitur, abduci hîc non dicitur in Babyloniam, quia ſub Babylonio rege ſoluta non fuit; ſed *in Perſidem*; ſub Perſarum enim rege ſoluta fuit, & priſtinis ſanctitatibus reſtituta. Quò innoteſcat, quod cùm electus Dei populus à vitiis captiuus abducitur, in ipſo abductionis vocabulo, feliciſſimi reditus tabula legitur; & dum in Babyloniam ærumnosè eunt, è Perſide rediruros fauſtè præmonſtratur. Ideò ſacer Hiſtoricus conſultiſſimè dixit: *Cùm in Perſidem ducerentur patres noſtri*; non in Babyloniam.

2. Mach. 1. v. 19.

*In ipſa iuſtorum tribulatione, felix illius exitus deſcriptus eſt.*

Serar. ſ.p. Harm. q. 11. Sanct. ibi. n. 32.

Sanct. ſup.

7. *In ipſo captiuitatis nomine, reditũ ad Ieroſolymam Dei populi legit.*

8. Iob 2. eò adactus miſeriæ, & ſolitudinis fuit vt haberet nullum magis opportunum, aut molle diuerticulum, quam è fimo, & ſordibus congregatum aceruum, in quo non linteo delicato & mundo ſtillantem ex vlceribus tergebat ſaniem, ſed acuto & aſpero radebat tegularum fragmento. Ad quem tunc accedens inſtigata à Dæmone, & grauiter animo commoto coniux, quæ cùm videret virum ſuum in eâ dolorum excarnificinâ laudantem nihilominùs Dominum, eum offenſione, & irriſione ſubamarâ, dixit: *Adhuc tu permanes in ſimplicitate tuâ? benedic Deo, & morere*. Innumeris commentationibus hunc locum fatigant Interpretes, vt exponant verbum illud *Benedic*, quod ſenſum oppoſitum ſignificat, nempè *Maledic*. Sed benè ex Origene obſeruat Sanctius: *Nunc à muliere non eſſe poſitum verbum Benedicere, ſed illud poſtea ſuppoſitum à Moyſe eum hiſtoriam ſcriberet*. Itaque Iobi vxor à Dæmone inſtigata, *Maledic Deo* ſuggeſſit ore impatienter blaſphemo; Iobus autem patientiæ columna, virtuti aſſiduus, & omnibus ſanctitatibus diu adſuetus, ſic auribus excepit *maledicendi* blaſphemiam, ad quam inſtigabatur, ac ſi non *Maledic*, ſed *Benedic* obaudiſſet. Nimirùm Iobo in virtute à cunis innutrito, illud *Maledic Deo*, ab vxore ſuggeſtum, pro τὸ *Benedic* excepit, & quaſi illius ſynonymum foret vxore tempeſtiuè obiurgatâ, in diuinas eueſtigio laudes modulatiùs erupit. Vide huc viro virtutibus adſueto, vel offendiculum in adiumentum recudi; & inde Dei *beneficentiam* mutaaſſe, vndè *maledicentiam* credi poterat expreſſiſſe. Idcircò nec profani Regis aula Eſtherem deprauauit.

*Iobo τὸ Maledic Deo, ſanquam Benedic Deo ſonat, erat enim virtutibus adſuetus.*

Iob. 2. v. 9.

Sanct. ibi.

Orig. l. 2. in Iob ſed confusè loquitur.

Hic v. 10.

---

## §. LXXXIII.

### *Peritior obedientia eſt fidei æmula, cæcè oculata.*

1. NOtiſſima Paulli vox eſt: Abiiciamus ergò opera tenebrarum, *& induamur arma lucis. Sicut in die honeſtè ambulemus*. Græci ſubindè ὅπλα, id eſt, *arma*, non tantum accipiunt pro ipſis armis, ſed etiam pro inſtructu, ſeu apparatu, ſeu veſtitu, quo homines in die ac luce ſe tegunt & ornant. Quaſi dicat Paullus, Dies Euangelicæ legis nobis clarè illuxit: ergò par eſt vt *armis lucis*, id eſt, habitu & veſtitu qui lucẽ & diem decet, induamur. Vndè ſubdit: *Sicut in die honeſtè ambulemus*, conuerſemur, vt omnis noſter inceſſus, motus, geſtus, ſermo, actio talis ſit, qualem in die hac luce Euangelicæ legis decet. Clemens Alexandrinus lib. 4. Strom. c. 7. ita præſcriptũ Pauli locum interpretatur: *Induamur arma lucis. Præcepta dicit arma lucis*. O benè! Nimirùm homo non tantùm

Ad Rom. 13. v. 12.

*Aptemus nos Præceptis, quæ dicuntur arma ſeu veſtes lucis.*

Clem. Alex.

debet *præceptis* armari aduerſus hoſtiles inimicorum incurſus; ſed etiam ipſa *præcepta*, quibus inſtruitur, debet velut veſtes ſibi aptare, vt eis decenter & ornatè excultus, in die Euangelicæ legis poſſit honeſtè incedere. O, nos nobis ipſis aptemus Superiorum & *præcepta*; ſicut miles ſibi modulatur arma, politulus veſtem & ornatum ſibi eleganter accommodat! Non præcepta nobis, ſed nos præceptis aptemus. Hoc planè obedientis eſt, illud hypocritæ, quod diei lux redarguit. *Induamur ergò arma lucis. Præcepta dicit arma lucis.* Benè obediens cæcitate inoculatur: quia ipſa præcepta *diei luce* clarent.

2. Gen.2.v.17. *Obſequentis peritia eſt, piè imperita rudiſas.* Geneſeos 2. Protoparentes recèns creatos, ne de paradiſeâ felicitate inſoleſcerent, hoc Deus præcepto onerat: Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradiſi comede: *De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.* S. Ambroſius in lib. de paradiſo eleganter addubitat cur præcepti materia ſit poſita in arbore *ſcientiæ* boni & mali: nam ſi huius arboris fructus dat ſcientiam boni & mali, qui hâc ſcientiâ orbatur, obſequij etiam bonum ignorabit: *Qui neſcit*, inquit, *bonum & malum, ne ipſum quidèm nouit eſſe malum, non ſeruare mandatum; nec ipſum bonum nouit, quod eſt obedire mandato.* Reſpondet Ambroſius: *Si vlm neſciebat boni & mali, tamen quia tantorum Auctor dixerat: De ligno ſcientiæ boni & mali non eſſe guſtandum, fidem Præceptori ſeruare debuerat. Non enim ab eo peritia, ſed fides exigebatur.* Non requiritur in ſubdito peritia, ſed obſequium fidei æmulum, quo velut credat præceptori. Obſequentis laudatior peritia, eſt piè imperitum obſequium, rude, indiſcuſſum, & cæcè perſpicax: cæcus ad præcepti diſcuſſionem, perſpicax eſt ad mandati executionem. Opinor, vel ſcientia in re præcepti (dicitur enim *de ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas*) inauſpicatò tranſgreſſionem auguratur. *Non enim ab eo peritia, ſed fides exigitur.* Sic alias expendebamus illa

S.Ambr.

Pſ.118.v.66. Dauidis verba: *Bonitatem & diſciplinam, & ſcientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.* Vbi fidem, non peritiam aut rationem mandatorum allegat. Quod idem Ambroſius lib. 2. de Abraham pulchrè ediſſerit, elucidans illud: *Credidit Abram Deo; & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Ideò*, inquit, *reputatum eſt illi ad iuſtitiam, quia rationem non quæſiuit, ſed promptiſſimâ fide credidit. Bonum eſt vt rationem præueniat fides, ne tanquam ab homine, ita à Domino Deo rationem videatur exigere: Etenim quàm indignū vt humanis teſtimoniis de alio credamus, Dei oraculis de ſe non credamus!* Luculenter de more Ambroſius.

Gen.15.v.6. S.Ambr.

3. Exhod.3. v.5. *Diſcalceatio eſt luxuriæ nix, & obſequij blandimentum.* Exhodi 3. ardenti, nec abſumptæ rubo ſtupens Moyſes propiùs accedere feſtinat, vt hanc magnam viſionem videret. Cui Deus de rubo: *Ne appropies, inquit, hùc: ſolue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Num calceamentum terram ſanctam inquinabat? Eſto, ſoluat Moyſes calceamenta nónne ſuper terram illa depoſuit? Si neque pedes, neque calcei tectam illam attaminant, quomodò calceati pedes eandem coinquinent? Quin & ſæpè aliàs Deus Moyſi videndus apparens, illi nudipes apparere non iubetur. Exindè myſticos iſtiuſmodi diſcalceationis ſenſus curioſè rimantur Interpretes. Diodorus in

Diodorus.

Catenâ ita ſcribit: *Quidam dixerunt, ideò Moyſi iuſſum fuiſſe vt calceamenta ſolueret, ne vxorem accipiens in Ægyptum deſcenderet.* (quaſi pedes diſcalceati ſint pudicitiæ indices, libidinum lupatus, & laſciuientis concupiſcentiæ nix) *Alij verò, vt Moyſi legem daret.* Sed quare Moyſes à Deo accepturus præceptum, cuius obſequio propè contumax reſtitit; priùs ponere calcamenta iubetur? Quid calceamentorum depoſitio, cum arduæ præceptionis obſequio? Appoſitè inibi Lipomanus: *Solue calceamentum de pedibus tuis. Poteſt etiam expoſitio huius loci peti ex quarto capitulo libelli Ruth, vbi ſic legitur: Hic erat mos antiquitùs in Iſrael inter propinquos, vt ſiquandò alter alteri ſuo iuri cedebat, vt eſſet firma conceſſio, ſoluebat homo calceamentum ſuum, & dabat propinquo ſuo. Hoc erat teſtimonium ceſſionis in Iſrael. Ex hoc igitur loco notabis, ſoluere calceamentum ſignificare ceſſionem de ſuo iure.* Scilicet diſcalceatio in Scripturis eſt ſui iuris ſpontanea ceſſio. Ergo ſi diſcalceatio iura & rationem pro ſe militantem ceſſione exarmat; non armat ambitioſi ſqualoris pompam, non ſæuam ſuſpectæ iniurioſæ vltionem, non curioſæ diſcuſſionis ingenium. Ceſſio ſui iuris diſcalceatione indicata, ne ſit ius ad ambitionem, ad vltionem, ad elationem, ad obſeruantiæ inobſequelam, (quos religioſos religioſæ diſcalceationis mores Moyſi ſimiles, in tot religioſis Diſcalceatorum familiis & conſpicimus, & ſuſpicimus) Nam Moyſes diſcalceatus ac nudipes eſſe iubetur: vt priùs iuri ſuo cedens, legem obſeruandam accipiat. Obſequij ſtudioſus iuri ſuo diſcalceatione ceſſit, arbitrio renunciauit, ingenium depoſuit, rationem non videt: illi enim Superioris præceptum pro iure, ac ratione eſt: *Non enim ab eo peritia ſed fides exigitur.* Curioſa *ſcientia boni & mali* in obedituro, indoles contumaciæ eſt, & inobſequelæ lenocinium. Moyſi antedicit Deus *Solue calceamentum de pedibus tuis, vt illi legem daret: quia ſoluere calceamentum ſignificat ceſſionem de iure ſuo.*

Lipoman.

Ruth. 4.v.7. *Diſcalceatio, id eſt, ſui iuris ceſſio, conſultè mandato præmittitur.*

Matthæi 1. Ioſepho Zelotypiæ angoribus anxio Dei Angelus in ſomnis apparet, dixitque ei; Ioſeph fili Dauid, *noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Pariet autem filium: & vocabis nomen eius Ieſum. *Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictū eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo concipiet, &c. Exurgens autem Ioſeph à ſomno, fecit ſicut præceperat ei Angelus Domini.* Opportunè interſerit Euangeliſta Iſaiæ oraculum, vt probet Virginis myſterium; & poſteà Ioſephi obedientiam Angelico mandato deſcribit. An forſan tardiùs? Subtiliter inibi Caietanus pro exprompta Ioſephi obedientiâ, ita ſcribit: *Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur, &c. Debebat Euangeliſta ſubiicere ſtatim obedientiam Ioſeph, ſed diſtulit illam interponendo vaticinium Iſaiæ.* Nimirùm grauiter videtur ferre magnus hic Doctor, quòd Euangeliſta vbi primùm propoſuit Angeli, vel potiùs Dei iuſſionem, non confeſtim ſubiecerit Ioſephi obſequium; ſed interpoſuerit Iſaiæ vaticinium. Quaſi aliqua velut iniuria irrogaretur perfectâ Ioſephi obedientiæ, quia non ſtatim refertur & ſimul ponitur cum præceptione, tanquam illius appendice. *Debebat Euangeliſta ſubiicere ſtatim obedientiam Ioſeph.* Quid eſt *debebat*? Deuenuſta

4. Matth.1.v.22.23.& 24.

Caiet.ibi. *Ioſephi obedientia narrari debuit continuata cum præcepti illius appendice.*

uenuſtaturne Ioſephi obſequium, ſiquid vel in ipſa narratione intercedat, quod non intercesſit in executione? *debuit* ne obſequentiſſimi viri obedientia, indiniduo narrationis nexu continuati cum præcepto, nec ab eo diſiungi, cùm obſequium ſit iuſſionis ſequela, & continuata illius appendix? Potuit quidèm aliquid narrando interſeri inter mandatum, & obedientiam; at operando nihil interpoſuit Ioſephus qui iuſſioni continuauit obſequium. Aduerte quàm ſit delicata perfectioris obedientiæ valetudo, quam vel cunctationis vmbra quodammodò faſcinare videtur. Adſimiliter aliàs expendebamus ex Geneſ. 1. *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuiſitque aquas, &c. Et factum eſt ita*, Quâ ſuper re ſic Baſilius addubitat: *Nec hoc haud animaduerſum hoc loco nos quæſo prætereat. Poſt hoc enim imperium Dei: Fiat firmamentum, non dictum eſt ſimplici modo, Et factum eſt firmamentum, ſed, Fecit Deus firmamentum.* Et poſtmodùm concluditur: *Et factum eſt ita.* Tardum relatione tenus obſequium, & hactenùs inſolitum Sat eſto, perſtrictim digitum ad rem intendiſſe.

Gen 1. v. 6. 7 & 8.

S. Baſil. ibid.

5\. Geneſeos 22. Iam Abrahamus extenderat manum, & arripuerat gladium, vt immolaret Iſaacum. *Et ecce Angelus Domini de cælo clamauit, dicens: Abraham, Abraham. Qui reſpondit: Adſum. Dixitque ei: Non extendas manum tuam ſuper puerum.* Auſa ſacrum facere dextera beneficium ſpondet. Quid non ſperet fides tantum obedientiæ facinus perficere intentans? Tantus paternæ dextræ auſus ſublimia quæque felici auſpicio fauſtè auguratur. Sed cur Angelus ingeminat Abrahæ nomen, quem totum ad obedientiam auritum ſèper expertus eſt? Pulchrè inibi Chryſoſtmus: *Benè hic geminatione vſus eſt, vt ſuperetur impetus Iuſti.* Parùm foret, quod Abraham gratiæ fomite ageretur ad obſequium, niſi etiam quodam parendi *impetu* agi dicatur Pergit inibi Ambroſius: *Abraham, Abraham, &c. Non ſemel tantùm vocauit, ſed geminatione vſus eſt, vt ſuperetur impetus Iuſti, ne aut non plenè audiret, aut fortuitam vocem putaret. Repetiuit vocem tanquam veritus ne præueniretur ſtudio deuotionis, & vna vox impetum ferientis reuocare non poſſet.* Non quæras in Abrahami obſequio rationis peritiam; ſed velut cæcum parendi *impetum*, quo ſic agebatur ad iuſſionem exequendam, vt Angelus vocem geminaret, veritus ne parendi *impetum* reuocare non poſſet Pulchrè in pio Abrahami pectore contendunt & prima iuſſio, & iuſſionis præceptæ reuocatio: tanto autem *impetu* ad iuſſionem implendam agebatur, vt Angelus vocis geminatione præcaneris, *ne præueniretur ſtudio deuotionis*, & ne prius quam plenè audiret iuſtam mandati reuocationem; mandatum impleret. *Supercilij affectus eſt iuſto amplius eſſe ſubiectum*, dixit aliorsùm Ennodius. At velut cæco parendi *impetu* agi, obſequij meta eſt; & obedientiæ faſtus eſt, ſic *iuſto amplius ſubiectum* videri. Quod hìc pulchrè in Eſthere reginâ elucet: *Quicquid enim ille* (Mardochæus) *præcipiebat, obſeruabat Eſther: & ita cuncta faciebat, vt eo in tempore, quo eam paruulam nutriebat.* Faſtigium enim obedièntiæ eſt *iuſto amplius eſſe ſubiectum.*

Geneſ 22. v. 11 & 12. *Abrahamus non tantùm gratiæ fomite, ſed & impetu ad obſequium agitur.*

S. Chryſoſt.

S. Ambr. ibi. apud Caten.

Enno. l. 1. 2. epiſt. 15.

Hic v. 20. 6.

Ioannis 12. Chriſtus Deus atrociſſimæ morti proximus, verum ſe hominè angore oſtendit: nec indè moriendi præceptū declinare ſatagit: *Nūc, inquit, anima mea turbata eſt. Et quid di at* Pater ſaluifica me ex hac hora: Pater clarifica nomen tuum, &c. Quale fundamentum quæram, ſi petra ſuccumbit! Imò non ſuccumbit qui tunc quod humanitatis eſt, non deitatis oſtendit. Vidiſti infirmitatem humanitatis propriam, vide etiam ideale obſequium Filio Dei dignum: Nunc anima mea turbata eſt præceptæ mortis atrocitate vicinante: *Et quid dicam? Quaſi dicat:* (ait indidem Chryſoſtomus) *Non habeo quid dicam, ereptionem quærens.* Mirum ſanè eſt, & valde mirum, quòd corporatum Dei Verbum, quod eſt Patris Dei Sapientia dixerit: *Non habeo quid dicam* præceptæ mortis *ereptionem quærens.* O quàm multas garrulè excuſationes inueniret, proponeret, & addenſaret mera meri hominis ratio, durioris obſequelæ horrore turbata! de exerto ad obſequium renutu, affectu rationem acuente, innumeræ argutiæ ſuppetunt, ſcatent, pruriunt, quibus duræ præceptionis moleſtum iugum excutiant. At diuinum Verbum, Dei ſapientia, & ſumma ratio, cùm præſtandi duri obſequij angore turbatur, non expetit diſpenſationem mandati; nullam allegat excuſationem, nullam cum Filio conniuentiam, vt præceptionis rigorem aut permutet, aut leniat, aut declinet: *Non habeo quid dicam* à præcepti obſequio *ereptionem quærens.* Nam rationes quæ præceptionē leniūt aut excuſant, aut excutiunt, à vitiato hominis affectu plerumque ſunt, non bono rationum conceptaculo.

Ioan 12. v. 27. *Corporata Dei ſapientia non habet quid dicat, ſui præcepti rigorem declinet.*

B Chryſoſt. hom. 66. in Ioann.

---

## §. LXXXIV.

### *Vir obediens de obſequio vitam mutuatur: creatura enim ſentit creatorem: non viuendo, ſed obediendo.*

NAtali ſolo renunciat Abrahamus egrediēs de terrâ ſua, de cognatione ſuâ, & de patris ſui domo ac familiâ; & peregrinus Dei iuſſu in Palæſtinâ moratur. *Facta eſt autem fames in terrâ: deſcenditque Abram in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi.* Cúmque propè eſſet vt ingrederetur Ægyptum: dixit Saræ vxori: Noui quòd pulchra ſis mulier. Quod cùm viderint te Ægyptij, dicturi ſunt: Vxor ipſius eſt: *& interficient me.* & te reſeruabunt Dic ergò quòd ſoror mea es. Deo præcipiente egreſſus eſt Abraham de terrâ ſuâ vt in Paleſtinâ habitaret inquilinus. Aſt ſi ob famem Paleſtina deſerenda tunc erat, quare non redit ad natale ſolum poſtmodùm vndè exierat, rediturus? Nónne in terrâ vbi vitam naſcendo receperat, eam tutiùs apud ſuos conſeruaret? nónne ſecuriùs abſque riualium periculo Sara adhuc venuſtiſſima ipſo ſoſpite ſeruaretur? Scitè inibi Rupertus; *Et iam quidèm in aperto eſt victorioſa viri obedientis perſeuerantia, quia factâ fame in terrâ peregrinationis ſuæ maluit adhuc in terrâ Cham, quæ eſt Ægyptus, peregrinando aliena ſolatia quærere: quàm ad terram vel ad cognationem ſuam, de quâ Deo iubente fuerat egreſſus, aliquatenùs reſpicere.* Nimirùm Abraham *Deo iubente*

1\. Geneſ. 12. v. 10.

Rupert. ibi l. 5 c. 7. *Abrahamus vitæ periculum ſubit, quò vitam in obſequio tutiùs inueniat.*

*bente* egreſſus fuerat è natali ſolo:vbi vitam receperat. Ecce tibi *victorioſa viri obedientis perſeuerantia.* Qui natali terræ velut obſtinatè renunciat,vbi vitæ principium natiuitate mutuauerat, vt cognatione aleret & conſeruaret; & peregrinatur in barbaram Ægyptum, contemnens *interfectionis* diſcrimen; quaſi in obſequio, obſequiique perſeuerantiâ vitam tutiùs collocauerit. In annonæ penuriâ mortem timet,ac fugit; nec tamen recurrit ad natale ſolum, vbi vitam fœnerauit, & tutiùs inter ſuos conſeruaret: ſed in agreſtem Ægyptum contendit, vbi *interfectionis* periculum impendebat; benè ſcius, quòd etiam in mortis diſcrimine, melius de obedientiâ vnde viueret, habuiſſet. Idcirco vel in vitæ diſcrimine vitam obſequio piè quærit,& feliciter inuenit.

2.
Marci 4. v. 39.

Marci 4. Ieſu cum Diſcipulis in nauiculam conſcendentibus.facta eſt procella magna venti,& fluctus mittebat in nauim. Et erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens: & excitant eum, & dicunt illi: Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus? *Et exurgens, comminatus eſt vento, & dixit mari: Tace,obmuteſce. Et ceſſauit ventus,& facta eſt tranquillitas magna.* O ruſticanè agreſtem maris ac ventorum temeritatem, quæ in ſui Factorem atrociter audet! O ſeueriſſimas iuſtiſſimè minas, quibus exlex ventus, & mare ventis efferue,Chriſti Dei voce patiuntur lupatum! An non ſenſerat dorſo ſuo mare nauiculam ſui Creatoris baiulam? Quid opus fuit exerto mandato, vbi omnium Factor facturæ ſuæ præſens aderat? O inſenſile, ruſticum, & agreſte elementum! Vocem ad obſequium expectas, vt obſequij reuerentiam exhibeas? Perbellè Chryſoſtomus ad illa Matthæi verba: *Imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Omnes creaturæ ſentiunt creatorem, non viuendo, ſed obediendo.* Nempè exanimale elementum,ſic ſtolidum, ſtupidum, & inſenſile eſt, vt ſui Creatoris præſentiam, dum tacet,ignoret:at cùm imperando loquitur, cùm exertâ voce imperat,quaſi vitæ ſenſum,& ſenſuum ingenia de imperio mutuaret, *ſentit creatorem,non viuendo:ſed obediendo.* Quaſi Dei imperium ſit inſenſibilitatis exilium, & arcana velut vitæ ad parendum officina.

*Omnes creaturæ ſentiunt Creatorem, non viuendo, ſed obediendo.*

Matth. 8. v. 26.
S.Chryſ.ib.

3.
Matth. 19. v. 17.

Matthæi 19. Ecce vnus accedens, dixit ad Ieſum: Magiſter bone, quid boni faciam vt habeam vitam æternam? Qui reſpondit ei: *Si autem vis ad vitam ingredi,ſerua mandata.* Quaſi mandatorum obſeruatio ſit vitæ auſpicium, mortis aſylum,imò & ipſa vita. Appoſitè inibi Origenes: *Si vis ad vitam ingredi,ſerua mandata. Vbi cōſidera,quoniam adhuc quaſi extra vitam conſtituto reſpondit. Si vis ad vitam ingredi. Secundum enim vnum modum homo eſt extra vitam,qui eſt extra eum,qui dixit, Ego ſum vita.* Is etiam qui eſt extra vitam, per obſequium vitæ portas ingreditur,vitam auſpicatur, vitam tuetur,vitam in morte inuenit. O bona obedientiæ vita, quæ participat vitam eius, qui dixit, *Ego ſum vita!* Vitalis motus parendo ſentiri incipit. O per mandatorum obſequium,Dei vitam omnes viuamus! Qui miſit me Pater(ait Chriſtus Deus ipſe)mihi mandatum dedit,quid dicam & quid loquar. *Et ſcio quia mandatum eius vita æterna eſt.* Quæ verba ſic Auguſtinus commentatur. *Si ergò vita æterna eſt ipſe Filius, & vita æterna eſt mandatum Patris, quid aliud dictum*

Orig. tr. 8.
*Mandatorum obſeruatio, etiam extra vitam conſtituto vita ſunt.*

Ioan. 12. v. 50.
S.Aug. tract. 54.in Ioan.

*eſt? niſi quia ego ſum mandatum Patris.* Scilicet mandatum Patris vita æterna eſt; cumque ipſe Filius dicat, *Ego ſum vita:* ergò ipſe Filius Dei Chriſtus Ieſus,& eſt *mandatum Patris*,quæ eſt *vita æterna.* & quàm auguſtè viuit,cui de præceptionum obſequio,& Chriſtus Deus *mandatum* eſt, & inde *vita æterna.* O ambiamus hanc vitam de mandatorum obſequio feliciſſimè æternam! Quomodò autem Chriſtus Deus dicatur Patris mandatum, nimis Theologicum eſt & rei ethicæ ſuperuacuum. Legi inibi poteſt Auguſtinus.

*Chriſtus dicitur,& Patris mandatum, & vita æterna.*

4.
Ioan. 1. v. 1. & 4.

Ioannis 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et poſt paucula: *In ipſo vita erat,& vita erat lux hominum.* Celebris quæſtio eſt apud Commentatores, cur Patrem Deum omiſerit? & quare non ſub Filij nomine, quod Patrem innueret; ſed ſub Verbi vocabulo eum expreſſerit? S. Chryſoſt.homil. 1. in Iohannem, verſans hanc quæſtionem,ſic reſpondet: *Ratio eſt,quia ea quæ ſunt Patris nobis annunciare debebat:non ſimpliciter verò eum Verbum dixit,ſed cum articuli adiectione à reliquis ipſum ſeparans* (Attentiùs excipe quæ ſubiicit verba) *Conſuetudo enim eſt Scripturæ, verba vocare leges Dei & præcepta.* Nempè non *Filij*,ſed *Verbi* nomine, etſi cum adiectione articuli,cum nominat,nam hoc *Verbi* nomine Scriptura *leges & præcepta* appellare conſueuit. Adnotatione digniſſimum eſt(vt hîc animaduertit magnus hic Doctor)quod eodem vocabulo, quo Euangeliſta diuinum *Verbum*, Dei Filium expreſſit, in Scripturâ *leges & præcepta* ſignificentur. O quàm præcelsè præcepta honorat, nobilitat, ſublimat Scriptura, hâc vocabuli cognatione! adeò vt neceſſe ſit ad diſtinguendum præceptum à diuino Verbo, illi adiectionem aliquā emphaticè apponere. peridoneè autem cùm exponitur *Verbum* per vocabulum *præcepto* cognatum, confeſtim additur, *In ipſo vita erat.* Sanè Verbum diuinum *vita* eſt: & ſcimus quòd *vita* eſt, & *mandatum Patris*, nuper id docente Auguſtino.

S.Chryſ. ibi. apud Caten.

*Verbi nomine, & diuinum verbū, & lex ſeu præceptū nominatur.*

5.
Pſal. 32. v. 6.

Regius Propheta Pſal. 32. *Verbo Domini*, inquit, *cæli firmati ſunt: & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Non morabor nūc plures è Commentatoribus,qui per *verbum* intelligunt Verbum diuinum,per *Spiritum* accipiunt Spiritum ſanctum; per *os* autem Patrem Deum interpretantur:quod ſcholaſtico ritu, & dictionis ſumptuoſiùs proprietate declarant. Ratio eorum probabilis quidèm,non tamē omninò neceſſaria. Putauerim, ſenſu ſimplici, & valdè expedito his verbis Dei *mandatum* intelligi. Quod idem Pſalmographus alibi expreſſit, aiens de Deo: *Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt.* Adeò vt hîc ſynonyma ſint,& τò *verbum* & *Spiritus oris eius.* Quod ex plurium ſententiâ noſter inibi Lorinus docet: *Spiritus oris Dei non differt à verbo, ſed præceptum vtroque ſignificatur.* Quod rei ethicæ aptiùs quadrat: præſertim cùm Didymus per *cælos*, cæleſtes homines intelligat,qui præceptorum obſequio Chriſto conformantur. Itaque *mandatum*, ſeu *præceptum* non modò appellatur Dei *verbum*, ſed etiam diuini *oris Spiritus* nominatur; quaſi *præceptum* non tantùm ſit Dei *verbum*, ſed etiam diuini *oris Spiritus*, ſeu reſpiratio (loquimur de Deo more humano cum Pſalmographo; nec aliter poſſumus) Deus ne humana

Pſ. 148. v. 5.

Lorinus.

Didymus apud Lor. ib.

*Sint præcepta tanquam oris ſpiritus, ſeu reſpiratio, quâ viuimus.*

humana præcepta reſpirat? dum præceptum imponit cæleſtibus hominibus, anhelitum ſeu ſpiritum ducit, quo vita conſtare dicitur? Sic ex intimis Dei mandata eructantur? cùm mandatũ dat, Deus refici, aut reſpirare perhibetur? Ita quidèm. Sed cùm dat præcepta cæleſtibus hominibus, obſequio expromptis. Imò potiùs cæleſtes homines, & obſequio præſtantes, præcepta ipſa reſpirant, & præcepta tanquam ſpiritum ducunt, quibus velut reſpiratione viuunt: *Et ſpiritus oris eius omnis virtus eorum*, cæleſtium hominum inquam. O feliciſſimum illum, qui quibus viuit, præcepta reſpirat.

6. Geneſ. 8. v. 15. & 16. *Poſt terram diu exiccatã cur adhuc cũctatur Noë ex arca egredi.*

Geneſeos 8. Igitur ſexcenteſimo primo anno, primo menſe, primâ die menſis imminutæ ſunt aquæ ſuper terram, & aperiens Noë tectum arcæ, aſpexit, viditque quòd exiccata eſſet ſuperficies terræ. Menſe ſecundo, ſeptimo & vigeſimo die menſis arefacta eſt terra. *Locutus eſt autem Deus ad Noë, dicens: Egredere de arcâ tu & vxor tua, filij tui & vxores filiorum tuorum tecum.* Eleganter addubitat Rupertus, quare cùm iam vidiſſet Noë primâ die menſis primi, quòd exiccata eſſet terra, vltra quinquaginta adhuc dies ad egreſſionem expectauerit? Quid adhuc præſtolatur Noë? Iuſto ampliùs eſſe cautum, ſpecies timiditatis eſt. Niſi fortè in tenebricoſo illo arcæ ſtrictioris carcere diutiùs detineri Noëmus expeteret. Quare ergò auidè cupitum ex arcâ egreſſum tandiu moratur? Reſpondet ibi Rupertus: *Videlicet vt commodiùs ſubiungeretur quod ſubiectum eſt, Locutus eſt Deus ad Noë: Egredere de arcâ. Tanquam diceret: Tot diebus priùs exiccata fuerat terra, cùm tandem Deo iubente, egreſſus eſt Noë de arcâ. Ergò viri iuſti atque perfecti magna in hoc quoque iuſtitia vel perfectio commendatur, laude digna, quòd tandiu carcere incluſus, non erupit ſolutus mox vt terram vidit; ſed ſicut præceptum ingrediendi fideliter accepit, ſic & egrediendi licentiam obedienter ſuſtinuit.* Ecce tibi Noë ad Dei nutum velut inanime inſtrumentum: nam tametſi ardenti tenebatur deſiderio egrediendi è fœtido illo ergaſtulo, in quo tot menſibus incluſus fuerat; licet ſiccatam iam terram viderat, nec veſtigiis idoneam: quia tamen iuſſus intrauerat, non iuſſus egredi recuſat. Non propriâ ratione agitur (peſſimo ſæpè conſultore) ſed peritiâ iubentis, de cuius tantùm ſuffragio ac nutu cuncta moderatur, quaſi inanime inſtrumentum vitâ, ratione, ac ſenſu viduatum, & ad parendum duntaxat vitale; ac ſi vitam à iubente mutuetur, cetera emortuum cadauer. Imò cadauer viuum: cadauer, ad ſui rectionem; viuum, ad iuſſionis executionem. Vndè nec ſuæ familiæ vllus, aut pedem ad egreſſionem mouet, aut egreſſionis conſilium anticipat, aut de iniuſſa hactenùs egreſſione verbum loquitur; ſed pari conſenſu rectionis nutum à Deo expectant: *Quemadmodum* (ait aliorsùm Philo) *inſtrumenta muſica adaptata egregiè ſonis omnibus, ita nos omnibus præceptis conſoni, nec verbum vllum inconcinnum & abſonum diximus, nec factum fecimus, vt cum nobis collatus chorus ineruditorum videri poſſit mutus & exanimis.* Noëmi autem tunc familiâ, ipſo Coryphæo, concinnè fuit animata, nec facto, nec verbo in obſequio parendi abſona, ſed apprimè *omnibus præceptis conſona.* Adſimiliter Eſther, etſi iam regina, & imperio præcelſa, Mardochæi *omnibus præceptis conſona* fuit, inſuſpicabili obediendi miraculo. *Quicquid enim ille præcipiebat, obſeruabat Eſther: & ita cuncta faciebat vt eo tempore ſolita erat, quo eam paruulam nutriebat.* Hâc miriſſimâ obedientia meruit Eſther vices cum patrui obſequio reciprocare. Scribitur enim infrà cap. 4. *Iuit itaque Mardochæus, & fecit omnia, quæ ei Eſther præceperat.* Eſther ergò dicat, dicat & Mardochæus: *Quemadmodum inſtrumenta muſica adaptata ſonis omnibus, ita nos omnibus præceptis conſoni, nec verbũ vllum inconcinnũ & abſonum diximus, nec factũ fecimus: vt cum nobis collatus chorus ineruditorum videri poſſit mutus & exanimis.* Sic parendo, & vitam propriam & populi Dei vitam mutuo mercantur obſequio.

Rupert. ibi l. 4. c. 24.

7. *Veri obedientes sũt omnibus præceptis conſoni*

Philo de Conf. ling.

Hîc verſ. 20

Eſther 4. v. 17

---

## §. LXXXV.

### *Honorum impotenter cupidis ſatiùs ſit, eſſe inter minimos magnum, quàm inter magnos minimum.*

1. *Male ambitio non reſpicit quos præcedit; ſed eos qui præcedunt.*

O Quàm ignorant homines cupidi gloriæ quid illa ſit, & quemadmodùm petenda. Magnificum putant verſari in ſummorum ordine; nec aduertunt indecorum eſſe, inter ſummos medianum aut infimum locum mereri & occupare? Porrò oculatior adipiſcendæ gloriæ ſedulitas, non quos vincat, ſed à quibus vincatur, aſpicit: nec impotenter ambitioſo tam iucundum eſt multos poſt ſe videre, quàm graue aliquem ante ſe. Habet hoc vitium omnis ambitio, non reſpicit quos poſt ſe, ſed quos in illâ honorum ſerie, ante ſe habeat: nec ambitio tantùm hoc deuenuſtatur næuo, verùm cupiditas omnis inordinata: quia incipit ſemper à fine, & cùm ante condigna merita feſtinat inter maximos verſari, dum reliqui ſublimiùs antiſtant, ipſâ ſublimitate decreſcit, & ſe ipſo minor apparet. Satis magnus eſt quiſquis in ſuo ordine magnus eſt, ne alienâ ſublimitate minoretur. Præſtat eſſe equitum maximus, quàm ſenatorum infimiſſimus: huic celſior ſublimitas contemptum, illi non contemtibilis honor ſublimitatem parit. Statura tua te magnum faciat, ne inſanâ ambitionis ſublimitate decreſcas. *Heu quàm difficile eſt gloria cuſtodia.* Hîc verſ. 21. dum Eunuchi ſplendidiora munera malè in palatio exambiunt, honorem priſtinum perdunt, & mortem inuenerunt. Satiùs illis foret, inter medianos cenſeri, quàm vltra merita, ſummam aulæ ſublimitatem affectare.

Publ. Mim. Hîc verſ. 21.

2. Ieremiæ 6. ſic eum Deus alloquitur: *Probatorem dedi te* in populo meo robuſtum: & ſcies & probabis viam eorum. Omnes iſti *Principes* declinantes, ambulantes frauduléter, *æs & ferrũ* vniuerſi corrupti ſunt. Defecit conflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum. *Argentum reprobum vocate eos, quoniam Dominus proiecit illos.* Profectò admirabilitate non vacat, quòd Hebrææ gentis Principes, quorum examen Ieremiæ committitur, dicantur poſt exactam probationem, *æs & ferrum, & plumbum.* Quoniam Deus proiecit eos, & publico contemptui tradit

Ierem. 6. v. 30.

tradit, illos ignominiæ cauſſa appellet, *argentum reprobum?* Annon ignobilius metallum eſt ferrum, plumbum, ſtannum, & æs, quàm argentum; tametſi argentum reprobum ſit, & vilium metallorum miſtione adulterinum? Porrò argentum quantumuis à miſturâ reprobum magnam argenteæ naturæ portionem ſeruat: & quod reddit illud reprobum, eſt ferri, ſtanni, æris, ac plumbi mixtura; quid ergò quod *æs, & ferrum, & plumbum* abſolutè nominauit, ad vilitatis exaggerationem *argentum reprobum* eoſdem appellat? An quoniam qui nuper probiſſimi erant, & in electiſſimo Dei pópulo *Principes*, ſi ab eximiæ virtutis nobilitate degenerant, reprobiſſimi & dânatiſſimi fiunt? *Principes* populi mei nobile argentū nuper erant, ſed vbi primū ignobiliter à virtute degenerarunt, *argētū reprobum* facti ſūt, & indè vilior & abiectior materia quàm æs, ferrum, ſtannum, & plumbū, quæ habentur metallorum viliſſima. Quaſi à priſtinâ virtutis olim generoſitate, nuperrimè nunc corrupti mores deformiùs inuitientur.

*A ſumma virtute, flagitioſiùs degeneratur in vitium.*

S. Hieron. ibidem.

Hanc expoſitionem inſinuat Hieronymus, ſic ad præſcripta verba fatus: *Vndè nequaquam argentum, ſed argentum reprobum ſunt vocati: quia Dominus abiecit eos. Principes autem ſunt à Domino recedentes ſiue inobedientes, qui peruersè ambulant & fraudulenter.* Sat eſto, hanc expenſionem pro alio themate delibaſſe. Verùm ad rem præſentem ſatis idoneè poſſet propoſitæ difficultati reſponderi. Ideò Principes, qui dudùm æs, ferrum, ſtannum, & plumbum nominantur: ad ignominiæ hyperbolen dici *argentum reprobum*: præſtat enim eſſe ferrum aut æs purum putum, ab adulterinâ miſtione puriùs defæcatum, & quādam in ſuâ infimitate ærea habere præſtantiam, quàm inueniri in generoſiori maſſâ argenti, ſed reprobi, adulterini & à ſuâ congenitâ præſtantiâ ignobiliter degenerantis: quam argenti potiùs ſcoriam inutilem reputes. Exindè Propheta, quos abſolutè, æs, ferrum ſtannum & plumbum dixerat; vt vilitatem exaggeret, *argentum reprobum* nominauit. Præſtat enim eſſe purum ac legitimum æs, aut ferrum, quàm argentum reprobum, miſtum, adulteratum. Quid eſſe prodeſt, quod niſi ignobiliter eſſe non potes. Noli captus tui limites tranſgredi? Nil viliùs: quàm indignus in dignitate poſitus. In ſuo quiſque ordine præſtantiam procurare, frugalis animi ſollertia eſt.

*Præſtat eſſe purum & legitimum æs, quàm reprobum & adulterinum argentum.*

4. 1 Reg. 10. v. 3.

1. Regum 10. Saül inauguratus in regem Iſraël, à Samuële in ſuam vrbeculam dimittitur. Quò autem electioni diuinæ humanam auctoritatem conciliet, quæ in via ei accident, ſigillatim prædicit: *Cùmque abieris indè*, ait, *& vlterà tranſieris, & veneris ad quercum Tabor, inuenient te tres viri*, &c. Quænam eſt hæc quercus Tabor vſque adeò celebris, vt illi Palæſtinæ tractui opinatiſſimum nomen faciat? Hugo Carenſis, ne tam celebre nomen agreſti quercui cogatur adſcribere, τὸ *Tabor*, viri potiùs, quàm regionis vocabulum eſſe autumat. Verùm Abulenſis ſic locum opportunè exponit: *Et veneris ad quercum Tabor. Iſta quercus erat in viâ: erat enim iſta arbor famoſa; quia magna erat, & vnica in loco illo ..... In mōte autem Tabor raræ arbores erant, ſed erat ibi illa quercus, ideò ipſa per ſe nominata eſt tanquam nulla alia eſſet.* Litteram exactiùs tradens, moraliſſimè philoſophatur Abulenſis. Nimirùm hæc ruſticana & agreſtis

*Raritas, pretioſius rei cenſus eſt.*

Hugo inibi. Abul ibi. q.

*Vel quercus inſolenter procera, famoſum nomē regioni fac. t.*

arbor, quæ & porcis duntaxat alimentum, & igni pabulum offert; & quæ in denſo querceto nihili fieret; *quia vnica erat in loco illo*, ſic habetur *famoſa*, vt illi terrarum tractui celebre nomen fecerit. Heu, ſæpè ſingularitas, raritáſue pretioſus rei cenſus eſt! O malum! non de rei bonitate, ſed de raritate, pretia metimur? Vna quercus omni regioni nomē famoſum fœneratur. Quin & ruſticana hæc arbor proceritate magna, patulis diffuſa ramis, reliquis arboribus vel ipſâ vaſtâ mole ſublimior, ob magnitudinis præſtantiam, tametſi adhuc agreſtis quercus erat, ſic excellit: vt celebre ſibi nomen fecerit. Forſan raræ arbores iuxtim poſitæ nobilitate vaſtam quercum præcellebant; ſed quoniam vaſtitatis enormitate reliquas longè ſuperat, & ſuperbum ſibi nomen, & omni circumcircà regioni titulū nominatiſſimū fecit. Quiſquis in ſuo ordine, ſiue mediano, ſiue infimo, longè excellit, ſummorum præſtantiam æmulatur, eorúmque faſtigium exæquat, & ſæpè ſuperat ſuperbo quodam ſuæ magnitudinis faſtu. Sic in hominum cenſu inſolens infimorum magnitudo præcellit!

Matthæi 5. poſtquàm Euangelicā perfectionem Christus Deus tradiderat, confeſtim ſubdit *Qui ergò ſolueris vnum de mandatis iſtis minimis, minimus vocabitur in regno cælorū.* Grande hinc inter Expoſitores litigium, quidnam ſit eſſe *minimum in regno cælorum?* Porrò ſi de beatâ cæli gloriâ ſermo eſt, quomodò beata felicitas *ſoluti* inobedienter *mandati* pœnam datur Nā tametſi quiſque inter beatè felices *minimus* ſit, tamen empyreâ celeſtis regni gloriâ beatè frui, ſumma felicitas eſt. S. Auguſtinus hâc ſuper re ita ad rem præſentem philoſophatur: *Secundum quod ſoluit, Minimus vocabitur in regno cælorum. Et fortaſsè ideò non erit, quia ibi niſi Magni eſſe non poſſunt.* Ac ſi qui in aliquâ ſerie aut Magnorū ordine *Minimus* eſt, ſuam naturam, aut illius dignitatem deſueſcens, propè nemo iam ſit. Addit Chryſoſtomus: *Cùm audieris Minimum in regnò Cælorum, nihil aliud ſuſpicare, quàm ſupplicium & gehennam.* Nimirùm videtur Chriſtus Deus loqui adſpectu ad humanam rerum æſtimationem, & communē hominum cenſum. Sic enim probroſum eſt, & contemptim vilipenditur, qui cùm exiguus ſit, in Magnatum ordine verſari exambiens, illorū *minimus* eſt; vt (ſi fieri poſſet) regnum cælorū in ſupplicium & gehennā *Minimo* conuerteretur. Pulchra ſanè hyperbole, ſed hyperbole & quæ valdè exaggerat, quā ſit infeliciter contumelioſum, inter *Magnos* tanquam *Minimum* reputari. (Scio aliam eſſe Chryſoſt. mentem; ſed ex præſcriptis verbis ſic innat ad mores velitari).

9. Matth. 5. v. 19.

*Inter Magnos eſſe Minimū ſupplicij, & gehēnæ adinſtar habetur.*

S. Aug l. 1. de Serm. Dominic. 16.

S. Chryſoſt. homil. 16. in Matth.

Matth. 20. acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? *Ait illi; Dic vt ſedeant hi duo filii mei, vnus ad dexterā tuā, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Statim animum pulſat difficultas ex modo loquendi orta. Cur *vnus & vnus* dicit, non verò vnus & alter? Quare vni filiorum non petit primum locum, & ſecundum alteri? An ambitio renuit nomen Secundi, & reipſa ſecundum locum (vt vt poteſt) vocabulo Primi, aut *vnius* diſſimulat: neq; enim poſſunt in eodem regno duo Primi inueniri. Adſimili modo loquendi vſus eſt Nazianz. verba faciēs ad Cōſtantinopolitanos; neque enim Conſtan

6. Matth. 20. v. 21.

*Conſtantinopolis dicitur prima vrbs poſt primam.*

S. Naz. Orat. 36.

Conſtantinopolim, inſtar orbis vrbem, ſecundam orbis vrbem auſus eſt dicere, ne vrbium primatum Romæ adimeret: *Vos magnæ vrbis ciues, qui primi ſtatim poſt primam eſtis.* Ecce tibi quàm decenter Nazianzenus rem excelſi primatus inter Romæ, & Conſtantinopolis ciues tractet. Non appellat Primos, ne Romanis detrahat: nec vocat Secundos, ne palàm Conſtantinopolitanos deuenuſtet: ſed *Primos ſtatim poſt Primos*, vt obtinere gaudeant *primum* locum, ſtatim poſt *primum*; nec nominentur, à Romanis Secundi, ſed ſtatim poſt Romanos *Primi* adſpectu ad reliquarum magnarum vrbium ciues. Præſtat enim dici *Primos* minorum comparatione, quàm Secundos, etiam in ordine ad Romanos. Adſimilibus forſan captãdorum honorum argutiis vtitur mater filiorum Zebedæi, aiens: *Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Quaſi præſtaret eſſe ad ſiniſtram Primum, (id eſt, eſſe *primum ſtatim poſt primum*, quàm ad dexteram Secundum. O vel in ipſis vocabulis ambitionis nugas.

---

## §. LXXXVI.

### *Reſpublica vbi nullum eſt parium diſpariumque diſcrimen, & ſeditionum in cælo ſuſpecta foret, & confuſam inferni inordinationem in terrâ æmularetur.*

1. 1. Cor. 14. v. 40. Syrus.

CORinth. 14. ſic præcipit Apoſtolus: *Omnia autem honeſtè, & ſecundum ordinem fiant.* Quæ verba ita Syrus tranſtulit: *Omne verò aliquid cum decore, & cum ordine ſit.* Benè, quòd Latinus *honeſtè*, Syrus *cum decore* dixit Pulchritudo enim cum ordine aptè coniungitur. Philo Hebræorum diſertiſſimus in lib. de Mundi opif. ſeriò contendit, cælum in rerum creatione primum tenuiſſe locum: Conueniens fuerit, inquit, id ſignificari iuxta numerum, vt hæ voces *In principio*, idem valeant quòd *primũ* fecit cælum. Eſt enim reuera conſentaneum rationi, primum in generatione illud proueniſſe cùm ſit præſtantiſſimum ex his quæ facta ſunt, & è puriſſimâ conſtet eſſentia. Subdit poſt pauca Philo: *Nam ſi omnia ſimul & ſemel feciſſet cõdita, minùs ordinis fuiſſet in rebus tam pulchrè conditis, nec enim eſt quicquam pulchri in confuſo ordine. Ordo verò eſt conſequentia, ſerieſque rerum præcedentium, & ſequentium.* Exindè conſummatâ mundi fabricâ, poſt præmiſſum rerum omnium examen, *valdè bona*, & pulchrè aſpectabilia diuinis oculis cuncta apparuerunt. Nihil enim inordinatum & confuſaneum extitit: quod ſi extitiſſet, nihil in mundi opificio pulchrum apparuiſſet. Porrò ſi temerè ac ſine ordine omnia confuſa fuiſſent, creatura quæuis quantumuis pulchra, ipsâ ordinis confuſione & miſcellaneâ temerè inordinatione perſpicuè deuenuſtaretur, quippè inferioribus ſubſtãtiis male poſthabita. Imò neque res deterior de inordinatâ prælatione fulgeret; immeritâ potiùs anrelatione deformis, & dignitatis ſplendore infeliciter ſqualida: nam ſuam indignitatẽ ad non dignum primatum, omnium oculis præmonſtraret. Vndè res deterior in tumultuario primatu ſqualeret; & præſtantior in confuſâ infirmitate non meritâ, inuenuſtè erubeſceret, ne dicam ſordeſceret. *Nec enim quicquam pulchri in confuſo ordine. Ordo verò eſt conſequentia ſerieſque rerum præcedentium & ſequentium.* Conſultiſſimè igitur primo cælum, mox terra producitur, ne cæli concinnitas confuſâ inordinatione deuenuſtetur. Quò *omnia cum decore, & ſecundum ordinem ſint.* Quem dum Eunuchi interturbare feſtinant, ambitionis reatum morte luunt.

Philo lib. de Mund. opif. Geneſ. 1. v. 1.

*In confuſo rerum ordine, nil pulchrum eſſe poteſt.*

Hic verſ. 21.

2. Iob 10. ita ſcribitur: Antequam vadam & nõ reuertar, ad terram tenebroſam, & opertã mortis caligine. *Terram miſeriæ & tenebrarum vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Hunc locum de pœnis gehennæ infernalis, communiter accipiunt Commentatores: & pro τὸ *nullus ordo*, in Hebræâ origine habetur, *non ordines*, pluratiua voce, ac vocis ſignificantiâ. Quod perindè eſt, ac ſi in vniuersũ diceretur, nullus in vllâ re ordo, omnia confuſa ac citra ordinem ſunt. Et ſanè tametſi *ipſa* damnatorum *Supplicia, quæ ex lance diuina iuſtitiæ prodeunt, inordinata eſſe non poſſunt*; admirabilitate plenum videtur, quòd inordinatio inter feraliſſima inferni cruciamenta cenſeatur. In quonã conſiſtit hoc peculiare inordinationis apud inferos cruciamentum, quod illam Tartarorum republicam ſic deformat, & damnatos excruciat? Profectò cùm ſtatuerit Deus plagarũ modum iuxta criminis menſuram; alia eſt inordinata confuſio, quæ & inferorum politiam infamat, & damnatos pœnaliſſimâ perturbatione acerbiùs excruciat. P. Ioannes de Pineda, ſtrenuus Scripturarum commentator, cùm videat, ordinem diuinæ prouidentiæ deeſſe nullatenùs poſſe, ita inibi appoſitè ſcribit: *An ille alius* (inordinationis modus eſt) *quòd omnes incertis ſedibus vagentur: & impares cum imparibus verſentur, vt omnes ſint pares cũ imparibus in vnum faſciculum colligati; atque quaſi vnâ omnes catenâ colligati futuri ſint, ita nullo inter illos dignitatis ordine ſeruato crucientur?* Sicut plures racemi confuſa inordinatione permiſti in eodem torculari calcantur, eſt enim infernus, *torcular iræ Dei.* Itaque inter feraliſſimos inferni cruciatus qui damnatorũ rempublicam infamant, illum non prætерit Iobus ad noſtram eruditionem, quòd in inferno, *nullus ordo*, & inde *ſempiternus horror inhabitat*, quia *impares cum imparibus verſantur, vt omnes ſint pares cum imparibus in vnum faſciculum colligati.* Profectò reſpublica vbi nullum eſt parium diſpariumque diſcrimẽ, & deſperationi confinis eſt, & de inordinatione confuſaneâ, inferni æmulatiò eſt, vbi *nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.*

Iob. 10. v. 22. *Reſpublica ſine parium diſpariumque diſcrimine, inferni æmulatio eſt!* S. Greg. ibidem.

P. Pineda ibi n. 22.

Apoc. 14. v. 15.

3. Apocal. 12. *Factum eſt prælium magnum in cælo: Michaël & Angeli eius præliabantur cũ dracone, & draco pugnabat & angeli eius: & non valuerũt, neque locus inuentus eſt eorum ampliùs in cælo.* In cælóne tumultus, ſeditio, prælium? Angeli ne ij ſũt, qui mutuis acerrimè diſſidiis belligerentur? E quonam Angelorum ordine ſunt hi rebelles Angeli, qui cælum ſeditionibus inquietant? Et quonam arcanæ politiæ arbitrio tumultus inter cælites obortus, feliciter trãquillatur? Rupert. eruditus auctor, acutoque vir ingenio. lib. 2. in Geneſim multis probat, ante apoſtatas ſpiritus victoriali pugnâ debellatos, innumeram

Apocal. 12. v. 8.

Angelo

*Antequam caderent apoſtatæ Angeli nō erant Angelorum ordines diſtincti.* Rupert. lib. in Geneſ. c. 15.

Angelorum multitudinem, necdum in nouem choros fuiſſe diſtinctam: atque adeò ex omnibus & ſingulis Angelorum ordinibus tunc permixtis, aliquos improſperè cecidiſſe. Exindè Rupertus ad thema præſens tempeſtiuè concludit: *Ergò non antequam caderent Apoſtatæ Angeli, iam erant ordines diſtincti: ſed illis cadentibus, iſti qui permanſerunt, in eâ quâ firmati ſunt remuneratione ſunt & ordinati, nouemque ordinibus diſtincti.* Nimirùm cùm Angeli vel in cælo tumultuant, cùm cæleſtem regionem pugnaci ſeditione inquietant, tunc confuſim vagabantur, & pares cum imparibus, indiſtincta cuiuſque naturæ aut meriti dignitate permixti verſabantur. At vbi primùm de rebellibus & apoſtatis victoriatum eſt à Michaële, & totâ fidelium ſpirituum cohorte, tunc reſidui Angeli, non indiſtincti vt hactenùs: ſed iuxta cuiuſque naturam aut meritum, in nouem nihilominùs ordines conſultiſſimè diſtributi ſunt: ita vt alij aliis ordinantiſſimè præſint, ſubſintve ordinatiſſimâ diſtinctione pacati, & beatâ muneris ac dignitatis diſtributione felices. Itaque *non antequam caderent Apoſtatæ Angeli, iam erant ordines diſtincti*, &c.

4. Matth. 5. v. 9. *Pax ſententioſè dicitur, tranquillitas ordinis.*

Matth. 5. *Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.* Sicut autem nemo eſt qui gaudere noluerit, ita nemo eſt qui pacem habere noluerit, quandoquidèm & ipſi qui bella volunt, nihil aliud quàm ad glorioſam pacem cupiunt bellando peruenire. Sed qui dicit ſe paci ſtudere, ne de ambitionis ingenio, qui ſuam menſuram & ordinem tranſgredi affectat, diſſenſiones contentioneſque moueat. A tuo affectu pacem accipe, à te pacem incipe, vt ſic pacem aliis feliciter feras. S. Thomas exponens præſcripta Matthæi verba, *Beati pacifici*, hæc ex Aug. verba recitat: *Eſt autem pax, tranquillitas ordinis. Ordo autem eſt parium diſpariumque ſua loca tribuens diſpoſitio.* Pulchra ſanè *pacis* deſcriptio, & digna Auguſtini ingenio! Profectò ſi pax eſt, *Tranquillitas ordinis:* & ordo eſt, *parium diſpariumque ſua loca tribuens diſpoſitio*; fruſtrà pacem exoptas, & concordiam ſperas in republicâ, vbi æqualium inæqualiumque confuſa indiſtinctio temerè miſcetur: vbi puſilli magnos, idiotæ litteratos, pueri ſenes; feſtinans inſufficientia, cana cunctanter merita exæquat inordinatione mixtim confuſaneâ, fœcundâ ſeditionum matrice concordiæ infelicitet abortu. *Eſt autem pax, tranquillitas ordinis. Ordo autem eſt parium diſpariumque ſua loca tribuens diſpoſitio.* In tartareâ inferorum gehennâ *nullus ordo inhabitat*, quandoquidèm *confuſa inordinatio impares cum imparibus verſantur.* Et in cælo Angeli in ſuos quique ordines congruè diſtributi ſunt; hactenus ſeditio, inordinatus temerè tumultus, & Michaël pacis vindex. O quiſquis pacem amat, ordinem conſultè ſtatuat, ſanctè ſeruet, ſtrenuè zelet! *eſt* enim *pax, tranquillitas ordinis.* Ordo autem æqualium inæqualiumque ſua loca tribuens diſpoſitio. Quæ ſi abſit, immerita ambitio ad primum locum impudenter feſtinabit: & ſobriè cana benemeriti modeſtia, iuuenum petulantium reliquias verecundè luget, magno conſultæ politiæ, & tranquillæ pacis diſpendio. *Eſt* enim *pax, tranquillitas ordinis. Beati pacifici.*

S.Thom. ibi. S Aug. l. 19. de Ciuit. c. 13.

5. Eccleſiaſtici 19. Siracides ſic homines monet: Qui ſe iungit fornicariis, erit nequam: putredo & vermis hæreditabunt illum, extolletur in exemplum maius, *& tolletur de numero animæ eius*; Tigurina, *Anima confidens* (audax) *auferetur.* Syrus, *Anima impudens perdet Dominum ſuum:* Profectò audacter impudens eſt homo, qui irrationali vitio, animam ſuam *aufert*, aut *perdit.* quod Latinus dixit, *de numero tollere.* Quid animæ, aut homini cum *numero?* An quia homo numeris conflatur, & *numero* conſtat, vt Philoſophi ſeriò poëtantur? Clemens Alexandrinus rationem *numeri*, à re phyſicâ ad rem politicam appoſitè deriuat, ſic fatus: *Epicharmus ſic dicit in Republicâ: Vita hominum ratiocinatione & numero valdè indiget: viuimus autem numero, & ratiocinatione.* Et ſanè, quòd rationalis homo *ratiocinatione* viuat, omnibus in confeſſo eſt. Miriſſimum autem, quòd ratiocinatione & *numero* ſic indigeat, tanquam qui & ratiocinatione & *numero* viuat. Porrò numerus eſt, antecedentium & ſequentium ſeries, & ordo aptè diſpoſitus: qui ſi deſit, numerus præcedens corrumpitur; & aut in alium deficit, aut in confuſam multitudinem degenerat, ſua concinnitate ignobiliter deſertâ. O & *ratiocinatione, & numero* aptè ſingula diſtribuente, homo viuit! Sic ordo & *numerus* in *Republica* cognatus eſt rationali homini; vt ex illo viuere dicatur *Viuimus autem numero, & ratiocinatione.* Nimirùm homo rationalem vitam ratiocinatione agit; politicam verò *numero* & ordine ciuiliter viuit. Indè qui *tollitur de numero*, aufertur de vitâ, & vitam perdit; non naturalem, ſed ciuilem & rationi idoneâ ciuilitate politicam. Hinc argutè dixit Nazianz. *Ordo rerum omnium pater, & ſalus eſt.* O quàm multas ſententias hâc vnâ Nazianzenus addenſauit!

Eccli. 19. v. 3. Tigurina. Syrus. *Homo rationalis & numero viuere dicitur.* Clem. Alex. 5. Strom. c. 7. *Ordo eſt rerum pater, & ſalus.* S.Nazian: Orat. 12.

6. Lucæ 4. in Synagogâ erat homo habens Dæmonium immundum, & exclamauit voce magnâ, dicens: Sine, quid nobis & tibi Ieſu Nazarene. *Scio te, quia ſis Sanctus Dei.* Et cùm Sol occidiſſet, omnes qui habebant infirmos variis lāguoribus, ducebant illos ad Ieſum. At ille ſingulis manus imponens, curabat eos. *Exibant autem Dæmonia à multis clamantia, & dicentia: Quia tu es Filius Dei: & increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.* Res ſanè admiratione digniſſima; quid malum Dæmonē excantatione tunc hoſtiliter irritatum impulerit ad tam anguſtè ſublimem confeſſionem, quę (ſi verba ſpectentur) Petrum Apoſtolorum verticē ſic nobilitauit, vt Apoſtolici collegij principē nō inuenerit, ſed fecerit. Petrus interrogatus dixit: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*; & Dæmō vltrò ſe cōfeſſioni inſinuans, coram turbis proclamat *Quia tu es Filius Dei.* O ſubdolā & malè acutam Diabolorum ambitionem, quæ ſublimiſſimæ confeſſionis voce, Apoſtolici collegij perturbationem, & indè euerſionem clanculùm negotiatur! Quā ſuper ſic ad rē præſentem opportunè philoſophatur Chryſ. *Exibant Dæmonia à multis clamantia, & dicentia: Quia tu es Filius Dei: & increpans non ſinebat ea loqui, Voluit, etiam Dæmon perturbare ordinem rerum, & Apoſtolorum rapere dignitatem, & ſuggerere multis vt ei obediant.* Quamuis igitur Diabolus vera fateretur, & de aduerſarij ſuffragio forſan veritas plus clareſceret, durâ increpatione eorum confeſſionem Chriſtus compeſcuit, facile negligens indè futuri obſequij iacturam, ne

Lucæ 4. v. 41. *Chriſtus Diaboli ſuffragiū compeſcit, ne rerum ordo perturbetur.* S.Chryſoſt. apud Caten.

*Dæmon perturbaret ordinem rerum*, & de ſublimi confeſſione Petrum æmulatus, *Apoſtolicam raperet dignitatem*. Tanti æſtimat Chriſtus ne in Apoſtolico collegio *rerum ordo perturbetur*, vt malit compeſcere nimis de ſe credibile aduerſariorum ſuffragium, quàm rerum ordinem in Apoſtolorum collegio perturbari. Porrò Reſpublica aut communitas vbi *rerum ordo perturbatur*, nullumque parium diſpariumque, bonorum ac malorum diſcrimen denotatur, & ſeditionum in cælo ſuſpecta foret, & confuſaneâ inferni inordinationem in terrâ æmularetur. quod eſt huius Paragraphi argumentum.

---

## §. LXXXVII.

### *Non obeundum Munus, ſed Muneris gloriam, & commoda ambire, peruerſitas ambitionis eſt.*

1. *Male quis ad honores vt honoretur aſpirat.*

QVisquis feliciter bonus eſſe cupis, relinque iſta iamdudùm ad quæ diſcurritur; relinque opulentam dignitatum auaritiâ; relinque ambitum, & ſemper hiantem honorum ſitim: tumida res eſt, vana, ventoſa, humilis: per mille enim indignitates ad dignitatum faſtigia aſcenditur. Honorem putas ambitione negotiari: ſed vide qualis ſit honor in eo cui inuidetur, & inuidet? Per honoris contemptum verus honor obtinetur. Idcircò Dignitates appetentiùs ambis, vt eis honoreris, vt aucuperis Dignitatis commoda, & laudes humanas & grata plauſuum obſequia? ipſe te dignitatis indignum demonſtras, cùm non te implendo & ſeruiendo Muneri adaptas, ſed Muneris ſeruitio aut miniſterio vanæ gloriæ velificaris. Qui honorem in honoribus obtentis quærit, à rectâ via honorum obtinendorum longè exerrat. Contemptus honoris, honorum itinerarium eſt.

2. Ioan.2.4.

Ioannis 2 nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: & erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Ieſu ad eum: Vinum non habent. *Et dicit ei Ieſus: Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.* Quid faſtidit bonus filius pia chariſſimæ matris vota, qui reliquorum preces ſic exambit? Non adſimili velut faſtidio aut dedignatiône reſpondiſſe videtur Lucæ 8. verſ. 21. & 22. & forſan alibi. Cauſſam, quæ Chriſtum mouerit ad ſic reſpondendum, ſollerter perquirunt Interpretes. Chryſoſtomus verò hâc ſuper re ita philoſophatur: *Non autem hoc dicit increpando matrem, ſed eam plurimùm adiuuando. Nam ſi erga ceteros ſollicitus erat, multò magis erga matrem. Non autem eleuaſſet eam ad illa faſtigia, ſi ſemper expectaret honorem ab eo tanquam à filio.* Scilicet non eſt hoc tædium chariſſimæ matris, ſed eruditio gerendæ dignitatis. Porrò Chriſtus Deus ſpecie tenus Matrem omni reuerentiâ digniſſimam velut auſterius tractat, ne auguſtiſſimam Deiparæ dignitatem accepiſſe videretur, vt à Filio Deo honorificentiùs tractaretur. Sublimetur Maria in celſiſſimo Dei matris faſtigio, ne autem putetur tantam dignitatem ad honorem illi debitum ambiiſſe, velut faſtidiosè cum illâ aliquandò agit: quia *non eleuaſſet eam ad illa faſtigia, ſi ſemper expectaret honorem ab eo tanquam à filio.* Moraliſſimè quidem exemplari eruditione, quò omnibus innoteſcat, in ſummâ etiam dignitate, annexum dignitati honorem, non modò non ambiendum, ſed refutandum & repudiandum eſſe. Inidoneus faſtigio eſt, qui commoda, & honores faſtigio cognatos ſibi ſemper exhibendos expectat. Heu verè nimis! Non tam dignitatem, quam dignitatis faſtum expetimus.

Lucæ.8.

S.Chryſ. homil 45. in Matth.

*Inidoneus dignitati eſt, qui honores dignitati debitos ſemper expectat.*

3. Matth.4.v. 8.& 9.

*Non tam regni deſiderium quàm deſiderium gloriæ regnandi Dæmon Chriſto ſuadere tentat.*

Matthæi 4. delusâ gulæ & inanis gloriæ tentatione, iterùm aſſumpſit Ieſum Diabolus in montem excelſum valdè: *Et oſtendit ei omnia regna mũdi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Dæmonum aſtutiſſimus, ſtragibus humanis auctus, & tentandi peritiſſimus; ex alto montis vertice, non oſtendit duntaxat omnia regna mundi, nec mundi ſceptra ſuadet ambire. Porrò ſumma dignitas & poteſtas, nec ſemper male deſideratur, nec criminosè adminiſtratur. Vide autem quid verſipellis tentator ambiendum in dignitatibus ſuggerat: *Et oſtendit ei omnia regna mũdi, & gloriam eorum*, inquit. Nec ſuadet merum regni deſiderium. ſed ad meram regnandi *gloriam* ſceleſtiùs inſtigat. Scit Diabolorum aſtutiſſimus quòd ſi Filius Dei eſt, omnia regna mundi habet: id verò vnum ſtudiosè ſatagit, vt non tam regni dignitatem expetet, quàm regnandi & principandi *gloriam*: benè ſcius quàm ſcelerosè comparetur, & geratur dignitas, cùm non illa, ſed illius *gloria* exambitur. Pulchrè Bernardus: *Et oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, &c. Vidiſtis quòd ambitionis via, adoratio Diaboli eſt, quâ videlicet ad honores & gloriam mundi perueniendum ſuis ille adoratoribus pollicetur.* Scilicet adoratio Diaboli non dicitur ſternere viam ad dignitatem obtinendam; ſed ad dignitatis *gloriam* in eius ambitu optandam, & in admiuiſtratione dignitatis ſectandam. Qui in ambitu cupitæ dignitatis, non dignitatis munus gerere & implere, ſed dignitatis *gloriam* exambit, vſqueadeò impudenter ſceleroſus eſſe ſolitat, vt iſtiuſmodi *ambitionis viam, adoratio Diaboli* ſternat & adornet. O qualiter dignitatem geret, qui tam flagitioſo impiè ambitu illam obtinere non veretur! Pergit indidèm Bernardus hanc gloriæ in Muneribus ambitionem culpans: *Ambitio ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, liuoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicinâ languorem. Quantos hac peſtis nequiter ſupplantatos turpiter deiecit, vt ceteri quique quos latuit occultus effoſſor, ſubitam expaueſcerent ad ruinam.*

S.Ber.ſer.5. in Pſal. *Qui habitat.*

S.Ber.ſup. *Conglobata ambitionis elogia.*

4. Matth.20.v. 21. & 22.

*Iacobus & Ioannes non tam Apoſtolicum Munus, quàm tanti Muneris gloriam exambiunt.*

Matthæi 20. Mater filiorum Zebedæi nimis ſolicita de filiorum honoribus, acceſſit ad Ieſum (cuius regnum iam appropinquare putabant) adorans, & ſic pro eis petens: *Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. Reſpondens autem Ieſus, dixit: Neſcitis quid petatis.* Sicut in regno mundiali primas honorum glorias habere videntur, qui ſedent cum Rege, mirum non fuit. ſi mulier muliebri ſimplicitate, & inconſultâ ambitionis imperitiâ cæcè animoſa, talia ſe debere petere exiſtimauerit: & ipſi fratres adhuc imperfecti, & nihil ſublimius cogitantes

de regno Chriſti, talia arbitrati ſint ab eo poſtulanda. Explorandum autem eſt in quo deliquerit iſtiuſmodi fratrum poſtulatio, vt ſic refutari meruerit. Et ſanè in confeſſo omnibus eſt ſublimiſſima Ieſuani regni munera expetiuiſſe: ſed quæ eis dudùm promiſſa fuerant: cur

S.Hilar. Canone 20. ergò de ambitu ſic culpantur, vt audiant: *Neſcitis quid petatis?* Arguté Hilarius ibidem: *Neſciunt etiam quid petant, quia nihil de gloriâ Apoſtolorum ambigendum erat. Iudicaturos enim eos ſermo ſuperior expoſuit.* Scilicet præcelſa Munera, & ſummas in regno Chriſti dignitates ipſis olim promiſſas, nunc non benè expetunt, ſed malè ambiunt; quia non tam Apoſtolatus faſtigium, quàm Apoſtolici faſtigij *gloriam* expoſcunt. Porrò qui Epiſcopatum, vel Apoſtolatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Aſt qui

Plinius in epiſt. Apoſtolatum benè deſiderat, Apoſtolatus *gloriam* malè ambit. *Sequi enim gloria, non appeti debet.* Non ergò culpantur fratres, quòd dudùm promiſſas ſibi dignitates expetant; ſed quòd dignitatis & faſtigij *gloriam* exambiant: quæ ſequi d bet, non primò expeti. Male enim commiſſum ſibi Munus obit, & de ambitu præproperè damnatur, qui non tam obeundum Munus, quàm Muneris gloriam, & dignitatis honores expetiuit.

5. Luc. 2. v. 14. Lucæ 2 Chriſto in terris nato, Angelus confeſtim gaudium magnum paſtoribus euangelizat. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum, & dicentium: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Itaque Angelico ore *gloria* vni Deo dedicatur, & pax optatur hominibus. Verùm humana ambitio conſecratam Deo gloriam impudenter ſuffurari præſumit ſuperbiæ priuilegio: Quod eleganter ediſſerit Bernardus ſcribens contra Gerardum Engoliſ-

S.Ber. epiſt. 126. menſem Epiſcopum, quem de ambitu culpans inquit: *Diſplicet mortalibus Angelica illa partitio, quâ gloria Deo, pax hominibus nunciatur: & dum gloriam vſurpant, turbant pacem. Solus*

Gloria Deo debita, non eſt apud ambitioſos homines tuta. *gloriam meretur, qui facit mirabilia ſolus: Soli Deo honor & gloria .... Quonam ergò modo ſtabit pax hominum coram Deo, vel cum Deo, ſi Deo non poteſt apud homines eſſe tuta ſua gloria? O ſtulti filij Adam, qui contemnentes pacem & gloriã appetentes, & pacem perdiderunt, & gloriam.* Itaque inſana Gerardi ambitio perturbare præſumit Angelicum oraculum, quod Deo gloriam, pacem hominibus apprecatur; nam dum arroganter expetit non tam magnum Legati Munus, quàm magni Muneris *gloriam*; *gloriam* Deo conſecratam ſuffurari ambitioſè conitens, & *gloriam* Muneris perdit, & hominum pacem inquietat. Vide quàm ſit ſceleſte flagitioſum, magni faſtigij gloriam exambire. Porrò præcelſæ dignitatis *gloria ſequi, non appeti debet.* Hanc dum intemperanter Eunuchi appetunt, inordinatæ ambitionis pœnas luunt. Hic verſ. 22.

6. Geneſ. 1. v. 17. Geneſeos 1. primordialis opificij die quarta, dixit Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos: *vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram.* Et confeſtim denarratâ creatione Solis, ac Lunæ, & ſtellarum, addit, *Et poſuit eas in firmamento cæli, vt lucerent ſuper terram.* Quid eſt, quòd hæc luminaria dicũtur poſita in firmamento cæli vt terram illuminent, & ſuper illam luceant? An non etiam reliqua inferiora, & ſubcæleſtia radiis quoque ſuis præclariùs illuſtrant? Anſelmus Laudunenſis inibi: *Et illuminent terram,* inquit, *ne homo in tenebroſam adducatur habitationem.* Ita ſanè cùm terræ elementum ſit perampla domus homini ad habitationem præſtructa, idoneâ priùs luce adornanda erat. Benè eſt illuminetur terra ab homine habitanda. Aſt aër etiam illuſtratur, quod etiam homini perneceſſarium fuit; eccur ergò nulla illuminandi aëris mentio; ſed terra dumtaxat illuminanda proponitur? Appoſitè Thomas Anglicus inibi ita ſcribit: *Et poſuit eas in firmamento cæli, vt lucerent ſuper terram. Quod quidèm dicit, non quia luceant ſuper aquas, & in aëre ſimpliciter; ſed quia earum lux magis apparet in terrâ.* Sanè, aſtrorum lux magis *apparet* in terra, quàm in aëre; non quòd attinet ad illuminationem, nam aër præclariùs illuminatur, & totus lucem ebibit, eaque penetratur, non ſic terra: ſed quod attinet ad effectus, influentias, & indè ad lucis fructum. Scilicet ſol, luna, & ſtellæ non dicuntur creatæ, vt *luceant* ſuper aërem, in quo nihil fructificant, ſed *ſuper terram*, in quâ tot, tamque mirabiles effectus gignunt & procreant Nec putatur *lucere* vbi lux otioſè fulget. *Vt lucerent ſuper terram;* quàm fœcundant; non ſuper aërem, quem etſi præclariùs illuminent, fructuum ſterilem relinquunt. *Lucere* non dicitur quiſquis ſine fructu infœcundè *lucet*, vt nemo ambiat lucendi fulgores, qui obeundi muneris otio inactuoſo planè hebetantur, euacuantur, obſcurantur. Exindè præclara cæli luminaria nõ ſuper aërem, ſed *ſuper terram lucere* perhibentur moraliſſimâ eruditione: lux enim operũ infœcunda, inter luminaria minimè computatur.

Anſel Laud. *Quare cæli luminaria nõ ſuper aërem, ſed ſuper terram lucere dicuntur?*

Th. Angli. *Lux infructifera non computatur ad lucendi gloriam.*

SYNOPSIS

# SYNOPSIS CAP. III.

*Aman homo peregrinus de ſtirpe Agag Amalecita, de Aſſueri gratiâ fit ſecundus à Rege, & Satraparum primus: qui iratus Mardochæo honores à Rege imperatos conſtanter neganti, ſtatuit in illius inurbanitatis vltionem, non Mardochæum duntaxat, ſed vniuerſam Iudæorum gentem immaniter perdere: quod à Rege nimis facili, & credulo nimis, haud difficulter impetrauit. Eâ de re atrox edictum regio munitum annulo, quo omnium Iudæorùm cædem in diem menſis Adar decimam tertiam deſtinabat, per vniuerſas Perſici imperij prouincias quamocyſſimè euulgat. Ferali edicto Suſis pendente, feſto epulo exultim ouat Aman, cunctis interim Iudæis funeſtè obplorantibus.*

## CAPVT III.

POST hæc rex Aſſuerus exaltauit Aman filium Amadathi, qui erat de ſtirpe Agag, & poſuit ſolium eius ſuper omnes principes, quos habebat. 2. Cunctique ſerui Regis, qui in foribus palatij verſabantur, flectebant genua, & adorabant Aman: ſic enim præceperat eis Imperator: ſolus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum. 3. Cui dixerunt pueri Regis, qui ad fores palatij præſidebant: Cur præter cæteros non obſeruas mandatum regis? 4. Cumque hoc crebrius dicerent, & ille nollet audire, nunciauerunt Aman, ſcire cupientes vtrum perſeueraret in ſententia, dixerat enim eis ſe eſſe Iudæum. 5. Quod cum audiſſet Aman, & experimento probaſſet quod Mardochæus non flecteret ſibi genu, nec ſe adoraret, iratus eſt valde, 6. & pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus ſuas. Audierat enim quod eſſet gentis Iudææ, magiſque voluit omnem Iudæorum qui erat in regno Aſſueri, perdere nationem. 7. Menſe primo (cuius vocabulum eſt Niſan) anno duodecimo regni Aſſueri, miſſa eſt ſors in vrnam, quæ Hebraicè dicitur Phur, coram Aman, quo die & quo menſe gens Iudæorum deberet interfici: & exiuit menſis duodecimus qui vocatur Adar. 8. Dixitque Aman regi Aſſuero: Eſt populus per omnes prouincias regni tui diſperſus, & à ſe mutuo ſeparatus, nouis vtens legibus & ceremoniis, inſuper & regis ſcita contemnens. Et optimè noſti quòd non expediat regno tuo vt inſoleſcat per licentiam. 9. Si tibi placet decerne vt pereat, & decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ. 10. Tulit ergo rex annulum quo vtebatur de manu ſua, & dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag, hoſti Iudæorum, 11. dixitque ad eum: Argentum quod tu polliceris, tuum ſit. de populo age quod tibi placet. 12. Vocatique ſunt ſcribæ regis menſe primo, Niſan tertiâ decimâ die eiuſdem menſis: & ſcriptum eſt, vt iuſſerat Aman, ad omnes ſatrapas regis, & iudices prouinciarum, diuerſarúmque gentium, vt quæque gens legere poterat, & audire pro varietate linguarum, ex nomine regis Aſſueri: & litteræ ſignatæ ipſius annulo, 13. miſſæ ſunt per curſores regis ad vniuerſas prouincias, vt occiderent atque delerent omnes Iudæos, à puero vſque ad ſenem, paruulos & mulieres, vno die, hoc eſt tertiodecimo menſis duodecimi, qui vocatur Adar, & bona eorum diriperent. 14. Summa autem epiſtolarum hæc fuit, vt omnes prouinciæ ſcirent & pararent ſe ad prædictam diem. 15. Feſtinabant curſores qui miſſi erant, regis imperium explere. Statimque in Suſan pependit edictum, rege & Aman celebrante conuiuium, & cunctis Iudæis qui in vrbe erant flentibus.

## §. LXXXVIII.

*Commentarius litteralis, vbi de Mardochæi adoratione Amano negatâ.*

*Verſ.* 1. Poſt hæc rex Aſſuerus exaltauit Aman.

1. IN calce præcedentis capituli denarrauerat ſacer Hiſtoricus detectas eunuchorum inſidias, & patibulo vindicatas, quod poſt Eſtheris cum Aſſuero nuptias refertur. Eſther autem ingreſſa eſt ad Regem anno ipſius ſeptimo, mēſe decimo; eius autem inauguratio in Reginam, ad initium anni ſequentis, id eſt octaui relegatur. Dein ſacer Hiſtoriographus denarrat Eunuchorum ſupplicium, & confeſtim additur: *Poſt hæc rex Aſſuerus exaltauit Aman.* Omittunt interpretes vtriuſque voculæ copulatiuæ expoſitionem, forſan ſupponentes, quòd τὸ *poſt hæc* denotat eunuchorum ſupplicio ſuccedaneam fuiſſe Amani exaltationem. Verùm iſtiuſmodi voculæ id non ſignificant, vt eruditè tradit, & probat noſter Maldonatus ad illud Ioannis 5. verſ. 1. *Poſt hæc erat dies feſtus Iudæorum.* & Ioannis 6. verſ. 1. *Poſt hæc abiit Ieſus trans mare Galilææ.* Et ex hâc doctrinâ Cardinalis Bellarminus perdoctè confutat antinomiam ab Hæreticis obiectam aduerſus canonicam huius libri veritatem. Vndè Salianus qui eunùchorum inſidias narrat ad ann.m. 3597. quantumuis ſacer textus immediatè ſubdat, *Poſt hæc rex Aſſuerus exaltauit Aman.* eius tamen exaltationem reiicit in annum m. 3600. cumque excidium Iudæorum Amanus moliretur anno duodecimo regni Aſſueri, huiuſmodi Amani exaltatio non diu præceſſit ſimultates cum Mardochæo, quæ ſuccedaneà relatione narrantur. Vndè præſtat aſſerere, exaltationem Amani non immediatè accidiſſe poſt eunuchorum inſidias; ſed pauculis menſibus poſt eius exaltationem accidiſſe quæ de eiuſdem cum Mardochæo & Iudæis hoſtilitate denarrantur. Vndè veroſimiliùs putauerim, Amani cum Rege familiaritatem vnius anni ſpatium non attigiſſe. O lubrica palatinorum culmina!

Maldonatus. Ioan. 5. v. 1. Ioan 6. v. 1. Bellarm. tō. 1. l. 1. c. 7. ante medium. *Quo tempore Aman exaltatus fuerit.* Salian. ann. m 3597. n. 1. & 2. & ann. m. 3. 3600. num. 2.

Exaltauit Aman filium Amadathi, qui erat de ſtirpe Agag.

2. *Quomodo Regis gratiam Amanus inierit.* Hebræi apud Marian. in c. 1. v. 16.

Quare ad tantam ſublimitatem euectus fuerit Aman vt à Rege ſecundus, Straparum primus, imò & Regis pater diceretur, proponereturque omnibus adorandus, à ſacro Scriptore non traditur. Hebræi apud Marianam ſup. ad caput 1. (quibus ipſe ferè adſentitur) cenſent, quòd Mamuchanus ille, qui ad Regis nutum ſuper reginæ Vaſthi repudio ſuffragium temperauit; eſt ille Aman: qui ex illo tempore vberiorem Regis gratiam conciliauit. Verùm cùm id non probent, eorum opinio probanda nobis eſt, quam indidèm præſtrictim reiecimus. Alij apud Salian. putant ob patefactā eunuchorū coniurationē. Verùm hoc obſequium Scriptura Mardochæo adſcribit ſup. c. 2. verſ. 21. Profectò eius exiſtimata merita ſignificantur c. 13. verſ. 3. vbi ſapientia & fide ceteros præcelluiſſe putabatur. Sed quis certò ſtatuat quonam illicio palatinus quiſque familiaritati Principū ſe inſinuet, & quibus præſtigiis eius gratiam conciliet? Poſteà tamen Aman longe alius deprehenſus eſt.

Salian. ann. m 3600. n. 2. Eſther. 13.

Qui erat de ſtirpe Agag.

Quibus verbis diſertè tradi videtur fuiſſe Agagæum, & indè Amalecitam, ſeu Eſaüitam: 3.
cuius genealogiam vſquead Eſaü ex Rabbinis Serarius texit. Idem Aman infra c. 16. verſ. 10. dicitur ab Aſſuero, *Animo & gente Macedo*, Sulpitius autem l. 2. Hiſtoriæ, fuiſſe Perſam conſtanter tradit. at LXX, Inter. & Rupert. eū Bugæum, & Ougæum appellant. Verùm cùm Amā hìc expreſsè dicatur *de ſtirpe Agag*, qui fuit Amalecitarū rex, à Saüle exciſus 1. Reg. 15. perſpicuum videtur, quòd fuerit Agagæus, & indè Amalecita, & Eſaüita. Ita Rabbini omnes, Ioſephus Flauius & Gorion, Rupert. l. 8. de vict. c. 4. Lyra hic, Burgen. Caiet. 2. 2. q. 84. a. 1. (tametſi hìc ambigat) Carthuſ. Vatablus, Hugo Carenſ. Mariana, Feuardent. Salian. Tirinus, Menoch. Sanct. Euſebius Nieremb. Strom. 14 l. 1. c. 43. & Lorin. in Deuter. 25. verſ. 19. Quomodò autē dicatur *gente Macedo*, c. illo 16. nō conuenit inter Expoſitores. Cajet nihili facit quòd inibi dicatur *gente Macedo*: reſpondet enim caput illud eſſe *apocryphum*. Aliquâ forſan veniâ dignus eſt Caiet. qui ante Tridētinū ſcribēs, lacinias huius hiſtoriæ, quæ habentur à cap. 10. verſ. 4. vſq; ad finem libri, inter apocrypha reiecit. Quod ſi Caiet. fide dignum non putauit, quòd Aman, qui à Vulgato & Hebræo hìc dicitur *de ſtirpe Agag*, & inde Amalecita; poſtmodū dicatur, *gēte Macedo*; reſpondere quidē forſan potuiſſet, ab Aſſuero ſic appellatū fuiſſe: Aſſuerū autē falli potuiſſe, ex ſuâ vel aliorū opinione deceptū, ſicut alibi in hâc ipſâ hiſtoriâ deceptus eſt, & dū ſeditioſam putauit Hebræorū religionem, & cum cenſuit Amanum in conuiuio voluiſſe Reginā cōſtuprare. Quin & ipſius Aſſueri epiſtola quæ habetur infrà c. 13. nonnulla à veritate aliena narrare videtur. De quo ibi. Itaq; Scriptura teſtatur Aſſuerum hæc dixiſſe, quod quidem fide ſanctū eſt; non autē adteſtatur ſacer Hiſtoricus eſſe Macedonem, ſed id ab Aſſuero dictum. Aſt veroſimilius eſt Amanum fuiſſe *de ſtirpe Agag*, & inde Amalecitā, Idumæum, ſeu Eſaüitam: qui etiā dicitur *gente Macedo*, quia in Amalecitarū excidio per Saülē facto, vbi Agag trucidatus eſt, ſiue in altero excidio quod paullò poſt exciſam à Chaldæis Ieroſolymā contigit, forſan per varios caſus Macedoniam eius Maiores appulere, vbi ſedes diu fixerunt, & indè in Perſidem trāſmigrarunt. Neque enim nouū eſt in vtraq; eruditione (vt latè hic probat Sanct.) homines exules, alienigenas, captiuos, gratiâ & fauore Principum auguſtiùs ſublimari. quod cernere hic in Mardochæo licet. Putat. Lorinus Macedones ab Amalecitis fuiſſe proſeminatos: vndè Aman & de *ſtirpe Agag*, & *gente Macedo* dicitur. Opportuna ſanè eruditio, ſi tamē ſufficienter probata. Adhæc Aman à Sulpicio appellatur Perſa, aut quia in Perſide natus & enutritus, Perſica munera in Perſici Regis palatio obibat; aut quia matre Perſâ ſatus eſt. Eruditè notat Feuar. in gratiā Rup. & LXX. Interp. Amanū forſan dici Bugæum, eo quòd ex familia Bugæicâ fuerit: nā Herodotus meminit cuiuſdam Bogis, cuius liberos maximo inter Perſas honore Xerxes proſequebatur, à quo Bogæus, vel Bugæus nomina

Serar. q. 1. Eſth. 16. Sulpicius. l. 8. c. 4. Rabbini. Ioſeph. vterque. Rupertus. Lyra. Burgenſis. Caietanus. Carthuſ. Vatablus. Hugo. Mariana. Feuardent. Salianus. Tirinus. Menoch. Sanctius. Euſeb. Nieremb. Lorinus.

*An Aman Macedo fuerit, an Agagæus, ſeu Amalecita.*

Sanctius.

Lorinus in Deuter. 25. v. 19.

Herod. l. 7.

nominari potuit. Per me poſſit, Hâc ſuper re
Serar.q.1. imprimis doctè Serarius, nil non tentat, cum nemine non litigat, & eruditiſſimis coniecturis nil non mouet. veroſimilia elegimus, pluribus auctoribus ſuffulta, & ad quæ Vulgatus ſincerè intellectus planè vergit.

*Verſ.* 2. Solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat Aman.

6. Ne quis fortè hæreat in verbo *adorare*, benè
Vazquez 3. p.d.93.c.1. notat P. Vazquez, quòd in diuinâ ac profanâ eruditione τὸ *adoro* ſignificat ciuilem quandam
*Status quæſtionis proponitur, & difficultatis ratio.* vrbanitatem, tametſi Eccleſiaſticorum doctorum vſu ad cultum & honorem Deo debitum videatur accommodari. Itaque duplex eſt adoratio, altera ciuilis, vrbanitatis & honoris ſymbolum, altera religioſa. Si ciuilis, cur eam Mardochæus Amano negauit? eam enim Abrahamus Hethæis exhibuit Geneſis 23. Ioſepho
Geneſ.23. & 43. 2.Regum. Iudith.13. fratres Geneſ.43. Dauidi Nathan propheta 3. Reg. 2. Iuditha Holoferni c. 13. Hæc enim debebatur Amano viro principi, præſertim accedente Regis mãdato, & reliquorum obſequelâ vnanimi. Accedit quòd homo captiuus ex eiuſmodi inurbanitate vereri potuit & ſuam, & ſuorum ruinam, quam debitâ ciuilitate declinare opportebat. Si religioſa adoratio exigebatur: ergò aut latrica, aut dulica: alterutram, & vtramque plures quaſi parùm veroſimilem reiiciunt. Et ſanè cùm adoratio externa, (ſaltem priuata) vt genuflexio, cernuatio, &c. vt potè ſigna ad placitum, pendeant ex inſtitutione hominum, ab intentione operantis determinãtur vt ſint ciuilis cultus, aut religioſus, quod
P.Suarez. perdoctè tradit P. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 1. de diuino cultu cap. 2. num. 10. Sic eadem exterior genuflexio adſpectu ad Regem erit ciuilis cultus, adſpectu ad Sanctorum imagines, aut reliquias erit Latrica. Potuit ergò Mardochæus quantumuis latricus cultus ab eo exigeretur, Amano genua flectere, eumque adorare genuflexionem mente dirigendo ad ciuilem duntaxat cultum illi debitum: perperã ergo Mardochæus illum Amano negauit. Salebroſa ſanè quæſtio, in quâ procliuius eſt aliorum ſententias impugnare, quàm propriam ſo-
Caietanus. lidè ſtabilire. Exindè Caietanus 2.2.q. 84.art. 1. pondus huius quæſtionis excuſſit, aiens, ex particularibus circũſtantiis penſandum, an prudenter in hoc egerit Mardochæus. Sed ad hunc locum, propriam ſententiam aperuit, quam mox ad examen vocabimus.

5. I. Paullus Burgenſis Additione 1. & 3. ad
Burgenſ. Caietanus. Deuter.25. v.19. *Solutio Burgenſis expugnatur.* hoc caput, & Caietanus ad hunc locum, cenſent, Iudæos odio acerbo debere proſequi Amalecitas, teneri ex lege latâ Deuteronomij 25. *Cùm ergò Dominus Deus tuus dederit tibi requiē & ſubieceris cunctas per circuitum nationes in Terrâ quam tibi pollicitus eſt: delebis nomen eius* (Amalec) *ſub cælo. Caue ne obliuiſcaris.* Verùm violentè ſatis hoc Dei præceptum videtur adduci ad probandum, quòd Mardochæus hâc lege tenebatur, ne ipſe alienigena & captiuus nec leuiter adſurgeret Amano Perſarum Dynaſtæ, etſi amalecita fuerit. *Requiem* exigit Deus, vt Hebræi inuadant Amalecitas; in captiuitate autem irrequieti erant. *Delere* eos de terrâ mandat, id eſt, agmine facto eos expugnare: quod factum eſt ſub Saüle 1. Reg. 15. non obuium quemque viritim perimere. Et quomodo *delere nomen Amalec ſub cælo*, non intellexit Mardochæus de cæde obuij cuiuſque Amalecitæ eâ lege Deuteronomij præceptâ, cùm illum toties occurrentem nunquam inuaſit; & intellexit, de non colendo illum debitâ Principibus vrbanitate, Imperatoris iuſſu præceptâ? An *delere nomen*, potiùs eſt non congruâ vrbanitate colere, quàm perimere? Dein infrà
Eſther.13.v.14. cap. 13. (iam monuimus huius libri lacinias eſſe canonicas) hanc cauſſam reddit. Mardochæus cur non adſurrexerit Amano: *Timui*, inquit, *ne honorem Dei mei transferrem ad hominem*: ergò non quia Amalecita erat; ſed quia honorem Deo debitum Amanus exigebat. Denique paullò antè præmiſerat Mardochæus: *Libenter enim*, inquit, *pro* Sup.v.13.
*ſalute Iſraël etiam veſtigia pedum eius deoſculari paratus eſſem.* At pro nullâ re mundi Mardochæus diuinum præceptum violaret, vt conſtat ex negata adoratione Amano. ergo non renuit homini Amalecitæ obſequium, ſed adorationem præſtare. Vndè conſtat rationem ex Deuteronomij lege ad difficultatem euacuandam non ſatis idoneè adduci.

II. Flauius Ioſephus præuidens hanc Bur- 6.
genſis ſolutionem ex præſcriptâ Deuteronomij *Non benè Ioſephus difficultatem ſoluit.*
lege, parùm eſſe idoneam; præter hanc communem omnibus Iudæis legem, videtur aliam Saülicæ domus, imò Beniaminitarum omnium propriam inducere, ne Amanum Amalecitam adorarent, aiens: *Mardochæo verò propter patriam inſtitutionem non adorante hominem.* Debuiſſet autem Ioſephus hanc domeſti- Ioſeph.l.11. Antiq.c.6.
cam legem in medium producere, & quidem ſic obligantem, vt cum tanto etiam diſcrimine eidem parēre teneretur: niſi veri Dei adorationem appellat *patriam inſtitutionem*, quod contendimus.

7. Paraph. Chald. Aben-ezra, Hebræi *Amani veſtes non renuit colere Mardochæus.*
III. Paraphraſtes Chaldæus, Aben-ezra & Hebræi reliqui apud Burgenſem, & Feuardentium, ſeriò cenſent, Amanum de collo appenſam geſtare argenteam vel auream cuiuſpiam idoli effigiem, quam ne venerari videretur cum abnegatione veri Dei, genua Amano flectere conſtanter renuerit. Sed hoc Rabbinicum commentum eſt, nullo hiſtoriæ aut traditionis fulcro, munitum & ex iam iam dicendis ampliùs confutabitur. Veroſimiliùs autem dici poſſet, Perſarum regum imagines depictas eſſe, forſan Deorum imaginibus textili opere
Halicarn. Philoſtratus. Curtius. belluatas, ita Halicarnaſſeus l.3. Philoſtratus l. 2. Imag. c. de Themiſtocle, Curtius l.3. Sed eſto ita ſit, & Aman textiles Deorum imaginibus veſtes geſtaret; nemo veſtes adorat, ſed hominem veſtibus indutum: ridiculum ſanè foret Aſſueri mandatum interpretari de adorandis Amani veſtibus, non ipſum potiùs Amanum: Et ſanè phrygionis opere belluatæ iſtiuſmodi veſtes dicuntur, non Idolorum imaginibus depictæ. Demùm Reges potiùs quàm Dynaſtæ his veſtibus vtebantur: ergò & Mardochæus qui ob hanc cauſſam genua non flectebat Amano, nec Aſſuero flecteret: quo ergò vrbanitatis ritu ſe gerebant cum Rege Mardochæus, Eſther, Eſdras, Nehemias, & alij Iudæorum probatiſſimi viri, qui ad eius colloquium admittebantur?

8. *P. Vaſquez. Proponitur, & impugnatur Vazquij expoſitio.*

IV. P. Vazquez tom. 1. in 3. p. d. 97. c. 3. n. 19. & 20. aduerſus Hæreticos hunc Eſtheris locum verſans; adduci non poteſt, vt verum exiſtimet, quòd Aſſuerus, qui diuinitatem non vindicabat ſibi, illam Amano impertiri præſumeret, & diuinos illi honores impendi iuberet. Indè ſeriò cenſet, quòd Mardochæus noluerit Amano genua flectere, quia indignum ei videbatur, vt ſolùm reuerentiæ ciuilis gratiâ niſi magnâ aliquâ cauſsâ exigente, homini quotidie illud ſignum exhiberetur; non quòd lege Iudaica id prohibitum eſſet, ſed quia ex communi conſuetudine non niſi magnâ aliquâ ex cauſsâ Regibus & Principibus illud ſignum exhibebatur; ſed ſoli Deo tanquam ſupremum cultum communiter reſeruatum erat. Verùm enimuerò hæc P. Vazquez expoſitio valde difficilis eſt: nam vt infrà n. 10. ex diuinâ, ac profanâ eruditione liquido conſtabit, Perſarum reges diuinos ſibi honores impendi arroganter affectarũt: exindè ruit huius expoſitionis fundamentum. Dein gratis aſſumit non niſi ex magnâ cauſsâ genua flecti Regibus ac Principibus, quia hic genuflexionis cultus ſoli Deo debetur: nam olim & nũc frequens eſt genuflexio ante Reges, tametſi hoc genus adorationis Deo exhibeatur. Adhæc magna vrgebat cauſſa, vt non ſemel aut iterùm, ſed perſæpè Mardochæus exul & captiuus genua flecteret Amano. Satraparum primo; & ad id faciendum vrgebatur Regis potentiſſimi imperio, ne ſe, ac vniuerſum Dei populum in certum vitæ diſcrimen afferret, vt de ſuperbiſſimo & infenſiſſimo Amane prudenter metui poterat effectu m tum comprobante. Verùm vt vt eſſe queat, quòd frequens genuflexio ante Amanũ, illi tribuat honorem ſoli Deo debitum: at nemo ibit inficias magnam tunc vrgere cauſſam, vt ſaltem ſemel aut iterum Amanum è genu adoraret. Quod ſi id præſtare impunè poterat, quo pacto ſcribitur, quòd Aman *vidit Mardo-*
*Eſther 5. v. 2.* *chæum ſedentem ante fores palatij, & non ſolùm non aſſurrexiſſe ſibi, ſed nec motum quidèm de loco ſeſſionis ſuæ?* Denique quis ſibi ſeriò perſuadeat, quod Mardochæus ipſe, Eſdras, & Nehemias Rege non adorato crebris congreſſibus cũ illo egerint, & diuerſo ab aulicis ceteris cultu illum conuenire? Hæc autem interpretatio pares facit Reges, & regni Dynaſtas: exindè de adoratione Regi proculdubio exhibitâ, facile expugnatur. Quâ de re infrà num. 12. & 13. & 14.

9. *Caietanus. 3 Reg. 8. v. 54.*

V. Caietanus 2. 2. q. 84. art. 1. indicat, Iudæis non licuiſſe niſi ſoli Deo vtrumque genu flectere: nam Salomon 3. Reg. 8. Deum adoraturus *vtrumque genu in terram fixerat.* Verùm imbecillè probatur: neque enim ex eo quòd Salomon genua tunc flexerit Deo, colligitur nemini niſi Deo poſſe vtrumque genu flecti. Sicut
*Sap. v. 22. Impugnatur Caietani expoſitio.* ex eo quòd Salomon inibi Verſ. 22. dicitur expanſis manibus *ſtetiſſe ante altare Domini in cõſpectu Eccleſiæ Iſraël*, inidoneè colligeretur, Iudæos non poſſe coram vllo Rege *ſtare*, ſed coram ſolo Deo, quaſi *ſtatio* eſſet ſignum diuini cultus, qui hominibus exhiberi non poteſt. Et ſanè ſi exemplo Salomonis *vtrumque genu* flectente, non licebat Iudæis vtrumque genu Amano flectere; ſatis foret, opinor, ſi alterutrum illi flexiſſet: fuit enim Mardochæi reatus alterutrum genu non flexiſſe: *Solus*, inquit, *Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum.* Et quidem qui vtroque genu duntaxat Amanum adorare vetabatur, cur alterum ſaltem genu illi non flectebat? cur illi non adſurgebat? cur de ſeſſionis loco minimè mouebatur? Alia ſanè vrgebat cauſſa, de adytis Iudaicæ religionis arcana.

VI. Angelicus doctor 2. 2. q. 84. a. 1. ſapienter cenſet, ideò Mardochæum ab adorando 10. *S Thomas. Lyra. Hugo. Dion. Rich. Rupertus. Mariana. Feuardent. Vatablus. Sanctius. Salian ſup. Tirinus. Menochius. Cornelius. Euſebius. Eſther 13. v. 12 &c. Quare Mardochæus non adorauerit Amanem.*
Amane tantoperè exhorruiſſe, ne diuinum cultum vni Deo debitum, homini tribuere videretur. Ita Lyranus, (qui addit eſſe Hebræorum mentem) Hugo Carenſis, Dionyſius Richel, Rupertus lib. 8. de vict. c. 6. Mariana, Feuardentius, Vatablus, Serarius q. 3. Sanctius, Salianus, Tirinus, Menochius, Cornelius, Euſebius, Strom. 14. l. 1. c. 43. Quod ipſe Mardochæus conceptis verbis perſpicuè ſignificat c. 13. verſ. 12. &c. *Cuncta* (ô Deus) *noſti, & ſcis quia non pro ſuperbiâ & contumeliâ, & aliquâ gloriæ cupidate fecerim hoc, vt non adorarem Aman ſuperbiſſimum.* (*Libenter enim pro ſalute Iſraël etiam veſtigia pedum eius deoſculari paratus eſſem*) *ſed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem excepto Deo meo.* Quid perſpicacius? Reges autem Perſarum eo ſuperbiæ faſtu inſaniiſſe, vt diuinos honores ſibi vendicarent, res eſt notiſſima, in quâ eruditione pleno alueo hìc Serarius exundat. Legatur q. 3. ante medium, & Euſebius Nieremberg. Strom. 14. l. 1. c. 41. & 42. & Sanctius hìc, num. 7. & 8. &c. qui allegant Herodotum, Plutarchum, Iuſtinum, Ælianum, Arrianum, Curtium, Ariſtotelem, Iſocratem, Strabonem, Senecam, Lampridium, Polyænum. Xenophontem, Diodorum qui etiam ex Biblicâ eruditione aliqua loca ad id perdoctè expendunt. Quod autem Perſici reges, qui diuinitatem arrogabant ſibi, eam quibus vellet deferrent, probat Sanctius hìc n. 11. & apertè docet Mardochæus cap. 13. verſ. 12. & 13. & 14. vbi iterùm Sanctius num. 13. *Serarius. Euſebius. Sanctius.*

Nemo obſtrepat ex doctrinâ à nobis traditâ 11. *Obiectio proponitur, & diluitur.*
n. 4. nempè eundem adorationis externæ actum vt puta genuflexionem, ex intentione Mardochæi poſſe dirigi ad ciuilem principis Amani cultum; non ad latricam adorationem, vt ſic innoxiè potuiſſet è genu Amanem Mardochæus adorare. Scilicet cùm hæc adoratio non fuerit priuata, ſed publica; & ex liberâ hominum inſtitutione ſignificet ad eorum placitum, externa adoratio poteſt talibus circunſtantiis exhiberi, vt quantumuis animus eam dirigat ad ciuilem cultum, in communi æſtimatione idololatricam adorationem ſignificet. Vnde benè hìc aduertit Mariana, quòd latriæ cultus opere etiã externo (nempe ex aliquâ circunſtantiarum cõgerie) diſtinguitur ab aliis adorationum generibus. Hinc martyres ceruicem ferro citiùs offerebant, quàm vt vel leue exterius obſequiolum Idolis exhiberent. Vndè ſatis non erat Mardochæo mente ſilere, quod magnis clamoribus opus loquebatur. Ex quâ doctrinâ ſoluitur argumentum n. 4. propoſitum. Conſulatur hìc Cornelius. *Mariana. Cornelius.*

Obiicies difficile argumentum: Si Mardochæo non licuit adorare principem Amanum ob præſumptam diuinitatem à Rege participatã: quomodò cum rege Aſſuero, qui ſe gerebat vt præcipuum numen, (& velut Iupiter alius, à quo arreptiones diuinitatis tribuebantur) ipſe 12. *Obiectio altera difficilior, & præcluſa eiuſdem ſolutio.*

Mardo

Mardochæus, Eſther, Eſdras, & alij Iudæorum probatiſſimi agebant? Annon adorabāt Regem, cum non adoraſſe capitale foret? Cur ergò nunc Mardochęus renuit adorare Amanem, minorem Deum, qui Aſſuerum Deorum maximum, adorare non renuit? Et ſanè licet concedatur, vbi religionem ſuam, Deique veri notionem Regi communicauerint, priuilegio donatos fuiſſe; quid dici poteſt de primis congreſſibus cum Rege? Reſpondere poſſet quiſpiam, quod forſan inter Iudæos diuerſæ erāt opiniones de hâc Perſicâ Regis ac principum adoratione, & aliquos exiſtimaſſe, eam caſto animo & mente ciuilem cultum meditante factam, impunè licere; Mardochæum autem oppoſitam fuiſſe ſectatum & indè conſtanti animo eiuſmodi adorationem recuſaſſe. Aſt qui ſtrictiorem & magis tutam opinionem, aduerſus Amanem elegit; cur laxiorem, & non adeò tutam erga Regem amplexus eſt? Si priorem depoſuit opinionē, vt cum Rege familiariter in aulâ ageret; cur eam non etiā depoſuit, ne in tantum periculum, Dei populum coniiceret? Scilicet Mardochæus peritè aulicus, ſtrictiores opiniones aduerſus ceteros; erga Regem verò laxiores, & minùs tutas obſeruabat. Nugæ. Ipſiſſima enim vtrobique aut nullibi cauſſa erat.

13. Euſeb. Strom 14 l. 16.42. Artab. apud Plutarch. in Themiſt. *Proponitur, & refutatur, alia ſolutio.* Reſpondet Euſebius potuiſſe hos religioſiſſimos viros aliquo interpretamento eiuſmodi adorationem lenire, ne idololatrica ſuperſtitio euaderet, ſed cultus ciuilis Regi debitus. Quemadmodum feciſſe legitur Artabanus, Regis imaginem adorare iuſſus; qui reſpondit, ſe *adorare imaginem Dei omnia conſeruantis*: Hîc ergò interpretatione præmiſsâ bellè Mardochæum potuiſſe Regem adorare, tanquam omnia conſeruantis & gubernantis imaginem: non quaſi Deum. Sed opinor homines captiuos, & quorum Regis gratia maximè intererat, abſque iſtiuſmodi proœmiolo palàm enunciato, quod Regi & palatinis eſſet inuiſum, Regem conueniſſe, ſaltem ante regiam familiaritatem. Quod ſi muſſitando, & verbis vix expeditis, malè prolatis, nec benè intellectis, id dicerent; cur adſimilem præfatiunculam erga Amanum Mardochæus non præmiſit, quò tantum periculum auerteret? Et ſanè ſi Mardochæus potuit in rege Aſſuero adorare primariam in terris imaginem Dei omnia conſeruantis, & adminiſtrantis; cur non potuit in Amane viro principe, & regni primario adminiſtro, adorare ſecundariā Dei imaginem omnia conſeruantis & adminiſtrantis? Quin & a Deo etiā eſt poteſtas Præ- Ioan. 19. v. 11. fectorum, qui à Rege creantur; quam in Pilato Iudææ Præſide Chriſtus agnouit: *Non haberes* inquit, *poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper*: ergò ſi in rege poteſt adorari poteſtas Dei, ſic etiam in Amane eius ſummo

14. Præfecto, adorari potuit. Aliter Salianus difficultatis nodum extricare adnititur. Scilicet antequā vel Eſther vel Mardochæus ſe, ſuamque religionem Regi manifeſtarent, potuiſſe ſe in exterioribus gerere ſicut ceteri, ſicque neque ſibi inuicē, adhibitâ præmonitione, quod cultum tantùm ciuilem deferrent Regi, neque Perſis legum Iudaicarum ignaris, fuiſſe offendiculo. Nam latriæ cultus ferè in exterioribus non differt ab eo, qui Regibus & ſummis viris defertur. Interior autem cultus ab hominibus agnoſci non poteſt. Ideoque Naaman permiſſu Eliſei in templo Remmon adorabat Dominum, cum interim Rex Syriæ adoraret Idolum, quod nuper etiam colebat, vt habetur 4. Reg. 5. verſ. 18. Verùm hæc Saliani ſolutio propoſitam difficultatem non euacuat. Nam adſimile pactum Salian. ann. m. 3600. n. 7 iniri potuit inter Mardochæum, & reliquos Iudæos, quo inito adorare impunè poſſet Amanum; & ſic declinare periculum, quod vniuerſæ Iudæorum genti imminebat ex omiſsâ adoratione: par enim vtrobique ratio militat. Permiſſio autem ab Eliſeo facta Naaman Syro adorandi Dominum in templo Remmō, diſpar eſt: nam rex Syriæ in templum ingrediens, manu innitebatur ſuper humerum Naaman: vndè procumbente Rege, neceſſariò debebat Naaman corpus inclinare ad Regis ſubnixum, non ad Idoli adorationem. Conſulatur inibi Sanctius, qui doctè rem verſat.

15. *Idonea argumenti ſolutio qua vindicatur Mardochæus.* Profectò tametſi ex diuinâ ac profanâ eruditione indubiè conſtet Perſarum reges ſibi diuinitatem arrogare; at non ſemper diuinos ſibi honores, & latricum cultū exigebant, nec quouis tempore, loco, occaſione; id enim pergraue ac nimis moleſtum illis foret, & exhibitu impoſſibile. Vndè in familiari aulicorum ſeruitio, in frequenti familiarium Procerum congreſſu, in quotidiano conuictu; in menſâ, in lecto, in luſu, in horto, & laxandi animi cauſſâ recreatione ſuſceptâ, ciuilis tantùm obſeruātia expoſcebatur, nec aliud veroſimiliter credi poteſt: alioqui intolerabilis illis foret ſuſpecta diuinitas, nec honor perpetuam moleſtiam compenſaret. Venditabant ergò ſuam diuinitatem, & diuinos ſibi honores duntaxat repoſcebant in aliquâ publicâ ac ſolenni in regio throno auguſtæ maieſtatis oſtentatione, aut ſtatis diebus expectatiſſimo in publicum progreſſu. Amanus autem, vtpotè minor Deus, minori etiam oſtentatione diuinitatem venditabat ſuam: ex Regis autem priuilegio, in publico ac ſolenni per vrbē progreſſu, in itu ac reditu è Regis palatio, iſtiuſmodi diuinus cultus & adoratio illi exhibenda erat. (quæ in familiaribus domi congreſſibus non expectabatur) hanc conſtanter renuit Mardochæus, & probus quiſque recuſaret. Itaque Mardochæus non recuſaret Amanum domi cōuenire, in priuato colloquio illum non tantùm adorare, ſed veſtigia pedum eius exoſculari, vt ipſe fatetur: quomodò cum Rege poſteà egit, agebat Eſther, Nehemias, Eſdras. Cùm autem Perſici reges non niſi perrarò & ſumptuoſiori apparatu, in frequentiſſimo populorum conflu xu, diuinitatem oſtentarent ſuam, difficile non erat cuique Iudæorum probiſſimo hos publicos conuentus declinare, quouſque gratiâ Regis familiariùs initâ, & veri Dei notitiâ ſuggeſtâ, iſtiuſmodi obſequium non exhibere, impunè licebat. Hæc mihi in re difficili, & ex circunſtantiarum coniecturis penſanda, non inidonea videntur, donec aptiorem ſolutionem in alio legā. Hæc pro Mardochæo. Quis enim damnare audeat Mardochæi factum, quod Catholici omnes conſtanter approbant, & miris encomiis vno ore concelebrant? quod ſi non ſatis pium & prudens reliqui Iudæi cenſerent, & neceſſariò ex religione faciendum, nunqam non nimis grauatè tantum ſibi adſtrui periculum pertuliſſent, & Amano malè perdendum obtuliſſent, quò à capitibus ſuis diſcrimen auerterent.

Q 4 §. LXXXIX.

## §. LXXXIX.

### *Commentarius litteralis.*

*Verſ.* 3. *&* 4. Cui dixerunt pueri Regis, &c.

2. *Aulici Amano deferunt Mardochai inurbanitatē quam putabant.*

SErui Regis, qui pro foribus verſabantur, facilè animaduertere potuerunt, Mardochæū nunquam Amano genua flectere, nec vrbanè quidèm adſurgere. Quod cùm diu obſeruarent, primò admonuerunt amicè, cur Regis mandatū de Amano adorando non obſeruaret. Cumque crebra eorum adhortatio præſtaret nihil, Mardochæuſque reſponderet, eiuſmodi adorationem ſibi non licere, cùm eſſet Iudæus, cui alienus à Deo ſuo cultus interdictus erat. Hāc rationem forſan exhibuit, ne putaretur ex contemptu potiùs Amani, quàm ex religione erga Deum ſuum, eiuſmodi adorationem denegaſſe. (*Eſther. 13.*) Quod infra cap. 13. verſ. 12. ipſe palam fatetur. Sed expendenda ſunt poſterioris hemiſtichij verba, nequis offenſet. Id ſerui Regis aſſiduè Mardochæo ſuggerebant, cumque *Ille nollet audire,*] id eſt, *obedire*, ita excribunt Græci codices (*lxx. interp.*), *Nunciauerunt Aman, ſcire cupientes vtrùm perſeueraret in ſententiā; Dixerat enim eis ſe eſſe Iudæum.*]. hoc eſt, an quia Iudæus erat, & ne illum adoraret, religionem prætexebat ſuam, ſinē dus eſſet perſeuerare in ſententia. (*Hebræus.*) Hebraicè ſcribitur, *Ad videndum an ſtarent verba Mardochai*, quod ad conſtantiam refertur, quaſi Iudæi pertinaciæ notentur. Prior expoſitio videtur aptior, & conformior Vulgato.

*Verſ.* 5. *&* 6. Quod cùm audiſſet Aman, &c.

2. *Quare Amā in omnes Iudæos deſæuierit.*

Cùm Aman, quod auditu exceperat, experimento comprobaſſet, irâ percitus, *pro nihilo duxit*, hoc eſt, parùm putauit in vno Mardochæo Mardochæi iniuriam vlciſci, ſed in omnes ad vnum Iudæos atrociùs deſæuire ſtatuit. Et ſanè quod Amani furorem lenire debuit, nempè dixiſſe ſe eſſe Iudæum, & indè non contemptu, ſed religione adorationem negare; illius furorem latiùs extendit, adeò vt in omnes Iudæos ferociret: nam in vno Mardochæo viderat, omnes etiam Iudæos adſimilem adorationem ei negaturos, quandoquidèm eâ in re cauſſa Iudaicæ religionis ageretur. Verùm tametſi hæc cauſſa abeſſet, (quæ illum proculdubiò impulit, non mouit) aduerſus Iudæos omnes debaccharetur: nam cùm homo ſuperbiſſimus cenſeret, ſe à Mardochæo contemptum, parùm putauit eum ſolum perimere, niſi vniuerſum eius populum ſimul deleret: præſertim cùm ipſe Amalecita eſſet, & de ſtirpe Agag, quem Hebræus populus, trucidauit, & omnem ſexum & ætatem malè concidit, ac diripuit. Exindè in ſui contemptus vltionem, molitur vt Hebræus populus eandem ſubeat pœnam, quam Amalecitis omnibus intulit. (*Sylueira tom. 1. cap. 8. q. 1.*) Hinc notat Sylueira, quòd ſuperbiſſimus Aman ſuperbiæ adſcribit, quòd illi genua Mardochæus non flexerit; quaſi de ſe alios iudicauerit.

*Verſ.* 7. Menſe primo (cuius vocabulum eſt Niſan) anno duodecimo regni Aſſueri, miſſa eſt ſors in vrnam.

Hiç menſis primus, ſeu *Niſan* partim Martio noſtro, partim Aprili reſpondet. In hoc mēſe qui eſt anni primus apud Hebræos, curauit Amā vt coram ſe ſortes mitterentur in vrnam, quo menſe, & quâ menſis die Iudæi ſibi de inurbanitate infenſiſſimi, faciliùs deleri poſſent: exiuit autem menſis duodecimus, qui vocatur Adar, partim Februario noſtro, partim Martio reſpondens. Nomina duodecim menſium apud Hebræos, Chaldæos, & Aſſyrios, hìc ſigillatim Feuardentius deſcribit, obuia ſanè eruditio, & quæ paſſim occurrit in Bibliis. Conſuli poteſt à tyronibus Biblicæ eruditionis. Putauerim quòd paullò poſt quàm Mardochæo iratus eſt, & illum cum vniuerſâ Iudæorum gente perdere decreuit, has iecerit ſortes: nam proximâ relatione narratur, & ira nimis feſtinat, nec apparet cauſſa quare conceptam differret vltionem. Itaque Chaldæorum ac Perſarum ſuperſtitioſa gens rem tam arduam ac impeditam aggredi non audet, niſi de more auſpiciis aut ſortibus ritè conſultis, vt quaſi cælitùs didiciſſet quo tempore meditata Iudæorum ſtrages commodius ederetur. Et ſanè cùm multæ ſint diuinandi formæ ſuis nuncupatim conſignatæ nominibus, omnes autem apud Latinos *ſortes* vniuerſatim nuncupantur, vt doctè hìc n. 15. Sanctius adnotauit. Cùm autem ſortis vocabulum tam latè pateat, ne vllus relinqueretur ambigendi locus, conſultè additur, *Miſſa eſt ſors in vrnam*. Nimirùm menſe illo primo, qui dicitur Niſan à quopiam ſortilego miniſtro miſſa eſt ſors in vrnam, ipſo Amano ſpectante, & auidiùs attendente. Benè notat Serarius ex Feuardentio, in hoc ſortilegij genere, quod non iactu ſed eductu fit, ſortem hìc dici *in vrnam* mitti, in *hydriam* apud Tullium, in *galeam* apud Homerum, *in ſitulam* apud Plautum, *in ſinum*, Prouerb. 16. verſ. 33. Plura qui volet *de ſortibus* conſulat noſtrum Martinum del Rio, Diſquiſ. Magicar. lib. 4. c. 2. q. 7. ſect. 3. qui omnem penè exhauſit eruditionem; Feuardentium hìc in Lucubratiunculâ *de ſortibus*, Serarium q. 4. Conſule etiam Biblicos expoſitores in Leuitici 16. verſ. 8. *Mittēſq; ſuper vtrumque ſortem*, & Deuteron. 1. verſ. 38. *Ipſe ſorte terram diuidet*, Ioſuē 7. verſ. 14. *Quācumque tribum ſors inueneris*, 1. Reg 10. verſ. 20. *Cecidit ſors tribus Beniamin*. 1. Reg. 14. verſ. 42. *Mittite ſortē inter me*, &c. Pſal. 30. verſ. 16. *In manibus tuis ſortes meæ*. Prouerb. 16. verſ. 33. *Sortes mittūtur in ſinū*, Ionæ 1. verſ. 7. *Venite, & mittamus ſortes*, Lucæ 1. verſ. 9. *Sorte exiit vt incenſum poneret*, Actorum 1. verſ. 26. *Dederunt ſortes*, &c. Vbi vbertim de licitis ac illicitis Sortibus.

*Marginalia:* 3. — *Feuard. hic.* — *Amani ſortilegium.* — *Sanctius.* — *Serarius. Feuardent. Tullius. Homerus. Plautus. Prouerb. 16. Rio. Feuard. Serarius.*

Miſſa eſt ſors in vrnam, quæ Hebraicè dicitur Phur.

4. *Aben-ezra. Lyranus. An Phur ſit Perſicum, an Hebræum nomen? Ribera. Vatablus.*

Putāt Aben-ezra, Lyranus, Ribera l. 4. c. 19. de Feſtis Iudæor. Vatablus, Emanuel Sà, Mariana, Serarius, Gordonus, quòd τὸ *Phur*, ſeu *Pur*, Perſicum nomen eſt, *ſortem* ſignificans. Pagninus ex Hebræo ſcribit: *Proiicere fecit ſortem, ipſa eſt Ghoral, id eſt, ſors.* Eſto *Ghoral* Hebraicè ſortem ſignificet, robuſto fundamento opus erat,

Eman.Sà. Mariana. Serarius. Gordonus. Hieronym. Martinus del Rio. Tirinus. Furſt. Menochius. Salianus. Pagninus. Feuard.

erat, vt negetur τὸ *Phur* non ſignificare ibi Hebraicè ſortem, cùm id expreſsè doceat Hieron. Hebraice peritiſſimus, cui ſuſcribunt Martinus del Rio, l.4. diſq. Magicar.c. .q.7. ſec.3. Tirinus allegãs Furſteriũ, Menoch. Salian. ann.m. 3601. n.3. Pagninus eam vocem deducit ab Hebræo פור, quod ſignificat confringere, & conterere: vndè ſignificat torcular, in quo vuæ, vel oliuæ confringũtur; & ſimpliciter vas, in quod ſortes coniiciuntur, & per metonymiam ſortem ipſã. Quare neceſse non fuit, vt quaſi litis arbiter diceret Feuard. quòd *Phur* eſt vox Perſica, ſed quæ in Hebræum idioma tranſiit, quandoquidẽ apud Perſas non *Phur*, ſed *conrah*, ſortem ſignificat, vt eruditè Serarius adnotauit. Obiicit Lyranus pro *ſors quæ Hebraicè dicitur Phur*, haberi in Hebræo: *Phur quod eſt Gorol.* Verùm Hebræa exemplaria, quæ in vulgato tranſcripſit Hieron. proculdubio habebant, *Goral, quod eſt Phur.* Vndè trãſtulit: *Sors, quæ Hebraicè dicitur Phur.* Alioqui oſcitãter Vulgatã tranſlationem condidiſſet Hieron. quod nefas eſt. Præſtat in Hebreũ nunc codicem, quàm in Vulgatum, aut Vulgati exemplar reiicere mendum.

## Quo die, & quo menſe gens Iudæorum, &c.

5. Multi exiſtimant priùs conſuluiſſe de *die*, & continuò de *menſe*, quod videtur indicare Vulgatus; ſed ad id nõ cogit ſacer textus. Benè hîc accuſatur Amanus, quia antequam difficillimi facinoris facultatem à Rege petierit, & impetrarit, priùs ſortitur quo tempore illud patrandũ ſit. Non conſulit de re ipſâ, quia altè & indubiè animo hærebat facinus illud temerariũ pro viribus exequi. Dein accuſatur quaſi non viderit tantum temporis interuallum rebus ſuis parum conuenire; cùm eo tempore Iudæi multis moliri, multa agere contra ipſum, vel contra Regem in tam multis eius imperij locis, ex ſũma animi deſperatione poſſent: aut certè, quod minimum eſt, fugâ ſibi conſulere, & omnia eius cõſilia irrita reddere. Sed, opinor, homo verſutè ſagaciſſimus & irâ nimiùm preceps, forſan doluit tantam faciendæ ſtragis morã; & qui ſemel rem tantam, tamq; à ſe expetitam, arcanis ſortium auſpiciis crediderat; non facile putaret mutãda fore auſpicia, ſed de ſortium religione ſperabat omnia quantũuis ardua, è voto ceſſura. Potiùs hîc adoranda eſt diuina prouidentia, quæ in cæco ſortilegij errore Suorum incolumitati aditum patefecit. Quã de re diſſertè agit Rupert. lib. illo 8. c.12.

*Tanta vltionis dilatio nõ perſtringit ſuperſtitionẽ Amani.*

*Rupert.l.8. de vict.c.12.*

## *Verſ.*8. Dixitque Aman regi Aſſuero: Eſt populus per omnes prouincias regni tui diſperſus, &c.

6. Statuto iam conceptæ ſtragis menſe & die, quẽ ſortis ſuperſtitio dederat, Regis facultatem (quæ vna deerat) opulentã vafritie extorquere Amanus intentat. Peres, vndè Iſraëlitis tam infenſus Aman? Tametſi Amanũ putauerim Agagæum, & Amalecitam, & indè Beniaminicis nimis infenſum, ob regis Agag cedem ſub Saüle, & ob Idumææ excidium: non tamen adducar vt credam, hanc extitiſſe odij cauſſam. Porrò, vt benè aduertit Serar. hactenùs ignotũ erat Amano Mardochæum & Eſtherẽ eſſe Beniaminitas.

*Serar q.2.*

Alioqui non tam intrepidè, & abſque vllo Reginæ metu tam cruentum facinus aduerſus illorum populum nunc moliretur. Profectò ab illo Amalecitarum excidio, Iudæis offenſæ erãt ſuperſtites Amalecitarum reliquię: indè Amalecita Aman nõ benè animatus aduerſus Iudæos erat: cumque à Mardochæo ſe inurbanè & inhoneſtatum putaret, & probè noſſet eſſe Iudæum, reliquoſque infenſiſſimos ſibi Iudæos in adſimili religionis cauſsâ, idem facturos arbitratus; de Regis familiaritate & gratiâ ſecurus; gentis aliàs exoſæ diram ſtragem ſeriò molitur, ſic Regem affatus: *Eſt populus per omnes prouincias regni tui diſperſus.* ] Inconſulta ſanè poſtulatio, & cui niſi fatuè Rex adnuere non potuit, cùm populus in quem tãtã extruitur clades, nec nominetur quidèm, ſed tantũ quibuſdã conditionibus circumſcribatur, quæ partim negari poſſent, partim aliis conuenirent, vt peritè adnotauit Salian. dicit per omnes imperij prouincias *diſperſum*, vt cauendum ſit, ne peruicaciæ contagiũ conuictoribus affricet. Fœcundiſſima mala ſunt, nec vt ſerpãt habent opus copiâ, ſed loco. Tacet verſutè quiſnam ſit hic populus: nam in populum Iudæorum benè animatum ſciebat Regem, quippè qui Eſdrã remiſerat. Oportuna ſanè Principibus eruditio vel ſcire ſaltem quid, & in quem quidpiam decernant. Addit: *Et à ſe mutuò ſeparatus.* [ quò rebellionis ſuſpicionem exemit. *Nouis vtens legibus* ] Egregiè mentitur cùm Moyſis legem appellat nouam. Nam etſi Phoroneus primus legiſlator, anno vigeſimo Armametris Aſſyriorũ regis floruerit, anno mũdi circiter 2050. at anno mundi 2400. Moyſes Hebræorum legiſlator fuit, ante mille ducentos annos ab Aſſuero. Hæc enim ſuggeſſit Aman anno mundi 3601. Vide æquè mentitas ac indiſcuſſas à Rege calumnias: Lex lata ante mille annos ab auſpicio Perſici imperij, *nouitatis* arguitur. Enormis ſanè mẽtiendi libido. Maleuolus id eſtimat quod cupit. Reliquę autẽ exceptiones pro *nouis*, habent, *diuerſas*. Quod verum eſt, nempe vnius Dei cultus, circumciſio, ſabbatum, &c. *Inſuper Regis ſcita contemnens.* ] Nimirùm crimen (quod putabat) vnius Mardochæi, omnibus vniuerſatim impingens, culpâ vnius vniuerſitatem deprauat. 7.

*Vnde tantum Amani aduerſus Iudæos odium.*

*Malitioſa Iudæorum accuſatio mendacijs exundat.*

## *Verſ.*9. Si tibi placet, decerne vt pereat, & decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.

Hoc vnum poterat Regem morari, vt extingueret illum populum, quem imperio ſuo perniciosũ nimis audierat; videlicet ne ingens quotannis ſumma è regiis tributis periret. quò autẽ eam in vectigalibus diminutionẽ ægrè non ferret Rex, & idcircò non adnueret Iudæorum excidio, regiæ gazæ *decem millia talentorum* appẽdere pollicetur. Argentea fere hæc talenta Hebraici, Chaldæi & Græci codices expreſſerunt. Cùm Vulgatus, & exceptiones reliquæ, *decem millia talenta* habeant, *quadraginta millia* Ioſephus ſcripſit. forſan vt Iudæorum opulentiam & ſui hoſtis exaggeraret inuidiã. Profectò decẽ millia talentorum argenti, ingens pecuniarum ſumma eſt, & quæ ſummum proderet Amani odium, qui tanti emeret Iudæorum cladem: niſi eam talentorum ſummam ex Iudæorum prædâ reſarcire moliretur: neque enim tantùm omniũ

Hebræus. Chaldæus. Græcus.

*Quã ſummã conficiant hæ decem millia talenta.*

cædem

cædem, ſed etiam bonorum deſpoliationẽ poſtmodum indixit: ſciebat enim omnes pecuniarum vias Iudæos noſſe. Porrò etſi poſteà faciendam à Perſis *direptionem* in regio edicto proponat, verſ. 13. quaſi quiſque ſibi diriperet; id factum fuit poſtquam Rex abnuit eam pecuniæ ſummam admittere. At verò quantam nummorum ſummam *decem millia talentorum* argenti conficiant, ambiguum putant Sanctius & Mariana. Tirinus docet, quòd ſi de talentis Atticis ſit ſermò, cõficere quinque milliones aureorum in ſpecie; ſin de Hebræis, dupla erit ſumma. Salianus quattuor myriades habet. Menoch. ſcribit quodlibet talentum argenti, duodecim millibus Hiſpanicis regalibus æquiualere. Feuard. ait, decem millia talenta ad ſexagies centena millia coronatorum aureorum æſtimari, id eſt, ſex milliones aureorum in ſpecie. Conſulatur hâc ſuper re Serarius q. 5. Ingens ſane pecuniarum ſumma, & priuati hominis opulentiâ, faſtu, & veritate maior. Profectò, vt multis ſcripſimus in Tobiæ cap. 1. verſ. 16. vbi ſenior Tobias decem talenta argenti cõmmodauit Gabelo, pro *decem talenta*, Hiſpanica trãſlatio habet, *vna carga de plata*, quæ vix ſuperat ſummam quattuor millium ducatorũ argenti ex argento (vt vocant.) Vndè quinque millia ducatorũ ex decem argenti talentis conflari putat Cardanus, proximè accedens ad hanc ſententiam. Quod mirè concinit cum his quæ infrà cap. 9. verſ. 6. denarrantur. nempè Angelum perſonam hominis gerentem, duntaxat duos camelos accepiſſe alterum ad ſui vectationem, alterum ad reportationem debiti. Secundum hanc ſupputationẽ quæ valdè probabilis eſt, ſi decem argenti talenta æquent ſummam quinq; millia ducatorũ nobis conſentit Tirinus, qui quinque ducatorũ milliones ex præſcriptis talentis conficit, & Attica talenta intelligit: Quod autem ait Gordonus ſatis ambiguum eſſe, quanti valoris fuerint Perſica talenta, ex dictis non parùm claratur: nã hæc apud Tobiam talenta in Mediâ, quæ ferè cum Perſide computatur, præſcriptum valorem habebant. *Arcariis.*) Noſter Bened. Iuſtinianus in ad Roman. c. 16. hunc Eſtheris locum ſimul cum verbis Paulli, ſic exponit: *Arcarium* aliqui quæſtorem interpretantur, aut ærario præfectũ Certè in iure Arcarij ſunt arcæ præfecti prætorio præpoſiti; à prætorianâ enim arcâ dicti ſunt arcarij, in quibus ſpecies annonariæ conferebantur. Quin etiam Arcarij præter curam annonariam tributis præerant: aliiſque titulis, qui arcales dicebantur, quòd in arcam præfectoriam congererentur. Inde dicebantur *Arcarij Gazæ* regiæ, hoc eſt præfecti regiorum theſaurorum.

Sanctius. Mariana. Tirinus. Salianus. Menoch. Feuardent. Serarius. Auctor in Tobiã §. n. Tobiæ. 1. v. 16. & c. 9. v. 6. Gordonus ibi. Iuſtinianus.

### *Verſ.* 10. *&* 11. Tulit ergò Rex annulum, quo vtebatur, de manu ſuâ.

8. Aſſuerus autem nimiùm credulus ac facilis cuius mens atque animus ab Amano familiariſſimo poſſidebatur, nil eâ de re inquirendum cenſuit; & nec nominatum quidem populum, non ſecùs ac colluuiem quandam ſicariorum, impiorum, rebellium, toto regno exterminandum, cenſuit. Sic ſe credebat Amano, quem ſapientiſſimum ac fideliſſimum omnium reputabat! Ergò Rex annulum è veſtigio detractum Amano tradidit, vt eo edictum ſuo arbitratu deſcriptum obſignaret. Profectò ex hoc loco, & ex c. 8. verſ. 8. liquidò conſtat Perſarum reges ſignatorium annulum digito inſertum geſtare, quem vbi res poſcere videbatur, digito detractum, fide alicui ex amicis, ac familiaribus Satrapis obſignandi cauſsâ tradebant. Quod autem hoc annulo muniebatur, tanquam regiâ auctoritate ſanctum, violare nefas erat. Et quidèm annulorum Alexandri, & Darij meminit Curtius lib. 6. de geſtis Alexandri, & Iuſtinus Hiſtoricus lib. 12. & Diodorus l. 16. & Tullius l. 1. ad Quintum fratrem, proficiſcentem ad quandam Aſiæ prouinciam gubernandam, monet; *Sit annulus tuus non vt vas aliquod, ſed tanquam ipſe tu: non miniſter alienæ voluntatis, ſed teſtis tuæ.* De annulorum iure, antiquitate, vſu, materiâ, plura qui volet, adeat Macrobium lib. 7. Saturnal. c. 13. Cælium Rhodig. lib. 6. c. 12. Alex. ab Alex. lib. 2. Genialium dierum, & inibi Tiraquell. Lipſium in Tacitum. Plinium l. 33. Hiſtoriæ c. 1. & lib. 37. c. 1. Verùm quoad annulorum antiquitatem attinet, non bonâ fide dixit Plinius c. illo 1. l. 33. *Nõ ſignat annulus Oriẽs, aut Ægyptus etiam nunc, litteris contenta ſolis.* Et Strabo de Indis l. 15. *Nec commiſſi, nec depoſiti iura vlla habent Indi: nec teſtibus indigent, nec ſigilliis, ſed verbis, aut litteris ſimpliciter credũt.* Aſt *Ægyptus* ſignabat annulo Ioſephi Patriarchæ tempore, Geneſ. 41. verſ. 42. ante mille octingẽtos annos: & *Oriens*, & *India* quæ parebat Aſſuero, ante quadringentos, quingentoſve annos, ne ſcrupuloſiori Chronologorum ſupputationi hæreamus. Vndè falſitatis etiam arguitur dum ait, tẽpore belli Troiani non fuiſſe vſum annulorum: nam Ægyptius Pharao annulum ſignatorium Ioſepho tradidit ſexcentis omninò annis ante bellum Troianum. Quem autem habuerit characterem hic regum Perſarũ annulus, ambiguum eſt. Thucydidis interpres apud Briſſonium, quorundam anonymorũ cogitationes refert: Quidam, inquit, ait habuiſſe regis Perſarum imaginem: alij Cyri, qui primus Perſarum tenuit imperium: alij equi ad cuius hinnitum Darius filius Hyſtaſpis rex eſt declaratus. Ecquis anonymorum meris coniecturis tutò ſe credat? Itaque Aſſuerus hunc annulum ſignatorium Amano donat, nouo dignitatis auctario; & oblata argenti talenta beneficè pariter ac munificè illi remittit. alioquin Amani muneribus corruptus videretur.

Eſther 8. *De annulo ſignatorio, & eius antiquitate.* Curtius. Iuſtinus. Diodorus. Tullius. Macrobius. Rhodigin. Alex. ab Alex. Tiraquell. Lipſius. Plinius. Strabo. Geneſ. 41. *De figura impreſſa Pharaonis annulo.* Thucyd. interp. Briſſonius apud Sanct.

### *Verſ.* 12. *&* 13. Et vocati ſunt ſcribæ Regis.

Nouerat Aman Regis ingenium benignum 9.
ac facile, quapropter maximè oportere cenſuit decretum illud in omnes regni prouincias quamprimùm euulgare, vt reuocationis pudor de inconſtantiæ notâ Regem contineret. Ergò vbi primùm annulum ſignatorium accepit, cõfeſtim aduocat diligentiſſimè omnes qui erant ab epiſtolis regiis, qui *ſcribæ* nominantur, Hiſpanè *Secretarios*, & ad omnium prouinciarum Satrapas ac Præfectos, in vſitato cuiuſque prouinciæ idiomate regias epiſtolas ſcribi iubet & regio annulo obſignat. Huiuſmodi autem epiſtolæ *Miſſæ ſunt per curſores Regis ad vniuerſas prouincias.*) vt nulli Iudæorum ætati, aut ſexui parcerent, ſed omnes præſcriptâ illâ die, nẽpè decimatertiâ menſis Adar, Februarij inquam

pariter

pariter trucidarent. Ne autem commiſeratio-ni, aut indulgentiæ eſſet locus, diuerſa à Perſis religio, & vitæ conſuetudo incitabat, Regis edictum vigebat, & præda ex bonorum direptione capienda valdè extimulabat. Hic autem videtur innui iſtiuſmodi prædam bonorum, nō Regis fiſco, non Amano, ſed inuaſoribus obuenturam, quò alacri animo quiſque quemque Iudæum ferro inuaderet.

*Verſ.* 14. & 15. Summa autem epiſtolæ hæc fuit, &c.

10.
*De perſicis curſoribus, quos Angaros vocant.*

Summa ſeu compendium huius regiæ epiſtolæ hic deſcribitur, quâ Rex iubebat, vt quiſque ad Iudæorum excidium præſcriptâ die faciendum, ſtricto ferro ſeſe compararet: ipſa autē epiſtola mendaciis & fraudibus exundans, vt potè ab Amano dictata, habetur infrà c. 13. vbi exponēda eſt, hîc autem inferenda. *Feſtinabant curſores.* [ Opportunè ex Xenophonte notat hîc Feuardentius, Cyrum curſum publicum in Perſide inſtituiſſe, quo mutatis ad celeritatem equis, per veredarios, breui temporis momento certior fieret omnium, quæ in remotiſſimis, & longo locorum interuallo diſiunctis regni partibus gererentur. Manſiones autem & ſtationes equorum ſic pararas fuiſſe ait, vt quantùm itineris equus conficere poſſet per diem, ne deficeret, ſtabula parata erant quæ tantùm diſtarent, in hiſque laſſi equi recipiebantur, recentes autem aſſumebantur. Atque hoc iter ne nocte quidem ceſſabat, ſed nuncio diurno ſuccedebat nocturnus. Quæ cùm ita fiant, ſunt qui dicāt huiuſmodi iter gruum volatu celerius confici. Xenophōti Herodotus adteſtatur. Hos autem curſores Angaros appellari docent Ioſephus & Suidas, Agādas Heſychius vtraq; vox eſt Perſica. Nec ignobile hoc munus fuiſſe, apparet ex Plutarcho, qui eum Darium, quem Alexander vicit, & Perſico imperio expoliauit, hoc munere aliquandò functum fuiſſe apud reges Ochum & Arſem, denarrat. Pro *Curſoribus*, L X X. excribunt *Tabellarios*, alij in Sixtianis notulis, *Scriptores litterarum*. An ipſi litterarum ſcriptores, ſimul tabellarij & curſores erant, vt maior fides regiis litteris à ſe conſcriptis adhiberetur? *Rege & Aman celebrante conuiuium.* ] Nimitùm dum ferale Suſis pendet edictum aduerſus inſontes Iudæos, Aſſuerus & Aman epulis ac ludis rem benè geſtam celebrant, quaſi de infenſis hoſtibus detriumphaſſēt. LXX. ſic locum excribunt: *Vrgebatur autem negotium & in Susâ: Rex autem, & Aman epulabantur: turbabatur autem ciuitas.* Alij Græci codices, *Compotabant, & comeſſabantur.* E uulgato hoc atroci Regis edicto; putat Monochius credibile eſſe aliquos Hebræos fugâ elapſos ſibi conſuluiſſe.

Xenoph. l. 8. de Inſtit. Cyri.
Feuard. hic.
Herod. l. 8.
Ioſephus.
Suidas.
Heſychius.
Plutarch. in Alexand.
Græci cod.
LXX. Interp.
Græci cod.
Menochius.

---

## §. X C.

### *Notulæ morales huius capituli appendices.*

*Verſ.* 1. Poſt hæc rex Aſſuerus exaltauit Aman.

1.
Sanct. in c. 2. n. 39.

POſt detectas & punitas hoſtiles Eunuchorum inſidias, Amani exaltatio denarratur, & ſuperbum dignitatis culmen, ad quod Aſſueri gratia euectus eſt. Et ſanè (vt perdoctè notat Sanctius) cōſcius huius cōiurationis, imo princeps & auctor exiſtimatur Aman, quaſi regnum affectarit, quod ſe facilè obtinere poſſe crediderat, cùm princeps eſſet omnium maximus, & Regi ſecūdus. Quod valdè veroſimile eſt, quia illius cogitationis non leuia apparent in Scriptura veſtigia. Nam cap 12. v 6. voluiſſe dicitur nocere Mardochæo, quia in cauſſa fuit vt duo illi Eunuchi capitali fuerint affecti ſupplicio, quod vehementer innuit, ſublatis Eunuchis ipſum de obtinendi regni ſpe cecidiſſe. Et cùm hæc ita acciderint, dùm ſollerter hîc peruestigant Interpretes, cur Aman ad tantum dignitatis faſtigium nunc euectus ſit, vt Satraparum primus, ſecundus à Rege diceretur, imo & Regis pater, & adoraretur ab omnibus poſt Regem ſecundus, & omnibus imperij Perſarum prouinciis Præpoſitus eſſet; & reſpondent nonnulli apud Salianum, quòd idcircò tunc Aman à Rege exaltatus eſt, ob *patefactam ab eo coniurationem Eunuchorum; quod tamen opus fuiſſe Mardochæi ex Scriptura certiſſimum eſt.* Mirum ſanè eſt, & valdè mirum, quòd Aman, aulica verſutiſſimè vulpes, non ſolum ſibi arrogare egregium Mardochæi facinus, magnâ ex parte præſumpſerit; ſed cùm ipſe Eunuchorum coniurationis *princeps & auctor* fuerit, ſic verſutiæ ingenio hoſtiles fraudes colorarit, vt coniurationis *princeps*, fidæ *patefactionis auctor* exiſtimatus ſit; indè fidelior æſtimatus, vndè extitit infidelior, O palatinas vulpes! Heu oſcitantem Principum deſidiam! Ecquis aulicorum præſtigiis tutò ſe credat?

Eſther. 12.
*Aman neque de hoſtilitate, fidelitatis opinionem captat.*
Salianus. ann. m. 3600. n. 2.

*Verſ.* 1. Poſt hæc rex Aſſuerus exaltauit Aman .... & poſuit ſolium eius ſuper omnes principes.

Paraphraſtes Chald. præſcripta verba excribens & exponens, ita habet: *Et propoſuit eum magiſtrum ſuper omnia.* Sic derepente à ſublimiſſimâ Præfecturâ euaſit Aman in rebus omnibus omnium *Magiſter?* Opinor, magiſteriū res ſapientiæ & eruditionis eſt, non regij fauoris, & clarioris præfecturæ ſequela. Heu ſic Præfectura ſuperbiæ faſtu inſoleſcit, vt cum faſtigio omniiugam ad res omnes, & ſuper omnes peritos, ſapientiam hauſiſſe præſumat! Hinc proprij iudicij inſolens æſtimatio, hinc aliorum ſuperciliosſus deſpectus, hinc inconſulta ſuffragia & decreta, & reliquæ regiminis peſtes, quibus Reſpublica ægrotat. Regius Familiaris reliquis gradu & dignitate antiſtat, ſed reliquorum *Magiſter* non eſt; imò forſan neque inter diſcipulos dignè computari merebitur. Intutum ſanè eſt *magiſterium* de Principis gratiâ, in vnâ dieculâ elaboratum. Priuilegio eruditus, adhuc rudis eſt.

2.
Chaldæus.
*Sapientia, & magiſterium cum ſublimi præfectura non hauritur.*

*Verſ.* 1. Et poſuit ſolium eius ſuper omnes principes.

L X X. Interpretes ſic reddunt præfata verba: *Et exaltauit eum, & prior ſedebat omnibus inimicis ſuis.* Amani ſolium poſuit Rex *ſuper omnes principes*, & tantùm dicitur, quòd *prior ſedebat omnibus inimicis ſuis?* An hoc duntaxat magni faciebat Amanus, *inimicis* præponi? An

3.
LXX. Interp.
*Qui omnibus præponitur, omnium inimicus dicitur.*

omnibus

omnibus præpoſitus, *inimicis* tantùm præponi dicitur: quia præcedentia inimicos inuenit, aut facit? Qui ſublimius faſtigium, aut primum locum ambit, omnium ſimul inimicitias exambit. O hoſtilitatem de ambitionis genio hominibus congenitam!

*Verſ.* 2. Cunctique ſerui Regis .... flectebant genua, & adorabant Aman: ſic enim præceperat eis Imperator.

4. Mariana ibi. *Sapiens alienæ erga ſe reuerentiæ & vrbanitatis arbiter eſt.*

P. Mariana attentè ſollers Hebrææ originis explorator, pro *τὸ præceperat eis*, ex Hebræo legit, *Præcepit ei*. Amano ne, an aulicis ſeruis, & Suſiano populo præcipit Rex, vt Amano genua flectant, eumque reuerenter adorent? O nouum & inſolens Regis mandatum? Fatuè, opinor, alicui præcipitur, vt eum ceteri ſubmiſſiùs venerentur: quiſquis enim venerationem ab aliis tanquam ſibi debitam negotiatur, eam iſtiuſmodi negotiatione impedit, & auertit. Vrbanior populorum veneratio, res alienæ æſtimationis eſt, non propriæ negotiationis & ſollicitudinis negotium. Ciuilia obſequia vt benè vltrò eunt, malè inuitè feruntur. Verùm enim verò ſapienti viro conſultiſſimè præcipitur, vt eum reliqui ſubmiſſiùs venerentur: ille enim meritorum illicio, & quibuſdam vrbanæ beneficentiæ præſtigiis, populorum erga ſe vrbana obſequia ſubornat: & dum ſe reddit obſequio & adoratione dignum, omnium obſequia & adorationẽ negotiatur. Sic quilibet vt alienæ æſtimationis, ſic & reuerentiæ, & ſubmiſſæ vrbanitatis arbiter eſto. Sicut benè eliciuntur, ſic male obſequia extorquentur. O quotiès qui venerationem immeritò quærit, popularem iriſionem inuenit?

*Verſ.* 4. Cúmque hoc crebriùs dicerent, (Mardochæo vt adoraret Amanum) & ille nollet audire, nunciauerunt Aman, ſcire cupientes vtrùm perſeueraret in ſententiâ.

5. *Delatorum præpoſtera malitioſè ſanitas.*

O accuſatricem delatorum nequitiam fatuè malitioſam! Si aulici *Scire cupiunt*, an Mardochæus *perſeueraturus* eſſet in veneratione Amano denegandâ, cur non adeunt Mardochæum ipſum, ſed Amanum iſtiuſmodi inurbanitate offenſum? O præpoſteram malitioſè interrogationem! O ſycophanticam delationis malitiam! Offenſum interrogant, *ſcire cupientes* vtrũ offenſor *perſeueraturus* ſit in offenſæ propoſito.

Vatab. ibi. *Curioſitas moleſtiores excitat tragœdias.*

Aliter Vatablus: *nunciauerunt Aman, ſcire cupientes vtrùm* Mardochæus *perſeueraret in ſententiâ, id eſt, vt periculum facerent an perſeueraturus eſſet Mardochæus in ſententiâ ſuâ.* Heu quàm funeſtam tragœdiam curioſitatis vitiũ excitauit! ô quot ſtrages populo Dei, à vitio curioſitatis impendent! Curioſitas ſæpè leuis dum res magnas ignoranter ciet, ingentes clades acceſſit. Ab otio aulicorum ad palatij limen curioſitas extitit; à curioſitate otioſorum, Dei populo excidium imminet. O inertiam curioſè negotioſam! dum curioſi nihil agunt, rem ſummam inquietant.

*Verſ.* 8. Nouis vtens legibus.

6. Malitioſè *nouas* leges appellant Perſæ legem Moſaicam, ante mille annos à primò conditã Perſicâ monarchiâ latam. Nouitatis inuidioſæ arguitur, & damnatur antiquitas, ſed Amani cenſurâ. Verùm exceptiones reliquæ pro *τὸ nouis*, habent *diuerſas*. Litteraliſſimè pariter ac moraliſſimè. Nimirùm quod *diuerſum* eſt à noſtris moribus, mente, ſenſu, cenſu, lycæo, inſtituto, etſi antiquiſſimum & auctoratiſſimum ſit, de *nouitatis* vitio arguitur, culpatur, damnatur. Sed puto, Amani iudicio, id eſt, nullo. Ediſcenda ſunt hæc non vulgaria ſynonyma *Nouis vtens legibus*, id eſt, *diuerſis vtens legibus*.

Hebræus, & Græcus text. *Nouæ leges dicuntur, quia diuerſæ à Perſarum legibus.*

*Verſ.* 8. Et optimè noſti quòd non expediat regno tuo, &c.

Et cur regno Aſſueri non expedit, vt Hebræus, id eſt, Dei populus, non atrociter perimatur? Chaldæus paraphraſtes ſic locum exponit: *Regis autem nulla vtilitas eſt ex illis* O peruerſam regij Familiaris politiam! Vna Regis *vtilitas*, populi conſeruandi arbitriũ erit? An non potiùs regni commodum, aſpectabilior Regum *vtilitas* eſt? Ruinæ vicinatur regnum, in quo Priuatus qui cuncta moderatur, non regni ſed Regis *vtilitati* exſomnis inuigilat. Imò Regibus clanculùm inſidiatur, qui cum regni diſpendio Regis *vtilitates* ſedulò negotiatur. 7.

Chaldæus. *Mera Regum vtilitas, non eſt bonus regiminis arbiter.*

*Verſ.* 9. Decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.

L X X. Interpretes ſic locum efferunt *Ego deſcribam in gazophylacio Regis, argenti talenta decem millia.* Incredibilem pecuniarum ſummam haud difficile fuit Amano regio Familiari in ſchedulis ſoluendã *deſcribere*; ſoluere autem impoſſibile. Priuatus, qui eſt rei ſummæ arbiter & ſequeſter, deſcriptas largiùs pollicitationes perfacile eludere poteſt. Plures Interpretum cenſent, de proſcriptis Iudæorũ bonis hanc sũmam pecuniarum pendendam fore. Scilicet sũptuoſiùs ſpecie tenus obſequium Regi oſtentat Amanus, quòd reapſe de regiis emolumentis appendet. Amani Priuati obſequia præſtigiæ ſunt, & meræ inſidiæ: dum quod Regi adulantiùs offert, regno detrahit. *Appendam arcariis gazæ tuæ.*] Mariana ex Hebræo legit: *Appendam facientibus opus.* Nempè facientes opus, & qui manuum ſuarum labore victitant, Regis theſaurarius, & theſaurus dicitur. O, ne exhauriantur hæ operariæ Principum gazæ. 8.

LXX. Interp. *Facile in ſchedulis ingentem pecuniæ ſummam, Regi Priuatus ſoluet.*

Mariana. inibi. *Operarius eſt Regum theſaurus.*

*Verſ.* 12. Ex nomine regis Aſſueri, & litteræ ſignatæ ipſius annulo.

Chaldæus in ſuâ paraphraſi explicatiùs proponit hoc Regis edictum: *In nomine regis Aſſueri ſcriptum, & expoſitum, & obſignatum ſigillo Regis.* Sic vellem condi Regum edicta & leges. Regis nomine hoc edictum *ſcriptum, & expoſitum* traditur. ne ineruditus rabula legem adulteret, dum legem *exponit*; & de vacuo ſuo cerebro legem expoſitionibus integrans, ſuum commentum pro lege regiâ imperitis propinet. 9.

Chald. *Lex à Rege ſcribenda & exponenda.*

*Verſ.* 15. Rege & Aman celebrante conuiuium, & cunctis Iudæis, qui in vrbe erant, flentibus.

Pagninus

Pagninus. Vatablus. LXX. Interp. Chaldæus.

Pagninus & Vatablus: *Ciuitas autem Suſan perplexa erat.* LXX. Interpretes: *Turbatur autem ciuitas.* Chaldæus paraphraſtes: *Ciuitas Suſan erat coarctata.* Dum propter ferale edictum ſubiectus populus *perplexus* eſt, *turbatus* eſt, *coarctatus* eſt; tunc, tunc quidem, Rex minimè malus, ſed à malo priuato inertet deceptus, *conuiuia celebrabat*, & (vt habent Græci codices apud Menochium) *compotabat, & comeſſabatur.* Vide hic quàm vili æſtiment non boni Reges, iniuſtè funeſtas ſubiecti populi calamitates. Ludi, deliciæ, conuiuia ſic perſtrepunt, vt *turbati, perplexi.* & *coarctati* populi clamores non audiant. Quid mirùm ſi Aſſuerus hic Ægyptios patiatur rebelles, qui vel ipſos Suſianos ſic contemptim depretiat, vt dum illi funeſtè coarctantur, deliciis ipſe habenas laxet? O malè voluptuoſam Principum deſidiam, cum ſubiectus populus *perplexus* eſt, cùm *coarctatur*, cum *turbatur!*

*Non bonus eſt Rex, qui dum populus coarctatur, ipſe laxius deliciatur.* Græci cod.

## §. XCI.

### *In poſteris maiorum ſuorum auita odia, heredes nacta, malè perdurant.*

1\. APud Platonem educatus puer, & philoſophiæ moribus egregiè inſtitutus, cùm ad parentes relatus, iratum videret patrem, familiamque tumultuoſâ vociferatione inquietantem: *Nunquam, inquit, hoc apud Platonem vidi. Non dubito* (pergit Seneca) *quin citiùs patrem, quàm Platonem imitatus ſit.* Pulchrum ſanè augurium, quo ex patris moribus, agreſtem filiorum indolem prophetat, præſertim in paſſionibus iracundiæ, tumultuum, & furoris facile concepti, & tenaciùs impreſſi. Hinc vel maximè, opinor, patres dicuntur *fabri liberorū*: exprompte ſiquidem filij has iracundiæ odiique inſanas fabricas, à parentum ſatione atque educatione arripiunt, hauriunt, extruunt. Quod in hâc hiſtoriâ vbiuis videre licet in Amane Agagæo, qui auitos Agag, Amalec, & Eſaü mores, odio Iacobæorum impreſsè repræſentat, poſt elapſa tot retrò ſecula; quaſi cum ſanguinis, ac facultatum cenſu, odia quoque paterna hereditauerit.

Seneca l. 2. de Ira, c. 22. *Filius paterna odia hereditat.*

Plautus in Moſtellar.

Hic v. 1.

2\. Geneſeos 43. miris beneuolentiæ argutiis tādem accitus Beniaminus vterinus frater, Ioſepho ſuo adeſt cum reliquis fratribus. Ne autem beneuolentiæ beneficentia deeſſet, inopinato excipiuntur conuiuio, ſeorsùm Ioſeph, & ſeorsùm fratribus, Ægyptiis quoque, qui veſcebantur ſimul, ſeorsùm. Sederunt coram eo, primus iuxta primogenita ſua, & minimus iuxta ætatē ſuam. *Et mirabantur nimis, ſumptis partibus quas ab eo acceperant: maiórque pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet.* Eccur Ioſephus conuiuij dominus & arbiter, pro ſingulis ferculis ad fratres ſuos miſſis, quinque nihilominùs cōſultò mittit Beniamino, vterino fratri, & omnium minimo? Qui tam attentus fuit in ſedium præcedentiā, vt maior iuxta primogenita ſua, & minor exinceps iuxta ætatem ſuam, in menſâ diſcubuerint; cur Beniaminum omnium poſtremiſſimum quincuplici ferculorum prærogatiuâ ſingulariter honorat? An præcedentiæ honorem vberiore ſaginâ compenſat? Guloſus forſan, pluris dapes, quàm honores ignauè æſtimaret. Quid ergò ſacramenti hîc latet? Audi Alexandrum Polyhiſt. ſic hâc ſuper re argutiùs philoſophantem: *Ita vt quinque partibus excederet, &c. Quia,* inquit, *Lia ſeptē pepererat proles, Rachel duas tantùm, ne itaque Rachel minor videretur eſſe Liâ, hinc Ioſeph in filio eius Beniamin, quinque ei partes addit, vt ſic eam Liæ adæquet.* quaſi ferculum fratrum loco detur. Nimirū notiſſima eſt in ſacris Bibliis, Rachelis æmulatio cum ſorore Liâ, de fœcunditate, & optatiſſimo ſobolis numero: cùm autem Lia ſeptē proles pepererit, Rachel verò eius mater, duas duntaxat: idcircò Beniaminum quinque ferculis auget, vt ferculorum numerus Rachelem matrem æmulæ Liæ adæquet; ne Rachel ſorore Liâ infœcunditatis prærogatiuâ minor aliquandò inueniatur. Profectò æmulæ Rachelis vox eſt: *Cōparauit me Deus cum ſorore meâ, & inualui* Has ergò Rachelis æmulationes cum Liâ, Ioſephus in conuiuio expreſſit, & ſimultates matris ſuæ, quaſi hereditarias viſcerum abreptiones, quincuplici ferculorum augmento repræſentat, vt menſura ferculorum, numerum filiorum adæquet: ne in fraterno illo epulo plus Liæ, quàm Racheli deferatur.

Geneſ. 43. v. 34.

*Æmulatio Rachelis cum Lia, in Ioſepho repræſentatur.*

Alex. Polyh. apud Corn. ibi.

Gen. 30. v. 8.

3\. Mirum ſanè eſt, & valdè mirum, quòd Iudæus populus vſqueadeò cæcè caligauerit maleuolentiæ erga Chriſtum tenebris, vt ſpectantes oculis tot miracula, qualia mundus retrò non viderat, nec ſperat exinceps videre; non modò eum populariter non coluerint tanquam magnum Prophetam à Deo omiſſum; ſed illū crebrò inculpauerint, irreuerēter abiecerint, & tādem inhumanè occiderint, dirâ cruce patibulatum. Hanc Iudæorum rabioſam maleuolentiam erga Chriſtum, & ſanctiſſimos olim Prophetarum, illis acerbè incuſat Matth. 23. *Si fuiſſemus* (aiebant) *in diebus patrum noſtrorum, nō eſſemus ſocij eorum in ſanguine Prophetarum. Itaque teſtimonio eſtis vobis metipſis, quia filij eſtis eorum, qui Prophetas occiderunt. Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.* Adſpectu ad hos auitos Iudæorum mores, ita Seleucienſis Baſilius ſcribit. poſt plura olim eorum ſcelera denarrata: Grauiora, inquit, ſubſequuntur ante relatis. Moabiticum ſimulacrorum adoratum, & victores idola victorum adorabant. *Prophetici ſanguinis effuſio*, Moſaici libri concremati, odium religionis Deo gratæ Sed hæc vetera, atque obſoleta. *Sub incarnationem Saluatoris quibus fuere Iudæi moribus? Chriſtus homines miſeratus venit ſalutarem manum homini porrigens: nec ea fuit miraculorum reuerentia, vt mores alios inducerent; ſed malorum nequitia heredes nacta perdurabat hoc quoque tempore. Erant in oculis denſiſſima miracula, curationum maria omni genere bonorū profluentia; ſed ex beneficentiâ luctu conficiebantur.* Nimirùm Iudæus quondam populus malè erga Prophetas animatus erat, & eos vſque ad cruentam durè cædem inſectabantur; adeò vt *Prophetici ſanguinis effuſio*, Iudæorum patribus imputata, filiis eorum in confeſſo eſſet. *Et vos ergò implete menſuram patrum veſtrorum*, in quibus *maiorū nequitia heredes nacta perdurat.* Heredes quidem eſtis non ſolùm paterni cenſus, & auitæ nobilitatis; ſed multò magis rancidæ in Prophetas maleuolentiæ, quâ inſtigati, tot *in oculis dēſiſſima miracula*, diabolicæ ſuperſtitionis arguitis, & eorum eximiū patratorem

Matth. 23. v. 30. 31. & 32.

Baſil. Seleuc. Orat. 31.

*Hebræorū retrò odium in Prophetas, quaſi hereditario iure perdurat in Chriſtum.*

atrociter inſectamini. *Implete menſuram patrum veſtrorum: maiorum nequitia hæredes nacta perdurat hoc quoque tempore.* Sic parentũ odia obſtinatè filij arripiunt, exprimũt, repræſentant, quaſi per generationis traducem paternæ maleuolentiæ affectus, odia, & ſimultates commearent

4. 1. Regum 17. Philiſthiim; Hebræi populi hoſtes iurati, obſtinatè pugnaces congregauerunt agmina ſua in prælium. Et Philiſthiim ſtabant ſuper montem ex parte hâc, & Iſraël ſtabat ſuper montem ex alterâ parte: valliſque erat inter eos. *Et egreſſus eſt vir ſpurius de caſtris Philiſthinorum nomine Goliath, de Geth, altitudinis ſex cubitorum & palmi.* Et mox deſcribitur eius gigantæa proceritas, valentia, robur, & armorum tractandorum peritia opinatiſſima. Sed nõ conuenit inter expoſitores quid Hebræum *iſch benai,m* ſignificet, pro quo Vulgatus exſcripſit *ſpurius.* Aduertit inibi Serarius, quod ſignificat, *Inter duos patres, ſeu plures vulgo conceptus, qui olim ſine patre dicebatur (S.P.) Deindè filiorum vel plurium vel duorum inſtar, idque aut magnitudine, (cùm ſex cubitorum & ampliùs eſſet) vel robore: vnde à LXX. vertitur, δυνατός, id eſt, potens, robuſtus.* Abulenſis ibidem exponens præſcriptum nomen, præfatamque Hebræi nominis ſignificantiam, ita ſcribit: *Aliqui Hebræi dicunt, quòd Goliath erat filius centum virorum .... Motiuum tamen eorum eſt, quia Goliath erat vir ſtaturâ procerus ſuper omnes alios viros, ideò crediderunt, quòd ipſe non potuiſſet gigni ab vno homine, ſed ad tantam magnitudinem procreandam oportebat multorum virorum materiam ſeminalem eſſe deciſam.* Scilicet qui duorum pluriũ ve patrum filius nominatur, *ſpurius* dicitur, id eſt, (S.P.) ſine patre. Sic ethicè quiſquis plurium filius, alumnus, aut partiarius eſſe ambit, nullius eſt; & quaſi *ſpurius* ab vtraq; factione reputatur, ambabus ſuſpectus, & ab vtraque ignobiliter degenerans. Verùm altera Hebræi nominis expoſitio in præſẽtem theſim apprimè quadrat. Porrò Goliath gigãtæâ magnitudine & robore vegetus, auita Philiſthæorum odia, & cognatam Philiſthæis hoſtilitatem aduerſus Hebræũ populum pugnaciſſimè exercens: *filiorum plurium inſtar,* id eſt, quaſi *filius centum virorum,* gigantæâ magnitudine, robore, ac pugnacitate aduerſus infenſiſſimos Philiſthæis Hebræos perhibetur. Nimirùm quaſi parùm foret Goliatho Philiſthæo, & Philiſthinorum duci, robur & hoſtilitatem vnius patris animo aduerſus Hebræos gerere, *ſpurius,* id eſt, filius plurium virorum nominatur, vt plurium patrum robur, & paternam hoſtilitatem, patrum multiplicatio repræſentet, & viuaciùs exprimat. Verùm *ſpurius* nominatur qui cognatum parentibus robur, per generationum traducem accipiens, illud paternis odiis, ac ſimultatibus hoſtiliter impendit. Ideò Goliath dicitur *ſpurius,* id eſt, plurium patrum filius, cùm patrum ſuorum odia & bella acerrimus pugnator repræſentat. *Egreſſus eſt vir ſpurius* (id eſt, filius plurium patrum, aut virorum) *de caſtris Philiſthim.* Illud Pſalmi 38. *Afferte Domino filios arietum,* ſic Chryſologus excribit, & exponit, *Afferte Domino filios patrum.* Filiúſne poteſt eſſe ſine patre? an aliquis eſſe poteſt plurium patrum filius? Sat eſto intendiſſe digitum ad Chryſologi acumen.

5. Exhodi 1. *Oderant filios Iſraël Ægyptij, & affligebant illudentes eis: atque ad amaritudinẽ perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omnique famulatu, quo in terra operibus premebantur.* Quærunt diligenter Interpretes, quid fuerit in cauſsâ cur Ægyptij oderint Hebræos, gentem tunc innoxiam, illiſque valdè proficuã? Rupertus ſagaciſſimus Biblicarum rerum indagator, in reddendâ huius rei cauſsâ hærens, ita ſcribit: *Fortaſſis indè inimici filiis Iſraël facti ſunt Ægyptij, & indè verſum eſt cor eorũ, vt odirent populum Domini, & dolos facerent in ſeruos eius; quia quos tempore famis ſubiicientes ſe regiæ ſeruituti ſuſcipiens & paſcens, dictus eſt Saluator mundi; tempore ſaturitatis à poſteris eorum qui ſe vendiderant, odio cœpit haberi memoria eius.* Scilicet Ioſeph Patriarcha, annonæ ſeruandæ arbiter, & modeſtus diſpenſator, adeò beneficus in Ægyptios extitit, vt ipſi Ægyptius populus deberet, quòd inediâ minimè perierunt. At quia eorum prædia in fruméti pretium Regi acquiſiuit, tantillùm odij admixtum gratitudini fuit. Exindè *poſteri eorum,* Patriarchalis prouidentiæ & beneficẽtiæ obliti, occaſiunculâ odij ingrato animo verſantes, & quaſi per generationũ traduces magno incremento propagantes, non ſolum Ioſephi poſteros, ſed totam etiam eius gentem, diro proſequebantur odio, & *maiorum nequitia heredes nacta perdurabat:* & qui heredes non erant paterni retrò cẽſus, paternum odium ingratè hereditabant. Beneficiorum memoria cum poſteritate deleta eſt, & paternum fruſtrà odium in mores filiorum tranſiuit. O mali corui peius ouum! Spurius eſt, Philiſthæus eſt, Ægyptius eſt, qui in maiorum ſuorum odia ſuccedit, & ſimultatum cenſum hereditat.

6. Iacobi 3. lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, *Et inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehennâ.* Nonnulli apud OEcumenium pro τὸ *natiuitatis,* habẽt, *gehennæ,* quaſi humanæ *gehennæ rotam* inflammet. Quænam eſt hæc generationis ſeu vitæ noſtræ rota, quæ *gehennæ rota* nominatur? Syrus nõ rotam *natiuitatis,* aut *gehennæ,* ſed genealogiam habet; & ſic locum excribit: lingua *inflammat ſeries genealogiarum noſtrarũ, quæ currunt in modum rotarum.* Quam Syri ſententiam ſic inibi ad rem præſentem Cornelius exponit: *Lingua enim ſerens odia inter familias, vrbes, & regna, eadem tranſmittit in poſteros per multas generationes & ſecula, vt perpetuæ inter eos, immortales, & irreconciliabiles lites & inimicitiæ eſſe videantur.* Ecce auita rancidè odia inflammant ſeries genealogiarum, tanquam *gehennæ rotam,* dum per multarum generationum traduces, in ſecula perpetuantur. Quid exaggeratius?

Margin notes: 1. Reg 17. v.4. — Serar. ibi. — LXX Interpr. Abulenſ. ibi q 4. — *Spurius dicitur, & pluriũ patrum filius, qui paterna odia hoſtiliter repræſentat.* — *An ſit filius ſine patre aut plurium patrũ filius?* — Pſal. 38 v.1. S. Chryſol. ſerm. 10. — Exhod. 1. v.13. — *Cur Hebræus populus Ægyptiis odioſus erit.* — Rupert. in Gen. c.37. — Iacob 3. v.6. — Œcum. ibi. — *Auitæ odia, quaſi per gehennalem rotam, ad poſteros tranſmittuntur.* — Syrus. — Cornelius.

## §. XCII.

*Mutuus amor ſanguini cognatus, ſi ex aliquâ fortè occaſiunculâ exaſperatur, in acerrima odia inhumanè degenerat.*

QVantumuis ſollerter id agas, vt nequis merito tuo te oderit, erunt tamen ſemper, qui te oderũt. Et ſanè tametſi *beneuolus animus maxima eſt cognatio;* neque iſtiuſmodi beneuolentiæ aut beneficentiæ cognatio, neque ipſa ſanguinis affinitas, à maleuolentiæ labe immunis 1.

nis eſt. imò ſi ex aliqua fortè occaſiunculâ exaſperetur, in acerrima odia degenerat: quaſi arctior neceſſitudo irritata, irarum incendium ardentiùs conflabellet. O quàm atrociter ſanguis in ſanguinem efferatur! tardè hæc lenteque eueniunt, & ſiluarum more ignem concipiunt, quò nimirùm tardiùs, eò vehementiùs. Ita, quos lentos in iram videmus, acerbiſſimos experimur. Vndè cognatio vt eſt de proprio genio ad amorem procliuis, ſic illi ſenſim concepta odia tenaciùs hærent, altinſque imbibuntur, & in maleuolentiæ obſtinationem è peruerſo obdurantur.

*Odia inter cóſanguineos, plerúnque acerbiſſima ſunt.*

2\. Abdiæ 1. *Viſio Abdiæ. Hæc dicit Dominus Deus ad Edom.* De Abdiæ patriá nihil certi traditur, ſicut nec de eius genere; cùm vtrumque Propheta ipſe tacuerit, quod non fecerunt aliorum Prophetarum plerique. Nonnulli Interpretum Sichimitam eſſe putant, alij Achabi regis diſpenſatorem. Hebræi autem aliqui ſeriò cenſent, hunc Abdiã fuiſſe Idumæum; & ideò præcipuè contra Idumæos prophetaſſe, quia ferebat ægrè homo religioſus, & Dei amans, à ſuis prouincialibus religionem veriã eſſe deſpicatui, & toties, tamque pertinaci ſtudio ab eiſdem Iſraëliticum populum oppugnari. Quocircà in ſuũ genus vehementer inuehitur (ait Sanctius) & fulminat, ſicut cognati ſolẽt, vbi ab his, quos ſanguinis communione coniunctos habent, aliquid vident turpe, aut ſordidum admitti. Ita putat Rab. Salomon, quam ſentẽtiam Hebræorum magiſtris dicit eſſe communẽ. *Aiunt*, inquit, *Sapientes, Abdiam proſelytum eſſe Idumæum. Dixit igitur Dominus: Ex ipſis adducã aduerſus eos. Veniet Abdias, qui vixit inter duos impios, Achab, & Iezabel, neque imitatus mores eorum, & pœnas ſumet de impio Eſaũ.* Fortè deerant Iſraëlis Deo Prophetæ in Iſraële, qui aduerſus Idumæos ſiue Eſaüitas prauitate & hoſtilitate infenſiſſimos, dura prophetarent? Annon id votis foret ſynchrono forſan Ionæ, de acerrimo ingenio tunc opinatiſſimo? Iudæa quaſi Prophetarum patria celebratur: inſolens autem, ex Idumęa Propheta videtur exurgere. Verum enim verò quò acerbiùs prophetet aduerſus Idumæos, in cognatos Idumæos exaſperatus Propheta eligitur. Num præcauet, ne Deus Iſraëlis Prophetæ, quamuis aſſiduâ & religionis & patriæ hoſtilitate offenſi, cum Idumæâ mitiùs agant? Tantúmne licet cognatorum aduerſus cognatos iræ, tametſi pietate & religione fundatæ? Non putauerim indubium, Abdiam fuiſſe Idumæum; ſed ex Rab. Salomonis & Dauidis eruditione ad ſedandas cognatorum iras, velitamur ad mores.

*Abdiæ 1. v. 1.*

*Idumæus Propheta aduerſus Idumæos acerbiùs eligitur.*

P. Sanct. Proleg. 1. in Abd.

Rab. Salom. apud P. Sãct. ibi.

3\. Matthæi 24. diram aduerſus Chriſtianos perſecutionem prædicit Chriſtus, quò illius ſæuitiam antedictione exarmet: iacula enim quæ præuidentur minùs feriunt: Tunc tradent vos, inquit, in tribulationem, & occident vos: & eritis odio omnibus gẽtibus propter nomen meũ. *Et tunc ſcandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem. Et multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos.* Grande hinc ſuboritur inter expoſitores litigium, quinam erunt hi pſeudoprophetæ, qui tam pernicioſas in Eccleſiã ſtrages edituri ſunt. Fortè erunt ex gente Iudæâ Chriſtianis infenſiſſimâ? an ex victrice gentilitate, armorum violentiâ Chriſtianiſmum deuaſtãte? Sed forſan tam atrox in fide, in religione, & in vitâ excidium, non niſi à fratribus edi potuit. Quã de re audiendus eſt Remigius ſic inibi fatus: *Imminẽte enim captiuitate Hieruſalem multi inſurrexerunt, Chriſtianos ſe eſſe dicentes, & multos ſeduxerunt, quos Paullus nominat falſos fratres, Ioannes verò Antichriſtos.* Quaſi odium inter fratres, in maleuolentiæ officinâ *Antichriſtos* excudat. Quodlibet aliud vocabulum præter *Antichriſti* nomen, mitius eſſet, & ſtragibus planè impar, quas falſi fratres aduerſus fratres ediderunt. Prope finem ſeculorum vnus Antichriſtus totam Eccleſiã atrociſſimè diuexabit, quid, ſub Apoſtolorum tempora, niſi odia inter fratres, *Antichriſtos* & præproperè anticipet, & fœcundiùs multiplicet? Quid niſi fraterna dudùm charitas in odium exaſperata, ſic atrociter potuit deſæuire?

Matth. 24. v. 10. & 11.

*Fraterna charitas exaſperata, in odium degener. Antichriſtos excudit.*

Remig. ibi.

4\. Malachiæ 4. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. *Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorũ.* Quod & Angelus Lucæ 1. Ioannis accõmodat, qui præcedet ante Chriſtum in ſpiritu, & virtute Eliæ: *Vt conuertat corda patrum in filios.* Hanc & Prophetæ, & Euangeliſtæ ſententiam multimodè verſant Interpretes. Tametſi Hieronymi interpretatio, quam ſequitur Gregorius, nobis inibi placuit; placet etiã adducere Auguſtini ſententiã, quam ipſe ſecundo loco ſcribit, præmittens LXX Interpretes præfatum Malachiæ locum in ſingulari legiſſe: Quamquã (inquit) in verbis Septuaginta Interpretum, qui propheticè interpretati ſunt, poteſt ſenſus alius, idemque lectioni congruens inueniri: *Vt intelligatur Elias* (Ioannes Baptiſta etiam) *cor Dei Patris conuerſurus ad Filium; non vtique agendo vt Pater diligat Filium, ſed docendo, quòd Pater diligat Filium: & vt Iudæi, quem priùs oderãt, diligant eundem, qui noſter eſt Chriſtus.* Itaque vt exaggeret Auguſtinus quantò Iudæi odio Chriſtum auerſentur, eiuſmodi odium non tam illis ipſis, qui eàdem generis origine cenſebantur, ſed arctiori cognationi, patris inquam, adſcribit, *Vt conuertat cor Dei Patris ad Filium.* Non quòd Pater Deus Filium Deum odiſſe poſſit. Abſit tã impius error. Sed vt infenſiſſimum nimis odium, quo Iudæi Chriſtum, verum Dei Filium auersãtur, ſummo Dei patris amori, quo Filium Deum proſequitur (nõ reipsâ, ſed locutione duntaxat, quã quod quis oſtendit, agere dicitur) quodammodò adſcribit. *Vt conuertat*, inquit, *cor Dei Patris ad Filium.* (id eſt, conuerſum oſtendat.) Sic etiã exaggerat quantâ apud Deum gratiâ polleant Elias & Ioannes. Et (ſi placet) quàm auerſetur Deus peccata hominum; quippe qui Filio ſuo nõ pepercit, ob hominum peccata, quæ Redemptorẽ agens, ſoluere ſpopondit. Nempè Deus infinitè amat Chriſtum, vtpote Filium ſuum naturalem; illum tamen hominũ peccatis ad eorum redemptionem indutum, ſic quodãmodò auerſatur, vt de Ioanne dicatur, ſicut de Eliâ, veniſſe, *vt cõuertat cor Dei Patris ad Filium.* Quid exaggeratiùs?

Malach. 4, v. 6.

Lucæ 1. v. 17.

*Quomodo dicatur de Ioãne, et Dei Patris cõuertiſſe ad Filiũ.*

S. Aug. l. 20. de Ciuit. cap. 29.

5\. Canticorum 1. Nolite, inquit, me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me Sol. Et qui ſunt hi, qui pulchram ſponſam ſic deuenuſtant, & tanquam fœdè deformem oblocutione garrulâ incuſant? *Filij*, ait, *matris meæ pugnauerunt contra me.* An non alij etiam & culparunt & impugnarunt cæleſtem ſponſam præter filios matris ſuæ? Sed attende (ait inibi Bernardus) quomodo nominatim filios matris ſuæ ſolos incuſa, quaſi ſoli in culpâ ſint. Quanta & ab exteris paſſa eſt, iuxta illud apud Prophetam

Cant. 1. v. 6.

S. Bern. ſerm. 29. in Cant.

Sæpè expugnauerunt me à Iuuentute meâ, & ſupra dorſum meum fabricauerunt peccatores. Quia ergò ſingulariter filios matris tuæ cauſaris, quam re minimè ignoras & ex aliis atque aliis nationibus ſæpiſſimè impugnatam? (Subdit tempeſtiuè Bernardus) *Ita ex nomine ac ſola exprimitur perſecutio à domeſticis, & tacentur tot, & tam grauia quæ vbique terrarum nihilominùs ex omni natione quæ ſub cælo eſt, ab infidelibus, ab hæreticis & ſchiſmaticis pertuliſſe cognoſcitur. Noui ſponſæ prudentiam, nec putauerim caſu hæc illam aut quaſi immemorem præteriiſſe. Sed profectò id expreſſiùs plangit, quod & ſentit differentiùs, quódque vigilantiùs nobis cauendum exiſtimat. Quidnam hoc? malum vtique inteſtinum atque domeſticum. Filij*, inquam, *matris meæ pugnauerunt contra me.* Conſultiſſimè & moraliſſimè cæleſtis ſponſa ſilentio præterit, & velut inſenſilis prætermittit, quæ à Gentilium ferociente potentiâ, quæ ab inſanè furenti Hæreticorum perfidiâ, & peruicaciter tumultuante ſchiſmatum diuortio immaniter pertulit; & ethicè querula grauiter gemit, quod eius fratres, & ſuæ matris filij, ſanguinis cognatione & domeſticá familiaritate iunctiſſimi, in illam deſæuierint. Quaſi mitiùs egerit Tyrannorum feritas, Hereticorum perfidia, Schiſmaticorum peruicax inſolentia. Cæleſtis ſponſæ lugubris querela, ſit nobis eruditio ad cautelam, vt ſollertiùs animaduertamus odia inter fratres exaſperata atrociùs deſæuire.

*Domeſtica inter fratres ſimultates, Tyrannorum atrocitates ſuperant.*

6. Redeat iterùm ſponſa adhuc de fratribus ſuis querula: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Quæ verba nuper laudatus Bernardus ſic elucidat: *Et pulchrè filios matris ſuæ, non autem & patris ſui illos vocat, qui non habebant patrem Deum, ſed ex patre Diabolo erant: homicidæ vtique ſicut & ille homicida erat ab initio. Propterea non dicit Fratres mei, aut filij patris mei, ſed filij*, inquit, *matris meæ pugnauerunt contra me.* Filij, inquit, matris meæ, ſed non filij patris mei ſunt hi, qui me ſic inhumanè proſequuntur. Homines quidem ſunt, ſed neſcio an ſatis homines ſunt, qui dum ſuos perſequuntur inhumanè fratres, ex patre Diabolo nati ſunt: & indè ab humanitate degeneres. Profundè Tertullianus, quaſi reſpiceret ad hæc ſponſi verba, ſcribit aduerſus Gentiles, qui commune fratris nomẽ, & mutuam beneuolẽtiam in Chriſtianis incuſabant: *Sed & quòd fratres nos vocamus*, inquit, *non aliàs, opinor, infamant, quàm quòd apud ipſos omne ſanguinis nomen de affectatione ſimulatum eſt. Fratres autem veſtri ſumus, iure naturæ matris vnius; etſi vos parùm homines, quia mali fratres.* Suos & Eccleſiæ perſecutores appellat fratres, *iure naturæ matris vnius*: exindè *filios matris ſuæ* duntaxat vocat eos, qui contra eam pugnant, quia ex patre Diabolo prognati ſunt: & idcircò *vos parùm homines, quia mali fratres.* Nam qui fraternitatis iura ſic inhumanè, velut ferinâ atrocitate violant, dum humanitatem exuunt, & mali fratres ſunt, *parùm homines* nuncupantur. Quod humanitati erga fratres deeſt, de hominis integri elogio detrahi putatur. Quiſquis aduerſus fratrem cõtentioſiùs pugnat, quia malus frater eſt, *parùm homo* nuncupatur. Ideò dicit, *Filij matris meæ, non autẽ & patris ſui*, quia *ex patre Diabolo erant*: & indè *parùm homines, quia mali fratres.* Quaſi malus frater præ inhumanitate, hominem quodammodò deſueſcat, & in atrociorem belluã inhumanè degeneret. Quod hîc in Eſaüita Amane aduerſus Iacobæos videmus.

Cant. 1. v.6.
S. Ber. ſer. 29. in Cant.

*Malus frater, parùm homo cur dicitur.*

Tertull. Apol. c. 39.

Hîc, verſ. 1.

7. Geneſeos 4. dixit Cain ad Abel *fratrem ſuum*: Egrediamur foras. Cúmque eſſent in agro, *conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.* Et ait Dominus ad Cain: Vbi eſt Abel *frater tuus*? Qui reſpõdit: Neſcio: *Num cuſtos fratris mei ſum ego?* Dixitque ad eum: Quid feciſti? vox ſanguinis *fratris tui* clamat ad me de terrâ. Quæ verba ſic Ambroſius elucidat: *Quomodo germanitatis ſeruaret officium, qui neceſſitudinis non agnouit affectum? .... Recuſat fraternæ munus cuſtodiæ, quaſi exſors naturæ.* Exors naturæ humanæ, & inhumanæ ac belluinæ conſors videtur, qui fraternam neceſſitudinem deſueſcens, in fratrem ſic furit. Diffitetur hominẽ, & agreſtiorem fatetur ferã, qui in ſuum ſanguinem ſic ferocit. Abelum autem, cuius effuſus ſanguis clamabat vindictam, à fraterno odio vindicat Ambroſius, tanquam rem miriſſimam: *Et benè ait: Vox ſanguinis fratris tui clamat, non frater clamat. Nõ accuſat frater, ne videatur parricida. Non accuſat vox ipſius, non anima eius, ſed vox ſanguinis accuſat, quem ipſe fudiſti. Tuum te ergò facinus, non frater accuſat. Et bene ait: Vox ſanguinis fratris tui clamat de terrâ; non dixit, de fratris clamat corpore, ſed de terrâ clamat. Et ſi frater parcit, terra non parcit. Si frater parcit, terra condemnat.*

Gen. 4. v. 8.

*Qui in fratrẽ ſæuit, exors naturæ dicitur.*

S. Ambr. l. 2. de Cain c. 9.

*Abelis de vltione vindicta.*

## §. XCIII.

### *Sibi potiùs conſulit, qui rancida deponens odia, recentem amicitiam cum inimico init.*

1. IRam fuge, eaq; aut nulla tibi, aut aperta eſto. Viro honeſto *honeſtius puta offendere, quàm odiſſe.* Cuius rationem reddit Tacitus: Mali illi *obſcuri, eóque irreuocabiles*: qui altè reponunt odia, *quodque ſæuæ cogitationis indicium eſt, ſecreto ſuo ſatiantur.* Semel ferit offenſa; odium verò repetita offenſa eſt, & iuge offenſionum conceptaculum, atque in belluarum feritatem hominem recudit. Qui odia animo alit, priùs ſe, quàm inimicos exagitat. Parce odiis, parce inimicis, vt tibi etiam parcas. Fecit hoc Caius Cæſar ille qui victoriâ ciuili clemẽtiſſimè vſus eſt. Cùm ſarcinam deprehendiſſet epiſtolarum ad Pompeium miſſarum, ab his qui videbantur aut in aduerſis, aut in neutris fuiſſe partibus, combuſſit. *Quamuis enim moderatè ſoleret iraſci, maluit tamen non poſſe. Gratiſſimum putauit genus veniæ, neſcire quid quiſque peccaſſet.* Scilicet maluit id neſcire, quàm palam noſſe inimicos, & habere quos ipſe proſequeretur odio, & qui illum odio proſequerentur. Nec ſe poſt victoriam etiam putauit magnum aut felicem, ſi alienis inimicorum odiis exagitaretur. Vndè præproperæ veniæ arbitrio, partam proſperitatem ædificare pergit.

Tacitus in Agricola.

*Honeſtius puta offendere, quàm odiſſe.*

Seneca l. 2. de Ira c. 23

*Gratiſſimum genus veniæ eſt, neſcire quid quiſque contra te peccat.*

2. Geneſeos 32. Iacobus cum filiis & vxoribus è Meſopotamia redux, offenſi quondam fratris Eſaü iras pauidè metuit; & multa ipſaque opulenta illi præmittit munera: dixit enim: *Placabo illum muneribus quæ præcedunt, & poſteà videbo illum, forſitan propitiabitur mihi.* Hæc vltima verba Lipomanus emphaticè exſcribit, & exponit: *Propitiabitur mihi*, inquit, *vel reuerebitur me.* Præmiſſis donis *reuerentiam* mercatur?

Geneſ. 32. v. 20.

Lipom. ibi.

*Munera reuerentiā negotiantur.*

mereatur? O, muneribus negotiatur *reuerentiam?* O frequens auaritiæ, & vanæ gloriæ commercium! Vel aliter ad rem præſentem. Iacob olim fraudulento paternæ Benedictionis furto, (pio, an impio, inibi diſputauimus) fratrem Eſaü grauiter offenderat: & dum ſollerter ſatagit, vt veteres deponat ſimultates, & ſibi *propitietur*, dicitur propriam ſui *reuerentiam* procuraſſe. Nimirùm qui inimicitias gerit cum alio, illum inſtigante rancore, depretiare & dehoneſtare ſolitat. Quis quid magnificum in inimico vidit? maleuolentiæ nebula, inimici ſplendorẽ obumbrat. Ergò Iacobus indole, opibus, virtute, ac nobilitate conſpicuus & reuerendus, cùm amicam reconciliationem cum agreſti inimico muneribus procurat, *reuerentiam* ſibi negotiari conſultiſſimè dicitur. O ſaltem cognata hominibus honoris ac reuerentiæ ambitio, negotietur, quod Chriſtiana pietas inimicis ex præſcripto beneuola, non extorſit! Honori impenditur, quod inimicitiis detrahitur.

*Proprio honori conſulit, qui amicitiā cum inimico init.*

5. Geneſ. 36. v. 12.

Geneſeos 36. Eſaü poſteritas ſeriatim recenſetur. Fuerúntque, inquit, Eliphaz filio primogenito Eſaü, filij Theman, Omar, &c. *Erat autẽ Thamna, concubina Eliphaz filij Eſaü: quæ peperit ei Amalech.* Quam ob cauſſam vna Thamna ex tot concubinis poſteritatis Eſaüanæ cõcubinæ ignominiâ præ ceteris dehoneſtatur? Quin eò deuentum eſt, vt licet *concubinæ* nomen in ſacrâ ſcripturâ deſignat ſecundariam vxorem, hîc ſuſpicentur Interpretes, *Thamnan* fuiſſe leniculam pellicem, quâ cum ſcortabatur Eliphaz. Tempeſtiuè Lipomanus non in matris Thamnæ, ſed in filium Amalechum dehoneſtamenti odium regerit. *erat autem*, inquit, *Thamna concubina Eliphaz filij Eſaü, quæ peperit ei Amalech. Huius poſteri quia ſemper aduerſati ſunt Iſraëlitis, ideò hîc illegitimi ſignificantur.* Nempè defectus natalium Amalechi forſan ignoraretur, niſi aliis pugnaciùs aduerſaretur. O quàm eſt agnatum odio prodere nataliũ vitia! Maleuolentia ſedulo genealogias ad diffamiam ſcrutatur, & quem collatis viribus ſuperare non poteſt, natalibus clanculum inſidiãdo, deuenuſtat egregiè. Profectò *τὸ concubina* biblico idiomate ſecũdariam vxorem, & legitimam quidem deſignat, ex quâ legitimi pariter naſcuntur filij: (vt liquidò conſtat ex Iacobæâ prole ſuſceptâ ex Balâ & Zelphâ, Iacobi *concubinis*) Aſt inteſtinum odium, & mutua maleuolentia, rea eſt non boni interpretamenti, & ambiguam vocem, aut vagum rumuſculum, in deterius plerúmque interpretatur. O indecorè incredibilia odij commentaria! *Concubina* vxorem ſignificat, & pro puridâ pellice ab odio hîc vſurpatur. Exindè Mardochæus hîc infenſiſſimum Iudæis Amanum, filium Amadathi eſſe dicit, *qui erat de ſtirpe Agag*, Amalecites inquam, ne Thamnæ *concubinæ* Eliphazis ignominiam prætermitteret.

Lege P. Martin del Rio. *Odium, non bonus eſt genealogiarum interpres.*

Lipom. ibid.

Hîc v. 1.

4. Geneſ. 3. v. 15.

Geneſeos. 3. ſerpens Dæmon vaferrimæ ſeductionis reus, ſceleris manifeſtè conuictus, hâc ſententiâ Dei ore fulminatur: Et ait Dominus Deus ad ſerpentem: Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemẽ illius.* Dæmónne, qui fuit totius tragœdiæ auctor, an potiùs ſimplex mulier hâc ſententiâ feritur? Poſtmodùm mulier ſuæ nuncupatim ſententiæ ſubiacebit; quid nunc Dæmonis etiam ſupplicio potiùs Eua ſauciatur? Et quidem mulier, imbecillus hoſtis eſt, & ad gerendas inimicitias infirmus, & præ femineâ imbecillitate futilis: præſertim cùm mulier nuper deuicta ſit, quod vt victori audaciam addit, ſic & deuicta animum demiſſiùs proſternit. Rupertus præſcripta verba exponens, ita ſcribit: *Pœnam inimicitias inter te & mulierem, profectò magnum gratiæ ſuæ opus promittit, quod victorem Diabolũ qui vicerat fraude, victa nunc mulier vincere quandoque debeat fortitudine.* Sic imbecillus eſt, qui ſubdolâ fraude vincit, vt vel à muliere nuper victâ, vinci debeat fortitudine? (Sed de hoc alias.) Verùm Caietanus ad præſentem theſim opportunus interpres, ita ſcribit: *Inimicitias ponã, &c. Noli putare ex eo quod ſuperaſti mulierem, te habiturum dominium ſuper vniuerſas mulieres. Nam quamuis mulier ipſa imbecillis ſit, ego tamen ponã inter mulierem & inter te odium inimicitiæ, vt habeat te, non in dominum, ſed in inimicum, vt non pareat tibi, ſed hoſtem te ſentiat, vt hoſtem caueat, vt odio te proſequatur.* Scilicet tametſi Dæmon præſtãtioris ſit naturæ, & viribus præpolleat; & aduerſus imbellem feminam, & quidem deuictam, proſtratam, protritã inimicitias agat; tamen ſic eſt pernicioſè moleſtum, inimicum habere, odiſſe, perſequi; ab eo cauere, ei nocitura perquirere; alienam ruinã moliri, & propriam timere; vt vel Diabolorũ damnatiſſimus, ad inimicitiæ odium cum deuictâ etiam muliere, denuò pœnaliſſimè damnetur. Sic eſt peracerbè moleſtum inimicitias agere? O quàm præſtat lædi, quã vt lædere ſollicitiùs exambias!

*Qui fraude ſuperat, imbecillè vincit.*

Rupert. ibi.

Caiet. ibi.

*Dæmoni pœnaliſſimum eſt, vel cum victâ muliere inimicitias agere.*

5.

Geneſeos 33. in patriam domum è Meſopotamiâ redux Iacob, pauidè timet ne armatus Eſaü illi obuiam occurrens, veteres ſimultates, & antiqua odia adhuc in animo gerat. Aſt cùm quem timebat hoſtem propitium pacatè fratrem expertus eſt; ita illum gratanter alloquitur: *Sic vidi faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei.* Hæc Iacobi ad fratrem Eſaü oratio, adulationis ſuſpicione pollui videtur. Eſtò, agreſtis Eſaü, effero ingenio atrociter ſæuus, inteſtinum cum fratre odium exuerit, & veteres cum eo inimicitias beneuolus depoſuerit; quantulum eſt hoc, vt vultum Dei humano ore exprimat? Bellè Chryſoſtomus: *Nil ita te Deo aſſimilat, ſicut iniuriam tibi facientibus ignoſcere.* Nimirùm animaduertit Iacob, fratrem Eſaü raptæ dolo benedictionis iniuriam ſibi indulgentiùs condonaſſe, & inteſtina quondam odia mitiùs depoſuiſſe: exindè vbi fratrem, tametſi effero ingenio agreſtem, odio vacuum videt, *ſic vidi*, inquit, *faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei:* quoniam *nil ita Deo aſſimilat, ſicut iniuriam ſibi facientibus ignoſcere.* Sic eſt feliciter auguſtum ſimultates negligere, & odia ignoſcenter deponere?

Geneſ. 33. v. 10.

*Nil ita Deo aſſimilat, quã iniurias ignoſcere, & odia exuere.*

S. Chryſoſt. homil. 20. in Matth.

6. Pſalm. 128. v. 1. & 2.

Regius Vates Pſalmum 128. his verbis modulatè auſpicatur: *Sæpè expugnauerunt me à iuuentute meâ, dicat nunc Iſraël. Sæpè expugnauerunt me à iuuentute meâ: etenim non potuerunt mihi.* Iubet Dauid, & vehementiùs vrget populum, ſemel, ac iterùm, grato lætóque animo agnoſcere eximium Dei erga ſe beneficium, quòd veluti à puero, hoc eſt, à primis annis, quibus cœpit coaleſcere, multoties impetitus ſit plurimis aduerſariorum perſecutionibus, & vexationibus, quas illi obſtinatiùs repetebant; ſed eò magis illum

augeri, proſperari, & ſuperiorem euadere. Propriè *expugnare* dicitur, qui inimicum vincit, proculcat, ac diripit; & tamen hic negantur
S. Hilar. præualuiſſe, qui *expugnauerunt.* Vndè S. Hilarius legit, *impugnauerunt*, alij *oppugnauerunt, infeſtauerunt, coarctauerunt, anguſtiauerunt, aduerſati ſunt à pueritiis meis.* Hoc eſt, quaſi viri robuſti ſic me in omni ætate impugnauerunt atque infeſtauerunt aduerſarij, vt velut puerum me coarctauerint; & ſic me anguſtiauerunt, ac ſi me ſemper velut imbellem puerum
*Aduerſariorum oblinio, eorum proculcandorũ prapropera gratulatio eſt.* ad reſiſtendum inueniſſent: quocircà ſic me hoſtiliter *impugnauerunt*, vt propè *expugnauerint.* Ceterùm valdè mirum eſt, & ethicâ expenſione digniſſimum, quòd tacito impugnatorum nomine, ſola impugnatio, infeſtatio, & hoſtilitas nominatur. Forſan latebat Prophetam diſertiſſimum, & à primâ ætate in paucis induſtrium & ſagacem, qui non eſſet, qui illum repetitis inſidiis, ac moleſtiſſimis infeſtationibus anguſtiaret. At Dauid inimicam infeſtationem ſentit, infeſtantes non videns; ſenſu oculariſſimus ad offenſam, cæcus ad offenſores; acerbæ iniuriæ memor, iniuriatoris conſultiſſimè oblitus. Exindè ſubdit: *Etenim non potuerunt mihi.* (vt alij exſcribunt) *non præualu runt.* Porrò ſolius offenſæ recordatio, & offenſorum obliuio, hoſtium deuincendorum augurium eſt, & præpropera victoriæ gratulatio. Quod inibi S. Zeno Veronenſis perbellè
S. Zeno ſer. de Pſ. 128. adnotauit, ita fatus: *Sæpè expugnauerunt me à iuuentute meâ, etenim non potuerunt mihi. Confidentiæ maxima gratulatio eſt, tantorum & tam numeroſorum bellorum recordari. Sed nunc tacito impugnantium nomine impugnatio ſola memoratur.* Præmaturè de proculcatis à ſe aduerſariis ſibi *gratuletur*, qui ſic aduerſariis ignoſcit, & infeſtationis memor, infeſtatores moleſtiſſimos quodammodo ignorat. Moraliſſima ſanè *gratulatio.*

7. Lucæ 6. v. 37. Lucæ 6. ſic Chriſtus Deus ſuos adhortatur: Eſtote miſericordes ſicut & Pater veſter miſericors eſt. *Dimittite, & dimittemini.* Hoc eſt, ſi aliis ignoueritis datâ iniuriarum veniâ, vobis quoque ignoſcetur. Ad quæ verba ita
S. Leo. S. Leo ſcribit ſerm. 6. de ieiun. decimi menſis:
*Qui offenſas dimittit, Chriſti iudicis ſententiam in ſua poteſtate conſtituit.* *Dimittite, & dimittetur vobis. Quid hâc iuſtitiâ benignius? Quid hâc retributione clementius, vbi ſententia iudicaturi in poteſtate ponitur iudicandi?* O, times in die iudicij ſeueriſſimum iudicem, & tot ſcelerum memor, veniam exoptas? Ibi magna patrocinia, munera opulenta, & ſera vacant obſequia. Aſt ſi nunc offenſori offenſam dimittis, Iudicis tunc ſententiam ad tuum arbitrium flectis: *Dimittite, & dimittemini, vbi ſententia iudicaturi in poteſtate ponitur iudicandi.* Dandæ veniæ crudeliter auarus, ſibi optatiſſimam veniam inuidet. Quiſquis aduerſariis piè ignoſcit, iam nunc poſtremum iudicium anteuertens, de optatiſſimâ veniâ ſibi præproperè gratuletur. Ergò ſibi potiùs conſulit, qui rancida deponens odia recentem amicitiam cum inimico init.

## §. XCIV.

### *Æquum eſt, vt vnuſquiſque eum religione colat Deum, quem ſuis moribus colere promeretur.*

Qvomodo ſit Deus colendus ſolet Nationibus præcipi. Deum colit, qui nouit: nouit autem cui cælitùs noſſe datum eſt. Summa 1.
illa ac pulcherrima omniũ natura, quos humanæ caliginis periculo exemit, fide diuinâ ad verum veri Dei cultũ inoculauit. Primus eſt Dei cultus, Deum credere. Deinde reddere illi maieſtatem ſuam. Scire illũ eſſe qui præſidet mundo, qui vniuerſa vt ſua temperat, qui humani generis tutelam gerit. Qui ſicut homo factus pro *Optimus animus, pulcherrimus Dei cultus eſt.*
hominibus naſci voluit, ita pro eiſdem acerbè mori, non recuſauit, nulla diuinitatis iniuriâ, ſed prænobili gloriæ auctario. Hic nec dat malum, nec habet: hic totâ punit gehennâ nocentes, & totâ præmiat beatitudine innoxios. *Vis* Seneca epiſt. 95.
*Deum propitiare? Bonus eſto.* (ait Seneca) *Satis illum coluit quiſquis imitatus eſt.* Verum bonum concedas neceſſe eſt, & verum Deum noſſe, & ſummæ pietatis erga eum eſſe. Verum ſemper illud Comici diſertiſſimi: *Optimus animus, pulcherrimus Dei cultus eſt.* Quaſi hominis bonitas aut imbonitas, ſit veræ fidei, aut ficti erroris conceptaculum: & propria conſcientia ſit aliquis diuinæ religionis cenſus. Publ. Mim. in Prouerb. Senecæ.

2. 1. ad Timoth. 1. poſt multas de morum probitate, & fidei integritate præceptiones, ita 1. ad Tim. 1. v. 19.
Paullus ſcribit: Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, vt milites in illis bonâ militiam, *habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt.* *Il quiſque colit quod meretur.*
Quid attinet bona & inculpata conſcientia, ad fidei aſſenſum, & veri numinis cenſum? *Scelerum* vniuerſatim conſcientia, ſceleroſa eſt; irreligioſa non eſt. Non commiſſa aſſiduè flagitia, ad priſtinæ idololatriæ relapſum impellunt, contumaciam Iudaiſmi reſorbent, irrationalem atheiſmum fundant, aut hæreſes de proprio cerebro excudunt, aut ex alieno excuſas impreſsè reſculpunt? Conſcientia religionem dat? An mens, ratio, & prudentia cælitùs illuſtrata religionem adſpirant? O fidei naufragia, in non bonæ conſcientiæ pelago! Propria cuiuſque conſcientia ſæpè eſt fidei, ac religionis officina. Cæcilius Ethnicus cum Octauio Minutius Felix in Octauio.
catholico pro Idololatriâ diſceptans, ita aduerſus Chriſtianos arguit: *Hominem* (Chriſtum inquam) *ſummo ſupplicio pro facinore punitum, & crucis ligna feralia, Chriſtianorum ceremonias fabulatur, congruentia perditis ſceleratiſque tribuit altaria, vt id colant quod merentur.* Expende hæc vltima verba, in quibus tota ſententiæ energia ſita eſt. Quaſi propria cuiuſque conſcientia ſit capeſſendæ religionis, & adorandi Hic verſ. 1.
numinis cenſus. Exindè merita aut demerita, *congruẽtia* hominibus *tribunt altaria, vt id colant quod merentur.* Quem niſi Amanem tanquã Deum colerent profligatiſſimi Perſarũ mores?

3. Act. 17. v. 22. & 23. Actorum 17. poſtquam Doctor Gentium Athenis commoratus, diu multúmque cum ſuperſtitioſis Iudæis, & Ethnicis Philoſophis diſputauerat: ſtans in medio Areopagi, ait: *Viri Athenienſes per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video.*

*video. Præteriens autem, & videns ſimulacra veſtra, inueni & aram, in quâ ſcriptum erat: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.* Quid eſt, quòd Paullus, qui *ſuperſtitioſiores* videt Athenienſes, quippe qui ignotum Deum colerent, illis verum Deum, Chriſtum inquam, alacri illorum conuertendorum ſpe, palam annunciat? Profectò veſanè ſtultum videtur, vt aliquis, quod ignorat pro numine colat. Verùm Oecumenius exploratâ ſacri textus origine Græca, τὸ *ſuperſtitioſiores* interpretatur *religioſiores.* Et inde forſan Apoſtolus ſpem concipit Athenienſium abducendorum ab inani Idolorum cultu, vt quem ignorant verum Deum, euangelicè annunciatum, & piè notum, venerentur: & pro numine colant. Appoſitè Hilarius alibi ad aliud expenſus lemma: *Deus religione intelligendus eſt, pietate profitendus eſt, ſenſu verò perſequendus non eſt, ſed adorandus.* Scilicet verum Deum, quem *ſuperſtitioſiores* ignorabant, *religioſiores* colant, & *religione intelligant.* O nouam & peregrinam vim Deum intelligendi, & cognoſcédi Deum! Deus mente intelligitur, & intellectu cognoſcitur; religione autem colitur, atque cultu adoratur; & tamen ſubtiliùs ad mores docet Hilarius, quòd *Deus religione intelligendus eſt.* Nempè congruentia piis ac religioſis mentibus tribuit altaria, *vt colant, quod merentur:* & Deum quem *ſuperſtitioſiores* ignorabant, *religioſiores* intelligant, colant, adorent.

OEcum. ibi. *Deúſne religione intelligendus eſt*

S. Hilar. de Trinit.

4. Matthæi 22. Iudæis nuper aduerſus ſe tumultuantibus, hanc parabolam moralitatum in paucis fœcundam, Chriſtus proponit: *Simile,* inquit, *factum eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo.* Interpretes non pauci, nec ignobiles putant, quòd hic homo rex eſt Chriſtus, qui & homo & Deus eſt; indeque ſecundum ſermonis proprietatem *homo* dicitur, qui etiam rex ſeculorum eſt. Verùm alij cùm verba parabolæ attentiùs explorent, animaduertantque, quòd hic *homo rex* fecit nuptias *filio ſuo,* non de Chriſto homine Deo, ſed de Patre Deo, non homine, intelligi malunt. Non leue autem illis negotium faceſſit exponere, quomodò Pater Deus, cùm homo non ſit, hìc *homo* nominetur. Porrò Verbum diuinum, vnigenitus Dei Filius hypoſtatico nexu humanam aſſumpſit naturam, & verè hinc homo Deus eſt; non ſic Deus ſolitariè ſumptus, & abſque adſpectu ad hypoſtaticam vnionem, quæ diuinæ corporationis negotium peragit. Non latuit hæc difficultas ſagaciſſimam Origenis peritiam in myſticis ſenſibus eruendis, & ad rem præſentem opportunus, ſic moraliſſimè reſpondet: *Neceſſe eſt,* inquit, *vt ſimile ſit regnum Dei homini regi, vt hominibus quaſi homo apud homines loquatur, & diſpenſet homines non capientes diſpenſari à Deo: qui omninò quidem Deus eſt, & in eo quod loquitur per Prophetas, & in eo quod diſpenſat homines:* Penſita diligentiùs quæ ſubtexit verba) *& tunc ceſſabit regnum cælorum ſimile eſſe homini, cùm ceſſante zelo, & contentione, & reſiduis paſſionibus & peccatis ceſſauerimus ſecundum hominem ambulare, & digni facti fuerimus audire à Deo: Ego dixi Dij eſtis. & filij excelſi omnes.* Planè luculenter Origenes! Nempe Pater Deus, tametſi omninò & merè Deus ſit, & non homo; *homini* aſſimilatur quandiu homines, tanquam merè homines vitam agunt, & humanas paſſiones intùs alunt, humanis affectibus indulgent, humana deſideria animitùs fouent, atque humana ambitione ac libidine medullitùs æſtuant. Exindè *tunc ceſſabit regnum cælorum ſimile eſſe homini, cùm ceſſante zelo, & contentione, & reſiduis paſſionibus & peccatis, ceſſauerimus ſecundum hominem ambulare, & digni facti fuerimus audire à Deo: Ego dixi Dij eſtis.* Ecce tibi Deus Pater omninò & merè Deus, & *homini* aſſimilatur, quia homo illi ſubiectus, non Deum, ſed hominem ſapit, humanis paſſionibus agitatus, & flagitiis contaminatus. Ergò cùm *ceſſauerimus ſecundum hominem viuere, & audire mereamur: Ego dixi Dij eſtis;* tunc non *homini* regi, ſed Deo regi, ſimilis, Deus nobis proponetur. Quaſi hominum vita de morum officinâ, aut hominem regem, aut regem Deum ſibi proponi mereatur. O, homines hominum mores deſueſcant, & æmulentur diuinos, ne audiant: *Simile eſt regnum cælorum homini regi:* ſed potiùs ſibi gratulentur, quòd iam audiunt: *Simile eſt regnum cælorum homini Deo.*

Marth. 22. v. 1.

Orig. tract. 20. in Matt. *Quia homo tanquam homo viuit, ideò Deus Pater homini aſſimilari dicitur.*

5. Lucæ 2. Ieſus ætate adhuc puer cum canâ Iudæorum ſapientiâ in templo diſputat, ſenſim ſtillans diuinam, quâ exundabat, ſapientiam. Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo. *Et Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratiâ apud Deum, & homines.* Hinc pugnax Arij, & Neſtorij aduerſus Catholicos contentio; & Catholicorum inter ſe mutua diſſidia. Nam eſtò, Chriſtus Deus tunc duodennis, creſcere potuerit ætate, imò & gratiâ apud homines: nō quòd gratia in ſe augmētum reciperet, ſed quia cum ætatis incremento, eam indies vberiorem oſtenderet; Sed quo pacto *proficiebat ſapientiâ & gratiâ apud Deum,* qui in ipſo Incarnationis auſpicio Deus erat, & omnigenâ ſapientiâ & gratiâ, quæ Deum hominem decebat, inſtructus fuit! Num per ætatis gradus, in diuinitate proficiebat Chriſtus? an gratiâ aut ſapientiâ increatâ, creatâ ve? Minimè quidèm. Nam ſumma augmentum, ſeu profectum non capiunt. Quomodò igitur Chriſtus *ſapientiâ, & gratiâ apud Deum proficiebat?* S. Ioannes Damaſcenus lib. 3. de Fide orthod. hunc locum contra Arium, & Neſtorium verſans, ita ſapienter ſcribit: Proficere autem ſapientia & gratia apud Deum Chriſtus dicitur, *quod hominum in ſapientiâ & gratiâ progreſſum, paternæque voluntatis explesionem, hoc eſt, hominum pietatem ac Dei cognitionem & ſalutem profectum ſuum duceret,* (quam Damaſceni ſententiam multis inibi Iacobus Biblius locupletat.) Itaque proficientia hæc in ſapientiâ & gratiâ, quâ Chriſtus Deus *proficere* dicitur, non eſt aliquod in ſe incrementum; ſed profectu hominum, quorum profectui procurando corporatus venerat, *profeciſſe* perhibetur. Deus qui in ſe creſcere nō poteſt ſapientiâ & gratiâ, *proficit* in hominibus, in quibus hæ dotes anguſtè ſublimes, per eum excelsè *proficiunt,* nouo indies ſāctitatum, & gratiarum omnium incremento. O arcanum in Chriſto Deo per homines *profectū!*

Lucæ 2. v. 52

*Chriſtus Deus arcanè per homines proficere dicitur.*

S. Damaſc. lib. 3. de Fide, cap. 22.

Biblius ibi.

6. Regius Vates Pſal. 113. falſata Ethnicorum numina his elogiis deturpat: Simulacra Gentiū argentum, & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbūt. Aures, habēt & non audient, &c. Et tandem ad rem concludit: *Similes illis fiant,*

Pſ. 113 v. 8. P. Lorin. ibi.

*qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.* Imprecatio grauis cum acerbo ſarcaſmo ſeu irriſione, tum in eos, qui conficiant ſimulacra, & idola deſcripta; tum etiam in illos, qui ſpem in iis conſtituant, & eos velut numina religione colãt, nempè vt fiant ſimiles ipſis, ac veluti meri trunci, ſenſu, ac vita homine dignâ deſtituti, penitùs inualidi, imbecilli, infirmi. Ineſt hic prætereà ratio quædam prædictionis, quâ idolorũ fabricatores, cultoreſque ipſis Diis fabricatis ac cultis ſimiles reddat: quàm perſpicaciùs vidit Tertullianus, dum τὸ *fiant* non exponit in modo imperatiuo, ſed in futuro, quaſi prophetet, idolorum cultores ſimiles illis futuros. Sic Tertullianus locum ad rem præſentẽ exſcribit: *Similes erunt illis, qui faciunt ea, & qui fidunt in illis.* Scilicet qui idola è lapide, ligno, aut quouis metallo fingit, & quaſi fatum cõſecratione mutarint, illa tanquã numina adorat & quaſi Deos religione percolit; *ſimilis illis fiet:* neque enim aliud meretur cognoſcere, aut colere numẽ, niſi truncum inſenſilem, inualidum, imbecillum, infirmũ, qui adeò truncus eſt, rationis atque prudentiæ inops, vt velut hominem dediſcens, dedolatum lignum, expolitum lapidem, aut æs dentatâ limâ excultum excors adoret. *Similes erunt illis, qui faciunt ea, & qui fidunt in illis; vt id colant, quod merentur.* Quid homo truncus, niſi truncum Deum colat?

*Idolorum cultores illis ſimiles erunt.*

Tertull. in Scorp. c. 2.

7. Matth. 3. v. 9 Matthæi 3. Ioannes Iudæos de Abraham proſapiâ arroganter ſuperbos, his verbis caſtigat: Ne velitis dicere contra vos: Patrem habemus Abraham. *Dico enim vobis quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Magna lis inter commentatores hinc exoritur, quo pacto ipſoſmet lapides Deus in filios Abrahæ recudere valeat; Scitè Rabanus Maurus inibi: *Lapidũ nomine Gentes ſignificatæ ſunt, quæ lapides coluerunt .... De lapidibus ergò filij Abrahæ ſuſcitati ſunt: quia dum Gentiles in Abrahæ ſemine, id eſt, in Chriſto crediderunt, eius filij facti ſunt; cuius ſemini ſunt vniti.* Ecce tibi quomodo Gentiles à ſemine Abrahæ alieni, ſemini Abrahæ deputentur: & quare *lapides* à Ioanne dicantur. Nempè Gentiles barbaricè idololatræ, politos à ſe lapides, tanquam cæli Numina erroneo diuinitatis cenſu coluerunt: ergò qui *lapides* velut Deum colunt, lapides meritò perhibentur: *Similes erunt illis, qui faciunt ea, & qui fidunt in illis; vt id colant, quod merentur.* Exindè Gentes, quæ hactenùs lapides quaſi Deum adorauerunt, idoneo ſuæ culturæ elogio, *lapides* nominantur.

*Gẽtiles, quia lapides tanquam Deum coluerunt, lapides appellantur.* Rabanus.

---

## §. XCV.

### *Idololatria vituperatur, irridetur, culpatur: quippè quæ omnia delicta vno crimine expungit.*

1. Minut. in Octauio. OTioſum foret & prolixum nimis ire per ſingulos Gentium Deos, & illorum inane numen oſtendere: quippe qui homines fuerint aliquando nati, & tandẽ vitâ defuncti. Niſi fortè duntaxat poſt mortẽ Deos fingunt, & peierante Proculo Deus Romulus, & Iuba Mauris volentibus Deus eſt, Iupiter, ac diui ceteri reges, qui conſecrantur non ad fidem numinis, ſed ad honorẽ emeritæ poteſtatis. Verùm nec de mortuis Dij, quoniam verus Deus mori non poteſt nec de natis, quoniam moritur omne quod naſcitur: diuinum autem id eſt, quod nec ortum habet, nec occaſum. Cur enim ſi nati ſunt, non hodie quoque naſcuntur? niſi fortè iam Iupiter ſenuit, & partus in Iunone deficit: & Minerua canuit antequam peperit. An ideò ceſſauit auguſtior hæc generatio, quoniam nulla iam huiuſmodi fabulis præbetur aſſenſio? Sanè ſi Dij generari poſſent, ſaltem interire nõ poſſent: ergò plures totis hominibus Deos haberemus, vt iam eos nec cælum contineret, nec aer caperet, nec terra geſtaret. Hactenus Minutius Felix in Octauio. Irridenda potiùs quàm refutanda Idololatria eſt: multa ſic ſunt digna reuinci, ne grauitate adorentur.

*Irridetur Idololatria.*

Eſther cap. 13. Sic Mardochæus huius tragœdiæ occaſio, Deum ſuum, calamitatem deprecans, piè precatur: Cuncta noſti, (Deum alloquitur,) & ſcis quia non pro ſuperbiâ, & contumeliâ, & aliquâ gloriæ cupiditate fecerim hoc vt non adorarem Aman ſuperbiſſimũ. *Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.* Nimirùm Aſſuerus in ſuam domum ac curiam Regiam cæleſtem tranſtulit œconomiam, atque minores conſtituit Deos, quibus diuinos iubet honores præſtari, ſuis tamen longè diſſimiles: quos tamen Amano (quẽ diuinitatis participem Rex fecerat) exhibere Mardochæus noluit: quia ne id faceret ſeuerè cauerat patria religio. ita Sanctius, & Serarius. Itaque idcircò Mardochæus adorare recuſat Amanum, minorẽ Deum à Rege factum, *Ne,* inquit, *honorem Dei mei transferrem ad hominẽ.* Ideò inſane contra Mardocheum ferocit Amanus, quaſi illum à diuinitate deponat; cùm potiùs Mardochæo gratificari debuiſſet, ne ipſe ſibi humanitatis benè conſcius, diuinitati impar inueniretur. Eloquenter Minutius Felix: *Næ ille,* inquit, *miſerabilis, cuius in homine mortali ſpes omnis innititur! totum enim eius auxilium cum extincto homine finitur. Ægyptij ſanè hominem ſibi quem colant, eligunt; illum vnum propitiant, illũ de omnibus conſulunt, illi victimas cædunt: & ille qui ceteris Deus, ſibi certè homo eſt, velit nolit: nec enim conſcientiam ſuam decipit, ſi fallit alienam.* Longum facerem, ſi Minutij ſententias ſingulas ſigillatim enuclearem, procliue id cuique eſt. Sanè miſerabiles Perſæ, qui non modò regem Aſſuerum, ſed impium Amanem etiam tanquam ſuum colebant Numen: quod iure Mardochæus cum ſuo, & ſuæ etiam gentis periculo recuſat hic verſ. 3. & 4.

Eſther 13 v. 14.

*Apud Ægyptios homo eligebatur, qui Deus illis foret, velit nolit.*

Minut. Felix in Octau.

Hic v. 3. & 4.

Geneſeos 12. patriam domum relinquere iubetur Abraham, & in terram promiſſionis pergere, magnis cælitùs ſpebus auctus. *Egreſſus eſt itaque Abram, ſicut præceperat ei Dominus .... ſeptuaginta quinque annorum erat Abram cum egrederetur de Haran.* Grande quidem inter Expoſitores litigium, quo anno ætatis ſuæ Abrahamus exierit. Et ſanè (quod mirere magis) Interpretum proceres centum triginta quinque annos Abrahamo tribuunt, tametſi Scriptura ſeptuaginta quinque duntaxat illi tribuere videatur. Rem componunt Chronologi, & huius loci Commentatores, & nos quoque non pauca inibi ſcripſimus. Putat S. Hieronymus in qq. Hebraicis, Abrahamum de Vr Chaldæorum ideò exiiſſe, quia Perſica numina adorare conſtantiùs 5. Geneſ. 12. v. 4.

*Abrahamo non computantur anni, quos idololatra vixit.*

S.Hier. in qq. Hebr.

ſtantiùs recuſauit. *Et ex illo tempore reputetur ei tempus ætatis, ex quo confeſſus eſt Deum, ſpernens idola Chaldæorum.* Scilicet vitæ tempus ethicè non ætatibus, ſed moribus cōputatur. Rationali homini non imputatur tempus, quo brutis pecudibus ſimilem agit vitam: quod Deo viuit, vixiſſe dicitur. Qui virtuti viuit, citò ſenex eſt; & quod vitiis detrahitur, vitæ adiicitur. Adoleſcens virtutum moribus factus, *conſummatus in breui expleuit tempora multa.* Senex autem vitiorum deliciis innutritus, *puer centum annorum* nominatur. Pietas longioris vitæ compendium eſt. Virtus & caret tempore, & tempus pietate redimit. Itaque ſexaginta illi anni, quibus Abrahamus veri Dei neſcius, idola coluit, minimè computantur, quaſi rationali vitæ nemo tunc foret, & inter muta animalia, aut exanimales truncos aut rupices, citiùs quàm inter homines cenſeri debeat. Sic Idololatra, proprio numine vacuus, & operoſus alieno, mentito, adulterino, falſato; tanquam rationis expers vitæ exul reputatur. Profectò humana fides, quæ diuinos honores Idolis exhibet, aut humanæ credulitatis iactura eſt, aut credulitas ſine homine. Vndè *ex illo tempore reputatur ei tempus ætatis, ex quo confeſſus eſt Deum, ſpernens idola Chaldæorum.*

4. Sapient. 14. v. 15. *Mortuos homines, inter numina referunt, ne immeritos honores recuſare poſſent.*

Sapientiæ 14. Idololatriæ origo proditur: *Acerbo*, inquit, *luctu dolēs pater, citò ſibi rapti filij fecit imaginem: & illum qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit ſuper ſeruos ſuos ſacra, & ſacrificia.* Non morabor interpretes, an Belo (qui & Arbelus & Nembrot dictus) eius pater idololatricam dedicarit ſtatuam; an filio Aran mortuo Thare pater. Hebræi primum Idolorum fictorem putant Iſmaëlem, Gentiles Cecropæ aut Prometheo id adſcribunt. Saltem Idololatriæ dedicatio à mortuis cœpit, & poſt cruda infauſtè funera, infeſtum Idololatriæ auſpicium dedicatum eſt, & temerariæ numinis acceptiones. Audiendus eſt hâc ſuper re Minutius Felix, ità fatus: *N ſi fortè poſt mortem Deos fingitis ..... Inuitis denique hoc nomen adſcribitur, optant in homine perſeuerare, fieri ſe Deos metuunt; etſi iam ſenes nolunt. Ergò nec de mortuis Dij, quoniam Deus mori non poſſit*, &c. Bellè quidem Minutius!

Minut. in Octau.

5. Pſal 49 v. 14. & 15 S Zeno in Pſ. 49. *Pulchrum Idololatriæ vituperium.*

Pſal. 49 *Immola Deo ſacrificium laudis: & redde Altiſſimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.* Ex his Pſalmographi verbis, illa exponens Veronenſis Zeno idololatrica Gentium ſacrificia ſcitè deteſtatur: *Igitur Gentium ſacrificium*, inquit, *quàm execrabile eſt, tam inane eſt: colunt enim vani vana figmenta in quaſlibet formas, vultus, ſexus, ætates, auri, argentique detrimento matris limæ moderato dente figurata. Quæ eſt ergò hæc dementia? ſacrificium neſcientibus procurare, lumen cæcis inferre, thura non ſpirantibus concremare, allegare preces ſurdis, ab his cuſtodiam petere, quos fur non timet inuolare?* Obuium eſt ſingulas Zenonis ſententias expendere.

6. Pſal. 13. v. 5. *Idolum dicitur etiam Timor.*

Pſalmographus agens de perditiſſimè impiis & flagitioſiſſimè ſceleroſis, ita pangit: *Dominum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore vbi non erat timor.* Inuocatio non ſolùm preces, ſed & religioſum cultum importat: vndè aliqui, *non inuocare Dominum*, docent etiam eſſe, non denominari à Domino, vt à Chriſto Chriſtianos nominamus, à Mahumeth Mahumethanos. Ergò poſterius hemiſtichion ita Chaldæus Paraphraſtes excribit, & exponit: *Ibi timuerunt timore mendacij, quo non decebat timere.* Quatuor verò poſteriores dictiones, *Vbi non erat timor*, in Pſalmo 52. verſ. 6. Vbi eadem met verba habentur, ita efferunt: *Ibi timuerunt timore inter Idola aut ab Idolis eorum, & non eſt illis cauſſa, quare timeantur.* Num *timoris* vocabulo *Idolum* ſignificatur? ô inſolens ſynonymon! Audiendus eſt hâc de re Lorinus noſter multiiugâ eruditione opinatiſſimus: exponens præfata verba: *Si cui placet Timoris nomine Deū intelligere, ſicut priùs innui, & quomodo ſumpſiſſe Iacob videtur, nominans Timorem patris ſui Iſaac, per eúmque iurans, licebit ei dicere falſorum numinum cultores hic indicari.* Scilicet qui eà improbitate demerſi ſunt, vt rationis naufragium fecerint, adeò vt *Deum non inuocent*, id eſt, non denominentur à Deo; ij, ij inquam, trepidant timore mendacij; & *Idola*, hoc eſt, vanum *Timorem* pro Deo colunt. Verum *Timorem*, Deum inquam, irrationales abiiciunt; vt vanum *Timorem*, id eſt *Idolum* adorent. Vanus *Timor*, id eſt, *Idolum*, nunc adoratum cauſſa erit veri pauoris, palloris, tremoris in tremendâ illâ extremi iudicij die; quam docet Tertullianus Idololatriæ cauſſa celebrari, hoc grauiſſimo exordio librum de Idololatriâ auſpicatus: *Principale*, inquit, *crimen generis humani, ſummum ſeculi reatus, tota cauſſa iudicij, Idololatria. Nam ſi ſuam ſpeciem tenet vnum quodque delictum, etſi ſuo quodque nomine iudicio deſtinatur in Idololatriæ tamen crimine expungitur*, id eſt, perficitur, & conſummatur. Totum hoc caput totus etiam liber plura addenſat Idololatriæ non bona elogia, obuia inibi occurrunt, & noſtri Ludouici de la Cerda omnigenâ eruditione vbertim exundant.

Pſal 52. v. 6. Chald. ibi. P Lorinus in Pſal. 13. v. 5.

Tertull. lib. de Idolol. c. 1 *Idololatria cauſſa dicitur extremi iudicij celebrandi.*

7. 1. Reg 5 v. 7.

1. Regum 5. Hebræis malè conciſis, tulerunt Philiſthæi Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & ſtatuerunt eam iuxta Dagō. Cúmque ſurrexiſſent diluculò Azotij alterâ die, ecce Dagon iacebat pronus in terrâ ante arcam Domini, &c. Aggrauata eſt autem manus Domini ſuper Azotio, & demolitus eſt eos: & percuſſit in ſecretiori parte narium Azotum & fines eius. Videntes autem viri Azotij huiuſcemodi plagam, dixerunt, Non maneat arca Dei Iſraël apud nos: *Quoniam dura eſt manus eius ſuper nos, & ſuper Dagon Deum noſtrum.* Sæuierat Dominus priùs in Dagonem, quem Philiſtini vero Deo, & illius arcæ prætulerant, quo facilè cognoſcere poſſet populus ille barbaricè Gentilicus, in ſuo Dagone nihil eſſe Numinis, virturis nihil. Sed adhuc cæco nimis conſilio idolum Dagonis retinent, illúdque quaſi præſtantius Numen retinent, & diuinis honoribus colunt. Verùm enimuerò præſcripta verba: *Quoniam dura eſt manus eius ſuper nos, & Dagon Deū noſtrum.* Chaldæus paraphraſtes ſic opportunè excribit: *Super Dagon errorem noſtrum.* ô benè! ô pulchrum ethicè ſynonymum! Scilicet manet Dagonis Idolum velut truncus, ante victricem arcam Domini in templo, tanquam hoſtis captiuus; armis atque ornamentis exutus; & adhuc eum Azotij mentis inopes colunt, venerentur, & adorant, quia dum *Dagon Deum* ſuum colunt, non tam Dagonis Idolum, quàm *errorem* ſuum venerantur. Sic eſt cæca Idololatria, ſic obbruteſcunt Gentes, ligna & lapides tanquam numina venerantes, vt in Idolo *errorem* ſuum,

*Philiſthæi Dagonem Deum, id eſt errorem ſuum appellant. quare?*

Chaldæus.

quo

quo à ratione & mente cæcè oberrant, religioſiùs adorent, & diuinis honoribus reuerenter colant! O, quis eſt tam mentis inops; & rationis lumine viduatus, aut ſic peruicaciter obſtinatus, vt licèt *errorem* ſuum nolit corrigere, illum tamen quaſi Deum ſuſpiciat, colat, adoret? *Dura eſt manus eius ſuper Dagon errorem noſtrum.* Qui Idola colit, non mente, ſed voluntate vltrò errat.

8. Redeat iterùm hæc de idolo Dagonis narratio, aliter ad rem enucleanda: Rurſumque mane die alterâ conſurgentes, inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam in terrâ coram arcâ Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manus eius abſciſſę erant ſuper limen: *Porrò Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo. Propter hanc cauſſam non calcant ſacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum eius, ſuper limen Dagon in Azoto, vſque in hodiernum diem.* Cùm cecidiſſet Dagon ex altari; & eius caput, id eſt, quod in eo erat maiori dignum reuerentiâ, eo eſſet loco vbi non poterat omnibus non eſſe ludibrio, cùm eſſet in limine, quod omnium hominum veſtigia calcabant; quo pacto dicitur, quòd Idolum Dagon *remanſerat in loco ſuo?* Scilicet locus proprius Dagonis eſt limen quod omnes calcant, & in quo omnium veſtigiis Idolum proculcetur, & omnibus ludibrio ſit. Porrò Dagon Deus Azotiorum, *error* eorum verè dicitur, dum colitur; qui *in loco ſuo* eſt, dum omnium veſtigiis conculcatur.

2.Reg 5.v.5. *Dagon in loco ſuo eſt in limine, vbi omnium veſtigiis proculcatur.*

## §. LXCVI.

### *Gentium idola tormentis in Deos excudebantur: ſaltem tormenta martyrum diuinitatem quandam quodammodò manifeſtant.*

1. Detumeſcat iam ambitioſus quondam Idolatriæ faſtus: dum mens imperitorum artis concinnitate decipitur, auri fulgore perſtringitur, argenti nitore, & candore eboris hebetatur. Porrò Idola, quæ Gentes numine donant, iniuriis figurant, offenſis fabricant, tormentis adornant: ſed nec ſentiunt ſuæ natiuitatis iniuriam, ita vt nec poſteà de veneratione culturam. Fatuè ergò Chriſtianorum tormenta, & Chriſti paſſionem, tanquam ſtultitiæ ream ſubſannant: eadem enim contumelioſi damnant quæ ipſi conſultiùs factitant. *Crucibus & ſtipitibus imponitis Chriſtianos, quod ſimulachrum nō priùs argilla deformat cruci & ſtipiti ſuperſtructa? in patibulo primùm corpus Dei veſtri dedicatur. Vngulis deraditis latera Chriſtianorum; at in Deos veſtros per omnia membra validiùs incumbunt aſcia, & runcinæ, & ſcobinæ. Ceruices ponimus; ante plumbum, & glutinum, & gomphos, ſine capite ſunt Dij veſtri. Ignibus vrimur; hoc & illi à primâ quidem maſſa. In metalla damnamur; inde cenſentur Dij veſtri.* Hucuſque Tertullianus. Nimirùm antiqua Poëtarum, & Philoſophorum ſapientia abſque paſſionibus numina fabricare neſciuit. *vt quiuis arbitretur aut nunc Chriſtianos philoſophos eſſe, aut philoſophos fuiſſe iam tunc Chriſtianos*, dixit eleganter Minutius Felix in Octauio.

*Tormenta factitant Gentiū numina.*

Tertull. in Apolo.c.12.

Minut Felix in Octau.

1.Corinth.1. Gentium Doctor ſic de ſua Euangelij prædicatione ſcribit: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum: Iudæis quidem ſcādalum, Gentibus autem ſtultitiam.* Nempe Gentilium ſuperbia Chriſti Dei paſſionem & crucem cenſebat ſtultitiam. Scilicet *crucis fide æternitatem prouenire mortalibus: vt ibi ſalus reperiretur, vbi ſtultitia creditur.* At Gentes dum Chriſti Dei paſſionem & crucem putant ſtultitiam; ſtultumque arbitrantur, tormenta æternitatem polliceri; ipſi potiùs ſtultitiæ arguuntur: damnant enim in noſtro Deo, quod in ſuis aſtruunt Id doctè adnotauit Octauius ad Minutium ita fatus: *Erigone ſuſpenſa de laqueo eſt, vt virgo inter aſtra ignita ſit. Caſtores alternis moriuntur, vt viuant: Æſculapius, vt in Deum ſurgat, fulminatur*, (attentiùs nota quæ ſubiicit verba) *Hercules, vt hominem exuat, Oetæis ignibus concrematur.* Flammas, & pyram, & tot tantaque cruciamenta perpeti oportebat, vt hominem deſueſceret, & immortalitatis candidatus, in Deum ſurgeret: in ſordidis paſſionum fauillis, diuinitatis nitor ſcintillat? in peracerba morte, obſes immortalitatis deliteſcit? O vecordem Gentium incredulitatem? Si dura tormenta, & acerbiores paſſiones, putatis eſſe immortalitatis ac diuinitatis officinam; fatuè ergò Chriſti crucem, tormenta, & paſſionem *ſtultitiæ* arguitis, & amentiæ damnatis: per paſſiones enim quaſi per quaſdam cæli ſcalas, Dij veſtri exuta humanâ mortalitate, ad diuinitatis culmen aſcendunt. *Æſculapius, vt in Deum ſurgat, fulminatur: Hercules, vt hominem exuat, ignibus concrematur: Caſtores alternis moriuntur, vt viuant.* Pulchrè quidèm Minutius! Furtiuas Diuinitatis abreptiones in Amane depretiare licet; quippè quas tormenta Idolorum opifices, non ingeniantur.

2.

1.Cor.1.v.23. Strabus Fuldenſ.ibi. *Homo in tormentis hominem exuit, vt Deus fiat?*

Minutius Felix.ſup.

Hic verſ.3. & 4.

3. Tertullianus alto quidem ſtilo expoſuerat vt fiant Dij Gentium conformiter ad tormenta quæ patiuntur Chriſtiani. In primis, inquit, crucibus & ſtipitibus imponunt Chriſtianos; ſic argillat, deformat & conformat ſimulacra Deorum ſuperpoſita cruci & ſtipiti, & in patibulo corpus Deorum dedicatur. Deindè vngulæ ſæuiunt in Chriſtianos, & deradunt eorum corpora: atqui Deos veſtros aſciæ dolant, runcinæ læuigant, ſcobinæ limant. Ad beſtias impelluntur Chriſtiani; certè quas Baccho, & Cereri, & Cybelæ applicauerunt. In metalla damnantur; indè cenſentur Deorum ſimulacra. Inde etiam argutè concludit: *Si per hæc conſtat diuinitas aliqua: ergò qui puniuntur, conſecrantur: & numina erunt dicenda ſupplicia.* Dum Tertullianus irridet ethnicorum Deos tormentorum præſtantiam exaggerat. *Ecce profanus hoſtis nequaquam* martyribus *tantùm prodeſſe potuit obſequio, quantum profuit gladio.* Et pergit de iiſdē Martyrum cruciatibus Emiſſenus: *Cruciatibus afflicti, ſuppliciis explorati, ſæuis ignibus ſacrificij more decocti, quantas ſuſceperunt in corpore pœnas, tantas in ſpiritu perceperunt coronas: acſic per tormentorum plagas, & torquentium moras priùs conſecrati ſunt quàm perempti.* Quod nuper dixerat Tertullianus: *Ergò qui puniuntur, conſecrantur.*

*Supplicia dicuntur Deorū officinæ: nā qui ſic puniuntur, conſecrantur.*

Tertull.in Apol.c.11.

Emiſ.hom. de S.bland.

4. Ioſuē 5.filij Iſraël ſicco veſtigio ſtupentibus vndis, Iordanem traiiciunt. Sed antequam Terram promiſſionis Amorrhæis pugnaciter exterminatis poſſideant, *ait Dominus ad Ioſuē: Fac tibi*

Ioſuē 5.v.2.

*Sanguis, quē caſtitas retinet, per martyrium effunditur.*

*S. Zeno ſer. de Circunc.*

*tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundò filios Iſraël*, ne paradiſeam promiſſionis terram incircumciſi poſſideant: Hinc ſibi Hebræi de circumciſione ambitioſiùs blandiuntur; & Chriſtianis tanquam incircumciſis contemptim exprobrant. Ad quod attentiùs aduertens Zeno Veronenſis, Chriſti crucem, & Martyrum paſſiones potiorem eſſe Chriſtianiſmi circumciſionem eleganter comprobat: *Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos: & abſcinde, circumcidéque ſecundò filios Iſraël..... Chriſtiani non ſanguinem ſterili ſolemnitate dimittimus, ſed pudoris ſanguinem retinemus, quem ambitioſè plerumque effundimus, cùm in perſecutione pro nomine Domini Diabolum moriendo vaſtamus.* Mitto quòd Chriſtianus *Hebraâ* circumciſione abſtinens, *pudoris ſanguinem retinet*, quem glorioſo martyrio effundat. quaſi *pudoris ſanguis* quem caſtitas continenter adſeruat, dignus precipuè ſit, qui glorioſo martyrio effundatur: & Chriſtianus dum *pudoris ſanguinem* per continentiam retinet, fit caſtitatis martyr; & dum eum per atrocitatem perſecutionis effūdit, fidei martyr exiſtit. Mitto inquam, hoc Zenonis acumen, alibi forſan enucleandum. Et nota ad rem, quòd pudoris effuſus cruor, quo martyr cruentè purpuraſcit, cruciamentorum vi in tyrannidis officinâ expreſſus, *ambitioſè effuſus* perhibetur. O pia Martyrum *ambitio*, qui dum *puniuntur, conſecrantur*! Quid non piè præſumat Martyrum ſanguis pro Chriſto *ambitioſè* effuſus? O bonus pudoris ſanguis, qui Martyres excudit! O auguſtam martyrij dignitatem, quam niſi *ambitioſo* vocabulo vel Zenonis facundia explicare non eualet!

*Martyr pudoris ſanguinē ambitioſè effundit.*

5

*Ioan. 1. v. 14.*

Ioannes 1. poſtquā mundo euulgauit auguſtam generationem Verbi, eiuſque in tempore corporationem; vt oſtendat humanam carnem nil detraxiſſe maieſtati diuinæ, vbi primùm dixit, Verbum caro factum eſt, confeſtim ſubiungit: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Multa hîc densè Commentatores tradunt, vt exponant, quæ ſit hæc Chriſti *gloria*, quæ tam præcelsè auguſta fuit, vt Patris Dei vnigenitum, oculis oſtenderet. Quidam ad Thaboris glorias hic adludi, alij ad miraculorum Reſurrectionis, aut Aſcenſionis glorias, oculis ſumptuoſiùs ſpectatas. Non abnuit Rupertus, ſed ad rem tempeſtiuè addit: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre. Vidimus in manibus & pedibus eius fixuram clauorum, vidimus inquam, & inſpeximus, palpauimus, & manus noſtræ contrectauerunt latus eius lanceâ confixum.* Res ſanè miriſſima! In veſtigiis clauorum, quibus rex Martyrum patibulatus occubuit, tanta ſcintillat gloria, vt eum eſſe naturalem ac vnigenitum Patris Dei Filium demonſtret? Tam ſunt auguſtius glorioſæ clauorum cicatrices, & vulnerum notacula? Quaſi aliqua intercederet cognatio inter vulnerum veſtigia, & naturalem Dei filiationem (quæ Ieſuanæ gloriæ laus eſt) ex vulnerum cicatricibus, ait ſe vidiſſe Chriſti gloriam, *gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Luculenter ſanè Rupertus. Hem, tam eſt diuinitati cognatum ſic pati!

*Gloria Chriſti quaſi vnigeniti à Patre eſt ne gloria cicatricum?*

*Rupert. lib. 1. in Ioan. ad ea verba.*

6

*2. Cor. 4. v. 11.*

2. Corinthiorum 4. illis proponit Apoſtolus Apoſtolorum vitam tanquam morti deſtinatam. *Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter* IESVM: *vt & vita* IESV *manifeſtetur in carne noſtrâ mortali.* Quod nuper dixerat: *Mortificationem circumferimus*, apertiùs ait, *in mortem tradimur.* Quod verò addiderat: *Vt vita* IESV *manifeſtetur in corpore noſtro*; ne quis acciperet de corpore glorioſo & beato, addit nunc; *manifeſtetur in carne noſtra mortali*, Non quòd ipſe IESVS modò in ſelpſo tormenta patiatur, ſed in Martyribus. Sed quid eſt, *vitā* IESV *manifeſtari* in Martyrum paſſionibus? Chryſoſtomus exponit, quod Chriſtus ſic eorum mortalem carnem roborat, ne tormentis frangantur, vt patiendi vigorem ab ipſo eſſe, perſpicuum ſit. Oecumenius autem ita exponit: *Nunc propter Chriſtum noſmetipſos in mortem tradimus, vt Chriſtus tunc ab intellectuali morte condemnationis nos liberet, & ad vitam ducat intellectualem*, beatam inquam, quaſi *vita* IESV dicatur beata & intellectualis vita Martyribus in cęlo poſt mortem donanda. Quod eſt grande elogium beatæ Martyrum gloriæ. P. Benedictus Iuſtinianus aliter locum exponit, *Vt vita* IESV *manifeſtetur in carne noſtrâ mortali*, id eſt, *Vt Chriſti mores etiam cùm Spiritum ducimus, & inter mortales viuimus, in nobis eluceſcant, qui quoad eius fieri poteſt, eius veſtigiis inſiſtamus, vel dum rebus aduerſis premimur.* Quaſi tolerantia Martyrum in tot cruciamentis conſtanter perferendis, Chriſti *vitam* elucidet, vt *Chriſti mores in eis eluceſcant.* quo quid auguſtius? Verùm S. Ambroſius inibi ſic Paulli locum commentatur: *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes: vt & vita Ieſu in corpore noſtro manifeſtetur. Dubium non eſt quin in Martyribus Chriſtus occiditur: & in iis qui pro fide patiuntur aut exitus, aut vincula, aut verbera, Chriſti paſſiones ſunt, vt & vita eius in corpore eorum palàm fiat.* In Martyribus, Chriſti paſſiones ſunt, vt eorum morte vita Ieſu palam fiat? O Chriſto quaſi inuidioſas Martyrum paſſiones! O paſſiones Martyrum, præclara morum Chriſti cōmentatio, paſſionum eius velut iteratio, & glorioſæ vitæ eiuſdem manifeſtatio!

*Beatitudo Martyrum dicitur Chriſti vita.*

*S. Chryſ. ibi.*

*Oecum. inibi.*

*Martyrum tolerantia, Chriſti mores manifeſtat.*

*P. Iuſtin. ibi. n. 1.*

*S. Ambr. ibi. vel potiùs Hilarius Diacon.*

*In Martyrum paſſionibus velut paſſiones Chriſti ſunt.*

7

*Ad Roman. 12. & 19.*

*Deuter. 32. v. 35.*

Gentium Doctor ad Romanos 12. ſic illos inſtituit: Si fieri poteſt, inquit, quod in vobis eſt cum omnibus hominibus pacem habētes. Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, *Sed date locum iræ, ſcriptum eſt enim: Mihi vindicta; ego retribuam, dixit Dominus.* Præmiſerat Apoſtolus *Da locum iræ*, id eſt, fuge, tace, cede irato & furenti aduerſus te; ita Origenes, & Ambroſius Vel *da locum iræ*, donec ſcilicet ira inimici aduerſus te compleatur; vt ſi iratus dexteram tuam feriat, porrigas ei & ſiniſtram feriendam potiùs, quàm vindices te; ita Baſilius, & Athanaſius. Quod paſſim Sancti Martyres abundè præſtiterunt. Præoccupat autem Paullus, nequis putet ſuâ iniuriâ inultâ, ferociendi licentiam Tyrannis impunè ſuppetere; idcircò cōfeſtim ſubdit: *Mihi vindicta: ego retribuam.* Citat Paullus locum Deuteronomij 32. verſ. 35. vbi Hebraicè habetur: *Mihi vltio & retribuere*, ſeu *retributio*, ſubaudi competit. Vulgatus vertit: *Mea eſt vltio*, id eſt, ad me pertinet, mihi debetur. Viuaciùs, opinor. S. Anſelmus præſcriptum Paulli locum ſic exſcribit, & exponit, Ob hoc, inquit, Dominum expectate, quia ipſe, ſicut ſcriptum eſt, dixit: *Ego retribuam mihi vindictam, id eſt, omnia mala quæ vobis irrogentur, mihi fiunt, licèt ſim impaſſibilis: ſed ego vindictam mihi pro his retribuam.* O benè! Scilicet non tam Mar-

*Origenes. S. Ambroſ.*

*S. Baſilius. B. Athanaſ.*

*Hebræus. Vulgatus. S. Anſelm.*

*Chriſtus licèt impaſſibilis, in Martyribus pati dicitur.*

tyribus (& quibuſuis violenter oppreſſis) quàm ſibiipſi Deus vindictam pollicetur: *Ego retribuam mihi vidictam*: nam omnia mala, & atrociora cruciamenta, quibus Martyres excarnificantur, Chriſtus Deus ſubire ac pati perhibetur, *licèt ſit impaſſibilis*. O, Martyrum paſſiones Chriſtus Deus iam *impaſſibilis* pati dicitur. O Martyrum paſſiones cruentas *impaſſibilis* Chriſti Dei paſſione decoratas! Martyrum paſſiones Chriſti Dei paſſionem ſpirant? *Ego retribuam mihi vindictam, id eſt omnia mala quæ vobis irrogantur, mihi fiunt, licèt ſim impaſſibilis.* Ergò cùm Martyr cruciatur, Chriſti Dei certamen eſt, ſed Martyr triumpho coronatur.

---

## §. XCVII.

*Nimis arguta & ſubtilis de Fide diſputatio, ſæpè deſtruit, quod adſtruit: quia fides non eſt, vbi quæritur fides: neque res diuina humani mendacij indiga eſt.*

1. POtiſſimum crimen, quod impius Aman Hebræis impingit, eſt calumnia aduerſus illorum fidem criminoſiſſima, quod nouis & inſolentibus vtantur legibus & ceremoniis colēdi numinis. Et licèt tota res Iudaica indè periclitabatur, non confugiunt ad tractatum, quo illam perſuadeant vetuſtam, & à Deo datam: nec factioſè tumultuant, vt quoquo modo imminentem calamitatem ſubdola auertant vi. Rem autem totam Deo committunt, qui ſuæ fidei vnicus eſt aſſertor, & ſui vindex. Accipe locum integrum Zenonis, qui quā ſolet ingenij & eloquij limâ ita de Chriſtianâ fide ad rem philoſophatur: *O quàm miſera eſt fides quam verba concinnant! O quàm debilis, cuius quotidie diſſipantur variis argumentationibus membra! O quàm indefenſa, quæ Regum, Iudicum, Diuitum; aliquoties etiam, quod peius, & Gentium etiam deſiderat per momenta patrocinium! O quàm turpis ac lubrica, de quâ ludit aliena ſententia! O quàm adultera, quæ non agnoſcit, quo auctore ſit nata! O quàm ridicula, quæ duobus confligentibus Chriſtianis, ab altero eorum ſi non transducitur, perfida, cùm transducta fuerit, fides vocatur! O quàm non vera, ſi factionibus pollet! O quàm publicana, cuius fabulantur etiam profani ſecreta! O quàm præſumpta, quæ mauult magis nouellæ traditioni ſuæ credi quàm antiquitati, quàm Deo Domino dicenti! Reiicitis mandatum Dei, vt traditiones veſtras ſtatuatis. Sed non eò dico, vt ingratum faciā doctrinæ beneficium, ſed vt ſciat vnuſquiſque, aliud eſſe fidem, aliud eſſe tractatum: nec fidem per tractatum poſſe vel dari vel noſci, vel deſtrui. Dari nō poteſt, quia ſi verbis dari poteſt, poterit & verbis auferri. Noſci adæquè non poteſt, quia fieri poteſt, vt quis aliud geſtet in labiis, aliud in penetralibus cordis. Similiter ne deſtrui quidem, quia ſi vera fides eſt, aliud eſſe non poteſt, quàm quod eſt.* Sanè Zeno Veronenſis ad hanc theſim ſententias luculenter addenſauit, non vt inuidiam faceret doctrinæ beneficio; *Sed vt ſciat vnuſquiſque, aliud eſſe fidem, aliud eſſe tractatum:* nec fidem diuinam inniti quibuſdam nimis ſubtilibus ſcholarum diſputationibus.

Hic. verſ. 4.

S. Zeno ſer. de Fide.

*Miſera eſt fides, quā verba cōcinnant.*

2. Doctor Gentium ad Coloſſenſes 2. ita ſcribit: *Hoc autem dico, vt nemo vos decipiat in ſublimitate ſermonum.* Rursùs: *Videte ne quis vos decipiat* (Græce, *prædetur*; Hilarius, *ſpoliet*) *per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum.* Siquidèm & à Paullo iam tunc diſertior & eloquentior philoſophia, concuſſio veritatis prouidebatur, & Philoſophos ſapientiæ famâ opinatiſſimos velut *Patriarchas hæreticorum* denotauerat: prout aut Empedoclis furor, aut Heracliti mœror, aut Epicuri ſtupor, aut Ariſtotelis tenor, aut Zenonis vigor, aut Platonis honor perſuaſerunt. Subdit Tertullianus non ſine tempeſtiuo ſarchaſmo: *Deliquit, opinor, diuina doctrina ex Iudæa potiùs quàm ex Græcia oriens. Errauit & Chriſtus piſcatores citiùs quàm Sophiſtas ad præconium emittens.* Ruſticanos Piſcatores potiùs quàm diſertos philoſophos elegit Chriſtus, & rationales piſces rudi cibo ineſcantur: ſic homines non caperentur fidei ſpe, niſi aliquid morderent. Piſcoſos luſtrauit lacus, potiùs quàm ſumptuoſas ſcientiis academias, vt non perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed arcanâ virtute Dei, veram Chriſti fidem ſolidiùs ſtabiliret. *O quàm miſera eſt fides, quam verba concinnant?* nam fides *ſi verbis dari poteſt, poterit & verbis auferri.* Diuina in Chriſtum fides, non eſt otium ſubtilium Sophiſtarum, ſed cæleſtium piſcatorum: Nec *deliquit opinor, diuina doctrinâ ex Iudæâ potiùs quàm ex Græciâ oriens: nec errauit Chriſtus piſcatores citiùs quàm Sophiſtas ad præconium emittens.*

ad Coloſſ. 2. v. 4. & 8

*Non deliquit Chriſtus, piſcatores verius quàm Sophiſtas ad prædicandum mittens.*

Tertull. de Anim. c. 3.

S. Zeno ſup.

3. Actorum 17. Qui autem deducebant Paullum, perduxerunt eum vſque Athenas. Diſputabat igitur Paullus in ſynagogâ cū Iudæis, & colentibus; & in foro, per omnes dies ad eos, qui aderant. *Quidam autem Epicurei, & Stoici philoſophi diſſerebant cum eo* de cæleſti doctrinâ Euangelij, quod ſapientiſſimè prædicabat: & quidam dicebant: *Quid vult ſeminiverbius hic dicere? Alij verò: Nouorum Dæmoniorum videtur annunciator eſſe: quia* IESVM *& reſurrectionem annūciabat eis.* Et apprehenſum Paullum duxerunt ad Areopagum, quaſi deterrimæ doctrinæ reum. Vide qualiter Athenæ, linguata vrbs, ſcientiarum metropolis, philoſophiæ emporium, & ſapientiæ officina, Euangelij prædicationem, & Chriſti fidem tractet. An indè reiicienda eſt fides Chriſtiana? & Chriſti Euāgelium, profanæ ſapientiæ, & Sophiſtarum cenſu damnatum, ſpem perſuaſionis abiiciet, an indè perſuaſionem piè præſumet? Eleganter Seleucienſis Baſilius hâc ſuper re fatur: *Oportet,* inquit, *reſurgentem à mortuis ad cælum aſcendere, cunctis Euangelij difficultatem proponi, & prædicatione Euangelium damnatum tenere, & eum tunc videri, qui fuerit Euangelio declaratus.* O Dei ſapientiam de Sophiſtarum argutiis ludentem! Scillicet parùm refert quòd Athenienſes noctuæ, id eſt, Epicuri ſtupor Ariſtotelis tenor, Zenonis vigor: aut Platonis honor: de humanæ philoſophiæ præſcriptione Euangelium prædamnent: nam *oportet Euangelium damnatum tenere.* Imò exindè veritatis elogium præſtruitur: eſt enim non de Athenarum gymnaſio incertū, ſed de cæli ſcholâ indubium,

Actor. 17. v. 18

*Oportet tenere Euangeliū à Philoſophis damnatum.*

Baſil. Seleuc. Orat. 43.

&

& vltra humanæ rationis faſtum, aut argutantis philoſophiæ ſupercilium. Videt autem philoſophia quouſque habet ſcientiæ aut conie-ctura oculos:quod autem ignorat, blaſphemat. Ergo ex Philoſophorum blaſphemiis, veritatis Euangelicæ triumphum Chriſtianiſmus adornat, & de eorum ſtupore,Euangelij trophæum opulentiùs erigit. *Oportet enim Euangelium damnatum tenere.*

4. 1.Cor.2.v.4. Gentium Doctor 1.ad Cor.2.Non iudicaui, inquit, me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum,& hunc crucifixum: *Et ſermo meus,& prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis.* Eccur Gentium Doctor omni ſapientiâ excultiſſimus, perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis abſtinet, vt Chriſti fidem edoceat? An non diſputare opus erat de rebus Chriſtianæ fidei, in Synagogis de Biblicâ eruditione cum Scribarum faſtidioſo ſupercilio; in linguatis academiis cum Philoſophorum ſupercilioſo faſtu,cum garrulis Sophiſtis philoſophię argutias inſanè ructantibus?Cur ergò Paullus ad Chriſti Dei fidem firmiùs adſtruendam, *per ſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis* abſtinet?S.Zeno Veronenſis ita hâc ſuper re philoſophatur:*Errat igitur*, inquit, *quiſquis diſputationem legis æſtimat fidem: quo in vnum diuerſa confundit: diſputatio enim ſicut excolit legem,ita ſi verſuta ſit,eradicat fidem: quia fides profectò non eſt, vbi quæritur fides* Verba ſanè Zenone digniſſima.

*Fides non eſt, vbi diſputando quæritur fides.*

S.Zeno ſer. de Fide.

5. Sanctus Iob audiendo defeſſus amicorum de Deo ſapientiam,ita fatur:Ecce omnia hæc vidit oculus meus,& audiuit auris mea, & intellexi ſingula. Secundùm ſcientiam veſtram & ego
Iob.13.v.4. noui,nec inferior veſtri ſum.*Prius vos oſtendam fabricatores mendacij, & cultores peruerſorum dogmatum.*Fabricatores mendacij;& cultores peruerſorum dogmatum hos ſapientes appellat, cùm de Deo, Deique prudentiâ.& de eius fide prolixiùs tractant, & ſubtiliùs diſputant? Audiendus eſt nuper laudatus Zeno. ita ſubtiliter diſputans: Subiici enim ſe(inquit)loquacitatis artificio fidei natura non patitur: à quâ nihil aliud laboratur, niſi vt ſuis ſibi tantum viribus approbetur: non enim poteſt eſſe perfectum, quod aliundè expectat ſibi aliquid neceſſarium. *Si verò fidem tractatus* (id eſt,argutas ſapientum diſputationes)*dicere cœperimus, erit profectò nec noſtra,nec ſua;ſed nec eius cuius eſt fides dicetur: quia tractatus fidem cùm adſtruit,ex eo ipſo eam, quo adſtruit, deſtruit: nec vlli dabit,quod non habet:ſed potiùs,vt non habeat,adhuc ipſe diſquirit.* Exindè hi ſcioli Idumæorum, dum Dei fidem inanibus ſubtiliter diſputationibus inquietant, fidem dum adſtruunt, deſtruere dicuntur. Nam qui ſubtilioribus nimis diſputationibus,& quęſtionibus exitum non habentibus, res fidei vndecumque perueſtigat,& humanæ rationis ductu duntaxat agitur; non dabit populus certam & veram fidem,quam non habent;*ſed potiùs vt non habeant,adhuc ipſe diſquirit.* Pergit prælaudatus Auctor:*Video præterea, ſicut aſſertorum indicant nomina*,(Apud Hebræos,alij ſunt Sadducæi,alij Phariſæi, &c. Apud Philoſophos, alij Academici, alij Stoïci, alij Peripatetici,&c.) *quæ ſi auferas, nulla fortaſſis eſt pugna, multos fuiſſe tractatus, multas fides,& quidem nouellas, & litis labore ac fauore nutritas: quas, quia vera vix poteſt inueniri, credo, ne populi penuriâ laborarent, venales eſſe propoſitas.*

*Nullā habet fidem, qui de fide curioſiùs quàm par eſt, diſquirit.*

S. Zeno ſup.

P. Didac. Celada in Eſtherem.

Paulus ad Rom.11. dum magnalia Dei profundè contemplatur,ſtupore defixus,meritò exclamat: O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei:quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! *Quis enim cognouit ſenſum Domini?* Sanè impar eſt mortalium tenuitas ad dignum tanti Numinis cenſum.Quis reuelabit,quod Deus texit?Quis æſtimabit,quod immetatum eſt?Quis aut imperitè vituperabit, aut peritè defendet, quod in alto latet? Proculdubio allucinabitur, *Sicut* (verba ſunt Nazianzeni)*ſceleratis diuinitatis arbitris,ac dimenſoribus accidit.*Quis cognouit ſenſum Domini,vt conſiliorum eius fiat ſequeſter,diuinitatis *arbiter*,& eius perfectionum dimenſor?Non egent humano cenſu diuina: vltra humanæ cenſuræ faſtigium eminent.Nec hominum impugnatione labaſcit Deus,nec defenſione fulcitur.Quis eſſe præſumat diuinitatis *dimenſor*, aut *arbiter*?De humano *arbitrio* Deus nec decreſcere poteſt, nec creſcere eualet. 6.

Ad Rom.11. v.34.

*Quis præſumat eſſe diuinitatis arbiter & dimenſor?*

S. Nazian. Orat.2.

Amici illi Iob crudam agreſtis Idumææ ſapientiam adhuc ructant, & argutis ratiocinationibus pugnaciſſimè pro Deo ſibi decertare videntur. Aduerſus quos ſic de calamitatis ſuæ ruinâ Iobus aſſurgit:Audite, inquit,correptionem meam, & iudicium labiorum meorum attendite:*Numquid Deus indiget veſtro mendacio, vt pro illo loquamini dolos?* Tametſi Græcus textus valdè diſſidet à Vulgato, Olympiodorus Grecus doctor,hunc locum ſic exponit:*Hebræus autem dixit, Verecundamini,id eſt,veremini contra Deum dicere:idcircò ad gratiam loquimini Veſtris igitur ipſi rationibus proſpicite,qui Deo videmini patrocinari.* Et poſt pauca:*Obſerua*,inquit, *quemadmodum vbique Iuſtus accuſet mendacium, etiamſi pro Deo dicere quiſpiam videatur. Ille autem quæ ſentit vere ac liberè loquitur. Idcircò Deus, qui veritas eſt, illum recepit.* Vos(inquit Iob)de aliquâ diuinæ maieſtatis reuerentiâ erubeſcitis & veremini aliquid,quod ſpecie tenus videtur contra Deum,apertè eloqui: & indè *ad gratiam loquimini*, vt veſtris ſophiſmatibus, & argutiis minimè veris,*Deo patrocinari* videamini:nec aduertitis, quod Deum ſic deuenuſtatis, & futiliſſimi veſtri acuminis indigum demonſtratis. *Numquid Deus indiget veſtro mendacio?* Ad gratiam concinnatis patrocinium; nec illo tam Deum defenditis, quàm defenſionis indigum monſtratis. Infortunata eſt veritas, quæ mendacio adiuuatur. *Obſerua quemadmodum vbique Iuſtus accuſet mendacium,etiam ſi pro Deo dicere quiſpiam videatur.* Opinor, non bonus Diuinitatis *dimenſor* eſt,qui Deum ſubtili mendacio ſublimari adnititur. 7.

Iob.13.v.7.

Olymp. in Catena ibi.

*Deus,Deique fides humano patrocinio ad gratiam concinnato, non indiget.*

## §. XCIII.

### *Cautè nimis cum Hæreticis agendum eſt, ne rubiginem blandientium errorum ſenſim affricent.*

Magnus ille vir Thomas Morus, Angliæ honos, ſpirans ſanctitatis columna, & Chriſtianæ fidei roſeum decus;cùm ad Pomeranū ſcribens retuliſſet, quòd Lutherus miraculo abſcribendum eſſe dictitabat,plurimos eius ſectâ fuiſſe proſecutos;Thomas Morus reſpondit: *Ad propoſitam vitæ licentiam populū ruere,id habet tantam miraculi ſpeciem, quantam ſaxa ruere* 1.

*Ferè miraculum, hæreſes nimis non retazar?*

Thom. Mor. in epiſt. ad Pomer.

 *deorſum:*

*deorſum:* Prætereà Hæreſis inter peſtilentes cēſetur morbos, qui vt contagionem ſpirant, ſic
Iuuen. Saty. 2. de facili ſerpunt: *Sicut grex totus in agris, Vnius ſcabie cadit, & porrigine porci, Vuaque conſpecta liuorem ducit ab vua.*
Hic v. 4. Vide hic quàm ſedulè conuictorum turba vel ipſum Mardochæum ſtudeat errorum habere conſortem.

2.
Act. 13 v. 50. & 51. Actorum 13. dum Paullus & Barnabas Gentibus Euangelium aununciarent; Iudæi concitauerunt mulieres religioſas, & primos ciuitatis, *& excitauerunt perſecutionem in Paullum & Barnabam: & eiecerunt eos de finibus ſuis. At illi excuſſo puluere pedum in eos, venerunt Iconium,* &c.
*Nimis cautè conuerſioni Hæreticorum inſudandum eſt.* Eccur Apoſtoli ab incredulis & nequam hominibus malè accepti, & peiùs expulſi ſic ſtudioſè pedū pŭluerem excuſſerunt? Quid referret, quòd puluerem incredulæ ciuitatis, & prauorum dogmatum impiè tenacis, hærentem calceis extrorsùm referrent? Incredulæ vrbi an ſibi conſulunt iſtiuſmodi pulueris excuſſione?
OEcumen. ind. OEcumenius exponens præfata verba, ſic acutè ſcribit: *At illi excuſſo puluere pedum, &c. Neque enim Dominus diſcipulos vult habere puluerem pedibus adhærentem è terrâ impiorum hominum: vt per hoc oſtenderent ſe nihil efferre ab incredulis. Eſt autem puluis, indicium laboris quē propter ipſos paſſi ſunt.* Vel indicium laboris, quē in prædicando Euangelium Apoſtoli ſubierūt, excutiendum eſt, ne cum exantlati laboris memoriâ errorum & incredulitatis eorum ſubeat recordatio: Puluis pedum, quia *indicium* eſt impenſi laboris in Euangelij prædicatione, excutiēdus eſt? Nimis ſcrupuloſa videbitur hæc cautela his, qui neſciunt quàm facilè ſerpat errorum contagium. Ergò Apoſtoli excutiant puluerem è pedibus, vt per hoc oſtendant ſe nihil efferre ab incredulis, & his qui ſuo errori tenaciſſimè adhærent: *eſt autem puluis indicium laboris, quem propter ipſos paſſi ſunt.*

3.
Matth. 6. v. 3. Matth. 6. in percelebri illâ concione, quam Chriſtus Deus ad ſuos tunc Diſcipulos habuit, & quâ fideles omnes ad omnes ſāctitates è cælo erudiuit, hæc habentur verba. *Te autem faciente eleemoſynam,* (vel quoduis bonū opus aliis beneficè proficuum) *neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.*
Theoph. Antio l. 1. Comm. in Euang. Theophilus Antioch. lib. 1 Commentariorum ſeu Allegoriarum in Euang. ita ad hæc verba profundè ſcribit; *Per ſiniſtrā præſens vita, futura verò per dexterā declaratur.* ( Quæ verba alibi emedullamus: neque enim facile apparet, quare *dextera*, id eſt, æterna & beata felicitas neſcire debeat quid *ſiniſtra*, id eſt, præſens vita in hoc ſtadio ærūnarū operetur) *Vel, ex dexteræ indicio, ſignificat Chriſtianos colentes Chriſtū ſedentē ad dexterā Patris: per ſiniſtrā verò Hæreticos indicat, vel Iudæos.*
*Neſciat ſiniſtra, id eſt Hæreticus, quid faciat dextera, id eſt Catholicus.* Quid eſt, quòd tāta ſuadetur cautio, vt neſciat *ſiniſtra*; id eſt, *Hæretici*, quid faciat *dextera*, id eſt, Catholici: & vt Catholici neſciāt, quid Hæretici faciāt? Nū vel de notitiâ Hæreticorum aliquid moribus perniciosum pertineant Catholici? Sic de facili vel per notitiam Hæreſes propagantur? Sic vel notitia fidelium mentes toxicat, per notionis traduces ſerpente veneno.

4.
2 ad Tim. 2. v. 16. & 17. Gentium Doctor ſic ſuum diſcipulum Timotheum erudit, vt cautè cum Hæreticis agat, etiam cùm illis conuertendis ſollerter inuigilat: *Profana autem & vaniloquia* (id eſt, Hæreticos profanos, & vaniloquos) *deuita: multum enim proficiunt ad impietatem: & ſermo eorum vt cancer ſerpit: in quibus eſt Hymenæus,* &c. Pro τὸ *deuita?* Græcè eſt περιΐστασο, quod Græci Patres vertunt, *reiice*; Eraſmus *abſcinde*; Henricus Stephanus ex Luciano *fuge* ſeu *declina.* Vatablus non ſine emphaſi excribit *Prætermitte:* tanquam ſcrupuloſè præcauens, ne dum animum hæreſibus pernoſcendis & reiiciendis ſtudioſè Timotheus applicat, aliquid ſerpentis malitiæ adhæreat. Itaque ait Apoſtolus; O Timothee, tametſi te video in conuerſatione, & verbi Dei propagatione irreprehenſibilem; Hæreticos vt potè profanos & vaniloquos, cautè *prætermitte*; ne dum eorum errores attentiùs cognoſcens, doctrinæ inſolentiam admiraris, peſtifera doctrina ad inopinatam ſequelam ſubornet aſſenſum. *Hæreſum notitiæ, in periculo erroris eſſe cēſentur.*
S. Aug. l. 3. contra Iulianum. c. 3. Altè Auguſtinus; *Mira ſunt quæ dicitis, O Pelagiani, noua ſunt quæ dicitis, falſa ſunt quæ dicitis: mira ſtupemus, noua cauemus, falſa conuincimus* Et ſanè Tertullianus in lib. de Præſcriptionibus aduerſus Hæreticos, valdè, vt timet, præcauet, ne vel Hæreſum admiratione in admirantibus præſcribat Hæreſis, & error incautè adhæreſcat magno ſinceræ fidei detrimento, de occulto Hæreſum lenocinio, morum licentiæ perniciosius blandiente. Id cap. 1. & 2. ſubtiliter diſputat, & his verbis cap. 3. auſpicatur
Tertull. de Præſcr. c. 3. *Solent quidèm iſti miriones* (id eſt, miratores ridiculi) *etiam de quibuſdam perſonis ab hæreſi captis ædificari in ruinam.* Quid tam perniciosè venenatum, quod vel ſui admiratione miratores inficiat? *Mira ſunt,* quæ Hæretici blatterār, prodigioſa ſunt, quę garriūt; ſed *prætermitte* curioſā notionem, vt deuites admirationē: deſine mirari, ne incipias ſectari. ô quale malum eſt, quod vel alienâ admiratione ſuā cōtagionē effūdit! Nemo te cēſeat inter *miriones*, ne numeret inter Hæreticos: ne vel incautâ admiratione *in ruinā ædificeris.* Heu qualis eſt fabrica, quā ruina ædificat!

5.
Act. 16. 6. Actor. 16. Paullus & Timotheus dum orbē euangelizādo peragrant, Eccleſiæ quidē confirmabātur fide, & abundabant numero quotidie. *Tranſeuntes autē Phrygiā & Galatiæ regionē, vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbū Dei in Aſia.* Regebat Spiritus ſanctus Paulli conſilia ac ſtudia, atque ideò prohibuit nunc in Aſia, ſcilicet minori, & paullò pòſt in Bithyniâ prædicare Euāgeliū. *Paullū'ne ſibi præcauet à regioni hæreſibus infectâ?* Cur verò intētus ille curſus impeditus fuerit, altioris eſt cōſilij, quā vt nos ſcrutari valeamus. Miſericordiæ diuinæ tribuit Gregor. ne de contēptâ prædicatione mali auditores iudicari mererētur.
S. Gregor. homil. 12. in Ezech. Illi autē nondū erant diſpoſiti vt cæleſte ſemen vtiliter exciperent, vt docet Orig. Quā de re Caſſianus in Collat. Abbatis Moyſis c. vltimo: vbi propter auditorum merita languere dicit prædicatorum ſtudia, & verba aut exanimari, aut deficere.
Orig. hom. 9. in Leuit. Caſſianus.
OEcum. ib. Verùm Oecumenius ſubtiliter ad rē præfata Lucæ verba exponit: *In Aſia, & Bithyniâ,* inquit, *vetat Spiritus ne verbū diſſeminent Apoſtoli, præſcius hereſim eorum qui Spiritū impugnarent, dominaturā illis, qui ibi degerent* An Spiritus ſanctus, vel antequam ſuſcipiat fidē, ob hæreſes quæ indè orientur, regionē caſtigat? An pręproperè de ſuo Paulo precauet ne peragret regionē, in quā hæreſes vigebunt? Superuacanea forſan de Apoſtolis cautela, certiſſima foret noſtri eruditio, vt cunctis innoteſcat quòd hæreſum peſtilentiſſima contagio aërē toxicat, & regionē venenat: nam *ferme Hæreticorum vt cancer ſerpit.* Rationem addit S. Leo
S. Leo ſer. 5. de Ieiun. decimi menſ. Quia Hæretici *humiliter irrepunt, blandè capiunt,*

*piunt, molliter ligant, latenter occidunt.*

6\. Iudicum 1. v. 11. *Ciuitas litterarum, ſpinarum urbs dicitur.* P Serar. ibi. Maſius inibi. *Hæreticorum doctrina, ſpineto ſimilis eſt.*

¶Iudicum 1. Debellatâ vrbe Hebron, victrix Iudæ tribus, *abiit ad habitatores Dabir, cuius nomen vetus erat Cariath Sepher, id eſt, ciuitas litterarum.* Quaſi ibi foret celebre gymnaſium, habebatur vrbs illa priſcæ olim litteraturæ metropolis, & ſcientiarum emporium. Quò adludit nomen *Dabir*, id eſt, *oraculum*. Tertium etiam huius vrbis nomen tradit Serarius, *Cariath-ſenna*, id eſt, *Vrbs ſpinarum, quòd multa litterarum ſpinæ ſeu moleſtia ſint*, Vel, vt Maſius mauult, *Vrbs litteratæ diſputationis*. Et quoniam in litterariis diſputationibus, aut verbo, aut ſcripto, multimodus verborum aculeus, & ſcómatum ſpinoſitas horret, indè *Vrbs litteratæ diſputationis* nominatur *Spinarum vrbs*. Verùm *ſpinarum* nomine intelligi Hęreticos, litteratio aborſu enatos, vulgare eſt, & ex multis Eccleſiæ Patribus tradit Lauretus Ceruarienſis: *Spinæ*, inquit, *in roſâ ſunt ſenſus heretici in ſacrâ Scripturâ; vel ipſi hæretici ab Eccleſia prodeuntes. Et ſpinæ ſe mutuò complectentes ſunt hæretici in conuitiis doctrinarum ſuarum*: Quot academias ſeu doctrinas Hæreticorum videas, tot ſpineta cenſe, & *Ciuitas litterarum*, facta eſt *vrbs ſpinarum ſe mutuò complectentium*. Parùm hoc, niſi denſis ſpinarum aculeis aduncâ rapacitate ſibi appropinquantes complectantur. O hæretici denſiùs ſpineti cognatam nimis rapacitatem! Caue ne huic cruentæ rubo vicineris: ne fides periculosè ſauciata funeſtiùs intereat. Floridam vitam pollicentur, & meræ ſpinæ ſunt, quæ fidem lancinant.

Lauret. ex Auguſt. Hieronym. Cyrill.

7\. Prouerb. 21. v. 16. Trãlationes variæ. Salazar.

Prouerbiorum 21. ſic nos Salomon erudit: *Vir qui errauerit à viâ doctrinæ, in cœtu Gigantũ commorabitur.* Pro τὸ *gigantum*, Hebraicè ſubeſt רפאים *Rephaim*, cuius nominis ſignificatio varia eſt in ſacris Bibliis. Hinc noſter, & LXX. Interpretes habent, *gigantes*, alij *Dæmones*, vel *mortuos*, vel *Medicos*. Chaldæus, *Filius hominis qui errat à viâ intellectus, cum filiis terræ commorabitur*. Symmachus, *cum cœtu eorum, qui cum Deo pugnant*, Noſter Salazar inibi per iſtiuſmodi homines: qui aberrant à viâ *doctrinæ*, ſeu *intellectus*, appoſitè intelligit Hæreticos, quos Salomon hìc appellat *Dæmones, Mortuos, Medicos, Gigantes*, ſeu *terræ Filios, qui cum Deo pugnant.* Et poſtmodùm adducit ex Nazianzeno Gigantum trucem ac pernicioſam ſobolem Hæreticis adſimilem: *Gigantum acerbi atque immanes fœtus ac ſoboles*, *Hydræ, Chimæræ, Cerberi, Gorgones.* Quàm ſit *Hydra* Hæreticis ſimilis eleganter exponit Athanaſius Ser. 4. contra Arianos, ita fatus: *Quemadmodùm in fabulis Ethnicorum celebrata Hydra, ſublatis prioribus ſerpentibus, aliiſque pullulantibus peruicaciter contendebat, nouo ſemper obiectu anguium contra illum, qui ipſi ſerpentes ſuos abſcindebat. Ita quoque iſti exc rabiles homines* (Hæretici inquam) *animo ethnico deiecti ab illis, quæ obiiciebant; noua comminiſcuntur: quippe qui poſt tot refutationes, quibus vel Diabolus ipſe horum pater victus confuſuſque retrò abiiſſet, rurſus ex peruerſo corde noua alia adinueniunt.* Subdit ex Ambroſio lib. 1. de Fide ad Gratianum, vbi per Hydram non tam Hæreticos, quàm hereſim ipſam intelligit, atque his verbis Hydræ proprietates illi eleganter adaptat: *Hæreſis*, ait, *velut quædam Hydra vulneribus ſuis creuit: & dum ſæpè reciditur, pullanit, igni dedita, incendióque peritura.* Vide quàm magno incremento Hydra ſoboleſcat, & numeroſiùs propagetur, ac latiùs ſerpat, ſubole peſtilente è peruerſo multiplicata. Sic Hæreſis, ſic Hæretici vel ferro fructificante augentur; & inde amplientur, vnde credi poterant iam extincti. *Velut quædam Hydra vulneribus ſuis creuit; & dum ſæpè reciditur, pullulauit.* Heu Hæreticos perniciosè peramplam Gigantum ſobolem, quæ ſæpè vel impugnatoribus augetur; adeò vt qui impugnare cœpit in Catholico, conſumet in Hærerico. O cautè medere contagioni, quæ vel remediis recrudeſcit, propagatur, & latiùs ſerpit! Hydra eſt, quam ferrum, vulnera, neces multiplicant ad perniciem. Solus Hercules (Valentiæ hyperbole) Hydram extinxit opinatiſſimo ſtrenuè facinore, ad Heroum inuidiam inclyto. Denique procliue eſt, reliquas loci tranſlationes Hæreticis adaptare.

S Naz. Orat. 3. Contra Iulian. S Athanaſ. *Hæreſis repullulãti Hydræ aſſimilatur.* S. Ambroſ.

---

## §. XCIX.

### *Humanæ arrogantiæ faſtus magni æſtimat ambitioſæ comitatis nugas: vir autem magnus in vltimum reiectus locum, non eſt ceteris poſtpoſitus, ſed ſuperpoſitus.*

POſtremas vbique partes occupabit, qui primas amat, etiam genere & dignitate inferioribus lubens cedet; de ſe autem ſuiſque demiſsè ſentiet, loquetur etiam demiſſiùs, magna de aliis. Si quid laude, gloria, præmioque dignum fecerit, ſubmiſſiſſimis verbis facti magnitudinem extenuabit, aliiſque laudem, non ſibi adſcribet. Potiora dein aliis, deteriora ſibi tribuet. Nemo niſi experientiâ doctus credat, quantum coniuncta virtuti modeſtia, & comitas vrbanitati permiſta, etiam apud improbos poſſint. Demiſſio in magnitudine, comitas, morum facilitas, facilis aditus, amica compellatio, frontis amœnitas, & quicquid vrbanitatem ſpirat, magno ad capiendam hominum gratiam incitamento ſunt. Quòd ſicubi deſint hæ ambitionis nugæ, quaſi pergraui exindè iniuriâ acceptâ, offenſiones, odia, rixæ oriuntur implacabiles, in ambitionis officina excuſæ. O inaniſſima vanæ gloriæ ſtudia, infantilibus næniis quàm ſimillima? Geneſeos 49 his verbis ſuum Iudam Iacobus benedicit, & ſceptri gloriam fauſtè prædicit. *Iuda, te laudabunt fratres tui .... adorabunt te filii patris tui* Quid eſt, *Adorabunt te?* Iudàs ne is eſt, cui à fratribus adoratio exhibeatur? ſuperbus planè honor, & faſtu humano ſublimior! Chaldæus præſcriptum locum elucidat: *Et præuenient ſalutantes te filij patris tui.* O! vrbanâ ſalutatione præueniri, adorationis vocabulo inſignitur? ſic habetur auguſtum, priùs ſalutationis obſequio honorari? Nugæ prioris *ſalutationis*, facta eſt res adorationis. 1.

*Vrbanâ ſalutatione præueniri, adorationis vocabulo deſignatur.* Geneſ. 49. v. 8. Chald. ibi

Actorũ 26. Felix Cæſareæ præſes apud quem detinebatur Paullus, Portium Feſtum accepit ſucceſſorem: & poſt dies pauculos, Agrippa rex & Bernice deſcenderunt Cæſaream ad ſalutandum Feſtum. Alterâ autem die cùm veniſſet Agrippa & Bernice cum multâ ambitione, &

introïſſent in auditorium cum tribunis. & viris principalibus ciuitatis, iubente Feſto, adductus eſt Paullus: & iuſſus coràm pro ſe loqui in cauſſa religionis, eruditam & elegãtem habuit orationem, Paullo ſanè dignam. Eo autem ſic loquente iratus *Feſtus magna voce dixit, Inſanis Paulle, multa te litteræ ad inſaniam conuertunt.*

Actor. 26. 11. 24.

Magna hinc quæſtio apud Interpretes exorta eſt, quare Feſtus, qui nuper Paulli innocentiã apud Regem commendauerat, tanquam ſui oblitus; imò ſui impos, ſic repentè excanduerit, vt in has Paulli contumelias inciuilis eruperit? Quem innoxium ſciebat & prædicabat eruditum, & tanto orationis plauſu aſpectabilem; ſic verbis dehoneſtat, & inſaniæ petulanter inſimulat? Quam ob cauſſam ſic excanduit Præſes?

OEcum. ibi.

Argute OEcumenius præfata verba exponens, hanc rationem tempeſtiuè reddit: *Feſtus magna voce dixit: Inſanis Paulle, &c. Quoniam ad regem* Agrippam *ſemper verba dirigebat, commotus eſt aliquantulùm Feſtus, & libertatem intuitus, ex animi perturbatione & irâ, Inſanis, inquit.* Ecce tibi propè periclitantem Paulli cauſſam, & innocentiam atque ſapientiam inſaniæ culpari, dũ Præſes alienæ ciuilitatis nimis ſtudioſus, ſe deuenuſtari ambitioſiùs putat, quia Paullus ad Regem potiùs ſermonem dirigebat. Sic leuicula in re comitatis occaſio animos inquietat, & inconſultâ iracundiâ ad indecora verba præcipitat? O quot tragœdias excitat alienæ erga nos comitatis ambitio! O pueriles vanæ gloriæ nænias, viris, ſane non dignas!

*Paullus ferè periclitatur, ob inanes comitatis nugas.*

3. ad Coloſſ. 3. v. 15.

Paullus ad Coloſſenſes 3. ita ad eoſdem ſcribit: Induite vos viſcera miſericordiæ, benignitatem, humanitatem, modeſtiam, patientiam: ſupportantes inuicem, & donantes vobiſmetipſis, ſiquis aduerſus aliquẽ habet querelã; Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis: & pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in vno corpore: *& grati eſtote.* Quorſum cùm de manſuetudine & beneuolentiã erga eos etiam qui nobis moleſti & infenſi ſunt, agit Apoſtolus *gratitudinẽ* ingerit? Non facilè ab hoc nodo ſe expediunt Commentatores. P. Alfonſus Salmeron, ita hunc locum exponit: *Subdit: Grati eſtote. Id eſt, comes inuicem, & in conuictu quotidiano amabiles mores præſtate.* Mirum ſanè eſt, & expenſione digniſſimum, quòd *Eſtote comes,* velut ſynonymum ponatur huius ſententiæ, *Grati eſtote.* Nimirùm qui obæratum ſe animaduertit accepti beneficij debito, & ſe gratitudinẽ exhibere percupit, obſequiis, & comitati gratanter ſtudet, vt vrbanitate pendat quod debitã gratitudine ſoluendo non eſt. Vel aliter; idem putatur *Grati eſtote* ac *Comes eſtote*, quia comis vrbanitas, obſequiis ſtudioſa præmature grata eſt, & debitas gratias obſequiis exoluit, quia illi non infertur nocumentum quod proculdubiò inferretur, ſi comitatem inurbanè negligeret. Nam aliena erga nos inurbanitas aut comitatis neglectus, acerbiùs quàm par eſt, ſauciare ſolet.

P. Salm. tom. 4. ind idẽ, ex aliorum ſententiã.

*Quare comitas dicatur gratitudinis ſynonymon.*

4. Hìc verſ. 5. ſublimiſſimè exaltatur Aman, & cuncti ſerui Regis, qui in foribus palatij verſabantur, flectebant genua: & adorabant eum: ſolus Mardochæus, hoc exhibere Amano obſequium recuſauit. *Quod cùm audiſſet Aman, & experimento probaſſet quòd Mardochæus non flecteret ſibi genu, nec ſe adoraret, iratus eſt valdè, & pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus ſuas* &c. Vide hominis arrogantiam, & quàm parùm ſibi cohæreat. Quid Amani intereſt, in ſublimiſſimo faſtigio conſtitui, quòd Mardochæus ſeruitute tunc vilis & abiectus illi non flectat genua? O futilem & irrationalẽ ſic iraſcendi occaſiunculã! Qui plebeios quoſque deſpicit, quaſi nihili homines; non debuit captiui Iudæi comitatem ſic magni facere. Aut non debuit ſic vilipendere Mardochæum, aut eiuſdẽ nõ ſic debuit ciuilitatem ambire. Vtrumque ex alterutro redarguitur. Appoſitè Chryſoſtomus: *Arrogans atque ſuperbus,* inquit, *maiorẽ ſe ceteris arbitratur, neminem ſe eſſe dignũ exiſtimat; cùmque laudem ab hominibus quærat, ſpernit eos atque contemnit. Quæ res adeò expers rationis eſt, vt ænigmati ſimillima ſit, quos enim deſpicit, ab iis gloriam quaſi debitũ efflagitat.* O homo de ambitionis præſtigiis, prorsùs *rationis expers!* O rem *ænigmati ſimillimam!* Si illum quaſi abiectũ deſpicis; quare ab illo honorem captare ſic exambis, vt ob neglectã obſequij ciuilitatem, ſic impotenter ſuccenſeas? Heu quot ſtrages meditatur Amanus, quia ab homine abiecto & captiuo expetitis non adoratur obſequiis!

Hic verſ. 5. & 6.

*Rationis expers eſt Amã, dũ Mardochai obſequia ſic expetit.*

S. Chryſoſt. homil. 66. in Matth.

Geneſeos 2. ſextidui opere peracto, ita ſcribit ſacer Hiſtoricus: Igitur perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. *Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat.* Magnificis elogiis ſancti Patres, & Expoſitores hanc ſeptimam diem celebrant, adeò vt aliqui cenſuerint, hanc ſeptimam diem æternæ productioni Verbi myſticè deſtinari. Quapropter tanquam propria huius diei dignitas putatur, quod tenebris *veſpera* caruerit, & *mane* ſeu ſplendoribus tota cenſeatur. Neque enim dicit Scriptura: Factum eſt veſpere & mane dies ſeptimus, ſicut hactenùs dixerat: *Factum eſt veſpere & mane dies vnus: dies ſecundus,* &c. Verùm ſtatim occurrit difficultas, quòd auguſtiſſimæ huius diei dignitati non parùm videtur detrahi, cùm reliquis diebus poſtponitur: quæ ſic excellit primam diem, & ceteras exinceps, non debuit poſtremiſſimo omnium loco deuenuſtari. Quin & prima mundi dies non debuit huic diei ſeptimæ aliquo Primatus iure præripere, quòd *dies vnus* dicatur; quippe qui non habeat ordinem ad reliquos deinceps. Quo igitur pacto primus dies, quo creata eſt lux, dicitur, *Dies vnus*; & hic æternæ Verbi generationi deputatus, *Dies ſeptimus* nuncupatur? Vidit hanc difficultatem Rupertus, & quã pollebat ſagacitate in myſticis ſenſibus eruendis, ita ad lemma præſens tempeſtiuus reſpondet. *Ecquis ſit iſte dies ſeptimus,* inquit, *iam ſuperiùs in initio dierum dictum eſt, videlicet, quia primus eſt dies, & quia ceteris diebus non tanquã minor poſtpoſitus, ſed vt longè dignior ſuperpoſitus eſt.* Perbellè quidem Rupertus. Nempè hic dies ſeptimus auguſtæ Verbi diuini generationi deputatus, ſecurus magnitudinis ſuæ, de his inaniſſimis hominum ciuilitatibus (nugas potiùs dixeris) nihil curat. Dies ille luci adſcriptus, primò recenſeatur; vel, ad primatus ſui faſtum, *vnus* dicatur. quid hoc refert? quod ille dicitur, hic noſter dies præſtãtius ſeipsã eſt. Et ſanè hic dies ſeptimus poſtremo loco recenſitus, *ceteris diebus non tanquam minor poſtpoſitus, ſed vt longè dignior ſuperpoſitus eſt.* Quid inaniter angeris, quia poſtremus

5. Geneſ. 2. v. 2.

*Dies ſeptimus nõ eſt reliquis poſtpoſitus, ſed ſuperpoſitus.*

Ruper. l. 2. in Geneſ. c. 13.

eſt

es? Si præſtantiſſimum merearis locum, *non poſtpoſitus, ſed ſuperpoſitus es.* Sic oportet has ambitionis humanæ nugas fallere.

6. Exhod. 14. v. 19.

Exhodi 14. non bonâ factæ dimiſſionis pœnitentiâ ductus Pharao, totam repentè Ægyptum armat; & Iſraëlitas perſequitur. Pauefcunt hi, expalleſcunt, & miſerè vlulant. Moyſes verò de cælo afflatus, bono animo eſſe iubet: & durâ mox ſtragem hoſtium temeritati minatur. *Tollénſque ſe Angelus Domini qui præcedebat caſtra Iſraël, abiit poſt eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, poſt tergū.* Vide oculis quàm parùm curet Angelus de loci præcedentiâ. Miniſteriale ſuum officium implere ſatagit: & tametſi ſublimioris ſit naturæ, & vicarias Dei vices gerat, qui hactenùs iure ſuo homines præibat, nunc poſtremum occupat locum, provt rei gerendæ expedit, non pro excelſæ dignitatis faſtu. *Angelus itaque Domini,* (ait inibi Lipomanus) *Miniſter dicitur hoc loco iuſtitiæ diuinæ. Iſte præibat ſemper caſtra Iſraëlis, viam oſtendens, protegens, & illuminans totum exercitum. Præierat,* inquit, *hactenùs, nunc autem ab anteriore parte ſe transferens, ad poſtremum ſe contulit agmen exercitus.* Tametſi Angelus & naturæ, & muneris ſui elogio, primum ſemper locum occupare debuiſſet; (dicitur enim, *Miniſter diuinæ iuſtitiæ,* quo etiam humanæ iuſtitiæ miniſtros erudiat) tamen duntaxat ſubiectum ſibi populum præibat, quandò opus erat præmonſtrare viam, aut aliud ſimile miniſteriū obire. Aſt quem ſemper reliquos præire decebat, & primū dignitati ſuæ congruum tenere locum; facile negligens hanc humanæ ambitionis ciuilitatem, *qui præcedebat, priora dimittens, poſt tergū* vadit: & qui *præierat hactenùs, nunc ab anteriore parte ſe transferens ad poſtremam ſe contulit.* quo factum eſt vt Dei populum ſtrenuè protegens, tartareas Pharaonis phalanges glorioſe detriumpharet. maluitque, quod præcedendo præſtare poterat, relictâ anteriore parte, in poſtremam ſe conferre; vt de loco infimo ſublimiſſimos ambitioſæ Ægypti Primates ſumptuoſiùs proculcaret. O è loco abiectiùs poſtremo, prima & glorioſa facinora! Sic *diuinæ iuſtitiæ Miniſter,* humanæ iuſtitiæ Miniſtros, & reliquos dignitate, ambitione, ac nobilitate magnos, ad magnanimum ambitioſæ ciuilitatis neglectum erudit. Quiſquis in ſe magnus eſt, vbique magnus erit: ſuſpectus enim ſibi eſt de magnitudine ſuâ: qui à loci ſublimitate magnitudinem quærit. Pumelio in ardui montis vertice ſublimis, adhuc perexiguus homo eſt; & gigas in profundo depreſſus puteo, altè procerus eſt. vbique quiſque magnitudinē ſuam retinet; miſereque magnus eſt, qui magnitudinem ſuam de loci ſublimitate metitur.

Lipom. ibi. *Diuinæ iuſtitiæ Miniſter primo loco cedit, & poſtremum occupat ad victoriæ gloriam.*

7. *Poſtremò nominatus, primus ſententiam dicit.* Cap. 1. v. 16. P. Mariana. inibi.

Hic verſ. 16. iratus Aſſuerus ob renutum Vaſthi, ſeptem principes nobilitate ac ſapiētiâ inclytos, ſciſcitatur de pœna taxandâ contumaciæ Reginæ. Et poſtquam nominatim receſiti ſunt hi ſeptem ſapientes, & poſtremo loco Mamuchan recenſitus; ita ſcribit ſacer Hiſtoricus: *Reſponditque Mamuchan audiente Rege, atque principibus,* &c. Appoſitè ad hæc verba P. Mariana: *Reſponditque Mamuchan. Poſtremus inter ſeptem nominatus, primus dicit ſententiam.* An vt de Perſico faſtu, quamprimùm reſtauretur honoris iactura, ſi qua fuit in poſtremiſſimâ illius recenſitione? An quia vel generoſior, ſuperbia has ambitionis nugas contemptim negligit? Diſcēdáne eſt vrbanitas vel ex ſuperbiæ ſcholâ.

*P. Didac. Celada in Eſtherem.*

## §. C.

*Neſcit ambitio naturæ ſuæ menſuram agnoſcere: indè & indecora, & flagitioſa ſedulò ſibi negotiatur.*

1. Seneca lib. 1. de Benef.

NOn patitur auiditas (inquit Seneca) quēquam eſſe gratum. *Nūquam enim improbæ ſpei quod datur ſatis eſt: & maiora cupimus, quò maiora venerunt. vt flammæ infinitè acrior vis eſt, quò ex maiori incendio emicuit. Æquè ambitio non patitur quemquam in eâ honorum menſurâ conquieſcere, quâ quondam eius fuit impudens votum.* Geneſeos 11. Noëmi numeroſa iam ſoboles Armeniæ finitima loca feliciter inhabitans, incertis ſpebus acta, patrium ſolum deſerere molitur. *Cùmque proficiſcerentur de oriente,* inuenerunt campum in terrâ Sennaar, & habitauerūt in eo. Dixitque alter ad proximum ſuum: *Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat in cælum, & celebremus nomen noſtrum.* Quæ verba exponens Chryſoſtomus, ita ſcribit: *Atque hoc eſt, quod humanum genus potiſſimùm perdit, quia non vult naturæ ſuæ menſuram agnoſcere, ſed ſemper maiora deſiderat, & quæ ſupra ſuam ſunt dignitatem votis concipit.* Neſcit modum humana gloriæ auaritia, & ambitionis vota captum naturæ tranſcendunt. Arcem quæ Olympum pertingat, humana tenuitas ſuperbiæ inſtinctu faſtigiare molitur; & ambitionis inſano tumore ſuam ſupergreſſa menſuram, coloniam in cælum ducere arroganter affectat: *quia non vult naturæ ſuæ mēſuram agnoſcere.* Sibi extraneus eſt, qui dum maiora, ſe quærit, à ſe peregrinatur. Ambitioni ſatis non eſt communis naturæ meta; dum *quæ ſupra ſuam ſunt dignitatem votis concipit.* Nec ſi illud obtineret, eius inibi cupiditas ſiſteretur: *ambitio* enim *non patitur quemquam in eâ honorum menſurâ conquieſcere, quâ quondam eius fuit impudēs votū.* Et rurſus alibi: *Solebat Attalus hàc imagine vti. Vidiſti aliquandò canē miſſa à domino fruſta panis, aut carnis aperto ore captantē? quicquid accipit, protinùs integrū deuorat, & ſemper ad ſpem futuri inhiat: idē euenit nobis; quicquid expectantibus fortuna proiecit, id ſine vlla voluptate dimittimus, ſtatim ad rapinā alterius erecti, & attenti.*

Geneſ. 11. v. 4. S. Chryſoſt. indidem. *Neſcit ambitio naturæ ſuæ menſurā agnoſcere.*

Seneca ſup. & epiſt. 73.

Actorum 14. Vbi Paulus voce pedes reſtituit claudo frequens turba eleuauit vocē Lycaonicē 2.
dicens: *Dij ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos.* Et vocabant Barnabam Iouem, Paullum verò Mercuriū. Sacerdos quoque Iouis tauros, & coronas ante ianuam offerens, cum populis volebat ſacrificare. Quod vbi audierunt Bernabas & Paullus conſtanter diuinos refutant honores aientes: *Viri, quid hæc facitis? & nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines . . . . Et hæc dicētes, vix ſedauerunt turbas ne ſibi immolarent.* Non miror, quòd licèt diuinū honorem Apoſtoli recuſent, dum illos ambitione vacuos vidēt, adhuc quaſi Diis victimas immolare feſtinēt. quaſi honoris diuini refutatio, ita ſupra humanum faſtigiū ſeſe extollat, vt meritū diuini honoris exhibendi quodāmodo conferre apud ethnicos cenſeatur. Bellè Minutius Felix ira de Diis Gentium fatur: Niſi fortè poſt mortem, inquit, Deos fingitis, & peierante Proculo Deus Romulus, & Iuuá Mauris volentibus Deus eſt, & diui ceteri Reges, qui conſecrantur non ad fidem numinis, ſed ad honorem emeritæ poteſtatis.

Actor. 14. v. 14. & 17.

*Recuſatio diuinitatis. mer.tū ad illam putabatur.*

Minut in. Octau.

*Inuitis denique hoc nomen adſcribitur: optant in homine perſeuerare, fieri ſe Deos metuunt: etſi iam ſenes nolunt.* Nimirùm, adeò eſt homini cognatum, de ambitionis faſtu ſe attollere ſupra humanum faſtigium, vt humanitatis putetur exſors, qui diuinitatem non ambit, qui diuinos recuſat honores. *Inuitis denique hoc nomen adſcribitur: optant in homine perſeuerare, fieri ſe Deos metuunt: etſi iam ſenes nolunt.* Exindè Saullus & Barnabas diuinos honores conſtanter recuſantes, *vix ſedauerunt turbas ne ſibi immolarent.* quaſi ſupra hominem ſit, & Deo confinis, qui *optat in homine perſeuerare, & fieri ſe Deum metuit.* Vide immetatam ambitionis libidinem: & quàm ſit *metuenda* vltra propriam menſuram ambitio.

3. Geneſ. 3. v. 5. — *Ambitio vel benemeritum facit Dignitatis indignũ.* S Ambr. lib. de Paradiſ.

Geneſeos 3. Hâc ambitionis voce, *Eritis ſicut Dij*, Protoparentes ſerpens Dæmon profligauit, proculcauit, deprauauit. Annon ante hæc ambitionis vota, homo *ſicut Deus* erat, qui dudùm ad imaginem & ſimilitudinẽ Dei creatus eſt? Quare malus Dæmon homini ſuggerit bonæ prærogatiuæ quam iam habebat, non bonam auidiùs ambitionem; niſi vt Dei ſimilitudinem, quam habebat à gratia, propter ambitionem amittat? Quod innuere videtur Ambroſius lib. de Paradiſo ſic fatus: *Eritis ſicut Dij. Et hoc fefellit, quia homo ſicut Dij. Non ſolum enim ſicut Dij eſſe homines deſierunt; ſed etiam qui quaſi Dij erant, quibus dictum eſt, Ego dixi Dij eſtis: ſui gratiam perdiderunt.* Scilicet vſqueadeò ambitio candidatum reddit ambitæ Dignitatis indignum, vt Dæmonis fuerit arbitrium, quòd homo ambiret ſimilitudinem Dei quam habebat, quò ſe indignum reddens, illã amitteret. Ambiat quod dignè poſſidet, vt apud Deum ambitione perdat, quod ambire præſumit. Sublimitas ambitioſos refutat candidatos. Qui honores negligit, piè illos ambit ipſius ambitione neglectùs. Excelſa Dignitas ſui contemptores beneficè ambit, ambitioſos quæſitores negligit, quaſi ſuum neglectum axambiat. Humilior contemptus, negotioſus honorum riualis eſt officioſitate merendi. Heu nunc ſæpè ambitio meritum cudit! ô tempora, ô mores! Non qui negligit honorum curas, ſed qui ambitioſiùs ſedulitate, obſequiis, adulatione, muneribus, fores electorum freqẽs pulſat, ille benemeritus eſt: & dignitas Dignitatis amittendæ, fit meritum denuò obtinendi.

4. *Aliorum fauor, & adulatorum ſuffragium, ambitioſum eſt meritum ad dignam repulſam.* Theoph. Antioch. l. 1. Cõment. in Euag. — Matth. 25. v. 10.

Matthæi 25. proponitur decem virginum parabola: in quâ per quinque illas ignauè fatuas; reproborum vniuerſitas deſignatur. Sed diligenter perueſtigandum eſt, quo tandem merito reprobentur. Moram faciente ſponſo dormierunt fatuæ virgines. Mediâ autem nocte clamor factus eſt. Noctem pro ignorantiâ poſuit: ac ſi diceret: Cùm neſcirent Fatuæ vt tunc ornarent lampades oleum à ſapientibus poſtulant. *Ite potiùs*, inquiunt, *ad vendentes, & emite vobis. Hoc reſponſum dedere* (ait inibi Theophilus Antiochenus) *irridentes, non conſulentes, vt irent ad adulatores, & emerent ſibi oleum, id eſt, laudem, famámque probitatis.* Pergit Theophilus ad rem opportunus interpres: *Dum autem irent emere, &c. id eſt dum quærunt aliorum fauorem, & adulationum ſuffragia, & non operari optant.* Ecce tibi, cur reprobi dicuntur expulſi à cæleſti curiâ; quia de ambitionis cognato genio, merita ad empyrei regni Dignitatem, non ſuo *opere* parant, ſed de *aliorum fauore, & adulatorum ſuffragio* negotiari præſumunt. Saltem hæc adumbrata ambitio, reprobationis clauſula eſt, fatuarum virginum à regno expulſio, & præſaga damnandorum deſperatio. Dignitas quæ non de proprio merito, ſed de *aliorum fauore, & adulatorum ſuffragio quæritur*, in cæleſti politiâ, aut cæli repulſam inuenit, aut faciet repulſam. Malè hîc Aman de aulicorum ſuffragio, adulatione, & adoratione, rem Diuinitatis aucupari præſumit. Hic verſ. 5. & 6.

5. Exhodi 9. v. 7. — S. Auguſt. q. 20. in Exhod. — *Pharaonis ambitio ſibi vſurpare ſatagit virtutem Moyſi.*

Exhodi 9. Moyſis ore minatur Deus Pharaoni agrorum vaſtationem, & duram animantium ſtragem: Mortuaque ſunt omnia animantia Ægyptiorum: de animalibus verò filiorum Iſraël nihil omninò periit, *Et miſit Pharao ad videndum: nec erat quidquam mortuum de his quæ poſſidebat Iſraël.* Quare Pharao tam ſollicitè exploratores mittit in terram Geſſen, qui ſollerter perquirant, an Iſraëlitarum animantes ſauciauerit plaga, quæ Ægyptios nimis vexauit. Forſan emollietur eius cor obſtinatum, recognoſcens Deum Iſraëlitis pepercisse, & tantùm Ægyptios eorum oppreſſores, opprimere. Subtiliter inibi Auguſtinus ambitionis argutias oſtendit, aiens: *Si pecora Iſraëlitarum morerentur, videretur cauſſa competens, quare cor eius grauaretur ad contemptum Dei; tanquam ſi Magi eius, pecora Iſraëlitarum occidiſſent.* Vide ambitionis tyrannidem, vide rapacem alienæ gloriæ auaritiam. Scilicet per ſapientiam ipſam & potentiam Moyſis & Aaronis, quâ ipſos Magos deuicerant, exambit Pharao eoſdem Magos ſublimare, & aſtutæ ſagacitatis pretio, miraculi nomen ingenioſè mercari. Partem Moſaici prodigij ſuffurari ſatagit aſtutus Rex, quò miraculi gloriam æmuletur, mentito vſurpatæ virtutis vocabulo, re vacuo, fraude ambitionis pleno. Itaque Pharao miraculorum virtute inops aduerſariorum opulentam virtutem vſurpare præſumit, velut ſibi propriam, vt quaſi ſuum prætexat ad miraculi gloriam, quod eſt alienum. O tyrannicum ſubdolæ ambitionis faſtum, qui de alienâ, quâ vritur, propriam ſuperbiam adſtruere ingeniatur, ad ſuæ impotentiæ ſolatium, & alienæ gloriæ detrimentum! Victoris felicitas, deuictorum calamitati non benè adſuitur, quantumuis ambitionis ſollertia ingenio malitiæ impenſiùs adlaboret.

6. Iob 40. v. 16 — S. Cypr. Orat. de Ieiun. & Tentat. — *Ambitio eſt pernicioſa ſacrilegij forma.* — Petr. Greg. Syntag. l. 33. c. 14.

Iob 40. ita ſcribitur de Behemoth, qui proponitur ambitionis & ſuperbiæ typus: *Sub vmbrâ dormit in ſecreto calami*, &c. Quæ verba obiter S. Cyprianus exponens, ita ſcribit: *Ambitio pernicioſa ſacrilegij forma, nihil intentatum relinquis, in ſinu Sacerdotum dormit, ibi ſub vmbrâ recubat, in ſecreto calami ſe fraudulenter occultat.* Benè eſt quòd ambitio occultari ſatagit: nam dum publicatur, proditur. Et malè eſt, quòd in ſinu Sacerdotum, velut ſub vmbra tectiùs recubet. Sed quid eſt, quòd Ambitio dicitur, *Pernicioſa ſacrilegij forma?* Quomodo ambitio erit, eſsẽtia, aut facies, aut venuſtas, aut norma ſacrilegij? ô quã multa paucis in compendiũ redegit Cyprianus! In comperto eſt apud Iuriſcõſultos, quòd ſanctæ res ſunt, quæ ab iniuriâ hominum ſanctione ſeu lege aliquâ tuta ſunt. l. *ſanctum* 8. & l. *ſacra* 9. de Rerum diuiſ. Quid tam ſanctum, quid tam Deo, eiuſque cultui ac religioni ſacrum eſt, quòd ambitio non profanet? clancularia ambitionis impudentia nil veretur, vt cu-

pitâ

pitâ prælatione potiatur. Hinc cēſetur ambitio, hæc eſt eius eſſentia ſeu *forma*, hæc eius ſpecies, quæ tota eſt ad venuſtandas ambitus ſui negotiationes: hic eſt typus quem actionibus ſuis imprimit; hāc vnam in rem neruos omnes contendit, & ſedulùs ſemper incumbit. *Ambitio pernicioſa ſacrilegij forma.* Niſi malis, quòd cùm omnis præſidendi poteſtas à Deo ſit; Candidatus ambitioſo ambitu, non à Deo, ſed ab hominibus ſuâ ſedulitate corruptis, contra Dei ius, illam obtinere exambit. Sat eſto intendiſſe digitum ad Cypriani acumē, moralitatū grauidum.

7\. Lucæ 4. v. 41. Lucæ 4. cùm Sol occidiſſet, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebāt illos ad Ieſum. At ille ſingulis manus imponens, curabat eos. *Exibant autem dæmonia à multis clamantia, & dicentia: Quia tu es Filius Dei: & increpans non ſinebat ea loqui: quia ſciebat ipſum eſſe Chriſtum.* Ecquid malum Dæmonem, & bonorum ſemper vituperonem, coēgit ad hanc vocem, vt Ieſum proclamauerit & euulgauerit Chriſtum Dei, & Dei Filium? *Putauerunt enim Dæmones* (ait Cyrillus Alex. apud Carenam) *quòd per huiuſmodi laudem facerent ipſum inanis gloriæ amatorem; vt abſtineret eorum contrarietate, vtpotè pro gratiâ gratiam recompenſans.* Nimirùm præſumit Diabolorum aſtutiſſimus rantæ confeſſionis blandimento vanam gloriam clanculùm ſubornare, & ad non bonā gratitudinem allicere, vt ab hoſtilitate ceſſaret, ne ingratitudinem incurrere videretur. Vide ambitionis inſidioſas latebras. Verùm S. Chryſoſtomus aliter ad rem philoſophatur, ita ſcribens: *Exibant autem dæmonia à multis clamantia: Quia tu es Filius Dei. Voluit enim Dæmon perturbare ordinem rerum, & Apoſtolorum rapere dignitatem, & ſuggerere multis vt ei obediant.* O ſumptuoſam Dæmonum ambitionem, vltra ſuperbiæ metas audacem! Spontè erumpit in vocem Apoſtolorum principe dignam, & populorum obſequia tantæ confeſſionis ſuffragio aſtutè ſubornat, vt *Apoſtolorum dignitatem rapiat*, & in ipſorum honorario collegio cenſeretur. Torquetur confeſſione, quâ Chriſtus Dei Filius proclamatur, vritur dum palam ſuggerit Chriſto obſequium, quod arroganter deteſtatur; & tamen ſic exambit Apoſtolicam gloriam, vt illam perarduo confeſſionis & obſequiorum pretio mercari præſumat, nil arduum ſibi reputans, vt vltra modum aſcendat; è peruerſo aſſumit oſtentatæ pietatis auxilium, quò impiæ ambitioni velificari non ceſſet. Tanto exæſtuat ambitionis fomite!

*Ad non bonā gratitudinem Dæmon ſubornat.*

*S. Cyrill.*

*Dæmon confeſſionis pretio Apoſtolicam dignitatem mercari ambit.*

*S. Chryſoſt. apud Caten.*

---

## §. C I.

### *In animi morbis ſuus eſt etiam dies criticus, in quo vitiorum ægritudo plus deſæuit.*

1\. Animi latentes morbos aperire, vt fine, ita & fide caret: malumus indolenter animo ægrotare, quàm dubios & inuiſos morbos curare. Nutriendum tamen eſt in peccatore benè valendi deſiderium, quod quandiu in animo eius fuerit, aliquis erit bonæ ſpei locus. Aliquandò vitia quaſi langueant, interquieſcunt in homine, & emēdato ſimilis apparet; ſed, opinor, non bonâ fide. Vitia quieta & ſopita eſſe poſſunt, ſecura eſſe non poſſunt. Ipſa ſeſe ex interuallo excitant, nec vno modo appetitum tentāt, atque nullo extimulante impotenter tumultuant, & ex inopinato inſolentiùs exorbitant. Hæc paſſionum intermiſſio quibuſdam impoſuit, peritis verò verba non dat, qui de morborū animi exacta anatomia exſpectant cum magno fœnere vitia reddituta; & ceſſare, non deeſſe. Si attentiùs his animitùs explorandis impēdas aliquot dies, perſpicies ſopita eſſe vitia, non emortua; intermiſſa quodam velut peccandi tædio, non virtutis ſtudio emendata, & ex aliquo interuallo acriùs ſæuire: ac ſi intermiſſa vitia ex arcano quodam interuallo recrudeſcant. Auſpicatò hîc ſatagit Aman ſortium beneficio quaſi cælitùs noſcere, quo aptiùs tempore immanior nequitia exerceri debeat, & opportuniùs ſæuire crudelitas.

*Vitia non bonā fide interquieſcunt.*

*Heſt. 7.*

2\. Matth. 1. v. 17. Matthæi 1. poſt exactam progenitorum Chriſti recenſitionem, hàc clauſulâ totam genealogiam Euangeliſta concludit: *Omnes itaque generationes ab Abraham vſque ad Dauid, generationes quatuordecim: & à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim: & à tranſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum, generationes quatuordecim.* Et ſanè expenſione digniſſimum eſt, cur in tres teſſaradecades Euangeliſta omnes generationes diuiſerit: & quare id ſignatè admonuerit, cùm quiuis lector facilè poſſet numerando aduertere. Et ſanè prima quaterdena Patriarchas & Iudices numerat, ſecunda Reges, tertia Duces ac Sacerdotes recenſet; quo (vt egregiè notauit Chryſoſtomus) Matthæus ſignificare voluit, Deum antequam Filium ſuū mitteret, omnes tentaſſe vias, vt populum ſuum per Patriarchas & Iudices, per Reges, & per Duces ac Sacerdotes, ad virtutem promoueret; cúmque nihil profeciſſet, miſiſſe Filium ſuum, qui ægro vitiis populo mederetur. Sed adhuc ſupereſt difficultas, quare per teſſaradecades numerare potiùs voluerit, cùm præſertim in ſecundâ & tertiâ vltra numerum quattuordecimum augere catalogum legitimè potuiſſet? P. Ioannes Maldonatus erudito vir ingenio, dubium propoſitum his verbis extricat: Non amo in ſacris litteris philoſophari, colligo tamen ſi quid ex philoſophiâ ſpontè cadat. *Medici*, inquit, *quartumdecimum diem criticum vocant, & omnium in morbis periculoſiſſimum eſſe dicunt. Videtur igitur Deus congruenter naturæ decimoquarto quoque ſeculo populi ſui ſtatum mutare voluiſſe, vt vnâ Republicâ quodāmodo mortua, alia naſceretur melior.* Scilicet quia Chriſtus Deus ægrotanti mundo ſalutem afferebat, *(& videbit omnis caro ſalutare Dei)* idcircò diligenter obſeruat decimum quartū numerum: adeò vt Regum ternarium omiſerit in ſecundâ quaterdenâ, & plures Deus in tertiâ; quo mortalibus inſinuet, ſe velut medicum aduenire ad ſanandum deſperatos hominum languores: & ideò criticos morbi dies, & infirmitatis varios ſtatus ad faciendam ſanitatem ſtudioſiſſimè obſeruat. Vel aliter non modò in corporis languoribus, ſed in animi quoque morbis ſuus etiam eſt dies criticus, qui de infirmitate decernit, & quo periculoſiùs ad æternam mortem ægrotatur. Ægrotaſti calore libidinis, aut auaritiæ febri, aut phreneſi iracundiæ, aut maleuolentiæ furore? caue tibi ne languor vltra decimū quartum diem perduret: ne ſi diutiùs ſerpat morbus

*Morborum animi ſuus eſt etiam dies criticus, in quo morbus plus ſæuit.*

*S. Chryſoſt. ibidem.*

*P. Mald. ibi.*

*Qui citò prauam conſuetudinem reſcindit, à ſe critico ſalutem fauſtè nominatur.*

morbus, & vitio aſſueſcas, exinceps periculoſiùs ægrotes, velut decretorio die prædamnatus. Nõ valdè longam in ægritudine moram permittit, criticus dies. Deſueſce vitiorum morbos, & indè ſalutis æternæ præſagium capta. Hominis vitiis diu adſueti ferè deſperatur ſalus. Qui inoleſcentem reſcindit delinquendi conſuetudinẽ; ſanitati vicinatur bono diei critici præſagio.

3. Matth. 8. v. 16.

*Quare Chriſtus non manè, non meridie, ſed veſperè omnes malè habentes nũc curauit?*

Hieronym. ibidem.

Matth. 8. ſanata Petri ſocru, & Cẽturionis ſeruo, Chriſti Dei fama latiùs propagatur. *Veſpere autem facto, obtulerunt ei multos Dæmonia habentes; & eiiciebat ſpiritus verbo; & omnes male habentes curauit.* Chriſtus Dei filius (ait Remigius) auctor humanæ ſalutis, fons & origo totius pietatis; cæleſtem medicinam omnibus tribuebat. vnde ſequitur, *Et omnes malè habẽtes curauit*, vt his ſignis & virtutibus oſtenderet ſe ad ſalutẽ totius generis humani veniſſe. Sed quo tempore tot ſanitatès hic cæleſtis medicus facit? Tempeſtiuè Hieronymus: *Attendendum autem*, inquit, *quòd omnes non manè, non meridiè, ſed ad veſperam curantur? quando Sol occubiturus eſt.* An expectat veſperam, vt de quæſitâ illius vmbrâ tot ſanitatum gloria tectiùs abſcondatur? Hoc etiam pharmaco hominum exinceps vana gloria curetur; quæ ad bona opera claram lucem expectat: vt illorum præſtantiam ſpectatorum oculis glorioſiùs nundinetur. An potiùs *non manè, non meridiè, ſed ad veſperam omnes curantur*, quia ad veſperam, ſeu Solis occubitum, languor ingraueſcit, & grauiùs infirmum vexat? *Manè*, aut *meridiè* non tam male habet infirmus, gratæ lucis ſalutari vniuerſatim pharmaco alleuatus: ad *veſperam* autem grauatè humor noxius incumbit, & infirmum periculoſiùs vexat. O quam attentè Chriſtus Deus, qui de cælo medicinam attulit mortalium languoribus, opportunitates langorum obſeruat; vt animi morbis conſultiùs medeatur! Exindè *veſpere facto, omnes male habentes curauit; non mane, non meridie.*

4. Lucæ 12. v. 20.

*In horâ mortis, criminum congeries innouatur.*

Lucæ 12. Homo ille vberrimis fructibus prædiues, ſibi exultim exundãti de copiâ gratulatur: Anima, inquit, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare. *Dixit autem illi Deus: Stulte, hâc nocte animã tuam repetent à te.* Quid eſt *repetent?* an ſemel petere non ſufficit? Anima hominis delicioſè opulenti pertinaciùs obnititur; ne de corpore exeat? Quæ eſt hæc vitioſitas, quæ ſic ſceleroſè recrudeſcit, vt Deo refragari præſumat? Pulchrè Chryſoſtomus præfata verba exponens ita ſcribit: Multoties recuſat anima, & regreditur in profundum, cùm debet exire à corpore: ſemper enim ſtimulat nos cõſcientia peccatorum, ſed præcipuè cùm debemus trahi ad terribile iudicium (Nota quæ ſubdit verba) *Tunc enim tota congeries criminum innouatur, & præ oculis poſita mentem percellit.* Quid eſt, quòd dum anima diuitis delicioſi, & vitiis innutriti, egredi è corpore iubetur, tunc *tota congeries criminum innouari* perhibetur! Tunc ne de mortis vicinia, quaſi reſculpuntur vitia, & velut reſtaurantur crimina, & aliqua quodammodò acceſſione recrudeſcunt? Damnati in Dei iudicio poſt mortem audiunt: *Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Et notat inibi Hieronymus, quòd *non dixit, Qui operati eſtis iniquitatem; ſed qui operamini, id eſt, qui vſque in præſentem horam, cùm iudicij tempus aduenerit; licèt non habeatis facultatem peccandi: tamen adhuc habetis affectum*; & adhuc recens, perſeuerat *tota congeries criminum innouata.* O ſub mortis articulum antiqua crimina improſperè *innouata.* O infauſtum æternæ mortis auguriũ.

S. Chryſoſt. homil. 29. in Math.

Matth. 7. v. 23.

S. Hierony. ibi.

Iob 20. dum agitur de ſceleribus hominis impij, ita ſcribitur: *Oſſa eius implebuntur vitiis adoleſcentiæ ſuæ, & cum ipſo in puluere dormient.* Iob 20. v. 11. 5.

Græcus.

Græca Olympiodori catena cum Græcis, ita hunc locum excribit: *Oſſa eius impleta ſunt iuuentute ipſius; & cum eo in puluere dormient.* Quænam ſunt hæc oſſa impleta *iuuentute*, ſiuè *vitiis adoleſcentiæ*, quibus impius fulcitur, & conſiſtit? Opportunè inibi Philippus: *Oſſa ipſa*, inquit, *ſenectutem non eſt abſurdum intellexiſſe, quibus veternoſitas annorum & duritiès ſenij ſignificatur.* Hæc igitur *oſſa implebuntur iuuentute*, ſeu *vitiis adoleſcentiæ*, id eſt, non ſecùs quàm oſſa medullis plena ſunt, quibus nutriuntur, humectantur, & conſeruantur; ita mores impij, iam indè ab adoleſcentiâ, iiſdem vitiis creuerunt & conſeruati ſunt vſque àd ſenectam. Et verò cùm benè habent oſſa, plena ſunt medullis, aut medullato ſucco, quo oſſa ex Hippocratis, & Galeni ſententiâ, nutriuntur, tunc benè habet homo, & viget viribus, atque firmâ & integrâ corporis conſtitutione. Ergò cùm dicitur impius, habere *oſſa plena vitiis adoleſcentiæ*, ſeu *iuuentutis*; vitia dicuntur eſſe inſtar medullarum, atque peccata eſſe velut alimentum oſſium; quæ etſi ſemper intra oſſa ſint, illáque foueant ac nutriant, cùm tamen medulla incrementum aut decrementum viciſſim capiat, aut pro lunæ accretionibus, aut pro variâ hominis conſtitutione; hinc fit vt impius non ſemper æqualiter ad ſcelera vigeat rato æquabilitatis vigore: nam *oſſa*, id eſt *ſenectus* iam vitiis *adoleſcentiæ*, dein per quædam interualla *iuuentutis* moribus viget ad malitiam: quaſi etiam in *ſenectute* redeant *adoleſcentiæ*, & *iuuentutis* vitia, tuncque impius vegetioris ætatis vitia, etiam in ætate effœtâ & exhauſtâ, ad prauitates reſumat; & vitia *adoleſcentiæ* fatuæ, aut *iuuentutis* audacter petulantis; aut virilitatis maturiùs ſceleroſæ, aut *ſenectutis* ambitioſiùs & auariùs criminoſæ. *Oſſa eius* (id eſt ſenectus, velut medullis) *replebuntur vitiis adoleſcentiæ eius*, ſeu, *iuuentute, & cum ipſo in puluere dormient*, hoc eſt, vſque ad ſepulcrum, & ſepulcrales cineres, in quos cadauer redigetur, non ceſſabit iſtiuſmodi alternans morum viciſſitudo, quæ non bona vitiorum elogia reciprocat. Hinc videas effœtum ſenem, iam fatuâ inſipientiâ *adoleſcentem*, iam libidinis furore *iuuenem* iam maturitate ſcelerum virum, iam auaritia & ambitione *ſenem*; quippe qui omnium ætatum vitia ad tempus deferat, & per interualla reſumat, reſculpat, redintegret.

Philippus.

*Vitia adoleſcentiæ & iuuentutis in ſene repullulant.*

Hippocrat. Galenus. Pineda ibi.

6. Iacobi. 3. v. 6.

Syrus.

*Lingua genealogiarũ ſeries maculat, de gehenna aſtu.*

Iacobi 3. Lingua, inquit, conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus *& inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehennâ.* Quæ verba ſic excribit Syrus: *Inflammat ſeries genealogiarum noſtrarum, quæ currunt in modum rotarum*: lingua enim contumelias latè ſpargens, *ſeries genealogiarum* maculat & inuitiat, & indè odia ſerit inter familias, vrbes, & regna; adeò vt eadem tranſmittat in poſteros per multas generationes & ſecula, quò perpetuæ inter eos, immortales, & irreconciliabiles lites & inimicitiæ eſſe videantur.

OEcum.ibi. tur Heu nimis verè! Aliter OEcumenius: *Lingua incendit & excitat in nos gehennam, veluti graſſari faciens aduerſus nos ignem. Sed & ipſa incenditur à gehennâ, vt manifeſtum eſt ex Diuite, qui linguâ cruciabatur.* Addit: *Rota itaque dicitur vita, quia in ſeipſam reuoluta.* Ergò *rotam natiuitatis noſtra* appellat Iacobus vniuerſum vitæ noſtræ curſum, qui à linguà velut gehennali igne inflammatur irâ, libidine, à ſuperbiâ aliiſque ſceleribus, quibus viciſſim vritur.

Lucæ 16.v. 24.

Serar. ibi.

*Quare vitia, & paſſiones humanæ, rotæ aſſimilentur.*

Sententiæ ac verborum ſignificantiam mirè Serarius amplificat: *Rota*, inquit, *eſt qualibet perturbatio, quâ tanquam rotâ, hùc illùc rotamur & agitamur.* Itaque peridoneè ad rem, ſiuè vita noſtra, ſiue etiam noſtræ paſſiones ac perturbationes *rotæ* comparantur. Nam rota ſic agitur, vt abeat ad idem punctum reditura; ſic diſcedit, vt diſceſſu redeat; manens fugit, & fugiens tenetur; deorsùm mouetur, ac ſursùm trahitur; videtur fugere, nec tamen fugere poteſt, & ſtationem ſuam motu trahit, & retrahit. O, rotæ ſimiles, vitioſos mores *vita* noſtra incurrit: quin & *rota eſt qualibet perturbatio, qua tanquam rotâ huc illuc rotamur & agitamur.* Itaque vita noſtra gehennali vitiorum pyrâ, & perturbationū ac ſubſultuum agitatione rotatur; ſed in rotæ ſimilitudine itus deſcribitur, & reditus expectatur, ſic enim acrior ſufflammatio abit vt redeat, redit vt abeat, & motu, licèt perpeti, per interualla, vſtionem, donec redeat, intermittit.

---

## §. CII.

### *Crimino ſa calumniatorum delatio, quæ clam & ex inſidiis adoritur, egregiè vapulat.*

1\.
Seneca lib. 2. de Ira cap 29.

*Quorundam delatorū malignitas, ad cautelam proditur.*

SEneca lib. 2. de Irâ, Nouatum ita hâc ſuper re erudit. Ex his, inquit, quæ nos offendunt, alia renunciantur nobis, alia ipſi audimus aut videmus. His quæ narrata ſunt, non debemus citò credere. Multi ementiuntur vt decipiant, multi quia decepti ſunt. Alius criminatione gratiam captat, & fingit iniuriam; vt videatur doluiſſe (aliàs diluiſſe) factam. Eſt aliquis malignus, & qui amicitias cohærentes diducere velit. Eſt ſuſpicax, & qui ſpectare ludos cupiat, & ex lōginquo tutoque ſpeculetur, quos colliſit. De patuulâ ſummâ iudicaturo, tibi res ſine teſte probaretur, teſtis ſine iureiurando non valeret, vtrique parti dares actionē, dares tempus, nec ſemel audires: Magis enim veritas elucet, quò ſæpiùs ad manum venit. Amicum condemnas de præſentibus antequā audias, antequā interroges. Illi antequā aut accuſatorē ſuū noſſe liceat, aut crimē, iraſceris. Iā enim, iā quid vtrimque diceretur audiſti. Hic, ipſe qui ad te detulit, deſinet dicere, ſi probare debuerit. Non eſt, inquit, quòd me protrahas, ego productus negabo. Alioquin nihil vnquam tibi dicam. Eodem tempore & inſtigat, & ipſe ſe certamini & pugnæ ſubtrahit. Qui dicere tibi niſi clam non vult, penè non dicit. Quid eſt iniquius quàm ſecretò credere, palàm iraſci? Hactenùs Seneca.

2\.
Eccli 25.v. 23,
Hebræus.

Siracides Eccleſiaſtici 25. *Ventus Aquilo diſſipat pluuias, & facies triſtis linguam detrahentem.* Hebræus textus pro τὸ *linguam detrahentem* habet, *linguam abſconſionis*, id eſt, ſe abſcondentem, & in ſecreto abſconditè detrahentē inſtarque ſerpentis clam & ex inſidiis mordentem. quaſi lingua quæ ſecretò de aliorum defectibus garrit, quantumuis mentitum alienæ emendationis zelum prætexat, clandeſtinæ abſconſionis teſtimonio, planè detrahat. Porrò ſicut aliud eſt reprehēdere, aliud obmurmurare (vt aliàs ex Chryſoſt. adnotabamus) ſic aliud eſt ſycophantā aut calūniatorem, aliud delatorē agere. Hoc ſæpè piū eſt, illud ſēper ſceleroſū. Vndè Vatabl. *Ventus Aquilonaris pellit pluuias, at vultus ſeuerus linguam delatricem*, id eſt, ſycophantica clam delatione mendaciter calumniatricem. Itaque ſicut ventus Aquilo ſuâ aſperitate diſſipat nubes: ſic facies triſtis aut ſeuera diſſipat criminationes occultè inſuſurratas: quia vt appoſitè ait Beda, *Si hilari vultu audieris detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi: ſi verò triſti vultu hæc audieris, diſcit non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri.* Iſtiuſmodi enim clandeſtinæ criminationes, quas inuidioſa garrulitas fingit, ſunt velut atræ ac procelloſę nubes, quæ famam proximi infuſcant, obnubilant, & obſcurant; eò pernicioſiùs, quò tectiùs; præcluditur enim clarandæ veritati aditus. Ergò vultus auſterus ſycophantas diſſipet: alioqui audientis vultus hilaris et placidus, criminandi *fomitem* perperam ſubminiſtrat. Faceſſat vulgaris multorum excuſatio, qui muto ſilentio audientiam calumniatoribus gratam emaculare præſumunt. Immunis erit à criminatione, qui illi *fomitem* ingerit? O quàm multa in hoc vno verbo eruditis ethicè tranſparent! Ergò facies, quæ vel mutâ gratiâ *fomitem* ingerit, taciturnitate ſeuerâ niues ſpargat, quæ calumniandi igniculum interſtinguant.

S. Chryſoſt. alibi enucleatus.
Vatablus.

*Vultus placidus audientis ruminādi fomite ſubminiſtrat ſycophātis.*

Beda apud Conc. ibi.

Regius Vates Pſalm. 111. ſic pangit: *In memoria æternâ erit iuſtus, ab auditione malâ non timebit.* Quænam eſt hæc *mala auditio*, à quâ iuſtus nil timere iubetur? An quâ ipſe alienas criminationes moleſtè audit? an quâ alij criminationes falsò de ſe ſparſas audiunt? Nimirùm nil iuſtus timet à malâ auditione ſuâ, & ſui etiam: nam vitæ probitas aſylum eſt ab huiuſmodi linguâ malignè delatrice, calumniatriceque: quia dū ad aurium margines dicta cōtra iuſtum percolantur, in dicentem citiùs regeruntur. Pulchrè Antonius in Meliſsâ, *Vt Cæcias* (Auſter) *ventus nubes, ſic piorum vita, improborum in ſe cogit conuitia.* O benè! Scilicet iuſtus nil timeat ab *auditione malâ* de ſe, benè ſcius, quod ſi ſapit auditor, non tantùm facici gratiâ non miniſtrabit calūniatori *fomitem* criminandi; ſed vultu ſeuero calumnias exhibebit; imò calumniatorem tegerit ipſa calumniati probitas: *Piorum vita, improborum in ſe cogit conuitia:* nam quas iactat in iuſtū calumnias, in ſe citiùs cogit; de ſe enim potiùs loquitur, quàm de iuſto. Exindè *iuſtus ab auditione malâ non timebit.* Hic verſ. 8. Aſſueri aures de improbâ Amani delatione implentur *auditione malâ*, & clandeſtinâ criminatione populus Dei angitur, ſed ab hâc auditione malâ non timebit; audiet enim de ipſius Aſſueri ore, excuſato leuis credulitatis cenſu: Eos, *qui cuncta agunt vt omnium laude digni ſint, mendaciorum cuniculis conantur ſubuertere* (Aman, & Amanitæ inquam) *dum aures Principum ſimplices*, &c. Ecce tardam Aſſueri pœnitentiam, quòd criminatrices Amani calumnias

3\.
Pſal 111.v.7

Antonius.
*Piorum vita, improborū in ſe cogit criminationes malitioſas.*

Hic verſ. 8.

Eſther 17.v. 5.

calumnias in Dei populum falsò iactatas, ſeuero vultu non diſſipauerit, & in calumniatorem ſilentio non detorſerit.

4. Matthæi 22. *Phariſæi autem audientes quòd* Ieſus *ſilentium impoſuiſſet Sadducæis, conuenerunt in vnum*, &c. Nempè Iudæorum ſcioli nouis indies machinulis argutè criminatricibus, Chriſti doctrinam deuenuſtare nitebantur. Ergò Sadducæis ſubdolè vituperonibus ſilentium impoſuit; at eorum auribus mutè garrulis, gratanter audientibus recentes contra eum calumnias, ſilentium non indixit, quin linguatâ taciturnitate garrirent malâ libenter auditione. Appoſitè indidèm Origenes: Silentium autem, inquit, Sadducæis impoſuit Ieſus, volés oſtendere quoniã mendacij vocem obmuteſcere fecit claritas veritatis. *Sicut enim propriũ iuſti eſt tacere, cùm ſit tempus tacendi, & loqui cùm ſit tempus loquendi, non tamen obmuteſcere: ſic proprium eſt omnium qui mendacij ſunt doctores, obmuteſcere quidem quantum ad rem, non tamen tacere.* Benè iuſtus ab *auditione malâ* non timebit, quia quãtumuis ſycophantæ ſubdolis maledicè criminationibus garriant, de conſilioſè auditorum auditione bonâ factum eſt, vt *obmuteſcant quidem quantùm ad rem*, etſi *non taceant.* Scilicet lingua maledicè delatrix tacere neſcit, ſcit nouis criminationibus continuò obloqui; mutâ tamen oblocutione: nam ſeuerum audientium ſilentium, etſi maledicentiæ audaciam ſæpè non compeſcat: eius tamen loquacitatem impudenter mordacem facit mutam, dum eam fruſtrat maledicentiæ fructu. Tanta enim eſt ſalaciſſima criminatorum prurigo, & maledicendi ſcabies, vt eorum iam proprium ſit *obmuteſcere quidem quantum ad rem, non autem tacere.*

Matth. 22. v. 34.

*Maledici criminatores obmuteſcunt quantum ad rem, nõ tamẽ tacent.*

Orig. tract. 23. in Matt.

5. Eſther cap. 3. *Dixit Aman regi Aſſuero: Eſt populus per omnes prouincias regni tui diſperſus, & à ſe mutuò ſeparatus, nouis vtens legibus & ceremoniis, inſuper Regis ſcita contemnens. Et optimè noſti quòd non expediat regno tuo vt inſoleſcat per licentiam.* Malitioſè fucata huius clandeſtinæ delationis frons, criminis ſpeciem præferre videtur. Nam populi diſperſio aliquam inſinuat perfidiæ notam, & rebellionis ſuſpicionem, ob quam congregari prohibetur Nouis legibus ac ceremoniis vti dicitur; quia Perſis Palæſtinorũ religio & politia hactenùs inuiſa fuerat. Scita Regis contemnere perhibetur, quoniam diuinos Amano honores à Rege iuſſos, vnus Mardochæus non exhibuit. Hinc Dei populus *inſoleſcere* dicitur, & addicitur diris ad vnum ſtragibus. Hæc autem omnia, quæ Amanus malitioſè detulit, quæ crimina eſſe videntur? ſi medullitus inſpicerentur, mera virtus eſt; veræ religionis obſeruantia, & aſpectabilis obſeruantiæ ſeueritas laude digniſſima. Ecce tibi delatricis malitiæ ingenium, falſato delictorum fuco virtutẽ ipſam colorare. Tempeſtiuè Cyrillus Alexãdrinus: *Fœda detractio eſt, quæ ab innocẽtiâ raditur*, Opinor, maledicẽtiæ delatricis exaggeratio eſt, quæ de ipsâ innocentiâ delicta *radit.* Superficies ſolidi eſt, quæ raſurâ elimatur, & extrahitur. Quin & ſuperficies raditur, à ſolido ſeparatur: quæ ſunt duo delationis maledicæ non bona elogia. O Sycophanta vaferrimè maledicus! quid ex merâ rei ſuperficie liuidis oculis cenſuratam vibras? Quid meram ſuperficiem à ſolido *radis*, & abſtrahis? Vide oculis delationis criminatricis malignas ſubdolè technas: nempè à ſolido rei quippiam *raditur*, & auellitur, & à circunſtantiis auulſum obiicitur ſpectandum, non bono rei commentario præmiſſo, quò ſimplices auditorũ aures decipiuntur, infatuantur, adulterantur. O nimis verùm! Sceleroſum videtur, quod vel ab ipsâ *innocentiâ raditur.* Innocentiæ pars ſic auulſa, flagitij portio apparet, & atrocioris ſupplicij condignus reatus. O caueat Princeps ab hâc *auditione malâ*: & diligẽter diſquirat rem totam, rei circunſtantias totum integrantes: ſæpè enim innocentiæ fruſtum, ab innocentiâ malignè *raſum*, pars ſceleris videtur, imò & ſceleroſa flagitiorũ maſſa: nam *fœda detractio eſt, quæ ab innocẽtiâ raditur.* O bonã Præfectis eruditionem, à vituperonum ſubdolâ vafritie ſagaciter cautam! *Suſurro & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes, lingua tertia multos commouit* (addit tempeſtiuè Siracides) *Virtutes populorum concidit.* Sæpè enim virtus à virtute *conciſa*, & diſſecta, vitij fœditate coloratur. Porrò *fœda detractio eſt, quæ ab innocentiâ raditur.* Luculenter ethicè Cyrillus.

Hic v. 8.

*Fœda criminosè calumnia eſt, quæ ab innocentia malitioſè raditur.*

S. Cyrill. l. 2. Apolog. c. vlt.

Eccli. 28. v. 18.

6. Prouerbiorum 6. Sic nos Salomon ſalubriter erudit: *Homo apoſtata vir inutilis, graditur ore peruerſo*, &c. Multa alibi ad alia themata ſuper hoc loco ſententiarum grauido, ad mores diſſerebamus: qui adhuc ad rem præſentem emedullandus eſt, ſi fortè aliqui moralis ſucci ſuperſit. In origine habetur pro *τὸ homo apoſtata*, homo *Belial*, quod aliqui excribunt, *homo Diabolus*: Diabolus enim princeps fuit omnis apoſtaſiæ. Ergò *τὸ apoſtata*, de apoſtaſiâ à fide & à religione exponit S. Thom. 2.2. q. 12. art. 1. ad 2. Chaldæus autem *Belial* vertit, *Calumniator*: Diabolus enim *criminatorem*, & *calumniatorem* ſonat. Itaque ſycophanticus delator, clandeſtinus *criminator*, & *calumniator*, qui *ore peruerſo gradiens*, aliorum famæ inſidiatur, non ſolùm *Diabolus*, ſed etiã *apoſtata* dicitur. Moraliſſimè adſtipulantur Hebræi, ſic enim in libro præceptorum negatiuorum n 9. ſcribunt: *Delator, detractórque idem eſt ac ſi Deum negaſſet .... Tria ſcelera punitur homo & in hoc ſæculo, & in futuro, & ſunt iſta, Idololatria, adulterium, & ſanguinis effuſio; ſed mala lingua his tribus reſpondet, & peior eſt.* Et quo modo criminatrix calumniatorum delatio, Diabolorum æmula, *apoſtaſia* eſt, ac *Deum negaſſe* dicitur? Eſto, ſycophanta *ingrediatur ore peruerſo*, & impunè acerbiuſque lædendi ingenio, clandeſtinas machinas, & fraudulentas ſubdolè inſidias innocenti tendat, delationis latibulo velut aſylo vtens; aſt quo pacto iſtiuſmodi delatio, *apoſtaſia*, & *Dei negatio* nominatur, quaſi hactenùs fidelem, in infidelem vel atheum refingat in criminationis officinâ? Opinor, vix, & forſan nec vix quidem eſſe Deũ credit, qui tam immane ſceleroſiùs crimen patrare audet. Porrò ſi Deum eſſe crederet, idoneo Deitatis cenſu illum exiſtimaret, ſeueriſſimum tanti flagitij vltorem & acerrimum (vt par eſt) illius vindicem: nam qui clandeſtino tenebrarũ lenocinio, calumniarum malitiam abſcõdit, ſolam diuinam ſcientiam ac prouidentiam habet vltricem, cui tantum ſcelus perſpicuum eſt. Vndè *Deum negare* videtur, quem ſi fateretur, ſic acerbè prouocare contra ſe non auderet; benè ſcius, ſi crediſſet, quòd *horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* Si non times de ſcelesto, time de perículoſo.

Prouerb. 6. v. 12.

S. Thomas.

Hebræi.

*Num criminoſa caluniatoris delatio atheum aut inuenit, aut facit*

## §. CIII.

*Maledica improbitas id vnum ſæpè quærit, vt aliquid aduerſus alium quoquomodò dicat, non vt veroſimile quippiam dicat.*

1. MAlitia non videt quid dicat, ſed vt dicat; quod forſan ſi vidiſſet, non diceret. Exindè petulanter garrit, & in vaſtis mendaciorum campis pro nutu exultim luxuriatur, nemini parcens, exlex maledicentiæ priuilegio. Quid angeris, quod malè de te loquuntur homines; Sed mali quidẽ. Moueri poſſes, ſi probus quiſque iſta loqueretur. Nunc malis diſplicere, laudari eſt. Non poteſt. vllam auctoritatem habere ſententia, vbi qui iudicio damnandus eſt, ſine iudicio damnat. Malè de te loquuntur, qui benè neſciunt loqui: faciunt, non quod mereris, ſed
Seneca de Rem. Fort.
quod ſolent. *Quibuſdam enim canibus ſic innatum eſt, vt non pro feritate, ſed pro cõſuetudine latrent.* Exulet ergò à ſapientum mentibus hæc ſtultiſſima perſuaſio, vt licet verum eſſe nõ credant, quod in vituperonum ore eſt, credunt tamen quod ſubeſt: & ſaltem aliquid latentis mali adumbrari ſeriò cenſent (*la mentira, dicen, siempre es hiza de algo*) Perindè enim eſt ac ſi dicerent: Semper mendacium aliquid habet veri; aut ſemiuerum, omne mẽdacium eſt. Heu vel mendacio credent homines, ne maledicentiæ non credãt! Vide mihi nunc quid de Chriſtianorum ſacris, moribus, ac religione, Ethnicorum maledicentia quondam blatterabat perſuaſione indubiâ. Quod his verbis tradit eloquenter Minutius Felix in Octauio: *Ac iam*, inquit, *vt fœcundiùs nequiora proueniunt, ſerpentibus indies perditis moribus per vniuerſum orbẽ ſacraria iſta impiæ coitionis adoleſcunt, eruenda prorſus hæc & execrãda conſenſio. Paſſim inter eos velut quædam libidinum religio miſcetur, ac ſe promiſcuè appellant fratres & ſorores, vt etiam non inſolens ſtuprum intercesſione ſacri nominis fiat inceſtum. ita eorum vana & demens ſuperſtitio ſceleribus gloriatur. Nec de ipſis, niſi ſubſiſteret veritas maxima, & varia & honore præfanda ſagax fama loqueretur. Audio eos turpiſſimæ pecudis caput aſini conſecratum ineptâ neſcio quâ perſuaſione venerari: digna & nata religio talibus moribus: alij eos ferunt antiſtitis ac ſacerdotis colere genitalia, & quaſi parentis ſui adorare naturam, neſcio an falſa, certè occultis ac nocturnis ſacris appoſita ſuperſtitio.* Incredibilia hæc non tantùm protelario ſermone, ſed prætextato & purpurato de Chriſtianis circũferebantur magno ethnicæ perſuaſionis plauſu, nec minore rei Chriſtianæ diſpẽdio. Viderit Chriſtianorum quiſque, an iſtiuſmodi mendaciorum architecti, falſata hæc crimina, aliquâ ſaltem veri ſpecie fundauerint. Semifalſa hæc ſunt? an purum putumque mendacium? Eâdem veritatis ſpecie hæc de Chriſtianis Ethici garriunt, quâ Amanus hìc maledicè culpat Hebræos, quaſi vtantur *nouis legibus*; erant autem omnium antiquiſſimæ, & ſanctiſſimæ. Quid in Moſaicâ lege antonomaſticè vtere, etiam tunc nouitatis inerat?

*Abſque vlla veritatis ſpecie, plura in Chriſtianos ethnici culpant.*

Minut. in Octauio.

Hic v. 8.

2. Actorùm 2. Cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes Diſcipuli pariter in eodem loco: & factus eſt repentè de cœlo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tãquam ignis, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperũt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. Stupebant autem omnes, & mirabantur ad inuicem dicentes: Quid nam vult hoc eſſe? *Alij autem irridentes dicebant: Quia muſto pleni ſunt iſti.* Ecquis non ſtupeat ſtupidos hoſce Iudæos, qui cùm ſubito viderent plures ſimul Galilæos variis & penè omnibus linguis diſertè loquentes, id inſanè crapulæ adſcriberẽt? Quid ebrietati cum omnium linguarũ notione peritâ? Fallor, ſi non potiùs inſaniũt, qui ſeriò ſic cenſent. Dubium hoc acuit OEcumenius, qui putat eiuſmodi *irriſores* probè quæ à Diſcipulis dicebantur, intellexiſſe: *Niſi enim intelligerent, rem ipſam nequaquam ad ebrietatem calumniantes referrent.* Hæc OEcumenius, qui addit pulchram indè dubitationem, quam mox tempeſtinè ſoluit: *Verùm dices: Si ipſos loquentes intelligebant, quonam modo irridere audebant?* Annon ſapientiſſimè & peritiſſimè loquebantur, qui Spiritus ſancti inſtinctu verba faciebãt? An aliquid temulentiæ ſimile habet, omnibus penè linguis peritè eloqui? Ergò ſi ipſos ſapienter loquentes intelligebant: quonam modo irridere audebant? & quo pacto id crapulæ adſcribebant? Nota quid OEcumenius reſpõdeat. *Sed malitia*, ait, *quæ ex nimiâ prauitate eſt, à nullo alio quàm ab ipſâ peruerſitate procedit: vt quoquo modo inueniat quo præſens bonum obturbet ac pellat.* Rurſùs: *Omne itaque negotium qualitati adſcribunt dicẽtes: Muſto impleti ſunt. Improbitas namque id vnum quærit vt quoquo modo aliquid dicat, non vt rationabile quippiam dicat.* Sic improbitas irrationalis maledicentiæ prurigine obbruteſcit? In nebulonum inſano ore non eſt veritas detractione mutila, vel adiectione ſupermentiens; ſed meraciſſimum nugaciter mendacium, nullâ ſpecie veritatis admixtum. *Quid irreligioſius? quid audacius? quid ipſâ ſceleris confidentiâ tutiùs?* quod aliorsùm dixit Octauius.

Act. 2. v. 13.

OEcumen. in did.

*Improbitas id vnum quærit vt quoquo modo aliquid dicat, non vt veroſimile quippiam dicat.*

Octau. apud Minut. ſup.

3. Canticorum 2. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit.* Per haſce vulpes paruulas, quæ florentem Eccleſiæ vineam clanculùm demoliuntur, Hæreticorum errores nonnulli ex Patribus intelligunt. Alij fallacem adulatorum gregem, aut mendacem detractorum populum, qui omnes de egregio ſuo cerebro errant, decipiunt, mentiuntur. Et quidem peridoneum animal Salomon elegit, vt fallaciam præclariùs adumbraret: *Fallax* (ait Ambroſius) *animal vulpes, & inſidiis ſemper intentum, rapinam fraudis exercet. Nihil tutum, nihil otioſum, nihil patitur eſſe ſecurum, quòd inter ipſa hoſpitia hominum prædam requirat.* Verùm ſagaciùs quærunt Interpretes, quare ſapientiſſimus Salomon agens de hoc ſagaciſſimo ad fallendum animali, tantùm mònet vt *capiatur*; non verò vt ſaucietur, aut perimatur; ne florentem Eccleſiæ vineam vltrà demoliatur? Argutè Bernardus: *Capite nobis vulpes paruulas. Solùm hoc malignitatis genus id proprium habet, vt agnitum iam minimè noceat; ita vt agnoſci ſit illi expugnari .... Sufficies proindè ſi capiantur, qui huiuſmodi ſunt, hoc eſt, ſi prodas, & deducas ad medium. Quippè quibus apparere, perire eſt.* Profectò prætetquam quòd omne mendacium tenue eſt, & indè

Cãt. 2. v. 15.

*Satis eſt mẽdaces vulpes capi, etſi non ſaucientur, aut perimantur capta.*

S Ambr. lib. 7. in Lucam.

S Ber. ſer. 64.

indè vel malignè tranſlucet: adeò tamen quorundam mendacia ex cerebro ad decipiendum friuolè conficta ſunt, vt rem ipſam enunciatam *apparere, perire ſit*; in publicum adduci, euaneſcere. *Sufficiet proindè ſi capiantur:* nam quædam errorum ac mendaciorum fraudes, ſic malignè compactæ, & architectatæ ſunt, vt in publicum adductæ, ipſo oculorum aſpectu corruant; & publicari, earum ruina ſit, *ita vt cognoſci ſit illis expugnari.* Sic nonnulli ſuper nihilo fabricant mendacij molem!

4. Lucæ 11. v.17. Lucæ 11. Excantato illo Dæmonum obſtinatiſſimo, qui linguæ frænum iniecerat: tandem Chriſti Dei ope, mutus loquitur, ſpectatores ſtupent, turbæ prodigium admirantur, Phariſæi malignè obmurmurant, palàm dicentes: In Beelzebub principe Dæmoniorũ eiicit dæmonia. *Ipſe autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum*, &c. Simplices turbæ prodigium meritò admirantur: nec immeritò admirantur politiores Interpretum, quam ob rem Chriſtus Deus, publicâ Phariſæorum detractione euulgatâ, quam palàm omnes audierant, ad eorum *cogitationes* animum deflectat. Porrò aliud eſt *cogitare*, aliud cogitata iudicio amplecti, & ſermonibus enunciare. Potuit enim ſubire temeraria cogitatio, quam iudicij prudentia caſtiget, inhibeat, refutet: quod in ſubitis mentis noſtræ ſubſultibus frequenter experimur. Niſi fortè cogitare, ac iudicare perinde ſit. eſt quidem, ſed apud temerariè improbos. Tempeſtiuè Philo (ac ſi commentaretur illud, *Ipſe autem vt vidit cogitationes eorum*: & rurſùs, *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* ita ſcribit: *At impius quiſque opinatur quod cogitat, & intelligit eſſe intellectus ſui gratiam*: cùm non ſit, niſi deprauiſſimi intellectus ingratia, & iudicij audacter temerarij priuilegium. O inſanam iudiciorum libram! *Cogitatio* quæ temerè intellectum pulſat, quæ temeritate inopinatâ mentem ſubit re indiſcuſsâ, inexploratâ, inexaminatâ ad iudicij libram, in opinionem ſeu iudicium tranſit? *Impius quiſque opinatur quod cogitat.* Opinor, non benè cogitatio, quam obuia quæque ſpecies de imaginationis aut affectuum officinâ temerè excudit; ſic proximè opinioni & iudicio vicinatur, vt perindè ſit, *cogitare mala* ac iudicij cēſurâ amplecti, & temerario ore audacter garrire. *Atqui adeò ſunt reprehenſibiles, & à veritate conuincibiles.* (Pergit Philo) *Nónne intellectus ſæpè in rebus innumeris delirij coargutus eſt; nónne ſenſus omnes deprehenſi in falſo teſtimonio?* Putauerim, quod delirat iudicando, quiſquis quicquid cogitat, iudicat, tanquam verum mente cenſet, & ore publicat. Adeò ſunt inania, ac penè nulla quorundam iudicia! adeò friuolè, & abſque fulcro in tantam altitudinē exurgunt figmentorum mendacia, vt ſpectata ſublimitas, eorum ruina ſit, cùm in vigilantiam *deliria* futiliter euaneſcunt. *Hæc ſunt animæ viduata iudicia*, ait inibi Philo.

*Apud improbos, improba cogitare, adſentire eſt.*

Philo lib. de Conf. ling.

*Humanus intellectus fallax eſt, & ſenſus in falſo teſtimonio deprehenſi ſunt.*

5. Act. 15 v.17. & 18. Actorum 16. Puella quædam ſpiritum pythonem habens, ſubſecuta Paullum, & Paulli comites clamabat dicens: *Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paullus, & conuerſus, ſpiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab eâ. Et exijt eâdem horâ.* Multis certant Commentatores, quare Paullus Dæmonem per pythoniſſam vera dicentem, ſic inhibuerit. An non è re Chriſtianâ foret, vt homines Diabolorum cultores, vel Diaboli ſuffragio Chriſtianæ veritati aſſentirentur? Audiendus eſt inibi OEcumenius: *Quare hæc Dæmon loquebatur? volebat in poſterum fide dignum facere ſuum teſtimonium.... Paullus obſerato ore etiam vera dicentis, iuſſit Dæmonium ab eâ egredi.* Nempè Dæmon ipſe mendaciorum callidè architectus, inſanam mendaciorum molem ſuper aliquam veritatem ſtruere molitur perſuaſibili errore, ne penitus à ſe excluſa veritas putetur. Et quidem *cum maximâ iniuriâ veritatis, quam efficit aut adiuuari falſis, aut patrocinari.* Sic de alicuius veritatis pharetrâ, à Dæmone falſitas ad credibilitatem armatur, & in errorum patrocinium veritas aduocatur. At humana improbitas eò mentiendi libidine proceſſit, *id vnum quærens, vt quoquomodò aliquid dicat, non vt rationabile quippiam dicat*, hâc ex parte Diabolorum mendacia ſupergrediens. At ſat probroſum detractoris elogium eſt, Diaboli malitiam imitari.

*Dæmon veritatis ſuffragio, erroribus patrocinari ambit, non homo.*

OEcum. ibi.

Tertull. l. de Anim. c. 1.

OEcum. n. 2. allegatus.

6. Prou. 6. v.12. Prouerbiorum 6. *Homo apoſtata vir inutilis, graditur ore peruerſo*, &c. Pro τò *apoſtata*, Hebraicè *Belial*, quidam excribunt, *homo Diabolus*; Diabolus enim fuit princeps apoſtaſiæ. Ita Vatablus: *Homo Belial, id eſt, qui omni ratione, humanitate, religione, pietate, & omni probitate deſtitutus eſt, vel, homo nihili, impius, & inutilis: aut apoſtata, & ſui inſtituti deſertor.* Chaldæus paraphraſtes τò *Belial* vertit, *calumniator*: in detractionibus enim *graditur ore peruerſo*, Symmachus, *In peruerſitatibus oris.* Nempè qui in oris *peruerſitatibus* graditur, *& omni ratione deſtitutus*, quod in aliis calumnietur fingit, de calumniis petulanter garrit, & licenter obloquitur, hic, inquam, *homo Belial*, id eſt, *homo Diabolus* eſt, in oris calumnioſis peruerſitatibus, Diabolorum malitiæ peruerſè æmulus: hic *prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat.* Vide quò te perducat effuſior detractio, vt non è re ipsâ, ſed de prauo corde *machineris* quid detrahas, *ratione* & veritate prorsùs deſtitutus. Detractio calumniatorem facit apoſtatam, & hominem recudit in Diabolum; cui aliena pernicies pro libidine eſt, & hominum tragœdiis deliciatur. A, caue hanc à prauâ linguâ metamorphoſim.

Vatabl. ibi. num. 13.

*Detractor, vir apoſtata, id eſt homo Diabolus dicitur.*

Chald.

---

## §. CIV.

### *Quàm ſit in hominibus exprompta maledicentiæ prurigo.*

1. Eccli. 19. v. 10. MOraliſſima Eccleſiaſtici vox eſt: *Audiſti verbum aduerſus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te diſrumpet. Quid eſt* (ait Chryſoſtomus) *moriatur in te? extingue ipſum, defodito, nec exire, neque penitùs moueri permittas: ſed maximè ſtude nec alios quidem dicentes malè tolerare: quòd ſi quando & ſuſceperis infodito, interime dictum, oblinioni trade, vt his qui non audierint ſimilis fias.* Eſto aut tuæ ſiniſtræ ſuſpicionis, aut alienæ obmurmurationis ſepulchrum: nam ſi mortuum non fuerit eiuſmodi verbum, & de obliuione tuâ cadaueraſcat, per ſenſuum rimulas prodet ſe ſe. Sic eſt hominibus

S. Chryſoſt. homil. 3. ad popul. Ant.

*Homo debet eſſe detractionis ſepulcrum.*

volupe

volupe de alienis culpis petulanter garrire! Quod hîc (ô malum!) in Amano cernere, & culpare licet.

2. Matthæi 17. Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & duxit illos in montem excelſum ſeorsùm: & transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies eius ſicut Sol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. *Et ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes.* Super hâc Moyſis & Eliæ apparitione inter beatas Taboris glorias, multa interpretum Proceres commenti ſunt. Et ſanè non mirarer apparuiſſe Moyſen, vt vetus nouæ cederet, & Euangelio palàm ſuffragaretur. At quorsùm Elias adeſt? Singulariter ad rẽ Chryſoſtomus hunc locum his verbis exponit: *Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias. Hoc autem multas habet rationes: & prima quidem eſt hæc: Quia enim turbæ dicebant eum eſſe Eliam, aut vnum ex Prophetis, capita Prophetarum ſecum ducit, vt ſaltem hinc videatur differentia ſeruorum & Domini.* Nimirùm apud imperitum Hebræorum vulgus, improbabilis & inſanus circumferebatur rumuſculus Chriſto iniurius, quòd ipſe Chriſtus Deus eſſet Elias; ne autem obuiæ detractionis præſtigio hæc fama ſerperet, & ſenſim propagaretur per obuios linguarum & aurium traduces; Eliam euocat coram tribus oculatis & veridicis teſtibus, vt his obtrectatoriis rumuſculis quamprimum refragentur, & citiùs cohibeant detractorum linguas ad vituperia facilè expromptas. O quàm de facili ſerpit, quod vel improbabilis detractio euulgat! O quàm eſt procliue, alienæ famæ, auctoritati, & ſublimitati detrahere! Conſultiſſimè ergò, ne Chriſtus putetur Elias; & *Dominus* habeatur vt *ſeruus*, cautè ſiſtens maledicentiæ pruriginem, Elias ad Taborem euocatur, & coram probatiſſimis teſtibus ſeruus coram Domino apparet. Ne contemnito vel improbabilem inſani vulgi rumuſculum, qui nimis procliui detractionis licentiâ, famam lacerat, & infamiam ſenſim negotiatur prodigâ honoris iacturâ.

Matth.7.v.3.

S.Chryſoſt. homil 57.in Matth.

*Cur in Tabore Elias corã Chriſto adeſt, aduocatis ad id teſtibus.*

3. Matthæi 20. Sollicitus ille pater-familias, ad vineæ ſuæ culturam operarios mittit primo manè, alios horâ tertiâ, ſextâ, & nonâ, alios tandem circa vndecimam horam ſubmittit. Cùm autem ſerò eſſet factum, vneæ dominus procuratorem ſuum præmonet, vt denarium diurnum ſingulis adæquè perſoluat. Cùm veniſſent ergò qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios. Venientes autem & primi arbitrati ſunt, quòd plus eſſent accepturi: acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios. *Et accipientes murmurabant aduerſus patremfamilias, dicentes: Hi nouiſſimi vnâ horâ fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei, & æſtus?* Cùm Interpretes communiter hanc parabolam de beatâ gloriæ remuneratione intelligant, non facilè expendiunt quomodò cælites obmurmurare dicantur. Nam tametſi ſpecie tenus non æqua appareat præmij diſtributio in perſpicuâ laboris inæqualitate, & quæ forſan detractorios in terris rumuſculos excitaret: at obmurmuratio cælos non obſtrepit, nec cælites tangit. Pulchrè Chryſoſtomus præfata verba his verbis ad rem præſentem exponit. *Et accipientes murmurabant, &c. Non ergò inducit hoc, vt oſtendat aliquos eſſe* in cælo *inuidiâ morſos: ſed vt oſtendat, hos tanto potitos eſſe honore, quod & inuidiam aliis poterat generare.* Nimirùm quamuis procul ſit à cælo inuidiæ morſus, & obmurmuratrix maliloquentia; tamen ſic apud homines occaſiuncula obmurmurandi obmurmurationi vicinatur, vt vbi proponit aliquam velut inuidentiæ occaſionem, ex inæqualitate præmij adſpectu ad laborem, quaſi hi operarij adhuc in terris degerent, confeſtìm obmurmurationem ſubiungit. Sic vel leuis occaſiuncula detrahendi eſt detractioni confinis, & cognata illius appendix, vt in cælo etiam vbi detractionem exulare neceſſe eſt, vbi quandam detrahendi velut anſam apponit, protinùs apponat detractionem? Tanta ineſt humanæ linguæ obmurmurandi prurigo! Scilicet obmurmuratio in cælis ponitur, non quòd ibi inueniatur; ſed quia ex eâ occaſione (qualis qualis illa fuerit) aliubi poterat generari. quaſi ſynonyma ſint, obmurmurandi cauſſa, & ipſa obtrectatoriè murmuratio. Quid exaggeratius?

Matth.20. 11. & 12.

*Sûntne quaſi ſynonyma, murmurandi cauſſa & murmuratio?*

S.Chryſoſt. homil.65. in Matth.

Ioannis 11. Lazari languor, dein mors, poſtmodùm Chriſti aduentus, & ipſius fletus; tandem Lazari ad Chriſti Dei vocem, reſurrectio denarratur. Verùm aienti Domino; Tollite ſepulcri lapidem. *Dicit ei Martha ſoror eius, qui mortuus fuerat: Domine, fœtet, quatriduanus eſt enim.* Cùm Lazarus & mortuus, & fœtidus, & mox ad Chriſti Dei vocem viuus inducatur; hinc myſtici expoſitores per Lazarum intelligunt peccatorem diu in peccatis languidum & emortuum, & mox per Chriſti gratiam rediuiuum. Sed viderint myſtici Commentatores, an hi quatuor dies ſatis idoneè Lazaro conueniant. S. Auguſtinus myſterium quatuor dierum Lazari, his verbis exponit: *De quatuor autem diebus multa dici poſſunt. Eſt autem vnus dies mortis, quem homo trahit de mortis propagine.* (id eſt, de originali delicto) *Sed & legem naturalem tranſgrediuntur homines, ecce alter dies mortis. Lex etiam ſcripturæ data eſt diuinitùs per Moyſen, & ipſa contemnitur; ecce tertium diem mortis. Venit Euangelium, & ipſum tranſgrediuntur homines, ecce quartus dies mortis. etiam ad tales excitandos Dominus non dedignatur accedere.* Ceterùm etſi quatuor dierum ſupputatio litteraliter accepta, veriſſima ſit; ambigere tamen aliquis poſſet, an in myſtico ſenſu Martha fratri Lazaro aliquo modo detraxerit; & licet mortuum, nimis tamen *fœtidum* expoſuerit: *Iam fœtet*, inquit, *quatriduanus eſt enim.* Porrò prima dies cõputetur de originalis peccati delicto; ſecunda de legis naturalis violatione; tertia de tranſgreſſione legis Moſaicæ. Hi tres mortis dies Lazaro peccatorum typo, imputari poſſunt: quartus autem dies de *tranſgreſſo Euangelio*, in Lazarum non quadrat. Nam præterquam quod Euangelium hactenùs ritè promulgatum non erat; Lazarus cum piis ſororibus, præcoquâ fide Euangelio credidit, & (vt vt potuit) Euangelium obſeruauit. Quo igitur pacto ſic *quatriduanus fœtere* perhibetur, vt illi imputetur *Euangelij tranſgreſſio*? Opinor, quòd vbi Lazarus (tametſi in ſe pius, & bonus) peccatorum typus proponitur, delicta quæ nec commiſit, nec forſan tunc committere potuit, illi imputantur. Sic eſt volupe ſeueriorem vibrare cenſuram 4.

Ioan.11. v.39.

S.Auguſt. Tract 49.in Ioann.

*Lazaro myſticè imputantur delicta, quæ forſan patrare non potuit.*

in eos,qui aliquâ infamiâ laborãt,vt defectibus quos nec patrarunt, nec forſan patrare potuerunt,vel in cognatorum ore *fœtere* dicantur? O quoties delictis,ad quæ non eualent, homines præproperè denigrantur! Sic in myſtico ſenſu ad mores velitari iuuat.

5. Matthæi 27. Chriſtus Deus cruci affixus,& morti proximus, circa horam nonam clamauit voce magnâ,dicẽs: *Eli, Eli,* lamma ſabacthani? hoc eſt:Deus meus Deus meus vt quid dereliquiſti me? *Quidam autem illic ſtantes,& audientes,dicebant:Eliam vocat iſte.* Dubiũ eſt,quinam fuerint illi, *quidam illic ſtantes*, qui Chriſtum Eliam auxiliarem euocaſſe obmurmurãt. Beda, Euthymius,& Strabus exiſtimant fuiſſe Romanos milites, qui Hebræos aliquando loqui de Elia audierãt.& Hebraicę ignoratione linguæ, audito *Eli* nomine dixerunt: *Eliam vocat iſte.* Theophylactus cenſet fuiſſe Iudæorũ vulgus, qui potuerunt hoc dicere,nõ intelligentes quid diceret propter tumultum. Denique Hieronymus ita philoſophatur: *Sin autẽ Iudæos*(non Iudæorum vulgus,ſed Pontifices, Scribas,& Phariſæos, & reliquos ſapientiæ antiſtites) *intelligere voluerimus,hoc more ſibi ſolito feciſſe,vt Dominus imbecillitatis infament, qui Eliæ auxilium deprecetur.* Ex his moraliſſimè concludit Hugo inibi: *Sic multi audita peruersè recitant. Eccleſiaſtici* 11. *Bona in mala conuertens inſidiatur, & in electis ponit maculam.* Vide hîc malitiæ ingenium, & genium maledicentiæ. Romani milites Hebraicæ linguæ ignari, quia neſcio quid ab Hebræis de Eliâ ſubaudierant, vbi audiunt *Eli*,Eliam à Chriſto Deo in auxilium aduocari blaterãt. Hebræorum vulgus Hebraicè peritus, Chriſti vocem malignè propter tumultum excipiens, adſimili maledicentiâ garrit. Quin & Iudæorum Pontifices & Phariſæi, Hebraicè & Biblicè fruſtrà periti,eandem imperitè maledicam vocem ingeminant, vt *Dominum imbecillitatis infament.* Sapientiæ & peritiæ iacturâ obuiam maledicentiam mercantur imperitæ detractionis commercio, & negligunt haberi inſipientes, ne non obmurmurent. Ecce tibi, Romani, quæ prorsùs ignorant; Hebræorum vulgus,quæ per tumultum non percipiũt; Iudæorum Pontifices & Phariſæi, quæ imperitè falſa eſſe ſciunt,protinùs indifferenter obmurmurãt, & maledico ore petulanter vſurpant, expromptâ maledicentiæ libidine,quæ non quid dicat, ſed vt malè dicat,hianter captat.

Matth. 27. v. 47.

Beda. Euthym. Strabus.

Theophyl. Hieronym.

*Hebræi peritia iactura maledicentiã mereantur.*

Hugo Card. Eccli. 11. v. 33

6. Iacobi 3. Sic ſalubriter admonemur: *Siquis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Et poſt multa de effreni velut impotenter linguæ licentiâ,addit: *Omnis enim natura beſtiarum,& volucrum, & ſerpentium, & cetorum domantur, & domari poſſunt à naturâ humanâ:linguam autem nullus hominum domare poteſt.* Ad hanc Iacobi ſententiam videtur adludere S.Hieronymus,qui in epiſt. 14. quæ eſt ad Celantiam, ſic illam de linguæ peſtilitate erudit: *Nulli*,inquit, *vnquam omninò detrahas, nec aliorũ vituperatione te laudabilem videri velis, magiſque vitam tuam ordinare diſces,quàm alienam carpere,ac ſemper Scripturæ memor eſto,dicentis:Noli diligere detrahere, ne eradiceris. Pauci admodùm ſunt, qui huic vitio renuncient: raróque inuenies, qui ita vitam ſuam irreprehenſibilem exhibere velint,vt non libenter reprehendant alienam;tantáque huius mali libido mẽtes hominum inuaſit,vt etiam qui procul ab aliis vitiis receſſerunt,in iſtud tamen,quaſi in extremum Diaboli laqueum incidant.* Vides quàm ſit arduum ac perdifficile, & quaſi vltra humanum faſtum, etiam perfecto viro (taceo feminas de garrulitate ſuſpectas) *in verbo non offendere?* Sic eſt homini volupe de alienis defectibus garrire! Porrò detractio, diſſimulata honoris ambitio eſt,quò dum alios inuitiat, infuſcat,ac denigrat, ipſe micantiùs præniteat, & de ceterorum dedecore decus ſuum ædificet. O quàm imbecillè noſtra fama de aliorũ infamiâ fulcitur! Dein maledicentia ſic homines ad obmurmurationes extimulat, vt à Hieronymo etiam dicatur *libido mentes hominum inuadens.* Concupiſcẽtia libidinum flammis de carne aut de gehẽnâ pronè æſtuat;ſimiliter lingua de maledicẽtiæ prurigine ſæuis libidinibus exæſtuat, quodam detrahendi fomite ſufflammata. Adeò vt qui reliqua extinxit vitia, hoc vel interſtinguere vix,aut ne vix quidem eualeat.

Iacobi 3. v. 2.& 7.& 8.

S Hieron.

*Perfectus etiã vir,maledicentiæ pruriginem vix interſtinguit.*

---

## §. CV.

### *Detractor ore, & mente, citiùs de ſe, quàm de aliis, ipſâ ſuæ cenſuræ ſiniſteritate obloquitur.*

Male de te loquũtur homines?(ait Seneca) *Mouerer, ſi iudicio hoc facerent:nunc morbo faciunt. Non de me loquuntur, ſed de ſe:* nam perſæpè in propriâ conſciẽtiâ,ſe alienam legiſſe præſumunt malitiæ priuilegio. Cæcilius ethnicus apud Minutium Felicem, multa obſcæniſſimè fœda Chriſtianis erga ſuos Sacerdotes obiecerat; quibus Octauius Catholicus ſic reſpondet: *Etiam ille qui de adoratis Sacerdotis virilibus aduerſum nos fabulatur, tentat in nos conferre,quæ ſua ſunt.* Iſta enim impudicitiæ eorum forſitan ſacra ſunt:apud quos ſexus omnis membris omnibus proſtat: *apud quos tota impudicitia vocatur vrbanitas:* qui ſcortorum licentiæ inuident, qui medios viros lambunt libidinoſo ore: *homines mala lingua etiamſi tacerent:* quos priùs tædeſcit impudicitiæ ſuæ, quàm pudeſcit. Proh nefas! id in ſe peſſimi facinoris admittũt, quod nec ætas poteſt pati mollior, nec cogi ſeruitus durior. Hæc & huiuſmodi propudia nobis non licet nec audire: *etiam pluribus turpe defendere eſt. Ea enim de caſtis fingitis & pudicis,quæ fieri non crederemus,niſi de vobis probaretis.* Hactenùs Minutius Felix in Octauio. Ecce tibi, detractor citiùs de ſe, quàm de aliis ipſâ detractione obloquitur. Quod hîc in Amani garrulitate petulanter temerariâ videre licet.

1.

Seneca de remed. fort.

*Detractor citiùs de ſe,quã de aliis, ipſa detractione obloquitur.*

Minut. Felix in Octa.

Hic v. 8.

Danielis 13. Suſannam columen pudici matronatus, inaffectatæ formæ pulchrius ornamentum, inſigne continentiæ teſtimonium, è ſenioribus duo, ſed vno incenſi prodigio libidinis, ſecus quàm frigeſcentem ætatem,& munus iudiciarium decuerat, deperire cœperunt. Quam cùm experti eſſent in paradiſi ſolitudine,frequenti virtutum choro, pudicitiâ præſertim circumſeptam, capere dolo aggrediuntur: ac,niſi vi culpæ ſuccumbat, veluti adulteræ deprehenſæ infame minitantur exitium. Ergò alterâ die Suſanna ad tribunal accerſita, rea ſeruatæ pudicitiæ ſtetit, ſedente pro tribunali iratâ ſeniorum libidine. Sed audiamus quid de caſtâ 2.

caſtâ matronâ ſenes ſalacitate turpes dicant: *Cùm deambularemus in pomario ſoli, ingreſſa eſt hæc cum duabus puellis: & clauſit oſtia pomarij, & dimiſit à ſe puellas. Venitque ad eam adoleſcens, qui erat abſconditus; & concubuit cum eâ.* Mirabantur vniuerſi ſpectatores; neque enim tam ſiniſtra impudicè ſuſpicio de opinatiſſimis Suſannæ moribus, vel in mentem hactenùs venire poterat. Nimirùm ſenes ſalaciſſimè impudentes, temerariè obloquuntur, non quod res ipſa erat, ſed quod ipſi erant; & de propriâ conſcientiâ alienam innocentiam damnant, quod luculenter Zeno Veronenſis adnotauit his verbis: *Intereà inſtant illi ex amatoribus accuſatores effecti, crimenque ſuum in ſimplicitatem circumuentæ tranſfuſum artificiosè dum exaggerant, exindè iam priores ſe ipſi condemnant.* O homines impudenter maledici, ea de caſtâ ac pudicâ Suſannâ fingitis, quæ fieri poſſe non crederemus, niſi de vobis probaretur! Scilicet hi malitioſi dicaciſſimè ſenes, *crimen ſuum in ſimplicitatem circumuentæ transfuſum*, dum veteratoriè proſtituunt, *exindè iam priores ſe ipſi condemnant*, cùm de propriâ conſcientiâ alienam cenſent, de alienâ palam obloquuntur.

Daniel. 13. v. 36. & 37. *Senes illi ſuũ crimẽ, in Suſannæ ſimplicitatem transfundere intentant.*

S. Zeno ſer. de Pudicit.

3. Ad Rom. 2. *Propter quod inexcuſabilis es, ô homo omnis, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum te itſum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas.* Alibi non ſemel obſeruabamus, obſeruatione digniſſimam eſſe hanc Paulli ſententiam, quià Iudæi, qui Gentiles ſiniſtrè iudicabant, eiuſdem ſceleris reatum incurrerint. Porrò tametſi dum aliquis temerariè aliquid de alio cenſet, & de crimine illo liberiùs garrit; temeritatis, & oblocutionis reus ſit: at crimen illud quod taxat, non inde incurrit. Quomodo igitur dicit Apoſtolus: *In quo enim iudicas alterum, te ipſum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas?* Perbellè Octauius apud Minutium ſic fatur de Chriſtianis: *Philoſophorum ſupercilia contemnimus, quos corruptores & adulteros nouimus, & tyrannos, & ſemper aduerſus ſua vitia facundos.* Scilicet priſci quondam Philoſophi probitatis ſimulatione famoſi, aliorum vitia maledico ore acerbiùs adrodebant: verùm dum caninâ facundiâ vitia aliena mordent, ſua diſſimulanter lacerant propriæ linguæ召 lanienâ, dum de ſuâ ſcelerosè noxiâ conſcientiâ, alienam facundiùs culpant; & de ſuorum ſcelerum ſcholâ alios eloquentiùs ſcelerare didicerunt. Ipſi clanculùm corruptores adulteri tyranni, corruptores adulteros tyrannos facundo ore inſectantur. In quo enim iudicant alteros, ſeipſos condemnant: eadem enim agunt quæ iudicant. Exindè contemnendum eſt eorum ſupercilium, & negligenda contemptim cenſura: de ſeipſis citiùs quàm de aliis obloquuntur, & *ſemper aduerſus ſua vitia facundi: eadem enim agunt quæ indicant.*

Ad Rom. 2. v. 1.

*Philoſophi dũ alienos mores carpunt, aduerſus ſua vitia facundi inueniuntur.*

Minut. Felix in Octau.

4. Regius Pſaltes ſic Deum modulatè ſupplicat: *Amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum: quia iudicia tua iucunda.* Hunc locum Auguſtinus, Proſper, & Beda de prauo iudicio ſuſpicionibus ſiniſtrè temerario, intelligunt. (ad litteram, an ad mores, inibi olim examinauimus) Et ſanè tametſi reliqui omnes Interpretes in ſingulari excribant, *Quod ſuſpicatus ſum*, Anaſtaſius videtur legiſſe pluratiuo verbo, *Quod ſuſpicati ſunt.* Porrò vſu venit, vt qui facilè ſuſpicionibus alium iudicat, ab aliis non abſimili audaciâ prauè iudicetur æquiſſimo talione. Verùm, quicquid ſit de exſcriptione, ſic S. Proſper præfata verba commentatur: *Amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum, &c. De occultis cordis alieni temerè iudicare, peccatum eſt: & eum, cuius non videntur opera, niſi bona, ex ſuſpicione reprehendere. Hoc ergo opprobrium, hoc ſuſpicionis vitiũ; hic, qui vult eſſe perfectus, à ſe optat auferri. Quoniam eorum quæ incognita homini ſunt, ſolus Deus iuſtus inſpector eſt: & iudicia eius ſuauia ſunt, quoniam vera.* Hæc vltima Proſperi verba, moralis ſucci plena, aliàs forſan emedullabimus. Nunc ad rem præſentem notare operæ pretium eſt, quòd ſuum ſiniſtræ *ſuſpicionis* vitium; *opprobrium ſuum* appellat. Nempè audaciore de aliis ſuſpicione, & inconſultâ cenſurâ, de ſe etiã cenſet. quaſi in ſuâ conſcientiâ deſcriptam legat alienam. Nam alienæ vitæ cenſor, *ſemper aduerſus ſua vitia facundus eſt: eadem enim agit, quæ iudicat:* & plerumque de aliis non facilè cenſeret, niſi quod prauè de alio iudicat, in ſe ipſo veriùs comprobaſſet. Moraliſſimè ergo *hoc ſuſpicionis vitium, opprobrium ſuum* appellat: illo enim deuenuſtatur egregiè: nam quod de aliis ſuſpicatus eſt, in ſe priùs haud dubiis characteribus legit. Forſan de ſe agit Dauid ſub perſonâ detractorum: neque enim hoc vnquam næuo deformatus perhibetur.

Pſalm. 118. v. 39.

*Qui temerè alios indicas; viciſſim temerè indicatur.*

Anaſt. apud P. Lorin. inibi.

S. Proſper inibi.

*Iudicium temerarium proprium ſui opprobrium putat Dauid.*

5. Crudeliſſimus arroganter Aman quaſi inquietarent Aſſyriam pacem, Iudæos vltrò in exilio reſiduos accuſauit ſuprà cap. 13. v. 5. Nũc verò ipſe tanquam pacis turbator, re comprobata damnatur, in hoc c. 16. v. 7. Nimirùm malitioſus impie Aman, de ſuo ipſius vitio alios ſuſpectos habuit. Sed audiendus eſt rex Aſſuerus, dum mutatum à ſe edictum excuſans, reddit rationem cur Amano de ſuâ conſcientiâ alienam inuitianti faciles aures præbuerit: *Dum aures, inquit, principum ſimplices, & ex ſuâ naturâ alios æſtimantes, callidâ fraude decipiunt.* Aſſentit Nazianzenus: *Neque enim facile malum de alio ſuſpicatur, qui non facilè ad malum impellitur.* O nimis verè! Adeò vt Eunomiani libidine infames, nec ipſam Deiparam (quæ caſtæ puritatis ſplẽdores in Angelos reuerberat) à libidine immunẽ, poſt Chriſti partum cẽſuerint. Quod putatus Chryſoſtomus his verbis ediſſerit: *Sequentes Eunomium, inquit, putãt, quia illi auſi ſunt hoc dicere, quòd & Ioſeph hoc facere auſus fuit. Sicut inſanus neminem putat eſſe ſanum.* Sic ſuperangelica Virginis Deiparę puritas, immunis nõ eſt ab impuri hominis cẽſu, ore, calamo?

*Non facilè malum ſuſpicatur qui non facilè ad malum impellitur.*

Eſther. 16. v. 6.

S. Naz. orat. 3.

Imperf. hõmil. 1. in Matth.

16 Lucæ 1. hæc Angelus de naſcituro Ioanne Zachariæ prædicit: Ipſe, inquit, præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ: vt conuertat corda patrum in filios, *& incredulos ad prudentiam iuſtorũ: parare Domino plebẽ perfectam.* Vbi Vulgatus habet *incredulos*, Græcè legitur ἀπειθεῖς, quod aliqui *rebelles* vertunt. Et ſanè hanc mẽtis *rebellionem*, ſeu *incredulitatem* opponit *prudẽtiæ iuſtorum*: nam prudentia iuſtorum ſimplex eſt, ſincera & infucatâ eſt, neque *incredulitati* de aſtutâ duplicitate confinis. Sic hâc de re alto ſtilo dixit Clemens Alexandrinus: *Ceterùm ad occultandas cognitionis profunditates, bona eſt incredulitas ex ſententiâ Heracliti.* Nimirùm ſagacior prudentia, non *iuſtorum*, ſed aſtutorum, dum non facilè credit iis, de quibus aut fama, aut inuidia, aut maliloquentia aut temeritas iudicij garrire ſolet, ſuę *cogitationis profunditates occultat.* Nam vt rectè arguit Tertullianus aduerſus Gentes,

Lucæ 1. v. 17

Græcus. *Bona eſt incredulitas ad occultandas peruerſæ mẽtis profunditates.*

Clem. Alex. 5. Strom. c. 5.

Tertull. in Apolog.

Gentes, qui enormiſſima ſcelera de Chriſtianis credebant, *Qui poteſt credere, poteſt & facere*: de ſuâ enim conſcientiâ alienam cenſet. Indè homines aſtutè ſagaces, nullum grande flagitium de aliis ſe credere ſimulant? ne credulitas reatum prodat, nam *ad occultandas cogitationis profunditates, bona eſt incredulitas*; ne in ſceleris credulitate, ſimile ſcelus tranſpareat. Ergò dum Ioannes venit *parare Domino plebem perfectam*, non modò ſatagit fidei diuinæ *incredulos* & *rebelles* conuertere in fidem iuſtorum; (qui eſt primarius loci ſenſus) ſed etiam eos qui cognitæ veritati *rebelles*, alienorum ſcelerum *incredulitate* callidiùs vtuntur *ad occultandas cogitationis profunditates* ſceleroſè quidem peruerſas.

7. Prouerb. 14. v. 3. LXX. Interp. Syrus.

Salomon Prouerbiorum 14. ſic obmurmuratores dehoneſtat: *In ore ſtulti virga ſuperbiæ labia autem ſapientium cuſtodiunt eos.* L X X. Interpretes ſic locum efferunt: *Ex ore imprudentium baculi contumeliæ.* Syrus, *In ore ſtulti ſtimulus & contumelia.* Superbia enim parit iniuriam & contumeliam: Superbi enim vt ſe præ ceteris attollant, eos deſpiciunt, eiſque iniurij & contumelioſi ſunt. Noſter Ferdinandus Salazar per τὸ *virgam* (quod ſæpè fit aliàs in Bibliis) *ſceptrum* accipit, id eſt, virgam quæ ſit imperij, ac ſummæ poteſtatis inſigne, vt ſenſus ſit: *In ore ſtulti virga ſuperbiæ*, id eſt, ſtultus & vecors peccator præ faſtu & ſuperbiâ perindè ac ſi virgam & *ſceptrum* imperij ore ſuo gereret, putat ſibi in omnium famam licere, atque adeò omnes detractionibus denigrat, probris appetit, & contumeliis onerat (Expoſitio ſanè, non tam ad litteram quàm ad mores idonea) Magnum ſanè ridiculum eſt videre quoſdam ſic garrulè ſuperbire & maledicè de alienis defectibus garrire, vt ſerio putent, ſe cenſuræ ferendæ imperium ac ſceptrum obtinere, & ſuum nutum aut renutum eſſe alienæ famæ aut diffamiæ cenſum, & æſtimationis gnomen: *In ore ſtulti ſceptrum contumeliæ.*

Salaz. inbi. — *In ore ſtulti ſceptrum contumelia eſt.*

8. Vatablus. Cornel. ibi.

Vatablus, *Baculus, ſiue virga, ſuperbiæ eſt lingua, quâ cædimus homines, vt virgâ equos.* Litteraliùs, opinor, Cornelius: Stultus, quia ſuperbus, ore ſuo ac linguâ quaſi virga ſuperbâ flagellat ceteros, hunc ridendo, illum deſpiciendo, iſtum conuitiando, &c. ſed flagellando alios flagellat quoque ſeipſum. Superba ergo & contumelioſa eius verba, quæ ore profert, erunt ei etiam virga, id eſt cauſſa, inſtrumentum, & ferula, quâ ipſe etiam vapulet, confundatur, & plectatur. Nam iuſtus ore calumniatoris petulanter percuſſus, ſic prudenter, modeſtè ac manſuetè agit, vt ſuam innocentiam probet: & calumniam in calumniatorem regerat, iuxta illud Auguſtini Ser. 15. de Reſurrect. *Maledictum patientia repercuſſum in ſuum redit auctorem, illaſo eo qui petebatur.* Ergò *In ore ſtulti virga contumeliæ*, quâ alios petulanter flagellans, ipſe potiùs contumelioſè vapulat. Neque verò innotatum dimittam; quòd probroſa petulanter obmurmuratio, & *ſtimulus*, & *baculus* ſententioſè appellatur: adſpectu ad ſuperbum detractorem, *baculus*: nam detractor conſcius propriæ inſufficientiæ probroſâ minoratione aliorum languidam de ſe exiſtimationem fulcire & attollere præſumit, vt magnus ipſe inter paruos videatur, ceteris maior, vegetior, valentior. Dicitur etiam *ſtimulus* adſpectu ad eum, cui detrahitur: nam cum *ſtimulat*, vt emendet ſi quid reprehenſione dignum admiſit; aut ſaltem mali ſpeciem cautiùs ſubmoueat. Hoc conuiciatori debes: eſto igitur illi peruerſo gratus officio.

*Maledictum per patientiã repercuſſum, in ſuum redit auctorẽ.* — S. Auguſt. — *Cur detractio dicitur, & ſtimulus, & baculus.*

## §. CVI.

### *Nil facile credere, atque omnia ſagaciùs cauere, boni Principis elogium eſt.*

1. Lipſ. l. 4. Pol. lit. c. 14.

SIcut in actionibus omnibus tardum lentumque eſſe Principem expedit, ſic in fide & aſſenſu. Vt intentus, inquam, ſuſpenſuſquè ambulet, & penè dixerim, vt *nihil niſi quod in oculos incurret manifeſtúmque erit, credat.* Etſi enim *Credulitas error eſt magis, quàm culpa, & quidem in optimi cuiuſque mentem facillimè irrepit*: tamen à Principe remouenda ea longiſſimè: apud quem *plurimum mali credulitas facit.* Fecit hîc Aſſueri regis credulitas, Amano nimiùm facilis, & Amano ſimilibus aulicis, qui *aures Principum ſimplices, & ex ſuâ naturâ alios æſtimantes, callidâ fraude decipiunt.* iam faciles iſti & incauti, quàm *opportuni iniuriæ!* De quâ Aſſuerus hîc ſerò queritur & Bernardus lib. 2. de Conſider. ad Eugenium, viros etiam *Magnos* ſeriò culpat. Porrò aulicorum *vita fallax, abditos ſenſus gerit.*

Cicero epiſt. l. 10. epiſt. 23. — Senec. lib. de Ira. — Hic verſ. — Salluſt. in Iugur. — S. Bernard. — Senec Hipp.

2.

In hoc cap. 3. Aman Mardochæo infenſus, quo menſe, & quo menſis die ipſum cum totâ Iudæorum gente atrociùs perimat, ſortes mittit, & diem excidij apud ſe certò ſtatuit, & ſanè inconſulto hactenùs Rege, quem *aures ſimplices* ſibi præbere nouerat. Indè cognatâ ſibi fallaciâ præfidens, ferale illud contra Iudæos edictum impetrat, nihili æſtimans, magnâ Mardochæi auctoritatem, nobiliſſimi & numeroſiſſimi tunc populi ſtrages, Regij cenſus diminutis veſtigalibus impendiâ, populorum turbas, tumultus, ſeditiones. Imò non modò Iudæorum excidium ſine metu impetrauit; ſed indè præcelſiori dignitate auctus à Rege fuit, quaſi in obſequij præmium. Porrò dum *aures* Aſſueri *ſimplices*, quas abditus Amani dolus latebat, eius compoſita ad fraudes verba exceperunt: *Tulit Rex annulum, quo vtebatur, de manu ſuâ, & dedit eum Aman... hoſti Iudæorum; dixitque ad eum: Argentum quod tu polliceris tuum ſit, de populo age quod tibi placet.* Porrò apud Principes, qui habent *ſimplices aures, minori metu, & maiori præmio peccatur.* Vide hîc quàm intrepidus Aman aduerſus Regem, & aduerſus totum regnum ſceleroſè peccat, dum Dei populum delere regio edicto ſatagit, & in ſceleris præmium reportat *Regis annulum de manu ſuâ*, quæ erat ſumma Satraparum dignitas. Pulchrè Seneca: *Aditum nocendi perfido præſtat fides.* hâc fretus Aman, Aſſueri *ſimplices aures* fœdè conſtuprauit pœnitendâ ſanctione de ſubdolo ſuggeſtu. *Vigila, & memores nequid credas: neruí ſunt hi Prudentiæ*, dixit ille quicumque.

*Apud ſimplices Principũ aures, minori metu, & maiori præmio peccatur.* — Eſther 3. v. 10. 11. — Tacitus 5. Hiſtoriæ — *Aditum nocendi perfido præſtat fides.* — Seneca in OEdip. — Epicharm. apud Lipſ. ſup.

3.

Matthæi 10. mittens Chriſtus Deus Eccleſiæ pragmaticos Principes, vt mundum Euangelio ſubiiciant, hâc illos eruditione inſtruit

Matth. 10. v. 16.

ſtruit

ſtruit! *Eſtote prudentes ſicut ſerpētes, & ſimplices ſicut columbæ. Cauete autem ab hominibus.* Dum Eccleſiæ Antiſtites cupit *ſimplices* ſicut columbas], Aſſueri *ſimplices aures* non refingit, nec ſimplices re indiſcuſsâ ſanctiones recudit: addit enim vltra cautelam ab hominibus, *ſerpentis prudentiam.* Sed non conuenit inter expoſitores, quiſnam ſit hic *ſerpens*; quem velut *prudentiæ* ideam proponit. Quâ ſuper re, ad rem præſentem opportunè, ſic inibi ſcribit Remigius: *Serpentis prudentiam monet habere, quia primus homo per ſerpentem deceptus eſt, ac ſi diceret: Quia hoſtis callidus fuit ad decipiendum, vos prudentes ſitis ad liberandum.* Vide quale exemplar Eccleſię Principibus proponit, & quidem ad bonum. Nimirùm callidus ille paradiſi ſerpens, tam longè abfuit, vt deciperetur, vt hominē aſtutè deceperit: imitemini ergò in ſerpēte ingenioſā aſtutię ſagacitatem, abſque calliditatis næuo. Non ſit ſegnior prudentia in bonum, quàm in malum aſtutia extitit. Ille vafritie ſagaciſſimus ſic totos exerit aſtutiæ neruos, vt hominis voci ſurdus, fraudulentam impoſturam ore melleo ſibilauerit: vos ergò aſtutiam prauitate exutam, in bonum ſagaciter exacuite, ne *aures Principum ſimplices* hominum vaframentis decipiantur. *Quia ſerpens callidus fuit ad decipiendum, vos prudentes ſitis ad liberandum.* Prudenter Remigius Ptincipum mentem, aures, & ora inſtituit! Morientem require.ne .potentiùs ſit vitium ad malum, quàm ad bonum virtus.

*Paradiſi ſerpentis prudentia quomodò in Principibus requiratur.*

Remig. inibi.

4. Regum 22. Achab rex Iſraël periculoſum aduerſus Syriam bellum adoritur. Vocatus adeſt Michæas, & Rege iuxta Samariæ portam in ſolio ſedente, ſic prophetat: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cæli aſſiſtentem ei à dextris, & à ſiniſtris: (id eſt, bonos & malos Angelos) Et ait Dominus: *Quis decipiet Achab regem Iſraël*, vt aſcendat & cadat in Remoth Galaad? Et dixit vnus verba huiuſcemodi, & alius aliter. Egreſſus eſt autem ſpiritus, & ſtetit coram Domino, & ait: Decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus: in quo? Et ille ait; *Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit Dominus: decipies, & prænalebis: egredere, & fac ita.* Adeóne aſtutus, & humanâ calliditate cautus erat rex Achab, vt Deus inducatur aduocati conſilij Angelorum & Dæmonum præſes, vt conſultorum audiat ſententias, & magis idoneum illius *decipiendi* modum eligat? Variæ ſententiæ in eo conſeſſu fruſtrà audiuntur: ea enim tandem vt conſultior adprobatur, quæ prophetas Baalis in errorem inducere ſuggerit, quem regiis auribus inſtillent. Duo videtur voluiſſe Dominus, & quòd deciperetur Achab, & quòd deceptus in eo caderet bello. Cædem Achab Deus omninò voluit, deceptionem permiſit. (Pergit Sanctius) *Et quod ſpiritus mendax prophetas in errorem induxerit, & quod illi ad bellum illud Syriacum Regem credulum & obſequentem impulerint.* Vide nunc Regem aſtutiſſimè cautum, & ad quem *decipiendum* (loquitur Scriptura de Deo more humano) in cælo initur conſilium: & quaſi nullus alius ſuppeteret deceptionis aditus, eius aures deceptis conſultorum vocibus obſidentur, vt *credulum & obſequentem Regem decipiant. Credulitas* vſque ad *obſequium, ſimplicium aurium* elogium eſt *deceptionis* obſes, & ruinæ prophetia. Tutum à deceptione ſe hoc ſcuto reddat Princeps; *Nihil credendo, atque omnia cauendo*, vt tandem cautè credat; ſicque inconſulta credulitas quiduis ſuggerentibus non obſequetur.

3 Reg. 22. v. 20.

*Achab alioqui verſutiſſimus, credulitate obſequenter decipitur.*

Sanct. ibi n. 16.

*Princeps nil facilè credat atque omnia caueat.*

Cicero Orat. Poſt redit. in Senat.

5. Nec innotatum dimittam, quod propheta Michæas in hac imaginariâ viſione, *Vidi*, inquit, *Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cæli aſſiſtentem ei à dextris & à ſiniſtris, & ait Dominus: Quis decipiet Achab regem Iſrael?* Qui autem hi cælites ſint, Deo *à dextris & à ſiniſtris* aſſiſtentes, benè exponit ibidem Angelomus, cui reliqui expoſitores ſubſcribunt: *Dextera Dei*, inquit, *pars Angelorum electa: ſiniſtra autem Dei pars Angelorum reprobata deſignatur.* Sed quorsùm boni Angeli ad concilium *deceptionis* conſultores aduocantur? quid illis cum aſtutâ *decipiendi* ſagacitate? Opinor, reproborum ſpirituum Diabolorum inquam, hæc non bona ſollertia eſt, & verſutè exſomnis induſtria, nefariis impoſturis ſedulò adſueta. Ita ſanè, boni ſpiritus, quæ eſt *pars Angelorum electa*, & *à dextris* Dei aſſiſtit, neminem fallunt, nullum decipiunt: nihilominùs ad *deceptionis* conſeſſum aduocantur: nam ſublunarium ac cæleſtium Præſides ſunt; & inde artem etiam decipiendi, quam opere exercere non poſſunt, peritè norunt; ſæpius enim percallent ſagaciſſimè verſutas mortalium fraudes, & ſubdolos paſſim conatus, ſermones dubio ſenſu ambiguos, & falſato corde mentitos. Ergò ſancti Angeli mundi Principes, facto *decipere* impotes; quaſi in *decipiendi* arte peritos, ad *deceptionis* conſeſſum aduocantur: probè enim ſciunt errores, cauillos, impoſturas, *deceptiones*, quas exequi neſciunt. Salomon meliorem iam vitæ frugem ſectatus, in libro Eccleſiaſtæ ita de ſe ſcribit: *Ecce magnus effectus ſum, & præceſſi omnes ſapientiâ, & mens mea contemplata eſt multa ſapienter, & didici. Dedique cor meum vt ſcirem prudentiam, atque doctrinam, erroreſque, & ſtultitiam.* Princeps peritè ſapiens *ſtultitiam & errores*, quos non admittat, ſedulò fugiat, ſollicitus agnoſcat.

3 Reg. 22. v. 19.

Angelom. inibi.

*Cur boni Angeli ad concilium deceptionis aduocentur?*

6. Regius vates Pſalm. 14. viam hominibus ad cæleſte regnum præmonſtrans, ita pangit: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui non egit dolum in linguâ ſuâ: *Nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit aduerſus proximos ſuos.* Quaſi iā propè inauguratus ſit cæleſtis regni Princeps, qui proximo ſuo malum non facit, & aduerſus illum *opprobrium non accipit.* Non autem conuenit inter Expoſitores, quid ſit, *Opprobrium accipere*: nam opprobrium *accipit*, cui opprobrium fit. Item opprobrium *accipit* aduerſus proximos ſuos, qui illorum opprobria credulis auribus excipit. Priorem ſenſum amplecti videtur Caietanus ſic locum exponens: *Opprobrium non ſuſtinuit ſuper proximo ſuo.* Poſteriorem ſequitur Campenſis: *Socio ſuo non intulit opprobrium*; faciles ac *ſimplices aures* obloquentibus exhibens. Hunc loci ſenſum expreſſit Bellarminus ſic inibi tempeſtiuè fatus: *Ideò* inquit, *non accepit opprobrium aduerſus proximos ſuos, id eſt, non admiſit ad aures ſuas vituperationes, detractiones, ſuſurrationes, calūnias cōtra*

Pſ. 14. v. 3.

Caietanus. ibi.

Campenſ.

Bellarm. ibi.

*Qui auribus alienum opprobrium accipit, tanquā ſuū detinet.*

*ſed eos contempſit, & pro nihilo duxit.* hoc eſt, *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus.* Itaque quiſquis ſycophantis, ſeu vituperonibus, Amanibus, inquam, faciles ac *ſimplices aures* præbet, opprobrium proximorum auditu incauto *accipiens*, opprobrium etiam ſuum *accipit*: & alienum opprobrium auribus *accipiens*, ſuum quoque opprobrium *accipit*, ac peragit, dum incautâ credibilitate fouet, nutrit, incrementat alienum. Vtrumque loci ſenſum ad litteram, & ad mores luculenter

Eugubinus.

expreſſit Eugubinus: *Opprobrium, dedecus, notam infamiæ non tulit, non ſumpſit, non inflixit contra proximum ſuum.* Porrò qui Amano, ſeu vituperatori garrulo *ſimplices aures* præbet, exp romptâ credulitate, & *opprobrium infligit* contra proximum ſuum; & ſimile etiam *opprobrium, dedecus, & notam infamiæ ſumpſit*, & indè *ſuſtinuit*, ſiue *accepit* in ſe, & contra ſe quidem. A quo opprobrio ſeu infamiæ notâ ſe hîc ſedulò purgare Aſſuerus ſatagit. Profectò qui *ſimplices aures* calumniatoribus præbet, opprobrium ſuum *accipit*, dum *accipit* alienum: & alieno opprobrio incautâ credulitate excepto, incautam credulitatem ſibi exprobrat, ſe imprudentiæ infamat, & probrosè initiat: nam dum opprobrium alienum accipit, quaſi ſuum detinet, & alieno opprobrio exprobrabilis redditur.

7.
Hic v.8. Profectò ſi hîc Aſſuerus ad aurium margines cautè percolaſſet, quæ Dei populo temerariè Amanus detraxit falſatâ ſubdolè oblocutione, ſuas aures maledictis incautè ſimplices minimè poſtmodùm excuſaſſet. Sanè nil facile credere, atque omnia ſagaciùs cauere, optimi Principis elogium eſt. Ad pœnitentiam cum Aſſuero feſtinat, qui de auditis criminibus citò cenſet. Amor iuſtitiæ putatur, & animi mera leuitas eſt, pœnitentiæ obnoxia, aut obſtinatione tuenda.

---

## §. CVII.

### *De ſubdolo mendacij ingenio, ſimplex veritas tectiùs fatigatur.*

1.
Senec. epiſt. 116.

*Oculis noſtris imponimus, & mendacio delectamur.*

M*Iramur* (ait Seneca) *parietes tenui marmore inductos, cùm ſciamus quale ſit quod abſconditur, oculis noſtris imponimus. Et cùm auro tecta perfundimus, quid alio quàm mendacio gaudemus? Scimus enim ſub illo auro fœda ligna latere. Nec tantùm parietibus aut lacunaribus ornamentum tenue prætendimus: omnium iſtorum quos incedere altos vides, bracteata felicitas eſt. Inſpice, & diſces ſub iſtâ tenui membranâ dignitatis quantùm mali lateat.* Et ſanè licèt tenue ſit omne mendacium, & tranſlucet, ſi diligenter inſpexeris; certè oculis noſtris imponimus, & mendacio gaudemus, magno falſitatis plauſu, & continuo veritatis tormento. Vel mendacij ſpecies, dum oculos perſtringit, perſtringit & veritatem. Ingenioſior eſt ad excogitandum ſimulatio veritate, fictio ſinceritate. Heu etiam quos mendacij pudet, artificioſæ fictionis non pudet! Mendacium artificiosè tectum, ſpecie placet alienâ.

2.
Geneſeos 27. de maternæ charitatis ingenio, Iacobus indutâ perſonâ, & veſtibus fratris Eſaü, patri adeſt benedictionem aſtu ſubrepturus. Sic enim Iſaaco Iacobus reſpondit: *Ego ſum primogenitus tuus Eſaü: feci ſicut præcepiſti mihi: ſurge, ſede, & comede de venatione meâ vt benedicat mihi anima tua.* Magna hinc oboritur quæſtio an his verbis mentitus ſit Iacob, an ſub myſterij inuolucro verum dixerit. Nunc, per me, hoc ſermone ad arcanos ſenſus compoſito, mentitus non ſit; ſed veritatem tectiùs diſſimulauerit, myſtico aliquo ſenſu. Eſtò, veritatem mendacio non fœdauerit: (nam ſi ad aurium margines auditor Iſaacus excolaſſet ſingulas ſententias, eaſque mente attentiùs trutinaſſet, inopinatæ rei minimè forſan præbuiſſet aſſenſum) at iſtiuſmodi verba non abſque aliquo veritatis næuo fuiſſe prolata, quis neget? quis non videat? Belliſſimè dicitur in ſynodo Chalcedonenſi: *Veritatem interim diſſimulationibus fatigari.* Diſſimulatio veritatem non perimit, & mendacio tumulat; ſed moleſtè vexat, & acerbè fatigat. Saltem à decepto Patre *fraus* appellatur: fraus autem in mendacij confinio verſatur. Diſſimulatio, tormentum veritatis eſt.

Geneſ 27. v. 19.

*Veritas diſſimulationibus fatigatur.*

Cōcil. Chal. ced. Action. 14. in epiſt. Sabiniani.

Iob 13. eius amici de academiis philoſo- 3.
phiæ armati, multa de Deo, eiúſque prouidentiâ diſputauerant, vt erant ſapientiæ laude opinatiſſimi. Et ſanè cùm Idumæi eſſent Eſauitæ, veroſimile eſt, de ſcholâ etiam Patriarcharum nonnulla ſuxiſſe philoſophiæ dogmata. (quod poſteà feciſſe Plato legitur ex Prophetarum lectione) Et tamen poſt longam diſputationem; ſic eos Iobus alloquitur: vtinam taceretis, vt putaremini eſſe ſapientes. *Numquid Deus indiget veſtro mendacio, vt pro illo loquamini dolos?* Profectò ſi horum Sapientum verba attentiùs legantur, plura ſcitè dicta reperiemus, in quibus doctè philoſophati ſunt; tametſi aliquandò pro rudi illo æuo aberrauerint. Quare ergò illos *mendacij* architectos, & *doli* fabricatores appellat? Tertullianus falſatæ fidei Philoſophos facit, hanc opportunam reddens rationem: *Siquidem Philoſophi*, ait, *vera quæque & conſonantia Prophetis, aut aliundè commendant, aut aliorsùm ſubornant cum maximâ iniuriâ veritatis, quam efficiunt aut adiuuari falſis, aut patrocinari.* Vide præſtigias Philoſophiæ, vel potiùs mera caſtæ veritatis adulteria. Porrò in Prophetis metaciſſima veritas eſt: quin & aliquas naturales veritates ſuctu rationis hauſerunt Philoſophi, quibus rigarent addiſcendæ ſapientiæ ſitim. Verùm dum eiuſmodi vera dogmata, aut *aliundè commendant*, quaſi propria inuenta, & exindè credenda: aut *aliorsùm ſubornant*, dum tragico fabularum cothurno modulatè veſtiunt: dumque aliò detorquent, faciuntque *aut adiuuari falſis, aut patrocinari*, nimis veritatem vexant, fatigant, adulterant, *cum maximâ iniuriâ veritatis.* Fatigatur enim veritas dum cogitur de Philoſophorum argutiis *ſubornata*, aut à falſis ad credibilitatem *adiuuari*, aut falſis ad gratiam *patrocinari*, non bono ſinceræ veritatis abuſu.

*Deuenuſtatur veritas dum cogitur adiuuari falſis, aut falſo patrocinari.*

Iob 13. v. 7.

Tertull. lib. de Anim. c. 2.

Matthæi 2. Cùm natus eſſet Ieſus in Bethle- 2.
hem Iuda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex turbatus eſt,

eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo. Et congregans omnes principes Sacerdotum, & ſcribas populi ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur. *At illi dixerunt ei: in Bethlehem Iudæ: Sic enim Scriptum eſt per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſraël.* Nemini dubium eſt, quin hi Iudæorum ſapientes, Herodi verum reſponderint, locum Dominicæ natiuitatis è Michææ prophetiâ depromentes. Et tamen ſancti Patres eos falſitatis arguunt. Audiendus eſt S. Auguſtinus ita præfata verba commentans: *Magi quærendo ciuitatem, in quâ natus erat, quem videre & adorare cupiebant, neceſſe habuerunt percunctari principes Iudæorum, vt illi de ſanctâ Scripturâ, quam in ore, non in corde geſtabant, infideles fidelibus de gratiâ Dei reſponderunt:* (Nota verba quæ ſubtexit Auguſtinus) *Mendaces à ſe, veraces contra ſe.* Quare *mendaces* dicuntur, qui ipſiſſima Prophetæ verba recitant? An quia Michææ verba truncarunt, & dimidiatam ſententiam tradiderunt? Nam ſupraſcriptis verbis Propheta addit: *Et egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Quæ forſan additiuncula Herodis iras mitigaret, vt Interpretum proceres aduertunt. An ab Auguſtino, *Mendaces* dicuntur, quia de Meſſiæ natiuitate coram barbaro Rege, & planè tyranno ſilere prorsùs debuiſſent? Vide qualiter Scribæ, qui ſanctas Scripturas in ore, non in corde geſtabant, ipſam mentiuntur veritatē, dum aut importunè illā proferunt, aut ſubdolè truncant, vt Regis crudelitati adulētur. *Infideles fidelibus de gratiâ Dei reſpondent: mendaces à ſe, veraces contra ſe.* Etiam dum vera dicunt, & *contra ſe veraces* ſunt; & *infideles*, & *à ſe mendaces* nominantur. O, ſic de facili veritas fatigatur! Vide hìc quam ſubdolè malitioſus Aman ipſam in delatione mentitur veritatem.

Matt. 2. v. 5. & 6.
*Scribæ dum vera dicunt, & infideles, & mendaces dicuntur.*
S. Aug. ſerm. 34. de Tēp.
Mich. 5. v. 2.
Hic v. 8.

5. Sapientiæ 1. *Sermo*, inquit, *obſcurus in vacuum non ibit: os autem quod mentitur, occidit animam.* Hunc locum multi apud Lorinum ſic exponunt: obſcurus ſermo eſt, qui latet, & clàm profertur: etſi verum ſit detractores amphibologicè loqui, ac tectè. Quare *ſermo obſcurus*, quo res amphibologicè & tectiùs profertur, magno ſupplicio obnoxius perhibetur? Philo Hebræus exponens illud Geneſeos 15. *Necdum completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum*, ita ſcribit: *Amorrhæi loquentes interpretantur. Maximum autem bonum homini à naturâ datum ſermonem plurimi vitiauerunt acceptum, ingratè perfidéque hoc vſi contra largitricem. Hi ſunt adulatores, præſtigiatores, inuentores ſophiſmatum perſuaſibilium, impoſtores fallaciarum peritiſſimi, de mendacio vitando haud ſolliciti.* (addit propiùs ad rem) *& inſuper affectatores obſcuritatis: eſt autem obſcuritas caligo profunda in ſermone, res commodiſſima furibus.* Nempe *ſermo obſcurus* non abibit impunis, cùm ancipitis ſignificantiæ ſit, & tectius dubiæ veritatis inuolucrum. Iſtiuſmodi autem profunda caligo, claræ veritatis furax perhibetur, dum illi clanculùm inſidias parat, illamque ex inopinato adoritur. Heu ſubdola veritatis furta! Obſcurus ſermo, fraus veritatis eſt.

Sapient. 1. v. 11.
P. Lorin. ibi.
*Sermo obſcurus, furax veritatis perhibetur.*
Geneſ. 15. v. 16.
Philo in lib. Quis rerum diuin. her.

6. Lucæ 1 adeſt virgini Deiparæ è cælo nuncius, diuinæ corporationis paranymphus: & de anus Eliſabethæ conceptu, in Mariæ virginali aluo credibilitatem præſtruit. Illa enim feminis ſtupida, hæc intacta fuit; vtraque de cælo cōcepit. Et ecce, inquit, Eliſabeth cognata tua & ipſa concepit filium in ſenectute ſuâ: & hic menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis: *Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* Ad quę verba S. Bernardus ſubtiliter addubitat, quare Dei potentiam verbis, non rebus Angelus dimetiatur? *Mouet me* inquit, *in verbis Angelicis, quòd ſignanter non ait, Quia non erit impoſſibile apud Deum omne factum, ſed omne verbum. An idcircò poſuit Verbum, quia quàm facilè poſſunt homines loqui quod volunt, etiam quod nullatenùs facere poſſunt; tam facilè, (imò incomparabiliter faciliùs) valet Deus opere implere, quicquid illi verbo valent exprimere?* Nimirùm vt Angelus exponat infinitam diuinæ omnipotentiæ efficaciam, quâ ad nutum res efficit, incrementat, extenuat, adnihilat, & pro arbitratu illas verſat; iſtiuſmodi omnipotentiæ vires comparat agillimæ facilitati, quâ homo nimis expeditâ verborum energiâ res omnes pro nutu verſat, ſuſque deque agit, quaſi verborum cenſu de rebus pretia, æſtimationem auferat, aut æſtimabilitatis momenta cunctis afflet. O inſana omnipotentiæ diuinioris è peruerſo æmulatio! Caue, caue tibi ab huius præſumptæ omnipotentiæ facili abuſu, veritatem perſæpè fatigante, conſtuprante, toxicante. O decreſcat hæc præſumpta humanæ linguæ omnipotentia! nam eius decremento æquiùs creſcit veritatis ſenſus & cenſus. Ne tanta poſſit, vt aliquid verè poſſit.

*Humana lingua diuinam omnipotentiā à peruerſo æmulatur.*
Lucæ 1. v. 37.
S. Bernard. ſer. 4. ſuper Miſſ.

7. Tertullianus, quo ſolet ingenij acumine, in lib. de cultu feminarum, quoddam ſubtile mendacium in adſcito pulchritudinis lenocinio vidit: quod quantumuis diſſimuletur, proculdubiò tranſlucet. Diſplicet feminis nimirum, inquit, plaſtica Dei: in ipſis redarguunt, reprehendunt artificem omnium. *Reprehendunt enim cùm emendant*, cùm adiiciunt, vtique ab aduerſario artifice ſumentes addicamenta iſta, id eſt, Diabolo. *Ille indubitatè eiuſmodi ingenia concinnauit, vt in nobis quodammodò manus Deo inferret. Quod naſcitur opus Dei eſt: ergò quod fingitur, Diaboli negotium eſt. Diuina opera Satanæ ingenia ſuperinducere quàm ſceleſtum eſt.* (Addit poſt pauca) *Quantùm autem à noſtris diſciplinis & profeſſionibus aliena ſunt, quàm indigna nomine Chriſtiano, faciem fictam geſtare, quibus ſimplicitas omnis indicitur: effigiem mentiri, quibus lingua non licet.* Vide quàm ſubdolè eiuſmodi feminarum lautitiis, veritas fatigetur; dum de Diaboli *ingenio effigiem mentiri* non pigeat, quas pudet ore mentiri. Tertulliano ſuo Cyprianus ſuffragatur: *Genas*, inquit, *mendacio ruboris inficere.* Et rursùs: *Expugnata eſt mendacio facies, figura corrupta eſt, vultus alienus eſt.* O ingenioſè ſubdolas mentiendi argutias! Oris mendacio deprehenſo, cognatus rei turpi rubor faciem occupat; & abſque agnato rubore extraneus rubor alienam faciem impunè mentitur?

Tertull. de Cult. fem. c. 5.
*Adſcititia venuſtatis lenocinia, argute mendacia ſunt.*
S. Cypr. lib. de diſcip. & hab. virg.

8. Ioannis 6. præteriens Ieſus inuiſus à cæco, cæcum videt; qui tacitis miſeriæ precibus miſericordiam extorſit. Porrò Ieſus *expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit ſuper oculos eius . . . . & venit videns.* Chriſtus cæcum illuminat per lutum, quod naturâ ſui magis oculos obturat & excæcat, vt per id quod planè corporali morbo erat contrarium, morbi miriorem curationem exhiberet; dum luto quod lumen oculorum extinguit, oculorum lumen red-

Ioan. 9. v. 6.
*Luto non curantur oculi, qui dicuntur ipſis. an membrum.*

accendit. Quin & forſan ſimul etiam myſticè oſtendit oculorum præſtantiam debere eſſe ſpiritualis præſtantiæ æmulam, & quam terrenorum cœnum non infuſcet, imò potiùs illuminet ad viſionem; ac ſi oculi eſſent facultates corporis expertes, quò perſpicaciùs videant, &
S Chryſoſt. ſinceram veritatem diiudicent. Quò fortè adludit Chryſoſtomus in ad Coloſſ. cap.4. homil. 12. *Nihil*, inquit, *eſt iucundius oculis .... Hoc enim eſt membrum omnium in nobis nobiliſſimum & ſpecioſiſſimum, atque adeò ipſius animæ membrum.* O vtinam ſic res videremus, & de eis cenſeremus, vt ipſo aſpectu, & defæcato puræ veritatis cenſu probaretur, oculos non tam eſſe terreni corporis è luto efformati, quàm *ipſius animæ membrum!* Oculi cæci nati luto terreno liniuntur, quia reipsâ è luto ſunt: aſt ita debent eſſe ſinceri ad iudicandum de rebus, ac ſi terreni luti expertes forent; & non corporis terreni, ſed ſpiritualis *animæ membrum*, & quod fæces terreni luti, ad verum videndorum cenſum, haud quaquam infuſcent.

---

## §. CVIII.

### *Impiè ſæuit quiſquis falſato pietatis prætextu ferit.*

1. Vindictæ libido, & ſtudium virtutis nunquam habēt concordiam. Bonitatis actiones & verba in vltione imitari, maior malitia
Publ.Mim. eſt: nam *malus, vbi bonum ſe eſſe ſimulat, tunc eſt peſſimus*, extrema enim peruerſitas eſt cùm prorsùs iuſtitiæ voces iniuſtitia vſurpat. Impiè ſæuit quiſquis prætextu pietatis ferit. O barbaricam humanæ peruerſitatis tyrannidem, quæ ingenuas virtutes ſeruilibus vitiis ancillare cogit! Hæc clancularia virtutum ſtupra ſolerter deuita, quæ diuinis oculis perſpicuè apparent, & humanis ſæpe tranſparent. Fruſtrà vltricem mentem in cordis penetralibus tacitè abſcōdis, quam in manu & opere doloſis characteribus deſcribis. O duellum malè cognatum! mucrone nōn vitij, ſed virtutis, virtutem ſaucias. de-
Hic verſ.8. ſiit autem eſſe virtus quæ cum vitio clanculùm ſcortatur. Heu falſato hîc religionis zelo, in veri Dei religionem Aman inhumaniùs ſæuit.

*Impiè ſæuit quiſquis prætextu pietatis ferit.*

2. Secularis ſapientiæ aut ſuperſtitionis Proceres, qui arrogantiæ ſcalis aſcendunt verbis in cælum, hominibus perſuadent Deum hoc eſſe, quod ipſi volunt, qui ſimulant ſe noſſe rerum naturæ ſecreta, qui *Stellis nomina, Soli labores imponunt, & errores ſuos lunari circulo adſcribunt, & ingenij ſui carmen coli vel maxime cupiunt, ſic ſe, & alios perdiderunt.* Non ita rex
Pſal.130.v.1. & propheta Dauid, ait Zeno Veronenſis, qui de ſe ſic humiliter ſapit, ſic ſobriè pangit, *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* Pergit nuper laudatus Zeno præſcri-
S. Zeno ſer in Pſal. 130. pta verba elucidans: *Dauid vnctus in regem, ſpiratus in vatem non inſoleſcit in regno: obumbrat neminem prophetæ terrore: iniurias ſuas non exequitur regiâ poteſtate.* Parùm foret Dauidi, quòd vnctus in regem publicâ ac regiâ poteſtate, priuatas iniurias non vindicarit; niſi *ſpiratus in vatem obūbrarit nemīnē prophetæ terrore.* nempe ingenij ſui carmen aduerſus offenſores non propoſuit, quaſi ambiguū prophetiæ oraculū, quo

*Dauid aduerſariis non obſcurat prophetiæ terrore.*

ſui reuerētiam & terrorem hoſtibus ſuis incuteret. Itaque Dauid ſuorum hoſtium neminē *obūbrauit*, obſcurauit, culpauit *prophetiæ terrore*: nūquā cōtra aduerſarios ſuos durus propheta extitit, nec obſcurauit elogium prophetiæ, illam ad hoſtium ſuorum terrorem vel tantillùm deflectens, vt ſaltem ambiguis prophetæ verbis metum ſuis aduerſariis incuteret. Sic cautè prophetiæ donum erga offenſores adminiſtrauit!

Matthæi 7. Chriſtus Deus humani temerariè iudicij cenſuram, proximorum famam fœdè denigrantem, lacerantem, laniantem, his verbis tempeſtiue cohibet: *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui; & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodò dicis fratri tuo: Sine eijciam feſtucam de oculo tuo; & ecce trabs eſt in oculo tuo? Hypocrita, eiice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere feſtucam de oculo fratris tui.* Multa hîc adaggerant literarij & allegorici interpretes, vt exponant quid ſignificetur nomine *trabis*, in quā multi paſſim offendunt. Vulgaris non eſt Theophili Antiocheni expoſitio (alias aliorſùm à nobis emedullata), quæ his verbis locum elucidat: *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui; & trabem crucis in oculo tuo non vides?* Scilicet miriſſimum foret, ſic te tuo temerario iudicio proximum excruciaſſe tuum, niſi in malitiosè peruerſo iudicij tui oculo, Chriſti *crucem* portares, oſtentares, obtenderes. Sanctiſſima Chriſti *crux* in oculo tuo erecta, & intentioni tuæ malitiosè oppanſa, temerariæ tuæ cenſuræ perperàm famulatur. Sanè mitiùs ſæuires, imò nec ferire forſan auderes, ſi *trabem crucis*, intentionis tuæ oculis non oppanderes. O ſcelus! quò piè videaris ſæuire, Chriſti *crucem*, & Crucifixi zelum aduocas auxiliarem. Alte quidèm Theophilus!

2. Matth.7.v.3.

*Ne vltimam videas trabē crucis habens in oculo.*

Theoph. Antioch. lib.

Marci 6. Herodes natalis ſui cænam fecit principibus, cúmque introiſſet filiola Herodiadis, & ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimúlque recumbentibus, rex dixit puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi: & iurauit illi: Quia quidquid petieris dabo tibi, licèt dimidium regni mei. Puella autem de offenſæ matris ſuggeſtione reſpondit. Volo vt protinùs des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. *Et contriſtatus eſt rex: propter iuſiurandum, & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare: ſed miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput eius in diſco.* Nimirùm diſſimulator mentis ſuæ, & fraudulentus homicidij artifex triſtitiam præferebat in facie, cùm lætitiam celaret in corde. Addit ad rem pulchrè Hieronymus: *Propter iuſiurandum, &c. Scelus excuſet iuramento, vt ſub occaſione pietatis impius fieret.* O peruerſitatem impiè ſcelerosam! è pietatis ſacrario auxiliarem opem vaferrimè aduocat ad cruentam ſacrilegè impietatem; & vt truculentiùs ſæuiat, ſcenicum religionis velum malitiosè oppandit. In aſylo religionis irreligioſum facinus locat, vt inde religionis, iuſtitiæ, ac pietatis iura ſubuertat. *Si autem teſtes habere periurationis formidauit, quantò magis timuiſſe oportebat tam iniquæ occiſionis tantos teſtes habere?* Credite, tranſparet peruerſitas. Iuramenti religio dum apud Herodem homicidium excuſat, clancularias malitiæ inſidias atrociùs accuſat.

4.

*Herodes ſub occaſione pietatis impius fit.*

Marci 6.v.26.

S. Hier. in c. 14. Matth.

S.Chryſ. homil.49. in Matth.

Regum 2. dixit Elias ad Eliſeum: Poſtula quod vis vt faciam tibi, antequam tollar à te. 5. 4. Reg.2.v.6. & 13.

Dixítque

Dixitque Eliſeus: *Obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Quo reſpondente, rem difficilem poſtulaſſe, ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrumque; & aſcendit Elias per turbinem in cælum. Apprehenditque veſtimenta ſua, & ſcidit illa in duas partes. *Et leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Rabbi Salomon (cui apud Hugonem fauere videtur Auguſtinus) ſeriò cenſet, & multis probat, quòd Eliſeus *petiit habere ſpiritum in duplâ portione reſpectu Eliæ.* Verùm audaciam petitionis excuſat, quòd Eliſeus exinceps amictus fuit *pallio Eliæ, quod ceciderat ei.* Scilicet pallium Eliæ rigidè zelatoris portare abſque ſpiritu Eliæ, abſonum foret, inuidioſum, nociuum; ne ſub bono Eliæ pallio imbonum zelum abſconderet, quo noxiè malitiam palliaret. Quin & *reſpectu Eliæ in dupla portione ſpiritum habeat,* qui zelatoris Eliæ pallium geſtat. Qui *leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei,* ne eo pernicioſè abutatur, moraliſſimè ait: *Obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Geminato Eliæ ſpiritu eget, qui zelum. Eliæ, Eliæ pallio abſcondit, repræſentat, oppandit. Sic eſt hominibus procliue, proprij zeli ſtudium rigidioris Eliæ zelo palliare! O ſimus *in zelo ſobrij,* vt monet Bernardus; ne diuinæ gloriæ zelo, propriæ inuidiæ aut iniuriæ vltricem mentem palliare videamur.

Rabbi Salo. apud Gloſſ. Hugo ibi. Auguſt.

*Qui Eliæ pallium obtendis, duplo eius ſpiritu muneretur.*

S. Bern. l. 5. de Conſid.

6. *Contemnendus nō eſt inſanus vulgi rumuſculus.* Matth. 17. v. 3. S Chryſoſt. homil. 57. in Matth.

Adhuc autem zeli temperamentum ex Euangelico iam Eliâ proponitur Matthæi 17. vbi aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & duxit illos in montem excelſum ſeorſùm: & transfiguratus eſt ante eos. *Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquentes.* Plures cauſſas addenſat Chryſoſtomus, quare Chriſtus Moyſem & Eliam in medium adduxerit: *Et prima quidem eſt hæc,* inquit, *Quia autem turbæ dicebant eum eſſe Eliam vel Ieremiam, aut vnum ex Prophetis, capita Prophetarum ſecum ducit.* Vide hîc quàm non contemnat Chriſtus vaniſſimos vulgi rumuſculos, quos tam operosè diſſipare feſtinat (de quo alias) *Ducit autem & propter hoc eos in medium: volebat enim quòd Diſcipuli illorum priuilegia zelarent, vt ſcilicet fierent manſueti ſicut Moyſes, & zelantes ſicut Elias.* Scilicet mauult Chriſtus in Euangelio acrem & auſterum Eliæ zelum Moyſis manſuetudine & lenitate temperari, & ad Chriſtianæ diſciplinæ ſaporem condiri. Vrat Diſcipulos Eliæ zelus, ſed quem mitiget Moyſis lenitas: ne forſan aliquando in rigorem deſciſcat, & in propriæ iniuriæ vltionem diſſimulanter degeneret. Ediſcendum eſt è Chriſti gymnaſio hoc zeli temperamentum, ne de virtutum exceſſibus armentur vitia.

*Eliæ Zelus in Euangelio temperandus eſt Moyſis lenitate.*

7. Lucæ 8. v. 5. *Mādatorum viam reddere laxā, & ſpatioſam adnitimur.*

Lucæ 8. Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum: *Et dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud.* Non mirarer, quòd ſi granum cecidiſſet in viâ, à prætereuntibus conculcaretur: ait granum *ſecus viam* cadens, proculcari non potuit, niſi viatores non tantùm per viam incederent, ſed per viæ proxima ſata aut loca iter agerent, viam conantes ſpatioſiorem reddere. Heu quàm eſt hominibus volupe viam mandatorum, aut conſiliorum magis amplam & ſpatioſam reddere! Non dicuntur cæleſte granum conculcare, qui per viam incedunt; ſed qui iuxta viam incedentes, quaſi per viam ambulant. Communis pariter conatus eſt, ſtrictas Euangelij, aut proprij inſtituti ſemitas nouis opinationibus laxiores, & ſpatioſiores reddere. Quâ ſuper re alibi vberrim. Nunc autem expenſione digniſſimum eſt, quo pacto diuini ſatoris electum granum, *volucres cæli comedant,* deuorent, perdant? Quænam ſunt hæ cæli volucres, quæ tantam ſementis iacturam vorando facerunt? Hugo ex Gloſsâ ait: *Volucres cæli, id eſt, Dæmones, qui dicuntur volucres cæli, quia ſunt cæleſtis naturæ, vel quia per aëra diſcurrunt.* At S. Thomas ex Euſebio, ad illud, *Volucres cæli,* &c. *Viros,* inquit, *fallaces & callidos, quæ volatilia nuncupauit.* Ecce tibi iam manifeſtas ac proditas nequioris malitiæ technas, & ſubdolas malitioſæ hoſtilitatis fraudes. Nimirùm homines fallaces & callidi; imò ipſi Dæmones cùm atrociùs ſæuiunt, *volucres cæli nuncupantur,* cùm cauſſas, rationéſve obtendunt, quæ cælum ſapere, cælum fragrare videntur, vt aduerſarium conculcent, culpent, deuorent. *Contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus,* periculoſius bellum nos gerere præmonuit Paulus, vt aliàs multis expendimus.

*Quare volucres cæli electum granum perdant.*

Hugo ibi.

S Thom. in Caten. ibi.

Ad Epheſ. 6. v. 12.

8. 1. Eſdræ 9. v. 6.

1. Eſdræ 9. auditis grauioribus Hebræi populi delictis, ait de ſe Eſdras, ſciſſo pallio & tunicâ, curuaui genua mea, & expandi manus meas ad Dominum Deum meum, & dixi: *Deus meus confundor & erubeſco leuare faciem meam ad te: quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delicta noſtra creuerunt vſque ad cælum à diebus patrum noſtrorum.* Celebris hæc Eſdræ ſententia, *Delicta noſtra creuerunt vſque ad cælum,* explicatio eſt proximè præcedentis ſententiæ, nec ſine epithaſi ad mores tempeſtiuâ. Significatur enim peccatorum immenſa magnitudo, quæ non ſolùm ſupra caput, ſed etiam ſupra cælum attollitur. Et quidem notatione digniſſimum eſt, quòd ſcelera ob quæ ſic angitur Propheta, non deorsùm vſque ad infernum, ad quod ſuo pondere ducunt; ſed ſursùm vſque ad cælum excreuerint, & ſupra cælum attollantur. Heu grande enormiter flagitium, & dignum quòd ſic præ confuſione erubeſcat Propheta, vt confundatur leuare faciem ad Deum. nempè flagitium, quod *creſcit vſque ad cælum,* quod cælo vicinatur, quod cælo confine videtur, quod cognatum cælo faſtigium oſtentat. Hæc ſunt *ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* hoc eſt, *Spiritualidades de maldad, conuiſos de auecindarſe en el cielo.* id eſt, *Delicta noſtra creuerunt vſque ad cælum.*

*Enorme delictū eſt, quod vſque ad cælum creſcit.*

## §. CIX.

### *De malè acuto malitiæ ingenio venit, vt homines virtutis penicillo vitia c lerent, quò impudentiùs delinquant.*

NVllum eſt vitium ſine patrocinio: nulli non initium verecundum & exorabile eſt. 1.
Imò ſatagit malitiæ ingenium, cognatam vitiis turpitudinem cohoneſtare. Sic nullum ſine auctoramento vitium eſt; vt ſpecie honeſtatis ma-

litiæ

litia & ſerpat latiùs, & propagetur, vberiùs excuſſo delinquendi pudore, & aſſumpto fucatæ bonitatis amictu. Hinc malè docta retrò Sapientium vetuſtas peccandi libidine inſtigata, modulatis fabularum figmentis, & mendaciis dulcioribus corrumpebat ingenia puerorũ, qui iiſdem fabulis inhærentibus aduſque ſummæ ætatis robur adoleſcebant, conſeneſcebantque miſeri, vt Deorum ſuorum impietas cum omni ætate animitùs inoleſceret. O qualem fingunt Iouem! *Quid loquar Martis & Veneris adulterium deprehenſum? & in Ganymedem Iouis ſtuprum cælo conſecratum? Quæ omnia in hoc prodita, vt vitiis hominum quædam auctoritas pararetur.* (quæ ſunt verba Minutij Felicis in Octauio) Eheu! vel ſtupri infame propudium in cælo dedicatur, conſecratur, adoratur! O qualia homines ſacra cælo conſecrant, vt vitia humana inſoleſcant, & *vitiis hominum quædam auctoritas pararetur!* O non tam mentis, quàm ſenſuum ad voluptates ingenia! *Nullum ſine auctoramento malum eſt.* Pergit Minutius Felix: *Et Plato ideò præclarè Homerum illum inclytum, laudatum & coronatum, de ciuitate, quam ſermone inſtituebat, eiecit.* O exulent hæc Homerica vitiorum patrocinia, vel potiùs virtutis adulteria!

*Stuprum cælo conſecratur.*

Minut. Felix in Octau. ad medium.

Senec. epiſt. 70.

2. Non omittam Senecam, tameſi ethnicum Chriſtiano cothurno ita ſcribentem: Sic obtrectatorum hallucinationes fero, quemadmodum Iuppiter optimus maximus ineptias poëtarum, *quorum alius adulterũ illum induxit, & obnoctantem, alius ſæuum in Deos, alius iniquum in homines, alius ingenuorum corruptorem, & cognatorum quidem. Alius parricidam; & regni alieni paternique expugnatorem* (Trutina attentiùs verba quæ his ſubnectit.) *Quibus nihil aliud actum eſt quàm vt pudor hominibus peccandi demeretur, ſi talem credidiſſent.* Diſſertè quidẽ Philoſophorum diſſertiſſimus! Sic apud nonnullos hìc flagitioſus Aman diuinâ adoratione coli iubebatur; vt de impij Principis cultu, omnem pudorem exueret Aſſyria religio: & infrà verſ. 8. religionis mentito ſtudio, veri Dei religionem abolere ſtudet. Sanè prouocari olim ſympoſiotas ad largiùs bibendum, Eſtheris 1. indicat ſacer Hiſtoricus, aiens: *Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum.* Neque enim id tam accuratè notaretur, niſi id Perſicis conuiuiis familiare eſſet. Sed vitiorum genio id in alias quoque prouincias ſenſim irrepſit malitiæ ingenio. Quâ de re audiendus eſt S. Auguſtinus ſic fatus: Cùm ebrietatis, inquit, malum ſit graue vitium, & Deo odibile, ita per vniuerſum mundum à pluribus in conſuetudinem miſſum eſt, vt ab eis, qui Dei præcepta cognoſcere volunt, iam nec putetur, nec credatur eſſe peccatum: in tantum vt in conuiuiis ſuis irrideant eos, qui minus bibere poſſunt, & per inimicam amicitiam adiurare homines non erubeſcant, vt potiùs ampliùs accipiant quàm oportet. *Certâ bibendi lege contenditur: qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine.* O malè! ebrietatis vitium, virtutis laude adornatur. Auguſtino accinit Ambroſius in lib. de Elia & ieiunio ita ſcribens: *Quid obteſtationes potantium loquar?* inquit, *quid memorem ſacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro ſalute Imperatorum: & qui non biberit ſit reus in deuotione: videtur enim non amare Imperatorem, qui pro eius ſalute non biberit. O pia deuotionis obſequium! Bibamus*

Senec. de vita beat. c. 26.

*Flagitiis Deorum pudor peccandi demitur.*

Hic v. 8.

3.

Eſther 1. v. 8.

S. Aug. ſerm. 231.

*Heu, laudem quis mereatur ex crimine?*

S. Ambr. de Elia & ieiun. c. 17.

*Ebrietas putatur ſacrificium & ſacramentum ab impiis hominibus.*

*pro ſalute exercituum, pro comitum virtute, prò filiorum. Et hæc vota ad Deum pertinere iudicant, ſicut illi qui calices ad ſepulcra Martyrum deferunt, atque illic ad veſperam bibunt, atque aliter ſe exaudiri poſſe non credunt.* (Nota verba, quæ ad rem opportunè ſubtexit Ambroſius) *O ſtultitiam hominum, qui ebrietatem ſacrificium putant! qui exiſtimant illos ebrietate placari, qui ieiunio paſſiones ſuſtinere didicerunt.* O impietatem de pietate ludentem! Piè inebriari præſumit *qui ebrietatem ſacrificium putat.* Ecce tibi veternoſæ impietatis arbitrium, ebrietatis *ſacramenta* (vt loquitur Ambroſius) venerari, & temulentiæ *ſacrificium frequentare.* Heu non bonum *ſacrificium* & *ſacramentum*, quod callida hominum malitia fraudulenter inſtituit, vt cognatus peccandi pudor exulet!

Eò progreſſa eſt Corinthiorum edacitas, vt obuiis dapibus non contenti, cibos idolis libatos auidiùs eſurirent, prætexentes ſe bonâ conſcientia edere idolothyta. Adſimiliter Clerici ad domeſtica ſeruitia feminas adhibebant, aientes, non incontinentiæ periculo, ſed caſti amoris illicio, eas habere contubernales. Verùm S. Cyprianus vtrumque ex alterutro redarguit: par enim eſt vtrobique non bonum impietatis & incontinentiæ exemplar, quod ſpectatores alliciat: *Et peribit infirmus in tuâ ſcientiâ frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt.* quæ ſunt verba Paulli, 1. Cor. 8. Sic ergò fatur Cyprianus: *Quale ergò præmium ſanctitatis expectat, qui non ſolum blaſphemiam ſanctitatis ab infidelibus prouocat, ſed etiam fidelibus perniciosum præbet exemplũ,* (accuratiùs nota quę ſubdit verba) *Vt infirmi ſub prætextu dilectionis ſubtiliter fornicentur, & pudicus impudiciſſimæ caſtitatis præbeat magiſterium, deſtruens quod Paullus Apoſtolus comminatur. Perit, inquit, frater infirmus in tuâ conſcientiâ.* Vide quid imbecillis præſtent hæ prauitatis argutiæ, quibus lamâ caſtæ dilectionis libido graſſatur: nempè *vt pudicus impudiciſſimæ caſtitatis præbeat magiſterium, & infirmi ſub prætextu dilectionis ſubtiliter fornicentur.* Quâ de re nuper dixerat: *Peius eſt quàm Mœchia, continentiam ducere criminoſam, & infamem facere ſanctimoniam.* 4.

1. Cor. 8. v. 11.

*Infirmus prætextu dilectionis ſubtiliter fornicatur.*

S. Cypr. de ſingul. Cler.

5.

Cæcilius ethnicus ſic apud Minutium Felicem, Chriſtiano Octauio aduerſus Chriſtianos obiiciebat: Tenebroſa, inquit, & lucifuga natio, in publico muta, in angulis garrula: templa, vt buſta, deſpiciunt: Deos deſpuunt, rident ſacra, miſerantur miſeri (ſi fas eſt) ſacerdotum honores, & purpuras deſpiciunt ipſi ſeminudi. *Ac iam, vt fœcundiùs nequiora prouenſiunt, ſerpentibus in dies perditis moribus per vniuerſum orbem ſacraria iſta teterrima impiæ coitionis adoleſcunt, eruenda prorſus hæc & execranda conſenſio.* (accuratiùs aduerte ad ea quæ ſubdit) *Paſſim etiam inter eos velut quædam libidinum religio miſcetur, ac ſe promiſcuè appellant fratres & ſorores, vt etiam non inſolens ſtuprum interceſſione ſacri nominis fiat inceſtum, ita eorum vana & demens ſuperſtitio ſceleribus gloriatur.* Hæc malè ſana Gentilium credulitas Chriſtianis obiectabat: putabant enim de propriâ conſcientiâ, quòd apud Chriſtianos promiſcua luxuria religione honeſtaretur, vt ſic impunè & innoxiè luxuriari liceret, diuini cultus priuilegio. *velut quædam libidinum religio miſcetur*, &c. Verùm

Minut. in Octau.

*Chriſtianis ſimus à Gentibus putabatur libidinum religio.*

Quæ plura poſſet adulteria numerare, magna in religione habebatur.

Octauius Catholicus has impietatis technas veriùs in Gentiles retorquet, aiens: Quædam fana, inquit, ſemel in anno adire permittunt, quædam in totum nefas viſere eſt, quædam viro non licent, nonnulla abſque feminis ſacra ſunt: *alia ſacra coronat vniuira, alia multiuira, & magna religione conquiritur, quæ plura poſſit adulteria numerare. . . . Quis non intelligat maleſanos, & vanæ & perditæ mentis in iſta deſipere, & ipsã errantium turbam mutua ſibi patrocinia præſtare? Hic defenſio communis furoris eſt ſurentium multitudo.* Sanè eleganter. In hæc deliramenta incurrit humana malitia, dum enormiora crimina obtentu pietatis colorare præſumit. *Nam* (vt ſcitè dixit Auguſtinus) *voluntatis propenſio auctoritatem vitiis quærit, & quod malum eſt, bonum, aut bono proximum eſſe ſuadet.*

S. Augu. ſer. 12. de Tẽp.

6. Iudas Apoſtolus in ſuâ Epiſtolâ canonicâ, ſic inuehitur in Gnoſticos non benè acutos, & malè laſciuos: Hi ſunt, inquit, in epulis ſuis maculæ, arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ: *Fluctus feri maris, deſpumantes ſuas cõfuſiones.* Quæ verba OEcumenius de arrogantiæ & luxuriæ tumore exponit, aiens: *Ipſorum dedecora deſpumant in ſpumam poſt inflabundum tumorem maledicentiæ, ex vitæ ſuæ inſtabili, & diſſolubili turpitudine deſinentes; talis enim cui comparantur, ſpuma vndarum natura exiſtit.* Verùm cùm libidini agnata ſit *confuſio*; ingenioſa iam cupido hos *confuſionis* ſcopulos declinare ſatagit; vt libidinem deſpuat, nec *confuſiones deſpumare* videatur. Dabo integrum Zenonis locum, qui de impudicitiâ ſic fatur: Hæc, inquit, per momenta & parit omne quod malũ eſt, & peperit omne quod peius: *nam in Idolis Dea eſt; in cultoribus verò eorum miniſtra. Venerandum ſe procurat in templis, hilarem in theatris, importunam in publicis, opportunam in quibuſcumque ſecretis.* Laſciua, non linguis, non oculis, non auribus parcens: iocatur, ſperat, ambit, obſequitur, zelatur, inſanit, armatur precibus, armatur & irâ, ſimiliter nonunquam vi extorquens, quod blandimentis impetrare non potuit. Libidinum commutatione varia gaudet ſemper, & pœnitet, ad ſatietatem nunquam lubrica vtilitate perueniens. (& verita ne ſimul cum libidine *deſpumet confuſiones ſuas*) Deſiderat facere, quod timet publicari, totum prorsùs tentat, vt ſibi vendicet totum. *Nouum prodigij genus eſt, odit pudicitiam: & tamen hoc cupit videri, quod illa eſt.* Vide ingenium luxuriæ, dum timet *deſpumare confuſiones.* nempè etſi pudicitiam infenſiùs odit, tamen *hoc cupit videri, quod illa eſt.* Inde ſollerti negotiatur induſtriâ, ſaltem ſe Sacerdotum turpitudine cohoneſtare, & hoc libidinis ingenio inter cæleſtia Numina iam relata, *in Idolis Dea eſt, & venerandam ſe procurat in templis.* Quid ſceleſtius?

Iudæ v. 13. OEcum. ibi.

S. Zeno ſer. de Pudicit.

Libido pudicitiam odit, & hoc cupit videri, quod illa eſt.

7. Eccleſiaſtici 6. Fili à iuuentute tuâ excipe doctrinam, & vſque ad canos inuenies ſapientiam. *Quàm aſpera eſt nimiùm ſapientia indoctis hominibus, & non permanebit in eâ exors.* Stultè inſipiens, & fatuè vecors, vitiis à cunis vſque ad canos enutritus, cùm virtutis ſtudium nimis *aſperum* putat, malitiæ ingenio intentat rigidam morum politiam inflectere, & leniter emollire. Sed quàm ſit *indoctum & excors* illius acumen, ſapienter prodit Octauius, his verbis inſectatus malè acutam Gentilium vecordiam, quâ nota crimina crimine viduabant: *Etiam ille*, inquit, *qui de adoratis ſacerdotis virilibus aduerſum Chriſtianos fabulatur, tentat in nos conferre, quæ ſua ſunt. Iſta enim impudicitiæ eorum forſitan ſacra ſint, apud quos ſexus omnis membris omnibus proſtat: apud quos tota impudicitia vocatur vrbanitas.* Quid tam impudenter flagitioſum, & flagitioſiſſimè ingenioſum ad emolliendam ſectandæ virtutis *aſperitatem*, & vitiorum blanditias impunè ſectandas, quàm adulterare rerum nomina, & cum eis rerum cenſum? *Tota impudicitia vocatur vrbanitas.* Forſan minùs foret ſceleroſum, & ideò ad corrumpendos mores non adeò idoneum, notam libidinem virtutis nomine nũcupare: ſunt enim qui virtuti palam aduerſantur, ſed *vrbanitatem* colunt politicæ conuerſationi neceſſariam. Vide ergò veteratoriæ malitiæ ſubdolas ſubtiliter fraudes, nempè vitia *vrbanitatis* penicillo colorant, vt vrbanæ comitatis blandimento omnes alliciant. Dum vrbanos appellant, quò impudentes efficiant. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.*

Eccli. 6. v. 21.

Apud Gentiles tota impudicitia vocatur vrbanitas.

Minut. in Octau.

Iſai. 5. v. 20.

8. Matthæi 5. Chriſtus Deus Diſcipulos ſuos his verbis adhortatur: *Quòd ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* Mirùm ſanè eſt, quod dexter oculus delinquat, & non potiùs ſiniſter: nam malitia ſiniſteritatis elogiũ eſt. Laurentius Nouarenſ. ſic præſcripta Euangeliſtæ verba exponit: *Dexter fuit oculus quando tibi obduxit ſcandalum . . . . Erue oculum iſtum ſiniſtro conſpectu conſertum, qui te non illuminat, ſed contenebrat, & dextro transfert te in ſiniſtrum.* Dexter oculus eruendus eſt quandò ſcandalum obducit, & non citiùs ſiniſter, qui ſcandalum ſemper molitur? Eruẽdus eſt dexter oculus, quia ſiniſtro conſpectu conſertus eſt; & non potiùs ſiniſter, qui ſocium ſe dextro ad cognatam malitiam exprompto fœdere obtulit? Nimirùm virtutis dexteritas, quæ vitij ſiniſteritate vtitur, & latentem cum eâ ſocietatem init, quaſi noxiùs flagitioſa eruenda eſt: hæc enim *de dextro transfert te ad ſiniſtrum.* Locus autem ſiniſter reprobis deputatur. An, non tam vitij ſiniſteritas, quàm mentitæ virtutis dexteritas ſiniſtra, damnatorum præhabet ſedem?

Matth. 5. v. 19.

Laur. Nouar. homil. de Pœnit.

Eruendus eſt dexter oculus ſiniſtro conſpectu cõſertus, & quare.

---

## §. CX.

### *Perennes mandatorum fontes obturantur; & traditionum laciniæ legibus malè aſſutæ reſecantur, ne ſubiectus populus offendat, & paſſim impingat.*

1. VErè pariter ac bellè dixit Seneca ad ſuum Lucilium: *Quoties parùm fiduciæ eſt in his quibus imperas, ampliùs eſt exigendum quàm ſatis eſt, vt præſtetur quantum ſatis eſt. In hoc omnis hyperbole excedit, vt ad verum mendacio veniat. Nunquam tantum ſuperat hyperbole, quantum audet: ſed incredibilia affirmat, vt ad credibilia perueniat. Legem breuem eſſe oportet, quò facilius ab imperitis teneatur: velut emiſſa diuinitùs vox ſit. Iubeat, non diſputet. Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quàm lex cum prologo. Mone, dic quid me velis facere. Non diſco, ſed pareo.* Verè quidem dixit Seneca id vulgò accidere,

Seneca ep. 95.

Lex plus exigit quàm ſatis eſt, vt præſtetur quantum ſatis eſt.

accidere, vt quoties parùm fiduciæ eſt in his quibus imperas, ampliùs exigitur quàm ſatis eſt, vt præſtetur quantum ſatis eſt. An verò rectè id fiat, ſub iudice lis eſt. Profectò ſi obediẽs populus *non diſcit, ſed paret*, cæco parendi impetu fertur ad implendum ampliùs quàm imperatum eſt, imò ad plus quàm ſatis eſt: lex autem ſuperuacanea non imperat, ſed negligit. Imò ſiquis nimis diſertus hanc præcipientium inconſultam aſtutiam percalleat, non facilè illi tranſluceat quid exactè exequi debeat: & totum omittit, aut ex nimietatis imperatæ tædio, aut quia nihil ratum præcipi cenſet. Obediturus populus has præceptionum lacinias ſemper exoſas habuit. *Ergò legem breuem eſſe oportet: velut emiſſa diuinitùs vox ſit.* Legum commentarios de tuo cerebro inuentos pro lege ponere, eſt aut antiquam legem ad tuos duntaxat ſenſus ſtrictim arctare; aut tuas additiiunculas pro legibus promulgare. Non ſine felle Tertullianus Romanos præſides appellat *tutores legum*. quaſi legem tanquam pupillam tractent. Arbitrium autem pupilli apud tutorem eſt. Legibus malunt homines parere, quàm legum tutoribus. Ætatem maturam à legiſlatore lex habet, non ætatulam à recenti tuo arbitrio, aut commento, ad nutum addente, detrahente, adulterante.

*Iudices ne ſint tanquam tutores legũ.*

Tertull. Apol. c. 1.

2\. Geneſeos 3. Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ; qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradiſi? Cui reſpondit mulier: de fructu lignorum quæ ſunt in paradiſo veſcimur: *De fructu verò ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud.* Si præceptum nuper à Deo datum exploremus τὸ *tangetis* denuò ſuperadditum eſt, & diuinæ legi aut ignoranter, aut negligenter, aut malitioſè aſſutum. O mulier, vix obſeruare euales præceptum à Deo datum, & obſeruatione præcepti appendices annectis? S. Ambroſius in lib. de Paradiſo ſuper his verbis ita philoſophatur: *Non tangetis enim Deus non dixerat, ſed, Non edetis. Sed tamen lapſus incipit eſſe principium. Nam quæ addidit, vel ſuperfluum addidit; vel addendo de proprio, ſemiplenum intellexit Dei eſſe mandatum.* Qui additiunculas legibus aut inſtitutionibus de ſuo aſſuit, legem non ſolidat aut integrat; ſed mutilam, mancam, ac ſemiplenam oſtendit. Pietatis zelo videris addidiſſe; ſed ſic addendo impie culpas, & profanè conſtupras, dum non ſatis integram, ſed ſemiplenam demonſtras. O obſeruantiſſimos caſtæ legis conſtupratores! Non leges, ſed *noua leges* hîc arguuntur.

Geneſ. 3. v. 3.

*Qui addit ad præceptũ, illud quaſi ſemiplenum infamat.*

S. Ambr. lib. de Parad.

Hîc v. 8.

3\. Matth. 15. Sub parabolæ inuolucro Chriſtus Deus Phariſæorum mores grauiter ſauciauit: ſic autem reprehenſionis acerbitas tranſparuit, vt accedentes Diſcipuli eius dixerint ei: Scis quia Phariſæi audito hoc verbo, ſcandalizati ſunt? *At Ieſus reſpondens ait: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur. Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum*, &c. Seriò diſquirunt Interpretes, quare Scribæ & Phariſæi dicantur plantatio, quam Pater cæleſtis non plantauit, cùm liquidò conſtet, Moſaicam legem, quam profitebantur, & docebant, à Deo traditam fuiſſe. Quare Phariſæi, tanquam plantatio, quam Pater cæleſtis non plantauit, eradicabuntur? S. Auguſtinus exponens præfata Chriſti verba, ita opportunè ſcribit: *Omnis plantatio*, inquit, *quam non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur: eſt carnalis cupiditas, ſecundum quam ſentientes offendebantur de prætermiſſis traditionibus ſuis: & præcepta vitæ non curabãt, quæ à cupiditate animum purgant.* Scilicet Scribæ & Phariſæi dicuntur plantatio, quam Deus non plantauit, & indè eradicandi: quia cùm ſolliciti eſſent de obſeruatione traditionum, quas manuductu Seniorum ſcrupuloſiùs ſeruabant; legem Dei, & vitæ præcepta non curabant. Qui ſimiliter facit, Scriba eſt, Phariſæus eſt, plantatio eſt, quam cæleſtis Pater non plantauit; quæ eradicabitur, & tanquam inutilis & noxia herba, igni deſtinatur. Si tanti vitrum, quanti margaritum? O ſuperbè iniqui rerum æſtimatores! Leges diuinæ contemptim obſoleſcunt, vt friuolæ nuperrimæ legum additiunculæ vigeant? O inanium ordinationum ſiluam cæduam, quam Chriſtus truncare venit!

Matth. 15. v. 13.

*Quid de traditionibus. nõ de diuinis præceptis curat, eradicabitur.*

S. Aug. lib. 1. qq. Euang. q. 17.

4\. Actorum 6. Stephanus detriumphatæ Iudaicæ ſapientiæ reus, rapitur ad Seniorum concilium, & ſtatuerunt falſos teſtes qui dicerent: *Audiuimus eum dicentẽ: quoniam Ieſus Nazarenus hic deſtruet locũ iſtum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes.* OEcumenius accuratè verſans hunc locum, ex ſuâ, & aliorũ Græcorum Patrum ſententiâ, ita ſcribit: *Duplex autem erat accuſatio, quòd inſtituta mutaturus eſſet, & eorum loco alia inducturus. Vbique etiam obtendebatur Moyſes: quandoquidem Dei placita non æquè illis cura erant vt Moyſi; ita ad ſolam multitudinis gloriam, vitam omninò dirigebant.* O accuſatio ſuperſtitionis rea! Vbique obtenditur Moyſes, Deus contemptim negligitur? Dei placita non æquè illis curæ erant ac lex Moſaica, & ſeniorum traditiones? Sic ad ſolam Phariſaicæ multitudinis gloriam omnia corrigebant?

Act. 6. v. 14.

OEcumen. indidem.

*Dei placita nõ æquè Phariſæis cura erant, ac Moyſi.*

5\. Deuteronomij 12. poſt traditam plenè legem, & diuini cultus ceremonias, hæc clauſula ſubditur: *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.* Idem tradiderat ſuprà cap. 4. verſ. 2. & cap. 5. verſ. 32 & 33. Longum facerem, ſi nouos nunc Hæreticos refutarem, qui negant opera ſupererogationis, noua præcepta, & traditiones, quos P. Gretſerus, & P. Adam Taner pugnaci congreſſu feliciter debellarunt. Præter ea autem, quæ hîc & cap. illo 5. adducit P. Lorinus, putauerim his verbis Deum cohibere voluiſſe Hebræorum, qui aliquâ ſapientiâ, & auctoritate pollebant, legiſlatricem mentem, & plurium legum indies condendarum velut quandam ſcabiem ſubiecto populo pernicioſam. Sic Hebræus Philo, Scribarum & Phariſæorum reſidua ſoboles, poſt Decalogi præcepta, hæc verba ſubtexit: *Quæ ſunt capita iuris diuini in leges plurimas partiti, radices, initia, fontes perennes mandatorum, iuſſa vetitáque continentium, ad vtilitatem illorum, qui illa recipiunt.* Satis foret, quòd Philo (& aliqui Phariſæorum & Scribarum ſapientiores) leges diuinas à Moyſe publicatas, appellaret aliarum legum exindè condendarum *radices*, è quibus velut rami pullularent. At pergraue nimis eſt, quòd diuinas leges putet, *initia, & fontes perennes mandatorum*. Scilicet hæc fuit malitioſa ſuperbè aſtutia Phariſæorum, nouas indies condere leges magnum Moyſen æmulati, & vt auguſtã illis auctoritatẽ

Deuter. 12. v. 32.

P. Gretſer, P. Tanerus apud P. Lor. inibi.

Philo lib. de Cong. Quęſt. erud.

*Turbidi ab inobedientia ſunt fontes perennes mãdatorum.*

conſilia

conciliarēt, à lege diuinâ *initium* habuiſſe euulgabant, quæ meræ illorum traditiones erant. Itaque legem diuinam, *fontes perennes mandatorum* dictitabant; vt quod ex ſuo egregio cerebro velut prudentiæ excrementa fluebat, tanquam è perenni diuinæ legis fonte fluere publicarent. Puto, ſicut male Hæretici nunc mādatorum fontem obturant: ita Phariſæi & Scribæ *fontes perennes mandatorum* eſſe fingebant; non quæ ipſi obſeruarent, ſed quæ aliis obſeruanda proponerent. Onera enim grauia aliis imponebant, quæ ipſi nec extremo digito vnquam tangerent. Heu nimis de inobedientiâ turbidos *fontes perennes mandatorum!*

6. Matth. 20. v. 12. Matthæi 20. operarij illi, qui à primo mane in operosâ vineæ cultione deſudarunt, cùm vident ſe pari mercede munerari, ac illi qui vnâ duntaxat horâ laborarunt; accipientes & ipſi ſingulos denarios, aduerſus patrem familiàs obmurmurant, dicentes: *Hi nouiſſimi vnâ horâ fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei, & æſtus.* Multimodè exponunt Interpretes, quid ſit portare *pōdus diei*, & æſtus. Putatus Chryſoſtomus ita inibi locum exponit: *Pondus totius diei, dicit oneroſa legis mandata..... A quibus omnibus Gentiles liberi extiterunt Chriſto credentes: & per compendium gratiæ ad plenum ſaluati.* Nimirùm pondus diei & æſtus, ſunt oneroſa legis mandata, initia, & fontes perennes mandatorum, ſub quibus operosè æſtuabant: hi, tametſi ad gloriam vel ad gratiam electi (iuxta diuerſum parabolæ intellectum) queruli obmurmurant, dum vident populum Chriſtianum è Gentilibus adſcitum, *per compendium gratiæ* eandem beatitudinis mercedem abſque tot præceptorum operoſo labore feliciter conſecutum. Nam, vt bellè dixit Chryſoſtomus, *ſic diſpoſitis non oportet grauedinem ponere præceptorum.*

*Imperf. homil. 34.*

*Pondus diei, ſunt oneroſa legis præcepta.*

*Non oportet grauedinem ponere mandatorum.* S Chryſoſt. homil. 31.

7. Ad Roman. 2. v. 14. Gentium Doctor ad Romanos 2. ſic Iudæos, qui adhuc in Moſaicâ lege faſtuosè gloriabantur, ſapienter vellicat: *Gentes, quæ legem non habent naturaliter quæ legis ſunt faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex.* Omitto Zuingliū, qui de Pelagianiſmo vel à Luthero vapulat. S. Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Cyprianus, Theodoretus, Theophylact. Oecumenius. Primaſius, Haymo, & alij paſſim apud Cornelium, accipiunt hunc locum de Gentibus in gentiliſmo, ſeu lege naturali viuentibus. Quaſi dicat Paulius: Nolite ſuperbire, ô Iudæi, contra & ſupra Gentes, propter legem Moſaicam, quaſi auditores legis iuſtificentur; Gentes enim non habentes ſcriptam legem, illam naturaliter habent inditā, quæ eos dirigit, & velut impellit, vt pleráque opera legis naturalis perficiant naturaliter, id eſt, ductu, & lumine, & virtute naturæ (ad quæ autem opera requiratur gratia ſupernaturalis, aut naturalis etiam per Chriſtum, aliûs ſcholæ negotium eſt, neque hîc obiter perſtringendum) Habemus ergo ex Paullo, quòd *Gentes, quæ legē non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt, eiuſmodi legem non habētes, ipſi ſibi ſunt lex:* atque rectè operantur abſque lege exteriùs ſolante, non tamen ſine gratiæ auxilio animitùs permouente. S. Zeno Veronēſis ſerm. 1. de Abraham, ita ad rē eleganter ſcribit: *Abraham ſub lege non erat,* (quadringentos enim annos Moſaicam legem præceſſit) *ſed legem ſolus impleuit. Et qui nulla iure legis tenebatur, omne ius diuinum præcipuè cuſtodiuit: cuius immolatione ille quoque gauderet, qui ad victimam parabatur.* O benè! Ecce tibi Abraham, qui ſub lege non erat, & *legē ſolus impleuit.* Et quomodò potuit legem implere, qui ſub lege non erat? An ſcribenda ſubditis lex, obſequentiùs impletur, priuſquā ſcribatur, promulgetur, & cuſtodiri cogatur? O quoties ſeruandæ legis exerta coactio dum conſtrictam legibus libertatem laceſſit, refractarios inuenit, aut facit! *Abraham ſub lege nō erat, ſed legem ſolus impleuit.* Quid eſt τὸ *ſolus?* Abrahamus ne liberrimè exlex, nullaque Hebrææ gentis lege conſtrictus, *ſolus legē impleuit?* Qui legem non habuit, non modò *ſolus* legē impleuit, ſed legis impletionem *ſolus* dedicauit? Quid dicemus de Moyſe & Aarone, de Dauide & Ezechiâ, de Eliâ & Eliſeo? Reliqui Moſaïcæ legis Proceres ſanctitate opinatiſſimi, ſub lege viuentes, legem non impleuerunt? Saltem in adimpletione eorū quæ legis ſunt, exlex Abrahamus longè antiſtat? Sanè *Abraham ſub lege non erat, ſed legē ſolus impleuit: & qui nullo iure legis tenebatur, omne ius diuinum præcipuè cuſtodiuit.*

Theodoret. Theophyl. OEcumen. Primaſius. Haymo. Cornelius. Zuinglius. Lutherus. S. Hieron. S Auguſt. S. Chryſoſt. S. Cyprian.

*Abraham ſub lege non erat, & legem ſolus impleuit quo modo?*

S. Zeno.

## §. CXI.

*Qui legem accipit, velut ſeruiliter extrahitur à loco quo circumſcribitur, & quaſi in Adamum refingitur, & aduerſarium patitur, & rigidâ dilectionis formâ imprimitur.*

QVemadmodum perfecto Rhetori Muſicóue, aut alterius artis eximiè perito, nullis iam harum artium præceptis opus eſt; ei verò qui aberrauit in harum conſideratione, leges præceptaq; adhibenda ſunt: *Sic* (ait Philo) *perfectus homo nullius indiget præceptis; vilis autem homo tum præcepto, tum interdicto indiget, ſtulto verò admonitione doctrināq; opus eſt.* Et ſanè (vt alibi latiùs diſputabam) Lex eſt inſolentium puerorum moroſus valdè pædagogus, & peritus eorum nauclerus, qui in moribus patiūtur naufragia, & à vitiis ſuffocātur. *Quemadmodum* (ait Archeſilaus) *vbi ſunt multi medici, ibi multi ſunt morbi: ita vbi permulta ſunt leges, ibi plurimùm vitiorum.* O quoties potiùs à medico, quàm à morbo infirmus ægrotat? 1. Philo l. 1 Al. leg. legis.

*Vbi plures ſūt leges, plura ſunt vitia.*

Apud Laërt. lib. 4. c. 6.

Regius Vates Pſal. 67. Sic modulatè pangit: Currus Dei decem millibus multiplex, millia lętantium: *Dominus in eis in Sinà in ſancto. Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem: accepiſti dona in hominibus.* Perdifficilem hunc locum variè Interpretes verſant. Caietanus commentator ſubtilis, Hebraicam lectionem adducit, quæ ſic habet: *Aſcendiſti in excelſum, captiuâſti captiuitatē, accepiſti dona in Adā, & etiā rebelles ad habitandū Dominū Deū.* Exiſtimat autē magnus hic Doctor quòd Dauid per apoſtrophen conuertit ſermonem ad Moyſen. *Aſcendiſti in excelſum* mōtis Sanaï: (qui in textu præceſſerat) *Captiuaſti captiuitatē* educens nuper captiuos Iſraëlitas è ſeruitute Ægyptiacâ. *Accepiſti dona in Adam, id eſt, in homine. Effectus deſcribitur ſubſecutus in monte Sinaï, ad quid aſcenderit in excelſum, ſcilicet ad accipiendum dona diuina in homine. Aſcendente enim Moyſe in Sina, populus accepit legem, quæ vicē maximorū donorū obtinet, Quāuis etiā computando legē pro vno dono multa etiam dona acceperit: quoniam tūc accepit donum regni, & ſacerdotij,* &c. Itaque cùm Moyſes in mōte Sinaï inauguratus ſit Hebræi populi Le- 2. Pſal 67. v. 18. & 19.

Caietanus ibidem.

giſlator, leges illis Dei afflatu condens, & euulgans; tunc, tunc quidem interprete Caietano, hoc donum dicitur *accepiſſe in Adam*, id eſt, *in hominibus*, vt habet Vulgatus. Et ſanè cùm totus populus legem accipit, etſi à Deo, & per magni Prophetæ miniſterialem promulgationem, tunc quilibet hominum ſententiosè dicitur *Adam*. O infauſtum tranſgreſſionis nomē; & in ipſo legis auſpicio, præuaricationis augurium! Exindè ſtatim eos appellat *rebelles*: ait enim: *Accepiſti dona in Adam, & etiā rebelles*, &c. Scilicet impoſitum præceptum, etſi obſeruatu facile, dum ſæpè inobedientiæ adulatur (ſiquidem neſcio quo adſerendæ humanæ libertatis inſtinctu, nitimur in vetitum) hominē quemlibet quaſi in *Adamum* recudit; & vnuſquiſque poſterorum (ſaltem aliquoties) Adamum repræſentat, & moribus exprimit de facili legū violatione. Vndè Hebręus populus dum legem accipit, à Vulgato appellantur *homines*, ab Hebræo *Adam*, quaſi vnuſquiſque hominū, dum legem accipit, in *Adam* refingatur.

3. Exhod. 3. v. 12.

3. Exhod. 3. ita Deus ad Moyſen de rubo loquitur: Veni, & mittam te ad Pharonē, vt educas populum meum de Ægypto. Dixitque Moyſes: Quis ſum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſraël de Ægypto? *Qui dixit ei: Ego ero tecum: & hoc habebis ſignum quòd miſerim te: Cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montē iſtum*. Iuxtà Hebræa exemplaria habetur: *Seruietis Deo ſuper montem iſtum*. Nuſquam verò legitur Iſraëlitas aſcēdiſſe ſuper montem Horeb aut Sinaï; (quæ ſunt eiuſdem montis gemina iuga) ſed ad radices mōtis ſubſtitiſſe: quo igitur pacto verè dici potuit: *Cùm eduxeris populum meū de Ægypto, ſeruietis Deo ſuper montem iſtum?* Quo modo enim ibi quis *ſeruire* poteſt, vbi non eſt: ſeruire enim poterit, ibi ſeruire non poterit. Et quæ eſt hæc *ſeruitus*, quam Iſraëlitis Deus prædicit, & in ſignum offert? ſagax Caietani induſtria vidit hāc difficultatem, & ſic illi acutè reſpondet: *Nunquam populus ſuper montem illum ſeruiuit, cùm nunquam illic aſcenderit: ſed Deus legem dans, apparuit ſuper montem illum.* Nempè vbi Legiſlator leges ſcribit, & præcepta euulgat, tametſi ibi nunquā adſint ſubditi, qui præceptionum tenentur obſequio; inibi tamen tanquam ſubiecti *ſeruire* dicūtur. Ibi, vbi leges quis patitur, indubiè *ſeruit*. Qui aliena imperia accipit, licet vno loco totus circunſcriptus ſit, illum non deſerens, quaſi ampliatā quam longiſſimè præſentiā, ibi præſens *ſeruire* perhibetur, vbi conduntur leges, ad quarum obſequium arctè illigatur. Exindè etſi nunquam Hebræus populus ſupra montem Sinaï aſcenderit, inibi *ſeruiiſſe* dicitur. Ibi etiā ſeruire, vbi quis non eſt, exaggeratio ſeruitutis eſt.

*Ibi, vbi legem quis patitur, ſeruire dicitur, etſi ibi ſit abſens ſit.*

Caiet. ibi.

4. Geneſ. 2. Tulit Deus hominem recèns creatum, & poſuit eum in paradiſum voluptatis. *Præcepitque ei, dicens: Ex omni ligno paradiſi comede. De ligno autē ſcientiæ boni & mali ne comedas.* Cùm τὸ *præcepit*, vtramque præcedat propoſitionem, meritò addubitant Interpretes, vtrū his verbis geminum præceptum intimetur. Hugo Victorinus ſic locum exponit: *Hoc ſolum eſt præceptum: de ligno ſcientiæ ne comedas. Quod autem præmittitur: Ex omni ligno paradiſi comede, permiſſio eſt. Et primùm blanditur permittendo, pòſt duriùs locuturus in prohibitione.* Scilicet præuiā omniū fructuum permiſſione, ſummus Legiſlator præceptioni *blāditur*, vt laxioris indulgentiæ lenocinio Adamum ad obſequiū quodammodò ſubornet, ob largè munificū permiſſionis blandimentum. Hoc *blandiēdi* verbo Hugo plura ſignificat, quàm dicit. Exaggerat enim quàm ſit homini arduum, vel vnicum duntaxat pati præceptum: quandoquidem Deus *blandiendo* omnia concedit, vt vnū interdiceret. *Per veniam ſupparans diſciplinam, permittens omnia, vt demeret quædā.* vt aliàs ex Tertulliano enucleauimus. *Veniam* præproperam tranſgreſſionis appellans, quod non prohibuit, ſed indulgenter permiſit. Heu, ſæpè tranſgreſſio, velut præcepti ſequela cenſetur, vt quod non vetatur, dicatur præuaricationis *venia*?

Gen. 2. v. 16. & 17.

Hugo Vict. in Annot.

*Deus ante præceptum blanditur, ne homo reluctetur obſequio.*

Tertull. aduerſ. Pſych. cap. 4.

5. Matth. 5. v. 25.

5. Matth. 5. poſtquā Chriſtus Deus Chriſtianæ perfectionis normam expoſuit, ſic Diſcipulos ſuos adhortatur: *Eſto conſentiens aduerſario tuo citò dum es in viā cum eo: ne fortè tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris.* Quis eſt iſte *aduerſarius*, qui tam pertinaciter iniurias ſibi illatas exequitur, vt nec debiti particulam vnquam condonet; ſed iuſtitiæ rigoribus, & iudiciarij fori exactā contentione cauſſam ſuam peragat? Huius loci Cōmentatores multimodè accipiunt hanc vocem *aduerſarium*, ex cuius vocis ſignificatione totius ſententiæ intelligentia & energia depēdet. Theophilus Antiochenus ſic ad rem preſcripta verba commentatur: *Eſto conſentiens aduerſario tuo, hoc eſt, legi diuinæ conſenti, quam omnis peccator aduerſarium putat obuiantem deſideriis ſuis: & benè eſt in viâ, id eſt, in hàc præſenti vitâ, vel in carne.* Nempè qui in carne viuit, qui carnis affectibus adhuc agitur, inimicitias gerit cum lege, quam hoſtiliter *aduerſariū* putat. Heu hominis cum lege hoſtilitatem! O duras cum eâ inimicitias! Et ſanè lex moroſus, grauis, & implacabilis *aduerſarius* eſt, nunquam conniuere ſcius, ſed conſtanter flecti-neſcius. Nec hic durus *aduerſarius* veniam vnquam tibi concedet, nec veniā tuā contentus diſcedet; ſed vt illi in omnibus *conſentias* ſemper requirit, & intentatis minis perpetuò exigit. *Eſto conſentiens aduerſario tuo, hoc eſt, legi.*

*Lex eſt hominis, aduerſarius: quæ vt i*

Theoph. Antioch. l. 1. Commen. in Euang.

6. 1. ad Tim. 1. v. 9.

6. 1. Ad Timoth. 1. *Sciens hoc*, inquit, *quia lex iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis, & nō ſubditis, impiis, & peccatoribus, ſceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis, & homicidis*, &c. Non agam hìc contra Hæreticos, qui hinc iuſtum à lege immunē imperitè nugātur: lex enim iuſtos etiam obligat, etſi propter iniuſtos lata ſit. *Quid enim opus eſt* (ait Philo) *interdictione, non aberraturis à iuſtitiâ? quid præcepto, niſi his, qui ſuâpte naturâ procliues ſunt ad lapſum? quid illâ propitiâ potentiâ, peccato nulli obnoxiis?* Stet ergò inconcuſſum illud Paulli dogma, *Lex iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis*, &c. Verùm S. Zeno pulchram indè dubitationē proponit, vt ex illius ſolutione Paulli doctrina clareſcat, ſic ad thema præſens opportunè fatus: *Atqui fortè aliquis dicat*, (verba ſunt Zenonis) *Lex ſpernenda eſt, quia iuſto neceſſaria non eſt, peccatori verò moleſta eſt. Abſit, fratres, imò potiùs veneranda eſt, quia veritatis ſpeculum, quia rigida quædam dilectionis eſt forma: quicquid enim à iuſto didicit, id facere iniuſtum quoque compellit: biſariè inclyta, vnum glorificando, alium corrigendo.* Alibi forſan enucleabitur, quòd lex à Iuſti operibus diſcit, tanquam è generali probitatis gymnaſio, quid aliis faciendum præcipiat. Nunc ad rem expende, quòd *rigida quædam*

Philo lib. de Profug.

S. Zeno ſer. de Spe, Fide, & Charit.

*Lex, rigida quædam dilectionis forma nuncupatur.*

*dam dilectionis forma* nuncupatur, quâ omnes imprimi debent. Quid tam acerbè moleſtum, & moleſtè operoſum, quam agreſtes, præduros, & contumaces hominum mores, *rigidâ dilectionis formâ*, tanquam typo imprimi, & rigidæ formæ molliter conformari? Et ſanè lex, hominis *aduerſarius* nuper appellatur: quid ergò adæquè acerbum ac difficile, quàm *aduerſario* velut hoſtiliter infenſo *conſentire*, & (quaſi hoc parum foret) *rigida charitatis forma* blandiùs conformari, excudi, imprimi? Profectò rigida *charitatis eſt forma*, qui *aduerſario* omnimodè *conſentit*, & illius voluntatem quaſi quâdam typi formâ exprimit. Hæc hactenùs dixerim, non vt leges condi deſinant, quæ ſunt probitatis ſpeculum, iuſtorum idea, & rigidus iniuſtorum lupatus qui illos arctè cohibet, ne in vitia ruant, Sed vt paucæ ſint, ne præceptionum multitudo, obſeruationis fiduciam exanimet, & obſequelæ neglectum negotietur. Sæpè à pædagogiâ imperitè diſtrictiori, indiſciplinatus euadit puer; & temerariè impudens, diſciplinæ frænos mordet, & rectorem contemptim excutiens, in vitia periculoſiùs præcipitat. Vt olim vitiis, ſic nunc vitiorum remediis laboratur. Antiquarum legum

Hic verſ. 2.

obſeruatio, ſit ſollertius Magiſtratuum negotiũ; non otium, ſeu ambition ouarum pro nutu condendarum. Vel ipſa diuina lex, dum hîc *nomitatis* arguitur, contemptim tractatur, & peracerbè ab impiis prædamnatur.

7. Matth. 5. v. 44.

Matthæi 5. adhuc in monte Euangelicæ diſciplinæ œconomiam Chriſtus tradit: Audiſtis, inquit, quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos* (quæ verba explicat Græcus, & Syrus de *militari inſultu, & violentia*) *& orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos: vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt.* Non morabor hic Interpretes, neque Scholaſticos, an Chriſtus Deus nunc impoſuerit præceptum diligendi inimicos: nam multorum ſententia eſt, Chriſtum niſi in re ſacramentorum, nullum impoſuiſſe præceptum. Præterquam quòd in plurium opinione, nullum eſt ſpeciale præceptum diligendi inimicos, quod ſub præcepto charitatis aut miſericordiæ non ſit aliàs contentum. Ex his ergò notatum vellem, quod aliàs obſeruauimus: *Chriſtus hîc non imponit ſpeciale præceptum diligendi inimicos, ſed vt conſilium publicat.* Id eſt, tanquam conſilium (id enim vocula *vt* ſignificat) id eſt, verbis quæ exertum præceptum non ſonant, ſicut cùm dicit: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Et alibi, *Hæc mando vobis*, &c. Itaque ſiue ſit præceptum ſpeciale, ſiue generale, ſaltem cùm abſtineat ab imperioſâ voce, *mando, iubeo, præcipio*; & tantùm dixerit, *Ego autem dico vobis*, dilectionem inimicorum, *vt conſilium publicat*, & ad illam mititate, quâ conſilia proponit, adhortatur. *Nam conſilia, & nutus Superioris arctiùs obligant comitatem ſubditi, quàm exertum mandatum*, qui erat illius thematis ſcopus. (procùl calumnia) Nimirùm Chriſtus Deus ſiue nullum tunc proponat præceptum dilectionis inimicorum cùm eiuſmodi dilectioni, tot ſolius perfectionis circunſtantias admiſceat, alibi imponẽdum, aiens, *Hoc eſt præceptum meum*, &c. *Hæc mando vobis*, &c. Siuè imponat præceptum ſpeciale, ſiue

Græcus. Syrus. S. Thom 1 2. q 108. art. 2. in corp. Suar. de Relig. c. 4. l. 10. c. 7. & de leg. l. 10

*Vel lex tanquam conſilium placidè propoſita rudes ad obſequium ſubditos comitate edomat.*

Auctor in Iudith., in Indice ad Conciones fer. 6 post Cineres.

præceptum generale proponat; ſaltem imperioſis *præcipiendi* verbis abſtinet, & tantùm ait: *Ego dico*, quo verbo conſilia etiam ibi proponit; vt vltrò alliciat ad perfectius obſequium: nam auſteriora iubendi verba non ita ad obſequelam domant ſubiectorum Dominam voluntatem. Tempeſtiuè Tertullianus lib. 2. contra Marc. c. 19. *Dei legem*, inquit, *non duritia promulgauit Auctoris, ſed ratio ſumma benignitatis, populi potiùs duritiam edomantis, & rudem obſequio fidem operoſis officiis dedolantis.* Porrò diſtrictum ſeuerè præceptum, dum coactionis minas exerit, ſæpè ſubiectorum animos alienat ab obſequij ſtudio. At inſinuata Superioris voluntas, pacatè ac placidè propoſita, dum comitatem vrbanitate etiam obligat, & velut rogando iubet, animos quantumuis agreſtes edomat dedolat, læuigat, & expolitè generoſum obſequium negotiatur. Exindè dilectionis inimicorum *legem non duritia promulgauit Auctoris, ſed ratio ſummæ benignitatis, populi potiùs duritiam edomantis, & rudem obſequio fidem operoſis officiis dedolantis.* Sic Chriſtus Euangelicæ perfectionis ſummam erudit aiens: *Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos: & orate*, &c. Conſultò abſtinens ab imperioſo præcipiendi verbo.

Tertull.

## §. CXII.

### *Auſteriores hominum leges, dum præ arduitate terrorem incutiunt, violationem ſubornant.*

*Quoties parum fiduciæ eſt in his quibus imperas* (aiebat Seneca) *amplius eſt exigendum quàm ſatis eſt, vt præſtetur quantùm ſatis eſt. In hoc omnis hyperbole excedit, vt ad verum mendacio veniat. Itaque ille dixit: His immobilior ſcopulis, violentior amne: hoc quidèm ſe perſuaſurum non putauit, aliquem tam immobilem eſſe, quàm ſcopulum. Nunquam tantum ſperat hyperbole, quantùm audet: ſed incredibilia affirmat, vt ad credibilia perueniat.* Eloquenter quidèm, ſi ad dictionem attendas; Si verò rem ipſam penitiùs ſpectes, planè infeliciter. Porrò leges nimiùm rigidæ, quò auſteriores ſunt, eò maiorem incutiunt terrorem; terror autem puſillanimes facit; magnanimos autem quodam legis tædio ad violationem ſubornat, dum propriam libertatem, ac potentiam obnixiùs vindicant. Vndè Anacharſidi illud tribuitur multò vulgatiſſimum: *Leges araneorum telis ſimiles eſſe, in quibus infirmiora animalia hærerent, valentiora perrumperent: ita leges humiles ac tenues conſtringunt, à potentioribus impunè violantur.* Adeò vt Antiſthenes ſapientiſſimus Athenenſium philoſophus *negaret ſapientem virum obſtrictum eſſe legibus ab hominibus promulgatis.* Sint ergò leges non valdè auſteræ, ne ſæuum terrorem incutiant, & cum promulgatione horror & tædium combibatur imbonus legum ſodes.

1. Seneca epiſt. 95.

*Lex hyperbola comparatur.*

Valer. l. 7. c. 2.

*Leges ſunt telis araneorum ſimiles, & quare.*

Laërt. l. 6.

Iudicum 5. Debora pro victoriâ ſtrenuè partâ, ſic Deo occinit: *Domine cùm exires de Seir, & tranſires per regiones Edom, Terra mota eſt, cæli que ac nubes diſtillauerũt aquis.* Explanatio eſt exitus

2. Iudic. 5. v. 4.

Iſraëlitarum: declaratur enim quod exiuit de Seit ad montem Sinaï, vbi legem Dei populus accepit. Vndè additur: *Terra mota eſt. Iuxta Hebraum habetur*, ait ibi Caietanus, *Terra tremuit: Ad litteram enim mons Sinai tremuit. Cælique ac nubes diſtillauerũt aquis. Nullibi in libris ſcribitur nubes ſtillaſſe aquas. Verùm quæ non ſunt ibi ſcripta hic ſupplentur.* P. Ioannes Mariana vir magnus noſtro æuo, & meliore dignus, his verbis præſcriptum locum ad rem commentatur. *Terra mota eſt, cælique ac nubes diſtillauerunt aquis. Tunc terra tremuit*, inquit, *montes & nubes diſtillauerunt (pro ſoluti ſunt in) aquas, præ timore ſudauerunt.* Nimirùm ſermo eſt metaphoricus, & qui poëticè rem deſcribit. Cùm enim Moyſes in monte Sinaï legiſlator adeſſet, quaſi parum foret aëra horrendis mugiiſſe tonitruis, & fulguribus deflagraſſe, exanimalis etiã terra *tremuit*, & altè concuſſa eſt: cælique ac nubes non tam *diſtillauerunt aquis*, quàm *præ timore ſudauerunt*. Cæline ad præſentiam Legiſlatoris *præ timore ſudant?* O quàm multa, quàm paucis! Tantus legum ferendarum terror, peruicacibus idololatricè Hebræis cõgruebat; congruit enim his, qui ſuffocãtur à vitiis: nec tam eorum mens inſtituenda, quàm eorum pertinacia caſtiganda edomanda, & frangenda erat. Cæli ergò *præ timore ſudent*, vt præ legum terrore homo præ metu madeat. Sed viderint Bibliorũ periti qualem obſeruantiam ſic extorſit. Imò de eius repudio hîc apud Perſarum Regem ſeriò agitur.

Caiet. ibi.

*Dum adeſt Legiſlator hominum, vel cæli præ timore ſudant.*

Mariana inibi.

Hic v. 8.

3. Regius Pſaltes ſic Deum modulatè alloquitur: Exurge Domine, non confortetur homo, iudicentur gentes in conſpectu tuo. *Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos, vt ſciant gentes quoniam homines ſunt.* Cardinalis Bellarminus inibi ſic locum excribit, & exponit: *Nomen Hebraicum, Morah, vel More, Doctorẽ ſignificat, & etiam terrorem, vt vertit S. Hieronymus. Et quia Propheta loquitur de Doctore terribili, qui enim imperio præcipit, & docet, ideò rectè Legiſlatorem dixerunt Septuaginta.* Nõ morabor nunc Interpretes, quiſnam fuerit hic *Legiſlator*, tametſi ſciam apud locupletes Commentatores Antichriſtum eſſe. Et ſanè humanus *Doctor*, qui probabiles ſcientiarum diſciplinas, ſic imperiosè tradit, quaſi foret *Legiſlator* leges populis condens, qui *terrore* incuſſo, citiùs quàm maſculo rationis vigore, eas ſuadere præſumit, quid ſit ſcire, egregiè neſcit. Scilicet diffiſus ſuæ doctrinæ viribus, non tam probationibus opinionem ſuam ſuadere contendit, quàm *Legiſlatoris ad inſtar*, imperio, & *terrore*; ſequelam præcipiendo, non ſuadendo ſequelam. Cæcum doctrinæ obſequium expetit, quod rebus fidei præſtatur; non oculatum perſpicuè diſcurſum, quod eſt ſcientiarum elogium, & perſuadendi vigor, exambit. Terror illis pro ratione eſt, quæ eſt ſectandæ doctrinæ infelix perſuaſio, & quæ pertinaciter puſillanimes diſcipulos inuenit, aut fecit. Fauor aut terror inidoneum eſt ſuadendæ veritatis illicium. Antichriſtus eſt, Antichriſtus inquam, qui in ſuadendâ doctrinâ ſimul eſt *Doctor, Legiſlator, & terror*. Et hi ſunt maximè Hæretici, & errones hæreticis confines: hi capitones ſunt, aut rem tractandæ probabilis veritatis non capiunt: ſuarum opinionum amantes ſine riuali. Ceterùm ad rem diligenter attende, quòd poſt legem Euangelicam miti placidè magiſterio promulgatam, *terror* non eſt bonum *Legiſlatoris* ſynonymum. Veritas Euangelica, & Chriſtiana morum œconomia, maſculâ veritatis ſuaſione, & arcanâ quadam gratiæ officioſitate ſuadenda eſt, non *terroribus* more caſtrorum. *Terrores* pauculis, ipſiſque pertinaciter obſtinatis, congruunt; rationum vigor, & blandior politia, feliciùs perſuadet.

Pſ 9.v.21.

Card. Bellar. ibid.

*Infeliciter doctrinam perſuadet, qui ſimul eſt doctor, Legiſlator, & terror.*

Plures ex Patribus apud Lorin. ibi.

*Terror non eſt bonum Legiſlatoris ſynonymum.*

Lucæ 2. Factum eſt autem in diebus illis: *Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.* Vel, vt alij Codices habent, *Vt cenſum profiteretur vniuerſus orbis terra.* Per hunc profeſſionis cenſum Cæſareâ lege præſcriptum, ab vniuerſo terrarum orbe præſtandum, antiquam, & antiquatam legem typicè ſignificatam putat Ambroſius; cui nouam opponens, vtriuſque elogia inibi tempeſtiuè tradit: De ortu Saluatoris dicturi, inquit, non putamus alienum, vt quo natus ſit tempore requiramus. Quid enim profeſſio ſecularium ad generationem Domini pertineret, niſi vt aduertamus hoc quoque diuinum eſſe myſterium, *quia dum profeſſio ſecularis obtenditur, ſpiritualis impletur, non terrarum Regi dicanda, ſed cæli.* pulcherrima quidem ad mores ſententia, & alibi ornatiùs expendenda. Pergit ad rem Ambroſius: *Profeſſio iſta fidei, cenſus animorum eſt. Aboliro enim Synagogæ cenſu vetuſto, nouus cenſus Eccleſiæ parabatur, qui tormenta non exigeret, ſed auferret . . . . Nihil in hoc cenſu verearis terribile, nihil immite, nihil triſte.* Vide quàm ſit lex noua à veteri diuerſa. Dum hæc promulgatur, aër horriſono fragore ſæuius mugit, montes præ horrore tremunt, & ab imis ſedibus concutiuntur, & ipſi cæli *præ timore ſudant*. At in Chriſti lege nihil triſte, nihil immite, nihil horribile; quippè quæ officioſo gratiæ cenſu, antiquæ legis *tormenta non exigeret, ſed auferret*. Luculenter quidem Ambroſius! 4.

Lucæ 2. v. 1.

S. Ambr. in cap. 2. Lucæ, lib. 2.

*Lex noua antiqua legis terrore, & tormenta abſtulit.*

5. Paullus ad Hebræos 12. proponens diſcrimen inter legem veterem & nouam, ait: *Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem, & accenſibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ ſonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excuſauerunt ſe, ne eis fieret verbum.* Omnia Paulli verba terrorem latæ legis eructant. *Lator autem legis, vt pugnator apparet, & terribilis*, ait inibi Hugo. Et ſanctus Thomas ſingula verba ſigillatim expendens, illud *procellam & tubæ ſonum*, ſic elucidat: *Dicit procellam, quæ propriè eſt conturbatio maris: largè autem dicitur conturbatio aëris cum turbine & pluuiâ: vndè ſignificat auſteritatem comminationum, quæ erant in veteri lege.* (Nota attentiùs quæ ſubdit) *Sonitus tubæ ſignificat grauitatem præceptorum, ad quorum adimpletionem, indicebatur homini bellum contra ſeipſum.* O quot terrores in *auſterâ* lege apparent! Adeſt Moyſes, non tam quaſi *Legiſlator*, quàm ſicut *bellator*: *Tubæ ſono indicebatur homini bellum.* Exindè legum vocẽ *qui audierunt, excuſauerunt ſe, ne eis fieret verbũ.* Quid eſt, *excuſauerunt ſe?* O præproperas moraliſſimè excuſationes! *Excuſant* horribilem legum notitiam, è promulgatione partam? an præſagâ mente futuram populariter violationem *excuſant?* Imò & præmaturam violandæ legis veniam deprecari forſan potuiſſent. Non bonum, opinor, omen fuit obſequij legibus exinceps præſtan

Ad Hebr. 12 v 18. & 19.

*Moyſes Legiſlator eſt, tanquam bellator bellum indicens.*

Hugo ibi.

S. Thom. ib.

*Hebræus populus vbi auſteriorem legẽ audit, ſtatim ſe excuſat.*

præſtandi, quod vbi primùm legem audire incœperunt, ſtatim ſucclamantes, *excuſauerunt ſe.* Vel anticipatæ *excuſationis* vocabulum, violationem infauſtè auguratur. Longè aliud quidem fuit legis gratiæ auſpicium, quæ eſt Paulli mens.

5. Idem Gentium Doctor, & legis gratiæ antiſtes, ita ſcribit ad Coloſſenſes: Et vos cùm mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ, Chriſtus *conuiuificauit, donans vobis omnia delicta.* Et confeſtim ſubdit quo modo præſertim Iudæis omnium delictorum velut anticipatam veniam Chriſtus condonauerit: Ad Coloſſ. 2.v.14.&15. *Delens*, inquit, *quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci: & expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter palàm triumphans illos in ſemet ipſo* Grande hinc oritur apud Expoſitores litigium, quodnam ſit hoc *chirographum decreti*, quod Chriſtus Deus cruci affixit, & ſanguine ſuo aboleuit, atque expunxit: quo abolito, Principes ac Poteſtates traduxit, & detriumphauit? S. Anſelmus ſic inibi locum exponit: S.Anſelm. *Deleuit ergo chirographum decreti, id eſt memoriam tranſgreſſionis, quæ erat ex decreto, id eſt, ex lege. Conſcientia enim noſtra & Diabolus, ad accuſandum erat memoria illius tranſgreſſionis.* Itaque Anſelmus cenſet *chirographum* hoc eſſe memoriam noſtram, & Dæmonum accuſantium nos de peccatis. Theodoretus verò corpus noſtrum, & eius delicta, per hoc chirographum indicari putat, ſic fatus: Theordor. *Exiſtimo etiam corpus noſtrum appellari chirographum. Per id enim omnes ſceleratas & nefarias actiones ſuſcipimus: per oculos quidem, laſciuè & impudicè aſpicientes: per linguam autem, ea quæ non decet loquentes: per aures, pernicioſam doctrinam ſuſcipientes: manus autem, furtum, & vim, & in aliena inuaſionem, & cædem admittentes. Deus ergò Sermo, noſtrâ ſuſceptâ naturâ, eam ab omni peccato liberam cuſtodiit: deleuit quæ malè à nobis facta ſunt ſcripta debitorum.* S. Thomas per hoc *chirographum* intelligit memoriam Dei reſeruantis peccata. S.Thom. S.Ambroſ. Ambroſius verò hoc *chirographum* vult eſſe peccatum, & debitum Adæ ad nos propagine tranſcriptum. Denique ipſe etiam Theodoretus, quem alij ſequuntur, ad præfata Paulli verba, ita ſcribit: Theodoret. Exhod. 24. *Chirographum quidam dixerunt eſſe legem. Poſt eius enim execrationem dixit, inquit, populus: Quæcúmque dixit Dominus Deus noſter, faciemus, & audiemus.* Ecce tibi *chirographum*, quod alij cenſent eſſe noſtram conſcientiam, aut memoriam Diaboli accuſatricem, aut Dei memoriam peccata ad punitionem reſeruantem, aut Adæ debitum ad nos propagine tranſcriptum, aut corpus noſtrum, quod eſt omnium ſcelerum procliue conceptaculum, & alia ſexcenta non bona elogia, quibus hoc *chirographum* deuenuſtatur; apud Theodoretum *lex* appellatur. Scilicet Chriſtus Deus *legis chirographum* cruci affixit, & ſuo deleuit ſanguine: vndè *expolians principatus, ac poteſtates, traduxit confidenter, & illos palam triumphauit.* Ecquis reſuſcitet, quod Chriſtus crucifixit? quis reſcribat, quod ſuo ſanguine Chriſtus deleuit? Bona eſt ſæpè lex: ſed cùm ſit pedagogus eorum, qui ſuffocantur à vitiis; leges non paſſim in omnes vibran-

*Chirographum, quod Chriſtus affixit cruci, lex putatur: ne ergo reſigatur.*

dæ ſunt; ſint paucæ, & altiùs meditatæ. Odi politiam facilè legiſlatricem, id eſt, abolitum chirographum fruſtrà reſcribentem. Legum paucitas, propera delictorum venia eſt. O quàm ſæpè ipſa auſterior legum multitudo, violationis fomitem è diuerſo ſpirat! Nitimur in vetitum; & noſtræ libertatis imboni aſſertores, furtiuis aquis gratiùs deliciamur.

## §. CXIII.

*Nimia vetuſtatis olim reuerentia, Idololatriæ plaudit, Iudaiſmo militat, Euangelio obſtrepit: ne ergò ſibi Chriſtianus inuideat veri in Chriſto Numinis nouum inuentum.*

MVlta in re litterariâ quam eſſent ſuperuacua ad euacuandam quæſtionum difficultatem, non intelleximus, niſi cùm abeſſe cœperunt. Vtebamur canis opinionibus, non quia debebamus, ſed quia facilè parabiles habebamus. Quàm multa autem inconcuſſe vera cenſebamus, quia alij ſic cenſuerunt, quia apud pleróſque ita cenſebatur. *Inter cauſſas malorum noſtrorum eſt,* ait Seneca, *quòd viuimus ad exempla, nec ratione componimur, ſed conſuetudine abducimur.* Quod pauci nuper facerent, nollemus ſubſequi; cùm plures olim ita cenſuerunt, vltrò ſequimur: *quaſi honeſtius ſit, quia frequentius: & recti apud nos teneat error, vbi publicus factus eſt.* O quàm eſt infortunata veritas, quæ fugit priſcorum ſollertiam! Per mendacij auia exorbitabat olim ſuperſtitio, cæcâ felicitate, & proſpero errore: ſed contra veritatem præſcribere non eualuit: veritas enim caret tempore; ſuo ſe robore fulcit, non cano & caduco plurium retrò ætatum ſuffragio. O quanta, quámque acerba ſuſtinuit Chriſtiana religio aliquando nouella, à faſtuoſo vetuſtatis ethnicæ ſupercilio! adeò vt dixerit Nazianzenus Orat. in ſancta lumina: *Ecquid eiuſmodi Gentiles celebrant? quorū ego ceremonias omnes & myſteria meras nugas eſſe cenſeo, tenebroſumque Dæmonum inuentum, ac perditæ mentis figmentum, temporis ope ac præſidio fultum.* 1.

Senec. epiſt. 124

*Recti apud nos tenet error, vbi publicus factus eſt.*

S. Naz. Orat 29.

Actor. 17. Paullus Gentium Doctor pergit Athenas ſcientiarum vrbem, & errorum metropolim, vt Gentibus Chriſtum euangelizet. Quidam autem Epicurei, & Stoici philoſophi diſſerebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult ſeminiuerbius hic dicere? *Alij verò: Nouorum Dæmoniorum videtur annunciator eſſe: quia Ieſum, & reſurrectionem annunciabat eis* Benè inibi notat Vatablus *Dæmoniorum* loco potuiſſe verti, *Deos.* Vnde Syrus ſic locum exſcribit: *Deos alienos prædicat*, quia prædicabat Chriſtum Deum. Nimirùm ſecularis ſapientiæ proceres auitâ idololatriâ enutriti, priſcos Maiorum Deos vltrò colunt, & Chriſtum verum Deum vel Paulli ore annunciatum, contumelioſè reſpuunt, ſolo nouitatis nomine, quaſi *Deum nouum & alienum prædices.* Recti apud eos tenet error, quia iam diu frequens & publicus factus eſt Et quidem mirifſimum eſt, quantò Euangelicæ prædicationis diſpendio hic error increbuit. Cæcilius ethnicus ſic pro Idololatriâ aduerſus Octauium Chriſtianum, apud Minutium Felicem 2.

Actor 17. verſ. 18.

Vatabl. ibi Syrus.

*Athenienſes reiiciunt Chriſtum, quaſi nouum Deum.*

Minut. Felix in Octa.

*Quantò*, inquit, *venerabiliùs ac meliùs, antiſtites veritatis Maiorum excipere diſciplinam: religiones traditas colere: Deos quos à parentibus antè imbutus exiſtimare quàm cognoſſe, familiarius adorare: nec de numinibus ferre ſententiam, ſed prioribus credere, qui adhuc rudi ſeculo in ipſis mundi natalibus meruerunt Deos vel faciles habere vel reges.* Penſita accuratiùs ſingulas Minutij ſententias ad rem opportuniſſimas, & obſerua quàm altè deſcenderit Gentilium error, vetuſtatis ſuffragio fultus. Et poſt pauca ſubtexit: *Hic perpetuus venerationis tenor manſit, qui longâ ætate non infringitur, ſed augetur: quippè antiquitas ceremoniis atque fanis tantùm ſanctitatis tribuere conſueuit, quantum adſtruxit vetuſtatis. Nec tamen temerè (auſim autem interim & ipſe concedere, & ſic meliùs errare) Maiores noſtri inſtituendis ſacris, aut delubris dedicandis operam nauauerunt.* &c. Benè & optimè (*meliùs* inquam) ſe dicit *errare*, quia in turpiſſimo religionis errore auitam Maiorum religionem ſectatur, ratione deſtitutam, veritate viduatam, ſed auctorato antiquitatis ſuffragio fultam. O vide mihi in quos errorum ſcopulos impegerint inconſulti vetuſtatis riuales, apud quos irrationalis inanium Deorum ſuperſtitio, *tantùm ſanctitatis tribuere conſueuit, quantùm adſtruxit vetuſtatis.* Exindè Chriſtus quaſi nouus Deus, *Dæmonium* appellatur, & nouitatis titulo ab Athenienſibus philoſophis vniuerſatim ablegatur, refutatur, proculcatur; & eius Euangelium tanquam deridicula ſuperſtitio contumelioſè exibilatur.

3. Itaque Athenienſis ſchola, tunc habita ſapientiæ apex, vſque adeò de vetuſtatis faſtu obbruteſcit, vt contemptim reiiciat Paullum, quia *Deum nouum & alienum prædicat*: ipſa autem adoret inaniſſima Deorum ſimulacra, quæ vetuſtiſſimi erroris ſcalis ad delubrorum altaria, & cælorum faſtigia conſcenderũt. Sic ergo ethnico Cæcilio nuper argutanti, Octauius reſpondet Catholicus: Quanta verò, inquit, de Diis veſtris animalia muta naturaliter iudicant; mures, hirundines, milui: non ſentire eos ſciunt, norunt, inculcant, inſident: ac niſi abigatis, in ipſo Dei veſtri ore nidificant. Araneæ verò faciem eius intexunt, & de ipſo capite ſua fila ſuſpendunt: vos tergitis, mundatis, eraditis: *& illos quos facitis, protegitis & timetis. quiſque veſtrum non cogitat, priùs ſe debere Deum noſſe, quàm colere: dum inconſultè geſtiunt parentibus obedire:* (nota quæ ſubdit verba) *dum fieri malunt alieni erroris acceſſio, quam ſibi credere: dum nihil ex his quæ timent, norunt.* Vide Idololatriæ peruicaciam, venerandæ vetuſtatis præſcriptione ſuffultam, & inconſultâ Maiorum reuerentiâ ſubornatam, *dum fieri malunt alieni erroris acceſſio, quàm ſibi credere.* Non dimittam innotatum, quod dicaciter garrula Athenarum ſapientia, Chriſtum dicit *nouum* Deum iuxta editionem Vulgatam, & iuxta Syriacam, *alienum.* Scilicet abiiciunt tanquam *nouum* quod putant *alienum.* Porrò quod Athenienſes cenſent à ſuo gymnaſio *alienum*, de *nouitatis* vitio cotumelioſè arguunt, & hoc nomine inſipienter condemnant.

Actor. 17.v. 18 iuxta Syriacã tráſtat.

*Idololatra malunt fieri alieni erroris acceſſio, quã credere veritati nuper repertæ.*

Minut. ſupr.

*Chriſtus dicitur Deus nouus, quia alienus.*

4. Ad hoc forſan Paulli cum Athenienſibus philoſophis colludium adludens Tertullianus, ait: *Siquidem & ab Apoſtolo iam tunc Philoſophia concuſſio veritatis prouidebatur. Athenis enim expertus linguatam ciuitatem, cùm omnes illic ſapientiæ atque facundiæ caupones deguſtaſſet,* &c. Ecquid Paullus guſtauit de Athenienſis ſapientiæ atque facundiæ cauponibus? Opinor, *nouus* Dei (vt appellabant) repulſam, ne caſcos & auitos Deos reiiceret. Exindè oggannit vetuſta Philoſophia: *Deum nouum, & alienum prædicat*, Paullus inquam. Pergit Tertullianus: *Philoſophia magis dicendo perſuadet, quàm docendo. Formas rebus imponit, eas nunc peræquat, nunc priuat, de certis incerta præiudicat, omnia præſcribit, nihil diuina licentia ſeruat, leges naturæ opiniones ſuas facit.* Quid eſt, quòd Philoſophia, quæ res omnes & ſublunares & cæleſtes exagitat, *omnia præſcribere* perhibetur? Porrò *Præſcriptio* ſecundum Goffredum C. eodem tit. eſt, *Quoddam ius ex tempore ſubſtantiam capiens, id eſt, firmitatem.* Ergò Athenienſis Philoſophia, cuius ſapientiæ ac facundiæ caupones Paullus nunc deguſtabat, *omnia præſcribit*, cùm etiam in cælum præſcriptionem protelat; & vetuſtis ſuis Idolis, ridiculariis numinibus inquam, facit *quoddam ius ex tempore ſubſtantiam capiens, id eſt firmitatem.* Hoc nomine priſca Philoſophia vetuſtos & inaniſſimos Deos retinet temporis ſuffragio auctoratiſſimos; & Chriſtum verum Deum probroſè ſubſannat; quaſi *Deum nouum, & alienum.*

Tertull de Anim.c.3.

*Priſca Philoſophia de priſcis Diis malè præſcribit.*

Syriaca & Vulgata ibi.

Tertull. ſup. cap. 2.

Goffr. C. de Præſcript.

In hoc cap. 3 v. 8. Grauatè nimis tulit Aman, Mardochei in religione conſtantiam, quà illum à ceteris adoratum, contemptim negligebat. Atque pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus ſuas, magiſque voluit omnium Iudæorum perdere nationem, *Dixitque Aman regi Aſſuero: Eſt populus per omnes prouincias regni tui diſperſus, & à ſe mutuò ſeparatus, nouis vtens legibus, & ceremoniis. Si tibi placet, decerne vt pereat* Ecce tibi ab Ethnicis Hebræam tunc religionem atrociter damnatam, quaſi *nouis vtatur legibus, & ceremoniis.* An bruta impudenter Idololatria verior erit, quia vetuſtior eſt? Peridoneè Tertullianus in Apologetico aduerſus Gentes, ita fatur contra Idololatras: *Primam inſtrumentis iſtis* (Bibliis inquam) *auctoritatem ſumma antiquitas vendicat. Apud vos quoque religionis eſt inſtar, fidem de temporibus aſſerere.* Benè apud Ethnicos *nouitatis* titulo damnatur vera tunc Dei lex, quam per Moyſen tot ſignis promulgauit: quia apud Ethnicos, *religionis eſt inſtar, fidem de temporibus aſſerere.* Eheu vera veri Dei religio exauctorata, & diræ ſtragis rea facta eſt, quia *nouis vti legibus, ac ceremoniis* perhibetur! O vide, quàm ſit veræ religioni pernicioſum, cæco credulitatis impetu, *Fidem de temporibus aſſerere!* Profectò veriſſima eſt illa Iuris parœmia: *Quod initio vitioſum eſt, tractu temporis non conualeſcit.* 5.

*Hic v. 8.*

*Apud ethnicos religionis eſt inſtar, fidem de temporibus aſſerere.*

Tertull in Apoleg. c. 19.

Marci 1. Chriſtus Deus venit in Capharnaum, & ingreſſus Synagogam, docebat eos. *Et ſtupebant ſuper doctrinâ eius:* erat enim docens eos, quaſi poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ. Et imperialibus verbis excantato Dæmone, mirati ſunt omnes, ita vt conquirerent inter ſe dicentes: *Quidnam eſt hoc? quænam doctrina hæc noua?* O ſtolidum hominum ſtuporem! Eccur doctrinam Euãgelij è cælo ſtillatã, Chriſti Dei ore eliquatam, non vltrò accipitis? quid cunctanter hæſitatis, quoniã Moyſes multis retrò ſeculis eam Maioribus veſtris nõ tradidit; ſed nuper eã auditis? Veteratores veſtri Phariſæi 6.

Marci 1. v. 27.

*Quid nobis ni uidemus, ſi non olim. ſed nunc Euangelij veritas maturuit!*

riſæi, vetuſtis duntaxat imbuti doctrinis, eam oſcitanter ignorant: ſed hanc *doctrinam nouam* nouus homo Chriſtus Ieſus feliciter adſpirat: igitur congratulamini inuicem de nouo cæleſtis diſciplinæ inuentu. Eleganter ſanè Minutius Felix: *Gloriamur*, inquit, *nos conſecutos, quod illi ſummâ intentione quæſierunt, nec inuenire potuerunt. Quid ingrati ſumus? quid nobis inuidemus, ſi veritas diuinitatis noſtri temporis ætate maturuit? Fruamur bono noſtro, & recti ſententiam temperemus: cohibeatur ſuperſtitio, impietas expietur, vera religio reſeruetur.* Faceſſat ergò ethnicum & Iudaicum ſupercilium, inerte faſtidio blatterans: *Quidnam eſt hoc? quænam doctrina hæc noua?* Imò potiùs nobis gratulemur quia denuò feliciter conſecuti ſumus, quod à ſeculis retrò actis, illi ſummâ intentione quæſierunt, nec inuenire potuerunt. Quid ingrati ſumus de nouo veritatis inuentu? *Si veritas diuinitatis noſtri temporis ætate maturuit, fruamur bono noſtro.* Neque antiquitas præoccupauit veritatem, neque nouitas luſca eſt ad veritatis inuentum. Teneo planè falſum ſæpè antiquitate generoſum. Ad hæc, τὸ *maturuit*, epithaſim habet minimè vulgarem. ac ſi vetuſtis retrò ſeculis Euangelium quaſi crudum & immaturum extiterit, nec Patriarcharum, ne dum Gentilium ætate: ſed noſtrâ, recenti ac nouâ maturuerit. Sed adhuc hic Minutij locus emedullādus eſt Eccleſiaſtici 14. Sic ſententiosè cribitur: *Qui ſibi inuidet, nihil eſt illo iniquius, & hæc redditio eſt malitia illius.* In huius ſententiæ intelligentiâ, nemo Interpretum non ſtatim hæret. Quo enim modo fieri poteſt, vt quis ſibi inuideat? Profectò inuidia eſt tetricus liuor de alieno bono: nam de proprio, gaudij citiùs, quàm inuidiæ meretur elogium. Aſt quantùm quiſque nimiæ auctoritatis tribuit. Antiquioribus, ſibi inuidioſè detrahit, quaſi veritatis quærendæ, & inueniendæ impar ſit. Aduocare iterum liceat Minutij Felicis verba plena eruditionis, plena ingenij: *Gloriemur nos conſecutos, quod illi* (vetuſti Sapientes inquam) *ſummâ intentione quæſierunt, nec inuenire potuerunt. Quid ingrati ſumus? quid nobis inuidemus, ſi veritas diuinitatis noſtri temporis ætate maturuit? Fruamur bono noſtro.* Ecce tibi Iudæos & Ethnicos, inſanos Antiquitatis tiuales ſibi *inuident* felicem veritatis inuentum quo veræ religionis nanciſcendæ aditum ſibi inuidioſè præcludunt. *Qui ſibi inuidet, nihil eſt illo iniquius.* Ergò, *quid nobis inuidemus, ſi veritas noſtri temporis ætate maturuit? Fruamur bono noſtro.* Itaque Antiquitas veneranda eſt, adoranda non eſt, ne cum Iudæis, atque Gentilibus, in peruicaciæ vada cæca temerariè impingamus.

Minut. in Octau. — Eccli. 14. v. 6 — *Qui adorat antiquitaté ſibi iniquè inuidet.* — Minut. ſupr.

## §. CXIV.

### *Non faſtuoſa diſputantis auctoritas, ſed diſputationis ipſius veritas, ad perſuaſionis energiam requiritur.*

1. EST etiam ſua fortuna virtuti, veritati. Decorè phaleratus equus emptori ſuſpectus eſt, qui mauult nudū inſpicere. Parùm ſæpè refert, quis dixerit; quid dixerit, vide, penſita, explora. Minutius Felix ſuum Octauium pro re Chriſtianâ, Cæcilio ethnico ſic reſpondentem inducit: Et quoniam Cæcilius, inquit, erupit ægrè ſe ferre, ſtomachari, indignari, dolere, illiteratos, pauperes, imperitos de rebus cæleſtibus diſputare; ſciat omnes homines ſine delectu ætatis, ſexus, dignitatis, rationis, & ſenſus capaces procreatos: nec fortuna nactos, ſed naturâ inſitos eſſe ſapientiam: quin ipſos etiam philoſophos, vel ſi qui alij artium repertores in memoriam exierunt, priuſquam ſollertiâ mentis pararent nominis claritatem, habitos eſſe plebeios, indoctos, ſeminudos; adeò diuites facultatibus ſuis illigatos, magis aurum ſuſpicere conſueſſe, quam cælum: noſtrates pauperes, & commentos eſſe prudentiam, & tradidiſſe ceteris diſciplinam. *Vnde apparet ingenium non dari facultatibus*, nec ſtudio parari, ſed cum ipsâ mentis formatione generari. *Nil itaque indignandum, vel dolendum, ſi quicumque de diuinis quærat, ſentiat, proferat; cùm non diſputantis auctoritas, ſed diſputationis ipſius veritas requiratur.* Omitte quis dixerit, & vide quid dixerit: quia ſecùs factum, Chriſtiana veritas deſpectui Gentilibus fuit. Non auctoritas & faſtus Amani legem Dei damnantis, ſed futilem ac friuolam eius rationem damnare potius libeat.

Minutius Felix in Octau. — *Ingenium nō datur opibus ſed natura.* — *Non diſputātis auctoritas, ſed diſputationis veritas requiritur.* — Hic v. 8. & 9.

2. Ioannis 7. ex conſulto ſenatus Iudaici mittuntur miniſtri, qui Ieſum comprehendant. Venerunt ergò miniſtri ad Pontifices, & Phariſæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxiſtis illum? Reſponderunt miniſtri: Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo. Reſponderunt ergò eis Phariſæi: Numquid & vos ſeducti eſtis? *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti ſunt.* Quid ergò ſi nullus Pontifex, ſi Princeps, ſi Scriba, ſi Phariſæus, ſi etiam Doctor nullus Chriſti Dei doctrinam accepiſſet; ideò Iudaiſmus tunc videbitur obtinere? & Chriſtianiſmus foret reiectaneus, quia ſimplex duntaxat turba illum ſectabatur? *Ex perſonis probamus fidem, an ex fide perſonas?* (ait appoſitè Tertullianus) *Nemo ſapiens eſt, niſi fidelis: nemo maior, niſi Chriſtianus.* Chriſtiana fides non probatur ex perſonis; ſed ex fide perſonæ probantur. Summa quidem orthodoxæ fidei dignitas ineſt; ſumma veritas, quæ nunquam vacillat: ſumma tandem grauitas: aptiſſimum ergò fidei teſtimonium, & teſtimonio humano Principum, & Sapientiorum præferendum, vt potiùs fides homines, quàm homines fidem probare, honeſtare, & nobilitare cenſeatur. Malè ergò Phariſæi ex perſonis probant Chriſti fidem, cùm potiùs perſonas ex fide probare debuiſſent. Faceſſat igitur Hebræorum Pontifex, Phariſæorum princeps, Hæreticorum apex: *Nemo ſapiens, niſi fidelis: nemo maior, niſi Chriſtianus*, quamuis e turba ſit, & plebeius, indoctus, ſeminudus, & (vt aiunt) e terrâ ſatus.

Ioan. 7. verſ. 48. & 49. — *Non ex perſonis probamus fidem, ſed ex fide perſonas.* — Tertull. de Præſ. adu Hæret. c. 3.

3. Matthæi 13. veniens Ieſus in patriam ſuam, docebat eos in ſynagogis eorum, ita vt mirarentur, & dicerent: *Vnde huic ſapientia hæc, & virtutes? Nonne hic eſt fabri filius? nonne mater eius dicitur Maria? &c. vnde ergò huic omnia iſta? Et ſcandalizabantur in eo.* Mirantur Chriſti virtutes, & eius doctrinam ſtupent; & quia pater eius putatur faber, & eius mater eſt fabri cōiux, ſic illum depretiant. vt in illo ſcandalizentur? O veſani rerum æſtimatores! ex operibus quæ admiramini, perſonæ qualitatem pendite; nō ex perſonâ, quā contēnitis, opera taxate. Nec de facto (inquit Minutius Felix) quiſquam aut ſolatium

Matth 13. v. 55. & 57. — *Iudica dignitaté ex actibus, non actus ex perſonæ dignitate.*

ſolatium captet, aut excuſet euentum. Sit ſortis fortunæ, mens tamen libera eſt. Nota quòd inde ad rem præſentem theſim ſubinferat: *Et ideò actus hominis, non dignitas iudicatur.* Quid *actus* de hominis dignitate iudicas; & non potiùs hominis *dignitatem* de actibus taxas? Fabri filius dicitur; ſed ipſe cælum & terram fabricauit. Mariæ filius eſt, & indè in terrâ cēſetur; ſed Dei etiam filius eſt, eius opera manifeſtè exhibet, è quibus potior Chriſti cenſus. Noli errare: *Actus hominis, non dignitas iudicetur.* Opera cuiuſque ſollertiùs explora, & iudica dignitatem ex actibus, non actus ex dignitate diiudices. Enormiter errauerunt Nazareni, quia non ex *actibus* Chriſti, eius *dignitatem* iudicabant; ſed actus admirandos, ex dignitate, quâ caruiſſe putabant. O vtinam actus eſſet dignitatis cenſus!

Minut. in Octau.

4.
Ad Roman. 1. v. 1. & 2.
Epiſtolam ad Romanos ſic auſpicatur: *Paullus ſeruus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de Filio ſuo,* &c. Eccur Paullus ſcribens ad Romanos orbis principes, è quorum ſide reliquarum regionum fides propè pendebant; in auſpicio Euangelicæ doctrinæ à ſe tradendæ, tot magnificis titulis ſe commendat? ſuæ gloriæ coram Romanis, an Euangelicæ veritatis aſſenſioni Paullus militat? *Obuoluta* (ait Lactantius) *in obſcuro veritas latet: atque vel contemptui doctis eſt, quia idoneis aſſertoribus eget; vel odio indoctis, ob inſitam ſibi auſteritatem.* Scilicet agnata eſt veritati auſteritas quæ arcet indoctos. Apud doctos autem in obſcuro latet veritas, & *contemptui eſt* eruditis, donec nanciſcatur *aſſertorem idoneum.* Vide quàm egeat veritas auctoritate docentis. Gratulor Euangelicæ veritati, quòd *idoneo aſſertore* gaudeat, Paullo inquam, Gentium Apoſtolo, ſegregato in Euangelium Dei, quod anteà promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſãctis. Gratulor etiam tot Biblicæ ac Scholaſticæ Theologiæ veritatibus nuper inuentis, & recens erutis ex Bibliorum, Conciliorum ac Patrum ſacrario; quippè quæ grauiſſimos auctores nactæ, *idoneis aſſertoribus* gaudent. Sic apud vulgares homines, non doctrina hominis, ſed dignitas iudicatur? *Cum* tamen *non diſputantis auctoritas, ſed diſputationis veritas requiratur,* vt nuper ex Minutio retulimus.

*Paullus idoneus Euangelij aſſertor, illud à contemptu vindicat.*

Lactan. l. 1. Diuin. inſt. cap. 1.

5.
1. Cor. 1. v. 26.
1. Cor. 1. *Videte* (ait Paullus) *vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mũdi elegit Deus, vt confundat ſapientes,* &c. nam hominis docentis auctoritas, potentia, nobilitas, ſapientia fidem diuinam imbecillè fundaret, cuius indubia veritas diuinâ duntaxat auctoritate fulcitur. Alioqui pulchro ſarchaſmo dixit Tertullianus: *Deliquit, opinor, diuina doctrina, ex Iudæâ potiùs quàm ex Græciâ oriens. Errauit & Chriſtus piſcatores citiùs quàm ſophiſtas mittens.* Nam vt rectè S. Zeno Veronenſis arguit in ſerm. de Fide: *Ceterùm ſi, vt quidam putant, fides docentis pendet ex ore, proculdubiò eodem aut ceſſante, aut aliter docente conſumitur.* Et rursùs in eodem ſermone: *O quàm indefenſa eſt fides, quæ regum, iudicum, diuitum, aliquoties etiam, quod peius eſt, & Gentium deſiderat per momenta patrocinia.* Denique concludit quare Deus ad diuinæ veritatis ſuadelam non elegerit doctos Philoſophos ſapientiæ famâ opinatiſſimos, ſed rudes & barbaros de lacubus & ſtagnis piſcatores: *Fortè, inquit, in eo ſe quis exiſtimat fideliorem, ſi loquatur arguté, cùm magis verus ſit ille fidelis, qui ſacrâ in prædicatione non vltrà quàm licitum eſt, aciem ſuæ tetenderit mentis: eò enim res deducta eſt, vt fides noſtra per Dei requiratur iniuriam.* Nimirùm quiſquis rebus fidei aſſentitur propter docentis auctoritatem, ſapientiæ famâ illuſtrem, aut ingenij, aut facundiæ celebrem opinionem: aut quia fides habet Regum, iudicum, & diuitum patrocinia; *proculdubio eodem* auctoratiſſimo Doctore *ceſſante, aut aliter docente conſumitur.* Hoc enim foret homini credere, non Deo; humanæ auctoritati dicentis aſſentiri, non meræ veritati, quæ magna foret ipſius veritatis offenſa: *eò enim res deducta eſſet, vt fides noſtra per Dei requireretur iniuriam.*

Tertull. lib. de anim. c. 3.

S. Zeno ſer. de Fide.

*Non tam docentis humana auctoritas, quàm rei veritas aſſenſũ extorquet.*

6.
2. Petr. 1. v. 16.
2. Petri 1. *Non* (ait Apoſtolus) *doctas fabulas ſecuti notam facimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & præſcientiam,* &c. Variant Latini Codices, & alij quidẽ *indoctas,* Vulgata editio, *doctas fabulas* legit, hoc eſt, argutè, ingenioſéque confictas, cùm tamen alioqui non à veritate tantùm, ſed etiam à probabilitate plurimùm abhorreant: quæ propterea indigniſſimæ erant, vt ab Apoſtolorum Principe commendarentur. Nam Gentilium quidem Poëtarum fabulæ, vt Iuſtinus, Athenagoras, Minutius, Arnobius, Tatianus, Tertullianus copiosè docuerunt, nihil habent ſolidi, ſed ſomniantium deliramentis ſimillimæ ſunt: quæ autem ab Hæreticis excogitata ſunt monſtra, è Poëtarum fabulis deſumpta ſunt, & qualia ſint ſatis ſe produnt ipſa, vt meritò dixerit Irenæus aduerſus eos: *Victoria eſt, ſententiæ eorum manifeſtatio.* Et Hieronymus: *Sententias veſtras prodidiſſe, ſuperaſſe eſt.* Verùm tametſi fabularum Poëtæ vel ipſo nomine figmenta propinent, tamen quia ſub figmentorum vmbris aliquandò aliqua veritatis lux tranſparet; Lactantius Firmianus ad veritatem fidei noſtræ comprobandam, nón veretur Gentiles ad Poëtarum fabulas prouocare, quin cenſuerit veritatem vel ficto Poëtarum ore deliramentis frequente, vllatenùs deuenuſtari. Tanta eſt veritatis vis! *Veniamus ad auctores,* inquit, *& eos ipſos ad veri probationem teſtes citemus, quibus contra nos vti ſolent, Poetas dico: ex his vnum Deum probemus neceſſe eſt, non quòd illi habuerint cognitam veritatem: ſed quòd veritatis ipſius tanta eſt vis, vt nemo poſſit eſſe tam cæcus, qui non videat ingerentem ſe oculis diuinam claritatem. Poetæ igitur,* &c. Poëſeos anima, fictio eſt, & mendacium argutè compoſitum, inaniſſimorum poëtarum labor. Attendendum eſt ergò, an tot mendacijs infames, aliquam veritatem ſibi ex poetico officio exoſam, fortè ſtillauerint; & verum aliquandò incurrerint, dum etiam fictè poëtantur. Nam licèt veritas in obſcuro latet, tamen in ipſis etiam futilium Poëtarum deliramentis, *nemo poteſt eſſe tam cæcus, qui non videat ingerentem ſe oculis claritatem: cùm non tam diſputantis auctoritas, quàm diſputationis ipſius veritas requiratur.* Vel ex Poëtarum fictitiâ officinâ veritas amplectenda eſt. Vnde quæ à quibuſdam dicuntur *indoctæ,* à Vulgato, *doctæ fabulæ* forſan perhibētur. Fateor, erubeſcit veritas Poëtarum figmentis ſubeſſe; non tamen erubeſcit ab exauctoratis Poëtis dici, ſed quoniam ſicubi dicitur, tectiùs occultatur. Nam vt pulchrè Tertullianus: *Non erubeſcit veritas, niſi abſcõdi:* ſemper enim illa in quocumque ore ſit, illo ſuo magnifico

*Aliquorum ſententias prodidiſſe, ſuperaſſe eſt.*

S. Irenæus & S. Hieron. apud P. Iuſtin. ibi n. 1.

*Vel ex Poëtarum fictitiâ officina, veritas amplectenda eſt.*

Lact. l. 1. diuin. inſt. c. 5.

Tertull. in lib. aduerſ. Valen.

magnifico auctore gloriatur: quia vt profundè dixit Ambroſius: *Omne verùm à quocumque dicatur, à Spiritu ſancto eſt*, vt alibi expēdebamus.

Auctor in Tobiam §. 5. n. 1.

7. Matthæi 22. Abeuntes *Phariſæi* conſilium inierunt vt caperent Ieſum in ſermone. Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum *Herodianis*, &c. Quorum ſubdolis argutiis perſpicuè extricatis, *In illo die acceſſerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem, dicentes: Magiſter, Moyſes dixit*, &c. Confutatis *Phariſæis*, eorumque diſcipulis cum *Herodianis*, *Sadducæi* ſeſe inſinuant diſputaturi cum Chriſto, vt in eius ſermone aliquid calumniari poſſent; cùm tamen ex confuſione priorum eos oporteret effici pigriores. Sed præſumptio inuerecundũ quid eſt, & pertinax, & impoſſibilia audacter tentans. Propterea Euangeliſta malitioſum eorum ſtuporem mirè ſtupens, id adnotauit, dicens, *In illo die*. Itaque illo ipſo die & acceſſerunt *Phariſæorum* diſcipuli cum *Herodianis*, & *Sadducæi* diſputaturi. Quorsùm tanta diſputantium auctoritas, & diſputationũ frequentia? Dubius Chryſoſtomus tempeſtiuè reſpondet: *In illo die acceſſerunt ad eum Sadducæi, &c. Quando recedebant Phariſæi, accedebant Sadducæi, fortè tali conſilio, quia decertabant quis eum antè deprehēdere poſſet; vel ſi ratione eum non poſſent ſuperare, ſaltem per ipſam frequentiam ſubuerterent ſenſum eius.* Vide hîc contumacis doctrinæ ſubdolas fruſtrà artes, vt dolo ſuperent, quem ingenio ac eruditione non eualent. Nempè nunc accedunt *Phariſæi* ſupercilio magni, & ſapientiæ faſtu turgētes, cum *Herodianis*, id eſt, regis Herodis miniſtris, & cōfeſtim *Sadducæi* argutioris ſectæ Proceres: vt ſi minùs rationum momentis, ſaltem diſputātium auctoritate, & diſputationum frequentiâ, Chriſtum fatigarent, & ſenſum eius ſubuerterent; illúmque quaſi Doctorũ omnium aduerſarium publicarent. Has technas architectatur inane ſapientiæ ſupercilium, inops ingenij, eruditionis inops. O caue quiſquis veritatem amas,

Matth. 22. v. 23.

*Diſputantiũ auctoritas, & diſputationũ frequentia, Euangelij doctrinam fatigare ambit.*

Imperf. homil. 42. in Matth.

---

## §. CXV.

### *Reciproca beneuolentia concordiæ matrix, agnata Chriſtianis eſt, qui ſe amant mutuò penè antequam nouerint.*

1. DIſertè Plutarchus lib. 1. de Amicitiâ in multos diffusâ, ita ſcribit: Numiſma ad amicos comparandos idoneum, eſt ſola beneuolentia, propenſuſque in alterum amor, virtuti coniunctus. Quibus profectò rebus natura nihil poſſidet rarius. *Vt rectè hinc conſequatur, ardentiùs amare amarique, haud quaquam inueniri poſſe in turbâ.* Verùm quemadmodũ fluuij in multos deducti riuos lentiorem habent curſum, ita vehemens amor in multos diſperſus, haud dubiè marceſcit. *Ea certè eſt ratio, quibus animantibus vnicum tribuit fœtum, eis amorem indiderit vehementiorem.* Hactenùs ille. quibus verbis nos edocet quàm ſit rara beneuolentia in multos diffuſa, indéque aſpectabile eminet Euangelij elogium, quod ſic charitate conglutinat Chriſtianorum animos occulto beneuolentiæ philtro. Adeò vt illis id probri nomine obiectum ſit à Gentibus. Sic enim Cæcilius ethnicus apud Minutium Felicem Chriſtianis exprobrat;

Plutar. lib. de Amic. &c.

*Chriſtiani ſe mutuò amāt penè antequā nouerint.*

Minut. Fel. in Octau.

*Eruenda prorsùs hæc, inquit, & execranda conſenſio, occultis ſe notis & inſignibus noſcunt, & amant mutuò penè antequam nouerint.*

1. Cor. 11. *Primum quidem conuenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo: Nam oportet & hæreſes eſſe*, &c. Sciſſuræ vocabulo Lyranus *diſſenſionem* intelligit; *diſcordiam* Anſelmus Laud. Quod ægrè admodum tulit Apoſtolus, & velut inchoatã hæreſim deteſtatur. Sed cur diſſenſionem ſeu diſcordiam inter Chriſtianos, *ſciſſurarum* nomine denotat Paullus? Hermes S. Paulli diſcipulus in celebri illâ viſione hæc audit: *Ecce*, inquit, *non vides contra te turrim magnam, quæ ædificatur ſuper aquas lapidibus quadris ſplendidis?* (Aliàs forſan adnotabimus, quare Eccleſia dicatur fundari *in aquis*. an aquis baptiſmi? an lacrymis pœnitentiæ?) *Politi enim erant lapides, & conuenientes commiſſuræ cum aliis lapidibus, ſicque coniungebantur alius ad alium, ita vt commiſſuræ eorum non paterent. Et in hunc modum apparebat ſtructura turris tanquam ex vno lapide ædificata.* Grauatè nimis ferebat Paullus vt *ſciſſuræ* eſſent in Eccleſiæ ædificio, cuius viui lapides, ſic debent eſſe conuenientes commiſſuræ cum aliis lapidibus, *vt commiſſuræ eorum non pateant, tanquam ex vno lapide ædificata* Eccleſia videatur. Multi fideles Eccleſiæ fabricam conſtruant: ſed hoc ædificium adeò debet eſſe *ſciſſurarum* expers; ſic debent eſſe eius viui lapides arctè connexi, & mutuò counitì inter ſe amoris glutino, vt nec *commiſſuræ pateant*, nec detur vllum diuerſitatis indicium: tanquam ſi *ex vno lapide ædificata* ſit, & omnes fideles ſint vnus plures. Reiectaneus eſt lapis, & huic ædificio inidoneus, cuius vel *commiſſuræ* viſui patent; quantò magis ſi appareant *ſciſſuræ*? O ſic ſtudeamus concordiæ & vnioni, vt de arctiori charitatis vinculo æmulemur vnitatem. *Et in hunc modum apparebat ſtructura turris, tanquam ex vno lapide ædificata.* O ſalutarem eruditionem!

2

1. Cor. 11. v. 18.

Lyra, & Anſelm. Laud. ibi.

*Eccleſia in aquis fundatur?*

Herm. in Paſtore l. 1. c. 3.

*In Eccleſiæ ædificio, lapidum commiſſuræ non patent: tanquã ſi ex vno lapide ædificata ſit.*

3. Nuper Cæcilius ethnicus Chriſtianis exprobrauerat, quòd *occultis ſe notis & inſignibus noſcunt, & amant penè antequam nouerint.* Cui probro ſic apud Minutium Felicem reſpondet Octauius: *Sic nos denique* (inquit) *non notaculo corporis, vt putatis, ſed innocentiæ ac modeſtiæ ſigno facilè dignoſcimus. Sic mutuo, quod doletis, amore diligimus, quoniam odiſſe non nouimus.* Qui mutuò fratres amat penè antequam nouerit, quid mirum ſi *odiſſe non nouerit*? quod vltra charitatis metas exilire videtur. Porrò magnum quid eſt, in tot rixarum occaſionibus, neminem odiſſe: at odium ignorare, nec poſſibile putare aliquem odiſſe, charitatis redundantia eſt, & exaggeratior beneuolentiæ hyperbole.

Minut. n. 1. allegatus

*Chriſtiani ſe odiſſe non nouerant.*

4. Gentium doctor ſic de reciprocâ beneuolentiâ, ad Romanos ſcribit: Reddite ergò omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. *Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.* Vult enim Paullus, nos mutuò diligere perfectè, ita tamen vt ſemper diligamus, & quandò oportuerit, ipſo opere charitatem exhibeamus; nec vnquam dicat homo, dilexi ſemel, & quod potui bonum feci proximo, ampliùs non teneor, non hoc dicēdum eſt, ſed poſt quantamcumque dilectionem affectu & opere exhibitam, debemus nos reputare debitores erga proximos, vt non ceſſemus diligere. In quâ

Ad Rom. 13. v. 8

P. Tolet. ibi.

*Debitum charitatis dum redditur ab homine, creſcit in homine.*

re

re excedit charitatis debitum cetera omnia debita, nẽpè vt ſemel ſolutũ, iterùm atque iterum
S.Aug. epiſt. 62. ſit sẽper ſoluendũ. Verùm præſcripta Apoſtoli verba ita ſubtiliter Auguſt. exponit: *Semper autẽ debeo charitatem, quæ ſola etiam reddita, ſemper detinet debitorem. Redditur enim cùm impenditur, debetur autem etiamſi reddita fuerit; quia nullum eſt tempus quandò impendenda iam non ſit: nec cùm redditur amittitur, ſed potiùs reddendo multiplicatur: habendo enim redditur, non carendo. Et cùm reddi non poſſit niſi habeatur, nec haberi poteſt niſi reddatur: imo etiam cùm redditur ab homine, & tantò maior acquiritur, quanto pluribus redditur.* Obuium eſt accuratè legenti ſingulas Auguſtini ſententias enucleare, & ad rem expendere: quod ſi ego facerem, longum feciſſem.

5. AdRom. 13. v 8. S.Aug. indidem. *Non poteſt eſſe verus charitatis impenſor, niſi fuerit benignus exactor.*

Addit nuper laudatus Auguſtinus præfata Paulli verba adhuc exponens: *Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis. Non ergo ſic impenditur charitas vt pecunia. Excepto enim quòd impendendo illa diminuitur, hæc augetur; etiam illo inter ſe differunt, quòd pecuniam cui dederimus, tunc ei beneuolentiores erimus, ſi recipere non quæramus, non autem poteſt eſſe verus charitatis impenſor, niſi fuerit benignus exactor: quoniam pecunia cùm recipitur, accedit cui datur, ſed recedit à quo datur: charitas verò non ſolum apud eum creſcit, qui hanc ab eo quem diligit, exigit, etiamſi non recipit: ſed etiam ille à quo eam recipit, tunc incipit habere, cùm reddit. Proindè mutuam tibi charitatem libens reddo, gaudénſque recipio; quam recipio adhuc repeto; quam reddo adhuc debeo. Vnum enim magiſtrum, apud quem condiſcipuli ſumus, per eius Apoſtolum dociles audire debemus præcipientem ac dicentem. Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.* Belliſſima quidem verba, & conceptuum grauida! illã inprimis ſententiam ſignare oportet: *Non poteſt eſſe verus charitatis impenſor, niſi fuerit benignus exactor.* Porrò in re pecuniæ, & pendendorũ vectigalium, durè immites *exactores* patimur; at in re charitatis & mutuæ benificentiæ, *exactores* quidèm habemus, ſed munificos, benignos, & placidos. O nobilem exactionem, & ingenuam penſionem Chriſtianis heroïbus dignam! Hoc charitatis debitum beneficè redditum, cenſus Chriſtianiſmi eſt, & perfectionis meta.

6. 2.Reg.1.v.17.

2. Regum 1. homo ille Amalecites dum de aduerſarij ſui cæde malè Dauidi adulatur, pro nuncio necẽ digniſſimã accipit. *Planxit autem Dauid planctum huiuſcemodi ſuper Saül. . . . . & ait: Conſidera Iſraël pro his qui mortui ſunt ſuper excelſa tua vulnerati*, &c. Ecquis non miretur, Dauidem velut præmaturè Chriſtianum ſic dilexiſſe inimicum Saülem, vt eius cædem tam dolenter oploret; Magnum foret non lætari de funeſto infenſiſſimi & potentiſſimi hoſtis interitu: lacrymas autem pro hoſte proſtrato vbertim fundere, hyperbole charitatis videtur. Sed quam in ruinã inimicorum pendere debemus. S. Auguſtinus ita ſcribit de hæreticis Donatiſtis, qui inſano furore Catholicorum cædibus inhiabant: quas ſi perpetrare non poſſent, ſe ipſos immaniter trucidabant: *Quidam tamen eorum*, inquit, *& Deo & hominibus miſerabili inſtinctu furoris ingrati, niſi ſuis cædibus nos vaſtare non poſſunt, ſuo nos exitio terrere ſe credunt*, (diligentiùs expende verba quæ ſubdit) *aut lætitiã ſuam quærentes de mortibus noſtris aut triſtitiã noſtrã de mortibus ſuis. Cùm enim ſuã pernicie terrendos putant, non dubitant nos timere, ne pereant.* Scilicet vel ipſi Hæretici dum moliuntur hoſtiliter Catholicos trucidare, vt de eorum ruinâ lætentur; dum intentatam perniciem exequi non eualent, in ſeipſos diras ſtrages immaniter edunt, vt ſuo exitio Catholicos contriſtent. Adeò enim ſunt certi de Catholicorum erga ipſos beneuolentiâ, vt tametſi contra ipſos inhumanè ferociant hoſtili rabie, & ſæuâ pernicie, dum eis nocere non poſſunt, vt ſibiipſis manus adciſcant, quò proprio excidio redimant inimicorum triſtitiam. *aut lætitiam ſuam quærentes de mortibus noſtris, aut triſtitiam noſtram de mortibus ſuis.* O inopinatum charitatis commercium! Vltrò perire volunt, vt de ſuo malo inimicos mœſtificent. O miriſſimam de Chriſtiana charitate apud ipſius etiam hoſtes opinionem!

*Se perimunt Hæretici, vt Catholicos contriſtent.* S.Aug. epiſt. 61.

Lucæ 2. Ioſeph cum Mariâ vxore ſibi prægnante in ciuitatulam Bethlehem peruenit. Factum eſt autem dum eſſet ibi Maria, impleti ſunt dies vt pareret. *Et peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit in præſepio.* Ecce tibi, Dei Verbum, infans homo; antiquus dierum, recèns natus; Deus immenſus & incomprehenſibilis, ſtrictâ circumdatus & ſtrictus faſciâ. Theophilus Antiochenus exponens præfata verba, *Et pannis eum inuoluit*, ſic fatur. *Pannis obuoluitur, vt ſciſſam humani corporis vnitatem ſuo redimeret in corpore,* Nempe vix naſcitur infans Deus, Deus homo, cùm arctè faſciis ſtringitur, vt ſciſſam myſtici corporis vnitatem præmaturè *ſuo redimeret in corpore.* Sic ſollicitè Chriſtus præproperat, ſciſſam inter homines concordiam reſarcire? Sic præproperè redimere diſcordiam feſtinat præcoquã charitate? Num redemptio ſciſſurarum peccatorum redemptionem quodammodò præcurrit? *Pannis obuoluitur, vt ſciſſam humani corporis vnitatem ſuo redimeret in corpore.* 7. Lucæ 2.v.7. *Pannis Chriſtus ſtringitur, vt ſciſſuras redimat.* Theophil Antioch.l.1. Allegor.in 4.Euang.

Geneſ.7. eluuione iam iam delendis mortalibus ingruente, dixit Dominus ad Noëmum: Ingredere in arcam tu, & omnis domus tua: te enim vidi iuſtum coram me in generatione hâc *Ex omnibus animantibus mundis tolle ſeptena & ſeptena, maſculum & feminam: de animantibus verò immundis, duo & duo, maſculum & feminam* Huius loci Interpretes ſolletter perquirunt quare ex animantibus mundis ſeptenarius numerus, ex immundis verò binarius aſſumatur. Quid ſacramenti in hâc numerorum pluralitate, & imparilitate deliteſcit? S. Iſidorus inibi ita hâc ſuper rẽ ſcribit: *Ex omnibus animantibus mundis tolle ſeptena, &c. Non quòd plures ſint boni, quàm mali; ſed quia boni* (impari numero ſignificati, qui inſectilis eſt) *ſeruant vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Mali verò in binario continentur, tanquam diuiſibiles, & ad ſchiſmata faciles.* Scilicet parem numerum (quo cenſentur immunda animalia) quia expromptum ad diuiſionem, & ad ſchiſmata facilem, tanquam immundum & reiectaneum improbat Deus; & valdè minorat, propter facilè parabilem vnitatis diuiſionem in ſingulas ſeorſim vnitates. O fuge pacis & vnitatis diuortium, velut immunditiæ ſtigma, malitiæ characterem & reprobationis notaculum. Imparem numerum quia inſectilem eligit Deus; binarium quia parem reprobat

8. Geneſ.7.v.2. *Par animantium numerus, quaſi ſectilis & ad diuortium facilis, à Deo reprobatur.* S.Iſidor. ibi. Hic verſ.8. & 9.

probat. *Mali in binario continentur, tanquam diuiſibiles, & ad ſchiſmata faciles.*

Hic verſ. 8. & 9.

Vide hîc verſ. 8. & 9. quòd ipſa Iſraëlitarũ accuſatio, eſſe Dei populũ probat. Dicitur enim *à ſe mutuò ſeparatus* vbivis: quia in Babylonico exilio in diuerſa oppida ſparſus erat; ſed ibi vbi erat, ſibi mutuo coniunctus, vt diuinæ religioni, ac fraternæ charitati obnixiùs ſtuderet, dum alter alteri præſtò adeſſet.

---

## §. XCVI.

*Mutua charitas, & vicaria ſententioſè dicitur, & apud nos retineri iubetur, vt quiſque ſui mater & filius ſit, hinc dum prædicatur concordia, diſcordia vituperatur.*

1. S. Zeno de Exhod. ſer. 11.

S. Zeno Veronenſis ſuper Exhod. ſer. 11. ſic pro Chriſtianis aduerſus Iudæos eloquẽter diſputat: Quid tumet, inquit, Phariſæus inanis, quem momenti præterita delectat vmbra? Exultat quòd in Ægypto creuerit: at in originali decreuit ſolo. Quod captiuitatis ſit nexibus exolutus, ſed eſt nunc vſque barbarici furoris moribus alligatus. Deus illi ducatum præbuit: idem à ſua eum facie poſtmodùm abiecit. Conſecutus eſt regnum: vt poſt regiam dignitatẽ maiore dedecore Imperio Romano ſeruiret. *Sanè vult is ſcire quanta ſit ſanctitatis? Quem mare ſuſtinuit adunatum: non poteſt terra baiulare diſperſum.* Heu quot ſtrages atrociter Iudæis hîc imminent, quia Iudæorũ *populus per omnes prouincias regni diſperſus, & à ſe mutuò ſeparatus eſt!* Porrò Hebræus populus adunatus, ſalo tanquã ſolo ad inceſſum vtebatur, & per liquentes fugitiuè vndas, ſolidis veſtigiis gradiebatur, fluctibus concordiam ſtitione ſolidâ mirè ſtupentibus. At nunc terra ponderum molibus adſueta, *non poteſt baiulare diſperſum, & à ſe mutuò ſeparatum.* Tantum concordiæ licet!

*Hebræum populum mare ſuſtinuit adunatum; nec terra poteſt baiulare diſperſum.*

2. Matth. 8 v. 13. & c. 14. v. 28.

Matth. 8. puer Centurionis ſanatur, & pariter Chananææ filia. apud eundẽ, c. 14. quin ad illorũ domos Chriſtus venerit; cùm reliquos corã curare conſueuerit. Huius rei cauſſam Interpretes diligẽter inquirunt, & myſterium quod ſubeſt, ſollerter ſcrutantur. S. Auguſtinus, quã pollebat ingenij ſagacitate, & hoc proponit dubium, & acutè diſſoluit: *Quòd & puerum Centurionis,* inquit, *& filiam Chananææ mulieris non veniens ad domos eorum Chriſtus ſaluat, ſignificat Gentes ad quas non venit, ſaluas fore per verbum ſuum.* Addit autem perdoctè: *Quod ipſis rogantibus filij ſanantur, intelligenda eſt Eccleſia perſona quæ ſibi eſt & mater & filij, nam ſimul omnes quibus conſtat Eccleſia, mater dicitur, ſinguli autem iidem ipſi filij appellantur.* Res ſanè notatione digniſſima, quòd Eccleſia, quæ nihil eſt aliud quã omnes iunctim fideles, *mater* ſit; ſinguli autem fideles ſeorſim, eius *filij* nominentur. quaſi ille qui ſingulatim acceptus, *filius* eſt, ille ipſe fide ac charitate cum aliis coniunctus, ſui *mater* ſit, & pariter reliquorum. Vide quid tibi hæc coniunctio præſtet. Tu cũ aliis es tui mater, tu te gignis in Chriſto, te in vtero formas, foues in ventre, gratiæ vberibus infantas ac nutris, eris tui heres, quia proles tui es. Maternâ charitate te foues, donec ab aliis non ſegregaris. O quàm largè beneficus erga ſe quiſque eſt! id ex hâc cũ aliis vnitate nanciſceris. Sed æquè es tui ca aliorum mater, ſi aliis fide & charitate adglutineris: vide ergò quã illos beneuolentiâ proſequi debeas, quò tui etiam mater efficiaris. *Eccleſia ſibi eſt & mater & filij: nam ſimul omnes quibus conſtat Eccleſia, mater dicitur, ſinguli autem iidẽ ipſi filij appellãtur.* Prærogatiuam, quam præſtat vnio, ne perdat diuortium. Eſto erga alios frater vt tui eſſe mater merearis.

S. Aug. q. q. Euangel. l. 1. q. 18.

*Qui eſt aliis vnionem ſeruat, ſui mater eſſicitur.*

Matthei 12. Prophetæ ex prædictione, Chriſti manſuetudo in omnes declaratur: Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus. Non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius: *Arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Hugo Carenſis per *arundinem quaſſatam* intelligit *Iudæos omni vento doctrinæ cedentes,* quos Chriſtus *non ſtatim damnabit.* (At *linum fumigãs, de quo facta eſt veſtis Domini,* interpretatur. Sanè emphaticè, de quo forſan alibi) Auguſtinus verò l. 1. q. q. Euangel. q. 3. Sic ad præſentem theſim præfata Euangeliſtæ verba exponit: *Arundinem quaſſatam Iudaos dicit, propter quod & vnũ erãt & ab inuicem diſcrepabant. In lino fumigante notandum, quia & deſertum lumine facit putorem.* Profectò *arundo quaſſata*, res futilis, ac noxia eſt: & quia quaſſatione fit vna plures, appoſitè Iudæos tunc adumbrabat; qui cùm vnus populus eſſet, eâdem à Iacobo origine, eâdem à Moyſe religione, eâdem à Ioſuë patriâ, eodem à Dauide regno, ſibi mutuò vniſſimus; ſibi iam parùm conſentiebat, in ſectarum & morum diuortia diſſipatus. Ecce tibi vndè manſuetudo & beneuolentia Chriſti apprimè commendatur, quòd *arundinem quaſſatam,* Iudæos inquã, qui *& vnũ erant, & ab inuicem diſcrepabant*; pede contemptim impreſſo, non proculcauerit, confregerit, peſſumdederit. Sic eſt procliue, id quod ex vnitate in pluralitatem factioſe degenerauit, viliſſimè contẽnere, cõtumelioſè tractare, diſſipare, calcare, cõterere? O, viderint profanę & religioſæ familiæ dudùm concordiæ amantes, ne animorum nuper diuortio probroſè diffamentur, *propter quod vnum erãt, & ab inuicem diſcrepãt.* Linum fumigans, non lucem, ſed *putorem facit.*

3. Matth. 12. v. 20

*Veſtis Domini facta eſt de lino fumigante.*

Hugo indidem.

S. Aug. l. 1. q. q. Euang q. 3

*Arũdo quaſſata eſt, quod nuper vnum erat, & iam ab inuicem diſcrepat.*

Ad Rom. 13. Reddite ergò omnibus debita: cui tributum, tributũ: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. *Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.* Quaſi dicat: Quam maturè debita veſtra exoluite, ſtatim debitis omnibus vos liberate; excepto debito charitatis; quo nunquam exolui poteſtis. Hoc enim debitum ſemper manet, vt nũquã illi ita ſoluendo ſitis, quin ſemper vlterius debitũ reſtet. Semper enim quiſque debet charitatem, quæ ſola etiam reddita detinet debitorẽ. Putauerim, quòd Athanaſius ad hãc Paulli ſententiam adludit, dũ in vitâ S. Antonij ſic de eo refert: Huius, inquit, continentiam, iucunditatẽ illius ſectabatur, iſtius lenitatem, illius vigilantiam, alterius legendi æmulabatur induſtriam: iſtum ieiunantem, illum humi quieſcentem mirabatur, alterius patientiam, alterius manſuetudinem prædicabat. loquens autem Athanaſius de charitate, quam in aliis Monachis Antonius ſuſpiciebat, & in ſe ſtudebat exprimere, ita ſententioſè ſcribit: *Omnium quoque vicariam erga ſe retinens charitatem: atque vniuerſis virtutum partibus irrigatus, ad ſedẽ propriã regrediebatur.* Quid

4. Ad Rom. 13. v. 8.

S. Athanaſ. in vita S. Antonij.

*Alterum erga nos charitas, apud nos retinenda eſt.*

Quid eſt, quòd Antonius reliquas Monachorū virtutes dicitur aut *æmulari*, aut *prædicare*, aut *admirari*; cùm autem ad charitatem ventum eſt, mutato ſtilo, *omnium erga ſe vicariam charitatem retinere* perhibetur? Præſtaret, præſtaret quidem ad conſummatum perfectionis cumulum, quem Antonius ambiebat; accepta beneuolæ charitatis obſequia, mutuo obſequio præbitoribus exhibere, quid ergò aliorum vicariā erga ſe charitatem velut auarè *retinet*, quam exuberāti beneficentia quaſi prodige erga alios exhibere debuiſſet? O immetatum fraternæ charitatis ſacramentum! Mutuam charitatem & gaudens recipiebat, & libens ſemper reddebat: quē ſicut recipiendo, adhuc quaſi debitum repetebat; ita etiam & reddēdo, adhuc debebat. *Omnium erga ſe vicariam charitatem retinebat*; quia quantumuis abundè & frequēter obſequia charitatis omnibus exhiberet, ſemper debebat charitatē, quæ ſola etiam reddita, detinet debitorem. *Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.* Quare autem benefica obſequia proximis piè impenſa, dicantur *vicaria charitas*; non in tranſcurſu obiter, ſed ſollertiùs iam iam examinatur.

5. Ad Philipp. 2.v.2. Apoſtolus ita ſcribit ad Philippenſes, Siqua ergò conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſiqua ſocietas ſpiritus, ſiqua viſcera miſerationis: (pergit fraternā charitatem effuſiùs ſpirans) *Implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eandem charitatem habentes.* En quale pathos Apoſtoli, quot verbis, quantā energiā, quā viuido affectu Chriſtianos Philippenſes ad cōcordiam & charitatem fraternam extimulat? *Vt idem*, inquit *ſapiatis.* Sapere autem, tam intellectus eſt, quàm voluntatis: velut ergò eos tam intellectu, quàm voluntate concordes, quò idem & mente, & affectu ſapiant, Addit; *Eandem charitatem habentes.* Et quomodò *eadem charitas*

OEcum. ibi. poterit omnes afficere? OEcumenius, *Eandem* *Mutua charitas ſententiosè omniū vicaria charitas nominatur.* id eſt, *æqualem & parem*, vt tantùm quiſq; alium amet, quantùm amatur ab alio, vt quiſque alteri in amore reſpondeat; magnes enim amoris eſt amor, & illex ad amorem efficaciſſimus. Sed valdè fallor, niſi Chriſtiana perfectio plus exigit, cùm inimicos etiam diligere iubeat. Vndè

P.Cornel. ibidē, n.62. P.Cornelius, *Eandem charitatem, id eſt, mutuam* exponit, vt ſinguli ſeſe inuicem vnā eadémque,

Syrus. id eſt, *mutuā charitate* complectantur, quaſi vna eadémque charitatis animā viuerent. Syrus totum hunc verſum ita vertit: *Implete gaudiū meū vt ſit vobis vna voluntas, & vna charitas, & vna anima, & vna ſententia.* Sed necdum plenè explicatum eſt, quo pacto *mutua charitas* dicatur *eadem charitas* à Vulgato, & *vna charitas* à Syro.

S.Ath.ſup. Redeo ad Athanaſij de Antonio verba: *Omniū quoque Vicariam erga ſe retinens charitatem.* Nimirùm Antonius fraternā erga omnes charitate inclytus, *mutuā* ac reciprocā *charitate* floruit; adeò vt ipſius voluntas eadem Monachis omnibus vellet, & pro virili omnibus procurabat, quæ ipſi ſibi vellent, & obnixè procurarent. quaſi eius volūtas, *vicaria* omnium voluntas foret. Quod reciproco affectu omnes Monachi rependebant Antonio: exindè omnium voluntates, quaſi *vicariæ* illius erant, vices illius ad nutum gerentes. Ergò omnium *vna volūtas, & vna charitas*, (vt ait Syrus) *omnium vicaria charitas*, ab Athanaſio nominatur: Nam vnaquæque cuiuſque voluntatē exequi feſtinabat: neque aliud omnes cupiebant ſingulis, quàm quod quiſque ſibi exoptaſſet. Sic erant omnes *mutuā*, ſeu *vicariā charitate* vnanimes, dum quilibet cuiuſlibet vices actuoſiùs obire affectu ſpontiuo ſemper quæreret, quæ eſt fraternæ charitatis meta.

Philippenſibus nuper dixerat Paullus: Implete gaudium meum, *vt idem ſapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes idipſum ſentientes.* Addit, opinor profundiùs: *Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum.* Miriſſimum ſanè eſt, quod cùm apud Moſaicam, & Euangelicam legem, ſumma fraternæ charitatis ſit: Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, &c. *& proximum tuum ſicut teipſum*; nunc Apoſtolus tanquam legem vtramque ſupergreſſus, fideles adhortetur, vt in rebus temporalibus, aliorum potiùs, quàm ſuum commodum ſpectent; & ſuum negligant, vt procurent alienum: charitas enim licet non præcipiat, permittit tamen & ſæpè ſuadet, vt in bonis fortunæ & ſubindè vitę, proximum nobis anteferamus. Saluianus Maſſilienſis ita pręſcriptum Paulli locū exponit, & hāc ſuper re philoſophatur; *Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea, quæ aliorum. Cùm Saluator*, inquit, *ſic nos pro aliis, ſicut pro nobis, iuſſerit cogitare, Paullus plus aliorum nos commodis iuſſit conſulere. Boni ſcilicet Domini bonus famulus, qui in veſtigiis Domini Dei ſui ambulās, potentiora quodammodò, & expreſſiora pedibus ſuis fecit Domini eſſe veſtigia.* Nimirùm quamuis Chriſtus Deus hanc de fraternā charitate doctrinam diſertè non tradiderit verbo, docuit tamen exēplo. Igitur Paullus non inuidet Chriſto, & ſibi arrogat hoc eximium mutuæ charitatis elogium; ſed tanquam bonus famulus ſuo Domino reſtituit; & verbo & exemplo docet, quod exēplo didicerat. Quippe *qui in veſtigiis Domini Dei ſui ambulans, potentiora quodammodò, & expreſſiora pedibus ſuis fecit Domini eſſe veſtigia.* Tantā præfulget gloriā perfectior de fraternā charitate doctrina, vt Chriſtus Deus, quò Paullum honoret, illi verbis docendam ceſſerit: Paullus verò vt Chriſto vicem reddere, eam auctori ſuo, & quidem cum auctario reſtituit, dū *potentiora quodammodò, & expreſſiora pedibus ſuis fecit Domini eſſe veſtigia.*

Non fraudabo lectorem pulchris verbis S. Zenonis, ad lemma præſens peridoneis: Adde, inquit, quòd fides ſibi ſoli prodeſt; charitas omnibus. Adde, quòd fides non gratis pugnat: *charitas autem etiam ingratis conferre conſueuit.* Adde, quòd ſpes ac fides tempus habent: charitas autem finem non habet, *momentis omnibus creſcit: quantoque ab eā diligentibus inuicem creditur, tantò inuicem plus debetur. Non quemquam pro perſona diligit, adulari quia neſcit.* Non pro honore, quia ambitioſa non eſt. *Non pro ſexu quoniam illi vnus eſt ambo.* Non iraſcitur, quia etiam iniurias libenter amplectitur. *Non fallit, quia fidem ipſa cuſtodit. Non vlla re indiget, quia ei præter quod eſt, nihil eſt neceſſarium.* Potentiam fratres, citò eius dicam: *Quicquid locis natura negauit, charitas dedit.* Hæc coniugalis affectus duos homines ſacramento venerabili vnam cogit in carnem. *Hæc humanitati præſtat eſſe, quod naſcitur.* Pluſcula quàm de more eſt, reſcripſimus, dimittimuſque ſine expenſionis dote, ne nimis longum facere videamur, ſi ſingula ſigillatim enucleemus. Sat eſto, vniuerſatim libanda obtuliſſe.

Ergò hìc verſ. 8. & 9. Dei populus dicitur ſcium



Margin notes (right column): 6. Ad Philipp. 2.v.4. — *Summā fraternæ charitatis doctrinam, Christus Paullo ceſſit?* — Saluain. l. 3. de Gubet. Dei. — 7. S.Zeno ſer. de ſpe. fide & charitate. — *Mutuæ charitatis elogia denſè conglobantur.* — Hic verſ. 8 & 9.

ſeiunctus à reliquis, ſed ſibi iunctiſſimus habitare, vt quantocyus alter alteri foret auxilio, ac ſi quiuis eſſet alterius mater, aut filius, & reliquorum vicarius.

---

## §. CXVII.

### *Fraternæ charitatis nexus, arctiùs adhuc ſtringitur.*

1. HOminibus in commune viuitur. Non poteſt quiſquam beatè degere qui ſe tantùm intuetur, qui omnia ad vtilitates ſuas conuertit, quid ad quemlibet tactum exaſperatur, neç ſæpè ſe præbet inſenſilem, iniuriis ſurdum, beneficentiæ perſpicacem. Ecce pulchella & moraliſſima quæſtio: Quomodo hominibus ſit vtendum. quid agimus? quæ damus præcepta? Ea ex diſertiſſimo Senecæ ore attentiùs audiamus: vt parcatur, inquit, ſanguini humano. *Quantulum eſt ei non nocere, cui debeas prodeſſe?* Magna ſcilicet laus eſt, ſi homo manſuetus homini eſt. Præcipiamus vt naufrago manum porrigat, erranti viam monſtret, cùm eſuriente panem ſuum diuidat? Quandò omnia quæ præſtanda ſunt, ac vitanda dicam, cùm poſſim breuiter hanc illi formulã humani officij tradere? Omne hoc quod vides, quo diuina ac humana concluſa ſunt, vnum eſt: *Membra ſumus corporis magni.* Natura nos cognatos edidit, cùm ex iiſdem, & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit. Illa æquum iuſtúmque compoſuit. *Ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere, quàm lædi.* Ex illius impetio paratæ ſint iuuantis manus. Iſte verſus & in pectore & ore ſit: Homo ſum, humani nihil à me alienũ puto, coëamus, in cõmune nati ſumus. *Societas noſtra lapidũ fornici ſimilis eſt, quæ caſura niſi inuicem obſtarent, hoc ipſo ſuſtinentur.*

Senec. epiſt. 96.

*Miſerius eſt nocere, quàm lædi.*

2. Iſaiæ 55. eos qui fidem Chriſti capeſſunt, his verbis Propheta inuitat: *Omnes ſitiẽtes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, edite, comedite: venite, emite abſq; argento, & abſque vllâ commutatione vinum & lac.* Alibi expendebamus quomodo *ſitientes* inuitet ad *manducandum.* Nunc autem notandum ſupereſt, quo pacto *vinum & lac*, quo cæleſtes delicias, quibus ſpiritus adipatur, innuit; emenda proponat abſque argento, & abſque vllâ commutatione. Porrò quod quis ſine aliqua commutatione ab alio accipit, non emptionis commercio, ſed donationis beneficio acquirit. Opinor, non benè cohærere videtur, *Emite abſque argento, & abſque vllâ commutatione.* S Bernardus hunc locum ad fraternam charitatem pulchrè flectit: *Quid eſt autem*, inquit, *emere ſine argento, & ſine commutatione? Non talis eſt emptio apud amatores huius ſeculi, ſed apud auctorem ſeculi alia eſſe non poteſt. Propheta enim dixit Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Quam igitur commutationem ei dabit homo pro gratiâ ſuâ qui nullius eget, & cuius ſunt vniuerſa? Gratia gratis datur: etiam cùm emitur, gratis emitur: quia quod datur pro eâ nobis melius retinetur.* (Penſita attentiùs quæ ſubdit verba.) *Nummo propriæ voluntatis emenda ſunt, quam quidem dimittentes nihil amittimus, etiam & lucramur plurimùm, commutantes illam meliùs, vt communis fiat, quæ propria fuit. Porro communis voluntas charitas eſt*

Iſaiæ 55. v. 1.

S Bern. ſer. 2. de Reſur. Pſal. 15. v. 2.

*Cùm propria voluntas ad proximum extenditur, ſine argento Dei gazas emimus.*



Vide quo pretio gratis emere poſſis cæleſte vinum & lac, id eſt, quicquid in Dei gazis pretioſum affulget. Dilata voluntatis ſinum, affectum ad proximos extende, & cæli pretioſiſſima quæque abſque argento emiſti. *Nummo propriæ voluntatis emenda ſunt, vt communis fiat, quæ propria fuit.* O nimis facile, & lucroſum commerçium! *Gratia gratis datur: etiam cùm emitur, gratis emitur: quia quod datur pro eâ nobis meliùs retinetur.* Sibi fœnerat, qui proximum diligit.

Ioannis 5. languidus ille diuturnâ paralyſi ſolutus, dum aliorſum interrogatus reſpondet, inopinatam ſalutem inuenit cæcâ felicitate: *Dixit ei Ieſus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille; & ſuſtulit grabatum ſuũ, & ambulabat.* Benè eſt, ſanetur paralyticus. quid autẽ neceſſe eſt vt grabatũ in quo diu iacuit, humeris tollat? An quia, qui tandiu in vitiorum languore iacuit, ſic adhuc ſanus, in periculo recidendi verſatur, vt ad rediuiuum languorem, ſi ſecum portet antiqui languoris lectulum! Sic inueterata vitiorum conſuetudo noleſcit? Sed de hoc alias vbertim agebamus. Aliter hunc locum verſat Auguſtinus ad ſenſum myſticum ſententiam flectens *Tolle grabatum tuum, quaſi dicat: Cùm eſſes languidus, portabat te proximus tuus: ſanus factus es, porta proximũ tuum. Dicit etiã, Ambula. Sed quò iter agis, niſi ad Dominũ Deum tuum?* Auguſtino concinit Beda inibi: *Tolle grabatum tuum, id eſt, proximum tuum; à quo portaris, & ipſe patienter tolera.* Moraliſſimè quidem dicitur proximus, languoris lectus cui incumbit, & in quo æger iacet. O quàm multa quàm paucis de fraternâ charitate compendiauit Auguſtinus! Sic debet proximus proximi languores portare? Sed aduerte, quòd recuperatâ ſanitate, ipſe etiam debet proximum ſuum, qui eum portauit, viciſſim portare. Infirmus eſt, languidus, & paralyticus, qui proximum non portat. Ergò portando grabatum, à quo portabatur, *iter agit ad Dominum.* O capeſſe hanc viam, quæ rectà ducit in cælum.

3.

Ioan. 5. v. 8. & 9.

*Tolle grabatum tuum, id eſt, proximum tuum, qui te portabat, porta.*

S. Aug. tr. 17. in Ioan.

Beda indid.

4. Pſalmo 95. ſic lætanter Dauid exultat: Lætentur cæli, & exultet terra, commoueatur mare, & plenitudo eius, gaudebunt campi, & omnia quæ in eis ſunt. *Tunc exultabunt omnia ligna ſiluarum à facie Domini.* Attentâ expenſione digniſſimũ eſt, quòd cùm Pſalmographus creaturas vniuerſatim ad Dei laudes inuitet, vnius ligni ſilueſtris ſigillatim mentio fiat: quod ſubtile Caietani ingenium non effugit. Sic enim ibidem ſcribit: *Nec vacat myſterio; quòd præter elemẽta, quæ ſola ſunt partes ſubſtãtiales vniuerſi, nullius mixti ſpecialis mentio fit niſi ligni ſilueſtris: quoniã in hoc Meſſias mortẽ ſuperauit: & hoc ſignũ Crucis erit in cælo, cùm Dominus ad iudicãdũ venerit.* (Addit ad lemma præſens tẽpeſtiuè Caietanus) *Proptereà enim deſcriptum tẽpus illud eſt tanquã materia gaudij & laudis omniũ lignorũ ſilueſtrium; quia tunc in vno eorum (ſcilicet crucis ligno) exaltari meruerunt. Gaudebunt inquam & laudabunt faciebus Domini, coram facie Domini, quoniam venit.* Verè faciebus Domini, coram facie Domini laudant omnia ligna ſiluarum, dum ipſa agreſti & diſpari ingenio luxurioſiùs diſſidentia, ac ſi ſilueſtrem naturam deſueſcant, tantâ mutuò conſenſione cõcinant, vt depoſitâ inuidiâ ac ſimultate, ob vnius ſilueſtris

Pſ. 95. v. 13.

Caiet. inibi.

*E ſilueſtrium lignorum mutua beneuolẽtiã fraternam charitatem ediſcamus.*

*Exultant ligna ſiluarum, quia in Crucis exaltatione exaltãtur.*

ligni exaltationem, ſic exultim gaudeăt, & gaudenter exultent. Tanto concordiæ nexu, & amico mutuæ charitatis fœdere copulantur, vt vnanimæ charitatis commercio, de exaltatione vnius omnia ſibi gratulentur, quaſi vnius exaltatione, reliqua pariter ſublimentur. O è ſilueſtrium lignorum agreſti eruditione, politiorem concordis beneuolentiæ œconomiā ediſcamus!

5. Matth. 4. v. 18. & 21. *Cur ſuper duas fraternitates Chriſtus fundet Eccleſiam?*

Matthæi 4. Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ, *vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius* . . . & ait illis Venite poſt me, &c. *Et procedens indè, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius:* & vocauit eos. Illi autem ſtatim relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eum. Eccur fratres, imò geminatam fraternitatem eligit Chriſtus, quâ fundet Eccleſiam? O bonum fraternæ charitatis auſpicium, quo Eccleſia dedicatur! Incertus Chryſoſtomus hâc ſuper re ita eleganter philoſophatur: *Vidit duos fratres &c. Super charitatem etiam fraternitatis Eccleſiæ rectè poſuit fundamenta, vt ex radicibus charitatis exuberans quaſi humor aſcendat in ramis, & hoc ſuper naturalem charitatē vt non ſolùm per gratiam, ſed etiam per naturam, ipſa charitas firmior habeatur? vndè dicit, Fratres. Sic enim fecit Deus & in veteri Teſtamento ſuper Moyſen & Aaron fratres, ponens ædificationis initium. Quoniam autem abundantior eſt gratia noui Teſtamenti quàm veteris, ideò primum populum ædificauit ſuper vnam fraternitatem, hunc autem ſuper duas.* Verè pariter ac bellè Chryſoſtomus.

Imperf. homil. 7.

6. Actor. 4. v. 32. *Quomodo naſcentis Eccleſia erat cor vnum, & anima vna.*

Actorum 4. poſt aduentum Spiritus ſancti, ita ſcribit Lucas: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Hinc iam apparent certæ, legitimæque notæ illapſi in Eccleſiam illam Spiritus ſancti: nam ſtatim ab vno ſpiritu omnes conſpirant. Cor vnum eſt, & anima vna, quia vnus agit & moderatur ſpiritus. *Et ſicut in Phyſicis* (pergit P. Sanctius) *vna anima membris omnibus ineſt, pro omnibus laborat, & quâ ratione patitur natura rerum, nihil ſinit eſſe non commune. Quòd ſi alimentum foris adueniat, dummodò in comedentis ſubſtantiam mutari contingat, quia iam à ſe receſſit, & in aliud corpus naturamque coaluit, fouet illud anima non ſecus atque illa, quæ informabat atque fouebat priùs; ſic diuinus Spiritus eos qui & genere & conditione diuerſi ſunt, in vnum quaſi corpus ita coniungit, redditque in tantâ diſſimilitudine non tantùm ſimiles, ſed penè aliquid omninò idem, vt nihil eſſe ſinat alicui proprium, ſed omnia communia.* Et ſanè ſicut alimentum à ſe recedit, non vt ſe nutriat, ſed vt reliqua membra foueat, & naturæ artificio incrementet: ita quilibet ſui velut oblitus proximos quoſque nutrire, fouere, incrementare ſatagit gratiæ arbitrio. Vbi Spiritus ſanctus pro myſtica huius corporis animâ eſt, ſic geritur fraternæ charitatis negotium. Denique alij Interpretes præſcripta Actorum verba ad mutuam Fidelium beneuolentiam, & amicitiam referunt. Vndè ſubdit Lucas: *Ceterorum autem nemo audebat ſe coniungere illis.* Quaſi Chriſtianiſmi titulo amici forent. Opportunè Clemens Alexandrinus: *Plato autem ex barbarâ id ſumens philoſophiâ, dicit: Omnes bonos eſſe inter ſe amicos.* Faceſſant ſceleſti ab hâc bonorum amicitiâ, generali beneuolentiâ, & beneficentiâ contenti. Vndè Dei populus hîc à Perſis habitatione ſeparatus ſibi duntaxat amicè conuiuit.

P. Sanct ibi. num. 16.

*Plato dixit, omnes bonos eſſe amicos.*

Actor. 5. v. 13. Clem. 5. Strom. cap. 7

Hic verſ. 8. & 9.

7. Rup. l. 1. in Ioan. Clem. 2. Strom. c. 4. *Conſenſio eſt concentus in animis.*

Rupertus lib. 1. in Ioannem: *Quid,* inquit, *ſumus nos, niſi magni muſici Dei quadam inſtrumenta?* Et ſanè melodiæ vigor concentus eſt ex conuenienti conſenſione naſcens. Vndè dixit Clemens Alexandrinus: *Conſenſio eſt concentus in animis.* Heu perditur diſſenſione concentus, & muſicæ harmonia abſonè corrumpitur! O quantula diſcrepantia melodiam reddit abſurdam! ergo à conſenſione, fraternæ charitatis concentus eſto.

8. Lucæ 8. v. 21. *Religioſiores ſunt copulæ mentium quàm Corporum.*

Lucæ 8. venerunt ad Ieſum mater, & fratres eius, & non poterant adire eũ præ turbâ. Et nũciatũ eſt illi: Mater tua, & fratres tui ſtant foris volentes te videre. *Qui reſpondens dixit ad eos. Mater mea, & fratres mei hi ſunt, qui verbũ Dei audiunt, & faciunt.* Morum magiſter, qui de ceteris præbet exemplum, in ſe non refutat, quod reliquis præſcribit. Imò hinc vel maximè fraternæ charitatis ius ſupra ius ſanguinis egregiè declarat. Quod tempeſtiuè notauit Ambroſius ſic inibi fatus. *Neque tamen,* inquit, *refutantur parentes, ſed religioſiores copulæ mentium docentur eſſe quàm corporum.* Vide quàm ſtricto amoris vinculo fraterna charitas copuletur, quæ fratrũ, imò & parentum dilectionem tranſcendat.

S. Ambr. l. 6. in Lucam.

9. Lucæ 10. v. 29. Theophil. ibidem. *Superbia faſtus eſt, nullum eſſe ſuum proximum putare.*

Lucæ 10. ecce quidam legiſperitus ſurrexit, tentans illum, & dicens: Magiſter, quid faciẽdo vitam æternam poſſidebo? Et recitata ab eo diuina lege: Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut teipſum. Dixit illi Ieſus: Rectè reſpondiſti, Hoc fac, & viues, *Ille autem volens iuſtificare ſeipſum, dixit ad Ieſum: Et quis eſt meus proximus?* Ad quæ verba ita ſcribit Theophylactus. *Laudatus legiſperitus à Saluatore quòd rectè reſpondit, in ſuperbiam prorupit, nullum ſibi proximum putans eſſe, quaſi nullus eſſet ei in iuſtitiâ comparandus.* Profectò ſic arrogantiæ typho quidam inflantur, vt neminem ſibi *proximum* putent, quaſi reliqui non forent conſortes eiuſdem naturæ, ſed ab eâ ignobiliter degenerarint. Pergit Theophila. *In hoc autem quod quærit, Quis eſt meus proximus? vacuus à dilectione proximi oſtenditur: cùm non æſtimet aliquem ſibi proximum eſſe, & per conſequens à dilectione diuinâ: quia cùm fratrem non diligat quem videt, non poteſt Deum diligere, quem non videt.*

## §. CXVIII.

*De ſpirituali deuotionis cenſu, gulæ ſtipendia captare, hypocritarum elogium eſt.*

1. Strobæ. ſer. 117. *Diogenes panem album nactus, è perâ cibarium proiecit.*

Diogenes (acerrimus philoſophicæ virtutis ſectator) *panem album nactus, è perâ cibarium eiecit, hunc verſum proloquens: Hoſpes tyrannis è via decedito.* Nimirùm ambitioſa fames, quæ præter nitidum flumen, & Cererem albam obſonia expetit, appellatur à Diogene, *Hoſpes tyrannis.* Hic itaque Philoſophus à virtute temperantiam expreſſit; non intemperantiam à virtute hauſit: quod foret virtutis adulterium & quæſtuoſæ probitatis nundinæ, dum de virtutis

rutis cenſu gula delicioſè paſcitur hypocriſis arbitrio. Nempe virtutis ſtudioſus, de probitatis ſtipendio *panem album nactus*, *è pera cibarium eiicit*, ne philoſophiæ abuſu *hoſpitam tyrannidem* virtus patiatur, dum probitatis ſtipendio, palati delicias nutrit, virtutémque ſauciat mucrone virtutis, præuento vitiorum officio. Oſtentatæ palàm virtutis quæſtu, gulam clanculùm delicioſè paſcere, lenocinium vitiorum eſt.& propudioſum virtutis adulterium. Amani hîc elogium eſt, virtutis obtentu, Dei populum

Hic verſ.15. profligare; & indè regia promereri, ac frequentare conuiuia.

2. Exhod.3.v. 2. & 3.

Exhodi 3. Moyſes paſcebat oues Iethro ſoceri ſui: cúmque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Horeb. *Apparuitque ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergò Moyſes: Vadam, & videbo viſionem hanc magnam.* Magna ſanè viſio, & prodigium miriſſimum, quòd rubus cæleſti ardore tacta, adhuc vernet, vireſcat, floreſcat; & vndè marcida eſſe debuit, indè virorem & nutrimentum concipiat. *Mirabile verè fuit,* (ait

Caiet ibi. inibi Caietanus) *quòd multitudo ruborum, & virentibus foliis ardebat flammâ igneâ, & tamen*

Philo de Vita Moyſ. *nihil perdebat ſua viriditatis.* Addit tempeſtiuè Hebræus Philo: Erat ibi rubus, inquit, plantula videlicet ſpinoſa ac debiliſſima, atque ea, à nemine admoto igne, repentè tota accendi

*Malè myſtica rubus, cæleſti igne vireſcit, ac nutritur.* viſa eſt. Quam cùm ignis radicitùs occupaſſet, & ingenti flammâ omnes ramos ac cacumen teneret, ea tamen perindè manebat illæſa, ac ſi supernè fons delaberetur, incendiúmque reprimeret, & quaſi materia incorruptibilis eſſet, *non ea eſſet igni pabulum*, *ſed contrà ea nutriretur ab igne* Magna ethicè viſio, quâ oculis cernit Moyſes plantulam debiliſſimam, (quod idoneum eſt ignis pabulum) concepto igne vireſcere, quaſi *ea nutriretur ab igne*, à quo macilenta, exucca, atque arida eſſe de-

S Aug. apud Lauret. Ceruar. verbo *Rubus*. buiſſet. Hoc rubi ſacramentum pandit Auguſtinus, qui per *rubum* allegoricè intelligit Synagogam Iudæorum, quæ mentito virtutis nitore per hypocriſim, de cæleſti flammâ, quâ ſenſim conſumi debuit, vireſcit, nutritur, adipatur. O, in quibuſdam, quos ſpirituales vocant, virtutis abuſum, accenſæ cælitùs rubo non abſimilem! Cæleſtis deuotionis calor, & ardor ſpiritus, quem foris oſtentant, illos macie penè conſumptos, & corpore exuccos reddere debuiſſet. Indè tamen Phæriſæorum adinſtar, è peruerſo virent, viribus pollent, & clandeſtinis palati deliciis, à cæleſti igne opiparè nutriuntur, tanquam hæc ſenticoſa rubus, quæ à cæleſti *igne nutritur*, & frondeo nitore viret. O falſatam recentium Phariſæorum virtutem, & veram præpoſterè hypocriſim! De cæleſti Spiritus ſancti feruore, & deuotionis igne, macilenta virtutis captant ſtipendia, quibus clandeſtinâ identidem comeſſatione guloſè paſcuntur, *nutriuntur*, ſaginantur: & vndè maciem exprimere, indè adipem incrementare ſolitant. Foris venditant, ſe cæleſti Spiritus ſancti igne eliquari & abſumi: ſed ac ſi supernè fons delaberetur, incendiúmque reprimeret, adhuc vireſcunt, quaſi *non ea eſſet igni pabulum*, *ſed contrà ea nutriretur ab igne*, dum de ſtipendio virtutis, delicioſè clanculùm adipantur malè diſſimulato quæſtuariæ deuotionis adulterio.

Regius Pſaltes ſic ſceleſtiſſimos hypocri- 3.
ſi homines deſcribit: In labore hominum non ſunt, & cùm hominibus non flagellabuntur. Ideò tenuit eos ſuperbia, *operti ſunt iniquitate & impietate ſuâ.* Hieronymus S. Hieron.
*Circundederunt iniquitatem ſibi.* Alij, *Operiet*, ſiue *occultabit ſe vt tollat prædam ſibi.* De his autem, qui iniquitatem, quâ operti ſunt obtentu magnæ virtutis *occultant*, ſuperaddit Propheta: *Prodiit* ( Biblia Compluten- Bibl Comp.
ſia & Regia, *Prodibit*, ac ſi de futuro pro- Bibl. Regia.
phetet) *quaſi ex adipe iniquitas eorum: tran-* Pſal. 62. v.7.
*ſierunt in affectum cordis.* Chaldæus Para- Chaldæus. Hebræus.
phraſtes ſic excribit, & exponit: *Mutata eſt* Lorinus.
*ob pinguedinem ſimilitudo vultuum eorum.* Alij ex Hebræo apud Lorinum *Egreſſus eſt vterque oculus ab adipe.* Verùm non conuenit inter expoſitores quid hîc ſignificetur *adipis* vocabulo. Lauretus Ceruarienſis in ſuis Laur.Ceru.
Allegoriis, ex Iſychio, Origene, & aliis verbo *Adeps.* Iſychius.
ita ſcribit: *Deſignat etiam adeps deuotionem* Origenes.
*mentis in charitate perfectâ. Pingueſcunt autem ſpecioſa deſerti cùm Eccleſia abundat diuinâ gratiâ. Et impinguat Deus in oleo caput, cùm dat abundantiam gratiæ ..... Demum adeps ſunt deliciæ ſpirituales.* Moraliſ- *Cæcus eſt qui*
ſimè ergo prophetat Dauid, futurum eſſe *ex deuotione*
aliquando tempus vſque adeò corruptis ho- *adipem vt prædam tollit*
minum moribus infame, vt *prodeat quaſi ex* *ſibi.*
*adipe iniquitas eorum.* Ex *adipe* inquam, id eſt, cùm mentis deuotio, & abundantia gratiæ, è peruerſo transfertur *vt tollat prædam ſibi*, & corpus delicatè nutriat, ſaginet, adipet: qui eſt corruptiſſimus deuotionis, & vberioris gratiæ abuſus. Nempè ex gratiæ adipe *prædam tollere.* Ideò autem dicitur *egreſſus vterque oculus ab adipe*; quia vſque eo cæcus eſt, vt dum ex *ſpiritualibus deliciis*, quibus ſe frui oſtentat, eſculentas & poculentas demetit, quibus clam adipatur, ſeriò exiſtimat, à nemine id aduerti, omnes omninò latere. Quid tam *Fructus ſpi-*
ſtolidè cæcum, quàm ex deuotione & vbe- *ritus eſt*
riore gratiâ *adipem vt prædam ſibi tollere*? Pro- *temperantia.*
fectò Gentium doctor inter opera carnis cenſet *ebrietates*, *comeſſationes. Fructus autem ſpi-* Ad Galat. 5.
*ritus eſt charitas ..... modeſtia*, *continentia* v.22 & 23.
( Vatablus *temperantia* ) quam *comeſſationi-* Vatablus.
*bus & ebrietatibus* Apoſtolus opponit. Vndè concludit: *Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus.*

Ioannis 21. res expenſione digniſſima tradi- 4.
tur: nempe quorsùm Petri erga Chriſtum Ioan. 21.
amor, deuotio, & virtus examinetur, & quò v 15.
tendat, & corrigenda ſit. *Dicit Simoni Petro* *Chriſtus præ-*
*Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit* *cauet, ne ſe*
*ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei:* *quis ex ſpiritu vberius*
*Paſce agnos meos.* Et confeſtim iterùm, atque *paſcat.*
iterùm, *Paſce oues meas.* Vide hîc ad quem finem dirigenda ſit Petri virtus, & feruentior deuotio; ne ex eâ palati delicias aucupetur. Quod inibi ex Auguſtino Hugo Carenſis ad- Hugo ibi.
notauit: *Diligis me, &c. Paſce agnos meos.* S.Auguſt.1.
*Paſce oues meas, &c. Quaſi dicat: Si diligis* Petr.5. v.2.
*me; non te, paſce agnos meos vt meos ..... Hæc* Ezech.34.
*eſt probatio dilectionis.* 1. *Petri vltim. Paſcite* v. 2.
*qui in vobis eſt gregem Domini. Sed contrà dicitur Ezechielis 34. Paſcebant ſemetipſos.* Scilicet in Petro, quò ſit dirigenda virtus & deuotio

 declaratur

declaratur, ne degeneret in palati delicias. Itaque cùm deuotionem, & amorem erga ſe Chriſtus Deus in Petro examinauit & approbauit, confeſtim addit, *Paſce agnos meos, paſce oues meas. Quaſi dicat: Si diligis me; non te, paſce agnos meos.* Nempè quaſi præcanet Chriſtus ne ex deuotione erga ſe, ſeipſum vberrim paſcat, nutriat, & ſaginet, ſicut qui apud Ezechielem *paſcebant ſemetipſos.* O peruerſitas! *fructus* enim *Spiritus* non eſt *ebrietas, & comeſſatio*; ſed *modeſtia, continentia*, id eſt, *temperantiæ.*

5\. Lucæ 8. v. 5. *Volucres cœli ne auidè comedant electiſſimum granum.* Euſeb. apud Caten. ibi.

Lucæ 8. exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum: & dum ſeminat, *aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cœli comederunt illud.* Eccur non potiùs volucres inferni dicuntur, quæ electiſſimum ſementi granum ſic auidè eſuriunt, comedunt, deuorant? Euſebius per has *volucres cœli* intelligit *Spiritus malignos & Dæmones, vel viros fallaces & callidos.* O homines de hypocriſi callidos & fallaces, atque ab æmulatione Dæmonum, *Spiritus malignos*, qui transfigurantes ſe in Angelos lucis, virtutem & deuotionem mentientes, cùm electiſſimum granum, id eſt, eſculentas palati delicias auidè vorant, moraliſſimè non inferni volucres, ſed *volucres cœli* nominantur. *Volucres*, inquam, *cœli* dicuntur, cùm de velut cœleſti conuerſatione & ſpiritu, ſapidiſſimum granum, hoc eſt, gulæ delicias nutriunt: quæ eſt fallax hypocritarum calliditas.

6\. Ad Rom. 14. v. 17.

Paullus ad Romanos 14. ſic eos in re eſculentâ & poculentâ ſapienter erudit: Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum. *Non eſt enim regnum Dei eſca & potus: ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.* Quaſi dicat: Pietas, fides, & gratia, quibus Deus regnat in nobis, non conſiſtunt per ſe in certo cibo & potu, quaſi hæc per ſe neceſſaria ſint ad gratiam & beatitudinem aſſequendam, & per hæc grati fiamus Deo, cùm ſint per ſe adiaphora. Non dicit Apoſtolus: Regnum Dei non eſt abſtinentia à cibo & potu; ſed, *Regnum Dei non eſt eſca & potus*: ſiquidem vt ipſe ait 1. ad Corinthios 8. *Eſca nos non commendat Deo.* O ſubdolas gulæ præſtigias! Ecquis niſi planè mentis ac iudicij inops, ſibi ſeriò perſuadeat, eſcam nos gratiùs commendare Deo, potiùs quàm abſtinentiam? Eſcáne & potus erunt *regnum Dei*? O gulæ inſanas argutias, de hypocriſis ingenio fabricatas! Sanè hîc per *regnum Dei*, nonnulli gratiam exponunt, per quam Deus regnat in nobis, atque ius ad regnum & beatitudinem æternam acquirimus. Alij per metonymiam, *regnum* hîc pro ſubditis, qui reguntur, accipiunt, quaſi dicat: Non propterea reddimur ſancti, & boni Chriſtiani, in quibus Deus regnet, quòd cibis lege interdictis liberè veſcamur; ſed iuſtitiâ, pace, & gaudio Spiritus ſancti reddimur ſancti, & indè efficimur regnum Dei. Cæterùm S. Anſelmus ſic appoſitè locum exponit: *Non eſt regnum Dei eſca & potus, id eſt, regnum Dei propter quod laboramus & currimus, neque per eſcam, neque per potum conſtat; ſed aliena ſunt hæc à regno Dei, & ab illâ Sanctorum conuerſatione futurâ. Non erunt ibi carnales epulæ, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium. Et quia ſolent homines multùm gaudere corporeis cibis, addidit, In Spiritu ſancto.* O præſtigiatrices gulæ technas! Opúſne eſt eruditore Paullo, quòd non efficimur *regnum Dei* per cibum & potum lautiorem? & quòd gratiores epulæ non veniunt de officioſitate diuinioris gratiæ? & quòd empyreum Dei regnum, quod meritis ambimus, *neque per eſcam, neque per potum conſtat?* Hem, quis Dei regni cenſum, gulæ ſtipendia putet?

1\.Cor. 8. v. 7

*Regni Dei cenſus, non ſunt delicijs gulæ ſtipēdia.*

S. Anſel. ibi.

## SYNOPSIS CAP. IV.

*Ob ferale edictum de Iudæorum excidio, vbique euulgatum, Mardochæus veſtimenta ſua ſcindit, ſedet in cinere, ieiuniis ſe macerat, & amaro eiulatu ac gemitu vrbem complet. Idem vbiuis reliqui Iudæorum factitant. Regina quoque Eſther re per internuncios cognitâ, dum Mardochæi iuſſu, iniuſſa decernit ad Regem intrare, ſi fortè precibus malum auertat; triduanas preces & ieiunia Iudæis indicit, & totidem ipſa diebus in ſacco & cinere volutans, felicem rei funeſtæ exitum deprecatur, & proprio periculo periculum redimere alienum ſatagit.*

## CAPVT IV.

1\. QVÆ cùm audiſſet Mardochæus, ſcidit veſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, ſpargens cinerem capiti: & in plateâ mediæ ciuitatis voce magnâ clamabat, oſtendens amaritudinem animi ſui. 2. Et hoc eiulatu vſque ad fores palatij gradiens. Non enim erat licitum indutum ſacco aulam Regis intrare. 3. In omnibus quoque prouinciis, oppidis, ac locis, ad quæ crudele regis dogma peruenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, vlulatus, & fletus, ſacco & cinere multis pro ſtrato vtentibus. 4. Ingreſſæ autem ſunt puellæ Eſther & Eunuchi, nuntiauerúntque

tiauerúntque ei. Quod audiens conſternata eſt: & veſtem miſit,vt ablato ſacco in-
duerent eum: quam accipere noluit. 5. Accitóque Athach eunucho, quem rex ei
miniſtrum dederat, præcepit ei vt iret ad Mardochæum, & diſceret ab eo cur hoc
faceret. 6. Egreſſúſque Athach, iuit ad Mardochæum ſtantem in platea ciuitatis,
ante oſtium palatij: 7. qui indicauit ei omnia quæ acciderant, quomodo Aman
promiſiſſet,vt in theſauros regis pro Iudæorum nece inferret argentum, 8. exem-
plar quoque edicti, quod pendebat in Suſan, dedit ei,vt reginæ oſtenderet, & mo-
neret eam,vt intraret ad regem, & deprecaretur eum pro populo ſuo. 9. Regreſſus
Athach, nuntiauit Eſther omnia,quæ Mardochæus dixerat. 10. Quæ reſpondit ei,
& iuſſit vt diceret Mardochæo: 11. Omnes ſerui regis, & cunctæ, quæ ſub ditione
eius ſunt,norunt prouinciæ, quòd ſiue vir,ſiue mulier,non vocatus,interius atrium
regis intrauerit, abſque vlla cunctatione ſtatim interficiatur: niſi fortè rex auream
virgam ad eum tetenderit pro ſigno clementiæ, atque ita poſſit viuere. Ego igitur
quo modo ad regem intrare potero, quæ triginta iam diebus non ſum vocata ad
eum? 12. Quod cùm audiſſet Mardochæus, 13. rurſum mandauit Eſther, dicens:
Ne putes quòd animam tantùm tuam liberes, quia in domo regis es præ cunctis
Iudæis: 14. Si enim nunc ſilueris,per aliam occaſionem liberabuntur Iudæi: & tu,
& domus patris tui,peribitis.Et quis nouit, vtrùm idcirco ad regnum veneris,vt in
tali tempore parareris? 15. Rurſúmque Eſther hæc Mardochæo verba mandauit:
16. Vade,& congrega omnes Iudæos,quos in Suſan repereris, & orate pro me. Non
comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis
meis ſimiliter ieiunabo, & tunc ingrediar ad regem, contra legem faciens, non vo-
cata, tradénſque me morti & periculo. 17. Iuit itaque Mardochæus, & fecit om-
nia, quæ ei Eſther præceperat.

## §. CXIX.

### *Commentarius litteralis.*

*Verſ.* 1. 2. & 3. Quæ cùm audiſſet Mardochæus, ſcidit veſtimenta ſua.

1. MArdochæus Hebræi populi princeps, Iudaicæ religionis in paucis ſtudioſus, cùm videret ſe huius tragœdiæ auctorem, non potuit hanc calamitatem non grauatè ac dolenter tuliſſe. Primò *ſcidit veſtimenta*: veſtium enim laceratio, magni doloris indicium fuit, quod ex Biblicâ & profanâ litteraturâ eruditè Serarius comprobat. Eò etiam ſpectat cilicina ſacci ſpinoſitas, & ſqualidum caput cinere conſperſum, & lugubris horrendè iteratus clamor in mediæ ciuitatis plateâ. Quin & in ipſam Regis aulam ſic fuiſſet audenter ingreſſus, ni legibus vetaretur: vt indè medicinam quæreret, vndè lethalem contraxerat morbum. *Magnâ voce clamaſſe* dicitur à Vulgato, oſtendens amaritudinem animæ ſuæ, quid autem eiulatu clamaret, prorsùs ſilet: LXX. autem Interpretes produnt quid clamarit: *Tollitur gens, quæ nihil iniuſtè egerit.* Ioſephus autem ita ſcribit: Mardochæus *ſparſus cinere ferebatur per vrbem, iniquum facinus clamitans, maximam gentem internecioni eſſe addictam.* Benè notat P. Doctor Sylueira, quòd quãtumuis elatâ voce clamauerit prope Regis palatium, eius tamen clamor ad Regis aures nunquam peruenit. Eheu ſic accidit pauperibus iniuſtè damnaris! Et ſanè incongruum videri poſſet, vt vir prænobilis, & forſan iam palatinus, ita ſordidè deturpatus, regiam ciuitatem obiret, eamque funeſtis clamoribus querulus miſerabiliter compleret, niſi eiuſmodi lugubris clamor apud Perſas in magnâ calamitate foret vſitatus, vt Tirinus, & Menochius adnotarunt ex Serario, qui pro hâc re allegant Herodotum, & Curtium. Cùm id apud Perſas in more poſitum fuiſſet, cautum erat legibus, ne quis huiuſmodi ſacco indutus ingrederetur Regis palatium, ne habitus triſtis, ac miſerabilis clamor regios oculos, aut aures infeſtaret. Hâc ſuper re conſule Ammianum Marcellin. l. 23. Notat Ioſephus de la Cerda Acad. 25. litteral. num. 14. cùm dicitur, non licere indutum ſacco aulam regis intrare, id non de interiori corporis cilicio, ſed de exteriori ſacco intelligendum. Ecquis hac ſuper re hactenùs ambigebat? Hunc locum Eſtheris ſcitè expouit noſter Mendoza tom. 2. Annotat. 23. ſect. 1. num. 6. Non aſſentiar P. Leandro, inibi aſſerenti ob indumentorũ vilitatem non licuiſſe Mardochæo ingredi palatium. Profectò ſaccus lugubrem habitum denotat, & inde arcetur iuxta dicta. *Crudele Regis dogma,*] id eſt, Regis edictum: quod ex contextu manifeſtum eſt. Pro hoc modo loquendi allegat Serarius Lucam in Actis Apoſtolorum, Ioſephum, & Demoſthenem. Conſulatur inibi.

*Serar. q. 1. Mardochæi luctus, & lugubris clamor.* *LXX. Inter. Ioſeph. l. 11. cap. 6. Silueira to. 1 c. 4. q. 8.* *Tirinus hîc. Menoc. hîc. Serarius q. 1. Herod. l. 3. Curt. l. 4.* *Ammian. P. Leander. Ioſeph. Cerd. Mendoça, Serar. q. 2. Ioſephus. Demoſth.*

*Verſ.* 4. & 5. Ingreſſæ autem puellæ Eſther & Eunuchi.

3. Tametſi hactenùs Eſtheris genus erat ignotum, cùm identidem Reginæ mandata ad Mardochæum, & Mardochæi ad Reginam deferrentur, aliquid vtrique eſſe commune ſerui ſuſpicabantur. Quam ob rem Eſtheri denunciant, ſqualidum & lacerum Mardochæi habitum, & forſan lugubres tragicè clamores; quod ſollicitam mœſtitudinem Reginæ attulit, & honeſto viro condignam veſtem remittit. Et ſanè mirum eſt quòd veſtem remittens, vt exuto ſacco eam indueret, nil rogauerit de cauſsâ horrenti, ſacci præter morem induti, aut mœſti clamoris quem intempeſtiuè edebat. Exindè ſuſpicantur Lyra, Dionyſius, & Mariana veſtem miſiſſe, vt in palatium poſſet intrare, illumque eâ de re alloqui. Non putauerim; nam ſi Mardochæus tunc poſſet ad Reginæ colloquium admitti, forſan tot vltrò citróque mandata ſuper re grauiſſimâ, minimè

*Cur Eſther veſtem miſerit, nihil tunc interrogãs de rerum ſtatu.* *Lyran. Dionyſ. Mariana.*

minimè delata fuiſſent. Quàm fuerit apud Perſas difficile cum Reginis, aut regiis concubinis colloquium, ex Herodoto, & Plutarcho tradit Salianus.) Vndè veroſimile videtur, ancillas & eunuchum duntaxat retuliſſe ſordidarum Mardochæi habitum, nihilque de mœſtis clamoribus detuliſſe. nempè de aulicorum more, triſtibus nunciis non modicum detrahunt, ne inurbanè moleſtiam inferant. Quid ſi annunciato Mardochæi ſacco, ſic Eſther *conſternata* eſt, vt de clamoribus obſignato ore ſiluerint? Vel certè primò annunciauerunt de veſtium ſqualore, poſteà de eiulatu dicturi, vt malum nuncium delibaret, non ſtatim totum vſque ad fæces hauriret. Sic cum Magnatibus agi conſueſcit.

Herodot. Plutarch. Salian ann. m 3601. num. 12.

3. *Accito Athach eunucho*, &c.] Infecto negotio, quod Mardochæus agebat, ambitioſo corporis ſqualore, veſtem parum idoneam eo rerum articulo mittit ad Eſtherem. Et illa eundem remittit eunuchum, qui cauſſam rei adeò nouæ ſciſcitetur. Hunc Athach deſtinatum Reginæ ſeruitio, Ioſephus, & Græci codices *Achrateum* appellant; & fideliſſimum fuiſſe oportebat, cui res tanta concredita fuit. Significat Ioſephus Eſtherem per epiſtolas viciſſim miſſas egiſſe cum Mardochæo. Verbo, & ſcripto Serarius autumat Verùm ſi ſcripto agerent, non ſatis idoneè res tanti momenti eunucho verbis pandetur; quod tradere videtur Vulgatus.

*Fideliſſimus putatur Eſtheris eunuchus.*

Ioſeph. Græcus.

Serarius.

## *Verſ.* 6. 7. *&* 8. Egreſſúſque Athach, &c.

4. Hi verſiculi nihil continent, quæ ſuprà non deſcripta, & expoſita ſint. Crudelis edicti exemplar Mardochæus mittit ad Eſtherem, vt vberiorem dictis fidem faciat, & rem omnem penitùs agnoſcat, quò indubiâ totius rei notitiâ, cum Rege agere poſſit.

## *Verſ.* 9. 10. *&* 11. Regreſſus Athach, nunciauit Eſther omnia, &c.

Eſther audito patrui mandato, per eundem illi internuncium repræſentat, quod neminem latere cognouerat, nempè quòd quiſquis non vocatus Regem adiret, ex regio edicto ſtatim interficeretur, niſi fortè Rex auream virgam in clementiæ ſignum inclinaret. Ioſephus putat hanc legem ab Aſſuero conditam, à quo tempore eunuchorum inſidiæ detectæ ſunt, præcauens exinceps periculum. Lyranus exiſtimat iſtiuſmodi legem eſſe recentiorem, & de verſutâ Amani calliditate ortam poſt ferale edictum, quo excidium Iudæorum decretum fuit, ne quis Iudæorum innocentiam, & ipſius Amani technas Regi ſuggereret. Neuter alterutram coniecturam fundat, vndè planè vterque diuinat. Rupertus verò probabilius cenſet, Amanum huius ſeuerioris legis ſuaſorem fuiſſe, non vt primò tunc conderetur olim lata lex, ſed vt tunc ſeueriùs obſeruaretur. & aliam veroſimiliorem legis olim condendæ cauſſam adducit his verbis: *Cur tanta erat difficultas adeundi Regem? Nimirùm hoc venerat ex nimiâ ventoſitate miſeræ vanitatis, vt rex magni imperij plus homine putaretur habere aliquid, nec vilior fieret ex vſu publicæ viſionis, maximè apud Perſas mos iſte ſancitus fuit, vt perſona Regis occultaretur ſub ſpecie maieſtatis. Eâ lege Diabolus per Aman abuti voluit, vt dum ille accuſator tam familiaris Regi immineret, & ad excuſandum nulli aditus pateret, & ad exorandum nullus acceſſus fieret, emunctâ Regis ſententia curreret irreuocabilis.* Itaque de Perſarum regum arrogantiâ, arcanâ occultatione diuinitatem mentientium, valdè credibile eſt, hâc lege olim vti; quâ forſan abuſus eſt Aman, vt omnia ad Regis oculos & aures itinera intercluderet, ſeueriorem antiquæ legis obſeruantiam denuò ſuadens. Satellitium ſecuribus armatum ad plectendum eos, qui inuocati Regem adirent, de Romanorum conſuetudine præproperè Ioſephus meditatur. Spiculatores potiùs induxiſſet, ex Xenophonte, & Athenæo.

Ioſeph l.11. Antiq.c.6.

Lyran. hîc.

*Cur capitale erat, ſi quis non vocatus Regē adiret.*

Rupert.l 8. de vict c.10.

Ioſeph ſupr. Xenoph. l.7. Athen. l.12.

5. *Interius atrium Regis intrauerit.* Tradunt Xenophon, Philoſtratus, & Plutarchus, in Regum palatiis duo eſſe atria. Alterum exterius, in quo Satrapæ morabantur (quod etiam interius dicebatur reſpectu aliorum exteriorum) alterum interius, quod interius atrium Regis, ſiue regni vocabatur, quod erat auro, ac pretioſis vndique aulæis ſumptuoſiùs tectum & ornatum: in quo aureus Regis thronus erigebatur, vbi aureum in manu ſceptrum tenens exteros admittebat. Non poſſum hic non mirari, quòd Eſther, quæ dum vrgebat delatio inſidiarum, quas eunuchi moliebantur, potuit ſtatim Regem conuenire; (& forſan quin vocata adeſſet; res enim nimis vrgebat, & grande foret in morâ periculum) nunc neque per litteras, neque per internuncium eunuchum, neque alio quouis modo potuiſſe priuilegium petere, vt copia illi fieret maritum chariſſimum alloquendi. Et quid faceret Eſther, ſi alias aliorum eunuchorum inſidias quamcitò detegere, opus fuiſſet? Sic Amanus, regius Familiaris aditum obturauit ad Regem, intimæ familiaritatis priuilegio; & auguſtioris maieſtatis prætextu ſalubriori notitiæ aditum præcluſit? O vaferrimè inconſultam quorundam priuatorum tyrannidem! Rupertus lib. 8. de Victor. Verbi cap. 10. merum affectatæ diuinitatis ambitum in hoc inuiſo ſubditis receſſu recognoſcit, ſic fatus: *Cur tanta difficultas adeundi regem? Vt Rex magni imperij plus homine putaretur habere aliquid, nec vilior fieret ex vſu publicæ viſionis.* Sed quid tam ſtultum, & ſubditis gubernandis iniquum? Sic obbruteſcit ſceleroſa ambitio!

Xenoph l.8. Philoſtr. l.2. Plutarch. in Themiſtocle.

*Quare Regina nullum impunè aditum ad Regem patebat.*

Rupert.

## *Verſ.* 12. 13. *&* 14. Quod cùm audiſſet Mardochæus, &c.

6. Videtur Mardochæus, ex reginæ reſponſione capitalem legem cauſſante, tactus aliquâ ſuſpicione, ne fortè Eſther communem periclitantis ſui populi cauſſam negligeret, quia ipſa propter regiam dignitatem foret extra huiuſmodi periculum conſtituta, veroſimili perſuaſione, ſe, cunctis etiam Iudæis pereuntibus, minimè perituram. Quod Græci codices diſertè tradunt: *Eſther ne dixeris tibi, quia ſaluaberis ſola in regno præter omnes Iudæos.* Mardochæus autem hunc Eſtheris timorem timore alio excutere tentat: *Si enim, inquit, nunc ſilueris, per aliam occaſionem liberabuntur Iudæi: & tu, & domus patris tui peribitis.* Locus non adeò expeditus, vt ferè ab Interpretibus omiſſus ſit. Sanctius verò qui plus operæ illi impendit, ſic locum exponit, vt Mardo

*Proponitur, & reiicitur Sanctij expoſitio.*

LXX Inter.

Sanct. ibi. num. 5.

Mardochæus dicat Eſtheri, non minùs illi, quàm reliquis Iudæis capitale imminere ſupplicium, aut vitæ periculum metuendum Nam licet magnum habeat præſidium in regio nomine, & in regis exploratiſſimo amore, ſi tamen nunc, dum non eſt adeò Iudæorum inclinata fortuna, & adhuc apparet ſpes ſalutis, vitæ periculum, adito Rege adire recuſauerit, eò adducetur ipſa, vt ſi maximè cupiat ſtudeatque, extremam fortunam declinare non poſſit. Neque enim tam erunt inertes Iudæi, vt non ſeipſos ab inimico Perſarum ferro defendant, placati numinis auxilio ſuffulti. Ex quo efficietur, vt in illam à Perſis concitetur odium, aut à Iudæis in Amanum & Regem, à quò ipſa non erit immunis, quia aut à Perſis patietur aliquid hoſtile, qui ſuſpicari poterunt coniurationis Iudæorum eſſe principem, aut ſaltem conſciam; aut à Iudæis, cùm videant tam vilem illi fuiſſe ſalutem ſuam, vt propter illam regium chariſſimi mariti vultum ſubire recuſauerit. Verùm enimuerò ſi Mardochæus tantummodò dixiſſet, *Tu peribis*, valdè foret idonea Sanctij expoſitio: nam ſi futurâ forſan ſeditione, Iudæorum populus euaderet victor, veroſimile foret minimè parcituros Eſtheri, apud quam adeò viles reputati erant. At credibile non eſt in Beniaminitas reliquos, aut paternam Eſtheris domum ſæuituros; quomodo igitur illi minatur Mardochæus: *Tu, & domus patris tui peribitis?*

7. *Ioſephus. Cur peritura dicatur Eſther, ſi negligat ſuis auxilia i. Serar. q. 1.* Ioſephus lib. illo 11. Antiq. cap. 6. ſic præfata Mardochæi verba exponit: *Si enim hoc nunc facere negligat, Deum quidem omnino laturum ſuis auxilium: ipſam verò cum ſua familia daturam pœnas ob ipſos, quos contempſiſſet.* Sic ex Græcâ origine peritiùs locum exponit Serarius. Nimirùm, non eſt adeò res deplorata, vt de propitiato Numine ieiuniis, precibus, ſacco, & cinere, non ſperemus *omninò laturum ſuis auxilium*; ſed etiam ſumpturum pœnas ab eâ, quæ ideò aſcita videtur ad regiam dignitatem, vt opportuno tempore ſuis opituletur, & tamen opitulationem contemptim neglexerit. Vndè diuina prouidentia, aut omninò latura eſt ſuis auxilium, aut vindictam, non de te duntaxat, ſed de paternâ tuâ domo ſumet. Hæc expoſitio minùs impedita videtur, & quam prætet Sanctium, reliqui expoſitores inſinuant. Veroſimile enim putat Mardochæus, Deum ſui populi contemptum, in Eſthere, eiuſque paternâ domo ſeuerius vlturum. Addit paternam etiam domum puniendam, ad ſupplicij auctarium: credibile autem non eſt, Iudæos in ſeipſos ſæuituros, præſertim tot Perſicis hoſtibus ſeptos.

*Verſ.* 15. 16. *&* 17. Rurſúmque Eſther .... Vade, &c.

8. Tandem adnuit Eſther Mardochæi votis, & proprio periculo alienum redimere parat: expoſcit autem Iudæorum omnium ieiunia & preces, vt Deus pia omnium vota impleat, & ſucceſſus proſperet. Vnde ſupernacaneè meditari quis poſſet, τὸ *vade*, ſignificare, vt è penitiore vrbis parte vadat ad extremam, aut contrà: ſed ex linguæ idiotiſmo, τὸ *vade*, & *veni* pro aduerbiis ponuntur, id eſt, *age dum*. Nam tametſi iam omnes Iudæi eſſent vnà congregati, ſimili loquendi formâ vti potuiſſet. De quo alibi multis *Et congrega omnes Iudæos.*] Sicut modo Iudæi inter alienas nationes diſperſi, habent certa loca, ſeu communes proſeuchas, in quibus religionis cauſsâ congregantur, quæ vocatur Synagoga; ſimilem ad modum in captiuitate habuiſſe, notat Serarius. Sed cautè id faciendum, & non ſimul magno numero *Congregandos* oportebat in eo rerum articulo, ne ſeditionis aut rebellionis ſuſpecti forent. *Congregandos* tamen (vt vt fieri poſſet) mandat: nam etſi ſciebat ſingulos ieiunare, & orare, communem omnium orationem expetit Probabile autem eſt non paucos Iudæos Suſis habitaſſe, quod τὸ *congrega*, denotaſſe videtur. *Et orate pro me.*] Hebraicè, Chaldaicè, Græce, *Ieiunate pro me*, vel *mecum*. Nimirùm quia iſtiuſmodi *ieiunium* in ſacco & cinere (id enim expoſcit, aiens, *mecum*, id eſt, ſicut & ego: illa autem in ſacco & cinere ieiunauit, & orauit) ad impetrandum diuinum auxilium populariter dirigebatur, perindè nunc eſt, *Orate pro me*, ac *Ieiunate mecum*, vel *pro me*. Baruch. 4. *Exui me ſtolâ pacis, indui autem me ſacco obſecrationis, & clamabo ad Altiſſimum in diebus meis.* Profectò ieiunij macies, & ſacci aſperitas, aſſumpta ad Dei opem implorandam, ſic precibus vicinatur vt ſubſtituatur pro precibus, ad quod ſpectaſſe videtur interpres Vulgatus, dum pro *Ieiunare* ad placandum Numen, *orare* ſubſtituit: eſt enim ieiunium orationis vigor, & impetrationis energia. Eſther autem in ieiunio & ſacco oraſſe perhibetur. Sed quandiu Suſianis Hebræis ieiunandum erat.

*Cur Hebræi congregandi ad orationē, & ieiunium & vbinam?*

*Serar. q. 3.*

*Hebræus. Chaldæus. Græcus.*

*Baruch. 4. v. 20.*

*Non comeditis, & non bibetis tribus diebus & tribus noctibus.*] Mandâtne his verbis Eſther, ne quid omnino comedant, aut bibant *tribus diebus & tribus noctibus?* Non putauerim, adeò ſtrictè neceſſario intelligendam eſſe eiuſmodi Eſtheris præceptionem: nam *tribus diebus & tribus noctibus*, perindè eſt ac tribus integris diebus. Vndè etſi noctu aliquid ederent, nihilominus Eſtheris mandato paruiſſent, ſi nuda verba, & Biblica phraſis vniuerſatim ſpectanda ſit. Conſulantur Interpretes ad Matthæi 12. verſ. 40. & Ionæ 2. verſ. 1. & Matthæi 4. verſ. 2. Verum cùm Eſther valdè ſollicita eſſet, & de ſuo periculo adeundi Regem non vocata, & de impendente ſui populi clade, intentiùs expoſcit Iudæorum in ieiunio & ſacco preces, quæ ſucceſſus fortunent. Cúmque Hebræorū ieiunia ſic peragi ſoleant, vt per diem nihil cibi potúſve ieiunantes ſumerent, & noctu veſci liceret, crediderim conſultò diebus *noctes* addi, quaſi toto illo triduo nil cibi aut potus guſtandum foret. Quemadmodum Moyſes ieiunaſſe legitur Exhodi 24. verſ. 18. & cap. 34. verſ. 28. & Elias 3. Reg. 19. verſ. 8. Et Chriſtus Dominus Matthæi 4. verſ. 2. Nam tametſi in Bibliis perſepè nil addat τὸ *noctibus* ſuperadditum *diebus*, aliquando tamen ex ſubiecta materiâ & ipſo contextu innuitur, non eſſe merum pleonaſmum, ſed quod vniuerſatim ſonat, nuncupatim ſignificari; quemadmodum plures exponunt illud Matthæi 4. de Chriſto Domino, *Cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Et ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo.*] τὸ *ſimiliter* denotat, ipſam etiam Eſtherem tribus diebus, & tribus noctibus ieiunaturam:

9.

*An toto illo triduo nihil eſſet Hebræis guſtandum.*

*Matth. 12. Ionæ 2. Matth. 4.*

*Exhodi 24. & 34. 3. Reg. 19.*

*Matt. 4. v. 1.*

& tamen tres dies & noctes ſynecdochicῶs accipiendæ ſunt: nam vt ex cap. ſequenti liquidò
Eſther. 5.
conſtat, tertiâ die Regem adiit, cum ipſoque, & cum Amane lautiùs epulata eſt. Nimirùm conſultiſſimè voluit, Iudæis pro ſe ieiunantibus & orantibus, Regem cum tanto periculo adire; nec promiſſæ veritati defuit, ſicut nec Chriſtus
Matth. 12.
Deus Matthæi 12. verſ. 40. aiens *tribus diebus, & tribus noctibus* fore in corde terræ; & tamen in auſpicio tertiæ diei reſurrexit, tertiam noctem non ſpectans.

10. *Cum ancillis meis.* ] Tametſi Eſther tenella erat, Regina erat; tridui ieiunium, in ſacco & cinere volutata, vltrò ſuſcipit, quò Dei miſericordiam in tanto rerum diſcrimine exoret. Nec ipſa duntaxat, ſed cum totâ familiâ. Quid idololatræ familiæ cum ieiunio & precibus ad Deum placandum? An ex Hebræo populo ancillulæ clanculùm delectæ, quæ Eſtheri famularentur? An Eſtheris ancillæ de conſuetudine cum Reginâ religioſè piiſſimâ, veri Dei notionem, & cultum ebiberant? Satiùs opinor, Eſtherem dé Niniuitarum exemplo eruditam probè noſſe, verum Numen ethnicorum ieiuniis, & orationibus etiam propitiari. Vndè ipſa cum totâ familiâ precibus, & ieiuniis impenſiùs vacat. *Tradénſque me morti, & periculo:* ] Hæc Eſtheris oratio inconcinnè videtur decreſcere: nam plus eſt morti ſe tradere, quàm periculo: de periculo enim euadere quis poteſt, ſecùs de morte. Et quidem Eſther periculum duntaxat mortis ſubibat; nam ſi Rex auream virgam inclinaſſet ad eam, morte eximebatur. Vndè putare licet τὸ *&*, non eſſe voculam copulatiuam, ſed exegeticam aut expoſitiuam, vt ſenſus ſit: *Tradens me morti, &*, id eſt, *periculo* mortis inquam. Idem euadit ſenſus, ſi ſit Hendiades, in vtraque eruditione non infrequens. *Tradens me morti, & periculo*, hoc eſt mortis periculo. Sicut illud Poëtæ, *Aurum, frenóſque momordit*, id eſt frenos aureos, vel auri frenos. LXX. Interp. perſpicuè locum exponunt, *Etiamſi perire me oporteat.* Pagninus, *Quomodocumque peream, peream.* Subobſcuriùs Vatablus & alij ex Hebræo, *Quãdò peribo, peribo.* id eſt, ſi contingat me perire pro ſalute populi mei, libens peribo. Non verbum verbo reddidit Vulgatus, ſed ſententiam expreſſit. *Iuit itaque Mardochæus*, &c. ] Haud ſegniter Mardochæus exequitur, quod Regina iuſſerat: exequuntur & cæteri, vt omnium vota in Eſthere collocata, piè Deus proſperaret.

*Cùm idololatra familia congruè ieiunat Eſther.*

Ionæ 2.

*Quid ſit morti, & periculo ſe tradere.*

LXX. Inter. Pagninus. Vatablus.

---

## §. XX.

### *Multiplex expenſio moralis ex hoc capite delibatur.*

*Verſ.* 1. In plateâ mediæ ciuitatis voce magnâ clamabat.

1. QVid autem clamauerit, Vulgatus tacet, quod non tacent LXX. Interpretes: *Tollitur gens, quæ nihil iniuſtè egit.* Vox ſanè pia, & Mardochæo digna: ſecùs autem illa apud Ioſephum, de ciuilis politiæ adytis emuncta: *Iniquum facinus clamitans maximam gentem internecioni eſſe addictam.* Non benè opinor, ad excutiendum interminatum duriùs ſupplicium, non damnati populi innocentia, ſed *gentis magnitudo* allegatur: quaſi magna gens ſuæ magnitudinis priuilegio, impunè delinquat. Sanè non bonum in re politicâ dogma!

LXX. Inter.

Ioſeph. l. 11. Antiq. c. 6.

*Gentis magnitudo, non benè eſt impunitatis priuilegium.*

*Verſ.* 2. Et hoc eiulatu vſque ad fores Palatij gradiens, &c.

Anſelmus Laudunenſis ſic locum myſticè exponit: *Et hoc eiulatu vſque ad fores palatij gradiens* (id eſt) *ad conſpectum diuinæ maieſtatis.* Quid eſt, quòd Mardochæus ſacco indutus, cinere conſperſus, ieiunio maceratus, & lugubri eiulatu abſurdus, dum Regis aulam non intrat, ſed *ad fores palatij graditur*, dicitur perueniſſe *ad conſpectum diuinæ maieſtatis?* An non diuina maieſtas in palatij penetralibus, potiùs quàm palatij fores habitat? quomodo igitur extra palatij fores gradiens, ad conſpectum diuinæ maieſtatis peruenit? Opinor, ex ſingulari auſterioris pœnitentiæ priuilegio, qui ſacco indutus, cinere aſperſus, funeſto eiulatu illacrymat, ambitioſi ſqualoris negotioſâ ſollicitudine, *vſque ad fores palatij gradiens, ad conſpectum diuinæ maieſtatis* peruenit. Extra palatij fores, diuinæ maieſtatis ſolium inuenitur? Putauerim. ſerò in fine pœnitentiæ Deum inueniri: in ipſo feruidæ pœnitentiæ exordio dignatio diuina, quaſi indulgentiæ præcoqua, pœnitenti occurrit. Vnde Mardochæus ſacco indutus, & cinere conſperſus, *hoc eiulatu vſque ad fores palatij gradiens, ad conſpectum diuinæ maieſtatis* intrauit. Qui pœnitentiæ incubat, extra fores gradi videtur, ſed ad ſolium diuinæ maieſtatis penetrauit: in pœnitentibus enim auguſtior diuinæ pietatis maieſtas ſublimiùs apparet. 2.

Anſel. Laud. in gloſſ. inter.

*Pœnitẽs ante fores gradiẽs, ad conſpectũ diuinæ maieſtatis intrat.*

*Verſ.* 3. Crudele Regis dogma peruenerat.

Re indiſcuſsâ crudele mandatum, & per ſycophanticam delationem ſententia emuncta, quaſi fidei *dogma* habendum erit, ſuſpiciendum erit, adorandum erit? Inertia ſuperioris ignauè Primatibus credula, quæ vel cauſſæ explorationem faſtidit, & ſententiam iurato inimico dictandam permittit, quaſi *dogma* proponitur, quod neque explorandum, neque excutiendum, ſed velut cæcâ fide credendum eſt? O ferale *dogma*, & tyrannidis hyperbole! 3.

*Superioris mandatum, velut dogma ſæpè proponitur.*

*Verſ.* 4. Ingreſſæ autem ſunt puellæ Eſther, & eunuchi.

Chaldæus paraphraſtes: *Et introierunt puellæ Eſther, & magiſtri eius.* Quare Eunuchi Reginæ ſeruitio deputati, *eius magiſtri* dicuntur? O bonum ediſcendæ humanitatis gymnaſium! Ediſcat Dominus in ſeruo humanæ naturæ æqualitatem ab iniquâ fortunâ imminutam. Æqualem ſibi putet, quem ſe minorem videt. Perutile quidẽ magiſterium eſt, quo Eſther nuper orphana & captiua, homines liberos & ingenuos in ſuo obſequio ſedulos videt. Omnes ſeruos puta idoneos humanitatis *magiſtros.* Exindè forſan, qui Eſtheri miniſtrabant, non tam miniſtri, quàm *magiſtri* nominantur. O quàm multa in hoc frequenti lycæo ediſcere licet! 4.

Chaldæus.

*Quare ſerui Eſtheris, eius magiſtri dicuntur?*

*Verſ.* 11. Abſque vllâ cunctatione ſtatim interficietur.

Nimirùm qui non vocatus Regem adibat, ſtatim interficiebatur. In hoc autẽ ferali edicto 5.
aliquid

aliquid piè humanum Chaldæus paraphraſtes recognoſcit: *Quid non fuerit vocatus, vna eſt ſententia iudicij eius, vt moriatur.* quaſi benignæ miſerationis loco ſit *vnâ ſententiâ* condemnari, nec plures pati ſententias moroſâ iudicum cunctatione ſuſpenſas. Semel perit, qui vnâ duntaxat ſententiâ perit. Diu vitam trahit, & repetitá perit morte, qui multiplicis ſententiæ ictu feritur. *Si flagellat, occidat ſemel, & non de pœnis innocentum rideat.*

*Felicitatis portio eſt, vnâ ſententiâ ad mortem damnari.*

Iob. 9. v. 23.

*Verſ.* 11. Interius atrium Regis intrauerit, abſque vllâ cunctatione ſtatim interficietur.

6\. Lege olim cautum erat apud Perſas (ſic tradunt Herodotus, Ammianus, Xenophon, Athenæus) vt ſiquis non vocatus Regi adeſſet, confeſtim plecteretur; vt dum Rex publicæ viſionis vſu non vileſcit, occultatus ſub ſpecie maieſtatis, plus homine aliquid habere putaretur. Sed vide quare hanc legem penè obſoletam, Amanus renouare ſeueriùs procurarit: *Eâ lege* (ait Rupertus) *Diabolus per Aman abuti voluit, vt dum ille accuſator tam familiaris Regi immineret, & ad excuſandum nulli aditus pateret, ad exorandum nullus acceſſus fieret, emuncta Regis ſententia curreret irreuocabilis.* Scilicet parùm ſæuiret malitioſè barbarica Amani hoſtilitas aduerſus Dei populum, niſi legibus ſæuiret. Obſoletas renouat leges, eáſque callidè flectens, exlegem ſæuitiam legibus armat; & dum legum obſeruationem prætendit, ſæuiori vindictæ militat; & legum flexili abuſu inflexilem facit hoſtilitatem.

Herod. l. 1. 3. & 8. Ammian. l. 14. Xenoph. l. 7. Athen. l. 12.

*Legum abuſu, Amanus contra innoxios ſibi inimicos ſæuit.*

Rupert. de Victor. l. 8, cap. 10.

*Verſ.* 11. Interius atrium Regis intrauerit, abſque vllâ cunctatione ſtatim interficietur.

7\. De hac lege quâ iubetur, capitale fore cuilibet non vocato Regem adire, cenſet Ioſephus eiuſmodi legem, à tempore quo detectæ fuerũt eunuchorum inſidiæ, conditam. Lyranus verò inquit; *Iſtud edictum de conſilio Aman fuerat poſitum, ne machinatio eius de morte Iudæorum reuocaretur per aliquem informantem Regem ad contrarium.* Exindè cùm olim obuius Eſtheri aditus ad Regem pateret ad detegendas eunuchorum inſidias, Regi exitiales, ni ſtatim denunciarentur, nunc regij Familiaris iuſſu factum eſt, vt nec Reginæ chariſſimæ aditus pateat ad Regem abſque vitæ diſcrimine. O Priuatorum (quos vocant) tyrannidem! Et quid faciendum foret Reginæ, ſi Regi ac marito ſuo aliæ aliorum eunuchorum inſidiæ imminerent? quomodò ipſa Regina coniurationis conſcia, poſſet Regem inſcium de periculo rurſus admonere? Literaliſſimè pariter ac moraliſſimè Iacobus Tirinus hâc ſuper re ita fatur: *Sic enim ſolent ſubindè quidam aulici potentiores, omnia ad Regis oculos & aures itinera intercludere & obſepire.* O nimis verè! Qui rerum notitias Regibus præcludit, illos à regiâ dignitate deponit, regni politiam euertit, & eorum animas ſubindè negotiatur, Amanus eſt, quiſquis omnia ad Regis oculos & aures itinera intercludere & obſepire ſatagit. Heu quorundam inertem neſcitiam. tumultibus, rebellionibus, & ſtragibus peruiam!

Ioſephus. Lyranus.

*Malè regius Priuatus Regi notitias rerum intercludit.*

Tirinus ibi.

*Verſ.* 16. Orate pro me.

8\. Chaldæus paraphraſtes: *Ieiunate mecum.* Idémne eſt, *Orare*, ac *Ieiunare*! Sic oratio ieiunium eſurit? Sic ieiunium eſt orationis bibulum, aut orationi conuiſceratum? Eſtne oratio ieiunij vigor? an energia orationis ieiunium eſt? O noua ethicè ſynonyma, quæ vices moraliſſimè reciprocant! Profectò ipſa muta ieiunij fames, linguata precatio eſt, ventris latratu meliùs clamans. Sed ne te prætereat aliud moraliſſimum ſynonymum: *Orate pro me*, & *Orate mecum*, quaſi qui *mecum oras*, etſi petat, *pro me* etiam *oret*. Sic concors multorum oratio, ſibi mutuò auxiliaris eſt!

Chaldæus.

*Idemne eſt, ieiunare, ac orare.*

*Multorum oratio ſibi mutuò auxiliaris eſt.*

*Verſ.* 16. Ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo.

9\. Quæ verba ſic reddit paraphraſtes Chaldæus: *Ego, & puellæ meæ ieiunabo ſimiliter.* Quare verbum pluratiuum *ieiunabimus*, non apponitur? Regius faſtus ſecum numerum non multiplicat? tanquam nihilum ceteros reputat, vt ad numeri multiplicationem non admittat? Huiuſmodi arrogantia de aliis regiâ dignitate ſublimibus, non de Eſthere credi poteſt. Cui forſan adeò erat ſibi chara ancillarum familia, vt non tantùm proprio, ſed illarum quoque ieiunio ipſa ieiunaret. Sic ſuæ familiæ maceratione affligtabatur!

Paraphraſt. Chaldæus.

*Quare Eſther ſuæ etiam familiæ ieiunio ieiunare dicitur?*

*Verſ.* 16. Tradenſque me morti & periculo.

10\. Inconcinnè videtur decreſcere oratio. Maius quid eſt, *Morti* ſe tradere, quàm *Periculo*: nam qui ſe tradit *morti*, illam non poteſt euadere: qui autem mortis *periculum* ſubit, ſæpè *morte* eximitur proſpero errore, & cæcâ felicitate. Verùm *periculum* mortis, repetita *mors* eſt, iterato ſæpiùs ictu, totiéſque quis occiditur, quoties cædes vicina timetur. Satiùs ſæpè eſt, ac minùs moleſtum, ſemel mori, quàm cædem diu timere. Plures vltrò mortem ſubierunt, ne cædem diu timerent.

*Mortis periculum, ſæpè ipſa morte acerbius eſt; & repetita mors.*

*Verſ.* 17. Iuit itaque Mardochæus, & fecit omnia quæ Eſther præceperat.

11\. Hanc ſententiam ita reddit, & exponit Chaldæus: *Et contriſtatus eſt Mardochæus, fecitque iuxta omnia quæ præceperat ei Eſther.* Potiùs exultare debuiſſet Mardochæus, quandò eius votis ſic obtemperat Eſther. An non id obnixiùs perſuaſit? An non indè ſperat ſuam, & iam iam perituri populi redemptionem? An indè *triſtatur*, quia vicinantem tantæ triſtitiæ finem præuidet? Funeſtioris calamitatis abſconſa vtiliter bona ſic magnificè æſtimat? Arcanè triſtatur Mardochæus, cùm penè excuſſit triſtitiæ cauſſas, & præcoquâ ſpe incolumitatem momordit. Procline eſt cuiuis huius nunc *triſtitiæ* alias cauſſas Ethicè ruſpari,

Chaldæus.

*Triſtatur Mardochæus cùm penè triſtitiæ cauſſas excuſſit.*

## §. CXXI.

*Non eſt magnus animus, quem curuat calamitas: flecti neſcia in aduerſis conſtantia, aliquis virtutis faſtus eſt.*

1. Seneca l. 1. de Ira c. 5. *Non eſt magnus animus, quem curuat iniuria.*

VAlde proderit virtutis ſtudioſo arguta illa Senecæ vox: *Vltio doloris confeſſio eſt. Non eſt magnus animus, quem incuruat iniuria. Aut potentior te, aut imbecillior læſit. Si imbecillior, parce illi. Si potentior, tibi.* Nullum eſt argumentum magnitudinis certius, quàm nihil poſſe, quo inſtigeris, accidere. Pars ſuperior mundi & ordinatior, ac propinqua ſideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempeſtatem impellitur, nec verſatur in turbinem, omni tumultu caret; inferiora fulminant. Eodem modo ſublimis animus, quietus ſemper, & in ſtatione tranquillâ collocatus, intra ſe premens, quibus ira contrahitur, modeſtus & venerabilis & compoſitus eſt. Quæ garrulo ore loquitur humana philoſophia, diuina opere præſtat. Pſalmum 3. modulatur Dauid cùm domeſticos hoſtes per auia fugeret: *Ego dormiui*, inquit, *& ſoporatus ſum, & exurrexi.* Id eſt, (ait inibi Genebrardus) *Accubui, & dormiui ſecurus, (& vt Latinè dicitur, In vtramque aurem) donec ſurgerem, tumque ſurrexi placidè. Propter illorum inſidias & aggreſſiones, non deſij liberè & intrepidè fungi muniis vitæ naturalibus, dormiendo, ſtertendo, expergiſcendo, & ſimilia agendo quandò libuit.*

Pſal. 3. v. 5. Genebrar.

2. Pſal. 3. v 1.

Huius Pſalmi 3. titulus iſtiuſmodi eſt: *Pſalmus Dauid cùm fugeret à facie Abſalom filij ſui.* Hic titulus habetur in omnibus Codicibus Hebraicis, Græcis, & Latinis, ex quo non poteſt dubitari, quin ad litteram Pſalmus debeat intelligi de ipſo Dauide fugiente Abſalomum, illiúſque minas, & ſtrages, dum regiâ vrbe & arce hoſtiliter occupata, ſtricto impiè gladio pium parentem crudeliter perimere, & omnia pietatis iura fœdare & cruentare atrociter properabat. Noſter Cardinalis Bellarminus exponens hunc Verſiculum, & ſænam Abſalomi perſecutionem, quâ paterno ſanguini pugnaciter inhiabat: tempeſtiuè pariter ac argutè notat, quòd *Abſalom ſignificat patris pax, quia reuerà bellum fuit filij, ſed in patre ſemper fuit pax, vt patet de Dauide, qui fleuit mortem filij.* Profectò ſi ſacra conſulatur hiſtoria 2. Regum 15. totius belli fax fuit Abſalom, qui præcoquâ pugnaciter regnandi ambitione cruentum bellum mouit aduerſus pium parentem: Et quomodò igitur Abſalom *patris pax* dicitur, & non potiùs cruentum atrociter bellum, quod hoſtiliter geſſit in *patrem?* O nomenclaturam ex inuerſo arcanam! Auctor & fomes paterni belli, *Patris pax*, quo iure nominatur? Iure quidem optimo, & ad rem moralem peridoneo. Nam *reuerà bellum fuit filij, ſed in patre ſemper fuit pax.* Porrò nemo, nemo quidem vnquam cognoſceret Dauidis *pacem*, id eſt, mentem in mediis turbis pacatam, inter armorum ſtrepitus ſilentem, in bellorum ferociente tumultu placidè tranquillam, niſi tumultuoſum bellum filij, patris pacem publicaret. Filij bellum, paternæ pacis argumentum eſt, quæ in hoſtili impiè tumultu magis prænitet, & ſumptuoſiùs oſtentatur. Nam in tumultuante bellorum fremitu, ſilente & imperturbato animo frui, Dauidicæ pacis exaggeratio eſt, & inopinatæ conſtantiæ meta. Suſpice mihi in Dauide virtutis mores: nam *Virtus* (Philone teſte) *ſedatiſſimo eſt ingenio.*

*Quomodo Abſalomi bellum, dicatur patris pax.*

Bellarm. ibi.

2. Reg. 15.

Philo l. de Abrah.

3.

Sanctus Iob, inconcuſſa tot impetibus patientiæ columna, inopinatas facultatum direptiones animo pacato excepit; & alius nuncius intrauit, dicens: Ecce filiis tuis & filiabus veſcentibus & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt. *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua*, &c. O malum! qui flecti neſcius audierat facultatum excidium, dum inſolenter lugubres filiorum ſtrages excipit, tragicâ doloris ambitione mœrens, *veſtimenta ſcindit?* Sic viri tolerantiſſimi animum calamitas inquietauit, vt tragicè orbitatem doleat? Sed viderint Commentatores qua de cauſsâ veſtimenta ſciderit. Quâ ſuper re ſic Zeno Veronenſis philoſophatur: *Quo nuncio accepto*, inquit, *Dei ſeruus ſcidit veſtimenta ſua, non vt Deo inuidiam faceret, ſed vt expeditus cum hoſte pugnaret. Contempſit denique in perditis facultatibus diuitem: diſſimulauit in amiſſis liberis patrem, in pœnâ ſui corporis iuſtum.* Altè quidem S. Zeno! Nimirum tolerantiſſimus vir, & tolerantiæ idea, ambiguas doloris notas in tot ſimul calamitatibus edit, *veſtimenta ſua ſcindens*, quæ non oſtentant ambitionem doloris, ſed monſtrant alacrem ad duellum, & *expeditum ad pugnam.* Dum verò expeditum ſe exhibet ad certamen, veſtium ſciſſione, quæ lugubrem doloris ſenſum innuere poteſt, in tot acerbiſſimis calamitatibus *diſſimulauit iuſtum* (quem hìc Mardochæus æmulatur.) Quaſi dicat: Adeò iuſtis cognatum eſt pacato animo perſecutiones & calamitates excipere, & tolerare, vt dum ſanctus Iob *ſcidit veſtimenta ſua*, vt expeditiùs cum perſecutore certaret; quia tamen iſtiuſmodi veſtium ſciſſio ambiguè exhibebat acerbioris ſenſus notas, tunc quidem *diſſimulare iuſtum* perhibetur. Quaſi Iuſtorum nota ſit, inconcuſſa in calamitatibus patientia, & velut inſenſilis in perſecutionibus tolerantia. Vndè Iob animitùs pacatè tranquillus, cùm acerbiùs impetitur, *veſtimenta ſua ſcidit*, contemnens in perditis facultatibus diuitem, *diſſimulans in amiſſis liberis patrem, & in pœnâ ſui corporis iuſtum.* Namque ſummo capitis à vertice vſque ad imos vngues pedum plagâ inimici percuſſus, populoſis vlceribus non diſtinctus eſt, ſed totus vnum vulnus eſt factus. Veruntamen in his omnibus nihil aduerſus Deum improbi loquitur. Non vxori illicita ſuadenti ſuccumbit. Non amicis inſultantibus cedit, ſed victor crudelitatis & impietatis in ſterquilinio fœtido ſedet, *quaſi nihil paſſus, ſed Dei timore contentus.*

Iob 1. v. 20.

*Dum doloris ſenſum Iob oſtentat, iuſtum diſſimulare dicitur, & quare.*

S. Zeno ſer. de Iob.

Hic verſ. 1.

4. Gen. 22. v. 1.

Geneſeos 22. tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum*, &c.

Hoc

*Æquanima Abrahami & Iſaaci conſtantia in tantâ conſternationis occaſione.*

S Zeno ſer. 1. de Abrah.

Hoc pergraue Dei mandatum vnicè dilectiſſimi filij acerbiùs immolandi, adeò æquanimiter Abrahamus tulit, vt dixerit Zeno Veronenſis: *Offeres eum in holocauſtum, &c. Non contriſtat frontem deuotiſſimus Abraham, nec dolor patris lacrymas perſuaſit; ſed exultat, & gaudet ..... Lætatus eſt puer, patre fideli ipſe quoque fidelior; nec recuſabat mortem, quam Deus qui vitam dederat, imperabat. Lætatur pater filio quoque gaudente: & cum gaudio vnici pignoris alligat manus, quas ille vinciendas libentius offert ..... O, qui ſeruum Domini ita eſſe meminerat, vt patrem ſe eſſe neſciret. Quid eſt pater? Ecce ſub oculis iacet filius vinculis adſtrictus. Vbi ſunt lacrymæ? vbi dolor, qui in humanis ſenſibus verſari conſueuit? In tantis filij caſibus lætatur, & gaudet.* Vide hîc inconcuſſam Abrahami & Iſaaci conſtantiam, in tam duro funeſtè caſu flecti neſciam, quæ in ærumnosâ conſternatione ſtat magnanima. Non eſt magnus animus, quem atrocior curuat calamitas. Abrahami ſimul & Iſaaci conſtantiam in vno Socrate æmulata eſt ambitioſo mendacio priſca Græcorum Philoſophia.

*Socratis trāquillitas veneno exhauſto.*

Tertull. l de Anim. c. 1.

De hoc enim Philoſopho ſic fatur Tertullianus: Iam ſacro nauigio regreſſo, (inquit) iam cicutis damnationis exhauſtis, iam morte præſente vtique conſternata (anima Socratis inquam) ad aliquem motum ſecundum naturam, aut externum, ſi non ſecundum naturam. *Quamuis enim placida atque tranquilla, quam nec coniugis fletus ſtatim viduæ, nec liberorum conſpectus exindè pupillorum, lege pietatis inflexerat, vel in hoc tantùm mota ne moueretur, ipſa contantia concuſſa eſt aduerſus inconſtantiæ concuſſionem.* Plura inibi ex Græcanico ſcriptorum faſtu ad hanc rem Tertullianus ediſſerit, plena acuminis, plena ingenij, quæ aliàs aliorsùm multifariam expendimus.

5. Ceterùm maior eſt ambitioſo Socratis mendacio ſimplex in Abrahamo veritatis fides. Porrò cùm alligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum. Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium ſuum; ſed Angeli inopinata vox pium cælitùs parricidium inhibuit. *Leuauitque Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentẽ cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio.* Ecquis non ſeriò putaret contractum mœſtitudine Abrahæ animum exultim exhilaratum victimæ gratiſſimâ commutatione, & chari pignoris ſoſpitate felici?

Geneſ. 22. v. 13.

*Tam gaudet Abraham de filij ſoſpitate, quàm de mactatione.*

Audiendus eſt idem Veronenſis Præſul, quâ ſolet ingenij limâ diſertus: *Ferro maſtauit arietem, quo filium precutere iam parabat. A filio ad agnum tranſtulit dexteram ſemper lætatus & gaudens. Nec mutatus eſt vultus eius, cùm eſſet victima commutata. Cum tantâ lætitiâ arietem obtulit, cum quantâ obtulerat & filium: vbi enim fides fuit, non erat dolor.* Belliſſimè quidem, & opportuniſſimè Zeno. Tam gaudet Abraham in feliciſſimâ filij ſoſpitate, quàm in funeſtâ eiuſdem victimatione lætabatur. Nullibi dolor aut mœſtitia, quia vtrobique fides & deuotio. Tam ſibi gratulatur de lætâ Iſaaci incolumitate, quàm de funeſtâ immolatione gratulatur. Et addit tempeſtiuè ſerm. de Patient. *O nouum ſpectaculum, in quo definire difficile eſt, vtrùm ſit patientior ſacerdos, an victima! Non percuſſoris, non percutiendi claudicat color, non membra tremore vibrantur; non demiſſi, non torni ſunt oculi. Nemo rogat, nemo trepidat, nemo ſe excuſat, nemo turbatur, ne verè ſit parricidium.* Parricidium ne foret diuinæ præceptionis impletio, ſi doloris ſenſum naturæ inexpugnabilem, præberet alteruter? Sic æquanimiter magnanimos Heroas ſuos virtus excudit in patientiæ officinâ?

S. Zeno ſuprà.

*Abrahami & Iſaaci æquanimitas.*

---

## §. CXXIII.

*Perſecutionem patientibus impunè inuidere licet: eſt enim perſecutio, à perſecutore abſylum, concupiſcentiæ baptiſmus, & in terram promiſſionis proiectio.*

MInutius Felix in Octauio, de Chriſtianis ita ſcribit: Fortitudo, inquit, 1.
infirmitatibus roboratur, *& calamitas ſæpiùs diſciplina virtutis eſt.* Vires denique & mentis & corporis ſine laboris exercitatione torpeſcunt: *omnes adeò veſtri* (ethnici inquam) *viri fortes, quos in exemplum prædicatis, ærumnis ſuis inclyti floruerunt.* Itaque & nobis Deus nec non poteſt ſubuenire, nec deſpicit: ſed in aduerſis vnumquemque explorat & examinat: *ingenium ſingulorum periculis penſitat.* Quàm pulchrum ſpectaculum Deo, cùm Chriſtianus cum dolore congreditur, cùm aduerſus minas & ſupplicia & tormenta componitur: cùm ſtrepitum mortis, & horrorem carnificis irridens inculcat: cùm libertatem ſuam aduerſus reges & principes erigit: ſoli Deo, cuius eſt, cedit: cùm triumphator & victor, ipſi qui aduerſum ſe ſententiam dixit inſultat. Vicit enim, qui quod contendit, obtinuit. Hactenùs ille.

Minut. in Octau.

*Calamitas diſciplina virtutis eſt.*

Danielis 3. Sidrach, Miſach, & Abdenago fortitudine magnanimâ Babylonios Deos, & auream Nabuchodonoſoris ſtatuam adorare recuſant. 2.
*Tunc Nabuchodonoſor repletus eſt furore*, & irâ percitus, iuſſit viris fortiſſimis de exercitu ſuo, vt ligatis pedibus mitterent eos in fornacem ignis ardentis. *Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino.* Grandis ſanè calamitas, arrogantior ſuperbia poteſtate armata! Tres innocentes pueri, Gratiarum manibus facti, veri Dei cultu inclyti, & religionis moribus exculti, immanem Tyranni furorem ſubeunt, eius barbarico imperio in Babylonis pyrâ, in fauillam, & vagum puluerem mox ſoluendi. An non ſufficiebat ingenuis pueris dura captiuitas à patrio ſolo miſerè extorris? Sic diuina prouidentia ſuos eximiè cultores negligit? Sic ſuos atrociter hoſtes fouet, auget, ſublimat? Quorsùm tantæ calamitati innoxij & captiui pueri crudeliter erogantur? Acutè Veronenſis Zeno hâc ſuper re ita ſcribit: *In caminum miſſi, vt ſubmerſi ſunt flammis, ſtatim inuiſibili rore incendia temperantur: mors refugiens mutat officium; incenſores cremantur: incenſis hymnum cantantibus flamma blanditur. Melioratur vita ſupplicio.* (nota verba quæ ſubtexit)

Daniel 3. v. 19. & 24.

*Rex non inuidiſſet tribus pueris, niſi eos præcipiſſet ardere.*

S Zeno de Daniel. ſer 3.

texit) *Rex non inuiderat pueris, ſi non eos præcepiſſet ardere.* Profectò *inuidia*, alieni boni morſicans liuor eſt, qui in felices non cadit; quantò minus cadat in Chaldæum Monarcham. Quid Nabuchodonoſor in captiuis pueris *inuideat*? Dirâ perſecutione, & inhumanâ atrocitate, quâ illos ardentibus flammis erogat, rex Nabuchodonoſor tacitè forſan *inuidebat*. O Regis *inuidiam* cæcè oculatam, & barbaricè ingenioſam! *Rex non inuiderat pueris ſi non eos præcepiſſet ardere.* Regis *furor* dicitur qui eos fornaci erogat: ſed ſi regius animus æquiori trutinâ penſetur, *inuidia* potiùs nominetur. Tanta enim ſublimantur gloriâ, qui atrocem innoxiè perſecutionem ſubeunt, ſicque vltra humanum faſtigium præcelsè extolluntur, vt Aſſyrius Monarcha, qui ſe ſolenni apotheoſi inter Numina Babyloniæ facilè recenſere eualuit, his pueris dirâ calamitate afflictatis *inuidere* potuiſſet. *Rex non inuiderat pueris, ſi non eos præcepiſſet ardere.*

3. Exhod. 11. v. 1. Chaldæus ibi.

Exhodi 11. dixit Dominus ad Moyſen: *Adhuc vnâ plagâ tanquam Pharaonem & Ægyptum, & poſt hæc dimittet vos, & exire compellet.* Paraphraſtes Chaldæus hæc vltima verba ſic appoſitè excribit, & exponit: *Cùmque dimiſerit omninò, proiiciet vos.* Vndè ferox atrociter Pharao, Tyrannorum de crudelitate typus, *proiicit* Dei electum populum dirâ tyrannide oppreſſum? Puto, ex Ægypto, regione ſordidâ, profanâ, turbidâ, immiti, vbi durâ ſeruitute, & barbarâ perſecutione crudeliſſimè afflictatur. Et quò ex Ægypto electum Dei populum proiicit? Procul dubiò in Terram promiſſionis, regionem paradiſeam, empyrei vmbram, & cæleſtis gloriæ æmulam. Scilicet impiorum perſecutio dum pium quemque proterit & proculcat, eum *proiicit* in cælum. Abiectè Iuſtum tractans, & acerbè ac contumelioſè *proiiciens*; illum in cælum euehit, & ſuper aſtra ſublimat, in decoro *proiectionis* vocabulo, re ſublimitatis pleno. Species, & nomen perſecutionis & ignominiæ eſt; ſed res beatitudinis, felicitatis, & gloriæ. *Cùmque dimiſerit omninò, proiiciet vos.* Pulchrum ſanè inhumanæ perſecutionis elogium, qui Iuſtos etiam quodammodò reluctantes ex Ægypti tenebris *proiicit*, & *exire compellit*: compellit etiam Terram promiſſionis velut inuitos adire, & velint nolint (vt ſic loquar) cælum perpetuâ hereditate poſſidere.

*Perſecutionibus Iuſtus ex Ægypto in terram promiſſionis proiicitur.*

4. Matth. 3. v. 11.

Matthæi 3. videns Ioannes Baptiſta multos Phariſæorum venientes ad baptiſmum ſuum, poſt acrem tempeſtiuè delictorum obiurgationem, & vibratas ſeueriùs minas, ait: Ego quidèm baptizo vos in aquâ in pœnitentiam: qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt: *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni.* Multa tradunt ſancti Patres ſuper hoc Chriſti baptiſmo in Spiritu ſancto & igni; litteraliter an myſticè, hic non examino, quod inibi olim perſtrinximus. Incertus Chryſoſtomus ſic ibidem fatur: *Baptiſmus autem ſpiritus proficit: quia ingrediens ſpiritus circumplectitur animam, & non permittit vt carnales concupiſcentiæ præualeant contra eam.* (Subtexit ad rem.) *Et quoniam Chriſtus iudex eſt, baptizat in igne, id eſt, in tentationibus: in igne autem baptizare non poteſt homo purus. Ille enim tentandi habet licentiam, qui remunerandi habet poteſtatem: hic autem baptiſmus tribulationis, id eſt, ignis comburit carnem, vt non germinet concupiſcentias. . . . . Vides ergo quoniam Spiritus repellit concupiſcentias, & præualere non ſinit: ignis autem ipſas concupiſcentiarum radices comburit.* Grande quidèm tribulationum elogium, dùm homo perſecutionum tentatione pulſatur! Et ſanè *baptiſmus* dicitur; quo quid glorioſiùs ad gratiæ opulentiam? Nec modò *baptiſmus*, ſed baptiſmus *in Spiritu ſancto*, qui *complectitur animam, & non permittit vt carnales concupiſcentiæ præualeant.* Quaſi qui perſecutionibus & tribulationibus angitur, à concupiſcentiarum rebellione quodammodò exemptus ſit: vel vt acri huius arcani ignis efficaciâ caro comburatur, & propè in ſpiritum velut decineteſcat, ne cognatas ſibi *concupiſcentias* tunc *germinet*: vel negotioſo perſecutionum agone occupatiſſimè diſtractus, aut huius baptiſmi gratiâ officioſè præſtructus, dum huius baptiſmi ignis, *ipſas concupiſcentiarum radices comburit.* O bona perſecutio, quæ patienter tolerata, *ipſas concupiſcentiarum radices* interim *comburere* perhibetur! Miſerum te putas de perſecutionum angore afflictatum, & Angelorum naturam concupiſcentiæ exortem interim æmularis.

*Perſecutionis baptiſmus, concupiſcentiarum radices comburere dicitur.* Imperfect. homil. 3. in Matth.

Regius Pſaltes ſic concinnè pangit Pſal. 5.
16. *A reſiſtentibus dextera tua cuſtodi me,* Pſal. 16. v. 8
*vt pupillam oculi: ſub vmbrâ alarum tuarum protege me.* Quaſi dicat: Tua res quoque agitur, ô Deus. Hoſtes mei dum oppugnant me, tibi ipſi, quoad ipſis licet, reſiſtunt, regno ſtudentes eiicere, quem regem conſtituiſti. Tantâ ergo me tutelâ cuſtodi, quantâ noſtram ſolemus tueri pupillam, quæ vel à tenui puluere læditur: & quantâ auis pullos protegit ab inuaſoribus. Sic ad litteram Theodoretus, Nicephorus, Euthymius. Plerique ex Patribus *dexteram* myſticè ſumunt pro Chriſto, ac *pupillam* quoque. Chriſtus enim *dextera* Patris vocatur: & per Chriſtum diſcernit Deus ceu per *pupillam* inter Reprobos, & Electos. Sed opinor, non ſatis tutus fuit Chriſtus à perſecutorum impugnatione, quâ tandem patibulatus occubuit. *Vmbram* prætereà Hieronymus Chriſto attribuit, ob admixtionem lucis cum tenebris, coniunctionem inquam, Humanitatis & Diuinitatis. Sub hâc alarum *vmbrâ*, quæ cum gloriæ luce, tenebras etiam perſequentium nebulonum admittit, ſe *protectum* ac tutum putat, ac ſi iuxta Deum ſic poſitus, ſatis protectus ſit. *Sub vmbrâ alarum tuarum protege me.* O arcanam de propinquitate cum Deo protectionem, quam è diuerſo auxiliarem aduocat! Luculenter Clemens Alexandrinus: *Qui eſt prope Deum, eſt plenus flagellis.* Nimirùm Dauid bene ſcius, quòd qui eſt prope Deum eſt plenus oppugnatorum flagellis: ſub vmbrâ Dei eſſe ambit ad *protectionem*, quaſi perſecutorum flagellis, & vibicibus tutiùs *protegatur*. Hæc tutela à perſecutionibus, quæ à propinquitate cum Deo venit (ſiquidèm *vmbra* dicitur, habens cum luce,

*Ipſa perſecutio, aduerſo hoſtilitatis tutela eſt.*

Clem. Alex. 5. Strom. c. 3

luce admixtas tenebras) à perſecutionum aculeo calamitoſè perſecutos ipſis perſecutionibus *protegit*, quaſi ipſa perſecutio cuſtos ſit, qua Deus electos ſuos cuſtodit; protectio ſit, qua inimicam hoſtilitatem arcet; & aduerſus perſecutorum atrocitates, incolumitatis aſylum. *Sub vmbrâ alarum tuarum protege me. qui eſt prope Deum, eſt plenus flagellis.*

1.

1.Reg.2.v.8. 1. Regum 2. ſic de inopinatâ fœcunditate Anna de Deo gratanter pangit: Suſcitat de puluere egenũ, & de ſtercore eleuat pauperem, vt ſedeat cum principibus: *Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.* Multa

S.Hieron. *Afflicti per ſecutionibus dicuntur terra cardines, & portare orbem.* multi ſuper his terræ cardinibus eruditè conſtruunt. S. Hieronymus in Traditionibus ad hunc locum; *cardines* terræ putat eos eſſe, quos mundus perſecutionibus & dehoneſtamentis calcat, & affligit; quibus tamen Deus orbem impoſuit, quem illi ſuſtinent, non ſecùs ac columnæ ruituram domum, niſi illis inclinata recumberet.

Hebræus. Concinit Hebræus textus qui pro τὸ *cardines* habet *afflictos terræ.* Ad

Rupert. quæ verba ita ſcribit Rupertus Tuitienſis lib. 5. de gloriâ hominis: *Quantò plura*, inquit, *Sancti dona Dei percepturi erant: tantò maioris conſcientiæ paupertatis indiguerunt, vt eadem dona portarent ſtabiles & firmi, fundati in ſpiritu humilitatis. Nam Domini ſunt cardines terræ; pro quo in Hebræo ſcriptum eſt, Afflicti terræ: & poſuit ſuper eos orbem. Afflictio hæc humilitas eſt, quæ ad portandum orbem conſtantes eos facit & fortes.* Ecce tibi viros innocenter ſanctos, perſecutionibus afflictos, & tribulationibus humiliatos, digni ſunt, qui dicantur *cardines terræ*, & quaſi veri Atlantes orbem terrarum humeris ſuis ſupportare, & robuſtâ firmitudine ſuſtinere, ne hoc fulcro deſtitutus miſerabili ruinâ penitùs labaſcat, & corruat. Sic nunc Mardochæus & Eſther dirâ calamitate humiles ac

Hic verſ. 1. &c. proſtrati, populi Dei *cardines* fiunt, ſuper quos Synagoga incumbit.

7.

Prouerb. 28. v.1. Prouerb. 28. *Iuſtus autem quaſi leo confidens, abſque terrore erit.* Et iterum idem

Cap.12.v.21. Salomon: *Non contriſtabit iuſtum quidquid ei acciderit.* Vtrúmque Prouerbiorum locum ver-

Petr. Dami. ſerm.32. ſans Petrus Damianus in ſermon. 2. de S. Appollinare martyre, de eo ita ad rem ſcribit: *Iam quippè ſpiritus ad alta ſuſpenſus in hoc ineffabiliter gaudet, dum ſibi cumulari gaudia per tormenta videt. Pœnis fouetur, incendio refrigeratur, fame reficitur, inopia dilatatur: & id maximum lucrum putat ſi grauem de paſſione Domini ſarcinam portat.* (Et poſt pauca) *Nihil dolet, nihil timet, ni-*

Solam perſecutorum & carnificum pietatem Martyr timet *ſi (O perſecutores) ſolam pietatem veſtram, quæ ſi ei tribuitur, ab ipſo impietas trucisſima deputatur: & ſi tela veſtra ad eius vultis interiora pertingere, ſolâ illum pietate ferite. Tunc enim grauiter indignamini, ſi miſeremini: tunc immaniter laceratis, ſi parcitis: & (vt ita dixerim) tunc punitis ſi non punitis.* Vide quàm non contriſtet iuſtum quicquid ei aduerſitatis acciderit, quandoquidèm *gaudia per tormenta cumulantur*; & ſolàm perſecutorum pietatem timet, qui truci carnificum crudelitate delitiatur. Qui tanto gaudio in cruciatibus exultat, de Tyrannorum immanitate gratulandum foret. Sic *Iuſtus quaſi leo confidit!*

P. Didac. Celada in Eſtherem.

## §. CXXIII.

*Ærumnoſior tribulatio, extrinſecus auſtera videtur, medullitùs autem angoris inops, in naufragio ſecuritas, cognatio cum Angelis, & felicitatis gratulatio eſt.*

Cæcilius Ethnicus Octauio Catholico 1.
Chriſtianorum ærumnas acerrimè obie- Minut. in Octau.
ctat: Ecce, inquit, pars veſtrum & maior & melior, vt dicitis, egetis, algetis, opere, fame laboratis: & Deus patitur, diſſimulat: non vult, aut non poteſt opitulari ſuis? ita aut inualidus, aut iniquus eſt? tu qui immortalitatem poſthumam ſomnias, cùm querquero quateris, cum febribus vreris, cùm dolore laceraris, *non tum conditionem tuam ſentis? non tum agnoſcis fragilitatem? inuitus miſer infirmitatis argueris, nec fateris?* Sed omitto communia, ecce vobis minæ, ſupplicia, tormenta, & iam non adorandæ, ſed ſubeundæ cruces: ignes etiam, quos & prædicitis, & timetis: *vbi Deus ille? Qui ſubuenire reuiuiſcentibus poteſt, viuentibus non poteſt?* Hactenùs ille. Sic ſeculari ſapientiæ arcanus eſt Chriſtianæ patientiæ vigor, & grauioris ærumnæ æquanimiter tolerandæ ſacramentum! Quos diligit Deus, arguit & caſtigat, & vt vitiorum ſcoriam deſpument, igne tribulationum excoquit. Sæpè ærumnoſior calamitas virtuti diſciplina eſt, & electorum character. *Ethnicorum iudicium de Chriſtianorũ ærumnis.*

Ad Romanos cap. 8. ita Paullus ſcribit: 2.
Vanitati, inquit, creatura ſubiecta eſt non Ad Rom.8. v.22.
volens; ſed propter eum, *qui ſubiecit eam in ſpe.* Quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertate gloriæ filiorum Dei. *Scimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc.* Quænam ſunt P.Tolet. ibi.
hæ creaturarum ærumnæ, quas *ſpe conſolatur?* Perdoctè noſter Cardinalis Toletus ſic inibi reſpondet: Dicitur autem creatura inanimata ingemiſcere, & parturire, per quandam proſopopeïam ad exprimendas continuas paſſiones creaturarum: nam elementa corruptiones multas ſecundum partes ſuas continuè patiuntur; cæli etiam continuis lationibus non quieſcunt. Ecce tibi ærumnas, quas omnis creatura exanimalis patienter tolerat, & quibus *in ſpe* ſubiicitur. Pulchrè Minutius Felix hâc ſuper re philoſophatur: *Vide adeò quàm in ſolatium noſtri reſurrectionem futuram omnis natura meditetur: Sol demergit & naſcitur; aſtra labuntur & redeunt; flores occidunt & reuiuiſcunt; poſt ſenium arbuſta frondeſcunt; ſemina non niſi corrupta reuireſcunt: ita corpus in ſeculo, vt arbores in hiberno, occultant virorem ariditate mentitâ. Quid feſtinas, vt crudâ adhuc hieme reuiuiſcat & redeat? expectandum nobis etiam corporis ver eſt.* Luculenter quidem de more Minutius! Longum facerem, ſi enucleatiùs expenderem ſingulas Minutij ſententias, ad inſtruendos mores tempeſtiuè opportunas. *Arbores in hiberno occultant virorem ariditate mentitâ.* Minut Felix in Octau.

Gentium Doctor de cæli ſcholâ eruditus, 3.
profunda Dei conſilia adhuc comprehendere Ad Rom 11.
impar, ſapienti ignoratione ſic exclamat: *O alti-* v.33. & 34.

*tudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini?* Hæc arcana Dei conſilia in diſpenſandis humanis tribulationibus Zeno Veronenſis agnoſcit. Vndè præfata Paulli verba ad beatas Ionæ calamitates deriuat. Fugitiuus Propheta alio deflexus itinere nauem Tarſos petiturus ſecutè aſcendit cùm de diuinioris prouidentiæ diſpenſatione, compugnantium ventorum flatu violento fremit mare: ſollicitique gurgitis præruptorum montium cauis voluminibus repugnantium littorum ſpumantia ora contundens minatur per momēta naufragium: procellæ crebreſcentes inſaniunt: horrendum ſibilant funes: gemunt cedentibus velis antennæ: retuſa vndique iter non inuenit prora. Trepidant nautæ, feſtinant incaſſum iacturâ vaſorum nauem leuare ponderibus, quæ Prophetæ pondere premebatur. *Tunc Ionas*, (addit Zeno) *quem ſolum expetebat bona illa tempeſtas, ſorte ductus naufragus redditur; imò à ligneo ad vitale nauigium transfertur: qui, vt eſt dimiſſus in altum, ferinaque voraginis eſt receptus hoſpitio, vigilat in ceto, qui ſtertebat in naui. Mira res! poſt naufragiū poſt natatile ſepulcrum incolumis Niniuitas illuſtrat, terribilibus oraculis ſalutem ciuitati credulæ praſtiturus.* Horruiſti auſterum tribulationis corticē, deliciare in prædulci calamitatis nucleo. Cæcâ naufragij felicitate inopinatus portus offēditur. A ligneo, in quo periclitabatur nauigio ad vitale nauigium transfertur: nec digeritur in aluo ceti, ſed citiùs ibi naufragiū ipſe digerit: atque in ventre piſcis funeſtè tumulatus, *natatile ſepulcrum incolumis* inuenit. O, hâc cogitatione armemur ad obuias calamitates examinandas. Vide Prophetam in naui naufragum, in naufragio tutum, inopinatâ periculi ſui felicitate. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini?* De Zenonis gymnaſio hoc ethicè commentum accipe.

*Iona vitale naufragium natatile ſepulchrum inuenit.*

S. Zeno ſer. de Iona.

4. Exhodi 4. dixit Dominus ad Moyſen adhuc cunctantem in Ægyptum redire: Quid eſt quod tenes in manu tuâ? Reſpondit: Virga. Dixitque Dominus: Proiice eam in terram. Proiecit, & verſa eſt in colubrū, ita vt fugeret Moyſes. *Dixitque Dominus: Extende manū tuā, & apprehende caudā eius. Extendit, & tenuit, verſáque eſt in virgā.* Serpentis nomine varias tribulationes quibus frequenter angimur, plures allegorici Interpretes apud Cernatienſē moraliſſimè intelligūt. Has horret & fugit Moyſes, quaſi venenatū & horrificū ſerpentē, dum eas procul ſpectat. Aſt cùm calamitates ſerpentis formâ apparentes, alacri animo inuadit, & audaci manu apprehendit caudā, (quod eſt viri conſummati, ait Gregorius) confeſtim euaneſcit horror; quia experitur, quòd apprehenſæ & expertæ tribulationes, deſinūt eſſe ſerpentes, & arcanâ metamorphoſi vertuntur in baculum, quo firmiùs ſuſtētetur. Tēpeſtiuè Lipomanus ex Hebræo ita ſcribit; *Extende manum tuā, & apprehende eū*, (ſerpentē inquam) *factuſque eſt virga in manu eius.* Tribulationem, inopiam, infamiā, ægritudinem procul ſpectatā, tanquā horridum timebas ſerpentē; ſed ille ſerpens manu apprehenſus baculus paſtoralis eſt, vitæ fulcrū, inſigne poteſtatis, veſtigiorū firmitudo, miraculorū virga, & prodigiorum officina. O beatas calamitates, extrinſecus auſteras & formidabiles; medullitùs verò ſalutares, dulces, auxiliares? Dum Moyſes ſerpētem apprehendit, *factus eſt virga in manu eius.* Qui oculis procul ſerpens eſt, manu apprehenſus, baculus euadit.

Exhod. 4. v. 4.

*Tribulatio procul ſpectata, ſerpens videtur; apprehenſa verò in baculum virga eſt.*

S. Greg. apud Laur. Cer.

Lipomanus. inibi.

Gen. 7. Ingreſſo Noë in arcā cū exiguâ familiâ quæ humani generis reliquias ſeruaret incolumes, ad numeroſā rurſus hominū propagationem: naufragis mortalibus miſeriā eluuione delendis excidiū imminet è cælo. Nubes non iam imbrium, ſed fluminum grauidæ, denſitate furuâ horrendum intonant, ingruit inopinata procella, quæ ſæuis vndequaque gurgitibus homines obruat, & terras eluat nefariis flagitiis fœtidas. Igitur anno ſexcenteſimo, vitæ Noë, *Rupti ſunt fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cæli apertæ ſunt: & facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Lipomanus, grauis, & eruditus Doctor, Hebræā originem ſollertiùs explorans, τὸ *cataractas* ita exponit: *Quod antē nos cataractas dicimus, Hebraice* ארבת *arubboth legitur, quod tā cataractas, quàm feneſtras, ex quibus aliquādò inſidiatur, ſignificat.* Deus ne is eſt, qui *inſidiari* dicatur per inſidiatricis cæli feneſtras ſeu cataractas, an Cælitum aliquis? Inſidiatúrne Noëmo in arcâ, velut in ferarum caueâ incluſo? an inſidiatur mortalium per aquas excidio? Inſidiatur incolumitati Noëmi iuſti, an iniuſtorum hominum ſtragibus? Inſidiatúrne cælū, an aliquis pereuntium in vndis naufragus reſipiſcat, quò expromptiùs manum porrigat? an vt peruicaciam humanæ temeritatis puniat acerbiùs? O arcanas Cælitū inſidias! Et ſanè *inſidiari* non dicitur, quiſquis lædit: ſed qui ex inopinato & improuiſo nocet, & ſecurū ac incautum inuadit, & perdit. Cùm autem in hoc orbis per diluuiū excidio, ſpeciē Deus calamitatis obtulerit; calamitas verò inſolentes coërcere, iniuſtos corrigere, iuſtos promouere ſoleat; quia nūc hæc vniuerſalis diluuij calamitas, omnes perdidit peccatores, qui & corpore & anima perierūt; vt nominis prærogatiua calamitatibus & ærūnis ſeruetur incolumis, illis enim ſolitat Deus hominibus amicè indulgere: inde dum omnes calamitate perdit, anthropopathōs *inſidiari* dicitur, quod eſt, in re alioqui tuta periculum ſtruere: & in eo quod promouere ad virtutem ſolet, vitæ diſcrimen, & indè in peccatoribus animæ ruinam quodāmodò moliri. Ergò moraliſſimè Hebræum verbum *tam cataractas, quàm feneſtras, ex quibus aliquandò inſidiatur, ſignificat.*

5. Genes. 7. v. 11. & 12.

Lipom. ibi.

*Deus ne tempore diluuij per cæli cataractas inſidiatur?*

Regius Vates Pſal. 128. ſic concinnè pangit ad morum harmoniam: *Sæpè expugnauerūt me à iuuentute meâ, dicat nunc Iſraël. Sæpè expugnauerunt me à iuuentute meâ: etenim non potuerunt mihi*, &c. Inſtruimur dictis propheticis ad tolerantiam præſentium paſſionū: & naturæ noſtræ infirmitas aduerſus ſeculi iniurias ſemper impatiēs, ſuſcipit patientiæ doctrinam ab eo, qui in præſenti Pſalmo ait, *Sæpè expugnauerūt me à iuuentute meâ.* Nulla eſt otioſa ætas viri religioſi, neque quietam vnquam vitam virtus exigit. Expugnatur iam ab ipſis iuuentutis ſuæ initiis, & ſæpè expugnatur. Non nouella itaque, neque rara impugnantiū odia ſunt, ſed ea ſæpè etiam ab ipſis initiis ætatis infeſta ſunt. Et idcircò hæc ſunt, quæ fidē probant, quæ patientiam teſtātur, quæ inuictæ virtutis trophæum erigunt, & coronam

6. Pſ. 128. v. 1. & 2.

*Illata ſæpius iniuria, confidentia maxima gratulatio eſt.*

ronam merentur. Rara quidem patientiæ virtus, quæ ſæpè expugnata, in pertinaci durè bello querula non gemat; ſed de expugnatione iterata lætabunda exultet, nihil aduerſus ſe potuiſſe teſtata. Appoſitè Veronenſis Zeno: *Sæpè expugnauerunt me à iuuentute meâ: etenim non potuerunt mihi. Confidentia maxima gratulatio eſt, tantorum & tam numeroſorum bellorū recordatio.* Ecce tibi de moleſtæ expugnationis repetitâ iniuriâ, ſibi, & impugnatoribus *gratulatur: &* inuerſo gratus officio, pro iteratâ hoſtiliter *expugnatione* amicam beneuolè *gratulationem* officioſus rependit. O quàm eſt illi exploratum duræ calamitatis bonum, cui repetita ſæpiùs expugnationis ærumna, *confidentia maxima gratulatio eſt!*

S. Zeno ſer. in Pſ. 128.

7. Exhodi 4. tandem Moyſes vale dicens ſocero, cum vxore Sephora, & duobus filiolis in Ægyptum redit. Cúmque eſſet in itinere, in diuerſorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Tulit illicò Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui, tetigitque pedes eius, & ait: *Sponſus ſanguinum tu mihi es.* Admirabilitate plenum eſt, quòd cùm Dei Angelus velut hoſtiliter intentarit viri ſui necem; & ad effuſionem ſanguinis filij ſui illam tacitus adegerit; tunc illum appellet ſponſum. Subtiliter inibi Anſelmus Laudunenſis ita ad rem ſcribit: *Angelo hoc blandiendo dicit Sephora. quaſi ſicut carnaliter nupſi Moyſi, ita tibi effuſione ſanguinis filij mei.* Nimirùm vbi primùm Sephora cruento vulnere, & ſæpè recuſato, dilectum infantulum circumcidit, quo ictu ſe citiùs quàm filiolum ſauciauit; effuſione ſanguinis filij ſui, ſentit ſe Angeli nouam ſponſam; & ſibi de cæleſti iam ſponſo gratulans, Angelo calamitatis opifici blanditur, gratanter exclamans: *Sponſus ſanguinum tu mihi es.* Nouum ſanè cognationis genus, & fœdus ſponſalium arcanè inſolens! Nempè velut hoſtiles mariti interficiēdi minæ, & cruentandi filioli inuiſa plaga, quæ Sephoræ animum auertere & abalienare debuiſſent, ſic gratè conciliarunt, vt tenero nouorum ſponſalium blandimento, iam ſibi de ærumnæ ſuæ felicitate gratuletur, quaſi filij ſui ſanguine Angelo deſponſetur. O arcanas cum cælo nuptias, ærumnarum aduerſitate initas! O nouam cum beatis Angelis de humanis tribulationibus affinitatem! Scilicet empyream beatitudinē quam illi feliciter poſſident, humana (vt putatur) infelicitas, in tribulationis officinâ è diuerſo excudit, ac fabricat patientiæ artificio. Imò & *Angelo hoc blandiendo dicit Sephora:* an blandimentum Angelo eſt, cùm ærumnoſis meritorum affinitatem habere? Ergò nunc Eſtheri ac Mardochæo gratulemur de blandimento acerbæ calamitatis; in quâ etſi cæcis characteribus, proſperioris fortunæ auſpicium legitur.

Exhod. 4. v. 25.

Anſel. Laud. indidem. *Sephora filij ſui ſanguine, cælesti Angelo arcanè deſponſatur.*

*Num blandimentum ſit Angelo, cum ærumnoſis cognationē habere.*

Hic v. 2. & 3.

## §. CXXIV.

### *Vltro votiua calamitatum ſuſceptio, illarum moleſtias magnanimiter exarmat.*

1. Miltiades peculatus damnatur, & in carcere alligatus deceſſit: Cimon filius eius vt eum ſepeliret, vicariū ſe pro corpore patris vltrò dedit. Callias ſordidè diues natus redimit eum à Republicâ, & pecuniam ſoluit: filiam ei ſuam collocauit, quam illam deprehenſam in adulterio, deprecante Calliâ patre occidit. Ingrati reus Cimō eſt; & pro eo ſic Gallio apud Senecā eloquenter allegat, *Non erat,* inquit Cimon, *mihi pœna in carcere eſſe, meâ voluntate illo peruenerā: ita putas libentiùs in cubiculo iacuiſſe? Nullus tū erat locus Athenis honeſtior, quàm qui Miltiadem habuerat. Deindè & illam ſubiunxit quæſtionem, an teneatur is qui beneficium acceperit, quod non petiuit. Nō rogati, inquit, te, dediſti iſtud iactationi tuæ, putaſti ad gloriam tuam pertinere; ita tu non accepiſſes beneficium, ſi tibi ſoluere Miltiadem contigiſſet.* Ecce tibi quàm parui æſtimetur beneficiū, quod vota accipientis non ſuſpirant, & quàm leue ſit in diro carcere ſqualidè conſeneſcere, quem vltrò quis ſubit, & ſpontè patitur. *Non erat,* inquit, *mihi pœna in carcere eſſe, meâ voluntate illò perueneram:* Sic leue eſt pati, quod ſponte patimur? Sic vltronea voluntas diras calamitates & ærumnas exarmat? Cupidè velis, & facilè poteris.

Senec. lib. 9. Contr. 1. *Dirus carcer non eſt ei pœna, qui voluntate ſua illū patitur.*

2. Ad Rom. 7. Gentium doctor, ita ſcribit: Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem: video autem aliam legē in membris meis, repugnantē legi mentis meæ, & captiuantē me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum:* Paullus ipſe, & quicumque alius virtuti impenſiùs militat, moleſtiſſimâ diu luctâ exagitatur aduerſus molliſſimè duram concupiſcentiæ legem; eò duriùs vexantem, quò ad carnis voluptates blandiùs pellicit. *Infelix homo,* quis eum liberabit à tot blandientibus concupiſcentiæ moleſtiis virtutis conſcientiam perpetuò lancinantibus? *Gratia,* inquam, *Dei per Ieſum Chriſtum.* Nimirùm facile reddetur hoc bellum alioqui durū, & moleſtiſſima hæc blandientis concupiſcentiæ lucta, ſi valido cōtinentia roboretur propoſito, & ſpontè lenocinio carnis abſtineas. Appoſitè Zeno Veronēſis ſic Pudicitiam alloquitur: Tu in virginibus felix: tu in viduis fortis: in coniugiis fidelis: in ſacerdotibus pura: in martyribus glorioſa: in Angelis clara: in omnibus verò regina. *Tu nunquam carni, nunquā vlli ſubiaces legi. De voluntate naſceris, ſed bono puritatis voluntatem ipſam paris: quia voluntas fit voluptas poſtmodum tua.* Luculenter ſanè Veronēſis Zeno! Scilicet incorruptior pudicitia, blādis concupiſcentiæ legibus, id eſt, lenocinātibus voluptatum deliciis non ſubiicitur, quandò de voluptate ſpontè naſcitur, & voluntatem vltrò parit. De volūtaria autem auiditate venit, vt *voluntas fiat voluptas poſtmodum tua.* Nempe ſpinoſa carnis maceratio, cōtinua voluptatis repulſa, & blandientis concupiſcentiæ repudium, etſi moleſtiſſimum ſit, dum de ſpontaneâ voluntate naſcitur, ſic lenitur, & repudiatæ voluptatis piâ dulcedine mollitur ad placendi gratiam, vt ſpontaneæ moleſtioris continentiæ *voluntas, fiat voluptas poſtmodum tua.*

Ad Rom 7. v. 24. & 25.

*Aſperioris cōtinentia voluntas, poſtmodum fit voluptas.*

S. Zenoſer. de Pudicit.

3. Eccleſiaſtici 24. Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris: *& flores mei fructus honoris & honeſtatis.* Quinam ſunt iſti vernantes morum flores, qui tam opimos virtutum fructus abundè ſpondent? Incertus Chryſoſtomus ita ad rem ſcribit: *Sicut ante pomum flos procedit, ita ante opus bonum bona voluntas.* Et rurſus: *Sicut ex floribus poma formantur: ita ex bonis volūtatibus opera perfecta* Nempè conſummatè perfecta pietatis opera & ſtrenua virtutis facinora, in bonâ vltrò voluntate, ſicut poma ex floribus effor-

Eccli. 24. v. 23.

Imperf. homil. 26. in Matth.

*Spōtanea volūtas flos eſt, opimos ſpondens virtutū fructus.*

efformantur. Maturos iam fructus præmaturè in floribus vides, ſpe carpis & voto guſtas. Spótaneæ voluntatis flores, honoris & honeſtatis fructus ſunt. O quàm pulchrè fructus vernat in flore! O quàm certò in ſpontaneè valido pietatis propoſito, virtutis facinora prælegun-tur! *Sicut ex floribus poma formantur: ita ex bonis voluntatibus opera perfecta.*

4. Matth.16.v. 24. *Spontanea virtus voluptates ſẽper offuſcat.*

Matthæi 16. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Rem nimis arduam hîc à ſuis expetit Chriſtus. Perdifficile ſanè eſt, ſeipſum abnegare ambitionem, gloriæ & opum auaritiam inhibere; laſciuientis concupiſcentiæ vocibus ſurdum eſſe, & blandientibus carnis voluptatibus renunciare. Profectò vltra humanum virtutis faſtigium forſan poſitum videretur, niſi Chriſtus Deus ſpontaneam ad ſe venientis voluntatem conſultiùs præmiſiſſet, aiens: *Si quis vult venire poſt me, abneget*, Niſi enim vltronea voluntas id vnum putaret bonum, quod impreſsè affectat; quis voluptates toto concupiſcentiæ lenocinio adridentes repudiaret? Audiendus eſt hâc ſuper re S. Zeno ita perelegantèr fatus: *Sicut fortè* inquit, *aſperum videtur quod fiducialiter loquimur, rem penè cõtra naturã iam iamque deſinat permoueri; intelligens Chriſtianæ virtutis hanc eſſe maximam gloriam; ipſam calcare naturam.* (addit tempeſtiuè) *Sed quia virtus voluptates ſemper offuſcat; nihilque vnicuique, niſi quod amaueris, rectum eſt.* Quod quiſque ſpõtaneo amore *ſi quis vult venire*, &c. impensè affectat, id vnum eſſe rectum putat, id aſpectabile, & iucundum, & omni ſtudio proſequendũ: cetera, etſi alioqui grata, & blandè arridentia ingrata & inamœna exiſtimantur. Exinde virtus vltroneo propoſito ad Chriſti ſequelam intenta, blandientes ambitionis & concupiſcentiæ delicias *ſemper offuſcat*, ne totã voluptatis gratiã prolectent. O, ſic ſpontaneum virtutis propoſitum, voluptatis vigorem elumbat!

S.Zeno ſer. de Contin.

5. Pſal.67.v. 18 & 19.

Regius Vates Pſ.67. ſic occinit: Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantiũ: *Dominus in eis in Sinâ in ſancto. Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem.* Locus in paucis explicatu arduus, & in quo exponendo multi ſunt Interpretes. Caiet. cenſet hîc loqui Pſalmographum cum Moyſe educente filios Iſraël de Ægyptiacâ captiuitate, & in monte Sinâ legem illis condente, ita ſcribens: Apoſtrophans. Propheta ad Moyſem dicit: Aſcendiſti in excelſum in cacumen mõtis Sinaï, captiuaſti captiuitatẽ. *Et dicitur ad Moyſen, Captiuaſti captiuitatem, quia captiuitatem filiorũ Iſraël in Ægypto exiſtentem, ad ſimilitudinẽ captiuitatis eduxit. nam eduxit eos de ſeruitute Ægyptiacâ quodammodò violentè.* Ad quod probandum plura Exodi loca adglomerat, quæ ſuperuacuum foret exeribere. Et ſanè nil æque moleſtum, probroſum, & iniquè acerbũ Iſraëlitis vnquam accidit, quam Ægyptiaca ſub Pharaone captiuitas; cuius pergraue iugum excutere diu ſuſpirabant. Ad hæc nihil illis tam fauſtum ac felix euenire poterat, quàm in patrias olim ſedes impunè remeare, & Terrâ promiſſionis, tot diuinis pollicitationibus ſuâ, potiri quaſi propriâ hereditate. At quia in ipſo optatiſſimo diu egreſſu leuiculis ex cauſſis fidei titubatione puſillanimes hærebãt, & *quodammodò violentè* egrediebãtur, dicit Pſalmographus ad Moyſem: *Captiuaſti captiuitatem: quia captiuitatem filiorum Iſraël in Ægypto exiſtentem ad ſimilitudinem captiuitatis eduxit.*

Caiet.ibi. *Quaſi inuoluntaria libertas, noua captiuitas ſententioſè appellatur.*

Profectò non rei expetendæ bonitas, & benefica vtilitas, vota hominum implent: voluntaria auiditas, bonitatis cenſus putatur. Qui è duro ſeruitutis iugo in feliciorem libertatem quodammodò inuitè aſſeritur, non tam liberari à captiuitate, quàm denuò captiuari perhibetur. Vnde inuita quodammodò libertas ſeruitus cenſetur, & altera captiuitas à Propheta nominatur. *Captiuaſti*, inquit, *captiuitatem*. Ergo quodammodò inuitã libertas, *captiuitas* dicitur: & ſpontanea *captiuitas*, quaſi adhuc libertatis nomen retineat, *tranſmigratio* nuncupatur. 6.

Matth.1.v. 11.

Matt.1. *Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in tranſmigratione Babylonis.* Mirũ ſanè eſt, quòd captiuitas Babylonica, *Tranſmigrationis* vocabulo nuncupetur. Eccur proprio duræ captiuitatis nomine Euangeliſta abſtinuit; & *Tranſmigrationis* mitius vocabulũ ſuſtinuit? Caietanus ſic rem componit: *Et ſcito*, inquit, *nomen Tranſmigrationis ab Ezechiele appropriatũ fuiſſe primæ captiuitati in Babylonem, quandò Ioachim cum decem millibus ductus eſt in Babylonem. Et redditur ratio nominis; quia Ioachim velut ſpontè migrauit in Babylonem: quandoquidèm ex conſilio Ieremiæ dedit ſe.* Quod explicatiùs ediſſerit noſter Salmeron his verbis: *Potiùs dixit Interpres Tranſmigrationem Babylonis quàm exilium, vel captiuitatem: Iechonias ſuâ ſponte diſceſſit in Babylonem cum populo: Ioakim verò vinctus catenis duabus ductus eſt in Babylonem.* Re verâ Iechonias captiuus ductus eſt in Babylonem, vbi ſuperſtite Nabuchodonoſore, prædurã ſeruiuit ſeruitutem, ærumnoſi carceris ſqualore miſerabilis. An in cenſu Euãgeliſtæ & Dei, non dicitur captiuitas, vt illa Ioakim ſeu Sedeciæ, 2. Paral. 36 *Sedecias captiuus ductus eſt*: Nam Iechonias vltrò ſe dedit Nabuchodonoſori, & velut ſpontè perrexit in Babylonem; non ita Sedecias. Vnde ſub Sedeciâ, *Captiuitas* appellatur; ſub Iechoniâ verò, *Tranſmigratio* dicitur. Nam ille verè in captiuitate laborat, qui eius ærumnis impatiens reluctatur: qui autem ineuitabilem ærumnarum neceſſitatem, pietatis ingenio & prudentiæ arbitrio, in virtutem reformat, & neceſſitatẽ calamitatis ſpontè ſubit; ſic mitigat ærumnarum moleſtias, vt vera *Captiuitas*, quaſi re captiuitatis vacua foret, *Trãſmigratio* dicatur. O acutè ingenioſum pietatis arbitrium! Cupis mitigare infirmitatis, inopiæ, infamiæ, exilij, & cuiuſuis diræ calamitatis moleſtias acerbè agnatas? Etſi non poſſis hæc mala ſubfugere, te ad prudentiam compone, ne impatiẽter relucteris, illa ſpontè ſubi, quaſi non neceſſitatis coactione, ſed voluntatis electione vltrò calamitates amplectaris. Profectò erumnæ ac ſi forent mente prædite, vltroneo indulgent, inuito non parcunt. Planè exarmat tribulationis moleſtias, quiſquis illas ſpontè magnanimiter amplexatur, ac ſi moleſtiarum aculeus ſit, impatientia tolerantis. Hoc pio prudentiæ & patientiæ arbitrio Iechonias Babyloniæ *captiuitatem*, in *Tranſmigrationem* recudit. 7.

Caiet. ibidem *Spontanea captiuitas Tranſmigrationis vocabulo mitigatur.*

P. Salmeron indidem.

1. Paral. 36.

2. Paral. 36.

Hic verſ. 6.

Saluianus Maſſilienſis ita ad rem fatur: *Religioſi autem, inquit, hoc cunctis beatiores ſunt, quia & habent quæ volunt, & meliora quàm quæ habent, omninò habere non poſſunt. Labor itaque, ieiunium, & paupertas, humilitas & infirmitas non omnibus ſunt oneroſa tolerantibus, ſed tolerare nolentibus. Siue enim grauia hæc, ſiue leuia, animus tolerantis facit. Nam ſicut nihil eſt*

Saluian. l. 1. de Guber. *Leue aut graue, animus tolerantis facit.*

*tam leue quod ei non graue ſit, qui inuitus facit: ſic nihil eſt tam graue, quod non ei qui id libenter exequitur, leue eſſe videatur.* bellè pariter ac verè Saluianus.

Hic v. 2. & 3.

Ob grauiſſimam hanc perſecutionem, & calamitatem acerbè diram, nimis Mardochæus, nec minùs angitur Eſther, quò Euangelicæ legis laus ſit, auidè ſpontanea tribulationum, de Chriſti Dei imitatione, ſuſceptio; quæ illius auſteritatem mitiget, & diras moleſtias magnanimiter exarmet.

---

## §. CXXV.

### *Ne qui dudùm erat pauperculus opifex, aut laborioſus ruſticamus, fiat in religione ambitioſè delicatus.*

1. Lucæ 1. v. 28. *Religioſus in ſeculo contemptibilis, ambitioſior in clauſtro eſt.* S. Bern. ſerm. 7. ſuper Miſſus eſt.

S. Bernardus exponens illa Deiparæ verba: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, ita ſcribit: *Quæ eſt hæc tam ſublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus, inſoleſcere gloriâ neſcit?* Et poſt pauca, præſcripti loci intelligentiam deriuans ad mores, ſubdit: *Sed video (quod magis doleo) poſt ſpretam ſeculi pompam nonnullos in ſcholâ humilitatis ſuperbiam magis addiſcere, ac ſub alis mitis humiliſque magiſtri grauiùs inſoleſcere, & impatientes ampliùs fieri in clauſtro, quàm fuiſſent in ſeculo. Quódque magis peruerſum eſt, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in ſuâ non niſi contemptibiles eſſe potuerunt: vt quia videlicet vbi à pluribus honores appetuntur, ipſi locum habere non meruerunt, ſaltem ibi honorabiles videantur, vbi ab omnibus honores contemnuntur.* Pluſcula reſcripſimus, ſed veriſſima pariter ac moraliſſima. Heu ſæpè ignobilis & pauperculus in ſeculo ruſticanus, qui terram ligone percolebat, aut proſcindebat aratro, ad ſtiuam pertinaciter æſtuans, vilibus paſtus, vilioribus amictus; in clauſtro delicatulus eſt, laboris impatiens, & honorum inſolenter ambitioſus.

2. Ioannis 4. Vt cognouit Ieſus quia audierunt Phariſæi quòd *Ieſus plures diſcipulos facit*, cum illis recens à viliori piſcatu ad Apoſtolatum ſublimaris, venit in ciuitatem Samariæ, quæ

Ioan. 4. v. 8.

dicitur Sichar. Erat autem ibi fons Iacob. Ieſus ergò fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſuprà fontem. Hora erat quaſi ſexta. *Diſcipuli eius abierant in ciuitatem vt cibos emerent.* Conſidera, quæſo, hoc in loco itineris ſtudium, & viatici contemptum. Neque panarium neque lagenam ferunt Apoſtoli, neque à principio diei vllam victus curam habuerunt; ſed quo tempore omnes prandent, cibos emptum proficiſcuntur. Sic rem eſculentam & poculentam diſpenſare à Magiſtro didicerant. Qui non laboris ſtudioſus tantùm, ſed frugalitatis & humilitatis; non fatigatus & ſudatus duntaxat ex itinere ſediſſe, ſed relictus ſolus dimiſſis diſcipulis hîc Ieſus oſtenditur. Pergit inibi luculenter Chryſoſtomus: *Atqui poterat Ieſus vel non omnes dimittere, vel alios ſibi miniſtros comparare, ſed noluit; etenim Diſcipulos quoque his moribus aſſuefecerat. Et quid mirum (dixerit fortaſsè quiſpiam) ſi humiles erant piſcatores, & tentoriorum opifices?* (Audi opportuniſſimum reſponſum, & Chryſoſtomo dignum.) *Erant ſanè. Verùm repentè ad ipſum cœlum euolarunt, & cunctis Regibus clariores euaſerunt, digni habiti, qui vniuerſi orbis Domini familiaritate fruerentur. Illud prætereà non ignoratis, quòd quantò quis humiliori gradu ad dignitates aſſumitur, faciliùs in ſuperbiæ inſaniam effertur, vtpotè qui expers ſit repentini, & inſperati honoris. In hâc eos humilitate Chriſtus continuit, & vt ab omnibus ſe abſtinerent, neque miniſtris indigerent edocuit.* Quid accommodatius? Nimirùm Chriſtus Deus ex itinere fatigatus & æſtuans, iuxta puteum laſſus ſedet. ecquis ambigat, Apoſtolos æquè fatigatos ex longo itinere exæſtuaſſe? & tamen in locum requietis mittuntur emptum cibos, neque adminiſtris vtuntur, etſi exprompriùs poſſent, vt indefeſſo labori, & Chriſtianæ humilitati ab initio religioſi Apoſtolatus aſſueſcant. Profectò cùm eſſent adlecti è lacubus piſcoſis, è telonariis, & officinis, quantò ex humiliori nuper gradu ad Apoſtolicam dignitatem aſciti ſunt, tantò conſultiùs præcauet Chriſtus Deus: ne laborem etiam immodicum excutiant, & vilioris miniſterij humilitatem detrectent. Nam *quantò quis humiliori gradu ad dignitates aſſumitur, faciliùs in ſuperbiæ inſaniam effertur.* Exindè diſcipuli ad religioſi Apoſtolatus gradum ex humili miniſterio adlecti, etſi æquè *ex itinere fatigati*, laſſi & æſtuantes, nullâ illis quiete conceſsâ, ad vile miniſterium emendi cibos mittuntur, vt ſpe *miniſtrorum* excuſsâ, iſtiuſmodi abiectis laboribus aſſueſcant. Adſimilis etiam expenſio fieri poteſt, cum

Quare Chriſtus fatigatus etiam ex itinere Apoſtolos emptum cibos mittit?

S Chryſ. hom. 30. in Ioan.

Ioan. 6. tot conuiuarum millia in deſerto cibanda erant: & licet Diſcipuli pari cum turbis inediâ laborarent, dixit illis Ieſus: *Facite homines diſcumbere . . . . Diſcubuerunt ergò viri numero quaſi quinque millia. Accepit ergò Ieſus panes*, & cum gratias egiſſet, per Diſcipulorum manus *diſtribuit diſcumbentibus.* Vt autem impleti ſunt, *dixit Diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta.* An in tantâ turbarũ multitudine deerant aliqui robuſtiores. & tolerantiores inediæ, qui cibos tot millibus miniſtrarent? An non decebat magis auctoritatem Chriſti, vt ipſe collegio Apoſtolorum ſibi adſedente, menſis diſcumberet, & vile dapum miniſtrandarum munus alij ſubirent? Verùm *quantò quis humiliori gradu ad dignitates aſſumitur, faciliùs in ſuperbiæ inſaniam effertur, vtpotè qui expers ſit repentini & inſperati honoris. In hâc eos humilitate Chriſtus continuit, & vt ab omnibus ſe abſtinerent, neque miniſtris indigerent edocuit.* 3.

*Quare diſcipuli inediâ etiam laborantes, menſis in deſerto miniſtrare iubentur.* Ioan 6. v. 12.

Matthæi 6. *Ideò dico vobis, ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini*, &c. Horum verborum obtentu, non pauci quondam religioſi viri deſidiam inerte otio ſubornabant. Quos Auguſtinus redarguit ex Paullo ad Theſſalonicenſes: *Quoniam ſiquis non vult operari, nec manducet.* Itaque poſtquam Auguſtinus in monaſteriis tantillùm conniuendum eſſe cenſuit his qui propter ſeculares diuitias aut nobilitatem eiuſmodi laboribus adſueti non ſunt; ita poſtmodùm ad thema præſens opportunus ſcribit; *Sed qui veniunt ad profeſſionem ſeruitutis Dei ex vitâ ruſticanâ, & ex opificum exercitio, & plebeio labore, ſi minùs operentur, excuſari non poſſunt. Nullo enim modo decet vt in eâ vitâ vbi Senatores fiunt laborioſi, ibi fiant opifices otioſi: & quò veniunt relictis deliciis ſuis qui fuerant prædiorum* 4.

Matth. 6. v. 25.

2. ad Theſſ. 3. v 10.

*Aliquãdo in ſeculo laborioſè durus, in religione molliter delicatulus eſt.*

S Auguſt. de opere Mona. c. 21. & 25. Quæ loca notat S. Thomas in Cath. ad c. 6. Matthæi.

*diorum Domini, ibi ſint ruſtici delicati.* Et in eodem cap.25.nuper dixerat: *Neque enim propterea in militia Chriſtianâ ad pietatem diuites humiliantur, vt pauperes ad ſuperbiam extollâtur.* Heu nimis verè! Nonnunquam enim in religione, qui in ſeculo nuper & prædiuites, & prænobiles erant, in miniſterium ſuum ſedulò incumbentes, fiunt humillimè laborioſi; & ruſticani, opifices, & è plebeio vulgo homines fiunt arroganter delicati, molliter otioſi, & faſtidioſè nimis deſidioſi. Qui in ſeculo obſtinato duriùs labore exercebatur, vt vitâ vt vt tranſigeret; victum in religione nactus, honores ambire, & ad domeſticos labores nauſeare, ambitionis, & inertiæ exaggeratio eſt. Malè in religioſo labore ſeculares miniſtros adhibet inertiæ abuſu qui dudùm in ſeculo, ſecularium opificum miniſter vix eſſe meruit. Quid ex pietate ambitionem, & deſidiam conflas? In ſeculo laborioſè durus, in religione arroganter delicatulus? O vide hîc quot aſperitates, inedias, & incommo-
Hic verſ.2. & 3. da, Dei populus vltrò ſubeat; à quibus nec imbecillior ſexus, nec fractior ætas vllo prætextu eximitur!

5. Geneſ. 49. v. 14. Geneſeos 49. Iacob electi populi patriarcha, ſingulis tribubus benedicens, hac benedictione morti proximus, Iſſacharem auget: *Iſſachar aſinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiē quòd eſſet bona: & ſuppoſuit humerum ad portandum, factúſque eſt tributis ſeruiens.* Hugo Ca-
Hugo in Pſal.43 c 2. renſis per *Iſſachar religioſos* myſticè intelligit. Profectò Iſſachar Iacobi patriarchæ filius, non ex alterutrâ ancillarum, ſed ex Liâ prænobili & ingenuâ ſuſceptus eſt. Vndè mirere magis, quòd dicitur, *Aſinus fortis, ſupponens humerum ad portandum, & tributis ſeruiens.* Hæc forſan in re-
*Optimi religioſi typus in Iſſachare adumbratur, quare?* ligione munia detrectarēt ancillarū filij, non ingenuus ingenuæ Liæ filius. Hæc tribus Iſſachar præterquam quòd erat prædiues & ingenua, omnium litteratiſſima in Paralipomenis dicitur (vt aliàs notabamus) Hæc ergò nobilis & litteratiſſima tribus, *religioſos* adumbrans, *aſinus fortis* nominatur, vel *aſinus oſſeus* (vt aliàs excribitur) *propter onus Domini quod fortiter portat.*
Hugo ſup. Vide quàm longè ſit vt ad laborem inerter nauſeet, & otium in religione arroganter ſectetur, prædiues, prænobilis, & litteratiſſimus Iſſachar cùm religioſorum ſymbolum, *aſinus fortis*, vel *oſſeus* appellatur, *propter onus Domini quod fortiter portat.* Dein *habitat inter terminos mundi & cæli; quia nec de mundo eſt, nec adhuc in cælo eſt.* Aliæ excriptiones habent, *Habitans inter ſarcinas.* Et quidèm appoſitè cùm appellatur *aſinus fortis*, vel *oſſeus*, propter humilitatem religionis, & illius aſſiduum laborem; additur *Habitans inter ſarcinas*, quaſi nunquam ſarcinam deponat; ſemper & vbiuis religioſi oneris baiulus. Ad hæc, hic *religioſus Iſſachar* non cæco laboris ſtudio ſic actuosè agebat: ſed *Vidit requiem quod eſſet bona.* Nam non erat adeò cæcus vt non videret (quod ſaltem de ruſticanorum & opificum non bono in religione exemplo, ante oculos erat) quod ab aſſiduo labore *requies*, & ab opere laborioſo vacatio, & fatigato corpori idoneè congrueret, & auitam retrò nobilitatem & opulentiam decebat; at ad has deſidiæ & ambitionis illecebras blandiùs titillantes, cæcus & inſenſilis erat. Imò vbi *vidit requiem quòd eſſet bona*; fortiùs & obnixius *ſuppoſuit humerum ad portandum*; & qui cum primis opulentus atque ingenuus erat, *factus eſt tributis ſeruiens per promptam obedientiam*, cunctis religionis oneribus expromptè vectigalis, nulla aut ambita aut admiſsâ religioſi vniverſatim oneris conniuentiâ, quâ religioſam ſeruitutem excuteret. Sic ingenuus & litteratus religioſus in religione nobiliter degenerat arrepti vltro inſtituti *tributis ſeruiens*! Sicut ruſticanus, opifex, pauperculus ſic aliquandò inſoleſcit, vt nauſeet ad laborem, ad honores hiet.

Gentium doctor ſic erudit Philippenſes: *Hoc* 6.
*enim*, inquit, *ſentite in nobis, quod & in Chriſto* Ad Philip.
*Ieſu*: qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam 2. v. 7.
arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: *ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Itaque Deus factus homo, hominis ordinem impleuit, humanis iniuriis plenè obnoxius, humaniſque neceſſitatibus obæratus. Sed curioſè ſciſcitantur ſancti Patres, & interpretum *Chriſtus non*
proceres, quare homo factus qui ſemetipſū exi- *tam propter*
naniuit formam ſerui accipiens, tot tantiſque *ſe quam pro-*
ſæpè gloriis ſumptuoſiùs effulſerit? Naſcitur *pter nos naſcens, glorio-*
homo, ſed de Virgine matre. Naſcitur in pe- *ſiùs naſci*
cuino præſepio, ſed ibi ab Angelis, & à Re- *oportebat.*
gibus adoratur, ac muneratur. Pulchrè incertus Chryſoſtomus homil. 1. in Matthæum: Imperfect.
*Nec enim*, inquit, *dignum erat, vt Vnigenitus Dei, non propter ſe, ſed propter homines naſcens more naſceretur humano.* Attende ad rationem tanto Doctore digniſſimam. Scilicet Chriſtus Deus, & Dei Vnigenitus, quia non propter ſe ſed propter nos homines, & propter noſtram ſalutem in terris naſcitur, ideò oportebat vt non more humanò, ſed de Virgine matre, & tot gloriis illuſtratus naſceretur, & inter homines verſaretur. Num ſi Deus propter ſe tantùm naſceretur, ſtudens duntaxat propriæ gloriæ, inidoneè tam magnifico conceptu, & partu naſceretur? Saltem qui propriæ claritudinis & debitæ ſibi gloriæ velut oblitus, non tam ſibi, quàm aliis naſcitur, & ſe totum non merentibus impendit hominibus, dignus eſt tantæ beneficentiæ merito, vt vel hoc largiſſimæ beneficentiæ titulo, natura humana vltrò cedat præſcriptis naſcendi legibus. Glorioſiùs naſcitur, moriturus ſibi, vt alij renaſcantur ad gloriam. Ergò *hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu*, qui non rapinam arbitratus eſſe ſe æqualem Deo, expromptè ſemetipſum exinaniuit, & glorioſa priuilegia, non tam ſibi, quàm aliis accepit cognatæ generoſitatis iure.

## §. CXXVI.

*Aſſidua nunc mortificatio, futuræ beatitudinis alimentum eſt, & perfectionis menſura: ſepulturam Chriſto præparat, & hominis mortalitatem exhaurire dicitur.*

NVnquam magnæ virtutis, & aduerſus vitia fortiter obdurādæ, molle documentum eſt.

eſt. Periculoſum nobiſcum gerimus bellum. Adhuc poſt multas victorias continuâ mortificatione partas, non ſatis victoriatum eſt. Non eſt ſænitia, certamen eſt: quò ſæpiùs adierimus, aduerſus nos fortiores erimus: facilè enim rebellat affectus. Omnes conſidera gentes, in quibus Romana pax aliquandò deſiuit: Germanos dico, & quicquid circa Iſtrum vagarum gentium occurſat. Perpetua illos hyems, triſte cælum premit, malignè ſolum ſterile ſuſtentat, imbrem culmo & fœno defendunt, ſuper duratâ glacie ſtagna perdurant, in alimentum feras captant. Miſeri tibi videntur? Nihil miſerum eſt, quod in naturam conſuetudo perduxit. Paullatim enim voluptati ſunt, quæ neceſſitate aut voluntate cœperunt. Quid ergò miraris bonos viros, non modo fortunæ ſupercilio, ſed propriæ etiam manus arbitrio vexari, macerari, concuti? Non eſt arbor ſolida nec fortis, niſi in quam frequens ventus incurſat: ipsâ enim vexatione conſtringitur, & radices certiùs agit. Fragiles ſunt, quæ in apricâ valle creuerunt. Inteſtina inſultantium affectuum victoria, opulenta erigit virtutum trophæa. Non debebat nobis paruo res tanta conſtare. Profectò mortificatio dum ſubſultantes appetitiones pugnaciter mitigat, vberrimorum fructuum fœcunda eſt.

*Nihil miſeri eſt, quod con-ſuetudo morti-ficatio in naturam perduxit.*

2.
Pſal. 127. v. 2.

Pſalmographus ſic modulatè pangit: Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit.* Præfata Pſalmi verba alij aliter reddunt, & *fructus* pro *manibus* peridoneè excribunt. Nempè *labores fructuum tuorum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit.* Eſt autem contuendum (ait inibi S. Zeno) propheticum hunc ſermonem ab vſu communis opinionis diſcrepare: in hâc enim vitæ conuerſatione, qui manducant laborum ſuorum fructus, manducant ex prouentibus elaborati operis ſumentes. At verò Propheta ait: *labores fructuum manducandos. Non conſequitur ſenſus humanus dicti huius intelligentiam: ex laboribus enim fructus eſt, non ex fructibus labor. Deinde labor miniſterium corporis eſt, fructus verò merces laboris.* Perbellè quidèm S. Zeno ſollertiùs veſtigat, quinam ſint hi *labores fructuum*, quibus ſpretâ corporali vitâ, vitam ſpiritualem alimus, & beatam prægustamus. Neque hâc intelligentiâ nos fraudat: ſubdit enim: *Qui in viis Domini ambulabunt, illi labores fructuum ſuorum manducabunt: non enim hîc manducatio corporalis eſt, quia neque id quod manducandum eſt, corporale eſt: ſed habemus hîc cibum ſpiritualem, animam noſtram in vitâ alentem, bona ſcilicet opera, bonitatis, caſtitatis, miſericordiæ, patientiæ, tranquillitatis: in quibus nobis contra corporum noſtrorũ vitia laborandum eſt.* (Ecce tibi aſſiduæ mortificationis labores.) *Horum laborum fructus in æternitate eſt: ſed labor hic æternorum fructuum ante comedendus eſt: eò quòd in vitâ hâc corporali anima noſtra alenda eſt per cibum horum laborum.* Nimirùm in terreno prouentu homo fructum laborum ſuorum manducat: in ſpirituali verò, labores quibus aſſiduè luctatur *contra corporis vitia*, & continuâ ſui mortificatione angitur, æternitatis fructum faciunt; & his laboribus æternorum fructuum, nunc anima noſtra alenda eſt, tanquam beatæ gloriæ ſtillis. Vnde ait: *labores fructuum tuorũ quia manducabis, beatus es.* Aſpera extrinſecùs videtur mortificatio, & aſſiduus *labor contra corporum noſtrorum vitia*; ſed animitùs empyreum nectar eſt, & olympiæ animæ cæleſtis cibûs; qui dum vitam ſpiritualem nutrit, delicias beatitudinis fermè prælibat, & *æternitatis fructus* abundè facit, felici vbertim prouentu. Immaturi & crudi videntur beatitudinis æternæ fructus, quos nunc temporaliter mortificationis *labores* faciunt; ſed præcoci maturitate mellei iam ſunt, cælum fragrant, & beatitatis glorias præmaturè ſapiunt: *labores fructuum tuorum quia manducabis beatus es,* nunc; *& benè tibi erit* in æternitatis vitâ.

S. Zeno de Pſal. 127.

*Aſſidua mortificatio, præcoci beatæ æternitatis fructu alit.*

3.
Geneſ. 6. v. 14 & 15. & 16.

Geneſeos 6. quò à mundi eluuione naufragas mundi reliquias ſeruaret Deus, dixit ad Noëmum: *Fac tibi arcam de lignis læuigatis; manſiunculas in arcâ facies . . . . . Et ſic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius . . . . . Et in cubito conſummabis ſummitatem eius.* Dubium non eſt Noëticam arcam typum Eccleſiæ geſtare; quæ variis *manſiunculis*, id eſt, diuerſis ſtatuum ordinibus diſtributa eſt, vt huius vitæ naufragia ſoſpes valeat declinare, & cæli portum feliciter appellare. Quâ de re ita ad rem præſentem philoſophatur Rupertus: *Manſiunculas in arcâ facies, &c. Ergò tali ſchemate fabricata, id eſt, inferiùs trecentis cubitis ampla, & deductim aſcendendo cùm in cubito eſſet conſummata, vbi ſinus altior, illic anguſtior: econtrà vbi humilior, illic amplior. Sic profectò ſancta Eccleſia diuerſis ordinibus eſt diſtincta: & quiſque ordo, quantò eſt arctior, tantò eſt & celſior: vel è conuerſo, quantò quiſque ordo eſt laxior, tantò & humilior: & quantò altior, tãto anguſtior.* Ecce tibi in arcæ mãſiunculis adumbratur variæ in Eccleſiâ perfectionis elogiũ, & diuerſorum ordinum cenſus, ac menſura adamuſſim librata. Quò eſt ordo laxior, quippè qui minùs arctiori vitæ, & corporis mortificationi ſtudet; eò eſt inferior, & abiectior. At, quia tota magnæ arcæ fabrica in cubito conſummatur; quantò eſt *anguſtior* de vitiorum ſtrictâ cinctione, & arctâ corporis mortificatione, tantò eſt *altior*, ſublimior, anguſtior. quaſi arctior vita, & diſtrictior corporis mortificatio, ſit Chriſtianæ ſublimitatis menſura, & ſublimiſſimæ perfectionis cenſus. *Quantò quiſque* Eccleſiæ *ordo eſt laxior, tantò & humilior: & quantò altior, tantò anguſtior.*

*Arctior corporis mortificatio eſt Chriſtianæ perfectionis menſura.*

Rupert. in Gen. l. 3. cap. 18.

4.
Matth. 26. v. 10. & 12.

Matthæi 26. Chriſtus Deus morti proximus Bethaniæ in domo Simonis leproſi diſcumbit. Tunc Maria attulit alabaſtrum vnguenti pretioſi. & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. Obmurmurant Diſcipuli, & mulieris conſilium multis Chriſtus myſticâ tutelâ defendit: *Quid*, inquit, *moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me . . . . . Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum: ad ſepeliendum me fecit.* Si ad facti & expoſitionis corticem attendas, tantùm eo ſignificari videtur, Chriſtum morti iam iam proximum, præmaturè ad ſepulturam pretioſo aromate inungi. Verùm S. Zeno Veronenſis altiori mente afflatus, ſic locum ad rem mortificationis deriuat: *Ieſus verò*, inquit, *qui ſciebat, quid ſacramenti factum mulieris contineret: Nolite moleſti eſſe,*

*Sepulturam præparat Chriſte, qui carnis facta mortificat.*

S. Zeno ſer. de Ieiun.


ait,

*ait, mulieri: opus enim bonum operata eſt in me. Quod eſſet opus bonum deſignat dicens, quia ad ſepeliendum me fecit.* (Attentiùs obſerua quæ tempeſtiuè ſubnectit.) *Oſtenditur ergò per hoc, quia vngere Chriſtum, ſepulturam eius eſt preparare. Sepulturam verò præparat Ieſu, qui ſecundũ Apoſtolum mortificat membra ſua, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, auaritiam, libidinem, cõcupiſcentiam malam, & cetera: & qui iam non ſecũdum carnem ambulat, qui actibus Spiritus ſancti carnis facta mortificat.* Ieſu Chriſto ſepulturam præparat, qui *actibus Spiritus ſancti* carnis facta mortificat. Nẽpe homo mortificationi ſedulus, ſepulchrum Chriſti dicitur. Species quidèm luctuoſi funeris foris oſtenditur, & cruenti cadaueris liuidus horror; intùs verò diuinitas latet, & quæ ſuperſunt reliquiæ Iudaici furoris, & conſummatæ redemptionis notacula. Præluſtris gloria, quæ ex mortificatione exurgit, *actibus Spiritus ſancti* perficienda erat. (grande quidem mortificationis encomium) mortuo Deo dignus locus non niſi mortificatione præparandus erat. *Et erit ſepulchrum eius glorioſum.* Horridum, & funeſtè luctuoſum apparet; ſed inde Chriſtus glorioſè rediuiuus ſumptuoſiùs exurgit O reſurgentis Chriſti glorias, hominis mortificatione decoratas! Aſſidua hominis mortificatio, Chriſtum ſibi arcanè tumulat, Dominicæ ſepulturæ prærogatiuas generosè fœnerans, inopinatæ gloriæ illuſtri auctario. *Sepulturam præparat Ieſu, qui mortificat membra ſua: qui actibus Spiritus ſancti carnis facta mortificat.*

5. 4. Eſdræ 7 v.49. & 50. 4. Eſdræ 7. O tu quid feciſti Adam (inquit) Si enim peccaſti, non eſt factus ſolius tuus caſus, ſed & noſter qui ex te aduenimus. *Quid enim prodeſt nobis, ſi premiſſum eſt nobis immortale tempus, nos autẽ mortalia corpora egimus? Et quoniam prædicta eſt nobis perennis ſpes, nos verò peſſimi, vani facti ſumus?* Itaque hominis mortalitas, & à cognato limo malè auſpicata eſt, & à præuaricatione Adæ miſerè inflicta. Animus verò ſpiraculo Dei afflatus, immortalis eſt: ſed corpus, quod corrũpitur aggrauat animam: *vanitati* enim ſubiectũ eſt, *peſſimis* ambitioſè concupiſcentiis, & lutulentis obſcœnè libidinibus; quæ de mortalitate orta, ad mortalitatem & corruptionem mergunt. Vndè homo *in natura mortalis ac immortalis confinio* poſitus, (vt aliàs ex Philone obſeruauimus) aſſiduæ mortificationis indigus exiſtit, quo hanc mortalem partem corruptioni impenſiùs procliuem, extenuet, & mortificatione viuificet. *Nos autem mortalia corpora egimus; peſſimi ac vani facti ſumus.* Profundè S. Gregorius Nazianzenus hâc de re ita fatur: *Corpus, inquit, premendum & extenuandum, immortali mortalis pars exhaurienda.* Scilicet corporis rebelles ſubſultus coërcendi, inhibendi, atque frænandi ſunt, & corpus ipſum continuâ maceratione & aſſiduâ mortificatione *extenuandum*, vt deſueſcens carnis corruptionem, ſpiritus cognati elogia ſenſim combibat; quo fit, vt à parte immortali, animâ inquam, compartis mortalitas quodammodò *exhauriatur.* Nam cùm aſſiduæ macerationis beneficio corpus, corporiſque corruptio *extenuetur*, & mortificatione à diuerſo viuificetur, caro immortali animæ confinis, illi (vt vt poteſt) aſſimilatur, & extenuatione mortalitatem minuit, & ſenſim quodammodò exhaurit. Ergò *corpus premendum & extenuandum, immortali mortalis pars exhaurienda.*

*Corpus extenuandum eſt, vt pars immortalis mortalem partem quodammodo exhauriat.*

S. Naz. Orat. 1. in Iulian.

Huius ſententiæ viuum commentarium legere in Baſilio licet, qui fuit perfecta Chriſtianæ mortificationis idea. Præfectò enim acerbiùs minitanti bonorum proſcriptionem, exilium, cruciatus, mortem. *Tum Baſilius*, (verba ſunt eiuſdem Nazianzeni) *ſiquid aliud habes, id nobis minitare: horum enim quæ adhuc commemoraſti, nihil nos attingit. Quoniam bonorum proſcriptioni obnoxius non eſt, qui nihil habet: niſi fortè laceris & diſtrictis hiſce pannis indiges, ac paucis libellis, in quibus omnes mihi facultates & copia ſunt. Exiliũ haud agnoſco, quia nullo loco circumſcriptus ſum. Iam tormenta quid accipere queant, cùm corpus deſit, niſi fortè primam plagam dixeris: huius enim ſolius penes te arbitrium & poteſtas eſt. Mors beneficij mihi loco erit: citiùs enim me ad Deum tranſmittet, cui viuo, & munere meo fungor; maximáque ex parte mortem obij.* In mortali corpore adhuc degebat Baſilius, & ſibi *corpus deeſſe* dicit; quia aſſiduis preſſuris & macerationibus ſic *extenuatũ* habebat, vt à parte immortali mortalis pars continuâ mortificatione propẽ *exhauſta* eſſet. Ecce tibi in Baſilio, mortificationis beneficio, cognatam homini mortalitatem penè *exhauſtam* Et mortificatione non abſimili, Dei populus morti damnatus, mortalitatem ferè exhaurire, aut exuere præſumit.

S. Naz. Orat. pro Baſil.

*S. Baſilius aſſiduâ mortificatione, mortalitatem penè exhauſit.*

Hic verſ. 2. & 3. &c.

6. Lucæ 11. amicus ille, qui de aduentu amici ſollicitus, intempeſtâ nocte panes petiturus ad amicum vadit; hæc deintùs ſibi reſpõderi audit: *Noli mihi moleſtus eſſe, iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere.* Quinam ſunt iſti *pueri*, pro quibus pater familias ſic ſollicitè ſatagit, ſicque præcauet, ne eis inferatur moleſtia? Imò & ſuâ moleſtiâ eorũ moleſtiam redimit. S. Gregorius Nyſſenus ſic rem altè meditatus eſt: *Opportunè*, inquit, *eos qui per arma iuſtitiæ impaſſibilitatem vendicauerunt ſibi, pueros appellat, docens quòd bonum, quod per ſtudia in nobis acquiritur, ab initio fuerat in naturâ repoſitum.* (Nota verba quæ his ſubtexit, miro mortificationis elogio.) *Nam quandò aliquis abrenuncians carni, per rationem vitæ virtuoſæ paſſionem confutauit, tunc quaſi puer inſenſibiliter ſe habet erga paſſiones.* Vide hîc mortificationis beneficio hominẽ repueraſcere, adeò vt innocentiæ ſtatum feliciter æmuletur: quandam velut *impaſſibilitatem* vendicaſſe ſibi: & paſſione *confutatâ*, quaſi puerum quodammodò *impaſſibiliter ſe habere erga paſſiones* Quid ergò mirũm ſi pater familias ſic ſollicitè curet, ne his *pueris* ſuis vlla moleſtia inferatur?

Lucæ 11. v. 7.

*Mortificati fere inſenſibiles ſunt homines erga paſſiones.*

S. Nyſſen. apud Caten. ibi.

## §. CXXVII.

### *Dum mors è vicino imminet, negotium beatæ æternitatis operosè agendum eſt.*

1. PRoperante ſemper curſu rapidiſſimi temporis perpetuò morimur; primò pueritiam abſcondimus, deindè adoleſcentiã, deindè quicquid eſt illud inter iuuenem & ſenem medium in vtriuſque confinio poſitum, deindè ipſius ſenectutis optimos annos. Nouiſſimè incipit oſtendi publicus ille finis generis humani, mors inquam. Scopulum eſſe illum putamus: Clemẽtiſſimus portus eſt aliquandò petendus, nunquam recuſandus. *Non enim viuere bonum eſt, ſed benè*

Seneca epiſt. 71.

*benè viuere. Itaque ſapiens viuit quantùm debet, non quantum poteſt. Cogitat ſemper qualis vita, non quanta ſit. Nihil exiſtimat ſua referre, faciat finem, an accipiat; tardiùs fiat, an citiùs. Citiùs mori vel tardiùs, ad rem non pertinet: benè mori aut malè, ad rem pertinet: benè autem mori eſt effugere malè viuendi periculum*, & æternùm acerbiſſimè funeſtam malè moriendi tragœdiã. Bona mors totius anteactæ vitæ aſſertio eſt, & ipſius aſylum. *Vitæ diſpunctionem* ſententiosè dixit Tertullianus. apud quem idem eſt *diſpunctio*, ac *expunctio*. Vtrumque enim (ait eius Cõmentator) de ſupputatoribus dicitur, qui accepta cum datis conferunt. Vndè vt *expungere* eſt perficere & complere, ita *diſpungere*: quia ſcilicet nunquam *expunctio* aut *diſpunctio* fit niſi factâ & completâ ſupputatione. Itaque mora illa, quæ animæ exitum, ſeu vicinam mortẽ præuidet & conſiderat, dum homo æternitatis candidatus exiſtit; *vitæ diſpunctio*, ſiuè *expunctio* nominatur, id eſt, perfectio ſeu complectio vitæ. Ergò citiùs mori, vel tardiùs, ad rem non pertinet; benè autem, piè & conſideratè mori, eſt effugere non bonæ retrò vitæ periculum, clemẽtiſſimum portum in naufragio morum inuenire, & beatæ perpetuò æternitatis obſidem accipere. Vicinæ mortis attentior mora, non tam mortis minæ quàm vitæ *expunctio, perfectio*, & *conſummatio* eſt. Vide nunc Dei populum, quàm ſe totum pietati ac mortificationi ſtudioſiùs impendat cùm è vicino mors impendet.

*Bona mors, vitæ expunctio, perfectio & conſummatio dicitur.*

Tertull. de Teſt. animæ c. 4.
Cerda in l. de ſpect. c. 17.

Hic verſ. 2. & 3. &c.

2. Regius Vates in Pſalmorum auſpicio, boni viri elogia ornatè tradens, ſic pangit: Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, &c. ſed in lege Domini voluntas eius. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarũ quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Scilicet homo pius & iuſtus erit ſicut generoſa arbor, ſecus riuorum diuergia plantata, frondeâ viriditate, & floridâ venuſtate vernans: quæ fructũ ſuum dabit *in tempore ſuo*. in vere, æſtate, autumno, aut etiam hyeme, tempore cuique ſpeciei arborum accommodato & opportuno, tempeſtate ſuâ, dum tempus eſt fructificationis. Arbores enim præſertim edules, ſuas habent tempeſtates, in quibus cruda & acerba hactenùs poma, ſapide coquuntur & matureſcunt, crudâ acerbitate ad maturitatẽ ſaporis eruditâ. Itaque quemadmodùm arbor fructum ſuum edit, quandò carpi debet, tempeſtate videlicet meſſis & maturitatis; ſic pius tempore ſuo, id eſt, cùm erit opportunum tempus, proferet fructum ſuæ pietatis, id eſt, (vt quidam putant) virtutes ac bona opera. Vel (vt alij malunt) conferenda eſt ſimilitudo ad ætatem futuri ſeculi & remunerationis, tunc enim feret fructum ſuæ pietatis, vitam, inquam æternam ac beatam. Cæterùm Genebrardus acri vir ingenio & iudicio, ſic enucleat & exponit præfata verba, *Fructum ſuum dabit in tempore ſuo*, id eſt, *tempore mortis*. Itaque homo pius, qui myſtica quædam arbor eſt, tametſi pro oblatâ occaſione virtutes exerceat; tempus autẽ quo maturos condit fructus, & maturè (quaſi *tempore ſuo*) fructificat, eſt *tempus mortis*, quandò *vita expunctio* fit; quandò morti confinis, rigidum morum examen formidans, rationes dati & accepti cõponit; quandò aut beatitudinis aut gehennæ æternitatem mente præuidet, corde ruminat, fide præmordet; conſideratque vicinũ momentum, à quo infernalis aut empyrea pendet æternitas. Profectò tametſi hactenùs vberes ediderit virtutum fructus, & cælum fragrantes; tamen velut præcoces, nec plenè maturos edit: nam adhuc peccati acore, & morum corruptione perdi poſſunt. Cùm verò mors ſpectata inſtat, & accuratior fit *vitæ diſpunctio*, tunc, tunc quidèm *fructum ſuum dat in tempore ſuo*, id eſt, *tempore mortis*. O! nè auarè lugubres cognatorum turbæ, & negotioſi mũdialium rerum ſtrepitus, opportunum fructificandi tempus ſuffurentur! ne *vitæ expunctio*, & fructificationis tẽpus, fiat nugacitatis otiũ, & iners æternæ mortis negotium. Hæc *particula boni diei non te prætereat*. Homo arbor eſt, quæ *tempore mortis* vitam æternam fructificat. Irritæ ſunt virtutes, quæ in horâ mortis ritè non *expunguntur*.

Pſal. 1. v. 3.

*Homo arbor eſt, quæ tempore mortis vitam æternam fructificat.*

Genebrar. inibi.

Iob 38. ſic eum Deus alloquitur, operoſum mundi opificium magnificè deprædicans: Vbi 3.
eras, inquit, *cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Aſtrorum nomine omnes ſidereas faces intelligo cum veriori Pinedæ ſententiâ. Cenſet S. Thomas dici *matutina*, quaſi denuò creata (*en las eſtrenas de ſu lucimiento.*) *Verum matutina aſtra* velut quodam nocturno lucendi ſenio, niuali canicie potiùs albicant lucis languore, dum candidæ auroræ exorto lumine tumulantur. Et quomodò deficiẽtia tunc aſtra, ſidereâ lucis linguâ, & clarâ ſplendorum voce, Dei laudes ſumptuoſiùs deprædicant? Opinor, non matutino, ſed nocturno tempore aſtra prænitent, dum totâ lampade micantiùs ſcintillant. an non tunc ſidereâ lucis linguâ opificis laudes glorioſiùs buccinãt? Eccur potiùs *aſtra matutina* Deum concinniùs laudare dicuntur, cùm languidâ fulgorum voce diuinas tunc laudes modulentur? An quia ad ſolis præclarius iubar languere non erubeſcunt? O quàm eſt laudabile lucere adſuetum, ad præſentiam luminaris ambitioſiùs prælucentis, fulgores contrahere! An quia modica illa lux in aſtro, auroræ aduentu ſeneſcẽte, & propè iam expirãte, laudabilior videtur, quàm cùm noctu, id eſt, in lucendi iuuentute, ſplendidiùs ſcintillat? Nimirùm vel modicus benè operandi ſudor in homine ſene, languido, deficiente, ſplendidiùs micat, & Dei laudes præclariùs decãtat. An *aſtra matutina*, Dei laudes glorioſiùs modulantur, quia inſtante iam iam morte albicant, & ſpectato ſuo funere propè agonizare incipiunt? Scilicet modica illa temporis mora, ab auroræ exortu vſque ad claram Solis lucem, morte vicinâ lethaliter *aſtra matutina* languent: vndè aſtra, quæ totâ nocte micanter ſplenduerunt, dum obortâ aurorâ deficere incipiunt morte propiùs vicinante, tunc, tunc quidèm, ſidereâ lucis linguâ, Dei laudes modulatiùs decantare perhibentur. Vndè Deus Iobum interrogat: Vbi eras *cùm me laudarent ſimul aſtra matutina?*

Iob. 38. v. 7.
Pineda ibi.
S. Thom. ibi.

*Cur aſtra matutina, Dei laudes ſumptuoſiùs modulentur.*

Actorum 2. *Cùm complerentur dies Penteco-* 4.
*ſtes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes .... & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* Eccur poſt feſtũ Pentecoſtes, potiuſquam quoduis aliud anni tẽpus eligitur, vt Spiritus ſanctus plenioti illapſu in Diſcipulos exundaret? Quid peculiare eſt in feſto Pentecoſtes, quod in reliquis anni temporibus non inuenitur, vt Spiritus ſanctus pleniùs communicetur? Tempeſtiuè hâc ſuper re Oecumenius: *Cùm*

Actor. 2. v. 1.

*Cur Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes aduenerit?*

Oecum. ibi.

*Cùm complerentur dies Pentecoſtes,hoc eſt , circa Pentecoſten , circa ipſum iam feſtum;cùm tempus eſſet maturæ meſſi ſpirituali falcem immittere.* Nimirùm cùm fidelium *ſpiritualis meſſis* iam *matura* eſt , & iam iam illi *falcem immittunt*; tunc,tunc quidèm Spiritus ſanctus plenè adeſt. *Cùm complerentur dies Pentecoſtes , repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* Porrò cùm tempus eſt *maturæ meſſi ſpirituali falcem immittere* , tunc peridoneè Spiritus ſancti plenitudo vberiùs exundat.quaſi *falx* reſecans è vicino imminens *maturæ meſſi ſpirituali*,pleniorem Spiritus ſancti aduetum accerſat,dedicet,conſecret ad morum eruditionem, ne *particula boni diei te prætereat.* Hæc modica temporis mora , æternitatis compendium eſt.

5.
Iob. 13. v. 12.
Iob 13. *Memoria veſtra comparabitur cineri, & redigentur in lutum ceruices veſtræ.* Vatablus
Vatablus.
ſententiam hanc, & ex cinere ductam ſimilitudinem, ad ipſas amicorum ratiocinationes refert, ſic fatus : *Memoriæ veſtræ ſunt ſermones cineris.*Addit Iob. *Redigentur in lutum ceruices*
Montanus.
*veſtræ*,vel,vt effert Montanus in apparatu : *Redigentur in lutum cineres veſtri.* In quibus ver-
Hugo ibi.
bis ſepulcrales cadauerum cineres Hugo Carenſis recognoſcit.O quàm aptè *memoria* noſtra verſabit *ſermones cineris* , & quàm citò *redigentur in lutum ceruices* noſtræ , quin robur noſtrũ morte decineteſcet. O quàm roboratur homo hâc *cineris memoriâ*,& frequenti *ſermone*! Ionæ
Ionæ 3. v. 6.
4. Peruenit verbum Ionæ prædicantis ad Regem Niniue : *Et ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum à ſe , & indutus eſt ſacco , & ſedit in cinere.*Hoc cinere , opinor , Rex obarmatus,Dei minas exarmare eualuit.Bellè Chryſoſtomus homil. 3. ad popul. Antioch. *Indutus eſt ſacco , & ſedit in cinere. Quod enim purpura nequiuit , id ſaccus potuit : quod conſummare diadema non valuit , hoc cinis perfecit.* Vide aſſumpti cineris inſuſpicabilem valentiam. O ſint *memoriæ noſtræ ſermones cineris,& redigantur in lutum ceruices* ( aliàs *cineres* ) *noſtræ*! De memoriæ promptuario cineres animitùs meditantis , exeant *ſermones cineris* , in quem citò redigemur; & *quod conſummare diadema non valuit, hoc cinis perficiet.* Ergò *memoriæ veſtræ ſint ſermones cineris.* O quàm ſalubriter hos *cineris ſermones* memoria verſat!Sic iuuat præſcriptum Iobi locum ethicè accommodare : litteralem enim ſenſum alibi dedimus.

*Cinis in memoria conſummare valet , quod diadema non potuit.*
S.Chryſoſt.

6.
Iob. 14. v. 14.
Iob 14. Putaſne mortuus homo rurſùm viuat ? *cunctis diebus quibus nunc milito , expecto donec veniat immutatio mea.* Hæc *immutatio* ,
Symmach.
quæ Iobi occupat vota,grande Commentatoribus faceſſit negotium. Symmachus legit ; *Donec veniat ſancta natiuitas mea*,reſurrectio enim natiuitatis & generationis nomen habere ſolitat;renaſcitur enim,qui reſurgit , & ingreditur in vitæ nouæ curriculum,nunquam omninò abſoluendum. Sed certè ipſum *immutationis* nomen ſignificare videtur commutationem &
1. Cor. 15. v. 51.
tranſitum ad meliorem ſtatum , & feliciorem vitam;quâ ratione dixit Paullus:*Omnes quidèm reſurgemus,ſed non omnes immutabimur.* Verùm aliqui *immutationis* nomen ad mortem referũt; nam propriè eſt eiuſmodi mutatio , quæ tranſeundo & tranſgrediendo fit. Quare excribunt, *Donec veniat tranſitus meus*,ita vt mortis ope,ac memoriâ ſe ſuſtentaret, & hoc meditaretur, & expectaret ſuæ militiæ, atque ærumnarum alleuiamentum. Itaque *tranſitum*, qui per mortem fit continuâ meditatione & expectatione frequens , *natiuitatem* ſuam appellat. Quod LXX. Interp.
LXX.Interpretes viuaciùs ad rem expreſſerunt: *Suſtinebo donec rurſùm fiam.* Scilicet mors aſſiduè meditata , nouæ *natiuitatis* expectatio eſt , & arcana officina , in quâ homo miſerè ærumnoſus , & imbecillè caducus ; *rurſùm fit*, & in alium hominem feliciter rediuiuum mirè refingitur. Semper mortis *tranſitum* memoriæ obuerſat aſſiduâ recordatione , & expectatione , vt de non eſſe ſùi , felici *natiuitate rurſùm fiat.* Moraliſſimè ergò Iob inquit: *Cunctis diebus quibus nunc milito , expecto, donec veniat tranſitus meus*, quâ meditatione *rurſùm fiam* in meditatæ mortis officinâ.

*In meditata mortis officiná , feliciter homo rurſum fit.*

---

## §. CXXVIII.

### *Mortis memoria , affectuum nix eſt; gazis cæleſtibus opulenta , vicarias Dei gerit vices : & de crudæ mortalitatis indigeſto ructu immortalem hereditatem ſpondet.*

QVi Bibliorum allegorias aucupantur, *Ti-* 1.
*nea* nomine ( Tinea vermiculus eſt , qui Lauret Cer.
de putredine , aut ſitu , aut puluere naſcens,ve- verbo , *Tinea.*
ſtes arrodit ) ſignificari putant, aut Hæreticos, aut Dæmones,aut Inuidiam, aut Dolorem,aut Cupiditatem, aut Peccatum , aut Pœnam inferni. O quale erit antidotum, quod hanc peſtem inhibeat , & perpetuum huius beſtiolæ abroſum ſalubriter ſiſtat!Naturalis philoſophiæ Princeps , naturalem medicinam offert, & quidèm moraliſſimam. Is poſtquam plurima nimis monſtroſa , & creditu ardua, quæ ad veneni tutelam faciunt , retuliſſet , vt fidem enar- *Veſtis qua fuerit in funere, à tinea non abroditur.*
rationis ædificet, ſubdit : ( fides tamen auctorẽ Plin. lib. 28.
appellet ) *Minus miretur hoc , qui ſciat , veſtem* cap. 3.
*à tineis non attingi , quæ fuerit in funere.* Cum funere commercium his ablegandis peſtibus nimis ſalubre eſt. Cape hoc amuletum quiſquis æternam ſalutem amas.

Geneſeos 22. tentauit Deus Abraham,& di- 2.
xit ad eum : Abraham , Abraham. At ille re- Geneſ. 22.
reſpondit:Adſum.*Ait illi: Tolle filium tuum vni-* v. 3.
*genitum,quem diligis,Iſaac , & vade in terrã viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum.* Pro *tò,quem diligis*,Hebraicè habetur , *Quem dile-* S. Ambroſ.
*xiſti.* quâ ſuper re ita philoſophatur Ambro- apud Caten.
ſius : *Poſſumus accipere , Quem dilexiſti , ad id quod non recenti quodam impulſu amoris, & inolito diu & probato amore ſignificaret dilectum.* Subitus amor inconſtantiæ ſuſpectus eſt ; quin & ſæpè in odium ignobiliter degenerat. Non bonæ fidei eſt recens amor,cui nemo ſapiens tutò ſe credit.Pergit Ambroſius : *Poteſt & illud non abſurdum videri,quia mortuos plus diligimus.* Maiori beneuolentiâ proſequimur morti proximiores ? Interitui vicinus viuaciùs amorem allicit,quaſi non eſſe hominis, ſit amoris illecebra, & volũtatis lenocinium?An potiùs,quia mors viſa propiùs,affectum defæcat, & de proprij funeris ſalubri recordatione illum ſinceriùs depurat,quò in rem benè amatam intentiùs feratur?

*Subitus amor , inconſtantiæ ſuſpectus eſt.*

*Mors Iſaaci, Patris reſtinguit affectum, accenditque caleſtium amorem.*

ratur? Addit Ambroſius: *Quem dilexiſti, hoc eſt, quem ante dilexiſti, quaſi iam non diligat immolandum.* Nempè propiùs ſpectato nuper dilectiſſimi Iſaaci funere, ac ſi iam ad mundialia bona repeſcat affectus, non dicit, *Diligis*, ſed, *Dilexiſti*. (Quid citò moritura bona ſic diligis quandò vel Iſaacum moriturum amantiſſimus pater, non tam *diligere*, quàm *dilexiſſe* perhibetur?) Cogita Iſaacum iam vitâ functum, & de vicinæ mortis cogitatione, ad morituras delicias ſenſim tepeſces, ad æternaturas ardentiùs ſufflammaberis. Gelidam Iſaaci mortem ſuggerit, quò terrenorum amor frigeſcat, & ad cæleſtium amorem faces ingerat. O arcanum mundi neglectum, & virtutis amorem, inter doloſos buſti cineres latitantem! Sic propior mortis obuerſatio, ab humanorum affectuum ſcoriâ amorem depurat? Memoria mortis, affectuum defæcatio eſt.

3\. Geneſis 3. ſerpente appetentiam ambitioſiùs exaggerante, de interdictæ arboris fructu Protoparentes mortiferè edunt; & cum comeſto cibo, mortem, quam non ſitiebant, ebiberunt: poſtmodùm iudicio condemnationis ritè celebrato, è paradiſo eiiciuntur. Sed expendere licet exilij paradiſei cauſſam; quam ethice tradit Moyſes: *Ne fortè* (inquit Deus) *mittat, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.* Scilicet ſub pœnâ mortis vetitum illi fuerat ſcientię boni & mali exitiale pomum; ne ergò edens de ligno vitæ, immortalitatem hauriret, è paradiſo confeſtim eiicitur: nam ſi deprauatus delicto ſentiat ſe eſſe immortalem, malè pœnitentiam aſſumet, & de ſcientiâ immortalitatis forſan veniam neſciet. Porrò hominis mortalitas, & cognatæ mortis notitia, ſtimulus eſt ad abluenda peccata, & virtutum ſudores ſtrenuè capeſſendos. Audiendus eſt hìc de re Veronenſis Zeno ſic eleganter fatus: Adã, inquit, in arce cùm eſſet adhuc paradiſi conſtitutus, beatiſſimúſque beati orbis imperio potiretur, tandiu felix, tandiu inexterminabilis vixit, quandiu imperata regalis edicti continuit; at vbi ſiniſtro conſenſu inuidi ex lubricitate ſerpentis eſt impatientiam mutuatus, ſacræque arboris pomum male dulce delibauit, lacrymas reperit, dolores, & gemitus, ſpinas & tribulos ſibimet comparauit: *vltimóque ſudore turbatus poſteris hereditatem indigeſtæ mortis dereliquit.* O proſperè improſperam indigeſtæ mortis hereditatem poſteris derelictã! Cùm audio *mortem*, & ſanè crudam & indigeſtã, improſperam calamitatem audio: cùm autem dicitur *hereditas indigeſtæ* mortis, proſperitatem ediſco. Nam ex ſuppoſitione, quòd iam homo mortalis euaſit, & mortem neceſſariò incurrer; ſententioſè *mors, indigeſtâ* dicitur; quippè quæ ructu inceſſanter aſſiduo, cruditatis ſuæ nos admonet & perpetuo conatu, cibi indigeſti ad inſtar, ſollerter ſatagit in ſubſtantiam aliti conuerti, id eſt, in mores hominis tranſire. Exindè *indigeſta mors*, ſeu cruda mortalitas, aſſiduam ſui memoriam inceſſanter ructibus ſuggerens, opulenta hominis *hæreditas* nuncupatur; quæ feliciter empyreæ immortalitatis, & beatè paradiſei, id eſt, olympij cælorum regni, nos faciat heredes, dum mortis aſſiduè memores, ad omnes ſanctitates extimulat. *Poſteris hereditatẽ indigeſtæ mortis Adamus dereliquit.* (Sic liceat Zenonis ſenſum tantiſper ad mores inflexiſſe.

Geneſ. 3. v. 22.

*Indigeſta mortis ructus, cæleſtem hereditatem hominibus negotiatur.*

S. Zeno ſer. de Patient.

4\. Geneſis 31. Iacob ille Iacobææ gentis, & populi Dei princeps Patriarcha, regiis opibus de gregum opulentiâ augendus; ſic ad vxores ſuas fatur: Poſtquam conceptus ouium tempus aduenerat, *Leuaui oculos meos, & vidi in ſomnis aſcendentes mares ſuper feminas, varios, & maculoſos, & diuerſorum colorum. Dixitque Angelus Dei ad me, &c.* Nempe Dei Angelus Iacobo dormienti oſtendit generoſos arietes, ex quorum numeroſâ ſobole, & ipſe, & tota eius familia, Dei populus inquam, locupletandus erat, *varios, maculoſos, & diuerſorum colorum.* Quæ verba ſic excribit Caietauus: *Grandinibus ſignatos*, Alij *grandinatos*. Lxx. Interpretes, *Cineratos*. Grande quidèm ethicè myſterium! Scilicet ex *cineratis* parentibus generoſam fœcundè ſobolem Angelus Iacobo demonſtrat. Quid *cineri* cum fœcundâ opulentè generoſitate, quâ Dei populus velut regiis gazis augetur? O maſculum, & generoſum à *cinere* robur! Sic eſt fœcundè inclyta à *cinere* virtutum generoſitas? O vtinàm, præuiâ mortis cogitatione, prematurè deciuereſcant mortales! Diuitiæ à *cinere*, Dei populum opulentant.

Geneſ. 31. v. 10.

*Cinerati arietes fœcundi generoſiores ſunt.*

Caiet. ibi. Lxx. Interp.

5\. Exhodi 5. Moyſes & Aaron ingreſſi ſunt ad Pharaonem, dixeruntque: Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in ſolitudinem, & ſacrificemus Domino Deo noſtro: *ne fortè accidat nobis peſtis aut gladius*. Caietanus ſic locum exponit: *Deus Hebræorum fuit obuius ſuper nos, ibimus, &c. nequandò occurrat nobis in peſte aut gladio.* Deúſne eſt, qui populo ſuo occurrit in peſte, in gladio, in ærumnâ, in calamitate? Calamitas pro Deo eſt? Dum nobis occurrit acerbior tribulatio, Deus tunc, tunc quidèm occurrit? Humanos labores, tanquam Dei vicarios, & numine plenos reputa. Aliter ad rem Lipomanus Caietano concinit, ex Hebreâ origine excribens: *Ne fortè occurrat in nos, ſcilicet Deus. Chaldaica, Ne fortè accidat nobis mors. Septuaginta Interpretes, Ne fortè occurrat nobis mors.* Idémne eſt, *occurrit Deus*, ac *occurrit mors*? An mors pro Deo ſubſtituitur? Morſne occurrens, vicarias Dei gerit vices? Num occurrens mors pro numine erit? An aſſiduè occurrens mors, profundè diúque meditata, munificentioris gratiæ officioſitatem cum Deo reciprocat? A cogitato identidem funere, dum mortis memoria ſuggeritur, Deus in mentẽ, ac mores quodammodò illabitur. *Ne fortè occurrat in nos Deus. Ne fortè occurrat nobis mors.*

Exhod. 5. v. 3.

Caiet. ibi.

*Humanos labores quaſi Dei vicarios, & numine plenos puta.*

Lipom. ibi

*Num dura mors meditata gratiæ officioſitatem cum Deo reciprocat?*

6\. Iob 38. ſic cum Deus interrogat: Vbi eras quandò ponebam fundamenta terræ? *cùm me laudarent ſimul aſtra matutina?* Magnum eſt inter expoſitores litigium, quæ nam ſint hæc *aſtra matutina*, quæ diuinas laudes modulatiùs concinunt. Et ſanè ſtellæ, vt micantiùs in nocturnis tenebris fulgẽt, ita in auſpicio lucis matutini fulgoris, lucis defectu ſenſim langueſcũt. quaſi iam propè ſepulchrum ſuum videãt, diem inquam. Caietanus cenſet, quòd *Stellæ matutinæ* ſunt Stellæ circumlatæ ab Oriente in Occidens. quaſi dum curſum in Occidens contendũt, gratiùs luceant, rediuiuo ſplendore accenſæ, & de mortis ſuæ viciniâ lucendi gratiam fœnerent. Poſtquam Zeno Veronenſis de Sole egit, & quâ ſolet facundiâ hoc aſtrum illuſtrauit; ita de lunâ ſcribit: Luna quoque, inquit, quæ verè rationis humanæ omnia in ſe lineamenta depingit, nata ſanguineæ teneritudinis, dubio cornu

Iob. 38. v. 7.

Caiet ibi.

S Zeno ſer. de Reſurr.

primò

primò quaſi de cunis apparet: paullatímque creſcendo iã puella, iã virgo pro quotidianæ ætatis incremento progrediens, laſciui curſus ambagibus carpit penſa mundana. *At vbi matura aureo igne flagrantis luciflui auriga, par laboribus fratris anguſtis circulis argenteum compleuerit globum, paullatim deuergit in ſenium, donec vltimâ ſenectute conſumptâ, ſuâ morte reuiuiſcens, menſtrualis ignis ſolemni germine accenſo ſumat rursùs de fine principium.* Ecce tibi luna à ſuo ortu ad occaſum inceſſanter deuergit, ad illúmque perpetuò ſpectatum ſtrenuè feſtinat: &, aut dum matutino albore languet, morti ſuæ proxima; aut dum conſumpta lucendi ſenio, ſeipſã accendit, *ſumit rursùs de fine principium*: adimitúrque ei ortus, ſi ei auferatur occaſus, ad quem ab ortu ſuo reſpiciat, verſus quem non inſcia inceſſanter tendat, in quo finem inueniat, & in quo funereâ pompâ ſumptuoſius tumuletur. O cum aſtris *ſumamus de fine principium*, & de funere identidem meditato, emendatioris vitæ felix auſpicium. Gratiùs Deo ſplendent *aſtra matutina*, id eſt, quæ ſuæ morti propiùs vicinantur: & quæ ab Oriente ad ſpectatum Occidens ocyùs deuergunt.

*Aſtra rursùs ſumunt de fine principium.*

7\. Geneſeos 23. mortuæ Saræ ſepulcrum apparat Abrahamus, quod quadringentis ſiclis emit ab Ephron. *Confirmatúſque eſt ager quondam Ephronis, in quo erat ſpelunca duplex ..... Abrahæ in poſſeſſionem.* Caietanus ſic locum exponit: *Iuxta Hebræum habetur: Et ſurrexit ager ille Ephron. Vtitur Moyſes metaphorâ ſurgendi, ſignificando agrum eleuatum in meliorem conditionem per hoc quod emptus eſt ab Abraham.* Res poſſeſſa probitatem poſſeſſoris quodammodò mutuatur? An ager ille *ſurgere* dicitur, quia in Patriarcharum ſepulturam dedicatur? an quia ſepultura iam eſt? Eruditè pariter & acutè notat Anſelmus Laudunenſis ad præfata verba: *Confirmatus eſt ager quondam Ephronis*, ita inibi ſcribens: *Primùm dictus eſt Ephron. id eſt, confirmatus & perfectus: poſt venditam ſepulturam Ephram, id eſt, infirmus & imperfectus.* Scilicet venditâ ſepulturâ, infirmitatem & imperfectionem emit. Vel ius ad ſepulcrum confirmat & perficit? Sententia quidèm moralitatum grauida! O vide hìc Dei populum, quàm ſe perfectè gerat, mortis vicinitate extimulatus!

Geneſ. 23. v. 17.

Caiet. ibi.

*Probitatem poſſeſſoris mutuat quodammodo res poſſeſſa.*

Anſel. inibi. *Ephron venditâ ſepulturâ, infirmitatem & imperfectionem emit.*

Hìc verſ. 2. & 3. &c.

8\. Geneſeos 2. Tulit Dominus Deus hominem & poſuit eum in paradiſo voluptatis, præcepítque ei dicens: Ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas: *in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris* Quid eſt quòd in ipſo immortalis vitæ limine, mortis timor offenditur? Dulciùs viuere in paradiſo Adamus non ſinitur, præproperâ mortis memoriâ paradiſeas delicias mortaliter inceſtante? Verum enim verò de ſacramento diuinæ pietatis eſt, vt mortis memoriam tunc Deus afflet, vt homo aut immortalitatem non amittat, aut amiſſam (vt vt poteſt) recuperet. Pulchrè S. Zeno: *Indè eſt*, inquit, *quòd & ego æternam vitam me poſſidere contendo: quia ſpecialiter annexam curam mortis mihi à Deo præſtitam recognoſco.* Sic imminentis ſemper mortis cura ſollicita, æternam & immortalem vitam negotiatur? O bonam negotiationem, & mortalibus facilè parabilem!

Geneſ. 2. v. 17.

*Annexa cura mortis, immortalitatem negotiatur.*

S. Zeno ſer. de Circumc.

## §. CXXIX.

*Patientia eſt Dominicæ diſciplinæ ſanitas, fidei præſes; virtutum portus, & conſummatio: & quâdam propè impaſſibilitate miſeriam refingit in gloriam.*

MInutius Felix in Octauio, de Chriſtianorum inuictâ patientiâ ſic Gentiles alloquitur: Vos ipſi calamitoſos viros fertis in cælũ, Mutium Scæuolam, qui cùm erraſſet in regem, periſſet in hoſtibus, niſi dexteram perdidiſſet. Et quot ex noſtris non dexteram ſolùm, ſed totum corpus vri, cremari ſine vllis eiulatibus pertulerunt, cùm dimitti præſertim haberent in ſuâ poteſtate? Viros cum Mutio, vel cũ Attilio Regulo comparo? *Pueri & mulierculæ noſtræ cruces & tormenta, feras, & omnes ſuppliciorum terriculas inſperatâ patientiâ doloris illudunt. Nec intelligitis, ô miſeri, neminem eſſe qui aut ſine ratione velis pœnam ſubire, aut tormenta ſine Deo poſſit ſuſtinere.* Profectò cui adeſt Deus, placidus patientiæ inſpirator, vt omnia nõ magnoperè vincat, ſe primò vincit: & de ſui victoriâ, aduerſitatum trophæa lætus erigit, & virtutes coronat. Indè concludit Minutius: *Chriſtianus miſer videri poteſt; non poteſt inueniri.* Cuius peridoneam rationem reddit Saluianus: *Nemo*, inquit, *aliorũ ſenſu miſer eſt, ſed ſuo: & ideò non poſſunt eſſe falſo iudicio miſeri, qui ſuâ ſunt conſcientiâ beati.* 1.

Minut. Felix in Octau.

*Chriſtianus miſer videri poteſt, non poteſt inueniri.*

Saluian. Li. de Prouid.

Paullus ad Romanos 8. Chriſtianâ patientiâ robuſtè intrepidus, ſic acerbiora pericula audacter laceſſit: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? &c.* Patientiam enim loco vis nulla detorquet, non labor, non fames, non nuditas, non perſecutio, nõ metus, non periculum, non mors, non tormenta morte ipsâ grauiora, non poteſtas, non ambitio, non felicitas: patientia ſemper immobilis manet altâ quâdam ac diuinâ temperantiâ robuſtè librata, quâ calamitatũ terriculamenta conſtanter inconcuſſa deludit, & vniuerſas ſibi impendentes ærumnas, placidâ animi moderatione compeſcit. Pergit Zeno Veronenſis ſer. de Patiẽtiâ: Eſt enim, inquit, matura ſemper, humilis, cauta, prudens, prouida, omni neceſſitate contenta, quauis turbationum tempeſtate trãquilla, ſerenitatem ſuam nebulis turbulentare non nouit. Pœnitẽtiam neſcit, altercatio quid ſit, ignorat: omnes aut deuitat, aut portat iniurias. *Incertum eſt, vtrum impaſſibilis iudicetur, cùm aliquid paſſa, quaſi nihil paſſa ſit, inueniatur. Poſtremò impoſſibile eſt, eius æſtimare virtutem, cuius vinci victoria eſt.* Sic Chriſtiana patientia, tota de Apoſtoli imitatione armata, & de Chriſti diſciplinâ cataphracta, ingruentium tempeſtatum turbines negligit, imminentium clamitatum atrocitates ridet, & ferocientes Tyrannorum gladios deludit. Nam *cùm aliquid paſſa, quaſi nihil paſſa ſit, inuenitur; incertâ eſt, vtrum impaſſibilis iudicetur.* Profectò minus eſt, quod Stoici ambitioſè fingunt, quàm quod Chriſtiana patientia verè geſſit; maiorque ambitioſo mendacio ſimplex veritatis fides. Ex ſumptuoſiori Eſtheris ac Mardochæi 2.

Ad Rom. 8. v. 35.

*An Chriſtiana patientia ſit impaſſibilis*

S. Zeno ſer. de Patient.

Hic verſ.

dochæi in calamitatibus ſenſu & luctu, Chriſtiana patientia prænitet, in tribulatione velut inſenſilis, quaſi patientiæ ſummam dedicarit.

3. Ioann.11.v.3. Hugo inibi. Ioann.11. Erat quidam *languens* Lazarus à Bethania, de caſtello Mariæ & Marthæ ſororis eius. *Miſerunt ergò ſorores eius ad eum, dicentes: Domine ecce quem amas infirmatur.* Hugo Carēſis hunc locum moraliter exponens, cùm aduertat, Lazarum languere & ægrotare, & adhuc à Chriſto etſi languentem, diligi, putat in lāguente Lazaro intelligi ſtatum incipientiū, qui adhuc infirmi ſunt, & vitiis ægrotant. Ægrotus autem ponitur, vt ſignificetur, quàm egeat patientiâ ad ægritudinis tolerātiam. Tertullianus (Tertull.l. de Patient.c.1.) in auſpicio libri de patientiâ, ita ſcribit. Sicut ſolatiū eſt, inquit, ſuper eo quod frui non datur, vice languentium, qui cùm vacant à ſanctitate, de bonis eius tacere non norunt. (*Eſtne patientia, Dominicæ diſciplinæ ſanitas?*) *Ita miſerrimus ego ſemper ager caloribus impatientiæ, quam non obtineo patientiæ ſanitatem, & ſuſpirē & inuocem, & perorem neceſſe eſt, cùm recordor, & in mea imbecillitatis contemplatione digero, bonam fidei valetudinem, & Dominicæ diſciplinæ ſanitatem, non facilè cuiquam, niſi patientia aſſideat prouenire.* Benè ſtatus incipientium, priſtinis nuper vitiorum pulſibus adſuetus, *languens* inducitur, & *infirmus* iacet; ſed in ægritudinis caloribus & ærumnis patientiam ſuſpirans, tanquam *bonam fidei valetudinem, & Dominicæ diſciplinæ ſanitatem.* Grande inprimis patientiæ elogium! Patientiáne ea eſt, quæ dicatur, *bona fidei valetudo, & Dominica diſciplina ſanitas?* O quot, quātaſque patientiæ laudes, huius ſententiæ compendio Tertullianus ſtrinxit!

4. Iacobus in epiſtola canon.c.1. ita ſcribit: Omne gaudium exiſtimate cùm in tētationes varias incideritis; ſcientes quòd probatio fidei veſtræ (Iacob.1.v.4.) patientiam operatur. *Patientia autem opus perfectum habet: vt ſitis perfecti & integri in nullo deficientes.* (*Nam ſi patientia abſit, virtutes poſſint eſſe virtutes?*) Magnum eſt diſſidiū inter expoſitores, & expoſitionum diuortium, in exponendâ hac Iacobi ſentētiâ. Quo enim pacto fieri poteſt, vt patientia, quæ de ſe non eſt virtutum perfectiſſima & auguſtiſſima, opus habere *perfectum* dicatur: adeò vt patiens, *perfectus & integer, & in nullo deficiens* nominetur? Ad perfectionis *integritatem*, vt homo in nullo deficiat, cumulus virtutum requiritur. num vna patientia virtutes omnes ingerit, fouet, perficit? Hac in re Zeno (S.Zeno ſer. de Patient.) Veronenſis ſic luculenter philoſophatur: *Non virtutes poſſunt eſſe virtutes .... niſi rerum diſciplinam, conuerſionémque quaſi quædam ſollicita mater patientia cuſtodiret.* Scilicet ideò dicitur, quòd *virtutes non poſſunt eſſe virtutes*, ſi abſit patientia: quia Patientia virginitati præſtat, ne æſtuum impatientiâ ſuccumbens, vllo tempore defloreſcat; Patiētia coniugale iugum rudi ceruice ſubeuntibus, retinaculis blandis ad niſum laboris emollit: Patientia eſt tutiſſimus ærumnoſæ viduitatis portus, cōcordiæ obſes, tumultuum ſedatrix, amicitiarum glutinum, paupertatis aſylū, Martyrum corona, murus fidei, ſpei obſes, charitatis trophæum. Et vt ſummatim dicam, virtutum cumulus, integritas, perfectio. Nam ſi Patientia abſit, *non virtutes poſſunt eſſe virtutes.* Ergò *Patientia opus perfectum habet, vt ſitis perfecti & integri in nullo deficientes.*

5. Iob cap.1. poſt tot, tantáſque calamitates ſibi vndequaque peracerbè congeſtas, auditâ filiorū funeſtâ atrociter clade, Tunc ſurrexit Iob, *& ſcidit veſtimenta ſua*; & corruēs in terram, adorauit, & dixit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factū eſt: ſit nomen Domini benedictū.* (Iob 1.v.20. & 21.) Lugubris hæc veſtium diſciſſio in miſerâ filiorum ſtrage, non fuit impatientiæ veſtigium, ſed paternæ pietatis notaculū. (*Iob ſcidit veſtimenta, ob ſympathiam cū peremptis filiis.*) quod Baſilius ſubtiliter adnotauit, aiens: *Tunc veſtem tantummodo diſcidit, ſympathiam quandam naturæ oſtendens, & illo facto, quod pater liberorum amans eſſet, teſtatum faciens, atque pijs illis vocibus factum exornans, dicebat: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.* (S.Baſil. orat. 11. de Patiēt. & toler.) Ecce tibi argutum patientiæ ingeniū, quæ non tantùm virtutes perficit, & conſummat; ſed de gratitudinis officinâ, ipſum malum recudit in bonum. (*Qui gratias agit in calamitate, malū vertit in bonum.*) quod èloquēter Chriſoſtomus his verbis ediſſerit: (S.Chryſoſt. homil.68. ad popul.) *Paſſus es aliquid mali, ſed ſi velis, non eſt malum: gratias age Deo, & malum in bonum fuerit commutatum.* Itaque Iobus dum in tot calamitatibus patienter flecti-neſcius, in tot ſtragibus Deo gratias agit, ſpontaneo gratitudinis arbitrio *malum commutat in bonum*, calamitates felicitat, & tot miſeras clades in ſoſpitatem refingit arguto patientiæ ingenio.

6. S. Iudas in ſuâ Epiſtola canon. de criminosè ſceleſtis hominibus, tumultuante vitiorum impetu exagitatis, agens, eos appellat, *Fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones.* (Iudæ v.13.) Siquidem mare ventis laceſſitum cùm iraſcitur, reciprocâ viciſſitudine, nunc pulsātibus cælum, nunc requirentibus terram, æſtuantibus vndique vitreis armatum montibus, violentis vndarum ſæuientium cumulis, toto corpore aduerſus ſemet furioſius inſanit: nec aliis ignoſcit mare, quod ſibi alterna fluctuum concuſſione non parcit. (*Iob tanquam ſcopulus, vndarum vim in ſpumam conuertit.*) *Impij autem* (ait Iſaias) *quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt.* (Iſaiæ 57. v.20.) Iobus autem patientiæ idea, *tanquam ſcopulus quidam in mari eminens ſtabat, tempeſtatis impetum ſuſcipiens, vndarúmque vim in ſpumam conuertēs.* (S.Baſil. apud Cat. Olymp. inibi.) quò ſcopulus atrociter impetitus, in ſe pacatus & placidus, iracundiæ notas, ſpumam inquam, in ipſum mare reuerberet. Nec modo vitioſi homines, ipſaque vitia, velut mare feruent, & ſæuis exagitantur procellis: ſed quodammodo virtutes ipſæ, ſi patientia deſit, velut in procelloſo mari iactātur, quaſi in naufragij periculo. (*Patiētia tanquam portus reliquarum virtutum eſt.*) Audiendus eſt Zeno Veronenſis ad hāc rem tempeſtiuus: (S.Zeno ſer. de Patient.) *Et ſi beata, inquit, vita virtutibus quæritur, cuius cupidinem fragrans humanitas per momenta ſuſpirat, tamen omnes vno, eodémque conſenſu quaſi quendam patientiæ deferuntur in portum.* Nempe Patientia eſt reliquarum virtutum portus & benè fida ſtatio, vbi quibuſdam velut anchoris fundantur; alioqui in vorticoſo pelago fluctuant, & ſæuè iactantur magno naufragij periculo. Virtutes omnes per patientiam. quaſi *in quendam portum deferuntur.* Pulchrè quidem.

7. Tertull. in lib. de Patient. ſic de eâ ſcribit: *Ita inquit, fides patientiâ illuminata, cùm in nationes ſeminaretur per ſemen Abrahæ quod eſt Chriſtus, & gratiam legi ſuperduceret, ampliandæ adimplendæque legi adiutricem ſuam Patientiam præfecit.* (Tertull. de Patient.c 6.) (*Patientia eſt legis obſeruādæ præſes, fidei illuminatrix, & fulcrum.*) Profundè dicitur Patientia, legis adimplendæ Præſes, quæ obſequiorum conſilio præficitur. Item Patientia, *fidei illuminatrix* nuncupatur. Magnum ſanè obſcuræ fidei momentum! Cyprianus adſpectu ad fidem, aliter concipit Patientiæ dignitatem: (S Cypr. apud P. Cerd. ibi.) *Ipſa eſt, inquit, quæ fidei noſtræ fundamenta firmiter munit.* O quàm multa paucis!

8. Ieremiæ 15. flebilis hic Vates Ieroſolymitanum excidium,& Iudææ gentis exilium timẽs, his verbis Deum alloquitur: *Non ſedi*, inquit, *in concilio ludentium, & gloriatus ſum à facie manus tuæ: Solus ſedebam, quoniam commotione repleſti me.* Profectò valdè mirum eſt, quòd Ieremias commotione repletus,& paridè concuſſus in mente populi vaſtitate,& ineluctabili totius populi ſtrage, *gloriari* ſe dicat. Strabus Fuldenſis ad præfata verba ita ſcribit. *Gaudeant* ceteri *illis luſibus: nobis autem bonum ſit ponere ſpem noſtram in Deo, ſaturari opprobriis & expectare ſententiam iudicis.* Vide quàm magnanimè tot calamitates patientia deludat, cùm in ipſo excidij iam iam impendentis timore, lætanter exultet. Quod explicatiùs tradidit Anſel. his verbis: *Et gloriatus ſũ à facie manus tuæ, dum impendentem mihi manum tuam ſemper expecto.* Nil ſic hominem concutit, quàm irrefragabilem ſeueri iudicis ſententiam iam iam cadentem expectare: at deſarcauo patientiæ arbitrio vel flebilis Propheta quaſi in impatibilem refingitur; adeò vt cùm ineluctabiles ſtrages de diuinæ ſententiæ acerbiore ſeueritate vibratas videt, *à facie* diuinæ *manus glorietur.* Hæc inopinata olim in calamitatibus *gloria*, patientiæ meritum loquitur, patientiæ elogiis gratulatur, æmulaturque in Moſaicâ lege Euãgelij glorias: *Gloriatus ſum à facie manus tuæ*, plagas acerbiùs euibrantis.

*Ierem. 15. v. 17. A facie manus Dei durã vibrantis ſẽtentiam, Propheta gloriatur.*

*Strab. ibi.*

*Anſel. laud. indidem.*

9. Sapientiæ 3. *Iuſtorum animæ in manu Dei sũt, & non tanget illos tormentũ mortis. Viſi ſunt oculis inſipientiũ mori, & æſtimata eſt afflictio exitus illorũ.* Eruditè notat P. Lorinus, quòd cùm dicitur *Non tanget illos tormentum mortis*, Interpres addit (*Mortis*) quia mentio de morte proximè fuerat. *Tangere* autem aliquandò grauioré percuſſionem ſignificat, nonnunquam leuiorem. Itaque ſecundùm Hebræum textum indicatur, quòd eximiè Iuſti licèt oculis inſipientium in vita & in morte miſerè mori videantur; at illos nullum *tormentũ tangit*. Nõ *leue*, quod vel mediocris virtus eludit. non *graue*, quia magnanima patiẽtia de cælo erudita, probè noſcit,& experitur, quàm ſit futile ad nocendum,& ad *torquendum* inerme. Appoſitè Lactantius hâc idoneâ antitheſi rem expreſſit: *Sicut ad verum malum per fallacia bona, ſic ad verum bonũ per fallacia mala peruenitur.* Nil ergò mirùm, ſi patientiam Iuſtorum nullum *tangat tormentum*: quippè quæ bene noſcit, quòd ſicut *fallacia* & futilia ſunt mundialia bona, quæ ducunt ad verum malum; ſic *fallacia*, mentita,& falſata ſunt calamitatum mala, quæ ducunt ad verum bonum. Indè eximiè iuſtos de cælo oculatos, & de patientiâ armatos, nullum *tangit tormentum*. Nam *cùm aliquid paſſa, quaſi nihil paſſa ſit, inuenitur; incertum eſt vtrùm impaſſibilis iudicetur.* vt nuper ex Zenone dicebamus.

*Sapient. 3. v. 1. & 2.*

*P. Lorin. ibi.*

*Patientia nõ tangitur tormentis, quæ eſſe mala fallacia & mẽtita praenoſcit.*

*Lactant. lib. 6 c. 22.*

---

## §. CXXX.

### *Animo dolenter querulo nihil oportet credere.*

1. QVædam falſa veri ſpeciem præferunt, detrahenda eſt larua rebus,& ſua cuique facies reddenda. Dandum ſemper eſt iracundiæ tempus quod veritatem aperit, ſaltem affectuum ſubſultus, aut ſedat, aut mitigat moræ beneficio

*Animo dolẽti nihil oportet credere.*

Ne ſint aures criminationibus faciles. Hoc humanæ naturæ vitiũ ſuſpectum, notúmque nobis ſit, quòd quæ inuiti contra nos audimus, libenter credimus, & antequã iudicemus, iraſcimur: irati autẽ impreſſiùs afficimur,& doletiùs conquerimur, mendaci illatæ iniuriæ ſuſpicione. Belliſſimè ad rem dixit Seneca in Prouerbiis: *Animo dolenti nihil oportet credere.* Siue verus, ſiue falſatus dolor, qui in querelas erumpit, mẽdacij ſemper ſuſpectus, plerumque reus eſt. Nec tu tibi crede, qui indignus es vt ab aliis credaris. Porrò agnatũ querelis eſt, calamitatis velut ementiens ſuperiectio. In querimoniis ſemper mendax iracundia eſt: conceptus enim altè dolor exaggerationũ lenocinium eſt, quo æſtuantem animo moleſtiã euaporare quis putat: eam autem tantò altiùs figit, quantò ſic refigere ſatagit. Geneſis 22. dixit Deus ad Abrahamũ: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Iſaac, *atque offeres eum in holocauſtum ſuper vnũ montium quem monſtrauero tibi.* Vide animi firmitudinem, non gemuit, non illacrymauit, non naturæ vi fractus eſt, non in varias partes conſilia partitus eſt, oris conſtantiam tenuit, non emiſit querulam vocem, quæ effutiret, quod optatiſſimo & optimo filio præproperè ferè orbatus, à paterno ingenio dicere voluiſſet. Querulas voces, quas à naturâ tunc erumpentes Abrahamus inhibuit, diſſertè Seleucienſis Baſilius inibi expreſſit: *Non dixit Abraham, quæ ab ingenio voluiſſet: O barbaricas præceptiones! O imperia à naturæ legibus abhorrentia! filij iugulũ repoſcor, & filij carnifex eſſe iubeor. Serus cùm fuerim pater, in filij cædem præproperè vrgeor. Cur tandem, cur qui me, vt genitor eſſem, parricidiũ iubes admittere? Quid me partu delectari docuiſti, an vt deindè lugere doceres? Quid amorem mærore cõmutas? Quid ex amore lamenta concinnas? Illiúſne filij ſanguine dexteram inquinabo, pro quo toties ego tibi manus extendi? Patriſne ſupplicationibus antè ſuſceptis, patrem ad filij interemtionem obarmas? Domine promiſſa tua reſpice, Cui heredem promiſeras, eum heredi percuſſorẽ ſubmittis?* Vide querelarum ingenium, ad calamitatem viuaciùs exprimendam, ampliandam, exaggerãdam. Animo dolenter querulo nihil oportet credere. Exindè Abraham ad querulas naturæ voces ſurdus eſt, mutus eſt, quia erga Deum eximiè pius eſt.

*Seneca ex Publ. Mim.*

*Seleu. Baſil. orat. 7.*

*Abrahamus ad querulas naturæ voces ſurdus, & mutus.*

Geneſ. 29. tandem Iacob optatis nuptiis ſuæ Rachelis potitus, eius amorem Liæ amori prætulit. Dominus autem Liæ vuluam aperuit, quæ conceptum genuit filium, quem vocauit Rubẽ, dicens: Vidit Dominus humilitatem meã, nunc amabit me vir meus. Rurſumque concepit & peperit filium,& ait: *Quoniam audiuit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam iſtum mihi.* Nõne Deus omnia videt perſpicaciſſimis omniſcientiæ ſuæ oculis? cur ergò querulæ Liæ *contemptum*, non per ſe vidiſſe, ſed *audiiſſe* hîc dicitur? Proculdubiò certior rei notitia comparatur ex his, quæ aſpectu videmus, quàm ex verbis quæ audimus. Ita quidẽ. Verùm enim verò querulæ vocis auditus rem auget,& mirum in modum amplificat, incrementat, exaggerat: quin & data querimoniarũ occaſio, per linguarũ & aurium traduces, inopinata capit incrementa. Vndè Lia more humano de Deo loquens, quò priſtinam nuper calamitatem viuaciùs exprimat,& exaggeratiùs amplificet, non ait, Deum oculis vidiſſe quam patiebatur ex *contemptu* calamitatem 3.

*Geneſ. 29. v. 33.*

*Cur Lia, Deũ non cauſſam querelarum vidiſſe, ſed querelas ſuas audiſſe dicat.*

tem,ſed *audiiſſe* ſuas è calamitate querelas.quaſi Deus moueretur ad ferendam ei opem, non tã ex his, quæ ex *contemptu* pati videbat, quàm ex his,quæ ab eius querimoniis pati ex *contemptu* inceſſanter audiebat.Sic querelæ de querentis imbecillitate,calamitatem amplificant!

3. Matt.15.ſeceſſit Ieſus in partes Tyri,& Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamauit,dicens ei:Miſerere mei Domine Fili Dauid:filia mea malè à Dæmonio vexatur, *Qui non reſpondit ei verbum.* Et accedentes diſcipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam quia clamat poſt nos. Ipſe autem reſpondẽs ait:Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël. At illa venit, & adorauit eum,dicens: Domine adiuua me. *Qui reſpondens ait: Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Sed audi attentiùs, quid his verbis Chananæa contumelioſè accepta reſpondit:At illa dixit:*Etiam Domine:nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſâ dominorum ſuorum.* Ad quæ verba Baſil.grauiſſimè expendit, quòd Chananæa his contumeliis coràm auditis pacato ore reſponderit: neque has querulas voces, quæ naturam querelarum proderẽt,ore expreſſerit:*Niſi enim talis fuiſſet mulier, fortè inhumanitatis,aut impotentiæ Saluatorem condẽnans auolaſſet.O diram inhumanitatem!* (querula occlamans) *non luctu abiectam miſeratus eſt,non matrem filiæ doloribus lancinatam ſolatus, non naturâ ſuas agente partes commiſeratione ictus eſt. Supplicantem auerſabatur, & clamantẽ refugiebat. Ac primùm quidem taciturnitate vox abiiciebat,neque clamans tacentem moui: & quandò bonas curationis ſpes alebam, quandò mihi miſeria ipſa patronos dabat, quandò mihi ad ſolam eius vocem leuamentum ſomniabam, quandò hiabam: Commodior erat tacens, quàm loquens. Ab eo inſuper tunc dictis ſpes excuſſit concepto mœrore.Cõtumeliarum additamento calamitates meas cumulauit:Canis in tantâ hominum turbâ audio.*( Perſpiculare oportet ſollertiùs, quid audeat vox querula, doloris acerbitate extimulata,dum verba in mœſtitudinis officina dolenter excudit)*Fortè etiam ipſe Dæmoni ius in eam permittit. Fortè meæ filiæ calamitas huius poteſtatem ſuperat. Fortè humilitatis, tenuitatiſque ſuæ confeſſionem celat obtentu contumeliarum: hoc vnum ſupplicando lucrum tuli, carnificis filiæ meæ indignationem exaggeraui,vocibus in eũ iactis iras accendi,agreſtiorem in filiam aduerſarium reddidi. Sed non in tam abiectum orationis genus ſeſe demiſit:neque iniuriis fidei firmitudo infracta eſt.* Ecce tibi quales ratiocinationes mens offenſa procudat, & querimoniis licenter garriat, Animo dolenter querulo nihil oportet credere.

Matth.15. v.26.

*Subtiliter garrula querelarum ratiocinationes proponuntur.*

Baſil orat.21

4. Ionæ 4.ad minaces Prophetæ voces Niniuitæ lacrymis madent,atque ſacco & cinere voluntantur,Pœnitentia pœnitentiam genuit.Homines immutantur,& Deus cõſilia velut retractat: homines lacrymantur,& Deus quaſi pœnitẽtiâ tangitur: lugent mortales, & minarum metum ſoluit immortalis. Ionæ verò grauis erat, & acerba eorum ſalus. Eminùs enim ſedens ciuitatis euerſionem ſpeculabundus obſeruabat. Vt autem Dei clementiam regnare vidit, luget Niniuitarum luctum. *Et afflictus eſt Ionas afflictione magnâ, & iratus eſt: & orauit ad Dominum, & dixit: Obſecro Domine,nunquid non hoc eſt verbũ meum,cùm adhuc eſſem in terra mea, propter hoc præoccupaui vt fugerem in Tharſis.*

Ionæ 4.v.1

Has Ionæ querulas voces ita Seleucienſis Baſilius exponit: *Hæc eſt occaſio fugæ meæ. Tuâ humanitate cognitâ Prophetæ partes recuſabã:ſciebã quam paucis peccatorum lacrymulis indignari deſinas, commoto non credebam, innatam tibi commiſerationem animo reputans: & nunc ego falſidicus æſtimabor. Niniuita meam prædictionem ridet, tuámque ſententiam ſtitit.* Sic ore querulo Ionas expoſtulat,& Prophetæ partes ſe recuſare dicit, qui Deo *cõmoto non credit.* Vide quas voces querelæ exprimant. *Et confeſtim dixit Dominus: Putaſne benè iraſceris tu? Et egreſſus eſt Ionas de ciuitate.*&c. Litteraliſſimè pariter ac moraliſſimè inibi notat Sanctius, quòd *Ad interrogationem illam, quid reſponderit Ionas, ſi tamen aliquid reſpõdit, Scriptura ſilet.* Porrò nemo, nemò inquam,quamuis Dei Propheta,querulas voces,quas triſtitia,& iracundia expreſſit, tueri poteſt. O ſic auditas querelas tracta, vel potiùs ſic neglige,vt nec earum expoſitionem,aut defenſionẽ expectes! In ipſo faucium meatu ſtrãgulãdæ ſunt,præſcindendæ ſunt,quouſque cum ipſa triſtitia, & iracundia deferueant Ne ergò inſanum querelarum protelũ audiendo nectas, Non deeſt querelis ſua vtcumque ratio;ſed inanis friuola,futilis; & quæ nec ad aurium margines excolanda, quantò minùs audienda eſt. Dum hîc Eſther valde querulas Mardochæi voces aduertit,non ſic properat ad obſequium, ſicut hactenùs properauerat; ſed rei momenta cunctanter examinat. O maſculam fœminæ prudentiam viris exemplarem!

Seleu. orat 12.

*Iona querelâs Deus moraliſſimè prædit,non expectato reſpõſo.*

Ionæ 4 v.4.

Sanct. ibid.

Hî v.11.

5. Exhodi 9. dixit Dominus ad Moyſen:Ingredere ad Pharaonem & loquere ad eum:*Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum:Dimitte populum meum vt ſacrificet mihi. Quòd ſi adhuc renuis,*&c. Pharao quidẽ hactenùs ſæpè promiſit ſe dimiſſurum Iſraëlem,ſed idem etiam ſæpè nunc fefellit.Quid igitur Moyſes? Alius quiſpiã concitaſſet fortaſſis populum, & de falſata ſæpiùs fide querulus expoſtulaſſet. Imò & Deus iuſtis querelis abſtinet,poſtulatque dimitti populum, vt ſibi in deſerto *ſacrificet*,vbi nunquam *ſacrificaſſe*,ſed coli perhibetur.Quâ ſuper re ita inibi ſcribit Lipomanus:*Voluit Dominus eruere populum ſuum, quod nondùm prætexit,nec labores cõqueritur, ſed ſuam Deus cauſſam allegat, coli ſe mandat,& ad hoc euocat fideles,quorum non patitur oppreſſionem, ſed vt ſeipſum oppreſſum vlciſci parat:quod enim minimo ex ſeruis Dei malum imponitur, hoc ſibi refert acceptum.* Non prætexit Deus populi ſui violentam oppreſſionem, nec quicquam aliud ſibi & populo commune, quod expoſcat Deum ſuum diræ ſeruitutis vindicem, ſed cùm cauſſam ſuorum agit Deus, à ſe petitum, & debitum ſibi ſacrificium impediri non patitur, & *ſe ipſum oppreſſum vlciſci parat*;non ſuorum,ſed omninò ſuam cauſſam agere prætexit. Quod enim minimum ex ſeruis ſuis malum imponitur, ſibi refert acceptum,& ſeipſum oppreſſum vlciſci parat.Suorúmne oppreſſione opprimitur Deus?O beneuolẽtiæ hyperbolen! Suorum iniurias quaſi vni ſibi illatas vlciſcitur Deus?O acerbioris vindictæ exaggerationem!Sic bonus Antiſtes debet reputare,& vlciſci ſuorum iniurias, ſe vnum vnius ſubditi læſione ſauciari. Heu ad alienas iniurias deſides & nimis pij ſumus; ad proprias impiè inſanimus ardore vindictæ. Et ſanè nec Moyſes queritur de fœdifragâ Pharaonis fide,nec Deus de populi ſui oppreſſione, vt illum eruat; ſed

Exho. 9. v.1.

Lipoman.

*Deus ſuorum oppreſſione opprimi dicitur.*

*Cur nec Deus de populi ſui oppreſſione, nec Moyſes de fide violatâ queritur apud Pharaonem.*

*ſacrificium* aut cultum prætexens, iuſtas duræ oppreſſionis querelas intermittit. *Voluit Dominus eruere populum ſuum, quòd nondum prætexit, nec labores conqueritur.* An ſi ad eruendum populum ſuum querulus, allegaret diram populi oppreſſionem;& Moyſes conquereretur de Pharaonis fide infidè ſæpiùs falſatâ, minarum auctoritatem querelis dilueret apud Regem? Porrò Politicorum gnome eſt: Animo dolenter querulo nihil eſt credendum. Indè forſan Moyſes querelis abſtinet, vt minis Dei nomine acerbiùs vibratis fidem faciat inconcuſſam, quamobrem nec populi oppreſſionem, nec fidem toties violatam vnquam allegat. Non bene agitur, quod querelarum fide peragitur.

---

## §. CXXXI.

### *Maieſtati maior ex longinquo reuerentia: nam frequens conſuetudo, aut contemptibiles inuenit, aut facit.*

5. Tert Apologic. 10. A Ppoſitè Tertullianus in ſuo aduerſus Gentes Apologetico: *Ante Saturnum*, inquit, *Deus penes vos nemo, ab illo cenſus totius vel potioris vel notioris diuinitatis.* Vndè ergò tãta Saturni apud Gentes æſtimatio, vt Cæli ac Terræ filius diceretur, ab illoque totius vel potioris vel notioris diuinitatis cenſus exiſteret? Pergit Tertullianus: *Sed cuius parentes ignoti erant facilè fuit eorum filium dici, quorum & omnes poſſumus videri. Quis enim non Cælum & Terram, matrem & patrem venerationis & honoris gratiâ appellet? vel ex conſuetudine humanâ, quâ ignoti, vel ex inopinato apparentes, de Cælo ſuperueniſſe dicuntur? Proindè Saturnum repentino aduentu vbique Cælitem contigit dici.* Et paullò antè dixerat: *Mons quem incoluerat Saturnius dictus: tota demque Italia poſt Oenotriam, Saturnia cognominabatur.* Ibi enim Saturnus diu latuit, Iouis filij iras fugiens. Idcircò & Latium à latendo nominatur. Ecce tibi diuinitatis cenſus ab homine ignoto, ex inopinato veniente, tectiùs diu latitante, & à frequente hominum commercio ac conſuetudine remotiſſimo. *Maieſtati enim maior ex longinquo reuerentia.* Hanc maieſtati auguſtiorem reuerentiam hîc ambit Aſſuerus.

*Ab ignoto & latente Saturno, totius diuinitatis cenſus eſt.*

Tacitus 3. Annal. Hic v.11.

2. Ioannis 6. arcanè furtiuo quinque panum & duorum piſcium incremento, dum Apoſtolorum manus eſcas de cælo parturiunt, multa hominum millia in deſerto ſatiantur. Stupet turba miraculi magnitudine attonita: & aliquid præcelsè auguſtum, & humano faſtigio maius in Chriſto latere ſubmuſſitant. *Illi ergo homines cùm vidiſſent quod Ieſus fecerat ſignum, dicebãt: Quia hic eſt Propheta, qui venturus eſt in mundum.* Vidit Chryſoſtomus, quâ pollebat Biblicæ eruditionis ſagacitate, quòd non ſatis ſibi cohærent hæ hominum voces: nam ſi cum articulo demonſtratiuo, Chriſtum præſentem, & miracula tunc patrantem demonſtrant, aientes. *Hic eſt Propheta*; quomodo ſi eum vident præſentẽ, addunt: *Qui venturus eſt in mundum?* Dicere enim potiùs debuiſſent *Hic eſt Propheta, qui iam venit in mundum.* Accipe Chryſoſtomi verba: *Ex hoc autem quòd dicunt, Qui venturus eſt in mundum, manifeſtum eſt quod Prophetam quendam principalem expectabant. Et ideò quod dicitur: Hic eſt Propheta, in Græco cum adiectione articuli ponitur, ad oſtendendum ſcilicet eum eſſe diſcretum ab aliis Prophetis.* Quaſi dicant: Hic eſt magnus ille Propheta, à Moyſe prænũciatus, & à Iudæis expectatiſſimus. Meſſias inquã, ſeu Chriſtus Deus. Benè eſt, & idcircò Interpretes Chryſoſtomo communiter adſentiunt. Sed quare Chriſtum Deum, quem digito deſignant, dicentes: *Hic*, appellant *venturum*? & non potiùs aiunt: *Hic eſt magnus ille Propheta, à Moyſe promiſſus, à Iudæâ gente expectatiſſimus, Chriſtus Deus inquam; qui iam venit in mundum?* cohærentia enim ſententiæ id expoſcere videbatur. Verumenim verò alta, quam imbiberant, mens de Chriſto, tantum patrantem iraculum, aliter eos loqui non ſinebat. Porrò quem præſentem vident, & articulo demonſtratiuo, velut digito coràm oſtendunt ad tantæ maieſtatis auguſtiorem cenſum & maiorem æſtimationem, quaſi abſentem oſtendunt, & tanquã *venturum* indigitant: & pro ſublimiſſimæ maieſtatis decore, quaſi in verbis non ſibi conſtent, & pugnantia dicant, quem præſentem ſentiunt *venturum* appellant: *Hic eſt Propheta, qui venturus eſt in mundum. Maieſtatis enim maior è longinquo reuerentia.* Quod ex iamiam dicendis ex Hebræo idiomate, ampliùs declarabitur.

Ioan. 6. v. 14.

S. Chryſ. ibi. apud Caten.

*Reuerētia eſt quòd Chriſtum, quem oculis vidēt, venturum appellent.*

Exhod. 3. rogatus tandẽ à Moyſe Deus, quod ſibi eſſet nomen quo illud ad maiorem legationis ſuæ fidem, Hebræis Ægyptiacâ ſeruitute oppreſſis denũciare poſſet: *Dixit Deus ad Moyſen: Ego ſum, qui ſum. Ait: Sic dices filiis Iſraël: Qui eſt, miſit me ad vos.* Cardinalis Caietanus ſic locum & excribit, & exponit: *Iuxta Hebræum habetur. Ero qui ero.* (Caietano adſentiunt reliqui, qui Hebraicè legunt.) Et poſt pauca explicans poſterius huius verſiculi hemiſtichion, tempeſtiuè addit (pro τὸ *Sic dices filiis Iſraël: Qui eſt miſit me ad vos*) *Sic dices filiis Iſraël: Ero miſit me ad vos . . . . Et ne minor ſuboriretur intelligentia diuinæ naturæ, adiungitur, Miſit me ad vos. Dicendo, Miſit, ſignificat quod ita Ero, quod etiam fuit.* Altè quidem de Hebræorum adytis Caietanus! Scilicet Hebræi dum honorificentiùs tractant ſacroſanctum Dei nomen, ciúſque auguſtiſſimam eſſentiam ſublimiùs honorare & nobilitare reuerentiùs percupiunt, quò apud homines ſit Dei auctoritas & maieſtas in maiori æſtimationis cenſu, Deum nominant, *Qui ero*: & ne illi exindè derogent, ac ſi anteà non fuerit, conſultiſſimè additur: *Qui ero miſit me ad vos. Dicendo, Miſit, ſignificat quòd ita Ero, quòd etiam fuit*: quaſi præteritam durationem futuræ coniungant; & præſentem ſubticere, ſeu intermittere videantur. Non quia Deus aliquandò præſens non ſit, fuerítve, cuius attributum eſt ſemper eſſe, æternæ permanenter exiſtentiæ infinito elogio; ſed quoniam apud homines non tam æſtimari ſolet, quod præſens eſt, & coràm exiſtere putatur, quàm quod abſens nominatur, & maieſtatem de abſentiâ fœnerat. Porrò *maieſtati maior è longinquo reuerentia.* 3.

Exhod. 3. v. 14.

Caiet. ibi.

*Quare Deus dicatur, Qui ero: & de præterito additur: Qui ero, miſit me?*

Matthæi 14. Quinque panibus & duobus piſciculis multa hominum millia Chriſtus in ſolitudine ſatiauerat: turba beneficum gradiùs miraculum ſtupet, & auguſtum quid de Chriſto cogitat; adeò vt tantùm non ſit publicè proclamatus Iudæorum rex. *Et ſtatim compulit Ieſus diſcipulos aſcendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.* Quo verbo oſtenditur, inuitos eos à Domino receſſiſſe, dum amore præceptoris miraculosè benefici 4.

Matth 14 v. 22. Ioann. 6 v. 14.

*Chriſtus abſentatur poſt patratum miraculum, ne phantaſticum putetur.*

fici,ne ad punctum quidèm temporis ab eo volunt ſeparari. Verùm Chriſtus dum maiora miracula coram frequente multitudine operatur, multitudinem aut dimittit, aut fugit, docens nos nuſquam gloriam multitudinis proſequi, neque humanos plauſus gratanter captare. Ad hæc ſubtiliorem aliam rationem excogitauit Chryſoſt. ſic inibi fatus: *Diligentem examinationem eorum quæ facta erant tradere volens, eos qui præmiſſum ſignum viderant, iuſſit à ſe ſeparari: quia etſi præſens viſus fuiſſet, phantaſticè & non in veritate feciſſe miraculum diceretur: non tamen vt abſens. Et ideò dicitur: Et ſtatim compulit Ieſus diſcipulos aſcendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimiſſâ turbâ aſcendit in montem ſolus.* Itaque turbâ & diſcipulis ſtupore defixis ob miraculi magnitudinem, & ſublime quoddam ſolito maius de Saluatore meditantibus, tunc *compulit* diſcipulos à ſe longiùs recedere, & turbas ſollicitè *dimittit*, ne poſt iam patratum miraculum, & tanto omnium plauſu celebratum, dum poſteà tacitâ mente, aut ſermonum commercio prodigium recolitur, & ad *examen* vocatur; ipſe prodigioſus miraculi patrator *præſens* adſit: de humanâ vulgò cenſurâ prudenter veritus, ne forſan ſi ipſe Chriſtus tunc *præſens* adeſſet, miraculum quod oculis viderant, manibus palpauerant, & ore celebrauerant, *phantaſticum* putaretur, & ſpecie tenus miraculum. Si *præſens viſus fuiſſet*, ſic forſan cenſerent; *non tamen vt abſens*. Quid exaggeratius? Itaque ad auctoritatem perſonæ, & glorioſum miraculi ſenſum, & cenſum, ſpectatores ab ſe longiùs ablegat, & de eorum abſentiâ *ſolus* manet; vt quo *præſente* forſan *phantaſticum* putaretur miraculum, de patratoris *abſentiâ* ſublimiùs cenſeretur. Sic auctoris *præſentia* magnum alioqui opus faſcinat? Sic *abſentia* magnæ æſtimationi adulantiùs blanditur? *Maieſtati enim maior è longinquo reuerentia.*

S. Chryſoſt. homil. 50. in Matth.

5. Lucæ 4. Dæmone pertinaciſſimo mirabiliter excantato pauculis Chriſti verbis, factus eſt pauor in omnibus, & colloquebantur adinuicem, dicentes: Quod eſt hoc verbum, quia in poteſtate & virtute imperat immundis ſpiritibus, & exeunt? Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis. Aliis poſtmodùm patratis densè miraculis, ſubdit Euangeliſta: *Factâ autem die egreſſus ibat in deſertum locum, & turbæ quærebant eum, & venerunt vſque ad ipſum: & detinebant illum ne diſcederet ab eis.* Multa mouent Interpretes, vt explorent, quare poſt tantam miraculorum gloriam, ſic obnixè admiratur Chriſtus diſcedere à turbis, tanto plauſu & ſtupore eius prodigia admirantibus? Quid ſe ſubtrahit prælustrium operum gloriæ, quorum admiratione fides in ipſum mirè propagabatur? Tot miraculis copioſam fidei ſementem facit, & meſſem ſeceſſu negligit? Luculenter Chryſoſt. *Egreſſus ibat in deſertum locum, &c. Poſtquam ſatis vtilitatis populis per miracula eſt collocatum, oportebat eum abeſſe. Maiora namque putantur miracula poſt abſentiam operantis, dum ipſa magis exclamant, & vice vocis fruuntur. Vndè dicitur: Factâ autem die egreſſus ibat in deſertum locum.* Vel Chriſti Dei præſentia, quæ abſconſæ diuinitatis ſpirabat notas, miraculorum æſtimationi ac gloriæ detrahit? De abſentiâ ſatagit tot prodigiorum famam vberiùs commendare? (Adſimilis locus nuper expenſus adſimilem expenſio-

Lucæ 4. v. 42.

*Maiora putãtur miracula poſt abſentiã operantis.*

S. Chryſoſt. apud Caten. ibi.

*Continuus cõſuetudo homines contemptibiles facere conſueuit.*

nem iterare vetat.) *Maieſtati enim maior è longinquo reuerentia.* Rationem reddit idem Chryſ. homil. 34. in Ioannem: *Conſuetudo enim*, inquit, *contemptum facere conſueuit.* Quam Chyſoſtomi ſententiam viuaciùs S. Thomas expreſſit: *Conſuetudo enim facilè homines contemptibiles facere conſueuit.* Hinc Perſarum reges ſic ſollicitè arcent populorum viſum, & conſuetudinem. Nam continuus aſpectus minùs verendos magnos viros ipsâ ſatietate facit.

S. Chryſoſt. S. Thom. in Catenâ in cap. 4 Ioan. Hic verſ. 9. & 10.

Canticorum 4. hæc pulchra pulchri Sponſi vox auditur: *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecùs latet.* Genebrardus, Pagninus, Clarius, *Oculi tui columbarum intra cincinnos tuos.* Marinus, *intra crinem tuum.* Rabbi Iona, & alij, *intra velum tuum.* Verùm Hebræum צמת *tſammat*, vt eruditè inibi notat Cornelius, *non tam velum, quàm velatum, id eſt, rem ob pulchritudinem aut reuerentiam velo dignam, obtectámque ſignificat* ..... Et probat ex Septuaginta, Syro, & Arabico, qui *tſammat* vertunt, *Taciturnitatẽ*, ſiue *Silentium*, id eſt, *rem latentem, & præ ſui decore & maieſtate* ſilendam & tacendam. Ecce maieſtatis decus occultatione exaggeratur; ne de oculorum ſatietate nauſeam; ſed de abſconſione, & maieſtatis reuerentiam, & videndi appetentiam generet. Pergit ſcitè, & eloquenter nuper laudatus Cornelius præfatum locum exponens: Igitur τὸ *abſque eo quod intrinſecùs latet*, idem eſt ac ſi dicat abſque internâ decoris gratiâ, quæ in oculis abſcondita latet. Quaſi dicat: Oculi tui, ô ſponſa, non tantùm ſimiles ſunt oculis columbinis, eo quòd venuſti ſint, lucidi, ſimplices, amabiles; ſed inſuper eximiam in ſe latentem gratiam & pulchritudinem continent, quæ per pupillam & angulos, velut per velum tenuiter & obſcurè pellucet & emicat, ideóque oculos intuentium non implet, ſed ad penitiùs id, quod latet, inſpiciendum allicit & rapit: Sicut in pyropis & gemmis nonnullis, tenuis quædam nubecula decora & ſplendida in fundo latens, per extimam ſuperficiem pellucet, quæ oculos intuentium mirè oblectat, ac quia non ſatiat, ad vlteriùs intuendum inuitat, quia ſub eâ quid rarum & pretioſum celari videtur. Hactenùs ille. Quibus verbis thema præſens mirè elucidat, dum abſconſionis pretium, qui æſtimationis cenſus eſt, eruditè tradit, & argutè probat.

6. Cant. 4 v. 1. Genebrard. Pagninus. Clarius. Marinus. R. Iona. Cornel. ibi. LXX. Inter. Syrus. Arabicus.

*Cur abſconſio æſtimationis pretium exaggeret.*

Cornelius ibi.

## §. CXXXII.

### *Frequens aſpectus minùs verendos magnos viros ipſa ſatietate facit.*

AD auctoritatem maieſtatémque conciliandam faciunt & quædam à naturâ, vt ſiquis *corpore ingens, verbis magnificus* ſit. Aut ab arte vt receſſus & ſeiunctio: quia viles plerumque qui nimiùm ciuiles, & obuij. Porrò hominibus *Omne ignotum* ſemper *pro magnifico eſt.* Hinc regina Vaſthi magnitudinis & venuſtatis ſuæ benè conſcia, propiùs videri à *cunctis populis* recuſauit; recuſabant vulgò magni Principes, Reges, Imperatores maieſtatis ſtudio. Nam *continuus aſpectus minus verendos magnos homines ipsâ ſatietate facit.* Ceterùm quod videri communiter, quod facilè comprehendi, quod obuiè capi poteſt, minus eſt & oculis quibus occupatur, & manibus quibus attaminatur, & ſenſibus qui-

1. Tacit. 2. Ann.

Liuius l. 35. *Maieſtati maior ex longinquo reuerentia.*

bus inuenitur. Et effatum illud Cornelij Taciti verum eſt. *Maieſtati maior ex longinquo reuerẽtia.* Exindè Rex Aſſuerus hîc ingreſſum ad ſe tam ſeriò vetat. *Eſt proprium ſuperbiæ*, ait Seneca, *magno æſtimare introitum ac tactum ſui liminis, pro honore dare, vt oſtio ſuo propiùs aſſideas, vt gradum prior intra domum ponas, in quâ deinceps multa ſunt oſtia, quæ receptos quoque excludunt.*

Cornel. Tacit. 1. Annal.

Hîc verſ. 11.

2. Actorum 1. poſtquam Chriſtus Deus è virgine ſepulcri vtero rediuiuâ natiuitate glorioſus ſurrexit, & velut exertâ diuinitate aſpectabilis, Apoſtolis præbuit ſeipſum viuum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis, *per dies quadraginta apparẽs eis, loquẽs de regno Dei.* Premunt Interpretes illud, *per dies quadraginta*, nequis putet ſiniſtrâ exiſtimatione totos quadraginta dies Chriſtum cum Diſcipulis conuerſatum fuiſſe. Et OEcumenius hanc ad thema præſens opportunam cauſſam in horum verborum commentario dedit, ita fatus: *Per dies quadraginta*, inquit, *non dixit: In diebus quadraginta: neque enim continuè cum diſcipulis verſabatur, quemadmodum ante paſſionem, ſed differenti modo: ſimul quidem & deſiderabiliorem eis reddens ſuam apparitionem: ſimul quoque & ſublimiorem, magiſque diuinum ſeipſum oſtendens.* Quis dignè æſtimet reſurgentis Chriſti glorias triumphatore Deo dignas? Verùm ad ſumptuoſioris gloriæ, & auguſtioris maieſtatis auctariũ non *in diebus quadraginta* conuerſatus eſt cum Diſcipulis, ne continuus aſpectus minus venerandum ipſum ipsâ ſatietate faceret: ſed *per dies quadraginta*, modò ſe eis viſendum præbẽs, modò ſeipſum ſubducens ab eorum oculis, vt reſurgentis glorias de abſentiâ quoque æſtimarent, dum deſiderium æſtimationis adauget pretium; *ſimul quoque & ſublimiorem magiſque diuinum ſe ipſum oſtendens.* Quaſi non tam ſublimis diuinúſque appareret, ſi in illâ ipſa gloriæ formâ, quâ corpore prænitebat, *continuè cum Diſcipulis verſaretur.* Sic receſſus & ſeiunctio auctoritatem conciliat? Maieſtati maior ex longinquo reuerentia: & familiaris conuictus auctoritatem diluit. Ne ergo tibi, quod eſt rariſſimum, aut ſeneritas amorem, aut facilitas auctoritatem diminuat.

Actor. 1. v. 3.

Œcum. ibidem.

*Chriſti abſentia addit ad Reſurrectionis glorias!*

3. Matthæi 2. ſtellâ duce, quæ fulgorum linguâ infantis Dei natiuitatem loquebatur, veniunt ab oriente Magi: turbatur Herodes alieni regni conſcientia intutus, & cum Rege regnum de more turbatur. nam vertigine Principis titubat ſubiectus populus. Scribæ autem interrogati à Rege, vbi Chriſtus naſceretur, ex Michææ oraculo peritè reſpondent: *In Bethlehem Iudæ: ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſraël.* Quid profuit illis cælitùs de loco ſapere, ſi in loci Domino ſtultè deſipiunt? Bethlehem vrbecula fuit exigua: ſed de natiuitate Chriſti cenſenda, inter principes Iudææ vrbes meritò computatur: Sed nota huius hactenùs vrbeculæ elogium, quod Propheta prodit, & Euangeliſta ingeminat: *Ex te enim exiet dux*, inquit, *qui regat populum meum Iſraël.* Quæ verba ita ad rẽ elucidat Theophylactus: *Ex te enim egreſſurus eſt dux. Rectè egreſſurus eſt, inquit, non in te manebit. Non enim manſit Chriſtus in Bethlehem, ſed ex eâ poſtquam natus eſt exiit, & in Nazareth frequenter conuerſatus eſt.* Annon ex vrbe Nazareth, vbi Chriſtus frequẽter habitabat, abſurdæ illæ voces eruperunt: Nonne hic eſt fabri filius? & fratres eius apud nos ſunt? Vnde huic ſapientia, & virtutes? Nonne ipſe Chriſtus ad Nazarenos dixit: Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patriâ ſuâ? Ergò Euangeliſta ciuitatulæ Bethlehem occinens laudes, quæ ad Chriſtum ſplendores reuerberãt, & illius prædicant maieſtatem; *Rectè egreſſurus eſt, inquit, non in te manebit.* Nam eximiam habet laudem, ex eo quod diuinæ natiuitatis locus eſt; ibi enim natus eſt Chriſtus Deus. Et quia indè cõfeſtim egreſſus eſt, neque inibi mãſit à pueritiâ cum ciuibus frequenter verſans, caruit Nazarethæ vrbis vitio: neque in Bethlehem ſicut in Nazareth, diuinitas in Chriſto contempta fuit. Igitur vrbecula Bethlehem inter principes Iudææ vrbes numeretur: *ex te enim exiet dux. Rectè egreſſurus eſt, inquit, nõ in te manebit.*

Matth. 2. v. 5 & 6.

Mic 5. v. 2.

*Beatur Bethlehem, quia ex eâ exiet Chriſtus, non quia in eâ manebit.*

Theophyl. inibi.

Geneſ. 35. in patrium ſolum è Meſopotamiâ 4.
redit Iacobus, multâ familiâ, pariter ac ſollicitudine grauis; tunc apparuit illi Dominus, & amicè cum illo agens, Iacobi nomen in Iſraël cõmutat, & promiſſiones Abrahamo & Iſaaco dudùm factas recenter cõfirmat: Ego Deus omnipotens, inquit, creſce, & multiplicare: gentes & populi nationum ex te erunt, reges de lũbis tuis egredientur. Terrâque quam dedi Abrahã & Iſaac, dabo tibi, & ſemini tuo poſt te. *Et receſſit ab eo*: Hoc eſt Deus humanâ formâ apparens, à Iacobo, cum quo familiariter agebat, receſſit. Caietanus inibi: Iuxta Hebræum habetur: *Et aſcendit deſuper ipsũ Elohim.* Appoſitè Chaldaica paraphraſis: *Et aſcendit ab eo gloria Domini.* Deus cùm ab homine *recedit*, & deſinit cũ homine familiariùs conuerſari, tunc aſcendere, & auguſtiùs ſublimari dicitur; tunc, inquit, *aſcẽdit gloria Domini.* Nulla *Dominicæ gloriæ* mẽtio fit: quandò cum homine conuerſatur, ſed quandò ab homine recedit? Sic abſentia, & ab humanis oculis remota, homo magnificè æſtimat? Sic paruipendere ſolet eos, quibuſcum familiariter conuerſatur? Deus, Deíque *gloriâ* ſubli miùs aſcendit, cùm *recedit* ab homine?

Geneſ. 35. v. 13.

*Glorioſus tunc dicitur Deus cùm ab homine longiùs recedere dicitur.*

Caietan.

Chaldæus.

Geneſ. 1. die mundi quartâ, *Fecit Deus duo lu-* 5.
*minaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas. Et poſuit eas in firmamento cæli, vt lucerent ſuper terram.* Conuenit inter expoſitorum proceres, Lunam fulgores à Sole fœnerari, quæ à ſe obſcura & cæca eſt, & alieno ſolis lumine adornatur, inoculatur, illuſtratur. Valdè autem deſſidẽt an in plenilunio totâ lampade fulgens, an potiùs in nouilunio lucis dote viduata, Luna crearetur? Scilicet vtrum à Sole abſens, an Soli præſens primò apparuerit? Hac de re ita ad rẽ ſcribit Rupertus: *De Sole & Luna hodie inter doctos diuerſa ſententia eſt: aliis dicentibus, quòd Lunam creans Deus ſtatim plenam oſtenderit, Soli opponens remotam dimidia parte cæli: aliis econtrà aſſerentibus, quòd vtrumque vt ſimul fecit, ita & in coitu poſuerit, vt paullatim Luna de ſub latere Solis emergeret, cum cremento mutuati luminis.* Vide nunc Lunam plenè fulgentem toto lucis diſco, quandò *dimidiâ cæli parte* à Sole abſentatur. Cùm verò Soli proximiùs adhæreſcit, cæcè obſcura latet, & dum de ſub latere eius emergit, longiuſque ab eo recedit, noua in dies luminis incrementa de receſſu mutuare, & quæ de Solis abſentiâ micantiùs fulget, de proximiori præſentia ſenſim infuſcatur. Itaque variâ ignium face Luna ſplendet, & *quanto longiùs*

*abit*

Geneſ. 1. v. 16. & 17.

*Luna de ſolis abſceſſu fulget; de acceſſu obſcuratur, fulgoribus ſenſim viduata.*

Ruper. l. 2. in Geneſ. c. 20.

Apulei l. de Deo Socratis. abit à Sole, *tanto longiùs illuminatur, pari incremento itineris, & luminis.* Quaſi Sol (Perſicum auguſte Numen, & quod Perſarum reges ſuperbè æmulantur) receſſum à ſe, opulentiore lucis gratiâ muneret; acceſſum verò, ſplendorum decremento, & ignobili obſcuritate, & lucis morte puniat. Sic ad ſe proximantes ſidereus cæli rex inuidiosè faſtidit, arroganti auguſtioris maieſtatis faſtu. Siquidem *maieſtati maior ex longinquo*

Hic v. 11. *reuerentia*, vt ex Tacito nuper recitauimus. Hinc Eſther Perſidis Luna, ad ſuum Aſſuerum Perſicum Solem ſic timet accedere, ne vitalis lucis, & regni fulgorum vſurâ viduetur.

6. Exhodi 33. diu amica Dei familiaritas in piam audaciam erexit Moyſen, vt ipſi diceret: *Oſtende mihi gloriam tuam.* Cui reſpondit Deus: *Ego oſtendam omne bonum tibi .... Cúmque* tranſibit gloria mea, ponam te in foramine pe-

Exhod. 33. v. 23. træ, & protegam dexterâ meâ, donec tranſeam: tollámque manum meam, *& videbis poſteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.* Locus, & à ſe, & ab Interpretum commentariis valdè implexus, & intellectu multifariam arduus. Et ſanè Moyſes Dei gloriam ſibi oſtendi expetiuit; & dum eius *poſteriora* illi monſtrantur, *omne bonum* illi oſtenſum perhibetur. Sed quid eſt hoc *omne bonum*, quod Deus oſtendere Moyſi pollicetur? Dein, cui eſt *omne bonum*? Deo oſtendenti? an *poſteriora* duntaxat videnti? Xantes Pagninus ſic ex Hebræo locum exscribit: *Ego tranſire faciam omne bonum meum ſupra faciem tuam*, &c. Ad quæ verba ita ſcribit Oleaſter, *Expende Dei liberalitatem, qui plus dat, quàm petamus nos. Petierat Moſes eius videre gloriam, ipſe verò pollicetur omne bonum ſuum illi oſtenſurum.* Nimirùm Moyſi poſtulanti propiùs videre gloriam Dei, cùm Deus negat faciei viſionem, annuit vt videat eius *poſteriora*; & tunc, tunc quidem Deus dicit, ſe oſtendiſſe *omne bonum ſuum*, mortem comminatus ei, qui faciem ſuam viderit in hâc vitâ mortali, (quâ hîc mulctabatur pœnâ, qui Aſſuero videndo iniuſſus accederet.) Scilicet *omne bonum* Dei, extrario humanæ opinionis cenſu, quo auguſtior gloria ex hâc arcane inuiſa maieſtate cenſetur, quodammodo reputat, non videri facie ad faciem, ſed aut procul, aut a tergo, & ſic etiam in tranſitu humanis aſpectibus permitti. *Ego tranſire faciam omne bonum meum: & videbis poſteriora mea; faciem autem meam videre non poteris.* Porrò hominibus omne ignotum, ſemper pro magnifico eſt: Maieſtati enim maior ex longinquo reuerentia, quæ eſt apud homines ſumma auguſtioris gloriæ meta.

*Cur Deus non faciem, ſed duntaxat poſteriora ſua, mortalium aſpectibus permittat.*

Pagnin. ibi. Oleaſt. ind.

7. Exhodi 32. Videns Hebræus populus quòd

Exhod. 32. v. 1. moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus aduersùs Aaron, dixit: *Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant: Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terrâ Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Profectò hæc populi poſtulatio non ſatis ſibi cohærere videtur. Nam eſto, Moyſes tandiu fuerit abſens, hominem qui vicarias eius vices præeundo obiret, petere debuiſſent; non Deos qui præcederent itineris duces. Annô Moyſis abſentia, non per alium hominem, ſed per Deum ſuppleri neceſſe eſt? Huic dubio tem-

*Non putant Hebræi, Moyſi abſentiam niſi per Deos poſſe ſuppleri.*

Abul. ibi. q. 9. peſtiuè reſpondet Abulenſis: *Moyſi enim huic viro ignoramus quid acciderit. Hîc ponitur motiuum, quod ipſi expreſſerunt Aaron, vt conſentiret eorum petitioni, ſcilicet quòd Moyſes, qui eos dirigere ſolebat, abſens erat, nec de ipſo quicquam ſcie-bant, ideò neceſſarium videbatur, vt eis fieret aliquis Deus director in viâ.* Nimirùm dum Moyſes præſens illis aderat crebris aſpectibus frequens, tanquam homo ſanctitate, prudentiâ, & peritiâ inclytus habebatur. At vbi longiori abſentatur morâ, tam ſublimem de illo opinionem combiberunt, vt eius abſentiam, non per alium quemquam (tametſi naturæ & gratiæ dotibus præluſtrem) ſuppleri poſſe cenſuerint. Vndè abſenti Moyſi, non hominem, ſed Deos ſubrogant, dicentes: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant. Scilicet quòd Moyſes, qui eos dirigere ſolebat, abſens erat.* quaſi auguſtioris præſtantiæ cenſus de abſentiâ ſit, quæ æſtimationis pretia miro incremento auget prædiuite honorum auctario.

---

## §. CXXXIII.

### *Propè omnes actiones humanas metitur ſua cuiuſque vtilitas?*

QVis hoſtis in quemquam tam contumelioſus fuit, quàm in quoſdam inſanus propriæ 1. vtilitatis amor? quorum impotentiæ, & auaræ libidini ob hoc vnum poſſis ignoſcere, quòd quæ fecere patiuntur. Nec immeritò hic illos furor vexat. Neceſſe eſt enim in immenſum exeat cupiditas, quæ naturalem modum tranſiliit. Ille enim habet ſuum finem: inania, & ex libidine orta ſine termino ſunt. *Neceſſaria metitur vtili-* Senec. ep. 39. *tas, ſuperuacua quò redigis?* Commoditatibus ſuis ſe homines immergunt, quibus in conſuetudinem adductis carere vix poſſunt: & ob hoc miſerrimi ſunt, quod eò peruenerunt, vt illis quæ ſuperuacua fuerant, facta ſint neceſſaria. Seruiunt itaque vtilitatibus ſuis, non fruuntur: & hanc ſeruitutem aut auarè, aut ambitiosè opprimentem (quod malorum vltimum eſt) amát. Ad reliqua deſides torpent, ad ſuam vtilitatem vigiles, actuoſi, induſtrij, exſomnes: ac ſi hominum actiones metiatur vtilitas: quâ deficiente languet humanitas tota. Sic propè rebus omnibus (num etiam piis?) propriæ vtilitatis amor velut inolitus hæret! Adeò vt Mardochæus vix Eſtheris animum flexerit, vt proprio periculo, populi Hebræi periculum auerteret, quouſque ſuam ipſius vtilitatem conſultiùs ſuggeſſit: *Mardochæus rurſum mandauit Eſther, dicens:* Hic v. 13. & 14. *Ne putes quòd animam tuam tantùm liberes, quia in domo Regis es præ cunctis Iudæis: ſi enim nunc ſilueris, per aliam occaſionem liberabuntur Iudæi: & tu, & domus patris tui peribitis.* Sic propria vtilitas bonis atque imbonis expetibilis eſt!

*Propè omnes actiones humanas metitur ſua cuiuſque vtilitas?*

2. Geneſeos 3. ita ſcribitur: *Et ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Domi-* Gen. 3. v. 1. *nus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit,* Lipom. ibi. &c. Et poſtmodum: *Nequaquam moriemini.* Pro τὸ *callidior*, alia exemplaria habent *prudentior.* Et quæ eſt hæc callidior ſerpentis prudentia, vt falſatis ſpebus hominum mortalitatem inducat? Cur Diabolorum verſutiſſimus, in re tantâ præ cunctis terræ animantibus, in quibus ſagaciſſima ingenia miramur, callidam ſerpentis prudentiam elegit? Num mauult miniſterialem ſerpentis induſtriam, quia mors hominis ſerpenti vtilis eſt; & indè ſagaciùs procuranda? Hâc de re audiendus eſt Rupertus præfata verba exponẽs: Ruper lib. 3. *Dicit*, inquit, *Pythagoras de medullâ hominis* in Gen. c. 12. *mortui, quæ in ſpinâ eſt, ſerpentem creari. Quod ſi creditur, meritò euenit, vt ſicut per ſerpentem mors hominis, ita & hominis morte ſerpens naſcatur.*

*Serpens mortẽ hominis procurat, quia de hominis morte ſerpens naſcitur.*

Ecce tibi, cum Dæmonum aſtutiſſimus, non quoduis aliud ex reliquis animantibus ad inducendam hominibus mortalitatem elegit; ſed maluit ſerpentem, è cuius re erat, mortem hominibus inferre, vt de eorum morte ſerpentum genus fœcundiùs propagaret. Exindè forſan non interrogatur de ſuaſionis pernicioſæ malitioſo ſibilo, quia ſuæ vtilitatis negotium agebat, quod cuique ſolertius peragere, & nimis expoſitum, & procliue eſt. *Sicut per ſerpentem mors hominis, ita & hominis morte ſerpens naſcitur.*

3\. Matt. 2. Cùm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare

*Matth. 2. v. 3* eum. *Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Ieroſyma cum illo*, &c. Non mirarer, quòd alienigena Herodes audito Iudæi regis nomine turbaretur: quòd verò Iudæi turbentur

*Magus cõtra ſe credit, & Iudæus pro ſe non putat eſſe credendum.* mirîſſimum ſanè eſt. An non ipſi expectatiſſimum ſuum Meſſiam lætanter excipere debuiſſent, quem Magi auitâ religione abiuratâ, adorare è longinquo venerant? Hinc vel maximè Iudæorum obſtinatiſſimam peruicaciam arguit Ambr. ad hanc theſim opportunus: *Vtique,*

*S Ambr. lib. 2. in Lucam.* inquit, *Magi non adoraſſent, ſi paruulum tantummodò credidiſſent. Magus ergò intelligit ſuas ceſſare artes, tu non intelligis tua dona veniſſe? Ille fatetur alienum, tu non agnoſcis promiſſum? Ille contra ſe credit, tu pro te non putas eſſe credendum?* Meritò Magorum fides tanquam credendi idea cunctis proponitur; quæ ſpeculatiuam Iudæorum, & forſan practicam Chriſtianorum infidelitatem tacitè culpat. *Magus contra ſe credit: tu pro te non putas eſſe credendum?* Chriſtianæ fidei myſteria ſunt in primis creditu ardua; ſed vtilitas ea credendi lenocinatur aſſenſui: ergò vtilitas difficultatem redimat. Aduentu expectatiſſimi Chriſti vota imples, eius inopiâ locupletaris, vtilitate fulges, laboribus recrearis, bearis paſſionibus morte viuis, cruce triumphas. Quod diſſuadet difficultas, tuum tibi commodum perſuadeat. Magus contra ſe credit, quia confeſtim auitæ ſapientiæ vale dicit, exilio & longinquæ peregrinationi ſe deſtinat, regiis ſe deliciis vltrò mulctat, ſceptra ſubmittit inglorio tunc infantulo, in præſepio inter pecudes ſtabulanti, theſauris defraudatur deuotione vectigali *Magus contra ſe credit, tu pro te non putas eſſe credendum?* Impetret ſaltem vtilitas, quod deuotio non extorquet. Et Iudæum perfidæ obſtinationis pudeat, qui hominem deſueſcens, vt Chriſto non credat, malè prodigus ſuæ vtilitati renunciat.

4\. Doctor Gentium de cæli ſcholâ eruditus, ad

*Ad Hebr. 11. v. 1.* Hebræos 11. ſic fidem deſcribit: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Quæ eſt hæc affinitas fidei cum ſpe, vt per ſpem definiatur fides? Et quidem ſpes in beneficam Dei omnipotentiam voluntate erigitur, Deo digna munera pia præſumptione delibans: fides verò in diuinam veracitatem cæ-

*Fides ſpei pugnat, ſed ſibi vincit, ne omnem vtilitatẽ ſpei cedat.* cè oculata mente fertur. Spes de percipiendo præmio ſollicita eſt; fides myſteriis intenta, de præmio nil curat. Imò forſan in ipſo remunerationis velut neglectu, remunerationi minimè renunciauit, & de vtilitate præmij capeſſendâ ſororem ſpem tectiùs æmulatur. Quod perſpicuè vidit Zeno Veronenſis elucidans præſcripta Paulli verba, ad aliud thema aliorſum expenſa. Adeò, inquit, tolle ſpem, torpet humanitas tota. Tolle ſpem, artes, virtutéſque vniuerſæ ceſſabunt. Tolle ſpem, interempta ſunt omnia ..... Quid Chriſtianus credit in Chriſtum, ſi pro- *S Zeno ſer. de ſpe, fide, & charit.*
miſſum ſibi ab eo perpetuæ felicitatis tempus non credit eſſe venturum? Sed ſpes in fide eſt quæ quamuis in futuro ſit poſita, fidei tamen eſt iure ſubiecta: vbi enim fides non eſt, nec ſpes eſt. (Attentiùs penſita quæ ſubſcribit verba) *Fides enim ſpei ſubſtantia eſt: & ſpes fidei gloria: quoniam præmium quod ſpes habet, fides meretur: quæ quidèm pro ſpe pugnat, ſed ſibi vincit.* Scilicet nemo put et, quòd fides totum præmij negotium ſpei relinquat, & illius merito contenta, in propriis laboribus, & periculoſioribus pugnis ſuam vtilitatem prorsùs negligat cæca inertes credendi deſidiâ: nam *fides quidèm pro ſpe pugnat, ſed ſibi vincit.* Nempe fides ſpei militat, & ſub eius ſignis merens, pro ipſa vſque ad mortem pugnat; ſed victoriæ gloriam nulli cedit, ſibi trophæa erigit, ſibi parat triumphum, & triumphalem pompam ſibi duntaxat extruit Reliquas largiùs vtilitates, id eſt, præmiorum negotium pertractandum, ſpei cedit, dum glorioſum vincendi commodum ſibi adſcribat; ne non ſpectans ſuam vtilitatem, ſed eam omnem ſpei ceſſiſſe videatur. *Fides ſpei pugnat, ſed ſibi vincit.* Pulchrè quidem Zeno!

Exhod. 4. adhuc Moſes conſtanter recuſat legationem in Ægyptum nimis arduam. Allegat 5.
ſuam imperitiam, de paſcendorum gregum peritiâ, ad obeundum principale munus inidoneam: allegat Hebræorum peruicaciam de duræ oppreſſionis puſillanimitate auctam: allegat Pharaonis obſtinationem potentiâ armatam, nullis vnquam minis aut plagis flecti-neſciam. Reſpondẽs Moyſes, ait: Non credẽt mihi, neque audient vocem meam, ſed dicent: *Non apparuit* *Exhod. 4. v. 1. & 2.*
*tibi Dominus. Dixit ergò ad eum.* Quis ad quem? Dominus inquam, ad Moyſen mor. sè cunctantẽ. Sed videamus quo argumento, aut ope Deus Moyſen roboret, vt arduas huius legationis difficultates exarmet. Scitè Caietanus: *Dixit ergò* *Caiet. ibi.*
*(Dominus) ad eum. Eſtque nomen Domini tetragrammaton, hoc eſt, Iehouah in Hebræo, quo frequẽter vtitur in hâc materiâ legationis: tum vt nouiter manifeſtatum nomen magnificetur, tum vt ab ipſo omnia pendere ſciamus.* Geminum obedientiæ in- *Notitia dependentiæ eſt obſequij expromptioris lenocinium.*
centiuum proponitur, vt inobſequentis Prophetę animus ad obedientiam flectatur. Alterum eſt nomen nouum Superioris. Sic nauſeamus ad antiquum, & diu imperitantem Præſulem, vt vel nomen nouum ſit illicium obſequij? Alterum eſt, quòd ſciat ſubditus, ſe & ſua à ſuperiore pendere. Profectò ei, à quo proſpera ſperamus, aut dura timemus, à quo nos prorsùs pendere noſcimus, facilè arbitrium flectimus. Notitia *Deus concuſſurus Ægyptum, ſilet omnipotentiæ nomen, &c. A quo omnia pendent, nominatur.*
dependentiæ eſt lenocinium obedientiæ. Et nota opportuniùs ad rem, quòd quando Deus ſumptuoſiùs oſtentat ſe obſtinationem Paraonis euicturum, puſillanimem Hebræorum peruicaciam edomiturum: quando concutienda erant elementa, atque cæli & terræ miniſteriali ſeruitio vtendnm, ad tot Ægypto plagas ſeueriùs euibrandas; non aſſumit, vt hactenùs nomen, quod aut diuinam fortitudinem, aut omnipotentiam ſignificet, ſed vtitur nomine *Iehouah, vt ab ipſo omnia pendere diſcamus.* An ſic ſollerter creaturæ omnes ſuis vtilitatibus ſtudent, vt cùm Deus earum miniſteriali ſeruitio etiam violentè vti vult, non præferat omnipotentiæ nomen, cui omnia deſpoticè ſubduntur; ſed nomen

Iehouah,

Iehouah, quo vi ſuæ ſignificantiæ denotatur, quòd omnia à ſe dependent, quòd creaturæ omnes ſuam vtilitatem à Deo metiuntur, atque à Deo debeant & bona ſperare, & mala timere? Sic vtilitatibus ſuis creaturæ omnes ſollicitè ſtudent?

6. Matth. 1. v. 6.

Matthæi 1. in genealogiæ Salutatoris ſecundâ teſſeradecade Dauid rex micantiùs effulget, regni purpurâ, & ſceptro inclytus. Sed Berſabeæ ibi ingeritur mentio, puto, fœminæ non opinatiſſimæ: *Dauid autem rex genuit Salomonem ex eâ quæ fuit Vriæ.* An non præſtaret, vt Euangeliſta ſileret de Salomonis matre, ne infame adulterij elogium recrudeſceret? An non ſatis erat Thamaris impudicæ Chananææ, & Rahab meritoriæ Hiericuntinæ, & Ruthæ propudioſæ Moabitidis meminiſſe? Quid peccata progenitorũ Euangeliſta refricat, cùm Chriſti Dei genealogiam texit? An indè Saluatoris probrum? an ſaluationis elucet encomium? Tempeſtiuè Hieronymus & rem tetigit, & thema præſens tempeſtiuus elucidat: *Notandum*, inquit, *in genealogiâ Saluatoris nullam ſanctarum aſſumi mulierum, ſed eas, quas Scriptura reprehendit; vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens, omnium peccata deleret. Vnde Ruth Moabitis ponitur, & Bethſabee vxor Vriæ.* Ecce diuinæ miſericordiæ ingeniũ ad vberiorem pietatem. Nempe Chriſtus Deus peccatorum omnium Redemptor venerat: ergò ideò progenitores eligit peccatorum ſqualore ſordidos, vt ad nitoris gratiam ſordes totius mundi mundiùs eluere videatur. Propagari vult ſecundum carnem ex peccatoribus, vt qui ad delenda peccata venerat, *de peccatoribus naſcens*, dum ſimul cum reliquis hominibus progenitorum etiam peccata eluit, negotium redemptionis peccatorum, quaſi rem propriam, & ſibi de propriæ vtilitatis blandimento expetendã, egiſſe videatur. O quàm ſollerter homo incumbit in rem, quæ ſua valdè intereſt! Homines ferè aliena negligimus, extranea oſcitanter gerimus: propria verò negotia, ex quibus commodum aliquod non leue captamus, exſomni curâ ſollicitamus, & ad felicem exitum perducere ſollerter ambimus. Hoc forſan fuit Chriſti Dei arbitrium, ad publicandum quàm impensè redemptionis negotium adminiſtrarit, & ſuam in hominibus redimědis ſedulitatem mõſtraret: nempe ex criminoſis progenitoribus naſci voluit, & in Euangelij capite publicari, vt tãquam rem ſuam, & quæ ſua valdè refert, illorum cum genere humano redimendorum redemptionis negotium peregiſſe videatur. An hic nouus titulus, apud homines actuoſiſſimus, Ieſuanæ pietati deeſſe videbatur, vt redemptionis negotium ſollertiùs procuraret? *Vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens, omnium peccata deleret.*

*Quare Chriſtus Deus de peccatoribus naſci voluerit.*

S. Hierony. ibidem.

7. Lucæ 11. v. 16.

Lucæ 11. erat Ieſus eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum, Et cùm eieciſſet Dæmoniũ, locutus eſt mutus, & admiratæ sũt turbæ. Quidam autem ex eis dixerũt: In Beelzebub principe Dæmoniorum eiicit Dęmonia. *Alij tentantes ſignum de cælo quærebant ab eo.* Hebræa gens adhuc pertinaciter incredulâ, ſigna poſtulat, quaſi quæ viderat, ſigna non forent. Nimirùm neſcio quid auguſtè ſublimius iis prodigiis, quæ in cęlo apparent, & è cælo natales ducunt, ineſſe putatur. Itaque vel in morem Eliæ ignẽ de cælo venire cupiebant, vel in ſimilitudinem Samuëlis tempore æſtiuo, contra naturam loci mugire tonitrua, coruſcare fulgura, imbres ruere. quaſi non poſſent & illa calumniari, & dicere ex occultis & variis aëris paſſionibus accidiſſe. (Pergit Hieronymus) *Nam qui calumniaris ea quæ oculis vides, manu tenes, vtilitate ſentis; quid facturus eſſes in his, quæ de cælo veniunt?* Appoſita quidèm Hieronymi argumentatio, & de humano ingenio validiſſima. Porrò tametſi auguſtiora ſint ea prodigia, quæ in cælo apparent, & de cælo veniunt; & ignobiliora, quæ in terrâ, & de terrâ fiunt: quia tamen quæ in terrâ fiũt miracula, *vtilitate ſentimus*, humanam magis æſtimationem permouere ſolitant, quaſi humana vtilitas ſit humanæ æſtimationis cenſus. Sic ſuum cuiuſque commodum, mentes hominum ad pretij æſtimationem ſubornat? Quæ vtilitatem præferunt, licèt è terrâ ſint, cæleſtibus anteponere conſueuimus, & de noſtro commodo bonitatem taxamus. Vndè qui terrenis non credunt ſignis, nec cæleſtibus credent.

*Humana vtilitas, humanæ æſtimationis cenſus eſt.*

S. Hieron. in Matt. 12.

Matthæi 25. Cùm venerit Filius hominis in maieſtate ſuâ, congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis. *Et ſtatuet oues quidem à dextris, hœdos autem à ſiniſtris.* Quid tam generosè aſpectabile in *ouibus* eminet, vt earum nomine prædeſtinati deſignentur? & quid tam ignobiliter ſordidum ſqualet in hœdis, vt per illos reprobi æternùm infelices denotentur? Vtriuſque pecudis cenſum ad rem præſentem opportunè his verbis inibi tradit Chryſoſtomus: *Et ſtatuet oues quidèm à dexteris, hœdos autem à ſiniſtris. Hos vocat hœdos, illos autem oues, vt horum infructuoſitatem oſtendat, (nullus enim fit ab hœdis fructus) illorum autem vtilitatem: multus autem eſt ouium fructus, & à lanâ & à lacte, & à fœtibus qui pariuntur.* Pulchrè ergò apud homines in hoc loco per *oues* deſignantur prædeſtinati, & per *hœdos* reprobi denotantur, ad prædeſtinatorũ humanam æſtimationem, & abiectiſſimum reproborum cenſum. Porrò nihil vulgò homines tanti æſtimãt, quàm quod illis valdè vtile eſt, & imprimis proficium: nihil etiam ſic viliſſimè depretiant, quàm quod illis inutile eſt, & ſordidè infructuoſum. Quocircà vt pluris æſtimentur prædeſtinati, humano idiomate appellantur *oues: multus eſt* enim *ouiũ fructus*: & reprobi comparantur *hœdis*: *nullus enim fit ab hœdis fructus.* Hinc cuique metiri licet, quanta ſit apud homines vtilitatis propriæ æſtimatio, & ſibi inutilium ſordidus contemptus; cùm prædeſtinati & reprobi, *ouium* fructuoſarum, aut *hœdorum* inutilium elogio denotentur. Luculenter quidèm Chryſoſtomus!

8. Matth. 25. v. 33.

*Reprobi inutilium hœdorum nomine deſignantur.*

S. Chryſoſtom. homil. 80. in Matt.

Lucæ 23. Chriſtum Deum in cruce patibulatum latronum alter impiè blaſphemus petulanter ſubſãnat, quem alter de blaſphemiâ acerbiùs increpat. Et dicebat ad Ieſum: Domine, meměto mei cum veneris in regnum tuum. *Et dixit illi Ieſus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo.* Quem Petrus Apoſtolorum apex abnegat, latro confitetur; Petrus in palatio fuit latro, & latro in cruce Petrus. Et dum Hebręa gens dudum electus populus reiicitur, latro inſuſpicabili beneficentiâ adlegitur. Pulchrè ad rem S. Ambroſius hoc ipſum expendens, ita ſcribit: *Hodie mecum eris in paradiſo. Ideò ad iſtorum omnium* (Iudæorum inquam) *condemnationem latro crucifixus abſoluitur; quia ille Chriſtum in ſuppliciis agnouit, quem iſti in beneficiis non agnouerunt.* Profectò vſque adeò eſt homi-

9. Lucæ 23. v. 43.

*Iudæus populus reprobatur, quia Chriſtum in beneficiis non agnouit.*

S. Ambr. in Pſal. 39.

hominibus volupe, de propriâ vtilitate benefactoris metiri præſtantiam, & de proprio commodo illum metiri; vt indè Iudaici populi agreſtis ac ruſticana barbaries æſtimetur, abiiciatur, reprobetur, quia humanæ mentis inops, & vltra feras agreſtiores barbara, *Chriſtum in beneficiis non agnouit*. Proponatur inopinatâ gloriâ laureatus furax iniuſtè latro, quoniam Chriſtum in tormentis adorat, quò turpior barbaricè appareat inhumana ingratè Iudæorum fatuitas, quæ ſuæ vtilitatis oblita, & quæ cum proprio commodo humanitatem deſueſcens, *Chriſtum in beneficiis non agnouit*, quem latro vel in tormentis adorauit.

---

## §. CXXXIV.

*Ieiunium Sacramentorum gratiam æmulatur; nominatúrque Sacramentum redemptionis, fomitis interſtinctio, & contra vitia virtutum Præſes.*

1. S Chryſol. ſer. 8. — *Ieiunium eſt virtutum gymnaſium, in quo ad meritum erudiuntur.*

EST quidèm ieiunium (ait eloquenter Chryſologus) vitiorum mors, vita virtutum, pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitæ, caſtitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas ſanctitatis, *Eccleſiaſticæ via viaticum ſalutare, robur mentium, vigor animarum. Eſt ieiunium ſchola meritorum.* quaſi ieiunium ſit Chriſtianæ vitæ gymnaſium, in quo vnaquæque virtus ad meriti ſaporem eruditur. Ineffabile ſanè eſt, quantum virtutes omnes diſcant in ieiunij ſcholâ, quantumque illius magiſterio, ac eruditione proficiant: *Eſt ieiunium ſchola meritorum, magiſterij magiſterium, diſciplinarum diſciplina.* Hoc magiſterium ieiunio tribuit Seleucienſis Baſilius, ita fatus; *Vtantur fame religionis magiſtrâ.* O benè! Diſcamus ergò & nos ex hoc ieiunij gymnaſio, quid, ac quale ſit ieiunium, cui tantum tribuit Eſther, vt ſui populi, certò periclitantis, redimendi ſpē, ſuper ieiunij diſciplinâ fundarit: ieiunij enim arcano priuilegio, & inolita ſui populi delicta expungere & pulchrum gratiæ nitorem denuò reſculpere piè præſumit, eliquato antiqui reatus cenſu, cui populus obæratus, tot ſtrages ferali edicto cruentas, reddituum nomine pendebat. Tantum ieiunio licet, vt peccata expungat, & amiſſam gratiam precariè recentet? O arcanum ieiunij myſterium! Hoc Eſther nunc ſollemniùs indicit.

(Baſil. Seleu. orat 11.) (Hic verſ. 16.)

2. Matth 4. v. 2.

Matthæi 4. Ieſus ductus eſt in deſertū à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo. *Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit.* Ne nos prætereat quanta nobis ſpiritualis vitæ documenta ſuccreſcunt, quamque magnificis ad propoſitum ſanctitatis prouocemur exemplis, quòd quadragenis referuntur diebus Beatus Moyſes, & Dei Filius ieiunaſſe. Aſt quantùm diſtat ſeruus à Domino, tantùm neceſſe eſt eorum diſtare ieiuniū. Pergit S. Maximus: *Ieiunat Moyſes vt præſentis vitæ mandata ſuſcipiat: ieiunat & Chriſtus vt æternæ ſalutis Sacramenta cōſtituat.* Itaque præuio ieiunio Moyſes diſponitur, vt Dei mandata competenter excipiat, & aliis cuſtodienda tradat, quò in ieiunij ſcholâ obſequium erudiatur. Sic ieiunium obedientiam inſtruit! Verùm ieiunat Chriſtus vt æternæ ſalutis *Sacramenta conſtituat.* Quorsùm Chriſtus ieiunium præmittit, vt nouæ legis inſtituat *Sacramenta*? An non ipſe verè homo Deus diuinâ quâ pollebat auctoritate, *Sacramēta* quæ eius ſanguine madent, quæ vbere gratiâ copioſè exundant, inſtituere eualuit, quin præambulū ieiunium præmiſiſſet? Ita quidèm. At de officioſitate gratiæ venit, vt præuio ieiunio *Sacramenta*, quæ gratiam eructant, & gratiis exundant, inſtituantur, vt ſic ieiunium honoraret. Porrò cùm *ieiunium ſit ſchola meritorum*, valdè decebat, vt præmitteretur ad nouæ legis *Sacramenta*, quæ virtutes copioſè parturiunt, gratiam vberatim fructificant, vitæ æternæ merita potenter excudunt.

(S Maxim. homil. 1. de Ieiun. Quadrag. — *Cur ieiunat Chriſtus, vt nouæ legis Sacramenta conſtituat?*)

3. Matth 6. v. 17.

Matthæi 6. ieiunij Euangelici formā his verbis Chriſtus præſcribit: Cùm ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes. *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciē tuā laua.* Profectò nemo rectè præceperit, quāuis faciem quotidianâ conſuetudine lauemus, vnctis quoque capitibus cùm ieiunamus nos eſſe debere, quod inſolens videretur. Imò ſi idcircò iubet nos non fieri triſtes, ne per triſtitiam appareamus hominibus ieiunare: ſi vnctio capitis, & lota mundiſſimè facies à ieiunantibus ſemper obſeruentur, nihilominùs erunt ſigna ieiunij. Aliquid ergò arcanè abſtruſū in hâc capitis vnctione, & faciei munditie præmonſtratur, eò ſublimiùs, quò latentiùs. S. Zeno Veronenſis quo pollebat ingenij acumine, vt hanc difficultatem peritè declinet, ſic ad rem opportunè fatur: *Habet ſanè etiam Sacramenti plurimum modus ipſe, quo ad ieiunandum inſtituimur & formamur: Tu enim, inquit, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & laua faciem tuam.* Nimirùm aquæ miniſterium ad lauacrum, & olei vſus ad vnctionem, Sacramentalem ritum ſubolent: nam lauacro, & vnctione aliqua nouæ legis Sacramenta conſtant. Profundè ergò ſignificatur eminentia gratiæ, quæ ieiunio confertur, quámque ſit Sacramentalis gratiæ ſublimiter æmula; quandoquidèm *habet Sacramenti plurimum modus ipſe, quo ad ieiunandum inſtituimur: Faciem tuam laua, Vnge caput tuum.* Grande quidem ieiunij elogium!

(*Ieiunij modus, lauacri, & vnctionis Sacramenta æmulatur.*) (S Zeno ſer. de Ieiunio.)

4. Pſal. 22. v. 5.

Regius Vates Pſal 22. ſic modulatè pangit: Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit. Super aquā refectionis educauit me, & animā meam conuertit. *Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos, qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus eſt.* Euchariſtica hîc menſa indubiè proponitur, in quâ fideles eſculentis ac poculentis cæli deliciis saginantur ad æternam beatæ gloriæ ſaturitatem. Sed iuuat inquirere an gratis, & abſque vllâ pretij cōmutatione; an potiùs aliquo pretij oblato commercio, Euchariſticæ ſaginæ ſaturitas offeratur? Perbellè Ambroſius lib. de Eliâ & ieiunio, cap. 10. hac ſuper re ita ſcribit: *Myſtica quoque menſa ieiunio comparatur. Illa menſa, de quâ dicit Dauid: Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos qui tribulant me. Menſa iſta famis acquiritur pretio: & poculum illud inebrians ſobrietate, cæleſtium Sacramentorum ſiti quæritur. Dixit enim Dominus: Qui ſititis, ite ad aquam: & quicumque non habetis argentum, ite & comedite, & bibite, & manducate.* (Attende ad Ambroſianæ ſententiæ clauſulam) *Ergò ad menſam illam*

(*Euchariſtica menſa ſaturitas ieiunij acquiritur pretio.*) (S. Ambroſ.) (Iſaiæ 55. v. 1.)

*lam venerabilem, ieiunia ſancta nos perducunt, hâc fame illa quæ ſunt æterna mercamur.* Ecce tibi Sacramentalis Euchariſtiæ menſa *ieiunio comparatur, famis acquiritur pretio, ad menſam illam venerabilem ieiunia ſancta nos perducunt: poculum illud inebrians ſobrietate, cæleſtium Sacramentorum ſiti quæritur* O bona ieiunij fames ac ſitis, quæ ad delicioſam Euchariſtiæ saginam perducit! Euchariſtia famis acquiritur pretio, & Sacramentorum ſiti quæritur, & comparatur. Vndè in *virgine adhuc ſaliuâ* ad Sacramentalem Euchariſtiæ menſam accedere iubemur: nam in *ſaliua virgine* ieiunium exprimitur, & pulchra ieiunij fames ac ſitis denotatur. Qui in ieiunio eſuriem ac ſitim patitur, non tam materialis cibi ac potus deſiderio tenetur, quàm Euchariſtiæ ſaginam eſurit, ac ſitit.

Tertull. adu. Pſych. c. 5.

5.

Ad Rom. 7. v. 23. & 24.

Paullus ad Romanos 7. ſic delicti originalis reliquias, quem peccati fomitem appellant, eleganter deſcribit: *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Huic ſuæ interrogationi vniuerſatim reſpondet Paullus, iſtiuſmodi languoris medicinam *gratiæ* per Chriſtum deputans. Verùm cùm Chriſti gratia ſit ad omnes virtutes ac ſanctitates neceſſaria, diſquirere oportet, quænâ virtus adeò ſit felix, vt de medica gratiæ officioſitate, peccati fomitem nuncupatim mitiget, aut interſtinguat. Quod his verbis Zeno Veronenſis eloquenter ediſſerit: *Læti itaque*, inquit, *& exultãtes accedamus ad medicum noſtrum Deum, medicamentum ieiunij ſuſcipientes: quò per totum annum noxios humores peccatorum collectos depellere atque exiccare poſſimus.* Et poſt comparationem tempeſtiuè allatam, addit: *Ita in interioribus animæ noſtræ viuificata peccata ieiunium extinguit & enecat: ſimul quoque euertit ac ſubruit illam legem, quæ eſt in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducere cupit in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Nempè ſi cum Paullo interroges: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Reſponde cum Zenone: Gratia ieiunij: hæc enim noxios peccatorum humores exiccat; ſimúlque peccati fomitem mitigat, aut, interſtinguit, dum *euertit ac ſubruit illam legem, quæ eſt in membris meis*, de cuius lenocinio ſic queritur Paulus. Singulare quidem ieiunij prærogatiuum, quo homo fame macilentus, & ſiti aridus, de inediæ bono quodammodò redditur exlex, ab hâc noxiâ peccati lege propemodùm interim exemptus. Medullitus hominibus hæret hæc peccati lex; ſed quæ radicitùs auelli nõ poteſt, mitigari ieiunio poteſt quod *illam legem euertere & ſubruere* dixit Zeno Veronenſis. S. Zenoni S. Leo modulatè concinit, ita fatus: *In omni tempore, omnique vitâ huius ſeculi ieiunia nos contra peccata faciunt fortiores, ieiunia concupiſcentias vincunt, tentationes repellunt, ſuperbiam inclinant, iram mitigant, & omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt.* Quaſi ieiunium etiam virtutes omnes tanquam bonæ voluntatis flores, ad fructuum maturitatem condiat ac erudiat.

2.

S. Zeno ſer. de ieiunio.

*Peccati fomitem ſeu legẽ, per ieiunium euerti ac ſubrui perhibetur.*

*Ieiuniũ virtutum flores ad fructuum maturitatem erudit.*

S. Leo ſer. 4. de ieiunio decimi mẽſ.

6.

Matt. 4. v. 2.

Matthæi 4 Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo. *Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit.* Sanctus Maximus pergit argutè componens ieiunium Moyſis Prophetæ, ac Legiſlatoris, cum Chriſti Dei ieiunio totidèm diebus ac noctibus perdurante: *Ieiunat*, inquit, *Moyſes, vt præceptis legalibus vnius populi erudiat diſciplinam: Chriſtus ieiunat, vt vniuerſas totius mundi redimat Gentes. Moyſes poſt ieiunium ſcriptas digito Dei tabulas populo præuaricante confregit: Chriſtus ſuo ieiunio manſurum per ſecula Euangelium conſecrauit. Ieiunat Moyſes vt Deum videret; ieiunat & Ieſus vt vnum ſe eſſe cum Deo, dum Diabolum triumphat oſtenderet. Quòd non eſurierit Moyſes cæleſtis eſt poſſibilitatis exemplum; quòd eſurit Chriſtus noſtræ Redemptionis eſt Sacramentum.* Plures his verbis S. Maximus ſententias conglobat; quas breuicula ſaltem elucidatione ad rem perſtringere, operæ pretium eſt. Scilicet quòd *ieiunat* Chriſtus, vt vniuerſas totius mundi *redimat* Gentes: & quòd tandèm eſurierit, *noſtræ Redemptionis eſt Sacramentum.* Chriſtíne ieiunantis eſuries, *Redemptionis Sacramentum* nominatur? Myſterio dominicæ Paſſionis & Crucis, quo humana Redemptio peracta eſt; Dominici quoque ieiunij *Sacramentum* aſſociandum erit? O alto ſtilo dictum! *Chriſtus ieiunat vt vniuerſas redimat Gentes: quòd eſurit Chriſtus noſtræ Redemptionis eſt ſacramentum.* Addit. *Chriſtus ſuo ieiunio manſurum per ſecula Euangelium conſecrauit.* Num per tot ſecula permanens Euangelij duratio, aduerſus tot agreſtiores Tyrannos, totâ orbis potentiâ hoſtiliter armatos, Chriſti ieiunio fundatur, fulcitur, conſecratur? O quàm altè Chriſti inedia Euangelium fundat, & cæli doctrinam per ſecula duraturam conſecrat! Denique quid eſt, quòd adiicit: *Ieiunat Ieſus vt vnum ſe eſſe cum Deo oſtenderet.* Ieiunij macie ſe Chriſtus oſtendit Deum? O inſuſpicabile diuinitatis argumentum! Audiendus eſt Tertullianus de Moyſe ieiuniorum ſuorum collegâ, ita fatus: *Tanta eſt circumſcripti victus prærogatiua, vt Deum præſtet homini contubernalem, parem re verâ pari. Si enim Deus æternus non eſurit, hoc erit tempus in quo homo Deo adæquetur, cum ſine pabulo viuit.* Dilucidè, ſed hyperbolicè Tertullianus.

S. Maxim. homil. 3. de Ieiu. Quadr.

*Ieiunium dicitur noſtræ Redemptionis Sacramentũ.*

*Ieiunio manſurum per ſecula Euangelium conſecratur.*

*Ieiunio Chriſtus oſtenditur Deus.*

Tertull. adu. Pſych. c. 6.

7.

S. Chryſol. ſerm. 7.

S. Chryſologus ſer. 7. ita ſcribit: *Ieiunium, quod contra vitia prima virtus eſt nobis, in arce pectoris collocetur: quia illo in interioribus præſidente, vitia nos quatere in exterioribus non valebunt.* Intermitto nunc quòd ieiunium dicitur *prima virtus*; & expendendum obiicit, quod ieiunium appellatur, In interioribus *Præſes*, vt vitia in exterioribus, nos quatere non eualeant. Scilicet meditatur Chryſologus conſilioſum in homine virtutum Senatum, cuius ieiunium *Præſes* eſt, ne vitia ſubrepant, principentur, & inſoleſcant. Exindè ieiunium contra vitia *prima virtus* nominatur, quia in arce pectoris collocatum, vitiis detriumphandis *Præſidet*.

*In virtutum Senatu Ieiunium Præſidere dicitur.*

## §. CXXXV.

### *Voluptabile quoduis aut naturæ, aut gratiæ graui labore aut periculo comparatum, concupiſcentiæ gratiùs adridet.*

HVmana appetentia hianter currit in arduũ extimulata malè dulci difficultatis blandimẽto: ad obuia, ad nutũ expoſita, & facile parabilia, ſegniter it: neque ſæpè it, ſed cunctatur, quâdam libidinis nauſcâ, & concupiſcentiæ fa-

ſtidio. Hinc modulatè Petronius occinit: *Nolo quod cupio ſtatim tenere, Nec victoria mihi placet parata.* Geneſeos 29. poſt ſeptennij ruſticum ſeruitium, ſubdolus Laban inoptatam Liam furtim Iacobo induxit, lenocinantibus tenebris maritandam. Cognitâ agreſtis ſoceri fraude, alios ſeptem annos ſeruire cogitur pro dilectâ & venuſta Rachel. Et hebdomadâ tranſactâ Rachelem duxit vxorē. *Tandémque potitus optatis nuptiis, amorem ſequentis priori prætulit, ſeruiens apud eum ſeptem annis aliis.* Superuacaneū forſan alicui videbitur, quòd ſignatè notet Scriptura Iacobum optatiſſimæ & formoſiſſimæ Rachelis nuptias prætuliſſe connubio Liæ inexpectitæ, inuenuſtæ, & exoſæ. Quid neceſſe fuit, vt ſacer Hiſtoricus admoneret, quòd Iacobus ardētiùs quàm, Liam, ſuâ Rachelē adamauit; niſi aliquid myſterij nō omnibus obuij, deliteſceret? Illud opinor, ad rem præſentem Chryſoſtomus pandit, ita ad præfata verba fatus: *Potitus optatis nuptiis, amorem ſequentis priori prætulit ſeruiens apud eum ſeptē annis aliis. Vel quia ab initio magis dilexit propter venuſtatem formæ puellam* Rachelem, *& difficiliùs eam conſecutus eſt, ideò eam magis dilexit.* Quaſi difficultas ſit amoris illicium, & beneuolentiæ lenocinium. Profectò mitiſſimum eſt, quòd vbi tot, tantæque cauſſæ extiterint maioris beneuolentiæ erga ſuam Rachelem, venuſtiſſimam puellam, amorum auſpicium, Iacobi corculum, & animi votis auidè expetitam; de arduâ laborioſæ conſecutionis difficultate Chryſoſtomus cenſuerit, quòd quia *difficiliùs eam conſecutus eſt, ideò eam magis dilexit.* Sic rei gratiam, aut pretij cenſum difficultas exaggerat? Vndè Eſther hic ærumnoſas moleſtias indicit, quò mox liberationis felicitas accidat gratior & à difficultate felicior.

Geneſ.29. v.30.

S.Chryſoſt. indid.

*Ideò Rachelē Iacobus magis diligit, quia difficiliùs eam conſecutus eſt.*

Hic v.16.

2\. Actorum 1. Euangeliſta Lucas loquens de triumphali Chriſti Dei ad cælos aſcenſione, ita ſcribit: *Et cùm hæc dixiſſet, videntibus illis eleuatus eſt: & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.* Nubes quidem Dominum ſuſcepit, vt honoris æqualitatem ad Patrem demonſtraret: de Patre enim dictum eſt: *Nubes & caligo in circuitu eius.* Eſto, nubes ſit in circuitu eius, ne Patre Deo minor reputetur, cur in nube Chriſtus aſcendit in cælum? Cui de vehiculo in cælum æmulatio fit; & de vehiculi prælatione, virtutis ac gloriæ magnificentior oſtentatio? Appoſitè OEcumenius hâc ſuper re ita fatur: *Et incarnatus quidem Deus, nube tanquam vehiculo vſus eſt, nam Dominus erat, Elias verò igni. Ille enim tanquam dominus vniuerſi, propriâ aſcendens virtute, terrenum quiddam, & quod deorſum fertur, ad aſcenſum aſſumit: nec magis ductus quàm reducens ipſe vehiculum. Elias verò ſeruus erat, ideóque ſurſum ferente vehiculo egens, & equis qui velocitatem itineris illi pararent. Idcircò etiam de hoc dictum eſt: Aſcendit Elias in turbine tanquam in cælum. De Domino verò: Eunte illo in cælum.* Ecce tibi Elias ſurſùm ferente vehiculo vtens, & igneis equis, qui velocitatem itineris expedirent, quaſi ſeruus vehitur, & *tanquam in cælum* aſcendit. Chriſtus verò quia Dominus erat, *terrenum quiddam, & quod deorſum fertur, ad aſcenſum aſſumit,* & verè in cælum ſic aſcendit, vt de terreni vehiculi ſe deorſùm agentis, grauitate, aſcendendi velut difficultatē innueret: & ſic tāquam Dominus, propriâ in cælum aſcendiſſe virtute comprobaret, & ſumptuoſiorem beatæ gloriæ pompam apud homines publicaret.

Act.1.v.9.

Pſal 96.v.2.

OEcu. inib.

4 Reg.2.

*Quare Chriſtus vehiculo quod deorſum fertur, in cælum aſcenderit.*

4\. Matthæi 11. *Regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* S. Gregorius & Beda per τὸ *regnum cælorum*, beatam cæli gloriam intelligunt: ſicque exponunt τὸ *vim patitur* id eſt, mortificatione, pœnitentia, ignominiâ, paupertate obtinetur, & eâ ad illud itur viâ. Et ſanè mirum eſt quòd tot ærumnæ ad tantam felicitatem ducant. Num Deus is eſt, qui humanæ inuideat lætitiæ, æternam in cælo beatè largiturus? an per humanas ærumnas cæleſti gloriæ lenocinatur; quaſi præuius merendi labor, & ærumnoſæ violentiæ difficultas cenſum aut ſenſum glorioſæ beatitudinis exaggerent? Quid, aut quomodò hæc violenta hominum vis, de empyreâ gloriâ ſubripere poteſt? Tempeſtiuè Chryſoſtomus: *Violenti, inquit, rapiunt illud. Violentia & rapinâ opus, neque enim in promptu, neque ad manus eſt regnum cælorum.* Nimirùm tametſi cæleſte regnum, & olympia gloria ſit felicitatum ſumma, & quæ ſubobſcurè apprehendi poteſt, æſtimari non poteſt: at in promptu non eſt, neque ad manum, vt de violentiâ ac difficultate Beatis aduletur. *Violentia* cælum obtinet, & gratioris gaudij auctatium Beatitudini oppignerat, & de præuiâ difficultate quaſi piâ rapinâ ſibi vſurpat quod vltra eſſentialem beatitudinem gloriæ confert. *Non vult Deus noſter* (ait Emiſſenus) *bona ſuâ nimiâ inueniendi facilitate vileſcere . . . Ergo ille tantorum munerum repromiſſor non vult in opere ſuo tepidum, deſpicit faſtidioſum, recuſat coactum, reſpuit indeuotum.* Ergò beata cæli gaudia, *violentos* riuales quærunt, ne nimiâ inueniendi facilitate quodammodo vileſcant; vt *violentia*, ſaporis pretium exaggeret, & *rapina* aliquid ſupra ſortem inueniat, in quo gratè delicietur.

Matth.11. v.12.

S Gregor. & Beda, apud P. Mald. ibi.

*Quare beata cæli gloria violentiã, & rapinam expetit, quò dulcius ſapiat?*

S.Chryſoſt. homil. 10 in 2. ad Tim.

Emiſſ. hom. 3. ad Mon.

5\. Ad Philippenſes 2. Hoc enim, inquit, ſentite in vobis, quod & in Chriſto IESV: *Qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit.* Exindè poſteriores Chriſti glorias indidèm recenſet. Ex eo autem quòd Chriſtus ab Apoſtolo dicatur *in formâ Dei eſſe*, refutat Theophylactus Hæreticos aſſerentes, *Verbum Dei energiam eſſe, non eſſentiam perſonalem.* Item confutat errorem Græcorum: *Paruus inquiunt, exiſtens Deus Filius, non rapuit ſibi vt eſſet æqualis & par magno Deo.* Non enim capiebat eorum anguſta mens, quo pacto Dei Filius, Patre Deo ſuperſtite, plenam diuinitatem accipere potuerit à Patre, niſi Filius eſſet aliqua Patris Dei *energia*, ſeu ſtrenuus vigor ad ardua redemptionis opera operoſiùs peragenda: indéque ex paruo Deo magnus euaſerit. Verum ipſe Theophylactus poſt iſtiuſmodi Græcorum errores peritè reiectos, ſic Paulli locùm exponit: *Non eſt,* inquit, *rapinam arbitratus, eſſe ſe æqualem Deo. Si quis quid rapuerit, metuit deponere illud, ne amittat, tanquam ipſius non ſit.* (Nota quæ ſubdit) *Sin quicquam à naturâ habebat, facilè illud aſpernatur.* Nimirùm loquitur Theophylactus de Deo anthropopáthōs, & de humanis ductâ ſimilitudine ad diuina, vt vt poteſt: Sicut enim homo quæ à natura habet, neque vllatenùs amittere poteſt, facilè depretiat: ſaltē tanti æſtimare non ſolet, qualia ea, quæ magno labore, & operoſâ induſtriâ cō-ecu-

Ad Philipp. 1.v.6.

Theophyl. ibi.

*Quicquid à naturâ eſt, & non à labore, facilè homines aſpernari ſolitant.*

Theophyl. inibi.

tus

tus eſt, etſi hæc multò minora ſint: ita(ſi diuina humanis comparari licet) Dei Filius hypoſtaticè ſubſiſtens in Chriſto, tanti æſtimat glorias, quas ſuâ Paſſione acquiſiuit, vt quodammodò plus æſtimet has glorias operoſo acerbè labore partas, (ſi dicere liceat) quàm auguſtam ſuæ diuinitatis gloriam. Non quòd hanc *aſpernetur*, aut minoris æſtimet, ſed(vt par eſt) multò magis: ſed quia neſcio quæ ſpecialis placendi gratia ineſt iis rebus proprio labore ac ſudore partis, vt quodammodò plus placeant. Sic magnus aliquis Rex, qui præmunitam vrbeculam debellauit, conſuetâ hyperbole dicit, ſe illam ciuitatulam, quam ipſe cœpit, pluris facere, quàm perampla regna, quæ hæreditario iure poſſidebat, quaſi *quicquid à natura habeat, facile illud aſpernetur.* Sic poſteriores à redemptione partas glorias, quas poſtmodum Paulus recenſet, ipſemet Chriſtus Deus, *ſuam gloriam* nuncupatim appellauit: *Nonne*, inquit, *oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* non quòd eſſentialis gloria, aut non ſua, aut non maior ſit.

Lucæ 14 v. 26.

6. Ioſue 7. v. 21. *Voluptabile periculo comparatum, commendatiùs ad praetium adridet.* Ioſue 7 Filij Iſraël præuaricati ſunt mandatum Domini, & vſurpauerunt de anathemate vrbis Herichuntinæ. Nam Achan filius Charmi tulit aliquid de anathemate. Quod ipſe poſteà palàm confeſſus eſt: *Vidi*, inquit, *inter ſpolia pallium coccineum valdè bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum, & concupiſcens abſtuli.* Magnum ſanè viri piaculum, & inexpiabilis audacia auarè temeraria, anathema Deo ſacrum clanculùm ſuffurari. Vnde Achano tam auara concupiſcentia, quæ ſpoliorum pretia ſic exaggeraret, vt tam ſeuerum Dei edictum ſic contemptim neglexerit furacitate ſacrilega? Tempeſtiuè Strabus Fuldenſis in Gloſsâ inibi: *Achan*, inquit, *dum inueniſſet chlamydem regiam, totam auro contextam, crudele iudicans, ſi is qui periculum habuerat lucrum inueniens quod in ſuâ vtilitate conferret, daret hoc Deo, & non magis egenti.* Ecce tibi quid augebat *concupiſcentiæ* blandimentum: nempè opulentum lucrum, belli *periculo* partum. Sic difficultas *concupiſcentiæ* lenocinia expolit ad placendi gratiam, vt Deum ſacro anathemate fraudare nõ ſit veritus, illicio difficultatis ac periculi allectus? *Crudele iudicãs, ſi is qui periculũ habuerat, lucrũ inueniẽs, daret hoc Deo*, &c.

Gloſſa inibi ex Ioſepho.

7. Cant. 3. v. 1. Canticorum 3. ſic Sponſa loquitur: *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni.* Benè cenſet Giſlerius nouum hîc eſſe Dramatis actum, nouámque narrationem, ſed cum prioribus connexam. Sponſa enim poſt diſceſſum ſponſi ad montes, denarrat quid à ſe factum ſit aliquando cùm dilectum ſuum à ſe abſceſſiſſe animaduertit, quâ anxietate illum quæſierit, quomodo inuenerit ac tenuerit, ne rurſùm abſcederet. Gilibertus Abbas, qui continuauit ſermones S. Bernardi in Cantica, hicque inchoat, ſic nectit ſerm. 1. *In lectulo meo per noctes quæſiui*, &c. *De montibus ſe raptim contulerat ad lectulum ſponſæ, vbi illa excitata & deficiens vbertate delectationis, obdormiuit exhauſta inter amplexus dilecti. Oblectata dormiuit ſomnum dulcem, ſed expergefacta non inuenit illum hæc mulier deliciarum in manibus ſuis. Gaudia itaque illa, gaudia ineffabilia ſilentio tranſiens, in hanc tamen vocem erupit: In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni.* Nimirùm cæleſtis Sponſus clanculùm, & raptim inopinato aduentu ſe contulit in lectum

Giſlerius.

Gilbert.

Sponſæ, vbi illa *deficiens vbertate delectationis, inter amplexus dilecti oblectata dormiuit ſomnum dulcem*: atque adeò non modò in vigiliâ, ſed in ſomno etiam exuberauit deliciarum ſuauitate. Aſt hæc *gaudia ineffabilia* ſilentio præterit Sponſa, ſolúmque memorat, inexpectatum Sponſi ſui diſceſſum, & quàm pœnali anxietate, è lectulo intempeſtiuè conſurgens, illum per vicos & plateas exſomnis quæſierit. An non ſatiùs foret, vt hæc *ineffabilia gaudia, & delectationis vbertatem* denarraret, & non ſolum anxium quærendi tormentum? Quid eſt, quòd moleſtias duntaxat refert, & *ineffabilia gaudia*, mutæ taciturnitatis ſacramento obſignat? Opinor, *ineffabile gaudium, & delectationis vbertatem*, moleſtiarum recenſitione impreſſiùs adumbrat, & ſumptuoſiùs exaggerat, dum præuias abſentiæ pœnas, & appendices gratæ oblectationis moleſtias denarrat. Quaſi dicat Sponſa: Nemo exiſtimet, me inter Sponſi mei optatiſſimos amplexus merâ fruitione vbertim delectatam: hoc *ineffabile gaudium* ſpei moleſtiis emi, & diſceſſu inopinato, & quærendi anxietate, delectationis cenſum expendi. Si quis ęſtimet hoc *ineffabile gaudium*, cuius *vbertate defi*c*io*, taxet priùs illis comites pœnaliſſimè moleſtias. Nam voluptabile quoduis aut naturæ aut gratiæ, grauioribus moleſtiis comparatum, de moleſtiarum lenocinio gratiùs adridet ad placendi gratiam. Hinc Sponſa moleſtias recenſet, vt *ineffabile gaudium* viuaciùs exaggeret.

*Sponſa ineffabile gaudium, per denarratas moleſtias viuaciùs exaggerat.*

---

## §. CXXXVI.

*Homo propriæ imaginationis tormento, & tentamento, ſe pœnaliùs vrget, & ſceleroſiùs exagitat ab inteſtino phantaſiæ dæmone.*

1\. QVod videmus ac ridemus accidere pueris, hoc nobis quoque annoſis pueris frequẽter euenit. Illi quos amant, quibus familiariter aſſueuerunt, cum quibus exultim ludunt; ſi perſonatos viderint, expauefcũt, & expalleſcunt. Non hominibus tantùm, ſed & rebus quæ nos vrgẽt & cruciãt, perſona demenda eſt, & reddenda facies ſua. O quoties quæ lætãter ſperaſti, inimicorum vota ſunt; & quæ pauidè metuebas, ſperare feliciter potuiſti! Multa bona noſtra nobis nocent, quia non tam re, quàm rei opinione laboramus. Inde venturo torquemur, & præterito, mitiùs plerũque præſenti: timoris enim tormentum memoria reducit, meticuloſa prouidentia anticipat, ſed præſens plerumque malum leue eſt, per phantaſiæ terriculamenta magnum. O ſi ratio ipſa, quaſi per anatomiam rerum momenta perpenderet, & oculatiùs inſpiceret; plura quæ nos aut abſentia terrent, aut præſentia torquent, torquendi aculeo exarmarent! aut futurorũ minas prudenter extenua, aut pręſentium moleſtiam per patientiam mitiga, aut moleſtiarum incremẽtum ab Imaginatione duntaxat magnum, prudenter diminue. Nemo tantùm præſentibus & veris miſer eſt. Stultum ſanè eſt, quia aliquando ſis futurus miſer, eſſe iam miſerum: inhumanum eſt miſeriam imaginatione amplificare. Quid tui lanius aſſiduè es, aſſumpto carnificis officio, imò & præuento; cùm ſatiùs foret miſeriæ moleſtias quoad poteris, excuſſiſſe? Quod diſertè hîc edocet Eſther, aiens: *Tradéſque me morti, ac*

*Homo propriæ imaginationis tormento, ſe acerbiùs excrutiat.*

*periculo.* quaſi *periculum*, dum multa imaginatur, & plures acerbiùs mortes menitur ſibi, ipſâ morte pœnalius ſit, & exaggeratior calamitas.

2.
Lucæ 11. 24. & 25 & 26. Lucæ 12. Muto illo Dæmone tandem excantato, mirantur turbæ, oggàniunt Scribæ, dicentes, in Beelzebub Dæmonem expuliſſe. Multis eorum technas reuincens Chriſtus, ait: Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem: & non inueniens dicit: *Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cum venerit, inuenit eam ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Multimodè hunc locum verſant Interpretes, vt exponant quonam pacto dudum expulſus Dæmon, tandem redeat ad hominem, aliis ſeptem ſpiritibus ſe nequioribus aſſociatus; adeò vt plus exinceps hominem illum excrucient, & infeſtent. S.Chryſoſtomus ita hàc ſuper re ſcribit: *Reuertar in domum meam vnde exiui, &c. Dicit enim quòd cùm Dæmoniaci liberati fuerint ab infirmitate, ſi deſidiores efficiantur, grauiorem attrahunt aduerſùs ſe phantaſiam.* Scilicet tunc dicitur redire Dæmon cum aliis ſeptem, id eſt, innumeris Dæmonibus ſecum, ſe nequioribus, redduntque nouiſſima hominis illius peiora prioribus; cùm ab homine iam expulſus, propriam hominis *phantaſiam* ſubſtituit, quæ illius vices gerat, illumque moleſtet, excruciet, ac deprauet. Heu quoties hominis imaginatio, vaniſſimis etiam ex cauſſis agitata, quaſi furiis ageretur, hominem atrociùs vexat! ô cruentam inſtigatæ *phantaſiæ* lanienam, cruciatuum pariter ac culparum officinam, niſi prudentia hunc inteſtinum dæmonem excantet!

*Phantaſia hominis exagitata, nequior eſt inteſtino dæmone.*

S.Chryſoſt. hom 44. in Matth.

3.
Lucæ 8. v 5. Lucæ 8. *Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum, & dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud. Et aliud cecidit ſupra petram, &c.* Animaduerſione digniſſimum eſt, quòd cùm ſemen à ſatore in terram proiiciatur, proiici non dicitur, ſed mitiori vocabulo, *cadere*. Quod his verbis attentiùs notauit Theophylactus: *Vide, inquit, quia non dixit, quòd proiecit illud in viâ, ſed quia cecidit.* Nimirùm (vt aliàs ex Seleucienſi Baſilio adnotabamus) tametſi reàpſe *proiicitur*, quæ vox contemptum ſonat; hoc tamen prudenter rationale granum, ſibi conſilioſè perſuadet, non *proiici* ſe, ſed *cadere*. quæ eſt prudentiæ meta. *No fue deſuio, ſino que ello ſe cayo aſſi.* Sat eſto ad Theophylacti acumen intendiſſe digitum.

*Rationale granum non putat ſe proiici, ſed cecidiſſe.*

Theoph. Marci c.4.

4.
Ioan.6.v.37. Ioannis 6. Sic Chriſtus Deus Iudæorum turbas adloquitur: *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non eiiciam foras.* Non facilè ſe expediunt Interpretes ab illâ ſententiâ, *Non eiiciam foras.* Neque enim apparet vndenam *eiiciatur*, & quò *eiiciendus* ſit. S. Auguſtinus ſic inibi locum exponit: *Illud autem intus, vnde non exitur foras, eſt magnum penetrale & dulce ſecretum ſine tædio, ſine amaritudine malarum cogitationum, ſine interpellatione tentationum & dolorum.* (Aliàs ſcribitur in Catenis antiquioribus) *ſine intellectione tentationum & dolorum.* Hoc eſt ſecretum & penetrale, ad quod viri perfecti admittuntur, & à quo in ſecularem ſceleroſè ſtrepitum non eiiciuntur. Perarduum enim eſt & penè impoſſibile, inde eiici, & à virtute degenerare in vitia; non quia vir prudenter perfectus *tentationibus* & *doloribus* non tangatur; tangitur enim acerbiùs, & viuaciùs pulſatur; (nam *cibus eius*) id eſt, tentatoris (*electus*) ſiquidem aduerſus Dei amiciſſimos, & virtute conſummatos, rictu hianter diducto atrociùs ferocit. Itaque non dicitur de eiuſmodi hominibus ad perfectionis penetrale feliciter admiſſis, quòd non tentantur, & ærumnis dolorum afficiuntur; ſed quòd ſunt *ſine intellectione tentationum & dolorum.* Nimirum ad rem virtutis ſubtiliter ſagaciſſimâ mente præditi ſunt: ad rem autem *tentationum*, & ærumnarum patientiam exagitantium, ſic ſe exhibent rudes, ac ſi *ſine intellectu* forent. O quàm virtuti nocet in *tentationibus*, in *doloribus*, & humanis ærumnis, ſagaciori intellectu ſubtiliùs ratiocinari! ô quàm multa, ipſaque noxiè peracerba verſat hominis mens tentationibus & calamitatibus inſtigata! Ipſa ſe non vno modo exagitat, tentationes cogitando exacuit, dolores fouet, ærumnas incrementat: præterita reuerſat animo, futura cum incremento anticipat, præſentibus ærumnoſiùs angitur; veretur multa, imaginatur omnia, quę etiam vltra poſſibilitatis metas euagantur. O eſto, virtutibus perſpicax, *tentationibus* rudis; tolerantiæ ſubtilis, *doloribus* & ærumnis *ſine intellectione.* Hic, hic inquam, ad diuinæ amicitiæ penetralia admittitur, nec *eiicietur foras*, quia *ſine intellectione tentationum & dolorum* eſt. *El entendimiento demaſi adamente viuo, ſe hace aſimiſmo la guerra en las aduerſidades y tentaciones.* Bona eſt ſimplicitas, quæ cognatâ ruditate ſubdolè acutas tentationum & calamitatum vires exarmat. Eſto benè rudis ne ſis malè calamitoſus. *Quandoquidem ignea eſt oſſium cor ſenſu præditum*, vt pulchrè docuit Nazianzenus.

S.Aug. tract. 25. in Ioan.

*Penetrale, qui ſine intellectione tentationum & dolorum eſt.*

S Naz. Ora. pro Baſil.

5.
Gen 4. v.15. Geneſeos 4. ſuffragio ſanguinis parricidaliter effuſi, impiè inſolens Caini ſcelus à Deo damnatur. Qui obuium occiſorem veritus, hæc audit: *Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet: ſed omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur. Poſuitque Dominus Cain ſignum, vt non interficeret eum omnis qui inueniſſet eum.* Ecquod eſt hoc ſignum, quod Dominus poſuit in Cain, ne ab obuio quoque occideretur? *Ipſum videlicet ſignum,* (ait Eucherius) *quòd tremens & gemens, vagus & profugus ſemper viueret.* Parcitum eſt Caini, Cainicatumque vitæ, dum à viuaciori periculi phantaſia ſemper gemit ac tremit, an repetitæ morti pœnaliùs addicitur? Appoſitè Philo: *Verùm iſti omnes ſunt ſemper morientis, & nunquam emortuæ miſeriæ poſteritas, illius quæ Cain nominatur.* Profectò mors vna eſt in ſeceſſione animæ & corporis, & in fine iſtius vitæ, quæ ſimul ac venit, omnes corporis dolores aufetre, non augere conſueuit; metus verò qui hanc vitâ viuentibus frequenter ingruūt; & viuidâ imaginationis inſtigatione exaggerantur, eas mœſtitias, dolores, gemitus, angores diuerſoſque cruciatus, ſæuientiū ægritudinum vulnera, plurimas etiam mortes, ei qui phantaſiæ œſtro agitatur, ſic inferunt, vt iſta mors remedium eſſe videatur, non pœna. Itaque Cain ſæuo mœrori ac timori ſuperſtes, *ſemper morientis, & nunquam emortuæ miſeriæ* acerbiùs damnatur, dum eâ mœſtitudinis phantaſiâ, quæ in gemitum & tremorem erumpat, inſtigatus, non vitæ viuit, ſed morti; ſui ſēper lanius, & carnifex inteſtinus.

*Qui à propriâ imaginatione agitatur, ſemper morientis, & nunquam mortua miſeria viuit.*

Eucher. ibi.

Philo lib de Confuſ. ling.

6.
Ioan. 16. v.21. Ioannis 16. Diſcipulorum triſtitiam de eius paſſione & diſceſſu conceptam, Chriſtus ſermone mitigans, hàc ſimilitudine vtitur: Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius: *Cùm autem peperit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium.* Peridoneè ibidē Chryſoſtomus expen

S Chryſoſt. hom. 78. in Ioan.

*Qui non meminit preſſuræ, preſſuram non pati putatur.*

expendit verbum illud *meminit*, ita ſcribens: *Et non dixit, quia non erit ei tribulatio, ſed neque meminit eius.* Penè emortua iacet mulier præ partionis difficultate laſſata; & ideò non dicit, *Non erit tribulatio*, adhuc enim acerbè tribulatur; ſed conſultiſſimè dicit, *iam non meminit preſſuræ.* quaſi acerbior tribulationis angor, non tam ſit à re, quam durè toleramus; ſed ab imaginatione aut memoriâ, doloris ſenſum acerbiùs cruentante Non qui preſſuram non patitur, ſed qui preſſuram imaginatione aut recordatione non exacerbat, extra preſſuram reputatur. O claude animi ianuam, ne his ærumnarum & tentationum angoribus aditus pateat: quod dictu facile eſt, factu perarduum: *Non puto* (ait Petrus Damianus) *quod ille qui clauſit cælum oratione, clauſit animum à cogitatione; vt faciliùs ſit cælum obſerare, quàm animum.* Putauerim autem clauſum eſſe cælum his, qui obuiis angoribus animum habent reſeratum, dum phantaſiæ inſtigatione exagitantur.

*Faciliùs eſt cælum obſerare, quàm animum.* P. Dam. ſer. 60.

7. Ecl. 40. v. 2.

Siracides Eccleſiaſtici 40. ſic nos ſapienter monet: Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & iugum graue ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ, in matrem omnium. Ecquod eſt hoc tam graue ac pertinax iugum, quod omnes adæquè ſubeunt, nemóque hactenus excutere valuit? *Cogitationes eorum*, inquit, *& timores cordis, adinuentio expectationis, & dies finitionis.* Ecce tibi graue iugum filiorum Adam, quod de peccati cenſu ſubimus hereditario humanæ naturæ iure. Primò *cogitationes eorum*, quibus animum diſtrahunt & diſcruciant, vt bona huius vitæ ſibi accerſant, mala verò longiùs auertant. Secundò, *timores* varij cor coarctantes, ne fortè bona quæ appetunt, non aſſequantur; & mala quæ auerſantur, incurrant. Tertiò, *adinuentio expectationis*, id eſt, adinuenta & excogitata imaginatio imminẽtium malorum, quaſi ipſa illos, aut potiùs illi ipſa expectent. Alij vertunt, *imaginatio expectationis*; alij, *conſideratio expectationis*; alij denique ad rem accommodatiùs, *commentum expectationis*: ſæpè enim timor reuera nõ eſt timor, ſed *commentum* timoris, quod ſcilicet homo ſibi comminiſcitur, & in mente fingit & pingit. O prolixè acerba timoris commentaria, quæ malum imaginatione fictum, amplificant, & anticipant geminato doloris ſenſu! Hem quid iuuat abſentes dolendi cauſſas ſenſu doloris anteuertere, & imaginationis *commento* præ doloribus dolores præmordere? Eleganter Philo Iudæus in lib. de Nominum mutatione: *Et enim mali præſentia*, inquit, *dolorem; expectatio verò metum gignit. Metus ergo nihil aliud erat quàm triſtitia ante triſtitiam; vt ſpes, gaudium præ gaudio. quam enim opinor rationem habet metus ad dolorem, eandem ſpes ad gaudium.* O non bonum imbonæ expectationis *commentum*, quod rei timendæ moleſtias anticipat, geminat, amplificat, falſatò ſæpè propriæ imaginationis arbitrio, aduerſus ſe fatuè inhumano! Itaque metus de imaginationis commentario, *nihil aliud eſt quàm triſtitia ante triſtitiam.* O *commenti* monſtrum! Porrò ſi *triſtitiam* præit, quomodo poteſt eſſe *triſtitia*? idem enim ſeipſum præire nequit. Verùm de fatuo imaginationis commentario, ſæuo hominis carnifice, triſtitiam ipſam de vero malo obuenientem, inſipiens triſtitia præmaturè anteuertit de præſtigiatore commentario imaginationis, in quâ velut in crudelitatis officinâ, *triſtitia ante triſtitiam* excuditur præuento inflictoris officio. An non præſtat de ſpei ingenio, *gaudium præ gaudio* pingere, imò & fingere?

*Sæpè anticipata triſtitia eſt imaginationis commentum.*

Philo. *Triſtitia ante triſtitiam eſt ex ea imaginationis commentum.*

*Spes eſt gaudium præ gaudio.*

*P. Didac. Celada in Eſtherem.*

---

## §. CXXXVII.

*Incertus perplexitate animus, dum conſilij inops multa dubiè mentitur ſibi; non dubiè angitur, ſauciatur, vritur.*

CAius Plinius quo ſolet eloquij, ac ſententiarum nitore, ita Calphurniæ ſuæ ſcribit: Nunquam ſum magis de occupationibus meis queſtus, quæ me non ſunt paſſæ aut proficiſcentem te valetudinis cauſsâ in Campaniam proſequi, aut profectam è veſtigio ſubſequi. Nũc enim præcipuè ſimul eſſe cupiebam, vt oculis meis crederem, quid viribus, quid corpuſculo acquireres, & quid denique ſeceſſus, voluptates, regioniſque abundantiam inoffenſa tranſmitteres. Equidem etiam fortem te, & non ſine curâ deſiderarem. *Eſt enim ſuſpenſum & anxium, de eo quem ardentiſſimè diligas, interdum nihil ſcire. Nunc verò me cùm abſentiæ, tum infirmitatis tuæ ratio, incertâ & variâ ſollicitudine exterret. Vereor omnia, imaginor omnia: quæque natura metuentium eſt, ea maximè mihi, quæ maximè abominor fingo. Quò impenſiùs rogo, vt timori meo quotidie ſingulis, vel etiam binis epiſtolis conſulas: ero enim ſecurior, dum lego, ſtatimque timebo, cùm legero.* Quibus verbis eleganter exprimit quàm ſit acerbum dubiæ mentis, & ſuſpenſæ perplexitatis ſeu anxietatis tormentum, quæ eſt huius theſis materia. 1.

Plin. epiſt. l. 2.

*Anxiè perplexus, veretur omnia, omniaque aduerſa ſimul imaginatur.*

Iob 1. conſiderandum obiicitur, quemadmodum in eum Diabolus ſæuierit incitatus, qui blandus ferri non poteſt. Itaque ad horrendum cum Iobo prælium totis intonat armis, infernalibúſque miniſtris in auxilium concitatis, terribili increpans tubâ, prædonum turbam face furiali ſuccendit; impetibus crebris totas hominis Dei facultates inuadit: ſubitò rapinâ, igne, ferróque, vniuerſa vno momento diſperdit. Hinc Iob altâ fidei radice robuſtus tot nunciis lugubribus tunditur, nec mouetur. At vbi Diabolus aggreſſuris tantis nihil ſe profeciſſe cognoſcit, omnem impietatis ſuæ rabiem in filios eius effudit. Nam filiis ſuis & filiabus veſcentibus & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quattuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos, & mortui ſunt. *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram, adorauit*, &c. Scilicet cùm filij ſolito more vnanimes vnà epularentur in domo, derepentè concuſſis toto nixu quattuor angulis eius, in confuſam molem parietibus tectíſque labentibus illam ſanctiſſimam fratrum cohortem ſepelit, antequam iugulet. Tunc tolerantiſſimus vir, qui animo inconcuſſo ceteras nuper ſtrages audierat, funeſti doloris ſigna veſtium ſciſſione monſtrauit. Superuacaneum foret diſquirere, quid nunc ſic grauiter vrit Iobi patientiã, ad cetera hactenus flecti-neſciam, niſi Zeno Veronenſis hâc ſuper re ſic ad rem præſentem ſcripſiſſet: Diabolus, inquit, *tale commentus impietatis excidium, vt in illa vnius funeris turbâ paternus dolor non ſufficeret orbitati, cùm neſcit quem primum plangat, quem* 2.

Iob. 1. v. 20. *Inter tot calamitates, dubia perplexitas, Iobi animũ valde vrit.*

S. Zeno ſer. in Iob.

*priorem inueniat, cui primùm iuſta crudi funeris ſoluat. Quo nuncio accepto Dei ſeruus ſcidit veſtimenta ſua.* Vide nunc mihi inter tot acerbas dolendi cauſſas, quando dicatur, quòd paternus Iobi dolor non ſufficeret orbitati. nempè cùm tot chariſſimi filij cum parietibus tectiſque labentibus, ſubitò oppreſſi, in confuſam cum ruinis molem adaggerantur; & pius adhuc pater dubiè perplexus *neſcit quem primum plangat, quem priorem inueniat, cui primùm iuſta crudi funeris ſoluat.* Inter tot peracerbas dolendi cauſſas, hæc apud Zenonem, non vltimum locum obtinuit? Sic dubia mens, dum quò ſe vertat neſcit, ambiguâ perplexitate animum vrit, percellit, conſter-

Hic v.11. & 16. nat? Hic etiam dubiæ perlexitatis angor, valdè Eſtherem fatigat, vt legere licet in hoc cap. 4. à

3. v.11. præſertim v.16. iuxta dicta præcedēti §.n.1.

Luc 21. v. 25. Lucæ 21. de tempore poſtremo iudicio approximante, ſic durè prophetat Chriſtus: Et erunt ſigna in ſole, & lunâ, & ſtellis, *& in terris preſſura Gentium præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum: areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione.* Quænam eſt hæc in terris tam atrociter acerba calamitas, quæ ſic durè *præ confuſione ſonitus maris & fluctuum*, homines terrebit, vt eius hor-

Caiet ibi. rore pauescant, areſcant, tabeſcāt? Multa inibi adaggerāt, & exaggerant Interpretes. Caietanus verò ſingulariter ad thema præſens locum exponit, ſic inibi fatus: *Præ confuſione. pro, In perplexitate. Sonitus maris. pro Reſonantis maris, & fluctuum. Ex quibus colligitur ſignificari, quòd tantus taliſque erit terror reſonantis maris fluctuoſi, quòd homines coarctabunt ſe perplexi, neſcientes euentum, ſeu potiùs locum quò tendit ſonans mare. Non enim erit mare ſonans & fluctuans more ſolito verſus vnam plagam (ſic enim non cauſaret perplexitatem) ſed eo ipſo quod perplexitas deſcribitur, tam anceps erit, vt neſciant ſe homines reſoluere. Areſcentibus hominibus præ timore. In intellectu perplexitas, in effectu timor.* Nihil tam atrociter horrendum in ſacrâ profanâque eruditione buccinatur, quàm peracerba finalis iudicij præſagia, quæ tanto verborum apparatu nunc Euangeliſta proponit. Cùm autem hîc inducitur in terris preſſura omnium Gentium *præ confuſione ſonitus maris: areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione*; eiuſmodi confuſio, quæ ſic homines fatigabit, premet, vret; *perplexitas in intellectu* eſt, & *in affectu timor.* Anxia enim perplexitas, exaggeratio calamitatis eſt, dum incertæ ancipitéſque calamitates dubio horrore obuerſantur, & mens mentis inops, velut intellectu viduata, quò ſe vertat neſcit, vt impendentia cateruatim mala decliner: dum malorum minas benè audit, ſed quorſum immineant, male percipit. O, ſic dubia perplexitas animum ſtupore inquietat, lancinat, cruentat!

*Inter prauias finalis iudicij calamitates, perplexitas cenſetur.*

4. Iob 7. patiendo defeſſus, has lugubres voces ore querulo expreſſit: Si dixero: Conſolabitur me lectulus meus, & releuabor loquens mecum in ſtrato meo: *terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties.* Nimirùm ſanctus vir totâ die peracerbis calamitatibus fatigatus, ſibi ſpondebat, quòd per noctis quietem, ſecum tacitus loquens,

*Dolor & ægritudo quo ſenſu Spiritus dicitur.*

Iob 7. v. 15. poſſet mitigare ærumnas, rationes quærendo idoneas, quæ altè infixas tot ærumnarum ſagittas refigerent, & ſic acerbitatem calamitatis releuaret. At dum aduertit, quòd in laxamenti locum, *horrore concutiebatur*, dum omnia veretur, imaginatur omnia, quæ ei aduerſa accidere poterant; terrore dubij mali, quod illi obuerſabatur; & conſilij inops tanto *horrore* perplexus quid ſpectra portendant, ſubdit: *Quamobrem elegit ſuſpendium anima mea, & mortem oſſa mea.* Polychronius in Polycht. In Catenâ ibi.

Catenâ, ſic hunc locum è Græco exſcribit: *Liberabis (pro liberes) animam meam à ſpiritu.* Et addit præſcripta verba exponens: *Dum Iobus inquit: Liberabis animam meam à ſpiritu, ipſum dolorem & ægritudinem ſpiritum videtur dicere; aut verò reſpirationem & anhelitum hoc ipſo declarat nomine.* Non dimittam innotatum, quòd *dolorem* aut *ægritudinem* appellat *ſpiritum*, & quidem *ſpiritum animæ* ſuæ. Opinor, ſi dolor & ægritudo patienter ferantur, erunt *ſpiritus* Dei, aut *Spiritus* ſancti vicarius; ſin malè feras, erunt tibi *ſpiritus* nequam, qui tanquam energumenum, & dæmonibus velut obſeſſum reddant. Sed ad rem nota, quòd dum Iobus *horrore* & terrore nocturno exagitatus, multa incertus veretur, multa dubius timet, omnia conſilij inops, & perplexus imaginatur; tunc, tunc quidem *animæ ſuæ ſpiritum* pati perhibetur. An quia medullitùs & animitùs ſic anxietate cruciatur, vt *animæ ſuæ ſpiritus* angi dicatur? An quia velut energumenus, ſpiritum nequam pati putatur? An quia tunc ſic eius ſpiritus coarctatur, vt præoptaret ſuſpendium, & animæ ſuæ reſpirationem & anhelitum intercludi, vt ſic ſuſpenſæ anxietatis horrorem euaderet?

*Anxiè perplexâ, anima ſua ſpiritum pati dicitur.*

Lucæ 12. Opulentæ auaritiæ incommoda Chri- 5.
ſtus Deus his verbis publicat: Hominis cuiuſdam Luc. 12. v.
diuitis vberes fructus ager attulit: *Et cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos?* Ecce tibi hic perplexus ex nimiâ vbertate angor, hunc prædiuitem recudit in pauperem, & egeno miſerè adæquat. quod his verbis Baſilius eleganter adnotauit. *Et cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam? Conqueritur æquè pauperibus. an non quem premit inopia, dicit: Quid faciam? vnde victus? vnde calceamenta? talia & locuples profert.* Sic perplexus diuitis animus, dum conſilij inops ſuſpensâ anxietate redditur, duræ egeſtatis mala accerſit; & opulentè diuitem in miſerè egenum refingit.

*Perplexitas diuitem refingit in pauperem.* S Baſil. hom. 6. quæ eſt in hunc locum Lucæ.

1. Regum 5. Iſraëlitis male conciſis, victores 6.
Philiſthæi tulerunt arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon: & manè die alterâ conſurgentes, inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam in terrâ coram arcâ Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen. Aggrauata eſt autem manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos, & percuſſit in ſecretiori parte natium Azotum, & fines eius. Et ebullierunt villæ & agri in medio
regionis illius, & nati ſunt mures, *Et facta eſt cōfuſio mortis magnæ in ciuitate.* Videntes autem 1. Reg. 5. v. 6
Azotij huiuſcemodi plagam, mittētes congregauerunt omnes ſatrapas Philiſthinorum ad ſe, & primò Arcæ circumductionem, poſtmodū conſilij inopes, abiectionem arcæ decernunt. Non conuenit inter expoſitores, quam ob rem tunc ſpeciatim dicatur, quòd *facta eſt confuſio mortis magnæ in ciuitate.* Porrò licèt Deum ſuum Dagonem in terrâ veſtigiis hominū abiectè proculcandū viderint; ſe etiam peſtilenti ac propudioſo morbo vri; atq; agros ſuos muriū corroſu deuaſtari ſenſerint; quid hæc ad ambiguam multæ mortis *confuſionem*, & non potiùs ad querelas, lacrymas, & lamenta? Exinde Theodoretus indidem q. 13. explorato exinceps contextu, hanc Azotiorum *confuſionem*, ad dubiam perplexitatē, vndè nam plaga ingrueret, videtur referre: *Voluerunt*, inquit, *diſcere per*

expe

*Azotij confuſà perplexitate dubiæ mentis, nimis vruntur.*

*experientiam, plagáne eſſet à Deo immiſſa, an ea caſu accidiſſet ...... In triuio autem abſque aurigâ dimiſſis vaccis expectabant vt viderent an ad vitulorum mugitum reuerterentur, an ad aliam viam declinarent, relictâ viâ quæ fert ad Hebræos, vt ſi ex his quidem duobus fieret alterum, tanquam imbecillam condemnarent arcam. Sin autem vaccæ, aliis viis relictis, & ſpretis ſuis vitulis, abeant in terram Iſraëliticam, verè cognoſcerent illas plagas fuiſſe à Deo immiſſas.* Nimirùm Azotij, dum ſuum Numen profanatur, abiicitur, & proculcatur, & cum eo tota eorum religio dehoneſtatur: dum ipſi peſtilenti & propudioſâ inſolenter ægritudine populariter vruntur: dum eorum villæ & agri murium corroſu perduntur; non ſic multimoda calamitas eorum ſenſum exorbuit, vt ambiguæ perplexitati, & dubiæ *confuſioni* præcipuum non relinquerēt locum, ſcilicet *plagáne eſſet à Deo immiſſa, an ea caſu accidiſſet?* Ideò quaſi res notatu digniſſima, ſignatè ſcribitur, quòd tunc, tunc quidem quando tot plagis acerbè feriebantur, *facta eſt confuſio mortis magna in ciuitate.* Sic dubius perplexitate animus, & conſilij inops, angitur, feritur, vritur! Sic inter tot calamitates velut præcipuum ab acerbitate locum habet anceps dubiæ mentis confuſio.

---

## §. CXXXVIII.

### *Quàm ſit humanum patrocinium debile, friuolum, futile, caducum; quò diuinum potiùs exambias.*

1: Publ Mim. apud Senec.

BEllè ille quicumque apud Senecam: *Fides, vt anima, vnde abit, eò nunquam redit.* Et ſanè fidem nemo vnquam perdidit, niſi qui non habet. Miror, quòd homo apud hominem fidem aliquando perdiderit, quam rarò, aut nunquam habere debuit. Dudum enim maledictione mulctatur homo, qui confidit in homine. Spes humana in homine collocata, ſpei titubatio eſt, rationis languor, & negotij naufragium. Humanum præſidium præ imbecillitate, & inconſtantiá nutat: nutanti autem fulcro quis tutò ſe credat, niſi qui ruinam amat. Heu quoties falſatâ fide humanum patrocinium degenerat! Vel ipſa experientia longâ ſeculorum ſerie perducta, humanis ſpebus te exuat, & diuinis induat. Hæc ſit noſtræ ſpei anchora, quæ aduerſus atroces ſæuientis Oceani vortices fiduciam humanam firmet. Homo, qui plerumque nemo ſibi eſt, plurimus erit aliis? *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.*

*Spes in homine collocata, ſpei titubatio eſt.*

Iere. 17. v 5.

2. Matthæi 25. Decem illæ virgines, quarum quinque erant fatuæ, & totidem prudentes; dum moram facit ſponſus, dormitauerunt omnes, & dormierunt. Mediâ autem nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades ſuas. *Fatuæ autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro: quia lampades noſtræ extinguuntur.* Hactenùs profundè dormierant, & altè ſtertebant; & dum ad ſponſi aduentum, lampades oleo vacuas animaduertunt, à ſodalibus opem expetunt amici contubernij titulo. S. Gregorius hâc ſuper re, ita ad rem præſentem ſcribit: *Quid eſt autem*, inquit, *quòd tunc à prudentibus oleum petunt, niſi quod in aduentu iudicis cùm ſe intùs vacuas inuenerint, teſtimonium foris quærunt? ac ſi à ſuâ fiduciâ deceptæ, proximis dicant: Quia nos quaſi ſine opere repelli conſpicitis, dicite de noſtris operibus quod vidiſtis.* Exiguum ſanè, & facile parabile patrocinium foret, id à ſodalibus impetraſſe. Tamen illa ſollertia ſemper eſt inerter tarda; & quantumuis feſtinet, futilis, quæ in alieno patrocinio & ſuffragio ſpem collocauit. *Ite potiùs*, inquiunt, *ad vendentes, & emite vobis.* In patrocinio quod precariè exambiunt, nec verba inueniunt. Sic patrocinium quod ambitioſè expetis, vel vnius commendatitij verbuli auarum eſt? O quàm miſerè de aliorum mendicitatibus viuitur! ſic eſt infidum vel *prudentium* patrocinium! Moraliſſimè dicuntur *fatuæ* hæ quinque virgines, quæ vel in *prudentium* ſuffragio ſpes ſuas collocarunt.

Math 25. v 8.

*Vel prudentiū patrocinium, ſuffragio peragendum, infidum eſt.*

S Greg. homil 12. in Euang.

3. Matth. 10. v. 10.

*Humanum patrocinium, virga eſt, quæ vertitur in colubrum.*

Matthæi 10. vbi primùm Chriſtus Deus duodecim Apoſtolos renunciauit, confeſtim ad prædicandum illos dimittit: Nolite, inquit, poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: *Non peram in viâ, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam* Eſto, Euangelicus concionator gratis cæli doctrinam nationibus roret, & de zonâ pecuniis vacuâ Chriſtianam paupertatem altiùs buccinet; quid tamen prohibet, *virgam* in manu ferre, quâ ieiunum corpus pedeſtri itinere feſſum, vtcumque ſuſtentet? Sapienter inibi Hieronymus: *Docet Dominus neque habere virgam, quæ vertatur in colubrum, neque in aliquo præſidio carnis inniti: quia huiuſmodi virga & baculus arundineus eſt, quem ſi paululum preſſeris, frangitur, & manum perforat incumbentis.* Scilicet parùm intereſt, vt Apoſtolus iter pedibus ad prædicandum conficiens, baculo vtatur, quo feſſa membra tantillum obfirmet. Maximi verò refert, ne manus incumbat *virgæ, quæ vertatur in colubrum*: & quem ſperabas ſtillare patrocinium, ſerpentino horrore noxiè venenum eructet. O venenata quorundam patrocinia! Explora, time, caue; ne virga, quâ inniti putabas, vertatur in colubrum. & ipſo auxilio periculum ipſum adornes.

S. Hier. ibi.

4. Marc. 4 v. 35.

Marci 4. Chriſto cum Diſcipulis nauim egreſſo, dum ipſe in puppi ſuper ceruical dormit, ſæua oboritur procella; ſicque nauicula fluctibus quatiebatur, vt penè naufragium faceret. Diſcipuli autem cum nautis, ac reliquis vectoribus, poſtquam diu multumque procellæ reluctati ſunt, *Excitauerunt eum, & dicunt illi: Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus?* Et exurgens comminatus eſt vento, & ceſſauit procella. Quâ ſuper re ita ad rem præſentem philoſophatur Seleucienſis Baſilius: Diſcipuli, inquit, ſtudioſè ſalutem quæritabant ab arte, ſed manus fatiſcebant. Cum tempeſtate depugnabant, & cum ventis de naui decertabant. At cùm procella præualeret, neque arti pateret mare, ac potiùs vinci extimeſceret, & terrorem de terrore exſuſcitaret, *victi diſcipuli, & quæſitas ab arte ſpes, tanquam & ipſæ naufragium facerent omittentes, recurrunt ad portum qui in ſcaphâ erat, & adſtantes clamant: Magiſter, Magiſter, ſalua nos, perimus.* O bonam ſpei humanæ informādæ eruditionē! Scilicet dū atrociùs ſæuit tempeſtas, ita vt fluctus nauiculā exorbeāt, nō tā de procellæ vi quā de ſpei humanitùs collocatæ periculo, naufragiū facere perhibētur. Vnde dū ſpē excutiunt humanā, & ad diuinā cōfugiunt, de periculo

Baſil. Seleu. Orat. 22.

*Spes humanitùs collocata, citiùs quàm procella naufragium facit.*

*ſacrificium* aut cultum prætexens, iuſtas duræ oppreſſionis querelas intermittit. *Voluit Dominus eruere populum ſuum, quòd nondum prætexit, nec labores conqueritur.* An ſi ad eruendum populum ſuum querulus, allegaret diram populi oppreſſionem;& Moyſes conquereretur de Pharaonis fide infidè ſæpiùs falſatâ, minarum auctoritatem querelis dilueret apud Regem? Porrò Politicorum gnome eſt: Animo dolenter querulo nihil eſt credendum.Indè forſan Moyſes querelis abſtinet, vt minis Dei nomine acerbiùs vibratis fidem faciat inconcuſſam,quamobrem nec populi oppreſſionem, nec fidem toties violatam vnquam allegat.Non bene agitur,quod querelarum fide peragitur.

## §. CXXXI.

*Maieſtati maior ex longinquo reuerentia: nam frequens conſuetudo, aut contemptibiles inuenit,aut facit.*

5. Tert Apologic.10. A Ppoſitè Tertullianus in ſuo aduerſus Gentes Apologetico: *Ante Saturnum*, inquit, *Deus penes vos nemo, ab illo cenſus totius vel potioris vel notioris diuinitatis.* Vndè ergò tãta Saturni apud Gentes æſtimatio, vt Cæli ac Terræ filius diceretur, ab illoque totius vel potioris vel notioris diuinitatis cenſus exiſteret? Pergit Tertullianus: *Sed cuius parentes ignoti erant facilè fuit eorum filium dici, quorum & omnes poſſumus videri. Quis enim non Cælum & Terram, matrem & patrem venerationis & honoris gratiâ appellet? vel ex conſuetudine humanâ, quâ ignoti, vel ex inopinato apparentes, de Cælo ſuperueniſſe dicuntur? Proindè Saturnum repentino aduentu vbique Cælitem contigit dici.* Et paullò antè dixerat: *Mons quem incoluerat Saturnius dictus: tota denique Italia poſt Oenotriam, Saturnia cognominabatur.* Ibi enim Saturnus diu latuit, Iouis filij iras fugiens. Idcircò & Latium à latendo nominatur. Ecce tibi diuinitatis cenſus ab homine ignoto, ex inopinato veniente, tectiùs diu latitante,& à frequente hominum commercio ac conſuetudine remotiſſimo. *Maieſtati enim maior ex longinquo reuerentia.* Hanc maieſtati auguſtiorem reuerentiam hîc ambit Aſſuerus.

*Ab ignoto & latente Saturno, totius diuinitatis cenſus eſt.*

Tacitus 3. Annal. Hic v.11.

2. Ioannis 6. arcanè furtiuo quinque panum & duorum piſcium incremento, dum Apoſtolorum manus eſcas de cælo parturiunt, multa hominum millia in deſerto ſatiantur. Stupet turba miraculi magnitudine attonita: & aliquid præcelsè auguſtum, & humano faſtigio maius

Ioan.5.v.14 in Chriſto latere ſubmuſſitant. *Illi ergo homines cùm vidiſſent quod Ieſus fecerat ſignum, dicebãt: Quia hic eſt Propheta, qui venturus eſt in mundum.* Vidit Chryſoſtomus, quâ pollebat Biblicæ eruditionis ſagacitate, quòd non ſatis ſibi cohærent hæ hominum voces: nam ſi cum articulo demonſtratiuo, Chriſtum præſentem, & miracula tunc patrantem demonſtrant, aientes. *Hic eſt Propheta*; quomodo ſi eum vident præſenté, addunt: *Qui venturus eſt in mundum?* Dicere enim potiùs debuiſſent *Hic eſt Propheta, qui iam venit in mundum.* Accipe Chryſoſtomi verba: *Ex hoc autem quòd dicunt, Qui venturus eſt in mundum, manifeſtum eſt quod Prophetam quendam principalem expectabant. Et ideò quod dicitur: Hic eſt Propheta, in Græco cum adiectione articuli ponitur, ad oſtendendum ſcilicet eum eſſe diſcretum ab aliis Prophetis.* Quaſi dicant: Hic eſt magnus ille Propheta, à Moyſe prænũciatus,& à Iudæis expectatiſſimus. Meſſias inquã, ſeu Chriſtus Deus. Benè eſt,& idcircò Interpretes Chryſoſtomo conmuniter adſentiunt. Sed quare Chriſtum Deum, quem digito deſignant, dicentes: *Hic*, appellant *venturum*? & non potiùs aiunt: *Hic eſt magnus ille Propheta, à Moyſe promiſſus, à Iudaâ gente expectatiſſimus, Chriſtus Deus inquam; qui iam venit in mundum?* cohærentia enim ſententiæ id expoſcere videbatur. Verumenim verò alta, quam imbiberant, mens de Chriſto, tantum patrantem iraculum, aliter eos loqui non ſinebat. Porrò quem præſentem vident, & articulo demonſtratiuo, velut digito coràm oſtendunt ad tantæ maieſtatis auguſtiorem cenſum & maiorem æſtimationem, quaſi abſentem oſtendunt,& tanquã *venturum* indigitant: & pro ſublimiſſimæ maieſtatis decore, quaſi in verbis non ſibi conſtent,& pugnantia dicant, quem præſentem ſentiunt *venturum* appellant: *Hic eſt Propheta, qui venturus eſt in mundum. Maieſtatis enim maior è longinquo reuerentia.* Quod ex iamiam dicendis ex Hebræo idiomate, ampliùs declarabitur.

S.Chryſ. ibi. apud Caten.

*Reuerētia eſt quòd Chriſtum, quem oculis vidit, venturum appellent.*

3. Exhod. 3. rogatus tandẽ à Moyſe Deus, quod ſibi eſſet nomen quo illud ad maiorem legationis ſuæ fidem, Hebræis Ægyptiacâ ſeruitute oppreſſis denũciare poſſet: *Dixit Deus ad Moyſen: Ego ſum, qui ſum. Ait: Sic dices filiis Iſraël: Qui eſt, miſit me ad vos.* Cardinalis Caietanus ſic locum & excribit,& exponit: *Iuxta Hebræum habetur. Ero qui ero.* (Caietano adſentiunt reliqui, qui Hebraicè legunt.) Et poſt pauca explicans poſterius huius verſiculi hemiſtichion, tempeſtiuè addit (pro τὸ *Sic dices filiis Iſraël: Qui eſt miſit me ad vos*) *Sic dices filiis Iſraël: Ero miſit me ad vos.... Et ne minor ſuboriretur intelligentia diuinæ naturæ, adiungitur, Miſit me ad vos. Dicendo, Miſit, ſignificat quod ita Ero, quod etiam fuit.* Altè quidem de Hebræorum adytis Caietanus! Scilicet Hebræi dum honorificentiùs tractant ſacroſanctum Dei nomen, eiúſque auguſtiſſimam eſſentiam ſublimiùs honorare & nobilitare reuerentiùs percupiunt, quò apud homines ſit Dei auctoritas & maieſtas in maiori æſtimationis cenſu, Deum nominant, *Qui ero*: & ne illi exindè derogent, ac ſi anteà non fuerit, conſultiſſimè additur: *Qui ero miſit me ad vos. Dicendo, Miſit, ſignificat quòd ita Ero, quòd etiam fuit*: quaſi præteritam durationem futuræ coniungant; & præſentem ſubticere, ſeu intermittere videantur. Non quia Deus aliquandò præſens non ſit, fuerítve, cuius attributum eſt ſemper eſſe, æternæ permanenter exiſtentiæ infinito elogio; ſed quoniam apud homines non tam æſtimari ſolet, quod præſens eſt,& coràm exiſtere putatur, quàm quod abſens nominatur, & maieſtatem de abſentiâ fœnerat. Porrò *maieſtati maior è longinquo reuerentia.*

Exhod. 3. v. 14.

Caiet. ibi.

*Quare Deus dicitur, Qui ero: & de præterito additur: Qui ero, miſit me?*

4. Matthæi 14. Quinque panibus & duobus piſciculis multa hominum millia Chriſtus in ſolitudine ſatiauerat: turba beneficum grãdiùs miraculum ſtupet, & auguſtum quid de Chriſto cogitat; adeò vt tantùm non ſit publicè proclamatus Iudæorum rex. *Et ſtatim compulit Ieſus diſcipulos aſcendere in naniculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.* Quo verbo oſtenditur, inuitos eos à Domino receſſiſſe, dum amore præceptoris miraculosè benefici

Matth 14 v. 22. Ioann. 6 v. 14.

*Chriſtus abſentatur poſt patratum miraculum, ne phantaſticum putetur.*

ſici, ne ad punctum quidèm temporis ab eo volunt ſeparari. Verùm Chriſtus dum maiora miracula coram frequente multitudine operatur, multitudinem aut dimittit, aut fugit, docens nos nuſquam gloriam multitudinis proſequi, neque humanos plauſus gratanter captare. Ad hæc ſubtiliorem aliam rationem excogitauit Chryſoſt. ſic inibi fatus: *Diligentem examinationem eorum quæ facta erant tradere volens, eos qui præmiſſum ſignum viderant, iuſſit à ſe ſeparari: quia etſi præſens viſus fuiſſet, phantaſticè & non in veritate feciſſe miraculum diceretur: non tamen vt abſens. Et ideò dicitur: Et ſtatim compulit Ieſus diſcipulos aſcendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimiſsâ turbâ aſcendit in montem ſolus.* Itaque turbâ & diſcipulis ſtupore defixis ob miraculi magnitudinem, & ſublime quoddam ſolito maius de Saluatore meditantibus, tunc *compulit* diſcipulos à ſe longiùs recedere, & turbas ſollicitè *dimittit*, ne poſt iam patratum miraculum, & tanto omnium plauſu celebratum, dum poſteà tacitâ mente, aut ſermonum commercio prodigium recolitur, & ad *examen* vocatur; ipſe prodigioſus miraculi patrator *præſens* adſit: de humanâ vulgò cenſurâ prudenter veritus, ne forſan ſi ipſe Chriſtus tunc *præſens* adeſſet, miraculum quod oculis viderant, manibus palpauerant, & ore celebrauerant, *phantaſticum* putaretur, & ſpecie tenus miraculum. Si *præſens viſus fuiſſet*, ſic forſan cenſerent; *non tamen vt abſens.* Quid exaggeratius? Itaque ad auctoritatem perſonæ, & glorioſum miraculi ſenſum, & cenſum, ſpectatores ab ſe longiùs ablegat, & de eorum abſentiâ *ſolus* manet; vt quo *præſente* forſan *phantaſticum* putaretur miraculum, de patratoris *abſentiâ* ſublimiùs cenſeretur. Sic auctoris *præſentia* magnum alioqui opus faſcinat? Sic *abſentia* magnæ æſtimationi adulantiùs blanditur? *Maieſtati enim maior è longinquo reuerentia.*

*S. Chryſoſt. homil. 50. in Matth.*

5. Lucæ 4. Dæmone pertinaciſſimo mirabiliter excantato pauculis Chriſti verbis, factus eſt pauor in omnibus, & colloquebantur adinuicem, dicentes: Quod eſt hoc verbum, quia in poteſtate & virtute imperat immundis ſpiritibus, & exeunt? Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis. Aliis poſtmodùm patratis denſè miraculis, ſubdit Euangeliſta: *Factâ autem die egreſſus ibat in deſertum locum, & turbæ quærebant eum, & venerunt vſque ad ipſum: & detinebant illum ne diſcederet ab eis.* Multa mouent Interpretes, vt explorent, quare poſt tantam miraculorum gloriam, ſic obnixè admiratur Chriſtus diſcedere à turbis, tanto plauſu & ſtupore eius prodigia admirantibus? Quid ſe ſubtrahit præluſtrium operum gloriæ, quorum admiratione fides in ipſum mirè propagabatur? Tot miraculis copioſam fidei ſementem facit, & meſſem ſeceſſu negligit? Luculenter Chryſoſt. *Egreſſus ibat in deſertum locum, &c. Poſtquam ſatis vtilitatis populis per miracula eſt collocatum, oportebat eum abeſſe. Maiora namque putantur miracula poſt abſentiam operantis, dum ipſa magis exclamant, & vice vocis fruuntur. Vndè dicitur: Factâ autem die egreſſus ibat in deſertum locum.* Vel Chriſti Dei præſentia, quæ abſconſæ diuinitatis ſpirabat notas, miraculorum æſtimationi ac gloriæ detrahit? De abſentiâ ſatagit tot prodigiorum famam vberiùs commendare? (Adſimilis locus nuper expenſus adſimilem expenſio-

*Lucæ 4 v. 42*

*Maiora putantur miracula poſt abſentiā operantis.*

*S. Chryſoſt. apud Caten. ibi.*

*Continua conſuetudo homines contemptibiles facere conſueuit.*

nem iterare vetat.) *Maieſtati enim maior è longinquo reuerentia.* Rationem reddit idem Chryſ. homil. 34. in Ioannem: *Conſuetudo enim,* inquit, *contemptum facere conſueuit.* Quam Chyſoſtomi ſententiam viuaciùs S. Thomas expreſſit: *Conſuetudo enim facilè homines contemptibiles facere conſueuit.* Hinc Perſarum reges ſic ſollicitè arcent populorum viſum, & conſuetudinem. Nam continuus aſpectus minùs verendos magnos viros ipsâ ſatietate facit.

*S. Chryſoſt. S. Thom. in Catenâ in cap. 4 Ioan. Hic verſ. 9. & 10.*

Canticorum 4. hæc pulchra pulchri Sponſi vox auditur: *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecùs latet.* Genebrardus, Pagninus, Clarius, *Oculi tui columbarum intra cincinnos tuos.* Marinus, *intra crinem tuum.* Rabbi Iona, & alij, *intra velum tuum.* Verùm Hebræum צמת *tſammat*, vt eruditè inibi notat Cornelius, *non tam velum, quàm velatum, id eſt, rem ob pulchritudinem aut reuerentiam velo dignam, obiectámque ſignificat .....* Et probat ex Septuaginta, Syro, & Arabico, qui *tſammat* vertunt, *Taciturnitatē*, ſiue *Silentium*, id eſt, *rem latentem, & præ ſui decore & maieſtate* ſilendam & tacendam. Ecce maieſtatis decus occultatione exaggeratur; ne de oculorum ſatietate nauſeam; ſed de abſconſione, & maieſtatis reuerentiam, & videndi appetentiam generet. Pergit ſcitè, & eloquenter nuper laudatus Cornelius præfatum locum exponens: Igitur τὸ *abſque eo quod intrinſecùs latet*, idem eſt ac ſi dicat abſque internâ decoris gratiâ, quæ in oculis abſcondita latet. Quaſi dicat: Oculi tui, ô ſponſa, non tantùm ſimiles ſunt oculis columbinis, eo quòd venuſti ſint, lucidi, ſimplices, amabiles; ſed inſuper eximiam in ſe latentem gratiam & pulchritudinem continent, quæ per pupillam & angulos, velut per velum tenuiter & obſcurè pellucet & emicat, ideóque oculos intuentium non inplet, ſed ad penitiùs id, quod latet, inſpiciendum allicit & rapit: Sicut in pyropis & gemmis nonnullis, tenuis quædam nubecula decora & ſplendida in fundo latens, per extimam ſuperficiem pellucet, quæ oculos intuentium mirè oblectat, ac quia non ſatiat, ad vlteriùs intuendum inuitat, quia ſub eâ quid rarum & pretioſum celari videtur. Hactenùs ille. Quibus verbis thema præſens mirè elucidat, dum abſconſionis pretium, qui æſtimationis cenſus eſt, eruditè tradit, & argutè probat. 6.

*Cant. 4 v. 1. Genebrard. Pagninus. Clarius. Marinus. R. Iona. Cornel. ibi. LXX Inter. Syrus. Arabicus.*

*Cur abſconſio æſtimationis pretium exaggeret.*

*Cornelius ibi.*

## §. CXXXII.

### *Frequens aſpectus minùs verendos magnos viros ipſa ſatietate facit.*

AD auctoritatem maieſtatémque conciliandam faciunt & quædam à naturâ, vt ſiquis *corpore ingens, verbis magnificus* ſit. Aut ab arte vt receſſus & ſeiunctio: quia viles plerumque qui nimiùm ciuiles, & obuij. Porrò hominibus *Omne ignotum* ſemper *pro magnifico eſt.* Hinc regina Vaſthi magnitudinis & venuſtatis ſuæ benè conſcia, propiùs videri à *cunctis populis* recuſauit; recuſabant vulgò magni Principes, Reges, Imperatores maieſtatis ſtudio. Nam *continuus aſpectus minus verendos magnos homines ipsâ ſatietate facit.* Ceterùm quod videri commu niter, quod facilè comprehendi, quod obuiè capi poteſt, minus eſt & oculis quibus occupatur, & manibus quibus attaminatur, & ſenſibus quibus 1.

*Tacit. 2. Ann.*

*Liuius l. 35. Maieſtati maior ex longinquo reuerentia.*

bus inuenitur. Et effatum illud Cornelij Taciti verum eſt. *Maieſtati maior ex longinquo reuerẽtia.* Exindè Rex Aſſuerus hîc ingreſſum ad ſe tam ſeriò vetat. *Eſt proprium ſuperbiæ*, ait Seneca, *magno æſtimare introitum ac tactum ſui liminis, pro honore dare, vt oſtio ſuo propiùs aſſideas, vt gradum prior intra domum ponas, in quâ deinceps multa ſunt oſtia, quæ receptos quoque excludunt.*

Cornel. Tacit. 1. Annal

Hic verſ. 11.

2. Actorum 1. poſtquam Chriſtus Deus è virgine ſepulcri vtero rediuiuâ natiuitate glorioſus ſurrexit, & velut exertâ diuinitate aſpectabilis, Apoſtolis præbuit ſeipſum viuum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis, *per dies quadraginta apparẽs eis, loquẽs de regno Dei.* Premunt Interpretes illud, *per dies quadraginta*, nequis putet ſiniſtrâ exiſtimatione totos quadraginta dies Chriſtum cum Diſcipulis conuerſatum fuiſſe. Et OEcumenius hanc ad thema præſens opportunam cauſſam in horum verborum commentario dedit, ita fatus: *Per dies quadraginta*, inquit, *non dixit: In diebus quadraginta: neque enim continuè cum diſcipulis verſabatur, quemadmodum ante paſſionem, ſed differenti modo: ſimul quidem & deſiderabiliorem eis reddens ſuam apparitionem: ſimul quoque & ſublimiorem, magiſque diuinum ſeipſum oſtendens.* Quis dignè æſtimet reſurgentis Chriſti glorias triumphatore Deo dignas? Verùm ad ſumptuoſioris gloriæ, & auguſtioris maieſtatis auctariũ non *in diebus quadraginta* conuerſatus eſt cum Diſcipulis, ne continuus aſpectus minus venerandum ipſum ipſâ ſatietate faceret: ſed *per dies quadraginta*, modò ſe eis viſendum præbẽs, modò ſeipſum ſubducens ab eorum oculis, vt reſurgentis glorias de abſentiâ quoque æſtimarent, dum deſiderium æſtimationis adauget pretium; *ſimul quoque & ſublimiorem magiſque diuinum ſe ipſum oſtendens.* Quaſi non tam ſublimis diuinúſque appareret, ſi in illâ ipſa gloriæ formâ, quâ corpore prænitebat, *continuè cum Diſcipulis verſaretur.* Sic receſſus & ſeiunctio auctoritatem conciliat? Maieſtati maior ex longinquo reuerentia: & familiaris conuictus auctoritatem diluit. Ne ergo tibi, quod eſt rariſſimum, aut ſeueritas amorem, aut facilitas auctoritatem diminuat.

Actor. 1. v. 3.

Œcum. ibidem. *Chriſti abſentia addit ad Reſurrectionis glorias.*

3. Matthæi 2. ſtellâ duce, quæ fulgorum linguâ infantis Dei natiuitatem loquebatur, veniunt ab oriente Magi: turbatur Herodes alieni regni conſcientia intutus, & cum Rege regnum de more turbatur. nam vertigine Principis titubat ſubiectus populus. Scribæ autem interrogati à Rege, vbi Chriſtus naſceretur, ex Michææ oraculo peritè reſpondent: *In Bethlehem Iudæ: ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael.* Quid profuit illis cælitùs de loco ſapere, ſi in loci Domino ſtultè deſipiunt? Bethlehem vrbecula fuit exigua: ſed de natiuitate Chriſti cenſenda, inter principes Iudææ vrbes meritò computatur: Sed nota huius hactenùs vrbeculæ elogium, quod Propheta prodit, & Euangeliſta ingeminat: *Ex te enim exiet dux*, inquit, *qui regat populum meum Iſraël.* Quæ verba ita ad rẽ elucidat Theophylactus: *Ex te enim egreſſurus eſt dux. Rectè egreſſurus eſt, inquit, non in te manebit. Non enim manſit Chriſtus in Bethlehem, ſed ex eâ poſtquam natus eſt exiit, & in Nazareth frequenter conuerſatus eſt.* Annon ex vrbe Nazareth, vbi Chriſtus frequẽter habitabat, abſurdæ illæ voces eruperunt: Nonne hic eſt fabri filius? & fratres eius apud nos ſunt? Vnde huic ſapientia, & virtutes? Nonne ipſe Chriſtus ad Nazarenos dixit: Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patriâ ſuâ? Ergò Euangeliſta ciuitatulæ Bethlehem occinens laudes, quæ ad Chriſtum ſplendores reuerberãt, & illius prædicant maieſtatem; *Rectè egreſſurus eſt, inquit, non in te manebit.* Nam eximiam habet laudem, ex eo quod diuinæ natiuitatis locus eſt; ibi enim natus eſt Chriſtus Deus. Et quia indè cõfeſtim egreſſus eſt, neque inibi mãſit à pueritiâ cum ciuibus frequenter verſans, caruit Nazarethæ vrbis vitio: neque in Bethlehem ſicut in Nazareth, diuinitas in Chriſto contempta fuit. Igitur vrbecula Bethlehem inter principes Iudææ vrbes numeretur: *ex te enim exiet dux. Rectè egreſſurus eſt, inquit, nõ in te manebit.*

Matth. 2. v. 5 & 6.

Mic 5. v. 2. *Beatur Bethlehem, quia ex eâ exiet Chriſtus; non quia in eâ manebit.*

Theophyl. inibi.

Geneſ. 35. in patrium ſolum è Meſopotamiâ redit Iacobus, multâ familiâ, pariter ac ſollicitudine grauis; tunc apparuit illi Dominus, & amicè cum illo agens, Iacobi nomen in Iſraël cõmutat, & promiſſiones Abrahamo & Iſaaco dudùm factas recenter cõfirmat: Ego Deus omnipotens, inquit, creſce, & multiplicare: gentes & populi nationum ex te erunt, reges de lũbis tuis egredientur. Terrãque quam dedi Abrahã & Iſaac, dabo tibi, & ſemini tuo poſt te. *Et receſſit ab eo*: Hoc eſt Deus humanâ formâ apparens, à Iacobo, cum quo familiariter agebat, receſſit. Caietanus inibi: Iuxta Hebræum habetur: *Et aſcendit deſuper ipſũ Elohim.* Appoſitè Chaldaica paraphraſis: *Et aſcendit ab eo gloria Domini.* Deus cùm ab homine *recedit*, & deſinit cũ homine familiariùs conuerſari, tunc aſcendere, & auguſtiùs ſublimari dicitur; tunc, inquit, *aſcẽdit gloria Domini.* Nulla *Dominicæ gloriæ* mẽtio fit: quandò cum homine conuerſatur, ſed quandò ab homine recedit? Sic abſentia, & ab humanis oculis remota, homo magnificè æſtimat? Sic paruipendere ſolet eos, quibuſcum familiariter conuerſatur? Deus, Deíque *gloriâ* ſublimiùs aſcendit, cùm *recedit* ab homine?

4.
Geneſ. 35. v. 13.
*Glorioſius tunc dicitur Deus cùm ab homine longiùs recedere dicitur.*

Caietan.

Chaldæus.

Geneſ. 1. die mundi quartâ. *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas. Et poſuit eas in firmamento cæli, vt lucerent ſuper terram.* Conuenit inter expoſitorum proceres, Lunam fulgores à Sole fœnerari, quæ à ſe obſcura & cæca eſt, & alieno ſolis lumine adornatur, inoculatur, illuſtratur. Valdè autem diſſidẽt an in plenilunio totâ lampade fulgens, an potiùs in nouilunio, lucis dote viduata, Luna crearetur? Scilicet vtrum à Sole abſens, an Soli præſens primò apparuerit? Hac de re ita ad rẽ ſcribit Rupertus: *De Sole & Luna hodie inter doctos diuerſa ſententia eſt: aliis dicentibus, quòd Lunam creans Deus ſtatim plenam oſtenderit, Soli opponens remotam dimidia parte cæli: aliis econtrà aſſerentibus, quòd vtrumque vt ſimul fecit, ita & in coitu poſuerit, vt paullatim Luna de ſub latere Solis emergeret, cum cremento mutuati luminis.* Vide nunc Lunam plenè fulgentem toto lucis diſco, quandò *dimidiâ cæli parte* à Sole abſentatur. Cùm verò Soli proximiùs adhæreſcit, cæcè obſcura latet, & dum de ſub latere eius emergit, longiuſque ab eo recedit, noua in dies luminis incrementa de receſſu mutuare, & quæ de Solis abſentiâ micantiùs fulget, de proximiori præſentia ſenſim infuſcatur. Itaque variâ ignium face Luna ſplendet, & *quanto longiùs*

5.
Geneſ. 1. v. 16. & 17.
*Luna de ſolis abſceſſu fulges; de acceſſu obſcuratur, fulgoribus ſenſim viduata.*

Ruper. l. 2. in Geneſ. c. 20.

*abit*

*abit à Sole, tanto longiùs illuminatur, pari incremento itineris, & luminis.* Quaſi Sol (Perſicum auguſtè Numen, & quod Perſarum reges ſuperbe æmulantur) receſſum à ſe, opulentiore lucis gratiâ muneret; acceſſum verò, ſplendorum decremento, & ignobili obſcuritate, & lucis morte puniat. Sic ad ſe proximantes ſidereus cæli rex inuidioſè faſtidit, arroganti auguſtioris maieſtatis faſtu. Siquidem *maieſtati maior ex longinquo reuerentia*, vt ex Tacito nuper recitauimus. Hinc Eſther Perſidis Luna, ad ſuum Aſſuerum Perſicum Solem ſic timet accedere, ne vitalis lucis, & regni fulgorum vſurâ viduetur.

Apulei. l. de Deo Socratis.

Hic v. 11.

6. Exhodi 33. diù amica Dei familiaritas in piam audaciam erexit Moyſen, vt ipſi diceret: *Oſtende mihi gloriam tuam.* Cui reſpondit Deus: *Ego oſtendam omne bonum tibi .... Cúmque* tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dexterâ meâ, donec tranſeam: tollámque manum meam, *& videbis poſteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.* Locus, & à ſe, & ab Interpretum commentariis valdè implexus, & intellectu multifariam arduus. Et ſanè Moyſes Dei gloriam ſibi oſtendi expetiuit; & dum eius *poſteriora* illi monſtrantur, *omne bonum* illi oſtenſum perhibetur. Sed quid eſt hoc *omne bonum*, quod Deus oſtendere Moyſi pollicetur? Dein, cui eſt *omne bonum*? Deo oſtendenti? an *poſteriora* duntaxat videnti? Xantes Pagninus ſic ex Hebræo locum excribit: *Ego tranſire faciam omne bonum meum ſupra faciem tuam*, &c. Ad quæ verba ita ſcribit Oleaſter, *Expende Dei liberalitatem, qui plus dat, quàm petamus nos. Petierat Moſes eius videre gloriam, ipſe verò pollicetur omne bonum ſuum illi oſtenſurum.* Nimirùm Moyſi poſtulanti propiùs videre gloriam Dei, cùm Deus negat faciei viſionem, annuit vt videat eius *poſteriora*; & tunc, tunc quidem Deus dicit, ſe oſtendiſſe *omne bonum ſuum*, mortem comminatus ei, qui faciem ſuam viderit in hâc vitâ mortali, (quâ hîc mulctabatur pœnâ, qui Aſſuero videndo iniuſſus accederet.) Scilicet *omne bonum* Dei, extrario humanæ opinionis cenſu, quo auguſtior gloria ex hâc arcanè inuiſà maieſtate cenſetur, quodammodo reputat, non videri facie ad faciem, ſed aut procul, aut à tergo, & ſic etiam in tranſitu humanis aſpectibus permitti. *Ego tranſire faciam omne bonum meum: & videbis poſteriora mea; faciem autem meam videre non poteris.* Porrò hominibus omne ignotum, ſemper pro magnifico eſt: Maieſtati enim maior ex longinquo reuerentia, quæ eſt apud homines ſumma auguſtioris gloriæ meta.

Exhod. 33. v. 23.

*Cur Deus nō faciem, ſed dorſum ſuum, ſpecie ſua, mortalium aſpectibus permittat.*

Pagnin. ibi. Oleaſt. ind.

7. Exhodi 32. Videns Hebræus populus quòd moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus aduersùs Aaron, dixit: *Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant: Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terrâ Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Profectò hæc populi poſtulatio non ſatis ſibi cohærere videtur. Nam eſto, Moyſes tandiu fuerit abſens, hominem qui vicarias eius vices præeundo obiret, petere debuiſſent; non Deos qui præcederent itineris duces. Annō Moyſis abſentia, non per alium hominem, ſed per Deum ſuppleri neceſſe eſt? Huic dubio tempeſtiuè reſpondet Abulenſis: *Moyſi enim huic viro ignoramus quid acciderit. Hîc ponitur motiuum, quod ipſi expreſſerunt Aaron, vt conſentiret eorum petitioni, ſcilicet quòd Moyſes, qui eos dirigere ſolebat, abſens erat, nec de ipſo quicquam ſciebant, ideò neceſſarium videbatur, vt eis fieret aliquis Deus director in viâ.* Nimirùm dum Moyſes præſens illis aderat crebris aſpectibus frequens, tanquam homo ſanctitate, prudentiâ, & peritiâ inclytus habebatur. At vbi longiori abſentatur morâ, tam ſublimem de illo opinionem combiberunt, vt eius abſentiam, non per alium quemquam (tametſi naturæ & gratiæ dotibus præluſtrem) ſuppleri poſſe cenſuerint. Vndè abſenti Moyſi, non hominem, ſed Deos ſubrogant, dicentes: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant. Scilicet quòd Moyſes, qui eos dirigere ſolebat, abſens erat*, quaſi auguſtioris præſtantiæ cenſus de abſentiâ ſit, quæ æſtimationis pretia miro incremento auget prædiuite honorum auctario.

Exhod. 32. v. 1.

*Non putant Hebræi, Moyſis abſentiam niſi per Deos poſſe ſuppleri.*

Abul. ibi. q. 9

## §. CXXXIII.

### *Propè omnes actiones humanas metitur ſua cuiuſque vtilitas?*

QVis hoſtis in quemquam tam contumelioſus fuit, quàm in quoſdam inſanus propriæ vtilitatis amor? quorum impotentiæ, & auaræ libidini ob hoc vnum poſſis ignoſcere, quòd quæ fecere patiuntur. Nec immeritò hic illos furor vexat. Neceſſe eſt enim in immenſum exeat cupiditas, quæ naturalem modum tranſiliit. Ille enim habet ſuum finem: inania, & ex libidine orta ſine termino ſunt. *Neceſſaria metitur vtilitas, ſuperuacua quò redigis?* Commoditatibus ſuis ſe homines immergunt, quibus in conſuetudinem adductis carere vix poſſunt: & ob hoc miſertimi ſunt, quod eò peruenerunt, vt illis quæ ſuperuacua fuerant, facta ſint neceſſaria. Seruiunt itaque vtilitatibus ſuis, non fruuntur: & hanc ſeruitutem aut auarè, aut ambitioſè opprimentem (quod malorum vltimum eſt) amāt. Ad reliqua deſides torpent, ad ſuam vtilitatem vigiles, actuoſi, induſtrij, exſomnes: ac ſi hominum actiones metiatur vtilitas: quâ deficiente languet humanitas tota. Sic propè rebus omnibus (num etiam piis?) propriæ vtilitatis amor velut inolitus hæret! Adeò vt Mardochæus vix Eſtheris animum flexerit, vt proprio periculo, populi Hebræi periculum auerteret, quouſque ſuam ipſius vtilitatem conſultiùs ſuggeſſit: *Mardochæus rurſùm mandauit Eſther, dicens: Ne putes quòd animam tuam tantùm liberes, quia in domo Regis es præ cunctis Iudæis: ſi enim nunc ſilueris, per aliam occaſionem liberabuntur Iudæi: & tu, & domus patris tui peribitis.* Sic propria vtilitas bonis atque imbonis expetibilis eſt!

1.

Senec. ep. 39.

*Propè omnes actiones humanas metitur ſua cuiuſque vtilitas?*

Hic v. 13. & 14.

Geneſeos 3. ita ſcribitur: *Et ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit*, &c. Et poſtmodum: *Nequaquam moriemini.* Pro τὸ *callidior*, alia exemplaria habent *prudentior.* Et quæ eſt hæc callidior ſerpentis prudentia, vt falſatis ſpebus hominum mortalitatem inducat? Cur Diabolorum verſutiſſimus, in re tantâ præ cunctis terræ animantibus, in quibus ſagaciſſima ingenia miramur, callidam ſerpentis prudentiam elegit? Num mauult miniſterialem ſerpentis induſtriam, quia mors hominis ſerpenti vtilis eſt; & indè ſagaciùs procuranda? Hâc de re audiendus eſt Rupertus præfata verba exponēs: *Dicit, inquit, Pythagoras de medullâ hominis mortui, quæ in ſpinâ eſt, ſerpentem creari. Quod ſi creditur, meritò euenit, vt ſicut per ſerpentem mors hominis, ita & hominis morte ſerpens naſcatur.*

2.

Gen. 3. v. 1. Lipom. ibi.

*Serpens mortē hominis procurat, quia de hominis morte ſerpens naſcitur.*

Ruper lib. 3. in Gen. c. 17.

Ecce tibi, cum Dæmonum aſtutiſſimus, non quoduis aliud ex reliquis animantibus ad inducendam hominibus mortalitatem elegit;ſed maluit ſerpentem,è cuius re erat, mortem hominibus inferre,vt de eorum morte ſerpentum genus fœcundiùs propagaret.Exindè forſan non interrogatur de ſuaſionis pernicioſæ malitioſo ſibilo, quia ſuæ vtilitatis negotium agebat, quod cuique ſolertius peragere, & nimis expoſitum, & procliue eſt.*Sicut per ſerpentem mors hominis,ita & hominis morte ſerpens naſcitur.*

3. Matt.2.Cùm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare

Math.2.v.3 eum. *Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Ieroſyma cum illo*, &c. Non mirarer, quòd alienigena Herodes audito Iudæi regis nomine turbaretur:quòd verò Iudæi turbentur miriſſimum ſanè eſt. An non ipſi expectatiſſimum ſuum Meſſiam lætantes excipere debuiſſent, quem Magi auitâ religione abiuratâ, adorare è longinquo venerant? Hinc vel maximè Iudæorum obſtinatiſſimam peruicaciam arguit Ambr.ad hanc theſim opportunus:*Vtique*, inquit,*Magi non adoraſſent,ſi paruulum tantummodò credidiſſent.Magus ergò intelligit ſuas ceſſare artes,tu non intelligis tua dona veniſſe?Ille fatetur alienum, tu non agnoſcis promiſſum?Ille contra ſe credit,tu pro te non putas eſſe credendum?*Meritò Magorum fides tanquam credendi idea cunctis proponitur; quæ ſpeculatiuam Iudæorum, & forſan practicam Chriſtianorum infidelitatem tacitè culpat. *Magus contra ſe credit: tu pro te non putas eſſe credendum?*Chriſtianæ fidei myſteria ſunt in primis creditu ardua;ſed vtilitas ea credendi lenocinatur aſſenſui:ergò vtilitas difficultatem redimat.Aduentu expectatiſſimi Chriſti vota imples,eius inopiâ locupletaris,vtilitate fulges,laboribus recrearis,bearis paſſionibus morte viuis,cruce triumphas. Quod diſſuadet difficultas, tuum tibi commodum perſuadeat. Magus contra ſe credit, quia confeſtim auitæ ſapientiæ vale dicit, exilio & longinquæ peregrinationi ſe deſtinat, regiis ſe deliciis vltrò mulctat, ſceptra ſubmittit inglorio tunc infantulo, in præſepio inter pecudes ſtabulanti,theſauris defrandatur deuotione vectigali *Magus contra ſe credit,tu pro te non putas eſſe credendum?* Impetret ſaltem vtilitas, quod deuotio non extorquet. Et Iudæum perfidæ obſtinationis pudeat, qui hominem deſueſcens,vt Chriſto non credat,malè prodigus ſuæ vtilitati renunciat.

*Magus contra ſe credit, & Iudæus pro ſe non putat eſſe credendum.*

S Ambr.lib. 2. in Lucam.

4. Doctor Gentium de cæli ſcholâ eruditus, ad

Ad Hebr. 11. v. 1. Hebræos 11.ſic fidem deſcribit: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Quæ eſt hæc affinitas fidei cum ſpe,vt per ſpem definiatur fides?Et quidem ſpes in beneficam Dei omnipotentiam voluntate erigitur, Deo digna munera pia præſumptione delibans:fides verò in diuinam veracitatem cæcè oculata mente fertur. Spes de percipiendo præmio ſollicita eſt; fides myſteriis intenta, de præmio nil curat.Imò forſan in ipſo remunerationis velut neglectu,remunerationi minimè renunciauit,& de vtilitate præmij capeſſendâ ſororem ſpem tectiùs æmulatur. Quod perſpicuè vidit Zeno Veronenſis elucidans præſcripta Paulli verba, ad aliud thema alíorſum expenſa. Adeò, inquit, tolle ſpem, torpet humanitas tota.Tolle ſpem,artes, virtutéſque vniuerſæ ceſſabunt. Tolle ſpem,interempta ſunt omnia..... Quid Chriſtianus credit in Chriſtum, ſi promiſſum ſibi ab eo perpetuæ felicitatis tempus non credit eſſe venturum? Sed ſpes in fide eſt quæ quamuis in futuro ſit poſita,fidei tamen eſt. iure ſubiecta: vbi enim fides non eſt, nec ſpes eſt.(Attentiùs penſita quæ ſubſcribit verba) *Fides enim ſpei ſubſtantia eſt:& ſpes fidei gloria:quoniam præmium quod ſpes habet, fides meretur:quæ quidèm pro ſpe pugnat, ſed ſibi vincit.* Scilicet nemo putet,quòd fides totum præmij negotium ſpei relinquat,& illius merito contenta,in propriis laboribus,& periculoſioribus pugnis ſuam vtilitatem prorsùs negligat cæca inertes credendi deſidiâ: nam *fides quidèm pro ſpe pugnat, ſed ſibi vincit.* Nempe fides ſpei militat, & ſub eius ſignis merens, pro ipſa vſque ad mortem pugnat;ſed victoriæ gloriam nulli cedit,ſibi trophæa erigit,ſibi parat triumphum,& triumphalem pompam ſibi duntaxat extruit.Reliquas largiùs vtilitates,id eſt,præmiorum negotium pertractandum,ſpei cedit,dum glorioſum vincendi commodum ſibi adſcribat; ne non ſpectans ſuam vtilitatem,ſed eam omnem ſpei ceſſiſſe videatur.*Fides ſpei pugnat,ſed ſibi vincit.* Pulchrè quidem Zeno!

*Fides ſpei pugnat, ſed ſibi vincit,ne omnem vtilitatē ſpei cedat.*

S Zeno ſer. de ſpe, fide, & charit.

Exhod.4.adhuc Moſes conſtanter recuſat legationem in Ægyptum nimis arduam. Allegat ſuam imperitiam, de paſcendorum gregum peritiâ, ad obeundum principale munus inidoneam: allegat Hebræorum peruicaciam de duræ oppreſſionis puſillanimitate auctam: allegat Pharaonis obſtinationem potentiâ armatam, nullis vnquam minis aut plagis flecti-neſciam. 5.
Reſpondēs Moyſes,ait:Non credēt mihi,neque audient vocem meam,ſed dicent: *Non apparuit tibi Dominus. Dixit ergò ad eum.*Quis?ad quem? Dominus inquam,ad Moyſen mer. sè cunctantē. Sed videamus quo argumento,aut ope Deus Moyſen roboret,vt arduas huius legationis difficultates exarmet. Scitè Caietanus: *Dixit ergò (Dominus) ad eum. Eſtque nomen Domini tetragrammaton,hoc eſt,Iehouah in Hebræo,quo frequēter vtitur in hâc materiâ legationis:tum vt nouiter manifeſtatum nomen magnificetur, tum vt ab ipſo omnia pendere ſciamus.*Geminum obedientiæ incentiuum proponitur, vt inobſequentis Prophetę animus ad obedientiam flectatur. Alterum eſt nomen nouum Superioris.Sic nauſeamus ad antiquum,& diu imperitantem Præſulem,vt vel nomen nouum ſit illicium obſequij? Alterum eſt, quòd ſciat ſubditus, ſe & ſua à ſuperiore pendere. Profectò ei, à quo proſpera ſperamus, aut dura timemus, à quo nos prorsùs pendere noſcimus, facilè arbitrium flectimus.. Notitia dependentiæ eſt lenocinium obedientiæ.Et nota opportuniùs ad rem,quòd quando Deus ſumptuoſiùs oſtentat ſe obſtinationem Paraonis euicturum, puſillanimen Hebræorum peruicaciam edomiturum: quando concutiendą erant elementa,atque cæli & terræ miniſteriali ſeruitio vtendnm,ad tot Ægypto plagas ſeueriùs euibrandas;non aſſumit, vt hactenùs nomen,quod aut diuinam fortitudinem, aut omnipotentiam ſignificet,ſed vtitur nomine *Iehouah, vt ab ipſo omnia pendere diſcamus.* An ſic ſollerter creaturæ omnes ſuis vtilitatibus ſtudent, vt cùm Deus earum miniſteriali ſeruitio etiam violentè vti vult,non præferat omnipotentiæ nomen, cui omnia deſpoticè ſubduntur; ſed nomen Iehouah,

Exhod. 4. v.1.& 2.

Caiet. ibi. *Notitia dependentiæ eſt obſequij exemptioris lenocinium.*

*Deus concuſſurus Ægyptum, ſilet omnipotentiæ nomen, & à quo omnia pendent, nominatur.*

Iehouah, quo vi ſuæ ſignificantiæ denotatur, quòd omnia à ſe dependent, quòd creaturæ omnes ſuam vtilitatem à Deo metiuntur, atque à Deo debeant & bona ſperare, & mala timere? Sic vtilitatibus ſuis creaturæ omnes ſollicitè ſtudent?

6. Matth. 1. v. 6.

Matthæi 1. in genealogiæ Saluatoris ſecundâ teſſeradecade Dauid rex micantiùs effulget, regni purpurâ, & ſceptro inclytus. Sed Berſabeæ ibi ingeritur mentio, puto, fœminæ non opinatiſſimæ: *Dauid autem rex genuit Salomonem ex eâ quæ fuit Vriæ.* An non præſtaret, vt Euangeliſta ſileret de Salomonis matre, ne infame adulterij elogium recrudeſceret? An non ſatis erat Thamaris impudicæ Chananææ, & Rahab meritotriæ Hiericuntinæ, & Ruthæ propudioſæ Moabitidis meminiſſe? Quid peccata progenitorũ Euangeliſta refricat, cùm Chriſti Dei genealogiam texit? An indè Saluatoris probrum? an ſaluationis elucet encomium? Tempeſtiuè Hieronymus & rem tetigit, & thema præſens tempeſtiuus elucidat: *Notandum*, inquit, *in genealogiâ Saluatoris nullam ſanctarum aſſumi mulierum, ſed eas, quas Scriptura reprehendit; vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens, omnium peccata deleret. Vnde Ruth Moabitis ponitur, & Bethſabee vxor Vriæ.* Ecce diuinæ miſericordiæ ingeniũ ad vberiorem pietatem. Nempe Chriſtus Deus peccatorum omnium Redemptor venerat: ergò ideò progenitores eligit peccatorum ſqualore ſordidos, vt ad nitoris gratiam ſordes totius mundi mundiùs eluere videatur. Propagari vult ſecundum carnem ex peccatoribus, vt qui ad delenda peccata venerat, *de peccatoribus naſcens*, dum ſimul cum reliquis hominibus progenitorum etiam peccata eluit, negotium redemptionis peccatorum, quaſi rem propriam, & ſibi de propriæ vtilitatis blandimento expetendã, egiſſe videatur. O quàm ſollerter homo incumbit in rem, quæ ſua valdè intereſt! Homines ferè aliena negligimus, extranea oſcitanter gerimus: propria verò negotia, ex quibus commodum aliquod non leue captamus, exſomni curâ ſollicitamus, & ad felicem exitum perducere ſollerter ambimus. Hoc forſan fuit Chriſti Dei arbitrium, ad publicandum quàm impensè redemptionis negotium adminiſtrarit, & ſuam in hominibus redimẽdis ſedulitatem mõſtraret: nempe ex criminoſis progenitoribus naſci voluit, & in Euangelij capite publicari, vt tãquam rem ſuam, & quæ ſua valdè refert, illorum cum genere humano redimendorum redemptionis negotium peregiſſe videatur. An hic nouus titulus, apud homines actuoſiſſimus, Ieſuanæ pietati deeſſe videbatur, vt redemptionis negotium ſollertiùs procuraret? *Vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens, omnium peccata deleret.*

*Quare Chriſtus Deus de peccatoribus naſci voluerit.*

S Hierony. ibidem.

7. Lucæ 11. v. 16.

Lucæ 11. erat Ieſus eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm eieciſſet Dæmoniũ, locutus eſt mutus & admiratæ ſũt turbæ. Quidam autem ex eis dixerũt: In Beelzebub principe Dæmoniorum eiicit Demonia. *Alij tentantes ſignum de cælo quærebant ab eo.* Hebræa gens adhuc pertinaciter incredulâ, ſigna poſtulat, quaſi quæ videtat, ſigna non forent. Nimirùm neſcio quid auguſtè ſublimius iis prodigiis, quæ in cęlo apparent, & è cælo natales ducunt, ineſſe putatur. Itaque vel in morem Eliæ ignẽ de cælo venire cupiebant, vel in ſimilitudinem Samuëlis tempore æſtiuo, contra naturam loci mugire tonitrua, coruſcare fulgura, imbres ruere. quaſi non poſſent & illa calumniari, & dicere ex occultis & variis aëris paſſionibus accidiſſe. (Pergit Hieronymus) *Nam qui calumniaris ea quæ oculis vides, manu tenes, vtilitate ſentis; quid facturus eſſes in his, quæ de cælo veniunt?* Appoſita quidèm Hieronymi argumentatio, & de humano ingenio validiſſima. Porrò tametſi auguſtiora ſint ea prodigia, quæ in cælo apparent, & de cælo veniunt; & ignobiliora, quæ in terrâ, & de terrâ fiunt: quia tamen quæ in terrâ fiũt miracula, *vtilitate ſentimus*, humanam magis æſtimationem permouere ſolitant, quaſi humana vtilitas ſit humanæ æſtimationis cenſus. Sic ſuum cuiuſque commodum, mentes hominum ad pretij æſtimationem ſubornat? Quæ vtilitatem præferunt, licèt è terrâ ſint, cæleſtibus anteponere conſueuimus, & de noſtro commodo bonitatem taxamus. Vndè qui terrenis non credunt ſignis, nec cæleſtibus credent.

*Humana vtilitas, humanæ æſtimationis cenſus eſt.*

S.Hieron. in Matt. 12.

Matthæi 25. Cùm venerit Filius hominis in maieſtate ſuâ, congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis. *Et ſtatuet oues quidèm à dextris, hœdos autem à ſiniſtris.* Quid tam generosè aſpectabile in *ouibus* eminet, vt earum nomine prædeſtinati deſignentur? & quid tam ignobiliter ſordidum ſqualet in hœdis, vt per illos reprobi æternùm infelices denotentur? Vtriuſque pecudis cenſum ad rem præſentem opportunè his verbis inibi tradit Chryſoſtomus: *Et ſtatuet oues quidèm à dexteris, hœdos autem à ſiniſtris. Hos vocat hœdos, illos autem oues, vt horum infructuoſitatem oſtendat, (nullus enim fit ab hœdis fructus) illorum autem vtilitatem: multus autem eſt ouium fructus, & à lanâ & à lacte, & à fœtibus qui pariuntur.* Pulchrè ergò apud homines in hoc loco per *oues* deſignantur prædeſtinati, & per *hœdos* reprobi denotantur, ad prædeſtinatorũ humanam æſtimationem, & abiectiſſimum reproborum cenſum. Porrò nihil vulgò homines tanti æſtimãt, quàm quod illis valdè vtile eſt, & imprimis proficium: nihil etiam ſic viliſſimè depretiant, quàm quod illis inutile eſt, & ſordidè infructuoſum. Quocircà vt pluris æſtimentur prædeſtinati, humano idiomate appellantur *oues: multus eſt* enim *ouiũ fructus*: & reprobi comparantur *hœdis*: *nullus enim fit ab hœdis fructus.* Hinc cuique metiri licet, quanta ſit apud homines vtilitatis propriæ æſtimatio, & ſibi inutilium ſordidus contemptus; cùm prædeſtinati & reprobi, *ouium* fructuoſarum, aut *hœdorum* inutilium elogio denotentur. Luculenter quidèm Chryſoſtomus! 8. Matth. 25. v. 33.

*Reprobi inutilium hœdorum nomine deſignantur.*

S.Chryſoſtom. homil. 80. in Matt.

Lucæ 23. Chriſtum Deum in cruce patibulatum latronum alter impiè blaſphemus petulanter ſubſãnat, quem alter de blaſphemiâ acerbiùs increpat. Et dicebat ad Ieſum: Domine, memẽto mei cum veneris in regnum tuum. *Et dixit illi Ieſus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo.* Quem Petrus Apoſtolorum apex abnegat, latro confitetur; Petrus in palatio fuit latro, & latro in cruce Petrus. Et dum Hebrea gens dudum electus populus reiicitur, latro inſuſpicabili beneficentiâ adlegitur. Pulchrè ad rem S. Ambroſius hoc ipſum expendens, ita ſcribit: *Hodie mecum eris in paradiſo. Ideò ad iſtorum omnium* (Iudæorum inquam) *condemnationem latro crucifixus abſoluitur; quia ille Chriſtum in ſuppliciis agnouit, quem iſti in beneficiis non agnouerunt.* Profectò vſque adeò eſt homi- 9. Lucæ 23. v. 43.

*Iudæus populus reprobatur, quia Chriſtum in beneficiis non agnouit.*

S.Ambr. in Pſal. 39.

hominibus volupe, de propriâ vtilitate benefactoris metiri præſtantiam, & de proprio commodo illum metiri; vt indè Iudaici populi agreſtis ac ruſticana barbaries æſtimetur, abiiciatur, reprobetur, quia humanæ mentis inops, & vltra feras agreſtiores barbara, *Chriſtum in beneficiis non agnouit.* Proponatur inopinatâ gloriâ laureatus furax iniuſtè latro, quoniam Chriſtum in tormentis adorat, quò turpior barbaricè appareat inhumana ingratè Iudæorum fatuitas, quæ ſuæ vtilitatis oblita, & quæ cum proprio commodo humanitatem deſueſcens, *Chriſtum in beneficiis non agnouit*, quem latro vel in tormentis adorauit.

---

## §. CXXXIV.

### *Ieiunium Sacramentorum gratiam æmulatur; nominatúrque Sacramentum redemptionis, fomitis interſtinctio, & contra vitia virtutum Præſes.*

1. S Chryſol. ſer.8. — *Ieiunium eſt virtutum gymnaſium, in quo ad meritum erudiuntur.*

EST quidèm ieiunium (ait eloquenter Chryſologus) vitiorum mors, vita virtutum, pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitæ, caſtitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas ſanctitatis, *Eccleſiaſticæ viæ viaticum ſalutare, robur mentium, vigor animarum. Eſt ieiunium ſchola meritorum.* quaſi ieiunium ſit Chriſtianæ vitæ gymnaſium, in quo vnaquæque virtus ad meriti ſaporem eruditur. Ineffabile ſanè eſt, quantum virtutes omnes diſcant in ieiunij ſcholâ, quantumque illius magiſterio, ac eruditione proficiant: *Eſt ieiunium ſchola meritorum, magiſterij magiſteriũ, diſciplinarum diſciplina.* Hoc magiſterium ieiunio tribuit Seleucienſis Baſilius, ita fatus: *Vrantur fame religionis magiſtrâ.* O benè! Diſcamus ergò & nos ex hoc ieiunij gymnaſio, quid, ac quale ſit ieiunium, cui tantum tribuit Eſther, vt ſui populi, certò periclitantis, redimendi ſpē, ſuper ieiunij diſciplinâ fundarit: ieiunij enim arcano priuilegio, & inolita ſui populi delicta expungere & pulchrum gratiæ nitorem denuò reſculpere piè præſumit. eliquato antiqui reatus cenſu, cui populus obæratus, tot ſtrages ferali edicto cruentas, redditurum nomine pendebat. Tantum ieiunio licet, vt peccata expungat, & amiſſam gratiam precariè recentet? O arcanum ieiunij myſterium! Hoc Eſther nunc ſollemniùs indicit.

(Baſil. Seleu. orat 11.) (Hic verſ.16.)

2. Matth 4. v.2.

Matthæi 4. Ieſus ductus eſt in deſertũ à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo. *Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit.* Ne nos prætereat quanta nobis ſpiritualis vitæ documenta ſuccreſcunt, quamque magnificis ad propoſitum ſanctitatis prouocemur exemplis, quòd quadragenis referuntur diebus Beatus Moyſes, & Dei Filius ieiunaſſe. Aſt quantùm diſtat ſeruus à Domino, tantùm neceſſe eſt eorum diſtare ieiuniũ. Pergit S. Maximus: *Ieiunat Moyſes vt præſentis vitæ mandata ſuſcipiat: ieiunat & Chriſtus vt æternæ ſalutis Sacramenta cõſtituat.* Itaque præuio ieiunio Moyſes diſponitur, vt Dei mandata competenter excipiat, & aliis cuſtodienda tradat, quò in ieiunij ſcholâ obſequium erudiatur. Sic ieiunium obedientiam inſtruit! Verùm ieiunat Chriſtus vt æternæ ſalutis *Sacramenta conſtituat.* Quorsùm Chriſtus ieiunium præmittit, vt nouæ legis inſtituat *Sacramenta*? An non ipſe verè homo Deus diuinâ quâ pollebat auctoritate, *Sacramẽta* quæ eius ſanguine madent, quæ vbere gratiâ copiosè exundant, inſtituere eualuit, quin præambulũ ieiunium præmiſiſſet? Ita quidèm. At de officioſitate gratiæ venit, vt præuio ieiunio *Sacramenta*, quæ gratiam eructant, & gratiis exundant, inſtituantur, vt ſic ieiunium honoraret. Porrò cùm *ieiunium ſit ſchola meritorum*, valdè decebat, vt præmitteretur ad nouæ legis *Sacramenta*, quæ virtutes copiosè parturiunt, gratiam vberatim fructificant, vitæ æternæ merita potenter excudunt.

(S Maxim. homil. 1. de Ieiun. Quadrag. — *Cur ieiunat Chriſtus. vt nouæ legis Sacramenta conſtituat?*)

Matthæi 6. ieiunij Euangelici formã his verbis Chriſtus præſcribit: Cùm ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes. *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciẽ tuã laua.* Profectò nemo rectè præceperit, quãuis faciem quotidianâ conſuetudine lauemus, vnctis quoque capitibus cùm ieiunamus nos eſſe debere, quod inſolens videretur. Imò ſi idcircò iubet nos non fieri triſtes, ne per triſtitiam appareamus hominibus ieiunare: ſi vnctio capitis, & lota mundiſſimè facies à ieiunantibus ſemper obſeruentur, nihilominùs erunt ſigna ieiunij. Aliquid ergò arcanè abſtruſũ in hâc capitis vnctione, & faciei munditie præmonſtratur, eò ſublimiùs, quò latentiùs. S. Zeno Veronenſis quo pollebat ingenij acumine, vt hanc difficultatem peritè declinet, ſic ad rem opportunè fatur: *Habet ſanè etiam Sacramenti plurimum modus ipſe, quo ad ieiunandum inſtituimur & formamur: Tu enim, inquit, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & laua faciem tuam.* Nimirùm aquæ miniſterium ad lauacrum, & olei vſus ad vnctionem, Sacramentalem ritum ſubolent: nam lauacro, & vnctione aliqua nouæ legis Sacramenta conſtant. Profundè ergò ſignificatur eminentia gratiæ, quæ ieiunio confertur, quámque ſit Sacramentalis gratiæ ſublimiter æmula; quandoquidèm *habet Sacramenti plurimum modus ipſe, quo ad ieiunandum inſtituimur: Faciem tuam laua, Vnge caput tuum.* Grande quidem ieiunij elogium!

(3. Math 6. v.17.) (*Ieiunij modus, lauacri, & vnctionis Sacramenta æmulatur.*) (S Zeno ſer. de Ieiunio.)

4. Pſal. 22. v.5.

Regius Vates Pſal 22. ſic modulatè pangit: Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit. Super aquã refectionis educauit me, & animã meam conuertit. *Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos, qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus eſt.* Euchariſtica hîc menſa indubiè proponitur, in quâ fideles eſculentis ac poculentis cæli deliciis saginantur ad æternam beatæ gloriæ ſaturitatem. Sed iuuat inquirere an gratis, & abſque vllâ pretij cõmutatione; an potiùs aliquo pretij oblato commercio, Euchariſticæ ſaginæ ſaturitas offeratur? Perbellè Ambroſius lib. de Eliâ & ieiunio, cap. 10. hac ſuper re ita ſcribit: *Myſtica quoque menſa ieiunio comparatur. Illa menſa, de quâ dicit Dauid: Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos qui tribulant me. Menſa iſta famis acquiritur pretio: & poculum illud inebrians ſobrietate, cæleſtium Sacramentorum ſiti quæritur. Dixit enim Dominus: Qui ſititis, ite ad aquam: & quicumque non habetis argentum, ite & comedite, & bibite, & manducate.* (Attende ad Ambroſianæ ſententiæ clauſulam) *Ergò ad menſam il-*

(*Euchariſtica menſa ſaturitas ieiunij acquiritur pretio.*) (S. Ambroſ.) (Iſaiæ 55. v.1.)

*lam*

*lam venerabilem, ieiunia ſancta nos perducunt, hac fame illa quæ ſunt æterna mercamur.* Ecce tibi Sacramentalis Euchariſtiæ menſa *ieiunio comparatur, famis acquiritur pretio, ad menſam illam venerabilem ieiunia ſancta nos perducunt: poculum illud inebrians ſobrietate, cæleſtium Sacramentorum ſiti quæritur.* O bona ieiunij fames ac ſitis, quæ ad delicioſam Euchariſtiæ ſaginam perducit! Euchariſtia famis acquiritur pretio, & Sacramentorum ſiti quæritur, & comparatur. Vndè in *virgine adhuc ſaliuâ* ad Sacramentalem Euchariſtiæ menſam accedere iubemur: nam in *ſaliua virgine* ieiunium exprimitur, & pulchra ieiunij fames ac ſitis denotatur. Qui in ieiunio eſuriem ac ſitim patitur, non tam materialis cibi ac potus deſiderio tenetur, quàm Euchariſtiæ ſaginam eſurit, ac ſitit.

Tertull. adu. Pſych. c. 5.

5\. Paullus ad Romanos 7. ſic delicti originalis reliquias, quem peccati fomitem appellant, eleganter deſcribit: *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Huic ſuæ interrogationi vniuerſatim reſpondet Paullus, iſtiuſmodi languoris medicinam *gratiæ* per Chriſtum deputans. Verùm cùm Chriſti gratia ſit ad omnes virtutes ac ſanctitates neceſſaria, diſquirere oportet, quænâ virtus adeò ſit felix, vt de medica gratiæ officioſitate, peccati fomitem nuncupatim mitiget, aut interſtinguat. Quod his verbis Zeno Veronenſis eloquenter ediſſerit: *Læti itaque*, inquit, *& exultãtes accedamus ad medicum noſtrum Deum, medicamentum ieiunij ſuſcipientes: quò per totum annum noxios humores peccatorum collectos depellere atque exiccare poſſimus.* Et poſt comparationem tempeſtiuè allatam, addit: *Ita in interioribus animæ noſtræ viuificatæ peccata ieiunium extinguit & enecat: ſimul quoque euertit ac ſubruit illam legem, quæ eſt in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducere cupit in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Nempè ſi cum Paullo interroges: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Reſponde cum Zenone: Gratia ieiunij: hæc enim noxios peccatorum humores exiccat; ſimúlque peccati fomitem mitigat, aut, interſtinguit, dum *euertit ac ſubruit illam legem, quæ eſt in membris meis*, de cuius lenocinio ſic queritur Paulus. Singulare quidem ieiunij prærogatiuum, quo homo fame macilentus, & ſiti aridus, de inediæ bono quodammodò redditur exlex, ab hàc noxiâ peccati lege propemodùm interim exemptus. Medullitus hominibus hæret hæc peccati lex; ſed quæ radicitùs auelli nõ poteſt, mitigari ieiunio poteſt quod *illam legem euertere & ſubruere* dixit Zeno Veronenſis. S. Zenoni S. Leo modulatè concinit, ita fatus: *In omni tempore, omnique vitâ huius ſeculi ieiunia nos contra peccata faciunt fortiores, ieiunia concupiſcentias vincunt, tentationes repellunt, ſuperbiam inclinant, iram mitigant, & omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt.* Quaſi ieiunium etiam virtutes omnes tanquam bonæ voluntatis flores, ad fructuum maturitatem condiat ac erudiat.

Ad Rom. 7. v. 23. & 24. 2.

S Zeno ſer. de ieiunio.

*Peccati fomitem ſeu legẽ, per ieiunium euerti ac ſubrui perhibetur.*

*Ieiuniū virtutum flores ad fructuum maturitatem erudit.*

S Leo ſer. 4. de ieiunio decimi mẽſ.

6\. Matthæi 4 Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo. *Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit.* Sanctus Maximus pergit argutè componens ieiunium Moyſis Prophetæ, ac Legiſlatoris, cum Chriſti Dei ieiunio totidèm diebus ac noctibus perdurante: *Ieiunat*, inquit, *Moyſes, vt præceptis legalibus vnius populi erudiat diſciplinam: Chriſtus ieiunat, vt vniuerſas totius mundi redimat Gentes. Moyſes poſt ieiunium ſcriptas digito Dei tabulas populo præuaricante confregit: Chriſtus ſuo ieiunio manſurum per ſecula Euangelium conſecrauit. Ieiunat Moyſes vt Deum videret; ieiunat & Ieſus vt vnum ſe eſſe cum Deo, dum Diabolum triumphat oſtenderet. Quòd non eſurierit Moyſes cæleſtis eſt poſſibilitatis exemplum; quòd eſurit Chriſtus noſtræ Redemptionis eſt Sacramentum.* Plures his verbis S. Maximus ſententias conglobat; quas breuicula ſaltem elucidatione ad rem perſtringere, operæ pretium eſt. Scilicet quòd *ieiunat* Chriſtus, vt vniuerſas totius mundi *redimat* Gentes: & quòd tandèm eſurierit, *noſtræ Redemptionis eſt Sacramentum*. Chriſtíne ieiunantis eſuries, *Redemptionis Sacramentum* nominatur? Myſterio dominicæ Paſſionis & Crucis, quo humana Redemptio peracta eſt; Dominici quoque ieiunij *Sacramentum* aſſociandum erit? O alto ſtilo dictum! *Chriſtus ieiunat vt vniuerſas redimat Gentes: quòd eſurit Chriſtus noſtræ Redemptionis eſt ſacramentum.* Addit. *Chriſtus ſuo ieiunio manſurum per ſecula Euangelium conſecrauit.* Num per tot ſecula permanens Euangelij duratio, aduerſus tot agreſtiores Tyrannos, totâ orbis potentiâ hoſtiliter armatos, Chriſti ieiunio fundatur, fulcitur, conſecratur? O quàm altè Chriſti inedia Euangelium fundat, & cæli doctrinam per ſecula duraturam conſecrat! Denique quid eſt, quòd adiicit: *Ieiunat Ieſus vt vnum ſe eſſe cum Deo oſtenderet.* Ieiunij macie ſe Chriſtus oſtendit Deum? O inſuſpicabile diuinitatis argumentum! Audiendus eſt Tertullianus de Moyſe ieiuniorum ſuorum collegâ, ita fatus: *Tanta eſt circumſcripti victus prærogatiua, vt Deum præſtet homini contubernalem, parem re verâ pari. Si enim Deus æternus non eſurit, hoc erit tempus in quo homo Deo adæquetur, cum ſine pabulo viuit.* Dilucidè, ſed hyperbolicè Tertullianus.

Matt. 4. v. 2.

S Maxim. homil. 3. de Ieiu. Quadr.

*Ieiunium dicitur noſtræ Redemptionis Sacramentū.*

*Ieiunio manſurum per ſecula Euangelium conſecratur.*

*Ieiunio Chriſtus oſtenditur Deus.*

Tertull. adu. Pſych. c. 6.

S. Chryſologus ſer. 7. ita ſcribit: *Ieiunium, quod contra vitia prima virtus eſt nobis, in arce pectoris collocetur: quia illo in interioribus præſidente, vitia nos quatere in exterioribus non valebunt.* Intermitto nunc quòd ieiunium dicitur *prima virtus*; & expendendum obiicit, quod ieiunium appellatur, In interioribus *Præſes*, vt vitia in exterioribus, nos quatere non eualeant. Scilicet meditatur Chryſologus conſilioſum in homine virtutum Senatum, cuius ieiunium *Præſes* eſt, ne vitia ſubrepant, principentur, & inſoleſcant. Exindè ieiunium contra vitia *prima virtus* nominatur, quia in arce pectoris collocatum, vitiis detriumphandis *Præſidet*. 7.

S. Chryſol. ſerm. 7.

*In virtutum Senatu Ieiunium Præſidere dicitur.*

## §. CXXXV.

### *Voluptabile quoduis aut naturæ, aut gratiæ graui labore aut periculo comparatum, concupiſcentiæ gratiùs adridet.*

HVmana appetentia hianter currit in arduū extimulata malè dulci difficultatis blandimẽto: ad obuia, ad nutū expoſita, & facile parabilia, ſegniter it: neque ſæpè it, ſed cunctatur, quâdam libidinis nauſeâ, & concupiſcentiæ faſtidio. 8.

ſtidio. Hinc modulatè Petronius occinit: *Nolo quod cupio ſtatim tenere, Nec victoria mihi placet parata.* Geneſeos 29. poſt ſeptennij ruſticum ſeruitium, ſubdolus Laban inoptatam Liam furtim Iacobo induxit, lenocinantibus tenebris maritandam. Cognitâ agreſtis ſoceri fraude, alios ſeptem annos ſeruire cogitur pro dilectâ & venuſta Rachel. Et hebdomadâ tranſactâ Rachelem duxit vxorē. *Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem ſequentis priori prætulit, ſeruiens apud eum ſeptem annis aliis.* Superuacaneū forſan alicui videbitur, quòd ſignatè notet Scriptura Iacobum optatiſſimæ & formoſiſſimæ Rachelis nuptias prætuliſſe connubio Liæ inexpetitæ, inuenuſtæ, & exoſæ. Quid neceſſe fuit, vt ſacer Hiſtoricus admoneret, quòd Iacobus ardētiùs quàm Liam, ſuā Rachelē adamauit; niſi aliquid myſterij nō omnibus obuij, deliteſceret? Illud opinor, ad rem præſentem Chryſoſtomus pandit, ita ad præfata verba fatus: *Potitus optatis nuptiis, amorem ſequentis priori prætulit ſeruiens apud eum ſeptē annis aliis. Vel quia ab initio magis dilexit propter venuſtatem formæ puellam* Rachelem, *& difficiliùs eam conſecutus eſt, ideò eam magis dilexit.* Quaſi difficultas ſit amoris illicium, & beneuolentiæ lenocinium. Profectò miriſſimum eſt, quòd vbi tot, tantæque cauſſæ extiterint maioris beneuolentiæ erga ſuam Rachelem, venuſtiſſimam puellam, amorum auſpicium, Iacobi corculum, & animi votis auidè expetitam; de arduâ laborioſæ conſecutionis difficultate Chryſoſtomus cenſuerit, quòd quia *difficiliùs eam conſecutus eſt, ideò eam magis dilexit.* Sic rei gratiam, aut pretij cenſum difficultas exaggerat? Vndè Eſther hic ærumnoſas moleſtias indicit, quò mox liberationis felicitas accidat gratior & à difficultate felicior.

Geneſ. 29. v. 30.

S. Chryſoſt. indid.

*Ideò Rachelē Iacobus magis diligit, quia difficiliùs eam conſecutus eſt.*

Hic v. 16.

2. Actorum 1. Euangeliſta Lucas loquens de triumphali Chriſti Dei ad cælos aſcenſione, ita ſcribit: *Et cùm hæc dixiſſet, videntibus illis eleuatus eſt: & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.* Nubes quidem Dominum ſuſcepit, vt honoris æqualitatem ad Patrem demonſtraret: de Patre enim dictum eſt: *Nubes & caligo in circuitu eius.* Eſto, nubes ſit in circuitu eius, ne Patre Deo minor reputetur, cur in nube Chriſtus aſcendit in cælum? Cui de vehiculo in cælum æmulatio fit; & de vehiculi prælatione, virtutis ac gloriæ magnificentior oſtentatio? Appoſitè OEcumenius hâc ſuper re ita fatur: *Et incarnatus quidem Deus, nube tanquam vehiculo vſus eſt, nam Dominus erat, Elias verò igni. Ille enim tanquam dominus vniuerſi, propriâ aſcendens virtute, terrenum quiddam, & quod deorſum fertur, ad aſcenſum aſſumit: nec magis ductus quàm reducens ipſe vehiculum. Elias verò ſeruus erat, ideóque ſurſùm ferente vehiculo egens, & equis qui velocitatem itineris illi pararent. Idcircò etiam de hoc dictum eſt: Aſcendit Elias in turbine tanquam in cælum. De Domino verò: Euntе illo in cælum.* Ecce tibi Elias ſurſùm ferente vehiculo vtens, & igneis equis, qui velocitatem itineris expedirent, quaſi ſeruus vehitur, & *tanquam in cælum* aſcendit. Chriſtus verò quia Dominus erat, *terrenum quiddam, & quod deorsùm fertur, ad aſcenſum aſſumit*, & verè in cælum ſic aſcendit, vt de terreni vehiculi ſe deorsùm agentis, grauitate, aſcendendi velut difficultatē innueret: & ſic tāquam Dominus propriâ in cælum aſcendiſſe virtute comprobaret, & ſumptuoſiorem beatæ gloriæ pompam apud homines publicaret.

Act. 1. v. 9.

Pſal 96. v. 2.

OEcu. inib.

4 Reg. 2.

*Quare Chriſtus vehiculo quod deorſum fertur, in cælum aſcenderit.*

4. Matthæi 11. *Regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* S. Gregorius & Beda per τὸ *regnum cælorum*, beatam cæli gloriam intelligunt: ſicque exponunt τὸ *vim patitur* id eſt, mortificatione, pœnitentia, ignominiâ, paupertate obtinetur, & eâ ad illud itur viâ. Et ſanè mirum eſt quòd tot ærumnæ ad tantam felicitatem ducant. Num Deus is eſt, qui humanæ inuideat lætitiæ, æternam in cælo beatè largiturus? an per humanas ærumnas cæleſti gloriæ lenocinatur; quaſi præuius merendi labor, & ærumnoſæ violentiæ difficultas cenſum aut ſenſum glorioſæ beatitudinis exaggerent? Quid, aut quomodò hæc violentat hominum vis, de empyreâ gloriâ ſubripere poteſt? Tempeſtiuè Chryſoſtomus: *Violenti, inquit, rapiunt illud. Violentia & rapinâ opus, neque enim in promptu, neque ad manus eſt regnum cælorum.* Nimirùm tametſi cæleſte regnum, & olympia gloria ſit felicitatum ſumma, & quæ ſubobſcurè apprehendi poteſt, æſtimari non poteſt: at in promptu non eſt, neque ad manum, vt de violentiâ ac difficultate Beatis aduletur. *Violentia* cælum obtinet, & gratioris gaudij auctarium Beatitudini oppignerat, & de præuiâ difficultate quaſi piâ rapinâ ſibi vſurpat quod vltra eſſentialem beatitudinem gloriæ confert. *Non vult Deus noſter* (ait Emiſſenus) *bona ſuâ nimiâ inueniendi facilitate vileſcere . . . Ergo ille tantorum munerum repromiſſor non vult in opere ſuo tepidum, deſpicit faſtidioſum, recuſat coactum, reſpuit indeuotum.* Ergò beata cæli gaudia, *violentos* riuales quærunt, ne nimiâ inueniendi facilitate quodammodo vileſcant; vt *violentia*, ſaporis pretium exaggeret, & *rapina* aliquid ſupra ſortem inueniat, in quo gratè delicietur.

Matth. 11. v. 12.

S Gregor. & Beda, apud P. Mald. ibi.

*Quare beata cæli gloria violentiâ, & rapinam expetit, quò dulcius, ſapiat?*

S. Chryſoſt. homil. 10. in 2. ad Tim.

Emiſſ. hom. 3. ad Mon.

5. Ad Philippenſes 2. Hoc enim, inquit, ſentite in vobis, quod & in Chriſto Iesv: *Qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit.* Exindè poſteriores Chriſti glorias indidèm recenſet. Ex eo autem quòd Chriſtus ab Apoſtolo dicatur *in formâ Dei eſſe*, refutat Theophylactus Hæreticos aſſerentes, *Verbum Dei energiam eſſe, non eſſentiam perſonalem.* Item confutat errorem Græcorum: *Paruus inquiunt, exiſtens Deus Filius, non rapuit ſibi vt eſſet æqualis & par magno Deo.* Non enim capiebat eorum anguſta mens, quo pacto Dei Filius, Patre Deo ſuperſtite, plenam diuinitatem accipere potuerit à Patre, niſi Filius eſſet aliqua Patris Dei *energia*, ſeu ſtrenuus vigor ad ardua redemptionis opera operoſiùs peragenda: indéque ex paruo Deo magnus euaſerit. Verum ipſe Theophylactus poſt iſtiuſmodi Græcorum errores peritè reiectos, ſic Paulli locùm exponit: *Non eſt*, inquit, *rapinam arbitratus, eſſe ſe æqualem Deo. Si quis quid rapuerit, metuit deponere illud, ne amittat, tanquam ipſius non ſit.* (Nota quæ ſubdit) *Sin quicquam à naturâ habebat, facile illud aſpernatur.* Nimirùm loquitur Theophylactus de Deo anthropopáthōs, & de humanis ductа ſimilitudine ad diuina, vt vt poteſt: Sicut enim homo quæ à natura habet, neque vllatenùs amittere poteſt, facilè depretiat: ſaltē tanti æſtimare non ſolet, qualia ea, quæ magno labore, & operoſâ induſtriâ cōſecu-

Ad Philipp. 1. v. 6.

Theophyl. ibi.

*Quicquid à naturâ eſt, & non à labore, facilè homines aſpernari ſolitant.*

Theophyl. inibi.

tus

tus eſt, etſi hæc multò minora ſint: ita(ſi diuina humanis comparari licet) Dei Filius hypoſtaticè ſubſiſtens in Chriſto, tanti æſtimat glorias, quas ſuâ Paſſione acquiſiuit, vt quodammodò plus æſtimet has glorias operoſo acerbè labore partas, (ſi dicere liceat) quàm auguſtam ſuæ diuinitatis gloriam. Non quòd hanc *aſpernetur*, aut minoris æſtimet, ſed(vt par eſt) multò magis: ſed quia neſcio quæ ſpecialis placendi gratia ineſt iis rebus proprio labore ac ſudore partis, vt quodammodò plus placeant. Sic magnus aliquis Rex, qui præmunitam vrbeculam debellauit, conſuetâ hyperbole dicit, ſe illam ciuitatulam, quam ipſe cœpit, pluris facere, quàm perampla regna, quæ hæreditario iure poſſidebat. quaſi *quicquid à naturâ habeat, facile illud aſpernetur.* Sic poſteriores à redemptione partas glorias, quas poſtmodum Paulus recenſet, ipſemet Chriſtus Deus, *ſuam gloriam* nuncupatim appellauit: *Nonne*, inquit, *oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* non quòd eſſentialis gloria, aut non ſua, aut non maior ſit.

Lucæ 14. v. 26.

6. Ioſue 7 Filij Iſraël præuaricati ſunt mandatum Domini, & vſurpauerunt de anathemate vrbis Herichuntinæ. Nam Achan filius Charmi tulit aliquid de anathemate. Quod ipſe poſteà palàm confeſſus eſt: *Vidi*, inquit, *inter ſpolia pallium coccineum valdè bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum, & concupiſcens abſtuli.* Magnum ſanè viri piaculum. & inexpiabilis audacia auarè temeraria, anathema Deo ſacrum clanculùm ſuffurari. Vnde Achano tam auara concupiſcentia, quæ ſpoliorum pretia ſic exaggeraret, vt tam ſeuerum Dei edictum ſic contemptim neglexerit furacitate ſacrilega? Tempeſtiuè Strabus Fuldenſis in Gloſsâ inibi: *Achan*, inquit, *dum inueniſſet chlamydem regiam, totam auro contextam, crudele iudicans, ſi is qui periculum habuerat lucrum inueniens quod in ſuâ vtilitate conferret, daret hoc Deo, & non magis egenti.* Ecce tibi quid augebat *concupiſcentia* blandimentum: nempè opulentum lucrum, belli *periculo* partum. Sic difficultas *concupiſcentiæ* lenocinia expolit ad placendi gratiam, vt Deum ſacro anathemate fraudare nō ſit veritus, illicio difficultatis ac periculi allectus? *Crudele iudicās, ſi is qui periculū habuerat, lucrū inueniēs, daret hoc Deo*, &c.

Ioſue 7. v. 21. *Voluptabile periculo comparatum, concupiſcentia gratiùs adridet.*

Gloſſa inibi ex Ioſepho.

7. Canticorum 3. ſic Sponſa loquitur; *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni.* Benè cenſet Giſlerius nouum hîc eſſe Dramatis actum, nouámque narrationem, ſed cum prioribus connexam. Sponſa enim poſt diſceſſum ſponſi ad montes, denarrat quid à ſe factum ſit aliquando cùm dilectum ſuum à ſe abſceſſiſſe animaduertit, quâ anxietate illum quæſierit, quomodo inuenerit ac tenuerit, ne rursùm abſcederet. Gilibertus Abbas, qui continuauit ſermones S. Bernardi in Cantica, hîcque inchoat, ſic nectit ſerm. 1. *In lectulo meo per noctes quæſiui*, &c. *De montibus ſe raptim contulerat ad lectulum ſponſæ, vbi illa excitata & deficiens vbertate delectationis, obdormiuit exhauſta inter amplexus dilecti. Oblectata dormiuit ſomnum dulcem, ſed expergefacta non inuenit illum hæc mulier deliciarum in manibus ſuis. Gaudia itaque illa, gaudia ineffabilia ſilentio tranſiens, in hanc tamen vocem erupit: In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni.* Nimirùm cæleſtis Sponſus clanculùm, & raptim inopinato aduentu ſe contulit in lectum Sponſæ, vbi illa *deficiens vbertate delectationis, inter amplexus dilecti oblectata dormiuit ſomnum dulcem*: atque adeò non modò in vigiliâ, ſed in ſomno etiam exuberauit deliciarum ſuauitate. Aſt hæc *gaudia ineffabilia* ſilentio præterit Sponſa, ſolùmque memorat, inexpectatum Sponſi ſui diſceſſum, & quàm pœnali anxietate, è lectulo intempeſtiuè conſurgens, illum per vicos & plateas exſomnis quæſierit. An non ſatiùs foret, vt hæc *ineffabilia gaudia, & delectationis vbertatem* denarraret, & non ſolum anxium quærendi tormentum? Quid eſt, quòd moleſtias duntaxat refert, & *ineffabilia gaudia*, mutæ taciturnitatis ſacramento obſignat? Opinor, *ineffabile gaudium, & delectationis vbertatem*, moleſtiarum recenſitione impreſſiùs adumbrat, & ſumptuoſiùs exaggerat, dum præuias abſentiæ pœnas, & appendices gratæ oblectationis moleſtias denarrat. Quaſi dicat Sponſa: Nemo exiſtimet, me inter Sponſi mei optatiſſimos amplexus merâ frutione vbertim delectaram: hoc *ineffabile gaudium* ſpei moleſtiis emi, & diſceſſu inopinato, & quærendi anxietate, delectationis cenſum expendi. Si quis eſtimet hoc *ineffabile gaudium*, cuius *vbertate defi io*, taxet priùs illis comites pœnaliſſimè moleſtias. Nam voluptabile quoduis aut naturæ aut gratiæ, grauioribus moleſtiis comparatum, de moleſtiarum lenocinio gratiùs adridet ad placendi gratiam. Hinc Sponſa moleſtias recenſet, vt *ineffabile gaudium* viuaciùs exaggeret.

Cant. 3. v. 1.

Giſlerius.

Gilbert

*Sponſa ineffabile gaudium, per denarratas moleſtias viuaciùs exaggerat.*



## §. CXXXVI.

*Homo propriæ imaginationis tormento & tentamento, ſe pœnaliùs vrget, & ſceleroſiùs exagitat ab inteſtino phantaſiæ dæmone.*

1. QVod videmus ac ridemus accidere pueris, hoc nobis quoque annoſis pueris frequētèr euenit. Illi quos amant, quibus familiariter aſſueuerunt, cum quibus exultim ludunt; ſi perſonatos viderint, expaueſcūt, & expalleſcunt. Non hominibus tantùm, ſed & rebus quæ nos vrgēt & cruciāt, perſona demenda eſt, & reddenda facies ſua. O quoties quæ lætātér ſperaſti, inimicorum vota ſunt; & quæ pauidè metuebas, ſperare feliciter potuiſti! Multa bona noſtra nobis nocent, quia non tam re, quàm rei opinione laboramus. Inde venturo torquemur, & præterito, mitiùs plerūque præſenti: timoris enim tormentum memoria reducit, meticuloſa prouidentia anticipat, ſed præſens plerumque malum leue eſt, per phantaſiæ terriculamenta magnum. O ſi ratio ipſa, quaſi per anatomiam rerum momenta perpenderet, & oculatiùs inſpiceret; plura quæ nos aut abſentia terrent, aut præſentia torquent, torquendi aculeo exarmarent! aut futurorū minas prudenter extenua, aut pręſentium moleſtiam per patientiam mitiga, aut moleſtiarum incremētum ab Imaginatione duntaxat magnum, prudenter diminue. Nemo tantùm præſentibus & veris miſer eſt. Stultum ſanè eſt, quia aliquando ſis futurus miſer, eſſe iam miſerum: inhumanum eſt miſeriam imaginatione amplificare. Quid tui lanius aſſiduè es, aſſumpto carnificis officio, imò & præuento; cùm ſatiùs foret miſeriæ moleſtias quoad poteris, excuſſiſſe? Quod diſertè hîc edocet Eſther, aiens: *Tradéſque me morti, ac periculo.*

*Homo propria imaginationis tormento, ſe acerbiùs excruciat.*

*periculo.* quaſi *periculum*, dum multa imaginatur, & plures acerbiùs mortes menitur ſibi, ipſâ morte pœnalius ſit, & exaggeratior calamitas.

2. Lucæ 11. 24. & 25 & 26.

Lucæ 12. Muto illo Dæmone tandem excantato, mirantur turbæ, ogganiunt Scribæ, dicentes, in Beelzebub Dæmonem expuliſſe. Multis eorum technas reuincens Chriſtus, ait: Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem: & non inueniens dicit: *Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cum venerit, inuenit eam ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.*

*Phantaſia hominis exagitata, nequior eſt inteſtino dæmone.*

Multimodè hunc locum verſant Interpretes, vt exponant quonam pacto dudum expulſus Dæmon, tandem redeat ad hominem, aliis ſeptem ſpiritibus ſe nequioribus aſſociatus; adeò vt plus exinceps hominem illum excrucient, & infeſtent. S. Chryſoſtomus ita hâc ſuper re ſcribit: *Reuertar in domum meam vnde exiui, &c. Dicit enim quòd cùm Dæmoniaci liberati fuerint ab infirmitate, ſi deſidiores efficiantur, grauiorem attrahunt aduerſus ſe phantaſiam.* Scilicet tunc dicitur redire Dæmon cum aliis ſeptem, id eſt, innumeris Dæmonibus ſecum, ſe nequioribus, redduntque nouiſſima hominis illius peiora prioribus; cùm ab homine iam expulſus, propriam hominis *phantaſiam* ſubſtituit, quæ illius vices gerat, illumque moleſtet, excrucier, ac deprauet. Heu quoties hominis imaginatio, vaniſſimis etiam ex cauſſis agitata, quaſi furiis ageretur, hominem atrociùs vexat! ô cruentam inſtigatæ *phantaſiæ* lanienam, cruciatuum pariter ac culparum officinam, niſi prudentia hunc inteſtinum dæmonem excantet!

S. Chryſoſt. hom. 44. in Matth.

3. Lucæ 8. v. 5. *Rationale granum non putat ſe proiici, ſed cecidiſſe.*

Lucæ 8. *Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum, & dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud. Et aliud cecidit ſupra petram*, &c. Animaduerſione digniſſimum eſt, quòd cùm ſemen à ſatore in terram proiiciatur, proiici non dicitur, ſed mitiori vocabulo, *cadere.* Quod his verbis attentiùs notauit Theophylactus: *Vide*, inquit, *quia non dixit, quòd proiecit illud in viâ, ſed quia cecidit.* Nimirùm (vt aliàs ex Seleucienſi Baſilio adnotabamus) tametſi reapſe *proiicitur*, quæ vox contemptum ſonat; hoc tamen prudenter rationale granum, ſibi conſilioſè perſuadet, non *proiici* ſe, ſed *cadere.* quæ eſt prudentiæ meta. *No fue deſuio, ſinóque ello ſe cayo aſſi.* Sit eſto ad Theophylacti acumen intendiſſe digitum.

Theoph. Marci c. 4.

4. Ioan. 6. v. 37.

Ioannis 6. Sic Chriſtus Deus Iudæorum turbas adloquitur: *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non eiiciam foras.* Non facile ſe expediunt Interpretes ab illâ ſententiâ, *Non eiiciam foras.* Neque enim apparet vndenam *eiicitur*, & quò *eiiciendus* ſit. S. Auguſtinus ſic inibi locum exponit: *Illud autem intus, vnde non exitur foras, eſt magnum penetrale & dulce ſecretum ſine tædio, ſine amaritudine malarum cogitationum, ſine interpellatione tentationum & dolorum.* (Aliàs ſcribitur in Catenis antiquioribus) *ſine intellectione tentationum & dolorum.* Hoc eſt ſecretum & penetrale, ad quod viri perfecti admittuntur, & à quo in ſecularem ſceleroſè ſtrepitum non eiiciuntur. Perarduum enim eſt & penè impoſſibile, inde eiici, & à virtute degenerare in vitia; non quia vir prudenter perfectus *tentationibus* & *doloribus* non tangatur; tangitur enim acerbiùs, & viuaciùs pulſatur; (nam

S. Aug. tract. 25. in Ioan.

*Felix eſt, qui ſine intellectione tentationum & dolorum eſt.*

*cibus eius*) id eſt, tentatoris (*electus*) ſiquidem aduerſus Dei amiciſſimos, & virtute conſummatos, rictu hianter diducto atrociùs ferocit. Itaque non dicitur de eiuſmodi hominibus ad perfectionis penetrale feliciter admiſſis, quòd non tentantur, & ærumnis dolorum afficiuntur; ſed quòd ſunt *ſine intellectione tentationum & dolorum.* Nimirum ad rem virtutis ſubtiliter ſagaciſſimâ mente præditi ſunt; ad rem autem *tentationum*, & ærumnarum patientiam exagitantium, ſic ſe exhibent rudes, ac ſi *ſine intellectu* forent. O quàm virtuti nocet in *tentationibus*, in *doloribus*, & humanis ærumnis, ſagaciori intellectu ſubtiliùs ratiocinari! ô quàm multa, ipſaque noxiè peracerba verſat hominis mens tentationibus & calamitatibus inſtigata! Ipſa ſe non vno modo exagitat, tentationes cogitando exacuit, dolores fouet, ærumnas incrementat: præterita reuerſat animo, futura cum incremento anticipat, præſentibus ærumnoſiùs angitur; veretur multa, imaginatur omnia, quę etiam vltra poſſibilitatis metas euagantur. O eſto, virtutibus perſpicax, *tentationibus* rudis; tolerantiæ ſubtilis, *doloribus* & ærumnis *ſine intellectione.* Hic, hic inquam, ad diuinæ amicitiæ penetralia admittitur, nec *eiicietur foras*, quia *ſine intellectione tentationum & dolorum* eſt. *El entendimiento demaſiadamente viuo, ſe hace aſimiſmo la guerra en las aduerſidades y tentaciones.* Bona eſt ſimplicitas. quæ cognatâ ruditate ſubdolè acutas tentationum & calamitatum vires exarmat. Eſto benè rudis ne ſis malè calamitoſus. *Quandoquidem tinea eſt oſſium cor ſueſu præditum*, vt pulchrè docuit Naziazenus.

S Naz. Ora. pro Baſil.

5. Gen 4. v. 15. *Qui à propriâ imaginatione agitatur, ſemper moriens, & nunquam mortua miſeria viuit.*

Geneſeos 4. ſuffragio ſanguinis parricidaliter effuſi, impiè inſolens Caini ſcelus à Deo damnatur. Qui obuium occiſorem veritus, hæc audit: *Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet: ſed omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur. Poſuitque Dominus Cain ſignum, vt non interficeret eum omnis qui inueniſſet eum.* Ecquod eſt hoc ſignum, quod Dominus poſuit in Cain, ne ab obuio quoque occideretur? *Ipſum videlicet ſignum*, (ait Eucherius) *quòd tremens & gemens, vagus & profugus ſemper viueret.* Parcitum eſt Caini, Cainiatumque vitæ, dum à viuaciori periculi phantaſiâ ſemper gemit ac tremit, an repetitæ morti pœnaliùs addicitur? Appoſitè Philo: *Verùm iſti omnes ſunt ſemper morientes, & nunquam emortuæ miſeriæ poſteritas, illius quæ Cain nominatur.* Profectò mors vna eſt in ſeceſſione animæ & corporis, & in fine iſtius vitæ; quæ ſimul ac venit, omnes corporis dolores auferre, non augere conſueuit; metus verò qui hanc vitã viuentibus frequenter ingruũt; & viuidâ imaginationis inſtigatione exaggerantur, eas mœſtitias, dolores, gemitus, angores diuerſoſque cruciatus, ſæuientiũ ægritudinum vulnera, plurimas etiam mortes, ei qui phantaſiæ œſtro agitatur, ſic inferunt, vt iſta mors remedium eſſe videatur, non pœna. Itaque Cain ſæuo mœrori ac timori ſuperſtes, *ſemper morientis, & nunquam emortuæ miſeriæ* acerbiùs damnatur, dum eâ mœſtitudinis phantaſiâ, quæ in gemitum & tremorem erumpat, inſtigatus, non vitæ viuit, ſed morti; ſui ſẽper lanius, & carnifex inteſtinus.

Eucher. ibi.

Philo lib. de Confuſ. ling.

6. Ioan. 16. v. 21.

Ioannis 16. Diſcipulorum triſtitiam de eius paſſione & diſceſſu conceptam, Chriſtus ſermone mitigans, hâc ſimilitudine vtitur: Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius: *Cum autem pepererit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium.* Peridoneè ibidẽ Chryſoſtomus expen

S Chryſoſt. hom. 78. in Ioan.

*Qui non meminit preſſuræ, preſſuram non pati putatur.*

expendit verbum illud *meminit*, ita ſcribens: *Et non dixit, quia non erit ei tribulatio, ſed neque meminit eius.* Penè emortua iacet mulier præ partionis difficultate laſſata; & ideò non dicit, *Non erit tribulatio*, adhuc enim acerbè tribulatur; ſed conſultiſſimè dicit, *iam non meminit preſſuræ.* quaſi acerbior tribulationis angor, non tam ſit à re, quam durè toleramus; ſed ab imaginatione aut memoriâ, doloris ſenſum acerbiùs cruentante Non qui preſſuram non patitur, ſed qui preſſuram imaginatione aut recordatione non exacerbat, extra preſſuram reputatur. O claude animi ianuam, ne his ærumnarum & tentationum angoribus aditus pateat: quod dictu facile eſt, factu perarduum: *Non puto* (ait Petrus Damianus) *quod ille qui clauſit cælum oratione, clauſit animum à cogitatione; vt faciliùs ſit cælum obſerare, quàm animum.* Putauerim autem clauſum eſſe cælum his, qui obuiis angoribus animum habent reſeratum, dum phantaſiæ inſtigatione exagitantur.

*Faciliùs eſt cælum obſerare, quàm animum.*
P. Dam. ſer. 60.

7. Ecl. 40. v. 2.

Siracides Eccleſiaſtici 40. ſic nos ſapienter admonet: Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & iugum graue ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ, in matrem omnium. Ecquod eſt hoc tam graue ac pertinax iugum, quod omnes adæquè ſubeunt, nemóque hactenus excutere valuit? *Cogitationes eorum*, inquit, *& timores cordis, adinuentio expectationis, & dies finitionis.* Ecce tibi graue iugum filiorum Adam, quod de peccati cenſu ſubimus hereditario humanæ naturæ iure. Primò *cogitationes eorum*, quibus animum diſtrahunt & diſcruciant, vt bona huius vitæ ſibi accerſant, mala verò longiùs auertant. Secundò, *timores* varij cor coarctantes, ne fortè bona quæ appetunt, non aſſequantur; & mala quæ auerſantur, incurrant. Tertiò, *adinuentio expectationis*, id eſt, adinuenta & excogitata imaginatio imminentium malorum, quaſi ipſa illos, aut potiùs illi ipſa expectent. Alij vertunt, *imaginatio expectationis*; alij, *conſideratio expectationis*; alij denique ad rem accommodatiùs, *commentum expectationis*: ſæpè enim timor reuera nō eſt timor, ſed *commentum* timoris, quod ſcilicet homo ſibi comminiſcitur, & in mente fingit & pingit. O prolixè acerba timoris commentaria, quæ malum imaginatione fictum, amplificant, & anticipant geminato doloris ſenſu! Hem quid iuuat abſentes dolendi cauſſas ſenſu doloris anteuertere, & imaginationis *commento* præ doloribus dolores præmordere? Eleganter Philo Iudæus in lib. de Nominum mutatione: *Et enim mali præſentia*, inquit, *dolorem; expectatio verò metum gignit. Metus ergo nihil aliud erat quàm triſtitia ante triſtitiam; vt ſpes, gaudium præ gaudio. quam enim opinor rationem habet metus ad dolorem, eandem ſpes ad gaudium.* O non bonum imbonæ expectationis *commentum*, quod rei timendæ moleſtias anticipat, geminat, amplificat, falſato ſæpè propriæ imaginationis arbitrio, aduerſus ſe fatuè inhumano! Itaque metus de imaginationis commentario, *nihil aliud eſt quàm triſtitia ante triſtitiam.* O *commenti* monſtrum! Porrò ſi *triſtitiam* præit, quomodo poteſt eſſe *triſtitia*? idem enim ſeipſum præire nequit. Verùm de fatuo imaginationis commentario, ſæuo hominis carnifice, triſtitiam ipſam de vero malo obuenientem, inſipiens triſtitia prææmaturè anteuertit de præſtigiatore commentario imaginationis, in quâ velut in crudelitatis officinâ, *triſtitia ante triſtitiam* excuditur præuento inflictoris officio. An non præſtat de ſpei ingenio, *gaudium præ gaudio* pingere, imò & fingere?

*Sæpè anticipata triſtitia eſt imaginationis commentum.*

*Philo. Triſtitia ante triſtitiam eſt ex imaginationis commento.*

*Spes eſt gaudium præ gaudio.*

---

## §. CXXXVII.

*Incertus perplexitate animus, dum conſilij inops multa dubiè mentitur ſibi; non dubiè angitur, ſauciatur, vritur.*

1\. Plin. epiſt. l. 2.

CAius Plinius quo ſolet eloquij, ac ſententiarum nitore, ita Calphurniæ ſuæ ſcribit: Nunquam ſum magis de occupationibus meis queſtus, quæ me non ſunt paſſæ aut proficiſcentem te valetudinis cauſſâ in Campaniam proſequi, aut profectam è veſtigio ſubſequi. Nūc enim præcipuè ſimul eſſe cupiebam, vt oculis meis crederem, quid viribus, quid corpuſculo acquireres, & quid denique ſeceſſus, voluptates, regioniſque abundantiam inoffenſa tranſmitteres. Equidem etiam fortem te, & non ſine curâ deſiderarem. *Eſt enim ſuſpenſum & anxium, de eo quem ardentiſſimè diligas, interdum nihil ſcire. Nunc verò me cùm abſentiæ, tum infirmitatis tuæ ratio, incertâ & variâ ſollicitudine exterret. Vereor omnia, imaginor omnia: quæque natura metuentium eſt, ea maximè mihi, quæ maximè abominor fingo. Quò impenſiùs rogo, vt timori meo quotidie ſingulis, vel etiam binis epiſtolis conſulas: ero enim ſecurior, dum lego, ſtatimque timebo, cùm legero.* Quibus verbis eleganter exprimit quàm ſit acerbum dubiæ mentis, & ſuſpenſæ perplexitatis ſeu anxietatis tormentum. quæ eſt huius theſis materia.

*Anxiè perplexus, veretur omnia, omniaque aduerſa ſimul imaginatur.*

Iob 1. conſiderandum obiicitur, quemadmodum in eum Diabolus ſæuierit incitatus, qui 2.
blandus ferri non poteſt. Itaque ad horrendum cum Iobo prælium totis intonat armis, infernalibúſque miniſtris in auxilium concitatis, terribili increpans tubâ, prædonum turbam face furiali ſuccendit; impetibus crebris totas hominis Dei facultates inuadit: ſubitò rapinâ, igne, ferróque, vniuerſa vno momento diſperdit. Hinc Iob altâ fidei radice robuſtus tot nunciis lugubribus tunditur, nec mouetur. At vbi Diabolus aggreſſuris tantis nihil ſe profeciſſe cognoſcit, omnem impietatis ſuæ rabiem in filios eius effudit. Nam filiis ſuis & filiabus veſcentibus & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quattuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos, & mortui ſunt. *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram, adorauit*, &c. Scilicet cùm filij ſolito more vnanimes vnâ epularentur in domo, derepentè concuſſis toto nixu quattuor angulis eius, in confuſam molem parietibus tectiſque labentibus illam ſanctiſſimam fratrum cohortem ſepelit, antequam iugulet. Tunc tolerantiſſimus vir, qui animo inconcuſſo ceteras nuper ſtrages audierat, funeſti doloris ſigna veſtium ſciſſione monſtrauit. Superuacaneum foret diſquirere, quid nunc ſic grauiter vrit Iobi patientiâ, ad cetera hactenus flecti-neſciam, niſi Zeno Veronenſis hâc ſuper re ſic ad rem præſentem ſcripſiſſet: Diabolus, inquit, *tale commentus impietatis excidium, vt in illa vnius funeris turbâ paternus dolor non ſufficeret orbitati, cùm neſcit quem primum plangat, quem*

*Iob. 1. v. 20. Inter tot calamitates, dubia perplexitas, 1 bi animũ valde vrit.*

S. Zeno ſer. in Iob.

*priorem inueniat, cui primùm iuſta crudi funeris ſoluat. Quo nuncio accepto Dei ſeruus ſcidit veſtimenta ſua.* Vide nunc mihi inter tot acerbas dolendi cauſſas, quando dicatur, quòd paternus Iobi dolor non ſufficeret orbitati. nempè cùm tot chariſſimi filij cum parietibus rectíſque labentibus, ſubitò oppreſſi, in confuſam cum ruinis molem adaggerantur; & pius adhuc pater dubiè perplexus *neſcit quem primum plangat, quem priorem inueniat, cui primùm iuſta crudi funeris ſoluat.* Inter tot peracerbas dolendi cauſſas, hæc apud Zenonem, non vltimum locum obtinuit? Sic dubia mens, dum quò ſe vertat neſcit, ambiguâ perplexitate animum viri, percellit, conſternat? Hic etiam dubiæ perlexitatis angor, valdè Eſtherem fatigat, vt legere licet in hoc cap. 4. à v. 11. præſertim v. 16. iuxta dicta præcedēti §. n. 1.

Hic v. 11. & 16.

3.

Luc 21. v. 25.

Lucæ 21. de tempore poſtremo iudicio approximante, ſic durè prophetat Chriſtus: Et erunt ſigna in ſole, & lunâ, & ſtellis, *& in terris preſſura Gentium præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum: areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione.* Quænam eſt hæc in tertis tam atrociter acerba calamitas, quæ ſic durè *præ confuſione ſonitus maris & fluctuum,* homines terrebit, vt eius horrore paueſcant, areſcant, tabeſcāt? Multa inibi adaggerāt, & exaggerant Interpretes. Caietanus verò ſingulariter ad thema præſens locum exponit, ſic inibi fatus: *Præ confuſione. pro, In perplexitate. Sonitus maris. pro Reſonantis maris, & fluctuum. Ex quibus colligitur ſignificari, quòd tantus taliſque erit terror reſonantis maris fluctuoſi, quòd homines coarctabunt ſe perplexi, neſcientes euentum, ſeu potiùs locum quò tendit ſonans mare. Non enim erit mare ſonans & fluctuans more ſolito verſus vnam plagam (ſic enim non cauſaret perplexitatem) ſed eo ipſo quod perplexitas deſcribitur, tam anceps erit, vt neſciant ſe homines reſoluere. Areſcentibus hominibus præ timore. In intellectu perplexitas, in affectu timor.* Nihil tam atrociter horrendum in ſacrâ profanáque eruditione buccinatur, quàm peracerba finalis iudicij præſagia, quæ tanto verborum apparatu nunc Euangeliſta proponit. Cùm autem hîc inducitur in terris preſſura omnium Gentium *præ confuſione ſonitus maris: areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione;* eiuſmodi confuſio, quæ ſic homines fatigabit, premet, vret; *perplexitas in intellectu* eſt, & *in affectu timor.* Auxia enim perplexitas, exaggeratio calamitatis eſt, dum incertæ ancipitéſque calamitates dubio horrore obuerſantur, & mens mentis inops, velut intellectu viduata, quò ſe vertat neſcit, vt impendentia cateruatim mala declinet: dum malorum minas benè audit, ſed quorſum immineant, male percipit. O, ſic dubia perplexitas animum ſtupore inquietat, lancinat, cruentat!

Caiet. ibi.

*Inter præuias finalis iudicij calamitates, perplexitas cenſetur.*

4.

Iob 7. patiendo defeſſus, has lugubres voces ore querulo expreſſit: Si dixero: Conſolabitur me lectulus meus, & releuabor loquens mecum in ſtrato meo: *terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties.* Nimirùm ſanctus vir totâ die peracerbis calamitatibus fatigatus, ſibi ſpondebat, quòd per noctis quietem, ſecum tacitus loquens, poſſet mitigare ærumnas, rationes quærendo idoneas, quæ altè infixas tot ærumnarum ſagittas refigerent, & ſic acerbitatem calamitatis releuaret. At dum aduertit, quòd in laxamenti locum, *horrore concutiebatur,* dum omnia veretur, imaginatur omnia, quæ ei aduerſa accidere poterant; terrore dubij mali, quod illi obuerſabatur, & conſilij inops tanto *horrore* perplexus quid ſpectra portendant, ſubdit: *Quamobrem elegit ſuſpendium anima mea, & mortem oſſa mea.* Polychronius in Catenâ, ſic hunc locum è Græco exſcribit: *Liberabis (pro liberæ) animam meam à ſpiritu.* Et addit præſcripta verba exponens: *Dum Iobus inquit: Liberabis animam meam à ſpiritu, ipſum dolorem & ægritudinem ſpiritum videtur dicere; aut verò reſpirationem & anhelitum hoc ipſo declarat nomine.* Non dimittam innotatum, quòd *dolorem* aut *ægritudinem* appellat *ſpiritum,* & quidem *ſpiritum animæ* ſuæ. Opinor, ſi dolor & ægritudo patienter ferantur, erunt *ſpiritus* Dei, aut *Spiritus* ſancti vicarius; ſin malè feras, erunt tibi *ſpiritus* nequam, qui tanquam energumenum, & dæmonibus velut obſeſſum reddant. Sed ad rem nota, quòd dum Iobus *horrore* & terrore nocturno exagitatus, multa incertus veretur, multa dubius timet, omnia conſilij inops, & perplexus imaginatur; tunc, tunc quidem *animæ ſuæ ſpiritum* pati perhibetur. An quia medullitùs & animitùs ſic anxietate cruciatur, vt *animæ ſuæ ſpiritus* angi dicatur? An quia velut energumenus, ſpiritum nequam pati putatur? An quia tunc ſic eius ſpiritus coarctatur, vt præoptaret ſuſpendium, & animæ ſuæ reſpirationem & anhelitum intercludi, vt ſic ſuſpenſæ anxietatis horrorem euaderet?

*Dolor & ægritudo quo ſenſu Spiritus dicatur.*

Iob 7. v. 15.

Polychr. In Catenâ ibi.

*Anxiè perplexū, animæ ſuæ ſpiritum pati dicitur.*

5.

Lucæ 12. Opulentæ auaritiæ incommoda Chriſtus Deus his verbis publicat: Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager attulit: *Et cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos?* Ecce tibi hic perplexus ex nimiâ vbertate angor, hunc prædiuitem recudit in pauperem, & egeno miſerè adæquat. quod his verbis Baſilius eleganter adnotauit. *Et cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam? Conqueritur æquè pauperibus. an non quem premit inopia, dicit: Quid faciam? vnde victus? vnde calceamenta? talia & locuples profert.* Sic perplexus diuitis animus, dum conſilij inops ſuſpensâ anxietate redditur, duræ egeſtatis mala acceſſit; & opulentè diuitem in miſerè egenum refingit.

Luc. 12. v.

*Perplexitas diuitem refingit in pauperem.*

S Baſil. hom. 6. quæ eſt in hunc locum Lucæ.

6.

1. Regum 5. Iſraëlitis male conciſis, victores Philiſthæi tulerunt arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon: & manè die alterâ conſurgentes, inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam in terrâ coram arcâ Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen. Aggrauata eſt autem manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos, & percuſſit in ſecretiori parte narium Azotum, & fines eius. Et ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius, & nati ſunt mures, *Et facta eſt cōfuſio mortis magna in ciuitate.* Videntes autem Azotij huiuſcemodi plagam, mittētes congregauerunt omnes ſatrapas Philiſthinorum ad ſe, & primò Arcæ circumductionem, poſtmodū conſilij inopes, abiectionem arcæ decernunt. Non conuenit inter expoſitores, quam ob rem tunc ſpeciatim dicatur, quòd *facta eſt confuſio mortis magna in ciuitate.* Porrò licèt Deum ſuum Dagonem in terrâ veſtigiis hominū abiectè proculcandū viderint; ſe etiam peſtilenti ac propudioſo morbo vri; atq; agros ſuos muriū corroſu deuaſtari ſenſerint; quid hæc ad ambiguam multæ mortis *confuſionem,* & non potiùs ad querelas, lacrymas, & lamenta? Exinde Theodoretus indidem q. 13. explorato exinceps contextu, hanc Azotiorum *confuſionem,* ad dubiam perplexitatē, vndè nam plaga ingrueret, videtur referre: *Voluerunt,* inquit, *diſcere per*

1. Reg. 5. v. 6

*expe*

*Azotij confuſâ perplexitate dubiæ mentis, nimis vruntur.*

*experientiam, plagáne eſſet à Deo immiſſa, an ea caſu accidiſſet ...... In triuio autem abſque aurigâ dimiſſis vaccis expectabant vt viderent an ad vitulorum mugitum reuerterentur, an ad aliam viam declinarent, relictâ viâ quæ fert ad Hebræos, vt ſi ex his quidem duobus fieret alterum, tanquam imbecillam condemnarent arcam. Sin autem vaccæ, aliis viis relictis, & ſpretis ſuis vitulis, abeant in terram Iſraëliticam, verè cognoſcerent illas plagas fuiſſe à Deo immiſſas.* Nimirùm Azotij, dum ſuum Numen profanatur, abiicitur, & proculcatur, & cum eo tota eorum religio dehoneſtatur: dum ipſi peſtilenti & propudiosâ inſolenter ægritudine populariter vruntur: dum eorum villæ & agri murium corroſu perduntur; non ſic multimoda calamitas eorum ſenſum exorbuit, vt ambiguæ perplexitati, & dubiæ *confuſioni* præcipuum non relinquerêt locum, ſcilicet *plagáne eſſet à Deo immiſſa, an ea caſu accidiſſet*? Ideò quaſi res notatu digniſſima, ſignatè ſcribitur, quòd tunc, tunc quidem quando tot plagis acerbè feriebantur, *facta eſt confuſio mortis magna in ciuitate.* Sic dubius perplexitate animus, & conſilij inops, angitur, feritur, vritur! Sic inter tot calamitates velut præcipuum ab acerbitate locum habet anceps dubiæ mentis confuſio.

---

## §. CXXXVIII.

### *Quàm ſit humanum patrocinium debile, friuolum, futile, caducum; quò diuinum potiùs exambias.*

1: BEllè ille quicumque apud Senecam: *Fides, vt anima, vnde abit, eò nunquam redit.* Et ſanè fidem nemo vnquam perdidit, niſi qui non habet. Miror, quòd homo apud hominem fidem aliquando perdiderit, quam raò, aut nunquam habere debuit. Dudum enim maledictione mulctatur homo, qui confidit in homine. Spes humana in homine collocata, ſpei titubatio eſt, rationis languor, & negotij naufragium. Humanum præſidium præ imbecillitate, & inconſtantiá nutat: nutanti autem fulcro quis tutò ſe credat, niſi qui ruinam amat? Heu quoties falſatâ fide humanum patrocinium degenerat! Vel ipſa experientia longâ ſeculorum ſerie perducta, humanis ſpebus te exuat, & diuinis induat. Hæc ſit noſtræ ſpei anchora, quæ aduerſus atroces ſæuientis Oceani vortices fiduciam humanam firmet. Homo, qui plerumque nemo ſibi eſt, plurimus erit aliis? *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.*

*Publ Mim. apud Senec.*

*Spes in homine collocata, ſpei titubatio eſt.*

*Iere. 17. v 5.*

2. Matthæi 25. Decem illæ virgines, quarum quinque erant fatuæ, & totidem prudentes; dum moram facit ſponſus, dormitauerunt omnes, & dormierunt. Mediâ autem nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades ſuas. *Fatuæ autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro: quia lampades noſtræ extinguuntur.* Hactenùs profundè dormierant, & altè ſterrebant; & dum ad ſponſi aduentum, lampades oleo vacuas animaduertunt, à ſodalibus opem expetunt amici contubernij titulo. S. Gregorius hâc ſuper re, ita ad rem præſentem ſcribit: *Quid eſt autem, inquit, quòd tunc à prudentibus oleum petunt, niſi quòd in aduentu iudicis cùm ſe intùs vacuas inuenerint, teſtimonium foris quærunt? ac ſi à ſuâ fiduciâ deceptæ, proximis dicant: Quia nos quaſi ſine opere repelli conſpicitis, dicite de noſtris operibus quod vidiſtis.* Exiguum ſanè, & facile parabile patrocinium foret, id à ſodalibus impetraſſe. Tamen illa ſollertia ſemper eſt inerter tarda; & quantumuis feſtinet, futilis, quæ in alieno patrocinio & ſuffragio ſpem collocauit. *Ite potiùs*, inquiunt, *ad vendentes, & emite vobis.* In patrocinio quod precariè exambiunt, nec verba inueniunt. Sic patrocinium quod ambitiosè expetis, vel vnius commendatitij verbuli auarum eſt? O quàm miſerè de aliorum mendicitatibus viuitur! ſic eſt infidum vel *prudentium* patrocinium! Moraliſſimè dicuntur *fatuæ* hæ quinque virgines, quæ vel in *prudentium* ſuffragio ſpes ſuas collocarunt.

*Math 25. v 8.*

*Vel prudentiũ patrocinium, ſuffragio peragendum, infidum eſt.*

*S Greg. homil 12. in Euang.*

3. Matthæi 10. vbi primùm Chriſtus Deus duodecim Apoſtolos renunciauit, confeſtim ad prædicandum illos dimittit: Nolite, inquit, poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: *Non peram in viâ, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam* Eſto, Euangelicus concionator gratis cæli doctrinam nationibus foret, & de zonâ pecuniis vacuâ Chriſtianam paupertatem altiùs buccinet; quid tamen prohibet, *virgam* in manu ferre, quâ ieiunum corpus pedeſtri itinere feſſum, vtcumque ſuſtentet? Sapienter inibi Hieronymus: *Docet Dominus neque habere virgam, quæ vertatur in colubrum, neque in aliquo præſidio carnis inniti: quia huiuſmodi virga & baculus arundineus eſt, quem ſi paululum preſſeris, frangitur, & manum perforat incumbentis.* Scilicet parùm intereſt, vt Apoſtolus iter pedibus ad prædicandum conficiens, baculo vtatur, quo feſſa membra tantillum obfirmet. Maximi verò refert, ne manus incumbat *virgæ, quæ vertatur in colubrum*: & quem ſperabas ſtillare patrocinium, ſerpentino horrore noxiè venenum eructet. O venenata quorundam patrocinia! Explora, time, caue; ne virga, quâ inniti putabas, vertatur in colubrum. & ipſo auxilio periculum ipſum adornes.

*Math. 10. v. 10.*

*Humanum patrocinium, virga eſt, quæ vertitur in colubrum.*

*S. Hier. ibi.*

4, Marci 4. Chriſto cum Diſcipulis nauim egreſſo, dum ipſe in puppi ſuper ceruical dormit, ſæua oboritur procella; ſicque nauicula fluctibus quatiebatur, vt penè naufragium faceret. Diſcipuli autem cum nautis, ac reliquis vectoribus, poſtquam diu multumque procellæ reluctati ſunt, *Excitauerunt eum, & dicunt illi: Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus?* Et exurgens comminatus eſt vento, & ceſſauit procella. Quâ ſuper re ita ad rem præſentem philoſophatur Seleucienſis Baſilius: Diſcipuli, inquit, ſtudiosè ſalutem quæritabant ab arte, ſed manus fatiſcebant. Cum tempeſtate depugnabant, & cum ventis de naui decertabant. At cùm procella præualêret, neque arti pateret mare, ac potiùs vinci extimeſceret, & terrorem de terrore exſuſcitaret, *victi diſcipuli, & quæſitas ab arte ſpes, tanquam & ipſæ naufragium facerent omittentes, recurrunt ad portum qui in ſcaphâ erat, & adſtantes clamant: Magiſter, Magiſter, ſalua nos, perimus.* O bonam ſpei humanæ informãdæ eruditionẽ! Scilicet dũ atrociùs ſæuit tempeſtas, ita vt fluctus nauiculã exorbeãt, nõ tã de procellæ vi quã de ſpei humanitùs collocatæ periculo, naufragiũ facere perhibẽtur. Vnde dũ ſpẽ excutiunt humanã, & ad diuinã cõfugiunt, de periculo

*Marc. 4 v. 35.*

*Baſil. seleu. Orat. 21.*

*Spes humanitùs collocata, citiùs quàm procella naufragium facit.*

culo faciunt aſylum, & in procellâ portum inueniunt: *Quæſitas ab arte ſpes, tanquam & ipſæ naufragium facerent, omittentes, recurrunt ad portum qui in ſcaphâ erat.*

5. Gen. 2. v. 18. Hebr. S. Ambr. epiſt. 31. *Adamus contra ſeipſum quæſiuit adiutorium.*

Geneſeos 2. *Dixit quoque Dominus Deus: Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Prò τὸ *ſimile ſibi*, ex Hebræâ origine alij exſcribunt *contra ipſum*. Et ſanè quàm fuerit hoc adiutorium illi aduerſum, effectus poſtmodum infeliciter comprobauit. Quò alludere videtur Ambroſius ſic fatus: *Solus*, inquit, *erat Adam quando in paradiſo conſtitutus eſt: ſolus erat & quando ad imaginem Dei factus eſt: ſed non erat ſolus quando de paradiſo eiectus eſt:* O humani adiutorij periculum! Quid ambitiosè quæritas adiutorium contra teipſum? Cùm ſolus erat Adam, Dei imaginem generoſus expreſſit, & in topiariis paradiſi deliciis exultim verſabatur. Cùm autem illi adiutorium extruitur, adiutorium contra illum paratur: de cuius aduersâ ope potior Dei ſimilitudo expungitur, & exilio paradiſi mulctatur. *Non erat ſolus quando de paradiſo eiectus eſt.*

6. Marc. 10. v. 27. Theoph. indidem. *Nihil, aut propè nihil eſt quod ſubſiſtentiâ, cui incumbat, nõ viduetur.*

Marci 10. expoſuerat Chriſtus quàm eſſet difficile, quòd diues ſaluetur Stupent diſcipuli inuicem muſſitantes: Et quis poteſt ſaluus fieri? Et intuens illos IESVS, ait: Apud homines impoſſibile eſt, ſed non apud Deum: *quia omnia poſſibilia ſunt apud Deum.* Hanc Chriſti ſententiam ſagacius diſcutiens Theophylactus, ita eam exponit, vt Dei impeccabilitatem cum omnipotentiâ componat: *Omnia poſſibilia ſunt apud Deum. Cùm enim omnia dicit, entia ſubintelligas, peccatum enim non eſt ens. Eſt enim res abſque aſſentiâ & hypoſtaſi peccatum.* Scilicet moraliſſimè expoſuit Theophylactus apud homines quàm ſit vile & abiectum peccatum; quippe quod res ſit (ſi adhuc res debeat nuncupari) ſine *hypoſtaſi* ſiue ſubſiſtentiâ, id eſt, adeò debile, caducum, ac futile, vt fulcro cui incumbat, prorsùs viduatum eſt. Sic putatur imbecillum, & nihilo confine quod hypoſtaſi ſeu ſubſiſtentiâ caret, vt ad nimis extenuandum illud qualecumque eſſe, quod habet; ſine ſubſiſtentiâ aut hypoſtaſi, cui incumbat, inducatur. (Scio quid Græco idiomate per *hypoſtaſim* ſignificet Theophylactus. Sic autem iuuat in eius verbis ad mores philoſophari.)

7. ad Hebr. 11. v. 1.

Gentium Doctor ad Hebræos 11. ita ſcribit: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Nonnulli Interpretes per *ſubſtantiam* intelligunt initium, ſeu exordium: ſubſtantia enim cæterarum rerum, proprietatum & accidentium ſibi, inhærentium eſt initium. quaſi fides bona ſperanda quodammodò prælibet. Alij per τὸ *ſubſtantiam* intelligunt opes. quaſi fides ſit ſperandarum rerum prædiues opulentia. Verùm pro τὸ *ſubſtantia*, Græcè eſt *Hypoſtaſis*, id eſt ſubſtantia, quæ per ſe ſtans, ſubſtat accidentibus, eáque ſuſtinet. quaſi dicat: ſicut ſubſtantia per ſe ſubſiſtens, ſuſtentat accidentia, quæ in illam incumbunt; ita fides ſuſtentat ſpem noſtram, adeò vt nulla in nobis ſit futura ſpes, ſi non ſit fides, quæ eam fulciat ac ſuſtineat. Fides ergo eſt ſubſtantia, id eſt Hypoſtaſis, ſeu ſubſiſtentia, baſis, & fundamentum *rerum ſperandarum.* Erudirè inibi notat Cornelius quòd *ſubſtantia* apud Hebræos ſignificat *oſſa*, quia rei firmitudo illis conſtat; item *argumentum* Hebræo idiomate *oſſa* vocari. O quàm imbecillè nutat bonorum gratia & ſpes, quam fides velut *Hypoſtaſis, baſis*, ſeu *oſſa* non fulcit, ac firmat! ô caducam rerum bonitatem, quam fides non ſuſtentat! Pulchrè Hebræus Philo in lib. de Abrahamo: *Solum igitur certum firmúmque bonum eſt fides, quâ Deo creditur, vitæ ſolatium, bonæ ſpei ſupplementum, depulſiuum calamitatum, felicitatum conciliatiuum, ſuperſtitionis ablegatio, pietatis aſſertio, proſperitatis hæreditas, profectus in bonis omnibus fultus vniuerſorum auctore, qui poteſt omnia, vult tantùm optima.* (Adhuc ad rem loquitur Philo.) *Quemadmodum enim per lubricum incedentes labuntur fallente veſtigio, qui verò per viam ſiccam gradiuntur, certo gradu iter faciunt: ſic qui per corporis externáque bona ducunt animam, nihil aliud quàm cadere illam aſſuefaciunt. hæc enim lubrica, & parùm firma ſunt.* O vide hîc quàm ſit in mundialibus bonis, & humanis rebus, ſpes lubrica, imbecilla, caduca, quò ſuper fidei baſim ſpem tuam fulciens, diuinum potiùs patrocinium exambias. Longum nimis facerem, ſi ſingulas Philonis ſententias expenſione digniſſimas, ſigillatim enuclearem. Ne autem te prætereat illud: Fides eſt *Bonæ ſpei ſupplementum*, aliàs forſan expendendum.

Cornel. — Philo. *Quàm parũ ſit auxiliaris mundialium rerum ſpes.* — *Fides, bona ſpei ſupplementum dicitur.*

8. ad Hebr. 11. v. 1.

Redeat iterùm ſemel expenſus Pauli locus, ad rem aliter expendendus: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Nempè fides diuina eſt *ſubſtantia*, ſeu *hypoſtaſis, baſis*, & *oſſa* ſperandarum rerum, quæ ſine hoc fulcro aut ſuſtentaculo (ſicut reliquæ res humanæ) nutaret, & ruitura labaſceret. Res ſperandæ hâc ſubſiſtentiâ fulciuntur, hâc baſe fundantur, non adulatricis gratiæ negotiatione, non præſtigiatricis eloquentiæ gratiâ, non munerum præſtigiis, non mentientis fortunæ adriſu, non incerto auxiliarium Principum fauore, ac patrocinio, ſpes humanas multoties fallente. Audiendus eſt Zeno Veronenſis hâc de re ſic eloquenter fatus in ſerm. de Fide: *O quàm miſera eſt fides, quam verba concinnant. O quàm debilis, cuius quotidie diſſipantur variis argumentationibus membra. O quàm indefenſa, quæ Regum, iudicum, diuitum deſiderat per momenta patrocinia. O quàm turpis ac lubrica, de quâ ludit aliena ſententia. O quàm adultera, quæ non agnoſcit quo auctore ſit nata.* Heu lubrica humanæ ſpei fulcra! Quid tam firmum ad defenſionem, quàm *Regum, iudicum*, ac *diuitum* auxiliaris fauor, & promiſſum ſtrenuè patrocinium? At lubricum & inſtabile eſt, de quo ludit aliena ſententia: & inde *indefenſum* omittitur, quod promiſſis & ſperatis Regum, iudicum, ac diuitum patrociniis nitebatur. Friuolis his ſpebus irridetur humanitas tota, quò firmam ſpei noſtræ anchoram diuinitas fundet. Vide hîc quàm nutet Eſtheris ſpes in Aſſueri patrocinio, niſi cælitus fulciatur. Hîc v. 14.

*Quàm ſit ad auxiliandum futile, quicquid humanum patrocinium ſpondet.* — S. Zeno.

---

## §. CXXXIX.

*Spes non timet, ne non veniat ſperata felicitas: nam qui ſperat, rei expectatæ gaudium iam momordit.*

1. Plutarch. l. de Tranquil. animi.

Scitè Plutarchus ita de ſpe fatur: *Si quis*, ait, *naturam animæ noſtræ vel quoquomodo ſubodoratus ſit, ſecumque reputauerit, tranſitũ ex hâc vita*

*vitæ conditione, ad aliam meliorem fieri per mortem, profectò is non modicum iam viaticũ habet, quò ſe ad ſecuritatem animi ac tranquillitatem conferat.* Quaſi ſpe *tranquillitatem* anteuerterit, & *ſecuritatem* occupauerit. Illud quod Geneſeos 4. dicitur de Enos: *Iſte cœpit inuocare nomen Domini*, ſic L X X. Interpretes excribunt: *Iſte ſperauit inuocare.* Spes, inchoatio poſſeſſionis eſt, an inchoationis votum? Qui rem facere ſperat, illam efficere iam incœpit? Sic eſt ſpes operi proxima? Si benè ſperaſti, feliciter cœpiſti. O fauſta ſpei auſpicia! Nam qui ſpe, animoſiùs erigitur, *profectò is non modicum iam viaticum habet, quo ſe ad ſecuritatem animi ac tranquillitatem conferat.* Minutius Felix reddens ethnicis rationem, ob quam Chriſtiani floridis ſertis caput non coronent, ita fatur: *Eàdem tranquillitate quà viuimus, nec adnectimus areſcentem coronam, ſed à Deo æternis floribus viuidam ſuſtinemus: qui & modeſti Dei noſtri liberalitate, ſecuri ſpe futuræ felicitatis, fide præſentis eius maieſtatis animamur.* Pulchrè quidem Minutius!

Geneſ. 4. v. 26.
*Felicitatem ſperare, idemne eſt ac illam inchoare?*
Minut. Fel. in Octau.

2. Actorum 1. cùm iam iam Chriſtus Deus in cælum triumphali pompâ aſcendere parat, *Conueſcẽs præcepit eis* (Diſcipulis inquam) *ab Ieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis* (inquit) *per os meum.* Ad quæ verba Interpretes eruditâ perquirunt ſagacitate, quandò, aut vbi id Pater promiſerit. Neque enim id Patrem promiſiſſe alicubi legitur. Quo igitur pacto Chriſtus Deus dicit Spiritus-Sancti aduentum à Patre Deo fuiſſe promiſſum? Occumenius elucidans præfata verba, *ſed expectarent promiſſionem Patris*, ſic fatur: *Et vbi hoc Pater promiſit? Dicimus ergò quòd per defectum oportet dictum hoc intelligi, vt ſubaudiatur præpoſitio ἀπὸ ſitque ſenſus: expectarent à Patre promiſſionem.* O arcanas ſpei vires! Idemne eſt, *expectare promiſſionem Patris*, ac *à Patre promiſſionem expectare?* Qui expectat Patris promiſſionem, non promiſſionem ipſam, ſed rem ipſam promiſſam expectare putatur: qui autem à Patre promiſſionem expectat, non tam rem promiſſam, quàm promiſſionem ipſam expectare cenſetur. Num eâ animoſitate fertur ſpes ad obtentionem rei à Patre iam promiſſæ, ac fertetur in Patris promiſſionem obtinendam? Sic ſpes fide bonitatis & beneficentiæ diuinæ animatur, vt ad conſequendam promiſſam gratiam, aut promittendam, propè conſimili fiduciâ perferatur? *Sed expectarent promiſſionem Patris, ſitque ſenſus: Expectarent à Patre promiſſionem.* Profundè quidem Oecumenius!

Actor. 1. v. 4.
*Idemne eſt, expectare à Deo rem promiſſam, ac promiſſionem expectare?*
Occum. inibi.

3. Geneſeos 32. poſt opinatiſſimam illam luctam cum Angelo, vel cum Deo ipſo hæc victor Iacob audit. Quod nomen eſt tibi? Reſpondit: Iacob. *At ille: Nequaquam*, inquit, *Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines præualebis?* Itaque qui dudùm nominabatur Iacob, exinceps appellatur *Iſraël*, id eſt, *Princeps Dei*, vel *Princeps cum Deo.* De quâ nominis mutatione ita ſcribit inibi Lipomanus: *Etymon nominis Iſraël in textu explicatur, nempè Princeps cum Deo, vel Dominator Dei, vel Superans Deum. Sic ergò fit Iacob ex ſupplantatore poſt luctam, cum Deo princeps, vt fide & deuotione ſuâ apud Deum fiat omnipotens.* Aduerte geminam *omnipotentiæ* ſpeciem. Deus abſolutè *omnipotens* eſt: at qui fide & deuotione aliquid à Deo animoſiùs ſperat, *fit omnipotens apud Deum*, ſcilicet ſupplici omnipotentiâ fidenter erectus. Exindè ex *Iacob* appellatur *Iſraël*, id eſt, *Princeps cum Deo, & fide ſuâ apud Deum omnipotens*, aliquâ fiduciæ quaſi *omnipotentiâ*.

Geneſ. 32. v. 28.
*Supplex ſpei omnipotentia.*
Lipomanus ibidem.

4. Paulus ad Romanos 12. ſtudioſè ſatagit eos videre, Spiritu feruentes, Domino ſeruientes, *Spe gaudentes.* Tantorum enim bonorum quæ ſuis fidelibus Deus in cælo præparauit expectatio & ſpes, ingens parit gaudium, ita vt in quâuis etiam graui tribulatione Chriſtianus gaudeat & exultet. Hinc ſententioſè Philo *Spem* vocat *gaudium ante gaudium*, quaſi expectatæ fruitionis gaudium præpropera ſpes delibet, & præcoqua voluptas poſſeſſionem gratè anteuertat: exindè ſpes, *gaudium ante gaudium* nominatur. Perbellè Petronius Arbiter ita in Satyrico ſcribit: *ſicut muta animalia cibo ineſcantur: ſic homines non caperentur ſpe, niſi aliquid morderent.* Nimirùm volucres ac piſces, niſi ineſcarentur cibo, non capiuntur latente hamo: ſic homines qui deliciarum ſpe capiuntur, iam futuræ voluptatis quippiam *momorderunt.* Spes *gaudium ante gaudium* prægustat, quod niſi ſpe *mordere* præcucurriſſet, nequaquam ſperaſſet. Itaque, tametſi alioqui ſpes moleſtiarum plena ſit; *ſpe gaudentes* nos mauult Apoſtolus, quippè qui in ſpei cibo empyreas iam delicias *momorderimus, gaudium ante gaudium* ſpebus prælibantes.

Ad Rom. 12. v. 12.
*Spes dicitur gaudium ante gaudium.*
Philo apud Cornel. ibi. n. 141.
Petron in Satyr. prope finem.
*Qui ſperat res ſperata gaudium iam momordit.*

5. Zacharias cap. 9. poſt tot calamitates, bono animo eſſe iubet Hebræos, meliora ſpondens: *Conuertimini ad munitionem vincti ſpe.* Et quæ eſt hæc ſpei *vinctio*, quæ futura & nondum poſſeſſa gaudia præſenti rerum ſtatui, etſi ærumnoſo, arctè connectit? Futura olympiæ gloriæ felicitas his verbis adumbrata, quo pacto cum calamitoſo præſentium rerum ſtatu aptè componi poteſt? Subtiliter Auguſtinus forſan adludens ad hæc Prophetæ verba, ita ſcribit: *Spem iam in terram ſanctam tanquam anchoram præmiſimus, ne in iſto mari turbati naufragaremus. Quemadmodum ergò de naui, quæ in anchoris eſt, rectè dicimus quòd iam in terrâ ſit, adhuc tamen fluctuat, ſed in terrâ quodammodò educta eſt, contra ventos & tempeſtates: Sic contra tentationes huius peregrinationis noſtræ, ſpes noſtra fundata in illâ ciuitate Ieruſalem*, &c. Appoſitè quidem Auguſtinus peridoneâ metaphora rem præſentem expreſſit.

Zach. 9. v. 12.
*Quare ſpes, anchoræ ſimilis dicatur.*
S. Auguſt. in Pſal. 64.

6. Ionæ 1. ingreſſo in nauim Ionâ, dira procella cymbam atrociter quatit. Nautæ conſilij inopes, precibus naufragium auertere ſtudent. Et dixit ad eos Ionas: *Tollite me, & mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis. . . . . Et præparauit Dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam*, &c. Tametſi Ionas obnixè poſtulat, ſe in mare proiici, vt ſuâ *morte viuant* reliqui (vt notauit Gloſſa) quaſi de vitâ ſuâ iam actum eſſet: vectores autem & nautæ in tanto etiam periculo cunctanter agunt, orantes: *Quæſumus Domine ne pereamus in animâ viri iſtius.* Ad quæ verba ita ſcribit Hieronymus: *Grandis vectorum fides, periclitantur ipſi, & pro alterius animâ deprecantur.* Et ſanè in hâc inopinatâ fiduciæ ſcholâ, neſcio an bonus diſcipulus Ionas euaſerit; ſiquidem mortem adhuc expetit, ac ſi iam foret res deſperata. *Tollite me, & proiicite in mare.* Quæ verba (ſi ſpecietenus vibretur cenſura) vitæ deſperationem ſubindicant, dum naufragium expetit: verùm eâ ſpe medullitùs viget, vt vel in naufragio ſoſpitatem

Ionæ 1. v. 12. & c. 2. v. 1.
Gloſſa apud Hugon. ibi.
S. Hierony. ibi.
*Ionæ ſpes cetum in cymbam conuertit.*

S. Zeno ſer de Spe, &c. inueniat. Audiendus eſt hâc ſuper re Zeno Veronenſis: *Per ſpem*, inquit, *euaſit Noe non inuenit, cum quo diluuium fuiſſe conferret. Hæc Moyſi in mari rubro terram vitream fecit. Hæc in Daniele ora leonibus alligauit. Hæc in Ionâ cetum in cymbam conuertit.* Sic in diſſimulatæ ſpei officinâ, de naufragio ſoſpitatem redintegrat, & de atroci belluâ vitalem cymbam excuſſit. O ab ſpe metamorphoſim pulchram!

7. S.Zeno s. Et ſanè nuper laudatus Veronenſis Zeno hæc verba de ſpe eleganter præmiſerat: Amplectenda eſt igitur ſpes tenaciter nobis (inquit) & omni genere cuſtodienda virtutum; in hanc fortiter incumbendum: ipſa eſt enim *vitæ noſtræ immobile fundamentum*: inuictum aduerſus diaboli impetus propugnaculum pariter ac telum: animæ noſtræ impenetrabilis lorica: legis compendioſa ac vera ſcientia: Dæmonum terror, martyrum virtus, *Eccleſiæ pulchritudo*, vel murus: Dei miniſtra, Chriſti amica, *Spiritus-Sancti conuiua. Huic & præſentia ſubiacent, & futura: iſta, quia contemnit; illa, quia ſua eſſe præſumit. Nec ſpes timet, ne non veniant, quia ea ſemper ſe cum ſuis virtutibus portat.* Longum facerem, ſi ſingulas Zenonis ſententias enucleatiùs expenderem. Sat eſto digitum intendiſſe.

*Spei conglobata elogia.*

8. Geneſ.4.v.26. Geneſeos 4. *Sed & Seth natus eſt filius, quem vocauit Enos: iſte cœpit inuocare nomen Domini.* L X X. Interpretes, *Iſte ſperauit inuocare nomen Domini*, quaſi Enos primus hominum ſpem, ſeu fiduciam dedicauerit. Quod eſt grande huius Patriarchæ elogium, qui ſpe in Deum, hominis nomen, & rem nominis primus impleuit. *Enos* enim Hebraicè, Latinè *homo eſt*. Qua de re ita philoſophatur Ambroſius lib. de Iſaac & anima, cap 1.

L X X. Interp.

S Ambr. *Sapientis eſt*, inquit, *ſegregare ſe à voluptatibus carnis, eleuare animam, atque à corpore abducere; hoc eſt enim ſe hominem cognoſcere. Qui Chaldæorum ſermone Enos, dicitur Latinè homo; qui ſperauit inuocare nomen Domini Dei. Non videtur itaque homo eſſe, niſi is qui in Deum ſperat; qui autem ſperat in Deum non videtur degere in terris, ſed quaſi tranſlatus adhærere Deo.* Hoc ipſum anteà notauerat Hebreus Philo in lib. de Abrahamo, aliàs expenſus. Siquid ſpeciale in hâc Ambroſij ſententiâ elucet, pro re orationis enucleabitur §. 269 n.7 Titubat hîc in Eſthere ſpes humana, quò altiùs diuina fundetur.

*Ille cenſetur homo, qui in Deo ſperat.*

Hîc verſ. 16

9. Pſal.2.v.13. Pſalmo 2. ſic Propheta Regius pangit: *Cùm exarſerit in breui ira eius* (Dei inquam) *Beati omnes qui confidunt in eo.* Spes ſeu confidentia non modo ſecuros, ſed præproperè *beatos* facit, quaſi noſtra in terris ſpes, iam cæleſte præmium prælibare incipiat, & terrenus homo coloniam in cælum ſpe duxiſſe videatur, præmaturè homo cæleſtis, aut cæli incola. Quod nuper laudatus dixit Ambroſius: *Qui ſperat in Deum non videtur degere in terris, ſed quaſi tranſlatus adhærere Deo.* Huius fiduciæ & difficultatem, & præſtantiam, Hebræorum diſertiſſimus Philo ſic eleganter tradit in lib. Quis rerum diuin. heres: *Quam difficile*, ait, *eſt ſoli Deo credere: res nimirùm mortales, quibus circumdati ſumus ſuadent nobis, vt credamus, & fidamus gloriæ, potentiæ, amicis, ſanitati, & corporis robori, noſtræve in primis prudentiæ: has perſuaſiones penitùs ex animo eluere, nulli creaturæ fidere, ſed in ſolo Deo omnes ſuas & ſpes & opes habere collocatas, ex eoque totum mente animoque pendere, res eſt animi magni, & cæleſtis, & non ineſcati, captique rebus terrenis.*

*Qui ſperat in Deum, velut cæleſtis animus, quodammodo præmaturè beatur.*

Philo.

Nimirùm qui rerum mundialium mentitam gratiam, & falſatas promiſſiones auerſatus, omnem ſpem in cælum, reſque cæleſtes conuertit, *non videtur agere in terris, ſed quaſi tranſlatus adhærere Deo, & animum cæleſtem habere.* Nec mirùm eſt, quòd qui ſpei beneficio, *non videtur agere in terris*, ſed cæleſti animo præditus *adhærere Deo*, præmaturè *beatus* nominetur: *Beati omnes qui confidunt in eo.* quaſi adhuc in terrâ terræ exul, cæleſtis patriæ glorias anteuertat, & beatam felicitatem ſpe momordetit, atque nobilis cæli inquilinus, cælum potiùs quam terram habitare, tanquam homo empyreus.

---

## §. C X L.

### *Deus, dum ideò quæritur vt inueniatur, iam propè inuentus eſt vt quæreretur.*

PVſilla res mundus eſſet, niſi in illo Deum quem homo quærat, totus mundus habeat. 1.
Non ſemel quædam ſacra traduntur. Eleuſina ſeruat quod oſtendat reuiſentibus. Rerum natura ſacra ſua non ſimul tradit. Initiatos nos credimus, & in veſtibulo eius hæremus. Illa Dei arcana non promiſcuè, neque omnibus patent: reducta, & in interiore ſacrario clauſa ſunt. Quandò ergò magna iſta Dei in notitiam noſtram perducentur? Tardè magna prouenire putantur: vtique ſi labor ceſſat, ſi humana deſidia otio torpet. Qui Deum quærere negligit, inuenire faſtidit. *Quærite, & inuenietis.* Niſi fortè dum Deus ſedulò, vt inueniatur, quæritur, iam propè inuentus eſt vt quæreretur. Homini quidem propiùs vicinatur, cui ſe quærendi ſtudium afflat.

*Deus, dum ideò quæritur vt inueniatur, iam propè inuentus eſt, vt quæreretur.*

Matth.7 v.7.

Ioannis 14. Chriſtus Deus in ſuæ Paſſionis limine, diſceſſui proximus, Spiritus-Sancti aduentum Diſcipulis prænunciat. Me rogatore, inquit, mittet Pater Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum. *Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Mitto nunc, quòd mundus non ſuſcipit, niſi quod oculis videt: Deus autem niſi inuiſibiliter videri non poteſt, arcano cæcæ perſpicuitatis aſpectu. De quo aliàs. Sed quid eſt, quòd ait ad Diſcipulos, ſe Spiritum-Sanctum cognoſcituros, *quia apud vos manebit, & in vobis erit?* Decreſcens ſanè oratio, & præpoſtera collocatio videtur, vt his verbis inibi notauit Auguſtinus: *Apud vos manebit, & in vobis erit. Erit*, inquit, *in eis vt maneat, non manebit, vt ſit: priùs eſt enim eſſe alicubi, quàm manere.* Quod ſanè perſpicuum eſt, & negabit nemo, niſi planè truncus. Porrò priùs eſt alicubi eſſe quàm inibi permanenter manere: eſſe enim alicubi poteſt, quin permaneat inibi; non poteſt autem permanere, quin inibi ſit. Cùm ergò priùs ſit *eſſe*, quàm *manere*, quo pacto de Spiritu-Sancto dicitur, *Apud vos manebit*, & poſtmodùm, *& in vobis erit?* An non erat in eis, quandò apud illos manebat? Profundè quidem dicitur Spiritus-Sanctus apud Diſcipulos manere, vt in illis ſit: nam à Diſcipulis deſideratus, quæſitus, & inuentus vt in illis ſit, iam apud illos erat vt quæreretur. Dum Diſcipuli Deũ quærunt, vt in illis *ſit*, iam apud ipſos *manebat*, vt 2.

Ioan.14.v.17.

*Qui Deum quærit, Deum apud ſe manentem habet.*

S. Auguſtin. Tract 74 in Ioan prope finem.

vt eum quærerent. O quàm certò, *Omnis qui quærit, inuenit*, qui vt quæreret, quodammodò iam inuenit: qui enim quærit Deum vt Deus in eo *ſit*, apud eum *manet* Deus, vt illum quæreret: quem non quæſiſſet, niſi apud ſe *manentem* prius præhaberet. quod eſt magnum Deum quærendi ſacramentum, quod nunc Eſther experta eſt.

Hic. verſ. 16.

3. Siracides ille, qui eliquatam Salomonis ſapientiam ſapientiæ ſtudioſis inſtillauit, ita ſcribit, Eccleſiaſtici 24. *Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me adhuc ſitient.* ( Sudatum locum, & aliàs à me verſatum, adhuc enucleare conabor) Res ſanè miriſſima Deus ipſe, eſt cibus, & ipſe eſt eſuries: ſimul ipſe eſt potus, & ipſe eſt ſitis Adeò vt ſimul ſatiet animam, vt nihil vltra eum quærat, & ita ſatiet, vt ſimul acre ſui deſiderium exacuat: & indè homo eſuriem ac ſitim experiatur accenſam, vndè credi poterat affatim exaciatus: quaſi cum cibo eſuriem comedat, & ipſam ſitim arcanè bibat. In quem ſenſum litteraliſſimè hunc locum exponit Auguſtinus: *Qui me manducant*, inquit, *adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient. Manducant & bibunt, quia inueniunt: & quia eſuriunt ac ſitiunt, adhuc quærunt. Fides quærit, intellectus inuenit: propter quod ait Propheta: Niſi credideritis, non intelligetis. Et rurſus: Intellectus eum quem inuenit, adhuc quærit. Deus enim reſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum.* Pulchrè quidem Auguſtinus eſuriem & ſitim comparat ſedulo Deum quærendi ſtudio, ſed quæ de Deo inuento non exaciatur, ſed eum adhuc auidiore eſurie ſitique inuentum quærat, quaſi ipſam Deū quærendi eſuriem manducet, & ſitim bibat. Exindè Deus fide, & ſanctitatum ſtudio inuentus, adhuc appetentiùs quæritur, & hiantiùs appetitur. Quia eum manducant & bibūt, inuentum iam habent; quia eſuriunt ac ſitiunt, adhuc quærunt, & ad eum inueniendum auidiùs hiant. *Intellectus eum quem inuenit, adhuc quærit: Deus enim reſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.* O felix ille, qui in Deum quærendi ſtudio vſque adeò profecit, vt eum intellectu adprehenſum adhuc perquirat, & virtutum ſudore inuentum, adhuc quærat. Altè ergò dixerat Ioannes: *Apud vos manebit, & in vobis erit.* In nobis enim *manet* dum eum quærimus, qui inuentus in nobis eſt, vt eò ampliùs quæratur, quo feliciùs inuenitur.

Eccl 24. v. 29.

*Intellectus Deum dum inuenit, hiantius quærit, vt magis inveniat.*

S August. l. 15. de Trinit. c. 2.

Iſaiæ 7. v. 9. Pſal. 1. v. 2.

4. Matthæi 13. Hoc procemiolum Chriſtus præmittit, *Qui habet aures audiendi, audiat*, vt ad parabolam proponendam auditores teddat attentos. Tunc ſic fatur: *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro: quem qui inuenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit & vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illum.* Per hunc *theſaurum* tanto in pretio habitum, Hugo intelligit vitam æternam, Hieronymus Chriſtum. (Aliàs expēdebamus, quare ſi *theſaurus* tantoperè placuit, non tam eum, quàm agrum, in quo erat, emiſſe dicatur. quod moralitatis grauidum eſt) Et quidem valdè mirum eſt, quòd optatiſſimum theſaurum iam inuentum, præ gaudio non quieuerit in illius poſſeſſione; ſed confeſtim abierit, vt emeret agrum, vbi eiuſmodi theſaurus latebat. Qui quod *inuenit*, iam habet, cur ſumptuoſiùs ſtudet, illud poſſidere? Præ illius gaudio aut æſtimatione, quem inuenit theſaurum ſtatim abſcondit; & rurſùs illum acquirere & poſſidere ſedulus ſatagit? Anſelmus Laudunenſis inibi per *regnum cælorum*, *conuerſationem iuſtorum* intelligit. Indè locuples ad rem præſentem ſenſus euadit. Nam (vt ait Gregorius præfata verba exponens) *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo . . . . vadit & vendit, &c. In præſenti etenim vitâ quaſi in viâ ſumus.* Vide ergò qualis ſit *iuſtorum conuerſatio*, & quàm ſollerter vitam æternam, aut Chriſtum quærant, dum ſunt *in via* ad illum beatè poſſidendum. Nimirùm talis eſt negotioſa *conuerſatio iuſtorum*, quæ *regnum cælorum* nominatur, vt quem *inuenit* Chriſtum, tanquam magis abſconditum, adhuc magis quærat; & quaſi Chriſtum non *inuenerit*, aut *inuentum* non habuerit, adhuc illum ſuarum poſſeſſionum pretio velut emere, & magis ac magis poſſidere negotioſiùs procuret. Id vnum ſatagit *iuſtorum conuerſatio: in præſenti etenim vita quaſi in viâ ſumus*: exindè. Chriſtum iam *inuentum*, quærit vlteriùs, vt eum magis inueniat.

Mt. 13. v. 44.

Hugo ibi. S. Hieronym. ibidem.

*Qui theſaurum inuenit, cur agrum in quo eſt, emere ſatagit?*

Anſel. Laud.

S Gregor. homil 11. in Euang.

Regius vates Pſal. 5. ita Deum alloquens, modulatè pangit: *Et lætabuntur omnes qui ſperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis.* Noſter Bellarminus elucidans ea verba, *& habitabis in eis*, ſic ex Hebræâ origine eleganter exponit: *Deus habitat in eis, id eſt, ſuper eos, ad modum tentorij, vt in Hebræo legimus; proindè ipſi in Deo erunt, & Deus in eis.* Benè eſt, quòd Iuſti dum viatores ſunt, & per arduas virtutis vias incedunt, vt Deum tandem inueniant, benè ſperantes lætentur, quaſi æterna gaudia ſpe delibarint: ſed quo pacto tunc *Deus habitat in eis, id eſt, ſuper eos, ad modum tentorij?* In viâ ſunt ad Deum inueniendum, & dum per viam incedunt, Deum quærentes, hoſpitentur in *tentoriis*, quæ eſt factitia viatorum habitatio, non habeant fixum domicilium: at ſi Deus, quem ſedulò in viæ termino quærunt, eſt eorum *tentorium*; in viâ portant, quem in viæ termino requirunt. Gratulor ei, qui in præſenti vitâ per arduum ſanctitatum tramitem quærens Deum, ad illum tendit; quòd dum viator etiam exiſtit, & ad Deum peregrinatur, hoſpitatur in Deo, & *Deus habitat ſuper eum, ad modum tentorij.* Vide qualiter Deum portet, qui Deum quærit. Multa quidem Pſalmographus paucis expreſſit, quæ ſub *tentorij* inuolucro ethicè deliteſcunt.

Pſal. 5. v. 11.

Bellarmin. inibi.

*Super Iuſt. ſi qui Deum quærunt, Deus habitat ad modum tentorij.*

6. Idem Propheta ſic concinnè Deum orat: Concupiui ſalutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea eſt. Viuet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me. *Erraui ſicut ouis quæ periit: quære ſeruum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus.* Errauit Dauid ſicut *ouis*, vel ſicut *agnus* ( ſic aliqui ex Hebræo excribunt) exultim laſciuiens, dum ad gratos paſcuorum floſculos, & herbacei viroris delicias petulanter hiabat: ſed errando defeſſus, quæri rogat. Opportunè inibi Ambroſius: *Erraui, inquit. Sed, qui errauit in viâ, poteſt redire ad viam, reuocari poteſt in viam. Et pulchrè addit, ſicut ouis quæ periit. Non enim periit, qui cognoſcit errorem.* Ita ſanè. Non periit, qui cognoſcit errorem. Sed qui errorem cognoſcit, quærat ipſe viam, nec adhuc à viâ malè aberret. O hominis deſidiam oſcitanter inertem! Si adhuc à viâ exerras, quare tu viam à quâ aberraſti, non quæris? Cur rogas vt te quærat, quem vt quæras, & quæſitum inuenias, tua intereſt? Quis tam iners truncus eſt, qui benè cognoſcens ſe malè à rectâ viâ exorbitanter errare, vt quæratur poſtulet, & non ipſe citiùs rectam quærat viam? *Erraui, quære ſeruum tuum*, inquit. Nam *qui errauit à viâ,*

Pſal. 118. v. 179.

Hebræus.

S. Ambroſ.

*Qui errans, vt quæratur expetit, iam reditum auſpicatur, & quærere incipit.*

*viâ, poteſt redire ad viam*: namque redire incipit, qui ſe errare cognoſcit, & ſe quærentem exoptat. Auſpicium redeundi, & quærendi feliciter dedicauit, qui expetit vt quæratur: nec deſes hæret in errore, qui ſe aberrare cognoſcens, optat quæſitorem, & reductorem votiuè anhelat. Exindè Dauid iam ſe appellat Dei *ſeruum*, & *mandatorum* memorem, quia dum ſe quærentem cupit, reditum auſpicatur: neque enim ſe quærentem quæreret, niſi iam ipſe redire cœpiſſet. *Errraui; quære ſeruum tuum.*

Canticorum 3. Hæc ſponſæ vox auditur: In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea, quæſiui illum, &

Cant. 3. v. 3. & 4. non inueni. Inuenerũt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem: *Num quem diligit anima mea vidiſtis? Paululùm cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea: tenui eum.* Apud Hebræos ſponſus non accedebat ad ſponſam, niſi poſt traductionem eius in domum ſponſi. Senſus ergò

*Qui dilectum quærit, eſſentiam amoris diligit, & inuenit.*

eſt: Deſideraui lecti ſocium habere ſponſum, id eſt, nuptias inire: qui ante illas non ſperabam fore, vt mecum vnquam in noctibus habitaret quem ardenter amo. Vndè LXX. Interpretes non habent *in lecto*, ſed, *ad lectum*. Quaſi dicat: Deſideraui ad lectum, id eſt, ad connubium. Et illum quærens, luſtraui vrbem, & ab obuiis ciuitatis cuſtodibus interrogaui: *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Quæ quærentis ſponſæ verba ſic vertit Syrus: *Num eſſentiam amoris, quam diligit anima mea, vidiſtis?* Quid eſt, quòd dum ſponſi peramans ſponſa ſponſum ſollicitè quærit, obuios vrbis cuſtodes interroget, an *eſſentiam amoris*, quam diligit, viderint? *Eſſentia amoris* eſt, qui præ dilectione quæritur? Opinor, *eſſentia amoris* eſt, ſeſe dilecto vbertim communicare: magis eſſe vbi amat, quam vbi animat. Exinde ſponſa, vbi dilectum ſponſum diligenter quærit, *eſſentiam amoris* quærens, etſi inueniſſe non putet, ſtatim inuenit: nam *eſſentia amoris* ſe extendit, dilatat, & amplificat, & ſe adhuc quærentibus inſinuat.

LXX interpret.

Syrus.

# SYNOPSIS CAP. V.

*Regina Eſther poſt ſaccum & ieiunium triduanum, adit Regem regiis veſtibus inſigniter ornata: placuit Regi, qui aureæ virgæ extentione, & vitam dedit, & metum excuſſit. Itáque comiter & gratè excepta, poſtulat vt cum Amane ad ſuum veniat conuiuium, quod ipſa vtrique præparauerat. Annuit Rex, & largiùs potatum rogat, vt iterùm die craſtino cum Amane redeat ad ſimile conuiuium. Iterato Reginæ fauore arroganter Amanus intumeſcit. Sed cùm è palatio egreſſus obſeruaret nil Mardochæum de ſententiâ mutaſſe, re communicatâ cum vxore, & amicis, præcelſam apparat trabem, in quam actus probroſè Mardochæus intereat.*

## CAPVT QVINTVM.

DIE autem tertio induta eſt Eſther regalibus veſtimentis, & ſtetit in atrio domus regiæ, quod erat interius, contra baſilicam regis: at ille ſedebat ſuper ſolium ſuum in conſiſtorio palatij contra oſtium domus. 2. Cùmque vidiſſet Eſther reginam ſtantem, placuit oculis eius, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens, oſculata eſt ſummitatem virgæ eius. 3. Dixítque ad eam rex: Quid vis Eſther regina? quæ eſt petitio tua? etiam ſi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi. 4. At illa reſpondit: Si regi placet, obſecro vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium quod paraui. 5. Statímque rex, Vocate, inquit, citò Aman, vt Eſther obediat voluntati. Venerunt itaque rex & Aman ad conuiuium, quod eis regina parauerat. 6. Dixítque ei rex, poſtquam vinum biberat abundanter: Quid petis vt detur tibi? & pro qua re poſtulas? etiam ſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. 7. Cui reſpondit Eſther: Petitio mea, & preces ſunt iſtæ: 8. Si inueni in conſpectu regis gratiam, & ſi regi placet vt det mihi quod poſtulo, & meam impleat petitionem: veniat rex & Aman ad conuiuium quod paraui eis, & cras aperiam regi voluntatem meam. 9. Egreſſus eſt itaque illo die Aman lætus & alacer. Cumque vidiſſet Mardochæum ſedentem ante fores palatij; & non ſolùm non aſſurrexiſſe ſibi, ſed nec motum quidem de loco ſeſſionis ſuæ, indignatus eſt valde: 10. & diſſimulata ira, reuerſus in domum ſuam, conuocauit ad

ſe amicos ſuos, & Zares vxorem ſuam: 11. & expoſuit illis magnitudinem diuitiarum ſuarum, filiorúmque turbam, & quanta cum gloria ſuper omnes principes & ſeruos ſuos rex eleuaſſet. 12. Et poſt hæc ait: Regina quoque Eſther nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege, præter me: apud quam etiam cras cum rege pranſurus ſum. 13. Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quandiu videro Mardochæum Iudæum ſedentem ante fores regias. 14. Reſponderúntque ei, Zares vxor eius, & ceteri amici: Iube parari excelſam trabem, & habentem altitudinis quinquaginta cubitos, & dic manè regi vt appendatur ſuper eam Mardochæus, & ſic ibis cum rege lætus ad conuiuium. Placuit ei conſilium, & iuſſit excelſam parari crucem.

## § CXLI.

### *Commentarius litteralis.*

*Verſ.* 1. Die autem tertio induta eſt Eſther regalibus veſtimentis, *&c.*

1\. *Integrum triduum Eſther non ieiunauit.*
Caietanus. Mariana.

EX quibus verbis cõſtare videtur, Eſtheris triduanum ſaccum & ieiunium ſynedochicè exponenda: nam tertio die regalibus veſtimentis comptiùs ornata Regem adit. Ita communiter Interpretes, & reliquæ trãſlationes. Nec addacar, vt adſentiam Caietano, & Marianæ exponentibus, τὸ *die autem tertio*, id eſt poſt diem tertium: fortè vt triduum omninò integrum, Eſtheris ieiunio & precibus impendãt. Sed neceſsè non eſt textui ſacro vim aliquam inferre, cùm per ſynedochem tres dies accipi poſſint. Et forſan voluit ieiunantibus & orantibus adhuc pro ſe Iudæis, adeundi Regis capitale ſubire periculum, quod valde exhorruit. (Infrà cap. 15. plura narrantur ibi exponenda, quæ hùc ſpectant) *Et ſtetit in atrio domus regis, &c.*] Hoc atrium interius (ſic dictum adſpectu ad atrium exterius, vbi Satrapæ habitabant) hîc etiam dicitur *Baſilica*, & *conſiſtorium*, Hebraicè *domus regni*. In hoc interiori atrio, baſilicâ, ſeu conſiſtorio, thronus erat aureus, in quo Rex dum externos admitteret, reſidebat, aureum ſceptrum in manu tenens. Thronus autem ſitus erat *contra oſtium domus*, id eſt, è regione portæ, quâ in baſilicam ingrediebatur: inde Eſtherem in atrio interiore ſtantem Rex videre potuit. Itáque *atrium interius* Baſilicæ, ſeu conſiſtorij, ſeu regiæ domus, ad regiam domum ſeu baſilicam pertinebat, ad illúdque nemo non vocatus intrare poterat, tametſi extra conclaue eſſet, vbi regius thronus eminebat: è throno autem quiſquis in atrium interius ingrederetur, videri à Rege poterat, nam è regione ſeu ex aduerſo portæ collocatus erat. Peruenit itaque Regina ad atrium interius, quod è ſolio ſuo & videre, & explorare Rex potuit.

*Atrium interius dicitur baſilica, & domus regni.*

2\. *Multa quæ hîc omittuntur, cur deſiderantur*

*Verſ.* 2. Cumque vidiſſet Eſther reginam ſtantem, placuit oculis eius, *&c.*

Multa hîc conuoluit vulgatus de Regis furore, de pallore & exanimatione Reginæ, & regiis blanditiis, quæ cap. illo 15. narrantur. Hîc tantùm placuiſſe illi dicitur; & idcircò extendiſſe *contra eam virgam auream*. τὸ *contrà* nil hoſtile ſignificat, ſed amicum & beneuolum. Hoc eſt, extẽdit *virgam auream*, ſeu ſceptrum, è regione eius, erga eam in gratiæ, clementiæ, & indulgentiæ ſignum; cuius virgæ ſummitatem, Regina iam metu exempta, comiter oſculata eſt.

*Verſ.* 3. & 4. & 5. &c. Dixitque ad eam Rex: Quid vis Eſther regina, *&c.* 3.

*Regis promiſſio ſolemnis, & hyperbolica.*

Rex placido ac hilari vultu, & ad omnes blanditias compoſito, humaniſſimè interrogat, quò tenderet inuſitatus ille ingreſſus, beneuolè pollicitus, Reginæ vota cumulatiùs implere. *Etiamſi dimidiam partem regni mei petieris, dabitur tibi.*] Benè notant Sanctius, & Tirinus huiuſmodi promiſſionis formam ſapere hyperbolem, neque regiam maieſtatem obligare, vt iuxta verborum ſonum promiſſa adimpleat, vt liquidò conſtat ex Xerxe apud Herodotum, & ex Herode Marci 6. Sat enim foret magnum quid, & regiâ munificentiâ dignum elargiri. Forſan videretur alicui, ſatis tunc opportunam fuiſſe occaſionem poſtulandi quod Regina habeat in votis, cùm Rex peramanter prolixam liberalitatem ſpondebat. Verùm noluit Eſther (vt petite notauit Salianus) ſtatim publicare petitionem ſuam, ſed eum magis ſibi demereri conuiuio: in quo etiam factus hilarior, faciliùs poſtulatis adnueret. Præterea multi tunc aderant, quos abeſſe optabat, & aberat Aman, quem maximè adeſſe oportebat. Accedit, quòd ex prolixioribus tridui precibus & ieiuniis Iudæorum, non parum opis præſtolabatur: vndè in ſequentem diem, petitionem ſuam aperire diſtulit. Quo expoſitus etiam manet verſiculus 6. & 7. & 8. Cur autem Amanum inuitauerit ad conuiuium, non conuenit inter Expoſitores. Lyranus putat eum præ ceteris inuitaſſe, vt eum reliquis redderet inuidioſum. Sed opinor, iam Aman extra inuidiam erat. Tirinus verò, vt Regina oſtenderet erga inimicos beneuolentiam, ſed putauerim non multam poſtmodum oſtentaſſe, tantâ inimicorum editâ ſtrage. Veroſimiliùs exiſtimauerim, voluiſſe, quòd Amanus adeſſet, vt inexcuſabilis flagitij coràm poſſet conuinci, & conuictus quantocyùs puniretur abſque tergiuerſationis, aut fugæ periculo. Cũ enim indubiè eſſet tanti ſceleris reus, ipſo culpæ obiectu, à Reginâ coram beneuolo Rege, attonitus, conſilij inops redderetur: nam ſi moram nactus eſſet, verſutis forſan machinationibus ſcelus obnubilaſſet. Vndè prudenter Reginâ primo die illum inuitauit, ne vel ſuſpiciunculas illi ingeneraret: ſecunda verò die ob rationem nuper aſſignatam. Conſulatur hâc de re Rupertus lib. 8. de Victor. c. 18.

Sanctius. Serarius.
Herod. l. 9. Marci 6. v. 23.
Salian. ann. m. 3601 n. 25.
*Cur poſtulatio dilata, & Aman inuitatus ſemel, & iterùm*
Liranus.
Tirinus.
Rupert.

*Verſ.* 9. Egreſſus eſt itaque illo die Aman lætus & alacer, *&c.* 4.

Illo die dicit, nam poſtridie in ſecundo conuiuio non ſic. Lætus & alacer egreſſus eſt Aman, magni reputans (ô infelices mundi felicitates) ſemel & iterùm ſe ſimul cum Rege, à Regina

Regina fuiſſe inuitatum, neminémque è Dynaſtis habere ſympoſiotam. Aſt exiguum malum eſt in iſtis ſeculariter beatis, quod proſperitatem inquietet, & lætum alacremque animum perturbet: nam in ipſo conuiuij exitu, & palatij limine, faſtu impegit, quo vana gloria vapulauit egregiè. Porrò Mardochæus non modo illum non adorauit, cùm reliqui ſubmiſſiùs adorauiſſent; ſed nec illi adſurrexit, aut tantiſper motus eſt de loco

*Cur Mardochæus non ſaltem adſurrexerit Amano.*

ſeſſionis. In quo religioſa Mardochæi conſtantia elucet, ne quaſi Deum quouis modo Amanum coleret, vt latè adſtruebamus ſuprà §. 88. n. 10. Sed cur Mardochæus non declinabat Amani occurſum, ne Potentis iram redaccenderet? Vide animum religiosè flecti-neſcium, & conſtanter magnanimũ. Qui ſemper ad limen palatij aderat, ne ſi ad Amani occurſum aliò declinaret, puſillanimitatis in re diuini cultus poſſet argui, quaſi imbecillè timeret homini non reddere honores ſoli Deo debitos. Quid ſi aliqua alicuius vltionis ſcintilla Mardochæum tetigit aduerſus Amanem truculenter infenſum? Hæc autem ſcintilla poſt paululum in pyram, & incendium flammas explicuit.

*Verſ.* 10. *&* 11. *&* 12. *&* 13. Et diſſimulatâ ira reuerſus in domum ſuam, *&c.*

5. Narratio his verſiculis contenta adeò eſt perſpicua, vt interpretis luce non indigeat. Tantùm

Salian ann. m. 3601. n. 28.

nota cum Saliano, quòd Aman non audet amicis & vxori morbum ſuum planè fateri. Æſtuare ſe dicit, & reliquas felicitates nec pili quidèm facere, *Quandiu videro Mardochæum Iudæum ſedentem ante fores regias*; nec dicit, *donec videro adorantem me*, quod eum potiùs vrebat. In Verſ. 12. ſemel & iterùm *conuiuij* fit mentio: die enim illo Reginæ conuiuio adfuit Amanus, & ſimili conuiuio poſtridie aderit, aiens: *Apud quam etiam cras cum Rege pranſurus ſum.* Ex his verbis nonnulli Interpretes addubitant, an vtrumque *conuiuium* fuerit prandium, an cœna. Leuis ſanè quæſtiuncula, ſi non ad rem, ſed ad nomen duntaxat referatur. Compertum enim eſt, quod *prandium* pro conuiuio ſimpliciter ponitur, quemadmodum & *cœna*. Sic in eâdem de nuptiis parabolâ, quæ habetur Matthæi 22. & Lucæ 14. quod à

Matth. 22. Lucæ 14. Ioſeph l. 11. Antiq. c 6. Serar q. 12. Salian S. n. 25.

Matthæo *prandium*, à Luca appellatur *cœna*. Conſulantur inibi Commentatores. Quoad rem attinet, etſi à Ioſepho *cœna* nominetur, & Serarius rem ambiguam relinquat; veroſimilius puto cum Saliano vtrumque conuiuium, non *cœnam* nocturnam fuiſſe, ſed diurnum *prandium.* Ad quod ſuadendum non valdè viget, quòd in hoc verſ. 12.

*Vtrumque Eſtheris conuiuium non cœna, ſed prandium fuit.*

Aman dixerit: *Apud quam etiam cras cum Rege pranſurus ſum*: nam *τὸ prãdere*, poteſt iuxta dicta generaliter accipi; ſed quia quæ in vtroque conuiuio poſt cibum ſumptum facta ſunt, ægrè in veſpertini temporis anguſtias cogi poſſunt. Porrò à prioris diei conuiuio, in quo longiùs potatum eſt, nec abſque multa eſculentorum copiâ, vt Reginæ decebat epulum; in domum ſuam rediit Aman, amicos ad conſilium accerſit, Mardochæus perdendus decernitur, & præcelſa trabes ad ſupplicium paratur multa ſanè rerum moles, & quæ poſt veſpertinam cœnam peragi vix poterat. Ab altero autem conuiuio tota Amani tragædia abſoluta eſt. Vndè conſtat vtrumque Reginæ conuiuium, non veſpertinam *cœnam*, ſed diurnum fuiſſe *prandium*.

*Verſ.* 14. Reſponderúntque ei Zares vxor eius, & ceteri amici, *&c.*

Amani omnes amici, qui ad conſilium acciti 6.
ſunt, non erant, opinor, adeò ſtolidi, vt ſeriò cenſerent vnius hominis inurbanitatem probroſa & peracerba morte puniendam: nec ipſi Amano non inhoneſtum fore leuem inurbanitatis iniuriolam capitali ſupplicio plectere: at omnes conſiliarij ad iram Amani, & eius ſtudium temperarunt ſuffragium, adeò vt nemo inuentus ſit in eo conſilioſiſſimo cœtu, qui illi refragari auderet, qui illius ambitioſo ſtudio non adularetur. Ergò (quòd vnum ſupererat) homuncionis perdendi facultatem á Rege beneuolo impetrare quantocyùs iubent, vt lætitiæ impedimento ſublato, ſedato iam animo iucundiùs adeat Reginæ conuiuium. Et ſanè tametſi apud Perſas alia ſuppliciorum genera in vſu forent vt detractio pellis, truncatio capitis, ignis, lapis, fouea, vt notat Sanctius, crucem præ cæteris elegerunt, quia apud Perſas vſitata magis. Præaltam verò crucem malunt, ad probroſiorem Mardochæi ignominiam: erat enim crux infamior, quò altior; quia indè plurium oculis expoſita. Conſulendus hâc de re Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 7. qui probat Chriſti crucem, latronum patibulis fuiſſe celſiorem. Vox Hebræa pro quâ Hieronymus nunc *trabem*, deindè *crucem* poſuit, *lignum* ſignificat: ſed perindè eſt.

*Crux excelſior Mardochæo cur paratur?*

Sanct. hîc n. 13.

Gretſerus.

---

## §. CXLII.

### *Multæ ſparſim moralitates, quæ ex hoc capite tranſparent.*

*Verſ.* 1. Die autem tertio induta eſt Eſther regalibus veſtimentis, & ſtetit in atrio, *&c.*

VEſtes commemorat regali pompâ ambitioſiùs fluẽtes, & nihil vel inſinuat de pigmen- 1.
tis, & fucorum lenocinio, quo pulchræ feminæ decorem exaggerare ſolent accito venuſtatis auctario? Quæ triduani ieiunij macie, & ſordium ſqualore iacuerat, nonne oportuit exquiſita adhibere pigmenta, & noua fucorum lenocinia, vt tunc pulchrior Regis oculis appareret? Pulchrè Ambroſius: *Eſther pulchrior facta eſt ieiunio: Dominus enim gratiam ſobriæ mentis augebat.* O nouum pigmentorum genus! Noua pulchritudinis gratia, ieiunij ſtipendium eſt. *Maieſtate mixtam venuſtatem præferens*, ait Ioſephus.

*Pulchritudinis gratia, ſtipendium ieiunij eſt.*

S. Ambr. de Elia, & ieiu.

Ioſeph. l. 11. c. 6.

*Verſ.* 1. Die autem tertio induta eſt Eſther regalibus veſtimentis.

Addunt Biblia Sixtiana: *Die tertiâ .... exuit* 2.
*veſtimenta ſeruitutis.* Biblia Complutenſia: *Exuit veſtimenta luctus.* Et Vulgatus infrà cap. 15. v. 4. *Die autem tertiâ depoſuit veſtimenta ornatus ſui.* quo non effugit induſtriam eorum, qui Bibliis Sixtianis Notulas affixerunt. Benè eſt, cilicinas ſacci ſordes, ieiunii maciem & ſqualorem, *veſtimenta luctus*, & *ſeruitutis* appellet; ſed quare horridus ſacci ſqualor, *veſtimenta ornatus ſui* nominantur?

Bibl. Sixt. Complutenſ. Eſther. 15.

*Pœnitentiæ veſtes, pulchriùs, & ornatiùs venuſtant.*

nantur? O pœnitentiæ veſtes ambitioſiùs pulchras, & ornatius venuſtiſſimas!

*Verſ.* 2. Et extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu.

4. Ioſeph. l. 11. Antiq. c. 6.

Quæ verba referens, & exponens Flauius Ioſephus, ita ſcribit: *Hæc locutus Aſſuerus, ſceptrum in manum eius inſeruit.* Alia blandimenta, & beneuolentiæ lenocinia, chariſſimæ coniugi, & Reginarum optimæ congruunt: at Regem regium *ſceptrum*, etſi ad modicum tempus, in manum Reginæ inſerere, periculoſum eſt. Inidoneus eſt ſceptro, qui illud reſumpturus, in vllius manum deponit. Neque ad breue tempus vlli ſceptrum donandum eſt, præſertim feminæ.

*Non bene Rex ſceptrum in manum Reginæ inſerit.*

S. Thom.

*Verſ.* 2. Quæ accedens, oſculata eſt ſummitatem virgæ eius.

S. Thomas.

Sanctus Thomas in Prologo ad Epiſt. Can. ita ſcribit: *Eſther regina, id eſt, Virgo beata placuit in oculis Regis, ad reſtaurationem generis humani, inuenitque gratiam coram eo non ſolum pro ſe, ſed pro toto humano genere; extenditque Rex virgam auream .... Summitatem eius virgæ beata Virgo tetigit, quandò Filium Dei in vtero concepit, & poſtmodum peperit, & ſic dimidiam partem regni Dei impetrauit.* Multa his verbis emedullanda tranſlucent. Sat eſto ad acumen intendiſſe digitum.

*Verſ.* 4. Et Aman tecum ad conuiuium quod paraui.

5.

Arguta ſanè quæſtiuncula, cur Eſther Amanum præ reliquis Perſarum Dynaſtis, ad ſuum conuiuium inuitauerit: Pulchrè Rupertus: *Feram immanem vt tradat ad ſupplicium, allicit ad edulium, ne priùs audiat famam, quàm ſubeat pœnam.* Aliam rationem Lyranus adducit, & dum litteram aperit, mores inſtruit: *Ideo*, inquit, *ſolum Aman cum Rege inuitauit, ad hoc quod alij Principes magis mouerentur inuidiâ, & odio contra ipſum, videntes quod ſicut habebat erga Regem gratiam ſingularem, ita crederent eum Reginæ familiarem, & ſic poſteà pro eo non ſtarent, ſed magis de eius deiectione gauderent.* Quot gratiæ fluunt è Principum manibus, tot, opinor, reliquorum inuidias, & odia propinant. In aulâ dona etiam ipſa fallunt, & niſi nimis attentus ſis, per ornamenta ipſa decipieris. Putabas te beneficiis auctum, & Principis beneficentiâ, aulicorum inuidiam emiſti.

Rupert. l. 8. de Vict. c. 18.

Lyra ibid.

*Principum aula, per blandimenta decipit.*

*Verſ.* 4. Et Aman tecum ad conuiuium quod paraui.

6.

Placidè gratus, & largè munificus Rex, largam petendi optionem fecerat, cui Eſther gratanter reſpondet: *Obſecro vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium quod paraui.* Vatablus & Mariana, ex Hebræo excribunt, & exponunt: *Ad conuiuium, quod feci ei, id eſt, Aman:* O inſignem Regis inertiam, & de tuendâ regiâ maieſtate incuriam, vt Priuatum ſuum cumulatiùs augeat, & auguſtiùs honoret! Vt Regi Regina aduletur, non dicit illi conuiuium ſuum præparaſſe, ſed ſuo Priuato Amani: comitē Amani vult Regem, & conuiuij vmbram, & quaſi ali-

Vatablus. Mariana. [illegible]

quem è ſympoſiotis, non primum conuiuam, & cōuiuij principem, & cui epuli obſequium deſtinetur tanquā Regi gratulari exambiat de Priuati ſui prælatione: exindè ad conuiuium Amano apparatū Regē inuitat: gratiùs factura Regi, quàm ſi ad epulum ipſi deſtinatum inuitaſſet Amanum.

*Verſ.* 5. Statimque Rex: Vocate, inquit, citò Aman, vt Eſther obediat voluntati.

Biblia Regia ſic è Græcis codicibus exſcribunt: *Et dixit Rex: Sollicitate Aman, vt faciamus verbum Eſther.* O Regem iterùm atque iterùm inertiſſimum! Velut rogatores mittit, qui *ſollicitent* Amanem, vt Rex ipſe, & Amanus cum Reginâ epulentur? Priùs *ſollicitandus* eſt à Rege Priuatus regius, vt de eius nutu, & arbitrio, Reginæ epulum vterque ſubeat? Sic eſt Priuatus regius regiæ voluntatis ſequeſter? Callida Priuatorum ambitio Exreges inuenit, aut facit.

7. Biblia Regia.

*Callida Priuatorum ambitio Exreges aliquandò facit.*

*Verſ.* 6. Quid petis vt detur tibi? & pro quâ re poſtulas?

Rogat Regina verſ. 8. vt die craſtino iterùm Rex veniat cum Amane ad conuiuium, *Et cras aperiam Regi voluntatem meam.* Quæ verba ſententiosè exponit Vatablus: *Die craſtino proponam quæſtionem meam coram Rege.* Nimirùm Reginæ *petitio* tot regiis pollicitationibus concedenda, dum tandem Regi proponenda eſt, *quæſtio* dicitur. Petitio, velut aliqua in ſcholis quæſtio hinc indè rationum momentis ventilanda eſt, vt illi adnuatur: Profectò nil Reges debent re indiſcuſſâ & inexploratâ cōcedere. Omnis poſtulatio quantumuis per chariſſimam, diſertiſſimam & ſanctiſſimam Reginam facta, quantumuis æquiſſima, & digniſſima cui adnuatur; priùs à Rege in *quæſtionem* vocanda eſt, ne fortè ſub innoxio verborum cortice, noxium aliquid deliteſcat; ne plus poſtulet, quàm ſpecie tenus poſtulaſſe videtur; ne ſtatim, ſed opportuno tempore concedendum ſit, quod concedere æquum eſt. Sententiosè quidem omnis apud Regem *petitio*, dicitur *quæſtio*. Procliue iam eſto, grauidæ ſententiæ argutum ethicè fœtum multipliciter in lucem edere, obſtetrice mentis ſagacitate.

8.

Vatablus.

*Omnis apud Regis petitio, quæſtio ſententiosè dicitur.*

*Verſ.* 9. Cumque Aman vidiſſet Mardochæum ſedentem ante fores palatij, & non ſolùm non aſſurrexiſſet ſibi, *&c.*

Biblia Sixtiana: *In videndo autem Aman Mardochæum in aulâ, indignatus eſt valdè.* Chaldæus paraphraſtes: *Quandò vidit Aman Mardochæum in portâ Regis, non ſurrexit, & non tremuit ab eo, repletus eſt indignatione.* O quàm citò indignatur, qui *in videndo indignatur!* Et cur Aman indignatur? Quia Mardochæus *non tremuit ab eo.* Sic timor honorat? Sic ab omnibus timeri exambit? At quem omnes timent, omnes etiam timeat neceſſe eſt. O time timeri!

9. Bibl. Sixt. Chaldæus.

*Aman indignatur, quia Mardochæus non tremuit ab eo.*

*Verſ.* 10. Reuerſus in domum conuocauit ad ſe amicos ſuos.

Hi qui Amani nunc vocantur *Amici*, & ad familiare conſilium amicè aduocantur: poſtmodùm cap. 6. v. 13. *Sapientes* nuncupantur. Nimirùm

10. Eſther 6. v. 13.

*Regij Familiaris amici litterati cur Sapientes nō dicuntur.* cùm Aman erat regius Familiaris, & poteſtate ſublimis; qui eius familiaritate vtebantur, *Amici* duntaxat dicuntur: quandò autem ipſemet Aman Mardochæo famulari, & de Regis gratiâ iam iam cadere videtur, non iam *Amici* vt hactenùs, ſed *Sapientes* dicuntur. quaſi dum Aman deſinit eſſe regius Priuatus, tunc ſapere incipiant, & tunc primò *Sapientes* nominentur. Iidem ipſi erant, erant quidem; ſed ergà Priuatum *Sapientes* non dicuntur: nam litterati & eruditi eſſe poterant, *Sapientes* eſſe non poterant, quandiu eius *amicitiam* captabant, ad eius nutum *amicum* ſuffragium temperabant. At dum Aman deſiit eſſe Priuatus, ſapere iam incipiunt, & de cognatâ eruditione, non iam adtemperatâ ad Amani arbitrium, *Sapientes* nuncupantur. Sic aulici litterati, dum regii Familiaris *amici* ſunt, deſipiunt? Sic Priuatus Doctorum ſapientiam exhaurit? Sic aulicorum *Sapientum* peritia ambitione degenerat, & ignauè ſtulteſcit?

*Verſ.* 13. Quandiu videro Mardochæum ſedentem ante fores regias.

11. *Contemptus ſui, non requies Mardochai Amanum vrit.* Salian. ann. m. 3601. n. 18.

Iactat ſe primùm Aman *omnia habere*, deindè conqueritur nihil ſe habere: *Nihil*, inquit, *me habere puto quandiu videro Mardochæum ſedentem ante fores regias.* Pulchrè Salianus: *Non audet fateri planè morbum ſuum; dicit enim tantùm, Quandiu videro ſedentem, & non, Donec videro adorantem me.* Pudor in cauſſa fuit, ne quod eum vrebat vel vxori, & amicis fateretur. Hæc moleſtia Amani, contemptus ſui, non requies Mardochæi. niſi fortè inimici requies pro contemptu ſit.

*Verſ.* 14. Iube parari excelſam trabem . . . & dic manè Regi vt appendatur ſuper eam Mardochæus.

12. Bibl. regia. Bibl. Sixit. *Aman ſibi incidit lignum, quod Mardochæo parat.*

Biblia Regia: *Incidatur tibi lignum.* Biblia Sixtiana: *Cadatur tibi lignum . . . . & ſuſpendatur Mardochæus.* Sibi Aman *cadit* lignum, quod innoxio parat in patibulum. O non bonum augurium, *Incidatur tibi lignum*, & quod Amani tragœdiam infauſtè ominatur! Illo te præproperè ictu ſaucias, quo alium ſauciare ſatagis. Saltem ignoſce tibi, qui aliis ignoſcere implacatus renuis. Caue ne cum Amane *tibi incidas lignum*, quod inimico *paras*.

*Verſ.* 14. Placuitque ei conſilium.

13. Lyra ibi. *Lubentia cōſulentis eſt prærogatiua ſuffragij.*

Non conſultorum mens, ſed aulica adulatio conſilium ſuggeſſit, vt inurbanitas crudè mulctaretur; & Amano ſic arridet? Opportunè Lyranus: *Placuit ei conſilium, quia erat iuxta ſuum deſiderium.* Non qui ad rationis & prudentiæ libram conſilium pendit; ſed quia ad conſulentis arbitrium & deſiderium modulatur conſilium; ille prudenter ſapiens habetur. Quicquid conſulentis palato non arridet, planè deſipit, errat, ſtulteſcit. Lubentia conſulentis eſt prærogatiua ſuffragij. Per fas aut nefas placere ſtudet, quiſquis aulicos conſilij ſui plauſus exambit; de adulatione, potiùs quàm de peritiâ conſilioſus.

§. CXLIII.

*Rectà operantis intentio, boni operis vigor, & anima, & pulchritudo eſt.*

Sententiosè dixit ille quicumque: *Malus eſt vocandus, qui ſuâ eſt cauſſâ bonus.* Scilicet virtutum omnium pretium in ipſis eſt. Itaque feciſſe, rectè facti merces eſt. Hæc ante omnia ſibi quiſque perſuadeat, Me iuſtum eſſe gratis oportet. Non eſt quod expectes, quod ſit iuſtæ rei præmium maius quàm iuſtum eſſe. Illud adhuc tibi affige: nihil ad rem pertinet quàm multi virtutem tuam nouerint. Qui virtutem ſuam publicari vult, non virtuti laborat, ſed gloriæ. Qui non vult iuſtus eſſe ſine gloriâ, gloriam, non iuſtitiam captat. *At mehercule iuſtus eſſe debebis cum infamiâ. Et tunc ſi ſapis, mala opinio benè parta delectat.* Non in facto laus eſt, niſi adſit quemadmodum fiat. *Amico ægro aliquis aſſidet, probamus. At hoc ſi hereditatis cauſſa facit, vultur eſt, cadauer expectat.* Ergò operibus noſtris proponamus oportet finem ſummi boni, ad quem nitamur, veluti nauigantibus ad aliquod ſidus dirigendus eſt curſus. Vita noſtra ſine certo virtutis propoſito vaga eſt, inutilis, caduca. Exindè propoſitum, boni operis arbiter eſt, hoc deficiente ignobiliter degenerat: de intentionis enim officinâ ſæpè vitium excuditur. Et nunc virtus in Eſthere, de intentione præſtabiliùs commendatur.

1. Publ Mim. — *Hominem eſſe iuſtum gratis oportet.* — Seneca epi. 114 & 96. — Hic verſ. 1.

2. Geneſeos 4. Adam è paradiſo pulſus, cognouit vxorem ſuam Heuam: quæ concepit & peperit Cain. Rurſumque peperit fratrem eius Abel. Fuit autem Abel paſtor ouium, & Cain agricola. Factum eſt autem poſt multos dies vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum: & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain verò, & ad munera illius non reſpexit.* Multa tradunt Interpretes ſuper his muneribus, quæ Abelus ouium paſtor, & Cain agricola, Domino obtulerunt: & quare Caini obſequentiora forſan munera refutauerit Deus; Abeli autem dona gratanter acceperit. Quâ de re ſic ad rem præſentem Lipomanus inibi philoſophatur: *Ambo quidem habent ſancta exercitia, ſed Abel ſine mandato Dei, Cain operam dat obedientiæ; ſanctiùs agit iuxta rationem operis, non tamen electionis. Rei neceſſariæ operam dat, puriora tractat, grauiùs laborat, pœnam humano generi decretam diligentiùs ſuſtinet; ſed fide, ac deuotione minor fuit.* Vel aſſiduus obedientiæ labor, rectâ mentis intentione diſtitutus, Cainos refingit? Spontaneum etiam ſupererogationis opus, virtutis propoſito animatum, Abelos cudit?

Geneſ 4. v. 4. & 5. *Iuſſus labor rectâ mentis intentione deſtitutus, Cainos cudit.* — Lipom. ibi.

3. Lucæ 11. Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit; ſed ſupra candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit.* Cùm dicitur *oculus ſimplex*, idem eſt, ac purus, mundus, non prauis infectus aut obſcuratus humoribus: quod de rectâ intentione exponit Auguſtinus, & communiter expoſitores. Si ergò intentionis oculus fuerit ſimplex

Lucæ 11. 34. — S. Aug l. 2 q. q. Euang. c. 13.

ſimplex & rectus, *totum corpus tuum lucidum erit*. hoc eſt, erit veluti *oculatum*. Nam oculus perexiguus orbiculus ita toti corpori neceſſarium lumen præbet, vt cùm oculus purus eſt, totum omninò corpus oculus eſſe videatur: omnia enim membra ad fungendas actiones ſuas per oculum vident, vt exponit Maldonatus. Sed non conuenit inter Expoſitores, quodnam ſit hoc *corpus*, quod lucidum ſeu oculatum erit, ſi oculus intentionis fuerit ſimplex & rectus. Beda inibi: *Totum corpus noſtrum omnia opera noſtra dicit*. Scilicet omnia *opera* noſtra quantumuis eximia, ardua, proficua, aſſidua, & quæ omnes ſanctitates exprimere, & afflare videantur, *corpus* ſunt: huius autem corporis anima, & Spiritus, mentis intentio eſt, ſeu rectæ intentionis oculus. Diſcrimen quod eſt inter corpus & animam, adſimile puta inter eximia etiam opera, & rectam mentis intentionem, quæ eſt virtutum anima. Omnis vigor corporis, & omnium facultatum functiones, in re virtutis, à rectâ intentione, tanquam ab anima ſunt. quæ ſi deſit, eximium alioqui virtutum opus, exanime eſt, & cadaueraſcit in vitium. Heu quot generoſa virtutum opera, bonæ intentionis propoſito viduata, velut virtutum cadauera & videmus, & dolemus! Bonum opus bonâ intentione animatum, ſanctitatem ſpirat, & cœlum fragrat: ipſummet autem recto propoſito orbatum, caducum eſt, emortuum, fætidum. Moraliſſimè ergò *oculus ſimplex*, ſeu recta intentio dicitur

*Recta intentio eſt velut anima, cuius corpus ſunt opera noſtra.*

Maldon. ibi.

Beda in Lucæ 11. c. 50.

4. animæ: ſiquidem *totum corpus noſtrum omnia opera noſtra dicit*. (Sermo eſt de operibus de ſe bonis, aut indifferentibus. procùl calumniâ in re notiſſimâ) Non valdè abeſt ab hâc Bedæ expoſitione & mente, Hugo Carenſis, qui bonam intentionem appellat animæ oſſa. Et ita explicat illud Pſalmi 34 *Omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi? Oſſa animæ dicitur intentio*, quod ſic elucidat ex Bernardo: *Ponamus quandam animæ cutem, cogitationes; carnem, affectiones; oſſa, intentionem. Sic erit in oſſis integritate, animæ vita; in carnis incorruptione, ſanitas; in cutis ſpecie, pulchritudo. Interdum cutis decoloratur, cùm inutilis cogitatio in corde verſatur: aliquandò caro vulneratur, quandò ſcilicet affectio corrumpitur: nam oſſa iuſtorum illæſa cuſtodiuntur.* Itaque bona opera ſunt virtutis corpus; huius corporis anima eſt recta intentio: imò animæ oſſa, & nerui, ideſt, robur, & vigor, à recto virtutis propoſito eſt.

Pſal. 34. v. 10.

Hugo ex Bern.

*Bona intentio eſt velut oſſa animæ.*

5. Eccleſiaſtici 35. Dominus Gentibus reddet vindictam donec tollat plenitudinem ſuperborum, & ſceptra iniquorum contribulet, *Donec reddat hominibus ſecundum opera Adæ, & ſecundum præſumptionem illius*. Anſelmus Laudunenſis, τὸ *opera Adæ*, interpretatur *originale peccatum*. Cui Hugo Carenſis concinit, eadem inibi verba reſcribens. Appoſitè pariter ac eruditè notat ibi Cornelius noſter, quòd pro τὸ præſumptionem, Græcè eſt ἐνθυμήματα, id eſt, cogitationes, intentiones, conſilia, electiones, quales quiſque in operando ſibi præſumit, eligit, præfigit, deſtinat, & tanquam intentionis ſcopum proponit. Ait ergò Siracides, quòd Dominus reddet hominibus *ſecundum actus ſuos*. Vt autem oſtendat, quòd hominibus ſatis non eſt, iuſta operari, niſi iuſtè fiant, iuxta illud vulgò tritum: *Quidquid agant homines, intentio iudicat omnes*, conſultò addit, nec ſine emphaſi argutè moraliſſimâ, *& ſecundum opera Adæ, & ſecundum præſumptionem* (id eſt, cogitationem, ſeu intentionem) *illius*. Quibus verbis adludit proculdubio ad præſumptionem, cogitationem, ſiue intentionem Adæ, dum prælegit & præſumpſit pomum vetitum, quàm Dei obſequium; dum arroganter prohibito eſu intendit, eſſe *ſicut Deus* ambitioſè præſumptâ diuinitatis abreptione: vndè meritas in ſe & poſteris omnibus huius præſumptionis dedit pœnas. Itaque quiſquis ex prauâ cogitatione, præſumptione, intentionéue operatur; *ſecundum opera Adæ, & ſecundum præſumptionem*, cogitationem, ſeu intentionem illius operari perhibetur; atque *opera Adæ*, ſeu *originale peccatum* (vt malunt Anſelmus & Hugo) quodammodò refingit, recudit, reſtaurat, prauæ intentionis officinâ, originariæ præuaricationis æmulâ. Profectò qui praua intentione noſtri operis gloriam Deo debitam, ad ſe ambitioſè deriuat; velut diuinitatis æmulus, eam quodammodò ſuffurari præſumit. O quales quantaſque pœnas luit humanitas tota, ex primæuæ culpæ ſuperbo reatu: & quàm acerbè Deus bonorum operum à non bono propoſito ſtuprum punire ſolitat! Pulchrè Hugo: Hugo inib.
*Donec reddas hominibus ſecundum opera Adæ, & ſecundum præſumptionem*, cogitationem, ſeu intentionem *illius. id eſt, ſecundum peccatum originale, quod ab Adam contraximus omnes... Vel ſic expone: Secundum opera Adæ. id eſt. Secundum peccata, quibus imitantur homines Adam.* Procliue eſt, ex hâc cum Adamo, Adamíque delicto comparatione æmulâ, multa excogitare ad huius vitij vituperium.

Eccli. 35. v. 24.

Anſel. Laud.

Hugo ibi.

*Qui erraunt ex prauâ in-te[illegible], Adamum, Adamique delictum æmulatur.*

Canticorum 1. Sic cæleſtis ſponſus ſuæ ſponſæ de pulchritudine blanditur: *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* Potuit, opinor, ſponſus faciem deſcribere pulchram, ſicut ſolet cuius pulchritudo laudatur, pulchrâ facie ſeu decorâ facie dici. Neſcio autem quid ſibi velit, vt magis *genas* pluraliter dicendum putauerit: minimè autem otioſum crediderim, quòd non vnam faciem, ſed duas *genas* commendauerit: *Pulchræ ſunt genæ tuæ*, inquit Bernardus: *Intendere autem quaſi in Deum, ſed non propter Deum; hypocritæ planè animæ eſt: cuius etſi vna facies decora videtur, quod ad Deum qualicumque intentione reſpiciat: ipſa tamen ſimulatio omne decorum in eâ extermiuat, & magis per totum ingerit fœditatem* (& paulò antè dixerat) *Duo quædam in intentione (quam faciem animæ eſſe diximus) neceſſaria requiruntur, res & cauſſa, id eſt, quid intendas, & propter quid. Ex his ſanè duobus animæ vel decor, vel deformitas indicatur, vt (verbi cauſsâ) anima quæ ambo iſta recta atque pudica habuerit, illi meritò veraciterque dicatur: Pulchræ ſunt genæ tuæ. Quæ vero altero horum caruerit, non poterit dici de eâ quòd pulchræ ſint genæ eius.* Sanè eleganter æquè ac moraliter Bernardus.

6. Cant. 1. v. 10.

*Cur non faciem ſponſæ ſed duas genas de pulchritudine commendat?*

S. Ber. ſerm. 4. in Cant.

Siracides Eccleſiaſtici 2. ſic nos ethicè admonet: *Væ duplici corde, & labiis ſceleſtis* (de labiis nil habeat Græcus) *& manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis.* Notatur hîc triplex duplicitas, nempe, cordis, oris, & operis: ſed ex duplicitate cordis prodit duplex os, putà, labia ſceleſta, id eſt, ficta & doloſa, & manus fraudulenter malefacientes. Ac proindè talis eſt peccator ſceleroſè flagitioſus, qui terram ingreditur duabus viis: vnâ enim viâ videtur tendere ad Deum; alterâ pergit ad mundum, & ſecula-

7. Eccli. 2. v. 14.

Sirus. res mundi negotiationes. Syrus pro τὸ *duplici corde* habet, *cor fœtidum*, quaſi ad olfactum referat cordis duplicitatem, graueolentiam ſpurcè ſpirantem. Meliùs, opinor, ad oculos referri poteſt, cùm prauam fraudulenter intentionem taxet, quæ dum terrena ac mundana quærit, cæleſtia & diuina ſimul quærere obtendit. Hic, hic inquam eſt, qui *duplici corde, terram duabus viis ingredi* ſatagit. Præſtat Deo pangere cum regio prophetâ: *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram?* Hebræus vertit: *Tecum non volui ſocium ſuper terram.* Pulchrè S.Gregorius Nyſſenus Orat. 8. in Cantica: *Qui ad ſolam*, inquit, *illam Dei naturam viſus acumen dirigit, is in ceteris omnibus cæcus eſt, ad quæ multorum oculi reſpiciunt.* O benè! Nempè, qui ad ſolam Dei naturam intentionis viſum dirigit, & virtutis ſcopum corrigit aſpectum ſuum, impoſſibile eſt. vt terrena & mundana ampliùs aſpiciat: quoniam *is in ceteris omnibus cæcus eſt.* O cæcitas oculatiſſima, quæ nihil boni videt, vbi nulla præter Deum, aſpectabilis bonitas videnda elucet! Negat ſe operis intentionem ad Deum direxiſſe, qui intentionis aſpectum ad res mundiales dirigit. Qui ſic Deum intentione videt, vt ad cetera quæ mundanorum oculi reſpiciunt, *cæcus* ſit, ille duabus viis in terram non ingreditur, geminati cordis reus; ſed audacter cum Prophetâ dicere poteſt: *Tecum non volui ſocium ſuper terram: nam qui ad ſolam Dei naturam viſus acumen dirigit, is in ceteris omnibus cæcus eſt.*

*Qui Deum rectâ intentione reſpicit, ad cetera omnia cæcus eſt.*

Pſal.72 v. 25. Hebræus. S.Nyſſen.

## §. CXLIV.

## *Recta hominis Ratio, à ſummo Deo dictata; Dei ſermo, & veſtigium dicitur: per eam Deus in nobis eſt, vicarias Spiritus-Sancti vices obit, & animæ vita eſt.*

1. Seneca epi. 77.

OMnia bona ſuo conſtant (inquit Seneca) vitem fertilitas commendat, ſapor vinum, velocitas ceruum. Quàm fortia dorſo iumenta ſint quæris, quorum hic vnus eſt vſus, ſarcinam ferre. In cane ſagacitas prima eſt, ſi inueſtigare debet feras; curſus, ſi conſequi; audacia, ſi mordere, & inuadere. *Id in quoque optimum eſt, cui naſcitur, quo cenſetur. In homine optimum quid eſt? Ratio. hâc antecedit animalia, Deum ſequitur. Ratio ergò perfecta, proprium hominis bonum eſt, cetera illi cum animalibus communia ſunt.* Non quæro quid in ſe maximum habeat, ſed quid ſuum. Corpus habet, & arbores: habet impetum, & motum voluntarium, & beſtiæ & vermes: habet vocem, ſed quantò dulciorem, nobilioremque luſciniæ? *Quid in homine proprium? Ratio. hæc recta & conſummata, felicitatem hominis impleuit.* Rationis ductu, quo hic Philoſophus ferebatur, non potuit ſublimiùs de *Ratione* loqui.

*Recta ratio felicitatem hominis complere dicitur.*

2. Iob. 23.v. 11. & 12.

Iob 23. *Veſtigia eius* (Dei inquam) *ſecutus eſt pes meus: viam eius cuſtodiui, & non declinaui ex eâ. A mandatis labiorum eius non receſſi, & in ſinu meo abſcondi verba oris eius.* Quod in priori huius ſententiæ hemiſtichio, *Dei veſtigia*, aut, *viam* appellat, in poſteriori, velut ſynonyma, *mandata labiorum, & verba oris eius* nominat. Verùm cùm Sanctus Iob ſcriptâ legē præcucurrerit non eſt explicatu facile, quid per *mandata labiorum*, ſeu *verba oris eius*, quæ vocat Dei *veſtigia*, intelligat. Si nihil hactenùs Deus per leges locutus fuerat, quomodo Iob *mandata labiorum, & verba oris* Dei & *veſtigia eius* recognoſcit? Verùm obſeruat Nicetas in Catenâ, *mandata labiorum*, aut *verba oris* hîc dici, *Non quæ ſibi auditione accepta, aut ſcriptis conſignata fuerant. Sed ſine ſcripto in noſtris animis inſitæ ſunt leges Diuinæ mentis vocibus.* Ecce tibi, tacitæ Rationis voces, Dei *veſtigia* nominantur, *mandata labiorum, & verba oris eius.* quaſi Dei *os* loquatur humanæ *mentis vocibus*; & quod Ratio dictat, mandata labiorum, & verba diuini oris nominentur. Qui inſitæ Rationi ſurdus eſt, verbis labiorum Dei contumax inuenitur. Qui humanam Rationem audit, Dei *veſtigia* ſibi impreſſa videt.

*Ratio homini inſita, verba labiorum Dei, & veſtigia Dei nominantur.*

Nicetas in Catena.

Geneſeos 4. inuidiâ fratris percitus Cain, non bonâ tetræ iracundiæ ſuaſione, Abeli ſtragem tacitâ mente machinatur: Iratuſque Cain vehementer, concidit vultus eius. *Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne ſi benè egeris, recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit?* Moroſus ero ſi hîc tradam quomodo Deus cum hominibus loquatur (de quo aliàs vbertim) Super hâc verò Dei ad Cainum locutione, ita ſcribit Caietanus, *Dixitque Dominus ad eum. Nomen eſt Tetragrammaton, vt intelligamus, quòd ipſe ſupremus Deus homines peccatores alloqui non dedignetur. Sed quo dicendi genere locutus fuerit Deus, ſcriptum non eſt..... Inſinuare videtur, quòd illo modo locutus eſt, quo ſecundum ſuauem humani generis gubernationem, conſueuit alloqui homines poſt peccatum, arguendo mediante interno ſynderesis ſermone, vt reſipiſcant. Vt hinc diſcamus officium ſynderesis attribuere, non naturæ, aut Angelo, ſed ipſi ſummo Deo, qui dat eſſe omnibus, quæ ſunt.* Quod recta Ratio, ſeu *ſynderesis* faciendum dictat, dicitur dictare Deus: & quidem ſub magno illo & ineffabili nomine *Iehoua*, quo ſignificatur ſummum eſſendi principium. Ne putes ſynderesis dictamen duntaxatà naturâ inſcriptum ab Angelo nonnunquam reſculptū; ſed eſſe ſummi Dei haud dubios characteres. O frequentem, valdè amicam, & nimis familiarem Dei quaſi reuelationem! In rectâ Ratione, ſi rectè ſapis. inuenies Dei *veſtigia*, labiorum eius *mandata*, *verba oris* illius, & velut reuelationem frequenter ſpiratam, & ad ſanctitates omnes calcar expromptum. (Exindè in Theologicis ſcholis velitabamur olim, Rationis dictamen, quo delicta auerſamur, tentationes vincimus, & extimulamur ad virtutes, ex Chriſti Dei indebitâ gratiâ procedere.)

3. Geneſ 4. v. 6. & 7.

*Synderesis dictamen, non tam à naturâ, aut Angelo, quàm à ſummo Deo ſcriptum dicitur.*

Caiet. ibi.

Iacobus in epiſtolæ canō. cap. 1. ita ſcribit: *Abiicientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum quod poteſt ſaluare animas veſtras.* Nomine *verbi*, Græcè λόγος, ſignificari diuinum *Verbum*, eius ſacroſanctæ humanitati *inſitum*, plures è Commentatoribus cenſent. Alij de Prædicatorū verbo interpretātur, qui ipſius corporati Verbi doctrinam hominibus inſtillant. Oecumenius autem in Catenâ. *Inſitum verbum*, pro Ratione ſeu ſynderesi accipit, ita inibi ſcribens: *Suſcipite inſitum verbum*, λόγον *logon, quod Græcè tam verbum, quàm rationem ſignificat. Rationem hîc appellat, quâ quod meliùs eſt, ab eo quod eſt peius diſcernitur: quâ etiam* λογικοὶ *logici, id eſt, rationales & ſumus, & dicimur.* Ecce tibi, *inſitum verbum*, quod ab Hugone, Salmerone, & Vitriaco,

4. Iacobi 1.v. 21.

*Recta Ratio eſt inſitum verbum, quod poteſt animas noſtras ſaluare.*

Oecum. in Caten. ibi.

co, putatur diuinum Verbum per hypoſtaſim humanitati *inſitum*; ab Oecumenio recta *Ratio*, ſeu Rationis ſynderesis cenſetur: cuius inſtinctu cælitùs afflato, & abiicere omnem immunditiam, atque malitiæ abundantiam, & ſaluare animas noſtras valeamus. O quàm multa Oecumenius paucis compendiauit!

Geneſ. 6. v. 1. Lipom. ibid.

Num vel ipſa libidinis damnatio, eſt ſine libidinis, & gehennæ ſcintilla?

5. Geneſis 6. Videntes filij Dei filias hominum quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant. *Dixitque Deus: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* Ad quæ verba ſic eruditè ſcribit Lipomanus: *Alij, Non diſceptabit, non certabit, ſeu non litigabit. Alij, Non iudicabit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* Quare Dei *Spiritus* non vult *diſceptare* ſeu *litigare* cum homine, neque hominem *iudicare*? quia *caro eſt*, inquit, carniſque deliciis deditus. An ideò Spiritus non vult *iudicare*, quia homo laſciuus prope iam iudicatus, ſeu prædamnatus eſt? Sic eſt libido contumax, vt damnatio ſit appēdix libidinis, aut libido ſcintilla gehennæ? Forſan eruditur humanus iudex, quin & propria conſciētia aut Ratio, ne moroſa ſit in tractandis ſeu *iudicādis* (etiam ad condemnationem) alienis propriiſve luxuriæ cauſſis; ne vel damnāda res Veneris, libidinem exhalet in damnatricē conſcientiam, & damnandę ſimilem laſciuiæ flammulam conflabellet. O fuge quiſquis pudorem amas, libidinis cauſſam! Vel deteſtatio luxuriæ è peruerſo allicit: & moroſior aliquandò pœnitentia, deteſtatæ culpæ blanditur. Pergit propiùs ad rem idem Lipomanus: *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt. Neque enim aliud hîc ſignificat, quàm non imperabit, vel regium locum Ratio in poſterum obtinebit.* Nempe hominis inueterata libido imperatricem *Ratione*, è regni ſolio indecorè deponit, & quodammodo irrationalē & brutam ſubiectionem imperat. Et quidem nimis profundè recta hominis *Ratio*, ſeu rationis ſynderesis, Dei *Spiritus* nominatur. *Non permanebit Spiritus meus in homine*, id eſt, *Non imperabit, vel regium locum Ratio in poſterum obtinebit.* O ſynonyma altè concepta, & profundè expoſita! Recta *Ratio*, ſeu rationis ſynderesis, vicarias *Spiritus* Sancti vices obtinet? Sat eſto digitum intendiſſe ad Lipomani acumen.

Rationis ſynderesis, vicarius Spiritus Sancti vices ſubſtituit?

S. Aug. l. 3. de libero arbitr.

Num recta hominis ratiοni, vel Deus ipſe obtemperat?

6. S. Auguſtinus lib. 3. de libero arbitr. ita ſcribit: *Quicquid*, inquit, *tibi verâ ratione meliùs occurreris, ſcias feciſſe Deum, tanquam bonorum omnium conditorem. Non eſt autem vera ratio, ſed inuidiæ infirmitas, cùm aliquid meliùs faciendum fuiſſe cogitaueris, iam nihil aliud inferius velle fieri, tanquam ſi perſpecto cælo, nolles terram factam eſſe vnquam omninò.* Scilicet cùm recta hominis ratiò aliquid eſſe meliùs verè perſpexerit, id Deum feciſſe cenſendum eſt. Vſque adeò autē cenſere debemus, Deum velut obtemperare rectæ rationi, quæ meliora faciēda dictat, vt etiam quandò aliquid inferius facit, poſtquam præſtantius fecit, (vt putà terram poſt cælum) id eſſe melius, etſi inferius ſit cēſendum eſt: alioqui hominis id cenſentis *non eſſet vera ratio, ſed inuidiæ infirmitas.* Sibi enim *inuideret* homo, quòd Deus non faceret, quod recta hominis ratio tanquam meliùs faciendum iudicauerit. Quid homini tam auguſtū, (an penè ſuperbum dicam?) quàm vt *quicquid illi verâ ratione meliùs occurrerit, ſciat feciſſe Deum?* Num rectæ hominis rationi vel Deus ipſe quodammodò obtemperat? Grande nimis rectæ rationis elogium!

7. Geneſ. 2. v. 7.

Geneſis 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Diuini oris ſpiraculo homo animatur, afflatur animus rationalis, & de rationis priuilegio euadit imago Deo ſimilis; & tantùm dicitur, *Factus eſt homo in animam viuentem?* An non idem dici potuit de bruto iumento? quo nunc elogio reliquis animantibus ad ſeruitium donatis homo præfertur? An non in diuinâ ideâ deſcriptus erat, Ad imaginem, & ſimilitudinem Dei? quare nunc auguſtiore hâc prærogatiuâ quodammodo viduatur? Scitè Rupertus hoc dubium his verbis proponit, & ſoluit: Cùm autem, inquit, dixiſſet Deus, Faciamus hominem, addidit, Ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis vniuerſæ terræ; *quare ergò tantum honori huius facturæ detractum eſt, hoc ſolùm dicente Scriptura, Et factus eſt homo in animam viuentem? Videlicet, quia qui factus eſt homo, rationali dono non benè vſus eſt, & honorem ſuum non intellexit, ſed comparatus eſt iumentis; rectè illi iam formato à Scriptore quaſi detractum eſt illud, quo ſuperior eſt iumentis.* Vide quàm acerbè ob non bonum rationis vſum homo caſtigatur. Qui factus eſt in animam rationalem, factus dicitur in animam viuentem, quaſi ob non bonum rationis vſum, rationem dediſcat, & brutis animantibus ſimilis euadat.

Quare homo non dicitur factus in animam rationalem, ſed in animam viuentem? Rupert. l. 2. in Geneſ. c. 22.

Geneseos 1. De hominis creatione ita ſcribitur: *Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creauit illum.* Homo enim mente & ratione præditus, imagine Dei inſculptus eſt. Et quoniam homo per rationem Dei imago eſt, Laurentius Nouarienſis bono animo eſſe iubet peccatores poſt baptiſmum lapſos, his verbis adhortans eos ad pœnitentiam, quippe qui in ſe habeant rationem. Mirīſſima ſunt huius magni Doctoris verba: Quid putas, inquit, eſſe fontem baptiſmi qui concepit? aut quid æſtimas eſſe vndam aquæ, quæ te peperit? Numquid aqua eſt media, aut vnda eſt cauſſa? Abſit. Sed diſce myſterium. Prudentia tua fons; & in te intellectus tuus, aqua eſt inundans, habens aſpectum cordis vt videas teipſum. Accepiſti mentem altiora petentem, ſta in altitudine mentis tuæ quaſi imago Dei. (Attentiùs expende verba quæ ſubiicit) *Si eſt in te prudentia, ſi habes conſilium, & proprium mentis arbitrium, Deus in te eſt. Ipſe tibi erit pœnitentia, & fons, & baptiſma, & remiſſio, qui nunquam in te nec deſinit, nec deficit.* Ecce tibi hominis mens & Ratio, quâ homo Dei imago eſt, illa ipſa dicitur velut *Deus in nobis.* Quid ſublimius? Ratio munia Dei in nobis obit? Quod eſt Deus mundo, hoc mundo minori, homini inquam, Ratio eſt? Hæc mens ſeu Ratio, cùm (à Deo afflata) pœnitentiam ſpirat, pœnitentia eſt: cùm ſuggerit baptiſmū, baptiſmus eſt: cùm ad contritionem extimulat, remiſſio peccatorum quodāmodò eſt. Et ſanè cùm hæc Rationis prærogatiua, inſculpa homini ſit in ipsâ ſuæ eſſentiæ ſubſtantiâ, *nunquam in te deſinit, nec deficit.* Ergò ſi Ratio in te viget, Dei imagine impreſſus es, & *Deus in te eſt. Ipſe tibi erit fons, & baptiſma, & remiſſio.* 8.

Geneſ. 1. v. 27.

Laur. Nouar. homil. de Pœnit.

Ratio eſt homini quodammodo illius Deus.

Ioannis 8. Celebris illa ſententia, quæ tot Phariſæorum linguas aduerſus Chriſtum contumelioſè armauit, ex audientium inuidioſâ imperitiâ, his verbis ab Euangeliſtâ exprimitur: *Amen, amen dico vobis: ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.* Quæ Chriſti Dei verba ſic exponit Origenes: 9.

Ioan. 8. v. 51.

Orig. in 10.

*Hîc de morte quâdam inimicâ Rationi, quâ pereunt delinquentes, hoc faſſus eſt.* Pulchrum ſanè Rationis elogium! Nempè quod aduerſatur *Rationi*, ex Chriſti ore, & cenſu, mors eſt: idcircò recta *Ratio* vita eſt, & æternum æternæ mortis exilium. Qui hiant ad vitam, nauſeabunt ad *Rationem*? Cui Ratio tædio eſt, æternam vitam proculdubiò faſtidit. Ideò hîc nos erudit Chriſtus *de morte quâdam inimicâ Rationi*. Mortem oppetere nunc Eſther videretur, niſi eius vita in Rationis aſylo tuta eſſet aduerſus certæ mortis periculum, quod pro ſuo, id eſt, Dei populo, pro patriâ, ac pro religione ſubit.

*Quod rectæ Rationi aduerſatur, mors dicitur, ergò Ratio, vita eſt.*

Hîc verſ.1. & 2.

---

## §. CXLV.

### *Bonus imbonúſue affectus, dum merita cudit in voluntatis officinâ, iudiciorum arbiter eſt.*

1. PRoelitiis affectus in re credibilitatis nimis peualet. quaſi affectio ſit rationis auriga, & iudiciorum rectrix, ſceptrumque animitùs teneat ad flectendum aſſenſum. Et quidèm animus idoneis informatus ideis, iudiciorum parens eſt, veritatis ſequeſter, & incorruptus aſſenſionis arbiter: teneat ergo libram æquiſſimi iudicis, nec in alteram partem propenſus incumbat: ne non tam ex rationum momentis nata ſententia, quàm ex affectionis ſuffragio prolata videatur. Sanè nullum negotium eſt patefacere penè omnia in rebus humanis dubia, incerta, ſuſpenſa, magiſque veroſimilia quàm vera. Quò magis mirandũ eſt, nonnullos tædio inueſtigandæ penitùs veritatis cuilibet opinioni temerè ſuccumbere, quam in explorando pertinaci diligentiâ perſeuerare. Sed indignandum citiùs, atque indoleſcendum eſt, quòd incertam & ſuſpenſam rationem; imò ad aliam partem iure inclinatam, leuiſſimum affectionis pondus, tanquam dulciter mentitâ mole, in diuerſum deprimat grato affectionum impetu deorsùm ſemper momenta trahente. Eheu infortunata eſt veritas, cui non ſuffragatur affectus, mentitæ gratiæ maledulci lenocinio!

*Affectus, non bonus iudiciorum arbiter eſt.*

2. Actorum 2. cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco: & factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam aduenientis Spiritus vehementis. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguę tanquam ignis, & repleti ſunt omnes Spiritu-Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritu-Sanctus dabat eloqui illis.
Act.2.v.13. Stupebãt autem omnes, & mirabantur adinuicem dicentes: Quidnam vult hoc eſſe? *Alij autem irridentes dicebant: Quia muſto pleni ſunt iſti.* Statim oritur dubium, an hi nebulones, qui Diſcipulos quaſi ebrios irridendo ſubſannabant, intelligerent quæ ab ipſis multarum linguarum idiomate dicebantur? Si non intelligebant, quid Petrum angit contemnenda vituperonum nugacitas temerè prolata? Si autem intelligebant, (vt Oecumenius ſeriò adſtruit) quo pacto penè omnibus linguis diſertè & ſapienter loqui (vt par eſt eis, qui Spiritu-Sancto agebantur) ebrietati adſcribebant? quid crapulæ cum multarum linguarum dono? Quod ſtupendo miraculo tribuere ſtupentes debuiſſent, temulentiæ adſcribunt? Appoſitè ad rem Oecumenius: *Manifeſtum eſt*, inquit, *quòd ipſi irriſores intelligebant, & maximè coràm habentes eos, qui rem miraculo adſcribebant, & tamen ipſi illam calumniabantur.* (Nota accuratiùs quæ ſubdit verba) *Intelligebant quidem, verùm non placebant eis quæ dicebantur. Multis ſiquidem moris eſt, quibus non arrident quæ dicuntur, vt dicentem inſanire aut deſipere arbitrentur.* O quàm eſt præſtigiatrix pellacia, quæ rem cum affectu communicat! Quia *non placebant eis*, quæ per Diſcipulorum ora Spiritus-Sanctus loquebatur; omnium penè linguarum diſerta notitia ſapientiſſimis inſtituta ſententiis, temulentiæ adſcribũt. Ebrius eſt, deſipit, inſanit, quæ diſplicent loquitur; qui loquitur, quæ non placent. Heu! ſic enormiter deſipit, qui affectione, tanquam iudiciorum aurigatrice regitur? Sic affectus, amoris aut odij penicillo, rem ad gratiam aut repudium colorat? Libidine iudicat, qui affectionis lenocinio deliberat. Dei ſapiẽtiam ſobriè loquẽtes, cenſent ebrios, enormi malitiæ ſtupiditate, & iudiciorum phreneſi, dum *non placent eis quæ dicebantur.* Scilicet rei gratia aut ingratia, bonitatis ſeu malitiæ officina eſt. Velis, & probus erit; ſecùs, improbiſſimè reiectaneus. Ne induito iuſtitiæ togam, niſi exueris affectum.

*Inſanire putentur Apoſtoli, dum quæ dicunt, non arrident.*

Oecum. ibi.

Regius Vates Pſal.10. Deum, qui eſt iuſtitiæ meta, & æquitatis hyperbole, inducit erga pauperes peramanter affectum; & ſic de eo antropopathῶs loquitur: *Oculi eius* (Dei) *in pauperem reſpiciunt,* Pſal.10.v.4.
*palpebræ eius interrogant filios hominum.* Poſterius huius verſiculi hemiſtichion, prioris explanatio eſt, neque cum leui epithaſi. Profectò in hoc oculorum intuitu, beneuolum & beneficum Dei erga pauperes aſpectum, Hugo Victorinus agnoſcit Et ſanè Origenes & Didymus *τὸ palpebras* de iudiciariâ inquiſitione accipiũt. Quibus adſentire videtur noſter Lorinus, pro *τὸ interrogare* exſcribens *diiudicare, explorare, probare.* O quàm appoſitè exponitur beneuolus Dei erga pauperes affectus, cùm eos dicitur papebris *explorare, diiudicare, probare!* Porrò ipſa palpebrarum irrequieta vibratio, quâ quis aciem oculorum erga aliquem placidè moderatur, egregiè prodit affectum: argutè ſiquidem dixit Heſiodus: *Palpebris intuentium ſtillat amor.* Nimirùm vt more humano explicet Pſalmographus, quàm beneuole ſe gerat Deus, cùm de paupere, réque pauperum cenſet & diiudicat, quò eximium erga eos effectum, & indè mitem, placidam, ac benignam ſui iudicij cenſuram prodat, emphaticè ait, ſe pauperes *palpebris explorare, diiudicare, probare:* nam palpebræ tacitâ vibratione, aut limis & ſemiclauſis oculis, fixáue immotè eorum acie, latentem animitùs affectum loqui ſolent. *Palpebris intuentium ſtillat amor.* Liquentis beneuolentiæ ſtillis, quibus ardet affectus, madent palpebræ, ſingulari affectionis notaculo.

3.

Hugo annot. elucid. in Pſal.9.
Origenes
Didymus apud Lorin. ibi.
*Liquentis beneuolentiæ ſtillis madent palpebræ.*
Heſiod.

Actorum 9. Saulus autem adhuc ſpirans minarum, ac cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad principem Sacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas: vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem. Et cùm iter faceret, contigit vt appropinquaret Damaſco: & ſubitò circumfulſit eum lux de cælo, &c. *Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes,* &c. Non omnes excæcat ſtupenda illa viſio, ſed ſolum duntaxat Paulum, ne ſi omnium aciem adæquè perſtrinxiſſet, communis afflictio exiſtimaretur, & quæ 4.

Act.9.v.7.

*Num Infidelis aptior eſt ad fidei teſtimonium?*

Œcum. in- didem.

quæ caſu potiùs contigiſſet, notat inibi Oecumenius. Qui pergit ſollerter perquirens: *Quare non crediderint iȷ, qui cum Paullo erant?* Reſpondet acutè: *Vt fide digni teſtes eſſent eius quod circa Paullum contigerat. Nam ſi credidiſſent, viderentur ad gratiam teſtificari.* Scilicet infideles mauult teſtes, ne vel eadem vtriuſque fides, ſuffragij gratiam adulteret. Dubiæ, imò nullæ fidei homo infidelis êſt: (qui enim fidem Deo non dat, quomodo hominibus ſeruabit fidem?) Sed præſtat ad teſtimonij ſuffragium credibilius reddendum, non habere fidem quàm affectum habere. Sic affectio ad aſſenſum ſubornat miriſſimo cognatæ gratiæ blandimento? Ergò Paulli comites ab infidelitate non euocantur, vt fide digni teſtes exiſterent: Nam ſi credidiſſent, *viderentur ad gratiam teſtificari*, occulto affectionis blandimento ſuffragium conſtuprante.

5\. Math. 22. v. 40. *Nuil vnicuiq; niſi quod amauerit, rectum videtur.*

Matthæi 22. à quodam male garrulo, nec benè ſciolo, interrogatur Ieſus, quodnam eſſet mandatum magnũ in Moſaicâ lege. Reſpondit Ieſus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Hoc eſt maximũ & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. *In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & Propheta.* Multis perueſtigant huius loci Interpretes, quo modo quod vniuerſa *lex* præcipit de ſectandis virtutibus, vitiiſque fugiendis; & quod *Propheta* prædicunt de myſteriis credendis, id totum ex dilectione Dei & proximi dependeat? Multos torſit hæc difficultas compẽdio inſinuata; quam

S Zeno ſer. de contin.

Zeno Veronenſis his verbis argutè diſſoluit: *Quia virtus voluptates ſemper offuſcat; nihilque vnicuique, niſi quod amauerit, rectum eſt.* Nimirum quiſquis ita beneuolè erga Deum affectus eſt, vt eum ex toto corde diligat, quicquid mandatorum *lege* iuſſerit, quicquid myſteriorum per *Prophetas* prædixerit; id totum etſi perarduum ſit, vltrò amplectetur: nec quicquam diuerſum cenſebit iure ſectandum. *Nihil vnicuique, niſi quod amauerit, rectum eſt.* Hinc etiam vitiorum blanditias negliges: vitiorum enim pellacia ad ſequelam hebeſcit: nam *virtus voluptates ſemper offuſcat.* Ergò impensè ama Deum & proximum, ac beneuolo affectu illos proſequere; & quicquid ad vtriuſque offenſionem blandè lenocinetur, ſemper offuſcabitur; nihilque, niſi quod amaueris, rectum videbitur. Inde profundiùs dicitur: *In his duobus mandatis* (diligendi Deum ex toto corde; & proximum ſicut ſe ipſum) *vniuerſa lex pendet, & Propheta.*

*Virtus vitiorum voluptates ſemper offuſcat.*

6\. Gen. 2. v. 1. Rup l. 1 in Gen. c. 1. *Rerum ornatus, aptè Spiritui ſancto adſcribitur.*

Geneſeos 2. ſextidui opere iam peracto, ita ſcribitur: *Igitur perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum.* Rupertus Tuitienſis in lib. de Trinitate & operibus eius, tametſi benè Theologus nouerat, quòd opera Dei ad extrà à totâ Trinitate indiuiſè procedunt; at creationem cæli Patri Deo per quãdam appropriationem adſcribit; terrę productionem Filio, qui aliquando futurus erat terræ nobilis inquilinus: at Spirituiſancto, vtriuſque ornatum attribuit: *Proindè*, inquit, *cælum rectè ſecundum perſonam Patris, terram autem creatam eſſe ſecundum perſonam Filij: vtriuſque autem (ſcilicet cæli & terra) ornatum eorum ſecundum propriam perſonam Spiritus ſancti eſſe factam, maximè liquet.* Peridoneè quidem cælum & terra, quaſi rude quidpiam, informe, & incomptum factori ſuo extiterunt; quò à Spiritu-ſancto, qui proprio charactere amor eſt, & inde beneuolò affectu opinatiſſimus, ornatum fœnerarent. Scilicet eximius rei ſpectatæ cultus, amor eſt; & affectus ornatiùs lenocinia colorat perito affectuum penicillo. Amore fœda pulchreſcunt; odio pulchra ſordeſcunt. O quàm aptè ornatior rerum cultus magno illi Amori adſcribitur! nam affectus beneuolentiæ arte, eximiè cuncta venuſtare nouit. Ad hæc S. Baſilius Spiritum-ſanctum appellat Verbum: *Quia ſicut Filius Patris, ita Filij Spiritus-ſanctus interpres ſit.* Scio Theologos hanc Baſilij locutionem appellaſſe impropriam. Vnde ad rem moralem appoſitè accommodatur. vt qui per characteriſticam proprietatem eſt amor, ſit Chriſti filij Dei opportunus interpres. De quo aliàs.

S. Baſil. l. 5. aduerſ. Eun. cap. 1.

7\. Exod. 4. v. 6. & 7. *Prepoſiti ſinus, bonitatis aut imbonitatis ſubiectorum officina eſt.* S. Anſelm. Lyra inibi. S. Nyſſ. apud Caten. ibi.

Exodi 4. cùm Deus Hebrææ gentis Prefecturam Moyſi abnuenti offert, hoc moraliſſimo prodigio & illum obfirmat, & nos erudit: *Mitte*, inquit, *manum tuam in ſinum tuum. Quam cùm miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar niuis. Retrahe, ait, manum tuam in ſinum tuum. Retraxit, & protulit iterùm, & erat ſimilis carni reliqua.* Anſelmus Laudunenſis, & Lyranus per *manum*, ſubiectum Moyſi populum interpretantur. Scitè Nyſſenus hâc de re ita ſcribit: *Manus in ſinu recondita, in niueum candorem* (lepræ inquam) *immutatur: & iterùm in eundem ſinum immiſſa, in priſtinam redit naturam.* Mirabile ſanè prodigium: Eademmet *manus* (id eſt, ſubditus) ab eodem ipſiſſimo eiuſdem Superioris *ſinu*, nunc *leproſa*, & ſtatim perfectè ſana prodit? Ipſemet Superioris *ſinus*, eſt morbi aut ſalutis ſubiectorum officina? ab eodem *ſinu* res eadem, aut perfectæ ſalutis venuſtatem, aut ægræ fœditatis contagium mutuat? Eheu, de tuo *ſinu*, id eſt, affectu aut fotu, qui nuper lepræ fœditate ſqualebat, nunc ſubitò perfectè ſanus eſt, & ſplendidè fulget? & vice verſâ, qui ornatiùs fulgebat, de *ſinu* tuo fœdè ſordet? ô non benè, idem *ſinus*, eiuſdem ipſiſſimæ rei, aut bonitatis aut imbonitatis officina eſt! ô miriſſimas metamorphoſes, quas affectus de ſuo fingit! Inconſultum affectuum arbitrium, fabuloſos antiquæ Circes effectus, ſæpè recudit in veros; & vſque adeò frequentes, vt adimatur admirationi locus. Minus eſt quod illa finxit, quàm quod iſte geſſit, maiorque ambitioſo mendacio ſimplex veritatis fides. Heu de alienis affectibus cenſemur, & de aliorum *ſinu* æſtimamus!

8\. Eſther. 1. v. 18. Hebr. 9. apud P. Mari. ibi. *Indignatio contemptum parit.* Hic v. 2. & 3.

Eſther 1. cùm nimis iratus eſſet Aſſuerus contra immerentem Vaſthi, ſeptem illos ſapientes conſulit, de pœnâ Reginæ inferendâ. Et poſtquam Mamuchan ad Regis nutum, Reginæ inobſequelam nimis exaggerauit, hâc clauſulâ ſermonem terminat: *Vnde Regis iuſta eſt indignatio.* Hebraicè, *Abundè contemptus, & indignatio.* Ex indignatione, & quidem iniuſtâ, *abundè contemptus* eſt ortus: & quam nuper blandiùs diligebat, habebatque in magno æſtimationis pretio; mutato affectu, contemptim depretiat. vndè pluris facienda foret. O inconſulta, affectuum libido! Sed affectuum ſcoriam deſciſcit Aſſuerus, dum affectum hîc ad Eſtherem conuertit.

## §. CXLVI.

*Perquam arduum eſt ſine vllâ conſcientiæ offenſâ, tenere vocis & ſilentij temperamentum.*

1. Publ. Mim. *Difficile eſt vocis ac ſilentij temperamentum.*

MOraliſſimè dixit ille quicumque: *Tene ſemper vocis & ſilentij temperamentum. Tamen & in hoc incumbe, vt libentiùs audias, quàm loquaris. Tacere qui neſcit, neſcit loqui.* In hoc ſilentij gymnaſio lingua erudienda eſt. neque diu docetur, quod nunquam ſatis diſcitur. O quàm eſt arduum ſermonis temperamentum! in lubrico enim lingua eſt, & expromptiùs labitur irreuocabile verbum, ſerâ pœnitentiâ verecundum. Miſerum eſt tacere cogi, quod cupias loqui: ſed longè miſerrimum, pœnitendum verbum excidiſſe. Eheu! *quis eſt qui non deliquerit in linguâ ſuâ?* opplorat Siracides, opplorat & querulus ſanctus Iob, aiens: *Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me.* Gratulor Eſtheri, quod nunc in tam arduo rerum articulo, vocis ac ſilentij temperamentum conſilioſè tenuerit.

Eccl 19. v. 19. Iob. 9. v. 20. Hic v. 4. & 5.

2. Actor. 2. v. 4. *Diſpertitæ linguæ intra Diſcipulorum linguas inſinuantur.*

Actorum 2. Cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis. *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum*: & repleti ſunt omnes Spiritu-ſancto: *Et cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* Quâ in parte corporis ſederint hæ linguæ igneæ, pro eo tempore, quo reſederunt (quod ſine dubio exiguum fuit) ex ipsâ hâc hiſtoriâ non conſtat. Tamen Patres affirmare videntur in capite, & eſt omninò veriſimile: quamuis nonnulli apud Lorinum indicant *os ſiue labra, quaſi ſe lingua intra os linguámque inſinuarent.* His de cælo linguis Diſcipuli mirabiliter linguati, *cœperunt loqui, prout Spiritus-ſanctus dabat eloqui illis.* Neque nudæ voces erant, & inanes ſed grauidæ ſententiis, turgêtes afflatu diuino, inflammatæ cæleſti igne, ac diuina eructantes. Sed non conuenit inter Expoſitores, quidnam tunc Diſcipuli dixerint: ánve diuturnus, an breuis fuerit eorum ſermo, & linguæ cælitùs imbutæ mirabilis vſus. Argutè ad rem Oecumenius: *Cœperunt loqui prout Spiritus-ſanctus dabat eloqui illis. Erant enim ſcita, breuéſque ſententiæ, quas linguis varijs proferebant*: Nimirùm qui loquebantur Chriſti Apoſtoli ac Diſcipuli erant, erant etiam omnes Spiritu-ſancto repleti, loquebantur linguâ cœleſti in propriam *linguam inſinuatâ, & prout Spiritus-ſanctus dabat eloqui illis*: nec diu multúmque locuti ſunt; ſed *ſcitas, breuéſque ſententias proferebant*, apophthegmata, oracula; *ſcita*, ne quis de veritate ambigeret; *breuia*, ne ſermone diutiùs protracto, multiloquium euaderet. Non potuit tunc offenſare Diſcipulorum lingua, quam Spiritus-ſanctus propiùs afflabat. Nihilominùs forſan vt innuatur quàm ſit de ſe grãde in multiloquio periculum, *ſcitas breuéſque ſententias* Spiritus-ſanctus tunc duntaxat ſuggerebat. Sic cautè Spiritus ſanctus loquitur, dum per humanam linguam loquitur? Hæc non neceſſaria tunc cautela, neceſſaria noſtri ſermonis eruditio eſt.

Lorin. ibi.

*Diſcipuli Spiritu repleti, ſcitas breuéſque ſententias cur proferunt?*

Oecum. ibi.

3. Pſal. 38. v. 3.

Regius Vates Pſalm. 38. ita pangit: *Dixi: Cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in linguâ meâ.* (Nam vita immaculata & cor mundum, linguæ munditie, & ſermonis eruditio eſt.) *Poſui ori cuſtodiam, cum conſiſteret peccator aduerſum me.* (Armato ſatellitio opus eſt ad linguæ cuſtodiam, & ad vocis ac ſilentij temperamentum.) *Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis, & dolor meus renouatus eſt.* Scilicet dum poſui ori meo cuſtodiam, quô inuenirem ſermonis temperamentum, & verborum libram ad æquitatis bilancem, ne in alterutram partem lingua inclinaret; non modò mala, aut de malis non loquebar, ſed *ſilui à bonis. Cœpi* (vt inibi exponit Auguſtnus) *non dicere bona, cùm timeo ne dicam aliqua mala, & reprehendi conſilium meum. Silui enim à bonis, & dolor meus renouatus eſt .... Cœpi plus dolere tacuiſſe me quod dicere deberem, quàm dolueram dixiſſe quæ dicere non deberem.* Vide quàm eſt arduum tenere vocis ac ſilentij temperamentum, & ori cuſtodiam ponere. Nimirùm Dauid cui diu familiare erat de alienis defectibus maliſve non garrire, ſtatuit etiam *ſilere à bonis*, ne volubilis lingua in lubrico poſita, à bonis in mala ſenſim prolaberetur prono lapſu, & vix forſan euitabili: aſt dum *cœpit non dicere bona, cùm timet ne dicat aliqua mala, cœpit* etiam *plus dolere tacuiſſe quod dicere debebat, quàm doluerat dixiſſe quæ dicere non debebat.* O linguæ periculą! vtrumque (ſiue bonum ſiue malum dicere) ex alterutro redarguitur. Hinc Scylla obſidet, inde ſorbet Charybdis: grande vtrimque hiat naufragium.

*Cur Dauid à bonis etiam ſilere ſtatuerit?*

S. Auguſt.

Exod. 7. *Dixit Dominus ad Moyſen: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit propheta tuus.* Theodoretus non legit, *Conſtitui te Deum Pharaonis*, ſed, *Conſtitui te Deum Aaronis.* ſic addubitans: *Quomodò Moyſes fuit Deus ipſius Aaron.* Reſpondet: *Quemadmodum Deus imperabat Moyſi, ita Moyſes ipſi Aaron. Quamobrem etiam Aaron vocatus eſt propheta Moyſis.* Nimirùm Præfectus, qui nihil loquitur, nihílque agit, niſi quod alter Præfectus dictat, & de nutu illius omnia enunciat, decernit, exequitur; Compræfectum habet non ſolum tanquam pariter gubernantem, ſed tanquam Deum. bis creatura: ſemel quia Deum communem creatorem agnoſcit; & iterùm quia nihil loquitur, nihílque operatur, niſi quod ille alius afflat, & dictat. Aliam rationem ex aliquâ Aaronis ad Pharaonem cõparatione, alibi perſtrinximus. Sed *Quamobrem Aaron vocatus eſt propheta Moyſis?* Fuítne Aaron propheta, an interpres Moyſis? An quia fidus Moyſis interpres fuit, idcircò propheta nominatur? Scilicet Moyſes detrectauit principatum, oris balbutiem & linguæ impedimentum allegans: datus eſt illi Aaron eloquenti ore facundus, qui tanquam illius interpres, verba pro illo faceret; ne autem Aaronis lingua tantiſper in loquendò præuaricetur, & vel ex proprio ſenſu aut intellectu aliquid addat, aut ex proprio affectu aliquid detrahat, ſiue Pharaonis odio, ſiue populi amore; ſiue adulationis, ſiue æmulationis inſtinctu; *propheta* inauguratur: & Moyſes illi pro Deo eſt, illi dicenda afflans, quô fideliter recitet. *Ecce conſtitui te Deum Aaronis: & Aaron frater tuus erit propheta tuus.* Hâc geminatâ potentiſſimè cautelâ indiget, qui loquendi miniſterio fungitur? Huius rei pulchram allegoriam adducit Philo eloquenter expendens, cur Moyſi datus ſit germanus frater 4.

Exod. 7. v. 1. Theod q. 17. in Exod. *Cur Moyſes dicatur Deus Aaronis?*

*Deo afflante, & S. [illegible] propheta indiget Aaron, verbi adminiſtrator.*

Aaron

Aaron, in linguæ ſupplementum, ſeu interpretis munus. Per Moyſen intelligens *mentem*, & *eloquentiam* per Aaronem, ita fatus: *Nónne* (ait Dominus ad Moyſen) *habes Aaronem fratrem tuum? nam cum rationalis natura vna mater amborum ſit, natos ex eâ fratres intelligo, quicquid illa proloquitur. mentis enim eſt concipere, elocutionis verò proferre. Is*, inquit, *loquetur pro te. cùm enim mens ſuas cogitationes vult depromere, propinquo ſuo ſermone vtitur interprete, ad affectus ſuos exprimendos.* (Et poſt pauca.) *Et ipſe* Aaron *tibi alloquetur populum, & ipſe erit pro ore tibi: tu verò apud Deum ages eius negotia. Satis diſertè dixit, Alloquetur tibi, id eſt, tuus interpres erit. item illud, Erit tibi pro ore. nam per linguam & os ſermo profluit; ſenſum cogitata proferens. Verùm ſermo interpres mentis eſt apud homines, ſermonis verò mens apud Deum. tunc enim cogitatio legatione fungitur, quam ſolus Deus introſpicit.* Nota imprimis hanc cogitationis *legationem* apud Deum, quam ipſe ſolus introſpicit, & quæ ſermonem velut fidum apud homines interpretem requirit. Sic abſtruſè geritur linguæ negotium? tantum eſt in linguâ præuaricationis periculum!

Philo l.de migr.Abrah.

*Sermo eſt interpres mentis; hac legatione ad Deum fungitur.*

5. Redeat illud Actorum 2.num.2. expenſum, & nunc aliter expendendum: vbi cùm igneæ illæ de cælo linguæ, in os linguámque Diſcipulorum inſinuarentur, Spiritus-ſancti afflatu Diſcipuli *cœperunt loqui prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis*. Adnotabamus autem ex Occumenio, Diſcipulos tunc non diu multúmque verbigeratos, ſed *ſcitas breuéſque ſententias protuliſſe*. Sanè verba monetæ comparantur à Philone: *Dicta eius* (Baalam inquam) *quæ diuina prouidentia recudebat in meliorem monetam.* Melior autem habetur moneta, quæ è præſtantiore metallo excuditur; & inde in minore materiâ ac pondere, plus pretij habet pluſque valoris offert. Quare Occumenius ait, quòd dum Diſcipuli *cœperunt loqui, prout Spiritus-ſanctus dabat eloqui illis, ſcitas breuéſque ſententias protulerunt.* quaſi Diſcipulorum *verba*, Spiritus-ſancti *diuina prouidentia in meliorem monetam recudat*. Sed qui rem nummariam tractant, ait Tertullianus, *priùs nummum examinant, ne ſcalptus, ne raſus, ne adulter ſit.* Sic qui loquitur, & verborum monetam excudit, & tractat. *Scalptus eſt nummus*, (ait inibi Cerda) *cui aliquid ademptum deeſt. Raſus, detritus nimio vſu, & iam non aſper, ac proinde vilior. Adulter, fallax, neque ex probato auro, aut argento*: Sic ergò ſermo, qui nummo comparatur, & in monetam recuditur. Nimirùm ſollertiùs cauendum eſt, ne ſermo, quem oris officina in monetam excudit, & quo tanquam nummo hominum inimus commercia, *ſcalptus* ſit, id eſt, ne aliquid illi deſit ex partibus, quæ veritatem adintegrant. Ne *raſus*, id eſt, *detritus nimio* loquendi *vſu*. Ne *non aſper*, id eſt congruâ auctoritate grauis; vt non lenteſcat iocis, elumbetur libidine, blandiatur adulatione, aut quouis alio vitio noſter ſermo molleſcat, euiretur, effeminetur. Sic hominum *dicta Prouidentia diuina recudit in meliorem monetam.* Hanc ſermonis cum monetâ allegoriam latiùs perſequi, procliue eſt. imò & ad theſes alias tempeſtiuè flectere.

Actor 2 v 4. Occu. ibidi

Philo de Confuſ.ling. *Noſter ſermo elegantior monetæ comparatur.*

Tertull l. de Pœnit.c.6. Cerda ibi.

6. Auget difficultatem linguæ ſuam eluctantis anguſtiam, ipſius velut cognata vitioſitas exorbitare adſueta, conſcientiæ munditiem fœdè conſpurcans. Quâ de re ita ſcribit Seleucienſis Baſilius: *Rupes quoque ſecuta eſt* Hebræos, *quæ torrentibus ſolitudinem inundauit, & vnius virgæ percuſſio frequentes peperit vndarum fontes; ſed ingratam eorum linguam non eluit, qui percepto aquæ beneficio dicebant: Quoniam percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt, numquid & panem poteſt dare?* Eheu, nec tot limpidi è cælo fontes, poſſunt cognatas linguæ ſordes eluere?

Baſil. Sel. Orat. 31.

*Nec tot è cælo fontes, linguæ ſordes eluunt.* Pſ.77.v.20.

7. Exodi 14. Hebræus populus retroſpiciens Ægyptios ſe hoſtiliter inſequentes, dum vel fugæ aditum præcludebat mare, timidè expaueſcit, & expalleſcit; quem Moyſes ſpebus erigens, ſic alloquitur: *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Dixitque Dominus ad Moyſen: Quid clamas ad me?* Et ſanè nec victorialis taciturnitas in populo Ægyptios detriumphante notatur; nec Moyſis vox auditur, dum clamare perhibetur. O linguatas ſilentij voces, & clarè vocales mutæ taciturnitatis laudes, quas S. Ioannes Climachus altè buccinat, vt nemo ſit tam mutè ſurdus, qui illas clarè non audiat. Sic igitur Climachus loquitur Gradu 11. *Taciturnitas eſt mater orationis, captiuitatis reuocatio, ignis diuini amoris obſeruatio, cogitationum diligens inſpectio, ſpecula hoſtium, lacrymarum amica, memoria mortis operatrix, iudicij indagatrix, quietis coniux, ſcientiæ adiectio, ſecretus in Deum profectus, occultus aſcenſus.* Operosè moroſus eſſem, ſi ſingulas Climachi ſententias enucleare præſumerem aliquâ perſtrictim expenſione. Sat eſto, pluſculum exſcripſiſſe, & illas conglobaſſe, vt linguæ diſpendium de taciturnitatis compendio digniùs æſtimetur, exaggeratioris pretij cenſu. *Silet* Dei populus dum vincit (ſcio Hebrææ linguæ idiotiſmum) quia ſilentium eſt *ſpecula hoſtium* & *captiuitatis reuocatio*. Loquitur etiam Moyſes ſilentio: quia *taciturnitas eſt iudicij indagatrix*, &c. Profundè quidem Climachus!

Exod. 14. v. 14. & 15.

*Silentij conglobata elogia perſtringuntur.*

S. Ioan. Clim.

---

## §. CXLVII.

### *Effuſa in Principibus liberalitas caſtigatur, ne liberalitate liberalitas pereat.*

1. *Liberalitate nihil eſt naturæ hominis accommodatius*: & Regum in primis: quos *armis, quàm munificentia vinci, minus flagitioſum eſt*, inquit Salluſtius in Iugurth. Sed cum iudicio eſto. *Subita* enim *largitionis comes, pœnitentia eſt.* Etiam cum modo: ne *ſi ærarium ambitione exhauſeris, per ſcelera ſupplendum ſit.* Nimis hauriendo fontem ipſum exhauſeris. Scitè Cornelius Tacitus: *Falluntur quibus luxuria ſpecie liberalitatis imponit: perdere multi ſciunt, donare neſciunt.* Penè temulenti Aſſueri vox eſt: *Etiamſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* At ſi ærarium ſic ambitiosè exhauſerit, per ſcelera ſupplendum erit.

Tul.1 Offic. Saluſt. in Iugurth. Tac.2. Ann. Tac.1 Hiſt. Hie v. 6.

2. In Pſalmo 77. ſic Dauid de Dauidis regimine modulatur: *Et pauit eos* (id eſt, rexit Iſraëlem) *in innocentiâ cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos.* Dauid priùs de ſe modeſtè locutus, quando eum Deus vocauit de ouili ad ſceptrum; nunc non impari modeſtiâ gratias eidem agit Deo, quòd ipſius beneficio commiſſum ſibi Pſ.77.v. 7.

ſibi populum rexerit in ſimplicitate ac innocentiâ cordis, nihil aliud ſpectans quàm populi vtilitatem; impensâque mentis attentione ſtuduerit actiones regiminis ſuas prudentiâ ſummâ peragere. Ceterùm valdè ambiguum eſt quid ſignificet *manuum intellectus* in regendis populis. Lorinus putat quòd denotatur, *munera, dignitates, honores* pro cuiuſque meritis diſtribuiſſe. (de quo aliàs) Ferdinandus verò Salazar exponens illud Prouerb. 3. *Longitudo dierum in dexterâ eius, & in ſiniſtrâ eius diuitiæ, & gloria*; cenſet ex his verbis exponi poſſe præſcripta Pſalmi verba: *In intellectibus manuum ſuarum*, inquit, *Quibus verbis deſcribitur prudentia & ſollertia, quâ Dauid vtebatur in regni adminiſtratione. Ergò in intellectibus, perindè eſt, atque in rationibus manuum ſuarum. Significatur autem magna illius Regis magnificentia & liberalitas, qui vtraque manu vtebatur ad munerandа, id eſt, donanda beneficia.* Indè exiſtimat ortum Hiſpaniſmum, *Dar à dos manos*, id eſt, munificentiſſimè. Benè eſt. liberalitate nihil eſt naturæ Principis accommodatius: & Deus *dexterâ* det longitudinem dierum, hoc eſt, perpetuò duratura in cælis bona; & *ſiniſtrâ* temporarias nunc largitiones vbertim præbeat. Et ſimiliter Dauid regiâ munificentiâ ac liberalitate inclytus prædicetur, & vtrâque manu largè munerans. Verùm cùm munificentiùs liberalis exhibetur, non temerè dona ſpargit; ſed tanto cum iudicio munera tribuit, vt *in intellectibus manuum ſuarum* munificus prædicetur. Parùm foret mente duntaxat quid cuique donandum foret, conſulere ac deliberare; niſi etiam cùm vtraque manus beneficentiùs largitionibus impenditur, *in intellectibus manuum ſuarum* (alij *in intelligentiis*, alij *in ſenſu*) dona præberet, præbitione non inconſultâ, ſed attento *ſenſu*, & *intellectu* multipliciter conſulto. Qui vtraque manu dat, opus illi eſt, vt ambæ manus *ſenſu*, *intelligentiis*, ſeu *intellectibus* adornentur; ne cæco irrationaliter impetu, & prodigalitatis inſtinctu munera effundat; & ambitio donandi ſpecie liberalitatis imponat, & inconſultis largitionibus cenſum exhauriat.

*Lorin.ibi.* — *Salazar Prou.3.v.16. num.131.* — *Manus cum donãt, ſenſu, & intellectibus ornandæ ſunt.*

3. Lucæ 12. Dixit autem Dominus: *Quis, putas, eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram? Beatus ille ſeruus*, &c. Scilicet diſpenſator opulenti ac munifici Patris-familias egregiè laudatur de fidelitate & prudentiâ, quâ opportuno ſingulis tempore *menſuram tritici* diſtribuit. Mirum ſanè eſt, quòd munificentioris Domini laudatior diſpenſator, dum ſumptuoſiùs prædicatur, in eo potiſſimùm commendetur, quòd annonam ſingulis in *menſurâ* diſpenſet. Quin vſque adeò in largitionibus *menſuræ* ſtudet, attendens ad accipientium neceſſitatem, & Domini cenſum, vt *Dictio Græca* (pro quâ Vulgatus habet, *Tritici menſuram*) *dicatur à cibo & menſurâ*, (quod cum emphaſi notauit Caietanus) quò res donata, & eius menſura, non duabus dictionibus, ſed vnâ eâdémque nominetur, ne priùs donum, quàm menſura doni, ſeu donum in menſurâ moraliſſimè ſignificetur. Cuius luculentam rationem reddit S. Hieronymus, aiens: *liberalitate liberalitas perit*. Nimirùm munifici Domini liberalis diſpenſator, ne cum Domini cenſu liberalitatem pariter exhauriat, adſpectu ad cenſum largitiones temperat, & in *menſurâ* donat; nec dat quantum vult, ſed quantum poteſt, ne ambitione donandi, donandi facultatem exhauriat, & *liberalitate liberalitas pereat.* Quid prodeſt ſic donare, vt ampliùs donare non poſſit? *Fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, dat illis in tempore tritici menſuram.* Hic, hic inquam, *Beatus* prædicatur. Falluntur quibus ambitio ſpecie liberalitatis imponit.

*Lucæ 12. v.42.* — *In menſurâ donandũ, ne liberalitate liberalitas pereat.* — *Caiet.ibi.* — *S.Hieron. apud Lipſ.l 2.Polit.c.17.*

Exodi 16. ventris præ fame latratu populus 4.
contra Moyſen in deſerto obmurmurat. Dixit autem Dominus ad Moyſen: Ecce ego pluam vobis panes de cælo: egrediatur populus, & colligat quæ ſufficiunt per ſingulos dies. Quod mox explicatiùs tradit, ſubdens: *Colligat vnuſquiſque ex eo quantum ſufficit ad veſcendum: gomor per ſingula capita, iuxta numerum animarum veſtrarum.* Et loquens inibi de hâc munificè opinatiſſimâ Mannæ largitione, ita ſcribit: Veſpere ſcietis, quòd Dominus eduxit vos de terrâ Ægypti: *& mane videbitis gloriam Domini.* Hebraicè ſcribitur, *Diuitias Domini.* Nimirùm ex donis omnibus quibus Deus populum ſuum munerauit, munificentiſſimum cenſetur Manna; quam annonam nubes velut pruinam ſudabant: & tamen ſic in menſurâ illud dedit, vt diſertè ſemel & iterùm ſcribatur, quòd donabat quantum cuique *ſufficeret*, & *gomor* per ſingula capita. Hanc autem Mannæ *menſuram*, non ad ſuperfluitatem, ſed ad *ſufficientiam*, donatam, conſultiſſimè appellat *diuitias Domini*, vel *gloriam Domini.* Scilicet cùm munificentiorem ſe exhibet Deus, quò erudiat Principum liberalitatem, dat illis in tempore *ſufficientem* annonæ *menſuram*, non vberiùs beneficia effundit; ſed quantùm cuique *ſufficiat*, & *gomor* per ſingula capita. Et iſtiuſmodi *diuitiarum* Domini ad menſuram diſtributio, *gloria Domini* ethicè nuncupatur. Tunc enim immetata liberalitas Dei glorioſior apparet, cùm erudiens Principum munificentiam, ne *liberalitate liberalitas pereat*; ad *menſuram*, & quantum ſingulis *ſufficit*, impertit.

*Gloria Deo eſt, donare ſinguli ad menſurã, & quantum ſufficit.* — *Exod.16. v.7.* — *Hebræus.*

Geneſeos 1. *Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creauit illum.* Multa mouent, ac diſputant Commentatores, vt tradant in quo nam ſita ſit hæc Dei imago homini impreſſa. Quâ ſuper re multa multi, quæ recenſere prolixum foret. Clemens Alexandrinus cui plures ex Patribus ſubſcripſerunt: *Reuerâ*, inquit, *imago Dei eſt beneſaciens homo.* quaſi largior beneficentia, & erga reliquos liberalitas, homini Dei imaginem impreſsè reſculpat, quâ diuino prototypo ſimilis euadit. Sed nota attentiùs quid de munificentiori Dei liberalitate Fulgentius ſcribit, forſan ne humana Principum liberalitas in prodigalitatem degeneret: *Ecce*, inquit, *qualis eſt Dominus noſter, vt donando debeat: & quantò magis donat, tantò magis eum debitorem eſſe non pigeat.* Non poteſt Dei cenſus donando exhauriri: nam vel infinita liberalitas infinitum omnipotentiæ theſaurum expendere nequit, quantumuis velut effuſè donet: at dum Deus largiùs donare perhibetur, *donando debere* dicitur, & tunc *eum debitorem eſſe non piget*; non quidem aliis, ſed ſibi, quaſi ad plus donandum obæratus exiſtat. Itaque velut effuſa largitas in Deo, illum ad plus donandum velut debitorem ſibiipſi facit, in homine autem principe effuſiùs benefico, efficit vt aliis *donando debeat*; *& quantò magis donat,*

*Gen.1.v 27.* — *Clem. Alex. 2.ſtrom.* — *S Fulgent. in Prolog. lib. ad Firom.* — *Summè liberalem debitorem ſe eſſe non piget.*

*donat, tantò magis eum debitorem eſſe non pigeat.* Nam ſi ærarium ambitione donandi exhauſit, per ſcelera, & non ſoluenda debita ſupplendum eſt. quo quid infelicius, & crimininoſius?

6. Geneſeos 41. poſt vberioris abundantiæ ſeptennium, prædicta ſterilitas Ægyptum opprimit: *Aperuitque Ioſeph vniuerſa horrea, & vendebat Ægyptiis: nam & illos oppreſſerat fames.* An non magno Regi magis decorum foret, vt ſubiectis populis fame oppreſſis, frumenta gratis ad congruam alimoniam præberentur? Regis hæc, an Ioſephi auaritia fuit? Sanè Regi indecorum videtur iſtiuſmodi quæſtuoſum commercium. Potuit donare Ioſeph (inquit Ambroſius) totas opes Ægypti, & effundere theſauros regios: noluit tamen de alieno effuſus videri: maluit frumenta vendere, quàm donare eſurientibus: *quia ſi paucis donaſſet, pluribus defuiſſet.* Eam liberalitatem probauit, quæ abundaret omnibus. Patefecit horrea vt omnes emerent ſubſidium frumentarium, ne gratis accipiendo cultus terrarum relinquerent: *quoniam qui alieno vtitur ſuum negligit.* Itaque primum omnium coaceruauit pecunias, deindè inſtrumenta cetera: ad poſtremum iura terrarum Regi acquiſiuit: *non vt omnes exueret ſuis, ſed fulciret*; publicum tributum conſtrueret, quò ſua tutiùs habere poſſent. Quod ita fuit gratum omnibus quibus terras ademerat, vt non venditionem ſui iuris, ſed redemptionem ſalutis putarent. Denique dixerunt: ſanaſti nos, inuenimus gratiam in conſpectu Domini noſtri. Nam & de proprietate nihil amiſerant, qui ius receperant: & de vtilitate nihil perdiderant, qui acquiſierant perpetuitatem. *O virum magnum, qui non largitatis ſuperfluæ temporalem captauit gloriam, ſed perpetuam commoditatem conſtituit prouidentiæ.* Porrò, vt idem Ambroſius nuper dixerat: *Modus liberalitatis tenendus eſt, vt quod benefacis, id quotidie facere poſſis; ne ſubtrahas neceſſitati, quod indulſeris effuſioni.* Auarè Princeps liberalitatem effuſione erogat; & plus æquo donando, efficit ne vel parùm donare poſſit. Turpiſſimum detrimenti genus eſt inconſulta donatio: nam prodigâ effuſione exuit Principem principali elogio, liberalitate inquam, dum nimis donando cenſum exhaurit. quod indulgetur effuſioni, liberalitati detrahitur. Conſultiſſimè ergò Ioſeph, Regis nomine frumenta non effuſè donat, ſed vendit, *quia ſi paucis donaſſet, pluribus defuiſſet*; & donando pluribus efficeret ne vltra donare poſſet, *ſubtraheret neceſſitati, quod indulſerat effuſioni.* Moraliſſimè pariter ac venuſtiſſimè Ambroſius liberalitatis modum Principes edocet.

Gen 41. v. 56.
S. Ambr. l. 2. Offic. c. 16.
*Quod indulgetur effuſioni, liberalitati, ac neceſſitati detrahitur.*
S. Ambr. ſup.

---

## §. CXLVIII.

### *In forenſibus actibus, ſicut inſanæ moleſtiæ ac impenſæ, ſic rara litigantium virtus inueniuntur.*

1. CVm aliquis Philoſophiæ factus ſit, nullum proponere dogma ad mores inſtituendos, niſi quod ratio amplectendum ſuadet; ambigere licet, an cum ſtomacho aduerſus Iuriſperitos, an cum Stoico ſupercilio ſcripſerit Seneca: *Quid quòd, etiam ſine probationibus, ipſa monentis auctoritas prodeſt: ſic quomodò Iuriſconſultorum valent reſponſa, etiamſi ratio non redditur.* Non benè, opinor, cum homine rationali agitur, niſi vbi ratio fundat effatum. Hinc tribunalia immodicum captant pretium ex litium numero, aut morâ: & *longa quæſtio* (ait Caſſiodorus) *litigantium non tam auget patrimonia, quàm euertit: & quod ſit ambitu lucri, cauſſa videtur eſſe diſpendij.* Inde non bonæ cauſſæ diues litigator, *redimitus litibus tenuitatem inſequitur ſupplicantis, vt non tam vincendi votum, quàm aduerſarij videatur quæſiiſſe detrimentum.* Ergò ſanctæ Iuſtitiæ tribunalia ſæpè ſunt, vt patrimoniorum, ſic etiam & bonæ conſcientiæ diſpendium: & qui Iuſtitiam in ſolio ſuo quærit, inter Iuſtitiæ adminiſtros, iniuſtitiæ obnoxius inuenitur. Innocentia in litigantibus rara virtus eſt, & ſæpè nulla.

Seneca epiſt. 95.
*Iuriſconſultorum valent reſponſa, etiamſi ratio non redditur.*
Caſſiod l. 4. Veri. ep. 37.

2. Geneſeos 12. dum Abrahamus apud Ægyptios peregrinatur, Saram vxorem ligitimo ſororis vocabulo diſſimulat prudenti cautelâ. Rapitur confeſtim pulchra femina ad Pharaoniſ gynæceum; & incunctanter Dei flagellum raptori adeſt. Innoxius Abraham, vocabuli reus apud exacerbatum Regem ſiſtitur: *Vocauitque Pharao Abram, & dixit ei: Quidnam eſt hoc quod feciſti mihi? quare non indicaſti quod vxor tua eſſet? Quam ob cauſſam dixiſti eſſe ſororem tuam, vt tollerem eam mihi in vxorem?* Moleſta ſanè accuſatio ab ipſo Rege Patriarchæ intenditur, quâ noxiæ impoſturæ aduerſus Pharaonem appellatur. Sed nota, quod in hâc lite Ambroſius obſeruauit: *Forenſia quoque actuum eius veſtigia ſpectare, virtutis profectus eſt.* Nimirùm ſiſtitur Patriarcha ante Pharaonem, & diſſimulati ſubdolè coniugij cauſſam dicere cogitur; & in grauiſſimæ litis proceſſu, ſic extitit forma modeſtiæ, & ſpecies virtutis, vt vbi alij paſſim impingunt, ipſe in *forenſibus quoque actibus* norma fuerit probitatis, & virtutis mera. Tam eſt ardua virtus in forenſi tumultu! Hæc prænituit olim in Abrahamo, enituit nunc in Eſthere, ingenuâ eius ſobole, raro tanti Patriarchæ imitamento.

Gen. 2. v. 18. & 19.
*In forenſibus actibus non delinquere, rara virtus eſt.*
S. Ambroſ apud Lipom inibi.
Hic v. 9. &c.

3. Regius Vates Pſalm. 9. ita pangit: Miſerere mei Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis. *Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* Portæ mortis, extrema pericula ſunt, vt aliis in locis. Addit P. Lorinus, *Et quia in portis ius dicebant Hebræi, porta pro Magiſtratibus accipiuntur nonnunquam; & hoc loco portæ mortis pro iniquis Iudicibus.* Vndè nonnulli pro *portis mortis*, exſcribunt, & exponunt, *Qui exaltas me de portis litium.* Hem qui tribunalia frequentant, & *lites* tractant, in *portis mortis* verſari dicuntur. Sic inſolens eſt *lites* innoxiè tractare? ô litigantium diſcrimina! Quò conlitigatorem vincas, per *portas mortis* & inferni ingredi non times! Heu quàm carò ſpem victoriæ mercaris!

Pſal. 9. v. 15.
P. Lorin. ibi
*Portæ mortis, litium portæ dicuntur.*
P. Ioan. Freire in Ioſue 4. v. 5. n. 11.

4. 1. Regum 15. Dei iuſſu Saül ſtrages acerbiores minitans, in Amalecitarum fines ſeſe latè infert. Dixitque Saül Cinæo (poſteris inquam, Iethri, Moyſis ſoceri) Abite, recedite, atque diſcedite ab Amalec, ne fortè inuoluam te cùm eo: *Tu enim feciſti miſericordiam cum omnibus filiis Iſraël, cùm aſcenderent de Ægypto.* Eruditè tractant Interpretes, quam miſericordiam Cinæus Hebrææ genti exhibuerit, ob quam meruerit, vt Saül ſic benignè & vrbanè cum eo ageret. Aliqui cenſent,

1. Reg 15. v. 6.

cenſent, quòd id dignè fecerit, Saül propter bellum contra Siſaram eius ope feliciter conſummatum. Nam Iabel vxor Aber Cinæi, Siſaram, principem militiæ regis Iabin, infixo temporibus trabali clauo, ſtrenuè trucidauit: quod magnum fuit erga Iſraëlitas obſequium, nullâ obliuione delendum. Abulenſis verò aliter locum interpretatur, aiens, quòd Cinæorum beneficium poſitum fuit in hoc, quod Iethro protoparens Cinæorum, veniens in deſerto ad Iſraëlitas, ordinauit eorum politiam quantùm ad iudices, ſtatuens Tribunos, Centuriones, &c. *Hoc autem*, inquit, *fuit magnum beneficium, quia ante iſtam ordinationem iudicum populus lædebatur nimis, quia cùm eſſet valdè magnus, & inter eos multæ orirentur cauſſæ, & Moyſes ſolus eſſet, manebant cauſſæ indiſcuſſæ: quod erat ad velocem totius populi interitum, cum politia nimis inordinata in reddendo iura manere non poſſit.* Ecce quanto Reipublicæ diſpendio inordinata politia iudicum, apud quos ſubiectorum cauſſæ diu indiſcuſſæ manent, populum vexet, & excidium afferat. Nam ſuſpenſa litium decidendarum cunctatio; & aut malitioſè auara, aut pigrè inertet mora, miſeras conſcientiæ & facultatum ſtrages in litigantibus edit. Quod egregiè expendit Abulenſis, aiens: *quod erat ad velocem totius populi interitum.* Heu inordinata Iudicum cunctatio, officialium rapacitas eſt, quâ litigantium cenſus in confiſcato manet: technarum fomes, fraudium officina, iuris laniena, & *velox totius populi interitus.*

Iud. 4.
*Inordinata iudicum cunctatio, velox totius populi interitus eſt.*
Abul. in 1. Reg. 15 q. 16.

5. Matthæi 16. Petrus de cæli ſcholâ altè eruditus, diuinæ corporationis œconomiam Eccleſiæ tradidit, aiens: Tu es Chriſtus, filius Dei viui; reſpondens autem Ieſus, dixit ei: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Per portas inferi (ait inibi doctè Maldonatus) omnem Diaboli potentiam ſignificari dubium non eſt: illud verò dubium *quare per portas potentia ſignificetur, & quare non proprio nomine potentiam, ſed metaphoricè portas Chriſtus appellauerit.* Et ſanè ſudata eſt Biblicorum interpretum eruditio, portarum nomine tribunalia ſignificari: in portis enim vrbium erigebantur ſubſellia ſeu iudicum tribunalia. Cuius rationem reddit Hieronymus in c. 5. Amos. Profectò mirum eſt, & valdè mirum, quòd cùm Chriſtus Deus validiorem Diabolorum *potentiam*, quam pugnaciori hoſtilitate aduerſus Eccleſiam exerunt, explicare voluit, eam metaphorico *portarum* nomine expoſuerit. Sic tribunalium iudices, officiales, leges, ritus contra Eccleſiæ ſanctitates militant? Hùc videtur Hilarius adludere, ſic inibi ad rem fatus: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Eſt autem in nuncupatione noui nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignáque ædificatione illius petra, quæ infernales leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret.* Moraliſſimè quidem Hilarius *inferni portas*, vt rem iudiciariam innuat, *infernales leges* appellat. Itaque vt inſinuetur atrocior Diabolorum potentia aduerſus Eccleſiæ mores, & tranquillam eius pacem; *inferi portæ*, tartari iuſtitium, & *infernales leges*, magnâ cum emphaſi nuncupantur. Scilicet, vt validior inferorum *potentia* viuaciùs exponatur, non inducuntur feraliſſima Tartarorum monſtra, non pugnaciſſimæ inferorum phalanges, non ſubdolæ Diabolorum technæ ad impoſturam blandiùs duriſſimæ; ſed *inferi portæ*, tribunalium officiales, & *infernales leges*; dicitur enim: Et *portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, id eſt, Eccleſiam. Heu tanta eſt ſub non bono iudice, tribunalium ſæuitia! ô auertat Deus ſtragem hanc auarè malitioſam! *Qui exaltas me de portis mortis*, id eſt, *de portis litium.*

Matth. 16. v. 18.
P. Maldon. indidem.
*Nequiſſima Dæmonum malitia, per tribunalium metaphoram explicatur.*
S. Hieron.
S. Hila. apud Caten. ibi.

6. Eccleſiaſtici 28. ita ſcribitur: *Abſtine te à lite, & minues peccata: homo enim iracundus incendit litem, & vir peccator turbabit amicos; & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.* Aliqui apud Cornelium per *litem* accipiunt forenſem, quâ actor litigat cum reo coram iudice in tribunali. Hæ enim lites forenſes multarum fraudium, odiorum, detractionum, aliorumque peccatorum ſunt cauſſa. Et ſanè cùm *liti* affinis ſit contentio; leui flexurâ quæ Laurentius Iuſtinianus de contentione dixit, *liti* poſſunt aptari, quibus præſcriptus Siracidis locus non inidoneè exponitur; *Contentio*, inquit, *eſt ignita Diaboli ſagitta ad perdendas animas. O quanta iurgia, quanta odia ex contentioſis oriuntur ſermonibus! ô quoties veritas occultatur, & falſum pro vero defenditur timore confuſionis! Peſſimum namque malum eſt contentioni vacare, per quam amicitiarum compago diſſoluitur, & animorum dulce vinculum diſſipatur. Qui contentioſus exiſtit antiqui hoſtis in ſe immiſſiones admittit, Diaboli miniſterium operatur, dirumpit pacem, rixas concitat, parit odium, furorem nutrit, denigrat honeſtatem, ſapientiam perdit, rationem confundit, oculum mentis obnubilat, gratiæ lumen repellit, fraternam dilectionem frangit, & ipſam cæleſtem in ſe occidit charitatem.* Expende ſigillatim ſententias ad rem expenſione digniſſimas. longum enim facerem, ſi nunc ſingulas elucidaſſem.

Eccl. 28. v. 10. & 11.
*Conglebata litium vuneria.*
Laur. Iuſtin. l. de Diſc. & con. mon. c. 13 apud Cornel.

7. Iudicum 6. afflatu Domini inſtinctus Gedeon deſtruxit aram Baal, & nemus igne ſuccendit, atque clàm aufugit. Re cognitâ aduolat populus ad patrem eius Ioas, & dixerunt ei: Produc filium tuum hùc, vt moriatur; quia deſtruxit aram Baal, & ſuccendit nemus. Quibus ille reſpondit: *Numquid vltores eſtis Baal, vt pugnetis pro eo? .... Si Deus eſt, vindicet ſe de eo, qui ſuffodit aram eius.* Caietanus ſic locum excribit, & excriptione tempeſtiuè exponit: *Iuxta Hebræum habetur: Num vos litigabitis pro Baal? ſi Elohim ipſe, litigabit in eum quia deſtruxit altare eius.* Nimirùm atrocior Baalis ira, quâ ob euerſum eius altare, ſe operâ Dæmonum immaniter vindicare adnititur, *lis*, ſeu *litigium* cum Baale nominatur. Non potuit, opinor, ſæuior Baalis idoli, aut Dæmonis furor, vltióve viuaciùs exprimi, quàm *litis* vocabulo. *Si Deus eſt, vindicet ſe de eo.* hoc eſt: *Si Elohim ipſe, litigabit in eum.* id eſt, *litem* illi intendet; & reo iam facto, ſenſim abſumet ſubſtantiam eius, dehoneſtabit illum in tribunalibus, conſcientiam fœdabit criminibus litigatori cognatis. Et vt breui multa complectar, vltrix Baalis, id eſt Dæmonis ira, *litigium* nominatur.

Iud. 6. v. 31.
Caiet. ibi.
*Vltrix Baalis ira, litigium nominatur, & quare.*

8. Dauid Pſalmum 9. his verbis auſpicatur: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.* Multa ſanè ſpondet Propheta, & forſan ſupra humanum faſtigium: quis enim quantumuis grato animo erectus & alacer, *omnia mirabilia* Dei prædicare eualeat? Sed videamus, quodnam fuerit hoc ſingulare beneficium, quod *omnium mirabilium* Dei laudatione remetiri gratus ſtudet? In conuertendo, inquit, inimicum meum retrorſùm, *infirmabuntur*, &c. peribunt

*Dauid exultum celebrat, abſolutum ſe videns à iudicio & litis rigore.*
Pſal. 9. v. 4.

Ps. 9. v. 4. peribunt à facie tuâ. *Quoniam feciſti iudicium meum, & cauſſam meam, ſediſti ſuper thronum, qui iudicas iuſtitiam.* Nempè ideò confitebor tibi, narrabo omnia mirabilia tua, lætabor & exultabo in te, atque modulatiùs nomini tuo pſallam, *Quoniam feciſti iudicium meum, & cauſſam meam, id eſt, abſoluiſti iudicium, & litem*, vt inibi Bellarminus exponit. Nec
P. Bellar. ibi. Felix. ſine emphaſi ad rem, Felix pro *τὸ cauſſam* poſuit *rigorem*. Vide nunc quàm gratanter Dauid exultet, & exultim *omnia mirabilia* Dei prædicare ſpondeat, videns aduerſarios ſuos imbecillè *infirmos* aduerſus ſe, quoniam iudex *abſoluit iudicium, & cauſſam*, id eſt, *litem*, quam Felix appellat *rigorem*. Non timet Propheta hoſtiles eorum vires, clancularias ſubdolè inſidias non veretur, quandò abſolutum eſt iudicium, & *rigori litis* ſilentium indictum eſt. O quanto æſtimationis cenſu habuit Dauid, ſuæ cauſæ iudicium, & prolixæ *litis rigorem* tandem fuiſſe abſolutum, & litigandi pericula & moleſtias excuſſiſſe.

9. Regius Vates his verbis modulatè Pſalterium auſpicatur: Beatus vir, qui non abiit in
Pſal. 1. v. 1. Tranſlationes [illegible]. [illegible] ap. [illegible] cathedra peſtilentia. conſilio impiorum, & in viâ peccatorum non ſtetit, *& in cathedrâ peſtilentiæ non ſedit.* Quinta & Sexta editio, *In cathedrâ iniquorum non eſt inuentus.* Aliter Symmachus, *In cathedrâ inſidiatorum*, vel *impoſtorum.* Chaldæus paraphraſtes, *In ſocietate*, &c. Alij in cathedrâ *peſtilentiariâ*, vel *peſtilentiarum*, vel *peſtium.* Quænam eſt hæc *cathedra impoſtorum*, *inſidiatorum*, *peſtilentiæ*, *peſtilentiarum?* Appoſitè
Clem. Alex. Clemens Alexandrinus lib. 1. ſtrom. cap. 6. ita ſcribit: *Et in cathedrâ peſtilentiæ non ſedit. Cathedra autem peſtilentiæ & theatra fuerint, & iudicia.* Malum! Subſellia, tribunalia, *iudicia*, quod eſt Iuſtitiæ ſolium, & ſatellitium, *theatris* comparantur, & *cathedra* ſeu *ſocietas peſtilentiarum* dicitur? Profectò peſtis non ſolùm lethalis eſt languor, ſed & aëra toxicans, adſimilem contagionem adſpirat, & aliis peſtilenter afflat, & corruptionem pernitiosè affricat: adeò vt *cathedra peſtilentiæ* ſæpè ſit. Porrò corruptus iudex, *inſidiatores*, & *impoſtores* miniſtros habet; & litigantes ipſos, *inſidiatores* & *impoſtores* aut inuenit, aut facit. O frequentes in litibus corruptelas, quæ iuſtitiæ æquitatem aut depravant muneribus, aut argutiis turbant!

---

## §. CXLIX.

### *Sit Princeps, Principúmque ſenatus, ſecretorum ſcrupulosè cuſtos.*

1.
[illegible] Conſultioris ſenatus potiſſimum elogium eſt, cùm non vnus, ſed nemo audiſſe creditur, quod multorum auribus commiſſum eſt.
[illegible] 6. Taciturnitas, elogium Principis, ac Senatus, eſt. At nunc fruſtrà hunc ſenatum ſperemus, qui muta taciturnitate ſibi commiſſa rectius obſignet. Cùm verò Regibus ab arcanis multi ſint, multis creditur, quod vix vni tutò debeat. Quanta ſeculo noſtro (pudet referre) deteriori ſexui, amicis, adoleſcentibus, ſcribis, in primorum orbe regnorum non reparanda damna, commiſſa fuerint, quæ antè ſcirent hoſtes quam primi exercituum ductores, nimis notum eſt. O, ſi reparati mala poſſent! Ne quidquam voueo. Tentare autem oportet, ſi fortè exinceps futura anteuertamus. quò ſecretorum firmiſſimus cuſtos ſit Princeps, & qui propè ei à conſiliis adſtant. De quopiam opinatiſſimè perito in rebus publicis adminiſtrandis, ita ſcribit Caſſiodorus: *Sed cùm tantâ gaudeat perfectione linguarum, in actu publico ſic tacita eſt, vt credatur otioſa. Paucis litigia nodoſa diſſoluit, bella feruentia ſub quiete diſponit; ſilentiosè geritur publicum bonum. Non audis prædici quod palam videtur aſſumi: & temperamento mirabili diſſimulando peragit, quod accelerandum eſſe cognoſcit. Quid tale Antiquitas honora promeruit?* Conſilioſa nuper Eſtheris taciturnitas, cunctanter otioſa videtur; ſed actuoſiùs operatur cunctantis ſilentij ſuffragio. Aman verò hic, quod ſilentio inchoauit, garrulitate perdidit, & ſibi crucem extruxit. Caſſiod. l. 11. Var. epiſt. 1. Hic v. 9. &c.

Geneſeos 1. Secundâ mundialis opificij die firmamentum fit, & in medio aquarum mirabili temperamento libratur. Vocauítque Deus firmamentum, cælum: *factúmque eſt veſpere & mane dies ſecundus.* Dies iſte reuelatio Creatoris eſt, qui Gentilium quoque oculis Deum manifeſtauit. Inuiſibilia enim eius à creaturâ mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Sed iterata quæſtio recurrit, cùr dies etiam hæc à *veſpere* incipiat? Obſcurum ſanè auſpicium, & cæleſti opificio inidoneum videtur; quandoquidem aſpectabile imprimis opus à tenebroſo *veſpere* exordium ſumit. Vidit hanc difficultatem Rupertus, & ſic tempeſtiuè philoſophatur: *Et factum eſt, inquit, veſpere & manè; quia videlicet non caſu factum eſt, ſed veſpere, id eſt, illâ occultâ Dei ſapientiâ diſpoſitum, & factum eſt, priúſquam in actum viſibilem exiret: & mane factum eſt, videlicet vt quod in occultis Dei erat, in publicum per euidens opus exiret.* Nimirùm cæleſte opus præ reliquis aſpectabile, priùs in *veſpere, id eſt, in illâ occultâ Dei ſapientiâ*, & prouidentiſſimo diuini conſilij arcano decernitur, priuſquam in actum viſibilem exiret; *quia videlicet non caſu factum eſt.* Quaſi antropopathôs videri poſſet, quòd non ex præmeditato, ſed *caſu factum* eſſet, & temerè accidiſſet; niſi prius *veſpere* [illegible] eſt, lenocinantibus conſilio tenebris, & *in occultâ Dei ſapientiâ, quod in occultis Dei erat, in publicum per euidens opus exiret.* Sic Dei prouidentia feruens opus tacitâ quiete diſponit, & ſilentiosè geritur aſpectabilius opus! Dei enim conſilium non deuenuſtatur veſperæ tenebris, quod ſic fulget ſilentij fulgore. Auſpicium ſumat à tenebris, vt ſecreti nitore præfulgeat. 2. Gen. 1. v. 8. *In veſpera occulto conſilio, opus quod in mane luceſcat, Deus diſponit.* Rupert. ibi. l. 1. c. 30.

Matthæi 1. Virgo Deipara in domeſtico ſeceſſu reliquis inuia, Angelo peruia, in arcano vteri ſui ſacrario, Dominicæ incarnationis myſterium Spiritu ſancto cooperante peragit. Sponſus Ioſeph diuinum negotium neſcit; ſed intumeſcentis vteri ſuffragio, cæleſtis tandem conceptus pateſcere incipit. *Cùm eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto.* Mirentur aliqui dilecto ſponſo non reuelaſſe myſterij ſecretum, vt zelotypiæ angorem excuteret. Citiùs mirari liceat cum Chryſologo, Deiparam non toti 3. Matth. 1. v. 8 Chryſol. ſer. 142.

toti ſibi occultum incarnationis myſterium denunciaſſe: *Beata ergò*, inquit, *& benè beata Maria, quæ præter generandi curas, præter materni doloris faſtidia, tanti germinis peruenit ad gloriam. Beata quæ diuinum pignus, ſic ſuo ſuſcepit & ſeruauit in pectore, vt illud tota corporis externa neſcirent. Beata quæ quod de ſupernis exceperat, ſic ſuæ ſolæ menti commiſit & credidit.* Tam fuit ſecreti tenax Deipara virgo, vt arcanum diuinæ corporationis myſterium, *ſic ſuæ ſoli menti commiſit, vel illud tota corporis externa neſcirent.* En alium nouum titulum, cur Deus matrem elegit virginem: cùm Maria myſterij conſcia, ſic ſtudet virginitati: ſcilicet ne pudor ſciat, quod ſolæ menti, ſolis ſuis viſceribus myſterium committitur. Non enim virgo Deipara communicari voluit toti corpori incarnationis arcanum. Pars corporis, quæ non cooperatur myſterio, myſterium neſciat, ſecretum ignoret. Quaſi ſibi caueat à parte ſui, ne ſecretum publicet, & propalet ſacramentum. Et quidem violatus pudor non eſſet idoneus ſecreti arbiter: nam vbi libido prurit, lingua impetu quodam dicturit, quod tegit conſcientia. Virginitas tenacior ſecreti eſt, cùm nec toti ſibi denunciet, quod nemini denunciandum eſt.

*Deipara non toti ſibi intimat incarnationis ſecretū.*

4\. Gen. 31. v. 20.

Geneſeos 31. tandem Iacob auſteri ſoceri barbaricum ingenium fugere clàm deſtimat. Surrexit itaque Iacob, & impoſitis liberis, ac coniugibus ſuper camelos, abiit, quo tempore ierat Laban ad tondendas oues. *Noluitque Iacob confiteri ſocero ſuo quòd fugeret.* Cardinalis Caietanus ſic hunc locum ex Hebræo excribit, & excriptione luculenter exponit: *Iuxta Hebræum habetur: Et furatus eſt Iacob cor Laban Aramæi, eò quòd non renunciaſſet ei quod fugeret.* Qui ſecretum omninò ſilendum, amicos & cognatos celat, eorum cor ſuffurari dicitur. Neſcio quomodo aut imprudens parentum ac filiorum amor, aut amicitiæ neceſſitudo, aut domeſticorum inconſulta fiducia, blandientis beneuolentiæ lenocinio occultanda extorquent, adeò vt ſi quis obſtinatiùs ſiluerit, non amaſſe putetur. Excordaſti amicitiam vel amicum, dum cordis arcanum illi in fide non communicaſti. quaſi cor humanæ amicitiæ aut cognationis ſit imprudens ſecretorum commercium. O molliculè femineam talium conſultorum politiam! *Cor* cognati Laban *furatur*, qui illi ſilenda non renunciat? ô quiſquis prudentiam amas, abrumpe has leuiculas amicitiæ, & cognationis leges!

Caiet ibi *Cor amici furari dicitur, qui illi ſilēda non renūtiat.*

5\. Gen. 1. v. 26.

Geneſis 1. ſexta mundi die formatis iam creaturis exanimalibus, & ſenſu præditis, operoſam hominis formationem his verbis apparat Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Nunc Deus, ait Rupertus, mutauit vocem ſuam, quippe qui hactenùs de ſingulis dixit, Fiat, & factum eſt: Producat terra, Producant aquæ, & factum eſt. Nunc autem tanquam à circuitu terræ, cæli, & maris, laſſabundus reſederit, & inter reſpirandum in mentem illi venerit, adhuc vnum deeſſe quod deceret vel oporteret fieri: *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* (pergit Rupertus) *Domine, inquit Propheta, conſilium tuum antiquum, verum fiat. An tibi parum videtur conſilium hîc paucis ſanctæ Trinitatis dictiunculis eſſe ſignificatum? Magnum planè conſilium in illo ſapientiæ concilio, in illo talium perſonarum, Patris, & Filij, & Spiritusſancti, non tam ſenatu quàm Soliloquio venerando, de nobis peccatoribus habitum eſt. An putas eorum quicquam, quæ circa nos acta vel agenda ſunt, illic defuiſſe?* &c. Ecce tibi, vbi ſumma rei humanæ geritur, agitúrque de hominis formatione, & de eiuſdem mox redemptione, concilium antropopathôs aduocatur. Adſunt tres magni Senatores, id eſt, tres beatiſſimæ Triados perſonæ, ipſiſſimâ ac infinitâ ſapientiâ præluſtres. Tantò autem ſecreto res humana peragitur, humanæ formationis negotium, & humanæ præuaricationis cauſſa tractatur; vt non tam conſilioſum adinuicem colloquium, quàm arcanum inter ſe *Soliloquium* profundè nuncupetur. O vide quanto ſecreti ſtudio diuinum conſilium celebretur, tametſi vnus ſit Deus, quia tamen tres perſonæ conſilio interſunt, quaſi extraneæ creaturarum aures procùl arceantur, *Soliloquium* appelletur. Hùc videtur adludi Prouerbiorum 25. vbi ait Salomon: *Gloria Dei eſt celare verbum.* Nam licèt alia ſint attributa, quæ Dei gloriam magnificentiùs prædicare videantur, tam grande Dei elogium eſt, vt tres perſonæ, tametſi vnus Deus ſint, *verbum celent*, & conſilij ſui ſecretum arcano abſcondant *Soliloquio*, nullis auribus peruio, vt id quaſi eximiam *Dei gloriam*, Salomon ſumptuoſiùs deprædicet. Quod aliàs vbertim enucleauimus.

Rupert. hîc lib. 2. c. 1. *Diuinum cōſilium, non ſā Senatus, quàm Soliloquiū dicitur.*

Prou. 25. v. 2. *Quomodò Dei gloria ſit celare verbum.*

6\. Lucæ 1. v. 22.

Lucæ 1. Ioannis Baptiſtæ optatiſſimam natiuitatem titubanti dubiè Zachariæ Angelus prænunciat, & hoc præbet ſignum: *Ecce eris tacens, & non poteris loqui.* Et erat plebs expectans Zachariam: & mirabantur quòd tardaret ipſe in templo. *Egreſſus autem non poterat loqui ad illos, & cognouerunt quòd viſionem vidiſſet in templo. Et ipſe erat innuens illis, & permanſit mutus.* E muto cæliţùs patre Ioannes naſcitur, tanquam paterni ſilentij mira ſoboles, taciturnitatis pignus, & ſecreti obſes. Huius rei cauſſam inſinuat Rupertus, Ioannem appellans Chriſti *conſecretalem.* Scilicet Ioannes Baptiſta è ſilentio naſcitur, vt ſic arcanus Chriſti *conſecretalis.* Os Zachariæ patris idoneâ taciturnitate ſignatur, vt ipſe mutus, Chriſti Dei *conſecretalem* generet. Sic corporati Verbi diuini myſterium ſecretis præſtruitur! *Id erat* (ait Clemens Alexandrinus) *quod ſignificabat Zachariæ ſilentium, expectans fructum Chriſti Præcurſorem.* qui ſubindè ab eodem Clemente appellatur: *Vox Verbi adhortatoria.* O benè! *Vox Verbi adhortatoria*, ſeu *Chriſti Præcurſor*, dicitur *ſilentij fructus.*

*Ioannes Baptiſta ex ſilentio naſcitur. Chriſti conſecretalis.*

Rupert l. 1. in Ioan.

Clem. Alex. in Adhort. ad Gentes.

5\. Pſal. 1. v. 1.

Regius Propheta in Pſalterij auſpicio ſic concinnè pangit: Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in viâ peccatorum non ſtetit, *& in cathedrâ peſtilentiæ non ſedit.* Pro τὸ peſtilentiæ quidam excribunt ex Hebræâ origine, in cathedrâ *peſtilentium*, alij, in cathedrâ *deriſorum*, vel *inſidiatorum*, vel *impoſitorum* non ſedit, aut commoratus eſt. Eruditè notat noſter Lorinus inibi, quòd vox Hebraica, quæ ſubeſt pro τὸ *peſtilentiæ*, vel *peſtium*, vel *peſtilentium*, ſonat, *Interpretatus eſt, ſignificans reuelatores ſecretorum, quæ tacita eſſe oportet.... qui rectè peſtes vocantur abſtractâ voce.* Nempè qui ſecreto tacenda, & cautâ taciturnitate ſignanda reuelat, non tam audita, & ſibi nota manifeſtat, quàm de ſuo *interpretatur*, & velut coniecturis loquitur, quaſi incerta faciat quæ ſilenda certò cognouit, ac ſi de inconſultâ publicatione

Lorin.

*Reuelatores ſecretorum puta peſtilentiæ cathedrâ.*

catione

catione res certa in certitudinem mutuetur. Quin & *reuelatores ſecretorum* appellat Propheta *inſidiatores*, *irriſores*, *impoſtores*: nam qui ſecretum in fide reuelat, fidei ſibi commiſſæ *impoſturam* facit, bono publico *irridet*, & veritati pernicioſè *inſidiatur*: adeò vt in *cathedrâ peſtilentiæ* ſedere, aut præſidere dicatur. Præſidet enim tanquam perfidiæ antiſtes, proditionis præſes, fidelitatis proditor, veritatis irriſor, & inſidus Reipublicæ impoſtor, atque eruditus calamitatum magiſter, & non bonus fidei interpres. Et in *cathedrâ peſtilentiæ non ſedit*, ſcilicet, *interpretatus eſt*, *ſignificans reuelatores ſecretorum*, *quæ tacita eſſe oportet, qui rectè peſtes vocantur*, id eſt, conſiliorum contagium; quod Reipublicæ peſtilentem afflat perniciem. Ergò *reuelatores ſecretorum* puta Reipublicæ peſtem, ſeu malè eruditam peſtilentiæ cathedram, quæ benè conſulta ad perniciem malè erudit.

---

## §. C L.

### *Dum diuites de pauperum inopiâ diteſcere exambiunt, & paupertatem ſibi negotiantur, & ſuam ruinam ædificant.*

1. Caſſiod. l. 1 2. var. epiſt. 1 3. *Diuites de pauperum inopiâ diteſcere ambiunt.*

CAſſiodorus poſtquam auaram diuitum rapacitatem multis culpauerat, *Additur*, inquit, *quòd talibus* ( pauperibus inquam) *non dare, tuliſſe eſt: & meritò, quandò quis poteſt eſurientibus ſubuenire, ſi non paſcit, extinguit. Pudeat illis tollere, quibus iubentur offerre. Vltra omnes crudelitates eſt, diuitem velle fieri de exiguitate mendici. Amentur honeſta lucra: horreantur damnoſa compendia: nullus audeat indè tollere, quod poſſit collecta diſpergere. Addendo perdidit, qui retinendo collegerit: & paupertatem potiùs ad ſe trahit, ſi exigentium pecunias non repellit.* Diſertiſſimè pariter ac moraliſſimè. Procliue cuique eſt ſingulas Caſſiodori ſententias enucleatiùs expendere.

2. Pſal. 9. v. 2 3. Apud Hebr. 10. v. 2. Iſidor. Clar.

Regius Pſaltes ſic querulus ſuper cauſsâ pauperum cum Deo litigat: Vt quid, inquit, Domine receſſiſti longè, deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione? Quænam eſt hæc tribulatio opportunæ opis indiga, quam Deus videtur negligere? *Dum ſuperbit impius, inceditur pauper: comprehenduntur in conſiliis quibus cogitant.* Nonnemo apud Clarium: *Propter concupiſcentiam ſuam, ſiue auaritiam impius perſequitur pauperem.* S. Hieronymus Vulgato aſſentit in verbo *incendendi*, in quo eſt tota ſententiæ energia; *In ſuperbiâ impij ardet pauper.* Itaque ſenſus eſt, quandò homo impius prævalet, pollet potentiâ, inſoleſcit honoribus, faſtu turget; tunc ad ſumptuoſiores illius expenſas, pauperum reculæ vri, incendi, ardere, & veluti admotis flammis conſumi dicuntur. Et ſanè non ſine magno ethicè ſacramento, incenſionis ſeu exarſionis vocabulo ſignificatur iſtiuſmodi oppreſſio, quâ inopes à diuitibus depauperantur: *ex mærore enim veluti quodam igne afflicti liqueſiunt.* (Pergit inibi Theodoretus) *Concinnè valdè hoc verbum Inceditur, mœrentibus dedit; nam ardentibus ſimiles ſunt, qui dolore afficiuntur, & veluti quendam fumum per os gemitum emittunt.* Scilicet dum à diuite potenti *incenditur*, & *ardet* pauper, huiuſmodi *incendij* fumus per querula funeſtè ſuſpiria emittitur, & aliquâ ex parte ſic *incenſionis* mœror euaporatur. Putauerim etiam, quòd *pauperem incendi* & *ardere*, ſit eius tenues facultates ſeu reculas potenter à diuitibus ſubripi, & auarè exigi potentiæ priuilegio. Quas cùm ſic furaciter rapit, eis non ditatur; eas enim non tam ſubripere, quàm *incendere* dicitur: *incendij* autem fructus, lugubris *fumus* eſt, fuliginoſæ fauillæ, & vagus indè cinis. Quocircà diues ex eiuſmodi auaro raptu, & exactione furaci, quâ potenter diteſcere cogitabat, fumum, fauillam, & cinerem potiùs hereditauit: hic enim eſt *incendij* cenſus, & hæc ſunt *exarſionis* ſpolia. *Dum ſuperbit impius propter concupiſcentiam ſuam ſeu auaritiam, inceditur, ardet pauper.* Itaque diues, qui inopem depauperat, incendij ſpolia hereditat.

S. Hieron. — Theodor. — *Diues, qui inopem depauperat, incendij ſpolia hereditat.*

3. 1. Reg. 15. v. 27. & 28. *In laceratione pallij ſui Samuel, regni depoſitionem Sauli prædicit.*

1. Regum 15. debellato Agag Amalecitarum rege, auaritiæ arguitur Saül eò quòd concupierit opima deuicti regni ſpolia. Venit ergò Samuel ad Saulem offenſo Domino ſacrificia offerentem: & exprobratâ illi acerbiùs inobedientiâ, Samuel à Saüle diſcedere, & in domum ſuam redire ſatagit: *Et conuerſus eſt Samuel vt abiret: ille autem* ( Saül inquam ) *apprehendit ſummitatem pallij eius, quæ & ſciſſa eſt. Et ait ad eum Samuel: ſcidit Deus regnum Iſrael à te hodie.* Nimirùm Saül quando ob victoriam de Amalecitis partam, fornicem triumphalem ſibi arroganter erexerat, opulentis deuicti populi ſpoliis prædiues, tunc, tunc quidem attritum Samuelis pallium ſcindit, neutrique exinceps idoneum relinquit. *Pallium abeuntis Samuelis Saül arripuit ita violenter, vt magnum ex eo fruſtum abſtulerit*, ait inibi Sanctius. Ecce tenue Prophetæ pallium, vile, detritum magnâ ex parte ſublatum eſt; adeò vt nec Domino ſuo iam vtile, nec potenti ſciſſori ſeu raptori proficuum remanſerit. Parum eſt hoc, niſi in eiuſmodi pallij rapaci laceratione ſeu perditione, regni depoſitionem myſticis deſcriptam characteribus Propheta legerit, aiens: *Scidit Deus regnum Iſraël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Attentâ expenſione digniſſimum eſt, quod myſticâ ſignificatione ſic eſt conſpicuum. Quid attinet *magnum fruſtum abſtuliſſe* à Samuelis pallio, illúdque laceratum, neutri vtile reliquiſſe, cum ſciſſione ſeu laceratione regni? ô arcanam ethicè ſignificantiam! *Pudeat illis tollere, quibus iubentur offerre. Horreantur damnoſa compendia: nullus audeat indè tollere, quod poſſit collecta diſpergere. Addendo perdidit, qui retinendo collegerit.* Addit Lyranus ex Hebræorum gymnaſio, *quòd Samuel tunc dedit ſignum ipſi Saüli, quòd ille erat regnaturus pro eo, qui abſcinderet oram chlamydis ſuæ, quod fecit Dauid: propter quod Saül tunc videns oram Chlamydis ſuæ in manu Dauid, dixit: Nunc ſcio quòd certiſſimè regnaturus ſis.* Qui magnum pallij fruſtum abſtulit, ſuæ clamydis fruſtum abſcindi patietur, regni deponendi infauſto augurio. O caue à pauperculo tollere, quod poſſit aliàs collecta diſpergere.

Sanct. ibi. — Caſſiod. ſup. — 1. Reg. 24. v. 21.

4. Eccli. 21. v.9.

Siracides Eccleſiaſtici 21. *Qui ædificat*, inquit, *domum ſuam impendiis alienis, quaſi qui colligit lapides ſuos in hieme.* Locus ſpecie tenus difficilis, penitiùs verò inſpectus, non valdè impeditus. Solent enim diuites ac potentes per iniuſtas pauperum oppreſſiones, & exactiones auarè furaces, ſuas augere facultates, & ampliare domos. Ait ergò, *Qui ædificat domum ſuam impendiis alienis*, id eſt, ſumptu non ſuo, ſed alieno, putà ex rapinis pauperum, vi aut fraude violenter extortis; hic ſimilis eſt homini, qui ædificaturus *colligit lapides*, id eſt, adglutinat in hieme. In hieme enim ob frigus calx conglaciatur, aut ob humorem diſſoluitur; quo fit vt lapides inter ſe non ſatis firmiter liget, & conglutinet: quá de cauſsâ hiemalia ædificia rimas agunt, & facile corruunt, nec diu durant. Exindè iſtiuſmodi domus ſic ædificatæ Dominus, ſiue habitator, valdè obnoxius eſt, vt hiemali ſeu rimosâ domo corruente, in eius ruinis miſerè tumuletur, quaſi ſepulchrum, potiùs quàm domum ædificauerit. Hunc ſenſum explicatiùs tradunt Biblia Complutēſia: *Qui ædificat domum ſuam impendiis alienis, quaſi qui colligit lapides in tumulum ſepulturæ ſuæ.* Tigurina poſterius hemiſtichium adſimiliter excribit: *Congerentis lapides in tumulo ſepulturæ ſuæ ſimilis eſt.* Quibus conſentit Syrus: *Congregat lapides tumulo ſuo.* Eheu, impendiis pauperum putabas domum tuam nobiliter ampliare, & ruinam extruis, & tumulum ſumptuoſiùs ædificas!

*Qui de impēdio pauperū domū extruit, ſibi tumulum ædificat.*

Bibl. Compl. Tigurina.

Syrus.

5. 3.Reg. 21. v.4 & 5. *Achab non manducauit, panem ſuum, quia quærebat alienum.*

3. Regum 21. Dixit rex Achab ad Naboth: Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum Cui reſpondit Naboth: Propitius ſit mihi Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi. Venit ergò Achab in domum ſuam indignans, *Et proiiciens ſe in lectulum ſuum, auertit faciem ſuam ad parietem, & non comedit panem.* Ingreſſa eſt autem ad eum Iezabel vxor ſua, dixítque ei: *Quid eſt hoc, vndè anima tua contriſtata eſt? & quare non comedis panem?* An non manducat panem ſuum Achab, volens ſe morte mulctare, quod ei aliquid negaretur? (Sed de hoc aliàs) Compara nunc affectum pauperis. Nihil habet, & ieiunare voluntarius niſi Deo neſcit. Diues eripit pauperibus vniuerſa, aufert omnia, nihil relinquit; pœnam autem pauperum ipſe ſuſtinet. Illi ieiunant, cùm non habent, diues, cùm habet; quia quod habet, fraude aut vi à paupere ſuſtulit: & indè inediam pauperum cogitur ſuſtinere. Pergit Ambroſius opportunè adhuc expendens Achabi inediam: *Et non manducauit*, inquit, *panem ſuum, quoniam quærebat alienum. Etenim diuites magis alienum panem quàm ſuum manducant, qui raptu viuunt, & rapinis ſumptum exercent ſuum.* Et poſteà: *Hoc ideò ſcribo, vt cognoſcatis vindicem eſſe Dei iuſtitiam, quæ lacrymas pauperum veſtro vlciſcatur ieiunio.* Luculenter quidèm de more Ambroſius!

S. Ambr. lib. de Nabuthe, cap. 4.

6. Pſal. 9. apud Hebr. 10. v. 8. & 9.

De flagitioſiùs impio ſic pangit regius Pſaltes: *Sedes in inſidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. Oculi eius in pauperem reſpiciunt, inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpeluncâ ſuâ. Inſidiatur vt rapiat pauperem.* Vox Hebræa pro quâ habet Vulgatus, *diuites*, ſignificat etiam *terribiles, potentes, fures, recondentes in arcam.* quaſi diues ac potens, in pauperem *terribilis* fit; & opulentia rapacitatis elogium, & furacitatis priuilegium ad depauperandos & opprimendos miſerè inopes. Audiendus eſt hâc ſuper re Saluianus Maſſilienſis ſic eloquenter fatus: *Quis autem eſt vel nobilium, vel diuitum horrens crimina? quis eſt aut innocentiam ſeruans, aut à cunctis ſceleribus manus abſtinens? aut vllus immunis eſt vel ab homicidio, vel à ſtupro? quis aut humano ſanguine non cruentus, aut cœnosâ impuritate non ſordidus? Quotus quiſque iuxta diuitem pauper, aut intactus, aut tutus eſt? vt pauci illuſtrentur, mundus euertitur; vnius honor, orbis excidium eſt.* Heu nimis verè! Impius enim *ſedet cum diuitibus, potentibus, terribilibus, vt interficiat innocentem. Oculi eius in pauperem reſpiciunt. Inſidiatur vt rapiat pauperem*, & eius paupertatem potiùs rapit. ô benè!

*Pauperū nemo iuxta diuitem tutus eſt.*

Saluian. l. 4. de Prouid.

Redeat iterùm ſemel expenſus locus ex 3. lib. Regum, aliter ad rem enucleandus: Vinea erat Naboth Iezrahelitæ, iuxta palatium Achab regis Samariæ: locutus eſt ergò Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum, quia vicina eſt, & propè domum meam, dabóque tibi pro eâ vineam meliorem. Naboth ritè abnuente: *Venit ergò Achab in domum ſuam indignans, & frendens ſuper verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth Iezrahelites, dicens: Non dabo tibi hereditatem patrum meorum. Et proiiciens ſe in lectulum ſuum, auertit faciem ſuam ad parietem, & non comedit panem.* Eruditè notat noſter Mariana, quòd pro τὸ *indignans*, ſcribitur *Hebraicè, alienatus, ſcilicet à ſe Rex, emotâ mente. Et vide Regum voluntates quàm ſint vehementes, & quomodo illos crucient.* Rex ditiſſimus à ſe abalienatur, & mente mouetur, quia hominis pauperculi agellum vſurpare non poterat? Sic diuites de pauperum inopiâ diteſcere exambiunt? ſic ad egenorum reculas auidè hiánt? Eheu funeſtè opploſat Ambroſius: *Nabuthe hiſtoria tempore vetus eſt, vſu quotidiana. Quis enim diuitum non quotidie concupiſcit aliena? Quis opulentiſſimorum non exturbare contendit agellulo ſuo pauperem, atque inopem auiti ruris eliminare finibus? Quis contentus eſt ſuo? Cuius non inflammat diuitiis animum vicina poſſeſſio? Non igitur vnus Achab natus eſt, ſed quod peius eſt, quotidie Achab naſcitur, & nunquam huic ſeculo moritur. Si vnus occidat, aſſurgunt plurimi: plures qui rapiant, quàm qui amittant.* quaſi plures ſimul diuites vnum pauperem inuadant, vt eum reculis ſuis hianter expolient auarâ rapacitate. Sed audiamus quid rapaci Achabo confeſtim dicat Elias: *Venundatus es, vt faceres malum.* O, Achab ipsâ pauperculi & inualidi poſſeſſione furaciter raptâ, ſe *vendit*? Sanè nihili ſe taxat, & paruo ſe vendit, qui pro rapinâ de expoliato paupere acquiſitâ ſe vendit.

7. 3 Reg. 21. v. 4. *Quàm impotenter diuites hient ad bona pauperum.*

Maria. n. ibi.

S. Ambr. l. de Nabuthe. cap. 1. *Plures ſucreſcūt Achabi, qui pauperes reculis ſuis deſpoliēt.*

3. Reg. 21. v. 20.

Hîc verſ. 11. Aman vxori & amicis *expoſuit magnitudinem diuitiarum ſuarum*; ſed quas de captiuorum prædis incrementare moliebatur, malo perdendorum omnium omine: quod confeſtim experientia comprobauit.

Hic v. 11.

§. CLI.

## §. C L I.

*Perfecta paupertas ( quæ Apoſtolicus character, & cæleſtis gloriæ ſpecimen dicitur ) perrarò inuenitur in terris.*

1 Seneca epiſt. 2. HOneſta res eſt, læta paupertas, ait Seneca. Illa verò non eſt paupertas, ſi læta eſt. Cui enim cum paupertate benè conuenit, diues eſt. *non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt.* Quid enim refert quantum illi in arcâ, quantum in horreis iaceat, quantum paſcat, aut fœneret, ſi alieno imminet, ſi non acquiſita, ſed acquirenda computat? Quis ſit diuitiarum modus quæris? Primus habere quod neceſſe eſt, proximus quod ſat eſt. Humanæ autem neceſſitati parum ſat eſt, ambitioni verò & luxui nihil ſufficit. Ille etiam qui omnia ſtudio paupertatis abdicauit, ſæpè prætexu falſatæ neceſſitatis, ad penuriam nauſeat, ad ſuperuacua hiat. In tantâ pauperum turbâ, vix aliquem verè pauperem offendes. Vide quid peregrinus Iacob, licet opulentâ domo natus, ad victum poſtulauerit: *Si fuerit Deus mecum.... & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, &c. erit mihi Dominus in Deum.* Ad quæ verba ita ſcribit Chryſoſtomus: Non diuitias, non abundantiam quandam petiuit, ſed panem & veſtem, & hanc ad contegendum corpus, illum verò in neceſſarium alimentum. *Conſidera quomodò nobis, Apoſtolicum characterem petitione ſuâ ſignificauit.* Non verbi Dei ſublimior prædicatio, non miraculorum ſtupenda patratio, non mundi ad Chriſtum conuerſio; ſed pauperior veſtis, ſobrius cibus & cultus, erit *Apoſtolicus character*? Paupertas Apoſtolos cudit? Facilè parabilis videtur hic Apoſtolatus, ſed pauci eum aſſequuntur. Aman, Aman inquam eſt, qui abundè opulentus, adhuc ad nouas diuitias hiat. Diuitiæ Amani cognatæ ſunt; Apoſtolis paupertas.

*Perfecta paupertas eſt Apoſtolicus character.* Gen. 28. v. 20. S. Chryſoſt. ibid. Ibid. v. [illegible]

2 Matth. 19. [illegible] Matthæi 19. Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis: Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cælorum. Faciliùs eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. *Auditis autem his, Diſcipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergò poterit ſaluus eſſe?* Quid eſt, quòd Diſcipuli Chriſtianæ ſapientiæ apices, & de Chriſti Dei gymnaſio diu eruditi, hic non bonâ illatione ratiocinari videntur? Subtiliter de more Auguſtinus hunc locum verſans, S. Aug. q. Euang. l. 1. q. 26. [illegible] dubitat: *Quod ait Dominus, diuitem non intrare in regnum Dei; & Diſcipuli dicunt: Quis poteſt ſaluus fieri? cum pauci ſint diuites in comparatione multitudinis pauperum, intelligendum quòd omnes, qui talia cupiunt,* &c. Acutè Auguſtinus [illegible] idoneæ conſequentiæ Diſcipulos redarguit. Nam eſto, difficile aut impoſſibile ſit diuites ſaluari, non [illegible] de infertur, *Quis ergò poteſt ſaluus* [illegible] quidem pauciſſimi ſunt diuites in [illegible] ratione multitudinis pauperum, & [illegible] [illegible] aſſumunt. Igitur etſi diuites ſaluari non [illegible] tamen ſaluari reliqui homines [illegible] diuitum numerum prorſus in [illegible] quo igitur pacto ex difficultate diuitum ſaluandorum, Diſcipuli inferunt: [illegible]

P. Didac. Celada in Eſtherem.

*Quis ergò poteſt ſaluus eſſe?* ac ſi dicant: Nemo igitur ſaluari poterit. Profectò ſi non de beatâ & æternâ ſalute, ſed de temporariâ aliquâ & mundanâ felicitate ſermo eſſet, rectè intuliſſent Apoſtoli, quòd ſi diuites illam non aſſequuntur, nemo illam nanciſcetur: nam pauper quaſi nemo foret in mundo, in cenſu hominum vix habetur. Vndè quod diuites non aſſequuntur, nemo conſequi putatur. Verùm tametſi de beatâ & æterna ſalute ſermo ſit, rectè inferunt Apoſtoli, quòd ſi diuites non ſaluantur, *Quis ergò poteſt ſaluus eſſe?* Nam licet plures ſint, qui vltrò opulentis etiam poſſeſſionibus renunciauerint, vt Chriſtianam paupertatem religiosè ſectentur, quò inſigniantur *Apoſtolico charactere*; pauci admodum ſunt, qui affectu aliquid ex renunciatis non reſumant. Exindè ſi effectu aut affectu diuites non ſaluantur, *Quis ergò poteſt ſaluus eſſe?* Heu quàm pauculi ſunt, qui etſi affectu opes contempſerint, quibuſdam tamen reculis tenaci affectu non adhæreſcant! Hiſce futilium affectuum nugis virgo paupertas fœdè conſtupratur: & qui magna vicit, minimis vincitur. quæ eſt inibi Auguſtini mens.

*Pauculi ſunt, qui omnia renunciantes, aliqua non reſumant.*

3 Gen. 31. v. 3. Geneſeos 31. Inopinatum ſocero reditum in patriam, Iacobus clanculùm molitur: *Maximè dicente ſibi Domino: Reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eróque tecum.* S.Ambroſius in his vltimis verbis moraliſſimè hærens, perfectæ paupertatis typum in Iacobo reperit, & cunctis proponit, aiens: *Eróque tecum. Oſtendens nihil ei deeſſe, cui adeſt omnium plenitudo;* (Deus inquam) *hoc ſolum abundare perfectè, in hoc conſtare omnia, & omnia ad ipſum referre, nil nouum, nil ſuperfluum, neceſſarium.* Bella quidèm ſententiæ clauſula, & Ambroſio digniſſima. Nempè cui adeſt Deus, qui eſt omnium plenitudo, nihil reàpſe *ſuperfluum*, videtur *neceſſarium.* Ne nos ſeducat cognatus noſtræ humanitatis genius, quo inſtigati, *neceſſitatis* prætextu *ſuperflua* âbimus. Pauca neceſſitati, nil voluptati & ambitioni ſufficit. O, has noſtræ naturæ præſtigias recognoſce, & nil *ſuperfluũ* cenſebis *neceſſarium.* Genij diſpendio redime paupertatis cõpendium.

S. Ambroſ. de Iacob, & vita beata. *Vera & integra paupertas nil ſuperfluum cenſet neceſſarium.*

4 Matth. 6. v. 11. Hugo ibid. Matthæi 6. Inter alia, quæ oratione Dominicâ precari iubemur, panis etiam quotidianus poſtulandus præſcribitur: *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem* (aliàs *quotidianum*) *da nobis hodie.* Ad quæ verba ſic Hugo Carenſis addubitat: *Videtur quòd qui petit quotidianum, non habeat in craſtinum.* Quomodo enim petat quotidianũ aut diurnum, qui ad plures menſes copioſam annonam in horreis penúque reſeruat, ad ſui, aut familiæ alimoniam? *Illud enim petitur quod nõ habetur. Quod ſi eſt, oratio iſta paucis poteſt conuenire, aut forſan nulli. Quis enim tam fidelis, vt cùm poſſit ampliùs habere, tantùm ampliùs ſibi non ſeruat niſi quotidianum?* (Et præſcriptum dubium adhuc exaggerans, ſubdit opportunè) *Forſitan ſolùm conueniebat Apoſtolis, qui omni tempore vagabantur, vt ipſa vagatio ampliùs quotidiano victu poſſidere non poterat.* Quaſi irrequietus per totum terrarum orbem Apoſtolorum excurſus, non tantùm ſuſceptus fuerit ad Chriſtum Deum Gentibus enũciandum, & propagandum nationibus Euangelium (quod fuit Apoſtolorum munus) ſed vt *ipſa vagatio ampliùs quotidiano victu poſſidere non poſſet.* Nimirùm perfectioni muneris Apoſtolici perfectio paupertatis impreſſa ſit; vel potiùs ipſum Euangelicum munus perfectæ paupertati impreſſum, vt neque illud obire niſi conſummata

*Apoſtolorum continua vagatio ampliùs quotidiano victu poſſidere nõ poterat.* Hugo ibid.

paupertas poſſit, vt aſſidua *vagatio* alimoniam vetet in craſtium reſeruare; neque hæc tam perfecta paupertatis ſublimitas vix niſi in Apoſtolico inuenirent faſtigio, Apoſtolorum muneri indiuiduè cognata. *Apoſtoli enim omni tempore vagabantur, vt ipſa vagatio amplius quotidiano victu poſſidere non poſſet.*

5. Eccleſiaſtici 31. Beatus, inquit, diues, qui inuentus eſt ſine maculâ: & qui poſt aurum non abiit, nec ſperauit in pecuniæ theſauris. *Quis eſt hic, & laudabimus eum? facit enim mirabilia in vitâ ſuâ. Quis probatus eſt in illo,* (auro inquam) *& perfectus eſt, erit illi gloria æterna.* Profectò in iſtiuſmodi paupertate grande miraculum proponitur; proponitur enim cadauer viuum, aut viuus martyr, quem paupertas excuſſit indigentiæ tyrannide. *Veruntamen* (ait Bernardus) *quid ſibi vult, quòd eadem promiſſio facta eſt pauperibus & martyribus? niſi quia veri martyrij genus paupertas voluntaria eſt. Beatus vir* (*ait Propheta*) *qui poſt aurum non abiit, nec ſperauit in theſauris pecuniæ. Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vitâ ſuâ.* Quid ergò mirum ſi conſimili martyrio ſimilis promiſſio beatitudinis facta eſt? Idcircò ſubdit: Qui probatus eſt in illo (auro) & perfectus eſt, *erit illi gloria æterna.* Pro quibus verbis Græca habent, *ſit in gloriationem,* vt de eo gloriari poſſit Deus, Angeli, & ipſemet pauper, quaſi de admirabili quodam & infrequente gratiæ miraculo, & æternæ gloriæ pignore luculento. Verùm Biblia Tigurina non habent de futuro, *erit illi gloria æterna,* ſed, *Is eſto ſpecimen gloriæ.* Nempè perfectus pauper, vt rarò inuenitur in terris, ita velut præmaturè cælicola, *ſpecimen gloriæ* præfert. Inſenſibilis & impatibilis videtur; dum indigentiæ incommoda ſuſtinet; non tangitur aduerſis, corporis neceſſitatibus non pulſatur; fame & ſiti macilentus, velut opiparè ſatur, lætus exultat; nuditate ambitioſè veſtitur; & mundi penuriâ laborans, de beatæ immortalitatis confinio, velut *gloriæ ſpecimen*, ſumptuoſiùs oſtentat. O quàm rarò quis in terris, cæleſtis *gloriæ ſpecimen* præfert! qui eſt perfectæ paupertatis character.

Eccli. 31. v. 9. & 10. *Paupertas eſt martyrij genus.*

S. Bern. ſer. 1. in feſto omnium ſanct.

*Perfectè pauper eſt gloriæ ſpecimen.*

Tigur.

6. Lucæ 16. Homo quidam erat diues, qui induebatur purpurâ, & byſſo; & epulabatur quotidiè ſplendidè: *Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſâ diuitis, & nemo illi dabat. Factum eſt autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno. Opinor, hic in Lazaro perfecta paupertas deſcribitur, quam vel diuitis iuxtim abundantia auget ad inopiam. *Mendicus* dicitur, quæ eſt egeſtatis ſumma: ſed qui nec precariâ mendicitare (qui eſſe ſolitat pauperum cenſus) victitare poterat: nam de menſâ diuitis reiectaneis micis contentus, illáſque famelicè hians, impetrare nequibat, nec ore ſupplici, nec linguato ſpectatæ neceſſitatis ſilentio. *Vlceribus plenus* iacebat, ſicut quæſtuario labori inidoneus, ſic beneficæ pietati aptus: [illegible] immiſericordia, quod vlcera [illegible] neceſſitatis [illegible] poſtulabant. *Iacebat ad ianuam* diuitis, vt [illegible] tus purpurantium veſtimentorum [illegible] & ambitioſior menſarum varietas [illegible] exuberans abundantia, diam eius egeſtatem [illegible] ſuas augerent ad [illegible], & ad [illegible] exaggeraret. Vide in paupere Lazaro perfectam [illegible]

Lucæ 16. v. 20. & 21.

*Perfectè patienter paupertas facit, vt ſinus Abrahe Lazarum ambiret.*

duræ egeſtatis ideam, facultatum abundè inopem, miſeriarum ac meritorum abundantiùs locupletem. Quâ ſuper re ſic ad rem præſentem opportunè philoſophatur Chryſologus, ſerm. 121, his verbis fatus: *Factum eſt autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ, &c. Erat autem Abraham diues valdè, & eum quem habuit in bonis præſentibus parem, nunc reprobat, & patitur eſſe pœnalem:* (Nota verba quæ ſubtexit Chryſologus) *Præſertim cùm neque pauperis huius bona, neque mala diuitis iſtius prodiderit ſermo diuinus. Cur ergò nunc Abraham ambit pauperem, diuitem refugit, & renuat?* Videlicet tantùm dicitur de Lazaro, quòd erat extremè pauper, & in tantâ miſerabiliter egeſtate mutè patiens; quid ergò opus erat, vt alia *huius pauperis bona proderet ſermo diuinus*; imò vt illum *Abraham ambiret*, quò in ſinum ſuum beneuolentiùs exciperet? Itaque ſic perrara eſt perfecta paupertas, vt cùm omnium vota, ſtudia, ac preces occupet glorioſè excipi in Abrahæ ſinum, ſinus Abrahæ negotioſè hunc *pauperem ambiat.* O bona moraliſſimè Abrahæ *ambitio*, quæ diuitiarum ac gloriæ auaritiam negligens, exipiendis perfectè pauperibus inhiat, quaſi pius aliquis empyreæ Beatitudinis faſtus ſit, & beatæ gloriæ aſpectabile decus, perfectè pauperem excepiſſe. Nec alia *huius pauperis bona prodit ſermo diuinus*, vt illum glorioſus Abrahæ ſinus exambiat: nam conſummata patienter egeſtas reliquas vniuerſatim ſanctitates aut inuenit, aut facit.

S. Chryſol.

## §. CLII.

### *Opulentè diuites ſunt diuitiæ, quæ à paupertate ſunt.*

Cæcilius ethnicus Octauio Catholico Chriſtianorum paupertatem obiecerat, vt Chriſtianos dehoneſtaret, quaſi viles, pannoſos, abiectos, & nihili homines. Octauius verò paupertatis diuitias his verbis apud Minutium Felicem eloquenter exponit: Cæterùm, inquit, quòd plerique pauperes dicimur, non eſt infamia noſtra, ſed gloria, animus enim vt luxu ſoluitur, ita frugalitate firmatur: *& tamen quis poteſt pauper eſſe, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo diues eſt? Magis pauper ille eſt qui cùm multa habeat, plura deſiderat.* Dicam tamen quemadmodum ſentio: nemo tam pauper poteſt eſſe, quàm natus eſt. Aues ſine patrimonio viuunt, & in diem paſcua paſcuntur: *& hæc nobis tamen nata ſunt: quæ omnia ſi non concupiſcimus, poſſidemus.* Igitur vt qui viam terit, eò felicior quò leuior incedit: ita beatior in hoc itinere viuendi qui paupertate ſe ſubleuat, non ſub diuitiarum onere ſuſpirat. Huc uſque Minutius Felix in Octauio. 1.

Minut. Fel. in Octau. *Omnia, ſi non concupiſcimus, poſſidemus.*

Eccleſiaſtici 11. *Eſt, inquit, homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate.* Quid eſt [illegible] abundans paupertate? [illegible] paupertate defi[illegible] abun[illegible] eſt [illegible] eſt paupertatis [illegible] paupertate abund[illegible] Rabanus [illegible] hæc [illegible] dis verba [illegible], inquit, *Chriſtiana magis*

Eccli. 11. v. 12.

Rabán. ibi.

Pauperitas habet totum, dum ſuſtinet totum. *magis exprimit tempora, in quibus illi qui paupertatem voluntariam ſectantur, magis abundant omnibus bonis, quàm illi qui certant in acquirendis quotidie terrenis diuitiis.* Et poſt pauca ſubdit: *Nam cum diligimus Dominum, in ipſo omnia reperimus. Vnus eſt qui quæritur, ſed in quo omnia continentur. O lucrum mirabile! ô compendium ſingulare! Cur nos per diuerſa fatigemus? ad ipſum ergò vnanimiter feſtinemus, poſt quem cunctà bona vltrà non quærimus, ſed tenemus.* Ecce quomodò qui putatur miſerè egenus,

S. Zeno ſer. de Patient. & penuria mundi laborare, *abundans paupertate* dicatur. Quod Zeno Veronenſis loquens cum Patientiâ, ſic expreſſit: *Tu*, inquit, *paupertati præſtas, vt habeat totum ſui contenta, dum ſuſtinet totum.* Planè eleganter!

13. 1. Cor. 3. v. 16. S. Zeno ſer. de Spir. [illegible] &c. Pauperes [illegible] 1. Corinth. 3. ita ſcribit Apoſtolus: *Neſcitis*, inquit, *quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Quæ Paulli verba de pauperibus idem Zeno exponens, ſic ad rem ſcribit; *Exultate*, inquit, *pauperes ſpiritu: per vos, & in vobis Dei maior eſt domus: nam & omnibus æquales eſtis, & prædaturas omnes veſtri corporis ambitu ſuperatis. Denique ſancti diuites pauci ſunt; vos plures eſtis.* Parùm foret, quòd pauperes dicantur Dei domum ſeu templum amplificare; niſi etiam ſic paupertatis opibus abundarent, vt *prædaturas omnes corporis ambitu ſuperent.* O piè ambitioſas, & æquiſſimè furaces paupertatis diuitias! Et ſanè prædarum nomine ſententioſè explicantur pauperum diuitiæ. Porrò de hoſtium debellatorum prædâ non ſolum obuenit ditior opulentia; ſed etiam inclyta, & velut ambitioſa gloria de ſpoliis partæ victoriæ. Sic paupertatis ambitioſa præda dicitur: nam pauperes *prædaturas omnes ſui corporis ambitu ſuperant.*

4. Eccl. 31. v. 8. Eccleſiaſtici 31. *Beatus*, inquit, *diues, qui inuentus eſt ſine maculâ; & qui poſt aurum non abiit, nec ſperauit in pecuniæ theſauris.* Profectò ſpiritu & electione pauperes, inopiam quam adamarunt, vertunt in copiam, inopiâ ſuâ è diuerſo diuites. Idcircò eiuſmodi pauper *beatus* appellatur. Pulchrè Iſidorus: *Beatus dicitur qui benè auctus, ſcilicet ab habendo quod velit, & nihil patiendo quod nolit. Ille autem verè beatus eſt, qui & habet omnia quæ vult bona, & nihil vult mali. ex his enim duobus homo beatus efficitur.* Ergò *beatus* eſt pauper, *paupertate abundans*: qui non vult habere, quas contempſit, diuitias: qui, quia paruo contentus, nihil illi vnquam deeſt, in paupertate quam adamauit, reperit omnia, & voluntariam inopiam, rerum omnium mundialium compendium fecit. Omnia enim poſſidet, qui nihil vltra habere deſiderat. Vide quàm paupertate abundet; qui contemptis opibus inopiâ laborare putatur. Vnde S. Nazianzenus Monachos laudans, ſic apud P. Cornelium ibi fatur: Horum, inquit, *opes ſunt in paupertate, poſſeſſio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fœcunditas in [illegible] (ſiquidem præſtantiores fœtus illi ſunt, [illegible] dum Deum exiſtunt, quàm qui à carne [illegible] qui deliciis minimè ſtudere pro [illegible] qui regni cæleſtis cauſſa humiles [illegible] do nil habent! [illegible] mundum [illegible] in carne extra carnem vi- [illegible] ne Dominum [illegible]* [illegible] ſunt, quos Nazianzenus

ſententias ſpiſſat; quàm vt expendere otium ſit, ſine magno ad alias theſes negotio.

Lucæ 12. multis contendit Chriſtus auaritiæ libidinem è cordibus hominum extirpare: *Nolite*, inquit, *ſolliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini*, &c. Eccur tam ſeriò Chriſtus hanc victus & amictus ſollicitudinem vetat? Audiendus eſt hâc ſuper re Magnus Baſilius ita fatus: *Quam ob rem Deus ad paradiſi vitam nos reuocans, ex animis noſtris curas euellere conatur, dicens: Nolite animæ veſtræ cogitare quid edatis, aut corpori veſtro quid induamini.* O in quantam malorum Iliadem per originale peccatum incurrimus! è paradiſo pulſi, aſſiduis neceſſitatibus ærumnoſè angimur, ærumnarum auertendarum nimiùm ſolliciti. Ait ergò Baſilius: Eſto benè pauper, paruo contentus: (neque enim natura multis indiget) & abiectâ rerum ſollicitudine, metu inquam, perdendi, & acquirendi libidine, & paradiſeam in te felicitatem tibi quodammodò reſtaurasti. Paradiſum quem cupiditas perdidit, paupertas ſibi ſufficiens, velut reuocat. O bona paupertatis ambitio, quæ totum poſſidet, dum abiicit totum! Sic diuitiarum copia, ipsâ ſatietate, & ſollicitudine infelix eſt? O capiamus has facilè parabiles paradiſi delicias!

5. Lucæ 12. v. 22. S. Baſil. homil. 9. Paupertas paradiſeam vitam quodammodò reuocat.

6. Prouerb. 3. v. 27. LXX. Interp. P. Salaz ibi. n. 206. & 209 Anton. in Meliſſ. l. 1. c. 26. Egenus, dominus dicitur bonorum, quibus diues abundat.

Prouerb. 3. *Noli prohibere benefacere eum, qui poteſt.* Quem locum LXX. Interpretes ſic excribunt: *Ne abſtineas benefacere egeno.* Nimirùm Hebræum verbum *Mibghalau*, quod (vt noſter Salazar ibi notat) ſignificat *patronum*, vel *boni dominum*, vel *eum, qui ius habet ad rem*, verterunt *egenum*. Quia pauper non ſolum *patronus* diuitis eſt, ſed *dominus* etiam eſt bonorum, quibus diuites affluunt, adeò vt quaſi ſuo iure illa ſibi vendicet, quod in Meliſſa luculenter tradit Antonius: *Quid fruſtrà* laboras *ô diues, res pauperum in theſauris tuis recondens? Cur indignaris petentibus illis, quaſi de tuo expendas? Bona paterna petunt, non tua; quæ tibi commiſſa ſunt ipſorum gratiâ, non tecum nata. Da quæ accepiſti, & vſum eorum tibi conceſſum in lucro ponas. Satis eſt tibi, quòd dare, non accipere deſtinatus es.* Ecce tibi, egenus dicitur *dominus* bonorum, quibus diuites abundant. Qui pauperi donat, quod ſuum eſt pauperi reſtituit. O paupertatis opulentum theſaurum! Non benè, opinor, ſibi ſoli diues eſt, qui pauperi etiam diues eſt.

7. Act. 3. v. 6. S. Ambr. ſer. 8. in Pſalm. 118.

Actorum 3. egenus ille à natiuitate claudus, & vocali clamore, & linguatis oculis ab Apoſtolis ſtipem poſtulat: *Petrus autem dixit: Argentum & aurum non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Ieſu-Chriſti Nazareni ſurge, & ambula*, &c. Quæ Petri verba ſic argutè Ambroſius elucidat: *Quomodò ergò Petrus poterat portionis ſuæ damna ſentire, qui naturæ damna reparabat? Quare non habeas argentum atque aurum Petre, dic nobis? Dic etiam quid ſit illud quod habere te dicis, quia omnia quæ habebas, te reliquiſſe dixiſti? Ecce nos omnia reliquimus, & ſecuti ſumus te. Reliquiſti omnia ergò Petre quæ habebas, vndè habes quod habere te dicis?* Et quomodò Petrus verè dicit, *Quod autem habeo*, quaſi aliquid habeat; qui dudum dixerat: *Ecce nos reliquimus omnia?* An tunc hæc dixiſti, aliquid reſeruaueras, quod nunc te habere dicis? an fortè poſtquam reliquiſti omnia, aliquid reſumpſiſti, quod nunc te habere dicis?

Quomodò aliquid habeat Petrus, qui omnia reliquit.

dicis? Ex vtroque alterutrum validè redarguitur. Reſpondet pro Petro Ambroſius: *Reliquiſti ergò quæ habebas, & cepiſti quæ non habebas. Chriſtus tibi portio, Chriſtus tibi poſſeſſio eſt. Illius nomen tibi munificum, illius nomen tibi eſt fructuoſum, illius nomen tibi tributa dependit.* Nimirùm Petrus paupertatis ſtudio *omnia* pro Chriſto reliquit quæ non perdidit, ſed lucroſo commercio commutauit; nam fructuoſum Chriſti nomen, & ipſum Chriſtum ſibi tributa pendentem accepit. O prædiues potenter inopia, quæ Chriſtum Deum ſibi vectigalem inuenit. Hanc opulentiam habet Petrus, etſi omnia reliquit: imò & quia omnia reliquit hanc habet opulentiam. Vndè qui ſincerè dixit, *Reliquimus omnia*, verè etiam dicit, *Quod autem habeo, hoc tibi do.* Ecquid non habet, cui Chriſti nomen ſibi *munificum* eſt, *fructuoſum* eſt, & *tributa dependit?*

8. Deuter. 10. v. 9.

Deuteronomij 10 cùm peramplis poſſeſſionibus omnes tribus Iſraël diuitantur, vna tribus Leui depauperatur, poſſeſſionum exors: *Non habebit Leui partem, neque poſſeſſionem cum fratribus ſuis: quia ipſe Dominus poſſeſſio eius eſt.* Vndè & decimis & primitiis Deo offerendis eximitur. Quâ ſuper re ità philoſophatur Ambroſius præſcripta verba commentans: *Non ab hoc* (Leui inquam, poſſeſſionum exorte) *decimas, non fructus, non dona quæro, non munera, ipſe mihi pro munere eſt, ipſe eſt pro tributo, non in poſſeſſione ſuâ munificus mihi, ſed ipſe mihi poſſeſſio, ipſe meus fructus, ipſe meus cenſus.* Hem, tribus depauperata eſt Dei poſſeſſio, & Omnipotentis *cenſus*? O quàm multa quàm paucis compendiauit Ambroſius!

S. Ambr. ſer. 8. in Pſ. 118. poſt init.

*Tribus Leui dum depauperatur, dicitur Dei cenſus.*

9. Lucæ 18 v. 24. & 25.

Lucæ 18. hoc edictum Chriſtus Deus pronunciauit, quod morum dogma eſto: *Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt. Facilius eſt enim camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.* O timeant diuites ſeueriorem hanc ſententiam aduerſus diuitias euibratam! Gratulandum etiam pauperibus eſt, quòd peruius illis aditus in cælum patet. Quid ſi etiam paupertas inopiâ ſuâ locuples, timere poſſet? Acutè quidem Ambroſius hunc locum verſans? Dominus (inquit) pronunciauit impoſſibile eſſe vt diues intret in regnum cælorum: ſed quod impoſſibile per humanas cupiditates, hoc per diuinam gratiam ſolam poſſe eſſe poſſibile. Alibi quoque ait: Quicumque reliquerit patrem aut matrem, domum, aut fratres, aut ſorores, centuplum accipiet in hoc ſeculo, & vitam æternam poſſidebit. Forſitan autem dicas, vtique qui relinquendo domum (per domum autem totum cenſum intellige) qui reliquendo propinquos Deum ſecutus fuerit, portio Domini eſt, & portio Deus illi eſt; habet etiam vitam æternam: *& quia accepto centuplo fit in hoc ſeculo diues: diues, inquies, intras in regnum cælorum. Deindè ſi centuplum dat Deus eorum quæ etiam ſimpla impedimenta afferre conſueuerunt ad perceptionem hereditatis æternæ: centum ergò poſſeſſiones reddit pro vnâ poſſeſſione, centum pondera auri pro vno pondere.* Ecce tibi, diues intrat in regnum cælorum; ſed elutis & defæcatis paupertate diuitiis; paupertate, ſeu ex paupertate diues; imò diues paupertate. Non ſic [illegible] qui hic opulentè diues, pauperum [illegible] captorum ſeculis inhiat: & indè diuitias abundè perdidit.

S. Ambr. ſup.

*Ex paupertate diues intrare poteſt in regnum cælorum,*

Hic verſ. 11.

---

## §. CLIII.

*Dura egeſtas dum nihil habet, ſuſtinet totum, magnâ ſæpè probitatis iacturâ.*

QVantulumcumque in cenſu tibi eſt, quamuis exiguum ſit, ſatis erit, ſi quicquid deerit, id à te petieris, velut precariâ frugalitate exigas. Nihil, nihil enim intereſt, vtrum non deſideres, an habeas. Summa rei in vtroque eadem eſt. *Nec illud præcipio*, pergit Seneca) *vt aliquid naturæ neges: contumax eſt: non poteſt vinci: ſuum poſcit: ſed vt quicquid naturam excedit, ſcias precarium eſſe, non neceſſarium. Eſurio: edendum eſt. Vtrum hic panis ſit plebeius, an ſiligineus, ad naturam nihil pertinet.* Quid ſi neque eſca plebeia ſuppetit; neque ex ſoloce amictus, quo carnes decenter tegas, & frigora vtcumque arceas? an non dira egeſtas ſæpè vitiorum mater eſt, & virtutum nouerca? *Sicut diuitiæ* (ait Ambroſius) *negligentiam pariunt: ita egeſtas dum ſaturari quærit, à iuſtitiâ declinat.* Indè (vt refert Clemens Alexandrinus) *Epicurus in non eſuriendo, neque ſitiendo, neque frigendo, ponens beatitudinem, vocem illam Deo parem exclamauit, impiè dicens: Se pro his vel cum Ioue eſſe pugnaturum.* 1.

Seneca epi. 120.

*Natura noſtra contumax eſt, dum neceſſaria ad victum exigit.*

S. Ambr. in epiſt. ad Rô. Clem. Alex. 2. Strom. c. 11.

Regius Pſaltes 40. Pſalmum his verbis auſpicatur: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.* Et quæ eſt intelligentia, (ait Chryſologus) vbi eſt profeſſa paupertas? Vis eſt intelligentiæ, ſi rimetur viſcera, ſi deprehendat occulta, ſi tecta nudet. Verùm ſubiecta oculis, expoſita in publico, ingeſta rebus, non eſt intelligere, ſed videre. Nuditate algidus, tabidus fame, ſiti aridus, laſſitudine tremens, defectu luridus, quòd egenus ſit intelligere quis labor? Et ſi labor intelligentiæ nullus eſt, vndè eſt intelligentiæ fructus? Profectò egeſtas pauperum, oculis ſeſe vltrò ingerit: at quanta egenus patiatur, quantiſque cateruatim ærumnis de vnâ egeſtatis ærumnâ, continuò lancinetur, arcanum eſt, & altioris intelligentiæ perſpicaciam exoptat. S. Zeno Veronenſis in ſerm. de Patientiâ, ſic illam alloquens, ſcribit: *Tu paupertati præſtas, vt habeat totum ſui contenta, cùm ſuſtines totum.* Ecce tibi Zeno lynceis oculis intellexit, non tantùm quod paupertati ineſt, ſed quod egeſtati ſubeſt. Paupertas enim *totum ſuſtinere* dicitur. Parùm foret, egenum eſſe nuditate algidum, tabidum fame, ſiti aridum, laſſitudine titubantem, defectu luridum, in ægritudine inuiſum, in ſenectute laſſum, in innocentiâ reum, in bonâ cauſsâ damnatum; cenſu nullum, exactionibus opulentum, in honoribus ſine nomine, in contumeliis ſine voce; diuitum ceruus, hominum nauſea, & fortunæ pila. Adhuc mente acerbiora concipe; quicquid ærumnarum intelligentia cogitando audet, non exhaurit calamitates, quas egeſtas ſuſtinet, *cùm ſuſtineat totum.* Sola [illegible] tia par eſt tot ſimul calamitatibus [illegible] exantlandis, ſpe erecta, quòd in cælo habebit totum, 2.

Pſal. 40 v. 1. S. Chryſol. ſer. 14.

*Dira egeſtas ſuſtinet totũ.*

S. Zeno ſer. de Patient.

totum, cùm in terrâ *ſuſtinet totum*. Quid exaggeratius? Nunc verò Aman copioſè diues, cùm adhuc vberem cenſum augere ambit; habens totum, totum perdit, ac ſuſtinet totum; ne ſola egeſtas, ſed auara opulentia huic etiam malo ſubiaceat.

*Hic verſ. 11.*

3. Geneſeos 2. die mundi ſextâ creatur homo, quaſi totius operis finis & clauſula. *Tulit ergò Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis.* Extra paradiſum quidem formauit hominem, vt carentia olim voluptatis padiſeæ, illius dulciùs fruendi artificium foret. Num paradiſus voluptatis non foret Adamo voluptatis paradiſus, ſi eius poſſidendi deliciis ab initio, & exinceps ſemper frueretur? Rupertus ſingularem aſſignat cauſſam, quare hic locus topiariis deliciis ſuperfuſus, *paradiſus voluptatis* nominetur. *Nomen autem voluptatis*, inquit, *omnis indigentiæ ſenſum excludit: quia videlicet non ſicut hîc, ita ex neceſſitate manducabatur & illic.* Voluptas ne omnem *indigentiam* excludit? Sic *indigentia* voluptatem infatuat, & delicias corrumpit? Sic præuia *indigentia* ſeu *neceſſitas*, ſecutam voluptatem reddit inſipidam, vt qui famelicus edules & ſapidiſſimos paradiſi fructus comederet, è *paradiſo voluptatis* fructus comediſſe, haudquaquam diceretur? Sic vel amœniſſimum paradiſi locum, *neceſſitas* ſiue *indigentia* inamœnaret? Sic infelicitat *indigentia*, non tantùm dum ineſt, ſed etiam dum præceſſit? O quam ſe latè amplificat *indigentiæ* contagium, quod etiam præcedentia contaminat!

*Geneſ. 2. v. 15.*
*Voluptas indigentiam excludit.*
*Rupertus ibidem.*

4. Iſaiæ 55. *Omnes ſitientes*, inquit, *venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite abſque argento, & abſque vllâ commutatione vinum & lac.* Pro *emite*, Hebraicè habetur שברו *ſchibru*, id eſt, *frangite*, hoc eſt, cibum & panem frangendum comparate, qui tantâ egeſtate oppreſſi ſic fameſcitis, vt panem non tam eſurire, quàm ſitire videmini: *ſitientes* enim inuitat, & vt *comedant*, adhortatur. Sed cur tantâ egeſtate oppreſſos ad cæleſtem cibum & potum nuncupatim inuitat? Pulchrè Ambroſius quem verſamus Iſaiæ locum ſic ad rem præſentem exponit: *Ideò Dominus gratis ſe obtulit, ne quem reuocaret à Chriſto paupertatis neceſſitas. Patriarchæ illum vili vendiderunt, vt omnes emerent. Iſaias dixit: Qui non habetis argentum, venite, emite, & bibite: emite ſine argento.* Sic pauper dira egeſtate oppreſſus, putat omnium ſe iacturam feciſſe, vt vel à cæleſtibus ſe excluſum exiſtimet? Ne ſpe viduatus, animo cadat, à Prophetâ inuitatur, vt emat abſque argento, *ne quem reuocaret à Chriſto paupertatis neceſſitas.*

*Iſaiæ 55. v. 1.*
*Neminem reuocat à Chriſto paupertatis neceſſitas.*
*S. Ambr. l. 3. de Spiritu Sancto c. 18.*

5. Matthæi 20. egrediente Ieſu ab Iericho, ecce duo cæci audierunt, quia Ieſus tranſiret: & clamauerunt, dicentes: Domine miſerere noſtri, Fili Dauid. *Turba autem increpabat eos vt tacerent.* Parùm pia extitit turba Chriſti ſequax erga hos pauperculos mendicitate & cæcitate miſeros. Sed fortè eorum repulſa, pia extitit erga Chriſtum, quaſi eius auctoritati conſulens. *Videbant enim* (ait inibi putatus Chryſoſtomus) *ſordidas* illorum *veſtes. Ecce fatua ſapientia hominum: exiſtimabant enim iniuriam pati Magnos, ſi à pauperibus honorentur. Quis enim pauper auſus eſt diuitem publicè ſalutare?* Sic vel obſequia pauperum & miſerorum apud Magnos exoſa ſunt? O egeſtatis probroſa ſtipendia!

*Matth. 20. v. 31.*
*Probrum eſt diuitis honorari à paupere.*
*Imperf. homil. 36.*

Lucæ 16. prædiues ille epulo felicitate infelix, tandem mortuus eſt, & ſepultus in inferno. Eleuans autem oculos ſuos cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum ſuum nuper mendicum in ſinu eius: & ipſe clamans præ anguſtiâ miſeriæ, dixit: *Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aquam vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hâc flammâ.* Fruſtrà expetit calamitatis laxamentum, qui gehennalibus tormentis acerbiùs excruciatur. Quæ eſt hæc tam inopinata huius damnati ſpes? an quæ miſeriam leuet? an citiùs quæ gehennæ calamitatem publicet, & exaggeret? Scitè Nazianzenus: *Diues ille*, inquit, *qui in flammâ torquebatur, ac pro huius vitæ voluptatibus, Lazarique eſurientis & vlceroſi contemptu, hanc mercedem referebat, vt illic Lazaro opus haberet, nec tamen eius opem impetraret.* Scilicet vel in feraliſſimis infernalis gehennæ cruciamentis hoc deerat huic damnatiſſimo epuloni ad pœnarum exaggerationem, vt miſerrimè indigus proponeretur, adeò *vt illic Lazaro opus haberet.* Sic eſt acerbè camitoſa indigentia, vt ad exaggerandam damnatiſſimi Epulonis calamitatem ſub ſpecie aliquâ ſpei euulganda ſit? Sic eſt pœnaliſſimum indigere? 6.

*Lucæ 16. v. 24.*
*Ad exaggerationem gehennæ, epulonis indigentia proponitur.*
*S. Naz. Orat. 27.*

Matthæi 4. Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo: *Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit.* Grandis ſanè inopiæ calamitas, adeo vt alibi expenderimus ex Tertulliano, quòd Chriſtus *ſub Diabolo eſurit, & ſub Samaritide ſitit.* Ceterùm Sanctus Baſilius exponens præfata verba, ita de Chriſti fame loquitur: *Verùm quia non eſurire*, inquit, *ſupra hominem eſt, aſſumpſit Ieſus paſſionem famis, indicans eam non eſſe peccatum, & conceſſit cùm voluit naturæ humanæ quæ ſua ſunt, pati & egere. Vndè ſequitur, Et eſuriit.* (Attentiùs exploranda ſunt verba quæ his ſubtexit) *Non coactus ad neceſſitatem, quæ præeſt naturæ, ſed quaſi prouocans diabolum ad duellum. Sentiens enim diabolus, quia vbi fames, ibi imbecillitas, aggreditur ad tentandum.* Baſilij magni animaduerſione egemus, ne quis ſeriò putet marcidam famem, & miſeram neceſſitatem non eſſe peccatum? Saltem impreſsè affirmat, *quia vbi fames, ibi imbecillitas.* O quales quantoſque proſtrauit dira famis neceſſitas, quos forſan opulentior abundantia non ſterneret! Et ſanè ſententioſè dicit, quòd *neceſſitas præeſt naturæ.* O non bonam neceſſitatis præſidentiam, quæ perſæpè à iure declinat, & inſtigat ad malum! Saltem neſcio quam naturæ humanæ ſubiectionem importat. Vndè nuper diximus ex Tertulliano, quòd Chriſtus Deus *ſub Diabolo eſurit, & ſub Samaritide ſitit.* quò Chriſti impeccabilitatem admiremur, qui *ſub Diabolo eſuriens*, neceſſitatis *præſidentiæ* adeò non ceſſit, vt nec delinquere potuerit. 7.

*Matt. 4. v. 2.*
*S. Baſil. apud Caten. in Lucæ cap. 4.*
*Neceſſitas naturæ humanæ præeſt.*

Apud Sanctum Gregorium Nazianzenum in Orat. pro Baſilio, Valentis Imperatoris filius languet: *Pater etiam*, inquit, *vt potè pater ſimul ægrotabat. Precibus etſi aliàs vnquam incumbens, humique prouolutus. Nam Reges quoque humiles & abiectos reddit calamitas.* Moraliſſimè quidem Baſilius. 8.

*S. Naz. in Orat. pro Baſ.*
*Calamitas humiles facit Reges.*

Prouerbiorum 30. ſic ait ad Deum Salomon: 9.

Duo

Prouerb. 30. 8. & 9. Duo rogaui te, ne deneges mihi antequam moriar: *Vanitatem & verba mendacij longè fac à me: Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo neceſſaria.* (Scilicet, ait Beda, *ne copiâ vel inopiâ tranſeuntium rerum, in obliuionem incidam æternorum*) Aliud inuoluntariæ egeſtatis malum ſubiicit Salomon: *Ne fortè . . . . . neceſſitate complulſus furer, & periurem nomen Dei mei.* Lyranus, quem aliqui ex recentioribus meritò ſequuntur, prioris Verſiculi vtrumque hemiſtichion eſſe ſynonymum cenſet, ſic inibi fatus: *Duo rogaui te Domine: vanitatem, quæ eſt annexa proſperæ fortunæ & verba mendacij, quæ frequenter annectuntur aduerſæ, longè fac à me. & idem repetit per alia verba: Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi.* Et Sanctus Ambroſius in Pſalm. 118. Octonar. 8. hunc Prouerbiorum locum verſans, ita ſcribit: *Diues erat Salomon, timuit extolli: pauper fieri formidauit, ne paupertatis neceſſitate abſtinentiæ gratiam non teneret.* Adhæc Ariſtoteles in Problem. ſect. 29. cap. 4. argutè quærit, *Cur paupertas apud homines probos & bonos, potiùs quàm apud prauos eſſe ſolet?* & poſtquam multimodis interrogationibus reſpondit, pergit interrogando reſpondere: *An quia* (paupertas) *mala eſt nunquam ſe malis iungere velit: nam ſi ita maluerit, omninò malum irremediabile ipſa videtur.* Ecce tibi addenſata coactæ egeſtatis elogia, quæ plerumque inuitè egenos dehoneſtant, culpant, inuitiant. Nimirùm egeſtas eſt *furti* mater ſeu potiùs nouerca: dein egeſtati agnata ſunt *verba mendacij*, & *periurium*, vt mentitam fidem iuramento coloret. Adhæc addit Ambroſius, quòd egenus in diem malignè victitans, *abſtinentiæ gratiam non tenet*: aut quia egeſtas vltrò ieiunare impedit; aut ſi ciborum abundantia copioſè aliquandò ſuppetat, ſeſe dapibus intemperanter ingurgitat. Præterea dira inopia *in obliuionem æternorum incidere*, Beda monet. Denique Ariſtoteles cenſet, egeſtatem in hominibus improbis *irremediabile malum* videri. Quo quid exaggeratius? Ideò Salomon obnixiùs Deum rogat: *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo neceſſaria*, ne obuios diræ egeſtatis ſcopulos inuitus incurram. Ceterùm coacta egeſtas ſæpè naufragium, at inopia ſpontanea, virtutis portus, & à vitiis aſylum eſt.

Beda.

*Coacta egeſtatis vitia densè conglobantur.*

Lyranus.

S. Ambr.

Ariſtot.

---

## §. CLIV.

### *Veniet tandem ad illum diu impiè felicem ſua portio. quiſquis videtur, à ceſſante diuinâ prouidentiâ dimiſſius, dilatus eſt.*

1. PRoſpera in plebem, ac vilia etiam ingenia deueniunt. Profectò ſemper eſſe felicem, & ſine amaro animi morſu velle tranſire vitam, ignorare eſt rerum naturæ alteram partem. Miſera calamitas virtutis occaſio eſt. Illos meritò quis dixerit miſeros, qui nimiâ felicitate torpeſcunt, quos velut in mari lento tranquillitas iners detinet. Quicquid illis inciderit, nouum veniet. Venit nouum Amano, qui in tantâ, quam ipſe iactat felicitate, vel religioſâ Mardochæi captiui inciuilitate, ſic infeliciter angitur: tandemque infelix calamitatem patitur, quam de iniquâ felicitatis ſuadelâ, alteri atrociùs præparabat. *Veniet ad illum diu felicem ſua portio. Quiſquis videtur dimiſſus eſſe, dilatus eſt:* neque enim diuina prouidentia, aut ceſſat marcidè iners, aut dormitat inactuosè deſes, aut ſuæ perſpicaciæ iniquè præuaricatrix eſt. O res diu felicibus inopinatas!

*Impiè felix à diuinâ prouidentiâ videtur dimiſſus, dilatus tamen eſt.*

Hic verſ. 11.

Senec. lib. de diu. Prouid.

2. Sapientiæ 1. agens Salomon de flagitiosè impiis, qui propè diuinam prouidentiam factis abnuere videbantur, ita ſcribit: *In cogitationibus impij interrogatio erit: ſermonum autem illius auditio ad eum veniet ad correptionem iniquitatum illius.* Quoniam auris zeli audit omnia, &c. Quidnam eſt, quòd perditiſſimè impius in ſuis cogitationibus interrogationem inuenit? Et quæ eſt hæc interrogatio? Incertus Chryſoſtomus apud Lorinum inibi putat, *in nobis eſſe poſitum à Deo quendam ſpiritum ſcientiæ boni & mali, vt quotieſcumque peccamus, ille in ſilentio quaſi factum noſtrum accuſet.* Quaſi ab hoc arcano ſpiritu ſcientiæ boni & mali, in ſceleroſis hominibus (qui ſaltem factis diuinam prouidentiam videntur negare) veniat, vt cuiuſque cogitatio eum *interroget*, an ſeriò cenſeat eſſe in Deo prouidentiam, cum tot ſcelera Deus negligere videatur, quaſi illa ignoret, aut non curet? Verùm hæc ſalubris in cogitationibus impij *interrogatio*, rem de quâ ambigere videtur, planè fatetur. *Quid ergò?* (ait Pacianus) *deſiit Deus noſtra curare? an vltra conſpectum mundi receſſit, & neminem ſpectat è cælo? An patientia illius, ignorantia eſt? Abſit, inquies. Videt ergò quæ facimus, ſed vtique expectat & patitur, & pœnitentiæ tempus indulget, & Chriſto ſuo præſtat vt differat, ne citò pereant quos redemit. Benè tu peccator intellige.* Scilicet cùm impius ſceleſtè flagitioſus, factis ſuis videtur fateri, quòd *deſijt Deus noſtra curare*; confeſtim *in cogitationibus eius interrogatio* animum pulſat: *An patientia Dei, ignorantia eſt?* Ecquis niſi perditiſſimè blaſphemus, Deo ignorantiam impingat? hæc Deum à diuinitate deponeret. Ergò videns felicitatem malorum, cogitationum tuarum *interrogationem* auſculta: *An patientia Dei, ignorantia eſt?* Ecce ipſa *interrogatio* palam impia & blaſphema, diſſimulata reſponſio eſt, *Abſit, inquiens: Videt ergò quæ facimus, ſed vtique expectat & patitur.* Quòd ſi reſipiſcere negligat, tandem *veniet ad illum diu felicem ſua portio. Quiſquis videtur dimiſſus eſſe, dilatus eſt.* Quod hîc in Amano & videre licet, & feras diuinæ prouidentiæ iras pauidè admirari. O mentibus noſtris altè hæreat hæc conſcientiæ *interrogatio! Patientia Dei, ignorantia eſt? Abſit, inquiet: Videt ergò quæ facimus, & patitur, & pœnitentiæ tempus indulget.*

Sapient. 1. v. 9.

*Conſcientia appellatur, Spiritus ſcientia boni & mali.*

Imperf hom. 11. in Matth.

P. Lorin. ibi.

*Pulchra eſt conſcientia interrogatio.*

*An patientia Dei, ignorantia putatur?*

Pacian. in Paræn. ad Pœnit.

Regius Vates Pſalm. 13. ſic pangit: *Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Quæ verba de *male loquentibus de prouidentiâ Dei* intelligit Athanaſius. τὸ *inſipiens* ſeu ſtultus, à Neuienſi excribitur, *ingratus*. Chaldæum verò vocabulum valet *pinguem*, *obeſum*, *craſſum*, cuius nimirùm ex adipe prodeat iniquitas, 3.

Pſal 13. v. 1.

Athanaſ. Marcello.

Neuienſis.

Chaldæus.

aut

*Conſectariò Epicurus voluptate cum virtute coniungens, Deũ cum improuidentia coniungit.*

aut totus deliciis deditus, pingui delicioſè corpore, & craſsâ ſtolidè mente obeſus inſipienter ſtulteſcat. Ergò à voluptatibus pingui mente ſtultus, *dixit, in corde ſuo*: nam abnegatæ à ſe prouidentiæ ſtultam impietatem veretur verbis edicere. Et quid dicit: *Non eſt Deus.* Hebraicè eſt *Elohim*, quæ indicant negari iudicem & gubernatorem. Vndè Paraphraſtes Chaldaicus vertit hoc loco: *Non eſt poteſtas Dei in terrâ.* Nam vt inquit Hilarius, *Oblectatio præſertim vitiorum hoc perſuadet.* Indè regius Pſaltes rectè infert: Oblectatione vitiorum *corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt.* quaſi effuſior deliciarum corruptela, & corruptior voluptarum oblectatio, ſit negatæ prouidentiæ ſequela. Peritè Saluianus poſtquam communi vniuerſatim conſenſione diuinam prouidentiam fundauerat, mox ſubdit: Et ſanè inuenire aliquos, qui ab iſtorum iudicio diſcrepauerint, præter Epicureorum, vel quorumdam Epicurizantium deliramenta, non poſſum: *Qui ſicut voluptatem cum virtute, ſic Deum cum incuriâ ac torpore iunxerunt, vt appareat eos qui ita ſentiunt, ſicut ſenſum Epicureorum atque ſententiam, ita etiam & vitia ſectari.* Nempe qui Deum, & incurioſum illi in prouidentia torporem adſociare ſtudet, Epicurum ſapit, & felicitatis lætæ riualis, voluptatem cum virtute coniungere ambit. Diuturnus felicitatis ambitus, & dulce oblectamentum ſic obbruteſcit, vt, ne pauidè timeat Deum vitiorum vltorem, illius prouidentiæ inuideat, & perſpicaciæ loco cæcum torporem ſufficiat. *Veniet ad illum diu felicem ſua portio. Quiſquis videtur dimiſſus eſſe, dilatus eſt.*

*Chaldæus. S. Hilar. in Pſal. 52.*

*Saluian. lib. 1. Gubern. Dei.*

4.

Iob 3. loquens de impiis flagitioſiſſimè ſceleratis, diuitiis, potentiâ, & felicitate diu inclytis; qui quaſi in ipſis à ſe floreret diuturna proſperitas, de eâ ſibi gratulabantur; ita fatur: *Ibi impii ceſſauerunt à tumultu*: (in ſepulcro inquam) *Et ibi quieuerunt feſſi robore.* Hoc poſterius hemiſtichion prioris explanatio eſt, vt inibi Pineda noſter contra Olympiodorum adnotauit. Sed quid eſt, quod impiè potentes, & diuturnâ potentiâ felices, *feſſi robore* dicuntur? Præ languore aut imbecillitate quis *feſſus* eſt; non præ robore vegeto, & vigore felici. Scitè Seneca: *Magnanimi*, inquit, *eſt magna contemnere, ac mediocria malle, quàm nimia. Illa enim vtilia vitaliaque ſunt: at hæc eo quo ſuperfluunt, nocent. Sic ſegetem nimia ſternit vbertas, ſic rami onere franguntur, ſic ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas. Idem animis quoque euenit, quos immoderata felicitas rumpit, quâ non tantum in aliorum iniuriam, ſed etiam in ſuam vertuntur.* Addit quaſi Chriſtiano cothurno commentaretur præfata Iobi verba, *Feſſi robore. Vt periculoſa eſt, ſecundum Hippocratem, ſummè bona corporis valetudo: ita rebus maximè proſperis, metuenda diuerſa fortuna.* Qui diu felici de proſperâ fortunâ gratulatur, propè eſt vt Dei prouidentiam neget: nam etſi fortuna aduerſa proſperæ ſuccedanea non ſit: (quod rariſſimum foret) tamen ipſa diuturna felicitas ſic in diu felicem toto proſperitatis pondere incumbit, vt à S. Iobo dicatur *feſſus robore, vt periculoſa eſt ſumma corporis valetudo.* Vel aliter, *Feſſi robore*: nam vt hic Philoſophus docet: *Languent per inertiam ſaginata, nec labore tantùm, ſed mole, & ipſo ſui onere deficiunt.*

*Iob 3. v. 17.*

*P. Pineda inibi.*

*Cur diu felix dicatur feſſus robore.*

*Senec. epiſt. 39.*

*Senec. l. de Prouid.*

5.

Malachiæ 2. ſic expoſtulat Propheta cum Hebræis aſtute impiis: *Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris, & dixiſtis: In quo fecimus laborare? in eo quod dicitis: Omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent: aut certè vbi eſt Deus iudicij?* Nimirùm qui impiè & garrulè blaterant, dicentes: Omnis qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent, cùm videamus eis proſperè cuncta cedere; ij certè Deum *laborare* faciunt, cùm eum otioſum & inertem fingant; & negatâ eius prouidentiâ, non putent eum eſſe *Deum iudicij*. Hi ſcilicet hâc falſatâ inaniter perſuaſione ſua ſcelera colorare præſumunt, dum garriunt, ſceleſtè felices *Deo placere*, ſiquidem illos Deus diu fortunatè felicitat. De his ſic tempeſtiuè fatur Saluianus de diuinâ prouidentiâ tractans: *Cùm vtique*, ait, *quicumque mali ſunt, ſucceſſu rerum deteriores fiant, gaudentes ſibi nequitiæ ſtudium benè cedere. Et ideò vel ob hoc ipſum miſerrimi eſſe debent, vt mali eſſe deſiſtant, vindicantes improbiſſimis quæſtionibus nomen religionis, & præferentes ad ſordidiſſimas negotiationes titulum ſanctitatis: quorum ſcilicet nequitiis ſi miſeria comparentur, minùs ſunt miſeri quàm merentur: quia in quibuſlibet miſeriis conſtituti, non ſunt tamen tam miſeri quàm mali.* Quid accommodatiùs? Prolixum foret ſingulas Saluiani ſententias ad rem expendere, obuiæ expenſioni iam peruias.

*Malach. 2. v. 17.*

*Impiè felices Deo inſultant, quòd nequitiæ ſtudium illis benè cedit.*

*Saluian. lib. 1. de Prouid.*

6.

Prouerbiorum 9. *Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior.* Variè hic locus à Patribus & expoſitoribus tentatur. Per *aquas furtiuas*, Veneris delicias intelligit Clemens Alexandrinus, cui poëtarum chorus modulatè concinit. Ambroſius vniuerſatim omnia voluptatum lenocinia commentatur. Gregorius verò doctrinam Hæreticorum in iſtiuſmodi aquâ agnoſcit. Et ſanè Hæreticorum & Philoſophorum, qui Hæreticis vicinantur, doctrinæ callidior dolus fuit, voluptatis dulcem felicitatem vtcumque coloneſtare, vel furtiuè mentito virtutis colore, vel negatæ prouidentiæ ſuffragio; ne vllus vindicis Dei metus felicitati obſtrepat, & omnigenæ voluptatis *aquam* turbaret. Appoſitè ad rem ſcripſit Lucretius Epicureus, *quòd perſuaſio infernum eſſe, aut vindicem Deum, nec vllam eſſe voluptatem liquidam puramque relinquit.* Nimirùm geminatum felicioris voluptatis elogium ab Epicureis philoſophis & hæreticis hîc traditur; nimirùm & quòd *furtiua*, & quòd *aqua liquida & pura ſit.* Profectò *furtiua* voluptas dulciùs ſapit; cuius rationem Hieronymus obrulit: *Quicquid enim*, inquit, *non licet, magis deſideratur: & quod raritate dulce eſt, aſſiduitate in amaritudinem vertitur.* Ergò voluptatis *aqua* ſit *furtiua*, id eſt, adeptu difficilis, vt gratiùs ſapiat. Sit etiam *liquida & pura*, ne eam *Dei vindicis* metus inquietet ac turbet, & turbulentâ concuſſione felicitatem ipſam infelicitet. Vndè impiè malitioſum Epicureorum ingenium, diuinam vindicis Dei prouidentiam ablegat, quò voluptatis *aquâ liquidâ & purâ* delicioſiùs potetur. Nempè quà *furtiua* eſt, nauſeam remouet; quà *liquida & pura*, abſque vllâ timoris perturbatione, aut conſcientiæ concuſſione, voluptas gratior, & felicior diu fortuna diuinam prouidentiam tollit, & vltrices

*Prouerb. 9. v. 17.*

*Clem. Alex. apud P. Salaz. ibidem. S. Ambr. l. 1. de Abel c. 4. S. Greg. 23. Moral. c 17.*

*Furtiua voluptas quare dulcior ſit.*

*Lucretius apud P. Lorin. in Pſal. 31. v. 1.*

*Vindicem Deum impij negant, quò voluptatis aquam liquidam puramque bibant.*

*S. Hierony. in Oſee 13.*

trices Dei itas ignorare affectat. quas tandem ſuo
Hic verſ. 11. &c. malo acerbiores tardè ſubibit. *Veniet ad illum diu felicem ſua portio. Quiſquis videtur dimiſſus eſſe: dilatus eſt.* Quod hîc oculis cernere in Amano licet.

7. Siſtitur coram Holoferne Iudith, Iudith inquam, Gratiarum manibus facta puella, ambitioſo ſumptuoſiùs ornatu eximiam venuſtatem mitè exaggerante. Placet Holoferni, placet & Perſarum principibus; oris elegantia, & ſermonis lepor, eos ſtupore defixit, & dicebant: *Non eſt talis mulier ſuper terram in aſpectu, & pulchritudine, & ſenſu verborum.* (Iudith. 11. v. 19. & 21.) Addit Holofernes: *Et tu in domo Nabuchodonoſor magna eris, & nomen tuum nominabitur in vniuerſâ terrâ.* O quàm Iudithæ fortuna adridet! quàm magna felicitas mulieribus vniuerſatim votis blanditur! Opinor, tantæ felicitatis pellaciam in oratione ante facinus nuncupatâ, repudiauit atque exarmauit, anteuertens illicij periculum. Sic enim in ſacco, & cinere volutata, nuper Deum ſupplex obſecrat: *Da mihi in animo conſtantiam, vt contemnam illum.* (Holofernem) *Erit enim hoc memoriale nominis tui, cùm manus feminæ abieceris eum.* (Iudith. 9. v. 14. & 15. Bibl. Gothica.) (ſic habent inibi Biblia Gothica) Scilicet Iudith anxiè timet blanditias felicitatis, aut blanditiarum periculum: cùm contra felicitatem ſe citiùs oratione obarmet, quàm clypeet aduerſus periculum. *Contemnere*, & *abiicere* Holofernem expetit; faciliùs reputans cum Holoferne pugnaciſſimo, quàm cum felicitate pugnare; Aſſyrias ſub Holoferne phalangas tot millibus armatas dettiumphare, quàm Nabuchodonoſoris & Holofernis adridentem glorioſè gratiam *contemnere, abiicereque.*

*Magna felicitatis fuit à felicitate Iuditham non vinci.*

Perbellè Auguſtinus Serm. 13. de Verb. Domini cap. 6. (S. Auguſt.) *Magnæ virtutis eſt*, inquit, *cum felicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne ipſa ſubuertat felicitas, magnæ inquam virtutis eſt cum felicitate luctari, magnæ felicitatis eſt à felicitate non vinci.* Putabas illuſtre huius Heroïnæ facinus in eo duntaxat conſiſtere, quòd feminam oblita, maſculum aſſumens robur, trucem omnibus Holofernem detruncauit? Attentiùs aduerte, quòd prius illum magnifica quæque munificentiùs & amantiùs ſpondentem *abiecit*, & *contempſit*, auſa cum felicitate luctari; & quòd magnæ felicitatis fuit, *à felicitate victa non eſt.* Exindè à felicitate non victa, & felicitate maior, ſemper felix, alternas humanæ felicitatis vices ignorauit; & tanquam Suorum gloria, exterorum ſemper admiratio, ſemper terror, exaciata diuturnitate viuendi, feliciter obiit, dulciſſimis ſpebus beatæ felicitatis æternùm fruendæ benè adipata; quare contemptu felicitatis felicitatem perpetuauit.

## §. CLV.

### *Gratior impiorum proſperitas, & illis adridens fortuna, calamitoſi infortunij minæ ſunt.*

1. Fortuna cùm blanditur, captatum venit: tam inſida eſt enim malorum felicitas, quàm ipſi. O vos malè felices, qui non intelligitis quàm alienum fortunæ veſtræ vultum geritis. Sicut plurimi quibus in foro, aut circo, aut theatro iucundè deſidentibus, iam funeſta domus eſt, nec annunciatum malum. At Deus ex alto deſpiciens, videt quæ tempeſtates, aut immineant vobis, paullò tradiùs ruptutæ nimbum ſuum, aut iam vicinæ vos ac veſtra tracturæ ſint, ſi propiùs acceſſerint. Quid porrò? nonne nunc quoque turbo quidam opes, voluptates, honoreſque veſtros rotat, & inuoluit fugientes, petenteſque eadem, nunc in ſublime alleuat, nunc ad infima collidit? Quod appellatis faſtigium, præcipitis lapſus minæ ſunt: quam dicitis felicitatem, meræ inſidiæ ſunt. Perſonata eſt mundialis fortuna, cui funeſtum ſubeſt infortunium. O, ne inuideris impio ſublimiſſimè fortunato, qui ſemper eminet ruinæ proximus! Hæc perſuaſio, ſi pectora noſtra altè occupet, arcanam Dei prouidentiam altiùs fundat, & ab humanis argutiis feliciter vendicat.

*Adridens blandè fortuna, funeſti infortunij augurium eſt.*

Opportunè S. Zeno Veronenſis infelicitates nunc Iudæorum ex priſtinis retrò felicitatibus ominatur: (S. Zeno ſer. 2. de Exod.) *Veruntamen Iudæe, quid monumentis tui criminis gratularis? Columna nubis te perduxit per diem, vt oſtenderet cæcum: Ignis columna per noctem, vt admoneret arſurum. Angelus præuius tua caſtra promouit, vt etiam præſenti Deo probareris ingratus. Per mare pedibus ambulaſti, vt patereris in terrâ naufragium. Ad hoc ſanè in eremo aquam de petra bibiſti, manna de cælo guſtaſti, vt cùm eſſes ad egeſtatem poſtmodùm deuolutus, præteritorum bonorum recordatione acriùs torquereris.* Ecce tibi infelicitas non dubiis characteribus, in ipsâ felicitate tranſparet.

*Iudæorum olim felicitas, dura infelicitatis minæ ſunt.*

2. Regius Vates Pſalm. 89. poſtquam multis oſtenderat, quàm ſit fugax humana vita, quamque fallax & fugitiua Principum felicitas, ſubdit: *Quis nouit poteſtatem iræ tuæ: & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* (Pſal. 89. v. 11.) Et quaſi rem denunciauerit intellectu arduam, & quam explorare difficilè foret, addit: *Dexteram tuam ſic notam fac: & eruditos corde in ſapientiâ.* Valdè fallor, niſi *dexteram ſuam* Deus indicauerit, cùm *poteſtatem iræ* ſuæ noſcendam obtulit: Audiendus eſt Hugo Carenſis, qui præſcripta Pſalmographi verba ſingulariter exponit: (Hugo ibi.) *Quis nouit poteſtatem iræ tuæ? id eſt, miſericordiam, quæ eſt poteſtas iræ Dei.* Sententioſè quidem quæ videtur *miſericordia* erga impios, ſi penitiùs rem explores, & *dexteram* Dei attentiùs pernoſcas, perſpicuè comperies non tam eſſe *miſericordiam*, quàm iræ diuinæ arcanam *poteſtatem*, quæ ſub felicitatis ſpecie, acerbioris iræ, & grauioris vindictæ aculeum rectiùs abſcondit. *Quis nouit poteſtatem iræ tuæ? id eſt,*

*Miſericordia erga impios iræ diuinæ poteſtas eſt.*

*id eſt, miſericordiam, qua eſt poteſtas iræ*, & grauiori vindictæ ſeueriùs præſidet. Nimirùm impiorum proſperitas, & gratior fortuna blandiùs arridens, diuina *miſericordia*, & largior indulgentia videtur; ſed reapſe ſic infortunio vicinatur, & in clamitatis confinio eſt, vt *poteſtas iræ* diuinæ nominetur, & ſeuerioris vindictæ præſes. O Deus, *dexteram tuam ſic notam fac*, vt humanas impiorum felicitates, tanquam iræ tuæ *poteſtatem* reputemus; & de cælo, imò de experientiâ edocti, inter calamitates Christiano cenſu *dinumeremus*: O aliquandò agnoſcamus, quòd quæ videtur Dei *miſericordia* erga impios, diuinæ *iræ poteſtas* eſt.

3. Lucæ 12. dixit Ieſus ad turbas: Cauete ab omni auaritiâ, quia non in abundantia cuiuſquam vita eius eſt ex his quæ poſſidet. Dixit autem ſimilitudinem ad illos, dicens: Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager attulit, & cogitabat intra ſe dicens: *Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos?* Et dixit: Hoc faciam, deſtruam horrea mea, & maiora faciam, & illùc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare. *Dixit autem illi Deus: Stulte, hâc nocte animam tuam repetent à te.* Profectò tot opes affatim congregatæ, accumulata vberiùs fortunæ bona, hunc fortunatè diuitem vſqueadeò non felicitant, vt cùm horrea crepabant præ copiâ conditorum, anxij, & præ ditâ egeſtate ſolliciti inopis voces depromantur. Pulchrè Baſilius: *Et cogitabat intra ſe, dicens: Quid faciam?* &c. *Conqueritur æquè pauperibus. an non quem premit inopia, dicit, Quid faciam? vndè victus? vndè calceamenta? talia & locuples profert.* O anguſtia ex ſacietate nata, abundantiæ ſoboles, & opulentiæ appendix. Dicens enim, *Quid faciam?* egenis ſe adæquat, & profectò indicat; quia votorum ſuorum vbere felicitate oppreſſus, egeſtatis iam anguſtias præſentiſcit. Sic opulentiæ inopia vicinatur! *Stultus* dicitur, quia in vbere diuitiarum felicitate latentem diuinæ iræ *poteſtatem* non agnoſcit. Item anima huius nequam diuitis non peti, ſed *repeti* dicitur, quia eam locuples felicitas priùs petierat, exorbuerat, poſſederat, & miſerè exanimem reddiderat: nunc verò improuiſa & inopinata mors eandem animam *repetit*, quâ eum funeſtè deſpoliat, & tanquam felicitatis ſuæ ſpolium extrahit, funeſtat, tumulat. O quàm parum diſtat ab extremâ infelicitate extrema felicitas!

[Margin: ... 12. v. ... & ...; ... ſer. ... eſt in ... locum.]

4 Siracides Eccleſiaſtici 9. diuinam Prouidentiam quandò immeritâ felicitate impios proſperat, his verbis ſententioſè vindicat: Non zeles gloriam & opes peccatoris: non enim ſcis quæ futura ſit illius ſubuerſio. *Non placeat tibi iniuria iniuſtorum; ſciens, quoniam vſque ad inferos non placebit impius.* Scilicet ne æmuleris opes, gloriam, & felicitatem impiorum, ſciens, quod vſque ad inferos non placebunt. Ibi enim placebunt in pœnâ, qui nunc diſplicuerunt in culpâ. (de quo aliàs) Poſterius huius ſententiæ hemiſtichium ſic extulit Syrus: Non placeat tibi iniuria iniuſtorum: *Recordare, quòd vſque ad mortem non vincit.* Quid? impius in hâc vita vincere adſuetus, poſt mortem etiam vincet? ecquem vincat morte, & inferno funeſtè victus? Græci codices pro τὸ *non placebit*, habent: *Non iuſtificabuntur impij vſque ad inferos.* Huic exceptioni ferè conſentiunt alij, qui ſic locum excribunt: *Memento, quòd impij vſque ad inferos non ſunt euaſuri pœnas.* Mirum ſanè eſt, quòd ſic de damnatorum cruciamentis apud inferos Salomon eloquatur. Forſan hoc peregrino loquendi modo adluditur ad impiorum in hâc vitâ proſperitatem, quæ ſic pœnas certò auguratur, pœniſque confinis eſt, vt cognato *pœnarum* nomine illam indigitet. Nimitùm Iuſtorum *beatas calamitates* (vt S. Zeno loquitur) vſqueadeo videt felicitati coniunctas, vt *calamitatum* aut *pœnarum* nomen deſueſcant, atque proſperitatis vocabulum induant; quia proſperitati vicinæ ſunt, illamque fauſtè ominantur. Vndè forſan ait: *Non zeles* (id eſt, ne inuideris) *gloriam & opes peccatoris*: gloria enim, & opulentia videntur, ſed de pœnarum confinio & augurio, meræ pœnæ ſunt, & pœnarum nomine dignæ. *Memento, quòd impij vſque ad inferos non ſunt euaſuri pœnas.* Nam ibi dum æterna cruciamenta ſubeunt, pœnaliſſimas huius vitæ proſperitates euaſerunt: & pœnali præſentis vitæ felicitati (quàm potiùs *pœnam* appellat,) cruciatus gehennalis ſuccedit. Nec mirum, ſi peregrino impaucis loco peregrina adhibeatur ethice commentatio. Et ſanè ſi Chriſtiano cenſu cenſura vibretur, huius mundi gloria, opulentia, & omnis eius felicitas, meritò appellari poteſt *pœna*, de pœnarum confinio, & augurio.

[Margin: ... Græcus.]

[Margin: Tranſlatio alia apud Cornelium ibi.]

[Margin: S. Zeno alibi expenſus. Exhod. 14. v. 29.]

Exodi 14. Hebræus populus ex Ægyptiacâ ſeruitute redux in Terram promiſſionis, miriſſimis prodigiis ſæpè proſperatur. Nam cùm Pharao validâ armatus manu, fugientes à tergo inſequeretur, *Filij Iſraël perrexerunt per medium ſicci maris, & aquæ eis erant quaſi pro muro à dextris, & à ſiniſtris: liberauitque Dominus in die illâ Iſraël de manu Ægyptiorum.* Ecquid boni exinceps non ſibi ſpondeat populus tantâ felicitate auctus? Verùm eorum proterua impietas ex hâc proſperitate grandiora infortunia augurari meruit. Quod Zeno Veronenſis his verbis luculenter ediſſerit: *Erithræum quoque*, inquit, *in geminas ripas medium ſciſſum mare, ductiſque dexterâ læuâque aggeribus, in aciem ſtipatis vndarum, ſaluo liquore, areſactam profundi in ſemet contra ſe obnixam, ſtupidam pependiſſe naturam; viam inter fluctus miſcuiſſe terrenam*: (Nota ſingulare & inopinatum indè Zenonis prognoſticum) *Quæ vtique non cæleſtis populi meritum, ſed terreni per orbem totum diſperſionis futuræ denunciabat exitium.* Quis peregrino Zenonis augurio crederet, niſi illius veritatem effectus comprobaret? Scilicet impiis vel proſperior è cælo felicitas, improſperas infelicitates ominatur. Adeò vt qui ſicco veſtigio ſoſpites mare calcant, peregrinum in terrâ patiantur naufragium: & qui aquarum hinc indè adaggerato ſtupore, Ægyptiacam iterùm ſeruitutem declinarunt; ipſa feliciter prodigioſa captiuitatis euaſio, *diſperſionis futuræ per orbem totum denunciaret exitium.* Eheu in ipſa proſperiori ſoſpitate, diſperſionis toto orbe futuræ exitium legitur! Sic in impiorum fortunâ infortunium futurum tranſlucet? 5.

[Margin: Soſpitas Hebrææ gentis, eius denunciabat exitium.]

[Margin: S.Zeno ſer. 6. de Exhod.]

Eccleſiaſt. 2. Salomon hactenus deliciis malè ſatur, iam benè pœnitens, ita ſcribit: Dixi ego in corde meo: Vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis. Et vidi quòd hoc quoque eſſet vanitas. *Riſum reputaui errorem: & gaudio dixi: Quid fruſtrà deciperis?* Quod delicias, ac *bona* 6.

[Margin: Eccle. 2. v. 2.]

*bona* dixerat, dum alliciebant; iam appellat *riſum*, id eſt, *bona & delicias* ridendas: & idcircò *errorem*. Eruditè obſeruat inibi Pineda, quòd in huius *erroris* proprietate exponendâ, mirè variant Interpretes: nam alij excribunt, *immoderationem, nimietatem, inſaniam, vociferationem, tumultum, circulationem, circumuagationem, effrenatam lætitiam*. Hiſpanienſes autem Hebræi ſic Hiſpanè exſcripſerunt: *Del riſo digo que es locura: è elque tiene alegria, non ſabe aquello que à de aconteçer*. Nempè qui *deliciarum*, aut mundialium bonorum poſſeſſione lætatur, quod ei mox accidet, ignorat. Ergò *error* hoc loco eſt à radice .חלל *Halal*, quod eſt voce, aut re aliâ externâ, vt lumine & ſplendore, lætitiæ & decoris ſigna publicè iactare, & in altum extollere, cum laudis alicuius aut gloriæ diuulgatione. O, errat quiſquis ſic lætanter ſe de felicitate iactat! Opportunè Minutius Felix in Octauio; *Niſi fortè*, inquit, *vos decipit, quod Deum neſcientes diuitiis affluant, honoribus floreant, polleant poteſtatibus; miſeri in hac altiùs attolluntur, vt decidant altiùs; hi enim vt victima ad ſupplicium ſaginantur, vt hoſtiæ ad pœnam coronantur*. Eheu hæc, hæc inquam ſunt diuitiarum, deliciarum, ac mundialium bonorum ſtipendia! Ergò felicitas reputanda eſt *error*, & errat quiſquis alicui de proſperitate blanditur; fallax eſt, ſubdola, mentita, & falſatæ ſemper fidei, dum infelicitatem apparatu glorioſo auguratur. Affluis diuitiis, & menſarum deliciis adiparis? ſed *vt victima ad ſupplicium ſaginaris*. Honoribus flores, & dignitatum gloriâ emines? *vt hoſtia ad pœnam coronaris*. Diuitias, delicias, & reliqua mundi bona, *errorem* puta. Benè monet Salomon, monentem ſequere: & in Amane oculis cerne, vnâ dieculâ felicem, & infelicem.

[Margin: Pineda Bibl. Hiſp. — *Qui putatur honoribus felix, vt hoſtia ad pœnam coronatur.* — Minut. Fel.]

---

## §. CLVI.

### *Addenſantur inuidiæ elogia, quæ Amani æmulam inuidentiam ſumptuoſiùs culpant.*

1\. Placidè fortunatus eſt, cui ſua ſine vllâ comparatione delectant. Nunquam erit felix, quem torquebit felicior. Minus habeo, quàm ſperaui: ſed fortaſsè plus ſperaui, quàm debui. Nulli ad aliena reſpiciens, ſua placent. Indè Deo quoque iraſcimur, quòd aliquis nos antecedat, obliti quantùm ſequatur à tergo ingentis inuidiæ. Tanta tamen importunitas hominum eſt, vt quamuis multum habeant, iniuriæ loco ſit, plus habere potuiſſe, aut alios plus habere. *Si nullos inimicos tibi parit iniuria, multos tamen inuidia.*

[Margin: *Nunquam erit felix quem torquet felicior.* — Publ. Mim.]

2\. Geneſeos 30. Cernens Rachel quòd infœcunda eſſet, *inuidit ſorori ſuæ*, & dixit Iacobo: Habeo famulam Balam: ingredere ad illam, vt pariat ſuper genua mea, & habeam ex illâ filios. Deditque illi Balam in coniugium: quæ ingreſſo ad ſe viro, concepit & peperit filium, quem appellauit Dan. Rurſumque Bala concipiens, peperit alterum, *Pro quo ait Rachel: Comparauit me Dominus cum ſorore meâ*. Sanctus Hieronymus in q. q. Hebraicis ſic locum excribit: *Et dixit Rachel. Habitare fecit me Deus habitatione cum ſorore meâ*. Alij, *conuerſari*. Quaſi dicat Rachel: Poſtquam liberos quodammodo habeo, iam poſſum cum fœcundâ Lia ſorore meâ *habitare*, & *conuerſari*. Sic eſt moleſtum infelici *habitare*, ſeu *conuerſari* cum felice? Sic Rachel in omnibus ſorori antelata, ægrè ferebat in aliquo ſuperari? Felicium inuidia, reliquis nil permittit? Nil hîc permittit Amani inuidia, innoxio religioſe Mardochæo, & reliquis vnà Iudæis; quibus nec impunè licuit eſſe pios.

[Margin: *Felicium inuidia, nil boni reliquis permittit.* — Geneſ. 30. v. 8. — S. Hieron. q. q. Hebrai. — Hic verſ. 13]

3\. Matthæi 13. *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro: quem qui inuenit homo abſcondit*, &c. Non conuenit inter expoſitores quid in hâc parabolâ *theſauri* nomine deſignetur. Sanctus Hieronymus cenſet eſſe Verbum Dei in carne abſconditum, vel Scripturam ſacram: Hilarius, Euangelij prædicationem: Gregorius, cæleſte deſiderium. Verum Theophilus Antiochenus ita præſcriptum locum exponit: *Theſaurus abſconditus in agro, gratia eſt in mundo miſſa. Ideò autem ait theſaurum abſconditum, quia non omnibus datur*. Gratia aliquibus conceſſa, & ceteris negata, *abſcondita* ſententioſè nominatur: nam prærogatiua, quam plures in ſe non vident, ſed in aliis; velut inuiſa eſt, quia illam videre, & intelligere nolunt. Cæca eſt inuidia ad videndam in aliis excellentiam, quâ caret. Simulat ſe non videre, ne illam teneatur agnoſcere, & in alio pulchram dotem ſuſpicere, quâ ipſe viduatur. Benè *abſcondita* dicitur, quam offuſcat inuidia, quam inuidia abſcondit, cæcat, obtenebrat. Mauult negare quod videt quàm ſuſpicere quod in ſe non videt. Gratiæ excellentia, *quia non omnibus datur*, *abſcondita* dicitur: quoniam eam vulgaris *abſcondit* inuidia.

[Margin: Matth. 13. v. 44. — *Prærogatiuâ aliquibus tantum conceſſam, communis inuidia abſcondit.* — Theoph. Antio. l. 1. Comm. in Euang.]

4\. Geneſeos 1. *In principio creauit Deus cælum & terram. Terra autem erat inanis & vacua*, &c. Satis perſpicuè docet Sacer Hiſtoricus, quòd cælum terra non eſt, dum vtriuſque creationem ſigillatim expreſſit. Quin & cælo opificij primatum tribuit, dum poſt cælum, terram fuiſſe creatam diſertè tradit. Sed quare ſtatim poſt creationem, terram vituperiis onerat, aiens, *Terra autem erat inanis & vacua?* An non ſatis deuenuſtata tunc erat terra, & præſentiâ nobilioris cæli, & illius ſublimitate, & ſuâ infinitiſſimâ depreſſione: Quid tam impensè Moyſes ſtudet, terram dehoneſtare? An vt ſuam vilitatem agnoſcens, æmulationem cum cælo deponat, deſinatque ſublimiori naturæ, de vilitatis ſuæ genio ambitioſiùs inuidere! Vide nunc quid terrigenæ ſapientes de terâ cæloque nihilominùs ſenſerint, quod eruditè tradit Clemens Alexandrinus ſic ad rem fatus: *Pythagoræi cælum appellant ἀντίχθονα, hoc eſt, terram ex aduerſo ſitam*. Sic terræ filij de arroganter inuidioſo infimiſſimæ terræ ingenio, aduerſus prænobilem cæli ſublimitatem ſapiunt! Scilicet parùm foret, quòd terra cælo adæquari præſumat, & de terrenâ ſecum naturâ cælum arroganter ſugillet, niſi etiam ſibi *aduerſari* publicet, de inuidioſo æmulationis genio. Sic eſt enim inuidia malitioſè cæca, vt quicquid excellit, ſibi *aduerſari* putet: quaſi ſublimior præſtantia, ad illi detrahendum inſtiget, ac ſi hoſtilitatem cum infimioribus gerat. O inuidiæ præſtigias! imbonitas bonitatis auerſatrix, *aduerſatrixque* eſt, & immerita ſugillatio. O, has inuidentiæ inſidias vt benè caueas, ſollertiùs prænoſce! Porrò, vt ſapienter dixit Cyrillus, *Cùm odis*

[Margin: Gen. 1. v. 1 — *Cur terrigenæ putauerint, cælum eſſe terram ex aduerſo ſitâ.* — Clem. Alex. 5. Strom. c. 7. — *Inuidia hoſti tantè cum bono geris.* — S. Cyrill. l. 2. Apol. moral. c. 29.]

*odis inuidentiâ quempiam propter bonum, iam principaliter ipſius hoſtis eſt boni.* Quid tam abſurdè peruerſum, quàm hoſtilitatem cum bono gerere?

5\. Ioannis 1. quomodo Dei Filius de Patris mente ab æterno generatus ſit, dementis audaciæ eſt humano cenſu opinari; namque humanis vocabulis temperat ſe Dei Filius Deo Patri æqualis, ne æternæ maieſtatis Dominum, mundi iſtius mediocritas cognoſcendo ſuſtinere non valeat: *In principio*, inquit, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum .... Omnia per ipſum facta ſunt.* Æternam diuini Verbi generationem, hæc Ioannis verba elucidans Zeno Veronenſis alto ſtilo prodit: *Ineffabilis*, inquit, *illa virtus, incomprehenſibiliſque ſapientia è regione cordis eructat Verbum: omnipotentia ſe propagat. De Deo naſcitur Deus, totum Patris habens, nil derogans Patri, alter retinet in altero: cuius gloria, communis eſt honor: quia quod eſt Filij, Patris eſt, quod Patris amborum. Lætatur Pater in alio ſe, quem genuit ex ſe.* Profundè dicitur, quòd Pater *lætatur* in Verbi ſibi æqualis productione, videns in eo totam ſuam perfectionem reciprocari; ne mundi mediocritas (diuina ex humanis taxare adſueta) ſummæ Verbi perfectioni Pater Deus inuidiſſe putetur. Exindè vt humanas inuidiæ ſuſpiciones excutiat conſultiùs addit: *Totum Patris habens, nil derogans Patri.* Porrò inter homines, perfectio quæ quibuſdam ineſt, aliis derogare videtur: indè de ambitionis genio inſtigata hominum inuidia, alienæ perfectioni detrahere feſtinat, quaſi de alienâ bonitate imbonus quiſque ſit, & de aliorum felicitate infelix cenſeatur, & aliena ornamenta honori ſuo clanculùm inſidientur. Ergò Veronenſis Zeno æternam Verbi generationem luculenter exponens, inſimul humanas inuidentiæ ſuſpiciones excuſſit, inuidiæ incentiuum à Deo procul ablegans: *De Deo naſcitur Deus, totum Patris habens, nil derogans Patri; cuius gloria, communis eſt honor: quia quod eſt Filij, Patris eſt: quod Patris amborum.* Indè non tabeſcit inuidia, de alterius præſtantiâ humanitùs inſtigata. Sed potius *lætatur Pater in alio ſe, quem genuit ex ſe.*

*Ioan. 1. v. 1.*

*S. Zeno ſer. de æterna Filij Dei gen.*

*Totum to[...] Patris [...] cur nil deroget Patri.*

6\. Numerorum 11. Moyſes principando defeſſus, in regimine coadiutores à Deo impetrat. Et dixit Dominus ad Moyſen: Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſraël, & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum, vt deſcendam & loquar tibi: *Et auferam de Spiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi.* Adeò ne auarus eſt Deus Spiritus communicandi, quòd à Moyſe *auferendus* ſit, vt aliis donetur? Benefica Dei omnipotentia ſic præbendo Moyſi Spiritum, exhauſta atque effœta eſt, vt *auferendus* ſit à Moyſe ſpiritus, quo alij donentur? Quid eſt, *Auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis?* Et ſanè, (vt benè inibi Abulenſis addubitat) *Cur non dixit Deus: Dabo de ſpiritu meo?* Reſpondet ad thema præſens opportunè: *Propter honorem Moyſis, ne alicui inuideret.* Nimirùm ſi Moyſes videret, quòd Deus de Spiritu ſuo hoſce ſeptuaginta ſeniores largè muneraret, congruumque numeroſo populo gubernando ſpiritum largiretur; illis forſan opulentam Dei gratiam inuideret; quò valdè dehoneſtaretur Moyſes. Nemo enim ſine ſuo probro inuidet, nam qui inuidet minor eſt. Conſultiſſimè ergò Deus ſui Moyſis honori conſulens, inuidiæ occaſiunculas præcidit. Satius enim fore ſibi Moyſes putaret, partem ſui ſpiritus à ſe *auferri*, quàm alios diuinâ manu largius muneratos aſpicere. Mauult de aliquâ ſui ſpiritus *ablatione* vbertatem aliorum gratiam redimere, & à ſe *auferri* ſpiritum, qui aliis *tradatur*; quàm alios opulentioris regiminis gratiâ exundantes aſpicere. Vndè ad humanam naturam alienæ gloriæ auaram, aſpiciens Deus, non dixit, *Dabo de ſpiritu meo*; ſed potiùs adſpectu ad humanam imbecillitatem, *Auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, propter honorem Moyſis, ne alicui inuideret.* Hæc autem Abulenſis verba conceptuum grauida, ad alia aliorsùm themata enucleatiùs emedullanda ſuperſunt.

*Numer. 11. v. 17.*

*[...] Spiritu [...] ibi. q. 43.*

Sanctus Cyprianus in ſer. de Zelo & liuore, ſic de Inuidiâ fatur: Qualis verò eſt (inquit) animi tinea, aut quæ cogitationum tabes pectoris, zelare in altero vel virtutem eius, vel felicitatem, id eſt, odiſſe in eo vel merita propria, vel beneficia diuina, *in malum proprium bona aliena conuertere*, illuſtrium proſperitate torqueri, aliorum gloriam facere ſuam pœnam, & velut quoſdam pectori ſuo admouere carnifices, cogitationibus & ſenſibus ſuis adhibere tortores, qui ſe inteſtinis cruciatibus lacerent, qui cordis ſecreta maleuolentiæ vngulis pulſent.... Mala cetera habent terminum, & quodcumque delinquitur, delicti conſummatione finitur: in adultero ceſſat facinus perpetrato ſtupro: in latrone conquieſcit ſcelus homicidio admiſſo, &c. *Zelus terminum non habet, permanens iugiter malum, & ſine fine peccatum eſt.* Et poſt pauca: *Perſeuerans malum eſt, hominem perſequi ad Dei gratiam pertinentem: calamitas ſine remedio eſt, odiſſe felicem.* 7.

*S. Cypr. de zelo & liuoris ante medium.*

*Adglomerin ut non bona inuidia elogia.*

Sanctus Cyrillus Alex. lib. 2 Apologorum Moralium, cap. 29. cui titulus, *Contra inuidos*, ita ſcribit: *Verùm cùm odis inuidentiâ quempiam propter bonum, iam principaliter ipſius hoſtis es boni: quoniam cuius gratiâ eſt vnumquodque, at illud magis.* Quid tam monſtroſum, & rationi deforme, quàm vt homo ratione præditus, bonum auerſetur, & bonitatem de ſe amabilem inuidioſo proſequatur odio? Matthæi 9. deſperatæ ſanitatis paralytico dixit Chriſtus verbo omnipotente: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam.* Profectò ad miraculi demonſtrationem, ſatis eſſet, vt paralyticus ad Chriſti vocem excuſſâ paralyſi, è lecto ſurgeret, & coràm ipſe pedibus ſuis ambularet. Quid ergò neceſſe fuit, vt paralyticus confeſtim ſe conferret in domum ſuam? Quorsùm de paralytici occurſu, publicatio miraculi interdicitur, & frequens recuperatæ ſalutis gratulatio? Parùm hoc, niſi notaſſet etiam Euangeliſta, quòd ſanato paralytico, *cùm tranſiret inde Ieſus*, vidit, &c. Quæ verba ſic ad rem inibi expendit Chryſoſtomus: *Cùm Chriſtus*, inquit, *feciſſet miraculum, non permanſit in eodem loco, ne Iudæorum zelum accenderet ampliorem.* Nimirùm ille qui largiùs benefacit, confeſtim tranſit indè, & ne permaneat in loco vbi beneficentiam exhibuit, ſe à præſentiâ ſpectatorum abſentat: ille qui beneficium accepit, inopinatæ ſalutis munere auctus, domi ſuæ conſultiſſimè recluditur; & vterque inuidiæ oculos cautè declinat, *ne Iudæorum zelum accenderet ampliorem.* Sic inuidia nec bono dandi, nec accipiendi bono parcit; vtrumque infenſiſſimo odio proſequitur, agnatâ alieni boni hoſtilitate. O viderit inuidus, *quòd cùm odit inuidentiâ quempiam propter bonum, iam principaliter ipſius hoſtis eſt boni.* O, quid nocentius? 8.

*S. Cyrill. l. 2. Apolog.*

*Matt. 9. v. 6. & 7 & 9.*

*Inuidus monſtroſus eſt boni hoſtis.*

*S. Chryſ. homil. 31. in Matth.*

9. Iacobi 3. *Quòd ſi zelum amarum habetis,*
Iacobi 3. v. 14. *& contentiones ſint in cordibus veſtris, nolite gloriari, & mendaces eſſe aduersùs veritatem.* Profectò zelus dulcis eſt beneuola charitas, à quâ Simon Chananæus cognominatus eſt Zelotes; *Zelus* autem *amarus* eſt inuidia: viſcera de alieno bono corrodens. Peracerbam inuidiæ amaritudinem, his verbis tradit S. Gregorius Nazianzenus Orat. 17. *Solus ex omnibus affectibus,* inquit, *iniquiſſimus ſimul & æquiſſimus eſt inuidia: iniquiſſimus, quia bonis omnibus aduerſus eſt: æquiſſimus, quia dominos ſuos exeſt, & conficit.* Hanc etiam inuidiæ amaritudinem exponit Chryſologus Serm. 172. ita fatus *Inuidia ſuorum carnifex ſemper extitit: extendit ſenſus, torquet animos, diſcruciat mentes, corda corrumpit. Quid plura? Hanc qui receperit, ſua ſuſtinet ſine fine ſupplicia: quia in ſe domeſticum ſemper diligit habere tortorem. Quis ibi malorum finis, vbi alterius bonum pœna eſt? vbi cruciatus eſt aliena felicitas?* Multas hîc Chryſologus ſententias addenſat pro liuidâ zeli amaritudine, quas cuique emedullare obuium eſt, & facile parabile.

*Non bona inuidia eloġia addenſantur.*

S. Nazianz.

S. Chryſol.

---

## §. CLVII.

### *Non præceps paſſione ſcelus, ſed præmeditata conſilioſè malitia, criminoſior cenſetur, & conſilij ſuffragio ſceleroſior.*

1. Conſultioris prudentiæ cenſu, ſubita omnia probantur incauta, quoniam aut maturum rationis iudicium anteuertunt, aut ſaltem quantum oportet, non expectant: ſiue quia affectum illecebris, aut libidinum præſtigiis, aut voluptatis lenocinio, aut concupiſcentiæ impetu præcipitatur conſilium, & feſtinatò negotium peragitur. Verùm, vt ſcitè dixit Seneca: *Ad pœnitendum properat, citò qui iudicat.* Exindè quantò quis de acceleratione, inconſulti ſceleris reus eſt apud prudentiæ tribunal, tantò magis excuſatur à flagitioſioris malitiæ cenſu adeò vt vndè credi poterat ſeuerius damnari, indè veniæ proximus inueniatur. Nam vbi deferbuit paſſionis æſtus, mens tranquillatur, & meliora ſapit. Quare Pœnitentia dicitur, *Tarda cogitatio:* quæ ſi citò ſubiret, innocentia pœnitentiam anteuerteret. Vndè malitia, quæ non derepentè erumpit, ſed ex præconſiliato venit, & nocentior & flagitioſior eſt, tardioremque veniam inuenit. Hinc dixit Paullinus: *Criminoſius eſt peccatum excogitare, quàm facere.*

*Ad pœnitentiam properat, qui conſilium præcipitat.*

Seneca in Prouerb.

Clem. Alex.

S Paullinus aliàs expenſus.

2. Geneſeos 11. in rudi illo ſceleroſiùs æuo, poſt diluuium ad flagitia audaciſſimo, homines mutuò ad malitiam arroganter conſpirarunt, dicentes: Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomen noſtrum. Deſcendit autem Dominus vt videret ciuitatam & turrim, quam ædificabant filij *Adam*, & dixit: *Ecce vnus eſt populus.... cœperuntque hoc facere, nec diſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant. Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi,* &c. Præcelſam ac turritam arcem, quattuor millia iam paſſus altam, *cogitationem* vocat? quare non potiùs ferè abſolutum opus appellat? An quia incœptum opus, & non abſolutum, non operis, ſed meræ *cogitationis* meretur elogium? Plena ac perfecta operis executio, opus dicitur; inchoatio autem operis, non opus inceptum, ſed *cogitatum* appellatur. Vel aliter ad rem præſentem opportunè hunc locum Chryſoſtomus exponit, ita fatus: *Cœperunt hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis,* &c. *Ecce quomodo monſtrauit malitiæ eorum excellentiam.* Nimirùm inſignis malitiæ *excellentia* eſt, cùm facinus altè *cogitatum*, conſultè meditatum, atque ex condicto patratum eſt. Cùm ſcelus ob meditatæ malitiæ *excellentiam*, *cogitationis* nomine deſignatur, tunc, tunc quidem eius pàtratores, non homines, ſed *filij Adam*, propter malitiæ præſtantiam nominantur: atque vt meditatum eorum ſcelus inhibeat, quaſi inito conſilio, ait: *Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi,* &c. Tanta eſt malitiæ præconſiliatæ *excellentia*? Cuius *excellentiæ* nunc reus eſt Aman, qui enormius cruentè ſcelus præconſiliato familiàrium iudicio flagitioſiùs decernit. Si temerarius fuiſſet vltor, minùs deliquiſſet. Hic verſ. 14.

*Opus non cõſummatum, cogitationo mera dicitur. quo ſenſu.*

Geneſ. 11. v. 6.

*Præconſiliata malitia excellentior eſt.*

S. Chryſoſt. ibidem.

3. 3. Regum 15. loquens ſacer Hiſtoricus de Abiâ ait cor eius non fuiſſe perfectum cum Deo ſuo, ſicut cor Dauid patris eius; ideóque habuiſſe maſculam ſobolem, quæ regnaret in Iſraël: *Eò quòd feciſſet Dauid rectum in oculis Domini, & non declinaſſet ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Vriæ Hethæi.* Pugnacior hinc inter expoſitores lis exurgit, quam nemo hactenùs compoſuit, quomodo dicatur Dauid nunquam declinaſſe à præceptis Domini, exceptâ Vriæ cæde? *Quæritur* (ait Abulenſis) *quomodò ſit verum, quod in hoc ſolo declinauerit, quia etiam adulteratus eſt cum Bethſabee, & iſtud fuit præter mortem Vriæ: etiam numerauit populum, in quo peccauit: dedit quoque medietatem poſſeſſionis Miphiboſeth filij Ionathæ, Sibæ ſeruo eius, & tamen erat innocens Miphiboſeth: interdùm etiam commiſit alia ſimilia.* quæ hic prolixè pariter ac ſcrupuloſè commentatores adaggerant. Communis interpretum ſolutio eſt, quam paucis verbis ſtringit Hugo Carenſis, aiens: *Verum eſt, in hîs peccauit Dauid, & in multis aliis; ſed hæc tacuit, quia non ſunt ita enormia peccata ſicut hæc de Vriâ.* Quid? enorme aliquod ſcelus ſic attenuat reliqua peccata alioqui grauia, vt diſpareant, & propè non imputentur? Num adulterium cum Bethſabee, & paratum Nabalis excidium, reatu carent, quia Vriæ cædes enormius flagitium eſt? (Sed de hoc aliàs, vbi hæc doctrina ſaniori ſenſu mitigatur.) Sanctius verò eruditè verſatili ingenio, multa inibi tentat, nec implexam difficultatem extricat. Forſan ait Sacer Hiſtoricus, quòd Dauid *non declinauit ab omnibus quæ præceperat ei Dominus cunctis diebus vitæ, excepto ſermone Vriæ*; non quia in his peccatis, quæ tanquam grauia illi imputantur, grauiter non deliquerit; ſed quoniam cædes Vriæ diu meditata, & altâ mente præconſiliata fuit. Adulterium autem, exæſtuans libidinis feruor, & nudæ pulchritudinis ſubitò ſpectatæ blandimentum; & paratas Nabali ſtrages, furor derepentè conceptus, etſi à peccato non excuſant, illius reatum

3. Reg. 15. v. 5.

2. Reg. c. 24. 2. Reg c. 19.

*Vbi enormius narratur ſcelus, minora non apparere videntur.*

Hugo ibi.

Sanct. ibi.

*Cur Dauid dicatur non declinaſſe à Dei Præceptis, exceptâ Vriæ cæde.*

reatum extenuant. At ſcelus occiſi Vriæ diu meditatum, callidè inuentum, conſilij diuturnitate moroſum, & quod præconſiliata diuturnitas non excuſſit, enormiſſimum eſt, & obſtinationi ferè confine. Porrò repentina omnia probantur incauta: at malitia, in quam ſubitus libidinis feruor, aut vltionis furor deſpumauit, quia veniæ propiùs vicinatur, ideò forſan ab Hiſtorico ſacro moraliſſimâ taciturnitate ſiletur. quò diſcamus & Scripturam dum tacet audire, & dum loquitur erudiri. Conſule infrà dicenda hîc numero ſexto.

4. Matth. 9. v. 3. & 4. Matthæi 9. Ecce offerebant Chriſto Domino paralyticum iacentum in lecto. Et videns fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat. Et cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Non conuenit inter Expoſitores, an Scribæ (quibus nihil tam volupe erat, quàm de Chriſti factis maledicè garrire) inter ſe voce remiſsâ obloquendo muſſitarint; an in cordis arcano, & abditæ cogitationis ſilentio murmurauerint. τὸ *intra ſe*, Græcè ἐν ἑαυτοῖς, apud ſapientiſſimum Maldonatum; *Quidam interpretantur, Inter ſe, quaſi inter ſe alij cum aliis de Chriſti facto murmurarent.* Et ſanè miriſſimum eſt, quòd Chriſtus Deus quaſi negligeret externam oblocutionem, in quam Scribæ derepentè erumperunt, eorum *cogitationes* arguat, refutet, reprehendat. *Et cùm vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Et, vt notauit inibi Caietanus: *Cogitationes omnes Scribarum confutat.* Propè negligit verba, quæ Scribæ *inter ſe alij cum aliis de Chriſti facto murmurabant*, & ad eorum *cogitationes* attendit, illas arguit, illas confutat, illaſque acerbè reprehendit? *Cogitationes* exertè culpat qui maliloquium perſpicuè audit? Omittit quæ maledicè *inter ſe* loquuntur, & ſeuerè carpit quæ *intra ſe* animitùs cogitant? Ita quidem. & meritò *cogitationes omnes Scribarum confutat.* Nam detractio illa, audito derepentè hactenùs, inaudito verbo *remittendi peccata*, incauto impetu foràs maledicè erupit, quam conſilioſa *cogitatio* emendare confeſtim debuit. Aſt ſera poſtmodùm *cogitatio* primum impetum ſubſecuta, & quæ inuidioſum diu odium eructat, & blaſphemiæ cenſuram malitioſè fundat; illa, illa inquam, imprimis *confutanda* erat, quaſi de inueteratâ nequitiâ flagitioſior, & de malitioſo perdiu rancore ſceleroſior, & de præmeditatâ malitiâ nequior. Exindè impudenti detractione patienter auditâ, *cogitationes omnes Scribarum confutat.*

Maldonat. ibi.

Caiet. inibi.

*Quare Chriſtus detractionem audiens, cogitationes Scribarum confutat?*

5. Geneſ. 6. v. 5. Geneſeos 6. de ſceleroſiſſimis enormiter flagitiis, quæ grande illud eluuionis ſupplicium meruerunt, ita ſcribit Moyſes: *Videns autem Deus quòd multa malitia hominum eſſet in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem feciſſet in terrâ.* Et tactus dolore cordis intrinſecùs, Delebo, inquit, hominem, quem creaui, à facie terræ, ab homine vſque ad animantia, à reptili vſque ad volucres cæli, pœnitet enim me feciſſe eos. Tantæne animis cæleſtibus iræ? Ecquod fuit tam enorme ſceleroſiùs flagitium, quod ſic Deum commouit, vt ad miſeram creaturarum ruinam impulerit? Luculenter inibi Chryſoſtomus: *Verbum, Cogitat, multum habet momenti. Non enim ex ſubreptione hoc illis accidit, ſed ex corde cogitant, & hac per ſingulas horas voluunt, in hac ſtudium ſuum collocant. Et neque ſemel & iterùm, vel fortuitò ſupplantati à peccato, à malitiâ ſibi temperaut, ſed diligenter eam exercent, & mala operantur: hoc eſt, magno ſtudio, nihil obiter, nihil negligenter ab eis fit.* Itaque tunc, tunc quidem Deus tactus dolore cordis intrinſecùs dicitur, tunc hominis efformati pœnitentiam agere perhibetur, tunc inopinato feraliſſimæ eluuionis naufragio terras obruit, & cum hominibus animantes inuoluit, quandò *cuncta cogitatio cordis intenta ad malum* peruidetur: quandò non *ex ſubreptione* peccant, ſed corde intentiùs *cogitant* ad peccandum, & in hæc *ſtudium* collocant. O quantum malitiæ ſubeſt his verbis, *Cogitant, Student!*

*Diluuium promeruit cogitata malitia, & illorum ſtudium.*

S. Chryſoſt. homil 22. in Geneſ.

*P. Didac; Celada in Eſtherem.*

6. 2. Regum 12. Nathan propheta Dei nomine, his verbis ſcelus commiſſum Dauidi exprobrat: Quare ergò contempſiſti verbum Domini vt faceres malum in conſpectu meo? *Vriam Hethæum percuſſiſti gladio, & vxorem illius accepiſti in vxorem tibi . . . . Quam ob rem non recedet gladius de domo tuâ vſque in ſempiternum, eo quòd deſpexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt eſſet vxor tua.* Ecquod nam eſt peccatum in eo quod Bethſabeam coniuge defuncto, in vxorem acceperit? Adulterium tacet, & connubium exprobrat? Rem indubiè licitam, tanto verborum apparatu vitio vertit, & de acerbioris ſupplicij reatu condemnat? Profectò licet in illius coniugio nullum videatur interceſſiſſe peccatum, quia iam erat à coniuge viduata Bethſabee, neque lex ab altero connubio repellebat; tamen aliquid erat quod in eo connubio etiam legitimo (ait inibi Sanctius) Dominus probabat minùs, imò & apertè condemnabat. Neque enim vt eſt communis Interpretum ſenſus, à ſuo ſcelere reſipuerat Dauid, neque priorem cogitationem, neque impuræ voluptatis ſtudium abiecerat. Quare licet poſt illud tempus non accederet ad alienam; non tamen alienus erat ab effectu priori. Exindè adulterium, quod repentino libidinis impetu commiſſum eſt, moraliſſimè ſiletur; & connubium etſi legitimum, ob moroſiùs reſiduum luxuriandi affectum, Dauidi exprobrat. *Tacite*, ait Theodoretus, *ſignificat oratio, quòd Deus magis ſuccenſuit ob matrimonium, quàm ob prius commiſſum adulterium. Nam illud quidem erat vehementiſſimæ cupiditatis, quæ rationi torporem induxerat; hoc autem habet etiam aſſenſum rationis, quem poſt iniquam cædem oportebat lamentari, ac lugere, non nefario aſſentiri matrimonio.* Itaque Theodoretus hoc matrimonium, ſeu matrimonialem vſum domnari dicit à Deo potiùs, quàm priorem, qui fuit adulterinus; quia hic à libidinis affectu primùm erupit, qui præceps eſt, conſilium infuſcat, & mentum enecat: ille magis iam pacatus & liber probare videtur & continuare, quæ cæcus amenſque ſuſceperat. Indè Propheta adulterium libidine præceps omittit, & connubium peracerbè exprobrat.

2. Reg. 12. v. 9. & 10.

*Quare Nathan, non adulterium ſed legitimum connubium, Dauidi exprobret?*

Sanctius ibi.

Theod ibi. q. 25. poſt medium.

## §. CLVIII.

*Vitium quod per conſuetudinem in mores abit, propè incurabile cenſetur: adeò vt eius curatio, cauillatio nominetur.*

1. Seneca epi. 39.

QVis hoſtis in quemquam tam contumelioſus fuit, quàm in quoſdam voluptates ſuæ ſunt, quorum impotentiæ atque inſanæ libidini ob hoc vnum poſſis ignoſcere, quòd quæ fecere patiuntur. Nec immeritò hic illos furor vexat. Neceſse eſt enim in immenſum exeat cupiditas, quæ naturalem modum tranſiliit. Ille enim habet ſuum finem; inania, & ex libidine orta ſine termino ſunt. Neceſſaria metitur vtilitas, ſuperuacua quò redigis? *Voluptatibus vtique ſe mergunt, quibus in conſuetudine adductis carere non poſſunt; & ob hoc miſerrimi ſunt, quòd eò peruenerunt, vt illis quæ ſuperuacua fuerant, facta ſint neceſſaria. Seruiunt vtique voluptatibus ſuis, non fruuntur, & mala ſua (quod malorum vltimum eſt) amant. Tunc autem conſummata eſt infelicitas, vbi turpia non ſolum delectant, ſed etiam placent: & deſinit eſſe remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores ſunt.* Aurea quidem Senecæ verba. Sic Aman etiam vbi conſilioſè agere videtur, cognatam ſibi malitiam ſapit: quia quæ in illo fuerant vitia, mores ſunt.

*Ne vitia per conſuetudinem in mores abeant.*

Hic verſ. 14.

2. Eccli. 10. v. 11. & 12. Tigurina. Græcus. Bib. Sixt.

Siracides Eccleſiaſtici 10. *Languor prolixior grauat medicum. Breuem languorem præcidit medicus.* Tigurina ſic locum excribit: *Morbus pertinax medico grauis eſt. Tenacem morbum præcidit medicus.* Græci nunc codices ita habent: *Longum* vel *tenacem incidit* vel *ſecat medicus.* Biblia Sixtiana breniculè, ſed moraliſſimè hanc Siracidis ſententiam expreſſerunt: *Prolixum languorem cauillatur,* medicus inquam. Quis eſt iſte *longus, prolixus, & tenax morbus*, quem medicus dum curare intentat, *cauillari* dicitur? O nouos in re medicâ cauillos! Opinor, cauilli non ad Æſculapium, ſed ad Ariſtotelem; non ad medicos, ſed ad rabulas, & ſophiſtas, & ſubdolos irriſores aut ſubſannatores ſpectant. Nimirùm in re ethicâ *longus, prolixus, & tenax morbus* eſt illud corporis aut animi vitium, quod in mores conſuetudine abiit, & multi temporis ſuffragio tenaciſſimè hæret, & callos diuturnitate obduxit. dum ergò morum peritus medicus, hoc obſtinatum prolixâ diuturnitate vitium curare ſatagit, planè *cauillatur.* Eſt autem *cauillari*, irridere, dolo iocari. Vnde *cauillatio* eſt arguta irriſio: facetè ergò iocatur medicus, qui huiuſmodi morbo mederi præſumit. Quin & *cauillatio* apud Iuriſconſultos eſt ſubdola ratio, quam conſcij nobis mendacij, vincendi tamen cauſsâ proferimus. In re etiam dialecticâ, Sophiſtarum argutiæ, ſeu argutus elenchus ad fallendum artificioſè compoſitus, *cauillatio* nominatur. Sic morum medicus, qui *longum, prolixum, & tenacem morbum* curare intentat, moraliſſimè *cauillari* perhibetur.

*Qui morum languorem diuturnitate prolixum curare præſumit, cauillatur.*

3. 2. Regum 12. perpetratâ Vriæ cæde, adulterij appendice, hanc parabolam Nathan propheta in Dauidis aures iactauit: Duo viri erant in ciuitate vnâ, vnus diues, & alter pauper. Diues habebat oues, & boues plurimos valde. Pauper autem nihil habebat omninò, præter vnam ouem paruulam. *Cùm autem peregrinus quidam veniſſet ad diuitem, parcens ille ſumere de ouibus & bobus ſuis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi qui venerat ad ſe, tulit ouem viri pauperis.* Non conuenit inter expoſitores, quiſnam ſit iſte qui tamquam *peregrinus* inducitur, & quare *peregrini* vocabulo nuncupetur. Sanctius putat, quòd hic hoſpes peregrinus, cui comedendam obtulit alienam ouem, fuit libido, & pruriens appetitus intemperantis concupiſcentiæ. *Eſt autem affectus ille immoderatus & præceps, peregrinus ab eo, qui ſer͞uo eſt inunctus oleo, & rei prapoſitus publicæ, qui domi ſecum Arcam habebat Domini*, quæ potiùs Dei domus vocari poterat, à quâ omnis abeſſe turpitudo debuit, & opus omne à ſanctitate peregrinum. Aliter philoſophatur Theodoretus in reddendâ cauſsâ, quare *peregrini* nomine inducatur libido Dauidis, ſic fatus: *Viatorem enim vocauit malam cupiditatem, vt quæ nunc ad hunc, nunc ad illum veniat. Hoſpitam autem rurſus eam vocauit, vt quæ Dauidi fuerat inſolita, & nondum cognita. hoc enim effecit vt ipſe conſequeretur veniam. Non enim in malis ſtudiis & inſtitutis fuerat educatus.* Itaque litteraliſſimè pariter ac moraliſſimè Theodoretus, cupiditatem, quam Vulgatus *peregrinum* appellat, *Viatorem* vocat, quippè *quæ nunc ad hunc, nunc ad illum veniat.* Porrò libido quæ vniuerſatim inquilina eſt, & quæ non velut indigena, ſed tanquam aduena & peregrina, nunc ad hunc, nunc ad illum venit, & omnium indifferenter continentiam velut fortuitò, & cognato naturæ fomite pulſat, exprompṫam ſanitatem inuenit. Vndè ſtatim à Propheta audit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Porrò peregrinam & hoſpitam libidinem vocauit, quæ Dauidi in bonis ſtudiis & inſtitutis educato, *fuerat inſolita.* Ne ergò reconſueſcat vitium, & tamquam indigena in te habitet, abeat in mores, & quaſi in illam naturam ſenſim inoleſcat. Si ergò (heu humanum dico!) ad te venerit, adſit vt *viator*, moleſtè admittendus, & quantocycùs dimittendus, & tamquam aduena in te peregrinetur: inquilinum puta, non domeſticum; peregrinum, non indigenam, & citiſſimo exitu aliò emittendum. *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* quaſi *peregrinus* quidem *venerat.*

2. Reg. 12. v. 4.

Sanct. ibi.

*Peccatum ſi venerit, adſit vt peregrinus, non indigena.*

Theodor. in l. 2. Reg. q. 25.

4. Iſaiæ 5. v. 1.

Iſaiæ 50. Hæc dicit Dominus *Quis eſt creditor meus, cui vendidi vos? ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis.* Sententioſè addubitat Propheta, quiſnam ſit hic Dei creditor, cui ſuum populum vendidit Deus? Et iure ambigunt Interpretes, quænam ſit hæc arcana venditio, quâ Deus ſuum populum à ſe abalienaſſe perhibetur? Pulchrè Ambroſius: *Rei ſumus ſine accuſante, ſine tortore, ſine vinculis deſtringimur, ſine venditore vendimur. vndè Scriptura dicit: Peccatis veſtris venditi eſtis. Hæc igitur peccata ſunt, quæ contra nos ſemper ſunt, vt dixit Propheta:* (Accuratiùs expende verba quæ ſubdit.) *Vendiderunt nos, & dominantur nobis. Seruus qui venditur, ſuperiori ſeruitio exit, vt ad alterum migret; nos verò nec ſuperiorum iugum deponimus, & ad noua peccata turbamur. vndè & ingemuit*

S. Ambr. in Pſal. 37.

*Ab antiqua ſeruitute non exit, qui ad alterā migrat.*

ingemuit Sanctus dicens : *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum.* Scilicet ſeruus qui venditur, ſuperioris ſeruitij iugum excutit, vt ad nouum Dominum denuò migret; nemo enim poteſt duobus Dominis ſeruire: peccatores autem dum nouis peccatis antiqua exaggerant, ſub vitiorum iugo ſic gemunt: *Vendiderunt nos, & dominantur nobis.* O arcanè ſceleſtum commercij genus! ſiquidem homo priſtinis vitiis inueteratus, ſic ad noua tranſit, vt non dimittat antiqua; nouo & ſtupendo genere antiquum vitium tranſit & remanet; transfunditur, nec elabitur; in aliud mutari putabatur, & adhuc tecum eſt, de non bono prauæ conſuetudinis genio. Porrò *ſeruus qui venditur, ſuperiori ſeruitio exit, vt ad alterum migret*; nos verò nec ſuperiorum ſcelerum iugum deponimus, & ad noua peccata tranſimus. *Vendiderunt nos, & dominantur nobis.* nec noua vitiorum ſeruitus antiquam deſueſcit, ſed miro modo tranſit & remanet, transfunditur, nec elabitur. Sic altè hæret, vt dum tranſit, adhuc permaneat. Hem naturale vitiorum miraculum, prauæ conſuetudinis præſtigiis arcanum!

*Pſal. 2. v. 9. Conſuetudine contrita vaſa fictilia, emendantur inolita vitia.*

5. De Chriſti Dei regno ac regimine ſic præcinit regius Pſaltes: *Reges eos in virgâ ferreâ, & tamquam vas figuli confringes eos.* Magna ſanè ira, & quæ Chriſti manſuetudini inidonea videtur! Porrò figulus non ſine teſtæ malè formatæ ruinâ illam reformat: nam vas male formatum, cùm emendari figulinâ arte non poſſit, confringitur ab artifice, vt ſic refingatur, & iteratâ fictione reformetur: ſine confractione enim non emendatur, quantumuis peritia artificis adlaboret. Eheu ſic ſunt medullitùs inolita vitia, vt ſine confractione & ruinâ, à mitiſſimo etiam Chriſto non reformentur! Eleganter inibi Auguſtinus: *Tamquam vas figuli confringes eos. Conteres in eis terrenas cupiditates, & veteris hominis lutulenta negotia, & quicquid de peccatore limo contractum, atque inolitum eſt.* Sic noſter limus vitiis inolitus reformationem obſtinatè recuſat, vt vix niſi conteratur, emendetur! Confractione opus eſt, vt correctionem accipiat! Sic velut atrociter tractanda ſunt ad emendationem, lutulenta vitiorum negotia? Quid exaggeratius?

*S. Aug. ibi.*

6. *1. Reg. 5. v. 7.* 1. Regum 5. captam Dei arcam iuxta Dagon in eius templo Philiſthini conſtituunt. Rursùmque mane die alterâ conſurgentes, inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam in terrâ coram arcâ Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen. Aggrauata eſt autem manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos: & percuſſit in ſecretiore parte natium Azotum, & fines eius. Videntes autem viri Azotij huiuſcemodi plagam, dixerunt: Non maneat arca Dei apud nos: *Quoniam dura eſt manus eius ſuper nos, & ſuper Dagon Deum noſtrum.* Chaldæus paraphraſtes ſic locum excribit, & excriptione exponit: *Dura eſt manus eius ſuper nos, & ſuper Dagon errorem noſtrum.* Profectò ſi quid ineſſet Philiſthinis mentis, & niſi à Dagon, id eſt, à diu inolitâ ambitione & libidine, ereptum eſſet omne conſilium, ſatis intelligere potuiſſent, Deum ſuum Dagon, aut monſtrum Palæſtinum calcandum eſſe potiùs, quàm religiosè adhuc colendum; cùm cecidiſſet ex altari, & eius caput, id eſt, quod in ipſo erat maiori dignum reuerentiâ, eo eſſet loco, vbi non poterat omnibus non eſſe ludibrio, cùm eſſet in limine, quod omnium hominum veſtigia calcabant. Vident ſe ab

*Chald.*

*Qui diu errarunt, etiam in cognito tam errore obſtinatius perſiſtunt.*

Arcâ Dei Iſraël acerbiùs punitos, & propudiosè exulceratos: vident quoque Deum ſuum Dagonem in terrâ truncum, manus eius & caput in limine proculcandum, ab arcâ Dei deuictum, deiectum, ac detriumphatum; & adhuc Sacerdotes greſſus in limine ſuſpendunt, ne illum poterant? adhuc religiosè ab eis adoratur, & diuinis honoribus colitur? adhuc Dei arcam abiiciunt, vt contritum Dagonem vnicè venerentur? ô, ſic ad pertinaciam eualet inueterata diu conſuetudo, vt experientiam examinet? vt ad veritatis lucem cæci ſint, & in comperto *errore* adhuc vltrò præſiſtant? *Dura eſt manus eius ſuper nos, & ſuper Dagon Deum* (potiùs *errorem*) *noſtrum.* Qui diu errarunt, etſi iam erraſſe cognoſcunt in re etiam tanti momenti, malunt in perſpecto errore adhuc obſtinatè perſiſtere, quàm *errorem* iam compertum refutare. Nolunt *errorem* iam notum dediſcere, ne auitam & inueteratam conſuetudinem dediſcant. Scilicet vitium quod per conſuetudinem in mores abiit, ſic medullitùs hæret, vt propè incurabile cenſeatur.

---

## §. CLIX.

### *Num eò infelicitatis praua conſuetudo deducit, vt eſſe malum propè neceſſe ſit?*

1.

Moraliſſimè Seneca ſuper hâc re philoſophatur: Non quælibet, inquit, inſitionem vitis patitur, ſi vetus & exeſa eſt, ſi infirma graciliſque, aut non recipiet ſurculum, aut non alet. Hic de quo ſcribis & mandas, non habet vires. Indulſit vitiis ſimul & emarcuit, & induruit. Non poteſt recipere rationem, non poteſt nutrire. At cupit ipſe. Noli credere. Non dico illum mentiri tibi, putat ſe cupere. Stomachum illi facit luxuria, citò tamen cum illâ redibit in gratiam. Sed dicit ſe offendi vitâ ſuâ. Non negauerim. Quis enim non offenditur? Homines vitam ſuam & amant ſimul & oderunt. Tunc itaque de illo feramus ſententiam, cùm fidem nobis fecerit, inuiſam iam eſſe luxuriam. Nunc vitiis male conuenit. (& rursùs.) Nec ipſa quidem vniuerſæ philoſophiæ vis, licet totas in hoc vires ſuas aduocet, duram iam & veterem animis extrahet peſtem. Hæc ille. Heu grauiſſimum eſt imperium conſuetudinis! Tempeſtiua eſt Publij Mimi hyperbole: *Quid eo infelicius, cui iam malum eſſe neceſſe eſt?* Quod ſuo malo expertus eſt Aman, qui etiam dum conſiliosè videtur agere, temerarios diu mores non diffitetur; quaſi ei eſſe malum propè neceſſe ſit.

*Seneca epiſt. 113. & 95.*

*Valida vis conſuetudini ineſt.*

*Hîc v. 14. Publ. Mim.*

2.

Amos 1. Dominus in Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem ſuam: & luxerunt ſpecioſa paſtorum, & exiccatus eſt vertex Carmeli. *Hæc dicit Dominus: Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quattuor non conuertam eum.* Non morabor Interpretes, an in ternario numero, an in ſeptenario conflato ex tribus & quattuor, ſcelerum multitudo magna ſignificetur. Et quidèm ſceleſtiſſimum vitium eſt, & frequenter repetitum, quod & *conuerſioni* humanæ, & clementiæ diuinæ aditum ſic obſtruere perhibetur. Quid

*Amos 1. v. 3. In conuertēdo homine peccatis adſueto, Dei miſericordia laborare dicitur.*

Rupert.l.3. in Gen.c.16.

tam malitioſè flagitioſum eſt, vt diuinæ pietati viam obſtruat? Luculenter Rupertus de Adamo loquens, ita locum exponit: *Intereà*, inquit, *reos circumuolando laborabat miſericordia Dei; ſed vndique obſtruſa reſiſtit, aditumque illi denegat vitiata natura. Quarto namque peccati incremento fit, vt nullus veniæ locus ſit. Scilicet cùm cogitationi opus, operi conſuetudo, & conſuetudini adiicitur defenſio. Vndè & nunc per prophetam Amos idem Dominus dicit: Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quattuor non conuertam eos.* Ecce tibi de prauæ conſuetudinis corruptelâ natura humana dicitur *inuitiata*, & circa illam diuina *miſericordia laborare*. Quid tam pugnaciter clementiæ Dei repugnare eualet, aditumque obſtinatè præcludere, vt in eo conuertendo Dei miſericordia *laborare* dicatur? ô quàm multa quam paucis Rupertus expreſſit!

3\. Gen.8.v.6. & 7.

Caiet. indidem.

Lauret. verbo. *Coruus Peccatis adſuetus, ab eis exeundo, ad ea redit?*

Geneſeos 8. diu enatans arca cùm naufragâ hominum gente, tandem ſubſidit. Cumque tranſiſſent quadraginta dies, *aperiens Noë feneſtram arcæ, quam fecerat, dimiſit coruum: qui egrediebatur, & non reuertebatur.* Caietanus ſic excribit: *Iuxta Hebræum habetur, Et exiuit exeundo, & redeundo.* Plures ex ſanctis Patribus, quos allegat Lauretus Ceruarienſis, *corui* nomine inueteratos peccatores, carnales præſertim interpretantur. O malum mali corui egreſſum! Dum exeundo exit, iam redit? redeundo egreditur, dum primò emittitur? Cùm è delictorum caueâ, & vinculis per pœnitentiam *exit*, tunc vel recordatione deteſtati ſceleris, aut inolitæ conſuetudinis velut neceſſitate allectus, iam iam *exeundo exiens*, tunc iam *redit? Iram ſibi reprobus theſaurizat*, (ait S. Anſelmus) *quia dum ad pœnitendum tempus accipit, & ad peccandum expendit, ipſum remedium gratiæ vertit in augmentum culpæ.* O miriſſimam conſuetudinis efficaciam!

S.Anſelm.ad Rom.2.

4\. Ioan. 10. v.16. *Ne vnquam peccatis præſcribatur.*

Ioannis 10. Hæc Chriſti Dei verba denarrantur: *Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere.* Quæ ſunt iſtæ oues, quæ non ſunt de mandrâ tuâ? Numquid non meretrices & publicani? numquid peccatores, adulteri, iniuſti? Cæterùm ſi hos repudiaueris vel excluſeris, qui remanebunt, qui impleant ouile tuum? Prophetæ & Apoſtoli, martyres, virgines, continentes? Quanti ſunt ad integrum populum? Pergit Laurentius Nouarienſis: *Si igitur præſcribitur peccatoribus, pauci intùs, & multi foris erunt.* Et ſanè *Præſcriptio*, ſi Iuriſperitos conſulas, ſic à Goffredo definitur: *Quoddam ius ex tempore ſubſiſtentiam capiens.* id eſt, firmitatem. Num peccata longâ temporis conſuetudine ita *ſubſiſtentiam* capiunt, vt iure ſuo *præſcribant*? ô aduerſus peccatores infenſiſſimum *præſcriptionis ius*! Heu, ſic diuturna peccata velut *præſcriptionis* titulo peccatorem poſſident, & ſuo iure ſibi vendicant? Heu quàm non eſt obuia aduerſus *præſcriptionem* exceptio!

Laur. Nouar. homil. de. pœnit.

Goffr. C. de Præſcript.

5\. Ad Epheſ. 4. v. 26. *Diurna ira, niſi noctu reſcindatur, fit diuturna, atque inueterata.*

Gentium Doctor ad Epheſios 4. ita ſcribit: *Iraſcimini, & nolite peccare: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare Diabolo.* Iræ diuturnitatem vetat Apoſtolus, (vt aliàs monuimus) ſed in die orta, cum die ſimul occidat. Eccur tam ſollicitâ curâ ſatagit Apoſtolus, ne iracundia inter quieſcendum reſidat? Quid ab vnius noctis morâ ſic cautè timet? Appoſitè Theodoretus: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Ira menſuram dedit menſuram diei: veretur enim ne noctu quieſcens cogitatio morbum augeat: ira enim diuturna, atque inueterata fit odium.* Hem, vel à quiete ſomnóve vnius noctis timet Apoſtolus, ne delictum interdiu conceptum, vitium fiat, & in mores euadat? Vel cùm noctu mens ſomno otiatur, & viuaciores ſenſus ipſo ſopore velut emortui ſunt, veretur ne diurna ira, tam breui morulâ, & inattentâ vnius noctis quiete, *diuturna atque inueteratâ fiat?* Sic facile delictum, niſi ſtatim excutiatur, tranſit in vitium? Vnius noctis ſopore exactæ morula, ad rem vitij *diuturnitatem inueteratam* æmulatur? Propterea *iræ menſuram dedit menſuram diei*, ne à nocturnâ quiete ſomno impensâ, *diuturna atque inueterata fiat.* Sic de facili vitia arripuimus, hauſimus, expreſſimus?

Theod. ibi.

Geneſeos 14. partâ ſtrenuè victoriâ de quattuor Aſſyriis regibus, redux ſpoliis opulentus, à Rege Sodomorum hæc Abrahamus audit: Da mihi animas, cetera tolle tibi. *Qui reſpondit ei: Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum*, &c. Nemo Interpretum non notat, quòd antiquus iurandi geſtus erat, manus leuare. Exindè dum dicit Abraham, *leuo manum*, idem eſt, ác ſi dixiſſet, *Iuro*: manum enim leuare, iurare eſt. Eruditè autem notat inibi Lipomanus, *quàm diuersè huius verbi* (leuo manum) *tempora vertantur ab omnibus interpretibus. Hebraicè eſt, leuaui: Chaldaicè, leuo: Græcè, leuabo. Quamquam id ad ſententiam nihil referat.* Ad ſententiam litteralem nihil ſanè refert; multùm verò ad ſententiam moralem. Sic iurandi conſuetudo inoleſcit, & ex facili imbibitur, altéque animitùs hæret, vt qui dudùm iurauit, & nunc iuret, & exinceps iurabit? ô ſynonyma in paucis moraliſſima! Heu nimis verè!

6\. Gen.14. v. 22. *Qui dudùm iurauit, & nunc iurat, & exinceps iurabit?*

Lipom. ibi.

Prouerbiorum 13. ſic nos Salomon erudit: *Deſiderium ſi compleatur, delectat animam: deteſtantur ſtulti eos, qui fugiunt mala.* Nempè ſi quod delectabile in animi votis erat, & hianter quis deſiderauerat, adipiſci contingat; nuper adeptum, delectationem parit: quòd ſi poſtmodùm accidat, vt diuturnitas boni adepti faſtidium pariat, & nauſeam moueat, deteſtatio eſt impiis ea deſerere ac fugere. Sic ſtulteſcit impietas, vt nec voluptabile quod iam faſtidit, relinquere ſciat! Hanc expoſitionem offert Hebræus textus, quem ſic excribit, & exponit Caietanus: *Deſiderium fractum dulceſcit animæ: abominatio ſtultorum recedere à malo. Senſus eſt: Deſiderium diſcontinuatum quoad fruitionem rei deſideratæ. Dulceſcit námque animo non ſolùm aſſecutio rei deſideratæ, ſed etiam diſcontinuatio rei deſideratæ: continuatio enim delectationis corporeæ faſtidium parit. Quo contrà ſtulti tam aſſidui ſunt in malo, vt abominabile ſit apud eos recedere à malo.* Nimirùm voluptabile hianter cupitum aſſequi, iucundum & pergratum eſt: cùm autem aſſidua voluptabilium continuatio faſtidium generet, eorum *fractio* id eſt, interruptio & interpolatio, ingenium placendi eſt, vt iterùm blandiantur deſiderio quod viluit aſſiduitate. Hinc *deſiderium fractum*, ſeu *diſcontinuatum dulceſcit animæ*; ſecùs faſtidioſâ nauſeâ reſpuitur ac detrectatur, tanquam pœnale & odioſum. At ſtulti ſic vitiis adſueti ſunt, &

7\. Prou. 13. v. 19.

Caiet. ibi. *Conſuetudo voluptabilium, adhuc ad ingrata & faſtidita allicit.*

volupta

voluptabilibus aſſidui, vt tametſi de aſſiduitate vileſcant & tædium generent; tamen de occultâ diuturnæ conſuetudinis efficaciâ, in ea adhuc feruntur, & in eis etiam faſtidioſè & ingratè volutantur, non voluptatis gratiâ ſed conſuetudinis illicio. *Stulti tam aſſidui ſunt malo*, quod etiam de continuatione moleſtè faſtidiunt, *vt abominabile ſit apud eos recedere à malo.* O quàm ſunt voluptabilia voluptatis auara, vt de ſui abſentiâ delectandi gratiam fœnerentur! O quàm medullitùs inoleſcit delectabilium conſuetudo, vt rei tædio, & ingrato odio adhuc auidiùs alliciatur!

8. Zach 5. v. 7. *Conſuetudo naturam excludere, & immedicabilem facere dicitur.* S. Ambroſ. in Pſalm. 1.

Zachariæ 5. Egreſſus eſt Angelus, qui loquebatur in me: & dixit ad me; leua oculos tuos, & vide. Et dixi: Quidnam eſt? Et ait: Hæc eſt amphora egrediens. *Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ. Et dixit: Hæc eſt impietas.* Intermitto plures interpretationes, quibus interpretum plures hunc locum fatigant, vt citiùs Ambroſij expoſitionem excribam: *Iniquitas*, inquit, *in talento plumbeo ſedet, eò quod fixa in peccato, ſe ab eo ſeparare non poſſit. Etenim inueterati in errore, & ſtudioſè flagitiis inhærentes, ſedere dicuntur, qui nolunt aſſurgere, nec audire dicentem: Surgite poſtquam ſederitis. An ignoramus quòd tantam vim habeat inueterata conſuetudo peccandi, vt excludat naturam? Quæ cùm ſit medicabilis ad ſalutem, tamen corroborata tempore, paſſionibus immedicabilis inuenitur.* Prolixum foret ſingulas Ambroſij ſententias elucidare; ſat eſto expendendas propoſuiſſe.

9. Prou 22. v 6. Complut. Regia. Caiet. *Puer tam propenſio eſt pedagogo conſideranda.*

Prouerbiorum 22. ſic nos Salomon ſapienter admonet: *Prouerbium eſt: Adoleſcens iuxta ſuam viam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab eâ.* Græca Complutenſia & Regia, *Dedica*, vel *innoua puerum iuxta viam eius, & quamuis ſenuerit non recedet ab eâ.* Hebræus apud Caietanum: *Aſſuefac puerum ſuper os viæ ſuæ, etiam cùm ſenuerit non recedet ab eâ.* Ambiguum eſt apud Interpretes, quid ſignificet, *os viæ ſuæ*, iuxta quam puerum *aſſuefacere* expedit.

Pagnin. Vatabl.

Pagninus, *os viæ* interpretatur *modum.* hoc eſt imbue vel inſtitue puerum iuxta capacitatem ſuam. Vatablus; *os viæ* intelligit *biuium*, id eſt, erudi puerum cùm eſt in biuio ad capeſſendam viam

Rab. Leui.

bonam aut imbonam. Rabbi Leui per *os viæ* accipit naturalem propenſionem. Nempè conſidera, & vide quò feratur eius propenſio, & iuxta

Caiet.

illam ipſum inſtitue. Caietanus inibi ſic locum

[illegible]

exponit: *Monet Salomon vt non differatur inſtitutio pueri, ſed in ore viæ eius (hoc eſt in ipſo aditu, in ipſo principio viæ pueri cùm incipit patere ingreſſus in animum pueri) aſſuefac illum, quamuis non ſit capax doctrinæ, eſt tamen capax conſuetudinis: hoc eſt, vt incipiat aſſueſcere bonis actibus, verbis, moribúſque; & rationem ſubiungit, quia quæ primùm imbibimus, retinemus etiam in ſenectute.* Itaque Caietanus per *os viæ* accipit aperturam, ſiue aditum, aut initium rationis & iudicij, ſcilicet cùm primò patet ingreſſus ad mentem pueri: tunc enim puer eſt in morum *biuio*, & tunc *innouandus* eſt puer iuxta viam virtutis, vt in eâ conſeneſcat. Et bene dicitur *innouandus* in primo rationis aditu; nam niſi id præproperè fiat, & puer naturæ ſuæ propenſioni, & moribus vitiatæ naturæ relinquatur, arduum nimis erit poſtmodum ad bonitatem refingere. Ergò dum primùm puero affulget ratio, accuratiori pædagogiâ *innouandus* eſt, vt in hâc morum nouitate conſeneſcat; ſecùs in prauis naturæ moribus ſceleroſè veteraſcet.

---

## §. CLX.

### *Iudex, quia periculosè nimis iuſtus eſt, ſub ſecuritate (ſi ritè poteſt) ſemper ignoſcit; in alienâ calamitate ſibiipſi conſulens.*

Aurelius Caſſiodorus polito vir ingenio & eloquio, lib. 11. Variar. ita de Iudicum pietate ſeu indulgentiâ ſcribit: Tu, inquit, patrona humani generis, afflictis rebus medicina ſingularis. *Quis tuo non egeat munere, cùm ſit peccare commune? Ab vniuerſis neceſſariò peteris: quandò ſub te ſpes vitæ ſumitur, quæ ſub iuſtitiâ non habetur.* Nam dum tribus aliis ſororibus cæleſti gratiâ perfruaris, & amabili amplexione nectamini, omnes tibi (quamuis & ipſæ virtutes ſint) honorabiliter cedunt: quandò te humano generi ſalutiferam eſſe cognoſcunt. Sed quid tantùm de terrenâ conuerſatione dicamus? *Pietas eſt, quæ regit & cælos. O ſi tecum liceret longis temporibus habitare, totus excluderetur reatus, vt parcè tolleretur.* Hactenùs ille. 1. Caſſiod. l. 11. Var. epiſ. 40. *Pietatis encomium.*

Matthæi 7. Sic ad iudiciorum indulgentiam Diſcipulos Chriſtus adhortatur: *Nolite iudicare, vt non iudicemini. In quo enim iudicio iudicaueritis, indicabimini: & in quâ menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* τὸ *iudicare* hìc accipi pro condemnare, perſpicuum eſt: & indè enadit ſenſus imprimis luculentus. Scilicet iudex alieni criminis, proprij etiam criminis reus eſt, & proprij reatus iudicio obnoxius: vnde proprij iudicij clementia erga alios, alienæ erga ſe clementiæ lex eſt, & norma iudicij. Profectò ſibi parcit, qui aliis ignoſcit. Quod impreſſiùs tradidit nuper laudatus Caſſiodorus his verbis, velut commentans præſcriptam Matthæi ſententiam: *Ex hac virtute* (pietate & clementiâ Iudicum) *ſuauiſſimos fructus legimus, & remittendo aliis, nobis ignoſcimus.* Audi rationem Caſſiodoro dignam. *Nam qui periculosè iuſti ſumus, ſub ſecuritate ſemper ignoſcimus. Quapropter pœnas abdicamus, tormenta damnamus, & tunc verè Iudices ſumus. Macte Indulgentia, quæ ſoluis & Præſules.* Aurea ſanè Aurelij verba. Porrò Iudex etſi ex munere Iuſtitiæ præſit, illiuſque ſit vindex, tamen quantumuis ſanctus & iuſtus ſit, & totus ſtudio virtutis impenſus; *periculosè iuſtus eſt*, & ideò *ſub ſecuritate ſemper ignoſcit*: nam proprium periculum arcet, dum auertit alienum; & ſibi ſecuritatem parat, dum alios reddit ſecuros. Præſul dum ſoluit reum, ſeipſum abſoluit, Eſto aliis æquus, ne ſis tibi inſcienter iniquus. O ſciat Iudex ſeueritate iuſtitiæ rigidus; ſciat quiuis inconſulto virtutis zelo delinquentibus infauorabilis; quòd ipſe *periculosè iuſtus* & ſanctus eſt: cùm facile ſit obnoxius criminibus, & ſimilis veniæ indigus. ſibi parcat, dum aliis ignoſcit. 2. Matth. 7. v. 1. *Homo periculosè nimis iuſtus eſt, & ideò ſub ſecuritate ſemper ignoſcit.* Caſſiod. ſup.

Ioannis 8. adducunt ad Ieſum Scribæ & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam: & ſtatuerunt 3.

tuerunt eam in medio, & dixerunt ei: Magiſter, hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio. In lege autem Moyſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare. Tu autem quid dicis? Ieſus autem inclinans ſe deorsùm digito ſcribebat in terra. Am-
Lyra. ibi. bignum planè eſt, eritque, quidnam tunc Chriſtus in terrâ ſcripſerit. Lyranus putat, *quòd ſcribebat eorum peccata, vt oſtenderet ineptos ad ac-*
Ioan. 8. v. 7. & 9 *cuſationem huius feminæ.* Cùm ergò præſeuerarent interrogantes eum, erexit ſe, & dixit eis:
*Facile abſolutor eſt alieni criminis, conſcius ſui.* *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat . . . . Audientes autem vnus poſt vnum exibant, incipientes à ſenioribus.* Mirùm forſan videri poſſet alicui, quòd Iudæorum ſeniores, qui tam acri ferebantur in Chriſtum odio, & tam pertinaciter adulteram accuſabant, tam facilè accuſationi ceſſerint, & intentato iudicio ſuperſederint; adeò vt ſponte vnus poſt vnum exierint, ne ipſi occultè ſceleſti ſcelus ma-
Caſſiod. in Prooem ad lib 11. var. niſeſtum condemnarent. Nemo te fallat: *Facile enim abſolutor eſt alieni criminis, conſcius ſui,* dixit opportunè Caſſiodorus. Qui *periculosè iuſtus eſt*; alienâ ſecuritate ſecuritatem adſtruit ſuam: & veniâ, quâ aliis piè ignoſcit, ſuam redimit. Quiſquis alium damnat, ſe ipſum condemnat; quia ſe agnoſcit lapſui pronum, ruinæ
Apud Politico Chriſ. in Prologo. facilem. Idcircò facile abſolutor eſt alieni criminis, conſcius ſui. A teipſo de conſcientiæ gymnaſio, ediſce iudicium. Heu illud Velleij nimis verum: *Familiare eſt hominibus omnia ſibi ignoſcere, nihil aliis remittere.*

4. Tertullianus Scapulam præſidem aduerſus
Tertull. ad Scap. c. 4. Chriſtianos immaniter ferocientem, ſic alloqui-
*Qui timet, alios terrere ſatagit.* tur: *Non te terremus, qui nec timemus* (altè quidem quaſi ex metu noſtro veniat, alios terrere: & fortitudinis indicium, ſit ignauiæ argumentum.) *Potes & officio iuriſdictionis tuæ fungi, & humanitatis meminiſſe: vel quia & vos ſub gladio eſtis.* Quia præcelſus inter homines Iudex, ſub gladio eſt, & ſublimiori poteſtati ſubiectus, idcircò *humanitatis meminiſſe* debet: nam ſibi ignoſcit, qui aliis remittit: facile enim abſolutor eſt alieni criminis, conſcius ſui.

5. Oſee 1. concepto filio ex fornicariâ vxore, di-
Oſee 1. v. 4. xit Dominus ad eum: *Voca nomen eius Iez-*
4 Reg. 10. v. 30. *rael, quoniam adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Iezrael ſuper domum Iehu, & quieſcere faciam regnum domus Iſraël.* Locus vehe-
*Cur ſanguis Achab iuſtè effuſus, in regis Iehu poſteris viſitatur?* menter impeditus, in quo multorum laborarunt ingenia, neque res videtur ſoluta, aut expedita ſatis. Quærunt enim ſolletter Interpretes, ſi diuino obſecutus imperio Iehu ſanguine filiorum Achab conſperſit vrbem Iezraelem; quod opus vſque adeò non diſplicuit Deo, vt potiùs regio munerarit nomine; quomodo ſanguis ille iuſtè effuſus, illi dicitur acerbiùs fore luendus? Quod iuſſus fecit Iehu, quod eximiè à Deo prædicatur, quod regno generoſiùs muneratur; nunc ſic cruentâ vltione *viſitandum* dicitur? Aut
Haymo ibi. non debuit ſic placuiſſe dum fiebat; aut non debuit ſic puniri cùm factum eſt. Haymon Halberſtattenſis ſic inibi præfata Oſee verba exponit: Quantum ad litteram attinet (inquit) Iezrael fuit metropolis iu regno decem tribuum, in quâ interfectum legimus Naboth, *ob cuius ſanguinem vindicandum ſuſcitatus eſt Iehu, qui deleuit domum Achab & Iezraelis. Verum quia ipſe Iehu vltor ſanguinis iuſti extitit, & filij eius fecerunt malum in conſpectu Domini; ſanguis Achab ſuper domum illius fuſus eſt, id eſt, reuerſus, quandò filij eius ducti ſunt in captiuitatem, & interfecti.* Iuſtè quidem Iehu in vltionem ſanguinis Nabothi, domum regis Achab acerbiſſimè deleuit ferociens in Iezabelem, & numeroſam Achabi ſobolem; at ipſe mox delinquens, & eius poſteritas paternam impietatem ſecuta non vtcumque puniri dicitur, ſed *ſanguis Achab ſuper domum illius fuſus* perhibetur. Nam qui etſi iuſtè, acerbiùs tamen alium punit, ſi ipſe delinquat, pari acerbitate adæquè punitur. Quod expreſſiùs ediſſerit Hugo Carenſis Hugo ibi.
præſcriptum Oſee locum commentans: *Viſitabo ſanguinem Iezrael ſuper domum Iehu. Sanguinem Iezrael, Naboth Iezraelitæ, id eſt, conſimilem pœnam imponam ſuper domum Iehu.* Non quia adſimilem Achabo culpam commiſerit: ſed quia, licet iuſtè, duriùs egit; cum eo delinquente duriùs etiam agetur. Nam qui periculosè iuſti ſumus, ſub ſecuritate (vt vt poſſumus) ſemper ignoſcimus. Quis non ſuâ egeat erga alios pietate, cùm ſit peccare commune?

Matthæi 5. *Beati miſericordes: quoniam ipſi* 6.
*miſericordiam conſequentur.* Quæ Chriſti Dei Matt. 5. v. 7.
verba ſic exponit Hugo Carenſis: Miſericordia, Hugo ibi.
inquit, eſt miſeria cordis de malo alieno, vt primò miſereatur de ſuo proprio malo, poſteà de *In alienis calamitatibus nobiſmetipſis conſulamus.*
aliis. *Pro eo enim quòd viri miſericordes miſerias alienas tollunt, vel mitigant, vel ſaltem per compaſſionem portant, iure viciſſitudinis immunes erunt à propriis.* Et ſanè Iudices rigidioris Aſtrææ officiales, ab hâc cenſurâ immunes non ſunt. Ergò reorum miſerias, ſi poſſunt, tollant: ſemper autem *mitigare* poſſunt, vt *iure viciſſitudinis immunes fiant à propriis.* Pulchrè Na- S Naz Orat. in Baſil.
zianzenus: *In alienis calamitatibus nobiſmetipſis conſulimus: Deòque miſericordiam, quam ipſi egimus, fœneramur.* Sibi miſeretur, qui miſero miſericordiùs ignoſcit: nam quilibet quâ homo eſt, periculosè iuſtus eſt: & qui nunc agit iudicem ſcelerum iuſtè vindicem, mox aget reum piæ viciſſitudinis indigum. Igitur *in alienis calamitatibus nobiſmetipſis conſulamus.* O quàm ſibi conſuleret Aman, ſi in Mardochæi veniâ mi- Hic v. 14.
tiùs ageret, in alienâ calamitate aliis infligendâ, ſibi per veniam conſulens! paſſus eſt enim ipſe, quod aliis patiendum moliebatur.

2. Regum 12. ſuper negotio Berſabeæ conſtu- 7.
pratæ, & Vriæ atrociùs perempti, ouiculæ notam parabolam, Dei iuſſu Nathan propheta Dauidi proponit. Rex autem exiſtimans ſe in alium ferre ſententiam, pietatis tantiſper oblitus, per- *Contra Dauidem Dauid ſeueriſſimum ſuffragiũ inferens tulit.*
acerbam contra ſe tulit ſententiam condignâ viciſſitudine. Iratus autem indignatione Dauid ad- 2 Reg 12. 5. & 6,
uerſus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: *Viuit Dominus quoniam filius mortis eſt vir qui fecit hoc. Ouem reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbum iſtud, & non pepercerit.* Audiebat Dauid inſcius narrationem contra Dauid ſceleſtum; & ſententiam quam contra quempiam tuliſſe putabat, irâ excitus, & miſericordiæ oblitus; aduerſus ſe potiùs vibrauit. Audiendus eſt hâc de re Seleucienſis Baſilius ſic eloquenter fa- Baſil Sel. Orat. 17.
tus: *Suffragium contra Dauid fert Dauid, Dignus morte eſt. lingua iſta contra ſeipſam gladium acuit. Quid Nathanus denique? euulgat arcanum, nudat reum. Tu ille es, ô Rex, qui id commiſiſti. Quaſi dicat: Regiè decreuiſti, ô Rex, iuſti animus ſibi patronus eſt: ſed nolebam contra te ferre ſuffragium. Tu factum tuum agnoſce;*
vide

*vide quis tuo iudicio ſit obnoxius. Volebam te iudicem, non reum eſſe.* O quàm vellem, vt Iudex in ferendâ ſententiâ, non tam ſe iudicem, quàm reum cogitaret; vt ſuffragium quaſi contra iudicem ferret iudex. Saltem meminerit, quod humanus iudex aliquandò reus erit, & æquè humanitatis indigus, vt in alienis calamitatibus ſibi ipſe conſulat. *Nam qui periculosè iuſtus eſt, ſub ſecuritate ſemper ignoſcit.*

8. Lucæ 16. v.8. Lucæ 16. Villicus ille apud herum ſuum diffamatus, à villicatione meritò iam iam remouetur Sed ingenioſæ fraudulenter technæ, futuræ paupertati, de Domini ſui cenſu quàm maturè ſuffragantur. Conuocatis itaque ſingulis debitoribus Domini ſui, dicebat primo: Quantum debes Domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixítque illi: accipe cautionem tuam, & ſede citò, ſcribe quinquaginta. Adſimiliter de tritici debito: *Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet.* Quis eſt hic

Cornel. *Dominus* auaræ fraudis laudator? Cornelius inibi: *Dominus*, id eſt, herus villici, fraudem eius ex ſeruis, vel aliundè reſciens; non Chriſtus Dominus: Quaſi dicat: Herus villici laudauit villicum iniquum, quòd prudenter ſibi conſuluiſſet, licet per fraudem & damnum heri. Laudauit autem non factum, vt potè iniuſtum, ſed prudentiam, vel ſollertiam, induſtriam & ingenium ſubtile villici: ſicuti cùm ingenioſum

Theoph. Antioch. audimus facinus, damnamus ſcelus, laudamus ingenium. Ceterùm Theophilus Antiochenus lib 4. in Euangelia, de hac re ad rem præſentem profundiùs ſcribit, Principes ac Iudices ad iuſtitiæ æquitatem erudiens: *Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet. Ideò autem laudauit Dominus Ieſus fraudatorem Domini ſui, vt eius ſequentes exemplum non omnia debita exigamus.* Scilicet huius ſerui aduerſus ſuum herum malitia, bonitatem dominorum ac iudicum erudit, vt eius exemplum ſequentes, non omnem iuſtitiam plenè exequantur, non omnia debita auarè exigant; ſed de iuſtitiæ rigore, & debiti plenitudine, aliquid miſeris reis, & obæratis debitoribus, ſibi conſulentes, conniuenter indulgeant. Quod fraudulenter fecit villicus, prudenter facit herus, facit & iudex: *nam qui periculosè iuſtus eſt, ſub ſecuritate ſemper ignoſcit. Ideò autem laudauit Dominus Ieſus fraudatorem Domini ſui, vt eius ſequentes exemplum non omnia debita exigamus.*

---

## §. CLXI.

*Qui excuſſo peccandi pudore, verecundiam impudenter abiecit, in flagitioſiora ſcelera affrenis proruit.*

1. SVmmum virtutis bonum extrinſecùs inſtrumenta non quærit, domi colitur, ex ſe totum eſt; incipit fortunæ eſſe ſubiectum, ſi quam partem ſui foris quærit. Vni ſibi bonus eſt, quiſquis perfectè bonus eſt. Satis magnum vnuſquiſque ſibi theatrum eſt. Conſummata virtus in animo recondita latet, Deo animitùs cognita, & à poſſeſſore plerúmque ignorata, vt contemnas voluptatem ex plurium aſſenſione venientem. Multi te laudant. Ecquid habes cur placeas tibi, qui neſcis an Deo placeas? Si is es quem multi intelligunt, introrsùs bona tua ſpectent. Hæc ſumma virtus, quæ plauſum, ac bonam famam, fallacem putat, & futilem, & meras vanæ gloriæ inſidias. At mediana & infima, quaſi equus ad curſum; ſæpè plauſu excitatur, & bonâ ſui opinione velut calcare ad profectum extimulatur. Profectò iſtiuſmodi hominibus non ſemper ſupercæleſtis ratio ſuppetit, quæ virtutis igniculum ingerat; continentur autem in officio, diffamiæ metu, ne antiqua perdant bonæ opinionis lucra, ſi mali eſſe incipiant. Apud quos honeſtus rumor, alterum virtutis patrimonium eſt. Hos ſi probos putaueris, probos de tuâ opinione facies, continebíſque in officio bonæ famæ compendio. Quod ſi diffamatos ſe videant, excuſſo verecundiæ freno, lapſuræ probitatis retinaculo, ad omne vitium effrenes impotenter ruunt. Quis ſis ſemper intereſt, & ſæpè etiam quis habearis. Curam habe de bono nomine. Sanè deteſtari hîc impunè licet Amani malitiam impudenter temerariam. Hic v.14.

2. S. Cyprianus, vel potiùs Origenes in Opere de Singular. Cleric. acri admodum ſtilo Clericos reprehendit, qui contubernales feminas ad domeſtica ſeruitia admittunt. Et licèt extra periculum incontinentiæ verſentur; tamen ex incontinentiæ infamiâ, è domeſtico contubernio exortâ, periculum imminere infauſtè ominatur: adducitque eam ad Corinthios ſententiam, quâ Paullus fidelibus vetat edere idolothyta, etſi bonâ conſcientiâ comedant: *Si ego cum gratiâ participo*, (idolothyta ſine crimine edens) *quid blaſphemor pro eo quod gratias ago?* Quid negligis, vt præ infamiâ *blaſphemeris* ab his qui cenſent, te eiuſmodi eſu Idololatriæ participare, tametſi non participes, ſed innoxiè comedas, vero Deo gratias agens pro eiuſmodi eſu Sic ergò ex hoc loco Clericos mulierum contubernales arguit Cyprianus: *Sed conſenſio*, inquit, *non eſſe caſtitatis huius pudicitiam violatam: ſuſpicioſis tamen malam porrigit famam; & pudicitia bonum fruſtrà intrinſecùs laborioſo agone cuſtodit, qui illud forinſecùs efficit infamari, deſtruens magiſterium Paulli prouidentis pariter ac monentis: Si ego cum gratiâ participo, quid blaſphemor pro eo quod gratias ago? Peius eſt quàm mœchia, continentiam ducere crimineſam, & infamem facere ſanctimoniam.* Nimirùm vera pudicitia, quæ impudicitiæ ſuſpecta eſt, ſerpente latiùs diffamiâ integra pudicitia vix eſt; cùm illi deſit bona opinio, quæ eſt caſtitatis cuſtos, & libidinis frenum, quod indecoram luxuriem cohibet. Dum *ſuſpicioſis malam porrigit famam; & pudicitiæ bonum fruſtra intrinſecus laborioſo agone cuſtodit, qui illud forinſecùs efficit infamari.* Propè eſt, vt in luxum petulantet laxetur, qui etſi intrinſecùs laborioſo agone caſtus eſt, ſe ſe forinſecùs negligit diffamari. Porrò incontinentiæ diffamia, obuiis vituperonum rumuſculis, ſæpè peior quàm mœchia; cùm de infamiæ lubrico, in mœchiam, inceſtum, ſtuprum, adulterium, & reliquas laſciuiæ peſtes, imprudenti diffamiæ licentiâ prolabatur. Quod ſi adhuc poſt infamiam ſe contineat, (quod rarum eſt) ſaltem virtutis infamia eſt, *continentiam ducere criminoſam, & infamem facere ſanctimoniam.* Eleganter quidèm Cyprianus.

1. Cor 10. v.3. S. Cypr. de Sing. Cler.

*Male caſtus eſt qui de incontinentia diffamatur.*

Prouerb,

3. Prou. 10. v. 12.

Prouerb. 10. *Odium ſuſcitat rixas*; (cognatâ nimirum garrulitate obloquens) *vniuerſa delicta operit charitas.* Hîc notant Interpretes, quòd Hebræa vox quæ ſubeſt huic verbo *operit*, ſignificat *tegere* ſeu *delere*, ſeu *abolere*. Et ſanè qui aliorum delicta *tegit*, ea *abolere* moraliſſimè dicitur: nam delicta qui publicat, prodit, & de infamiæ publicatione impudentes facit, & ad relapſum audacter temerarios. Ergò qui *operit* delicta, eáque *tegit*, ne ad infamiam publicentur, dum bonæ delinquentis famæ conſulit, delicta commiſſa *abolet*, & committenda ſic præcauet. Videtur ducta metaphora à re medicâ: quæ alligando & operiendo tabida vulnera, ea perfectè ſanat.

Cõſt. Apoſt. l. 2. c. 45. *Delictorum infame vulnus, alligandum & tegẽdum eſt, & illius delenda cicatrix.*

Quod ideircò Apoſtoli in ſuis Conſtitutionibus præſcripſere: *Tu igitur* (inquiunt) *vti clemens medicus peccatores omnes cura, vtens accommodatis ad ſalutem medicamentis, non modo ſecando, vrendo, nouaculam adhibendo, ſed etiam alligando, exiccando, iniiciendo medicamenta lenia cicatricem obducentia.* Alligatione quâ vulnus ſtringitur & *tegitur*, vulneris *cicatrix obducitur*. Parùm eſt *obducere cicatricem*: peritus medicus honeſtæ etiam cicatricis curam habet, ne vel notaculum vulneris ſuperſit ad infamiam: *Sanato vulneri, & in cicatricem ſuperinductæ carni medicus colorem reddere vult, dum pulchritudinem corporis quærit*, ait S. Hieronymus ad Pamachium. Itaque non modò *alligandum*, *tegendum*, & *operiendum* eſt fœdum vulnus, vt lenia remedia cicatricem obducant; ſed *in cicatricem ſuperinductæ carni colorem reddere velis, pulchritudinem corporis quærens.* Sic charitas beneficè perita, non ſolùm delictorum vulnera alliganda *tegit*; ſed etiam cicatrici colorem inducens, delicta *abolet*: ne vel cicatrix dum infamiam ſubornat, nutriat quoque impudentiam, ſicque excuſſo pudoris freno, præceps feratur ad vitia. Vellem homines ad emendationem caſtigatos, non caſtigatione, aut reprehenſione, aut delicti publicatione ſtigmaticos. Cauterium ſine cicatrici vitiis inure, non homini ſtigma.

4. Matth. 18. v. 15. 16. & 17.

Matthæi 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos.... Quòd ſi non audierit eos; dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit; ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Vide nunc quantâ cum cautela geritur proximorum fama: eorúmque diffamia quantum diſpendium ſit, & virtutis iactura. Si peccauerit *in te*. Vel te iniuriis afficiendo: vel *in te*, id eſt, *coram te*. qui enim coram aliquo delinquere audet, eum lædit, eius pietatem & auctoritatem diluens atque contemnens. (de quo aliàs) *Vade*, quia vt ex Ambroſio tradit Hugo, *Pleriſque iuſti aſpectus admonitio correctionis eſt*. Addit, *Corripe eum inter te, & ipſum ſolum; ne publicè correptus verecundiam perdat*, vt aduertit Anſelmus. *Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ, vt qui pudore ſaluari noluit, ſaluetur opprobris plurimorum*, vt ex Gloſsâ tradidit Hugo. Sed qui peccandi *pudorem* amiſit, & diffamiâ denigratus iam eſt, infeliciter plerumque *plurimorum opprobriis* coërcetur: vnde mox ſubditur Eccleſiæ contumax. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* O ſententiam ſeueriùs peracerbam, ſi ſpecie tenus vibretur cenſura! Profectò *Eccleſiam non audire*, Eccleſiæ inobſequelam innuit, non ſemper denotat excommunicationem ſeu anathema, quod inobedientibus Eccleſia indicit. Nam præterquam quod nonnulli Interpretes putant agi nunc de leui culpâ; non omnis etiam grauis iniuria aduerſus fratrem, ea eſt, quæ ſacro debeat mulctari anathemate. Verùm qui *pudorem* ſemel amiſit, & ter admonitus *opprobriis plurimorum* exponitur; etſi ſacro anathemate percuſſus non ſit, nec à fidelium communione ſequeſtratus, *ſicut Ethnicus & publicanus*, priuato ſaltem iudicio haberi poteſt. Acutè Origenes: *Non dixit ſolùm, ſit ſicut Ethnicus & publicanus; ſed, ſit tibi. Qui ergò in peccato correctus ter, non ſe emendat, nos quidem debemus eum habere ſicut Ethnicum & publicanum: an autem etiam à Deo quaſi publicanus & Ethnicus iudicetur, non eſt noſtrum pronunciare, ſed in iudicio Dei.* Nimirùm qui *pudore* amiſſo, ter priuatim & publicè obiurgatus verecundiam abiecit, *opprobriis plurimorum expoſitus eſt*, de inuerecundiæ ſcholâ impudentiam edoctus; iam priuato cuiuſque iudicio haberi poteſt *ſicut ethnicus & publicanus*, quaſi auaritiæ & rapacitatis, inſtar publicani; & irreligionis & ſuperſtitionum reus, ethnici adinſtar. O vide in quot, quantáque flagitia *ethnici* idolorum cultores, & *publicani* pecuniarum idololatræ effrenes proruant! ſimilem ad modum qui de infamiæ impudentiâ verecundiam abiecit, tibi ſaltem velut ethnicus & publicanus priuato ſaltem iudicio haberi impunè poteſt. An autem à Deo, qui effrenem voluntatem ſiſtere eualet, ſic iudicandus ſit, non eſt humanæ tenuitatis cenſere. Sic liceat ex hoc loco ad mores cum Origene velitari: eius autem litteraliſſimum ſenſum inibi multis olim exponebamus.

Hugo ibi. Anſel. Laud. ibi. *Quis pudore amiſſo, opprobriis plurimorum exponitur, quaſi ethnicus & publicanus haberi poteſt.*

Orig. in Matth. 18. Tract. 6.

5. Lucæ 4. v. 13. Matth. 4. v. 11.

Lucæ 4. Ieſus autem plenus Spiritu-ſancto regreſſus eſt à Iordane: & agebatur à Spiritu in deſertum diebus quadraginta, & tentabatur à Diabolo. Mox tribus Diaboli ſucciduis tentationibus recenſitis, à Chriſto glorioſè deuictis, ſubdit Euangeliſta: *Et conſummatâ omni tentatione, diabolus receſſit ab illo, vſque ad tempus.* Benè Anonymus in Catenâ: *legitimè pugnanti*, inquit, *agonum reperitur terminus, quod aduerſarius vel ſuâ ſponte cedat vincenti, vel trino caſu deponatur, ſecundum pugnatoriæ artis decretum.* Qui enim ter in trino conflictu hoſtem vicit, is plane eum ſuperauit, ſubiugauit, proculcauit; ideóque de eo ritè triumphat. Sed quid eſt, quòd dicitur, Ter deuictus *Diabolus receſſit ab illo vſque ad tempus?* Anſelmus Laudunenſis in Gloſsâ Interl. poſteà ad pugnam rediiſſe putat, pugnaturum per Iudæos: Scribæ enim & Phariſæi à Diabolo inſtincti, crebrò Chriſtum tentauerunt, & tandem occiderunt. Porrò Origenes, Abulenſis, & Salmeron, putant Dæmonem de vno vitio tentantem, ſemel ab aliquo perfectè victum, ampliùs de illo eundem non tentare. Veroſimilius tamen eſt, Dæmonem à Chriſto & Chriſtianis perfectè victũ, tantùm ad tempus diſcedere, vt hîc ait Lucas: quare datâ occaſione iterùm ad tendandum ſimili vel eâdem tentatione, regredi. *Diabolus*, ait inibi Ambroſius, *frequentat ſpiculâ vt aut præmio vincat, aut tædio.* Exindè Diabolus ſemel, iterùm atque iterùm à Chriſto ſtrenue deuictus, vires recuperat, tentationem reſtaurat, & pugnam recentat, vt, aut vincat per tentamenti pellaciam, aut per moleſtum aſſidui conflictus tædium. Sic eſt effrons malitia, & impudenter obſtinata!

Anonym.

Anſel. laud.

Origenes. Abulenſis. Salm. apud Cornel. *Diabolus vitio ſimilis, vinci ſe turpe non putat, aſſuetus ignominia.*

S Ambroſ.

obſtinata ! Sententioſè ad rem Philo Iudæus lib.
Philo. de Abrahamo : *Vitium enim*, inquit, *vinci ſe turpe non putat, aſſuetum ignominiæ.* Ecce tibi in agreſtiſſimo Diabolorum, vitij ingenium impudentet temerarium. Porrò ter à Chriſto ignominioſè deuictus, & tot triumphis proculcatus, à tentandi malitiâ non deſiſtit pudore cedendi. Porrò vitiorum opifex, de vitij genio, *vinci ſe turpe non putat, aſſuetus ignominiæ.* Sanè qui ignominiæ aſſuetus, peccandi pudorem impudenter excuſſit, in vitiorum facinoribus inſuſpicabilia ſcelera temerarius audet, quippe quem pudoris frenum non cohibet. Hic, hic inquam, vitij mores & Diaboli ingenium audacter aſſumit : Diabolus enim ter victus, *recedit vſque ad tempus*, & mox regreditur ad tentationis conflictum, vitio ſimilis, quod *vinci ſe turpe non putat, aſſuetum ignominiæ.*

## SYNOPSIS CAP. VI.

*Noctem illam, quæ lautum Reginæ epulum conſecuta eſt, Rex duxit exſomnem : cui, vt peruigilij moleſtiam excuteret, hanc illi Deus mentem ingeſſit, vt Perſicos annales euolueret. Agnoſcit ibi Mardochæi fidem regiæ inco'umitatis ſollicitam, ſed impræmiatam quidèm ; iuſſit Amano, qui eo conſilio matutinus aderat in atrio palatij, vt Mardochæum quantocyùs perderet ; vt quemadmodum ipſe iudicauerat honorari debere, quem Rex maximè vellet honoratum, equum ſumeret regiis phaleris inſtructum, illique regio ornatu Mardochæum impoſitum, publicè traducat, clamitans, ſic illum à Rege condignè honorari. Grauatè hoc tulit Amanus, & re peractâ domum rediens, conſilij inops, cùm vxore, & amicis rem communicat. Vxor malè ominatur de reliquo ; & ad epulum, quod iterùm Regina inſtruxerat, confeſtim per miniſtros vocatus eſt.*

## CAPVT VI.

NOCTEM illam duxit Rex inſomnem, iuſsítque ſibi afferri hiſtorias, & annales priorum temporum. Quæ cùm illo præſente legerentur, 2. ventum eſt ad illum locum vbi ſcriptum erat, quomodo nunciaſſet Mardochæus inſidias Bagathan & Thares eunuchorum, regem Aſſuerum iugulare cupientium. 3. Quod cùm audiſſet rex, ait : Quid pro hac fide honoris ac præmij Mardochæus conſecutus eſt ? Dixerunt ei ſerui illius ac miniſtri : Nihil omnino mercedis accepit. 4. Statímque rex, Quis eſt, inquit, in atrio ? Aman quippe interius atrium domus regiæ intrauerat, vt ſuggereret regi, & iuberet Mardochæum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum. 5. Reſponderunt pueri : Aman ſtat in atrio. Dixítque rex : Ingrediatur. 6. Cúmque eſſet ingreſſus, ait illi : Quid debet fieri viro, quem rex honorare deſiderat ? Cogitans autem in corde ſuo Aman, & reputans quod nullum alium rex, niſi ſe, vellet honorare, 7. reſpondit : Homo, quem rex honorare cupit, 8. debet indui veſtibus regiis, & imponi ſuper equum, qui de ſella regis eſt, & accipere regium diadema ſuper caput ſuum, 9. & primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens clamet, & dicat : Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare. 10. Dixítque ei rex : Feſtina, & ſumpta ſtola & equo, fac, vt loquutus es, Mardochæo Iudæo, qui ſedet ante fores palatij. Caue ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas. 11 Tulit itaque Aman ſtolam & equum, indutúmque Mardochæum in platea ciuitatis, & impoſitum equo præcedebat, atque clamabat : Hoc honore condignus eſt, quemcumque rex voluerit honorare. 13. Reuersúſque eſt Mardochæus ad ianuam palatij : & Aman feſtinauit ire in domum ſuam, lugens & operto capite : 13. narrauítque Zares vxori ſuæ, & amicis, omnia quæ eueniſſent ſibi. Cui reſponderunt ſapientes, quos habebat in conſilio, & vxor eius : Si de ſemine Iudæorum eſt Mardochæus, ante quem cadere cœpiſti, non poteris ei reſiſtere, ſed cades in conſpectu eius. 14. Adhuc illis loquentibus, venerunt eunuchi regis, & citò eum ad conuiuium, quod regina parauerat, pergere compulerunt.

## §. CLXII.

### *Commentarius litteralis.*

*Verſ.* 1. *&* 2. Noctem illam duxit Rex inſomnem, *&c.*

1. LXX. Inter. Ioſeph l. 11. Antiq. c. 6. *Diuina prouidentia ſomnum Regi ademit.*

OBVIÆ ſunt naturales cauſſæ, quæ ſomnum inquietare poſſent & Regem reddere exſomnem: LXX. Interpretes diuinæ in prouidentiæ adſcribunt: *Dominus autem amouit ſomnum à Rege nocte illâ.* Conſentit Ioſephus: *Deus autem,* inquit, *irriſit Amanis ſpem improbam, cui ſciebat euenturum longè aliud. Nam eâ ipsâ nocte ſomnum Regi ademit.* Ergò quæcumque peruigilij cauſſa extiterit, interna, externáve, à diuinâ prouidentiâ adfuit, vt Mardochæum probroſæ cruci deuotum, ad regios honores ſublimaret; & contrà Amanum diuinis honoribus arroganter ſublímem, tot expoliatum ornamentis in patibulum ignominioſiùs ageret. Itaque laudi tribuendum eſt, quòd tametſi Regi obuia animi laxamenta non deerant, quibus inſomnij moleſtiam falleret, honeſtum hoc leuamen, & Regibus peridoneum maluerit. *Iuſsitque ſibi afferri hiſtorias & annales priorum temporum.*] De his hiſtoriis, annalibus, ſeu Diariis diximus ſuprà. Conſulatur hîc Cornelius ſuper hoc Perſarum more, & Pineda de rebus Salom. l. 5. c. 13. num. 15. Bene notat Mariana ex Rabbi Chimhi, pro τὸ *hiſtoriis*, Hebraicè ſcribi, *librum maximè memorabilium*; & pro *annalibus*, haberi, *Verba dierum*, id eſt, *Annales*, ſeu *Diaria.* Reges annales debent euoluere: eſt enim hiſtoria, magiſtra vitæ, à qua ſine ediſcendi pudore ſapientes euadent. *Quomodo nunciaſſet Mardochæus.*] Tametſi Aſſuerus dicatur noctem illam duxiſſe inſomnem, nil prohibet exiſtimare, poſt mediam noctem euigilaſſe, & ad annalium lectionem miniſteriales ſeruos acciuiſſe. Quin & veroſimile eſt, ante Mardochæi factum de proditis Eunuchorum inſidiis, alia aliorum egregia geſta denarraſſe, beneficâ Regis manu largiùs munerata, Quod ſubindicat ſacer Hiſtoricus, aiens: *Quæ cùm illo præſente legerentur, ventum eſt ad illum locum vbi ſcriptum erat, quomodò nunciaſſet Mardochæus,* &c. & Ioſephus numcupatim denarrat. Non dimittam innotatum, quòd P. M. Ferdinandus de Orio, ex præli errore hunc verſiculum aliter excribit.

*Regum eſt, annales euoluere.*

Cornel. Pineda. Mariana. Chimhi.

Ioſeph. ſup. M. Orio tom. 1. in Tertull. de Pat. c. 6. diſt. 19. §. 5. n. 33.

*Verſ.* 3. Nihil omnino mercedis accepit.

2. Salian. ann. m. 3601. n. 31.

Notat Salianus, quòd videntur aulici iſti quaſi ex condicto in gratiam Mardochæi, Regi ita reſpondiſſe. Cùm tamen ſatis rarum ſit aulicos ſibi mutuò patrocinari. Verùm huic loco, in quo Mardochæus dicitur, *Nihil omninò mercedis accepiſſe* ob detectas eunuchorum inſidias; parùm cohærere videtur quod cap. 12. verſ. 5. ſcribitur: *Præcepit Mardochæo Rex, vt in aulâ palatij moraretur, datis ei pro delatione muneribus.* Dionyſius Richel, & Iacobus Tirinus reſpondent, munera quædam data Mardochæo, ſed quæ non reſponderent meritis ipſius, vndè nec *merces* vocari poterat tanti meriti, multò minùs *præmium*, vel *honos*, de quibus ſolis Rex interrogabat. Hoc autem difficile eſt: nam non leue eſt, regium in aulâ officium gerere; (quod ipſi fatentur) & inter tanti Regis palatinos cenſeri, atque in præluſtri ſanè miniſterio, nam Rex eum de nomine & officio nouerat, aiens verſ. 10. *Fac, vt locutus es, Mardochæo Iudæo, qui ſedet ante fores palatij.* Forſan quaſi regij corporis non gregalis aut mediaſtinus cuſtos; ſed tanquam aliquis è præcipuis, Regi aſſiduus & notus. Nec opinor, *Munera* pro tanto obſequio danda Regis nomine, tam exigua, ac nullius æſtimationis fuiſſe, vt *nihil omninò mercedis accepiſſe* diceretur. Vndè Serarius, Mariana, & Sanctius veriùs putant illud capitis 12. quod in Græcis exemplaribus vndè deſumptum eſt, habetur cap. 1. vbi dicitur, data illi fuiſſe pro delatione munera, & vt maneret in aulâ palatij, per anticipationem ibi denarrari: hîc autem Mardochæi factum regiè muneratum eſt. Quod ſi obiicias, quod Perſarum reges cognatâ liberalitate illuſtres, apud Herodotum gratitudine fuiſſe inſignes perhibentur: quo pacto igitur egregium Mardochæi geſtum tandiu impræmiatum fuit? Nam à detectis Eunuchorum inſidiis, vſque ad hanc Mardochæi exaltationem, duo, vt minimum, anni fluxerunt. Reſpondet Tirinus, forſan Amani operâ, cui infenſa nimis fuit inſidiarum detectio, munera, quæ largiri cogitabat Rex, aut fuiſſe impedita, aut aſtutè dilata, demùm obliuioni tradita. Aliter Flauius Ioſephus litem componit, hâc ſuper re ita ſcribens: *Tandem ventum eſt ad eum locum, qui continebat Eunuchorum coniurationem, Mardochæi detectam indicio. quo lecto cùm ſcriba ad aliud deinceps tranſiret, inhibuit eum Rex, percontatus an non ſit adſcriptum redditum ei aliquod præmium. illo verò negante quicquam tale ſcriptum, iuſſit deſinere,* &c. Itaque Rex ſcribam duntaxat interrogauit (ex ſententia Ioſephi) an ſicut in annalibus exaratum erat egregium Mardochæi factum, ita etiam ſcriptum foret, aliquid loco præmij recepiſſe: ſcriba autem reſpondit, *nihil omninò* adſcriptum eſſe de præmio illi reddito. Porrò ſi aliquid accepiſſet mercedis loco, falsò reſpondiſſet, *nihil omninò*: nam τὸ *omninò*, factum Mardochæi prorsùs impræmiatum oſtendit. Exindè non dicit, nihil *omninò* illi datum; ſed nil de donatione deſcriptum, quod verè dici potuit.

Eſther 12.

Dionyſ. Tirinus.

*An hactenùs Mardochæus pro delatione Eunuchorum muneratus ſit?*

Serar. q. 16. Marian. Sanctius.

Herodotus lib. 4.

Tirin.

Ioſeph. l. 11. c. 6. *Proponitur Ioſephi ſententia.*

3. Aliter reſpondere poſſet aliquis, in detectione coniurationis Eunuchorum, ante triennium factâ, reipsâ Mardochæum *munera* accepiſſe, & inter palatinos in Regis aulâ aſcriptum; eiuſmodi autem ſcribam egregiè mentitum fuiſſe, dum *omninò* immuneratum ſuggerit Mardochæi geſtum. Scriptura enim refert id Regis miniſtrum dixiſſe, quod dixiſſe fide ſanctum eſt; ſecùs vera dixiſſe: potuit enim hic ſcriba mentiri, ſicut Amalecita in Saülis cæde. Verùm non arbitror veroſimile, ſcribam auſum fuiſſe Regem fallere inſigni mendacio, in quo ſtatim deprehendi potuiſſet: nec aulicos eſſe adeò beneficos, vt cum tanto ſui periculo alijs benefacere exambiant. Igitur veriùs cenſeo cum Lyrano, Mardochæum in detectione coniurationis eunuchorum, *munera*

*Alia ſolutio proponitur & reiicitur.*

Lyran.

pro

pro delatione accepiſſe, & vt habetur infrà cap. 12. verſ. 5. *præcepit Rex, vt in aulâ palatij moraretur*, mercedem expectans condignam, pro egregiâ fide erga ſe exhibitâ: merces autem hæc, quam expectare iuſſus erat, nimiùm dilata eſt, quod frequenter accidere ſolet his, qui ex Regis gratiâ, aut ſponſione aliquid expectant, nec aulicum aduocatum ſollicitant, aut negotium ſolicitè vrgent. Huiuſmodi autem obliuio non ſine Dei numine accidit, vt oportuniori tempore Mardochæus muneraretur; eum eripiens à patibuli iam parati minis, & omnem populum ab imminente clade. Non poſſum hîc non aduertere, quod ſuprà adnotabamus, Nempè Sanctius, qui munerationem Mardochæi cap. 12. verſ. 5. denarratam, per anticipationem ibi dictam intelligit; in depreſſione autem Amani nunc factâ, abundè muneratum: hîc num. 3. cenſet hactenùs ad palatij limen Mardochæum aſſidere, chariſſimæ Eſtheris curam agens duntaxat; non ex regio munere aut præfecturâ, quam obiret; ſuprà verò ad cap. 2. num. 14. ſerio affirmat, & probat, ante depreſſionem Amani, & ſuam exaltationem, cùm aſſideret palatij foribus, regio tunc munere functum. quod inibi multis impugnabamus.

*Prop... verſimilior argumenti ſolutio.*

*Sanct.*

*Verſ. 4. & 5.* Statimque Rex: Quis eſt, inquit, in atrio?

4. Veroſimilis eſt coniectura Ioſephi, quòd antè quidèm didicerat Rex eſſe diluculum, quandò aulicorum turba Regem ſalutatura confluere incipit. Venerat autem Aman ſolito maturiùs: *Et interius atrium regiæ domus intrauerat, vt ſuggereret Regi, & iuberet Mardochæum affigi patibulo.* ] Nimirùm Amani malitia eum lecto celeriùs excuſſit, quæ diuinæ prouidentiæ famulata eſt ad diſſimillimos planéque pugnãtes fines. Atrium *interius* dicitur Aman ingreſſus: at nemo intrare poterat in *atrium interius*, vt conſtat ex cap. 4. verſ. 11. & cap. 5. verſ. 1. Si Regina non vocata in hoc *atrium interius* impunè ingredi non poterat; quomodò igitur primo diluculo Aman non vocatus intrauerat? Benè notat Tirinus, quòd atrium quod hîc dicitur *interius*, Hebraicè & Chaldaicè *exterius* nominatur. Nimirùm vtrumque dici poteſt adſpectu ad diuerſas partes domus regiæ: adſpectu ad baſilicam, quæ appellatur *domus regni*, erat *exterius* atrium, *interius* autem reſpectu prioris partis domus, vbi non Satrapæ, ſed alij habitabant, vt ſuprà adnotabamus. Vel forſan nemini impunè licebat ingredi in *atrium interius*, quæ erat pars baſilicæ, aut domus regiæ, vbi erat regius thronus, quandò Rex in eo ſedebat: quandò autem Aman non vocatus in *atrium interius* intraſſe dicitur, Rex in cubili erat, aut forſan in lecto: nam primo diluculo accerſiri iubetur. Prætereà adducitat Salianus, quare Amano opus fuerit, Mardochæi mortem nominatim petere? & interrogatione reſpondet: An, inquit, propter ſupplicij genus? nempe crucis. Non adſentiam. nam longè atrocius ſupplicij genus in ipſum Mardochæum, & omnem Hebræorum gentem deſtinauerat, quin Mardochæum nominatim recenſeret; imò nec nominaret populum ferali illo ſupplicio perimendum. Pergit idem Auctor: An, inquit, quia Mardochæus ex aulâ fuit, & quaſi domeſticus Regis, id oportuit nominatìm ad Regem referri? Nec adducar etiam vt huic ſolutioni adſentiam. quia ſeriò ſuprà probatum eſt, Mardochæum hactenùs ex Regis aulâ non fuiſſe. Dein quo pacto Mardochæum nuper cum toto Hebræorum populo ad necem expetiuit, quin illum nominatim expeteret? Quin &, opinor, verba ſacri textus non cogunt, vt Mardochæus nominatim petendus eſſet ad necem: rectè enim Aman pergere potuit, ad Regem impetraturus Mardochæi exitium, quin nominatim Mardochæum exprimeret: ſicut nuper ipſius Mardochæi, & Iudaici populi excidium petiuit, & impetrauit, abſque vllâ Mardochæi, aut populi Iudaici mentione. Ergò Aman animo deſtinauerat expetere Mardochæi mortem, vel Mardochæum tanquam captiuum & ignotum expreſsè nominando; vel forſan verbis generatim ſignificantibus, quempiam rebellem, refractarium, & regiis edictis contumacem. quâ facultate à Rege impetratâ, ad perdendum Mardochæum & petiiſſe, & impetraſſe facultatem diceretur.

*4. Ioſeph ſup.* — *... A... ...rium ... ... 4 & 5.* — *Tirin.* — *Salian ann. ... n. 32.*

*An Mardochæus ad necē nominatim expetendus neceſſariò fuerit?*

*Verſ. 6. 7. 8. & 9.* Quid debet fieri viro, quem Rex honorare deſiderat? &c.

5. Sibi forſan iam gratulabatur Aman quòd ingreſſum tam expeditum nactus eſſet ad Regem, & captandi honoris à ſe maximè expetiti. *Debet indui veſtibus regiis.* ] Maximè inclytus olim putabatur, & regio ſolio confinis qui his rebus vtetur, quibus Reges vti conſueuerant. Quod Biblicâ eruditione probat hîc Sanctius num. 6. ex Dauide adſpectu ad Salomonem, qui dum Rex inauguratur ſuper mulam Regis traduci per vrbem iubetur: & ex Salomone reſpectu Adoniæ ambientis nuptias Abiſag Sunamitidis. Et ex litteraturâ profanâ idem adſtruit num. 7. & Serarius quæſt. 17. ex Curtio, Valerio Max. Plutarcho, & aliis. *Veſtibus regiis.* ] hoc eſt, veſtibus quibus Rex aliquandò vſus fuerat; vel *ſtolâ byſſinâ*, vt habent Græci codices. Monet ex Plutarcho Serarius, capitale fuiſſe vti regiis veſtibus, niſi à Rege ipſo donatis. *Et imponi ſuper equum, qui de ſellâ Regis eſt.* ] hoc eſt, in quo Rex vehi ſolet, & cui ſella Regis imponitur. Mediæ campum Niſæum ferre equos, quibus Perſarum reges vehebantur, copioſè probat idem Serarius. Ex hoc loco adſtruit Pineda lib. 2 de rebus Salom. cap. 5. n. 2. fuiſſe peculiarem Regi equum, in quem nemo alius conſcenderet. quod inibi eruditè probat. *Regium diadema.* ] Eruditè ex Curtio notat Tirinus, *Diadema* fuiſſe inſigne purpureum, albâ faſciâ, & pretioſis lapidibus diſtinctum, & cidari ſeu mitræ capitis intextum: vndè pro ipsâ cidari vſurpatur apud Iuſtinum, & Diodorum. Sanctius verò hîc num. 10. purpureum colorem omittit, candore duntaxat contentus. Itaque ſi nemini licebat vti rebus ad Regum vſus deſtinatis, multò minùs diademate, aut coronâ, quod regium inſigne erat: niſi fortè Rex id honoris tanquam alteri ſibi donare vellet. vt conſtat ex hoc verſ. 8. & infrà cap. 8. v. 15. *Primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum eius.* ] id eſt, equum manuducat. *Tyranni* quondam vox nil aliud ſignificabat quàm Satrapas, Dynaſtas, aut regni principes, poſteà verò poteſtatis abuſu in eos ſolùm quadrat, qui ſubditis violentè dominantur.

*5. Vti rebus ad Regum vſus deſtinatis, ſuperbus quondam honos.* Sanct. — Serar. Curt. Valer. Max. Plutarch. LXX. Inter. — Serar. q. 17. Pineda. Tirin. Curt. l. 3. & 6. Iuſtin l. 10. Diod. l. 16. Sanct.

*Verſ.* 10. *&* 11. Feſtina, & ſumptâ ſtolâ & equo, fac, vt locutus es, Mardochæo.

6. Audito Mardochæi nomine, de magnâ, quam conceperat, ſpe Amanus mœſtiſſimè cecidit, & honorem, quem maximum ſibi modulabatur, homini inimiciſſimo exhibendum inſcius procurauit. Iubetur ergò Aman ſumere ſtolam (id eſt, veſtem talarem) byſſinam, proprium Regum *Diademate redimitus vrbem obequitat Mardochæus.* Perſarum indumentum, & equum in quo Rex vehi ſolet, vt Mardochæus regiâ ſtola indutus, & regio inſidens equo, per regiam vrbem glorioſè traducatur. Tametſi aſſumere *ſtolam* & *equum* iubeat Rex, nec vlla *diadematis* fiat mentio, indubium mihi eſt, Mardochæi caput diademate redimitum: dixit enim Amano Rex: *Fac, vt locutus es.* & iterùm: *Caue ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas*: de diademate autem nuncupatim locutus fuerat. Dein cap. 8. v. 15. Mardochæus dicitur regiis veſtibus, & *au-* Eſth. c. 8 *reâ coronâ* fulgere. Nec morabor aduerſarios, ſi diſcrimen obtendant inter *coronam*, & *diadema*: nam ſi Aſſuerus *diadema* Mardochæo negauit, quia peculiare erat Regum inſigne præ ipſis tegiis veſtibus; *corona* etiam non minùs quàm Vatabl. *diadema*, peculiare Regum inſigne eſt, & regni Hebr. Schol. notaculum. Putat Vatablus ex quodam Hebræo ſcholiaſte, quòd apud Perſas ſolebat equus deferre *diadema* regni; vndè nunc Rex *diadema*, ſeu *coronam* omiſit. Verùm neque Vatablus, neque ſcholiaſtes Hebræus id aliquo teſtimonio probant. Et ſanè *diadema*, ſeu *corona*, regij capitis ornamentum eſt: vndè hìc verſ. 8. de viro, quem Rex honorare voluerit, dicitur debere *accipere regium diadema ſuper caput ſuum.* Fuiſſe autem hunc honorem impaucis ſublimem, tum ex ſingulis, quæ ad eum concurrebant, erantque propria Regum inſignia: tum ex eo quòd ipſe Aman alioqui arroganter ſublimiſſimus, à Rege ſecundus, & ſatrapatum primus, eum ſibi tanquam auguſtiſſimum exam- Mendoça, Lyran. bierit, perſpicuè colligitur. Fruſtrà Mendoça tom. 2. in cap. 8. verſ. 1. num. 1. ex Lyrano adſtruere conatur, diademate promiſſo defraudatum fuiſſe Mardochæum.

7. *Mardochæo Iudæo, qui ſedet ante fores palatij.*] Hinc ſatis conſtat Mardochæum, & Regi ex nomine notum, & illi etiam innotuiſſe, ad fores palatij perpetuò aſſiſtere, ex eo præſertim *Quàm grauatè tulerit Aman inopinatum rei exitum.* tempore, quo Eunuchorum inſidias detexit. *Caue ne quidquam de his, quæ locutus es prætermittas.*] Hæc Regis cautio manifeſtè innuit, Amanum tam inopinato rei exitu ſic inſolenter perculſum, vt pallor vultus, & linguæ titubatio, animi in exequendo mandato reluctantiam ſatis indicarent; ſed *feſtinare* iuſſus, & præcoqua ſeueriùs *cautio*, & ſubita violenti Regis ira, vetuit detrectare mandatum. *Tulit itaque Aman ſtolam, & equum.*] Sicut cùm dicitur tuliſſe *equum*, regia etiam ſella innuitur; ſic cum *ſtola*, tuliſſe etiam *diadema* perſpicuum eſt. *Indutúmque Mardochæum in* Ioſeph ſup. *plateâ ciuitatis.*] Addit hìc Ioſephus coniecturam Interpretibus vulgò improbatam: *Exiuit enim Aman, inquit, cum equo & purpurâ, & torque aureo, inuentúmque ante aulam Mardochæum ſacco amictum, iuſſit eo depoſito induere purpuram. Qui veritatem rei neſciens, ſed illudi ſibi putans: Sceleſtiſſime, ait, adeóne calamitati noſtræ inſultas? Perſuaſus* *Ioſephi coniectura.* *tandèm quòd Rex hoc ei præmium, pro accepta ſalute redderet, próque detectis Eunuchorum inſidiis; induit purpuram, quâ Rex ipſe vti eſt ſolitus, & ornatus torque, conſcensóque equo, vrbem obequitabat, præcedente Amane, & clamante: Sic honorabitur, quem Rex honorare voluerit. Impoſitum equo præcedebat, atque clamabat*, &c.] Sic à matutino penè diluculo (ait Tirinus) ferè vſque ad conuiuij tempus, coactus Tirinus. eſt ſuperbiſſimus Aman vice ſtratoris fungi, & freno equi arrepto deducere per vniuerſam vrbem regiam iuratum ſuum hoſtem Mardochæum, & tanquam Domino ac regi ſuo deſeruire, adeóque & præconis inſtar, laudes illius & merita vbique intonare. Hunc locum ad mores verſat M. Ferdinandus Orio, & ex Auguſti- M. Orio tom. 1. in Tertull. de Pat. c. 7. diſt. 21 § 3. Auguſt. Sanctius. no ad illa verba Pſalmi 146. verſ. 10. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit*, illuſtrat.

*Verſ.* 12. Reuerſúſque eſt Mardochæus ad ianuam palatij.

Non inidonea eſt Saliani coniectura, quòd 8. Mardochæus perluſtratâ glorioſius vrbe, ad Re- Salian. ſup. num. 14. *Regi Mardochæus gratias agit.* gem ingreſſus ſit, vtique gratias acturus de tanto beneficio, & regia illa inſignia Regi redditurus. Quod vel per ſe, (ſi fortè licebat) vel per internuncium feciſſe (vt vt poterat) ſatis veroſimile apparet. Deinde ad locum rediit, cui aſſidere aſſuetus erat, & vndè regiis inſignibus decoratus exierat. Credibile etiam eſt, ad priſtinum ſaccum pariter rediiſſe perſiſtente adhuc cauſsâ, attentiúſque expectaſſe cum reliquis Iudæis, ieiunij fructum, & fabulæ exitum. *Et Aman feſtinauit ire in domum ſuam, lugens &* *Quare, & quomodo, Aman caput operuit.* *operto capite.*] Feſtinus in domum ſe proripuit Aman, quòd ipſe Perſici imperij primus Dynaſta, publico & iurato aduerſario famulari coactus ſit, forſan plaudente populo, plerumque in regium Familiarem non benè animato. Caput Amanus *operuit*, tanquam ferre non poſſet oculos intuentium ſe., quaſi exprobrantes obſequium ab eo exhibitum inimico, vt putant Salianus & Menochius. Vel vt mauult Sanctius, Salian. ne aliis vultu pallenti ac lugubri, ſui animi Menoch. ſenſum ignominioſè proderet, caput *operuit*, & Sanctius. cum eo faciem, in quâ dolor apparet, & pu- Carthuſ. dor. Carthuſianus, & Tirinus obtectum Ama- Tirinus. ni caput triſtitiæ adſcribunt. Hic addit Amani caput pallio obuolutum, quaſi ferre impos intuentium ſe conſpectum. Sic ſolent triſtes (ait Mariana) pileum deiicere, pallium capiti ob- Mariana. uoluere!

*Verſ.* 13. Narrauítque Zares vxori, & amicis omnia quæ eueniſſent ſibi.

Non quia ignorarent, quod præ rei inſolen- 9. tiâ, per totam vrbem celebri famâ volitabat: Eſther 5. ſed non eſt miſeris laxamentum leue, animum ſuum amicis effundere. Hos conſilia- *Amici conſiliarij iidem dicuntur ſapientes.* rios hìc *amicos* appellat, quo nomine ſuprà cap. 5. verſ. 10. nuncupati ſunt. Eoſdem autem confeſtim *Sapientes* nominat; non quòd alij fuerint à prioribus conſiliariis: nam *amici* etiam vt ſuprà vocan

vocantur, nec niſi ſapientiæ famâ pollerent, primò vocati forent ad conſilium: neque eſt credibile alios aſciuiſſe ad proſecutionem negotij, ab his, quos ad inchoationem euocauerat, præſertim in tam exiguâ temporis mora: nam iam iam conuiuij tempus inſtabat. Dicuntur autem *Sapientes*, id eſt, Magi, quos Reges, & Principes ad conſilium vocabant, vt de futuris ominarentur. *Si de ſemine Iudæorum eſt Mardochæus, ante quem cadere cœpiſti, non poteris ei reſiſtere.*]

Lyran. Dion. Rich. Lyranus, & Dionyſius cenſent in linguam Perſicam Biblia ſacra fuiſſe tranſlata, captiuis Iudæis in Perſide commorantibus, ex quorum lectione hi *Sapientes*, ſeu Magi diſcere potuerunt, Iudæos modò *pulueri terræ*, modò *cæli ſtellis* comparari. At Biblia in linguam Perſicam tranſlata nullo teſtimonio, aut probabili coniecturâ adſtruunt. Et ſanè ſi tranſlata fuiſſent, aliquod alicubi veſtigium appareret, ſicut tranſlationum in alias linguas. Nec opinor, hoc Sapientum præſagium ad id cogit: ſatis enim erat ex aſſiduâ cum Hebræis conuerſatione ſacras hiſtorias non ſemel obaudiſſe, quæ frequenter in Iudæorum ore verſabantur. vt putà Pharaonem miris cælitùs plagis contritum, Amalecitas in deſerto malè conciſos, Chananitidis Reges funditùs deletos: & ipſos nunc de offenſo eorum Numine miſerabiliter victos s & de ritè propitiato poſtmodum miriſſimè victores, ſupra humanæ potentiæ faſtigium. Quod & Achior Ammonita, tametſi hoſtis, & à gente Iudæorum alienus, Holoferni ſuggeſſit, Iudith 5. v. 18. & 19. Veroſimile autem eſt, ex huiuſmodi coniecturis hos *Sapientes* ſuum præſagium concinnaſſe. Nimirùm, ſi Mardochæus cædi iam deuotus, & tantùm non occiſus, cùm in patibulo per te ſuſpendendus erat, tunc rediuiuâ gloriâ te detriumphauit, adeò vt penè regio ipſius honori, & inopinatæ triumphali eius pompæ famulatus ſis; proculdubiò eius Deus hactenùs ipſi, & eius populo offenſus, iam ritè ab eo propitiatus eſt, & illi ſumptuoſiùs auxiliaris. Time igitur cum Pharaone Ægyptio, cum Amalec Idumæo, & cum Palæſtinis regibus, à Iudæorum Deo, qui mira, & inopinata operari pro illis incœpit. Hic diſcurſus perſpicuè tranſparet in his verbis: *Si de ſemine Iudæorum eſt Mardochæus, ante quem cadere cœpiſti, non poteris ei reſiſtere, ſed cades in conſpectu eius*: neque enim magno Deo Hebræorum reluctari euales. Quod explicatius ediſſerunt Biblia regia: *Si de genere Iudæorum Mardochæus, & cœpiſti humiliari ante eum, cadens cades. non poteris eum vlciſci, quoniam Deus viuens cum eo.* Adſimilia habet Ioſephus. Vndè neceſſè non eſt opinari diuinum inſtinctum, ruinæ imminentis prænuncium, Sybillino adflatui ſimilem: vel fuiſſe Magos, qui conſulto Dæmone ſic ariolantur: huic enim Sapientum præſagio prudens ſufficit coniectura.

*Sapientum præſagium ... conſectura ... venit.* [margin note, partly illegible]

*Iudith. 5.* [margin]

*Verſ.* 14. Adhuc illis loquentibus, venerunt eunuchi Regis, *&c.*

10. *Feſtinatur Aman ire ad Reginæ conuiuium.* [margin, partly illegible]

Cùm ſuam non inidoneam coniecturam Zares vxor, & amici ſapienter conſiliarij, Amano mœſtiſſimo aperuiſſent; Eunuchi Regis, citò cum ad conuiuium quod Regina parauerat, *pergere compulerunt*. Feſtinantia eunuchorum, quæ exprimitur in Hebræo, & *compulſionis* vox, quæ habetur in Vulgato, inſinuant, quòd horâ iam tardior erat, & Aman conuiuio abſtinere deſideraret, paratior triſtiùs lugere, quam exultantiùs prandere: ſed Aman Regis iram metuens, dum ad funeſtum conuiuium pergit, ſæuiorem indignationem incurrit. Nota hîc quàm ad natum Regi Perſico regni Satrapæ, & Summates parerent, vt Aman nec iuſſus equo deducere Mardochæum, nec ire ad conuiuium infauſtè ominatum, auſus ſit vllum verbum proferri, aut aliquid negotij aut inualetudinis cauſari, quo iniunctum ſibi munus detrectare videretur.

## §. CLXIII.

*Aliquot huius capitis moralitates perſtrictim delibantur.*

*Verſ.* 1. Noctem illam duxit Rex inſomnem, iuſsítque ſibi afferri hiſtorias, & annales priorum temporum, *&c.*

Plura magno Regi voluptuoſa affatim ſuppetebant laxamenta, quibus inſomnij moleſtiam falleret: ſed in quiete importunè peruigil, opportunè Regem agit, & vigiliæ tempus ad regiam beneficentiam lucratur. Appoſitè Flauius Ioſephus: Aſſuerus *nolens vigiliæ tempus perdere, ſed malens in aliquod regni negotium id impendere, iuſſit ſcribam allatis commentariis res tam à ſe, quàm à maioribus geſtas legere.* O bonam Principibus eruditionem! ô idealem temporis auaritiam, quæ exſomni etiam noctium quieti, negotioſi regiminis curas partitur, ne in permiſſo omnibus otio nihil agat. Moleſtam peruigilij quietem regni negotiis impendit, qui ſe totum regno debet. O, de barbarici Regis ſcholâ, exſomnis regnandi ſollertia vtinam ediſcatur. Rex qui noctu altè ſopitus ſtertit, interdiu in actuoſo negotiorum tumultu inerter oſcitat, & ignauè pandiculatur. Admonet Caietanus quòd pro τὸ *hiſtorias & annales*, iuxta Hebræum habetur, *librum recordationum*, qui obliuionis morbo Principibus cognato, frequenti lectione mederetur.

1. *Aſſuerus in peruigilio etiã actuoſus:* Ioſeph. l. 11. Antiq c. 6. [margin]

Caiet. ibi. [margin]

*Verſ.* 3. Quid pro hâc fide honoris ac præmij Mardochæus conſecutus eſt?

LXX. Interpretes ſic locum excribunt: *Quam gloriam, vel gratiam fecimus Mardochæo?* Eſto, *honor* dici queat in palatio, *gloria*, quaſi *honor* ſit palatinorum *gloria*: at *præmium* ob rem ſtrenuè geſtam Mardochæo præbendum, quomodò *facienda* à Rege *gratia* nominatur? Porrò vbi merita micantiùs elucent, *gratiæ* elogium tectiùs obſcuratur; & munerum largior exhibitio, in *præmij*, aut mercedis nomen degenerat. O ingrata perſæpè Principum obliuia! *Præmium* tot nominibus debitum præclaris Mardochæi meri-

2. LXX. Inter. *A Principibus exhibita præmia. adulterata aulæ nominatione gratia nuncupatur.* [margin]

tis, & obliuioſâ cunctatione dilatum cùm tandem ei redditur, etſi benè promeritum, & diu promiſſum, *gratia* nominatur! In quorumdam Principum aulâ fieri *gratia* dicitur, cùm debitum meritis *præmium* exhibetur, quaſi quod debetur, donetur gratis, & *præmium* recidatur in *gratiam*.

*Verſ.* 3. Dixeruntque ei ſerui illius ac miniſtri: Nihil omninò mercedis accepit.

3. Salian. ann. m. 3601. n. 31.
*Aulicis benè non eſt, niſi aliis malè fuerit?*
Mariana ibi.
*Dulce verbũ, mercedis loco eſt benemerentibus.*

Eloquenter præſcripta verba ſic exponit Salianus: *Videntur aulici iſti quaſi ex condicto in gratiam Mardochai, Regi ita reſpondiſſe. Cùm tamen ſatis rarum ſit aulicos ſibi mutuò patrocinari, qui parati ſunt potiùs calumniis, inuidiam æmulis parare; perſuaſi ſibi benè non fore, niſi aliis malè fuerit.* Vide aulæ mores, fuge. Aliter Mariana: Dixerunt ei ſerui illius ac miniſtri: *Nihil omninò mercedis accepit: Hebraicè, Non factum cum eo verbum.* Non modò ſtrenuum Mardochæi factum nullo præmio muneratum eſt, ſed nec *factum cum eo verbum*, quod munerationis vices ſubſtituat. Vel dulce verbum, quod obſequium ſtrenuè exhibitum magni æſtimat ore tenùs, mercedis vices vrbanè obit. *Ni an premiado à Mardocheo, ni aun le an dicho vna buena palabra.* Scio idiotiſmi ſignificantiam: ſic autem iuuat ethicè velitari.

*Verſ.* 4. Aman quippè interius atrium domus regiæ intrauerat.

4. Eſther 4. v. 11.
*Regio ne Priuato licet, quod Reginæ non licet?*
Bibl. regia hic verſ. 3.

An non Eſtheris vox eſt, *quòd ſiue vir, ſiue mulier non vocatus, interius atrium Regis intrauerit, abſque vllâ cunctatione ſtatim interficitur?* quomodò igitur Aman tunc non vocatus, *interius atrium domus regiæ intrare* audet? Nec modò in *atrium interius* ingreſſus tunc dicitur, ſed *ecce Aman in aulâ.* Non timet Aman ingredi in *atrium interius*; imò nec *in aulâ* non vocatus verſari: & Eſther regina Regi chariſſima, id tam pauidè reformidat? An regius Priuatus, de familiaritatis priuilegio exlex habetur? Quanta Priuato licent, quæ regiis perſonis impunè non licent!

*Verſ.* 6. Cogitans autem in corde ſuo Aman, & reputans quòd nullum alium Rex niſi ſe vellet honorare.

5. Lyranus.
*Superbus neminem præter ſe honore dignum cenſet.*
Ioſeph. l. 11. Antiq. c. 6.
*Malè cogitat Priuatus, quamcumque ſententiam protulerit, in rem ſuam fore.*

Quæ verba ſic Lyranus exponit: *Quia modus ſuperbi eſt æſtimare, quod nullus niſi ipſe debeat honorari.* Parum foret ſuperbo vltra modum, & ſupra humanum faſtum honores ambire, ſi ſaltem ei veniret in mentem, alios præter ſe honore dignos inueniri poſſe. Dein Ioſephus præfata verba luculentiùs commentatur: *Tum Aman, inquit, cogitans quamcumque ſententiam protuliſſet, in rem ſuam fore, quod ipſe præ ceteris Regi charus eſſet; indicauit ei, &c.* Vide mihi quâ fiduciæ temeritate, inertiſſimi Regis regius Priuatus de rebus agendis deliberet, de prolixâ experientiâ edoctus ſeriò *cogitans, quamcumque ſententiam protulerit, in rem ſuam fore.* Siue in re decernendâ ſcopum caſu collimet, ſiuè longiùs ab eo caſu, aut conſultò aberret, nil ſuæ peritiæ famam apud Principem inuitiat, ſcius *quamcumque ſententiam protulerit, in rem ſuam fore.* Inertis Principis, & ſceleroſi Priuati hæc elogia ſunt. Ne Aſſuerum, aut Amanem imiteris.

*Verſ.* 9. Et primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum eius, *&c.*

Cui reſpondit Rex: *Fac, vt locutus es, Mardochæo Iudæo: quia tu es primus inter principes regni mei*, ait inibi Lyranus Flauium Ioſephum imitatus, qui ita inducit Regem eiuſmodi obſequia Mardochæo exhibenda præcipientem: *Nam tu amicus es intimus, & conſilium quod dediſti, exequeris optimè.* Ipſe Amanus ſuo ſe ſuffragio huic muneri imprudens deſtinat: nam *amicum* Regis *intimum* & *primum de regiis principibus* huic muneri gerendo ſuggerit; ipſe autem hoc potiſſimùm nomine gloriatur, & arroganter ſuperbit. O malum! honorem, & dignitatem *Primi* de regiis principibus, aut Reipublicæ muniis ambimus, & *Primi* moleſtias detrectamus: has aliis lætanter ingerimus, & ſub eis ignominioſè gemimus. Quin & dum huic muneri deſtinatur Aman, Regis ore *primus ac regiis principibus* declaratur: maluit Aman non prodeſſe inimico, quàm Regis *ore primum de regiis principibus* (quod omnium vota tenet) palàm renunciari. Cederet primatui, ne obſequeretur inimico. O Amani hoſtilitas ambitione maior!

6.
Hic verſ. 10.
Lyra hic.
Ioſeph. ſup.
*Honorem Primi ambimus, Primi moleſtias detrectamus.*
*Aman regia familiaritati cederet, ne obſequeretur inimico!*

*Verſ.* 9. Et primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum eius, *&c.*

7.
Bibl. Sixt.
Regia.
Pagninus.
Vatablus.
*Ambitio per mille indignitates, ad regimen ... gnit. ... cendit.*
Mariana.
*Regius Priuatus Anteſignani obſequia captare ambit.*

Pro τὸ *primus de regiis principibus*, Biblia Sixtiana & Regia habent: *Vni amicorum Regis*, Pagninus, *De principibus Regis, maioribus principibus*, Vatablus, *Ex Satrapis, anteſignanis, qui ſcilicet exercitus ducere ſolent. vel, vt alij volunt, vox Hebræa ſignificat eos, qui abſente Imperatore exercitui præſunt. Alij verò, in manum vnius ex principibus Euphratis, id eſt, qui trans Euphratem habitabant.* Nimirùm domi militiæque inclytum quemque, & imperitare ſolitum, obſequio ſuo Amanus deſtinat. Hic, hic inquam, dum vrbem ipſe obequitat, *teneat equum eius*, id eſt, ait inibi Mariana, *Habenas regat is princeps.* Scilicet ne nimis graue ac moleſtum ſit magno Principi imperitare adſueto tam vile obire miniſterium tenendi equum, animaduertat interim *habenas regere*, commutaſſe regimen, non depoſuiſſe, quod intolerabile foret. Alicuius interim *rectionis* ſaccaro vile & moleſtum obſequium mellit, quo mellito cibo aulicus quiſque ineſcari ſolet. Sic *regendi* ambitio palatinos tenet, & per mille indignitates, Dignitates occupant: neque vile aut graue putant, quod ad obtinendum regimen viam ſternit. Princeps quiſque habenas equi, cui alius inſidet, *reget*, vt interim *regat*, & ad *regimen* paret aſcenſum. Vide autem Amani inſolentiam, qui non tam à togatis aulæ principibus, quàm à regiæ militiæ Imperatoribus, & regiis anteſignanis, obſequia captare exambit.

*Verſ.* 11. Tulit itaque Aman ſtolam & equum, indutumque Mardochæũ, *&c.*

8.
Bibl. regia.

Biblia regia ſententioſè excribunt: *Tulit autem*

*Mardochai ornamentum, Amanus eſt. & Abſalom, Patris pax.*

*tem Aman ſtolam & equum, & ornauit Mardochæum.* Aman iuratus hoſtis Mardochæum inimiciſſimum *ornat?* Sæuior inimicus atrociter pugnax *ornatus* iuſtorum eſt. imbecilla eſt virtus, quæ inimico caret. Hoſtilis aduerſarij animus: virtutem ex occaſione adornat, integrat, complet. Sic Abſalom in Patrem rebellis, & impiè pugnax, *Patris pax* moraliſſimè interpretatur: nam ex atroci filij Abſalomi bello, *patris* Dauidis *pax* glorioſiùs *ornata* eminet & apparet. Sic Mardochæi ornamentum, Amanus eſt.

Bellarm. in Pſal. 3. v. 2.

*Verſ.* 12. Reuerſuſque eſt Mardochæus ad ianuam palatij.

9. Mardochæus poſt adeptam ſumptuoſiùs gloriam, quam *primus de regiis principibus ac tyrannis* fruſtrà ſuſpirauit, ad priſtinum reuertitur miniſterium; *reuerſuſque eſt ad ianuam palatij.* Idem ipſe eſt Mardochæus & dignitate ſubliſſimè auctus, & qui mediaſtinum obibat munus. imò alter ipſe, poſt auguſtum faſtigium redit *ad ianuam palatij*, donatâ ſibi dignitate maior. Ignorat Mardochæus priſtini officij nauſeam, quam ambitio prouocat, quam dignitatis arrogantia ſuggerit, quam penè regius honos ingerit. *Ad ianuam palatij* ſqualidus glorioſam ouationem accepit; & poſt gloriæ cumulum, maioris gloriæ auctario, *ad ianuam palatij reuerſus eſt.*

*Verſ.* 12. Aman feſtinauit ire in domum ſuam, lugens & operto capite.

10. Hoc poſterius hemiſtichion ſic exponit Chaldæus: *Lugens & innolutus capite ſuo.* Triſtis ac lugens Aman, *capite ſuo innoluitur?* LXX. Interpretes: *Triſtans demiſſo capite* Regius Familiaris mœſtitudine triſtis, multos *triſtat*, an egregiè lætificat? Animitùs hilares triſtitiam ſimulant, vt de conſimili affectu Priuato adulentur mœſtitudine adulanter falſatâ. At Biblia regia pro *τὸ lugens & operto capite*, habent, *lugens in capite.* Cùm facies velatur, & caput operitur, totum caput *lugere* dicitur. Parùm eſt oculis lugere, toto luget capite, quiſquis faciem velamine operit. Viderint virgines Deo ſacræ, quòd dum faciem velamine operiunt, toto *capite lugere* ſpondent. Scenicum luctum repræſentat, quæ ſub aperto capite hilarem vultum gerit. Parùm luget, quæ oculis duntaxat luget.

*Verſ.* 13. Cui reſponderunt Sapientes quos habebat in conſilio, *&c.*

11. Quid eſt, quòd illi ipſi (qui hîc appellantur *Sapientes*, ſuperiori cap. v. 14. *Amici* nuncupantur? Nimirùm ex qualitate ſuffragij, elogium nominis conſultores mutuantur. Scilicet præcedenti capite, quandoquidem ad Amani nutum temperauere ſuffragium, adulatione potiùs quàm ratione cenſentes; tunc quaſi ſapientiam diffitentur, non *Sapientes*, ſed familiares, neceſſarij, ſeu *amici* perhibentur. Quandò autem auſteram veritatem, etſi auditu moleſtam, & improſpera durè ominantem, dicere non verentur, abiectâ amicæ gratiæ, & ambitioſæ neceſſitudinis perſonâ, tunc, tunc quidem, iure ſuo *Sapientes* nuncupantur: quia tunc verè ſapiunt, & *Sapientum* nomen implent, cùm auſtera prudenter augurari audent.

*Verſ.* 14. Ad conuiuium, quod Regina parauerat, pergere compulerunt.

Biblia regia: *Adueniunt Eunuchi compellentes Aman ad conuiuium.* Vatablus: *Feſtinauerunt Eunuchi ad faciendum venire, id eſt, coëgerunt Aman vt citò veniret ad conuiuium.* Sic iam faſtidit regalis conuiuij honorem, cuius ſpe arrogantiùs heri gloriabatur? Sic animus triſtitiæ malo, ad glorioſa quæque faſtidioſè nauſeat? Sic honor, qui ſpe fulget, poſſeſſione vileſcit? regias ſumptuoſioris epuli delicias; & ſingularem prærogatiuam menſæ cum Rege ac Reginâ communis, quam heri faſtuoſè ſuſpirabat, nauſeabundus hodie faſtidit, adeò vt inuitus *cogendus eſſet?* Quod gratâ ſpe dulciùs momordit, *cogendus* eſt, vt deglutiat? O mœſtitudinis tædia! O falſatas mundi delicias, & mentitos palatij honores! Hic nunc Amani angor, & ſuſpenſus timor, adridentis nuper fortunæ ſtipendium eſt, & ficti honoris præſaga titubatio. 12.

Bibl. regia. Vatablus.

Eſther 5. v. 12. *Ad conuiuiū, quod gratâ ſpe dulciùs momordit, nunc Amanus cogitur.*

---

## §. CLXIV.

### *Eruditio, & ſapientia Reges adornat, & regimen egregiè felicitat.*

STrenuus Princeps in pace iuxtà ac bello Hiſtoriarum lectionem non omittat, Cæſaris, Auguſti, Antonini, Traiani, Adriani, nec non & Aſſueri nunc exemplo. Validiſſimi hi magiſtri ſunt, & muti loquentibus potentiores. *Optimos conſiliarios Mortuos* aiebat rex aliquis, intelligens hos ipſos Hiſtoriarum libros. Porrò Hiſtoria eſt, lux veritatis, regiminis lima, & magiſtra vitæ. Verè Magiſtra. In hâc enim tibi fas eſt, ait Plutarchus, *tanquam in ſpeculo, ornare & componere vitam tuam ad alienas virtutes. In quâ hoc præcipuè ſalubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita intueri: vt indè tibi tuæque reipublicæ quod imitere capias; indè fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites,* inquit Liuius. Ex Hiſtoriis Princeps die ſæpè vnâ, adeóque horâ diſcet vnâ, quæ opinatiſſimi regnorum gubernatores, fortunatiſſimique exercituum ductores, per attentiſſimam rerum momentis prudentiam, per ſudores, vulnera, ſanguinem, damnaque, ætate totâ, pace bellóque conſecuti ſunt: atque prudentiam aliorum periculo, damno ſuo nullo, non magnâ lectione colliget. Itaque Principem ſapientiâ imbutum, vtraque paſſim eruditio prædicat: prædicabiliſque hîc Aſſuerus oſtenditur, qui noctem illam ducens inſomnem, *iuſſerit ſibi afferri hiſtorias & annales priorum temporum*, & illo præſente legi. 6.

Alfonſus Siciliæ.

Plut. in Timol.

Liui. lib. 1. *Hiſtoriarum libri ſunt optimi Regum cōſiliarij iam emortui.*

Hîc verſ. 1.

2. Iudith 2. Nabuchodonoſor ille (quem inibi opiuabamur fuiſſe Xerxem, huius Aſſueri, ſeu Artaxerxis Longimani patrem) vocauit omnes maiores natu, omneſque duces, ac bellatores ſuos, & habuit cum eis myſterium conſilij ſui. *Dixitque cogitationem ſuam in eo eſſe, vt omnem ter-*

Iudith. 2. v. 3.

*ram ſuo ſubiugaret imperio. Quod dictum cùm placuiſſet omnibus*, &c. In hâc capeſſendi conſilij deliberatione, non aſſutam ſibi peritiam oſtendit Rex; ſed coram conſilioſo Senatu, quem ad conſilium aduocauerat, ait, *Cogitationem ſuam in eo eſſe*, non ab alio ortam, & Regi ſuggeſtam; ſed *in eo* natam, ſibi inquilinam prolem non peregrinam: ſuæ curæ & cogitationis legitimam prolem, non ſpuriam & ab alio ſuppoſitam. (Sic liceat verba vſurpare; literaliorem ſenſum inibi dedimus.) Quod de ſe dixit Regum ſapientiſſimus, Sapientiæ 7. *Mihi*, inquit, *dedit Deus dicere ex ſententiâ, & præſumere digna horum quæ mihi dantur.* Opportunè Amalaſuentha Regina, dum ſe elegiſſe in regni ſui conſortem Theodahadum, Caſſiodori calamo ad Romanum ſenatum ſcribit, ſic eum à ſapientiâ commendat: *Acceſſit*, inquit, *his donis deſiderabilis eruditio litterarum, quæ naturam laudabilem eximiè reddit ornatam. Ibi prudens inuenit, vndè ſapientior fiat: ibi bellator reperit, vndè animi virtute roboretur: indè Princeps accipit, quemadmodum populos ſub æqualitate componat. Nec aliqua in mundo poteſt eſſe fortuna, quam litterarum non augeat glorioſa notitia. Neceſſe eſt enim vt ſequatur iuſtitiæ veſtigium, qui de ſuâ ſententiâ cauſſam ſe credit eſſe dicturum.* Scilicet conſilium periti Principis *in eo* eſt, cùm nota iuſtitiæ veſtigia ſecutus, de ſuâ ſententiâ cauſſam ſe credit eſſe dicturum: non de extraneâ, & male aſſutâ Familiarium ſuggeſtione. Sic eruditio litterarum, & ſapientia ſtudioſè exculta, laudabilem naturam Principis ad deliberandum, & decernendum exornat?! Et ſanè cùm Nabuchodonoſor ſe ſapienter in conſiliis deliberare ac decernere exiſtimet, addit, *Cogitationem ſuam in eo eſſe, vt omnem terram ſuo ſubiugaret imperio*; cunctus vno ore ſenatus adnuit: nam *Iudex* (Rex inquam) *Sapiens iudicabit populum ſuum, & principatus ſenſati ſtabilis erit.* Biblia Compl. *Iudex ſapiens erudiet populum ſuum, & principatus prudentis protenſus erit*; putà, extendet ſe ad multas gentes, & ad multos annos, vt inibi Cornelius commentatur.

*Grãde Principum elogiũ eſt, dicere ex ſententiâ.*

Sapient. 7. v. 15.

Caſſiod. l. 10. variar. epiſt. 3.

3. *Principis ſapientia extenditur principatus.*

Eccli. 10. v. 1.

Bibl. Compl.

Cornel.

4. Regius Propheta Pſal. 71. prænuncians regnum Salomonis, & in eo regnum Chriſti, ita canit: *Deus, iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis. Iudicare populum tuum in iuſtitiâ, & pauperes tuos in iudicio*, &c. Idcircò Euangeliſta Ioannes hæc Chriſti Dei verba refert: *Neque enim Pater iudicat quemquam: ſed omne iudicium dedit Filio.* Multa hîc ſancti Patres; & recentium Commentatorum proceres addaggerant, vt exponant, quomodò Pater neminem dicatur iudicare, ſed omne iudicium dediſſe Filio. Chryſoſtomus, Theophylactus, Leontius, & Ambroſius exiſtimant omne iudicium Filio datum, non quia homo, ſed quia Dei Filius eſt: ideóque iudiciariam poteſtatem illi datam vnà cum æternâ generatione. Pater enim Filium generando illum iudicem fecit, *quia hoc ipſo quod Filius erat, poteſtas illi iudicandi tamquam primogenitæ Patris ſapientiæ debebatur.* Quâ ſuper re ita ſapienter ad rem S. Thomas philoſophatur. *Propriè*, inquit, *ſapientia eſt, ſecundum quam accipitur forma iudicij, quia ipſa ratio iudicij, eſt lex ſapientiæ vel veritatis, ſecundum quam iudicatur. Et quia Filius eſt ſapientia genita, & veritas à Patre procedens, & ipſum perfectè repræſentans, ideò propriè iudiciaria poteſtas attribuitur Filio Dei.* Scilicet eadem generoſitas, eadem æquitas, eadem omnipotentia, imò & eadem ſapientia inuenitur in Patre Deo, ac in Filio Dei. Verùm vſque adeò iudiciaria poteſtas indiuiduam ſibi ſapientiam expoſcit, vt æternâ Patris generatione data illi ſit, quia ex proprio charactere eſt ipſa ratio iudicij, & lex ſapientiæ vel veritatis ſecundum quam iudicatur; ideò Pater omne iudicium dediſſe Filio dicitur. *Quia Filius eſt ſapientia genita, & veritas à Patre procedens, ideo propriè iudiciaria poteſtas attribuitur Filio Dei.* Vide quàm debeat eſſe ſapientia Poteſtati indiuiduè cognata, vt adeò non Patri Deo attribuatur iudiciaria poteſtas, ſed filio Dei, quia ex proprio charactere *genita ſapientia* procedit: *Neque enim Pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio.*

Pſal. 71. v. 2.

Ioan. 5. v. 22.

S. Chryſoſt. Theophyl. Leont. ibi S Amb. l. 2. de Fide, c. 4.

Maldonat. ibidem.

S. Thom. 3. p. q. 59. art. 1.

*Quia Dei Filius eſt ſapientia genita, ideò ei data eſt iudiciaria poteſtas.*

5. Sapientiæ 6. *Concupiſcentia* itaque ſapientiæ deducit ad regnum perpetuum. *Diligite lumen ſapientiæ omnes qui præeſtis populis.* τὸ *lumen* hîc multimodè accipit Conſaluus Ceruantes, ad rem non inidoneè. Primò *lumen* accipit, non pro ipſo Solis iubare, ſed pro illius primis fulgoribus; id eſt, initiis, & rudimentis diſciplinæ, pædiæ, & inſtitutionis. Vndè dixit, *O vos omnes, qui præeſtis populis diligite lumen ſapientiæ, oſtia prima eiuſdem, prima lumina ſolis erumpentis, vndè vel tenebroſus aër aureſcit, quæ ſunt quaſi prima limina, quibus ad interiora adyta datur ingreſſus .... quæ eſt veriſſima diſciplinæ concupiſcentia.* Sic non ſolùm Sapientia, ſed quicquid ex ea primum emicat, auidè à Principibus expectetur, & expectatur, quâdam eruditionis *concupiſcentia*, quo nomine appetentia auidior denotatur. Dein ſubdit, *lumen* accipi *pro oculis, quia oculi lumina dicuntur, eò quòd oculi in corpore humano quaſi in viſibili mundo minore, lumina cæleſtia præſentent.* Vnde ſapientiæ *oculos* diligere & concupiſcere iubetur. Alioqui Princeps velut luſcus, lippus, aut cæcus hallucinatur, cæcutit, errat ineluctabili Reipublicæ detrimento. Adhæc *lumen pro die capitur*: quod ex latiniſſimis auctoribus probat. Quare vel prima lumina Solis erumpentis, vnde vel tenebroſus aër aureſcit, quæ ſunt prima naſcentis auroræ crepundia, & ſolarium fulgorum rudimenta, *Sapientiæ lumen*, id eſt, *diem* appellat. Tandem addit nuper laudatus Doctor: *Lumen quoque inſpiratio menti iniecta cælitus eſt. Vndè lumina præferre menti alicuius, id ſignificat quod vulgò inſpirare aliquem dicimus: Lumen igitur ſapientiæ eſt, inſpiratio, illuminatio Sapientiæ, quæ pro luce, pro die, pro lumine oculorum habenda, & diligenda eſt.* Itaque ſtudium Sapientiæ in Principe, adeò debet eſſe auidum, vt *concupiſcentia* nominetur: eſt illi velut aurora, quâ poſt prolixam diu noctem *tenebroſus aër aureſcit*: eſt illi velut *dies*, quo ſol plenâ lampade fulget: eſt illi velut *lumen oculorum*, quo viduatus, egregiè cæcutit, & planè exerrat: eſt illi velut *inſpiratio menti cælitus iniecta.* Scilicet quod eſt homini diuina gratia, id in Principe putatur peritia, eruditio, ſapientia. Sic eſt Princeps ſapientiæ indigus ad populos peritè

Sapient. 6. v. 23.

Ceruantes hic Theor. 72.

*Multimoda lumen is acceptio.*

*Sapientia in Principe, lux eſt, & inſpiratio cælitus afflata.*

Idem Ceruantes ibid.

ritè gubernandos! Faceſſat igitur Gothica barbaria, quæ ferre non potuit, vt mater Amalſuintha egregia femina, Atalaricum regem bonis ac doctis magiſtris inſtituendum daret: quaſi literaria cultura animum effeminaret, ad timorem imbecillè traduceret, & ab armis impotenter abduceret. Longè ſecùs Plato, qui Reges philoſophantes, aut Philoſophos regnantes exegit.

6 Nollem vt duntaxat eſſet *Princeps ſapiens ſapientium commercio.* Sapientiæ 6. ita ſcribitur: *Multitudo ſapientium ſanitas eſt orbis terrarum.* Sed confeſtim additur, ne alienâ tantùm ſapientiâ Princeps ſapiat: *Et Rex ſapiens ſtabilimentum populi eſt.* Per τὸ *ſtabilimentum* ſicut per lapidem angularem (vt inibi commentatur Lorinus) *ſignificatur ipſummet terræ centrum, quæ eſt vna baſis atque fundamentum vniuerſi.* Ita Gregorius Reges docet eſſe *qui portant orbem.* Sic nonnulli verba Pſalmi, *Impoſuiſtè homines ſuper capita noſtra*, ſenſu ſaltem accommodationis interpretantur. Ideò terræ Princeps non incongruè Græco eloquio dicitur Βασιλεύς, quaſi *baſis* λαὸς, id eſt, populi. Itaque *Rex ſapiens ſtabilimentum populi eſt.* Nempè populi *baſis*, ſeu *centrum.* Porrò *centrum* eſt velut terræ fundamentum, quo nititur, & ſtat inconcuſſa. Adhæc *centrum* omnium terrenorum appetentiam & vota occupat: ſic ſubditorum affectum Rex ſapiens attrahit, arcanâ quâdam ſapientiæ pellaciâ. Multa boni Principis elogia ſub hàc *baſis*, aut *centri* metaphorâ; ad præſentem theſim deliteſcunt, quæ ſubtiliter explorare, pronum iam cuique eſt.

Euripides. Sapient. 6. v. 26. Lorinus ibi. S. Greg. l. 9. Moral. c. [illegible] 13. [illegible] 9. v. 13. Pſal. 65. v. [illegible] *Rex ſapiens & centrum, [illegible] ſeu ter[illegible] quæ [illegible]*

7. In eodem Sapientiæ 6. cap. ſic monet Salomon, *Si ergò* (hoc eſt, *ſiquidem*) *delectamini ſedibus & ſceptris, ô Reges populi, diligite ſapientiam.* Et quoniam plerumque non benè quis delectatur in ambitu, aut profeſſione principatus, Ferrandus Carthaginenſis in Parænetico ad Reginum militiæ ducem, illum moraliſſimè edocet, quid in eo piè ambire poſſit, vt ſapientia, & ſpiritus conſilij, & intellectus in illo requieſcant: *Si non praeſſe deſideres vel appetas, ſed prodeſſe; requieſcet ſuper te ſpiritus ſcientiæ: ille enim ſcit praeſſe, qui vult prodeſſe. Si diligas Rempublicam ſicut teipſum: requieſcet ſuper te ſpiritus fortitudinis. Si humanis diuina præponas, requieſcet ſuper te ſpiritus conſilij. Si libenter audias, Noli eſſe multùm iuſtus; requieſcet ſuper te ſpiritus intellectus.* Salubriter monet, monentem ſequere, vt impunè valeas in principatu *delectari.*

Sapient. 6. v. 21. Ferrandus. [illegible] *Qui præ[illegible] Princeps, [illegible] requieſ[illegible]*

De Principum ſapientiâ conſule è noſtratibus Pinedam de rebus Salomonis toto lib. 3. Petr. Ribadeneiram l. 2. de Rege, & Regis inſtitut. Ioannem Torres toto libro 6. Philoſophiæ moralis Principum; & alij paſſim de hoc argumento copiosè tractant.

Pineda. Ribadeneira. Torres.

## §. CLXVI.

### *Quàm facilè virgo veritas, pro variâ referentium libidine conſtupretur: eadem enim res in relationibus, rarò eſt eadem, ferè ſemper eſt alia.*

QVid tam frequens quàm teſtimonia compoſita ac ſpecioſa verbis, re inania & ſubdola; quantoque maiore veritatis imagine teguntur, tantò eruptura, ad infenſius mendacium. Tegi veritatem verborum purpuriſſo, vt cineribus ignem, concedo: verùm erumpet eò potentiùs, quò denſiùs tecta. Et ſanè tenue omne mendacium eſt, ſi diligenter inſpexeris; nihil enim ſolidi fraudes habent, quibus euenire mihi videtur, quod Sodomæ & Gomorrhæ; vbi pomum gignitur, quod licet ſpeciem referat maturitatis, mandi tamen non poteſt. nam fuliginem intrinſecùs fauillaceam ambitio tantum extimæ cutis cohibet, quæ vel leui preſſa tactu fumum exhalat, & fatiſcit in vagum puluerem. credas fallaciæ teſtimoniorum exponendæ poma hæc nata, ita ad viuum illius exprimunt vafritiem ſubdolam. extimis nimirùm verbis teſtis veritatem loquitur: remoue hanc ſuperficiem, falſata omnia reperies. caue proindè quiſquis veritati ſtudes. nam vt diu latere non poſſit, ſi propiùs inſpexeris; primo tamen occurſu improuidos ferit. *Ingenioſior enim ad excogitandum ſimulatio veritate, vt ſeruitus libertate eſt.* 1.

*Subdolè mendax, pomis Sodomiticis valdè ſimilis eſt.*

Politico-Chriſt. l. 1. cap. 1.

Actorum 6. Sanctus Stephanus Scribarum peritiores diſputando vicerat, & implacabile deuictorum odium, in victoriæ trophæum erexit: tunc è cathedrâ rapitur ad ſeniorum concilium: *Et ſtatuerunt falſos teſtes, qui dicerent: Homo iſte non ceſſat loqui verba aduerſus locum ſanctum, & legem. audiuimus enim eum dicentem: quoniam Ieſus Nazarenus hic, deſtruet locum iſtum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes.* Grande hinc ortum eſt inter Commentatores litigium, quomodo *falſi teſtes* dicantur, qui veritatem videntur denarraſſe. Imò è re Chriſtianâ videbatur eſſe, vt hæc euulgaretur prædictio Ieroſolymitani excidij, & Moſaicæ legis abrogandæ. Num quia iſtiuſmodi teſtimonium ſanctiſſimo Leuitæ perniciem parat, ideò falſitatis arguitur? Solidior eſt veritas, quàm vt inde ſubruatur. Oecumenius ſubtiliter hunc locum exponens, ita ad rem ſcribit: *Et ſtatuerunt falſos teſtes, qui dicerent: Homo iſte non ceſſat loqui verba, &c. Quænam ſunt iſta verba? Quoniam Ieſus Nazarenus hic, deſtruet locum iſtum, & mutabit traditiones. Atqui hoc dixit Stephanus, etſi non adeò apertè: quomodo ergò ſunt hi ſuppoſititij falſique teſtes.* (Ecce pulchrum Oecumenij dubium: attende ad eius argutam ſolutionem) *Quia*, inquit, *non vt audierant ita narrabant: ſed alio quidem modo audierant, nunc verò ipſi alio modo proferebant: meritò itaque falſi teſtes proferuntur.* Vide nunc mihi quàm de facili 2.

Actor 6. v. 13. & 14.

*Qui rem veram narrat, & rei modum negligit, falſus teſtis dicitur.*

Oecumenius ibid.

virgo

virgo veritas ſubdolè conſtupretur. Vera dicunt hi teſtes, & tamen ſuppoſititij falſique ſunt, quia ſubſtantiam rei integram & inuiolatam ſeruantes, rei modum adulterant, & inde polluunt caſtam veritatem: *quia non vt audierant, ita narrabant: ſed alio quidem modo audierant, nunc verò ipſi alio modo proferebant.* Porrò in re veritatis ſincerè narrandæ ac teſtificandæ, ſæpè modus in rei ſubſtantiam recuditur. Exindè licet *hoc dixerat Stephanus, etſi non adeo apertè, falſos teſtes* ſubmiſiſſe dicuntur. Tandem explicat Oecumenius quo pacto hi falſi teſtes re integrè ſeruatâ, in narrationis ſeu teſtificationis

Mat. 26. v. 61.

modo à veritate deſciuerint: *Quemadmodum enim*, inquit, *de Chriſto quòd poſſet templum diſſoluere, falſum fuit teſtimonium (Neque enim Chriſtus dixerat, Soluam, ſed, Soluite; ad illos, non ad ſe referens ſolutionem) ita & nunc mendaces ſunt qui Stephanum aiunt legis ac loci demolitionem Nazareno tribuere: quodque vir Nazarenus ſuis videlicet manibus faceret, & non Deus per Romanos exercitus. Moyſi verò inſtituta manifeſtè Deus ipſe per Diſcipulos ſuos & Apoſtolos commutauit.* Nempe Ieroſolymitanum excidium Chriſtus Deus fecit per Romanos, vt deicidam gentem caſtigaret: & Moſaicæ legis commutationem per ſuos Apoſtolos fecit, vt vmbra tranſiret in ſolidam veritatem: hi autem teſtes æquiuocis verbis malitioſè vſi ſunt; & magis innuunt, quòd Crhiſtus ſuis manibus, & ſuis verbis, & vrbem & legem diſſipabit. Vide quàm eſt tenera veritatis valetudo, & quàm velut ſcrupuloſè attentos requirat teſtes virgo veritas, quæ ſic facile in falſitatem degenerat. Malitioſè æquiuocus narrandi modus, veritatem mentitur.

3. Geneſeos 23. demortuâ Sarâ, Abrahamus ſepulcrum emit: appenditque pecuniam, quam Ephron poſtulauerat, quadringentos ſiclos argenti probatæ monetæ, *Videntibus filiis Heth, & cunctis qui intrabant portam ciuitatis illius.* Ad quæ verba ita fatur Lipomanus: *In loco autem publici conuentus, in portâ ciuitatis, ſub teſtimonio pertranſeuntium, & non dolo electorum teſtium, cauſſam ſuam agere & confirmare Abrahamus volebat.* Obuius quiſque aptior eſt ad teſtimonium, non autem conſultè electus. Electum teſtem iura reprobant, contemnit Scriptura. At quamobrem *qui intrabant portam ciuitatis*, & non qui exibant ad teſtimonium adhibentur? An quia vrbanos ciuitatis incolas approbat ad ferendum teſtimonium; & reprobat agreſtes homines, qui in villis degunt? Apud ruſticanos ſimplicior indoles eſſe ſolet; ſed obtuſior mens, & ſæpè cognatæ inuidiæ genius, veritati officere ſolitat. Quis mentis ac memoriæ depoſitum, ſemibelluæ tutò concredat? Putauerim litteraliſſimè, *qui intrant portam*, dici de vrbis habitatoribus: *qui exeunt*, de exteris & peregrinis. Vrbis habitatores vulgò cogniti eliguntur ad teſtimonium, quippe qui pudore mendacij apud conciues, veritati ſtudebunt. Exteris, & non vltrà videndis, nulla pudoris frons, quia nec vllus verecundiæ timor.

Geneſ. 23. v. 18.
Lipom. ini.
*Cur ſiſtuntur teſtes, qui portam ciuitatis intrant, non qui exeunt?*

4. Actorum 3. claudo ad templi portam perſanato, Petrus illuſtrem habuit concionem, in quâ præcipua fidei myſteria Iudæis notificat. Loquens autem de glorioſâ Chriſti Dei in cælos aſcenſione, ita fatur: *Quem oportet*, inquit,

Act. 3. v. 21.

*cælum ſuſcipere vſque in tempora reſtitutionis omnium*, &c. Ceterùm cùm Petrus hæc verba ad Iudæos fecerit poſt Chriſti aſcenſionem, meritò addubitant Interpretes, quo pacto tunc dicat, oportere, quod cælum ſuſcipiat Chriſtum, cùm iam eum ſuſceperit. Num alium Chriſti in cælos aſcenſum præſtolamur, & nos potiùs illius ad iudicandum, deſcenſum? Quare Petrus de præſenti adhuc loquitur, quod dudùm conſummatè peractum eſt? Nimis hoc dubium torſit Oecumenij ingenium, & variè tentat difficultatis nodum exoluere: *Exigit*, inquit, *ſermonis contextus, vt Accipiens, pro Accepit ſumatur, vt intellectus exprimatur. Hoc itaque in loco: quem oportet cælo ſuſcipi. Oportet, pro oportebat, poſitum eſt.* Et quaſi parùm huic expoſitioni fideret, quia tempora commutat; addit appoſitè ad thema præſens: *Aut quia Chriſti in cælum aſſumptio non ab omnibus conſpecta eſt propriis oculis, ſinit eos interim ſuâ vti ſuſpicione.* Nimirùm adludit Oecumenius ad id, quod ſuprà ipſe dixerat ad illa verba, *Videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*: exindè *principium quidem rei videri potuit, finis autem non ita.* Quia ergò Petrus & reliqui Apoſtoli Chriſtum euntem in cælum videre potuerunt; non ita finem, & ipſam in cælo ſeſſionem: nam nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum; idcircò ſuſpicatur Oecumenius (fides auctorem appellet) Petrum interim non dixiſſe Chriſtum in cælum aſcendiſſe, neque eius in cælum aſcenſionem tunc omnibus notificaſſe. *Quia Chriſti in cælum aſſumptio non ab omnibus conſpecta eſt propriis oculis, ſinit eos interim ſuâ vti ſuſpicione.* Vide quàm cautè tunc procedat Petrus ex mente Oecumenij, in teſtificando rem, quàm propriis oculis plenè, & vſque ad finem non viderat. Saltem tunc Petrus in tranſcurſu, vbi de re ex profeſſo non tractabat, iuxta hanc interpretationem, Aſcenſionem Chriſti expreſsè non dicit factam, *ſinens eos interim ſuâ vti ſuſpicione.* Quid exaggeratiùs?

*Num quod ſemiplenè vidit Petrus, expreſsè non narrat?*
Oecum. ibidem.
Act. 1. v. 9.

Geneſis 1. naſcentis mundi die ſecundâ, dixit Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, & 5.
diuidat aquas ab aquis. Et factum eſt ita. *Vocauitque Deus firmamentum, Cælum.* Ad quæ verba hæret Rupertus ita ſubtiliter addubitans: *Verumtamen*, inquit, *quid hoc ſibi vult, quod Scriptor ipſum Deum adſtruit firmamentum, Cælum vocaſſe? Non enim ſine cauſſâ putandum eſt quod, de animantibus loquens, Adduxit, inquit, ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis ipſum eſt nomen eius.* Scilicet rebus terrenis, caducis, & ſublunaribus, quæ oculis videt nomina imponat Homo; non cæleſtibus, quæ vltra humanum aſpectum ſita ſunt. Homo autem videt quouſque habet oculos. Sanè ſupra humanum faſtigium eſt rebus cæleſtibus, quæ humanum obtutum tranſcendunt, nomina ponere, illarum cenſum nomine dare, earundemque ſubſtantiam & qualitates vocabuli ſuffragio teſtificari. Qui animalia adduxit ad Adam, *vt videret quid vocaret ea*; Cælum quod non videt, eius nominationi minimè permittit, ne Cæli fama ex inuiſâ hominis notitiâ dependeat. Vndè præproperè feſtinat Deus, & ante Hominem conditum nomenclaturam Cælis facit, ne Hominis aut inſcitia, aut ambitio, aut odium, aut

Gen. 1. v. 8.
Rup. inibi.
*Cur non permittitur Homini Cælis nomen imponere?*
Gen. 2. v. 19.

maledi

maledicentia, aut inuidia, nomina Cælis impo-
nere audenter præſumat.

Actorum 9. Saülus autem adhuc ſpirans mi-
6. narum, & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad principem Sacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas: vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem. *Et cùm iter faceret, contigit vt appropinquaret Damaſco: & ſubitò circumfulſit eum lux de cælo*, &c. Quærunt Interpretes quare hæc opinatiſſima Chriſti apparitio, quæ Saulum refinxit in Paullum, non acciderit in vrbe Damaſco, ſed in viâ? An non è re Chriſtianâ foret, vt in multâ frequentiâ hominum accidiſſet, quò in fide confirmarentur Chriſtiani, & Iudæi atque Gentiles ad Chriſti fidem ſectandam extimularentur? Oecumenius exponens præſcripta verba, ita ſcribit: *Et cùm iter faceret*, &c. *In ciuitate verò non accidit, ſed in viâ per quietem, ne aliis liceret alio modo narrare quod circa eum contigiſſet; ſed ipſe fide dignus eſſet ad referendum, qui viſionem vidiſſet.* Scilicet in viâ ad verbum eiuſmodi viſio accidit, non in ipsâ vrbe hominibus frequenti, *ne aliis liceret alio modo narrare.* Nam ſi plures eam cum Paullo vidiſſent, quilibet viſionem illam alio atque alio modo retuliſſet, pro ingenio, aut negligentiâ, aut ambitione, aut affectu. Eheu! eadem res à pluribus viſa, hæc relationum adulteria patitur? Sic pro referentium qualitate, res oculis ſpectata creſcit, decreſcit, alia, atque alia fit, nunquam eadem, ſemper altera? Deſint Viſioni plures teſtes, ne pro referentium varietate, vna plures ſit. Non adſint plurium teſtimonia, vt ab eâ abſit referentium varietas. Sic per oculorum & aurium traduces, clarior veritas inficitur? Ergò in viâ, non in vrbe contigit hæc Paulli illuſtrior Viſio, *ne aliis liceret alio modo narrare.*

Hic verſ. 3. auditâ Mardochæi delatione, regiæ vitæ fideliter aſſertice, rogat Aſſuerus: *Quid pro hâc fide honoris ac præmij Mardochæus conſecutus eſt?* Dixerunt ei ſerui illius ac miniſtri: *Nihil omninò mercedis accepit.* Et tamen infrà cap. 11. v. 5. ſcribitur: *Præcepit ei Rex, vt in aulâ palatij moraretur, datis ei pro delatione muneribus.* Vide hîc quàm aliter eadem res, quæ palàm nota erat, ab aliis aliiſque denarretur. Litigium hoc de veritate, in litterali Commentario componere adnitebamur.

---

## §. CLXVII.

### *Arcana Dei prouidentia, per inidonea humanitùs media præfixum ſibi ſcopum perſæpè collimat.*

1. CÆcilius ethnicus aduerſus Octauium Catholicum, ſic apud Minutium Felicem, quò diuinam prouidentiam ableget, argutatur. Videmus, inquit, exhalatis terræ vaporibus, nebulas ſemper adoleſcere, quibus denſatis coactiſque nubes altiùs ſurgere, iiſdem labentibus pluuias fluere, flare ventos, grandines increpare: vel nimbis collidentibus tonitrua mugire, rutilare fulgura, fulmina præmicare: adeò paſſim cadunt, montes irruunt, arboribus incurrunt: *ſine delectu tangunt loca ſacra & profana: homines noxios feriunt ſæpè & religioſos.* Quid tempeſtates loquar varias, & incertas? quibus nullo ordine vel examine, rerum omnium impetus volutatur, in naufragiis bonorum malorumque fata mixta, merita confuſa, in incendiis interitum conuenire inſontium nocentiumque: &, cùm tabe peſtiferâ cæli tractus inficitur, ſine diſcrimine omnes deperire: & cùm belli ardore ſæuitur, meliores potiùs occumbere. *In pace etiam non tantùm æquatur nequitia melioribus, ſed & colitur: vt in pluribus neſcias, vtrùm ſit eorum deteſtanda prauitas, an optanda felicitas.* Quòd ſi mundus diuinâ prouidentiâ, & alicuius numinis auctoritate regeretur: nunquam mereretur Phalaris & Dionyſius regnum, nunquam Rutilius & Camillus exilium, nunquam Socrates venenum. Hactenùs ille arcanorum diuinioris ſapientiæ neſcius, quæ de ineffabilibus ſuæ prouidentiæ adytis, ductatu hominibus inuiſo, per ea quæ caſu quodam temerè videntur accidere; imò intento fini hoſtiliter aduerſa, præfixum ſcopum tectiùs & certiùs collimat. Profana obiectat Cæcilius ethnicus, cui cæleſtia ac diuina pro conſultiſſimâ Dei prouidentiâ aptiùs reſpondebunt; ne humana imperitè garrulitas aduerſus diuina oggannire audeat. Et quia in Magorum vocatione, & pueri Dei recens nati inquiſitione, & publicatione, diuinior Dei prouidentia tranſlucet; in eâ indidem oſtendendâ pluſculum immorabor.

*Diuina prouidentia argutiis humanis impetitur.*

Matthæi 2. Nato Domino, adſunt ab Oriente Magi, & Ieroſolymis ſciſcitantur: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? *vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Inopinato noui Regis nuncio turbatus Herodes rex, Scribarum & Pontificum concilium conſulit, vt locum Dominicæ natiuitatis ex oraculo Scripturatum edifcat. *At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ: Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam*, &c. Non mirarer Magos ſapientiæ nomine, re ſapientiæ vacuo, profane olim imbutos; à peritis Iudæis, de Deo, rebuſque Dei erudiri: admiror autem ſapientes Scribas Bibliis innutritos, de ſui Meſſiæ natiuitate ab exteris ac Gentilibus Magis edoceri, Quâ ſuper re ita ad rem philoſophatur Euthymius: *At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ. Tu Dei admirare gubernationem: quomodò ordinauit, à Magis quidem doceri Iudæos, quod ipſum ſtella prædicauit: à Iudæis autem Magos quòd & Prophetæ ipſum prænunciauerint.* Meritò hinc cum Euthym. licet mirari pias gratiæ velut aſtutias, & humanis oculis imperuiam diuinæ gubernationis induſtriam, quâ altè prouiderit, vt Gentiles Magi veram docerent fidem Iudæos. Scilicet Hebræus populus à cunis contumax, proteruè auerſabatur veram veri Dei fidem, ad infidam idololatriam ſuperſtitiosè pronus. Quid ergò faciat prouidentiſſimus Deus, vt veram fidem vltrò recipiat? *Ordinauit à Magis quidem doceri Iudæos*; & erudiri de verâ religione, & de Dei recèns nati rectâ fide, à gente idololatrâ, & magicis ſuperſtitionibus innutritâ; ſi fortè quia fidei magiſtri idolorum cultum, & magicas ſuperſtitiones ſubolent, indè auidè ſuſcipiant Iudæi nouam, quam Magi prædicant 2.

*Mat. 2. v. 5.*

*Num vera Dei religio ſpecie ſuperſtitionis edocetur à Magis?*

*Euthym. ibi.*

dicant fidem Apparentem ſuperſtitionis ſpeciem ſapiat vera fides & religio, vt qui nauſeant ad veram religionem, hient ad apparentiam ethnicæ & magicæ ſuperſtitionis, ſub quâ arcanè deliteſcit vera veræ religionis fides. Ne autem ſuperciliosus Iudæorum faſtus dedignetur diſcere à Magis gentilibus, eruditio vices reciprocat: & Natiuitatem Chriſti docet Iudæos gentilis Magus; Magos autem de Prophetarum oraculis, de loco Natiuitatis Iudæus erudit. Itaque bellè dixit Euthymius: *Tu Dei admirare gubernationem, quomodo ordinauit, à Magis quidem doceri Iudæos: à Iudæis autem Magos, quod & Prophetæ ipſum prænunciauerint.*

5.
Matth. 2. v. 1. & 2.

Cùm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis, *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Quare Magi? quare ſtella? Tempeſtiuè reſpondet Remigius: *Sciendum eſt autem*, inquit, *quia varia eſt de Magis opinio. Quidam enim dicunt eos fuiſſe Chaldæos: Chaldæi autem ſtellam pro Deo colebant; & idcircò dixerunt, quòd nuncupatiuus eorum Deus oſtendit verum Deum natum.* Vel in deteſtandâ Idololatriæ ſuperſtitione, quandò ibi vbi eſt ignoratur, Deus inuenitur? vel impietas deteſtandorum ſcelerum de officioſitate gratiæ, manuducet ad pietatem eos, quibus omnia cooperantur in bonum; & de ſuperſtitionum malitiâ, Dei bonitatem errore proſpero rimantur? *Nuncupatiuus Magorum Deus oſtendit verum Deum natum.* Ipſa Idola mentitam ſibi diuinitatem fatentur, vbi vera veri Dei natiuitas innoteſcit? Dij Gentium in præcelſis aris arroganter ſublimes, præcelsè auguſto Deitatis vocabulo cedunt, vbi vident vocabuli rem, Deum ipſum inquam, in vili præſepio ſtabulantem? Dij Gentium tot ſeculis inclyti, ſibi detrahunt diuinos honores, quos puerulo Ieſu adiiciunt; ſuoſque remittunt cultores principes, vt ipſi adulentur de abſconsâ in tenellis membris verâ diuinitate? O nouos, & inopinatos nouæ natiuitatis præcones! *Nuncupatiuus Magorum Deus oſtendit verum Deum natum?* O quanta ſibi diuina licentia ſeruat, prouidentiæ arcanioris priuilegio! Scilicet natiuitatis Chriſti veritas, idolorum mendacium deuorauit: & ſublimior diuinitatis honor falſis Diis perdiu exhibitus, vero veri Dei cultui cogitur militare.

Remig. ibi.
*Diuinus honor Idolis exhibitus, fidei veri Dei cogitur militare.*

4.
Matth. 2. v. 1. & 2.
S. Aug. ſer. 66. ex diuerſis.

Rursùs: *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum?* Ad quæ Verba ſic ſubtiliter philoſophatur Auguſtinus: *Quærunt*, inquit, *regem Iudæorum à rege Iudæorum. Ab Herode homine Chriſtum Deum & hominem. A terreno rege homine, regem cælorum, qui condiderat hominem.* A cœlo edocti ſunt Magi ſidereâ ſtellæ linguâ, de infantis Dei natiuitate; & rursùs ampliorem deſiderant rei notitiam? Cælum illis loquitur, & à terrâ vlteriorem ſcientiam perquirunt? Planè totum eſt, quod Deus docet; & quidem clarè docet, qui edocet linguâ fulgorum. A Deo opulentè eruditus, auaram ſcientiam emendicat ab homine? Sed attentiùs aduerte ſollertem Magorum ſagacitatem in quærendo Chriſtum. Tametſi è cælo edocti erant, *quærunt regem Iudæorum à rege Iudæorum. Ab Herode homine Chriſtum Deum & hominem.* Nempè ab hoſte, ab æmulo, res hoſtis & æmuli ſagaciſſimè perquirunt. An rudes hi nuper cæli diſcipuli, adhuc humanam prudentiam quodammodò ſapiunt, & plus forſan ab æmulo, quàm à cælo diſcere præſumunt? An diuinior prouidentia æmuli etiam teſtimonium captat, vt indubiam quoque humanitùs fidem, fidei diuinæ faciat? O, quàm ſollicitâ diligentiâ, & exſomni curâ homo æmuli ſui ſcrutatur arcana! Non tantùm æmulus videt quouſque habet oculos; ſed penetralia etiam ſcrutatur, & vel mentem ipſam ſiniſtris coniecturis rimatur. Quaſi omnia æmuli peruia ſint æmulo. Adeò vt auſim dicere, quòd ſiquid fortè cælum latuit de Chriſto, vel Magis reuelatum non eſt; poſſent ab æmulo Herode ſagaci inquiſitione aucupari. Sic æmuli notitia, etiam vltra verum audet! O peruersè curioſum æmulationis ingenium! O quoties quod cælum neſcit, æmuli inuidioſa malitia nouiſſe mentitur! Et quidem homo, qui ad æmuli ſui ſuſpicandam malitiam oculatus lynceuſque eſt, ad eiuſdem virtutes cæcus & mutus eſt. quaſi ab æmulatione vim cernendi mutuetur. Exindè Magi arcanioris prouidentiæ inſtinctu, ne æmuli Herodis ſuffragium Chriſtianæ fidei deeſſet, *quærunt regem Iudæorum à rege Iudæorum: ab Herode Chriſtum.*

*Cur Magi ab Herode rege Iudæorum, regis Iudæorum natiuitatem quærunt?*

Adhuc emedullanda ſunt ad rem præſcripta Matthæi verba: *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum?* Quæ verba ſic elucidat Auguſtinus: *Venerunt enim Magi*, inquit, *& quæſierunt eum, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? Annunciant, & interrogant; credunt, & quærunt.* Quid eſt, quòd Deum *interrogando* annunciant? Interrogatio forſan detrahet fidei, quam annunciatio facit. Dubium videtur afferre nuncium, quiſquis illud interrogando publicat: nam plerumque interrogatio rei incertæ negotium eſt. Quod ſiderea cæli lingua præclaris fulgoribus locuta eſt, Magi, quaſi dubium foret, interrogando denunciant? Aut non debuerunt interrogare, qui credebant; aut ſi interrogant, videntur dubitare. Quid ergò eſt (ait Auguſtinus) quòd Magi *annunciant, & interrogant?* An quia vix acquieſcunt præclaro cæli teſtimonio, niſi illi adteſtentur vel obſcura Scripturarum oracula? Sic adhuc Gentiles dum ad fidem properant, ſacras Scripturas æſtimabant? Suſpectum ne habebant quod cælum loquitur, niſi ſacrâ paginâ ſuffragante? An Magi *annunciant, & interrogant*, quia qui ſapientiam de cælo partam habet, non præſumit faſtuoſus ſe omnia noſſe, ſed commercium amat eruditionis; & dum communicat quod cælitùs ſcit, ab aliis interrogat, quod ipſe ignorat? Ignorantiam aliquam humili interrogatione fateri videtur, qui cæleſti notione imbutus eſt? Sic humilitas veram ſapientiam fundat? Sic ab arrogantiâ deſipit eruditior ſapientia! Magi interrogant quod ſciunt, vt confundant quorundam ſapientum faſtum, qui vel quod ignorant, interrogare erubeſcunt. Magi interrogando, & quærendo quod ſciunt, annunciant & docent; alij audacter docent, quod quærere & interrogare neſciunt. Itaque de diuinioris prouidentiæ ſacramento, & arcanæ ſapientiæ ſcholâ eſt, vt interrogatione, quæ fidei titubatio ſolet eſſe, fidem Magi doceant, quaſi de periculo ſecuritatem ædificent, & in nuntantiæ

5.
Matth. 2. v. 1. & 2.
S. Auguſt. ſer. 34. de Temp.

*An Magi non crederent cæli nuncio, niſi adteſtaretur Scriptura?*

*Eruditior humiliter ſapientia, quærendo docet.*

*Magi velut neſciendo, veritatem perſuadent.*

tantiæ indiciis firmiorem credulitatem apparent. *Annunciant, & interrogant;credunt, & quærunt.* Digna ſanè *annunciatio*, quæ de prouidentiæ ſacramento, & gratiæ officioſitate, ſic enunciatam veritatem fidelibus cunctis perſuaderet.

6. Denique Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: *Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum?* turbatus autem Herodes rex, dum Pontificum & ſcribarum concilium cogit, *ſciſcitabatur ab eis vbi Chriſtus naſceretur.* Ad quæ verba ſic eleganter fatur Ambroſius: *Vbi Chriſtus naſceretur: Magi tantummodò*, inquit, *regem annunciant, Herodes autem Chriſtum requirit: ipſum igitur regem requirit, de quo interrogatus confitetur.* Mirum ſanè eſt, & valdè mirum: quòd Magi regem quærunt, & Herodes Chriſtum fatetur, Chriſtum requirit. Vltra id, quod enunciabat Magorum teſtimonium, Herodes annunciat? Illi tantummodò dicunt *Regem*: Herodes verò quaſi Numinis tempeſtiuus interpres, Chriſtum intelligit, Chriſtum publicat, è peruerſo ſuffragator idoneus; dum Herodis malitioſa calliditas illuſtriùs clarat, quod ſimplex Magorum pietas tectiùs annunciarat. *Magi tantummodò Regem annunciant, Herodes autem Chriſtum quærit.* O conſultioris prouidentiæ cæleſte arbitrium, Chriſto promulgando opportunum! Parum foret, infantem Deum recens natum, ab Angelicâ cohorte exultim publicari Chriſtum, à paſtoribus tanquam verum Meſſiam coli; ab alienigenis Regibus ſtellæ inopinato ductu, è genu ſalutari, & myſticis adorari muneribus. Herodes etiam ipſe ignoranter ſapiens, Magorum voces de cælo eruditas, cæco veritatis commentario feliciter interpretatur, quò præluſtre infenſioris æmuli teſtimonium, auguſtiùs veritatem annunciet; & exinceps nemo abnuat credere, quod vel Herodes, falſitatis ſequeſter, & hoſtilitatis arbiter, magno ſceptri ſui detrimento, & interpretari & confiteri ſapienti ignoratione compellitur. *Magi tantummodò Regem annunciant, Herodes autem Chriſtum quærit.* Qui Deo, & cælo non credit; credat Herodi. Vel infidelitatis rimulas diuinior prouidentia maturiùs præcludit.

Matt. 2. v. 4.
S. Ambr. l. 2. in Lucam.
*De Herodis [...]entario, [...] peruerſo an[...] [...]te, an[...]ciata a [...] veri[...] credibi[...] apparet?*

7. Admirari liceat ab hoc verſ. 5. &c. quàm altè arcana Dei prouidentia per inopinata, & inidonea humanitùs media, præfixũ ſibi ſcopum collimet. Adeò vt Aman de ſedulitate Mardochæi perdendi, ſummos illi honores fabricarit; & ſublimitate quam ſibi præſumebat, æmulum adornarit. Hoc etiam diuinioris prouidentiæ Sacramentum ſequenti §. materiam ſuggeret.

[...] verſ. 5.

---

## §. CLXVIII.

*Diuinæ prouidentiæ officioſitas, etiam ex inuerſo ſapienter operatrix, & inſcrutabiliter arcana eſt.*

1. SAnctus Zeno Veronenſis verba faciens ad Neophytos de Baptiſmi elogiis ſic ad præſentem theſim de diuinâ prouidentiâ eloquenter fatur. *Magna poteſtas, magna peritia, magna pietas*, (Dei inquam) *à quo vniuerſi generis peccatores, vt poſſint beatè viuere, puniri feſtinant: deſcendit quippè gladius pius in viſcera peccatoris, & vno eodemque ictu, incolumi corporis manente materiâ, interficit hominem veterem, creat nouum,*

S. Zeno ſer. [...] ad Neophy. poſt Baptiſm.
*Baptiſmi [...] à diuer[...] [...]rè operatrices*

*& ſacri gurgitis elemento ſepelit. Et, cùm omnium aquarum natura ſit talis, vt cùm in profundum homines ſuſceperit viuos, euomant mortuos; aqua noſtra ſuſcipit mortuos, & euomit viuos: ex animalibus veros homines factos, ex hominibus in Angelos tranſituros, ſi prouectus ætatis eorum infantiam non mutauerit.* Vide hîc diuinioris prouidentiæ *peritiam*? quæ è diuerſo res faciendas diſponens, inopinato hominibus conſilio, effectus rerum naturis miniſteriali officio deſtinatis, velut oppoſitos, & ſibi inuicem repugnantes, ſumptuoſiùs operatur. Procliue eſt enucleare ſingulas Zenonis ſententias expenſione digniſſimas.

Geneſeos 9. poſt luctuoſam illam ſub Noëmo eluuionem, qua elutus eſt libidinibus mundus; ne adſimilem calamitatem homines extimeſcerent, inito fœdere illis promittit Deus, quòd nunquam interficietur omnis caro aquis diluuij. Dixitque: Hoc ſignum fœderis quod do inter me & vos, *in generationes ſempiternas. Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram. Cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus: & recordabor fœderis mei vobiſcum*, &c. Teneo Dei verbum, quod fundet ſpes mortalium, & conceptum pauorem excutiat: ſed non teneo ſignum huiuſmodi fœderis cum hominibus initi. Nam præterquam quod ille ipſe arcus hactenùs humanis aſpectibus erat obuius; arcus cæleſtis, qui ex refractione luminis colores mentitur, citóque ex oculis euaneſcit, fœderis æterni inidoneum videtur ſignum. Quod ſubtiliter inibi Rupertus adnotauit, ita fatus: *Hoc, inquit, ſignum inter me & vos, & omnem animam viuentem, quæ eſt vobiſcum in generationes ſempiternas. Iſtud quidèm ſignum cum nubibus tranſibit, ipſum autem fœdus, cuius ſignum eſt in ſempiternum permanebit.* Scilicet parum foret prouidentiæ diuinæ argutiùs omnipotenti, æternum fœdus in generationes ſempiternas in re ſolidâ ſtruere: inde quo indubiam promiſſionis ſuæ fidem adſtruat, in re futili, fugitiuâ, friuolâ, citò euaneſcente & colores fucatè mentiente, ſolidiùs fundat, quaſi è diuerſo vigorem fœnerans, & ſtabilem firmitudinem fœderi ſuo mutuans. Exindè licet iridis *ſignum cum nubibus tranſeat*, & in ipſis nubibus ſenſim euaneſcat, memoriale *in generationes ſempiternas* eligitur, ac ſi rei inconſtantia firmitatem ſolidet; & mentita apparentia, fœderis veritatem redintegret. quæ eſt arguta diuinæ prouidentiæ officioſitas, etiam ex inuerſo ſapienter benefica & inſcrutabiliter arcana.

2.
Geneſ. 9. v. 12. & 13. &c.
*Inſtabilis & mentitus cæli arcus, cur in fœderis æterni ſignum eligitur?*
Rupert. l. 4. in Geneſ. c. 36.

Actorum 15. Ioannes cognomine Marcus, parùm ſtrenuè dudùm prædicando Euangelio militarat: ſed cùm nuper ad Apoſtolos redux meliora ſaperet, voluit eum Barnabas, qui cum Paullo proficiſcebatur, ſecum in Euangelij miniſterium deferre. Paullus verò acri ingenio vir, Barnabæ mititatem adeò non probauit, vt ab illo diſceſſerit: *Facta eſt autem diſſenſio* (Græcè *exacerbatio*) *ita vt diſcederent abinuicem, & Barnabas quidèm aſſumpto Marco nauigauit Cyprum. Paullus verò electo Silâ profectus eſt, traditus gratiæ Dei à fratribus.* Apoſtoli ne mutuò *diſſentiunt*? Apoſtoli inuicem *exacerbantur*? Timeri poteſt ne Magiſtrorum *diſſenſio* ſeu *exacerbatio*, diſcipuli adhuc tenelli euadat euerſio. Quâ ſuper re ita ad rem philoſophatur Oecumenius: *Itaque*, inquit, *contendũt quidem: attamen in vnum finem lucrum occurrit. Etenim Marcus videns Paullum eligentem potiùs ſeparari*

3.
Actor. 15. v. 39.
Græcus text.
*Marcus in offendiculo doctrina calcar inuenit.*
Oecum. ibi.

*quàm ipſum aſſumere, admodum timuit, ſeſeque condemnauit: videns autem Barnabam adeò ſe complectentem, vehementer eum dilexit: & emendabatur diſcipulus contentione praeceptorum, tantùm abſuit vt offendiculum inde ſuſciperet.* In loco alio, tametſi aliorsùm enucleato hunc locum excripſimus. Sat nunc eſto digitum intendiſſe ad acumen themati præſenti non inidoneum. Porrò de altiori prouidentiâ venit, quòd Marcus non ſatis tunc in virtute robuſtus, *contentione, & exacerbatione praeceptorum* profecerit; & offendiculum, in doctrinæ calcar refinxerit.

4. Exhod.2. v. 5.

Exhodi 2. Pharaonis improles filia, ad Nili ripas expatiatur; cùm trimeſtris Moyſes vimineâ fiſcellâ incluſus, prope fluuij crepidinem periculosè fluitat: *Ecce,* inquit, *deſcendebat filia Pharaonis vt lauaretur in flumine ..... Quæ cùm vidiſſet fiſcellam in papyrione, miſit vnam è famulabus ſuis: & allatam aperiens, cernensque in eâ paruulum vagientem, miſerata eius, ait.* &c. Quæ verba ſic elucidat inibi Lipomanus: *Filia Pharaonis.&c. Quem rex pater perſequitur ad mortem, illum Dominus per filiam nutriendum deſtinat. Vt rumpantur tibi ilia Pharao: tu in tuâ aulâ nutrire & educare cogeris eum, qui ſaluaturus eſt eos quos tu perſequeris, & te dignâ morte punitu*rus. Pharao ferali edicto Hebræorum filias ſeruari iubet, filios occidi: congruè ergo Hebræorum filius, à ſuâ *filiâ* ſeruatus, tot filiorum atrociter peremptorum mortes vindicabit. Eius *filia* ſtrenuum tot enormiſſimarum cædium vltorem ſeruat, quò pater occumbat eius induſtriâ quem *filia* ſeruauit. Qui pro lacte, aliorum filiis totum fluuium ad necem hauriendum offert; in ſuâ aulâ filiæ ſuæ operâ lacte enutrit, & regiè infantat eum à quo miſerè naufragus, totum pelagus haurire cogatur. O Dei prouidentiam peritè ſtrenuam!

Lipom.ibi. *Pharao filiorum peremptor, eius occumbit induſtriâ quem filia ſeruauit.*

5. Ioſue 5.v. 2.

Ioſue 5. traiecto Iordane, vbi filij Iſraël Terram promiſſionis primò habitare cœperunt, *ait Dominus ad Ioſue: Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundò filios Iſraël.* Quid eſt, quod numcupatim mandat nunc Deus vt cultris lapideis Iſraëlitas omnes circumcidat? Quorsùm petrina acies nunc ad circumciſionem acuminatur? Et ſanè ſub Abrahamo, cui primò præcepta eſt circumciſio, quouis indiſcriminatim cultro peragebatur: quid ergò eſt, quòd ſub Ioſue culter lapideus ſpeciatim exigitur? Quid Ioſue cum petrino cultro? S. Zeno Veronenſis in ſerm. de Circumciſione, quâ ſolet ingenij ſubtilitate, cùm in Ioſue, & Ieſu-Chriſti nomen præproperè inueniat, & rem nominis adumbrari ſaluatione videat; ſuper Sacramento circumciſionis indè profundiùs philoſophatur: *Ieſus Naue,* inquit, *Chriſti imaginem praeferebat, qui verus omnium ſaluator eſſe cognoſcitur & factis & nomine. hic enim* (Ieſus Chriſtus inquam) *quia ipſe dictus eſt etiam petra, rectè cultellos petrinos fecit: vndè non ſine ratione & Simoni, ſuper quem adificauit Eccleſiam, Petrus nomen diſpoſuit.* &c. Nimirùm Ieſus Naue, qui Ieſu-Chriſti nomen portat, & Saluatorem factis adumbrabat, conſultiſſimè circumciſionem cultris *lapideis* in Terrâ promiſſionis denuò dedicauit: vt quò videbatur fundari firmius ſoliditate *petrinâ*, indè debilitatem certiùs ominaretur. Nam hæc *petra* erat Chriſtus, qui circumciſionem & primò ſubiit, & poſteà ſoluit. Vndè in ſolemniori circumciſionis dedicatione *petrino* cultro peractâ, caducus circumciſionis interitus legitur. Porrò *Ieſus Naue cultellos petrinos fecit*, dum Chriſti Ieſu imaginem præferebat: Chriſtus autem erat petra: vnde non ſine ratione & Simoni, ſuper quem fundauit Eccleſiam; & qui circumciſionem abolitures erat, *Petrus nomen diſpoſuit*: vt petra petræ ſuccedanea, petrinos circumciſionis cultellos exarmaret exterminaretque. Ecce tibi profundum diuinæ prouidentiæ ſacramentum, quæ in ipſâ circumciſionis firmitate, petrinâ acie ſolemnius peragendâ, dubiis characteribus, futuram in Euangelio circumciſionis abolitionem inculpſit: & vndè putabatur robur mutuari, ruinam inuenit, dum ex inuerſo Chriſtianæ religioni militauit felici augurio.

S. Zeno ſer. de Circũciſ.

*In petrino circumciſionis cultello, eius abolitio tranſparet.*

Geneſeos 4. Cainus qui primam vitæ ianuam partione inuenit, mortis ianuam primus parricidio aperuit: *Conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.* Conueniens ne fuit vt Iuſtus omnium primus funeſtam mortem atrociùs obiret? Eccur enim non primus mortis portas ingredietur Adamus, quandoquidem à rectâ naturæ lege decrrans ipſe mortem contra naturam acciuit? cur non priùs Euæ mortis ſententia obnunciatur, quæ tanquam ſerpentis adminiſtra, primordialis tragœdiæ occaſio extitit? Et cur ipſe Cain impietatis primicerius, non primus ſtrages funeſti interitus incurrit? ô rem inopinatam! impio ſuperſtite pius occiditur; & flagrante impietate, pietas alget ſepulcrali frigore marcida? Hâc ſuper re Seleucienſis Baſilius pulchrum diuinæ prouidentiæ ænigma pandit; *Conueniens enim erat,* inquit, *Iuſti ſanguine reſurrectionis columnas adumbrari. Si enim mortis cauſſa eſt praeuaricatio, qui morti materiam non ſuffecit, liber manet ..... Primum Deus concedit Abelum tolli de medio, vt aggreſſoris notitiam vſu meliore commutet, vt vitiatum morti ſubiiciat fundamentum, mortiſque ius infirmius euadat. Iuſtus enim iniuſtè à morte occupatus, iuſtæ cauſſæ dictionem inferno eripuit, & primam mortis viam mortis diſſolutionem fore ſpondet.* En tibi in primâ mortis ianuâ, mortis ruina tranſparet, & reſurrectionis tabula legitur, cæcâ mortalibus felicitate; ſed oculatiſſimâ Dei peritiâ prouidentiſſimè ex inuerſo ordinatâ, ne de facili aduerſus diuinam prouidentiam vibremus cenſuram, quæ vel mala ad bonum deriuat.

6. Gen 4.v. 8.

*In iuſti Abel impiâ morte, reſurrectionis tabula legitur.*

Baſil. Seleu. orat. 4.

Ennodius Ticinenſis in Benedictione cerei 2. ſic eleganter ſcribit: In huius tibi, Domine, ſanctiſſimæ noctis miniſterio, hoc cereum lumen offerimus, per quod caligo vetuſta pellatur: in quo ſpecies trimo compaginata conſortio, ſocietatis propemodum myſticæ glutino coniungantur: *quarum cera parauit nectareis partibus fœta virginitas, papyrum ad alimenta ignium lympha tranſmiſit. Agnoſcit hîc odorem ſuum ſalutifera Virginis filius, vbi ſine coitu naſcitur quicquid offertur.* Agnoſce in hoc *cereo*, qui totus Deo fulget, geminatæ antitheſeos ſingulare miraculum. Primò, fulget in cera *nectareis partibus fœta virginitas* apum: Secundò ignium pabulum è *lymphâ* materiatum, & indè ad ignis alimenta tranſmiſſum. An non gratanter acceptet *Virginis filius, vbi ſine coitu naſcitur quicquid offertur?*

7. Ennod.

*Deo fulget, geminata in cereo antitheſeos ſingulare miraculum.*

Siracides Eccleſiaſtici 3. *Altiora te ne quaeſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quae praecepit tibi Deus illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus.* Hinc ortum habet celebre illud Hebræorum prouerbium apud Cornelium inibi: *Non licet interrogare quo conſilio, quamuè ob cauſſam Creator hoc vel illud fecerit. Ne curiosè inquiras in facta Dei.*

8. Eccli. 3.v. 22 Corne. ibi.

*Qui diuinam prouidentiam ſcrutatur, oſſa Chriſti conterere dicitur.* Tranſlationes.

Nam

Nam omnia facit ſapienter, conſilioſè, ac prouidenter, tametſi rerum efficaciam, ac proportionem ſapientes etiam ignorent. Tigurina. *Difficiliora, quam quibus par ſit, ne quæras.* Arabicus, *Ne quæras id quod eminet ſupra vires tuas* Alij legunt, *profundiora, duriora, aſperiora.* S. Gregorius Nyſſenus de vitâ Moyſis ſingulariter locum exponit: *Altiora te ne quæſieris. Hoc eſt, Noli oſſa Chriſti conterere, non enim eges ſcientiâ ipſorum.* Et quomodò Chriſti Dei *oſſa conterit*, & illius arcanam prouidentiam & œconomiam velut eneruat, & quaſi imbecilla reddit, qui illam humanæ mentis ingenioſa ſagacitate ſcrutatur, vt illam intelligat, quin etiam vt illam aſſequendo tueatur? Intelligentia humana Chriſti Dei oſſa conterit, & prouidentiſſimam eius œconomiam quodammodò eneruat? Arguté S. Zeno Veronenſis Ser. de Fide: *Quod modum humani ſenſus excedit*, inquit, *diſputare deuita. Negat quodammodò Deum, quiſquis rationibus humanis Deum metiri conatur: defenſio enim non niſi imbecilli præſtatur, nec poteſt eum revereri, qui ingenij ſui putat eſſe, quod ille fuerit æſtimatus.* Ergò arcanas diuinæ prouidentiæ vias, ne curioſè ſcruteris, *ne oſſa Chriſti conteras*, dum ipſum Deum tanquam *imbecillem* tractas, quaſi ingenioli humani imbecillitate abſtruſa eius conſilia comprehendere valeas Arcana ſummi Dei prouidentia, per inidonea humanitùs media, & quæ ſibi pugnare videntur, præfixum ſibi ſcopum perſæpè collimat. *In pluribus* Dei *operibus ne fueris curioſus.*

(Margin: S. Nyſſenus. — S. Zeno.)

## §. CLXIX.

### *Sola virtus, & exploratum candidati meritum, ad dignitatum electionem ſubornet.*

1. PRinceps, Electórue in præmiatione, atque electione ſolius propè ſemper virtutis rationem habeat, vt is illi maior, illi charior, qui meritis & virtute præſtantior eſt; nulla hîc diſcrimina nationum, nulla neceſſitudinis, nulla ſanguinis, ſolius virtutis ſint. Scio tuendam Principi nobilitatem: ita tamen, ſi natalium ſplendori mores reſpondeant. nam ignauâ nobilitate nihil turpius, nihil illis, qui ſolâ maiorum gloriâ magni, cùm per ſocordiam & luxum paternas opes exhauſerunt, præmia virtuti debita ſperant. Nimis etiam cum electore eualere ſolitant cognati ſanguinis iura, quæ affectu potiùs quàm iudicio phantaſtica cudunt merita: quin etiam à miniſtris accepta clanculum munera, quæ in candidato merita aut colorant aut fingunt, auaritiæ eloquentiâ eleganter ſubornata. Hæ electionum peſtes procùl ſint ab electore, tanquam electionis contagium, vt Munerum diſtributio ſolius electionis, id eſt, ſolius virtutis ſit. qui ad hanc hiat, ad reliqua nauſeabit: antidotum ſic porriget populis, alioquin venenum propinabit, certâ, nec ſerâ Reipublicæ ruinâ. Aman hîc de libidine Principis, Princeps de meritorum prærogatiuâ, honores diſpenſare mauult.

(Margin: [illegible] virtus, [illegible] [illegible] di[illegible] [illegible] [illegible]ctur. — Hic verſ. 6.)

2. Matthæi 20. acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. Itaque ſummas in ſuo regno dignitates petentibus, ſic tandem Chriſtus reſpondet: *Sedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Bonus Deus, qui maluit aliquid diſſimulare de iure, quàm non concedenda palàm negare. Sed cur ait: *Non eſt meum dare vobis* ſedes, quas in regno meo expoſcitis? ô Domine, ſi peccatorem peccati tædet, ægritudinem leuas, debitumque dimittis: ſi plorat meretrix remiſſionem concedis: ſi publicanus pectus ferit, errata non exaras: ſi leproſus curationem quærit, virtutem exeris: ſi mortuum è tumulo ſurgere neceſſe eſt, poteſtatem expromis: ſi cæcus luminis orbitatem gemit, emortuam oculorum lucem accendis, & ſi thronos petant, & ſedere ad dexteram tuam affectent, tunc cunctaris; & de iure tuo diſſimulas, ne palam negare videaris. Perbellè Seleucienſis Baſilius: *Non eſt meum dare vobis. Cur? quia remuneratio accipientis meritum conſequitur, non ſolam facultatem donantis: thronus laborum præmium eſt, non ambitionis donum gratuitum: ex rectè geſtis donum comparatur, nudam poſtulationem datio non conſequitur. Monſtra meritum tuum, & meam intuere poteſtatem.* (& poſt paucula.) *Quòd ſi thronum verò quis petat, & ſedere ad dexteram affectet, tunc qui poſſim curioſè diſpicio, fuſum pro pietate ſudorem teſtibus repoſco: nam eorum merces eſt in meo verſari conſeſſu. Si reperero quod his condignum ſit, tunc eſt meum dare: vocant enim dantis poteſtatem accipientis merita.* Parco adſuetæ verborum elucidationi, ne lucem Soli fœnerari videar, & præluſtrem ſententiarum elegantiam dictione rudiori deuenuſtem Sic ſententiæ maieſtas micanter ſcintillat, vt intelligentiæ lumen ſenſibus ingerat.

(Margin: Matth. 20. v. 23. — Chriſti non eſt dignitatē dare, quam immerens ambit accipere. — Baſil. Seleu. Orat. 24. — Chriſtus diſpicit quid poſſit, dum merita videt.)

3. Actorum 1. ad electionem vnius, qui in Iudæ locum, in Apoſtolatu ſubrogandus erat, ſtatuerunt duos, Ioſeph, qui cognominatus eſt iuſtus; & Matthiam. Et orantes dixerunt: *Tu Domine qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus vnum accipere locum miniſterij huius..... Et cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis.* Syrus habet, *Sors aſcendit ad Matthiam.* Anſelmus Laudunenſis in Gloſsâ interlin. contrario ſenſu verborum tenus exponit, *Quod deſcendit, cadere enim deorſum dicitur*, inquit, *quia à Deo temperata eſt.* Non morabor nunc hanc expoſitionum antitheſim, quam aliàs forſan ethicè expendemus. Deo relinquitur futuri Apoſtoli electio, qui eſt meritorum libripens, & cordis perſpicax explorator Græcè eſt nomen compoſitum, quaſi dicas *cordicognitor.* Nomen cordis ſumitur in Scripturâ pro voluntate; pro mente; pro interioribus omnibus corporis. A Deo autem, qui non tantùm explorata habet operum extrinſeca, ſed intima cordium merita, expoſcunt vt inſinuet, quem elegerit, aut eligendum velit. Tantùm facit ad electionem, meritorum candidati cognitio. Audiendus eſt Theodoricus dum ſummâ Patriciatus dignitate Caſſiodorum auget: *Repetantur certè*, inquit, *Theodoricus rex quæ te noſtris ſenſibus infuderunt: vt tui laboris fructum capias cùm noſtris animis ſingula ſuauiter inhæſiſſe cognoſcas.* Confeſtim Rex ſingulatim recenſet ſingula Caſſiodori merita; & tandem concludit. *His igitur tot ampliſſimis laudibus incitati, Patriciatus tibi apicem iuſtâ remuneratione conferimus:* vt

(Margin: Actor. 1. v. 24. & 26. — Sors ſuper Matthiam deſcendit, vel potiùs aſcendit. — Syrus. — Anſel. Laud. — Caſſiod. l. 1. Variar. epiſt. 3.)

*Si promoues benemeritū, bonorum ſuorum fat iis eſſe quod tribuis.*

*vt quod aliis eſt præmium, tibi ſit retributio meritorum. Macte, ſumme vir felicitate laudabili, qui ad hanc vocem Dominantis animos impuliſti, vt bonorum tuorum potiùs fateamur eſſe, quod dedimus. Sint hæc diuino perpetuata auſpicio, vt dum hæc pro remuneratione tribuimus, meliora interim tuis meritis exigamur.* Scilicet potiùs Matthias tantis ad Apoſtolatum meritis intrinſecùs etiam fulgebat, vt *Cordicognitor* dicere cum Theodorico poſſet: *Apoſtolatus tibi apicem iuſtâ remuneratione conferimus; vt quod aliis eſt præmium, tibi ſit retributio meritorum, & bonorum tuorum fateamur eſſe quod dedimus.*

Lucæ 6. v. 12. & 13.

4. Lucæ 6. factum eſt autem in illis diebus, *exiit Ieſus in montem orare: & erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus eſſet, vocauit diſcipulos ſuos: & elegit duodecim ex ipſis (quos & Apoſtolos nominauit.)* Electurus Apoſtolos in montem aſcendit: vt indè velut de prælta ſpeculâ electionis negotium contempletur. Nec obiter Deum orat, ſed in oratione Dei pernoctat, id eſt, totâ nocte Deum deprecatur.

*Chriſtus ante Apoſtolorum electionem orat, vt nouo modo illis ſufficientiam impetret.*

Electurus enim manè Apoſtolos, (mane inquam, in clarâ luce, quò eligendorum merita præmonſtraret) integrâ nocte Chriſtus homo Patrem Deum orat pro eis, vt tales efficiantur, quales tanto muneri ſubeundo eſſe oportebat. An non ſciebat Chriſtus Deus qualia, quantáque tunc forent merita eligendorum ad Apoſtolatus faſtigium; quid ergò non modo Deum orat, ſed in oratione Dei pernoctat? Cardinalis Toletus inibi hoc dubium verſat, ſic tempeſtiuè fatus:

Tolet. ibi Annot. 16.

*Quamuis ergò nunc Chriſtus ſciret, qui electi erant à Patre in Apoſtolatum, & quales futuri, & ſolâ voluntate impetrare eis poſſet omnem ſufficientiam; orare tamen voluit, & oratione ipſa quaſi nouo modo impetrare, quod iam antea meruerat incarnatione ipsâ. quo facto dedit etiam nobis exemplum, vt orationem præmittamus. maximè autem hæc præmitti debet ab his, quibus incumbit miniſtros Eccleſiis præficere.* Vide nunc quàm ſit negotioſè ſollicitus de eligendorum ad Apoſtolatum ſufficientiâ. Nam tametſi benè nouerat, illos tunc eſſe omnium diſcipulorum digniſſimos, & ſolâ voluntate impetrare eis poterat omnem ſufficientiam, quod iam anteà meruerat incarnatione ipsâ; *orare tamen* (quin & pernoctare in oratione Dei) *voluit, & oratione ipsâ quaſi nouo modo impetrare*, vt omnibus modis tanto muneri pares redderentur, nec vllus deeſſet modus, qui forſan putari poſſet ſuperuacuus. Sic negotioſè eligendorum merita ſollicitat! Idcircò ante electionem ad Apoſtolatum, pernoctat in oratione Dei. Et, ſi Ambroſio credimus, Chriſtus Dominus *cum Apoſtolis orauit, quod aliàs ſemper ſolus feciſſe legitur. quaſi tanta res, tam communis, communem, & vnanimem poſtulet orationem.* Sed hunc locum aliàs ad commendandum communes multorum preces, expendebamus,

Ambroſius inibi.

Actor. 1. v. 25.

5. Actorum 1. Apoſtoli, vt Apoſtolum alium in Iudæ proditoris locum ſufficerent, ſtatuerunt duos, Ioſeph, qui cognominatus eſt iuſtus; & Matthiam. Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem elegeris ex his duobus vnum, *Accipere locum miniſterij huius, & Apoſtolatus de quo præuaricatus eſt Iudas, vt abiret in locum ſuum.* Quis eſt hic locus, quem Iudas tamquam alienum reliquit? Et quis eſt ille locus, in quem tamquam in locum proprium abiuit? Caietanus ſuum dici locum notat, *quia hactenus occupauerat alienum, & ex propriis demeritis damnationis locum ſuum effecit.* Pulchrè Bernardus: *Monſtruoſa res eſt gradus ſummus, & animus infimus: ſedes prima, & vita ima.* Scilicet Iudas alienum thronum, non ſuum locum & ſedem occupabat, cùm Apoſtolum agens, gradu erat ſummus, & animo infimus, Apoſtolicâ ſede primus, & vitâ imus: Exindè locum *hactenùs occupauerat alienum, & ex propriis demeritis damnationis locum ſuum effecit.* Itaque condignum dignitati meritum, prælationis ſubſiſtentia eſt: alioqui ſublimior promotio caduca eſt: nec tam electus eminet, quam ruiturus imminet.

*Monſtruoſa res eſt gradus ſummus, & animus infimus, ſedes prima, & vita ima.*

Caiet. ibi.

S.Bern l. 2. de Conſid. ad Eugen.

6. Leuitici 8. dixit Dominus ad Moyſen: Tolle Aaron cum filiis ſuis, veſtes eorum, & vnctionis oleum. &c. *Et congregabis omnem cœtum ad oſtium tabernaculi. Fecit Moyſes vt Dominus imperauerat. Congregatáque omni turbâ ante fores tabernaculi, ait: Iſte eſt ſermo quem iuſſit Dominus fieri.* Cur Deus omnem ſui populi Synagogam, electioni & inaugurationi Aaronis adeſſe iubet? an non ſatis erat, Moyſen diuinam electionem euulgaſſe? Luculenter inibi Origenes: *Licet ergò Dominus de conſtituendo Pontifice præcepiſſet, & Dominus elegiſſet, tamen conuocatur & Synagoga. Requiritur enim in ordinando Sacerdote & præſentia populi, vt ſciant omnes, & certi ſint, quia qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium; & hoc adſtante populo, ne qua poſtmodùm retractatio cuiquam, ne quis ſcrupulus reſideret.* Non diuina electio duntaxat, ſed omnium in omnibus meritorum elogiis ſuffragium, in Pontificis inauguratione præcedit, *ne qua poſtmodùm retractatio cuiquam, ne quis ſcrupulus reſideret.* Rumuſculus etiam vulgi præaudiendus eſt, retractationis ſcrupulus præpropere anteuertendus, vt omnium calculis ſemper approbandus præſideat, *qui præſtantior eſt, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior.*

Leuit. 8. v. 3. & 4.

*Cur adſtante populo, in Pontificem Aaron inauguratur.*

Orig homil 6. in Leuitic.

7. De ſapientiæ merito in Sacerdote eligendo, ita fatur Chryſoſtomus. *Nec ſolùm purum mundúmque Sacerdotem eſſe oportet, vt qui tali miniſterio dignus habitus ſit, ſed etiam in primis prudentem, atque adeò multarum rerum experientiâ inſtructum, & ornatum, in tantùm vt ſecularia mundanáque omnia nihilo minùs noſcat, quàm norunt ij, qui in mediâ hominum turbâ verſantur: rurſus rerum omnium humanarum ſecurior viuat, quàm Monachi ij, qui montes ipſos habitandos occuparunt. Nam cùm illum neceſſè ſit eorum hominum conſuetudine & congreſſione vti, qui & vxores habent, & liberos alunt, & ſeruos poſſident; quique & diuites admodùm ſunt, & publica negotiantur, & potentiâ pollent, certè eum varium eſſe conuenit.*

S.Chryſoſt. l.6 de Sacerd.

*Eligendo Sacerdoti neceſſaria etiam eſt ſecularis peritia vt ſit varius.*

Scilicet ſecularis etiam peritia eligendo Sacerdoti neceſſaria eſt, adeò vt *varius* debeat eſſe.

§. CLXXX.

## §. CLXXX.

*Præmia qui tollit, ferè virtutem, Sapientiam, atque peritiam omnem pariter ſuſtulit.*

1. PRopoſita præmij ſpes, artium energia eſt, & aliquis virtutum vigor. Adeò tolle remunerationis fiduciam, ceſſat peritia, languet ſtudium, & torpet humanitas tota. Quid facit ad litteratorem puer, (ait Zeno) ſi litterarum non ſperat fructum? Quid ratem profundo gurgiti nauta committit, ſi ei nunquam lucrum, nunquam portus deſideratus occurrit? Quid miles, non dicam horridæ hyemis, aut torridæ æſtatis iniurias, ſed ſeipſum contemnit, ſi gloriæ ſpem futuræ non gerit? Quid Chriſtianus credit in Chriſtum, ſi promiſſum ſibi ab eo perpetuæ felicitatis tempus non credit eſſe venturum? Ergò ſpes præmij conſultè præcedat, cui operosè fides adlaboret. Magnum hoc virtutis momentum, & ad omnes ſanctitates calcar. *Prima præmia ferent, qui me colunt propter me ipſum.* (ait Philo Dei nomine) *ſecunda, qui ſic ſperant ſe conſecuturos bona. quamuis enim iſtorum mercenaria ſit religio, & inſincera captatrix, tamen intra diuini templi ſepta verſatur, non foris oberrat.* Nollem vt pietas, quaſi foret *mercedis inſincera captatrix*, temporalia etiam præmia auidiùs expectaret; vellem tamen ne omninò illi deeſſent, quòd ad virtutum facinora acriùs extimuletur, præmiorum ornatu decorata. quod regiâ hîc liberalitate Aſſuerus edocet.

S. Zeno ſer. de ſpe, fide, &c.

*Sine ſpe præmij torpet humanitas tota.*

Philo. lib. de Abra.

... verſ. 6.

2. Regius vates Pſal. 1. de viro iuſto ita concinnè pangit: *Erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Et folium eius non defluet: & omnia quæcumque faciet proſperabuntur.* Nimirùm Iuſtus erit ſicut abor non ſterilis, ſed fructifera, quæ pulchrè comata frondibus, ſapidiſſimè edules fructus refert vberi prouentu. Sollerter perveſtigant Interpretes, quæ nam ſint huius arboris folia, quæ nunquam *decidunt*, & fructus, quos *dat* vberes. Vtrique quæſito ſatis argutè Genebradus reſpondet: *Poſſis ſuperiorem verſum* (in quo agitur de fructu) *referre ad æterna, hunc* (vbi de foliis) *ad præſentis vitæ præmium.* Quòd autem de præmio agatur, ſuadet huius verſiculi clauſula: *Omnia quæcumque faciet, proſperabuntur.* Hiſtoriæ naturalis Proceres, duo *foliorum* munera duce experientiâ cognoſcunt. Alterum eſt, arborem glorioſè decorare frondeo ornatu ſumptuoſiùs viridante. Alterum eſt, arboris fructus, ſiue ab horridæ hyemis, ſiuè à torridæ æſtatis iniuriis protegere, & tanquam tremulis ſcutis clypeare. Itaque vir iuſtus velut quædam arbor eſt, cuius *folia*, quæ comptiùs illum adornant, ſunt *præſentis vitæ præmia.* Parùm hoc foret, & quod non impleret *foliorum* officia, niſi huius arboris *fructus*, quæ ſunt *æternæ vitæ præmia*, hæc *folia* pariter cuſtodirent. O quoties virtus, quod ſemen ſeu flos eſt *vitæ æternæ*, ſiue æternæ beatitudinis *fructus* faciens, ſi *præmiorum* temporalium *folia* marceſcant, & *decidant*; in vitium inopinatum ignobiliter degenerat! Heu quoties impræmiata virtus, vitio confinis eſt! Repulſa ingloria promeritæ dignitatis; dira egeſtas in meritorum redundantiâ; improſper rei cupitæ euentus, in multâ impiorum proſperitate; turpis honeſtæ famæ immerito iactura: prouentuum, & vberum ſterilitas, in vbere meritorum fœcunditate: & alia ſexcenta, quibus temporaria præmia Iuſtis negantur; neſcio quo pacto ſæpè virtutis ſtudium faſcinant: & deficiente *foliorum*, hoc eſt, *præmiorum* protectione, delicatulus virtutis ac ſanctitatis flos, & fructus adhuc tener, pallet, marceſcit, & acerbè crudus vltrò in terrã decidit. Itaque huius vitæ *præmia*, quæ aliquibus nimium iuſtis *folia* videntur, & puerorum nugæ; *folia* quidèm ſunt, ſed quæ Iuſtum, velut arborem, comptiùs adornant, & tenellos vitæ æternæ fructus, tectiùs protegunt, dum obuios conſummatæ virtutis obices arcent.

Pſal. 1. v. 3. & 4.

Genebr. ibi.

*Præmia temporalia, foliis aptè comparantur. quare?*



Regius Pſaltes agens de præmiis, quibus Iuſti cumulatiùs munerantur, ita pangit: *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui, Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur.* Caietanus ſic ex Hebræo locum excribit: *Et mihi quàm chari facti ſunt Socij tui, Deus: quàm roborata ſunt capita eorum. Dinumerabo eos*, &c. Quaſi dicat, ait Caietanus: *Et mihi, Dauidi, quàm chari, quàm pretioſi facti ſunt Socij tui Deus: quàm roborata ſunt capita eorum, ſcilicet Sociorum tuorum. hoc eſt, Socios tuos valdè charos habui, & eorum capita, primates multùm roboraui, potentes feci.* Subdit autem tempeſtiuè: *Effectus magnificandi iuſtos, ſubiungitur multiplicatio iuſtorum. Ita quòd ſenſus, & ordo litteræ eſt: Et mihi quàm chari, quàm roborata, quàm dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur, ex hoc quòd ſunt mihi chari, & potentes officio, ſequitur quòd multiplicabuntur iuſti pluſquàm arena.* (Nota verba quæ ſubnectit.) *Et verè ſic eſt: quoniam vbi fortes honorantur, ibi multiplicantur fortes: & ſimiliter vbi iuſti honorantur, ibi multiplicantur iuſti.* Moraliſſimè quidèm Dauid ex mente Caietani, effectum magnificandi iuſtos, ſeu Dei Socios recenſet. Nimirùm Dauid regiâ potentiâ, & beneficentiâ iuſtos pro meritis magnificabat, & honoribus augebat: idcirco honorificatos dicit. Ergò vbi dixit, tot magnificis præmiis, & honoribus *primates: & potentes officio* factos; ſtatim ſubdit: *Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur. Et verè ſic: quoniam vbi fortes honorantur, ibi multiplicantur fortes: & vbi docti honorantur. ibi multiplicantur docti*, &c. Porrò honoraria præmia, fœcunditas peritiæ eſt, & vberrimæ multiplicationis matrix. Ergò dum otioſa imperitia in honore eſt, & peritiæ præmia ruditatis merito ſuffuratur; peritorum numerus neceſſariò decreſcit. Taceo. 3.

Pſal. 138. v. 17. & 18.

Caiet. ibi.

*Vbi docti honorantur, ibi multiplicantur docti, &c.*

Dauid in Pſalmo 77. ſic de ſe, ac de ſuo regimine modulatur: Et elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium, de poſt fœtantes accepit eum. Paſcere (id eſt, regere) Iacob ſeruum ſuum, & Iſraël hereditatem ſuam. *Et pauit eos* (*paſcere*, regnare eſt; & Iſaëlitis principari) *in innocentiâ cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos.* Modeſtè Dauid de ſe loquitur, quandò eum Deus vocauit ab ouibus ad regnum: nec impari modeſtiâ gratias eidem agit Deo; quòd ipſius beneficio pauerit, id eſt, rexerit commiſſum ſibi populum in ſim- 4.

Pſal. 77. v. 72.

*In intellectibus manuũ, dignitates &*

*honores in meritorum præmium donandi ſunt.*

plicitate ac ſinceritate cordis ſui, nihil aliud expectans, quàm populi vtilitatem; ac ſtuduerit actiones regiminis ſuas prudentiâ ſummâ peragere, vt præfocaret inertiæ malum, ac ſedulæ peritiæ ſtudium promoueret. Sed non conuenit inter expoſitores, in quonam hæc conſultior Dauidici regiminis politia ſita fuerit. *In intellectibus*, inquit, *manuum ſuarum deduxit eos.* Nimirum rex Dauid ſubiectos ſibi populos pauit, id eſt, rexit *in innocentiâ* cordis ſui. Quæ verba alij excribunt, *in integritate, in perfectione, in candore*, ſeu *bonitate*: Hæc autem bonitas, candor, integritas, & regiminis perfectio erat, *vt moderatè, & prudenter vteretur poteſtate, tamquam virgâ, quam gerebat manu; cuius etiam munera, dignitates, honores partiebatur pro meritis*, vt noſter inibi Lorinus exponit.

Lorin. ibi.

Itaque *in intellectibus manuum ſuarum gubernare*, eſt *munera, dignitates, & honores pro meritis partiri*, & honorariis ac opulentis præmiis digniores augere, indignè deſides, & oſcitanter inertes negligere. Qui ſic ſubiectos ſibi populos regit, *in intellectibus manuum ſuarum* gubernat. Quaſi peritiæ *intellectum*, non tantùm gerat in mente, quâ rem diſponit; ſed etiam in manibus quibus benemeritos dignitate & honore auget. Qui ſecùs faxit vtroque, & mentis, & manuum intellectu viduatus eſt, & mentis inops: atque præmia, meritis debita tollens, meritorum euerſor; quò ipſe immeritus honores ſine intellectu capeſſat.

5.
*Præmia honeſtatis, honeſtatem deſiderabiliorem reddunt.*
Ad Epheſ. 9. v. 12.

Paullus ad Epheſios 6. ad difficile bellum his verbis nos armat: Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli. Quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem: ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, *contra ſpiritualia nequitiæ, in cæleſtibus*, id eſt propter cæleſtes res & bona nobis eſt lucta cum dæmonibus, vt ex Chryſoſtomo exponit Cornelius.

S. Chryſ. Cornel. ibi.

Caſſiod. l. 1. Variar. epiſt. 12.

Grande quidem proponitur præmium, quò ad periculoſum virtutis certamen vigorem ingerat, & certandi deſiderium. Tempeſtiuè Caſſiodorus: *Deſiderabilior quinimò ſit honeſtas cùm peruenit ad præmium: & tunc fiat gratiùs labores anxios fuiſſe perpeſſum, cùm fructum eorum intelligis inueniſſe.* Nimirum propoſitum honeſtati præmium, honeſtatem reddit deſiderabiliorem quâdam benemerendi pompâ: & dum magnificus oſtenditur laborum fructus: anxiis laboribus placendi gratiam aſpergit, eorumque tolerantiam gratè mellit. Humanitas tota, vt ad voluptates hiat, ſic ad labores nauſeat, torpet, & eorum anxietatem horret. Vide ergò præmiorum arcanas præſtigias, quæ & horrorem exarmant, & placendi gratiam gratiùs ingenerant. *Deſiderabilior eſt honeſtas cùm peruenit ad præmium.* Præmia qui tollit, fere honeſtatem, omnémque ſimul peritiam ſuſtulit.

6.

Matthæi 11. his dulciſſimis verbis ac ſpebus Chriſtus Deus humanos labores conſolatur. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.*

Matth. 11. v. 30.

Et quomodo qui ærumnosè laborant, & graui peccatorum, tribulationum, ac paſſionum pondere degrauantur, nouâ Dominici iugi ſarcinâ reficiuntur, & reuelantur? Quin & Chriſti iugum, tot præceptis, & conſiliorum ſanctitatibus pergraue, quo pacto ſuaue, ac leue perhibetur, atque perîdoneum, vt alia onera ſubleuet? Quonam blandimento Chriſti iugum ad gratiam placendi concinnatur? Belliſſimè Theophylactus ſic præſcriptum locum excribit, & exponit: *Iugum enim meum commodum eſt, & onus meum leue.... Dicuntur omnia mandata Chriſti iugum leue, quoniam propter futuram retributionem leuia, tametſi ad breue tempus grauia videantur.*

*Graue Chriſti iugum, leue ac ſuaue eſt, quia commodum eſt.*

Theophylact. ibi.

Scilicet Chriſti iugum licet tot præceptis, & conſiliis graue, tamen ſuaue eſt, leue eſt, & toleratu facile eſt; quia *commodum* eſt, quia *futuræ retributionis* ſpes illud ſubleuat, delinit, ac mellit. Sic propoſita largiùs præmia, ærumnoſi laboris moleſtiam diluunt, vt leue ac ſuaue videatur, quod de certâ præmij ſpe *commodum* præuidetur. Sic acerbas duræ calamitatis vires, & moleſtum laboris robur, præmij *commodum* ſubneruat, effeminat, & elumbat; imò de ſpei officioſitate placendi gratiam fœnerat, oblato futuræ felicitatis obſide.

---

## §. CLXXI.

### *Summa eligentis dignitas & æquitas, præcipua electi pompa cenſetur, quæ dignitati dignitatem fœnerat.*

Avrelius Caſſiodorus ad magnum Munus approbatus à Principe, à Senatu quoque poſtulat approbari, ita ſcribens, Commendatis mihi P. C. prouectum meum, ſi vobis intelligo fuiſſe votiuum. Credo enim eueniſſe proſperrimè, quod tot felices conſtat optaſſe. Deſideria quippè veſtra, bonorum omnium probantur auſpicia: quoniam nemo poteſt talium fauore ſuſcipi, niſi quem diuinitas præcepit augeri. 1.

Caſſiod. l. 11. Variar. epiſt. 1.

*Mutuamini ergò gratiam, vt exigatis obſequium. Audiſtis principes viri, quæ rerum pondera prædicatus exceperim. Supra vires exigitur, qui dignitatum culmina laudatur ingreſſus. Hæc non audemus falſa dicere, ſed confitemur eſſe potiora. Nam talia iudicia non inuenerunt merita, ſed fecerunt. Neque enim nos indè iactamus, qui intelligimus dominos noſtros humilia voluiſſe ſuſtollere, ne videantur immeritis tam ingentia præſtitiſſe.*

*Caſſiodorus ad dignitatis pompam, adprobationem Senatus expoſcit.*

Meritò igitur Caſſiodorus ad ſublimiſſimæ dignitatis pompam, non Principis electione duntaxat, ſed Romani Senatus iudicio adprobari exambit: nec præcelsâ ſe dignitate ſatis augeri putat, niſi inclyta electorum auctoritate decoretur. Porrò eligentis dignitas, dignitati dignitatem fœneratur. Dantis iudicium, honor eſt accipiẽtis. Quo etiam nomine glorioſè nunc Mardochæus adornatur.

Hic verſ. 8 & 9 &c.

Matthæi 16. venit Ieſus in partes Cæſareę Philippi: & interrogabat diſcipulos ſuos, dicẽs: Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. *Dicit illis Ieſus: Vos autem quem me eſſe dicitis?* Vide interrogationis elegantiam. 2.

Matth. 16. v. 15.

Dirigit enim priùs Apoſtolos ad extrinſecas laudes, vt eis euulſis veram opinionem ingeneret. vnde cùm dixiſſent plebis opinionem, eorum ſententiam interrogat, cùm ſubditur: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* (Cyrillum legis) *ò quàm præcipuum eſt illud Vos. Excepit eos ab aliis, vt eorum vitent opiniones. Quaſi dicat: Vos qui cenſurâ meâ vocati eſtis ad Apoſto*

S. Cyrill in Catenâ, ad 9 c. Lucæ.

*Magni electoris iudicium, cenſus dignitatis eſt, & ſublimitatis menſura.*

*Apoſtolatum, quem me eſſe dicitis?* Sublimiſſimum ſanè faſtigium Apoſtolatus eſt, Chriſtianiſmi apex,& dignitatis meta, quam vel Angeli æmulari potuiſſent. At illud *præcipuum*, quod latet in illa excluſiuâ, *Vos autem*, & cui tota ſententiæ energia ſubeſt, non eſt: Vos qui Apoſtoli eſtis, & tanto dignitatis faſtigio dignè eminetis; ſed qui electione meâ, meo iudicio, & *cenſurâ meâ* de vobis, idonei ad tantam ſublimitatem iudicati eſtis,& in Apoſtolatum electi. Magnâ honoris æſtimatione Apoſtolica dignitas apud vos eſt, & apud omnes eſſe debet: at quod in tanto faſtigio magis eminet; eſt autoratiſſimum electoris iudicium, & prælustre cenſuræ meæ ſuffragium. *O quàm præcipuum eſt illud Vos. Quaſi dicat: Vos qui cenſurâ meâ vocati eſtis ad Apoſtolatum*: Magni electoris iudicium, cenſus dignitatis eſt, & ſublimitatis menſura.

3.

*Cur [illegible] ſit [illegible] conſultiſſimi electoris iudicium.* Caſiod. l. 1. var. epiſt. 3.

Dat Caſſiodoto Theodoricus rex ſummum Patriciatus apicem, cùm tunc fuiſſet Corrector Lucaniæ, & Præfecturam Prætorianam magnâ cum laude geſſiſſet. Ergò cùm tanta ei dignitas confertur, quaſi ſatis non foret ad illius commendationem ſummum Patriciatus faſtigium, ſic fatur Theodoricus: *Tamen iudicij noſtri culmen excelſum eſt*,( excelſius inquam, excelſiſſimo Patriciæ dignitatis faſtigio) *cùm qui à nobis prouehitur præcipuus & plenus meritis æſtimatur. Nam ſi æquabilis credendus eſt, quem iuſtus elegerit: ſi temperantiâ præditus, quem moderatus aſciuit: omnium profectò capax poteſt eſſe meritorum, qui iudicem cunctarum meruit habere virtutum. Quid enim maius quæritur, quàm hîc inueniſſe laudum teſtimonia, vbi gratificatio non poteſt eſſe ſuſpecta? Regnantis quippè ſententia iudicium de ſolis actibus ſumit, neo blandiri dignatur animus dominij poteſtate munitus.* Quibus verbis dilucidè oſtenditur, cur tanti ſit æſtimandum conſultiſſimum magni Electoris iudicium. lege epiſtolæ reliquum.

4

*Exodi 3. v. 15. Apud homines, ſerui à Dominis; apud Deum verò, Dominus à ſeruo denominatur.* S. Chryſoſt.

Exodi 3. interrogatus Deus à Moyſe, quod ſibi eſſet nomen, vt illud filiis Iſraël poſſet denunciare. *Ego ſum qui ſum*, inquit. Hæc dices filiis Iſraël, *Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob miſit me ad vos: hoc nomen mihi eſt in æternum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem.* Multa mouent Sancti Patres, & Pentateuchi expoſitores ſuper hoc Dei nomine, quo adſpectu ad homines nuncupatur. Quâ ſuper re ita ad rem præſentem Chryſoſtomus ſcribit in Homiliâ 4. de fide Abrahæ: *Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Apud homines* ( ait ) *à Dominis ſerui, à maioribus minores appellationem ſumunt: apud Deum autem contrà, Dominus à ſeruo denominatur.* Non tanti eſt, vt humani Principes oſcitanter ſe gerant in miniſtrantium, ſeu ſeruorum idoneâ electione: nam apud homines ſerui à Dominis, à maioribus minores appellationem ſumunt. Apud Deum autem maximi refert miniſtrorum & ſeruorum electio, quam conſultiſſimi iudicij cenſus præcedere debet: in eiuſmodi autem electione Dei honor geritur,& magni nominis ſui negotium agitur Inde magnos viros, & Patriarcharum ſummates, Abrahamum, Iſaacum,& Iacobum eligit, dicitúrque *Deus Abraham, Deus Iſaac & Deus Iacob: apud Deum* enim *contrà. Dominus à ſeruo nominatur.* Idcircò conſultiſſimâ Dei præuiâ cenſurâ, ad diuini nominis honorem, potiùs quàm ad patriarchale miniſterium electi videntur.

5.

*Actor. 1. v. 26. Græcus. Cur Petrus ante Matthiæ electionem, electores commendet.*

Actorum 1. In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum ſimul, ferè centum viginti ) Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus-ſanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Ieſum. *Oportet ergò ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, &c. teſtem reſurrectionis fieri vnum ex iſtis. Et ſtatuerunt duos, Ioſeph, qui cognominatus eſt Iuſtus; & Matthiam. . . . Et dederunt ſortes eis,& cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis.* Græcè habetur: *Et ſuffragiis additus eſt.* Eccur ipſe Petrus Pontificio iure Apoſtolum non eligit,ſed electionem Deo commendans,multitudini permittit? An non præſtaret, vt ipſe Matthiam eligens, eligendorum Epiſcoporun auſpicium dedicaret? Quorsùm à tantâ multitudine ſuffragia expoſcit? Appoſitè Oecumenius inibi: *Oportet ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati, &c. Rem illis communicat ne in pugnam euadat. Proptereà quoque incipiens, Viri fratres, inquit, oportet eligi è vobis, multitudini iudicium permittens, ſimúlque & eos qui eligerent venerandos reddens.* Vide hîc conſultiſſimum Petri iudicium, vt eligendum Matthiam ſublimiùs honoret de electorum venerandâ dignitate. Scilicet non Petrus tantùm illum eligat;ſed Petrus cum reliquis Apoſtolis & Diſcipulis. Prætereà rem cum illis communicat, atque electionis iudicium multitudini permittit,vt ante electionem, *eos qui eligerent venerandos redderet.* Sic Apoſtolum denuò eligendum, ab electorum dignitate commendare Petrus feſtinat,benè ſcius, quòd electoris dignitas in electi pompam vbertim exundat. vndè priùs electores *reddit venerandos.* Oecum. ibi.

6.

*Ioan. 15. v. 16. Rupert. Electus electori ſtipendiarius.*

Ioannis 15. his verbis Chriſtus Deus Apoſtolos ſuos alloquitur: Vos autem dixi amicos,quia omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis. *Non vos me elegiſtis: ſed ego elegi vos*, & poſui vos vt eatis, & fructum afferatis: & fructus veſter maneat. Rupertus Tuitienſis ita hunc locum inibi eleganter exponit: *Non, inquit, idcircò vos dixi amicos,quòd vos me elegeritis, ſicut Reges Gentium, & qui poteſtatem habent ſuper eos, à ſuis eliguntur amicis; quibus perindè debitores ſunt, quia cupitum non niſi per ipſos poterant obtinere imperium.* Heu ſæpè dignitates, quæ liberæ eſſe debuiſſent, beneficis electoribus obæratas, ſtipendiarias, vectigales, non æquâ iuſtitiæ adminiſtratione! P. Maldonatus indidem aliâ ratione putat his verbis *Chriſtus ſuum erga Diſcipulos amorem declarare, interpretans, Non vos me elegiſtis, ſicut populus Regem ſuum ſolet eligere: non vos mihi, ſed ego vobis auctoritatem dedi.* Quaſi dicat Chriſtus electis à ſe Apoſtolis: Egò cùm non ſim electus à vobis,nec mea ſuprema dignitas vllis ſit electoribus obærata, & gratitudine obſtrictè obnoxia, quandò vos elegi libertate iudicij vſus ſum; non neceſſario gratiæ rependendæ ſuffragio, vt electi etiam Reges ſolent. Ergò, prætèrquam quòd ego Deus ſum, qui vos elegi, magnam vobis *auctoritatem dedi* etiam, quia *non vos me elegiſtis ſed ego elegi vos.* & indè ſublimiſſimæ electionis pompâ eminetis, dum iſtiuſmodi meâ cenſurâ electi eſtis.

*Maldon. Apoſtolica electio commendatur, quia non ipſi priùs Chriſtū elegerunt.*

7.

Matthæi 5. hoc generoſo elogio Chriſtus Deus

Mat. 5. v. 1. Apoſtolos ſuos honorat: *Vos eſtis lux mundi.* Et quomodo tunc Apoſtoli in Euangelicæ prædicationis auſpicio rudes, & inidonei ad lucendum, iam eſſe *lux mundi* perhibentur? Iam eſſe dicuntur, quod nondum ſunt? Sanè adſciti iam erant, & electi ad Chriſti ſocietatem & collegium; ſed nondum erant, quod iam eſſe dicuntur. Vidit hanc difficul-
Cornelius. tatem inibi Cornelius, illíque ſic reſpondet: *Vos eſtis lux mundi. Eſtis, ex meâ electione & deputatione, ideoque Eſtis, id eſt, eſſe debetis: & Eſtis, id eſt, reipsâ eritis, ſi meæ ele-*
*Chriſti electoris iudicium valde electos honorat.* *ctioni reſpondeatis.* ô vide hîc quantùm Diſcipuli electione Chriſti Dei honorentur. Nondùm erant *lux mundi*, homines ad doctrinam rudes, & virtute ac eruditione obſcuri, in ſtagnis ac lacubus agreſti ingenio enutriti; & tamen Chriſti Dei eligentis conſilioſo iudicio, ſic iam tunc præclarè honorantur præluſtri *lucis* titulo, vt iam eſſe dicantur, quod nondùm ſunt, ſed poſt Spiritusſancti aduentum idoneè & plenè erunt. Porrò conſultiſſimum Chriſti Dei eligentis iudicium, ſic eligendos ſeu electos honorat, vt meritum ad tantum munus dignè obeundum, aut inueniat, aut faciat. Adeò vt qui tanti electoris honoratur iudicio, præproperè condignitate ad Dignitatis fulgores nobilitetur. *Vos eſtis lux mundi. Eſtis, ex meâ electione. Eſtis, id eſt, reipsâ eritis, ſi meæ electioni reſpondeatis.*

8.
Caſſiodorus. Redeat iterùm aliter enucleandus ſemel expenſus Caſſiodori locus. Qui libro 6. Variarum, epiſtol. 23. ita regis Theodorici nomine ſcribit: *Exeunt à nobis dignitates relucentes quaſi à Sole radij, vt in orbis noſtri parte reſplendeat cuſtodita iuſtitia.* ô quàm ſplendidè
*Electi exeunt ab electore, quaſi à Sole radij.* fulgentes Solis radij à Sole exeunt! Sic qui de noſtrâ poteſtate, & conſultæ electionis maturo iudicio, ad dignitatum faſtigia eliguntur, vt nos ad præluſtre gubernationis munus adiuuent *relucentes* ſplendidè exeunt, quia *exeunt à nobis quaſi à Sole radij.* Quid non fulgidum, ſed obſcurum à Sole exeat? quid ortum habens à Sole, non micanter ſplendet? Sic qui à conſultiſſimo conſultiſſimi electoris iudicio electus exit, & de eius electione ad præclara munera adſcitur, tanquam à Sole radius ſplendidè fulget, & Dignitatis ſplendido fulgore prænitet: *Exeunt à nobis Dignitates relucentes quaſi à Sole radij.*

---

## §. CLXXII.

### *Cognata atque idonea munijs ingenia, ſollerter quærere, & explorare, peritioris electorum politiæ labor eſto.*

1.
Tacit. 4. Annal. & 1. NEſcio quomodo aulica comitia in Præfectis eligendis affectus regit; & velut *fato quodam ac ſorte naſcendi, vt cetera, ita Principum inclinatio in hos, offenſio in illos eſt.* Traiano diſplicuit, neque optimis placet cautio Tiberiana, qui *nec eminentes virtutes ſectabatur, & rurſum vitia oderat. Ab optimis, periculum ſibi: à peſſimis, dedecus publicum metuebat.* Ergò ingenium cuiuſque Elector inſpiciat, & pro indole & captu officia diſpen- *Eligẽdus, par negotiis ſit.*
ſet. Hic ad ciuilia, ille ad bella; naturâ aptior, Nam, vt Poëta modulatè pangit: *Omnia non* Propert. l. 3.
*pariter rerum ſunt omnibus apta.* Proba electio improbos & inidoneos procul arcet. Itaque prima Rectoris cura in id ſollicitè incumbat, vt *quemque cuique functioni, pro indole ſuâ admoneat*, & idoneos rei gerendæ miniſtros eligat, quod eſt conſultiſſimum in re politicâ Plutarchi dogma, & huius §. the- Plutarch. Polit. Præcep.
ſis. Par hîc regiis honoribus Mardochæus eligitur, magno eligentis decoro. Niſi fortè merita Mardochæi faſtigium tantæ ſublimitatis excellant, quod ſequenti §. examinabitur. Hic v. 8. & 9.

Geneſeos 1. ſacer Hiſtoricus agens de ſextâ mundi die, ita ſcribit: *Et fecit Deus beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas, & iumenta, & omne reptile in genere ſuo. Et vidit Deus quod eſſet bonum, & ait: Faciamus hominem, &c.* 2. Geneſ. v. 25.
Scitè quærunt Interpretes quare Homo totius opificij finis & clauſula, mente & ingenio præditus, & cognatione cum Angelis nobiliſſimus; non tanquam peculiare & vnicum vnius diei opus implet: cùm dignè illi ſoli, reliqua opera longè excellenti, impenderetur. Sed vlterius addubitat Rupertus, cur iumenta cùm irrationabilia ſint, ſexto die cum homine deputantur? Nihilo enim magis iumenta, quàm piſces maris, ſiue volatilia cœli, quinque corporis ſenſus excedunt; nec minùs ac magis quàm illa hæc expertia rationis ſunt. Quare ergò beſtiæ & iumenta terræ, creatione vnius diei cum homine honorantur; non ſic aquarum piſces, & cæli volucres? Subtiliter ad rem Rupertus reſpondet, quòd *Etſi in eodem eſſentiæ gradu iumenta, in quo & volatilia, ſiue aquarum reptilia tenentur, quia pariter corpora ſunt animata & ſenſibilia, nec vltrà valent; rectè tamen cum homine diei ſexto computantur, quia cuius homo, eiuſdem patris mundi, ſcilicet terræ ornatus quoque iumentorum genus eſt, & eius potiſſimum ſubſtituta ſeruitio ſunt, ſicut videmus, quia neque volatilia, neque reptilia, quæ produxerunt aquæ, ſed ſola iumenta homini cooperantur, & collaborant. Cùm itaque illis, id eſt, volatilibus ſiue piſcibus pro conditionis æqualitate: huic autem, id eſt, homini pro materiali origine iumentorum genus contiguum ſit, rectè potiori, id eſt, homini ceſſit, vt cum illo vnus diuinæ operationis ſit dies, &c.* Pluſcula, ſed planè aurea Ruperti verba. Scilicet non maris piſces, non cœli volucres, tametſi in eodem animalitatis gradu pares iumentis ſint, ſextæ diei operi deputantur cum homine; quia iumenta ſicut homo matricem terram agnoſcunt, & quandam indè cognationem ſortiuntur cum eo: vndè etiam humano ſeruitio deputantur. Aptam inquam, naturam, non piſcium aut volucrum, ſed iumentorum ſollerter prouidit Deus, vt cognatio ſpecialis cum homine, eius operi ac ſeruitio congrueret. Itaque homo & iumenta natiuitate coæua, & ex eodem terræ limo naſcantur, vt

*Cur Deus non volucres ſed cognata homini iumenta, eodem die creati* Rup. l. 1. in Geneſ. c. 54.

vt de cognatione indolem vtvt aſſimilent, quò magis idoneè humano labori impendantur. Sin minùs, adiuitatur homo vti piſcium labore, aut auium volucri miniſterio. Non ibimus inficias, volucres ſublimiùs ſe extolli, & piſces craſſiori robore adipari; ſed ad collaborandum homini inania ſunt, & nimis futilia. Idoneam & eicurem naturam elige; non altipetam, & inaniter volucrem. *Cùm volatilibus ſiue piſcibus, pro conditionis æqualitate; homini autem pro materiali origine iumentorum genus contiguum eſt.* exindè non piſces aut volucres, ſed *iumentorum genus, hominis potiſſimùm ſubſtituta ſeruitio ſunt.*

3. Actorum 9 Saülus autem adhuc ſpirans mi-
9. v. 11. narum, & cædis in diſcipulos Domini, zelo legis viuidè extimulatus, Damaſcum pergit. Sed in itinere de cælo tactus, meliora ſapit: & de Saulo Paullus, de Phariſæo Apoſtolus effingitur in diuinioris gratiæ officinâ. Erat autem quidam diſcipulus Damaſci nomine Ananias: & dixit ad illum in viſu Dominus: *Surge & vade in vicum, qui vocatur Rectus: & quære in domo Iudæ Saülum nomine Tarſenſem: ecce enim orat.* Tempeſtiuè inibi quærit ſagaciùs Oecumenius, cur ad Paullum ex Phariſæo futurum Eccleſiæ principem, non mittitur aliquis ex Apoſtolorum ſummatibus, qui in rebus fidei illum erudiat? Quam ob rem Ananias, è Diſcipulorum populo vnus, tanto muneri deſtinatur? Dubium à ſe propoſitum his verbis ſoluit Oecumenius: *Quoniam per homines inducturus Saulum non erat, ſed per ipſum Chriſtum. Siquidèm Ananias nihil eum docuit, ſed tantum baptizauit. Simul enim vt illuminatus eſt magnam Spiritus gratiam à zelo animique promptitudine attracturus erat.* Scilicet Chriſtus Deus velut admiratus Paulli ingenium ad Euangelij euulgationem peridoneum, non ab aliquo ex principibus Apoſtolis, ſed à ſe voluit in ſuâ doctrinâ ſingulariter erudiri, & à tanti diſcipuli magiſterio vnicè gloriari. Porrò Saülus vbi primùm baptizatus eſt, *magnam Spiritus gratiam à zelo animique promptitudine attracturus erat.* A cognato zelo, & agnatâ animi promptitudine magnam Spiritus ſancti gratiam Paullus attrahit? an potiùs magna gratia Spiritus-ſancti, zelum & animi promptitudinem Paullo afflat? (Procùl Semipelagianiſmi calumnia) Peridoneum Paulli ingenium, & ad ſumma quæque perampla capacitas, à bonâ & acri indole ſingulariter impreſſâ, non meritoriè mouet, ſed naturaliter velut inuitat Deum, vt naturæ dotibus ornatiſſimum (tanquam aptius inſtrumentum) miniſtrum malit, qui diuinæ gloriæ officioſitate afflatus, virtutis facinora ſumptuoſiùs patret in Euangelij ſui promulgatione. De hoc ergo *Zelo animique promptitudine*, quæ à peridoneâ, magnarúmque rerum capacitate eſt, videtur per hyperbolen dixiſſe Oecumenius, quòd *magnam Spiritus gratiam attraxit.* Quid exaggeratiùs?

4. 1. Petr. 3. v. 21. & 22. 1. Petri 3. poſtquam Noëticæ eluuionis meminit, illam baptiſmati adaptat. Quod & vos, ait, nunc ſimilis formæ facit baptiſma: non enim carnis depoſitio ſordium, *Sed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Ieſu-Chriſti, qui eſt in dextera Dei, deglutiens mortem, vt vitæ æternæ heredes efficiamur.* Quæ eſt conſcientiæ *interrogatio*, quæ fit in baptiſmo deſignato per Noëticum diluuium, ſub quo ſæuientes atrociter aquarum gurgites, mundum fecere inopinatum naufragium? Et quæ eſt hæc conſcientiæ *interrogatio*, (vel hominis ad Deum, vel Dei ad hominem, vt mauult Iuſtinianus) vt homines *vitæ æternæ heredes efficiantur*? Quid interrogat Deus? quid examinat, vt homines empyreæ gloriæ idoneos inueniat? ô quàm multa ſciſcitatur & explorat Deus, vt luteos homines è terræ limo figulatos, olympiæ beatitudini aptos inueniat, & dignos cæleſtis curiæ ciues! Luculenter Minutius Felix de calamitoſis Chriſtianis perſecutionum ſæuiente procellâ afflictatis, & velut à Deo neglictis, his verbis cum Cæcilio ethnico diſputat: *Itaque & nobis Deus nec non poteſt ſubuenire, nec deſpicit: cùm ſit & omnium rector & amator ſuorum: ſed in aduerſis vnumquemque explorat & examinat: ingenium ſingulorum periculis penſitat: vſque ad extremam mortem, voluntatem hominis ſciſcitatur; nihil ſibi poſſe perire ſecurus.* Nempe baptiſmus, turbulentis Noëticæ eluuionis fluctibus adumbratus, & quo primum ad cæleſtem beatitudinem ius eſt, ſententioſè dicitur, *interrogatio*, quâ Deus ſciſcitatur, an homo *vitæ æternæ* congruus *heres efficiatur.* Neque in baptiſmo, eiuſmodi inquiſitio ceſſat: nam diris Tyrannorum perſecutionibus, & ærumnoſis humanæ vitæ calamitatibus, vlteriùs hæc *interrogatio* à Deo peragitur, qui *aduerſis vnumquemque explorat & examinat: ingenium ſingulorum periculis penſitat: vſque ad extremam mortem, voluntatem hominis ſciſcitatur.* Ecce tibi quàm ſollerter Deus repetitis *interrogationibus* nos examinat, penſitat, ſciſcitatur, explorat, vt ex luteis & caducis hominibus, empyreos, & immortales faciat.

P. Iuſtin. ibi; n. 23. *Crebris interrogationibus nos explorat Deus, vt ex luteis hominibus empyreos faciat.*

Minut. in Octau.

5. Ezech. 21. v. 26. & 27. Ezechielis 21. hæc Deus Prophetæ ſuggerit regi Sedeciæ denuncianda: Tu autem profane, impie iudex Iſraël, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita: *Hæc dicit Dominus Deus: Aufer cidarim, tolle coronam: nonne hæc eſt, quæ humilem ſubleuauit, & ſublimem humiliauit? Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam.* id eſt, coronam. Non hìc morabor Interpretes, an *cidaris*, quæ aliàs Pontificium inſigne eſt, ſumatur pro regiâ *coronâ*; vt citiùs inueſtigemus Sedeciæ ſceleroſum nimis reatum, propter quem tot calamitates, & à regno depoſitionem, iuſtè promeruit. Cauſſam adfert Hugo Carenſis inibi ex plurium Patrum ac Interpretum ſententiâ: *Nonne hæc eſt corona*, inquit, *quæ humilem, id eſt, humiliandum & deiiciendum ſublimauit; & ſublimem, id eſt, ſublimandum humiliauit, id eſt, deiecit pro voluntate contra ius & rationem? Quaſi dicat: Nihil fecit iudicio, ſed ad imitationem regis Babylonij, quos volebat exaltabat, & quos volebat humiliabat.* O vide quàm ſit Principi flagitioſum, & magno luendum, abſque conſilio & ratione pro nutu, & arbitrij, ſeu poteſtatis libidine, ſublimare meritis ſuis humiliandos, & humiliare meritis ſublimandos! *Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam.* Hebraicè, *peruerſitatem, curuitatem, obliquitatem ponam eam*; ſcilicet coronam regiam Sedeciæ. Quaſi dicat: Ego efficiam vt Sedeciæ *corona*, quæ priùs recta erat more Regum, peruersè obliquetur, & incuruetur; & ſenſim regnum pereat; ſiquidèm ipſæ electiones, quæ de recto iudicio debebant eſſe rectæ, eas ipſe, humiliando ſublimans, & ſubliman

Hugo.

*Prauas electiones, regni depoſitione Reges luunt.*

Hebræus.

ſublimandos humilians, *peruertit, incuruauit, obliquauit.* O time quiſquis, ſi minùs Deum, ſaltem coronam amas. Inidonea peruersè electio, coronæ ſenſim deponendæ arbitrium eſt. *Nónne hæc eſt, quæ humilem ſublimauit, & ſublimem humiliauit.* Ergò idonea obeundis muneribus ingenia, ſollerter Electores perquirant.

6. Sap. 6. v. 17. *Cæleſtis gloria Paullum ambit.* Sapientiæ 6. De conſultiſſimâ Sapientiâ hæc ſcribuntur: *Quoniam dignos ſe ipſa circuit quærens, & in viis oſtendit ſe illis hilariter, & in omni prouidentiâ occurrit illis.* Inculcat Sapientiæ benignitatem, quæ reiectaneos & inidoneos negligens, ſollerter inquirat, & circumquaque perueſtiget ſe dignos, & Reipublicæ muneribus idoneos. An non ſic in viis Paullum diuina Prouidentia *circuiuit quærens*, qui noui Teſtamenti præuidebatur fore miniſter peridoneus?
Act. 9. v. 3. &c. & c. 26. v. 13. Phot. apud. Oecum. Argutè ad rem Photius apud Oecumenium: *Ambibat Paullum præueniens gratiam cæleſtis gloria.* Nimirùm Chriſtus Deus contemplans aptiſſimam Paulli indolem, & acre ingenium ad Euangelium latè propagandum, gratiæ officioſitate, & cæleſti luce eum *circuit quærens*, & *cæleſtis gloria præueniens gratiam, Paullum ambit.* Sic cæleſtis fulgurum gloria, gratiam præueniens, idoneum Euangelio miniſtrum, non ſolùm *circuit quærens*, ſed etiam piè *ambit*? O bona gloriæ ambitio, quæ futurum aptiſſimum Euangelio miniſtrum, ſic ſollicitè *quærit*, & feliciter inuenit?

---

## §. CLXXIII.

### *Conſultior apud homines electio, viros pares negotiis, neque ſuprà deſtinat.*

1. Propert. l. 3. *Proba electio refutat eum, qui ſupra negotium ſit.* Tacitus 6. Annal. OMnia non pariter rerum ſunt omnibus apta, pangit ille quicumque. Ergò vulgaris electorum politia inidoneos procul arcet, vtpotè committendo muneri impares. Quid ſi nimiùm etiam aptos refutat; ne peritia vltra negotium, otio inerte ceſſet; aut ampliora inſolenter metiretur? Scilicet conſilioſi Principis ſollertia ſatagit, *vt pares negotiis, neque ſupra ſint*, ait perbellè Tacitus. Æquè enim obeundo muneri officit, aut captu non æquare commiſſum ſibi negotium, aut ſupra illud nimis excellere. Qui excellit vltra munus, illud faſtidit, negligit, & contemptim tractat, neque illud ſedulitate exaciat.

2. Num. 11. v. 17. Numerorum 11. obnixiùs forſan quàm par erat, deprecatur Moyſes Hebrææ gentis principatum, quem diu perſtrenuè geſſerat. Adnuit Deus, dixítque illi: Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſraël, & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, faciéſque ibi ſtare tecum, vt deſcendam, & loquar tibi: *Et auferam de ſpiritu tuo, tradámque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non ſolus graueris.* S. Auguſtinus
S. Aug. q. 18. Abulen. ibi. q. 43. hîc q. 18. ita hunc locum excribit: *Auferam de ſpiritu qui eſt ſuper te.* Alij apud eundem Auguſtinum ibi: *Auferam de ſpiritu tuo, qui eſt in te.* Peritè quærit Abulenſis, *Cur non dixit Deus: Dabo de ſpiritu meo?* ſed potiùs, *Auferam de ſpiritu tuo, qui eſt in te.* Quiſnam eſt iſte ſpiritus qui eſt in Moyſe ad peritè gubernandum populum, qui dicitur ab eo auferendus, vt tradatur Septuaginta ſenioribus, qui in regiminis partem deſignabantur? *Quidam dicunt*, (ait Abulenſis) *quòd erat ſpiritus ſapientiæ & prudentiæ.* *Num de magno Moyſis ſpiritu aliquid aufertur, vt par ſit minori imperio?* Abul. ſup. Scilicet Moyſes fuit peritiſſimus gubernator, & gubernatorum idea; *ſapientiâ & prudentia* imprimis ſtrenuus: cùm ergò inducuntur ſeptuaginta Præfecti, qui magnam regiminis partem ferant, & in grauioribus etiam cauſſis ius adminiſtrent; partito iam in plures imperio; tunc, tunc quidèm audit, *Auferam de ſpiritu tuo, qui eſt in te*, qui dicitur *eſſe ſpiritus ſapientiæ & prudentiæ.* An quia cùm nuper totum populum gubernabat, par erat ampliſſimo imperio; quandò autem eius imperium imminuitur Præfectorum ſeptuaginta adiectione, ne non tantùm *par negotio*, ſed *ſuprà ſit*; tunc ei dicitur, *Auferam de ſpiritu tuo, qui eſt in te*, id eſt, de *ſpiritu ſapientiæ & prouidentiæ*; Probabile cenſet Oleaſter, Oleaſter ibi. quod nos inibi improbauimus; aliquid de Moyſis ſpiritu fuiſſe reapſe *ablatum.* at verbo *auferendi* vtitur Latinus forſan alludens nomine tenus ad hanc morum politiam, viris ſtrenuè politicis probariſſimam: quorum dogma eſt, vt rempublicam adminiſtraturi, *pares negotiis, neque ſupra ſint.* Vndè cùm aliquid de imperio detrahitur, non ei dicit Deus, *Dabo de ſpiritu meo*; ſed potiùs, *Auferam de ſpiritu tuo, qui in te eſt.*

4. Regum 2. cùm tranſiſſent Iordanem, dixit 5. 4. Reg. 2. v. 9. & 10.
Elias ad Eliſeum: Poſtula quod vis vt faciam tibi antequam tollar à te. *Dixítque Eliſeus: Obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus. Qui reſpondit: Rem difficilem poſtulaſti: attamen ſi videris me, &c.* Ardua olim & nunc quæſtio, an Eliſeus petierit ſpiritum duplo maiorem Eliæ: an Eliæ ſpiritum duplicem, nempè prophetiæ, & miraculorum. Plures ex Interpretibus arbitrantur, quòd non petiuit, niſi ſpiritum Eliæ, qui duplex erat: nam erubeſceret Eliſeus petere aliquid maius, quàm Elias habebat: non enim eſt diſcipulus ſuper magiſtrum. Verùm cùm Eliſeus vtróque polleret ſpiritu, & prophetiæ, & miraculorum, dudùm conſtitutus Eliæ ſucceſſor, fruſtrà expeteret quod habebat. Quin & diu electus *Cur Eliſeus ſpiritū duplo maiorem poſtulans, rem difficilem poſtularit?* Eliæ ſucceſſor, vtróque ſpiritu donari opus erat; & ideò inidoneè ei dixiſſet Elias: *Rem difficilem poſtulaſti.* Porrò vtrumque Eliæ ſpiritum Eliſeo concedere, non erat difficile diuinæ omnipotentiæ, à quâ vnicè largitio pendebat. Imò & connaturale erat ſucceſſori concedere anteceſſoris priuilegia, ſine quibus iniunctum ſibi munus exequi non valeret, Ergò Eliſeus videtur petere ſpiritum duplo maiorem. Sed adhuc ſupereſt difficultas, cur ſpiritum duplo maiorem poſtulans, adhuc Eliſeus *rem difficilem poſtulare* dicatur. Argutè Abulenſis hoc dubium verſans, ita inibi Abul. ibi. q. 15.
ſcribit: *Quandò Eliſeus dixit: Obſecro vt fiat ſpiritus tuus duplex in me. Reſpondit Elias, Rem difficilem poſtulaſti, cùm ſciret eum futurum ſucceſſorem ſuum: ergò videtur quòd petebat ſpiritum duplo maiorem: & iſta erat res difficilis, quia tunc erat pluſquàm ſucceſſor Eliæ.* Nimirùm Elias ad ſibi iniunctum à Deo munus dignè obeundum, congruo idoneè ſpiritu à Deo dotatus eſt ad munus congruè obeundum: cùm autem Eliſeus eiuſdem muneris ſucceſſor, ſpiritum duplo

plo maiorem quàm Elias anteceſſor expetiuit ad idem munus exequendum, *rem difficilem poſtulaſſe* dicitur: nam *difficile* eſt vt Deus præbeat Eliſeo ſucceſſori ſpiritum duplo maiorem ad obeundum munus, quod ſimplo ſpiritu Elias anteceſſor condignè obiuit. Porrò conſultior apud homines electio, viros *pares negotiis*, *neque ſuprà* deſtinat.

4. Gen. 1. v. 1. Geneſeos 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.* id eſt, mundum totum, cæli & terræ nomine ſuccinctiùs explicatum, vt Interpretum Philo politiores exiſtimant. Hebræus Philo lib. de Mundi opif. hæc eadem Moyſis verba eloquenter verſans, ita ſcribit: *Propter traditam à Moyſe creationem, præclariſſima, & omnium optima edocti ſumus. Primum, &c. Quartum quòd vnus ſit etiam iſte mundus, quia creator eius ſit* [illegible]*plicis* [illegible] *uber-* [illegible]*ans-* [illegible] *ext it* [illegible]*ndiæ?* *vnus.* Philo alioqui diſertè ſapientiſſimus, vnitatem Dei ex vnitate mundi probare conatur, quaſi ex multiplici mundo multiplex etiam Deus comprobaretur? Negotiúmne tantum Deo faceſſere mundus putatur? Sic vnius mundi ſollers gubernatio (ex mente Philonis) omnipotentem Dei prouidentiam velut exhaurire videtur, vt vnius Dei otium, aut negotium, ſit attenta vnius mundi præſidentia? Exaggeratiùs loquitur Philo, nam infinitam Dei peritiam & prouidentiam nullâ mundorum infinitudine metiri licet. Verùm indè coniectare expedit quàm egeat exſomni ſollicitudine humanus Princeps, è cuius nutu pendet antiqui & noui orbis politia, & religio. Cui plura munificentiùs à Deo committuntur, plura ſeueriùs exiguntur. Et ad rem notam, quòd ex hâc exaggeratiori Philonis ſententiâ, quæ opinationes veterum Philoſophorum ſapit, Deus qui pluribus mundis peritè gubernandis ſufficeret, non benè vnicum duntaxat mundum gubernaret, quaſi non *par negotio*, *ſed ſuprà foret*. Indè forſan apud Tertullianum, *Epicuræi aſſerunt* Deum *otioſum*, *& inexercitum*, *& (vt ita dicam) neminem hominibus.* Sic ſublimiſſimè conceperunt de Deo, vt par maximis, minima negligere reputarent. Errant quidem Epicuræi dum Dei infinitatem malè callent. At eorum error in Deo, noſtra eruditio in hominibus ſit, qui dum ſupra ſibi commiſſa negotia éminent, velut *otioſi & inexercitiʾ* vacant, aut aliis rebus ſuam peritiam obnixiùs impendunt, faſtidioſo quodam exigui muneris neglectu.

Tertull. in Apol. c. 47.

5. Matth. 20. v. 1. Matthæi 20. ſollicitus ille paterfamilias, vineæ ſuæ culturam ſollerter procurans, exiit primo mane conducere operarios, conductione facta ex denario diurno. Et egreſſus circa horam tertiam, ſextam, & nonam, alios, alióſque remiſit. *Circa vndecimam verò exiit, & inuenit alios ſtantes, & dicit illis: Quid hîc ſtatis totâ die otioſi?* Multa multi ſuper hoc operariorum otio. Et tamen hi totâ propemodùm die otioſi, eodem cum primis denario, & ſolutionis antelatione condignè munerati ſunt. Quâ in re ita inibi P. Maldonatus philoſophatur: Eundem, inquit, acceperunt denarium, qui tantùm vnâ horâ, quantùm ceteri totâ die laborauerant; primi autem acceperunt, quia hoc ipſum egregiæ fuit laudis, quâ primum locum inter eos, quibus merces ſoluebatur, meruerunt, quòd tantùm vnâ horâ, quantùm alij multis laboraſſent. Nam æquale opus æqualem mercedem, maior diligentia, & breuius tempus primum locum

Maldon. ibi [illegible] *Conſtus* [illegible] *quo* [illegible] *ſtà* [illegible] *otioſi?*

meruit. Hactenùs ille ab Origine ibidèm edoctus. Ex quo liquidò conſtat, quanto virium robore, & quàm præſtanti in vineæ cultione peritiâ hi nouiſſimi operarij ſupra reliquos præpolluerint, quandoquidèm poſt longum otium vnâ horâ conficere valuerunt, quantum alij totâ die ſub aſſiduo labore æſtuantes effecerunt; indéque meruerunt in accipiendo præmio primi loci prærogatiuam honorariam. Hi ergò operarij, qui tantâ vigent induſtriæ peritiâ, & virium robore, moraliſſimè inducuntur *otioſi & inexercitiʾ*; & de illis dicitur, *ſtare totâ die otioſos*, quia cùm ob induſtriæ præſtantiam, non pares cultionis ordinario negotio, ſed *ſuprà ſint*, meritò tanquam *otioſi* inducuntur. Opportuniſſimè Ariſtoteles: *Eſt magnanimi otioſum eſſe, ac tardum, niſi vbi magnus eſt honos vel opus; & paucas quidèm agendas res aggredi.* Profundo quidèm ſenſu, & cenſu Philoſophus!

Orig. Tract. 10.

Ariſt. lib. 4. Ethic. c. 3.

6.

1. Reg. 2. v. 8. 1. Regum 2. Dominus ſuſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem, vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat. *Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.* Cùm dicit Anna *terræ cardines Domini eſſe*, id vtique affirmat ab illius potentiâ ſic omnia gubernari, ac verti, vt ea facilitate res humanæ ſúſque déque ferantur, & varias ſubeant viciſſitudines, ſicut illa quæ in cælo ſunt, facillimo negotio conuertuntur. Nonnulli Interpretes in *cardinibus*, ſuper quibus Deus poſuit orbem, Principes, ac Gubernatores intelligunt, quorum eſt proprium moderari ſuſtineréque Rempublicam, quorum conſiliis res humana huc illúcque conuertitur, non ſecùs atque in cardine portarum clauſtra. Ita Strabus Fuldenſis in Gloſſâ inibi: *Domini ſunt cardines terræ, id eſt, Prælati, ac Principes*, qui ad magnæ Dignitatis ſolium adſciti & ſublimati ſunt. Porrò Hebræus textus hos terræ *cardines*, id eſt, Principes, Prælatos, & Gubernatores, *afflictos terræ* vocat. Quâ ſuper re ita philoſophatur Rupertus Tuitienſis lib. 3. de Gloriâ filij hominis, ita fatus: *Quantò plura Sancti dona Dei percepturi erant, tantò maioris conſcientia paupertatis indiguerunt, vt eadem dona portarent ſtabiles & firmi, fundati in ſpiritu humilitatis. Nam Domini ſunt cardines terræ; pro quo in Hebræo ſcriptum eſt: Afflicti terræ; & poſuit ſuper eos orbem. Afflictio hæc humilitas eſt, quæ ad portandum orbem conſtantes eos facit, & fortes.* Nimirùm ne Princeps, Prælatus, aut Gubernator, qui *terræ cardines* dicuntur, cùm *ſolium gloriæ teneant*, ſe putent pares aut ſuperiores portando orbi; & ideò de magnanimitatis elogio deſides otientur; *afflictionibus* vexantur, *humiliationibus* deprimuntur, vt commiſſo ſibi muneri ſe impares, aut ſuppares exiſtiment. *Cardines terræ* ſunt; ſed *terræ* quidèm: proteruntur *afflictionibus*, *humilitatibus* deiiciuntur, ne ſuper *ſolium gloriæ poſiti*, & *terræ cardines* facti, ſe iactent, portare orbem velut Atlantem poſſe. Benè eſt. eligantur tanto Muneri idonei; ne autem arroganter efferantur, & ſe illi obeundo pares, aut ſuperiores ſe reputent, ſufficientia ad ipſum excelſius Dignitatis faſtigium, *afflictio* illis, & *humilitas ſit*, vt vna gloria vapulet, ne de magnanimitatis arrogantiâ, tanquam Muneri ſuperiores, inertes otientur. Ecce antidotum veneno cognatum, quo ad plenè obeundum magnum Munus vires *humilitate* exerant.

*Vt ſit magna dignitati par, humilitate decreſcat.*

Strabus ibi.

Hebræus. Rupert.

Hic v. 11. & 12. exerant. Exindè poſt coronam, & tanti honoris pompam, iterùm redit Mardochæus ad ianuam, quò par ſit coronæ exinceps geſtandæ.

---

## §. CLXXIV.

### *Humilis conſcientia, dum Primatum fugit, ad eum feſtinat: indignus verò in Dignitate conſtitutus, Dignitatis obtentæ lucrum quærere poteſt, inuenire non poteſt.*

1. Exod. 4. v. 13. Diu multúmque reluctatur Moyſes, ne ſummum Hebræi populi principatum acceptet. Peramplum negotium ſuo captui impar allegat; allegat linguæ balbutiem, & non æquam
Chald. rei tantæ peritiam. *Obſecro*, inquit, *Domine, mitte quem miſſurus es.* Paraphraſis Chaldaica ſic præfata verba excribit, & exponit: *Obſecro Domine, mitte per manum illius, qui dignus eſt vt mittatur.* Quaſi dicat Moyſes: Sat ſcio Domine, me, ad obeundum peramplum munus iniunctum, aliàs indignum, à tuâ electione, & promiſsâ gratiâ, dignum euaſurum: ſed obſecro Domine, dignum elige, non electione dignus fiat: *Mitte per manum illius, qui dignus eſt vt mittatur.* Nempè ſerò dignus eſt, qui cùm indignus eligitur, beneficio electionis dignus efficitur: indignus enim electus eſt, & obeundo muneri impar. Ne futuris quondam ſeculis vnquam audiatur, Deum aliquandò indignum elegiſſe, etſi confeſtim diuinæ electionis ope congruam dignitatem fœneretur: quod & Deo forſan non decorum erit; mihi autem indubiè probroſum. Immerentem eligi, electum deuenuſtat: nam merita eligendi, acceptæ dignitatis honor eſt. Humanitùs ſqualet præmium honore ſuo viduatum, merito inquam, incipientis.

*Serò dignus eſt, qui beneficio electionis dignus fit.*

2. Ad Epheſ. 4. v. 8. Paullus ad Epheſios 4. ita ſcribit: Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. *Propter quod dicit: Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem.* Hæc verba Apoſtoli non vno modo Interpretes commen-
Pſal. 67. v. 19. tantur. Caietanus cenſet, hunc locum Pſalmi 67. myſticè à Paullo intellectum de Chriſti Dei aſcenſione in cælum, in quâ antiquos Patres è limbi captiuitate eductos, ſecum in triumphali aſcenſionis pompâ, triumphi participes in cælo ſublimauit. Sed benè eſt, eductio Patrum è limbi ergaſtulo, appelletur aſſertio è *captiuitate*: aſt cùm in cælum empyreum adducuntur ouatione glorioſâ, vt ibi perpetuò regnent, atque corpore & mente æternâ beatitudine perfruantur, quo pacto tunc in *captiuitatem duci* dicuntur? Et quæ eſt in cælo antiquorum Patrum peregrina *captiuitas*? Imò ipſi, quia à cæleſti patriâ extorres, in terris dum viuerent, verſabantur, ſe exules &
Caiet. ibi. peregrinos appellare ſolitant. Hanc difficultatem & proponit, & ſoluit Caietanus, ſic inibi fatus: *Aſcendens in altum, hoc eſt in cælum, captiuam duxit captiuitatem, pro quanto ſanctos omnes qui captiui erant in limbo, duxit in cælum, quod eſt tanquam de captiuitate in captiuitatem ducere.* (attentiùs penſita quam ſubdit dubij ſolutionem) *Pro quantò in longè peregrinum, & extraneum à naturâ humanâ locum duxit eos: deſcribitur enim per hoc actio ducentis ſine meritis eorum qui ducebantur, tanta, vt aſſimiletur captiuationi.* Ecce tibi vel ipſum cælorum regnum, & ipſa cæleſtis beatitudinis gloria, *captiuitati aſſimilari* perhibetur, quia ſancti Patres in cælum ducti, naturâ ſuâ habere merita ad cæleſte regnum nequiuerunt: natura enim Sanctorum non fert ſpontiuè merita ad vitam æternam: Sanctorum enim prædeſtinatio ſine meritis fit, & beatitudo in radice gratia nominatur. Exindè cenſet Caietanus antiquos Patres, tametſi triumphali pompâ ad cæli glorias, ac cæleſte regnum ſublimatos, duci quodammodò captiuos. Quaſi vel cæleſte regnum, quæ eſt felicitatis ſumma, ſine meritis hoc modo adepta, *captiuationi aſſimiletur. Deſcribitur enim per hoc actio ducentis ſine meritis eorum qui ducebantur, tanta, vt aſſimiletur captiuationi.* Quid exaggeratiùs?

*Beatitudo ſine meritis, captiuitati aſſimilari diceretur.*

Matthæi 1. Cùm eſſet deſponſata mater Ieſu 3.
Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta Matth. 1.
eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto. *Ioſeph autem* v. 19.
*tem vir eius cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Origenes, Baſilius, Eucherius, & alij Interpretum proceres, piè cenſent, Ioſephum nihil ſiniſtrum fuiſſe ſuſpicatum de vxoris pudore, quam ſciebat virginitatis nitore, & omnium ſanctitatum flore vernantem. Quæ cùm adſtante Ioſepho, ab Eliſabeth ſalutata fuit Dei mater; indè ſuſpicatus eſt incarnationis diuinæ ſacramentum peractum in Virgine. Et cùm poſt trimeſtem animaduertit turgentem vterum, certior myſterij factus, ob tantæ Virginis reuerentiam, ſeſe abſentare decreuit, indignum ſe reputans eſſe, & haberi Deiparæ ſponſum, & habitare cum coniuge Deo plenâ. Nec tantùm virtutis ſibi adrogabat Ioſephus (humilitate magnus) vt præſumeret ſe aſſumi ad conſortium Deiparæ, & ad nomen Patris Chriſti Dei, quod longè ſuperat humanum captum, & meritum. Ergò non tam ſuſpicioſus, quàm immeritus mœrebat, & à tantâ dignitate diſceſſum, vel potiùs fugam cogitabat. Verùm Ioſephus ad tam ſublime honoris faſtigium, *Meritorum ſuorum ſaltibus exiliuit. Feſtinabat ad Dignitatem conſcientia, quam nunquam vota præſumpſerant: exigebat conuerſatio, quod deſideria penitùs ignorabant.* (quod aliàs dixit Ennodius.) Expetere ad coniugium Dei matrem, exoptare eſſe Dei putatitium patrem, ſic humana excedit vota, & hominis captum, vt putaretur ambitionis faſtus. Igitur ſummam illam dignitatem quaſi indignus apud ſe recuſat, ne ſit immeritæ dignitatis ſplendore infelix, & non merito honore potiùs deuenuſtetur. Exinde *voluit occultè dimittere eam.* At in Ioſepho meritum eſt, quod in aliis foret inopinata ambitio, & arrogantiæ meta. Plus meretur Ioſephus quàm ambit præſumptionis faſtus. *Exigebat* Ioſephi *conuerſatio, quod deſideria penitùs ignorabant: feſtinabat ad dignitatem conſcientia, quam nunquam vota præſumpſerant.*

Origen. Baſil. Euch. apud P. Salm. ibi.

*Ioſephus fugit, merita Ioſephi ambiunt eſſe Chriſti patrem putatitium.*

Ennod. in vita Epiph.

Ad Hebræos 11. ſic fidem Paullus definit: *Eſt* 4.
*autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argu-* Ad Hebr. 11.
*mentum non apparentium.* Quibus verbis Apoſto- v. 1.
lus cognationem ſpei cum fide perſpicuè tradit: licet

licet valdè diuerſa ſit vtriuſque natura. Spes enim pia quadam velut ambitione ad cæleſtia præmia hiat: fides autem ad eiuſmodi præmia feſtinat, nunquam tamen ea votis præſumit. Ex hâc doctrina Zeno Veronenſis præſcripta Paulli verba ſic exponit: Adeò, inquit, tolle ſpem, torpet humanitas tota. Tolle ſpem, artes virtuteſque vniuerſæ ceſſabunt. Tolle ſpem, & interempta ſunt omnia.....Quid Chriaſtianus credit in Chriſtum, ſi promiſſum ſibi ab eo perpetuæ felicitatis tempus non credit eſſe venturum? Sed ſpeş ex fide eſt: quæ quàmuis in futuro ſi poſita, fidei tamen eſt iure ſubiecta: vbi enim fides non eſt, nec ſpes eſt: *fides enim ſpei ſubſtantia eſt: & ſpes fidei gloria: quoniam præmium, quod ſpes habet, fides meretur: quæ quidèm pro ſpe pugnat, ſed ſibi vincit.* Vide hîc quàm piè ambitioſa ſpes cæleſte regnum negotietur, & bônâ præmij auaritiâ fidem aduocet, vt ſecum adlaboret, quò piè ambita cæli regna poſſideat. Fides autem, vt mereri ſcit, ſperare neſcit. Exigit Fidei conuerſatio, quod eius deſideria penitùs ignorant: feſtinat ad cæleſtem Dignitatem Fidei conſcientia, quam nunquam eius vota præſumpſerant: & ſublimem Primatum in cælo, cui ſpes nunc inhiat, & tandem habet, Fides meretur, non ſperat: *quæ quidèm pro ſpe pugnat, ſed ſibi vincit.* Scilicet Fidei meruiſſe ſatis eſt, licet in re præmij ſpes tota occupata ſit, & ad illud conſequendum negotioſa inuigilet. Aſt tantum fidei meritum præmio non caret, cùm in Chriſtianâ militia initium victoriæ, quâ vitia profligantur, & virtutum trophæa eriguntur, fidei glorioſè deputetur: *fides quidèm pro ſpe pugnat, ſed ſibi vincit.* Sanè poteſt fides pro ſpe pugnare; & de præmio ſibi debito nil curare; ſed victoriæ merito, & meriti gloriâ non poteſt viduari. quaſi fides contenta mereri, negotioſos tractatus de præmio, ſpei relinquat. Nec tamen fides orbatur præmio, ſeu cæleſti Dignitate, in hoc enim negotio ſpes operosè verſatur. O diſcamus à fide merendi ſollertiam, inambitioſâ Primatus cæleſtis adipiſcendi, ſeu empyreæ Dignitatis obtinendæ velut incuriâ inclytam. Meruiſſe ſatis.

6. Prou. 12. v. 27.

Prouerbiorum 12. Sic improborum nequitiâ Salomon probos erudit: *Iter impiorum*, inquit, *decipiet eos.* Confeſtim verò exponens quænam ſit hæc impiorum deceptio, ſubdit: *Non inueniet fraudulentus lucrum: & ſubſtantia hominis erit auri pretium.* In priori hemiſtichio exponendo valdè ſudat Commentatorum induſtria. Præſertim cùm in Hebræo textu ad aucupium adluſio fiat, & pro *fraudulento* auceps habeatur. Beda autem Vulgatæ editionis veſtigiis ſimpliciùs inhærens, nomine *fraudulenti* ambitioſum intelligit: qui cùm in occulto male viuat, ne videatur Dignitate indignus: in publico probitatem ſimulat, & ſic Dignitatibus *fraudulenter* inſidiatur, & Primatum ambitione perſequitur, *Non inueniet fraudulentus lucrum. Qui fraudulentâ mente ſimulas ſe eſſe bonum, nequiter viuens in occulto, non inuenies bona.* Quid eſt, quòd qui malè viuens in occulto, & ideò Dignitate indignus, fraudulentâ ambitione Primatum nanciſci affectat, illum *non inuenit?* Imò plerumque inuenit negotiationis ſuæ lucrum, & negotioſæ fraudulenter ambitionis fructum, nempè Primatum operosè ambitum. Quid ergò eſt, Non inueniet fraudulenter ambitioſus ambitionis ſuæ lucrum, cùm ferè ſemper illud obtineat, & cupitam Dignitatem adſequatur? lucro Dignitatis iam potitus, quid adhuc quærit, nec *inuenit*? Belliſſimè incertus Chryſoſtomus: *Primatum*, inquit, *honoris concupiſcere, vanitas eſt. Primatus enim fugientem ſe deſiderat, deſiderantem ſe odit.* Nempè Primatum ambitioſè concupiſcere; vanitas eſt, & irritus negotioſæ ſedulitatis labor: nam Primatus agnato quodam velut inſtinctu deſideranter ſe, tanquam indignos odit, ab eiſque fugit, velut ingratâ quâdam æquitatis peritiâ Exinde dum per ambitionis fraudulentiam Primatum immerentes adſequuntur, & Dignitate potiuntur; ſic ipſa Dignitas indignos ſui poſſeſſores faſtidit, ac fugit, vt eius *lucrum* adhuc quærere poſſint, nec inuenire valeant. O æquiſſimum arcanæ politiæ monſtrum! Dignitatis quàm ambitioſâ fraudulentiâ indignus poſſides, honores adhuc quæris, nec vnquam inuenies. Primatus enim fugientem ſe deſiderat, deſiderantem ſe odit, & fugit. *Non inueniet fraudulentus lucrum.* Porrò indignus Dignitate ipsâ dehoneſtatur; dignos Dignitas, quam ipſi fugiunt, exambit. Meritorum conſcientia, dum fugit Dignitates, ad eas feſtinat. Indignus autem in Dignitate conſtitutus, Dignitatis obtentæ *lucrum* quærere poteſt, inuenire non poteſt. O nimis verè! — Imperf. homil. 35. in Matth.

6. Ezech. 21. v. 26.

Ezechiel 21. Hæc dicit Dominus Deus: Aufer cidarim, tolle coronam: *nonne hæc eſt, quæ humilem ſubleuauit, & ſublimem humiliauit?* Multa multi ſuper hoc loco, quæ recenſere longum eſſet. Quid eſt, quòd corona humilem ſublimauit, & ſublimem humiliauit? Cornelius ſic locum inibi tempeſtiuè exponit: *Hæc corona Sedeciam cùm humilis eſſet, in regnum & gloriam euexit; iam eundem ob ſuperbiam deiiciet & humiliabit. Corona enim hæc amat & ſequitur humiles, odit verò & fugit ſuperbos. Honor enim & celſitudo ſequitur fugientes, fugit ſequentes & ambientes.* Ita Chilon rogatus quid Iupiter faceret? reſpondit: *Excelſa deprimit, depreſſa exaltat.* Nimirùm Sacerdotalis cidaris, & regia corona in populo Dei ſic ludit, & deludit ſpes ac ſtudia, vt Sedeciam regni ambitione æſtuantem, regno deturbauerit; & eundem humilem & abiectum in regnum & gloriam euexit: *honor enim & celſitudo ſequitur fugientes, fugit ſequentes & ambientes.* quaſi Dignitatum fuga ſit acceptabilius ad ipſas meritum; & earum ſtudium & ſequax ambitio ſit repulſæ ſuffragium, & indignitatis argumentum. Indignos elegit ad Dignitates, quiſquis candidatos, qui illas ambiunt eligit. O permittant electores, vt ipſa Dignitas ſui poſſeſſores quærat; conſultiſſimâ enim ambitione quæret, qui humilitatis ſtudio illam negligunt, & nec pili quidèm faciunt: *Celſitudo ſequitur fugientes, fugit ambientes.* — Cornel. *Celſitudo ſequitur fugientes, fugit ambientes.* — Chilon.

Vide hîc ſummo honore, quem vel Aman ambiuit, Mardochæus minimè negotioſus potitur: ſed quem mox deſerit, & ad cognatum ianuæ Munus humilis feſtinat: ſed honoris repulsâ auguſtiorem dignitatem promeruit, quâ confeſtim coronatus purpuraſcit. — Hic v. 11. & 12.

## §. CLXXV.

### *Strenuus labor Opere aſpectabilis, virtutem, virtutiſque præmia glorioſè captat.*

1. Seneca epiſt. 6. 59. *Strenuus labor, & virtuſē, & virtutis præmia gloriosè captat.*

GEneroſos animos labor aſſiduus nutrit. Debilitatem nobis induxit otium, *& quod diu noluimus poſſe deſiuimus.* Nulli perfecta virtus caſu obtigit. Pecunia veniet vltrò, honor afferetur: gratia ac dignitas fortaſſe ingerentur tibi: virtus in te non incidet, ne leui quidèm operâ, aut paruo labore cognoſcitur: ſed eſt tanti laborare ſtrenuè omnia bona ſemel occupaturo. Si quis ſibi propoſuerit quantùm operis in capeſſendâ virtute aggreſſus ſit, ſciet nihil; delicatè, nihil molliter eſſe faciendum. Effeminat animos otium, aut otio ſimilis labor. Fortior miles ex confragroſo venit; ſegnis eſt vrbanus & verna: hic vincendus venit, ille victurus properat. Nullum laborem recuſant manus, quibus arduæ virtutis honeſtas ac merces cariùs præfulget. Seuerior diſciplina firmat ingenium, aptúmque magniſconatibus reddit. Præcelſa virtus, & opulentum virtutis præmium, aſſiduo & operoſo ſudore gloriosè madent. Exindè hîc deſes Aman torpet lugubris, & ſedulus Mardochæus regiâ pompâ meritò fulget.

Hîc v. 11. & 12.

2. Matth. 20. v. 11.

Matthæi 20. Sollicitus ille pater familias, qui ad operoſam vineæ ſuæ culturam quoſdam operarios miſit primo mane, denarij diurni pretio conductos, horâ tertiâ alios, alios verò horâ ſextâ & nonâ, alios tandem circa vndecimam diei horam; tempore ſolutionis procuratori ſuo iubet, vt æqualem ſingulis mercedem reddat. Cùm veniſſent ergò qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati ſunt quòd plus eſſent accepturi: acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios. *Et accipientes murmurabant aduerſus patrem-familias, dicentes: Hi nouiſſimi,* &c. Origenes vt hoc operariorum murmur compeſcat, & patris-familias æquitatem vindicet, de his nouiſſimis operariis ita ſcribit: *Poterant enim æquale opus facere in vineâ eis qui ex mane. ſiunt operati, quicumque in tempore breui volebant operantem virtutem ad opus extendere, quæ antè non fuerat operata.* Sed eſtò, operſiore cultionis labore hi nouiſſimi operarij, aliorum labores exæquent, quo pacto in cælo, in illâ inquam, empyreâ Beatorum curiâ, querelarum murmur reſonat? Argutè ad rem Chryſoſtomus: *Et accipientes murmurabant. Non ergò inducit hoc, vt oſtendat aliquos eſſe* (in cælo inquam) *inuidiâ morſos: ſed vt oſtendat, hoc tanto potitos eſſe honore, quod & inuidiam aliis poterat generare.* Nimirùm hi nouiſſimi Operarij, qui tempore breui vnius horæ, diuturna aliorum tempora actuoſiùs laborando exæquarunt: tantam negotioſo ſudore virtutem adepti ſunt, tantâ in cælis gloriâ potiti, vt ſi Cælites inuidia tangere poſſet, quæ inuidioſum murmur detrahendo ructaret, forſan inuidiosè obmurmurarent. *Et murmurabant aduerſus patrem-familias.* Sic auctuoſior operatio merita addenſat, cumulat, exaggerat, vt qui idem gloriæ denarium accipit, & æqualem beatitudinis gloriam adeptus eſt, (ſi fieri poſſet) auctuoſiori operario quodammodò inuideret? Tam auguſtâ ſumptuoſiùs gloriâ operoſus impenſiùs labor dotatur? O, actuoſi operis priuilegia excutiant otium, quo inerter torpemus!

Origen. Tract. 10. *Num actuoſus operarius tantâ gloriâ fulgeat, vt cælitum inuidiam ciere poſſet?*
S. Chryſ. homil. 65. in Matth.

3. Gen. 2. v. 15. *Dum nō operatur Adam, paradiſum, quaſi rapinā arbitratus occupauit.*

Geneſeos 2. *Tulit ergò Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum.* Non morabor nunc Interpretes, quærendo qualiſnam fuerit hic labor, quem ab homine Deus in cultione paradiſi tam ſollicitè expetiuerit. Scimus Deum præcoquâ intentione expetiſſe ab homine laborem in paradiſo, nec legimus expetitum laborem præſtitiſſe operoſo obſequio: ſed qui *vt operaretur* paradiſum venit paradiſo voluptatis fruens, deliciosè interim otiabatur. Inde forſan Rupertus præſcripta Geneſeos verba exponens, ita de Adamo fatur: *Taciturnâ ingratitudine tantum támque facilem deliciarum Dei locum, quaſi rapinam arbitratus occupauit.* Scilicet Adamus tranſlatus in paradiſum, *vt operaretur illum*, dum nunquam operi accingitur, paradiſeo ceſſans otio, *deliciarum Dei locum, quaſi rapinam arbitratus occupauit.* Quaſi rapina putatur paradiſus, & velut furtiuâ fruitione poſſidetur, dum operatio non erudit deliciarum ſaporem? Tantíne facit actuoſa operatio ad fruendi meritum, & fruitionis gratiam? Bellè quidèm Rupertus.

Rupert. ibi l. 3. c. 39.

4. Gen. 12. v. 4. Philo de Migr. Abra. *Iuſti opera, diuina eloquia æmulantur.*

Geneſis 12. Dixit Dominus ad Abram: Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrabo tibi. *Egreſſus eſt itaque Abram, ſicut præceperat ei Dominus.* Quæ verba Philo Iudæus ſingulariter exponit: *Profectus eſt ſicut locutus eſt ei Dominus. id verò idem eſt quòd, ſicut loquitur Deus. loquitur autem pulcherrimè & laudabiliter. nec aliter vir bonus facit ſingula, callem vitæ irreprehenſibiliter dirigens.* (Nota quæ ſubdit verba, plena moralitatum, ingenij plena.) *Adeò vt opera ſapientis nihil differant à diuinis eloquiis. proindè alibi ait: Fecit Abraham vniuerſam legem meam.* Nimirùm reddit rationem Philo quare, *Profectus eſt Abraham, ſicut locutus eſt ei Dominus*, idem ſit ac, *ſicut loquitur Deus*: monſtrat enim quid opere profectionis Abrahæ loquatur Deus, aiens: *Opera ſapientis nihil differunt à diuinis eloquiis.* quaſi Iuſti opera impreſſa ſunt diuinæ Scripturæ: vel diuina Scriptura Iuſti operibus impreſſa ſit. Videlicet Iuſti opera ſunt tanquam Dei eloquia, non ſermone, ſed opere expreſſa: vel diuerſo charactere, operis inquam, efformata. Iuſti opera quodammodò lex diuina ſunt, ad imitationem vrbanè obligans, vel tanquam prophetia imitationis. Grande quidem elogium operum Iuſti, *diuina elogia*, ſiue Scripturam ſacram æmulari.

5. Act. 3. v. 6. & 7.

Actorum 3. Mendicus ille ad portam Specioſam diu male pedatus, à Petro & Ioanne eleemoſynam petit. Cui reſpondit Petrus: Argentum & aurum nō eſt mihi: quod autē habeo, hoc tibi do:

*In*

*In nomine Ieſu-Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Et apprehenſâ manu eius dextera, alleuauit eum, & protinùs conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ. Et exiliens ſtetit, & ambulabat.* Non illud ſufficit, *Surge*; niſi & hoc adiungat, *Ambula.* Duplicis miraculi duplex teſtis, vnus Claudus eſto. Cùm Petrus dicit, *In nomine Ieſu-Chriſti Nazareni ſurge, & ambula*, in ſalutari Ieſu Chriſti nomine, ſanitatis teſſeram Claudus accipit; ſed necdum pedes ad ambulandum firmos recipit. At dum Petrus *apprehenſâ manu eius dexterâ alleuauit eum, protinùs conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ.* Quod perbellè Seleucienſis Baſilius adnotauit, ſic ad præfata verba Claudum alloquens: *Per Petri manum curſuram didiciſti, cuius priùs ſpectator, & cupiens eras: nec obſequebaris.* Et paullò antè: ô Claude, *prædica pedibus, quæ nos linguâ ſine adſenſu prædicamus.* Ecce tibi Petrus, ore miraculoſæ ſanitatis auſpicium exhibet, ſed manu & opere ſanitatem præbet, & miraculum conſummat: & adſenſus qui linguæ & prædicationi Apoſtolorum negatur, pedum prædicationi conceditur. Non ſanaretur Claudus ſine Petri *manu*; nec tot hominum millia Euangelio adſentirent Apoſtolis ore prædicantibus, niſi Claudus pedibus prædicaret. O auguſta operum priuilegia!

Petrus manu ſanare, pedibus Claudus prædicat.

Baſil. Sel. Orat. 12.

6. Marci 4. Dimiſsâ turbâ, in nauim Ieſus aſcendit. Et facta eſt procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis. *Et erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens: & excitant eum, & dicunt illi: Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus?* ô ſomnium, quo fidem dormientem ex mediâ maris tempeſtate Dominus excitare parabat! Sed indè alteros contra fidem fluctus Diabolus excitat, & mox hæreticus ſomni anſam accipit, Apollinaris, Arius, Eunomius, cognata turba contra Vnigenitum obarmantur. Nam cùm Dominum ſopitum, & inactuoſè velut otiantem audiunt, veritatis doctrinam ſuffurari conniruntur, & in eius quietem ore ſacrilego inſultant. Quos Seleucienſis Baſilius tempeſtiuè compeſcit: Dormit, inquit, Verbi Dei templum, per quod Deus adeſſe creditur, *Tantùmque dormit, quantùm ſinit vſus corporis.* Scilicet hic Domini ſomnus, non eſt operis detrimentum, ſed humanitatis argumentum. ( & ſi Hiſpanè loqui liceat. ) *No deja la occupation para dormir, ſino que duerme quando le deja la occupation.* Vnde ab opere vacatio per ſomni quietem, non negat Deum, quem probat hominem. Ecce tibi cùm per ſomnum inactuoſus auditur Deus, ab Hæreticis, quaſi otioſus, ſibi totus, & nemo hominibus infamatur.

Marc. 4. v. 38. Tantum dormit Chriſtus quantum ſinit [illegible] corporis.

Baſil. Or. 22.

7. Geneſeos 1. Dixit Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum. Et factum eſt ita. *Vocauitque Deus firmamentum, cælum: & factum eſt veſpere & mane, dies ſecundus.* In hâc ſecundâ primordialis opificij die creauit Deus firmamentum, quod præluſtri nomenclaturâ *cælum* appellauit. Sed quærendum nunc eſt, quomodò aptè congruat hæc *veſperis* ac *mane* diſtributio; & quid *veſperi*, quidve *mane* in cæli opificio correſpondeat. Quâ ſuper re ſic acutè Rupertus philoſophatur: *Et factum eſt, inquit, veſpere & mane, quia videlicet non caſu factum eſt, ſed Veſpere, id eſt, in illâ occultâ Dei ſapientiâ diſpoſitum, & factum eſt, priuſquam in actum viſibilem exiret: Et Mane factum eſt, videlicet vt quod in occultis Dei erat, in publicum per eundem opus exiret.* Itaque Cælum ipſum quo nihil pulchrius, nihil nobilius, cùm latebat in Dei ſapientiâ, ac diuinâ diſpoſitione iam iam opus ſuum parturiente, eſſe dicitur in *veſpere*: quia quod infectum eſt, noctis caligine quodammodo ſqualet, quantumuis Cælum ſit, & Cæli nomine ac ſublimitate præfulgeat. At cùm idem ipſiſſimum Cælum *in publicum per eundem opus exiuit*, iam non in tenebratum *veſpere*, ſed in *mane* fulgoribus ſplendeſcere perhibetur. Tam eſt præclara operandi prærogatiua, & præcelſum Operis elogium. Cælum in ideâ & præparatione Dei, in nocte eſſe dicitur, quod in Opere velut in die fulget.

Gen. 1. v. 8. Cælum in præparatione Dei in veſpere eſt, in opere verò velut in die fulget.

Rupert. ibi l. 1. c. 30.

Prouerbiorum 16. *Pondus & ſtatera iudicia Domini ſunt: & opera eius omnes lapides ſacculi.* Opinor, poſterius hemiſtychium prioris repetitio eſt. Quæ verba ſic ex Hebræo exponit Aben Ezra: *Statera & bilances iudicij Domino ſunt: ille enim præcipit, vt æquo pondere & trutinâ iuſtum cuique tribuatur. Rurſùm Domino, vel Domini ſunt, hoc eſt, Dominus eorum æquitate & rectitudine delectatur.* Quam Salomonis ſententiam de præmiis in hâc vitâ, & futurâ homini promiſſis, & exactè redditis, literaliſſimè Cornelius interpretatur. Quaſi iudicia Domini in bonis operibus præmiandis, ſint ad ſtateram & bilancem æqua, rectáque. Hinc Athenagoras de Reſurrectionem, reſurrectionem corporum ſolidè probat: *Corpus, inquit, ſicut fuit animæ corpus in actionibus paſſionibúſque, tam virtutum quàm vitiorum, ita debet in pœnâ vel in præmiis habere conſortium, eſt ergò corpus idem reſurrecturum: niſi enim præmia manerent vitæ ſequentis, prouidentia iuſtitiáque diuina traheretur in dubium. Homo quin etiam brutis foret miſerabilior, qui religionis & iuſtitiæ gratia corporeis ſe priuat oblectamentis, & incommoda ſubit innumera, ipſáque virtus, religio, leges, deliramenta forent atque detrimenta, niſi reſurgant corpora non habet iuſtitia diuina locum in corpore, vel animâ: non in corpore, quia iniuſtum foret animæ habere præmia laborum in quibus magnam partem perpeſſum eſt corpus, ipſum verò non habere in præmio partem: non in animâ, quia, iniuſtum eſſet animam ſolam dare pœnas peccatorum quamplurimorum, quæ non commiſiſſet; niſi corpus ei fuiſſet adiumentum.* Ecce tibi quam ad ſtateræ bilancem, Dei iudicium præmia diſpenſet. Hinc Tertullianus lib. de Reſur. Carn. cap. 7. *Ita, inquit, caro dum miniſtra & famula animæ deputatur, conſors, & coheres inuenitur: ſi temporalium, cur non & æternorum?* 8.

Prou. 16. v. 11.

Aben Ezra.

Quia Deus ad bilancem præmiat, corporum reſurrectio adſtruitur.

Cornel. ibi.

Athenag.

## §. CLXXVI.

*Superbus candidatus tantò indignius Dignitates ambit, quantò humilius.*

1\. S. Bern. epiſt. 126. *Cur ambitio latebras quærat, è quibus inſidietur honoribus?*

CErtè ambitio cùm prorupit in impudentiam, efficaciam perdit: & cùm improbus affectus ſe aperit, perit effectus. Ambitio mater hypocriſis latebras amat & tenebras, lucis impatiens eſt. Nec mirum. Optato namque neceſſe eſt careat, niſi caueat arbitros. Quo enim gloria plus affectatur, eò minùs apprehenditur, vbi deprehenditur affectari. Quid denique tam inglorium, quàm gloriæ cupidum deprehendi? Inclytus erit ambitioſus, quandiu in nocte verſabitur: & donec turpis lucri negotium perambulauerit in tenebris, poterit hypocrita iuſtus ſanctúſque videri, ſed oculo qui videt in facie. At vbi fortè foras mittit impudenti vel imprudenti quod latet in conſcientiâ, nonne intemperans appetitus apparet ad confuſionem procacior, quàm promptior ad gloriam? Non adeò periit pudor à mortalibus, vt nuda impudénſque vel ab ipſis honoretur ambitio: etſi in facie benedicitur ab adulante, ſed à tergo ſubſannatur ab omnibus. Hactenùs S. Bernardus, qui identidèm culpat humiliter ſubdolas ambitionis latebras, quaſi meras Dignitatum obtinendarum inſidias, quæ ſuperbiæ arbitrio cautè diſſimulant ſeſe, ne ſi forſan tranſpareant, negotium ambitionis, & ambientis vota deludantur, quod eſt peruerſum humilitatis adulterium. Reliquos ferè videas ante honorem humiles, adepto honore ſuperbos: quò Mardochæum hic admireris poſt ſummam honoris pompam, de ſublimitate humilem, dum

Hic v. 12.

confeſtim redit ad ianuam, reputans humilitatem adepti honoris pretium.

2\. Matth. 20. v. 20. & 21. & 22.

Matthæi 20. acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, *adorans & petens aliquid ab eo.* Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: *Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. Reſpondens autem Ieſus, dixit: Neſcitis quid petatis.* Benè notat incertus Chryſoſtomus quòd primas regni dignitates filiis exambiens, acceſſit *adorans & petens aliquid ab eo. id eſt, reuerentiâ exhibitâ petit, vt quod petierit ſibi*

Imperf. homil. 15. in Matth. S. Thom ibi. *Ambitioſus tantò indignius ſupplicat, quantò humilius.* S. Bern. in epiſt. ad Epiſc. Aquil.

*detur.* Explicatiùs indidèm S. Thomas: *Adorans, quia eum humilitate petiit.* Miriſſimum ſanè eſt, quòd quæ tantâ *reuerentiâ exhibitâ* adorat, & reuerenter cum tantâ *humilitate petit*, eius petitio renutu auſteriori refutetur. Quæ pronâ reuerentiâ exhibitâ tam humiliter filiis dignitates petit, quomodo audire meruit, *Neſcitis quid petatis?* Perbellè in re non abſimili Bernardus, quaſi commentaretur præfata verba, *Adorans & petens*, ſcilicet cum *humilitate*, ita ſcribit: *Tantò indigniùs ſupplicat, quantò humilius.* Qui ſe humiliùs ſubmittit, vt excelſiùs ſublimet; qui ex loco infimiſſimo facit ſcalam ad thronum ſublimiorem; qui è mentitâ demiſſiùs humilitate præcelſiori dignitati inſidiatur, de ingenio ſubdolæ ambitionis peruerſo humilis officio; ille, ille inquam dum cum humilitate adorat vt petat, *tantò indignius ſupplicat, quantò humilius.* Alto quidèm ſententioſè ſtylo Bernardus plura ſignificat, quàm dicit.

Iob 41. de Leuiathan principe belluarum maris ſcribitur: *Omne ſublime videt: ipſe eſt* 3. Iob 41. v. 25.
*Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.* Huius loci explicatus peridoneus eſt, vt ſit periphraſis animi inſolentis, & res magnas ambitioſè inſectantis, nimiùm reſpicere ad id quod ſublime eſt; & numquam in re humili ſenſum aut intentionem figere niſi vt indè præcelſa quæque exploret, ambiat, & captet. quod facit lutulentus Leuiathan, aquatilis bellua, altis fluctibus profundè demerſa. Ita præſcripta verba S. Bernardus exponit, ſic fatus: *Ambitio latebras amat & tenebras, lucis impatiens eſt. Ambitio ſpurcum vitium in imo iacet: videt autem omne ſublime, ſed videri ipſa refugit.* Scilicet arrogantior ambitio, quæ vniuerſis ſuperbiæ filiis principatur, tenebras ac latebras amat, eſt enim *ſpurcum vitium*, & cœnulenta ſqualidè maris bellua, idcircò *in imo iacet*, non vt in loco infimo humiliter ſubſidat, ſed vt indè *omne ſublime* inuiſa *videat*, exploret, captet peruerſo ambitionis ingenio: quia tantò *indignius* dignitatum ſublimitates ambit, quantò *humilius* illas negotiari admititur, dum virtutis pallio criminoſiùs tegitur. *Eſt ſobria quædam*, pergit Bernardus, *& quodammodò oculata* (aliàs *occulta*) *ambitio, moliens ſaltem cautè, & ſi non caſtè. Si valet proficere, clam negotia ſua curat. Sin verò, manet in ſe, & pudoris vmbram non deſerit.* Benè dicitur ambitio hæc *oculata*, quia dum *in imo iacere* videtur, de falſatæ humilitatis latibulo videt *omne ſublime*, quod *cautè* nimis captare clàm *molitur.*

*Ambitio ſpurcū vitiū in imo iacet, vt ſublimia videat, & captet.* S. Bernard. epiſt. 126.

*Occulta ambitio, oculata dicitur, aliàs cæca eſt.*

Paullus ad Philippenſes 3. ita ſcribit: Multi enim ambulant, quos ſæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti: quorum finis interitus: quorum Deus venter eſt: *& gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.* Inſolens ſanè *gloria*, quæ in *confuſione* ſita eſt. Pulchrè Anſelmus: *Gloria in confuſione ipſorum: quia talibus gloriantur, vndè confundi, & erubeſcere poſſent.* Profectò ſuperbus dum ambitionem celat, non erubeſcit peruersâ ambitionis humilitate humiliùs decreſcere, vt ſublimiùs creſcat, & faſtigij gloriam captet: nec confunditur per mille indignitates ad dignitates adſcendere, & per ruinam infimiſſimam, quâ ſe demittit, faſtigium gloriæ ſumptuoſiùs ædificare. Appoſitè Gregorius ac ſi commentaretur præſcripta Paulli verba, *Et gloria in confuſione ipſorum*, ita ſcribit: *Atque hanc primam ruinam tolerant, quia per priuatam gloriam in ſemetipſis cadunt.* Nimirùm peruerſæ ambitionis arbitrio, vt ad dignitatum ſublimitatem aſcendant, demiſſæ humilitatis obiectu, ſic infimiſſimè demittuntur, vt ruinam pati videantur, ad quoſuis electorum occurſus decreſcentes, & in hâc ambitionis confuſione, dignitatum obtinendarum gloriam prælegunt; & *per priuatam gloriam* ambitioſiùs concupitam, quò ambitio

4\. Ad Philip. 3. v. 19. S. Anſel. ibi *Per ſubdolas ruinæ ſcalas ad ſublimitatis glorias ambitio aſcēdit.*

S. Greg. l. 24. Moral. c. 5.

ambitionem diſſimulent, *in ſemetipſis cadunt*, & *primam ruinam tolerant*, quaſi obtinendæ ſublimitatis auſpicium. adeò vt de præuia ruinâ cupitam ſublimitatem ædificent: ſed quidèm caducè lubricam, & ruinæ vlteriori confinem. quò faſtigij obtentus eiuſdèm ambitui correſpondeat. Sic liceat Gregorij verba ad mores flectere.

5. Eccli. 19. v. 21. Syrus.

Siracides Eccleſiaſtici 19. *Eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora eius plena ſunt dolo.* quod verſ. ſequenti repetit. Syrus: *Eſt qui apparet velut humilis, & tanquam animo contritus, & interiora cordis eius plena dolo.* quæ eſt nequiſſimæ ambitionis aſtutia, dum virtutem adulterat, quò falſatam humilitatem prætendat. Quâ ſuper re Pontifex Eugenius à Bernardo tempeſtiuè admonetur: *Viri callidi & doloſi*, inquit, *proprium eſſe ſolet, tunc prætendere humilitatem, cum aliquid obtinere voluerit, de quibus dicit Scriptura: Eſt qui ſe humiliat nequiter, & interiora eius plena ſunt dolo. De vobis ipſis furnite ſententiæ huius euidens ac familiare exemplum. Quantos, quos ſupplices admiſiſtis, poſtmodùm ſuſtinuiſtis graues, intolerantes, contumaces, rebelles?* Et alibi ſubdolam fictæ humilitatis ambitionem his verbis perſtringit: *Appetere de humilitate laudem humilitatis, non eſt virtus, ſed ſubuerſio. Quid peruerſius, quidue indignius, vt inde velis videri melior, vndè videris deterior? Glorioſa res humilitas, quâ ipſa quoque ſuperbia palliare ſe appetit, ne vileſcat.* Vide hîc quam ſit ſancta, nobilis, grata, & generoſa humilitas, vtpotè quam eius aduerſarij, vt ſancti ac digni habeantur, tanto ſtudio induere, & ſimulare procurant; quæque ita, ſplendet vt ficta etiam in pretio habeatur. Nota etiam nouam ambitionis vafritiem, quæ vt tectiùs ſe abſcondat, & è latebris dignitatibus inſidietur, vel fictam humilitatem obtendit, vt merita candidati coloret. Sic de hoſtili etiam ſuffragio humilitas commendatur! Sic ambitio latere ſatagit! Sed crede, tranſparet, & ſe ſuo vultui reddit.

[illegible] 14. de [illegible] & [illegible] 18. in [illegible], [illegible] ne vitis appareat.

6. Iob 40. v. 7. S. Greg. l. 32. [illegible] ſuperbia ibi [illegible], vbi [illegible] per [illegible] fo- naſcitur.

Iob 40. Diſperge ſuperbos in furore tuo, & reſpiciens omnem arrogantem humilia. *Reſpice cunctos ſuperbos, & confunde eos, & contere impios in loco ſuo.* S. Gregorius inibi explorans quis ſit hic impiorum locus, ita ſcribit: *Impiorum locus ipſa ſuperbia eſt: vbi oritur impietas, ibi conteritur.... Ordinante enim diuino iudicio, non ſuperbis hîc aliud culpa eſt, atque aliud pœna: ſed ſua illis in pœnam vertitur culpa, vt elatis fiſtu ſuperbiæ, hoc ipſum ſit verè intùs cadere, quod foris oſtenditur profeciſſe.* Horum verborum ſententiam ſuccinctiùs & explicatiùs tradit S. Iſidorus lib. 2. Sentent. ſic fatus: *Ibi cadit ſuperbia, vbi & naſcitur: vt non ſit ſuperbis aliud culpa, aliud pœna: ſed ipſa culpa ſit illis & pœna.* Duplex eſt ſuperbiæ ortus, alter internæ latentis animo: alter qui foràs primò erumpit per ambitionem, quâ dignitatum faſtigia negotioſè expetit. Ille dum ex arroganti propriæ virtutis cognitione oritur, ibi ruinam patitur, vbi naſcitur, dum labefactat virtutem, quæ eſt veræ altitudinis fundamentum. At dum ſuperbia extrinſecùs per dignitatum ſedulam ambitionem primò apparet, & velut naſcitur, quia ſuperbus candidatus *humiliat ſe nequiter*, vt demiſſæ humilitatis falſato merito dignitates capeſſere poſſit; *ibi cadit, vbi naſcitur*, & in ipſo per ambitionem ortu ruinam patitur, dum fictè decreſcere incipit, vt verè ſublimiùs creſcat. Hinc ambitioſè candidatus, quò humilitatem ſumptuoſiùs obtendat, ad omnium occurſus vrbaniſſimè decreſcit, infra omnes ſe dimittit; omnibus ſe infimiſſimè ſubdit: & indè *tanto indignius* Dignitates *ſupplicat, quantò humilius*, humilitatem recudens in indignitatem.

S. Iſid. l. 2. [illegible] c. 18.

Lucæ 14. Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne fortè honoratior te ſit inuitatus ab illo: & veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore nouiſſimum locum tenere. *Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in nouiſſimo loco: vt, cùm venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, aſcende ſuperiùs.* Quæ verba ſic argutè exponit Chryſoſtomus: *Non ſolum prohibet ambire primatum, ſed & venari vltima.* Num *venari vltima* prohibet, an mandat? Mandat *venari* vltima, ſed contentioſè *venari* prohibet; ne ſuperbia in ambitioſam humilitatem degenerans, honoris gloriam ex contentioſâ humiliatione peruersè negotietur. Quâ ſuper re quaſi per affectuum anatomiam, ſic philoſophatur Baſilius: *Occupare igitur locum vltimum in conuiuiis iuxta mandatum Dominicum conueniens eſt; ſed rursùs in hunc contentioſè irruere reprobum, tanquam interemptorium ordinis, & cauſatiuum tumultus; & de eo mota contentio æquiparabit vos litigantibus de primatu ..... nec videbimur humilitatem pertractare per vehementem contentionem, magis autem per humilitatem patientiam obtinebimus. Maius eſt enim ex repugnantiâ ſuperbiæ indicium, quàm ex primo accubitu.* Ecce tibi, ambitioſus honoris candidatus, tantò indigniùs illum ambit, quantò è peruerſo per humilitatem negotiatur. O quoties humilitates ſuperbia adulterat! *Maius eſt enim ex repugnantiâ ſuperbiæ indicium, quàm ex primo accubitu.*

7. Lucæ 14. v. 10.

S. Chryſoſt.

*Per humilitatis ſpeciem, pœnitentiæ honorem venari ambimus.*

S. Baſil. apud Cat.

*Superbia ordinem contentioſè euertere ambit.*

---

## §. CLXXVII.

### *Tuta ſcelera eſſe, ſecura eſſe non poſſunt; de agnato conſcientiæ tormento, delinquentis viſcera ſenſim morſicante.*

Eleganter ab Epicuro dictum puto, ait Seneca: Poteſt nocenti contingere vt lateat, latendi fiducia non poteſt. Aut ſi hoc modo meliùs hunc explicare poſſe iudicas ſenſum: Ideò non prodeſt latere peccantibus, quia latendi etiamſi facultatem habeant, fiduciam non habent. Ita eſt, tuta ſcelera eſſe, eſſe ſecura non poſſunt.... Prima illa & maxima peccantium eſt pœna, peccaſſe. Nec vllum ſcelus, licet illud fortuna exornet muneribus ſuis, licet tueatur ac vindicet, impunitum eſt: quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt. Sed nihilominùs & hæc & illæ ſecundæ pœnæ premunt, ac ſequuntur, timere ſemper & expaueſcere, & ſecuritati diffidere.... Hic

1. Seneca epiſt. 98. *Tuta ſcelera eſſe, ſecura non poſſunt.*

Epicuro conſentiamus, malâ facinora conſcientia flagellari, & plurimum illi tormentum eſſe; eò quòd perpetua illam ſollicitudo vrget, ac verberat, quòd ſponſoribus ſecuritatis ſuæ non poteſt credere. Hoc enim ipſum argumentum Epicuri eſt, naturâ nos à ſcelere abhorrere, quòd nulli non etiam inter tuta, timor eſt. Multos fortuna liberat pœna, metu neminem. Quare? quia infixa nobis eius rei auerſatio eſt. Ideò nunquam fides latendi fit etiam latentibus, quia coarguit illos conſcientia, & ipſos ſibi oſtendit. Proprium autem eſt nocentium [Hic verſ. 13. & 14.] trepidare. Hactenùs Seneca. Profectò in felice felicitas eſt innocentia; nequitia ipſa ſui pœna eſt, de agnato conſcientiæ tormento viſcera ſenſim morſicante. Quod nunc in Amane videre licet.

2. Geneſeos 32. Iacobo è Meſopotamiâ reuertenti fuerunt obuiam Angeli Dei. Quos cùm [Nec cæleſte præſidium ſecurum fecit illatæ offenſæ conſcientiam.] vidiſſet, ait: Caſtra Dei ſunt hæc: & appellauit nomen loci illius Mahanaim, id eſt, Caſtra. Poſtmodum reuertentes nuncij, quos cum muneribus præmiſerat fatri Eſaü, nunciauerunt iam iam appropinquare. Timuit Iacob valde: & perterritus diuiſit populum, qui ſecum erat..... dicens: Si venerit Eſaü ad vnam turmam, & percuſſerit eam, alia turma, quæ reliqua eſt, ſaluabitur. Et ait ad Dominum: [Geneſ. 32. v. 11.] *Erue me de manu fratris mei Eſaü, quia valdè eum timeo: ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis.* Quid tam pauidè Iacobus timet, Angelorum nuper præſidio armatus? Caſtra Dei cum auxiliaribus Angelis, ſibi militare prænoſcit, & ad fratris occurſum ſic trepidus expalleſcit? Et quidèm [Lipom. ibi.] *veroſimilius eſt* (ait Lipomanus) *bonâ intentione, & fraternâ dilectione permotum Eſaü, poſt tot annos ab exilio redeuntem fratrem, amicè, voluiſſe amplecti.* Verùm ſuper Iacobi pauore [Caiet. indidem.] pulchrè philoſophatur Caietanus: *Humano,* inquit, *affectu ac conſilio rationabiliter timuit occurſum fratris, conſcius eorum quæ aduerſus illum fecerat.* Nimirùm Iacobus præſidiario è cælis milite armatus, fratrem ſuum gratulatum de felici aduentu, ſibi occurrentem, pauidè extimeſcit, & quidèm *rationabiliter*, id eſt, conſultiſſimè. O! nec cæleſte præſidium, nec fraternæ erga ſe beneuolentiæ aſylum, facit ſecuram illatæ offenſæ conſcientiam? Caſtra Dei tutum, non ſecurum fecerunt: neque enim vllum eſt ſatis ſecurum à propriâ conſcientiâ præſidium, ſiue effugium. Impendens diu malum, offenſæ ſequela eſt.

13. [Pſal 31. v. 4.] Regius vates Pſal. 31. poſt commiſſum diu peccatum, adhuc anxius & querelus ſic plangit: *Quoniam die ac nocte grauata eſt* (alij cum emphaſi *grauatur*) *ſuper me manus tua: conuerſus ſum in ærumnâ meâ, dum configitur* [Num peccatum iam auulſum, adhuc conſcientia infigitur.] *ſpina.* Audierat Dauid è Nathani prophetæ ore ſuum peccatum confeſſionis & lacrymarum priuilegio, dimiſſum; & *die ac nocte*, id eſt perpetuò, & ſine intermiſſione vllâ, acerbâ recordatione lancinatur; Iam infixa, imò & euulſa atque extracta fuerat peccati *ſpina*; & quaſi dire tunc *configeretur* opplorat? S. [S Hierony. in Iſai. c. 66.] Hieronymus hàc ſuper re ita ad rem præſentem ſcribit: *Vermis qui non moritur, & ignis qui non extinguitur, à pleriſque conſcientia accipitur peccatorum..... iuxta illud quod dicitur: Verſatus ſum in miſeriâ, dum infigitur mihi ſpina.* Infixa olim peccati ſpina, iam per pœnitentiam refixa erat; & illius conſcientia ſic tunc ſpinoſè pungitur, laceratur, cruentatur, ac ſi recenti denuò plaga infigeretur? Quid ſpinoſi peccati Dauidi poſt ingenuam illius confeſſionem, & profundam pœnitentiam adhæſit? Subtiliter perpendit Chryſoſtomus, *Peccatum non ſimpliciter penetrare, aut aliquo modo* [S. Chryſoſt. apud P. Lorin. in Pſal. 31 v 4.] *ſubire, ſed infigi: & niſi penitùs euellatur, ac totum, ipſum parum quod manet, facere dolorem: & poſtquam exciditur, per multum tempus plaga dolorem relinqui, & opus eſſe curatione multâ & medicinâ, nec ſufficere euellere peccatum, ſed etiam curari debere locum, qui percuſſus eſt.* Non ambigit Chryſoſtomus flagitia mortalia, quod attinet ad peccati malitiam, ex toto, & non ex parte euelli eius nequitiam: intelligit ergò non extirpari effecta quædam, vt habitus prauos, occaſiones, alicuius pœnæ reatum; & maximè conſcientiæ de offensâ certitudo, de remiſſione titubatio. Scilicet peccatum non aliquomodo animum ſubit, ſed altè *infigitur*; & poſtquam dimiſſum eſt, *niſi penitus euellatur ac totum, ipſum parum quod manet facere dolorem*, nam refixo etiam peccato peccatoris conſcientia peccati ſpinosâ acerbitate adhuc *infigitur*, & cruentè pungitur. Sic eſt conſcientia delicti etiam dimiſſi quodammodò tenax, vt refixo iam peccato, & radicitùs per pœnitentiam extirpato, adhuc denuò pungatur, configatur, cruentetur: Ita quidem. Nam, vt nuper dixit Seneca: [Seneca ſup.] *Multos fortuna liberat pœnâ,* (& pœnitentia eximit culpâ) *metu neminem. Quare? quia infixa nobis eius rei auerſatio eſt,* quam natura damnauit. Appoſitè, & velut Chri- [Tinea oſſium cor intelligens.] ſtiano cothurno. Sed non pigebit hic totum Hieronymi locum excribere, eleganti enim clauſulâ ſententiam adornat: *Vermis*, inquit, *qui non* [S. Hieron. ſup.] *moritur, & ignis qui non extinguitur, à pleriſque conſcientia accipitur peccatorum.... iuxta illud quod dicitur: Verſatus ſum in miſeriâ, dum infigitur mihi ſpina:* (addit) *Et in Prouerbiis, Tinea oſſium cor intelligens.* Poſt irrationale peccatum, ipſa rationalitas, ſeu agnata hominibus *intelligentia*, *tinea oſſium* eſt, ſeu contumax teredo iugiter cor exedens, & conſcientiam perpetuò morſicans. Hominem diffitetur, & ſe negat *intelligentem*, cui peccati conſcientia non eſt *oſſium tinea*, animi viſcera continuo morſu medullitùs abrodens. *Tinea oſſium cor intelligens.* Conſcientiæ poſt delictum pungens ſpinoſitas, & teredo morſicans, mentis ſequela eſt, quam gratiæ fauor perſæpe afflat.

4. [Prouerb. 12. v. 18.] Prouerb. 12. *Eſt qui promittit, & quaſi gladio pungitur conſcientiæ.* Sic Iudas Principibus ſacerdotum *promiſit* ſe Chriſtum tradere, ſed poſtmodùm *gladio conſcientiæ punctus*, ſeipſum condemnauit ad laqueum, anteuertens iudicis ſententiam, quò deteſtabile proditionis ſcelus dignè puniret. Quâ de re ita ſcribit Ambroſius: [Ambroſ. ſerm. 15.] *Quem alter iudicat, poteſt vtcumque eſſe excuſabilis; reus autem ſine excuſatione eſt, qui conſcientiæ ſuæ iudicio condemnatur: quem alter iudicat, poteſt quoque à ſuo iudice ſperare indulgentiam; qui ſe ipſe iudicat, à quo indulgentiam poſtulabit? Et rurſus: Omnium enim ſupergreditur ſententias, qui à ſuâ conſcientiâ, ſuâ ſententiâ condemnatur.* [Quàm ſit veridica, & atrox propria conſcientiæ ſententia.] Quis non credat vere

verè patraiſſe ſcelus, quod quiſque de ſe palam fatetur. Quo argumento validè vſus eſt Tertullianus aduerſus Gentes non credentes Dæmonibus, qui à Chriſtianis excantati, ſe illis reluctari non poſſe, erubeſcenter fatebantur: *Credite*, inquit, *illis cùm verum de ſe loquuntur, qui mentientibus creditis. Nemo ad ſuum dedecus mentitur, quin potius ad honorem. Magis fides plena eſt in aduerſus ſemetipſos confitentes, quàm pro ſemetipſis negantes.* Vide ex Tertulliano quàm ſit veridica conſcientiæ propriæ ſententia: quàm ſit atrociter acerba, ex Ambroſio perudiſti: *quaſi gladio pungitur conſcientia.*

Tertull. in Apolog. cap.

4. Exodi 2. poſtquam creuerat Moyſes, vidit virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus ſuis. *Cùmque circumſpexiſſet huc atque illuc, & nullum adeſſe vidiſſet, percuſſum Ægyptium abſcondit in ſabulo.* Hanc Ægyptij cædem à Moyſe patratam, Auguſtinus accuſat; excuſat Ambroſius. Quâ de re ita ſcribit Caietanus. *Apparet ex textu, quòd inexcuſabile ſit. nam ex eo quòd non defenſionis neceſſitate, ſed vltionis gratiâ occidit Ægyptium (vt teſtatur circumſpectio an aliquis eſſet teſtis.) officium iudicis ſuperauit Moyſes. Et propterea niſi diuinâ auctoritate excuſetur (contra quam militat eiuſmodi circumſpectio, nam ſignum eſt humanæ cautelæ, non diuinæ inſpirationis) nullam video excuſationem certam.* Humana cautela reum prodit *inexcuſabili* reatu, de conſcientiæ ſententiâ. Qui alienos oculos timet, in ſuos priùs incurrit, & ſe eiuſmodi *circumſpectione* prædamnat. Pietas, vt ſecura eſt in virtutis aſylo, ſic eſt refuga malitia præiudico conſcientiæ.

Exod. 2. v. 12.

5. Iacobi 1. *Concupiſcentia cùm conceperit parit peccatum: peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem.* Quod dicitur, peccatum conſenſu pleno conſummatum, *generat mortem*, noſter Iuſtinianus explicat, quia peccatum lethale æternam animæ mortem affert. Melius opinor, meus in Philoſophiâ Magiſter P. Didacus Daza (quem præmatura mors eripuit eruditis); *generat mortem*. id eſt, dolorem, qui mortis inſtar ſit. Itaque hîc ſenſus non excludit priorem, & inſuper addit conſcientiæ tormentum. Quod luculenter Chryſoſtomus his verbis ediſſerit: *Peccatum*, inquit, *ſimul atque commiſſum eſt, reperitque finem; tum demùm extinctâ voluntate amarus pœnitentiæ ſtimulus ſuccedit: è contra accidere ſolet mulieribus: nam illis ante partum labor eſt ingens, poſt partum verò relaxatio doloris ſimul cum infante egrediente. verùm hîc non item; ſed dum parturimus, concipimúſque turpes affectus, delectamur. Ceterùm vbi enixi fuerimus peccatum, tunc conſpectâ fœditate partus diſcruciamur grauiùs quàm mulieres parturientes.* Ecce tibi conſcientiæ angor, angoribus & cruciamentis parturientis feminæ idoneè comparatur.

Iacob. 1. v.

P. Didac. Daza.

Chryſoſt. hom. 4. de Lazaro.

7. Matthæi 5. Chriſtus Deus Apoſtolos ad omnes ſanctitates inſtituens, ita de cæli ſcholâ erudit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Quid eſt, quòd Chriſtianas virtutes hominum oculis exponit? An cum vanægloriæ periculo diuinam gloriam bono virtutis exemplo ambire debent? Sanè virtus præcauet, & conſcientia metuit humani aſpectus faſcinum, ne boni operis venuſtatem ambitiosè defloret. Vide quàm ſit ſtrenuè ingenioſus hic conſcientiæ metus. quod Zeno Veronenſis agens de Chriſtiana perfectiùs ſanctitate his verbis tradit: *Vera iuſtitia*, inquit, *præter ceteras virtutes tota ſe ad alienas vtilitates colligit, atque explicat, ſciens, quid Deo principaliter debeatur, nil ſibi ipſa concilians, nil proprium derelinquens, niſi quod fideliter ſine vllâ iactantiâ eius fungitur voluntate.* (Sic fideliter Deo ſtudet lucere, non ſibi: ſicque ab alieno aſpectu ingenioſè præcauet, ne conſcientiæ cenſuram incurrat.) *Eſt autem in publicum tota prominens, atque diffuſa: ſic tamen, vt ſentiri ſe magis cupiat, quàm videri: plenè cauta, ne quam declinet in partem: ne in aliquo ſe ipſa reprehendat.* Recognoſce hîc quàm ſit ſcrupuloſè cauta perfectior virtus, ne ſe ipſam ipſamet reprehendat, & homines *videant*, vt Deum glorificent: cùm autem in publicum ſit tota prominens, & prælucens, vt nil proprium ſibi relinquat, niſi quod fideliter ſine vllâ iactantiâ Dei fungatur voluntate, *ſentiri ſe magis cupit, quàm videri; ne in aliquo ſe ipſa reprehendat.* Vide ingenioſè piam virtutis ſagacitatem, vt in conſcientiæ tormentum non incurrat. Sic acerbè cruciat conſcientia ſpinoſitatis cognatæ acerbitate, etiam eos, qui conſummatæ virtuti perfectiùs ſtudent?

Matth. 5. v. 16.

S. Zeno ſer. de Iuſtit.

*Conſummata virtus ſentiri ſe magis cupit, quàm videri, ne conſcientia tormentum incurrat.*

Geneſeos 3. Adam inſidæ præuaricationis impudenter reus, vſque ad veſperam non patitur Deum tanti ſceleris cunctanter vindicem. Quid eſt, quòd eum tandiu diuina iuſtitia impunè vagari permittat? Imò ante ſupplicium à Dei irâ ſeuerè inflictum, ipſemet à ſeipſo ſeueriſſimâ pœnâ præproperè mulctatur. Porrò ſtatim ac Protoparentes ſceleroſè peccarunt, *Aperti ſunt oculi amborum: cùmque cognouiſſent ſe eſſe nudos*, &c. Quæ verba ſic ad rem Rupertus elucidat, præmittens Dei interrogationem: Quis enim, inquit, indicauit tibi quod nudus eſſes, niſi quòd de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, comediſti? *Ac ſi diceret: Hæc ipſa ſcientia, quâ nudum te eſſe perſpexiſti, culpa eſt, quia rapina eſt. Vnde enim tales tibi aperti ſunt oculi, quos & concupiſcentia commoueret, & conſcientia reuerberaret, atque ita ferre non poſſent, vt nudus incederes?* Scilicet conſcientiæ tormentum de affectatâ oculatioris ſcientiæ *rapinâ*, Adami oculos propudioſâ nuditate flagellat, & verecundiæ inflicto vibice, conſcientia acerbiùs vapulat, quò tardantem Dei mulctam, conſcientiæ ineluctabilis mulcta probroſè & acerbè præcurrat: ne conſcientia parcat, cui forſan non ſe excuſanti, ſed verè pœnitenti, Deus peperciſſet.

8. Gen. 3. v. 7.

*Propter affectata ſcientiæ rapinam, Adami oculi contumelioſè à conſcientia verberantur.*

Rup. l. 3. in Geneſ. 15.

Ergò ſtatim poſt peccatum, aperti ſunt oculi, quos concupiſcentia commouit, & de ſcientiæ *rapinâ*, *conſcientia reuerberauit.*

## §. CLXXVIII.

### *Curioſitas erga diuina & humana egregiè vapulat.*

1\. Plaut. Comæ. *Curioſitas eſt maleuolentia ac ſuperſtitionis conſpiculum.* Tertull. In Apolog. cap. 25.

COmici diſertiſſimi vox eſt? Sed curioſi, inquit, ſunt hîc quamplures mali, *alienas res qui curant ſtudio maximo, quibus ipſis nulla res eſt quã procurent ſua: nam curioſus nemo eſt qui non ſit maleuolus.* A Plutarcho autem adulterium appellatur, *Curioſitas alieni thori.* (de quo aliàs.) Quin & curioſitas otioſum negotioſæ idololatriæ conceptaculum fuit: *Nam* (vt tradit Tertullianus) *à Numâ concepta eſt curioſitas ſuperſtitioſa, nondum tamen aut ſacris aut templis res diuina conſtabat*, &c. Hæc & adſimilia delicta otium curioſitatis incurrit. O caue hos virtutum ſcopulos, quiſquis ambis Deum inuenire propitium.

2\. Exhod. 6. v. 3.

Exhodi 6. adhuc Deus de rubo ad Moyſen loquens, nunc videbis, inquit, quæ facturus ſim Pharaoni: per manum enim fortem dimittet eos, (Iſraëlitas inquam) & in manu robuſtâ eiiciet eos de terrâ ſuâ. *Ego dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente: & nomen meum Adonai non indicaui eis*, &c. Multa tentant Commentatores vt exponant quo pacto Deus dicatur priſcis Patriarchis apparuiſſe in Deo *omnipotente.* Quæ nam eſt hæc ſpecialior omnipotentiæ manifeſtatio, quam aduerſus Abrahamum, Iſaacum, & Iacobum, potiùs quàm erga Moyſen, & captiuos Iſraëlitas Deus exhibuit? Imò ſicubi Deus omnipotentior apparuit, tunc vel maximè quandò cælum, terram, & reliqua elementa contra Pharaonem concitauit, tot plagis omnipotenter ſeueriſſimus. Nunc ergò potiori iure dicendus foret *in Deo omnipotente* apparuiſſe; non quando priſcis Patriarchis abſque tot miraculorum terrore & apparatu ſe videndum & cognoſcendum exhibuit. Verùm Rupertus Tuitienſis inibi hâc ſuper re ita ad rem præſentem philoſophatur: *Magnalia namque & terribilia facturus, hoc loquitur ad oſtenſionem gloriæ nominis ſui, qualia non fecit in diebus Abraham, Iſaac, & Iacob; quibus tamen in Deo omnipotente apparuit: quique hoc ipſum quod omnipotens eſſet, non quæſierunt miraculis explorare ratione contenti* Vbi nota primò quòd tunc Deus dicitur ſpecialiter *omnipotentiam* oſtentare, non cùm peruicacem Pharaonem miraculorum terrore, & tot plagarum moleſtiis omnipotenter domat, & in obſequium trahit inuitum; ſed cum Patriarchas ſine tot miraculorum omnipotenti pompâ ratione ducit, & *ratione contentos* ad ſe pertrahit. quæ eſt arcana diuinioris *omnipotentiæ* oſtentatio. Sic eſt difficile rationalem hominem *ratione* ducere? Sic eſt Deo omnipotenter glorioſum, non tam prodigiorum terrore, quàm ſpontiuo *rationis* ductu hominem ad ſe allicere? Cultus duce *ratione* vltrò exhibitus Deo, illum perſpicuè *omnipotentem* oſtendit, *Ego Dominus qui apparui Abraham, &c. in Deo omnipotente: quique hoc ipſum quod omnipotens eſſet, non quæſierunt miraculis explorare ratione contenti.* Nota etiam ad rem, quòd tunc vel maximè Deus omnipotentiam oſtentare dicitur, quandò hominis inhibetur curioſitas, ne diuinam eſſentiam & attributa ſagaciùs exploret; ſed *ratione contentus*, eius ſequatur ductum, credulitatis ratiocinatione ſimplici & incurioſâ: *Quique hoc ipſum quod omnipotens eſſet, non quæſierunt miraculis explorare ratione contenti.* Quaſi tunc maximè omnipotentem ſe oſtendat Deus, cùm humanam de eius omnipotentiâ curioſitatem ſiſtit. Hem, ſic eſt arduum humanam curioſitatem inhibere?

*Deo omnipotenter glorioſum eſt, homines non tam terrore quàm ratione trahere.* Ruper. in Exh. lib. 1. cap 24.

*Deus oſtenditur omnipotens, cum humanam curioſitatem inhibet.*

3\. Eccli. 3. v. 22.

Eccleſiaſtici 3. his verbis nos Siracides erudit *Altiora te ne quæſieris; & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus.* Syrus, *aſperiora*, Græcus, *profundiora* Ambroſius, *difficiliora te ne quæſieris ſine ſenſu, & fortiora te ne exquiras cum ſtultitiâ.* Nimirùm homo qui nimis curioſâ ſagacitate diuinitatis arcana perſcrutatur, *ſine ſenſu* dicitur, & criminoſæ *ſtultitiæ* reus. Cuius impium crimen ignoratione plenum, ſic Nyſſenus exponit: *Altiora te ne quæſieris; hoc eſt*, inquit, *Noli oſſa Chriſti conterere: non enim eges ſcientiâ ipſorum.* Oſſa Chriſti conterit nimia de diuinis curioſitas? Et quæ nam oſſa? an quæ eius myſticum corpus, Eccleſiam inquam; an quæ eius reale corpus adintegrant? Profectò curioſitatis præſumptio plus audere videtur, quàm impia tortorum Chriſti in paſſione ſæuitia: quæ auſa non eſt oſſa eius confringere (quod in agno typico præmonſtratum eſt.) Sic temeraria curioſitas quodammodo attaminare & confringere dicitur, quæ temerè explorare audet?

Ambr. apud P. Cornel. ibi. *Curioſus oſſa Chriſti conterere dicitur.* Nyſſen. de vitâ Moyſ.

4\. Prouerb. 25. v. 27. *Curioſitas reum facit, non peritum.* S. Zeno ſer. 2. de æterna Filij Dei gener.

Prouerbiorum 25. *Qui ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur à gloriâ.* An non ſapientiæ portio eſt, diuina ſagaciùs perſcrutari? Vnde glorioſæ maieſtatis diuinæ offenſionem incurrit? Curioſa diuinorum ſagacitas, de peritiâ reatum, & ſupplicium inueniet? S. Zeno Veronenſis ita fatur loquens de æternâ generatione Filij Dei: *Hunc*, ait, *curioſi opinionibus variis violare conantur: nec intelligunt miſeri quoniam curioſitas reum efficit, non peritum.* Nam nimia in rebus diuinis curioſitas, dum peritiam quærit, reatum inuenit, dum diuinitatis arcana mortalibus nunc inacceſſa curioſè ſcrutari temerarius præſumit; ſiquidem & Dei Filium perſcrutando *violare* & *oſſa Chriſti conterere* audacter conatur, dum humano cenſu res diuinas taxare præſumit. quod eſt operoſum curioſitatis otium: quod diuinior gloria, temeritate curioſitatis violata, oppreſſione condignâ caſtigat. *Scrutator maieſtatis opprimetur à gloriâ; quoniam curioſitas reum efficit, non peritum.*

5\. Geneſ. 3. v. 6.

Geneſeos 3. maleſuadâ ſerpentis illecebrâ, & gulâ ambitionis ineſcata mulier, ſibi & poſteris exitiale pomum eſurit, quod indigeſtam eructauit mortem: *Vidit igitur mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectúque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit.* Mirum non foret quòd mulier vidiſſet paradiſeum pomum oculis pulchrum, aſpectúque delectabile: Hoc enim eſt oculorum munus, pulchra aſpicere, & aſpectui delectabilia contemplari, eorumque gratâ viſione paſci. Sed quid eſt quòd mulier videt, quòd pomum eſt

*Num Euæ præuaricatio curioſitati imputetur.*

eſt *bonum ad veſcendum?* An oculi ſaporem delibant? quid oculis cum ſapore? Putauerim, quòd hic aſpectus, palati functionem ambitione adulteratâ vſurparit. Vndè tanta oculorum præſumptio, quæ vltra ſua obiecta vagari ſceleroſè præſumit? Appoſitè inibi Rupertus ita ad rem ſcribit: *Notandum quippe*, ait, *quod non dixerat Scriptura, Vidit igitur mulier lignum & tulit de fructu eius & comedit; ſed, Vidit mulier (inquit) quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis aſpectuque delectabile, & tulit de fructu eius & comedit.* (Nota attentius quæ ſubtexit verba.) *Vidit igitur, id eſt, conſiderauit, diligenter intuita eſt, curioſius attendit, & iudex eorum quæ audierat ipſa eſſe voluit.* Miriſſimum ſane foret, ſi tanta oculorum ambitio, quæ de ſapore diiudicare præſumpſit, à *curioſitate* non eſſet. Hæc Euam inſtigauit ad primordialis delicti facinus? hæc mentitâ præſumptione, diuinitatis præſumptionem tractauit; hæc pellaciâ blande præſtigiatrice vltra quàm habet oculos videre affectauit; hæc miſeram mortalium ruinam ſolidè ædificauit, facta originalis delicti officina funeſta; ne primordiale ſcelus, & mortalium ineluctabile excidium abſque *curioſitate* perageretur. *Vidit igitur mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum. id eſt, diligenter intuita eſt, curioſiùs attendit.* O curioſitatem ſcelerum matricem! Vxor Amani hìc Euæ curioſitatem profanâ coniecturâ æmulatur: maluit ſibi ac ſuis aduerſari, quàm non eſſe curioſa.

Rupert. in Genes. l. ... c. 3

... verſ. ... & 14.

6. Ioannis 9. Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à natiuitate: *Et interrogauerunt eum diſcipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cæcus naſceretur? Reſpondit Ieſus: Neque hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Rudes adhuc Diſcipuli, plus quàm par erat curioſi auidè ſciſcitantur de inuiſis huius morbi cauſſis: & (qui curioſitatis genius eſt) in ſiniſtram partem vtrinque allucinantur. Malè hìc curioſitas impingit, dum ſupponit alterutrum deliquiſſe, adeò vt neuter innoxius euadere poſſit. Studium diſcendi videtur, ſed dum curioſitate ducitur, reum efficit, non peritum. *Exindè videtur hæc quæſtio peccare*, ait Theophylactus. Ceterùm expendenda ſunt verba, quibus cæleſtis Magiſter Diſcipulorum curioſitatem ſiſtit: *Neque hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Quam ſententiam ſic excribit, & exponit Chryſoſtomus: *Quod autem dicit, Vt manifeſtetur gloria Dei, de ſeipſo dicit, non de Patre.* Et ſanè miriſſimum eſt, quòd Chriſtus, qui tam impensè ſtudebat paternæ gloriæ (aiens: Ego non quæro gloriam meam, ſed eius qui miſit me Patris) tunc propriæ ſtudeat, quandò Diſcipulorum noxiam curioſitatem retudit. Scilicet *Diſcipuli* dum curioſiùs ſciſcitantur, Quis nam peccauerit, an cæcus ille, an parentes eius? illum appellarunt, Rabbi, id eſt Magiſtrum: exindè bonus Magiſter ſollertiùs inhibens noxiam Diſcipulorum curioſitatem, gloriæ ſuæ nuncupatim ſtudere perhibetur, præcauens ne exinceps noxiæ curioſitati Diſcipuli ſtudeant. Egregiè enim deuenuſtatur Magiſter noxio nimis curioſitatis vitio in Diſcipulos ſerpente: Diſcipulorum enim vitioſitas in inſtitutorem ſeu morum Magiſtrum regeritur.

Ioan. 9. v. 2. & 3.

Theophyl. ibid.

S. Chryſoſt. homil. ... in Ioann.

7. Ioannis 19. ob diei feſti reuerentiam, iubentur Chriſti Dei, & vtriuſque latronis corpora è crucibus tolli. Milites autem cùm veniſſent ad Ieſum, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura: *Sed vnus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis, & aqua.* Atrox ſanè ſcelus, neque ſtrenuo, ſed impudenter ignauo milite dignum; in mortuum hominis corpus immaniter deſæuire. Quid impulit hunc hominem crudeliter inertem, vt Chriſti Dei venerabile cadauer iniuſſus lancinaret? Chryſoſtomus putat, vt Iudæorum gratiam conciliaret. Cardinalis Toletus aliam ex Cyrillo cauſſam opportunus adducit, nimirùm *quia, an mortuus verè eſſet Ieſus, miles hic dubitauerit.* Neque enim tam flagitioſè impium, & atrociter ignauum ſcelus, potuit niſi ex curioſitate perpetrari. Adſimiliter de Petri negatione philoſophatur Hieronymus, ad illud Matthæi 26. *Petrus autem ſequebatur eum à longè vſque in atrium principis ſacerdotum. Et ingreſſus intrò, ſedebat cum miniſtris, vt videret finem.* Sic fatur Hieronymus: *Humanâ curioſitate ſcire cupiebat, quid iudicaret, de Domino Pontifex.* Sed de hoc aliàs agebamus.

Ioann. 19. v. 34.

Ex militis curioſitate, Chriſti iam mortui corpus lancinatur.

S. Chryſoſt. homi. 84.

S. Cyrillus lib. 12. c. 39. apud Tolet. ibidem.

Petrus ex curioſitate Chriſtum negat.

Matth. 26. v. 58.

S. Hierony. ibi. tom. 9.

Hebræus Philo ita ad rem ſcribit: Vitium ſuâpte naturâ latè patet, ideò vulgo notiſſimum. virtus rara eſt, vt vix paucis contingat. *Et alioquin etiam vir improbus per fora, theatra, tribunalia, curias, conciones, omneſque cœtus atque ſodalitates hominum curſitat, quippè Curioſitati aſſuetus, linguam habens ſine vllo fine modoque, & iudicio volubilem, commiſcens confundenſque omnia, veris mendacia, dicendis celanda, priuatis publica, ſacris profana, ſeriis ridicula, ignorans ſilentium rem eſſe pro tempore ac loco pulcherrimam; proindè arrectis auribus, quò ſatisfiat ſuæ Curioſitati, bonos malos rumores captat.* Vide hìc Curioſitatis elogia, quæ ſigillatim expendere, & elucidare, prolixè operoſum eſſet. 8.

Philo l. de Abraham.

Conglobata Curioſitatis non bona elogia.

Geneſeos 34. Iacob cum totâ familiâ è Meſopotamiâ redux, prope Sichem reſedit: *Egreſſa eſt autem Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius.* Quam cùm videret Sichem filius Hemor, adamauit eam, & rapuit, &c. Hinc tragica cruentè Sichimorum clades: hinc Iacobeæ familiæ grandius periculum. O quale incendium curioſitatis ſcintilla flabellauit! Eleganter S. Bernardus de Grad. humil. *Dina dum ad paſcendos hædos* (petulantes carnis appetentias) *egreditur, ipſa Patri, & ſua ſibi virginitas rapitur. O Dina quid neceſſe eſt vt videas mulieres alienigenas? quâ neceſſitate? quâ vtilitate? an ſola Curioſitate? Tu curioſè ſpectas, ſed curioſius ſpectaris.* (periit Sichem in tuâ formâ.) *Quis crederet tunc illam tam curioſam otioſitatem, vel otioſam curioſitatem fore poſt ſic non otioſam; ſed tibi, Tuis, hoſtibuſque tam pernicioſam?* Vide quas edit ſtrages vnius inertis puellæ otioſa curioſitas, ſeu otioſitas, ſuperuacuè curioſa. 9.

Geneſ. 34. v. 1.

Otioſa Dinæ curioſitas, ſibi, ſuis, ac hoſtibus tragica fuit.

S. Bernar.

O leue granditer malum, quod de occaſione
leuiculâ tot tragœdias ſibi, ſuis, ac hoſtibus malè compoſuit, catastrophe propudioſè
cruentâ.

SYNOPSIS,

# SYNOPSIS CAP. VII.

*Epulo peracto, Rex vino exhilaratus Reginam vrget, vt quid haberet in votis aperiat, beneficè ac prolixè ſpondens quicquid poſtularet haud dubiè impetraturam. Eſther nil iam cunctata, pro ſuâ, ac totiùs Hebrææ gentis vitâ ſupplex interpellat: proditque ſe vnà cum ſuis neci atrociſſimæ deſtinatam ab hoſte immitiſſimo; cuius ea eſt audacia, vt in Regem ipſum aliquid hoſtile clanculùm moliretur. Obſtupuit primùm Rex, & vt Amanum eſſe tragœdiæ auctorem comperit, in proximum ſeceſſit hortum, vt quid facto opus eſſet tantiſper ſecum deliberaret. Interim Amanus ad Reginæ procubuit genua, precatus vt Regis iram aut auerteret, aut ſaltem temperaret: quem dùm Rex in eodem cum Eſthere diſcubitorio lectulo offenderet, ſiniſtrâ oppreſſionis ſuſpicione furens, in cruce Mardochæo paratâ, confeſtim appendi iubet.*

## CAPVT VII.

1. INTRAVIT itaque Rex & Aman, vt biberent cum Reginâ.
2. Dixítque ei Rex etiam ſecundâ die, poſtquam vino incaluerat;
Quæ eſt petitio tua Eſther vt detur tibi? & quid vis fieri? etiam ſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. 3. Ad quem illa reſpondit: Si inueni gratiam in oculis tuis ô rex, & ſi tibi placet, dona mihi animam meam, pro quâ rogo, & populum meum, pro quo obſecro. 4. Traditi enim ſumus ego & populus meus, vt conteramur, iugulemur, & pereamus. Atque vtinam in ſeruos & famulas venderemur: eſſet tolerabile malum, & gemens tacerem. Nunc autem hoſtis noſter eſt, cuius crudelitas redundat in regem. 5. Reſpondenſque rex Aſſuerus ait: Quis eſt iſte, & cuius potentiæ, vt hæc audeat facere? 6. Dixítque Eſther, Hoſtis & inimicus noſter peſſimus, iſte eſt Aman. Quod ille audiens, ilico obſtupuit, vultum regis ac reginæ ferre non ſuſtinens. 7. Rex autem iratus ſurrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum arboribus conſitum. Aman quoque ſurrexit, vt rogaret Eſther reginam pro anima ſua. Intellexit enim à rege ſibi paratum malum. 8. Qui cum reuerſus eſſet de horto nemoribus conſito, & intraſſet conuiuij locum, reperit Aman ſuper lectulum corruiſſe, in quo iacebat Eſther, & ait, Etiam reginam vult opprimere me præſente, in domo mea. Needum verbum de ore regis exierat, & ſtatim operuerunt faciem eius. 9. Dixítque Harbona, vnus de eunuchis qui ſtabant in miniſterio regis: En lignum quod parauerat Mardochæo qui locutus eſt pro rege, ſtat in domo Aman, habens altitudinis 50. cubitos. Cui dixit rex, Appendite eum in eo. 10. Suſpenſus eſt itaque Aman in patibulo quod parauerat Mardochæo, & regis ira quieuit.

---

### §. CLXXIX.

*Commentarius litteralis.*

*Verſ.* 1. *&* 2. Intrauit itaque Rex, & Aman, vt biberent cum Reginâ.

1. ADSTRVEBAMVS ſuprà vtrumque Eſtheris conuiuium non fuiſſe veſpertinam cœnam, ſed prandium diurnum. Quotâ autem horâ celebratum ſit, Interpretes diſquirunt: in re autem ambiguâ placet Sanctius, qui cenſet, non procùl à meridie initum. Nam primo mane ſublimior ille honos Mardochæo decernitur: neque in eo ornando, & triumphali per plateam equitatione, diu immorandum fuit. Confeſtim Aman in domum feſtinat, qui quantocyus ab eunuchis ad regale ſeu fatale conuiuium reuocatur. Quæ omnia propè meridiem peragi commodè potuerunt. Paullulum à conuiuio abſoluto Amanus damnatur; poſtmodùm ex Amani domo, ad vrbis portam tranſlata eſt crux, in quam ante Solis occaſum, ſpectante auidiùs populo, Aman actus eſt. Propterea notandum eſt, quòd tametſi

*Eâdem regalis prandij die ante noctem ſuſpenditur Aman.*

Esther. 5.

tametſi Aman inuitatus ad Estheris epulum, dixit cap. 5. v. 12. *Apud quam etiam cras cum Rege pranſurus ſum*; hîc autem dicitur Aman cum Rege intraſſe, non vt pranderent, ſed *vt biberent cum Reginâ*, quo etiam modo ſcribitur in Hebræo & Græco; quò denotatur non ſolùm apud Græcos conuiuia fuiſſe ſymposia, & compotationes (quos eo nomine Tullius ſuggillat) ſed etiam apud Hebræos & Perſas. Illud autem, *Etiam ſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis*, expoſitum eſt ſuprà §. 141. n. 5. vbi id proucrbiali formâ dici, notabamus.

*Hæc* [illegible] *conuiuia ... Sympo-*

*Verſ.* 3. & 4. Ad quem illa reſpondit: Si inueni gratiam in oculis tuis, ô rex, &c.

2\. Esther petitionem ſuam aperire iuſſa, largè munificâ Regis beneuoli promiſſione erecta, & veniam vrbanè præfata, poſtulationem ter à Rege expetitam, tandem ore expectorat, & argutè proponit: Putat Seuerus Sulpitius flexo poplite orationem factam à Reginâ. Eſto, id commodè fieri poſſet è tricliniari lecto, & ſatis veroſimile ſit, nec Vulgatus textus, nec vlla tranſlatio vel leuiter id inſinuat. *Dona mihi animam meam.*] id eſt, vitam meam. *Et populum meum.*] Non petit ſibi populum ſuum; ſed vt populo ſuo Rex indulgeat ſupplex ipſa precatur. *Vtinam in ſeruos & famulas venderemur.*] *τὸ venderemur* non ſignificat venditionem illam, quæ fit accepto pretio: vt vult Caietanus: pretium enim quod offerebat Amanus, refutauit Aſſuerus; ſed idem ſignificat, ac *traderemur*, quo verbo in hoc eodem verſ. 4. vſus eſt Interpres. Porrò vt doctè notauit Bellarminus ad illud Pſalmi 7. *Dum non eſt qui redimat.* Sicut vtitur Scriptura voce *redemptionis* pro quacumque liberatione, etiam ſi non fiat propriè per ſolutionem pretij: ſic etiam *vendere* dicit, quod merè *tradit.* *Gemens tacerem.* *τὸ gemens* in Hebræâ origine deſideratur, vt notat ibi litteraliſſimè Mariana. Notat etiam moraliſſimè Sylueira tom. 1. cap. 6. q. 12. quòd ſapiens Regina non expetiuit vt diſcuteretur ſuæ gentis innocentia; ſed ad Regis benignitatem confugit. Nam licèt ſui populi innocentia eſſet notiſſima; ſi ad examen deduceretur ſemel culpata à potenti aduerſario, vix vnquam immunis à culpâ euaſiſſet. O nimis verè!

*Redimere, & vendere dicitur, quod etiam ſine pretio traditur.*
Caietanus.
Bellar. in Pſal 7. v. 2.
Mariana.
Sylueira.

3\. *Cuius crudelitas redundat in Regem.*] Non modicè Interpretum deſudat induſtria, vt exponant quomodò Amani *crudelitas* in Hebræos deſæuiens, etiam *redundet in Regem.* Vatablus, quem Serarius videtur ſequi, id refert ad magnam tributorum iacturam, quam Rex faceret in cæde Iudæorum, qui omnes pecuniæ vias norunt. Hæc expoſitio in Vulgatum non quadrat, neque enim vectigalium imminutio meretur nomen *crudelitatis*, quæ *redundet in Regem.* Propterea Dionyſius, Salianus, Tirinus, Menochius putant ideò id verè dixiſſe, quia eius coniugem morti tradebat. Esther autem Aſſueri coniux pars non ignobilis erat Iudæi populi; & de coniugij vinculo aliqua Regis portio. Alij id referunt ad Regis infamiam, quam proculdubiò ſubiret ex proficuo & innocenti populo iniuſtè perempto. Verùm probabiliùs, opinor, Lyra, Carthuſianus, Sanctius, & Chaldaica paraphraſis manuſcripta cenſent, quòd Esther his verbis ſignificare voluit, Amanum olim cum duobus illis eunuchis ad Aſſueri necem conſpiraſſe, quod non obſcurè conſtat ex cap. 12. v. 6. & ex cap. 16. v. 12. de quo inibi. Et ſanè hac explicatione viuaciùs exponitur *τὸ crudelitas*: quaſi Aman non tantùm *crudelis* fuerit in Iudæos, eorum ad vnum cædem extorquens, ſed etiam eius *crudelitas redundarit in Regem*, dum eius necem cum eunuchis clandeſtinâ conſpiratione moliebatur. Quin etiam, niſi nunc patefactum fuiſſet, Amanum quondam fuiſſe coniurationis principem, aut ſaltem participem conſciumue, forſan Rex de Estheris & Mardochæi conſilio, auſterior quam par erat extitiſſet, dum ſupra ſeptuaginta hominum millia ex Amani amicis occidere iuſſiſſet: ſat enim foret eum cum familiâ patibulatum. Neque fortè id Esther aliter petiiſſet; nec ſi peteret, forſan impetraſſet, prudenti præcautione tumultuum, qui populariter indè emergere potuiſſent, niſi conſtaret Amanum aduerſus Regem immaniter coniuraſſe: quo nomine tot ſtrages ritè colorare poterat.

Vatablus.
Serar. q. 10.
*Quomodo Amani crudelitas redundet in Regem.*
Dionyſius.
Salianus.
Tirinus.
Menoch.

*Verſ.* 5. & 6. Reſpondenſque rex Aſſuerus ait: Quis eſt iſte? &c.

Hebraicè; *Et dixit rex Aſſuerus, & dixit,* id eſt, ſemel & iterùm dixit. quod perſpicuè indicat quam id grauatè tulerit, quamque paratum ſe ad vltionem exhiberet. Benè notat Sanctius, quòd cùm nuper dixiſſet Esther ſe, & populum ſuum addictos morti & direptioni, vbi Rex nunc audiuit Amanum eſſe cruentæ cladis auctorem, in mentem illi ſtatim venit decretum, quòd proximis diebus ab eo Amanus poſtulaſſet de perdendo quodam populo, quem cùm minimè nominaſſet, nec ſciret eſſe populum Iudæum, nec Reginam eſſe Iudæam, & indè cum proficuo ſibi populo immaniter damnatam; illicò præ furore Rex obſtupuit. præſertim cùm audiſſet ex ore chariſſimæ vxoris, (cuius induſtriæ in proditis eunuchorum inſidiis vitam debebat) Amani *crudelitatem redundare in Regem* ipſum. Quod audiens Aman, & in irato Regis ac Reginæ vultu non dubiis characteribus legens quod ſibi malum parabatur; conſilij inops non inueniens quam ſe in partem verteret, aut quomodò rebus ſuis ſubitò inclinatis conſuleret, attonitus hæſit. 4.

Hebræus.
Sanctius.
*Grauatè tulit Aſſuerus Amani inſolentiam.*

*Verſ.* 7. Rex autem iratus ſurrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum.

Cur autem Rex ex loco conuiuij extemporè ſurgens, in proximum hortum ſeceſſerit, exploratum non eſt apud Interpretes. Salianus & Menochius putant, ſe indè proripuiſſe, quaſi noluerit vltra hominem immaniter ſceleſtum, & ominoſum caput intueri. Putauerim veriùs cum Carthuſiano, & Sancto, & Feuardentio Regem grauiter admodum tuliſſe, ſe inſcio tam immane facinus regio decreto adprobatum Amani fraudibus; & ideo ſeceſſiſſe in proximum hortum, vt quid facto opus eſſet non ſubitò furore decerneret, ſed cunctatione aliquâ interpoſitâ, ſecum deliberaret. Ignotum autem omninò eſt quid inibi deliberarit, cùm ex horto redeuntem Regem ſubitus furor ex ſuſpicione oppreſſionis Reginæ, ſtatim ad decernendum capitale ſupplicium impulerit. Interim dum à conuiuij loco Rex ſeceſſit in hortum, Amanus 5.

Salianus.
Menochius.
*Cur Aſſuerus in hortum ſeceſſerit.*
Carthuſian.
Sanctius.

ex graui Reginæ accuſatione, ex Regis ira, & nuperrimâ promiſſione Reginæ à Rege factâ, extremum ſibi malum impendere metuens, ſupplex accidit ad Reginam, vt iras regia benignitas temperaret. *Hortus* hîc dicitur *arboribus conſitus*, in ſequenti autem verſiculo, *nemoribus conſitus*; in Hebræo autem, vt notat Caietanus, tantùm habetur, *In hortum palatij*. Caiet.

*Verſ.* 8. Qui cùm reuerſus eſſet de horto, &c.

6. Sanctius hic n.7. Eruditè hîc probat Sanctius, in more poſitum apud Græcos, & Latinos, ad genua alicuiùs prouolui, eaque oſculari, aut amplecti illos, qui grauem à ſe calamitatem deprecari ſatagunt. *Miſeri ad genua prouoluti, miſeriam deprecantur.* Quod etiam apud Perſas fuiſſe vſitatum, non leuiter indicat hic locus, in quo Aſſuerus ex horto rediens, *reperit Aman ſuper lectum corruiſſe, in quo iacebat Eſther.* Quod autem hâc de cauſâ acciderit ad genua (vt cenſet Athanaſius) vel potiùs pedes Eſtheris, miſer clementiam deprecans, nullam pudicitiæ vim ſalaciter intentans, verſ. præcedenti diſſertè exprimitur: *Aman quoque*, inquit, *ſurrexit vt rogaret Eſther reginam pro animâ ſuâ.* Itaque Rex tantiſper cunctatione furore mitigato, forſan mitiora cogitans aduerſus Amanum, vt Seuerus Sulpitius ſuſpicatur; vbi illum vidit ſupra recubitorium Reginæ torum, ad eius pedes, aut genua procumbentem, auſteriori denuò furore exarſit, ratus priori ſceleri ſceleſtius flagitium inſolenter addidiſſe, & aliquid turpius in Reginam moliri. Quod autem turpe aliquid de Amane Aſſuerus cogitauerit, tradit paraphraſis Chaldaica, & Græci codices, quod vulgatus *opprimendi* verbo ſatis expreſſit. (Sicut etiam habetur 2. Reg. 13. v. 12.) Vndè in eam vocem erupit: *Etiam Reginam vult opprimere me præſente in domo mea.* Vocula *etiam* ſignificat flagitium flagitio addi. Ex hoc loco notat Ioſephus de la Cerda miſerrimam ſortem Amani, cuius etiam oratio ſupplex imputata fuit ad peccatum.

S. Athanaſ. in Synopſi. Sulpitius. Chaldæus. Græcus. 2. Reg. 13. Ioſeph. Cerda in Iudith. Acad. 36. n. 39.

7. Necdum verbum de ore Regis exierat, & ſtatim operuerunt faciem eius.

Cornelius. Gretſerus. Sanctius. Tirinus. Salianus. Lyra. Dionyſius. Menochius. Mariana. Feuardentius.

Cauſſam, ob quam audito Regis verbo, facies Amani operta ſit, non vnam tradunt Interpretes Cornelius hîc, Greſerus lib. 1. de Cruce cap. 21. Sanctius, Tirinus, Salianus, Lyra, Dionyſius Richel, Menochius, Mariana, Feuardentius putant hoc referri ad morem quo ad mortem damnatis caput obnubi, facieſque velari ſolebat. Sanè apud Romanos ferale illud carmen lictori occinebatur: *Caput obnubito, infelici arbori ſuſpendito.* Hæc expoſitio difficilis eſt: nam licet apud Romanos id moris eſſet, non indè euincitur apud Perſas etiam vſitatum. Quid Romanorum mores ad Perſas attinent? Dein ſi ad capitale ſupplicium damnato caput velabatur & facies, non puto ante damnationem: id enim lictori intimandum erat: nam proculdubio lictor delinqueret, ſi iniuſſus ſontis caput obnuberet, ad nutum præeuntâ Iudicis ſententiâ. quod ſi coram Iudice fieret, non leuis ei iniuria irrogaretur. Nunc autem Aſſuerus nil de capitali Amanis ſupplicio ſtatuerat: iratum Miniſtri viderant turpitudinem ſiniſtrè ſuſpicatum; ſuggerere crucem poſſunt; faciem autem velare quaſi iam damnatum, ſine Regis iniuriâ non poſſunt. Non ibo inficias, capitalem Amano reatum à Rege obiectum, ſed nondùm probatum, & improbabile pro eo rerum articulo. Nec putauerim nutibus, pluſquam verbis expreſſiſſe. Male ergò Miniſtri tanquam iam damnatum extremæ damnationis notaculo illum obſignarent.

*Proponitur, & reiicitur prima expoſitio, cur opertum fuerit Amani caput.*

Secundò Septuaginta Interpretes, & paraphraſis Chaldaica cenſent, Amani confuſam eſſe faciem: indè etiam velari potuit: ſcimus enim ex cap. 6. v. 12. Amanum præ confuſione ad domum operto capite feſtinaſſe. Sed non opinor, Regis miniſtros, qui ſtatim patibulum ſuggeſſere, Amani pudori conſuluiſſe, & beneuolè faciei confuſionem arcere, ingeſto capiti velamine. Denique tertiò Abnezra, Vatablus, Emanuel Sà, Euſebius, Cornelius etiam, & noſter Ioannes Antonius Velazquez, de optimo Principe lib. 5. Adnotat. 7. n. 5. Prado in cap. 24. Ezechi. & Nouarinus in Vmbrâ Virgineâ n. 46. exiſtimant, in more poſitum apud Perſas operire faciem eius, in quem Rex iratus eſſet, ne poſthac videretur ab eo, & magis ſuccenſeret illi. Sapienter inter hæc pendulus manet Serarius, & omnium ſententias proponens, in nullam inclinat. Profectò prima expoſitio receptior & plauſibilior eſt; ſed mihi ceteris difficilior: Secunda Hebræam, Chaldaicam, & Græcam tranſlationem potiùs quàm Vulgatum exponit: Tertia omnium aptior foret, ſi tamen eruditior: neque enim ex ſacrâ aut profanâ litteraturâ comprobat, moris fuiſſe apud Perſas, eorum velare faciem quibus Rex ſuccenſeret; tametſi huius moris non inidonea ratio affertur, & ex hoc loco talis conſuetudo tranſpareat. Vndè reliquis præferenda videtur huic affinis quarta ſententia Caietani aſſerentis, Eunuchos Regis obſequio adſtantes, cùm audirent poſt grauem Reginæ accuſationem, accuſatum etiam à Rege de intentato Reginæ ſtupro, vt erant obſequio & adulationi exprompti, confeſtim faciem Amani operuiſſe, *tanquam exoſi Regi, & indigni conſpectu Regis.* Indignus enim erat, qui conſpiceret, aut conſpiceretur à Rege, qui coram eo Reginam impudicè opprimere putabatur. Quo pacto & irato Regi obſequenter adulabantur, & priuatæ inuidiæ erga ſuperbiſſimum Amanem faciebant ſatis. Opinatur Cerda Benedictinus non tantum faciem, ſed totum corpus velari. Sed non probat.

8. LXX. Inter. Chald. *Cur velatur operto capite Amani caput?* Abnezra. Vatablus. Emanuel Sa. Euſeb. Niерom. Strom. 14. l. 2. c. 22. Cornelius. Velazquez. Prado. Serarius q. 21. Caiet. Cerda in Iudith. Acad. 9. n. 19.

*Verſ.* 9. & 10. Dixítque Harbona, vnus de eunuchis, qui ſtabat in miniſterio Regis: En lignum, quod parauerat Mardochæo.

9. Biblia regia ſic habent: *Dixit autem Charbona vnus de Eunuchis, iſte autem cognouerat illud lignum, cùm vidiſſet crucem in domo Aman, quandò vocauerat eum ad cœnam regum: & de illo interrogans, cognouit ab vno puerorum quod parabatur, & dixit ad Regem: Ecce & lignum parauit Aman Mardochæo qui locutus fuit de Rege; & erectum eſt in domo Aman cubitorum quinquaginta. Dixit autem Rex: Appendatur in eo.* Adſimilia habent Biblia Complutenſia, & Ioſephus. Dixit autem hic Eunuchus de Mardochæo, *Qui locutus eſt pro Rege*, Bona inquam, detegens Eunuchorum inſidias,

Bibl. regia Bibl. Compl. Ioſeph. l. 11. Antiq. c. 6.

inſidias, & ſic de Regis vitâ optimè meritus. Aſſuerus ergò tunc irâ percitus aduerſus Amanem, & bene animatus erga Mardochæum recenti obſequiorum recordatione, audiens eo inconſulto excelſam crucem in Amani domo erectam, è quâ ſuſpenderetur Mardochæus, continuò iuſſit Amanum in eâ appendi. Quod ſtatim factum eſt, ſed priùs translatâ cruce ex Amani domo ad vrbis portam, vt notat Cornelius, & habetur in regiis litteris cap. 16. deſcriptis: *Pro quo*, inquit, *ſcelere ante portam huius vrbis, id eſt, Suſan, & ipſe qui machinatus eſt, & omnis cognatio eius pendet in patibulis.* Niſi fortè domi ſuſpenſus, poſteà è cruce etiam ſuſpenſus, ad Suorum portam translatus eſt, vt putat Salianus. Dicitur Aman in eo ligno *appenſus*: Sed proculdubiò clauis affixus. Quod diſſertè tradunt LXX. interpretes. *Dixit autem Rex: Crucifigatur in eo. Et ſuſpenſus eſt Aman ſuper lignum.* Et infrà cap. 8. v. 7. *Et ipſum iuſſi affigi cruci:* ita Serarius q. 21, Gretſerus lib. 1. de Cruce, cap. 19. Salianus, & alij. Videtur illâ ipsâ die ſub clarâ luce Aman patibulatus, quod facere textus innuit, præſertim Regis furore ſupplicium vrgente: ſupplicio enim peracto quieuiſſe dicitur. Hic Eunuchus à vulgato & Vatablo appellatur *Harbona*, à Pagnino *Charbona*, LXX. interpretes *Bagathan*, Ioſephus, *Sabuchadar*, ſeu *Sabuchadas.* Paſſim notant hic Interpretes ex Herodoto lib. 7. & Diodoro lib. 16. in more poſitum apud Perſas, ſontis cuiuſque bona, & malefacta comparari; ſi præponderarent bona, abſoluebatur; ſin verò mala, damnabatur. Cenſuerim id aliquandò fieri, non ſemper: neque in feſtinatâ Amanis damnatione factum, ſicut neque in ferali edicto de Iudæorum ſtrage. Auidè hîc aduertunt doctores diuiniori Numinis prouidentiâ factum, vt *ſuſpenſus eſſet Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo* Aman enim iuxta illud Pſalmi 7. *lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.* Conſulantur hâc ſuper re huius Pſalmi Interpretes; (& Genebrardus nuncupatim, qui factum Mardochæi ad expoſitionem adducit.) Serarius hîc quæſt. 21. & Sanctius num. 11. Nos verò in Paragraphis moralibus aliqua delibatim propinamus ad morum eruditionem.

Aman cruci affigitur, & quomodo. | Cornelius. | Esther. 16. v. 18. | Salianus. | LXX. inter. | ... 8. | Serarius. | Gretſerus. | Salianus. | Vulgata. | Vatablus. | Pagninus. | LXX. inter. | Ioſephus. | Herodotus. | Diodorus. | Psal. 7. v. ... | Genebr. | Serar. | Sanctius.

---

## §. CLXXX.

*Moralitates variæ, huius capituli appendices proponuntur.*

*Verſ.* 3. Da mihi animam meam, pro quâ rogo; & populum meum, pro quo obſecro.

1\. Chaldæus.

CHaldæus paraphraſtes præfatam Eſtheris petitionem his verbis exponit: *Detur mihi euaſio animæ meæ de manu odientiis me in petitionem meam, & liberatio populi mei de manu auctoris inimicitiæ meæ.* Pulchrè offenſus offenſorem appellat, ſuæ *inimicitiæ auctorem.* Scilicet plane fatetur Eſther ſe *inimicitias* gerere cum Amano, qui in illam, populumque ſuum atrociter ferocire moliebatur: at vile *inimicitiarum* elogium à ſe reiicit, & in offenſiorem Amanum coniicit, tanquam ſuæ *inimicitiæ auctorem.* Qui iniuriè alium offendit, & ad defenſionem inimicè prouocat, reciprocæ *inimicitiæ auctor* exiſtit, & vtriuſque reus. Vltra ſeptuaginta millia hominum ex Amani conſanguineis ac neceſſariis, vltrice Eſtheris operâ inimicè occiſa ſunt: ſed cruentæ ſtragis inuidiam in Amanum reiicit, tanquam in ſuæ *inimicitiæ* auctorem. Quaſi ipſa tantùm expetierit animæ ſuæ *euaſionem.* Amanus autem tantæ Suorum ſtragis *auctor* extiterit.

*Amanus dicitur Eſtheris inimicitiæ auctor.*



*Verſ.* 4. Vtinam in ſeruos, & famulas venderemur.

Chaldæus paraphraſtes: *Quia venditi ſumus gratis ego & populus meus ad interneciones,* &c. Tametſi in huius verſiculi commentario expoſuimus quid ſignificet Scriptura hoc verbo, *Venditi ſumus*, iuuat ad rem moralem afferre Caietani expoſitionem: *Quia fuimus venditi ego & populus meus, &c. propter pecuniam enim quam obtulerat Aman Regi, dixit quia fuimus venditi.* O bonam Iudicibus eruditionem! Scilicet Amanus ingentem pecuniarum vim Regi obtulit, vt eum ſordidè corrumperet, & quaſi oblato pretio Iudaici populi excidium emeret: at licet Rex pretium ingenuè & liberaliter recuſauerit, nihilominùs acſi pretioſum illud munus acceptaſſet, & pretio oblato corruptus fuiſſet, Iudæos non tradidiſſe, ſed *vendidiſſe* Amano perhibetur. Quaſi Iudex cui munera offeruntur, tametſi illa accipere recuſet, ſubornatus iam ſit, & ſententiam *vendidiſſe* dicatur. Iam enim ſaltem in mente litigantium corruptus eſt. Profectò eâ iuſtitiæ famâ debet pollere Iudex, vt nec liberalior & officioſior litigatorum negotiatio, ei vlla offerre munera præſumat. Vel recuſata munera ſententiam hic *vendidiſſe* perhibentur.

2\. Paraphraſtes Chaldæus. | Caietanus. | *Vel recuſatâ munera Iudicem ſubornant.*

*Verſ.* 4. Vtinam in ſeruos, & famulas venderemur, eſſet tolerabile malum, & gemens tacerem.

Valdè hîc Græci codices à Vulgato diſſident LXX. interpretes ſic locum excribunt: *Venditi enim ſumus ego & populus meus ..... in pueros, & ancillas: & non audiui.* Quid eſt, *Non audiui*, quandò ego & populus meus Amano venditi ſumus in perditionem, in ſeruos, & ancillas? Nota attentiùs quid Biblia regia vice horum verborum ſubſtituant: Traditi ſumus (ait Eſther) ego & populus meus in perditionem..... in ſeruos & ancillas, *& obaudiſti.* Quaſi idem ſit, Ego cum populo meo damnata ſum, cauſsâ non exploratâ, nec citato reo ad obiecti criminis defenſionem, & *obaudiſti*, ſeu obediſti ô Rex, Amano hoſtiliter accuſatori. Iudex enim qui reo inaudito illum damnat, iuſtitiam non ritè tuetur, ſed calumniatori flagitioſiùs obedit. Exindè idem eſt, ait Eſther: Damnata ſum cum populo meo, *& non audiui*, ac Amano inimico & calumniatori noſtro *obaudiſti*, ô Rex. O ſynonyma exemplariter moraliſſima!

3\. LXX. interp. | *Iudex, qui non audit reum, nec cauſſam explorat, calumniatori obedit.* | Bibl. regia.

*Verſ.* 4. Nunc autem hoſtis noſter eſt, &c.

4. Lxx. interp. Bib. regia. *Calumniator in aula, Diabolus eſt.*

L X X. interpretes : *Non enim dignus criminator aulâ Regis.* Biblia regia : *Non enim dignus Diabolus atrij regis. Criminator* quidèm extra palatium vbilibet ſit, accuſator eſt, calumniator, & criminator eſt : at hic idem in Regis aulâ, tot pernicies, technas, & ſtrages molitur, vt *Diabolus* ſit. Vide (ait Regi Eſther) cum quo familiariter agas, cui te, & regnum fidenter credas.

*Verſ.* 4. Nunc autem hoſtis noſter eſt, cuius crudelitas redundat in Regem.

5. Vatablus. *Qui tributa imminuit, in Regem crudelis nominatur?*

Impeditum ſanè eſt, vt in commentario litterali expendebamus, quo pacto hoſtilitas Amani aduerſus Iudæos, *crudelitas* dicatur in Regem exundans. Vatablus hàc ſuper re ita philoſophatur : *Rex autem feciſſet magnam iacturam pereuntibus Iudæis : nam multa ab illis tributi nomine accipiebat.* Profectò *crudelitas*, ſæuitia in perſonam eſt, non in perſonæ cenſum : at Reges ſic cenſum æſtimant, tanto in pretio habent tributa, quæ illis penduntur, vt regius fiſcus tanquam aliqua ſui pars cenſeatur; vndè Aman dum ſublatis Iudæis, regia tributa imminuit, & regium fiſcum depauperat, *crudelis* aduerſus Regis perſonam nominatur. quaſi regni tributa Regem adintegrent, & vectigalibus vel tenuiter decreſcentibus, Rex ipſe mutilus inueniatur.

*Verſ.* 6. Hoſtis & inimicus noſter peſſimus iſte Aman.

6. Biblia regia. *Inimicus homo, crudelior ipſo Diabolo inuenitur.*

Biblia regia : *Homo inimicus Aman prauus,* &c. Eccur Eſther; quem nuper verſ. 4. apud eadem Biblia regia, *Diabolum* vocauerat, nunc *hominem inimicum* appellat? An mitiùs cum eo agit, cùm eius malitiam, criminationes, & technas exaggeratiùs prodere debuiſſet, quæ Regis iram ad vltionem acueret? An potiùs perniciosior hoſtilitas in *homine inimico*, quàm *Diabolorum* inimiciſſimo inuenitur? O atrociùs verſutàs *inimici hominis* iras, quas *Diabolus* de pernicie æmulari poſſet!

*Verſ.* 7. Rex autem iratus ſurrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum.

7. *Benè erubeſcit Aſſuerus, quòd ſe & imperium Amano crediderit.* Feuard. ibi.

Mirùm ſanè eſt, quòd Rex tam ægrè tulerit, aſtu à ſe exortum decretum de Iudæorum cæde, vt in ſæuas aduerſus Amanum ſic exarſerit iras. An non adhuc Rex poterat edictum reuocare, & Amanem ritè, & pacatè ſeueriùs plectere? Quid ſic Regem medullitùs extimulat, & tanto illum furore ſuccendit, vt in ſeceſſum diuerteret, quaſi ipſe obuios adſtantium aulicorum oculos erubeſceret? Hâc ſuper re tempeſtiuè politicus, ad Principum eruditionem ſic fatur Feuardentius: *Aſſuerus (inquit) nihil dubitans tot ſcelerum conuictum eſſe, à compotatione iratus conſurgit;* nec abs re. (Nota quæ ſubdit verba.) *Etenim ſe, ſuáque omnia Amani crediderat : conſilia eius ſemper amplexus fuerat, plenéque ſibi perſuaſerat illum imperij ſui firmiſſimam columnam eſſe. Nunc verò intelligit, ipſi nihil minùs cordi fuiſſe, imò totius imperij Perſici euerſionem facilè laturum.* Vide hìc inertiſſimi Principis ideam! Nimirùm Aſſuerus otij, & deliciarum peramans: non partiebatur cum Amane regiminis curas; ſed omninò re indiſcuſsâ ac incognitâ, quicquid ad ſe, & ad ſuum imperium, quoquomodò ſpectabat, eius nutui & arbitrio inerter credebat. Cùm ergò ex Reginæ delatione parùm fidelem agnouit Priuatum, imperij iam iam caſuri minas horruit; ſerâ tandem iracundiâ palatinorum occultos incurrere erubuit, tanquam ſuæ hactenùs deſidiæ accuſatores. Rara hominum fides eſt : nemini ſic ſe credant Principes : conſiliarium regium malint, quàm Regis tutorem.

*Verſ.* 7. Rex autem iratus ſurrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum. Aman quoque ſurrexit vt rogaret Eſther reginam.

Quæ verba Strabus Fuldenſis ſic myſticè exponit : *Rege in hortum properante : id eſt, ſecum electos ad delicias paradiſi inuitante. Reginam pro ſalute ſuâ deprecari contendit, ſed tempus opportunum non habuit. Serò enim quæruntur ſalutis remedia, cùm mortis imminent pericula.* O vide in Amano ſurdæ precationis in ſerâ pœnitentiâ typum! Vel regina Eſther, Deiparæ vmbra, tardas faſtidit preces? Iuratum inimicum, citiùs quàm ſerum rogatorem exaudiret? 8. Strabus ibi. *Surda eſt precatio in ſera pœnitentia.*

*Verſ.* 8. Reperit Aman ſuper lectum corruiſſe, in quo iacebat Eſther, & ait : Etiam reginam vult opprimere, me præſente.

Ad quæ verba argutè notat inibi Strabus Fuldenſis, quòd *deprecatio Aman oppreſſio dicitur.* O malum! Funeſtiſſimæ damnationis præſagium eſt, cùm *oratio eius fiet in peccatum.* Oratio, quam Eſther, Deiparæ vmbra, non exaudit, eius *oppreſſio* nominatur! An ſera precatio, *oppreſſio* dicitur? an oratio, quæ rem poſtulatam non impetrat, *oppreſſio* nominatur? O quàm eſt hæc ſententia ſententiarum grauidâ! Sat eſto ad morale acumen digitum intendiſſe. 9 Strab. inibi. *Deprecatio Amani, Eſtheris oppreſſio dicitur.*

*Verſ.* 8. Etiam Reginam vult opprimere, me præſente, in domo meâ.

Paraphraſis Chaldaica : *Ecce in veritate non venit Aman, niſi vt cubet cum Reginâ, me etiam domi manente.* Vide quàm ſiniſtra, & improbabilia iudicia, iræ affectus, & abalienatus odiosè animus parturiat. Et nota, quòd tametſi ſceleſtus Aman plurimorum ſcelerum reus erat; ob hoc tamen intentatæ ſalaciter oppreſſionis Reginæ à Rege damnatur, re indiſcuſsâ, & cauſsâ inexploratâ; & idcircò iniuſtè damnatus eſt, qui ob alia crimina ab Eſthere relata, & ſilentio prætermiſſa, iuſtiſſimè damnari ad atrociorem pœnam potuiſſet. Nimirùm ira, non ratio ſententiam tulit : ſubitò, & abſque debitâ tantæ rei morâ, iudicium feſtinauit : ex ſuſpicionibus, non ex probationibus negotium peractum eſt : aulicorum mobilis adulatio in eius perniciem vergebat. Scilicet damnetur iniuſtè, qui damnari millies potuit, (ſi quis fortè iniuſtæ damnationis acerbior ſenſus eſt) & mentito reatu, aliorum verè reus pereat. 10. Chaldæus. *Sceleroſus Aman iuſtè reus, iniuſtè tamen damnatur. Cur quare?*

*Verſ.* 8. Et ſtatim operuerunt faciem eius.

Biblia regia : *Aman verò audiens erubuit facie.* 11. Bib. regia
Chaldæus paraphraſtes : *Et facies Aman opertæ* Chaldæus.
*ſunt*

*Cur facies Amani, pluratiuo vocabulo opertæ confuſione dicuntur?*

*ſunt confuſione.* Benè Aman, dum ferale Regis edictum malitioſâ fraude extorquere non erubuit facie: nunc eius *facies* pluratiuo vocabulo *opertæ ſunt confuſione.* Qui nec ſemel *erubuit* ad delictum, velut multis *faciebus erubeſcet* ad pœnam, vt ſapiens pœna pudorem, qui culpæ defuit, vbertim reſtituat: & *faciebus erubeſcat* puniri, qui nec facie delinquere *erubuit.* O pudorem, ſcelerum æquiſſimè vindicem!

*Verſ.* 9. Parauerat Mardochæo, qui locutus eſt pro Rege.

*Biblia regia. Chaldæus.*

12. Biblia regia: *Qui locutus eſt de Rege.* Chaldæus paraphraſtes: *Qui locutus fuerat bonum propter Regem.* Quaſi perinde ſit, *loqui de Rege,* ac *loqui pro Rege,* aut *bonum loqui propter Regem.* Sic qui loquitur de Rege bonum loqui debet? Quiſquis de Rege loquitur, benè loquatur: vtinam verè.

*Loqui de Rege, benè loqui de Rege eſt.*

*Verſ.* 9. En lignum quod parauerat Mardochæo . . . . Habens altitudinis quinquaginta cubitos.

13. Huius crucis Mardochæo paratæ, in quâ ſuſpenſus eſt Aman, quinquagintahos cubitos Anſelmus Laudunenſis myſticè exponens, ita ſcribit: *Habens altitudinis quinquaginta cubitos. Quinquageſimo die poſt immolationem agni data eſt lex in monte Sina.* Crux iuſto Mardochæo parata, & in quâ iniuſtus Aman patibulatus occubuit, quia quinquaginta cubitos alta fuit, *legem* adumbrat quinquageſimo die ab agni immolatione datam? An lex, patibulum dicitur, Iuſto præparatum, ſed in quo Iniuſtus acerbè & probroſè ſuſpenditur? Altè quidèm Mardochæi crux, legi comparatur!

*Anſel. inibi.*

*Mardochæo parata crux legi comparatur.*

---

## §. CLXXXI.

### *Hominis prudentia (cuius præſtantiam ex defectu æſtimamus) eſt operis faciendi negotium, velut baptiſmus eſt, & tanquam Dei intellectus homini aſſiſtens.*

1. PRudentia & rectrix virtutum eſt, & morum auriga. In deliberatione autem de rebus agendis aut omittendis, ante omnia neceſsè eſt, ſeſeipſum æſtimare. Quia ferè plus nobis videmur poſſe, quam poſſumus. Alius eloquentiæ fiduciâ prolabitur, alius patrimonio ſuo plus imperauit, quàm ferre poſſet: alius infirmum corpus laborioſe preſſit officio. Quidam non habent iram in poteſtate, & illos ad temeraria verba quælibet indignatio effert. Quidam vrbanitatem neſciunt continere, nec periculoſis abſtinent ſalibus. Omnibus his vtilior negotio quies eſt. Ferox impatienſque natura irritamenta naſcituræ libertatis euitet. Male geritur quicquid geritur inconſiderantiæ, & audaciæ fide. Exiguus prudentiæ defectus in rei gerendæ principio, in vaſtos ducit errores. grauiùs nocet, quod nec tantiſper præmeditatum accidit. Præcaue leuia, ne incurras in grauia, ſerâ pœnitentiâ, & pœnitendâ ruinâ.

*Prudentia ex Seneca ſententiis erudita.*

Geneſeos 19. duo Angeli iuſtum Lot cum vxore, & filiabus è Sodomis educunt; & poſitum extra ciuitatem ſic alloquuntur: *Salua animam tuam; noli reſpicere poſt tergum,* nec ſtes in omni circà regione. Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cælo: & ſubuertit ciuitates has, & omnem circa regionem. (Sed vide inconſultam mulieris imprudentiam.) *Reſpicienſque vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis.* Origenes exponens præfata ſacri Hiſtorici verba, ita ſcribit: *Quod autem fit ſtaticulum ſalis, inſipientiæ eius indicium videtur expoſitum. Sal enim prudentiæ loco ponitur, quæ ei defuit.* Scilicet inſipientia vxoris Lot ſale eruditur ad ſapientiæ elogium. Noſtra retrò imprudentia, conſultioris exinceps prudentiæ ſchola eſt. A retrò actis erroribus diſce ſapientiam. O pulchrum è peruerſo magiſterium! Sed attentiùs nota, quòd non multâ prudentiâ illi opus erat, vt animaduerſo fragore cæleſtium imbrium quibus vrbs cum totâ regione decineſcit in fauillam; dicto pareret Angelico retroſpectionem vetanti. Quid ergò eſt, quòd magnum ſtaticulum ſalis ad indicandam eius imprudentiam exponitur. *Sal enim prudentiæ loco ponitur, quæ ei defuit.* Scilicet ſæpè ad rem gerendam exigua prudentia ſufficit; & quandò adeſt, non magna putatur: ſi verò deſit, magna prudentia defuiſſe cenſetur: quaſi prudentia defectu ſeu abſentiâ creſcat, quæ ſi adeſſet, modicâ fuiſſet. Vnde ad indicandam mulieris imprudentiam, grande ſalis ſtaticulum proſtat: *ſal enim prudentiæ loco ponitur, quæ ei defuit.* acſi defectu ipſo, quod deeſt, incrementetur; & quod adeſt ipſâ præſentiâ minuatur. Multùm deeſt, cui prudentia deeſt. Hæc conſultando, & deliberando induſtriè deſudet, & quaſi de cælo afflata, negotium feliciter peregit.

2. *Staticulum ſalis, prudentia loco ponitur quæ defuit vxori Lot.*

Geneſ. 19. v. 26.

Orig. apud Caten. ibi.

Geneſeos 2. de ſeptimâ mundi die, quam arcana Dei quies conſecrauit, & quam Eccleſiæ Patres tot myſticis ſenſibus celebrem reddiderunt, ita ſcribit ſacer Hiſtoricus: Igitur, inquit, perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat: *& requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat. Et benedixit diei ſeptimo . . . . . quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo quod creauit Deus vt faceret.* Multa eſt hîc pia Interpretum ſagacitas acutè erudita, in exponendo quæ ſit hæc Dei *requies* ab opere; & quo ſenſu dicatur, quòd *creauit Deus vt faceret.* Quæ eſt hæc rerum creatio in Die quiete peracta, quæ operoſam effectionem priùs molitur? Rupertus myſticis eruendis ſenſibus peritè adſuetus, hanc ſeptimam mundi diem, diuinæ *quieti* deſtinatam, ſapienter deſtinat diuinæ ſapientiæ, quæ infinitæ ſuæ prudentiæ conſilio ſcitè peritiſſimo, res toto ſextiduo faciendas diſpoſuit; & quas per prudentiam *creaſſe* dicitur, vt eas poſteà in tempore *faceret.* Sic fatur Rupertus: *Benè & excellenter dictum eſt, quòd creauit Deus vt faceret. Nam quod factum eſt in ipſo vita erat. Proindè cùm dicitur: Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul ſubaudimus; antequam faceret. Sic etenim hîc habemus, creauit vt faceret, creauit (inquam)* omnia

3. Geneſ. 2. v. 2. & 3.

Ruper. l. 2. in Geneſ. c. 18.

Eccli. 18. v. 1.

*Qui prudenter deliberauit opere perfecto, quaſi de facto, ſibi gratulatur.*

*omnia in ſuâ ſapientiâ, vt vnumquodque illorum in ſuâ propria faceret eſſentiâ* Et poſt pauca explicatiùs; & ad rem opportuniùs ſubdit: *Igitur hic dies benedictus & ſanctificatus ille eſt, in quo creauit Deus omnia ſimul, omnia in illo præſentiâ videns ſimul, quæ diſtinctè eſſet facturus: & in illo requieuit in quo creauit, per quem omnia fecit.* Itaque hic dies ſeptimus deſtinatus diuinæ ſapientiæ, quandò Deus peritiſſimo prudenter conſilio omnia in tempore facienda, in æternitate quaſi præuiâ conſultatione deliberat, prudenter decernit, ideis pingit, & ſingula conſilioſè diſtribuit; (loquimur de Deo antropopathôs) tunc, tunc quidèm res omnes Deus *creare* dicitur, vt eaſdem in tempore *faceret*: & cùm res in hàc ideali conſultiſſimâ præſcientiâ præproperè ſic *creat*: tunc, etſi eas in propriâ eſſentiâ non *fecerit*, tamen iam placidè *requieſcere* perhibetur. O bonam hominibus eruditionem, ad prudentiam inſtructiùs informandam! Nempe dum qui rem aliquam operoſam facere deliberat, & de eâ perfectè efficiendâ prudenter conſulit, & conſultè decernit, conſummatam eius ideam mente pingens, ac peridonea media apparans & diſtribuens, quaſi quod magis in eâ operoſum eſt iam fecerit, rem iam effeciſſe ſeu *creaſſe* dicitur; ſed vt poſteà eam *faciat*: & quaſi iam tunc perfecerit, *quieſcere* poteſt, & de opere ferè conſummato gaudere Tantæ molis eſt de re graui peritè deliberare, & prudenter decernere! Quiſquis id cordatè præſtitit, ſibi de opere infecto quaſi de facto gratuletur: nam induſtria quæ in prudenti conſilio capeſſendo operoſè ſudauit, in externâ rei effectione propè *quieſcere* poteſt, otioſè actuoſa: nam de prudentiæ officinâ prodit.

*Geneſ. 1. v. 26. & 27.*

4. Geneſeos 1. ſextâ mundi die poſt reliquas animantes iam creatas, dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Et rursùs: *Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creauit illum.* Multa ſunt, in quibus communiter Interpretes, rationem diuinæ imaginis in homine expreſſam agnoſcunt. Saltem nemo eſt, qui in mente & ratione hanc Dei imaginem homini inſculptam non videat. Laurentius verò Nouarienſis in prudentia, quæ eſt germana mentis ſoboles, hanc deificam imaginem recognoſcit, ſic eleganter ad rem fatus: Accepiſti mentem inquit, altiora petentem, ſta in altitudine mentis tuæ *quaſi imago Dei*, & de ſpeculo hoc deifici operis profunda rimaberis. Habes arbitrium & ſenſum de Deo conceſſum. *Si eſt in te prudentia, ſi habes conſilium, & proprium mentis arbitrium, Deus in te eſt. Ipſe tibi erit pœnitentia,* (loquitur ad lapſos poſt baptiſmum) *& fons, & baptiſma, & remiſſio, qui nunquam in te nec deſinit, nec deficit.* Vide quàm altè de prudentia & conſilio Nouarienſis loquatur. Nempe ſi in homine ſit *prudẽtia & conſilium*, imagine Dei impreſsè inſignitus eſt. quaſi prudentia & conſilium ſit expreſſior Dei ſimilitudo. Imò & quodammodò alter ipſe Deus, qui ſit nobis quælibet virtus, qua cælitùs donari cupimus. *Si eſt in te prudentia, ſi habes conſilium, Deus in te eſt. Ipſe tibi erit pœnitentia, remiſſio, &c. qui nunquam in te deſinit, nec deficit.* Quaſi prudentia & conſilium ad omnia proſperè & piè gerenda, ſit, tanquam Deus in nobis: & infinitè ſapiens, & omnipotenter actuoſus. Itaque ipſa hominis prudentia vices Dei gerens, ſic humanos actus feliciter regit, & virtutes afflat, vt ipſa de conſilij officina, in reliquarum virtutum actus quodammodò recudatur.

*Laurent. Nouar. hom. de Pœnit.*

*Si eſt tibi prudentia, Deus in te eſt. Ipſe tibi erit pœnitentia, & remiſſio, id eſt, ſpirat.*

*Prudentia eſt hominis velut Baptiſmus. & quare?*

5. *Si eſt in te prudentia, Deus in te eſt. Ipſe erit tibi remiſſio, &c.* paullò antè dixerat idem Laurentius Nouarienſis ad lapſos poſt baptiſmum, quem cùm iterare non poſſent, miſerè angebantur, *Quid putas eſſe fontem, qui concepit? aut quid exiſtimas eſſe vndam aquæ, quæ te peperit? Numquid aqua eſt media, aut vnda in cauſſa? Abſit.* (expende quam ſubiicit ſententiam.) *Sed diſce myſterium. Prudentia tua, fons; & in te intellectus tuus, aqua eſt inundans, habens aſpectum cordis vt videas temetipſum.* Diſcamus ineffabile hoc prudentiæ *myſterium*, & conſilij ſacramentum è Laurentij Nouarienſis ethicè erudito gymnaſio. Profectò ſi ſapimus, Prudentia in rebus agendis ſtrenuè conſilioſa, baptiſmi inſtar habet. Nam ſicut baptiſmus omnia hactenùs peccata, ſiue grauia illa ſint, ſiue leuia, eorumque reatum penitùs delet: ſic Prudentia operum exinceps faciendorum velut quoddam præproperum baptiſma eſt, quod conſultâ exactiùs cautelâ, alioqui committendorum criminum, quaſi anticipata venia eſt, ne vnquam committantur, cautè præcauens. Quod enim quis conſulto prudenter conſilio faciendum adoritur, tutò peragit, & innoxiè conſummat. Quod ſi contingat etiam poſt conſilium prudenter habitum, aliquandò à vero errare; tamen proſpero errore, & cæcâ felicitate exerrat; & de præuiæ prudentiæ Sacramento, quod in materiali culpâ ignoranter agitur, conſummatur in merito. Vndè Prudentia æmulatur baptiſmi elogium; arcano conſilij ſacramento. *Diſce myſterium. Prudentia tua, fons; & in te intellectus tuus, aqua eſt inundans.* Et nuper dixerat: *Si in te eſt Prudentia, ſi habes conſilium, Deus in te eſt. Ipſe tibi erit pœnitentia, & fons, & baptiſma, & remiſſio, qui nunquam in te nec deſinit, nec deficit.*

*Idem inibi.*

6. Et ſanè in quo eſt prudentia & conſilium, Deus in eo eſt; qui non tantùm eius actiones erga ſe dirigit, ſed etiam erga alios velut diuinâ mente gubernat. Quod videre licet in Salomone poſt acceptam cælitus prudentiam ad populum peritè gubernandum; cùm in meretricum iudicio 3. Reg. 3. ſollertiam ſupra ætatem, & penè diuinam exhibuit. Quâ ſuper re ita ad rem præſentem philoſophatur Ambroſius: *Non immeritò*, inquit, *æſtimatus eſt intellectus Dei eſſe in Salomone, in quo ſunt occulta Dei: quid autem occultiùs quàm internum viſcerum teſtimonium, in quæ Sapientis intellectus velut quidam pietatis deſcendit arbiter, & velut genitalis alui eruit vocem, quâ maternus patuit affectus.* Scilicet cùm peritior in Salomone enituit prudentia, quâ velut *pietatis arbiter* viſcerum profunda conſultè rimatur, & velut genitalis alui vocem audit, dum maternum eruit affectum, tunc, tunc quidèm *non immeritò æſtimatus eſt intellectus Dei eſſe in illo*: nam conſultior peritè hominis prudentia, rationis conſilio altiùs erudita velut *Dei intellectus* exiſtimatur. Sic diuina mens humanæ prudentiæ adeſt; ſic prudentiam afflat, inſpirat, affricat, vt penè humanæ peritiæ eloquium dediſcens, *Dei intellectus* nominetur; non quo ipſe intelligit, ſed quo nos impreſſiùs intelligere facit; adeò vt in prudentiâ humanâ, *Dei intellectus* micantiùs tranſpareat. Longum facerem, ſi reliquas Ambroſij ſententias ſigillatim elucidaſſem: propoſuiſſe ſat eſto.

*3. Reg. 3. v. 16.*

*S. Amb. l. 2. Offic. c. 8.*

*Conſultior hominis prudentia, dicitur intellectus Dei in homine.*

Prouer

7. Prouerbiorum 9. Principium ſapientiæ timor Domini : *Et ſcientia ſanctorum , prudentia.* L x x. Interpretes habent : *Et conſilium ſanctorum , intelligentia.* Poteſt τὸ *ſanctorum* exponi, vt vel ad res, vel ad homines referatur : Hebræa etiam ambigua ſunt , nempè ſcientia rerum ſanctarum , vel quam habent ſancti homines, prudentia eſt. Et ſanè communiter Expoſitores *prudentiam* capiunt pro virtute prudentiæ , quæ tanqnam lux & dux reliquas virtutes moderatur. Appoſitè Chryſoſtomus homil. in Pſal. 13. *Prudentia* , ait , *lucernam animæ præfert : regina eſt cogitationum , magiſtra eorum , quæ bona ſunt , & honeſta.* Profectò quod in rationali homine ſublime , præcelſum , & auguſtum eſt *cogitationes* ſunt , quas arguta mentis officina ſubtiliter fabricat : his omnibus cum ſummo imperio *prudentia* præeſt , & de ſolio mentis ſapienter gubernat. Admirare ab hoc verſ. 1. qualiter in perarduo negotio Prudentia regina reginam Eſtherem gubernarit.

Prouerb. 6. 9. v. 1. Lxx. interp. ... dentia eſt ... ſ Chryſoſt. ... verſ. 1.

## §. CLXXXII.

### *Ne vir in capeſſendis conſiliis , aut officiis obeundis , vxoris ſuæ ſuaſionibus ſit obnoxius.*

1. *ANimo per libidinem corrupto nihil honeſtum ineſt.* ait Tacitus. Ergò vir princeps coniugi deditus eſto : nec tamen cum Claudiano illo trunco, *coniugum imperiis obnoxius.* Turpe id viro , imò ipſi imperio. Nimis poteſt muliebris forma ad viri animum permouendum, præſertim ſi accedant preces , & doctæ mentiri lacrymæ , doctæ fallere etiam coniugis nocturnæ: quæ donis quàm virtute maior, quibus non blanditiis dubium , aut amantem maritum flectit? potentiores feminæ venti maribus ſunt , validiuſque nocturni Fauonij maritalia carbaſa omni Euro Notóque impellunt.

Tacit. Anna. l. 11. & 12. ... coniugis ... ſit ...

2. Hîc cap. 7. intrauit rex Aſſuerus cum Aman, vt biberent cum Reginâ Eſther , quæ præ cunctis feminis regiis Regi placebat. Dixitque ei Rex : *Quæ eſt petitio tua Eſther vt detur tibi? & quid vis fieri ? etiam ſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* Eſtheri modeſtiæ gratulor, quòd in ampliſſimâ petendi licentiâ, aliquid non iniquum, etſi regno peracerbum, poſtularit. Nam Rex inertiſſimus , rei quam ignorabat , inconſultò adnuit. ( An non Herodias adſimili Regis priuilegio inſolenter audax , Ioannis Baptiſtæ abſciſſum caput petulanter expetiit ? Exindè Rex nimis nunc vxorius , charæ vxoris formæ paret, paret amori. Grandis ſanè eſt amoris pellacia, quæ Regem muliebri arbitrio ſic impotenter ſubdit ! Pulchrè noſter Politico-Chriſtianus : *Quod grauius eſt* , inquit , *coniugi non paruiſſe non amaſſe eſt.* Hinc Eſtheræ vxoris peramans Rex, regni gubernaculum feminæ tradit. ( Conſultè, an inconſultè id fecerit ; noxiè , an innoxiè, alij cenſeant.) Cruentam ſanè funeſtamque inimicorum ſtragem gubernatrix femina edidit. *Quid verò intereſt , virum feminæ gubernent , an qui gubernentur à feminis ?* dixit ſapienter Ariſtoteles. Peruerſa in Principibus & Iudicibus perſuaſio eſt , quòd *Coniugi non paruiſſe , non amaſſe ſit.* O femineos viros , *coniugum imperiis obnoxios.*

verſ. 2. ... non ... , non ... cenſe ... Politico-Chriſt. lib. 1 cap. 9. Ariſtotel. 2. Polit. cap 7.

3. Geneſeos 3. quâdam ambitionis gulâ ſubornatur Eua ad inconſultam diuini præcepti tranſgreſſionem. Vidit igitur mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum , & pulchrum oculis , aſpectuque delectabile : *& tulit de fructu illius , & comedit : deditque viro ſuo , qui comedit.* Vix *dat* viro vetitum à Deo pomum , & confeſtim vir eius *comediſſe* narratur ? Nil medium eſt inter , *Dedit viro* , & , Vir *comedit* ? Res ſua , & totius humanæ poſteritatis agitur ; momentum gratiæ aut ingratiæ erga Deum vertitur ; & ea pellaciâ ad præuaricationem trahitur , vt vxorem viro ſuo vetitum pomum obtuliſſe , propè comediſſe ſit? Audiendus eſt hâc ſuper re Rupertus : *Et comedit : deditque viro ſuo , qui comedit. Non ergò* , inquit , *ſatis fuit mulieri , quòd comedit ipſa , ſed inſuper & viro ſuo dedit. Quomodo autem dedit , niſi iam abuſiuo imperio , vel importunitate muliebri.* Eleganter muliebris in rogando importunitas , dicitur , *Abuſiuum imperium* , cui vir vel inuitus parere cogitur. Sic viri mentem blandis precibus perſtringit? Sic rationem dulci blandimento ſubornat , vt petendo mandet , & rogando imperet ? ſed *abuſiuo imperio* : quod viri auctoritatem ſic eneruat , & rationis vires elumbat , vt obſequium pro imperio *abuſiuè* ſubſtituat , & dum concupiſcentiæ clanculùm adulatur , imperiali precum *abuſu* , imperaturo viro peruersè dominetur. Quaſi muliebres preces , grati obſequij artificio, virum vxori dominantem, in obſequentem *abuſiuè* refingant. In amoris officinâ hoc *abuſiuum imperium* recuditur , ad humani generis ineluctabile excidium , Reipublicæ , & priuatæ œconomiæ euerſionem.

Geneſ. 3. v. 6. *Muliebris importunitas in rogando. dicitur abuſiuum imperium.* Ruper. ibi.

4. Sed adhuc magnus hic Doctor , & moraliſſimus Bibliorum interpres , rem hanc enucleatiùs expendit : Nempe his verbis Deus refert Adami delictum , & ſeueriori mulctâ punit : *Adæ verò dixit Deus : Quia audiſti vocem vxoris tuæ , & comediſti de ligno , ex quo præceperam tibi , ne comederes ; maledicta eſt terra in opere tuo* , &c. Sanè expenſione digniſſimum eſt , quòd in cenſu præuaricationis Adæ , priùs referatur , quod voci vxoris ſuæ obedierit. Ergò nuper laudatus Tuitienſis Abbas pergit præſcriptum locum exponens: *Non enim Eua perſuaſit Adæ , vt in eo ſibi crederet , in quo crediderat ipſa ſerpenti. Vir namque ( inquit Apoſtolus) non eſt ſeductus , ſed mulier. Ergò cogendo potiùs quàm ſeducendo ; imperando magis quàm aliquid fingendo hoc effecit , vt obediret vir ſuæ voci pluſquàm Dei. Vnde & à Domino Deo dicitur illi : Quia audiſti vocem vxoris tuæ* , &c. Adam itaque eâ mentis firmitudine , & animi ſapientiâ erat præditus , vt ab vxore deceptus non fuerit ; nec cenſuit fieri poſſe , vt à guſtato vetitæ arboris cibo refingeretur in Deum. At mulieri non opus fuit ad viri ſuadelam , his magnificis ſpebus illum allicere, nec de muliebri ingenio aliquid ad perſuaſionem fingere , ſed quaſi viri ſui arbitrio deſpoticè principaretur , *cogendo potiùs quàm ſuadendo ; imperando magis quàm aliquid fingendo hoc effecit , vt obediret vir ſuæ voci pluſquàm Dei. Vnde & à Domino Deo dicitur illi : Quia audiſti vocem vxoris tuæ* O ! vel virorum ſapientiſſimum , & de innocentiæ ſtatu virtutibus omnibus feliciter excultiſſimum, vxor

Geneſ. 3. v. 12. *Vxor cogendò potiùs quàm ſuadendo, quidvis viro perſuadet.* Rupert. ſup. 1 ad Timoth. 2. v. 14.

P. Didac. Celada in Eſtherem.

cogit potiùs quàm ſuadet? Sic voluntas Dei vilis eſt, apud quem vox vxoris ſic dulcis eſt? Meritò igitur quandò de Adami culpâ & pœnâ agitur, inconſulta vxori obſequela impudentem diuini imperij præuaricationem anteuertit: *Quia audiſti vocem vxoris tuæ*, &c. In rebus politicè agendis, vxoriam vocem ſæpè puta ſerpentis ſibilum: & in vxoris voce fraudes antiqui ſerpentis lege. In eâ enim etſi Diaboli malitia perſpicuè non apparet, ſaltem non dubiè tranſlucet. Muliebris vir eſt, qui mulieris imperiis obnoxius eſt.

5. Geneſ. 2. v. 18.

*Vxorne perfectior Dei imago erit, ſi marito ſimilis ſit?*

Geneſis 2. poſt animantium creationem creatur Adamus; & recens creatus in paradiſum defertur. *Dixit quoque Dominus Deus: Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Exindè Euam Deus formauit viro ſimilem. An non etiam & Deo? Vir ad imaginem & ſimilitudinem Dei nuper formatus dicitur: an non mulier etiam Deo ſimilis efformatur? Scitè Rupertus præſcripta Dei verba ita exponit: *Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Addendo autem ſimile ſibi, cuncta comprehendit, quæ in faciendo viro dixit, Ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, &c. Nempè mulier hîc non dicitur immediatè ſimilis Deo, ſed viro ſuo, & exindè imago & ſimilitudo Dei, vt mulieri explicatiùs intimetur, tunc fore Deo perfectiùs ſimilem, cùm maritum expreſſerit, ſe illi conformando, eius voluntati, nutibus, moribus; non è contrario maritus vxori conformandus eſt. Vxor quæ perfectiùs conformatur marito, viuaciùs Deum repræſentat? Maritus ne eſt vxoris humanus Deus? Sed heu! vbi Vulgatus habet, *Adiutorium ſimile ſibi*, Hebraicè habetur: *Faciamus ei auxilium contra ipſum.* Erit autem auxilium contra maritum, ſi conſiliorum & officiorum particeps fuerit.

Rupert. ibi.

Hebræus text.

6. Geneſ. 3. v. 16.

Geneſeos 3. quaſi primordialis delicti conuicta mulier, hâc Dei ſententiâ acerbiùs feritur: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* An non etſi minimè deliquiſſet, etiam in feliciſſimo innocentiæ ſtatu, & paradiſeis deliciis, mulier ſubiecta viro foret, & ſub viri poteſtate? Profectò id recta ratio poſcit, & naturæ etiam integræ conſentaneum eſt. Quæ ergò eſt hæc pœnalis ſubiectio, quâ ſub tanto verborum apparatu inaniter mulctari videtur? vel potiùs quænam eſſet illa ſubiectio felici innocentiæ ſtatui non inidonea? P. Benedictus Pereira Biblicâ eruditione notiſſimus, agens de hâc mulieris ad virum ſubiectione in feliciſſimo innocentiæ ſtatu, ita ad rem ſcribit: *Imperium viri fuiſſet plenum æquitatis atque charitatis: & vxor habita eſſet vt chariſſima vitæ ſocia, & conſiliorum atque officiorum mariti particeps.* Quaſi naturâ integrâ, paradiſea indole, & feliciſſimo illo innocentiæ ſtatu opus ſit, vt mulier idonea habeatur ad hoc vt ſine prudentiæ aut æquitatis iactura, poſſit *eſſe conſiliorum atque officiorum mariti particeps.* Quid exaggerariùs ad oſtendendum quanto cum diſpendio iuſtitiæ & prudentiæ, mulier vxoriis blanditiis admittitur ad mariti conſilia & officia?

*Integro innocentiæ ſtatu opus eſt, vt vxor admitti poſſit ad mariti conſilia & officia.*

P. Pereira ibi. n. 159.

7. Ad Galatas 5. v. 13.

Gentium doctor ad Galatas. 5. ita eos adhortatur: *Vos*, inquit, *in libertatem vocati eſtis fratres: tantùm ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem Spiritus ſeruite inuicem.* Attentiùs aduertens Auguſtinus, quòd Paullus agens de omnibus hominibus, & tam de viris, quàm de feminis, eos moneat, vt libertate qua omnes pollent nullam dent carnis occaſionem; præfata verba deriuat, vt exponat nuper traditam vxorum ad viros ſubiectionem, ſic ad thema præſens opportunè fatus: *Per charitatem ſeruite inuicem: ſed mulierem dominari in virum non permittit Apoſtolus: hoc viro potiùs Dei ſententia detulit (ſub viri poteſtate eris) & maritum habere dominum meruit mulieris non natura, ſed culpa.* (Attende verba quæ ſubdit.) *Quod tamen niſi ſeruetur, deprauabitur ampliùs natura, & augebitur culpa.* Scilicet virum, in capeſſendis conſiliis, & officiis obeundis, vxori ſuæ aut importunis precibus, aut muliebribus blanditiis, aut expreſſis fictè lacrymulis, vel inuitum annuere, vel muliebriter obtemperare, adeò fore ſceleſtum Auguſtinus cenſuit, totque erroribus obnoxium, vt (quaſi non forent ſatis noxia aut grauia, actualia ſcelera) quodammodò ampliationem quandam & augmentum primordialis delicti nominauerit. Nimirùm cùm hæc vxoria ſubiectio ſit ſtatuta in culpæ originalis pœnam idoneam; illa neglecta, ſi viri ſui conſiliis imperet, velut appendix & incrementum erit eiuſdem culpæ originalis. *Quod tamen niſi ſeruetur, deprauabitur ampliùs natura, & augebitur culpa.* O quàm multa quàm paucis Auguſtinus conuoluit! ſed quæ iam cuique expendere pronum eſt.

*Num vxor viri conſiliis imperans, primordiale delictum augeat?*

S. Auguſt. l. 11. de Geneſ. ad lit. c. 17

In hoc Eſtheris cap. 1. de ſeptem Sapientum conſilio, reginæ Vaſthi repudium publicatur, ne vxores viris principibus arroganter principari præſumant. Et miſit Rex epiſtolas ad vniuerſas prouincias regni ſui, vt quæque gens audire & legere poterat, diuerſis linguis & litteris, *eſſe viros principes ac maiores in domibus ſuis: & hoc per cunctos populos diuulgari.* P. Ioannes Mariana ſic hunc locum ex Hebræa origine excribit, & exponit: *Hebraicè, Et loquens iuxta linguam populi ſui, id eſt, Vir non cogatur vti ſermone vxoris. Sed contrà vxor viri linguâ loquatur, vt Chaldæus explicat. Id enim imperij argumentum, vti ſuâ linguâ qui præeſt, ſubditos illam addiſcere.* Hem ſæpè interdiu princeps vir, nocturna vxoris lingua loquitur, quod eſt ſubiectionis argumentum. Id ex iam iam dicendis ampliùs illuſtratur. 8.

*Hic verſ. 22 Ne vir interdiu nocturna vxoris lingua loquatur.*

P. Mariana ibi.

Matthæi 27. reus apud præſidem Pilatum Chriſtus Deus ſtat: *Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi, & iuſto, illi multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum.* Nimirùm malus Dæmon re altiùs explorata, Chriſti paſſionem, & indè mundi redemptionem impedire ſatagit, atque adeò per vxorem, Præſidem aggredi tentat. *Sed cuius gratiâ* (ait inibi Chryſoſtomus) *non ipſe Pilatus ſomnium videbat? Quia ſi Pilatus vidiſſet, non æqualiter ſibi creditum eſſet, vel fortè neque dixiſſet: propter hoc diſpenſatur à Deo quòd mulier vidit, vt manifeſtum omnibus fieret. Et non ſimpliciter vidit, ſed & patitur multa; vt videlicet à compaſſione, quæ erat ad vxorem, deſidior fieret vir circa occiſionem.* Scilicet nunc demum Diabolus intelligens per Chriſti paſſionem ſe ſpolia ſua amiſſurum; ſicut per mulierem mortem intulerat, ita per mulierem ſatagit Chriſtum de manibus Iudæorum liberare, ne per eius mortem mortis amittat imperium. De aſtutia Diabolorum ſagacitate venit, nimis ſuaſoria vxorum garrulitas ad flectendos virorum animos potentiſſima: & quod Diabolus non audet perſuadere Pilato, per blandam vxoris compaſſionem perſuadere conatur. 9.

Matth. 28. v. 19.

*Diabolus per vxorem Pilati, Chriſti paſſionem impedire ſatagit.*

S. Chryſoſt. homil. 87. in Matth.

§. CLXXXIII.

## §. CLXXXIII.

*Expenduntur feraliſſima gehennæ infernalis cruciamenta; quorum memoria voluptates infuſcat.*

1. Minut. Fel. in Octau.

OCtauius eruditè Catholicus, apud Minutium Felicem cum Cæcilio ignauè ethnico ſic de gehennæ pyrâ apud inferos flagrante diſputat: *Nec ignoro*, inquit, *pleroſque conſcientiâ meritorum, nihil ſe eſſe poſt mortem magis optare, quàm credere: malunt enim extingui penitus, quàm ad ſupplicia reparari.* Et tamen admonentur hominum doctiſſimorum libris, & carminibus poëtarum, illius ignei fluminis, & de ſtygiâ palude ſæpiùs ambientis ardoris, quæ cruciatibus æternis præparata, & Dæmonum indiciis, & de oraculis prophetarum cognita tradiderunt. Et ideò apud eos etiam ipſe rex Iuppiter per torrentes, ripas & atram voraginem iurat religioſè: deſtinatam enim ſibi cum ſuis cultoribus pœnam præſcius perhorreſcit: *nec tormentis aut modus vllus, aut terminus. Illic ſapiens ignis membra vrit, & reficit; carpit, & nutrit, ſicut ignes fulminum corpora tangunt, nec abſumunt: ſicut ignes e Æthnæ montis, & Veſuuij montis, & ardentium vbique terrarum flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendium non damnis ardentium paſcitur, ſed inexesâ corporum laceratione nutritur.*

2. Iſai. 33. v. 14.

Iſaiæ 33. poſtquam Angeli operâ minax Sennacheribi exercitus deflagrauit; Propheta tempeſtiuus concionator, ſic loquitur ad Hebræos, qui deliciis dediti feliciter ſe florere putabant: *Audite qui longè eſtis quæ fecerim, & cognoſcite vicini fortitudinem meam. Conterriti ſunt in Sion peccatores, poſſedit tremor hypocritas: quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante?* Quid timeant Hebræi tametſi voluptuosè delicatuli, ab hoc incendio, quod ipſis militat aduerſus Aſſyrios, quos momento in fauillam redegit? Verùm, vt ex Hieronymo & Procopio notauit Cornelius, admonitio eſt ad populum deliciis blandè diſſolutum, vt noxias voluptates caueat, ne in ſimilem pyram incidat. Quaſi dicat. Spectaſtis ignem temporalem, qui quaſi momento necauit Aſſyrios; hoc ſpectaculum memoriæ veſtræ ingerat grauius incendium quod voluptates ſectantibus acerbiùs impendet: in illos enim iræ diuinæ ignis non terrenus, ſed infernalis; non temporalis, ſed æternus deſæuiet, vt ſemper in æternis gehennæ incendiis ſint voluptandi, nec tamen incinerandi, vti Aſſyrij, ſed viui ſemper arſuri. Hanc ſalubrem adumbratæ gehennæ recordationem, non modo propinquis, ſed & longè poſitis deſtinat Deus, vt voluptuoſas omnium delicias ad reſipiſcentiam inquietet, ac turbet. Scripſit enim Lucretius Epicureus, *quòd perſuaſio Infernum eſſe, ac vindicem Deum, nec vllam eſſe voluptatem liquidam puramque relinquit.* Grande quidèm huiuſmodi memoriæ emolumentum. Porrò maxima mortalium pernicies, in voluptabilium blanditiis gratiùs titillantibus ſita eſt: at gehennæ memoria deliciarum gratiam fœdat, & inferni fuligine infuſcat, *nec vllam eſſe voluptatem liquidam puramque relinquit.*

(Margin: Gehenna de pœnis eo, qui... voluptatem perimit. P. Corn. ibi. — Lucret. apud P. Lorin in Pſal. 13. v. 1)

3. Iob 10. v. 22.

Iob 10. gehennam appellat *Terram miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Quidam adſpectu ad Hebræam originem, per τὸ *horrorem*, tenebras iterùm putant repeti. Sed politiores Interpretum per *horrorem*, timoris horrendam perturbationem intelligunt, & ita rectè congruit adiunctio illius vocis, *Sempiternus*; nam ex pœnarum æternitate effici videtur non ſolùm ingens dolor atque triſtitia ex præſenti malo, ſed etiam timor ſemper futuri, vt ſapienter inibi notauit Gregorius, ita ſcribens: *In huius vitæ tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet: quia nequaquam metus cruciat, cùm pati iam cœperit, quod metuebat. Infernum enim & vmbra mortis obſcurat, & ſempiternus horror inhabitat; quia & in ſupplicio dolorem ſentiunt, & in doloris anguſtiâ, pulſante ſe ſemper pauore, feriuntur, vt & quod timent tolerent, & rurſùm quod tolerant ſine ceſſatione pertimeſcant.* Durum ſanè eſt hominibus dolorem grauioris tormenti tolerare: at etſi nullum laxamentum, aliquod tamen leuamentum habent, quia timoris horrorem præſens dolor excuſſit. Nam dolor timorem euacuat, qui plerumque ipſo dolore acerbior eſt: nam homo cùm de præſenti cruciamento dolet, de illo duntaxat dolet quo cruciatur; timor autem imaginatur omnia, omniáque veretur, quæ ei accidere poſſunt: vndè malis propè cunctis ſibi imminentibus cunctim exacerbatur meticuloſâ imaginatione carnifice. Hem miſer damnatus diuerſiſſimas, & ſecum velut pugnantes ac minimè cohærentes pœnas calamitosè tolerat, dolorum moleſtiam acerbè ſuſtinens, quin *ſempiternum* timoris *horrorem* aliquandò excutiat; *vt & quod timet, toleret; & rurſùm quod tolerat, ſine ceſſatione pertimeſcat.* Heu calamitatum humanitùs hyperbole, in gehennâ infernali veritas diuinitùs facta eſt!

(Margin: S. Greg. ibidem. Damnatus quod timet, tolerat; & rurſùs quod tolerat ſine ceſſatione pertimeſcit.)

4. Matth. 22. v. 13.

Matthæi 22. homo ille inertet inurbanus, qui in nuptiali Regis conuiuio, veſtibus nuptialibus indui neglexit, criminoſæ inciuilitatis palam conuictus; iubetur, *ligatis manibus, & pedibus mitti in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Benè eſt, mittatur in *tenebras*, qui in regalis conuiuij clarâ luce, inurbano crimine pollui neglexit. Ibi enim, etſi carebit luce, & cæcis obſitus tenebris ſqualebit; oſtentui tamen non erit, ſed eius ſcelus caligine obuelabitur ſempiternâ. Verùm non dixit tantùm, *Mittite in tenebras*; ſed conſultiſſimè ad pœnæ incrementum, addit, *In tenebras exteriores*, quo & delicti reatum, & qualiter crucietur oſtendat. Quod ad thema præſens apprimè Galfridus adnotauit, in hunc modum ſcribens: *Mittite eum in tenebras exteriores. in tenebris ſiquidèm poſitus, iam non intùs, ſed foris erit: alienus quidèm à luce veritatis; ſed ab eâ palam, & publicè redargutus.* Scilicèt arcanæ Inferorum tenebræ, etſi reprobos obſcurant, ſupplicia tamen ad ignominiam clarant, tormentis pœnarum è diuerſò auxiliantes: nam ad conſolationis gratiam, meræ tenebræ ſunt, & ad ſupplicij ignominiam merè lucent. Damnatorum oculi nullâ claritate candent; & ad infelicitatis cumulum, qualiter crucientur oſtendunt. *Mittite eum in tenebras*

(Margin: Infernales tenebræ, oſtentui damnatis clarè proponunt. — Galfr. in lib. 4 Reg. c. 5.)

*tenebras exteriores*; in quibus *poſitus*, *iam non intùs*, *ſed foris erit*, *à luce veritatis palam*, *& publicè redargutus.* En qualiter infernales tenebræ, tanquam pœnali malignè luce, miſerum damnatum oſtentui ſemper proponunt.

5. Pſal. 1. v. 4. Regius Pſaltes poſtquam iuſtorum beatam felicitatem magnificè deſcripſit, addit: *Non ſic impij, non ſic; ſed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ.* Quæ Prophetæ verba S. Hilarius inibi exponens, ita ſcribit: *Non eſt impiis comparatiuæ huius beatitudinis ſpes relicta, ſed vagum eos, obſtructum, ventilatum, diſperſum & inquietum manet, vt ex illâ corporalis ſoliditatis firmitate decuſſi, ludibrio pulueris differantur in pœnam: non in nihilum reſoluti, vt ſit in his materies pœnalis, ſed in inane ac leue aridumque protriti, vt ludibrioſa pœnæ mobilitate iactentur.* Multa indidèm Hilarius in hanc ſententiam ſubtexit, quæ ſicut obuium eſt cuique legere, ita & præſcripta enucleatiùs expendere. Et ſanè etſi pœnaliſſimum eſt ſic durè torqueri; neſcias an acerbiùs ſit, ſic contemptim damnari, ludibrioſa pœnâ iactari; & tanquam inanem puluerem pedibus proculcari.

Hilar. ibi.

*Damnatus comparatur protrito pulueri.*

6. Pacian. in Parænesi ad Pœnit. Pacianus Barcilonenſis in eloquenti Parænæſi, quam de pœnitentiâ proficuè pariter ac eruditè ſcripſit, in hunc modum opportunè fatur: *Timete igitur dilectiſſimi iuſta iudicia, omittite errorem, damnate delicias: properat iam tempus extremum, tartarus & gehenna laxatos impiis ſinus pandunt. Poſt animarum tempeſtiua ſupplicia, rediuiuis quoque perpetua corporibus pœna ſeruatur. Nemo Tityi iecur credat, & vulturem poëtarum. Ipſe ſibi materiam recreſcentium corporum reparat ignis æternus. Attendite, ſi non creditis, aquarum impetus qui ignibus furit; ſupplicio nutriente reparabitur.* Nimirùm libera fabularum audacia, ſub falſato inuolucro, veritatem mentitur. *Nemo Tityi vultur credat, & vulturem poëtarum.* quod malè negocioſæ peritiæ otium fuit. Illæ nugæ ſeria hæc repræſentant. Et ſanè adeò ſunt peracerbæ Tartarorum pœnæ, vt vix eas fabularum audacia fingendo aſſequi poſſet: minùs enim eſt quod iſta finxit, quàm quod damnatus ſuffert. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua.*

*Damnatorum cruciamenta fabulas poetarum excellunt.*

Pſal. 118. v. 85.

7. Geneſ. 1. v. 8. Geneſeos 1. expanſum in medio aquarum firmamentum: & cæli nomine inſignitum, ſecundæ diei opus claudit: *Et factum eſt veſpere & mane, dies ſecundus.* nec conſuetâ cuiuſque diei clauſulâ commendatur: *Et vidit Deus quòd eſſet bonum.* quo elogio reliquæ dies glorioſè venuſtantur. Eccur hæc dies hâc dote præter ceteras viduatur? Plures cauſſas alibi ſparſim dedimus. Putant autem Hebræi hâc ſecundâ die inferorum cauernas effoſſas, & damnatis cruciandis deſtinatas. indè ſic ex eis refert Martinengus: *Antiqui Hebræi Gehennam ſecundo die productam tradunt, ob eiuſque dedecus, non dictum fuiſſe à Moyſe: Vidit Deus quod bonum.* Nimirùm Deus damnatis maledicit, aiens: *Ite maledicti in ignem æternum*, quos ſic exoſos habet, vt vel eorum locum benedictione viduauerit.

*Secunda dies, quia in eâ facta eſt gehenna, benedictione viduatur?*

Martineng. inibi.

Matth. 25. v. 41.

8. Matth. 8. v. 29. Matthæi 8. cùm veniſſet Ieſus in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo habentes Dæmonia, ſæui nimis. Et ecce clamauerunt, dicentes: *Quid nobis & tibi fili Dei? Veniſti hùc ante tempus torquere nos?* Quærunt ſagaciſſimè Interpretes quomodò hîc Chriſtus dæmones *torquere* dicatur. Strabus Fuldenſis ita inibi fatur: *Torquere nos. Præſentia Chriſti tortura eſt Dæmonibus.....ſicut præſentia Dei refectio Angelorum.* Quaſi Chriſtus Deus, ſicut ſuâ præſentia eſt beata ſanctorum Angelorum felicitas; ita ſit etiam quodammodò tortura, pyra, & incendium Dæmonum damnatiſſimè peccatorum. Sicut etiam dicitur tortura, pyra & incendium primordialis peccati; & indè reliquorum exinceps. Quâ ſuper re ita ad rem philoſophatur Laurentius Nouarienſis: *Nefas*, inquit, *illud peſſimum, à Serpente ſuggeſtum; in fonte Chriſtus extinxit, in flumine aboleuit, in carne cremauit.* Ac ſi Chriſtus *in carne* ſuâ fuerit peccati pyra, ſeu incendium, quo peccatum *cremauit*: & dum Chriſti oſſa (dicente Prophetâ) propter redimenda hominum peccata, *Sicut cremium aruerunt*, factus ſit ipſe delictorum tortura & incendium; & (ſi dici liceat) aliqua delictorum velut arcana gehenna. Quò viuaciùs exprimitur, quàm ſit atrociter peracerbum infernalis gehennæ incendium ad torquendos damnatos, cùm dura aduerſus peccatum ſtrages, quam Chriſtus Deus *in carne* ſuâ edidit quodammodo gehennali incendio aſſimiletur: *Nefas illud peſſimum Chriſtus in carne cremauit.* Itaque ſicut Chriſtus Deus primordiale peccatum, Paſſionis incendio *in carne* ſuâ *cremauit*; ſic quodammodò gehennæ incendium extremè peccatores *cremat.* & ſimilem ad modum, *Præſentia Chriſti tortura eſt Dæmonibus; ſicut præſentia Dei refectio Angelorum.* Sic impius Aman obſtupeſcens, Regis ac Reginæ præſentiam hîc ferre non ſuſtinet.

Strab. inibi.

*Eſtne Chriſtus Damnis & peccati velut gehenna?*

Laur. Nouar. homil. de Pœnit.

Pſal. 101. v. 4.

Hic verſ. 6.

9. Prouerb. 7. v. 27. Prouerb. 7. *Viæ inferi domus eius, penetrantes in interiora mortis.* Manuſcripti codices habent; *inferiora mortis.* Alij, *ad cubicula*, alij, *ad penetralia*, LXX. *Deducentes ad promptuaria mortis.* Porrò in inferno immortalis mors ſuum habet intimum cubile; adeò vt infernus dici poſſit, penetrale, ſeu regia, ſeu thronus, aut ſolium mortis. Quin & infernus ſic eſt mortium fœcundus, vt *promptuarium mortis* dicatur: nam quot æternos numerat cruciatus, tot reputat immortales mortes. Inferni pœnales mortes, aut immortales pœnas, ſic eleganter deſcribit Cyrillus Alexandr. in Orat. de exitu animæ, &c. *Metuo mortem*, ait, *quoniam acerba mihi eſt. Metuo gehennam quia æterna eſt. Metuo tartarum, quia nihil habet caloris* (etſi pyra ſit, & acre incendium) *Metuo tenebras, quia nihil habent lucis. Metuo vermem veneniferum, quoniam æternus eſt. Metuo genios iudicio præficiendos, quoniam ſunt immiſericordes. Metuo cùm cogito illius diei terribile & muneribus inexpugnabile iudicium, tribunal horribile, iudicem incorruptum. Metuo flumen ignis ante tribunal illud fluens, vehementiſſimamque flammam, torrentem, & acutos enſes. Metuo ſeueriſſimas pœnas. Metuo ſupplicium finem non habens. Metuo tetram illam caliginem. Metuo profundas tenebras. Metuo infracta vincula, ſtridorem dentium, fletum inconſolabilem.*

Tranſlationes variæ.

*Infernus eſt, promptuarium mortium.*

S. Cyril. Alex.

*Gehenna pœnarum deſcriptio.*

Quid humanitùs metuat, qui id non pauidè metuit? Huic Amani ſupplicio adhuc ſequens §. deſtinatur.

***

§. CLXXXIV.

## §. CLXXIV.

### *Apud inferos placebit Deo & Sanctis in pœnâ, iuſtâque vindictâ, qui nunc diſplicuit in culpâ.*

1. Ira diuini... Pſ. 89. v. 11. REgius Vates Pſalm. 89. cùm nuper meminiſſet Deum eſſe manſuetum, mitem, & placidum; ne ipſe ipsâ ſibi benignitate detrahat, quaſi ſententiam quodammodò corrigens, exclamat, acerrimam illius iram eſſe, & ſuæ iuſtitiæ ſeueritatem adeò formidabilem, vt nemo capere valeat quæ à Deo geruntur irato. *Quis*, inquit, *nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* O quanta iratæ Dei iuſtitiæ licent, vltra humanum captum peracerba! ô quàm eſt ampla diuinæ iræ *poteſtas*! eius rigores ſupputanti numerus deeſt, cùm *iudex Deus iuſtitiæ chariſſimæ ſibi exigendæ, tuendæque præſideat.* Itaque quandoquidèm Deus eſt ſuæ iuſtitiæ exigendæ, tuendæque *præſes*, ne videatur miſericordiæ cedere; nemo *poteſtatem* iræ eius cognouit, illámque *dinùmerare* eualuit, quantumuis plures eius effectus recenſeat, quæ ſub diuinæ iuſtitiæ *poteſtatem* cadere, parùm decere videbatur. Hic vnum è multis connumerabimus, cunctis mortalibus nimis formidabilem. Nec mirum ſi Deus innocentiæ exactor, rigidus præſes iuſtitiæ ſuæ ſit.

Tertull. l. ... c. 2.

2. Eccl. 9. v. 17. Siracides Eccleſiaſtici 9. ſic querulos de diuinà prouidentiâ alloquitur, ne peccatoribus mundialem felicitatem inuideant: Non zeles, inquit, gloriam & opes peccatoris: non enim ſcis, quæ futura ſit illius ſubuerſio. *Non placeat tibi iniuria iniuſtorum, quoniam vſque ad inferos non placebit impius.* Id eſt, non placeat tibi iniuria impij, quia tibi placebit eius pœna: nam impius ipſe ob hanc iniuriam vſque ad inferos deprimetur, ibique acerrimè punietur: ſicut ergò tunc tibi non placebit impius in inferorum tormentis; ſic nec nunc tibi placeat in ſuæ proſperitatis blandimentis, quibus dominatur, aliíſque iniquus eſt, & infeſtè iniurius. Verùm ex Lyrano & Dionyſio Richel hanc Cornelius noſter expoſitionem appoſitè conflat: *Quoniam vſque ad inferos non placebit impius. Quaſi dicat: Impius non placebit Deo in hâc vitâ; at in altera placebit ei, cùm impietatis pœnas luet apud inferos: ibi enim placebit Deo & Sanctis in pœnâ, iuſtâque vindictâ, qui hìc diſplicuit in culpâ.* O nimis formidabilem Dei aduerſus peccatores vocem! Quis hactenùs nouit hanc iræ ſeu iuſtitiæ diuinæ *poteſtatem*, & hunc impietatis effectum inter effectus impietatis hactenùs *numerauit*? Quantùm in hàc vitâ impius Deo *diſplicuit in culpâ*, tantùm *apud inferos placebit Deo & Sanctis in pœnâ, iuſtâque vindicta?* Sic aliquâ velut contentione miſericordiæ atque iuſtitiæ attributa ſibi mutuò æmulantur, & ne alterutrum alteri cedat, quaſi contentioſè vires exerit? Eheu miſer damnatus acerrimis gehennalis incendij pœnis excarnificatus, crudeliſſimo æternùm infernalium tortorum ingenio pœnaliſſimè excruciatus; iam longè tunc abeſt, vt Dei viſcera ad commiſerationem moueat, vt *apud inferos placebit Deo & Sanctis in pœnâ iuſtâque vindictâ, qui hic diſplicuit in culpâ?* Sed adhuc locus hic ad thema præſens exaggeratiùs emedullandus eſt.

... qui ... Deo diſplicet in culpâ apud inferos placebit in pœnâ. Lyran. Dion Rich. Cornel.

Eccleſiaſtici 9. Non placeat tibi iniuria iniuſtorum, *ſciens, quoniam vſque ad inferos non placebit impius.* Hoc poſterius ſententiæ hemeſtichium ſic ad verbum è Græco textu effertur, *Sciens, quoniam non iuſtificabuntur impij vſque ad inferos.* Miriſſimum ſanè eſt, & attentâ expenſione digniſſimum, quòd impius finali impietate defunctus, apud inferos *iuſtificari* dicatur. Quo ſenſu verè dici poteſt, quòd impius poſt mortem in inferno *iuſtificari* putetur, cùm Dauid adhuc de Iuſtis dicat: *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens?* Iuſtus & pius in hâc vitâ vix in conſpectu Dei *iuſtificatur*; & iniuſtus atque impius in alterâ vitâ apud inferos *iuſtificari* dicitur? Quæ eſt hæc arcana, & ænigmati ſimilis damnatorum apud inferos *iuſtificatio*? Multa hìc mouent Interpretes vt hoc litigium componant: quod ſanè ex præſcriptâ Lyrani & Dionyſij expoſitione ethicè componi poteſt. Porrò Iuſtus & pius in hâc vitâ, iuſtificationis & ſanctitatis iure Deo placet, quod eſt iuſtificationis elogium: ſic Iniuſtus & impius in vitâ futurâ apud inferos Deo placet, non in impietate, ſed in pœnâ impietatis. *Impius non placebit Deo in hâc vitâ at in alterâ placebit ei, cùm impietatis luet pœnas apud inferos: ibi enim placebit Deo & Sanctis in pœnâ, iuſtâque vindictâ, qui hìc diſplicuit in culpâ.* Idcircò ait Siracides, *Quoniam non iuſtificabuntur impij vſque ad inferos*: quia ſicut Iuſtus iuſtificationis vi placet Deo in hâc vita; ſic in altera vita iniuſtus & impius apud inferos, in pœna, iuſtâque vindictâ placebit Deo; & velut iuſtificationis effectum, nimirùm placendi Deo, in iuſtâ impietatis ſuæ vindictâ, è diuerſo conſequetur. Quaſi dicat: Iuſtus iuſtificationis ſuæ iure in hâc vitâ placet: ſic Iniuſtus iniuſtitiæ ſuæ merito, dum poſt mortem apud inferos in pœnâ, iuſtâque vindictâ eſt, Deo *placebit*; & hunc iuſtificationis effectum, nempè *placere Deo*, ex diuerſiſſima cauſſa conſequetur. Vnde ait: *Non iuſtificabuntur impij vſque ad inferos.* Quid exaggeratiùs?

3. Eccli. 9. v. 17. Græc. text.

Pſ. 142. v. 2. *Quo ſenſu impij dicantur non iuſtificari vſque ad inferos.*

Cornel ex Lyran. ſup.

Iſaiæ 1. poſt ſceleroſa enormiter flagitia, quæ de Hebræo populo recenſuit Propheta, minaciter ſubdit: Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Iſraël, *Heu, conſolabor de hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Communiter cenſent Commentatores, quòd Hebræum *Hoi*, pro quo Vulgatus poſuit Latinam voculam *Heu*, dolentis nota ſit. Quaſi ſignificet Deus hac voce, primò, ſe dolentem & inuitum punire peccatores: vt à ſui indole, & à ſe ipſo abire videatur: Secundò pœnam fore grauiſſimam. Sic enim medicus gemit ſi quem videt ita ægrotantem, vt vri & ſecari debeat: nam vir fortis tunc dolentiùs ingemiſcit, quandò ſe ad robuſtiorem componit firmitatem. *Heu* ergò dolentis eſt, *conſolabor* gaudentis. quaſi Deus prædoleat, cùm de pœnis impiorum gaudet. Verùm Foretius putat Latinum *Heu*, vel Hebræum הוי *Hoi* eſſe interiectionem *non dolentis, ſed inſultantis.* Quaſi dicat Deus quodammodò impiis inſultans, (loquitur Propheta antropopathôs.) Exulto quia *conſolationem* accipiam de impiorum funeſtis ſtragibus, & irremediabili eorum interitu. Iſaiæ prophetæ

4. Iſa 1. v. 24. *Deus quaſi inſultat, & conſolatur in reproborum damnatione.*

Foret. ibi.

prophetæ propheta Ezechiel adludit, aiens. *Complebo furorem meum, & requieſcere faciam indignationem meam in eis, & conſolationem accipiam.* O quàm eſt funeſtè acerbum, quòd Deus velut inſultans, dicat: *Conſolabor* de inimicis meis! Item, *Apud inferos placebit mihi & Sanctis in pœnâ, qui hic diſplicuit in culpâ!* ô, quis nouit poteſtatem iræ, ac iuſtitiæ diuinæ, quæ in reproborum pœnâ tantùm ſibi complacet, quantùm diſplicuit in culpâ!

5. Prouerbiorum 1. Salomonis ore ſic impijs Deus comminatur: Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. *Egò quoq; in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit.* Pro *ridebo*, τὸ aliqui habent, *gratulabor aduerſum vos.* Et pro *ſubſannabo*, LXX. excribunt, *gaudebo*, Lucifer, *gratulabor aduerſum vos.* Quaſi dicat impiis Deus, Vos veſtris voluptatibus ac deliciis deditì, exultim gaudebatis, & fulminatas è cælo minas contemptim negligebatis, ridentes gehennalia ſupplicia, & æternaturum apud inferos interitum: ego *quoque ſuperridebo* in veſtra perditione, & condigno tot flagitiorum ſupplicio in inferis perennaturo. Et quaſi parùm foret, *ſuperridere*, addit, *gaudebo*, & *gratulabor aduerſum vos.* Eheu, *ſuperridet* Deus, *gaudet* Deus, ſibi *gratulatur* Deus de æternâ damnatorum gehennâ, in quâ perennaturis tormentis æternùm excruciantur? ô, quis nouit diuinæ iræ inopinatam *poteſtatem*? Ecquis inter effectus diuinæ iuſtitiæ hunc *dinumeraret*?

Prouerb. 1. v. 26.
S. Auguſtin.
Lxx. interp.
Lucifer.

*Deus in damnatorum pœnis ſibi gratulatur?*

6. Deuteronomij 28. poſt minas nimis formidabiles, quas Deus aduerſus ſui deſertorem Iſraëlem vibrat, ſubdit Moyſes: *Et ſicut ante lætatus eſt Dominus ſuper vos, benè vobis faciens, voſque multiplicans: ſic lætabitur diſperdens vos, atque ſubuertens.* Multa in hanc ſententiam inibi ſpiſſat Lorinus. Illud præſertim ex Cyrillo Alexandrino: *Itaque ſolemnitatem ſuam vocat Deus, tempus videlicet, quo Iſraël ſuorum in ipſum peccatorum pœnas ſit daturus.* Heu! ſolennitas eſt Deo æternatura impiis gehenna? Damnatorum feralia cruciamenta diem feſtum agunt Deo? ô abſurdum & inconcinnum eiulantium concentum! Verùm *apud inferos placebit Deo & ſanctis in pœnâ qui hìc diſplicuit in culpâ.* ô, Deum iratum time!

Deuter. 28. v. 63.

Cyrill. Alex. ibidem.

*Num damnatorum pœna diem feſtum ac ſolennem agat Deo?*

7. Gentium Doctor, Eccleſiæ magiſter, & eximius morum pædagogus, in epiſt. ad Epheſios cap. 5. ſic nos etiam cum eis inſtituit; Implemini Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis, & hymnis: *Gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domini Ieſu-Chriſti Deo & Patri.* Illud *Deo & Patri* refert ad *gratias agentes.* Iubet enim vt gratias agamus *Deo & Patri*, id eſt, vt Syrus, Deo Patri. Dicit autem Deo & Patri, vt duos titulos innuat quibus Deo ad gratiarum actionem obſtricti ſumus. Primus eſt, quòd ſit *Deus* noſter, à quo corpus, & animam, gratiam, & omnia bona accepimus. Secundus quòd ſit Pater, qui paterno affectu nos quaſi filios ſuos omnibus ſuis bonis paſcit, ornat, & cumulat. Illud autem difficile eſt, cur nos iubeat Paullus, vt *pro omnibus ſemper gratias agamus Deo, & Patri*: plura enim nobis occurrunt, quæ patientiam potius quàm gratitudinem exigunt. Moraliſſimè inibi Hieronymus: *Chriſtianorum*, inquit, *propriè virtus eſt, etiam in his quæ aduerſa putant, referre gratias Creatori: nam in beneficijs Dei quæ nobis accidunt, gratulari, hoc & Gentilis facit & Iudæus. Sed iuxta Apoſtolum hæc virtus eſt maxima, vt in ipſis periculis atque miſeriis Deo gratiæ referantur, & ſemper dicamus: Benedictus Deus, minora neſcio ſuſtinere quàm mereor, hæc ad mea peccata parua ſunt, mihi dignum redditur. Hic animus Chriſtiani, hic crucem ſuam tollens ſequitur Saluatorem, quem nec orbitas nec damna debilitant, quem, vt Flaccus ait, ſi fractus illabatur orbis, Impauidum ferient ruinæ.* Benè quidèm, & optimè Hieronymus ad litteram & ad mores Paullina verba expoſuit. Sed plus audet inibi Chryſoſtomus ad rem opportunè: *Gratias agentes ſemper pro omnibus. Nihil enim æquè Deum lætitia afficit, vt quando quiſpiam eſt gratus.... Quod quæritur autem eſt, vt gratias agat quiſquis eſt in afflictionibus. Et quid dico pro iis qui hìc ſunt in afflictionibus? Pro ipſa gehennâ oportet Deo agere gratias, pro pœnis & ſuppliciis quæ ſunt illic, ea enim res valdè iuuat eos qui animaduertunt. Pro freno metus gehennæ imponatur cordibus noſtris.* Sibi, ac Deo gratulari quis debet, & illi impenſius gratias ſemper agere, pro ineluctabili infernalis gehennæ acerbitate, quam miſeri damnati æternùm patiuntur? ô gratitudinis monſtrum! Æque homini proficuum eſt conſiderare in cælo Beatos, quam in gehennâ damnatos? Sicut in beatâ cælicolarum gloria, Dei miſericordia elucet; ſic in damnatorum gehennâ, Dei iuſtitia micanter ſcintillat. Apud inferos placebit Deo & Sanctis in pœnâ, qui nunc diſplicuit in culpâ. Exindè *pro ipſa gehennâ oportet Deo agere gratias.*

Ad Epheſ. 5. v. 20.

Syrus.

*Quomodo ſemper, & pro omnibus debeamus Deo gratias agere.*

S. Hierony.

Horatius.

S. Chryſoſt. ibid. homil. 19.

*Num pro ipſa etiam gehenna debeamus Deo gratias agere?*

---

## §. CLXXXV.

*Quaſi in noſtram naturam verſum eſt confuſionis tormentum: præ venuſtatis abſconſi ne feminas cruciat: adeóque verecundia terrori eſt, vt mortis compendio moras pudoris redimat.*

ARtifices ſcenici, qui imitantur affectus, qui metum & trepidationem exprimunt, qui triſtitiam repræſentant, hoc indicio imitantur verecundiam; deijciunt enim vultum, verba ſubmittunt, figunt in terram oculos & deprimunt, ruborem ſibi exprimere non poſſunt, nec prohibetur hic, nec adducitur. Nil aduerſus hæc ſapientia promittit, nihil proficit, ſui iuris ſunt, iniuſſa veniunt, iniuſſa diſcedunt. Quibuſdam etiam conſtantiſſimis viris, cùm in eos pudendi criminis publicati pudor incurrit, ſudor erumpit, non aliter quàm fatigatis & æſtuantibus ſolet; quorundam tremunt genua, dentes colliduntur, lingua titubat, labra concurrunt. (Exindè hìc præ verecundiæ confuſione coram Rege ac Reginâ, Amani facies conſultè velatur.) Inter hæc & ruborem eſſe ſcio, qui grauiſſimis quoq; viris ſubitus offunditur. Magis quidem in iuuenibus apparet, atque etiam in feminis, quibus plerumque tenera frons eſt; nihilominus veteranos & ſenes tangit: ne nullus ſit ſexus, nullave ætas immunis ab hoc naturæ aut tormento

Ferè ex Seneca, Epiſt. 11.

*Verecundia moleſtia nemini parcit.* Hic verſ. 6. & 8.

mento, aut vitio, quod de Protoparentum primæuo delicto omnes ſuximus. *Quidam nunquam magis quam cum erubuerunt timendi ſunt, quaſi omnem verecundiam effuderint.* quò propriæ confuſionis rabiem in alios deſpument: & alieno malo ſuæ confuſionis tormentum peruersè conſolantur.

1\. Geneſeos 2. è coſtâ viri efformatâ muliere, in eâ ætate, quæ nuptias pati poſſet; in paradiſo voluptatis ambo exultim verſabantur: *Erat autem vterque nudus, Adam ſcilicet & vxor eius: & non erubeſcebant.* Non erat hoc ignominioſæ paupertatis, quod nudi erant: non erat infantilis inſipientiæ, ſed paradiſeæ ſecuritatis & felicitatis, quòd nuditatem ſuam non erubeſcebant. Rupertus Tuitienſis præfata verba exponens, ita ſcribit: *Quid enim? Numquid hoc à factore ſuo accepit, quod confuſibilis & verecunda eſt factura Dei? Aut nunquid confuſionem huiuſmodi natura, & non potius conſcientia facit? Eſt quidem quaſi in naturam verſum hoc tormentum confuſionis; verum tamen non ex conditione primæuâ, ſed ex iuniore culpâ origo eius pullulauit.* Quaſi in naturam verſum eſt *confuſionis tormentum*? Magnum ſanè & diuturnum confuſionis tormentum, quo etſi non cruentè effunditur ſanguis, verecundè ſuffunditur. Ipſum Adæ peccatum, præmatura ſui pœna eſt, dum confuſionis tormento conſcientiam lancinat, & indè faciem pudore ſuffundit. Quodcumque aliud quamuis peracerbum ſupplicium, ſerò infligitur, accidentiam moleſtiarum poſtmodum acceſſens; hæc conſcientiæ laniena, delinquentis ora rubore cruentans, velut ſequela delicti eſt: *eſt quidem quaſi in naturam verſum hoc tormentum confuſionis.* Reliqua ſupplicia aliundè peccatori impendent; confuſionis verò tormentum ſic conuiſceratur, vt excutere non eualeas.

Gen.2.v. 25.

Rupert. lib. 3. in Geneſ. c. 22.

Quaſi in naturam verſum eſt confuſionis tormentum.

Danielis 13. Suſannam illam venuſtatis metam, atque ideam matronarum, è ſenioribus duo, ſed vno incenſi prodigio libidinis, deperire cœperunt. At illa cuius aut pudor eſſet iugulandus, aut anima, conſcientiæ ſuæ conſcium ſolum conteſtans Deum, honeſtam potiùs eligit mortem, quàm vitam turpem. Intereà inſtant illi ex amatoribus accuſatores effecti, crimenque ſuum in ſimplicitatem conſcientiæ tranſfuſum artificiosè dum exaggerant, exindè iam priores ſeipſi condemnant. Verùm (proh nefas!) creditur ætati: creditur auctoritati, exultant adulteri, damnatur integritas. Porrò Suſanna erat delicata nimis, & pulchra ſpecie. *At iniqui illi iuſſerunt vt diſcooperiretur, erat enim cooperta.* Quâ ſuper re ad hunc modum philoſophatur Veronenſis Zeno, ad thema præſens tempeſtiuus: Iam itaque, inquit, Suſanna ad ſupplicium immerens trahebatur: iam totus populus in eius ſanguine tumeſcebat: iam ſui quoque familiares nouæ rei atrocitate percuſſi miſerabiliter ingemiſcentes, demiſſis capitibus omne ſtudium defenſionis abiecerant. *Iam etiam ipſa pudoris compendio, mortis oderat moras; omnibus diſplicens, ſed ſoli ſuæ conſcientiæ placens.* &c. Quid tam atrociter ferale, quàm vt Suſanna, integritatis potiùs, quàm inhoneſtatis rea de propudioſo damnata crimine, ad turpem & acerbam mortem funeſtè deducatur? Quid tam horribile, quàm iſtiuſmodi cædes tragica? At ſic verecundiæ inſano tormento pudeſcebat, vt *etiam ipſa pudoris compendio, mortis odiret moras.* Mauult honeſtiſſima femina, & matronalis pudicitiæ decus, crepitantium ſaxorum turbine atrociter quateſieri, & in atrocioribus pœnis feraliter tumulari, quàm confuſionis tormentum diutius ſuſtinere. Maledicta illi mors imminebat, Suis propudioſa, ſibi exitialis, omnibus inhoneſta; ſed qua verecundæ confuſionis exitus vtcunque pateſceret: *Etiam ipſa pudoris compendio, mortis oderat moras,* Vitæ diſpendio pudoris compendium facere ſuſpirans. Quid exaggeratius?

Daniel. 13. v.32.

S. Zeno ſer. de Pudicit.

Suſanna pudoris amittendi mortis oderat moras.

I. Corinth. 11. ſic præcipit Paullus: *Ideò debet mulier poteſtatem habere ſupra caput* (id eſt, velamen) *propter Angelos.* Et ſanè non ſolius Tertulliani paradoxon fuit, (quod alibi reiecimus) ideò apoſtatas Angelos è cælo ruiſſe quia in mulieres exarſerunt, indè exponit illud Geneſeos: *Videntes Filij Dei* (LXX. *Angeli Dei*) *filias hominum quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores*, &c. Ex hoc ſuo paradoxo Tertullianus rationem idoneam ſibi videtur reddidiſſe, cur mulieres *propter Angelos* velandas eſſe, præcipiat Apoſtolus: *Debet ergò*, inquit, *adumbrari facies tam periculoſa, quæ vſque ad cælum ſcandala iaculata eſt, vt cum Deo aſſiſtens, cui rea eſt Angelorum exterminatorum, ceteris quoque Angelis erubeſcat.* Non benè putantur Angeli pulchritudine mulierum illecti, è cæli faſtigio ad terræ libidines infimas corruiſſe: benè tamen exaggeratur femineæ venuſtatis periculoſa illecebra, quæ ſcandala ferè in cælum iaculari præſumpſerit. Ait ergò Tertullianus in illo ſuo paradoxo perſiſtens: Si feminea pulchritudo ſe Angelorum exterminatorum ream agnoſcit; aſſumat velamen, quo faciem abſcondat, ne verecundiæ tormentum inuelata ſubeat coram reliquis Dei Angelis. Igitur femina velet faciem *propter Angelos*, id eſt, *rea Angelorum exterminatorum, ceteris quoque Angelis erubeſcat.* Ne verò contaminatæ naturæ Angelicæ ſubeat in publicò confuſionem, pulchritudinem velo abſcondat, propter bonos Angelos feminei ſceleris conſcios. Exindè velamen, non tam erit pulchritudinis abſconſio, quàm confuſionis effugium & verecundiæ aſylum. Præſtat nitentem *adumbrare* faciem, etſi feminis moleſtiſſimum; quàm tormentum confuſionis ſubire, & coram propudioſi ſceleris conſciis Angelis, & de conſortis naturæ ruinâ infenſis, turpi confuſione *erubeſcere.* Hic Tertulliani diſcurſus, ni ſuo paradoxo niteretur, verecundiæ tormentum opportunè expreſſiſſet. 4.

1\. Cor. 11. v. 10.

Geneſ. 6. v. 2.

Tertull. lib. de velan. virg. cap. 7.

*Mallent feminæ pulchritudinem adumbrare, quàm erubeſcere coram Angelis.*

Geneſeos 3. primordialis delicti iudicio celebrato, Protoparentes è paradiſo eiecti, miſero damnantur exilio: *Eiecitque Adam: & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem, ad cuſtodiendum viam ligni vitæ.* Quare è Cherubinorum ordine prima cæleſtium ſpirituum Præfectura renunciatur? An quia ſapientiæ dono illuſtriores, ceteris præferendi ſunt? An quia cùm protoparentes diuinæ ſcientiæ ambitione deliquerint, ab his caſtigandi ſunt, qui ſcientiæ laude præpollent, & quibus præcellere ambierunt? An quia *verſatilis* gladius, id eſt, pro arbitrio flexilis, non niſi Cherubino, hoc eſt, omnium ſapientiſſimo permitti debet? Rupertus verò aliam rationem ad thema præſens idoneam, inibi adducit: Et rectè Angeli, inquit, qui in huiuſmodi præſunt, Cherubin, id eſt, pleni- 5.

Geneſ. 3. v. 24.

*Verecundo terrori nobis eſt, quiſquis noſtrorum ſcelerum conſcius eſt.*

Rup. l. 3 in Geneſ. c. 32.

tudo ſcientiæ vocantur. Ipſi namque iudicandi plenam habent ſcientiam. Sciunt enim quid in libro cuiuſque noſtrum ſit ſcriptum, id eſt, benè habent memoriæ traditum, quid boni aut mali geſſerit vnuſquiſque noſtrum. *Rectè itaque Cherubim non tam ad laudem ipſorum, quàm ad terrorem noſtrum dicti ſunt, quia noſtra illis occulta publicanda ſunt.* Peridoneè ergò aduerſus Adamum Cherubinus præficitur, non vt Præfecturâ ipſe ſublimetur, ſed vt præuaricator homo puniatur acerbiùs, dum verecundiæ tormento, ſi non effundit ſanguinem, ſaltem ſuffundit: & cùm Cherubicâ ſcientiâ probè noſcat quicquid mali geſſerit, de incuſsâ inceſſanter homini verecundiâ, *terrori* ſemper illi eſt. ô argutum diuinæ iuſtitiæ ingenium, vt impudens Adami ſcelus puniat acerbiùs perenni verecundiæ cruciamento! *Terrori* nobis eſt, quiſquis noſtrorum ſcelerum conſcius eſt.

6. Ieremiæ 6. ſic lugubris Vates illacrymat: A minore vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent: & à propheta vſque ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum. Et *curabant* contritionem filiæ populi mei cum ignominiâ dicentes: Pax, pax: & non erat pax. *Confuſi ſunt quia abominationem fecerunt: quin potiùs confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt: quam ob rem cadent inter ruentes.* Locus valdè difficilis; & cuius antitheſis Ieronymum impulit, vt prius hemiſtichium cum interrogatione legeret. Verùm P. Sanctus illud, *confuſi ſunt.* pro *confuſione dignis* poſitum eſſe dicit: Erit igitur ſenſus: Confundi ſanè Iudæi, atque erubeſcere debuiſſent, ſi quid exigerent eorum merita, conſideraſſent: ſed quia aut propter inertiam nolunt, aut propter ſtuporem non aſſequuntur, ideò aut noluerunt, aut neſcierunt erubeſcere. *quam ob rem cadent inter ruentes: & in tempore viſitationis ſuæ corruent, dicit Dominus,* dum negligunt prolixam calamitatem modicâ verecundiâ redimere, quod erat ægræ conſcientiæ ſalutare remedium. Ad hunc Ieremiæ locum videtur adludere Pacianus in Paræneſi ad pœnitentiam ita fatus: Rogo vos fratres, inquit, per illum Dominum, quem occulta non fallunt, deſinite vulneratam tegere conſcientiam. Prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidèm corporum partibus ſecaturos, etiam peruſturos. Peccator timebit? *Peccator erubeſcet perpetuam vitam præſenti pudore mercari? & offerenti manus Domino vulnera male tecta ſubducere? Et habet aliquid quod in illo erubeſcat, qui Dominum læſit? An ſic illi meliùs eſt perire, ne tu pudore timidus ſine pudore moriaris, non faciens pudori locum, plus de detrimento eius acquiras, cui pro te meliùs eſt perire?* Multas hîc Pacianus ſententias conglobat moralitatum fœcundè grauidas, quas prolixum foret expendere: illud in primis ad rem opportunum, quòd medici ad breue tempus verecundia, tantam de tormenti acerbitate mercedem expectat, vt illi liceat *perpetuam vitam præſenti pudore mercari.* Adeò vt æternaturæ gehennæ reus, reatum illius redimat, & ad empyream gloriam meritò adſurgat verecundiæ pretio. Quod vſque eò auguſtum eſt, vt etiam bonum ſuum propè erubuiſſe poſſet, ſi æquè taxet præmium verecundiæ, quæ *perpetuam vitam præſenti pudore mereatur.*

Ierem. 6. v. 15.

S. Hieronym.

P. Sanct. ibid

Pacianus Paræn. ad Pœnitent.

*Peccator in confeſſione perpetuam vitam præſenti pudore mercatur.*

7. Eſtheris 7. Aſſuerus contra Amanem iratus, redit ex horto, illumque reperit Reginæ ſupplicem eidem lectulo humillimè incumbentem, & ait: Etiam Reginam vult opprimere, me præſente, in domo mea, *Necdum verbum de ore Regis exierat, & ſtatim operuerunt faciem eius.* Præſcripta verba noſter Prado in Ezechielis cap. 24. ſic ad rem exponit. *Et ſtatim operuerunt faciem eius, ſcilicet Aman, vt potè iam ad mortem damnati: & fortaſſe idem indicat eadem dicendi ratione Pſaltes. Operiantur ſicut diploide confuſione ſuâ.* Sic confuſio obuelat, operitque caput, velut qui ad mortem damnatus eſt? Sanguis pudore ſuffuſus, cum effuſo ſanguine pariatur in confuſionis tormento? Quid exaggeratius?

Eſther 7. v. 8.

*Damnatus ad mortem, & confuſione ſuffuſus paniantur.*

Pſal. 107. v. 29.

Prado.

---

## §. CLXXXVI.

### *Iracundia rationem excutiens, homines recudit in belluas: quæ etiam dum pia eſt, intuta valdè eſt.*

Contemptum ſuum, & vxoris inobedientiam, ſupplicio (quod foret cunctis vxoribus terrori, ne inobſequentes maritis fiant) condignè vindicatam Aſſuerus iracundiæ debet: nam, *iratus Rex, & nimio furore ſuccenſus,* decreuit Reginæ inopinatum repudium. Sed nollem vt concepta verba ſententiæ furens ac infeſtus pronunciaret; ſed pacatè ſeuerus, & *vultu legis*, vt præſcribit Seneca. *Non ideò vitia in vſum recipienda ſunt, quia aliquandò aliquid boni effecerunt. Nam & febres quædam genera valetudinis leuant, nec ideò non ex toto illis caruiſſe melius eſt. Abominandum remedij genus eſt, ſanitatem debere morbo. Simili modo ira etiam ſi aliquandò, vt venenum, & præcipitatio, & naufragium, ex inopinato profuit, non ideò ſalutaris iudicanda eſt: ſæpè enim ſaluti fuere peſtifera.* Sic eſt ira peſtifera, vt etiam cùm prodeſt, noxia ſit? Quid ratione dignum ab eo ſperes, qui propè rationem excuſſit? Idcircò meliora nunc ſapit Aſſuerus., & iræ locum dat: *Rex autem iratus ſurrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum*, opportunâ cunctatione euapotando furori.

1. Eſther. 1. v. 12.

Seneca lib 3. de Ira.

*Ira etiam cùm prodeſt, noxia eſt.*

Hîc Verſ.

Actorum 13. Proconſul Sergius Paullus, vir in paucis prudens, *accerſitis Barnabâ, & Saülo, deſiderabat audire verbum Dei.* Reſiſtebat autem ei Elymas magus, quærens auertere Proconſulem à fide. *Saülus autem, qui & Paullus, repletus Spiritu-ſancto, intuens in eum, dixit: ô plene omni dolo, & omni fallaciâ, fili Diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas. Et ecce nunc manus Domini ſuper te, & eris cæcus, non videns ſolem vſque ad tempus.* Quid eſt, quòd cùm Paullus Elymam magum contumeliis afficit & cæcitate ferit; tunc à ſacro ſcriptore tot elogiis commendatur! Profundè Oecumenius ſuper his verbis ita pholoſophatur: *Cùm Saülus diceretur, Paullum vocauit, quodque præcipuum habuit princeps Apoſtolorum, id ipſe quoque adeptus eſt. Præmiſit quoque dicens, plenus Spiritu ſancto: quo oſtenderet Paulli verba non ex ira eſſe, quæ ad Elymam magum* locutus eſt. Nimirum cùm aſperiora hæc verba Paullus vibrauit aduerſus Elymam, forſan videri poſſet alicui, tunc irâ correptum fuiſſe: vt autem iræ ſuſpiciones

2.

Actor. 13. v. 10. & 11.

Oecum. ibi.

*Quanto Scriptoris! ſacri verborum apparatu, Paullus ab ira ſuſpicione vindicatur.*

piciones excutiat, Saüli tranſnominationem inducit, Apoſtolicum faſtigium illi reddens, *quodque præcipuum habuit princeps Apoſtolorum.* Et quaſi id parùm foret ad abolenda ſordidæ iracundiæ veſtigia, addit *plenum Spiritu-ſancto*; eiuſdem, non iræ inſtinctu, in hæc verba aduerſus Magum prorupiſſe. Ecce tibi pro Paullo præproperam Lucæ apologiam, ne cui irrepat ſuſpicio, quòd Paullus, etiam cùm rem fidei & Chriſtianæ religionis agit aduerſus Magum ſubdolè homines deprauantem, irâ tangitur. quò ſi quis malignus huius Paullinæ reprehenſionis arbiter, iram Paullo impingat, eam citiùs in Spiritum-ſanctum regerat, quo velut linguâ ſuâ tunc vtebatur. Pergit Oecumenius comprobans, non tam ex irâ, quàm ex pientiſſimâ benignitate hæc verba à Paullo fuiſſe concepta: *Nam ſi iracundè puniemis fuiſſent, feciſſet eum ſemper eſſe cæcum: nunc autem non hoc facit, ſed vſque ad tempus, dans menti terminum, vt in ſeipsâ lumen reciperet, quò mores in meliùs commutaret, quippè ſigno quo ipſe adductus eſt, etiam hunc adducere nitebatur.* vt Magum refingeret in Paullum; ſicut ipſe acerbâ etiam voce, & ſimili ad tempus cæcitate, è Saülo in Paullum recuſſus eſt. O quàm longè diſtant ab irâ hæc Paulli vota! Sic decebat Paullum ab irâ etiam iuſtè conceptâ vindicari?

3\. Geneſeos 31. noluit Iacob indicare ſocero ſuo quòd fugeret, ad proptios lares reuerti cupidus. Cumque abiiſſet tam ipſe quam omnia quæ iuris ſui erant, nunciatum eſt Laban quòd fugeret Iacob. Qui irâ percitus, vt erat agreſti ingenio, aſſumptis fratribus ſuis, perſecutus eſt eum diebus ſeptem: & compehendit eum in monte Galaad. *Viditque in ſomnis dicentem ſibi Deum: Caue ne quidquam aſperè loquaris contra Iacob.* Quæ verba ita excribit, & exponit Caietanus: *Caue tibi nequandò loquaris cum Iacob à bono vſque ad malum* Tantùm Labano nimis irato interdicitur, ne Iacobo, cui ſuccenſebat, *aſperè loquatur*; ergò prohibetur ne *malum* illi loquatur: cur *bonum* etiam loqui interdicitur? An quia in ore hominis irati, *bonum* quoque ſuſpectum malitiæ eſt? An quia *bona* verba in hominis exaſperati linguâ degenerant in offenſam? O quàm facile homo iratus inchoatam bonitatem dediſcit, & conceptam prauitatem effutit? Heu! vel ab ipsâ virtute abſtinere debet iratus? *Caue tibi nequandò loquaris cum Iacob à bono vſque ad malum.* Cui *bonum* intutum eſt, à malo quî tutus erit! Bonitas etiam in hominis irati linguâ, imbonitatis ſuſpecta eſt.

*Irato* [illegible] *quam benè* [illegible] *de eo* [illegible] *ſuccenſet?*

Geneſ. 31. v. 24. Caiet. [illegible]

4\. Geneſeos 6. poſtquam ſacer Hiſtoricus generationum catalogum per tot Patriarcharum traduces ab Adamo (à quo totius generis cenſus) vſque ad Noëmum ſeriatim deduxit, ſic de Noëmo ſcribit: *Noë vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis.* Pro τὸ vir, Græcè *homo* ſcribitur. Perindè eſt, niſi quòd Philo Iudæus non vulgarem ibi epithaſim agnoſcit, & his verbis ad rem præſentem opportunè publicat: *Noë*, inquit, *homo iuſtus, perfectus in generatione ſuâ, Deo placuit. Vbi ſciendum, quòd hominem non vulgari loquendi formâ, rationale mortale animal vocat; ſed per excellentiam eum, qui verè ſuo reſpondet nomini, eiectis ex animo immanſuetis, rabidis ferinisque vitiorum affectibus. Argumento quòd poſt hominem addit iuſtum, dicens, Homo iuſtus: quia nemo iniuſtus eſt homo, ſed potiùs beſtia humanâ formâ prædita.* Grande quidem Noëmi elogium, quòd in generationibus ſuis *homo* fuerit, id eſt, in omni fortunæ aleâ mitis, placidus, manſuetus, magnanimâ æquanimitate imperturbatus inſanis iracundiæ ſubſultibus. Homo inquam, qui verè ſuo reſpondet nomini, *eiectis ex animo immanſuetis, rabidis ferinisque affectibus*, qui iniuſtitiam per iracundiam negotiantur. Homo iuſtus inquam: quia nemo his rabidis ferinisque affectibus acerbè actus, homo integer putatur, cùm humanitatem deſueſcat, quod eſt proprium hominis notaculum, & humanæ rationis character. Exindè in beſtiam, aut in irrationale ferarum vulgus per inhumanitatem iracundiæ cognatam, moraliter degenerat, euaditque *potiùs beſtia humanâ formâ prædita.* O degenerem à rabidis iræ affectibus metamorphoſim! Pulchrè Auguſtinus: *Comparatur homo peccatoribus* (per concupiſcentiam, aut concupiſcentiæ cognatam iram) *per vitium, non per naturam; non pecoris vitio, ſed naturæ. Tantæ namque excellentiæ eſt in comparatione pecoris homo, vt vitium hominis, natura ſit pecoris.* Nimirùm rationalis homo pecuinam naturam vitiis repræſentat, & iracundiâ æmulatur.

Gen. 6. v. 9.

*Homo* [illegible] *affectibus* [illegible] *hominem de* [illegible] *& beſtiam* [illegible]

Philo lib. de Abrah.

*Hominis vitium, natura eſt pecudum.*

S. Aug. l. 2. de Peccator. Orig. c. 4

5\. Eccleſiaſtici 10. *Non eſt creata hominibus ſuperbia, neque iracundia nationi mulierum.* Nonnulli putant hæc dici de mulieribus. Sicut enim ſuperbia eſt vitium virorum, ita iracundia mulierum: nam mulieres ſolent eſſe iracundæ: at hæc iracundia non eſt eis congenita à naturâ, ſed ex vitio ſuæ imbecillitatis aſcita. *Benè dicitur* (ait inibi Rabanus) *iracundiam nationi mulierum non eſſe creatam, quia per mollitiem animi, quam ſexus muliebris denotat, iracundiæ vitium ſurgit.* O muliebres iracundorum animas! *Mihi videtur* (ait Seneca) *ventoſi & infelicis animi imbecillitas ſibi conſcij indoleſcere. Vt exulcerata & ægra corpora, quæ ad tactus leuiſſimos gemunt; ita ira muliebre maximè & puerile vitium eſt.* Nimirùm de muliebri ingenio ira tumeſcit. quin & de valentiæ & opulentiæ genio, vt idem Siracides tradit. quaſi opes & robur femineæ imbecillitati æquipolleant: *Secundum ligna ſilua, ſic ignis exardeſcit; & ſecundum virtutem hominis, ſic iracundia illius erit, & ſecundum ſubſtantiam ſuam exaltabit iram ſuam.* Quid ſi præcauet ne ipſa *virtus* aut pietas hominis, decoro religioſi zeli prætextu, alter non bonus iræ fomes ſit, dum plus æquo exardeſcit. *Iraſcimini, & nolite peccare.* Caueat qui benè & temperatè iraſcitur in peccatores, ne zeli metas tranſiliat, & vndè delicta compeſcere cupit, grauius fortè delinquat. *Ira* (inquit Ambroſius) *paſſio eſt: plerumque accendit inuitum, & volentem mitiùs vindicare, in furorem rapit vt perimat, quem putauerat coërcendum.* Pacato congreſſu virtus ſceleroſos coërcet. O caue ab impotente irâ virtutis obtentu inſidiosè tectâ! *Secundùm virtutem hominis, ſic iracundia illius erit.*

Eccli. 10. 22.

Raban. ibi. *Iracundia fomes eſt, muliebre ingenium, & opulentia.*

Seneca l. de Irâ c. 1.

Eccli. 11. v. 12.

S. Ambr in Pſal. 36.

6\. Ad Epheſios 4. ita ſcribit Apoſtolus: *Iraſcimini, & nolite peccare: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare Diabolo.* Iræ diuturnitatem vetat Apoſtolus, ne retineatur in

Ad Ephe. 4 v. 26.

in pectore iuſta etiam ira, & quæ ex virtute or-
S. Thom. ibi. tum habet; ſed in die orta, cum die decidat.
S. Thomas ſic inibi locum exponit: *Sed non*
Caſſian l. 8. de inſtit. re- nunc. 9. *occidat ſuper iracundiam veſtram*, id eſt, *ne obtenebretur dictamen rationis.* Conſentit Caſſianus, qui Solis nomine mentem, & rationem intelligit, quæ, *pro eo, quod omnes cordis cogitationes diſcretioneſque perluſtret, Sol meritò nuncupatur. Præcipit igitur Apoſtolus ne ira vitio extinguatur, ne eâdem occidente perturbationum tene-*
*Conglobantur ira non bona elogia.* *bræ cum auctore ſuo Diabolo, vniuerſum noſtri cordis occupent cenſum, & tenebris iræ poſſeſſi, velut in nocte cæcâ quid nos agere oporteat, ignoremus.* Quaſi hominis ira mentem, & rationem impotenter excutiat; Diabolumque accerſat, qui locum excuſſæ mentis occupet, ô vide cui aurigatori iracundus ſui habenas ad deſpoticam
Theod. rectionem tradit! Parùm foret, quòd iratus, amens interim eſt, niſi etiam velut energumenus foret. Aliter locum Theodoretus exponit: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Iræ menſuram dedit, menſuram diei; veretur enim ne nocturna quieſcens cogitatio morbum augeat: ira enim diuturna atque inueterata fit odium.* Niſi iram excuſſeris, etiam quies ſomni, & inanes ſomniorum phantaſiæ, ſic iratum inquietant, vt iram augeant, & inquietis officina adhuc tumultuans, iram in odium diuturnitate excudat.
S. Hiero. inibi. ô *non* bonam, opinor, metamorphoſim! Nonnulli etiam apud S. Hieronymum, ſic iram culpant, locum interpretantes: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Quidam enim ſic acci-*
Pſal. 4. v. 5. *piendum hoc eſſe ſimpliciter putant, quomodò, & illud Dauidis, quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini, id eſt, quæcumque in die, vel opere, vel ſermone, vel cogitatione peccatis, hæc ſuccedente pœnitentia purgate per noctem, & ira ſit breuis, ne in craſtinum differatur.* Quaſi dicat: Eſtò, ira bona ſit, quippè quam videtur præcepiſſe Apoſtolus, & quæ in ſceleſtos pie fertur: at ſic cautè illam in ſinu foueris zelo etiam pietatis, vt ſi interdiu ſic iratus fueris, noctu tamen manente pio correctionis zelo, iram cautâ pœnitudine excutias, ne etiam piè iraſcendo fortè deliqueris. O, ſic pia etiam ira eſt vitio confinis, ſeu culparum incauta matrix? Benè potes aliquando iraſci; ſed puto, raro; aut nunquam innoxiè iraſceris. Res nimis ſcrupuloſa, iracundia eſt; quippè quæ rationis lumen obtenebrat. Cæcus iuſtitiæ zelus, plerumque intutus incedit. Ecquis proſpero errore portum tenet, & non citiùs deuio in Syrtes impingit? Caue proindè ab irâ, quæ etiam ſub laruâ pietatis, piè cautos territat.

## §. CLXXXVII.

### *Mora in deliberando, conſilium adornat: nam ad pœnitentiam properat, qui repentè decernit.*

1. Seneca in Prouerbio. *Ad pœniten-*
OPinatiſſima cuiuſpiam vox eſt: *Ad pœnitentiam properat, citò qui iudicat.* Maximum remedium iræ, conſilium ſemper præcipitantis, mora eſt. Hoc ab illâ pete initio, non vt ignoſcat, ſed vt ad iudicium deliberet, & *tiam properat, citò qui iudicat.*
cunctetur ad ſupplicium decernendum, infligendum; deſinet, ſi expectat. De paruulâ ſummâ iudicaturo, tibi res ſine teſte non probaretur, teſtis ſine iureiurando non valeret; vtrique parti dares actionem, dares tempus, nec ſemel audires. Magis enim veritas elucet, quæ ſæpiùs ad manum venit; quæ identidem retractatur, & momentorum libratione iudicium ſuſpendit. Mora adornat conſilium, quod ira ſubitò præcipitat. Qui in decernendo nimiùm properat, ad pœnitentiam feſtinat. Ne pœnitentiam celeritate emas, qui cunctatione prudentiam comeres.

Regius vates Pſal. 17. Deum aduerſus impiòs iratum proponit, & ad ſumendam vindictam acerbè feſtinantem: Commota eſt, inquit, & contremuit terra: fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt, quoniam iratus eſt eis. Aſcendit fumus in irâ eius, & ignis è facie eius exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo. Inclinauit cœlos, & deſcendit, & caligo ſub pedibus eius. *Et aſcendit ſuper Cherubin, & volauit,* Pſal. 17. v. 11.
*volauit ſuper pennas ventorum.* Deſcribit hîc Pſalmographus operationem Dei in aëre quandò iudicium ſuum hominibus manifeſtare feſtinat. Ponit enim nobis ante oculos Deum, quaſi hominem armatum inſidentem currui velociſſimè diſcurrenti, & ex eo ſagittas in hoſtes ſuos acer- Pſ. 10. v. 3.
rimè vibrantem. Currus Dei ſunt nubes, (*Qui ponis nubem aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum*) Equi velociſſimi ſunt venti, qui nubes hùc illùcque deferunt. Aurigæ ſunt Angeli, quos Cherubin ob peritiam vocat. Sagittæ ſunt fulgura & fulmina; quæ è nubibus emittuntur.
*Sit Princeps aurigarum id eſt Præfectorum motor & rector.*
Sanè miriſſima æquè ac mortaliſſima eſt iſta Dei populos iudicantis deſcriptio. Nulli ſunt currus agiliores nubibus; nulli equi velociores ventis, nulli aurigæ peritiores Cherubinis, nulla iacula quæ cæleſtibus fulminibus comparentur. Itaque Deus vtitur nubibus quaſi curribus, ventis tanquam equis, Cherubinis velut aurigis. Sed quid eſt, quòd cùm Deus populos acerbiùs punit, *aſcendere ſuper Cherubim* dicitur? an non potiùs ſuper currum è denſis nubibus ſpiſſatum aſcendit? Eleganter inibi Bellarminus: *Dicitur autem aſcendere ſuper* Bellarm. ibi.
*Cherubim, vt intelligamus Deum non regi ab aurigâ, ſed Deum præſidere aurigæ, & principalem eſſe, tum ipſius currus, tum aurigæ motorem, atque rectorem.* O bonam Principibus eruditionem! Tametſi Præfectus vrbis aut prouinciæ, in peritiâ regiminis Cherubinos æmuletur, ipſe tamen Princeps non permittat ſe regi ab aurigis, etſi Cherubini videantur, peritiâ illuſtres; ſed ipſe potiùs aurigam currum regentem regat, & aurigatorem moderetur. Hæc aliorsùm perſtrinxerim. Venio ad rem cum noſtro Bellarmino, Scilicet cùm venit Deus ad iudicandum & puniendum populos, cum adſit celerrimo è nubibus currui inſidens, & alatis ventorum equis quamocyſſimè vectus; tametſi Cherubinus (laudatiſſimâ inter cæleſtes ſpiritus peritiâ pollens, & velociſſimâ mentis perſpicaciâ) ſit quadrigarum auriga, non ſic habenas illi permittit, vt aurigationem ipſe negligat in tantâ iudicij, & ſupplicij celeritate. Præcauet aërei currus velocitatem, ventorum agilitatem,
*Deus præſidet Cherubino aurigæ quam ocyſſimi currus.*
fulminum

fulminum vibrandorum inopinatam acerbitatem: idcircò licet aurigator, Cherubinus ſit, & peritiæ meta, vbi res iudicij faciendi tantâ celeritate peragitur, *aſcendit Deus ſuper Cherubin, & & volauit, volauit ſuper pennas ventorum, vt intelligamus Deum non regi ab aurigâ, ſed ipſum præſidere aurigæ, & principalem eſſe tum ipſius currus,* quamocyſſimè agitandi, *tùm aurigæ motorem, atque rectorem.* Tantâ tamque cautâ ſollertiâ moderandum eſt iudicium, quod tantâ celeritate geritur! Sic in celeri iudicio Cherubinus auriga aurigatorem habet Deum, aurigationi præſidentem? nam ad pœnitentiam properat homo, citò qui iudicat. Loquitur hîc Scriptura de Deo more humano. procul calumnia.

Bellarm. ſup.

4. Actorum 4. Claudo illo ad portam Speciosam integrè curato, ſtupet adſtantium multitudo frequens, prodigij benè conſcia. Petrus & Ioannes tempeſtiuam occaſionem nacti, Ieſum-Chriſtum viuidè euangelizant. Loquentibus autem illis ad populum ſuperuenerunt Sacerdotes, & magiſtratus templi, dolentes quòd docerent populum, & annunciarent in Ieſu reſurrectionem ex mortuis: *Et iniecerunt in eos manus, & poſuerunt eos in cuſtodiam. Multi autem eorum qui audierant verbum, crediderunt: & factus eſt numerus virorum quinque millia.* Conſidera hîc Iudæorum progreſſum ac crementum ad crudelitatem, nempè quòd qui priùs in Chriſto capiendo proditorem quærebant, nunc iam ipſi manus iniiciunt, audaciores facti poſt Paſſionem reliquias furoris contra Magiſtrum conceptas, in Diſcipulos virulentiùs eructantes. Sed quam ob cauſſam ipſi Pontifices & magiſtratus templi, pontificiæ grauitatis immemores, coram tantâ hominum multitudine, manus in Apoſtolos mittunt, & quaſi magni ſceleris reos, in carcerem detrudunt? Geminatam rationem his verbis offert Oecumenius: *Coram multitudine autem Apoſtolos vinxerunt, vt eos etiam qui viderent, timidiores redderent.* (addit) *atqui eos qui crediderant, oportuit reddi imbecilliores.* Altè quidèm Oecumenius rationem reddit, cur diuina prouidentia permiſerit: vt ſic contumelioſè & indecorè tractarentur Apoſtoli à Principibus & Magiſtratibus templi (penes quos erat ſumma Hebræi populi dignitas ac poteſtas) coram tot hominum millibus, qui recèns crediderant. Nota verba, & reſigna ſacramenta: *Eos qui crediderant oportuit reddi imbecilliores.* Nimirùm tot millia auditorum Petrum audientium, derepentè in Chriſtum crediderant: ergò coram eis, eorum Magiſtri probroſè vinciantur, & inhoneſtè tractentur, & quidèm à ſummis Pontificibus & Magiſtratibus, vt quodammodò *imbecilliores* facti, ſe colligant, & rem maturiùs ſecum tractent, & moræ beneficio conſilioſè in eodem propoſito roborentur. Nam repentina omnia putantur incauta. Ne aliquis vnquam Phariſæus tunc credentibus oblatret: *Citò fecerunt*; idcircò Pontifices de Magiſtrorum vinculis timiditatem ingerant, & de doctrinæ publicâ damnatione aliqualis ſubrepat languor; quo fiet vt tunc credentes in Chriſtum, diuturniori morâ altiùs in fide radicati ſint, & Chriſti amore ardentiùs ſufflammati. Igitur idcircò coram recèns credentibus probroſè vinciuntur Apoſtoli: nam *eos qui crediderant oportuit reddi imbecilliores*, id eſt, aliqualis languoris occaſio illis obiecta fuit, non quæ eos reddidit imbecillos, ſed cuius occaſione, rem Chriſtianam maturè tractantes, & prudenter diſquirentes, robuſtiùs in fide ſtabiliantur, firmentur, radicentur. Magis veritas elucet, quæ moroſiùs tractatur.

Actor. 4. v. 3. & 4.

A Petro repentè credentes, oportuere reddi imbecilliores!

Oecum. ibi.

*P. Didac. Celada in Eſtherem.*

5. Actorum 2. Cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco, *& factus eſt repente de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis*, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, *ſeditque ſupra ſingulos eorum. Et repleti ſunt omnes Spiritu-ſancto.* Spiritus-ſanctus veniſſe dicitur *repentè*: nam repentinus aduentus magis excitare ſolet, diuturna enim ſpes, gaudium ſæpè deflorat. Dein, *vt intelligeretur Spiritus-ſancti gratiam dari ex improuiſo*, ait inibi Lorinus. Verùm tametſi hic venti ſonus *de cælo* venerit, quia *ex improuiſo* & *repentè* adeſt, non tunc dicuntur Diſcipuli Spiritu-ſancto repleti; nec hactenùs Spiritus-ſanctus plenè ſe prodit. Vndè confeſtim additur: *Seditque ſupra ſingulos eorum*, & continuò ſubiungitur, *Repleti ſunt omnes Spiritu . . . ſancto.* Itaque vt *intelligatur Spiritus-ſancti gratia dari ex improuiſo*, perhibetur *de cælo repentè* veniſſe. Cùm autem repentina ac ex improuiſo venientia, apud homines habeantur incauta, idcircò Spiritus-ſanctus *ſediſſe ſupra ſingulos eorum* ſcribitur; vt moræ priuilegio, & cunctationis elogio, eius dignitas euulgetur. *Seſſio hæc* (ait Nazianzenus) *regiæ in Spiritu-ſancto dignitatis excellentiam deſignat, eiuſque ſuper Sanctos requietem.* Nempè cùm *repentè* venit, & *ex improuiſo* Spiritus-ſanctus operatur, & dona ſua hominibus afflat; nondùm qualis quantuſque ſit proditur: dum autem diu ac quietè *ſedet*, & diuturnâ morâ tantæ munificentiæ conſilium velut comit, & tot munerum largitatem adornat: tunc *regiæ in Spiritu ſancto dignitatis excellentia* publicatur. Nam cùm *repentè*, & *ex improuiſo* agit, regia eius dignitas, & ſuæ Eccleſiæ gubernandæ excellentia nondum ſatis prodebatur.

Actor. 2. v. 2. & 3.

Lorin. ibi.

*Regia Spiritus ſancti dignitas, non cùm repentè venit, ſed cùm diuturnè ſedet dignoſcitur.*

Nazianz. Orat. 44.

9. Geneſeos 1. mundialis opificij die ſecundâ, dixit Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum. Et factum eſt ita. *Vocauitque Deus firmamentum, Cælum: & factum eſt veſpere & mane, dies ſecundus.* Non adducar vt credam, totum naturalem diem, *veſperem* inquam, & mane, cæleſtis firmamenti productioni impenſum: crediderim autem firmamentum in aliquâ parte productum huius ſecundæ diei, quæ dies veſpere & mane conſtat. Quorsùm ergò ſic loquitur Moyſes ſpecie tenus, quaſi totus inductionem occupauerit? Eleganter inibi Rupertus: *Et factum eſt, inquit, veſpere & mane, quia videlicet non caſu factum eſt; ſed veſpere, id eſt, in illâ occultâ Dei ſapientiâ diſpoſitum, priuſquàm in actum viſibilem exiret: & mane factum eſt, videlicet vt quod in occultis Dei erat, in publicum per euidens opus exiret.* Itaque ex Ruperti ſententiâ, hîc more humano, & adſpectu ad hominum peritiam prudentem, de Deo loquitur Scriptura; ne videatur Deus Cælum repentè, & ex improuiſo fabricaſſe. Videlicet *veſperem*, id eſt noctem opifici Deo tribuit, vt in eâ per quietem de re faciendâ profundè cogitet, & altè meditetur, eam *ſapienter diſponens*; & poſteà *mane*, hoc eſt, in die, opus quod *diſpoſuerat*, in lucem

Geneſ. 1. v. 8.

*Quod veſpere & manè non fit, caſu factum putatur.*

Rupert. ibi. L. 1. c. 30.

opere prodat ( Nota Ruperti rationem.) *Factum eſt veſpere & mane, quia videlicet non caſu factum eſt.* Porrò apud homines conſilium quod noctis veſpere, id eſt, per quietis ſilentium, maturè non coquitur, vt poſtmodùm in operis lucem prodeat, quodam *caſu* contigiſſe, & temerè, ac ſine maturo conſilio factum putatur. Sic Deus Cælos operari antropopathῶs inducitur. Imitere quiſquis prudentiam amas: nam ſubita omnia putantur incauta, & præceptis imprudentiæ plerumque infamantur.

Hic verſ. 7. Idcircò nunc Aſſuerus aduerſus ſceleroſum infidè Amanum, irâ percitus, iracundiæ euaporandæ tempus permittit, vt tempeſtiua cunctatio conſilium adornet: *Rex autem iratus* ( inquit ) *ſurrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum arboribus conſitum.* O vtinam cultiores Reges Regem barbarum æmularentur, ne vnquam furor, imbonus ſemper conſiliarius, præceps conſilium deprauet.

---

## §. CLXXXVIII.

### *Homo ſui ipſius infeſtior hoſtis exiſtit aduerſus ſe de propriâ imbecillitate potenter armatus.*

1. Saluianus lib. 4. SAluianus lib. 4. de Gubern. Dei, ſic de hâc re eloquenter fatur, *Cùm ea quibus torquemur, admittimus, ipſi tormentorum noſtrorum auctores ſumus: quid ergò de pœnarum acerbitate querimur? Vnuſquiſque noſtrum ipſe ſe punit.... Nihil eſt enim in nos crudelius nobis: nos inquam, nos, etiam Deo nolente cruciamus.* Quid externos hoſtes tam pauide times, & ab eorum exertâ vi, atque inſidiis ſollerter præcaues? hoſtilitatem aduerſus te tuam time, caue tibi à te. Inteſtinus tu tibi es hoſtis, omnium infenſiſſimus. Quod videre hîc licet in Amane, qui etiam dum auxilium ſibi adferre parat, hoſtiliter aduersùs ſe militat.

*Nihil eſt in nos crudelius nobis.*

Hic verſ. 7.

2. Ioſue 1. in Moyſis defuncti locum, Dei afflatu ſufficitur Ioſue, qui Amorrhæos debellet, & Hebræam gentem in Terram promiſſionis pugnaciter inducat. Cui dixit Deus: Nullus poterit vobis reſiſtere cunctis diebus vitæ tuæ: ſicut fui cum Moyſe, ita ero tecum; *nec dimittam, nec derelinquam te.* (Ioſue 1. v. 5.) Scilicet Deo comite tanquam pugnaci validiùs ſatellitio, nouus Hebræi populi dux Ioſue armatur, vt inter bellicoſas infenſiùs gentes longè latéque inferat ſeſe, & confertiſſimos hoſtium cuneos audacter inuadat. Eò vergit Interpretum mens, vt Ioſue tot periculis obuius, tot hoſtibus cinctus, *nec dimittendus, nec derelinquendus* ſit, quominùs à Deo aduerſus hoſtes potegatur. quem ſenſum & verba ipſa & ipſa occaſio ingruentis periculi, præ ſe ferre videntur. Verùm Caietanus aliter locum exponit, ſic ad rem inibi fatus: *Nec dimittam, nec derelinquam te. Promittit ſiquidèm Deus, & quòd velut comes indiuiduus non derelinquet eum; & quòd tanquam retinens deuinctum eum ſibi Deo, non dimittet eum ſibi ipſi Ioſue.* Niſi ſtrenuus dux Ioſue maſculâ foret præditus fortitudine, & de cæli vigore audacter magnanimus, tot hoſtes inuadere, tot adire pericula, tot labores exantlare nequaquam eualeret: & cùm tunc, tunc quidèm vel maximè Deo indigeret, & comite & auxiliatore, vt ſe ab hoſtibus clypearet, illóſque pugnaciùs debellaret; tunc illi pollicetur Deus, quòd *non dimittet eum ſibi ipſi Ioſue.* Nimirùm cùm Ioſue conglobatam Amorrhæorum hoſtilitatem timere poſſet, tunc illi promittit Deus auxilium aduerſus ſeipſum, quaſi ipſe, etſi ſtrenuè dux ad bellandum pro Deo, & eximiè pius ſanctitatis vigore, plus ſit opis indigus ſemper aduerſus ſeipſum, quàm tunc etiam aduerſus confertiſſimas Amorrhæorum acies, acſi ipſe foret infenſior ſui hoſtis. Moraliſſimè quidèm Caietanus.

*Ioſue adeunti maiora pericula, auxilium aduerſus ſeipſum promittitur.*

Caiet. inibi.

3. Exhodi 3. his verbis ſe Deus Moyſi manifeſtat, & Patriarcharum ſanctitates generosè commendat: *Ego ſum*, inquit, *Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.* Quam ſententiam in Euangelio Matthæi totidem verbis Chriſtus Deus ingeminat. Et ſanè moralitatis ſacramento non vacat, quòd dictum non ſit: Deus Abraham, & Iſaac, & Iacob; ſed Patriarcharum cuilibet Deus ſigillatim adſcribatur, quaſi totus eſſet non tam vniuerſatim omnium, quàm particulatim cuiuſlibet proprius; & Deus qui in ſe vnus eſt, foret Patriarchis quodammodò plurimus. Quod ſagaciſſimam Origenis induſtriam minimè latuit: *Et vide*, inquit, *quia non dixit: Ego ſum Deus Abraham, Iſaac, & Iacob; ſed Deus Abraham, Deus Iſaac & Deus Iacob. In alio autem loco ſic dixit: Deus Hebræorum miſit me ad te. Qui enim perfectiſſimè ſunt circa Deum, quantum ad comparationem ceterorum hominum, totum habent Deum in ſe: propterea non communiter, ſed ſingulariter dicitur eorum Deus. Vt putà, ſi dicamus: Ager ille, illorum eſt, oſtendimus quòd vnuſquiſque eorum non habet eum in toto. Si autem dicimus, quòd ager ille illius eſt, demonſtramus quia totum agrum poſſidet ille. Vbi ergò dicitur, Deus Hebræorum, imperfectio demonſtratur eorum, quia vnuſquiſque eorum aliquid modicum de Deo habebat. Dicitur autem Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob; quia ſinguli eorum totum habebant Deum.* Longiuſculè quidèm. Sed Origenis verba, Origenis ſententiam luculentiùs elucidant. Et ſanè totus Deus ſingulis Patriarchis adeſſe dicitur non eâ vniuerſalitate, quâ Hebræorum Deus perhibetur, vt quiſque de perfectâ ſui victoriâ, & perfectionis ſublimitate, & ſibi pugnaciùs reluctetur, & arctiori Dei familiaritate dignus exiſtat. Totum Deum ſibi vendicet homo, qui toto auxiliatore Deo ſemper indiget, vt ſibi pugnaciùs reluctetur: & tanquam periculoſæ victoriæ trophæum, virtutum perfectionem erigat victrici manu, poſtquam de inteſtinâ pertinaciter ſui hoſtilitate, ſumptuoſiùs illi victoriatum eſt.

Exhodi 3. v. 6.

Matth. 22. v. 32.

*Homo ne totô Deo indiget vt de ſeipſo victoriam reportet*

Orig. Tract. 22. in Mat.

4. Matth. 16. 7. Matthæi 16. dixit Ieſus Diſcipulis ſuis: *Si quis vult poſt me venire abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* τὸ abnegare *ſemetipſum*, ſicut reipsâ exequi, eſt difficile; ita & intelligere, non eſt facile. Origenes putat, quòd abnegat aliquis ſeipſum, dum vitam priùs malitiæ adſuetam, nouâ bonitate refingit: putà qui dudùm in laſciuiâ vixerat, iam caſtus, abnegat ſemetipſum laſciuum: *& ſimiliter abſtinentia cuiuſlibet criminis, ſui ipſius abnegatio eſt.* Et S. Baſilius: *Abnegatio ſui ipſius eſt, totalis præteritorum obliuio.* O quàm eſt neceſse, vt recens vita in melius

Orig. & Baſil. apud. Caten. Lucæ. 9.

liùs reformata, vitæ anteactæ totum letheum biberat, ne memoria velut fomite, denuò inſtigaretur ad culpas! Opportuniùs Beda, à Gregorio edoctus, ita locum exponit: *Niſi autem quis à*
Beda in cap. 9 Lu. x.
*ſemetipſo deficiat, ad eum qui ſupra ipſum eſt non appropinquat. Vndè dicitur: Abneget ſemetipſum.* Qui ſemetipſum abnegat ſententiosè dicitur, *à*
Anima etiã inuita, aliquid contagij ſibi affricat.
*ſeipſo deficere*: ſe enim negat, qui à ſe deficit; & quaſi à ſe recedens, alius iam foret, aliam vitam viuit. & deficiens ab eo qui fuit, & quod fuit, ſibi perniciosè noxius eſſe deſinit. Sapienter Hebræus Philo loquens de Iacobo, Rachele & Lia, a Labano feliciter profugis, ita ſcribit: *Sæpè accidit, vt*
Philo lib. de Profug.
*anima etiam inuita aliquid contagij ſibi affricet.* Niſi anima ſeipſam abneget, & quaſi iam per hominis mortem abſentata, à ſe deficiat, quaſi eſſe iam ibi deſierit, *etiam inuita aliquid contagij ſibi affricat.* O recede à te ipſo, à temetipſo defice, ne tu tibi ipſi fœdam vitiorum contagionem allinas. Eſto ipſe alius, ne tu tibi ipſi vel inuito, labem aſpires. Abſentari te oportet à te, & à te ipſo deficere, ne deſtun pſius contubernio nequior exiſtas, peſtilente vitiorum afflictu. Cùm tu tecum es, vide vt cum bono homine ſis.

5. Matthæi 14. annuente Domino Petrus per lubricos vndarum calles firmiùs veſtigia ſolidat,
Matth. 14. v. 30.
& per ſalum quaſi per ſolum ambulat. Marc dum miratur audaciam, Apoſtolus per fluctuum ſtuporem intrepidus incedit, quouſque nouus vndarum viator, *Videns ventum validum, timuit: & cùm cœpiſſet mergi, clamauit dicens:*
Ambulat etiam dum ſe præſumit, timet vt homo.
*Domine, ſaluum me fac.* In Petro Apoſtolorum præcipuo, vterque homo pulchrè figuratur; ſpiritualis ac firmus, in hoc quòd ſuper aquas ambulauit; & carnalis ac infirmus, in hoc quòd imbecillè dubitauit. Nam vnicuique ipſamet natura hominis tempeſtas eſt. Viuis vitâ ſpiritali? ambulas ſupra mare; ſub pedibus tuis eſt ſeculi tumor ac timor. Sed cùm humana tenuitas fluctuat, tu tibi agnato pondere periculum es, & naufragij
S. Auguſt. de verb. Domini, ſerm. 13.
timor. Appoſitè Auguſtinus, *Præſumpſit ergo Petrus de Domino, titubauit vt homo.* O nimis benè! Apoſtolus ſupra mare veſtigia firmans, & Petrus, & homo eſt: ſed dum Petrus præſumit, homo titubat. Adhuc Petri præſumptio, hominis titubatio eſt! O vel in piâ Apoſtoli præſumptione timet Petrus humanâ titubatione! Adhuc ſub Apoſtoli fiduciâ, homini, naufragium hiat? Quid adæquè fragile, & ſibi pugnax? Quid aduerſùs fiduciam imbecillitate armaris?

6. Doctor Gentium ad Romanos 1. agens non tantùm de vulgo hominum, ſed præſertim de Philoſophorum opinatiſſimis; vt oſtendat, quòd humana Philoſophia hominum mores non reformet, ſed Dei gratia; addit, quòd propter im-
Ad Rom. 1. v. 24. Caluinus. Beza.
pia eorum ſcelera; *tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam.* Omitto Caluinum, & Bezam atrociter blaſphemos in Deum, Deíque infinitam bonitatem, quam reipsâ culpare audent, quaſi impultricem ad peccandum; tradere enim in Sacris Bibliis, omittere eſt ac eius curam negligere, vndè ſibi relictus, certiſſimè cadet. O vide hîc qualis ſit homo ſibi relictus, & quàm ſit peracerbum ſupplicium, illum ſic negligere, vt ſibi relinquatur! *Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.* Audiendus eſt hâc ſuper
Theodoret.
re Theodoretus in Commentario huius cap. exponens illa verba, *Et mercedem, quam* &c. qui ita ſcribit: *Quæ enim nullus vnquam hoſtis in eos perpetrauerit, ea lubentiſſimè, ac promptiſſimè amplectuntur: & quod nullus vnquam iudex in eos ſupplicium ſtatuerit, id illud in ſe ipſos attrahunt.* Eheu
Quàm ſit ſæuus ſibi homo ſibi relictus.
quæ nobis peramanter optamus, quæ promptiſſimè expetimus, ad quæ lubentiſſimè hiamus, inimicorum vota ſunt; imò *quæ nullus vnquam hoſtis in nos perpetrauerit!* Nemo inimicorum ſic eſt barbaricè efferus, iudicum nemo ſic eſt in ſontes crudeliter atrox, vt eſt contra ſe homo, ſibi derelictus. *Tradidit* (permiſit) *illos Deus in deſideria cordis eorum.* O te time, & caue tibi à te. Accinit Dauid Pſal. 80. *Et dimiſi eos ſe-*
Pſal. 80. v. 13.
*cundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.* Ad quæ verba ſic idem Theodoretus ſcribit: *Symachus autem ſic expoſuit: Dimiſi igitur ipſos in faſtu cordis, vt ambulent conſiliis*
Symachus.
*ſuis. Aquila, Et dimiſi ipſos in prauitate cordis*
Aquila.
*eorum, ambulabunt in conſiliis ſuis. Nam cùm minimè dicto audientem vidiſſem, meâ curâ ipſum expoliaui. Siui verò ipſum ſuis conſiliis ferri, velut nauem fundo gubernaculóque carentem.* O, quid nocentius, quàm homo ſibi, ac ſuis conſiliis derelictus?

Paullus ad Romanos 6. Et vos exiſtimate, 7.
vos mortuos quidèm eſſe peccato, viuentes autem Deo, in Chriſto Ieſu Domino noſtro.
Ad Roman. 6. v. 12
*Non ergò regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentiis eius. Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato.* Theodoretus ſic præſcripta Apoſtoli verba ad rem inibi luculenter commentatur, exponens hoc peccati, ſeu humanæ concupiſcentiæ regnum. *Regnum*, inquit, *in hoc differt à*
Theodoret
*tyrannide, quod exiſtat quidèm tyrannis, inuitis ſubiectis; Regnum autem, iis volentibus quibus imperatur. Suadet ergò ne peccati poteſtati amplius aſſentiantur...... Et non dicit, Ne ty-*
Tyrannidem in nos, non regnum caro exerceat, quare?
*rannidem exerceat peccatum, ſed, Ne regnet. Illud enim eſt illius proprium, hoc verò* (ſcilicet regnum) *noſtræ mentis. Animi enim perturbationum motus, & vexatio, ineſt nobis naturâ; eorum autem quæ ſunt prohibita actio à noſtrâ mente dependet.* Quaſi dicat Paullus: Carnis rebellionem, concupiſcentiæ ſubſultus, iracundiæ furorem, & reliquas paſſionum perturbationes, quaſi violentam & trucem *tyrannidem* inuitè patimini; non ſponte tanquam *regnum*. Sit in vobis appetitus, velut *Tyrannus*, non vti *Rex*, cui vltrò pareatis. Ne verò continui belli crebra vexatio aduerſus *tyrannum* nimis diuturna videatur, & indè animo cadant; addit conſulto: *in veſtro mortali corpore.* id eſt vitâ finietur. non ergò immortale eſt bellum aduerſus concupiſcentiæ *tyrannidem*. O, vide quàm pertinaciter moleſtus eſt inteſtinus carnis *tyrannus*, quandoquidèm mors, quod eſt terribilium terribiliſſimum, tanquam leuamentum à Paullo proponitur.

## §. CLXXXIX.

*Garrulas omitte occuſationes, quibus ſcelera honeſtè colorare feſtina.: nemo, nemo inquam, peccat inuitus.*

2. S.Ambr. de Bono mortis, cap. 3.

SIcut procliuis eſt homini lapſus, ſic & procliuis & exprompta prolapſionis excuſatio. Sed malefidum eſt obuiæ excuſationis effugium. Quod poſtquam ſe densè excuſauerat, tandem lynceis gratiæ oculis Iobus aduertit. Vnde (verba ſunt Ambroſij) de ſe pulchrè dicit Sanctus

*Ne de cognato luto, conſcientiæ inquinamenta excuſemus.*

Iob: Memento quia lutum me finxiſti. *Si ergò lutum eſt corpus, oblinit nos vtique, non diluit, & coinquinat animum inquinamento intemperantiæ.* Corium & carnem me, inquit, induiſti, oſſibus & neruis intexuiſti. Ligatur itaque & diſtenditur anima noſtra iſtius corporis neruis, *& ideò interdùm rigeſcit, ſæpè curuatur. Et addit:*

Iob. 10. v. 15.

*Ab iniquitate innocentem me non feciſti. Si enim impius fuero, væ mihi.* Ergò bellè apud Senecam Publius Mimus homines monet: *Omitte excuſationes, nemo peccat inuitus.* Ne te cognato luto obcæcaueris, vt conſcientiæ inquinamenta excuſationibus diluere præſumas: imò ſi Chriſtianè ſapis, hoc luto ad omittendas excuſationes inoculaberis: *Nemo*, nemo inquam, *peccat inuitus*

Publ. Mimus in Senec. Prou.

Hic v. 7.

Fruſtrà hìc Amanus, ſceleroſa impiè flagitia, apud Reginam excuſare ſatagit: intutum ſanè reorum aſylum.

2.

Ioannis 1. poſtquam ſublimi pennâ Ioannes irrefutatâ mentis acie, Dei arcana contemplatus, æternam Verbi generationem feliciter publicauit; ad ineffabilem ipſius Verbi corporationem gradum facit. In principio, inquit, erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Tandèm concludit: *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Hactenùs reuerendæ maieſtatis vera cognitio erat, Deum non noſſe, niſi Deum: iam nunc inſuſpicabilis ſecreti homo conſcius, vt Deum hominem fide agnoſcat, fides Chriſtiana requirit. Etenim Deus Dei Filius, tempore conſtituto diſſimulata interim maieſtate, ſine abſceſſu ab æternâ ſede profectus, in prædeſtinatæ Virginis vtero ſibimet caſtra metatur: ibidémque ſaluo quod erat, meditatur eſſe quod non erat; *Et Verbum caro factum eſt.* Præcipuas diuinæ corporationis cauſſas vbertim tradunt ſancti Patres, & politiores Scholaſtici; illa autem minimè omittenda eſt, quam S.Zeno Veronenſis adducit in Ser. 2. de Chriſti natiuit. *Ita Chriſtus*, inquit, *in hominem ſeſe fecit naſci quemadmodùm homo non poteſt naſci. Qui ſanè ideò carnem eſt dignatus induere, vt nemo ſe poſſit per carnem, cùm iudicij dies venerit, excuſare*: Nimirùm Chriſtus conſtitutus eſt iudex viuorum & mortuorum: Pater enim *poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt.* Itaque Chriſtus homo Deus conſultiſſimè finalis iudicij Præſes deſignatur; vt ipſe carne indutus, carnis excuſationes anteuertat, deludat, fruſtretur. O quàm eſt imbecilla, ab imbecillitate carnis allegatio ſcelera excuſans! Nam *Verbum caro factum eſt . . . . Qui ſanè ideò carnem eſt dignatus aſſumere, vt nemo ſe poſſit per carnem, cùm iudicij dies venerit, excuſare.* Omitte excuſationes, nemo peccat inuitus. *Verbum caro factum eſt*: nemo ſe per carnis imbecillitatem excuſet. *Rideo* (inquit Tertullianus) *cùm infirmitas carnis opponitur, quæ ſumma fortitudo dicenda eſt.* Argumenti vis Zenonem appellet. Concionatoriè tamen, non circumforaneè, ſua adeſt ratiocinationi energia.

Ioan. 1. v. 14.

*Verbum caro factum eſt, vt nemo ſe in die iudicij, per carnis imbecillitatem excuſet.*

S. Zeno ſer. 2. de Natiu.

Ioan. 5. v. 27.

Tertull. de Menog. c. 15.

3. Geneſ. 3. v. 1.

Geneſeos 3. ita ſacer Hiſtoricus ſcribit: *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Dominus vt non comederetis?* &c. Sic illa, inſatiabilis Tartarorum bellua, ab initio homicida, imbecillæ & ſimplici feminæ non vrſos, non leones, neque aliquam ex beſtiis maximè fatuam delegauit; ſed tortuoſum & callidum ſerpentem, qui per ſinuoſa volumina, nunc caput caudâ, nunc caudam capite tegere conſueuit; vt per ſubdolas cognatæ aſtutiæ artes ſagaci impoſturâ imparatam deciperet. An non in promptu aderit mulieris excuſatio dicentis, *ſerpens decepit me?* Imò hæc ſtolida excuſatio, excuſationem præcludere debuiſſet, vt Hugo Victorinus ibidem ſubtiliter adnotauit, ita fatus: *Serpens erat callidior, &c. Et nota quòd non eſt homo tentatus per aliquam ſimplicem beſtiam, vt eſt columba vel agnus, ne poſſet ſcilicet excuſare tranſgreſſionem, dicens: Quis putaret dolum ineſſe in huiuſmodi ſpecie & formâ?* Sic ſollerter præcauet Deus ſontium excuſationes? Sic præmaturè anteuertit friuolas excuſationum querelas? An inexcuſabile duntaxat delictum in hâc vitâ damnat, & punit? Sic veroſimilem excuſationem magni æſtimat? Conſultiſſimè præmonſtrat Deus inexcuſabile eſſe delictum quod punit, ne querula reorum excuſatio, aut eius benignitatem deuenuſtet, aut iuſtitiæ rigores infamet.

*Præproperè obturat Deus excuſationum rimulas.*

Hugo Vict. inibi in Annot.

4. Geneſ. 4. v. 9.

Geneſeos 4. impius Cain effronti impudentiâ, etſi à Deo meditati parricidij admonitus, parricidium audacter patrat, innoxij fratris temeratius inuaſor. Adeſt confeſtim Deus ſceleris ſeuerus vindex, & ait ad Cain: *Vbi eſt Abel frater tuus? Qui reſpondit: Neſcio: Num cuſtos fratris mei ſum ego?* O friuolam imputati delicti excuſationem! Num quia fratris tui cuſtos non es, aut quia in occulto flagitium perpetratum eſt, impunè innoxius euades? Qui ſcelus in conſcientiâ legit, non leget in manu? S.Zeno Veronenſis hâc de re ſic eloquenter ſcribit: *Miratur*, inquit, *orbis vacuus ſe duobus anguſtum, mirantur elementa hominem, qui factus ſit ad imaginem & ſimilitudinem Dei poſſe iugulari, & hoc à fratre. Erubeſcit rudis terra pio ſanguine impiata.* (Pende quæ ſubdit verba.) *Solus Cain exultat infelix; quòd teſte caret, putat ſe caruiſſe facinore, quem Deus vidit, quem conſcientia redarguit, quem fratris ſanguis accuſat.* Vide quàm ſe friuolà ſceleris excuſatione tuetur. Quia teſte caret humano, inhumano ſe putat caruiſſe facinore. Tantùm excuſationi licet, vt ſcelus euacuare præſumat? Heu ſic exultat tanquam felix, qui inanem parricidij excuſationem prætexit! Imò falſata Caini neſcientia, crimen dum excuſat, accuſat.

*Cain, quia teſte caret, putat ſe caruiſſe facinore.*

S. Zeno ſer. de Patient.

Exhodi 8. diuinâ virgæ Aronianæ vi Nilus ſanguine exundat pleno alueo; & ranas inceſſanter parturit. Magi autem has plagas mentito aſpectu

pectu æmulati, miraculi efficaciam haud leuiter eneruarunt.] At vbi Aaron virgæ attactu terræ puluerem, in aëtis ſciniphes transformauit: cùm irrito præſtigiarum conatu id Magi efficere conarentur, ceſſauit eorum audacia pudore ſuffuſa.

Exod 8. v. 18 & 19.

Ceſſat ambitio, cedit religio, vbi ſe excuſandi igniculus vrit.

*Feceruntque ſimiliter Magi incantationibus ſuis, vt educerent ſciniphes, & non potuerunt. Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei eſt hic.* Mirum ſanè eſt, & valdè mirum, quòd homines regiæ aſſidui, faſtu ſapientes, ambitione ſeduli, audacter infenſum Regi Numen palàm confeſſi ſint? Quid eſt, quòd celebri opinione ſapientes, derepentè de negotio religionis decernunt? & quidèm coram Rege, quem imbecillè victum iſtiuſmodi confeſſione fatentur. Cur in re tantâ ſic vel ſapientes feſtinant, contemptâ & Regis indignatione, & mobilis inconſtantiæ opinione? Quid Magos vrget? quid illos vrit?

Rupert. l. 1. in Exod. c. 33.

Appoſitè Rupertus: *Et dixerunt malefici ad Pharaonem. Hoc dixerunt victi, videlicet ad conſolationem pudoris ſui. Ac ſi diceret: Siquidèm pugnaret contra nos homo, praualuiſſemus: nunc autem qui pugnat, non hominis, ſed Dei digitus eſt, & idcircò danda nobis eſt venia.* Vide mihi quàm impotenter homo ad excuſationes propendeat. Ceſſat aulica ambitio, quæ Regis gratiam negotioſiùs anhelat: cedit auita religio, quam refutat nouella ſuſceptio: imbecillitatis pudorem, Regis ingratiâ redimunt; & quò impotentiam excuſent ſuam, & Ægyptia numina ſolio deponunt, & captiuæ gentis Deum, ipſis nuper contemptim infenſum, coràm reuerenter adorant. *Hoc dixerunt ad conſolationem pudoris ſui.* Nimirùm ceſſat ambitio, cedit religio, vbi ſe excuſandi igniculus ignomniâ pudoris flabellatur.

5. Iſaias durus in exordio Vates, has minaces Dei querelas Hebrææ genti ſeueriùs enunciat:

Iſaiæ 1. v. 4.

Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt. Filios enutriui, & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit *bos* poſſeſſorem ſuum, & *aſinus* præſepe Domini ſui: Iſraël autem me non cognouit. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis: dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorsùm.* Deus Iudaicum populum multimodæ nequitiæ æſtu exuberante corruptum, propheticâ increpatione caſtigat: cælum terrámque teſtes ſiſtit, vt exaggeret ſcelus: filios vocat, vt abdicationem honeſtet. exaltatos dicit, vt profundior timeatur ruina. ſpretores ſui nominat, vt planè impios demonſtret. Et tamen Iſraël adeò perſpicuè ſceleroſus eſt, vt ad tot crimina mutus taceat, & taciturnitate demonſtret.

Infortunata eſt culpa, quam aliqua excuſatio ad innocentiam non colorat.

S. Zeno ſer. 3 de Iudæis.

Pulchrè S. Zeno hâc ſuper re ita ſcribit: *Infelix culpa eſt fratres, in quâ locum qualiſcumque non inuenit excuſatio.* Scilicet obuia criminum excuſatio tam eſſe hominibus frequens & familiaris ſolitat, quòd culpatum *infelicitati* imputetur, vt nullâ qualicumque excuſatione coleretur. Benè fatuo *boui* & *aſino* fatuè inſenſato homines comparantur, quibus ex naturæ deprauatæ promptuario, multimoda friuolè excuſatio non ſuperat. Hominem penè diffitetur, & de culpæ fatuâ infelicitate, brutam pecudem aſſumit, qui ſcelerum notatus, non garrulus erumpentbus excuſationibus inuenitur. *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſraël autem,* &c. Brutâ fatuitate *infelix culpa eſt, in quâ locum qualiſcumque non inuenit excuſatio.* Infortunata eſt culpa, quam aliqua excuſatio ad innocentiam non colorat.

6. Prouerbiorum 23. ſic ſalubriter nos Salomon erudit: Noli eſſe in conuiuiis potatorum, nec in comeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt: quia vacantes potibus, & dantes ſymbola conſumentur, *Et veſtietur pannis dormitatio.*

Prouerb. 23. v. 21.

Hæc vltima ſententia ſic Hebraicè redditur: *Et laceris veſtiet ſopor:* LXX. Interpretes, *Omnis ſomnolentus laceris detritiſque veſtibus induetur:* Syrus, *Et qui dormit, veſtietur pannis laceris & diſciſſis:* Chaldæus, *Et pannis ruptis veſtietur dormitio:* Rabbi Salomon, *Ignauia & ſomnus aſſeclas ſuos laceris veſtimentis induet:* S. Ambroſius lib. de Eliâ & ieiunio, *Induet ſe ſciſſa veſtimenta inſipientiæ.* Myſticè Clemens Alexand. lib. 2. Pedag. cap. 2. *Induetur laceris & pannoſis omnis ſomnolentus: ſomnolentus enim eſt quiſquis ad ſapientiam non vigilat, ſed ab ebrietate in ſomnum demergitur. Et laceris induetur debacchator, & per ebrietatem pudore afficietur propter eos qui aſpiciunt. Peccatoris enim foramina ſunt ea, quæ ex veſte carnali ſunt lacerata, perforata libidinibus, per quæ dedecus intra animam cernitur, nempè peccatum, propter quod non facilè ſeruabitur veſtis, quæ vndique diuulſa eſt & dilaniata: multis marceſcens cupiditatibus, à ſalute ſeparata ac diſciſſa.*

Hebræus.
Lxx. interp.
Syrus.
Chaldæus.
Rab. Salomon.
S. Ambroſ.
Clem. Alex.

Pluſculùm forſan immorati ſumus in exponendis his veſtibus laceris, per quarum ſciſſuras & foramina, dedecus quod intrat animam latet, egregiè tranſparet, & non dubiè cernitur. Portò Caſſianus præſcriptum locum exponens lib. 10. Inſtit. cap. 21. per pannos laceros & diſciſſos, quibus ſe tegit piger, & ignauè deſes, accipit excuſationes friuolas, quibus ſuam ſomnolenter inertiam colorare fruſtrà præſumit: *Sine dubio enim*, inquit, *non merebitur veſtimento incorruptionis ornari*, &c. *quiſquis ſomno otij vel acediæ ſuperatus, non induſtriæ ſuæ labore, ſed inertiæ pannis operiri maluerit: quia non veſtimentum gloriæ, nec decoris, ſed ignominioſum Excuſationis velamen ſuæ coaptauit ignauiæ.* O bellè! Scilicet veſtibus *pannoſis, detritis, laceris, diſciſſis* veſtitur, quiſquis *ignominioſum Excuſationis velamen ſuæ coaptauit ignauiæ. Peccatoris enim foramina ſunt ea, quæ ex veſte carnali ſunt lacerata.* Nam per veſtes laceras & diſciſſas ipſarum excuſationum, non modò corpus operis tranſparet, ſed quaſi per foramina verè apparet. Indè qui *ignominioſum Excuſationis velamen ſuæ coaptauit ignauiæ*, ab Ambroſio dicitur, *induiſſe ſciſſa veſtimenta inſipientiæ.* Siquidèm cùm in ipſis excuſationum laceris veſtibus per velamenti foramina, ſe excuſantis garrula inſipientia, ſimul cum ipſius rei veritate tranſlucet. Ergò garrulas omitte excuſationes, per quas, velut per laceras veſtes, veritas apparet.

Excuſationes laceris veſtibus arguitè comparantur.

Caſſianus.

***

## §. CLXC.

*De voluntatis officinâ affectibus vitiatâ, temeraria in malum excuduntur iudicia, quæ veritatem recuſant: cùm tamen improbè iudicet qui quod alij merentur, ſentit.*

1\. Senec lib. 5. de Benef. SCitè ait Seneca: *Quomodo ſtomachus morbo vitiatus & colligens bilem, quoſcumque accepit cibos mutat, & omne alimentum in cauſſam doloris trahit: ita animus cæcus quicquid illi commiſeris, ad onus ſuum & perniciem & occaſionem miſeriæ facit.* Profectò miriſſima eſt quorundam peruerſitas, qui inconſultâ iudiciorum ſiniſteritate, & temerariâ cenſendi audaciâ, quiduis cenſu corrumpunt, & in deterius interpretantur, quaſi in ſiniſtram partem ſtrenua ſuſpicio & oblocutio ſit. Nimiùm vitiata eſt iudicij officina, & vitium rerum putant, quod ſuum eſt. Multi inſani rerum æſtimatores, S. Gregorio Nazanzeno contemptim detrahebant, quaſi Eccleſiam miſerandam reddidiſſet; cùm ſuo exemplo & doctrinâ *beatam*, potiùs reddiderit? Quibus ſic ipſe reſpondet in Orat. De ſeipſo: *Numquid terra vertiginem patientibus ſtare videtur? & ebrij ſobrij eſſe putantur, qui ſunt ebrij? Mel autem numquid amarum eſt, etiam ſi ægrotantibus quibuſdam ac male affectis ita videatur? itane res ſe habet quemadmodum videtur patientibus?* O veſanam iudiciorum libidinem! Animus non benè affectus, quicquid illi commiſeris, in onus ſuum, & aliorum perniciem trahit. Quod hic verſ. 8. Aſſuerus demonſtrat: dum preces apud Reginam, oppreſſionem interpretatur.

*De mentis officinâ vitiata, vitiata etiam iudicia excuduntur.*

S. Naz. Orat. de ſeipſo.

Hic verſ. 8.

2\. Actor. 11. v. 27. 28. Actorum 11. Saülus & Barnabas totum annum conuerſati ſunt Antiochiæ magno cum Chriſtianæ fidei prouentu. *In his autem diebus ſuperuenerūt ab Ieroſolymis prophetæ Antiochiam: & ſurgens vnus ex eis nomine Agabus, ſignificabat per ſpiritum famem magnam futuram in vniuerſo orbe terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio.* Cùm à publicâ illâ fame multæ omnibus imminerent ærumnæ benigniſſimè à Spiritu-ſancto per ora Prophetarum antedicitur. Sed præter communem cunctis calamitatem, quæ ſpeciatim Apoſtolis & Chriſtianis impenderet, luculenter inibi tradit Oecumenius: *Agabus*, inquit, *ſignificabat per ſpiritum famem magnam futuram*: &c. *Ne igitur ob id poſtmodum factam eſſe famem æſtimarent quod ſubintroiſſet Chriſtianiſmus, prædicit illam Spiritus-ſanctus.* Vide hìc conſultiſſimam Dei prouidentiam, aduerſus inconſultam hominum in cenſendo temeritatem. Publica calamitas, quâ Deus punit Hebræos & Gentiles, quoniam Chriſtianos immaniter auerſantur, (vt vulgo docent interpretes) putabitur accidiſſe, quia nuper *Chriſtianiſmus ſubintrauit*? Heu obtuſas prauitate mentes! Cauſſam punitionis augent, dum liberâ iudiciorum licentiâ, malunt ſibi credere male iudicando, quàm ſi benè iudicarent, ſibi conſulere. Malè iudicant, ne benè liberentur, & dum ſiniſtrè iudicando, Dei iram proritant, nolunt ſibi benè parcere, dum de aliis male iudicent. O inania, ac penè nulla hominum iudicia? Sibi acerbiſſimè nocent, ne de inconſulta iudicandi temeritate ſibi non blandiantur.

*Præcauetur ne ob introductum Chriſtianiſmum, putetur publica fames accidiſſe.*

Oecumenius indidem.

Geneſeos 31. Laban agreſti vir ingenio, Iacobum cum vxoribus, filiis, & facultatibus ſuis ab ſe fugitiuum, cum cognatorum agmine quam maximis itineribus inſequitur. Et eum comprehendens in monte Galaad, poſtquam de inopinatæ fugæ offenſa aſperiùs expoſtulauit; pergit de ſoceri ingenio adhuc querulus: *Eſto, ad tuos ire cupiebas, & deſiderio erat tibi domus patris tui: cur furatus es Deos meos?* Miriſſimus ſane hic eſt ſtupor Labani, qui tametſi immiti & aſpero, non tamen hebete & obtuſo ingenio erat. Expertus fuit viginti annis nihilominus, quod Iacob rem ſuam fideliſſimè adminiſtrauerat; & tanquam vir iuſtus & pius, idola negligens, Dei patrum ſuorum extiterat cultor egregius. *O excellentem inſipientiam*, (exclamat Chryſoſt.) *Deus autem iuſti, & ignorante iuſto impetum tuum coërcuit: & non cogitas erroris magnitudinem, iuſtum furti arguis?* Quem fidelem in omnibus expertus es, furti nunc arguis? Verus Deus, Iacobo ignorante inſanum tuum impetum cohibet, & futilia impiè idola, aliquo apud illum pretio, haberi ſuſpicatis? An non veroſimilius foret iſtiuſmodi facinus de filiabus ſuis, aut de nepotibus coniectare; quippe qui idololatriâ patre & auo nati ſunt? Quare inſuſpecta tibi eſt turba pulchra nepotum? Eccur id facinus non ſuſpicaris de Rachele aut Liâ, malè defæcatis ab Idolorum auito cultu? *O excellentem inſipientiam! Et non cogitas erroris magnitudinem?* Verùm licet vtraque filia quod erat filiæ per fugam perdiderat, Laban quod patris eſt non amiſit. Patris affectus non ſinit quid ſiniſtrum de filiis coniectare. De genero ob fugam exoſo, ob diuitias inuidioſo, tametſi iudicia vehementer refragentur, procliue eſt quidpiam ſiniſtrum liberè ſuſpicari. Nam affectus qui vetat crimen cenſeri in dilectis, imperat in exoſis. Quaſi non tam de iudicio, quàm de affectione, hominum iudicia promanent. O, ſuſpecta tibi ſit ſuſpicio, quæ affectu agitur! *quæ non cogitat erroris magnitudinem.* 1. Corinth. 13 ait Apoſtolus: *Charitas non cogitat malum.* id eſt, ait inibi Chryſoſtomus: *Non totus erat malam ſuſcipere ſuſpicionem.* 3.

Geneſ. 31. v. 30.

S. Chryſ. homil. 57. in Geneſ.

*Cur Laban non dilectis filiabus, ſed inuiſo genero furti crimen adſcribit*

1. Cor. 13. v. 5. Chryſoſt. ibi.

4\. Pſal. 118. v. 132. Regius Vates Pſal. 118. ſic Deum modulatè rogat: *Aſpice in me, & miſerere mei, ſecundum iudicium diligentium nomen tuum.* Id eſt, eo animo, eòque more de me meiſque rebus iudicium ferto, quo homines ſanctimoniâ & charitate illuſtres, de aliorum factis cenſere ſolitant: hi enim aliorum facta in dexteram partem benignè interpretantur. Ergò miſericordiæ tuæ adſcribam, ſi iudicium de me tuleris, ſicut vir bonus, & virtutis ſtudioſus, de alienis rebus iudicare conſueuit. *Aſpice in me, & miſerere mei ſecundum iudicium diligentium nomen tuum.* Quaſi ſceleratorum duntaxat elogium ſit, de alienis rebus ſiniſtrè iudicare. Adeò vt ſententioſè dixerit Ennodius: *Improborum natura eſt hoc ſentire de omnibus quod merentur.* Sententia paradoxo ſimilis! quo enim pacto poteſt eſſe improbitas, de alio ſentire quod meretur? Id potiùs veritas eſt, æquitas eſt, non improbitatis iniquitas. Qui ſi aliter ſentiret reapſe mentiretur. quâ verâ ratione improbi iudicij reus eris? Niſi fortè teneamur detrahere aliquid de iniquitatibus impij, eorumque ſcelera beneuolè cenſendo minuere

*Improborum natura eſt, hoc ſentire de omnibus quod merentur.*

Ennod lib. 2. epiſt 12.

minuere falſatâ iudicij librâ. Quid ergò ſic obnixè Dauid poſcit iudicari, *ſecundum iudicium* diligentium Deum? quaſi hi non poſſint male de malis opinari. Et Ennodius putat, quod *improborum natura eſt, hoc ſentire de omnibus quod merentur?* Scilicet nunquam tota flagitioſiſſimi etiam hominis improbitas, peruia eſt humanis oculis: aliquid latet in malitiæ receſſu, quò humana perſpicacia non pertingit. Homo enim videt quouſque habet oculos, habet autem oculos ſuperficie tenus. Ergò improbitas eſt, hoc ſentire de homine quod meretur, cùm non omnis improbitatis reatus ſit notus humano iudicio, quod de re ignotâ improbè iudicat. Quod etiam de proborum meritis, adſimiliter protractâ ratiocinatione, in bonum ampliari poteſt: ne humana tenuitas auarius taxet Sanctorum merita, quæ ad amuſſim explorata habere non eualet.

5. Ad Rom. 14.v.4. — *In iudicio de alienis factis, præſumptio deſperat, & iniquitas veritatem recuſat.*

Ad Romanos 14. ſeriò Paullus ſatagit temerariam humani iudicij licentiam ſiſtere: *Tu quis es*, inquit, *qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum.* Quare audacter de alio cenſes quòd cecidit? in ſiniſtram partem malitioſa ſuſpicio eſt. In bonum, etiam mali ſpeciem interpretari expedit. Nam potentia Dei in bonum, iudicij humani menſura eſto. Quid ergò cecidiſſe præſumis, & de ſtatu eius inuidioſè deſperas? *Stabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum.* Alto ſanè ſtilo dixit Tertullianus: *Non præſumptio aut iniquitas iudicet; altera quæ deſperet; altera quæ recuſet veritatem.* Profectò malitioſa iudicij præſumptio eſt, quæ ſic de alienis factis temerè in malum cenſet, vt de illorum probitate *deſperet.* Tuæ præſumptionis cenſura eſt, cùm planè cenſes alium prorſus cecidiſſe: & malitioſæ audacter *deſperationi* tuæ adſcribitur: cùm *potens ſit Deus ſtatuere illum.* Quid ſiniſtrè *præſumis* de alieni operis imbonitate; & de illius bonitate deſperas; cum ſpectati operis bonitas, Dei omnipotentiam non excellat? Addit ad rem exaggeratiùs, quòd ſic *iniquitas iudicat* de rebus alienis, vt *recuſet veritatem.* O malum! qui ex iniquitate, aut odio iudicat, *veritatem recuſat.* Suſpectum iudicem recuſare legum æquitas eſt; ne offendatur humani iudicij veritas. Ecquis autem, niſi qui iniquitate aut odio agitur, *veritatem* in iudicio *recuſet?* Profectò dum iudicantis odium, aut iniquitas iudicium *profert*, & indicia aut coniecturas teſtimonium de ſuâ malitiâ, aut malitioſo affectu colorat; priùs veritatem, tanquam ſuo iudicio ſuſpectam *recuſauit.* O quàm eſt futile, ac nullum iudicium, in quo inconſulta *præſumptio deſperat*, aut iudicantis *iniquitas veritatem recuſat!*

6. Pſal.1.v.1 Tranſlationes variæ.

Regius Pſaltes his verbis pſalterium modulatè auſpicatur: Beatus vir, inquit, qui non abiit in conſilio impiorum, & in viâ peccatorum non ſtetit, *& in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Illud *peſtilentiæ*, nonnulli ex Hebræo fonte, efferunt, *peſtium*, vel *peſtilentiarum*, vel *impoſtorum*, vel *inſidiatorum*, vel *deriſorum*, qui nempè irridendo bonos, plurimorum animis operantur errorem, menteſque eorum corrumpunt, vt ait inibi Ambroſius. (S. Amb.) Pro τὸ *cathedra*, Hebraicè eſt, *Sedes, cathedra, conſeſſus, habitatio*, Chaldaicè *ſocietas*, Syriacè *mons.* Peritè addit Lorinus noſter explorans Hebræam vocem, quæ ſubeſt pro τὸ *peſtilentiæ*, quod eſt participium, à verbo לוץ *luts*, quod ſignificat, *Interpretatus eſt.* (Lorinus.) Nimirùm improba audacter *interpretatio* actionum, quas operantur ij, in quorum *conſeſſu* verſaris, in quorum *ſocietate* habitas & in quorum *habitatione* viuis, cùm è proprij cerebri arbitrio audaci temerariè fit, *inſidiæ* ſunt impoſtura eſt, proditio & irriſio eſt, *cathedra peſtilentiæ* eſt, quæ probroſam peſtilitatem petulanter inhalat. (*Temeraria interpretatio alienæ mentis, cathedra peſtilentiæ nominatur.*) Rectè iſtiuſmodi improba *interpretatio* dicitur *cathedra peſtilentiæ*, quia in eâ velut in gymnaſio ſceleroſior malitia præſidet, & auditores ſuos prauè erudit, prauitatemque velut è *cathedra peſtilentiæ* edocet. Porrò peſtis mortiferum contagium eſt, quod latè ſerpit, & vel ſolo habitu pernitioſè graſſatur: peſtis fertile malum eſt; & crebræ mortis fœcundum. Sic etiam temerarij iudicij audax temerariè cenſura improbum ſuum cenſum & ſenſum, alijs fœcundè afflat nutu, ore, manu, alioſque palam docet adſimiliter cenſere. Exindè iſtiuſmodi improba alienæ mentis, & actionum *interpretatio*, quæ intentionis arcana prauè explorans, ea *inſidioſè* commentatur, *peſtilentiæ cathedra* dicitur, & improbè eruditum improbitatis magiſterium. O fuge has *inſidioſas* audacter *interpretationes*, quiſquis virtutem candidè adamaſti! Eſto benè rudis, ne ſis malè eruditus de *cathedrâ peſtilentiæ*, noxiam peſtilitatem fœcundè propagantis. Heu de voluntatis officinâ affectibus inuitiatâ, iſtiuſmodi ſiniſtræ *interpretationes*, & temeraria in malum excuduntur iudicia!

---

## §. CLXCI.

### *Sæpè inter fortunam maximam & infimam, nihil medium eſt. Sic ſublimiſſima ruinæ vicinantur?*

VIde quàm non ſit difficile, gratiam referre felicibus, & in ſummâ humanarum rerum poſitis: dic illis non quod volunt audire, ſed quod audiiſſe ſemper volent. Plenas aures adulationibus aliquandò vera vox intret. Da conſilium vtile. (pergit Seneca) Quæris quia felicibus præſtare poſſis? *Effice ne felicitati ſuæ credant, vt ſciant illam multis & fidis manibus continendam. Parùm in illum contuleris, ſi illi ſtultam fiduciam permanſuræ ſemper potentiæ excuſſeris; docuerìſque maiore curſu fugere; quàm veniunt, nec his gradibus; quibus ad ſummam peruentum eſt, retrò iri; ſæpè inter fortunam maximam & vltimam nihil intereſſe?* Procerum felicitas apprimè cum Adoniis hortis comparatur, *qui ſubitò & die vno nati, celerrimè pereunt.* Vide nunc Amanum vna die inter Aſſueri principes primum, & miſerè in cruce patibulatum, (vt in litterali commentatio tradidimus) Principatum cupientibus, aut habentibus *nihil medium inter præcipitia aut ſumma*, inquit Tacitus.

(1. Senec. lib. 6. de Benef. c. 33. — *Nil medium inter præcipitia aut ſumma.* — Plato apud Lipſ. in Præf. ad Polit. — Hic Verſ. 8. & 9 & 10 — Tacit. 2. Hiſt.)

Geneſeos 6. de Caïnitis ita ſcribit ſacer Hiſtoricus: *Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis, poſtquam enim ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, iſti ſunt potentes à ſeculo* (2. Geneſ. 6.v.4.)

*à ſeculo viri famoſi*. Hi gigantes à ſeculo famoſi, non leue interpretibus negotium faceſſunt: nam quod ad ſtaturæ proceritatem attinet, non eſt explicatu facile, quo pacto commixtio filiorum Seth, & filiarum Caïn, aliam propè naturam conflarit: vt inſolentis naturæ homines indè naſcerentur. Rupertus Tuitienſis hanc quæſtionem tractans, ita ad rem ſcribit: *Pro Gigantibus, alij, Cadentes; alij, Violentos traſtulere, ex Hebræo interpretantes. Cadentes autem rectè dicuntur, id eſt ſuperbi, quicumque potentes à ſeculo ſunt, vel viri famoſi. Nam hoc ipſum ſuperbire, cadere eſt, iuxta illud in Pſalmo: Vos autem ſicut homines moriemini: & ſicut vnus de principibus cadetis*. Hem ſæpè inter fortunam maximam & vltimam nihil intereſt, nec medium eſt inter præcipitia & ſumma. Serò caderent gigantes, ſi poſt ſublimitatem cecidiſſent; gigantes eſſe, cecidiſſe eſt.

*Gigantes eſſe cecidiſſe eſt.*

Rupert.l.4. in Geneſ. 14.

Pſal.31.v. 7.

3. Siracides Eccleſiaſtici 43. ita ſcribit: A Lunâ ſignum diei feſti, *Luminare quod minuitur in conſummatione* (Alij excribunt, *Super conſummationem*) *Creſcens mirabiliter in conſummatione*. Sacra dicitur Lunæ lux, & feſtorum indicium ſeu notamentum. Additur autem *minui in conſummatione*, id eſt, in perfectione, putà in plenilunio: eo enim peracto Luna mox minuitur, corniculatur, & decreſcit; cùm Sol ſemper idem plenuſque in ſuo orbe permaneat. Quare licet mirabile ſit Lunæ incrementum ex obſcuro ad ſummam lucis gloriam, tamen totam mirabilitatem deprimit mutatio, & caſus, atque ſplendorum ruina. *Creſcens mirabiliter in conſummatione*. Et tamen nuper dixerat: *Minuitur in conſummatione*. Profectò Luna mirabiliter creſcit in conſummatione, quia mirabile admodum eſt, quòd vbi primùm creſcit *in conſummatione*, vel *ſuper conſummationem*, confeſtim *minuitur*, & ſenſum decreſcere incipit. Adeò vt ipſum incrementum ſummum ſit decremento & minorationi confine, quaſi diminutio ſit conſummationis appendix, aut præcelſæ ſublimitatis neceſſaria ſequela. Sic humilitas celſitudini vicinatur. Vndè Luna, teſte Plinio, *humilis eſt, & excelſa*, quia eius celſitudo humilitati contigua eſt. Moraliſſimè ergò Luna, *creſcens mirabiliter ſuper conſummationem, in conſummatione minuitur*, humiliatione celſitudini cognatâ.

Eccli.43.v. 7 &.8.

*Luna creſcit conſummatione ruina cognatâ.*

Plinius apud Cornel. ini.

4. Geneſeos 1. mundialis opificij die quartâ, *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præeſſet nocti: & ſtellas*. Luna quidèm tametſi honoretur magni luminaris titulo, decrementum in conſummatione patitur, & lucis defectum, quadam lucis ſuæ macie plenitudini ſuccedaneâ. At ſtellæ & loco ſuperiori perpetuò eminent, neque hæc lucis decrementa pati videntur: ſed in ſuâ lucendi ſublimitate ab aliquo defectu altitudini confine immunia non ſunt. Audiendus eſt Cyrillus Alexandrinus ita fatus. *Lux quidem luce confunditur, & altitudo altitudine curuatur: ſed altior ſtella mentitur aſpectibus, & cunctis inferior Luna ſuper omnia decoratur*. Scilicet ſublimiora aſtra ſuæ ſublimitatis faſtigio, & magnitudinis amplitudine perpetuò eminent: ne autem diminutio eminentiæ vnquam deſit, exiguitatem *altior ſtella mentitur aſpectibus*, & caſum, aut faſtigij decrementum, quod verè pati non poteſt, falſatâ apparentiâ ſpecie tenus repræſentat, ne quid ſublime, aut re, aut æſtimatione, ſui decrementum, celſitudini affine non patiatur. Profundè quidem Cyrillus.

Geneſ.1.v. 16.

*Cur altior ſtella exiguitatem mentitur aſpectibus.*

S.Cyrill.l. 2.Apolog. c.3.

Eccleſiſticus cap.36. Sic Deum ſeueriùs precatur: Immitte timorem tuum ſuper Gentes, quæ non exquiſierunt te, vt cognoſcant quia non eſt Deus, niſi tu. Alleua manum tuam ſuper Gentes alienas, vt videant potentiam tuam. Innoua ſigna, & immuta mirabilia. *Tolle aduerſarium, & affige inimicum*. Feſtina tempus, & memento finis. In irâ flammæ deuorentur qui ſaluantur (id eſt, qui euaſerint) & qui peſſimant plebem tuam inueniant perditionem. Mirum ſanè eſt, & valdè quidèm mirum, quod inter tot acerbiſſimas ſtrages, quas Gentibus quæ Dei populum peſſimant, ſiue precatur, ſiue prædicit interſerat, *Tolle aduerſarium*. An non id potiùs ſumma felicitatis eſt, proſperioris fortunæ faſtigium? Hugo Catenſis ſecutus alios, & quem alij ſequuntur, ita locum excribit, & exponit: *Extolle aduerſarium, id eſt extolli permitte ſuperbiam*. Itaque loquitur antropopathôs, cùm Deus dicitur, *excitare furorem*, id eſt, acres plagas immittere, vt videatur impiis ſæuire & furere. Inter has duriſſimas calamitates & plagas excitatas ad aduerſariorum ruinam, addit: *extolle aduerſarium, id eſt, extolli permitte*. Sic eſt ruinæ proximus, qui ad præcelſum faſtigium extollitur? Sic caſurus imminet, qui præaltius eminet? Vnde Tigurina pro *extolle aduerſarium*, vertit, *extolle indignationem*: Syrus verò, *Confringe inimicum*. Quaſi extollentia ſeu ſublimitas aduerſarij, ſic eius ruina & confractio, ſeu exultatio, ſeu hyperbole diuinæ indignationis. Vndè idem putatur: *Extolle inimicum, id eſt, extolli permitte*, ac *confringe aduerſarium*, ſeu *extolle indignationem*, quâ ex illo ſublimi faſtigio, ad quod *extollitur*, præceps ruat, calamitoſâ ruinâ, quâ miſerabiliùs *confringatur*. Sic culmen ruinæ vicinatur!

5.

Eccli.36.v. 9.

Hugo ibi.

*Excelſius culmen ruinæ vicinatur.*

Tigurin. Syrus.

Matthæi 4. refutatâ gulæ tentatione poſt diu prolixam inediam, ad vanæ gloriæ ambitionem Diabolus Chriſtum pellicere tentat. *Tunc aſſumpſit eum Diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorſum*. Pro τὸ ſupra pinnaculum templi, Græci codices habent, *ſuper alam*, ſeu *ſuper pinnam templi*. Vndè quidam faſtigiatam ſeu acuminatam turrem fuiſſe tradunt, in quâ lamina eſſet ad ventorum mutationem verſatilis, quæ ob alæ ſimilitudinem ſic vocaretur. Theophylactus verò dicit, templi tectum fuiſſe faſtigiatum, ex cuius dorſo vtramque in partem pluuia deflueret. P. Maldonatus cum aliis, pinnam templi vocari exiſtimat peribolum, qui circum ſummum tectum erat, ne quis ibi ambulans caderet, qualem Deus omnibus tectis fieri iuſſerat. Erat itaque Ieruſalem in loco edito, templum autem in editiſſimo totius vrbis monte Moria, pinna autem locus erat totius templi altiſſimus. Verùm ſi ideò in locum editiſſimum Chriſtum vt inde caderet, ſublimauerat, quare Diabolorum aſtutiſſimus, ſimplici (ne dicam inſulsè fatuâ) perſuaſione contentus fuit, nec aliam ſubtiliorem rationem adduxit, vt indè caderet. Imò, vt peritè adnotauit Hieronymus, Si Filius Dei putabatur à Diabolo, non infimiſſimum caſum, ſed aſcenſum in cælos ſuadere debuiſſet. Sic callidiſſimus dæmonum deſipit? Imò egregiè ſapit quàm ſint periculoſa faſtigia, & caſui proxima. Vndè etſi

6.

Matth.4.v. 5. & 6.

Theophyl. inibi. Maldonat. ibi.

S.Hieron. ibi.

*Altius faſtigium vices cum præcipitio reciprocat.*

etſi malus dæmon impudenter auſus eſt Chriſtum *aſſumere*, & ſupra editiſſimam templi pinnam ſublimare; illum tamen impellere ad caſum negligit, & voluntati ſuæ lapſum permittit, aiens. *Mitte te deorſum*, quaſi vltroneus iam foret caſus ei, qui in ſummo faſtigio ſublimis eminet. Adeò vt hoc *pinnaculum* templi quod erat ſummum illius faſtigium, licet tectum planum erat, & peribolo loricatum, ſententiosè à Remigio *precipitium* nuncupatur, ac ſi editior ſublimitas, & ſublimius faſtigium, vices cum præcipitio reciprocet. Sic editum
Remig. ibi. culmen ruinæ vicinatur? Sic qui eminet, vltrò ruiturus imminet? ô lubricas mundi ſublimitates? *Extolle aduerſarium*, Siracides peracerbè precabatur.

Siracides Eccleſiaſtici 43. ita de cæleſtium harmoniâ humanos mores modulatè componit ad rationis concentum: *Alunâ ſignum diei feſti*,
7. inquit, *luminare quod minuitur in conſummatione*. (Eccli. 43. v. 7.) Lunam vocat luminare quod *minuitur in conſummatione*, id eſt, in perfectione, putà cùm totâ nitet lampade in plenilunio, eo enim peracto confeſtim minuitur, corniculatur, & decreſcit; cùm Sol ſemper idem plenuſque in ſuo orbe permaneat. Exindè alij exſcribunt, *Lumen in fine decreſcens*, quaſi *conſummatio* & ſumma perfectio Lunæ (quod eſt mundialium bonorum hieroglyphicum) ſit illius *finis*, & decrementi initium. (Tranſlationes variæ.) Biblia Romana. *Luminare quod minuitur ſuper conſummationem*, quia quod vltra ſummum incrementum addit, eſt lucis decrementum, donec luce extinctâ tandem deficiat. Hoc eſt mundialium bonorum ingenium, & humanæ felicitatis ac gloriæ conditio, quò æternaturam cæleſtium ſubſiſtentiam feliciùs ambiamus. (*Humana felicitas eſt ad inſtar lunæ, quæ minuitur ſuper conſummationem.*) S. Cyrillus Alexandr. lib. 1. Apolog. moral. cuius titulus: *Tantùm æternum dilige, & nunquam dolebis*, ſic moraliſſimè ſcribit adſpectu ad fulgentis lunæ gratiam: *Igitur quod lumen diligis*, inquit, *laudo te; ſed quòd lunari lumine mutabili frueris, te non laudo. Hac enim nocte plenâ lunâ lætaris, cùm defecerit ſequenti veſpere, triſtaberis. Impoſſibile enim eſt amato perdito non dolere.: & ſic quid tibi reſiduum erit de præterito gaudio niſi præſens dolor? Amatum ſiquidem rapit ſecum vbicumque gaudium; ſed idem cùm tranſierit, mox eius fines occupat luctus. Verùm non eſt ſapientis gaudere vt doleat, ſed ad tempus lugere, vt ſemper gaudeat. Infelix quippe eſt commutatio de iucunditate in luctum; gemitu verò beata eſt in gaudium commutatio. Propter quod vt tua ſit gaudioſa dilectio & fruitio permanſura, illam dumtaxat diligas lucem, & eâ fruaris; quæ dialis eſt atque inuariabilis, ac ſumma. Illius enim ſecura eſt lætitia atque plena. Propter hoc autem, ſicut amamus, ita & ſumus: habet enim amor contuitum chamæleontis, vndè tranſimus cum amatis, aut ſiſtimus; & cum eiſdem vileſcimus, aut chari ſumus.* (S Cyrillus. Cornel. ibi. — *Iucundior lunæ gratia, mœroris ingratiam negotiatur.*) Pluſculum forſan reſcripſimus ex Cyrillo, ſed opportunis ſententiis densè refertiſſimum, quas ſigillatim expendere ad rem præſentem expromptum cuique eſt. Eſt ergò humana felicitas adinſtar Lunæ, quæ *ſuper conſummationem minuitur*, & perfectio lucis eſt decrementi initium. (*Amor habet intuitum chamæleontis.*)

## §. CXCII.

*Rerum ora ne propriæ defenſioni obſtruantur: nam in ipſius rei ore viuacior affulget defenſio. exindè Deus ſe undum multitudinem iræ ſuæ, non quærere perhibetur?*

PVlchra Senecæ vox eſt: *Nunquam ſcelus ſcelere vindicandum eſt*. Seueriſſimè nos aduerſum peccantes gerimus, & ipſi adſimilia in iudicando committimus. Aliqua ſaltem aliis parce, qui tibi omnia ſemper ignoſcis, etiam quæ indubiè ſcis à te commiſſa, atteſtante, ſceleris conſcientiâ. Quid ergò? non aliquandò caſtigatio neceſſaria eſt? Quid ni? Sed hæc ſincera, cum ratione, cum iudicio, cum idoneâ ſceleris notione. Iuſtitia enim non nocet, ſed medetur ſpecie nocendi. Medicos imitare, qui diligenter morbos explorant, quo idoneas illis medicinas apponant. Ægrotum morosè ſciſcitantur, è cuius relatione primus & potiſſimus morbi cenſus exiſtit. Errare cupit, qui reo oſcitanter ininterrogato, iudicij cenſuram vibrat. Eſt illa quidèm ira, & cæca atque miſera curatio, impetus eſt, non iudicium. Vt olim morbis, ſæpè nunc remedijs laboratum. Idcircò inauditus & indefenſus Aman (qui alioquin iuſtè ob ſcelera damnari poterat) iniuſtè damnatur. 1. (Publ. Min. apud Senec. — *Vt morbi cenſus ab ægro te, ſic ſceleris cenſus à reo interrogato.* — Hic verſ. 8 & 9.)

Actorum 2. cùm complerentur dies Pentecoſtes erant omnes diſcipuli pariter iu eodem loco: & factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam aduenientis Spiritus vehementis. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis & repleti ſunt omnes Spiritu-ſancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus-ſanctus dabat eloqui illis. Stupebant autem omnes, & mirabantur adinuicem dicentes: Quidnam vult hoc eſſe? *Alij autem irridentes dicebant: Quia muſto pleni ſunt iſti*. Stans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocem ſuam, & locutus eſt eis: Viri Iudæi auribus percipite verba mea. *Non enim ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt, cùm ſit hora diei tertia*. &c. Non agam nunc cum proceribus interpretum, quonam æſtimationis cenſu habenda ſit ratio, quam vtitur canonicus Scriptor. Saltem perſpicuum eſt, quòd hæc Petri ratio non valdè vrgere videtur vituperones, qui illis ebrietatem obiectabant. Sed quò alicui forſan videbitur infirmior ratio, eò thema præſens robuſtius probat. Nimirùm obtrectatores accuſabant Apoſtolos quaſi tunc temulentiæ reos, cùm audirent eos derepente variis linguis loqui: *Aly irridentes dicebant, Quia muſta pleni ſunt iſti*. Attentiùs autem expendendum eſt, quid Petrus tunc factus ebrietatis reus, pro ſe & cæteris reſponderit, quò obiectæ ebrietatis crimen elueret. *Non ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt cùm ſit hora diei tertia*. Ad quæ Petri verba argutè Oecumenius: *Et quid hoc eſt? an non contingit horâ tertiâ ebrium eſſe?* Neque id inſolens fuit Hebræorum moribus, quibus Iſaias exprobrat: *Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis*. Et quæ (Actor. 2. v. 15. — *In ore ipſius rei viuacior exiſtit ſceleris depulſio.* — Occum. ibi.)

quæ eſt hæc ratio, vt obiectum ab irriſoribus crimen excutiat? *An non contingit horâ tertiâ ebrium eſſe?* An qui id Diſcipulis irridendo obiectabant, neſciebant tunc eſſe horam diei tertiam? Sed vide hinc mihi quanta ſit verborum & rationis vis in ore rei pro ſe reſpondentis; adeo vt Petrus tantùm proponens tunc eſſe *horam diei tertiam*, & inde veriſimile non eſſe, tot homines tunc ebrietate madere, ſic obiectum crimen diluiſſe; vt circiter tria millia hominum ex nuper irriſoribus, ad ſobriam exiſtimationem, & meliorem mentem impulerit. Ecce tibi quanta ſit ſuæ defenſionis in ore rei energia; & quanta in accuſatoribus, & cenſoribus oſcitantia, & mentis ſegnities. Sciebant, ſciebant quidèm Petri irriſores, tunc temporis eſſe *horam diei tertiam*; ſed adeò ſegniter ad id attendebant & ad ſobrietatem, quæ exindè debebat veroſimiliter inferri; vt Petrus pro ſe referendo, quod illos, abſque admonitore etiam latere non poterat, diluerit ebrietatis obiectum crimen. Æquitati inuidet, qui inaudito reo de reatu cenſet.

3. Matth. 5. v. 11. — Matthæi 5. Sic Chriſtus Deus loquitur ad Diſcipulos, & in eis ad Chriſtianos omnes exinceps futuros: *Beati eſtis cùm maledixerint vobis . . . & dixerint omne malum aduerſus vos mentientes.* Non mirarer, quòd mobile & incertum Gentilium vulgus enormiſſima mendacia aduerſus Chriſtianos iactaret, is eſt inconſulti vulgi cognatus genius, de incertis garrire, & inanes rumuſculos pro veritate colere: miriſſimum autem multos ſubtiliter Philoſophos, peritè Iuriſconſultos, & prudenter aliàs prouinciarum & vrbium Præſides, tot tamquam incredibilia ſcelera aduerſus Chriſtianos *mentientes* iactaſſe, & inaniter iactata, tenaciſſimè credidiſſe quaſi Chriſtianus ex Chriſtianæ ſectæ religione, omnium ſcelerum reus foret. Audiendus eſt hîc ſuper re Minutius Felix, qui Octauij ore contra Ethnicos ſic eleganter diſputat: *Sic*, inquit, *occupant animos, & obſtruunt pectora Gentiles, vt ante nos incipiant homines odiſſe, quàm noſſe: ne cognitos aut imitari poſſint aut damnare non poſſint. Quantum autem vitium ſit, incognitis & inexploratis iudicare, quod facitis nobis ipſis pœnitentibus credite: & nos enim idem fuimus* (dudum ethnicus fuerat Octauius) *& eadem vobiſcum quondam adhuc cæci & hebetes ſentiebamus: quaſi Chriſtiani monſtra colerent, infantes vorarent, conuiuia inceſta miſcerent: nec intelligebamus ab his fabulas iſtas ſemper ventilari, & nunquam vel inueſtigari, vel probari; nec tanto tempore aliquem extiſtere, qui proderet, non tantum facti veniam, verumetiam iudicij gratiam conſecuturum. Malum autem adeò non eſſe, vt Chriſtianus reus nec erubeſceret, nec timeret, & vnum ſolummodo quòd non antè fuerit, pœniteret.* Longiuſculè, ſed quid omitterem? Itaque his verbis Octauius dum Chriſtianæ religionis ſiſtitur reus à Cæcilio ethnico; ſolâ mendaciorum detectione cauſſam vicit, Cæciliumque detriumphauit, quia hactenùs non *intelligebat fabulas iſtas* aduerſùs Chriſtianos, *ſemper ventilari, & nunquam vel inueſtigari, vel probari.*

*Reorum era ne defenſioni obſtruantur.*

Minut. in Octauio.

4. Geneſ. 3. v. 14. Rupertus ibidem. — Geneſ 3. præuaricatores infidè Protoparentes, perhumaniter Deus de reatu interrogat, aiens; *Quid feciſti?* Serpentem verò dæmonem damnat ininterrogatum. *Et ait Dominus Deus ad ſerpentem: Quia feciſti hæc, maledictus es.* &c.

Pulchra Serapionis verba ad hunc ſudatum locum elucidandum, & hoc idem thema illuſtrandum, aliàs dedimus. Audiendus eſt nunc Rupertus ſic opportunè ſcribens. *Et ait Dominus Deus ad ſerpentem: Quia hoc feciſti, &c. Ab homine cui iratus eſt, miſericordiæ recordari debet, Dominus Deus requiſiuit, & cum illo de facto ratiocinari dignatus eſt, cum ſerpente autem ſibi eiuſmodi nulla ratio eſt. Scriptum eſt enim, quia ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret. Scimus autem quia ſuper antiquum ſerpentem diabolum, ira Dei multa & interminabilis eſt.* Elegans ſanè verborum Pſalmi expoſitio, & quæ rem luculenter exaggerat. Quid? tota omnipotentis Dei ira effunditur in eum, de cuius delicto non ſatis quæritur, nec de obiecto ſibi reatu reus interrogatur? O quàm multa paucis Rupertus ſtrinxit ad Iudicum eruditionem.

*Omnipotentis ira effunditur in eum de cuius reatu non quæritur.*

Pſal. 9. ſecundum Hebræos 10. v. 4.

Poſtquam Pſalmographus plura ipſaque magnifica de iuſti beatitate dixerat, addit: Non ſic impij, non ſic: ſed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ. *Ideò non reſurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio iuſtorum.* Quid eſt quod extremè impij non reſurgent in iudicio? An quia conſummatè peſſimi ſunt, iudicio eximentur? Hoc ſanè ſcelerum priuilegium foret, virtuti inconceſſum: nam Deus vel ipſas iuſtitias iudicare perhibetur. Errant qui putant apud Cyrillum, ideò impios *non reſurgere in iudicio*, quia iam non erunt, cùm dicantur pulueris adinſtar diſſipati. Quos indè ſubtiliter arguit Hilarius: *Non abolitio*, inquit, *his qui vtique puluis erunt per id quod non reſurgunt denunciatur: ſed reſurrectio his ad iudicium denegatur. Non enim per id quod non erunt ſenſu pœnæ carebunt: quia lucri pœnam facit quod non ſubſiſtit ad pœnam. Subſiſtunt autem qui erunt pulnis.* Licet autem impij tanquam *puluis* ſint, & quaſi *puluis* ſubſiſtentes abiectiſſimè proculcentur; quomodò *non reſurgere in iudicio* dicuntur; vel *his ad iudicium reſurrectio denegatur?* An ſermo hîc eſt antropopathôs adſpectu ad humana iudicia, in quibus cauſſa rei viliſſimi & abiectiſſimi, & qui tanquam terræ *puluis* contemptim proculcatur, vix teſtibus diſquiritur, & noxij confeſſione exploratur; ſed reum feciſſe, damnaſſe eſt, & ſupplicio acerbiùs addici? Hoc inſinuare videtur Cyrillus præſcriptæ obiectioni ita reſpondens: *Ideò non reſurgunt impij in iudicio: ſimul vt ſurrexerint impij condemnantur.* Hem ſic tractantur damnatiſſimi impij; nam *ſimul vt ſurrexerint, condemnantur.* Sic acerbior Dei iuſtitia, adſpectu ad humana iudicia, publicatur: *Scriptum eſt enim, quia ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret.*

5. Pſal. 1. v. 5.

Hilar. ibi.

*Impij non reſurgunt in iudicio, quia ſimul vt ſurrexerint, condemnantur.*

S. Cyrill. Catecheſ. 18.

6. Matth. 22. v. 12. & 13. — Matthæi 22. miſer ille inciuili deſidiâ inter inueſtis, & abſque nuptiali amictu impudenter nudus, ab ipſo Regis ore audit: *Amice, quomodò huc intraſti non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex miniſtris: Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* En tametſi regiis oculis publicè in manifeſto ſcelere deprehenſus, tamen ritè de reatu interrogatur, ſi forſan aliqua excuſatio ſuppetat, quæ crimen aut extenuet, aut excutiat. Dum autem reus ora ſignat mutâ taciturnitate, ad *tenebras exteriores* damnatur. Et ſanè curioſius ſciſcitabitur aliquis, quare hic miſerè reus, cuius ſceleroſè infelix cauſſa tam cito & diſcuſſa, & damnata eſt,

*Reus de inconfeſſo crimine damnatus, cu-*

*In tenebras exteriores mittitur?*

eſt relegatus ſit *ad tenebras exteriores*? Eſtò, ad *tenebras* damnetur; eccur *ad exteriores*? Profectò exteriores tenebræ velut manifeſtæ ſunt, & (ſi dicere liceat) quodammodò lucidæ. An non ſatiùs foret hunc damnatiſſimum reum in tetro, inuiſo, & abſtruſo recludere ergaſtulo? Eleganter

Galfr. in l. 4. Reg. c. 5.

Galfridus rem ediſſerit: *Mittite eum in tenebras exteriores, &c. In tenebris ſiquidèm poſitus, iam non intùs, ſed foris erit: alienus ſiquidèm à luce veritatis, ſed ab eâ palam & publicè redargutus.* Scilicet hic miſer damnatus, etſi interrogatus publicam culpam confiteri abnuit, eamque proprio ore adhuc confeſſus non eſt: ergò conſultiſſimè *ad tenebras exteriores* damnatur. *Ad tenebras* inquam, quia hoc nomine feralis gehennæ cruciatus exponitur. *exteriores* autem, vt *iam non intùs, ſed foris ſit*, omniumque oculis expoſitus, qui iuſtiſſimam illius condemnationem approbent, & illius reatum palàm videant, nempe illum non veſtitum veſte nuptiali. Nam etſi interrogatus malitiosè ſiluit, ne ſe damnaret, tamen manifeſtè deprehenſus eſt, & ritè interrogatus. Ergò conſultè *mittitur in tenebras exteriores; & iam non intùs, ſed foris erit: alienus ſiquidèm à luce veritatis, ſed ab eâ palam & publicè arguitur.* Omnium oculis proſtet euidentia damnati criminis, quod nondum reus etſi conuictus, confeſſus eſt.

7.

Caſſiod. l. 7. epiſt. 8.

Caſſiodorus lib. 7. Variar. Regis nomine hanc formulam Præfecti vigilum vrbis Rauennæ euulgat: Modeſtiam ſequere, qui damnas audaciam: continentiam dilige, qui furta condemnas: *Ad geſta perducti audiantur aliquid pro ſalute dicturi. Quoniam quicquid non diſcutitur, iuſtitia non putatur.* Bellè pariter ac verè.

*Quod nõ diſcutitur, iuſtitia non putatur.*

8.

Prouerb. 13. v. 8.

Prouerbiorum 13. de Salomonis gymnaſio ſic erudimur: *Redemptio animæ viri, diuitiæ ſuæ; qui autem pauper eſt, increpationem non ſuſtinet.* Quaſi dicat: Si fortè diues aliquid grauius admiſit, id quidèm pecuniis facilè compenſat, & liber euadit: *Qui autem pauper eſt, increpationem non ſuſtinet*, Hebraicè, *Et pauper non audit increpationem*, id eſt, non increpatur, quia ſcilicet ante correptionem, vel increpationem damnatur. Quaſi dicat: *Pauper ante conteſtationem litis, inauditâ cauſsâ punitur.* Ita Cornelius, & Salazar ex Ianſenio, qui hanc expoſitionem ac ſententiam illuſtrat illo carmine Iuuenalis: *Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.* O ineluctabile pauperum damnum in iudicio non audiri; non priùs corripi ac increpari de crimine malâ fide obiecto, quàm damnari; non antè reum ſiſti, & in cauſsâ ſuâ ritè audiri, quàm *inauditâ cauſsâ puniri.*

*Pauper ante conteſtationem litis, inauditâ cauſsâ punitur.*

Hebræus. Cornelius. Salazar. Ianſenius. Iuuenalis.

---

## §. CXCIII.

*Principum aulam puta flendi agonem: in eâ per pericula ad pericula venis, per ornamenta deceptus, & aſſentationi obnoxius.*

1.

Politico-Chriſtian. lib. 1. c. 7.

QVid te Principum familiaritati & aulicæ tempeſtati obiicis? vitare potes. quis cogit Oceanum hunc nauigare? quòd ſi te tuaque fluctibus credas, nec damna ventos; domeſtici Oceano ſunt te damna, qui tam infido elemento, eademque horâ ridenti, eâdem

*Aula pericula.*

P. Didac. Celada in Eſtherem.

ſorbenti te tuaque credidiſti. At neſciebas ventorum fluctuumque ignarus. credere te mari non debuiſti. & quæ fatuitas ignoto ſe credere? ſanè aut non tentanda maria, aut non damnanda. Idem dico de Principe, & aulicâ vitâ. tenta antè hoc profundum prudentiæ bolide; breuiáque hæc deuita, arenas, ſcopulos, ne miſerum facias naufragium.

Marci 14. Magiſtri ſequax Petrus intrauit in Palatium, & ter infidus negator, refuga exiuit. 2.
Et dicebant Petro: Verè ex illis es: nam & Galilæus es. Ille autem cœpit anathematizare, & iurare: Quia neſcio hominem iſtum, quem dicitis. Et ſtatim gallus iterùm cantauit. Et recordatus eſt Petrus verbi, quod dixerat ei Ieſus. *Et cœpit flere.* O ſeras lacrymas! Cùm è palatio exit, tardè *cœpit flere*, qui cùm ingrediebatur flere debuiſſet, & prophetis lachrymis lapſum præproperè augurari. Paſchaſius Radbertus ſic de S. Adelhando fatur: *Inter ipſas*, inquit, *palatij populorum frequentias, dum Rex, & conſiliarij eius aliud quid intenderent, & turba nec ſolito vndique perſtreperet, ſæpè eorum in medio poſitus lugebat, quaſi ad agonem flendi huc veniſſet.* Quid eſt quòd Palatium Paſchaſius appellat *agonem flendi*, ſeu lachrymandi ſtadium? An non potiùs illud vocare debuiſſet ſuperbiæ fomitem, vanægloriæ gymnaſium, adulationis magiſterium? Ita quidèm. Imò exindè Paſchaſius Palatium ſentiosè appellat *agonem flendi*. Nam de cælo eruditus, & magiſtrâ experientiâ doctus, ſic præuidet aulam ad lapſus lubricam, vt ad palatium veniens, ad *flendi agonem* veniſſe videatur. Sic prona in palatio adeſt cadendi occaſio, labendi diſcrimen, & delinquendi augurium, vt quaſi ipſo ingreſſu flenda commiſerint, ad *flendi agonem* ingrediantur. Splendidè ridentes videas aulicos hilari fronte; Sed ſi animitùs illos inſpicias, aut corde flent, aut flenda miſeri tractant. O aulica ænigmata, in fronte riſus oſtenditur, in lacrymarum officinâ, luctuum ſtadio, & *flendi agone*. Serò Petrus dum è palatio egreditur, *cœpit flere*: nam ingrediens in *flendi agonem*, tunc conſultiùs illacrymari debuiſſet. O quam ſuo malo hic expertus eſt Aman aulicorum fidem, & aulæ periculoſam aleam! Sane flendi agonem hactenùs lætus frequentabat: ſed nec flendi tempus nunc illi conceſſum eſt.

Marci 14. v. 72.

Paſch. apud Surium in vita S. Adel.

*Palatium puta flendi agonem, in quo ſerò Petrus flere incepit.*

Hic verſ. 9. & 10.

Liceat hùc flectere quod de Iſide, & huius Deæ ſacris dixit Minutius Felix in Octauio: *Iſis*, inquit, perditum filium cum Cynocephalo ſuo & aliis ſacerdotibus luget, plangit, inquirit, & Iſiaci miſeri cædunt pectora, & dolorem infeliciſſimæ matris imitantur. mox inuento paruulo gaudet Iſis, exultant ſacerdotes, Cynocephalus inuentor gloriatur: *nec deſinunt annis omnibus, vel perdere quod inueniunt, vel inuenire quod perdunt.* (attentiùs penſita quod ad rem ſubiicit.) *Nonne ridiculum eſt, vel lugere quod colas, vel colere quod lugeas?* Eheu! quæ vecordia eſt, vel colere palatij limina, quæ lugeas tanquam *flendi agonem*; vel aſſiduò flere quod ſic hianter colis, ſuſpicis, adoras?

3.

Minutius Felix in Oct.

*Ridiculum eſt, vel lugere quod colas, vel colere quod lugeas*

Lib. 1. Regum cap. 16. Spiritus Domini receſſit à Saül, & exagitabat eum ſpiritus nequam. Dixeruntque ſerui eius ad eum; Iubeat Dominus noſter, & ſerui tui quærent hominem ſcientem pſallere, vt quandò arripuerit te ſpiritus Domini malus, pſallat manu ſuâ, & meliùs feras. Annuente autem Rege, dixit vnus de pueris eius: 4.

1. Reg. 16. v. 18.
*In aula per pericula, peruenitur ad grandius periculum.*

*Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum: & Dominus eſt cum eo.* Hebræi putant, (vt aliàs adnotauimus) quòd hæc verba pro Dauide ſuggeſſit Doëg Idumæus hoſtili animo, vt inimicum Dauidem in aulam Regis induceret, quaſi in lubricum culmen, certam ei præparans ruinam. Sed hæc fraus male illi ceſſit: nam poſtmodum Dauid otia palatij deſerens, in propriam domum reuerſus eſt. Verùm exinde periculoſo cum Gigante certamine, ſicut emit eſſe Regis generum, ita palatij diſcrimina expertus eſt. *Non rectis ergò oculis Saül aſpiciebat Dauid.*

1 Reg. 18. v. 11.

Porrò *tenebat Saül lanceam, & miſit eam, putans quòd configere poſſet Dauid cum pariete.* Scilicet Doëg non potuit inimicum ſibi Dauidem in palatio diu detinere, vt magno periculo ad maius palatij periculum perueniret. Quò alludere videtur Vir eruditus, ita ad rem ex Auguſtino ſcribens: *Lubrica veſtra vita & via eſt, qui in aulâ verſamini: in quâ, vt verè Auguſtinus dixit: Per pericula, peruenitur ad grandius periculum* Magnum ſubdit periculum Dauid, duellans inermis puer cum gigante Philiſtæo validè cataphracto. Aſt hoc magno periculo grandius aulæ periculum emit. ô vide mihi quanta ſint palatij pericula! Præclarè Polybius: *Sicut calculi modò ærei ſunt, modò aurei: ſic & aulici ad nutum Regis nunc beati ſunt, nunc miſeri.*

Lip. l. 4. Polit. cap. 11.
S. Auguſt. l. 8. Confeſ. c. 6.
*Aulici ſunt ſicut calculi*
Polyb. l. 5.

5. In eodem lib. 1. Regum, cap. 18. ita ſcribitur: Amouit ergò Dauidem Saül à ſe, & fecit eum Tribunum ſuper mille viros. *In omnibus quoque vijs ſuis Dauid prudenter agebat.* Vidit itaque Saül quòd prudens eſſet nimis, & cœpit cauere eum. verum licet Dauid nimis prudens & cautus erat, effugere non potuit aulæ inſidias, & palatij pericula. *Dixitque Saül ad Dauid; Ecce filia mea maior Merob, ipſam dabo tibi vxorem, tantummodò eſto vir fortis, & præliare bella Domini. Saül autem reputabat, dicens: Non ſit manus mea in eum, ſed ſit ſuper eum manus Philiſthinorum.* Hoc conſilio poſtmodum dedit illi vxorem Micholem. *Dixitque Saül: Dabo eam illi, vt fiat ei in ſcandalum.* Non ſufficit Dauidi in aulâ verſanti, nimis *prudentem* eſſe, & cautum nimis: parum eſt generum eſſe Regis, & tribunitiâ poteſtate regiæ militiæ cum ſummo imperio præfici: adhuc ab ipſis regiæ affinitatis, & Tribunitij muneris ornamentis cauere debuiſſet. Nihil te in aulâ verſantem fallat, nam vt ait Seneca, *Cùm omnia caueris, per ornamenta ferieris.* In Tribunitio imperio, in ipsâ Regis affinitate, quò Dauidem feriret, Saül inuenit, ni cælitùs ſeruaretur. Parum eſt palatinis omnia aduerſa nimis prudenter præcauere; adſit in ipſis ornamentis & gratiæ notaculis, ſecuri obſequium, & cautela metuentis: nam in palatio *cum omnia caueris, per ornamenta ferieris.*

1 Reg. 18. v. 17.
*In aula cùm omnia caueris, per ornamenta ferieris.*
Senec. Præf. l. 4. Quæſt. natur.

6. Exhodi 8. Moyſes & Aaron accerſiti ad Pharaonis palatium ad ranarum plagam inhibendam, de regis nutu conuentio facta eſt, cum dimiſſionis peroptatâ ſponſione. *Egreſſique ſunt Moyſes & Aaron à Pharaone: & clamauit Moyſes ad Dominum pro ſponſione ranarum.* Et cur in palatio non orat Moyſes, Dei familiaritati vbique aſſiduus? Diuina immenſitas quemlibet locum, in libertatis diuinæ idoneum oratorium conſecrat. Lipomanus inibi: *Egreſſique ſunt, &c. Non erat autem orationis locus in aulâ, Rege præſente impio.* In Regis aulâ non eſt orationis locus? Mores aulici preces hebetant, an diuinam liberalitatem præpediunt? *Non erat locus orationis in aulâ*, an in aula non erat ſpes impetrationis? Moyſes & Aaron qui in palatium intrant, vt Deum rogent, vt Deum rogarent, è palatio *egrediuntur*? Sic palatij opulentia, ambitio, vana gloria, faſtus vim orationis exarmant? ſic palatium repulſæ adulatur? Aulicæ ambitionis peſtilenti afflatu languet oratio, & puriorem ab *egreſſu* auram nacta, ad gratiam impetrationis conualeſcit, & vigorem priſtinum de palatij abſentiâ mutuatur.

Exhod. 8. v. 12.
*Palatij faſtus vigorem orationis arredit.*
Lipom. ibi.

Matthæi 2. cùm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. *Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo.* Mirum non eſt, quòd noui Regis audito nomine, Herodes rex turbetur inopinatâ ſceptri titubatione. At Iudæos cur turbat expectatiſſimi Meſſiæ felix aduentus? Imò & quo pacto verè dici potuit, quòd *omnis Ieroſolyma cum illo turbata* eſt? An non veroſimilius eſt, plures pios ac religioſos, de Magorum nuncio ſibi gratulatos? alios verò id neglexiſſe, alios forſan tanquam inconſultæ Magorum credulitati contemptim illuſiſſe; ô varium ſemper vulgus! Quomodo ergò dicitur ab Euangeliſtâ, quòd *omnis Ieroſolyma* cum Rege turbatur? Quæ eſt hæc omnis Ieroſolyma? Scitè Lyranus: *Omnis Ieroſolyma accipitur pro illâ parte, quæ fauebat Herodi. Illi qui erant ibidem maiores, & in regalibus officijs aſſiſtentes: illi cum Rege turbati ſunt.* Nimirùm aulici qui Regi aſſiſtunt, qui à regis latere ſunt, qui gratiam Principis aucupantur, qui regalia munera obeunt; hi, hi tantùm inquam, etſi adſpectu ad reliquos perpauci ſint, *omnis Ieroſolyma*, totúmque regnum appellantur. Ceteri quantumuis nobilitate illuſtres, ſapientiâ conſpicui, virtute reuerendi; quaſi nulla pars regni foret, ſub iniquo Rege habentur; tanquam alienigenæ, aut ſerui, aut nihili homines tractantur. Hi miſeri homines reuerâ totum regnum ſunt ad tributa pendenda, ad regni onera ſubeunda, & moleſtos militum delectus; (*vtebatur nobis quaſi proprijs, habebat nos quaſi alienos*) & nulla eorum ratio habetur in regni cenſu: quoniam aulici iniqui Regis miniſtri, totum illius regnum ſunt. *Omnis Ieroſolyma turbata* dicitur, quia palatini homines *in regalibus officijs aſſiſtentes cum Rege turbantur.* Sub impio Principe, de inciuili aulicorum tyrannide, nullo in loco, in pretio nullo ceteri habentur, ſed totum Iudææ regnum erat aulicorum grex: Hic tantùm turbatur, palatij pericula ſubit, & ruinam expaueſcit per aulæ ornamenta deceptus. Sed emedullanda adhuc ſunt præſcripta Euangeliſtæ verba vt hæ aulicæ nugæ, Regum palatiis exulent. 7.

Mat. 2. v. 3.
*Sub Herode, totum Iudææ regnum erat aulicorum grex.*
Lyran. ibid.
Vopiſcus.

8. *Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo.* Quæ verba ſic litteraliſſimè exponit Abulenſis. *Poteſt dici quod turbata eſt tota ciuitas, id eſt magna pars eius. hoc eſt verum quantum ad adulatores Regis. Nam ipſi fingunt ſe gaudere*

Mat. 2. v. 3.
Abul. q. 25. in cap. 2. Matthæi.

*dere de omnibus de quibus Reges gaudent, & dolere de quibus dolent.* Sciant, ſciant Reges magnam partem regalis curiæ, & metropolitanæ vrbis eſſe politulum adulatorum gregem, qui vultu & ore annunt Principum affectui & arbitrio, fas & nefas promiſcuè confundunt, quò ad ſe deriuent Regis gratiam adulationis ingenio. Pergit Abulenſis: *Præſtant Regibus aſſenſum accommodatum propter quæſtum, quem ſic extorquent. Et iſti vocantur aſſentatores, ab aſſentiendo dicti, quia fingunt ſe aſſentire omnibus, quibus Domini aſſentiunt, ſiue in bono, ſiue in malo. Nam magna pars Ieroſolymæ erat de iſtis aſſentatoribus Herodis: & ideò turbata eſſe dicitur tota Ieroſolyma.* O viderint regalis curiæ ſapientes, qui ex munere, aut profeſſione, adulationis nomen execrantur, an ab èxpromptè inconſultò *aſſenſu* aſſentatorum nomen mereantur, & rem nominis impleant. Viderint ne flectineſcia iura, & ſeueriorem morum Philoſophiam plus æquo flectant, vt Regibus annuant, & aſſentiant Principibus, è quorum gratiâ ambitionis præmia mercari ſtudent. Viderint inquam, ne ab aſſenſu, aſſentatores meritò nuncupentur. Quid nomen execrantur, qui rem nominis explent? Viderint etiam Principes, ne intutâ conſcientiâ cum his aulicis negotia tractent. Quiſquis aſſentatores conſulit, ante eorum ſuffragium rem decreuit: ſequaces quærit, non veritatis & iuſtitiæ duces. Videris rigidam ſapientiam conſuluiſſe, & blandam aſſentationem conſuluiſti. Porrò litteratorum ambitio, arbitrium eſt aſſentationis. Vide quales ſæpè mores aula afflet, fingat, efformet. Heu quoties aula aut peſſimos inuenit, aut facit! Aulici homines *omnis Ieroſolyma*, quæ cum impio Rege *turbatur*. Hi ruinis ſimiles ſunt, quæ ſupra id quod oppreſſere, franguntur.

*Aulica aſſentatio ſeu aſſenſio ſeuerè caſtigatur.*

9\. Scripſit Æneas Syluius (qui poſteà creatus Pontifex, vocatus eſt Pius II.) ad quempiam aulicum, librum de miſeriâ Curialium, id eſt aulicorum. Et poſt multa vitæ aulicæ vituperia ita concludit: *Quæ cùm ita ſint, relinquamus hoc pelagus inquietum, noſque in aliam vitam redigamus. Nam ſi pacem cupimus, ſi otium diligere, ſi nobis viuere volumus, ſi ſalutem animæ quærimus, fugienda nobis ſunt atria regum, & aulici tumultus, in quibus nec requies, nec bonarum artium exercitatio, nec virtutis amor aliquis regnat: ſed auaritia tantùm, libido, crudelitas, crapula, inuidia & ambitio dominatur. Quibus vitiis qui ſit deditus, nullo ſe poterit argumento tueri, quin apud viros doctos malus eſſe conuincatur, & ſtultus. Vale vir, niſi ex curialibus vnus eſſes, meo iudicio prudens.* Hæc Pius Pontifex ante ducentos annos ſcripſit. Viderit quiſquis virtutem amat, ſi ab hoc tempore aulæ mores ab his peſtibus conualeſcãt.

*Pius Pontif.* *Aulica vita addenſata vituperia.*

## §. CXCIV.

*Qui Regi propiùs adhæreſcere exambit, aulæ regiæ periculoſam aleam ſubeat neceſſe eſt; quam Sapientes ſollerter effugiunt.*

1\. QVid faciet vir doctus, pius, modeſtus (quid ſi & religioſus?) ad aulam quæſitus, inuentus, deſtinatus? Vitabit, ſi poteſt aulicos fluctus, & ſæuas palatij tempeſtates. Inſida ſunt hæc aulica maria tantorum naufragiis infamia. Itaque vir religioſè ſapiens tam longè abeſſe debet, vt ſit ambitioſè vltroneus palatij frequentator, (id eſt, diſſimulanter inuaſor) vt etiam ſi hæc ſecularis felicitas illum ad aulam, & Principis latus prouehat, vltrò eiuſmodi felicitatem reſecare debeat. Prudens nauclerus ſubducit nauem, & occurrenti ſe, dum poteſt, tempeſtati ſubtrahit, & portum legit: ſtolidus prouocat, & exaſperat audaciâ fluctus. Frequentandæ aulæ ambitio, quicquid ſpecie pietatis obtendat, diſſimulata periculi libido eſt: & ſpontanea fictæ virtutis titubatio. Auferenda eſt ab ambitione hæc perſonata ſpecies, atque ſua facies vitio reddenda. Aulæ fauor, honorata videtur virtus, & meræ vitiorum minæ ſunt, & tardè pœnitenda ſubuerſionis pericula. O aulam fuge, quiſquis virtutem religioſè amas! Palatium vltroneos riuales amat, refugas faſtidioſos refutat. Quod in Mardochæo, & nunc in Amane oculis cernere, procliue eſt. Hic verſ. 9. & 10.

*Nemo pñ ſapiens vltro ſe ingerit aulæ periculis.*

Ioannis 6. innumera hominum multitudo inopinatâ ſaturitate exultat in vaſtâ eremo, furtiuo paucorum panum piſciumque incremento ad ſacietatem vſque profluo. Illi ergò homines cùm vidiſſent quod Ieſus fecerat ſignum, dicebant: Quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum. *Ieſus ergò cùm cognouiſſet quia venturi eſſent vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterùm in montem ipſe ſolus.* Potuit id Chriſtus cognoſcere ex turbarum verbis, quibus de faciendâ electione adinuicem muſſitabant, nec longè aberant vt triumphali clamore illum vno ore Regem conclamarent: Ceterum benè eſt, Chriſtus Chriſtianæ humilitatis idea, præproperè regios honores, abundè promeritos, & ſpontè oblatos: quid eſt, quòd *ſolus* abſceſſit? Quod autem dicit Euangeliſta (ait Maldonatus) *fugiſſe ſolum, ita omnes intelligunt, vt non ſolùm turba, ſed diſcipulis etiam ſuis relictis fugerit.* Profectò non miraret, quòd incertum turbarum vulgus abundè ſatur, ſaturitatis præbitorem conclamans Regem, *ſolum* relinquat, & incomitatum fugiſſe negligat: (hoc eſt enim incerti vulgi certiſſimum ingenium) at valdè torquet ingenia Interpretum, cur in eâ occaſione nec Diſcipuli quidèm ſui illum ſecuti, ſed *ſolum* abire patiuntur? An non eius conuictores erant, gregales, contubernales, & vnam cum eo familiam conflabant? An non Chriſtum ſemper indiuiduo comitatu ſequebantur? Quid nunc in cauſsâ eſt, vt præter conſuetum diu morem, abire *ſolum* patiantur: & ei adhærere negligant? Nuper laudatus P. Ioannes Maldonatus valdè hâc difficultate coarctatur, & penè opprimitur, ſic inibi fatus: *A nemine quæri video quâ ratione ſolus fugere potuerit; certè fugientem & Diſcipuli & turba omnis, quæ aderat, videre potuit, cur ergò ſaltem Diſcipuli, quò fugere videbant, non ſequebantur ..... Hoc ipſo quod nec illi, qui eum Regem facere volebant, nec ipſius eum Diſcipuli ſecuti ſunt: non ſolum probabilem, ſed penè certam ego coniecturam facio, Chriſtum ſe inuiſibilem reddidiſſe.* Quid ſi Diſcipuli, ſubaudientes Chriſtum acclamari *Regem*, illum tunc ſequi cunctantur? Scilicet Diſcipuli ſequebantur Chriſtum, tamquam magnum aliquem Prophetam miraculis imprimis clarum, tanquam morum pædagogum & omnium ſanctitatum magiſtrum: impenſo enim virtutis ſtudio illi

2\. Ioan. 6. v. 15. Mald. ibi.

*Vbi Ieſus conclamatus Rex, eius ſequelam Diſcipuli intermittunt.*

illi adhærebant: aſt forſan vbi *Regis* nomen in-crebreſcere ſubaudiunt, abſcedentem non ſequuntur, recedenti non adhærent, ne *Regem* ſequi, Regíque adhæreſcere videantur. Sic Chriſti hactenus indiuidui ſocij auerſantur humani Regis latus? O bonam morali ſenſu eruditionem! Poſtmodùm verò regni tumulculo iam extincto, & fugâ humani regni animaduerſâ, Chriſtum quærunt, inueniunt, & illi familiari ſequelâ adhæreſcunt.

3\. 1. Regum 16. Spiritus Dei malus Saülem vexat, & aulici apparitores ſuggerunt, vt egregius pſaltes quæratur, qui anxium Regem plectro recreet. Et reſpondens vnus de pueris ait: *Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus eſt cum eo.* Eueſtigiò accerſitur è paſcuis Dauid, quem Rex *dilexit nimis*, factuſque eſt eius *armiger*, & dum pſallebat, refocillabatur Saül. Curioſè perueſtigant Interpretes ecquis fuerit hic palatinus, qui ſic magnificè Dauidem coram Rege laudauit præter aulicorum morem? Quâ ſuper re audiendus eſt inibi Abulenſis? *Dicunt*, inquit, *Hebræi, quod iſte fuit Goeth, qui erat principalis inter famulos Saül. Et dixit hoc ex odio, quia iam habebat exoſum Dauid, & ſic quærebat, vt ſtaret in præſentia Saülis cum à dæmone affligeretur .... & ideò ipſum commendauit non ad bonum Dauid, ſed vt malum indè ſequeretur.* Hanc interpretationem, quam ex Hebræis arripuit Lyranus, alibi ad hoc ipſum thema elucidauimus. Nunc expendere enucleatiùs oportet rationem, quam adducunt Hebræi, vt hanc ſententiam adſtruant Pergit itaque Abulenſis inibi: *Et ob hoc iſte Goeth addidit aliquid in laudibus Dauid, quod non videbatur verum: nam dixit eum eſſe virum Bellicoſum, qui adhuc erat iuuenis. Vndè & Saül dixit ei poſteà ſequenti cap. Non vales reſiſtere Philiſtæo iſti, quia puer es? ſic enim frequenter faciunt homines malitioſi commendando eos quos oderunt, vt in aliquo caſu ſub ſpecie boni illos confundant.* Nota ſubdolas palatinæ vulpis technas, vt indè odorari liceat aulæ pericula. Parùm foret, ſi hic Goeth ex inteſtino aduerſus Dauidem odio, ſollicitaret in aulam ingreſſum, niſi mentiris etiam præconiis Dauidicas laudes exaggeratiùs commendaret, vt perniciem illi è diuerſo ſtrueret, & inde confuſione ſuffunderetur, vndè credi poterat ſublimatus. O caue tibi à periculoſâ aulæ felicitate, lubricâ, falſatâ, infidâ: nam (vt alia etiam deſint) per ipſa ornamenta decipieris; aulica enim calliditas vel ex panegyri ſatyram refingit in ambitioſæ politiæ officinâ. Hæc forſan Dauid odoratus, accerſitus ad palatium, etſi eum Rex *nimis dilexit*, ſummque *armigerum* conſtitituit, confeſtim ad paſcua rediit aulâ auidiùs relictâ, quàm ab aliis quæſitâ. De quo idem Abulenſis ad cap. 17. quæſt. 40.

1\. Reg. 16. v. 18.

Abulenſ. ibi q. 34.

Lyra.

*Ex odio aulicorum, Dauid exaggeratius apud Regem laudatur.*

Abulenſ.

4\. Geneſeos 47. Ioſeph Patriarcha, beneuolis obſequiis exepto patre Iacobo cum familiâ eius vniuerſâ, nunciauit Pharaoni, dicens: Pater meus & fratres, oues eorum & armenta, & cuncta quæ poſſident, venerunt de Terrâ Chanaam: & ecce conſiſtunt in Terrâ Geſſen. *Extremos quoque fratrum ſuorum quinque viros conſtituit coram Rege.* L X X. Interpretes non habent illam vocem, *extremos*: quæ vox, ob ambiguitatem cùm dupliciter accipi poſſit, duplicem item reddit ſententiam, duplicemque parit huius loci expoſitionem. *Extremitas* namque dupliciter explicari poteſt; vel à parte ſuperiori, & idem eſt atque primum & ſummum; vel à parte inferiori, & idem atque infimum & vltimum, vtroque enim verſus dicitur extremitas. Ioſeph igitur ſtatuiſſe coram Rege quinque *extremos* fratrum ſuorum dupliciter poteſt intelligi: vel vt elegerit quinque omnium ſuorum fratrum primos, primos inquam vel ætate, vel formæ atque corporis præſtantiâ, vel loquendi facundiâ, vel agendi prudentiâ, vt ex illis Rex atque proceres Ægyptiorum, generis Ioſeph nobilitatem atque claritatem cognoſcerent: ita Lyranus, Abulenſis, Caietanus, & Thomas Anglicus, quod humanæ prudentiæ, & congenitæ hominibus ambitioni eſſet valdè conforme. Poteſt etiam hic locus in contrariam ſententiam exponi, vt per *extremos* intelligamus infimos atque vltimos fratrum, vel ætate, vel aliis dotibus proximè memoratis: ne Rex videlicet propter eorum præſtantiam vel corporis vel animi, eos aut Reipublicæ, aut bello, aut aulæ deſtinaret: ita ex Oleaſtro & Hamero hunc locum ad litteram & ad mores Pererius noſter luculenter exponit: *Ergò*, inquit, *mirari eſt hoc loco ſingularem prudentiam Ioſeph, omnia quæ futura eſſent in rem, atque vſum fratrem ſuorum ſollerter proſpicientis, diligenterque curantis..... Inſuper omni ſtudio atque curâ egit: ne fratres ſui regiæ aulæ inſererentur, ſed magis domeſtico gauderent otio, & filiorum ſuorum cultum procurarent.* O miriſſimè aſpectabilem magni patriarchæ prudentiam, de aulæ periculis, ſapienter eruditam! Quid foret tam volupe homini de genere hactenùs ignoto, & principem regni locum occupanti, quàm vt fratres eius palatij limina primò adeuntes, formæ atque corporis præſtantiâ, veſtium nitore, famulorum ſatellitio, & facundo vrbanè eloquio præfulgererent, quò auita retrò nobilitas ambitioſo faſtu trauſluceret, ne ipſe qui primus faſtigio præminebat, genere poſtremiſſimus haberetur? Ioſeph autem de aulæ experimentis diu edoctus, hæc omnia negligit, & & agreſte vitæ paſtoritiæ miniſterium Ægyptiis vile & exoſum, in ſuis repræſentat, *ne fratres ſui regiæ aulæ infererentur.* Mauult ipſe diu in palatio princeps, ruſticanus genere haberi, quàm nobilitatis oſtentatione, fratribus ſuis aulæ pericula accerſere. Proprio dedecore ſuorum incolumitatem redimit: & quos famis periculo peramanter liberat, periculoſos in aulâ facere generosè recuſat. O ſalubrem hominibus eruditionem!

Geneſ. 47. v. 2.

*Vel ſuo dehoneſtamento mercatur Ioſeph, ne eius fratres aulæ inſerantur.*

Lyranus. Abulenſ. Caietanus. Thom. Angli.

Oleaſter. Hamerus. Pererius ibi.

Matthæi 20. Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: *Quid vis? Ait illi: Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. Reſpondens autem Ieſus dixit: Neſcitis quid petatis.* Ambitioſus matris amor expetit, vt ſic propiùs accedant ad regem Chriſtum, vt vtrumque latus, vtramque aurem, adeoque totum occupent; nec quis ad Regem niſi per eos accedere poſſit, vti nonnulli hodie (& omni æuo) aures & animos Regum principumque occupant, vt nemo niſi per eos accedere poſſit. Reſpondet illis Chriſtus: *Neſcitis* 5.

Matth. 20. v. 21. & 22. Cornel. ibi

*Qui ad dexteram Regis vocantur, propiùs accedere ambiunt, ſiniſtram negotiantur.*

citis quid petatis. Arabicus: *Quid vultis, quid* Arabicus. *petitis?* Quaſi dicat: Neſcitis quid velitis & petatis. Cauſſam ſagaciùs perueſtigant Interpretes. S. Hilarius: *Neſciunt*, inquit, *quid petunt. quia nihil de gloriâ Apoſtolorum ambigendum erat: iudicaturos enim eos ſuperior ſermo expoſuit.* Fruſtrà enim exambiunt prope Regem Chriſtum accedere, qui ad id, ipſis non ambientibus, vocati, & electi ſunt. Verùm pulchrè inibi Chryſoſtomus adnotat, quid hæc ambitio propiùs ad Regem accedendi, expetierit: *Neſcitis quid petatis. Ego vos vocaui ad partem dexteram, & vos veſtro conſilio de dexterâ curritis ad ſiniſtram.* Moraliſſimè quidèm! Qui à Rege *vocatus* propè accedit, *dexteram* tenet, dexteramque glorioſè occupat. Quod ſi de ambitionis æſtu adhuc propiùs accedere inuocatus vltrò ſatagit; *ad ſiniſtram currit*, ſiniſtram partem & ſortem negotiatur. O typica ethicè eruditio, Regum miniſtris peridonea! Qui Regi propiùs adhæreſcere exambit, aulæ Regiæ periculoſam aleam ſubeat neceſse eſt: adeò vt à dexterâ currat ad ſiniſtram.

S. Hilar. ibi.

S. Chryſoſt.

---

## §. CXCV.

### *Ambitioſior aulicorum adulatio; & Principum aures aſſentationi faciles, egregiè vapulant.*

1\. Pſal. 69. v. 4.

REx ille Hebræus & rebus geſtis, & ſanctitate inclytus, in Pſal. 69. aulicorum mores mentitâ adulatione blandè mulcentes, deteſtatus, à ſe his verbis ablegat: Auertantur retrorsùm, & erubeſcant, qui volunt mala mihi. *Auertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi: Euge, euge.* Hoc eſt, confeſtim, ſeu è veſtigio abſcedant, qui non ſolùm res benè geſtas magnificentiùs laudant; ſed penè ſcelera ſceleſtiùs magnificant, & poſtquam ea excuſationibus extenuarunt, adulantiùs eadem commendant: nec *erubeſcunt* dicere, Malum bonum: & propè compellunt in male factis gloriari, ſolenni illâ aſſentationis voce, *Euge, euge*, id eſt, *Macte, macte*, in quo laus cum adhortatione ad ſimilia continetur. Vel (vt Nebienſis exponit) *Gaudeas, gaudeas.* Ergò ambitioſus grex adulatorum, quaſi aulici ſcelerum duces, *ſtatim, ſeu è veſtigio erubeſcentes auertantur*, & à me longiùs abſcedant, ne me in ſcelerum iter blandè deducant. Audiendus eſt Barcilonenſis Pacianus in re, etſi non eâdam, non abſimili, ita ad rem ſcribens: *Quid quæritis, inquit, ſera ſolatia? Tunc decuit cùm licebat. Dura iſta vox eſt, ſed qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & ſemitas pedum veſtrorum conturbant. Facinoris viam monſtrat innoxiis, qui nocentibus poſt ſcelera blanditur.* Nempe aulica illa vox: *Euge, euge: Macte, macte, Gaudeas, gaudeas*, non tantùm manifeſtè adulatoria eſt, ſed etiam occultè adhortatoria, & ad ſimilia blandè pelliciens. Ait ergò rex Dauid aulæ mores auerſatus: Auertantur ſtatim erubeſcentes, qui adulari perpetuò adſueti, dum dicunt mihi, *Euge, euge*, & *nocentibus poſt ſcelera blandiuntur*; me in *errorem mittere*

Nebienſ. ibi.

Facinoris viam monſtrat, qui nocenti poſt ſcelera blanditur.

Pacian. in Paræneſ. ad Pœnit.

P. Didac. Celada in Eſtherem.

blandius militant, & facinoris viam monſtraut innoxiis.

2 Amos 7. hic Propheta veridicus, & de acri ingenio, & Dei inſtinctu durus concionator, odium regis Ieroboami, & regiæ curiæ confeſtim incurrit. Amaſias autem ſacerdos, qui præ aliis exoſum habebat Prophetam, hæc dixit ad eum: Qui vides, (hoc eſt, Videns, ſeu Propheta) gradere, fuge in terram Iuda: & comede ibi panem, & Prophetabis ibi. *In Bethel non adiicies vltra vt propheses: quia ſanctificatio Regis eſt, & domus regni eſt.* Pro τὸ *ſanctificatio Regis eſt*, Gloſſa habet in margine, *Palatium Regis eſt.* Opinor quòd non ſine felle, & moraliſſimæ reprehenſionis aculeo, Regis impiiſſimi (Ieroboami inquam) *palatium* dicitur, *Sanctificatio Regis.* quod acutè Strabus Fuldenſis adnotauit: *Sanctificatio Regis. Non ait Sanctificatio Dei noſtri eſt, ſed Regis: adulando regali faſtigio.* Nempè de aulicæ adulationis genio eſt, vt *palatium* dicatur, *Sanctificatio Regis*, non Dei. O impiam *ſanctificationem* de aſſentationis ſacramento notiſſimam! Profectò in *palatio*, in ore inquam, palatinorum, plerumque Regis inertia, conſultior cunctatio nominatur; præceps ira dicitur flagrans iuſtitiæ zelus; Regis effuſior libido audit, frequens & permiſſa Principibus recreatio; auarior rapacitas dicitur neceſſarius ad bellum apparatus; populorum ſpectata euerſio, aut non creditur, aut inuidiâ temporum coloratur; & aperta vitia de aliquo virtutum confinio ſubdolè honeſtantur. Adeò vt aulicorum ambitioſâ adulatione, *Regis palatium, ſanctificatio Regis* ſit. Addit, *Et domus regni.* quaſi vna regis Ieroboami domus, in omni illius regno ſola ſit. Sic negligitur aliarum euerſio, & immerita ruina! Sic vni domui Regis, reliquæ omnes regni domus ſeruire conguntur: & vt hæc ſublimetur, reliquas euerti contemnitur! Sic, vt vnus ſtet ſublimis, regnum euertitur! Sic ſub Ieroboamo Iſraëlitici regni *adulatio* ſubruebat! Sic nunc aulicorum adulatoriè conſilium, velut Regis iuſtificatio cenſeri poſſet.

Amos 7. v. 13.

Gloſſa indidem.

Strab. Fuldenſ. inibi.

Regis palatium ex ingenio adulationis, Regis ſanctificatio nominatur.

Hic verſ. 9. & 10.

3\. Actorum 12. frequens populus ad Herodem conuenit, pacem petiturus. Statuto autem die Herodes veſtitus veſte regiâ ſedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. *Populus autem acclamabat: Dei vox, & non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini..... & conſumptus à vermibus expirauit.* Huius adulationis peſtilens afflatus ſic acria toxicauit, vt Regem vermibus ſcatere fecerit morſicatione lethali? *Et quid ad hunc ſi illi vociferabantur?* (ait inibi Oecumenius.) *Quia vocem ſuſcepit, quòd ſeipſum huiuſmodi aſſentatione dignum arbitraretur. Hic quia audiuit: Vox Dei, & non hominis. quanquam nihil dixit, talia paſſus eſt.* O quàm dura calamitate luit Rex aures adulatoribus præbuiſſe! O quanta eſt aſſentationis malitia, quæ beneuolos auditores ſic inuitiat! *Quia audiuit, quanquam nihil dixit, talia paſſus eſt.* Excolanda ſunt à Principe per aurium margines, ſupplicum, & aulicorum verba, ne ſint adulationis veneno tectiùs medicata. Qui aſſentationis lenocinium hiat de dulci, ſaltem timeat de infauſto. Adhuc idem Oecumenius addit: *Verùm quare non etiam aſſentatores puniuntur? Vtrique ſanè ſupplicio digni erant: verum cùm nondum tempus ſit iudicij, is punitur qui maximè obnoxius eſt crimini.* Profectò gratæ Principum

Actor. 12. v. 22 & 23.

Oecum. ibi

Quia adulatores audiuit Herodes, etſi nihil dixit, grauiſſimè fertur plaga.

aures adulatorum peſtem nutriunt, & audientiæ gratia, ambitioſum aſſentandi ardorem conflabellant.

4. Iob 13. aduerſus Amicos diuinam æquitatem ac prouidentiam, de antiquatæ philoſophiæ ſcholis, immodicè exaggerantes, ſic Iobus acerbè fatur: Priùs vos oſtendam fabricatores mendacij, & cultores peruerſorum dogmatum .... *Numquid Deus indiget veſtro mendacio, vt pro illo loquamini dolos? Numquid faciem eius accipitis, & pro Deo iudicare nitimini?*

Iob. 13. v. 7. & 8.

*Qui Deo adulari præſumit, non ſecùs habetur ac ſi contra eum loquitur.*

Nimirùm ſeriò Iobus aſtruebat, Deum in hâc mortali viâ, etiam eximiè iuſtos calamitatibus durè multare. E contrariò, Amici quaſi pro Deo ſtarent, conſtanter aſſeuerabant, iniquos duntaxat ærumnis premere, iuſtos verò mundialibus bonis felicitare. quò ſibi videbantur, Deo gratificari, & eius æquitatem adulantiùs extollere. Quod Olympiodorus ſubtiliter vidit, & his verbis ediſſerit: *Hebræus autem dixit: An vos verecundamini? id eſt veremini contra Deum dicere: idcircò ad gratiam loquimini. Veſtris igitur ipſi rationibus proſpicite, qui Deo videmini patrocinari, cùm mea ſunt vobis minimè ignorata.* Et poſt pauca: *Iudex eſt enim Deus incorruptus, Iuſtoque vos ſuffragio condemnabit; veſtramque callidam, captioſamque ſententiam refutabit; veſtrumque mendacium & falſitatem coarguet, non ſecùs ac ſi contra eum dixiſſetis.* Itaque Iobi Amici, tametſi contra veritatis conſcientiam, (vt ex Olympiodoro recitauimus) id dixiſſent; pertinaciter tamen tuebantur, quaſi *verecundati*, aut *veriti contra Deum dicere; & idcircò ad gratiam loquebantur*, Deo adulari putantes, ſi illi *patrocinari* viderentur: de humanorum Principum cenſu præſumentes, Deum non tam pro veritate, quàm pro is, qui *ad gratiam loquuntur* ſtare. Vide hîc adulatorum *peruerſa dogmata*, quæ nunc falſitatis Iobus conuincit, aiens: quòd Deus non eſt is, qui verbis ad gratiam compoſitis delectetur, nec palpetur aſſentationis blandimento: imò potiùs pro ſe loquentes captandæ gratiæ compoſitâ calliditate *coarguat, ac refutet, non ſecùs ac ſi contra eum dixiſſent.* Ac ſi apud Deum in eodem damnationis cenſu ſint, & ſui ambitioſè adulatores, & temerarij Diuinitatis vituperones. ô terreni reguli à ſummo Rege hanc eruditionem ſtudioſius ediſcant!

Olym. in Caten. ibi.

5. Ezechielis 13. hæc ad eum dicit Dominus: Et tu pone faciem tuam *contra filias populi mei, quæ prophetant de corde ſuo.* (Strabus Fuldenſis exiſtimat, ſermonem non eſſe ad feminas prophetiſſas, ſed ad maſculos effeminatè prophetas, *qui quaſi feminæ voluptatem & luxuriam prædicant.*) Hæc dicit Dominus: *Væ qui conſuunt puluillos ſub omni cubitu manus: & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas.* Hæc magnus Gregorius lib. 18. Moralium in aſſentatores confert, qui audaciam hominibus alunt in peccando *Sunt*, inquit, *nonnulli, qui dum mala facta hominum laudibus efferunt, augent, quæ reprehendere debuerunt. Hinc enim per prophetam dicitur: Væ quæ conſuunt puluillos ſub omni cubitu manus; & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis. Ad hoc quippè puluillus ponitur, vt molliùs quieſcatur.* Vnde Anſelmus Laudunenſis per *puluillos* ſub omni cubitu manus ſubſtratos, *ſuauem adulationem* commentatur: nam quantumuis dura & ingrata improſperè acciderint, de ſuaui adulationis blandimento, mollia & mellea fucatè redduntur. Sic perſtringit oculos aſſentatio, & mentis lumen obtenebrat, vt falſa pro veris nundinetur. Gloſſa inibi pro τὸ *Faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis*, ita excribit, & ad rem exponit: *Faciunt velamina ſuper caput omnis ſtaturæ ad venandum.* Scilicet, cùm per *puluillum* ſub omni cubitu, & *ceruical* ſub capite, denotet *ſuauem adulationem*, ſententioſè illam exponunt, *velamen ſuper caput ad venandum.* Quæ eſt pulchra adulationis deſcriptio. Porrò adulatio ſuauitatis lenocinio aures blandè titillans, ſic falſatæ laudis mendacium colorat, vt dum gratam audientiam inuenit, *velamen ſuper caput ad venandum* oppandat. Cognatum enim eſt ambitioni, auxiliarem aduocare adulationem, quæ oculos & faciem principis grato *velamine* obcæcet, ad ambitam Dignitatem callidè *venandum.*

Strabus inibi Ezech. 13. v. 18.

S. Gregor. 18. Moral. cap. 3.

*Ambitioſa adulatio, Principis oculos obuelat ad venandam ambitam dignitatem.*

Anſel. inibi.

Gloſſa ibid. in margine LXX. Interpret.

6. Canticorum 2. ſic ſponſa fatur: Sicut *malus* inter ligna ſiluarum, ſic dilectus meus. *Sub vmbrâ illius quem deſideraueram, ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.* Michaël Ghiſlerius ex Origene, Theodoreto, & Ambroſio, horum verborum ſenſum eſſe tradit, vt nomine vmbræ eius, quem ſponſa ſe deſideraſſe, ait, ſignificetur *Lex Moyſis*, quam vmbram futurorum appellauit Apoſtolus, ſub quâ ſederit ſponſa, id eſt, Eccleſia. Et ſanè mirum eſt, & valdè mirum, quòd naſcens Eccleſia ſic auidè exoptarit ſedere *ſub vmbra mali Moſaicæ legis*, quam ſuo ortu caducam, imò & præ ſenectute expirantem excepit. Quin & miriſſimum eſt, quod *ſedens* ſub *malo Moſaicæ legis* iam effœtæ, & exhauſtæ præ nimiâ vetuſtate, carpens illius poma extremè ſeneſcentia, dicat: *Et fructus eius dulcis gutturi meo.* An non ad legis Moſaicæ ceremonias nauſeat Eccleſia? Fateor, illas veneratur, vt potè olim à Deo Hebræis datas; ſed quaſi nimis veteres, caducas, rancidas, & ſibi inidoneas reſpuit, & faſtidit. An principi quondam Moſaicæ legi iam ſeneſcenti, velut ironicè Eccleſia adulatur, aiens: *Et fructus eius dulcis gutturi meo?* Perbellè Tertullianus aliorsùm fatus, tacitè exponens huius Moſaici *mali fructus dulces*, ita ſcribit: *Velut poma cùm iam in acorem vel amaritudinem ſeneſcere incipiunt, ex parte aliquâ tamen adhuc ipſi gratiæ ſuæ adulantur.* Profectò expenſione digniſſimum eſt, quòd *Moſaica lex* nec dicatur ſibi adulari, nec adulationes ab aliis expetat, cùm in Sinâ floruit, in deſerto adoleuit, & in Palæſtinâ fructificauit. Porrò flores ambitioſè vernantes, & poma fructuoſè autumnantia, florentis gratiæ, & conditæ maturitatis priuilegio, laudationis pompam adulantiùs expetunt. Imò tunc effuſior laus, adulatio non foret, ſed meraciſſima veritas, quæ ab adulationis re planè deſciſcit. Tunc, tunc quidèm poma *ipſi ſuæ gratiæ adulantur*, & adulationis implent elogium, cùm ineunte corruptione, *iam in acorem vel amaritudinem ſeneſcere incipiunt.* Ediſce hîc adulationis ingenium de Tertulliani ſcholâ: & nota, quòd legis Moſaicæ (per myſticam ad mores ironiam) *fructus* tunc Eccleſiæ gutturi *dulcis* cenſetur, cùm præ nimiâ ſenectute veteraſcit, *& in acorem & amaritudinem ſeneſcere incipit*, quia optatiſſimi Euangelij flores tunc ad gratiam erumpunt, qui pulchrè tot fructus pollicentur.

Cant. 2. v. 3. Ghiſler. inibi, in Append. exp.

*Poma ineunte corruptione, ipſi ſuæ gratiæ adulantur.*

Tertull. de Pœnit. c. 6.

Paullus

7. Paullus 1. Corinth. 13. Charitas patiens eſt, benigna eſt: charitas non æmulatur, *non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa.* Quid eſt, *non agit perperam?* Cornelius: *perucrsè, proteruè, malitioſe:* Caietanus: *Non eſt inconſtans:* Theophylactus, *Non eſt præceps, leuis, temeraria, ſtolida:* Syrus, *Non eſt tumultuoſa:* Clemens Alexandrinus, *Non eſt fucata, aut nimis compta.* Quæ omnia, opinor, vno verbo impreſſe compendiauit Vatablus ſcribens, *Non adulatur.* Exindè cognatâ *adulationis* elogia ſubdit Apoſtolus, *Non inflatur, non eſt ambitioſa.* O non bona adulationis cum elatione & ambitione cognatio! Porrò adulatio eſt fœcunda vitiorum matrix, & operoſa adiutrix. Pulchrè Alanus de Planctu naturæ: Adulatores ſunt *Principum laterales, palatini canes, adulationis artifices, fabri laudis, figuli falſitatis. Hi ſunt qui magniloquâ commendationis tubâ in diuitum auribus inſonant, qui vt emungant munera, caput diuitis oleo adulationis inungunt.* O palatinos canes blande truces, gratè crudeles! in ſpecie blandiuntur, ſed melleo latratu amariſſimè mordent, dum fucatis & nimis comptis verbis ad gratiam modulatè compoſitis, Principum latus placidâ hoſtilitate inuadunt, vt falſato aurium lenocinio munera petulanter emungant. O malè ſciolos laudum fabros, qui in fabrilibus ambitionis caminis, ad Reipublicæ perniciem grata mendacia vaferrimè excudunt!

*1. Cor. 13. 4. Cornel. ibi. Caietanus. Theophylact. Syrus. Clem. Alex. 3. Pædag. c. 2. Vatablus. Adulator eſt faber laudis, figulus falſitatis in ambitionis officinâ. Alanus.*

---

## §. CXCVI.

### *Adhuc vapulat aulicæ adulationis inſania.*

1. PRudenter olim ad Piſonem Galba: *Irrumpet adulatio, blanditiæ peſſimum veri affectus venenum, ſua cuique vtilitas, & ego, & tu ſimpliciſſimè inter nos hodie loquimur, ceteri lubentiùs cum fortunâ noſtrâ quàm nobiſcum. Nam ſuadere principi quod oporteat, multi laboris; aſſentatio circa Principem quomodocumque ſine affectu peragitur.* Vbi Principatum, vel Præfecturam adeptus fueris, adulatio pariter ſubintrabit. Aderunt paſſim, quibus omnia Principum, honeſta atque inhoneſta, proba ac improba laudare mos eſt: neque Principibus iam, ſed Principum fortunæ inſeruiunt; cùm hæc loquuntur, huic conſilia largiuntur. ita fit, vt nemo ſuadeat quod decet. Principis enim frontem intuentur, ac in quam ille partem, in hanc ſe prono corpore propellunt: iuſtum nimirùm probumque illis, quod iuſtum probumque Princeps iudicauarit. Nil credendum in os laudanti, niſi vt hoſtem credas hunc laudatorem. *Monſtrabo tibi* (ait Seneca) *cuius rei inopiâ laborent magna faſtigia, quid omnia poſſidentibus deſit, ſcilicet ille, qui verum dicat, & hominem inter mentientes ſtupentem, ipſaque conſuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam rei perductum, vindicet à conſenſu falſorum.* Cognatus Magnatibus renutus vera dicentibus, adulatorum gregem ad laudes ſubornat.

*Polinco-Chriſt. lib. 1. c. 18. Peſſimū veri affectus venenum, adulatio. Principibus id vnum deeſt, nempè, qui verum dicat.*

2. Regius Pſaltes ſic hâc ſuper re modulatè pangit: *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* Treuetus Hieronymi verſionem recitat: *Laudatur impius ſuper deſiderium animæ ſuæ.* In confeſſo eſt, quòd Pſalmographus hîc loquitur de adulatoribus, qui impios & peccatores laudant non ſolùm de male factis, quæ omnes vident, & ab omnibus reprobantur; ſed etiam de occultis *deſideriis animæ.* Quò forſan adludit Clemens Alexandrinus, aiens: *Inſtar adulatorum adhæreſcunt vitæ:* dum illam aſſentatorio ſermone laudando crebris morſicationibus ſenſim abrodant, & blatratum ad inſtar illi adhæreſcentes conſumant. Ceterùm non conuenit inter expoſitores, an de *deſideriis animæ* ſenſitiuæ, an de rationalis *animæ deſideriis* ſermo ſit. Noſter Lorinus inibi, poſtquam Hebræam radicem examinauit, addit: *Ideò deſideria animæ ſunt, quæ ex appetitu proficiſcuntur cum brutis communi.* Scilicet deſiderium, vel appetitus ſenſitiuus, qui eſt in homine cum brutis communis, multò deterior eſt, quàm brutorum appetitus, quod inibi idem Clemens Alexandrinus adnotauit, aiens: *Hominibus beſtiæ beatiores: non ſunt apud eas genera adulatorum.* Beatiores ſunt beſtiæ, quàm homines, quia quod beſtiale etiam in eis eſt, & *cum brutis commune*, eſt adulationi obnoxium; quâ aſſentationis iniuriâ beſtiæ carent. *Landatur peccator in deſideriis animæ ſuæ (quæ ex appetitu proficiſcuntur cum brutis communi) Hominibus beſtiæ beatiores, non ſunt apud eas genera adulatorum.*

*Pſal 9. v. 24. Apud Hebr. Pſal. 10. v. 3. Treuetus Hieronym ibi. Adulatores adhæreſcunt vitæ. Clem. Alex. in adhort. ad Gentes. Lorinus ibi. Beſtiæ hominibus ſunt beatiores, quia adulatoribus carent. Clem. Alex. ſup.*

3. Lucæ 1. miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, & nomen virginis Maria: *Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: Aue gratiâ plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Cùm virgo Deipara adſueta foret his viſionibus Angelorum, Euangeliſta non viſioni Angeli, ſed inſolito ſermoni turbationem attribuit. Quid ergò ex inopinato ſermone turbatur Maria, quæ nondùm audierat, *Ecce concipies in vtero; & paries filium?* Si nihil adhuc de votiui pudoris periculo timet, quid turbatur? Appoſitè inibi S. Ambroſius: *Quæ cum audiſſet turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Et ideò* cogitabat *cum prudentiâ, quia benedictionis nouam formulam mirabatur, quæ nuſquam lecta eſt, nuſquam antè comperta. Soli Mariæ hæc ſalutatio ſeruabatur.* Nimirùm Maria cùm audit, ſe nouâ benedictionis formulâ & ornatiore laude hactenùs non auditâ, ſumptuoſiùs prædicari, *turbatur* de inopinato laudum elogio, & *cum prudentiâ cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*, ne fortè exertæ adulationis incauta lenocinium exciperet. Porrò tot magnifica laudum epitheta, & nouam laudationis formulam demiratur, & aſſentationis blandimento ſuſpecta, anceps hæret; & indè cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio, ad aurium margines percolans, & ad prudentiæ libram examinans, ne quid aſſentationis nouæ laudandi formulæ fortè ſubeſſet. Iam nunc fauſtè inauguratur Regina, cui ſic propria laus, de aſſentationis lenocinio ſuſpecta eſt.

*Lucæ 1. v. 28. & 29. Turbatur Maria, ne fortè magnificis ſuis laudibus ſubeſſet adulatio? S. Amb. l. 1. in Lucam.*

4. Regius Vates, Dauid inquam, de grege ad regnum, de perâ ad ſceptrum nuper euectus, mentitas adulatorum laudes pertæſus, & blanditias eorum timens, ad Deum ſupplex confu-

*Sanctus & miſericors.*

*unt ſinonymaꝰ* git, aiens: Saluum me fac Domine, quoniam defecit *Sanctus*, (Hebraicè *miſericors*. O moraliſſima ſynonyma) quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum. Vana (aliàs *fruſtrà*, locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum

Pſal.11.v.2.

*Labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt*. Labia doloſa, id eſt, homines, qui labia doloſa dici poſſunt, *in corde, & corde*, hoc eſt, duplici corde locuti ſunt; vnum volentes loqui, & aliud facere, & ſic decipere. Tempeſtiuè notat inibi Cardinalis Bellarminus, quod pro *τὸ labia doloſa, in Hebræo ad verbum eſt, Labium diuiſionum, id eſt, Labium diuiſum, vnum ſonans, aliud ſignificans: labium autem diuiſum, ſeu duplex ex corde diuiſo ſeu duplici oritur .... Ideo eadem vox ſignificat in Scripturis labium blanditiarum, & adulationum*. Benè ergò labium blanditiarum ſeu *adulationum*, duplici corde loquitur; & *labium diuiſum*, ſeu *diuiſionum* nominatur. Porrò labium adulatoris, *diuiſum* eſt ab eius corde: aliud ore loquitur, aliud corde verſat, & mente tractat. Caue tibi, ne decipiaris. Adulator blandis verbis, non tibi, ſed tuæ fortunæ adſociari cupit. Si ſapis, quàm rectè dicatur *labium diuiſum*, ſeu *diuiſionum* deprehendes. Adulator coràm magnificè laudat, abſens ignominiosè vituperat, aduerte ad hanc *labiorum diuiſionem*. Adulator laudatorio ſermone magnificè te æſtimare videtur; ſed tuam tibi tenuitatem citiùs exprobrat, quippè qui fucato blanditiarum lenocinio delecteris, qui puſilli & immerentis animi character eſt. Caue ergò tibi ab *adulationum diuiſo labio*. Quin & *diuidere* in ſacris Bibliis feraliſſimum ſupplicium denotat, vt multis alias exponebamus. Conſule expoſitores ad illud Matth. 24.v. 5. *Et diuidet eum*, &c.

Card Bellar. ibi.

*Cur adulatorum labium, labium diuiſum nominatur.*

Matth.24.

5\. Oſee 7. Et ne fortè dicant (Iſraelitæ inquam) in cordibus ſuis omnem malitiam eorum me recordatum. Nunc circundederunt eos adinuentiones ſuæ. Quæ nam ſunt hæ adinuentiones, quæ Deum ſic ad iracundiam permouerunt? *In malitiâ ſuâ lætificauerunt Regem; & in mendaciis ſuis principes. Omnes adulterantes, quaſi clibanus ſuccenſus à coquente*. Hugo Carenſis ſecutus alios, & quem alij ſequuntur, hæc verba intelligit de adulatoribus, qui regi Hieroboamo fucatis verborum lenociniis gratiùs aſſentabantur. Sed cur falſatam adulatorum gratiam cum adulterâ ſcortatione coniungit? Quid adulationi cum luxuriæ deliciis? Vtriuſque vitij cognationem his verbis prodit Hebræus Philo in lib. de Plantatione Noë: *At ſcorta & adulatores*, inquit, *ſuum agunt negotium, dum amatoribus, & quibus adulantur aliquid boni* (delectabilis) *conciliant. Reſecandæ ſunt igitur hæ præſtigiæ ſimulationeſque ab amicitiæ plantâ, vt agnatæ peſtes noxiæ*. Scilicet blanda gratè adulatio dum pulchram laudum gratiam Principum candidis auribus ingerunt, ſic eas arrogantiæ libidine titillant, vt aſſentatio ſcortationi aſſimiletur, quaſi eidem cognata, & blando ſuauiter prurítu confinis. O Principibus *agnatas peſtes*, & ambitioſæ libidinis ſeductrices *præſtigias*! Hùc forſan tacitè adludit Salomon ex mente M. Gregorij, ita fatus *Prouerb. 27. Quomodò probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum; ſic probatur homo ore laudantis*. Ad quæ Salomonis verba ſic ille: Argentum quippè, inquit, vel aurum, ſi reprobum eſt, igne conſumitur; ſi probum verò, igne declaratur: Sic nimirùm eſt & ſenſus operantis: nam qualis ſit in eo quod laudatur, oſtenditur. *Si enim ſe auditis ſuis laudibus extollit, quid eſt aliud quàm aurum vel argentum reprobum fieri, quem videlicet fornax linguæ conſumpſit? Si autem fauores ſuos, &c.* Sententiosè quidem lingua adulatoris *fornax* nominatur, an quæ libidini ſimiles ſcintillas euentillat? an quæ fuliginoſo gehennæ fumo Principes excæcat? O time malignum ab adulatorum *fornace* æſtum, quo Aſſueri hic palatium infide exæſtuat!

Oſee 7. v.3. & 4.

Hugo ibidem.

*Blandæ Principum adulatis, ſcortationi de prurítu ſimilis perhibetur.*

Philo.

Prouerb. 27. v.11.

*Adulatoris lingua, fornax ſententiosè dicitur.*

Hic verſ.9. & 10.

6\. Matthæi 26. edentibus diſcipulis, dixit illis Ieſus: Amen dico vobis, quia vnus veſtrum me traditurus eſt. *Et contriſtati valde cœperunt ſinguli dicere: Numquid ego ſum Domine ..... Reſpondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit Numquid ego ſum Rabbi?* Iudas etiam poſt omnium Apoſtolorum interrogationes, vix aliquandò & ipſe interrogauit verſuto conſilio, vt ſimilia cæteris interrogando celaret proditionis conſilium. Sed quid eſt, quod ceteri Apoſtoli Chriſtum appellant *Dominum*, Iudas verò *Magiſtrum*? Attigit hoc dubium S. Hieronymus ita inibi fatus: *Numquid ego Rabbi? In quo blandientis fingit affectum, ſiue incredulitatis ſignum. Ceteri enim qui non erant proditurì, dicunt: Numquid ego ſum Domine? iſte, qui proditurus erat, non Dominum, ſed Magiſtrum vocat, quaſi excuſationem habeat, ſi Domino denegato, ſaltem Magiſtrum prodiderit.* Nimirùm cùm vocem *blandientis*, ſeu adulantis Iudas effert, *incredulitatis* ſignum oſtendit. Sic eſt adulatio infidelitati confinis! Nec in illo rerum articulo, *Dominum* vocat, ſed *Magiſtrum* appellat, ſceleris excuſationem prætendens, ne *Dominum*, ſed *Magiſtrum* prodere videretur. Imò cùm celans proditionem, Saluatori *blanditur*, eique adulatur, *Magiſtrum* non *Dominum* vocat, quò etiam & *blandimentum* adulationis diſſimulet. Porrò *Dominis* præcipuè homines adulari ſolitant? adulatio enim aulæ vitium eſt, & quo ſecularis *Dominus* palpatur ad gratiam, quam aſſentatores aucupantur. Reliqui Apoſtoli, quà ſimplicitate pollebant, candidè vocant *Magiſtrum*: Iudas verò verſutè adulator, vt celet etiam adulationem, ſtylum mutat, & non *Dominum*, ſed *Magiſtrum*, tectiori aſſentationis *blandimento* nominauit.

Matth.26. v.22.& 26.

*Cur Iudas proditor Chriſtum non Dominum vti reliqui, ſed Magiſtrum appellat?*

Hieron. ibidem.

7\. Siracides Eccleſiaſtici 13. Diuiti decepto, inquit, multi recuperatores: *Locutus eſt ſuperbè, & iuſtificauerunt illum*. Hoc eſt, ſi diues vel potens quiſpiam in errorem ſiue moralem, ſiue ciuilem inciderit, multi præſtò ſunt, qui eiuſmodi errorem excuſent, tegant, defendant, eumque in integrum reſtituant. Secùs pauper & humilis. Tigurina ſic locum excribit: *Diuiti lapſo multi ſunt adiutores, & qui nefanda quoque loquentem iuſtum prædicent*. Pulchrè Gregorius: *Creſcit culpa fauoribus nutrita: curari vulnus negligitur, quod dignum præmio laudis videtur; ſic magis comprehenditur peccator, & illigatur ſuiſmet peruerſis conſilijs.*

Eccli.13.v.26.

*Incurabilis eſt culpa, quam adulatores laude dignam prædicant.*

Tygurina

Greg.l.4. Moral.c.26.

O nimis verè.

***

§. CXCVII.

## §. CXCVII.

### *Homo ne iiſdem concitationibus quibus agebatur ad vitia, virtutibus militare debet?*

1. Seneca epiſt. 86.

SEneca Stoico nimis cothurno, contra Platonicos, animi affectus (quas paſſiones vocamus) ſeuerè condemnans, ita philoſophatur: *Nihil intereſt, ait, quàm magnus ſit affectus: quantuſcumque eſt, parere neſcit, conſilium non accipit, quemadmodum rationi nullum animal obtemperat, non ferum, non domeſticum & mite, natura enim illa illorum eſt ſurda ſuadenti: ſic non ſequuntur, non audiunt affectus quantulicumque ſint. Tigres, Leoneſque nunquam feritatem exuunt, aliquandò ſubmittunt, & cùm minime expectaueris, exaſperatur toruitas mitigata. Nunquam bonâ fide* affectiones *manſueſcunt.* Profectò hæc Philoſophia parum tribuit rationi; nec multum reſeruat Chriſtianæ Philoſophiæ, quæ Spiritus-ſancti afflatu curſus virtutis dirigit. Peritè Ariſtonymus: *Veluti gubernatores ſe ventorum mutationibus accommodant: ita viri ſapientes animi affectibus.* Pulchra quidèm è re nauticâ comparatio. O quoties in naturâ remiſsâ virtus languet ad ardua: acri quorumdam ingenio multa ſtrenuè geſta virtus debet. Et Ariſtoteles ait: *Affectus quoſdam, ſiquis illis benè vtatur, pro armis eſſe.* Crux Mardochæo malè parata, *benè* in eâ Amanem patibulatum excruciat, cruentat, perimit.

*Paſſiones ſurda dicuntur ad mentis rectionem audiendam.*

Ariſtonym. apud Stobæ. ſer 1. de Prud.

*Affectus pro armis ſunt.*

Ariſt. apud Senecam l. 1. de Ira, c. 16

Hic verſ. 9. & 10.

2. Ezech. 1. v. 10.

Ezechielis 1. celebris ille currus, quo Dei gloria auguſtiùs ferebatur, à quattuor etiam animalibus ſubuehitur. *Similitudo autem vultus eorum: facies hominis, & facies leonis à dextris ipſorum quattuor: facies autem bouis, à ſiniſtris ipſorum quattuor, & facies aquilæ deſuper ipſorum quattuor.* Multa ſuper myſticâ huiuſce currus ſignificatione, adumbrata ſub allegoriæ nubilo, paſſim tradunt interpretes; nec pauca de re morali commenti ſunt. Et ſanè expenſione digniſſimum eſt, quòd gloria Domini, quâ ſignificatur conſummata hominum perfectio, ab his quattuor animalibus vehi dicitur. *Leonis* truculenta toruitas, neſcio an apte ſub idem iugum veniat cum pacatâ & placidâ *hominis* mititate. *Aquila* volatu rapidè præceps, cum tardè lento & laſſo *bouis* greſſu, appoſitè componatur? Opinor, aquila volucri ocyſſimè pennâ tardum inquietabit bouem; & lentus bos aquilæ velocitatem repigrabit, inidoneo adniſuum commercio. O quàm perito hæ quadrigæ aurigatore indigent, vt ſine ſubuerſionis periculo rectâ incedant! Hùc adludere videtur Lactantius Firmianus ita opportunè fatus: *Iſtæ concitationes animorum* (ſic paſſiones, ſeu affectus appellat) *iuncto currui ſimiles ſunt, in quo rectè moderando ſummum rectoris officium eſt, vt viam norit, quam ſi tenebit, licet concitatè ierit, non offendet..... Sic curſus ille vitæ, qui affectibus velut equis pernicibus ducitur, ſi rectam viam teneat, fungetur officio.* Itaque tametſi nunquam bonâ fide affectus manſueſcant, ſi peritus adſit rector, ſiue auriga exſomni ſollertiâ attentus, concitatè rectâ tendet, affectuum ſubiugatorum non ductu, ſed obſequio. Sæpè virtutis curſum feliciter expediet, & ad optatum perducet terminum, velocitas impigra in capiendo & exequendo conſilio velut *aquila*; tòrua ira in conſultis iuſtitiæ exequendis rigoribus, velut *Leo*: ſagax in conſulendis aſtutia, aliquandò audacia, ſæpè imbecillitas, vt *homo*? Lenta in labore pigritia, & velut laſſa in re prudentiæ ſegnities, velut *bos*. Hi inquam, ac ſimiles affectus, qui ſub imperito rectore nimis obſunt, ſub aurigatore perito, rationis habenas ſollertiùs tenente, gloriæ Dei currum feliciter ſubuehunt, & ad optatas æternæ beatitudinis metas, concitata velocitate perducunt. *Iſtæ concitationes animorum iuncto currui ſimiles ſunt*, in quo Dei gloria ſumptuoſiùs defertur.

*Curſus, qui ſubiugatis affectibus agitur, felici velocitate peragitur.*

Lact. lib. 6. cap. 17.

Iob. 38. Quis concluſit oſtiis mare quandò erumpebat quaſi de vuluâ procedens? circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia; *Et Dixi: Vſque huc venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos.* Præceptum ne exanimali & furenti pelago imponitur? Legis habenas inſana maris natura ſubibit? Quot videas fluctuum concitationes, tot certæ violationis minas videbis. imò expromptioris obſequij ideam arcanè exemplarem. S. Zeno Veronenſis cothurnato eloquio & ſenſu, ita hâc de re fatur: Sed & mare, inquit, ventis laceſſitum, cùm iraſcitur, quamuis reciprocâ viciſſitudine, nūc pulſantibus cælum, nunc requirentibus terram æſtuantibus vndique vitreis armatum montibus, violentis vndarum ſæuientium cumulis toto corpore inſaniat, *tamen extremorum pallido excurſu voluminum, quaſi ius terræ cognoſcens, ac violare deuitans, mirâ patientiâ in ſe frangitur, iiſdemque fluctibus, quibus cogitur, refrenatur.* Penſita hæc vltima verba, in quibus ſententiæ acumen extat. Nimirùm dum tumens mare, velut effrenis bellua agnatis ſæuientium fluctuum concitationibus atrociùs iraſcitur, inopinatâ ac mirâ patientiâ in ſe frangitur, *iiſdemque fluctibus quibus agitur, refrenatur.* quaſi exaſperatorum fluctuum impotentia, quibus mare furioſè æſtuat, & rabidè tanquam quibuſdam furiis exagitatur, iiſdem frenetur. Res planè miriſſima. pelagus inſanâ vndarum concitatione tumens, terras certo naufragio ſuperfluere atrociter minitans; vbi Dei præceptum ſcriptum in littore legit, *Vſque huc venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos, mirâ patientiâ in ſe frangitur, iiſdemque fluctibus, quibus cogitur, refrenatur.* Itaque humanæ appetitiones (quas animi paſſiones ſeu concitationes appellant) ſi effrenes permittantur, certiſſimum ex illis naufragium hiat; ſub perito autem affectuum rectore, qui earum habenas attentiùs moderetur, in optatum portum concitatiùs ducunt; quæ eſt arcana gratiæ officioſitas, aſylum de periculo conſtruens, ad vitiorum inuidiam. Si ſapis, in effreni appetitione, eiuſdem frenum inuenies. Aliquandò afflatur ſapienti aliqua *vitiorum virtus.*

3. Iob. 38. v. 11.

S. Zeno ſer. de Patient.

*Mare iiſdem concitationibus, quibus tumens ad terras cogitur, refranatur.*

S. Paullinus epiſt. 2.

Iſaiæ 40. *Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ*, &c. Quæ verba ſic inibi Hugo Carenſis exponit: *Quicumque fortia membra habuerant priùs ad peccandum, poſtmodum fortia habeant ad Domino ſeruiendum.* Accinit Gregorius, aiens: *Mutant fortitudinem, quia fortes eſſe ſtudent in ſpirituali opere, qui dudùm fortes fuerant in carne.* quaſi carnalis ad vitia fortitudo, in ſpiritualem ad virtutum facinora conuertenda ſit. *Quemadmodum*

4. Iſaiæ 40. v. 31. Hugo ibi.

S. Greg. 19. Mor. c. 16.

*modum* ( ait Marcus Eremita ) *ſunt ſerpentes oc-*
Marcus Ere. in lege ſpir. *currentes in nemoribus, ſunt item & alij excubantes latenter in ædibus: ſic affectus ſunt rationaliter formati, ſunt item alij latentes in operibus. tametſi ex alijs in alios ſubindè transſmutentur.* Ecce tibi animi affectus ſeu paſſiones venenatis & ſubdolis ſerpentibus ſimiles, iam ex Dei gratia *rationaliter formatos*, & qui rationi ac virtuti militant.

*Transſmutentur affectus, vt non vitiis, ſed virtuti militent.*

Quod prouenit ex eo quod *affectus ex aliis in alios ſubindè transſmutantur*: nam *qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem*, & vis in malum, ad bonum reformatur, dum affectus & paſſiones, quæ dudùm vitiis miniſtrabant, virtuti iam ſeruiunt.

S. Paullin. epiſt. 3.

S. Paullinus epiſt. 3. quæ eſt ad Sulpicium, ita ſcribit: *Et in meditatione pietatis, tibi bonæ impatientiæ ignis exarſit.* Et mox de quopiam perfectionis ſtudioſiſſimo ſubdit: *Homo … e Dei, humilis corde, non humilis gratiâ . . . . Ipſe vero quotidie non ſolùm pedes meos lauare, ſed & calceamenta tergere cupiebat. Auarus dominationis internæ, & idcircò corporeæ ſeruitutis impiger.* Vide mihi concitationem *impatientiæ*, quæ vitiis militare ſolitat, virtuti nunc ſedulò m[inistr]are. Vide etiam *bonam auaritiam*, ſeu ambitionem *dominationis internæ*. Scilicet ſicut dignitatibus aucupandis ſollertiſſima eſt ſuperba ambitio, & nunquam ſatur auaritia gloriæ, vt aliis præſit: ſic iſte Chriſtianæ perfectionis impensè ſtudioſus. *auarus* eſt *dominationis internæ*. Sic qui ſperant in Domino, *mutant fortitudinem*: & humanos affectus, qui in vitiorum clientelam computari ſolent, *rationaliter formantur*, vel potiùs reformantur, dum *ex aliis in alios ſubindè transſmutantur?* Sapienter ergò Ariſtoteles ait, *affectus quoſdam ſiquis illis benè vtatur, pro armis eſſe.*

5. Matthæi 2. Cùm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam; dicentes, Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? vidimus enim

Matth. 2. v. 3.

ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum. *Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo.* Mirum non eſt, quod Herodes reproborum vmbra, de Chriſti Dei aduentu tumultuosè perturbetur: nam religioni & pietati refragari, cognatum improbis eſt. At Ieroſolyma, electi populi metropolis, Prophetarum patria, Patriarcharum ſpes, obſes religionis, domicilium Dei, veritatis ſchola, Eccleſiæ typus, & cæleſtis gloriæ in terris idea; turbari non debuit. Niſi forſan probitatis firmitudo titubet. robuſtior virtus imbecillè nutet; & portus placidè tranquillus pelagi adinſtar decumanis infami fide inquietetur. Profectò probus quiſque in Ieroſolymâ adumbratus, paſſionum tumultu aliquandò *turbatur*; ſed eiuſmodi perturbatio recuditur in virtutem, cui militare compellitur. vndè turbata etiam Ieroſolyma, propheticam veritatem de ortu Chriſti conſtanter annunciat. Ergò *turbatur* Ieroſolyma, quia adhuc in terris militat, & mundialia appetit; ſed in virtutis gymnaſio perturbationem ad veritatem & pietatem erudit. Hunc myſticum ſenſum Simon Caſſienſis his verbis eleganter expreſſit: *Herodes rex turbatus eſt, &*

Simon Caſſ. lib. 1. c. 12.

*omnis Ieroſolyma cum illo, &c. Denique ſenſualitas turbatur, timens ſemper regis cæleſtis aduentum, ſuis præſentibus bonis priuanda, nec permittenda vt in ſuâ perniciosâ maneat libertate, ſed cæleſtibus moribus informanda. At illi dixerunt, In Bethlehem Iudæ. Validum ab ipſis inimicis, & ab ipſis perturbatis teſtimonium.* Benè quidèm & optimè ad felicem, & omnibus fauſtum Chriſti Dei aduentum, concupiſcentia etiam in Ieroſolymis perturbatur; ægrè ferens, atque funeſtè dolens, eò quòd viduanda ſit fructu ſuo, voluptate inquam, deliciarum ambitione, & ſuperbiæ faſtu. Sed quò validiùs perturbata reluctatur, & inimicè obſiſtere adnititur, eò magis illuſtre de Chriſti Dei natiuitate, magiſque *validum ab ipſis perturbatis teſtimonium* perhibetur.

*Turbata etiã Ieroſolyma paſſiones cæleſtibus moribus informanda ſunt.*

*Senſualitas turbatur; ſed cæleſtibus moribus informanda* eſt: quò non ſolùm boni & compoſiti affectus; ſed etiam turbati & tumultuantes, ad omnem virtutem inſtituti, pietati ſtudeant, & ſanctitati è diuerſo militent, & turbatæ etiam iuſtorum paſſiones, *cæleſtibus moribus informatæ*, cogantur ſeruire virtuti. Exindè vel ſancta Ieroſolyma, ſanctitatis præclarus typus, *turbari* etiam altè perhibetur.

2. Corinth. 12. ita de ſe Apoſtolus ſcribit: Si 6.
gloriari oportet ( non expedit quidèm ) veniam 2. Cor. 12. v. 2.
autem ad viſiones, & reuelationes Domini. *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, ſiue in corpore neſcio, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit: raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum.* Licet dicat Paullus ſe nihil certò ſcire, an quando in cælum empyreum (quem mox *paradiſum* vocat) raptus eſt, fuerit in corpore, ſiue extra corpus; veroſimiliter tamen S. Thomas, & alij opinantur Paulli animam quaſi formam manſiſſe vnitam corpori: alioqui enim Paullus mortuus fuiſſet, & mox reſurrexiſſet.

S. Th. 2. 2æ q. 157. art. 5.

Itaque Apoſtolus in corpore adhuc viuens, paradiſeâ & empyreâ felicitate animo fruitur. Quid ergò Paullo defuit totâ illa temporis morâ, quâ ad empyreum raptus eſt, quò minùs Angelicam felicitatem æmulari poſſet? Multa forſan benè Theologo occurrent: verùm S. Auguſtinus hâc de re tractans, ita ſcribit; *Apoſtolo arrepto à carnis ſenſibus in tertium cælum, hoc defuit ad plenam perfectámque cognitionem rerum quæ Angelis ineſt, quod ſiue in corpore, ſiuè extra corpus eſſe neſciebat.*

*Paullus inferior Angelis cenſetur, quandò neſcit an cum corpore in cælum aſcenderit.*

S. Aug. l. 12. de Geneſ. ad lit. c. penult.

Itaque Apoſtolus hâc felicitate, felicitatis Angelorum æmulâ potiebatur: at quia Paullus in corpore adhuc degens, animo duntaxat in cælum leuatur, nec graui etiam corporis mole ad cælum adſurgit; ( quod ſe ſaltem neſcire fatetur: ) hoc quoque illi deeſt, vt perfectam ſcientiam & felicitatem Angelorum æmuletur. Nam grauis corporis moles, quæ cognatis paſſionibus ſemper deorsùm tendit, vigore ſtrenui animi ſic ſubleuari, vt pariter in cælum corporis pondere adſurgat; hoc è diuerſo Angelis propè pares facit: nam quod illis procliue eſt, quippe qui corpore carent, hominem in corporis mole deorsùm trahente, feliciter peragere, æmulatio Angelorum eſt, & humanæ virtutis meta. Aſpectabilis eſt Paullus, qui animo ad empyrei glorias aſcendit: ſed adhuc minor Angelis perhibetur, quia Dei fauore citiùs, quàm corporeis paſſionibus virtuti famulantibus, quaſi quibuſdam ſcalis, empyrei nunc faſtigium tenet. Poſt mortem verò eos æmulabitur, quia quod illi corporis luctâ adepti ſunt, Paullus reluctando corporis paſſionibus (quarum luctam mox recenſet) meruit obtinere.

## §. CXCVIII.

### *Qui impenſiùs amat, & obnoxiùs aliquid vult, immetatâ quodammodò potentiâ vltra vires eualet.*

1\. INNactuoſum inerter otium, quia amamus, defendimus, & malumus excuſare illud, quàm excutere. Satis roboris natura & gratia dederunt homini, ſi illo vtatur, ſi vires iam noſtras colligimus, ac totas ad ardua quæque opera concitamus. Pulchrè Seneca: *Nolle in cauſsâ eſt, & non poſſe prætendimus.* Velis, & poteris. Amans quid cupiat ſcit, quid poſſit neſcit. Sic ad omnia quamuis difficilia, eualere præſumit! Sic amor rei difficultatem exarmat! Vide quàm citò nunc Eſther perarduum Amani negotium abſoluit.

Senec. epiſt. 117. *Nolle in cauſſa eſt, & non poſſe prætendimus.* Hic verſ. 9. & 10.

2\. Geneſeos 29. Iacob longo itinere laſſus ſedet iuxta puteum, qui erat iuxta vrbeculam Haran. Et ecce Rachel veniebat cum ouibus patris ſui: nam gregem ipſa paſcebat. *Quam cùm vidiſſet Iacob, & ſciret conſobrinam ſuam, oueſque Laban auunculi ſui; amouit lapidem quo puteus claudebatur. Et adaquato grege oſculatus eſt eam.* Iacobi animoſitatem inibi expendens Lipomanus, ita ſcribit. *Lapidis reuolutio multorum opus erat, quod nunc vnus Iacob ſolus exequitur.* Vnus Iacob itineris longinquitate pedibus confectâ laſſatus, grandem de ore putei amouet lapidem, quem multa paſtorum turba amouere vix eualet? Vnde *nunc* Iacobo tantus ineſt roboris vigor? Expende Moyſis verba, quæ ænigma ſoluant: *Quam* (Rachelem inquam, Gratiarum manibus factam puellam) *cùm vidiſſet Iacob amouit lapidem, quo puteus claudebatur.* Exindè grandioris reuolutionem lapidis, quæ multorum hominum adnixum expoſcebat, *nunc vnus Iacob ſolus exequitur.* O amantium officioſitas, arcanæ animoſitatis vigore vltra vires audax! Si amas, potes: plura poteris, ſi plus amabis: ſupra vires enim eualet amor. Amans quid cupiat ſcit, quid poſſit neſcit.

Geneſ. 29. v. 10. & 11. Lipom. ibi. *Iacob amans vltra vires eualet.*

3\. Geneſis 32. cis vadum Iacob; Iacob *manſit ſolus; & ecce vir luctabatur cum eo vſque mane. Qui cùm videret quod eum ſuperare non poſſet, tetigit neruum fœmoris eius, & ſtatim emarcuit. Dixitque ad eum: Dimitte me &c.* Non morabor Interpretes, ecquis nam fuerit hic vir, qui cum Iacobo ſtrenuè luctatur. Aliqui ſeriò cenſent, fuiſſe diuinum Verbum ſpecie tenus corporatum. Communiter putant expoſitores Angelum potiùs fuiſſe. Alteruter ſit, quomodo verè de illo dici poteſt, quòd Iacobum *ſuperare non poſſet*? Id inibi his verbis adnotauit Caietanus. *Sed quæſtione non caret, quo pacto verificetur, quòd Angelus non potuit vincere Iacob luctando.* Angelus toto virium adnixu non eualet homunculum luctando deiicere? Quid ergo eſt, *Non poſſet*? Multa multi, quæ recenſere prolixum foret. Quidam autem apud Sonfrerium: *Non poſſet, id eſt, non vellet.* Velle ne, poſſe eſt? *Velis, & poteris*, dixit Stromatæus. O quales quantaſque vires voluntas affert? amor addit? Quid volenti difficile eſt? quid amanti arduum? O voluntatem omnipotentiæ æmulam! *Nolle in cauſsâ eſt, & non poſſe prætenditur.*

Geneſ. 32. v. 24. & 25. *Velle, poſſe eſt? ergò velis, & poteris.* Caiet. ibi. Bonfr. ibidem. Clem. Alex. aliàs expenſus.

Matthæi 8. cùm deſcendiſſet Ieſus de monte, *Ecce leproſus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare.* Non enim illum petebat quaſi hominem ſanitatis artificem, ſed quaſi Deum rerum omnium omnipotenter opificem. Quaſi dicat, ait Origenes: *Domine per te omnia facta ſunt, tu ergò ſi vis, potes me mundare. Voluntas tua opus eſt, & opera tuæ voluntati obediunt.* Verùm tametſi ſancti Patres, & expoſitores hanc Leproſi orationem ſeu adorationem extollant, valdè impeditum in eâ eſt, quo pacto verè dicat: *Domine ſi vis potes me mundare.* Porrò etſi mundare eum non velit, mundare tamen poteſt: nam humana Chriſti voluntas diuinam non alligat omnipotentiam. Ergò quem Deum palàm fatetur, omnipotentem negare videtur dicens ad Chriſtum Deum, *Domine ſi vis potes*; quia etiam ſi ſuſpendat voluntatis actum quà eſt homo, omnia poteſt, quà Deus eſt. Quomodò ergò verè illi dicit, *Domine ſi vis potes me mundare*? Luculenter ad rem inibi Caietanus: *Magna fides! fatetur potentiam in voluntate conſiſtere.* Nimirùm hic laudatiſſimus Leproſus, vt humano idiomate hominibus notificet Chriſti Dei omnipotentiam, illam exponit humanæ voluntatis vocabulo. Scilicet ſicut homo qui impensè aliquid vult, vltra vires audet, conatur, & eualet; quaſi potentia, non ipſa potentia, ſed voluntas ſit: ita vt apud homines viuaciùs exponat omnipotentiam, quæ in Chriſto Deo eſt, illam per humanam eiuſdem voluntatem, quæ impensè aliquid vult, moraliſſimè exponit. Quaſi dicat: Dei omnipotentia ad omnia eualet, ſic quodammodò humana voluntas, quæ obnixiùs aliquid volt, impenſiùs adnititur. *Velis & poteris*, inquit Stromatæus, & Leproſus ait: *Domine ſi vis potes me mundare*, exindè *fatetur potentiam in voluntate conſiſtere.* Valdè rem ethicè Leproſus exaggerat! Nam qui ſtudioſiùs aliquid vult, quid cupiat ſcit; quid poſſit, neſcit. Sic quodammodò immetata eſt eius potentia! Eheu, nolle in cauſsâ eſt, & non poſſe, prætendimus. Omitte impotentiæ excuſationes, quodammodò immetata eſt, impenſiùs volentis potentia.

4\. Math. 8. v. 2. Orig. apud Caten. ibi. *Potentia rem impenſiùs volentis, propè immetata eſt.* Caietan.

In Pſalmo 1. regius Pſaltes viro eximiè probo hanc beatitatem dicit, ad æternæ felicitatis auſpicium: Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in viâ peccatorum non ſtetit, & in cathedrâ peſtilentiæ non ſedit: *Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Subtiliter Auguſtinus, Remigius, Haymo, Caſſiodorus, S. Thomas, & Caietanus notant, quòd Dauid requirit voluntatem *in lege*, non tantùm ſub lege, id eſt, ſpontè, non coactè; voluntate, non vi. Quod his verbis Caietanus inibi expreſſit: *Propheta bonitatem viri ponit in conformitate voluntatis ad legem Domini. Et hoc denotat illa præpoſitio, in, cùm dicitur, In lege Domini voluntas eius. Debet enim voluntas noſtra eſſe in lege Domini, & non ſub lege: quoniam ſub lege eſt velis nolis, quia ſubiecta etiam inuita legi Domini. Sed debet eſſe in lege, tanquam amans in lege amatâ, tanquam concupiſcens in lege deſideratâ, tamquam gaudens in lege de quâ delectatur, & demum tamquam liberè regulata in regulante, hoc eſt amplectens ipſam pro regula ſua.* Scilicet ille dicitur vir perfectus, & in virtute conſumma

5\. Pſal. 1. v. 2. S Auguſtin. Remigius Haymo Caſſiodor. S. Thomas. Caiet. ibi. *Qui non ſub lege, ſed in lege voluntatem habet, in infinitam libertatem extenditur.*

ſummatus, cuius voluntas non eſt *ſub lege*, hoc eſt, violenter & coactè illam exequitur; ſed cuius voluntas eſt *in lege*, id eſt, qui eam impensè vult, & ardenter amat, qui erga eam ſpontaneâ voluntate ſuperfertur; & in lege amatâ, plenâ voluntate & voluptate delectatur, & deliciatur, vltroneâ ad quiduis promptitudine voluntaris. Luculenter Bernardus. *Perfecta obedientia legem neſcit; terminis non arctatur, & ad omne quod iniungitur ſpontaneo vigore liberalis alacriſque animi modum non conſiderans, in infinitam libertatem extenditur.* Sanè hæc ſunt elogia viri, cuius voluntas non eſt *ſub lege*, ſed *in lege*, qui ſpontaneo vigore liberalis alacriſque, animi modum non conſiderat; & nullis terminis coarctatus, ad omne quod ei iniungitur, ſuperfertur. Hic, hic inquam *in infinitam libertatem extenditur.* Infinitam libertatem appellat Bernardus ſpontaneam voluntatem, quæ non coactè *ſub lege* eſt, ſed vltrò *in lege* ſuperfertur, & ſpontaneæ voluntatis vigore, nullis terminis circumſcripta, potentiæ ſuæ immemor, vltra vires audet, & exequi feſtinat. O quàm multa compendiauit Bernardus, dum ſpontaneam hominis voluntatem, cupidè aliquid volentis, *in infinitam libertatem extendi* meditatur! Alibi forſan expendemus, quo pacto dicat Bernardus, quòd *perfecta obedientia legem neſcit*, cùm ab obedientiæ deſciſcat elogio, niſi legem, quam exequatur, præuideat. Quæ eſt hæc altera obedientiæ cæcitas.

S. Ber. Tract. de Præcep. & Diſpenſat.

*Perfecta obedientia legem neſcit.*

6\. Gentium doctor ad Romanos 13. multa de charitate erga Deum & proximos ediſſerit, tandem concludit: *Plenitudo ergò legis eſt dilectio.* Indè ſubinfert, quòd hora eſt iam nos de ſomno ſurgere ad ſtrenua virtutis opera alacriter præſtanda. *Abijciamus*, inquit, *opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Dum Apoſtolus *arma* profert, bellum indicat, & quidem operoſum, arduum, periculoſum, quod aduerſus carnem & ſanguinem, & aduerſus principes *tenebrarum* harum continuò gerimus, indè nos *armis lucis* valenter obarmat, id eſt, bonis operibus, quæ à prælaudatâ charitate animosè procedunt, & quæ charitate robuſti facilè præſtabimus. Quâ de re audiendus eſt inibi Chryſoſtomus: *Induamur arma lucis*, inquit, ad aciem quippè nos dies, & ad pugnam vocat. Pugnam verò audiens & arma non eſt quod timeas. Inſenſibili quidèm armaturâ durum eſt & exoſum armari: hîc verò iucundum & dignum quod expetatur etiam. Lucis quippè ſunt arma, vnde radiis ſolaribus illuſtriorem te faciunt, multum emittentia fulgorem, atque in tuto etiam optimè munitum conſtituunt: arma ſiquidem ſunt. deindè & ſplendidum faciunt: ſunt enim arma lucis. (Nota verba quæ ad rem opportuniſſimè ſubdit, dum lucida charitatis arma ex Apoſtolo offert ad ardua virtutis facinora.) *Quid igitur? an non eſt neceſſe vt prælieris? neceſsè quidèm vt prælieris, non tamen vt fatigeris, aut laboris moleſtiam ſubeas: neque enim bellum hoc eſt, ſed chorea & panegyris. Talis eſt videlicet armorum iſtorum natura. Et quemadmodum è thalamo ſuo ſponſus gloriabundus progreditur: ita & is, qui armis iſtis munitus eſt.* Nimirùm qui ſic Chriſtum ardenter amat, vt ſponſus ſponſam electiſſimam, eiuſmodi amore, qui eſt plenitudo legis, ſic præliatur in actuoſo & periculoſo bello, vt non fatigetur, nec laboris moleſtias ſubeat, quas *arma lucis*, ſeu charitatis exarmant. Exindè bellum hoc, ad quod quamquam *ſponſus gloriabundus* progreditur, *chorea & panegyris* eſt. Dum putari poſſet hoc periculoſo bello fatigari, lucidæ charitatis armis ſic laboris moleſtias excuſſit, tanquam *ſponſus gloriabundus choreis*, & feſto tripudio nuptias effuſiori lætitiâ celebret: & quaſi dum præliatur, iam vicerit, pompam victoriæ agit, & triumphi *panegyrin* gloriosè audit. Sic viuidus amor præpropero, dum certat, triumpho, duri certaminis moleſtias exarmat; & dùm præ fatigatione æſtuare & excruciari videtur, *choreas* animitùs lætanter agit. Altè de more Chryſoſtomus!

Ad Rom. 13. v. 12.

S. Chryſoſt. ibi homil. 24.

*Amani durum virtutum chorea & panegyris eſt.*

Marci 6. iuit Ieſus in patriam ſuam, & ſcandalizabantur in illo, illumque verbis petulanter dehoneſtabant: *Et non poterat ibi virtutem vllam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit: & mirabatur propter incredulitatem eorum.* Obuium eſt litigium inter Commentatores, quo pacto Euangeliſta de Chriſto Deo dixerit, *Et non poterat.* An in patriâ rebelli & incredulâ viduatus diuinitate, aut omnipotentiâ exutus & exarmatus fuit? Pulchrè inibi Theophylactus. *Quod autem dicit, Non poterat, intelligere oportet, Non acceptabat; quia non ipſe impotens, ſed illi infideles erant. Ergò ibi non operatur virtutes, parcens eis ne maiori reprehenſione digni eſſent, etiam factis miraculis non credentes.* Scilicet in patriâ ſuâ Chriſtus nolebat acceptare infirmos, quia curare nolebat: & quod nolebat facere, etſi faciendi omnipotenter potens, *non poſſe* emphaticè perhibetur; quaſi idem quodammodò foret, velle & poſſe. O moraliſſima hominibus ſynonyma! *Domine, ſi vis, potes me mundare.* De quò aliàs.

7\. Marci 6. v. 5.

*Quod non vult Chriſtus dicitur non poſſe. quare?*

Theophyl.

Matth. 8. v. 2.

---

## §. CXCIX.

### *Breuis eſt mundana felicitas, fugax, incerta, caduca.*

1\. Moraliſſimè dixit Seneca: *Nemo dixit contingit*; contingunt autem illi reliqua bona, quæ hominum ambitio aut voluptas ſuſpirat. *Optauerunt itaque tibi alia parentes tui; ſed ego tibi contrà; omnium tibi eorum contemptum opto, quorum illi copiâm.* Vota illorum multos compilant, vt te locupletent. Quicquid ad te transferunt, alicui detrahendum eſt. Rurſuſque à te in alios rotabitur de cognatâ fortunæ inconſtantiâ. Nam quod fortuna poteſt dare, auferre poteſt: & ex quo dedit repetere incipit, exigere non ceſſat. Opto tibi tui facultatem, & non moritura bona. *Ille neceſſitates ſupergreſſus eſt, & exauctoratus ac liber, qui viuit vitâ peractâ*, qui in mortalis ac immortalis vitæ confinio poſitus, caduca bona contemnit, æterna ſuſpirat. Quid æternatuto cum caducis?

Senec. epiſt. 32.

*Quod fortuna poteſt dare, auferre poteſt.*

Idem ibidem.

2 Actorum 26. coram Feſto Præſide, & rege Agrippâ Chriſtum Deum Paullus audenter prædicat. Auxilio, inquit, adiutus Dei vſque in hodiernum diem ſto, teſtificans minori, atque maiori, nihil extrà dicens, quàm ea, quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe, & Moyſes, *ſi paſſibilis Chriſtus, ſi primus ex reſurrectione mortuorum*

Actor. 26. v. 23.

*rum*

*Quare Christus dicatur primus ex resurrectione mortuorum.*

*rum.* Celebris ſanè quæſtio hîc & alibi exagitata, quare Chriſtus dicatur *primus ex reſurrectione mortuorum?* Et vt vetus Teſtamentum interim omittam; an non ſaltem illi ipſi, quos ipſe Chriſtus adhuc viuus; ad vitam reuocauit, ante ipſum reſurrexerunt? Fortè Lazarus poſtquam Chriſtus viuere deſiuit, mori reſurrectione deſiit. Ergo ſuadeat Paullus Chriſtum rediuinâ gloriâ è mortuis reſurrexiſſe, quid verò attinet, Chriſtum appellare *primum ex reſurrectione mortuorum*, quod ægrè ſuadebit? Oecumenius inibi ſic rem componit, & locum exponit:

Oecum. ibi.

*Moyſes dixit, quòd paſſurus eſſet Chriſtus, primus ex reſurrectione. Primus ſiquidem hic reſurrexit, qui ampliùs non moreretur, cùm enim aut per eum, aut per Diſcipulos, aut per Prophetas, alij quidam reſurrexerant, rursùs morituri ſunt, expectantes vniuerſalem reſurrectionem.* Scilicet tametſi tunc Chriſtus foret nouiſſimus ex reſurrectione mortuorum, adſpectu etiam ad eos, qui à mundi primordio ante ipſum poſt capulum rursùs reuixerunt; *primus ex reſurrectione mortuorum* dicendus eſt: nam reliqui omnes licet verè reſurrexerint, morti obnoxij è tumulo ſurgunt, & viuas rursùs exequias plangunt reſurrectione funereâ: atque in vitæ ac mortis confinio ſunt, de obitu ortum mutuantes, quò iterùm obeant: inopinatâ vitâ funguntur, quâ citò defungentur, vndè non tam viuentes, quàm viua cadauera dici poſſunt: à vitæ enim recuperatione cadauerascunt; & in matricem puluerem abire incipiunt. *Primus ſiquidem Chriſtus reſurrexit, qui ampliùs non moreretur.* Vndè reliquorum hactenus reſurrectio, quia ſpirantia redonat cadauera, ferè vitæ cenſu non computatur; rurſus enim morituri reſurgunt. Surgit flos ſed caducus, & breuioris æui, qui dum reflorere incipit, deflorere cæpit capulari nitore iam marcidus, iam funeſtus. O vita hominum nimis caduca, etiam poſtquam ſemel mortis trophæa victrix erexit!

3. Gen. 30. v. 27.

Geneſeos 30. diuturno Iacobi ſeruitio, ditiſſimè opulentus Laban exultat: ſed Iacob copiam petit cum vxoribus ac filiis ad ſuos remeandi. *Ait illi Laban: Inueniam gratiam in conſpectu tuo, experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.*

Caiet. ibi.

Caietanus horum verborum Hebræam originem attentiùs perſcrutans, ita fatur: *Experimento didici, &c. Aiunt Hebræi diuinationem quandam ſignificari, & propterea legunt: Auguratus ſum.*

*Auarus ipſum ipſum experimentum reputat augurium.*

Homo ſordidus & illiberalis nec *experimento* ſe credit; & ipſum rei *experimentum* putat *augurium*. Idem eſt apud auarum, *experimento didici*, ac *auguratus ſum*. Sic diffidit poſſeſſæ opulentiæ, vt poſſeſſionem reſingat in ſpem, velut ex augurio conceptam? Nec experientiæ credit, quam prognoſticum potiùs reputat, quàm *experimentum*. Cui ſe credet, cui *experimentum* pro *augurio* eſt? Septuaginta

LXX. Interp.

Interpretes Hebræo conſentiunt, & ſic locum excribunt: *Si inueni gratiam coram te, augurer vtique.* O bonam eruditionem! *Experimentum* opulentioris felicitatis, non tam illius poſſeſſio quam *augurium* conſultiſſimè nominatur; & ipſe poſſeſſor *experimento* certus, illius *augur* dicitur.

*Felicitatis poſſeſſio, illius poſſidendæ augurium putatur.*

O quàm ſunt fugitiua & incerta fortunæ bona, ac iam penè nulla, vt illorum locuples poſſeſſor, ipſorum augur ſit, quaſi felici *augurio* illorum poſſidendorum ſpem auſpicatò conceperit. *Inueniam gratiam in conſpectu tuo: experimento didici, &c.* hoc eſt: *Si inueni gratiam coram te, augurer vtique.* O ſynonyma moribus tempeſtiua! Quid ſic exambis mundialia bona, quorum poſſeſſio, illorum poſſidendorum *augurium* reputatur? Puto, *augurium*, rei dubiæ ac incertæ anceps prognoſticum eſt.

Geneſis 21. tandem viſitauit Dominus Saram 4.
ſicut promiſerat: & impleuit quæ locutus eſt. Geneſ. 21. v. 2.
*Concepitque, & peperit filium in ſenectute ſuâ.* Caiet. ibi.
Ad quæ verba ita idem Caietanus ſcribit, *Iuxta Hebræum habetur: Et concepit, & peperit Sara Abrahæ filium ſenectutibus eius.* Plures *ſenectutes* habet, qui habet filium etiam optatiſſimum & optimum? O curas patrum erga filios, quæ ſenectutem multiplicant, & amplificant! Abraham olim improles, vna ſenectute conſenuit; nuper pater, *ſenectutes* habere dicitur. Vel aliter: Qui pater eſt, etſi iuuenilem ætatem agat, eam reformet in ſenectutem: ſitque aliquandò bis ſenex, dum rursùs per ætatem ſenex eſt, qui quandò erat iuuenis aut vir, quia pater erat, ſenex dicitur.

*Canos habere mores etiam in iuuentute patris ſtipendium eſt.*

Pudeat patrem iam factum, etiam in iuuentute iuueniles gerere mores, canam habere prudentiam, paternitatis ſtipendium ſit. Vel aliter: Filius optimus, optatiſſimus, & feſtiuiſſimus, Iſaac inquam, id eſt, riſus; *ſenectutibus* ſui parentis naſcitur, quaſi illum excipiat in geminatâ ſeu amplificatâ ſenectute, ocyus ad interitum maturante, atque funeri proximâ. Sic lætiſſima & deſideratiſſima felicitas poſſeſſoris *ſenectutes* multiplicat, vt illius fruendæ ſpatia contrahat? O mundalium bonorum auaram inuidiam! ſerus pater cùm ſit, multipliciter *ſenex* dicitur, vt de caduco æuo fruendi abbreuientur ſpatia. Bonum quod à fortunâ cunctanter accipitur incunctanter excidit. O qualia ſunt bona, quæ aut illis homo deeſt, aut hominem illa deſerunt.

*Abraham ſenectutibus ſuis accipit filium.*

Ioël 1. hoc acerbo oraculo Proceres Iudææ 5.
perſtringit, & proſperam tunc eorum fortunam Ioel. 1. v. 5.
improſpero vaticinio infelicitat: *expergiſcimini ebrij, & flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam periit ab ore veſtro.* Valdè mouet Interpretes quo modo Propheta dicat, deliciarum vinum iam *periiſſe* ab eorum ore, cum eo adhuc potarentur, necdum à propriis ſedibus in Chaldæam expulſi. Et ſanè ſibi non videtur conſtare Ioël, aiens *Bibitis vinum in dulcedine*, & ſimul, Iam *periit ab ore veſtro.* Porrò ſi deliciarum *vinum* adhuc *bibunt* quo pacto iam *periit* ab eis? Remigius Altiſiodorenſis ita præfata Ioëlis verba exponit: *Quod autem dicitur*, inquit, *Omnes qui bibitis vinum in dulcedine, idem eſt quaſi diceret: Omnes qui voluntatem veſtram in delectabilibus rebus ponitis. Quoniam periit ab ore veſtro vinum, id eſt, gaudium & exultatio veſtra.* (Enucleatiùs penſita quæ ſubiicit verba) *Et quaſi dicat, Periit de præterito, cùm adhuc illi in terrâ promiſſionis morarentur: quia ſuo tempore illis ablatum eſt omne bonum, venientibus Aſſyriis.* Nempè quia his qui voluptatibus delectantur, exultatio & gaudium ſuo tempore venientibus Aſſyriis, auferendum eſt; iam *periiſſe* dicit, *cùm adhuc illi in terrâ promiſſionis morarentur.* O volaticam felicitatem! ô fugitiua mundi bona! mortalis bonorum poſſeſſio, pectus hominis non implet, ſed ieiunâ delectatione tanguntur; adeò vt cùm illa poſſides, iam *periiſſe* dicantur

*Humanum gaudium, quod peribit iam periit.*

Remig. Altiſ. ibi.

dicantur. Heu iam *periit*, quod *peribit*! ô hæc friuola bona negligamus; vera illa, nec vnquam *peritura* hianter ſuſpiremus!

6. Geneſ. 30. v. 24.

Geneſeos 30. Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius Quæ concepit, & peperit filium: *Et vocauit nomen eius, Ioſeph, dicens: Addat mihi Dominus filium alterum.* Nuper Rachel ſui impos auidiſſimè prolem exoptauit, dicens marito: *Da mihi liberos, alioqui moriar*; & vix filium peperit, cùm *vocauit nomen eius Ioſeph*, id eſt, *augmentum* vel *additamentum*, (vt obſeruant Interpretum Proceres) *dicens: Addat mihi Dominus filium alterum.* Et quo titulo alterum petit, niſi quia primum ſuſcepit? Sanè vnum beneficium, alterius ſuſcipiendi quaſi ius quoddam eſt, quo ſeſe homini Deus oppignerat. Adhæc, quare Rachel non fruitur munere accepto, ſed fruitionis loco ſpes nouas ſubſtituit? Nauſeat ad poſſeſſa, quæ hiabat ad ſperata? Delectatur iam in ſpebus, poſſeſſionis faſtidio? O mundialia bona lætitiæ exucca! O mentitas hominum ſpes, voto magnas, re nullas! Vide mihi quid exoptet hæc femina; *filium alterum*; quæ dudùm audenter dixerat; *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Filium alterum parturire ſuſpiras, ad præmaturè proprias exequias? Geſtis ſoboleſcere, an tumulari? O cæca mortalium vota! O egena mortalium bonorum poſſeſſio! Aut ea citò nos deſerunt, aut citiùs nos ea deſerimus. Quæ ſe dicit emori, quia improles viuebat; *Da mihi liberos, alioquin moriar*, iam viua ptole funeſtè moritur. Quæ ſobolis bono carens, mori ſe putat; cupitæ ſobolis obtentu improſperè tumulatur. Tu humanæ felicitati deeris, ſi tibi non deſit humana felicitas: *Non emo capite coronam*, aiebat Tertullianus, nam ſi caput coronandum deſit, coronæ vacat vſura. Vitæ gaudia ex ſobole ſperata hiat Rachel: ſed vitæ iacturâ ſobolem emit. O falſata rerum voluptabilium commercia! aut mortem tuam, aut illarum iacturam ſollertiùs nundinaris.

*Qui hiabat ad ſperata, nauſeat ad poſſeſſa.*

Geneſ. 30. v. 1.

Tertull. alibi quondam expenſus.

7. Ad Philip. 2. v. 6.

Ad Philippenſes 2. Hoc enim, inquit, ſentite in vobis, quod & in Chriſto-Ieſu: *Qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Hanc *rapinam* Concionatores multis vexant, auxiliari Commentatorum ope. Theophylactus ſic præfata verba exponit: *Non eſt*, inquit, *rapinam arbitratus, eſſe ſe æqualem Deo. Si quis quid rapuerit, metuit deponere illud, ne amittat, tanquam ipſius non ſit. Sin quiſquam à naturâ habeat, facile illud aſpernatur, ſciens id ſe habere quod amitti nequeat.* Nota attentiùs hæc vltima verba, in quibus totus ſententiæ vigor ad thema præſens ſtat. Scilicet quidquid aſpectabile apud homines eſt in rebus mundialibus, ſi illud quis à naturâ habeat, & ſciat ſe ita illud habere vt amittere nequeat, *facile illud aſpernatur.* quaſi totâ voluptabilium gratia in fugacitate ſit, & aliquo illius amittendæ periculo. O vide quàm ſit voluptas voluptate inops: & quàm gaudij auaram propinet gratiam, niſi quis cum illâ illius amittendæ periculum bibat! *Sin quicquàm à natura habeat, facile illud aſpernatur, ſciens id ſe habere quod amitti nequeat.*

Theophyl. inibi.

*Facile quis voluptabilia bona aſpernatur, quæ amittere nequit.*

8. Sapient. 2. v. 8.

Sapientiæ 2. Impij atheiſmo infames, voluptatum vnicè riuales, ita ſe mutuo adhortantur: *Coronemus nos roſis antequam marceſcant, nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra.* In tranſitu topiariis pratorum deliciis perfrui exoptant: nihil autem in tranſitu eſt, quod pectus voluptate impleat. Verùm prius hemiſtichion, *Coronemus nos roſis*, in Græcâ origine apud P. Lorinum ſumitur pro *roſarum calyculis ſiue roſis clauſis.* O quàm breuiſſimi æui roſa eſt, vt dum eſt in *calyculis*, & necdum roſa (eſt enim *roſa clauſa*) ex illâ ſertum componant, ne marceſcat! Quaſi vix totâ foliorum ambitione roſa floreat, cùm iam caduca efflorekcat, marceat, decidat. Sic felicior Amani gloria floruit, & defloruit. Sic eſt fugax humana felicitas, futilis, incerta, caduca!

*Roſa gratia exiſtit antequam roſa ſit.*

P. Lorin. ibi.

Hic verſ. 9. & 10.

---

## §. CC.

### *In ipsâ acerbiori calamitate, felix calamitatis exitus tranſparet.*

1. Seneca lib. de diu. Prou.

INter bonum virum ac Deum amicitia eſt, conciliante virtute: diſcipulus eius eſt æmulatorque, & vera progenies; quem parens ille magnificus, virtutum non lenis exactor, ſicut ſeueri patres, duriùs educat. Itaque cùm videris bonos viros acceptoſque Deo (quemadmodùm in hâc hiſtoriâ videmus Hebræos ſub Amani rabioſâ atrociter tyrannide calamitoſos) laborare, ſudare, per ardua conſcendere, impendenteſque ſtrages aut timere, aut pati; malos autem laſciuire, & voluptatibus fluere: cogita Deum filiorum modeſtiâ delectari, vernulaium licentiam negligere: illos diſciplinâ triſtiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat. Bonum virum in deliciis non habet: experitur, indurat, ſibi illum præparat. Paternum habet aduerſus bonos viros animum, & illos fortiùs amat, & operibus, doloribus, ac damnis exagitat, vt verum colligant robur. Nihil mihi videtur infeliciùs eo cui nihil vnquam aliquid euenit aduerſi. Diuinæ prouidentiæ aduerſus electos vox eſt: *Quos amo arguo, & caſtigo.* Sed dum cum caſtigat, in ipſo ſupplicio & calamitate, veniæ & liberationis tranſlucent notulæ, ſi ſollerter attendas, qui huius paragraphi labor eſt.

*Cur viris bonis improſpera accidant, improbis autem proſpera.*

Apocal. 3. verſ. 19.

2.

Geneſeos 4. violato Dei præcepto, ſub mortis pœnâ interminato, generis humani protoparentes cum tota exinceps poſteritate, morti miſerè obnoxij, è paradiſo exulant. Adam verò cognouit vxorem ſuam Heuam, quæ concepit, & peperit Cain. Rurſumque peperit fratrem eius Abel. Verùm ſuper ſacrificatione Cainus Abelo ſceleroſè infenſus: *Cùm eſſent in agro, conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.* Primus itaque iuſtus Abel lethi portas intrat, & mortis ſententiam humano generi fulminatam primus ſubit. Aſt ſi mortis cauſſa eſt præuaricatio, cur non mortis portas primus ingreditur Adamus, quandoquidem à rectâ naturæ lege enormiter deerrans, ipſe mortem contra naturam accivit? Cur non prius Euæ mortis ſententia obnunciatur, quos propter natura iudicatur? Pergit Seleucienſis Baſilius: *Sed primum Deus*

Geneſ. 4. v. 8.

*In pœnaliſſima mortis veſtibulo, reſurrectionis tabula legitur.*

Baſil.

*Deus concedit Abelum tolli de medio, vt aggreſſoris nequitiam vſu meliore commutet, & vitiatum morti ſubiiciat fundamentum, mortiſque ius infirmius euadat. Iuſtus enim iniuſtè morte occupatus, iuſtæ cauſſæ dictionem inferno eripit, & primam mortis viam mortis diſſolutionem fore ſpondet.* (Nota attentiùs opportuniſſima verba quæ his præmiſerat) *O res inopinatas! in mortis veſtibulo reſurrectionis tabula legitur.* Vide Dei hominum peramantis ingenium. Si Adamus, Eua, aut Cainus mortis pœnaliſſimam plagam primi ſubirent, robuſtum morti ſupponerent fundamentum mors enim peccatis ac peccatoribus cognata eſt; Aſt cùm iuſtus Abel mortalium primus lethi portas intrat, vitiatum morti fundamentum ſubiicitur mortiſque ius adeò infirmum euadit, vt *in mortis veſtibulo reſurrectionis tabula legatur*: & indè mortis fundamentum nutare incipit, vndè credi poterat robuſtiùs obfirmari: in ipſaque mortis atrocitate, ſpes reſurrectionis micantiùs affulget.

5. 2. Machabæorum 1. Iudæus populus è Babylonicâ captiuitate redux, poſtquam totis ſeptuaginta annis in exilio commorati ſunt; extructo iam templo, de regis Perſarum priuilegio, Sacrificia reſtaurare religiosè Nehemias ſatagit: & diligenter quæſitum ſacrum ignem, quem in alto puteo olim abſconderant, tandem inuenerunt.

2. Machab. 1.v.19.

Quod reliquis Iudæis vbiuis commorantibus ſic Propheta ſcribit: *Cùm in Perſidem ducerentur patres noſtri, ſacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè abſconderunt.* &c. Hinc grande exoritur inter Commentatores litigium, quo pacto verè dicere potuerit ſacer Hiſtoricus, Iudæam gentem abductam fuiſſe *in Perſidem*, cùm potiùs ſub rege Chaldæo Nabuchodonoſore in Babyloniam abducta fuerit. Quod adeò certum eſt, vt nemo niſi male Catholicus inficiari poſſit. Multa Commentatores Catholici tentant, vt hunc nodum extricent. Hæretici verò Catholicis inſultant; quaſi egregium mendum in Vulgato repererint; & inde hunc Machabæorum librum de catalogo Scripturarum expungendum fore hæreticâ licentiâ ogganniunt. Ego quidèm non negauerim, Iudæum populum ſub rege Babylonio in Babyloniam, non in Perſidem abductum; quod omnibus in confeſſo eſt. Verùm quandoquidèm poſt tranſmigrationem Babylonis, Babylonium imperium Perſarum regi ceſſerit; & ſub Perſarum Rege captiuitas ſoluta ſit, & Iſraëlitæ ad patrios lares redierint; idcircò opinor, ſacrum Hiſtoriographum dixiſſe, *Cumque in Perſidem ducerentur Patres noſtri.* Nam dum itum in captiuitatē Babylonicam denarrat, reditum è Perſide ſignificat, & fauſtè ominatur. Scilicet alibi Scriptura merum captiuitatis exilium & calamitatem denotat, cùm tranſmigratio ſeu captiuitas Babylonica nominatur: cùm autem nunc dicantur abducti *in Perſidem*, è quâ tandèm redierunt ſolutâ captiuitate, non in Babyloniam, quò eunt, ſed *in Perſidem*, vndè redeunt, duci dicuntur. Quò in ipſo captiuitatis nomine, ſoluendæ captiuitatis tabula legatur; & in ipſis exilij notis, nota futuri reditus tranſpareat; & in patriam regreſſus, in ipſo captiuitatis vocabulo haud cæcis characteribus inſculptum ſit. Quapropter à ſacro Hiſtorico moraliſſimè dicitur: *Cum in Perſidem* (nec ait, In Babylonem) *ducerentur patres noſtri.*

*Ipſum captiuitatis nomen Iſraëlitarum indè reditum fauſtè ominatur.*

4. Ezechielis 1. idem prorſus, etſi non eâdem viâ deſignatur. Cùm enim Iudæus populus Babylonicâ captiuitate duriùs vexaretur; apparuit Prophetæ miriſſimus ille currus gloriæ Dei, quatuor illis multiformibus vectus animalibus. *Et animalia ibant, & reuertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.* Quò eunt? & quorsùm hæc animalia currum vehentia, reuertuntur? Pergit Propheta: Cumque aſpicerem animalia, apparuit rota vna ſuper terram, &c. *Et aſpectus earum* (rotarum inquam) *& opera, quaſi ſit rota in medio rotæ.* S. Iuſtinus & Philoſophus, & Martyr, agens de hoc myſtico Ezechielis curru, & de eius ſignificantiâ ita ſcribit: *Oſtendit verò Propheta etiam rotam in rotâ; commonſtrans per eas Iudæorum tum in captiuitatem abductionem, tum in patriam reſtitutionem.* Intermitto nunc, quod currus gloriæ Dei, ſit Babylonicæ captiuitatis ſymbolum. Et ſanè in hoc myſtico curru erat *rota in medio rotæ*, & indè *animalia ibant, & reuertebantur.* Quò luculenter adumbratur, quòd in ipſo ſymbolo calamitoſæ abductionis in Babylonicam captiuitatem, felix quoque in patriam reditus deſignatur; adeò vt in ipſa lugubri calamitate, lætus in patriam regreſſus inſcriptus ſit. Vnde etſi *rota* quâ abducuntur, apparet: apparet inibi ſimul *rota in medio rotæ*, quæ abductos reducat, & reduces in optatiſſimam patriam feliciter reſtituat.

*Rota in medio rota, itum & reditum in captiuitatem denotat.*

Ezech. 1. v. 16.

S Iuſtinus q 44. ad orthodox.

5. Cum adſpectu ad Apocalypſim Ioannis cap. 2. & 3. inſculpantur à Tertulliano Eccleſiarum Proceres, pœnaliſſimo ſupplicio duriùs interminato: Euolue, inquit, quæ Spiritus Eccleſiis dicat. Deſertam dilectionem Epheſiis imputat: ſtuprum, & idolothytorū eſum Thyatirenis exprobrat: Sardos non plenorum operum incuſat: Pergamenos docentes peruerſa reprehendit: Laodicenos fidentes diuitiis obiurgat: & tamen omnes ad pœnitentiam commonet, & ſub comminationibus quidem. (expende quæ ſubdit verba) *Non comminaretur autem non pœnitenti, ſi non ignoſceret pœnitenti.* Ecce tibi in ipſis acerbioribus minis, quæ audientes horrore territant, veniæ ſpes tranſparet, & delictorum indulgentia micantiùs affulget. O aduerte ad hanc inopinatam ex aduerſo felicitatem, quam Ionas perſpicaciùs impreſſit.

Apocal. 2. & 3.

*Deus non comminaretur non pœnitenti, niſi ignoſceret pœnitenti.*

Tertull. de Pœnit. c. 8.

6. Ionæ 1. Factum eſt verbum Domini ad Ionam dicens, *Surge; & vade in Niniuem ciuitatem grandem, & prædica in eâ, quia aſcendit malitia eius coram me. Et ſurrexit Ionas vt fugeret in Tharſis à facie Domini.* Cur Prophetæ partes Ionas recuſat, refutatque miſſionem, cum iubetur palàm prædicando clamare: *Adhuc quadraginta & Niniue ſubuertetur?* Verſabat ſi quidàm animo Propheta cogitationes, quibus latentem Dei beneuolentiam inueſtigaret. Si ſupplicia (ait ſecum tacitus) de Niniuitis eſſent ſumenda, gaudens vtique obſequerer imperio, adminiſter eſſem pœnæ impiorum. *Verùm Niniuen nunc Dominus* (ait Seleucienſis Baſilius) *punire vt arbitror, minatur; ſed pœnam terrore commutabit. Suſpicor equidèm comminationem in clementiæ matrem euaſuram. Nam cur euerſionem prænunciat, ſi veram vult animaduerſionem? ſi punire vult, cur admonet periculi? cur oraculo plagam anteuertit? Noui Dei hominum amantiſſimi artes, iram ſimulat, ſtudet eos antè exoluere pœnâ, quàm experiantur. Ego verò euerſionem proclamans, mendax vates inueniar.* Ecce tibi ipſâ acerbiori Niniuitarum excidij ſententiâ:

Ionæ 1. v. 2. & 3.

*In ſententia Niniuitis minata, veniæ tabula legitur.*

Baſil. Seleu. Orat. 12.

ſententiâ: *Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur*; indulgentior venia tranſparet, & ſoſpitatis tabula legitur.

7. Eccli 43. v. 7. & 8. Eccleſiaſtici 43. A Luna ſignum diei feſti, *luminare quod minuitur in conſummatione. Menſis ſecundum nomen eius, creſcens mirabiliter in conſummatione.* Si ſpecie tenus vibretur cenſura, vtriuſque hemyſtichij ſententia pugnare videtur; ſed reipsâ mirè ſibi conſentit: nam Luna minuitur in conſummatione, id eſt, poſt conſummationem, & perfectionem quæ fit in plenilunio, minui incipit. Quin & dum in nouilunio, ſub nullâ aut malignâ luce vix, aut ne vix quidem apparet, ne putes luminare illud extinctum, ſed interſtinctum; cùm nulla aut maligna illa lux ſenſim creſcit, tacito mirè incremento *in conſummatione*, id eſt, in conſummationem, ſeu perfectionem (putà vſque ad plenilunium) non iam corniculata & marcida, ſed plenâ lampade aſpectabilis fulgeat. Itaque Luna *creſcit mirabiliter in conſummationem*, ſeu ad plenilunij perfectionem miris mutationibus properanter feſtinat; & qui videtur lucis defectus, feſtinata ad perfectionem plenilunij properatio eſt, quod in ipſo nouilunio fauſtè ominatur, & arcanis ſenſim incrementis ſedulò negotiatur. Exindè funeſta lucis defectio, feſtinati plenilunij augurium eſt, & felix præſagium, nam poſt lugubrem lucis defectum, plena lux, quam iam tunc auguratur, gratior & iucundior ac felicior eſt. S. Cyrillus Alexan-

S. Cirillus. *De gemitu beata eſt commutatio ad gaudium, quod præſagit.* drinus ſcitè vellicans eos, qui luce Lunæ iucundiùs lætantur, ita moraliſſimè ſcribit lib. 1. Apolog. Moral. cap. 9. *Igitur quod lumen diligis, laudo te; ſed quod lunari lumine mutabili frueris, te non laudo. Hac enim nocte ſi plenâ lunâ lætaris, cùm defecerit ſequentis veſpere, triſtaberis.* (Eſt poſt paucula ſubdit ad rem) *Verùm non eſt ſapientis gaudere vt doleat, ſed ad tempus lugere, vt ſemper gaudeat. Infelix quippè eſt commutatio de iucunditate in luctum; de gemitu verò beata eſt in gaudium commutatio.* Itaque maligna lux plenæ lucis augurium eſt, feſtinatio ad illam, illiuſque gratia (*ſicut luna perfecta in æternum*) non enim eſt ſapientis, aliquandò gaudere, vt perpetuò doleat, *ſed ad tempus lugere, vt ſemper gaudeat* (in
Hic verſ. 10 ipſo enim temporali luctu æternum gaudium tranſparet: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*) Porrò *de gemitu beata eſt ad gaudium commutatio*: Quaſi vel ipſa æterna beatitudo, ad quam per luctum peruenitur: iucundior, & quodammodò beatior ſit, ac ſi à præterito luctu aliquam placendi gratiam fœneret. Sanè hæc rerum cataſtrophe, in ipsâ felicitate Amani, & immerita Hebræorum calamitate latenter tranſparebat.

---

## §. CCI.

*Crux humiles altè erigit, Sirenes voluptatis excantat, terram reddit fœcundam: trabs eſt in oculis, lumen vultus Dei hominibus impreſſum, & pretioſum Ieſuanæ gloriæ auctarium.*

1. Hic verſ. 10. Aman ille atrociter efferus, in cruce quam erexerat Mardochæo, dignè patibulatus occubuit: ſic diabolus Amani antitypus, in cruce quâ Chriſtum ſuſtulit, ſublatus eſt; vt Ioan. 3. v.
per ea quæ durè parauerat, duriùs periret. Quod 14.
in ſerpentis figurâ olim adumbratur. *Sicut* S. Amb. ſer.
*Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari* 55.
*oportet filium hominis.* Ad quæ verba ita ſcribit *Aman & Dæmon ſuſpenduntur in cruce, quã parauerant.*
Ambroſius: *Rectè planè, vt quia primus apud Deum peccauerat Diabolus, primus crucis ſententiâ feriretur. In ligno enim crucifigitur, rationabiliter factum: vt quia homo in paradiſo per arborem concupiſcentiæ deceptus fuerat, nunc idem per ligni arborem ſaluaretur, atque eadem materia quæ cauſſa mortis fuerat, eſſet remedium ſanitatis.* Serpẽs ligno primus decipit, ligno ſerpens decipitur, crucem parat, quâ figitur Chriſtus; ſed in eâdem ipſe crucifigitur, quod in Amani vmbra feliciter præmonſtratur, dum in cruce quam Mardochæo erexerat, Amanus ſuſpenditur; & Dei populus à ferali edicto eximitur, ouat felix, & triumphat fortunatus, per crucem præmaturè redemptus. O viderint ſe Iudæi per crucem in typo redemptos!

Geneſeos 48. Iacobus iam ſenex, & præ ſe- 2.
nectute caligans, propiùs acceſſiri iubet Ioſephi filios, vt illis benedicat. Ioſeph autem poſuit Ephraim ad dexteram ſuam, id eſt, ad ſiniſtram Iſraël: Manaſſen verò in ſiniſtrâ ſuâ, ad dexteram ſcilicet patris, applicuitque ambos ad eum. *Qui extendens manum dexteram, poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris: ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe qui maior natu erat, commutans manus.* Prò τὸ *commutans*, Hebraicè eſt שכל *ſichel*, à radice שָׂכַל *ſachal*, quod docente Lipomano, *ſignificat intelligere, prudenter agere, aſpicere & ſuperponere, ſcilicet in modum crucis.* Cùm Maior deprimitur, & Minor extollitur, tunc Iacobus de cælo afflatus, *in modum crucis* brachia decuſſat. Vel ante tot retrò ſecula Crux erit excelſis & primoribus, humiliationis ſignum; minoribus verò & abiectis, ſublimitatis nota, & ſceptri præſagium? Signo crucis maior Manaſſes humiliatur, & Ephraim minor ſublimatur. Scilicet iam olim crux erat depoſitio ſublimium, & humilium ſublimitas. Hoc arcanè abſconſum Chriſtianæ religionis ſacramentum, cæleſti *intelligentiâ*, atque *prudentiâ* indiget, ad ſeculo abſtruſam præſagij notionem. O, ſi ſapis, tuam fortunam in cruce leges, & perſpicuè agnoſces.

Geneſ. 48. v. 14. Lipom. ibidem. *Crux ſublimibus eſt humiliationis ſignum; humilibus verò ſublimitatis nota.*

Iſaiæ 13. de Babylone ſic durè prophetat: 3.
Requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus Iſaiæ 13. v.
eorum draconibus: & habitabunt ibi ſtruthio- 22.
nes, & piloſi ſaltabunt ibi. *Et reſpondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & ſirenes in delubris voluptatis.* Hæc prophetica monſtra multimodè ab interpretibus exponuntur. S. Hieronymus inibi per *Sirenes voluptatis*, intelligit *Dæmones.* Dæmonis autem ſollicitior cura inuigilat, vt homines S. Hieron.
blandis concupiſcentiæ illecebris ad omnia vitia indidem.
pertrahat. S. Ambroſius ſerm. 55. qui eſt de S. Ambr. ſer.
Cruce Chriſti, ita de Sirenibus ſcribit: Seculi, 55.
inquit, ferunt fabulæ Vlyſſem illum qui decennio marinis iactatus erroribus ad patriam peruenire non poterat, cum in locum quendam curſus illum nauigij detuliſſet, in quo Sirenarum dulci cantus crudelis varietate reſonabat, & aduenientes ſic blandâ modulatione mulcebat, vt non tam ſpectaculum voluptatis caperent, quam naufragium ſalutis incurrerent. Talis enim erat illa oblectatio cantilenæ

vt

vt quiſquis audiſſet vocis ſonitum, quaſi quâdam captus illecebrâ non iam tenderet ad eum quem volebat portum, ſed pergeret ad exitium quod nolebat. *Igitur cum Vlyſes incidiſſet hoc dulce naufragium, & ſuauitatis illius vellet declinare periculum, dicitur inſertâ cerâ auribus ſociorum ſe ipſum ad arborem nauigij religaſſe, quò & illi carerent periculoſâ auditus illecebrâ, & ſe de periculo nauigij curſus auferret.* (Sed vide ex ore & mente Ambroſij quid medullæ ſub fabulæ cortice deliteſcat.) *Si ergò de Vlyſſe illo refert fabula quòd eum arboris religatio de periculo liberarit, quantò magis prædicandum eſt quod vere factum eſt, hoc eſt quod hodie omne genus hominum de mortis periculo Crucis arbor eripuit? Ex quo enim Chriſtus Dominus religatus in cruce eſt, ex eo nos mundi illecebroſa diſcrimina velut clauſa aure tranſimus. Nec pernicioſo enim ſeculi detinemur auditu, nec curſum melioris vitæ deflectimus in ſcopulos voluptatis.* Et nota attentiùs, quòd ſollertiſſimus hic vir, dũ *Sirenes voluptatis*, hoc eſt, mundi illecebras, & concupiſcentiæ blanditias declinare ſatagit, ne delictorum ſyrtes incurrat male dulci voluptatis naufragio; ceteris aures obturat, ſurdos reddens deliciarum vocibus: ſe autem pro ſecurâ aurium obturatione, *arbori crucis religat*, quò reliquis tutior ſit, tametſi *voluptatis Sirenes*, blandas concupiſcentiæ delicias dulci cantilenâ modulantes exaudiat. Iuſtos putat reliquos cautâ aurium obturatione ignauè ſurdos; ſe verò omnium tutiſſimũ, qui feliciore pugnaciter ſurditate, *etſi* voluptatũ blandam melodiam exaudiat, *arbori crucis religatur.* Sic eſt potentiſſima Chriſti crux contra *Sirenes voluptatis*, vt nec illi defuerit aut ſurditatis ſecuritas, aut vincentis felicitas. Securitate ſurdos æmulatur, vincendi glotiâ auritos adæquat, & ſecuritate periculi victricem ſoſpitatem ſumptuoſius adornat, prælustri dominicæ Crucis elogio.

*Quam ſit potens Crux contra Sirenas voluptatis.*

4\. Matthæi 7. eos, qui aliorum facta temerè iudicant, & temeritatis priuilegio de eis licenter garriunt, his verbis Chriſtus ſeuerè caſtigat: *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Vide nunc mihi, quo hanc ſententiam Theophilus Antiochenus deflectat, ſic fatus: *Quid vides feſtucam &c. Hoc autem ad eos ait, qui male viuentes audent cum ſimplicioribus de lege contendere; quorum ab oculis ſtipulam coronæ Dominicæ mundare nituntur, & in ſuo trabem non ſentiunt Crucis.* Mirum ſane eſt, & valdè miriſſimum, quòd qui Crucem Domini omnia mundiſſimè defæcantem in oculis ſuis habeat: vel leuiſſimas in alio maculas perſpicere valeat. Sic dominica Crux mentis oculos limpidiùs depurat, omni abiectâ ſiniſtræ perſpicaciæ ſcoriâ? Quo modo autem in eorum oculis, qui leuiter delinquunt, hæreat *ſtipula coronæ Dominicæ*: in his autem qui temerariè iudicant, dominica Crux inueniatur, alibi expendemus) Et ſanè ipſius Crucis tormentum eſt eius abuſu de aliis prauè cenſere: & de munditiei officinâ alios offuſcare audacioris iudicij cẽſu. Sic vel trabes dominicæ Crucis oculis propiùs obiecta, noſtros debet obtutus mundare, & de obice facere collyrium? An ſic eſt criminoſè audax temerariè iudicãdi libido, vt tota Chriſti Dei Crux vix illi ſatis ſit, vt iudiciorum malignitatem inhibeat?

*Matt.7. v.3. Theoph Antioch.l.1. Comment. in Euang.*

*Qui temerarie iudicant, trabem crucis in oculis geſtant.*

5\. Geneſis 5. Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit filium: *Vocauitque nomen eius Noe: dicens: Iſte conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum in terrâ, cui maledixit Dominus.* Valdè diſſident Interpretes inueſtigando, quid inuenerit Noë in agricolationis ſupellectile, quo homines cõſolatus ſit in agriculturâ terræ *cui maledixit Dominus.* Caietanus quẽ Lipomanus ſequitur, putat Noëmũ fuiſſe primum *aratri* inuẽtorem, quo maledictæ terræ agreſtem durè auſteritatem facile proſcinderent, & feliciter edomarent, adeò vt, quæ maledicto Dei *ſpinas & tribulos germinabat*, exinceps optimos fructus ederet, quaſi Dei maledictum magnâ ex parte ſoluerit *aratri* inuentũ. Quid ineſt *aratro*, vt eius inuentor tanto plauſu exceptus ſit, & indè à natiuitate feliciter nominatus? S.Ambr. ſic profũde ad rẽ ſcribit: *Sed & bonus agricola*, inquit, *cùm parat terræ ſolum vertere, & vitæ alimenta perquirere, nõ niſi per ſignũ Crucis id facere conatur. Dum enim aratro dentale ſubijcit, affigit aures, ſtiuã inſerit, figurã crucis imitatur. Cõpactio enim ipſa, ſimilitudo quædã eſt dominicæ paſſionis.* Ecce tibi, cur tam feſto plauſu, *aratri* inuentor à priſcis retrò Patriarchis celebratur, ſiquidem de Crucis formâ, quæ *aratri* compactione apparet, temperari tunc Dei maledictum ſperant, & tandem per Chriſti Crucem *aratro* adumbratam, ſoluendum prænouerunt. ô iam per Chriſti Crucẽ, maledicta olim terra, non *ſpinas & tribulos* de antiquâ maledictione germinat; ſed fructus edules, maturos, & benè dulces myſticè profert.

*Geneſ. 5. v. 29.*

*Caietan. & Lipom. ibi. Gen.2.v.18.*

*Aratrum Crucem refert, vt terra ſolum maledictum.*

*S.Ambr. ſer. 56.*

*S.Zeno ſer. 6. de Iſaia.*

6\. S. Zeno Veronenſis in eleganti ſermonis facundiâ Ambroſio non impar, adhuc in ruſticanâ agricolationis metaphorâ perſiſtens, Crucis fructus proponit, ex Matthæi 21. *Homo*, inquit, *erat pater familias, qui plantauit vineam, & ſepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular.* &c. Vinea Dei (ait Zeno) prior Synagoga fuit, ſiluoſis errantium palmitum crinibus vilis: quæ cùm per voluptuoſa ac profana loca laſciuâ paſſim ſe fronde diffundit, generauit pro fructibus ſpinas, pro vuâ labruſcam. Cuius rei indignitate commotus Dominus, illâ deſertâ, aliam ſibi, id eſt Eccleſiam matrem ſuâ pro voluntate plantauit: *Quam ſacerdotalibus officijs ſuſpenſa excolens, piâque putatione fœcundans, felici ligno ſuſpenſam vberrimam docuit afferre vindemiam. Inde eſt, quòd hodie veſtro de numero nouellæ vites ad iugum perductæ, ſcaturientis muſti dulci fluento feruentes vinariam dominicam cellam communi gaudio repleuerunt.* Scilicet fœlix Crucis lignum aratro adumbrari Ambroſius prædocuit: Zeno verò arbuſtinæ vitis fulcro ſeu tibicine, quo palmites fructu graues, ſuſpenſi fulciuntur, egregiè comparat. Itaque Synagogæ vinea errantium pampinorum ſterili luxurie viteſcebat: at Eccleſiæ vinea cuius palmites felici Crucis ſtipite ſuſtentantur, euentilanturque Spiritus-ſancti puriori aurâ fœcunditate grauida, vberrimam edocta eſt afferre vindemiam indies ſcaturientis muſti dulci fluento feruens: quia felici Crucis ligno ſuſpenſa fulcitur. *Felici ligno ſuſpenſam, vberrimam docuit afferre vindemiam.*

*Matth.21. v. 33.*

*Eccleſia vinea felici Crucis ligno ſuſpenſa vberem fundit vindemiam.*

7\. Regius vates Pſalm. 4. modulatè ait, quid homines importunè dictitant, & quiritando quæritant bona? quis illis ſuppeditet, quis dimicando faueat? nos tuâ innixi ſpe, tuum reſpicimus fauorem, velut ſignum aut vexillum altè ſublatum, & ante oculos poſitum: quare perfuſum eſt lætitiâ cor meum, nullaque hominum procurat auxilia: *Signatum eſt*, inquit, *ſuper nos lumen vultus tui Domine: dediſti lætitiam in corde meo.* Rupertus *vultum* ſumit pro Filio, *lumen vultus* pro Spiritu-Sancto. Aurelius Caſſiodorus ſic ad lemma præſens

*In Crucis impreſſione lumen eſt vultus Dei.*

*Pſal.4.v.7.*

*Rupert.l.6.*

præſens opportunè locum exponit : *Signatum eſt lumen vultus tui Domine. In Crucis enim impreſſione lumen eſt vultus Dei : quia ſemper in eis noſcitur radiare , qui ſe non aliquâ eligunt prauitate polluere.* Nempe in Crucis impreſſione *lumen vultus* Dei maximè elucet : nam is cui Dominica Crux impreſſa eſt , & religioſo cultu, & vitæ imitatione ſic ſplendidè irradiat omni prauitate dilutâ , vt ſupernæ conuerſationis fulgoribus micanter præniteat, *lumine vultus Dei radiare noſcitur.* Grande quidèm Crucis elogium, & moralitatum in paucis grauidum!

8. Matth. 2. v. S. Fulg. ſer. de epiph. Matthæi 2. cùm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis , ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam , dicentes: *Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum ? vidimus enim ſtellam eius in oriente , & venimus adorare eum.* Quæ verba ſic exponit Fulgentius: *Quis eſt iſte rex Iudæorum, pauper & diues, humilis & ſublimis? Quis eſt iſte rex Iudæorum , qui portatur vt paruulus, adoratur vt Deus ? Paruulus in præſepio , immenſus in cælo ? vilis in pannis , pretioſus in ſtellis?* In pannis ab Angelis adoratur , in cunis à paſtoribus , in matris gremio à Regibus; ibique *vilis* habetur , & in *ſtella pretioſus* ? Quare in ſtellâ *pretioſus* prædicatur , qui alibi *vilis* à Fulgentio dicitur ? Audiendus eſt incertus Chryſoſtomus inibi ita fatus: *Stella illa beatitudinis apparuit Magis ſuper montem illum Victorialem , habens in ſe formam quaſi pueri paruuli , & ſuper ſe ſimilitudinem crucis.* Num qui in cunis , in pannis, in matris ſinu , in feſto paſtorum plauſu , in cæleſti Angelorum tripudio , in Regum inopinato obſequio , *vilis* habetur ; *pretioſus* dicitur in ſtellâ , illuſtri Crucis ſigno brachiatis ſplendoribus inſculptâ ? Chriſti pretium cenſendum eſt ex pretioſo Crucis ſigno , an ex Matre virgine , & Patre Deo ? Contumelioſa Crucis vilitas , pretium addidiſſe Chriſto perhibebitur ? Similitudo Crucis pretioſiorem faciet Dei Filium , hominem Deum , hypoſtaſi Verbi ſubſiſtentem ? Sic æſtimat Chriſtus Redemptionis inſignia , vt ſic apud homines Crucem honoret ? Aſt non reputes Crucem aridum ſtipitem ; ſed pulchram arborem flore ſuo , id eſt , Chriſto vernantem : & fructu ſuo, id eſt , redemptione , fœcundam , & pretium redemptionis Deo patri pendentem , à quo pretio pretium additur gloriæ Chriſti. Sic alternant gloriæ pretium Crux & Chriſtus , vt Chriſtus Cruci gloriam pretij mutuet , & Crux pretij redemptionis gloriam Chriſto fœneret , de conſummatâ Paſſionis gloriâ.

*Num pretium Crux addidit Chriſto , an Chriſtus Cruci?*

*Imperf. homil. 2. in Matth.*

# SYNOPSIS CAP. VIII.

*Amane in crucem acto , eius proſcripta bona Eſtheri Aſſuerus conceſſit : Eſther autem ſe , ſuáque omnia adminiſtranda tradidit Mardochæo ; qui in locum Amani glorioſè ſuffectus eſt. Dein Rex largè benignus ſupplicanti Reginæ adnuit , vt ferale edictum quod aduerſus Iudæos Amanus extorſerat , nouo & contrario reſcripto protinùs abrogetur : quod , accepto priùs annulo ſignatorio , Mardochæus & ſcribendum , & per vniuerſas prouincias euulgandum ſatagit. Quo tantæ cladis metu Iudæi exempti ſunt , illiſque impunè licuit vltricem vim vbiuis aduerſariis inferre. Exinde Mardochæus vt magnam apud Regem familiaritatem , ita ſummam in regno auctoritatem nactus eſt : tantáque gloria fulgebant Iudæi , vt multi abiurata auita Idolorum religione religionem Iudaicam vltrò ſuſceperint.*

## CAPVT VIII.

1. DIE illo dedit rex Aſſuerus Eſther reginæ domum Aman aduerſarij Iudæorum , & Mardochæus ingreſſus eſt ante faciem regis. Confeſſa eſt enim ei Eſther quòd eſſet patruus ſuus. 2. Tulítque rex annulum quem ab Aman recipi iuſſerat , & tradidit Mardochæo: Eſther autem conſtituit Mardochæum ſuper domum ſuam. 3. Nec his contenta, procidit ad pedes regis : fleuítque , & locuta ad eum , orauit vt malitiam Aman Agagitæ , & machinationes eius peſſimas , quas excogitauerat contra Iudæos , iuberet irritas fieri. 4. At ille ex more ſceptrum aureum prætendit manu , quo ſignum clementiæ monſtrabatur ; illáque conſurgens ſtetit ante eum , 5. & ait : Si placet regi , & ſi inueni gratiam in oculis eius, & deprecatio mea non ei videtur eſſe contraria , obſecro vt nouis epiſtolis veteres Aman literæ inſidiatoris & hoſtis Iudæorum , quibus eos in cunctis regis prouinciis perire præceperat,

perat, corrigantur 6. Quomodo enim potero ſuſtinere necem & interfectionem populi mei? 7. Reſponditque rex Aſſuerus Eſther reginæ, & Mardochæo Iudæo: Domum Aman conceſſi Eſther: & ipſum iuſſi affigi cruci, quia auſus eſt manum mittere in Iudæos. 8. Scribite ergo Iudæis, ſicut vobis placet, ex regis nomine ſignantes literas annulo meo. Hæc enim conſuetudo erat, vt epiſtolis quæ ex regis nomine mittebantur, & illius annulo ſignatæ erant, nemo auderet contradicere. 9. Accitiſque ſcribis & librariis regis (erat autem tempus tertij menſis, qui appellatur Siban) viceſima & tertia die illius ſcriptæ ſunt epiſtolæ, vt Mardochæus voluerat, ad Iudæos & ad principes, procuratoréſque & iudices, qui centum vigintiſeptem prouinciis ab India vſque ad Æthiopiam præſidebant: prouinciæ atque prouinciæ, populo & populo iuxta linguas & literas ſuas, & Iudæis pro vt legere poterant, & audire. 10. Ipſæque epiſtolæ quæ ex regis nomine mittebantur, annulo ipſius obſignatæ ſunt & miſſæ per veredarios: qui per omnes prouincias diſcurrentes, veteres literas nouis nuntiis præuenirent. 11. Quibus imperauit rex, vt conuenirent Iudæos per ſingulas ciuitates, & in vnum præciperent congregari, vt ſtarent pro animabus ſuis, & omnes inimicos ſuos cum coniugibus ac liberis & vniuerſis domibus interficerent atque delerent. 12. Et conſtituta eſt per omnes prouincias vna vltionis dies, id eſt, tertiadecima menſis duodecimi Adar. 13. Summáque epiſtolæ hæc fuit, vt in omnibus terris ac populis, qui regis Aſſueri ſubiacebant imperio, notum fieret paratos eſſe Iudæos ad capiendam vindictam de hoſtibus ſuis. 14. Egreſſique ſunt veredarij celeres nuntia perferentes, & edictum regis pependit in Suſan. 15. Mardochæus autem de palatio, & de conſpectu regis egrediens fulgebat veſtibus regiis, hyacinthinis videlicet & aëriis, coronam auream portans in capite: & amictus ſerico pallio atque purpureo. Omníſque ciuitas exultauit, atque læta eſt. 16. Iudæis autem noua lux oriri viſa eſt, gaudium, honor & tripudium, 17. Apud omnes populos, vrbes atque prouincias, quocumque regis præcepta veniebant, mira exultatio, epulæ atque conuiuia, & feſtus dies: in tantum vt plures alterius gentis, & ſectæ eorum religioni, & ceremoniis iungerentur. Grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaſerat.

---

## §. CCII.

### *Commentarius Litteralis.*

*Verſ.* 1. Die illo dedit rex Aſſuerus Eſther reginæ domum Aman.

1. IN more poſitum fuit apud Perſas, vt læſæ maieſtati reorum proſcriberentur bona, & regio fiſco addicerentur. Quod liquidò conſtat ex 1. Eſdræ cap. 6. v. 11. & cap. 7. v. 20. & ex Ioſepho lib. 11. Antiq. c. 1. Vndè illo ipſo die, quo Amani damnatio decreta eſt, decreta eſt etiam bonorum eius proſcriptio, eiuſmodi damnationi ſuccedanea. Omnem ergò Amanis cenſum benevolus Rex ſuæ Eſtheri conceſſit. Dedit itaque rex Aſſuerus Eſther reginæ *domum Aman*, non quidèm vacuam, ſed pretioſâ ſupellectili, & penè regijs theſauris adornatam; ſimulque omnes fundos, poſſeſſiones, facultates, & immenſas opes, de quibus ſe nuper gloriabatur, & ambitioſè iactabat, pro vt LXX. interpretes tradunt, & Ioſephus explicat, quibus paſſim ſubſcribunt Commentatores.

1. Eſdræ. Ioſephus.

*Totus Amani cenſus Eſtheri donatus à Rege.*

Eſther. 5. v. 11. LXX. Interp. Ioſephus l. 11. c. 6.

Et Mardochæus ingreſſus eſt ante faciem Regis.

2. Cùm Mardochæus dicitur *ingreſſus ante faciem Regis*, putat Vatablus, cui adnuere videtur Caietanus, quòd Mardochæus qui hactenùs ad portam palatij erat, nunc in Regis familiam aſcitus ſit, & inter palatinos numeratus. Veroſimilius autem putauerim, ad intimam Regis conſuetudinem ac familiaritatem fuiſſe ſublimatum. Ita Lyranus, Dionyſius, Mariana, Seraiius, Emanuel Sà, Tirinus, Sanctius, Feuardentius, Salianus, Gordonus, Menochius. Et ſanè (quicquid ſit, an hactenùs fuerit Mardochæus in regiæ familiæ cenſu, quod multis ſupra negauimus) cùm nunc dicitur Mardochæus *ingreſſus ante faciem Regis*, non ſignificatur ad Regis colloquium ſic admiſſus, vt admitti ſolet è nobilibus quiſpiam externus, qui negotium habet cum Rege, ſed in regiam familiam aſcitum: indè ex Perſicâ phraſi, ſeu Perſarum more ſignificatur, ad regiam conſuetudinem & familiaritatem fuiſſe euocatum, & ad ſublimiſſimum in palatio munus; nam qui *ante faciem Regis* Perſici aſſiſtunt, tanquam eius faciales, ſummum in regio miniſterio culmen obtinent. Porro ex Regis Perſici aulâ tranſlata eſt hæc metaphora ad cæleſtis Regis empyreum palatium, Matthæi 18. *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt*; quemadmodum præfata verba inibi Maldonatus exponit, & nos in Tobiæ 12. v. 15. non pauca ſuggeſſimus §. 377. Itaque hîc Mardochæus inter Regis Perſici faciales nominatur. Mox ſignatorius Regis annulus ei traditur, quo innuitur in locum Amanis ſucceſſiſſe. & cap. 9. v. 4.

Vatabl. Caiet. Lyra. Carthuſ. Mariana. Serarius. Sà. Tirinus. Sanctius. Feuardent. Salianus. Gordon. Menoch. Auctor ſuprà §. n.

*Mardochæus hic intimus Regis familiaris creatur.*

Mat 18. v. 10. Maldonat. Auctor. in Tobiam.

Eſther. 9. & 10.

v. 4. *Princeps palatij* dicitur: & cap. 10. v. 9. *ſecundus à Rege.* Scilicet cùm in eo rerum articulo & infidus Aman damnatus ſit, & Mardochæi fides regio cultu & pompâ munerata, & tunc chariſſimæ Reginæ patruus declaratus ſit, non inidoneè tot muneribus auctus eſt. Id præſertim ordinante Dei prouidentiâ, *Vt quemadmodum* (ait S. Hieronymus) *in Ioſepho* Geneſis 41. *Daniele* Daniel. 2. *ſic in Mardochæo haberent captiui & peregrinantes Iudæi ſolatia, videntes hominem gentis ſuæ Ægyptiorum eſſe principem, vel Chaldæorum, vel Perſarum.*

Eſther 9. & 10. — S. Hieron. in c. 2. Dani. — Geneſ. 41. — Daniel. 2.

## Confeſſa eſt enim ei Eſther quòd eſſet Patruus ſuus.

3. Hìc interpretes recentant quæſtiunculam de cognationis gradu inter Eſtherem ac Mardochæum, quem Eſtheris patruelem malunt. Quâ de re ſuprà §. 53. n. 8. Hebraicè ſcribitur: *Quia indicauit Eſther quid illi ipſe*, id eſt, propinquum ſanguine eſſe, & ab illo patris loco educatum. Quo autem propinquitatis gradu Vulgatus diſertè exponit, dum illum ſæpiùs appellat patruum. Vulgata autem editio reliquis præferenda eſt, & ex illâ reliquæ corrigendæ.

*Mardochæus Eſtheris patruus non patruelis.* — Hebræus.

## *Verſ.* 2. Tulitque Rex annulum, quem ab Aman recipi iuſſerat: & tradidit Mardochæo.

4. Annulus, qui olim equitum Romanorum inſigne, frequens quondam fuit ad litteras, aliaque multa obſignanda, quæ vetuſtioris æui conſuetudo, parum hodie in vſu eſt. Profectò etſi conuenit inter Expoſitores: quòd *annulus* primum Amano conceſſus, poſtmodum ab eo recipi iuſſus, & tandem Mardochæo donatus; ſignum fuerit eximiæ apud Regem auctoritatis; tamen adhuc ambiguum eſt, ad quem vſum Rex annulum donarit. Sanctius hìc seriò exiſtimat, duplicem fuiſſe annulum: alium, quem Rex Amano dedit ad litteras contra Iudæos obſignandas, quo & obſignabantur quæcumque Regis edicta. Alium, quo Regis nomine ſignabantur litteræ, qui à regiâ illâ auctoritate procùl aberat, & ideò grauioribus cauſſis non adhibebatur. Hoc minoris auctoritatis annulo donabantur viri principes, quorum fidei Rex ſua impertiebatur conſilia. Hæc Sanctij commentatio parùm mihi expedita videtur, neque in hâc hiſtoriâ ſolidè fundari poteſt, quantumuis Sanctius adnitatur. Porrò cap. 3. Amanus ſuper reliquos Perſici imperij principes exaltatur, neque vlla fit traditi annuli mentio, quouſque obſignandum fuit regium illud edictum Iudaicæ ſtragis: *Tulit*, inquit, *Rex annulum, quo vtebatur, de manu ſuâ, & dedit eum Aman.* quo ſummæ auctoritatis annulo munitæ ſunt Regis litteræ: neque alterius annuli Amano conceſſi alibi vlla mentio inuenitur. In hoc autem cap. 8. cùm paullò inferiùs obſignandæ eſſent nouæ litteræ, quæ priores illas abrogarent, ſcribitur: *Tulit itaque Rex annulum, quem ab Aman recipi iuſſerat, & tradidit Mardochæo.* quo etiam annulo obſignatæ ſunt litteræ quas Regis nomine Mardochæus miſit vt reuocaret priores. Quo ergò fundamento inducitur alius annulus principibus donari ſolitus? Et ſane ſi annulus ille Amano donatus ad ſignandum illud ſetale decretum, re peractâ reddendum Regi foret, iam diu illud Amanus reddidiſſet, nec fuiſſet opus vt notaretur, *Regem iuſſiſſe ab Aman recipi*, vt traderetur Mardochæo. Imò, ſi attentiùs conſiderentur ſacri textus verba, indicare potiùs videntur, illum annulum ab Amane damnato recipi iuſſum, & traditum Mardochæo: neque enim alterius annuli in Amanis exaltatione mentio fit. Vndè veroſimile cenſuerim toto illo trimeſtri regium annulum fuiſſe apud Amanem; ſicut Regium ſigillum eſſe ſolet apud Cancellarium: & aliquando typicus Regis ſingraphus apud regium Familiarem. Et quidèm cùm illo annulo non niſi grauiora munirentur decreta, quæ inconſulto Regis Priuato minimè decernebantur, ſed de eius potiùs arbitrio; mirùm non eſt ſignatorium Regis annulum apud eum Principem eſſe, cui tanquam prudentiſſimo & fideliſſimo, ſe ſuaque omnia Rex credidit. Reliqui auctores præter Sanctium generaliter loquuntur, & tantummodo exprimunt, annuli traditionem fuiſſe ſignum dignitatis Amani iam tranſlatæ in Mardochæum. Duplicem ſuum annulum fundat Sanctius in verbis Alexandri Neapolitani l. 2. Genial. c. 9. *Apud Perſas*, inquit, *donari annulo à Rege amicitiæ ſignum erat, eo argumento illos in intimam familiaritatem, & vinculum maximi fœderis admittere ſignificantes.* Alexander autem non aſſerit, plures ſimul principes annulo à Rege donatos. quin & *intima familiaritas, & vinculum maximi fœderis*, vni Priuato potiùs, quàm multis de principibus congruit: Putauerim hoc Alexandri loco noſtram potiùs ſententiam fundari.

Sanctius hic. — *An vnum, aut multos annulos Rex Perſarum donarit.* — Eſther 3. v. 10. — Alexand. ab Alexand.

## Eſther autem conſtituit Mardochæum ſuper domum ſuam.

5. LXX. interpretes: *Eſther conſtituit Mardochæum ſuper omnia quæ fuerant Aman.* Nimirùm cùm Amani domum, & cenſum Aſſuerus Eſtheri conceſſerit, Eſther patruum Mardochæum conſtituit ſuper domum Amani. Hebraicè, *Super domum Aman conſtituit Eſther Mardochæum.* Chaldæus paraphraſtes ait Eſtherem conſtituiſſe Mardochæum *magiſtrum, & exactorem ſuper domum Aman*, ſibi à Rege conceſſam. Quæ verba non ſonant, ampliſſimum Amani cenſum ab Eſthere donatum Mardochæo, vt putat Serarius ſecutus Ioſephum; ſed illius curæ & adminiſtrationi commiſſum Reginæ nomine & auctoritate illi præeſſe, (vt reliqui ferè Expoſitores cenſent) ſicut enim ſe, ſuaque omnia à teneris annis illi tradiderat, ſic nunc domui ſuæ, id eſt, toti familiæ, omnibus rebus ac negotiis, & nominatim eius opibus Mardochæum præfecit. Et quia Eſtheris diuitiæ præcipuè conſtabant ex Amani locuplete cenſu, ideò ſuper domum Aman conſtitui, tanquam Præfectum, à reliquis Tranſlationibus perhibetur. Et ſane forſan inurbanum videri poſſet, opulentius donum quo à Rege beneuolentiùs muneratur, confeſtim in alium transferre, & à ſe abalienare. Inidoneè opinor, Caietanus τὸ *domum Aman*, Amani ædes interpretatur, quaſi Eſther Mardochæo donauerit peramplam Amani domum, in quâ ſumptuoſiùs habitaret. Profectò, vt nuper ex

LXX. interp. — Hebræus. — Chaldæus. — *Eſther non donauit Mardochæo Amani opes ſibi donatas.* — Serar. q. 32. — Ioſeph. l. 11. Antiq. c. 4. — Caietan.

ex communi ſententiâ ſtatuimus, per *domum Aman* fiſco addictam, & Eſtheri donatam, omnis omninò Amani cenſus innititur.

*Verſ.* 3. *&* 4. *&* 5. *&* 6. *&* 7. Neque is contenta procidit ad pedes Regis, &c.

Sententia horum Verſuum ex ſuprà dictis ferè expoſita eſt, ſiquid fortè notatiunculâ dignum occurrerit, ſeriatim expedietur. Profectò non ſatis erat ad Iudæorum incolumitatem,

*Iterùm Regem adit Eſther, vt Amani edictum contra Iudæos antiquetur.*

quòd Aman patibulatus occubuerit, niſi regiæ litteræ ab eo impetratæ, & per omnes regni prouincias miſſæ derogarentur: adhuc enim erat Iudæus populus capitali ſupplicio deuotus. Ergò (vt credibile eſt) iterùm Mardochæi iuſſu iniuſſa Eſther Regi adeſt; & Regis virgâ in clementiæ ſignum illi inclinatâ ferale Amani edictum nouis litteris antiquari, cum lacrymis ſupplicitet à beneuolo Rege expoſcit, & impetrat. *Procidit ad pedes Regis* ] Vndè veroſimile fit, quòd Aman non prociderit ad Eſtheris genua, ſed ad eius pedes, cùm deprecabatur veniam: honeſtiùs enim ad pedes, quàm ad Reginæ genua prouolueretur. Prouolui autem ad pedes in diſcubitorio lectulo, aliquam ſtupri audaciùs intentati ſpeciem præferebat. In verſ. 4. illud: *Quo ſignum clementiæ monſtrabatur*, non habetur in Hebræo textu, ſed ad expreſſiorem ſenſum benè additum eſt ab Interprete, vt aduertit Mariana. Mariana.

Nouis epiſtolis veteres Aman. litteræ.... corrigantur.

7. Hæc Reginæ verba ſeuerum Perſarum ius, potiùs quàm conſultam illius vrbanitatem denotare putat Sanctius ad hunc verſ. 5. (Cenſet enim idcircò edictum aduerſus Iudæos extortum, appellari *veteres Aman litteras*, non Regis; quia Regi nouas leges condere licebat, non abrogare antiquas, vt conſtat ex cap. 1. v. 19. & Danielis 6. v. 15. Vndè litteræ illæ, non Regis, ſed Amani dicuntur, etſi regio annulo obſignatæ forent. Neque enim decebat, quòd Regina à Rege peteret, vt mutaret decreta, quæ neque verecundè, neque ſine inconſtantiæ notâ facere potuiſſet. Nec fortè id Rex facere poterat, quia *lex Perſarum atque Medorum eſt, vt omne decretum quod conſtituerit Rex, non liceat immutari.* Ita quidèm Regis Perſarum decreta immutare non licet, niſi aliqua grauiſſima cauſſa vrgeret, quæ Regem ab inconſtantiâ excuſaret ob perſpectam Reipublicæ vtilitatem, aut aliâ quâuis vrgente ratione, quæ prius edictum abrogare ſuaderet. Et ſanè Rex ipſe Darius tametſi noſſet immutari non ſolita Perſarum decreta, nihilominùs *pro Daniele poſuit cor ſuum vt liberaret eum, & vſque ad occaſum ſolis laborabat vt erueret illum:* eripuiſſet autem niſi Danielis æmuli forent regni Satrapæ potentiores, qui ex condicto tumultuabāt contra Regem, niſi lex aduerſus Danielem ſeruaretur: neq; enim Rex tandiu ſperaret, poſſe ſe illum eripere, niſi ex aliquâ grauiori occaſione foret reuocabile Perſarum edictum; nec adeò ſeuerum vt nullâ ex cauſsâ aliquādo abrogari ſolitum fuerit, præſertim ſi Satrapæ adnuerent. Et quidèm ſi attentiùs legantur litteræ, quas nunc impetrauit Regina, &

Sanctius ibi. Eſther. 1. Daniel. 6. v. 16. *Edictum Regis Medorum non ſemper omninò irreuocabile.* Daniel. 6. v. 14.

habentur cap. 16. liquidò conſtabit priores litteras non ab Amane, ſed à Rege ſcriptas. (etſi Amanus illas dictauerit, ſicut nouas dictauit Mardochæus) Vnde cap. illo 16. v. 9. *Nec putare debetis*, inquit, *ſi diuerſa iubeamus, ex animi noſtri venire leuitate*, &c. Ecce diuerſa nunc *iubere* dicit, ac in prioribus litteris *iuſſit*: ergò Rex ipſe, non Amanus excidium Iudæorum in prioribus *iuſſerat.* Accedit quod in priori illo edicto res grauiſſima agebatur, nempè numeroſiſſimi & nobiliſſimi populi excidium, quod non niſi regio expreſſiùs decreto exequi veroſimile eſt. Profectò regia decreta toto anno, aut fortè totâ Regis vitâ vacarent, nullaque vnquam à Rege decernerentur, ſi hæc cauſſa adeò grauis non erat, vt regio cenſu, & iuſſu decerneretur: raro enim res adeò grauis occurreret. Quin & ſi decretum mitti poterat à Regis Priuato; non à Rege (etſi eius annulo obſignatum) dere adeò graui, & hoc Priuati decretum poſſet reuocari, inanis, nugatoria, imò ridicularia foret vetus ſanctio Medorum atque Perſarum, quòd Regis decretum irreuocabile foret. Nam decreto quod Regis annulo obſignabatur, omnes parere cogebantur, vt notatur hic verſ. 8. *Scribite*, inquit Aſſuerus, *ſicut vobis placet, Regis nomine ſignantes litteras annulo meo. Hac enim conſuetudo erat, vt epiſtolis, quæ ex Regis nomine mittebantur, & illius annulo ſignatæ erant, nemo auderet contradicere.* Si ergò Rex rem adeò grauem decernere ſic poterat ſui Priuati litteris, & hoc decretum poterat abrogari; fruſtrà regio decreto aliquid per ſe ipſe Rex ſtatuerat, cuius nullus alius videtur effectus, niſi quod irreuocabile foret. (Perperàm igitur ipſe 8.
ſe Rex implicaret & decreto ſuo, id eſt, irreuocabili, ſtatueret, quod decernere potuiſſet reuocabili decreto per quempiam è Proceribus reſcripto. Ipſe enim ſuam iuriſdictionem anguſtè coarctaret, & fruſtrà decerneret, quod reuocare non poſſet. Vndè veroſimiliùs cenſuerim cum communi Interpretum ſententiâ, quod Eſther in hoc verſ. 5. Regis aduerſus Iudæos edictum appellat *veteres Aman litteras*, vrbanitatis cauſsâ, tribuens Amano, quod aſtutè ſuaſit, quod vaferrimè extorſit, quod verbatim malitioſè dictauit. Inuidioſum fuiſſet (inquit Tirinus) vocare *Regis litteras*: nam illæ erant more Perſico *Irreuocabiles*, vt expreſsè affirmatur, cap. 1. v. 19. & exemplis docet Diodorus. Quare Eſther ferales illas, quas abolitas volebat, non *Regis*, ſed *Amani* litteras vocat, vt, cùm illas reuocaret Rex, non ſuum, ſed Amanis edictum reuocaſſe videatur. Et ita affirmat ipſe Rex cap. 16. v. 17. Miſſæ ergò ſunt nouæ litteræ, quas ſupplicat Eſther, & quæ Regis edictum ab Amane extortum reuocarent.

Eſther. 16. *Quare Eſther Amani, non Regis litteras appellet.* Tirinus ibi. Diodor. lib. 6. 14. Eſther. 16.

*Verſ.* 8. *&* 9. Scribite ergò Iudæis, ſicut vobis placet, &c.

Ex verſ. 7. proximè præcedenti conſtat aut 9.
huic colloquio Reginæ cum Rege adfuiſſe Mardochæum, iam intimum Regis Familiarem, fide erga Regem, & regiâ affinitate præluſtrem; vt putat Sanctius; aut quia Rex intelligebat hanc petitionem à Mardochæo per Reginam fieri, ideò ad eum conuertiſſe ſermonem, ſicut Chriſtus ad diſcipulos, non ad ipſorum matrem, Matthæi 20. v. 22. vt exiſtimat Salianus.

Sanctius. Matth. 20 Salianus.

Vndè

*Cur Rex mãdas ſcribi Iudæis, & ſcribitur etiam Principibus, & Præfectis.*

Vndè Aſſuerus: *Eſther reginæ, & Mardochæo* reſpondiſſe perhibetur. Quid autem reſponderit, in hoc v. 8. traditur: *Scribite ergo*, inquit, *Iudæis ſicut vobis placet*. Quid eſt, quod Rex Iudæis ſcribi iubet & tamen Mardochæus non ad Iudæos dumtaxat, ſed etiam ad regni principes procuratores, & iudices, v. ſequenti, Regis nomine ſcripſit? Et quidèm LXX. interpretes vocem *Iudæis*, quæ ſenſum impedit, conſultò omittunt, quia ad prouinciarum etiam Præfectos Regis nomine ſcribendum erat. Pagninus & Vatablus, *Scribite Iudæis* habent, ſicut Vulgatus. In Hebræo textu, *Scribite Iudæorum nomine*, apud Salianum habetur. Sed adhuc ſenſus impeditus eſt. Ideò Ioſephus & Chaldæus paraphraſtes excribunt, & exponunt: *Scribite de Iudæis*, hoc eſt, de Iudæorum ſalute, vt explicat Lyranus. Adſentit Mariana ſic ex Hebræo legens; *Scribite ſuper Iudæis*. Sed neſcio an Vulgatus hunc ſenſum admittat; quem ſi caperet, expeditum ſenſum reddidiſſet. Verùm præcipuæ Regis litteræ ſcribendæ erant ad Iudæos, vt ipſi noſſent reuocatum fuiſſe ferale illud Amani edictum, & illis integrum eſſe de ſuis inimicis vltionem ſumere & in Iudæorum gratiam ſcribebatur ad prouinciarum Præſides, vt ad eiuſmodi vltionem illi præſtò forent, & auxilio eſſent, ideò Rex dixit, *Scribite Iudæis*, præcipuè enim ipſis, & ipſorum gratia reliquis ſcribebatur Quâ ſuper re conſule quæ ſubſcribimus §. ſequenti n. 6. vbi adſtruitur, litteras ad Præfectos à Rege miſſas, à veredariis priùs tradendas eſſe Iudæis, vt Iudæi illas exhiberent Præfectis. Dicit autem Aſſuerus: *Scribite Iudæis ſicut vobis placet*, ſecurus de fide, & æquitate Mardochæi, cuius ductu negotium à Reginâ peragebatur.

LXX. interp.
Pagninus
Vatablus
Salianus.

Chaldæus
Ioſephus
Lyranus
Mariana.

Accitis ſcribis, & librariis Regis.

10. Pro τὸ *Scribis*, *& librariis* vna Hebræa vox ספרי *Sophere*, habetur: cumque Interpres totam vocis ſignificantiam non poſſet vno vocabulo comprehendere, duabus expreſſit, quod paſſim ab eo fieri alibi obſeruabamus. Suſpicatur hìc Sanctius, *ſcribam* dici, qui primò excipit & ſcribit, quod in regiis epiſtolis ſcribendum & decernendum eſt; librarium verò qui eiuſmodi reſcriptum in diaria, ſeu annales refert. Sed præſtat cum Lyrâ, & Carthuſiano, ſcribam exponere, qui in regiis epiſtolis ſeu edictis ſcribenda excipit, & excepta digerit, dictatque; *librarium* autem eſſe notarium, qui à ſcribâ dictatam epiſtolam excribit & in linguâ, ſeu dialecto in quâ peritus eſt, pro regionum varietate exarat ſeruatâ linguæ proprietate. Itaque cenſeri queat, Mardochæum (quod priùs Amanus facerat) hanc epiſtolam, ſeu edictum, aut verbo tenus, aut in ſchedulis exaratam, regio *Scribæ* Perſico dictaſſe idiomate; *Scribam* autem conceptam ſententiam à Mardochæo dictatam, multis *librariis*, ſeu notariis, linguarum imperij Perſici peritis, tradidiſſe, vt quiſque illud Regis decretum variarum regionum idiomate tranſcriberet, & ſic in omnibus centum viginti ſeptem prouinciis differtè poſſet euulgari. Nimirùm ad ſcribendas has epiſtolas acciti ſunt *ſcribæ*, *& librarij Regis*. Hiſpanè diceres; *Los ſecretarios del Rey, cada vno con los miniſtros de ſu officio.*

*Edictorũ ſcribendorum officiales traduntur.*
Sanctius.
Lyranus.
Carthuſ.

Prouinciæ atque prouinciæ, populo & populo.

Hoc eſt, ſingulis prouinciis, ac populis. Benè autem obſeruat Sanctius hoc modo loquendi multitudinem ac frequentiam populorum inſinuari. Sic dicitur Pſal. 86. *Homo, & homo natus eſt in eâ*, id eſt, frequens hominum multitudo. *Etiam Iudæis, prout legere poterant*. Nimirùm ſingularum epiſtolarum, quæ ad Magiſtratus cuiuſcumque prouinciæ mittebantur, idiomate cuique prouinciæ proprio, vnum etiam regiæ epiſtolæ exemplar linguâ Hebraicâ ſcriptum ad Iudæos in illa prouinciâ degentes mittebatur, vt confeſtim noſſent, quid in nouo Regis reſcripto in eorum fauorem continebatur. 11.

Sanctius
Pſal. 86. v. 5.

Erat autem tempus tertij menſis, qui appellatur Siban, vigeſimâ & tertiâ die illius.

Hebræi codices, & Chaldæus paraphraſtes, in menſe ac menſis die Vulgato conſentiunt. (*Siban* autem partim Maio, partim Iunio noſtro reſpondet) At LXX. interpretes habent menſem primum *Niſan*, in die autem non diſſentiunt. Serarius & Salianus ſeriò adſtruunt noui huius edicti expeditionem potuiſſe contingere vigeſimatertiâ die menſis primi, id eſt, Niſan, vt LXX. interpretes excribunt. Porrò ferale illud edictum, quod aduerſus Iudæos Amanus extorſit, miſſum ad vniuerſas prouincias dicitur, decimatertiâ die prædicti menſis Niſan, cap. 3. v. 12. ſuperſunt decem dies vſque ad huius noui edicti miſſionem, quorum tres precibus & ieiuniis Iudæorum traduntur, quartus cædi Amanis impenditur: reliqui ſex dies exaltationi Mardochæi, & obtinendæ à Reginâ facultati abrogandi prius edictum, & litterarum ſcriptioni dantur. Imò ſi obuios huius negotij euentus, & res licet operosè negotioſas ſtrictius addenſare ſtudeamus, intra anguſtius temporis ſpatium cuncta coarctabimus. Profectò neceſſarium non eſt confugere cum Serario vt adimpleatur trimeſtre, ad epiſtolarum diuerſo tempore miſſionem: putat enim non ſtatim ad vniuerſas prouincias fuiſſe epiſtolas, à Mardochæo miſſas; ſed primum ad remotiores, poſtmodùm ad magis propinquas; nec Suſis priuſquam in aliis prouinciis, ſed vbique ſimul ſeuulgatas. Porrò vbi nuncij celeres primò egreſſi ſunt deferentes Regis litteras, ſtatim additur infrà verſ. 14. *Edictum Regis pependit in Suſan*. Quin in Vulgato, & reliquis excriptionibus legimus feſtinatum eſſe negotium, nec pigrè executus eſt Mardochæus, quod Amanus impigrè præſtiterat. Quod ſi Amanus ad omnes prouincias ſiue remotiores, ſiue propinquas ſimul priores epiſtolas miſit, de gentis ritu non fuit, hâc temporis interpolatione vti ad epiſtolarum miſſionem; ſed vbi primùm Regis edictum ſanctum erat, confeſtim per celeres curſores ad prouincias mittebatur, & Suſis pendebat. Et quidèm adeò feſtinatum à Mardochæo hoc publicandi vbiuis edicti negotium eſt, vt Amani *veteres litteras nouis nunciis præuenire* præſumpſerit. nempe ſi fieri poſſet, priores Amani litteras caſu aliquo forſan retardatas, anteuertere pernicitate ſatagit:

12.
Hebræus.
Chaldæus.
LXX. interp.
Serar. in 3. l. p. q. 29.
Salian. ann. m. 3601. n. 47.
*Poſt tres menſes à primi edicto, poſterius à Mardochæo publicatur.*
Eſther. 3.
Serar. ſup.
Hic v. 14.
Hic v. 10.

git; quod actuoſam celeritatem indicat.

13. Itaque totum trimeſtre nouæ hæ litteræ à prioribus diſtant, vt tradit Vulgatus. Nam tametſi breuiori temporis ſpatio illa omnia peragi potuiſſent: peracta tamen non ſunt. Quod præter Vulgatæ auctoritatem ſuadet, quòd aliquot etiam dies poſt publicationem prioris

*Diffunditur rumor.* edicti, vt id Mardochæo notum fuiſſet, & per plateas, & præcipuas vrbis vias ſacco indutus funeſtiùs occlamaſſet, ita vt ad Reginæ receſſum, eius clamor per internuncios perueniret, ponendi ſunt. Dein Eſther ſæpiùs Eunuchum mittit, ac remittit Mardochæus. Prætereà Mardochæi exaltatio aliquot etiam poſuit dies: multa enim palatina munia obeunda accepit. Demùm de colloquio ad Regem iterum faciendo, Mardochæus communicat cum Eſthere, de re petendâ præmiſſis precibus deliberant, & decernunt, ſed congruam colloquij occaſionem forſan præſtolantes. Alia etiam multa fortè occurrerunt, quæ ſacer Hiſtoricus præterit, ne-

*Eſther. 4. v. 3.* que enim omnia ſigillatim excribit. (Omitto etiam iam denarrata Iudæorum lamenta in aliis vrbibus, etiam vicinis, quod per prolepſim fieri potuit) Quòd ſi vltra decem dies his omnibus impendas, Vulgato conſentias neceſse eſt. Et ſanè res tantæ, tamque operoſæ molis, non ſunt intra breue decem dierum ſpatium addenſandæ. Mendum ergò irrepſit in Græcos codices, & pro menſe *Siban* exſcripſere *Niſan*, quod ex Vulgato (vt aliàs ſæpè) corrigendum eſt.

*Lyranus. Gordonus.* Putant Lyranus, & Gordonus poſt duos menſes à litteris ab Amane miſſis, nouas haſce Mardochæum miſiſſe: ſed aut tres totos menſes cum Vulgato ponere oportet, aut cum LXX. interpretibus decem dumtaxat dies, quod iam refutatum eſt.

*Verſ.* 10. Ipſæque epiſtolæ, quæ Regis nomine mittebantur. &c.

14. Hi omnes qui ſuperſunt, verſiculi, ex his quæ ſupra ſparſim expoſita ſunt perſpicuè clarantur; ſi quid autem impeditum reſtat, ſigillatim expedietur. Dicitur in hoc verſ. 10. miſſos à Mardochæo celeres veredarios, qui per omnes regni prouincias diſcurrentes, Amani *veteres litteras nouis nunciis præuenirent.* Quod difficile

*An nouæ Mardochæi epiſtolæ antiquas Amani litteras poſſent præuenire?*

*LXX. interp.* eſt, nam in receptiſſimâ Vulgati interpretis ſupputatione, totos tres menſes Amani priores litteræ his Mardochæi litteris præcurrerunt. Quin & in excriptione LXX. interpretum qui illas Amani, decem dies duntaxat his priores faciunt non videntur poſſe præueniri: neque Amani malitia ſegnis fuit minúſue ſollers in propinando quantocyùs veneno, quàm ſollicita Mardochæi pietas in antidoto præparando. Arduum

*Eſther. 3.* autem, imò impoſſibile videtur, adeò ſegniter inertes fuiſſe nuncios ab Amane feſtinanter miſſos cap. 3. v. 15. vt nuncij vel poſt decem dies miſſi, tâdiu præcurrentes *præuenire* potuerint. Vndè cenſuerim, id ad feſtinantiæ exaggerationem dici, & Mardochæi votum, vt ſi quomodo fieri potuiſſet, noui nuncij veteres Amani litteras anteuerterent. Quod forſan aliquo impediti itineris caſu poſſet contingere. Alio-

*Eſther. 4.* qui perſpicuum ex cap. 4. v. 3. *In omnibus quoque prouinciis, oppidis, ac locis, ad quæ crudele Regis dogma peruenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, vlulatus, & fletus.* Iam ergo vniuerſatim euulgatum erat crudele Regis edictum, neque nouæ epiſtolæ *veteres litteras præuenire* poterant.

Addit verſ. 11. quòd mandauit Rex veredariis regias litteras ad ſingulas regni vrbes deferentibus vt primò *Conuenirent Iudæos per ſingulas ciuitates,* nec ſine illorum ſcitu & beneplacito traderent litteras Magiſtratibus: vt ſic nullus ignorantiæ locus eſſe poſſet, cùm poſcentibus poſteà Iudæis opem militarem ad obruendos delendoſque hoſtes ſuos, ipſi fortè diſſimularent ſibi tale quid à Rege perſcriptum fuiſſe, vt appoſitè notauit Tirinus. Cùm ergò per ſingulas prouinciarum ciuitates, ſic primò ante Magiſtratus conueniendi forent Iudæi regias epiſtolas accepturi, idcircò verſ. 8. Eſtheri & Mardochæo dixit Rex, tametſi ad prouinciarum principes & præfectos ſcriberet, *Scribite ergò Iudæis.* De quo inibi ſuperiori §. n. 1. *Vt ſtarent pro animabus ſuis*, id eſt, in vnum conuenirent pro negotio ſuæ incolumitatis, & optatiſſimæ inimicorum vltionis: quod per acceptas Regis litteras impunè licebat, licebatque regios præfectos auxiliares cogere, & ad propriam ſoſpitatem, & ad inimicorum excidium.

15. *Regis litteræ priùs Iudæis quàm Magiſtratibus tradebantur; & quare.*

*Tirin. ibi.*

Et omnes inimicos ſuos cum coniugibus, ac liberis, & vniuerſis domibus interficerent, &c.

Scitè hîc addubitant Interpretes, quomodò Eſther & Mardochæus pietate ac virtute conſpicui, petierint, aut Rex conceſſerit Iudæis, vt ſine vllâ formâ iudicij, de hoſtibus ſuis vindictam caperent: neque eos ſolùm interficerent, ſed coniuges quoque eorum, ac liberos domumque totam funditùs abolerent: quo in numero neceſse eſt multos innocentes fuiſſe, atque adeò iniuſtè peremptos. Reſpondet Salianus, primum videri iudicium interueniſſe, cùm Rex ſcripſerit ad Magiſtratus, vt ſint Iudæis adminiculo, vt poſſint interficere eos, qui ſe ad necem eorum parauerant. Innocenti autem præparaſſe mortem capitale eſt, & venenum præparatum, & ſica deprehenſa, etiam effectu non ſecuto, legibus morte vindicatur. Hæc Saliani ratio quantumuis Menochio placeat, mihi diſplicet: nam licet capitale ſit arma habere præparata ad cædem innocentis etiam effectu non ſecuto; & Iudæus populus reapſe innocens fuerit, & falſati criminis innoxiè reus; at Perſæ qui palam ſe præparabant ad Iudæorum necem, regio edicto, id eſt, Regis latâ ſententiâ armati erant, non tanquam ſpontanei interfectores, ſed tanquam miniſtri Regis, cui ſciebant ſeptem Sapientes de more adeſſe ad capeſſendum de rebus grauioribus conſilium. Imò & omnibus celebri famâ notum erat, Aſſuerum pacatâ indole, & placido ingenio præditum, nihilque re inconſultâ decernere. Cumque illis regio edicto id mandatum ſit, non tenebantur quærere, & ad examen vocare rationem, quæ Regem ad id decernendum impulerit. Poterat enim eſſe occulta in Regem coniuratio, aliudve graue crimen, quod clàm, ſicut Regis Eunuchi molirentur. Et licet, in communi conuerſatione Iudæi viderentur boni & innoxij, minimè id vetat, quominùs clanculùm poſſent eſſe inſignes flagitiorum rei, & ita à Rege, & eius conſiliariis damnari. Et

16.

*Salian. ann. m. 3601. n. 5.*

*Menoch. ibi*

*Traditur, & impugnatur, Saliani, & Menochij ſententia.*

quidèm

quidèm obuium eſt in ſcholis Theologicis militem ſubditum Regis qui bellum gerit, non obligari ad examinandum cauſſam belli, ſed tutâ conſcientiâ, & abſque vllo reatu poſſe pugnare. ita S. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 74. Molina diſp. 113. Vazquez 1. 2. diſp. 66. c. 4. Turrianus 2. 2. diſp. 9c. dub. 2. qui allegat Gabrielem, Victoriam, Syluestrum, Sotum, & Cordubam. Hi autem qui ex regio edicto ſe accingebant ad Iudæorum cædem, ſubditi Regis erant. Imò etſi ſubditi non eſſent, poſſent acciti à Rege id præſtare, ſicut non ſubditi ad bellum euocati, vt docent Vazquez & Turrianus nuper allegati. Accedit quòd temerſi in bello impunè contra innocentes ſæuitur, non tamen per ſe, ſed per accidens. Legatur Turrianus ſupra diſp. 92. dub. 4. Hîc autem per ſe, & directè Mardochæo, & Eſthere ſuadentibus in paruulos innoxios, & in ſontis inermen cognationem gladiis ſæuire, & ſpolia agere regio edicto iubetur.

(S. Auguſtin. Molina. Vazquez. Turrianus. Gabriel. Victoria. Syluester. Sotus. Corduba. Vazquez. Turrianus)

7. Præſtat ergò reſpondere diuino iudicio hanc damnationem factam, qui ſpeciali prouidentiâ voluit homines alioqui impios, & de ſuo populo male meritos ſeuetiùs vnâ die caſtigare: ſic enim ad prouinciarum Præfectos ſcribit Rex cap. 16. v. 20. & 21. *Quibus* (Iudæis inquam) *debetis eſſe adminiculo, vt eos, qui ſe ad necem eorum parauerant, poſſint interficere tertia decimâ die menſis duodecimi qui vocatur Adar; hanc enim diem, Deus omnipotens, mœroris & luctus, eis vertit in gaudium.* Idem de patibulato Amane cum totâ familiâ, paullò anteà docuerat, v. 18. *Non nobis, ſed Deo reddente ei, quod meruerat.* Cúmque hanc Aſſueri epiſtolam compoſuerit Mardochæus, Spiritus ſancti ductu quid rei foret, perſpicuè pandens, difficultatis nodum præmaturè præcidit. Sic olim in Ægypto, dein in debellandâ terrâ promiſſionis, poſteà in Amalecitis puniendis Deo auctore, multi filioli innocentes ob parentum ſcelera ſeueriùs trucidati ſunt. Nempe licet Deo, quod humano Principi non licet.

(Eſther. 16. — *Deo auctore peracta fuit eades munimentorum Iudæa gentis.*)

*Verſ.* 12. & 13. & 14. Et conſtituta eſt per omnes prouincias vna vltio-
18. nis dies, id eſt tertia decima menſis Adar.

Iam dudùm cum Interpretibus Amani ſtoliditatem incuſauimus, qui ante annum ferè integrum, regio edicto excidium Iudæorum vnâ die in omnibus prouinciis patrandum, publicarit, non præcauens aut eorum fugam, aut rebellionem, aut ad hoſtes transfugium, aut ad ſeditionem concitandam, regni ſicariis ac ſceleroſis ſecum confœderatis. An non anticipata illa cognitio ad id patrandum potenter eualebat? Ita quidèm & nunc maiori forſan periculo in tot Perſis indigenis, quàm dudum in Iudæis aduenis, exulibus, captiuis. Verùm peritia diuinioris prouidentiæ aliquandò per errores hominum, intentum à ſe ſcopum mirabiliùs collimat, indubio feliciter rei euentu. Reſpondent aliqui datam eam notitiam ſolis Iudæi quorum ſilere intererat; & prouinciarum præfectis tanquam Regis, & regiminis myſterium. Sed maius, opinor, myſterium foret quod, in tot hominum millibus, tandiu res tanta fideli taciturnitate obſignaretur: neque ore effutiretur, aut nutibus indicaretur, aut in vultu tranſpareret. Quin & eàdem die edictum eâ de re Suſis pependit, quod futuras tandem ſtrages præmaturè publicabat. Dicendum ergò videtur cùm regium edictum nominatim publicaret neminem, ſed vniuerſatim Iudæorum hoſtes, nonnullos forſan timidiores clancularià fugâ elapſos, non paucos in Iudaicos ritus ſe recepiſſe, vt fugientem animam religionis mutatione tenerent, vt habetur infrà verſ. 18. Reliquos verò magnanimâ temerariè fiduciâ falſatis ſpebus, inaniſſimè obcæcatos Pharaonis adinſtar, Deo eorum deceptionem, ad iuſtiſſimum iniuſtæ hoſtilitatis ſupplicium dirigente, vt in laqueum quem parabant, inciderent. Aut certè (quod tenet Salianus, & Serarius ſubindicat) vſque ad præfixum vltionis diem in vincula coniecti ſunt: neque enim magnus eorum numerus cuilibet vrbi, oppido, aut vico, in centum viginti ſeptem prouinciis reſpondebat, vt nimis foret operoſum illos cautè cuſtodire, tametſi ſeptuaginta quinque millia perempti ſunt. Hæc non diſplicent, quouſque ab aliis didiceio, quæ magis placeant. Præterea verſ. 13. *Summa* regiæ epiſtolæ proponitur, nam tota epiſtola latè toto cap. 16. deſcribitùr. *Hoſtes*] Iudæorum appellat eos, qui publicato ferali illo edicto, vt ab Amano aliquam inirent gratiam, aut aliundè ad eorum odium ſubornati, verbis illos excepiſſent ignominioſis, aut iactatis minis illos terrerent, aut manus in diem deſtinatum cædi violentas armaſſent. Denique verſ. 14. egreſſi dicuntur *Veredarij celeres,*] de quibus actum eſt ſuprà cap. 3. v. 13. & 14.

(*Quare Mardochæus tandiu differt inimicorum cædem?* — Salian. an. m. 3601. 52. — Serar. q. 11. in cap. 9.)

*Verſ.* 15. & 16. & 17. Mardochæus autem de palatio, & de conſpectu Regis egrediens, fulgebat veſtibus regijs.

De *hyacinthino & aërio* colore dictum eſt 19.
ſuprà §. 12. Et de *coronâ* ſeu diademate multis ſparſim in locis. Benè notat Sanctius Mardochæi coronam ſolaribus radiis non fuiſſe inſtructam, ſed ex auro planam, aut alio quouis ornamento inſigni viduatam, vt longè eſſet inferior iis, quibus Reges ſumptuoſiùs vtebantur. Mardochæi corona Hebraicè dicitur *magna*, Vulgatus autem magnam detraxit. *Serico pallio.* Hebraicè, *amictu byſſino:* nam Hebræam vocem בוץ *bus* communiter *byſſum* interpretes extulerunt. Ex quâ autem materiâ *ſericum* pallium ſit contextum, humanioris litteraturæ proceres adhuc certant. Alij putant eſſe lanuginem, quam è quibuſdam arboribus Seres depectunt, quodam ſiluarum lanificio, quod aliter goſſipium vocatur. Alij cenſent naſci apud Seres vermiculum, cuius opus eſt ſericum, ſeu bombycinum. Conſulatur Sanctius hîc n. 15. 16. & 17. *Omniſque ciuitas exultauit.* Non modo Iudæi exultim lætabantur; ſed etiam Perſæ alieni à religione & genere, illis adgaudebant, & lætanter gratulabantur, aut ob commiſerationem immeritæ dudùm calamitatis, aut ob inuidiam aduerſus Amanem, aut ob antiquas cum Iudæis amicitias, denique vt adularentur Mardochæo, quem palatij principem, & intimum Regis familiarem eſſe nouerant. Nec modò apud Suſianos apud quos

(Sanct. ibi. — Hebræus. — *Sericum, an ſit goſſipium an tela bombycina.*)

*Quare Perſarum plures Iudaicæ religioni nomen dederint.*

quos Eſther, & Mardochæus agebant de Iudæorum fortunâ exultabant; ſed & reliquæ aliæ ciuitates longiùs diſſitæ, feſta conuiuia, tripudia, & ludos in eorum gratiam celebrabant. Tantaque æſtimatione Iudæos exindè colebant, vt *Plures alterius gentis & ſectæ eorum religioni & ceremoniis iungerentur. Grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaſerat.*] Quibus verbis Hiſtoricùs ſacer inſinuat, & diſſertè aduertit Ioſephus, quem è commentatoribus multi ſequuntur; plures Iudaicæ religioni nomen dediſſe terrore ſupplicij hoſtibus Iudæorum impendentis, quibus verſ. 9. ſubſcripſimus. Legatur inibi Caietanus. Alios etiam, opinor, admirantes Dei Hebræorum arcanam prouidentiam ac potentiam, qui humilem, captiuam, & morti ſqualidè deuotam gentem, & hactenùs omnium deſpectui expoſitam ſic auguſtè ſublimauerit, ſuorum eximiè cultorum generosè memor; Sic altam mentem de eius numine admirabundos ebibiſſe, vt eius cultui ac religioni ſe ſe exinceps mancipare exambierint. Nam, vt hic Sanctius aduertit, *timor, terror, horror*, & ſimilia, in ſacris Bibliis admirationem, venerationem, & obſeruantiam ſignificant. Conſulatur P. Maldonatus ad illud Lucæ 7. v. 16. *Accepit autem omnes timor.* Sed negare non poteſt Sanctius tremorem & pauorem ſæpiùs quoque ſignificare. Vndecumque prouenerit, ſuæ religionis inopinatus hic triumphus gratiſſimus Iudæis accidit.

*Ioſeph l. 11. Antiq. c. 6. Caietanus. Sanctius ibidem. Maldon. in Lucæ 7. v. 16.*

---

## §. CCIII.

### *Nonnullæ ex hoc capite moralitates perſtrictim delibantur.*

*Verſ.* 1. Die illo dedit rex Aſſuerus Eſther reginæ domum Aman.

1. *Rupert. l. 8. de Victor. c. 25.*

FErè conuenit inter Expoſitores per τὸ *domum* intelligi Amani diuitias & opulentum illius cenſum. *Sed & illud* (ait Rupertus) *ad myſticam ſimilitudinem non nihil attinet, quod ſuſpenſo Aman in patibulo, die illo ait Scriptura, dedit rex Aſſuerus Eſther reginæ domum Aman* . . . , . . *Quantum ergò pulchritudinis in hoc facto eſt?* Quænam eſt hæc pulchritudo, quæ venuſtè elucet in eo quòd illâ ipsâ die, quâ profligatus eſt Aman, quem tanquam *Diaboli* typum mox conſtituit, omnes Amani opes, & prædiuitem eius cenſum, ſtatim Rex Eſtheri reginæ (quæ fuit Mariæ deiparæ vmbra) munificentiùs donarit? Quinam eſt *Diaboli* profligati cenſus, quem Eſtheri, id eſt, Deiparæ, Aſſuerus, hoc eſt *verus Rex*, Chriſtus Deus, beneuolentiùs dedit? Opinor *Diaboli* cenſum fuiſſe vberiorem gratiam, in quâ creatus eſt; hanc ergò *die illo* ſine vllâ cunctatione (erat enim periculum in morâ) *Verus Rex* Eſtheri, id eſt, Deiparæ conceſſit; ne vel vno inſtanti ſine gratiâ foret, quæ ſemper *tota pulchra* fuit. *Quantum ergò pulchritudinis in hoc facto ſit* ſciant, qui quanta ſit peccati originalis fœditas probè nouerunt. Adi quæ infrà n. 3. ſubſcribuntur.

*Quid ſit Eſtheri, id eſt, B. Virgini, datum Amani, hoc eſt, Diaboli cenſum?*

*Anſelmus Laud. ibi.*

*C. Didac. Celada in Eſtherem.*

*Verſ.* 2. Tulitque Rex annulum, quem ab Aman recipi iuſſerat, & tradidit Mardochæo.

Signatorius Regis annulus, totius regiminis character eſt, Regis nota, & regiæ auctoritatis & poteſtatis compendium. Vndè miriſſima apparet Aſſueri ſtoliditas, vt vbi primùm illum abſtulit ab infido Priuato, confeſtim alteri tradat, nec vllo momento apud ſe retineat. Qui ſuper *Sceptrum in manum Eſtheris inſeruit*, nunc ſignatorium *annulum, quem ab Aman recipi iuſſerat, tradidit Mardochæo*, mox coronam daturus. Qui cum regiis inſignibus curas operoſi regiminis ſic faſtidit, regnandi non molem, ſed gloriam duntaxat exambit. Regnandi ambitio omnium occupat vota; at quorundam malè Principum iners deſidia deliciis occupatiſſima, ad Regis inſignia inertiſſimè nauſeat. Conſule hâc ſuper re §. 87. 2

*Regiæ poteſtatis inſignia, cur faſtidit Aſſuerus?*

*Ioſeph. l. 11. Antiq. c. 6.*

*Verſ.* 2. Eſther autem conſtituit Mardochæum ſuper domum ſuam.

Chaldæus paraphraſtes: *Et poſuit Eſther Mardochæum magiſtrum & exactorem ſuper facultates Aman.* Intermitto quòd *facultates*, id eſt, cenſum Amani Eſther regina (Deiparæ vmbra) *domum ſuam* appellet, quaſi plus glorietur de poſſeſſa Amani *domo*, quàm de regio palatio, in quo gloriosè habitabat. Profectò τὸ *domus* plura ſignificat, quàm dicit, Et forſan adluditur ad id quod perſtrinximus ſupra in hoc §. n. 1. *La caſa y mayorazgo de la Virgen, eſta fundada en la gracia que recibio en el primer inſtante de ſu inmaculada Concepcion ſin peccado original, à ſer de Angel, y Reina de los Angeles.* Præterea cùm Eſther Mardochæum conſtituit ſuarum facultatum œconomum ſeu procuratorem; non earum dominum, ſed *exactorem* ac *magiſtrum* appellat. Profectò multa docet, (ad quæ humana auaritia rudis eſt) qui *facultates* alienas ſollerter exigit, & fideliter adminiſtrat. O bonum fidi Procuratoris *magiſterium*, in ſollicitæ fidelitatis gymnaſio gloriosè laureatum! Et nota, quòd non putauit Eſther emolumentum exiguum Mardochæo donaſſe, cùm ſuarum facultatum vel meram *exactionem* regio nomine faciendam permiſit. Opulenta res eſt, & lucroſa nimis, regio nomine facienda *exactio*. 3

*Chaldæus.*

*Deiparæ prima gratia, dicitur eius domus.*

*Fidelis Procurator alieni cenſus, dicitur exactor & magiſter.*

*Verſ.* 5. Si placet Regi, & ſi inueni gratiam in oculis eius . . . . obſecro, &c.

Vatablus ſic locum excribit, & in ſcholiis exponit: *Si ego bona, id eſt, ſi placeo Regi, & grata illi ſum, obſecro, &c.* Ecce tibi quomodò Eſther Deiparæ vmbra, cæleſtem Regem pro populo ſuo orat, & exorat: *Si ego bona, ſi placeo Regi, & ſi inueni gratiam in oculis eius, obſecro, &c.* quaſi gratia impetrationis, ſit Marianæ *bonitatis*, & *complacentiæ*, quâ cæleſti Regi placet, aliqua peridonea ſequela; & gratiarum impetrationes, ſint quædam conſequentiæ, quæ ex Deiparæ *bonitate*, & eius erga Deum *complacentia*, rectè inferuntur. Sic ſunt argutè rationales Mariæ preces. 4

*Vatablus.*

*Impetratio, eſt aliqua Marianæ bonitatis conſequentia.*

*Verſ.* 5. Veteres Aman litteræ . . . . corrigantur.

5. Pagninus Caietanus Vatablus Chaldæus.

Pagninus, Caietanus, & Vatablus, *Litteræ cogitationis Aman.* Chaldæus paraphraſtes aduerſ. 3. *Commentum Aman, quod excogitauerat contra Iudæos.* Nimirùm Amanis malitia in eo fuit, vt videns Mardochæum ſibi non adſurgentem, non retulit Regi, ſibi non adſurgere, ſed *cogitauit* illum cum omni Hebræorum gente, Regis edicto non parere; & quod ex religione faciebat Mardochæus, *cogitabat* ex contemptu fieri. Moraliſſimè Amanis malitia ſupplicio peracerbo digniſſima, dicitur, eius *cogitatio*, & *commentum*, quia etſi non abſque aliquo fundamento, id de Mardochæi facto de ſuo cerebro *cogitauit* & *commentus* eſt. Aliud eſt quòd audiui auribus, & oculis vidi, referre; & aliud longè diuerſiſſimum, quod ego ex illo facto *cogitaui*, & *commentatus* ſum. Amanus eſt, & Amani ſupplicio dignus, qui gloſſam, ſeu quem excogitauit *commentarium*, inſerit in textum. O fœdiſſimè ſceleroſa à noſtris *commentariis*, caſtæ veritatis ſtupra! Conſultiſſimè Amanis malitia, eius *cogitatio*, aut *commentum* dicitur.

*Malitia Amani, dicitur eius cogitatio aut commentum.*

*Verſ.* 6. Quomodo potero ſuſtinere necem, & interfectionem populi mei?

7. Caietan.

Quæ verba ſic ex Hebræo tranſtulit Caietanus: *Quomodo potero videre malum, quod inueniet populum meum?* Non valdè commiſeratione dignus eſt, quiſquis audacter ſeſe in diſcrimina infert, & offert in *mali* occaſiones, atque pericula. At qui *mali* occaſiones præcidit, diſcrimina vitat, & pericula cautiùs effugit; & nihilominùs *malum*, ærumna, ſeu calamitas, illum ſollicitè quærens, tandem *inuenit*; ille, ille inquam piâ commiſeratione, & ſollerti opitulatione digniſſimus exiſtit. Hæc ineuitabilis tragœdia in has lugubres voces Dauidem impulit: *Tribulatio & anguſtia inuenerunt me*: & Eſther calamitatem obnoxiùs deprecatur, quæ populum ſuum *inuenit*.

*Commiſeratione dignus eſt, quem calamitas inuenit, non qui eam audacter quærit.*

Pſal. 118. v. 143.

*Verſ.* 7. Reſponditque rex Aſſuerus Eſther reginæ, &c.

7. LXX. interp. Ioſeph. lib. 11. Antiq. c. 6.

Sententia huius Verſiculi ſuſpenſa adhuc eſt: vndè addunt LXX. interpretes: *Quid adhuc quæris?* Quæ verba ſic exponit, & adornat Ioſephus: *Rex autem pollicitus eſt nihil ipſâ inuitâ ſe mandaturum, neque voluntati eius vllâ in re contrà iturum. Permiſit etiam vt ipſius nomine quicquid vellet de Iudæis* (id eſt, populo ſuo) *ſcriberet, & regio ſigillo obſignatas litteras per omnes prouincias dimitteret.* Cùm regina Eſther Virginem deiparam adumbret, & Aſſuerus cæleſtem Regem, quid Marianæ poteſtati accommodatius dici, excogitarìue potuì? Procliue eſt cuique Ioſephi verba Deiparæ adaptare.

*Poteſtas Eſtheri, ſeu Deiparæ, ab Aſſuero, id eſt, cæleſti Rege conceſſa.*

*Verſ.* 8. Scribite ergò Iudæis, ſicut vobis placet, &c.

8. Chaldæus Paraphraſtes.

Chaldæus paraphraſtes: *Et vos ſcribite pro Iudæis, quemadmodum pulchrum fuerit, in oculis veſtris.* Benè eſt, in oculis Eſtheris & Mardochæi *pulchrum* fuerit, calamitoſis ignoſcere, & à ferali edicto eos reuocare: at quo modo acerbiorem vindictam de inimicis ſumere, *pulchrum* illis viſum, & non potiùs fœdum? Scilicet *pulchritudo* beneuolentiæ erga inimicos, non Iudaicæ profeſſionis, ſed religionis Chriſtianæ auſpicium eſto. Nec alia hactenùs religio hanc *pulchritudinem* ſic agnouit, ne pulchras tam arduæ beneuolentiæ glorias prælibaret.

*Pulchrũ fuit Iudæis vlciſci; Chriſtianis verò inimicis parcere.*

*Verſ.* 10. Qui per omnes prouincias diſcurrentes, veteres litteras nouis nunciis præuenirent.

Impoſſibile videtur, vt poſt tres menſes egreſſi nuncij à Mardochæo celeriùs dimiſſi; Amani nuncios haud ſegniter dimiſſos præuenirent. Caietanus cenſet, quòd *ſuperflua eſt hæc clauſula.* Verùm ſuperflua non eſt, vt omnibus innoteſcat, quòd pietatis vota minimè pigra ſunt, ſed piè præſumunt, vel præcurrentem velociſſimè malitiam, velocius anteuertere. Tum etiam edocemur, quantâ celeritate feſtinandum eſt negotium quod errantem hactenus regiminis politiam emendare ſatagit. Heu magnum in cunctatione periculum! Serpit malitia, & latiùs propagatur, quæ regiâ auctoritate fulcitur.

Caietanus. *Pietatis vota celeritatem vitiorum anteuertant.*

*Verſ.* 15. Mardochæus de palatio egrediens, fulgebat, &c.

Non quando ingreditur in Regis palatium, ſed quandò *de palatio egreditur fulgere* dicitur Mardochæus? Nota etiam quòd inter regia Mardochæi ornamenta *pallium ſericum* conſtituitur. O in hâc ſumptuoſiori veſtium pompâ elucet Perſarum reliquorum frugalitas, ad reprehenſionem noſtri æui, in quo mechanici vel in ſuâ officinâ veſtibus ſericis enormiter fulgent! Additur: *Coronam auream portans in capite.* Meritò Aſſuerus coronam ponit in capite Mardochæi, quam diu in manibus otioſam, ipſe in obſequio Regis actuoſior geſtabat. In Hebræo habetur teſte Caietano, *Corona aurea magna*; Hieronymus autem loco *magna*, ſubrogauit, *in capite*, ethicè denotans, quòd qui *coronam auream magnam geſtat in capite*: non tam glorioſum ornamentum geſtat, quam intolerabile pondus, quod caput grauatè vexet: O quoties gloriæ ornamenta, oneri citiùs quàm honori ſunt! Chaldæus paraphraſtes excribit: *Cum monili aureo magno.* Quid putas eſſe *coronam*, niſi aureum *monile*: Hoc in pretio auguſtior fugientis mundi dignitas habenda eſt.

10. *Non ingrediens, ſed egrediens de palatio fulget Mardochæus.*

*Corona aurea oneri eſt, potiùs quàm honori.* Caietan. S. Hierony.

*Corona appellatur monile.*

Chaldæus.

*Verſ.* 17. In tantum vt plures alterius gentis & ſectæ, eorum religioni & ceremoniis iungerentur.

Vatablus ſic locum ſcribit, & exponit: *Multi quoque ex populis terræ ſimulabant ſe Iudæos. Aut ſecundum alios, Cœperant contrahere affinitatem cum Iudæis.* Vide hìc magiſterium timoris, & ambitionis ingenium. Maiores ſuos ſuumque populum negant, & felicem populum nuperrimè aſſumunt. O genealogiarum adulteria ambitione peracta! Nuper Iudæi, ſe Iudæos eſſe tectiùs diſſimulabant inter Perſas, & iam Perſæ *ſimulant ſe Iudæos?* O fortunæ inconſtantiam! nec felicitati, nec infelicitati crede: quia nemo prudens ſe credit incerto.

11 Vatablus. *Cur Perſæ ſimulent ſe eſſe Iudæos.*

§. CCIV.

## §. CCIV.

### *Pagana ambitio pauperem & abiectam cognationem faſtidit, quâ Chriſtiana modeſtia generosè gloriatur?*

1. Ovid. l. 1. Faſtor. AD rem ille quicumque ſic ſententiosè poëtatur: *In pretio pretium nunc eſt, dat cenſus honores, Cenſus amicitias, pauper vbique iacet.* Opes enim, honor ac potentia plures trahit amicitias, plures neceſſitudines religat, & cognationes adglutinat. (Iuuenal. Sat. 3.) *Quantùm quiſque ſuâ nummorum ſeruat in arcâ, Tantùm habet & fidei*, tantùm & amicitiæ, tantum & cognationis habet. Porrò *nil habet infelix paupertas duriùs in ſe, quàm quod ridiculos homines facit*, facit & contemptibiles, & pudendos facit. (Affines pauperes opulentis faſtidio.) Ambitio enim cognatos faſtidit humiles; auaritia tanquam opis ſuæ indigos detrectat: exindè affines pauperes, velut dehoneſtamenti minas, & opum imminens naufragium, diues fugit, & faſtu ſuperciliofo faſtidit; & quaſi honoris ac opulentiæ ſuæ tineas arcet, nec ſibi adhæreſcere vſquam permittit. Nam *ſtratus humi palmes viduas deſiderat vlmos.* Heu quàm miſerum eſt affinium opulentiæ ac famæ incumbere! (Idem ſuprà.) Nemo honoratur, diteſcit nemo alieno faſtidio, aut faſtidioſo neceſſitudinis tædio. Gratulor attentiori Mardochæi prudentiæ, quòd Reginam præproperè admonuit, ne cognationem publicaret ſuam. (Hic verſ. 1.) Magnificato autem glorioſiùs Mardochæo, *confeſſa eſt ei* (Regi) *Eſther quòd eſſet patruus ſuus.*

2. Geneſeos 32. Iacob è Meſopotamiâ redux, iras offenſi diu fratris valdè timet. Sed vide nunc quantâ ſagacitatis induſtriâ, & timiditatis ingenio efferum atrociter fratrem mitigare præſumit: Miſit autem Iacob ante ſe nuncios ad Eſaü fratrem ſuum, dicens: Sic loquimini Domino meo Eſaü: Hæc dicit frater tuus Iacob: Apud Laban peregrinatus ſum, & fui vſque in præſentem diem. (Geneſ. 32. v. 5.) *Habeo boues, & aſinos, & oues, & ſeruos, & ancillas: mittóque nunc legationem ad Dominum meum, vt inueniam gratiam in conſpectu tuo.* Quid eſt quod dum agreſtis Eſaü efferatus iniuriæ œſtro, hoſtili animo occurrit Iacobo, tunc Iacobus opulentiam oſtentat ſuam, quò prædiuitem etiam Eſaü mitiget, & mitigatum ſibi conciliet? Iacob ne is eſt, qui diuitias arroganter iactet, & opulentiam ambitioſiùs oſtentet? Imò indè Eſaü potentiùs armabitur, quia hoſtem potenter diuitem habere cognoſcit. (Languet ius ſanguinis, quod lucri vſura nó alit.) Eſaü barbaricè offenſus exiſtimatâ Iacobi fraude, cùm prædiues foret, non placabitur munuſculorum lenocinio, quo ius primogenij ſubreptum, & prærogatiua Benedictionis fraudulenter vſurpata, minime compenſantur. Quorsùm ergò Iacob diu exul, in paternam domum rediens, offenſo fratri prædiuites opes, & numeroſum ſeruorum & ancillarum gregem oſtentat? Idcircò ne atrox opulenti fratris ingenium mitigabitur? Scilicet vt inibi ait P. Martinus del Rio præclara omnigenæ eruditionis noſtro æuo facula, (Mart. Del Rio ibi.) *Iacob non iactat diuitias, ſed indicat fratri Eſaü, nec grauem neque indecorum futurum egeſtate, nec reditu paternas opes imminuturum.* Adeò graue eſt diuitibus cognatis, pauperes, & pauperie indecores habere cognatos, eorum opis indigos, vt neceſſarij huius officij immunitas fiat etiam in diſcordibus reconciliationis blandimentum, & beneuolentiæ compendium. Diues, etſi naturâ agreſtis, & iniuriâ offenſus Eſaü, quid pro acceptâ offenſâ expetat à cognato Iacobo, quàm quod cognati Iacobi olim egeſtas, eius non inſidietur opulentiæ, nec cognati indecorum proprium honorem deuenuſtet? Sat compenſatur exiſtimata fraudulenter iniuria hoc lenocinio. O ambitiosè auaras mortalium cognationes! Quid ſperes à cognato, qui emolumenti nihil à te ſperat? Languet ius ſanguinis, quod magni lucri vſura nó alit.

*P. Didac. Celada in Eſtherem.*

3. Clem. Alex. Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum cap. 1. multas antiquorum Sapientum ſententias densè ſpiſſans, ita ad rem ſcribit: *Iſocrates: Perindè atque ſi eſſet pecuniæ cognatus, non illius. Lyſias dicit in Orphicis: Planum factum eſt, eum non eſſe cognatum corporum, ſed pecuniæ.* Quaſi cognatio non tam *corporum* ſanguine, quàm marſupiorum *pecuniis*, & opulento diuitiarum cenſu conſtet. (Homo non tam corporum quàm pecuniæ & opulentiæ cognatus dicitur.) Exindè contemptibilis inopia affinitatum diſſoluit iura, quæ diues opulentia adſociat. Idcircò peritè Iacob quò fratrem mitiget, non ex Iſaaco & Rebeccâ vterinam cognationem aduocat, ſed non imparem opum cenſum, aiens *Habeo boues, & aſinos, & ſeruos & ancillas: mittoque nunc legationem ad Dominum meum.* Dominum vocat, non fratrem appellat, quaſi cognationis iura, opum parilitate luculentiùs expreſſerit, innuens opulentum Eſaü *non eſſe cognatum corporum, ſed pecuniæ.* (Geneſ. 32. v. 5.) Indè cognationem tacet, quia cenſum expreſſit.

4. Geneſis 43. abſumptis iam cibis, quos ex Ægypto aſportauerant, Iacobæa familia ſatagit in Ægyptum redire frumentatum. Et cunctanti Iacobo Beniaminum vnà mittere ſic Iudas loquitur: *Mitte puerum mecum, vt proficiſcamur, & poſſimus viuere, ne moriamur nos & paruuli noſtri.* (Geneſ. 43. v. 8.) Filij Iacob tantummodò timent, ne ipſi & ipſorum filij, inopiæ malo moriantur? Nil timent de morte patris? (Bonus pater morte filiorum, ac nepotum minuatur.) Quare ſaltem vrbanitatis cauſsâ, timorem paternæ mortis nuſquam expreſſerunt? Sic vilipendunt grandiores filij ſalutem boni patris? An deuenuſtaretur boni patris amor, ſi præmiſſis tot filiorum ac nepotum funeribus, ipſe non mori diceretur? Obitum ſui ac ſuorum exprimunt Iacobi filij, qui inopiæ malo obirent; pater verò non ſuipſius fame, ſed fame ac morte ſuorũ necaretur, præuento inediæ carnificis officio. Quod Vulgatus tanquam non neceſſarium exprimi, conſultò omiſit, expreſſit Hebræus, aiens: (Hebræus) *Et non moriamur etiã nos, etiam tu, etiam paruuli noſtri.* (LXX Interp.) Verùm LXX. interpretes ad thema præſens opportunè locum exſcribunt, & exponunt. Quâ de re ſic inibi fatur (Lipomanus.) Lipomanus: *Ne moriamur nos, & paruuli noſtri. Mirum autem quod Septuaginta ad vniuerſam ſuppellectilem retulerunt, καὶ ἡ ἀποσκευὴ ἡμῶν, Et ſubſtantia, ſiue ſuppellex noſtra. In ſequentibus quoque inuenies eos ſemper reddidiſſe ſuppellectilem, quod erat infans.* (Num opulentia ſupellex pro filijs aſtimatur.) Quid ab inopiæ malo, & famis calamitate familia Iacobæa timet? *Ne moriamur etiam nos, etiam tu, etiam paruuli noſtri.* id eſt, *ne moriamur nos, & ſupellex ſeu ſubſtantia noſtra.* hoc eſt, infantes noſtri, qui ſunt nepotes tui. Num LXX. interpretes *ſubſtantiam* ſeu *ſupellectilem* pro filiis, aut totâ poſteritate reponunt, vt exaggeratius exponant quo in pretio habeant paruulos filios, & totam exinceps poſterorũ cognationem, dũ *ſupellectili*, ſeu *ſubſtantiæ* nomine denotantur.

*Tota Iacobi cognatio, ſupellex, ſeu ſubſtantia nominatur.*

Sic à quibuſdam æſtimatur domeſticâ ſuppellex? Filiolis infantibus *ſuppellex* præponitur, aut ſaltem comparatur? O agnatam domus ſumptuoſiùs ornandæ ambitionem? Sed nota attentiùs, quòd omnis exinceps poſterorum cognatio *ſubſtantiæ* ſiue *ſupellectilis* nomine denotatur, quò luculenter innuitur, hominem non tam *eſſe cognatum corporum*, quàm *ſubſtantiæ*, ac opulenti cenſus: hanc enim opum cognationem ambitio humana perſequitur, quæ cognatos pauperes reiicit, contemnit, abnegat.

5. Matthæi 25. Cùm venerit *Filius hominis in maieſtate ſuâ*, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ: & congregatis ad iudicium omnium ſeculorum nationibus, dicet *Rex* his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare. &c. illi autem reſpondebunt: Domine, quandò te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut nudum? *Reſpondens Rex dicet illis: Amen dico vobis, quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Expenſione digniſſimum eſt, quòd cùm Filius hominis tanquam *Rex* inducitur, & Angelorum agminibus glorioſè ſtipatus, ſedens in maieſtatis ſuæ ſolio orbem iudicaturus, non modo humilem cognationem non diffiteatur, ſed eam tunc vel maximè ſingulariter agnoſcat, quod perbellè inibi Rabanus adnotauit, ita ſcribens: *Quandiu feciſtis vni ex fratribus meis minimis, &c. Sed & ſi fratres eius ſunt, quare eos minimos vocat? Propter hoc, quia ſunt humiles, quia pauperes, quia abiecti.* O bonam cognatis eruditionem, quæ ambitionem humanam ſiſtit! Nimirùm auaritiæ & ambitionis elogium eſt, cognatos *humiles, pauperes, & abiectos* diffiteri: vnde frater in ſublimi dignitatis faſtigio poſitus, nec agnoſcit, nec agnoſcitur; Chriſtus verò, vt hoc arrogantiæ & auaritiæ inhibeat vitium cùm tanquam *Rex* inducitur, & empyreis ciuibus ſtipatus, in *maieſtatis ſuæ* regio ſolio ſedere dicitur iudicaturus orbem, ſuos agnoſcit, à ſuis agnoſcitur, adeò vt non *erubeſcat* omnium *minimos* appellare *fratres* ſuos. Imò *propter hoc* minimos omnium appellat *fratres: quia ſunt humiles, quia pauperes, quia abiecti.* Porrò ſicut filij huius ſæculi, non corporum, ſed diuitiarum ac honorum cognati ſunt; ita Chriſtus Deus, hic *humilitatis, paupertatis, & abiectionis* duntaxat cognatus perhibetur.

Matth. 25. v. 40.

*Chriſtus humilitatis & abiectionis dumtaxat cognatus perhibetur?*

Raban. ibi.

6. Geneſeos 47. Ioſeph patriarcha, dignitatis in Ægypto apex *poſt hæc introduxit patrem ſuum ad Regem, & ſtatuit eum coram eo.* Ad quæ verba ita ſcribit Lipomanus: *Senem patrem ſuum Ioſeph ſtatuit ante Pharaonem, paſtorem ouium, vndè non erubuit, ſed vt bonus filius gloriari voluit coram Rege: ſecus faciens atque hi qui prouecti ad honores erubeſcunt de progenitoribus.* Bonus filius Ioſeph, auguſtaque indole prædictus, qui ad ſummum honorum faſtigium euectus, non modò non *erubeſcit* pecuinum ac ruſticanum parentum ſuorum miniſterium; ſed de illo ſumptuoſiùs coram Rege *gloriatur.* Sic honorat, ſic amat parentes, vt vel de cognatâ eorum ignominiâ honorari exambiat, & de ruſticâ eorum vilitate piè ſuperbus *glorietur.* Deſueſcit naturam quiſquis vel parentum dehoneſtamenta glorioſè non ſuſtinet: patrem negat, qui qualemqualem patrem *erubeſcit.* Heu tot hodie non parentum ſuorum filios, tot ignobilium cognatorum non iam cognatos!

Geneſ. 47. v. 7.

Lipom. ibi.

*Ioſeph in ſublimitatis faſtigio, de pecuino patris miniſterio gloriatur.*

7. Geneſeos 34. violatâ impudenter Dinâ, eius fratres vltrice rabie animitùs furunt. Locutus eſt itaque Hemor ad eos: *Sichem filij mei adhæſit anima filiæ veſtræ: date eam illi vxorem.* Fratres autem Dinæ ad iungendum cum Sichimitis connubium, circumciſionem præmittendam ſeriò poſtulant; *Si autem circumcidi nolueritis*, aiunt, *tollemus filiam noſtram & recedemus.* Quid eſt, quod Dinæ fratres eam tunc appellant *filiam noſtram*; quam etiam Hemor *filiam veſtram* nominauerat? Appoſitè Auguſtinus in Quæſt. ſuper Geneſim: *Notandum*, inquit, *quòd Hemor loquens de Dinâ ad Iacob & filios eius, filiam dicit veſtram; non filiam tuam, & ſororem iſtorum.* Boni fratres, & Iacobææ familiæ prælustre decus: qui arctiùs ſtringunt cognationis neceſſitudinem cum propudioſè dehoneſtatâ ſorore cognationem exaggerant, vt cognationis iura obnoxiùs tueantur. Dina ante violentam pudicitiæ ſtragem, & obſcœnum virginitatis naufragium, ſoror erat patris Iacobi filia ex Liâ coniuge prognata: at vbi indecorè conſtupratam vident, præ dedecore propè reiectaneam, & fraternæ opis indigam, confeſtim eandem arctiori neceſſitudinis fœdere ſtringunt: & *filiam noſtram* appellant Idque ſic palàm eyulgant, vt ipſe alienigena Hemor alloquens Iacobum patrem, & ipſos Dinæ fratres, *filiam dicit veſtram; non filiam tuam, & ſororem iſtorum.* Sic boni fratres, & prælustris olim familiæ Patriarchæ, non erubeſcunt indecorâ coactione dehoneſtatam ſororem; ſed tunc quidèm *filiam* nominant, vt non tam fraterno, quàm paterno iure illi opitulentur. Porrò pagana ambitio eſt, quæ à naturæ legibus peregrinatur, pauperem & abiectam cognationem faſtidire, diffiteri, dediſcere.

Geneſ. 34. v. 8. & 17.

S. Auguſt.

*Boni fratres cognationis vinculum arctius ſtringūt cum dehoneſtatâ ſorore.*

---

## §. CCV.

### *Perfectorum reciprocus inter ſe aſſenſus, regiminis peritia eſt: iudiciorum autem diuortium, politiæ euerſio.*

INter ceteras Theodoſij Imperatoris laudes, ea in paucis prædicatur, vt nec ipſo vltra reliquos Imperatores ſublimiſſimo, Romani Senatus àuctoritas decreuerit, aut Reipublicæ libertas imminuta ſit: nec in tanta tamque auguſtâ Senatus, & Reipublicæ auctoritate, Theodoſij maieſtas deuenuſtata ſit. Nam cùm te ſemper (ait ad ipſum Latinus Pacatus) vltra omnes retrò Principes laudari oportuerit, nunc porrò vltrà quàm aliàs prædicatus es, in eâ Vrbe (Româ inquam) conueniat dicendo celebrari, cuius & *libertatem* armatus aſſeruiſti, & auxiſti *dignitatem* togatus, quo tandèm modo conſequi maieſtatem vtriuſque veſtrum oratione mea potero? *hoc præcipuè in tempore quo ambo ita mutuò creuiſtis, vt neo tu fueris adhuc maior, nec illa felicior.* Vide vtriuſque ſimul ſine inuidiâ faſtigiū, & ſummam abſque alterutrius æmulatione dignitatem, concinnâ vtriuſque magnitudine, & (quod perrarum eſt) conſenſione. Quid maximis poteſtatibus adulantius? Diſcant ergò hinc minores vnanimem conſenſionem, qui eſt regiminis concentus,

1. *Theodoſio creſcente, non decreuit libertas, aut auctoritas Romani Senatus.*

Pacatus in Panegyr.

tus, & politiæ laudatior peritia.

2. Exhodi 7. Deus Moyſen alloquens, hæc mandat vt Pharaoni denunciet: Dominus Deus Hebræorum miſit me ad te, dicens: Dimitte populum meum vt ſacrificet mihi in deſerto: & vſque ad præſens audire noluiſti. *Hæc igitur dicit Dominus*: (verba ſunt Dei ad Moyſen) *In hoc ſcies quòd ſim Dominus: ecce percutiam virgâ, quæ in manu meâ eſt, aquam fluminis, & vertetur in ſanguinem.* Locus ſanè ſalebroſus, ſi quis alius in totâ Exhodo. Itaque præſcripta verba ſunt Dei, quæ inſpirauit Moyſi, vt illa ipſius Dei nomine Moyſes intimet Pharaoni. Caietanus quâ ſolet ingenij ſubtilitate inibi ſcribit: *Mirabilis loquendi modus, nam nec Moyſes percuſſit virgâ aquas, nec virga erat in manu Dei, ſed Moyſi.* Non mirarer omnia verba, vniuerſamque actionem hominis vices Dei gerentis, Deo adſcribi, quod in ſacrâ Scripturâ obuium eſt. At Deum ita de ſe loqui, vt quædam verba non niſi de ſe, alia non niſi de Moyſe intelligi poſſint, miriſſimum eſt, & prælustre Miniſtri ſui encomium. Sic Deus inter ſe & Moyſen partitur verba, & rem verborum, vt eodem ſermonis tenore indiſcriminatim & de ſe, & de ſuo miniſtro loquatur. *Nam nec Moyſi, nec Deo quadrant hæc verba ſimul.* Sic Dei miniſter indiuiduas cum Deo vices reciprocat? Sic Deus cum ſuo miniſtro miniſteria partitur? Sic Præfectorum concentus ſub Mardochæo iam concinit?

*Exho. 7. v. 16.* — *Caietan. ibi.* — *Verba, quæ dei Deus dicit, nec Moyſi, nec Deo quadrāt, ſed vtrique.* — *Hic verſ. 8.*

3. Ioſue 10. conglobati Amorrhæorum reges, malè concidere Iſraëlitas armati pergunt. Irruit itaque Ioſue ſuper eos, & contriuit plagâ magnâ in Gabaon. Cumque fugerent filios Iſraël, *Tunc locutus eſt Ioſue Domino .... dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.* Nonnulli apud Serarium, nihil in cælo protsùs mutatum eſſe contendunt, ſed ideò viſum aliquid mutatum, quòd Ioſue in terris tantâ res tantas celeritate geſſerit, vt videatur dies potiùs productus, & Sol ſtetiſſe, quàm tam celeriter illas ille geſſiſſe. Alij cenſent nihil præter motem ſuo in curſu vel inſtitiſſe, vel tardaſſe Solem; ſed conſuetâ velocitate vſum occidiſſe quidèm; in eius tamen locum ſupra horizontem, ſuffectum à Deo corpus quoddam, Solis ipſius inſtar perlucidum, idque volunt aliqui fuiſſe ipſammet Lunam. Verùm hæc commenta multis olim inibi refutauimus. Illud tamen Expoſitoribus grande ingerit dubium, quare Lunam vltioni de inimicis faciendæ ſuperuacuam pariter cum Sole Ioſue ſtare iuſſerit. Porrò (vt peritè notauit Abulenſis) *ſtatio, aut motus Lunæ nihil faciebat ad id quod petebat Ioſuë, ſcilicet, vt vlciſeretur ſe de hoſtibus ſuis, cum Sol ſufficeret ad hoc, ſiue luna ſtaret, ſiue moueretur.* Stet ergò Sol diei præſes, & cognatis fulgoribus diem faciens; & ſi Luna ſtet immota, aut celeriùs moueatur. Quæ eſt hæc tam ſedula cura de ſuperuacaneâ Lunæ ſtitione? Reſpondet nuper laudatus Doctor: *Quæret aliquis cùm Ioſue orauerit ſtare Lunam, quia motâ eâ credebat mouendum Solem, quare, &c.* Credidit Ioſue ſic Solem eſſe ſuæ Lunæ amaſium, & tantæ pulchritudinis riualem, vt motâ eâ cenſuerit, Solem etiam mouendum: ſic Phœbus ſuam Phœbem adamat, & eius veſtigia vbiuis cælorum inſequitur. Lepidè quidem potiùs quàm ſolidè: licet ſuam expoſitionem ex aſtronomiæ ar-

*Ioſue 10. v. 12. & 13.* — *Serar. ibi. q. 13.* — *Abul. ibi. q 22. Cur Ioſue ſuperuacuam victoriæ Lunam ſtare iuſſerit* — *Abul. ibi. q. 21. Motâ Lunâ, quæ Sol non moueretur.*

canis adſtruere contendat. Verùm enimuerò cùm Sol & Luna Præſides cæli ſint, partito ſibi imperio diei ac noctis, (*Luminare maius, vt præeſſet diei; & Luminare minus, vt præeſſet nocti*) licèt ad protelandum victoriæ tempus *Sol ſufficeret, ſiue Luna ſtaret, ſiue moueretur*, noluit Ioſue diſſociare eos, qui tanto conſenſu, & concordi harmoniæ concentu cælis ac terris præſident. *Ioſue orauit ſtare Lunam, quia mota eâ credidit mouendum Solem.* Sic concinunt ſibi cæli præſides; adſimiliter ſibi concinant terris præſidentes: ne eorum diuortium turbas excitet, tumultus moueat, & politiam euertat magno regiminis diſpendio.

*Geneſ. 1. v. 16.*

Pergit ſacer Hiſtoriographus: ſtetit itaque Sol in medio cæli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei: *Obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſraël.* Non leue negotium faceſſit Interpretibus hæc Dei obedientia adſpectu ad homines Quâ ſuper re ita ſcribit Abulenſis: *Accipitur obediente Deo, pro condeſcendente, quia Deus non poterat obedire voci hominis, cùm obedientia ſemper ſit ad maiorem, & ad habentem iuriſdictionem, ſed hoc non eſt hominis ad Deum.* Sapienter dubij rationem proponit Abulenſis, & ſimul ethicè docet, quòd dum Superior ſubdito conniuet, illique condeſcendit, tunc ſubditus Superiori non paret, ſed è diuerſo ſuperior ſubdito obedit. Aliter Caietanus ſacro textui magis adhærens, locum commentatur, aiens: *Obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſraël. Iuxta Hebræum habetur: Audiente Iehouah in voce viri: quia Iehouah pugnauit pro Iſraël. Ratio obſequij diuini operis in Sole redditur, quia ſummus Deus erat tanquam bellator.* Nimirùm Ioſue cum ſummo imperio præerat cunctis bellatoribus, ſiue ij forent gregarij milites ſiue duces ampliorem dignitatem & poteſtatem habentes. Ergò cùm Deus decreuit tamquam aliquis ex acie bellator, cum Iſraële, & pro Iſraële pugnare, par erat, vt ſicut cæteri duces Ioſuæ vocem audiret, illiuſque nutui quodammodò obtemperaret; vt concors eſſet in exercitu ac bellatoribus concentus, & conſenſus adæquè vnanimis; ne vel Deus ipſe cùm ducem ac *bellatorem* agebat, vocem Ioſuæ non audiret, ab illiuſque iudicio, voce, ac nutu tantiſper diſcreparet. Tanta debet eſſe inter communitati præſidentes harmonia, & concinnus inuicem adſenſus, vt etiam *ſummus Deus* dum in exercitu Iſraëlis erat *tanquam bellator*, à voce Ioſuæ minimè diſſentiret.

4. *Ioſue 10. v. 14.* — *Abul. inibi. q. 90.* — *Superior dum ſubdito condeſcendit, illi obedit.* — *Caietan. ibi.* — *Deus dum agit bellatorem in exercitu Iſraëlis, à Ioſue voce non diſſentit.*

Geneſeos 1. ſexta primordialis opificij die, dixit Deus: *Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta & reptilia & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas. Factumque eſt ita.* Et vidit Deus quod eſſe bonum, & ait: Faciamus Hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. &c. Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam. Miriſſimum ſanè eſt quòd homo mente & ingenio ſublimis, & de affinitate cum Angelis, & de ſimilitudine ad Deum prælustris, eâdem die, quâ beſtiæ, iumenta, & pecora campi, productus ſit. Dubium hoc affert & pulchrè auget, & exaggerat Rupertus ita fatus: *Sed cur iumenta cùm irrationabilia ſint, ſexto diei cum homine deputantur? Nihilo enim magis iumenta, quàm reptilia maris, ſiue volatilia cæli quinque corporis ſenſus excedunt, nec minùs aut magis quàm illa, hæc rationis expertia ſunt.* Argutum ſanè dubium & quod idem inibi Rupertus pariter arguſtè diſ-

5. *Geneſ. 1. v. 24.* — *Rupert. ibid. l. 1. c. 54. Cur non piſces, & volucres, ſed iumenta, etc.*

*em cum ho- mine die creantur.* ſoluit: *Ad hæc*, inquit, *etſi in eodem eſſentia gradu iumenta, in quo & volatilia ſiue aquarum reptilia tenentur, quia pariter corpora ſunt animata & ſenſibilia, nec vltrà valent; rectè tamen cum homine die ſexto deputantur, quia hominis potiſſimum ſubſtituta ſeruitio ſunt, ſicut videmus: quia neque volatilia, neque reptilia, quæ produxerunt aquæ: ſed ſola iumenta homini cooperantur, & collaborant.* Scilicet, non cæli volucres, non aquarum reptilia miniſterio hominum deputantur, illíque collaborant, ſicut terræ iumenta; & ideò, etſi in eodem gradu cum volucribus & piſcibus ſint: tamen quâdam velut cognatione, & velut operis faciendi arcano adſenſu, ex coæuâ creatione in eâdem die deputantur, quia *ſola iumenta homini cooperantur, & collaborant.* Vel iumentis, quæ in aliquo miniſterio homini cooperantur, & collaborant, aliqualem in cooperando conſenſum ingenerauit Deus, vt de beſtiarum etiam ſcholâ homines erudiantur: nam diſſenſus in faciendo opere, induſtriam quamuis ſedulam deludit, & egregiè fruſtratur.

6. Matthæi 5. Chriſtus Deus hâc honorariâ
Mat. 5. 14. comparatione Apoſtolos, quos conſtituit Eccleſiæ principes, mirè ſublimauit: *Vos eſtis lux mundi.* Qui vniuerſum mundum doctrinâ, & exemplo debetis illuminare. Nullos bonos præter vos mundus habet magiſtros. Illud obſeruandum, Chriſtum eſſe, matricem lucem, ſeu luminare, è quo Apoſtolicæ luces emanant: nam Chriſtus eſt lux naturâ ſuâ; alij eius electione & beneficio; quoniam ab eo illuminati ſunt. Chriſtus quia non ſolùm extrinſecùs doctrinâ exemplóque illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ſed etiam per gratiam extrinſecùs: Apoſtoli quia extrinſecùs doctrina, &

*A regis electione exeant Præfecti, quaſi à Sole radij.* exemplo aliis prælucent. Verùm rex Theodoricus apud Caſſiodorum lib. 6. variar. epiſt. 23. in promouendis ad ſublimiores regni ſui Dignitates, hanc Chriſti comparationem tempeſtiuè æmulatur, ita fatus: *Exeunt à nobis dignitates relucentes quaſi à Sole radij, vt in orbis noſtri parte reſplendeat cuſtodita iuſtitia.* Altè quidèm Caſſiodorus! Non tantùm inſinuat Rex, electos ad Dignitates à ſe habere ſplendorem de regali electoris iudicio (de quo aliàs) & fulgere electos Dignitatum nitore; nullus enim præluſtrior, quàm iudiciariâ ſublimitate præſidere? Sed quia à ſe *quaſi à Sole radij exeunt.* Radij Solis, ipſa lux Solis eſt, æqualiter à Sole exeunt, & ſocio fœdere alter alteri conformis, mundi illuſtrandi munus obeunt. O quàm concordi vniformitate lucem ſuam radij ſolares concinnant, quàm ſe ad lucendum adiuuant! & quod alter non poſſet, plures iunctim præclarè eualent. *Vos eſtis lux mundi. Exeunt a nobis dignitates relucentes quaſi à Sole radij.* Omnes relucentes exeunt, quia quoquouersùm ſpargantur, aliorum concordi concinnitate fulgorem concinnant, incrementant, exaggerant ad ſplendorum intenſionem, & ſplendendi gratiam: adeò vt Solis radij, vnus plures videatur. Ergò ſic *in orbis noſtri parte reſplendeat cuſtodita iuſtitia.*

Caſſiodor.

## §. CCVI.

*Regius familiaris maximi æſtimare ſolitat, vt niſi de ſuo arbitrio nemo à Principe muneretur.*

Cauendum eſt Principibus, ne in intimam familiaritatem aſcitis regni tradant gubernacula: ne etiam per illorum manus Reipublicæ munia ad alios eant, ne obſtrictos hos teneant. Et ſanè obſeruatio omnis à Regibus ad hos munerum diſtributores vertitur. Regiâ ergò manu & voluntate regni munia eroganda, quò obſtrictas ſibi ſuorum mentes Rex teneat, nec alterius hi quàm Regis ſui munificentiam agnoſcant, ne alterius imperia ſequantur. Verùm ſummum intimè familiarium votum eò contendit, ne quid Princeps abſque illorum arbitrio reliquis diſtribuat; quò regiam ſibi voluntatem vnicè deuinctam augurantur, & Regis ſtrictiorem beneuolentiam ab aliis arcent. Nullum enim certius eſt regiæ familiaritatis documentum, quàm niſi de illorum arbitrio aut conſenſione, nil ceteris vnquam erogetur. Alioquin Priuati inuidiâ tabeſcunt, & Regis gratiam à ſe in alios verti, aulico inuidiæ æmulationis ingenio ſuſpicantur. Ac ſi inconſultis ipſis Principem eſſe munificum, principalis gratiæ titubatio ſit, ruinæ infeliciter proxima. 1.

*Regia manu & arbitrio, non regij familiaris, regni munia erogentur.*

Numerorum 11. Moyſes ille diuinâ familiaritate inclytus, ſeriò queritur, quòd minimè eualet tantæ Hebræorum multitudini ſolus principari. Dixit autem Dominus ad eum: Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël, & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, faciéſque ibi ſtare tecum, *vt deſcendam, & loquar tibi: & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi.* Exiſtimauerim, quòd hîc moraliter deſcribitur regij intimè familiaris exaggeratior idea. Cùm enim Deus electurus erat ſeptuaginta Præfectos, qui grauioribus populi cauſſis præeſſent, quique Hebræum ſenatum conſiliosè dedicarent; arbitrio ſui Moyſis eliguntur: neque eorum electio à Deo confirmatur, niſi præſente Moyſe, & dum Deus cum illo familiarius loquitur. Sed grande eſt apud Interpretes litigium, quare Deus dixerit, *Auferam de ſpiritu tuo, tradámque eis?* Adeò ne benefica Dei omnipotentia eſt ſpirituum largiendorum paupertina, vt è Moyſis ſpiritu *auferri* dicatur, quod ſuptuaginta creandis Senatoribus præbetur? Hac ſuper re Abulenſis ſic tempeſtiuè philoſophatur: *Auferam de ſpiritu tuo*, (*qui eſt in te*, vt alij apud Auguſtinum ſuperaddunt) *tradámque eis. Principaliter fuit ad honorem Moyſi, vt non inuideret alicui ..... Deus volebat vt videretur Moyſes ſemper manere, vt maior in populo, ideò non dixit, Dabo eis de ſpiritu meo: ne per hoc intelligeretur quòd dabat eis aliquem nouum ſpiritum, vel maiorem quàm eſſet in Moyſe; ſed dixit, Auferam de ſpiritu tuo, quaſi dicat, Tu eris principalis, quia de tuo illi accipient.* Itaque non dixit Deus, *Dabo eis de ſpiritu meo*, ne per hoc intelligeretur quòd dabat eis ſpiritum nouum, vel *maiorem; vt Moyſes non inuideret* 2.

Num. 11. v. 17.

Abul. ibi q 43.

S. Aug q. 18.

*Mauult Priuatus, vt Rex nullum ſua manu muneret, quàm vt ſe non arbitro de donatis ſibi muneribus alium muneret.*

*alicui,*

*alicui*, quaſi ad alium ſe iam verterit Dei gratia Satiùs putans Moyſes, de ſuo ſpiritu quodammodò *auferri*, quod ſuâ ipſius manu & voluntate Deus aliis præbeat, quàm ſi ſe non arbitro, nec ſcio, Deus de ſuo aliorſùm ſpiritu, Senatores illos ad præfecturam muneraret. *Haganles mercedes, aunque ſea de las que a a el le an hecho, atrueque de que paſe todo por ſu mano.* Quod inſinuare videtur Abulenſis, aiens: *Auferam de ſpiritu tuo qui in te eſt, tradamque eis. Principaliter fuit ad honorem Moyſi, vt non inuideret alicui.* Tanto in pretio habet regius intimè Familiaris, nequem niſi ſuâ manu Princeps muneret? Sic propriâ ipſius Regis manu muneratis Priuatus inuidet?

Chaldæus Caietan. ibi. Quò forſan adludit Chaldæus, qui pro *Auferam de ſpiritu tuo*, habet, *Augebo ſpiritum tuum.* Et Caietanus, *Grandibo de ſpiritu qui ſuper te*, hoc eſt, adinſtar granditatis, extendam ſpiritum, qui ſuper te eſt. Vel *Angulabo de ſpiritu, qui ſuper te*, id eſt, adinſtar producentis in angulos producam de ſpiritu, qui ſuper te. Ecce tibi, quòd ab eiuſmodi *ablatione*, & Moſaici ſpiritus multiplicatio, & firmitudo denotatur, nam ab *angulis* ædificij robur, & ſecuritas eſt.

3. Exhodi 7. poſtquam Moyſes contentioſè ſummum Hebrææ gentis principatum deprecatus fuerat: tandem in partem imperij, & poſt Moyſen ad ſummam præfecturam, Aaronem Deus elegit. Sed attentiùs notanda ſunt electionis verba: *Dixitque Dominus ad Moyſen: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit propheta tuus.* Vide quo nomine Aaron inauguratur in populi Præfectum. Quorsùm hæc infrequens vocabulorum nouitas? Eſto, ad intimam Dei familiaritatem admiſſus Moyſes ſit, omniaque de illius imperio gerenda ſint; quare cùm Deus Aaronem renunciat populi eiuſdem Præpoſitum, non aliquo Magiſtratuum vocabulo, ſed *Prophetæ* Moyſis nomine deſignat? An præcauet Deus (ſicut nuper diximus in electione ſeptuaginta Senatorum præcauiſſe) ne Aaronis electio aut præfectura abſque Moyſis familiariſſimi ſui arbitrio facta videatur; & ſic illi quodammodò inuideat? An ſuſpecta Moyſi diuinioris gratiæ familiaris beneuolentia, niſi Aaronis præfectura & miniſterium ſic illius arbitrio ſubderetur? Audiendus eſt iterùm Abulenſis qui rem aliquâ ex parte tetigit: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit propheta tuus: non dixit, erit propheta meus. Certum eſt tamen quod quicumque propheta eſt propheta Dei, quia nullus poteſt ei dare ſpiritum, niſi ipſe: Deus tamen dixit Moyſi, Aaron erit propheta tuus, vt intelligeretur quòd eſſet minor eo, ſicut propheta eſt minor Deo.* Profectò tametſi ſolius Dei ſit, & prophetas inaugurare, & prophetanda illis cælitùs afflare: at vt omnibus innoteſcat, quòd Aaron in Præfectum nuper electus, non modo eſt Dei familiariſſimo Moyſe *minor*; ſed etiam quod eius miniſterium multimodè ab eo dependet, ab eoque ipſe afflandus eſt; conſultiſſimè dicitur Aaron Moyſis propheta, vt Moyſes Dei inſtar obtineat. Exindè Deus dixit ſuo Moyſi: *Aaron erit propheta tuus: & non dixit, Erit propheta meus.* Quaſi Aaronis præfectura ſic dependeat à Moyſe, ſicut à Deo dependet propheta. Solius autem Dei eſt prophetas creare, & illis prophetias ad nutum aſpirat. Vide hîc quàm dependeat à Moyſe, Dei intimè familiariſſimo, commiſſum Aaroni negotium.

Exod 7. v. 1.

Quare Aaron dicatur, non Dei ſed Moyſi propheta.

Abul. in cap. 11. Numer. q. 45.

Geneſeos 41. poſtquam Ioſeph idoneè pariter ac proficuè ſomnium interpretatus eſt, confeſtim renunciatur ſecundus à Rege, & regius intimè Familiaris. Dixitque Pharao ad Ioſeph: *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, vno tantùm regni ſolio te præcedam. . . . Tulitque annulum de manu ſuâ, & dedit eum in manum eius.* &c. Ecce tibi ſumma poteſtas, à Rege ſuo intimo familiari tradita; & quæ nil ſibi præter regium nomen reſeruauit. *Ad tui oris imperium*, inquit, *cunctus populus obediet.* Alij codices habent, *armabitur*, alij *cibabitur*, alij *gubernabitur*. Quaſi omnis præfectura in armis, in re annonæ, & in materia iuſtitiæ, ab illo prorsùs dependeat. Chryſoſtomus verò præfata verba, *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet*, ſic excribit & exponit *In ore tuo audietur omnis populus.* Quaſi dicat: Neceſſe non eſt, vt quiſquam apud me pro ſe quicquam allegat, aut in re iuſtitiæ, aut pro munerum diſtribuendorum ambitu: quia eam apud me fidem faciet tua ſimplex relatio ac ſi quiſque regni iura, aut merita ad dignitates, multis allegauerit: *In ore tuo audietur omnis populus.* O quantùm regio Priuato licet! Addit, *Vno tantùm regni ſolio te præcedam.* Quæ verba ſic exponit Lipomanus: *Nunc nobilibus, & aulæ imperare iubetur. Officio, curâ, & beneficentiâ rex conſtituitur, ſolio tantùm & faſtu regio cariturus.* Quid tam aſpectabile, quàm *officio, curâ, & beneficentia* Regem agere, ſine *regio faſtu*? Denique *Tulit annulum de manu ſuâ, & dedit eum in manu eius.* Annulum inquam, *quo ſigillabantur litteræ Regis*, ait Lyra, id eſt, omnia Regis edicta: res iuſtitiæ & gratiæ omnis, regio Familiari vnicè commiſſa fuit. Addit ad rem Lipomanus: *Sic & Aſſuerus rex annulum ſuum dederat Aman prius; deindè Mardochæo.* Moyſi, Ioſepho, & Mardochæo cælitus ad gubernandum afflatis, benè traditur regius annulus. Sed vide quanto cum regni periculo, & bonorum pernicie, Aman o permittitur. Caueat Rex Amanos, quia rarus eſt Mardochæus. Tanta Principum fiducia, & ad nutum gubernandi iners licentia, vt Priuatus *officio, curâ, & beneficentiâ rex conſtituatur*, rarò Ioſephum aut Mardochæum reperit; Amanos citiùs inuenit, aut facit. O quiſquis imperas, caue hos regiminis ſcopulos, naufragij minaces!

4.

Geneſ. 41. v. 40. & 42.

*In regio familiari audiatur omnis populus.*

S. Chryſoſt. inibi.

Lipom. ibi.

Lyra ibi.

*Summa poteſtas periculoſè regio Familiari conceditur.*

Hic verſ. 8.

5. Exhodi 7. Dixit Dominus ad Moyſen: Ingrauatum eſt cor Pharaonis, non vult dimittere populum. Vade ad eum mane, diceſque ad eum: *Hæc dicit Dominus: In hoc ſcies quod ſim Dominus: ecce percutiam virgâ quæ in manu meâ eſt, aquam fluminis, & vertetur in ſanguinem.* Verba ſunt Dei, quæ ſuo familiariſſimo Moyſi inſpirat, vt ipſius Dei nomine intimet Pharaoni. Et tamen ſi attentiùs inſpicitur ſacer textus, *virga*, quæ dici videtur eſſe in manu Dei, in manu Moyſis erat: nec eam tulit Moyſes, ſed Aaron, quod peridoneè his verbis notauit inibi Caietanus nuper aliorſum expenſus: *Ecce percutiam virgâ quæ in manu meâ eſt aquam fluminis* &c. *Mirabilis loquendi modus, nam nec Moyſi, nec Deo quadrant hæc verba ſimul. Nam nec Moyſes percuſſit virgâ aquas, nec virga erat in manu Dei ſed Moyſi.* Non valdè mirarer omnia verba, vniuerſam ve actionem hominis vicem Dei gerentis, Deo abſolutè adſcribi: ſicut Regi adſcribitur, quod prorex eius nomine gerit. Aſt Deum de

Exhod. 7. verſ. 17.

Caietan. ibi.

*Verba quæ de ſe Deus dicit nec Moyſi nec Deo conuenire videntur, ſed vtrique, ſed quarti*

de ſe ita loqui, vt de verbis vniuerſatim & indiſferenter prolatis, quædam nonniſi de ipſo Deo, alia nonniſi de Moyſe intelligi poſſint, miriſſimum eſt, & præcluſtre ſui Familiariſſimi Moyſis encomium. Sic inter ſe & ſuum Moyſen, vt verba ipſa, & rem etiam verborum partitur, vt eodem tenore verborum de ſe, & de ſuo Familiari loquatur? *Nam nec Moyſi, nec Deo quadrant hæc verba ſimul.* Munerandus erat Aaron gloria ſumptuoſioris miraculi, coram Pharaone, & Ægypti Proceribus perpetrandi *virgæ* attactu: exinde hanc gratiam ita præbet, vt verbis quæ communia ſunt Moyſi & ipſi Deo hanc illuſtrem prærogatiuam communicet, ne quid ſine Moyſis interuentu, & ipſius verbo largiri videatur.

6.
Geneſ. 50. v. 4. & 5.

Geneſeos 50. tandem Iacobus moritur. *Et expleto planctus tempore, locutus eſt Ioſeph ad familiam Pharaonis: Si inueni gratiam in conſpectu veſtro, loquimini in auribus Pharaonis: eò quod pater meus adiurauerit me, dicens: En morior, in ſepulchro meo quod fodi mihi in terrâ Chanaan, ſepelies me.* &c. Ioſephusne is eſt, qui egeat vt palatini Proceres intercedant pro eo apud Pharaonem ad rem impetrandam? Nonne Ioſephus eſt, cui nuper Pharao dixerat: *Ecce conſtitui te ſuper omnem terram Ægypti, & vno tantum regni ſolio te præcedam?* Regis nomen duntaxat Pharaoni relictum eſt; & ipſe Regis familiariſſimus regiam obit poteſtatem; & nunc apud Regem vicariâ Procerum interceſſione indiget: *Secundus à rege interceſſores mittit* (ait Lipomanus) *vt nihil per audaciam præſumere videretur.* Eſto regius Familiaris poſſit omnia erga reliquos, & de illius conſilio & nutu fauores diſpenſentur, nihilque velit Rex Ioſepho inconſulto; ſaltem ſibi ipſi nil ipſe poſſit. Quaſi vel Pharao, omni regni ſui gubernandi curâ Ioſepho commiſſâ, qui ad conſilij ſui arbitrium reliquos munerare fauoribus, ac dignitatibus augere poterat; fauores tamen ac gratias Priuato concedendas vni ſibi cautè reſeruauerit. Quaſi dicat Pharao: Augeantur reliqui omnes per ipſum, nihilque niſi de eius nutu diſpenſetur; ipſe autem per me ſolummodò augendus, & fauoribus munerandus eſt: nam quod regius Familiaris ſibi ſumit, *per audaciam præſumit.* Exinde Ioſephus, *Secundus à Rege interceſſores mittit* ad Regem; & quæ poteſt aliis, ſibi non poteſt.

Geneſ. 41. v. 40.
Cur Ioſeph ad poſtulandum à Rege gratiam, interceſſores quærit?
Lipom. ibi.

---

## §. CCVII.

*Ex variis ſparſim huius hiſtoriæ locis Mardochæi elogia concinnantur.*

1.
Senec. epiſt. 57.

PErfecti viri animum, ac veluti faciem his verbis pingit Seneca: Animus intuens vera, peritus fugiendorum ac petendorum, non ex opinione, ſed ex naturâ pretia rebus imponens, cogitationibus actionibuſque intentus, ex æquo magnus ac vehemens, aſperis blandiſque pariter inuictus, neutri ſe fortunæ ſubmittens, ſupra omnia quæ contingunt acciduntque eminens, imperturbatus, intrepidus: quem nulla vis frangat, quem nec attollat fortuna nec deprimat. Talis animi virtus eſt, hæc eius facies, ſi ſub vnum veniat aſpectum & ſemel tota ſe oſtendat. Ore illam ſic fingere priſca Philoſophia potuit, opere exprimere non potuit. Hanc virtutis ideam æmulatur Iudaiſmus irrito ſæpè voto; vt laus Chriſtianorum foret, totam virtutis ideam ore Chriſti Dei expreſſam, opere adamuſſim exprimere: adeò vt viuam Chriſti legem, imò ſpirantes etiam ipſius Chriſtianæ legis commentarios, in aliquibus eximiæ perfectis legere liceat.

2.
Matth. 22. v. 40.

Matthæi 22. Legiſperito interroganti quodnam eſſet magnum legis mandatum, reſpondet ei Ieſus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. &c. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. Et addidit: *In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & prophetæ.* Locus multimodè explicatur, vt curioſius attendamus. Mitto quæ obuia hic ſunt, expendam, quomodo ex adimpletione præcepti charitatis erga Deum & proximum: *vniuerſa lex pendeat?* Ex gemini huius præcepti impletione pendet lex, an illorum impletio ex lege dependet? Profectò homines hæc duo præcepta exequi conantur, quia in lege iuſſa ſunt. Quid ergò eſt, quòd ab exactâ mandatorum obſeruatione, *vniuerſa lex pendet?* S. Zeno Veron. hunc locum verſans, propoſitam difficultatem ſubinſinuat, ſic eleganter fatus: *Imò potiùs lex veneranda eſt, quia veritatis ſpeculum, quia rigida quædam dilectionis eſt forma: quicquid enim à iuſto didicit, id facere iniuſtum quoque compellit: bifariè inclyta, vnum glorificando, alium corrigendo.* Nota verba, & pende ſacramenta. *Quicquid lex à iuſto didicit, id facere quoque iniuſtum compellit.* Quaſi Iuſtorum vita, & perfecta conuerſatio, ſit ſchola legis condendæ, & præceptorum gymnaſium. Detumeſcat iam celebris illa ſententia Philonis, apud quem Patriarcharum vita dicitur *Viua lex:* dicitur etiam *Diuinæ legis commentarius.* Maius quid hîc ſpirat Zeno, aiens, quòd vita Patriarcharum fuit legis conceptaculum, mandatorum eruditio, & præceptorum ſchola. Opinabamur hactenùs ex eruditâ Legiſlatoris peritiâ leges prodire: nunc ait Zeno, quòd Patriarcharum vita, & Iuſtorum conuerſatio, legum peritè condendarum forma eſt, & typus oculis expoſitus, quo leges excuduntur: Nam *quicquid lex à iuſto didicit, id facere quoque iniuſtum compellit: bifariè inclyta, vnum glorificando, alium corrigendo.* Ecce tibi ex perfectâ impletione charitatis erga Deum, & proximum, *vniuerſa lex pendet.* Pendet enim lex à perfectâ iuſtorum vitâ, à quâ ſæpe didicit quod præcipiat, quidque iniuſto vetare expediat: *bifariè inclyta, vnum glorificando, alium corrigendo.* Vide quàm inclytè glorioſus hinc fuerit Henoch, Noë, Abraham, Ioſeph, Dauid: & (vt cæteros omittam) hîc Mardochæus, glorioſior egregiis virtutum facinoribus, quæ in hâc hiſtoriâ cateruatim occurrunt, quàm gloriâ ſumptuoſiùs inclytâ, quam nunc Aſſuero rege adeptus eſt.

Ex Iuſtorum vitâ lex diſcit, quod præcipiat, tanquam ex legiſlatorum ſchola?
S. Zeno ſer. de Spe, Fide & Charit.
Hic cap. 8. v. 15.

Geneſ. 28. v. 12.

Geneſeos 28. profugus Iacob ineunte iam nocte humi laſſus iacet; *Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælos. Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper eam, & Dominum innixum ſcalæ.* Quæ eſt hæc ſcala? qui ſunt iſti Angeli, qui ſiue aſcendant ſiue deſcendant, æquè Deum intueantur? Res ſanè miriſſima, quòd Deus dicatur innixus ſcalæ; ſiue in ſummitate ſuboixus ſcalæ, ſiue à parte infimiſſimâ ſcalam ſuſtentans: Angeli tamen ſiue aſcendentes ſiue deſcendentes illum pariter

Angeli imitantur Mardochæum qui ſiue aſcendens ſiue deſcendens Deum æquè intuetur.

pariter inueniant. Quod ſubtiliter Auguſtinus adnotauit: *Quod Iacob*, inquit, *per figuram viderat, hoc de ſe Dominus prædicat. Videbitis*; inquit, *cælos apertos, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ad filium hominis*: (addit tempeſtiuè) *Si ad filium hominis Angeli deſcendebant, quia in terris erat, quomodò hi ipſi Angeli aſcendebant ad filium hominis, niſi quia & in cælis erat?* Benè hinc Chriſti diuinitatem comprobat Auguſtinus; & ſimul nos erudit, quòd ille homo Angelus nominari poteſt, & Angelos de perfectione æmulatur, qui & dum humanâ felicitate ſublimis aſcendit, & dum ærumnoſis calamitatibus puſillus deſcendit, vtrobique pariter Deum inuenit. Æquè Deus in faſtigij ſublimitate, & in humiliationis profunditate inuenitur? O pium in re virtutis parodoxon! ſed in Mardochæo ad exemplarem virtutis eruditionem, aſpectabile apparet. Cùm dirâ calamitate opprimitur, Deum precibus accerſit, & ſpebus inuenit. Cùm blandiùs illi fortuna adridet, non ſuccumbit felicitati: ſed pietate & legis zelo præcelſus adſurgit; cælum religione tangit, & Deum inuenit. Angeli Dei nominantur, qui *aſcendentes & deſcendentes* adæquè Deum repererunt.

S. Aug. apud Caten. Lipom. inibi. Joann. 1.

Hic cap. 4. v. &c. & cap. 8. v. 15.

4. Actorum 1. his verbis ſuam de Apoſtolorum geſtis hiſtoriam Lucas auſpicatur: *Primum quidàm ſermonem feci de omnibus, quæ cæpit Ieſus.* &c. Græci codices pro *τὸ ſermonem*, habent *librum*. Scilicet præmonet Lucas, ſe priùs ſcripſiſſe librum de actis Chriſti Dei, quod Euangelium vocamus. Sed quare Lucas priorem librum non vocat Euangelium, cùm re verâ Euangelium ſit, & Euangelium ab omnibus nuncupetur? Reſpondet Oecumenius: *Priorem librum dixit, non Euangelium, cùm tamen Paullus ſuum vocet Euangelium, vbi ait: Iuxta Euangelium meum. Nam arrogantiam vbique fugiunt. Sicut & Matthæus: Liber, inquit, generationis. Quòd ſi Marcus dicit: Initium Euangelij Ieſu-Chriſti, non tamen ſuam ſcripturam vocat Euangelium, ſed Chriſti prædicationem.* Vide mihi Beniaminitæ Paulli excelſam prærogatiuam, & planè auguſtam meritorum excellentiam. Nempe quod in Lucâ elationi imputaretur, quò *arrogantiam fugiat*, mutâ taciturnitate diſſimulat: illud met ipſiſſimum Paullus de ſe palàm denarrat, quaſi ordinarium, vulgare, ac familiare ſit in Paullo, quod in aliis Diſcipulorum proceribus, fortè *arrogantiam* ſuboleret. Magnus ſanè Beniaminita Paullus ſic ſui Saülis ad inſtar, vltra commune faſtigium attollitur, vt quod eſt ordinarium in Paullo, *arrogantiam* in aliis ſaperet; & quod alij humilitatis cauſsâ dicere recuſant, vt vanæ gloriæ ſuſpicionem deuitent, id in Paullo tam longè abeſt à vulgari omnium æſtimatione, vt ferè exiguum putetur in illo quod in aliis penè ſuperbum forſan putaretur. Indè quòd Beniaminita Paullus de ſe prædicat, reliqui de ſeipſis tácent: *nam arrogantiam vbique fugiunt*. Quod etiam in Beniaminita Mardochæo hîc cernere licet: quod enim in eo ordinarium deſcribitur, in aliis *arrogantiam* ſaperet, & vltra Hebræum faſtum iactantiæ imputaretur. Vſque adeò *magnus* in hâc Hiſtoriâ ſæpè prædicatur!

Act. 1. v. 1.

Oecum. ibi. 2. ad Tim. 2. Matth. 1. Marci 1. *Paullo familiare eſt, quod in aliis arrogantiam ſaperet.*

Cap. 8. v. 15. Cap. 10. v. 3.

5. In hoc cap. 8. inclyta Mardochæi gloria proponitur, & ſumma apud Imperatorem auctoritas. Infrà verò explicatiùs traditur, quod hîc tectiùs inſinuatur: *Quomodo Mardochæus Iudaici generis ſecundus à rege Aſſuero fuerit: & magnus apud Iudæos, & acceptabilis plebi fratrum ſuorum, quærens bona populo ſuo; & loquens ea quæ ad pacem ſeminis ſui pertinerent.* Et ſanè notatione digniſſimum eſt, quòd Mardochæus tantâ gloriâ præluſtris, & penè ſuperbâ Regis familiaritate inclytus, ſic inrogatus vltrò quæſierit bona populo ſuo, & ſuos proximos ſollicitâ beneficentiâ augeat, promoueat, ſublimet. S. Zeno Veronenſis de charitate erga Deum, & proximos ita ad lemma præſens opportunus ſcribit: Sequens eſt, inquit, vt etiam proximos eo affectu, quo nos ipſos diligimus, diligamus: *maximè cùm cognationis ipſa hoc exigant iura.* clamat enim Propheta: Deus vnus creauit vos. Nonne pater eſt omnium veſtrum? *Quiſquis igitur nobilitatis ſuæ conſcientiam retinet, diligit fratrem: nec aliquid andire expectat ex lege, ne admonitione pietati aliquid derogetur: tantumque ſe in ipſo amat, vt oderit ſe ſine ipſo.* Nempe Mardochæus Iacobæo per Beniaminum genere, & regiâ familiaritate præluſtris, *nobilitatis ſuæ conſcientiam retinens, diligit fratres.* (O nouum nobilitatis ſtemma!) Fraterna charitas, conſcientiam nobilitatis generosè retinet. Adeò vt Mardochæus ſine præuio monitore vltrò *quærat bona populo ſuo, ne admonitione pietati aliquid derogetur, tantumque ſe in ipſo amat, vt oderit ſe ſine ipſo.* Vndè cùm eſſet reginæ Eſtheris patruus, poſſetque ſe ſuperbæ cognationis titulo à ferali Regis edicto eximere, maluit cum ſuo populo atrociter perire, quàm pereunte populo feliciter vindicari, quaſi in pereunte populo, ipſe ſuperſtes adæquè periret: *tantumque ſe in ipſo amat, vt oderit, ſe ſine ipſo*: quæ eſt fraternæ charitatis hyperbole. Sibi Mardochæus inuidet vitam, ſi eius populus vita viduetur: mauultque populo ſuo mori, quam ſibi viuere. O Mardochæi Beniaminitæ, charitatem Beniaminitæ Paulli æmulam.

Cap. 8. v. 15. Cap. 10. v. 3.

S. Zeno ſer. de Spe, fide, & char.

*Mardochæus tantùm ſe in populo ſuo amat, vt oderit ſe ſine illo.*

Matthæi 1. *Booz autem genuit Obed ex Ruth.* Incertus Chryſoſtomus ſic præfata Euangeliſtæ verba exponit: *Salmon autem qualem virum genuit ex Rahab Booz, qui interpretatur, In virtute; vel Virtus in ipſo.* Egregia ſanè laus eſt, virtutem eſſe in aliquo ſeu virtutem eſſe alicui impreſſam. Sed hoc elogium frequens eſt, & commune cum Sanctis omnibus: nemo enim Sanctus dicitur, quin in ipſo ſit virtus, à quâ ſibi impreſsâ ſanctus eſt. At verò eâ ſanctitatis præſtantiâ præfulgere, vt ipſemet ſit *in virtute* ſeu virtuti ipſi velut impreſſus, hoc ſingulare encomium eſt, & auguſtior hominis laus. Quid enim ſublimius, quàm vt homo è lutoſo limo materiatus & vitiatis à primordio moribus attaminatus, eâ ſanctitatis prærogatiuâ emineat, vt vitiis defæcatus, ipſe ſit *in virtute*, ſeu virtuti ipſi ſic impreſſus, vt ipſe ſit velut virtutis portio, virtutis attributum, vel prærogatiua virtutis? *Qui Baſilium laudat, virtutem laudat*, dixit Nazianzenus. Sic arctè virtuti adglutinatur, ſic altè virtuti imprimitur, vt propè ambigere poſſis, quis nam virtus ſit, an Baſilius, aut Paullus, aut Mardochæus? an ipſamet ipſorum virtus? Sic ipſa virtus erat in Mardochæo, vel ipſe Mardochæus *in virtute*. Sic virtutes vndequaque ſpirat, fragrat, propagat! Tota hæc Hiſtoria id ſparſim eructat.

Math. 1. v. 5: Imperf. homil. 1. in Matth.

*Mardochæus virtuti impreſſus dicitur: ſiue eſſe in virtute.*

S. Naz. Orat. de Baſil. laud.

1. Regum 2. Dominus *ſuſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem: vt ſedeat cum Principibus & ſolium gloriæ teneat. Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.* Quæ verba exponens Rupertus lib. 3. de gloria

1. v.

Rupertus.

gloria Filij Hominis ſic ad rem opportunè ſcribit: *Quantò plura Sancti dona Dei percepturi erant, tantò maioris conſcientia paupertatis indiguerunt, vt eadem dona portarent ſtabiles & firmi, fundati in ſpiritu humilitatis. Nam Domini ſunt cardines terræ; pro quo in Hebræo ſcriptum eſt, Afflicti terræ: & poſuit ſuper eos orbem. Afflictio hæc humilitas eſt, quæ ad portandum orbem conſtantes eos facit, & fortes.* O benè! Vidè hîc Mardochæum, Eſtherem vide, in atrociori calamitate nimirùm *afflictos*, & humiliatione proſtratos, in ſacco, & cinere, & *ſtercore* volutantes, & tunc, tunc quidèm maximè *cardines terræ* fuerunt, in quos populus Dei totus incubuit, *Domini ſunt cardines terræ, afflicti terræ.* Quod ex hâc hiſtoriâ perſpicuum eſt. Sic enim Dominus *ſuſcitauit de puluere egenos & de ſtercore eleuauit pauperes; vt ſedeant cum principibus, & ſolium gloriæ teneant.*

*Mardochæus & Eſther ſunt terræ, ſeu populi Dei cardines.*

8. Eſther 8. ſimul cum Mardochæi ſublimitate, res Iudaica ſtetit, quæ miſerabilem ruinam atrociter minabatur: Mardochæus, inquit, de palatio, & de conſpectu Regis egrediens, fulgebat veſtibus regiis, coronam auream portans in capite: *Omniſque ciuitas exultauit, atque lætata eſt. Iudæis autem noua lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, & tripudium.* Sic populus Dei nuper labaſcens firmiſſimum nactus fulcrum, perdiu inconcuſſus ſtetit. S. Maximus homil. 2. in Natali Apoſtolorum, agens de Paullo Mardochæi contribuli, eum appellat: *Eccleſiæ ſolatium, atque omnium credentium firmamentum.* Quid accommodatius? Porrò Mardochæus funeſtæ flebiliter Synagogæ *ſolatium* fuit, dum in comœdiam vertit tragædiam; & Dei populum valenter ſuffulciens fuit etiam *omnium credentium firmamentum.*

Eſther. 8. v. 16.

*Mardochæus dicitur omnium credentium firmamentum.*

S. Maxim.

9. Eſther 3. Amani ille Eſaüita, homo ex omnium ſcelerum colluuie conflatus, *pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus ſuas ..... magiſque voluit omnem Iudæorum perdere nationem.* Et tertiadecimâ die menſis Adar, ad Mardochæi, & ſuorum ſtrages, per ſortilegium atrociter deſtinata eſt. Luculenter alioſùm S. Maximus ita ſcribit, *Dies ergò pro merito; locus pro gloriâ; Perſecutor decretus eſt pro virtute.* Itaque dies excidij, quod in aduerſariorum recidit caput, pro Mardochæi *merito decreta* eſt. *Locus* (vrbs Suſan, regia totius imperij metropolis) *pro gloriâ*, vt in tot principum Satraparum, & frequentium populorum theatro, ſuos hoſtes iuſtiſſimo retaliatu proculcaret. At Aman *perſecutor decretus eſt pro virtute.* Vis noſſe Mardochæi *virtutem*, taxa, ſi potes, ſceleroſiſſimi Amanis malitiam? O quàm multa breui compendiauit!

Eſther. 3. v. 6.

*Malitia Amani eſt menſura virtutis Mardochæi.*

S. Maxim. in Natal. Apoſt homil. 5.

10. Eſther 8. Mardochæus autem de palatio egrediens fulgebat veſtibus regiis, coronam auream portans in capite. *Iudæis autem noua lux oriri viſa eſt.* Porrò tempus quod præceſſerat ſub Amane (vt ipſe Mardochæus in ſomnio anteuiderat, *fuit dies illa tenebrarum.* Ergò expediebat vt nouo ſplendore fulgente jam Mardochæo, Dei populo nouus ac præclarus dies oriretur. Porrò Mardochæus Solis adinſtar diem faciebat iis cum quibus viuebat. De Eliâ ſic loquitur Chriſtus: *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſraël.* Quid? erat Elias Sol, qui diem faceret? Audiendus eſt inibi Ambroſius: *Quia diem faciebat illis, qui conuertebantur ad Dominum, & ideò aperiebatur cælum videntibus diuina.* Exindè Mardochæus Eliæ de ſplendore æmulus, diem faciebat Iudæis: nam fulgente Mardochæo. *Iudæis noua lux oriri viſa eſt.*

Eſther. 8. v. 16. & cap. 11. v 8.

*Mardochæus diem illis facit cum quibus viuit.*

Lucæ 4 v. 25.

S. Ambroſ.

Ioannis 13. pedum lauacrum conſtanter renuit Petrus; qui minis concuſſus tandem adnuit: Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos, ſed & manus, & caput. *Dicit ei Ieſus; Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Et quomodo qui eſt mundus totus, adhuc pedum lotione indiget? Multimodè huic dubio & ad rem litteralem, & ethicam Commentatores reſpondent. Origenes inibi ita ſcribit: *Lauit autem pedes poſtquam mundi erant, quoniam gratia tranſcendit neceſſitatem.* Gratiæ officioſitas eſt, non modò neceſſitati ſubueniendæ ſpontè occurrere, ſed illam largiùs & ſumptuoſius *tranſcendere.* Parum foret diuinæ beneficentiæ, beneficia ſua cum humanâ neceſſitate taxare. Dei elogium eſt vltra neceſſitatem eſſe beneficum. Hic Origenis diſcurſus adſpectu ad Mardochæum & Eſtherem de crudelitate vindiciæ ſunt. Porrò vberior Dei fauentia fuit, vt non modò ſoſpitatem à periculo Amani & Amanitarum nacti ſint; ſed etiam eiuſdem ſtrages, & excidij vices ipſis reſpenderent: *quoniam gratia tranſcendit neceſſitatem:* qui eſt pius aliquis diuinioris gratiæ faſtus. 11.

Ioan. 13. v. 10.

Orig. hom. 32.

*Mardochæus à crudelitate vindicatur, quia gratia tranſcendit neceſſitatem.*

Eſther 13. Sic Mardochæus Deum alloquitur: 12.
Tu ſcis quia non pro ſuperbiâ & contumeliâ, & aliquâ gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman ſuperbiſſimum: *Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quenquam adorarem, excepto Deo meo.* Quid eſt, quod Mardochæus Deum Hebræorum Deum ſuum, ſemel & iterùm nuncupatim appellat? Quare ſummum Deum, qui indifferenter omnium Deus eſt, quaſi totus foret ſuus, ſingulariter appellat ſuum? O non bonam Diuinitatis ſibi abreptionem! Audiendus eſt Origenes Tract. 22. apud Catenam, qui in caſu ſimili ſic argutè philoſophatur: *Et vide quia non dixit: Ego ſum Deus Abraham, Iſaac, & Iacob: ſed Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, in alio autem loco dixit: Deus Hebræorum miſit me ad vos ..... Vbi ergò dicitur Deus Hebræorum, imperfectio demonſtratur eorum; quia vnuſquiſque eorum aliquid modicum de Deo habet. Dicitur autem Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob* (ſic etiam & Deus Mardochæi) *quia ſinguli eorum totum habent Deum* O grande Mardochæi elogium! *Modicum* de Deo alij habere dicuntur; Deus autem *totus* eſſe Mardochæi perhibetur. Deus *miſericordiæ plurimus*, à Tertulliano nuncupatur, qui velut plures vnus Mardochæo eſt; quoniam de quo ſinguli *modicum*, ipſe *totum* habet.

Eſther. 13. v. 14.

*Deus dicitur totus eſſe Mardochæi. quare?*

Origen.

In omni hâc Eſtheris narratione proponitur 13.
Mardochæus iam ſupplex apud Deum, & apud Reginam pro Dei populo orator, & exorator; iam eiuſdem populi exulis & captiui ſollicitus Præſes, iam atrocioris excidij ſollers aberruncus, adeò vt nullum ſit exſomnis prouidentiæ officium, quod erga Dei populum, non peritè Mardochæus obierit. Sanè luculenter in Mardochæum quadrat illud Nazianzeni in Orat. in laudem Athanaſij: *Hoſpitum Præſes, ſupplex, aberruncus, vnus vniuerſa ea verè complexus, quæ inſigillatim Diis ſuis Gentiles tribuunt.* Nullum erat munus, quod vitæ humanæ vſui eſſe poterat, cui prouidentiùs præſtando, non aliquod

*Mardochæus vniuerſa complexus eſt, quæ Diis Gentium tribuuntur.*

S. Naz. Orat. 8.

quod Numen Gentiles effingerent; ſiue ad bonum precariè obtinendum, ſiue ad malum procul arcendum. Ergò Mardochæus inter Gentiles viuens, ne ob humanas neceſſitates ad Idolorum cultum Iudæi deficerent, *vnus vniuerſa ea verè complexus eſt, quæ ſigillatim Diis ſuis Gentiles tribuunt*. O quàm multa Mardochæi elogia, hoc vno profunde compendiantur!

14. 1. Regum 7. dixit Dauid ad Philiſthæum (& Mardochæus ad Aman) *Tu venis ad me cum gladio, & haſtâ, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſraël*, quibus exprobraſti hodie, & dabit te Dominus in manu meâ, & percutiam te, &c. Quæ verba ſic eleganter ad rem Selucienſis Baſilius elucidat. Miſſo igitur lapide galea rumpebatur, plagam caput admittebat, & anima de corpore fugiebat. *Sternitur mortuus Goliath: ſternitur alienigenarum turris. Hoc fidei ſpolium eſt, trophæum gratiæ, auxilii cæleſtis indicium, blaſphemiæ coerctio: columna index extinctæ audaciæ. Quid igitur ſuper his Dauid? Qui omnia gratiæ tribuit, neque gladium infert in pugnam: inermis pugnator ſublato Goliath gladio gladij dominum diuidit, armis in vſus debitos verſis. Cùm igitur Goliath arma fabricaret, id ſe in vſus Dauidis facere, & proprij iugulatoris baiulum in aduerſarii habitu ſe Dauidi venire ſubſidio ignorabat.* O diuinioris gratiæ Dauidi ac Mardochæo fauentiam ex inuerſo! Porrò irato Aſſuero Harbona vnus de eunuchis, hæc tempeſtiuè ſuggerit: En lignum, quod parauerat Mardochæo, qui locutus eſt pro Rege, ſtat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit Rex: Appendite eum in eo. *Suſpenſus eſt itaque Aman in patibulo quod parauerat Mardochæo.* Itaque cum Aman aduerſarij habitu, patibulum altè Mardochæo ſuſpendendo fabricaret, ſupplicio in vſus debitos conuerſo patibulum patibuli dominum ſuſtinet æquiſſimè appenſum. *Hoc fidei ſpolium eſt, gratiæ trophæum, auxilij cæleſtis indicium, blaſphemiæ coerctio, & columna index extinctæ audaciæ.*

1. Reg. 17. v. 45. — Baſil. Seleu. [illegible] 15. — [illegible] Dauidi ſimi[illegible] [illegible] pauet! — Eſther. 7. v. 10.

15. Geneſeos 14. deuictis hoſtibus, & locuplete prædâ ſtrenuè captâ, dixit rex Sodomorum ad victorem Abraham: Da mihi animas, cetera tolle tibi: Qui reſpondit ei: *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cæli & terræ, quòd*, &c. Eruditè inibi notat Lipomanus, manuum eleuationem eſſe apud priſcos modum ſeu ritum iurandi. Et ſanè forſan alicui videbitur fruſtra tunc Abrahamum iuraſſe: neque enim vrgebat neceſſitas, & ipſe auctoritate magnus, ad fidem non egebat iuramento. Sic ad iurandum facilis & expromptus Abrahamus perhibetur? O præclarum ſub ſpecie vitij virtutis ſacramentum! Scilicet (vt ibi notanter ſcribit Chryſoſtomus) dum Abrahamus iurat per *Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cæli & terræ, pietatis Doctor eſt (Regi) fieri ſtudet, quaſi docens eum: Illum tibi teſtem adhibeo, qui eſt omnium creator, vt ſcire poſſis Deum omnium, & ne credas eſſe Deos, ea quæ ab hominum manibus fabricantur.* Profundè quidèm Chryſoſtomus! Nempè quod in viris eximiè ſanctis, & aſpectabili pietate conſpicuis, ſpecie tenus vitium apparet, ſæpè virtutis eruditio eſt. Vel ex apparentis vitij latebris, piè inſinuantur profectui ſpectatorum: & aliquandò ſpecie improbitatis, clanculùm pietatem ſpirant, efficiant, alliciunt: & quod putas de terræ contagio, de cæli ſcholâ venit. Ecce tibi Abraham iurans per *Deum excelſum poſſeſſorem cæli & terræ*; verum Deum Gentibus intimat, & idololatriæ inſaniam damnat ad Gentium eruditionem. Et Mardochæus dum ſpecie tenus, nimis acerbè de hoſtibus populi Dei vlciſcitur, ſummi Dei omnipotentiam adſtruit, eumque acerrimum ſcelerum vindicem, & virtutis aſſertorem demonſtrat: *in tantum vt plures alterius gentis & ſectæ eorum* (Iudæorum) *religioni & ceremoniis iungerentur.*

Geneſ. 14. v. 22. — Lipoman. — S. Chryſoſt. [illegible] eximiè [illegible] vel ex [illegible] [illegible] latebris [illegible] [illegible] ſpectatorum [illegible]

In hunc verſ. 15. placuit congerere Mardochæi laudes in hoc libro ſparſim commendatas: hìc enim præmiata virtus ſumptuoſiùs elucet: indeque Mardochæi pietas & beneficentia erga Dei populum micantius prænitet. Eſther. 8. v. 17.

---

## §. CCVIII.

*Diuitum crimen eſt, quod diuitiarum eſſe putatur: aliquandò enim aſpectabilis virtus, opulentiæ ſtipendium eſt, & opulentia reconciliationis ſuffragium.*

Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi, ita ſcribit: *Diuitiæ ſunt ſerpenti ſimiles, quæ in ſiquis neſcit inoffensè eminùs accipere, beſtiam ſine periculo, ſummâ caudâ apprehendens; ea manu circumplicabitur, & mordebit: Ita & diuitiæ, ſi ab imperito viro apprehenduntur, inhærent & mordent. Sed ſi quis ſe magnificum præbens rectè & ſcienter eis vtatur, illæſus permanebit.* Profectò multis diuitias abiuraſſe, & paupertatem vltrò acquiſiiſſe, ſæpe non finis miſeriarum fuit, ſed mutatio. Non eſt enim in rebus virium, ſed in animo. Quemadmodum nihil differt vtrum ægrum in ligneo lecto, an in aureo colloces: quocumque illum tranſtuleris, morbum ſuum ſecum transfert. Sic parum refert, vtrùm animus æger in diuitiis, an in paupertate ponatur. malum ſuum illum ſequitur Euangelica paupertas præſtantior eſt, diuitiæ non ſemper nocent; nec tam diuitiarum, quàm diuitum vitium puta. 1. Clem. Alex. lib. 3 Pædag. c. 6. — Diuitiæ ſunt ſerpenti ſimiles.

Actorum 10. *Vir autem quidam erat in Cæſareâ, nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italicâ; religioſus, ac timens Deum cum omni domo ſuâ*, &c. Is in clarâ viſione Angelum manifeſtè vidit, qui ei iuſſit Petrum accerſere. Quo accerſito, de rebus Chriſtianæ fidei eruditur, & præluſtri gratiæ pompâ Spiritum-ſanctum coràm accipit, magno adſtantium ſtupore. Piè curioſâ ſagacitate quærunt interpretes, quare dudùm Æthiopis, & nunc Cornelij ad fidem conuerſió, tanto verborum apparatu à ſacro Scriptore denarretur; qui plures aliorum conuerſiones, aut ſilentio mutus obuoluit, aut perſtrictim delibat? Chriſtianæ fidei œconomia, quæ dignitatum faſtum ſeueriùs caſtigat, dignitatum faſtu ſublimes ſigillatim recenſet; & viles ac pauperculos ad fidem accedentes, contemptim negligit? Aut hos ſic depretiare non debuit; aut illos ſic non debuit adpretiare. Oecumenius prælibatum dubium tacitè propinat, dum explicatiùs diluit: 2. Actor 10. v. 1. & 2. — Dignitatum & opulentiæ faſtus, aliquandò à pietate non auertit.

*Non*

*Non memorantur*, inquit, *Æthiops ac Cornelius, eò quòd in dignitate conſtituti erant; ſed quòd ob* Oecum. ibi. *diuitias & faſtum prohibiti non fuerint, quin verſarentur in pietate.* O ſalutarem Proceribus eruditionem! Pij erant ſub diuitiis. Dignitatum & opum faſtus, non arroganter euanuit in ſuperbiam; ſed in Chriſtianam humilitatem nobiliter quaſi degenerauit. Virorum principum ac diuitiis nobilium, ad Chriſtianam religionem inopinata conuerſio, non denarratur ad ipſius religionis faſtum, cui renunciauit in Auctore: ſed vt cunctis innoteſcat, Æthiopem & Cornelium diuitiis auctos, dignitate inclytos, *diuitias & faſtum prohibitos non fuiſſe, quin verſarentur in pietate.* Heu, nolle in cauſsâ eſt, & non poſſe prætenditur!

8. Geneſeos 4. Cain impiiſſimi ſceleris conuictus, hanc ſententiam ex Dei ore audit: Nunc igitur maledictus eris ſuper terram. Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos. Dixitque Cain ad Dominum: Maior eſt iniquitas mea quàm vt veniam merear. *Ecce eiicis me hodie à* Geneſ. 4. v. 14. *facie terræ, & à facie tuâ abſcondar.* Quæ verba ſic elucidat Rupertus: Rupert. l. 4 in Geneſ. c. 7. *Hoc timet ne agricolari ſibi non liceat; ne terram, quam ſolam amat, pro admiſſo facinore perdat.* Cain terræ fructibus ſpoliatus, in Dei conſpectu non audet apparere. Verùm difficultate non vacat, quare quoniam terra fructus ſuos illi negabit, eiici ſe putet à facie Dei. An Dei facies illi duntaxat patet, cui terra fructus ſuos vberiùs facit? Reſpondet Hugo Carenſis: Hugo Carens. ibidem. *Ecce eiicis me hodie à facie terræ; & à facie tuâ abſcondar. Et dicitur eiici; quia grauis & oneroſus factus eſt omnibus, etiam ſibi, quòd iam in præſentiâ Domini non audeat comparere.* Nimirùm Cain operoſæ agricolationis ſpebus, & opimi terræ fructibus viduatus, non ſolùm dicitur eiici à facie terræ, ſed etiam à facie Dei abſcondi, quaſi iam terræ fructibus viduatus, illi non ſuppetant electi agricolationis ſuæ prouentus, quorum ope & vitam ſuſtentare, & offenſum numen oblationibus placare poſſit; quò fieri putat, *quòd iam in præſentiâ Domini non audeat comparere.*

4. Danielis 4. hæc ſuperbè opulento Nabuchodonoſori Propheta piè ſuggerit: Daniel. 4. v. 24. *Quam ob rem rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet delictis tuis.* Opulentus cenſus vitiis eſt ad redimenda peccata. Ad quæ Danielis verba adludens S. Cyprianus, his verbis diuites admonet ad proficuum diuitiarum S. Cypr. vſum: *Locupletem*, inquit, *te eſſe dicis, & vtendum putas iis quæ poſſidere te Deus voluit, vtere, ſed ad res ſalutares; vtere, ſed ad bonas artes; vtere ad illa quæ Deus præcepit, quæ Dominus oſtendit. Diuitem te ſentiant pauperes, locupletem ſentiant indigentes. Patrimonia tua Deo fœnerare; Chriſtum ciba, vt ad Domini præmia venire contingat, multorum precibus exora .... Alioqui tentatio eſt patrimonium grande; niſi ad vſus bonos cenſus operetur: vt patrimonio ſuo vnuſquiſque locupletior magis redimere debeat quam augere delicta.* Benè monentem audis Cyprianum: ſequere. Grande ſiquidèm bonum aliquandò eſt, cenſum habere, quo peccata tua poſſis redimere, & Redemptori æmulâ ſatisfactione cooperari.

5. 1. Ad Timotheum 6. tametſi inibi Apoſtolus 1 ad Tim. 6 v. 6. diuitiarum auaritiam, tanquam vitiorum omnium radicem, meritò auerſetur; ita tamen ſcribit: S. Auguſt. epiſt. 121. Theoph. ibi. *Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientiâ.* Auguſtinus, & Theophylactus *ſufficientiam* intelligunt, ſi ea ſuppetant quæ ſunt ad tuendam vitam neceſſaria, vt Paullus dicat, tum demùm pietatem magnum afferre lucrum, ſi nihil deſit eorum, ſine quibus vita conſeruari non poteſt. Quò pertinet illud Salomonis: Prouerb. 30. v. 8. *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo neceſſaria, ne fortè ſatiatus, illiciar ad negandum, & dicam, Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus furer, & periurem nomen Dei mei.* Eleganter Chryſoſtomus homil. 79. in Ioannem, hanc rem elucidat, cuius verba alibi ſcripſimus; nunc exſcribenda & expendenda ſunt verba Ambroſij, qui, in Orat. de obitu fratr. Satyri, S. Amb. ità fatur: Satyrus parcius ſecum agebat, frugali quâdam habendi caſtitate. *Nam de parſimoniâ quid loquar, & quâdam habendi caſtitate. Is enim non quærit aliena qui ſua ſeruat, nec inflatur immodico, qui contentus eſt proprio.* Scilicet Satyrus in peramplâ nobilitate, & anguſtiâ facultatum, frugaliſſimè viuebat; ambitioſis ſumptibus debens, quod nullius indigus, nil deberet. Sua ſeruabat, ne quæreret aliena: nihil ſuum per deſidiam negligens, *quâdam habendi caſtitate.* Ecce tibi, ſollicitam rerum ſuarum adminiſtrationem, & frugalem earum vſum, ne ad diram mendicitatem cogeretur, *quâdam habendi caſtitate* peractam dicit Ambroſius. Procùl à Satyro auaritiæ libido, qui *pietatis quæſtum cum ſufficientiâ* colens, parcè ſecum agebat, *frugali quâdam habendi caſtitate.*

Lucæ 19. Ieſu Hierichuntinam vrbem ingreſſo, Ecce vir nomine Zachæus; & hic erat princeps publicanorum, *& ipſe diues.* Sed quem de fraude, & officij abuſu diuitem ſcimus; qualis iam ſit de bono diuitiarum vſu legamus: 6. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Lucæ 19. v. 8. & 9. *Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudaui; reddo quadruplum. Ait Ieſus ad eum: Quia hodie ſalus domui huic facta eſt.* Diuitiæ quæ aliis ſunt vitiorum lenocinia, Zachæo ſunt incentiua virtutum. Grande quidèm miraculum! Ecce camelus depoſitâ gibbi ſarcinâ per foramen acus tranſit, hoc eſt, diues & publicanus relicto amore diuitiarum, cenſu fraudum contempto, auxilio etiam diuitiarum è diuerſo ſaluatur. Pulchrè Ambroſius: *Diſcant diuites non in facultatibus crimen habere; ſed in his qui* S. Ambr. l. 8. in Lucam. *vti neſciunt facultatibus. Nam diuitiæ ſicut impedimenta ſunt improbis, ita bonis ſunt adiumenta virtutis.* Sibi modulatiùs Ambroſius accinit, dum ſuprà exponens illud Lucæ 6. *Væ vobis diuitibus*, ita ſcribit: Lucæ. 6. v. 24. *Licet pecuniariis copiis multa ſunt lenocinia delictorum, pleraque tamen ſunt incentiua virtutum: quanquam virtus ſubſidia non requirat.* S Ambr l. 5. in Lucam. Scilicet ſancti Eccleſiæ Patres, qui Euangelicam paupertatem, & opulentiæ pericula vno ore prædicant; ne ſeculi diuites prorſus deſperent, bonum diuitiarum vſum ſeriò perſuadent, ne in facultatibus crimen habere putent, quod de earum abuſu in diuitibus eſt. Vnde opes ſicut plerumque ſunt *delictorum lenocinia*, ſic Zachæo & aliis *incentiua virtutum* extiterunt.

7. Numerorum 20. Hebræa gens Ægyptiis opibus Numer. 20. v. 17. & 19. prædiues, de Cades nuncios præmittit ad regem Edon: *Obſecramus* (inquiunt) *vt nobis tranſire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, neque per vineas ..... Per tritam gradiemur viam: & ſi biberimus aquas tuas nos & pecora noſtra, dabimus quod iuſtum eſt: nulla erit in pretio difficultas.* Olympia animæ eſt, per bona temporalia perfunctoriè tranſire. Ingenua planè ſponſio, in prædiuite & armata gente nimis generoſa, & Dei populo digniſſima. Quod Philo Iudæus his verbis luculenter expendit, *O promiſſionem generoſam & magnifi-*

...o.In lib. Quod Deus immu.tab. *magnificam: Itane obſecro, ſuperare, tranſcurrere quicquid in terra bonum cenſetur, poteritis? Nihilne veſtram properationem remorari poterit?....Olympia cæleſtique animæ sũt hæc tam ingẽtia facinora, quæ regione terreſtri tam relicta, ad diuinarũ naturarũ ſeducta eſt conſuetudinem.* Generoſum ſanè eſt in homine, & quod limi ſui vilitatẽ diffitetur, diuitem armatum ſic vrbanè, & ex æquitate agere: ſic tranſire per Edonis delicias & diuitias, vt properationem ad terram promiſſionis non impediat. Hoc ſanè olympiæ & cæleſtis animæ ... eſt, populi Dei ſuſpiciendus character. Dei enim populus, nec ob proprias diuitias arroganter ſuperbit, nec alienas inſolenter exambit. Viã enim rectã ad Terram promiſſionis properare ſatagit; cetera negligit, quò faciliùs pertranſeat.

8. Iacobi 1. *Glorietur frater humilis in exaltatione ſua: diues autem in humilitate ſua, quoniã ſicut flos agri tranſibit.* Locus ſanè difficilis, adeò vt cenſuerit Hieronymus (ſi Hieronymi eſt lucubratio illa in Threnos) ironicè hæc ab Apoſtolo dicta. Nam eſto, Chriſtianus humilis in exaltatione ſuâ gloriari permittatur, tametſi in exaltatione gloriatio Chriſtianorũ humilitatẽ lædere ſolitat quomodo diues, agnato diuitiis faſtu ſublimi, in Humilitate ſua gloriabitur, cùm ſatis ſit eam patiẽter tolerare? Benedictus Iuſtinianus ſic locum exponit: Glorietur, &c. Quaſi dicat Iacobus: Chriſtianus paupertatẽ humilis, habet quidẽ vndè glorietur quia à Deo expectat exaltationẽ: diues autẽ ſi gloriari libeat, glorietur ſanè in deſpectu contemptuque diuitiarum, quo fiat, vt abiecti atque humilis animi à pleriſque habeatur. Sic enim ferè plurimi mortalium cẽſent, eos qui diuitiis affluunt, ſi modeſtiam colant, longè abſint à faſtu & arrogantia, abiecti eſſe animi, & tã amplâ fortunâ indignos: atque hanc ταπείνωσιν Apoſtolus nominat cùm tamẽ coram Deo nihil ſit laudabiliùs, quàm ſi diuites modeſtiam, animique demiſſionem retineant. Hactenùs ille ad literam, & ad mores opportunus. Et ſanè, licet hæc Iuſtiniani expoſitio non ſit ad rem inidonea; ſubiiciam tamen aliam, quam Metaphraſtes his verbis luculenter ſcribit: *Glorietur*, inquit, *humilis quidẽm in ſua altitudine diues autem in ſua humilitate: nam cùm diuitiæ alliciant ad ſuperbiã, paupertas autem ad animi deiectionẽ; ille contrà iubet facere: diuitem quidem ſuam conſtituere altitudinẽ in modeſtis actionibus, pauperem verò hoc ipſum exiſtimare dignitatem nõ contemnendam, ſi magno & excelſo animo ferat paupertatem.* Quaſi gratuletur diuitiis, quòd ſiquis depoſito faſtu, eis *modeſtè* vtatur, *gloriari* poſſit impunè. Magna ſanè diuitis modeſtè opulenti gloria eſt, exæquans paupertatis humilitatem æquanimiter toleratam; in vtrumque enim diuerſiſſima fortuna grauius incũbit. Modeſtia in diuite, & tolerantia in paupere de gloriæ ſublimitate ſumptuoſiùs decertant, pia ſanctitatum æmulatione.

Initio huius cap. dedit rex Aſſuerus Eſther reginæ domum Aman...Eſther autem conſtituit Mardochæum ſuper domum ſuam. Vide quàm ſit opulentè locupletatus. Nunc autem *Mardochæus de palatio, & de conſpectu Regis egrediens, fulgebat veſtibus regiis....coronam auream portans in capite, & amictus ſerico pallio atque purpureo.* Inde ampliorem beneficentię materiam nactus: quippe qui in diuite beneficum non amiſit.

[Margin notes: Iacobi 1. v. 9. & 10. / Hieron. l. 1. in Thren. / Iuſtin. ibi. c. 4. & 5. / Moleſtia in diuite & tolerantia in paupere de gloria ſublimitate certant. / Metaphraſtes apud Surium die 1. Maij. / Hic verſ. 15.]

*R. P. Didac. Celada in Eſtherem.*

## §. CCIX.

### *Sapiens in actuoſæ prudentiæ officina, fortunam ſibi ſedulus fingit.*

NVlla eſt tã bona fortuna, de qua nihil queri poſſis. Sapiens vir aduerſus fortunam querulus non eſt: nam eam virtute vincit. Ignauis neceſſe eſt, vt multa in eorum vita caſus poſſit, quia viuunt caſu, & temerè cuncta diſponunt. Ad vtroſque caſus ſapiens aptus eſt: bonorum rector eſt, malorũ victor. Non ex ebore tantũ Phidias ſolebat facere ſimulacra, faciebat ex ære: ſi marmor illi, ſi adhuc viliorem materiã obtuliſſes, feciſſet quale ex illa fieri optimũ poſſet. Sic ſapiens placidam virtutem ſi licebit, in diuitiis explicabit, ſi minus in paupertate: ſi poterit in patria; ſi minùs in exilio: ſi poterit integer, ſi minus debilis quamcumque fortunam acceperit, aliquid ex illa memorabile efficiet. Imò & fortunã ſibi ſapiens fingit, cũ vel aduerſam recudit in proſperam ex prudentiæ officinâ, & cã ſollertiæ ſagacitate ſe ac ſua diſponit, vt caſu non viuat, vt temere nihil faciat, vt aduerſos caſus mentis ſollicitudine anteuertat, & nil propè fortunæ licere patiatur. Ad hunc felicitas non temerè venit, ſed conſultò venire cogitur: huic fortuna non caſualis, ſed factitia eſt. Quod ſi res è voto non ſuccedat, de ſua queritur ignauiâ inerti inactuoſaque, nõ de cæco fortunæ euentu. *Veluti ſiquis cæcùs*, ait Plutarchus, *in quempiam incidat, illum cæcum appellat, qui non vitauerit: Sic nos fortunam facimus cæcam in quam noſtrapte incidimus cæcitate.* De actuoſæ ſagacitatis oculis cuique licet fortunam oculare. Inertia non cæcam inuenit, ſed facit, & querelis deſidiam excuſat. Vidimus hactenùs Mardochæi ſedulitatem, ne ergo hic miremur in illo vel vltra vota felicem. 1.

2. Regius vates Pſalm. 110. ſic pangit: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in ſeculum ſeculi.* Multi ſunt interpretes, vt explicent qui ſit hic *intellectus bonus*, quem pollicetur Pſalmographus omnibus *facientibus eum*; & quẽ tam opulẽtè munifico præmio honorat, vt perẽni laude munerandum aſſerat, quam nulla delebit obliuio. Et ſanè *Intellectus* res à nobis factitia nõ eſt. Quis enim ſibi *intellectũ* fecit? quòd ſi facere intellectũ potuiſſet, non ambigerem, quòd *intellectum bonum* ſibi *feciſſet*: nam *bonus intellectus* ea res eſt, quæ ab homine pluris æſtimatur, & quã homo maximè cẽſetur. Vidit has difficultates Agellius, & vt illas peritè declinaret, nouũ quid cõmentus eſt, aiens *Intellectum bonũ pro bono proſperoque ſucceſſu poni*: & ſenſum eſſe, *omnibus qui ſapientiam factis ſuis oſtenderint, omnia proſperè ceſſura.* Pulchrè quidẽ ad mores! (ſi minùs ad literam, vt multis inibi olim oſtendimus) Itaque proſper in rebus agendis *ſucceſſus*, qui plerumq; caſui perperã adſcribitur, *intellectus bonus* à Pſalmographo nuncupatur; quaſi felix *ſucceſſus bono intellectu* impreſſus ſit; vel potiùs *bonus intellectus ſucceſſui* proſpero impreſſus. Sic bonus *ſucceſſus*, quẽ caſũ appellas, *bono intellectu*, vt ſagacioris & actuoſioris prudẽtiæ cõſulta peritia imbutus eſt, ac ſi bonus *ſucceſſus* ſit *boni intellectus* bibulus. Inertia infelicẽ fortunã, ſollertia proſperè plerumque facit Sapiens ſibi fortunam fingit.

3. Matthæi 20. ille pater familias in ſuæ vineæ cultione in paucis ſollers, exſomni cura diligentes operarios perquirit. Egreſſus circa horam

[Margin notes: Seneca epiſt. 86. / Sapiens fortunam ſibi fingit in actuoſa prudentia officina. / Plutarq. in Moral. / Hic v. 15. & 16. / Pſ. 10. v. 10. / Proſper ſucceſſus, bono intellectu impreſſus & imbutus eſt. / Agellius ibidem.]

dici primam quoſdam mitit, ſimiliter circa tertiam, & ſextam, & nonam. Circa vndecimam verò miſit alios. Deindè dicit procuratori ſuo, vt æquam mercedem, incipiens à nouiſſimis, omnibus tribuat. Venientes autem & primi, Matth. 20. v. 11. & 12. arbitrati ſunt quòd plus eſſent accepturi: acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios. Et inuidentes gratiæ nouiſſimorum, auaram ſuam fortunam queruli incuſant: *Et accipientes murmurabant aduerſus patremfamilias dicentes: Hi nouiſſimi vnâ horâ fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus.* Cùm Orig. Tract. 10. omnibus in confeſſo ſit iniquam eſſe hanc querimoniam, Origenes putat, operarios ſerò conductos, in breuiori tempore primorum labores præ cultionis ſollertiâ adæquaſſe: *Poterant enim*, inquit, *æquale opus facere in vineâ eis qui ex mane ſunt operati, quicumque in tempore breui volebant operantem virtutem ad opus extendere, quæ antè non fuerat operata.* Nimirùm hi primi operarij in opere ferè ſegnes, nouiſſimis operariis quaſi tantam mercedem imminerentibus queruli inuident, & donatæ ſibi mercedi parum grati, expoſtulant: atque indè reprehenſionem Patrisfamilias incurrunt. Nam quod negligentiæ ſuæ erat, adſcribunt felicitati immeritæ *nouiſſimorum*, non induſtriæ ſollerter actuoſæ: & dum mercedem accipiunt, obmurmuratione querulâ ingrati aduerſus æquæ mercedis largitorem exiſtunt. Eloquenter Emiſſenus: *Ille*, inquit, *tantorum munerum repromiſſor non vult in opere ſuo tepidum, deſpicit faſtidioſum, reſpuit indeuotum. Lentum enim & parum gratum quærere gratiam diuini muneris, maxima eſt iniuria remuneratoris.* Conſultiſſimè hic paterfamilias his primis operariis, qui *nouiſſimis* inuidebant inopinatam mercedis felicitatem, aſperiùs reſpondet: *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Nam induſtriam nouiſſimorum remunerat, qui recuſat tepidum, deſpicit faſtidioſum. Porrò primos operarios in opere *lentos*, & in remuneratione *parùm gratos*, nouiſſimis inuidentes vberioris mercedis inopinatam felicitatem, & opulentioris muneris gratiam negligenter quærere, *maxima eſt iniuria remuneratoris*: nam improuiſo caſui adſcribunt: quod & collaborantium induſtriæ, & diuinioris prouidentiæ æquitati tribuere debuiſſent. O ſi non plus accipis, te potiùs incuſa, quia non plus laboraſti, non fortunam, ſed fortunati induſtriam attentiùs exploranam *tantorum munerum repromiſſor, non vult in opere ſuo tepidum, deſpicit faſtidioſum.* Quid tu in opere piger feliciora munera querulus expetis? *Lentũ enim & parum gratum quærere gratiã diuini muneris, maxima eſt iniuria remuneratori.*

*Lentus in opere, non fortunam, ſed fortunati induſtriam attentiùs exploret.*

Emiſſ. homil. 3. ad Monach.

4. Ioannis 14. auditâ Petri futurâ negatione reIoan. 14. v. 2. liqui Diſcipuli nimio mœrore anxij hærẽt. Quos Chriſtus propoſito cæleſti præmio, ad ſtrenua virtutis facinora his verbis extimulat: Non turbetur cor veſtrum. Creditis in Deũ, & in me credite. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Quorsùm Chriſtus Diſcipulis dicit, multas in P. Mald. ibid. cælo præparatas eſſe manſiones, quibus occupãdis, felicitatis humanæ ſumma conſtat? Nempè Chriſtus Deus conſolatur Diſcipulos (ait P. Maldonatus) non propterea excluſos eſſe à cæleſti Chriſti regno, ſi modò Chriſtum non ſequantur, ſecuturi ſuo poſteà tempore, *nec ipſis locũ defuturum: in domo enim Patris ſui, hoc eſt, in regno manſiones multas eſſe, ſuam cuique ſeruari, neque timendum eſſe, ne ab alio occupetur.* Quaſi ideò,

*Probè ne cæleſtem alterius manſionem, quis inuadere, præoccupare, & rapere ſtudeat?*

dicatur in cælorum regno manſiones multas eſſe ne anxiè timeant Diſcipuli, ne dum ipſi in terris interim manent, nec Chriſtum tunc ad cælos ſequuntur, alius ſollertioris induſtriæ merito paratum ſibi in cælis locum præoccupet, & in beatâ cæli felicitate *locus ipſis deſit*, quem alterius diligentia præripuit. Ac ſi tantâ merendi ambitione cæleſtis felicitas procuranda ſit, vt timeri quodãmodo poſſit, ne alius locum præoccupet, & cæli felicitatem feſtinus præripiat. Audiendus eſt hâc ſuper re Euſebius ſic elegãter fatus aduerſus Monachos inertet deſides: *Quomodo hoc dicit, cui præceptum eſt. Nolite quærere quæ veſtra ſunt? & iterùm: Non quæ ſua ſunt ſinguli deſiderantes: a quo non hoc ſolum expetitur, vt mercedem ſuam impleat, ſed vt alienas inuadat, præoccupet, rapiat.* Scilicet tam ſtrenuâ induſtriâ, & tantâ benè merendi quaſi ambitione, & piâ ſanctitatum auaritiâ, debet quiſque rem virtutis gerere, & ad æternam felicitatem voto & opere anhelus gliſcere, ac ſi feſtinus properet aliorum in cælis manſionem præoccupare, & felicitatem illi beatè deſtinatã præripere *In domo Patris mei mãſiones multæ ſunt: neque timendum eſt, ne ab alio locus occupetur.* tametſi quiſque ſic ſtudioſè hanc felicitatem debet ambire, *vt non ſolum mercedem ſuam impleat, ſed vt alienas inuadat, præoccupet, rapiat,* voto inquã. Nã in domo Dei *mãſiones multæ sũt.*

Euſeb. hom. 3. ad Monach.

Regius Pſaltes pſal. 67. epiphonema gratulabundum Deo pangit: *Benedictus Dominus die quotidie: proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum.* Et quæ eſt hæc *proſperitas*, quã ſibi indubiè Propheta ſpondet? Vndè nam hanc proſperam fortunam de viâ ad cælum feliciter percurrendâ, fauſtè ſibi ominatur? Caietanus ſic locũ ex Hebræo ſcribit, & ad rem exponit: *Benedictus Dominus die die: onerabit nos Deus ſalutem noſtram. Benedictus*, inquit, *Dominus benedictione laudis, die die, omni die ſucceſſiuè: quia onerabit Deus ſalutẽ noſtram nobis. hoc eſt, quia onus quod imponet nobis eſt onus ſalutis noſtræ..... Et futurũ, onerabit, ſignificat perſeuerantiam ſalutaris oneris diuinæ legis.* Similem ad modum hunc locum extulerunt Biblia regia, Vatablus, & alij. Nimirũ *proſperum* iter facere in hâc vitâ, in omnibus cumulatiùs *proſperari*, & in morte felicitate æternâ proſperè beari, idem eſt apud Caietanum, ac, *onerabit Deus ſalutem noſtram nobis.* Quiſquis perſeueranti conſtantiâ onus diuinæ legis & vltrò ſubit, & ſollerti labore baiulat, de ſollicitæ induſtriæ negotioſo opere, & operoſo merito, ille fortunatus perhibetur, felicitatẽ inuenit, & in omnibus feliciter proſperatur. *Proſperum iter faciet nobis Deus.* id eſt, *onerabit nos Deus.* O moraliſſima ſynonyma! Nec modo proſperũ iter facit; ſed cõſultiſſimè dicitur de futuro, *Faciet*; quia futurã etiam *proſperitatem* fauſtè ominatur in omni vitæ curriculo ei; qui ſedulus in obſequio, & in bono opere induſtrius, diuinæ legis onera ſpontè baiulat, & exſomni curâ operoſiùs exequitur. Hîc, hic inquam, dum *proſperitatem* induſtrius inuenit, fortunam ſibi ſapienter fingit.

5. Pſalm. 67. v. 20.

Caiet. ibid. *Ille proſperitatem inuenit, qui ſollerti induſtriâ diuinam legẽ exequitur.*

Regius Propheta Pſal. 77. ita de ſe pangit, ex Dei electione cælitus inſtituto: *Et pauit eos* (rexit populum) *in innocentiâ cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos.* id eſt optimam fuiſſe diuinam electionem euentus comprobauit, Dauid enim pauit, & rexit populum Dei in innocentiâ cordis, & ſapientia operis, in innocentia cordis, quia cor purum & immaculatum gerens non affectabat gloriam

6. Pſalm. 77. v. 78.

riam ſu m , ſed Dei ; non vtilitatem ſuam, ſed populi : cupiebat non tam præeſſe , quàm prodeſſe ; paſcebat oues, non vt ſuas,ſed vt Domini ſui;vt miniſter , non vt herus. Exindè Dauid & Hebrææ gentis regium ſceptrum,& glorioſum virtutis principatum obtinuit , in innocentiâ cordis, & manuum intelligentiâ. Pro τὸ *innocentia cordis* , alij habent , *candorem* , *ſinceritatem* , *integritatem* , *manſuetudinem* , *bonitatem* , *perfectionem cordis.* quæ omnia excelſæ virtutis,& perfectæ felicitatis metam demonſtrant. Illud autem , *in intellectibus manuum ſuarum*, alij Vertunt, *in prudentiâ* , *in intelligentiâ* , *in ſenſu* , *in intellectu*. Rem cum epithaſi expreſſit Vulgatus pluratiuo vocabulo , *in intellectibus*, quaſi non modo intellectum , ſed plures *intellectus* Dauidis manibus adtribuerit. Viuaciùs ad rem præſentem Illyrica excriptio, *in intellectu manu ſui.* ac ſi non tantùm tribuat manibus intellectum , ſed manus ipſas,intellectum appellet. Verùm S. Auguſtinus quo pollebat ingenij acumine , præſcripta Pſalmi verba elucidans addubitat : *Et pauit* (textit) *eos in innocentiâ cordis* , *in intellectibus manuum ſuarum. Alius putaret ita congruentiùs poſſe dici* , *Innocentiâ manuum* , *intellectu cordis. Hic autem qui magis quàm alius quid loqueretur ſciebat, cordi maluit adiungere innocentiam* , *& manibus intelligentiam.* Profundè quidèm non tam cordi(quod eſt ſapientiæ , prudentiæ,ac peritiæ conceptaculum) ſed *manibus intellectus* attribuitur , & ſanè plures *intellectus* ; quin & *manus* ipſæ ab Illyrico *intellectus* dicuntur : non aliquo rapaci furto , quo manus intelligentiam à corde rapiant ; ſed quia manus ſibi ſuum intellectum fabricant , in ſedulitatis officinâ , & negotioſâ induſtriâ ſapienter excudunt. Siquidem *intellectus bonus omnibus facientibus eum* , & vt ex Agellio excripſimus *Intellectum bonum pro bono proſperoque ſucceſſu poni.* O benè ! Vides Dauidem de caulâ ad aulam , de agolo ad ſceptrum ſublimari, & vel ex diuerſo fortunatiſſimè proſperari ; fortunam ride, cœca eſt : nec cordis intellectus ſatis eſt ad regiam coronam , & proſperam ardui regiminis felicitatem. Ideò non ait, *In intellectu cordis* , *& innocentia manuum* ; ſed, *In innocentia cordis* , *& in intellectibus manuum ſuarum* , ſiue , *in manu ſua intellectu*,qui eſt *intellectus bonus omnibus facientibus eum intellectum bonum pro bono proſperoque ſucceſſu ponens.* Scilicet de actuoſè ſagaci prudenter opere , cuique integrum eſt cæcam fortunam ſibi inoculare. Arrige aures ad Dei gratiam , & manus ad opus contende,& tibi felicitatem excudiſti.

Voces tranſlationes apud Lorin. ibi.

*Cur regis Dauidis manus dicuntur, in intellectibus, qui ſit cordis ac manus.*

S. Auguſt.

Agellius

---

## §. CCX.

### *Præmium malum , luculentior ſubſecuti boni interpretatio eſt.*

1. QVam ſapiens argumentatrix ſibi videtur ignorantia humana , preſertim cùm aliquid eiuſmodi de gaudiis, & de fructibus ſeculi metuit amittere. quæ ſunt Tertulliani verba in lib de Spectaculis. Ironica planè oratio. *Fructibus ſeculi* , cum Commentatore *voluptates* intellige, & mundi *gaudia.* Itaque ignorantia humana cùm de voluptate & gaudio deliberat,( ſi tamen deliberat , & non potiùs inconſultè & præcipitanter fertur ) *ſapiens argumentatrix ſibi videtur* , dùm dolorem , ærumnas , atque triſtitiam procùl arcet , quaſi voluptati & gaudio inimicam : & tamen præcedens ærumna & triſtitia ſubſecutam voluptatem mellit , & gaudij pretia voluptuoſiùs exaggerat, quaſi ab ærumnoſâ triſtitiâ emendicauerit placendi gratiam, & exhilarandi elogium. Scilicet hilarior lætitia , mœſtæ triſtitiæ hoſtilia caſtra deſpoliat,quò ſua gratiùs adornet. Sic Lætitia de peruerſo ſuffragium exoptat ! O quàm dilucidè præuia nuper populi Dei mœſtitudo , ſumptuoſius nunc gaudium interpretatur !

Tertul. de ſpect c. 1.

*Voluptas ſapiens argumentatrix ſibi videtur.*

*E.P. Didac.Celad.in Eſtherem.*

Hic verſ. 16.

Actorum 1. Chriſtus Deus è mortuis rediuiuus,& glorioſè Aſcēſioni proximus Diſcipulis conueſcens, præcepit eis ab Ieroſolymis ne diſcederent , *ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis (inquit,)per os meum : quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu - ſancto non poſt multos hos dies.* Solerter hic perquirunt Interpretes , cur non confeſtim poſt Chriſti Aſcenſionem Spiritusſanctus aduenerit ſed *expectandum* dicat,& non poſt multos dies aduenturum. An non è re Chriſtianâ foret , vt ſtatim poſt Chriſti abſceſſum Spiritus-ſanctus Diſcipulis adeſſet , qui eorum corda vberioribus perfunderet gratiis? Quid neceſſe fuit, vt poſt Chriſti in cælos Aſcenſionem tandiu hæreant mœſti, triſtentur pauidis & pauida mœſtitudine aduentum Spiritus - Sancti præſtolentur? Pulchrè Oecumenius indidem reſpondet : *Oportebat in cælo noſtram* ( in Chriſto) *comparere naturam* , *ac perfectam fieri reconciliationem* , *ac tunc venire Spiritum.* Mitto hanc rationem ad aliud thema forſā expendendam:& aliam huius magni Doctoris ſubiiciam: *Non ſtatim autem deſcendit Spiritus* , inquit , *ſed poſt octo fortaſſis aut nouem dies* , *vt paullulum contriſtati* , *& in deſiderio ac neceſſitate promiſſionis conſtituti* , *purum ac perfectum reciperent in eius aduentu gaudium.* Nota τὸ *purum ac perfectum reciperent in Spiritus-ſancti aduentu gaudium.* Nempe Diſcipuli ægrè admodùm tulerunt chari Magiſtri abſentiam , ipſo dicente , *Quia hæc locutus ſum vobis* , *triſtitia impleuit cor veſtrum : ſed expedit vobis vt ego vadam.* Ergò antequam Spiritus-ſanctus, perfectus animarum conſolator adueniat, triſtitia impleat cor Diſcipulorum, vt vel paullulum *contriſtati* , *purum ac perfectum reciperent in eius aduentu gaudium*.quaſi illud gaudium ſit purum ac defæcatum,atque plenè perfectum , quod aliena dudum triſtitia erudit ad placendi gratiam:ac ſi aliqua nuper mœſtitudo & præuius angor , ſubſecutam lætitiam deputet , ac defæcatam reddat ; dum de præcedenti ærumnâ puriorem excudit lætitiam , abiectâ humanæ iucunditatis ſcoriâ. Itaque mœſtitia quæ præit gaudium , non eſt illius excrementum , ſed eiuſdem depuratio , & exaggeratio perfectio. Exindè ante Spiritus cōſolatoris aduentum , Diſcipuli de Magiſtri abſentia contriſtentur , vt de præuiâ triſtitudine *purum ac perfectum reciperent in eius aduentu gaudium.*

2\. Actor. 1. v. 4. & 5.

*Præuia triſtitia purum ac perfectum excipit gaudium.*

Oecum. ibi.

Geneſeos 2. Tulit ergò Dominus Deus hominem , & poſuit eum in paradiſo vo- 5

Geneſ. 2. v. 17.

*Verſ.* 5. Veteres Aman litteræ .... corrigantur.

5. Paguinus Caietanus Vatablus Chaldæus.

Paguinus, Caietanus, & Vatablus, *Litteræ cogitationis Aman.* Chaldæus paraphraſtes aduerſ. 3. *Commentum Aman, quod excogitauerat contra Iudæos.* Nimirùm Amanis malitia in eo fuit, vt videns Mardochæum ſibi non adſurgentem, non retulit Regi, ſibi non adſurgere, ſed *cogitauit* illum cum omni Hebræorum gente, Regis edicto non parere; & quod ex religione faciebat Mardochæus, *cogitabat* ex contemptu fieri. Moraliſſimè Amanis malitia ſupplicio peracerbo digniſſima, dicitur, eius *cogitatio*, & *commentum*, quia etſi non abſque aliquo fundamento, id de Mardochæi facto de ſuo cerebro *cogitauit* & *commentus* eſt. Aliud eſt quòd audiui auribus, & oculis vidi, referre; & aliud longè diuerſiſſimum, quod ego ex illo facto *cogitaui*, & *commentatus* ſum. Amanus eſt, & Amani ſupplicio dignus, qui gloſſam, ſeu quem excogitauit *commentarium*, inſerit in textum. O fœdiſſimè ſceleroſa à noſtris *commentariis*, caſtæ veritatis ſtupra! Conſultiſſimè Amanis malitia, eius *cogitatio*, aut *commentum* dicitur.

*Malitia Amani, dicitur eius cogitatio aut commentum.*

*Verſ.* 6. Quomodo potero ſuſtinere necem, & interfectionem populi mei?

7. Caietan.

Quæ verba ſic ex Hebræo tranſtulit Caietanus: *Quomodo potero videre malum, quod inueniet populum meum?* Non valdè commiſeratione dignus eſt, quiſquis audacter ſeſe in diſcrimina infert, & offert in *mali* occaſiones, atque pericula. At qui *mali* occaſiones præcidit, diſcrimina vitat, & pericula cautiùs effugit; & nihilominùs *malum*, ærumna, ſeu calamitas, illum ſollicitè quærens, tandem *inuenit*; ille, ille inquam piâ commiſeratione, & ſollerti opitulatione digniſſimus exiſtit. Hæc ineuitabilis tragœdia in has lugubres voces Dauidem impulit: *Tribulatio & anguſtia inuenerunt me:* & Eſther calamitatem obnoxiùs deprecatur, quæ populum ſuum *inuenit*.

*Commiſeratione dignus eſt, quem calamitas inuenit, non qui eam audacter quærit.*

Pſal. 118. v. 143.

*Verſ.* 7. Reſponditque rex Aſſuerus Eſther reginæ, &c.

7. LXX. interp. Ioſeph. lib. 11. Antiq. c.6.

Sententia huius Verſiculi ſuſpenſa adhuc eſt: vndè addunt LXX. interpretes: *Quid adhuc quæris?* Quæ verba ſic exponit, & adornat Ioſephus: *Rex autem pollicitus eſt nihil ipſâ inuitâ ſe mandaturum, neque voluntati eius vllâ in re contrà iturum. Permiſit etiam vt ipſius nomine quicquid vellet de Iudæis (id eſt, populo ſuo) ſcriberet, & regio ſigillo obſignatas litteras per omnes prouincias dimitteret.* Cùm regina Eſther Virginem deiparam adumbret, & Aſſuerus cæleſtem Regem, quid Marianæ poteſtati accommodatius dici, excogitariue potui? Procliue eſt cuique Ioſephi verba Deiparæ adaptare.

*Poteſtas Eſtheri, ſeu Deiparæ, ab Aſſuero, id eſt, cæleſti Rege conceſſa.*

*Verſ.* 8. Scribite ergò Iudæis, ſicut vobis placet, &c.

8. Chaldæus Paraphraſtes.

Chaldæus paraphraſtes: *Et vos ſcribite pro Iudæis, quemadmodum pulchrum fuerit, in oculis veſtris.* Benè eſt, in oculis Eſtheris & Mardochæi *pulchrum* fuerit, calamitoſis ignoſcere, & à ferali edicto eos reuocare: at quo modo acerbiorem vindictam de inimicis ſumere, *pulchrum* illis viſum, & non potiùs fœdum? Scilicet *pulchritudo* beneuolentiæ erga inimicos, non Iudaicæ profeſſionis, ſed religionis Chriſtianæ auſpicium eſto. Nec alia hactenùs religio hanc *pulchritudinem* ſic agnouit, ne pulchras tam arduæ beneuolentiæ glorias prælibaret.

*Pulchrũ fuit Iudæis vlciſci; Chriſtianis verò inimicis parcere.*

*Verſ.* 10. Qui per omnes prouincias diſcurrentes, veteres litteras nouis nunciis præuenirent.

Impoſſibile videtur, vt poſt tres menſes egreſſi nuncij à Mardochæo celeriùs dimiſſi; Amani nuncios haud ſegniter dimiſſos præuenirent. Caietanus cenſet, quòd *ſuperflua eſt hæc clauſula.* Verùm ſuperflua non eſt, vt omnibus innoteſcat, quòd pietatis vota minimè pigra ſunt, ſed piè præſumunt, vel præcurrentem velociſſimè malitiam, velocius anteuertere. Tum etiam edocemur, quantâ celeritate feſtinandum eſt negotium quod errantem hactenus regiminis politiam emendare ſatagit. Heu magnum in cunctatione periculum! Serpit malitia, & latiùs propagatur, quæ regiâ auctoritate fulcitur.

Caietanus. *Pietatis vota celeritatem vitiorum anteuertunt.*

*Verſ.* 15. Mardochæus de palatio egrediens, fulgebat, &c.

Non quando ingreditur in Regis palatium, ſed quandò *de palatio egreditur fulgere* dicitur Mardochæus? Nota etiam quòd inter regia Mardochæi ornamenta *pallium ſericum* conſtituitur. O in hâc ſumptuoſiori veſtium pompâ elucet Perſarum reliquorum frugalitas, ad reprehenſionem noſtri æui, in quo mechanici vel in ſuâ officinâ veſtibus ſericis enormiter fulgent! Additur: *Coronam auream portans in capite.* Meritò Aſſuerus coronam ponit in capite Mardochæi, quam diu in manibus otioſam, ipſe in obſequio Regis actuoſior geſtabat. In Hebræo habetur teſte Caietano, *Corona aurea magna*; Hieronymus autem loco *magnæ*, ſubrogauit, *in capite*. ethicè denotans, quòd qui *coronam auream magnam geſtat in capite:* non tam glorioſum ornamentum geſtat, quam intolerabile pondus, quod caput grauatè vexet: O quoties gloriæ ornamenta, oneri citiùs quàm honori ſunt! Chaldæus paraphraſtes excribit: *Cum monili aureo magno.* Quid putas eſſe *coronam*, niſi aureum *monile*? Hoc in pretio auguſtior fugientis mundi dignitas habenda eſt.

10. *Non ingrediens, ſed egrediens de palatio fulget Mardochæus.*

*Corona aurea oneri eſt, potiùs quàm honori.* Caietan. S. Hierony.

*Corona appellatur monile.* Chaldæus.

*Verſ.* 17. In tantum vt plures alterius gentis & ſectæ, eorum religioni & ceremoniis iungerentur.

Vatablus ſic locum ſcribit, & exponit: *Multi quoque ex populis terræ ſimulabant ſe Iudæos. Aut ſecundum alios, Cœperant contrahere affinitatem cum Iudæis.* Vide hic magiſterium timoris, & ambitionis ingenium. Maiores ſuos ſuumque populum negant, & felicem populum nuperrimè aſſumunt. O genealogiarum adulteria ambitione peracta! Nuper Iudæi, ſe Iudæos eſſe rectiùs diſſimulabant inter Perſas, & iam Perſæ *ſimulant ſe Iudæos?* O fortunæ inconſtantiam! nec felicitati, nec infelicitati crede: quia nemo prudens ſe credit incerto.

11 Vatablus. *Cur Perſæ ſimulent ſe eſſe Iudæos.*

§. CCIV.

## §. CCIV.

### *Pagana ambitio pauperem & abiectam cognationem faſtidit, quâ Chriſtiana modeſtia generosè gloriatur?*

1. Ouid l. 1. Faſtor. A D rem ille quicumque ſic ſententiosè poëtatur: *In pretio pretium nunc eſt, dat cenſus honores, Cenſus amicitias, pauper vbique iacet.* Opes enim, honor ac potentia plures trahit amicitias, plures neceſſitudines religat, & cognationes adglutinat. Iuuenal. Sat. 3. *Quantùm quiſque ſuâ nummorum ſeruat in arcâ, Tantùm habet & fidei*, tantùm & amicitiæ, tantum & cognationis habet. Porrò *nil habet infelix paupertas duriùs in ſe, quàm quod ridiculos homines facit*, facit & contemptibiles, & pudendos facit. *Affines pauperes opulentia faſtidit.* Ambitio enim cognatos faſtidit humiles; auaritia tanquam opis ſuæ indigos detrectat: exindè affines pauperes, velut dehoneſtamenti minas, & opum imminens naufragium, diues fugit, & faſtu ſuperciliosо faſtidit; & quaſi honoris ac opulentiæ ſuæ tineas arcet, nec ſibi adhæreſcere vſquam permittit. Nam *ſtratus humi palmes viduas deſiderat vlmos.* Heu quàm miſerum eſt affinium opulentiæ ac famæ Idem ſuprà. incumbere! Nemo honoratur, diteſcit nemo alieno faſtidio, aut faſtidioſo neceſſitudinis tædio. Gratulor attentiori Mardochæi prudentiæ, quòd Reginam præproperè admonuit, ne cognationem publicaret ſuam. Hic verſ. 1. Magnificato autem glorioſiùs Mardochæo, *confeſſa eſt ei (Regi) Eſther quòd eſſet patruus ſuus.*

2. Geneſeos 32. Iacob è Meſopotamiâ redux, iras offenſi diu fratris valdè timet. Sed vide nunc quantâ ſagacitatis induſtriâ, & timiditatis ingenio efferum atrociter fratrem mitigare præſumit: Miſit autem Iacob ante ſe nuncios ad Eſaü fratrem ſuum, dicens: Sic loquimini Domino meo Geneſ. 32. v. 5. Eſaü: Hæc dicit frater tuus Iacob: Apud Laban peregrinatus ſum, & fui vſque in præſentem diem. *Habeo boues, & aſinos, & oues, & ſeruos, & ancillas: mittóque nunc legationem ad Dominum meum, vt inueniam gratiam in conſpectu tuo.* Quid eſt quod dum agreſtis Eſaü efferatus iniuriæ œſtro, hoſtili animo occurrit Iacobo, tunc Iacobus opulentiam oſtentat ſuam, quò prædiuitem etiam Eſaü mitiget, & mitigatum ſibi conciliet? Iacob ne is eſt, qui diuitias arroganter iactet, & opulentiam ambirioſiùs oſtentet? Imò *Languet ius ſanguinis, quod lucri vſurand alit.* indè Eſaü potentiùs armabitur, quia hoſtem potenter diuitem habere cognoſcit. Eſaü barbaricè offenſus exiſtimatâ Iacobi fraude, cùm prædiues foret, non placabitur munuſculorum lenocinio, quo ius primogenij ſubreptum, & prærogatiua Benedictionis fraudulenter vſurpata, minime compenſantur. Quorsùm ergò Iacob diu exul, in paternam domum rediens, offenſo fratri prædiuites opes, & numeroſum ſeruorum & ancillarum gregem oſtentat? Idcircò ne atrox opulenti fratris ingenium mitigabitur? Scilicet vt inibi Mart. Del Rio inibi. ait P. Martinus del Rio præclara omnigenæ eruditionis noſtro æuo facula, *Iacob non iactat diuitias, ſed indicat fratri Eſaü, nec grauem neque indecorum futurum egeſtate, nec reditu paternas opes imminuturum.* Adeò graue eſt diuitibus cognatis, pauperes, & pauperie indecores habe-

*P. Didac. Celada in Eſtherem.*

re cognatos, eorum opis indigos, vt neceſſarij huius officij immunitas fiat etiam in diſcordibus reconciliationis blandimentum, & beneuolentiæ compendium. Diues, etſi naturâ agreſtis, & iniuriâ offenſus Eſaü, quid pro acceptâ offenſâ expetat à cognato Iacobo, quàm quod cognati Iacobi olim egeſtas, eius non inſidietur opulentiæ, nec cognati indecorum proprium honorem deuenuſtet? Sat compenſatur exiſtimata fraudulenter iniuria hoc lenocinio. O ambitiosè auaras mortalium cognationes! Quid ſperes à cognato, qui emolumenti nihil à te ſperat? Languet ius ſanguinis, quod magni lucri vſura nō alit.

Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum cap. 3.
1. multas antiquorum Sapientum ſententias densè ſpiſſans, ita ad rem ſcribit: *Iſocrates: Perindè* Clem. Alex.
*atque ſi eſſet pecuniæ cognatus, non illius. Lyſias dicit in Orphicis: Planum factum eſt, eum non eſſe cognatum corporum, ſed pecuniæ.* Quaſi cognatio non tam *corporum* ſanguine, quàm marſupiorum *pecuniis*, & opulento diuitiarum cenſu conſtet. Exindè contemptibilis inopia affinitatum diſſolui iura, quæ diues opulentia adſociat. Idcircò peritè Iacob quò fratrem mitiget, non ex Iſaaco & Rebeccâ vterinam cognationem aduocat, ſed non imparem opum cenſum, aiens *Habeo boues, & aſinos, & ſeruos & ancillas: mittoque nunc legationem ad Dominum meum.* *Homo non tam corporum quàm pecuniæ & opulentiæ cognatus dicitur.* Dominum vocat, non fratrem appellat, quaſi cognationis iura, opum parilitate luculentiùs expreſſerit, innuens opulentum Eſaü *non eſſe cognatum corporum, ſed pecuniæ.* Indè cognationem tacet, quia cenſum expreſſit. Geneſ. 32. v. 5.

Geneſis 43. abſumptis iam cibis, quos ex Ægypto aſportauerant, Iacobæa familia ſatagit in 4.
Ægyptum redire frumentatum. Et cunctanti Iacobo Beniaminum vnà mittere ſic Iudas loquitur: *Mitte puerum mecum, vt proficiſcamur, & poſſimus viuere, ne moriamur nos & paruuli noſtri.* Filij Iacob tantummodò timent, ne ipſi & ipſorum filij, inopiæ malo moriantur? Nil timent de morte patris? Quare ſaltem vrbanitatis cauſsâ, timorem paternæ mortis nuſquam expreſſerunt? Sic vilipendunt grandiores filij ſalutem boni patris? An deuenuſtaretur boni patris amor, ſi præmiſſis tot filiorum ac nepotum funeribus, ipſe non mori diceretur? Obitum ſui ac ſuorum exprimunt Iacobi filij, qui inopiæ malo obirent; pater verò non ſuipſius fame, ſed fame ac morte ſuorū necaretur, præuento inediæ carnificis officio. Quod Vulgatus tanquam non neceſſarium exprimi, conſultò omiſit, expreſſit Hebræus, aiens: *Et non moriamur etiā nos, etiam tu, etiam paruuli noſtri.* Verùm LXX. interpretes ad thema præſens opportunè locum excribunt, & exponunt. Quâ de re ſic inibi fatur Lipomanus: *Ne moriamur nos, & paruuli noſtri. Mirum autem quod Septuaginta ad vniuerſam ſuppellectilem retulerunt, καὶ ἡ ἀποσκευὴ ἡμῶν, Et ſubſtantia, ſiue ſuppellex noſtra. In ſequentibus quoque inuenies eos ſemper reddidiſſe ſuppellectilem, quod erat infans* Quid ab inopiæ malo, & famis calamitate familia Iacobæa timet? *Ne moriamur etiam nos, etiam tu, etiam paruuli noſtri.* id eſt, *ne moriamur nos, & ſupellex ſeu ſubſtantia noſtra.* hoc eſt, infantes noſtri, qui ſunt nepotes tui. Num LXX. interpretes *ſubſtantiam* ſeu *ſupellectilem* pro filiis, aut totâ poſteritate reponunt, vt exaggeratius exponant quo in pretio habeant paruulos filios, & totam exinceps poſterorū cognationem, dū *ſupellectili*, ſeu *ſubſtantiæ* nomine denotantur.

Geneſ. 43. v. 8. — *Bonus pater morte filiorum, ac nepotum tumulatur.* — Hebræus — LXX Interp. — Lipomanus. — *Num opulenta ſupellex pro filijs æſtimatur.*

*Tota Iacobi cognatio, ſupellex, ſeu ſubſtantia nominatur.*

Sic à quibuſdam æſtimatur domeſticâ ſuppellex? Filiolis infantibus *ſuppellex* præponitur, aut ſaltem comparatur? O agnatam domus ſumptuoſiùs ornandæ ambitionem? Sed nota attentiùs, quòd omnis exinceps poſterorum cognatio *ſubſtantiæ* ſiue *ſupellectilis* nomine denotarur, quò luculenter innuitur, hominem non tam *eſſe cognatum corporum*, quàm *ſubſtantiæ*, ac opulenti cenſus: hanc enim opum cognationem ambitio humana perſequitur, quæ cognatos pauperes reiicit, contemnit, abnegat.

5. Matthæi 25. Cùm venerit *Filius hominis in maieſtate ſuâ*, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ: & congregatis ad iudicium omnium ſeculorum nationibus, dicet *Rex* his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare. &c. illi autem reſpondebunt: Domine, quandò te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut nudum? *Reſpondens Rex dicet illis: Amen dico vobis, quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Expenſione digniſſimum eſt, quòd cùm Filius hominis tanquam *Rex* inducitur, & Angelorum agminibus glorioſè ſtipatus, ſedens in maieſtatis ſuæ ſolio orbem iudicaturus, non modo humilem cognationem non diffiteatur, ſed eam tunc vel maximè ſingulariter agnoſcat, quod perbellè inibi Rabanus adnotauit, ita ſcribens: *Quandiu feciſtis vni ex fratribus meis minimis, &c. Sed & ſi fratres eius ſunt, quare eos minimos vocat? Propter hoc, quia ſunt humiles, quia pauperes, quia abiecti.* O bonam cognatis eruditionem, quæ ambitionem humanam ſiſtit! Nimirùm auaritiæ & ambitionis elogium eſt, cognatos *humiles, pauperes, & abiectos* diffiteri: vndè frater in ſublimi dignitatis faſtigio poſitus, nec agnoſcit, nec agnoſcitur; Chriſtus verò, vt hoc arrogantiæ & auaritiæ inhibeat vitium cùm tanquam *Rex* inducitur, & empyreis ciuibus ſtipatus, in *maieſtatis ſuæ* regio ſolio ſedere dicitur iudicaturus orbem, ſuos agnoſcit, à ſuis agnoſcitur, adeò vt non *erubeſcat* omnium *minimos* appellare *fratres* ſuos. Imò *propter hoc* minimos omnium appellat *fratres: quia ſunt humiles, quia pauperes, quia abiecti.* Porrò ſicut filij huius ſæculi, non corporum, ſed diuitiarum ac honorum cognati ſunt; ita Chriſtus Deus, hìc *humilitatis, paupertatis, & abiectionis* duntaxat cognatus perhibetur.

Matth. 25. v. 40.

*Chriſtus humilitatis & abiectionis dumtaxat cognatus perhibetur?*

Raban. ibi.

6. Geneſeos 47. Ioſeph patriarcha, dignitatis in Ægypto apex *poſt hæc introduxit patrem ſuum ad Regem, & ſtatuit eum coram eo.* Ad quæ verba ita ſcribit Lipomanus: *Senem patrem ſuum Ioſeph ſtatuit ante Pharaonem, paſtorem ouium, vndè non erubuit, ſed vt bonus filius gloriari voluit coram Rege: ſecùs faciens atque hi qui prouecti ad honores erubeſcunt de progenitoribus.* Bonus filius Ioſeph, auguſtaque indole præditus, qui ad ſummum honorum faſtigium euectus, non modò non *erubeſcit* pecuinum ac ruſticanum parentum ſuorum miniſterium; ſed de illo ſumptuoſiùs coram Rege *gloriatur.* Sic honorat, ſic amat parentes, vt vel de cognatâ eorum ignominiâ honorari exambiat, & de ruſticâ eorum vilitate piè ſuperbus *glorietur.* Deſueſcit naturam quiſquis vel parentum dehoneſtamenta glorioſè non ſuſtinet: patrem negat, qui qualemqualem patrem *erubeſcit.* Heu tot hodie non parentum ſuorum filios, tot ignobilium cognatorum non iam cognatos!

Geneſ. 47. v. 7.

Lipom. ibi.

*Ioſeph in ſublimitatis faſtigio, de pecuino patris miniſterio gloriatur.*

Geneſeos 34. violatâ impudenter Dinâ, eius fratres vltrice rabie animitùs furunt. Locutus eſt itaque Hemor ad eos: *Sichem filij mei adhæſit anima filiæ veſtræ: date eam illi vxorem.* Fratres autem Dinæ ad iungendum cum Sichimitis connubium, circumciſionem præmittendam ſeriò poſtulant; *Si autem circumcidi nolueritis*, aiunt, *tollemus filiam noſtram & recedemus.* Quid eſt, quod Dinæ fratres eam tunc appellant *filiam noſtram*; quam etiam Hemor *filiam veſtram* nominauerat? Appoſitè Auguſtinus in Quæſt. ſuper Geneſim: *Notandum*, inquit, *quòd Hemor loquens de Dinâ ad Iacob & filios eius, filiam dicit veſtram; non filiam tuam, & ſororem iſtorum.* Boni fratres, & Iacobææ familiæ præluſtre decus: qui arctiùs ſtringunt cognationis neceſſitudinem cum propudioſè dehoneſtatâ ſorore cognationem exaggerant, vt cognationis iura obnoxiùs tueantur. Dina ante violentam pudicitiæ ſtragem, & obſcœnum virginitatis naufragium, ſoror erat patris Iacobi filia ex Liâ coniuge prognara: at vbi indecorè conſtupratam vident, præ dedecore propè reiectaneam, & fraternæ opis indigam, confeſtim eandem arctiori neceſſitudinis fœdere ſtringunt: & *filiam noſtram* appellant. Idque ſic palàm eiulgant, vt ipſe alienigena Hemor alloquens Iacobum patrem, & ipſos Dinæ fratres, *filiam dicit veſtram; non filiam tuam, & ſororem iſtorum.* Sic boni fratres, & præluſtris olim familiæ Patriarchæ, non erubeſcunt indecorâ coactione dehoneſtatam ſororem; ſed tunc quidèm *filiam* nominant, vt non tam fraterno, quâm paterno iure illi opitulentur. Porrò pagana ambitio eſt, quæ à naturæ legibus peregrinatur, pauperem & abiectam cognationem faſtidire, diffiteri, dediſcere.

7. Geneſ. 34. v. 8. & 17.

S. Auguſt.

*Boni fratres cognationis vinculum arctius ſtringūt cum dehoneſtatâ ſorore.*

---

## §. CCV.

### *Perfectorum reciprocus inter ſe aſſenſus, regiminis peritia eſt: iudiciorum autem diuortium, politiæ euerſio.*

1. INter ceteras Theodoſij Imperatoris laudes, ea in paucis prædicatur, vt nec ipſo vltra reliquos Imperatores ſublimiſſimo, Romani Senatus auctoritas decreuerit, aut Reipublicæ libertas imminuta ſit: nec in tanta tamque auguſtâ Senatus, & Reipublicæ auctoritate, Theodoſij maieſtas deuenuſtata ſit. Nam cùm te ſemper (ait ad ipſum Latinus Pacatus) vltra omnes retrò Principes laudari oportuerit, nunc porrò vltrà quàm aliàs prædicatus es, in eâ Vrbe (Româ inquam) conueniat dicendo celebrari, cuius & *libertatem* armatus aſſeruiſti, & auxiſti *dignitatem* togatus, quo tandèm modo conſequi maieſtatem vtriuſque veſtrum oratione mea potero? *hoc præcipuè in tempore quo ambo ita mutuò creuiſtis, vt nec tu fueris adhuc maior, nec illa felicior.* Vide vtriuſque ſimul ſine inuidiâ faſtigiũ, & ſummam abſque alterutrius æmulatione dignitatem, concinnâ vtriuſque magnitudine, & (quod perrarum eſt) conſenſione. Quid maximis poteſtatibus adulantius? Diſcant ergò hinc minores vnanimem conſenſionem, qui eſt regiminis concentus,

*Theodoſio creſcente, non decreuit libertas, aut auctoritas Romani Senatus.*

Pacatus in Panegyr.

tus, & politiæ laudatior peritia.

2. Exhodi 7. Deus Moyſen alloquens, hæc mandat vt Pharaoni denunciet: Dominus Deus Hebræorum miſit me ad te, dicens: Dimitte populum meum vt ſacrificet mihi in deſerto: & vſque ad præſens audire noluiſti. *Hæc igitur dicit Dominus:* (verba ſunt Dei ad Moyſen) *In hoc ſcies quòd ſim Dominus: ecce percutiam virgâ, quæ in manu meâ eſt, aquam fluminis, & vertetur in ſanguinem.* Lócus ſanè ſalebroſus, ſi quis alius in totâ Exhodo. Itaque præſcripta verba ſunt Dei, quæ inſpirauit Moyſi, vt illa ipſius Dei nomine Moyſes intimet Pharaoni. Caietanus quâ ſolet ingenij ſubtilitate inibi ſcribit: *Mirabilis loquendi modus, nam nec Moyſes percuſſit virgâ aquas, nec virga erat in manu Dei, ſed Moyſi.* Non mirarer omnia verba, vniuerſamque actionem hominis vices Dei gerentis, Deo adſcribi, quod in ſacrâ Scripturâ obuium eſt. At Deum ita de ſe loqui, vt quædam verba non niſi de ſe, alia non niſi de Moyſe intelligi poſſint, miriſſimum eſt, & præluſtre Miniſtri ſui encomium. Sic Deus inter ſe & Moyſen partitur verba, & rem verborum, vt eodem ſermonis tenore indiſcriminatim & de ſe, & de ſuo miniſtro loquatur. *Nam nec Moyſi, nec Deo quadrant hæc verba ſimul.* Sic Dei miniſter indiuiduas cum Deo vices reciprocat? Sic Deus cum ſuo miniſtro miniſteria partitur? Sic Præfectorum concentus ſub Mardochæo iam concinit?

Exho.7. v.16.

Caetan. ibi.

*Verba, quæ de ſe Deus dixit, nec Moyſi, nec Deo quadrãt, ſed vtrique.*

Hic verſ.8.

3. Ioſue 10. conglobati Amorrhæorum reges, malè concidere Iſraëlitas armati pergunt. Irruit itaque Ioſue ſuper eos, & contriuit plagâ magnâ in Gabaon. Cumque fugerent filios Iſraël, *Tunc locutus eſt Ioſue Domino .... dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.* Nonnulli apud Serarium, nihil in cælo prorſus mutatum eſſe contendunt, ſed ideò viſum aliquid mutatum, quòd Ioſue in terris tantâ res tantas celeritate geſſerit, vt videatur dies potiùs productus, & Sol ſtetiſſe, quàm tam celeriter illas ille geſſiſſe. Alij cenſent nihil præter morem ſuo in curſu vel inſtitiſſe, vel tardaſſe Solem; ſed conſuetâ velocitate vſum occidiſſe quidèm; in eius tamen locum ſupra horizontem, ſuffectum à Deo corpus quoddam, Solis ipſius inſtar perlucidum, idque volunt aliqui fuiſſe ipſammet Lunam. Verùm hæc commenta multis olim inibi refutauimus. Illud tamen Expoſitoribus grande ingerit dubium, quare Lunam vltioni de inimicis faciendæ ſuperuacuam pariter cum Sole Ioſue ſtare iuſſerit. Porrò (vt peritè notauit Abulenſis) *ſtatio, aut motus Lunæ nihil faciebat ad id quod petebat Ioſuë, ſcilicet, vt vlciſeretur ſe de hoſtibus ſuis, cum Sol ſufficeret ad hoc, ſiue luna ſtaret, ſiue moueretur.* Stet ergò Sol diei præſes, & cognatis fulgoribus diem faciens; & ſi Luna ſtet immota, aut celeriùs moueatur. Quæ eſt hæc tam ſedula cura de ſuperuacaneâ Lunæ ſtitione? Reſpondet nuper laudatus Doctor: *Quæret aliquis cùm Ioſue orauerit ſtare Lunam, quia motâ eâ credebat mouendum Solem, quare, &c.* Credidit Ioſue ſic Solem eſſe ſuæ Lunæ amaſium, & tantæ pulchritudinis riualem, vt motâ eâ cenſuerit, Solem etiam mouendum: ſic Phœbus ſuam Phœbem adamat, & eius veſtigia vbiuis cælorum inſequitur. Lepidè quidem potiùs quàm ſolidè: licet ſuam expoſitionem ex aſtronomiæ ar-

Ioſue 10.v. 12. & 13.

Serar. ibi. q.13.

Abul. ibi. q.22. *Cur Ioſue ſuperuacuam victoriæ Lunam ſtare iuſſerit?*

Abul. ibi. q.21. *Motâ Lunâ, cur Sol non mouetur.*



canis adſtruere contendat. Verùm enimuerò cùm Sol & Luna Præſides cæli ſint, partito ſibi imperio diei ac noctis, (*Luminare maius, vt præeſſet diei; & Luminare minus, vt præeſſet nocti*) licèt ad protelandum victoriæ tempus *Sol ſufficeret, ſiue Luna ſtaret, ſiue moueretur*, noluit Ioſue diſſociare eos, qui tanto conſenſu, & concordi harmoniæ concentu cælis ac terris præſident. *Ioſue orauit ſtare Lunam, quia motâ eâ credidit mouendum Solem.* Sic concinunt ſibi cæli præſides; adſimiliter ſibi concinant terris præſidentes: ne eorum diuortium turbas excitet, tumultus moueat, & politiam euertat magno regiminis diſpendio.

Geneſ. 1. v.16.

4. Pergit ſacer Hiſtoriographus: ſtetit itaque Sol in medio cæli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei: *Obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſraël.* Non leue negotium faceſſit Interpretibus hæc Dei obedientia adſpectu ad homines Quâ ſuper re ita ſcribit Abulenſis: *Accipitur obediente Deo, pro condeſcendente, quia Deus non poterat obedire voci hominis, cùm obedientia ſemper ſit ad maiorem, & ad habentem iuriſdictionem, ſed hoc non eſt hominis ad Deum.* Sapienter dubij rationem proponit Abulenſis, & ſimul ethicè docet, quòd dum Superior ſubdito conniuet, illique condeſcendit, tunc ſubditus Superiori non paret, ſed è diuerſo ſuperior ſubdito obedit. Aliter Caietanus ſacro textui magis adhærens, locum commentatur, aiens: *Obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſraël. Iuxta Hebræum habetur: Audiente Iehouah in voce viri: quia Iehouah pugnanit pro Iſraël. Ratio obſequij diuini operis in Sole redditur, quia ſummus Deus erat tanquam bellator.* Nimirùm Ioſue cum ſummo imperio præerat cunctis bellatoribus, ſiue ij forent gregarij milites ſiue duces ampliorem dignitatem & poteſtatem habentes. Ergò cùm Deus decreuit tamquam aliquis ex acie bellator, cum Iſraële, & pro Iſraële pugnare, par erat, vt ſicut cæteri duces Ioſuæ vocem audiret, illiuſque nutui quodammodò obtemperaret; vt concors eſſet in exercitu ac bellatoribus concentus, & conſenſus adæquè vnanimis; ne vel Deus ipſe cùm ducem ac *bellatorem* agebat, vocem Ioſuæ non audiret, ab illiuſque iudicio, voce, ac nutu tantiſper diſcreparet. Tanta debet eſſe inter communitati præſidentes harmonia, & concinnus inuicem adſenſus, vt etiam *ſummus Deus* dum in exercitu Iſraëlis erat *tanquam bellator*, à voce Ioſuæ minimè diſſentiret.

Ioſue 10: v. 14. Abul. inibi. q.20.

*Superior dum ſubdito condeſcendit, illi obedit.*

Caietan. ibi.

*Deus dum agit bellatorem in exercitu Iſraëlis, à Ioſue voce non diſſentit.*

5. Geneſeos 1. ſexta primordialis opificij die, dixit Deus: *Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta & reptilia & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas. Factumque eſt ita.* Et vidit Deus quod eſſe bonum, & ait: Faciamus Hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. &c. Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam. Miriſſimum ſanè eſt quòd homo mente & ingenio ſublimis, & de affinitate cum Angelis, & de ſimilitudine ad Deum præluſtris, eâdem die, quâ beſtiæ, iumenta, & pecora campi, productus ſit. Dubium hoc affert & pulchrè auget, & exaggerat Rupertus ita fatus: *Sed cur iumenta cùm irrationabilia ſint, ſexto diei cum homine deputantur? Nihilo enim magis iumenta, quàm reptilia maris, ſiue volatilia cæli quinque corporis ſenſus excedunt, nec minùs aut magis quàm illa, hæc rationis expertia ſunt.* Argutum ſanè dubium & quod idem inibi Rupertus pariter arguſtè diſ-

Geneſ. 1. v. 24.

Rupert. ibi. l.1.c.54. *Cur non piſces, & volucres, ſed iumenta, cum*

*em cum ho- mine die creantur.*

ſoluit: *Ad hæc*, inquit, *etſi in eodem eſſentiæ gradu iumenta, in quo & volatilia ſiue aquarum reptilia tenentur, quia pariter corpora ſunt animata & ſenſibilia, nec vltrà valent; rectè tamen cum homine dici ſexto deputantur, quia hominis potiſſimùm ſubſtituta ſeruitio ſunt, ſicut videmus: quia neque volatilia, neque reptilia, quæ produxerunt aquæ: ſed ſola iumenta homini cooperantur, & collaborant.* Scilicet, non cæli volucres, non aquarum reptilia miniſterio hominum deputantur, illíque collaborant, ſicut terræ iumenta; & ideò, etſi in eodem gradu cum volucribus & piſcibus ſint: tamen quadam velut cognatione, & velut operis faciendi arcano adſenſu, ex coæuâ creatione in eâdem die deputantur, quia *ſola iumenta homini cooperantur, & collaborant.* Vel iumentis, quæ in aliquo miniſterio homini cooperantur, & collaborant, aliqualem in cooperando conſenſum ingenerauit Deus, vt de beſtiarum etiam ſcholâ homines erudiantur: nam diſſenſus in faciendo opere, induſtriam quamuis ſedulam deludit, & egregiè fruſtratur.

6. Matthæi 5. Chriſtus Deus hâc honorariâ

Mat. 5. 14.

comparatione Apoſtolos, quos conſtituit Eccleſiæ principes, mirè ſublimauit: *Vos eſtis lux mundi.* Qui vniuerſum mundum doctrinâ, & exemplo debetis illuminare. Nullos bonos præter vos mundus habet magiſtros. Illud obſeruandum, Chriſtum eſſe, matricem lucem, ſeu luminare. è quo Apoſtolicæ luces emanant: nam Chriſtus eſt lux naturâ ſuâ; alij eius electione & beneficio; quoniam ab eo illuminati ſunt. Chriſtus quia non ſolùm extrinſecùs doctrinâ exemplóque illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ſed etiam per gratiam extrinſecùs: Apoſtoli quia extrinſecùs doctrina, & exemplo aliis prælucent. Verùm rex Theodoricus apud Caſſiodorum lib. 6. variar. epiſt. 23. in promouendis ad ſublimiores regni ſui Dignitates, hanc Chriſti comparationem tempeſtiuè æmulatur, ita fatus: *Exeunt à nobis dignitates relucentes quaſi à Sole radij, vt in orbis noſtri parte reſplendeat cuſtodita iuſtitia.* Altè quidèm Caſſiodorus! Non tantùm inſinuat Rex, electos ad Dignitates à ſe habere ſplendorem de regali electoris iudicio (de quo aliàs) & fulgere electos Dignitatum nitore; nullus enim præluſtrior, quàm iudiciariâ ſublimitate præſidere? Sed quia à ſe *quaſi à Sole radij exeunt.* Radij Solis, ipſa lux Solis eſt, æqualiter à Sole exeunt, & ſocio fœdere alter alteri conformis, mundi illuſtrandi munus obeunt. O quàm concordi vniformitate lucem ſuam radij ſolares concinnant, quàm ſe ad lucendum adiuuant! & quod alter non poſſet, plures iunctim præclarè eualent. *Vos eſtis lux mundi. Exeunt a nobis dignitates relucentes quaſi à Sole radij.* Omnes relucentes exeunt, quia quoquouersùm ſpargantur, aliorum concordi concinnitate fulgorem concinnant, incrementant, exaggerant ad ſplendorum intenſionem, & ſplendendi gratiam: adeò vt Solis radij, vnus plures videatur. Ergò ſic *in orbis noſtri parte reſplendeat cuſtodita iuſtitia.*

*A regis electione exeant Præfecti, quaſi à Sole radij.*

Caſſiodor.

## §. CCVI.

*Regius familiaris maximi æſtimare ſolitat, vt niſi de ſuo arbitrio nemo à Principe muneretur.*

Cauendum eſt Principibus, ne in intimam familiaritatem aſcitis regni tradant guber- 1.
nacula: ne etiam per illorum manus Reipublicæ munia ad alios eant, ne obſtrictos hos teneant. Et ſanè obſeruatio omnis à Regibus ad hos munerum diſtributores vertitur. Regiâ ergò manu & voluntate regni munia eroganda, quò obſtrictas ſibi ſuorum mentes Rex teneat, nec alterius hi quàm Regis ſui munificentiam agnoſcant, ne alterius imperia ſequantur. Verùm ſummum intimè familiarium votum eò contendit, ne quid Princeps abſque illorum arbitrio reliquis diſtribuat; quò regiam ſibi voluntatem vnicè deuinctam augurantur, & Regis ſtrictiorem beneuolentiam ab aliis arcent. Nullum enim certius eſt regiæ familiaritatis documentum, quàm niſi de illorum arbitrio aut conſenſione, nil ceteris vnquam erogetur. Alioquin Priuati inuidiâ tabeſcunt, & Regis gratiam à ſe in alios verti, aulico inuidiæ æmulationis ingenio ſuſpicantur. Ac ſi inconſultis ipſis Principem eſſe munificum, principalis gratiæ titubatio ſit, ruinæ infeliciter proxima.

*Regia manu & arbitrio, non regij familiaris, regni munia erogentur.*

Numerorum 11. Moyſes ille diuinâ familia- 2.
ritate inclytus, ſeriò queritur, quòd minimè eualet tantæ Hebræorum multitudini ſolus principari. Dixit autem Dominus ad eum: Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël, & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, faciéſque ibi ſtare tecum, *vt deſcendam, & loquar tibi: & auferam de ſpiritu tuo, tradámque eis, vt ſuſtenent tecum onus populi.* Exiſtimauerim, quòd hîc moraliter deſcribitur regij intimè familiaris exaggeratior idea. Cùm enim Deus electurus erat ſeptuaginta Præfectos, qui grauioribus populi cauſſis præeſſent, quique Hebræum ſenatum conſilioſè dedicarent; arbitrio ſui Moyſis eliguntur: neque eorum electio à Deo confirmatur, niſi præſente Moyſe, & dum Deus cum illo familiarius loquitur. Sed grande eſt apud Interpretes litigium, quare Deus dixerit, *Auferam de ſpiritu tuo, tradámque eis?* Adeò ne benefica Dei omnipotentia eſt ſpirituum largiendorum paupertina, vt è Moyſis ſpiritu *auferri* dicatur, quod ſuptuaginta creandis Senatoribus præbetur? Hac ſuper re Abulenſis ſic tempeſtiuè philoſophatur: *Auferam de ſpiritu tuo*, (*qui eſt in te*, vt alij apud Auguſtinum ſuperaddunt) *tradámque eis. Principaliter fuit ad honorem Moyſi, vt non inuideret alieui ..... Deus volebat vt videretur Moyſes ſemper manere, vt maior in populo, ideò non dixit, Dabo eis de ſpiritu meo; ne per hoc intelligeretur quòd dabat eis aliquem nouum ſpiritum, vel maiorem quàm eſſet in Moyſe; ſed dixit, Auferam de ſpiritu tuo, quaſi dicat, Tu eris principalis, quia de tuo illi accipient.* Itaque non dixit Deus, *Dabo eis de ſpiritu meo*, ne per hoc intelligeretur quòd dabat eis ſpiritum nouum, vel *maiorem; vt Moyſes non inuideret alicui,*

Num. 11. v. 17.

Abul. ibi q. 43.

S. Aug q. 18.

*Mauult Priuatus, vt Rex nullum ſua manu muneret, quàm vt ſe non arbitro de donatis ſibi muneribus alium muneret.*

*alicui*, quaſi ad alium ſe iam verterit Dei gratia Satiùs putans Moyſes, de ſuo ſpiritu quodammodò *auferri*, quod ſuâ ipſius manu & voluntate Deus aliis præbeat, quàm ſi ſe non arbitro, nec ſcio, Deus de ſuo aliorsùm ſpiritu, Senatores illos ad præfecturam muneraret. *Hagantes mercedes, aunque ſea de las que a a el le an hecho, atrueque deque paſe todo por ſu mano.* Quod inſinuare videtur Abulenſis, aiens: *Auferam de ſpiritu tuo qui in te eſt, tradamque eis. Principaliter fuit ad honorem Moyſi, vt non inuideret alicui.* Tanto in pretio habet regius intimè Familiaris, nequem niſi ſuâ manu Princeps muneret? Sic propriâ ipſius Regis manu muneratis Priuatus inuidet?

Chaldæus Caietan. ibi.

Quò forſan adludit Chaldæus, qui pro *Auferam de ſpiritu tuo*, habet, *Augebo ſpiritum tuum.* Et Caietanus, *Grandibo de ſpiritu qui ſuper te*, hoc eſt, adinſtar granditatis, extendam ſpiritum, qui ſuper te eſt. Vel *Angulabo de ſpiritu, qui ſuper te.* id eſt, adinſtar producentis in angulos producam de ſpiritu, qui ſuper te. Ecce tibi, quòd ab eiuſmodi *ablatione*, & Moſaici ſpiritus multiplicatio, & firmitudo denotatur, nam ab *angulis* ædificij robur, & ſecuritas eſt.

3\. Exhodi 7 poſtquam Moyſes contentiosè ſummum Hebrææ gentis principatum deprecatus fuerat: tandem in partem imperij, & poſt Moyſen

Exod 7. v. 1.

ad ſummam præfecturam, Aaronem Deus elegit. Sed attentiùs notanda ſunt electionis verba: *Dixitque Dominus ad Moyſen: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit propheta tuus.* Vide quo nomine Aaron inauguratur in populi Præfectum. Quorsùm hæc infrequens vocabulorum nouitas? Eſto, ad intimam Dei familiaritatem admiſſus Moyſes ſit, omniaque de illius imperio gerenda ſint; quare cùm Deus Aaronem renunciat populi eiuſdem Præpoſitum, non aliquo Magiſtratuum vocabulo, ſed *Prophetæ* Moyſis nomine deſignat?

*Quare Aaron dicatur, non Dei, ſed Moyſi propheta.*

An præcauet Deus (ſicut nuper diximus in electione ſeptuaginta Senatorum præcauiſſe) ne Aaronis electio aut præfectura abſque Moyſis familiariſſimi ſui arbitrio facta videatur; & ſic illi quodammodò inuideat? An ſuſpecta Moyſi diuinioris gratiæ familiaris beneuolentia, niſi Aaronis præfectura & miniſterium ſic illius arbitrio ſubderetur? Audiendus eſt iterùm Abulenſis qui rem aliquâ ex parte tetigit: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit propheta tuus: non dixit, erit propheta meus. Certum eſt tamen quod quicumque propheta eſt propheta Dei, quia nullus poteſt ei dare ſpiritum, niſi ipſe: Deus tamen dixit Moyſi, Aaron erit propheta tuus, vt intelligeretur quòd eſſet minor eo, ſicut propheta eſt minor Deo.*

Abul. in cap. 11. Numer. q. 45.

Profectò tametſi ſolius Dei ſit, & prophetas inaugurare, & prophetanda illis cælitùs afflare: at vt omnibus innoteſcat, quòd Aaron in Præfectum nuper electus, non modo eſt Dei familiariſſimo Moyſe *minor*; ſed etiam quod eius miniſterium multimodè ab eo dependet, ab eoque ipſe afflandus eſt; conſultiſſimè dicitur Aaron Moyſis propheta, vt Moyſes Dei inſtar obtineat. Exindè Deus dixit ſuo Moyſi: *Aaron erit propheta tuus: & non dixit, Erit propheta meus.* Quaſi Aaronis præfectura ſic dependeat à Moyſe, ſicut à Deo dependet propheta. Solius autem Dei eſt prophetas creare, & illis prophetias ad nutum aſpirat. Vide hîc quàm dependeat à Moyſe, Dei intimè familiariſſimo, commiſſum Aaroni negotium.

Geneſeos 41. poſtquam Ioſeph idoneè pariter ac proficuè ſomnium interpretatus eſt, confeſtim renunciatur ſecundus à Rege, & regius intimè Familiaris. Dixitque Pharao ad Ioſeph: *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, vno tantùm regni ſolio te præcedam.... Tulitque annulum de manu ſuâ, & dedit eum in manum eius.* &c. Ecce tibi ſumma poteſtas, à Rege ſuo intimo familiari tradita; & quæ nil ſibi præter regium nomen reſeruauit. 4.

Geneſ. 41. v. 40. & 42.

*Ad tui oris imperium*, inquit, *cunctus populus obediet.* Alij codices habent, *armabitur*, alij *cibabitur*, alij *gubernabitur.* Quaſi omnis præfectura in armis, in re annonæ, & in materia iuſtitiæ, ab illo prorsùs dependeat.

*In regio familiari auditur omnis populus.*

Chryſoſtomus verò præfata verba, *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet*, ſic excribit & exponit *In ore tuo audietur omnis populus.* Quaſi dicat: Neceſſe non eſt, vt quiſquam apud me pro ſe quicquam allegat, aut in re iuſtitiæ, aut pro munerum diſtribuendorum ambitu: quia eam apud me fidem faciet tua ſimplex relatio ac ſi quiſque regni iura, aut merita ad dignitates, multis allegauerit: *In ore tuo audietur omnis populus.* O quantùm regio Priuato licet!

S. Chryſoſt. inibi.

Addit, *Vno tantùm regni ſolio te præcedam.* Quæ verba ſic exponit Lipomanus: *Nunc nobilibus, & aulæ imperare iubetur. Officio, curâ, & beneficentiâ rex conſtituitur, ſolio tantùm & faſtu regio cariturus.* Quid tam aſpectabile, quàm *officio, curâ, & beneficentia* Regem agere, ſine *regio faſtu*? Denique *Tulit annulum de manu ſuâ, & dedit eum in manu eius.* Annulum inquam, *quo ſigillabantur litteræ Regis*, ait Lyra, id eſt, omnia Regis edicta: res iuſtitiæ & gratiæ omnis, regio Familiari vnicè commiſſa fuit.

Lipom. ibi.

Lyra ibi.

*Summa poteſtas periculosè regio Familiari conceditur.*

Addit ad rem Lipomanus: *Sic & Aſſuerus rex annulum ſuum dederat Aman priùs; deindè Mardochæo.* Moyſi, Ioſepho, & Mardochæo cælitus ad gubernandum afflatis, benè traditur regius annulus. Sed vide quanto cum regni periculo, & bonorum pernicie, Amano permittitur.

Hic verſ. 8.

Caueat Rex Amanos, quia rarus eſt Mardochæus. Tanta Principum fiducia, & ad nutum gubernandi iners licentia, vt Priuatus *officio, curâ, & beneficentiâ rex conſtituatur*, rarò Ioſephum aut Mardochæum reperit; Amanos citiùs inuenit, aut facit. O quiſquis imperas, caue hos regiminis ſcopulos, naufragij minaces!

Exhodi 7. Dixit Dominus ad Moyſen: Ingrauatum eſt cor Pharaonis, non vult dimittere populum. Vade ad eum mane, diceſque ad eum: *Hæc dicit Dominus: In hoc ſcies quod ſim Dominus: ecce percutiam virgâ quæ in manu meâ eſt, aquam fluminis, & vertetur in ſanguinem.* Verba ſunt Dei, quæ ſuo familiariſſimo Moyſi inſpirat, vt ipſius Dei nomine intimet Pharaoni. 5.

Exhod. 7. verſ. 17.

Et tamen ſi attentiùs inſpicitur ſacer textus, *virga*, quæ dici videtur eſſe in manu Dei, in manu Moyſis erat: nec eam tulit Moyſes, ſed Aaron, quod peridoneè his verbis notauit inibi Caietanus nuper aliorſum expenſus: *Ecce percutiam virgâ qua in manu meà eſt aquam fluminis* &c. *Mirabilis loquendi modus, nam nec Moyſi, nec Deo quadrant hæc verba ſimul. Nam nec Moyſes percuſſit virgâ aquas, nec virga erat in manu Dei ſed Moyſi.*

Caietan. ibi.

Non valdè mirarer omnia verba, vniuerſam ve actionem hominis vicem Dei gerentis, Deo abſolutè adſcribi: ſicut Regi adſcribitur, quod prorex eius nomine gerit. Aſt Deum de

*Verba quæ de ſe Deus dicit nec Moyſi, nec Deo conuenire videntur, ſed vtrique, quare*

de ſe ita loqui, vt de verbis vniuerſatim & indiſferenter prolatis, quædam non niſi de ipſo Deo, alia non niſi de Moyſe intelligi poſſint, miriſſimum eſt, & prælustre ſui Familiariſſimi Moyſis, encomium. Sic inter ſe & ſuum Moyſen, & verba ipſa, & rem etiam verborum partitur, vt eodem tenore verborum de ſe, & de ſuo Familiari loquatur? *Nam nec Moyſi, nec Deo quadrant hæc verba ſimul.* Munerandus erat Aaron gloriâ ſumptuoſioris miraculi, coram Pharaone, & Ægypti Proceribus perpetrandi *virgæ* attactu: exindè hanc gratiam ita præbet, vt verbis quæ communia ſunt Moyſi & ipſi Deo hanc illuſtrem prærogatiuam communicet, ne quid ſine Moyſis interuentu, & ipſius verbo largiri videatur.

6. Geneſ. 50. v. 4. & 5.

Geneſeos 50. tandem Iacobus moritur. *Et expleto planctus tempore, locutus eſt Ioſeph ad familiam Pharaonis: Si inueni gratiam in conſpectu veſtro, loquimini in auribus Pharaonis: eò quod pater meus adiurauerit me, dicens: En morior, in ſepulchro meo quod fodi mihi in terrâ Chanaam, ſepelies me.* &c. Ioſephuſne is eſt, qui egeat vt palatini Proceres intercedant pro eo apud Pharaonem ad rem impetrandam? Nonne Ioſephus eſt, cui nuper Pharao dixerat: *Ecce conſtitui te ſuper omnem terram Ægypti, & vno tantùm regni ſolio te præcedam?* Regis nomen duntaxat Pharaoni relictum eſt; & ipſe Regis familiariſſimus regiam obit poteſtatem; & nunc apud Regem vicariâ Procerum interceſſione indiget: *Secundus à rege interceſſores mittit* (ait Lipomanus) *vt nihil per audaciam præſumere videretur.* Eſto regius Familiaris poſſit omnia erga reliquos, & de illius conſilio & nutu fauores diſpenſentur, nihilque velit Rex Ioſepho inconſulto; ſaltem ſibi ipſi nil ipſe poſſit. Quaſi vel Pharao, omni regni ſui gubernandi curâ Ioſepho commiſsâ, qui ad conſilij ſui arbitrium reliquos munerare fauoribus, ac dignitatibus augere poterat; fauores tamen ac gratias Priuato concedendas vni ſibi cautè reſeruauerit. Quaſi dicat Pharao: Augeantur reliqui omnes per ipſum, nihilque niſi de eius nutu diſpenſetur; ipſe autem per me ſolummodò augendus, & fauoribus munerandus eſt: nam quod regius Familiaris ſibi ſumit, *per audaciam præſumit.* Exindè Ioſephus, *Secundus à Rege interceſſores mittit* ad Regem; & quæ poteſt aliis, ſibi non poteſt.

Geneſ. 41. v. 40. *Cur Ioſeph ad poſtulandam à Rege gratiam, interceſſores quærit?* Lipom. ibi.

---

## §. CCVII.

### *Ex variis ſparſim huius hiſtoriæ locis Mardochæi elogia concinnantur.*

1. Senec. epiſt. 67. *Perfecti viri facies pingitur, & idea proponitur.*

PErfecti viri animum, ac veluti faciem his verbis pingit Seneca: Animus intuens vera, peritus fugiendorum ac petendorum, non ex opinione, ſed ex naturâ pretia rebus imponens, cogitationibus actionibuſque intentus, ex æquo magnus ac vehemens, aſperis blandiſque pariter inuictus, neutri ſe fortunæ ſubmittens, ſupra omnia quæ contingunt acciduntque eminens, imperturbatus, intrepidus: quem nulla vis frangat, quem nec attollat fortuna nec deprimat. Talis animi virtus eſt, hæc eius facies, ſi ſub vnum veniat aſpectum & ſemel tota ſe oſtendat. Ore illam fingere priſca Philoſophia potuit, opere exprimere non potuit. Hanc virtutis ideam æmulatur Iudaiſmus irrito ſæpè voto; vt laus Chriſtianorum foret, totam virtutis ideam ore Chriſti Dei expreſſam, opere adamuſſim exprimere: adeò vt viuam Chriſti legem, imò ſpirantes etiam ipſius Chriſtianæ legis commentarios, in aliquibus eximiæ perfectis legere liceat.

Matthæi 22. Legiſperito interroganti quodnam eſſet magnum legis mandatum, reſpondet ei Ieſus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. &c. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. Et addidit: *In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & prophetæ.* Locus multimodè explicatu arduus. Mitto quæ obuia hîc ſunt, vt curioſiùs expendatur, quomodo ex adimpletione præcepti charitatis erga Deum & proximum: *vniuerſa lex pendeat?* Ex gemini huius præcepti impletione pendet lex: an illorum impletio ex lege dependet? Profectò homines hæc duo præcepta exequi opere conantur, quia in lege iuſſa ſunt. Quid ergò eſt, quòd ab exactâ mandatorum obſeruatione, *vniuerſa lex pendet?* S. Zeno Veron. hunc locum verſans, propoſitam difficultatem ſubinſinuat, ſic eleganter fatus: *Imò potiùs lex veneranda eſt, quia veritatis ſpeculum, quia rigida quædam dilectionis eſt forma: quicquid enim à iuſto didicit, id facere iniuſtum quoque compellit: bifariè inclyta, vnum glorificando, alium corrigendo.* Nota verba, & pende ſacramenta. *Quicquid lex à iuſto didicit, id facere quoque iniuſtum compellit.* Quaſi Iuſtorum vita, & perfecta conuerſatio, ſit ſchola legis condendæ, & præceptorum gymnaſium. Detumeſcat iam celebris illa ſententia Philonis, apud quem Patriarcharum vita dicitur *Viua lex*: dicitur etiam *Diuinæ legis commentarius.* Maius quid hîc ſpirat Zeno, aiens, quòd vita Patriarcharum fuit legis conceptaculum, mandatorum eruditio, & præceptorum ſchola. Opinabamur hactenùs ex eruditâ Legiſlatoris peritiâ leges prodire: nunc ait Zeno, quòd Patriarcharum vita, & Iuſtorum conuerſatio, legum peritè condendarum forma eſt, & typus oculis expoſitus, quo leges excuduntur: Nam *quicquid lex à iuſto didicit, id facere quoque iniuſtum compellit: bifariè inclyta, vnum glorificando, alium corrigendo.* Ecce tibi ex perfectâ impletione charitatis erga Deum, & proximum, *vniuerſa lex pendet.* Pendet enim lex à perfectâ iuſtorum vitâ, à quâ ſæpe didicit quod præcipiat, quidque iniuſto vetare expediat: *bifariè inclyta, vnum glorificando, alium corrigendo.* Vide quàm inclytè glorioſius hinc fuerit Henoch, Noë, Abraham, Ioſeph, Dauid: & (vt cæteros omittam) hîc Mardochæus, glorioſior egregiis virtutum facinoribus, quæ in hâc hiſtoriâ cateruatim occurrunt, quàm gloriâ ſumptuoſiùs inclytâ, quam nunc Aſſuero rege adeptus eſt.

2.

Matth. 22. v. 40.

*Ex Iuſtorum vitâ lex diſcit, quod præcipiat, tanquam ex legiſlatorum ſchola?*

S. Zeno ſer. de Spe, Fide & Charit.

Hîc cap. 8. v. 15.

Geneſeos 28. profugus Iacob ineunte iam nocte humi laſſus iacet; *Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælos. Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper eam, & Dominum innixum ſcalæ.* Quæ eſt hæc ſcala? qui ſunt iſti Angeli, qui ſiue aſcendant ſiue deſcendant, æquè Deum inueniunt? Res ſanè miriſſima, quòd Deus dicatur innixus ſcalæ; ſiue in ſummitate ſubnixus ſcalæ, ſiue à parte infimiſſimâ ſcalam ſuſtentans: Angeli tamen ſiue aſcendentes ſiue deſcendentes illum

Geneſ. 2. v. 12.

*Angelos æmulatur Mardochæus qui ſiue aſcendens ſiue deſcendens Deum æquè inuenit.*

pariter

pariter inueniant. Quod ſubtiliter Auguſtinus adnotauit: *Quod Iacob*, inquit, *per figuram viderat, hoc de ſe Dominus prædicat. Videbitis*, inquit, *cælos apertos, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ad filium hominis*: (addit tempeſtiuè) *Si ad filium hominis Angeli deſcendebant, quia in terris erat, quomodò hi ipſi Angeli aſcendebant ad filium hominis, niſi quia & in cælis erat?* Benè hinc Chriſti diuinitatem comprobat Auguſtinus; & ſimul nos erudit, quòd ille homo Angelus nominari poteſt, & Angelos de perfectione æmulatur, qui & dum humanâ felicitate ſublimis aſcendit, & dum ærumnoſis calamitatibus puſillus deſcendit, vtrobique pariter Deum inuenit. Æquè Deus in faſtigij ſublimitate, & in humiliationis profunditate inuenitur? O pium in re virtutis parodoxon! ſed in Mardochæo ad exemplarem virtutis eruditionem, aſpectabile apparet. Cùm ditâ calamitate opprimitur, Deum precibus accerſit, & ſpebus inuenit. Cùm blandiùs illi fortuna adridet, non ſuccumbit felicitati: ſed pietate & legis zelo præcelſus adſurgit; cælum religione tangit, & Deum inuenit. Angeli Dei nominantur, qui *aſcendentes & deſcendentes* adæquè Deum repererunt.

S. Aug. apud Caten. Lipom. inibi. Ioann. 1.

Hic cap. 4. v. 1. &c. & cap. 8. v. 15.

4. Actorum 1. his verbis ſuam de Apoſtolorum geſtis hiſtoriam Lucas auſpicatur: *Primum quidàm ſermonem feci de omnibus, quæ cœpit Ieſus.* &c. Græci codices pro τὸ *ſermonem*, habent *librum.* Scilicet præmonet Lucas, ſe priùs ſcripſiſſe librum de actis Chriſti Dei, quod Euangelium vocamus. Sed quare Lucas priorem librum non vocat Euangelium, cùm re verâ Euangelium ſit, & Euangelium ab omnibus nuncupetur? Reſpondet Oecumenius: *Priorem librum dixit, non Euangelium, cùm tamen Paullus ſuum vocet Euangelium, vbi ait: Iuxta Euangelium meum. Nam arrogantiam vbique fugiunt. Sicut & Matthæus: Liber, inquit, generationis. Quòd ſi Marcus dicit: Initium Euangelij Ieſu-Chriſti, non tamen ſuam ſcripturam vocat Euangelium, ſed Chriſti prædicationem.* Vide mihi Beniaminitæ Paulli excelſam prærogatiuam, & planè auguſtam meritorum excellentiam. Nempe quod in Lucâ elationi imputaretur, quò *arrogantiam fugiat*, mutâ taciturnitate diſſimulat: illudmet ipſiſſimum Paullus de ſe palàm denarrat. quaſi ordinarium, vulgare, ac familiare ſit in Paullo, quod in aliis Diſcipulorum proceribus, fortè *arrogantiam* ſuboleret. Magnus ſanè Beniaminita Paullus ſic ſui Saülis ad inſtar, vltra commune faſtigium attollitur, vt quod eſt ordinarium in Paullo, *arrogantiam* in aliis ſaperet; & quod alij humilitatis cauſsâ dicere recuſant, vt vanæ gloriæ ſuſpicionem deuitent, id in Paullo tam longè abeſt à vulgari omnium æſtimatione, vt ferè exiguum putetur in illo quod in aliis penè ſuperbum forſan putaretur. Indè quòd Beniaminita Paullus de ſe prædicat, reliqui de ſeipſis tàcent: *nam arrogantiam vbique fugiunt.* Quod etiam in Beniaminita Mardochæo hîc cernere licet: quod enim in eo ordinarium deſcribitur, in aliis *arrogantiam* ſaperet, & vltra Hebræum faſtum iactantiæ imputaretur. Vſque adeò *magnus* in hâc Hiſtoriâ ſæpè prædicatur!

Act. 1. v. 1.

Oecum. ibi. 1. ad Tim. 2. Matth. 1. Marci 1. *Paullo familiare eſt, quod in aliis arrogantiam ſaperet.*

Cap. 8. v. 15. Cap. 10. v. 3.

5. In hoc cap. 8. inclyta Mardochæi gloria proponitur, & ſumma apud Imperatorem auctoritas. Infrà verò explicatiùs traditur, quod hîc tectiùs inſinuatur: *Quomodo Mardochæus Iudaici generis ſecundus à rege Aſſuero fuerit: & magnus apud Iudæos, & acceptabilis plebi fratrum ſuorum, quærens bona populo ſuo, & loquens ea quæ ad pacem ſeminis ſui pertinerent.* Et ſanè notatione digniſſimum eſt, quòd Mardochæus tantâ gloriâ præluſtris, & penè ſuperbâ Regis familiaritate inclytus, ſic inrogatus vltrò quæſierit bona populo ſuo, & ſuos proximos ſollicita beneficentiâ augeat, promoueat, ſublimet. S. Zeno Veronenſis de charitate erga Deum, & proximos ita ad lemma præſens opportunus ſcribit: Sequens eſt, inquit, vt etiam proximos eo affectu, quo nos ipſos diligimus, diligamus: *maximè cùm cognationis ipſa hoc exigant iura.* clamat enim Propheta: Deus vnus creauit vos. Nonne pater eſt omnium veſtrum? *Quiſquis igitur nobilitatis ſuæ conſcientiam retinet, diligit fratrem: nec aliquid audire expectat ex lege, ne admonitione pietati aliquid derogetur: tantumque ſe in ipſo amat, vt oderit ſe ſine ipſo.* Nempe Mardochæus Iacobæo per Beniaminum genere, & regiâ familiaritate præluſtris, *nobilitatis ſuæ conſcientiam retinens, diligit fratres.* (O nouum nobilitatis ſtemma!) Fraterna charitas, conſcientiam nobilitatis generosè retinet. Adeò vt Mardochæus ſine præuio monitore vltrò *quærat bona populo ſuo, ne admonitione pietati aliquid derogetur, tantumque ſe in ipſo amat, vt oderit ſe ſine ipſo.* Vndè cùm eſſet reginæ Estheris patruus, poſſetque ſe ſuperbæ cognationis titulo à fatali Regis edicto eximere, maluit cum ſuo populo atrociter perire, quàm pereunte populo feliciter vindicari, quaſi in pereunte populo, ipſe ſuperſtes adæquè periret: *tantumque ſe in ipſo amat, vt oderit, ſe ſine ipſo:* quæ eſt fraternæ charitatis hyperbole. Sibi Mardochæus inuidet vitam, ſi eius populus vita viduetur: mauultque populo ſuo mori, quam ſibi viuere. O Mardochæi Beniaminitæ, charitatem Beniaminitæ Paulli æmulam.

S. Zeno ſer. de Spe, fide, & char.

*Mardochæus tantùm ſe in populo ſuo amat, vt oderit ſe ſine illo.*

Matthæi 1. *Booz autem genuit Obed ex Ruth.* Incertus Chryſoſtomus ſic præfata Euangeliſtæ verba exponit: *Salmon autem qualem virum genuit ex Rahab Booz, qui interpretatur, In virtute; vel Virtus in ipſo.* Egregia ſanè laus eſt, virtutem eſſe in aliquo ſeu virtutem eſſe alicui impreſſam. Sed hoc elogium frequens eſt, & commune cum Sanctis omnibus: nemo enim Sanctus dicitur, quin in ipſo ſit virtus, à quâ ſibi impreſsâ ſanctus eſt. At verò eâ ſanctitatis præſtantiâ præfulgere, vt ipſemet ſit *in virtute* ſeu virtuti ipſi velut impreſſus, hoc ſingulare encomium eſt, & auguſtior hominis laus. Quid enim ſublimius, quàm vt homo è lutoſo limo materiatus & vitiatis à primordio moribus attaminatus, eâ ſanctitatis prærogatiuâ emineat, vt vitiis defæcatus, ipſe ſit *in virtute*, ſeu virtuti ipſi ſic impreſſus, vt ipſe ſit velut virtutis portio, virtutis attributum, vel prærogatiua virtutis? *Qui Baſilium laudat, virtutem laudat*, dixit Nazianzenus. Sic arctè virtuti adglutinatur, ſic altè virtuti imprimitur, vt propè ambigere poſſis, quis nam virtus ſit, an Baſilius, aut Paullus, aut Mardochæus? an ipſamet ipſorum virtus? Sic ipſa virtus erat in Mardochæo, vel ipſe Mardochæus *in virtute.* Sic virtutes vndequaque ſpirat, fragrat, propagat! Tota hæc Hiſtoria id ſparſim eructat.

Matth. 1. v. 5. Imperf. homil. 1. in Matth.

*Mardochæus virtuti impreſſus dicitur: ſiue eſſe in virtute.*

S. Naz. Orat. de Baſil. laud.

1. Regum 2. Dominus *ſuſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem: vt ſedeat cum Principibus & ſolium gloriæ teneat. Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.* Quæ verba exponens Rupertus lib. 3. de 7

1. Reg. 2. v. 8.

gloria

Rupertus. gloria Filij Hominis ſic ad rem opportunè ſcribit: *Quantò plura Sancti dona Dei percepturi erant, tantò maioris conſcientia paupertatis indiguerunt, vt eadem dona portarent ſtabiles & firmi, fundati in ſpiritu humilitatis. Nam Domini ſunt cardines terræ; pro quo in Hebræo ſcriptum eſt, Afflicti terræ: & poſuit ſuper eos orbem. Afflictio hæc humilitas eſt, quæ ad portandum orbem conſtantes eos facit, & fortes.* O benè! Vidè hîc Mardochæum, Eſtherem vide, in atrociori calamitate nimirùm *afflictos*, & humiliatione proſtratos, in ſacco, & cinere, & *ſtercore* volutantes, & tunc, tunc quidèm maximè *cardines terræ* fuerunt, in quos populus Dei totus incubuit, *Domini ſunt cardines terræ, afflicti terræ.* Quod ex hâc hiſtoriâ perſpicuum eſt. Sic enim Dominus *ſuſcitauit de puluere egenos & de ſtercore eleuauit pauperes; vt ſedeant cum principibus, & ſolium gloriæ teneant.*

*Mardochæus & Eſther ſunt terræ, ſeu populi Dei cardines.*

8. Eſther 8. ſimul cum Mardochæi ſublimitate, res Iudaica ſtetit, quæ miſerabilem ruinam atrociter minabatur: Mardochæus, inquit, de palatio, & de conſpectu Regis egrediens, fulgebat veſtibus regiis, coronam auream portans in capite: *Omniſque ciuitas exultauit, atque lætata eſt. Iudæis autem noua lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, & tripudium.* Sic populus Dei nuper labaſcens firmiſſimum nactus fulcrum, perdiu inconcuſſus ſtetit. S. Maximus homil. 2. in Natali Apoſtolorum, agens de Paullo Mardochæi contribuli, eum appellat: *Eccleſiæ ſolatium, atque omnium credentium firmamentum.* Quid accommodatius? Porrò Mardochæus funeſtæ flebiliter Synagogæ *ſolatium* fuit, dum in comœdiam vertit tragædiam; & Dei populum valenter ſuffulciens fuit etiam *omnium credentium firmamentum.*

Eſther. 8. v. 16.

*Mardochæus dicitur omnium credentium firmamentum.*

S. Maxim.

9. Eſther 3. Amani ille Eſaüita, homo ex omnium ſcelerum colluuie conflatus, *pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus ſuas ..... magiſque voluit omnem Iudæorum perdere nationem.* Et tertiadecimâ die menſis Adar, ad Mardochæi, & ſuorum ſtrages, per ſortilegium atrociter deſtinata eſt. Luculenter aliorsùm S. Maximus ita ſcribit, *Dies ergò pro merito; locus pro gloriâ; Perſecutor decretus eſt pro virtute.* Itaque dies excidij, quod in aduerſariorum recidit caput, pro Mardochæi *merito decreta* eſt. *Locus* (vrbs Suſan, regia totius imperij metropolis) *pro gloriâ*, vt in tot principum Satraparum, & frequentium populorum theatro, ſuos hoſtes iuſtiſſimo retaliatu proculcaret. At Aman *perſecutor decretus eſt pro virtute.* Vis noſſe Mardochæi *virtutem*, taxa, ſi potes, ſceleroſiſſimi Amanis malitiam? O quàm multa breui compendiauit!

Eſther. 3. v. 6.

*Malitia Amani eſt menſura virtutis Mardochæi.*

S. Maxim. in Natal. Apoſt homil. 5.

10. Eſther 8. Mardochæus autem de palatio egrediens fulgebat veſtibus regiis, coronam auream portans in capite. *Iudæis autem noua lux oriri viſa eſt.* Porrò tempus quod præceſſerat ſub Amane (vt ipſe Mardochæus in ſomnio anteuiderat, *fuit dies illa tenebrarum.* Ergò expediebat vt nouo ſplendore fulgente iam Mardochæo, Dei populo nouus ac præclarus dies oriretur. Porrò Mardochæus Solis adinſtar diem faciebat iis cum quibus viuebat. De Eliâ ſic loquitur Chriſtus: *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſraël.* Quid? erat Elias Sol, qui diem faceret? Audiendus eſt inibi Ambroſius: *Quia diem faciebat illis, qui conuertebantur ad Dominum, & ideò aperiebatur cælum videntibus diuina.* Exindè Mardochæus Eliæ de ſplendore æmulus, diem faciebat Iudæis: nam fulgente Mardochæo. *Iudæis noua lux oriri viſa eſt.*

Eſther. 8. v. 16. & cap. 11. v 8.

*Mardochæus diem illis facit cum quibus viuit.*

Lucæ 4. v. 25.

S. Ambroſ.

Ioannis 13. pedum lauacrum conſtanter renuit Petrus; qui minis concuſſus tandem adnuit: Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos, ſed & manus, & caput. *Dicit ei Ieſus; Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Et quomodo qui eſt mundus totus, adhuc pedum lotione indiget? Multimodè huic dubio & ad rem litteralem, & ethicam Commentatores reſpondent. Origenes inibi ita ſcribit: *Lauit autem pedes poſtquam mundi erant, quoniam gratia tranſcendit neceſſitatem.* Gratiæ officioſitas eſt, non modò neceſſitati ſubueniendæ ſpontè occurrere, ſed illam largiùs & ſumptuoſius *tranſcendere.* Parum foret diuinæ beneficentiæ, beneficia ſua cum humanâ neceſſitate taxare. Dei elogium eſt vltra neceſſitatem eſſe beneficum. Hic Origenis diſcurſus adſpectu ad Mardochæum & Eſtherem de crudelitate vindiciæ ſunt. Porrò vberior Dei fauentia fuit, vt non modò ſoſpitatem à periculo Amani & Amanitarum nacti ſint; ſed etiam eiuſdem ſtrages, & excidij vices ipſis reſponderent: *quoniam gratia tranſcendit neceſſitatem:* qui eſt pius aliquis diuinioris gratiæ faſtus. 11.

Ioan. 13. v. 10.

Orig. hom. 32.

*Mardochæus à crudelitate vindicatur, quia gratia tranſcendit neceſſitatem.*

Eſther 13. Sic Mardochæus Deum alloquitur: Tu ſcis quia non pro ſuperbiâ & contumeliâ, & aliquâ gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman ſuperbiſſimum: *Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quenquam adorarem, excepto Deo meo.* Quid eſt, quod Mardochæus Deum Hebræorum Deum ſuum, ſemel & iterùm nuncupatim appellat? Quare ſummum Deum, qui indifferenter omnium Deus eſt, quaſi totus foret ſuus, ſingulariter appellat ſuum? O non bonam Diuinitatis ſibi abreptionem! Audiendus eſt Origenes Tract. 22. apud Catenam, qui in caſu ſimili ſic argutè philoſophatur: *Et vide quia non dixit: Ego ſum Deus Abraham, Iſaac, & Iacob: ſed Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, in alio autem loco dixit: Deus Hebræorum miſit me ad vos..... Vbi ergò dicitur Deus Hebræorum, imperfectio demonſtratur eorum; quia vnuſquiſque eorum aliquid modicum de Deo habet. Dicitur autem Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob* (ſic etiam & Deus Mardochæi) *quia ſinguli eorum totum habent Deum* O grande Mardochæi elogium! *Modicum* de Deo alij habere dicuntur; Deus autem *totus* eſſe Mardochæi perhibetur. Deus *miſericordiæ plurimus*, à Tertulliano nuncupatur, qui velut plures vnus Mardochæo eſt; quoniam de quo ſinguli *modicum*, ipſe *totum* habet. 12.

Eſther. 13. v. 14.

*Deus dicitur totus eſſe Mardochæi, quare?*

Origen.

In omni hâc Eſtheris narratione proponitur Mardochæus iam ſupplex apud Deum, & apud Reginam pro Dei populo orator, & exorator; iam eiuſdem populi exulis & captiui ſollicitus Præſes, iam atrocioris excidij ſollers aberruncus, adeò vt nullum ſit exſomnis prouidentiæ officium, quod erga Dei populum, non peritè Mardochæus obierit. Sanè luculenter in Mardochæum quadrat illud Nazianzeni in Orat. in laudem Athanaſij: *Hoſpitum Præſes, ſupplex, aberruncus, vnus vniuerſa ea verè complexus, quæ in ſigillatim Diis ſuis Gentiles tribuunt.* Nullum erat munus, quod vitæ humanæ vſui eſſe poterat, cui prouidentiùs præſtando, non aliquod 13.

*Mardochæus vniuerſa complexus eſt, quæ Dii Gentium tribuuntur.*

S. Naz. Orat. 8.

quod Numen Gentiles effingerent; ſiue ad bonum precariè obtinendum, ſiue ad malum procul arcendum. Ergò Mardochæus inter Gentiles viuens, ne ob humanas neceſſitates ad Idolorum cultum Iudæi deficerent, *vnus vniuerſa ea verè complexus eſt, quæ ſigillatim Diis ſuis Gentiles tribuunt.* O quàm multa Mardochæi elogia, hoc vno profunde compendiantur!

14. 1. Regum 7. dixit Dauid ad Philiſthæum (& Mardochæus ad Aman) *Tu venis ad me cum gladio, & haſtâ, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſraël, quibus exprobraſti hodie, & dabit te Dominus in manu meâ, & percutiam te, &c.* Quæ verba ſic eleganter ad rem Selucienſis Baſilius elucidat. Miſſo igitur lapide galea rumpebatur, plagam caput admittebat, & anima de corpore fugiebat. *Sternitur mortuus Goliath: ſternitur alienigenarum turris. Hoc fidei ſpolium eſt, trophæum gratiæ, auxilii cæleſtis indicium, blaſphemiæ coërctio: columna index extinctæ audaciæ. Quid igitur ſuper his Dauid? Qui omnia gratiæ tribuit, neque gladium infert in pugnam: inermis pugnator ſublato Goliath gladio gladij dominum diuidit, armis in vſus debitos verſis. Cùm igitur Goliath arma fabricaret, id ſe in vſus Dauidis facere, & proprij iugulatoris baiulum in aduerſarij habitu ſe Dauidi venire ſubſidio ignorabat.* O diuinioris gratiæ Dauidi ac Mardochæo fauentiam ex inuerſo! Porrò irato Aſſuero Harbona vnus de eunuchis, hæc tempeſtiuè ſuggerit: En lignum, quod parauerat Mardochæo, qui locutus eſt pro Rege, ſtat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit Rex: Appendite eum in eo. *Suſpenſus eſt itaque Aman in patibulo quod parauerat Mardochæo.* Itaque cum Aman aduerſarij habitu, patibulum altè Mardochæo ſuſpendendo fabricaret, ſupplicio in vſus debitos conuerſo patibulum patibuli dominum ſuſtinet æquiſſimè appenſum. *Hoc fidei ſpolium eſt, gratiæ trophæum, auxilij cæleſtis indicium, blaſphemiæ coërctio, & columna index extinctæ audaciæ.*

1. Reg. 17. v. 45.

Baſil. Seleu. orat. 15.

[illegible] Dauid ſimilis bellator. [illegible]

Eſther. 7. v. 10.

15. Geneſeos 14. deuictis hoſtibus, & locuplete prædâ ſtrenuè captâ, dixit rex Sodomorum ad victorem Abraham: Da mihi animas, cetera tolle tibi: Qui reſpondit ei: *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cæli & terræ, quòd, &c.* Eruditè inibi notat Lipomanus, manuum eleuationem eſſe apud priſcos modum ſeu ritum iurandi. Et ſanè forſan alicui videbitur fruſtra tunc Abrahamum iuraſſe: neque enim vrgebat neceſſitas, & ipſe auctoritate magnus, ad fidem non egebat iuramento. Sic ad iurandum facilis & expromptus Abrahamus perhibetur? O præclarum ſub ſpecie vitij virtutis ſacramentum! Scilicet (vt ibi notanter ſcribit Chryſoſtomus) dum Abrahamus iurat per *Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cæli & terræ, pietatis Doctor ei (Regi) fieri ſtudet, quaſi docens eum: Illum tibi teſtem adhibeo, qui eſt omnium creator, vt ſcire poſſis Deum omnium, & ne credas eſſe Deos, ea quæ ab hominum manibus fabricantur.* Profundè quidèm Chryſoſtomus! Nempè quod in viris eximiè ſanctis, & aſpectabili pietate conſpicuis, ſpecie tenus vitium apparet, ſæpè virtutis eruditio eſt. Vel ex apparentis vitij latebris, piè inſidiantur profectui ſpectatorum; & aliquandò ſpecie improbitatis, clanculùm pietatem ſpirant, efflicant, alliciunt: & quod putas de terræ contagio, de cæli ſcholâ venit. Ecce tibi Abraham iurans per *Deum excelſum poſſeſſorem cæli & terræ*; verum Deum Gentibus intimat, & idololatriæ inſaniam damnat ad Gentium eruditionem. Et Mardochæus dum ſpecie tenus, nimis acerbè de hoſtibus populi Dei vlciſcitur, ſummi Dei omnipotentiam adſtruit, eumque acerrimum ſcelerum vindicem, & virtutis aſſertorem demonſtrat: *in tantum vt plures alterius gentis & ſectæ eorum (Iudæorum) religioni & ceremoniis iungerentur.*

Geneſ. 14. v. 22.

Lipoman.

S. Chryſoſt.

*Viri eximiè pii vel ex apparentis vitij latebris inſidiantur ſpectatorum profectui.*

In hunc verſ. 15. placuit congerere Mardochæi laudes in hoc libro ſparſim commendatas: hîc enim præmiata virtus ſumptuoſiùs elucet: indeque Mardochæi pietas & beneficentia erga Dei populum micantius prænitet. Eſther. 8. v. 17.

---

## §. CCVIII.

*Diuitum crimen eſt, quod diuitiarum eſſe putatur: aliquandò enim aſpectabilis virtus, opulentiæ ſtipendium eſt, & opulentia reconciliationis ſuffragium.*

Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi, ita ſcribit: *Diuitiæ ſunt ſerpenti ſimiles, quem ſiquis neſcit inoffenſè eminùs accipere, beſtiam ſine periculo, ſummâ caudâ apprehendens; ea manu circumplicabitur, & mordebit: Ita & diuitiæ, ſi ab imperito viro apprehenduntur, inhærent & mordent. Sed ſi quis ſe magnificum præbens rectè & ſcienter eis vtatur, illæſus permanebit.* Profectò multis diuitias abiuraſſe, & paupertatem vltrò acquiſiiſſe, ſæpe non finis miſeriarum fuit, ſed mutatio. Non eſt enim in rebus vitium, ſed in animo. Quemadmodum nihil differt vtrum ægrum in ligneo lecto, an in aureo colloces: quocumque illum transtuleris, morbum ſuum ſecum transfert. Sic parum refert; vtrùm animus æger in diuitiis, an in paupertate ponatur, malum ſuum illum ſequitur. Euangelica paupertas præſtantior eſt, diuitiæ non ſemper nocent; nec tam diuitiarum, quàm diuitum vitium puta. 1.

Clem. Alex. lib. 3 Pædag. c. 6.

*Diuitiæ ſunt ſerpenti ſimiles.*

2. Actorum 10. *Vir autem quidam erat in Cæſareâ, nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religioſus, ac timens Deum cum omni domo ſuâ, &c.* Is in clarâ viſione Angelum manifeſtè vidit, qui ei iuſſit Petrum accerſere. Quo accerſito, de rebus Chriſtianæ fidei eruditur, & præluſtri gratiæ pompâ Spiritum-ſanctum coràm accipit, magno adſtantium ſtupore. Piè curioſâ ſagacitate quærunt interpretes, quare dudùm Æthiopis, & nunc Cornelij ad fidem conuerſiò, tanto verborum apparatu à ſacro Scriptore denarretur; qui plures aliorum conuerſiones, aut ſilentio mutus obuoluit, aut perſtrictim delibat? Chriſtianæ fidei œconomia, quæ dignitatum faſtum ſeueriùs caſtigat, dignitatum faſtu ſublimes ſigillatim recenſet; & viles ac pauperculos ad fidem accedentes, contemptim negligit? Aut hos ſic depretiare non debuit; aut illos ſic non debuit adpretiare. Oecumenius prælibatum dubium tacitè propinat, dum explicatiùs diluit: Non

Actor. 10. v. 1. & 2.

*Dignitatum & opulentiæ faſtus, aliquandò à pietate non auertit.*

Occum. ibi.

*Non memorantur*, inquit, *Æthiops ac Cornelius, eò quòd in dignitate conſtituti erant, ſed quòd ob diuitias & faſtum prohibiti non fuerint, quin verſarentur in pietate.* O ſalutarem Proceribus eruditionem! Pij erant ſub diuitiis. Dignitatum & opum faſtus, non arroganter euanuit in ſuperbiam; ſed in Chriſtianam humilitatem nobiliter quaſi degenerauit. Virorum principum ac diuitiis nobilium, ad Chriſtianam religionem inopinata conuerſio, non denarratur ad ipſius religionis faſtum, cui renunciauit in Auctore: ſed vt cunctis innoteſcat, Æthiopem & Cornelium diuitiis auctos, dignitate inclytos, *diuitias & faſtum prohibitos non fuiſſe, quin verſarentur in pietate.* Heu, nolle in cauſsâ eſt, & non poſſe prætenditur!

Geneſ. 4. v. 14. Rupert. l. 4 in Geneſ. c. 7. *Cain terræ fructibus ſpoliatus, in Dei conſpectu non audet apparere.* Hugo Carens. ibidem.

8. Geneſeos 4. Cain impiiſſimi ſceleris conuictus, hanc ſententiam ex Dei ore audit: Nunc igitur maledictus eris ſuper terram. Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos. Dixitque Cain ad Dominum: Maior eſt iniquitas mea quàm vt veniam merear. *Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tuâ abſcondar.* Quæ verba ſic elucidat Rupertus: *Hoc timet ne agricolari ſibi non liceat; ne terram, quam ſolam amat, pro admiſſo facinore perdat.* Verùm difficultate non vacat, quare quoniam terra fructus ſuos illi negabit, eiici ſe putet à facie Dei. An Dei facies illi duntaxat patet, cui terra fructus ſuos vberiùs facit? Reſpondet Hugo Carenſis: *Ecce eiicis me hodie à facie terræ; & à facie tuâ abſcondar. Et dicitur eiici, quia grauis & oneroſus factus eſt omnibus, etiam ſibi, quòd iam in præſentiâ Domini non audeat comparere.* Nimirùm Cain operoſæ agricolationis ſpebus, & opimi terræ fructibus viduatus, non ſolùm dicitur eiici à facie terræ, ſed etiam à facie Dei abſcondi, quaſi iam terræ fructibus viduatus, illi non ſuppetant electi agricolationis ſuæ prouentus, quorum ope & vitam ſuſtentare, & offenſum numen oblationibus placare poſſit; quò fieri putat, *quòd iam in præſentiâ Domini non audeat comparere.*

Daniel. 4. v. 24. *Opulentus cenſus vtilis eſt ad redimenda peccata.* S. Cypr.

4. Danielis 4. hæc ſuperbè opulento Nabuchodonoſori Propheta piè ſuggerit: *Quam ob rem rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet delictis tuis.* Ad quæ Danielis verba adludens S. Cyprianus, his verbis diuites admonet ad proficuum diuitiarum vſum: *Locupletem*, inquit, *te eſſe dicis, & vtendum putas iis quæ poſſidere te Deus voluit, vtere, ſed ad res ſalutares; vtere, ſed ad bonas artes; vtere ad illa quæ Deus præcepit, quæ Dominus oſtendit. Diuitem te ſentiant pauperes, locupletem ſentiant indigentes. Patrimonia tua Deo fœnera; Chriſtum ciba, vt ad Domini præmia venire contingat, multorum precibus exora.... Alioqui tentatio eſt patrimonium grande; niſi ad vſus bonos cenſus operetur: vt patrimonio ſuo vnuſquiſque locupletior magis redimere debeat quam augere delicta.* Benè monentem audis Cyprianum: ſequere. Grande ſiquidèm bonum aliquandò eſt, cenſum habere, quo peccata tua poſſis redimere, & Redemptori æmulâ ſatisfactione cooperari.

1 ad Tim. 6 v. 6. S. Auguſt. epiſt. 121. Theoph. ibi.

5. 1. Ad Timotheum 6. tametſi inibi Apoſtolus diuitiarum auaritiam, tanquam vitiorum omnium radicem, meritò auerſetur; ita tamen ſcribit: *Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientiâ.* Auguſtinus, & Theophylactus *ſufficientiam* intelligunt, ſi ea ſuppetant quæ ſunt ad tuendam vitam neceſſaria, vt Paullus dicat, tum demùm pietatem magnum afferre lucrum, ſi nihil deſit eorum, ſine quibus vita conſeruari non poteſt. Quò pertinet illud Salomonis: *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo neceſſaria, ne fortè ſatiatus, illiciar ad negandum, & dicam, Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus furer, & periurem nomen Dei mei.* Eleganter Chryſoſtomus homil. 79. in Ioannem, hanc rem elucidat, cuius verba alibi ſcripſimus; nunc excribenda & expendenda ſunt verba Ambroſij, qui, in Orat. de obitu fratr. Satyri, ita fatur: *Nam de parſimoniâ quid loquar, & quâdam habendi caſtitate. Is enim non quærit aliena qui ſua ſeruat, nec inflatur immodico, qui contentus eſt proprio.* Scilicet Satyrus in peramplâ nobilitate, & anguſtiâ facultatum, frugaliſſimè viuebat; ambitioſis ſumptibus debens, quod nullius indigus, nil deberet. Sua ſeruabat, ne quæreret aliena: nihil ſuum per deſidiam negligens, *quâdam habendi caſtitate.* Ecce tibi, ſollicitam rerum ſuarum adminiſtrationem, & frugalem earum vſum, ne ad diram mendicitatem cogeretur, *quâdam habendi caſtitate* peractam dicit Ambroſius. Procùl à Satyro auaritiæ libido, qui *pietatis quæſtum cum ſufficientiâ* colens, parcè ſecum agebat, frugali *quâdam habendi caſtitate.*

Prouerb. 30. v. 8.

*Satyrus parciùs ſecum agebat, frugali quâdam habendi caſtitate.*

S. Amb.

6. Lucæ 19. Ieſu Hierichuntinam vrbem ingreſſo, Ecce vir nomine Zachæus; & hic erat princeps publicanorum, & *ipſe diues.* Sed quem de fraude, & officij abuſu diuitem ſcimus; qualis iam ſit de bono diuitiarum vſu legamus: Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: *Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Ieſus ad eum: Quia hodie ſalus domui huic facta eſt.* Grande quidèm miraculum! Ecce camelus depoſitâ gibbi ſarcinâ per foramen acus tranſit, hoc eſt, diues & publicanus relicto amore diuitiarum, cenſu fraudum contempto, auxilio etiam diuitiarum è diuerſo ſaluatur. Pulchrè Ambroſius: *Diſcant diuites non in facultatibus crimen habere; ſed in his qui vti neſciunt facultatibus. Nam diuitiæ ſicut impedimenta ſunt improbis, ita bonis ſunt adiumenta virtutis.* Sibi modulatiùs Ambroſius accinit, dum ſuprà exponens illud Lucæ 6. *Væ vobis diuitibus*, ita ſcribit: *Licet pecuniariis copiis multa ſunt lenocinia delictorum, pleraque tamen ſunt incentiua virtutum: quanquam virtus ſubſidia non requirat.* Scilicet ſancti Eccleſiæ Patres, qui Euangelicam paupertatem, & opulentiæ pericula vno ore prædicant; ne ſeculi diuites prorſus deſperent, bonum diuitiarum vſum ſeriò perſuadent, ne in facultatibus crimen habere putent, quod de earum abuſu in diuitibus eſt. Vnde opes ſicut plerumque ſunt *delictorum lenocinia*, ſic Zachæo & aliis *incentiua virtutum* extiterunt.

Lucæ 19. v. 8. & 9.

*Diuitiæ quæ aliis ſunt vitiorum lenocinia, Zachæo ſunt incentiua virtutum.*

S. Ambr. l. 8. in Lucam.

Lucæ. 6. v. 24.

S Ambr. l. 5. in Lucam.

7. Numerorum 20. Hebræa gens Ægyptiis opibus prædiues, de Cades nuncios præmittit ad regem Edon: *Obſecramus* (inquiunt) *vt nobis tranſire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, neque per vineas..... Per tritam gradiemur viam: & ſi biberimus aquas tuas nos & pecora noſtra, dabimus quod iuſtum eſt: nulla erit in pretio difficultas.* Ingenua planè ſponſio, in prædiuite & armata gente nimis generoſa, & Dei populo digniſſima. Quod Philo Iudæus his verbis luculenter expendit, *O promiſſionem generoſam & magnifi*

Numer. 20. v. 17. & 19.

*Olympia anima eſt, per bona temporalia perfunctoriè tranſire.*

*in igriſ amiltaue obſecro, ſuperare, tranſcurrere quicquid in terra bonum cenſetur, poteritis? Nihilne veſtram properationem remorari poterit?....Olympiæ cæleſtique animæ sūt hæc tam ingētia facinora, quæ regione terreſtri iam relicta, ad diuinarū naturarū ſeducta eſt conſuetudinem.* Generoſum ſanè eſt in homine, & quod limi ſui vilitatē diffiteatur, diuitem armatum ſic vrbanè, & ex æquitate agere: ſic tranſite per Edonis delicias & diuitias, vt properationem ad terram promiſſionis non impediat. Hoc ſanè olympiæ & cæleſtis animæ elogium eſt, populi Dei ſuſpiciendus character. Dei enim populus, nec ob proprias diuitias arroganter ſuperbit, nec alienas inſolenter exambit. Viâ enim rectâ ad Terram promiſſionis properare ſatagit, cetera negligit, quò faciliùs pertranſeat.

Iacob. 1. v. 9. & 10. S. Hieron. l. 4. in Thren.

8. Iacobi 1. *Glorietur frater humilis in exaltatione ſua: diues autem in humilitate ſua, quoniā ſicut flos agri tranſibit.* Locus ſanè difficilis, adeò vt cenſuerit Hieronymus (ſi Hieronymi eſt lucubratio illa in Threnos) ironicè hæc ab Apoſtolo dicta. Nam eſto, Chriſtianus humilis in exaltatione ſuâ gloriari permittatur, tametſi in exaltatione gloriatio Chriſtianorū humilitatē lædere ſolitat quomodo diues, agnato diuitiis faſto ſublimi, in Humilitate ſua gloriabitur, cùm ſatis ſit eam patiēter tolerare? Benedictus Iuſtinianus ſic locum exponit: Glorietur, &c. Quaſi dicat Iacobus: Chriſtianus paupertatę humilis, habet quidē vndè glorietur quia à Deo expectat exaltationē: diues autē ſi gloriari libeat, glorietur ſanè in deſpectu contemptuque diuitiarum, quo fiat, vt abiecti atque humilis animi à pleriſque habeatur. Sic enim ferè plurimi mortalium cēſent, eos qui diuitiis affluunt, ſi modeſtiam colant, longè abſint à faſtu & arrogantia, abiecti eſſe animi, & tā amplâ fortunâ indignos: atque hanc ταπείνωσιν Apoſtolus nominat: cùm tamē coram Deo nihil ſit laudabiliùs, quàm ſi diuites modeſtiam, animique demiſſionem retineant. Hactenùs ille ad litteram, & ad mores opportunus. Et ſanè, licet hæc Iuſtiniani expoſitio non ſit ad rem inidonea; ſubiiciam tamen aliam, quam Metaphraſtes his verbis luculenter ſcribit: *Glorietur*, inquit, *humilis quidèm in ſua altitudine diues autem in ſua humilitate: nam cùm diuitiæ alliciant ad ſuperbiā, paupertas autem ad animi deiectionē; ille contrà iubet facere: diuitem quidem ſuam conſtituere altitudinē in modeſtis actionibus, pauperem verò hoc ipſum exiſtimare dignitatem nō contemnendam, ſi magno & excelſo animo ferat paupertatem.* Quaſi gratuletur diuitiis, quòd ſiquis depoſito faſtu, eis *modeſtè* vtatur, *gloriari* poſſit impunè. Magna ſanè diuitis modeſtè opulenti gloria eſt, exæquans paupertatis humilitatem æquanimiter toleratam; in vtrumque enim diuerſiſſima fortuna grauius incūbit. Modeſtia in diuite, & tolerantia in paupere de gloriæ ſublimitate ſumptuoſiùs decertant, pia ſanctitatum æmulatione.

Idem ibi. v. 4. & 5. — *Modeſtia in diuite, & tolerantia in paupere, de gloria ſublimitate certant.* — Metaphraſtes apud Surium die 1. Maij.

Hic verſ. 15. Initio huius cap. dedit rex Aſſuerus Eſther reginæ domum Aman...Eſther autem conſtituit Mardochæum ſuper domum ſuam. Vide quàm ſit opulentè locupletatus. Nunc autem *Mardochæus de palatio, & de conſpectu Regis egrediens, fulgebat veſtibus regiis...., coronam auream portans in capite, & amictus ſerico pallio atque purpureo.* Inde ampliorem beneficentię materiam nactus: quippe qui in diuite beneficum non amiſit.

*R. P. Didac. Celada in Eſtherem.*

## ſ. CCIX.

### *Sapiens in actuoſæ prudentiæ officina, fortunam ſibi ſedulus fingit.*

1. NVlla eſt tā bona fortuna, de qua nihil queri poſſis. Sapiens vir aduerſus fortunam querulus non eſt: nam eam virtute vincit. Ignauis neceſſe eſt, vt multa in eorum vita caſus poſſit, quia viuunt caſu, & temerè cuncta diſponunt. Ad vtroſque caſus ſapiens aptus eſt: bonorum rector eſt, malorū victor. Non ex ebore tantū Phidias ſolebat facere ſimulacra, faciebat ex ære: ſi marmor illi, ſi adhuc viliorem materiā obtuliſſes, feciſſet quale ex illa fieri optimū poſſet. Sic ſapiens placidam virtutem ſi licebit, in diuitiis explicabit, ſi minùs in paupertate: ſi poterit in patria; ſi minùs in exilio: ſi poterit integer, ſi minùs debilis quamcumque fortunam acceperit, aliquid ex illa memorabile efficiet. Imò & fortunā ſibi ſapiens fingit, cū vel aduerſam recudit in proſperam ex prudentiæ officinâ, & cū ſollertiæ ſagacitate ſe ac ſua diſponit, vt caſu non viuat, vt temere nihil faciat, vt aduerſos caſus mentis ſollicitudine anteuertat, & nil prope fortunæ licere patiatur. Ad hunc felicitas non temerè venit, ſed conſultò venire cogitur: huic fortuna non caſualis, ſed factitia eſt. Quod ſi res è voto non ſuccedat, de ſua queritur ignauiâ inerti inactuoſaque, nō de cæco fortunę euentu. *Veluti ſiquis cæcus*, ait Plutarchus, *in quempiam incidat, illum cæcum appellat, qui non vitauerit; Sic nos fortunam facimus cæcam in quam noſtrapte incidimus cæcitate.* De actuoſæ ſagacitatis oculis cuique licet fortunam oculare. Inertia non cæcam inuenit, ſed facit, & querelis deſidiam excuſat. Vidimus hactenùs Mardochæi ſedulitatem, ne ergo hìc miremur in illo vel vltra vota felicem.

Seneca epiſt. 86. — *Sapiens fortunam ſibi fingit in actuoſa prudentia officina.* — Plutarq. in Moral. — Hic v. 15. & 16.

2. Regius vates Pſalm. 110. ſic pangit: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in ſeculum ſeculi.* Multi ſunt interpretes, vt explicent qui ſit hic *intellectus bonus*, quem pollicetur Pſalmographus omnibus *facientibus eum*; & quē tam opulēte munifico præmio honorat, vt perēni laude munerandum affirmet, quam nulla delebit obliuio. Et ſanè *Intellectus* res à nobis factitia nō eſt. Quis enim ſibi *intellectū* fecit? quòd ſi facere intellectū potuiſſet, non ambigerem, quòd *intellectum bonum* ſibi *feciſſet*: nam *bonus intellectus* ea res eſt, quæ ab homine pluris æſtimatur, & quā homo maximè cēſetur. Vidit has difficultates Agellius, & vt illas peritè declinaret, nouū quid cōmentus eſt, aiens *Intellectum bonū pro bono proſperoque ſucceſſu poni*: & ſenſum eſſe, *omnibus qui ſapientiam factis ſuis oſtenderint, omnia proſperè ceſſura.* Pulchrè quidē ad mores (ſi minùs ad litteram, vt multis inibi olim oſtendimus) Itaque proſper in rebus agendis *ſucceſſus*, qui plerumq; caſui perperā adſcribitur; *intellectus bonus* à Pſalmographo nuncupatur; quaſi felix *ſucceſſus bono intellectu* impreſſus ſit; vel potiùs *bonus intellectus ſucceſſui* proſpero impreſſus. Sic bonus *ſucceſſus*, quē caſū appellas, *bono intellectu*, vt ſagacioris & actuoſioris prudētiæ cōſulta peritia imbutus eſt, ac ſi bonus *ſucceſſus* ſit *boni intellectus* bibulus. Inertia infelicē fortunā, ſollertia proſperē plerumque facit Sapiens ſibi fortunam fingit.

Pſ. 110. v. 10. — *Proſper ſucceſſus, bono intellectu impreſſus & imbutus eſt.* — Agellius ibidem.

3 Matthæi 20. illc pater familias in ſuæ vineæ cultione in paucis ſollers, exſomni cura diligentes operarios perquirit. Egreſſus circa horam

dici primam quoſdam mitit, ſimiliter circa tertiam, & ſextam, & nonam. Circa vndecimam verò miſit alios. Deindè dicit procuratori ſuo, vt æquam mercedem, incipiens à nouiſſimis, omnibus tribuat. Venientes autem & primi, Matth. 20. v. 11. & 12. arbitrati ſunt quòd plus eſſent accepturi: acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios. Et inuidentes gratiæ nouiſſimorum, auaram ſuam fortunam queruli incuſant: *Et accipientes murmurabant aduerſus patremfamilias dicentes: Hi nouiſſimi vnâ horâ fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus.* Cùm Orig. Tract. 10. omnibus in confeſſo ſit iniquam eſſe hanc querimoniam, Origenes putat, operarios ſerò conductos, in breuiori tempore primorum labores præ cultionis ſollertiâ adæquaſſe: *Poterant enim*, inquit, *æquale opus facere in vineâ eis qui ex mane ſunt operati, quicumque in tempore breui volebant operantem virtutem ad opus extendere, quæ antè non fuerat operata.* Nimirùm hi primi operarij in opere ferè ſegnes, nouiſſimis operariis quaſi tantam mercedem immerentibus queruli inuident, & donatæ ſibi mercedi parum grati, expoſtulant: atque indè reprehenſionem Patrisfamilias incurrunt. Nam quod negligentiæ ſuæ erat, adſcribunt felicitati immeritæ *nouiſſimorum*, non induſtriæ ſollerter actuoſæ: & dum mercedem accipiunt, obmurmuratione querulâ ingrati aduerſus æquæ mercedis largitorem exiſtunt. Eloquenter Emiſſenus: *Ille*, inquit, *tantorum munerum repromiſſor non vult in opere ſuo tepidum, deſpicit faſtidioſum, reſpuit indeuotum. Lentum enim & parum gratum quærere gratiam diuini muneris, maxima eſt iniuria remuneratoris.* Conſultiſſimè hic paterfamilias his primis operariis, qui *nouiſſimis* inuidebant inopinatam mercedis felicitatem, aſperiùs reſpondet: *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Nam induſtriam nouiſſimorum remunerat, qui recuſat tepidum, deſpicit faſtidioſum. Porrò primos operarios in opere *lentos*, & in remuneratione *parùm gratos*, nouiſſimis inuidentes vberioris mercedis inopinatam felicitatem, & opulentioris muneris gratiam negligenter quærere, *maxima eſt iniuria remuneratoris*: nam improuiſo caſui adſcribunt: quod & collaborantium induſtriæ, & diuinioris prouidentiæ æquitati tribuere debuiſſent. O ſi non plus accipis, te potiùs incuſa, quia non plus laboraſti, non fortunam, ſed fortunati induſtriam attentiùs explora: nam *tantorum munerum repromiſſor, non vult in opere ſuo tepidum, deſpicit faſtidioſum.* Quid tu in opere piger feliciora munera querulus expetis? *Lentũ enim & parum gratum quærere gratiã diuini muneris, maxima eſt iniuria remuneratori.*

*Lentus in opere, non fortunam, ſed fortunati induſtriam attentiùs exploret.*

Emiſſ. homil. 3. ad Monach.

4\. Ioannis 14. auditâ Petri futurâ negatione reliqui Diſcipuli nimio mœrore anxij hærẽt. Ioan. 14. v. 2. Quos Chriſtus propoſito cæleſti præmio, ad ſtrenua virtutis facinora his verbis extimulat: Non turbetur cor veſtrum. Creditis in Deũ, & in me credite. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Quorsùm Chriſtus Diſcipulis dicit, multas in P. Mald. ibid. cælo præparatas eſſe manſiones, quibus occupãdis, felicitatis humanæ ſomma conſtat? Nempè Chriſtus Deus conſolatur Diſcipulos (ait P. Maldonatus) non propterea excluſos eſſe à cæleſti Chriſti regno, ſi modò Chriſtum non ſequantur, ſecuturi ſuo poſteà tempore, *nec ipſis locũ defuturum: in domo enim Patris ſui, hoc eſt, in regno manſiones multas eſſe, ſuam cuique ſeruari, neque timendum eſſe, ne ab alio occupetur.* Quaſi ideò, dicatur in cælorum regno manſiones multas eſſe ne anxiè timeant Diſcipuli, ne dum ipſi in terris interim manent, nec Chriſtum tunc ad cælos ſequuntur, alius ſollertioris induſtriæ merito paratum ſibi in cælis locum præoccupet, & in beatâ cæli felicitate *locus ipſis deſit*, quem alterius diligentia præripuit. Ac ſi tantâ merendi ambitione cæleſtis felicitas procuranda ſit, vt timeri quodãmodo poſſit, ne alius locum præoccupet, & cæli felicitatem feſtinus præripiat. Audiendus eſt hâc ſuper re Euſebius ſic elegãter fatus aduerſus Monachos inertes deſides: *Quomodo hoc dicit, cui præceptum eſt. Nolite quærere quæ veſtra ſunt?* & *iterùm: Non quæ ſua ſunt ſinguli deſiderantes: a quo non hoc ſolum expetitur, vt mercedem ſuam impleat, ſed vt alienas inuadat, præoccupet, rapiat.* Scilicet tam ſtrenuâ induſtriâ, & tantâ benè merendi quaſi ambitione, & piâ ſanctitatum auaritiâ, debet quiſque rem virtutis gerere, & ad æternam felicitatem voto & opere anhelus gliſcere, ac ſi feſtinus properet aliorum in cælis manſionem præoccupare, & felicitatem illi beatè deſtinatã præripere *In domo Patris mei mãſiones multæ ſunt: neque timendum eſt, ne ab alio locus occupetur.* tametſi quiſque ſic ſtudioſè hanc felicitatem debet ambire, *vt non ſolùm mercedem ſuam impleat, ſed vt alienas inuadas, præoccupet, rapiat,* voto inquã. Nã in domo Dei *mãſiones multæ ſũt.*

*Probè ne cæleſtem alterius manſionem, quis inuadere, præoccupare, & rapere ſtudeas?*

Euſeb. hom. 3 ad Monach.

Regius Pſaltes pſal. 67. epiphonema gratulabundum Deo pangit: *Benedictus Dominus die* 5. Pſalm. 67. v. 20. *quotidie: proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum.* Et quæ eſt hæc *proſperitas*, quã ſibi indubiè Propheta ſpondet? Vndè nam hanc proſperam fortunam de viâ ad cælum feliciter percurrendâ, fauſtè ſibi ominatur? Caietanus ſic Caiet. ibid. locũ ex Hebræo ſcribit, & ad rem exponit: *Benedictus Dominus die die: onerabit nos Deus ſalutem noſtram. Benedictus*, inquit, *Dominus benedictione laudis, die die, omni die ſucceſſiuè: quia onerabit Deus ſalutẽ noſtram nobis. hoc eſt, quia onus quod imponet nobis eſt onus ſalutis noſtræ..... Et futurũ, onerabit, ſignificat perſeuerantiam ſalutaris oneris diuinæ legis.* Similem ad modum hunc locum extulerunt Biblia regia, Vatablus, & alij. Nimirũ *proſperum* iter facere in hâc vitâ, in omnibus cumulatiùs *proſperari*, & in morte felicitate æternâ proſperè beari, idem eſt apud Caietanum, ac, *onerabit Deus ſalutem noſtram nobis.* Quiſquis perſeueranti conſtantiâ onus diuinæ legis & vltrò ſubit, & ſollerti labore baiulat, de ſollicitæ induſtriæ negotioſo opere, & operoſo merito, ille fortunatus perhibetur, felicitatẽ inuenit, & in omnibus feliciter proſperatur. *Proſperum iter faciet nobis Deus.* id eſt, *onerabit nos Deus.* O moraliſſima ſynonyma! Nec modo proſperũ iter facit; ſed cõſultiſſimè dicitur de futuro, *Faciet*; quia futurã etiam *proſperitatem* fauſtè ominatur in omni vitæ curriculo ei; qui ſedulus in obſequio, & in bono opere induſtrius, diuinæ legis onera ſpontè baiulat, & exſomni curâ operoſiùs exequitur. Hîc, hic inquam, dum *proſperitatem* induſtrius inuenit, fortunam ſibi ſapienter fingit.

*Ille proſperitatem inuenit, qui ſollerti induſtriâ diuinam legẽ exequitur.*

6\. Regius Propheta Pſal. 77. ita de ſe pangit, ex Dei electione cælitus inſtituto: *Et pauit eos* (rexit populum) *in innocentiâ cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos.* Pſalm. 77. v. 78. id eſt optimam fuiſſe diuinam electionem euentus comprobauit, Dauid enim pauit, & rexit populum Dei in innocentiâ cordis, & ſapientia operis, in innocentia cordis, quia cor purum & immaculatum gerens non affectabat gloriam

rium ſuum, ſed Dei; non vtilitatem ſuam, ſed populi: cupiebat non tam præeſſe, quàm prodeſſe; paſcebat oues, non vt ſuas, ſed vt Domini ſui; vt miniſter, non vt herus. Exindè Dauid & Hebrææ gentis regium ſceptrum, & glorioſum virtutis principatum obtinuit, in innocentiâ cordis, & manuum intelligentiâ. Pro τὸ *innocentia cordis*, alij habent, *candorem, ſinceritatem, integritatem, manſuetudinem, bonitatem, perfectionem cordis*. quæ omnia excelſæ virtutis, & perfectæ felicitatis metam demonſtrant. Illud autem, *in intellectibus manuum ſuarum*, alij Vertunt, *in prudentiâ, in intelligentiâ, in ſenſu, in intellectu*. Rem cum epithaſi expreſſit Vulgatus pluratiuo vocabulo, *in intellectibus*, quaſi non modo intellectum, ſed plures *intellectus* Dauidis manibus adtribuerit. Viuaciùs ad rem præſentem Illyrica excriptio, *in intellectu manu ſui*. ac ſi non tantùm tribuat manibus intellectum, ſed manus ipſas, intellectum appellet. Verùm S. Auguſtinus quo pollebat ingenij acumine, præſcripta Pſalmi verba elucidans addubitat: *Et pauit* (ſcxit) *eos in innocentiâ cordis, in intellectibus manuum ſuarum. Alius putaret ita congruentiùs poſſe dici, Innocentiâ manuum, intellectu cordis. Hic autem qui magis quàm alius quid loqueretur ſciebat, cordi maluit adiungere innocentiam, & manibus intelligentiam.* Profunde quidèm non tam cordi (quod eſt ſapientiæ, prudentiæ, ac peritiæ conceptaculum) ſed *manibus intellectus* attribuitur, & ſanè plures *intellectus*; quin & *manus* ipſæ ab Illyrico *intellectus* dicuntur: non aliquo rapaci furto, quo manus intelligentiam à corde rapiant; ſed quia manus ſibi ſuum intellectum fabricant, in ſedulitatis officinâ, & negotioſâ induſtriâ ſapienter excudunt. Siquidem *intellectus bonus omnibus facientibus eum*, & vt ex Agellio excripſimus *Intellectum bonum pro bono proſperoque ſucceſſu ponit.* O benè! Vides Dauidem de caulâ ad aulam, de agolo ad ſceptrum ſublimari, & vel ex diuerſo fortunatiſſimè proſperari; fortunam ride, cœca eſt: nec cordis intellectus ſatis eſt ad regiam coronam, & proſperam ardui regiminis felicitatem. Ideò non ait, *In intellectu cordis, & innocentia manuum*; ſed, *In innocentia cordis, & in intellectibus manuum ſuarum*, ſiue, *in manu ſua intellectu*, qui eſt *intellectus bonus omnibus facientibus eum intellectum bonum pro bono proſperoque ſucceſſu ponens.* Scilicet de actuosè ſagaci prudenter opere, cuique integrum eſt cæcam fortunam ſibi inoculare. Arrige aures ad Dei gratiam, & manus ad opus contende, & tibi felicitatem excudiſti.

Variè tranſferunt apud Lorin. ibi.

Correxit ... cordis ... intellectibus ... cordis ... [illegible]

S. August.

Agellius

---

## ſ. CCX.

### *Præmium malum, luculentior ſubſecuti boni interpretatio eſt.*

1. Tertul. de Spect. c. 2. *Voluptas ſapiens argumentatrix ſibi videtur.*

QVam *ſapiens argumentatrix ſibi videtur ignorantia humana, præſertim cùm aliquid eiuſmodi de gaudiis, & de fructibus ſeculi metuit amittere.* quæ ſunt Tertulliani verba in lib de Spectaculis. Ironica planè oratio. *Fructibus ſeculi*, cum Commentatore *voluptates* intellige, & mundi *gaudia*. Itaque ignorantia humana cùm de voluptate & gaudio deliberat, (ſi tamen deliberat, & non potiùs inconſultè & præcipitanter fertur) *ſapiens argumentatrix ſibi videtur*, dùm dolorem, ærumnas, atque triſtitiam procùl arcet, quaſi voluptati & gaudio inimicam: & tamen præcedens ærumna & triſtitia ſubſecutam voluptatem mellit, & gaudij pretia voluptuoſiùs exaggerat, quaſi ab ærumnoſâ triſtitiâ emendicauerit placendi gratiam, & exhilarandi elogium. Scilicet hilarior lætitia, mœſtæ triſtitiæ hoſtilia caſtra deſpoliat, quò ſua gratiùs adornet. Sic Lætitia de peruerſo ſuffragium exoptat! O quàm dilucidè præuia nuper populi Dei mœſtitudo, ſumptuoſius nunc gaudium interpretatur! Hic verſ. 14.

2. Actorum 1. Chriſtus Deus è mortuis rediuiuus, & glorioſæ Aſcēſioni proximus Diſcipulis Actor. 1. v. 4. & 5. conueſcens, præcepit eis ab Ieroſolymis ne diſcederent, *ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis (inquit,) per os meum: quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu-ſancto non poſt multos hos dies.* Solerter hic perquirunt Interpretes, cur non confeſtim poſt Chriſti Aſcenſionem Spiritus-ſanctus aduenerit ſed *expectandum* dicat, & non poſt multos dies aduenturum. An non è re Chriſtianâ foret, vt ſtatim poſt Chriſti abſceſſum Spiritus-ſanctus Diſcipulis adeſſet, qui eorum corda vberioribus perfunderet gratiis? Quid neceſſe fuit, vt poſt Chriſti in cælos Aſcenſionem tandiu hærerent mœſti, triſtentur pauidis & pauida mœſtitudine aduentum Spiritus-Sancti præſtolentur? Pulchrè Occumenius indidem reſpondet: *Oportebat in cælo noſtram* (in Chriſto) *comparere naturam, ac perfectam fieri reconciliationem, ac tunc venire Spiritum.* Mitto hanc rationem ad aliud thema forſâ expendendam: & aliam huius magni Doctoris ſubiiciam: *Non ſtatim autem deſcendit Spiritus*, inquit, *ſed poſt octo fortaſſis aut nouem dies, vt paullulum contriſtati, & in deſiderio ac neceſſitate promiſſionis conſtituti, purum ac perfectum reciperent in eius aduentu gaudium.* Nota τὸ *purum ac perfectum reciperent in Spiritus-ſancti aduentu gaudium.* Nempe Diſcipuli ægrè admodùm tulerunt chari Magiſtri abſentiam, ipſo dicente, *Quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum: ſed expedit vobis vt ego vadam.* Ergò antequam Spiritus-ſanctus, perfectus animarum conſolator adueniat, triſtitia impleat cor Diſcipulorum, vt vel paullulum *contriſtati, purum ac perfectum reciperent in eius aduentu gaudium.* quaſi illud gaudium ſit purum ac defæcatum, atque plenè perfectum, quod aliena dudum triſtitia erudit ad placendi gratiam: ac ſi aliqua nuper mœſtitudo & præuius angor, ſubſecutam lætitiam deputet, ac defæcatam reddat; dum de præcedenti ærumnâ puriorem excudit lætitiam, abiectâ humanæ iucunditatis ſcoriâ. Itaque mœſtitia quæ præit gaudium, non eſt illius excrementum, ſed eiuſdem deputatio, & exaggeratior perfectio. Exindè ante Spiritus cōſolatoris aduentum, Diſcipuli de Magiſtri abſentia contriſtentur, vt de præuiâ triſtitudine *purum ac perfectum reciperent in eius aduentu gaudium.*

*Præuia triſtitia purum ac perfectum excipit gaudium.*

Occum. ibi.

3. Geneſeos 2. Tulit ergò Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo vo- Geneſ. 2. v. 17.

voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illum. Præcipitque ei dicens: *Ex omni ligno paradiſi comede: De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.* Eccur in paradiſo voluptatis, vbi iuſtitia, ſapientia, & innocentiæ candor vernabat ad gratiam.; *lignum ſcientiæ boni & mali* ſeritur, floret, fructificat edulibus pomis? Arbor *ſcientiæ boni* duntaxat forſan opportunior paradiſo foret. Quid arboris *ſcientiæ mali* cum paradiſeis voluptatibus? S. Auguſtinus ita hunc locum

S.Aug. lib.1. Locution. c.1.

exſcribit, & exponit: *Quod habent multi Latini codices, Et lignum ſciendi bonum & malum, vel lignum ſcientiæ boni & mali, vel lignum ſciendi boni & mali, & ſiqua ſunt aliæ varietates de hâc re interpretum; Græcus habet, Et lignum ad ſciendum cognoſcibile boni & mali.* Nempe in fructu

*Malum nihil aliud eſt, quã boni interpretatio.* Lactant. l.7. de diuino præm. c.5.

huius paradiſiacæ arboris videtur eſſe vis *ad ſciendum cognoſcibile boni & mali.* Vix enim (aut fortè ne vix quidem) agnoſceretur bonum, niſi malum pariter cognoſceretur. Eloquenter Lactantius Firmian. ſic ad rem fatur: *Nulla enim virtus eſſe poterat, niſi Deus diuerſa feciſſet: neque omnino apparere vis boni poteſt, niſi ex mali comparatione* (accuratiùs trutina quæ ſubdit verba) *Adeò malum nihil aliud eſt, quàm boni interpretatio. Sublato igitur malo, etiam bonum tolli neceſſe eſt.* O non vulgarem boni interpretationem! Ergò arbor in paradiſo vernat ad *ſciendum cognoſcibile boni & mali*: nec cognoſcitur bonum niſi mixtim cum malo, vt mali notitia ſit dilucidus boni commentarius, & præclara illius interpretatio. Heu ſic caligat mortalium ſcientiâ, vt mali cognitio, rei bonæ expoſitio ſit, & eruditus commentarius! Ex malo ægritudinis, ſalutis commoda metimur: ex imbonitate ærumnarum, felicitatem taxamus: ex angore triſtitiæ vtilitates gaudij penſamus. Adeò vt malum, propè boni cenſus ſit: quia *malum nihil aliud, eſt quàm boni interpretatio.* Vnde ſublato malo, boni notio apud mortales egregiè caligat, vt potè eruditâ interpretatione viduata. O in tot malis, quibus frequenter angimur, boni commentaria attentiùs legamus!

4. In hâc ipſa Eſtheris hiſtoria ſacer denarrat Hiſtoricus, quòd apud crudeliter impium Aman menſe primo, cuius vocabulum eſt Niſan, miſſa eſt ſors in vrnam, quæ Hebræis dicitur *Phur*, quo die & quo menſe gens Iudæorum deberet interfici: & exiuit menſis duodecimus, qui vocatur Adar. Igitur Amani fraude, & Regis vecordiâ, funeſta innocentium Iudæorum ſtrages peragenda erat, niſi Eſtheris & Mardochæi induſtriâ Deus periculum auerteret, & in ſceleroſum Amani caput conſultiùs recideret. Itaque eâdem illa die eiuſdem menſis Adar, & ſeruatus eſt Hebræus populus, & de atrociſſimis hoſtibus cruentiſſimè vltus. Scripſit itaque Mardochæus omnia hæc, & litteris comprehenſa miſit ad Iudæos, qui in omnibus Regis prouinciis morabantur, vt quartamdecimam & quintam decimam diem menſis Adar pro feſtis ſuſciperent, & reuertente ſemper anno ſollemni celebrarent honore.

Hic verſ.26, & 28.

*Atque ex illo tempore dies iſti appellati ſunt Phurim, id eſt ſortium: eò quòd Phur, id eſt ſors, in vrnam miſſa fuerit..... Iſti ſunt dies, quos nulla vnquam delebit obliuio: & per ſingulas generationes cunctæ in toto orbe prouinciæ celebrabunt: nec eſt vlla ciuitas, in quâ dies Phurim, id eſt ſortium non obſeruetur à Iudæis, & ab eorum progenie; quæ his ceremoniis obligata eſt.* Hinc quæſtio exurgit pulchella, quare hoc feſtum, quod effuſiori hilaritate Hebræi celebrant, non alio appellaretur nomine lætiori, quàm *Phurim*, id eſt ſortium, quia eo die ſortes miſit in vrnam Aman, quibus conſuluit, & decreuit eâ potiſſimùm die in Hebræos omnes atrociùs ſæuire. Hac ſuper re P. Gaſpar Sanctius, ſanctitate & ſapientiâ nobilis, ita ſcribit: *Hoc feſtum Phurim appellatur, id eſt ſortium, non à libertate quam eo die conſecuti ſunt Iudæi hoſtibus interfectis, aut domitis: ſed à ſortibus quas conſuluit Aman, & quæ in eundem decimum tertium diem menſis Adar Iudæorum cædem deſtinarunt, vt dum dies ille anniuerſario reditu recurrit, periculi illius renouetur memoria in quo fuerunt, & qualem habuerunt animorum conſternationem, & angorem, cùm de ſortibus, ac die nuncium accepere.* Ecce tibi dum Hebræi dies piè feſtos anniuerſario gaudio concelebrare deſtinant, non lætiſſimæ & optatiſſimæ liberationi ab atrociſſimo excidio feſtum conſecrant; *ſed ſortibus, quas conſulit Aman, & quæ Iudæorum cædem deſtinarunt, vt dum dies ille anniuerſario reditu recurrit, periculi illius renouetur memoria, in quo fuerunt, & qualem habuerunt animorum conſternationem*, &c. Scilicet hoc feſtum non tam effuſiori liberationis gaudio, quàm funeſtæ ſortium triſtitiæ conſultò deſtinant; quò non tam ipſi liberationis bono, quàm ærumnoſæ calamitatis malo gratulari videantur. *Adeò malum nihil aliud eſt, quàm boni interpretatio. Sublato igitur malo, etiam bonum tolli neceſſe eſt.*

P. Sanct. ibi n.20.

*Iudæi cur non tam celebrant feſtũ liberationis, quàm ſortiũ, quibus neci deſtinantur.*

Paulus ad Epheſios 4. ita ſcribit: vnicuique 5.
noſtrum data eſt gratia ſecundũ menſuram donationis Chriſti. *Propter quod dicit: aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus.* Caietanus ſubtilis Bibliorum interpres, hęc Paulli verba de Chriſti Aſcenſione intelligit: & τὸ *captiuam duxit captiuitatem*, de ſanctorum Patrum è limbo ad cælos triumphali eductu commentatur, ſic inibi fatus. *Aſcendens in altum, hoc eſt, in cælum, captiuam duxit captiuitatem, pro quanto Sanctos omnes, qui captiui erant in limbo, duxit in cælum; quod eſt tanquam de captiuitate in captiuitatem ducere.* Bene eſt quòd Paullus captiuitatem appellet diuturnam illam antiquorum Patrum in limbo commorationem. Aſt migrationem indè in cælum, & olympiam beatitudinem, quando ſolenni pompâ triumphum Chriſti Dei glorioſè comitatur, quomodo non inidoneè *captiuitatem* appellet? Quid à re & nomine *captiuitatis* tam lõge abeſt, quàm cæleſtis patria. Imò in terris aduenæ & peregrini ſumus, patriæ exules, & mundi inquilini; in cælo autẽ nulla *captiuitatis* ſpecies apparet. Niſi fortè inibi neceſſitas nõ peccãdi, sũmi boni clara viſio, Dei beata fruitio, quâ cęlicolę potiũtur, nomine *captiuitatis*, olim in mũdo, & nuper in limbo diu perpeſſæ, ſẽtẽtiosè denotentur, quaſi in cæli gloriâ humanas quondam ærumnas Deus beet; & ærumnarum nomine, re ærumnarum vacuo, & empyreis deliciis & honoribus cumulatiùs referto, explicatiùs tradere voluerit. *Sanctos omnes*, inquit, *qui captiui erant in limbo, duxit in cælum; quod eſt tanquam de captiuitate in captiuitatem ducere.* O beatas calamitates, quas Iuſti in hoc mundo perpetiuntur! Ærumnarum

Ad Epheſ.4. v.8. Pſal.67. v.19.

Caiet. ibi.

*Cùm iuſti ex hâc vitâ in cælum migrant, à captiuitate in captiuitatem duci dicuntur.*

rum vocabulo cæleſtis beatitudo declaratur; & quæ libertas eſt auguſte ingenua, & beatè prænobilis; quia iuſti in hoc mundo peregrini, exules, & captiui vitam tranſegerunt, *captiuitatis* nomine deſignatur, ad ſumptuoſioris gloriæ peregrinum auctarium, & ſublimiùs honorandas ærumnoſas in mũdo calamitates, quaſi hoc captiuitatis & tribulationis infenſo alioqui vocabulo, beatæ gloriæ commentarius præclarè ſcribatur, quod clarет cæleſtis beatitudinis glorias, & inopinata ærumnarum merita. *Adeò malum nihil aliud eſt, quàm boni interpretatio.*

6 Lucæ 16. v. 23. & 24. Tertul. ad Pſych. c. 16. *Beatitudo famelicis, ieiunij recreatio nuncupatur.* Lucæ 16. prædiues ille epulo miſerè in inferno ob immiſericordiam ſepultus, *Vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius* (quo empyrea Lazari beatitudo exponitur) *& ipſe clamans dixit: Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam,* &c. Quæ verba exponens Tertullianus in lib. de Ieiuniis adu. Pſychicos, ita ſcribit: *Sed nec apud inferos admonitio ceſſauit, vbi in diuite quidem conuiuia cruciantur, in paupere verò ieiunia recreantur.* Ecce tibi olympia cæli gloria, quâ Lazarus nuper famelicus opulentiùs beatur, *ieiunij recreatio* emphaticè à Tertulliano nuncupatur. Sic gratè ſapit poſt famem ſaturitas, vt ad exponẽdam hominibus cæli gloriam *ieiunij recreatio* nominetur? Famis malum, commentarius ſaturitatis eſt. *Adeò malum nihil aliud eſt, quàm boni interpretatio.*

---

## §. CCXI.

*Sua etiam & victo pompa eſt, & de inuerſo gloria. Qui Chriſtianè ſapit, etiam cùm contemptim vincitur, glorioſè vincit.*

1\. CONtemnere omnia aliquis poteſt, omnia habere nemo poteſt. Breuiſſima ad gloriã per gloriæ contemptum via eſt. Quid tam ſuſpirat hominum ambitio, quàm victoriæ gloriã? Vinci ſe, in vincendi ſpebus, extrema miſeria eſt, humanarum calamitatum meta. At non victor duntaxat, ſed victus etiam trophæum erigit, alioquin miſerrima foret Chriſtianiſmi virtus; cuius vinci, victoria eſt (vt aliàs expoſuimus) Sua etiam & victo pompa eſt, & de inuerſo gloria. Si ſapis, etiam cùm vinceris, viciſti. Cæcilius ethnicus eloquenter pro idololatriâ diſputauerat apud Minutium Felicem: adſurgens pro Chriſtianiſmo repugnauit Octauius valido orationis & rationis impetu: cui reluctandi impos Cæcilius, iam de ethnico derepentè voto Chriſtianus, ſic exclamat: *Vicimus, & ita, vt improbus, vſurpo victoriam: nam vt Octauius mei victor eſt, ita & ego triumphator erroris.* Victoriam Cæcilius Octauio palàm cedit; & vt ſe victum à veritate fatetur, ita pariter ſibi de victoriâ gratulatur, quâ idololatricum errorem ipſe dum vincitur, detriumphauit, quæ eſt victrix ingenuæ humilitatis pompa, & inclytus erroris triũphus quẽ de auitâ Idololatriâ hîc agũt Perſç.

*Cæcilius victus, de Idololatriâ victoriam reportat.*

Minut. Fel. in Octau.

Eſth. 8. v. 17.

R. P. Didac. Celada in Eſtherem.

2\. Iſaias Propheta, vel potiùs Euangelicus vates, de perſpicuitate prænunciandi Chriſtum Deum Euangeliſtarum æmulus; ſic de eo fatur: *Generationem eius quis enarrabit?* Quaſi dicat, Nemo Chriſti Dei generationem, vel quâ ab æterno procedit à Deo Patre, vel qua in tempore à matre Virgine naſcitur, dignè eualet enarrare. Excedit quidem, multumque ſupereminet humani eloquij facultatem diuinæ generationis magnitudo. Ad quæ Iſaiæ verba S. Leo ita fatur: *Generationem eius quis enarrabit? Gaudeamus igitur, quòd ad eloquendum tanta miſericordiæ ſacramentum impares ſumus; & cùm ſalutis noſtræ altitudinem promere non valemus, ſentiamus nobis bonum eſſe quòd vincimur.* Ecce tibi dum palam ſe vinci fatetur ob tenuitatis humanæ imbecillitatem, ſibi velut de partâ victoriâ gratulatur. *Sentiamus ergò*, inquit, *nobis bonum eſſe quòd vincimur.*

Iſaiæ 53. v. 8. *Sentimus indubiè nobis bonum eſſe quòd vincimur.* S. Leo ſer. 9. de Natiuit.

3\. In hiſtoriâ hâc Eſtheris cap. 16. magnus rex Aſſuerus ſubiectis prouinciis ſcribens, verum Iſraëlis Deum & agnoſcit, & colit victos Iudæos appellans, *filios altiſſimi & maximi ſemperque viuentis Dei, cuius beneficio & patribus noſtris, & nobis regnum eſt traditum, & vſque hodie cuſtoditur.* Et ſanè Iudæorum gens ſæpè olim victrix, non obtinuit, vt Aſſyriæ aut Chaldææ Reges, victoris Iſraëlis numen adorarent. Quod accidit etiam Romanis poſt reliqua etiam regna potenter debellata. Porrò Romanorũ vernaculos Deos nemo ſeculariter eruditus ignorat: Romulus Picus, Tiberinus, & Conſus, & Pilũnus ac Picumnus. Cloacinam Tatius & inuenit, & coluit: Pauorem Hoſtilius atque Pallorem mox à neſcio quo Febris dedicata, hæc alumna Vrbis ſuperſtitio. Aſt poſt deuictum orbem, prouinciarum ſtrenuè deuictarum deuictos etiã Deos anguſtiori numine dedicarunt. Iuppiter Creticus fuit, Mars Thracius, Iuno nunc Argiua, nunc Samia, nunc Pœna, Diana Taurica. Hi autem Dij alienigeni deuictarum nuper prouinciarum male tutores, ſumptuoſiùs colebantur: Ad hos enim, non ad illos patrios & victores adorandos Chriſtiani exquiſitis tormentis adigebantur. Exindè concludit Minutius Felix in Octauio; *Quicquid Romani tenent, colunt, poſſident, audac e præda eſt, templa omnia de manubiis, id eſt de ruinis vrbium, de ſpoliis Deorum, de cædibus ſacerdotum, hoc inſultare & illudere eſt, victis religionibus ſeruire, captiuas eas poſt victorias adorare. Nam adorare quæ manu ceperis ſacrilegium eſt conſecrare, non numina. Toties ergò Romanis impiatum eſt, quoties triumphatum tot de Diis ſpolia, quot de gentibus & trophæa. Igitur Romani non ideò tanti quod religioſi, ſed quòd impunè ſacrilegi.* Ita quidem. At neſcio quo arcano erroris inſtinctu, Romani vernaculos Deos, & ferè ſemper victores, velut contemnentes, Iouem, Martem, Iunonem, Dianam, & reliquos peregrinos Deos, habebant maiori in pretio, & velut maiora & opulentiora numina percolebant. Sanè miriſſimum fuit, vt qui tanti æſtimabant victorias, ſic victas regionum deuictarum religiones & numina venerarentur. Moraliſſimum ſanè humilitatis augurium, in tantâ tumentium animorum ſuperbiâ: *Victis religionibus ſeruire, captiuitas eas poſt victorias adorare.* Quod nuper Cæcilius dixerat: Romani, inquit,

Eſther 16. v. 16.

Minut. in Octau.

*Romani victas religiones poſt victorias adorabant.*

Hic verſ. 17. & 18.

*capitis in hoſtilibus mœnibus adhuc ferociente victoriâ numina victi venerantur. Dum vndique hoſpites Deos quærunt, & ſuos faciunt; dum aras extruunt etiam ignotis numinibus:* Quod ferè nûc Perſis euenit.

4. Ad Philip. 2. v. 6 & 7.

Ad Philippenſes 2. ita Apoſtolus ſcribit: Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu: *qui cum in formâ Dei eſſet, non rapinã arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo,* &c. Quærit Chryſoſtomus quare Chriſtus Deus ad homines deſcendens, diſſimulauerit diuinitatem, factus Abrahami & Dauidis Filius, & habitu inuentus vt homo? An non præſtaret ad fungandas & profligandas tartareas Diaboli cohortes exertâ diuinitate certaſſe potius quã vulneratum in cruce occubuiſſe? Reſpondet Chryſoſtomus: *Neque enim,* inquit, *in bello ſemper propriam habere Rex cernitur dignitatem, ſed purpurâ & diademate relictis, militis habitum frequenter induitur. Sed illic ne agnitus hoſtes in ſe conuertat; hîc contrà ne agnitus in fugam vertat hoſtem.* Nimirùm Chriſtus Deus homo factus, habitu inuentus vt homo eſt, deitatemque tectiùs diſſimulat, ne exertâ diuinitate hoſtes *in fugam verteret*, ac ſi magis arduum foret *fugientes* à ſe ſaluare, quàm coram aduerſus ſe etiã pugnaciſſimè dimicantes conuertere. Nihil Deo arduum eſt: ſed ſic Chriſti Dei præſentia, quàm ſit hoſtibus etiam ſuis ſalutaris oſtenditur. Prætereà ſatagit habitu vt hominem inueniri diſſimulatâ diuinitate, ne ita hoſtes *fugaret*, vt non auderent illum atrociter vulnerare, & in cruce patibulatum cruentè perimere. Ergò conſultiſſimè *habitu inuentus vt homo* eſt: *ne agnitus in fugam vertat hoſtem.* Victoriam extrinſecùs hoſtibus cedit, vt illos ſumptuoſiùs detriumphet, erecto crucis trophæo. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.* Tam illuſtre nomen dum mortem ſubit, meretur ille; cuius vinci victoria eſt. Vah, *vbi eſt mors victoria tua.*

*An diſſimulans ſaluantur, qui Chriſtum fugiunt, quã qui eum vulnerant.*

S. Chryſoſt. homil. 1. in Matth.

*Verúſne ſuit Chriſtum ab hoſtibus vulnerari, quàm eos in fugam conuertere.*

5. Iudicum 7. v. 7. & 8.

Iudicum 5. ſic modulatè Debbora victorialem pœana Deo occinit? *Ceſſauerunt fortes in Iſraël* (nam qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem) *& quieuerunt....... Noua bella elegit Dominus.* Quæ ſunt hæc noua bella, quæ in Iſraële elegit Dominus, dum *ceſſauerunt* fortes, & ſtrenui bellatores *quieuerunt*? Rupertus inibi; *Idcircò Deus noua bella elegiſſe dicitur, eò quòd de inermibus fortes & victorioſos fecerit.* O nouum myſtice belli genus, quo dum inermis ceſſat & quieſcit fortis ſtrenuè bellator, glorioſiùs vincit, glorioſâ è diuerſo victoriâ. quod de Iobi cum Diabolo pugnâ his verbis Zeno Veronẽſis edifferit. *Igitur nouum, ac penè incredibile committitur prælium, vltra morem Diabolus pugnat ſed Iob diſſimulando plus pugnat.* Ille eius magnum atque opulentum cenſum vno momento diſperdit: cohortemque florentiſſimam dulcium liberorum atrociſſimo impulſu, tectis parietum cum ruinâ confuſis; nimia crudelitate feſtinus ſepelit, antequam iugulet. Ipſum poſtremò, quem diuitiis expoliauerat magnis, magnis veſtit vlceribus: quibus inſuper vermes immittit edaces, vt in tormenta morientis cum homine aduentitium vulnus inquilino vulnere finiretur. *At Iob cunctis viribus aduerſæ partis expectatione placidâ profligatis, in ſemet fortior nimis omnibus, quæcumque deleuerat bellum, recuperatis, in melius felicitatis priſtinæ ſtatum diſſimulando non perdidit, ſed mutauit.* Ecce tibi in Iobo *elegit Dominus nouum bellum, & incredibile prælium committitur,* in quo dum inermis ceſſat & quieſcit, *diſſimulando plus pugnat, cunctis viribus aduerſæ partis expectatione placidâ profligatis.* Nouum planè bellum Iobus committit, cuius vinci victoria eſt; dum aduentitiã plagâ inquilinam diſſimulans, aliarum placidâ expectatione, aduerſæ partis atrociores vires debilitat, frangit, profligat. Opportunè Bernardus: *O felix pro Chriſto & cum Chriſto pugna, in quâ nec vulneratus, nec proſtratus, nec conculcatus, nec miles occiſus fraudaueris victoriâ. Tantùm ne fugias. Sola cauſſa quâ perdere poſſis victoriam, fuga eſt.* ignaua inquam, fuga perſecutionis pro fide; non animoſa fuga tentationis; aut ſtrenuè fugiendo inimicis ignoſcit.

Rupert. apud Gloſſam ibi.

S. Zeno ſer. de Patient.

*Iobus cunctas vires aduerſæ partis expectatione placidâ profligat.*

S. Bernard. epiſt. 1.

Dauid ille minaciſſimi gigantis victor egregius, in Pſalmo 136. multa dè fugâ ſuâ tractat ſine pudore; imò fugam exultim inculcat: *Si ſumpſero,* inquit, *pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris,* &c. Quæ verba ſic ad thema præſens opportunè flectit Ambroſius: Dauid, inquit, vbi fugam quærebat, vt euaderet aduerſarium & non inueniebat pennas ſuas, ancipiti fluctuabat certamine. *Siquidem vbi in poteſtate habebat pennas ſuas, titulus pſalmi, in finem eſt, id eſt, perfectionem, & conſummationem victoriæ. Denique quaſi victor dicit: Domine probaſti me,* &c. Nimirùm Dauid Chriſtianæ œconomiæ præmaturè peritus, vbi pœnas inuenit, quibus inopinatâ fugâ aduerſario victoriam cederet, glorioſum Pſalmo titulum præfixit. *In finem, id eſt, perfectionem, & conſummationem victoriæ.* Nam qui quaſi foret victus, iniquè aduerſario cadere ſcit, tunc, tunc quidem victoriam perfectè *conſummatam* glorioſiùs adeptus eſt. 6.

Pſal. 136. v. 9.

S. Ambroſ. l. de Fuga ſecul. c. 5.

*Qui aduerſario cedit quaſi victus victoriam ille conſummatam reportat.*

1. Machabæorum 6. Antiochus cum manu validâ, & turriti elephantis aduerſus Iudæos atrociter depugnabat. Et vidit Eleazar vnam de beſtiis loricatam loricis regiis, & viſum eſt ei quòd in eâ eſſet rex: & dedit ſe vt liberaret populum ſuum. Et cucurrit ad eã audacter in medio legionis interficiens à dextris & à ſiniſtris. *Et iuit ſub pedes elephantis, & ſuppoſuit ſe ei, & occidit eum, & cecidit in terram ſuper ipſum, & mortuus eſt illic.* Et confeſtim dicitur de rege Antiocho: *Et fecit pacem cum his,* &c. Quæ verba elucidans S. Ambroſius lib. 1. offic. cap. 40. ſic ad rem eleganter ſcribit: Itaque cadens beſtia, inquit, oppreſſit Eleazarum, atque ita mortuus eſt. Quanta igitur virtus animi primò vt mortem non timeret: deindè vt circumfuſus legionibus inimicorum, in confertos raperetur hoſtes, medium penetraret agmen, & contemptâ morte ferocior, abiecto clypeo, vtraque manu vulneratæ molem beſtiæ ſubiret ac ſuſtineret, poſt infra ipſam ſuccederet, quò pleniore feriret ictu, *cuius ruinâ incluſus magis quam oppreſſus ſuo eſt ſepultus triumpho?* Nec fefellit opinio virum, quamuis regius fefellerit habitus. Tanto enim virtutis ſpectaculo defixi, hoſtes, inermem occupatum incurſare non auſi, poſt caſum ruentis beſtiæ ſic trepidauerunt, *vt impares ſe omnes* 7.

1. Mach. 6. 46.

S. Ambroſ.

*Eleazaro vinci victoria fuit.*

*Solida & duratura eſt.*

omnes vnius virtuti arbitrarentur.......... Denique rex Antiochus viſus territus fortitudine pacem rogauit. Itaque Eleazarus hæredem virtutis ſuæ pacem reliquit. Quis dignè æſtimet Eleazari virtutem, cuius vinci, victoria fuit, & ſuo triumpho ſtrenuè ſepultus, pacem ſuæ virtutis hereditatem populo ſuo reliquerit?

8. Caſſiodorus regis Athalarici nomine, ita ſcribit Tolomæo viro patritio, Auus noſter Theodoricus tecum pacis certa, tecum belli dubia conferebat: &, quod apud ſapientes Reges ſingulare munus eſt, ille ſolicitudinem ſua ſecure tibi pectoris pendebat arcana. Tu tamen nullos reſponſis ludebas ambagibus. Amaſti in audiendo patientiam, in ſuggeſtione veritatem: ſæpè quæ ad eum falsò peruenerant, rectè ſtudio corrigebas: & quod rarum conſcientiæ genus eſt, interdum reſiſtebas contra vota Principis, ſed pro opinione rectoris. (Addit ad rem præſentem opportunè) Patiebatur enim inuictus ille præliis pro ſua famâ ſuperari, & dulcis erat iuſto Principi rationabilis contrarietas obſequentis. Quid eloquentius? quid accommodatius.

Caſſiod. l. 8 Variar. ep. 9.

---

## §. CCXII.

### *Hypocritarum ficititius populus, dum Virtutes mentitur, vitia flagitioſiùs amplificat.*

6. *Malus vbi bonum ſe eſſe ſimulat, tunc eſt peſſimus.* A Senecæ ſchola hoc documentum cape.

Publ. Mim. apud Senec.

Matthæi 12. excantato Dæmone muto & ſurdo, homini illi pertinaciùs adhæreſcente, in Belzebub Dæmoniorum principe eiectum, Phariſæorum turba blatterat per neceſſitate fatuâ. Huiuſce rei occaſione prolixum ſermonem Chriſtus habuit ad turbas. Cùm autem, inquit, immundus ſpiritus exierit ab homine ambulat per loca arida quærens requiem & non inuenit. *Tunc dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et veniens inuenit eam vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Variè hunc locum verſant Commentatores; non enim obuium intellectu eſt: quomodò Dæmon expulſus, qui nidore concupiſcentiæ, & vitiorum ſqualore delectatur, quia antiquam domum inuenit ſcopis mundatam per pœnitentiam, aſſumat ſeptem alios dæmones ſe nequiores, vt in domo iam mundâ voluptuoſiùs inhabitent. Moroſus eſſem, ſi hîc addagerarem, quæ inibi interpretes tradunt, & nos aliâ multis expendimus. S. Auguſtinus lib. 1. Quæſt. Euang. ita hunc Matthæi locum exponit: *Quod dictum eſt: Aſſumit ſecum alios ſeptem, intelligitur, quia cùm quis ceciderit de iuſtitiâ, etiam ſimulationem habebit. Cupiditas enim carnis expulſa per pœnitentiam à conſuetis operibus, cùm non inuenerit in quibus delectationibus requieſcat; auidiùs redit, & rurſus occupat mentem hominis.* (Addit Auguſtinus ad præſentem theſim opportunus interpres) *Et quoniam non ſolum habebit ille ſeptem vitia, quæ ſeptem virtutibus ſpiritualibus ſunt contraria, ſed etiam per hypocriſim ſe illas virtutes habere ſimulabit, propterea aſſumptis ſecum ſeptem aliis nequioribus, hoc eſt, ipſa ſeptenaria ſimulatione redit illa concupiſcentia, vt ſint nouiſſima hominis peiora quàm erant prima.* Scilicet poſt pœnitentiam, quia negligenter ſe geſſit, redeunt ſeptem illa vitia, quæ priùs habebat. Et quia, ne adhuc appareat iniquus, qui dudùm probus de pœnitentia appareb. t, ſeptem virtutes ſeptem vitiis contrarias, per hypocriſim habere ſimulat ideò iam habere dicitur ſeptem alios ſpiritus *nequiores*. Quaſi virtutum ficta ſimulatio, nequior ſit ſeptem vitiis, quorum oppoſitas virtutes ſimulat per hypocriſim. *Quoniam non ſolum habebit illa ſeptem vitia, quæ ſeptem virtutibus ſunt contraria; ſed etiam per hypocriſim ſe illas virtutes habere ſimulabit, propterea aſſumptis ſecum ſeptem aliis nequioribus, &c. vt ſint nouiſſima hominis peiora quàm erant prima.* Nimirùm quaſi parùm foret Hypocritæ habere ſeptem vitia, id eſt, omnium vitiorum numerum; quò vitia ſibi amplificet, virtutes conſtuprat, & prauo charactere adulterat, (hoc eſt, rem virtutis militare vitiis ingeniatur) vt vel ex virtutibus, & numerum & malitiam vitiorum exaggeret. Nequiora ſunt vitia, quæ virtutes per hypocriſim fictè conſlant, nequiorque eſt ficta virtus, quam verum vitium. Sic hypocriſis ad augendum vitiorum numerorum, & exaggerandam eorum malitiam virtutes deprauat. O, quis credat Perſis, qui vt adularentur Mardochæo omnia moderanti, ad eius religionem hîc transfugerunt.

Matth. 12. v. 44 & 45. Luc. 11. v. 25.

Nequiores ſpiritus dicuntur aſſumpti ſunt ficta virtutes per hypocriſim:

S. Aug. l. 1. Euang. q. 8.

Hîc verſ. 17. & 18.

Prouerb. 30. ita ſcribit Salomon: Tria ſunt difficilia mihi. *& quartum penitus ignoro*: Viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper terram, viam nauis in medio mari, *& viam viri in adoleſcentia. Talis eſt via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os ſuum dicit: Non ſum operata malum.* Pro via viri in adoleſcentia, Hebræi codices habent, *Via viri adoleſcentulæ*: Quæ verba de re impudicâ de ſtupro inquam virginis rectiùs diſſimulato, aliqui interpretes accipiunt, quod cognitu difficillimum putat Sapiens? ſiquidèm, quia & infame, & ſceleroſiſſimum flagitium eſt, attentiori ſollertiâ abſconditur Ianſenius hæc verba iuxta hunc ſenſum aduerſus hypocritas pronunciari putat, qui peccata ſua fateri abnuunt, celare ambiunt; virginibus ſtuprum diſſimulantibus, & nuptis adulterium celantibus ſimiles. Ducitur enim ſimilitudo à puellâ innuptâ, quemadmodum enim hæc cùm de ſtupro concepit, tumorem vteri faſciis arctioribus comprimit, & partum ſimiliter abſcondit, ne illius ignominia prodatur: ad eundem modum hypocrita, animum conceptâ malitiâ grauidum, & ipſam ſceleris perpetrationem, quaſi ignominioſum quendam partum celare atque diſſimulare contendit: ſed ipſâ diſſimulatione turpiùs delinquit, & flagitioſiùs multiplicat ſceleroſo malitiæ incremento. S. Ambroſius in lib. ad Virginem lapſam, multis contendit illi perſuadere, per publicatum ſtuprum, manifeſtum adulterium aduerſus Chriſtum perpetratam: *Si hoc ita eſt,* inquit, *quid de illa dicendum eſt, quæ occulta & furtiua turpitudine conſtupratur, & fingit ſe* 

2.

Prouerb. 30 v. 19. & 20.

Ianſen. ibi.

Quæ ſtuprum diſſimulat, hic adultera eſt, & in actu & in aſpectu.

S. Ambr. ad Virg. Lapſ. c. 5.

*eſſe quod non eſt? Habitu virgo, facto non virgo. Bis adultera, & in actu, & in aſpectu.* Ecce tibi cur hominum ſapientiſſimus Salomon, dixerit, ſuum captum excedere, viam viri in virgine adoleſcentulâ, quæ tectiùs diſſimulat ſtuprum (cui aſſimilat nuptę mulieris adulterium) Neque enim eſt facile aſſequi iſtiuſmodi mamiæ duplicitatem, ex hypocriſi diſſimulationis appenſam. Nam quæ furtiuum ſtuprum omnimodâ abſconſione celat, & habitu virgo apparet, quæ facto virgo non eſt, *bis* eſt *adultera, & in actu, & in aſpectu.* In *actu* quia reapſe conſtuprata eſt, & libidinis rea; in *aſpectu*, quia quæ furtiuè corrupta eſt, habitu integritatem ſimulat, & virginitatem mentitur per hypocriſim, quâ ſtupri malitia tectiùs amplificatur.

3.
Lucæ 11. v. 44.
*Hypocritarū ficititius populus, ſanctitates mentitur.*
S. Cyril apud caten. ib.
S. Chryſolog. ſer. 9.

Lucæ 11. Seueriùs reprehendens Chriſtus Phariſæorum hypocriſim, ait? *Væ vobis quia eſtis vt monumenta, quæ non apparent; & homines ambulantes ſuprà neſciunt.* Sepulchra enim quia non apparent, ſpecie fallunt, & viſu decipiunt tranſeuntes; & cùm foris ſpecioſa promittant, plena fœtoris includant falſato aſpectu. Vndè Chriſtus Deus (ait Cyrillus) *monumentis comparauit Phariſæorm ficititium populum.* Benè quidèm, & optimè Phariſæorum gens, ſolâ hypocriſi magna, *ficititius populus* nuncupatur: quippe qui ſub omnimodæ iuſtitiæ ſpecie iuſtitiam fingit, quam tectiùs mentitur. Quod venuſtiſſimis verbis Chryſologus ſic ediſſerit: *Illa verò iuſtitia*, inquit, *quæ eſt hypocriſis: iuſtitia non eſt, mentitur oculis, fallit aſpectum, videntibus illudit, decipit audiẽtes, ſeducit turbas, trahit populos, famam vẽdit, emit clamorẽ, fit ſeculo, Deo non fit, mercedem rapit præſentem, præmium non quærit in futuro, cæcat oculos, cæca ipſa non videns vult videre.* An non *ficititius populus* rectè dicitur, qui ſic perſtringit oculos, & mentito iuſtitiæ fuco fallit aſpectum? *Fictitij populi* ficta iuſtitia, *quæ ſe humanis oculis locat*, ſanctitatum nundinatio eſt, & vanæ gloriæ commercium; iuſtitiam vendit, vt inanem fictæ iuſtitiæ famam pretioſiùs emat. Pergit Chryſologus exponens illud Matthæi; *Cùm ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes*, ita fatus: *Si vult, quare triſtis? Si non vult, ieiunus quare? Meritò tali pœna viuit, qui ſibi facit de virtute vitium, mendacium de veritate, de mercede ſtipendium, de remiſſione peccatum.* O infeliciſſima officina, quæ, vitia de virtutibus operosè fabricat, & inſanè multiplicat.

*Hypocriſis de veritate mendacium, & de remiſſione facit peccatum.*
Matth. 6. v. 16.
S. Chryſol. ſer. 7.

4.
S. Ambr. l. ad Virg. lapſ. c. 4.
*Theatrica mulierculæ propter mentitam de fyxide verecūdiam, inuerecundiſſimæ ſunt.*
S. Nazianz.

S. Ambroſius in lib. illo ad Virginem lapſam cùm proditum eius ſtuprum publicâ obiurgatione coràm multaret. *Ceſſet, ceſſet, iam*, inquit, *violentiæ figmentum, ceſſet ruboris augmentum, vbi toties membra illa dicata Chriſto, ſceleſto mœcho ſuis viſceribus polluenda tribuiſti.* Benè eſt, reiiciat Ambroſius illatæ violentiæ nugaciſſimam excuſationem: quid eſt, quòd *ruborem* virginis de ſtupro coràm reprehenſæ, ſic arcet, faſtidit, auerſatur? An quia de affectatâ obiecti criminis verecundiâ, hypocriſis ingenio, pudicitiæ famam procurat? *Ceſſet ruboris augmentum*, ad caſtitatis patrocinium: nam fictitium nunc pudicitiæ notaculum, quia de ſimulatione venit, plus reatum infamat. S. Nazianzenus in Orat. de Patris funere, ſic tempeſtiuè hypocritas reprehendit: *Humilitatem* inquit, *dilexit nequaquam ficte: quemadmodum nunc multi ſe philoſophari ſimulant, non ſecùs ac mulierculæ inſipientiſſimæ, quæ cùm pulchritudine careant naturali, ad colorum fucum confugere ſolent, ſuntque (quoniam modo dicere debeo) propter verecundiam inuerecundiſſimæ.* Itaque theatrales mulierculæ à naturâ inuenuſtæ, & à ſcenâ inuerecundæ, cùm ad oſtendendam pulchritudinem genas mendacio ruboris inficiant, ſeque adornant cognato virtutis colore, quo mentitam fuco verecundiam præferant, *propter verecundiam inuerecundiſſimæ* ſunt, dum ſub mentito verecundiæ colore per theatricam hypocriſim aſcito, inuerecundiam abſcondunt. *Ceſſet, ceſſet iam ruboris augmentum*, quod dum pudicitiam mentitam obtendit, ſtupri flagitium crimino ſius amplificat; *propter verecundiam inuerecundiſſimam* facit.

5.
Eccli. v. 17.
Græcus.
Tigurina.
*Hypocrita & ſe ſcandalizat, & auctor tragœdiæ ſibi eſt.*
Panormit.

Siracides Eccleſiaſtici 1. ſic nos ſapienter admonet: *Ne fueris hypocrita in conſpectu hominum, & non ſcandalizeris in labiis tuis.* Porrò hypocrita falſatâ ſpecie ſe fingit religioſum eſſe deuotum, & ſanctum, & gloriatur ab hominibus talem haberi & prædicari. Aliqui pro τὸ *hypocrita* ex Græco vertunt: *Ne ſis auctor tragœdiæ vel comœdiæ: ne ſis hiſtrio, nec mimus ad ora hominum.* Hypocrita enim aliam atque aliam perſonam induit, eſt velut mimus & hiſtrio. Tigurina: *Ne te conformes ad ſermones hominum, &* (id eſt, *vt*, quod inibi Cornelius notat (*non ſcandalizeris in labiis tuis.* Scandalum enim eſt offendiculum, caſus, & ruina. Sed quid eſt, quòd hypocrita dum ad ſermones hominum ſe conformat, verba bonitatis fingit, & ad hominum ſpeciem rectè operatur, ſe *ſcandalizat*, & *auctor tragœdiæ* ſibi eſt? Quare qui bonitatem fictè imitatur, tragœdiæ ſibi fabulam verè componit, & *ſcandalum* ſeu ruinam ſibi incautè molitur? An non pernicioſiùs foret, palàm & in omnium oculis malè viuere, & ſic aliis ædificare *ſcandalum* ac ruinam? quò pacto ſibi *ſcandalum* ac ruinam hypocrita, virtutis ſimulatione extruit? Oportunè Panormitanus lib. 2. de geſtis Alfonſi Aragonum regis, cap. 9. tradit, quòd cùm audiſſet Rex quempiam Antonium Picentem, qui nomine abſtinentiæ & ſanctitatis Italiam & Hiſpaniam compleuerat, & cum Angelis verſari ferebatur, in morte ſuam prodidiſſe hypocriſim, & miſerabiliter interiiſſe, ſapienter dixit: *Proptereà Deus in hypocritas tantoperè ſæuit, quòd, dum homines decipiunt, interponunt Deum ipſum tanquam ſceleris mediatorem, ideóque vt plurimum viuentes adhuc plectuntur in hominum oculis, quos Dei nomine fefellerunt: vt intelligant mortales, à tali monſtro maximè ſibi cauendum eſſe, quòd Deum ipſum non tantùm poſt mortem, ſed etiam in vitia ipſa indubitatum habet vltorem.* Ecce tibi quomodò hypocrita & ſibi *auctor tragœdiæ* eſt, & perſonatâ ſanctitate ſibi *ſcandalum* parat.

*Malus vbi bonum ſe eſſe*
*ſimulat, tunc eſt*
*peſſimus.*

§. CCXII.

## §. CCXIII.

*Homo iiſdem profanis affectibus, quibus agebatur ad vitia, Deo religioſiùs conſecretur, & virtuti obnixius militet.*

1. Leuit. 2. v. 11. *Dulcedines voluptatum Deo conſecrandæ ſeparandæ eſt.* FErmentum maſſam condit, eruditque ad gratiam ſaporis: mel etiam melleam dulcedinem condiendis infundit. Vtrumque autem Legiſlator ab oblationibus arcet: *Oblatio, quæ offertur Domino abſque fermento fiet: nec quidquā fermēti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domino.* Huius præceptionis cauſſas ſagaciùs inibi perueſtigant Interpretes. Hebræus Philo vt erat in allegoriis peritiſſimus, hâc ſuper re ita fatur: *Lege quoque cautum eſt, ne quid fermenti aut mellis inferatur in altarium, eſt enim difficile vel dulcedines voluptatum corporis, vel inanes tumores animæ conſecrare tanquam puras, cùm ſuâpte naturâ impura ac profana ſint.* (Philo l. de Congr. quæ. erud. gra. propè finem.) Hoc quod ſub lege veteri ſic arduum putauit Hebræus Philo, in Euangelicâ gratiæ lege non rarò fit: & dulcedines voluptatum corporis, & inanes tumores animæ Deo libantur, adeò vt homo Chriſti lege eruditus iiſdem profanis affectibus, & impuris paſſionibus, quibus agebatur ad vitia, Deo religioſiùs conſecretur, & virtuti obnixiùs militet. (Hic verſ. 17. & 18.) Quod nunc ſub Mardochæo Perſis accidit.

2. Lucæ 7. v. 38. Lucæ 7. Magdalena importuna conuiuio, veniæ opportuna, vt cognouit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti? *Et ſtans retrò ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* (*Magdalena affectuum criminum reſtituit pietatis officium.*) Oculis dulcedines voluptatum concupierat, ſed hos iam per pœnitentiam flebiles lugubri planctu obſcurat: capillos aluerat volucri vagè comâ nitentes, ſed quibus iam humiles pedum lacrymas tergit: ore ſuperba & laſciua garrire adſueto, Redemptoris ſui veſtigia demiſſiùs lingit: vnguentum luxuriem fragrans, Domini ſui obſequia adulātiùs peragit. *Quot ergo in ſe habuit oblectamenta,* (pergit Gregorius) (S. Greg. homil. 33. in Euang.) *tot de ſe inuenit holocauſta. Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum, vt totum Deo ſeruiret in pœnitentia, quicquid ex ſe Deum contempſerat in culpa. Sic igitur meretrix effecta eſt honeſtior virginibus.* Ecce tibi blandimēta libidinis reſculpta in obſequia pietatis: & vndè luxuriæ furor petulanter exarſerat, indè amoris pyra ardentiùs exurgit; impudicarum libidinum illicita è diuerſo redintegrans, & in virgineos Saluatoris ſui amplexus miriſſimè reformans. Et dum ſceleroſam criminum officinam, in obſequioſā pietatis officinam refingit, *meretrix effecta eſt honeſtior virginibus.* Tantum pietati licet! ne nimis arduum & inſolens putet Philo, *impuras & profanas dulcedines voluptatum corporis & inanes tumores animæ Domino conſecrare*, & virtuti ſumptuoſiùs ſuperimpendere, lucroſo pietatum auctario.

3. Ioannis 15. ſic de ſcribis & Phariſæis, & Hebræâ, gente hoſtiliter apoſtatrice, Chriſtus loquitur: Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum. *Sed vt adimpleatur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt: Quia odio habuerunt me gratis.* Ioan. 15. v. 25. Pſ. 34. v. 19. S. Auguſtinus quo pollebat ingenij acumine, ſubtiliter adæque ac ſingulariter hunc locum exponit, ad thema præſens tempeſtiuus interpres: S. Auguſt. Tract. 92. in Ioan. *Tanti ſanguinis,* (Chriſti in Paſſione inquam) *tam impiè ac immaniter fuſi, indulgentiam perceperunt, ipſo redempti ſanguine quem fuderunt. Chriſti enim ſanguis ſic in remiſſionem peccatorum omnium fuſus eſt, vt ipſum etiam peccatum poſſet delere quo fuſus eſt: hoc ergò intuens Dominus dicebat: Odio me habuerunt gratis.* (*Ad ſimilis iniuria Dauidem excitat ad vltionem, Chriſtum verò ad largiorem beneficentiam.*) Nimirùm hæc verba Dauid & de ſeipſo dicebat, & de Chriſto prædicebat. Quatenùs Dauid de ſe loquitur, vide oculis in toto illo Pſalmo 34. quàm ſit querulus de iniuſtâ aduerſariorum hoſtilitate, & quàm ardente affectu eiuſmodi iniuriarum vltionem à Deo expectat, quia gratis ipſum odio habuerunt, & immaniter perſecuti ſunt: hos enim affectus immerita contra ipſum hoſtiliter perſecutio in Dauide excitauit. At in Chriſto tantùm abfuit, vt humanum quid, & perfectiori virtuti vel ſpecie tenus inidoneum, indè experiretur, vt ipſamet tolerantia iniuriarum, cruciamentorum, paſſionis, crucis, & mortis peracerbè inflictæ, ſic vel ipſis aduerſariis & tortoribus benefica fuit, *vt ipſum etiam peccatum poſſet delere quo eius ſanguis fuſus eſt: hoc ergò intuens Dominus dicebat: Odio me habuerunt gratis.* Quis, quæſo, affectus adeò erit perfectè innocens, & inculpatè beneficus, quàm ille, qui ex iniuriæ paſſione, & paſſionis inimicæ tolerantia, largiorem beneficentiam præbeat; indè beneficè præbitorem faciens, vndè credi poterat querelas excitare, & acerbas vltiones meditari. O Chriſti affectus inuerſo præproperè officio gratos! (Sed hæc Auguſtini expoſitio aliàs alioſum copioſè expenditur, quam hîc perſtringi thema præſens poſtulabat.)

1. Petri cap. 4. *Chariſſimi,* ait, *nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quaſi noui aliquid vobis contingat.* 4. 1. Petri 4 v. 12. Tertullianus ſic hûc Petri locum excribit: *Dilecti, ne expaueſcatis vſtionem.* Tertull. in Scorp. c. 12. Tertulliano adſentit Fulgentius? *Chariſſimi, nolite expaueſcere in fauorem.* Fulg. 3. ad Traſimum. c. 30. Plures alij pro *peregrinari*, habent, *mirari.* neque ſenſus valdè diſſidet. Apoſtolus hîc fideles hortatur ad patientiam in tot perſecutionibus, quæ tunc vbiuis *feruebant*, quas *feruorem*, ſeu *vſtionem*, ſeu *ardorem* appellat; docens, ne aliquid noui, *miri*, aut *peregrini* illis accidiſſe putent, cùm ſæuas vbique perſecutiones patiuntur; & idcircò à ſuſcepta Chriſti fide deſciſcant, aut Chriſtianos mores deſueſcant. (*Perſecutiones ſeu tentationes puta velut quaſdam obſeruantia conſequentias.*) Gnome eſt Hieronymi: *Erras, ſi putas vnquam Chriſtianum perſecutionem non pati.* S. Hieron. epiſt. 1. Nam vt pulchrè ait S. Leo: *Perſecutio numquam deeſt, ſi nunquam deſit obſeruantia pietatis*; S. Leo ſerm. 9. de Quadrag. ergò perſecutiones & tentationes puta tanquam aliquas obſeruantiæ conſequentias. Indè Petrus monet fideles, ne *expaueſcant*, aut *mirentur*, aut *peregrinentur* in perſecutionum *feruore*, aut tentationum *vſtione*, *quaſi noui aliquid contingat.* Verùm Hugo Carenſis ſolitâ ingenij ſagacitate ad mores peritè verſatili, ſic inibi fatur? Hugo ibid. *Hoc verbum, Nolite peregrinari in feruore, dicitur quibuſdam, qui dum ſunt in feruore deuota orationis* (*Perſecutionis ſeu tentationis feruor, ſiue*) peregri

*finis eſt feruori deuotionis? vel ſynonymon.* *peregrinantur multa proponendo.* Ecce tibi inſanus perſecutorum *feruor*, ob quem Chriſtiani *expaueſcere* putantur, & multorum defectio ſeu apoſtaſia timetur de cognato *viſionis* metu; *feruor deuotæ orationis*, & quaſi illius ſynonymon ab Hugone ethicè putatur. O quoties immanior atrociter perſecutio, & ſæuior inceſſanter tentatio, *feruori deuotæ orationis* confinis, & proximè vicinatur: & in perſecutorum immani furore, vbi ſtrenuus quiſque *expaueſcere* & expalleſcere poterat, ibi, ibi, inquam, *feruor deuotæ orationis peregrinatur.* & vndè defectionis infidæ tepor potuit timeri, indè religionis *deuotio*, & pietatis *feruor* è diuerſo calet ardentiùs. O ethicè pulchram affectuum metamorphoſim!

5\. 3. Regum 3. venerunt duæ mulieres ad regem Salomonem contentioſâ altercatione rixantes, cuiáſnam eſſet filius, qui ſuperſtes erat, altero puerulo ab alterutra matrum inter dormiendum oppreſſo. Vna earum dicebat. Cùm ſurrexiſſem mane vt darem lac filio meo, apparuit mortuus: quem diligentiùs intuens deprehendi non eſſe meum quem genueram. Reſpondit altera: Non eſt ita vt dicis, ſed filius tuus mortuus eſt, meus autem viuit. Econtrario illa dicebat: Mentiris: filius quippè meus viuit, & tuus mortuus eſt. Atque in hunc modum contendebant coram Rege. Dixit ergò Rex: Afferte mihi gladium. Cumque attuliſſent gladium coram Rege. Diuidite, inquit, infantem viuum in duas partes, & date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri. *Dixit autem mulier, cuius filius erat viuus ad Regem: (commota ſunt quippè viſcera eius ſuper filio ſuo) Obſecro Domine, date illi infantem viuum, & nolite interficere eum. Econtrariò illa dicebat. Nec mihi, nec tibi, ſed diuidatur.* Quod conſultiſſimũ exploratoriè Salomonis iudicium expendens S. Ambroſius, affectuum humanorum ſacramentum his verbis pandit: *Et ideò Salomon proſpexit, vt gladium illum iuberet afferri, quia ſimulato quod diuidere vellet infantem, conſiderauit quod vera mater plus conſuleret filio quàm ſolatio, & gratiam iuri, non gratiæ iura preferret.* Vide hîc matrem ex tenero erga filiolum affectu, primò contentioſam, litigioſam, iurgioſam; adeò vt coram Rege ipſo, mendacij notam alteri inuib. nè impingeret, tam impudenter inuerecundâ contentione, quantùm forum eſt. At vbi de chari filioli vitâ tandem decernendum erat, ille contentioſus nuper affectus reformatur ad gratiam pietatis; & maternitatis iuri renunciat, mauultque cauſſæ cedere, & iniquè vinci, & filium ſuum, ſuum non iudicari, nec haberi præeligit. Iurgioſus dudùm contentioſè & contumelioſè affectus derepentè mitigatur, & abalienationi filioli piè ſtudet, quò obnixiùs militet pietati. adeò vt nuper ex affectu obiurgatrix & contumelioſa, ex illo eodem affectu *gratiam iuri, non gratiæ iura preferret.*

*Matris affectus, gratiam iuri, non gratiæ iura prefert.*

3\. Reg. 3. v. 26.

S. Ambr. l. 3. de ſpiritu ſancto. c. 7.

6\. Doctor Gentium in epiſt. ad Romanos cap. 7. ſic de corpore querulus ſcribit: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. *Infelix*, id eſt miſer, ærumnoſus calamitoſus, *ego homo, quis me liberabit a corpore mortis huius?* Appellat Paullus *corpus mortis*, id eſt, corpus caducum ac moribundum, & peccandi affectibus, ac conſequenter & morti, & corruptioni obnoxium. morti, corporali inquam, vt ait Hieronymus; vel ſpirituali, vt mauult Photius, vel potiùs vtrique: vtramque enim viuidi ad peccandum affectus, peccandi lenocinio, niſi validè inhibeantur, accerſunt. Sub quâ mortalitate ſic ſuſpirat incertus Auguſtinus in lib. de ſpiritu & animâ cap. 62. *Audi, inquit, ô anima qualis ſis onerata peccatis, irretita vitiis, capta illecebris, affixa membris, confixa curis, diſtenta negotiis, contracta timoribus, afflicta doloribus, erroribus vaga, ſuſpicionibus inquieta, ſollicitudinibus anxia, aduena in terra inimicorum, coinquinata cum mortuis, deputata cum iis, qui in inferno ſunt.* Hæc nõ bona elogia anima à *corpore mortis huius* abundè mutuatur: homo enim de *corpore mortis*, peſtifero contagio, & contagioſâ affectuum, & indè peccatorum peſtilitate, ruinæ obnoxius, caducus & morti obæratus naſcitur: quaſi à corpore, & de corpore, mortis inſidiæ inceſſanter parentur, lateant, immineant. Sed vide oculis ineffabilem gratiæ vim, quæ *corpus mortis huius*, non modò æternitatis candidatum ſed immortalitatis officinam & opificem facit. Qua ſuper re ita dubius Tertullianus philoſophatur in lib. de Trinitate cap. 29. vbi de Spiritu-ſancto ſic loquitur: *Inhabitator corporibus noſtris datus, & ſanctitatis effector: qui id agens in nobis ad æternitatem, & reſurrectionem immortalitatis corpora noſtra producat, dum illa in ſe adſuefacit cum cæleſti virtute miſceri, & cum Spiritus-ſancti diuina æternitate ſociari.* (Aduerte attentiùs ad verba quę tempeſtiuè ſubtexit) *Erudiuntur enim in illo, & per ipſum corpora noſtra ad immortalitatem proficere, dum ad decreta ipſius diſcunt ſe moderanter temperare.* Ecce tibi *corpus mortis huius*, per Spiritus-ſancti gratiam adſuefit cum *cæleſti virtute miſceri*, & cum diuina æternitate ſociari. Adeò vt in illo & per illum, tanquam in incorruptionis gymnaſio, *erudiantur corpora noſtra ad immortalitatem proficere.* O inſuſpicabilis caduci corporis ad immortalitatem eruditio! *Corpus mortis* morte inteſtinâ multimodè caducum, in gratiæ ſcholâ, quaſi mortalitatem dediſcat, dum adſueſcit cæleſti gratiæ ac *virtuti miſceri*, immortalitatem peritè diſcit: & inſidiator ad mortem, fit vitæ æternæ riualis, immortalitatis candidatus.

*Ad Rom 7. v. 24.*

S. Hieron.

Photius.

*Quantas animæ ærumnas à corpore patiatur.*

S. Aug. vel Hugo Victor.

7\. Tertullian.

*Corpus mortis mortem dediſcens, ad immortalitatem erudiuntur.*

---

## §. CCXIV.

*Chriſtiani dum mori poſt mortem timent, interim mori non timent, & ſine timor ſit per incrementum fides; & dum voluptate ſuâ ſe parit euadit dilectio funereo ambitu mirabilis.*

Calamitoſus eſt animus futuri anxius, & ante miſerias miſer: qui ſollicitus eſt, vt ea quibus delectatur, ad extremum vſque permaneant. Nullo enim tempore conquieſcet, & expectatione futuri, præſentia, quibus frui poterat, 1.

Seneca epiſt. 99.

rat,

rat, amittit. In æquo eſt autem dolor amiſſæ rei, & timor amittendæ. Nec ideò præcipio tibi negligentiam. Tu verò metuenda declina, & quicquid cõſilio proſpici poteſt, proſpice. Quodcumque læſurum eſt, multò antequam accidat, ſpeculare, & auerte. *Plus dolet, quàm neceſſe eſt, qui antè dolet, quam neceſſe ſit.* Morale eſt omne mortalium bonum: de his loquor bonis ad quæ vulgò concurritur, quæ inanis ſpes ſuſpirat, quæ puerilis hominum timor auertere ſatagit. Nam illud verum bonum malumque non moritur, certum eſt ac ſempiternum, cælum & gehenna, beatitudo & damnatio: hoc vnum contingit immortale mortalibus. Verum tametſi *quotidie damnatur qui ſemper timet*, tamen *citius venit periculum cùm contemnitur.* Perpetuam empyrei gloriam perdere, æternos gehennæ cruciatus ſemper pati, ſeriò time; reliqua neglige: *Tutiſſima res eſt nihil timere præter Deum,* & eius æternatura ſupplicia. *Non citò perit ruinâ, qui ruinam timet.* Nunquam tamen periculum ſine periculo vincitur. Cedant æternaturis temporaria, perpetuis caduca. Nil firmum infirmo, nil fragili inuictum.

*Non citò perit ruinâ, qui ruinam timet.* — Pub. Mim. apud Senec. — [illegible] v. 18.

2\. Prouerb. 14. *In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis eius (timoris inquam) erit ſpes.* Ita locum exponunt Beda & Lyranus. Itaque timori Domini fiducia coniungitur, res ſanè diuerſiſſima. Quaſi timor Dei confidentem quandam, & velut proiectam ad audendum fortitudinem præſtet, ſiue ad ſuſtinendas res aduerſas, ſiue ad arduas robuſtiùs inuadendas. Hanc vim timoris Dei eleganter tradit Gregorius: *In viâ Dei,* inquit; *à timore incipitur, vt ad fortitudinem veniatur. Nam ſicut in viâ ſeculi audacia fortitudinem; ita in viâ Dei audacia debilitatem parit. Et ſicut in viâ ſeculi timor debilitatem: ita & in viâ Dei timor fortitudinẽ gignit, Salomone atteſtante: In timore Domini fiducia fortitudinis.* Rectè ex antitheſi ad res ſeculares demonſtrat Gregorius quo pacto Dei timor, qui imbecillitatẽ præfert, fiduciæ animoſitatem ingerat. Quod eloquenter tradit Minutius Felix in Octauio, inducens Cæcilium ethnicum qui ſic aduerſus Chriſtianos argutatur; *Latebroſa,* inquit, *& lucifuga natio, in publico muta, in angulis garrula: templa, vt buſta, deſpiciunt, Deos deſpuunt, rident ſacra, miſerantur miſeri (ſi fas eſt) ſacerdotum honores, & purpuras deſpiciunt ipſi ſeminudi.* (Penſita accuratiùs verba quæ ſubnectit ad rem peridonea) *Pro mirâ ſtultitia & incredibili audaciâ ſpernunt tormenta præſentia, dum incerta metuunt & futura: & dum mori poſt mortem timent, interim mori non timent: ita illis pauor & fallax ſpes ſolatio rediuiuo blanditur.* Argutè quidẽ Cæcilius, etſi ethnico ſtilo & mente mores Chriſtianorum colat, & viuidam à timore fiduciam exponit, quá per exquiſita tormenta interim mori non timent, dum æternum mori poſt mortem timent: vnde pauor, dum in ſpem timendo refingitur, *ſolatio rediuiuo blanditur.* ô arcanè animoſam à timore fiduciam, piè de timoris imbecillitate ludentem! *In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis eius*, id eſt, *timoris erit ſpes.*

Prouerb. 14. v. 27. — Beda — Lyran. — *In viâ Dei, audacia debilitatem parit.* — S. Gregor. l. 5. Moral. c. 13. — Minut. in Octau. — *Chriſtiani dũ mori poſt mortem timent, interim mori non timent.*

3\. Eccleſiaſtici 25. *Timor Dei ſuper omnia ſe ſuperpoſuit: beatus homo, cui donatum eſt habere timorem Dei: qui tenet illum, cui aſſimilabitur? Timor Dei initium dilectionis eius: fidei autem initium agglutinandum eſt ei.* Non morabor Interpretes, an in hoc poſteriori hemiſtichio, *fidei* vocabulo intelligatur vera fides, an fiducia ſeu ſpes. Sed non poſſumus non mirari, quòd *timor Dei ſuper omnia ſe ſuperpoſuit.* An non timorem Dei excellit charitas, quæ virtutum obtinet principatum? An non etiam fides & ſpes, Dei timori gradu antiſtant? Perdoctè Clemens Alexandrinus forſan ad hunc Eccleſiaſtici locũ adludens, ita in ſuis Stromatibus ſcribit: *Quemadmodum dies ſunt pars vitæ, quæ pergit aſcendere: ita etiam timor eſt principium dilectionis, qui fit per incrementum fides, deindè dilectio. Sed non ſicut feram & odi & timeo: ita etiam & patrem vereor, quem timeo & amo.* ô arcanam virtutum metamorphoſim, quâ Deĩ timor, velut ſe deſueſcens, in fidem, in ſpem ſeu fiduciam, & in dilectionem ſiue charitatem quodammodo tranſit! Porrò Dei timor, matrix eſt fidei, ſpei conflatorium, charitatis officina, & reliquarum virtutum conceptaculum. Exindè *timor Dei ſuper omnia ſe ſuperpoſuit:* quoniam *timor eſt principium dilectionis, qui fit per incrementum fides, deinde dilectio.*

Eccli. 25. v. 14. & 15. & 16. — *Timor fit per incrementũ fides, deindè dilectio.* — Clem. Alex. l. 2. Strom.

4\. Eccleſiaſtici 1. ita Siracides ſcribit: *Timor Domini, gloria & gloriatio, & lætitia & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium.* Timor Dei eſt cauſſa gloriæ, parit enim & conciliat gloriam æternam, tum in cælo, tum in terrâ; tum apud Deum, tum apud homines. Timor quoque parit gloriationẽm, vt, ſcilicet, de eo gloriari poſſit homo: item affert lætitiam, quia effert bonam conſcientiam, æquè ac fiduciam in Domino, quæ duo ſunt cauſſa ſummæ lætitiæ. Inſuper conciliat diuinas conſolationes, & gaudia, quæ expertes Pſaltes iubilabat: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te.* Et ſanè mirum eſt, quòd timor; qui alioqui non valdè decorus affectus eſſe ſolet, & mœſtus animi angor, dicatur gloria & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Hæc arcana dulcedinis gratia, & inopinatus honor benè dicitur timentibus Deum abſconſus: neque enim communis hominum perſuaſio id facile in animum inducit. Sed quod S. Zeno Veronenſis de hoc filiali timore eleganter expreſſit: *Videtiſne,* inquit, *hunc timorem nobis neceſſarium, qui in Dei amore conſiſtit, qui voluptate ſua ſe parit: diuinæ legis agnitione conſtruit decorem: ad omnia genera virtutum intrepidus pergit, præceptis omnibus fideliter obtemperat: ſine fine ſtudet timere, ne quid præter Deum, quem diligit, timeat.* Bonus timor, qui confuſi horroris inſolenter inops, & anxiâ mœſtitudine vacuus, ſic delectat cor, datque lætitiam & gaudium, vt *voluptate ſua ſe pariat*; & inde cõtinuò augeat, ſemper incrementet, ac feliciter perpetuet, quaſi timor, exinceps placidè timendi lenocinium ſit, & metus vlterioris gratia; nam *voluptate ſua ſe parit*: atque arcanæ cupidinis dulci pellaciâ, ſui ſoboles eſt, ſuique parens; & de nobili ſui proſapiâ *conſtruit decorem*: ad vitia puſillanimus, & *ad omnia genera virtutum* magnanimiter *intrepidus.* Quippe qui *ſine fine ſtudet timere, ne quid præter Deum, quem diligit, timeat.*

Eccli. 1. v. 11. & 12. — Pſ. 30. v. 20. — *Timor Dei voluptate ſuâ ſe parit, ſui ſoboles, ſuique parẽs eſt.* — S. Zeno ſer. de Timore.

5\. Lucæ 12. *Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent ampliùs quid faciant. Oſtendam autem*

Lucæ 12. v. 4. & 5.

autem

*autem vobis quem timeatis : timete eum qui poſtquam occiderit*, &c. Timor enim Dei humanos timores potenter excuſſit. Quod de Euangelij heroïna, Tecla inquam, his verbis S. Zeno Veronenſis edifferit: Laciniis omnibus (inquit) ſpoliatur puella, veſtitur incendio. Inter tot inſtrumenta mortis ſpectatore metuente ſecura calcat genera omnia terrorum: incolumis, quaſi orbe ſubacto, de illo feralis caueæ iam non miſerabilis, ſed *mirabilis funereo ambitu* excedit, victi ſeculi triumphum reportans, quam tot ſuppliciis omnes crediderant perituram. *O neceſſarius timor: qui nihil aliud agit, niſi vt beatos efficiat* : (Beati omnes qui timent Dominum) *qui timet arte, non caſu: voluntate, non neceſſitate; religione, non culpa; qui Deum metuit, non naturam. Vultis ſcire, cuius proprietatis ſit? omnes timores, quoſcumque inuaſerint, incremento conficiunt: hic ſolus ad hoc creſcit, vt immortalem, quem poſſederit faciat.* Obuium eſt expendere præſcriptas Zenonis ſententias. Et ſanè illa eſt in primis conceptuum grauida, quòd hæc Euangelij nobilis Heroina, contemptis Tyrannorum minis, ſuperatiſque mortis crudeliſſimæ cruciamentis, *mirabilis funereo ambitu exceſſiſſe* perhibetur. O inopinata plagarum ambitio, quæ dum funerea tormenta clypeo diuini timoris exarmat, velut exuta mortalitate; immortalitatis candidata triumphat, præmaturè beata. *Non miſerabilis, ſed mirabilis funereo ambitu.* O quàm multa breui ſtrinxit Zeno!

S. Zeno ſup.

*Qui mortis tormenta intrepidus ſuſtinet, funereo ambitu mirabilis excedit.*

6. Siracides Eccleſiaſtici 25. Quàm magnus, inquit, qui inuenit ſapientiam, & ſcientiam, ſed non eſt ſuper timentem Dominum. *Timor Dei ſuper omnia ſe ſuperpoſuit* : beatus homo cui donatum eſt habere timorem Dei: qui timet illum cui aſſimilabitur? Dionyſius Carthuſianus cum aliis expungit voculam illam *ſe*, & ſic ſententiam exponit: Timor Dei ſuper omnia ſuperpoſuit hominem timentem Deum. Syrus, *Timor Dei ſuper omnia exaltatus eſt*. S. Hieronym. in c. 50. Iſaiæ legit, *Timor Dei omnia ſuperat*. Sanè omnia ſuperat, qui *ſuper omnia ſe ſuperpoſuit*. Hoc timoris ſuper reliqua faſtigium, egregiè exponit Clemens Alexand. lib. 2. Stromat. vbi illud Prouerb. 3. v. 7. *Deum time*, ex Græco textu ipſe legit: *Deum ſupertime* (vt ex Salazare notat Cornelius) Profectò Deum *ſupertimet*, qui Dei timorem reliquis pauidè timendis anteponit; quin etiam atrociſſimæ mortis feraliſſimis cruciatibus: corporalis enim mortis non timet tormenta, imò ea ridet, in eiſque gratè deliciatur, qui Deum *ſupertimet*. Sic timor Dei ſuper omnia hominem *ſuperponit, ſupertimet* enim poſt mortem, quod de atrociori morte non timet: & de timoris bono poſt mortem ſperat beatæ vitæ æternam in cælo felicitatem. Audiendus eſt Petrus Damianus, qui his verbis Tyrannum alloquitur, dum Martyrem atrociùs torquebat: *Tu ergo*, inquit, *Agonothetam Chriſti dum deiicere moliris, extollis: dum ſuperare niteris, inſuperabilem reddis...... Seruiſti nempe dum ſæuiſti: & auxiſti palmam, dum exaggeras pœnam. Nam quid non ad victoris gloriam vecors ingenium tuum reperit, quandò in honorem tranſierunt triumphi ipſa etiam inſtrumenta ſupplicij? Iam denique ille ad cæli culmen anhelat, iam mente in ſublimibus habitat, nihil dolet, nihil timet, niſi, ô perſecutores, ſolam pietatem veſtram, quæ ſi ei tribuitur, ab ipſo impietas crudeliſſima deputatur: & ſi tela veſtra ad eius vultis interiora pertingere, ſola illum pietate ferite. Tunc enim grauiter indignamini, ſi miſeremini, tunc immaniter laceratis, ſi parcitis: &, vt ita dixerim, tunc punitis, ſi non punitis.* Ecce tibi, quem timor Dei ſuper omnia *ſuperpoſuit*, nihil dolet, *nihil timet*, quantumuis truciſſima tormenta ſubeat, niſi tormentis ac morte non excruciari, nec pœnaliſſimè occumbere. Qui *Deum ſupertimet*, nihil niſi quod eſt vltra mortem timet, cetera negligit, contemnit, depretiat. Idcircò Chriſtiani dum mori poſt mortem timent, interim mori non timent; imò mori pro Chriſto cupiunt, vt *ſupertimorem* exarment.

Eccl. 25. v. 14.

Carthuſ.

Syrus.
S. Hieron.

Clem. Alex.
Prouerb. 3.
Salazar
Cornel.

*Mortem etſi pœnaliſſimã non timet, qui D. non ſupertimet.*

Petr. Dam. ſerm. 32.

*Martyrum conſtantia in tormentis deſcribitur.*

# SYNOPSIS CAP. IX.

*Iam aderat tertiadecima dies menſis Adar, ſorte dudùm Iudæorum excidio deſtinata; quæ vice verſa, ſicut eorum hoſtibus lugubris ac fatalis, ſic Iudæis illuxit læta & glorioſa: in qua Iudæi fauentibus populorum Præfectis, hoſtes inuadunt ſuos, & magnam illorum copiam paſſim trucidant, & decem filios Amani nuper trucidatos, è patibulis ad ignominiam poſtridie ſuſpendunt, & de nouo Regis edicto cruentis adhuc gladiis ſtrages Suſis recentant; & vbiuis occiſorum direptioni generoſe parcunt inimicorum iuſta cæde contenti. Et dies Phurim ſeu ſortium, decimaquarta, alibi, & Suſis decimaquinta menſis duodecimi Adar, perpetuo ſolennes ac feſtiuos iubens, Reginæ ac Mardochæi imperio gratanter obſecuti.*

CAPVT IX.

# CAPVT IX.

1 IGITVR duodecimi menſis, quem Adar vocari antè iam diximus, tertiadecima die, quando cunctis Iudęis interfectio parabatur, & hoſtes eorum inhiabant ſanguini, verſa vice Iudæi ſuperiores eſſe cœperunt, & ſe de aduerſariis vindicare. 2. Congregatique ſunt per ſingulas ciuitates & oppida & loca, vt extenderent manum contra inimicos, & perſecutores ſuos. Nulluſque auſus eſt reſiſtere eò quòd omnes populos magnitudinis eorum formido penetrarat. 3. Nam & prouinciarum iudices, & duces, & procuratores omniſque dignitas quæ ſingulis locis ac operibus præerat, extollebant Iudæos timore Mardochæi; 4. quem principem eſſe palatij, & plurimum poſſe cognouerant: fama quoque nominis eius creſcebat quotidie, & per cunctorum ora volitabat. 5. Itaque perculſerunt Iudæi inimicos ſuos plaga magna, & occiderũt eos, reddentes eis quod ſibi parauerant facere: 6. intantum, vt etiam in Suſan quingentos viros interficerent, extra decem filios Aman Agagitæ hoſtis Iudæorum: quorum iſta ſunt nomina. 7. Pharſandatha, & Delphon, & Eſphatha, 8. & Phoratha, & Adalia, & Aridatha, 9. & Phermeſta, & Ariſai, & Aridai, & Iezatha. 10. Quos cum occidiſſent, prædas de ſubſtantiis eorum agere noluerunt. 11. Statimque numerus eorum qui occiſi erant in Suſan, ad regem relatus eſt. 12. Qui dixit reginæ: In vrbe Suſan interfecerunt Iudæi quingentos viros, & alios decem filios Aman: quantam putas eos exercere cædem in vniuerſis prouinciis? Quid vltrà poſtulas, & quid vis vt fieri iubeam? 13. Cui illa reſpondit: Si regi placet, detur poteſtas Iudæis: vt ſicut fecerunt hodie in Suſan, ſic & cras faciant, & decem filij Aman in patibulis ſuſpendantur. 14. Præcepitque rex vt ita fieret. Statimque in Suſan pependit edictum, & decem filij Aman ſuſpenſi ſunt. 15. Congregatis Iudæis quartadecima die menſis Adar, interfecti ſunt in Suſan trecenti viri: nec eorum ab illis direpta ſubſtantia eſt. 16. Sed & per omnes prouincias quæ ditioni regis ſubiacebant, pro animabus ſuis ſteterunt Iudæi, interfectis hoſtibus ac perſecutoribus ſuis: intantum vt ſeptuaginta quinque millia occiſorum implerentur, & nullus de ſubſtantia eorum quicquam contingeret. 17. Dies autem tertiuſdecimus menſis Adar vnus apud omnes interfectionis fuit, & quartadecima die cædere deſierunt. Quem conſtituerunt eſſe ſolennem, vt in eo omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio, atque conuiuiis. 18. At hi qui in vrbe Suſan cædem exercuerunt, tertiodecimo, & quartodecimo die eiuſdem menſis in cæde verſati ſunt: quintodecimo autem die percutere deſierunt. Et idcirco eundem diem conſtituerunt ſolennem epularum atque lætitiæ. 19. Hi verò Iudæi qui in oppidis non muratis ac villis morabantur, quartumdecimum diem menſis Adar conuiuiorum & gaudij decreuerunt, Ita vt exultent in eo, & mittant ſibi mutuò partes epularum & ciborum. 20. Scripſit itaque Mardochæus omnia hæc, & litteris comprehenſa miſit ad Iudæos qui in omnibus regis prouinciis morabantur, tam in vicino poſitis quàm procul, 21. vt quartamdecimam, & quintamdecimam diem menſis Adar pro feſtis ſuſciperent, & reuertente ſemper anno ſolenni celebrarent honore: 22. quia in ipſis diebus ſe vlti ſunt Iudæi de inimicis ſuis, & luctus atque triſtitia in hilaritatem gaudiúmque conuerſi ſunt: eſſentque dies iſti epularum atque lætitiæ: & mitterent ſibi inuicem ciborum partes, & pauperibus munuſcula largirentur. 23. Suſceperuntque Iudæi in ſolennem ritum cuncta quæ eo tempore facere cœperant, & quæ Mardochæus literis facienda mandauerat. 24. Aman enim filius Amadathi ſtirpis Agag, hoſtis, & aduerſarius Iudæorum, cogitauit contra eos malum, vt occideret illos, atque deleret: & miſit phur, quod noſtra lingua vertitur in ſortem. 25. Et poſtea ingreſſa eſt Eſther ad regem, obſecrans vt conatus eius, literis regis irriti fierent: & malum quod contra Iudæos cogitauerat, reuerteretur in caput eius. Denique & ipſum & filios eius affixerunt cruci, 26. atque ex illo tempore dies iſti appellati ſunt phurim, id eſt ſortium: eo quòd phur, id eſt, ſors, in vrnam miſſa fuerit. Et cuncta quæ geſta ſunt, epiſtolæ id eſt, libri huius volumine continentur: 27. quæque ſuſtinuerunt, & quæ deinceps immutata ſunt, ſuſceperunt Iudæi ſuper ſe & ſemen ſuum & ſuper cunctos qui religioni eorum voluerunt copulari, vt nulli liceat duos hos dies abſque ſolemnitate tranſigere quos ſcriptura teſtatur, & certa expetunt tempora annis ſibi iugiter ſuccedentibus. 28. Iſti ſunt

dies quos nulla vnquam delebit obliuio, & per ſingulas generationes cunctæ in toto orbe prouinciæ celebrabunt: nec eſt vlla ciuitas in qua dies Phurim, id eſt, ſortium non obſeruentur à Iudæis, & ab eorum progenie, quæ his cæremoniis obligata eſt. 29. Scripſeruntque Eſther regina, filia Abihail, &, Mardochæus Iudæus, etiam ſecundam epiſtolam, vt omni ſtudio dies iſta ſolemnis ſanciretur in poſterum. 30 Et miſerunt ad omnes Iudæos, qui in centum viginti ſeptem prouinciis regis Aſſueri verſabantur, vt haberent pacem & ſuſciperent veritatem, 31. obſeruantes Dies ſortium & ſuo tempore cum gaudio celebrarent: ſicut conſtituerant Mardochæus & Eſther: & illi obſeruanda ſuſceperunt à ſe, & à ſemine ſuo, ieiunia & clamores, & Sortium dies, 32. Et omnia quæ libri huius, qui vocatur Eſther, hiſtoria continentur.

---

## §. CCXV.

### *Commentarius Litteralis.*

1\. VERS. 1. & 2. & 3. & 4 & 5. Hoc caput hiſtoriam continet intellectu non obſcuram, & ex ſupra dictis magnâ ex parte claratam: nunc enim executioni mandatur, quod ſuprà exequi ſtatutum eſt, & ibi expoſitum. Sanè verſ. 1. Iudæorum hoſtes tertiadecimâ die menſis Adar, dicuntur ipſis interficiendis parari, & inhiari eorum ſanguini, quia dudùm eâ mente hoſtiliter animati erant ad hanc diem Iudæorum cædi deſtinatam; eâ autem die adueniente, Iudæorum terrore citiùs quàm

*Qui dicuntur Iudæorum hoſtes.* Sanctius ibi.

ferro perculſi ſunt. Itaque Iudæi Regis edicto, Præfectorum fauore, vigoreque cæleſti armati, animosè in hoſtes ſuos irruunt, eoſque vbique malè concidunt; adeò vt Suſis præter decem filios Amani, quingentos nihilominùs trucidarint, Benè notat Sanctius non cenſeri Iudæorum hoſtes, qui eorum cauſſæ minùs fauebant, neque qui illorum lætabantur incommodis; ſed qui ſuum in illos odium adeò non occultabant, vt manifeſtè pararent arma, & minarentur mortem, & ſuam calamitatem deplorantibus inſultarent hoſtiliter, in hos enim ſtricto ferro adeò ſtrenuè debacchati ſunt, vt nemo illis reſiſtere auſus fuerit, quòd ſanè mirifſimum eſt.

*Verſ. 6. & 7. & 8. & 9* In tantùm vt etiam in Suſan quingentos viros interficerent, extra decem filios Aman Agagitæ.

2\. Paraphraſis illa Chaldaica dicit hos quingentos viros fuiſſe Amalecitas de Amani cognatione, Aman enim dicitur de ſemine Agag, atque adeò Amalecita. Non mirarer Iudæos priùs irruiſſe in Amalecitas, & cognatâ dudùm hoſtilitate, & Amanis affinitate infenſiſſimos; & inde ſequenti die copiam impetraſſe debacchandi in reliquos Suſianos. At Amalecitarum Suſis cómorantium ingens videtur numerus, & exiguus Suſianorum, qui regio Priuato coram adulari negligerent de hoſtilitate Iudæorum. Vnde placet Fauardentius, qui cenſet hos quingentos Suſis occiſos fuiſſe clientes, familiares, & fautores Amani. quod videtur veroſimillimũ. Illud hìc occurrit impeditum magis, quomodò tertiadecima die menſis Adar dicantur perempti decem Amanis filij, cùm conſtet Amanem cum ſuis eadem die actum in cruce. Sic apertè habetur in regio edicto, c. 16. v. 18. *Pro quo ſcelere*, inquit, *ante portas huius vrbis, id eſt, Suſã, & ipſe qui machinatus eſt, & omnis cognatio eius pendet in patibulo.* Quę, ſi ſincerè g[...]tur ſinceriùs non damnatos ad patibulum, poſt octo menſes & eo amplius ſubeundum, ſed cum patre ſimul patibulatos ſonant.

*Caldaica Paraphraſis. Quingentos Amalecitas Suſis interfectos, quidam putant.* Feuar. ibi. Eſther. 16.

Reſpondet Serarius, Salianus, & Menochius, 3.
ex reliqua familię & filiorum Amani turba decẽ hos Amani filios exemptos, & cuſtodiæ traditos, quò ſtatutæ victoriis dies fieret Iudæis ſollemnior, numeroſa etiam Amani ſobole cruentata. Aliter citata verba c. 16 premit Tirinus: Per *cognationẽ*, inquit, Amanis, non filij, ſed *cognati*, & alij ſimiles propinqui intelliguntur. Nam ſi etiam filij in patibulis tunc ſuſpenſi fuiſſent, hoc ipſorum filiorum nomen ad rei exaggerationem expreſſũ fuiſſet, Iam verò voluerunt Iudæi filios Tyranni tantiſper in vinculis detinere, vt poſtmodũ maiori pompâ ab illis tanquam primitiis publicæ cædis initium fieret. Veroſimilius rem componit Sanctius, ſupponens magnam filiorum turbã Amanũ ſuſcepiſſe ex principe vxore, & magna concubinarum copia. Nam cùm Perſæ & ſalaciſſimi forent, poſſentque tot habere vxores, quot alere poſſent; cumque opulentiſſimus Amano cenſus ſuppeteret, numeroſam ſuſcepiſſe prolẽ, perſpicuum eſt ex c. 5. v. 11. vbi amicis conſultoribus *expoſuit magnitudinẽ diuitiarum ſuarũ, filiorumque turbam.* An turba filiorũ Amanis numerum quinquageſimũ attigerit, ſuperaueritve, quiſquis ſeriò affirmet, planè diuinat, cùm id ex nulla relatione conſtet. Licet enim Gedeon habuerit ſeptuaginta duos filios, & vno minus Achab, & Roboam nonaginta octo; & Priami, Artaxerſis, Scilurij denſam filiorum ſiluam profana eruditio recenſeat; indè tamen determinatus numerus filiorũ Amanis coniici non poteſt. Sed, quoad rem attinet, ſat eſto, plurimam *filiorum turbam* Amanem ſuſcepiſſe, è quorum numero cùm reliquos Aſſuerus egiſſet in crucem cum totâ cognatione & familia, hi decẽ ſuperſtites fuerunt, vel quia quid Rex agere meditaretur ſubodorati, maturè ſe illius furori ſubduxerunt; vel quia ab vrbe tunc aberant, nec illos eſſe in rerum naturâ Rex arbitrabatur. Atque ideò dixit *omnem cognationem eius pendere in patibulis.* Dein verò cùm per octo menſium prolixum ſpatium, hi quoque Amano parente prognati cognoſcerentur, (veroſimile enim eſt, ipſos nõ impenſiùs ſtuduiſſe latere, putantes ſatis iam in paternam domum deſæuitum fuiſſe) à Regina, & Mardochæo ad cædis auſpicium, & mox ad crucem poſtulati ſunt, nequa ex inimica & ſceleratâ ſtirpe ſcintilla ſupereſſet. Hanc expoſitionem non leuiter facet textus inſinuat verſ. 12. dum Aſſuerus Eſtheri dixit: *In vrbe Suſãn interfecerũt Iudæi quingẽtos viros, & alios*

Serarius. Salianus. Menoch. Tirinus. *Cognitione Amanis dudũ perempta quomodo decẽ nunc filij perimuntur.* Sanctius ibi n. 5. Eſther 5.

*alios decem filios Aman quantam putas*, &c. In quibus verbis τὸ *alios* expendere licet. quaſi dicat Rex: Illos quoque filios Amani, numero decem, qui ex numeroſâ filiorum turbâ ſupererant. Hæc Sanctij expoſitio videtur expeditior, etſi illa Tirini non inidonea ſit.

## *Verſ.* 10. & 11. & 12. Prædas de ſubſtantiis eorum tangere noluerunt, &c.

4. Licet Rex edicto ſuo Iudæis promiſerat, non tantum inimicos ſuos paſſim trucidare, ſed bona eorum diripere; prædas tamen nullibi agere voluerunt, (opinor Mardochæi inſtinctu) ne non zelo iuſtitiæ, ſed ardore auaritiæ permoti, tot vbinus edidiſſe ſtrages viderentur. Et quidem Hebræi ieiuniis & precibus ſuam incolumitatem, & ab inimicis vindictam, non inimicorum prædas poſtulauerant. Nominatim autem dicuntur abſtinuiſſe prædis filiorum Aman: nam tametſi patris bona iam diu præſcripta erant, & regio munere Eſtheris tributa, de pleriſque tamẽ eorũ procliue eſt hinc credere, à patre manumiſſos, & ſuas ipſos familias habuiſſe. Præterea verſ. 11. ingens occiſorum numerus in vrbe Suſis, ad Regem delatus dicitur, ſi forte cruentâ relatione tamen ſiſteretur; iuberetque poſt tot funera, occiſioni finem imponere. quod Eſthere nõ adnuente facere renuit. Vnde verſ. 12. Rex dixit Reginæ: In vrbe Suſan interfecerunt Iudæi quingentos viros, & alios decem filios Aman, quãtam putas eos exercere cædem in vniuerſis prouinciis? *Quid vltrà poſtulas, & quid vis vt fieri iubeam?*] Itaque Aſſuerus Reginam rogat, ecquid ampliùs velit, & an ſuo, ſuorumque furori, ac dolori ſatisfactum putet, aut ſatis ab odioſâ turbâ ſumptum ſupplicij ſit. Addit Sanctius, quòd hæc dixit Aſſuerus cum offenſione, quaſi cohiberet diſtrictum Iudæorum ferrum. Hæc Sanctij coniectura mihi non probatur: nam tametſi Rex, quantum appareτ, in votis haberet, diſtrictum Iudæorum ferrum poſt tot ſuorum clades cohibere, id minimè Reginæ cum *offenſione* indicauit. Porrò Eſther, quæ adeò prudenter & cautè ſe in omnibus gerebat, animaduertens Regem cruento excidio *offenſum*, nouum vltrà excidium, & vlteriores Suſianorum ſtrages minimè poſtulaſſet, ne *offenſum* Regẽ vltrà offenderet. Vulgatus nullã Regis *offenſionem* innuit, neque reliquę exceptiones ſubindicant. L X X. interpretes ſic habent: *Quid igitur poſtulas ampliùs, & erit tibi?* Adſimilia habens ex Hebræo Vatablus, & Pagninus, quæ verba nullam Regis *offenſionem* inſinuant. Imò obſeruat Lyranus, ex hâc beneuola Aſſueri pollicitatione, auſam fuiſſe Eſtherem, ſequenti diei cædes poſtulare.

Sanct. hic n. 4.

LXX. Interp. Vatablus Pagninus Lyranus.

## *Verſ.* 13. & 14. & 15. & 16. Detur poteſtas Iudæis vt ſicut fecerunt hodie in Suſis, ſic & cras faciant.

5. Regio edicto cautum erat, vt Iudæis decimatertia die dũtaxat liceret in hoſtes ſuos deſæuire, cumque Suſiani, vt Amano Regis intimo Familiari adularentur, magno numero hoſtilitatem aduerſus Iudæos præmonſtraſſent, tametſi non modica Iudæorum turba inibi congrata fuit, ſuoſque hoſtes ſtrenuè inuaſerit; exacta illa die cùm vlterius in ſuperſtites debacchari non poſſent, ſequenti die inimicæ turbæ reliquias extinguere, Reginæ precibus audacter petunt, & feliciter impetrant. Dein cùm ſceleroſa Amani ſoboles, etſi malè conciſa, & cruente lacera, iaceret exanimis, quaſi ſatis pœnarum adhuc non dedorit, exorant etiam vt quam ſubierat pater pœnã cum reliqua cognatione, ſubeant quoque ſcelerati filij. Extorquent ergò vt cadauera figãtur crucibus ad ignominiam pariter & terrorem: ſic enim aut coruos vultureſque infeliciter paſcent, aut tabe fœdata ignominioſè computreſcẽt. Porrò licet apud Iudæos in more poſitum erat, vt ſontium cadauera ſub occaſum ſolis è patibulis deponerẽtur, id apud Gentes vſitatum non fuiſſe, eruditè probat Sanctius. Qui idcircò opportunè aduertit, τὸ *ſuſpenſi ad portam*, extra portam intelligendum eſſe: foret enim horribile ſpectaculum, intra vrbis portas iſtiuſmodi tabida corpora computreſcere. *Trecenti viri*,] præter illos quingentos, quos die præcedenti trucidauerant. Forſan non caſu *viri* dicti ſunt, hi octingenti in regia vrbe interfecti, cùm verſ. 16. *viri* non dicantur, ſed tantùm *quinquaginta quinque millia occiſorum*, qui in reliquis prouinciis occiſi ſunt. An quia Suſis interfecti, vt plurimùm nobiles erant? An potiùs quia cùm maior inibi eſſet copia inimicorum, ex Amani adulatione hoſtilitatem oſtentantium; maluerunt Iudæi in *viros* irruere, imbellem puerorum, ac fœminarum plebem omittentes? In aliis autem oppidis, vbi minor erat hoſtium numerus, in cõiuges etiam, ac liberos irruerunt, quod ex regio edicto Iudæis licebat, cap. 8. verſ. 11. Additur verſ. 16. *Pro animabus ſuis ſteterunt Iudæi.*] id eſt, in vnum cuneum ibique armati, pro negotio ad incolumitatem, vitamque ſpectante, fortiter pugnauerunt, adeò vt ſeptuaginta quinque millia inimicorum trucidati ceciderint. Nullibi autem permiſſas egere prædas, vt iuſtam vltionem, non ſordidam auaritiam nobiliter oſtentarent. In numero occiſorũ Hebræi & Chaldæi codices Vulgato adſentiunt; L X X. interpretes, non ſeptuaginta quinque millia, ſed *quindecim millia*. Vulgato potiùs ſtandum; mira enim, non incredibilia tradit. Benè hîc notat Cornelius, quòd etſi ingens ſit hic hoſtium, ideoque & occiſorum numerus, id ritè factum: quia Iudæi de vita ſecuri eſſe non poterant, niſi his occiſis. Et hoc eſt, quod hîc dicitur, *Pro animabus ſuis* (pro vita ſua tuenda cædentes hoſtes ſuos) *ſteterunt Iudæi interfectis hoſtibus*. Niſi enim, ipſi interfecti fuiſſent, timendum erat, ne rurſùm Iudæos inuaderent, imò contra Regem rebellarent. Sed diligenti hoſtium exploratione opus fuit, ne inſontes pro ſontibus perimerentur.

Sanctius hîc n. 10.

*Qui Suſis occiſi ſunt, cur viri dicuntur.*

*Quid ſit, pro animabus ſuis ſtare.*

Cornel.

## *Verſ.* 17 & 18. & 19. & 20. & 21. & 22. & 23 Dies tertius decimus, &c.

6. Vbi primùm præſcripta dies decimatertia mẽſis Adar aduenit, cruentum hoc excidium à Iudæis peractum vbilibet fuit, præterquàm in Suſiana vrbe: idcircò in reliquis oppidis die decimaquarta Iudæi vltione peracta quieuerunt, vacaueruntque conuiuiis, diem illum exinceps ſollẽnem eſſe ſtatuentes, conuiuiis, & publicæ feſtæque lætitiæ deſtinarunt. Cùm autem Suſis decimaquarta etiam die in hoſtes ſæuitum ſit, poſtridie, id eſt, decimaquinta die idem præſtitum eſt. Quomodò autem tam cruentæ etiam innocentium cædes, ſine ſcelere peragi potuerit, diximus ſuprà

*Cur non eadem die hoc feſtum vbique celebretur.*

*Cur Iudæi alterâ etiam die Suſis ſæuire petunt.*

ſuprà. Quod autem verſ. 20 habetur: *ſcripſit itaque Mardochæus omnia hæc*, ſignificat, Mardochæum fuiſſe huius libri auctorem, quod traditum eſt ſupra § n.] Quæ de hoc feſto hîc traduntur, commodiùs verſ. 27. exponentur, vbi à Iudæorum ſenatu receptum ſcribitur, ne idem bis repeti fruſtrà cogamur vſque ad lectoris nauſeam.

*Verſ.* 24. *&* 25. Aman enim filius Amadathi, &c.

Materia vtriuſque Verſiculi, ſumma eſt totius hiſtoriæ, & quæ nihil de nouo ſuperaddit. Perſtrictim verò hactenùs denarrata repetuntur, vt ſolemnitatis denuò inſtitutæ occaſio explicatiùs tradatur.

*Verſ.* 26. Dies iſti appellati ſunt Phurim, id eſt, ſortium.

7. *Quare hoc feſtum appellatur.* Phurim, *id eſt, ſortium.* Sanctius ibi.

De *Phurim* quo nomine hoc feſtum indigitatum eſt, & an ſit Perſicum, an Hebræum vocabulum, egimus ſuprà. Profectò cùm hoc feſtum appelletur *Phurim*, id eſt, ſortium, quas miſit Aman, vt indè auſpicaretur quo die Iudæi trucidandi ad vnum forent, peritè notat Sāctius multa Hebræorum feſta à periculo ſeu calamitate nomen habere, vt putà feſtum Phaſe, azymorum, ſcenopegiæ, & Phurim: non quia feſtum & ſolemnem diem inſtituant ob illam calamitatem, ſed propter liberatione̅ ab eiuſmodi calamitatis periculo. Sic feſtum *Phurim* nominatur à ſortibus, quas miſit Amanus, quo die Iudæos funditùs perderet; Quoniam eo ipſo die Iudæi vice verſâ præluſtrem vltionem de inimicis ſumētes, cruentâ ſtrenuè vindictâ ſoſpitatem feliciter inuenerunt. *Et cuncta quæ geſta ſunt, epiſtolæ, id eſt, libri huius volumine continentur.* Nimirùm *liber*, ſeu *volumen*, quod hanc Eſtheris narrat hiſtoriam, *epiſtola* quædam eſt, à Mardochæo, re communicatâ cum Eſthere, conſcripta, & ad vniuerſos Iudæos piè, & lætanter miſſa, vt in accepti beneficij gratiam; Phurim, ſiue ſortium nouū feſtum anniuerſariâ ſolemnitate reciperēt, quod ſuprà §. illo n. 4. multis adſtruebamus, huius libri auctorem indagantes.

*Verſ.* 27. Quæque ſuſtinuerunt.

8. *Quo pacto duos ſollennes huius feſti dies Iudæi celebrent.*

Nempè Iudæi ab Amane, eiuſque partiariis, quandò funeſtus vbique luctus, lugubris clamor, & mortis pauor. *Et quæ deinceps immutata sūt.*] quandò verſâ ſorte, ipſi læti glorioſi, & alacres, in hoſtium capita exitialem perniciem conuerterunt. In quorum gratiam ex auito more, adhortantibus Mardochæo & Eſthere, lege exinceps perpetuâ, *Suſceperunt Iudæi ſuper ſe, & ſemen ſuum, &c.* Scilicet ſe cum omni eorum poſteritate, & proſelytorum turbâ, eorum nomine obſtrinxerunt, ſingulis annis hoc feſtum Phurim exinceps celebrare. *Vt nulli liceat duos hos dies abſque ſolemnitate tranſigere.*] Duo illi dies ſunt decimusquartus & decimusquintus mēſis Adar, hi pro his qui Suſis habitabant, ille pro reliquis. Vndè ſinguli Iudæi non tenebantur vtrumque diem feſtum obſeruare, ſed ex duobus vnum. Suſiani decimaquintâ, ceteri omnes decimaquartâ, tunc enim periculo exempti, peracta cæde quieuerunt, & feſto plauſu lætati ſunt, & conuiuia ſecuri celebrarunt. Idcirco vniuerſim Iudæi dicuntur duos illos dies feſtos celebrare, quia vnum idemque feſtum vtroque die variis tamen in locis celebrabant, vt Serarius, & Tirinus adnotarunt. *Quos ſcriptura teſtatur.*] id eſt, Mardochæi epiſtola primò ad Iudæos conſcripta, & poſteà à Synagoga magna recepta, & confirmata. *Et certa expetunt tempora,*] nempè decimamtertiam, & decimamquartam diem mēſis Adar, vt præſcribit Mardochæi epiſtola, & Synagogæ decretum. Hoc autem feſtum non tantùm a Iudæis, ſed etiam ex Aſſueri decreto, ab omnibus Perſico imperio ſubiectis, ſollenni ritu quotannis colebatur, vt habetur cap. 16. v. 22. & 24. *Annis ſibi iugiter ſuccedentibus.*] Perſæpè in hac hiſtoria hoc feſtum quotannis celebrandum iubetur, & ſuſcipitur, dum omnes Iudæi ſuo, & totius poſteritatis nomine, vltrò ſeſe obligant. Summam feſti ex his quæ habentur ſparſim in his verſiculis, breui dare, operæpretium duximus. Serar. q. 2. Tyrinus. Eſther 16.

9. Ioſephus 2. Mach. 15. v. 37 Genebrard. *Quod nam ſit Sortium feſtum maius, & minus? Feſtum Phurim ſummatim traditur.* Matth. 22.

Hoc feſtum communiter appellatur, *Dies Phurim*, ſiue *ſortium*, ob ſortes, quas iecit Aman, & in ſuum ipſius caput cōuertit Deus. Feſta Phuræa Ioſephus vocat. Item lib. 2. Machab. vltimo, *Dies Mardochæi* nominantur, præcipuè dies decimus quartus. Notat Genebrardus, ex quo etiam recentiores Interpretes, quod in Hebræorum Calendariis dies Adar 14. inſcribitur; *Sortium feſtum minus*, dies autem 15. *Sortium feſtum maius.* Forſan quia in eo funditùs deleta, & in crucem acta Amani ſoboles, & conſummata inimicorum vindicta: aut quia in præcipua Perſici imperij vrbe, eiuſmodi feſtum ſumptuoſiùs celebrant. Plura præſcribuntur in hoc feſto agenda. Primùm verſ. 22. lautiùs *epulandum* Nec morandum eſt Græcos codices, qui pro epulo ſeu conuiuio *nuptias* habent: nam perindè eſt, vt ex Matthæi 22. aliàs adnotabamus. Alterum, vt *lætarentur*, ibidem. Dein; vt *mitterent ſibi inuicem ciborum partes.* Præterea vt *pauperibus munuſcula largirentur*, ibidem. Opinor munera aliis, præſertim pauperibus miſſitare, commune fuit reliquis Hebræorum feſtis; nam vt opportunè obſeruat Sanctius, idem in occaſione non diſſimili Iudæis dictum fuit, lib. 2. Eſdræ cap. 8. v. 10. *Ite comedite pinguia, & bibite mulſum: & mittite partes his, qui non parauerunt ſibi, quia ſanctus dies Domini eſt.* Reliqua, quæ ceteris diebus feſtis communia ſunt, intelligenda citiùs, quàm exprimenda erant. nempe Pſalmis & hymnis pro accepto beneficio gratias agere; hoſtiam, ſi per locum licebat, reapſe, ſin minùs, animo offerre: factum illud verbis commemorare, poſterisque tradere. Vndè ab eo tempore vbiuis terrarum, hoc feſtum Iudæis celebre eſt, adeò vt hodie etiam in ſuis vbique Synagogis hanc hiſtoriam legant. Addit Athanaſius *Amanem incendere*, nempè aliquam ipſiùs imaginem ex ea materia conflatam, quæ ignem facile concipiat. Tradit quoque Petrus Gregorius, Iudæos in hoc feſto magnum ſtrepitum in ſuis Sinagogis excitare ſolitos, ſcamna & pulpita malleolis feriendo, ſcriptumque Amani non contundendo. Vndè putant aliqui, eccleſiaſticum morem, poſt eas quæ Tenebroſæ dicuntur, matutinas, ſtrepitum excitandi, hinc ortum habuiſſe. Adhæc tradit Serarius Iudæos olim in crucifixi Amani odioſam Sanctius n. 18. 2. Eſdræ 8. S. Athanaſ. in ſynopſ. Petr. Gregor. l. 2. sync. c. 16. n. 10.

ſam memoriam excitare ſolitos ligneam crucem, quam mox probroſiſſimè comburebant. Quia verò Iudæi hoc ſimulacro animitus Domini noſtri Ieſu-Chriſti crucem & paſſionem ſubſannabant; eum ritum Honorius & Theodoſius vetuerunt. Plura, qui eâ de re volet, conſulat inibi Serarium. Hæc eſt ſumma huius feſti, de quo præter Commentatores, legi poteſt noſter Ribeta in Tractatu de Iudæorum Feſtis, lib. 5. c.19. Quid autem fieret pridie hanc ſollennitatem Phurim, habetur infrà verſ.31.n.11.Conſuli etiam poteſt Martinus del Rio de Magia lib. 4. c.2.q.7.ſect.3. vbi hunc Eſtheris locum eruditè verſat.

L. Iudæos, C. de Iudæis, & Cœlicolis.

Ribeta Mart. del Rio.

*Verſ.* 28. & 29. & 30. Iſti ſunt dies, quos nulla vnquam delebit obliuio.

10. Tradit Serarius q.2.hodie etiam apud Iudæos celebrari hoc feſtum Phurim. Et ſanè licet iam diu ceſſaſſet, rectè hic dicitur *nulla vnquam obliuione delendum*: nam (vt peritè obſeruat Sanctius) Hebræo idiomate illa dicuntur æterna, & nunquam peritura, quæ valdè diuturna erunt. *Scripſeruntque Eſther regina.... & Mardochæus, &c.* Non benè, opinor, putat Sanctius, hanc epiſtolam ab Eſthere regina, & Mardochæo intimo Regis Familiari, conſcriptam, non tam ſuadere, quam exertè hanc celebritatem iuſſiſſe. At Reginæ ac Mardochæi auctoritas, ſine regio edicto ſtrictè non iubet. Nec videtur veroſimile, Mardochæum Beniaminitam ſuper feſto ſacto tunc inſtituendo iuſſionem intimare, cùm id ſpectaret ad Leuitam Pontificem cum magnâ Synagogâ, ſeu Iudæorum ſenatu. Vnde putauerim ad priorem Mardochæi epiſtolam, quâ hoc feſtum indicebat; additam fuiſſe hanc ſecundam, vt de vtriuſque auctoritate grauius eſſet adhortationis pondus; & vt qui auctores fuerant feliciſſimæ ſoſpitatis, forent etiam auctorati gratitudinis auctores. *Vt haberent pacem, ſuſciperent veritatem*, Hebraicè, & Chaldaicè, *Verbis pacis, & veritatis*, id eſt precantes *pacem verum*. Eſt hendiades, & epiſtolæ proœmiolum, ſeu præuia quædam & amica ſalutatio, Conſule mihi Sanctium n.26. Quòd ſi τὸ *veritatis*, à præmiſsâ ſalutatione diſſociandum foret, ſatiùs putarem *Suſcipere veritatem* eſſe, vt verè, hoc eſt fideliter feſtum ſuſcipiant, & fideles ſint promiſſis in eius perpetua obſeruatione, quomodo *veritas* paſſim ſumitur in Bibliis. Priorem autem expoſitionem puto genuinam, & Scripturæ familiarem. Et hoc loco noſter Aquado pacis ac veritatis concordiam miſcet, & ethicè propinat.

Serarius. Sanctius.

Sanctius.

*Eſther & Mardochæus non iubent ſed ſuadent hoc feſtum*

*Quid ſit ſuſcipere pacem & veritatem* Sanctius.

P. Aquado in Chriſtiano ſapiente titul.5.c.7.

*Verſ.* 31. & 32. Et illi obſeruanda ſuſceperunt à ſe, & à ſemine ſuo ieiunia, & clamores & ſortium dies.

11. Plura pollicentur Iudæi; quàm in epiſtola Eſtheris ac Mardochæi expetebantur: promittunt etiam ieiunia & clamores, qui feſtos Sortium dies duntaxat celebrare iubentur: ſpondent enim huius hiſtoriæ geſta, & quæ ad feſtam lætitiam præclara, & quæ ad luctum acerba quotannis reſtaurare. Exinde in Hebræo Calendario, quod poſt Chronicum Genebrardus excripſit, decimatertia die menſis Adar, qui noſtro Februario fere reſpondet, habetur hoc ieiunium quod aliorum feſtorum ritu præmittebatur ſollenni feſto. Et ſanè ieiunio publicæ etiam preces adiungebantur, quæ hîc *clamores* nuncupantur; quæ in hoc profeſtum opportunè quadrabant, ob lugubres fletus, eiulatus, & clamores, quos recens damnati Iudæi, ante ſui liberationem, in cælum queruli profuderunt. Ceterùm dies Phurim, ſeu ſortium, die decimaquarta & decimaquinta celebrati, appellabatur *feſtum Mardochæi*, quia ſicut eius occaſione ſæuior calamitas imminuit, ſic eiuſdem induſtia in proſperiorem fortunam conuerſa eſt: & eo auctore feſtum hoc primò indictum fuit; paritetque eius exaltatio valdè Iudaiſmo proficua, exultim colebatur. At verò dies decimatertia, quæ ab Amane erat Iudaico excidio deſtinata, mox impenſa votiuo ieiunio, & funeſtis clamoribus, quippe in quâ ſollennitatis profeſtum agebant; *ieiunium Eſtheris* nuncupabatur; & quia ipſa triduo ieiunauit, & triduanum ieiunium ſuis ante ſoſpitatem indixit, ſuprà c.4.verſ. 16. Denique notandum eſt, hoc Eſtheris ieiunium in profeſto Phurim celebrari ſolitum tertiadecimâ die menſis Adar, poſtea abrogatum fuiſſe: conſtat enim ex 2. Machabæorum 15. verſ. 37. die illa tertiadecima à Iuda Machabæo feſtum aliud indictum ob præluſtrem victoriam de Nicanore partam. Diei autem feſto ieiunium non conueniebat, vt habetur 2. Eſdræ 8. v.10. Niſi velis in diem duodecimam tranſlatum eſſe huius feſti ieiunium & clamores; vel potiùs in diem vndecimam retractum, ne ſuum profeſtum feſto Nicanoris deeſſet. Hæc dubiis coniecturis citiùs ambigimus, quàm aſſerimus.

Genebrard.

*Profeſtum ieiunio, & clamoribus deſtinatur.*

*An ieiunium Eſtheris abrogatum fuerit.*

Eſther 4.

2. Machab.

2. Eſdræ.

## §. CCXVI.

### *Breuiarium moralitatum, quæ in hoc capitulo tranſlucent.*

*Verſ.* 1. Quandò cunctis Iudæis interfectio parabatur, & hoſtes eorum inhiabant ſanguini.

NOn potuit viuaciùs exprimi fautoris Amani furor & rabies aduerſus Iudæos, quam dicendo, quòd æſtuabant ad interfectionem, & *eorum inhiabant ſanguini*. Verùm Anſelmus Laudonenſis viuacius, opinor, ad mores, præfata verba expoſuit hoc vno verbo, *Inſidiabantur*. Quaſi non tam qui palam hoſtilitatem exercet, quàm qui clanculùm *inſidias* alteri parat, illius *inhiare ſanguini* cenſeatur. O quàm ſæuit atrociter, qui incautum & imparatum ex *inſidiis* adoritur! Apertam hoſtilitatem aut vi arcere aut fuga fruſtrare quiuis poteſt; à clanculariis & inuiſis hominum inſidiis nemo tutus eſt. Ille *inhiat ſanguini*, qui incautum ex *inſidiis* inuadit. 1.

Anſel. Laud. ibi.

*Qui alicui inſidiatur, illius inhiare ſanguini perhibetur.*

*Verſ.* 3. Nam & prouinciarum iudices, duces & procuratores, &c.

2. Hîc denarrat ſacer Hiſtoricus, quinam auxiliarem opem Iudæis tulerint, vt tot rātaque ſtrages contra aduerſarios ſuos edere potuerint. Et huius verſiculi verba ſic exponunt Biblia regia: *Nam principes Satraparum, & tyranni, & regij ſcribæ honorabant Iudæos, quoniam timor Mardochæi incubuerat ſuper eos.* Conſultiſſimè inter Satrapas & tyrannos *Scribæ* & *Procuratores* recenſentur. Et quidem mirum foret tantam à Iudæis edi ſtragem, niſi *ſcribæ* & *Procuratores* ab ipſis forent.

Bibl. regia. *Scribæ & Procuratores ad grandius excidium anxiliates.*

*Verſ.* 3. Prouinciarum iudices, duces & procuratores, omniſque dignitas quæ ſingulis locis ac operibus præerat.

3. Qui ſunt iſti *dignitate* ſublimes, qui ſingulis locis regiâ auctoritate præſunt? Opinor, à magno Rege electos, qui nobilitate, induſtriâ, ſapientiâ reliquis merito ſuo antiſtant. Sed nota quomodò hæc verba ex Hebræa origine à noſtro Marianâ tranſcribantur: *Omniſque dignitas, &c. Hebraicè. Et facientes opus, quod Regis.* Nimirùm apud Aſſuerum, illi ampliora Reipublicæ munera captant, & ad ſublimiores regni *Dignitates* promouentur, qui ſollertius ſtudent *facere opus, quod Regis.* Non qui ſapientiâ pollent, non qui integritate vigent, non qui Reipublicæ conſulunt, ſed *facientes opus, quod Regis.* Quiſquis Regis dignitatem auget, cenſum exaggerat, poteſtatem ampliat, contra fas, & ius populorum, magno etiam Reipublicæ detrimento, ille, ille inquam apud Aſſuerum, peridoneus ad *Dignitates* eſt, etſi reliqua truncus.

*Faciens opus, quod Regis, idoneus ad dignitates cenſetur.* Mariana.

*Verſ.* 3. Iudices, duces, omniſque dignitas .... extollebant Iudæos timore Mardochæi.

4. Vatablus, *Ceciderat pauor Mardochæi ſuper eos.* Mirum ſanè eſt, quod Magiſtratus, & omnes qui regiis Muneribus fungebantur, ad parendum regi, non tam exerto Regis edicto, quàm *pauore* regij Priuati mouerētur. Planè Aſſuerus, fagineus rex eſt, & ſubiectorum ludibrium, dum eius edictis Magiſtratus parent, Priuati *pauore.*

Vatablus. *Plus quàm Rex, Regis Priuatus timetur.*

*Verſ.* 6. Extra decem filios Aman hoſtis Iudæorum.

5. Hos decem Amanis filios nunc Iudęi peremerunt, & mox egerunt in crucem. Strabus Fuldenſis attentiùs explorans rem hanc, ſic myſtice pariter ac ethicè philoſophatur, *Diuinâ*, inquit, *ſententiâ damnandos indicat etiam carnales Iudæos Decalogi tranſgreſſores, crucis Chriſti reatum, quem ex perfidia contraxerunt in inferni cruciatibus ſenſuros.* Nempè Iudæi cruento vindictæ ardore decem aduerſarij Amanis filios in crucem agunt, peracerbâ quidem vltione, etſi tunc licitâ: at eorundem *decem* filiorum crucifixio ad vindictam aſſumpta, typicè adumbrat contumelioſa & acerba cruciamēta, quę ipſimet Iudæi *Decalogi* tranſgreſſores, ob Chriſti Dei crucifixionem ſubibunt. Eheu! vel iuſta & permiſſa vindicta præfigurat atrociores pœnas, quas is qui ſe vindicat, aliquandò ſubibit? O, à licitâ etiam vindictâ manum contine: nam tametſi immunis eris à pœnâ, qui inſons eris à culpâ: at qui tragicam vindictam exequitur, ipsâ inimicorum tragœdiâ, acerbiores calamitates, quas aliundè merebitur, & atrociter patietur, anticipatâ repræſentatione præfigurat. Quod tuæ vindictæ non caues de ſceleroſo, time de infauſto.

Strabus in Gloſſ. ibi. *Quod vindictæ non caues de ſceleroſo, time de infauſto.*

*Verſ.* 10. Quos cum occidiſſent, prædas de ſubſtantiis eorum tangere noluerunt.

6. Rationem reddit Lyranus quare Iudaica auaritia opulentis hiſce prædis à Rege largiùs conceſſis, cautiùs abſtinuerit: *Ne Regem*, inquit, *offenderent, quia bona talium ſic ex diſpoſitione Regis interfectorum fiſco regio applicari debeant.* Quid eſt, quod Regem offendit, qui quod Rex è regio fiſco regiâ manu conceſſerat, accipit? Regis dona non acceptare, inurbanum eſt; tunc acceptare offenſum? Sed præſtat regiæ auaritiæ, quàm regiæ dignitati & cultui velificari. Decreſcat dignitas, ne ſi cus decreſcat. Vel de regij cultus iacturâ præſtat regio fiſco de lucris adulari. Dein obſeruare oportet, quàm vili Aſſuerus ſubiectorū vitam æſtimauerit. Porrò pro nutu interfectionem, & facultatum prædam Iudæis conceſſit: neque Iudæi gratificantur Regi de tot ſubiectorum incolumitate & vitâ ſed de interfectorum præda non acceptâ, vt Regis fiſco opulentiùs obueniret. Aſſueri elogium eſt, ſubiectorum depretiare vitam, vt eorum facultates nimis æſtimare: imò aliquandò æſtimare ſubditorum vitā, ad hoc duntaxat, vt facultates multipliciter pendant auctiori fœnore.

Lyranus ibi. *Aſſuerum offendit, qui quod è regio fiſco dederat, accipit.*

*Aſſuerus plus ſubiectorum facultates, quam vitam æſtimat.*

*Verſ.* 10. Quos cùm occidiſſent, prædas de ſubſtantiis eorum agere noluerunt.

7. Nonnulli Græci codices ita exscribunt: *Interfecerunt Iudæi .... decem filios Amani inimici Iudæorum, & diripuerunt in eadem die.* An ſicut fidem excedere putarunt, Iudæos in omnibus Regis prouinciis occidiſſe *ſeptuaginta quinque millia*, & ita *quindecim millia* ſubſtituerunt; ita nunc incredibile putauerunt, Iudæos auaritiâ opinatiſſimos, optimis decem filiorum Amani ſpoliis, à Rege oblatis, vltrò ceſſiſſe? An aliquis Græcus tranſlator Deo dicenti vix credit, ne credat auarum oblatis lucris ſponte ceſſiſſe? Sic lucroſa auaritia animum poſſidet, occupat, implet.

Aliqui Græci codices.

*Verſ.* 12. Quid vltrà poſtulas? & quid vis vt fieri iubeam.

8. Cùm rex Aſſuerus didiciſſet, quingentos in vrbe regiâ fuiſſe interfectos, in quibus fuere decē filij Amani, & indè non temerè coniectaret in toto imperio cecidiſſe plurimos, *Rogat Reginam* (ait Sanctius) *cum offenſione, vt apparet, quaſi cohiberet diſtrictum Iudæorum ferrum; ecquid ampliùs velit, & an ſuo, ſuorumque furori, ac dolori ſatisfactum putet.* Regina autem quaſi nō ſatis de odioſâ turbâ ſumptum eſſet ſupplicij, adhuc nouis ſtragibus, inhiat, & vlteriùs in aduerſarios debaccandi, facultatem extorquet. Tātus

Sanct. ibi n. 7.

*Effuſior eſt vltionis auidus ſi vindictam aliqua, ſors honeſtas colorat.*

tes ne Reginæ ardor vltionis, etſi videt Regem effuſo hactenùs ſuorum ſanguine *offenſum*? Rex è cuius nutu vltio pendebat, non ſine *offenſione* regiæ vrbis nimis cruentatæ, cohibere ſatagit Reginæ *furorem*; at Regina *offenſum* Regem, etſi vltionis arbitrum, adhuc ampliùs *offendere* negligit, nec ſibi parcit, ne parcat aduerſariis. O effuſior appetentiùs vltionis amor, quàm magna deuorat pericula præſertim cùm vindictam aliqua (ſi Deo placet) honeſtas colorat!

*Verſ.* 15. Interfecti ſunt in Suſan trecenti viri: nec eorum ab illis direpta ſubſtantia eſt.

9. Eccur Dei populus optimæ ſceleratorum parcit prædæ? Pulchrè Anſelmus Laudunenſis hunc locum ſic myſticè commentatur: *Nec eorum*, inquit, *ab illis direpta vitiorum ſubſtantia eſt.* Et mox: *Nullus de ſubſtantiis eorum, falsâ* (inquam) *doctrina, aut operatione iniqua quicquam contingeret.* O moraliſſimam eruditionem! Scilicet Dei populus negligit optima ſceleratæ gentis ſpolia, ne cum illis eorum vitia combibat. Hem, vel de hoſtilibus ſceleratorum hominum facultatibus timendum eſt, ne dominorum vitia, & falſa dogmata poſſeſſione afficient? O quam facile ſerpit morum contagium, quod vel impiorum facultates afflare perhibentur!

*Ans. Laud. ibi. In iniquos rapinarum ... contagio.*

*Verſ.* 22. Et mittent ſibi inuicem ciborum partes, & pauperibus munuſcula largirentur.

10. Exigua nimis eſt in tam ſollenni feſto, Iudæorum erga ſuos pauperes beneficētia, quæ *munuſcula* duntaxat largitur. Potuit Hieronymus ex Hebræo *munera* vertere, vt obſeruant inibi Mariana. Maluit autem, ait Anſelmus Laudunenſis *Munuſcula, ſed larga mente.* Non tam munuſcula, quàm munera tribuit, qui *larga mente munuſcula* donat. Animus largientis, muneris cenſus eſt, & donatiui iuſtior æſtimatio.

*Mun. largi. ... munerum æſtimatio eſt: Hieronym. Mariana Anſel. Laud. ibi.*

*Verſ.* 23. Suſceperuntque Iudæi in ſollennem ritum, &c.

11. Pro τὸ *Suſceperunt Iudæi*, Hebraicè, teſte noſtro Marianâ, habetur: *Suſcepit Iudæi quod cœperunt facere.* Scilicet non potuit viuaciùs exprimi quàm vnanimi & alacri voto hoc feſtum celebrandum ſuſceperint, quàm ex proprio linguæ ſanctæ idiomate apponendo verbum de numero ſingulari pluratiuo nomini, *Suſcepit Iudæi* inquam. Pulchra ſanè abſque hyperbole exaggeratio, & vnanimitatis idea, *Suſcepit Iudæi*, Redoleat barbariſmum, qui vnanimitatis conſenſionem exaggeret, atque dicatur, quòd omnes vbique terrarum, & toto orbe ampliſſimè ſparſi *Iudæi ſuſcepit* hoc feſtum in ſollennitatem, & ritum perpetuò celebrandum.

*Hebræus. Mariana. Laud. ſit, quòd omnes Iudæi ſuſcepit hoc feſtū.*

*Verſ.* 31. Obſeruanda ſuſceperunt......... ieiunia, & clamores, & Sortium dies.

12. LXX. interpretes ſic vertunt præſcripta verba: *Et Mardochæus & Eſther.......tunc ſtatuentes per ſanitatem ſuam ipſorum, & conſilium ipſorum.* Sententioſè quidem ieiunium, & gemitus, & poſtmodùm ſollennior feſti celebratio, appellantur. *Sanitas, & conſilium ipſorum.* O quàm multa paucis compendiauit interpres.

*LXX interp. Ieiunium, & clamor dicitur ſanitas & conſilium.*

---

## §. CCXVII.

*Magiſtratus agnata cupiditate munera expetunt: quibus acceptis, & corrumpunt gratiam, & animam vendunt atque oculorum velamen ſordide emunt.*

Procùl à iudice auaritia, & rei ſuæ ſtudium: nam peſſimum veri affectus & iudicij venenum ſua cuique vtilitas eſt. Tempeſtiuum eſt illud Liuij effatum: *Priuatæ res ſemper offecere, officientque publicis conſiliis.* Nec male Tacitus: *Auaritia eſt*, quæ *omnia venalia habere edocet*: quæque fidem ac probitatem euertit; duo boni conſilij inſtrumenta. Huic auaritiæ vitio plerique hominum obnoxij; ſed Mercurij proles maximè: nec de nihilo lex Thebanis, quæ vetuit, *eum qui decem ipſos annos à commerciis non abſtinuiſſet, non admoueri ad gubernationem.* Vel auaritię retrò ſuſpectus à ſubſelliis arcendus eſt, ne inolitum rei ſuæ ſtudium publicis conſiliis officiat. Accinit Petronius Arbiter, ſic pulcrè modulatus.

*1. Liuius l. 22. Tacit. 1. Hist. Mercatorum: auaritia arcetur à gubernatione. Arist. 3. Pol. c. 3.*

*Quid faciant leges vbi ſola pecunia regnat,*
*Aut vbi paupertas vincere nulla poteſt?*
*Ipſi qui Cynica traducunt tempora cæna,*
*Nonnunquam nummis vendere verba ſolent.*
*Ergò iudicium nihil eſt niſi publica merces;*
*Atque eques in cauſſa qui ſedet, empta probat:*

*Petron. in Satyr.*

2\. Geneſeos 1. poſt reliqua animalia in luce medita, tandē creatur homo, qui eis præſit? *Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creauit illū: Benedixitque illis & ait: Replete terrā & ſubiicite eā, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus quæ mouentur ſuper terram.* Quid eſt quod reliquæ animantes & veſtitæ & armatæ creantur, ſolus homo & nudus & inermis efformatur? Quid animantium loquar proſe tutelam multiformem? alias armata cornibus, alias dentibus ſeptas, & fundatas vngulis, & ſpicatas aculeis: & plumeo, aut ſquamato aut pellito ornatu indutas: & aut pedum celeritate libera, aut elatione pinnarum volucres. Ipſa autē præcipuè humanę formę pulchritudo Deū ſpeciatim fatetur artificem, ſtatus rigidus, vultus erectus, oculi in ſummo velut ſpecula cōſtituti, & omnes ceteri ſenſus velut in arce compoſiti. Sed adhuc homo nudus & inueſtis factori ſuo conſtitit, & ſola nuditate veſtitus. Vidit hanc difficultatem P. Benedictus Pereira, & SS. Patrum eruditione imbutus, ſic reſpondet: *Et præſit piſcibus maris: &c. Atque hanc ob cauſſam homo procreatus à natura eſt nudus omniūq; rerum inops, quòd ad eum veſtiendum, inſtruendum, ornandumque, & animalia, & alia res omnes corporales à Deo facta, & comparata ſint.* De conſultiſſimo naturæ ingenio venit vt homo formetur veſtibus nudus, omniumque rerum inops, dum ceterę animantes & veſtitæ & armatæ, atq; congruenter inſtructæ procreentur: nam Homo reli-

*Geneſ. 1. v. 27. & 28. Natura conſultè nudum efformat, quem præfectura deſtinat. Ferè ex Minut. Fol. in Octau.*

quorum omnium *Præſes* ipsâ ereatione renũciatur. Porrò de *Præſidentiæ* munere abundè illi ſuppetet victus lautior, veſtitus ornatior, & cultus inſtructior. Ecce tibi vel ipſa natura diſſimulãter Iudicũ & Præfectorum ingenium perſtringit, de ſolâ Præfecturâ illis veſtitum parans, & cultum adornans. Superuacuum forſan cenſuit natura illum veſtire & ornare, quem Præfecturæ deſtinauit. O bonum ab ipſa naturâ documentum!

3\. Prou. 22. ita Salomō de ſapiẽtiæ adytis moraliſſimè ſcribit: *Victoriã & honorẽ acquiret, qui dat munera, animam autẽ aufert accipientium.* Hunc verſiculũ Hebræa nō habet, nec vetera pleraque exemplaria; habent tamen Græca. Et licet aliqui Cōmentatores præfatam ſententiã ad miſericordes deriuent, (de quo aliàs) tamẽ S. Damaſc. & cōmuniter interpretes de Iudice muneribus corrupto locũ exponunt. Cornelius Ianſenius, vir ſuo æuo magnus, præſcripta verba ſic commentatur. Hãc ſentẽtiâ, inquit, *ſignificatur eum qui dat munera ſibi quidem, vt plurimum prodeſſe, vt qui per ea immeritum aliquandò honorem acquirit, & victoriam de aduerſariis ſuis; accipientibus verò* Iudicibus *frequenter multùm nocere, quòd dando eis munera animam auferat eorum, hoc eſt, animæ vitam, vt quos cogat indigno honorem deferre, & contra æquitatem pro ſe ſententiam contra ſuos proferre aduerſarios.* O attenderint Iudices ad non bonum commercium, quod ineunt, dum munera acceptant! Scilicet litigator munera dat Iudici; ſed pro munere dato, animam & vitam Iudicis aufert. Parùm eſt, quòd Iudex donis ſubornatus, bouem (vt aiunt) geſtet in linguâ, & quaſi mentem bouinam muneribus fœneret, ſtupeſcat ſtolidè, & inſipienter obbruteſcat; *animam eorum, hoc eſt animæ vitam*, litigator muneribus *aufert*, & tanquam viuum cadauer, ſenſu & ratione viduatum relinquitur. Quid prodeſt iuriſprudentia diu imbuta, vbi locuples litigantium donum, rationem, quæ eſt *animæ vita*, obſcurat, perimit, tumulat? *Victoriam & honorem acquiret, qui dat munera; animam autem, hoc eſt, animæ vitã, aufert accipientium.* O viliſſimum iniquè cōmercium! Sordidum lucellum auarè accipis, & animam, & rationem, quæ eſt animæ vita, prodigè nundinaris! O iniquè frequentes iuſtitiæ nundinas! Sub Mardochæo Perſarum Præfecto, vel à conceſſis per Regem prædis, Iudæi abſtinent.

Prouerb. 22. v. 9.

S. Damaſc. l. 1. Parall. c. 98.

Ianſ. inibi. Qui Iudici dat munera, animam illi aufert.

Hic verſ. 10.

4\. In eodẽ cap. 22. ſic fatur Sapiens: *Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*: (O ſi hanc ſententiam Iudices frequenter mente tractarẽt, ne acceptæ diuitiæ nomẽ bonum corrũperent!) *ſuper argentum & aurum gratia bona.* Quid eſt, quod dicitur *gratia bona* præferenda argento & auro; quaſi aliqua *gratia* (ſed planè non bona) cũ argento & auro commercium habeat, quibus nō præferatur? S. Zeno Veronenſis in ſerm. de Auaritia, ita de eâ fatur: *Non habentibus*, inquit, *diuitias habẽdi iniicit cupiditatem: habentibus adimit ſacietatem, ita omnes in rabiem vna tempeſtate præcipitat, vt vbinam ſit maior, ignores. Eſt autem ſimilis igni arida pabula depaſcenti: quæ niſi finiãt non finitur.* (obſerua diligentiùs quæ ad rem ſubtexit verba) *Hanc mediocres fraudibus excolunt: diuites in potentiã, Iudices gratia: deſerti mercenaria ac duplici lingua: reges ſuperbia: negotiatores aſtutia: inani pauperes voto.* Ecce tibi quot modis cũcti propè hominum ſtatus auaritiæ ſtudeant, *Iudices gratia* illam colunt, muneribus nundinãtes *gratiam*, opinor, non bonam: nam *bona gratia ſuper aurum & argentum* reputatur: opulentiora enim dona tranſcendit *bona gratia.* Corruptus muneribus Iudex, vel ipſam *gratiã* inuitiat, adulterat, corrumpit: & *gratiam* in iniquitatẽ recudit.

Prou. 22. v. 1.

Auaritiæ vituperium.

S. Zeno ſer. 2. de Auar.

Corruptus muneribus Iudex, vel gratiam corrumpit.

Geneſeos 32. Iacob è Meſopotamiâ redux, vxoribus, & liberis valdè auctus, audiens in itinere, quòd eius frater Eſaü quadringẽtis viris ſtipatus, ad ſe properaret; tactus conſcientiâ & emptæ primogenituræ ſordido lenticularum pretio, & paternæ benedictionis *fraudulenter* arreptæ; antiquas atrociter minas, & agreſte illius ingenium, metu exaggerante conſiderans; *timuit valdè, & perterritus* opulenta præmittit dona: *Dixit enim: Placabo illum muneribus quæ præcedunt, & poſteà videbo illum, forſitan propitiabitur mihi.* Mirum ſanè eſt, Iacobum in tanto timore, & tot tãtiſque timendi cauſſis efferum fratrem Eſaü, Idumææ principem ſuperbo cenſu & principatu opulentum, & indè munerum minimè indigum, præſũpſiſſe muneribus *propitiari.* Quid ad Principis Eſaü diuitias, ruſticani paſtoris munuſcula addidiſſent? Munera ne altè repoſitæ dudum iniuriæ peracerbam memoriam excutient? Verùm Hebræus textus ſic ad rem litteraliſſimè pariter ac moraliſſimè habet: *Placabo illum muneribus.* (id eſt) *Operiam faciem eius velamine.* O! ſic munera *velamen* faciei oppandunt, quo oculos obuelent? Agreſtis Eſaü geminata iniuria laceſſitus, & qui dudùm ſic erat ad offenſam oculatus, vt procùl fratris cedem atrociter minaretur; muneribus, velut *velatis* oculis, cæcabitur, ne offenſam peruideat? O arcanas munerum præſtigias, & quæ ſenſu iniuriæ minaciter ferocientes, ſic facilè *placant* & gratè *propicians*, dũ mẽtẽ ita perſtringunt, vt oculos nuper ad offenſam perſpicaciſſimos tãquã *velamine* oppanſo tectiùs obcæcẽt! Sic auaritia iniuriã abſcõdit? Conſultiſſimè ergò dixit Iacob: *Placabo illum muneribus quæ præcedunt.* hoc eſt: *Operiam faciem eius velamine.* Addit, quòd *operta* iam facie munerum *velamine*, ne videat iniuriã, *forſitã propiciabitur mihi.* Id eſt, (vt excribit, & exponit inibi Lipom.) *Forſitan reuerebitur me.* Præmiſſis donis ſui *reuerẽtiã* mereari præſumit? muneribus negotiatur *reuerẽtiã*: Sed de hoc fortè aliàs. 5.

Geneſ. 32. v. 20.

Munera oculis velamen oppandunt, ne videant ſtatas dudum iniurias.

Hebr.

Munera reuerentiam negotiantur.

Lipom. ibi.

Geneſis 20. Abimelech rex Geraræ audiẽs, quòd Sara eſſet Abrahami ſoror, venuſtiſſimę pulchritudinis blãdimẽto illectus, eã tulit, vt de gynęceo exultã haberet vxorẽ. Mox in ſōnis perterritus, eã Abrahamo reddere ineũctãter cogitur. Tũc de cōiugij ignoratione raptũ Sarę querulus excuſat, & deuenuſtam raptu feminam munerib⁹ cōſolatur: *Saræ autẽ dixit: Ecce mille argẽteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum.* Multa in hoc Saræ *velamine* trãſlucent Interpretibus, qui litteralẽ ſenſũ videre ſtudẽt; plura trãſparẽt Cōcionatorib⁹, qui hoc *velamine* ſubtiliores argutias tegũt. Verùm P. Hieron. Prado, ingenio, & eruditione notiſſimus in explanatione cap. 13. Ezechielis, hunc Geneſeos locũ in trãſcurſu verſãs, ſic ad litteræ rigorẽ exponit, ad rẽ moralẽ tẽpeſtiuus interpres: *Ecce mille argenteos dedi viro tuo, hoc erit tibi in velamẽ oculorũ, id eſt, pro munere.* Nimirùm Rex graue Saræ offẽsã irrogarat, cùm eã inuitã tulit in gynæceũ, à charo auulſam marito. (quod vtriq; peracerbũ fuit, præſertim cũ ſub id tẽpus Iſaacũ conceperit, qui inde apud vituperones audacter garrulos, nō hi notã poſſet incurrere.) Ergò tametſi Sara illibata è Regis palatio exierit, tamẽ nō leuiter deuenuſtata fuit. Graue quidẽ fuit matronali pudicitiæ tormẽtũ 6.

Geneſ. 20. v. 16.

Munera Saræ donata, etiam per mariti manus, oculorũ velamen dicuntur.

P. Prado in Ezech. 13. v. 17.

& quod

& quod exinceps perdiu frequenti memoriâ recordationem excruciaret. Vndè rex Abimelech, probè de ſe ipſo æſtimans, quàm ſit potens opulentum munus ad ſubornandos accipientium animos, & præſtringendos oculos, ne vltra videant; iniuriam & diffamiam, quam donatiua abſcondunt; largius Saram munerat, & munerando excæcare præſumit ad offenſæ aſpectum: *Ecce, inquit, mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum, id eſt, pro munere.* At ſi idem ſit, *Munus*, & *velamen oculorum*. O moraliſſima ſynonyma! id in ſe expertus Rex auarus, de aliis cenſet. Caueant ergò Principes, Magiſtratus, Iudices, ne acceptis *muneribus*, oculorum *velamen* emerint, & æquitatem cæcitate nundinentur. Caueant & feminæ munera accipere: nam etiam quæ præbentur per mariti manus, oculos excæcant: *Hoc erit tibi in velamen oculorum; id eſt, pro munere.* nam argentea illa ſumma Abr. hamo exhibita fuit.

7.
Michææ 3. 11. Michææ 3. Audite hoc, inquit, principes domus Iacob, & iudices domus Iſraël. qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis. Qui ædificatis Sion in ſanguinibus, & Ieruſalem in iniquitate. *Principes eius in muneribus iudicabāt, & ſacerdotes eius in mercede docebant.* Propter halce iudiciorum corruptelas minax ſeuerè Propheta, regni ac religionis excidium incunctanter prædicit, condigno reipublicæ naufragio. Porrò Principum, ac Iudicum officium, ſecuritas ſolet eſſe cunctorum: quoniam ius omnium

*Muneratus Iudex nō bona non bona cauſa redimi potest.* eius ſollicitudine cuſtoditur. Alios enim de populantur incendia, alios nudat furtiua ſubreptio, nonnullis negligentiâ petit, quod diligens auctor improbè acquirit, ſed de fide Iudicis robuſte reparatur, quicquid à priuatis amittitur. Bonus Iudex diligentior eſt in alienis, quàm poteſt eſſe cura de propriis; *non admonitus facit, quod vix rogatus impleret*, & requiſitus non poteſt negare, quod is cuius intereſt ſe fatetur amiſiſſe. Integra peritia ac fides, *fortuna cunctorum eſt, & meritò refugium omnium dicitur, vbi vniuerſorum ſecuritas inuenitur.* At dum munerum præſtigiæ tribunalia ſubornant, Res publica & ſacra euertatur neceſſe eſt. Pergit Caſſiodorus, non tam de

Caſſiod. l. 12. Var. ep. 21. Tabellionum, quàm de iudicum officio, ſic fatus: *Quocircà non habeat venale propoſitum. Tinea documentorum eſt, oblatio maligna redimentis; dum quærunt conſumere, quod ſe cognouerunt impedire. Paſcat te edictio decora veritatis. facultas tua habeatur integritas.* O non bona non bonæ cauſſæ *redemptio*, quæ de munerum corruptelis Reipublicæ euerſionem mercatur, & de quæſtuario ſordidè lucello virginem iuſtitiam adulterat. Tribunalium muneta, euerſionis rei ſummæ ſeueriores minæ ſunt. O time has minas, quiſquis religionem, ac Rempublicam amas.

---

## ſ. CCXVIII.

*Apud hominem, Dei voluntas, altera ipſa ipſius voluntas eſto; quam non ſuæ flectere, ſed ſuam diuinæ flexilem exhibere debet.*

1. NOn eſt dubiū quin ſeruus beneficium dare poſſit cuilibet, quare ergò non & Domino ſuo poſſit? Quia non poteſt, inquis, creditor Domini ſui fieri. Alioqui quotidie Dominum ſuum obligat. Peregrinantem ſequitur, ægro miniſtrat, & labore ſummo colit. Omnia tamen iſta quæ alio præſtante beneficia dicerentur, præſtante ſeruo miniſteria ſunt. Beneficium enim id eſt, quod quis dedit, cùm illi liceret & non dare. *Seruus autem non habet* Senec. l. 3. de
*negandi poteſtatem. Ita non præſtat, ſed paret.* Benefic. c. 20.
*Nec id ſe feciſſe iactat, quod non facere non potuit.* Iam ſub iſtâ lege vincam, & eò perdu- *Serui boni idea.*
cam ſeruum, vt in multa liber ſit. Interim liceat tibi oſtendere ſeruum, qui quaſi ſeruilem conditionem deſueſceret, non tantùm Domino ſuo parere, ſed & adulari obſequio feſtinat: & qui Domini voluntati velut intextus, alacri & promptâ voluntate, mente, manu vel moleſtiſſimas præceptiones impleret: qui quod de Domini voluntate tranſparet in vultu, feſtinato obſequio iubens exequitur: qui ſuam voluntatem exuit, vt Dominicam induat? apud quem Domini ſui voluntas, altera ipſa ipſius voluntas eſt; quam ad ſe flectere nullo modo ſatagit, ſed rigidam omnimodè Domino ſeruat. O! hanc erga Deum ſeruitutem homo exambiat, debitum illi obſequium exhibens, de voluntatis officina facile, alacre, expromptum; diuinæ voluntati flexile, ſuæ rigidum, contumax, flectineſcium.

2. Exhodi 32. videns Hebræus populus quod Exhod 32. v. 1.
moram faceret Moyſes deſcendendi de monte Sinaï, congregatus aduerſus Aaron dixit: *Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant: Moyſi* *Ad humanū*
*enim huic viro, qui nos eduxit de Terrâ Ægy-* *nutum Deū*
*pti, ignoramus quid acciderit.* Eccur in abſen- *fingere, Hebræus populus meditatur.*
tis Moyſis locum, non hominem, ſed Deum itineris directorem expoſtulant? Quare ad non diuturnam inibi moram ſic impatienter nauſeant, vt tam hianter feſtinēt Deos excudere arduæ viæ duces? Quid Dei rectionem per Moyſis manum Abul. inibi
ſic de exiguâ indidem mora faſtidiunt, vt Deos q. 9.
factitios meditentur? Abulenſis ſetiò cenſet Hebræos nimis impatienter tuliſſe prolixam inibi manſionem, promiſſæ Terræ citiùs poſſidendæ acriùs extimulatos. Et indè ad rem expendit illa populi verba; *Fac nobis Deos, qui nos præcedant. Id eſt, quod iſte Deus quem feceris, ſit talis, quòd poſſit nos præcedere, id eſt, ante nos ire iter pandens: & ſic volebant, quòd eſſet virtus diuina latens in aliquo corpore.* O miram impiè Hebræorum ſtultitiam! Longioris moræ tædio, indè feſtinanter proficiſci expetunt; & cunctationem pertæſi Deos experūt itineris duces: expetiti autem Dij ſiquid numinis habeant, populum inibi aut ſtatim deducent, aut longiori morâ ſiſtent ad diuinæ voluntatis arbitrium. Itaque Numen quod ore petunt, votis denegant, & de ſuo nutu Deos fingere præſumunt: non quorum voluntati pareant, ſed qui pareant populi arbitrio. Non audent palam diuinæ voluntati contradicere, ne impiæ temeritatis pœnas luāt; ſed ſtultè ingenioſi factitios ſibi Deos, qui obſequantur eorum nutui meditantur. Exindè fuſiles Deos conflant, qui depoſitâ Numinis maieſtate, eorum proficiendi deſiderio obſequenter obtemperent, & diuinam voluntatem humanæ ſternant. *Fac nobis Deos, qui nos præcedant. Id eſt, quòd iſte Deus quem feceris, ſi talis qui poſſit nos præcedere, id eſt, ante nos ire iter pandens.* Pergere indè cupientes, mobilem ſibi Deum fingere ſtudens.

Hic verſ. 13. dent. Quem errorem aduerſus Deum, erga Regem hîc corrigit Eſther, nil tentans, niſi Regis voluntate priùs exploratâ, cui obſequenter pateat.

3. Matthæi 6. ſic orare docemur: Pater noſter, qui es in cælis: ſanctificetur nomen tuum. *Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terrâ.* Vide autem conſequentiam optimam ait Chryſoſtomus: *quia enim concupiſcere docuit cæleſtia per hoc quod dictum eſt, Adueniat regnum tuum; antequam ad cælum perueniatur, ipſam terram iuſſit fieri cælum per hoc quod dicit, Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terrâ:* vt homo terræ incolâ, quaſi in cælum coloniam duxerit, ſit præpropere cæli inquilinus, & de cæleſti politiâ Angelorum æmulus. Et quæ eſt hæc Angelorum politia in cœlo, circa diuinam voluntatem, quam homo terrigena terram deſueſcens, æmulari debet in terris? Scitè Auguſtinus. *Fiat voluntas tua, rectè intelligitur, Obediatur præceptis tuis ſicut in cælo & in terrâ. id eſt, ſicut ab Angelis, ita ab hominibus, non quod ipſi faciant vt velit Deus, ſed quia faciunt ſecundum voluntatem eius.* Nimirùm terrigena de agnati limi ingenio, Dei voluntatem ſibi flexilem fingit, illlamque ſuæ voluntati adaptare ſatagit, (ſicut nuper de Iſraëlitis notabamus) At cælicolæ de nobiliori cæli œconomiâ diuinam voluntatem non flectunt ſuæ; ſed diuinæ voluntati ſuam velut adulantiùs ſternunt, & quaſi ceram ſigillo imprimunt, & operibus ſignatè exprimunt. Vndè miriſſimè Chriſtus Deus, poſtquam primò *cæleſtia concupiſcere* terrigenas docuit, aiens, *Adueniat regnum tuum*; confeſtim cælicolarum politiam in perfecto ſuæ voluntatis obſequio, ad terram tranferre ſatagit, dicens, *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terrâ.* Ne homo exinceps garriat, cùm de terræ ingenio, Dei voluntatem conatur ad ſuam flectere falſato obſequio. Sed potiùs *ſicut ab Angelis, ita ab hominibus, non quod ipſi faciant vt velit Deus,* audacter ſuperbo diuinæ voluntatis velut abuſu, hominibus inolito de limi ſui cognato genio. Ergò *antequam ad cælum perueniatur, ipſam terram iuſſit fieri cælum, per hoc quod dicit: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terrâ.* Exindè idem Auguſtinus illud Pſalmi 26. Vnam petij à Domino, hanc requiram vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, *vt videam voluntatem Domini*, hoc eſt, inquit, *Vt contempler delectationem Domini.* Ecce tibi Dauid adhuc terræ inquilinus, tanquam humanæ felicitatis ſummam, auidè expetit videre diuinam *voluntatem*, vt contempletur *Delectationem* Domini. quaſi cognoſcere diuinam voluntatem, ſit contemplari *delectationem Domini*, vel quam habet Deus, vel quam homo de Deo habet.

Margin notes: Matth. 6. v. 10. — S. Chryſoſt. homil. 20. — *Cæleſtis erga diuinam voluntatem politia, ad terram transferatur.* — S. Aug de Ser. Domini in monte. c. 11. — Sup. n. 2. — *Cognoſcere diuinam voluntatem, eſt contemplari delectationē Domini.* — Pſal. 26. v. 4. — S. Auguſt. apud Caten.

Ioannis 15. his verbis Chriſtus Deus Diſcipulos ſuos adhortatur: Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis: *Manete in me, & ego in vobis.... Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Mirum non eſt, quòd qui manet in Chriſto, & in quo Chriſtus manet, multum fructum afferat: at miriſſimum eſt, quòd Chriſtus diſcipulos ſuos hortetur, non ſolùm vt in ſeipſo maneant, ſed vt ipſe Chriſtus in ipſis Diſcipulis ſit. Quod ſubtiliter tetigit inibi Caietanus, ita ſcribens? *Manete inquit, in me, & ego in vobis. Non eſt ſenſus. Manete in me, & ego manebo in vobis: ſed ſtudete vt vos maneatis in me, & ego in vobis. ita quod vtrumque mandatur eorum ſtudio.* Nempe ſtudio voluntatis humanæ, Chriſti voluntas quodammodò mandatur, & hominis arbitrio permittitur: & quod dominicæ voluntatis proprium eſt, *manere*, inquam, Chriſtum in nobis, nobis mandatur, quaſi homo foret fidus dominicæ voluntatis ſequeſter: *Manete*, inquit, *in me, & ego in vobis.* Neque ait: Si vos manſeritis in me, ego manebo in vobis: *ſed ſtudete vt vos maneatis in me, & ego in vobis.* O ſic Apoſtoli, & Apoſtolici viri, cum diuina voluntate adamuſſim conformantur, vt vna ipſiſſima putetur vtriuſque voluntas, & vterque ſiue alterutet ſit illius arbiter?

Margin notes: Ioann. 15. v. 4. & 5. — *Ab homine petit Chriſtus vt ipſe Chriſtus maneat in homine.* — Caiet. ibi.

Ioannis 6. Omne, quod dat mihi Pater, (ait Chriſtus) ad me veniet: & eum, qui venit ad me non eiiciam foràs: *Quia deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me.* Dicat nobis nunc aliquis Apollinaris, quam ſuam voluntatem dicat Chriſtus non veniſſe vt faceret, ſi diuina voluntas humanam abſorbuit? Aliqua ergò ſupereſt in Chriſto humana voluntas quam non venit vt faceret, ſed diuinam. Num humana in Chriſto voluntas diuinæ repugnat, & illi humanâ pugnacitate refragatur? Eſt ne aliquod voluntatum diuortium? Pulchrè Idacius apud Maldonatum: *Quia deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me. Facere quidem Chriſtum non ſuam, ſed Patris voluntatem; ſed idipſum ſpontè, & voluntate ſua.* O miram humanæ voluntatis cum diuinâ conſonantiam! Homóne eſt qui poſſit, non voluntatem ſuam voluntate ſuâ facere? Hæc voluntatum concordia, vnanimitatis exaggeratio eſt; & idealis hyperbole.

5. Ioann. 6. v. 38. — *Homo Dei voluntatem, non ſuā, ſuâ voluntate facere debet.* — Idacius apud Mal. ibidem.

Regius Propheta Pſalm. 15. ſic modulatur: Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. *Sanctis qui ſunt in terra eius mirificauit omnes voluntates meas in eis.* Patres, maximè Auguſtinus; qui omninò id contendit, ob auctoritatem Petri ac Paulli, de Chriſto Pſalmum iſtum citantium, loquentem Chriſtum interpretantur, qui Patri dicat, ſe per ipſum, eiuſque munus omnia quæ vellet conſentanea illius *voluntati*, Diſcipulis, & eorum ſucceſſoribus mirabiliter communicaſſe, adeò vt vniuerſæ eius voluntates miro arcanoque modo, eorum voluntates eſſe viderentur. Vndè Eugubinus locum excribit, & excriptione exponit: *In ſanctis & magnificis, ſeu mirandis, eſt omnis mea voluntas.* Quaſi dicat Chriſtus: In omnibus his eximiè Sanctis, qui ſic obſequenter mihi ad nutum parent, non tantùm eſt mea voluntas quæ ſua ipſorum voluntas videatur; ſed ſic omnis mea voluntas in eis eſt, eamque ſic auidè abſorbuiſſe videntur, vt mea *voluntas*, iam tanquam ipſa altera ipſorum voluntas, indè magnificè *mirificata* ſit. Nam *dum in ſanctis & magnificis, & mirandis, eſt omnis voluntas mea*, quaſi altera ipſorum voluntas foret, generosè *mirificauit omnes voluntates meas in eis.* Quid enim tam ineffabiliter mirum, quàm quòd horum voluntas altera ipſa Chriſti Dei voluntas videatur? Sic Dei, & hominis voluntas vices arcanè reciprocat, de conformitatis miro concentu? Exindè S Paullinus nō exeribit cum Vulgato omnes voluntates meas, ſed potiùs, *mirasfecit volūtates ſuas,* Et

6. Pſal. 15. v. 3. — S. Aug. ibi. — Eugubin. ib. — *Omnis Chriſti voluntas mirificatur cùm inuenitur in Sāctis.*

S. Paullin. epist. 58 inter epiſto-las Aug. tom. 2. Iſaiæ 62. v. 4. Et Theodoretus. *Quoniam omnes voluntates ſuas in eis, quod eſt voluntates ſuas mirificare:* ſiquidèm mirificum eſt, ſic eſſe in homine diuinam voluntatem. Quod tanquam quiddam magnificum antè dixerat Propheta Iſaias: *Non vocaberis vltra Derelicta: & terra tua non vocabitur ampliùs deſolata, ſed vocaberis voluntas mea in eâ, & terra tua inhabitata.* Quod nunc de Chriſto prædixerat Pſalmographus: *In ſanctis, & magnificis, ſeu mirandis, qui ſunt in terrâ eius, eſt omnis mea voluntas.*

7\. Ioann. 6. v. 11. Ioannis 6. in celebri illo ſeculis conuiuio, quo in vaſta eremo quinque panibus & duobus piſcibus, vltra quinque millia hominum abundè cibauit, *Accepit Ieſus panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus: ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant.* Itaque diſcumbentibus tot hominibus, accepit Dominus manibus ſuis panes, præmiſſaque ad Patrem actione gratiarum diuidere incepit, & per Apoſtolos diſtribuere diſcumbentibus; & ex piſcibus itidèm, *Quantum volebant,* id eſt vſque ad perfectam refectionem vt nihil ampliùs deſiderarent: nõ enim modicum ſinguli datum eſt, ſed plenè perfectè pro ſinguli cibati ſunt. Tempeſtiuè nobis notat Cardinalis Toletus, quòd *illud, ſiue ſibi, aliqui textus habent in ſingulari (quantum volebat) vt ad Chriſtum referatur, aut pro ſua voluntate diſtribuit, hi tamen ſenſum non mutant: nam etiam ſi per Diſcipulos diſtribueret, ipſe dici poteſt diſtribuiſſe, & quantum voluit diſtribuit: voluit autem illis, quantum voluerunt manducare.* Nempe ſiue dicatur, ex illis dapibus datum eſſe illis hominibus *Quantum voluit* Chriſtus; ſiue *quantum voluerunt* ipſi homines in deſerti populoſo conuiuio diſcumbentes; *hæc ſenſum non mutant;* quaſi perinde ſit quod Chriſtus vult, & quod illi volunt, ac ſi eadem altera ſit Chriſti, & hominum diſcumbentium voluntas. Benè eſt, in re accipiendorum largiùs beneficiorum, eadem ſit & Chriſti donantis, & hominis accipientis voluntas: ne ergò diſcrepet in præſtando obſequio quod in beneficio accipiẽdo concordat. O quàm eſt abſurda in obſequiis diſcordia, vbi tanta eſt dādi & accipiendi concordia! *Quantum volebat, ſit eſt. Quantum volebat* Chriſtus.

Toletus ibi annot. 5. · In Chriſti manibus panes creſcebant [marginal note partly illegible]

---

## §. CCXIX.

*Nullum aſylum ſatis tutum eſt ab hoſtili inimicorum rabie; quæ infernalem diabolorum hoſtilitatem impotenter æmulatur.*

1\. *Hoſtilis iracundiæ furor impotenter audax.* IMpotentiſſimus ſui iracundus eſt; turpiuſque ſuo vitio agitur, dum hominem deſueſcens, in belluinos mores, hoſtilitatis furore degenerat. Ad hoc duntaxat mentem ſeruat, vt nocentioris ſagacitatis ingenio lędere poſſit. Peſtis ſcilicet humani generis ira eſt, & vindictæ libido. Nulla corruptiſſimi aëris contagio pluris mundo ſtetit: eſurit mortalium cædes, ſitit humanum cruorem; innocentium vitæ ſæpe inſidiatur, morti infinitas aperit ianuas, & vel nominum cadauera prouocat: quot venena, quot ignes, quot ſtrages, quot vaſtitates, inimicus furor inuenit iracundę hoſtilitatis ingenio? Ecquod ſatis tutum ab offensâ iracundiâ aſylum? ô impotenter terribilem vltionis furorem! Quod videre hîc & admirari licet, in tantâ Amanitarum ſtrage à Iudæis editâ. Hîc v. 12. & 13.

2\. Mitiſſimus ille quondam Dauid, Pſalmo 16. videns ſe ab hoſtibus vndecumque impetitum, ad Dei præſidium confugit, ita Deum alloquens: *A reſiſtentibus dexteræ tuæ* (id eſt, ab impiis hominibus, qui reſiſtunt dexteræ tuæ lædendo quos tu protegis) *cuſtodi me, vt pupillam oculi.* Similitudo illa, *vt pupillam oculi,* peridonea eſt: quoniam pupilla res eſt ſimul pretioſiſſima, & infirmiſſima, & ideò diligentiſſimè cuſtodiri ſolet, & ab ipſâ naturâ munita eſt, tum variis tunicis, tũ etiam palpebris, & pilorum vallo. An non ſic ſe tutũ ſatis putat Dauid ab inimicâ aduerſariorum hoſtilitate? Verum quaſi ſe tutum ſatis non putaret, hæc adhuc pauidus ſubdit, *Sub vmbrâ alarum tuarum protege me, à facie impiorum, qui me afflixerunt. Inimici mei animam meam circundederunt.* An non tutior eſſet Dauid ab inimicis eius animam circundantibus, ſi foret tanquam *pupilla oculi* Dei, quam ſi *ſub vmbra alarum* eius *protectus* eſſet? Eſto, *alarum vmbra* charos foueat pullos, & peramanti fotu illos ab infeſtis volucribus *protegat*: at diligentiùs cuſtoditur pretioſior & infirmior oculi pupilla, quàm pauidus fœtus ſub alis fotus. Imò Deo omnipotenter protegenti, ecquis aduerſariorum erit tam audacter temerarius, qui reluctari audeat? Quorſùm ergò Dauid ad certius tutamen, ſub *vmbrâ alarum* Dei collocari expetit? Protectionem, an abſconſionem exoptat? an ex abſconſione ſecuriorem protectionem exambit? Noſter eminentiſſimus Robertus Bellarminus ſanctitate & eruditione antiquorum Patrum æmulus, ita præſcripta Pſalmi verba luculenter exponit. *Cuſtodi me, vt pupillã oculi ſub vmbrâ alarũ tuarũ protege me, à facie impiorum.* (Bellarminum legis.) *Idipſum repetit aliâ ſimilitudine. Sicut enim pulli teguntur alis gallinæ, & eo modo obumbrantur, & ſecuri delitescunt, vt lædi non poſſint à miluis: ſic optat Iuſtus protegi diuino auxilio à perſecutoribus ſuis. Illud, A facie impiorum, ſignificare poteſt, A conſpectu impiorum; alæ ſiquidem dum pullos tegunt, faciunt, ne videantur à miluis.* Litteraliſſimè pariter ac moraliſſimè. Scilicet quaſi parùm foret Dauidem ab aduerſariis ſui tanquàm *pupillam oculi* cuſtodiri; ſub *vmbra alarum* Dei protegi exoptat, quò non tam beneuolum fotum cupit ad ſecurum ſui à ſuis aduerſariis tutamen; quàm alis obumbrari, & tegi, vt charo latibulo abſconsè delitescens, *à facie impiorum,* id eſt, ab aduerſariorum *conſpectu* remotus ſit; non quia *ſub alis* fotus, ſed quia *ſub vmbrâ alarum* inuiſus exiſtat, & abſconſione protectus. Nimirùm timet Dauid hoſtilis inimicitiæ baſiliſcum, & ſui notitiam excutere ab aduerſariis ſatagit, exindè ſub *vmbrâ alarum* Dei, obumbrationis abſconſione protegi exoptat. ac ſi quodammodò non tam optat Deum indulgenter & omnipotenter protegentem, quàm ſic *ſub vmbrâ alarum* obtegentem, vt *faciem*, id eſt oculos aduerſariorum effugiat. Quid? adhuc ſub omnipotenti Dei protectione tutus non erit, niſi ſub beneuolo alarum latibulo inuiſus abſcondatur? adhuc protectus ſub vmbra alarum Dei, hoſtilem inimicorum aſpectum, tanquam venenatum baſiliſcum præcauet? An non eſt ſecurior omnipotẽtis Dei amica tutela, quàm impeditus aduerſariorum aſpectus

Pſal. 16. v. 8. & 9.

*An manuli Dauid ab inimicis abſcondi, quam omnipotenter protegi.*

Card. Bellarm. indidem.

ctus

ctus? Abſcondi ab aduerſariis cautè mauult, quã omnipotenter protegi? Imò diuinam protectionem expetens, abſconſionem ab inimicorum facie procurat. *Sub vmbrâ alarum tuarum protege me, à facie impiorum, qui me afflixerunt. Sicut pulli teguntur alis gallinæ, & eo modo obumbrantur, & ſecuri deliteſcunt, vt lædi non poſſint à miluis.*

3. 3. Regum 22. Achab rex Iſraël, & Ioſaphath rex Iudæ conuenerant vt pugnarent contra regẽ Syriæ. Omnibus prophetis Baal proſpera prædicentibus, accerſitur Michæas Dei propheta, qui tandem à Rege adiurans, hanc Dei reuelationẽ proponit: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſoliũ ſuum, & omnem exercitum cæli aſſiſtentem ei à dextris & à ſiniſtris: (Angelos inquam bonos, & malos) & ait Dominus? *Quis decipiet Achab regem Iſraël*, vt aſcendat & cadat in Ramoth

3 Reg. 22. v. 21. & 22. Galaad? Et dixit vnus verba huiuſcemodi, & alius aliter. *Egreſſus eſt autem Spiritus, & ſtetit*

Cur pœ a Diabolis, Spiritus egreſſi Naboth ad Achabi deceptionem accerſitur? *coram Domino, & ait: Ego decipiam illum...... Et dixit Dominus decipies, & præualebis: egredere, & fac ita.* In confeſſo eſt apud Interpretes, quòd hi qui Deo à dextris & à ſiniſtris adeſſe in hâc imaginariâ viſione cenſetur, ſunt boni & mali Angeli: dubium autem eſt, quinam fuerit hic *ſpiritus* denuò egreſſus, cuius ſagaciſſimum præ reliquis ad decipiendum conſilium, ſit admiſſum, cum certa futuræ deceptionis prærogatiua. Tametſi communiter cenſetur ſpiritus ma-

Abul hic q. 13. lus, ſiue aliquis Diabolorum aſtutiſſimus; cenſet tamen Rabbi Salomon apud Abulenſem, *quòd iſte erat ſpiritus Naboth occiſi. Motiuum autem ſuum eſt iſtud, quia vocatur iſte ſpiritus ſolum. Etiam quia ſuprà immediatè erat poſitum de morte Naboth. Etiam dicit hoc, quia putat, quod ſpiritus Naboth ad vindictam mortis Naboth voluerit fallere prophetas Achab, vt moreretur Achab in bello.* Hanc Rabbi Salomonis ſententiam olim inibi examinabamus, quæ ſi verior foret, apprimè declaret, quàm altè hæſerint iniuriæ in Hebræorum animis, & quàm acerbè iniurias repetant. Porrò cùm Deus inducatur modum in conſilio perueſtigans, quo decipiendus ſit Achab, & Diabolorum *vnus dixerit verba huiuſmodi, & alius aliter*: nec ſagax eorum induſtria probata ſit, quaſi parùm ad deceptionem ſufficiens: animus Nabothi hoſtiliter à rege Achab occiſi accerſitur, vt aliquid ſagacius ad deceptionẽ & ruinam offenſoris Achabi inueniat, & inuentum negotioſè exequatur. Adhuc poſt funera & cineres, ſic Iudæorum manes ad vltionẽ hiare putantur? Fraudulentam deceptionem, quæ Diabolorum aſtutiam latet, hominis malè offenſi ſagacitas expromptiùs inuenit, & inuentã actuoſiùs exequitur? Truculentior ad hoſtilitatem præ Diabolis homo eſt? Hæc ad mores dixerim & huius Hebræi Doctoris ſententiâ, quàm olim non adprobauimus.

4.
1. Reg. 18 v. 10. & 11. 1. Regum 18. à deuicto ſtrenuè Philiſthæo, publico Hebræorum hoſte, noua, inopinata, & domeſtica hoſtilitas, ex Saülis inuidiâ Dauidi exurgit: & ab hoſtibus reportata victoria inſolẽtem parit hoſtem inuidentiæ abortu. Non rectis ergò oculis Saül aſpiciebat Dauid à die illâ. Poſt diem autẽ alterã *inuaſit ſpiritus Dei malus Saül*, & prophetabat in medio domus ſuæ: Dauid autem pſallebant manu ſuâ, ſicut per ſingulos dies. *Tenebatque Saül lanceam, & miſit eam, putans quòd configere poſſet Dauid cum pariete: & declinauit Dauid à facie eius.* Sagacius hîc perueſti- Cur expulſo dæmone Saül in Dauidem inimicum ſæuit.
gant Interpretes, an cùm inimiciſſimus Saül in Dauidem haſtam vibrauit, vt eum cum pariete inhumaniter figeret, Dauidis pſallentis plectro excantatus fuerit; an adhuc malus Dæmon corpus Baſil Seleu. Orat. 16.
& mentem Saülis occuparet. Baſilius Seleucienſis hanc quæſtionem his verbis dirimit: *Dauid igitur lyram ſumebat in manus, quo cantu abigeret Dæmonem: ille ſanatus haſtam in medicum iactabat, ac ſublatus ſit, niſi famulum ſuum eripuiſſet Gratia. O nouum, iniuriamque facinus! Dæmon pellebatur, & Dæmone liberatus arma capiebat: Dæmon vincebatur, & hominis mores plus ſumebant audaciæ.* Vide hîc immanem inimici hominis hoſtilitatem, & hoſtilem Dæmonis ſagacitatem. Dum aſtutus Dæmon Saülis corpus & mentem obſidet, occupat, regit, noluit in Dauidem inimiciſſimum ſæuire: dedæuiat potius inimicus homo. *Dæmon pellebatur, & Dæmone liberatus arma capiebat.* nocentiùs, forſan ſe lædere ratus per inimici Saülis manus quam per infernales vires, aſtutiam, rabiem? An idcircò malus Dæmon in Euangelio *inimicus homo* nuncupatur? Sed de hoc aliàs.

Regius Propheta Pſalm. 77. ſic pangit: *Et* 5.
excitatus eſt tanquam dormiens Dominus, tan- Pſ 77. v. 66.
quam potens crapulatus à vino. *Et percuſſit inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium, ſempiternum dedit illis.* Nempè Deus poſtquam diutiùs diſſimulauit, ac dormire viſus eſt, cùm tantam Philiſthæi exercebant de populo ipſius ſtragem, Quam ſollerter hoſtilitas hoſtium ignominias ad opprobrium perpetuat.
& indigniſſimè arcam ſanctam tractabant, Deũque ipſum impiiſſimè blaſphemabant, tandem aliquandò velut completo ſomno excitatus eſt ad vltionem populi ſui, & ſuæ iniuriæ vltionem peracerbam. Nam percuſſit eos in natibus non ſolum doloriferâ, ſed infami ac probroſâ plagâ, cuius nunquam elui, & ex hominum deleri memoriâ poſſet ignominia. Sed non conuenit inter Expoſitores, quare huiuſcemodi plaga, *opprobrium ſempiternum* nominetur. *Opprobrium* quidem fuit tam propudioſum vlcus: ſed quare *ſempiternum*? Scilicet Philiſthæi aureos cum Arcâ mures coniunxerunt, & aureos anos pudendo illo vulnere deformatos; quos veroſimillimum eſt, ab inimiciſſimis Hebræis in omne tempus diligentiſſimè fuiſſe ſeruatos, vt futuris ſeculis extaret ignominiæ hoſtium Philiſthinorum æternum quoddam monumentum. Itaque Philiſthæi ſuæ malitiæ debent vindicem Dei iram ſic accerſiſſe, vt peracerbo *probroſè* ſupplicio plecterentur; hoſtili autem inimicorum ſollertiæ, vt hoc temporarium *probroſè* ſupplicium, perennaturis ignominiæ titulis *ſempiternet*. Quod Pſaltes occinit: *Et percuſſit inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit illis.* O quam diligenter hoſtilitas hoſtium ignominias perpetuat.

§. CCXX.

## §. CCXX.

*Solitaria bonitas ſine comite iuſtitia, Deum fingeret inerter ſtupidum & hominibus gubernandis indoneum.*

1. Seneca ep. 94. ALtè Seneca cothurno planè Stoico: *Multos inueni æquos aduerſus homines, aduerſus Deos* ( Deum inquam ) *neminem.* Scilicet tenuitas noſtra impar eſt perfectæ diuinorum notioni quæ humanum faſtigium longe excellunt. Quæ cauſſa eſt Deo benefaciendi? natura ſua. Quæ cauſſa eſt Deo moleſta immittendi? nequitia noſtra. Errat, ſiquis putat Deum nocere velle vel poſſe: nec accipere iniuriam querit, nec facere. Lædere etenim lædique coniunctum eſt. Summa illa ac pulcherrima omnium natura, quos periculo exemit, nec lædere cupit. Primus Dei cultus eſt, Deum credere, deinde reddere illi maieſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſine quâ nulla maieſtas eſt. Scire illum eſſe qui præſidet mundo, qui vniuerſa vt ſua temperat, qui humani generis tutelam gerit. Deus nec dat malum, nec habet: Ceterùm caſtigat quoſdam, & coërcet, & irrogat pœnas, & ſpe boni punit. Neque enim Deus bonitate ſolâ cenſetur; ſummo omnium rectori & moderatori iuſtitiâ etiam opus eſt, quâ humanam malitiam inhibeat. Sola bonitas contemptui improbis foret: mera iuſtitia etiam probis fruſtra terrori eſſet. Non æquus moderator eſt, qui bonus tantùm eſt, abſque ſeueræ iuſtitiæ temperatâ mixturâ. O quàm ſeuera hic elucet Dei iuſtitia, Amani ſcelerum vltrix! *In tantum vt ſeptuaginta quinque millia occiſorum implerentur.* Sic periit Aman, ſic Amanitæ perierunt!

*Deus non de ſola bonitate, ſed de iuſtitiâ cenſetur.*

Hic verſ. 16.

2. Lucæ 11 Erat Ieſus eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm eieciſſet Dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Belzebub principe Dæmoniorum eiicit dæmonia; *Et alij tentantes ſignum de cælo quærebant ab eo.* Turbæ ſimplices nullo aduerſus Saluatorem odio impreſſæ, miraculum admiratione adorant. Phariſæorum nequiores, cum Dæmonum principe commercium habere malitiosè blatterant. Alij verò animo penitiùs explorandæ Ieſuanæ virtutis ſignum de cælo quærunt. Verùm qui calumniantur miraculum, quod oculis vident, manu tenent, vtilitate ſentiunt; quid facturi eſſent de his, qui de cælo longiùs venerint? Forſan ſubdolæ magiæ mentita ſpectra, quæ oculos videndo fallerent, oggarrirent. Quorsùm ergò ſignum de cælo petunt, qui euidens ſignum in diu muti inopinatâ loquelâ perceperunt? S. Hieronymus ſic locum tempeſtiuè exponit: *Signum de cælo quærebant ab eo. Vel in morem Eliæ ignem de ſublimi venire cupiebant: vel in ſimilitudinem Samuelis tempore æſtiuo contra naturam loci mugire tonitrua, coruſcare fulgura, imbres ruere.* Profectò hæc ſigna quæ Hieronymus recenſet, aut magnam perniciem, aut terrorem magnum hominibus intulerunt; ſpectatum autem nuper miraculum, & reliqua quæ hactenùs à Chriſto patrata in terris viderant, benefico ore & manu facta fuiſſe notabant. Exindè ſignum è cælo quærunt, ſimile ei quod patrauit Elias, quod Chriſtum malorum etiam vindicem probet, hìc tentantes expetunt. Quaſi diſſimulanter dicant: Diminutè te probas Chriſtum, & Iſraëlis regem, dum bonitatem iteratis in terrâ ſignis oſtendis; oſtende te ſicut Elias iuſtitiæ zelatorem, vltorem ſcelerum, & acribum flagitiorum vindicem, dum è cælo mittis ignem, qui enormiter ſceleroſos ſeueriùs conſumat. Chriſtus enim non de ſola bonitate & clementiâ, ſed etiam de iuſtitiâ & ſeueritate cenſendus eſt. Porrò in gubernatore ſola bonitas, ſeueritatis expers, ſcelerum licentia eſt, & impunè delinquendi priuilegium. Aliàs adnotabamus, è cælo benefacere adiuero, & iugiter influentiis benefico, acerbiores calamitates euibrari.

Lucæ 11. v. 16.

*Signũ è cælo poſtulant à Chriſto, vt nõ ſemper ſe oſtẽdat benẽficũ ſed etiam vindicem.*

S. Hieron. in Matth. c. 12.

3. Ad Rom. 8. v. 32. Ad Romanos 8. ſic Doctor Gentium arguit, vt Dei bonitatem ac beneficentiam oſtendat, & mortalium animos ſtrenuâ ſpei animoſitate erigat: Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit;* Locus ſpecie tenus facilis & expeditus, & quem interpretum plures incommentatum dimittunt: at ſi penitiùs inſpiciatur, non leuem difficultatem ingerit. Quâ ſuper re audiendus eſt Caietanus *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit. hoc eſt, non abſtinuit ab exinanitione, & afflictione proprij filij: Sed pro nobis omnibus tradidit illum, id eſt expoſuit in mortem:* ( vt commentatur Anſelmus ) *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* vel *donabit*, vt alij malunt. Profectò hæc Pauli ratio non ſpem erigere, ſed timorem potiùs incutere videtur: Seueriſſimum enim Dei in puniendo rigorem, non benignitatis blandam beneficentiam prætendit. Sanè qui proprio & vnico filio ſuo naturali *non pepercit*, id eſt, ab eius *afflictione & exinanitione non abſtinuit, ſed pro nobis omnibus expoſuit in mortem*, & mortem quidem crucis; quomodo parcet ſeruis nequam, & flagitioſè ſceleratis? quorsùm ergò præmittit Paullus *proprio filio ſuo non peperciſſe*, vt hominum ſpem in eius benigniſſimâ bonitate altiùs fundet? Profunde quidem de more Paullus. Quaſi dicat; Deus mundi rector, & æquus moderator, adeò ſeuerus eſt ſcelerum vindex, vt proprio filio ſuo alienis peccatis obærato, *non pepercerit*: ergò ſi tantus eſt in eo iuſtitiæ rigor; quanta erit bonitas, miſericordia, benignitas? Qui ſic infinitè iuſtus eſt, vt proprio, & naturali, & innocenti filio ſuo *non pepercit, ſed pro nobis omnibus in mortem expoſuit*; adeò eſt benignus & clemens, ( ne minora ſint miſericordiæ, quàm iuſtitiæ opera ) vt etiam extraneis & peccatoribus parcat, ſi tribunal indulgentiæ ritè adeant. Alioqui miſericordiæ opera iuſtitiæ operibus planè cederent. Exindè comitem iuſtitiam exaggerat, vt Dei miſericordiam amplificet; ne de ſolâ bonitate cenſeatur.

Caiet. ibi.

S. Anſelm. ibi.

*Paullus dum Dei miſericordiam amplificat, eius iuſtitiam exaggerat.*

Regius Vates Pſal. 98. ſic ad rem concinnè pangit: Dominus regnauit, iraſcantur populi

puli : qui ſedet ſuper Cherubim, moueantur terra. Dominus in Sion magnus ; & excelſus ſuper omnes populos. Confiteantur nomini tuo magno : quoniam *terribile & ſanctum* eſt. Parùm foret Deo eſſe *ſanctum* & bonum, niſi etiam eſſet in iuſtitia ſeuerus, & in pœnis infligendis *terribilis.* Cauſſam reddit Pſaltes

Pſal.98. v 4.

peridoneam : *Et honor Regis iudicium diligit.* Benè notat inibi Lorinus noſter quòd τὸ *honor* comprehendit omnem Regis potentiam, apparatum, vires, pompam, maieſtatem, facultatem, & cuncta quæ honorabilem ipſum, ſublimem, auguſtum, venerabilem ac verendum reddunt. Nam *ſanctitas* & bonitas in rege, ſine

*Benignitas in Deo ſine iuſtitia, quem fatetur Deū, potiùs negat.*

iudicij ſeueritate, & terribilitate, ſæpe contemptui eſſet, & deſpectui exponeretur. Idcircò auguſtus *regis* Dei *honor iudicium diligit* : ne mera bonitas ac benignitas, iudicij ſeueritate viduata, ipſum ſuum ſolitariæ bonitatis bonum erubeſcat. Quod eloquenter adæquè ac ſubtiliter. Tertullianus ediſſerit aduerſus Marcionem, qui noui Teſtamenti Deum merè bonum fingebat ſine elogio iuſtitiæ ; quàm in Deum Creatorem, & veteris Teſtamenti Deum reiiciebat. *Et honor Regis* Dei *iudicium diligit.* (Tertullianum legis)

Tertul.l. 1. adu. Marc. c. 26.

*At hîc ſufficit peruerſiſſimum Deum oſtendi, in ipſo praeconio ſolitariæ bonitatis, quā nolunt ei adſcribere* Marcionitæ *eiuſmodi motus animi, quos in Creatore reprehendunt. Si enim neque æmulatur, neque iraſcitur, neque damnat, neque vexat, vt potè qui nec iudicem præſtat, non inuenio quomodo illi diſciplinarum ratio conſiſtat, & quidèm plenior. Quale eſt enim vt præcepta conſtituat non executurus, vt delicta prohibeat non vindicaturus, quia non iudicaturus: extraneus ſcilicet ab omnibus ſenſibus ſeueritatis & animaduerſionis. Cur enim prohibet admitti, quod non defendit admiſſum? cùm multò rectiùs non prohibuiſſet quod defenſurus non eſſet, quam vt non defenderet quod prohibuiſſet : imò & permiſiſſe directò, ſine cauſsâ prohibiturus, non vt defenſurus. Nam & nunc tacitè permiſſum eſt, quod ſine vltione prohibetur. Et vtique non aliud prohibet admitti, quam quòd non amat fieri. Stupidiſſimus ergò qui non offenditur facto, quod non amat fieri: quandò offenſa comes ſit fruſtratæ voluntatis. Aut ſi offenditur, debet iraſci : ſi iraſcitur, debet vlciſci. Nam & vltio fructus eſt iræ, & ira debitum offenſæ, & offenſa comes fruſtratæ voluntatis. Sed non vlciſcitur, ergò nec offenditur. Sed non offenditur, ergò nec læditur voluntas eius, cùm fit quod fieri noluit.* Longiuſculè quidem præter morem. Sed quid omitterem. Sane longum facerem, ſi ſingulas Tertulliani ſententias expenderem. Sat eſto conglobatas excripſiſſe, vt innoteſcat, quòd *Regis honor iudicium diligit, ſufficit enim peruerſiſſimum Deum oſtendi in ipſo præconio ſolitariæ bonitatis.* Tertullianus hîc de Deo antropopathôs loquitur.

5. 3. Regum 2. appropinquauerunt dies Dauid

3. Reg. 2. v. 5. & 6.

vt moreretur ; & ille hactenùs, etiam erga hoſtes ſuos mitiſſimus, præcepit Salomoni filio ſuo dicens : *Tu quoque noſti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Iſrael, Abner filio Ner, & Amaſæ filio Iether : quos occidit, &c. Facies ergò iuxta ſapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos.* Grande hinc inter Expoſitores litigium exoritur, quòd cùm Ioab nihil videatur in Dauidem molitus eſſe mali, imò potiùs pro illius dignitate, & vita ſtrenuè dimicaſſe, nihilominùs dicit Dauid, fuiſſe ſibi, dum duos Principes interfecit

*Perdifficile eſt proprio decore decus alienum tueri.*

Ioab, maximè iniurium : *Tu noſti*, inquit, *quæ fecerit mihi Ioab.* Lyranus ex Rabbi Salomonis ſententiâ cenſet, in eo Ioabum contra Dauidis exiſtimationem, & honorem peccaſſe,

Lyranus Rab. Salom.

quia litteras, quas de Vriæ cæde multis antè diebus acceperat, aliis, quibuſcum erat in caſtris, parùm fidenter oſtenderat, vt multitudinis reprehenſionem euitaret, quæ iudicium in ipſo, & militarem peritiam deſiderabat, cum plagam illam, ex inconſiderato Ducis imperio acceptam quereretur. Scilicet facile fuit Ioabo victoriæ gloriam Dauidi cedere ; at perarduum, & intolerabile, quòd occultum obſequium interpretarentur inconſulti m ſui imperitiam ; & indè ſuam famam propudioſâ Regis infamiâ infidè redemerit. O quàm eſt difficile proprio dedecore decus alienum tueri ! Litteralior eſt Ambroſij expoſitio, cui communiter ſubſcribunt Interpretes, quòd Ioab ideò dicatur Dauidi iniurius, quia Regi grauis fit iniuria, cum ab aliquo publicè, & impunè peccatur : hactenùs autem inultum erat cruentum Ioabi ſcelus, ideóque iuſtam vltionem, in propriæ iniuriæ depulſionem filio mandat, ne cum ſolâ bonitate abſque comite iuſtitiâ Rex decedat.

*Virtus etiam in hoſte inſeſo diligenda.*

Quod lib. 2. Officior. cap. 7. Sanctus Ambroſius eleganter ediſſerit, expendens quod Rex

S. Ambroſ.

Dauid, *Etiam in hoſte* Abner *poſitam virtutem diligeret : iuſtitiam etiam his qui arma contra ſe tulerant, æquè ac ſuis præſtandam putaret. Denique fortiſſimum aduerſæ partis propugnatorem Abner ducem, & inferentem prælia miratus ſit, & orantem pacis gratiam, non aſpernatus honorauit conuiuio : interemptum inſidiis doluit & fleuit : perſecutus exequias, honeſtauit :* (Attentiùs nota quæ ſubdit verba ( *Mortem vlſus, conſcientiæ fidem præſtitit, quam Filio inter hereditaria iura tranſcripſit ; magis ſollicitus, ne innocentis mortem inultam relinqueret, quàm quo ſuam mortem doleret.* quaſi infidelis ſit Regis conſcientia, quæ in iuſto infligendo ſupplicio cunctanter agit, etiam cum tempori cedit. Non veniam ad tempus conniuentem, ſed vltricem ſeuere iuſtitiam, filio Salamoni tanquam ius hereditarium teſtamento relinquit. *Faciet ergò iuxta ſapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacifice ad inferos.*

*Dauid Salomini vltricē iuſtitiam teſtamento reliquit.*

---

## ſ. CCXXI.

*Rara virtus eſt, quæ offenſori prorſùs ignoſcit & grauiter ſanciantem, nec leuiter referit.*

1.

*Æquanimitas in offenſo ſupra humanas vires eſt*

PErarduū eſt animū quãuis offenſâ concitatū, potẽter ſe diu tenere. quis enim traditus dolori illo

iſ'òquc furens non primam reiecit verecundiam? Quis impetus turbidus, & in aliquem ruens, non quicquid in ſe vereeundi habuit, abiecit? Cui officiorum numerus, aut ordo conſtitit incitato, aut pertinaci hoſtilitate offenſo? Quis linguæ temperauit? Quis vel nutibus referire aduerſarium omiſit? Quis vllam partem corporis tenuit? Quis ita ſe tegere potuit, vt offenſus animus non tranſparcat? Magnanimiter tranquilla in offenſis ferẽdis æquanimitas humanarum virium faſtigium excellit, ſumptuoſior gratiæ faſtus eſt, & Euangelij gloria.

2. Dauid hunc titulum Pſalmo ſeptimo ſententiosè præſcribit: *Pſalmus Dauid, quem cecinit Domino pro verbis Chuſi filij Iemini.* In Hebræo autem textu non eſt *Pſalmus*, ſed שגיון *Sigaion*; quod propriè *ignorantiam* ſignificat. Pro τὸ *Chuſi fily Iemini*, interpretum Proceres intelligunt aut *Saülem*, aut *Semei* Beniaminitam, qui immortales inimicitias cum Dauide perdiu geſſerunt. In hoc autem Pſalmo totus eſt Dauid vt oſtendat ſe hoſtilem animum aduerſus hoſce iuratos pertinaciter hoſtes, nunquam habuiſſe.

Pſal. 7. v. 1.

Pſalmus, quo [illegible] Dauid ſp- [illegible]

Bellarmin. ib. Itaque hic Pſalmus, vindiciæ ſunt Dauidis, quibus ab hoſtili animo, ſiue verbis, ſiue operibus exhibito ſedulò purgauit ſeſe. Conſultiſſimè ergò eiuſmodi Pſalmus inſcribitur, *Ignorantia Dauid.* Appoſitè Cardinalis Bellarminus inibi: *Ideò vocatur Pſalmus, Ignorantia Dauid, quia verè ignorabat ſe mala illa feciſſe, de quibus accuſabatur à Saüle, ſiue à Semei.* Nimirùm Saül & Semei atroces aduerſus Dauidem inimicitias gerebant: cùm autem ſe Dauid omninò immunem prædicat ab omni reciprocâ hoſtilitate, per mentis ſuggeſtionem, quæ deliberationem præcurrit, aut per verbulum ambiguè deliberatum, aut opere quod inimicitias ſuboleat, *Ignorantia Dauid* nuncupatur. Portò vſqueadeò rarum eſt, ſæuum perſecutorem ore aut vultu non faſtidire, nil aduersùs illum duorum blandè cogitare, procaciter pertinacem inimicum non auerſari, nil mali ſub mentitâ ſaltem ſpecie boni, contra illum moliri; vt modeſtiſſimus Dauid ſuas ab aliquâ reciprocâ hoſtilitate vindicias, non tam Pſalmum, quàm *Dauidis ignorantiam*, apud Hebræum textum appellet. Quid exaggeratiùs.

3. Nunquam ſatis laudata eſt Ioſephi mititas erga impiè offenſores fratres. Hi inualeſcente fame in Ægyptum deſcendunt, vt annonam pretio emant. Adeſt Ioſephus regni Præfectus, & alimoniæ modiperator; & ipſe à fratribus non cognitus fratres agnoſcens, ait ad eos: *Exploratores eſtis: vt videatis infirmiora terræ veniſtis.* Quos feriò infidum ſcelus negantes, in carcere triduo detinet. At illi periculo anxij ad inuicem loquebantur: *Meritò hæc patimur quia peccauimus in fratrem noſtrum..........idcircò venit ſuper nos iſta tribulatio.* Hoc Ioſephi factum expendens Baſilius ita ſcribit: *Vide inuſitatam vltionis formam, Inuidiam, venditionem, belluinamque immanitatem humanitas obſequiis vlciſcitur,* (Verba alibi enucleata, nunc enucleanda quæ ſubdit) *terriculamentis ludicris vtitur, minas quaſi in ſcenâ conſequitur, iras hiſtrionicè repræſentat. Sed nec ipſam iracundiæ ſimulationem ſuſtinens, lacrymis non fictis actum peragit, & ſuorum deſiderio victus euulgat, quæ & fingebat.*

Geneſ. 42. v. 21.

Baſil. Seleu.

Ioſephus etiã dum parcit, terriculamẽtis tribulat.

P. Didac. Celada in Eſtherem.

Non eſt animus extenuare laudatiſſimum Ioſephi facinus, quo tandem illatas iniurias *humanitatis obſequiis vltus eſt*, ampliſſimiſque beneficiis compenſauit. Aſt dum maximè commendatur delicti venia, dum *terriculamentis ludicris vtitur, minas quaſi in ſcenâ conſequitur, & iras hiſtrionicè repræſentat; offenſores exploratorum* notâ inuruntur, triduo carcerem ſuſtinent, Ruben vſque ad fratrum reditum in vinculis detinetur; ipſi periculo anxij tacito ſuſurro fatentur, quòd ob fratris venditionem *venit ſuper eos* iſta *tribulatio.* O! Ioſephus iniuriarum condonator egregius, qui tandem obſequiis iniurias vindicat, qui offenſas beneficiis metitur, etiam dum parcit, *tribulat*, & ludicro ſupplicio præproperè affligit? In ipsâ etiam offenſionis veniâ aliqua vltionis ſpecies tranſparet; *Meritò*, aiunt, *hæc patimur quia peccauimus in fratrem noſtrum........ idcircò venit ſuper nos iſta tribulatio.* O ſaltem time has iniuriæ illatæ conſequentias.

4. 2. Regum 16. dum impius Abſalon regiam vrbem iam occupat, lugubri habitu, & modico ſatellitio, rex Dauid fugere cogitur. Venit ergò rex Dauid vſque Bahurim: & ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saül, nomine Semei, procedebatque egrediens, & maledicebat, mittebatque lapides contra Dauid. Dixit autem Abiſai filius Saruiæ Regi: Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo regi; vadam, & amputabo caput eius. *Et ait rex: Quid mihi & vobis eſt filij Saruiæ? dimittite eum vt maledicat.* Quæ verba medullitùs enucleans Sanctus Bernardus ſic pulchrè fatur: *Aliquandò maledictum eſt Dauidi, & à ſeruo: at ille nec cumulatam iniuriam ſenſit, quia præſenſit gratiam. Quid mihi, ait, & vobis filij Saruiæ? O verè hominem ſecundum cor Dei, qui ſe vlciſcenti potiùs quàm exprobranti ſuccenſendum putauit.* Alibi aliorsùm expendebamus hanc poſtremam Bernardi ſententiam, in quâ dicitur Dauid, ſe *vlciſcenti potiùs quàm exprobranti ſuccenſendum putaſſe.* quæ videtur benignitatis erga inimicos meta, & indulgentioris veniæ hyperbole. Aſt non nimis pacatè res veniæ geſta eſt, cùm offenſori non parcat, quin alteri non ſine bile ſuccenſeat, ac ſi indulgentior venia, alicuius radij ſit bibula, nec ſine aliquâ iracundiâ peracta ſit. Sed quid eſt, *Nec iniuriam ſenſit* Dauid, cuius a'tè memor, tandem non permiſit inultam? An dicitur Dauid ſceleroſi Semei *iniuriam non ſenſiſſe*, quia quis ſtatim iracundiæ impetu non ſe vindicat, ſed longanimâ cunctatione offenſæ acerbitatem diu decoquit, illatam *iniuriam non ſenſiſſe* putatur? Toto vitæ tempore mitiſſimum Dauidem vrebat iniuriæ à Semei illatæ recordatio, ſed illum minimè *ſenſiſſe* dicitur, quia ſedato animo opprobratorem audiuit, nec extemporalem vindictam expetiit, quam opportuniori tempore ſumendam reiecit. Vndè iniuriam, cuius vltionem non abſtulit, ſed diſtulit, non *ſenſiſſe* perhibetur. Sic parcitum eſt in Lege veteri acerbioris vindictæ auidiſſimá, vt videre hîc licet in modeſtiſſimâ Eſthere, & piiſſimo Mardochæo; vt Euangelij prima laus ſit indul-

2. Reg. 16. v. 10.

S. Bern. ſer. 34. in Cant.

*Qui non ſe ſtatim vlciſcitur, iniuriam non ſentire videtur.*

Hier[illegible]

g·ntior iniuriarum condonatio, quæ non ſolùm æquo animo off:nſas excipiat, ſed iniurias beneficiis adornet.

5. Geneſeos 34 redux è Meſopotamia Iacob ſubſtitit prope vrbem Sichem. Egreſſa eſt autem Dina filia Lıæ vt videret mulieres regionis illius. Quam cùm vidiſſet Sichem filius Hemor, adamauit eam; & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem. Egreſſo autem Hemor patre Sichem, vt loqueretur ad Iacob, atque ſtuprum connubio honeſtaret:

Geneſ. 34. v. 7.

*Ecce filij eius* ( Iacobi ) *de agro, audıtóque quod acciderat, irati ſunt valdè, eò quòd fœdam rem operatus eſſet in Iſraël.* Nempè dum filij Iacob ex agro veniunt, & ſororem ſuam impudenter conſtupratam audiunt, præ infamiæ impatientiâ, vltrice rabie atrociter furunt. Pro illis verbis, *Eò quòd fœdam rem operatus eſſet in Iſraël,*

S. Auguſt. LXX interp. Hebræus.

Auguſtinus in qq. ſuper Geneſim, ſic habet: *Iuxta LXX. quod dormiſſet cum filia Iacob, & non ſic erit.* Hebraicè; *Et non fiet*, Conſtupratam iam ſororem audiunt fratres, & tunc vociferantur, *Et non erit, & non fiet?*

*Vltio præſumit delere infamiam, quam magis publicat.*

Profectò quod ſemel factum iam eſt, neceſſe eſt tunc eſſe, & exinceps factum fore; quo modo igitur aiunt, *Et non erit, & non fiet?* Non fiet, aiunt, & iam factum eſt? Nimis iracundiæ furor vltioni tribuit, dum vltione delere præſumit indelebilem; perpetrati ſtupri maculam, quam latius publicat & propagat vindicta. O, quis iam noſſet propudioſum Dinæ ſtuprum, niſi furens fratrum vltio illud altè buccinaſſet?

Philo de Migr. Abrahami.

Dinæ fratribus videtur adſentire Hebræus Philo ſic ſub allegoriæ nubilo fatus: *Eſt profectò ſeuera ſcelerum vltrix, & iniuriam patientium auxiliatrix iuſtitia, quæ fruſtratur illudentes virtutis: quibus peſſundatis in virgineam integritatem reſtituitur, quæ videbatur conſtuprata anima.* Tantum de vltione animus iniuſte læſus audacter præſumit, vt de inſano vindictæ furore *virgineam integritatem reparare* adnitatur, quaſi vltio factum reddat infectum. Hinc animus offenſus velut ſui impotens non tantum iniuriam vltione conſolari, ſed & expungere fruſtrâ properat, & furenter præſumit; quo ſumptuoſior elucet veniæ laus, quâ Euangelium glorioſè dedicatur. Quid enim Euangelio adulantius, quàm iniurias non exequi.

6. Geneſeos 13. aſcendit Abraham de Ægypto, ipſe & vxor eius, & omnia quæ habebant, & Lot cum eo: nec poterat eos capere terra vt habitarent ſimul; erat quippè ſubſtantia eorum multa.

Geneſ. 13. v. 7.

*Vnde facta eſt rixa inter paſtores gregum Abraham & Lot.* Non valdè mirarer Loti paſtores rixari: at modeſtiſſimi Abrahami famulos pariter rixari, & iniuriæ impatientiam vltione conſolari, mitiſſimo hero indecens, ac indecorum fuit: Quâ ſuper re ſic ad rem præſentem Philo Hebræus ſcitè philoſophatur.

*Offenſi modeſtia ſæpè offenſoris inſolentiam nutrit.*

Philo lib. de Abraham

*Facta eſt rixa inter paſtores, &c. Itaque ſeruitutis immemores præ licentiâ ſemper rixabantur cum Sapientis noſtri* ( Abrahami ) *magiſtris pecorum, plerumque cedentibus propter ſui heri manſuetudinem.* ( nota verba quæ ſubtexit: ) *quâ modeſtia auxerunt inſolentiam, & impudentem audaciam aduerſariorum, vt recenſitis mutuis odiis neceſſe habuerint, qui lædebantur, iniuriam armis repellere*, O malum! pacata offenſi modeſtia nutrit offenſoris inſolentiam, & impudentem audaciam ſic auget, vt *rixari neceſſe* ſit? Sanè rara virtus eſt, quę offenſori ſemper ignoſcit, nam vel patienti modeſtia, iniuriarum fomitem è diuerſo miniſtrat.

Propheta regius ſic Pſalmum 117. auſpicatur: *Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea dicat nunc Iſrael. Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi.* 7.

Pſalm. 128. v. 1. & 2.
S. Zeno ſer. 1. de Pſal. 128.

Quæ verba S. Zeno Veronenſis: quâ ſolet ingenij & eloquij luma, ſic exornat: *Sæpè expugnauerunt me, &c. Confidentia maxima gratulatio eſt, tantorum & tam numeroſorum bellorum recordari. Sed nunc tacito impugnantium nomine impugnatio ſola memoratur. Et cauſſa noſcenda eſt, cur auctores impugnationis ſilentur. Omnes humanæ iniuriæ, quæ religioſis viris inferuntur non eoſdem habeant auctores, quos habent miniſtros. Executio quidem hominum eſt, ſed Diaboli inſtinctus eſt.*

*Iniuria manu hominis, Diaboli inſtinctu.*

Vicit, vicit aduerſarios, de perículoſo conflictu ouat, & triumphat, & præproperè ſibi de victoria *gratulatur*, qui offenſores homines nec numerat, nec computat ad offenſam; ſed manum hominis videns, inſtinctum Diaboli recognoſcit. Porrò iniuriæ non eoſdem habent auctores, quos habent miniſtros. O in hoc Prophetico gymnaſio, auctorem iniuriæ, cui iraſcamur verius ediſcamus!

## §. CCXXII.

*Meta beneficentiæ eſt, ſiquis iniurias beneficiis remetiatur, inuerſo gratus officio.*

GEneſeos 13. Paſtores Loth ſeruitutis immemores, præ licentia Domini ſui moleſtis iurgiis frequenter rixabantur cum patrui Abrahami magiſtris pecorum, *plerumque cedentibus propter ſui heri manſuetudinem: quâ modeſtiâ auxerunt inſolentiam, & impudentem audaciam aduerſariorum*, ( ait Philo ) quæ ſolet eſſe in garrula offenſa mutæ patientiæ ſoboles. 1.

Philo lib. de Abraham.
*Tolerantia patientis ſæpè auget, impudentiam offendentis.*

Verum Abrahamus patientiæ & beneficentiæ idea, vt iurgiorum occaſionem præcideret, inuerſo gratus officio, dixit ad Lot: *Ecce vniuerſa terra coram te eſt: recede à me, obſecro: ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo: ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam.* Ecce ſeruilem impudentiam de heri ſui adſenſu, poſſeſſionum libera optione Abrahamus gratificatur. *Vide* ( ait inibi Chryſoſtomus ) *quomodò ei electionis poteſtatem dat, & proponit omnem terram, & dicit: Quam vis elige, & ego quam tu reliqueris, magna cum voluptate accipiam...... Num hoc quis vnquam vel æquali vel fratri faciendum cenſuit, id quod fratrueli Patriarcha?* Tantum patriarchali benignitari licuit, vt non leuem iniuriam ſingulari beneficentia metiretur.

S. Chryſoſt.

Ioannis

2\. Ioannis 15. Christus Deus hoc argumentum contra Iudæorum erga ipſum odium querulus vibrat: Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum. *Sed vt adimpleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt: Quia odio habuerunt me gratis.* Communiter interpretes per *opera*, quæ Chriſtus Iudæis exhibuiſſe dicit, intelligunt miracula, doctrinam, virtutes: quibus ſicut beneuolentiam conciliare debuiſſent, ſic è peruerſo odium immaniter concitarunt. Verùm S. Auguſtinus his *operibus* hactenùs exhibitis, *opus* redemptionis annectit, & indè argutè ad rem præſentem, ingratam Iudaici odij malitiam his verbis exaggerat: *Tanti*, inquit, *ſanguinis tam impiè ac immaniter fuſi, indulgentiam perceperunt, ipſo redempti ſanguine, quem fuderunt. Chriſti enim ſanguis ſic in remiſſionem peccatorum omnium fuſus eſt, vt ipſum etiam peccatum poſſet delere quo fuſus eſt. Hoc ergo intuens Dominus dicebat: Odio me habuerunt gratis.* Vide quo argumento probat Chriſtus ſe odiò haberi gratis. Nimirùm beneficè illis exhibui tot virtutes, ſanitates, miracula: quin & ſanguis meus, quem ipſe impie, immaniter ac per ſummam iniuriam effuderunt, nō modo omnibus vniuerſatim peccatoribus profuit, ſed & illis ipſis, qui illum inimicè effuderunt, eximiè proficuus fuit. Scilicet parùm foret, ſi aliàs immaniſſimis tortoribus largè beneficus extitiſſem, & iniurias beneficiis rependerem, niſi illa mea patientia, quâ Paſſionis iniurias ſufferebam, illis ipſis qui illaſmet iniurias hoſtiliter tunc inferebant, tunc etiam eximiè benefica foret & munificentiùs proficua. Videlicet ſerò inimicis meis benefacerem, niſi illamet ſufferentia mea, quâ atrociores ſufferebam offenſas, illos etiam redimeret, & cæleſtibus donis meritoriè largiùs cumularet. Ad quod præſtandum, ſic me ex charitatis redundantiâ obæratum piè cenſebam, vt ſi tardius erga aduerſarios meos beneficus extitiſſem, non ſic de illis conquererer, quòd *odio habuerunt me gratis.* Ecce tibi quàm altè ſpatia charitatis erga inimicos metetur Chriſtus, vt dicat, ſe odio haberi gratis, ſiquidem illa ipſa offenſarum ſufferentia, ipſiſmet offenſoribus præproperè benefica fuerit, & largiùs munifica: & idcircò ſe odio haberi gratis. Luculenter ſanè Auguſtinus.

Ioan. 15. v. 25.
Pſal. 34. v. 19.
S. Auguſtin. Tract. 91. in Ioann.
*In Chriſto illa ipſa offenſarum ſufferentia, inimicis offenſoribus benefica fuit.*

3\. Matthæi 1. in catalogo Ieſuanæ genealogiæ ita ſcribit Euangeliſta: Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius. *Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar.* Sudata olim & nunc quæſtiuncula, eccur ſub auſpicium Ieſuanæ genealogiæ, Thamar illa, quæ non benè de inceſtu audit, deſcribatur? Opinari forſan aliquis poſſet, Matthæum inauſpicatò ordiri Chriſti genealogiam: inter eius maiores eam recenſens feminam, quæ obſcœnum cum nomine inceſtum ignominiosè præfert. Quare Euangeliſta auitam retrò nobilitatis gloriam, quâ Chriſti progenitores claruerunt, huius feminæ propudio deuenuſtat? Appoſitè hâc ſuper re Ambroſius: *Sancti Matthæi cōſilium à rationis iuſtitia non abhorret nam cum euangelizaret ſecundum carnem generatum eſſe, qui omnium peccata ſuſciperet ſubiectum iniuriis, ſubditum Paſſioni, nec hoc quidem putauit expertem aſſerendum eſſe pietatis, vt maculatæ quoque originis non recuſaret iniuriam:* (Nota verba, quæ ad rem ſubdit) *ſimul vt beneficium redemptionis à ſuis maioribus inchoaret.* Nimirùm non abhorret à rationis iuſtitiâ, imò valdè facit ad redundantiam pietatis, quâ Chriſtus Deus erga offenſores ſuos cumulatiùs exundat, vt hanc *iniuriam* à Thamaris inceſtu accipiens, vt humanam eius quodammodò *macularet originem*, ab illâ *beneficium redemptionis inchoaret*, præcoquâ beneficentiâ inuerſo gratus officio Recenſeatur ſub initium Ieſuanæ genealogiæ, Thamar, propudioſo inceſtu notiſſima, vt *iniuriam maculatæ originis*, beneficio redemptionis præproperè inchoato, id eſt, explicatiùs expreſſo, ſumptuoſiùs rependeret. Et quoniam Thamar iniuria *maculatè originis* feſtinauit deuenuſtare Chriſtum; Chriſtus vice verſâ eam ſuâ redemptione emaculare feſtinet, neque ſit ſegnior ad beneficium, quàm illa ad iniuriam. Conſultiſſimè ergò Chriſtus Deus ab iniurioſâ ſibi Thamare *beneficium redemptionis inchoaſſe* perhibetur. Quò hinc iam erudiat Hebræos, non ſic hoſtiliter iniurias vlciſci.

Matth. 1. v. 3.
S. Amb. l. 3. in Lucam.
*A Thamare Chriſti originem velut maculante, ipſe redemptionis beneficium inchoaſſe dicitur.*
Hîc v. 16.

4\. 2. Regum 3. mortuo Saüle & Ionathâ, facta eſt longua hoſtiliter concertatio inter domum Saül, & inter domum Dauid. *Cùm ergò eſſet prælium inter domum Saül, & domum Dauid, Abner filius Ner regebat domum Saül.* Verùm tametſi Abner erat princeps exercitus Saülitarum, & contra Dauidem bellator acerrimus; illum tamen Dauidis iam partes ſequentem non quaſi hoſtem habuit, ſed amicè tractauit, viuumque ac mortuum quam maximis honoribus auxit, inuerſo gratus officio. Cuius piam magnanimitatem æmulatus eſt Theodoricus, Caſſiodori calamo ſic de Liberio ad Senatum ſcribens: *Retinetis P. C. Liberium & in aduerſitate noſtrâ fuiſſe laudabilem, qui ſic Odouacris integerrimis parebat obſequiis, vt noſtrâ poſt fuerit electione digniſſimus, contra quos multa feciſſe videbatur inimicus. Non enim ad nos viliſſimâ transfugæ conditione migrauit, nec proprij Domini Odouactis finxit odium, vt alterius ſibi procuraret affectum. Expectauit integer diuina iudicia, nec paſſus eſt ſibi Regem quærere, niſi primitùs perdidiſſet.* (Attentius adnota verba quæ ſubdit) *Vnde ſic factum eſt, vt ei libenter daremus præmium, quia noſtrum fideliter iuuit inimicum: qui caſu patrocinante contrario tantùm nobis videbatur acceptus, quantò tunc cognoſci poterat indeuotus.* Quid tam beneficè magnanimum, quàm Liberium & patritij honore, & ſublimiſſimâ dignitate munerare, quia ſuum aduerſus ſe *fideliter iuuit inimicum*, regem Odouacrem inquam, bellicoſiſſimum hoſtiliter bellatorem. O beneficentiam auguſto principe digniſſimam, quòd tantum Theodorico videbatur acceptus, quantò credi poterat indeuotus.

2. Reg. 3. v. 6.
*Theodoricus Liberium auget, quia ſuũ fideliter iuuit inimicum.*
Caſſiod. l. 2. Variar. ep. 6.

5\. Geneſeos 37. Ioſeph cùm ſedecim eſſet annorum, paſcebat gregem cum fratribus ſuis adhuc puer. *Accuſauitque fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo.* Pro *crimine peſſimo*, nonnulli ex Hebræo *infamiam* excribunt. quaſi infamia & crimen peſſimum, ſynonyma ſint. Sic præceps proruit in crimina, qui recuperandæ famæ ſpem omnem diffamatus abiecit? Alij *pro crimine peſſimo* efferunt: *Locutionem eorum malam.*

Geneſ. 37. v. 2.
*Infamia, præmaturè eſt crimen peſſimum.*

Siue quia luxuriabantur verbis minùs pudicis: quàm decebat tanti Patriarchæ fi-

*Verbum impudicum, vel oblocutio in patrem, dicitur crimen peſſimum.*

Anſelm. Laud. in Interlin gloſsâ ibi.

*Ruben ſolus erga Ioſephum, aduerſo gratus officio.*

Geneſ. 37. v. 21. & 22.

filios: ſiue quia detrahebant patri, quod blandiùs quàm par erat, ſuum Ioſephũ diligeret. Aduerte, cenſu *criminis peſſimi*, & immanium flagitiorum grauidi, denotari, aut oblocutionem aduerſus patrem; aut ſiquod verbulum minùs pudicum iuuenili licentiâ excidit. Verùm Anſelmus Laudunenſis ſic locum exponit: *Accuſauit fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo. Solum*, inquit, *Ruben accuſauit de concubina patris, vt per ſynecdochen partem à toto accipiamus.* Solus Ruben *crimine peſſimo* diffamatus eſt delatione Ioſephi, & reliquis fratribus inimicè offenſus, eiuſque eædem crudeliter intentatibus, *Ruben nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat: Non interficiatis animam eius, nec effundatis ſanguinem: ſed proiicite eum in ciſternam hanc, manuſque veſtras ſeruate innoxias: hoc autem dicebat volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri ſuo.* Dignus exindè Rubèn, qui Moyſis ore benedictionem recuperaret.

6. Matthæi 1. durè excruciatur Ioſeph zelotypię angore; cui adeſt è cælo in ſomnis Angelus diuino inſtinctu illi ſuggerens: Ioſeph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam: *quod enim in ea natum eſt, de Spiritu-ſancto eſt.* pariet autem filium: & vocabis nomen eius Ieſum: *ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: *Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel quod eſt interpretatum Nobiſcum Deus.* Nobiſcum Deus eſt, quia verus Deus factus eſt verè homo, & hominis ordinem cumulatè impleuit, humanis iniuriis plenè obnoxius, humaniſque neceſſitatibus obæratus. Sed curioſiùs perueſtigant interpretum Summates, quare homo factus, qui ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens; tot tantiſque gloriis in ortu ſuo ſumptuoſiùs effulſerit? Naſcitur homo, ſed *de Spiritu-ſancto* conceptus, & de Virgine natus. Naſcitur peccatoris habitu; ſed à peccato immunis, & qui *ſaluum faciat populum ſuum à peccatis eorum.* Naſcitur in pecuino præſepio; ſed inibi ab Angelis adoratur, à Regibus myſtico altè obſequio muneratur. Scitè dubius Chryſoſtomus homil. 1. in Matthæum, hoc dubium verſans, ita ſcribit: *Nec enim*, inquit, *dignum erat, vt Vnigenitus Dei, non propter ſe, ſed propter homines naſcens, more naſceretur humano.* Arguta ſanè ratio, & tanto Doctore digniſſima. Nimirùm Deus Verbum, & Dei vnigenitus, quia non propter ſe, ſed propter homines ſcelerosè peccatores, & ſibi iniuriosè offenſos, factus homo in terris naſcitur, ideircò oportebat vt non more humano, ſed de Spiritu-ſancto, & matre Virgine, & tot gloriis præluſtris naſceretur. Num ſi Deus propter ſe tantùm homo factus naſceretur, ſtudens duntaxat propriæ gloriæ, inidoneè tam magnifico conceptu & partu naſceretur? Saltem qui propriæ claritudinis, & debitæ ſibi gloriæ velut oblitus, non tam ſibi, quàm hominibus ſibi ſcelerosè infenſis naſcitur, & ſe totum aduerſariis impendet, dignus eſt inſolitæ beneficentiæ merito, vt vel hoc etiam titulo natura humana vltrò cedat præſcriptis naſcendi legibus. Glorioſiùs naſcitur, qui offenſoribus naſcitur, moriturus ſibi, vt offenſores renaſcantur ad gloriam: *Nec enim dignum erat, vt Vnigenitus Dei, non propter ſe, ſed propter homines* ſibi iniurioſos, & à primordio rebelles, *naſcens, more naſceretur humano.* Hinc glorioſè Chriſtus naſcitur, quia iniurias beneficiis ab ortu remetitur, inuerſo gratus officio.

Matth. 1. v. 23. Iſaiæ 7. v. 14.

*Chriſtus non tam propter ſe, quam propter offenſores naſcens, glorioſè naſcitur.*

Imperfect.

---

## §. CCXXIII.

### *Aliquis perfectæ virtutis faſtus eſt, ſui vltori potiùs quàm ſuo offenſori ſuccenſere, & iniurias beneficiis vlciſci.*

E Profanæ ſapientiæ adytis hæc Chriſtiana vox pulchrè reſonat: *Non eſt quòd credas quemquam fieri aliena infelicitate felicem.* Puſilli & ſordidi animi eſt iniurias exequi. Meminerit rancida iracundia, quòd altè deſcendens vindictæ ſtudium, ſimile eſt ædificiorum ruinis, quæ ſupra id quod oppreſſere franguntur. Leniat vltionis rabiem tacitâ in memoriâ verſans (ait Plutarchus) *non eos commendari ſolitos, qui aliis iniuriam intulerint, qui ve pertinaciter & obnixè ſuperare contendant, ſed qui illatam iniuriam animo æquo, vel certè forti tuliſſe videntur. Hi enim non modo manſuetudine, & morum facilitate, verùm quoque prudentia, & animi magnitudine præſtant: propter quod paruis rebus cedentes: maximas ac pulcherrimas obtinent, & euincunt.* An non velut Chriſtiano cothurno Plutarchus? Quid dicent Iudæi? Lege quæ in hoc verſ. 16. feciſſe ſcribatur. 1.

Senec. Epiſt. 95.

*Neminem puta aliena infelicitate felicem.*

Plutarch. in Polit.

Hic verſ. 16.

2. Reg. 16. funeſto vultu & habitu, ac lugubri ſatellitio, noctis lenocinantibus tenebris, impia procacis filij arma fugere cogitur Dauid, Dauid inquam, ille. tot Regum ſtrenuus quondam detriumphator. Venit ergò rex Dauid vſque Bahurim: & ecce egrediebatur indè vir de cognatione domus Saül, nomine Semei, procedebatque egrediens, & maledicebat, mittebatque lapides contra Dauid. Dixit autem Abiſai filius Saruiæ regi: Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi; vadam, & amputabo caput eius. *Et ait rex: Quid mihi & vobis eſt filij Saruiæ? dimittite eum, vt maledicat.* Quæ verba expendens Bernardus, ita eleganter ſcribit: *Accipite huius rei mirabile exemplum in ſancto Dauid. Aliquandò maledictum eſt illi, & à ſeruo: at ille nec cumulatam iniuriam ſenſit, quia præſenſit gratiam. Quid mihi, ait, & vobis filij Saruiæ? O verè hominem ſecundum cor Dei, qui ſe vlciſcenti potiùs quàm exprobranti ſuccenſendum putauit.* Quid eſt autem, quòd dum ſolus Abiſai ſe offert iniuriæ vindicem, in reliquos etiam eius fratres pariter ſuccenſet? An quia, cum vltore cognato reliqui cognati quaſi ex condicto conſpirant? De hâc argutâ quæſtiunculâ alibi forſan. Venio ad mirabile exemplum Dauidis, cui parum foret, non ſuccenſere Semei Saülitæ contumelioſè exprobranti, niſi ſuo Abiſai, qui ſe exhibebat Dauidicæ offenſæ ſtrenuum vltorem acerbiùs ſuccenſeret. Iraſcitur in ſui vltorem, qui diligit perſecutorẽ. Ecce tibi Dauid piè peruerſo gratus officio, de vltore ſe vlciſcitur, in exprobratorem beneficus, nec ſatis pacato ac tranquillo animo erga offenſorem putaretur, niſi foret aduerſus offenſæ vltorem quodammodò implacatus

2.

*Sui vltori, nõ offenſori Dauid ſuccenſendum putat.*

2. Reg. 16. v. 10.

S. Bern. ſer. 34. in Cant.

placatus. Hæc Dauidis ira, inirati & placidi animi argumentum, ſeu augmentum eſt.

3. Geneſeos 42. Ioſephi fratres inuidentiæ liuore vſtulati, pietatis mores publicè infamant. Vita beneficij loco acceptâ, vili Madianitis vænit, barbaris ſeruit; de pudicitiæ reatu detinetur in carcere: ferratâ compede obſtrictus. Indè egreditur Ægypti Præfectus, & ſumma annonæ charitate frumenti modiperator. E Palæſtinâ fratres frumentatum veniunt, ſiſtuntur publicæ annonæ Præfecto, & tamen fratres acerbè offenſores ipſe cognoſcens, non eſt cognitus ab eis. Recordatuſque iniuriarum, quas ab ipſis duriùs pertulerat, *Ait ad eos: Exploratores eſtis, vt videatis infirmiora terræ, veniſtis.* Acceptâ igitur vlciſcendi poteſtate, videamus qualis Ioſeph fuerit. Cùm enim in manibus haberet homines maximè iniurios, & punire non fratres, ſed hoſtes impunè potuiſſet, quid agit? Audi ex melleo Seleucienſis Baſilij ore: *Vide inuſitatam vltionis formam. Inuidiam, venditionem, belluinamque immanitatem, humanitatis obſequiis vlciſcitur, terriculamentis ludicris vtitur, minas quaſi in ſcenâ conſequitur, iras hiſtrionicè repræſentat. Sed nec ipſam iracundiæ ſimulationem ſuſtinens*, &c. Scilicet quaſi parùm foret Ioſepho fraternam inuidiam cædis paraturam, barbaricam venditionem, exilij ac ſeruitutis incommoda, ferinamque inhumanitatem, & tot malorum appendices calamitates, impiis offenſoribus indulgere; *belluinam immanitatem, humanitatis obſequiis vlciſcitur.* O bonam vltionem, quæ illatas iniurias beneficiorum largitate metitur! Nouus iniuriarum vltor explendeſcit Ioſeph, *inuerſo gratus officio.* De quo aliàs.

4. Geneſis 50. defuncto patre Iacob, eius filij, ſicut iniuriarum benè conſcij, ita & vltionis malè timendi, fratrem Ioſephum adeunt, & beneuolo patris nomine, & poſthumo mandato, impij quondam ſceleris veniam ſupplices deprecantur. *Quibus ille reſpondit: Nolite timere: num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? Vos cogitaſtis de me malum: ſed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, ſicut inpræſentiarum cernitis, & ſaluos faceret multos populos.* Mirùm ſanè eſt, & valdè mirum, quod Ioſephi fratres veniam ob offenſo fratre deprecaturi, nullam ſceleris excuſationem vel apparenter obtenderint. Porrò flagitioſior malitia, vt tarda ad pœnitentiam, ſic ad defenſionem velox & exprompta eſſe ſolitat. Nullum eſt tam ſceleroſum crimen, quod reus malitiæ ingenio ſagaciter non obumbret aliquo excuſationis velamine. Scilicet ingenioſior fuit Ioſephi pietas ad veniam iniuriæ condonandam, quam iniuriatorum ad illam expetendam. Pergit idem Seleucienſis Præſul nuper laudatus: *Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, ſicut inpræſentiarum cernitis, &c. Iniuriarum defenſionem qui eas patiebatur, quærit; & affectum animi expromens ſincerè fratres amplectitur, germaniſque labiis eos oſculatur, qui dentibus inclementer lacerauerant.* Nimirùm dum impij offenſores criminis excuſandi ingenio, diu cogitando nullam defenſionem inueniunt; pia offenſæ clementiæ ſagacitas, non quæſitam inuenit, ipſis offenſoribus inopinatam. Ecce tibi quàm ſit ſagacius parcendi ſtudium, quàm excuſandi reatus in reo ingenium. Criminis excuſationem, quàm diu quæſitam offenſores non inueniunt, offenſus Ioſeph non quæſitam inuenit, inuentam eloquenter amplificat. *Iniuriarum defenſionem qui eas patiebatur quærit*, Pulchrè quidem de more Seleucus.

*Ioſeph fratrum immanitatem humanitatis obſequiis vlciſcitur.*

*Geneſ. 42. v. 9.*

*Baſil. Seleuc. Orat. 8.*

*Geneſ. 50. v. 19. & 20.*

*Iniuriarum defenſionem quam fratres non inueniunt offenſus inuenit Ioſephus. Seleucus ſup.*

Nondùm autem ſatis expenſa eſt Ioſephi Patriarchæ erga offenſores benignitas. Geneſeos 39. Ioſephi Domina, amoris ſeruitute potiùs deuincta, matronalis dignitatis iacturam fecit; & inueni ſtupru deteſtanti armatas libidine manus petulanter iniecit. Muliercula verò ſpebus laſciuiæ fruſtrata, amorem in iram conuertit, & ex impudenti deſiderio procudit vindictæ arma, linguamque accuſatricem ſuſcitat, veſtemque oſtentans, fidem è peruerſo facit. His auditis Dominus, & nimiùm credulus verbis coniugis, iratus eſt valdè. *Tradiditque Ioſeph in carcerem, vbi vincti Regis cuſtodiebantur, & erat ibi clauſus.* Itaque innoxius in carcere Ioſephus habetur, ſeruus ſimul ac vinctus. Verùm fluctibus tantis circunſtantibus iuuenis exhauſtus, inconſumpto animo perdurat. Nec enim vocem vnquam iecit, heræ petulantiam, Domini inconſultam credulitatem, aut immanem fratrum impietatem incuſans. Hi enim totius tragœdiæ auctores extiterant. *Horum nihil effutiit Ioſephus;* (ait Baſilius) *ſed contra omnia patientiam obiecit, gratóque animo pericula ſuſtulit.* O magnum pietate virum; & naturæ faſtigio maiorem! Non tantùm pacatè tranquilloque, ſed etiam *grato animo pericula ſuſtulit* Ioſephus. A ſalaciter infidâ mulierculâ, & ab inuidioſis atrociter fratribus exul, ſeruus, ſimul ac vinctus detinetur; & patris deliciolum fit crudeliter extorris, calamitosè ſeruus, durè vinctus, ærumnarum centum, & fortunæ ludibrium: & quaſi parùm foret æquanimiter tot iniurias ferre, *grato animo pericula ſuſtulit:* & immanem iniuriatorum feritatem, *humanitatis obſequiis vlciſcitur, inuerſo gratus officio.*

5. *Ioſeph Patriarcha aduerſus offenſores gratus.*

*Geneſ. 39. v. 20.*

*Baſil. Seleu. Orat. 8.*

Pſalmo 9. titulus hic in Vulgatis codicibus præfigitur: *In finem pro occultis filij Pſalmus Dauid.* Hunc verſiculum Hebræi legunt: *Victori ſuper mortem filij.* Cùm veroſimillimum ſit hic non agi de morte filij ſui Abſalomi, quam luctu proſecutus eſt; totus autem hic Pſalmus lætitiam, & feſtum gaudium eructet; nonnulli apud Bellarminum *dicunt in hoc Pſalmo gratias agi Deo pro morte Goliath, & fugâ totius exercitus Philiſthinorum.* Vnde Nebienſis hunc locum ſic extulit: *Ad laudandum ſuper morte viri, qui egreſſus eſt de medio caſtrorum.* Illud autem ad rem litteræ occultum eſt ad mores verò aſpectabile, cur Dauid quem ſcripſit Pſalmum, quo gratias Deo ageret, pro morte Goliath, & Philiſthini exercitus fugâ, *Pſalmum pro occultis filij*, vel *Victori ſuper mortem filij*, nuncupauerit. Goliath ne valenter procaciſſimus Dauidis aduerſarius, ab ipſo ſtrenuè deuictus, & glorioſè detriumphatus, velut arcanus Dauidis *filius* appellatur; quæ eſt hæc *occulta* inſolenter filiatio? An quandoquidem Abſalom Dauidis filius, in cruentum hoſtem refingitur; Goliath cruentus Dauidis hoſtis, in eius *filium occultè* reconditur? *Pro occultis filij Pſalmus Dauid.* An ſtrenuè deuictus, & glorioſè detriumphatus aduerſarius, tanquam *filius* peramanter diligitur, quia triumphis & gloriæ victoris potiùs militauit? Goliath enim deuictus, Dauidis gloriam ſumptuoſiùs propagat, & æternitati conſecrat; An quia proſtratus Goliath, in mortis aſylo, adeò ſecurus iacet ab hoſtilitate inimiciſſimi nuper Dauidis, vt arcano quodã amo-

6. *Pſal. 9. v. 1. Hebræus.*

*Bellarm. ibi*

*Nebienſis.*

*Quare Goliath à victore Dauid, filius nuncupetur.*

re *filij* illum proſequatur? *Pro occultis filij Pſalmus Dauid*, vel Dauidi *victori ſuper mortem filij*. Poſt aduerſarij funera & capulum infeſtior hoſtilitas ſic torpet hebes, ſic iners ceſſat, ſic arcanâ affectuum metamorphoſi demutatur, vt in tenerum *filij* amorem mirè reformetur? Saltem victor Dauid ſuper mortem inimiciſſimi Goliathi, quaſi *pro occultis filij*, hunc Deo Pſalmum concionè modulatur. Moraliſſimè infeſtior aduerſarius (ſaltem in morte) *in occultis* arcanæ forſan beneuolentiæ, *filius* nuncupatur, quod nomen non vulgarem amorem præfert.

7. Pſal.7 v 4. S.Hieron. ibi. Bellar.ibi. *Dauid inimicis aliquo inſigni beneficio rependit.*

Neque hoc elogium in Dauide peregrinatur: ipſe enim pangit Pſalmo 7. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* Si autem legamus cum Hieronymo, *Et dimiſi hoſtes meos vacuos*, tunc ſenſus erit, ait Bellarminus: *Se reddidiſſe bona pro malis, ac ſi dicat: Si dimiſi hoſtes meos non affectos à me aliquo inſigni beneficio, eueniat mihi hoc, aut illud malum*, Ioſephum imitatus, qui *grato animo pericula ſuſtulit*. Imò ſui memor, qui *ſe vlciſcenti potiùs quàm exprobranti ſuccenſendum putauit.* Pudeat poſt Euangelium præeuntes non ſequi.

---

## §. CCXXIV.

*Largior erga pauperes beneficentia, terrenas non minuit opes, ſed auget: & cæleſtium bonorum beatâ cupiditate antecedit auaritiam.*

1. Seneca l.3.de Benef.c 3. *Tantùm quis habet, quantùm eleemoſynæ nomine dedit.* Hic v.22.

EGregiè mihi videtur M Antonius apud Rabirium (ait Seneca) cùm fortunam hactenùs ſuam tranſeuntem aliò videret, & ſibi nihil relictum præter ius mortis, exclamaſſe: *Hic habeo quodcumque dedi. O quantùm habere potuit, ſi voluiſſet! Hæ ſunt diuitiæ certæ in quacumque ſortis humanæ leuitate, vno loco permanſuræ, quæ quò maiores fuerint, hoc minorem habebunt inuidiam. Quid tanquam tuo parcis? Procurator es.* Et rurſùs: *Quæris quomodò illa tua facias? dono dando. Confide ergò rebus tuis; & certam tibi earum atque inexpugnabilem poſſeſſionem para: honeſtiores illas, non ſolùm ſed tutiores facturus.* Benè monentem ſequeretur Nunc Iudæi *pauperibus munuſcula largiuntur.* Diſcant à Chriſtianâ doctrina offerre munera indigentibus; & pias haſce vſuras ediſcant.

2. Matt.5.v.6.

Matthæi 5. nouam & de cælo allâtam Chriſtianæ profeſſionis œconomiam Chriſtus Deus his verbis publicat: *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur.* Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Cùm ambiguum ſit *iuſtitia* nomen & perſæpè in ſacris Bibliis pro miſericordiâ accipiatur, (vt aliàs non ſemel notabamus) integrum fuit Commentatoribus variè hunc locum exponere Chryſoſtomus inibi ſic præfata verba explicat: *Quia enim*, inquit, *de miſericordiâ dicturus erat*, (ſubdens, *Beati miſericordes*, &c.) *præmonſtrat qualiter miſereri oporteat: quia non ex rapinâ, neque ex auaritia: vndè etiam quod eſt auaritiæ proprium, ſcilicet eſurire & ſitire, iuſtitiæ attribuit.* Vide quomodò Chryſoſtomus

S.Chryſoſt. homil.15. in Matth. *Beneficentior miſericordia cupiditate beatâ antecedit auaritiã.*

huic *iuſtitiæ*, id eſt, miſericordiæ, *auaritiam* tribuit. Chryſoſtomo accinit Veronenſis Zeno in ſerm. de Iuſtitiâ ſic de miſericordiâ fatus: Hæc captiuorum iuga redemptionibus frangit, incarceratis medẽdo plus carcerem nouit blandâ peruigil curâ: *ægritudinem cum ægro partitur*: in pauperes miſeroſque ſuâ neceſſitate neglectâ pietates largitur: *Nihil relinquendo ſibi, beata cupiditate antecedit auaritiam: homines enim illa poſſidet, iſta Deum.* O bona exhibendæ miſericordiæ *auaritia*, quæ ſic eſurit ac ſitit alienis neceſſitatibus quaſi ex iuſtitiæ debito ſuccurrere, vt *nihil relinquendo ſibi, beata cupiditate antecedat auaritiam* mundialis opulentiæ! O quàm viuidè *cupiditatis* nomine ſignificatur! Et ſanè mundi auaritia caducis & fugitiuis opibus inhiat: miſericordiæ autem cupiditas, & beneficentiæ auaritia, Deum omnipotenter diuitem, & opulentum bonorum theſaurum poſſidere piâ cupiditate exambit: & nihil relinquendo ſibi, omnia in poſſeſſo Deo ſibi inuenire procurat. exindè *beata cupiditate* (qua miſericordiam eſurit ac ſitit) *antecedit auaritiam.*

S.Zeno Ser. de Iuſt.

3. Ad Galat. 6.v.6. S Cypr.ſer. de eleemoſy. *Num miſericordes iam nunc coloniã in cælos duxerint.*

Ad Galatas 6. eos ad pietatis opera adhortans Apoſtolus ita ſcribit: *Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes. Ergò dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Et quo tempore in pauperes ſparſa pietatis ſemina, meſſe felici fructificabunt? In præſenti vitâ, an in futura? S. Cyprianus in Serm. de Eleemoſynâ præſcriptum Paulli locum ſic ad rem præſentem elucidat: *Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim ſuo metemus.* (Cyprianum legis) Cogitemus fratres quid ſub Apoſtolis fecerit credentium populus, quãdò intra ipſa primordia maioribus virtutibus mens vigebat, quando credentium fides nouo adhuc fidei calore feruebat: domicilia tunc & prædia venundabant, & diſpẽſandam pauperibus facultatem libenter ac largiter Apoſtolis offerebant: *terreno patrimonio vendito atque diſtracto, fundos illuc transferentes, vbi fructus caperent poſſeſſionis æternæ: illuc comparantes domos, vbi inciperent ſemper habitare.*

Locuples patrimoniũ inutiliter in largas beneficè eleemoſynas diſtrahere videris; ſed fundos illuc transfers, vbi ſuo tempore fructus capias poſſeſſionis æternæ. Quòd ſi ſera videtur tibi promiſſa miſericordibus opulentia; attentiùs cõſidera, miſericordes illic comparare domum, *vbi inciperent ſemper habitare.* Quaſi iam nunc miſericordes coloniam in cælum duxerint, tanquam homines empyrei, & præproperè Olimpi ciues. Sic certâ ſpe beatas cæli glorias prælibant? Ideò de cælo edoctus dixit Paulus, *Tempore enim ſuo metemus*, nam in hâc vitâ centuplum capiũt: quin & domum in cælum transferentes; tanquam illuc ductâ coloniâ, quodammodò ibi *incipiunt ſemper habitare*, ac ſi præmaturè forent cælorum ciues, & cæleſtis gazæ præcoquâ poſſeſſione opulenti.

4. Prouerb. 11. v.17. Caiet. inibi.

Prouerbiorum 11. his verbis Salomon ad beneficentiam homines adhortatur: *Benefacit animæ ſuæ vir miſericors.* Multi ſunt Commentatores in hoc loco exponendo: Caietanus verò ſic ex Hebræo locum excribit, & exponit: *Rependit animæ ſuæ vir gratiæ. Ne putares quòd vir gratuitò benefaciens aliis, ſolis aliis prodeſt, docet te Salomon, quòd vir gratiæ (hoc eſt, gratuito beneficus) ſic prodeſt aliis, quòd rependit animæ*

*Nihil eſt tam vniuſque proprium, quàm quod pìè aliis impendit.*

*animæ ſuæ quod illi debet.* Sapiẽter homo in pauperes miſericors, *Vir gratiæ* appellatur; ſic enim copioſâ gratiæ vbertate, eius beneficentia exundat in alios, vt illa ipſa ad ſe redeat ſibique potiùs benefacit: neque enim quod aliis dono dat, ſibi perdit; ſed potiùs ex inuerſo, quod aliis donat, ſibi acquirit. *Quoniam* (verba ſunt S. Leonis Magni hunc locum exponentis) *Sicut Scriptum eſt: Animæ ſuæ benefacit vir miſericors, & nihil vniuſcuiuſque tam proprium, quàm quod impendit in proximum. Pars enim corporalium facultatum, quæ indigentibus miniſtratur, in diuitias tranſit æternas...... Beati autem pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum miſerebitur Deus: & ipſe erit illis ſumma præmij, qui eſt forma præcepti.* Tempeſtiuè quidem Leo. Quod ex iam iam dicendis illuſtrabitur.

S. Leo ſer. de ieiun. & ibidem.

Matth. 5. v. 7.

5. Regius Vates Pſalm. 109. loquens de æterna Chriſti Dei generatione, ita pangit: *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum ex vtero ante luciferum genui te.* Notum eſt, quòd pro τὸ *virtutis*, ex Hebræo, *diuitiarum* ſubſtituitur. Illud autem, *In ſplendoribus Sanctorum*, nonnulli transferunt, *In venuſtatibus ſancti*, alij, *in magnificentiis*, vt inibi eruditè Lorinus tradit. Tecum, inquit, *principatus in die diuitiarum tuarum, in magnificentiis, ex vtero ante luciferum genui te.* Nimirùm æterna generatio, quâ diuinum Verbum è mente paternâ prodit *in magnificentiis, in die diuitiarum ſuarum*; tametſi diuinæ miſericordiæ beneficio non peragitur, egregiam offert humanæ miſericordiæ vmbram: non quà diuina generatio ſuccurrat indigo; ſed quà ſermone ſeu verbo geritur. Hâc ſuper re audiẽdus eſt Euſebius Emiſſenus, qui de ineffabili Chriſti Dei miſſione ſic tempeſtiuè philoſophatur: *Sicut dicit Propheta*, inquit, *à ſummo cælo egreſſio eius, deſcribitur quidem eundi ac redeundi velocitas, ſed diſcurſum neſcit immenſitas, quia Deus vbique totus eſt. Accedere ad nos Miſericordia potuit, recedere à ſe plenitudo nõ potuit: qui enim excedit omnia, quò recedit? ac ſic vnigenitus à Patre miſſus eſt, non amiſſus. Et ideò dixit Propheta: Eructauit cor meum verbum bonum.* (Nota verba quæ ſubdit, quæ opportunum humanæ miſericordiæ typum offerunt) *Sicut enim ex vſu prolatiuũ hominis verbum ita ad audientem à loquente transfertur, vt nihilominùs in eo de quo progreditur corde teneatur: Sicut ſermo quem loqueris, & à te exiit, & tecum eſt, nouo & ſtupendo genere & tranſit & remanet; transfunditur, nec elabitur: & quò dirigitur peruenit, & vndè emittitur non recedit. Ita & Dominus noſter Ieſus-Chriſtus, qui in principio erat Verbum, Deus apud Deum; ad nos prodiit, à Patre non exiit.* Ita etiam (vt vt humana poſſunt diuina æmulari) humanæ beneficentiæ munera egenis benignè erogata, à viro miſericorde ad pauperem transferuntur; & nihilominùs in eo de quo progrediuntur corde tenentur: à te exeunt, & tecum ſunt, nouo & ſtupendo genere & tranſeunt & remanent; transfunditur, nec elabuntur: & quò diriguntur, perueniunt, & vndè emittuntur non recedunt: *Quoniam, ſicut ſcriptum eſt, animæ ſuæ benefacit vir miſericors, & nihil vniuſcuiuſque tam proprium, quàm quid impendit in proximum: & ipſe* Deus *erit illis ſumma præmij, qui eſt forma præcepti.* Formam enim humanæ beneficentiæ præbuit Chriſtus Deus, nõ tantùm dum eam tot exemplis humanitùs exhibuit; ſed

Pſal. 109. v. 5.

P. Lorin. ini.

*In quo nam diuina generatio humanæ beneficentiæ typum gerat.*

Emiſ. homil. de Natiuit. Domini.

*Eleemoſyna à te exiit, & tecum eſt, tranſfunditur, nec elabitur.*

Prou. 11. v. 17.

S. Leo ſup.

etiam cùm in *diuitiarum magnificentiis* ex paterno intellectu, ab æterno tanquam verbum prodiit & in mundum homo factus mittitur. Quod Euſebius Emiſenus adſpectu ad humanum ſermonem luculenter expreſſit, pulcherrimum miſericordiæ elogium adumbrans.

Lucæ 6. Sic ad humanam benignitatem Chriſtus Deus homines adhortatur: Eſtote miſericordes ſicut, & Pater veſter miſericors eſt. *Date; & dabitur vobis.* Quæ Chriſti Dei verba S. Leo expendens, ita ſcribit: *Quàm citò*, inquit, *diffidentiæ ſollicitudo, & auaritiæ eſt amputata cunctatio; vt quod redditurum ſe promittit veritas, ſecura expendas humanitas. Conſtans eſto, Chriſtiane largitor da quod accipias, ſere quod metas, ſparge quod colligas. Noli metuere diſpendium, noli de dubio ſuſpirare prouentu. Subſtantia tua cùm benè erogatur, augetur: & concupiſcere iuſtum miſericordiæ lucrum, æterni quæſtus eſt ſectari commercium. Munerator tuus vult te eſſe munificum, & qui dat vt habeas, mandat vt tribuas, dicens: Date, & dabitur vobis. Amplectenda eſt tibi promiſſionis iſtius gratulanda conditio. Quamuis enim non habeas, niſi quod acceperis; non poteſt tamen non habere, quod dederis..... Infidelis autem & iniquus eſt etiam ſibi, qui quod æſtimat diligendum, non vult habere perpetuum..... Qui ſi benignus eſſet animæ ſuæ, illi bona ſua crederet, qui & idoneus fideiuſſor eſt pauperũ, & largiſſimus redditor vſurarum* Pluſculum non quàm par eſt, ſed quàm de more nobis eſt. Et ſanè longum adhuc facerem, ſi ſingulas ſententias, quas ad hanc rem Leo eruditè addenſauit, nos ſingulatim expenderemus. Exeripſiſſe ſatis.

6.

Lucæ v. 38.

S. Leo ſer. 6. de Ieiun. & Miſeric. operib.

*Eleemoſyna commercium, in paucis quæſtuoſum eſt.*

Matthæi 10. Apoſtolos nuper electos ad Euãgelium prædicandum mittit Chriſtus, his eos verbis erudiens: *In quamcunque autem ciuitatẽ, aut caſtellum intraueritis, interrogate, quis in ea dignus ſit: & ibi manete, donec exeatis.* Apoſtoli nouam introeuntes vrbẽ, ſcire non poterant quis talis eſſet, apud quem honeſtè habitare poſſent: ergò hoſpes eligendus eſt de populi famâ, & iudicio vicinorum, ne Prædicatoris dignitas prædicando Euangelio neceſſaria, ſuſcipiẽtis infamiâ deturpetur. *Quin etiam ſi dignus eſt, omninò dabit cibum: & maximè, cùm nihil ampliùs neceſſariis petatur*, ait Chryſoſtomus, quaſi Prædicator qui ſuperflua expetit, neceſſariâ cibatione indignus reddatur (de quo aliàs) Addit ad rem S. Hilarius inibi: *Hoſpes vnus etiam eligitur non tribuens beneficium ei, qui apud ſe manſurus eſt, ſed accipiens: hìc enim dicitur quis in ea dignus ſit, vt magis ſe nouerit accipere gratiam quam dare.* Profundè quidem Hilarius? Scilicet qui tanquam dignus eligitur, qui Apoſtolis ſeu Euangelij miniſtris honeſtam habitationem vltrò præbeat, eóſque iugiter cibet, idonea alimenta porrigens, non tam *tribuit*, quàm *accipit* beneficiũ, quoniã dignus habitus eſt, qui nihil ſecum ad victum neceſſarium portantibus, neceſſaria tribuat. Præbitione ipsâ plus accipit, quàm præbet, qui dignus eſt habitus, vt Euangelicis Prædicatoribus nihil habentibus, de ſuo præbeat. ô prædiuitem donandi quæſtum vſurâ arcanè lucroſâ, vbi acceptio donationem euacuat, & quò magis dat, quia plura ſumptuoſius accipit, quantò ampliùs dat, tantò plus accipit, quod eſt miſericordiæ Sacramentum. Plus facis tuum quod donas, quàm quod habes, & donatione è diuerſo auges,

7.

Matt. 10. 11.

S. Chryſoſt. homil 33. in Matth.

Hilarius.

*Qui tribuit beneficium, non tam illud accipiens, ſi donat, quã donatione accipit*

g s, & multiplicas quæſtuoſo pietatis commercio.

---

## §. CCXXV.

*Miſericordiæ faſtus eſt, eleemoſynas erogando, preces pauperum anteuertere; ne ſibi inuidiam rogando concitet.*

1\. Ferè ex Seneca l. 2. de Benef. c. 2.

Moleſtum verbũ eſt, onetoſum, & demiſſo vultu dicendũ, *Rogo*. Huius faciẽda eſt gratia indigenti, vt beneficium des, non accipientis pudore vẽdas. Properet licet laudatior præbitoris benignitas: ſerò enim dedit, qui ſupplicanti beneficium dedit. Ideò diuinanda cuiuſcumque indigentia eſt, & cùm tacitè fuerit intellecta, acerbitate, grauiſſimâ liberanda eſt. *Illud beneficium iucundum, victurumque in animo ſcias, quod obuiam venit.*

*Serò dedit, qui roganti beneficium dedit.*

Si non contingit præuenire, plura rogantis verba intercidamus, ne rogati videamur, ſed certiores facti ſtatim promittamus, facturóſque nos etiam antequam interpellemur, ipsâ feſtinatione approbemus. Quemadmodum in ægris opportunitas cibi ſalutaris eſt, *& aqua tempeſtiuè data remedij locum obtinuit*: ita quamuis leue ac vulgare beneficium ſit, ſi præſtò fuerit, ſi preces anteuertat, multum ſibi adiecit, gratiamque pretioſi, ſed lẽti & diu cogitati muneris vincit. Carò emitur, quod ſupplici rogatione ab hominibus obtinetur, adeò vt ſæpè impetraſſe pœniteat. *Pulcherrimum eſt omnia præſtare nihil exigenti.* Quod hîc præſtiterunt Iudæi.

Hic Verſ. 22. Publ. Mim.

2\. Ioan 5. v. 6.

Ioannis 5. Paralyticus ille inertet ſolicitus de recuperandâ ſalute triginta octo annis amiſsâ in piſcinæ porticu languidè iacet; membris omnibus diſſolutus, ore duntaxar liber. Hunc cùm vidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet quia iam multum tempus haberet, dicit ei: *Vis ſanus fieri?* An non ſatiùs foret tantillùm præſtolari, ſi fortè ipſe diuturnus langor voces exprimeret, quibus opem rogaret? Pulchrè Zeno Veronenſis ſic de largiori beneficentiâ fatur: *In pauperes miſeroſque ſuâ neceſſitate neglecta pietates largitur: furtim ſemina ſpargit, nec rogari ſe permittit, nec vicariâ laudis remunerari mercede; hoc damnum graue, hoc æſtimat crimen.* crimen, inquam, quaſi beneficentiæ læſæ. Scilicet de voto obtinendæ ſalutis cæleſtis opitulator paralyticum rogat, & ad ſanitatis appetẽtiam excitans, pietatis *ſemina furtim ſpargit*: & dum ſic feſtinat, vt languentis anteuertat preces, *rogari ſe non permittit*, ne gratiam ſanitatis diu languido vendidiſſe videatur, quod forſan largitatis damnum graue, & largioris beneficentiæ velut crimen, æſtimari poſſet. Hæc miſericordiæ exaggeratio eſt, & velut *furtum* gloriæ.

*Perfectè miſericors, rogari ſe non permittit; ſed pietatis ſemina furtim ſpargit.*

S. Zeno ſer. de iuſt.

3\. Pſal. 9. v. 38. vel 17.

Regius Vates Pſal. 9. ſic pangit: *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Propriè loquendo, ſolum deſiderium, & εὐχὴ, non eſt ratio, donec accedat quædam denunciatio per ſermonem ſaltem internum, & εὐχὴ, euadat in προσευχὴν, ita vt propterea ſit actus intellectus, vt cõmuniter docent Theologi. Quid eſt quòd Dominus ideali benignitate, *deſiderium pauperum* antequam euadat in orationem, anteuertit, & velut nuncupatas iam preces, ad gratiam impetrationis admittit? Eccur ſupplicationem non expectat; ſed quaſi eam arecat, antequam plenè efformetur, miſereri feſtinat: Humanis *pauperum* precibus præcurrere, eſt ne aliquandò aliquis largioris miſericordiæ faſtus? Pulchrè Ennodius de ſuo Epiphanio, liberalitatis laude inclyto: *At ille*, inquit, *ſupplicantem prohibebat, ne ſibi inuidiam rogando concitaret*, miſericordiæ probrum reputans, niſi inrogatus annuiſſet. Itaque Epiphanius, diuinæ largitaris æmulus, properantes egenorum neceſſitates anteuertens, eorum deſideria exáudiebat, & inutilem ſupplicandi verecundiam vltroneo ſubſidio præuenire feſtinabat, ne inuidioſo verecundiæ pretio opem optatiſſimam venderet. Nam *pulcherrimum eſt omnia præſtare nihil exigenti.*

*Miſericordiæ faſtus eſt preces anteuertere, ne ſibi inuidiam rogando concites.*

Ennod. in vita Epiph.

Prouerbiorum 3. ſic nos Salomon in faciendis 4
eleemoſynis inſtituit: *Miſericordia*, inquit, *& veritas non te deſerant: circunda eas gutturi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui.* LXX. interpretes ita prius hemiſtichium excribunt *Eleemoſyna & fides non deſerant te.* Aliam ſentẽtiam huic ſimilem P. Salazar ex Chryſoſtomo adducit *Eleemoſyna & fides ſint tibi vera.* Similitudo eleemoſynæ cum fide alibi forſan enucleabitur; & quo pacto ſicut fidei, ſic etiam & eleemoſynæ veritas requiratur. Nunc verò expendendum eſt cũ eodẽ inibi Chryſoſtomo, quòd non dixit Salomon, Ne tu deſeras eleemoſynã, ſed ne eleemoſynæ te deſerãt: *Neq; verò dixit*, (ait Chryſoſt.) *ipſas ne deſeras; ſed ne deſerant te, oſtendens nos eſſe qui illarũ egeamus; non ipſas noſtri.* Non tam eſt pauper tui indigus, quàm tu pauperis. Caue diligenter, ne illum prætermittas: ſollicitè illum quære, illi benefacere ſollerter exambi, ne te deſerat ipſe; ipſe eſt velut tuæ prædeſtinationis ſequeſter, aut damnationis arbiter. Igitur negotiosè ſatage, ne te eleemoſynæ *deſerant*. Caſſiodorus exponens illud Pſalmi 40. *Beatus qui intelligit ſuper egenũ & pauperem, in die mala* (id eſt, iudicij) *liberabit eum Dominus*, &c. ita eleganter ſcribit: ſcriptum eſt, inquit, Deſudet eleemoſyna in manu tuâ, donec inuenias iuſtũ cui eam tradas..... Chriſtus Dominus noſter de pauperibus ſuis in iudicio proprio dicturus eſt: Qui fecit vni ex minimis iſtis, mihi fecit. *Quid enim dici poteſt ſublimius? quidve glorioſius? quandò aut pauperes prætermiſſi in ignem dirigunt, aut remunerati ad dexteram collocabunt.* Ergò paupere etiam tacente, & egeſtatem ſuam non publicante, tu ſtudioſiùs *intellige* ſuper egenũ & pauperem, vt *beatus* ſis. *Deſudet eleemoſyna in manu tua*, donec inuenias pauperem cui eã tradas. Caue ne te eleemoſynæ *deſerant*. Nam *pauperes prætermiſſi in ignem dirigũt, aut remunerati ad dexteram collocabunt.* Ecce tibi pauper tuæ felicitatis ſequeſter prætermiſſus te in gehennale incendium *dirigit*; muneratus, in empyreâ gloria feliciter *collocabit*. Pergit ad rẽ Caſſiodor. Sed aduerte, inquit, quod dicit, *Intelligit* vt etiã non petentibus offeratur. Nam qui petenti tribuit, bonum opus efficit: *qui verò tacẽtem intelligit, beatitudinem ſine aliqua dubitatione conquirit.* Appoſitè quidem Caſſiodor. Ergò quiſquis beatam cæli gloriam *conquiris*, caue ne te pauper *deſerat*: nam prætermiſſus, te diriget in gehennam, ac ſi prædeſtinationis aut damnationis arbiter exiſtat.

Prou. 3. v. 3. LXX. Interp. P. Salaz. ibi n. 5.

Chryſoſt. ad Philipp. homil. 3.

*Pauper prætermiſſus, in ignẽ dirigit; remuneratus in empyream gloriam.*

Pſ. 40. v. 2. Caſſio. ibi.

Deu

5\. Deut. 15. v.4. Deuteronomij 15 hoc mirifſimum Dei mandatum ſcribitur: *Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus eſt tibi in poſſeſſionem.* Nimirùm dum Terra promiſſionis ab Hebræo populo inhabitatur, ne omninò pauper ſtipem precibus corrogans inueniatur, ſeriò præcepiſſe videtur. An tame tabeſcet, qui ingenuo rubore emendicare cunctatur? Et ſanè ſollerti cura & exſomni ſollicitudine opus erat ad ſingulorum neceſſitates perſcrutādas, diuite nimis cenſu, ne vllus ſit in numeroſo populo pauper, qui precario victitet. Appoſitè Tertullianus de Deo (etiam in veteri teſtamento) bono, contra Marcionem diſputans, ita ſcribit: *Non enim petenti iubet dari; ſed non ſit inquit, indigens in te, id eſt, cura vltro ne ſit, quò magis petenti præiudicat dāntum.* Scilicet Deus ſuum populum adeò eſſe cupit beneficâ largitate aſpectabilem, vt ſpontaneâ curâ ſolletter inuigilet nequis ad mendicitatem cogatur; ſed egenis alimenta daturus, hoc maximè anticipata pietate præſtet, ne rogarent. Id ergò iubet, aiens: *Et omninò indigens & mendicus non erit inter vos.* egenorum neceſſitati, pariter ac pudori benigniſſimè parcens. Hæc qui præſtiterit dignus eſt qui in terris paradiſcam regionem feliciùs inhabitet. ô præproperà hauriamus egenorum neceſſitates; beneuoli largitoris eſt verecundum præcurrere rogatorem, & benignitate præcoquâ rogandi pudorem redimere. Sæpè beneficium pudore emit, qui rogando impetrat.

Tertull. l. 4. in Marc. c. 14.

6\. Pſal. 40. v. 1. Regius Vates Pſal. 40. Sic occinit: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus.* Non ait qui rogantem audit pauperem, ſed qui inrogatus pauperis inopiam intelligit ad præſtandum illi opportunè ſubſidium. Pulchrè Ambroſius hanc pauperum intelligentiam, citiùs quàm audientiam commendat: Veniunt, inquit, validi pauperes, veniunt nullam cauſſam niſi vagandi habentes, & volunt ſubſidia vacuare pauperum, exinanire ſumptum: nec exiguo contenti, maiora quærunt, ambitu veſtium captantes petitionis ſuffragium, & natalium ſimulatione licitantes incrementa queſtuum. His ſi quis facilè deferat fidem; citò exhaurit pauperum alimoniis profutura compendia. Modus adſit largiendi, *vt non tranſcribatur vita pauperum in ſpolia fraudulentorū.* Bellè eleemoſyna appellatur *vita pauperum.* Subdit autem ad rem tempeſtiuus: *Non enim ſolas aures præbere debemus audiendis precantium vocibus, ſed etiam oculos conſiderandis neceſſitatibus. Plus clamat operatori bono debilitas, quàm vox pauperis. Videndus eſt ille qui te non videt, requirendus ille, qui erubeſcit videri. Ille etiam clauſus in carcere occurrat tibi, ille affectus ægritudine mentem tuam perſonet, qui aures non poteſt.* Intelligentiam potiùs quàm audientiam inopum neceſſitas pulſet, vt beatitudinem eiuſmodi intelligentia prædetis: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.*

S. Ambroſ. l. 2. offic. c. 15.

*Intelligentiā potius quàm audientiam, pauperum neceſſitas pulſet,*

7\. Eccli. 40. v. 24. Eccleſiaſtici 40. *Fratres in adiutorium in tempore tribulationis* (ſubaudit, aduenient vel accurrunt) *& ſuper eos Miſericordia liberabit.* Quare fraterno auxilio præponitur miſericordiæ opitulatio? ô quàm confidunt homines in propinquo ſanguinis adiutorio! ſed præfidendum eſt in miſericordiæ ope. Profectò fratres fratri calamitoſo auxiliares accurrunt; miſericordia autem *occurrit* miſeris, vt exponit Cornelius, id eſt non vocata, præſtò adeſt, vltrò it in occurſum neceſſitatem patienti. Ergò præſcriptum locum ſic expreſſit Syrus: *Frater & auxiliator in tempore tribulationis, & plus vtroque eleemoſyna redimit.* Nimirùm miſericordia quæ vltro egenis *occurrit*, & auxilia ſanguinis ad opem aduocati, excellit, & *eleemoſyna redimens* nuncupatur, generoſo vocabulo prægrandia iſtiuſmodi pietatis elogia præcelſiùs exprimente. Quippè iſtiuſmodi feſtinata nec vocata beneficentia, & indigenti ſuccurrit, & miſerendi feſtinatione, cognatum indigentiæ pudorem *redimit*, magno exhibitæ pietatis auctario. O expetendas eleemoſynas beneficè *redemptrices!*

*Eleemoſyna quæ non rogata pauperi occurrit, redemptrix dicitur.*

Syrus.

8\. Luc. 16. v. 22. Lucæ 16. Erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam diuitis, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa eius, & nemo illi dabat. *Factum eſt autem vt moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno. Quàm rerum lamentanda mutatio: pauperem portant Angeli, diuitem deglutit infernus. Mors pauperis totam vitam diuitis vicit, & elatio ſola pauperis totam diuitis pompam tranſcendit, & gloriam. Quare ſic ſepultura decipit oculos? quare ſic exequiarum pompa mentitur? Pauper egenè mendicus in glorioſum Abrahæ ſinum ab Angelis portatur: & Abrahamus ipſe vltrò pauperi occurrit, & glorioſo excipit ſinu; atque id Lazaro minimè poſtulante, patriarchali beneficentia exequitur, vt beneficam Patriarchæ liberalitatem inrogatus impleret. Eleganter Chryſologus ſermone 121. ita ad rem præſentem philoſophatur: *Factum eſt autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Cur ergo nunc Abraham ambit pauperem, diuitem refugit & refutat*; ô, quid eſt, quòd Patriarcha Abraham pietate opinatiſſimus, pauperem vt illum in ſinum ſuum beneficè excipiat, *ambire* perhibetur? Pauper Lazarus diuitis limina precarius ambibat, ſi quid opis vel à nolente extorqueret. At Patriarcha nunc negotioſè actuoſus, vota pauperis præcurrens, & preces anteuertens, ipſe vltro pauperem *ambit*. O bona diuitis Abrahami *Ambitio* qui ſic ſollicitè pauperi benefacere inrogatus feſtinat! ô ſic præproperè ſuccurramus pauperum neceſſitati & benignitate præcoqua indigentiæ pudorem redimamus! Hæc qui præſtiterit, dignus eſt qui in terris paradiſcam regionem felicius inhabitet.

*Inrogatus Abraham Patriarchali benignitate pauperes ambit.*

S. Chryſol.

§. CCXXVI.

## §. CCXXVI.

*Piè beneficus, & in faciendis eleemoſynis laudatior, ſentiri ſe magis cupit, quàm videri ſne hoſtiliter, ſed quaſi diuinitùs ſuccurrat.*

1. *Seneca l.2. de Benef.c. 9.& 10.* PRæcipiunt omnes auctores ſapientiæ (ait Seneca) quædam beneficia palam danda, quædam ſecreto: palam, quæ conſequi glorioſum eſt, vt militaria dona, & honores, & quicquid aliud notitiâ pulchrius fit. Quæ rursùs non producunt, nec honeſtiorem faciunt, ſed ſuccurrunt infirmitati, egeſtati, ignominiæ; tacitè danda ſunt, vt nota ſint ſolis quibus proſunt. *Interdùm & ipſe qui iuuatur fallendus eſt: vt habeat, nec à quo acceperit ſciat.* (*Egentibus clam ſuccurrere, beneficij pars eſt.*) Arceſilaus (vt aiunt) amico pauperi, & paupertatem ſuam diſſimulanti, ægro autem, & ne hoc quidèm confitenti, deeſſe ſibi in ſumptum ad neceſſarios vſus, cùm clam ſuccurrendum iudicaſſet, puluino eius ignorantis ſacculum ſubiecit, *vt homo inutiliter verecundus, quod deſiderabat, inueniret, potiùs quàm acciperet. Quid ergò? ille neſciet à quo acceperit? Primùm neſciat, ſi hoc ipſum beneficij pars eſt. Denique ille neſciat accepiſſe, ego ſciam dediſſe me. Parùm eſt, inquis. Parùm ſi fœnerare cogitas. Sed ſi dare, quo genere accipienti maximè profuturum erit, dabis. Contentus eris te teſte. Alioquin non benefacere delectat, ſed videri benefeciſſe. Volo, vtique ſciat. Quid ſi illi vtilius eſt neſcire, ſi honeſtius, ſi gratius? Volo vt ſciat. Ita tu hominem non ſeruabis in tenebris?* An non tu iſta Chriſtiano cothurno dicta putes? Exindè nunc Iudæi, non eleemoſynæ, ſed feſtiuæ beneficentiæ nomine, hæc munuſcula pauperibus ſuggerunt. *Hic v. 22.*

2. *Matth.6.v.1.* Matthæi 6. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis,* &c. Propè conuenit inter Expoſitores, *iuſtitiæ* vocabulo, pietatis opera intelligi, & præcipuè eleemoſynam. Monet ergò Chriſtus Dominus, vt cùm homines faciunt eleemoſynam, attenti ſint, id eſt, *cauti* ne videantur ab hominibus, vt commentatur Hugo, qui indidèm ex Hieronymo addit: *Non virtus, ſed cauſſa virtutis apud Deum mercedem habet.* Exindè eleemoſyna, *iuſtitiæ* nomine deſignata, cautè facienda eſt, ne hominum oculi eam faſcinent; & ipſa pietatem publicitate deſueſcat. Quâ de re S. Zeno Veronenſis agens de eleemoſynâ ſub iuſtitiæ nomine, ita ſcribit: Vndè nunc (inquit) ad veram iuſtitiam veniamus, omnium fontem, matremque virtutum? quæ præter cæteras tota ſe ad alienas vtilitates colligit, atque explicat, ſciens quid Deo principaliter debeatur, nihil ſibi ipſa cõcilians, nihil proprium derelinquens, niſi quod fideliter ſine vllâ iactantiâ eius fungitur voluntate. *Eſt autem in publicum tota prominens, atque diffuſa: ſic tamen vt ſentiri ſe magis cupiat, quàm videri: planè cauta ne quam declinet in partem, ne in aliquo ſe ipſa reprehendat, ne opere cœpto vnquàm deficiat.* Hæc attentior *cautela* eſt ſumma laus beneficentiæ, dum ſic ſpectatorum declinat oculos, *vt ſentiri ſe magis cupiat, quàm videri*: quia non videri benefeciſſe, ſed benefacere delectat, nec pudore accipientis beneficium onerat, quò ſumptuoſiùs indigẽtiam alleuet, alienæ egeſtati, non ſuæ vanitati donat. (*Hugo inibi.* *Piè beneficus ſentiri ſe magis cupit, quã videri.* *S Zeno Ser. de Iuſtit.*)

3. *Matt.6.v.2.* Pergit inibi Chriſtus Deus adhuc adhortans, ne exhibita pietatis opera ſubſidij gratiam nundinentur: *Cùm ergò*, inquit, *facis eleemoſynam noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus.* Putat hîc Lyranus ideò *tubam* in hoc loco præmitti, quòd Phariſæi eleemoſynas daturi, tubâ pauperes conuocabant, ſed tam liberales Phariſæos nuſquam legimus. Vndè peritè cenſet P. Maldonatus alludi *ad tragœdiarum morem*, ſiquidèm in fabulæ initio tubis canitur, vt populus admoneatur hiſtrionẽ exire. Et ſanè eleemoſyna in publico facta vt honorificetur ab hominibus, *fabula* eſt, & ſcenicè falſata pietas. Quin & *tragœdia* eſt, funeſto infeliciter exitu ſemper lugubris. (*Eleemoſyna publicè data, tragica eſt.* *Lyra ibi.* *P.Maldonat inibi.*) Verùm S. Chryſologus aliter locum exponit, ſic fatus: *Cùm facies eleemoſynam, noli tubâ canere ante te. Benè tubâ, quia talis eleemoſyna hoſtilis eſt, non ciuilis oſtentationis nundinatio, non commercium charitatis. Eleemoſynam qui quis oſtentat, inſultat...... Audiſtis quemadmodum notat eleemoſynam in plateis, non impenſam ad leuamen pauperum, ſed hominum propoſitam ad fauorem, vt probentur miſericordiam vendere, non donare.* Et rurſùs poſt pauca concludit: *Vndè homo ſi in paupere Deo fœneras, teſtes homines non requiras: fides arbitros non requirit. De accipientis fide diſputat, qui ſine mediatoribus nihil dat: qui credita diffamat, vrit verecundiâ debitorem.* Ecce tibi eleemoſynæ in publico ambitioſè factæ multimodam *hoſtilitatem.* (*Benè tubâ, quia talis eleemoſyna hoſtilis eſt.*) Primò *hoſtilitatem* aduerſus largitorem exercet: quem bonis ſuis expolians, debitâ pietatis mercede fraudat. Dein aduerſus accipientem *hoſtilis* eſt, cui miſeriam exprobrat ſuam, quem *verecundiâ vrit*: nam *eleemoſynam qui ſquis oſtentat, inſultat.* Adhæc miſericordiam ipſam *hoſtiliter* initiat & corrumpit; nam qui in publico donat, vt honorificetur ab hominibus, *probatur miſericordiam vendere, non donare.* vndè pietas in ambitionem ignobiliter degenerare compellitur. Quin & adhuc ſæuit iſtiuſmodi eleemoſynæ *hoſtilitas*, & Dei fidelitatem impiè ſauciare præſumit, aduocans factæ eleemoſynæ teſtes, ne fortè Deus aut infidus neget magnifica præmia impẽſæ miſericordiç promiſſa; aut pietates pauperibus exhibitas remunerare auarus cunctetur. *Fides arbitros non requirit. De accipientis fide diſputat, qui ſine mediatoribus nihil dat.* Ergò ô *homo ſi in paupere Deo fœneras, teſtes homines non requiras.* Vide quàm multimodè ſit *hoſtilis* eleemoſyna quæ ante ſe *tubâ* canit, & conuentum ambitioſè ciet ad humani plauſus aucupium. (*S.Chryſol. Ser.9.* *Quàm multimodè ſit hoſtilis eleemoſyna, quæ tubâ canit ante ſe.*)

4. *Matth.6.v.2.* Adhuc autem ad rem emedullãda ſupereſt præſcripta Saluatoris ſententia: *Cùm facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus.* Sed argutatur aliquis: Ergò in conuentu, in plateis, in triuiis, neganda eſt miſericordia? non præbendus eſt victus? In ſecreto duntaxat pietas tuta eſt à vanæ gloriæ hoſtilitate? Imò nec ſecretum, ſi abſit ſecreti votum, ſatis tutum eſt. Bellè inibi Hugo Carenſis ex Chryſoſtomo, ita præfatum locum commentatur: *Noli tuba canere ante te, &c. Tuba eſt omnis actus, vel ſermo per quem operis iactantia demonſtratur* (*Aliquandò ipſa eleemoſynæ abſconſio, tuba eſt.*)

Hugo inibi ex Chryſoſt.

*monſtratur. Aliquando enim ipſa enim abſconſio tuba eſt.* O, plus vapulet vana gloria, quæ de eleemôſynæ in ſecreto factæ, de ambitionis ingenio gloriæ quærit auctarium! Qui ſic in ſecreto eleemoſynam facit, vt ſumptuoſius tranſpareat; *tubâ* ante ſe canit, & hoſtiliter miſericordiam exercet, Hæ, hæ inquam; meræ inſidiæ pietatis ſunt, & caſtæ benignitatis adulteria, dum reipsâ abſconſionem refingit in publicitatem. Sub ſecreti latibulo, miſericordiam dum publicat, proſtituit. Hoc tuum ſecretum, tuba eſt, quæ iactantiam tuam clariùs buccinat. *Aliquandò enim ipſa abſconſio, tuba eſt.* Fruſtrà eleemoſynam ſubtiliùs tegis, vt micantiùs tranſluceat. Dum velut ſurdam facis, vocalior exiſtit.

5.
Geneſ. 16. v. 13.

Geneſcos 16. affligente Sarâ ancillam ſuam Agar, hæc fugam iniit. Cumque in deſerto exerrans, iuxta puteum laſſa ſubſideret, Angelus conſolatus eſt eam, & peramplæ ac generoſæ poſteritatis ſponſione ærumnoſam recreauit. *Vocauit autem* Agar *nomen Domini qui loquebatur ad eam: Tu Deus qui vidiſti me. Dixit enim: Profectò hîc vidi poſteriora videntis me.* Benè aduertit inibi Caietanus, *quòd quem hactenus appellauit Angelum Domini, modò appellat Dominum ipſo nomine quattuor litterarum incommunicabili; quia hactenus de ipſo nuncio, modò de ipſo Deo cuius perſonam nuncius agebat, loquitur.* Sed quare quem nuper *Angelum* Moyſes nominauit, Agar nunc quaſi *Deum* agnoſcit? Quid in eo nunc vidit, aut experta eſt, vt in nuper *Angelo*, Dei numen denuò recognoſcat? Rabanus Maurus id adſcribit miſericordiæ, quam erga illam benignius exhibuit: *Rectè autem*, inquit, *nomen eius ita vocatur*, (Deus inquam) *quia gratuitus conſulis miſeris.* Addit ad rem tempeſtiuè Caietanus: *Rationem reddit Moyſes qua Agar cognouit illum qui locutus cum eâ fuerat, eſſe Deum. Reddit autem rationem ex verbis Agar ſubiunctis: Profectò hîc vidi poſteriora videntis me.* Scilicet qui ſic eſt beneficus, vt *gratuitus conſulens miſeris*, faciem abſcondat, & duntaxat ſui veſtigia cognoſcenda relinquat; (*vidi*, inquit, *poſteriora*) non iam, vt hactenùs putatur *Angelus*, ſed *Deus* agnoſcitur, Deus nominatur, & tanquam Deus colitur. Sic enim eſt magnificè auguſtum, non modò gratuitū, ſed inuiſum miſeris ſuccurrere, vt Agar Deum appellet (& quidèm nomine tetragrammato) quem abſconsè beneficum experta eſt. quaſi beneficentiæ modeſtior abſcōſio, ſit Dei character, & quoddam diuinitatis notaculum humanis mentibus Dei notionem ingerens.

Caiet. inibi Nam qui inuiſus benefacit, diuinitatis indicia profert.

Raban ibi.
Caiet. ſup.

6.
Cantic. 5. v. 2.
Guttis noctis noſtra, id eſt, miſericordia; crines ſuos gaudet ſponſus eſſe perfuſos.

Canticorum 5. Vox dilecti mei pulſantis, (ait ſponſa) Aperi mihi ſoror mea, amica mea, immaculata mea: *quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Quænam ſunt hæ noctium guttæ, quibus madet cæleſtis ſponſi caput? Sed eſto, nocturno rore cincinni madeant; quare tunc, tunc quidèm blandiùs ſponſam diligit, & amoroſo tenerè eloquio eam peramantiùs compellat. Quæ nam eſt iſta *nox* guttas placidè rorās, quæ cæleſtem ſponſum ſic blandè afficit? Pulchrè ad rem S. Paullinus: *Guttis*, inquit, *noctis noſtra crinus ſuos gaudet eſſe perfuſos; quia ipſius refrigerium, & refectio eſt illa fidelium operatio, à quibus vel fratres iuuantur, vel inopes conſouentur: operibus enim pietatis & miſericordia & ſerenatur, & paſcitur Chriſtus.* Cùm per ſtillantes roris guttas, largum eleemoſynarum imbrem Paullinus intelligat; benè *guttis noctium*, Chriſtus refrigerari, ſerenari; & delicioſè paſci dicitur. Eleemoſynæ enim, quas *noctis* tenebræ abſcondunt, Chriſti Dei deliciæ ſunt. Nam eleemoſyna, quæ de diei luce ſordidè ſqualet; de noctis caligine micantiùs lucet. Adeò vt & ſponſam gratiorem reddat, & diuinâ beneuolentiâ digniorem; & ſponſum actiori ſaucians amore, ſumptuoſiùs adornet. *Guttis noctis noſtra crines ſuos gaudet eſſe perfuſos: operibus enim miſericordia ſerenatur, & paſcitur Chriſtus.*

S. Paullinus epiſt. 4.

7
Ad Hebr. 13. v. 16.
Pauper eſt altare.
S. Chryſoſt. hom. 20. in 2. Ad Cor.

Ad Hebræos 7: *Beneficentiæ*, inquit, *& communionis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Ecce tibi, beneficentiam erga pauperes, *hoſtiam* Paullus appellat. Sed non indicat in quonam idoneo altari hæc hoſtia Deo gratiſſima immolanda ſit. Opportunè Chryſoſtomus: *Cùm pauperem*, inquit, *fide præditum cernis, æſtima te altare videre.* O nouum beneficentiæ ſacrificium, de arcana abſconſionis fide magnum! Multa breui ſtringit Chryſoſtomus, quæ amplificare procliue iam eſt.

8.
4. Reg. 20. v. 11.
Gratia Ezechiæ facta in vmbrâ peragitur, & vmbra honoratur.

4. Regum 20. periculosè ægrotanti Ezechiæ, in ſanitatis inopinatæ ſignum, offert optionē Iſaias: Vis vt aſcendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidèm gradibus? *Inuocauit itaque Iſaias Propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam deſcenderat in horologio Achaz, retrorſum decem gradibus.* Hîc longa quæſtio eſt inter auctores, an Sol retrorsùm redierit decem horas, ſeu cùm iam inceptum teneret curſum, vmbra tantùm in horologio contra ſuam naturam retrò verteretur, cùm contrà progredi debuiſſet: ita vt non in Sole, ſed in vmbrâ tantùm fuerit miraculum. Hoc ſeriò cenſent aliqui ex Hebræis, Burgenſis hîc, Vatablus & Montanus in Iſaiam, & in eam inclinat Emmanuel Sa, & Sanctius. Itaque ſiue per diei augmentum, ſiue abſque augmento diei, in ipsâ *vmbra* factum eſt prodigium, & deſperata ſalus Ezechiæ reſtituta, quæ eſt beneficentiæ exaggeratio, & grande miraculi decus. Pulchrè ad Rem S. Gregorius Nazianzenus Orat. 19. *Et reduxit vmbram per lineas, &c. Regem ſcilicet gratiâ ſimul, & ſigno honorans.* Scilicet cùm in *vmbra* obſcuritate, etiamin claræ diei augmento, *gratia* ſanitatis, & illius certò obtinendæ *ſignum* datum ſit; *gratiâ ſimul, & ſigno honorari* Ezechias perhibetur. Sanè qui in abſconſis *vmbra* tenebris benefacit, *gratiam honorat*; quam publicis conſpectibus obiiciens, ſæpè deuenuſtat. Ergò beneficium in vmbrâ offertur, per *vmbram* peragitur, & vmbrâ pariter *honoratur*; & magis placendi *gratiam* de *vmbra* lenocinio fœnetatur.

Hebræi
Burgenſ.
Vatablus
Montanus
Emman. Sà
Sanctius.

S. Nazianz

---

## §. CCXXXVII.

*Sic peccata expungit eleemoſyna, vt ferè baptiſmo indulgentior cenſeatur: beatam æternitatem nutrit, & cæli verticem manu tangit. ergò in pauperes, & benefici & grati ſimus.*

1.
S. Amb. ſer. 15. Eccli. 3. v. 33.

NVllum tam graue delictum eſt (ait S. Ambróſius) quod non eleemoſynis extinguatur. Ait enim ſanctus Propheta: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. *Magna ergò eſt eleemoſyna, quæ ardentium criminum globos*

*Eleemoſynæ beneuolentiæ ſuæ glacie, criminum incēdia reſtinguit.*

*bos beneuolentiæ ſuæ fonte refrigerat, & quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum, vt quã-tumuis offenſus Deus, quamuis criminibus prouocatus, cogatur liberare eleemoſynis, quem diſpoſuerat punire peccatis. Cogitur enim à nobis quodammodò, dum compellitur pro actibus noſtris mutare ſententiam, & in vno eodemque homine nunc ſeueritate iudicis promoueri, nunc patris pietate blandiri.* Ecce tibi eleemoſyna, beneuolentiæ ſuæ glacie ignitos ardentium criminum globos *refrigerat*, obruitq; vitiorum incendia: & ſic diuinæ pietati *blanditur*, vt Deum quodammodò cogat ac cōpellat fulminatam aduerſus ſcelera noſtra *mutare ſententiam.* Hinc ſuſpicari liceat, ſerò Iudæos

Hic verſ. 22.

iſtiuſmodi eleemoſynas pauperibus præbuiſſe.

2\. Lucæ 11. v. 41. *Baptiſmi elogium.*

Lucæ 11. Phariſæus Chriſtum ad lautiores epulas inuitans, apud ſe obmurmurat: *Quare non baptizatus eſſet ante prandium.* Et ait Dominus ad illum, nunc vos Phariſæi quod deforis eſt calicis, & catini mundatis: quod autem intùs eſt veſtrum, plenum eſt rapinâ & iniquitate. *Veruntamē quod ſupereſt, date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis.* Ex his verbis S. Maximus eleemoſynam cum baptiſmo confert, ſic fatus de Baptiſmo, vt exindè de Eleemoſyna agat: Aqua baptiſmi, inquit, viuificat animas, delicta extinguit: has lauacri ſui refrigerio reparat, illas gurgitis ſui vndâ conſumit. Et quod ad maiorem baptiſmatis pertinet gratiam, apud ſuperos myſterium celebratur, & apud inferos gehenna reſtinguitur: hîc fluunt aquæ, & illic tepeſcit incendium: hîc in fonte homo mergitur, & illic de tartaro liberatur. Sed nec mirum ſi in baptiſmi ſacramento aperiatur infernum; cùm tunc quoque reſeretur & cælum. (Subdit autē tempeſtiuè de eleemoſynâ) *Ita igitur eleemoſyna extinguit peccata, ſicut aqua baptiſmi gehenna extinguit incendium. Ergo eleemoſyna quodammodò animarum aliud eſt lauacrum, vt ſiquis fortè poſt baptiſmum humanâ fragilitate deliquerit, ſuperſit ei vt iterùm eleemoſynis emundetur. Sicut ait Dominus: Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt. Niſi (quod ſalua fide dixerim) indulgentior eſt eleemoſyna, quam lauacrum. Lauacrum enim ſemel datur, & ſemel veniam pollicetur, eleemoſynam autem quoties feceris, toties veniam promereris.* Sanè eleganter Maximus! Verùm hâc ſuper re plura congerit SS. Patrum loca noſter Cornelius in Eccleſiaſtici cap. 3. v. 33. & 34. Illum conſule.

S. Maxim. homil. 2. de Eleemoſy.

*Quo pacto indulgentior ſit eleemoſyna quàm baptiſmus.*

P. Cornel. Eccli. 3.

3\. Lucę 11. v. 41. S. Maxim. ser. 1. de eleemoſ. *Eleemoſynæ quodammodò reſculpunt innocentiam.*

Præſcripta Chriſti Dei verba, *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*, adhuc ad rem emedullanda ſunt. Quæ idem S. Maximus præcedenti ſerm. ſic elucidat: Miſeri, inquit, homines, qui in mortem peccatis atuerant, ad vitam eleemoſynis reuiuiſcant: ſitque illis miſericordia fons ſalutis, quibus auaritia fuerat mortis incendium, vt flammas quas ſibi peccando incenderat, largiendo reſtinguant: *Atque vtiliore commercio qui pecuniā quondam dederat vt adulterium perpetraret, nunc pecuniam eroget, & adulter eſſe iam deſinat: & emat ſibi quodammodo innocentiam, qui ſibi emerat aliquandò peccatum. Dicit enim Dominus. Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* O arcanum beneficentiæ erga pauperes ſacramentum! Conſcientia omnium ſcelerum rea, & ſtigmatibus flagitiorum ſqualidè turpis, & turpiſſimè deformis; ſic eleemoſynarum lauacro nitidè fulget, vt de cōſcientiæ nitore quodammodo reſculpat *innocentiam.*

4\. Matthæi 25. in formidandâ illâ extremi iudicij die, ob immiſericordiam feraliſſimis gehennæ flāmis damnati, à ſeuero Iudice hæc verba audiunt: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & angelis eius. eſuriui enim, & non dediſtis manducare*, &c. Cùm verò propter exhibitam pauperibus miſericordiam, prædeſtinatos empyrea beatitudine auguſtiùs munerat, ſic ait: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. eſuriui enim, & dediſtis midi manducare*, &c. Et ſanè attentâ expēſione digniſſimum eſt, quòd dum immiſericordiam in pauperes Chriſtus punit, in ignem *æternū* damnat: cùm verò miſericordiam cumulatiùs munerat, de beati præmij æternitate nihil expreſsè dicit: nam poteſt temporarium eſſe præmium, etſi à mundi conſtitutione paratum. Quare ergò immiſericordia *æterno igni* damnatur; & largior erga pauperes eleemoſyna, æternaturo regno hîc præmianda non dicitur? An quia beata æternitas, beneficentiæ erga pauperes appendix eſt; & eleemoſyna, æternitatis nutrimentum? Appoſitè S. Leo: *Deliciæ igitur noſtra ſint opera pietatis; & illis cibis qui nos ad æternitatem nutriunt, impleamur: lætetur in refectionibus pauperum, quos impendia noſtra ſatiauerint.* Quid ergò electis ad empyreas ſedes diceretur, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum æternum: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare*? Serò ei promitteretur æternitas, qui cibis pauperum *æternitatem nutriuit.* quaſi eleemoſyna ſit æternitatis pabulum, & æternaturæ beatitatis *nutrimentum.*

Matth. 25. v. 41. & 34.

*Cibis pauperum beata æternitas in hâc vitâ nutritur.*

S. Leo ſer. 1. Quadrag.

5\. Pſal. 133. v. 2.

Pſalm. 133. ſic pangit regius Pſaltes: Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini: *qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri*, Qui ſunt hi qui ſtant in *atriis* domus Domini? & quomodò illū laudare debent? *In noctibus*, inquit, *extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.* τὸ *extollite manus in ſancta*, multimodè ab interpretibus accipitur. Et tametſi à pleriſq; pro oratione ſumitur, ſingulariter tamen Hieron. de operibus miſericordiæ, & nuncupatim de eleemoſynâ, præfata verba inibi commentatur. Scilicet qui beneficentiùs eleemoſynas facit, quaſi iam ſit *in atriis domus Dei*, dum manus ad pauperes extendit, *manus extollat in ſācta*, hoc eſt, in *cælum*, ſicut P. Lorin. ex Paullo commentatur. Et ſanè mirum eſt, & valdè mirum, quòd dùm homo beneficus manus ſuas aperit inopi, & palmas ſuas beneficâ ope extendit ad pauperem, in terris abiectiſſimum; quaſi iam ſit *in atriis domus Dei*, manus ſuper cælum extollat. Audiēdus eſt Chryſoſt. qui ad hæc Pſalmi verba forſan adludens, ita hâc ſuper re philoſophatur: *Extende manus tuas non in cælum*, (precando inquam) *ſed ad pauperum manus. Si ad pauperum manus extenderis, manu ipſū cæli verticē tetigeris: qui enim ſedet, miſericordiā ſuſcipit.* Nempè aliter oratio, aliter miſeratio manus extollit in cælū. Oratio mūdas manus ſupplicādo extollēs, cælū tundit, vt miſericordiam impetret: at miſeratio, cùm manus ſuas ad pauperum manus eleemoſynis extendit, *manu ſuâ ipſu cæli verticem tangit: qui enim* (in illo) *ſedet miſericordiā ſuſcipit.* Porrò oratio è terris miſericordiā ſupplicat à Deo reſidente in cælis: eleemoſyna verò Dei reſidentis in cæli vertice, & in empyreæ gloriæ throno, in terreno paupere miſeretur. Qui enim dicit: *Quādiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis* in cæli vertice, in auguſto ſuæ gloriæ ſolio reſidet. Vndè qui pauperis in terris poſitus miſeretur; non modò *in atriis domus Dei* eſſe dicitur

S. Hieron. inibi.

P. Lorin. ibi. *Qui extendit manum ſuam, ad pauperem ipſum cæli verticem tangit.*

S. Chryſoſt. homil. 97. ad popul. Ant.

Matth. 25. v. 40.

citur; ſed extollens manus ſuas ad pauperem, quaſi præproperè cælicola, *ipſum cœli verticem tangit: qui enim ibi ſedet, miſericordiam accipit.*

6. Pſal. 133. v. 2. S. Hieron. ibidem. *Grati ſimus erga pauperes, quia plus dant, quàm recipiunt.*

Adhuc S. Hieronymus de eleëmoſynis exponens præfata verba Pſalmi: *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum,* ita ſcribit: *Da pauperibus eleemoſynam, & benedic Domino: gratias age Domino, quia tibi dederit, vnde des fratri. Magis tu agito gratias Chriſto quandò dederis, quàm frater qui ex eo quod à te acceperit, tibi agat gratias: Grande nobis beneficium præſtant pauperes. Peccata quæ iam aliter lauare non poſſumus, extinguit eleemoſyna.* Itaque quiſquis manus ſuas extollit ad pauperem, & cæli verticem miſerendo tangit, *benedicat Dominum,* qui ei vndè daret, dedit. Pauperem quoque benedicat: quia pauper grandius beneficium præſtitit, quàm accepit. Quod paullò antè idem Hieronymus expreſſerat: *Nos damus carnalia, ille dat ſpiritualia: plus dat pauper, quàm accipit. Nos damus panem, qui in ipſa die conſumitur; ille pro pane reddet nobis regna cælorum.* O inæquale cōmercium! Peccator accedis, & propè innocentiam miſeratione reſtauras: peccatorum ſordibus ſqualidus eras, & de indulgentioris baptiſmi lauacro de eleemoſynâ inquam, fulgentiùs nites: modicam ſtipem in terris donas, & cæli verticem manu tangēs, cæleſte regnum acquiris. *Plus dat pauper, quam accepit.* Exindè ſcribit Clemens Alexandrinus: *Non æquum cenſens Deus te ex pecuniis colligere vſuras, ſed laxis manibus gratificari egentibus.... Iam verò qui lubenter largitur, ſatis magnas accipit vſuras, nempè manſuetudinem, benignitatem, magnificentiam, bonam famam, laudemque, & gloriam.* O erga pauperes non tantùm benefici, ſed & grati ſimus.

Clem. Alex. 1. ſtrom. c. 8.

7. Prouerb. 13. v. 8.

Prouerbiorum 13. ſic homines Salomon erudit: *Redemptio animæ viri, diuitiæ ſuæ: qui autem pauper eſt, increpationem non ſuſtinet.* Quaſi dicat: Diuitiæ diuitem à quolibet malo incurrente liberant & redimunt: at pauper non ſuſtinet increpationem: quia ante correptionem illicò vt accuſatur, damnatur, iuxta illud Poetæ: *Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.* Porrò ſancti Patres præſcriptam Salomonis ſententiam ad eleëmoſynam referunt; eleëmoſyna enim animæ redemptio dicitur, iuxta illud Danielis conſilium Nabuchodonoſori datum cap. 4. *Peccata tua eleëmoſynis redime.* Vndè illud Chryſoſtomi: *Diues, inquit, in periculum animæ ſuæ recipit opes: quapropter cùm illas recondit, animæ ſuæ iacturam facit, cum autem largitur egenis, animam ſuam liberat. Quia redemptio animæ propria diuitiæ.* Chryſoſtomo accinit Ambroſius in Annotat. Exhodi cap. 30. ad Iuſtum: *Eſt*, inquit, *redemptio animæ miſericordia. Redemptio enim animæ hominis, diuitiæ eius ſunt, quibus vtique fit miſericordia, quæ ſumptu pauperes iuuat. Fides igitur gratia, gratia miſericordia, miſericordia redemptio eſt animæ, quæ drachmâ, hoc eſt, integro pretio ſummæ plenioris expenditur.* Chryſoſtomo & Ambroſio his verbis eleganter Petrus Damianus ſubſcribit lib. 8. epiſt. 10. *Suſtenta ergò pauperem,* inquit, *vt tanquam ipſe creditor Deum tibi facias debitorem. Neque enim te omnipotens Deus ad eleëmoſynam prouocat, tanquam deſit ſibi vndè pauperibus ſuis alimenta prouideat; ſed idcircò potiùs illos inopes exhibet, vt tibi redimendi te materiam ſubminiſtret. Scriptum quippè eſt: Diuitiæ hominis redemptio eius.* Ecce tibi diuitias, ſi piè eis vtaris, redemptionis materiam, quâ diues eleëmoſynam, tanquàm redemptionem ſuam ipſe beneficè operetur. Itaque diues propter diuitiarum ſceleroſum fomitem, præter communem omnium redemptionem (quoad ſufficientiam plenè exuberantem) aliâ peculiari eleemoſynæ redemptione indiget, quâ & efficaciter liberetur à diuitiarum periculo, & animæ redemptionem operetur. *Redemptio animæ viri, diuitiæ ſuæ.* Iuxta illud Eccleſiaſtes 7. *Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia.* Moraliſſimè autem notant Interpretes, quòd *diuitiæ ſuæ, redemptio* eſt animæ diuitis; non diuitiæ rapinis pauperum comparatæ, quæ ſuæ non ſunt, ſed adhuc alienæ. *Diuitiæ ſuæ* (ait Hieronymus) *ne de rapinis, & vſuris, & alieno malo quæſitum panem vertamus in miſericordiam.* Virtus vitio non iuuatur, pietas iniuſtitiam non fouet; non bona proprii peccati per eleëmoſynam redemptio eſt, quæ non de proprio, ſed de alieno eſt. Mentitur eleëmoſynam, qui ſpecie benignitatis furtum propagat.

Daniel. 4. v. 24. S. Chryſoſt. in Catenâ Græc. S. Ambroſ. *Diuitiæ, materiam redemptionis diuiti ſubminiſtrãt.* Petr. Damian. Eccl. 7. v. 13. S. Hieron. in Ezech. c. 18.



## §. CCXXVIII.

*Pauper ſuccurrendo pauperi, (vt vt poteſt) non exemptus, ſed obæratus eſt.*

Refert Plutarchus in Regum apophtegm. quòd cùm ruſticus quiſpiam miſerrimè egenus, videret ad regem Artaxerxem varia deferri donaria, aliud ipſe non habens quod largiretur, vtraque manu hauſtam è proximo flumine aquam illi obtulit vultu alacri. Rex lætatus, & libenter munus excepit, & iuſſit illi dari phialam auream, ac mille Daricis donauit hominem. Forſan illi philoſophari indè licuit, nemini quantumuis inopi, quod dono daret, deeſſe; & animi alacritatem præcipuam eſſe donarij portionem. Multò gratius venit, quod facili ac lubenti; quàm quod plenâ manu datur. Exiguum eſt quod in me contulit; ſed ampliùs non potuit. *Nonnunquam nos magis obligat* (ait Seneca) *qui dedit parua magnificè: qui Regum æquauit opes animo: qui exiguum tribuit, ſed libenter: qui paupertatis ſuæ oblitus eſt, dum meam reſpicit.* Quod hîc in Iudæis videre licet. Indè forſan *munuſcula* appellat, quia plures ex eis quæ largirentur munera non habeban t.

1. Plutar. in Reg. apoph. *Sæpè magis nos obligat, qui dedit parua magnificè.* Seneca l. 1. de Benef. c. 7. Hic verſ. 22.

2. Geneſ. 28 v. 21.

Geneſeos 28. Iacob tunc pauperculus, exul, fugitiuus; vouit etiam votum, dicens: Si fuerit Dominus mecum: & cuſtodierit me in viâ, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad operiendum; erit mihi Dominus in Deum: *Cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Super hoc præcoci Iacobi voto ſic ad lemma præſēs philoſophatur Chryſoſtomus præſcripta verba luculenter exponens: *Petebat enim Iacob, inquit, at nil pretioſum, ſed panem & veſtem: promittebat autem & ſua Domino, & qui nihil adhuc acceperat, vouet & promittit ſe Deo eleemoſynas oblaturum.* Pauper tunc Iacobus panem & veſtem à Deo frugali prece obnixiùs poſtulat; & ea ipſa dona quæ nōdùm acceperat, eleemoſynæ nomine præcoquâ expēdit pietate: & quæ fide ſperat, voto præmaturè largitur. Serò dedit, quiquodiã habet, dedit: qui autē dedit, quod poſſi-

S. Chryſoſt. inibi apud Lipom. *Vel dubia ſpes, in certas eleemoſynas expendenda eſt.*

dere poteſt, quod habere ſperat, impleſſe putatur pietatis vota; quæ in homine largiùs benefico poſſeſſionem anteuertunt; vt vel ſpes in pauperum eleemoſynas expendatur, dum quis Iacobæa æmulatione pius, priùs donat, quàm quod donet, habeat. O, vel dubia ſpes tranſeat in certam miſericordiam, aliquâ arcanâ pietatis metamorphoſi.

3.
2. Cor. 9. v. 8.
Pſal. 111. v. 9.
2. Corinth. 9. ad faciendas largè eleemoſynas, his verbis nos hortatur Apoſtolus: Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo ..... *Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: vt in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, ſicut ſcriptum eſt: Diſperſit, dedit pauperibus*, &c. Cùm igitur pauper, niſi parcè ſeminare non poſſit, quomodò, niſi parcè poteſt & metere? Et quo pacto prout quiſque *deſtinauit in corde ſuo* elargiri poteſt egenis? Porrò etſi pauperi benefico animus donandi non deſit, certè facultas deeſt: indè neceſſe eſt, vt parcè ſeminans, parcè & metat.
S. Leo. ſer. 1. de Ieiunio & Collect.
*Oriatur de cordis agro quod terra ad eleemoſynas non dedit.*
S. Leo ad hunc Paulli locum tacitè adludens, ita ad rem ſcribit: qui bene vſus eſt magnis, inquit, vtatur benè & modicis. Tam nobis copiâ quàm parcitate conſulitur. *Nec in ſpiritualibus lucris anguſtiâ grauabimur fructuum, ſi fœcunditas non areſcat animorum. Oriatur de cordis agro, quod terra non dedit. Semper illi, quod largiatur, occurrit, cui benè velle non deficit. Ad omnia igitur opera pietatis, omnium nobis qualitas proſit annorum, nec beneuolentiam Chriſtianam difficultas temporalis impediat.* Scilicet quicumque quantumuis pauper, voto locuples ad pauperibus ſuccurrendum, largiri poterit quantum *deſtinauit in corde ſuo*: & licet in materiato fundo non parcè ſeminans, temporum malignitate, parcè meſſuerit, omni tamen ad largiendum gratiâ vbertim abundabit. Siquidèm *oritur de cordis agro, quod terra non dedit*: nam inopinatâ fœcunditate, ſi non deſit donandi animus, non deerit largiendi facultas. *Potens eſt enim Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: vt in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, ſicut ſcriptum eſt: Diſperſit dedit pauperibus.*

4.
3. Regum 17. mira fuit largitas pauperculæ illius viduę Sarephtanæ ergà Eliam; quæ modicam farinulam cum Prophetâ partitur; & paupertatis ſuæ oblita, alienam reſpexit: atque ſubcineritium panem priùs Eliæ fecit, ſibi & filio deinceps factura, panario iam penitùs exhauſto. Hæc tamen audit è Prophetæ ore?
3. Reg. 17. v. 14.
*Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur vſque ad diem, in quâ Dominus daturus eſt pluuiam ſuper faciem terræ.* Eccur Deus ad Prophetæ alimoniâ panē exigit à muliere viduâ extremè indigâ eſculenti ſubſidij? An non in illâ vrbe diuites erant, qui minore impendio Eliæ famem explere poſſent? O diuinæ prouidentiæ, pariter ac humanæ beneficentiæ ſacramentum, quod Leo magnus agens de eleemoſynâ his verbis tempeſtiuè reſerauit:
*Deus quæ potuit augere dando, poteſt multiplicare in pauperibus ſumendo.*
S. Leo ſer. 2. Ieiun. & Collect.
*Ille, qui in ſuis paſcitur, quæ potuit augere dando, poteſt multiplicare ſumendo.* Parum nimirùm foret diuinæ largitati, ac prouidentiæ, plus donando facultates augere; ab extremè indigente è modico illo quod habet, aliqualem exigit ſibi in pauperibus opem, vt illum ex inuerſo ſumptuoſiùs locupletet? ne inopes immiſericordiam egeſtate colorent; & dum ſibi prouident de neceſſario victu, negligant alienum. Porrò in eleemoſynis faciendis, propriæ indigentiæ obliuioſus neglectus, illius vbertim ſuccurrendi artificium eſt: & ſubſidium pauperis à paupere præbitore exhibitum, opulentus abundantiæ obſes eſt, & fideiuſſor egregius. Nam *ille, qui in ſuis paſcitur, quæ potuit augere dando, poteſt multiplicare ſumendo.* Adſimilem ratiocinationem extendit idem S. Leo ad Chriſtum Dominum, qui è famelicâ turbâ in deſerto accepit *quinque panes hordeaceos, & duos piſces*, quos ad tot millium alimoniam miro multiplicauit incremento: & *quæ potuit augere dando, potuit multiplicare ſumendo*, Ioann. 6. v. 9.

5.
Marc. 11. v. 13. & 14.
Marci 11. alterâ Die poſt Hieroſolymitanum triumphum Chriſtus Deus exiens à Bethaniâ *eſuriit.* Cumque vidiſſet à longè ficum habentem folia, venit ſi quid fortè inueniret in eâ. *Et cùm veniſſet ad eam, nihil inuenit præter folia; nō enim erat tempus ficorum. Et reſpondens dixit ei: Iam non ampliùs in æternum ex te fructus quiſquam manducet.* Et mox Diſcipuli qui nuper hæc audierant, viderunt ficum aridam factam à radicibus. Non quia maledixit arborem, (ait Hugo ex Chryſoſtomo) ideò fructum non dedit; ſed quia non dabat fructum, ideò maledixit.
*Sententiâ maledicitur ficulnea, quæ etiam cùm non eſt tempus ficorum, eſurienti non paſcit.*
Alibi in ſenſu morali ſuſpicabamur, quòd ficulnea bifero prouētu, eoque diuturnè fœcundo, nobilis; ideò etſi non erat tempus ficorum myſticè maledicitur, quandò fructum aliquem non fert; quia qui expromptiùs inueniebatur ad plura id onec vtilis, ſi ſemel ceſſet, velut reiectaneus abiicitur; quam ſterilitatis offenſionem non incurrunt, qui aut deſidiâ, aut inertiâ plerumque otiantur. Plura etiam hîc ſpiſſat Hugo, quæ interim omitto; vt ſingularem S. Leonis expoſitionem ad thema præſens peridoneam, citiùs reſcribam.
Hugo Card. ibid.
S. Leo ſer. 7. de Ieiun. & Eleemoſy.
Agens enim de eleemoſynis, & pietatis fructu, quem omnes quantumuis pauperes ferre debent, ſic fatur: Præter illam namque Apoſtolicam ſentētiam, (inquit Leo) quâ homines fructu pietatis carentes, vacuis arboribus comparantur, *etiam illa ficus nobis cauenda eſt de ſuæ infœcunditatis exemplo, quam Dominus Ieſus (ſicut Euangelium refert) nihil habentem, quod eſuriens ſumeret, perpetuâ ſterilitate damnauit: vt intelligeremus quoniam qui eſurientem non refouet egenum illi deneget cibum, qui quod pauperi eſt datum, ſibi dixit impenſum.* Nimirùm arbor, quæ licèt non ſit tempus fructuum, & temporariâ infœcunditate naturaliter ſterileſcat, frondeo veſtitur amictu; dum proprio ornatui impendit virtutem, ad eſurientium alimoniam donatam, myſticâ ſententiâ ad perpetuam ariditatem damnatur. Tunc ficulnea illa naturaliter pauper erat, nullum habens quem offerret eſurientibus victum; (*non enim erat tempus ficorum*) nulla tamen rationalis arbor adeò fructibus caret, vt ſi re non poſſit; ſaltem voto alienam eſuriem non valeat ſaturare. Quin & ſuarum frondium alimoniæ impendere facultatem fructificationi donatam, dignus aridâ maledictione reatus eſt, exemplari mulctâ feriendus; quoniam ficulnea illa frondes alens ſibi, aliis fructus non habens, *quod pauperi eſt datum, ſibi dixit impenſum.*

6.
Ad Hebr. 13. v. 16.
Paullus ad Hebræos cap. 13. ſic eos erudit: *Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Quaſi dicat: Licet à Iudæis, diuitiis ac bonis veſtris rapaciſſimè ſitis ſpoliati, nolite

lite ſpecie paupertatis vos excuſare à beneficentiâ & eleëmoſynâ; ſed liberali animo, magnaque ſpe in Deum veſtra bona pauperibus erogare, nec dubitetis Deum in vos viciſſim liberalem fore, pluraque ſemper daturum, vt nunquam dandi & erogandi vobis materia deſit. Quod peridoneè ad rem his verbis Theophylactus adnotauit: *Beneficentiæ vero & communicationis nolite obliuiſci, &c. Vbi ſunt qui prætexentes egeſtatem, eius nomine nihil impertiri volunt? Audiant hic, quòd pauperrimos, quibus facultates direptæ erant, adhortetur Paullus ne eleëmoſynæ obliuiſcantur.* Has eleëmoſynas à *pauperrimis* in pauperes erogatas, vocat Apoſtolus ſacrificia & hoſtias, quibus *promeretur* Deus, id eſt, conciliatur, placatur (quicquid Caluinus & Beza hæreticè oggänniant) ac conſequenter prouocatur & inducitur Deus ad benefaciendum iis qui in alios ſunt benefici: quod quid aliud eſt, quàm quod promereamur, ſeu concilięmus nobis Deum actiuè; vel paſſiuè quòd Deus hiſce *promereatur*, id eſt, demereatur, & concilietur. Porrò *pauperrimorum* in pauperes eleëmoſynis ſic gratè conciliatur Deus, vt pro τὸ *promeretur*, Syrus verterit שפר *Scaphar*, id eſt, *pulchreſcit Deus*. Quaſi dicat (ait inibi Cornelius) *Eleemoſyna noſtra Deo mira eſt voluptati, illa ſe paſcit, oblectat, pulchreſcit, & hilareſcit & gloriatur.* Quid enim Deo adulantius quam *pauperrimorũ* erga pauperes eleëmoſynæ? Illa ſumptuoſiùs paſcitur, oblectatur, hilareſcit, gloriatur, quin & *pulchreſcit*. Pulchrum enim Deo eſt, vt *pauperrimus* reculas ſuas, quibus tenuiter viuere vix eualet, in pauperum beneficentiam largè expendat; & quod ſibi egenè deeſt, Deo in ſuis pauperibus liberaliter eroget. Profectò ſi quid humanum, immeratè ſummam Dei pulchritudinem venuſtare, adornare, & exaggerare poſſet, iſtiuſmodi eleëmoſyna id maximè præſtaret. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtiis pulchreſcit Deus.*

Theophyla. bit *Eleemoſynis pauperrimorum erga pauperes, pulchreſcit Deus.*

Caluinus Beza.

Syrus Cornelius.

7. Lucæ 21. Reſpiciens autem Ieſus vidit eos qui mittebant munera ſua in gazophylacium, diuites. *Vidit autem & quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. Et dixit: Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quàm omnes miſit.* Euſebius Emiſenus in homil. quam ſuper his verbis ſcripſit. ſic ea eloquenter elucidat: *Quàm nobilis*, inquit, *iſta paupercula, quæ dum ſeculum iſtud manebit diuinis paginis celebrabitur! qualis paupercula, quæ ædificatione exempli innumeros populos iugiter locupletat, quotidie ac erogare dignoſcitur? Qualis paupercula, quæ bonorum operum fructus toto orbe largitur? Quam multiplicata ſunt iſta duo æra, quæ à Solis ortu vſque ad occaſum inceſſabiliter nominantur? Quàm magna ſunt iſta minuta, quæ in cælorum pretium conuertuntur? Quid inter iſta miramur, ſi Deo duo æra ab Oriente in Occidentem celebranda placuerunt, qui retributionem etiam de aqua frigida calice pollicetur?* Plura inibi de eleëmoſynâ ſubiicit Emiſenus, alibi expendenda.

Lucæ 21. v. 1. & 3. Euſeb. Emiſ. *Elogium viduæ pauperculæ duo minuta æra in gazophylaciũ mittentis.*



## §. CCXXIX

### *Indiga ſubſidij acceptio, arrogantiæ faſtum deprimit, dum de largitoris mendicitatibus ſe victitare fatetur.*

Aſſyriis regibus ſtrenuè debellatis, dixit rex Sodomorum ad Abraham: Da mihi animas cetera tolle tibi, opulenta victoriæ ſpolia illi cedens. Iurauit autem illi Abraham, *quòd à filo ſubtegminis vſque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt, ne dicas: Ego ditaui Abram.* Quæ verba hoc pulchro gloſſemate illuſtrat Ambroſius: *Quantùm autem hoc, quòd de præda victoriæ nihil voluit contingere Patriarcha, nec oblatum contingere? Minuit enim fructum triumphi mercedis ſuſpicio, & beneficij arrodit gratiam. Plurimum enim refert, vtrum pecuniæ, an gloriæ dimicaueris. Alter mercenarij loco ducitur, alter dignus habetur conſeruatoris gloriâ. Non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt, ne dicas: Ego ditaui Abram.* Et licet à Melchiſedecho oblata munera acceperit, vt quaſi ignominiam accipiendi ab homine quantocyùs expungeret, addit opportunè Chryſoſtomus: *Ceterum vt Abraham accepit, viciſſim Melchiſedechum ſuis remunerando, docebat virtutis ſuæ magnitudinem, decimas enim ei dedit.* Sic accipiendi quaſi contumeliam quammaturè vir magnus excuſſit? Nunc Iudæi *partes*, & *munuſcula* præbent; non indigentiæ cauſsâ, ſed lætitiæ hilarioris nomine. 1.

1. Geneſ. 14. v. 23.

S. Amb. l. 2. de Abr. c. 8.

*Abrahami generoſitas qui ipſam recipere dedignatur.*

S. Chryſoſt. ibidem. His v. 22.

Matthæi 10. Nuper deſignatós Apoſtolos ad prædicandum Euangelium Chriſtus mittit peramplâ eis miraculorum poteſtate factâ. Et addit: *Gratis accepiſtis, gratis date.* Et confeſtim addit: *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo.* S. Hieronymus hæc duo Chriſti mandata, quæ minùs videntur ſibi cohærere, his verbis inibi peridoneè componit? *Quaſi dicat: Tantùm accipite, quantùm in veſtitu, & victu vobis neceſſarium eſt.* (Quæ Hieronymi ſententia aliâs ethicè examinabitur) Et ſanè attentâ expenſione digniſſimum eſt, quare Chriſtus Deus qui euangelicæ paupertatis ſummam indixit Apoſtolis, quos illius ſeruandæ ideam eſſe voluit; victum & veſtem à fidelibus accipere non recuſet. An non exactiùs obſeruaretur paupertas, nihil prorsùs ab his, quibus euangelizant, recipiendo? An non dum hæc munera ad victum & veſtitum accipiunt, his, quos fide erudiunt, & quos miraculis excolunt, quodammodò obnoxij redduntur? Quænam abſtruſior ratio in hâc permiſſione inopinatâ arcanè deliteſcit? Perbellè Chryſoſtomus exponens præſcripta verba, *Dignus eſt operarius cibo ſuo*, ita ſcribit: *A Diſcipulis* (hoc nomine tunc fideles cenſebantur) *autem Apoſtolos cibari oportebat, vt neque ipſi magna ſaperent aduerſus eos qui docebantur, ſicut omnia præbentes & nihil accipientes: neque rurſus illi abſcedant, quaſi ab his deſpecti.* Nimirum Chriſtus Deus humanorum affectuum explorator egregius, Apoſtolis indulget vt à fidelibus victum poſſint accipere, ne forſan nil vnquam recipiendo arroganter ſuperbiant independentiæ faſtu, quaſi homines qui omnia do- 2.

Mat. 10 v. 8. & 11.

S. Hier. ibi. *Qui ad victum neceſſarium accipit, nihil accipere perhibetur.*

S. Chryſoſt. hom. 33. in Matth.

*Indiga ſubſidij acceptio, arrogantiæ faſtum deprimit.*

nent, & nihil prorsùs accipiant. Ergò ſuborienдam fortè exindè arrogantiam præpropere caſtigat: & quod videtur indulgentia, elationis medicina eſt. Porrò accipientis elatio nimium acceptione detumeſcit: & qui accipere cogitur, humiliari iubetur. Conſultiſſimè ergò Chriſtus Deus conniuet Apoſtolis, vt à fidelibus victum ac veſtitum accipiant, ne *ipſi magna ſaperent aduerſus eos qui docebantur, ſicut omnia præbentes & nihil accipientes.* Profectò humilitati impenditur, quod paupertati detrahitur: & vel modica munerum acceptio, magna ſuperbiæ ruina eſt: nec eſt imbonum commercium, quo tantillum paupertatis detrimentum, arrogantiæ exilium, & humilitatem inquilinam mercatur. O, ſic indiga ſubſidij acceptio, ſuperbiæ faſtum deprimit?

3. Iſaiæ 55. v. 1.

Iſaiæ 55. *Omnes ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite, venite, emite abſque argento, & abſque vllâ commutatione vinum & lac.* Ecce Deus ſitientes vocat, & propinat aquas ad comedendum, ac ſi ſitientes *comedant* aquas. Quod peritè notauit Hieronymus: *Mirum in modum*, inquit, *emant aquas abſque pecuniâ, & non bibunt eas, ſed comedunt.* (De quo aliàs) Sed quid eſt, *Venite, emite abſque argento, & abſque vllâ commutatione?* Porrò ſine pretio quod pendat, accipere quis quiduis poteſt, *emere* omninò non poteſt: emptionis enim vigor, pretium eſt; quod ſi deſit, in donationem deſciſcit. Hugo Carenſis quo ſolet ſubtili ingenio, in illo verbo, *Venite*, pretium agnoſcit, aiens: *Venite, emite abſque argento. id eſt, Veniendo emite. Quaſi dicat: Aliter non oportebit vos emere, niſi per laborem viæ. Et hoc eſt quòd dicit: Abſque argento, & abſque vlla commutatione. Quaſi dicat: Quod dico, Emite, non intelligatis de commutatione in quâ appenditur argentum, ſed pro labore itineris tantùm.* Magnum ſanè pretium, & ingens labor, *ire* vt accipias! Abſque argento mercaris, quod *eundo* ad accipiendum, præproperè emiſti. Quid? qui accipit pretium præmaturè quodammodò ſoluit? Eloquenter Nazianzenus; *Venite; emite abſque argento, &c. ô miram beneficentiæ celeritatem! ô facilem contrahendi rationem! hoc bonum ſolo voluntatis pretio emendum tibi proponitur; appetitionem ipſam Deus ingentis pretij loco æſtimat; ſitit ſitiri, bibere cupientibus potum præbet; cùm à Deo beneficium petitur, beneficio affici, ſe putat; prompta, munifica, atque prolixa natura eſt.* Quaſi non tantùm itu ad accipiendum; ſed etiam accipiendi voluntate, beneficia mercari liceat. Non negamus gratitudinem erga dantem, ſed accipiendi indigâ ſiti difficultas pleniùs exaggeratur. Pulchrè Seneca: *Qui gratè beneficium accipit, primam eius penſionem ſoluit.*

S. Hier. ibi. *Aquæ propinantur ad comedendum.*

Hugo inibi.

*Itus ad accipiendum beneficium, illud ferè emit.*

S. Naz. Or. 40.

Senec. l. 2. de Benef. c. 22.

4. Ioann. 14. v. 28.

Ioannis 14. Apoſtolos de ſuo diſceſſu mœſtos his verbis Chriſtus conſolatur: *Si diligeretis me, gauderetis vtique quia vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt.* Locus in paucis impeditus. Porrò difficile intellectu eſt, quânam veroſimili cauſſâ poſſint Apoſtoli peramantes ſui Magiſtri, de eius etiam diſceſſu gaudere, quia vadit ad Patrem, qui *maior* ipſo Chriſto eſt. Tantóne in pretio etiam tunc erat apud Apoſtolos, eſſe *minorem*, vt de hâc Chriſti minoritate ſibi mutuò gratulari poſſent? Imò ex hâc confeſsâ Chriſti minoritate, garrulè coaxat Arius, & aliæ ex hoc cœno ranæ, Chriſtum non eſſe Deum, ſed meram creaturam blaſphemantes; quippe qui *minor* eſt Patre, à quo tanquam à patre naturam accepit: ex quâ acceptione filiis agnatâ, Chriſtum Deum ſacrilego ore deuenuſtare conantur. Quâ ſuper re magnus ille Theologus Hilarius in libb. de Trinitate ita philoſophatur: *Quia Pater maior me eſt. Si donantis auctoritate Pater maior me eſt, numquid per doni confeſſionem minor Filius eſt? Maior itaque donans eſt, ſed minor iam non eſt, cui vnum eſſe donatur.* Profundè quidèm Hilarius. Nempè Chriſtus Deus quà homo eſt, minor eſt Patre Deo, à quo de hypoſtatico nexu accepit vt homo Deus ſit. Exindè Pater Deus maior eſt donantis auctoritate. At Chriſtus cùm verè Deus ſit, diuina hypoſtaſi ſubſiſtens, minor etiam Patre non eſt, ſed æqualis; eâdem eſſentiâ, & parili ſubſiſtentiâ pollens, quod dum confitetur, & *confeſſione* importat, atque includit, hâc ex parte minor Patre non eſt. (eſt enim Chriſti ac Patris eadem natura diuina, in parili perſonalitate ſubſiſtens) *Si donantis auctoritate Pater maior me eſt, numquid per doni confeſſionem minor Filius eſt?* Sic eſt auguſta donantis auctoritas? Sic eſt generosè ardua accepti doni ingenua *confeſſio.*

*Num per accepti doni confeſſionem, Chriſtus Deus minor Patre non eſt.*

Hilar. lib. de Trinit.

5. Iſaiæ 45. v. 20.

Iſaiæ 45. Congregamini, & venite, & accedite ſimul qui ſaluati eſtis ex Gentibus *neſcierunt qui leuant lignum ſculpturæ ſuæ, & rogant Deum non ſaluantem.* Id eſt, ſtolidi ſunt omnes idololatræ, qui leuant lignum ſculpturæ ſuæ, id eſt, qui erigunt idolum ligneum à ſe ſculptum, illudque colunt, & rogant ac inuocant ſaluatorem impotem. Magna ſanè Idoli auctoritas dum rogatur, nam donantis auctoritas ſublimiſſimè maior habetur. Verùm Clemens Alex. dum Gentium idola acri ſtylo inſectatur, ita hunc Iſaiæ locum excribit, & exponit: *Non cognouerunt qui tollunt lignum ſculpturam eorum, & Deos orantes, qui eos non ſeruabunt.* Scilicet cùm totus ſit Clemēs Alex. in hoc Opere in dehoneſtandis Gentium idolis, Gētium *Deos orantes* inducit, planè indigos, & de aliorum mendicitatibus fouendos. Sic Iuno Æolum, Venus Iouem, & alios ſexcentos Deos Deâſque ſupplices poëtatur erudita Gentium ſtoliditas. (hæc videtur ſententia Clementis dum Græca exemplaria non ſuppetunt) Grande quidèm Deorum probrum precariâ indigentiâ ſubmitti, potentiam aliis ſternere, & ſupplices extendere manus, vt opem velut ſtipem ab aliis accipiant! *Non cognouerunt qui tollunt lignum ſculpturam eorum, & Deos orantes.*

*Exprobratur Diis Gentiũ quod aliis orent tanquã opis indigi.*

Clem. Alex. in adh. adu. Gentes.

6. Pſal. 2. v. 8.

Regius Vates Pſal. 2. ſic pangit: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Nemo Interpretum non hîc miratur, & admirationis lenocinio curioſiùs expendit quo pacto à Patre Deo Chriſtus Deus iubeatur, *hereditatem* ſuam, & *poſſeſſionem* ſuam poſtulare, & precariæ poſtulationis velut pretio quod ſuum eſt accipere, & præbitori debere. Verùm cùm Genebrardus, & Titelmanus audiunt, Dabo tibi Gentes *hereditatem & poſſeſſionem*, negant appoſitiuè hoc dici, ſed tranſitiuè, atque ſupplendam præpoſitionem, *in*, vt ſenſus ſit: Dabo tibi Gentes *in hereditatem, in poſſeſſionem.* Verentur fortaſſis ne non ſatis cohæreat vt poſtuletur, & de poſtulatâ acceptione debeatur hereditas & poſſeſſio, quæ ſcilicet iure naturali debetur. Atqui Chriſtus

Genebrard. Titelman.

ſtus etiam vt homo nonnulla ſibi merendo comparauit, quorum ius quidèm, ſed vſum non habebat, vt gloriam corporis ſui, ſui nominis exaltationem, & has ipſas Gentes, quas poſtulare iubetur. Itaque Chriſtus vult de acceptione debere, quod de iure ſuum erat. Sicut Pater Deus vult etiam ſæpè nobis debere de promiſſione, ad quod reddendum nullo iure tenebatur. Appoſitè Fulgentius in Præfat. ad Moniniuum, ſic de Deo ſcribit: *Seipſum ſuâ largitate dignatus eſt facere debitorem.* Et Chryſologus Serm. 25. *Quia non poteſt mentiri, idem ipſe eſt & exactor, & debitor.* Et Bernardus: *Iuſtum eſt vt reddat Deus quod debet; debet autem quod pollicitus eſt.* Ergò id debemus Deo, quod debet; & quòd ſui exactor eſt pro eo quod nobis debet de ſuæ liberalitatis debito, diuinâ nobis promiſſione adſtricto: Debet etiam Chriſtus, quod à Patre Deo accepit *hereditatem*, & *poſſeſſionem*, ad quam ius habebat, non vſum, vt Chriſtus de humano cenſu, expers huius debiti minimè foret: quin & hoc etiam titulo hominem impleret.

*Chriſtus debet quod accepit, ſuam hereditatem, & poſſeſſionẽ.*

S. Fulgent. S. Chryſol. & S. Bernard. Tract. de Gratia, & libero arb.

*Deus à ſe exigit, quod promiſſione debet.*

7\. Ad Rom. 11. v. 35. Paullus ad Romanos 11. ſic exclamat: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Senſus eſt: Nulli Deus vllo iure aut titulo obſtringitur: quia nihil ab vllo accepit, quod priùs non dederit illi. Secùs enim titulo gratitudinis verè ac propriè primò obſtringeretur Deus deberétque illi gratias agere, & par pari retribuere. Nihil hic dicitur contra merita, ſed quo Pelagianiſmus iugulatur. Pulchrè Auguſtinus de Verbis Apoſtoli Serm. 16. *Debitor nobis factus eſt Deus, non aliquid à nobis accipiendo* (procùl à Deo hoc debiti probrum hominibus agnatum;) *ſed quod ei placuit promittendo nobis, vt dicamus ei: Redde quod promiſiſti, quia fecimus quod iuſſiſti; & hoc ipſum quod fecimus tu feciſti, quia nos laborantes iuuiſti.* Ecce tibi quomodò Deus ab hoc debito luculenter vindicatur: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* (Hanc ſententiam ſumpſiſſe videtur Apoſtolus ex Iob 41. vbi ait Dominus: *Quis ante dedit mihi, vt reddam ei?*) Nam, vt inibi docet Anſelmus: *Nullus Deum meritis anteceſſit, ſed ipſe potiùs omnes ſuâ gratiâ preuenit vt ſubſequi poſſint eorum bona.* Vide quàm cautè agat Deus, ne cui gratitudinis debitor exiſtat, quaſi ab eo aliquid priùs receperit.

S. Auguſt.

*Nemo priùs Deo dedit, quod homini titulo gratitudinis debeat.*

Iob. 41. v. 2.

S. Anſelm.

---

## §. CCXXX.

### *Supplex hominum rogator nimis vileſcit, quandoquidèm alienæ opis (& quidèm humanæ) indigum ſe fatetur.*

1\. HAs naturæ voces in viro conſtanter philoſopho, Seneca expreſſit: Non diu publici hoſtes propoſitum meum potuerunt euertere. Ceruicem pro fide potui. Nullum verbum mihi quod non ſaluâ conſcientiâ procederet, excuſſum eſt. Pro amicis omnia timui, pro me nihil, niſi ne parum bonus amicus fuiſſem. *Non mihi muliebres fluxere lacrymæ, non è manibus vllius ſupplex pependi. Nihil indecorum nec bono, nec viro feci.* Periculis meis maior, paratus ire in ea quæ minabantur, egi gratias fortunæ, quòd experiri voluiſſet quanti æſtimarem fidem. Non debebat mihi paruo res tanta conſtare. Vide quanti fecerit magnus hîc Philoſophus ſupplicem rogandi cruciatum, vt maluerit Stoico faſtu inter tot ærumnas calamitosè verſari, quàm *è manibus vllius ſupplicem* & rogatorem *pependiſſe*, nequid Philoſopho indecorum faceret. Sic eſt indecorè arduum alium rogare, aliùs hominis ſupplicem eſſe, ſe indigum oſtendere, & de alieno arbitrio, aut beneficio pendere. *Ergò nihil petas, quod negaturus es: nihil neges, quod petiturus es.* Alienam verecundiam & in rogando confuſionem, ex tuâ metiri oportet. Tua ad ſupplicandum frons tenera eſt, & verecundæ confuſioni obnoxia, & aliis æneam & inconfuſibilem eſſe putas? Inrogatas conuiuij partes, & munuſcula nunc præbent Iudæi.

*Grande tormentum eſt, è manibus alicuius ſupplicem pendere.*

Seneca in Præf l. 4. Natur. qq.

Pub. Mim.

Hic verſ...

2\. Ioannis 4. venit Ieſus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, & erat ibi fons Iacob. Ieſus ergò fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem, Venit mulier de Samariâ haurire aquam. *Dicit ei Ieſus: Da mihi bibere. Dicit ergò ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?* Mirentur alij meretricem ſcrupuloſam; & corpus ſuum proſtituere adſuetam, leuiculum ſpecie tenus defectum in alio denotaſſe. Ego autem admiror audaciam mulieris, quæ ignotum hominem, formâ & habitu reuerendum, palàm reprehendere, & violatæ legis inſimulare, verita non ſit. Vndè tanta in muliere audacia? Tempeſtiuè Cardinalis Toletus rem hanc ſic inibi tractat. *Dicit ei Ieſus: Da mihi bibere. Verba enim*, inquit, *quæ ſequuntur, quandam inſimulationem continent, cuius cauſſa eſt Chriſti petitio: vt ſit ſenſus: Petiit Chriſtus bibere, & proptereà mulier eum reprehendere, & inſimulare eſt auſa*, aiens: *Quomodo tu Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?* Nimirùm mulier illa Samaritana, vbi vidit Chriſtum aquæ rogatorem, & ſibi ſupplicem, tametſi occultæ diuinitatis decorum in facie tranſparebat, ſic ſuperbè intumuit, tam arrogantes ebibit animos de Chriſti ſupplicis ſiti, vt illum tamquam de ſupplici rogatu ſibi ſubiectum, reprehendere auſa ſit. Hinc audacter dixit de Chriſto Tertullianus: *Eſurit ſub Diabolo, ſitit ſub Samaritide.* Quid ad rem exaggeratius? Supplicem ſibi rogatorem Chriſtum Deum, vel propudioſa diu meretrix, coràm reprehendere audet. Chriſtus *ſitit ſub Samaritide.* Quæ iam iam ſubiicimus, rem hanc ethicè clarabunt.

Ioann. 4. v. 7. & 9.

*Samaritana Chriſtum aqua rogatorem, reprehendere auſa eſt.*

Card. Tolet. in Commẽt. ibidem.

*Tertullianus aliàs aliorſum expenſus.*

Exhodi 3. velut pertinaciter recuſat Moyſes ſuæ gentis principatum, & legationem in Ægyptum; & argutè cunctabundus, ait ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Iſraël & dicam eis: Deus patrum veſtrorum miſit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod eſt nomen eius? quid dicam eis? *Dixit Deus ad Moyſen: Ego ſum, qui ſũ. ait: Sic dices filiis Iſrael: Qui eſt, miſit me ad vos.* Quæ verba expendens, ſic addubitat Hieronymus: *Numquid ſolus Deus erat, & cetera non erant? Vtique Angeli, cælum, terra vel maria, & ipſe Moyſes, cui Dominus loquebatur, & Iſraël & Ægyptij ad quos & contra quos princeps & aduerſarius mittebatur, erant. Et quomodo nomen commune ſubſtantiæ, ſibi proprium vendicat Deus?* Multis nugantur Rabbini, vt hanc difficultatem extricent,

Exdi. 3. v. 14. S. Hieron. in ad Eph. c. 3.

extricent; adeò vt nec Burgenſi tutò te credas. Caietanus verò litteraliter adæquè ac moraliter ſic locum exponit: *Ego ſum qui ſum. Quod intelligas, ſcito hanc eſſe eſſentialem diſparitatem inter naturam Dei & naturas reliquarum rerum quantumcumque excellentium; quòd perſeuerantia eſſendi ſoli Deo conuenit ſuapte natura (hoc eſt, ſeipſo ſolo abſque omni dependentiâ) alia autem res omnes quantumcumque immortales & incorruptibiles habent perſeuerantiam eſſendi mendicando illã à Deo, à quo dependent.* Itaque hîc exponitur Dei eſſentia: (vt vt eam humana tenuitas capere poteſt) Deus enim eſt, qui eſt, nempe ens à ſe ſibi ſufficiens, nullius indigum, nullius ſupplex, à nullo dependens. At reliqua entia quantumuis præſtantiſſima, habent eſſe ab alio, ab alio dependent, ab illo *perſeuerantiam eſſendi mendicando.* Ecce tibi grandius Dei elogium eſt, ſibi abundè ſufficere, nec vllius eſſe indigum, à nullóque dependere: dedecus autem creaturis omnibus cognatum eſt, infinitè recedere ab hâc Dei perfectione, dum ſibi non ſufficiunt, alio egent, ab alio pendent, à quo eſſendi perſeuerantiam emendicant. Ergò hanc indigentiæ imperfectionem creaturis medullitùs cognatam; ſupplex rogator ſupplicis rogationis vi contumelioſè reſculpit, iterat, atque cumulat. Nam vt tempeſtiuè dixit Auguſtinus: *Petitio enim alicuius eſt indigentiæ.* Porrò ſi imperfectio creaturarum, quâ à Dei perfectione infinitè diſtant, eſt alicuius indigentia, & mendicitas: qualis erit vilitas, alterius hominis rogatoria *indigentia*, & ſupplex *mendicitas*: Vide hîc quàm ſit indecorè arduum, eſſe alterius hominis ſupplicem rogatorem.

Burg ibi. Caietanus ibi.

*Supplex hominis rogator contumeliam creaturæ reſculpit, & auget.*

S. Auguſt. Tract. 102. in Ioan.

4 Matthæi 25. Cum autem venerit Filius hominis in maieſtate ſuá, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ. *Tunc dicet rex his, qui à dexteris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* In illo frequentiſſimo cæli terræque theatro, vbi Chriſtus Deus in maieſtatis ſuæ ſolio ſedebit, omnibus Angelis & hominibus ad vnum adſtantibus, his verbis Iuſtos felicitat: *Poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi.* Ad quæ verba ita ſcribit Chryſoſtomus: *Nota autem, quòd non dixit, Accipite,* (quo verbo ad alicuius indigentiam, aut petitionem reſpondere ſolemus) *ſed poſſidete, ſiue hereditate, ſicut familiaria bona, ſiue paterna, ſicut veſtra vobis antiquitùs debita. vndè dicitur: Paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Itaque in illo cœleſtis gloriæ auſpicio, & ſummæ beatitudinis felicitate, non dicit Chriſtus, *Accipite* regnum, quod ſupplici petitione tandiu rogaſtis, & indigo opis obnixu petiuiſtis; ſed, *Poſſidete* tanquam hereditatem paternam vobis iure debitam à conſtitutione mundi. Procùl à beatæ gloriæ ſummâ felicitate, ſupplicis indigentiæ vocabulum. In feliciſſimo cæleſtis gloriæ limine forſan indecora ſupplicis indigentiæ tabula non legatur. Diſſimuletur ſilentio ſupplicis indigentiæ vocabulum, ne in theatro omnium Angelorum & hominum reſonet ſupplicis indigentiæ nomen, quod nunc apud mortales malè audit. Sic auguſtè in cœleſte regnum Beatos ingredi oportebat, ſupplicis olim indigentiæ ſuppreſſo vocabulo!

Math. 25. v. 34.

*In beata gloria auſpicio, nullum ſupplicis olim indigentiæ nomen auditur.*

S. Chryſoſt. homil. 80. in Matth.

5 Matthæi 26. primâ die Azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha? *At Ieſus dixit: Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Magiſter dicit: Tempus meum propè eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis.* ex quo manifeſtum eſt, (ait inibi Chryſoſtomus) quòd non erat Chriſto domus neque tugurium: imò neque diſcipulos habuiſſe: profectò enim eum illùc rogaſſent venire. Sed eſtò tantâ Chriſtus Deus rerum penuriâ, & religioſi etiam victus indigentiâ laborarit; quare eum, cuius opem precariò rogat, innominatum eſſe mauult? Cur neque Chriſtus, neque Euangeliſta eum nominarunt? Hieron. & Beda reſpõdent, vt nemine nominato, omnes homines inuitatos ſe eſſe intelligerent, vt cum Chriſto nouum Paſcha celebrarent. Origenes & Hilarius; quòd nondum Chriſtianum nomen auctoritatem tunc, vſumque obtinuiſſet, quod gerere eos oporteat, qui ad ſacrum Chriſti corpus accedunt. Hæc allegorica ſunt. Sanctus autem Ambroſius, *Ideo*, inquit, *ſine nomine deſignatur, vt pauper & ignobilis æſtimetur.* Quaſi pauper, & ignobilis vel nomine indignus cenſeatur. Alias huius rei cauſas afferunt Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, & alij. Sed adhuc poſt tot locupletes commentarios, locus manet non parùm impeditus. Præſertim cum Chriſtus Deus paulò antè Mariæ Magdalenæ nomen promittat fore in totâ Eccleſiâ celebre, ob pretioſam ſui corporis vltrò vnctionem, cui nonnulli ore maledico detrahebant. Magdalenæ nomen in toto orbe celebrabitur, ob vnguentum effuſum in Chriſti non neceſſarium obſequium; & hic pius homo apud quem Chriſtus Deus hoſpitatur, Paſcha celebrat, & Euchariſtiæ myſterium inſtituit, innominatus dimittetur, dum ait: *Ite in ciuitatem ad quendam?* Nemo, opinor, erit tam mentis inops, aut iniquus Scripturarum arbiter quin ambigat, hunc hominem, quem Euangeliſta *quendam* vocat, maius obſequium exhibuiſſe Chriſto, quàm Magdalena vngento exhibuit: at hæc inrogata pretioſam vnguenti pyxidem apparauit, & Chriſti pedes ſponte immixit. Hic verò homo ſe rogati expectauit & ſupplici rogantis indigentiæ obſequium exhibuit; imò vendidit ſupplicis verecundiæ, & publicatæ indigentiæ pretio. Exindè moraliſſimè eum Euangeliſta innominatum relinquit, & *quendam* appellat: quia ſupplicem Chriſti indigentiam, quam Magdalena præcoquo anteuertit officio, ipſe verecundè euulgandam, & ſupplici rogatione publicandam cunctanter expectauit, nundinans obſequium pudore rogantis.

Math. 26. v. 18.

S. Chryſoſt. homil. 82. in Matth.

S. Hierony. & Beda ibi. Orig. Tract. 35. in Matth. S. Hilar. Can. 30.

S. Ambr. in cap Luc. 22.

*Pauper & ignobilis, indignus nomine cenſetur.*

Matth. 26. v. 13.

*Cur Euangeliſta quendam vocat eum, apud quem Chriſtus, Paſcha celebrauit.*

S. Ambroſius lib. 2. Officior. cap. 16. agens de ſobrietate, quæ in liberalitate ſeruanda eſt, ita ſcribit: liquet igitur, ait, debere eſſe liberalitatis modum, ne fiat inutilis largitas: cuius ſobrietas tenenda eſt, maximè Sacerdotibus, vt non pro iactantiâ, ſed pro iuſtitiâ diſpenſent. Nuſquam enim maior auiditas petitionis. Veniunt validi, veniunt nullam cauſſam niſi vagandi habentes, & volunt ſubſidia vacuare pauperum, exinanire ſumptum: *nec exiguo contenti, maiora quærunt, ambitu veſtium captantes petitionis ſuffragium, & natalium ſimulatione licitantes incrementa quæſtuum.* His ſi quis facilè deferat fidem, citò exhauriet pauperum alimonijs profutura compendia. (& poſt pauca ſubdit ad rem præſentem opportunè *Itaque qui modum ſeruat auarus nulli, ſed largus omnibus eſt. Non enim ſolas aures præbere* 6

S. Ambroſ.

*Veſtium ambitus captat petitionis ſuffragium.*

S. Ambroſ. ſup.

*Miſericordia requiras eum qui erubeſcit videri, & petere.*

*bere debemus audiendis precantium vocibus, ſed etiam oculos conſiderandis neceſſitatibus. Plus clamat operatori bono debilitas, quàm vox pauperis. Neque verò fieri poteſt vt non extorqueat ampliùs importunitas vociferantium, ſed non ſemper impudentiæ locus ſit. Videndus eſt ille qui te non videt, requirendus ille, qui erubeſcit videri. Ille etiam clauſus in carcere occurrat tibi, ille affectus ægritudine mentem tuam perſonet, qui aures non poteſt.* Ecce tibi qualiter refutet Ambroſius impudentes eorum petitiones, qui *natalium ſimulatione licitantes incrementa quæſtuum, ambitu veſtium captant petitionis ſuffragium*: illas autem audiat, quas pudor calamitoſi audiri erubeſcit, mauultque periclitari, quàm precari: *Videndus eſt ille qui te non videt, requirendus ille, qui erubeſcit videri*, &c.

---

## §. CCXXXI.

### *Mixtim traduntur eleemoſynæ laudes, anteſcriptarum theſium appendices.*

1. PErſæpè eleemoſynæ gratiam (quæ apud Deum & homines venuſtiſſima eſt) corrumpimus omnem, non tantùm poſtquam dedimus, ſed etiam dum damus. Quis enim noſtrum contentus fuit, aut leuiter rogari, aut ſemel? Quis non, cùm pauper aliquid à ſe expetit, frontem obduxit, vultum auertit; & aut faſtidioſus occaſiones petendi abſtulit, aut renutu properantes egenorum neceſſitates eluſit? Qui ſic tandem dat, propè non dediſſe cenſetur. Nemo enim libenter debet, quod non accepit, ſed expreſſit. Eodem animo beneficium debetur, quo datur. Sibi quiſque debet, quod à negligente accepit. O ſciant auarè immiſericordes, quod hæc quæ homines tenemus, quæ aſpicimus, in quibus cupiditas noſtra hæret, caduca ſunt. Auferre ea nobis & fortuna & iniuria poteſt. Eleemoſyna verò, etiam amiſſo eo quod datum eſt, durat. Eſt rectè factum, quod irritum nulla vis efficit. Quam ſit rectè factum egenis ſuccuriſſe, huius Paragraphi labor eſt, qui appendices eleemoſynæ laudes addenſabit.

*Eleemoſyna non eſt gratiatè facienda.*

2.
Gen. 2. v. 15. Geneſeos 2. tandèm in ſextâ naſcentis mundi die, tanquam diuini opificij clauſula, formatur Homo, & Dei ſpiraculo generoſiùs animatur: qui & naturæ & gratiæ ornamentis compriùs excultus, exultim ouat, & feliciter in paradiſo voluptatis triumphat: *Tulit ergò Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis*, &c. hoc etiam generoſo auctus priuilegio, vt opulentè felicem innocentiæ ſtatum transferret ad poſteros, quò numeroſa eius exinceps ſoboles adſimili felicitate frueretur. Verùm in tantâ omnium futurâ felicitate, quâ homines in ſtatu innocentiæ vbertim exundarent, forſan illi non parum videtur detrahere, quòd in eo ſtatu nemo inueniretur miſer, cuius felices reliqui miſereri poſſent, & opportunâ ope benignè ſubuenire: nam vacante aliquorum miſeriâ, miſericordiæ opera reliquorum ſimul vacare, neceſſè foret. Ad quod fortaſſis adludit ſanctus Cyprianus in ſerm. de Eleemoſynâ ſic fatus: *Coarctati eramus, & in anguſtum innocentiæ præſcriptione concluſi; nec habebat quid fragilitatis humanæ infirmitas, atque imbecillitas faceret*, &c. Quaſi hoc ei quodammodò deeſſet ad opulentiorem felicitatis cumulum, quòd benignitas erga miſeros indulgentior vacuiſſet. Hunc etiam ſenſum ambigua ſuboſcuraque Cypriani verba forſan inſinuare videntur, ſi attentiùs legantur; etſi quæ ſubdit, alium offerant.

*Non in felici innocentiæ ſtatu homini deerat eleemoſynæ faciendæ occaſio!*

*S. Cypr. ſer. 1. de Eleemoſ.*

3.
Actorum 4. ita ſcribit ſacer Hiſtoricus: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Sanctus Cyprianus in ſerm. de Eleemoſynâ, ex hoc loco ad eleemoſynas largiùs faciendas ſeriò adhortatur, præcelſam hominis eleemoſynarij dignitatem his verbis proponens: *Erant illis omnia communia. Hoc eſt, natiuitate ſpirituali verè Dei filios fieri: hoc eſt, lege cæleſti æquitatem Dei Patris imitari. Quodcumque enim Dei eſt, in noſtrâ vſurpatione commune eſt; nec quiſquam à beneficijs eius ac muneribus arcetur, quò minùs omne hominum genus bonitate ac largitate diuinâ æqualiter perfruatur.* Sic æqualiter dies illuminat, Sol radiat, imber rigat, ventus aſpirat, & dormientibus ſomnus vnus eſt, ſtellarum ſplendor ac lunæ communis. *Quo æqualitatis exemplo, qui poſſeſſor in terris reditus ac fructus ſuos cum fraternitate partitur, dum largitionibus gratuitis communis ac iuſtus eſt, Dei Patris imitator eſt.* O æmulum de benignitate cum diuinitate commercium! Deus ſeipſo contentiſſ, externa bona æquabili largitate communicat: ſic vir miſericors piè ſuperbâ Dei æmulatione, *reditus ac fructus ſuos cum fraternitate partitur.* O homo voto cæleſtis, eſto inopi terrenus Deus, cæleſti natiuitate Dei filius, & *Dei Patris imitator* egregius, diuinæ largitatis piè æmulus.

Act. 4. v. 32.

S. Cypr ſer. de Eleemoſ.

*Vir miſericors cæleſti natiuitate, Dei filius, atque æmulus exiſtit.*

Pulchrè dixit Cyprianus, quòd homo miſericors, *Natiuitate ſpirituali verè Dei filius fit*; cui occinit Laurentius Nouarienſis ſic fatus de Zachæo dum bonorum ſuorum dimidium pauperibus elargitur? Zachæus *puſillus corpore, factus eſt præclarus operè. Flagitioſus conceptus, felix ſubitò de eleemoſynâ naſcitur.* Dum Zachæus obuiâ furacitate diteſcit, tunc *concipi* dicitur? Num auari hominis natura, eſt acquiſita opulentia? ô *flagitioſum conceptum*! ô mores auaritiæ, & immiſericordiæ appendices? Verùm Zachæus de Chriſti occurſu immiſericordis auaritiæ naturam deſueſcit; & dum *dimidium bonorum ſuorum dat pauperibus, felix ſubitò de eleemoſynâ naſcitur.* O generoſam natiuitatem, quâ & in Abrahami ſobolem filiatur, & de eleemoſynâ feliciter naſcitur, miſericordiæ moribus denuô factus ad omnes pietates! 4.

S. Cypr. 1.
Laur. Nouar. homil. de eleemoſ.
Luc. 19. v. 8.

*Zachæus de flagitioſo auaritia conceptu, felix ſubitò de eleemoſynâ naſcitur.*

5.
Eccleſiaſtæ 9. *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia eſt apud inferos; ſeriò nos admonet Salomon, vt ad quodcumque ſe poteſt manus noſtra extendere, inſtanter operemur. Pater Lorinus eruditè opportunus notat, quòd *Chaldeus attendens phraſim Hebræam, reſtringit ſententiam ad eleemoſynam.* Quaſi perindè ſit, Eleemoſynas facito, ac, *Quodcumque facere poteſt,*

Eccl 9. v 10

Chaldæus apud P. Lor. ibid.

*Num quicquid facere poteſt boni*

*teſt manus tua, inſtanter operare.* O pulchrà moraliſſimè ſynonyma! Qui eleemoſynas facit, quodcumque virtutis opus, ad quod ſe eius manus poteſt extendere, inſtanrer operatur? quaſi eleemoſyna ſit omnium virtutum ſedulitas, conceptaculum, officina, & actuoſum compendium. Porrò miſericordia erga pauperes, reliquas virtutes, & earum actus quamtumcumque eos poteſt homo viuidè & actuosè præſtare; aut inuenit aut facit. Quodcumque facere poreſt manus eius, inſtanter operatur, quiſquis largè eleemoſynas facit: miſericors enim reliquarum virtutum cumulum inſtanrer promeretur. quaſi miſericordia ſit omnium virtutum matrix.

*Inſtanter operatur, qui eleemoſynas facit.*

6. Redeat iterùm nuper expenſus Eccleſiaſtæ locus: *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare,* id eſt, Eleemoſynas facito. quaſi qui eleemoſynas facit, omnia virtutis opera præſtet. Quâ ſuper re his verbis S. Leo philoſopharur in Serm. 5. de Collect. & Eleemoſynis; *Hæc virtus*, inquit, *omnes facit vtiles eſſe virtutes; quæ ipſam quoque fidem, ex quâ iuſtus viuit, & quæ ſine operibus mortua nominatur, ſui admixtione viuificat. Quia ſicut in fide eſt operum ratio; ita in operibus fidei fortitudo.* Et poſt pauca: *Exorabunt pro vobis & ipſæ eleemoſynæ, vt ad omne opus bonum idonei eſſe poſſitis.* Audis ex piè diſertiſſimo Magni Leonis ore, quòd Eleemoſyna ad omne opus bonum *idoneos* nos reddit, & in nobis *omnes facit vtiles eſſe virtutes.* Quaſi homo erga pauperes auarè durus, ad opus bonum propè inidoneus exiſtat; & eleemoſynæ meritum, *omnes faciat vtiles eſſe virtutes.* (Alibi forſan expendetur, quo pacto Fides dicatur, Bonorum operum *ratio*; quod ſanè emphaticè dictum eſt.)

Eccl. 9. v. 10. S. Leo ſer. 5. de collect. & eleemoſyn.

*Homo immiſericors, inidoneus ad virtutes habetur.*

*Fides bonorum operum ratio dicitur.*

7. Eccleſiaſtici 4. *Declina* (inclina) *pauperi ſine triſtitiâ aurem tuam, & redde debitum tuum.* Prius huius ſententiæ hemiſtichium ſic vertit Arabicus: *Humilia animam tuam indigenti.* Scilicet cùm egenus & miſer eleemoſynam ſupplex rogat, illi animam tuam *humilia*, illum ſuſpice, & honorificè tracta: non enim tam venit ſupplex miſerabiliter rogaror, quàm iuſtus potenter exactor: nec quod tuum eſt, à te rogat; ſed quod ſuum eſt, à te exigit: non ram beneficium, quàm debitum petit egeſtatis iure. Quod his verbis ſcitè tradit Ambroſius: ne dixeris, inquit Deus, cras dabo. Qui non patitur te dicere, cras dabo; quomodò patietur dicere, Non dabo? *Non de tuo largiris pauperi, ſed de ſuo reddis. Quod enim commune eſt in omnium vſum datum, tu ſolus vſurpas: Omnium eſt terra, non diuitum: ſed pauciores qui non vtuntur ſuo, quàm qui vtuntur. Debitum igitur reddis, non largiris indebitum. Ideóque tibi dicit ſcriptura: Declina pauperi animam tuam, & redde debitum tuum.* Ambroſio concinit Auguſtinus ſerm. 219. de Tempore, ſic ad rem fatus: *Quicquid Deus nobis pluſquam opus eſt, dederit, non nobis, ſpecialiter dedit, ſed per nos aliis erogandum tranſmiſit: quòd ſi non dederimus, res alienas inuaſimus.* Hinc forſan Biblicâ phraſi eleemoſyna ſeu miſericordia, iuſtitiæ nomine frequenter nuncupatur (vt aliàs ſæpè notauimus.) Ergò pauperi, non tanquam miſero rogatori, ſed tanquam Domino aut exactori, humilia animam tuam, & *redde debitum tuum*: nam quod illi quaſi rem tuam negas, quaſi *rem alienam inuadis.* Proh quàm impunè graſſatur furax immiſericordiæ rapacitas! Dum tua nimis ſeruas, aliena violenter inuadis; ſicque immiſericordia in iniuſtitiam recuditur.

Eccl. 4. v. 8. Arabicus.

*Humilia animam tuam pauperi, quia debitum tuũ à te exigit.*

S. Ambr. lib. de Nabuthe. cap. 13.

S. Aug ſerm. 219. de Temp.

8. 3. Reg. 18. Abdias ille pietate, nobilis, & apud regem Achab militiæ præpoſitus, hæc dixit ad Eliam; Nunquid non indicatum eſt tibi Domino meo, quid fecerim cùm interficeret Iezabel prophetas Domini, *quòd abſconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos & quinquagenos in ſpeluncis, & pauerim eos pane & aquâ?* Magnum ſanè eſt inter expoſitores litigium, an Propheta Abdias fuerit iſte regis Achabi diſpenſator, & tertius Pentecontarchus, cui pepercit Elias. Negat Cyrillus, Theodoretus, Abulenſis, & Ribera. Affirmat Iſidorus, Dorotheus, Rupertus, & Hieronymus, & è recentioribus complures. Sed expendenda eſt Hieronymi ratio, quâ ſuam ſententiam confirmare adnititur; *Abdias*, inquit, *quia centum prophetas aluerat, accepit gratiam prophetalem, & de duce exercitus fit dux Eccleſiæ.* Grande quidèm pietatis elogium! vt quia Abdias homo aulicus, & belli dux, largas diu præbuit Prophetis eleemoſynas: propheralem indè ſpiritum copiosè mutuarit; & homo Idumæus inter primos Hebræi populi prophetas recenſeri meruerit. Quaſi pauper dum eleemoſynam accipit, gratias quibus cælitus dotatus eſt, abſque vllo diſpendio in eleemoſynarium transfundat. Vndè Abdias patriâ & genere Idumæus, impij Regis œconomus, & militiæ Præpoſitus; pietatis exhibitæ ſingulari priuilegio, pauperum, quos alebat, ſpiritum propheticum in ſeipſo cælitùs recudit; & aulicus Prophetarum altor, repentè propheta factus eſt. ô bonum diuitum cum pauperibus commercium!

3. Reg 18. v. 13.

*Elogia pauperum, ſine vllo diſpendio, in eleemoſynarium transferuntur.*

S. Hieron. in c. 1. Abdiæ.

9. Lucæ 14. cùm facis prandium, aut cœnam noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, &c. ne fortè te & ipſi reinuitent, & fiat tibi retributio. *Sed cùm facis conuiuium voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi.* His verbis deſcribitur laudatioris eleemoſynæ idea, & quæ gratias eleemoſynæ appendices largiùs obtinet. Qua de re ita philoſophatur Chryſoſtomus homil. 1. in epiſt. ad Coloſſ. *Voca pauperes, quia non habent retribuere tibi. Si verò pauperem vocaueris, Deum nunquam obliuiſcentem habebis debitorem. Quantò enim minor eſt frater, tantò magis per eum Chriſtus accedit..... Et beatus eris quia non habent retribuere tibi. Non ergò turbemur, cùm non recipimus beneficij compenſationem, ſed cùm recipimus.* ô bona humanæ beneficentiæ gnome! Quantò minor & abiectior eſt pauper, *tantò magis per eum Chriſtus accedit*: Bonus Deus, qui per minorem & pauperiorem inopem, impreſſiùs repræſentatur, & magis accedit. Quid nauſeas ad pauperioris & abiectioris egeni acceſſum, in quo Chriſtus Deus ad te magis accedit? *Non ergò turbemur, cùm non recipimus beneficij compenſationem, ſed cùm recepimus.* Nam qui accipit, recepit mercedem ſuam; qui verò non accepit, *Deum nunquam obliuiſcentem habet debitorem.* Quid tam opulentum, quàm Deum, cui omnes debent, habere debitorem? Magnum foret, Deo exoluiſſe debitum, cui omnes obærati ſumus; at piuſ aliquis miſericordiæ factus eſt, *Deum habere debitorem.* Igitur *turbari*

Lucæ 14. v. 13. & 14.

S. Chryſoſt.

*Quò minor eſt pauper, eò per eum magis Chriſtus accedit.*

licet,

licæ, cùm beneficium à paupere compenſatur.

10. Euſebius Emiſſenus homil. de viduâ, quæ duo æra miſit in Gazophylacium, ſic de eleemoſynâ ſcribit: qui in refrigeria pauperum aperuit manum ſuam, qui bonorum operum exercuit fructus, propheticum illud audire merebitur: *Et erit*, inquit, *tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Si bene reſpicimus multum iam recepit in tempore non ſuo, quia apud operantis meritum miſericordia ipſa iam præmium eſt.* Profundè quidèm Emiſſenus.

Euſeb.Emiſ.

Pſal.1.v.3.

*Dare eleemoſynam præmium dicitur.*

# SYNOPSIS CAP. X.

*Inducitur Aſſuerus fortitudine, & imperio præcelſus, qui populos circumquaque ampliſſimos ſibi reddidit vectigales; quique Mardochæum poteſtate, & gloriâ ſuprà reliquos principes ſublimiſſimè exaltauit; in quo dignitatis faſtigio eius erga ſuum populum beneficentia micantiùs enituit. Hactenùs* Hieronymus *ex Hebræo textu: exinceps ex Græco narrat, quomodò Mardochæus intellexerit ex Amani ruinâ, & nouâ Iudæorum felicitate, quid portenderet ſomnium olim per quietem oblatum. In hoc ſomnio, quod capite ſuccedente narratur, cognouit in paruo fonte, qui magnis aquarum incrementis exundauit in fluuium, & qui in lucidum Solem conuerſus eſt, adumbrari Eſtherem, à quâ tota Amanæorum, & Iudæorum cataſtrophe.*

---

## CAPVT X.

1. REx verò Aſſuerus omnem terram & cunctas maris inſulas fecit tributarias: 2. Cuius fortitudo & imperium, & dignitas atque ſublimitas, qua exaltauit Mardochæum, ſcripta ſunt in libris Medorum atque Perſarum: 3. Et quomodo Mardochæus Iudaici generis ſecundus à rege Aſſuero fuerit, & magnus apud Iudæos, & acceptabilis plebi fratrum ſuorum, quærens bona populo ſuo, & loquens ea quæ ad pacem ſeminis ſui pertinerent.

*Quæ habentur in Hebræo plenâ fide expreſſi. Hæc autem quæ ſequuntur, ſcripta reperi in editione vulgatâ, quæ Græcorum linguâ & litteris continentur: & interim poſt finem libri hoc capitulum ferebatur: quod iuxta conſuetudinem noſtram obelo, id eſt, veru prænotauimus.*

4. Dixitque Mardochæus: A Deo facta ſunt iſta. 5. Recordatus ſum ſomnij quod videram, hæc eadem ſignificantis, nec eorum quidquam irritum fuit. 6. Paruus fons qui creuit in fluuium, & in lucem, ſolémque conuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit: Eſther eſt, quam rex accepit vxorem, & voluit eſſe reginam. 7. Duo autem dracones: ego ſum, & Aman. 8. Gentes quæ conuenerant: hi ſunt qui conati ſunt delere nomen Iudæorum. 9. Gens autem mea: Iſraël eſt, quæ clamauit ad Dominum, & ſaluum fecit Dominus populum ſuum: liberauitque nos ab omnibus malis, & fecit ſigna magna atque portenta inter gentes. 10. Et duas ſortes eſſe præcepit, vnam populi Dei, & alteram cunctarum gentium. 11. Venitque vtraque ſors in ſtatutum ex illo iam tempore diem coram Deo vniuerſis gentibus: 12. & recordatus eſt Dominus populi ſui, ac miſertus eſt hæreditatis ſuæ. 13. Et obſeruabuntur dies iſti in menſe Adar, quartadecima & quintadecima die eiuſdem menſis, cum omni ſtudio & gaudio in vnum cœtum populi congregati, in cunctas deinceps generationes populi Iſraël.

## §. CCXXXII.

### *Commentarius Litteralis.*

*Verſ.* 1. Rex verò Aſſuerus omnem terram, & cunctas maris inſulas fecit tributarias.

1\. IN his tribus verſiculis, quibus Eſtheris in Hebræo textu hiſtoria concluditur, poſt Amani ruinam, & Mardochæi exaltationem proponitur peramplum Aſſueri imperium (de quo agemus ad cap. 13. v. 1.) & auguſtior dignitas, vt indè ſublimem Mardochæi auctoritatem amplificet; quippè qui à tanto Rege ſecundus fuerit & primus inter reliquos imperij Perſici dynaſtas. Et ſanè cùm de Aſſuero dicitur, quòd omnem terram, & cunctas maris inſulas *fecit tributarias*, non opinor, ſic eſſe intelligenda hæc verba, vt nunc poſt exaltationem Mardochæi, nouum aliquod prouinciis ſibi ſubiectis tributum impoſuerit, vt communiter putant Interpretes. Nam noui tributi denuò facta impoſitio, pronicias non *facit tributarias*, ſed ſupponit. Vndè inidoneè diceretur Rex recens vectigal imponens, regni ſui prouincias, *facere tributarias*, cùm iam diu vectigales forent. Perſpicuum autem eſt, has prouincias Aſſuero ſubiectas, & ipſi Aſſuero, & præcedentibus Perſarum Monarchis larga hactenùs tributa pendiſſe. Neque putauerim in his tribus verſiculis, qui terminant hunc Eſtheris librum, agi ſpeciatim hác de re: ſed vniuerſatim duntaxat proponi auguſtam Aſſueri dignitatem, & imperij amplitudinem, vt indè intelligatur quantus fuerit Mardochæus, ab ipſo ſecundus. Profectò infelix foret auſpicium Mardochæi intimæ Familiaritatis erga Regem; & nimis aduerſus populos odioſæ, ſi ab imponendis magnis tributis, initium ſumeret. Neque adducar, vt ſubſcribam Sanctio exiſtimanti tributa pro lætis Eſtheris nuptiis interim relaxata; nunc iterùm impoſita. Portò diuturnior fuiſſet illa à tributis pendendis requies, Regibus planè infrequens. Porrò Eſther ad Regem tanquam concubina ingreſſa eſt *ſeptimo anno* regni Aſſueri, menſe decimo, qui vocatur thebet, vt habetur c. 2. v. 16. paullò pòſt inauguratur Regina, ad cuius coronationem tributa relaxata ſunt. Hæc autem nuptiarum celebratio ex communi interpretum inibi vſque ad initium anni ſequentis, id eſt, octaui reiecimus. Dein Amanus ſortes iecit anno *duodecimo* regni Aſſueri, in menſe primo, qui eſt Niſan, 3. v. 7. ſiue ergò hæc tributa impoſita rurſùs ſint vbi primùm exaltatus eſt Mardochæus, cuius exaltatio paullò pòſt contigit: ſiue poſt feſtum Phurim promulgatum (vt mauult Sanctius) quod contingere non potuit, vt minimùm, niſi ſub initium anni ſequentis, id eſt, decimitertij, cùm ſub finem menſis Adar anni duodecimi, interfectio Perſarum à Iudæis peracta fuerit, poſtmodum Phurim feſtum inſtitutum. Ab initio autem anni octaui vſque ad initium anni decimi tertij, quinque omninò anni numerantur. Veroſimile autem non eſt, quinque annis nihilominùs, tot prouincias requiem habuiſſe à tributis, in tam ſumptuoſo domi militiæque, regum Perſarum apparatu. Non poſſum non fateri, me prorsùs neſcire, quomodò Sanctius hìc dicat anno *octauo Aſſueri* occiſos Amanitas, id eſt, Amani ſtudioſos, & Iudæorum inimicos, cùm ſupra cap. 3. v. 7. Aman miſerit ſortes *anno duodecimo regni Aſſueri*. Neſcio inquam, quid virum eruditiſſimè attentum fefellerit; præſertim cùm licet ſic conſtituat à nuptiis Eſtheris vſque ad excidium Amanitarum, menſes quatuordecim, diuturnior ſit etiam requies à pendendis tributis, in tantis ad bella ſumptibus, magnis Regibus obuia.

*Quo pacto Aſſuerus omnes prouincias fecerit tributarias.*

Sanctius. Eſther. 2. v. 18.

Sanct. ibid. n. 1.

2\. Profectò cùm rex Aſſuerus neque à nouis vectigalibus impoſitis; (licet illa tunc impoſuerit) neque à noua prouinciarum omnium debellatione (conſtat enim in antiquorum Regum Perſarum numeroſa latiſſimè regna ſucceſſiſſe) dici potuerit, quod *omnem terram, & cunctas maris inſulas fecit tributarias*; veroſimiliùs videtur, τὸ *fecit tributarias*, nihil aliud eſſe, quàm illi parere, ſubiectas illi fuiſſe, atque adeò vectigales & tributarias: tributum enim ſignum eſt ſubiectionis, & ſeruitutis character. Vndè cùm Rex dicitur plures prouincias *habere tributarias*; perinde eſt, ac habere ſubiectas, viſitatâ loquendi formulâ. Neque quemquam mouere debet, quòd Aſſuerus non dicitur has prouincias habuiſſe tributarias, ſed *tributarias feciſſe*, quòd aliquam ipſius actionem denotat. Verùm cùm ex nuper dictis conſtet, τὸ *facere tributarias*, non eſſe nouum ſubiectis populis impoſuiſſe tributum, neque enim poſſet Rex nouum tributum imponere, niſi dudùm tributariæ forent: neque adhuc probabile ſit, Aſſuerum eas omnes prouincias denuò debellaſſe, & tributarias feciſſe; putauerim, nonnullas ex his prouinciis, quæ tempore patris ſui Xerxis Græcâ expeditione fracti, rebellarunt (vt probauimus in commentariis ſuper Iudith) ſtrenuè recuperaſſe, vnde verſ. ſequenti eius in rebus præclarè geſtis *fortitudo* commendatur. His ergò rebellibus prouinciis reſtauratis, & aliis forſan bello ſubactis, & ad pacatas olim prouincias denuò adauctis, dicitur Aſſuerus tot populos ac prouincias *feciſſe tributarias*.

*Tributarias facere prouincias, perinde eſt, ac habere ſubiectas.*

3\. Quod autem ſcribitur, Aſſuerus *omnem terram, & cunctas maris inſulas fecit tributarias*, non eſt ſic intelligendum, vt omnem terrarum orbem ſibi ſubiectum habuerit. Idcircò in Hebræo textu (vt notat Mariana) non eſt, *omnem, & cunctas*, ſed *Aſſuerus impoſuit tributum ſuper terram, & inſulas*. Putat Lyranus Vulgati locutionem eſſe hyperbolicam; ſicut dicere ſolemus, omnes huius vrbis ciues adfuiſſe publicis ſpectaculis, quia plures adfuerunt. Sed forſan ſubintelligitur vocula reſtringens, nempe *omnem terram*, *illam* inquam: ita Serarius, Salianus, Emanuel Sà. Sic Geneſeos 41. de ſeptem illis annis, quibus in Ægypto, & vicinis regionibus fames præualuit, dicitur verſ. 56. *Creſcebat autem quotidie fames in omni terrâ*, in omni inquam, terra illâ: legantur inibi commentatores. Sic infrà cap. 13. verſ. 2. Aſſuerus dicitur omnem terram ſuo ſubiugaſſe imperio.

Mariana Hebræus.

*Omnis terra ſignificat omnem terram illam.*

Lyranus. Serarius. Salianus. Emanuel Sà.

Gen. 41.

*Verſ.* 2. *&* 3. Cuius fortitudo & imperium, dignitas atque ſublimitas.

4\. Hæc elogia ad Aſſuerum referunt LXX. interpretes

LXX interp.

terpretes, vt inde conſtet quantus quamque ſublimis fuerit Mardochæus a tanto Rege ſecundus. Neque credideirm nunc agi de Aſſuero, pro eo dumtaxat tempore quo Mardochæum exaltauit; ſed vniuerſatim de eo hæc dici. Nempe Aſſuerus hic fuit *fortitudine*, id eſt, rebus geſtis nobilis, *imperij* amplitudine potentiſſimus, *dignitate* ſublimis, *ſublimitate* anguſtus: qui Mardochæum ſic exaltauit, vt illum ſecundum à Rege, & Satrapatum primum effecerit: quod non tantum in ſacra hiſtoria, ſed etiam in profanis Medorum atque Perſarum annalibus, poſterorum memoriæ mandatum eſt. Mardochæus verò ad tantum dignitatis faſtigium euectus, inuigilauit ſolerter ſuorum ſaluti, paci, ac proſperitati.

Chaldæus. Dicitur *acceptabilis*, gratus, ſeu beneficus *plebi* Iudæorum, id eſt, *multitudini* (vt exponit Chaldæus) omnibus inquam, plebeis pariter ac nobilibus. Additur, *loquens ea quæ ad pacem ſeminis ſui pertinerent*. Id eſt, Mardochæos impenſiùs ſtudebat commodis, & quieti populi ſui Iudaici. Neque enim hic τὸ *ſemen*, pro eius filijs, ac poſteris accipitur, ſed pro ſuo populo, ac gente, vt aduertit Vatablus: ignoratur enim, an Mardochæus filios ſuſceperit, an improles obierit. De Eſtheris ac Mardochæi rebus hactenùs ſacra hiſtoria: quæ tametſi ad *Medorum*, atque *Perſarum* annales remittat, Plura in hiſtoriis non habemus, niſi quod Beniaminus in Itinerario tradit, vtriuſque ſepulcrum fuiſſe in nobili Medorum vrbe *Hamda magna*: cùmque tota illa prouincia, quæ inter Babyloniam, & ſinum Perſicum ſita eſt, *Mardochæa*, ſiue, vt legitur in Græco Ptolomæi textu, *ἀμορδαχία Amordachia* nominetur, ſuſpicantur aliqui à Mardochæo nomen accepiſſe.

Beniamin Eſtheris & Mardochæi ſepulcrum Ptolomæus.

## *De laciniis in Græcis codicibus ſcriptis, quas ab Hebraico textu Hieronymus ſeparauit.*

5. S. Hieron.

HActenùs quæ Hebraicè extant; quæ verò à verſ. 4 huius cap. 10. ſequuntur laciniæ, è Græco textu mutuauit Hieronymus. Nec ita accepit, vt additiunculam ſeu laciniam quamque ſuo loco, & capiti inſereret, ne ea quæ in Græcis duntaxat codicibus habebantur, Hebraico textui miſceret. Ad quem verò locum quælibet ex his laciniis pertineat, prænotamus ad ſingula hiſtoriæ capita, in cuiuſque capituli Synopſi. Cùm verò addit Hieronymus has lacinias ſumpſiſſe ex *editione vulgata*, magnam illis auctoritatem fœnerat; ſiue editio vulgata nominetur, quæ præ manibus tunc omnibus erat, & communis vſus; ſiue ſit ſeptuaginta interpretum Græca editio, quod plures volunt. Cùm autem hæ laciniæ in Hebræo textu non habeantur, ambiguum eſt vndè *editio vulgata* Græca eas mutuauerit. Potuit ſanè ex annalibus Medorum atque Perſarum, vbi procul dubiò epiſtolæ Aſſueri conſcriptæ erant. Potuerunt etiam ſaltem duæ illæ epiſtolæ ſeu edicta Regis, (alterum quo damnabantur Iudæi, alterum quo abſoluebantur) à quopiam Perſarum ſeu Iudæorum potiùs, curioſe ſeruari,

Vnde ſumpta ſint hæ laciniæ, quæ in Græcis tantùm codicibus extant.

cùm vtrumque omnium oculis appenſum fuerit. Vndecumque hæc humana notitia venerit, hæ laciniæ, quas Hieronymus attexuit à v. 4. huius cap. 10. vſque ad 16. incluſiuè, pro canonicis habendæ ſunt, vt probauimus §. 9. n. 1. & 2. vbi Sixtum Senenſem multis reiecimus; quem hîc etiam Mariana pluribus refutat, ſubruens Patrum & Doctorum auctoritatem, quâ prædictus auctor nitebatur. Mariana.

*Verſ.* 2. & 5. Dixitque Mardochæus: A Deo facta ſunt iſta. Recordatus ſum ſomnij, quod videram, hæc eadem ſignificantis.

Hoc fragmentum, quod reliquos huius capitis verſiculos tenet, inuenit Hieronymus ad finem huius hiſtoriæ, & nunc etiam extat in Biblijs Septuaginta interpretum in hoc cap. decimo; & meritò quidem poſt totam narrationem refertur. Nam etſi Mardochæus vidit hoc ſomnium (quod narratur cap. ſequenti, & ſeruato rerum ordine in Græcis codicibus habetur ante ea quæ ſcribuntur initio capitis primi) anno ſecundo Aſſueri, atque adeò ante decem annos ab Amane patibulato, & exaltato Mardochæo; tamen poſt hæc omnia, imò ex his omnibus, ſomnij interpretationem agnouit. Idcircò non ait Mardochæus ſe nunc ſomnium vidiſſe, ſed ex ſecuto euentu, interpretationem agnouiſſe. Ergo ſomnij ſolutionem particulatim denarrat; vnde ſomnium capite ſuccedente proponendum, generatim inſinuatur. 6.

Suo loco & rerum ordine, ſomnij interpretatio præponitur.

*Verſ.* 6. Fons paruus, qui creuit in fluuium, & in lucem ſolémque conuerſus eſt.

Hoc ſomnium, ſeu ſpectrum quod Mardochæus vidit in ſomno, obuerſatum illi eſt anno ſecundo Aſſueri, atque adeò vno anno ante celebre illud conuiuium, in quo Vaſthi depoſita eſt, quod Aſſueri anno tertio accidit. Quare ſeptuaginta interpretes ſeruato rerum ordine illud narrant in principio capitis, & ante depoſitionem Vaſthi, quæ ſequenti anno accidit. Hieronymus autem hoc ſomnium habet c. 11. in cuius verſ. 10. eadem propè verba referuntur. Peridoneè igitur Eſther *fonti* comparatur, qui cùm in prima ſui origine eſſet *paruus*, poſtmodum exundauit in *fluuium* maximum. Paruus erat fons, ſed perlucidus, lenis, gratus, cùm puella venuſtiſſima in captiui patrui domo paruula nutriebatur: cùm autem exindè pulchritudinis fauore ad regium virginum gynæceum electa fuit, & quadriennio inibi commorata, quaſi noua confluentium aquarum collectione, in fluuium maximum regio nomine tandem exundauit. Cornelius hic plures adducit cauſſas, quare Eſther fonti peridoneè comparetur. Et quidem ſicut magnum flumen cùm vltra ripas tumidum, & rapidum effluit, obſtantia quæque, & vaſtare, & præceps rapere in certum naufragium ſolitat; ſimulque arua in quæ exundauit, ad feliciorem prouentum fœcundare: Sic Eſther nuper paruula, ad regium nomen & ſolium euecta, fluuius maximus fuit, qui regia poteſta- 7.

Eſther 11.

Idoneè Eſther fonti, ac fluuio comparatur, quare.

Cornelius.

te exundans, Amanum, Amanitaſque omnes egit præcipites rapido vndarum impetu; ſimulq; ſuum populum ad omnem felicitatem vberrimè fœcundauit. Ita Sanctius allegoriæ huius expoſitionem tradit; aptiorem ſanè quàm Tirinus & Menochius, qui exiſtimant, ideò Eſtherem dici fontem, & fluuium, quia lacrymarum aquis, Amani incendium extinxit. *Sanctius. Tirinus. Menoch.*

## Et in lucem ſolemque conuerſus eſt.

8. *Tirinus.* Hæc vt opinor, eſt alia metaphora vel potiùs ænigma, quod Eſtherem non abſimiliter adumbrat. Putat Tirinus, quòd dum dicitur, *In lucem ſolemque conuerſus eſt*, eſt hendyadis, id eſt, hic fluuius poſtmodùm conuerſus eſt in Solem lucidum, ſeu in lucem ſolarem. Adſentirem, niſi priori ænigmati fontis in fluuium conuerſi, aliud adſimile ænigma appoſitum viderem. *Quomodò Eſther ſit paruus fons in fluuium exũdans, è quo lux, & Sol.* Nimirùm priùs adumbrata fuit Eſther in fonte exiguo, qui in fluuium maximum exundauit, Amanitas deuaſtans, & Dei populum fœcundans: nunc autem Eſtheris ſymbolum, id eſt, è paruo fonte fluuius maximus, rurſus ſenſim conuertitur primò in *lucem*, quâ pulchella, & in patrui domo patuula & pupilla Eſther ſignificatur: quæ poſtea ad Perſarum regnum aſſumpta, Soli pulchrè adſimilatur; tum quia Perſarum reges Solem æmulari præſumebant, & inde radiatâ coronâ vtebantur: tum etiam ad rem accommodatius; quia ſicut Sol nonnullos nimio ſui ardore offendit, & cognato æſtu fatigat & perdit; alios verò temperato calore fouet ac recreat: ſic Eſther olim in patrui domo tanquam tenuis *lux*, & exigua facula ſubnitebat; poſteà ad regnum ſublimata, velut *Sol* nimio ardore Amanitas exuſſit, & Dei populum benignè fouit, & recreauit. Hęc, vt reor, eſt genuina huius loci intelligentia, quæ explicatiùs clarat, quod cap. 11. v. 10 & 11. traditur dum hæc pars ſomnij refertur: *Eſther 11.* *Fons paruus*, inquit, *creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas redundauit. Lux & Sol ortus eſt, & humiles exaltati ſunt, & deuorauerunt inclytos.* Itaque hoc ſpectrum Mardochæo per ſomnium obſeruatur: Apparuit illi fons paruus ſenſim in fluuium maximum exundans: hic autem fluuius primò in lucem verſus eſt, lux autem illa in Solem conuerſa micantiùs radiauit, ex quo factum eſt, vt *humiles*, id eſt, Iudæos, exaltatos videre'; & *inclytos*, id eſt, Amanitas, deuoratos, enectoſque. Licet enim in verſiculo 11. vndecimi capitis, non dicatur fluuius in lucem conuerſus; at ex hoc verſiculo 6. cap. 10. ſic eſſe exponendum videtur. *Vatablus.* Vatablus autem paullò aliter rem concepit, & his verbis expreſſit: *Exiguus ille fons, qui euaſit fluuius ſimul autem erat lux, Sol & aqua plurima Eſther eſt, inquam ille fluuius.* *Cornelius.* Benè hic notat Cornelius, quòd ſæpè Scriptura combinare ſolitet aquas cum lumine. *Mendoça.* Addit Mendoça tom. 1. Annotat. 1. proœm. in lib. Reg. ſect. 3. n. 44. per hunc fontem, qui in fluuium & Solem conuerſus eſt, myſticè intelligi ſacram Scripturam.

## *Verſ.* 7. 8. &c. Duo autem dracones, ego ſum, & Aman, &c.

9. Adeò perſpicuè ſuum explicuit ſomnium Mardochæus, vt vix egeat interprete. Ergò ſi quid obſeruatione dignum fuerit, perſtrictim libabitur. *Cur Mardochæus & Aman appellentur Dracones.* Et ſanè tempeſtiuè *Draconibus* comparantur Mardochæus & Aman, ambo vigiles, truces, potentes, hic ad perdendum, ille ad ſeruandum. Notat Pierius Valerianus *Draconem* non modo Regũ, ſed & Præfectorum militiæ hieroglyphicum eſſe. *Pierius l. 15. Lucian l. de conſ. hiſt.* Addit Lucianus apud Perſas, ferociores & truciores milites, *Draconum* nomine deſignari. (Nec deſunt in recenti militia qui *Dracones* nominentur.) Hæc Mardochæo, & Amano apprimè conueniunt.

## *Verſ.* 9. Signa magna atque portenta.

Sic appellat (vt notat Menochius) admirabilem cataſtrophen euerſionis Amani & Amanitarum, & exaltationis Mardochæi, & Iudæorum. *Menochius.* Mirabile enim fuit, vt re humanitùs deſperatâ, quâ die omnium Iudæorum cædes parabatur, ipſi eorum hoſtes ad vnum cæderentur. Additur verſ. 10. *Duas ſortes eſſe præcepit*, &c. ] Si preſſe loquendum ſit, nefarias Amani ſortes de iniquè perdendo populo Dei, Deus non *præcepit*. At Biblicâ phraſi *præcipere* etiam Deus dicitur, quod præuidens male factum, in bonum aliquem finem prouidentiùs ordinat. Sicut Deus Semei contumelioſè ſceleſto, vt malediceret Dauidi *præcepiſſe* perhibetur. *Cur dicantur duæ ſortes.* Quod non tam dicendum, quàm non omittendum fuit. Præterea *duas ſortes* dicit, cùm ſortium Amani duntaxat mentio fiat: *duas ſortes* autem appellat vnam duplicis generis, vel vnam, quæ duas habet partes. Scilicet ſors Amani Iudæorum excidio deſtinat diem decimam tertiam menſis Adar; Deus autem arcana prouidentia incolumitati & vltioni Iudæorum, & Amanitarum ſtragibus, eandem diem ſorte præſcriptam, mirabiliter deſtinauit. *Dionyſ. Richel.* Vnde *vtraque ſors*, id eſt, vtriuſque partis ſors incidit in eandem diem: ſed præſtat cum Dionyſio Richel, per *duas ſortes* intelligere duos populos, qui conuenerant, & mutuò decertabant: nempe populum Gentium, hoc eſt, Amanitarum, & populum Dei, id eſt, Iſraëlitarum; cuius Deus miſertus eſt, & indè aduerſus Gentes præualuit. Itaque per τὸ *ſortes*, non adluditur ad ſortes, quas iecit Aman: ſed intelliguntur duo populi, qui cum duobus illis draconibus hoſtiliter conuenerunt.

Hoc caput. 10. ſomnij interpretationem continet; ſomnium autem ipſum capite ſequenti, quod eſt vndecimo ſcribitur. vbi totum Mardochæi ſomnium, & quale fuerit, explicatius tradetur.

§. CCXXXIII.

## §. CCXXXIII.

*Nonnulla carptim ad mores delibantur.*

*Verſ.* 1. Rex verò Aſſuerus omnem terram & cunctas maris inſulas fecit tributarias.

1\. *Auguſtior fœlicitas impiorum, damnationis æternæ obſes eſt.*

O Inſcrutabile diuinæ prouidétiæ arcanum! Vndè Aſſuero homini idololatræ ſalaciſſimo, ſuperbiſſimo, tanta imperij amplitudo, tanta honorum dignitas, tanta diuitiarum opulentia; in tá paupertina populi Dei calamitate? An quia benignus fuit erga Dei populum? an quia aduerſus eius perſecutores æquus & iuſtus? an quia in faſtu diuinitatis æmulo, Deum verum agnoſcere haud dedignatus eſt? Sed quid inuides humanæ huic felicitati, quæ æternæ infelicitatis & omen, & obſes eſt. Scitè Auguſtinus ita de Romanis ſcribit: *Quibus non erat Deus daturus vitam æternam cū ſanctis Angelis ſuis in ciuitate ſuâ cæleſti ſi neque terrenam gloriam excellentiſſimi imperij contuliſſet, non redderetur merces bonis artibus eorum*, id eſt virtutibus. Si tanto præmio Deus remunerat in hominibus idololatris & ſceleroſis vel virtutis vmbram; quàm magnificè in cælis veram ſanctitatem, & gratiæ facinora munerabit? Et aduerte, quos tantâ humanitùs felicitate Deus opulentat, tanquam regni cæleſtis exortes reputare, & beatitudinis ſorte exhæredatos. Quæ putatur glorioſior auguſtè felicitas, æternæ infelicitatis augurium eſt, imò & pignus eſt.

*S. Auguſt. l. 5. de ciuit. c. 5.*

*Verſ.* 1. Rex Aſſuerus omnem terram & cunctas maris inſulas fecit tributarias.

1\. *Tributis grex tondendus, nō deglubendus.*

O malum! Cùm Mardochæus Priuatorum optimus, rem ſummam Perſici imperij gubernat, ſui regiminis initium facit à noua prouinciis tributorum impoſitione? Impoſuit quidem ad immenſos belli ſumptus; ſed omnibus nullo exempto; ſed modica, ne nimis populi grauentur; ſed Cyrum imperij Perſici protomonarcham imitatus, qui apud Xenophontem dicere ſolebat: *Bonum principem nihil differre debere à bono patre. Quis verò pater filios ſuos excoriat?* Tritum eſt præ Politicorum celebritate, illud Tiberij apud Suetonium, qui à Conſultoribus inſtigatus vt vectigalia augeret, ſententioſè reſpondit: *Boni paſtoris eſt, gregem tondere, non deglubere.* Gregem tondet Mardochæus, non deglubit, non excoriat.

*Xenophon in Cyropæ.*

*Sueton. in Tiber.*

*Verſ.* 2. Cuius (Aſſueri) fortitudo & imperium & dignitas atque ſublimitas qua exaltauit Mardochæum.

3\. *Lxx. interp. Regia dignitas atque ſublimitas, Mardochæū eligit, & exaltat.*

LXX. interpretes omnia hæc elogia ad Aſſuerum referunt. quaſi Aſſueri res benè geſtæ, peramplum imperium, eius auguſta dignitas, atque præcelſa ſublimitas, Mardochæum exaltauerit, & in eius exaltatione maximè emicuerit. Nimirùm regia *dignitate*, atque *ſublimitate* ad præcelſum Reipublicæ Munus obeundum, dignus eligitur. Non tam mentis atque conſilij eſt, benemeriti electio, quàm *dignitatis* ac *ſublimitatis* Electoris.

*R. P. Didac. Celada in Eſtherem.*

*Verſ.* 2. Cuius fortitudo & imperium, & dignitas atque ſublimitas, qua exaltauit Mardochæum, &c.

Varablus in ſcholiis pro τὸ *qua exaltauit Mardochæum*, ita ex Hebræo exeribit, & exponit: *Declaratio magnitudinis Mardochai, quâ magnificauit eum Rex.* Pulchrè quidem conſultiſſima electio, qua ad ſublimiſſimum regni Munus exaltatur Mardochæus, non tam dicitur electio ad magnum Munus, quàm *declaratio magnitudinis Mardochai, quâ magnificauit eum Rex*, quaſi tantum támque præcelſum Munus, etiam ante electionem Mardocheus meritis gereret; atque adeò electio ad tantam magnitudinem, potiùs *magnitudinis declaratio* dici debet. ô ſic elige meritis opinatiſſimum, vt tui iudicij arbitrium non tam electio ad magnitudinem, quàm *magnitudinis declaratio*, dici poſſit, ac debeat! 4.

*Varablus. Electio Mardochai ſententioſè dicitur, Magnitudinis declaratio.*

*Verſ.* 3. Quomodò Mardochæus.... fuerit magnus apud Iudæos, & acceptabilis plebi fratrum ſuorum, quærens bona populo ſuo, &c.

LXX. interpretes ita hunc locum exſcribunt: *Glorificatus à Iudæis & amatus narrabat educationem genti ſuæ.* Quid eſt, quod Mardocheus ſecundus à Rege, & totâ regiminis mole occupatiſſimus, *narrabat educationem gentis ſuæ*? An filiorum *educandorum* præcepta Iudæis tradebat? Tanti æſtimabat in tenerâ ætate ſuorum mores efformare! An Mardochæus Eſtheris *educationem genti ſuæ narrabat*, vt inde ediſcerent, quàm ſit glorioſè proficuum ſollerti cura filios educare. 5.

*Lxx. interp. Mardochaus in excelſo faſtigio, curat de educatione gentis ſuæ.*

*Verſ.* 3. Et loquens ea quæ ad pacem ſeminis ſui pertinent.

Omitto quod Mardochæus in ſummo dignitatis faſtigio ſublimiſſimus, contribules ſuos, & omnem Iudæorum gentem, *ſemen ſuum* appellat. ſic ipſe improles, populū ſuum, tanquā proprios filios habet, & tractat. Sed quid eſt, loqui ea quę ad pacē pertinent? Varablus in ſcholiis: *loquēs pacē omni ſemini eius, id eſt, populi, hoc eſt, comiter alloquens omnes ſuos.* ô nimis benè! Pacem loquitur, qui in faſtigio dignitatis præcelſus, comiter loquitur. Qui ſecùs faxit, non pacem; ſed bella, iurgia, ſeditiones atque tumultus loquitur. Non renunciauit vrbanitati ſublimitas. Eſto benè vrbanus, ne ſis male & ſeditioſe ſublimis. 6.

*Varablus. Pacem loquitur, qui in faſtigio poſitus, comiter loquitur.*

*Verſ.* 6. Paruus fons qui creuit in fluuium, & in lucem Solémque conuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit, Eſther eſt.

Varablus ſic exeribit, & exponit præfata verba: *Exiguus ille fons, qui euaſit fluuius, ſimul autem erat lux, Sol, & aqua plurima.* Gratulor ſublimiſſimæ Eſtheri, quòd eius magnitudo tota ſimul non apparuerit, velut gigantes (ſpuria illa telluris ſoboles) diecula vnâ ſubitò nati, & ſtatim magni atque proceri, & cælo ſuppares. Perfecta quæque, & quæ nō immerito magni patroni fauore creſcunt, ſic per gradus ſuos ſenſim augentur. Sic Eſther primò exiguus fonticulus, poſtmodùm *fons* deindè nouo aquarum incremento *fluuius enaſit*, *& aqua plurima.* Primò fuit tenuis quædam facula, & exigua lux, quæ 7.

*Varablus. Non ſubitò, ſed per ſuos gradus creſcit Eſther.*

noua in dies fulgorum adiectione Solem æmulatur, & ſidereis ſplendoribus Solem adumbrat. Sic creſcit, qui de meritis excreſcit. Adhæc attentâ ethicè animaduerſione digniſſimum eſt, quòd Eſther ſimul exiguus fons & magnus fluuius fuerit, & in magno fluuio exiguum adhuc

8. fontem cuſtodierit. Et (quod mirere magis) *Simul autem erat lux, Sol, & aqua plurima.* Nempe ſic Eſther adhuc eſt humilis in faſtigio (*quicquid enim Mardochæus præcipiebat, obſeruabat regina Eſther: & ita cuncta faciebat vt eo tempore ſolita erat, quo eam paruulam nutriebat*) vt in Sole exiguam etiam lucem cuſtodiat: & dum tanquam fulgentiſſimus Sol prælucet, & orbem Perſicum ſuis fulgoribus illuſtrat, exiguam olim lucem minime deſueſcit. Et ſicut in magno fluuio paruulum fontem, ſic in lucidiſſimo Sole exiguam olim lucem cuſtodiuit. O quàm eſt arduum, & de raritate famoſum, in ſublimitate faſtigij, priſtinam adhuc exiguitatem retinere! In regina Eſthere ipſamet pupilla, captiua, paruula tranſlucet: tranſpareat etiam in magno Magiſtratu priuatus homo, in Abbate religioſus, in Epiſcopo Abbas in Pontifice Epiſcopus cuſtodiatur, nec priſtinam exiguitatem ſuperrimum faſtigium arroganter deſueſcat. *Exiguus ille fons, qui creuit in fluuium, ſimul autem erat lux, Sol, & aqua plurima.* Si verò myſtica iuuant, vide an pœnitentium lacryma, fons ſit, qui fluuij adinſtar exundans, abluit peccatorum ſordes. Et cùm non ſinat eſſe fontem ac fluuium, *ſimul erat lux, Sol, & aqua plurima.* Lacryma enim lux eſt conſcientiæ, & ſpiritualis vitæ Sol ad omnem probitatem illuminans. Sat intendiſſe digitum.

*Eſther 1. v. 20.*

*Eſther in fluuio fontem, in Sole exiguam olim lucem cuſtodit.*

*Lacryma, fons eſt, & fluuius: & ſimul lux, & Sol.*

*Verſ.* 7. Duo autem dracones: ego ſum & Aman.

9. Tametſi infamiſſime inuiſum *Draconis* nomen, Amano peridoneè conueniat: *Draco* enim beſtia eſt efferata, igneæ naturæ venena è præcordiis ructans & horrendas ſtrages ore ſibilans. Hæc Amanus, recens *Draco* antiqui atque veteratoris de peruerſitate æmulus. Amanus inquam, non Mardochæus religione & probitate præluſtris. Scilicet ſumma Amani malitia explicanda erat nomine *Draconis*; Mardochæi autem probitas ſatis non exponeretur, niſi vitij nomine pietates ſpiritus nec quò innuatur, quòd eius pietas non fuit minùs ad bonum audax, quã Amani impietas in malum temerariè præceps. Argutè Dionyſius Richel: *Duo autem Dracones: ego ſum, & Aman. Aman dicitur Draco per poteſtatis ſue abuſum, & venenatam impietatem; Mardochæus autem per poteſtatis valorem, & charitatis feruorem.* Itáque in Mardochæo ſtrenua virtutis audacia, profuſam vitij temeritatem, è diuerſo piè æmulatur; ne ſit pietas ſegnior, dum impietas eſt actuoſior. Hæc pia vitij quaſi æmulatio meta virtutis eſt & probitatis hyperbole.

*Virtus Mardochæi, Amani malitiam è diuerſo piè æmulatur.*

Dionyſ. Ric. ibidem.

*Verſ.* 7. Duo autem Dracones: ego ſum, & Aman.

10. Eſto, Aman *Draco* ſit propter venenatam hoſtilitatem aduerſus Dei populum: at Mardochęus quare *Draco* nominetur? Vir omni ætate piiſſimus, hoc vocabulo infamiſſimo deuenuſtandus erit? Eleganter Rupertus: *Draco Aman propter cauſſam veram, propter Diabolum, ſerpentem antiquum veraciter habitantem in pectore Aman.... Mardochæus Draco non reuera, ſed inimicorum, ſcilicet eiuſdem Aman, & complicum eius accuſatione falſa.* Sic falſa inimicorum opinio crebris contumeliis iactata, hæret, & inoleſcit, vt viro probiſſimo improbitatis vocabulum excudat in hoſtilitatis officina? An potiùs quia non bonos mores inimicorum, quibus cum contentione litigamus, vel ipſo contentioſo litigio quodammodò arripimus, haurimus, exprimimus; adeò vt nobis, ſi non contagium, ſaltem contagionis vocabulum allinant? Sic facile hauritur malitia quam, vel in aduerſario hoſtiliter auerſamur? Eheu vel! notitia vitiorum, ſæpe illorum ſuadela eſt, & imitationis illecebra! O caue, quiſquis virtutem amas!

*De inimicorum opinione conformur.*

Rupert. de Vict. l. 8. c. 2.

*Vel aduerſariorum vitia, auerſatione contentione ſenſim haurimus?*

*Verſ.* 7. & 8. Duo autem Dracones: ego ſum, & Aman. Gentes, quæ conuenerant: hi ſunt, qui conati ſunt delere nomen Iudæorum.

Aman filius erat Amadathi, de ſtirpe Agag 11.
regis Amalecitarum Mardochæus autem de progenie Cis patris Saül; imò (vt nonnulli cenſent) ex ipſius Saulis regiâ ſtirpe. Hinc pulchre ad mores Rupertus philoſophatur: *Non putemus,* inquit, *Amanem tunc primum eſſe cœpiſſe hoſtem Iudæorum, quando Mardochæus eum adorare noluit; imò iam dudùm fuerat hoſtis, antiquam crudeli in pectore geſtans odij cauſſam, veterem perflans ardenti irâ inimicitiarum materiam. Agag quippè cuius de ſtirpe hic erat Aman, interfecerat Samuël, regem Amalec: quam videlicet gentem peccatricem delere mandauerat Dominus Saüli regi Iſrael. Pepercit Saül & populus Agag, & optimis gregibus ouium & armentorum, & veſtibus, & arietibus, & vniuerſis, quæ pulchra erant.* Ecce tibi antiquam recentis odij cauſſam inter Amanem Agagæum, & Saülitam Mardochęum, Rupertus cum aliis Commentatoribus aſſignat. Sed forſan hæc cauſa, quæ inteſtinum excitauit odium potiùs inter Agagæos erga Saülitas, æternum amicitiæ & beneuolentiæ fœdus inire debuiſſet: nam rex Saül à Domino iuſſus, omnes funditus Amalecitas delere, regi Agag pepercit, & vita iniuſſus donauit, quam ob cauſſam regni iacturam fecit. An non id potius Amanum, & reliquos Agagęos benefico amicitiæ fœdere deuincere debuiſſet erga Saülitas, qui cum tanto ſui periculo vitam Agag regi donauerunt, & vilia quæque tantùm deuaſtarunt? An ideò Agagæi offenſi adhuc manent Saülitis, quia qui in re vna etſi leuiculâ offendat, licet in magnis, magnóque ſui diſcrimine beneficus extiterit; leuiter læſus, offenſæ memor, beneficiorum oblitus, æternas hoſtiliter inimicitias gerit? An quia quiſquis propria commoda & lucra captans, benefacit, beneficio offendit, & hoſtilitatem ſollicitat? An potiùs quia qui omittit exequi rigores 12.
à Superiore præſcriptos, eiuſmodi indulgentiæ aut conniuentiæ beneficio, (quod putari poſſet amicitiarum fœcundum) inimicitias excitat, & odia alte fixa è diuerſo parturit, arcano iniuſſæ conniuentię ſacramento? ô quoties iniuſſa benigniùs indulgentia, reũ tibi nõ obligat, ſed auertit; & iubentem offendit, exaſperat, irritat! Omnis Sub præfectorũ inobſequela, omniũ ſæpe offẽſio eſt.

Rupert. l. 8. de Vict. c. 4.

1. Reg. 15. v. 9.

*Qui in re etiã leuiculâ offendit, magna beneficia perdit.*

*Beneficus ob propriam vtilitatem, inimicitias beneficiũ mercatur.*

Indè Agagæi, qui Saüli beneuolentiam debuiſſent, ob iniuſſam rerum fractarum indulgentiam, diram hoſtilitatem exinceps expreſſerunt, grato officio potiùs offenſi.

*Verſ.* 12. Recordatus eſt Dominus populi ſui, ac miſertus eſt hereditatis ſuæ.

13. LXX. interpretes pro τὸ *miſertus eſt*, moraliſſime pariter ac literatiſſimè excribunt: *Iuſtificauit.* Scilicet dum pietas ſic *miſeretur*, vt remittat ſupplicium, *iuſtificare* perhibetur. An quia impunitate innocens apparet, qui de ſupplicio ſceleroſus apparet? An quia reus ob infamiam supplicij, ſpem famæ recuperandæ excutiens, ad omnia flagitia effrenis inſtigatur? qui autem bonam famam de ſupplicij indulgentiâ non amiſit, *iuſtificari* dicitur. Sic *iuſtificationi* vicinatur, qui bonæ famæ iacturam non fecit. Curam habe de bono nomine, quod ſæpe eſt pietatis cuſtos, & honeſtum virtutis retinaculum. Qui à vitio infamiam non timet, impudenter delinquit. O quoties probroſi ſupplicij benignior indulgentia arcana quædam *iuſtificatio* eſt!

*LXX interp. Iuſtificauit pro miſertus eſt; id eſt, ſupplicio non infamauit.* [margin note, partly illegible]

---

## §. CCXXXIV.

*Tributorum dura exactione, Chriſti Dei paſſio adumbratur: & ſub Nabuchodonoſore, Dei populus vectigalibus liqueſit.*

1. *Suet. in Calig. Vectigalia inaudita excogitauit Caligula, & Salomon.* DE Caligulâ Principum perditiſſimo & inuidioſiſſimo, ita Suetonius ſcribit: *Exhauſtus atque egẽs ad rapinas conuertit animum vario & exquiſitiſſimo calumniarum & auctionum & vectigalium genere, vectigalia noua atque inaudita exercuit; nullo rerum aut hominum genere omiſſo, cui non tributi aliquid imponeret.* quod grauatè admodum tulerunt populi, cùm ingenuitatem pariter cum ſenſu & facultatibus imminutam dolerent.

*Tertull. in Apol. c. 13.* *Sed enim* (inquit Tertullianus) *agri tributo onuſti, viliores: hominum capita ſtipendio cenſa, ignobiliora: cum hæc ſint notæ captiuitatis:* Hinc Dei populus ſub Roboamo gemit vectigalium iugo grauiſſimo obæratus à Salomone,

*Hic verſ. 1.* hâc in re Caligulæ parallelo, & Aſſueri in hoc verſ. 1.

Iſaiæ 53. hic euangelicus Vates Chriſti Dei in-

2. *Iſaiæ 53. v. 7.* iurias & cruciatus, quos in Paſſione pertulit acerbiſſimos, præſaga mente deſcribens, ſic fatur: Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: *Sicut ouis ad occiſionem ducetur; & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet.* Siquis eſt ſacer ſcriptor, qui politâ dictione vrbanam eloquentiam redoleat, Iſaias eſt, cuius regia nobilitas in eloquij nitore tranſlucet. Sed enim timere hîc poſſe videtur rhetorum ſupercilium: porrò & decreſcit oratio, cum agnus ſub tonſoribus qui eum vellicant, ponatur poſt ouem quæ ad occiſionem ducitur; & agnus coram tondente ſe mutus, tanquam parallelus ponatur ouis quæ occidenda ducatur. Par ne eſt tormentum ouis, quæ ad occiſionem ducitur, & agni qui ſub tonſoribus ſilet?

*Chriſtus quaſi agnus corã tonſoribus, id eſt exactoribus. Quare* Quare ergò Chriſtus Deus, qui in paſſione ſua comparatur oui ad occiſionem ductæ, poſtmodùm ad rem augendam, vel ſaltem amplificandam, comparatur agno, qui ſub agreſti tonſore vellus deponit! *deponitur.* Notum eſt pecunij velleris ſymbolo, vectigalia denotari: hoc enim tributum grex pendit. quod in Gedeonis vellere aliàs adnotabamus. Chriſtus igitur in acerbiſſimâ & probroſiſſima paſſione comparatur oui ad occiſionem ductæ, inſuper & agno, qui ſub tonſoribus (velleris inquam exactoribus) ſilet. *Franc. Sen. l. 3. de Inſt. reip.*

P. Sanctius præfata Iſaiæ verba inibi exponens, ita ſcribit: *Et quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet. Tu hîc expende ac meditare, quàm manſuetus ille agnus qui abſtulit peccata mundi, crudeliter detonſus ſit, & ſpoliatus non tantùm artificiali corporis veſtitu, ſed etiam naturali, pellis integumento: In quo apparent crudeliſſimè illius tonſionis veſtigia, & mirare ſilentium illud admirabile quo pertulit ſpoliationis tam inſignem iniuriam & doloris tam duram carnificinam.* *Senec. ibi. n. 42.* Scilicet quaſi parùm foret Chriſto in enormiter crudeli ſuæ Paſſionis cruciamento, tanquam ouem ad occiſionem duci; inducitur etiam quaſi agnus, qui tributarium vellus tonſori, velut tributorum exactori, mutâ patientiâ tribuit. Nimirùm quandò poſt dira flagella tabe cruentatum Chriſti corpus tunica inconſutili inhumane exuitur, aſſimilis apparet agno, qui dum tributarium vellus ſub tonſore deponit, vellicatur, lauciatur, cruentatur, & partem non modicam corporis cum vellere extractam, dolet, & ſilet. Exindè cùm de Chriſti in paſſione cruciatibus ſermo eſt, non modò prædicit Iſaias, quòd *ſicut ouis ad occiſionem ducetur;* ſed Paſſionis calamitatem mirè amplificat, aiens, quòd etiam *ſicut agnus coram tondente ſe obmuteſcet*, cùm tributarium vellus ſub tonſoribus, id eſt, exactoribus cruentus & tacitus relinquit. Vide quàm ſit gregi acerbum ſic tonderi, vel potiùs deglubi. Viderint Principes, qui tõderi iubent gregem ad tributarium vellus, an exactoris ac trapezitæ crudelis ac furax auaritia illum enormiter maceret, deglubet, vt cum vellere naturaliter vectigali, non modica corporis & vitę parte ſpolietur exactorum immanitate crudeli.

Matthæi 17. cùm veniſſet Ieſus cũ diſcipulis 3.
ſuis Capharnaum, acceſſerunt Cæſaris exactores *Matth. 17. v. 26.*
ad Petrum, & dixerunt ei: *Magiſter veſter non ſoluit didrachma? Ait: Etiam.* Et cùm intraſſet in domum præuenit eum Ieſus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel cenſum? &c. Vt autem non ſcandalizemus eos: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me, & te.* *Chriſtus Paſſionem ſuſtinens, tributum pendere dicitur.* Multa ſancti Patres, & Euangeliorum Interpretes ſuper hoc tributo quod à Chriſto Deo exigitur commẽti ſunt, quæ libens omitto, vt citiùs excribam ſingularem appoſitiuè expoſitionem Theophili Antiocheni, qui ſic præfata verba commentatur: *Theophil. Antioch l. 1. Comm. in Euang. ad ea verba.* *Vade ad mare: & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, &c. Hoc tributo Paſſio Domini deſignatur; quia homo abſtrahendus erat à ſeculo, habens in ore ſuo ſtaterem, id eſt, didrachma......... vnde debitum, (id eſt, peccatum) generis humani poſſit abſolui; quia Paſſione Chriſti liberandi eramus à debitis peccatorum.* Ecce tibi probroſiſſima & acerbiſſima Chriſti *Paſſio*, ſignificatur per *tributum* exactoribus expenſum. Meditare contumelias, iniurias, cruciatus, tor-

menta,& ipſam crucem,quam Chriſtus in Paſſione pertulit:hæc omnia tributum , quod exactoribus pendit, typicè figurabat. Scilicet quod Iſaias de Chriſto in ſuâ paſſione prædixit: *Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet*, hoc Chriſtus adumbrauit, *tributum* exactoribus pendens; impleuit autem dum acerbiſſimam paſſionem mutâ patientia tulit. Hâc crudelitatis & auaritiæ amurcâ non tam Principes,quàm eius miniſtros , opinor eſſe infectos.quod tempeſtiuè ſcribit Hildebertus ad quendam Principem Anglicani regis nepotem *Ex tuis*, inquit ,*miniſtris neceſſe eſt diuinam metuas indignationem ; qui circa pauperes, & ſanctuarium Dei quicquid impiè volunt impunè agunt Huiuſmodi bonos Principes, ſed prauos habentes miniſtros , Scriptura nunc Scyllam , nunc Harpyas appellat.* Multa ad hanc rem Hildebertus ſcribit,quę alibi excripſimus,& expendimus.

Hileb. ep. 59.

4\. Thren. 1. v. 1. Threnorum. 1. factum eſt , poſtquam in captiuitatem ductus eſt Iſraël,& Ieruſalem deſerta eſt , ſedit Ieremias propheta flens,& planxit lamentatione hâc in Ieruſalem , & amaro animo ſuſpirans,& eiulans, dixit , Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo: facta eſt quaſi vidua domina Gentium : *Princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo.* Quaſi dicat : Ieruſalem quæ ſub Dauide & Salomone & toti Iſraël principabatur;dominabaturque Philiſtæis , Moabitis , Syris,Ammonitis , Idumæis , aliiſque gentibus & prouinciis , vt patet 2.Reg.8.& 3.Reg. 9. nunc ſeruit Chaldæis, quibus vectigalis facta eſt. Illa ergò ciuitas & prouincia , quæ Dei religionem tota vnicè colebat,iam à ſe diuiſa & lacerata eſt rebellione infidâ:& quæ aliis exteris longè latéque prouinciis tributa exigebat opulenta,penſitat iam ipſa non vulgare aut leue , ſed immane, nec tolerabile vectigal. *Princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo.* Ad quæ Ieremiæ verba eruditè pariter actè peſtiue noſter Cornelius notat , quòd *Tributum vocatur Hebraicè* מס *mas , à radice* מסס *maſas , id eſt, liquefecit. Significat ergò mas non tantùm cenſum è facultatibus , ſed omnem contributionem , omneque onus perſonale, quo tributarius in ſeruitute alicuius ſe ſuaque omnia inſumit , liquefacit , & exhaurit.* Eheu id lugubri funeſtè planctu opplorat Propheta,quòd Dei populus,apud quem eius religio vnicè ſupererat , nuper prouinciarum auguſtè Princeps ſub immetato tributorum onere gemat , vt vectigali ſeruitute, *ſe ſuaque omnia inſumat , liquefaciat,* & ſenſim *exhauriat!* Primò aliquæ tribus tumultuosâ infidè rebellione defecerunt ; mox tributorum , contributionum , & onerum perſonalium immani onere,vrbes & oppida nuper frequenti plena populo,aut magnâ ex parte imminuta ſunt, aut ad pauperinas redacta , non vrbes , ſed vrbium cadauera iacent,ſilent , ſqualent , vomeri malignè peruia. Sic Dei populus prouinciarum dudùm Princeps tributariâ irremediabiliter ſeruitute,*ſe ſuaque omnia inſumit , liquefacit , exhaurit.* Quaſi tributorum onus immodicum, quo Hebræus populus premebatur , diſſimulata pyra ſit , quâ ſenſim *liquefit*, & guttatim imminutus. ſoluitur , & abit in nihilum , funeſta indies ruinâ. Quod lugubri planctu , & lamentatione tragicâ opplorat Propheta irremediabilibus lacrymis occinens : *Princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo. Significat ergò non tantùm cenſum è facultatibus,ſed omnem contributionem, omneque onus perſonale , quo tributarius in ſeruitute alicuius ſe ſuáque omnia inſumit , liquefacit, exhaurit.* Hanc ineluctabilem tributorum calamitatem Hebræa gens enormiter peccatrix,iuſtè promeruit, & exactè ſoluit.

2\. Reg. 8.
3\. Reg. 9.
Cornel. ibi.
*Dei populus tributorum immenſi ate ſenſim liqueſcit, & exhauritur.*

5\. Exhod. 1. v. 11. Sanct. ibi n. 12. Addit Sanctius præſcripta Threnorum verba exponens , quòd vbi Exhodi 1. Vulgatus dixit de Pharaone,Hebræam gẽtem crudeliter opprimente ; *præpoſuit itaque eis magiſtros operum , vt affligerent eos oneribus ; pro τὸ Oneribus : eadem vox eſt Hebraicè Mas,quæ hic , Sub tributo.* Heu Pharaoniana Hebræorum oppreſſio,auara tributorum impoſitio , & ferax exactio eſt ! De quo alias vbertim ex Lipomano.

*Pharaonis oppreſſio, tributorum exactio eſt.*

6\. S Nazianz. Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 9. ad Iulianum,quæ eſt tributorum exactione , illum monet vt moderata vectigalia populo imponat, vt ad ſimilia Deus vltor miſerorum , ab illo exigat : *Quomodo* , inquit , *alios deſcripſerimus in libro rationum & cenſus , eodem ipſi quoque deſcribemur. Hanc deſcriptionem ſi facilem , & accommodatam experiri cupis , fac te commodum nobis , & humanum præbeas ,* Quin & Princeps putare non debet , quòd nimiâ vectigalium exactione ærarium , ac theſauros ſuos augeat , quos maioribus potiùs tributis imminuit , vt vidit Theodoricus apud Caſſiodorum lib. 4. Variar. Epiſt. 38. *Sed à nobis* , inquit , *qui fiſci vtilitatem ſtabili volumus diuturnitate conſiſtere , excludenda eſt diſpendioſa ſemper extorta. Ne augmento ſuo tumens ſumma deficiat , incipiatque magis deeſſe , quia immaniter viſa eſt accreuiſſe.* Heu nimis verè ! Plura qui volet , legat illam Caſſiodori epiſtolam , quæ Principes eloquenter ad moderationem erudit.

*Qualia tributa Princeps imponit,talia Deo pendit.*

Caſſiodor.
*Augmento ſuo decreſcit tributorum ſumma.*

7\. Hebræus Philo in lib. de de Creatione Princip. cauſſam quærens cur iuſſum à Domino fuerit,ne vinea altera ſeratur ſemine,ita ſcribit : *Ne bonus ager ait , prematur , onere grauiſſimo vexatus vel ſerentium , plantantiumque operis in orbem redeuntibus,vel duplicata feracitate fructuum. Satis enim eſt ſi Dominus ex ſuo prædio tributum exigat annuum , ſicut Rex à ſua ditione. Qui verò plura tributa conatur imponere ſubditis , non facit officium Principis , ſed auari , & pugnantis cum naturæ legibus. Quapropter quicumque colonus ad rem attentus inter arbuſta ſeminat , poteſt obiurgari his verbis Legiſlatoris : Cur ſauior es Regibus ciuitates regioneſque debellantibus ? illi proſpicientes futuro tempori ſuis parcunt prouincialibus contenti vno tributo annuo , ne ſubiectos citò redigant ad extremam inopiam : Vos autem cùm ex eodem fundo colligatis ex vere hordeum, atque triticum , in æſtate fructus arborem duplici cum tributo grauatam opprimitis , fieri non poteſt, quin exhauſtus deficiat , quemadmodum athleta , cui reſpirare non datur , ac vires colligere , vt certamen redintegret.*

Numer. 22. v. 9.
Philo.
*Immodica tributa Regibus Regniſque pernicioſa ſunt.*

§ CCXXXV.

## §. CCXXXV.

*Quandò Regis ſceptrum in exactorum duntaxat manu eſt, proximæ ruinæ re num vicinatur.*

1. Plutarch.

REfert Plutarchus in Laco. quòd opinatiſſimus ille A camenes Telecri filius cuidam percontanti, *quo pacto quis regnum ſeruare poſſet. Si lucrum, inquit, non magni fecerit. Longè lateque diſſentiens à vulgo Principum, qui non aliâ magis ratione principatum conſtabilire ſtudent, quam attenuandis ciuibus, & ſuis augendis opibus.* Itaque Regum in primis ſtudium & officium eſto, populares ſuos locupletes efficere. Popularibus autem ditioribus factis; non vtique Reges pauperes exiſtent. Quoniam ſubditorum amor & beneuolentia, veri ſunt Principum theſauri, non innumerabilis pecunia imperata, quæ abalienat ſubiectorum animos, & ab eorum auertit obſequio. Traianus imperatorũ idea, *fiſcum, lienem vocare ſolebat, quod eo creſcente, reliqui artus omnes tabeſcerent.* Heu quàm languet caput membris tabeſcentibus! Fiſcus vectigalibus plenus, Principum tumor eſt, non magnitudo.

*Regum ſ... bini ... temperatam.*

Laug. in Niceph. annot.

2. Thomas Adamus. Iſaiæ 9. v. 4.

Iſaiæ 9. Multiplicaſti gentem, non magnificaſti lætitiam. Quæ verba S. Thomas, Adamus, & alij intelligunt de rege Sennacherib Hebræũ populum duriùs ſubiugante. Addit: *Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madian. Quia omnes violenta prædatio cum tumultu,* & veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionẽ, & cibus ignis. Dũ ſubiectus Regi populus grauiſſimũ tributorũ onus ſubibat, Regis humero *virgã* tribuit Propheta & *ſceptrum exactoris* eſſe dicit. Audiendus eſt Hugo Carenſis, qui his verbis præſcriptum locum elucidat: *Iugum oneris eius, id eſt, onerosum iugum Sennacherib. Et virgam humeri eius, id eſt, poteſtatem eius. Et ſceptrum, id eſt imperium, Exactoris eius, id eſt, Sennacherib iniuſtè exigentis & imponentis tributum terræ Iuda, ſuperaſti, ſicut in die Madian, id eſt, ita m facilè, & ſine ſanguine, ſicut à Gedeone victi ſunt Madianitæ.* Quandò ne tam facile & ſine ſanguine, regis Sennacherib imperiũ excutitur, ſicut à Gedeone deuicti sũt Madianitæ copioſiſſimâ acie per trecentos viros malè cõcisâ? Nimirùm cùm regni ſceptrum, non tam Rex portat, quàm vectig lium exactor, *ſceptrum exactoris eius*, inquit. Mirum ſanè quod reg o humero *virgam* tribuat, quâ ſubiectus populus ignominioſè vapulat; regium verò *ſceptrum* tributorum *exactoribus* adſcribat. Sceptrum in *exactorum* duntaxat manu, regi Sennacherib non bonum amittendi regni augurium exiſtit. Cùm regium *ſceptrum* reliquis omnibus partim omiſſis, partim neglectis, in id vnum præcipuè incũbit, vt regiâ poteſtate, *exactores* aduerſus ſubiectos populos armentur, *eiuſmodi violenta prædatio cum tumultu* fit; oppreſſa tributis Palæſtina gemebat; vndè graue *iugum oneris eius* violenter excuſſit; *Sicut in die Madian, id eſt, tam facile, ac ſine ſanguine ſicut à Gedeone victi ſunt Madianitæ.* Totum Regis *ſceptrum* in *exactorum* manu, infeſtum Sennacheribo, & Aſſuero omen eſt. Fatale fuit his regnis, cum *ſceptrum*, id eſt; tota Principis poteſtas, & regiminis cura, in multiplicandis onerosè tributis ſollertiùs incubuit.

Hugo ibi.

*Malè Sennacherib ſceptrum in manu exactorũ poſuit.*

Hic v. 1.

Sed adhuc præſcriptus Iſaiæ locus myſticè etiam ad thema præſens emedullandus eſt. *Iugũ oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madian.* Quis eſt hic Princeps, cuius *exactor ſceptrum* eius manu tenet? Et quænam eſt hæc durior exactio? Strabus Fuldenſis ſic locum exponit. *Sceptrum exactoris, ipſius ſcilicet exigentis Diaboli, quotidie enim numum peccati, quem primo homini commiſit, à poſteris cum vſurâ exigit.* Nimirùm primus homo paradiſeæ præuaricationis reatu, Diabolo ſubiectus eſt. Sed accuratiùs expende & numera, ſi ſupputando euales, quot originales culpas, quot calamitates, quot ægritudines, quantum pœnarum indies cumulum homines duriùs pendant; pendentque vſque ad ſeculi finem. Hæc omnia quæ ineluctabili paſſione patimur, tributa ſunt, quæ *ſceptro exactoris* Diaboli exiguntur, adhuc debito perdurante. Nullo, opinor elogio potuerunt viuaciùs exponi ærumnæ & calamitates, quas à primæuo delicto humanitas tota dependit, quàm ſi *ſceptro exactoris* ſubiecta nominentur.

3. Iſaiæ 9. v. 4.

Strabus ibi.

*Homines ſceptro exactoris Diaboli, per Adami culpam ſubduntur.*

Accinit illud Matthæi 17. Et cùm veniſſent Capharnaum acceſſerũt qui *didrachma accipiebant*, ad Petrum, & dixerunt ei: Magiſter veſter non ſoluit didrachma? Ait, etiam. Et cùm intraſſet in domum præuenit eum Ieſus dicens; Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel cenſum à filiis ſuis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Ieſus: Ergò liberi ſunt filij. Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum; *& eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me, & te.* Mitto quòd noluit Chriſtus tributum ſoluere ex his pecuniis, quas eleemoſynæ nomine acceperat; ſed piſcatorem Petrum, miſerit piſcatum; vt ex induſtriâ ac arte acquiſitis vectigal pẽderetur. Et ſanè Petrus vectigalis ſoluere adſuetus, tributum debebat; non Chriſtus, diuinæ filiationis iure exemptus. *Pulchrè* (ait inibi Hieronymus) *illud ipſum quidem datur pretium; (Da eis pro me, & te) ſed diuiſum eſt: quia pro Petro quaſi pro peccatore pretium reddebatur. Dominus autem noſter peccatum non fecit. Oſtenditur autem ſimilitudo carnis, dum eodem & ſeruus & Dominus pretio liberantur* O rapaciſſimè auaram in exigendis tributis Cæſarum tyrannidem! Idemne vectigal à filio & ſeruo, à debito tributorum exempto, & ab eo qui tributum debet, exigitur? Nemo vel sãctioris inſtituti, imò diuinitatis priuilegio, à tributorum cenſu immunis eſt? Chriſtus Deus omnipotentiæ theſauris prædiues, immunis eſt à vectigalium debito; at ne ſcandalizentur exactores, indebitum vectigal pendere ſtatuit: pulchrè autem pro Chriſto Domino, & pro Petro piſcatore *illud ipſum datur pretium*, idemque tributum & à prædiuite Domino, & à piſcatore pauperculo exigitur Cæſarei *exactoris ſceptro*. Heu quàm tributis grauantur pauperes, quandoquidem tantundem ac prædiuites pendere coguntur: idem

4.

Matthæi 17 v. 26.

*Petrus & Chriſtus idẽ Cæſar tributum pendunt.*

S. Hieron.

enim pretium Petrus, ac Dominus pendit! Miraculis opus eſt, vt habeāt pauperes vndè tributa pendere poſſint. Et nota myſticè cum Hieronymo, quòd Chriſtus qui peccatum non fecit, & Petrus peccator, idem ex ſtotibus pretium, tributi nomine exoluunt: nam cùm tributorum exactor cenſum exigit, ab exemptis etiam & nō debentibus pariter exigere ſolitat. Chriſtus Deus vectigalis non fuit peccato; & tamen exactor idem pretiū ab eo exigere auara rapacitate præſumit. O iniuſtas, furaces, ac violentas exactorum prædas! Non diu ſtetit Cæſarum ac Diaboli imperium, tantâ exactorum tyrannide violenter oppreſſum.

5. Iſaiæ 3. Ecce Dominus auferet à Ieruſalem validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ: fortem, & virum bellatorem, iudicem, & prophetam, ariolum, & ſenem: Principem ſuper quinquaginta, & honorabilem vultu, & conſiliarum, & ſapientem de Architectis, & prudentem eloquij myſtici. Et dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis. Et irruet populus, vir ad virum. Apprehendet enim vir fratrem ſuum: Veſtimentum tibi eſt, princeps eſto noſter, ruina autem hæc ſub manu tuâ. *Reſpondebit in illâ die, dicens: Non ſum medicus, & in domo meâ non eſt panis, neque veſtimentum: nolite conſtituere me principem populi. Ruit enim Ieruſalem, & Iudas concidit.* Mirum ſanè eſt, quid hic vir oblatum detrectet regnum, quia panem non habet, neque veſtimētum. Imò quantumuis ruinoſum ac depauperatum ſit regnum, nunquam ex erogandis tributis, panis ac veſtitus Regis deerit. Verùm mitiſſimum eſt, quod reiiciat regnum, quia *Medicus* non eſt. Opinor, Hippocratis aut Galeni officina Principes, principandique peritiam fabricat. Magnum ſanè ridiculum videtur, defectum medicinæ repudiando regno prætexere. Sed forſan arcana Regum eruditio eſt, è Bibliotum adytis eruēda. Pro Tò *non ſum medicus*, Chaldæus habet. *Non ſum ligans vt ſim caput aut Princeps.* Pintus, *non ero ligans.* Et ſanè Hebræa vox, quæ τò *medico* ſubeſt, eſt חובש *chobes, id eſt, chirurgus, qui vulnus obligat*, vt peritè inibi Cornelius adnotauit. Nimirùm Rex, qui eſt caput, cuius corpus Reſpublica eſt, debet eſſe *medicus, & chirurgus*, qui venam a ſanguinē emittēdum tempore idoneo aperire peritè ſciat inflictumque vulnus *obligare*, ne ægrotus reddatur exanguis. Itaque Rex velut *medicus* noſſe debet quo tempore emiſſio ſāguinis ſubiectorum, quæ tributorū impoſitione peragitur, facienda eſt: nam indoneo tempore facta ægrotum, id eſt, Rempublicam ſic debilitat, vt quo tempore facienda erat, hoc eſt, dum bellorum vrget occaſio, fieri non poſſit, propter ægrotæ & exuccæ Reipublicæ imbecillitatem; vnde incurabilis infirmus deficit. Debet etiam eſſe tanquam *chirurgus, qui vulnus obliget*, & perdendorum vectigalium ſanguinem cohibeat, ne ſenſim Reſpublica reddatur exanguis. Ideircò Rex inidoneus regno dicitur, qui nō eſt *medicus*, qui ſciat quando Reipublicæ ſanguinem tempeſtiuè emittere debeat & *chirurgus*, vulnus ligare, & ſanguinem inhibere peritus; ne populus multiplici ac diuturnâ tributorum penſione exuccus intereat.

Iſaiæ 3 v. 7.

*Quare Rex dicitur medicus, ſeu chirurgus.*

Chaldæus Pintus Cornelius.

6. 1. Regum 1. Anna Samuelis mater, ablactato poſt triennium infantulo cælitùs accepto; adduxit eum in tabernaculum; nec ſine opimâ gratantet victimâ, eum Domino dedicauit & *adduxit eum ſecum poſtquam ablactauerat in vitulis tribus*, (id eſt, cum tribus vitulis Hebræo idiomate) *Et immolauerunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli.* Opulentum ſanè tributum Annæ deuotio pendit: tres enim vitulos ſecum adduxit. Verùm cùm puerum Samuelem obtulit Heli ſummo ſacerdoti (qui tunc erat apud Hebræos ſacræ ac ſecularis Reipublicæ princeps) vnum vitulum immolaſſe perhibetur: quid de duobus aliis factum ſit, ignoratur. Quod his verbis inibi obſeruat Abulenſis: *De vno vitulo iſtorum apparet infrà, quòd immolatus fuerit, de duobus reliquis nihil dicitur.* Multa coniecturis hic diuinant interpretes. Saltē indubium eſt, quòd tres vitulos attulit, & vnus duntaxat immolatus eſt, qui ſummo ſacerdoti ac principi ceſſit. An alij duo vituli inter miniſtrantium manus hæſerunt? An vt vnus immolaretur integer, tres attulit? Heu quoties è tribus vectigalium ſummis, quæ exigūtur, vix integre vna Principi obuenit! Viderint miniſtri, videront exactores, viderint trapezitæ. Tres vitulos Anna adduxit, vnus duntaxat ſummo Sacerdoti ac Principi ceſſit; quid verò de duobus reliquis factum ſit, nemo hactenùs nouit. Forſan ſatiùs eſt aliquandò rem notiſſimam ignorare. Hinc Heli ſacerdotium & principatus, iam iam ruinam minitatur, ad vicinum ruens interitum.

1. Reg. 1. v. 24.

*E tribus vitulis, quos Anna adduxit, vnus duntaxat ſummo Sacerdoti ac Principi ceſſit.*

Abul. ibi. q. 29.

Neque vellem, vt Principes facile cederent fiſci Præfectò, Magiſtratibus nummariis, & locupletibus trapezitis. Nam vectigalia, quæ ipſi ſuggerunt leuia, verè grauia ſunt: quæ tolerabilia, tolerari vix poſſunt. Quâ de re ſic Plutarchus: *Darius rex Xerxis pater*, (qui aut noſter Aſſuetus fuit, aut eius auus) *cùm tributum indixiſſet ſubditis, accerſitos prouinciarum Præfectos, percontatus eſt tum aliis de rebus, tum etiam an grauia eſſent populo tributa. Cùm illi reſpondiſſent, eſſe mediocria, iuſſit vt ſinguli dimidiam tantum partem exigerent, quâ beneuolentiâ & clementiâ admodum conciliauit ſibi ſubditorum animos vt meritò ab omnibus diligeretur.* Prudenter. 7.

Plutarch. in Reg. & Imp. apophth.

*Quod Præfecti dicunt tolerabile tributum immodicum eſt.*

---

## §. CCXXXVI.

### *Virtus nobiliter generoſos facit, citiùs quàm prælustria maiorum ſtemmata.*

NEminem reiicit virtutis philoſophia, & propè dixerim, nec eligit. Patricius Socrates non fuit: Cleantes aquam traxit, & rigando hortulo locauit manus: Platonē non accepit nobilem Philoſophia, ſed fecit. Qui ait, *Neminem regem non ex ſeruis eſſe oriundum, neminem non ſeruum ex regibus.* Omnia iſta longa varietas miſcuit, & ſurſum deorſum fortuna verſauit. A primo mundi ortu vſque in hoc tempus perduxit nos ex ſplendidis ſordidiſque alternata ſeries. Nō facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus. Nemo in noſtram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Quis ergò generoſus? Ad virtutem benè à naturâ compoſitus, & à gratiâ afflatus. Animus facit nobilem, cui ex 1.

Senec. ep. 43.

*Virtus facit generosè nobiles.*

quâ

quacumque conditione ſupra fortunam licet ſurgere, etſi in ruſticano tugurio homo naſcatur. S. Nyſſ. apud Anton. in Meliſſa. *Quemadmodum lateres figulini ex luto tantum originem ducunt*: (ait Nyſſenus) *Sic nobilitas ex obſcuris parentibus quoque naſcitur.*

2\. Actor. 17. v. 11. Actorum 17. Chriſtiani dimiſerunt Paullum & Silam in Beræam. Qui cùm veniſſent, in Synagogam Iudæorum introierunt. *Hi autem erãt nobiliores eorum, qui ſunt Theſſalonicæ, qui ſuſceperunt verbum cum omni auiditate.* Græci Patres, τὸ *nobiliores* vertunt, *generoſiores*. Ergò Oecumenius ſic locum excipit, & exponit: Oecum. ibi. *Hi autem generoſiores erant* εὐγενέστεροι *dicit volens ſignificare æquiores.* Scilicet qui æquitatem & virtutem impenſiùs colit, quicumque ille ſit, non tantùm *nobilior*, ſed *generoſior* dicitur, qui eſt aliquis nobilitatis faſtus. *Virtus nobilis ac generoſos facit, non quàm nonnulli ſtemmata.* Porrò vulgaris nobilitas quid eſt aliud, quàm naſcẽdi ſors & opinio, ſæpè à populi ſtultitiâ inducta? aut quæ non ſemel latrociniis quæritur, ſtragibus paritur, opibus conſtat. Audiendus eſt hâc ſuper re Philo Hebræorum diſertiſſimus. (integrum dabo locum Philo lib. de Nobil. ne omiſſam laciniam lectori inuidere videar) *Malis hominibus prognatis ex honeſtis maioribus, nullus locus eſto inter nobiles. Quid enim prodeſt oculis orbato, ſuorum maiorum perſpicacitas nequaquam hereditaria? Quid prodeſt ad dicendum elingui, paterna vel auita eloquentia? Quid conferunt ad vires tabe diuturnâ exſucci aridique, & vix oſſibus hærentis, principes generis propter athleticum robur aſcripti faſtis Olympiacis? Imò quid etiam ſi fuere victores in omnibus ſacris Græciæ certaminibus? Certè nihil eâ de cauſſa decedit vitiis corporis, nullam opem ex præterita familiæ felicitate ſentientibus.* Maiorũ virtus poſteris pro lege eſt. Addit Philo adhuc tempeſtiuus: *Ad eundem modum iniuſtis liberis iuſti parentes, luxu perditis, ſobrij, & in vniuerſum malis boni vtilitatem nullam adferunt: ſicut nec iura iuris violatoribus, ad quorum contumaciam pœnis coercendam inuenta ſunt. Et ſunt leges non ſcriptæ, nimirùm vita, exemplaque ſectantium virtutem hominum* (innuit Philo virtutem & actiones parentum, eſſe filiis legem aliquam nõ ſcriptam, imitatione tamen moribus inſcribendam) *Ideò puto ipſam nobilitatem, ſi Deus ei formam vocemque daret humanam, ſic allocuturam iſtos contumaces poſteros: Gentilitas non ſanguine ſolo æſtimatur apud veritatis iudicem, ſed factis ſtudiiſque ſimilibus. At vos in contrarium tenditis, quæ odi amatis, quæ probo improbatis, & auerſamini. Apud me honor eſt pudori, veritati, moderationi, modeſtiæ, innocentiæ; vos hæc in nullo pretio habetis.* Hic verſ. 3. Hinc nuper Eſther virtutibus generoſa, genere captiuo & ſeruili inexploratio, ad ſuperbas magni Regis nuptias aſſumitur: & nunc Mardochæus Procerum maximus renunciatur.

3\. Gen. 9. v. 24. Geneſeos 9. Noë nimio vini potu ignorãter ebrius, nudatus in tabernaculo ſuo inerter iacet. Quod cùm vidiſſet Cham pater Chanaan, verẽda ſcilicet patris ſui eſſe nudata, nunciauit duobus fratribus ſuis foras. *Euigilans autem Noë ex vino, cùm didiciſſet quæ fecerat ei filius ſuus minor, ait: Maledictus Chanaan*, &c. Quare Cham, Cham, qui filius medius erat, per ſcelus minor euadit. nunc filius *minor* nuncupatur, qui communiter medius cenſetur? Certent Interpretes vter natu maximus ſit, Seth inquam, an Iapheth. Hebræi ſuo Seth primogenituram tribuunt; nos pro noſtro Iapheth pluribus inibi contendimus. Cham verò *minor* nõ habetur, ſed alterutro maior. Cur ergò nunc minor dicitur? Tempeſtiuè Rupertus hâc ſuper re ita ſcribit: *Minorem quoque illũ appellat, qui patris pudenda diuulgauerat, cùm fuerit natu medius, minorem inquam, non tam ætate, quam pro vitio, & morum indignitate. Seruus ſeruorum, inquit, erit fratribus ſuis.... quo additamẽto ſeruitus extrema, imò ſeruilis nequitia ſolet exprimi.* Rup. in Geneſ. l. 4. c. 37. Porrò ſicut de Dauide gratiæ moribus facto, dixit Baſilius: *Subitò primus fratrum comperiebatur, qui poſtremus*, quod fuit inopinatum virtutis trophæum, naturæ legem inſolenter excellens: Baſil. Seleu. Orat. 14. ſic Cham natu medius, & alterutro maior, *filius minor* dicitur; quia non ætate; ſed *vitio, & morum indignitate, minor* eſſe ac dici ſceleſtè promeruit: quippe in quo non generoſitas Noëtica, ſed *ſeruilis nequitia* minoritatem non inuenit, ſed fecit.

Matthæi 1. in prima Ieſuanæ proſapiæ quaterdenâ ita ſcribitur: *Salomon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth.* Nemo non admirabilitate dignum cenſet, quòd in generoſâ Saluatoris progenie eiuſmodi feminas Matthæus recẽſuerit, præſertim cùm aliquot Reges ſceptro & purpurâ nobiles cõtemptim omiſerit. 4. Matth. 1. v. 5. *Domeſticos Reges abiicit, qui virtutem etſi in alienigenis mauult.* Quâ ſuper re ita ad rem præſentem philoſophatur Rupertus: *Sicut peccatrices & alienigenas* (Rahab, & Ruth) *propter fidem lex Dei aſſumpſit, & Euangeliſta hic nominare dignum duxit: ita quoſdam domeſticos ſeminis propter impietatem remouit atque reiecit, Oziam, Ioas, & Amaſiam.* Vides Rahab, & Rutham ob virtutis meritum, ſic honoratas, vt tametſi Chananææ, & Moabitides, & alienigenæ, & quondam peccatrices, dignum duxerit Euangeliſta eas in honorario maiorum Chriſti Dei catalogo nominatim recenſere, *remotis & reiectis* Oziâ, Ioas, & Amaſiâ, Iudææ gentis Regibus? Domeſticis Regibus abiectis, alienigenas mulierculas aſſumit Euangeliſta? Scilicet inſignia honoris ignorare videtur, qui virtutis merita videt. Imò virtutis meritum facit honoris inſigne: & reiiciens domeſticorum Regum ſceptra, & fulgurãtes gemmis coronas; feminas alienigenas, genere viles, barbarie ruſticanas, honorario delectu ad inclytum progenitorum Chriſti Dei cenſum aſſumit. Porrò ſola virtus eſt Chriſtianiſmi generoſitas. Ignobilis eſt, & contumelioſè abiiciendus, quem generoſi virtutis natales non commendant: mores enim honores excudunt, & vna virtus eſt Chriſtianæ nobilitatis officina.

5\. Gen. 31. v. 16. Philo lib. de Profug. Geneſeos 31. Iacob tolerando defeſſus agreſtẽ Liban, redire in patriam meditatur cum vxoribus & filiis, ex quibus Dei populus, Hebræus inquam, generoſè coaluit. Reſponderuntque Rachel & Lia: Numquid habemus reſidui quicquam in facultatibus & hereditate domus patris noſtri? Nonne quaſi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque pretium noſtrum? *Sed Deus tulit opes patris noſtri, & eas tradidit nobis, ac filiis noſtris.* Hebræus Philo hunc locum commentatus, ſic eleganter ſcribit: Numquid eſt portio hereditatis in domo patris noſtri? nõne alienas reputauit nos? *Opes & gloria, quas Deus patri noſtro abſtulit, noſtra fient, libererũque noſtrorum. Nam cùm ſint & appellentur ingenua, non putant vllum inſipientem* (ſic ſceleſtum vocat) *vel clarum eſſe vel diuitem, ſed omnes ex æquo pauperes ac ignobiles, etiamſi regum opulentiſſimorum fortunas ſuperent.* (Nota attentiùs quæ ſubtexit verba) *Non dicunt enim patris opes, ſed* Rachel & Lia non gloriam patris, ſed ablatam ab eo gloriã malunt.

ablatas

*ablatas patri; nec gloriam illius, ſed ablatam ab eo gloriam, ſe habituras. Priuatur autem malus veris diuitiis, & verâ gloriâ.* Nimirùm Rachel & Lia, *quæ ſunt & appellantur ingenuæ* auitâ retrò generis nobilitate; cùm vadunt in Terram promiſſionis conflare Dei populum, ex ipſis coalitum, *non gloriam* patris Labani, per Nachorem è generosâ Heberi proſapiâ prognati, *ſed ablatā ab eo gloriam ſe habituras* maluut, vt nobilitatis de virtute abreptiones, in Dei populum generoſiùs deriuent. Non prognatam à parentibus, ſed ab eis ablatam gloriam ambiunt, ne per generis traducem, ſed per virtutis induſtriam nobilitentur, piè furaci veræ nobilitatis merito, quod eſt generoſum gloriæ ſtemma. *In tantum autem* (pergit Philo) *Scriptura magnifacit virtutis amatorem, vt in ſtemmate eius non more aliorum auos, proauos, maioréſque, ſiue paternos, ſiue maternos, ſed virtutes quaſdam, tantùm non diſertè clamitans, nullam aliam familiam, cognationem, patriam Sapientis eſſe præter virtutes, & harum actiones.* Sic eſt propria cuiuſque virtus generosè nobilis!

Philo lib. de Abrahamo.

6. Paullus 2. Corinth. 11. Libenter, inquit, ſuffertis inſipientes, cùm ſitis ipſi ſapientes. Suſtinetis enim ſiquis vos in ſeruitutem redigit, &c. *Secundum ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte.* In quo quis (Pſeudoapoſtolorum) audet, audeo & ego: Hebræi ſunt, & ego, Iſraëlitæ ſunt, & ego: ſemen Abrahæ ſunt, & ego. Miniſtri Chriſti ſunt, (vt minùs ſapiens dico) plus ego. Præſcripta verba: *Secundum ignobilitatem dico*, &c. cum ſuperioribus connectenda putant Chryſoſtomus, Theophylactus, & Oecumenius. Ceterum Ambroſius, Primaſius, & Anſelmus cum ſequentibus iungunt. vt ſit ſēſus: Gloriabor ego quoque à generis nobilitate, aliiſque bonis externis, quod eſt viris piis ac religioſis contumelioſum & ignobile potiùs, quàm honorificū. Audiēdus eſt inibi Ambroſius: *Secundum ignobilitatem dico. Ignobilitatem dicit hoc quod ſuprà ait: Et ego gloriabor ſecundum carnē. Non enim dicit ad laudem pertinere, quia infirmus non erat, in quo ſe iactabant quos occultè tangit.* Pergit Anſelmus: *Quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte, id eſt, impotentes in hac gloriatione carnalis nobilitatis.* Ecce tibi moraliſſimum Paulli acumen. Nimirùm cùm è re Corinthiorum putaret, auitam nobilitatem nemini ſupparem recenſere, putà, *In quo quis audet, audeo & ego: Hebræi ſunt, & ego, Iſraëlitæ ſunt, & ego: ſemen Abrahæ ſunt, & ego. Miniſtri Chriſti ſunt, plus ego*; cùm nulla hîc foret de virtute, quæ eſt mera & vera nobilitas, gloriatio, conſultiſſimè, & belliſſimè addit: Hæc *ſecundum ignobilitatem dico*: quaſi *ignobilitatem* reputet recenſere maiorum à genere nobilitatem, non à propriâ virtute partam. *Ignobilitatem dicit hoc quod ſuprà ait: Et ego gloriabor ſecundum carnem id eſt in carnis nobilitate.* O ignobilitatem vocat Apoſtolus vetuſtam retro nobilitatem, cùm propria taceantur merita, quibus fouetur, claratur, ſublimatur? O quàm eſt ignobilis auita generoſitas, quam virtus non adornat, ac nobilitat! *Secundum ignobilitatem dicit* Paullus quod de maiorum nobilitate verè & opportunè prædicat, quandò ſuam nobilitatem, quæ à virtute eſt, intermittit, & ſubtacet. Adhæc non dimittam innotatum, quòd dum verè nobilis de auitâ maiorum nobilitate ac gloriâ ſe iactat opportunè idoneâ ſuæ generoſitatis recenſitione, quod cœpit in nobili, in ignobili conſummatur. *Secundum ignobilitatem dicit*, quod de ſuâ nobilitate verè quis dicit. Sic nobilitas in ore proprio à verâ generoſitate ignobiliter degenerat? Sic propriæ nobilitatis iactatio, quos nobiles inuenit, *ignobiles facit*? Profectò aliena æſtimatio, non propria gloriatio, ſecularis etiam nobilitatis cenſus eſt. Nobilitatem maiorum ſudore partam infuſcat ac denigrat, qui de proprio ore ſplendorem illi conciliare exambit.

2.Cor. 11. v. 21.

S.Chryſoſt. Theophil. Oecumenius S.Ambroſ. Primaſius. S.Anſelm.

S.Ambroſ.

S.Anſelm. ibi.

*Receſſitio nobilitatis, quā merita non nobilitant, ignobilitas appellatur.*

*Nobilitatis iactatio, quos nobiles inuenit ignobiles facit.*

---

## §. CCXXXVII.

*Ratio ſæpè inuitanda eſt ad gymnaſium ſomni: homini finem laboris adulatur ſomnus, in quo animus futuram in morte abſentiam ediſcit.*

Tertullianus in libro de Animâ, ſic eruditè de ſomno ſcribit: Stoici ſomnum *reſolutionem ſenſualis vigoris* affirmant, Epicurei *diminutionem ſpiritus animalis*, Anaxagoras cum Xenofane *defetiſcentiam*, Empedocles & Parmenides *refrigerationem*, Strato *ſegregationem conſati ſpiritus*, Democritus *indigentiam ſpiritus*, Ariſtoteles *marcorem circumcordialis caloris*. Addit ſcitè pariter ac facetè Tertullianus: *Ego me nunquam ita dormiſſe præſumo, vt ex his aliquid agnoſcam.* Denique poſtquā argutè refutauit aliorum de ſomno opiniones, nec ſuam ſolidè fundauit; expertas à mortalibus ſomni vtilitates addēſat, quò humana ratio vel ignorum benefactorē gratitudine præſentiat: *Credimus enim* (inquit) *ſiquid eſt natura*, ſomnum *rationale aliquod opus Dei eſſe. Porrò ſomnum ratio præit, tam aptum, tam vtilem, tam neceſſarium, vt abſque illo nulla anima ſufficiat, recreatorem corporum, redintegratorem virium, probatorem valetudinum, pacatorem operum, medicum laborum, cui legitimè fruendo dies cedit, nox legem facit, auferens rerum etiam colorem. Quod ſi vitale, ſalutare, auxiliare ſomnus, nil eiuſmodi non rationale, nil non naturale.* Quid ſit ſomnus, viderint Medici, qui hominis naturam curandam curioſè explorant. Quid autem rei ethicæ ſomnus ſit, quò morū ſiue medicus, ſiue pædagogus inſtituatur, paucis delibabimus, ne Mardochæi ſomnus, ſomniumve moralitatum infœcūdum denotetur, obſcuretutque bonum, etſi nobis ſæpè ambiguum felicitatis præſagium.

1.

Tertull. l. de Anim. c. 43. *Somni definitiones variæ traduntur.*

*Rationabilis ſomni commoda adduntur.*

Eſther 11. v. 12.

Siracides Ecclesiaſtici 37. *Cor boni conſilij ſtatue tecum: non eſt enim tibi aliud pluris illo. Anima viri ſancti* (τὸ *ſancti* non eſt in Græcis) *enunciat aliquandò vera, quàm ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum.* Quaſi dicat: Statue in te ipſo *cor* tuum quaſi oraculū boni conſilij, vt cùm dubium, quid faciendum ſit, occurrit, conſulas: ideoque in corde rei agendæ cauſſam ac rationē vndequaque diligenter & prudenter in omnē partem euentila. Si enim hoc feceris, vtique cor tuū tibi erit dictator optimi conſilij dictabit enim quod ſummè eſt tibi conueniens, maximéque tibi vtile, & in rē tuam. Ad hoc enim Deus dedit homini cor, id eſt rationem

2.

Eccl. 37. v. 17. & 18.

*E ſomni naturali gymnaſio educatur prudentia, quæ ſenſu* [illegible] tionem, mentem, ac prudentiam, vt illam placidè quietam, abacto rerum, ac paſſionum tumultu, attentè conſulat, & illius conſilium obſequenter opere ſequatur. Deus enim hominibus rationem tanquam pædagogum dedit, illamque frequenter illuſtrat, regit, ac dirigit. Adeò vt dixerit Ariſtoteles principium motus in animâ, eſſe Deum: *Itaque*, inquit, *horum, qui prudentes ſapienteſque ſunt, celeris eſt vaticinatio, & durabilis*. Sed quandonam noſtrum cor erit idoneè aptum, vt *cor boni conſilij* dici mereatur? An ſemper in eo adæquè ratio viget, & prudens conſilium, & res conſultè gerendæ velut *vaticinatio durabilis* ſ[illegible]penter emicat? Clemens Alexandrinus alto ſtylo in pauculis verbis ſemel & iterùm repetit conſultâ ingeminatione, hoc ſomni elogium: *Somni v[illegible] naturale gymnaſium*. Nimirùm non tumidè delicatulum, ſed æquatum cubile aut lectus dicitur, naturale *ſomni gymnaſium*, quod ſomnia erudit ad pietatem. Quin etiam ſomnus ipſe *gymnaſium rationis* quodammodo cenſetur, & prudentiæ ſchola, vbi eruditur difficile agendorum conſultior diſcretio. Hinc Hiſpanum prouerbium laudatur: Negotia arduè difficilia cum ceruicali (id eſt cum ſomno) conſulenda, *Conſultar con la almohada*. Porrò ſomnus (vt nuper Tertullianus dixit) *pacator operum* eſt, quies corporis ac mentis, cunctatio capeſſendi cōſilij, vigor ſenſuum, collecta rei attentio; & inde viuacior rationis energia, & pacatior cunctatione prudentia. Idcircò ſomnus prudentiæ *gymnaſium*, & rationis ſchola dicitur, quia poſt ſomnum, *cor boni conſilij* præſtò plerumque adeſt, rebus conſulendis & decernendis quietè opportunum. Exindè ipſe Alexandrinus Clemens ſuprà dixerat: *Sed neque poterit vnquā ratio à ſuo munere deſiſtere, nec ſi dormiamus, quidem: ea enim ad ſomnum eſt inuitanda*. Ratio, quæ in ſe nunquam ſopitur, ad ſomnum, quo velut mergitur, inuitanda eſt: Nam à ſomno ipſa ratio, velut *vaticinia* prudentiæ haurit? Scilicet *ſomnum ratio præit*, & ſomnum ſequitur ratio. Ergò *cor boni conſilij* nil decernit, quouſque *ratio ad ſomnum inuitata ſit*; ſomnus enim eſt velut ſplendidum prudentiæ conuiuium, ad quod *ratio inuitanda eſt*. Vide hinc qualis debeat eſſe viri prudentis ſomnus. Pergit Clemens Alex. *In primis autem cubilis mollitiem commoderatè & conuenienter oportet eſſe virilem & maſculam: non oportet enim ſomnum eſſe perfectam corporis ſolutionem, ſed tantùm remiſſionem*, quòd toto cap. perſequitur.

*Ariſtot. l. 7. Moral. eodem 18.*

*Clem. Alex. l. 2. Pædag. c. 9.*

3. *Ad ſomnum ratio inuitā da eſt, vnus ad prudentia conuiuium.*

*Clem. l. 2. Pædag. c. 2.*

*Clem. Alex. l. 2. Pæd. c. 9.*

4. Lucæ 12. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum. *Beati ſerui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes*. Itaque infelix dicitur, quem cùm venerit Dominus altè dormientem inuenerit; & vigilantem, aut ſic frugaliter dormientem tanquam præproperè beatum prædicat. Rationem reddit idem Stromatæus exponēs præſcripta Lucæ verba: *Dormientis enim hominis nullus eſt vſus, quemadmodum nec mortui. Quocircà ſæpè etiam noctu à lecto ſurgendum eſt Deuſque eſt laudandus: beati enim qui ad ipſum vigilarunt, ſe ipſos aſſimilantes Angelis, quos nos ἐγρηγόροι; hoc eſt, vigilantes vocamus. Dormiens autem homo nullius vtilius eſt pretij, non magis quam qui non viuit*. Nempe homo profundè ſopitus, & altè ſtertens, nullo in pretio eſt, ac ſi nemo ſibi, ac reliquis foret. Vigil autem, aut ſic ſobriè dormiens, vt rationē velut innitet ad ſomnum, Angelorum vitam æmulatur. Vndè à Græcis Angeli nominantur *Vigilantes*: exſomnis enim vigilia, ſtemma immortalitatis eſt: ſicut ſomni quies mortalitatis cenſus. Quod argutè Tertullianus agens de ſomno, his verbis ediſſerit: *Animam enim vt ſemper mobilem & ſemper exercitam, nunquam ſuccedere quieti, alienæ ſcilicet à ſtatu immortalitatis: nihil enim immortale finem operis ſui admittit, ſomnus autem finis eſt operis*. (Nota ſententiæ clauſulam) *Denique corpori, cui mortalitas competit, ei ſoli quies finem operis adulatur*. Profundè dixit, *adulatur*. Porrò ſomnus laboris quies, & ſequela eſt, & ignobile mortalitatis notamentum: ergò etſi ſomnus indè ſit laboranti contumelioſus, quia mortalem enunciat & euulgat; tamen ei laboribus fatigato, *finem operis adulatur*. quaſi ſomnus & quies cum labori ſuccedanea ſit, & illius finis, quoddam etiam ſit blandimentum, *adulatio*, ſeu lenocinium, quo mortalitatis contumeliam compenſat, colorat, atque ſubornat, dum feſſo laborando corpori, finem actuoſi operis, & feſſi laboris *adulatur*. Itaque hominis anima à ſomni tributo immunis, nobilem Angelorum immortalitatem æmulatur; corpori autem, quia ſomno obnoxium eſt, ſaltem *finem operis adulatur*.

*Lucæ 12. v. 37.*

*Angeli nominantur Græcè exſomnes, ſeu vigiles.*

*Clemens ſup.*

*Tertull. l. de Anim. c. 43.*

*Somnus corporis finem laborioſi operis adulatur.*

5. Ioannis 11. de languore Lazari admonetur Chriſtus ſedulo ſororum officio: ſed iturum cunctanter moratur, vt ſerum vitæ reditum ſumptuoſiùs tarditate nobilitet. Poſt hæc dixit Diſcipulis *Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado vt à ſomno excitem eum. Dixerunt ergò Diſcipuli eius: Domine, ſi dormit ſaluus erit. Dixerat autem Ieſus de morte eius*. Nimirùm ſomnus tam naturalis, tam ſalutaris, tam rationalis etiam in publicæ & communis iam mortis effingitur exemplar. Somni autem cognationem cum morte appoſitè ad rem, his verbis Tertullianus eloquēter tradit: *Proponit igitur tibi corpus amicā vi ſoporis eliſum, blandā quietis neceſſitate proſtratum, immobile ſitu, quale ante vitam iacuit, & quale poſt vitam iacebit, vt teſtationem plaſticæ & ſepulturæ, expectans animam quaſi nondùm conlatam, & quaſi iam ereptam*. (Subdit profundo ſtylo) *Sed & illa ſic patitur vt alibi agere videatur, diſſimulatione præſentiæ futuram abſentiam ediſcens.......Ita cùm vigilauerit corpus redditum officiis eius, reſurrectionem mortuorum tibi adfirmat. Hæc erit ſomni & ratio naturalis, & natura rationalis. Etiam per imaginem mortis fidem initiaris, ſpem meditaris, diſcis mori & viuere, diſcis vigilare dum dormis*. O quàm multa in *ſomni gymnaſio* ediſcēda hîc Tertullianus proponit! Scilicet hæc eſt ſomni & ratio naturalis, & *natura rationalis*, hoc eſt ſomnus naturâ ſuâ rationem ducit, vt in eo pulchrū mortis ac reſurrectionis paradigmā impreſſiùs recognoſcat, quâ velut imagine fidem initietur, ſpem meditetur, & è morte ſe rursùs victurū ediſcat. Hinc Lazari mors, ſomni nomine nuncupatur. Ceterùm non dimittam innotatam ſapientem illam Tertulliani ſententiam. Nempè anima in ſomno, *Diſſimulatione præſentiæ futuram in morte abſentiam ediſcit*. O bellè! Sic eſt difficilis animæ à corpore abſentia, vt illam in *ſomni gymnaſio* indies anima ediſcat: Frequenter anima diſſimulatione præſentiæ in ſomno, ad diuturnam in morte abſentiam eruditur? Sic eſt rudis ad ea,

*Ioan. c. 11. & 12.*

*Tertull. l. de Anim. c. 43.*

*Somnus eſt mortis, ac reſurrectionis paradigma.*

*Anima in ſomno diſſimulatione præſentiæ, futuram in morte abſentiam ediſcit.*

quæ eia ccident in futurâ poſt mortẽ abſent â, vt illa in ſomno præcoquâ meditatione, & frequenti contemplatione ſtudioſè ediſcat? O bonam è ſomni ſchola eruditionem!

6. Iſaiæ 29. v. 10. Iſaiæ 29. obſtupeſcite, inquit, & admiramini, fluctuate, & vacillate. *Quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis, claudet oculos veſtros, Prophetas & Principes veſtros, qui vident viſiones, operiet.* Quis iſte *ſoporis ſpiritus*, quem

Aquila. Chaldæus Theodotiõ. Deus arcanè miſcet, & mixtum infundit, quo populi ſui oculos claudat? Aquila *grauem ſomnum* vertit, Paraphraſtes Chaldæus *ſpiritum erroris* habet, Thedotion *ecſtaſim* ſeu *mentis*

Somnus animi in mediũ ſeſe receſſus dicitur, & quare? *exceſſum*. Hebræorum verbum ſignificat altiſſimum ſoporem, qui homini oculorum & aurium vſum, omnemque ſenſum adimit. Iſtiuſmodi ſomnum Theodotion, *mentis exceſſum* appellat. Méntíne, aut animus in ſomno excidit? Minimè

Plinius lib. 11 cap. 75 quidem: id enim mors eſt, non mortis imago: ſomnus enim *mentis exceſſus* hic nominatur. Profundè ſcribit naturalis Philoſophiæ princeps, cùm ſic ſomnum definit: *Eſt autem ſomnus nihil aliud, quam animi in medium ſeſe receſſus.* Non excedit animus in ſomno, ſed velut *in medium*

Quæ putatur ecſtaſis, aliquando ſpiritus erroris, ſeu compunctionis eſt. *ſeſe recedere* perhibetur, ac ſi quodammodò recedat ab extimis corporis partibus, & actuoſis ſenſuum exteriorum officinis, ſeu carnis collegio, & velut ad centrum, *in medium ſeſe recedat*. quaſi de ſomni beneficio habeat animus, quod *diſſimulatione præſentiæ*, tanquam aliquâ naturali fugâ, ſeu cognato à ſenſibus receſſu, velut ad ſuum centrum, *in medium ſeſe recedere* videatur. Mirùm autem eſt, quò hic ſomnus, ſeu *ſpiritus ſoporis*, quem Deus miſcuit, à quibuſdam *ecſtaſis*, ab aliis *ſpiritus erroris* nominetur. Imò & Paullus ad Romanos 11. *ſpiritum*

Ad Romanos 11. v. 8. *compunctionis* appellat. Hem falſatas ſæpè *ecſtaſes ſeu mentis exceſſus*, qui putantur à Deo immiſſi, merus *ſpiritus erroris*, ſeu *compunctionis* eſt! Confutatur ſapiens Siracides Eccleſiaſtici

Eccli. 34. 34. vbi mendaces ſomniorum fallacias culpat. Vera autem ſomnia, quæ Deus Prophetis afflat, & quibus futura adumbrat, magni ſemper habita ſunt. Porrò poſtquam Iudæorum tragœdia in

Hîc v. 5. &c. comœdiam verſa eſt, dixit Mardochæus: *Recordatus ſum ſomnij, quod videram, hæc eadem ſignificantis: nec eorum quicquam irritum fuit: Paruus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem Solemque conuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit; Eſther eſt, quam Rex accepit vxorem, & voluit eſſe Reginam.* Idem penè eiſdem verbis habetur cap. 11. v. 5.

---

## §. CCXXXVIII.

### *Euidentior, & atteſtatior credibilitas, humanæ incredulitati è diuerſo perſæpè adulatur; & contrà.*

1. Seneca ep. 3. SEntentioſè inquit Seneca: *Vtrumque vitium eſt, & omnibus credere, & nulli: ſed alterum honeſtius dixerim vitium, alterum tutius.* Plurimum mali credulitas fecit. Sæpè ne audiendum quidem eſt: quoniam in plurimis rebus ſatiùs eſt neſcire quàm facilè credere, & plerumque decipi. Nihil ferè niſi quod in oculos incurrerit manifeſtumque erit certò credamus. Et quoties ſuſpicio cenſurave noſtra vana apparuerit, noſtram credulitatem obiurgemus. Hæc enim caſtigatio conſuetudinem efficiet nõ facilè credendi. Porrò ſic à naturæ vitio coaliti ſumus, vt veritati credendæ ſimus difficiles; ad credendum autem mendacio quilibet rumor eualeat. Aliqua eſt veritati fortuna, ſi debitam ſibi fidem inuenit. Sic natura prauis vitiata moribus propendet ad falſa! *Plurimum mali credulitas facit.*

2. Ioann. 1. v. 7. Ioannis 1. priuſquam corporatum Verbum inducat Euangeliſta, Ioannem Baptiſtam his verbis inducit: Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. *Hic venit in teſtimonium vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.* Ioannis angelica vita ab hominum conſuetudine & loco ſegregata, vſque adeò aſpectabilis fuit, vt & Prophetam oſtenderet, & digniſſimum vt omnes crederent per illum, peridoneo Ieſuanæ diuinitatis teſtimonio fideque digniſſimo. Adeò vt dixerit Euangeliſta, quod venit Ioannes, vt teſtimonium perhiberet de lumine. Teſtimonium autem quod perhibetur de lumine, indubium eſt, ſiquidem rem notiſſimam & certiſſimam oſtendit. Et tamen tantâ Dominicæ incarnationis credibilitate, ſic infuſcantur humani oculi, vt quorundam craſſior mens, ex teſtimonio Ioannis & Prophetarum potius diſcredant. *Euidentior, & atteſtatior credibilitas, incredulitati è peruerſo blanditur.*

Orig. ſuper illa verba. Quâ de re ſic inibi ſcribit Origenes: *Hic venit in teſtimonium, &c. Quidam*, inquit, *improbare nituntur edita de Chriſto teſtimonia Prophetarum, dicentes: Non egere teſtibus Dei Filium habentem credulitatis ſufficientiam, tum in his, quæ protulit ſalubribus verbis, tum in mirabilibus operibus ſuis. Siquidem & Moyſes credi meruit per verbum virtutis, non egens prauiis teſtibus.* Vide quàm ſit homo ad falſitatem pronus, quandoquidem exundans vndique credibilitas, apud ipſum incredibilitatis argumentum eſt: & vndè veritas portum feliciter tenuiſſe videtur, indè naufraga cæco errore periclitetur. Nimirùm hi homines veſani credidiſſent Chriſtum eſſe Deum, ob eius ſalubria verba, & miriſſima opera, niſi Prophetæ, & Ioannes præſertim teſtimonium perhibuiſſent. Scilicet qui luce offenduntur, tenebris ad videndum inoculantur: & vndè veritatis credibilitas vberiùs exundat, indè mendacium è peruerſo effluit, & veritas naufragium patitur.

3. Ioann. 17. v. 3. Ioannis 17. ſubleuatis Ieſus oculis in cælum, dixit: Pater clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te. Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, vt omne, quod dediſti ei, det eis vitam æternam. *Hæc eſt autem vita æterna: Vt cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Quid eſt, quòd vita æterna ſita eſſe dicitur in veri Dei cognitione? An non *Quo pacto fides noſtra videndo fiat veritas.*

S. Aug. l. 3. de Trinit. etiam fides verum Deum agnoſcit; S. Auguſtinus adludens ad præſcripta Ioannis verba, ita eleganter ſcribit: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, &c. Cùm enim fides noſtra videndo fiat veritas, tunc, &c.* Quid eſt, quòd fides noſtra fieri veritas videndo dicatur? An non veritas erat Chriſtiana fides, cùm tametſi obſcura, certa tamen & indubia credibilitate in veritatem crediendam ferebatur? Porrò Chriſtianæ fidei falſum ſubeſſe non poteſt:

ergò

ergò qui fide diuinâ fertur, verè in ipſam veritatem fertur. Verùm dum homo obſcurè fertur in veritatem fide credendum, cùm euidenter non videatur veritas, ſed tantùm per credibilitatis vim as obſcurè tranſpareat, ideò dicit Auguſtinus: *Fides noſtra viuendo fit veritas.* Non quod anteà veritas non foret; erat ſanè, & indubia quidem. Sed tam eſt homini volupe in falſitatem ferri cognato mendacij lenocinio, vt dum obſcura fidei veritas videndo patelcit, tunc *fides noſtra viuendo fieri veritas* denotetur.

4. Ioan. 14 v. 29.

Ioannis 14. hùc forſan aliâ viâ adluditur. Nam poſtquam aliqua poſtmodùm euentura Chriſtus diſcipulis ſuis prædixerat, confeſtim ſubdit: *Et nunc dixi vobis priuſquam fiat: vt cùm factum fuerit, credatis.* Imò cùm res dudùm prædicta, poſtmodum facta fuerit, ſicut videri poteſt, ita & credi non poteſt: facti enim euidentia, dum oculos videndo adhibet, fidem perhibet. Quod pulchrè notauit Auguſtinus præfata Ioannis verba ſic elucidans: *Nunc dixi vobis antequam fiat: vt cùm factum fuerit credatis. Quid eſt hoc, cùm magis credere homo debeat antequam fiat id, quod credendum eſt? Hæc eſt enim laus fidei, ſi quod creditur, non videtur.* An vſque adeò eſt arduum veris adſentire, ob cognatas falſitatis blanditias, vt adteſtatæ veritati fidem exigere videatur, non tam cùm euentum ſeriò antedicit, quàm dum antedictum euentum, opere adimpletum peruiderint? Sic Thomæ dictum eſt: *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti.*

*Cur res ſi dicuntur, quod iam factum oculis cernitur.*

S. Aug. Tr. 79. in Ioan.

Ioan. 20. v. 29.

5. Ioan. 17 v. 1.

Ioannis 17. Ieſus ſubleuatis oculis in cælum, dixit: *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te.* Magna hinc exorta eſt quæſtio, quæ ſit *clarificatio*, quam Chriſtus à Patre Deo obnixiùs precatur. Quâ ſuper re multa multi. S. Hilarius tunc etiam petiiſſe Centurionis teſtimonium exiſtimat: quod & obtinuit. Nam *videns Centurio, qui ex aduerſo ſtabat, quia ſic clamans expiraſſet, ait; Verè hic homo Filius Dei erat.* Sic fatur Hilarius lib. 3. de Trinitate, exponens præſcripta verba: *Pater clarifica Filium tuum: Ergò*, inquit, *poſt clarificationem eius veritatis confeſſio ſecuta eſt. Nam verum Dei Filium Centurio confitetur, ne quis credentium ambigeret;* Profundè quidem Hilarius! Scilicet Centurio homo profanus & gentilis, dum videt, quòd Ieſus clamando expiraret; non grande aliquod miraculum videat, & tamen indè palam confitetur, verè eſſe Dei Filium, *ne quis credentium* abnegaret. Res ſanè admiratione, & expenſione digniſſima, quòd dum homo gentilis non viſo grandi aliquo prodigio, fatetur Chriſtum eſſe Filium Dei, nemo iam credentium ambigere poteſt. An non *credentes* in Chriſtum, pluribus aliis rationibus, & quidem robuſtioribus inducuntur? Miracula, quæ mundus ſtupuit, præceſſerunt; tot Prophetarum oracula illorum fidei præfulſerunt; & tamen dum homo gentilis, non robuſtiori tunc inductus fundamento, Chriſtum confitetur Dei Filium, ſic incredulitati oſtium præcluditur, vt nemo *credentium ambigere* exinceps poſſit? Ethnici hominis repentino teſtimonio, ſic Chriſti Dei fides roboratur? E Gentilium ſcholâ fides noſtra ædiſcitur? Homo profanè ethnicus erit *credentium* magiſter? Indè Chriſtiana fides validè fulcitur, vndè debilis eſſe forſan putaretur? Vndè falſitas audiri ſolet, indè veritas auidiùs arripitur: *Verum Dei Filium Centurio confitetur, ne quis credentium ambigeret.* Quid exaggeratius.

Marci 15. v. 39.

S. Hilar.

*Centurio Chriſtum confitetur, ne quis credentium de eius diuinitate ambigeret.*

6. Ioan. 20. v. 17.

Ioannis 20. Magdalena diu multumque Dominum ſuum mortuum quærens, viuum feliciter inuenit. Dicit ei Ieſus: Maria. Conuerſa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magiſter) Dicit ei Ieſus: *Noli me tangere; nondum enim aſcendi ad Patrem meum.* Multa mouent Interpretes ſuper hoc Magdalenæ attactu. S. Ioannes Chryſoſtomus ita philoſophatur: *Noli me tangere, &c. Sicut ſimpliciter & qualitercumque credere, facilitatis eſt: ita multùm inueſtigare eſt craſſiſſimæ mentis.* Craſſa mens eſt, quæ nimis ſcrupuloſè rem perueſtigat. Thomas culpatur, quia Chriſti vulnera ad fidem attrectando reſulcare præſumpſit. Laudatur Magdalena, quia ſicut deuotio Chriſti attactum procurauit, ita de Chriſti nutu tangere deſtitit, ne fidei animoſitas, craſſæ & incredulæ mentis fruſtrà argueretur. Gratulor Magdalenæ, quòd ſic erat ad credendam veritatem procliuis, vt officio deuotionis contenta, in re perueſtigandâ ſcrupuloſior non fuit, nec craſſæ mentis elogio moroſior. *Multùm inueſtigare eſt craſſiſſimæ mentis.* Veritatem auerſari videtur, qui illam nimis perueſtigat. Credendo mendacio faciles ſumus; craſſa mens eſt, quæ tardo moroſè aſſenſu veritatem deuenuſtat.

S. Chryſoſt. apud Caten. ibi.

*Veritatem nimis perueſtigare, craſſiſſima mentis eſt.*

7. Eſther. 11. v. 11.

Eſtheris toto cap. 11, latè refertur Mardochæi ſomnium in quo velut in typo, & Iudæorum calamitas cæcâ felicitate lætior, & Amani tragœdia inopinato euentu funeſta denarratur. Et tandem ſubditur: *Quod cùm vidiſſet Mardochæus, & ſurrexiſſet de ſtrato, cogitabat quid Deus facere vellet, & fixum habebat in animo, ſcire cupiens quid ſignificaret ſomnium.* (Et hic verſ. 5. *Recordatus ſum ſomnij quod videram, hæc eadem ſignificantis; nec eorum quicquam irritum fuit.*) Certus eſt Mardochæus de veritate ſomnij, & quid ſomnium ſignificet prorſus ignorat? Eccur non in vigiliâ, ſed in ſomno, futuri euentus, veriſſimum arcanum illi monſtratur? Citiùs, & certiùs credet ſomnio, quàm oculis in vigiliâ? *Cæcus enim eſt ſomnus, vigilia cernit acutiſſimè*, ait Philo. Num cæcitati ſomniorum, non perſpicaci vigiliæ permittit Deus veriſſimos futurorum euentus, quò ab hominibus faciliùs credantur? Cæcitate inoculat, vt citiùs extorqueat aſſenſum? Sic è diuerſo rei credibilitatem ædificat? Quin & quaſi ſomnus eſſet arcanæ veritatis theſaurus, eam è Chriſti ſomno Hæretici furari nituntur. Baſilius Seleucienſis ad illud Matthæi 8. *Ipſe verò dormiebat?* ſic eleganter fatur: *Mox Apollinaris, Arius, Eunomius cognata turba contra Vnigenitum obarmantur. Nam cùm Dominum ſopitum audiunt, veritatis doctrinam ſuffurari conniruntur.* Iraque ſiquidem ex ſomno veritatem ſuffurari quibuſdam malè

Hic verſ. 5.

*Cur cæco ſomno veritatem Deus permittit.*

Philo de Migrat. Abr.

*Somnus eſt quaſi veritatis theſaurus.*

Matth. 8. v. 24.

Baſil. Seleuc. Orat. 22.

licuit; in ſomnio etiam certiorem Mardochæo ingerere veritatem expediebat: vt indè fulciatur veritas, vndè credi potuiſſet potiùs periclitari.

8. Tertull.

Hinc Tertullianus lib. de Animâ cap. 17. ita ſcribit: Contingit nos illorum etiam quinque ſenſuum quæſtio, quos in primis litteris diſcimus, quoniam & hinc aliquid Hæreticis procuratur: Viſus eſt, & auditus, & odoratus, & guſtus, & tactus. *Horum fidem Academici duriùs damnant; ſecundum quoſdam & Heraclitus, & Diocles, & Empedocles. Certè Plato in Timæo irrationalem pronunciat ſenſualitatem & opinioni complicatam. Itaque mendacium viſui obiiciunt.* Opinor, quia res euidenter percipit, indè irrationalitatis durè damnatur. Mitiùs forſan cum illo ageretur, ſi non perſpicuè, ſed ſub incertitudine dubiæ caliginis, circa ſua obiecta verſaretur. De Heraclito autem, quem Tertullianus allegat, ſic ad rem ſcribit Laërtius: *Opinionem dicebat Heraclitus morbum comitialem & viſionem mentiri.* Dein, *Mali teſtes hominibus oculi.* Ecce tibi, malos rerum teſtes appellat oculos, & *opinionem* illorum euidenti ſenſationi ſubnixam, *morbum comitialem* nominat. Cor, quod à Philoſophis putabatur mentis ac iudicij ſedes & conceptaculum, de ocularium ſenſationum præſtigiis, *comitialem morbum* pati putabatur? O quàm paucis quàm multa!

*Sententia ex euidentia oculorum nata, comitialis morbus nominatur.*

Laërt. l. 9.

---

## ʃ. CCXXXIX.

### *Abiectior humilitas, ſublimioris gloriæ arbitrium eſt.*

1. Plutarch. in Politic.

DEnarrat in Politic. Plutarchus, quòd *Cato refertâ iam vrbe Româ ſignis & ſtatuis, (aliorum inquam) ſuam ipſius ſiſti vſpiam non permiſſit: malle, inquiens, cauſſam cur ſibi non ſteterit ſtatua, quàm cur ſtet, requiri.* Nimirùm aut ſuperbiæ tumore, propriæ ſtatuæ ſtrages veritus, quas aliorum ſtatuæ ſubierunt; aut proprij meriti ſecurus, ampliorem parans gloriam per gloriæ contemptum. Maluit enim in poſteritatis memoria altiùs ſtatuæ contemptum, quàm ſtatuam ipſam reponi. Scilicet vel ſecularis ambitio ſublimiorem auguſtiùs gloriam neſciuit condire, abſque illâ ingloriæ mixturâ. Quod proſpero errore, & cæcâ felicitate fecit, dum veram veræ virtutis, & Chriſtianæ religionis celſitudinem adumbrauit, in quâ honoris celſitudo de profunditate humilitatis faſtigiatur. Exindè maluit homo de Republica benemeritus, vt in ambiguo eſſet, cur ſtatua illi non ſteterit; quàm vt exertæ ambitioni ſtatua ſibi erecta adſcriberetur; aut poſſet per alienum contemptum ditui.

*Cur noluerit Cato, vt ſtatua illi ſtatueritur.*

2. Exhod. 4. v. 6.

Exhodi 4. Moyſi inaugurato Hebrææ gentis Principi dixit Dominus: *Mitte manum tuam in ſinum tuum. Quam cùm miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar niuis.* O malum! Opinor, infecta contagio manus dum opera fœdat, Principis deuenuſtabit gloriam. Pulchrè ad rem Theodoretus: *Legiſlatoris manum infecit lepra, docens eos qui pleniùs inſtructi ſunt, horum nihil eſſe immundum* (de quo forſan alibi, dum proſcribitur quorundam Magiſtratuum facinoroſa præſumptè innocentia, quaſi foret præfecturæ priuilegium, iniuſtitiam feciſſe iuſtam ne peccaſſe videantur. Res enim bona imbonæ rei, & contra, typus eſſe ſolet.) *Dextera* (pergit Theodoretus) *quæ admiranda illa perpetrarat, cùm priùs fuiſſet leproſa, ſignis diuinis inſeruiuit, & elementa mutauit. Quæ res Moyſen etiam admonuit, non ſuperbire debere, ſed agnoſcere naturam, cùm recordatione dexteræ lepra priùs infectæ.* Scilicet dum Moyſes populi Dei Princeps renunciatur, dum Deus Pharaonis conſtituitur, & virgâ tot miraculorum operatrice (quæ adhuc ſtupet orbis) cœlitùs inſignitur; tunc, tunc quidèm, dexteram quâ iſtiuſmodi virgam apprehendet, lepræ contagione inficit, vt humilitate altitudinem extruat, dum infectâ manu naturam ciet, elementa concutit, & ratum hactenùs rerum ordinem, ad nutum perturbare aut perturbatum ſedare videtur. O bona dexteræ lepra, quæ de infirmitate potentiam exaggerat! Non fuiſſet adeò admirabilis, niſi leproſa priùs extitiſſet.

Theodoret. quæſt. 10 in Exhod.

*Aliquorum Magiſtratuũ noxia innocentia eſt*

*Leprâ inficitur Moyſis manus, vt ſublimiora prodigia patret.*

Matthæi 5. *Beati pauperes ſpiritu.* Exorditur Chriſtus ab eo, quod omnes expetunt. (Sicut Dauid, aut quiſquis Dauidicos Pſalmos in vnum volumen colligauit) Beatitudinem enim non ſolum nemo non appetit; ſed nemo quicquam, niſi propter eam appetit. Non tracto hîc, quid ſit beatitudo, ſiue naturalis, quæ in hâc vitâ capitur; ſiue ſupernaturalis, quæ in æternaturâ vitâ homines manet. Sumat qui volet ex ſcholis Theologicis. Neque an nunc agatur de vtraque beatitudine, an ſolùm de cœleſti: & de hâc an quà eſt in viâ, aut in ſpe. De quo vbertim Commentatores. Hoc primùm auditur (quicquid ſit ſumma felicitas) quæ dicitur *beatitudo*, eſtque proſperitatis faſtigium, & ſublimioris gloriæ meta; nempè *beatos* eſſe pauperes ſpiritu. Per pauperes ſpiritu, Ambroſius, Auguſtinus, Hilarius, & alij interpretum Proceres, humiles intelligunt. Saltem paupertas humilitatis bibula eſt, aut humilitas paupertatis ſequela. Gratulor humilitati, quòd primam beatitudinis gloriam pariat, & felix gloriæ faſtigium perſtruat: quaſi glorioſa beatitudinis celſitudo præuiâ humilitate ſublimiùs ſtet. Audiendus eſt Clemens Alexandrinus, qui poſtquam multas retulit opiniones, quæ tradunt, in quonam humana beatitudo conſiſtat, ait: Antiſthenes beatitudinem dicebat eſſe, *Faſtus vacuitatem.* Nimirùm Chriſtus Deus de cœli ſcholâ docet, Pauperes ſpiritu, id eſt, humiles, eſſe *beatos*, humilitati gloriam beatitudinis, dicens. At Antiſthenes apud Clementem, *faſtus vacuitatem* beatitudinem eſſe docet. Neque enim vel Philoſophorum faſtus, ſine *faſtus vacuitate* (quod eſt humilitatis negotium) ſublimem beatitudinis gloriam, ſeu glorioſam felicitatis metam cognoſcere potuit. Secularis Philoſophia videt

3. Matth. 5. v. 3.

*Præcelſa beatitudinis gloria ſine humilitate, aut faſtus vacuitate, inueniri non poſſe dicitur.*

Clem. Alex. 2. Strom. c. 11.

videt quouſque habet oculos; Chriſtiana verò de cælo inoculatur. Hæc humilitati glorioſiorem beatitatem dicit; illa naturalis beatitudinis gloriam in *faſtus vacuitate* conſtituit; cæcâ felicitate humilitatem, quam ſequi ignorauit, honorans præcelſo *beatitudinis* faſtigio. Superbia (ait Seleucienſis Baſilius) aix ægritudinum, quæ Deum bello petit, quæ ad naturam pertinentia ignorat, quæ Diaboli morbo iactatur: *etſi vniuerſas in medium virtutes repræſentet, extinguit earum faces ingruens faſtus..... Iuſtitiam Deus auerſatur faſtus feruentem, beneficentiam odit animi tumore æſtuantem.* Ergò vacuitas à faſtu beatitudine impleatur.

Baſil.Seleu. Orat.35.

4. Ioann.1.v.14. Ioannis primo, ſublimiſſimè de Verbo diuino Euangeliſta fatus, mox ad ipſius corporationem deſcendit: Et Verbum, inquit, caro factum eſt, & habitauit in nobis. Nequis autem exiſtimet, Verbum diuinum humanâ corporatione deuenuſtari, addit? *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Alibi aliorsùm exponebamus, in quonam conſiſtat hæc auguſtior Chriſti gloria, quæ Chriſtum, Patris Dei vnigenitum præclare oſtendit. Ergò explorandum eſt, an hæc ſit meraciſſima gloria, an aliquâ etiam ingloriâ aut humiliatione decoretur. Rupertus Tuitienſis ita ad rem præfata verba exponit, vt poſt tot miracula, ſtupore hominum opinatiſſima, poſt Thaboris, Reſurrectionis & Aſcenſionis glorias, non ſit oblitus ignominiæ paſſionis, ſic fatur Rupertus: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre. Vidimus ad extremum quod maximum & glorioſiſſimum eſt, à mortuis reſurgentem, vidimus in manibus & pedibus eius fixuram clauorum, vidimus, inquam, & inſpeximus: palpauimus, & manus noſtræ contrectauerunt latus eius lancea confixum.* Ecce tibi ignominioſæ Paſſionis apud homines, ſtigmata, & nuper tabidas vulnerum cicatrices, quæ crucis ignominias oculis repræſentant; ſic faciunt ad Chriſti gloriam, ſic eius glorias ſumptuosè adornant, vt tunc, tunc quidem, Chriſti gloria, gloria, inquam, quaſi vnigeniti à Patre, micantiùs ſcintillet. *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre. Vidimus in manibus & pedibus eius fixuram clauorum; manus noſtræ contrectauerunt latus eius lancea confixum.* O auguſtiores Chriſti glorias, humilitate ſtigmatum decoratas.

Rupert.l.1. in Ioann. ad ea verba.

Auguſtiores Chriſti gloriæ ſtigmatū humilitate decorantur.

5. Pſal.7.v.9. Regius Vates Pſalmo ſeptimo ſic Deum anxius precatur, *Iudica me Domine ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me.* Deus ne is eſt, qui ſecundum cuiuſque iuſtitiam non iudicet? qui innocentem puniat? Quid petit Dauid, quod non facere Deum dedecet? Hæc orantis cautela, Dei æquitatem deuenuſtare videtur, quaſi timeat ne non ſecundum iuſtitiam à Deo iudicetur. Quin & hæc precatio non videtur faſtu vacua; nec abſimilis Phariſaicæ orationi, quæ iuſtitias ſuas faſtuosè repræſentat. Multi ſunt hîc Interpretes, vt Dauidem ab arrogantiâ vindicent. Imò Sanctus Baſilius præfata verba exponens, in tantâ meritorum ſublimitate quæ elationi videtur confinis, Dauidis humilitatem agnoſcit: neque enim poſſet eſſe tantum ſanctitate faſtigium, abſque impreſſæ humilitatis commercio. *Iudica me Domine ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam.* (Baſilium inibi legis) S.Baſil.ibi. *Quoniam itaque nos homines in multa delabimur incommoda ob inconſiderantiam & inexperientiam, ſe apud Deum excuſat, veniamque orat vt aſſequatur ſuper innocentia. Ex hoc autem palàm eſt quod ea quæ dicta ſunt humilitatem Prophetæ magis quam ſuperbiam præ ſe ferre videntur. Iudica me (inquit) ſecundum iuſtitiam meam. Iudica me ſecundum innocentiam meam in me exiſtentem, id eſt, ad librilem humanæ fragilitatis iuſtitiam meam appendens, ita me iudices.* Scilicet cùm Dauid iuſtitiæ & innocentiæ ſublimitatem videtur oſtentare, quaſi faſtu turgens, & vltra humilitatis metas, non ſine demiſsâ profundiùs humilitate id præſtat. Neque enim tam præcelſa videretur virtus, quæ cùm vera ſit, ſuperbiæ videretur præ ſublimitate confinis, niſi humilitatis mixturam haberet. Nempè *iuſtitiam & innocentiam*, & quidèm coram Dei oculis, dicit: (coram Deo autem nihil eſt, niſi quod verè tale eſt) ſed cùm addit *ſuam*, de cognatâ & cognitâ hominum tenuitate, *humilitatem magis quàm ſuperbiam præ ſe ferre videtur.* Neque enim poſſet eſſe vſque adeò magna virtus, quæ forſan appareret ſuperbiæ confinis, & vltra humanum faſtum; niſi ab humilitate faſtigium mutuaret.

Virtus, quæ præ amplitudine, ſuperbiæ confinis videtur, ab humilitate faſtigium mutuatur.

Dauid Pſalmo 77. ita pangit: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ & poſteriora dorſi eius in pallore auri.* Etſi credi apocrypho Eſdræ libro quarto non licet vbi Deus ex volucribus omnibus columbam vnam elegiſſe perhibetur; tamen eſſe autem fauſtam & prænobilem, & bona quæque typicè adumbrantem, in confeſſo eſt, ſiue populum Iſraëlis ſignificet, in Terra promiſſionis habitantem; ſiue quiduis aliud moraliter, aut allegoricè (de quo olim inibi multa) Verùm notat Lorinus noſter, quod *eſt quidèm quòd rutilat, fulget, fulgeſcitque, nobilius, aurum; ſed color in columbæ collo magis refert vilioris ac pallidi colorem auri.* Si in nobili columbâ aurum, quaſi in aliquid aliud *vilius* degenerauerit, *pallet*, vbi nam tanquam defæcatius & generoſius ſcintillabat? Seleucienſis Baſilius agens de Noëmi æuo, ita ſcribit: *Ac Noëmum Deus tunc adſumit, tanquam aurum in cœno conſpicatus fulgurans, & virtutum theſaurum in tumulu graueolentibus abſtruſum.* Nimirùm in generoſæ columbæ collo, aurum ac ſi *vilius* eſſet metallum, *pallet*; aurum autem *in cœno*, non marcidè *pallens*, ſed micanter *fulgurans* & ſplendide ſcintillans, perhibetur. Sic vel aurum ipſum, quòd in ſublimioribus *pallet*, de *cœni* infimitate, hoc eſt, de limi noſtri humilitate micantiùs *fulgerat*? Sic generoſum metallum à limoſâ cœni humilitate prænitet? Quid auro metallorum ſuperbiſſimo, cū humilitate? Pſalm. decimus quintus hanc Hebraicè habet inſcriptionem apud Burgenſem: *Aurum optimum Dauidi.* Hieronymus, Aquila, & Symmachus *Humilem Dauidi.* O moraliſſima ſynonyma! *Humilitatem* puta *aurum optimum.* Vndè aurum in collo columbæ, tanquam *vile pallet*; in limoſo abiectè cœno *fulgurat*, velut *virtutum theſaurus.*

6. Pſal.77.v.14. 4.Eſdræ.

P.Lorin.ibi. Aurum in loco ſublimi pallet, in humili fulgurat.

Seleu.orat. 5.

Pſal.15.v.1.

Ecce tibi hìc verſ. 6. *Paruus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem Solemque conuerſus eſt: & in aquas plurimas redundauit, Eſther eſt.* Quod infrà cap.11.verſ.10.pene numeratis verbis iteratur: quò iteratâ repetitione omnibus notum ſit, quod depreſſior in Eſthere humilitas, ſublimioris gloriæ arbitrium fuit, dum ex humili captiuitate ad auguſtum regni faſtigium euehitur.

6. S. Bernard. Sanctus Bernardus ſer.2.de Aſcenſione ſic de humilitate moraliſſime ſcribit: Perſeuerate dilectiſſimi, inquit, in diſciplinâ quam ſuſcepiſtis, *vt per humilitatem ad ſublimitatem aſcendatis, quia hæc eſt via, non alia præter ipſam. Qui aliter vadit, cadit potius quàm aſcendit, quia ſola eſt humilitas, quæ exaltat, ſola quæ ducit ad vitam. Chriſtus enim cùm per naturam diuinitatis non haberet quò creſceret vel aſcenderet (quia vltra Deum nihil eſt) per deſcenſum quomodò creſceret, inuenit, inueniens incarnari, pati, mori, propter quod Deus exaltauit illum, quia reſurrexit, aſcendit, ſedet ad dexteram Dei.* Vade, & tu fac ſimiliter. Neque enim aſcendere potes, niſi deſcenderis, quia & æterna lege fixum eſt: omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur. *O peruerſitas, ô abuſio filiorum Adam: quia cùm aſcendere difficillimum ſit, deſcendere autem facillimum, ipſi & leuiter aſcendunt, & difficilius deſcendunt*, parati ad honores & celſitudines. Hactenùs appoſitè Bernardus.

*Per humilitatem ad ſublimitatem aſcenditur.*

7. Ioan. c.1.v.21. Ioannis primo: Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis ſacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negauit: & confeſſus eſt: Quia non ſum ego Chriſtus. *Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit, Non.* Multa mouent ſancti Patres, & politiores. Interpretum, ſuper his Ioannis Baptiſtæ reſponſis: ter enim negat, quod ritè interrogatur, an ſit. Et valdè ſudat eorum induſtriâ, in tantæ humilitatis reſponſo vindicando. Quo enim pacto interrogatus, an ſit Propheta, verè reſpondere potuit: Non ſum? Imò Propheta eſt, & pluſquam Propheta. Indè ergò Ioannis in reſpondendo veritatem vindicat inibi Auguſtinus: *Propheta es tu? Et reſpondit: Non. Quia Ioannes maior erat quàm Propheta: quia Prophetæ longè prænunciauerunt, Ioannes præſentem demonſtrabat*: Itaque dum Ioannes perſpicuè negat ſe eſſe Prophetam pluſquā Propheta, ſeu maior quàm Propheta tacitè affirmatur: ſicut dum negat ſe eſſe Chriſtū Deū Chriſto Deo quā ſimillimus aſſeritur, tantæ humilitatis arbitrio. Audiendus eſt in re nō abſimili Hebræus Philo, qui in lib.de Profugis, agens de Deo, Deique elogiis, ſic alto ſtylo fatur: *Pulchrum eſt quod quidam è priſcis Sapientibus in hanc ſententiam auſus eſt dicere. Deus haut quaquam iniuſtus eſt, ſed dici non poteſt quam ſit iuſtiſſimus, ei nihil eſt ſimilius, quàm qui non eſt.* Sic eſt tenuis, & velut vitio confinis humana bonitas? Sic aut impatibilitas, aut immalitia, aut immutabilitas eorum quæ non ſunt, Deo aſſimilatur? *Deo nihil eſt ſimilius, quam qui non eſt.* Humilitatis in Ioanne ſublimitatem propè immetaram hìc licet agnoſcere. Affirmans enim de ſe, Non ſum Chriſtus: Non ſum Elias: Non ſum Propheta, ille quem expectatis; pluſquam Propheta, & reliquis Prophetis maior, & Chriſto Deo ſimilis euadit, arcano humilitatis cenſu. *Non ſum ego Chriſtus* Deus, ait. Sed *Deo nihil eſt ſimilius, quàm qui non eſt.* Tu aliter (ſi placet) huius Philonianæ ſententiæ grauidum conceptuum ſenſum, petitâ obſtetricante in lucem ede.

S. Auguſt. Tract.4.in Ioan.

*Deo nihil eſt ſimilius quā qui non eſt?*

Philo l.de Profug. ſatis ante mediū.

Paullus epiſtolam ad Philemonem his verbis auſpicatur: *Paullus vinctus Chriſti Ieſu*, &c. Parùm foret, quòd Gentium doctor iam diu abiecto Saüli regio nomine, humilitatis ſtudio puſillum (vt potè diminutiuum à paullum) nomen aſſumpſit; niſi etiam ſe *vinctum* Chriſti nominaſſet, Et vbi eſt Apoſtoli titulus, quem aliàs epiſtolis præfigit? Quid ſubticet Apoſtolatus ſui faſtigium, quo in epiſtolarum auſpicio præcelſam auctoritatem ſibi conciliabat? Dilucidè ad rem Ambroſius (Ambroſij eſt illud opus, quod eius nomine circumfertur:) *Paullus vinctus Chriſti Ieſu. Vt enim dignitatem epiſtolæ à ſe miſſæ faceret, ab iniuriâ ſuâ cœpit.* Profundè quidē Ambroſius Chriſtianæ humilitatis ſacramentum demonſtrat. Nimirùm vt dignitatem epiſtolæ faceret, non præmittit regium Saüli nomen, nec Apoſtolatus ſui titulos præfixit; ſed *ab iniuriâ ſuâ cœpit*, vt humilitatis arbitrio maiorem dignitatem eius opus è diuerſo mutuaret. In epiſtolæ initio profitetur *iniuriam*, vt è contumelioſâ pro Chriſto acceptâ, *dignitatem* ſumptuoſiùs fœnetet. *Vt dignitatem epiſtolæ faceret, ab iniuria ſua cœpit.* 8. Ad Philem. v.1.

*Iniuria augenda dignitatis arbitriū eſt.*

S. Ambroſ. ibid.

Ioannis 21. poſt reſurrectionem ſuam prandet Chriſtus cum Diſcipulis. Cùm ergò prandiſſent, *Dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos.* Benè inibi notat Hugo, quòd Chriſtus Deus ſpecialiter loquitur Petro ſoli, quia *eximius Apoſtolorum erat Petrus, & os diſcipulorum, & vertex collegij.* Sanctus Bernardus exponit illud *Diligis me plus his*; adſpectu ad amorem, quo Petrus reliquos condiſcipulos proſequebatur, quaſi plus amandus ſit Chriſtus, quàm ſubditi quibus præponitur; ne quorundam ſubiectorum ſingularis amor, ſed amor Chriſti, ſit regiminis gnome. Communis tamen expoſitio eſt, τὸ *plus his*, idem eſſe, ac, quam hi diligant me, reliqui Apoſtoli inquam. Ceterùm Cardinalis Toletus opportunè addubitat, quare Dominus Petrum interroget an diligat plus aliis, cùm ſit certum Petrum non potuiſſe de aliorum amore iudicare: qui enim non cognoſcebat quantum ceteri diligerent, quomodò poterat reſpondere & conferre amorem ſuum dilectioni ceterorum? Scilicet Chriſtus, qui erat omnium gnarus, voluit Petri humilitatem omnibus notam facere: vt cognoſcerent ceteri diſcipuli Petrum non iam qualem anteà eſſe, ſed valdè mutatum, & dignum effectum, cui totius Eccleſiæ gubernatio committeretur. Præcipuum autem in quo probandus erat, humilitas eſt: nam ante Paſſionem Dominus ei dixerat: omnes vos ſcandalizabimini in nocte iſtâ: ille ſuperbus reſponderat, & omnibus ſe prætulerat: Etiam ſi omnes ſcandalizati fuerint: ego nunquam ſcandalizabor: ab hàc ſuperbiâ valdè iam erat alienus.

9. Ioan. 21.v. 15.

Hugo ibi.

S.Bern.ſerm. 76. in Cant.

*Ne Superior ſubditorum quoſdā pluſquam Chriſtum diligat.*

nus,& ad veram conuerſus humilitatem. Concludit ergò nuper laudatus Auctor : *Diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Non enim interrogabat Chriſtus, an diligeret plus alijs, vt confiteretur talem amorem Petrus: ſed vt humilitatem eius alijs manifeſtaret, qui iam ceteris non ſe præferre, nec comparare eſſet auſus.* Inde *dignus effectus eſt, cui tanta gubernatio committeretur.* Et idcircò confeſtim Chriſtus *dicit ei: Paſce agnos meos.* quibus verbis olim promiſſa totius Eccleſiæ prælatione Petrum auguſtiùs ſublimat, & *collegij vertex* efficitur. Nimirùm familiare Præpoſitis vitium eſt, exiſtimare, vt dignitate, ſic etiam dignioribus elogiis præminere ſubiectis. Ergò tunc, tunc quidem Petrus, qui id de ſe nuper præſumebat, ſummus Eccleſiæ Antiſtes renunciatur, & Apoſtolici Collegij vertex eminet, cùm *iam ceteris non ſe præferre, nec comparare eſſet auſus.* quaſi de inopinata demiſſius humilitate ſummam ſummæ præeminentiæ dignitatem fœneretur: & tunc eius obtinendæ maximè dignus ſit, cùm ſubditorum nemini ſe præferri præſumit. Sic ſummæ humilitati ſumma dignitas confinis eſt?

Card. Tolet. Annot. 6. *Cùm Petrus nulli ſubditorum ſe præfert, dignè omnibus præficitur.*

10\. Siracides Eccleſiaſtici 11. *Sapientia humiliati* (humilis inquam) *exaltabit caput illius & in medio magnatorum conſedere illum faciet.* Et ſequenti verſ. perſiſtens in eadem ſententia, ſubdit, *Non laudes virum in ſpecie ſua, neque ſpernas hominem in viſu ſuo.* Quæ verba ita Syrus excribit, & exponit : *Ne laudaueris hominem, qui ſpecioſus eſt in aſpectu ſuo; & ne contumeliâ afficias hominem, qui vilis eſt in conſpectu ſuo.* Quaſi dicat : Ne iuxta externam hominis ſpeciem vibres æſtimationis cenſuram : nam ſæpè qui exteriori forma nitet ambitioſâ pompâ aſpectabilis; medulli ùs inſpectus, contemptibilis eſt, puſillus, & ſordidus. E contrariò autem qui in conſpectu ſuo humilis eſt, vilis, & abiectus, humilitatis arbitrio, ſapiens, aſpectabilis, & magnus apparet. Quâ de re ſic fatur Cyrillus Alexandrinus : *Crede mihi,* inquit, *quia maximè ſe vilificat, qui ſe magnis dignificat. Sicut qui ſe iudicat ſapientem, fit amens. Lux quidèm luce confunditur, & altitudo altitudine curuatur; ſed altior ſtella mentitur aſpectibus, & cunctis inferior Luna ſuper omnia decoratur. Vbi ergò eſt profunda humilitas, ibi excelſa eſt dignitas : & vbi ex temetipſo eſt deiectio magna, ibi ex virtute tibi eſt dignificatio maxima. Nam dum mandanis honoribus nos indicamus indignos, tunc nos humilitas ſempiternis atque celeſtibus reddit dignos. Quibus auditis eruditus, qui ſe deificauerat, erubuit.* Ecce tibi altitudo altitudine curuatur, exigua autem ſublimitate faſtigiantur: & altior ſtella mentitur aſpectibus, *& cunctis inferior Luna ſuper omnia decoratur,* & de infirmitate gratiam fulgendi mutuat.

Eccli. 11. v. 1.

Syrus. *Luna reliquis aſtris inferior apparet glorioſior & illuſtrior.*

S. Cyril. l. 2. Apolog. c. 3. *Altitudo altitudine curuatur, & lux luce confunditur.*

11\. Eccleſiaſticus cap. 43. ita ſcribit : A Lunâ ſignum diei feſti, *Luminare quod minuitur in conſummatione .... creſcens mirabiliter in conſummatione.* Alij apud Cornelium excribunt : *Luminare quod minuitur ſuper conſummationem.* Sanè miriſſimum eſt, quòd hoc luminare & *minuitur* in conſummatione, & *creſcit* in conſummatione, hoc eſt, *minuitur ſuper conſummationem.* Hæc Siracidis ſententia ænigmati ſimilis eſt, quò ad myſticum ethicumque verborum ſenſum nos vltrò impellat. P. Ludouicus Alcazar biblicè opinatiſſimus, hâc ſuper re ita ad rem philoſophatur : In prædicto, inquit, Lunæ encomio Eccleſiaſtici; *Minuitur in conſummatione, & creſcit mirabiliter in conſummatione;* deſignatur elegantet illud, quod in Beata Virgine inſigne atque præclarum eſt, coniunctio videlicet humilitatis maximæ ac demiſſionis, cum admirabili excellentia & exaltatione. Nam quæ ſibi ancilla, atque adeò nihil in ſuis oculis apparet, reapſe eſt cæli Regina glorioſiſſima. Quare & diminutio, & incrementum, vtrumque mirandum in modum excellit. Quemadmodum Luna in ſua cum Sole coniunctione; eò vſque minuitur, donec ſuam penitùs lucem occultet, & nullam omnino habere videatur; (id quod oritur ex eo quod Luna cum Sole coniungatur, & ipſi ſubiiciatur plenè) Non aliter Virgo ex eo quod cum Deo intimè vniretur, & illi ſeſe perfectiſſimè ſubiiceret; *omnem ſuæ lucis hauſtum eo regerit, vndè accipit,* vt Plinius inquit. Atque in coniunctione hac cum Sole conſiſtit potiſſimum perfecta ipſius Virginis humilitas. Verùm hæc eadem Luna, quæ adeò minuitur atque contrahitur, tantoperè etiam ab ipſo illuſtratur Sole, vt in oppoſitione, ſi illam vnâ ex parte, Solem ex alterâ proſperes, ſecundum penè Solem, & quaſi alterum de numine numen glorioſiſſimè reſplendens, & longo interuallo cetera aſtra antecellens, iure appelles. Quid igitur poteſt adduci congruentius ad ſummæ humilitatis, ſummæque exaltationis ſymbolum? Hùc ſpectat, quod Luna à Plinio vocatur. *Humilis & excelſa, quia alias admota cælo, aliàs contigua montibus.* Hactenus noſter Alcazar, cuius verbis ſicut nil eſt quod demere, ita neque ad rem addere poſſis.

Eccli. 43. v. 7. & 8. Cornel. ibid.



Alcazar in Apocal. 12. v. 1. Notat. 2. *B. Virginis in humilitate ſublimitas, Luna ſymbolo eleganter exponitur.*

Plinius.

Plinius.

## §. CCXL.

### *Magnorum ſubſiſtentia, quæ glorioſam altè magnitudinem fundat, humilitas eſt.*

1\. SEntentioſa Siracidis vox eſt : *Eſt propter gloriam minoratio : & eſt qui ab humilitate leuabit caput.* Nimirùm ſicut ſumptuoſior gloria quâ homines præfulgent, ſæpè eos obſcurat, & minorat, facitque dignitatum magnitudine infeliciter modicos & puſillos; Sic viciſſim *eſt qui ab humilitate,* id eſt, ab humili conditione, loco, & gradu, ob humilitatem *leuat caput,* & ſublimiſſimo gloriæ faſtigio attollitur. Aliter Tigurina vertit. *Eſt qui ſe ſubmittat cauſa gloriæ :* (nam vel ſimulata ambitioſè humilitas, negotioſum gloriæ arbitrium eſt) *rurſumque qui ab humilitate erigat caput.* Vis ergò eſſe glorioſus, ſubmitte, & humilia te: ſublimior enim gloria, ſubmiſſionis appendix, & humilitatis ſequela eſt. *Antequam conteratur, exaltatur* (aliàs *elabitur*) *cor hominis : & antequàm glorificetur, humiliatur.* quaſi ſubmiſſior humilitas ſit ſcala ad ſublimius gloriæ faſtigium. Quod in Eſthere hic & videre, & admirari licet.

Eccli 10. v. 11. *Humilitas & ſubmiſſio, ſublimioris gloriæ negotiatio eſt.*

Tigurina.

*Cor ſuperborum elabitur.*

Prouerb. 18. v. 12.

Hic v. 6.

2\. Pſal. 8. v. 4. Regius Vates ſic Pſalmum 8. auſpicatur: Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſâ terrâ! Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudē propter inimicos tuos, quaſi ſublimiorem laudem Deus ex ore paruulorum & humilium perficiat. Pergit ad rem: *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.* Conſiderabo inquam attentè admirabile illud opus manuum, & indè laudabo te tanti operis artificem. Cur autem dixerit *tuos*, declarat dicens, *Opera digitorum tuorum*: nec dicit brachiorum, ſed digitorum, tum vt oſtendat ſummâ felicitate cælos à Deo fuiſſe conditos; tum quia digitis fiunt opera ſubtilia & pretioſa, ad quæ facienda, ingenium, non labor requiritur. Verùm rectè quærit Robertus Bellarminus, cur *non meminit Solis, ſed lunæ tantùm & ſtellarum?* Et ſanè ſollerti expenſione digniſſimum eſt, quòd cùm Sol ſit omnium cœleſtium corporum maxiſſimum, luciſſimum, nobiliſſimum, recenſitis ſigillatim cælis, lunâ, & ſtellis, Solis recenſitionem ſolam neglexerit, quandò cœleſte opificium prædicatur. Reſpondet nuper laudatus Bellarminus (poſt aliam rationem primò adductam) diligenter expendens verbum illud *fundaſti*, ita ſapienter fatus: *Denique verbum, Fundaſti, ſignificat cælos, Lunam, & ſtellas ex nihilo creata, quaſi dicat Propheta: Quæ tu à fundamento feciſti, cùm anteà nihil eorum extaret.* Nimirùm in validè communi opinione (cui nunc ethicè ſubſcribimus) cæli, luna, & ſtellæ ex aquis producta ſunt. Sol verò ex primæua illa lucis maſſâ, quæ tres illos primos mundi dies gyrando diſtinxit, die quartâ materiatus eſt. Exindè Sol ex lucis illo globo editus, hìc non recenſetur, quia nec *fundari* dicitur, cùm quartâ ſuæ formationis die primæua illa lucis maſſa præceſſerit, quæ ſemiſol, aut inchoatum luminare appellari poterat. Cæli autem, luna, & ſtellæ, tanquam informis quædam materia, aut pigra aquarum moles obſcurè ſtagnabant. Itaque cùm cælum, luna, & ſtellæ, nil pulchritudinis, luciſque præhaberent, *à fundamento facta* dicuntur: quia quicquid præceſſit vile erat, abiectum, humile, obſcurum: ſecùs Sol, qui ex ſemiſole micantiùs illuxit facto fulgorum incremento. O vide hìc quanta abiectio & obſcuritas anteuertat ſideream cæleſtium corporum gloriam. *Non meminit Solis, ſed Lunæ tantum & ſtellarum*, cùm imprimis admirabile Dei nomen glorioſè prædicat in cæleſti opificio: nam *verbum, Fundaſti, ſignificat, cælum, lunam, & ſtellas ex nihilo* (id eſt, ex humili & obſcura materiâ) *creata. quaſi dicat Propheta: Quæ tu à fundamento feciſti.* Scilicet illius gloriæ faſtigium inconcuſsâ firmitudine *fundat* Deus, quod *ex nihilo* erigit, quod humiliter abiecta & obſcura initia recognoſcit. Idcircò cùm Propheta dicit, *Fundauit*, non Solis, ſed cælorum, Lunæ, & ſtellarum ethicè meminit, Sol enim non ſic *fundari* dicitur, cùm ex primæuâ illa lucis maſsâ materiatus effulſerit, & Solis nomen mutuarit. Profectò Magnorum ſubſiſtentia, quæ glorioſam altè magnitudinem *fundat*, præuia humilitas eſt. *Ante quam glorificetur, humiliatur.*

P. Bellarm. ibidem.

*Quare non tam Solis, quàm lunæ, & ſtellarum faſtigium fundari dicitur.*

3\. Eccl. 14 v. 6. Siracides in libro Eccleſiaſtici de Salomonis ſcholâ ſic ſapienter homines erudit: *Qui ſibi inuidet, nihil eſt illo nequius, & hæc redditio eſt malitiæ illius.* Nemo inficiabitur ex ethicè ſapientibus, quòd omnis vniuerſatim inuidia eſt mala, & homine moribus ingenuo non digna. Verùm (ſi dialecticè loqui licet) argutus quiſpiam Sophiſta ſentētiæ ſuppoſitum forſan negauiſſet. Porrò inuidia, triſtitia eſt de alieno bono, qua angitur inuidus, qui bonum illud ſibi potiùs mallet, & inde liuore vritur, & inuidia viſcerum pertinaciter corroſione, perpetim inquietâ, & inſolenter maleficâ. Sibi autem quis bonum inuideat? quod dum aliis inuidet, ideò inuidet, quia illud ſibi potiùs mallet. Scilicet loquitur Eccleſiaſticus de inuidiâ quâ quis propter auaritiam ſibi inuidet victum & vitam: quâ nihil eſt iniquius. Imò ipſa ſui merces & pœna eſt: nam qui ſibi victum auarè inuidet, vitam inuidè eripit: ac proindè ſui ipſius tortor eſt, carnifex eſt. Atque adeò hæc propter auaritiam ſuiipſius inuidia à Siracide condignè damnatur. Neque opinor damnaſſet ſuiipſius inuidiam, arcanè moraliſſimam, quæ ab humilitate ſublimium venit. Imò qui ſibi propter humilitatem inuidere poteſt, nihil eſt illo adæquè bonum, & generosè ſanctum. Nam *quantò magnus es, humilia te in omnibus*, in quibus magnus es, & eris maior ceteris; imò & te ipſo maior, & illuſtrior. Belliſſimè Sanctus Bernardus ſcribens ad Eugenium Pontificem maximum: *Quò enim celſior ceteris, eò humilitate apparet illuſtrior, & ſe ipſo.* Altè quidem! Scilicet profunda humilitas in præcelſo dignitatis honore, honor eſt ipſius honoris ac dignitatis: tantumque excellit quiſquis eſt ſublimitate humilis, de honore propter humilitatem auguſtè honorato, vt reliquorum, imò & ſuiipſius inuidiam ciere poſſit arcano quodam inuidiæ ſacramento. *Magnus Pompeius, & ſolo theatro ſuo minor.* (quæ ſunt Tertulliani verba) Adeò enim fuit illuſtre illud ſuperbum theatrum, quod Pompeius ambitioſè extruxit, vt tametſi *Magnus Pompeius* eſſet, *ſolo theatro ſuo minor* euaderet, ob ſuperbæ ſumptuoſiùs molis arrogantiam: aberat enim humilitas, quæ eſt honoris honor, & magnitudinis faſtigium. At vbi ſublimior dignitatis aut rerum geſtarum honor humilitate honoratur, ſublimatur, faſtigiatur; ſupra reliquos, imò vltra ſe ipſum ſic præcelsè attollitur, vt *appareat illuſtrior ſeipſo*, adeò vt ſibi poſſit glorioſè inuidere. *Qui* ſic *ſibi inuidet*, nihil eſt illo illuſtrius. Pompeius magnus honore ſuo per ſuperbiam minor extitit. At Eugenius Pontifex maximus (iuxta Bernardi vota) *quò excelſior ceteris, eò humilitate apparuit illuſtrior, & ſeipſo*, ita vt *ſibi* piè *inuidere* potuiſſet. O, de humilitatis ſacramento, redde te tuæ inuidiæ feliciſſimè obnoxium.

*Humilis ſibi inuidere poteſt, quia maior eſt ceteris, & ſeipſo.*

Eccli. 3. v. 20. S. Bern. l. 2. de Conſid. ad Eug.

Tertullian. aliàs expenſus.

Eccleſiaſticus cap. 3. his verbis pulchrè humilitatem edocet. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Itaque præcelſum magnitudinis faſtigium, menſura humilitatis eſto; & rursùs humilitas, faſtigij menſura? Nam omnis dignitas, eo ipſo dignitatis nomine indigna eſt, ſi humilia dedignetur: humilitas enim quæ honoris dignitatem non adæquat, periculum eſt, & ficti honoris titubatio; honor verò abſque pari humilitatis menſura, confuſionis minæ ſunt, & ruinæ metus. Luculēter Iſidorus hâc ſuper re ita fatur: *Memento*, ait, *quia puluis es, quia putredo & vermis es; quia etſi aliquid es, niſi tantò te humilies* 4.

Eccli. 3. v. 20.

*Homo magnus humilitate ſubſiſtit, ne ruat in nihilum.*

S. Iſidorus de confl. vitior. & virtut.

*milies, quantò magnus es, perdes omninò quod es.* Scilicet in magnis, humilitas eſt ſubſiſtendi arbitrium. Porrò Deus per naturam habet quod eſt: *Ego ſum qui ſum*: ſic Homo qui puluis, putredo, & vermis eſt, ſi aliquid aliquandò magnum & ſublime eſt, per humilitatem habet quod magnus ſit, ne *perdat omninò quod eſt.* Sicut enim heliotropium natiua vi perpetuò ad Solem; ſic humana ethicè magnitudo perpetuò ad caſum, ad ruinam, ad nihilum vergit. Niſi humilis ſis, *perdes omninò quod es.*

5. Psal. 77. v. 14. Regius Vates Pſal. 77. *Si dormiatis*, inquit, *inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri.* Locus intellectu arduus, nec obiter exponendus. Delibandum tamen eſt, quòd dum auri color magis fulget, & quaſi vitaliter in columba micantiùs ſplendet; *pallere aurum* perhibetur. Verùm de Noëmo ita ſcribit Seleucienſis Baſilius: *Ac Noëmum Deus tunc aſſumit, tanquam aurum in cœno conſpicatus fulgurans.* Aurum, quod aliàs *pallere* dicitur; in cœno ſic lucet, ſplendet, irradiat, vt ſcintillare, vel potiùs *fulgurare* dicatur. Tantus ne à cœni vilitate auri fulgor?

*Aurum aliàs pallet, in cæno fulgurat.*

Baſil. Orat. 5.

Ioannis 13. nocte illa paſſioni proxima ſurgit Ieſus à cœna, & ponit veſtimenta ſua, & cœpit lauare pedes Diſcipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. Renuens Petrus humile Magiſtri obſequium, ſeuerè audit: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dixit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, ſed & manus, & caput. *Dicit ei Ieſus: Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Chriſtus hic alludit ad eos, qui ſe lauant in balneis, qui toti quidem loti & mundi ex eis exeunt; ſed quia pedibus nudis terram calcant, itáque pedes inquinant, idcircò eos tantùm deindè lauant. Ceterùm Chriſtus per Anagogen, hic more ſuo à lotione corporali ad ſpiritualem aſſurgit. Quaſi dicat: Qui lotus eſt ſpiritualiter per baptiſmum, aut per contritionem & pœnitentiam, hic totus eſt mundus in anima, ſed tamen indiget vt ſolos pedes lauet, id eſt vt animi affectus, qui externarum rerum, in quibus verſantur, contagio ſubindè maculantur, & leues ſordes contrahunt, ſæpè expurget per contritionem, caſtigationem corporis, & ſimiles virtutes. Appoſitè Bernardus ſerm. de Cœna Domini: *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet. Lotus eſt, qui grauia peccata non habet, cuius caput, id eſt, intentio, & manus, id eſt, operatio munda eſt; ſed pedes qui ſunt animæ affectiones, dum in hoc puluere gradimur, ex toto mundi eſſe non poſſunt, quin aliquando vanitati, aliquandò voluptati aut curioſitati, plus quàm oporteat, cedat animus vel ad horam. In multis enim offendimus omnes. Veruntamen nemo contemnat aut paruipendat.* Verùm Auguſtini difficultas adhuc vrget; ſic enim inibi eleganter addubitat: *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Hic moueatur fortaſsè quis, & dicat: Imò ſi eſt mundus totus, quid ei opus eſt vel pedes lauare?* Vtrumque ex altertutro arguitur, aut non eſſe mundum totum, ſi ex Parte lauacro indiget; aut ſi pars aliqua balneo indiget, totum eſſe mundum non poſſe: munditics enim lauacrum repudiat, tanquam ſibi ſuperuacuum. Quin & mundicies lauacro quodammodo inficitur; innuuntur enim ſordes, quas lauacrum abſtergat quo non parùm deuenuſtatur, cum vel proprio ſuffragio palam damnetur? dum quod eſt *mundum totum*, aliquâ ſui parte, pedibus inquam, immundum, & lotionis indigum præmonſtratur. O magnum Chriſtianæ humilitatis Sacramentum! Tantùm celſitudinis faſtigium, quò aſcendit Euangelica perfectio, humilitate fundatur, & indè vſque ad ſummum verticem faſtigiatur. His lutoſis exiſtimatione pedibus Chriſtiana perfectè munditics egregiè fulcitur, & mundè nitet; & de humilitate ſordidorum ſuo cenſu pedum, *totus mundus* eſſe præmonſtratur. Qui arroganter putat, ſe *totum mundum* eſſe, ipſe vanæ gloriæ luto coinquinat ſeſe: cenſeat ergò humiliter ſe aliqua ſaltem ſui parte ſordidum, & lauacri indigum, & ſic integram munditiem *pedibus* denuò lotis fundabit; pedes enim humanæ fabricæ infimiſſima pars eſt. Non eſt ſatis *mundus totus*, cui in ſua ſaltem exiſtimatione, non eſt aliqua pars amplioris lotionis indiga ad perfectam munditiem. Hæc pars humilitate ſordida, erit fundamentum, & integræ munditiæ nitidius fulcrum. *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.*

Ioann. 13. v. 10. Cornel. ibi.

S. Bernard.

S. Aug. Tr. 56. in Ioann. *Non eſt totus mundus, niſi qui de humilitatis lenocinio, pedes ſe habere immundos exiſtimat.*

---

## §. CCXL.

### *Virtutis ſtudioſus, diuerſiſſima & velut ſibi pugnantia munera, integro ſuccidue ardore plenius adimplet.*

OMnia dimitte, & vaca bonæ menti. Nemo ad illam peruenit occupatus: ſed occupationes illa idoneè impendit, & ſedulò obeundas negotiatur: ad reliqua otioſos inueniat, vt benè negotioſos faciat. Exercet Virtus regnum ſuum, dat tempus, non accipit. Non eſt res ſubciſſiua, ordinaria eſt, Domina eſt, adeſt, & iubet. *Alexander, cuidam ciuitati partem agrorum, & dimidium rerum omnium promittenti, eo inquit, propoſito veni in Aſiam, vt non id acciperem quod dediſſetis; ſed vt id haberetis, quod reliquiſſe.* Idem Virtus rebus omnibus: non ſum id tempus acceptura, quod vobis ſuperfuerit; ſed id habebitis, quod ipſa redegero, erogaueroque. Totam hùc conuerte mentem, & magnum temporis ac ſedulitatis compendium facies. Nam qui ex virtute officium obit, ſic negotiis omnibus, tanquã ſingulis impenditur; & quaſi ex otioſo ad illud ſingulare miniſterium accederet. Sic congruum tempus, ſic mentem ſedulò intentam Virtus erogat: quia omne hominis tempus, omneſque mentis vires ſibi vendicat; non vt auarè habeat, ſed vt commodiùs, & pleniùs diſtribuat. O quàm vellem homines ſuis miniſteriis impensè addictiſſimos! diuerſiſſima licet ſint, de vniſſimo virtutis ſtudio plene exacianda ſunt. 1.

Senec. ep. 54. *Virtus quem otioſum inuenit plenè occupatum facit.*

S Hieronym. ad Euſtochium virginem Paullæ matris epitaphium ſcribens, ita de ea fatur: Quinque liberos ex viro ſuo Toxotio habuit, Bleſillam, Pollinam, Eſthochium, *Ruffinam, quæ immaturo funere pium matris animum conſternauit: & Toxentium, poſt quem parere deſiit, vt* 2.

*Virtutis munia velut ſibi pugnantia, Paulla implet.*

*intelligeres eam non diu ſeruire voluiſſe officio coniugali, ſed mariti deſiderio, qui marem optabat, liberos edidiſſe: poſtquam vir mortuus eſt, ita eum planxit, vt propè ipſa moreretur: ita ſe conuertit ad Domini ſeruitutem, vt eius mortem videretur optaſſe.* Ecce tibi Paulla, de ſchola virtutis, quàm plenè obit omnia ſui muneris miniſteria, quaſi ſingula vnicè obiret. Matrem implet, Ruffinam filiam immaturo acerbè funere tumulatam, penè vſque ad conſternationem illacrymans. Vxorem implet, parere non deſinens, quouſque mariti vota partu maſculæ prolis impleret. Viduam implet, ſic recens mortuum maritum implorans luctu funeſto, vt propè inſimul cum viro tumularetur. Tunc verò exinceps *ita ſe conuertit ad Domini ſeruitutem, vt eius mortẽ videretur optaſſe.* Sic propè non videtur ſibi cohærere, ſed pugnantia ſectari, vt vniuerſa munia tanquam ſingula impleret. Dum plangit virum, commori putabatur: & dum poſtmodùm Deo ſe impendit, mariti funus è votis accidiſſe videretur.

3\. Paullus 2. ad Timotheum cap. 4. ita ſcribit: *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple.* Magna petis Paulle, & quæ non viribus vllis diſcipulus Timotheus exequi poſſe videatur. *In omnibus labora,* inquit, & confeſtim ſubdit, *Miniſterium tuum imple?* Et quomodò poteſt miniſteria perfectè *implere,* qui laborat in omnibus? Putauerim, qui omnibus diſtrahitur, ſingulis deerit: neque enim vnus homo muniis omnibus par eſſe poteſt. Verum Doctor gentium ſic Diſcipulum ſuum *omnibus* virtutis laboribus impẽdit vt miniſterium ſuum *implere* meminerit. *In omnibus labora, miniſterium tuum imple.* Euſebius Emiſenus ſic de ſuo Maximo ſcribit: Qui iam dudùm inquit, in Abbate Pontificẽ geſſerat, poſtmodum Abbatem in Pontifice cuſtodiuit: neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abiectionis, honoris impatiens, pauper in pecuniâ, diues in conſcientiâ, humilis ad merita, ſuperbus ad vitia, locuples in donis Dei: *Sic in ſe excoluit gratiam vnamque quaſi ſolam: pauci ſic tenuerunt ſingulas, quomodo ille in ſe impleuit vniuerſas: ſemper in operis exercitio, ſemper vacans.* Planè luculenter.

2\. ad Tim. 4. v. 5.

Emiſ. homil. de S. Max.

4\. Ioannis 4. Chriſtus Deus fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem: dixitque Samaritanæ: Mulier da mihi bibere. Illa autem longis ſermonibus potum porrigere cunctabatur, cui dixit Ieſus: Si ſcires Donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi: Da mihi bibere: *forſan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam.* Multa tradunt Interpretes ſuper hâc *viuâ aquâ* Samaritanæ promiſsâ, quã illa meritò ardẽter concupiuit. S. Chryſoſtomus præſcripta verba exponens, ita fatur: *Spiritus-Sancti gratiam quandoque Scriptura ignem, quandoque aquam vocat, oſtendens quoniam non ſubſtãtiæ ſunt hæc nomina repræſentatiua, ſed actionis. Per ignis quidem appellationem erectiuum & cauſſale gratiæ, & conſumptiuum peccatorũ ænigmaticè inſinuat; per aquæ verò nuncupationẽ, purgatiuum quod eſt ex Spiritu, & multum refrigerium recipiẽtibus eum mentibus oſtendit.* Ecce tibi aqua, è quâ apud Nehemiam ignis emicuit, placido fulgore madẽs (quaſi *non ſint ſubſtãtiæ hæc nomina repræſentatiua, ſed actionis*) ac ſi ſubſtantiam dediſcens ſuam, quamlibet, etſi oppoſitam actionem aſſumit, vel contrariis actionibus adæquè tota, pariter peridonea. Gratiæ *aqua viua* ſic peccata eluit ac purgat, ſic peccatorem refrigerat, quaſi cognati concupiſcentiæ ardoris nix foret: quare ſub aquæ nomine Samaritanæ propinatur. Sed eadem *aqua,* ignis eſt, qui peccata decoquit, & conſumit. Adeò vt eadem ſic oppoſitorum munia expleat, vt *ænigma* ſui videatur: ab eâ enim quaſi ab igne iam æſtuat peccatoris conſcientia, iam tanquam ab *aqua viuâ,* vitiorum ardor refrigeratur.

Ioan 4. v. 10.

*Eadem aqua modò refrigerat, modò velut ignis accendit.*

S. Chryſoſt. homil. 31. in Ioan.

Geneſeos 1. in rerum primordio creauit Deus terram aquis merſam, & expetito naufragio obrutam, & ſuperfuſo aquarum abyſſo naturaliter ebriam, ſobriâ ſuæ naturæ cupiditate. Sed vt & habitationem, & alimoniam præſtet hominibus, aqueam molem excuſſit, & vaſtis ſinibus amplexata eſt. *Dixit Deus: congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum: & appareat arida.* Ab ariditate iam Terra nomen habet, quæ dudùm ſuperfuſis altè gurgitibus madidè iacebat immerſa? Tam citò conſtanter aruit, nuper fluidè madida? Eloquenter Ennodius hâc ſuper re ita Deum alloquens, philoſophatur: *Quis alius præter te,* inquit, *mundi fabricam perpendiculo repentinæ iuſſionis exactam, bifidâ auctoritate ſolidauit; cùm primùm præcepti tui miraculo terra coagularetur in pelagus; & deductis deindè aquarum impreſſionibus, illa naufraga poſt ſitiret?* Diuini imperij, an terrenæ obedientiæ hoc miraculũ eſt, & hominũ ſtupor; qui illos terræ æmulatione, vel ad diuerſiſſima munia facile verſatiles, & pleno conatu flexiles, idoneè refingat? Scilicet Terra, quæ de naturæ ſuæ genio naturaliter fluctibus exundans, & aquarum gurgitibus abſorpta, nuper iacebat inuiſa; iam dorſum aquis nudat, & aquarum abundè bibulo, iuſſam ariditatem hiãter reſorbet, adeò vt dudùm madidè naufraga, & in pelagus coagulata, deductis indè aquarum molibus, aridè *poſt ſitiret*: ſicque recens biberet totam ariditatis ſitim, vt *Aridæ* elogio iam notetur. O diſcamus è naturæ exanimalis gymnaſio, diuerſiſſimis muniis nos verſatiles, & totos ſingulis plenè exhibere! Terra enim benè naufraga, poſtmodùm meliùs ſitit, Aridæ nomen, & rem nominis plenè adimplens. 5.

Gen. 1. v. 9.

*Terra nuper naufraga, iam arida hianter ſitit.*

Ennod. in Benedict. Cerei 1.

Exhodi 7. Dixit Dominus ad Moyſen: Ingrauatum eſt cor Pharaonis, non vult dimittere populum. Vade ad eum manè, ecce egredietur ad aquas: & ſtabis in occurſum eius ſuper ripam fluminis: & virgam, quæ conuerſa eſt in draconem, tolles in manu tuâ. Diceſque ad eum: Dominus Deus Hebræorum miſit me ad te dicens: *Ecce percutiam virga, quæ in manu mea eſt, aquam fluminis, & vertetur in ſanguinem. Piſces quoque, qui ſunt in fluuio, morientur, & computreſcent aquæ, & affligentur Ægyptij bibentes aquam fluminis.* In virgâ ictum fluuio comminante inſcriptũ Dei nutum aquæ legunt, & inopinatâ metamorphoſi exanimalia elementa naturam dediſcunt. *Per manum ſerui ſui Moyſi* (ait S. Gregorius Nyſſenus) *intolerabilia infert vulnera. Commouebantur autem iuſſu eius elementa ipſa. Terra ſcilicet, ignis, aër, aqua: ad impietatem enim Tyranni actiones ſuas facile commutabant.* Quid eſt quòd elementa ad acerbiores inferẽdas plagas populi Dei oppreſſori, actiones ſuas *facilè* commutant? profectò has contra Ægyptum, ſtrages non edunt elementa propenſione naturę ſed supernâ vi ad vltionem armata. Verum ac ſi difficilem 6.

Exhod. 7. v. 17 & 18.

*Elementa facilè actiones ſuas aduerſus impiorum ſæuitiam commutant.*

S. Nyſſenus apud Caten.

*De facili Elementorum obſequio, homo diſcat oppoſita munia facilè exequi.*

difficilem, aut non ita facilem ſui vſum creaturæ exhiberent ad alias ſupernaturales actiones, ſignatè dicontur *faciles*, expeditæ, & promptæ ad opprimendum piorum Oppreſſorem: quaſi aliquo arcano naturæ velut fomite *faciliores*, expeditiores, expromptiores ad eiuſmodi punitionem exiſtant, quò aduersùs impiorum ſæuitiam piè ſæuiant, & promptiori impetu Deo militent. Nempè aquæ humano ſeruitio deputatæ, vt potum hominibus præbeant, piſces fœcundè procreent, terram abundantiùs fœcundent; ipſæ quaſi naturam deſueſcant, in ſanguinem conuertuntur, ſqualidè putreſcunt, & piſcium cæde cruentantur; & naturam, & *actiones ſuas facile commutant*, nutui diuino cognatâ metamorphoſi, quæ humanos mores erudiat ad diuerſa obſequia *facile* præſtanda, licèt ſibi pugnantia videantur.

7. Gentium Doctor, & Euangelicæ prædicationis Magiſter. 1. Corinth. 9. Cùm liber, inquit, eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem. Et factus ſum Iudæis tanquam Iudæus (non Iudæus,) vt Iudæos lucrarer: iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem (cum ipſe non eſſem ſub lege) vt eos qui ſub lege erant, lucrifacerem: iis, qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem (cum ſine lege Dei non eſſem: ſed in lege eſſem Chriſti) vt lucrifacerem eos, qui ſine lege erant. *Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos. Omnia autem facio propter Euangelium.* Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, & alij exſcribunt: *Omnibus omnia factus ſum, vt omninò aliquos ſaluos facerem.* quaſi idem eſſet, *omninò aliquos ſaluos facere*, ac *omnes ſaluos facere.* Sic paucorum eximia virtus, virtutem & ſaluationem omnibus afflat? tanta eſt boni exempli vis ad virtutem aliis ſpirandam? (ſed hoc aliàs) Verùm cùm Paullus ſeriò affirmat, quòd *omnibus omnia factus eſt*, nemo falſatam fictionem, aut mentitam ſubdolè ſimulationem ſuſpicetur, quod piè pariter ac verè notant Interpretes. Quâ de re audiendus eſt Oecumenius inibi ita fatus: *Omnibus omnia factus ſum. Vt breuiter dicam: Omnibus factus ſum id quod eram...... Hoc autem facio propter Euangelium. Euangelium dicit eos, qui per Euangelium ſalui fiunt.* ô rem mitiſſimam! cùm Paullus omnibus omnia factus eſt, non, quod non erat, ſimulat; ſed *id quod erat, factus eſt*? O quàm paucis Oecumenius ad rem præſentem ſubtiliter compendiauit! Sed non dimittam innotatum, quòd Paullus *Euangelium dicit eos, qui per Euangelium ſalui fiunt.* Num Paullus viuum *Euangelium* recognoſcit in iis, qui doctrinam Euangelicam à ſe prædicatam, auidè exceperunt, & moribus expreſſerunt? Opinor, naſcentis Eccleſiæ ſtrenui Chriſtianè mores, & viuum ac ſpirans *Euangelium*, & luculentum *Euangelij* commentarium, ab Oecumenio nuncupatur. (Sed de hoc alibi non ſemel plura perſtrinximus.) Ecce tibi nunc Eſther, & exiguus fons, & magnum flumen: & tenuis facula, & Sol ſplendidior nuncupatur. In omnibus his muniis tota ſemper, ſemper Dei populo multa.

*1. Cor. 9. v. 22. & 23.*

*S. Chryſoſt. Theophil. Oecumen. Qui aliquos omninò ſaluat omnes ſaluare dicitur!*

*Oecumen. Paullus omnibus omnia factus, id quod erat, factus eſt?*

*Qui per Euangelium ſaluantur, Euangelium ab Oecumenio dicuntur.*

*Hic v. 6.*

---

## §. CCXLII.

*Sol de largiori beneficentia notiſſimus, naturæ gratia, præſtantia creaturæ, vinculum ad bonum, cœli cor ac mens, atque ſignificatiua & euidens diuinæ bonitatis imago nuncupatur.*

QVerula Prophetæ vox eſt: *Nunquid non vt filij Æthiopum vos eſtis mihi, filij Iſrael, ait Dominus?* Quid eſt, quòd ſic exacerbatur Deus, quoniam ſuus electus populus Æthiopum mores hauſerit, & expreſſerit? Quinam ſunt iſti mores Æthiopum, quos ſic Deús exoſos habet? Naturalis philoſophiæ Princeps ſic fatur de Æthiopibus, qui Atlantem incolunt: *Solem orientem occidentémque dirâ imprecatione contuentur, vt exitialem ipſis agriſque: neque inſomnia viſunt, qualia reliqui mortales.* Res planè inſolens de phantaſiæ ſtupore, & mentis hebetudine, *Inſomnia* non viſere, & ſolem execrari. Mardochæus hîc recordatur *ſomnij*, quod viderat, in quo illi præclarus apparuit Sol: *Fons paruus creuit in fluuium, & in lucem Solemque conuerſus eſt.* Neque potuit præluſtris auguſtè Eſther nobiliori ſymbolo, fauſtiori, aut opulentiore denotari. Verùm tametſi agreſtiores Perſæ, alioqui Solis adoratores, hunc nouum Solem, id eſt, Eſtherem præclarè ſideream in ſomnio viſam, *Dirâ imprecatione contueantur, vt exitialem ipſis*; populo autem Dei auſpicatò oritur: *Iudæis autem noua lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, & tripudium.* Quid non opulentè lætum, fauſtum, ac proſperum, lux Solis Dei populo ſpondeat? 1.

*Amos 9. v. 2.*

*Æthiopes ſolem, vt ſibi exitialem dirâ imprecatione contuentur.*

*Plin. l. 5. c. 8.*

*Hic v. 6.*

*Eſther 8. v. 16.*

Siracides Eccleſiaſtici 43. *Sol in aſpectu annuncians in exitu, vas admirabile, opus Excelſi.* Quæ verba ſic excribit Arabicus: *Creauit Solem, vt eo illuminētur, & glorificent eum Patres. Admiratio, ars Excelſi.* Sic enim eſt arguta Solis fabricatio, vt ſummi Dei *artem*, peritiam, & ingenium in paucis oſtentet. Tempeſtiuè in Timæo dixit Plato: *Ingeniauit Deus rerum conditor lucem clariſſimam, quam Solem appellamus, cuius ſplendore cœlum & terra illuſtrantur, vt numerus exiſteret omnium animantium.* Nimirùm Sol rectè *ars Excelſi* perhibetur, ſiquidèm illum ſummus rerum opifex mitiſſimè *ingeniauit*. Quaſi reliqua opera Deus mente formarit, ſolem autem arguto ſummæ *artis ingenio* fabrefecerit. Sic in ſole formando mirior opificis *ars*, & *ingenium* elucet! ſiquidèm præter miràs illius dotes vulgo etiam notas, *ingeniauit Deus Solem, vt numerus exiſteret omnium animantium.* Profectò numerus (ſi latiniſſimis credimus) etiam dicitur, ordo, ſtatus, gradus cuiuſque, & locus quo eſt habendus. Ac ſi Sol ſic rerum ordo, & earum cenſus: *Sol* (ait Ambroſius) *oculus eſt mundi, iucunditas terræ, cœli pulchritudo, naturæ gratia, præſtantia creaturæ.* quaſi à Solis aſpectu terra *iucunditatem*, cœlum *pulchritudinem*, natura *gratiam*, & creatura *præſtantiam* fœneretur. Opus ſanè dignum quod 2.

*Eccli. 43. v. 2. Arabic.*

*Plato. Sol ſumma Dei ars ingeniauit.*

*Sol, cenſus rerum dicitur, naturæ gratia, & præſtantia creaturæ.*

*S. Ambroſ. lib. 4. Hexam. c. 1.*

quod arguta ſummi Opificis *ars ingeniauerit.*

3\. Neque innotatum obiter dimittam, quòd à Siracide Sol dicitur, *Annuncians in exitu*, id eſt, in occaſu ſuo, vt Palacius ſingulariter exponit. Nempè Sol non modò in ortu ſuo lucendi felicitatē inchoat, ſed etiā in defectu & occaſu ſuo ſuas glorias auguratur: nā vel in *exitu* ſuo, & lugubri quotidie funere, nouam fulgorum vitam feliciter auguratur. Quod pulchrè Zeno Veroneuſis ediſſerit: *Sol*, inquit, *quotidie naſcitur, eademque die quâ naſcitur, moritur, nec tamen inſtantis finis ſorte terretur (nos vt pigres curſus), vt horas ac momenta producat, vt ſaltem paullò diutiùs dies ſui demoretur in vitâ, ſed fidelis ſemper, ſemper intrepidus ad ſepulchrum noctis cognata contendit, ſciens in ipſâ ſe habere quòd viuit: denique admittitur ei ortus, ſi ei auferatur occaſus.* Ecce tibi Sol rediuiuum præclarè ortum ſuo occaſu, ſiue *exitu annunciat*, quaſi nouam fulgorum vitam de funeſtâ noctis vmbrâ recenter, & de tenebris *exitus* ſui, ſui ortus ſplendorem auſpicetur. Exindè forſan Sol dicitur: *Splendor ſine occaſu.*

Plac ibid.
*Sol ſuum ortum de exitu ſuo fauſtè auguratur: & indè ſplēdor ſine occaſu dicitur*
S Zeno ſer. de Reſurr.
*Secundus Philoſophus interrogatus ab Hadri. Imper.*

4\. Sapientiæ 17. dum enim, inquit, perſuaſum habent *iniqui* poſſe dominari nationi ſanctæ: *Vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, incluſi ſub tectis, fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt.* Et infrà: *Vna enim catena tenebrarum omnes erant colligati.* Et cap. ſequenti: *Digni quidem illi carere luce, & pati carcerem tenebrarum.* Ecce tibi noctis tenebræ vel dubiæ lucis exortes, dicuntur *iniquorum carcer, catena, ac vincula*, quibus ad nequitiam velut arctè illigantur. Verùm Sol, ſoliſque lux adſimilem effectum, ſed in bonum habere perhibetur: *Itaque* (ait ſanctus Dionyſius) ἥλιος, *id eſt, Sol, dicitur, quod omnia* ἀολλέα ποιῇ, *id eſt, congreget, colligatque diſperſa.* Ecce tibi Solis ac lucis cognatum munus eſt *congregare*, & inſtar catenæ aut vinculi *colligare* diſperſa, ac mutuò ſeparata. Hinc, opinor, à Clemente Alexand. ſententioſè definitur Sol: *Vinculum intelligens ex aquis marinis*, (licet noſter Cornelius vulgarem Clementis exſcriptionem è Græco textu emendare conetur. Sic exſcribens: *Eſſe aliquid accenſum ex aquis marinis intellectu præditum*) Mirirùm quemadmodùm obſcuræ noctis tenebræ, quibus *iniqui* velut fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt, dicuntur *carcer, catena, vincula*, quibus ipſi nequitiæ quodammodò colligantur: ita lux Solis, qui Ilios dicitur, quia *congregat colligátque*, profundo pariter ſtilo, *vinculum intelligens* nominatur, quaſi probi quique, ac virtute præſtantes præclaro internæ lucis beneficio, & lucis externæ ductu, velut quodam *intelligendi vinculo*, non impare *vinculis tenebrarum*, ad virtutes ſectandas, & probitatem omnem *colligentur*. Nec ſegnior erit virtus ad bonum, cùm ſic vitium audeat in malum. Sit virtutis ſtipendium, quod è peruerſo malitiæ cognatum eſt: *tenebræ* ſunt quaſi vincula ad malum; ſit ergò Solis lux ad bonum velut *vinculum intellectuale.*

Sapient. 17. v.2. & 17. & c.18. v.4.
*Sicut tenebræ dicuntur vinculum, ſic & Solis lux nominatur vinculum, quod ad bonum colligat.*
S. Dionyſ. Areop. 4 de Diuin. nom.
Clem. Alex. 8 Strom.
Cornel in Eccli. 43. v.3.

5\. Sapiens cap. 7. increatam Sapientiam, id eſt, diuinum Verbum, qui eſt Dei filius, & expreſſa Dei Patris imago ſub lucis vocabulo deſcribit: *Emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis Dei ſincera: & ideò nihil inquinatum in eam incurrit, candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius.* Hæc eſt prima & ſumma Dei imago: ſed huic immeritè ſupparem, eique adſimilem in Sole Dionyſius recognoſcit, 4. de diuinis nomin. aiens: *Solem eſſe ſignificatiuam, expreſſam & euidentem Diuinitatis, & diuinæ bonitatis imaginem,* Probat grande aſſumptum non impari probatione: Sicut Sol, ſic longè potiùs Deus, inquit, *omnia illuſtrat, efficit, viuificat, continet, perficit, eſtque eorum quæ ſunt, & menſura, & æternitas,* (ſciunt biblicè periti quid æternitas perſæpè in Scripturis ſignificet) *& numerus, & ordo, & complexus, & cauſa, & finis ....Clara, expreſſaque Diuinitatis imago eſt magnus hic Sol, totus lucens ac ſemper ſplendidus.* Quid præluſtrius de Solis luce dici, excogitariue poteſt? Sic oportebat vt eſſet Sol, quem argutè ad expreſſam ſui ſimilitudinem, ſumma ſummi Opificis *ars ingeniauit!* Reliqua, præter hominem, ſextidui opera, Dei ſunt potiùs veſtigium, quàm ſimilitudo; at *Sol eſt ſignificatiua, expreſſa & euidens diuinitatis, & diuinæ bonitatis imago.*

Sapient 7. v.25. & 26.
*Sol ſignificatiua, expreſſa & euidens Deitatis imago dicitur.*
S. Dionyſius Areopag.

6\. Redeant iterùm Sapientiæ verba, & quod in eis innotatum omiſimus, aliquâ ratione elucidemus: dicitur enim Diuinum Verbum, *Emanatio quædam claritatis Dei, candor lucis æternæ:* Speculum ſine maculâ Dei maieſtatis, *& imago bonitatis illius.* Vide nunc quomodò Sol de velut effuſa beneficentiæ largitate diuinam *bonitatem* æmuletur & imitatione repræſentet. Nuper enim à Dionyſio dictus fuit Sol, *Significatiua, expreſſa & euidens diuinitatis, & diuinæ bonitatis imago omnia illuſtrat, efficit, viuificat, cōtinet, perficit.* Addit explicatiùs ad rem de quâdam diuinæ *bonitatis* æmulatione: *Clara expreſſaque diuinitatis imago eſt magnus hic Sol, totus lucens, ac ſemper ſplendidus, omnibus etiam, quæ eius lucem capere poſſunt collucet, habetque lumen per omnia diffuſum ſurſùm & deorsùm; ac ſi quid eſt quod eo non participet, id eius luminis tenuitati aut paruitati non eſt tribuendum, ſed eis, quæ, quia apta non ſunt ad capiendum lumen, ad illud capiendum non explicantur. Itaque illius radius immenſa ſplendoris in magnitudine penetrat, ad vitam excitat, alit auget, abſoluit:* Ecce quàm obnixè ſatagit Sol immensâ ſplendoris magnitudine, omnia vel per rimulas penetrare, omnibus ſuam bonitatem largiùs communicare, & quantum poteſt impenſiùs benefacere. Apoſitè S. Cyrillus Alexand. lib. 3. Apolog. cap. 22. inducit noctem de Sole puerulam, & ſic eum eo expoſtulantem: Vt quid, inquit, tantam lucis copiam effudiſti, & me eſt toto orbe habitabili propulſaſti? Nonnè ſufficiebat te lumen ad viſionis neceſſitatem profudiſſe? cui ſol reſpondit: Nimirùm infrigidatiua es corporis, ac pectoris conſtrictiua; & propter hoc loqueris vt auara. *Quid eſt virtus? nonnè vltimum potentiæ à Philoſophis definitur? Vndè qui infrà poteſtatis validitatem agit, nondum virtualiter egiſſe conuincitur. Quare qui non quantùm potuit, benefacit, aberrans à virtute deficit. Ceterùm quid eſt aliud liberalitas, quàm libera beneficentiæ magna voluntas? homo nimirùm deficientior eſt, ſi donat minùs quàm poteſt: voluntatis enim euidens ſignum eſt, beneficium traditum. In muneribus igitur largiendis non ſuſcipientis attēdenda eſt dignitas, ſed donantis: quoniam in beneficiis virtus attenditur, non perſona.* Quænam diuinæ beneficentiæ ſeu

Sapient. 7. v.25. & 26.
S. Dionyſ. Areop. c.4. de Diuin. nomin.
*Munifica Solis beneficentia, Dei bonitatē æmulari ex ambit*
S. Cyrillus.
*Liberalitatis virtus eſt, vltimum potentiæ donare, & totam poteſtatem donādi imploret.*

ſeu bonitatis expreſſior imago, quàm Sol? Hæc vt virtutis ſumma eſt, ita beneficæ *bonitatis* meta. Scilicet qui dicitur *ſignificatiua, expreſſa & euidens diuinæ bonitatis imago*, ſic munificè largiri debet, quò tantæ ſimilitudinis elogium, vt vt poteſt, adimpleat.

7. Iob 3. v. 9. & 16.

Iob 3, dura ſanè imprecatio: *Expectes lucem, & non videas, nec ortum ſurgentis auroræ.* Et poſt paucula: *Aut ſicut abortiuum abſconditum non ſubſiſterem, vel qui concepti non viderunt lucem.* Lugubre quidèm votum, & oppidò calamitoſũ. Sic eſt infauſtum & dirum homini *expectare*, neque vnquam *videre* Solis lucem, quæ funeſta abortiuorum calamitas eſt. Sicut heliotropium perpetuo vergit ad Solem; & quem orientem totâ ſui floris explicata ambitione ſalutat, occidentem lugubri mœſtiſſimè contractione luget.

*Sol creaturas omnes mundanas etiam exanimales, ad ſe ſotrahit.*

S. Dionyſ. c. 4. de diuin. nom.

Sanctus Dionyſius Areopagita nuper laudatus, ſic ad rem fatur: Solis *radius immenſa ſplendoris magnitudine penetrat, ad vitam excitat, alit, auget, abſoluit, purgat, renouat.... colligit, conuertitque ad ſe omnia, quæ videntur, quæ moriuntur, quæ illuſtrantur, quæ caleſcunt, & vno nomine ea quæ ab eius ſplendore continentur.* Itaque Sol vel exanimales etiam creaturas *ad vitam excitat, alit, auget, abſoluit*, idcirco *colligit, conuertitque ad ſe omnia.* Adeò vt dixerit naturalis philoſophiæ Princeps: *Omnium arborum folia quotidie oſcitant ad Solem, interiores partes tepefieri volentia.*

Plin. l. 16. c. 24.

Quæ ergò humanitùs dirior imprecatio, quàm, *expectes lucem, & non videas, nec ortum ſurgentis auroræ?*

8. Gen. 1. v. 16. Rupert. l. 1. in Geneſ. c. 41.

Geneſeos 1. *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius vt præeſſet Diei.* Ad quæ verba ita ſcribit Rupertus: *Hic iam prætereundum non eſt, quòd de hoc magno Præſide huius cæli elegãter prædicare ſolent Phyſici, quòd ſit fons ignis ætherei, cor cœli ſiue mens, & temperatio mundi.* Itaque Sol non diei tantùm, ſed etiam cælorum *Præſes* nominatur. Item *Cor cœli*, & illius *mens* dicitur.

*Sol dicitur cœli cor, & illius mens.*

Cordis munia, ſicut ſunt nobilia ac neceſſaria, ſic etiam & notiſſima ſunt. A *corde* enim primum vitæ auſpicium eſt, vitalis animaliũ vigor, & præcipuarum facultatum ſenſus: inde ſimul *cor*, & *mens* appellatur. Dein *cor* ſpirituum vitalium nobilis officina eſt, quibus conſtat viuendi energia. Cœlum ergo etſi corpus inanime ſit, Sole pro *corde*, ac *mente* vti metaphoricè perhibetur, vt Solis præſtantia, & neceſſitas exponatur.

---

## §. CCXLIII.

### *Qui rem magnam, quam alij promouent, primus incœpit; & auctor illius dicitur, & potiorem gloriam ſecurus delibauit.*

1. Senec. epiſt. 74.

SEntentioſè ait Seneca: *Habet hoc vitium omnis ambitio, non reſpicit: nec ambitio tantùm, verùm cupiditas omnis: quia incipit ſemper à fine.* Stultè cæcus eſt, qui media quæ finem operentur, tranſilit, & à fine ducit exordium, in quem negotioſa mediorum ſedulitas obnixius incumbere debuit.

*In valdè magnis, incœpiſſe ſatis.*

Generoſa res eſt, conari alta, tentare, & mente maiora concipere, quàm etiam ingenti animo adornatis, effici poſſint. Satius eſt magnanimo, aut magnanima arrogantia ſuperbo, rem magnam ab initio inchoare, quàm *à fine incipere.* Qui à fine incipit, rem alienam perficit, & incipientis gloriæ laborat. Qui verò illam (vt par eſt) incipit à principio, illius Auctor dicitur: & quidquid alij ei ſtrenuè adlaborant, ſuæ famæ militat: famæ enim gloriam, qui auſpicatò cœpit, glorioſè prælibauit. Quod verò alij ſecundis conatibus proficiendo adiiciunt, primò incipienti cedit, furaci ex alieno labore gloriæ rapacitate. In valdè magnis, incœpiſſe ſatis.

2. Lucæ 11. v. 15. & 16. Matth. 12. v. 44.

Lucæ 11. excantato palàm Dæmone ſurdo & muto, turbæ mirantur, Phariſæi ogganniunt, in Beelzebub principe Dæmoniorum, eiuſmodi dæmonium eieciſſe. Quorsùm calumnia multis reiectâ, hæc adhuc ad eos verba Chriſtus facit: Cùm immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa; quærens requiem: & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam vndè exiui. *Et cùm venerit, inuenit eam* (*vacantem* addit Matthæus) *ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.*

*Hominis otiũ nequiores cõtra ſe dæmones facit.*

Expenſione digniſſimum eſt, cur hic malus Dæmon, qui hunc hominem poſſidere cœperat, rationis ac virtutis arce vitiis expugnata, aduocet, & ſecum aſſumat Dæmones alios *nequiores ſe.* Quid eſt, *nequiores ſe*? An quia homo ille iam *vacans*, & otioſus, à plurimis, ipſiſque *nequioribus* diabolis agi videtur? quaſi otium eam conferat Dæmonibus opem, ac ſi illos potentiores, ac nocentiores redderet, quia illorum ſuggeſtionibus facilè & abundè obtemperat. Et ſanè cum ſuperbia, & inuidia ſit Diabolorum character, difficile eſt quomodo hic diabolus non adeò nequam, alios *ſe nequiores*, id eſt, potentiores & nocentiores aduocet, & ſibi aſſociet: nam eorum comparatione ipſe imbecillus, inermis, atque impotens apparebit, quod diabolicæ ſuperbiæ ac inuidiæ non congruit.

*An nequior diabolus habetur, qui minùs lædit?*

Niſi fortè *nequior* diabolus dicatur, qui minus ad nocendum eualet: nam cùm grande dæmonũ elogium ſit plus lædere, qui minus nocere poteſt, imbecillus, degener, & *nequior* diabolus habetur. *El que no hace tanto mal, es tenido por peor demonio.*

3. Tolet. ibi in Comment.

Sed nolo diſcedere à receptiſſima Patrum ac Interpretum ſententia, quam his verbis Cardinalis Toletus excripſit: *Aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe. Dicuntur autem dæmonia nequiora, non ſolùm quia ſceleratiora, ſed etiam quia fortiora, & promptiora erant ad nocendum, & torquendum, ac ad peccata & ſcelera prouocandum, vt homo ille nocumentum grauius, & in anima & corpore pateretur, fieréntque nouiſſima peiora prioribus.*

*Cur diabolus qui Opus cœpit, ad illud perficiendum alios nequiores ſe aduocare voluit?*

Vide hic diabolicæ ambitionis ingenium, maiorem ſui gloriam ſumptuoſiùs exambiens. Nimirùm hic dæmon primus omnium arcem mentis ac virtutis in hoc homine expugnauit, atque vitiis occupauit; vndè huius victoriæ auctor fuit, dum expugnationem incœpit, & hominem hunc primò poſſedit: ergò etſi gloriæ ambitioſiùs appetens verſutè ipſe aduocat alios dæmones potentiores, nocentiores, & *nequiores*

*retyſe*, negligitque potentiorum conſortium atque commercium in famoſo nimis facinore, probè ſciens, quòd (etſi potentiorem operam nauent, incœptum opus proſequendo) nihil gloriæ ipſi detrahunt, ſed ipſius famæ militant, dum opus perficiunt, quod ipſe ſolus, & omnium primus incœpit. Exindè gloriæ ſuæ ſecurus, mauult dæmones potentiores, & *nequiores ſe* in auxilium aduocare ad perficiendum opus, quod ipſe ſolus & primus incepit, & cuius Auctor in omnium cenſu & ore reputabitur; inuidæ æmulationem negligens, glorioſioris famæ ſecurus, de incœptionis auſpicio.

4. Geneſ. 2. v. 8.
Geneſeos 2. *Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio: in quo poſuit hominem quem formauerat.* Tanta fuit copiaria vernantis paradiſi gloria, vt eius *à principio* plantator & conditor dicatur Deus. Primus autem homo in illum tranſlatus eſt, vt paradiſum voluptatis tanquam colonus delicioſè excoleret, & tãquam poſſeſſor eiuſdem voluptuoſis deliciis frueretur. Scilicet vernans floridi ac fructuoſi paradiſi gloria promoueatur voluptuoſâ Adami cultione, non ab eo condatur glorioſâ *à principio* plantatione. Poſſeſſor paradiſi ſit, non *à*

*Adamum tadet paradiſi, quem non plantauerat à principio.*
*principio* conditor. Hinc humani generis tragœdia, & funeſta paradiſi cataſtrophe. Homo enim paruipendens eſſe paradiſi poſſeſſorem & promotorem, niſi illius etiam auctor foret, plantandi ab initio paradiſi ſcientiam inſolenter ambiuit. Quâ ſuper re audiendus eſt Rupertus

Rupert. ibi. l. 1. c. 39.
inibi. *Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio. Pulcherrima*, inquit, *ſcientia eſt, quòd illum paradiſum deliciarum talis ac tantus plantauerit hortulanus, ſcientia inquam cuius iſte inflatus eſt homo, dicente ſibi diabolo: Comedite, & eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum.* (Nota verba, quæ eleganter ſubtexit) *Indignabatur enim miſer, inſpiratus à diabolo, quòd alienum hortum ſub alieno cuſtodiret imperio; & ideò tanquam medicinam captabat, vt haberet & ipſe ſcientiam plantandi ſibimet paradiſos.* Itaque licet omnis à Deo conditi paradiſi voluptas, vernans florum iucunditas, frondea viriditatis gratia, & autumnans fructuum vbertas, Adamo in poſſeſſionem ceſſerat, cum voluptuoſo delicioſæ agricolationis laxamento, quò paradiſi gratia hominis opere proficeret, & maiori voluptatis incremento vernaret: nec poſſidere tantum munifico plantatoris dono, ſed propriæ etiam exhibendæ induſtriæ beneficio? inſolens Adami arrogantia tantum negliget donum, cuius non eſt auctor; nauſeatque ad poſſeſſionem ac promotionem rei, cuius ipſe auctor nõ erat, nec *à principio* ſuis auſpicijs condiderat, & ideò ambit *& ipſe ſcientiam plantandi ſibimet paradiſos.* Tanti æſtimat humana ambitio, eſſe rei magnæ *à principio* auctorem, vt vel paradiſi poſſeſſionem, promotionem, & fruitionem negligat, & contemptim deprecetur?

5. 1. Corinth. 15. ita de ſe ſcribit Paullus: Ego enim ſum minimus Apoſtolorum; qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus

1. Cor. 15. v. 10.
ſum Eccleſiam Dei. *Gratia autem Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboraui.* Obuium non eſt Interpretibus exponere, quomodo verè de ſe dicat Paullus, quòd plus omnibus Apoſtolis laborauit. S. Hieronymus *Subitus*, inquit, *calor longum vincit teporem, Paullus Apoſtolus de perſecutore mutatus, nouiſſimus in ordine, primus in meritis eſt.* Hieronymo alludit in Paſtorali S. Hieronym. epiſt. ad Paullin.

Gregorius: *Fit plerumque gratior Deo amore ardens poſt culpam vita, quàm ſecuritate torpens innocentia.* Peridoneè quidem, vt animos peccatoribus ingerant, & ſtrenuis ſpebus vigorem ingenerent. Aliter Anſelmus: *Apoſtoli ſtipendium ab illis quibus prædicabant, acceperunt: ego autem nihil ab auditoribus meis accepi, ſed ex labore manuum mearum vixi.* Plus omnibus Apoſtolis laboraui, quia ſine vllo ſtipendio, præmióue temporali laborat? Sic præmij ſpes laborem minorat, & laboris ſudorem detergit? Denique ad rem Irænceus: *Propter hoc & Paullus Gentium Apoſtolus cùm eſſet, Plus eis (inquit) omnibus laboraui. Illis enim facilis catechizatio fuit*: quia prædicabant Iudæis, qui nouerant ſcripturas, & Prophetarum de Chriſto oracula, & verum Deum adorabant. *Gentes quidem primo catechizat Paullus, diſcedere ab idolorum ſuperſtitione, & verum Deum colere, factorem cæli & terræ, & vniuerſæ conditionis fabricatorem*, &c. Itaque ideò Paullus dicitur plus reliquis omnibus Apoſtolis laboraſſe, maioremque gloriam ex laboribus nactus; quia etſi Apoſtolorum nouiſſimus, primus tamen Apoſtolorum omnium, Chriſti fidem & Euangelium gentibus prædicauit. Nimirùm tantam gloriam Paullus vltra Apoſtolorum faſtigium obtinuit, quia primus omnium Eccleſiam ex Gentibus dedicauit, & auſpicatò laboribus ſuis inchoauit. Exindè adſpectu ad reliquos Apoſtolos audet dicere, *Abundantius eis omnibus laboraui.* Huic expenſioni affinis eſt illa Chriſti ad Apoſtolos ſententia, Ioannis 4. dicta: *Ego miſi vos metere quod non ſeminaſtis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis.* Quaſi Patriarchæ & Prophetæ, qui Chriſti Eccleſiam ex Iudæis olim primò inchoarunt, vberrimam laborum gloriam cumularint, quæ eſt communis Interpretum expoſitio. Conſulantur inibi Toletus, & Maldonatus.

S Greg. 3. Paſt. cap. 29.

S. Anſel. ibi.

*Cur Paullus plus quam reliqui Apoſtoli laboraſſe dicatur.*

S. Iren. l. 4. aduerſ. Hæreſ. c. 41.

Ioan. 4. v. 38.

Toletus Maldon. ibi.

Matthæi 20. cùm vineæ operarij impari labore inæquales, æquali mercede ſub veſperùm 6. Matth. 20. v. 8.
munerandi eſſent, *Dicit Dominus vineæ procuratori ſuo: voca operarios, & redde illis mercedem.* Non conuenit inter Expoſitores, quiſnam ſit hic Chriſti Dei *Procurator*, qui eius gratiam, aut beatam gloriam, ad eiuſdem arbitrium diſtribuat. Origenes putat Procuratoris munus ſuper diſtribuendis mercedibus *alicui Angelorum* commiſſum. Remigius verò, *Dominus Ieſus-Chriſtus ipſe eſt paterfamilias, & vineæ procurator: ſicut & ipſe eſt oſtium, & oſtiarius*, (de quo aliàs) Verum incertus Chryſoſtomus ſic locum inibi exponit: *Dicit Dominus vineæ procuratori ſuo, id eſt, Filius Spiritui-ſancto.* An non Spiritus-ſanctus idem eſt cum Patre & Filio Deus? An non Spiritus-ſanctus æquali perfectione cum Filio gaudet? (ſi æqualitatis nomen infinitæ perfectioni congruè adaptetur) Adminiſter Filij Spiritus-ſanctus dicitur? Vereor ne *Procuratoris* miniſteriale nomen, Spiritum ſanctum deuenuſtet, qui iot, iámque præluſtribus gratiæ donis primò Diſcipulos, & ſubindè totam Chriſti Eccleſiam vberius munerauit. An non imbecillè puſillanimes Diſcipulos, nuper Chriſti refugas, & malè credulos, Spiritus-Sanctus de ſuo potenter armauit aduerſus Inferni minas, &

*Chriſtus eſt, & paterfamilias, & procurator.*

Orig. Tract. 10.

Remig. ibi.

Imperfect. homil. 34. in Matth.

*Cur Spiritus-ſanctus, Chriſti Dei Procu-*

Tyrannorum

*ratur appellatur.* Tyrannorum hoſtilitate inſanam! An non Chriſti doctrinam rudibus alioqui Apoſtolis digeſſit? An non ſuo cælitùs focu Eccleſiam ad tantum perfectionis faſtigium promouit? Ita quidem. Sed promouit ſanè, non inchoauit, non incœpit, non auctor ſeu operator redemptionis fuit; ſed gratiæ à Chriſto Paſſione ſuâ promeritæ, largè beneficus diſpenſator, & munificus diſtributor. Ideircò Chriſtus Deus, pater familias dicitur; at Spiritus-ſanctus, etſi vnus cum Chriſto Deus, eiſque in perfectione perſonali non inferior, ſed æqualis; nihilominùs eius *Procurator* nominatur.

Hic v. 6. & 7. Ecce tibi hìc Eſther appellatur *Sol*, Mardochæus non lucis, ſed *Draconis* vocabulo innuitur vt tantæ liberationis, ac felicitatis ſplendor adſcribatur Eſtheri, quæ liberationi populi Dei auſpicium dedit; non Mardochæo, cuius ſedulitas ac prudentia Iudaicam felicitatem promouit, & auxit vſque ad claræ diei incrementum.

---

## §. CCXLIV.

### *Non vera rei eſſentia, ſed vel falſata apparentia vulgarem rei cenſum procudit.*

1.
Plut. lib. de diſcr. adul. & amic.
*Adulatores ſunt ſicut ſerui, qui non de aceruo ſed de ſemine furantur.*

Conſultè ait Plutarchus; *Qui laudando penetrant ad ipſos mores, & hos corrumpendis adulantur, perindè faciunt ac famuli ſolent, qui non de aceruo, ſed de ſemine furantur. Nam dum virtutis vocabula vitiis tribuunt, nimirùm inficiunt affectum actionum ſeminarium, & habitum animi, vndè ceu fonte omnia vitæ officia proficiſcuntur.* Hinc ſimulata probitas, & diſſimulata prauitas; cùm ſolitam vocabulorum dignitatem non iis tribuant factis, quibus oportebat; ſed accommodent iis, quæ fiebat. Itaque ſæpè idem homo (de hypocriſis artificio, aut ſpectatorum inertiâ) albus animitùs eſt; & alter extrinſecùs apparet: nec de imperuio humanis oculis vitio medullitùs hærente; ſed de omnibus expoſitâ ſpecie tenus virtute, ſiue è contrario, vulgò cenſetur: neque qualis reipsâ eſt, ſed qualis extrinſecùs apparet, plerumque iudicatur. O incerta, ac penè iam nulla hominum iudicia! Quid tam ignauè ſtultum, quàm ex rei ſuperficie, latentis profundi penetralia cenſere; Quid flores vides, in corrupto fructuum ſeminario! quid velut vitia cenſes, quod iutrinſecùs ſpectatum, mera virtus eſt? Heu ex apparētiis, fallax rei cenſus eſt! Ne aſpectibus iudicij habenas inconſultè permittas: vides enim quouſque habes oculos: at ſuperficie tenus oculos duntaxat habes.

2.
Actor. 1. v. 10.
P. Sanct. ib.

Actorum 1. poſtquam Chriſtus Deus Diſcipulos de re Chriſtianâ inſtituit, factâ ſponſione de Spiritus-ſancti aduentu videntibus illis, eleuatus eſt: & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum, *Cúmque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis,* &c. Angeli hi procul dubio ſunt vt communis eſt ſententia, licet viri dicantur, & (vt notat Sanctius) viri eſſe potuerint, ex eorum numero qui cum Chriſto ſimul aſcenderunt. Sed hoc muneris eſt Angelici ad homines mandata perferre; neque nunc primùm Angeli appellati, quia viſorum ſpeciem hominibus obiiciunt. Eſt autem frequens in Scripturâ, vt talia nobis aliqua vocentur, qualia apparent, vel qualia vulgo hominum exiſtimantur. Oecumenius exponens præſcripta verba, ita ad rem ſcribit: *Ecce duo viri. &c. Angeli apparentes propter operationem Viri appellantur, iuxta viſionis cognationem.* Emphaticè quidem! Scilicet etſi Angeli reuera ſint, *Viri* tamen nominantur; quia viri referunt ſpeciem, & quia viri operationem præſtant, & tanquam viri vitis officium exhibent. Vnde Viri nominantur, *iuxta viſionis cognationem.* Ac ſi Angelus, qui ſpecie viri apparet, & vir vulgò cēſetur, aliquam cum viris *cognationem* contrahat, de apparentiæ arcanâ affinitate. Angelus totus merè ſpiritus eſt, & ab humanâ naturâ valdè alienus: at cùm formâ hominis, etſi apparenter aſſumit, & ſpeciem hominis oculis abiicit, aliquam *cognationem* cum homine habere dicitur. Sic eſt verbis rebus ipſa apparentia *cognata*? Qui improbus cùm ſit, probus ſaltem apparet, quandam cum probitate affinitatem habet? Valdè ſunt moralitatum grauida Oecumenij verba, & cuique peruium eas in lucem edere. Ad alia properanti, ſed eſto acumen perſtrictim delibaſſe.

Oecum ibi.

*Angelus ſub formâ hominis apparēs, cognationem cum homine habere dicitur.*

3.
Geneſ. 44. v. 15.
*Augurem ſe dicit Ioſeph, quia augur vulgo putabatur.*

Geneſeos 44. inuento Ioſephi ſcypho in Beniamini ſacculo, omnes pariter ad Ioſephum redeunt. *Quibus ille ait: Cur ſic facere voluiſtis? an ignoratis quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia?* Quid; Ioſephus Patriarcharum faſtigium, & innocentiæ flos, augur erat, magus, ariolus, incantator? Augurij ſuperſtitionem de ſe fatetur Ioſephus? An deterius crimen de ſe ipſe fatetur, vt fictum à fratribus extorqueat? Verū S. Thomas ſic rem peritè componit: *Quod Ioſeph dicit non eſſe ei ſimilem in ſcientiâ augurandi, dicit referens fortè hoc ad illud quod vulgus de eo opinabatur.* Sic conſultiſſimi etiam viri ſeruire debent vulgi opinioni? Sic communi de ſeipſis exiſtimationi cedere debent; Talem te eſſe puta, qualem vulgus cenſet. Vulgi communis cenſura, famæ cenſus eſt, propter rei cum apparentiâ *cognationem.* At quis vulgo incerto, ancipiti, garrulo, ſe tutò credat? Illuſtrior fama vulgo, non bono rerum arbitro, ſæpè debetur, Quis æſtimet, quod vulgo debet? quod vulgi beneficio poſſidet? Aman à Dei populo, *Draco* verè cenſebatur. Mardochæus à Perſis forſan *Draconis* nomine infamatur; & tamen vterque pariter Draco dicitur Draco cenſetur.

S. Th. 2a. 2æ q. 95. art. 7.

Hic v. 7.

4.
Genes. 1. v. 16.

Geneſeos 1. mundialis opificij die quartâ, *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præeſſet nocti: & ſtellas.* Multa hìc mouent Interpretes, vt exponant quare Luna nuper vocata *Luminare magnum*, confeſtim adſpectu etiam ad Solem, *Luminare minus* appelletur. Et cur etiam Luna *Luminare magnum* reſpectu aſtrorum ſeu ſtellarum nuncupetur, cùm notum ſit, Lunam à pluribus aſtris magnitudine ſuperari. Pulchrè S. Cyrillus; Alexandrinus; *Lux quidem luce confunditur, & altitudo altitudine curuatur: ſed altior ſtella mentitur aſpectibus, & cunctis inferior Luna ſuper omnia decoratur.* Nimirùm ſtellæ, & plura cæli aſtra, etſi Lunam amplitudine & ſplendore longè ſuperent, locum tamen in *magnorum* ſiderum cenſu non habent, quia tametſi maiora ſint, de cognatâ altitudinis politiâ, *mentiuntur aſpectibus.* quod men-

*Altior ſtella exiguitatem mentitur aſpectibus.*
S. Cyrill. l. Apolog. c. 3.

## §. CCXLV.

### *Vitiorum inſolentia, Dei populo virtutum eruditio eſt, & animoſæ probitatis gymnaſium.*

1. *Audaciam virtutem è vitiorum ſcholâ ediſcenda eſt.* EX alieno vitio Sapiens emendat ſuũ, & arcano quodã vitiorum magiſterio erudit virtutum eminentiam: ſic enim eſt pietas virtutum ſtudioſa, vt ad aliena vitiorum caſtra migret, non tanquam transfuga, ſed tanquam exploratrix, vt de exploratâ improbitate peritiam probitatis ediſcat. Sincera virtutum captatrix, inſinceram vitiorum ſcholam nonnunquam frequentat, vt malitiæ malum pernoſcat, vt infelices malorum felicitates videat, vt tædium prauitatis ebibat, vt vitiorum virtutes examinet, internoſcat, arripiat, & de improbitatis gymnaſio probitatem audacter inſtituat. Præſcripta theſis paradoxon repræſentat, ſed medulla pietatis eſt, vigor probitatis & humanarum nunc virtutum meta. *Ad Rom. 6. v. 19.* *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Excipe è Paulli gymnaſio hoc documentum, toto hoc §. elucidandum.

2. *Iudicum 3. v. 1.* Iudicum 3. copiosè dudùm recenſitis Amorrhæorum populis, qui in Terrâ promiſſionis, in Hebræorum confinio habitabant, hæc ſubdit ſacer Hiſtoricus: *Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraëlem.* *Quo pacto idololatra ad veram religionem erudiunt Hebræos.* Non bona, opinor, eruditio captabitur à vicinis Gentibus barbaris, impiis, atheis, idololatris. Quid niſi improbitatem improbitas allinet. Quid niſi idololatria verum veri Dei cultũ euertet? Quid niſi vitiorum impudentiam atheiſmus edoceat? Hæc non eſt eruditio virtutum, ſed immanium vitiorum ſchola, ſanctitatum fũditùs euerſio, & morum exultim inſolentia. Audiendus tamen eſt *Caiet. ibi.* hâc ſuper re inibi Caietanus: *Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraëlem. Vt exercerentur animi Iſraelitarum in iis quæ religionis, & morum ſunt, iuxta ſe poſitis gentibus idololatris? & malorum morum.* Nimirùm vt videns Iſraël quàm ſumptuoſo animitùs cultu exanimalẽ ſtipitem pro Numine adorant, ad verũ veri Dei cultum è peruerſo ſufflãmetur? vt attentiore animo aduertens, quàm impensè ethnici deliciis vacant, auaritię ſtudent, gulę indulgẽt, & veneres cupidineſque colũt; animũ ad virtutẽ cõtendat, virtutum æmulatione è diuerſo cõtentioſâ: ne in electo Dei populo frigeat virtus, iuxta gentes, in quibus vitium impunè calet. Itaque vitium cognatâ temeritate audaciùs virtute eſt: ergò ex temeritate vitiorum, quaſi de peruersâ ſcholâ ediſcenda eſt virtutum audacia; ne probitas inerter pigreſcat, vbi improbitas tam actuosè negotioſa eſt. Exindè in electiſſimâ Terrâ promiſſionis. *Hic v. 7.* *Gentes Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraelem*, id eſt, *vt exercerentur animi Iſraelitarum in iis quæ religionis, & morum ſunt, iuxta ſe poſitis Gentibus idololatris, & malorum morum.* Ex Amani ſerpentinâ malitiâ, & crudelitate, ad peracerbam, ſed iuſtam vltionem, iuſtus Mardochæi zelus hîc eruditur.

*R. P. Didac. Celada in Eſtherem.*

3. *Pſal. 15. v. 7.* Dauid Pſal. 15. erga Deum eximiè gratus, ita pangit: *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum, inſuper & vſque ad noctem increpuerunt me renes mei.* Inſolens planè videtur, & à prudenti homine alienum, vt de *intellectus* acumine iactet ſeſe: quæ vanæ gloriæ inaniſſima & inuidioſiſſima arrogãtia eſſe ſolitat. Verùm Hebræa vox *conſilium* etiam ſignificat. Quaſi dicat: Benedicam Dominum, è cuius afflatu arripui nõ vulgare *conſilium*, quod niſi multo arguti *intellectus* acumine cælitus illuſtrati, non capitur. Ecquod eſt hoc *conſilium*, quod niſi ab acutiore piè *intellectu* minimè excogitatur? Nimirùm, *vſque ad noctem* (id eſt, die ac nocte, vt notant Cõmentatores) *increpuerunt me renes mei.* *Bellarm. ibi. Pſal. 7. v. 9.* Locutio metaphorica, quam noſter Cardinalis Bellarminus his verbis eruditè exponit: *Per renes in Scripturâ intelligitur affectus, vnde ſunt illa, Scrutans corda, & renes Deus, vbi per cor intelligitur cogitatio, per renes affectio. Per verbum increpuerunt, ſignificatur potiùs eruditio, quam reprehenſio, nã, & in Hebræo & Græco eſt verbum ſignificans eruditionem, proindè verbum Latinum interpretandum eſt pro increpatione hortatoriâ.* *Non boni affectus increpatione adhortatoria Danidem erudiunt.* Itaque Dauid obnixiùs gratias agit Deo, qui non vulgare *conſilium*, ſed ſubtiliori piè *intellectu*, & argutiis gratiæ plenum, illi ſingulariter afflauit, nimirùm vt ſuis *affectibus*, ad prauum alioqui vergentibus, *erudiretur increpatione adhortatoriâ*; ita ſe animitiùs è diuerſo erudiens. O quantis cõcupiſcentiæ illecebris erga Betſabee venuſtatem extimulabar! quàm argutis technis mortem Vriæ impenſiùs extruebam! quàm arroganti animi faſtu Iſraëlem numerari iuſſi! quàm acerbo forſan furore iniurios fruſtrà Ammonitas, & tribulis cõteri, & lateritio incendio decinereſcere videbam! Ergò concupiſcentiâ, & affectu pro Magiſtro vtar, & *increpatione adhortatoriâ erudiar*; & de *affectibus*, quod eſt improbitatis conceptaculum & gymnaſium, ſcholam probitatis extruam: indè virtutes erudiens, vndè credi poterant extirpatæ. *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum*: vt in *renum*, ſeu affectuum non bonâ alioqui ſcholâ, me *increpatione adhortatoriâ erudiam.*

4. *Exhod. 23. v. 29. & 30.* Exhodi 23. ſuis Iſraëlitis beneuolè promittit Deus fugaturum Heuæum, Chananæũ, & Hethæum de Terrâ promiſſionis, ante illorum illùc ingreſſum. Addit conſultiſſimè: *Non eiiciam eos à facie tua anno vno: ne terra in ſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ. Paullatim expellam eos de conſpectu tuo, donec augearis, & poſſideas terram*: *Repentina felicitas beſtiales cupiditates nutrit.* Quæ Dei verba exponens Auguſtinus, eleganter addubitat, quare gẽtem peccatricem, & dãnatiſſimum ſemẽ Chanaan, profligatiſſimis moribus inſoleſcens, non ſtatim à populi ſui introitu Deus exterminat? Quorsùm multiplicationem Iſraëlitarum expectat, ne aduerſus illos multiplicatæ beſtiæ deſæuiant? An Deus pugnaciſſimos populos debellare poterat, & beſtias terræ exterminare non poterat: Indè Auguſtinus hũc locum ad moralem ſenſum deflectit: *S. Aug. ſuper Iudices l. 7. q. 17. tom. 4.* *Quòd autem ait, Ne multiplicentur in te beſtiæ feræ, mirùm ſi non beſtiales quodammodò cupiditates, & libidines intelligi voluit, quæ ſolent de repentino ſucceſſu terrenæ felicitatis exiſtere. Neque enim Deus homines exterminare poterat, & beſtias non poterat.* Mitto nunc quòd fortunatior felicitas cupiditatum ſe-

Hinc ad exaggerandam virtutis magnitudinem, vitij nomen, re vitij vacuum, conſultiſſimè aſſumitur. quaſi tanta, tamque præcelsè ſublimis Hic v. 7. ſit, vt *nullo vitiorum confinio lædatur*: & vitij nomen ſit bonitatis hyperbole. Benè eſt, nequior Aman appelletur *Draco*; ſed Mardochæus etiam virtute noniſſimus, *Draco* etiam nominatur; ne virtus ad probitatem ſegnior, quam malitia ad improbitatem videatur.

2. Matthæi 20. operarij illi à primo mane vineæ Matthæi 20. v. 11. & 12. cultione ſedu.i, qui pondus diei & æſtus operoſo labore portarunt; arbitrati ſunt plus mercedis illis erogandum, quàm noniſſimis, qui vndecimâ diei horâ vocati ſunt: acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios. *Et accipientes murmurabant aduerſus patremfamilias, dicentes: Hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei, & æſtus.* Ecquod eſt hoc in cælis murmur? Cæliteſne hi ſunt, qui obmurmurare poſſunt? Beatáſne Sanctorum animas tangit murmurandi libido? *Sed poteſt quæri* (ait ibi Gregorius) S. Greg. hom. 19. *quomodò murmurare dicti ſunt, qui ad regnum vocantur? Cælorum enim regnum nullus qui murmurat, accipit; nullus qui accipit murmurare poteſt.* Sanè obſtrepit abſurdè in cælis murmur. Reſpondet ſapienter Chryſoſtomus: *Non autem oportet ea quæ in parabolis ſunt, ſecundum totum quod dicitur inueſtigare, ſed intentionem propter quam compoſita eſt intelligere, & nihil vltrà ſcrutari.* (Addit tempeſtiuè) *Non ergò inducit hoc, vt oſtendat aliquos eſſe inuidia morſos: ſed vt oſtendat, hos tanto potiros eſſe honore, quod & inuidiam aliis poterant generare.* Nimirùm in cælis inuidiæ morſus, & maledicentiæ voces inconditæ omninò vacant: at tanta eſt cæleſtis gratiæ æſtimatio, & beatitudinis empyreæ felicitas, quâ alij alios potiri, beatíque vident, vt nomine magnæ æſtimationis de alieno bono languidè forſan explicaretur; & idcircò ad illam viuidè exponendam, & ſumptuoſiùs declarandam, quaſi par non eſſet virtutis vocabulum, nomen audacioris vitij aſſumitur, & murmuratio aut inuidia, re inuidæ murmurationis vacua, nominatur. Porrò illa Beatorum beatæ gloriæ ſublimior æſtimatio, *nullo vitiorum confinio læditur*. Sed quò digniùs explicetur, mera virtus, vitij elogium nomine tenus aſſumit, quò eius excelſior ſublimitas exaggeratiùs publicetur. *Et murmurabant*, &c. *Non ergò inducit hoc, vt oſtendat aliquos eſſe inuidia morſos; ſed vt oſtendat hos, tanto potitos eſſe honore, quod & inuidiam aliis poterant generare.* Scilicet beatæ gloriæ digna æſtimatio languidè forſan apud homines exponeretur, niſi aſſumpto audacioris vitij nomine, re tamen vitij vacuo.

Æſtimatio beatæ gloriæ nomine murmurationis vocabulo cur exprimitur.

S. Chryſoſt. homil. 65. in Matth.

3. In eâdem vineæ parabolâ, paterfamilias qui Matt. 20. v. 8. ad ſingulas penè diei horas operarios conduxerat, eoſque ad vineæ cultionem ſollers remiſerat; *Cùm ſerò factum eſſet, dicit procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouiſſimis vſque ad primos.* Serò ſoluere dicitur, qui ſtatim poſt impenſum laborem, pactam mercenario mercedem perſoluit? Sed eſtò, æquam mercedem reddere velit primis & nouiſſimis, (id eſt, iis qui portarunt pondus diei & æſtus, & iis qui vnâ horâ duntaxat laborarunt) quid eſt, quòd non primis primò

Cur Dei pietas, nimia dicitur, neque ordinem aſpicere perhibetur?

*R.P. Diauc. Celad. in Eſtherem.*

mercedem dare iubet: ſed primo loco vltimos munerat, vltimo autem primos? An vt iam indè has ambitioſas præcedentiæ nugas, & vrbanitatis ſuperſtitiones, contemptim tractet? Verùm Auctor imperfecti operis in Matthæum, ſic Imperfect. homil. 34. appoſitè philoſophatur: *Incipiens à nouiſſimis vſque ad primos. Certè vt oſtendat Deus ineſtimabilem miſericordiam ſuam, primùm nouiſſimis indignioribus reddit mercedem, poſteà primis: nimia enim miſericordia ordinem non aſpexit.* Nimirùm quæ forſan videri poſſet beneficentiæ peruerſio, dum à nouiſſimis & indignioribus incipiens, primis poſtremò impenditur; hyperbole miſericordiæ eſt: *nimia enim miſericordia ordinem non aſpexit.* Opinor, nimia largitas prodigalitatem exprimit: & debiti ordinis neglectus, rerùm confuſanea præproperè perturbatio eſt, & tumultuariæ diſtributionis titubatio. Verùm infinita pietas, quam *nimiam* Deus ne poſt *miſericordiam* appellat, *ordinem* in largitionibus ſeruare non dicitur; non quia inordinata aut confuſanea ſit, (procùl nimietatis, aut inordinationis næuus à nobiliſſimo Dei elogio) ſed quia ſic immetatè excellit, vt quaſi anguſti forent humanarum virtutum cancelli, audaciſſimi vitij nomen, re vitij vacuum conſultiſſimè vſurpet. Exindè Dei miſericordia, & *nimia* dicitur, & *ordinem* non aſpicere perhibetur. Indè forſan Tertullianus, poſtquam enarrauit plura Tertull. l. de Pœnit. c. 2. Rhenanus. ſupplicia, quibus Adamum principē generis & delicti puniuit Deus; addit: *Cùm rursùs* Deus *ad ſuam miſericordiam maturauiſſet.* Rhenanus excribit: *Ad ſuam miſericordiam erraviſſet*, vel *inerrauiſſet*. Quis niſi Deus iis debuit adornari virtutibus, quæ *nullo vitiorum confinio læderentur.*

Deus ne poſt ſupplicium ad ſuam miſericordiam inerrat?

4. Ionæ 1. Factum eſt verbum Domini ad Io- Ionæ 1. v. 3. nam, dicens: Surge, & vade in Niniuem ciuitatem grandem, & prædica in eâ: quia aſcendit malitia eius coram me. *Et ſurrexit Ionas, vt fugeret in Tharſis à facie Domini.* An non Ionas cùm eſſet vir probus, & prophetiæ ſpiritu opitnatiſſimus, probè nouerat, Deum id indubiè iuſſiſſe? Quomodò igitur miſſionem recuſat, & Dei fruſtrà refugit, ad mare diuertit? Ipſe Ionas apud Seleucienſem Baſilium his verbis pro ſe reſpondet: *Noui Dei hominum amantiſſimi artes, iram ſimulat, ſtudet eos antè exſoluere pœna, quam experiantur.* (Et poſteà Deum alloquens, pergit Propheta) *Tua humanitate cognita Prophetæ partes recuſabam: ſciebam, quam paucis peccatorum lacrymulis indignari deſinis, commoto non credebam, innatam tibi commiſerationem animo reputans: & nunc ego falſidicus æſtimabor.* Itaque Ionas, verus veri Dei propheta erat, & Deum probè noſcens, vt Dei benignitatē viuaciùs exponat, vitij vocabula re vitij inania, non ſemel vſurpat: quaſi anguſti forent humanarum virtutum limites. Ait enim, quòd etſi Propheta erat, & Deum ipſum ſibi locutum fuiſſe certò nouerat, eius ad veniam dandam noſcens procliuitatem, Deo *commoto non credit*, & idcircò fugiens in Tharſis, *Propheta partes recuſabat*, ne ipſe Ionas, propheta *falſidicus æſtimetur.* Ecce tibi qualiter propheta Ionas infinitam Dei benignitatem prodat, immetatè perfectam Dei virtutem, vitij nomine, à re vitij alieno, luculenter exponens. Nempè Deo ad caſtigandū commoto, & Niniuæ euerſionē prædicenti, *non credit; iram*

Baſil Seleu. Orat. 12.

Verus veri Dei propheta Deo ad caſtigandum cōmoto, cur non credidiſſe dicitur.

*ſimulaſſe* putans: & indè profugus in Tharſis, *Propheta partes recuſat*, veritus, ne ſi minax prædictio pauculas lacrymulas eliciat, ipſe verus veri Dei propheta, *falſidicus æſtimetur*. (Quod dicere potuit Ionas, ambigens, an res propheticę verbis abſolutis expreſſa, conditionata foret.)

5. Lucæ 11. amicus ille amico hoſpite beneuolentiùs excepto, intempeſtâ nocte vadit ad amicum, apponendorum hoſpiti panum importunus rogator. Repulſam paſſus, adhuc perſiſtit: & quod non potuit benefica amicitia, pertinax perſeuerantia extorquet. Si ille perſeuerauerit pulſans, dico vobis, & ſi non dabit illi ſurgẽs eò quod amicus eius ſit, *propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios*. Mirùm ſanè eſt, quod inducatur à Chriſto Deo ſupplex *improbitas* plus ad impetrandum ualẽs, quàm beneuola amicitia beneficiis dandis & accipiendis diu adſueta. Opinor, *improbitas* res vitij eſt: quomodo igitur, quaſi orationis ad Deum vigor foret, ſic ad impetrandum ualet? Quod orationi negatur, *improbitati* conceditur? Quid ſi ſub *improbitatis* nomine, non vitium, ſed grande aliquod virtutis ſacramẽtum deliteſcit? Porrò vt alto ſtylo, aliàs Paullinus ediſſerit: *Illic vitiorum virtus eſt*. Scilicet oratio ſemel & iterùm renutu faſtidioſo refutata, dum adhuc piâ quâdam obſtinatione rogãdo perſeuerat, pertinacem *improbitatem* repræſentans; non vitium obtendit, ſed virtutis probitatem è peruerſo exaggerat: ibi enim micantiùs ſcintillat *vitiorum virtus*, & ſub audaciſſimi vitij vocabulo, orationis vigor, impetrationis felicitas, & exaggeratior virtutis præſtantia arcanè latet.

Lucę 11. v. 8.

*Vitiorũ virtus eſt, quòd ſupplex improbitas impetret*

S. Paullinus epiſt. 2.

6. Lucæ 7. ingreſſus Ieſus in domum Phariſæi diſcubuit. *Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti: & ſtans retrò ſecus pedes eius*, &c. Attentâ obſeruatione digniſſimum eſt, quòd iſtiuſmodi meretrix, tam viuido flagitiorum dolore ſauciata ſit, vt veniam rogatura, in conuiuium importuna irrepſerit, & Phariſaicam conuiuarum cenſuram reſpuerit. Quâ ſuper re ſic ad rem præſentem philoſophatur Laurentius Nouarienſis: *Et ecce mulier, &c. Subitò quaſi meretrix audax intrauit in domũ, & attritam publicis aſpectibus frontem obtulit.... Supergreſſa eſt à vita, nec reſpexit ad Phariſæum; ſed recto limite direxit ad fontem, pudore priuata, & pœnitudine armata.* Nimirùm Magdalena perfectioris pœnitentiæ idea, dum accedit ad Chriſtum, dicitur *audax quaſi meretrix*; & additur, quòd *pudore priuata, attritam publicis aſpectibus frontem obtulit*, quæ videntur elogia meretricis: non meretriciam retrò impudentiam, lacrymarum fonte diluentis, (quod aliàs aliorsùm expendimus) Ecce tibi Laurentius Nouarienſis conſummatam pœnitentiæ virtutem, vitiorum colore depingit, ne virtus non inueniatur piè audax, in tantâ vitiorum temeritate. Eſt etiam aliqua *vitiorum virtus*, dum ſub vitiorum nomine tenus cortice, perfectior virtutis medulla deliteſcit.

Lucę 7. v. 37.

*Perfectior pœnitentia vitioſè ſcelerum colore depingitur.*

S. Laur. Nauar. homil. de Pœnit.

7. Obuium eſt apud ſanctos Patres, & expoſitores, qui Bibliorum ſenſus Anagogicos captant, & elucidant, per Rachelem ſpecie pulcherrimam, & auidè à Iacobo adamatam, vitam cæleſtem, ſeu beatitudinis gloriam intelligere. De quo aduerſus Iouinianum eruditè Hieronymus. Porrò Hebræus Philo de Liâ ac Rachele ſic philoſophatur in lib. de Congreſſu quæ erud. gratiâ: Matronarum altera, inquit, ſanctiſſima optimè conſtituta pacatiſſimâque motio, ex re Lia nomẽ habet. Altera cori ſimilis Rachel vocatur, ad quam intellectus certaminis exercitijque cupidus ſe atterens acuitur. *Interpretatur autẽ viſio profanationis, non quòd profanè videat, ſed contrà quia viſibilia ſenſibiliáque, collata cum immortali natura inuiſibili & intelligibili, non religioſa, ſed profana eſſe iudicat*: ô rem miriſſimam! clarus Dei aſpectus omnium virtutum ac ſanctitatum centrum, empyreæ religioſitatis ſumma, *profanationis viſio interpretatur*? Res ſecularis, & irreligioſa *profanitatis* vocabulo arcetur, deuenuſtatur, deturpatur, aſt tanta eſt olympiæ religionis arcana ſublimitas, vt quaſi deeſſent religioſa nomina *profanationis* audaciori vocabulo exaggeratiùs exponitur. Rachel autem *interpretatur viſio profanationis*. Porrò excelſior virtus audacioris vitij nomine re vitij vacuo, ad virtutis exaggerationem coloratur, quod eſt huius Paragraphi argumentum.

S. Hieron.

Philo.

*Quare beata viſio, viſio profanitatis nominatur.*

---

## §. CCXLVII.

### *Nimius de alienâ emendatione zelus, adſimilia in zeloſo vitia, aut facit, aut auguratur.*

SAlomon Prouerb. 26. verba faciens de hypocritâ, qui latentem animitùs prauitatem verbis diſſimulat; aut virtutis zelum foris oſtendit, cùm ipſe fœdis vitiis obnoxius ſit, ita ſcribit: *Quomodo ſi argento ſordido* (Hebraicè *ſcoriarum*) *ornare velis vas fictile: ſic labia tumentia* (aliàs *ardentia*) *cum peſſimo corde ſociata*. Argentum ſordidum, vel *argentum ſcoriarum* vocat Salomon, quod luteam teſtam, vel vas fictile adornat, quaſi ſordidam fragilitatem è luroſæ teſtæ fragilitate inducat. Cui ſimilia eſſe dicit *labia tumentia*, ſeu *ardentia* zeli ſpeciem, & obtentu virtutis; quæ cor lapſui obnoxium, & delictorum ruinis adſuetum tegit. Videri poſſet, vas fictile argento ſolido labra inornatum, diutiùs duraturum, quaſi teſtæ fragilitatem argento deſueſcat. At eò magis fragile eſt; cùm ſecum affetat argenti ſoliditatem, quæ fractioni inſidiatur. Sic qui nimis ardentem pietatis zelum, argentatis virtutum verbis oſtentat; non probum pietatis argentum, ſed argenti *ſcoriam* offert, quâ teſtam fragilem ornare ſatagit, teſtam inquam fragilem, & vas fictile, fractioni obnoxium magis, magiſque ruinæ proximum, qui eſt huius paragraphi labor, & prouerbialis ſententia experientiis probatiſſima. *los demaſciado Zeloſos caen mas torpemente.* 1.

Prouerb. 26. v. 23.

*Teſta argento inornata, fragilior eſt.*

Geneſeos 34. Sichem filius Hemor, Dinæ amore captus virginem violenter conſtuprauit. Scelere ſalaciter perpetrato, ſupplex Sichem dixit ad Iacobum, & filios eius, violatæ Dinæ fratres: Inueniam gratiam coram vobis; & quæcumque ſtatueritis, dabo: augere dotem, & munera poſtulate: tantùm date mihi puellam hanc vxorem. Reſponderunt filij Iacob Sichem & patri eius in dolo ſæuientes ob ſtuprum 2.

prum Sororis : *Non poſſumus facere quod petitis, nec dare ſororem noſtram homini incircumciſo: quod illicitum & nefarium eſt apud nos.* O viros ſcrupulosè pios, & au tæ religionis zelo inclytos, qui ſtuprum ſororis, & circumciſionis legem ſic piè zelant ! Malunt enim vt propudioſa ſtupri ignominia Iacobæam familiam inulta commaculet, quàm paternam circumciſionis religionem non zelare ſtudio contentiosè pertinaci. Itane ? Audi ex ore Lipomani inibi, quid medullæ ſub religioſi zeli cortice lateat: *Non poſſumus facere quod petitis, &c. Acerrimi quidem inſiſtebant, ſed non ſine Dei offenſâ, quam caſus maioris criminis poſteà vindicauit, cùm eorum Maior patris cubile fœdaret, longè turpiori ſcelere quàm Dina. Sinit enim iuſtitia Dei, tam zeloſos in aliena peccata vindices: turpiùs nonnunquam peccare. Non enim Dominus vult peccata quæ odit, animo iniquo à quoquam puniri.* Quid luculentiùs ? Non odit Dei offenſam, ſed hominem offenſorem, qui maiori delicto delicta punit. In turpiora labitur obſcœnè flagitia, qui ſcelere ſcelera vindicat. Zelus ſtupri impatiens, & non violandæ circumciſionis nimiùm ſtudioſus, venerabile patris cubile fœdat, inuitiat, inceſtat. O timeat tumens indiſcretè zelus, conſtupratam diſtrictiùs iuſtitiam fore lapſu turpiori acerrimum ſui vindicem !

Geneſ. 34. v. 14.
*Qui nimis alios zelat in turpiora, & obſcœniora labitur.*
Lipom. ibi.

3. Ioannis 4. venit Ieſus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar? erat autem ibi fons Iacob. Ieſus ergò fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem. Venit mulier de Samariâ haurire aquam. Dicit ei Ieſus : Da mihi bibere. *Dicit ergò ei mulier illa Samaritana : Quomodo tu Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis, cùm ſim mulier Samaritana ? non enim coütuntur Iudæi Samaritanis.* Ex habitu & ſermone Ieſum eſſe Iudæum mulier agnouit. Sed vide in Samaritanâ prurientem inconſulti zeli ſcabiem. *Nam ſi cauendum erat,* ( ait inibi Chryſoſtomus ) *Ieſum quàm illam cauere potiùs decebat. Non enim dixit, Non coütuntur Samaritani Iudæis; ſed Iudæi Samaritanis. Hæc autem mulier à peccato illo immunis, quandoquidem alium in illud incidere putabat, nequaquam tacuit, ſed, vt arbitrabatur, quod eſſet præter legem corrigit.* Expenſione digniſſimum eſt, quòd mulier illa Samaritana, publicæ libidinis victima, obſcœnitatum ſentina, incontinentiæ ludibrium, & vel ipſo nomine ſalaciſſimè infamis, ſic alienæ religionis ac probitatis vtatur Zelo, vt vel Chriſtum Deum violatæ legis inſimulet, & quaſi religionis refractarium corrigere audeat. Noſter Cardinalis Toletus præſcripta verba exponens, ita ſcribit : *Non dicitur tantùm, Dicit illa mulier : Sed, Illa mulier Samaritana, quia niſi Samaritana eſſet, non reprehendiſſet.* ( Chriſtum inquam, violatæ legis zelo ) *Ac ſi clariùs dictum eſſet : Mulier illa, quia Samaritana erat, verba ſequentia, quæ inſimulationis ſunt, protulit.* Itaque non erat ibi mulier alia, cuius cauſsâ ambiguus redderetur ſenſus : & tamen quæ perſæpè exinceps dicitur, *Illa mulier* tantùm ; cùm violatæ religionis ac legis zelo inducitur, tranſgreſſionis *inſimulaſſe* Chriſtum, illumque corrigere auſam ; tunc, tunc quidem conſultiſſimè pariter ac moraliſſimè dicitur, *Illa mulier Samaritana*, quo nomine eius ſcelerosè flagitia cenſentur, quæ confeſtim euulgantur ; vt ſimul cum nimio ſcrupulosè zelo, eius ſcelera pariter denotentur, prodantur, inculpentur. Tardè, opinor, huius mulieris propudioſa obſcœnitas, & meretricia diu proſtitutio publicaretur, niſi ſimul cùm violatæ religionis ſcrupuloſo zelo incuſaretur. vndè cùm nimis ſcrupulosè zeloſa dicitur conſultò *Samaritana* nominatur. Sicut cùm, Dinæ fratres nimiùm zelant ſororis ſtuprum, eorum Maior, tori paterni obſcœniùs inceſtati reus arguitur.

Ioan. 4. v. 9.
Chryſoſt. homil. 30. in Ioan.
*Mulier, quæ violatæ religionis zelo Chriſtum arguit, tunc Samaritana dicitur.*
Toletus ibi in comment.

4. Matthæi 12, erat Ieſus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum : & cùm excantato dæmone palam curaſſet hominem, turbæ ſucclamabant: *Numquid hic eſt Filius Dauid ?* Scribæ autem & Phariſæi, in Belzebub Principe Dæmoniorum eiectum fuiſſe, contrà obmurmurabant. Et vecorde Moſaicæ legis zelo, & Chriſti æmulatione tumentes, *Tunc reſponderunt ei quidam de ſcribis & Phariſæis dicentes: Magiſter, volumus à te ſignum videre.* Quis non miretur, quàm obſtinatè Moſaicæ religionis zelo, miraculo coràm patrato adhuc virtutem patratoris explorent. ? *Tunc reſponderunt ei quidam de Scribis & Phariſæis. &c. Quod admirans Euangeliſta, dicit : Tunc* ( ait Chryſoſtomus) *Tunc ſcilicet cùm flecti oportebat, cùm admirari, cùm obſtupeſcere : ſed tunc à malitiâ non deſiſtunt: tunc* ardentiori zelo veſani, adhuc peruestigare ſcrupuloſiùs miracula tentant, vt illa infament, culpent, inuitient, ſi quâ forſan viâ aditus detur, & calumniis vel rimulæ pateſcant. Verùm illi ipſi, qui inſano contra Chriſtum zelo, eidem ſuggerunt ? *Volumus à te ſignum videre*, æmulationis exertæ argutiis rem miraculi negent ; illi ipſi inquam, cùm ſeriò loquuntur in concilio, *dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit ?* Ecce tibi, illi ipſi Phariſæi, qui religionis zelo expetunt à Chriſto *ſignum videre*, vt illud explorent, & calumnientur ; nunc ſcelus cumulant, cùm *multa ſigna* ab eo facta, vel inuiti ingenuè fatentur, vt deicidium ſceleroſiùs patrent. Vide non boni zeli cataſtrophen, & malorum in zeloſo Illiadem.

Matth. 12. v. 38.
*Qui ſignum volunt videre, quaſi virtutis zelo, ob multa ſigna Chriſtum damnant.*
S. Chryſoſt. hom. 44. in Matth.
Ioan. 11. v. 47.

5. Lucæ 15. filio nuper ſalaciſſimè prodigo, nunc iam frugi, grataнter excepto ; ſenior frater inuidiæ œſtro excitus, mœret, & dolet. Erat tunc temporis in agro terram percolens, ſe deſertans, duritiam ſoluit ceſpitis, perdurat affectum ; Sentes eradicat & gramina, ſtimulos inuidiæ non euellit: *Sic in ſegete cupiditatis fructum zeli collegit*, ait eleganter Chryſologus. Porrò *indignatus* nolebat introire in domum. Pater ergò illius egreſſus cœpit rogare illum. *At ille reſpondens dixit patri ſuo : Ecce tot annis ſeruio tibi, & numquam mandatum tuum præteriui.* &c. Eſtò, hactenùs ſenior frater patris mandatum non prætericrit. Sed vide nunc quem hic agreſtis ruricola in ſegete cupiditatis *fructum indignantis zeli collegerit. De iunioris filij reditu & ſalute* ( pergit Chryſologus) *gaudentes, ſenioris flebiliter perdimus, & dolemus inuidiam, quæ ſummum frugalitatis bonum extremo zeli malo perdidit.* Nimirum hactenùs verè dicere patri Deo potuit: *Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui.* At ex quo tempore aduerſus fratrem *indignatus,*

*Summum frugalitatis bonum extremo indignantis zeli malo perditur.*
Lucæ 15. v. 29.
S. Chryſol. ſerm. 4.

*dignatus*, quaſi continentiæ zelo, emendati fratris luxuriam incuſat, *ſummum frugalitatis bonum extremo zeli malo perdidit*. Quaſi non bonus zelus ab *indignatione* ortus, ſummum anteactæ frugalitatis bonum deſueſcat, & prodigæ luxuriæ malum infauſtè ominetur. Quid exaggeratius?

6. Paullus ad Galatas 4. ſic de Pſeudoapoſtolis ad illos ſcribit: Æmulantur vos non benè: ſed
Ad Galatas 4 v. 18. excludere vos volunt, vt illos æmulemini. *Bonum autem æmulamini in bono ſemper*. Benè hîc notant plures ex Interpretibus, τὸ *bonum* poſſe
Cornelius accipi in neutro genere, quaſi dicat, ait mihi Cornelius: *Id quod bonum & honeſtum eſt zelate*.
*Bonū in bono ſemper zelandum eſt.* Ita quidem, quod bonum & honeſtum eſt zelandum eſt, ne per humanam deſidiam langueſcat, & in malum degeneret. Sed quid eſt, quòd Galatas adhortatur non ſolùm vt *bonum* æmulentur, & zelent, ſed vt illud *æmulentur & zelent in bono ſemper*? Poſſunt ne *bonum* & honeſtum in malo, & non *ſemper in bono* zelare? ô zeli etiam de bono, & in bonum pericula, niſi magnâ cum prudentiâ, & cautelâ fiat? ô quoties alienæ emẽdationis zelus, qui cœpit in *bono*, in malo conſummatur! Eleganter S. Gregorius Nazianzenus Orat. in laudem Athanaſij: *Tametſi*
S.Nazianz. *alioqui pacati, & moderati ſint; hâc tamen in re lenes & faciles eſſe non ſuſtinent; cùm per ſilentium*
*Zelus ſæpè facit bellaces, nimis acres, & feroces, & probra euomit.* *& quietem Dei cauſſa proditur. Verùm hîc admodùm bellaces ſunt, & in confligendo acres & feroces, huiuſmodi enim zeli æſtus eſt, citiùſque aliquid quod non oporteat euomerint, quàm quod ex officio eſt prætermiſerint.* Itaque non ſufficit, quod in Dei cauſsâ *bonum* & honeſtum æmulentur, & quod ex proprio officio zelent; niſi *bonum æmulentur in bono ſemper*. Non ſemper in bono bonum æmulatur & zelat, qui virtutem vitio adiuuare adnititur, qui quod æmulatur, nimio zelo perpetrat, & æmulando committit; qui de inconſulto zeli ardore redduntur *admodum bellaces, & in confligendo acres & feroces; huiuſmodi enim zeli æſtus eſt, citiùſque aliquid quod non oporteat euomunt*. ô euome potiùs ipſum zelum, quàm ex zelo aliquid crudum, & immundum ferociter euomas!

7. Hildebert. Hildebertus epiſt. 68. de illis, qui boni zeli pallio operti, delatrice malitiâ aliorum mores æmulantur, ſic eleganter ſcribit, quâ ſolet eloquij limâ: *Qui delationis materiam apud Supe-*
*Delatorum zeli prætextu, ſycophantica mendaciter prurigo.* *riorem non inueniunt, ipſi fingunt. Hi ſiquidem ſunt, quibus elegantius eſt de mendacio damnari, quàm præmium de veritate promereri.* Scilicet, vt zelum oſtentent ſpecie tenus pium, quamlibet prauitatem deuorant; nec piget aut pudet cum mendacio obſcœnè ſcortari, dum zeli ſe induant ornamento ad ſpeciem eleganti ac nitido. ô, quis zelattici garrulitati gratum audientiæ obſequium præſtiterit? Sæpè zelato, & zelatori criminis, & ipſius zeli reus eſt.

Hîc v.7. Quòd ſuprà cap. 3. v. 8 præſtitit Aman: & re iam nunc explorata, Draco nominatur.

## §. CCXLVIII.

*Acres Iuſtorum tentationes, dum Dei offenſas periculosè fabricare videntur, diuinæ gloriæ è peruerſo militant.*

VVlgò notum eſt, quantò aliter patres, aliter matres ſuis indulgeant. Illi exercitari 1.
iubent liberos ad ſtudia obeunda maturè, feriatis quoque diebus non patiuntur eſſe otioſos, ſolerter arduis exercent, ſudorem illis, & interdùm lacrymas excutiunt. At matres fouere in ſinu, continere in vmbrâ volunt. Nunquam flere, nunquam contriſtari, nunquam laborare. Paternum Deus habet aduerſus bonos viros animum, & illos fortiùs amat; & operibus, doloribus, tentamentis, ac damnis exagitat, vt verum colligant robur, pulchro victoriarum auſpicio; aut obſide. languent per inertiam ſaginata, nec tentationibus tantùm, ſed mole, & ipſo ſuî onere pigreſcunt, ac deficiunt. Non fert vllum ictum diu inexter illæſa virtus. At vbi aſſidua fuit cum ſtrenuo aduerſario rixa, callum reluctando duxit, nec vllo malo cedit; ſed etiam ſi ſucciderit, de genu pugnat. Miraris tu ſi Deus ille bonorum amantiſſimus, qui illos quam optimos, & excellentiſſimos vult, tot illis acerrimos ac periculoſiſſimos aduerſarius aſſignat? Ego verò non miror ſi aliquandò placidè delectatus ſpectanda magnos viros cum graui aliquâ tentatione colluctantes. Nobis interdùm voluptati eſt, ſi adoleſcens conſtantis animi irruentem feram venabulo excepit, ſi leonis incurſum interritus pertulit; tantóque ſpectaculum eſt gratius, quantò id honeſtius fecit. Ecce ſpectaculum dignum, ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus. Ecce par Deo dignum, vir ſanctitate robuſtus, cum acri tentatione compoſitus. Non video quid habeat in terris Deus pulchrius, quàm vt ſpectet Paullum, Antonium, Benedictum, Xauerium, carne tentationibus ſemiuſtulatâ, & penè fractâ, ſtantem nihilominùs, & inter tot ſagittas de gehennâ ignitas, adhuc erectum, repugnantem, vincentem, laureato generoſiùs tenuitu.

*Hæc ferè ex Senecâ l. de diuinâ Prouid.*

*Homo cum tentatione colluctans, ſpectaculum eſt Deo dignum.*

2. Regius Vates Pſal. 75. poſt enarratas Dei victorias, quas de Aſſyriis glorioſè reportauit, gradum facit ad referendas etiam victorias, quas homo de inuiſibilibus aduerſarijs, periculoſo bello obſtinatè depugnantibus, generoſè reportat: *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.* Pſal. 75. v. 11.
Locus in paucis difficilis, multifariàm verſatilis, & quem ſancti Patres, & expoſitores variè verſant. Non enim facilè menti quamuis ſagaciſſimæ occurrit, quænam ſint hæ humanarum cogitationum *reliquiæ*, ſic Deo gratæ, vt illi *diem feſtum* agere dicantur. Intermitto plura, quo citiùs exſcribam ſingularem ad thema præſens expoſitionem Ioannis Zonaræ, Magni quondam Drungarij viglæ, & primi à ſecretis. Hic magnus Doctor elucidans præſcripta Pſalmi verba: *Aſſentitur mihi ad hoc, inquit, & ſuffragabitur propheta, & Dei pater Dauid, inquiens, Cogitatio*

Zonaras in orat. ad eos, qui naturalem ſeminis fluxum &c. Apud Leunclauium, in Iure Græco Romano.

*tatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationum diem feſtum agent tibi. Si enim cogitatio* (inquit) *mala homini irrepſerit, & in eius mente ſedes fixerit, capta voluptate conſuetudinis eius, & perficiente cogitationis peccatum, pœnitentiâ ei opus eſt, & confeſſione.* (Nota attentiùs quæ ſubdit verba) *Quod ſi irruens cogitatio derelicta fuerit, reiecta videlicet fuerit, & inefficax manſerit, non contaminans mentem; eius deſertio Deo profeſto habebitur, cùm mens improbam cogitationem à ſe ſubmouet. Nihil enim adeò Dominum oblectat, quàm munditiesanimique mundo munditie charius. placet enim Deo ſupra vitulum iuniorem, & ſupra omne ſacrificium.* Itaque *reliquiæ cogitationis*, nihil eſt, aliud, quàm ad malum inſtigans *cogitatio relicta*, deleta, neglecta. Nimirùm dum homo à malignâ cogitatione, ſeu ab acri tentatione imperſuaſibilis, eam eueſtigiò excutit, comtemnit, refutat; ille, ille inquam, eâ relictâ, & contemptum dimiſsâ, non ſolum non infuſcatur gehennali fumo, ſed ita virtute Deo gratus clareſcit, vt *diem feſtum agat Deo*. Iſtiuſmodi enim repulſa *placet Deo ſupra vitulum iuniorem, & ſupra omne ſacrificium*. O quàm eſt omnibus obuium, ad ſingulos dies, & horas, hoc pergratum Deo ſacrificium immolare! Neglectu ſapiente tentationem excute, & *diem feſtum* Deo peregiſti.

*Reliquiæ cogitationis, id eſt, tentationis cogitatio deſerta, diem feſtum Deo agit.*

3\. Matthæi 20. de ſuâ iam iam imminente Paſſione diſcipulis ſuis multa Chriſtus ſigillatim prædicebat; cùm acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, primas regni ſedes ſupplici ambitioſiùs adoratione depoſcens. Reſpondens autem Ieſus dixit: Neſcitis quid petatis. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei: Poſſumus.* Et quis, qualiſue eſt hic Dominicæ Paſſionis calix, quem Chriſtus hîc Apoſtolis propinat? Eundemne ſuæ Paſſionis calicem illis porrigit? Neque enim dicit: poteſtis pro me effundere ſanguinem, & inter carnificum cruciamenta, dulcem vitam cum pœnaliſſimâ morte commutare; ſed, Poteſtis bibere Paſſionis calicem, quem ego bibiturus ſum? Incertus Chryſoſtomus exponens præfata verba, *Poteſtis bibere calicem*, &c. ita profundè ſcribit: *Paſſionem autem Domini dicimus non ſolùm perſecutionem Gentilium, ſed omnem violentiam, quam patimur contra peccata certantes.* Ecce tibi quàm ardua res ſit, *reliquiæ cogitationis*, hoc eſt tentationis *cogitatio derelicta*, cùm *paſſio*, Dominicæ Paſſionis æmula, nuncupetur *omnis violentia, quam patimur contra peccata certantes.* Inexpertis, & citra occaſionem conſtitutis, lenis videtur obuiæ tentationis victoria, quippè quæ ſolo arbitrij renutu conſtat. At reapſe adeò peracerba res eſt, vt Dominicæ *Paſſionis* æmula reputetur. Quid tam moleſtum, quàm titillantis concupiſcentiæ ſubſultus, & cognatas voluptatis blanditias tentatione delibatas, expuere, euomere, proiicere, & mœſtam ſine voluptate vitam agere? Quid tam arduum quàm renunciare ſumptuoſæ ambitioni, quæ honores, ad quos naturaliter hiat, ſpe momordit? Quid tam peracerbum, quàm vindictæ impetum coërcere, iram ſiſtere, gulam frenare, & quicquid humanas appetitiones inquietat, tranquillare? Ergò tentationis *derelicta cogitatio*, Dominicam *Paſſionem* præ tormento, ac difficultate æmulatur. Vnde *diem feſtum agit Deo*; nihil enim tam diuinæ gloriæ militauit, ac Chriſti Dei *Paſſio*, cuius æmula eſt tentationis *derelicta cogitatio. Paſſionem autem Domini dicimus non ſolùm perſecutionem Gentilium, ſed omnem violentiam, quam patimur contra peccata certantes.*

Matth. 20. v. 22.

Imperf. homil. 35. in Matth.

*Iugis de tentationibus victoria, Chriſti paſſionem præ acerbâ difficultate æmulatur.*

4\. Geneſeos 1. velut inito conſilio, hominis formationem Deus honorat: Faciamus inquit. Hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. *Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creauit illum, maſculum & fœminam creauit eos*: Plura, quàm recenſere hîc expedit, tradunt ſancti Patres, & huius loci interpretes ſuper hominis ad Deū ſimilitudine. Clemens Alexandrinus lib. 5. Strom. ita de hâc ſimilitudine fatur: Merito ergò, inquit, ex terrâ quidem corpus hominis dicit formari Moyſes: animam autem ratione præditam deſuper à Deo inſpiratam fuiſſe in faciem. Hîc enim dicunt eſſe collocatam principem animæ facultatem, ingreſſum animæ interpretantes, qui fit propter aduentum ſenſuum in Protoplaſto, & ideò factum eſſe hominem ad Dei imaginem & ſimilitudinem. (Addit alto ſtylo) *Dei enim imago, eſt Verbum diuinum & regium, homo impatibilis: imago autem imaginis mens humana.* Miriſſimum ſanè eſt, & attentiori expenſione digniſſimum, quòd Verbum diuinum corporatum, Chriſtus Deus inquam, & ſi verus Deus, abſque diuinitatis iniuriâ, verus etiam homo, *Homo impatibilis*, à magno hoc Doctore nominetur. Quomodo enim Chriſtus *impatibilis* eſt, qui patibilem carnem aſſumens, probroſè cruentam paſſionem ſubiit? Quòd ſi *Homo impatibilis* dicitur aſpectu ad tentationes, tentationes etiam in deſerto paſſus eſt, nunc ad gulam, nunc ad plauſuum ambitionem, nunc ad mundialis gloriæ auaritiam, & regni potentiam, temerario Satanæ auſu impudenter ſollicitatus, ne inſtigatus dixerim. Dicitur ergò Chriſtus, *Homo impatibilis*, quia cum (iuxta Nazianzenum) *extra peccati aleam* eſſet, caſſo vulnere tentamenta deluſit. Cùm enim liberum arbitrium periculoſos nos fecerit, tentationum conſenſui obnoxios, eumque etiam periculoſa tentatio ad peccandum inſtigans, æmula Dominicæ *Paſſionis* à Chryſoſtomo nominetur; Chriſtus appellatur *Homo impatibilis*, quia licèt cruentam Paſſionem, & Satanæ tentationes ſubire potuit, periculum tentationis pati non potuit, diuinitate periculum remouente. Exindè tametſi Chriſtus Paſſionem probroſè cruentam tolerauit, & ignominoſè moleſtas Diaboli tentationes ſubiit; quia tamen illis ſuccumbere nequiuit, quia erat extra patiendi aleam, *Homo impatibilis* à Clemente Alexandrino ſententioſè nominatur. Sic homo periculoſo tentationum agone fatigatus, lancinatur, excruciatur? Sic nobiliter generoſus euadit homo deluſis renutu tentationibus; vt imaginem & ſimilitudinem æmuletur Chriſti Dei, *Hominis impatibilis*? ô quàm gratis oculis Deus dignatur cernere homines hac Filij ſui imagine generoſiùs exculptos; dum hanc Chriſti Dei *impatibilitatem*, repetitâ tentationum fruſtratione æmulantur. *Dei enim imago eſt Verbum diuinum & regium, Homo impatibilis*

Clem. l. 4. 17.

Clem. Alex. l. 5. Strom. c. 6. ante medium.

*Chriſtus dicitur homo impatibilis, quia tentationibus ſuccumbere nequit.*

Nazianz. aliàs expenſus.

*patibilis: imago autem imaginis mens humana*, crebro tentationum abſtutu, *hominis impatibilis* æmula. Quid homini honorificentius? quid Deo adulantius.

Pſalmo 105. modulatur regius Pſaltes Iſ-
Pſal. 105. v. 5. 14. raëlitarum ſicco veſtigio tranſitum inter medios Maris rubri fluctus, & pacatam exinceps viam per deſertum ad terram promiſſionis: *Et increpuit Mare rubrum, & exiccatum eſt*: & deduxit eos in abyſſis ſicut in deſerto. Et ſaluauit eos de manu odientium, & *redemit eos de manu inimici. Et operuit aqua tribulantes eos, vnus ex eis non remanſit.* Verùm cùm per vaſtam eremum abſque vllo interpellatore tranquillè ductarentur: *Concupierunt concupiſcentiam in deſerto, & tentauerunt Deum in inaquoſo.* Tranquillitas illa ab impugnatoribus Ægyptiis, ſub
*In periculoſo mari ſoſpites, in terrâ patiuntur naufragium.* infernalis Pharaonis ducatu; malacia eſt, & ſæuior tempeſtas. Qui tuti erant in vorticoſo mari, tot aduerſariis exagitati; in deſerto inaquoſo etiam ſine hoſtibus periclitantur. *Et tentauerunt Deum in inaquoſo.* Ad quæ verba alludens Iſi-
S. Iſidor. Pel. l. 2. epiſt. dorus Peluſiota, ſic eleganter ſcribit: *Poſteaquam enim Ægyptij defuncti ſunt, eoſque mare pro ſepulcro habere conſpexerunt, tunc verò ad idolorum cultum ſe conuerterunt: nam cùm mare tranſiiſſent, nec periculi quicquam ſubiiſſent, vbi terram attigerunt, naufragium pertulerunt.* O malum! qui ſub periculoſâ identidem impugnatione, feliciter ſoſpites feſto hymno conclamant: *Cantemus domino, glorioſè enim magnificatus eſt*; vbi eorum hoſtes vndis ſæuientibus naufragos vident, & continentem pacatè calcant, Dei prouidentiâ vtentes pro panario & lagenâ, *tentauerunt Deum in inaquoſo.* Nimirùm quandò abeſt, qui eos tentet, & eorum probitatem pulſet, exploret, exerceat; ipſi Deum tentant. Exindè qui maria ſiccis traiiciunt veſtigiis, *vbi terram attigerunt, naufragium pertulerunt.* Qui tentatus, vitreos pelagi vortices ſecurus tranat, vbi ab impugnatione ſecurus terram attingit, vel in terrâ *naufragium perfert*: naufragium ſuſtinens in ſecuritatis tranquillitate, quod in procellâ ſubire debuiſſet; ibi infeliciter naufragus, vbi impoſſibile apparebat naufragium. *Vbi terram attigerunt, naufragium pertulerunt.*

Hic verſ. 7. & 8. &c. Ecce tibi dum hîc inhumanus crudeliter Aman, velut magnus Draco aduerſus Dei populum ferocit; Mardochæo & Eſtheri è peruerſo militat; ac Dei populo palmam offert.

---

## §. CCXLIX.

### *Grandiora pericula facilè eludit ſpes; quæ ſi excidat, vel magnanimus ſimul corruet.*

1. ALacriter operi incumbitur, cùm iam vicinitas perfectionis arriſerit, & ſpei afflatus tædium laboris excludit: magnum ſanè genus incrementi eſt, ſperare deſiderata
*Animoſior ſpes fidei cognata eſt.* compleri. Vbi enim ſpes nutat, marcet humanitas tota, quæ de fiduciæ vigore, vltra vires audet. Strenua quidem virtus eſt, quam nec vltima calamitas excuſſit; ſed etſi lacera & penè proſtrata, adhuc è genu pugnat, nec abiicit victoriæ fiduciam. Omnia poſſum in eo, qui me confortat, dicebat Apoſtolica magnanimitas atrocioribus periculis laceſſita. Adeſt enim præſtò Deus auxiliaris, vbi humanum deſideratur auxilium. Fides & ſpes, cognatio quædam virtutum eſt. Fides in Deum, vicinitas ſperandi *Fides dicitur, bona ſpei ſupplementum.*
eſt, quâ ſtrenuus quiſque animus fidem ſpei ſuæ iugiter experitur: languida enim fides, ſpei titubario eſt, & deſperationis obſes. Hinc à Philo l. de Abraham.
Philone dicitur *fides bonæ ſpei ſupplementum*: de quo aliàs

Matthæi 14. nauicula illa Diſcipulorum pe- 2.
riculoſe baiula, infide naufraga, lenocinantibus tenebris in medio mari periclitatur. Propè iam pereuntibus præſtò adeſt ſaluator, ſuper vndas incedens. Sed dum phantaſma præ timore putant, indè pauor augetur, vnde credi poterat iam ſolutus: & de ſpei anchorâ naufragium è peruerſo fabricant in officinâ timoris. Et videntes eum ſuper mare ambulantem, turbati ſunt, dicentes: Quia phantaſma eſt. Et Matth. 14. v. 27.
præ timore clamauerunt. *Statimque Ieſus locutus eſt eis, dicens: Habete fiduciam, ego ſum, nolite timere.* Enucleatiùs expendenda eſt ratio, quâ Chriſtus Deus, & timore Diſcipulos eximere, & eiſdem fiduciam ingerere negotiatur. Quod inibi ſanctus Hieronymus exponit. *Quod autem dicit: Ego ſum, nec ſubiungit, quis ſit: ipſum* S. Hieron.
*eſſe ſcire poterant, quem locutum ad Moyſen nouerant: Hæc dices filijs Iſraël: Qui eſt miſit me ad vos.* Vide in tam atroci diſcrimine motiuum, *Qui fide credit, Deũ eſſe nullum periculũ timeat!*
quod expulſo timore fiduciam afflet; *Ego ſum*, inquit, quod eſt potiſſimum Dei nomen, eius cognitionem ingerens. Sat eſt ad fiduciam, quòd dicit, *Ego ſum*: nam Deus eſt, qui eſt. Quod ſi Deus eſt, qui eſt; & fide creditur, quòd eſt, qui eſt, id ſatis eſt vt fiduciam extorqueat. Sat eſto, vt in periculoſiori diſcrimine deſperationi proximo, ſpem concipias, ſi attentiùs aduertas, in rerum naturâ (vt ſic loquar) Deum eſſe. Sufficit fide noſſe, Deum eſſe, vt timorem excutias, & fiduciam concipias. Exindè periclitantibus in tempeſtate diſcipulis, dixit Ieſus: *Habete fiduciam, ego ſum*, (Ego ſum inquam, qui ſum) *nolite timere.* Nempe ſi fide credimus, quod eſt Deus, & Deus eſt, qui eſt; habeamus fiduciam, & de ſpe conceptâ omnem timorem bonis operibus excutiamus. (quodammodò habentes *fidem ſpei noſtræ*, vt aliàs ex Tertullian. aliàs expenſus.
Tertulliano expendebamus) *Pues ay Dios, aun en el mayor peligro no ay nada que temer, ſino mucho que eſperar.* Profundè quidem Hieronymus!

Exhodi 12. adhuc Pharao poſt tot ſibi plagas duriùs inflictas in non dimittendo Dei populo flecti-neſcius obſtinatè perſeuerat. Et dixit Dominus ad Moyſen: Adhuc vnâ plagâ tangam Pharaonem & Ægyptum, & poſt hæc dimittet vos, & exire compellet. *Tranſibo*, in- Exhod. 12. v. 12.
quit, *per terram Ægypti nocte illâ, percutiámque omne primogenitum in terrâ Ægypti ab homine vſque ad pecus: & in cunctis diis Ægypti faciam iudicia, Ego Dominus.* Quâ plagâ emollitur obſtinatior Pharaonis durities, vt intempeſtâ nocte accerſiri iuſſerit Moyſen & Aaron, eiſque dixerit: Surgite, & egredimini à populo meo, vos filij Iſraël: ite, immo-

late

late Domino ſicut dicitis. Oues veſtras & armenta aſſumite vt petieratis, *& abeuntes benedicite mihi. Vrgebantque Ægyptij populum exire velociter.* Duriſſima fuit hæc plaga, in paucis lugubris, peracerba, funeſta; quare hæc ſola, quæ iunctim ceteræ non eualuerunt, extorſit? Nimirùm attoci nimis reliquarum calamitatum ſenſu Ægyptus ſauciatur: ſed adhuc heredes ſupererant, & ſpes familiæ propagandæ: adhuc in ſuggeſtu ſuo Numina ſtabant, in quorum ope fiduciam collocarent. At cùm Dij concidunt, ſimul Ægypti ſpes corruit: abiectâ autem ſpe, vel hominum obſtinatiſſimus Pharao, hoſtilium ſeruorum auxilium ſupplex implorat. *In actione* (ait ibidem Caietanus) *exterminatrice primogenitorum & deorum Ægypti, Dei prouidentia intelligitur.* Vide diuinioris prouidentiæ ingenium in duriſſimo Pharaonis corde blandiùs emolliendo; adeò vt perditi ad tot Dei ſupplicia, & Iſraëlitarum preces obſtinatus, iam ſit eorum ſupplex: & quē nuper fruſtrà rogabant, ſupplex rogare cogitur. Itaque arbitrium diuini ingenij fuit, Ægyptiorum idola demoliri, vt eos ſpebus exarmaret. nam hactenùs vel falſata ſpe robuſti, Deo etiam reluctari audenter præſumebant; dum verò ſpe cadunt, imbecillè corruunt.

*Demolitis Ægypti idolis, exarmatus ſpebus obſtinatus Pharao emollitur.*

Caietan. ibi.

In eodem cap. 12. Exhodi vocauit Moyſes
4. omnes ſeniores filiorum Iſraël, & dixit ad eos: Ite tollentes animal (agnum) per familias veſtras, & immolate Phaſe. Faſciculúmque hyſſopi tingite in ſanguine qui eſt in limine, & aſpergite ex eo ſuperliminare, & vtrumque poſtem. Tranſibit enim Dominus percutiens Ægyptios: *cumque viderit ſanguinem in ſuperliminari, & in vtroque poſte, tranſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras & lædere:* An non bonus Angelus, qui percuſſioni per malos faciendæ præerat, internoſcebat ianuas domorum fidelium, quid ergò oportuit agnini ſanguinis ſtigmate, liberandorum oſtia denotare? Benè reſpondet Lipomanus, *Sacramentum eſſe in omnes generationes redemptionis non ſolùm tunc perfectæ per Moyſen, ſed longè perfectioris olim futuræ per Chriſtum effuſione ſanguinis agni immaculati.* Verùm curioſiùs peruestigare oportet, quare Angelus, qui malignis vaſtatoribus præerat, Hebræorum domum ſanguine illitam, priùs *tranſcendat*, & poſtquàm iam cruentatum oſtium tranſcendit, tunc Dæmonem percuſſorem prohibeat? Quod explicatiùs ex Hebræo Caietanus excribit; *Iuxta Hebræum*, inquit, *habetur: Et tranſiliet Dominus ſuper oſtium, & nō dabit vaſtatorem ingredi domos veſtras & lædere.* An non congruentius foret, vt cæleſte Angeli auxilium, contra percuſſorem Dæmonem Hebræis conceſſum, cum ipſi oſtiorum limini ipſe aderat, percuſſorem arceret; non verò poſtquam oſtium *tranſiluit*? Opinor, ſolicitiores reddi Hebræos, cùm viderent auxiliatorem Angelum iam tranſiſſe, & abſentem eſſe, quando aduerſarius percuſſor ſuæ domus limini aderat. Quid auxilio ferendo tranſitum ſuum Angelus expectat, & quaſi de abſentiâ opitulatur; cùm dum præſens aderat auxiliari, ſatiùs videretur? An *tranſiliens* domos ad opem ferendam, probatio ſpei eſt? Fiducia poſt guſtet, quod præſentia non meruit. Angeli auxilium, aut de abſētia dulcius, aut de ſpe fortius reputabitur. Ab Angelo, qui iam *tranſilijt*, ſperent opem, vt ſecurior poſſeſſio de ſpe ſubſiſtat. *Et tranſiliet Dominus ſuper oſtium, & non dabit vaſtatorem ingredi domos veſtras & lædere.* Nimirùm tranſitus Angeli tunc non auxiliantis lenocinium, fiduciæ robuſtiori adulatur.

Exhod 12. verſ. 23.

*Cur poſtquā tranſijt Angelus, opem tulit?*

Caietan. ibi.

Siracides Eccleſiaſtici 2. *Reſpicite, filij, nationes hominum:* (*antiquas generationes*, legit S. Ephrem) *& ſcitote, quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt.* Quaſi dicat: Quis vnquam in Domino ſperans, ſpe ſua fruſtratus eſt? quis re ſperata excidit, ideóque confuſus; Nullus inquam; ſed omnes ſpei ſuæ fructum retulerunt, ac re ſperata, vel meliore potiti ſunt. Quod de omni æuo Scriptura ſacra ſingulis quoque paginis præclariùs buccinat, ad humanæ ſpei vigorem. Codex Arabicus ſic primò locum excribit, & poſtmodùm velut commentario elucidat: *Conſiderate quid fuerit in antiquo, & quid conueniens fuerit in generationibus præteritis. Reſpicite, & cautè voſmet regite: quis eſt, qui ſperauit in eo, & dereliquit eum? & quis confidit in eo, & deſpexit illum?* ( Nota quæ profundè ſuperaddit, vt ſpem humanam robuſtiùs fundet ) *Confirmare in fortitudine Domini, vt permaneat cor tuum ſuper illam, & non pertimeſcas. Accede ad illam, & ne tarderis, quia inuenies beatitudinem & vitam; & cùm acceſſeris ad eam, accede velut gigas & robuſtus.* Parùm foret ſpei, fundari, firmaríque in *fortitudine Domini*, quâ roboratus ſuprà vires audet, & iam iam imminentia mala auertere præſumit; niſi addidiſſet, quod ſperantis *cor permanet ſuper illam*, id eſt, ſuper Domini fortitudinem. Quo quid exaggeratius? Denique monet, vt qui ſpe accedit ad Dominum, *accedat velut gigas* audenter robuſtus & intrepidus, quaſi cor ſuum habens ſuper fortitudinem Domini. Vndè in iſtiuſmodi ſpe inueniet *beatitudinem*. quod eſt humani cordis centrum, & ſummæ felicitatis meta. Ergò *nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt.* Quod Paullus dixit: *Spes autem non confundit.* Ad quæ Apoſtoli verba adludens Chryſoſtomus, ita fatur; *Dices, Ego ſperaui, & ſum pudore affectus. Bona verba, quæſo, ô homo: ne diuinæ Scripturæ obloquaris. Nam ſi pudore affectus es, ideò affectus es, quòd non vt oportuit, ſperaueris, ex eo quòd ceſſaris, ex eo quòd finem non expectaueris, ex eo quòd puſillo & anguſto animo fueris. Hoc enim vel maximè eſt ſperare, quandò in media mala & pericula fueris coniectus, tunc erigi.*

5. Eccli 2. v. 11.

S. Ephrem. paræneſ. 30.

*Spes accedit vt gigas: & cor ſuum ponit, ſuper fortitudinem Domini.*

Arabicus ib.

*Quomodò ſpes non confundit.*

Ad Rom. 5. v. 5.

S Chryſoſt. in Pſal. 117.

Matthæi 13. ediſſerens Chriſtus Deus zizaniorum parabolam, ſic fatur: Qui ſeminat bonum ſemen, eſt Filius hominis. Ager, eſt mundus. Bonum verò ſemen, filij regni. Zizania autem hi filij ſunt nequam. Inimicus autem qui ſeminauit ea, eſt diabolus. Meſſis verò, conſummatio ſeculi eſt. Meſſores autem Angeli ſunt. Sicut ergò colliguntur zizania, & igni comburuntur: ſic erit in conſummatione ſeculi. *Mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis.* Eruditè pariter & acutè obſeruat magnus ille Bibliorum magiſter Rabanus Maurus, quòd non addicit gehennali incendio, eos, qui operati ſunt, ſed eos duntaxat, qui operantur iniquitatem: *Obſerua quòd dicit: Et eos qui faciunt iniquitatem, non qui fecerunt.* ô quàm multa quàm paucis! In- 6.

Matth. 13. v. 41.

Raban. ibi. Apud Caten.

nuitur

nuitur enim pertinax in peccando reproborum obſtinatio, qui etiam in tremendo finalis iudicij die, dum perhorreſcunt ſeueriſſimi Iudicis iras, & fulminandam acerbiùs ſententiam, adhuc *facere iniquitatem* non deſiſtunt. Honoratur dein pœnitentia, quæ antiqua peccata ſic expungit, vt nec retractorum in iudicio memoria ſuperſit, velut quâdam innocentiæ reſtauratione. Erigitur tandem hominum ſpes: quamuis atrocioribus diu grauata flagitiis, ij enim duntaxat feralibus gehennę incendiis æternùm mancipantur, *qui faciunt iniquitatem non qui fecerunt.* Nemo dum adhuc viuit, ſpem abiiciat, nam ſi exertâ animoſiùs ſpe ſuffultus, animitùs doleat, & ad Deum ritè conuertatur, hactenùs ſceleroſiùs *factam iniquitatem*, tanquam infectam reddet. Accede ſpe robuſtus, *velut gigas*; & dum permanet cor tuum ſuper fortitudinem Domini, in damnationis periculo *inuenies beatitudinem.*

*Ii damnati, dicuntur, qui faciunt iniquitatem, non qui fecerunt.*

Ab hoc verſ. 9. Dei populus ab Amane, velut à truculento quodam *Dracone* immaniter oppreſſus, clamat ad Dominum, & ſpe erectus illum fidenter auxiliarem aduocat; ſpe Tyrannum exarmat, pericula eludit, & periclitantibus ſoſpitatem feliciter reddit. Hic v. 9. &c.

# SYNOPSIS CAP. XI.

*Poſt præfatiunculam, qua quidam Lyſimachus Ptolomæi filius, & Doſithæi Leuitæ nepos, librum Eſtheris tranſtuliſſe Ieroſolymis perhibetur; Mardochæi ſomnium, quod ſecundo Aſſueri anno vidit (& quo præſagium eorum omnium, quæ in hac hiſtoria narrantur, prœmaturè offertur) diſſertè narratur. In ſomnio autem Mardochæus ſe audire exiſtimabat tonitrua, & omnia horriſono nimis tumultu permiſceri, & atrociori bello cruentari. Deindè videre ſibi viſus eſt duos magnos dracones ad prælium paratos; ad cuius ſybilos omnes gentes concitatæ ſunt, & viri iuſti ingenti pauore exterriti penè exanimes angebantur. In eo autem rerum articulo apparuit exiguus fons in fluuium magnum excreſcens, qui in lucem ſolémque conuerſus, grata luce atrociorem caliginem diſpulit. Huius ſomnij interpretationem reſcire, exinceps Mardochæus exambit, perſæpe in memoria voluens, quod ſemel quondam viderat.*

---

## CAPVT XI.

1. ANno quarto, regnantibus Ptolomæo & Cleopatrâ, attulerunt Doſitheus, qui ſe ſacerdotem & leuitici generis ferebat, & Ptolomæus filius eius, hanc Epiſtolam Phurim, quam dixerunt interpretatum eſſe Lyſimachum Ptolemæi filium in Ieruſalem.

*Hoc quoque principium erat in editione vulgata, quod nec in Hebræo, nec apud vllum fertur interpretem.*

2. Anno ſecundo, regnante Artaxerxe maximo, prima die menſis Niſan, vidit ſomnium Mardochæus filius Iairi, filij Semei, filij Cis, de tribu Beniamin: 3. Homo Iudæus, qui habitabat in vrbe Suſis, vir magnus: & inter primos aulæ regiæ. 4. Erat autem de eo numero captiuorum, quos tranſtulerat Nabuchodonoſor rex Babylonis de Ieruſalem cum Iechonia rege Iuda: 5. & hoc eius ſomnium fuit, Apparuerunt voces, & tumultus, & tonitrua, & terræmotus, & conturbatio ſuper terram: 6. & ecce duo dracones magni, paratique contra ſe in prælium. 7. Ad quorum clamorem cunctæ concitatæ ſunt nationes, vt pugnarent contra Gentem iuſtorum. 8. Fuítque dies illa tenebrarum & diſcriminis: tribulationis & anguſtiæ, & ingens formido ſuper terram. 9. Conturbataque eſt gens iuſtorum timentium mala ſua, & præparata ad mortem. 10. Clamauerúntque ad Deum, & illis vociferantibus, fons paruus creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas redundauit. 11. Lux & ſol ortus eſt, & humiles exaltati ſunt, & deuorauerunt inclytos. 11. Quod cùm vidiſſet Mardochæus, & ſurrexiſſet de ſtrato, cogitabat quid Deus facere vellet: & fixum habebat in animo, ſcire cupiens quid ſignificaret ſomnium.

## §. CCL.

### *Commentarius litteralis.*

*Verſ.* 1. Anno quarto, regnantibus Ptolomæo, & Cleopatrâ, &c.

1. *Tirinus. Cur hic Ptolomæus, Cleopatra mariti?* NOSTER Tirinus, in Chronico ſacro, cap. 39. eruditè tradit, à primo Ptolomæo Lagi filio, omnes exinceps Ægypti reges. *Ptolomæos* nuncupari: & reginas omnes *Cleopatræ* vocabulo inſigniri. Vndè ex hoc loco tantùm euincitur, hanc epiſtolam *Phurim* à Ieroſolymis in Ægyptum delatam fuiſſe poſt tempora Alexandri Magni; ſub quo autem Rege, omninò incertum relinqui. Putat Sanctius hunc fuiſſe Ptolomæum eius nominis decimum, qui & Alexander cognominatus eſt. Pererius autem lib. 13. in Danielem, Tirinus, & Salianus putant fuiſſe Ptolomæum Philometorem, à morte Alexandri Magni ſextum Ægypti regem. De hoc enim refert Ioſephus lib. 2. contra Apionem, impensè Iudæis fauiſſe, feciſſéque Ægyptiæ militiæ duces Oniam & Doſithæum Iudæos. Verùm ex nominis duntaxat coniecturâ hoc iudicium ambiguè fertur. Quid enim prohibet alium fuiſſe Doſithæum qui militiam in Ægypto adminiſtrabat, ab hoc qui eiuſmodi epiſtolam in Ægyptum detulit? Vndè in re ambiguâ nil decernit Mariana, nil Gordonus, Menochius nihil. Annus autem quartus huius Ptolomæi Philometoris, cuius fortè hic mentio fit, incidit in ann. m. 3878. ſecundum Saliani chronologiam. Cùm autem Mardochæus ſcripſerit, hanc *epiſtolam Phurim*, ſeu librum Eſther, ann. m. 3581. quo exaltatus eſt, & *Phurim*, ſiue Sortium feſtum inſtituit; conſtat ferè poſt trecentos annos hanc Lyſimachi tranſlationem fuiſſe perlatam in Ægyptum.

*(In margine: Sanctius. — Pererius. Tirinus. Salian. ann. m. 3602. n. 13. — Ioſephus. — Mariana. Gordon. Menoch. — Salian. ſup.)*

Hanc epiſtolam Phurim, quam dixerunt interpretatum eſſe Lyſimachum.

2. *Sanctius.* Per hanc *epiſtolam Phurim* Sanctius putat intelligi epiſtolam aliquam, quâ eiuſmodi feſtum præcipiebatur, & cuius ſumma tantùm in libro Eſtheris habebatur: *Epiſtolam* autem illam hactenùs non inuentam, & Ieroſolymam perlatam? ab hoc autem Lyſimacho Ptolomæi filio tranſlatam fuiſſe ex idiomate Hebræo, Chaldæove in Græcam linguam. Veroſimiliùs videtur cum Saliano, Tirino, & Menochio, nomine *epiſtolæ Phurim*, intelligi totum hunc Eſtheris librum, qui ad Iudæos per modum epiſtolæ miſſus eſt. quod conſtare videtur ex illis verbis cap. 9. v. 20. *Scripſit itaque Mardochæus omnia hæc, & litteris comprehenſa miſit ad Iudæos, qui in omnibus Regis prouincijs morabantur.* Et infrà verſ. 26. *Cuncta quæ geſta ſunt, epiſtolæ, id eſt, libri huius volumine continentur.* Et verſ. 29. *Scripſeruntque Eſther regina filia Abihail, & Mardochæus Iudæus etiam ſecundam epiſtolam, vt omni ſtudio dies iſta ſollennis ſanciretur in poſterum.* quod reliquis tranſlationibus apprimè conſonat. Ecce tibi, tota Eſtheris hiſtoria, *epiſtola* nuncupatur. Notandum autem eſt, quòd tametſi aliquis Lyſimachus filius fuerit Ptolomæi, & nepos Doſithæi, indubium non eſt (vt notat Salianus) hunc Lyſimachum filium Ptolomæi, fuiſſe Hieroſolymitanum huius libri interpretem: forſan enim Ieroſolymis erat alius Lyſimachus alius Ptolomæi filius, à quo mutuata huius libri Græca tranſlatio, perlata eſt in Ægyptum. Valdè autem eſt veroſimilis coniectura Sanctij & Serarij, hunc Lyſimachum fuiſſe præfati Ptolomæi filium, & Doſithæi Leuitæ nepotem. Hæc enim nomina: etſi hominibus Iudæis peregrina forent in patrio ſolo, non tamen erant in Ægypto commorantibus. Nempe Ægyptijs, & Ægyptio Regi de nomine etiam Iudæi adulabantur, quo Regi imprimis benefico gratularentur, vt Sanctius adnotauit. Saltem in confeſſo omnibus eſt, hunc Lyſimachum Ptolomæi filium, filium non fuiſſe Ptolomæi regis, cum Ptolomæi regis filius putandus non ſit Ieroſolymis habitare.

*(In margine: Epiſtola Phurim, idem eſt, ac liber Eſther. — Salianus. Tirinus. Menoch. — Eſther. 9. v. 20. & 26. & 29. — Interpres Lyſimachus fuit Ptolomæi filius, & nepos Doſithæi. Salianus. — Sanctius. Serarius. — Sanctius.)*

P. Didac. Celada in Eſtherem.

3. *Vndè hic verſiculus 1. deſumptus ſit.* S. Hieronymus poſt excriptum hunc primum verſiculum, quem explicuimus, de eo ſubdit: *Hoc quoque principium erat in editione vulgatâ, quod neque in Hebræo, nec apud vllum fertur interpretum.* Ex quibus verbis efficaciter probari videtur, quòd apud Hieronymum, tranſlatio LXX. interpretum appellatur *editio vulgata*, nam apud LXX. interpretes hic verſiculus primus legitur, quod Hieronymus vocat *principium* huius capitis 11. Verùm cum LXX. interpretes decem tantum capita huius libri ſcribant, hunc verſiculum primum, ſeu *principium* huius capitis vndecimi, habent ad finem capitis 10. & peridoneè quidèm, tum ſeruato ordine temporum; tum etiam quia poſt hiſtoriam Eſtheris abſolutam, congruè ſubſcribitur illius interpres, Hieroſolymitanus Lyſimachus inquam. Ad ſacrum iam textum redeamus.

*Verſ.* 2. Anno ſecundo, regnante Artaxerxe maximo vidit ſomnium Mardochæus, &c.

4. Nempe vno anno ante exauctorationem reginæ Vaſthi, qui incidit in Aſſueri annum tertium. Quare Græci codices ab hoc Mardochæi ſomnio, temporum ordine ſeruato, hunc Eſtheris librum auſpicantur. Pleraque quæ in hoc 11. cap. continentur, ſuprà explicata ſunt. Idcircò ad ſua propria loca intendemus digitum, ne inculcatione ſuperuacuâ nauſeam Lectori moueamus. Aſſuerus hic, *Artaxerxes maximus* dicitur: *magnus* duntaxat apud LXX. interpretes. Hic fuit Artaxerxes Longimanus, vt multis ſuprà adſtruebamus §. 10. *Magnus* autem, ſiue *maximus* dicitur, vel ob cognatam regum Perſarum arrogantiam diuinitatis æmulam; vel ob Perſici imperij amplitudinem! vel ob recuperatas prouincias, quæ aduerſus Xerxem eius patrem malè à Græcis conciſum, rebellarunt. *Vidit ſomnium.*] De Somnijs nonnulla delibatim perſtringemus ad calcem expoſitionis totius capitis, num. 7. & 8. ne carptim nunc illa tradantur. *Filius Iairi, filij Semei, filij Cis, de tribu Beniamin.*] Hi maiores Mardochæi, qui hâc ſerie ſuprà cap. 2. verſ. 5. traduntur, inibi à nobis expoſiti ſunt §. 53. num. 6. Notandum tamen eſt, quod capitul. illo 2. dicitur, *de ſtirpe Iemini*, hîc autem, *de tribu*

*(In margine: LXX. interp. — Cur Aſſuerus appelletur magnus, aut maximus. — Eſther. 2.)*

*de tribu Beniamin.* quod perindè eſt, vt ibidem notabamus.

*Verſ.* 3. *&* 4. Homo Iudæus, qui habitabat in vrbe Suſis.

5. Quare Mardochæus, qui nuper dictus eſt *de tribu Beniamin*, appelletur *Iudæus*, diximus §. 53. n. 3. Quod autem non Babylone, (vt putauit Ioſephus) ſed Suſis habitauerit, adnotabamus §. 53. n. 4. *Vir magnus, & inter primos aulæ regiæ.*] Hoc dicitur per anticipationem, vt tradidimus ſuprà. Magnus enim, & aulæ regiæ primus anno duodecimo Aſſueri factus eſt; ſecundo autem Aſſueri anno hoc ſomnium Mardochæus vidit. Additur verſ. 4.

Ioſephus.

*Multa de Mardochæo ſuprà expoſita, ſummatim perſtringuntur.*

Erat autem de numero captiuorum, quos tranſtulerat Nabuchodonoſor rex Babylonis de Ieruſalem, cum Ieconiâ rege Iuda.

An verò Mardochæus tranſlatus ſit in ſe, an in maiorum lumbis, copioſè agebamus §. 10. n. 11 Parum autem refert, quod hîc rex ille Iuda dicatur *Ieconias*, & ſuprà cap. 2. v. 6. *Iechonias* nominetur.

Eſther. 2.

*Verſ.* 5. *&* 6. *&* 7. *&* 8. *&* 9. Et hoc eius ſomnium fuit: Apparuerunt voces &c.

6. Horriſonus fragor, & violenta elementorum concuſſio magnam innuit tempeſtatem, quâ bellum truculentum indicatur. Itaque in hoc ſpectro, quod dormienti Mardochæo obuerſatur, audire ſibi viſus eſt voces, & tumultus, & tonitrua, & terræmotus, & conturbationem. Hæc cùm auribus excepiſſe cogitaret, ecce oculis obuerſari videntur *duo dracones magni, paratique contra ſe in prælium.* quæ verba expoſita ſunt cap. 10. v. 7. Ad quorum clamorem numeroſæ vndecumque acies contra gentem innoxiam atrociter conuenerunt; iam iamque illi fatalis imminebat calamitas. Dicitur autem *ad quorum clamorem* concitatas eſſe nationes contra gentem iuſtorum, ideſt, contra Iudæos; non quia ad Mardochæi etiam clamorem, nationes aduerſus Iudæos concitatæ ſint: Sed quia vterque draco, Mardochæus ſcilicet & Aman, clamauerit, ad Amani autem *clamorem* id accidit, & intelligendum eſt iuxta diſtributionem accommodam. (vt aiunt) nempè vtrôque dracone, edicti regij voce, clamante, ad clamorem alterutrius draconis, Amani inquam, nationes contra Iudæos concitatæ ſunt. Typicum autem ænigma ſomnio apparens, rem obſcurè (vt par eſt) repræſentat. Tunc gens iuſtorum, Iudæi inquam:

*Verſ.* 10. & 11. Clamauerunt ad Deum: & illis vociferantibus, fons paruus creuit in fluuium, &c.

Hi duo verſiculi expoſiti ſunt cap. 10. verſ. 6. conſule §. n. Nam Eſtheris reginæ ope & draco Mardochæus Amanum draconem profligauit; & Iudæi captiuitate, & mortis pauore *humiles*, Amanitas opibus & potentiâ *inclytos*, ore gladij penitus deuorauerunt.

*Verſ.* 12. Quod cùm vidiſſet Mardochæus, & ſurrexiſſet de ſtrato, cogitabat quid Deus facere vellet, &c.

Hæc omnia per ſomnium vidiſſe fertur Mardochæus, non quia voces oculis viderit; ſed quia quod in ſomnio ſic apparet, viſio etiam nominatur: & quicquid etiam quolibet ſenſu percipitur, *videri* dicitur (de quo alibi vbertim,) Omnia ferè quæ de Somnijs ad Scripturæ ſacræ intelligentiam noſſe opus eſt, congeſſit & pluribus quæſtionibus digeſſit eruditè Pererius, in Danielis cap. 1. Conſulatur inibi. Dubium autem non eſt, hoc Mardochæi ſomnium fuiſſe ſupernaturale, cùm nulla interior cauſſa afferri poſſet ſymboli, ſeu ænigmatis, quod tam idoneè cum effectu mox ſecuto conformaretur. Et licèt quotidiana ſomnia paſſim phantaſiæ opere, plura hactenùs inuiſa notificent; quin & à Dæmonibus ex phantaſmatum commotione ſomnia immittantur; bonus ſomnij auctor Deus à ſomniante homine dignoſcitur ex quâdam animorum illuminatione atque commotione, quâ Deus ſic mentem illuſtrat, ſic voluntatem afficit, ſic hominem de fide & auctoritate eius ſomnij certiorem facit, vt Deum eſſe ipſius auctorem, ita perſpicuè agnoſcat, vt id ſine dubitatione vllâ credere, & velit, & debeat. vt tradit Pererius, & egregiè confirmat ex Gregorio lib. 4. Dialog. c. 48. & lib. 8. Moral. c. 13. Alioqui quo pacto poſſet diſcerni ſomnium à Dæmone immiſſum, quod aliquandò vero effectu comprobatur, vt de veritate ad mendacium pertrahat? Adhæc notat Serarius in cap. 1. q. 4. Deum in ſomnijs aliquandò ita clarè loqui, vt qui dormit, confeſtim percipiat quid Deus velit, ſicut Ioſeph Deiparæ ſponſus Matthæi 1. & 2. & Iudas 2. Machab. vltimo: aliquandò autem ita obſcurè, vt non ſtatim qui dormit intelligat, vt Ioſeph patriarcha Geneſ. 37. & 40. & 41. & Nabuchodonoſor Danielis 4. & Mardochæus in hoc Verſ. 12. de quo ſubditur: 7.

Perer. in Daniel.

*Vndè cognoſcet dormiens ſomnium à Deo immiſſum.*

Perer. ſup. q. 1.

S. Gregor.

Serarius.

Matt. 1. & 2. 2. Machab. vlt. Geneſis 39. & 40. & 41. Daniel. 4.

Et fixum habebat in animo ſcire cupiens quid ſignificaret ſomnium.

8. Ex ſomnijs tempore tentationis à Diabolo immiſſis Deo permittente, quæ à Diabolo eſſe prudentum iudicio facilè dignoſci poteſt; non licet coniecturam facere, cum prohibitum nobis ſit omne commercium cum Dæmone, iurato Dei hoſte, & hominum ruinæ ſemper inſidiante. Ex ſomnijs autem, quæ aut certò, aut prudenter creduntur à Deo, aut bono Angelo immiſſa, & rem aliquam obſcurè proponunt ſub alicuius ſymboli aut ænigmatis inuolucro; perſpicuum eſt licitum & congruum eſſe, diligenter inueſtigare quid Deus velit. Quod fecit nunc Mardochæus. LXX. interpretes ſic hunc locum excribunt: *Et excitatus Mardochæus, qui viderat ſomnium hoc, & quid Deus deliberauerat facere, habuit illud in corde, & in omni verbo volebat cognoſcere illud vſque ad noctem.* τὸ *vſque ad noctem*, non negat exinceps neglexiſſe quid mirifimum ſomnium portenderet; ſed *vſque ad noctem* ſolertiùs, impenſiùs, & obnixiùs procuraſſe intelligere quid nam Deus vellet eiuſmodi

*Somnij interpretationem benè quærit Mardochæus*

LXX. interp.

modi ænigmate per ſomnium oblato: indubium enim eſt nunquam rem tantam è memoriâ excidiſſe, ſemperque eius interpretationem exſomni mente indagaſſe; quouſque perſpicuus rei euentus clarauit ænigma. Refert Ioſephus Gorionides: *ab illâ Die* (ſomnij inquam) *& deinceps conſeruauit Mardochæus ſomnium iſtud in corde ſuo. Cumque Aman ei tam infeſtus eſſet, ait ad Eſther filiam patrui ſui: Impletur ſomnium, quod narraui tibi in diebus iuuentutis ſuæ.* Deus autem diuinitùs hoc ſomnium Mardochæo immiſit, ne in atrociori perſecutione, quâ in ipſum, reliquoſque Iudæos ferociuit Aman, animo caderet, ſed potiùs bonis ſpebus meliora conciperet. Et vt Mardochæus, & ex illo reliqui Iudæi, cognoſcerent, id peculiari Dei prouidentiâ eueniſſe, vt Carthuſianus adnotauit. Et ſanè crediderim, Mardochæum ſomnij non immemorem, ſcripſiſſe ad ſuam Eſtherem cunctantem alloqui Regem: *Et quis nouit vtrùm idcircò ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris?* Nimirùm *Draconum* pugnam videbat; ſperabat autem ſi fortè fons ille paruus qui in magnum fluuium excreuerat, & ex faculâ exiguâ velut Sol in Perſico ſolio ſplendebat, ſuo fotu recrearet ſuos, & micantibus fulgorum radijs contra aduerſarios dimicaret. Cùm autem ex ſecuto poſtmodùm euentu Mardochæus ſomnij interpretationem hauſerit, *Idcirco* (ait Carthuſianus) *non fuit Propheta ex viſione huiuſmodi, quia intelligentiâ eſt opus in viſione.*

Ioſeph. Gorion.

*Mardochæus ſomnium cum Eſthere iuuenculâ communicat.*

Carthuſ.

Eſther. 4. v. 14.

*An Mardochæus fuerit propheta?*

Carthuſ. in cap. 10.

Hoc cap. 11. & etiam cap. 12. & 13. moralibus Paragraphis viduamus, ne cogamur eadem ſæpiùs inculcare: Siquidèm continent hiſtoriam ſuprà ſcriptam, & ſuis locis elucidatam; aut infrà vberiùs tradendam pleniori ethicè calamo.

---

## §. CCLI.

### *Siquid ethicum in hoc capite tranſparet, perſtrictim denotatur.*

*Verſ.* 1. Attulerunt Doſitheus ..... & Ptolomæus filius eius, hanc epiſtolam Phurim.

1. IN huius verſiculi litterali commentario, ex Interpretum communi ſententiâ, *τὸ epiſtolam Phurim*, intelleximus Eſtheris librum. Et ſanè attentiore animaduerſione digniſſimum eſt, quòd non tantùm dies feſtus ſollenniter inſtitutus, pro Amani, & Amanitarum glorioſâ cæde, & Iudæorum victrice incolumitate, appelletur *dies Phurim*, ſiue *ſortium*; ſed etiam liber ſeu volumen Eſtheris titulum ſiue elogium mutuetur à *ſortibus*, quas immitis Aman in vrnam miſit, quâ die Iudæi omnes funditùs delendi erant. Ab ærumnoſa calamitate, citiùs quàm à lætâ victoriâ fauſtum tituli elogium hic liber fœneratur? Huius feſti, & libri titulus ab atroci calamitate, & ſæuis Amani *ſortibus* nomen accipiet? Ineluctabilis calamitas erit huius libri vox, quæ totam eius hiſtoriam claret, & compendio notificet? ô beatas ac felices Iuſtorum calamitates!

Auctor. §. præcedenti, n. 2.

*A calamitate ſortium Amani, hic liber Libri titulum habet.*

*P. Didac. Celada in Eſtherem.*

An à præuiâ calamitate felicior proſperitas fortunatur? Sic præambula humanitùs infelicitas, ſecutæ felicitatis gratiæ adulatur?

*Verſ.* 2. Regnante Artaxerxe maximo.

Benè notat Mariana, quòd LXX. interpretes pro *maximo* habent *magno τῦ μεγάλν*. Nimirùm hic Aſſuerus qui Artaxerxes, ingenio inconſtans, iners, facilis, deſes, mulieroſus, tributis ſubditos pergrauans, præ cunctis Perſarum Monarchis, qui imperium condiderunt, & glorioſè amplificarunt; *maximus*, ſiuè *magnus* appellari exambit, vt quod ciuili ac militari gloriæ deeſt, ſuppleat de nomine. Fruſtrà tamen; res enim eſt nominis ſubſiſtentia. Quid tam ridicularium, quàm rebus ignauè tacentibus, ſuperbiloquentiam vocabulorum arroganter venditate? Eſto tui nominis vir, & magni nominis auctor, aut ſaltem tutor. 2.

Mariana LXX. interp.

*Aſſuerus fruſtrà Magnus appellari exambit.*

*Verſ.* 2. Mardochæus filius Iairi, filij Semeï, filij Cis.

Hic *Cis* Beniaminita, communiter putatur ille 3.
Cis Saülis regis pater; & indè magno conſenſu Mardochæus è regiâ ſtirpe, & regali ſtemmate inclytus cenſetur: etſi nemo Interpretum ambiget, quod plures attentè notant, in vniuerſâ tribu Beniamin forſan fuiſſe non paucos viros hoc nomine *Cis* inſignitos. Verùm in re genealogiæ dextram in partem ſtrenua ſuſpicio eſt. Cur per te erit imbonus, qui forſan in ſe bonus eſt, nec malus deprehenditur?

*In re genealogia, dextram in partem ſtrenua ſuſpicio eſt.*

*Verſ.* 3. Vir magnus (Mardochæus) & inter primos aulæ regiæ.

Benè notat Mariana, quòd in Græcis codici- 4.
bus hic habetur: *Miniſtrans in aulâ Regis.* & cap. 2. v. 19. *Mardochæus manebat ad ianuam Regis*, Græcè, *ſeruiebat in aulâ.* Et addit ex Herodoto, & Xenophonte, *Adoleſcentes ad ianuam palatij regij etiam admiſſos, vt omnem morum honeſtatem docerentur ab illis qui illic verſabantur, eorumque exemplo ad virtutem excitarentur, ſicque viam ad honores pararent.* Hem, apud Gentiles & barbaros reges, vel *palatij ianua*, ſchola probitatis eſt, & morum gymnaſium? ô de Ethnicorum exemplo, caueant Chriſtiani Principes, ne aliquandò eorum palatia ſint vitiorum theatrum, & morum conſtuprandorum nobilis officina! Palatini olim de occurſu ſuo vitia ſuffundunt, & ad informandam probè iuuentutem probitates afflant: & qui illis diu aſſiduus fuerat, de arcano quodam morum affrictu, viam ad honores paraſſe cenſebatur.

Mariana Græci codices.

Herodot. l. 3.

Xenoph. l. 1. Anabaſeos.

*Olim palatij ianua erat morum officina, & eruditio ad dignitates obeundas.*

*Verſ.* 6. Et ecce duo dracones magni, paratique contra ſe ad prælium.

Vatablus ſic locum hunc excribit: *Ecce duo* 5.
*dracones immanes.* Benè eſt, Aman, *draco* ſit, & quidèm *immanis*, ad innocentium ſanguinem immaniter hians: at Mardochæus pietate ac innocentiâ illuſtris, etſi *draco* dicatur, quo pacto *draco immanis* dici poteſt? Conſule dicta §. 233. n. 10. vbi quare dicatur *draco* ethicè ventilatur. Forſan non abſimilis cauſſa vtrobique elucet, tametſi hìc exaggeratior.

Vatablus.

*Quare Mardochæus dicitur, immanis draco.*

*Verſ.* 7. Ad quorum clamorem cunctæ concitatæ ſunt nationes, vt pugnarent contra gentem iuſtorum.

6. Profectò ad Amani, Draconis atrociſſimi inſanum *clamorem*, mirum non erat quòd vniuerſæ concitarentur nationes, vt pugnarent contra gentem iuſtorum, aduerſus Iudæos, inquam, qui erat Dei populus: nam ferali illo edicto nationes ad Iudæorum paſſim ſtrages, velut *clamore* valido concitauerat. At Mardochæus, qui tanquam Draco clamans inducitur, quomodò proprio *clamore* nationes concitat, vt pugnent contra gentem iuſtorum, ſcilicet contra Iudæos? Sanè piiſſimus Mardochæus pro Iudæis ſtat, & contra inſultantes Iudæis nationes ſtrenuè præliatur; quo igitur pacto verè dici poteſt, *Ad quorum clamorem cuncta concitata ſunt nationes, vt pugnarent contra gentem iuſtorum*? Nimirùm Draco Aman exorto illo aduerſus Iudæos impio & atroci edicto, velut quodam *clamore nationes concitat, contra gentem iuſtorum*, Iudæos inquam. Mardochæus etiam Draconum alter, dum ad ſumendam de Amanitis acerbiorem vindictam, ſeueriſſimum aliud decretum de tot ſtragibus paſſim edendis, impetrat, publicat, exequitur; tanquam valido etiam *clamore nationes concitat contra gentem iuſtorum*, nimis forſan odioſos nationibus Iudæos reddens, qui tam acerbè iniurias exequuntur. (Tantæ ne animis cœleſtibus iræ?) Quid ni Mardochæi Familiaris regij reuerentia Gentes teneret, indè *concitatæ*, contra Iudæos forſan inſaniùs debaccharentur. Benignitas erga inimicos, amicos parit; acerbitas autem licet iuſta, inimicos creat, & bilem aduerſus vltrices ſeuctiùs mentes, acerbè concitat. Euangelij laus eſt ad pietatis redundantiam, vt benignitas erga inimicos etiam exuberet,

*Quomodo Mardochæus etiam nationes concitet contra Iudæos?*

*Vltio etiam iuſta, nimis inuidioſa eſt.*

*Verſ.* 7. Ad quorum clamorem cunctæ concitatæ ſunt nationes, vt pugnarent contra gentem iuſtorum.

7. Quid eſt, quòd *cuncta nationes concitata* dicuntur, vt pugnarent contra Iudæos? An omnes centum viginti ſeptem nationes Aſſuero ſubiectæ, aduerſus gentem iuſtorum hoſtiliter armantur? An Amanitæ, ſeu Amani nuper regij Priuati fautores, ſunt *cuncta nationes*? Sic regia intimè Familiaritas, aut metu, aut ambitione fautores propagat? Putauerim, pauculos inimicos ſic contumeliis, detractionibus, & crebris dehoneſtamentis de ſuo cerebro architectatis, fœcundiſſimè alios ſecum inimicos propagare, vt niſi contagium quamtocyùs ſiſteretur, Amanitæ duntaxat *nationes cunctas* Iudæis infenſiſſimas facerent. O quàm latè ſerpit hoſtilitas, in his, qui inimicorum ſermones ad aurium margines non excolant! Soli Amanitæ, ſeu Amani fautores, *cuncta nationes* dicuntur.

*Pauculi inimici multos quamocisſimè faciunt.*

*Verſ.* 10. Clamaueruntque ad Deum: & illis vociferantibus, fons paruus creuit in fluuium maximum.

8. Nimirum nimis afflictata ob ſæuum Amani edictum, ad Deum clamauit Hebræa gens: *Clamorem ad Deum ſuſtulit* (excribit Vatablus) *præ quo clamore ingens velut è paruo fonte fluuius, & magna vis aquarum promanauit, & lux & Sol effulſit.* Et ſanè vt conſtat ex cap. 10. v. 6. Eſther eſt paruus fons, qui in magnum fluuium excreuit, cùm è domo Mardochæi, paruula, ophana & captiua, ad regnum aſſumpta eſt; & exigua nuper facula, ſplenduit velut Perſicus Sol, Vndè tanta, tamque inopinata Eſtheris ad regium ſceptrum felicitas? Nempe calamitoſus populus *clamorem ad Deum ſuſtulit, præ quo clamore ingens velut è paruo fonte fluuius: lux & Sol effulſit.* O bonum! præ miſerorum clamore opem poſtulantium, Eſther inauguratur regina? Clamoribus miſerorum regnum debet Eſther? Viderit myſticorum ſenſuum ſcrutator ſi hoc elogium quadret in Deiparam, Eſtheris antitypum, & quid miſerandis peccatorum clamoribus debeat.

Vatablus.

Eſther. 10.

*Præ miſerorum clamoribus Eſther inauguratur regina.*

*Quid debeat Deipara miſerorum clamoribus.*

*Verſ.* 11 Lux & Sol ortus eſt.

Quæ typica verba reginam Eſtherem adumbrare, conſtat ex Commentatorum conſenſu, ipſo interprete Mardochæo, qui cap. præcedente ſic rem ediſſerit: *Paruus fons qui creuit in fluuium, & in lucem ſolémque conuerſus eſt.... Eſther eſt*, &c. Verùm Dionyſius Carthuſianus præſcripta Eſtheris elogia Mardochæo his verbis ſingulariter adſcribit: *lux & Sol ortus eſt*, inquit, *Quod & de Mardochæi eleuatione poteſt intelligi, quo exeunte de Regis conſpectu cum regijs veſtibus, coronâque aureâ, viſa eſt Iudæis lux noua oriri.* Nimirùm benè & optimè hoc indubium elogium Eſtheris, quæ Virginem Deiparam adumbrat) myſticè adaptatur Mardochæo, qui apud Interpretes Chriſtum præfigurat. quaſi Chriſtus Deus, & filius Deiparæ, eius elogiis tanquam propriis ornamentis venuſtetur, adornetur, nobilitetur. Euge virgo Deipara, quæ tuis encomiis Chriſtum Deum adornaſti. Tibi, tibi inquam, gratulor, quòd tua ornamenta ſic æſtimet Chriſtus Deus, vt illis tanquam propriis adornari gratanter ſtudeat.

9. Eſther. 10. v. 6.

Carthuſ. ibi.

*Num Deiparæ elogijs adornetur Chriſtus?*

*Verſ.* 11. Humiles exaltati ſunt, & deuorauerunt inclytos.

Quæ verba ſic excribit, & exponit Vatablus: *Superbos abſorbuerunt.* Vide nunc mihi pauperculorum, humilium, & inualidorum potentiam, quæ non modò Potentes, inclytos, & opulentos exarmat; ſed eos velut eſcatilem prædam *deuorat*, & aperto rictu dentibus mandit. Quin & (vt expromptior innuatur felicitas) eos velut potum *abſorbet.* Eſca & potus, & inopinata *Humilium* & inualidorum annona potentes, *Inclyti*, & *Superbi* ſunt: eiſque tanquam cognatis dapibus inualidi aluntur, ſuſtentantur, adipantur, & in propriam ſubſtantiam mirabili metamorphoſi conuertunt.

10. Vatab. ibi.

*Humiles deuorant, & abſorbent inclytos.*

SYNOPSIS

# SYNOPSIS CAP. XII.

*Mardochæo ad palatij ianuam commorante, Bagatha & Thara, eunuchi Regis, & regiæ ianitores, clancularias inſidias regi Aſſuero parare moliebantur: quod conuictorem Mardochæum minimè latuit. Qui rem totam improuiſo Regi denunciandam curauit. Rex autem quæſtione priùs ritè habitâ, eunuchos inſidum ſcelus confeſſos, in crucem agi, & eorum facultates præſcribi iuſſit: Mardochæus autem pro fidâ inſigniter delatione, & regijs muneribus auctus eſt, & ad Regis ianuam commorari iuſſus. Tunc Aman regiâ familiaritate inclytus, ob eunuchorum ſuſpendium, aliquid hoſtile contra Mardochæum, ac Mardochæi populum meditari cœpit. In hoc cap.12. fuſiùs traditur, quod cap.2. verſ.21. deſcriptum fuit..*

## CAPVT XII.

1. MORABATVR autem eo tempore in aulâ Regis, cum Bagatha
& Tharâ eunuchis Regis, qui ianitores erant palatij. 2. Cum-
que intellexiſſet cogitationes eorum, & curas diligentiùs perui-
diſſet, didicit quòd conarentur in regem Artaxerxem manus
mittere; & nunciauit ſuper eo Regi. 3. Qui de vtroque habi-
ta quæſtione, confeſſos iuſſit duci ad mortem. 4. Rex autem quod geſtum erat,
ſcripſit in commentariis:ſed & Mardochæus rei memoriam literis tradidit. 5. Præ-
cepitque ei rex, vt in aula palatij moraretur, datis ei pro delatione muneribus.
6. Aman verò filius Amadathi Bugæus, erat glorioſiſſimus coram rege, & voluit
nocere Mardochæo, & populo eius, pro duobus eunuchis regis qui fuerant in-
terfecti.

*Huc vſque proœmium.*

*Quæ ſequuntur, in eo loco poſita erant, vbi ſcriptum eſt in volumine,*

Et diripuerunt bona, vel ſubſtantias eorum.

*Quæ in ſola vulgata editione reperimus.*

Epiſtolæ autem hoc exemplar fuit.

---

## §. CCLII.

### *Commentarius Litteralis.*

*Verſ.* 1: Morabatur autem eo tempore in aulâ Regis, cum Bagatha, &c.

1. IN Græcis codicibus, vndè iſtiuſmodi Verſiculi de eunuchorum inſidiis deſcripti ſunt, & habentur cap. 1. poſt commemoratum Mardochæi ſomnium; non ſcribitur *τὸ eo tempore*, & meritò: nam eunuchorum inſidiæ non contigerunt *eo tempore*, quo vidit ſomnium Mardochæus Porrò Mardochæi ſomnium accidit ſecundo anno Aſſueri, vt habetur hîc cap. 1.v. 1. apud LXX. interpretes; inſidiæ autem eunuchorum contigerunt Eſthere iam regnante, vt conſtat ex cap. 2. verſ. 22. Eſther verò aſſumpta eſt ad regnum anno Aſſueri, ſeptimo, apud Vulgatum menſe decimo, apud Ioſephum autem menſe duodecimo. Vndè Eſther coronata fuit ſub initium anni octaui regis Aſſueri; ante quod tempus huiuſmodi eunuchorum inſidię non potuerunt contingere: forſan tardiùs contigerunt: nam hoc etiam anno octauo Aſſueri, & totis quattuor exinceps annis vſque ad ſuam exaltationem Mardochæus ad palatij ianuam commoratus eſt. Cùm ergò hîc dicitur *Morabatur* (Mardochæus inquam) *autem eo tempore*; ſic eſt intelligendum, quòd cum hæ eunuchorum inſidię contigerunt, iam tunc Mardochæus ad regij palatij ianuam morabatur. Pro *τὸ morabatur*, LXX. interpretes habent, *quieuit*. Notat autem Mariana quòd Græcum verbum *ἡσύχασε quieuit*, reſpondet Hebræo ישב *ioſeb, ſedebat*. quod perinde eſt. An verò tunc Mardochæus cùm in Regis aulâ *morari,*

*Quo tempore eunuchorum inſidiæ acciderint.*

Eſther. 2. v. 22. & 16.

Mariana.

*rari*, vel ad ianuam *ſedere* perhibetur, regio funhgeretur munere in Aſſueri palatio, diximus alibi. *Cum Bagathâ & Tharà*]. Hi eunuchi ſuprà cap. 2. v. 21. appellantur *Bagathan* & *Thares* in Ioſepho Gorion. *Bigathan*, & *Theres*; in Ioſepho Flauio, *Bagathou*, & *Theodeſtes*; in LXX. *Gabatha* & *Tharra* Additur *Ianitores palatij*, de quo munere dictum eſt ſuprà.

*Ioſephus vterque. LXX. interp.*

### *Verſ.* 2. *&* 3. Cumque intellexiſſet cogitationes eorum, &c.

2\. *LXX. interp. Rabbi Salom. Chal. Thar.*

Hi verſiculi expoſiti ſunt ad cap. 2. v. 22. §. 56. n. 10. & 11. Pro τὸ *cogitationes*. LXX. interpretes habent, *ſermocinationes*. nempè ex *ſermocinationibus* Mardochæus *cogitationes* intellexit. Eunuchorum inſidiæ eò tendebant, vt in regem Artaxerxem *manus mitterent*. quod vim illi violentam inferre, potiùs quàm *venenum propinare* ſonat, vt malè exiſtimauit Rabbi Salomon ſecutus Chaldæum Thargum. Has eunuchorum inſidias, Regi denunciauit Mardochæus, non per ſe, ſed per ſuam Eſtherem iam reginam, vt habetur cap. 2. v. 22. De inſidiarum cauſsâ, & ſupplicij genere, diximus in illo §. 56. n. 10. & 11. Pro τὸ *Confeſſos iuſſit duci ad mortem*, LXX. interpretes habent, *Confeſſi ſtrangulati ſunt*.

*LXX. interp.*

### *Verſ.* 4. *&* 5. Rex autem quod geſtum erat, ſcripſit in commentariis.

3\. *An eunuchorum inſidia à Mardochao in annalibus deſcripta?*

De his annalibus, ſeu diariis, quos hîc *commentarios* vocat, diximus ſuprà in illo §. 162. n. 1. Innuitur etiam hîc, quòd Mardochæus quoque rem eamdem ſcripſerit? Niſi fortè id Mardochæus in regiis annalibus ſeu commentariis deſcripſerit, aut potiùs ſcribenda dictauerit, vt potè rei geſtæ ſcius & auctor. Nam licet Mardochæus non fuerit regius Grammatiſta ſcribendis annalibus deputatus; veroſimile tamen eſt eo referente, aut dictante hanc eunuchorum narrationem fuiſſe deſcriptam, quippe qui cunctorum auritus & oculatus teſtis fuerat, & fidus coniurationis ſequeſter. Quod autem additur verſ. 5. *Præcepitque ei Rex vt in aulâ palatij moraretur, datis ei pro delatione muneribus*, per anticipationem intelligenda ſunt, iuxta ſuprà dicta.

### *Verſ.* 6. Aman verò .... Bugæus.

4\. *Cornelius. Tirinus.*

*Cur Agagæus Aman appelletur Bugæus.*

Aman hîc à Græcis codicibus *Bugæus* dicitur; capite autem 3. v. 1. in Hebræo & Latino textu *Agagæus*, hoc eſt, de ſtirpe Agag, nominatur. Rationem reddunt Cornelius, & Tirinus: nam Græci ſubindè vſurpant *beth* pro *gamma*, teſte S. Hieronymo de locis Hebraicis. Et cauſſa cur ita hîc fecerint, forſan eſt, quòd vellent adludere ad mores ſuperbos Amanis: nam *Bugæus* ſignificat *magnum iactatorem*. Dicitur autem Aman *Glorioſiſſimus coram Rege*, non quòd iam tunc exaltatus eſſet; ſed per prolepſim. Quaſi dicat: Aman ille, qui regiâ familiaritate *glorioſiſſimus* fuit; ob detectas eunuchorum inſidias, *voluit nocere Mardochæo*. Hæc noua cauſſa denuò additur traditæ cap. 3. v. 5. & 6. & de eâ egimus ad cap. 2. v. 21.

*Eſther. 3.*

5\. Addit Hieronymus poſt præſcripta verba: *Hucuſque proœmium*. nam quæ ſuprà ſcripta ſunt cap. 10. à verſ. 4. & cap. 11. & hucuſque in oe cap. 12. in Græco textu, vndè deprompta, ſunt, inueniuntur præpoſita capiti, à quo in Hebræo textu Eſtheris ac Mardochæi ducitur hiſtoria. Epiſtola autem Aſſueri, quæ ſequenti cap. ſubſcribitur, nunc apud LXX. interpretes habetur cap. 3. poſt verſ. 13.

---

## §. CCLIII.

### *E perbreui capitulo obſeruatiunculæ ad mores.*

### *Verſ.* 1. Morabatur autem eo tempore in aula Regis.

Eruditè notat Mariana, quòd τὸ *morabatur in aulâ Regis*, perindè eſt Hebraicè ac *ſedebat*, Mardochæus inquam ad palatii ianuam, vt ſuprà perſæpè inculcatur. LXX. interpretes ſic locum excribunt: *Et quieuit Mardochæus in aulâ*. Profectò inter res præclarè à Mardochæo geſtas cenſendum eſt, quòd in Regis aulâ *quieuerit*. Miriſſimum ſanè eſt, aliquem palatinum *in aulâ quieſcere*, nec ambitionis negotioſæ irrequieto motu aut ſublimem moliri aſcenſum, aut præcipitem è faſtigio ruinam. Inuiſum præclarè facinus eſt, & Mardochæo dignum, *in aulâ Regis quieſcere*. Nec miror in aulâ Regis *quieſcere*, qui diu ad palatii ianuam *ſedebat*, indifferenti ad introitum, vel ad exitum ſtudio. Sanè qui ſic *moratur* in Regis aulâ vt æquè illi expromptus ſit introitus ac exitus, ille, ille inquam, *in aulâ Regis quieſcere* perhibetur. O bonam aulicis eruditionem? Profectò ille dignus eſt, qui diutiùs *moretur* in aulâ Regis, qui ſic in ea ambitioſus *quieſcit*, vt ad ianuam *ſedeat*, exire etiam paratus.

1\. *Mariana. LXX. interp. cap. 1. Cur qui ad palatij ianuam ſedet, in aulâ quieſcere dicitur.*

### *Verſ.* 2. Cumque intellexiſſet cogitationes eorum, &c.

LXX. interpretes ſic locum efferunt: Mardochæus *audiuit eorum ſermocinationes, & curas eorum perſcrutatus eſt: & didicit quia parant manus inferre Artaxerxi Regi, & indicauit Regi de his*. Vatablus; *Audiuit conſilia eorum, curas explorauit, & intellexit*, &c. Carthuſianus autem refert ex Ioſepho, *quòd ſeruus vnius eunuchorum illorum, natione Iudæus, reuelauit id Mardochæo, cui ille non credens, cautè perſonaliter conſiderauit, & obſeruauit conatus eorum*. Vide hîc quàm prudenter & cautè in hâc delatione ſe geſſerit Mardochæus. Audierat id à quodam Hebræo eunuchorum conuictore: aures illi non adſenſum præbuit, & ad delationem ritè faciendam, ſic rem priùs ſolleter examinauit, vt Vulgatus ad exemplarem delationum modum dixerit: *Cumque intellexiſſet cogitationes (aliàs ſermocinationes) eorum, & curas diligentiùs peruidiſſet* Parùm fuit, vt delatio à Mardochæo fieret, id audiſſe à quopiam Iudæo eunuchorum ſeruo, niſi poſtea obauditum crimen *exploraſſet, & perſcrutatus* eſſet; imò & *diligentiùs peruidiſſet*. quæ eſt exploratæ veritatis meta, & indubiæ certitudinis hyperbole. O ſi

2\. *LXX. interp. Vatablus. Carthuſ. Ioſeph. l. 11. Antiq. c. 6. Res deferenda priùs exploranda, & diligentiùs peruidenda eſt.*

ſi priùs delator rem deferendam exploraſſet, & *diligentiùs peruidiſſet!*

*Verſ.* 5. Præcepitque ei Rex vt in aulâ palatij moraretur

3. An non Mardochæus cùm eunuchorum inſidias detulit Regi, *in Regis aulâ morabatur?* Ita quidèm diſſertè traditur in hoc cap. 12. v. 1. (Imò quia in Regis aulâ morabatur, ſcire potuit, & penitiùs explorare, quid ianitores eunuchi aduerſus Regem molirentur) ergò Mardochæo in præmium fidæ delationis à Rege datur, quod ante delationis meritum præhabebat? An ne vllus exinceps per delationum ſcalas ad honores aſcendere præſumat? Vel delatori veridico ſatis ſit, fideli etiam delatione tetrò non agi, ne ſic ſublimiùs promoueri ſtudeat? An quòd Anteà habebat, à Rege accipit Mardochæus, vt innuatur ſub iniquo Rege ſubditos non habere quod habent, ſed quod à Rege accipiunt? An poſt fideliſſimum obſequium non promouetur Mardochæus ad præcelſius munus, ſed qui fideliter & proficuè *moratur in Regis aulâ*, in eâ adhuc *morari* iubetur, nec ſublimiùs promouetur ad præcelſius munus, ne deſit muneri, quòd præclarè obibat. Heu quoties quorum merita promotionem ad ampliora munera exigunt, in exiguis, quæ bene geſſerunt, diutiùs detinentur, ne illis deſint! Indè Mardochæus, qui ad palatij ianuam fidelis & proficuus fuit, inibi adhuc commorari iubetur, ne ſollers Mardochæi opera deſit palatij portæ, & Regis limini. *Porque hace bien el officio, y hara falta en el, no le promueuen.* Non bonâ, opinor, tegiminis politiâ.

*Præmiatur Mardochæus munere, quod præhabebat.*

*Verſ.* 6. Aman verò .... erat glorioſiſſimus coram Rege, & voluit nocere Mardochæo pro duobus eunuchis Regis.

Adnotare hîc ethicè licet cauſſam quare Aman coram Rege glorioſiſſimus, voluerit nocere Mardochæo: *Quia videlicet* (ait inibi Dionyſius Richel) *Aman agrè tulit, quòd Mardochæus accuſauit eunuchos Regi, qui erant amici Aman, atque (vt aliqui opinantur) cupiebant promotionem ipſius Aman in regem.* O inertem quorundam Principum deſidiam! Qui clanculùm Regis ſceptro & vitæ inſidiatur, ille *glorioſiſſimus coram Rege eſt?* 4.

Dionyſ. ibi. *Qui Regi inſidiatur, ille glorioſiſſimus coram Rege eſt?*

# SYNOPSIS CAP. XIII.

*Exemplar epiſtolæ, ſeu edicti regij, Regis nomine, & regio annulo obſignati, quod miſit Aman ad omnes principes & præſides prouinciarum ſuper cæde Iudæorum; qui tamen in edicto minimè nominantur, Amani autem fidei committitur perimendum populum præſidibus adſignare. Huius epiſtolæ exemplar inſeri deberet cap. 3. poſt verſ. 13. Altera capituli pars proponit Mardochæi orationem, quæ poſt cap. 4. ponenda foret. In eâ primùm Dei potentiam eximiè commendat: dein à ſe excutit ſuperbiæ crimen, docétque ideò Amani adorationem recuſaſſe, ne homini diuinum honorem exhiberet. Denique obnixiùs Deum orat, vt Iudæorum populum ſeruet, quem ſibi ex omnibus vnum ſelegit.*

## CAPVT XIII.

1. REx maximus Artaxerxes ab India vſque Æthiopiam, centum viginti ſeptem prouinciarum principibus & ducibus, qui eius Imperio ſubiecti ſunt, ſalutem. 2. Cùm plurimis gentibus imperarem, & vniuerſum orbem meæ ditioni ſubiugaſſem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, ſed clementia & lenitate gubernare ſubiectos, vt abſque vllo terrore vitam ſilentio tranſigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur. 3. Quærente autem me à conſiliariis meis, quomodo poſſet hoc impleri, vnus, qui ſapientia & fide cæteros præcellebat, & erat poſt regem ſecundus, Aman nomine, 4. indicauit mihi in toto orbe terrarum populum eſſe diſperſum, qui nouis vteretur legibus, & contra omnium Gentium conſuetudinem faciens, Regum iuſſa contemneret, & vniuerſarum concordiam nationum ſua diſſenſione violaret. 5. Quod cùm didiciſſemus, videntes vnam gentem rebellem aduerſus omne hominum genus peruerſis vti legibus, noſtriſque iuſſionibus contraire, & turbare ſubiectarum nobis prouinciarum pacem atque concordiam. 6. Iuſſimus, vt quoſcumque Aman, qui omnibus prouinciis præpoſitus

præpoſitus eſt, & ſecundus à rege, & quem patris loco colimus, monſtrauerit, cum coniugibus ac liberis deleantur ab inimicis ſuis, nullúſque eorum miſereatur, quartadecima die duodecimi menſis Adar anni præſentis. 7. Vt nefarij homines vno die ad inferos deſcendentes, reddant imperio noſtro pacem, quam turbauerant.

*Hucuſque exemplar epiſtolæ.*

*Quæ ſequuntur, poſt eum locum ſcripta reperi, vbi legitur.*

Pergénſque Mardochæus, fecit omnia quæ ei mandáuerat Eſther.

*Nec tamen habentur in Hebraico, & apud nullum penitus feruntur interpretum.*

8. Mardochæus autem deprecatus eſt Dominum, memor omnium operum eius.
9. Et dixit: Domine Dómine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta ſunt
poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare Iſraël. 10.
Tu feciſti cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur. 11. Dominus
omnium es, nec eſt qui reſiſtat maieſtati tuæ. 12. Cuncta noſti, & ſcis, quia non
pro ſuperbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman ſuperbiſſimum. 13. ( Libenter enim pro ſalute Iſraël etiam veſtigia pedum eius deoſculari paratus eſſem, ) 14. Sed timui ne honorem Dei mei
transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo. 15. Et
nunc Domine rex Deus Abraham, miſerere populi tui, quia volunt nos inimici
noſtri perdere, & hæreditatem tuam delere. 16. Ne deſpicias partem tuam,
quam redemiſti tibi de Ægypto. 17. Exaudi deprecationem meam, & propitius
eſto ſorti & funiculo tuo, & conuerte luctum noſtrum in gaudium, vt viuentes
laudemus nomen tuum Domine, & ne claudas ora te canentium. 18. Omnis quoque Iſraël pari mente & obſecratione clamauit ad Dominum, eo quòd eis certa mors impenderet.

## §. CCLIV.

### *Commentarius litteralis.*

#### *Verſ.* 1. & 2. Rex maximus.

1. SEptuaginta interpretes, *magnus*, ſicut cap. 11. v. 2. *Artaxerxes*, qui & Aſſuerus. An idem ſit nomen Xerxes & Aſſuerus ſuprà §. 10. perſtrinximus. De hâc Regum inſcriptione, *Magni*, aut *Maximi*, conſulatur Pineda lib. 5. de rebus Salomonis, cap. 1. n. 3. quâ de re inibi copioſè agit. *Ab Indiâ vſque ad Æthiopiam, centum viginti ſeptem prouinciarum principibus.* Non morabor Ioſephum, qui centum triginta duos Satrapas habet, quem non modò ex Vulgato, ſed ex LXX. interpretum translatione corrigere, pronum eſt. Quænam fuerint hæ centum viginti ſeptem prouinciæ Aſſuero ſubiectæ, decernere, & ad præſcriptum numerum adaptare, nimis operoſum foret; referam cum Feuardentio ex Q. Curtio lib. 3. & 4. quorundam populorum nomina, qui in Darij caſtris aduerſus Alexandrum dimicaturi merebant. Meminit autem Curtius Medorum, Perſarum, Bactrianorum, Armenorum, Hyrcanorum, Deruicum, Caſpiorum, Aſianorum, Arachoſiorum, Sogdianorum, Indorum, Mardorum, Belliratum, Coſſæorum, Gortuorum, Phrygum, Cataonarum, Parthorum, Schytarum, Caduſiorum, Cappadocum, Syrorum, Rubri maris accolarum, Arabum, Græcorum, &c. Copias Xerxis (qui fuit Aſſueri pater,) enumerans Herodotus lib. 3. & 7. ſuperioribus connumerat Colchos, Caſſios, Aſſyrios, Chaldæos, Sacos, Choraſmios, Gandarios, Dadicos, Sarangas, Pactyas, Vtios, Mycios, Paricanios, Æthiopes, Pœnos, Paphlagones, Lygyes, Matienos, Mariandinos, Bryges, Lydios, Myſios, Thraces, Strymonios, Teucros, Cabelees, Mæones, Mylios, Moſchos, Tibarenos, Macrones, Moſynœcos, Mares, Alarodios, Saſpires. In nauali autem militiâ refert Phœnices, Cyprios, Cilices, Pamphylios, Lycios, Dores, Cares, Iones, Aeoles, Helleſpontios, Abydenos, Ponticos, Sidonios. Hæ autem omnes prouinciæ ſexaginta quinque numerum conflant, & modicè prouinciarum Aſſuero ſubiectarum medietatem excedunt. Nec putauerim indubium omnes haſce regiones Aſſuero ſubiectas fuiſſe, cùm nationes conductitiæ adſciri potuerint, alteri Principi ſubiectæ, vel ad Reipublicæ politiam redactæ. Hinc autem coniectare licet, quòd Artaxerxes Aſſuerus iure optimo *Rex magnus*, vel *maximus* nominatur.

Pineda. Ioſephus. LXX. interp. Feuard. in cap. 10. Curtius. *Prouinciæ Aſſuero ſubiectæ.* Herodot.

#### *Verſ.* 2. Cùm plurimis gentibus imperarem, &c.

Vetus conſuetudo eſt, vt regalia edicta auſpicium ſumant à magnificis imperij titulis, & ſalutem ſubiectis populis adprecatæ (quod verſ. præcedenti fecit Aſſuerus) decernendis eo edicto viam ſternant. quod præſtatur ab hoc verſ. 2. Et ſanè veroſimile eſt, quod nonnulli interpretes adnotant, nempè hanc regiam ſiue epiſtolam, ſiue edictum ab Amane (cui res tota commiſſa erat) dictatum. *Vniuerſum orbem meæ ditioni ſubiugaſſem.* Aut faſtu Perſico hyperbolicè id dictum; aut orbem Perſicum intelligit, vt exponit Menochius: aut ſanè Perſico ſupercilio ſic Occiduas prouincias deſpicit, vt præ Orientalibus illi ſubiectis nihili faciat. Niſi forſam *vniuerſum* in hoc loco idem eſt ac præcipuum, 2.

Menoch.

puum, vt adſtruitur infrà n. 7. Vndè *vniuerſus orbis* idem erit ac præcipuus orbis, id eſt, præcipua orbis pars. Sic putabat Aſſuerus, nec fortè opinione falſatâ. Ditioni ſuæ tot regna *ſubiugaſſe* dicit, aut eâ fide quâ alia enormiora mendacia in hoc edicto Aſſuerus ſcribit; aut certè quia nonnullas ex prouinciis, quæ aduerſus, patrem ſuum Xerxem infidè rebellarunt, ſtrenuè
*Silentium ſumitur pro quiete.* recuperauit, *Vitam ſilentio tranſigentes.*] Id eſt, quietè, pacatè, placidè, & procùl à bellorum ac turbarum ſtrepitu. In hâc autem ſignificatione ſæpè in Bibliis *ſilentium* accipi, vulgare eſt, & aliàs non ſemel à nobis adnotatum. Adnotatum etiam plura mendacia ſcribi in hoc edicto, non quia hæc ſcriptura non ſit canonica, vt perperam nonnulli garriunt; ſed quia fide ſanctum eſt, hæc in Aſſueri edicto deſcripta fuiſſe; ſecùs verò Aſſuerum veritatem dixiſſe: ſæpè enim egregiè mentitus eſt, ſicut & Amalecites ille 2. Reg. 1. quâ ſuper re inibi Sanctius
*2. Reg. 1. Sanctius.* conſulendus eſt. Obſeruare autem oportet in huius epiſtolæ deſcriptione non parùm LXX. interpretes, Biblia regia, & Ioſephum diſcrepare à Vulgato, non quidèm re, ſed verbis. Vndè miriſſimum eſt, Sixtum Senenſem ſeriò af-
*Mariana hîc.* firmaſſe, has lacinias è Ioſepho tranſcriptas. De quo vbertim Mariana Lanſelij.

*Verſ.* 3. *&* 4. *&* 5. Quærente autem me à conſiliariis meis.

5\. Ecce inſigne mendacium, quo ſatagit Aman, vt populariter exiſtimetur hoc edictum non tam à ſe extortum, quam à conſilioſo Regis Senatu, cui ſeptem illi Sapientes aderant, omnigenâ rerum peritiâ opinatiſſimi. Et ſanè id non quæſi-
*Eſther. 3.* uit Rex pacis ſtudio, ſed hoſtilitatis inſtinctu Aman irrogatus ſuggeſſit, ſuprà cap. 3. v. 8. In verſ. 4. & 5. pergit Aman ſtrenuus mendaciorum architectus, eadem regio edicto reſcribere, quæ eâdem fide Regi ſuggeſſerat illo cap. 3. v. 8. vbi & expoſita ſunt.

*Verſ.* 6. & 7. Iuſſimus, vt quoſcumque Aman, &c.

4\. Obſeruatione digniſſimum eſt, nullibi in hoc
*Sanctius. Patris lata ſignificatio. Ioſephus. Geneſ. 45. 4. Reg. 16. 2. Paral. 4. & 2. Geneſ. 4. Pineda Græcus Ioſephus Eſther. 3. & 9.* edicto Iudæos nominari, ſed Amanis fidei committi, vt ipſe Præſidibus denunciet populum cum liberis & coniugibus ſtatâ die perimendum. Vndè ſatis veroſimile eſt quòd notat Sanctius, nimirùm Aſſuerum hactenùs ignoraſſe Iudæos ſuo decreto morti addictos. Conſuli poteſt hîc n. 9. In hoc regio edicto de Amane dicit Rex, *Quem patris loco colimus.* Ioſephus: *Iubeo eos qui indicantur à ſecundo patre meo Aman*, &c. Sic Geneſeos 45. v. 8. Ioſeph Patriarcha *patrem* ſe Pharaonis appellat. & Rex Iſraël Eliſeum vocat *patrem*. 4. Reg. 16. v. 12. Hiran etiam à Salomone *pater* nominatur, 2. Paral. 4. v. 16. quo etiam nomine cap. 2. v. 13. indigi-
*Quomodo hic Iudæorum cædi dies quartadecima præſcribitur?* tatur à rege Tyri. Itaque τὸ *pater* Hebraico idiomate propriè genitorem ſignificat: Deinde tranſlatitiè vſurpatur pro eo qui in aliquo genere princeps eſt, Geneſ. 4. v. 20. & 21. Denique pro eo, quem in aliquo opere præſtando, tanquam ducem, auctorem, ac magiſtrum ſequimur. In quâ ſignificatione Hiran dicitur *pater* Salomonis, & Ioſephus Pharaonis, & Aman Aſſueri *pater* hîc nominatur. Ex his locis cenſet Pineda l. 5. de rebus Salom. c. 13. n. 24. videri, quidem apud Tyrios, Ægyptios, & Perſas (non apud Hebræos) eſſe peculiaris dignitatis appellationem, *Pater Regis*. Conſulatur inibi. *Quartadecima die.*] Ita etiam habent Græci codices, & Ioſephus. Verùm cap. 3. v. 13. cædi Iudæorum dies decima tertia eiuſdem menſis (non decimaquarta) præſcribitur & ita habet ibidem non modo Latinus, ſed etiam Hebræus, & Chaldeus textus. Et cap. 9. v. 1. *tertiadecima die* cædes Perſarum à Iudæis peracta eſt, quâ die ipſi à Perſis perimendi erant. Quod etiam conſtat ex indicto feſto Phurim, quod celebrãdum erat extra vrbem Suſa, die quartadecima: nam die decimatertiâ inimicorum cæde peracta, die decimaquartâ ab interfectione quieuerunt Iudæi. Quin & cap. 9. v. 13. ſpecialis facultas ab Eſthere petita eſt, vt Iudæo populo Suſis liceret ſicut tertiadecimâ die, ſic etiam decimaquartâ in Perſas debacchari. Ex quibus liquidò conſtat, tertiadecimâ die Iudæorum interfectionem peragendam; Perſarum enim interfectio die eâdem peracta eſt, quâ peragendum foret Iudæorum excidium. Quomodò igitur in hoc regio edicto *dies quartadecima* præſcribitur? Plures ex Commentatoribus hanc difficulcultatem omiſerunt. Serarius ambigit an mendum irrepſerit in hunc locum, & pro *die quartadecima*: dies *tertiadecima* ſubſtituenda ſit; & ita Græci codices, qui vbiuis conſtanter habent *diem quartamdecimam*, emendandi ſint à Vulgato Latino, Hebræo, & Chaldæo, qui cap. 3. & cap. 9. habent, *tertiadecimâ*, præſertim cùm Ioſephus hanc Aſſueri epiſtolam exſcribens, diem decimamtertiam habeat. *Ioſephus l. 11. Antiq. c. 6.*

5\. Verùm cùm Serario arduum ſit (vt par eſt) Vulgatum textum & Tridentini ſanctione authenticum, emendare; aliter hunc nimis implexum locum extricare tentat, ita fatus: *Nullus miſereatur eorum quartadecimâ die*, id eſt, ita peridiè cæſi, funditúſque deleti ſint, vt cuius miſereri liceat, nullus die quartodecimo ſuperſit. Huic Serarij expoſitioni ſubobſcurè videtur ſubſcribere Menochius Salianum ſecutus; & perſpicuè inibi Mariana. Ego quidèm putauerim, Iudæorum cædem iuberi inchoandam & exercendam totâ die decimatertiâ vſque ad decimamquartam excluſiuè, itaut die quartadecimâ cædes Iudæorum peracta ſit, eorumque neminem eâ die decimaquartâ perimere liceat. Vndè cùm hîc dicitur Iudæi *cum coniugibus ac liberis deleantur ab inimicis ſuis, nullúſque eorum miſereatur quartadecimâ die*, hæc dies quaſi terminus extrinſecus præfigitur cædi exercendæ, & in quo non agi, ſed peragi, aut conſummari dicitur. Quod verò tempus extrinſecum, quo res aliqua primùm perfecta & conſummata eſt, Biblico idiomate accipiatur pro tempore præcedenti quo agitur, conſtat ex Geneſeos 1. verſ. 5. vbi de primæ diei opificio ſcribitur: *Factum eſt veſpere & mane dies vnus.* Vbi Baſilius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Hugo, & alij, quibus ſubſcribit Pererius, per *veſperem*, qui eſt diei finis, diẽ ipſum artificialẽ ſignificari putant: & per *mane*, quod eſt noctis finis & terminus, ipſa nox: nam ſicut vſque ad *veſperam*, dies artificialis conſummatus non eſt, ita vſque ad *mane*, nox minimè conſummatur. Item

*Serar. ſup.*

*Menoch. hîc Salian. ann. m. 3601. n. 5. Mariana.*

*Auctoris expoſitio.*

*Geneſ. 1. v. 5. S. Baſilius. S. Ambroſius S. Chryſoſt. S. Auguſtin. Hugo Vict. Perer. ibi. n. 52.*

Geneſ. 2. Item Geneſis 2. v. 2. *Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat.* Scilicet die ſeptimo excluſiuè: nam incluſiuè compleuit Deus die ſexto opus ſuum: nihil enim Deus in opificio mundi die ſeptimâ operatus eſt. Vndè LXX. interp. LXX. interpretes non *die ſeptimo*, ſed *die ſexto* excribunt, nec à Vulgato diſcrepare putantur: perindè enim eſt *die ſexto* incluſiuè, ac *die ſeptimo* excluſiuè. Idem ergo puta de die *tertiadecimâ* menſis Adar, ac de die *decimaquartâ*. Porrò vt dicitur cap. 9. v. 17. de interfectione Perſarum : Eſther. 9. *Dies decimustertius primus apud omnes interfectionis fuit: & decimaquartâ die cædere deſierunt.* Vbi dies decimustertius *primus interfectionis* dicitur, relatiuè quidem adſpectu ad ſecundum interfectionis diem, qui fuit dies decimusquartus, non quo interfectio exercita & acta ſit, ſed peracta & conſummata: ſicut & ſeptimâ die mundi opificium dicitur conſummatum & perfectum, etſi illo die nil denuò productum ſit.

6. Cùm autem Verſ. 7. dicitur, *Ad inferos deſcendentes*,] *inferorum* nomine intelligendum eſt ſepulchrum, Inferi pro ſepulchro. quod eſt commune mortuorum domicilium: neque enim Aſſuerus aut Aman idololatræ, & forſan Athei cognoſcebant infernum ſanctorum Patrum locum, aut locum gehennæ reprobis deputatum. De ſignificatione vocis *Inferni* eruditè, vt aſſolet, noſter Martinus del Rio. Rio tom. 1. Adag. §. 197. Digreſſ. 2. ad v. Nouantes, loco 4. qui innumera ibi Scripturæ loca ſeriatim addenſat, neque hunc, quem verſamus locum, omittit. Aſſerit tamen, quod hîc *infernus*, ſeu *inferi*, non poſſunt capi de ſepulchro, quia Aman inſepultos ferarum pabulum eſſe volebat, ideò additur: *nullusque eorum miſereatur*, videlicet cadauera ſepulturæ mandans. Nec poterant vno facile die tot millia ſepeliri: vno autem die, imò & horâ poterant deſcendere ad inferos. Aſt non vidit vno quidem die, etſi non in vnâ vrbe, in tot vrbibus, oppidis, ac villis centum viginti ſeptem prouinciarum, facile potuiſſe tot funera peragi. Illud autem, *nullus eorum miſereatur*, non ſignificat, inſepultos relinquat; ſed nemo eâ ſpecie pietatis tangatur, vt cædem exercere omittat, qui eſt genuinus loci ſenſus.

Adhæc ſubtexit Hieronymus : *Hucuſque exemplar epiſtolæ.* Et addit: Quæ ſequuntur, poſt eum locum ſcripta reperi, vbi legitur : *Pergenſque Mardochæus, fecit omnia quæ ei mandauerat Eſther.* Quæ verba habentur cap. 4. v. 17. etſi paullò aliter habeantur in noſtrâ Vulgatâ. Nempè, *iuit itaque Mardochæus, & fecit omnia, quæ ei Eſther præceperat*, Admonet autem Hieronymus, quæ ſubdit, neque in Hebræo textu, neque apud vllum Interpretum reperiſſe, niſi in Græcâ illâ editione Vulgatâ, poſt præſcripta illa verba cap. 4. v. 17. Ea autem & complent hoc 13. caput, & integrant cap. 14. & cap. 15. inchoant.

## *Verſ.* 8. Mardochæus autem, &c.

7. Suprà cap. 4. v. 16. Eſther, quò periculoſum ad Regem ingreſſum felicitaret, iubet Mardochæo, vt triduo cum reliquis Iudæis Omnis Biblicâ phraſi ſumitur pro præſtantiſſimo. ieiunet. Reginæ Mardochæus paruit, & ieiunus, ſacco indutus, ac cinere volutatus, has preces Deo animitùs fudit. In auſpicio autem orationis dicitur Mardochæus *memor omnium operum* Dei. Nemo, opinor, exiſtimabit, quòd tunc Mardochæus *omnia* Dei opera ſiue naturæ ſiue gratiæ commorauerit. Vndè per Epitaſim, *omnis* ſumitur pro præcipuo Biblicâ phraſi. Pſalm. 106. v. 18. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum*, id eſt, ſapidiſſimam & Pſal. 106. excellentiſſimam, nempè cæleſte manna. Pſal. 38. v. 6. *Vniuerſa* (id eſt, ſumma) *vanitas omnis homo viuens.* Pſal. 38. Eccleſiaſtici 12. v. 13. *Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo.* Eccli. 12. id eſt, quiquis hoc fecerit, præſtantiſſimus homo eſt. 1. Regum 4. v. 18. *Hi ſunt Dij, qui percuſſerunt Ægyptum omni* (id eſt, 1. Reg. 4. grauiſſimâ) *plagâ in deſerto* : Ægyptij enim nullâ aliâ plagâ *in deſerto* vexati ſunt, quàm ſubmerſione in mari Rubro. Sic etiam Mardochæus in principio orationis dicitur *memor omnium operum* Dei, hoc eſt, præcipuorum, quæ ſtatim perſtringit, & commendat.

## *Verſ.* 9. & 10. & 11. Domine Domine rex omnipotens, &c.

Hæc Mardochæi verba Eccleſia vſurpat Fer. 8. 4. Domin. 2. Quadrag. & in Miſsâ contra Paganos. Alexand. in epiſt. ad Orthodoxos. Et S. Alexander Papa & martyr: *Si Trinitas*, inquit, *non eſt, cur Mardochæus orando, Domine Deus omnipotens, omnia in poteſtate tuâ ſunt, dixit? Si vnitas nō eſt, quare in tuâ poſuit, & nō in Veſtrâ ſignificauit?* Non morabor Theologos, an ex hoc loco myſterium Trinitatis validè adſtruatur. Putauerim, quòd geminatio illa, *Domine, Domine*, Cur Domini nomen Mardochæus ingeminat? perindè eſt, ac, *Domine Deus*, vt S. Alexander exponit; ita tamen vt viuaciorem denotet precantis affectum, & deprecationis ſpem. Porrò ſicut Biblico idiomate eadem vox ſubſtantiua eodem caſu geminata, multitudinem eius rei ſignificat. Pſal. 86. v. 5. *Homo & homo natus eſt in ea*, Pſal 86. & 144 & 121. id eſt, multi homines & Pſal. 144. v. 4. *Generatio & generatio laudabit opera tua*, id eſt, multæ generationes. & Pſal. 121. v. 4. *Tribus tribus Domini*, id eſt, omnes tribus: ita cùm Dei nomen geminatur, quandoquidem in naturam diuinam multiplicitas non cadat; aut referendum eſt ad perſonas, aut ad naturæ vniſſimæ multiplicia beneficentiæ officia hominibus exhibita. Sic Iſai. 55. v. 7. Deus vnus, *multus ad ignoſcendum* dicitur: non quia Deus naturâ *multus* ſit, ſed quia infinita eius benignitas multipliciter ignoſcit.

## Et non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare.

Opportuniſſimè LXX. interpretes præfata 9. verba excribunt, & exponunt: LXX. interp. *Et non eſt qui diſſentiat à te, cùm tu volueris ſaluare Iſrael.* Itaque cùm de cauſſis liberis dicitur, *Non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare*, Quo pacto diuinæ voluntati nemo poteſt reſiſtere. non negatur antecedens *potentia* reſiſtendi gratiæ diuinæ, aut decreto Dei; alioqui homo poteſtate ad reluctandum viduatus, libertate antecedenter imminutus foret, & velut brutæ pecudes, & exanimales cauſæ ad operandum neceſſariò adigeretur, vt Lutherus & Caluinus coaxant, & ſectarij alij, aliæ inquam, ex eodem cœno ranæ. Ait ergò Mardochæus Deum alloquens: *Non eſt qui poſſit*

*tuæ*

*tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare*, id eſt, de facto non reſiſtet, nec ſic eualebit vt tandem reſiſtat. Nimirùm *non eſt qui diſſentiat à te, cùm tu volueris ſaluare.* Nemo inquam eſt, qui *diſſentiat* efficaci Dei decreto ſaluandi, quantumuis libertate præpolleat: nam Deus ante omne decretum abſolutum ex parte actus, per miriſſimam ſcientiam mediam præſcius quid homo cùm hoc vel illo auxilio liberè operaturus ſit, præcognitâ conditionatè bonâ operatione efficaciter ſaluare decernit: quo pacto nec humana læditur libertas, neque diuina decreta nullo modo fruſtrantur. Conſulatur P. Suarez de diuinâ Gratiâ parte 1. Proleg. de Arbitr. Libert. cap. 5. P. Didacus Ruiz de Montoyâ de volunt. diſp. 7. ſect. 6. Gabriel Pennotus in Propugnaculo humanæ libert. lib. 4. cap. 3. n. 5. & cap. 5. n. 1. & cap. 22. n. 3. qui hunc Eſtheris locum exponunt. Quem M. Aluarez fruſtrà adducit pro ſuâ ſententiâ, de Auxiliis diſp. 23. n. 8. & diſp. 83. n. 9.

P. Suarez. P. Montoya. Pennotus. M. Aluarez.

Verſ. 11. additur: *Nec eſt qui reſiſtat maieſtati tuæ.* LXX. interpretes, *Et non eſt, qui reſiſtat tibi Domino.* Domini enim *maieſtas* valdè deuenuſtaretur, ſi homo ſic reluctaretur diuinæ voluntati, vt eam caſſam redderet.

LXX. interp.

*Verſ.* 12. & 13. & 14. Cuncta noſti, & ſcis, &c.

10. Hi verſiculi ſuprà à nobis expoſiti ſunt §. n.... vbi explorabamus cauſſam, ob quam Mardochæus Amanum adorare, cum tanto ſuo, ac ſuorum periculo recuſarit. Illud autem verſ. 13. *Pro ſalute Iſraël etiam veſtigia pedum eius deoſculari paratus* eſſem, luculenter Ioſephus Gorionides exponit: *Fuiſſem paratus*, inquit, *lingere calceum, qui in eius pedibus, & puluerem quem ipſe calcaſſet.* Veſtigium enim non ſolum pro ſigno pulueri impreſſo, ſed ſæpè etiam pro pede ſumitur aut ſoleâ, à quibus in puluere impreſſa reliquuntur veſtigia. quod eruditè hîc probat Sanctius n. 15. & 16. Conſulatur inibi, & Mariana Lanſelij, & Vatabli tranſlatio. Benè hîc notat Tirinus, quod Mardochæus hîc adludere videtur ad illud Iſaiæ 49. *Vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.*

*Quid ſit oſculari veſtigia.* Ioſephus Gorionid. Sanctius Mariana Vatablus. Tirinus Iſaiæ 49. v. 23.

*Verſ.* 15. & 16. & 17. & 18.

11. Hi omnes verſiculi adeò perſpicui ſunt, vt commentario non indigeant. Illud autem obſerua quòd ſicut Iſraëliticus populus dicitur Dei *hereditas*, ita etiam ſynonymo vocabulo appellatur *pars, ſors, & funiculus.* De quo pluribus nuper agebam exponens verſ. 5. Pſalmi 15. Tota enim *hereditas* cuique filiorum contingens, *pars* dicitur, adſpectu ad totum patris cenſum, qui in *partes* diuiſus filiis obuenit; *pars* autem paterni cenſus, tota filij cuiuſque *hereditas* eſt. Et ita ex P. Prado exponebam illud Lucæ *Maria optimam partem elegit*, id eſt, optimam hereditatem, non hereditatis partem. Item *hereditas* dicitur *ſors*, quia totus patris cenſus in varias partes *ſorte* diuiſus, filiorum cuiquam obueniebat. Adhæc, vocatur *funiculus*, quoniam funibus miſſis paterna arua, ſeu fundi diuidebantur. Ad eum Pſalmi locum Bellarminus addit *calicem*, qui eâdem ſignificatione ac *hereditas, ſors*, ac *funiculus* vſurpatur; cuius rationem inibi affert idem auctor nuper laudatus. Nimirùm in ſuis ad Deum precibus hunc etiam titulum Mardochæus allegat, quaſi Dei etiam interſit, ne penitus deleatur Iſraëliticus populus, & ita Dei hereditas pereat. Allegat etiam ex Ægyptiacâ captiuitate redemptum fuiſſe: ac ſi vnum beneficium alia non abſimilia oppigneret. Denique verſ. 18. ſuæ orationi omnium pariter Iudæorum preces Mardochæus aggregat; nam multorum oratio vim impetrandi maximam obtinet, præſertim acerbioris mali iam iam impendentis calcare extimulata.

*Hereditas, ſors, pars, funiculus, calix, Synonyma ſunt.* Pſal. 15. Prado in Ezechiel. Lucæ 10. v. 42. Bellarmin. in Pſal. 15.

---

## §. CCLV.

### *Moralitatum ex hoc capite ſpicilegium fit.*

*Verſ.* 2. Cùm vniuerſum orbem meæ ditioni ſubiugaſſem.

Svmmum potentiæ & dignitatis faſtigium hîc de ſe Aſſuerus prædicat. Opinor autem non ſatis verè. Nam neque *vniuerſo orbi* principabatur, neque *orbis* partem, cui præerat ipſe *ſubiugauerat*; ſed ſucceſſionis iure à maioribus iure hereditario acceperat. Quæ nam eſt hæc exaggeratior iactatæ poteſtatis hyperbole? Flauius Ioſephus ſic præſcripta Aſſueri verba excribit, & exponit: *conſecutus imperium tot gentium, & orbis quàm latè volui dominio potitus.* Nimirùm ille *vniuerſo orbi* principari dicitur, & illius à ſe ſubacti gloriam captat, qui *quàm latè voluit dominio potitur.* Voluntas, quæ intra certos dominandi terminos ſe continet, ſic immetatè vltra illos tranſilit, vt *vniuerſo orbi* dominari dicatur. 1.

*Qui dominatur quantum vult, vniuerſo orbi dominatur.* Ioſeph l. 11. Antiq. c. 6

*Verſ.* 2: Vt abſque vllo terrore vitam ſilentio tranſigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur.

LXX. interpretes: *Regnum placidum, & peruium vſque ad fines præbens.* Magna ſub Aſſuero rege populorum felicitas, quòd *regnum præbuerit peruium.* Heu nunc ſæuientibus bellis clauſa regna, religionis ſapientiæ, & rerum omnium commercio! 2.

LXX interp. *Populorum felicitas eſt, regnum peruium.*

*Verſ.* 3. Quærente autem me à conſiliariis meis.

Non ait eiuſmodi conſilium à quopiam (tametſi conſilioſiſſimo) vltrò ſuggeſtum; non enim ſine graui periculo quiſquam audebat non accitus, vel ſalubria, & regno proficua conſilia Regi ſuggerere, ne ipſi fortè ingratum foret, quod non impunè ferebat. Quâ ſuper re audienda ſunt moraliſſima apud Sanctium Æliani verba: *Illa*, inquit, *Perſarum conſuetudo erat, vt ſiquis de rebus obſcuris, ambiguiſque conſilium Regi dare vellet, ſuper aureo latere ſtaret* 3.

Ælianus apud Sanct. hic n. 3. *Qui Aſſuero conſulit quod ei non placet, flagris cæditur, etſi bona conſulat.*

*ſtaret: atque ſi bona ſalubriaque in medium conſuluiſſe videretur, latere in conſilij pretium accepto diſcederet: nihilominùs tamen flagris, cædebatur, ſi contrarium Regi dixiſſet.* Eheu ſic eſt intutum *bona & ſalubria* Regi conſulere, vt tametſi conſilium magno præmio dignum cenſeatur, condignóque præmio ditetur, tamen de Regis faſtuoſo renutu *flagris* dehoneſtatur! Vtrumque ex alterutro redarguitur, aut non debuiſſe opulentiùs munerari, quod propudioſis flagris mulctatur; aut non debuiſſe flagris mulctari, quod dignum tanto præmio cenſetur. O barbaricum Perſarum regum faſtum! Huiuſmodi conſilia magno præmio honorentur, quia *bona ſalubriaque* ſunt: at ſi bona & ſalubria Regi diſplicent, eiuſque menti aut propoſito contraria ſunt, ſapiens conſultor ſeueriùs caſtigetur, & probroſis cædatur flagris, quia bona ac ſalubria Regi diſplicent.

*Verſ.* 3. Vnus qui ſapientiâ & fide ceteros præcellebat.

LXX. interp. Mariana. Biblia reg.

LXX. interpretes: *Qui moderatione apud nos praecellit.* Alij Græci codices apud Marianam Lanſelij: *Et in beneuolentiâ immutabilis.* Biblia regia: *Et in beneuolentia immutabili.* Ille, ille inquam, regius Familiaris in Principis *beneuolentia immutabili*, ſeu *in beneuolentiâ immutabilis* perſeuerat qui *ſapientiâ*, & *moderatione* pollet, & reliquos antecellit. Verùm quam rarus eſt, qui in regiæ familiaritatis culmine, & *ſapientiam* non deſueſcat, & *moderationem* non dediſcat; exindè lubricâ Principis beneuolentiâ nutat, & ruinam inceſſanter minatur. Heu frequentes in regiâ familiaritate tragœdias, è mutabili Principum beneuolentiâ!

*Priuati moderatio, immutabilem facit Principum beneuolentiam.*

*Verſ.* 6. Et quem patris loco colimus.

5. LXX. interp. *Ne ſit Priuatus, ſecundus Regis pater.*

LXX. nterpretes, *Secundo patre noſtro.* O Principem inertem pupillum, & vltroneum ſerui ſui filium! Eſto, habeat Rex Priuatum, quem de rebus grauioribus conſulat; non tamen patrem, quem ſubmiſsè *colat*, monſtroſè *ſecundum*.

*Verſ.* 6. Nulluſque eorum miſereatur.

6. Ioſeph. ſup. *Amani lex negem humanitatis abrogare inhumanè ſatagit*

O inhumanam ſæuitiam, quæ commiſerationem atrociter vetat! Ioſephus: *Nemini eorum parcentes, neque miſerationi plus quàm noſtro edicto tribuentes.* Vide nunc ferale Regis dictum inhumanè pugnans cum hominibus inditâ humanitatis lege. Sic Regis edictum regiâ poteſtate armatum, commiſerationis legem hominibus ingeneratam, imbecillè timet, & cautè arcet, ne decreti ſui potentiam exarmet? Altè impreſſam humanitatis legem, inhumanior quorundam Principum politia ſuperare non eualet. Quis Tyrannorum, quantumuis atrociùs adnitatur, abroget humanitatis legem, quam ab ipsâ naturâ arripuimus, hauſimus, expreſſimus? O inhumanas Amani voces: *Neque miſerationi, plus quàm noſtro edicto tribuatis.*

*Verſ.* 6. Cum coniugibus ac liberis deleantur ab inimicis ſuis, nulluſque eorum miſereatur.

Quam ob culpam tam dirum aduerſus Iudæos fulminatur ſupplicium? Vatablus inibi, Vnam hanc gentem per omnia in eo poſitam eſſe, vt ſummè refragetur hominibus .... *à noſtris diſſidere rationibus.* Eheu regius Priuatus ſic atrociter in Dei populum ſæuit, quia eius *rationibus diſſidet?* Profectò non foret Dei populus ſi irrationabilibus eius *rationibus* adſentiret. At ſæua quæque immaniter pati iubetur, quia eius *rationibus diſſidet.* Viderit aulica & curialis ſapientia, dum regij Familiaris *rationibus* te indiſcuſsâ ambitioſiùs adſentit. 7.

Vatablus. *Dira patitur Dei populus quia à Priuati rationibus diſſidet.*

*Verſ.* 9. Domine Domine rex omnipotens..... non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati.

LXX. interpretes: *Et non eſt, qui diſſentiat à te.* Altè quidèm, qui ab aliquo *diſſentit*, quantumuis mutè taceat, & immotus quieſcat; illi reſiſtere, turbas excitare, & bella aduerſus illum mouere perhibetur. Sanè res pugnaciſſima putatur *diſſenſus.* 8.

LXX. interp. *Qui ab aliquo diſſentit, illi reſiſtit.*

*Verſ.* 17. Ne claudas ora te canentium.

LXX. interpretes ſecutus: *Ne ora laudantium te deleas.* Profectò ora *claudi* dicuntur, cum verba facere prohibentur; ſcriptura autem propriè *deletur.* Verùm vſqueadeò ſapiens eſt quorundam ſermo, vt vel ipſa verba aëri commiſſa, & auidis audientium auribus excepta, ſcripturam prælo excuſſam æmulentur; vndè præ ſententiarum grauitate excribi aut *deleri* dicuntur. Sapiens ore ſcribit verba, quæ nulla *delebit* obliuio: inſipiens autem, etiam cùm ſcribit, loqui videtur, & inani aëri verba committere. Mallem ore, quàm calamo ſcribere. *Lingua mea calamus ſcriba.* 9.

Vatablus. LXX. interp. *Sapientis os tam loqui, quàm ſcribere dicitur.*

SYNOPSIS

# SYNOPSIS CAP. XIV.

*Præſtat nunc Eſther, quod nuper ſe facturam Mardochæo promiſerat. Quò autem obnixius oret, & efficaciùs impetret, regalem deponit ornatum, aſſumitque lugubrem, & ſqualidè aſperum; crineſque infenſis manibus euellit. Et primùm allegat de diuini nominis auctoritate agi, cùm Dei populus ad extremum periculum deductus ſit. Alioqui gentes, quòd Dei populo præualeant, ſuis Idolis gloriàter deputabunt. Ut autem diuinum honorẽ, & ſuam ac ſuorum vitam tueatur animi conſtantiam, atque idoneam oris facundiam efflagitat. Dein vt omnem à ſe arrogantiæ ſuſpicionem procul arceat, Deo profitetur ſe regiam dignitatem, qua animitùs vexabatur, cogente neceſſitate inuitam acceptaſſe. Denique allegat ſe & afflictum populum, re humanitùs deſperata, totam liberationis ſpem in diuinæ benignitatis ope duntaxat collocaſſe.*

## CAPVT XIV.

1. ESTHER quoque regina confugit ad Dominum, pauens pericu-
lum, quod imminebat. 2. Cúmque depoſuiſſet veſtes regias, fleti-
bus & luctui apta indumenta ſuſcepit, & pro vnguentis variis, cine-
re & ſtercore impleuit caput, & corpus ſuum humiliauit ieiúniis,
omniáque loca, in quibus antea lætari conſueuerat, crinium lace-
ratione compleuit. 3. Et deprecabatur Dominum Deum Iſraël, dicens: Domine mi,
qui rex noſter es ſolus, adiuua me ſolitariam, & cuius præter te nullus eſt auxilia-
tor alius. 4. Periculum meum in manibus meis eſt. 5. Audiui à patre meo, quòd tu
Domine tuliſſes Iſraël de cunctis Gentibus, & patres noſtros ex omnibus retro ma-
ioribus ſuis, vt poſſideres hæreditatem ſempiternam, feciſtique eis ſicut locutus es.
6. Peccauimus in conſpectu tuo, & idcirco tradidiſti nos in manus inimicorum no-
ſtrorum. 7. Coluimus enim deos eorum. Iuſtus es Domine. 8. Et nunc non eis
ſufficit, quod duriſſima nos opprimunt ſeruitute, ſed robur manuum ſuarum, ido-
lorum potentiæ deputantes, 9. volunt tua mutare promiſſa, & delere hereditatem
tuam, & claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi & altaris tui,
10. vt aperiant ora Gentium, & laudent idolorum fortitudinem, & prædicent car-
nalem regem in ſempiternum. 11. Ne tradas Domine ſceptrum tuum his, qui non
ſunt, ne rideant ad ruinam noſtram; ſed conuerte conſilium eorum ſuper eos, &
eum, qui in nos cœpit ſæuire, diſperde. 12. Memento Domine; & oſtende te nobis
in tempore tribulationis noſtræ, & da mihi fiduciam Domine rex deorum, & vni-
uerſæ poteſtatis: 13. tribue ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu leo-
nis, & transfer cor illius in odium hoſtis noſtri, vt & ipſe pereat, & ceteri qui ei con-
ſentiunt. 14. Nos autem libera manu tua, & adiuua me, nullum aliud auxilium ha-
bentem, niſi te, Domine, qui habes omnium ſcientiam. 15. & noſti quia oderim
gloriam iniquorum, & deteſter cubile incircumciſorum, & omnis alienigenæ. 16.
Tu ſcis neceſſitatem meam, quòd abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod
eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ & deteſter illud quaſi pannum
menſtruatæ, & non portem in diebus ſilentij mei, 17. & quod non comederim in
menſa Aman, nec mihi placuerit conuiuium regis, & non biberim vinum libami-
num: 18. & nunquam lætata ſit ancilla tua, ex quo huc tranſlata ſum vſque in præ-
ſentem diem, niſi in te Domine Deus Abraham. 19. Deus fortis ſuper omnes, exau-
di vocem eorum qui nullam aliam ſpem habent, & libera nos de manu iniquorum,
& erue me à timore meo.

## ſ. CCLVI.

### *Commentarius litteralis.*

*Verſ.* 1. *&* 2. Eſther quoque regina confugit ad Dominum, &c.

1. LXX. interp. *Ieiunia apud Iudæos, humiliationes appellantur.*

HOc velut procemiolum orationi Eſtheris facer Hiſtoricus præmittit. *Pauens periculum, quod imminebat*, ] & ſibi de iniuſſo ad Regem aditu; & Iudæis, de truci Regis edicto. L X X. interpretes habent: *In agone mortis comprehenſa. Veſtes Regias.* ] Græci codices: *Veſtimenta gloriæ ſuæ. Pro vnguentis variis.* LXX. interpretes; *Pro ſuperbis ſuauitatibus, cinere & ſtercore*, id eſt ſordibus, impleuit caput. *Humiliauit ieiunus* ] Græci codices pro *ieiuniis* exetibunt, *valdè*. nempe corpus ſuum *humiliauit valdè*. Erudirè notant Mariana & Tirinus quòd in τὸ *humiliauit* denotantur ieiunia, quia Iudæi ſua ieiunia appellant *thaanin*, id eſt, *humiliationes*. Indè ieiunium Eſther, quod celebrant decimatertiâ die menſis Adar, id eſt, die vigeſimâ ſextâ Februarij, appellant *thaanith Eſther*. Tametſi τὸ *humiliauit*, ad proſtrationes etiam Ioſephus retulit. Perſpicuum eſt *crinium lacerationem* eſſe funeſtæ mœſtitudinis ſignum. de quô hîc agit Tirinus ex Serario.

Mariana. Tirinus. Ioſephus. Tirinus. Serar. 3. l. p. q. 7.

*Verſ.* 3. Et deprecabatur Dominum Deum Iſraël, &c.

2. Sanctius. Chaldæus. Daniel. 6.

Benè notat Sanctius ex paraphraſi illâ Chaldaicâ, Eſtherem oraſſe conuerſo ad Ieroſolymam vultu, vt quomodo poterat, ſe coram Deo ſiſteret. Quod etiam cum vitæ periculo fecit Daniel cap. 6. v. 10. qui *feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebatúrque coram Deo ſuo.* Quâ ſuper re vbertim inibi Commentatores. Et nuncupatim de hâc Eſtheris oratione, ita Ioſephus Gorionides ſcribit: *Ego ſola hîc habito, ſola ego in domo Regis, abſque patre, & abſque matre ſum. ſicuti pupilla paupercula, quæ oſtiatim mendicat, ita ego peto miſerationes tuas feneſtratim.* Dein ſe appellat *ſolitariam*, nam in periculo adeundi Regis, & eripiendi populi à ferali Regis edicto, quod Amanus extorſerat, ſolus illi Deus opem ferre poterat. Valdè enim ad perſuaſionem eualet, ſi opem poſtulans quocumque alio auxilio deſtitutus ſit, & vnicam ſpem in eo quem rogat, fidentiùs collocauerit. Quo pio artificio vſus eſt Aſa 2. Paral. 14. verſ. 11. & Dauid Pſal. 24. verſ. 16. *reſpice*, inquit, *in me, & miſerere mei, quia vnicus & pauper ſum ego.*

*Eſther feneſtratim Deū orat.* Ioſephus. Gorio. 2. Paralip. Pſal. 24.

*Verſ.* 4. Periculum meum in manibus meis eſt.

3. Ioſeph. Gorion.

Ioſephus Gorionides habet: *Anima* (id eſt, vita) *mea in manibus meis eſt.* Exindè peritè aduertunt Serarius, Sanctius, Tirinus, Menochius & Mariana, perinde eſſe, *Periculum meum in manibus meis eſt*, ac, *Anima mea in manibus meis eſt.* Hæc autem ſententia ſub hâc prouerbiali formulâ perſæpè legitur in Bibliis. Etſi alij aliter ſentiant ſimpliciſſima & veriſſima expoſitio eſt, iam iam periclitor, in præſentiſſimo perdendæ vitæ periculo verſor: quia quicquid manui ſuperimponitur, caſui, direptioni, aut profuſioni expoſitum eſt. Hæc locutio habetur Iudicum 12. v. 3. Conſule Serarium ad eum locum, & 1. Reg. 19. v. 5. & cap. 28. v. 21. ibidem copioſè Sanctius & Iob 13. v. 14. & inibi eruditè Pineda, & Pſal. 118. v. 109. vbi Lorinus multa congerit, quæ Lector digerat. Omnium luculentiſſimè Martinus del Rio tom. 1. Adag. §. 158. cui meritò Roa diſplicet.

Serar. 3. l. p. q. 7. Sanctius. Tirinus. Menoch. *Quid ſit, animam habere in manibus.* Iudic 12. Serar. ibi. 1. 19. 28. Sanctius. Iob. 13. Pineda. Pſal. 118. Lorinus. Rio. Roa lib. 1. Singul. c. 18.

*Verſ.* 5. & 6. Audiui à patre meo, quòd tu Domine tuliſſes Iſraël de cunctis gentibus.

4. LXX. Interp. Bibl. regia.

LXX. interpretes: *Ego audiebam à natiuitate meâ, in tribu patriæ meæ.* Biblia regia, *familia meæ.* Hoc eſt, ab ortu, ſeu à cunis hæc audire adſueta ſum, vel à patre meo Abihaïl, vel potiùs à patruo Mardochæo, qui patris loco me educauit ſollicitè, piéque inſtituit; audiui inquam, Abrahamum ex Vr Chaldæorum eductum in Terram promiſſionis, Iſraëlem ex Ægypto, & nuper Iudæos in eandem Terram mirabiliter remiſſos: indè Eſther adſimilia ſibi ſpondet. *Hereditatem ſempiternam* ] nempè vt Iſraëliticus populus eſſet tibi peculiaris hereditas in æternum. Alibi notabamus *æternum*, & *ſempiternum* in Bibliis Hebræâ phraſi ſæpè accipi pro valdè prolixâ duratione. Idacius Clarus Hiſpanus aduerſus Varimandum lib. 3. hunc locum allegans, Sic illum excribit? *Ego audiui in libris meis Domine, quia tu aſſumpſiſti tibi Iſraël ex omnibus gentibus in hereditatem æternam.* An fœminarum *libri* ſunt eius parentes? *Peccauimus in conſpectu tuo.* ] Audierat etiam Eſther, quòd Iſraëliticus populus auitam religionem & mores deſerens, Gentium idola infidè coluerat; & idcircò acerbiùs à Deo punitos. Ergò humilitatis cauſsâ his fidei deſertoribus, populo ſuo inquam, ſe aggregat Eſther, non quod ipſa Idola coluerit, aut ſimile ſcelus tanto mulctandum ſupplicio vnquam admiſerit. Quod & fecerant viri ſancti inculpatâ vitâ præluſtres, Tobias inquam cap. 3. v. 4. Eſdras l. 1. cap. 9. v. 6. & 7. & 15. & Azarias, Daniel. 3. v. 29 & Daniel cap. 9. v. 5. vt peritè Sanctius adnotauit. Illud autem *In conſpectu tuo*, ] vt aliàs perſæpè in Bibliis ſignificat, verè peccaſſe, adeò vt vero Dei iudicio ſceleſtiſſimi peccatores fuerint. de hâc loquendi formulâ conſule Martinum del Rio tom. 1. Adag. §. 13.

*Fœminarum libri ſunt eius parētes.* Idacius Cla. *Eſther ſuæ genti piacularis ſe aggregat.* Tobiæ 3. 1. Eſdræ 9. Dan. 3. & 9. Sanct. hîc. Mart. del Rio.

*Verſ.* 7. Coluimus enim Deos eorum.

5. *Ob auitam idololatriam Iudæi in exilium pulſi.*

Haud dubiè hîc loquitur Eſther de ſuis maioribus, & iis Iudæis, qui in Ieroſolymis, & patriis ſedibus idola coluerunt, propter quod ſcelus in Babylonicum exilium abiecti fuerant.

Quod

Quod expreſſiùs tradit Ioſephus Gorionides cap. 3. *Quia peccauerunt patres noſtri contra nomen tuum magnum, dediſti eos in captiuitatem. Ecce nos in tranſmigratione hodiernaſto die.* Exindè conſtat nec de ſe, nec de Mardochæo Eſtherem loqui: ſicut nec locuta fuerat verſ. præcedenti, aliàs, *Peccauimus*, iuxta ibi dicta. Non tamen negauerim, plures ex Iudæis in hàc Babylonicâ captiuitate ad Idolorum cultum deciuiſſe. Quod prædixerunt Ieremias cap. 16. *Et eiciam vos de terrâ hâc in terram, quam ignoratis vos, & patres veſtri, & ſeruietis ibi Dijs alienis die ac nocte.* Legatur S nctius in Zachariæ 10. verſ. 2. Verùm ex hâc, & Mardochæi oratione conſtat, Iudæos tunc feralí illâ calamitate proſtratos, ieiunijs & orationibus ad Deum confugiſſe; & dum meliora moribus ſapiunt, proſperiora votis concepiſſe.

Ioſephus. Ieremiæ 16. v. 13. Sanctius in Zachar. 10.

*Verſ* 8. *&* 9. Et nunc non eis ſufficit, &c.

6. Quæ verba Ioſephus Gorionides opportunè exponit: *Ecce ipſi non dicunt: 7* (ô Deus) *nos in ſuas manus tradidiſſe, ſed Idola acceptum hoc ipſum ferunt, atque adorant, dicentes: vos in manus noſtras Iudæos dediſtis.* Additur.

Ioſ. Gorion.

*Verſ.* 9. Volunt tua mutare promiſſa.

Græcè, *oris tui definitionem tollere.* Deus Iudæis promiſerat Ieremiæ 31. *Hæc dicit Dominus, qui dat Solem in lumine diei, ordinem lunæ & ſtellarum in lumine noctis; ſi defecerint leges iſtæ corã me, & ſemen Iſraël deficiet, vt non ſit gens coram me cunctis diebus.* Ecce Dei promiſſum de Iſraële nunquam extinguendo. Et Deuteronomij. 30. *Si ad cardines cæli fueris diſſipatus, indè retrahet te Dominus Deus*, ſcilicet, conuerſus fueris ad eum in toto corde tuo. In eo autem rerum articulo Iudæorum populus ex toto corde ad Deum ſuum conuerſus videbatur. Amani autem & Amanitarum conſilia eò tendere videbantur, vt Iſraëlem prorsùs delerent, quo Dei promiſſa & decreta penitùs fruſtrabantur. *Atque extinguere gloriam templi tui*, ] quod à Dario Hyſtaſpis dudùm fuerat inſtauratum, 1. Eſdræ. 6.

Græcus. Ieremiæ 31. v. 35. Aman intendebat irritare Dei promiſſa. Deuter. 30. v 4. 1. Eſdræ.

*Verſ.* 10. & 11. Vt aperiant ora gentium. &c.

7. Dixerat verſ. præcedenti, eò ſpectare Iudæorum hoſtes, vt *claudant ora laudantium* Deum? addit ſtatim, & *vt aperiant ora gentium, & laudent Idolorum fortitudinem*. quaſi Perſæ Idolorum fortitudine armari, ſuos, & ſuorum Numinum hoſtes profligarint. *Et prædicent carnalem regem in ſempiternum.* ]Nimirùm Perſarum reges inter Numina cenſeri arrogantiùs ambibant: ex noſtrâ autem clade (ait Eſther) ſuam fundabunt inſaniam; iactabunt enim ſe Dei populo, & illius Deo præualuiſſe. Benè aduertit Martinus del Rio *Tò carnalem*, nil aliud hìc ſignificare, quàm hominem: licèt alijs locis aliam habeat ſignificationem *Ne tradas Domine ſceptrum tuum.* ]hoc eſt, Hebræum populum, in quo regnas. *Sceptrum* autem pro regno ſumi, notat Cerda Benedict. Academ. 3. litter. num. 38. *Et His, qui non ſunt*, idola gentium meritò intelligit Iuſtinianus in ad Romanos cap. 4. & Mendoça in lib. 1. Reg. cap. 4. Verſ. 8. num. 8. *His qui non ſunt.* ] Idolis inquam, quæ Biblicâ pharaſi appellantur, *Nihil, mendacium, vanitas*, & nunc ab Eſthere, *Hi qui non ſunt*. quod perindè eſt. Quaſi dicat Ne permittas his qui Dij non ſunt, ſed aut homines regno ſuperbi, aut Dæmones in Idolis latentes; ne, inquam, permittas tantam potentiam Præſcrip. a. verba huius. Verſ. 11. *His qui non ſunt* ] allegat S. Hieronymus in 1. cap. epiſt. ad Galatas, & in cap. 65. Iſaiæ, & in c 1. Ioël. & S. Baſil. lib. 2. aduerſus Eunomium, & Origenes homil. 5. in Pſal. 36.

Carnalis rex, numen cẽſeri ambit ex Iudæorũ clade. Mart. del. Rio tom. 1. Adag. §. 903. S. Hieronym. S. Baſilius. Cerda Benedict. Iuſtinianus. Mendoca.

*Verſ.* 12. & 13. Memento Domine, & oſtende te nobis, &c.

Loquitur de Deo antropopathôs, ideſt, more humano, Perdiu enim captiui & afflictati populi ſui videbatur oblitus, & tanquam ab eo abſens; nunc in tantâ calamitate & memorem, & ſibi præſentiſſimum optat. Porrò valdè timebat Eſther innocatam ſe Regi ſiſtere, magno vitæ diſcrimine; indè precauet, ne Regis toruo aſpectu conſternata, aut impos ſui animo cadat, aut conceptus periculi pauor linguam impediat. Ideircò fiduciam à Deo poſtulat, quæ meticuloſum animum confirmet, conſtantémque reddat, & linguam ſolutam ac eruditam; quâ ſuæ mentis votum, poſſit aperire. *In conſpectu leonis* ]Sic appellat regem Aſſuerum adeundum, dum his qui non vocati illi adſunt, mortem legibus minitatur. Quin & Perſarum reges præ auguſtiori maieſtate diuinitatis æmulâ, auſteriores erant, vt ſuprà vidimus. Nota, quòd illa verba huius verſ. 13. *Tribue ſermonem compoſitum*, adducit Auguſtinus l. 4. de doctr. Chriſt. cap 30. & S. Chryſoſtomus homil. 3 ad popul. Eruditè hìc Sanctius Reges leonibus compar t. Ioſephus Gorionides pauentem nunc Eſtherem inducit tanquam *capellam* ante *leonem*. 8.

Rex appellatur Leo. S. Auguſt. S. Chryſoſt. Sanctius. Ioſ. Gorion.

*Verſ.* 14. & 15. Qui habes omnium ſcientiam.

Magna, & maiora humano faſtigio de ſe dicturà Eſther, omniſcium Deum ſiſtit teſtem, qui ſecreta cordis animitùs ſcrutatur, & penitiùs intuetur. *Noſti quia oderim gloriam iniquorum: & deteſter cubile incircunciſorum.* ]Putauerim *Tò &* eſſe exegeticum; & ita quod generatim dictum fuit in priori hemiſtichio, in poſteriori explicatiùs exprimi. Nimirùm *gloriam iniquorum appellat*, quam ipſa accepit ex nuptùs cum Perſarum rege, quæ ſoperbè glorioſiſſimæ putari poſſent: at quia Aſſuerus, etſi Regum potentiſſimus ethnicus erat, & indè incircunciſus, (incircunciſi apud Hebræos *iniqui* habebantur) ideò Eſther in Moſaicâ lege benè inſtituta, *gloriam iniquorum*, ideſt, *cubile incircunciſorum*, quantumuis auguſtum ac ſuperbum deteſtatur: maluiſſétque contribuli cuipiam paupercuio & humili, quàm regi Aſſuero nupſiſſe. Magnus ſanè virtutis ac humilitatis faſtus, & humanâ fide maior. Indè Eſther rei humanitùs incredibilis Deum tanquam teſtem fideliſſimum ſiſtit. 9.

Cur Eſther Aſſueri cubile deteſtatur.

*Verſ.* 16. Tu ſcis neceſſitatem meam, quod abominer ſignum ſuperbiæ.

10. *Neceſſitate, non voluntate Aſſuero nubit Eſther.* Nupſerat Hebræa Eſther ethnico Regi: quare incircumciſi hominis cubile aſcendebat, & regijs inſignibus auguſtè decorabatur: ingenuè autem coram Deo fatetur, non ſponte ſuâ, ſed neceſſitate coactam, primò in gynæceum, poſteà in regiam ad regium nomen, & regia inſignia fuiſſe perductam. Neceſſe enim erat, vt pupilla & captiua cederet tempori, quò captiuo & calamitoſo populo auxiliari poſſet regio numine ac dignitate quod reipſa accidit. *Regium diadema Eſther abominatur.* *Signum ſuperbiæ & gloriæ* ſuæ appellat regium inſigne, vt ipſa mox aperit. *Quod eſt ſuper caput meum.*] Nempè diadema ſeu cydaris, quæ tunc non erat corona ex auro conflatilis, ſed potiùs faſcia quædam aut tiara, è pretioſa materiâ ſutilis; etſi poſtremis temporibus ex auro diademata conflarentur. (de quo aliàs) Cùm autem diadema, faſcia quædam fuerit, idcircò comparatur panno, ſed feminæ menſtruatæ, quo nil æquè nauſeam mouet; nilque apud Hebræos æquè abominandum Leuitici 15. v. 18. & cap. 20. v. 18. Illud autem, *Quaſi pānus menſtruatæ*, adducit S. Auguſtinus, epiſt. 199. & in Pſal. 51. & S. Hieronymus in cap. 64. Iſaiæ. *S. Auguſt. S. Hieron. Leuit. 15. & 20.* Exindè Eſther regium diadema tantùm portabat quandò cum Rege; vel ad Regis imperium prodibat in publicum: alio tempore ac loco ſpontè deponebat. Ideò dicit, *Et non portem in diebus ſilentij mei.* Id eſt, cùm in domus meæ quiete demoror. *Silentium* enim pro quiete accipi, obuium eſt, & biblicè eruditis vulgare.

*Verſ.* 17. Et quod non comederim in menſa Aman.

11. *LXX. interp.* LXX. interpretes: *Et non comedit ancilla tua menſam Aman.* *Serar. 3. p. I. q. 7.* Veroſimile non putat Serarius, quòd ſi cum Rege accubuiſſet Aman, Eſther abnuerit ad conuiuium accerſita venire. *Quo ſenſu Eſther non comederit in menſâ Amani.* Vndè non comedere menſam, vel in menſâ Amani, rectè interpretatur, exoſum habuiſſe menſæ apparatum, ferculorum delicias, & luxum. *Emanuel Sà.* Emmanuel autem Sà, comediſſe quidem (neque aliter niſi inurbanè poterat) ſed non libenter. Profectò niſi prandente Rege, in tantâ perſarum zelotypiâ, Eſther Amani conuiuio minimè aſſideret. *Sanctius.* Vndè non crediderim, quòd Eſther refutauerit (vt putat Sanctius) Amani conuiuium, quod Rege abſente nullum foret, Rege præſente irrefutabile. *Nec mihi placuerit conuiuium Regis.*] Græcus textus, *Neque glorificaui ſympoſium Regis.* id eſt, non magnificaui, aut magni æſtimaui honores & delicias ex accubitu ad menſam magni Regis. *Quodnam ſit vinum libaminum.* *Et non biberim vinum libaminum.*] Porrò ſolebant Gentiles pleraque eſculenta & poculenta, quæ menſis inferebant, Idolorum imprecationibus contaminare, vndè ſuſpectæ valdè erant apud Iudæos. Quâ ſuper re agebamus in Iudith cap. 10. §. 5. num. 36. His ergò poculis gentilica ſuperſtitione infectis, femina Iudaicè religioſa meritò abſtinuit.

*Verſ.* 18. & 19. Et nunquam lætata ſit ancilla tua, ex quo huc tranſlata ſum, &c.

12. Res ſanè miriſſima, ſic faſtidiſſe Eſtherem, quæ omnes ambiunt, & omnium vota tenent: in vnóque patrum ſuorum Deo veras delicias (ſed vulgò hominibus inuiſas) piè collocaſſe. ô inuictam Heroïnam, quæ honores & voluptates viciſti, quæ tot Hercules peruicerunt! *Timor ſumitur pro re, quæ timetur.* *Deus fortis ſuper omnes.*] Tempeſtiuè nunc Deum appellat, & aduocat *fortem*, vt feminino pectori maſculam fortitudinem ingerat, quò imbellem Iudeorum gentem à potentiſſimo Tyranno vindicet. *Erue me à timore meo.*] Putauerim hîc habitum, vel actum pro illius obiecto poni, vt *viſionem* pro re viſâ, Iſaiæ 1. verſ. 1. & aliàs ſæpè: *Aſpectum* pro colore qui aſpicitur, Leuitici 13. verſ. 10. *Auditum* pro re auditâ, Iſaiæ 53. verſ. 1. *Spem* pro re ſperatâ, Prouerb. 13. v. 12. Sic etiam hîc *timor* accipitur pro re quæ timetur. quemadmodum etiam vſurpatur Geneſeos 31. v. 42. & 53. *Iſaiæ 1. Leuitici 13. Iſaiæ 53. Prou. 13. Geneſ. 31.* Ait ergò Eſter, *Erue me à timore meo*, id eſt, ab eo quod pauidè timeo: timebat autem, non vocatam ſe Regi ſiſtere, quod capitale erat.

---

## §. CCLVII.

### *Multiplex ex hoc capite moralitas delibatur:*

*Verſ.* 2. Pro vnguentis variis, &c.

Septuaginta interpretes: *Pro ſuperbis ſuauitatibus.* Parum foret, ſi voluptatibus, ac delicijs impenſiùs indulgeretur, niſi ipſæ etiam voluptates ſuperbiam ructent. *Superbis dulciarijs* nunquam Heroas fuiſſe vſos ait lib. 3. de leg. Plato. Intolerabile eſt, vel in delicijs ſuperbiam aucupari: monſtrum eſt in ipſis, & de ipſis voluptatibus ſuperbire. 1. *LXX. interp. Nimis arroganter quidam ſuperbis ſuauitatibus vtuntur.* *Plato.*

*Verſ.* 2. Pro vnguentis variis, cinere, & ſtercore impleuit caput, &c.

Ecce tibi Eſther Gratiarum manibus facta puella, *Vt à Deo miſericordiam exoret*, (ait imbi Sanctius) *non ſolùm non aſciuit ad fingendam formam aliena pigmenta; ſed etiam quam maximè potuit naturalem decorem deformauit, ſublatis aut deturpatis illis, quæ ad elegantiam dedit natura benignior.* Num naturalis decor, & comptior venuſtas orationem impedit, aut impetrationem faſcinat? Gratiæ decoris detrahit Eſther, quod gratiæ orationis adijciat; 2. *Sanctius.* *Gratiæ decoris detrahitur, quod gratiæ orationis adijcitur.*

*Verſ.* 3. Adiuua me ſolitariam, & cuius præter te nullus eſt auxiliator alius.

Vatablus: *Mi Domine, fer opem mihi deſtitutæ, cui adiutor præter te nullus eſt.* Mirum ſanè eſt, & valdè mirum, quòd venuſtiſſima Eſther omnium oculis gratioſa, Reginarum potentiſſima, & numeroſo miniſtrantium puellarum grege ſtipata, & Regis gratiâ ſublimis, ſe *ſolitariam*, & *ope deſtitutam* appellet. Tametſi in Regis palatio multos amicos numeres, *ſolitarius* tamen es in turbarum frequentiâ. Se quærunt, quamuis te ſequi videantur. Numeroſo amicorum grege 3. *Vatablus.* *Aulicus inter turbas ſolitarius eſt.*

ſtipatus

ſtipatus es, cùm aliena indigentia te quærit: cùm verò tu rei cuiuſque indigus alium quæris, inter aulicas turbas ſolus eris.

Heu nimis verum! Aliam rationem adducit
4. Carthuſ. ibi.
Carthuſianus ſic fatus: *Adiuua me ſolitariam, &c. Ideſt, humana conſortia euitantem.......atque eorum de quibus nata ſum, ſocietate priuatam.* Nimirùm Eſther, etſi Regis gratiâ opulentiſſima, etſi regiâ dignitate ſublimis, etſi frequenti ancillarum ac ſeruorum choro ſepta; etſi plures illi aderant, cui ipſa gratioſa erat, & illius gratiam inire cupiebant; nihilominùs *ſolitariam* ſe putat, quia cognatorum *ſocietate priuatam* ſe aduertit. ô! tantam ne opem cognatus à cognato expectat? tantam ne opem cognatus cognato præbet? Sic eſt opportunè auxiliare ſanguinis præſidium?

*Multam opē cognatus cognato prabet.*

*Verſ.* 3. Adiuua me ſolitariam, & cuius præter te nullus eſt auxiliator alius.

Quæ verba ſic elucidat Ioſephus: *Ego ſola hîc*
5. Ioſeph Gorion.
*habito, ſola ego in domo Regis: abſque patre, & abſque matre ſum; ſicuti pupilla paupercula oſtiatim mendicat, ita ego peto miſerationes tuas feneſtratim.* An Eſther per feneſtras diſcurrit, vt ad Dei templum ſpectet dum opem diuinam implorat? Tantam orationi fiduciam Dei templum afflat! An vt Deum quem in palatio auxiliarem non inuenit, extra palatium *feneſtratim* quærat? An
4 Reg. 9. v. 30.
ſicut pulchra illa Iezabel per feneſtram ſe oſtentat regi, quò illius amorem alliciat, & gratiam conciliet; ſic venuſtior Eſther piè ambitioſo pœnitentiæ ſqualore excultior, quò cæleſtis Regis beneuolentiam alliciat, *feneſtratim* diſcurrit? Regina Iezabel ornatiſſimam venuſtatem oſtendit per feneſtram: pulchrior autem regina Eſther, cinere & ſtercore caput deturpatum, placendi ambitione *feneſtratim* oſtentat.

*Quare Eſther feneſtratim orat?*

*Verſ.* 8. Robur manuum ſuarum, Idolorum potentiæ deputantes, &c.

6. Ioſeph Gorion.
Horum verborum ſententiam ſic luculenter Ioſephus exponit: *Ecce ipſi non dicunt, Te nos in ſuas manus tradidiſſe, Sed Idolis acceptum hoc ipſum ferunt, eáque adorant, dicentes: Vos in manus noſtras Iudeos dediſtis.* Sic grauatè fert Deus, vt quod ſupplicij nomine infligitur, ſupplicium non putetur? Deo adulatur, qui diuino ſupplicio calamitates deputat? non caſuum incerto, non potentiæ aduerſariorum adſcribit

*Grauatè fert Deus ſupplicium non putari, quod remiſſè eſt.*

*Verſ.* 10. Et laudent Idolorum fortitudinem.

7. Græcus Idolum. idem eſt, ac Stultum.
Græcè habetur, *Stultorum.* Quare Idola appellantur *ſtulta*? quæ eſt hæc idolorum *ſtultitia*? An quòd *laudari* percupiant? An quòd vltra merita honorari exambiant; immeritóſque honores ſibi deferri permittant?

*Verſ.* 11. Ne tradas Domine ſceptrum tuum his, qui non ſunt.

8. Carthuſ.
*Id eſt,* (ait inibi Carthuſianus) *Regiam poteſta-*

*R. P. Didac. Celada in Eſtherem.*

*tem ſuper nos, his qui non ſunt, ideſt, ſceleratiſſimis hominibus, qui protinùs morientur.* Imò quia ſceleratiſſimi homines ſunt, quibus tanta principandi poteſtas tradita eſt, è re publicâ eſt, valdéque expedit, vt *protinùs moriantur,* ne diu ſceleroſè gubernent. Ita quidem, niſi Princeps alter tyro & inexpertus defuncto ſuccederet. An forſan non tam iniquè Rempublicam gubernat veterator & ſceleſtus Princeps, quàm nouus & inexpertus? ô quàm eſt timenda incauta noui Gubernatoris audacia!

*Nouus & inexpertus gubernator valdè timendus.*

*Verſ.* 13. Tribute ſermonem compoſitum in ore meo.

Quæ verba ſic exponit Flauius Ioſephus, *Ro-* 9. Ioſeph. l. 11. Antiq. c. 6.
*gabátque* (Eſther Deum) *miſeratus daret ei apud Regem qualis maximè opus eſſet facundiam & maiorem quàm vnquam anteà formæ gratiam.* quaſi venuſtioris *formæ gratia* ſit eloquentiæ pars, & aſpectabilis facundiæ portio. ô quàm eloquenter perſuadet pulchra facies!

*Forma gratia eloquenter perſuadet.*

*Verſ.* 13. In conſpectu leonis.

*Id eſt,* (ait inibi Carthuſianus) *Aſſueri regis,* 10. Carthuſ.
*qui ob eminentiam ſuæ poteſtatis, ac regiæ dignitatis leo vocatur.* Hic Aſſuerus, ſeu Artaxerxes Longimanus bonâ mitíque indole præditus erat, in multâ olim Perſarum regum auſteritate: at quantumuis mite ingenium, *poteſtatis ac dignitatis eminentiâ* ſic efferatur, vt hominem deſueſcens, leoninos aſſumat mores.

*Poteſtatis ingenio Aſſueri in leonem degenerat.*

*Verſ.* 16. Quòd abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum.

*Id eſt Regium diadema,* (ait idem Carthuſia- 11. Carthuſ. ibi.
nus) *quod eſt ſignum excellentiæ atque honoris mei.* Signum excellentiæ atque honoris, *ſignum ſuperbiæ* nominatur? Sic eſt ſuperbiæ confinis, honor & excellentia? ô quàm eſt difficilis in faſtigio humilitas! ô non bona ſynonyma, *honor* & *ſuperbia*! Hinc ſanctiſſimi quique viri, tanquam ſuperbiæ minas, honores extimeſcunt.

*Honor appellatur ſuperbia.*

*Verſ.* 17. Et quòd non comederim in menſâ Aman.

*Eundo ad eius conuiuia, ſicut frequenter optauit,* 12. Carthuſ. ibi.
*quamuis eſt neceſſariâ cauſſa bis inuitauerim eum ad menſam meam.* quæ ſunt verba Dionyſij Rechel, dum præſcriptum locum expoſuit. Ecce tibi eodem deteſtationis inſtinctu, quo Eſther Amani conuiuium repudiauerat, nunc ipſa ſemel & iterùm inuitat ad conuiuium.

*Eſter repudiat Amani conuiuium, & illum ipſa inuitat.*

*Verſ.* 19. Exaudi (ô Deus) vocem eorum qui nullam aliam ſpem habent.

Quæ verba ſic reddunt LXX. interpretes: *Deus* 13. LXX. interp.
*fortis ſuper omnes, exaudi vocem deſperatorũ.* Quid eſt, quòd *deſperati* dicuntur, qui in vno Deo ſpem ſuam collocant; An quia homines vſque adeò ſunt inurbano ingenio præditi, vt niſi

*Deſperatiſsimè dicatur, qui in vno Deo ſpem habet.*

priùs omnis auxilij humani ſpem abiecerint, ſpes ſuas in Deo non ponant? Heu barbaricos & agreſtes hominum mores! niſi de humanâ ope prorsùs *deſperaueris*, diuinam fidentiùs non imploras? Humanæ opis aditus interclusus, diuinæ fiduciæ aditum pandit? Niſi homo impiè infidus non inueniatur, Deus nec pius, nec fidelis putabitur? Exindè cenſetur idem: *Deus exaudit vocem deſperatorum*, ac *eorum qui nullam aliam ſpem habent.* quaſi deſperatio opis humanæ, aliquis ſpei diuinæ vigor habeatur.

---

## ſ. CCLVIII.

### *Erectior in mundialibus bonis ſeu auxiliis fiducia, languor ſpei eſt, & fictæ erectionis titubatio.*

1. *Erectior ſpes in rebus humanis poſita, mentiti vigoris titubatio eſt.*

MAle geritur, quicquid geritur humanę ſpei fide. In homine ſperans, quod cupiat ſcit, quid ſapiat neſcit. Profectò nulla eſt latebra, in quam non intrat metus; nam ad timendum quilibet rumor valet. Nulla eſt tam munita, & in altum ſubducta vitæ quies, quam non aliqua vel præſumpta calamitas terriret, aut ſaltem inquietet. Quocumque te abdideris mala humana circumſtrepent. Multa extrà ſunt, quæ vrunt nos, & quæ aut mendaciter fallunt, aut verè vrgent. Multa intùs, quæ etiam in mediâ ſolitudine exæſtuant. In inexpugnabili loco ſtat animus, qui externa adiumenta deſeruit, & diuinæ ſpei arcę ſe vendicat. O quàm eſt ſpei inops ſpes humana! Indiga ſpes, quæ humanum emendicat auxilium, multa mentitur ſibi. Cæcus eſt, qui mundialium rerum fallaciam non videt. Semel mentienti vix ſapiens credit: quid dolosè caduco auxilio rerum mundialium tutò te credis? Semel decipi ſapiens poteſt; bis decipi, niſi inſipiens non poteſt. O quàm eſt attentè videndum, vbi ſpem tuam colloces; quæ benè collocata, acerrima virtus eſt, eamque nec vltima neceſſitas excutit! Erectior in rebus caducis fiducia, cadauer ſpei eſt, & ficti vigoris titubatio.

2. *Iudicum 16. v. 28.*

Iudicum 16. minus eſt quod de ſuo Hercule docta antiquitas ambitioſo mendacio finxit, quàm quod Hebræus Samſon verè geſſit. At excîſis cincinnis fortitudine viduatus, exoculatus etiam catenis arctiùs ad cuſtodiam vincitur. Sed interim *iam capilli eius renaſci cœperant* Ductus verò in Dagonis templum, vbi Philiſthinorum principes cum frequentiſſimo populo conuenerant, vt Samſon coram eis exultim luderet, ille inuocato Domino ait: *Domine Deus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem priſtinam Deus meus, vt vlciſcar de hoſtibus meis.* Hebraicè. *Adonai Iehouæ, memento mei quæſo, & robora me obſecro tantùm hac vice Elohim.* (*Hebræus.*) ſupplicantis blandis Dei nominibus, ſunt preces. Sed quorsùm precatur, vt redonetur illi quod iam præhabet? An non concinno ſeptem crinium alligatum cœlitùs erat giganteum illud robur? Si *iam capilli eius renaſci cœperant*, & cum illorum cremento priſtina dudùm fortitudo reſtituta quorsùm eam nunc precariò poſtulat? Pulchrè inibi Caietanus: Deum *gubernatorem ac iudicem vniuerſorum inuocat; nec confidit in auctis capillis qui obſecrat ſupplex pro robore hac vice.* Nimirùm Samſon probè ſciebat, & frequenti perſæpè experientiâ nouerat, illi crinium cincinno alligatum fuiſſe robur; at quia ſemel defecerat, dum à Philiſthinis captus eſt, non illi ampliùs tutò ſe credit: ſed licèt *iam capilli eius renaſci cœperant*, & vigore priſtino roboratus vigeret, *non confidit in auctis capillis*, & creatam opem ſemel deficientem non aduocat auxiliarem; ſed diuinum auxilium fidenter implorat. quaſi degenerem ac eiectaneam putet ſpem, quæ in eo etiam quod præhabet robore, exertè confidit. Quis defectiuæ aliquandò opi tutò ſe iterùm credat. Hinc Samſon etſi capilli excreuerant, *non confidit auctis capillis*; ſed obnixiùs Deum obſecrat: *Redde nunc mihi fortitudinem priſtinam Deus meus.* Scilicet rei creatæ, & vel ſemel deficientis, dubia fides eſt.

*Cur Samſon fortitudinem priſtinam, quam iam habet petit?*

*Caiet. inibi.*

3. *4. Reg. 2. v. 14.*

4. Regum 2. abeuntem iamiam Eliam Eliſeus rogat: *Obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus.* nempe ſpiritus prophetiæ, & miraculorum. Annuit Elias, ſi cum abeuntem Eliſeus cernat. Et ecce currus igneus, & qui ignei diuiſerunt vtrumque: & aſcendit Elias per turbinem in cælum. Et Eliſeus leuauit pallium Eliæ quod ceciderat ei: reuerſuſque ſtetit ſuper ripam Iordanis, *Et pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percuſſit aquas, & non ſunt diuiſæ, & dixit Vbi eſt verbum Eliæ etiam nunc?* (ſic legunt aliqui apud Hugonem (*Percuſſitque aquas, & diuiſæ ſunt hùc, atque illùc, & tranſiit Eliſæus.* Verbo, & promiſſione Eliæ Eliſeus ſpiritum prophetiæ, & miraculorum accepit; ſpondetque ſibi patrationem miraculi, ex verbo, promiſſione, & pallio Eliæ; ſed euentus ſpem ſemel fefellit; & tamen iterùm audet. Ita quidem & conſultiſſimè & moraliſſimè: Vulgatus enim non habet, *Vbi eſt verbum Eliæ (id eſt, promiſſio Eliæ) etiam nunc?* vt Hugo commentatur; ſed, *Vbi eſt Deus Eliæ etiam nunc? Percuſſitque* iterùm *aquas, & diuiſæ ſunt.* Scilicet forſan primò Eliſæus percuſſit Iordanis aquas, mero Eliæ pallio ac verbo fretus, & non ſunt diuiſæ. vndè non iterùm recurrit ad id, quod ſemel caſſum expertus eſt, ne iteratò humanam fidem fruſtret euentus: ſed ait: *Vbi eſt verbum (Deus inquam) Eliæ etiam nunc? Percuſſitque aquas, & diuiſæ ſunt hùc, atque illùc, & tranſiit Eliſæus.* Itaque Eliſæi ſpes, quæ in mero pallio & verbo Eliæ ſita erat, mortaliſſimè fructu ſuo viduatur. At vbi in verbo Eliæ tranſlucet Deus, confeſtim patratur miraculum; vt erudiamur, ſpem humanam vnicè in Deo collocandam fore. Vnde Eliſæus non recurrit ad Eliæ verbum; ſed ad Deum, qui in Eliæ verbo fidei tranſparet. O quàm eſt caducum, & opis indigum humanum auxilium, quod non à diuino vigorem mutuatur! Vel in homine prophetâ quiduis ſpondente, hominem intermitte, & Deum potius in prophetâ loquentem audi; vt ſpes quæ de homine vacillat, de Deo roboretur; quod eſt vnicum fidei noſtræ fulcrum, & firma ſpei anchora. *Vbi eſt verbum Eliæ, id eſt, Deus Eliæ etiam nunc;*

*Hugo Card.*

*Cur Eliſæus iterum miraculū tentans non verbum, ſed Deum Eliæ aduocat?*

1. Regum

1. Regum 14. adhuc Saül atrociùs Danidem perſequitur. Aſſumens ergò Saül tria millia virorum fortium ex omni Iſraël, perrexit ad inueſtigandum Dauid, etiam ſuper abruptiſſimas petras, quæ ſolis ibicibus peruiæ ſunt. Intrauit autem Saul in ſpeluncam vt purgaret ventrem: porrò Dauid & viri eius in interiore parte ſpeluncæ latebant. Surrexit ergò Dauid, & præcidit oram chlamydis Saül ſilenter. Egreſſo autem Saül de ſpelunca, ſurrexit Dauid poſt eum, & clamauit poſt tergum Saül: Domine mi rex, quin etiam pater mi, vide, & cognoſce oram chlamydis tuæ in manu mea, quam cùm præcidi, te etiam occidere impunè poteram. Cùm autem Dauidis vocem Saül agnouiſſet, leuauit vocem ſuam, & fleuit: dixitque ad Dauid: Iuſtior es quàm ego:

1. Reg. 24. v. 23.

tu enim tribuiſti mihi bona? ego autem reddidi tibi mala. Et poſtquam multa amico & benefico ore locutus eſt, *Abijt Saul in domum ſuam: & Dauid, & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca.* Mirum ſanè eſſe, & valde mirum quòd Dauid vbi primum amicum fœdus cum Saüle iniit, & blando ac grato ore exceptus eſt, tunc cautiùs cum eo agit, ad tutiora loca conſcendens. An ab inimico ſuper ad gratiam reconciliato, magis timet? An ſolidæ reconciliationis ſpem abiecit, de eo qui ſemel illum fefellit? Non tantum exeria hoſtilitas, ſed beneuolentior Saülis gratia, Dauidi ſuſpecta eſt; Ita quidem: *Nam gratia malorum tam infida eſt quàm ipſi*, vt Secundus Nouocomenſis pulchre dixit. Scilicet gratia Saülis infida etiam eſt, & Dauidi magis ſuſpecta: vnde vbi primum Dauid in Saülis infidi gratiam grato obſequio rediit, *Dauid, & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca.*

Gratia Saülis tam infida eſt, quam ipſi.

Secundus Nouocom. Lucenſ.

5\. Lucæ 12. vt mũdialium bonorum opulentam egeſtatem proderet: hanc ſimilitudinem Chriſtus propoſuit: Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager attulit: Et cogitabat intra ſe, dicens: *Quid faciam. quia non habeo quò congregem fructus meos*; Ecce tibi diuitiarum vbertati appendix ſollicitudo, & nimia rerum mundialium opulentia paupertati confinis. O egenas vbertate diuitias, & indigentiæ cognatas! Nonne mendici pauperis vox eſt: Quid faciam? vndè victus? vndè veſtis? *Anguſtatur ex opulentia infelix in præſentibus bonis*, ait Beda, Et vnde hæc tam anxiè anguſta *in præſentibus bonis* ſollicitudo indiga, & bonorum egena? Quare indè paupertimè angitur, vnde opulente frui poterat? Apposite Hugo Carenſis: *Quid faciam? &c. reprehenditur iſte Diues, quia terram coluerit, vel quòd in horrea fructus congregauerit, ſed quia in illis ſpem vitæ poſuit.* Scilicet pauper eſt, & *præſentium bonorum* egenus, qui illa vbertim poſſidens, in illis ſperat. ô mundialium bonorum egeſtatem! etiam dum frui præſentibus bonis licet, *ſpem* in illis collocare non licet. Adeò mentita ſunt, fugitiua, caduca, vt eorum poſſeſſio ſollicitudinem generet, inopem anguſtiam pariat; & timorem ingerens, ſpem refutet? Eheu, vel eorum poſſeſſio ſic eſt poſſeſſionis indiga, vt obſes indigentiæ ſit, inopiæ præcoquus angor, & præpropera ſpei titubatio! Angitur hic, diues & ſtultitiæ prudenter arguitur, quia *in præſentibus bonis* vbertim poſſeſſis, *ſpem poſuit*. Bona de præſentibus poſſeſſiſque bonis deſperatio, diuinam opem meliori ſpe acceſſit, & fide anticipat.

Luc. 12. v. 17.

In præſentibus bonis ad hæc poſſeſſis ſperare non licet. Beda.

Hugo inibi.

Prouerbiorum 28. ſic monet Salomon. *Qui ſe iactat, & dilatat, iurgia concitat: qui verò ſperat in Domino ſanabitur.* pro τὸ *qui ſe iactat, & dilatat*, Hebræus, Aquila, & Symmachus excribunt, *latus animâ*, hoc eſt, latianimis. LXX. *inſatiabilis*, Vaticana *infidelis*. Multa adaggerant hic interpretes, vt genuinè exponant, quid ſignificet *latus animâ*, quod elogium in malam partem ſumitur, vt liquido conſtat ex antitheſi poſterioris hemyſtichij. *Latus animâ* eſt, qui magnis mundialium bonorum deſideriis auide æſtuat, qui multa hianter concupiſcit, qui omnes ſuas vires exerit, & dilatat, vt cupiditates ſuas expleat. Porrò latitudo hæc animæ ſeu cupiditas eſt triplex; putà, Prima eſt cupiditas honorum, quæ dicitur ambitio; Secunda opum, quæ dicitur auaritia; Tertia voluptatum, quæ dicitur gula & luxuria. Ergo *latus animâ* dicitur ambitioſus, auarus, & luxurioſus. ita inibi Cornelius. Vndè LXX. interpretes vertunt *Inſatiabilis*, talis eſt enim omnis cupidus. Et Vaticana habent, *Infidelis*: quia mundialibus bonis potiùs quàm Deo credit? & in ſuâ induſtria citius quam in Dei beneficentia falsò ſperat. Hinc in antitheſi poſterioris hemiſtichij ſcribitur: *Qui vero ſperat in Domino ſanabitur*, vel (vt habent LXX. interpretes (*in cura diligenti erit*, ſcilicet ipſius Dei. Apposite Philo hac ſuper re ita philoſophatur in lib. Quis rerum diuinarum heres. *Quàm difficile eſt*, inquit, *ſoli Deo credere: Rex nimirùm mortales, quibus circumdati ſumus ſuadent nobis vt credamus & fidamus gloria, potentia, amicis, ſanitati, & corporis robori, noſtræve in primis prudentiæ: has perſuaſiones penitiùs ex animo eluere, nulli creaturæ fidere, ſed in ſolo Deo omnes ſua & ſpes & opes habere collocatas, ex eóque totum mente animoque pendere, res eſt animi magni, & cæleſtis, non inſatiati, captique rebus terrenis.* Nimirùm *latus animâ* dicitur qui *inſatiabili* cupiditate, & velut *infideli* fiducia ad honores, opes, & voluptates hiat: aſt non *latus animo*, ſed vir *animo magno ac cæleſti eſt*, *qui ſperat in Domino*? hic, hic inquam, *ſanabitur* ab hoc humanæ ſpei languore, & *in cura diligenti erit* Deo, ne mentita felicitate illudatur, & veris bonis & pectus implentibus adipetur. *Latus animâ*, quia vanis & fallacibus bonis ſpe deluditur, ſemper ad alia, atque alia *inſatiabili* hiat, quoniam *infideli* poſſeſſione deridetur? *qui verò ſperat in Domino*, quia *animo magno & cæleſti* præditus eſt, concupiſcentiæ fallaciam deludens, veris bonis impletur, ſaginatur, adipatur. Quod hîc Estheri accidit.

6\.

Prouerb. 28. v. 25.

Tranſlationes variæ.

Cornelius. LXX. interp.

Philo.

Quàm ſint infida mundi bona: & indè mundialis ſpes.

Hic v. 8.

*\.*

## §. CCLIX.

*Non bona peccantis elogia, perfectior pœnitentia è diuerſo piè æmulatur, redintegrat, reſculpit.*

1. Ruritius l. 2. epiſt. 14.

POenitentia (ait Ruritius Epiſcopus) *non eſt nomen otioſum: quæ ex qualitate operis poſſidet laborioſa vocabulum. Non enim poteſt pœnitens dici, qui pœnitenda committit, ſed ille qui præterita peccata vel maculas humilitate cordis, ſubiectione corporis, bonorum operum ſedulitate, aſſiduitate orationum, continuatione gemituum, pectoris contuſione, lacrymarum profuſione detergit.* Hoc operoſum pœnitentiæ negotium; aut negotioſum laborem, viuacius, opinor, Tertullianus expreſſit, *Pœnitentiam* definiens, *paſſionem animi quandam eſſe, quæ veniat de offenſâ ſententia prioris.* Quaſi operoſum pœnitentiæ negotium, ſit bona mali delicti è diuerſo æmulatio. Paſſio corporis extimulauit ad delictum; *quædam animi paſſio* peragat pœnitentiam, quæ pia quadam ex oppoſito æmulatione delictum (vt vt poteſt (imitetur. De non bona offenſæ ſchola perfectior pœnitentia erudienda eſt, quò pœnitentiæ paſſio, paſſionem peccati quodammodò æmuletur. Præſcriptum thema thematis probatione elaratur.

*Pœnitentia paſſio, paſſionem, qua peccando offendimus, æmuletur.*

Tertull. l. de Pœnit. c. 1.

2. Pſal. 6. v. 7.

Dauid ille dudùm probitatis exemplar, nunc poſt peccatum pœnitentiæ idea, in Pſalmo 6. intercepta ſingultibus voce, ſic pangit lugubri planctu: Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, & lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Nec ſine emphaſi ethicè luculenta addi: *Turbatus eſt à furore oculus meus, inueteraui inter omnes inimicos meos.* Pertinent hæc verba ad effectum indicandum illius profuſionis lachrymarum, qua Dauid peccatum ſuum per pœnitentiam detergere ſatagit. In Hebræo enim pro *turbatus eſt*, habetur, *caligauit* ſeu *corroſus eſt oculus meus, vt ſenſus ſit*, (ait inibi noſter Bellarminus) *Oculus meus propter furorem & indignationem meam contra turpitudinem peccati, à fletu nimio quaſi corroſus caligauit, & turbatus eſt.* Litteraliſſimè pariter ac moraliſſimè magnus hic Doctor, eruditione, ac ſanctitate, quam purpura nobilior. Mitto peccatoris dum peccat, caliginem aut cæcitatem, quam pœnitens Dauid æmulatur, cum à nimio fletu, quaſi corroſis oculis caligat. Verùm expenſione digniſſimum eſt, quòd viuidum pœnitentis Dauid affectum exponens, illum non modo *indignationum*, ſed *furorem* etiam contra anteactæ vitæ turpitudinem appellat. Scilicet hominis paſſio, quæ illum ad peccandum inſtigat libidinis, aut auaritiæ, aut ambitionis, aut iracundiæ ſcelere, *furor* à ſanctis Patribus communiter nuncupatur, frequens enim eſt in eorum ore, *Paſſionum furor*: benè ergò, & optimè Dauidis pœnitentiæ *furor contra turpitudinem peccati* adſcribitur; vt conſimilis è diuerſo affectus ſeu paſſio, quæ peccantem delictis commaculat, pœnitentem à delictis emaculet, ne inerter ſegnis ſit ad pœnitendum affectus, dum acer paſſionis *furor* ad delinquendum inſtigauit. Furit Dauid enormiùs peccando, furit etiam quodammodo viuidiùs pœnitendo, vt *pœnitentia ſit paſſio animi, quæ venit de offenſa.* Furor qui in delinquente culpatur, laudatur in pœnitente. Nimia in pœnitente prudentia, pœnitentiæ languor eſt *Furor* in pœnitente ſuas vires cum aſſumendis aſperitatibus ſcrupuloſè non componit; nec aſſumendas vilitates cum honoris faſtu; nec faciendas eleemoſynas cum facultatibus, nec ieiunia cum valetudine. Scrupuloſa hæc attentio, circumſpectæ prudentiæ obtentu, dum *furorem* dediſcit, perfectiori pœnitentiæ non parùm detrahit. Pœnitentia enim pius quidam *furor* eſt, & *paſſio* animi, quæ venit de offenſâ. Præ inertià inſanit, qui hunc viuidæ pœnitentiæ pium *furorem*, inſaniam putat. Forſan non ſatis ſana pœnitentia eſt, quæ Dauidicæ pœnitentiæ æmula, non ſic piè furit. Si alicubi, hîc vel maximè, locum habere poteſt exaggeratio illa apud Clementem Alexandrinum celebris: *Non oportet ſemper prudentiam habere.* Nimia enim prudentia in re pœnitentiæ, remiſſio eſt, inertia eſt, & non peccati, ſed aſſumptæ pœnitentiæ diſſimlatau pœnitentia.

P. Bellarm. ibi.

*Pœnitentia ſit furor quidam contra turpitudinem peccati.*

Clem. Alex. aliàs expenſus.

3. Prouerb. 5. v. 4.

Prouerbiorum 5. his verbis homines Salomon erudit: *Ne attendas ad fallaciam mulieris.* (Mulieris nomine omnis voluptas, quæ blandè ad delinquendum allicit, ethicè intelligitur) *Fauus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius.* Quæ verba ſic Laurentius Nouarienſis exponit. *Dulcia ſunt vitia dum in actu ſunt.... Ad tempus quidem vngit gulam, impinguat fauces*, voluptas peccandi inquam. At pœnitentia dum corda dolore pulſat, ſcindit, conterit: dum euntibus lacrymis genas rigat; dum funeſtis gemitibus aëra toxicat; dum ambitioſo pœnitentiæ ſqualore, inediâ marcet, & ſacco ac cinere ſordide volutatur; inſuauis eſt & amara valde fella propinans. Imò mella grate delibans; quò voluptas quæ peccato adfuit, pœnitentiæ ſubſit. Audiendus eſt idem Laurentius Nouarienſis nuper laudatus. *Eſto armiger pœnitentiæ, & protinus euertes peccatum. Dulce fuit vitium cùm delectauit animam; ſed fiat tibi nunc dulcior pœnitudo, quæ non ſolum delectet, verùm etiam nutriat animam.* Itaque de voluptate peccati contra quod accerrime pugnat, ad ſaporis gratiam pœnitentia erudienda eſt, ne dulcis peccandi ſapor pœnitentiæ deſit. Si male cæcus peccandi *furor* dulcedinem in peccato reperit; pœnitentiæ bonus *furor* corroſis lacrymando oculis caligans, non abſimilem in pœnitendo dulcedinem aut inuenit, aut facit; ne voluptatis gratia deſit pœnitentiæ, quæ peccato ſubeſt. *Dulce fuit vitium cùm delectauit animam; ſed fiat tibi nunc dulcior pœnitudo*: vt cognata voluptas quæ naturaliter peccato ineſt, in pœnitentiæ amaritudine meliùs peregrinetur.

S. Laur. Nouar. homil. de Pœnit.

*Pœnitentia dulcedo, peccandi voluptatem æmuletur.*

Idem ſupr.

Lucæ 7. ingreſſus Ieſus domum Phariſæi diſcubuit. *Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur*

*labatur pedes eius.* Nunquid neſciebat Chriſtus publicæ ſcortationis diffamiam? Numquid ignorabat meretricis attactum, Phariſæo, & reliquis diſcumbentibus ſcandalo futurum? Non ei imputauit Dominus quod videbatur imputandum, nec ei dixit; Meretrix, adultera, fornicaria, fluida; tu venis ad me, tu proximaſti, tu auſa es pedes meos pollutis manibus contingere? non vides maſſam malorum tuorum? calent adhuc in te crimina, membra tua fetuorem libidinis ſpirant, corpus tuum ſpecie tenus venuſtum, criminoſis maculis fœdum eſt. Animam tuam medullitùs, contaminationis tuæ funeſta ſarcina premit; & tu tantis ſceleribus deprauata, auſa es venire ad me? Si veniam per pœnitentiam poſtulare venis, cur venis conuiuio importuna? Si pœnitens ades, vbi eſt pudor? Temeraria inuerecundè audacia, conuiuarum aſpectum, & cenſuram negligens, te adhuc meretricem oſtendit. Meretriciæ proſtitutionis tuæ notas, in tuâ pœnitentiâ non dubiis characteribus lego. Imò exindè pœnitentiæ perfectionem agnouit Laurentius Nouarienſis, quæ peccatorum non bona elogia, e peruerſo benè æmulatur. *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, &c. Subitò quaſi meretrix audax intrauit in domum, & attritam publicis aſpectibus frontem obtulit Saluatori. Audacter intrauit......... Non reſpexit ad Phariſæum, ſed rectè lumine direxit ad fontem, pudore priuata, & pœnitudine armata.* Ecce tibi hæc mulier, quæ in vniuerſâ Chriſti Eccleſiâ proponitur pœnitentiæ idea, & quæ pœnitudinis arcano vigore, vel potiùs pio *furore*, *facta eſt de meretrice virgo* (vt loquitur magnus hic Doctor) *Subitò* venit, quaſi inconſultò adſit: ſubita autem omnia putantur incauta, & vitio proxima. *Audax* dicitur, quæ *audacter intrauit*: audacia autem temeritati vitiorum confinis cenſetur. *Attritam publicis aſpectibus frontem offert* importunè conuiuis: & *pudore priuata*, nec Phariſæum reueretur, nec pedum Saluatoris attactum. *Ne tu verecundiâ bonus* (ait Tertullianus) *ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum verò ſubducens.* Pœnitentiam appellat veniæ deprecationem. O bonam ſcorti pœnitentis impudentiam, quæ impudentiam fluxæ ſcortationis æmulatur. E ſcholâ delictorum, bonus pœnitentiæ *furor* eruditur; & impudens libidinis paſſio, in pœnitudinis *paſſione* tranſlucet, ad perfectioris pœnitentiæ idealem exaggerationem.

*Quæ impudēs, impudice ſcortabatur, pudore priuata pœnitens amat.*

... No- ... homil. ... c.

*Magdalena ex meretrice virgo dicitur, de scea- ... fa nuen- ...*

Tertull. l. de Pœnit. c. 10.

4. Huius hiſtoriæ caput 14. opinatiſſimam Eſtheris pœnitentiam continet. *Cumque*, inquit, *depoſuiſſet veſtes regias fletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit, & pro vnguentis variis, cinere & ſtercore impleuit caput, & corpus ſuum humiliauit ieiuniis omniaque loca in quibus antea lætari conſueuerat, crinium laceratione compleuit.* Forſan cenſebit aliquis, quòd hæ vilitates, & reliquæ ignominiæ, quæ ſacer Hiſtoricus ſubindè recenſet regiæ Eſtheris maieſtati, & decoro regio inidoneæ videntur, Sed eſtò, iſtiuſmodi vilitates peregrinentur in Reginâ; at hæc ſqualoris piè ambitioſi contumelia valdè pœnitentibus congruit, vt elogia peccati, pœnitentia è diuerſo repræſentet. Nam tempeſtiuè in lib. de Pœnitentiâ dixit Tertullianus de eo qui peccat, quòd *intellectui ſuo contumeliam facit.* Scilicet peccatorum notamenta in pœnitente tranſparent. Ignominioſa reginæ ſit tanta Eſtheris in pœnitendo vilitas: ſed qui dum peccat, *intellectui ſuo contumeliam facit*, dum verè pœnitet pœnitentiâ exemplari, conſultiſſimè contumelioſus ſibi eſt, & ignominioſa moraliſſimè elogia reſumit, quæ ſemel peccando ſumpſerat, quò pœnitendi paſſio paſſionem peccandi audacter æmuletur.

Eſther. 14. v. 2.

*Contumeliā peccandi, quomodo pœnitentia æmuletur.*

Tertull. l. de Pœnit. c. 5.

Lucæ 7. Chriſtus Deus domum Phariſæi ingreſſus, diſcubuit cum eo pranſurus. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti: *Et ſtans retrò ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Magdalena dum pœnitentiæ auſpicium dedicat, pedes Domini *tergebat, oſculabatur, vngebat*, quod obſequij permanentiam indicat: at non ſic dicitur, illacrymabat ſeu pœnitentiæ lacrymas fundebat; ſed *lacrymis cœpit* rigare pedes eius. Quid eſt, *cœpit*? An *cœpiſſe* contenta officium pœnitendi, & diluendi lacrymis peccata inhibuit, incœpiſſe contenta? Opinor, in hoc loco recentis pœnitentiæ idea præponitur, quæ timet crebrò lacrymis etiam antiqua deteſtari flagitia, ne vel in deteſtatione inſolenter placeant, & teneræ adhuc ac recenti virtuti aliquid priſtinæ malitiæ allinant. Primo pœnitentiæ impetu victum hoſtem, ſæpè fuga potiùs, quàm iteratus conflictus deuincit, nec prouocare ſæpè audet aduerſarium, qui etiam deteſtatione fraudulenter allicit, & ſubdolè placet. Audiendus eſt hâc ſuper re Philo in lib. de Migrat. Abrahami: Secundus, inquit ad ſalutem aditus eſt fuga, ſi repugnare non datur; quandò etiam ſuapte naturâ luctantem cum affectibus, necdum perdomitum, ſed concertantem cum ſingulis, *non ſinit cum eis confligari perpetuò, ne fortè indè aliquam peſtem ſibi affricet. Multi enim ex aduerſariis vitij facti ſunt imitatores.* Scilicet tyro in re virtutis, vitiis quondam adſuetus, dum recens pœnitentiam dedicat, cautè agit, & lacrymari incipit, ne vel de ipsâ pœnitentiâ ſuam malitiam vitioſus dudùm affectus inſidiosè afficiat; & dum nouus præliator vitium auerſatur, vitium imitetur, opinor, non bonâ imitatione; quæ in veteranis, id eſt viris perfectis generosè elucet: nam (vt vidimus) perfectior pœnitentia è diuerſo æmulatur non bona peccantis elogia.

Lucæ 7. v. 38.

*Multi dum auerſantur vitia, ea peruerſam imitantur.*

Philo.

*Vitium, etiā dum cum eo confligitur, peſtem ſuam affricat.*

## §. CCLX.

*Vera pœnitentia ſic hominem refingit in alium, vt eadem grauatè iam ferat, in quibus nuper deliciabatur.*

1. VIr ſapiens, & virtutis impensè ſtudioſus miſerrimos mortalium iudicat (in quantiſcumque honoribus ac diuitiis refulgebunt) ventri, ambitioni, ac libidini deditos: quorum animus inerti vitiorum otio torpet. Dicat ergò ipſe ſibi: Voluptas fragilis eſt, & breuis pœnitenda

nitenda, & faſtidio obiecta: quò diuturniùs & auidiùs hauſta eſt, citiùs in contrarium recidit: cuius ſubindè neceſſe eſt aût pœniteat, aut pudeat. Res humilis, membrorum turpium ac vitium miniſterio veniens, exitu fœda. Citò ambitio nouâ honorum libidine poſſeſſorem inquietat. Virtutis voluptatem experietis æqualem, intrepidam, nunquam cenſuram tui tædium, nunquam pœnitudinem, id eſt ratdam rei capeſſendæ, aut refutandæ cognitionem. Hæc hominem facit ſui, (etſi fas eſt dicere) diuini etiam iuris, de præſentibus honeſtè

*Vera pœnitētia, & arrepta denuò virtutis ſignum.* gaudet, ex futuro non pendet. Hæc modeſtè auerſatur, quæ priùs in deliciis erant. Hæc ſic hominem refingit in alium, etſi ipſum, vt ea grauatè, & moleſtè, & acerbè ferat, in quibus olim voluptuosè deliciabatur, ad quæ auidè ferabatur, ad quæ impotenter hiabat. Hanc cape denuò arreptæ virtutis notam, hunc benè auſpicatæ pœnitentiæ characterem, ea grauatè ferre; quibus dudùm oblectabaris, inaniſſimis voluptatibus adgaudere aſſuetus. Sua iam facies vitio, ſua virtuti redditur; dum moleſtiam iam patit, quod voluptatem nuper titillabat,

Hic v. 2. Hinc Eſther cùm *fletibus ac luctui apta indumenta ſuſcepit....omnia loca, in quibus anteà lætari conſueuerat, crinium laceratione compleuit.*

2.

Ioan. 5. v. 8. & 9. Ioannis 5. in pecuinâ illâ Ieroſolymis piſcinâ tot languentium ægra ſpes reponebatur. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſuâ. Hunc cùm videret Ieſus iacentem, & cognouiſſet quia iam multo tempore langnebat immedicabili humaniùs paralyſi; inopinatam ſalutem derepētè paralytico obtulit.

*Quod nuper paralytico erat requies iam ſanato pergraue eſt.*

*Dixit ei, Ieſus: Surge tolle grabatum tuum, & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille: & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat.* Non dicitur priùs paralytico dediſſe ſalutē, & poſteà imperaſſe vt grabatum ferret: ſed iuſſione grabati ferēdi ſanitatem accepiſſe: vt erudiamur, paralyticum ſimul cum diuino imperio, facultatem & ſanitatem ad illud integrè obeundum accepiſſe. Sed expenſione digniſſimum eſt, quòd Chriſtus nuper ægroto, & perdiu paralytico, vix curato à languore diuturniſſimo, ſtatim præcipiat, vt grabatum ſuum humeris ferat, quod forſan homo integris viribus vegetus, ferre non poſſet. Quorſùm tam graue & impeditum grabati onus, vbi primùm curatus eſt, & à languore ſurrexit, ferre iubetur? Quare nuper paralyticum ad ſanitatem feliciter reſtitutum, grabato in quo iacebat, requieſcebatque ſic moleſtè degrauat? Verùm cùm hic diu paralyticus, ſit peccatorū ſymbolū, qui *ſurgere* per pœnitentiam iubetur, moraliſſimè illi dicitur, vt lecto infirmitatis ſuæ graue-

Hugo Car. tur, quod appoſitè Hugo Carenſis his verbis ibidem adnotauit: *Surge*, inquit, *à peccatis recedendo. Tolle grabatum tuum, delectionem peccati in onus pœnitentia apertè conuertendo.* O bonę per pœnitentiam conuerſionis perfecta idea, quam Chriſtus hominibus proponere feſtinat! Scilicet lectus in quo peccator dudùm iacuit, in quo otiabatur, in quo requieſcens gratum leuamen ſumebat; vbi primùm *à peccatis* per veram pœnitentiam recedit, iam grabatum illi eſt, & onus moleſtum ac pergraue. *Tolle grabatum tuum, delectationem peccati in onus conuertendo.* O bonum bonæ pœnitentiæ & conuerſionis notamentum! quod nuper voluptati erat, iam grauiter moleſtum tibi eſt: in quo nuper auidè deliciabaris, iam peracerbum eſt: ad quod hiabas, iam præ faſtidio nauſeas: & lectus vbi quietem & laxamentum ſumebas, grabatum pergraue tibi eſt.

Ioannis 11. Lazarus ille opinatiſſimus peccatorum typus, iners putidè cadauer in tumulo iacet, & quatridua ius fœtet. Illacrymant ſorores, luget & cognata Ieroſolymatum turba, & cum funeſtum caſum flentibus Chriſtus etiam opplorat. Sepulcralem tamen lapidem tolli iubet, & voce magnâ clamauit: Lazare veni foràs. (Qui aliàs vel tacitùs miracula patrare ſolitat, *magnâ* voce clamat, vt Lazarus reſurgat?) *Et ſtatim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis.* Multa litteraliter & myſticè mouent Commentatores vt exponant, quamobrem Lazarus reſurrexit ligatus pedes, & manus *inſtitis*? Si dudùm mortuus, rediuiuus ſurgit, hæc manuum ac pedum impedita ac moleſta ligatio, quid typicè præſtat? quid ethicè præfigurat? Sanctus Auguſtinus audiens ex Marthæ ore, quòd Lazarus *iam fœtet quatriduanus*, in hoc rediuiui peccatoris ſymbolo luxuriam ſubolet, ita elegāter fatus: *Dicit illi Martha: Domine iam quarta dies eſt, & fœtet. Vltimum quatuor elementorum terra eſt. Significat ergò fœtorem terrenorum peccatorum, id eſt, carnalium. Quòd autem exiuit à monumento, animam ſignificat recedentem à carnalibus deliciis: quòd verò inſtitis inuolutus, hoc eſt, quòd etiam à carnalibus recedentes adhuc tamen in corpore conſtituti, alieni à carnalibus moleſtiis eſſe non poſſunt.* O bonum bonæ à peccato reſurrectionis, & perfectæ ad Deum conuerſionis ſymbolum, in Lazaro adumbratum! Nimirùm rediuiuus exit è monumento, à peccatorum *carnalibus deliciis* recedens: ipſe autem voluptatum iam refuga, *ligatus pedes, ac manus inſtitis* reſurgit ad melioris vitæ ſugem, arcanè *inſtitis* ad malum præpeditus; nam quod nuper ipſe in peccatis voluptans, *carnales delicias* putabat, iam reputat *carnales moleſtias*, quaſi quæ nuper erant *delicia*, quas hianter caro ſuſpirabat, mirâ quâdam metamorphoſi, tanquam *carnales moleſtias* auerſetur: & de eiuſmodi faſtidioſâ *moleſtiâ*, ad deliciarum rurſùs appetentiam, impeditum, & inidoneum ſe reputet.

3. Ioan. 11. v. 44.

*Lazarus à mortuis reſurgens carnales delicias putat moleſtias.*

S. Auguſt. l. 83. qq. quæſt. 65.

4. Eccle. 2. v. 3. & 4. Lorinus ibi.

Eccleſiaſtæ 2. Salomon iam meliora ſapiens: *Cogitaui*, inquit, *in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad ſapientiam deuitaremque ſtultitiam.* Hæc eſt norma rectæ conuerſionis, (ait inibi Lorinus noſter) vinum, id eſt, peccatum, & occaſiones amputare peccati; nouam vitam aſſumere, ſapientiam complectendo; firmiter in hoc propoſito, quandiu durat vita, permanere. Benè eſt, Salomon hactenùs vetuſto madens phalerno, aquam ſobriè bibat, & ſitim è puro fonte ſedet. Sed quid eſt, quòd ſtatim verſ. proximè ſequenti ait: *Magnificaui opera mea: ædificaui mihi domos*, (rurales inquam) *& plantaui vineas, quaſi nō ſufficerent plantatæ ab aliis*, addit inibi Hugo. An votum nuper ſobrietatis retractat Salomon, & de vini aliquandiu abſtinentiâ, vini ſitis auidiùs inacreſcit, acriori hiantius

Hugo ibi.

*Pœnitens Salomon à vino abſtinens vineas plantat plantans tot faſtidia, quot vites.*

hiantiùs appetentiâ: Vineas denuò plantat, quaſi ei non ſufficerent ab aliis plantatæ, qui nuper feruore pœnitentiæ inſtinctus, firmiter *cogitauit in corde ſuo abſtrahere à vino carnem ſuam, vt animum ſuum transferret ad ſapientiam*, mundialibus delicijs vale dicens? Sic iam pœnitens Salomon hiat ad deſertas voluptates, & ad expetitas conſultiùs aſperitates nauſeat? Imò Salomon, qui perfectæ pœnitentiæ hic typum gerit, (vt dicebat Lorinus) dum *riſum reputat errorem*, & irridet gaudio, quaſi *fruſtrà decipiatur*, quandoquidem non iam ſui appetentiam, ſed faſtidium ingerat; ſecurè iam *plantat vineas*, dum *abſtrahere à vino carnem ſuam* vouet, non tam illicia parans, quàm faſtidia multiplicans. Qui *riſum* iam reputat errorem, & *gaudium* cenſet friuolam pueriliter deceptionem; vinum etiam putat abſinthium, & melleam ſuauitatem, velut fella faſtidit. Securè ergò Salomon ambitiosè pœnitens, & à vino ſobriè abſtinens, vineam denuò plantat, plantans tot faſtidia, quot vites. Sed hic locus

Eccl. 2. v. 2. ex dicendis n. 6 ampliùs enucleabitur. Aduocare etiam licet ad thema præſens illud verſ. 2. nuper perſtrictum: *Riſum reputaui errorem: & gaudio dixi. Quid fruſtrà deciperis?* Conſule inibi Commentatores.

5

Ioan. 4. v. 28. Leontius ibi.

*Samaritana hydriam negligit, dum ad Christum intentius conuertitur.*

Ioãnis 4. fatigatus ex itinere Chriſtus exæſtuãs ſedet iuxta fontem Iacob. Venit illùc mulier Samaritana haurire aquam, torrente Sole in ipſo feruore diei. Colloquia ex aquæ expetitæ occaſione miſcent; & inter confabulandum illi Chriſtus omnia peccata pandit, & vrbanè exprobat, illam ſenſim ad pœnitentiam alliciens. Quæ vbi cognouit, quòd Chriſtus eſſet: *Reliquit hydriam ſuam mulier, & abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite*, &c. Voluit nobis Euangeliſta (vt etiam Leontius admonuit) hoc facto ante oculos ponere, quanto ſtatim ſtudio fidei, & pœnitentiæ ardore mulier illa fuerit incenſa. Vſque eò enim prorsùs vt rerum omnium oblita, & aquæ cuius hauriendæ ferendæque cauſsâ venerat, & ipſius hydriæ, quam ſecum tulerat, nihil iam aliud quàm de Chriſto cogitaret. Sic iam nauſeat ad frigidam, quam ſiti vrente nuper expetebat, & conficiendæ viæ æſtu exarſerat, vt hydriam negligat, expetiti potus oblita? Mulier Samaritana, ait Augu-

S. Auguſtin. Tract. 15. in Ioann. ſtinus, *audito, Ego ſum, qui loquor tecum, & recepto in cor Chriſto Domino, quid faceret, niſi iam hydriam dimitteret; Proiecit cupiditatem, & properauit euangelizare veritatem. Venerat mulier ad fontem Iacob, inuentóque Chriſto meliore fonte aqua viua ſalientis in vitam æternam, illum neglexit, ex hoc haurit.* Neglexit mulier hydriam, oblita iam expetitum frigidæ potum, quæ de fontibus Saluatoris viuam aquam inuenit. *Proiecit cupiditatem*, quam hydriæ neglectu faſtidit, dum auidiùs properauit ad veritatem. Hydriæ neglectus, dum ſub torrente Sole præ ſiti nuper æſtuabat libidinum feruore, veræ animitùs conuerſionis argumentum eſt, augmétum eſt: ſiquidem ad nuper experita auidiùs nauſeat, inopinato rei inopinatiſſimæ faſtidio, verè pœnitentibus cognato.

6. Redeat iterùm iam expenſus Eccleſiaſtæ lo-

Eccle. 2. v. 3. & 4. cus, in quo Salomon hactenùs delicijs deditus, perfecti ſobriè pœnitentis ideam in ſeipſo deſcribit: *Cogitaui*, inquit, *in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad ſapientem.* Benè eſt delicioſo vini potu voluptatum conceptaculo fraudetur iam Salomõ & poculentas menſæ delicias conſtãter abiiciat. Sed confeſtim tanquam voti immemor, aut votiuæ temperantiæ citò pœnitens, ſubdit. *Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas.* Vbi primùm de pœnitẽtiæ propoſito mente vouet a *vino* abſtinentiam, ſtatim *vineas* plantat! Ecquis vinearum vſus, ei qui vinum faſtidit? Pœnitentis Salomonis incõſtantia hæc eſt, an perfectæ pœnitentiæ notaculum, & ſalubris pœnitentium eruditio? Eloquenter S. Cyprianus de Cœnâ Domini differẽtiam deſcribit inter vinum Euchariſticum, & deliciarum vinum: *Qui de ſacro calice bibit*, inquit, *ampliùs ſitit, & ad Deum viuum erigens deſiderium, ita ſingulari fame vno illo appetitu tenetur, vt deinceps fellea peccatorum horreat pocula, & omnis ſapor delectamentorum carnalium, ſit ei quaſi rancidum, radenſque palatum aucta mordacitatis acetum.* Ecce tibi bonum bonæ pœnitentiæ typum. Tutò *vineas* plantat, cui generoſum hactenùs phalernum, & poculentæ conuiuiorum deliciæ, fœculenta iam faſtidia ſunt, & pocula felle condita; nam perfecto pœnitenti voluptatum ſapor, quẽ nuper hianter ſuſpirabat, iam placendi gratiam dediſcens, illi eſt *quaſi rancidum, radenſque palatum aucta mordacitatis acetum.* Porrò mera ac vera pœnitentia ſic hominem recudit in alium in diuini timoris officinâ, vt eadem grauatè iam ferat, in quibus nuper gratiùs deliciebatur. Nauſeabit in antidotum, qui inhiauit ad venenum? Vna eſt humani languoris antidotus, ad voluptates tanquam ad fæculenta venena faſtidiosè nauſeare. Hoc mundanæ voluptatis faſtidium, perennaturas in cælo voluptates ſpe iam momordit.

*Verè pœnitenti, voluptatis hactenùs ſapor, rancidum aucta mordacitatis acetum iam eſt.*

S. Cyprian.

---

## §. CCLXI.

*Feſtinata pœnitentia famæ peccatoris conſulit, feſtinatiorem inuenit veniam, in Dominum velut transfert peccatum, & peccati alium fomitem reſecat.*

1. S. Ambroſ. epiſt. 42.

Sanctus Ambroſius epiſt. 42. ita ſcribit: *Caueamus ne hominem mulier, id eſt, paſſio, ſenſuum delectatione, & ipſa decepta effeminet, & circumſcriptum in leges ſuas, & ſententia trahat.* Parùm foret, quòd ſenſuum delectatio ſemel aut iterum aſtutâ ſeductione in ſententiam ſuã traheret; imò & hominem vinceret: niſi etiam maſculum viri robur ſic *effeminaret*, vt illi poſtmodum reluctari ægrè poſſit. Vnde homo, ſicut facile cadit, non facile adſurgit: mollicie enim voluptatis blandè *effeminatur*. Conatibus autem adſurgendi animos hîc addimus, vt qui de voluptatis imbecillitate *effeminatur*, de valido pœnitentiæ propoſito in vnum refingatur.

*Senſuum delectatio viros effeminat.*

2. Eccli. 3. v. 29.

Eccleſiaſtici 3. Cor nequam grauabitur in doloribus, *& peccator adiiciet ad peccandum.* O infauſtum de peccatore augurium! Quæ eſt hæc infelix mortalibus prophetia? Scilicet peccatum quod confeſtim per pœnitentiã non ex-

pungitur

pungitur, ſuo mox pondere trahit ad aliud: nam ſequens peccatum, quaſi ſequela eſt prioris, & meritiſſima illius pœna: & indè ſcelerum catena ſceleſtus velut immetatè trahitur. adeò vt ægrè poſſit peccatorum vincula aut infringere, aut exuere. Euſebius Emiſenus ſeriò adhortans ad celerem poſt lapſum pœnitentiam, ad hunc modum elucidat hunc Eccleſiaſtici locum: *Videamus quid eſt, Peccator adiiciet ad peccandum? verbi gratia, mali cuiuſlibet paſſio impugnare me cœpit, ſi non ſtatim me à rematudo vitæ huius momordit. Cras tanta mihi huius vitij facilitas veniet, & quadam (vt ſic dixerim) ſuauitas, vt reuocare me ab illo, & continere non poſſim. Ita enim eueniet, vt qui primo tempore emendare noluerit, incipiat in ſequenti nec velle, nec poſſe.* Sat eſto digitum intendiſſe ad Emiſeni hyperbolen. Indè, pronum cuique eſt intelligere, quàm ſit opus ocyſſimè ad pœnitentiam confugere, ne peccatum ſemel commiſſum diuturnitate inſoleſcat, aut potiùs inoleſcat.

*An qui in primo tempore ſe emendare noluit, in ſequenti nec velit, nec poſſit*

Emiſ. homil. 8. ad monach.

3. S. Iudas Apoſtolus in ſuâ epiſtola canonicâ, ita de peccatoribus ſcribit: Hi ſunt in epulis ſuis maculæ, arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ; *Fluctus feri maris deſpumantes ſuas confuſiones.* Bellè dicitur, quod peccator ſuas *confuſiones* peccando deſpumar, quia infamiæ *confuſio*, appendix peccati eſt. Et ſanè peccator non fluctui, ſed *fluctibus* comparatur: plures enim, non vnus fluctus deſpumare *confuſiones* ſuas, id eſt, delicti infamiam, perhibentur. Appoſitè Ennodius Senatori Auieno ita ſcribit: Benè magnitudo veſtra, dum origini & moribus præſtat obſequium, emendationem ſine interuallo coniungit errori: *& quod peccatum ſapienter intellexit priuſquam altero denuncietur, auertit.* Quis ſeriò ſibi perſuadat, illum peccaſſe, qui ſemel peccauit? qui ſine interuallo coniungit emendationem errori: Qui deliquiſſe credat, in correctione velociſſimum? Primum peccatum vt incredibile videtur, ſic ſemel delinquentem non infamat. Secundum verò ſicut primum facit credibile, ita vtriuſque diffamiam propagat. Exindè Auienus, *Quod peccatum ſapienter intellexit, priuſquam altero denuncietur, auertit.* Tectiùs peccat, qui peccauit ſemel. At qui pœnitentiam negligit, & emendationem protelat, velut *fluctus* feri maris ſuas *confuſiones* deſpumat, dum prius peccatum per ſecundum *denunciat* ad ignominiam; & benè tectum, malè prodit.

Iudæ v. 13.

*Sequens peccatum, prius commiſſum denunciat.*

S. Ennod. l. 5. epiſt. 17.

4. 2. Regum 12. Dei inſtinctu Nathan propheta Dauidi regi ſuum ſcelus animosè denunciat. Et confeſtim dixit Dauid ad Nathan: *Peccaui Domino. Dixitque Nathan ad Dauid: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Citò eſt Dauid conſecutus, quod optabat, obtinuit veniam, reſtituta eſt illi ſalus, imò reuocata vita, quam amiſerat. Benè notat P. Sanctius, quod vbi vulgatus habet, *Tranſtulit*, *Hebraicè eſt, Tranſire fecit à te; id eſt, fecit ne ſubiret peccatum; id eſt, peccati pœnam, quam in te ipſo ſubire debuiſti.* Citò pœnitentiam aſſumens, citius fecit ne ſubiret peccatum, quod quamocyſſimè Dominus ab eo tranſtulit. Pulchrè Eucherius, præſcripta verba inibi exponens, *Culpam*, inquit, *ſimpliciter confitetur, & dicit; Peccaui Domino: & Propheta reſpondit; Et Dominus tranſtulit peccatum tuum. velox confeſſio, velocior medicina: facto peccauit, verbo pœnituit.* Non potuit eſſe velocior confeſſio, quàm vt vbi primum audiuit Prophetæ vocem, confeſtim abſque vllâ morâ pœnitentiam arriperet: ſed adhuc velocior adfuiſſe medicina dicitur, quaſi naturam & feſtinatam pœnitentiam venia præcurreret. Sic in gratiâ velocis confeſſionis, & præproperæ pœnitentiæ, peccati venia tranſiliet? *velox confeſſio, velocior medicina*, & ocyor venia. Pulchrum ſanè ſpectaculum: in quo Dauidis pœnitentia cum Dei miſericordiâ de *velocitate* contendit. Non potuit eſſe velocior Dauidis confeſſio; nam audito ſcelere, ſtatim nullâ interpoſitâ morâ, incunctanter confeſſionem ſubiunxit: nec potuit citiùs. Dei autem miſericordia præuenienti auxilio maturauit ad præbitionem veniæ: & velocem Dauidis confeſſionem, in velociori gratiâ obſes veniæ præcurrit, & veniæ pignus in Dei gratiâ confeſſionem præmaturè anteuertit, ne in pietatis ſtadio velocior eſſet confeſſio, quàm venia. *Peccaui Domino. Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum. Velox confeſſio, velocior medicina: facto peccauit, verbo pœnituit.*

2. Reg. 12. v. 13.

P. Sanctius inibi, n. 19.

Eucher. ibidem.

*Velox fuit Dauidis confeſſio, ſed velocior venia.*

Verùm S. Ambroſius præfata verba ad rem præſentem aliter verſat, ſic fatus: *Ille rex tantus ac potens ne exiguo quidem momento manere penes ſe delicti paſſus eſt conſcientiam, ſed præmaturâ cõfeſſione atque immenſo dolore reddidit peccatũ ſuũ Domino.* Vide quã fuerit præproperè velox in Dauide peccati confeſſio, adeò vt auditâ Prophetæ voce, peccati conſcientiam penes ſe manere, nec *momento* quidem paſſus ſit. Ab *immenſo dolore* orta dicitur velox illa confeſſio, quę *præmatura* nuncupatur, non quia cruda, rudis, & incondita, nam quò magis præcox, eò in perfectionem honeſtatis ſaporem etudit pœnitentiæ fructum, qui præmaturè præcox, gratiùs ſapit. Et ſanè hæc præmatura Dauidis confeſſio, quæ immenſo doloris æſtu, peccatum ſuum quantocyus corde & linguâ ſudauit, *reddidiſſe peccatum ſuum Domino* perhibetur. ô inidoneus peccati ſequeſter! Profectò etſi omnia hominum peccata ſupra ſe ſuſceperit Homo Deus, Chriſtus, inquam; (*qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficiamur iuſtitia Dei in ipſo*) tamen præmaturè pœnitenti, & qui ſine interuallo emendationem coniungit errori, tantam Deus largitur gratiam cum munificâ veniâ, vt quò apud homines arceat effuſæ liberalitatis notam, velut peculiari titulo, illa penes ſe luenda ſuſcepiſſe dicatur. Indè Dauid *præmaturâ confeſſione atque immenſo dolore reddidit peccatum ſuum Domino.* 5.

2. Reg. 12. v. 13.

S. Ambroſ. in Apol. c. 2.

*Præmatura confeſſio peccatum ſuum Domino reddere perhibetur.*

2. Cor. 5. v. 21.

Numerorum 25. videns Phinees filius Eleazari ſacerdotis, quendam ex filiis Iſraël impudenter coram Moyſe & populo ingredientem ad ſcortum Madianitidem, ſurrexit de medio populi, & arrepto pugione, *Ingreſſus eſt poſt virum Iſraëlitem in lupanar, & perfodit ambos ſimul, virum ſcilicet & mulierẽ in locis genitalibus. Ceſſauitque plaga à filiis Iſraël.* Moraliſſimè ceſſat plaga cùm in ipſo conceptu peccatum ſtrenuè præfocatur. quod ethicè inibi his verbis. Origenes adnotauit: *Tibi*, inquit, *de manibus gladius corporalis ablatus eſt, & datus eſt gladius ſpiritualis. Accipe hunc gladium, & ſi vides Iſraëliticum ſenſum, id eſt, voluntatem cum Madianitis ſcortantem, ne parcas, ne diſſimules, ſtatim* 6.

Numer. 25. v. 3.

Orig. inibi.

*An feſtinata emendatio ipſum peccati fomitem reſecet?*

*num peccatum percute*,( nota quæ ſubiicit verba ) *imò ipſum fomitem peccati reſeca, ne vltrà concipias & generes*. Nimirùm pœnitentia gladius ſpiritualis eſt;ergò cùm laſciuiens appetitus ingredi ambit ąd Madianitidē voluptate pręſtigiatricem, in ipſo congreſſu vtrumqne perime: nam ipſe concupiſcentiæ titillatus, & lenocinantes blanditiæ, ſemen peccati eſt:ergò ante conceptum praui conſenſus, ſpurius delicti fœtus per maturantem illicò pœnitentiam trucidandus eſt. Quod ſi, vt Phinees ſtrenuè feceris, non modò peccatum felici abortu præpropere ſuſtuliſti; ſed ( ſi Origeni credis ) *ipſum fomitem peccati reſecaſti, ne vltra concipiat ac generet*. Profundè quidèm Origenes tantùm tribuit emendationi feſtinatæ, quæ peccati ſerpentem fœturam aut in conceptu præfocat, aut poſt conceptum quammaturè perimit, vt exaggeratiùs cenſuerit, *ipſum peccati fomitem reſecare*. O quàm multa paucis inſinuat magnus hic Doctor, quæ enucleatiùs expendere, obuium iam cuique eſt! Sed n. ſequenti adhuc explicatiùs tradentur.

7. Nuper dixerat Origenes: *Ne parcas, ne diſſi-*
Origen. ſup. *mules, ſtatim peccatum percute; imò ipſum fomitem peccati reſeca*. Quomodo autem velox pœnitentia, quæ emendationem coniungit errori, fomitem peccati reſecare dicatur, peridoneè Euſębius Emiſenus exponit, adhuc explicans præſcripta Eccleſiaſtici verba: *Et peccator adiicit ad peccandum*.
Eccli. 3. v. 29 Emiſ. homil. 2 ad Monach. *Feſtinata pœnitentia aliũ fomitem peccati reſecat, cum conſuetudinem auertit.*
Quæ ſic ad rem elucidat Emiſenus: *Verbi gratià, Superbia acquieſcere cœpi, &c. Si non ſtatim me pœnituit tam grauiter fuiſſe prauentum, ita de die in diem libentiſſimè me rapiet ipſa violentia conſuetudinis, & impetus paſſionis, vt iam nec delinquere me intelligam nec peccare me ſentiam. Obſcurat enim atque obruit intellectum onus delicti, aſſiduitas delinquendi*. Ecce tibi quem peccati fomitem feſtinata pœnitentia reſecet, & vix natum interſtinguat. Prauæ autem conſuetudinis malitiam alibi multis culpamus. hanc peccati fomitem appellat, eamque matura pœnitentia propropere reſecat.

8. Iob cap. 41. dum ingens illa maris bellua, Le-
Iob. 41. v. 21. uiathan inquam proponitur, ita ſcribitur: Sub ipſo erunt radij Solis apud alios, pro *Sole* habetur *teſta*: ( *Et ſternet ſibi aurum quaſi lutum*. Quæ verba nonnulli interpretes referunt ad naues mercatorum pretioſis mercibus, & auro onuſtas, quas vel ſubmergit Leuiathan, vel ſubmerſas proterit, & opprimit ſuo pondere, vt videatur ſternere ſibi lectũ ex nauibus, ex auro, ex mercibus, quaſi ex molliſſimo luto ac cœno.
Thargum. LXX. interp. R. Dauid. Thargum verò, & LXX. interp. ſic locum exſcribunt: *Omne aurum maris ſub eo, ſicut lutum inenarrabile*. Rabbi Dauid: *Sub eo erũt Margaritæ, vt Sol ſplendentes*. Sed curioſiùs ſciſcitabitur aliquis, quę nam ſit hæc comparatio luti ſeu cœni ad aurum & margaritas? Quid vilius & ſordidius cœno? quid pretioſius & nitidius auro?
S. Hierony. Planè hoc *lutum inenarrabile* eſt, & ſupra oculorũ ſenſum, & mentis cenſum. Pulchrè dixit S. Hieronymus in epiſt. ad Miner. & Alex. *In terrà aurum quæri, & de fluuiorum alueis ſplendentem proferri glaream: Pactolumquę ditiorem eſſe cœno quã fluẽ-*
*Ex oculis noſtris profluat Pactolus, pretioſior cœno, quàm fluento.*
*to*. Sanè hoc eſt cœnum ſeu *lutum inenarrabile*, quod in hoc opinatiſſimo amne pretioſius eſt, quã ipſummet fluentum. Malitiæ lutum peccando cogimus, quo ſqualidè ſordeſcimus lutosâ immunditie: at arcanum hoc lacrymarum fluentum dum inenarrabile delictorum lutum pœnitendo diluit feſtinatis oculorũ riuulis perenni velocitate fluentibus, hoc inenarrabili cœno homo non lutosè ſqualet, ſed ſplendidè nitet; non cœnosâ vilitate ſordet, ſed pretioſè ſplendet, dum delictorum cœnum lacrymarum riuulis dilutum, inſuſpicabili metamorphoſi tanquã aurum pretioſè micat, *Pretioſius cœno quã fluento*. quia *omne aurum maris ſub eo, ſicut lutum inenarrabile*. Quid tam mirum, & *inenarrabile*, quàm currentes velociter lacrymarũ riuos, pretioſiores & fulgentiores eſſe delictorum cœno, quàm cryſtallino oculorum fluento? O meritorum auari maturè feſtinemus in cœno delictorum, arcanâ pœnitentiæ vi pretioſum aurum quærere, inuenire, poſſidere! Ex oculis noſtris fluat Pactolus, *pretioſior cœno quàm fluento*, vt dum *inenarrabile lutum* illacrymando diluitur, in aurum pretioſiſſimum recudatur, & ex peccatorum cœno aurum ſplendeat. quod eſt magnum lacrymarum Sacramentum, quod nunc Eſther vberibus lacry- Hic verſ. 2
marum riuulis celebrauit.

---

## §. CCLXII.

### *Dubia ſemper eſt ſalus, & propè certa damnatio eius, qui ſceleroſæ vitæ pœnitentiam vſquead horam mortis procraſtinat.*

ALexander Macedo (ait Plutarchus) *inſtructâ iam ad prælium acie, cùm cerneret militẽ quẽ-* 1.
*dam id temporis amentum telo adaptantẽ, vt inu-* Plutar. in Apoph.
*tilem ſubmouit ab exercitu, qui id temporis appararet arma, cùm his vtendi tempus adeſſet*. Huic ignauo & improuido militi ſimiles videntur eſſe, qui tum demum ad ſe redire, & nouam vitam inchoare parant, cùm aut anteactæ vitæ præmia accipiẽda eſſent; aut ſe pœnitentiæ accingunt, ſub ipſam extremi ſpiritus horam. *Submouetur miles, qui tempore prælij induit arma adaptat.* Quamcitiſſima etiam pœnitentia dicitur à Clemente Alex. *Tarda cogitatio*. Clem. Alex. alibi expenſus.
Quid tarditatem tarditate amplificas? Tu tamen malo pœnitentiam ſtatim capeſſas, & bono tempore vti incipias. Senec. epiſt. 1. & 72.
*nam vt viſum eſt noſtris maioribus: Sera parſimonia in fundo eſt. Non enim tantũ minimum in imo, ſed peſſimum remanet*. Exindè rurſùs ait Seneca: *Ante ſenectutem curaui, vt benè viuerem; in ſenectute, vt benè moriar. Antè ad mortem, quàm ad vitam præparandi ſumus; vt ſatis vixerimus, nec anni, nec dies faciunt, ſed animus, &c.*

Matthæi 20. ſollicitus ille vineæ Dominus, exiit
primo mane conducere operarios. Conuentione 2.
autem factâ miſit eos in vineam ſuam. Et egreſſus Matth. 20. v. 6.
circa horam tertiam, & ſextam, & nonam, fecit ſimiliter. *Circa vndecimam verò horam exiit, & inuenit alios ſtantes, & dicit illis: Quid hìc ſtatis totà die otioſi?* Si totà die inerter otiati ſunt, quorſùm illos mittit in vineam, vt eam excolant? niſi fortè in noctis tenebris operam agricolationi nauare debeant in nocte autem perperàm agriculturæ vacatur: hæc eſt enim *nox quandò nemo poteſt operari*. *Qui vſquead vndecimam vitæ horam otioſus fuit totâ die otioſus dicitur.* Sed attentiùs exploremus quinam ſint hi operarij, & quomodo cùm aliquid diei reſtet, in quo adhuc poſſunt operari, *otioſi totâ die* dicantur. Hugo Carenſis ſic præſcripta Matthæi verba ad præſentem theſim elucidat: *Qui hìc ſtatis*, in-
quit, *mandatorum Dei obliti, carnis illecebris con-* Hugo inibi.
*fracti? Totà die, id eſt, totâ vitâ. Otioſi vobis nihil proficientes, pœnitentiam non agentes, in poſterum non prouidentes*, Itaque ille, ille inquam, qui vſque ad vltimam diei ( id eſt, vitæ) horam *otioſus* manſit, totâ vitæ die *otiari* conſultiſſimè perhibetur. Qui vſquead vltimam vitæ horam, *mandatorum Dei oblitus, carnis illecebris confractus eſt*,

*tota die otioſus* moraliſſimè dicitur, id eſt, *nihil proficiens, pœnitentiam non agens, in poſterum non prouidens.* Nam qui vſque ad vndecimam vitæ horam *otioſus* fuit, *tota die otioſus* perhibetur.

Matthæi 25. decem illæ virgines, quarum quinq; prudentes, moram faciente ſponſo, dormitauerũt omnes, & dormierunt. *Media autem nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit: exite obuiã ei.* Ecquis nam eſt hic clamor? & quis eſt, qui in ſponſi aduẽtu ſic clamat? Origenes hãc de re ita ſcribit: *Factus eſt clamor, ſicut exiſtimo, Angelorum: Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. Et ſuggeſtionem quidem hanc omnes audierunt.* In extremâ vitæ horâ vel Angelorũ vox admonens de appropinquãte Chriſti aduentu, vt dudùm paratos ſecum admittat, aut æternùm excludat; ſuggeſtio nominatur. O fatuè imparatis virginibus infauſta vox! Sed de hoc alibi quondam aliorsùm egimus. Sat eſto Origenis acumen hîc attigiſſe.

3\. Matth. 25. v. 6. Orig. Tract. 32. *Imparatis fatuè virginibus vox Angeli, ſuggeſtio nominatur.*

Lucæ 12. homo ille opimis fructibus ſtultè felix, ſibi de duraturâ abundãtiâ infauſtè gratulatur. *Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te.* In tam inopinato imminentis gehennæ infortunio, adhuc aliqua ſpes ſaluationis affulget. Neque enim ei indicitur futura ſtatim mors; ſed vnius noctis ſpatia illi benigniùs indulgentur. Ergò temporali iacturâ neglectâ, ſe colligat hic ſceleroſè Diues, & anteactæ vitæ ſordes extergens, tardæ licèt pœnitẽtiæ ſollerter inuigilet, quò inolita peccata expungat, & æternaturã vitã animi contritione redimat. Eſto, tempus non valde opportunum, ſaltem nõ nimis inidoneum illi adhuc ſupereſt: & dum animam morte non excuſſit, peccata per pœnitentiam excutere eualet, ſi feſtinet ad veniam. Quare, ac ſi iam prorsùs de re actum foret negotio deſperato animum deſpondet? Appoſitè Chryſoſtomus inibi: *Stulte, hac nocte animam tuã repetent a te. Semper ſtimulat nos,* inquit, *conſcientia peccatorum, ſed præcipuè cùm debemus trahi ad terribile iudicium: tunc enim tota congeries criminũ innouatur.* Eheu dum inſtat mors, & terribile Dei iudicium minaciter impendet, tota congeries criminum *innouatur*? Quæ eſt hæc criminum *innouatio*, quæ ad vicinum mortis cõſpectum, impreſſiùs peragitur? Pauor mortis, & neglecti olim iudicij horror, flagitia contemptim admiſſa, ſeriò reſculpunt, & in conſcientiæ officinâ denuò recudunt: O intempeſtiuè merſam animam in tantâ peccatorũ colluuie! O certum improuidis naufragium, quò imparata dudùm anima, in denuò acuminatos æternitatis ſcopulos iam iam cæcè impingit! Sic in morte atrociùs ſæuit vitæ tempeſtas! Dubiis characteribus tua tibi videbantur deſcripta peccata: ſed in horâ mortis *tota congeries criminum innouatur.* O, præpropere illa pœnitentiæ lacrymis dele, quiſquis æternam ſalutem amas.

4\. Lucæ 12. v. 20.

*In horâ mortis congeries peccatorum innouatur.*

S. Chryſoſt. homil. 29. in Matth.

Vel aliter præfata Lucæ verba elucidare liceat. Dicebat apud ſe hic Diues temporalium bonorum fruſtra ſollicitus, & æternitatis oſcitãter improuidus: *Anima habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te.* O inopinatam Dei vocem! Pulchrè Cæſarius quaſi hæc Lucæ verba commentaretur, ita ſcribit: *Quàm multi ſe credebant longo tempore victuros, & ita illos mors repentina ſubtraxit, vt nec ad illã momentaneam poſſint pœnitentiam peruenire!* Et rurſus: *Percutitur etiam hac animaduerſione peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui viuens oblitus eſt Dei. Nam qui remedium animæ ſuæ quandò potuit, noluit quærere, poſteà etiam ſi velit, dubium eſt*

5\. Lucæ 12. v. 19. & 20.

Cæſar. hom. 13.

*In morte obliuiſcitur ſui qui dum viueret oblitus eſt Dei.*

*vtrum mereatur accipere.* Heu nimis verò! Time, præcaue: & cum Eſthere quantocyùs pœnitentiæ habitum, & rem pœnitentiæ aſſumere feſtina. Hic v. 2.

Lucæ 13. Chriſto nouam, & de cælo allatam morum politiam longiori concione euulganti, dixit quidam: Domine, ſi pauci ſunt, qui ſaluantur? Ipſe autem dixit ad illos: *Contendite intrare per anguſtam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Dum quæritur, an multi ſunt qui ſaluantur, quorsùm ſaluationis portam eſſe anguſtam reſpondetur? *Non videtur Dominus* (ait S. Cyril.) *ſatisfacere quærenti vtrùm multi ſint qui ſaluantur, an pauci.* Nil dicit de itinere, quo ad ſaluationem itur: nil de numero eorum qui ſalui erunt; & totam rei difficultatem ad arctiorem ianuæ anguſtiam reiicit: O arcanum humanæ ſaluationis ſacramentum! O mortis momentum, à quo pendet æternitas! O mortis ianuam, quæ æternæ vitæ anguſtam aperit portam! Amas noſſe ſaluãdorum numerum, plurimus ne ſit, an exiguus? Scito mortis ianuam, & cæli portam eſſe peranguſtam. Dudùm iam ſiue dedolata vitia, peccatorum adeps lacrymarum vdore liqueſcat, vt per anguſtã mortis ianuam, in æternaturam vitam poſſis intrare. Scilicet propè totam ſaluationis œconomiã hic deducit Chriſtus ad *anguſtã portã*, quã è mortali vitâ exeundo, in vitæ immortalitatẽ intramus.

6\. Lucæ 13. v. 24. S. Cyrillus apud Caten. ibi.

*Saluationis œconomia ad mortis anguſtam portam deducitur.*

7\. S. Auguſtinus Ser. 47. de verb. Domini, ita ad rem eleganter ſcribit: *Largitur tibi Deus ſpatium correctionis, ſed tu plus amas dilationem, quàm emendationem. Expectas, & de miſericordia Dei tibi plurimùm polliceris, quaſi ille qui tibi per pœnitentiam promiſit ſalutem, promiſerit tibi & longam vitam. Metuendum eſt, ne te occidat ſpes. Ingratus es, qui hodiernum diem habes, in quo corrigaris, nec tamen correctionem, & emendationem curas.* O time, ne te occidat ſpes, quæ gratiæ vitam feliciter auſpicari ſolitat. Propè deſperata eſt eius ſalus, qui remediis ipſis deteriùs langueſcit.

S. Auguſt. *Timendum eſt, ne aliqua peccatorem ſpes occidat.*

8\. Lucæ 23. bonus ille latro, piè in momẽto paradiſi furax, dicebat ad Ieſum: Domine, memento mei, cũ veneris in regnum tuum. *Et dixit illi Ieſus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo.* Sed ne fortè aliquem nimis ſecurum faciat aut remiſſum tam noua felicitas credulitatis, & apud ſe tacitus dicat: Non me vſqueadeò conturbet ac cruciet cõſcientia carnifex, tot ſcelerum rea; video enim ſub exiguo ſpatio ſua Latroni crimina condonata, quæ mihi momentaneam in horâ mortis veniam feliciter ſpondent. *Primum* (inquit Auguſtinus) *conſiderandum in latrone illo, non ſolùm credulitatis compendium, ſed deuotio, ſed temporis illius ſub quo hac agebatur occaſio, quo iuſtorum legitur titubaſſe perfectio. Deindè ante mihi fidem latronis oſtende; & tunc tibi latronis beatitudinem pollicere. Immittit Diabolus ſecuritatem vt inferat perditionem, neque dinumerari poſſint, quantos hac inanis ſpei vmbra deceperit. Ipſe ſe ſeducit, & de morte ſuâ ludit, qui hoc cogitat, poteſt mihi extremi tẽporis indulgẽtia ſubuenire. Non eſt hoc, Primùm quia periculoſiſſima eſt in vltimum diem promiſſa ſecuritas. Deindè ſtultiſſimum eſt vt cauſſa quæ de neceſſitatibus agitur, æternis, inutilibus vitæ deficientis cõmittatur extremis. Odibilis eſt apud Deũ, quandò homo ſub fiduciâ pœnitentiæ in ſenectutẽ reſeruatæ liberiùs peccat. Ille autẽ de quo locuti ſumus, beatus latro.... etiam ex hoc extremo placuit Deo, quia ad conſequendã fidẽ, non fuit extrema illa hora, ſed prima.* Pluſculum forſan reſcripſimus. Sed quid omitterem? Plures his verbis Auguſtinus ſententias addenſat cõceptuum grauidas, quas in lucem edere, pronum cuique eſt.

Lucæ 23. v. 43.

S. Auguſt. Serm. 121 de Temp.

*Inutum eſt pœnitentiam vſque ad horam mortis differre.*

*Boni latronis elogium.*

9. Matthæi 3. Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos; eſca autem eius erat locuſtæ, & mel ſilueſtre. Tunc exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem; *& baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata ſua.* Congruum pœnitentiæ habitum præfert Ioannes, vt quod alios docet ore, in ſe opere demonſtret. In Iordane autem baptiſmo pœnitentiæ baptizat, vt ibi aperiatur ianua regni cæleſtis, vbi datus eſt aditus filiis Iſraël terram promiſſionis intrandi. Quod fit, *confitentes peccata ſua*, ad quæ verba ita dubius Chryſoſtomus ſcribit: *Confeſſio*, inquit, *peccatorum teſtimonium eſt conſcientiæ timentis Deum. Perfectus enim timor ſoluit omnem pudorem.* (Nota quæ ſubiicit verba) *Illic autem turpitudo confeſſionis aſpiciatur, vbi futuri iudicij pœna non creditur.* O benè! Nempè qui inconſulto pudore peccata ſua confiteri erubeſcit, & de pudore ſegnis confeſſionem ac pœnitentiam procraſtinat, *futuri iudicij pœnam non credit*: nam *confeſſio peccatorum teſtimonium eſt conſcientiæ timentis Deum.* Itaque ille, quem pudet, & inde piget confiteri peccata, atque adeò deſes confeſſionem procraſtinat, titubantis fidei aut ſuſpectus, aut reus habetur; quippe qui futuri iudicij pœnam vix credere putatur. O viderint, an ſatis fideles ſint, qui ſic confeſſionem ac pœnitentiam procraſtinant,

Matth. 3. v. 6.

*Num qui pœnitentiam procraſtinat, infidelitatis ſuſpectus, aut reus ſit.*

Imperf. hom. 3. in Matth.

## §. CCLXIII.

### *Appendices pœnitentiæ laudes conſertim prædicantur.*

1. Pœnitentiæ ſuaſorias præclarè voces Ioannes buccinat, *Pœnitentiã agite*, dicens; iam enim ſalus Nationibus appropinquat, Chriſtus ſcilicet afferẽs ſecundum Dei promiſſum. *Cui præminiſtrans* (ait Tertullianus) *pœnitentiam deſtinabat purgandis mentibus prepoſitam. Vtique quicquid error vetus inquinaſſet, quicquid in corde hominis ignorantia contaminaſſet, id pœnitentia verrens & radens, & foras abiiciens, mundam pectoris domum ſuperuenturo Spiritui ſancto paret, quò ſe ille cum cæleſtibus bonis libens inferat.*

Matth. 3. v. 2. Tertull. lib. de Pœnit. c. 2.

*Pœnitentia purgandis mentibus præpoſita.*

2. 3. Regum 11. *Cùmque iam Salomon eſſet ſenex, deprauatum eſt cor illius per mulieres, vt ſequeretur Deos alienos: nec erat cor eius perfectum coram Domino Deo ſuo. Sed colebat Aſtarthen deam Sidoniorum, & Molochi dolum Ammonitarum, &c.* Ad quæ inopinata Salomonis flagitia alludens Chryſoſtomus, ita ſcribit: *Salomon neſciens, perdidit gratiam.* Delinquendo potiùs gratiam Salomon amiſit. Sacrilega fana Idolis extruxit, Deos Gentium de genu adorauit, Dei ſui legem ſcelerosè proculcauit, libidine ſupra vires exarſit; tunc, tunc quidem gratiam perdidit, non quandò *pœnitentiam neſciuit*, nam pœnitentiam culpa præit, & malitia lacrymas anteuertit. Ergò Salomon *gratiam perdidit*, quia delicta cæco affectu, & prauo opere cognouit; non quia *pœnitẽtiam neſciuit.* Verùm Chryſoſtomus encomiaſtes pœnitentiæ factus, ita ethicã hyperbole exaggerat pœnitentiæ meritum, quaſi quodammodò perdatur gratia, non tam cùm ſcelus committitur, (licet reápſe tunc amittatur) quàm cùm pœnitentia tandem negligitur, ac ſi peccatum ex-

3. Reg. 11. v. 4. & 5. S. Chryſoſt. tom. 5. in quadã hom. de Pœnit.

*Qui citò pœnitet, penè deliquiſſe non dicitur.*

P. Didac. Celada, in Eſtherem.

pectaret finalem pœnitentiæ contemptum ad perdendam gratiam: ac ſi delictum non eualeret ad gratiam perdendam, donec pœnitentiæ neglectus ſuccedat delicto. Pulchrã ſanè hyperbole! Inde nata, quia quod citò recuperatur, vix in morali cenſu amiſſum putatur. *Quis credat* (inquit Ticinenſis Ennodius) *deliquiſſe incorrectione velociſſimum? penè non vocandus eſt ſectator exceſſuum, qui obuiã manum ponit in ſurreptione culparum.* Exindè qui feſtinus pœnitentiam aſſumit, ferè non dicitur gratiã perdidiſſe, etſi verè amiſerit. Quod eſt illuſtre elogium pœnitentiæ, quæ ſic ſanctitatem & amiſſam gratiam recuperat, vt quodammodò vix dicatur per peccatum amiſſa, quam ſic citiſſimè reſtaurat pœnitentiæ meritum. Ac ſi pœnitentia non modo gratiam perditam, ſed etiam innocentiam amiſſam propè refingeret; & pœnituiſſe, ſit quodammodò non deliquiſſe. Sic gratia refloreſcit, ac ſi non defloruiſſet peccati æſtu, & vitiorum vredine. *Quis credat deliquiſſe in correctione velociſſimũ?* Hinc *Salomon neſciens pœnitentiam, perdidit gratiam.*

S. Ennod. lib. 3. epiſt. 17.

3. Matthæi 1. intumeſcente Virginis ſponſæ vtero, Ioſephus animitùs angitur, & de clandeſtinã demiſſione tacitus cogitat: *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in eã natum eſt, de Spiritu-ſancto eſt.* Quæ Euangeliſtæ verba ita ad mores flectit Hugo Carenſis, ſubtilis pœnitentiæ encomiaſtes pulchrã ad Deiparam analogiã: *Quilibet iuſtus*, inquit, *debet habere Mariam coniugem, id eſt, amaritudinem pœnitentiæ. Accipienda enim eſt pœnitentia in vxorem, quia pulchra, quia diues, quia nobilis. Hoc matrimonium inchoatur per contritionem; ratum fit per confeſſionem; conſummatur per ſatisfactionem. Et nunc quod in eã natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Tres enim filios genuit pœnitentia, Teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Prælibationem iucunditatis æternæ, Adoptionem gloriæ.* Profectò humilis pœnitentia piã ſqualoris ambitione ſuperbas Mariæ nuptias expetit: cuius generoſi connubij ſoboles, Chriſtus Deus eſt, qui in animo pœnitentis arcanè generatur ad gratiæ vitam, & beatitudinis glorias. Nam Chriſtus adeſt per gratiã perfectè pœnitenti, qui etiam in hâc vitã *prælibat iucunditatem* æternam, expectans in futurã *adeptionem gloriæ.* Quid generoſiùs hoc cum Mariã myſtico coniugio? quid glorioſiùs hâc ſobole de Spiritu-ſancto etiam conceptã? quid iucundiùs prælibatione gloriæ, de pœnitentiæ fructu prægustatã. Has nuptias pœnitentia ambit piè ſuperbã ambitione, quod humanum faſtigiũ excellit, & vnius gratiæ glorioſus eſt fructus.

Matth. 1. v. 20.

Hugo ibid.

*Humilis pœnitentia piè ſuperbas cum Maria ambit nuptias.*

4. Prouerbiorum 2. humanæ malitiæ ſummam his verbis Salomon compendiauit: Qui relinquũt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas: *Qui lætantur cùm male fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Quid tam ſcelerosè iniquum, quã in Dei offenſis, quas ex imis præcordiis plangere debuiſſent, exultim lætari? Sed vide nunc mihi, an in quo impudens malitia temerariè inſoleſcit, pœnitentiæ meritum è diuerſo ſumptuoſius beetur. *Dulcem tribuit culpa mercedem.* (Dixit aliorsùm Ennodius) *Mihi contigit de offenſionis merito inueniſſe quod gaudeam. Didici nunc è tali remuneratione errata ſectari.* O mirificam Dei miſericordiam penè ex oppoſito auxiliantẽ! O altè abſtruſum pœnitentiæ myſterium! Pœ-

Prouerb. 2. v. 14.

*Benè pœnitenti ſæpè contingit de offenſionis merito inueniſſe quod gaudeat.*

S. Ennod. l. 1. epiſt. 19.

nitentiæ officioſioꝗ gratia, impudentiam eorum, qui *exultant in rebus peſſimis*, piè æmulatur, dum benè pœnitenti ſæpè *contigit de offenſionis merito inueniſſe quod gaudeat.* O dulcem tribuit culpa mercedem? Sed, heu de exuberanti Dei miſericordia ſæpè erga pœnitentes velut effusâ ingratiſſimam malitiam cumulamus: homoque pravè *diſcit de tali remuneratione errata ſectari.* At quis homo, niſi humanitatem dediſcens, poteſt exinceps ingratus eſſe tam benefico largitori, qui acerbas pœnas flagitiis debitas, dulcedine tantæ benignitatis redemit? *Quaſi Deum inueniri propitium, merces ſit iniquitatis,* quod eleganter dixit Hildebertus.

*An in pœnitentibus, Deũ inueniſſe propitium, merces ſit iniquitatis.* Hildeb. ep. 15.

5\. Matth. 1. v. 21. Matthæi 1. Dei Angelus arcanum ſeculis Incarnationis ſacramentum, his verbis Ioſepho enũciat: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in eâ natum eſt de Spiritu-ſancto eſt. *Pariet autem filium: & vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Et quo modo hic nouus ac cœleſtis Saluator hominum, homines liberabit à delictis diu inolitis? Sententioſè Tertullianus ait, *Chriſtum eſſe verum elimatorem humanarum culparum.* Dentata limæ aſperitate culpas abſtergit cœleſtis culparum elimator? Aſperitatibus, non voluptatibus conſtat reditus per pœnitentiam ad priſtinam gratiam. An etiam Chriſtus dicitur *elimator culparum*, quia culpæ diuturnâ delinquendi conſuetudine inolitæ, & velut conuiſceratæ ſunt noſtræ naturæ, vt limâ opus ſit, quæ ſenſim elimet, & quodammodò extrahat ipſi naturæ particulas, & quaſi ramenta: (eo ſcilicet ſenſu, quo conſuetudo altera natura nominatur.) Niſi malis, quòd Saluator dicitur, *culparum elimator*, quia τὸ elimare ſignificat elaboratè polire, & ſplendidè venuſtare (Sic habetur Ezechielis 21. *Gladius exacutus eſt, & limatus.... vt ſplendeat limatus eſt.*) Numquid pœnitentiæ meritò non tantùm peccator, ſed etiam peccata ipſa elimantur, expoliuntur, venuſtantur, & tanquam limæ operâ nitent? O quàm ſplendent culpæ, dum perfectæ, pœnitentiæ merita conflant! Pronum eſt cuique alias non inidoneas analogias mente ingeniari. Hùc aduocare liceat, quod Philo Carpatius, illud Pſalmi 48. *Frater non redimit, redimet homo*, ita exſcribit, & exponit: *Frater non redimit, redimet Adam.* Adamus redemit humanum genus, an præuaricatione illâ ſuâ flagitioſè initiauit? Primus Adam ſceleſtè præuaricator homines redemit, an potius ſecundus Adam, Chriſtus Deus inquam, totam ſuam paſſionem ſuſtinendo? Num quod occaſionem dedit redemptioni, redimere dicitur? O felix Adæ culpa, quę infelici innocentiæ aborſu talem ac tantum parturit redemptorem! Flagitioſè præuaricator Adam quodammodo redimere dicitur mortalium genus; quia tam fœcundè ſerpens miſeria, tantæ redemptionis miſericordiam expoſcit O immetata diuinæ pietatis altitudo! quod dignè prouocat vltrices iuſtitiæ iras, ex occaſione benignitatem conciliat, & redemptionis maximè indigus, redimere è diuerſo perhibetur? *Frater non redimit, redimet Adam.* O quàm iam ſplendet felix Adami culpa, à *Chriſto humanarum culparum vero Elimatore.*

Tertull. lib. 4. adu. Marc. c. 35. *Quare Saluator dicitur, Humanarum culparum Elimator.* Ezech. 21. v. 10.

6\. Pſal. 48. v. 8. Philo Carpat. apud Caten. *Quo ſenſu Adamum humanum genus dicatur redimere.*

7\. Pſal. 41. v. 4. Pſalmo 41. Dauid ille nuper Dei amiciſſimus poſt adulterij obſcœnitatem, & homicidij crudelitatem, ad ſe tandem Prophetæ voce rediens, totus infuſus lacrymis, ſic tacitus ſermocinatur: Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Lacrymæ *panes* pœnitentibus dicuntur, vel quia nõ licet eis oblectare ſe in aliis rebus: vel quia delectant illos ipſæ, ſuntque cibi loco, qui cor eorum recreat, adipat, & confirmat. Et ſanè Dauid manducando lacrymas, plus ſine dubio ſitit: videlicet ſiccus panis aridusque arentem adauget ſitim, non mitigat. Itaque pœnitens Dauid hoc lacrymarum cibo & lætanter deliciari, & ſaginari auide percupit. Appoſitè Laurentius Nouarienſis: *Eſto, inquit, armiger pœnitentiæ, & protinus euertes peccatum. Dulce fuit vitium cùm delectauit animam ſed fiat tibi nunc dulcior pœnitudo, quæ non ſolum delectet, verùm nutriat animam.* Ecce tibi pœnitentiæ lacrymæ, qui eſt electus animæ cibus, non ſolum delicioſè delectant, ſed dum ſapiunt, nutriunt, & abeunt in ſubſtantiam aliti ſanctitatemque non modò fouent, ſaginant adipant, ſed etiam in ſanctitatis mores conuertuntur. *Fiat tibi nunc dulcior pœnitudo, quæ non ſolùm delectet, verùm nutriat animam.* Quomodo autem homo debeat eſſe *pœnitentiæ armiger*: hoc eſt, aſperitatibus ſacci & ieiunij armatum præire pœnitentiam, ſicut *armiger* præcurrit Ducem, alibi forſan explicabitur.

*Pœnitentia delectat, & nutrit, abitque in ſubſtantiam mores.* Laur Nouar. Homil. de Pœnit. *Quilibet homo debet eſſe pœnitentiæ armiger.*

8\. S. Zeno ſer. 7. ad Neophy poſt baptiſma. S. Zeno Veronenſis Neophytos poſt baptiſma videtur inſtruere, ſi fortè exinceps in aliquod ſcelus ceciderint, vt protinùs rediuiuâ natiuitate per pœnitentiam reſurgant: *Nouum, inquit, iudicij genus eſt, in quo reus ſi excuſauerit crimen, damnatur; abſoluitur, ſi fatetur. Magna ratio, magna poteſtas, magna pietas iudicis noſtri: à quo vniuerſi generis peccatores, vt poſſint beatè viuere, puniri feſtinant. Mira ratio, mirum profectò myſterium. Saluo reo, punitus reatus in reo: integroque ſtatu moritur in homine propter quod homo fuerat moriturus. Indè eſt quod noſtra non habet neceſſaria tormenta confeſſio; quæ ſine truculenti ſudore tortoris, facinora ſua ſponte reus, vt fiat innocens, confitetur. O dulcis ſententia! O damnatio neceſſaria! In ſemetipſo homo iugulatur, vt viuat: percuſſor non videtur, percuſſionis non cernitur gladius, percuſſi non hiat vulnus, non diffluit ſanguis expirantis, non palpitat corpus, non decolor color eſt. Ipſe eſt, & tamen non eſt ipſe.* (Viuo autem, iam non ego; viuit verò in me Chriſtus) *Vetus quidèm videtur domicilium, ſed nouus inquilinus exultat mutatione morũ, natiuitatis ſuæ nobilitatem incredulis variis virtutibus probaturus.* Pluſcula præter morem. Sed pulchras ſententias, quas Zeno addeſcauit, reſcribere nõ piget.

*Pulchra pœnitentiæ in ſummi. enniæ laudem, à Zenone addeſcantur.* Ad Galat. 2. v. 20.

Habacuc 3. ſic de Deo occinit Propheta: *Aſpexit, & diſſoluit Gentes.* Cùm Deus aſpectu beneuolo reſpicit, Gentes *diſſoluere* perhibetur: Quænam eſt Gentium *diſſolutio*? Appoſitè Auguſtinus: *Aſpexit, & diſſoluit Gentes, hoc eſt, miſertus eſt, & fecit pœnitentes.* quaſi pœnitentia ſit hominis *diſſolutio.* O quàm multa quàm paucis! Sat eſto intendiſſe digitum ad Auguſtini acumẽ.

9\. Haba. 3. v. 6. S. Auguſt. l. 18 de Ciuit. Dei. *Eſt ne pœnitentia, hominis diſſolutio.*

Hæc, & alia piè adſimilia pœnitentiæ elogia, quæ perſequi prolixum foret, in Eſtheris nunc pœnitentiâ exemplari eruditione micantes elucent. Luſtra oculis hunc Verſiculum 2. pœnitentiæ ſanctitatibus copioſè exundantem. Nec omittam lacrymas veræ pœnitentiæ cognatas, nec cilicinæ aſperitatis ſaccum, nec ſparſi cineris ſordes in Reginâ peregrinantes: qui ſequentium Paragraphorum labor eſt; ne quid Eſtheris, quod mores erudiat, intermittamus.

§. CCLXIV.

## §. CCLXIV.

*Lacrymæ ſunt delictorum ſpongia, iugis & exprompius velut baptiſmi fons; adoptionis radios inſertos habent, quibus vitæ fructus matureſcunt; citiuſque ſine rogandi pudore veniam impetrant.*

1\. Pſal. 50 v. 2. *Lacryma eſt peccatorum ſpongia.*

REgius Pſaltes prophetica voce ad ſe reuerſus, & totus iam lacrymis infuſus, ſic veniam à Deo precatur: *Secundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Ampliùs laua me ab iniquitate meâ; & à peccato meo munda me.* Num ipſe etiam homo poteſt peccata *delere*? Sceleris pudeat, & euntibus lacrymis genas peccator irroret: & iam conſcientiam lauit, & peccatum *deleuit*. S. Gregorius præſcripta Pſalmographi verba elucidans, ita fatur: *Amplius laua me. In codice ſcripta ſunt peccata tua; ſpongia peccatorum tuorum, lacrymæ tuæ ſunt: effunde lacrymas, & poteris ea delere.* Si de cælo afflatus, lacrymas largè fuderis, iam tu tua peccata deleſti. Quod cunctaris flere, tardaſti delere. Profundè à Gregorio lacryma dicitur, *Spongia peccatorum.* Porrò ſicut ſpongia bibulo affrictu humorem ſugit; ſic lacrymæ quò emaculent conſcientiam, peccata ebibunt: & (quod mirere magis) de ſcelerum ſordido ſqualore, lacrymæ micantiùs prænitent, conſcientiæ ſcoriis nitidiùs defæcatæ ad fulgendi gratiam.

S. Gregor. in Pſal. 50.

2\. Ioannis 19. Iudæi (quoniam paraſceue erat) vt Ieſu & latronum non manerent corpora in cruce, rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderunt iam mortuum, non fregerunt eius crura, *Sed vnus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua. Et qui vidit teſtimonium perhibuit*, &c. Inidoneum eſt cadauer, vt cruor ex eo profluat; nam cum animæ exitu ſanguis gelaſcit. Poteſt tamen quis (ait Theophylactus) calumnioſè dicere, quòd aliqua virtus vitalis erat in corpore, & ideò ſanguis effluxit: *aqua verò manans inexpugnabile ſignum fuit, & ideò Euangeliſta ſubiungit: Et qui vidit, teſtimonium perhibuit.* Quid nam ſignificabat hoc fluentis *aquæ ſignum*, quod conſultior Dei prouidentia *inexpugnabile* eſſe voluit, nequis refragari poſſet? Plura commentantur Interpretes ſuper hoc *aquæ ſigno inexpugnabili*, quos procliue eſt conſulere. Laurentius verò Nouarienſis pœnitentiæ lacrymas hoc inexpugnabili ſigno (ne quis ambigeret) deſignari cenſet his verbis: Hoc vtrumque ſignaculum (ait) Chriſtus pendens in patibulo prænotauit, quandò de vulnere ſuo & aquam eduxit & ſanguinem. Vt ſanguis ſignaculum (circumciſionis) daret Iudæis, aquæ verò indicium gentibus Chriſtianis. *Signum ergò tu accepiſti de fonte, non Iudaicum, ſed Euangelicum. Ex illâ die, illâque horâ quâ egreſſus es de lauacro, ipſe tibi es fons iugis, & diuturna remiſſio.* Quis eſt iſte iugis ac diuturnus fons, qui ex illâ horâ, quâ egreſſus es ex baptiſmi lauacro, tibi ex te profluit; niſi è propriis oculis perenne lacrymarum fluentum, facile parabilem peccatorum *remiſſionem* manans? *Ipſe tibi es fons iugis, & diuturna remiſſio.* Hæc aqua è latere Chriſti Dei fluens, *inexpugnabile lacrymarum ſignum* deſtinat, vt poſt baptiſmum, velut quendam iugem baptiſmi fontem ſecum quiſque portet, qui commiſſorum exinceps ſcelerum, *diuturnam remiſſionem* manet. Nam dum pœnitentiæ lacrymas quiſque fundit, *ipſe ſibi eſt fons iugis, & diuturna remiſſio.* O inexpugnabile veniæ ſignum!

Ioan. 19. v. 34.

Theophyl. ibi. *Poſt baptiſmum lacrymarum beneficio, quiſque ſibi eſt fons iugis, & perpetua remiſſio.*

Laurent. Nouar. homil. de pœnitent.

3\. Pſal 118. v. 135. & 136.

Regius Vates Pſal. 118. antiqui ſceleris diu memor, ſic offenſum Deum alloquitur, totus lacrymis madens: *Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum & doce me iuſtificationes tuas. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* Quorsùm Dauid diuinum fulgorem cum pœnitentiæ lacrymis, ex oculis vbertim euntibus miſcet? Quod nam cæleſtis lucis cum lacrymarum aquâ intercedit commercium? Scimus, quod apud Ioſue in ſorte Beniamin, *fons Solis* emicat, tametſi aquas largè manans. Audiendus eſt Seleucienſis Baſilius ſic ad rem fatus: Iam enim (inquit) videns Diabolus Ioannem in fluento Iordanis eluentem hominum ſcelera, nec non legis minas in aquis retundentem, *ac pœnitentiæ decreto mutantem in melius*; veteri rurſus correptus inuidiâ, & timoris plenus, ne potiſſima ſua in homines machina diſſolueretur; *Ac deindè videns adoptionis radios per Chriſtũ in aquâ inſertos, & cultorem humanitatis Ioannem in aquis ſtantem*, &c. Eſtò, Diabolus infenſus ſit Ioanni altiùs tonanti, *Pœnitentiam agite*, & in Iordanis aquis baptiſmo pœnitẽtiæ peccatores eluenti; quid eſt, quòd timet potiſſimam ipſius machinam diſſolui, *videns adoptionis radios per Chriſtum in aquâ inſertos*? Diuinæ gratiæ lux, homines eleuans ad præluſtrem filiorum Dei adoptionem, pœnitentiæ *aquis inſerta* eſt? Suntne pœnitentium lacrymæ *fons Solis*, cuius *radij adoptionis per Chriſtum in aquâ inſeruntur* O homo *ipſe tibi es fons iugis, & diuturna remiſſio.* E capitis (è corde potiùs) iugiter fluat lacrymarum diluuium, quod ſit peccatorum naufragium, fons lucis, adoptionis radius, animæ lux, & conſcientiæ nitor. Benè cæleſtis lux his lacrymarum aquis miſcetur, dum è lacrymantibus pœnitentium oculis *fons Solis* emicat, peccatorum remiſſiones ſplendidè manans. Eiuſmodi arcanam lucis cum lacrymis miſtionem, obnixiùs pœnitens Dauid expoſtulat, aiens: *Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum: exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* Et ſanè τὸ *inſerere* (quod de adoptionis radiis adſpectu ad pœnitentium lacrymas, Baſilius dixiſſe videtur) plus ſignificat, quàm radios aquis miſcere. Nam inſitio, pullulantia quaſi vitaliter incrementa expectat. ac ſi lacrymæ, quibus lux *inſeritur*, luces augeant, & mirâ fœcunditate generoſiùs incrementent, nobili fulgorum auctario, quaſi cognato nutrimento.

Ioſue 18. v. 17.

S. Baſil. Sel. Orat. 18. *Adoptionis radij per Chriſtum in aquâ lacrymarum inſeruntur:*

4\. Matth. 21. v. 33.

Matthæi 21. hanc parabolam Chriſtus Deus Iudæis proponit: *Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & ſepem circumdedit ei, & fodit* in

*in eâ torcular*, &c. Familiare fuit Prophetis, vineæ nomine Synagogam denotare;& exindè Eccleſiam Synagogâ adumbratam. Rectè enim vineæ metaphora in vtramque quadrat, quod de ruſticana & myſticâ vineâ Zeno Veronenſis ediſſerit. Vinea igitur, inquit, mēſurâ ſeruatâ amputatur ſurculū. palmes in ſcrobem dimittitur, vt animitùs ibidē genitalis humor manente ſemper ſecum ſubſtantiâ nutriatur, auxiliare illi neceſſariò adiungitur lignum, cuius tutelâ ſeſe ſuſtollat. At vbi adoleuerit in vitem perfectam, eius omnes crines luxurioſi tonduntur. *Tum ſolenniter plorans, clementer imbre ſuo rorans conceptaque muſti felicibus lacrymis fluenta denunciat. Statim oculis apertis folia radiata procedunt; quibus ſubiecti, ac ſe commendantes ſequaces fructus arrident.* Ergò S. Zeno materiaram vineam cum myſticâ ſic componit. Per ſurculos, ad Chriſti fidem electos intelligendos putat. Scrobem, ait, fontem ſacrum debemus accipere, qui vero ſacramento homines ſuſcipit mortuos, & inſpiratos aqua cæleſti mox efficit viuos. Lignum auxiliare, quo tenditur, vel portatur, crucis eſt dominicæ ſignum, ſine quo viuere, immortalitatemque apprehendere in toto non poteſt Chriſtianus Luxurioſi crines falce tonduntur, id eſt, omnia omninò peccata baptiſmate, Spirituſque ſancti vigore amputantur. (Nota quæ ſubiicit verba) *Plorat feliciter vitiis purgata materia: de homine loto felicius manant doctrinæ cæleſtis diuina fluenta. Ruptis oculis, id eſt, ſpiritualiter patefactis, præcedentibus foliis fructus ſequela ſeſe commendat.* Ecce tibi Eccleſiæ vinea fœcundiùs viteſcens, *plorat feliciter*, & clementer imbre ſuo rorans, ruptis oculis, hoc eſt felicibus lacrymis ſpiritualiter patefactis, præcedentibus ornare foliis, *fructus ſequela ſe ſe commendat.* O quàm ſapidè maturus, & quàm vbertim fœcundus, lacrymarum ſequax fructus arridet! Pœnitens clementer imbre ſuo rorans, humani cordis agellum abundè rigat, & ad omnium ſanctitatum feliciores prouentus copioſè fœcundat. Sterileſcit virtutum fructus, dum non rigatur clemente lacrymarum imbre. Lacryma potiùs quàm *Indus flumen & ſerere Orientem dicitur, & rigare.* quaſi non tantùm lacrymæ rigent, & fœcundent; ſed etiam ferant pietatis ſemina quod eſt naturæ miraculum.

*Vitis amputata lacrymæ lacrymas pœnitentiam adumbrant.*

*Lacrymæ ſicut Indus flumen & rigant, & ſeminant.*

Minut Felix in Octau.

5. Matth. 26. v. 75.

Matthæi 26. poſt ſecundam negationem, cœpit Petrus deteſtari, & iurare quia non nouiſſet hominem; tunc reſpexit eum Dominus, & gallus cantauit: *Et recordatus eſt Petrus verbi Ieſu, quod dixerat: Priuſquam gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras, fleuit amarè.* Si Chriſti Dei aſpectus, ſceleris cognitionem, & compunctionem beneuolè inſpirauerat, quantumuis noxiam peſtilitatem aſſlet palatium; quare illud deſerit? nā ſimul cū illo relinquit Chriſtum, à quo ſe abſentat. Quid Petrus vt morbi occaſionem declinet, expertam deſerit medicinam? *Egreſſus foràs, fleuit amarè.* Quare poſt repetitum ſcelus, ſtatim ſe abſentat, & largiùs lacrymas mittit? Forſan de hoc Petri exemplo, Presbyteri Romani ſic de Chriſtianis in perſecutione lapſis, ad S. Cyprianum ſcribunt: *Mittant legatos pro ſuis doloribus lacrymas. Aduocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commiſſi criminis, & pudorem.* O bona lacrymarum legatio, & aduocatio! Lacrymæ & delicti dolorem, & delinquentis pudorem demonſtrant: indè Petrus non linguæ, ſed oculorum voce, veniam piè ciuilis negotiatur. Quod eloquenter Ambroſius his verbis ediſſerit: *Et egreſſus foràs, fleuit amarè.* Ideò Petrus (inquit) non vtitur ſermone quo fefellerat, quo peccauerat, quo fidem amiſerat, ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vſus fuerat ad negandum; ac per hoc mauult cauſſam ſuam flere quàm dicere, & quod voce negauerat, lacrymis confiteri. *Inuenio*, inquit, *& aliud cur tacuerit Petrus; ne tam citò veniæ poſtulatio per impudentiam plus offenderet quàm impetraret.* Confeſtim egreditur Petrus, ne ſi ore quo offenderat, tam citò veniam poſtularet, ſupplicatio *impudentiæ* imputaretur. Ideò mittit legatos pro ſuis negationibus lacrymas, quæ veniam negotientur, *dolorem paruer probantes commiſſi criminis, & pudorem.* Bonæ lacrymæ, quæ arcano offenſæ pudore, feſtinatam ſine rogandi pudore veniam impetrant. Pudet dicere, quod non pudet flere. Conſultiſſimè ergò Petrus, egreſſus foràs, cœpit flere; vt per lacrymarum legationem, remiſſionem extorqueret, & *ne tam citò veniæ poſtulatio per impudentiam plus offenderet, quàm impetraret.*

S Cypr. epiſt 7.

*Lacrymæ ſecuritatem citò impetrandi habent rogandi pudorem non habent.*

s. Ambr. ſer. 48.

Matthæi 5. *Quòd ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te: expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Matth. 5. v. 29.
Benè quidèm, & optimè oculos quaſi gehennæ cognatos aut confines damnat. *Concupiſcentia oculorum* proſcribitur à Ioanne, quia oculi ſunt in amore duces. Et funeſtè opplorat Ieremias: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* 1. Ioan. 2. v 15.
Cupis ſanare hanc oculorum contagem, & mirâ metamorphoſi non bonam *oculorum concupiſcentiam* refingere in gratam probitatem, quæ dum oculos carnali concupiſcentiâ exuit, illos ſpiritali animę cognatos efficit? Lacrymarum ſanantur collyrio, earumque lenocinio cognatum concupiſcentiæ lutum dediſcunt, & Dei oculis, tanquam in ſpiritum reformati, pulchreſcunt ad placendi gratiam, diluto concupiſcentiæ ſqualore. Eleganter Chryſoſtomus in ad Coloſſ. cap. 4. homil. 12. *Nihil eſt iucundius oculis qui ſunt lacrymati. Hoc enim eſt membrum omnium in nobis nobiliſſimum & ſpecioſiſſimum, atque adeò ipſius animæ membrum. Tanquam ergò ipſam videntes deflentem animam, ita flectimur.* Vidiſti nuper oculos fœdis concupiſcentiis obſcœnè ſqualidos, & digniſſimos de gehennæ confinio, qui dexterè eruerentur, tanquam ſceleroſi animæ fures; conſidera iam lacrymarum blandimento madidos, ſic pulchreſcere ad placendi gratiam, ſic reformari quaſi arcanâ naturæ metamorphoſi, vt *ipſius animæ membrum* videantur. Anima noſtra ſpiritualis eſt, & præ generoſitate membrorum ex lex, atque his corporum officinis nobiliter exempta: aſt de lacrymarum miriſſimo lenocinio, oculi ſic animæ vicinantur, vt velut aliqua animæ ſpiritualis portio nominentur. Et qui de agnatâ concupiſcentiâ animam infidè deprædabantur, ſic ſeipſos cum animâ animæ reſtituunt, vt iam non tam corporis facultas, quàm *ipſius animæ membrum* appellentur. Opinor, tam pretioſa eſt oculorum lugentium gratia, vt ſpiritualis anima illam quaſi inuiderit corpori; adeo vt oculos velut ſui *membrum*

Ierem. 9. v. 21.

*Oculi lacrymati dicūtur animæ membrum, quaſi illi anima lacrymas inuideret.*

S. Chryſoſt

*brum* compunctet, & piâ hac furacitate decorè opulentâ, furtiuam quondam ſui *prædam*, aliquandò compenſet. Vndè appellat Chryſoſtomus *lacrymantis oculos ipſius animæ membrum. Tanquam ipſam videntes deflentem animam,&c.* quaſi non tam oculi, quam ipſa anima per oculos illacrymet, pie furax oculorum lugentium muneris pretioſè opulentari.

---

## §. CCLXV.

*Ne dum lacrymis conſcientiam diluis, lutum facias: nam nimis frequens abſque emendatione pœnitentia, impœnitentiæ aut rea, aut ſuſpecta eſt.*

1. Beda in Daniel 9. — *Ne dum conſcientiam lacrymis diluis, lutum facias.*

QVi plangit peccatum, (ait Beda) *& iterùm admittit, quaſi ſiquis lauit laterem crudum: quem quantò magis diluerit, tanto amplius lutum facit.* O luteas infeliciter lacrymas! Frequens in eadem peccata relapſus pœnitentiam infamat; & quantò crebriùs conſcientiam lacrymando diluere videtur, tantò eam ampliùs lutulentam ſæpè facit. Deſperata eſt ſalus infirmi, qui remediis periculoſiùs ægrotat. O pœnitentiam ſæpè impœnitentiæ ream! Pœnitentiæ pretio Dominus veniam largiri inſtituit, hâc pœnitentiæ compenſatione redimendam proponit impunitatem. Si ergò qui venditant, priùs nummum, quo paciſcuntur examinant, ne ſcalptus, pene raſus nimio vſu, ne adulter etiam: Dominum non credimus pœnitentiæ probationem priùs inire, tantam nobis mercedem, ſcilicet largiſſimæ veniæ, & perennis vitæ gaudia conceſſurum? Et ſanè *muta quoque animalia* (verba ſunt Lactantij) *cùm fraude decipiuntur, ſi aliquò ſe modo in fugam extricauerint, fiunt poſtmodum cautiora, vitantque ſemper ea omnia, in quibus dolos inſidiaſque ſenſerunt: ſic hominem pœnitentia cautum ac diligentem facit ad euitanda peccata, in quæ ſemel deciderit.* Vel muta animalia de cautelæ bono æmulare, eſto belluarum diſcipulus, qui brutos efferoſque earum appetitus imitaris.

Lactant. lib. 7. — *In cautelâ agenda pœnitentia ſis bene quidam belluarum diſcipulus.*

2. Eccl. 8. v. 6. — Eccleſiaſtici 8. ſic de ſapientiæ aditis homo eruditur. *Ne deſpicias hominem auertentem ſe à peccato, neque improperes ei, memento quoniam omnes in corruptione ſumus.* Benè notat Anſelmus Laudunenſis, quòd *auertentem ſe à peccato*, vocat *pœnitentem*. Et ſanè in comperto non eſt, quare tam ſeriò homines adhortetur, *ne pœnitentem deſpiciant, neque improperent ei.* Eccur qui de peccatis dolet (pulchrum ſanè Deo, Angelis, & hominibus ſpectaculum!) *deſpectui, & improperio* obnoxius erit? Et quare tunc noſtræ nos *corruptionis* admonet? *Memento quoniam omnes in corruptione ſumus, id eſt*, (Lyrâ interprete) *ad corruptionem tendimus.* Ad *corruptionem* tendit pœnitens, cùm *corruptionem* peccati ſanat? An ad incorruptam cæli immortalitatem? Quid ſi cùm in pœnitentiâ mentio fit *tendentiæ ad corruptionem*, agitur de pœnitentiâ nimis frequentatâ, quæ de peccati deteſtandi gratiori lenocinio, ad noui lapſus *corruptionem*, non leuiter ſæpè prolectat? Tertullianus in lib.

Anſel. ibi.

Lyran. inibi.

de Pœnitentiâ agens de his qui dicunt quidem priſtinis renunciare, & pœnitentiam aſſumunt; ſed includere eam negligunt, ita ſcribit: *Velut poma, inquit, cùm iam in acorem vel amaritudinem ſeneſcere incipiunt, ex parte aliquâ tamen adhuc ipſi gratiæ ſuæ adulantur.* Emphaticè quidem Tertullianus! Et ſanè explicatu arduum eſt, quò pacto poma, non tam cùm in flore vernant, aut coagulatur in fructum, aut in eo ſapidè maturescunt, dicantur *ipſi ſuæ gratiæ adulari*, ſed cùm in acorem & amaritudinem, corruptioni proxima ſeneſcere incipiunt. Et quicquid de hoc ſit, quid hoc ad pœnitentiam? de eâ enim erat ſermo. P. Ioannes Ludouicus de la Cerda his verbis hunc locum feliciter exponit: *Velut poma, &c. Poma tunc neſcio quo blandimento ſapidiora ſunt, cùm ſunt in plenâ maturitate & ſenectute, ita vt iam penè appetat corruptio & acor & amaritudo.* (*ſumit videlicet acorem pro corruptione appetente in pomo*) Nota quæ ſubdit verba, ad rem tempeſtiua: *Sic, ait, vitia maximè blandiuntur, cùm penè ſunt in exitu; cùm relinquenda ſunt, ſuauius illiciunt; nam & poma cùm iam appetit exitus ſaporis, blandiora ſunt.* Belliſſimè quidem! Nimirùm vitia cùm pœnitentiæ morbo in exitu ſunt; tunc, tunc quidem ſicut poma, blandiora ſunt, & ſuauius illiciunt. Quiſquis iterato ſæpiùs lapſu, pœnitentiam adæquè frequentat; timeat non ſolùm toties in peccatum ſceleroſè relabi, ſed etiam iteratæ ſæpiùs pœnitentiæ blandum lenocinium ad vitia, quæ *cùm penè ſunt in exitu ſuauius illiciunt, & ex parte aliquâ adhuc ipſi gratiæ ſuæ adulantur.* Non quòd frequens pœnitentia agenda non ſit poſt repetitum lapſum; ſed quia frequens lapſus cautè timendus eſt, ne pœnitentiam dubiam reddat, & aliquod vitij venenum, medicinæ ſubſit ex infirmi malitiâ, & ſubdolo voluptatis ingenio. Qui remediis ægrotat, pene deſperatæ ſanitatis eſt.

Tertull. l. de Pœnit. c. 6

P. Lud. de la Cerda ibi n. 54.

*Peccata cùm per pœnitentiam ſunt in exitu blandius alliciunt.*

Paullus in epiſt. ad Romanos, ſicut cap. 1. egerat aduerſus Gentes, quæ Deum ignorant; ſic in cap. 2. agit contra Iudæos, qui verum Deum planè nouerunt: *An diuitias, inquit, bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Quid Apoſtolus Romanos incuſat, quoniam non *ignorant* à Deo ad pœnitentiam adduci? an ſatiùs illis foret, ac mitiùs cum eis ageretur, ſi id *ignorarent*? O nunquam bona ignoratio Dei, diuinæque benignitatis, quâ verè pœnitentibus veniam largiter tribuit? Opportunè Clemens Alexandrinus ita hâc de re philoſophatur: *Continuæ, inquit, & ſe inuicem excipientes propter peccata pœnitentiæ, nihil differunt ab his qui non crediderunt, præterquam in eo ſolo quòd ſe peccare ſenſerunt: neque ſcio vtrum ſit deterius, prudentemne ac ſcientem peccare, an cùm pro his quæ peccant, pœnitentiâ ductus fuerit, rursùs peccare.* Vide quàm ſeuero cenſu magnus hic Doctor taxet cõtinuas pro commiſſis crebrò peccatis pœnitentias, ſeſe inuicem identidem excipientes, vt illos cum Infidelibus componat, & aliquâ ex parte de malitiæ præſtantiâ culpet. Hi enim non ſentiunt ſe peccare, ignorantiæ priuilegio; Illi verò abſque *ignorationis* ſuffragio enormiùs delinquunt, diuinam bonitatem ac pœnitentiam *contemnentes*. Appoſitè Septimius: *Redundantia*

3. Ad Rom. 2 v. 4.

Clem. Alex. 2. Strom.

*Pœnitentiæ ſe inuicem continuò excipientes, infidelitatem æmulantur.*

Septim. Tertull. lib. de Pœnit. c. 7.

*clementiæ cæleſtis libidinem facit humana temeritatis. Nemo idcircò deterior ſit, quia Deus melior eſt, toties delinquendo, quoties ignoſcitur.* De quo aliàs vberius agebamus.

4. Ieremiæ 15. flebilis funeſtè Vates: in ſe repræſentans aut Hebræi populi iam iam funditùs euertendi, aut eximiè peccatorum perſonam; ſic querulus Deum alloquitur: *Quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis renuit curari? facta eſt mihi quaſi mendacium aquarum infidelium.* Hoc poſterius hemiſtichion nonnulli apud Gloſſam ita efferunt: *Factus es mihi velut vena mendax, veluti aquæ quæ non ſunt fideles.* Valdè dolet Propheta, quòd populi ſui ex peccatis calamitas *perpetua* ſit, & plaga *deſperabilis.* Reddit rationem intellectu arduam: Quia plaga, inquit, *facta eſt mihi quaſi mendacium aquarum infidelium.* Ex hoc loco Petilianus, vtpotè Donatiſta, probare intendebat, baptiſmum infidelium & impiorum, eſſe mendacem & vanum, iuréque appellari *aquas infideles.* Quam expoſitionem meritò impugnat Auguſtinus lib. 2. contra litteras Petiliani. Hugo Carenſis ſic inibi locum exponit: *Facta eſt mihi quaſi mendacium aquarum infidelium. Hæ ſunt propriè aquæ deficientes, non de fonte viuo manantes: quæ ſcilicet aliquandò ebulliunt; & tempore caloris & ſiccitatis, quandò magis eſſent neceſſariæ, tunc deficiunt.* Aptè quidèm ſi ad rem moralem ſenſus flectatur; & non de baptiſmi aquis, ſed de pœnitentiæ lacrymis locus exponatur. Porrò illi, qui identidèm ob repetita ſcelera lacrymas pœnitentiæ fundit; & *toties delinquendo, quoties ignoſcitur*, ex redundantiâ diuinæ clementiæ libidinem peccandi facit, & delinquendi commeatum; huic, huic inquam, flagitiorum plaga propè *deſperabilis* eſt, quoniam pœnitentiæ lacrymæ ſic effuſæ, factæ ſunt *quaſi mendacium aquarum infidelium. Hæ ſunt propriè aquæ deficientes, non de fonte viuo manantes.* quæ ſcilicet perſæpè ebulliunt, ſed quandò non valdè vtiles ſunt. In æſtu autem inſtantis iam mortis, quandò vel repetitæ ſæpiùs lacrymæ deflendæ erant: nimirùm *in tempore caloris ac ſiccitatis*, quę afflat fumans iam gehenna, *quandò magis erant neceſſariæ; tunc deficiunt.* Eheu hæ ſuſpectæ lacrymæ pœnitentiæ, quæ velut lenocinium ſunt ad vlteriùs delinquendum, *factæ ſunt quaſi mendacium aquarum infidelium, non de fonte viuo manantes.* Veniam culparum videntur ſpondere, & ſæpiùs culpas flagitioſiùs exaggerant.

Ierem. 15. v. 18. Gloſſa in margine, indidem.

*Quorundam pœnitentium lacrymæ, factæ ſunt velut mendacium aquarum infidelium.*

S. Auguſt. contra litt. Petil. lib. 2. c. 102.

Hugo Carenſ. inibi.

5. Regius vates pſal. 75. De cælo, inquit, auditum feciſti iudicium: terra tremuit, & quieuit. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.* τὸ *cogitatio*, ab Agellio de *pœnitentiâ* exponitur. Recitat Hugo aliam lectionem, quæ habet, *Mœror hominis.* Symmachus *iram* habet. cui accinit Hieronymus ita excribens: *Quia ira hominis confitebitur tibi.* Benè eſt, quòd mœrens pœnitentia, quæ *cogitatio* dicitur (eſt enim pœnitentia, *Tarda cogitatio*, vt aliàs ex Clemente Alex. notabamus) *confiteatur* Domino, vel diuinæ clementiæ laudes, vel humanæ malitiæ peccata. Sed quæ ſunt hæ *reliquiæ* cogitationis tardæ, ſeu pœnitentiæ; & hic *dies feſtus*, quem reliquiæ pœnitentium concelebrant? Hugo nuper laudatus, ſic eruditè ſcribit: *Alia littera habet: Mœror hominis confitebitur; & reliquijs mœroris accingeris.* Et ſanè τὸ *accingere*, verbum militare eſt, & ad bellum prouocat: iubentur enim qui per pœnitentiam mœrent; *accingi* reliquis exinceps pœnitentiæ mœroribus, ne inermes, futiles, ac imbecilli ſint; nec idonei vt *diem feſtum* Deo exultim agant; ſed lugubrem ſibi, & inaniter luctuoſum. *Reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi*, id eſt: *Reliquijs mœroris accingeris.* Pulchrè Lorinus noſter, adſtruens Agellij ſententiam: *Poteſt denique per antiphraſim dici, Feſtum quis agere alteri, quandò timet ac dolet, & illi pœnas luit.* ô, ſtrenuè *accingere* reliquijs mœroribus reſiduæ pœnitentiæ crebrò repetendæ, ne falſatè adulterinus mœror, & futiles inaniter lacrymæ veram pœnitentiam mentientes, doloſâ hoſtilitate perfidæ, inimicis tuis *diem feſtum agant*, tibi lugubrem, mœſtum, luctuoſum, funeſtum! Inertiam excute, & reliquis exinceps pœnitentiæ mœroribus, ſtrenuus bellator *accingere*, quaſi cum hoſte pugnaciſſimo rem bellicam aſſiduè tractaturus. Hæc dixerim aduerſus nimis frequentes pœnitentias, impœnitentiæ ſiue plerumque reas, ſiuè ſæpiùs ſuſpectas: nam de congruè aſſiduis ait Rupertus: *Reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.* Nimirùm: *Si primitiæ cogitationis infeſtæ fuerint, ſaltem reliquiæ eius per pœnitentiam & confeſſionem diem feſtum agent tibi.*

Pſal. 75. v. 11. Agellius. Hugo. Symmach. Hieronym.

*Accingamur reliquis pœnitentiæ mœroribus, ne diem nobis lugubrem, diabolo feſtũ agamus.*

Hugo Carenſ. inibi.

P. Lorin. in

Rupert.

6. Siracides Eccleſiaſtici 20. hoc ſalubri ethicè conſilio pœnitentiam erudit: *Quàm bonum eſt correptum manifeſtare pœnitentiam! ſic enim effugies voluntarium peccatum.* Quid eſt, quòd pœnitentia ex ore corripientis incunctanter arrepta, *voluntarium peccatum* effugere perhibetur? Nimirùm per iſtiuſmodi pœnitentiam oſtendit peccator, ſe lapſum eſſe per ignorantiam, incogitantiam, vel infirmitatem, ac proinde ex parte inuoluntarium fuiſſe lapſum: ſin impœnitens peccatum tueatur, manifeſtat illud planè *voluntarium* fuiſſe, dum oſtendit animi obſtinationem, & peruicacem malitiam: idcircò dicitur, huiuſmodi *pœnitentiam effugere voluntarium peccatum.* Sed forſan tacitè adludit ad aliam pœnitentiam, quæ *voluntarium peccatum* non effugit; imò diſſimulanter quærit, & ſæpè certò inuenit magno probitatis detrimento. ô quoties crebrò repetita peccata, dum à pœnitente voluuntur in imaginatione per incautam recordationem, de repetito placendi illicio, quod benè deteſtari cupit, adhuc malè placet; & de fugâ *voluntarij peccati*, incautè *voluntarium peccatum* refingitur; & dum refingitur, potiùs figitur, & de peccati voluntarij antidoto, veneni peſtilentia perniacioſiùs afflatur. Profundè Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromat. cap. 6. *Eſt enim meditatio peccatorum, ſæpè pœnitere.* ô malum! vel ipſa pœnitentia (quod eſt ſalutare peccati amuletum) dum frequenti nimis repetitione reconſueſcit, contritio conſuetudine velut diluitur, & retroacti voluptas peccati, quæ deteſtanda proponitur, de furtiuo blanditiarum raptu, placendi gratiam adulantiùs fœnerat. Heu quoties ipſis etiam remedijs laboratur; & *ſæpè pœnitere eſt peccatorum meditatio*: & dum *fugis voluntarium peccatum*, voluntarium rurſùs peccatum incurris! Hem dum pœnitentiæ lacrymis conſcientiam diluimus lutum facimus.

Eccli. 20. v. 4.

*Sæpè pœnitere dicitur meditatio peccatorum.*

Clem. Alex.

§. CCLXVI.

## §. CCLXVI.

### *Horrentis cilicij, & ſqualoris piè ambitioſi, beatæ calamitates commendantur.*

1\. Barcinonenſis ille Pacianus Parænesi ad pœnitentiam, ad illam de mutorum animantium exemplo prouocat peccatores, ita fatus: Capræ, vt dicunt, ferè remedia ſua nouerunt. Confixas quippe audio venenatis ſagittis ſaltus peragrare Dictæos, quoad dictami caule detonſo, ſalutarium virulento latice ſuccorum, pulſa decutiant tela corporibus. Nos ignita diaboli ſpicula nullo pœnitentiæ ſucco, nullo exomologeſis gramine repellemus? Excæcatos hirundo pullos nouit oculare de ſuâ chelidoniâ. Nos lumina mentis amiſſa, nullâ malæ tractationis radice curabimus? *Ecce nec capreis, nec hirundini homo ſimilis, cæcitati ſuæ inuidet & dolori ..... Scio quoſdam ex fratribus & ſororibus cilicio pectus inuoluere, cineri incubare, ieiunia ſera meditari, & non talia fortaſsè peccarunt*, Hactenùs ille. Nauſeabit ad antidotum, qui hiauit ad venenum?

*Pacian. in Paræn. ad pœnit.*

*De exemplo multorũ animantium, pœnitentia remedium inuenimus.*

2\. Ioël 2. ad ſceleroſum Iſraëlis populum, hæc ore prophetico dicit Dominus: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu. Et ſcindite corda veſtra.* Et quæ eſt hæc cordis ſciſſio, quæ præcordia findens, peccata diſſipat, & ſanctitatem redintegrat? Pulchrè Pacianus in Parænesi ad Pœnitentiam: *Scindite corda veſtra. Nolite hanc ſecturam timere. Suſtinuit illam Dauid, iacuit in cinere ſordenti, ſacco inſuper horrente deformis. Ille quondam gemmis aſſuetus & purpuris; texit in ieiunio animam ſuam* (Bella planè ſententia) *cui maria, cui ſilua, cui flumina ſeruiebant: promiſſaque diuitiis terra parturiens, madidus lacrymis conſumpſit oculos illos quibus gloriam Dei viderat*; (attentiùs penſita, quæ ſubijcit verba) *infelicem ſe, miſerumque confeſſus eſt pater Mariæ, Iudæi etiam dominator Imperij.* Expenſione quidem digniſſimum eſt, quòd cùm Dauid Iudaici dominator imperij, in vberrimâ rerum affluentiâ, ieiunio aridus marcet, cilicino ſacco intextus exaſperatur, atque ſordido cinere volutatur; dum ambitioſo pœnitentiæ ſqualore infelicem ſe, miſerumque confeſſus eſt; tunc, tunc quidèm *pater Mariæ* nuncupatim dicitur. An quia tunc vel maximè auguſtam Deiparæ paternitatem promeruit? An quia cùm ſpecie tenus, magis videtur infelix ac miſer pœnitentiæ ſordibus; tunc tanto faſtigio dignior apparet? An quia tunc filia Deipara, gratiarum oceano exundans, & diuinitatis iubare circumfuſa; & paternis oculis lacrymarum riuulos infundebat, & in mentis oculos reuerberabat gratiæ fulgores, de precariæ omnipotentiæ pietate? Profectò myſterio non vacat, quòd Dauid in ambitioſo pœnitentiæ luctu, tunc ſpeciatim *pater Mariæ* nuncupetur. Mariæ inquam, quam de gratiæ nitore Angelica dignitas æmulatur.

*Ioel. 2. v. 12. & 13.*

*Pacian. ſup.*

*Dauid cùm Pœnitentiæ aſperitatibus maceratur, pater Mariæ ſpeciatim dicitur.*

3\. Exhodi 3. Moyſes paſcebat oues Iethro ſoceri ſui: cúmque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Horeb. *Apparuitque ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur.* Hoc dumetum rigidè ſenticoſum, non parum cilicinæ ſpinoſitatis ſubolet. Vndè eruditus P. Pereira, poſt loci elucidationem litteralem, hæc de myſticâ expoſitione ſubdit: Rubus, inquit, frutex vilis & aſper, ſignificat virum humilem & mortificatum carne, animâ, & ſpiritu, in quo Deus habitat: & cui ſe ſuaque arcana manifeſtat. Rubus ille inflammabatur ab igne, ſed nihil ab eo lædebatur: ſimiliter quantæuis tribulationes virum humilem & mortificatum non lædunt, quinetiam illuſtrant magis & roborant Et quemadmodum nemo eſt, qui audeat contrectare manibus rubum: ita Diabolus hominem verè humilem & mortificatum formidat, ac refugit. Hactenùs ille planè elegànter. (Hanc vltimam ſententiam videtur hauſiſſe ex Ambroſio, ſic ad Virginem lapſam ſcribente: *Corpus opertum cilicio diabolus perhorreſcat*) Et quidèm expenſione digniſſimum eſt, quòd rubus, ſpinoſa arbuſcula, quæ hominis aſperitatibus macerati typum gerit, arcanam illam flammam, quæ adumbrabat, vel continebat Deum, medullitùs alere videbatur. *In ſpecie ſcilicet flammæ ignis* (ait Caietanus) *ex interioribus ruborum naſcentis, tanquam ex lignis, ex quibus nutriri ſolet flamma ignis.* Ecce tibi rubus ipſa aſperis punctionibus hominem mortificatum adumbrans, flammam diuinæ gloriæ in rubo apparentis, alit. Et econtrariò flamma ignis rubum alebat reciproco arcanè alimento. Appoſitè Philo: *Rubus ibi erat, frutex ſpinoſus & inualidus: is ſubitò incenſus eſt, correptúſque totus à radicibus vſque ad cacumen, flammâ in morem fontis ſcatente, manebatque integer, & illæſus, quaſi non eſſet incendij materia, ſed ipſe ab igne aleretur.* Vide hìc hominis cilicinâ ſpinoſitate compuncti ac mortificati grande elogium in rubo adumbratum. Nempè hæc rubus à lucidâ diuinioris gloriæ flammâ alitur; & hæc diuinioris gloriæ flamma rubum alit. Dedeceat enim Dei gloriam auguſtiori ſpecie in terris apparentem, iſtiuſmodi mortificatione non nutriri: nec decebat hominem huiuſmodi acerbiori ſpinoſitate mortificatum, niſi diuinâ gloriâ (congruo quidèm ſibi alimento) ali: quò alimentum in aliti ſubſtantiam myſticè conuerſum, adſimiles proprietates imprimat, & vtrobique repræſentet.

*Exhod. 3. v. 2.*

*Hominem cilicio mortificatum diabolus formidat.*

*P. Perei. ibi. Diſp. 3.*

*S. Amb. ad virg. lapſ.*

*Caiet. ibi.*

*Homo cilicio mortificatus diuinam gloriam nutrit, & diuinâ gloriâ nutritur.*

*Philo. lib. 1. de vita Moyſ.*

4\. Matthæi 3. *In diebus autem illis venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite ..... Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos.* Profectò ſi attentiùs explores Euangelicæ narrationis verba, in re alioqui explicatu facili, impeditam inuenies ſententiam. Ioannes enim non videtur veniſſe *prædicans*; ſed potiùs vt prædicaret aduenit: quia eius aduentus, prædicatio non fuit, ſed prædicantis Ioannis præſtructor, & (vt ſic loquar) baiulus, adductione præambulâ. Quid ergò dicitur, quòd *venit Ioannes prædicans in deſerto?* Verùm cùm poſt hæc verba, confeſtim addat Euangeliſta, quòd *ipſe Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos*; putare forſan aliquis poſſet, quòd Ioannes dum cilicio intextus venit ad prædicandum ore verbum Dei, iam præproperè illud adhuc dum venit, prædicat; & opinatiſſimam oris

*Matth. 3. v. 1. & 4.*

*Num Ioannes citiùs venit, prædicans quàm prædicaret?*

oris prædicationem Chriſto publicando præmittendam; etiam dum adhuc venit, anteuertit. Vndè conſultè dicatur, *Venit Ioannes Baptiſta prædicans.* Quaſi etiam dum ad ore prædicandum venit et, ſpinoſa zonæ aſperitate iam præproperè prædicaret. Imò tametſi adeò illuſtris fuerit Ioannis prædicatio verbis peracta; hæc tamen prædicatio, dum pelliceâ zonâ textus, *venit* ad prædicandum, vſqueadeò eminet, ac ſi nominatiſſima Ioannis prædicatio illis dudum aſperitatibus cenſeatur. Seleucienſis Baſilius agens de Ioanne Herodis ac Herodiadis inceſtuoſam libidinem viuaciùs increpante, ita ſcribit: Baptiſta Prophetarum apex, eremi ciuis, temperantiæ opifex, Reginam libidinis adminiſtram, contra dignitatis & naturæ rationem debacchantem, confuſos iuſtitiæ terminos, naturam in theatrum iniquitatis verſam; hæc, inquam, videns rurſus, *quas olim voces in eremo iecerat, repetebat*: *Vox clamantis in deſerto.* Num in deſerto, in agreſti, inquam, illo rupium, volucrum, lignorum, ac ferarum theatro, eas edebat voces, quæ Regum intemperantiam acerbiùs denotarent? Scilicet eas etiam potiſſimum voces, quas aſperioris zonæ indumentum, & hirſutæ ſpinoſitatis aſperitas, linguato ſilentio altiùs edebat, in Regis quoque aulâ etiam Ioannes ingeminat, temperantiæ diſtrictione durâ blandam Regis intemperantiam valenter incuſans. *Venit Ioannes Baptiſta prædicans,* etiam antequam ore prædicet: nam victus ac veſtis aſperitatibus, *quas olim voces in eremo iecerat, repetebat.* ante oris loquelam, anticipatam aſperitatum prædicationem oculis præmittens. Sic *venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto*, aſperitatum theatro, & mortificationis paleſtrâ.

Baſil. Orat. 38.

5. Geneſeos 3. Vbi Protoparentes de arbore ſcientiæ boni & mali infidè comederunt, aperti ſunt oculi amborum: *Cùmque cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Sudatum vulgò eſt, iam tunc Adamum, & Euam præuaricationis reos, ſumpſiſſe pœnitentiæ habitum, & auſteriori foliorum ficus cinctione cilicinam aſperitatem dedicaſſe: quò pœnitentiæ aſperitas in amictu propè coæua peccato ſit. S. Irenæus ſuper his verbis ita philoſophatur: Aſſumpſit Adam *condignum pœnitentiæ amictum, retundens petulantiam carnis impetum, aduentum Dei expectans.* Benè eſt, quòd Adam nuper præuaricator, confeſtim aſperiorem pœnitentiæ aſſumat amictum, retundens carnis petulantiam, quam pudor iam prodidit. Sed quid eſt, quòd aſperiori amictu, quaſi intexto cilicio exaſperatus, *aduentum Dei expectat*? An iam tunc eam illi fiduciam ex auſterâ veſte concepit, vt Chriſti Dei aduentum, ſibi in ecſtaſi nuper obſcurè adumbratum, ad peccati redemptionem ſperare cœperit? Eam fiduciam peccatoribus cilicium facit, vt poſt præuaricationem aſſumptum, ſic piè præſumere valeat? Pulchrè Tertullianus alibi aliorſùm expenſus: *Nos verò ſacco & cinere volutantes, inuidiâ cælum tundimus. Deum tangimus, & miſericordiam extorquemus.* Quaſi inuidioſum, odioſum inquam, faciat Cælum, quiſquis piè ambitioſo aſperioris pœnitentiæ ſqualore illud confidenter pulſans, quicquid votiuè cupiat, non extorqueat. Quantam fiduciam de ſacco Tertullianus Chriſtianis ingerit; tantam Irenæus Adamo forſan ingeſſit.

Geneſ. 3. v. 7.
*Adamus recens præuaricator, de aſperioris indumenti fiduciâ, aduentum Dei expectat.*
S. Irenæus l. 3. adu. Hæreſ.
Tert. Apol. cap. 40.

Danielis 4. ſub magnæ arboris typo futuri calamitoſe exterminium Nabuchodonoſor cælitùs ſomniat. Adeſt Daniel ſomnij opportunus interpres, nec peccatorum redemptionem eleemoſynis faciendam à ſuperbiſſimo & ſceleratiſſimo Rege impetrat: quanto minùs ſacci ac pœnitentiæ aſperitates extorqueret. Quid ergò factum, ne rex periret? *Sermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abiectus eſt, & fœnum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum eſt; donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & vngues eius quaſi auium.* &c. Tota inſolentis metamorphoſeos tragœdia, in id recidit, vt aliqua exomologeſis, ſeu pœnitentiæ aſperitas, à Rege vel inuito exigeretur, quò veniam impetraret. Eleganter Pacianus in Paræneſi ad pœnitentiam ita fatur: *Rex ille Babylonius*, inquit, *exomologeſim deſertus operatur, & ſeptuenni ſqualore decoquitur. Leonum in illo iubas impexa cæſaries & barbarus horror exuperat, & longè incuruis vnguibus manus horrentes aquilas mentiuntur, cùm fœnum in bouis modum ederet pallentium ruminator herbarum. Hæc tamen illum Deo pœna commendat, & in ſua quondam regna reſtituit. Quem horrebant homines, Deus recipiebat ipſâ illâ malæ tractationis calamitate felicem.* Vide nunc mihi, quantùm poſſint vel inuitæ corporis aſperitates. ô quantum vltrò aſſumptæ potuerunt in reginâ Eſther, & totâ Iudæorum gente ad auertendam ſui ſtragem barbarico Regis edicto denunciatam. Itaque Eſther & Mardochæus *ſacco & cinere volutantes, inuidiâ cælum tundunt, Deum tangunt, & miſericordiam extorquent.* 6.

Daniel 4. v. 30.
*Nabuchodonoſor vel inuitis aſperitatibus peccata decoquere cogitur?*
Pacian. in Paræn. ad pœnit.
Hic ...

Eſther 14. confugit ad Dominum, pauens periculum quod imminebat. *Cumque depoſuiſſet veſtes regias, fletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit*, &c. Audiendus eſt Petrus Damianus in ſimili de Iudithâ, lib. 8. epiſt. ad viros illuſtres: *Quandò iſta procos admitteret, dum puellarum quoque eius alloquium cuipiam facile non pateret? Quo pacto ambiret veſtium cultum, cuius aſſiduè terebat membra cilicium? An fortaſsè lautioribus epulis eſſet inuenta, quam quotidiana macerabat inedia?* Vide quàm procùl arceat incontinentiæ pericula, & omnes ſanctitates aduocet auxiliares, cuius aſſiduè membra cilicina veſtis exaſperat. 7.

Eſther 14. v. 2.
Pet. Damian.
Sacci, ac cilicij laus.

---

## §. CCLXVII.

*Suam, ac Dei cognitionem homines deſcriptam legant in puluere ac cinere: qui flos incendij, & mortalium præfectus eſt.*

SAnctus Iob alloquens amicos hoſtili familiaritate inimiciſſimos, ita fatur: Statim vt ſe commouerit (Deus) turbabit vos, & terror eius irruet ſuper vos. *Memoria veſtra comparabitur cineri, & redigentur in lutum ceruices* (alij *cineres*, alij *ſupercilia*) *veſtræ.* Grande quidèm humanæ gentis à primodio peccatricis ſupplicium; nam ſub hominis formâ foris nitente, 1.

Iob. 13. v. 12.
Montanus.
Rabbi Mardochaï.

Memoria noſtra ſint ſermones cineris. tente, fuliginem intrinſecùs fauillaceam ambitio tantùm extimæ cutis cohibet, quæ vel leui languoris tactu preſſa fumum exhalat, & fatiſcit in vagum puluerem. Heu indies decinereſcimus, & ad matricem puluerem quantocyùs omnes redimus! ô id ſedulâ frequentemus memoriâ, & vſurpemus ſermone frequenti! Vatablus
Vatablus. pro τὸ *Memoria veſtra comparab[...]ur cineri*, habet: *Memoriæ veſtræ ſunt ſermones cineris.* ô cognati pulueris, in quem humanitas omnis ſoluitur, memoria, ſit ſermonum officina, & loquelæ noſtræ conceptaculum; vt detumeſcat elationis ambitio de limi cognati congenitâ inanitate! Ambitioſioris corporis reliquiæ, puluis eſt, de matrice limi noſtri materiâ ſuperſtes. Hunc puluerem tractemus memoriâ, frequenti ore verſemus, vt verè dici poſſit: *Memoriæ veſtræ ſunt ſermones cineris.*

2. Canticorum 1. Cæleſtē ſponſum ſedula quærit ſponſa, aiens: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Sed audi attentiùs, & ſollerter conſidera quid ſponſæ ſponſum ſuum quærenti reſpondeat puellarum cho-
Gregorius. rus: (quem Gregorius putat eſſe animas ſanctas,
Ricardus. Ricardus beatas, Pſellus Angelos) *ſi ignoras te, ô*
Pſellus apud Sanct. ibi. *pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt ve-*
Cant. 1. v. 8. *ſtigia gregum.* Quid eſt, quòd dum ſponſa cæleſtē ſponſum anxiè quærit, ſcire cupida vbi cubet in meridie, id eſt, in feruore diei, torrente charitatis
Suam, & Dei cognitionem in puluere deſcriptam, bonæ ſtis legant. Sole; Angeli ſeu Beati reſpondent: *Si ignoras te, egredere, & abi poſt veſtigia gregum?* Forſan id faciens, ſe cognoſceret: nunc autem ſponſa ſe cognoſcere non expetit; ſed ſcire, vbi ſuus ſponſus cubet in meridie, vt inter meridiandum eius amplexibus fruatur. Quid ad inueniendum ſponſum cum ſui inexpertâ cognitione hactenùs ignoratâ? quid cum ſui cognitione, ad inueniēdum ſponſum? Quid, vt vtrumque feliciter peragat, præſtat egredi, & abire poſt *veſtigia gregum*?
Rio. Noſter pereruditus Martinus del Rio, quem
Salazar. P. Ferdinandus de Salazar inibi ſequitur, ex Hebræâ origine puluerem veſtigiorum his verbis agnoſcit: *Hebræum Akeb ſignificat plantæ partem vltimam, quæ calcaneo proxima, pulueri veſtigium imprimit.* Agnoſce hîc moraliſſimum ſpectari noſtri pulueris ſacramentum. Nimirùm ſollicitè quærit ſponſa cæleſtem ſponſum, cùm in meridie amoribus flagrat, inuenire; cui rogati Angeli opportunè ſuggerunt, vt ſi cæleſtem ſponſum inuenire percupit in meridiei feruore, ſe priùs agnoſcat: (nam qui ſe ignorat, non benè Deum noſcet, & inueniet) agnoſcet autem ſe, & eiuſmodi cognitione ſponſum inueniet, ſi gregum ſequatur *veſtigia*, hoc eſt, attentiùs contempletur *puluerem*, cui veſtigia imprimuntur: vnde iubetur egredi, & abire poſt veſtigia, dum *pulueri imprimuntur*: & poſt puluerem etiam, quem greges *veſtigia pulueri imprimentes*, excitare ſolitant. Porrò in attentiùs ſpectato puluere, ſuum quiſque limum non dubiis characteribus deſcriptum agnoſcet: ex ſui autem limi attentâ cognitione, Dei cognitionem, & inuentum feliciter nanſciſcetur. O de Angelorum ſcholâ & magiſterio ediſcant homines hoc morum ſacramentum in puluere deſcriptum!

3. Matthæi 1. ſic Ieſuanæ genealogiæ prima teſ-
Mat. 1. v. 5. ſaradecades abſoluitur: Booz autem genuit
Hugo ibi. Obed ex Ruth. *Obed autem genuit Ieſſe. Ieſſe au-*
1. Reg 23. *tem genuit Dauid regem.* Quæ verba myſticè exponens Hugo Carenſis, ita philoſophatur: *Iſte Ieſſe fuit binomius, dicebatur enim Iſai, & Ieſſe, vt ſcires eum veniſſe, de quo Iſaiæ 11. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Iſaiæ 11. 1. 2. Lucæ 12.
*Ieſſe interpretatur incendium: & Chriſtus dicit: Ignem veni mittere in terram.* Chriſtus *incendium* mundi eſt, an refrigerium? planè æſtas virtutum eſt, & vitiorum hyems. ô vtinam æſtuet homo ab hoc arcano incendio, & empyreo ardore, quo & agnatus libidinum igniculus tepeſcit ad virtutem, & gehennalis pyra extinguitur ad pœnam. Verùm ad *Ieſſe* myſterium aduerte. Si *Ieſſe interpretatur incendium*, quorsùm illud Prophetæ aduocatur: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet?* De radice *Ieſſe*, id eſt *incendij*, viridis poteſt germinare ramus, frondea ambitioſè coma, & flos vernans erumpere? Opinor, *incendium* non eſt idonea radix floridæ arboris. Arbor humorem amat, non exſuccum aridè *incendium*. Profectò arboris, quæ radices agit in *incendio*, ardore folia vſtulantur, fumo flores infuſcantur, & truncus ſimul cum ramis decinereſcit in fauillam, & vagum puluerem. Puto, arboris, quæ in *incendio* radicatur, flores & fructus, cineres ſunt. Hem, pulchros cinerum flores, qui hominibus ſalutares fructus parturiant, & ad omnem pietatis ſaporem erudiant, expetit Deus, dum generoſam arborem in *incendio* plantat. Floridi cineris fœcundus eſt ad virtutem prouentus: cuius odor fragrat in Eccleſiâ, & illam recreat à fœtore vitiorum. In limine, in lecto, in menſâ hos flores ſparge, qui pietatem ſpirant, cœlum fragrant, probitatem ſpondent, & omnes ſanctitates ſapiunt. His cinerum floribus ſertum texe, quo caput coronetur tuum, vt valeas viriis principari, & cohibere paſſiones malè ſubditas, & petulanter contumaces. Quiſquis cineres in quos citò abibit humana mortalitas, ſedulò contemplatur, æternam ſibi vendicat immortalitatem. O carpe hos cinerum flores, qui fructum vitæ ad beatam immortalitatem erudiant!
(Flores, & fructus cineris quàm ſint ſalubres.)

Geneſeos 23. emortuâ tādem Sarâ, dixit Abraham ad Hethæos: *Si placet animæ veſtræ vt ſepeliā* 4.
*mortuum meū, audite me, & intercedite pro me apud* Geneſ. 23.
*Ephron ..... vt det mihi ſpeluncam duplicem, quam* v. 8. & 9.
*habet in extremâ parte agri ſui: pecuniâ dignâ tradat eam mihi in poſſeſſionem ſepulchri.* Quæ ver- Philo.
ba ſic Philo Iudæus allegoricè emedullat in lib. de Confuſ. ling. *Itaque meritò Abraham, qui mortuam vitam, ſepulcrumque reliquit, mortuorum cuſtodes, & mortalium rerum diſpenſatores ſic alloquitur: Aduena & inquilinus ſum ego inter* Pulueris, ſeu
*vos, vos autem indigenæ, qui cinerem & puluerem* cineris præfe-
*pluris facitis; quàm animam, dum vobis præfeciſtis* ctura expe-
*Ephron, quod nomen ſignificat puluerem.* Ecce tibi tenda.
ethnicos etiam, in agreſti illâ quondam morum barbarie, Ephronem, id eſt, *puluerem ſibi præfeciſſe.* O bona ethicè præfectura, in quâ cognatus limo noſtro puluis, pulueris memoriâ, & ſermo pulueris; actus dirigit, mores regit, & totam vitæ politiam peritè gubernat. ô quàm ſtrenuè cineris præfectura virtutes promouet, vitia cohibet, & omnes pietates afflat!

Eſther 4. ferale Regis edictum de perimendis 5.
vnâ die Iudæis omnibus, cùm audiſſet Mardo- Eſther 4.
chæus, ſcidit veſtimenta ſua, *& indutus eſt ſacco,* v. 1. & 3.
*ſpargens cinerem capiti ſuo: & in plateis mediæ ciuitatis voce magnâ clamabat*, &c. Idem vbiuis reliqui fecere Iudæi, verſ. 3. *ſacco, & cinere multis* Hîc v. 2.
*pro ſtrato vtentibus.* Et cap. 14. ipſa regina Eſther, cinere

*cinere impleuit caput.* Itaque de Hebræorum more fuit, in magnâ tribulatione vti ieiunijs, ſacco, & cinere, vt expetitam Dei miſericordiam feliciter extorquerent piâ ſacci & cineris ambitione. Quem pium morem auidè aripuit Eccleſia: *Nos vero* (ait Tertullianus) *ieiunijs aridi, & omni continentiâ expreſſi, ab omni vitæ fruge dilati in ſacco & cinere volutantes, inuidiâ cælum tundimus. Deum tangimus.* Quin & Gentiles, apud quos erat moraliſſima *cineris* præfectura, hanc Synagogæ & Eccleſiæ conſuetudinem expreſſerunt. Quod in lib. de Ieiunijs aduerſ. Pſychi. his verbis Tertullianus ediſſerit: *Apud quaſdam verò colonias præterea annuo ritu ſaccis velati, & cinere conſperſi Idolis ſuis inuidiam ſupplicem obijciunt.* Arduum ſanè inter ſciolos litigium, in vtroque Tertulliani loco, quomodo cinere conſperſi ſupplicem *inuidiam* cælo & Deo obijcere dicantur. Quid ingerendæ cælo *inuidiæ* cum terreâ cineris vilitate? Alibi cenſebamus, cælum ipſum in *inuidiam* penè & crimen vocari, ſi hominibus *cinere* conſperſis, Deus poſtulata non adnuat. Adhæc noſter pereruditus Cerda addit: *Sed quid ſi alius ſenſus? Inuidiâ cælum tundimus. (Cinere conſperſi Idolis ſuis inuidiam ſupplicem obijciunt) id eſt, intentis & attentis oculis cælum intuemur; quia iuxta Ciceronem in Tuſculanis, Inuidia à nimio intuitu dicitur.* Itaque *inuidiam* obijcere cælo, Deo, aut Idolo, eſt nimio intuitu illud cernere, agnoſcere, peruidere. ô inopinatum oculorum collyrium, & arcanum cineris ſacramentum! Sacco & cinere volutantes, cinere conſperſi, cinerem ſuum intentis & attentis oculis contemplantes; de Idolorum, id eſt mundialium rerum inanitate, de Cæli, Deique elogijs ſic perſpicaciter cernunt, vt propè *nimio intuitu* illa peruidere dicantur. Sibi inuidet cæli, cæleſtiumque nouitam, qui non aſſiduè ſuum cinerem contemplatur. Qui puluerem, in quem abibit, in terris non videt, ad cæleſtia cæcus eſt. Hic puluis oculis obiectus, ad bona mundialia excæcat, ad cæleſtia perſpicaciùs inoculat propè nimio intuitu.

Tertul. in Apolog. — Tertul. de Ieiun. adu. Pſych. — *Cinere, ad terrena cæcamur, ad cæleſtia inoculamur.* — P. Cerda in Apolog. n. 977. — Cicero. — *Quomodò cinis inuidiã cælo obijciat.*

6. Ioannis 9. prætereiens Ieſus vidit hominem cæcum à natiuitate, non in anteactorum ſcelerum pœnam, ſed ad diuinioris gloriæ inſuſpicabile auctarium. Ergò vindicatâ cæci innocentiâ, Ieſus *expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius..... & venit videns.* Pro τὸ *fecit lutum*, Syrus habet; *pinſuit lutum*, vt ſignificaret (ait inibi Chryſoſtomus) ſe eſſe illum ipſum Deum, qui initio mundi hominem quaſi figulus è luto formarat: ac proindè ſuum iam eſſe hominem à ſe formatum, ſed cæcitate deformatum illuminando refingere & reformare, atque conſequenter ſe pariter eſſe Dominum omnium etiam ſabbati, vt in eo operari, & cæcum curare poſſit, quicquid obſtrepant Phariſæi, quorum calumniam ipſâ calumniæ occaſione præcludit. Indè Anſelmus Laudunenſis in Gloſſâ interl. *Fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius. Ecce collyrium, quo vngitur genus humanum.* Scilicet cogitatio natalis luti, ex quo homo formatus eſt, & primò factori ſuo conſtitit, medicum eximiè *collyrium*, eſt quo oculorum lumen redaccenditur, & homo cæcus meliùs inoculatur. Homo de ſui limi ignominioſo luto, viſu ſuo vacuus eſt, & operoſus alieno: ergò de proprij luti conſideratione animitùs attentâ, ſuperbiæ cognatæ, & elationis ſuperbæ ambitio falſata detumeſcat. *Ecce collyrium, quo vngitur genus humanum*, quò à natiuitate cæcus viſum perſpicaciorem recipiat, vt ſe priùs cognoſcens, quæ ſupra ſe ſunt oculatiùs explorare valeat: *Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Hoc puluere inoculati, lutoſam voluptabilium gratiam, & inanem ambitionis inquietæ gloriam, rectè perſpicimus: hoc lutum, ſicut cæleſtium appetentiam ingerit, ſic terrenorum abalienatio eſt, & ficti honoris vera titubatio. ô, noſtros vngamus oculos hoc luteo *collyrio.*

Ioan. 9. v. 6. — Syrus. — S. Chryſoſt. — *Lutum eſt collyrium, quo cæcus homo inoculatur, vt ſe penitiùs exploret.* — Anſel. Laud.

## §. CCLXVIII.

### *Sic eſt fauſtum orationis initium, vt antequam quis ſuppliciter oret, feliciter Deum exoret?*

1. Regius Pſaltes orationi aſſiduus, precandi peritus, & precationi totus, ita pangit, de cæli ſcholâ eruditus: *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Deſiderium noſtrum, auſpicium orationis eſt; quia quæ fieri peroptamus, hæc itidem orare conſueuimus: aut, quia miſerorum clamor magnus) magnum eſt liberationis deſiderium. Siue, vt ait S. Bernardus: *Non expectat Deus verba, ſed ſolis cogitationibus aduocatur.* Sic oratio humana cordi Deo eſt, vt diuinior beneficentia orationem anteuertens, *præparationem* cordis exaudiat: vel *concupiſcentium cordis*, vt Caſſiodorus excribit. iuxta illud Prophetæ oraculum: *Eritque antequàm clament, ego exaudiam.* Porrò exauditio ante precariam vocem, ſilentij audientia eſt; ſed ſilentij quod vocem modulatè concinnat. vt tantâ auditionis celeritate, Dei beneficentia ſumptuoſiùs ornetur, & orationis humanæ dignitas venuſtetur Et ſanè Pſalterium Ambroſianum habet: *Præparationes cordis eorum inſpexit auris tua.* Sic ad humanas orationes necdum formatas gratiùs excipiendas, auriti ſunt Dei oculi? an aures oculatæ? Sic ad captandas hominum preces, munia ſua ſenſus reciprocant? Sed de hoc aliàs. Nunc ſatis eſto, quòd vel præparatio cordis exauditur: & necdum oratio, ad orationis elogium, & impetrationis negotium acceptatur. quæ eſt huius §. theſis. Reliqua precum elogia, quæ in hâc longiuſculâ Eſtheris oratione prælucent, in ſequentibus Paragraphis longiuſculâ etiam tractatione elucidabimus. Prolixæ orationi prolixior debetur elucidatio.

Pſal. 9. v. 38. — S. Ber. ſer. 9. in Cant. — Iſaiæ. 65. v. 24. — *An ad humanas preces, auriti ſunt Dei oculi an aures oculatæ?* — Pſalterium Ambroſ.

2. Actorum 3. Petrus & Ioannes aſcendebant in templum *ad horam orationis nonam.* Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris ſuæ, baiulabatur, vt ad portam Specioſam à templum frequentantibus ſtipem corrogaret. Is cùm videret Petrum, & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat vt eleemoſynam acciperet. *Petrus autem dixit: Argentum & aurum non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Ieſu-Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.* Et protinùs conſolidatis eius plantis, perfectè ambulabat. Benè eſt, vterque Apoſtolus in templum aſcenderint *ad horam orationis nonam*, quo tempore ſolennis precatio fiebat; & ipſi oraturi aſcenderint, quandò claudum ſtipis rogatorem exaudiunt: ipſi autem nondum intrauerant in templum, nec hactenùs ore preces nuncupauerant: Quâ

Actor. 3. v. 6. — *Apoſtolorum fundendas in templo preces, effectus præuenit.*

Quâ ſuper re ita ad rem præſētem philoſophatur Chryſoſtomus: *O glorioſum meritum Apoſtolorum! qui antè in templo operantur, quàm ipſi Dominum deprecentur: antè virtus oſtenditur, quā oratio ad Dominum præmittatur: effectus preces præueniunt, virtutes deſideria antecedunt. Nec expectatur, vt vota ad Dominum præmittantur: quia Dominus ipſe antè efficit, quàm oretur.* Quid accommodatiùs?

S. Chryſoſt. homil. ſuper illud Sapient. 3. Iuſtorum animæ &c. tom. 3. ad finem operis.

3\. Ioannis 11. quatriduo poſt fratris Lazari funus, piis ſororibus mœſtitudine deſolatis, cæleſtis medicus adeſt. *Dixit ergò Martha ad Ieſū: Domine, ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet mortuus. Sed & nunc ſcio quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.* ô Martha, ſi ſcis, quòd quæcumque popoſcerit à Deo, dabit illi Deus; & ſi non poſcas, quod miraculum faciat, poſce ſaltem vt ipſe poſcat. Fidem negas. quam fateris, cùm neque illum rogas, nec rogatorem ſaltem precatis. Hac ſuper re pluſcula Bernardi verba ſubijciam, ne pulchrum locum, themati peridoneum, reddam mutilum (etſi ad aliud aliorsùm thema, ſaltuatim nuper expenſum) Audi credentem, (ait Bernardus) audi ſperantem, nec tamen orantem. Domine, inquit, ſi fuiſſes hîc, frater meus, non fuiſſet mortuus. Magna autem fides, quâ tradidit ſuâ præſentiâ Dominum mortem prohibere potuiſſe, ſi adfuiſſet. Modò autem quid? Abſit vt quem credidit viuum poſſe ſeruare, mortuum dubitet poſſe reſuſcitare. Sed nunc, inquit, ſcio quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus. Deindè quærenti vbi poſuiſſent eum, reſpondet: Veni & vide. Quam ob rem? ô Martha, magna nobis tuæ fidei inſignia tribuis, ſed quomodò cum tantâ fide diffidis? Cur ſi non deſperas, non ſequeris, & dicis, Reſuſcita? Si autem deſperas cur Magiſtrū ſine cauſa fatigas? *Denique appropinquantem cadaueri prohibes, & dicis: Domine, iam fœtet: quatriduanus enim eſt. Deſperando dicis hoc, aut diſſimulando?..... ô ſanctæ mulieres, ſi fratrem veſtrum amatis, cur eius miſericordiam non flagitatis, de cuius potentiâ dubitare, pietate diffidere non poteſtis? Reſpondent: Sic meliùs tanquam non orantes oramus, ſic efficaciùs tanquam diffidētes confidimus. Exhibeamus fidem, perhibeamus affectum, ſcit ipſe cui non eſt opus vt aliquid dicatur, quid deſideremus.....Sufficit nobis potentiæ locum, pietati dediſſe occaſionem.* Argutè quidem Bernardus. Sæpè enim effectus orationem anteuertit; & potentiæ ac pietati diuinæ, noſtris deſideriis muto ore hiantibus, occaſionem miſerendi tribuiſſe, feſtinatæ impetrationis blandimentum eſt. Sic nondùm formata oratio, orationis ſtipendia meretur; dum aliquandò de modeſtiæ pudore informis, proponitur impetrationis forma, & beneficentiæ lenocinium. Modeſta enim fides, dum videri poſſet precum refuga, ad diuinæ pietatis effugium citiùs euolat, geminis fiduciæ & deſiderij alis feliciùs ſubuecta. *Sic meliùs tanquam non orantes orant, ſic efficaciùs tanquam diffidentes confidunt*, &c.

Ioan. 11. v. 21. & 22.

S. Bern. de Grad. humil. ſub finem.

Quomodo Martha fratris reſurrectionem non petens, impetrauit.

4\. Pſalmo 4. ſic Dauid pingit: *Cùm inuocarem, exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ.* Quæ verba ita ex Hebraicâ origine nonnulli tranſcribunt: *Cùm inuocabo, exaudiuit me Deus.* quaſi priuſquam inuocet, cùm adhuc ſe ad inuocationem parat, iam exauditus ſit. Quod nuper ex eodem Prophetâ retulimus: *Præparationes cordis audiuit auris tua.* Ad cuius elucidationem appoſitè ad rem præſētem, exponendum eſt illud Matth. 6. vbi Dominica oratio ſic inchoatur: *Pater noſter qui es in cælis: ſanctificetur nomen tuum.* Interpretum proceres communiter putant, τὸ *Sanctificetur nomen tuum*, Septenarium numerum petitionum integrare, quaſi ſit precatio potiſſima, *eſtque quaſi omnium confirmatio*, vt ex Gloſſis loquitur Hugo. Qui inibi addit: *Quidam tamen dicunt, quòd eſt quaſi omnium proœmium.* Meritò quidem orationis *proœmium* & cordis ad orandum *præparatio*, & petitionum potiſſima, & omnium *confirmatio* putatur. Parùm ſotet, quòd orationis proœmium, ad orationis nomen & elogium admitteretur: nam *præparationes cordis* audiuit, vel inſpexit auris Dei: &, *cùm inuocabo exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ*: Orationis proœmium, princeps petitionum dicitur & earum *confirmatio*. Porrò hanc cordis præparationem, & orationis proœmium quaſi orationem acceptare, ſumptuoſius beneficentiæ diuinæ elogium eſt, & glorioſa humanæ orationis prærogatiua, quæ *ſic meliùs tanquam non orans orat*, & oratione adhuc informi, formam impetrationis implet.

Pſal. 4. v. 2.

Matth. 6. v. 9.

Proœmium orationis, oratio reputatur.

Hugo ibi.

5\. Sapientiæ 5. Iuſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum, & *cogitatio illorum apud Altiſſimum.* Grande quidem inter Commentatores litigium, cuius nam ſit hæc *cogitatio*: An Dei de Iuſtis? an Iuſtorum de Deo? Quid eſt, *Cogitatio Iuſtorum apud Altiſſimum*? Bonauent. Hugo Carenſis, Dionyſ. Richel, & Robert. Holcoth ſeriò cenſent, *cogitationem* iuſtorum actiuè eſſe capiendā, quâ nimirùm Iuſti de Altiſſimo cogitant: quam proindè *cogitationem* Deus præmiis opulentioribus remunerat. Cantacuzenus verò & Oſorius ad Deum referunt, vt ſcilicet ſit *cogitatio*, quam Deus habet de iuſtis, quâ illos augeat ampliſſimis muneribus, quæ mox ſigillatim recenſet. Hanc ſecundam expoſitionem primæ Lorinus præfert, licèt primam etiam propter homonymiam affectat à ſe negari non poſſe. Addit Ceruantes: *Ego verò neutram alteri præferendam arbitror. Imò vtrāque eodem loco habendam.* Per me certet vterque Doctor, vtra alteri præferenda ſit, cùm vtramque litteraliter vterque amplectatur. Quaſi *cogitatio* iuſtorum de Deo, quæ nondum in orationem formatur; ſit quodammodò *cogitatio* Dei de iuſtis; quâ proindè ac ſi *cogitatio* iuſtorum fuiſſet oratio perfecta, tot munera impetrans, *cogitationem* Dei alliciat, vel curam, vel ſollicitudinem, vt tot tantiſque præmiis quæ ſtatim recenſet, illos cumulatiùs muneret. Nimirùm *cogitatio* Dei de iuſtis, tametſi non ſynonymon ſit, eſt ſaltem velut appendix, aut ſequela *cogitationis* iuſtorum de Deo. ô bona noſtræ contemplationis ſeu *cogitationis* ſequela, tot gratiarum vbertim fœcunda? *Cogitatio* noſtra apud Altiſſimum, de obſequio fœcundè grauida, innumera hominibus beneficia feliciter parturit, ad quæ præſtanda *cogitationem* Altiſſimi adulantiùs ſubornat. *Non expectat Deus verba, ſed ſolis cogitationibus aduocatur*, vt nuper ex Bernardo reſcripſimus.

Sap. 5. v. 16.

Cogitatio noſtra de Deo, munificā in Deo cogitationem noſtrî allicit.

P. Lorin. ibi.

Ceruantes ibidem, qui præſcriptos Auctores allegat.

6\. Ioannis 5. in probaticâ illâ quondam piſcinâ, quam auidum ſalutis deſiderium continuò frequentabat, & ſanitatis votum feſtinatior ægroti ſolertia præmonſtrabat, atque expeditioris diligentiæ merces, erat optata ſalus: Erat inquam ibi quidam homo triginta & octo annos habens infirmitate ſuâ. Hunc cum vidiſſet Ieſus iacentem

iacentem, & cognouiſſet quia iam multum tempus haberet (infirmitatis & ægritudinis) *dicit ei: Vis ſanus fieri? Reſpondit ei languidus: Domine hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam.* Ad quæſtionem Chriſti æger directè non reſpondet: præſupponit enim vt omnibus notum, ſe optare ſanitatem, ſed de modo eam nanciſcendi per piſcinam ſermonē iniicit. Quaſi dicat: Ego ob paralyſim ad piſcinā ire nequeo, homines qui me deferant non habeo: ſum enim pauper: tu ſi in hâc te me adiuuare poſſis, adiuua. Syrus, cui adſentit Arabicus, expreſsū languidi votum enunciat: *Vis ſanus fieri? Reſpondit ei languidus: Etiam Domine* (cupio ſanus fieri) *hominem autem non habeo.* Profectò ſciebat Chriſtus Deus eum cupere ſanari; quærit tamen idipſum ex eo, vt deſideriū exacuat, *& colloquio, indeque ſanationi præbeat occaſionem & initium: quâ in re inſignem ſuam clementiam oſtendit, quæ ab ægro non rogatus eū præuenit, & ſanare ſatagit,* vt ſcitè ibi notauit Cornelius: *Magnum* (ait Cyrillus Alexandrinus) *miſericordiæ Chriſti eſt argumentum, non expectare ſemper laborantium preces, ſed ſuâ miſericordiâ præuenire.* Initium ſanationis eſt velle ſanari? Antequā preces explicet, beneficium accipit? Imò deſiderium beneficij Chriſtus ſollicitat, & eius vota ſollicitus foret, vt volenti, citiùs quàm petenti, verbo ſanitatem adſpiret. Pius miſericordię faſtus eſt, precationis obſequiū anteuertere. Diligentior ne erat Chriſtus in alienis, quàm languidus erat in propriis? Pulchrè aliorsùm Caſſiodorus: *Non admonitus facit, quod vix rogatus impleret.* Quid negabit requiſitus, qui beneficij deſideriū ſic ad præbitionē ſollicitat? Nihil, adhuc languidus poſtulat, & vltra quàm poſtulare potuit, feliciter impetrat. Toto hoc cap. 14. prolixior Eſtheris ad Deum oratio deſcribitur. Sed quid nō impetret orationis perſeuerentia, ſacco & cinere volutans? Inuidiā cælum precibus Eſther tundit, Deum tangit: & ipſa pœnitentiæ ſqualore piè ambitioſo, & ſuam, ac ſuæ gentis ſoſpitatem exorat. Verùm eminuerò iam diu in ſomnis viderat Mardochæus hanc incolumitatem, quam nunc Eſther regina precatur Nam *paruus fons, qui creuit in fluuium, & in lucē ſolemque conuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit? Eſther eſt.* Itaque iam dudū hæc *Iudæis noua lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, & tripudiū:* & in *plurimis aquis* huius pelagi, Aman, & Amanitæ ineluctabile fecere naufragium, Præuento precationis officio.

Ioan 5. v. 6. & 7.

Syrus. Arabicus.

*Non admonitus facit Chriſtus cum paralytico, quod vix rogatus impleret?*

Cornel. ibi. S. Cyrillus. ibidem.

Caſſiod. l. 12 var. epiſt. 21.

Hic verſ. 3.

Eſther 10. v. 6. & cap. 8. v. 16.

## §. CCLXIX.

*Sæpè humana oratio ſic accedit impetrationis ſecura, ac ſi diuina promiſſione ſubnixa, beneficium petitione prægustarit.*

1. O Quàm contēpta res eſt homo, quàm humilis, & abiecta, quam eſt de limo ſuo ſordidè luteus, niſi de ſuperno vitæ ſpiraculo, quo afflatus conſtitit, ſupra humana ſe erexerit. *Cùm homo* (ait Seneca) *diuina contemplatur, alitur, creſcit, ac velut vinculis liberatus, in originē reddit. Et hoc habet argumentum diuinitatis ſuæ,* (de facili Gentilitas diuinitate donat *quòd illum diuina delectant; nec vt alienis intereſt, ſed vt ſuis.* Non vt alienis intereſt, ſed vt propriis, qui votiuā precariæ omnipotentiæ vi, bona quæ diuinæ omnipotentiæ cenſu continentur, quodammodò facit ſua. Quid enim eſt, quod Deus poteſt dare, quod homo non poſſit petere, & precariâ omnipotentiâ expromptiùs acquirere? Procliuior enim eſt infinita Dei bonitas ad donandum, quàm indiga hominis tenuitas ad petendum, nam vis Dei benefica ſemper beneficia ſua parturit, niſi per hominis acceptoris inertiam, conatu irrito beneficij faciat abortum. Dare cupit, qui accipiendi ſuggerit votum. Dare citò exoptat, qui nullius indigus; indigentiam remediare alienam, diuitias ſuas cōputat; qui beneficia ſua non vendere, ſed donare exambit; qui generoſum benefici nomen properante liberalitate apud homines mercatur. Sibi inuidet bona, qui ad properantem dare, precibus accipere nō feſtinat. Qui feſtinus eſt ad preces, Dei muneribus *non vt alienis intereſt, ſed vt ſuis.* Quid cunctanter aliena petis, qui petendo, incunctanter facies tua?

Seneca lib. 1. Natur. quęſt. cap. 1.

*Qui orat Deum, eius muneribus non vt alienis intereſt, ſed vt ſuis.*

Ioannis 5. toto triduo fameſcit in deſerto tur- 2.
ba; & cùm ad quinque millia hominum alimoniam, tantùm ſuppeterent tres panes, & duo piſciculi; *Accepit ergò Ieſus panes: & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus: ſimiliter & ex piſcibus quantùm volebāt.* Benè eſt in Chriſti manibus miraculorum fœcundis, panes parturiant panes, & crudi piſces conditis piſcibus ſoboleſcant: ſed precatio miraculum præire debuit, non gratiarum actio, quæ acceptum beneficium ſequitur non præcedit. Quid eſt, quòd gratiarum actio acceptum beneficium præcurrit; & pro oratione præuiā, gratiarum actio ſubſtituitur? An oratio ſic eſt de impetratione ſecura, vt gratiarū actio propè orationem adintegret? Profundè Tertullianus: *Non priùs diſcumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur: Editur quantùm eſurientes capiunt, bibitur quantùm pudicis eſt vtile.* Nempè ante prandium oratio ad Deum *prægustatur,* quā præproperè delibatur cibus antequam opponatur Oratio eſurientis alimoniam rogans, expetitas eſcas antequam palato, oratione *prægustat.* Quid ergò mirùm, ſi oratio quæ dum cibos expetit, illos petitione dulciùs prægustat, & gratiùs delibat, præmaturè ſit grata, & cum gratiarum actione vices reciprocet? *Non priùs diſcumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur. Accepit ergò Ieſus panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.* ô bona oratio de ſpei fiduciā, gratitudini impreſſa; vel potiùs gratitudo precibus prę maturè inſculpta; ô ſic ora, vt ipſa oratio rem petitam prægustans, aliqua gratitudinis portio quodammodo ſit, nec tam vt medicus, quàm vt gratus petas.

Ioan. 6. v. 11.

*Oratio prægustat beneficium, quod ſupplex petit.*

Ter. Apolog. cap. 39.

1. Regum 1. De Annæ deuotione, antequam 3.
de vulua, Samuël feliciter naſcitur. Aſcendente autem patre Elcanâ in Silo, vt immolaret Deo, Anna nō aſcendit: dixit enim viro ſuo: Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante cōſpectum Domini, & maneat ibi iugiter. Et ait ei Elcana vir ſuus: Fac quod bonū tibi videtur, & mane donec ablactes eū: *Precorque vt impleat Dominus verbum ſuum.* Nō apparet quod nam ſit illud *verbum*, aut illa Dei promiſſio, quam nunc optat Elcana impleri à Deo. Nam ſi Deus Annæ filium promiſerat cùm oraret in Tabernaculo, (quod ambiguum eſt) iam illud impleuerat. Lyranus putat, quòd cùm Anna dudùm peteret filium Domino conſecrandum,

1. Reg. 1. v. 23.

*An oratio noſtra dici poſſit, verbum Dei aut diuina promiſſio?*

Lyra. ibi.

Heli

Heli ſacerdos dixit illi: *Deus Iſraël det tibi petitionem tuam, quam rogaſti eum.* Verùm hæc potiùs ponitur tanquam mera Heli precatio non verò quaſi *verbum* Domini, aut promiſſio. Num oratio Annæ, promiſſio Dei eſt; & precatio Heli, velut prophetia eſt rei impetrandæ? Propè annuere videtur Strabus Fuldenſis ſic inibi fatus: *Precor vt impleat Dominus verbum ſuum. Quod voluiſti vel ſuum; quod promiſit per Heli, cùm ait: Deus Iſraël det tibi petitionem tuam.* Ecce tibi, ex ſententiâ huius magni Doctoris, *voluntas* Annę, quâ Deum ardente animi voto petiuit, vt prolē maſculum ſibi dicandam adnueret, *Dei verbum* nuncupatur. Aut precatio Heli, quæ Annæ vota à Deo impleri poſtulauit, Dei promiſſio perhibetur. Quaſi *voluntas* orandi, quâ Deus Annæ afflauit; aut precatio, quam Heli ſacerdoti inſpirauit, verbi, aut promiſſionis diuinæ elogium mereantur. Saltem ex Strabi ſententiâ ſic Helcana cenſuit. quo quid pro oratione auguſtius dici excogitariue potuit? Quaſi precatio Annæ, aut Heli imprecatio ſit *verbū* Domini, aut diuinæ promiſſio, aut rei obtinendæ prophetia. ô ſic Deum præcedunt, vt ſaltem noſtra oratio ita fauſte impetrationem ominetur, ſin minus prophetare audeat! Vnde ex oratione ritè facta alicubi intulit Tertullianus *fidem ſpei noſtræ*. De quo alias copiosè.

*1. Reg. 1. v. 17.* — *Strab. inibi in Gloſſa.* — *Tertull. alibi enucleatur.*

4 Matthæi 14. ambulante Ieſu ſuper maris vndas, turbarentur diſcipuli putantes eſſe phantaſma. Statimque Ieſus locutus eſt eis, dicens: Ego ſum, nolite timere. Reſpondens autē Petrus dixit: Domine, ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas. *At ipſe ait: veni. Et deſcendēs Petrus de nauicula, ambulabat ſuper aquā vt veniret ad Ieſum. Videns autem ventum validum, timuit: & cùm cœpiſſet mergi, clamauit dicens: Domine, ſaluum me fac.* Petrus quod maius eſt ſuperās, ſcilicet vndas maris, à minori turbatur, ſcilicet à venti impulſu. Precibus obtinuerat Petrus liquidum elementū ſolido veſtigio proculcare & ſic fide vacillat! Hæc lubrica fiduciæ titubatio, ſpem, quā de precatione concepit, egregiè deuenuſtat, maleſidum reputans beneficium precibus acquiſitum. Propè annuit Hieronymus: tanta eſt enim orationis excellentia, vt hoc quaſi deuenuſtamento indigeat, ne vltra ſui meriti faſtum videatur excellere. Sic ergò ſcribit Hieronymus exponens præſcripta verba: *Paullulùm etiam relinquitur Petrus tentationi, vt augeatur fides, & intelligat ſe nō facilitate poſtulationis, ſed potentiâ Domini conſeruatum.* Sciat, ſciat Petrus, quòd tumentes maris vndas proculcandi gratiam, precariâ orationis potentiâ, non vllâ affectrice omnipotētiâ orationis aſſecutus eſt. Ne tantū tribuat precationi, vt immemor Dominicæ potentiæ, prodigij gloriā ferè totam orationi adſcribat. Titubet tantillum Petrus, vt ius ſuum omnipotentiæ ſeruetur integrū. ô pulchram omnipotētiæ cum precibus velut æmulationē, ne preces repētini & inopinati miraculi gloriā ſuffurari videantur. Vacillet ergò Petrus, vt *intelligat ſe nō facilitate poſtulationis, ſed potentiâ Domini conſeruatum.* Nimirùm humana oratio tantâ pręnitet gloriâ, vt congruū ſit, quòd omnipotentia Saluatoris ius ſuum vindicās, precariam duntaxat vim, & de facili impetratricem orationi relinquat; effectricem autem miraculi omnipotentiam ſibi vendicet totā. Hæc velut æmulatio diuinæ omnipotentiæ, humanæ orationis præſtantiam, & facilem beneficij impetrationem luculenter exaggerat. Quomodo autem nunc in Petro, dum fiducia titubat, *fides augeri* dicatur alterius forſan thematis labor erit.

*Matth. 14. v. 29. & 30.* — *Petri fides nutabat, ne orationi citiùs quàm omnipotentiæ miraculi gloria adſcribatur.* — *S. Hieron. ibidem.* — *Petri fides titubatione augetur.*

5. Regius Vates Pſal. 33. ita concinnè pāgit: *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum.* Fauētibus oculis, & beneuolis auribus Deus excipit iuſtorū orationes, eiſque cumulatiùs annuit. Vt hæc Pſalmographi verba elucidet P. Lorinus adducit Saluiani Maſſilienſis egregium ad hanc rem commentarium: *In hoc quod ait, Oculi Domini ſuper iuſtos, eſſe effectus aſpicientis oſtēditur. Per id quòd dicit, diuinas aures in precibus eſſe iuſtorum, non audientiam tantùm Dei, ſed quandam quaſi obedientiam deſignatur.* Nimirū Saluianus in Deo oculis (propè in Anthropomorphitarum errorem lapſus errore) [illegible], quaſi videre, effici ſit. ô quàm efficaciter, quàm energicè actuoſus! ô quàm facilè & expromptè afficitur, qui videndo affectū exhibet! In auribus autem, ad diuinæ liberalitatis hyperbolen, non audientiam duntaxat, ſed *quaſi obedientiam* cōſtituit. Adeò vt ſic benè afficiatur erga iuſtorum preces, vt eas audire, propè iiſdē obedire ſit. Quid hic admirere magis, an orationis excellentiā, an orationi Dei *quaſi obedientiā*? Sic precibus humanis diuinæ aures mulcētur, vt illis non tantùm gratanter annuat, ſed quodammodò obſequium præſtet? ô non tam precarias, quàm propè imperiales orationis voces! Rogas, an imperas? Imò quaſi imperio rogas, obediente Domino voci hominis. *Per id quod dicit, diuinas aures in precibus eſſe iuſtorum, non audientiā tātū Dei, ſed quādā quaſi obediētia deſignatur.* Pergit Saluianus: *Quàm beati eſſemus omnes, ſi quam promptam erga nos Dei audientiam legimus, tam promptè ipſi Deum audire vellemus.*

*Pſal. 33. v. 16.* — *P. Lorin. ibi. Saluian. l. 2. de Prouid.* — *Deus erga orationem, in oculis affectum, in auribus quaſi obedientiam habere dicitur.*

6. Matthæi 21. Chriſtus Deūs, quò diſcipulorum fiduciam in orādo foueat & nutriat, vt certò impetrent; ita fatur: *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Credentes cupit eos qui orant, vt orando impetrent; an potiùs ſperantes? Spes beneficij adipiſcēdi, preces alit, præclarā impetrādi fiduciā, fides verò circa myſteria cælicā certitudine fertur. Qui credit in oratione, ſpem forſan recudit in fidē? an ſpes remanens in ſtatu integro, impetrandorum fidem in commercium admittit? S. Bernardus exponens illa Deiparæ ad Angelum verba, *Fiat mihi ſecundum verbum tuū*, ita ſcribit: *Nihil obſtat intelligi, Fiat, eſſe verbū orātis. Nemo quippè orat, niſi qui credit & ſperat.* Et olim dixerat Nyſſenus: *oratio conuerſatio ſermoque cum Deo eſt, viſum effugientium cōtemplatio, eorū quæ concupiſcuntur certa fides.* Quid illuſtrius? Nam quiſquis ritè orat, ſe adepturum quæ animi votis cōcupiſcit, ſicut ſperare poteſt, ſic credere valet. Nā Chriſti vox eſt: *omnia quæcumque petieritis in oratione credentes accipietis*. Qui de tuæ exiguitatis conſciētiâ orādo vacillas, *crede* his Chriſti Dei verbis, & ſpera te rē cupitam impetraturum: oratio enim ritè facta, eſt *eorum quæ concupiſcuntur certa fides*. Nā ſicut ſpem habet commū, ſic & fidem etiam habere poteſt. ô bona oratio, quæ adipiſcendi ea, quæ concupiſcit, & præhabet ſpem, & *fidem certam* admittit. An hæc oratio eſt, quæ apud Tertullianum facit *fidem ſpei noſtræ*?

*Matth. 21. v. 22.* — *Oratio eſt rerum, quæ concupiſcuntur certa fides?* — *S. Bern. ſer 4. ſuper Miſſus eſt.* — *S. Nyſſ. ſer. 1. de orat. dom* — *Tertull. alibi expenſus*

7. Geneſeos 4 ita ſcribitur: Sed & Seth natus eſt filius, quem vocauit Enos: *Iſte cœpit inuocare nomen Domini.* Cēſet Thomas Vvaldenſis, & ex eo noſter Bellarminus lib. 1. de Monachis c 5. Enos inſtituiſſe peculiarem aliquem cultum & ſubliniorem, quam eſſet religio vulgi: nam ante Enos

*Geneſ. 4. v. 26.* — *Vvadenſis. Bellarmin.*

Abel, Seth, & Adam inuocauerũt Deum. Itaque Enos auctor fuit, vt homines ritè Deum inuocarent, ac colerent: vndè Hebræa habent: *Tunc cœptum eſt inuocari nomen Domini.* Hinc ſcribit

Hebræus. Cornelius. LXX. interp.

Cornelius: *Tempore Enos videntur cœtus hominũ inſtituti, & in Eccleſiã congregari cœpiſſe ad publicas preces.* Cæterùm LXX. interpretes ita verterunt: *Iſte ſperauit inuocare nomen Domini.* Itaque

*Qui confidenter orat, non iam videtur in terris degere.*

Enos, qui primus hominum *publicas preces* inſtituit, nõ tantùm precibus *inuocare* Dominum, ſed *ſperare* perhibetur; quâ orationis ſpe ſubnixus, coloniam in cælum duxiſſe, tanquam præproperè cæli inquilinus traditur. Quâ de re ita fatur S.

S. Ambroſ.

Ambroſius lib. de Iſaac & animâ cap. 1. *Qui Chaldæorum ſermone Enos, dicitur Latinè homo, qui ſperauit inuocare nomen Domini Dei. Non videtur itaque homo eſſe, niſi is qui in Deum ſperat; qui autem ſperat in Deum non videtur degere in terris, ſed quaſi tranſlatus adhærere Deo.* Ecce tibi orationi adſuetus publicas preces dedicauit, & erectâ ſpe orare docuit, adeoque impetrationis ſecurus poſtulat, ac ſi iam poſtulatâ beatitudine potiretur, quaſi ſpe orationis erectus, *non videatur degere in terris, ſed quaſi tranſlatus adhærere Deo.*

---

## §. CCLXX.

### *Quaſi dogma eſt, neminem ex non petentibus, diuina accipere beneficia?*

1.
Iſaiæ 59. v. 16.
Hugo ibi.

ISaias alioqui Vates Euangelicè lętus; nunc lugubris, & querulus ita fatur. *Et vidit.* Dominus *quia non eſt vir: & aporiatus eſt, quia nõ eſt qui occurrat.* Quæ Prophetæ verba ſic Hugo Catẽſis inibi exponit: *Quaſi enim labor & afflictio grãdis eſt Deo, quandò nullus orando animaduerſioni eius obuiat. Aporiari enim laborare eſt, vel anguſtiari, ſiue affligi. Vel aporia eſt contẽptus ſiue priuatio bonorum, id eſt, depauperatio.* Rem hanc explicatiùs

P. Cornel. ex S. Hieron. & Chaldæo.

tradit P. Cornelius ex Hieronymo & Chaldæo ſic inibi ſcribens: *Aporiatus eſt*, inquit, *id eſt, anxius & perplexus hæſit Deus, obſtupeſcens & admirãs, & quaſi inops conſilij in re deſperatâ, anceps hæſit Deus; quia nõ eſt qui iræ eius orando occurrat.* Eſtò, Deus obſtupeſcat, quòd homines tot calamitatibꝰ iactati, & ærumnis oppreſſi, ſaltem tribulationis

*Quandò nemo orat, depauperata, & conſilij inops, Dei beneficẽtia inducitur.*

calcare ſtimulati, ad Deum precibus non confugiant, vt infeſtantia mala auertat, & cupita bona cumulatiùs tribuat; & indè ſe *contemptum* putet, quaſi eius potentiæ aut beneficentiæ non parùm detrahatur: Aſt, quia nemo eſt, qui ei orãdo occurrat, quare à Prophetâ inducitur *aporiatus, id eſt, anxius & perplexus, & quaſi inops conſilij*, & tanquã *bonis priuatus, & depauperatus*? An oratio humana, cenſus bonitatis diuinæ eſt? An non poteſt Deus quæcũque velit, hominibus inrogatus tribuere? Largiùs velut effundere poteſt munificẽtia diuina, quod vel oratio humana inerter negligit, aut puſillanimis nõ præſumit. At opinatiſſimum Prophetæ oraculũ eſt: *Aporiatus eſt* Dominus *quia nõ eſt quia occurrat.* Quaſi nihil donet Deus, quod deſiderium ſupplicis non ſuſpiret, quod optantis votum non prægustet, & precaria orantis inſtantia non extorqueat: ac ſi per orationis aquæductum omnes donorum gratiæ ad homines è cælo fluant: plerumque enim ita accidit. Exindè largior Dei beneficentia, vbi non eſt qui orando occurrat, *depauperata, & inops conſilij* conſultiſſimè inducitur.

Ioannis 11. quatriduo poſt Lazari funus, ſerus 2.
conſolator videtur adeſſe Chriſtus, ſororũ lacry Ioan. 11. v. 21.
mas citiùs quàm fratrem tunc reſuſcitans. *Dixit ergò Martha ad Ieſum: Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* Neſcijt nõ gemere Martha, quæ tumulatum & putrem quatriduò fratrẽ ſcit amare. Nõ pręſumit orare, nec deſiſtit plorare. An fortè vllum remanet ſpei refugium, vbi oratio non inuenit locũ? Audi Martham credentem, audi ſperantem, nec tamen orãtem *Domine,* inquit, *ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* Magna autem Marthæ fides, quâ credidit ſuâ præſẽtiâ Dominum mortem prohibere potuiſſe ſi adfuiſſet, non credit amiſſam vitã poſſe reparare? Abſit vt, quem credidit viuũ potuiſſe ſeruare, mortuũ dubitet poſſe reſuſcitare. Argutè

*Num fiducia aliquando recipit beneficium, quod oratio non præſumit?*

Bernardus hũc diſcurſum perſequens, his verbis amplificat: *ô Martha, magna nobis tuæ fidei inſignia tribuis: ſed quomodo cum tantâ fide diffidis? Veni inquis, & vide. Cur ſi nõ deſperas, non ſequeris, & dicis, Reſuſcita? An fortè fides aliquandò recipit, quod oratio non præſumit?* Quaſi vel fiduciæ animoſiori claudantur fores, quas orationis clauis non reſerat. Scilicet fiducia adipiſcẽdi beneficiũ feſtinat ad Deũ, & eius beneficentiæ gratiùs appropinquat; ſed precibus, tanquã deſiderij manibus rẽ optatã præſumit; quæ ſi deſunt, illã optare poteſt, apprehendere ſeu conſequi vix poteſt. *An fortè* optantis *fides aliquando recipit, quod oratio non præſumit?* Cùm autem mox videat Bernardus has pias Lazari ſorores optatum beneficiũ aſſecutas, latentem modeſtè orationem in earum fide & ſilentio recognoſcit, ita fatus earum nomine: *Sic meliùs tanquam non orantes oramus, ſic efficaciùs tanquam diffidentes confidimus.*

S. Bern. de Grad. Humil. ſub finem.

Ioannis 4. tametſi Iudæi non coũtebantur Sa- 3.
maritanis, Ieſus fatigatus ex itinere, à muliere Sa- Ioan. 4. v. 10.
maritanâ aquam poſcit, quâ æſtum temperet. Illa cunctanter agit; & tota ſceleribus innutrita, contemptæ religionis Iudaicæ ſcrupulum Chriſto garrula ingerit. *Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Si ſcires donũ Dei, & quis eſt, qui dicit tibi; Da mihi bibere: tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquã viuam.* Sed qualiter Chriſtus quæſiuit ab eâ potum lege non concedente? Si autem quis dixerit, quia præſciebat eam non daturam. Imò propterea neque petere oportebat. Niſi forsã aquulæ petitione potiùs repulſam pati exambiebat ab eâ, in quã tot gratiarũ imbres vbertim influebat. Ille autẽ qui bibere quærebat, potiùs ſitiebat ſitim ipſius mulieris, vt deſideranti & petenti daret gratiam, quã ipſe donare potiùs æſtuabat. Appoſitè

*Quaſi dogma eſt, neminem accipere diuinum donũ ex nõ petentibus.*

Orig. apud Caten. inibi.

inibi Origenes: *Tu forſitã petiſſes ab eo, & dediſſet tibi. Nam quaſi dogma quoddam eſt, neminẽ accipere diuinum donum ex non quærentibus illud: ipſũ autem Saluatorem iubet Pater poſcere vt det illi, ſecundum illud, Poſtula à me, & dabo tibi gẽtes hæreditatẽ tuam. Et ipſe Saluator dicit. Petite, & dabitur vobis: & ideò ſignanter dicit: Petiſſet, & dediſſet tibi.* ô innoteſcat hominibꝰ hoc de oratione *quaſi dogma,* ne humana deſidia ſit in calamitatibus oſcitanter iners, aut impatienter querula: aut quæ exoptat, cunctãter orare negligat! Hoc orationis *quaſi dogma* Pater Deus cum Filio ſuo adimplere ſtudet: & cum filiis adoptiuis Saluator impleuit. Qui grauatur petere, renuit accipere: *nam quaſi dogma quoddam eſt, neminẽ accipere diuinum donum ex non quærentibus: & ideò ſignãter dicit:*

Pſal. 2. v. 8.

*dicit: Petiſſes, & dediſſet tibi.* Locũ quem delibat Origenes ex Pſalmo 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam,* lemma propoſitũ non inidoneè probat, obuium eſt illum adſimili elucidatione adornare.

4. Ioan. 11 v. 23.

Ioannis 11. Martha Iob fratris lamentabile funus, tota lacrymis infuſa, appropinquantẽ Chriſtum ſic querula ſalutat: Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. Sed & nunc ſcio quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus. *Dicit illi Ieſus: Reſurget frater tuus.* Videri forſan poſſet alicui, quòd hæc reſponſio non plenè & exactè poſſit Marthæ verbis adaptari. Illa enim nuper dixerat, poſſe Chriſtum, ſi adeſſet, mortem prohibuiſſe: item indubiè ſcire, quodcũque, tametſi perarduum poſceret, facile impetraturum. Ergò ſermonis ratio videbatur expoſcere, vt Chriſtus reſponderet: Quandoquidem fide noſcis, me quicquid à Deo poſtulauero, impetraturũ; fratris tui reſurrectionem libens poſtulabo; aut per me ipſũ, qui Dei Filius ſum (vt ſæpè à me audiſti) vltrò præſtabo. Profundè hâc ſuper re Chryſoſtomus: *Dixit ei Ieſus: Reſurget frater tuus, Illud primũ confutat. Quæcumque popoſceris à Deo. Non enim inquit, Poſcã, ſed, Reſurget. Nam ſi dixiſſet, A me ipſo omnia facio; moleſtiora, & ſupra mulieris intelligentiam fuiſſent: dicendo autem, Reſurget, medium tenuit.* Conſultiſſimè Chriſtus non dixit Marthæ, Poſcã quod cupis, & quod dicis me poſcẽdo poſſe; neq; enim illud popoſciſſe legitur. Neque dixit, Etiam ſi non popoſcero, neque oratione impetrauero, fiet, quia à me ipſo id facere poſſum: vnde etiam ſi non orauero, id fiet tibi. Si enim hoc è Chriſto fuiſſet reſponsũ, *moleſtiora, & ſupra mulieris intelligentiam fuiſſent.* Mirum ſanè eſt, & valdè mirum, quòd lætiſſimum, & certiſſimum nunciũ optatiſſimæ reſurrectionis fratris ſui, *moleſtiſſimum,* & ſupra ſororum intelligentiam & captum foret, ſi audirent, ſine oratione obtinendum. An lubrica fide illud exciperent? An niſi per orationẽ reſurrectio fratris accideret, ſpectrum putarent, & futilẽ phanſiæ eluſionem? An nullum beneficium, quod oratio non poſcit, nec preces impetrant, ſatis firmum, ſolidum, ac diu duraturum putabant? Saltem habemus ex Chryſoſtomo, quod lætiſſimum nuncium fraternæ reſurrectionis; quam non popoſcit, neque impetrauit oratio, *moleſta* illis foret, & ſupra mulieris tunc intelligentiam. Tantam tunc Martha de oratione opinionem imbiberat? Sed Chriſti potentia, precariam orationis omnipotentiam longè ſuperat.

*Martha non ita firmum beneficium putat, quod à aliis non impetrauit.*

S. Chryſoſt. homil. 61. in Ioan.

5. Matth. 6. v. 11. Anſel. Laud. ibi.

Matth. 6. in oratione Dominica ſic quotidie iubemur poſtulare: *Panem noſtrum ſuperſubſtantialẽ da nobis hodie.* Anſelmus Laudunenſis inibi cenſet per hunc panem quo quotidie alimur, ſignificari *eſuriem & ſitim iuſtitiæ.* Num quotidianus Chriſtiani hominis cibus, quo naturalis fames expletur, eſt *eſuries & ſitis iuſtitiæ?* Profectò qui eſurit & ſitit iuſtitiã aut humanos cibos faſtidit, aut illi abundè ſuppetent, de arcano mundialium facultatum cẽſu, viris iuſtis ingenuè vectigali. Arguitè quidẽ Anſelmus, ſed de hoc myſtico ſenſu forsã aliàs. Verùm τὸ *panem noſtrum ſuperſubſtantialẽ,* liqui excribunt, *quotidianum?* vel *aduenientem.* Quod ſi hic quotidianus panis *noſter eſt,* & quotidie ad nos *aduenit;* cur eum à Deo tam ſollicitè petere iubemur? Fortè bonorũ noſtrorum ſic auarè tenax putatur Deus, vt ad obtinendũ quod *noſtrũ* eſt, ſupplici precatione in-

*Cibus noſter ad explendã famem, ſit eſuries & ſitis iuſtitia.*

digemus? Ecquis quod ſuum eſt, ab alio citiùs rogat, quàm exigit? An oratio non tam rogat quod alienum eſt, quàm exigit quod ſuum eſt orationis iure? Fuldenſis Strabus ſic profundè rẽ meditatur: *Panem noſtrum quotidianum, vel aduenientẽ da nobis hodie. Oramus vt quod noſtrum eſt per donum, quotidie detur per effectum.* Nimirùm tametſi hoc donum promiſſum à Deo nobis eſſet, & iam iam ad nos *adueniat;* ne autem quicquam *detur per effectum,* quod non impetrauit oratio, panem noſtrum *aduenientem* poſcere iubemur à Deo; qui dona ſua, quæ diuina promiſſione fecit noſtra, noſtra oratione ab illo tãquam exactores citiùs quàm petitores poſcamus. Quò fit vt eiuſmodi oratio noſtra exactionis titulo poſcat, quandoquidem ſuum poſcit, & *quod noſtrum eſt per donũ quotidie detur per effectum,* ne humana neceſſitas aliquando recipiat, quod oratio non præſumit. Sic plerumque euenit, etſi aliter euenire, ſummo rerum omnium largitori integrum ſit.

Strabus inibi.

*Quare panẽ noſtrum petere potiùs, quam exigere iubemur?*

6. Pſal. 2. v. 8.

Regius Propheta ſic Pſal. 2. occinit: Dominus dixit ad me (ad Chriſtum) filius meus es tu, ego hodie genui te. *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionẽ tuam terminos terræ.* Mirum ſanè eſt, & valdè mirum, quòd à Chriſto exigatur, vt ſuam *hereditatem* à Patre poſtulet. Num Pater Deus ſic eſt auarus, vniuerſorum poſſeſſor, vt niſi precum obſequio delinitus, nec etiam naturali Filio *hereditatem* ſuam largiri velit? Non hîc morabor Interpretes, num Pſalmographus loquatur de Chriſto, quà Deus, an quà homo eſt. Opinor enim agi de Chriſto, quà homo eſt, ſed diuinitate delibutus. Quã ſuper re ſic ad rẽ præſentẽ inibi Caſſiodór. philoſophatur: *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam. Hoc per habitum dicitur, formamque ſeruilem, ex eo quòd filius eſt Virginis.* (titulo Maternæ virginitatis, Chriſtus à Deo perãplam Gentium hereditatem poſtulat? Sed de hoc forſan alibi (*Quicquid enim in tempore accepit Chriſtus: ſecundum hominẽ, quod non habebat, acquirit. Hic enim iubetur vt petat ſecundum naturã inferiorem, & accepta poſſideat ..... Sequitur: Hereditatem tuam. Cùm dicit, Tuam, naturam illam in Chriſto perfectã diuinitatis oſtẽdit. Nam hoc ipſum quòd ait, Tuam, incarnationem Verbi eſſe demonſtrat, vt nihil intelligatur eſſe diuiſum, quoniã vnâ maieſtate omnia poſſidentur. Cùm & dicit, Poſſeſſionem tuam: natura humanitatis accepit, quod ſemper diuina poſſedit.* ô arcanè magnũ orationis ſacramentũ! Quod Chriſtus ſemper habet quà Deus eſt, quà eſt homo poſtulare iubetur? quò non ſolùm per communicationem idiomatum, & ineffabiles perfectionum conſequentias, ſed orationis etiam titulo poſſideat, quod ipſius *hereditas, & poſſeſſio eſt, Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.*

*Num titulo Maternæ virginitatis, Chriſtus ſuã hereditatem poſtulat?*

Caſſiodor.

*In Chriſto natura humanitatis oratione accepit, quod ſẽper diuina poſſedit?*

## §. CCLXXI.

### *Humanas preces licet appellare victoriales, cùm victricem opem ritè precantibus modulentur.*

1. Tertul. Apolog. c. 30. TErtullianus in Apologetico aduerſus Gẽtes, ita de Chriſtianorum oratione eloquenter ſcribit: In cælum ſuſpiciẽtes Chriſtiani manibus expanſis, quia innocuis; capite nudo, quia nõ erubeſcimus; deniq; ſine monitore, quia de pectore oramus: precantes ſumus ſemper pro omnibus, &c. Hæc ab alio orare non poſſum, quàm à quo me ſcio conſecuturum, quoniam & ipſe eſt qui ſolus pręſtat, & ego ſũ cui impetrare debetur, famulus eius qui eum ſolum obſeruo, qui propter diſciplinã eius occidor, qui ei offero opimam & maiorem hoſtiam, quàm ipſe mandauit: orationẽ de carne pudicâ, de animâ innocenti, de Spiritu ſancto perfectam. (Nota quæ ſubdit alludens ad id quod dixerat, nempè nos *manibus expanſis* orare) *Sic itaque nos ad Deum expanſos vngulæ fodiãt, cruces ſuſpendant, ignes lambant, gladij guttura detruncent, beſtiæ inſiliant: paratus eſt ad omne ſuppliciũ ipſe habitus orantis Chriſtiani.* Ita quidem. Sic autem orans, tanquam cunctis hoſtilitatibus imbecillè expoſitus, hoſtes ſuos potenter debellat, exarmat, detriumphat. Quoties benè oratum, toties & feliciter victoriatum eſt.

*Habitus orãtis eſt expoſitus ad omnẽ inimicorum iniuriam.*

2. Geneſeos 14. Abrahamus alioqui pacato vir ingenio derepentè in victores reges Aſſyrios pugnacius irruit, & malè cecidit: opima detrahit ſpolia, quæ tãquam immortalis gloriæ trophæa erigit. Mirum ſanè eſt, & valdè mirum, quod in hoc pugnaci congreſſu, & felici triumpho viri ſanctiſſimi, nulla reſonet precum vox, quæ & illi animos ingereret, & opem Dei auxiliarem accerſeret. Vnde eſt tãta Abrahami virtus, quã preces non armarunt? vnde lætus triumphi clamor, precibus ſurdus? Miror in viro iuſto congreſſum vſque adeo felicem, ſine oratione inermem. At verò Melchiſedech rex Salẽ, reduci Abrahamo benedixit, & ait: *Benedictus Abrahã Deo excelſo, qui creauit cælum & terram: & benedictus Deus excelſus, quo protegẽte, hoſtes in manibus tuis ſunt.* Sera alicui videbitur hæc oratio; ſed quæ ſuo merito cõgreſſui pręcucurrit, & victoriã pręproperè antecuertit, ne victoria ſine precarijs armis reportetur. Appoſitè Philo præſcripta Geneſeos verba exponens: *Et oraculũ*, inquit, *quod poſt victoriales preces ſcriptum eſt, quas ille à ſeipſo cõſecratus ſacerdos Melchiſedech precatur*, &c. An nõ audis in Abrahami victoria *victoriales preces*; Eximium ſanè precum epithetõ, & aſpectabile elogium! ô frequens reſonet in bellatorum auribus hoc animoſum verbum. *Victoriales preces!* Porrò preces victoriam negotiantur, & victoria precum otiũ ſeu negotiũ eſt. Sibi victoriam inuidet, qui ante congreſſũ *victorialibus precibus* ſuas non armat manus, & exarmat alienas. An non Moyſes expanſis manibus Amalechum debellat? An non Dauid oratione citiùs quàm lapide Philiſthæum detrũcat? Taceo Iuditham, Eſtherẽ, Machabæos, & ſexcentos alios obuiã eruditione notiſſimos.

Geneſ. 14 v. 19. & 20.

*Victoriales preces hoſtes debellant, triumphos pariunt & adornant.*

Philo lib. de Cong. quærendæ erud.

3. 4. Regum 13. morti proximum Eliſeum ſic rex Ioas illacrymans inuocat: *pater mi, pater mi, currus Iſraël, & auriga eius.* Quibus ijſdem Eliſeus abeuntem Eliam inuocauerat. Hebræa vox פרש *paras*, non plauſtrum ruſticum, nec aurigam aut rhedarium ſignificat, ſed equidem, qui ideò currum aſcendit, vt ex eo pugnet. Imò in plurali numero eſt פרשיו *peraſau*, id eſt, *equites eius.* quaſi vnus Elias aut Eliſeus eſſet Iſraëli pro omni apparatu militari, qui ſignificatur in curru falcato nimirùm, & idoneè ad inimicorum ſtrages armato. Vnde tantæ vires vni pauperculo pannoſo & annoſo Prophetæ? Vtrumque Chaldæus luculenter expreſſit: *Qui melior erat Iſraeli oratione ſuâ curribus & equitibus.* Agnoſcant hîc Reges, Principes, bellatores, quòd fruſtrà apparatus belli impenſiùs extruitur, niſi pugnaci precum vi potentius armetur. Ad vnius Prophetæ precatium os gladiorum ora elimantur, acuuntur, & inſanabili plaga aduerſarios ſauciant: & ipſi gladij crebrâ cæde dentati, hoſtes deuorant, & bella digerunt ad victoriarum glorioſa incrementa.

4. Reg. 13. v. 14. 4. Reg. 4 v. 12.

*Elias oratione fit currus Iſraëlis & auriga.*

Chald. ibi.

1. Regum 10. Saülem nuper inauguratum regem, Samuel dimittit, & quæ ei in viâ accidunt, præſcius antedicit: *Poſt hæc*, inquit, *venies ad collem Dei, vbi eſt ſtatio Philiſthinorum: & cùm ingreſſus fueris ibi vrbem, obuium habebis gregem prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium & tympanum*, &c. Benè eſt, quod in colle Dei, aut propter ſublimem arduitatẽ remoto ab hominum frequentia; aut propter frequentes inibi Deo preces & laudes in pſalterio à Prophetarum grege decãtatas, eam ſortiatur appellationem, vt *collis Dei* nuncupetur: quorsùm ibi *Philiſthinorum ſtatio?* Opinor, inidoneum ad habitandum locum, Dei populus gregi Prophetarum deſtinat. Proculdubiò enim arma bellica, & hoſtilis bombardarum fragor obſtrepet diuinis laudibus, & aſſiduis precibus, quas Deo frequenter votiuè fundũt. Verùm ibi vbi erat *ſtatio Philiſthinorum*, & pugnaciſſimum hoſtiliter eorum præſidium, *collis Dei* appellatur, *Quia ibi erat cætus, & veluti ſchola Prophetarum, qui aut diuino afflati erant ſpiritu, aut diuinas laudes ex voto, ac religione, aut ex inſtituto modulabantur.* Ità P. Sanctius inibi, qui mox exponit ampliorem ſignificantiam nominis Prophetarum; & *collegia* eorum eruditioni, & habitationi excitata. Scilicet Dei populus, vbi pugnaciſſima & robuſtiſſima eminebat Philiſthinorum *ſtatio*, pro valentiùs repugnaturo præſidio, non arcem extruit turritis mœnibus minacem, & præſidiarijs militibus prævalidam; ſed *collegium* excitat, vbi *prophetarum grex* diuinas Deo laudes occinat, & in aſſiduis precibus occupatiſſimè otietur: & aduerſus *ſtationem Philiſthinorum*, precarium Prophetarum præſidium inſtituit, quod precum armis hoſtibus reluctetur. ô, his precationum armis vellẽ viros religioſos armari, alioquin corporalis valentiæ bonum erubeſcãt. Precario orationis vigore, in corpore penè exhauſto dici meruit Elias, meruit Eliſeus, *Currus Iſrael, & auriga eius.* 4.

1. Reg 10 v. 5.

*Collegia Prophetarum, in ſtatione Philiſthinorum, Dei populus extruit.*

P. Sanct. ibi. n. 26. &c.

Marci 14. hymno dicto, exijt Ieſus è domo in quã cœnã legalem, vſualem, & myſticam celebrauit, vt in montem oliuarum pergeret. *Et venerunt in prædium, cui nomen Gethſemani. Et ait diſcipulis ſuis: Sedete hic donec orem.* Semel, iterũ, & tertio orauit in illo loco, vbi frequẽs orare cõſueuerat. Quod cùm Iudã non lateret, illùc armato milite pergit, vt Ieſũ inimicis proderet. In cœnaculo Iudas Chriſtũ reliquerat, an nõ ſatius foret illum ibi quęrere. Noluit autẽ Ieſus è domo vbi cœnam nuper celebrauerat, ſed è prædio vbi prolixius orauerat, Paſſionem auſpicari, & congredi 5.

Marci 14. v. 32.

*Chriſtus in loco orationis ante congreſſum vincit.*

gredi

Ianſen. in Conc.c.137. gredi cum morte omnibus hominum peccatis armatâ, & cum pontificum & Pharifæorum tartareâ phalange: *Ne tanquam ſplendidus commutator, ſed vt deuotus precator ab inimicis raperetur*, vt pereleganter nibi Cornelius Ianſenius adnotauit. E loco orationis ſic ſtrenuè prælium vltrò adoritur, vt vel ante congreſſum, dum armatæ cohorti denunciat, ſe eſſe quem hoſtiliter quærunt, ſtatim omnes exanimauit, deiecit, detriumphauit: *Vbi ergò dixit eis: Ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* E loco orationis vel ante congreſſum vincit, & inopinata victoria, Paſſionis prælium anteuertit; vt ibi vbi orauit, triumphi glorias delibet, quouſque conſummatum trophæum erigat in cruce, in quâ de tartareis hoſtibus ſatis victoriatum eſt.

Ioann. 18. 6.

6\. Marci 16. v. 17. *Humana oratio eſt alligatum Dæmonum incendium?* P. Maldon. ibidem. Minut. in Octau.

Marci 16. Chriſtus Deus cælos aſcenſurus, in mundum vniuerſum ſuos mittit Apoſtolos, vt Euangelium euulgent: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis*, &c Viguit quidem initio tantopere miraculorum vſus, vt tam admodum Chriſtiani eſſent, qui non eſſent miraculorum gloriâ conſpicui. Duo maximè omnibus communia erant, alterum loqui linguis; alterum Dæmones eiicere, vt ex Iuſtino, Tertulliano, & Lactantio P. Maldonatus inibi tradit. Audiendus eſt Minutius Felix hâc de re ad rem præſentem opportunus, ſic de Dæmonibus fatus: Vitam hominum conturbant, omnes inquietant, irrepentes etiam corporibus occultè, vt ſpiritus tenues; morbos fingunt, terrent mentes, membra diſtorquent, vt ad cultum ſui cogant: vt nidore altarium, vel hoſtiis pecudum ſaginati, quæ conſtrinxerunt, curaſſe videantur. (& poſt pauca) *Hæc omnia ſciunt plerique veſtrum ipſos Dæmones de ſemetipſis confiteri quoties à nobis & tormentis verborum, & orationis incendiis de corporibus exiguntur.* Adhuc gehennalibus pyris malè vſtulato Dæmoni, ſubeundum humanæ *orationis incendium* ſupereſt? Sic aduerſarios Dæmones noſtræ preces peracerbè exurunt, vt vi precationis inflammatos, de humanis corporibus exigant? O facile parabilis Dæmonum excantatio! O ſæpius vre precum incendio, eos, qui te tentationum igniculis ſic exurunt! Quot audis Chriſtianorum preces, tot vides Diabolorum pyras. Quid timet, poteſt precatio ote phalanges tartareas exanimare, fugare, detriumphare? Victorialibus Chriſtianorum precibus de tot victoriis exultim gratulemur: nemóque ceſſet orare, vt ſæpe vincere ſciat.

7\. Sapient. 18 v. 21. Sapientiæ 18. adlnditur ad excidium illud peracerbum, quod propter Dathan & Abiron in eremo peractum eſt; *Properans enim* (inquit) *homo ſine querela* (Aaron) *deprecari pro populis, proferens ſeruitutis ſuæ ſcutum orationem, & per incenſum deprecationem allegans, reſtitit iræ, & finem impoſuit neceſſitati.* Modus quo ſedata ſiue exarmata eſt ira Dei exardeſcẽs in oblatrantem populum denarratur toto cap. 16. Numerorum. Nempè iacenti ad tabernaculum fœderis Aaroni frater Moyſes & ipſe iacens, vnáque deprecãs pro populo de ipſis obmurmuratore, quem latè ſerpens conſumebat incendium, imperauit vt citò pergeret ad populũ ipſum cum thuribulo, togatus pro ipſo: quod vbi feciſſet Aaron currẽs ad mediam multitudinem, quæ iam vaſtabatur incendio, incenſum offerens, audacter ſtans inter mortuos & viuentes ceſſauit incendij plaga, quæ hactenùs multa hominum millia in fauillas & vagos cineres feſtinanter redegerat. Sed penſiculatiùs ad rem, ſacri textus ſententia enucleanda eſt. Itaque Aaron *properans*, Græcè *diruens*! *euertens, expugnans, deprecari* pro populo, alij codices habent, *propugnauit*, quæ verba bellum & arma ſonant, ſicut & ſequentia: *Proferens ſeruitutis ſuæ ſcutum orationem, & per incenſum deprecationem allegans, reſtitit iræ, & finem impoſuit neceſſitati.* Ecce tibi quomodò iræ diuinæ adoerſus rebelles acriùs armatæ reſiſtere potuit, & *neceſſitati* pereũdi finẽ imponere eualuit. Quod explicatiùs ad rem habetur aliis codicibus, Scilicet: *Accipiens proprij miniſterij arma orationem, & per incenſum deprecationem allegans*, vel *alligans*. Porrò Aaron ſtrenuè intrepidus, & oratione obarmatus, vt populi reliquias ſemiuſtulatas *propugnaret*, auſus eſt in medios ignium globulos periculum inuadere, & iræ diuinæ, orationis ſcuto clypeatus reſiſtere, & excidij *deprecationem alligare*. O bene! Deprecatio ſeu exoratio precibus *alligatur*, vincitur, catenatur? Precatio *deprecationem alligat*? O victricem orationis vim, quæ Omnipotentis iræ ſic reſiſtit, vt *deprecationem alligare* eualeat! O victoriales hominum preces, quæ excidij *neceſſitati finem imponunt*! Sic, ſic victoriam conſecutus eſt Aaron, *accipiens proprij miniſterij arma orationem & per incenſum deprecationem alligans*!

Numer. 16.

Græcus.

*Oratio eſt arma, quibus deprecatio alligatur.*

Tranſlatio alia apud Lorin.

---

## §. CCLXXII.

### *Hominum preces, Dei gloriam ſumptuoſiùs prædicant, & generoſiùs negotiantur.*

Octauius ille Idololatriæ peritus euerſor, & ſtrenuus Chriſtianiſmi propugnator, aduerſus Cæcilium argutè ethnicum, vt Idololatriã dehoneſtet, oſtendens eſſe futile otioſorum hominum inane figmentum, ita eloquenter ſcribit: Quis ergò dubitat (inquit) Deorũ imagines cõſecratas *vulgus orare, & publicè colere*? dum opinio, & mens imperitorum artis concinnitate decipitur, auri fulgore perſtringitur, argenti nitore, & candore eboris hebetatur? Quòd ſi animum quis inducat tormentis quibus, & quibus machinis ſimulacrum omne formetur, erubeſcet ſe materiei ab artifice, vt Deum faceret, illum. Deus enim ligneus, rogi fortaſsè vel infelicis ſtipitis portio, ſuſpenditur, cæditur, dolatur, runcinatur. Et Deus æreus vel argenteus de immundo vaſculo conflatur, tunditur malleis, & incudibus figuratur: & lapideus cæditur, ſcalpitur, & ab imperito homine læuigatur: *nec ſentit ſuæ natiuitatis iniuriam, ita vt nec poſteà de veſtrâ veneratione culturam*: niſi fortè nondum Deus ſaxum eſt, vel lignum, vel argentum. *Quandò igitur hic naſcitur; Ecce funditur, fabricatur, ſcalpitur, nondum Deus eſt. Ecce plumbatur, conſtruitur, erigitur, nec adhuc Deus eſt. Ecce ornatur, conſecratur, oratur: tunc poſtremo Deus eſt, cùm homo ille voluit, & dedicauit.* Sic humana oratio Deum non inuenire, ſed facere creditur? Saltem permirum eſt quantùm diuino honori humanæ preces adiiciant ad gratiæ blandimentum, & gloriæ auctarium.

1\. Minut. Felix in Octau.

*Idoli fabricatio, & conſecratio.*

*Idolum dum oratur, numine donari ab ethnicis cenſebatur.*

Iſaiæ 48. prophetæ ore ſic Deus populum ſuum alloquitur: *Propter nomen meum longè faciam* 2. Iſaiæ. 48. v. 9.

*ciam furorem meum: & laude meâ infrenabo te, ne intereas.* Captiuitatem, inquam, ſoluâm (ait Deus) non propter vos, veſtráque merita; ſed *propter nomen meum*: ne ſcilicet Gentes illud blaſphement, ſi videant populum nũcupatim meum in captiuitate derelinqui. Non morabor Montanum & Vatablum, qui pro τὸ *laude meâ infrenabo te*, malunt: *Frenum iniiciam mihi.* Sed curioſiùs indagare oportet, quæ ſit hæc Dei *laus*, quâ dicit ſe *infrenare* populum, vt ſe continens intra virtutis limites, non effrenis in vitia protuat: aut quâ Deus *frenum ſibi iniicit*, ne vltrà in ſupplicia acerbiora efferatur, ſed in patrias ſedes feliciter ſuum populum reſtituat. LXX. Interpretes pro *laude mea infrenabo te*, vertunt, *Glorioſa mea inducam ſuper te.* Forerius ex Hebræo, *Laudem meam obſignabo tibi.* Sed adhuc ambiguum eſt, quæ ſit hæc *laus*, quæ *glorioſa Dei*, voce pluratiuâ dicitur; & quâ ſiue *frænandum*, ſiue *obſignandum* ſibi ſuum populum prædicit. P. Cornelius à Lapide ſic ex S. Thomâ & Haymone locum exponit: *Laude mea infrenabo te, &c. Frenum religionis meæ tibi iniiciam, cogamque te ad mei cultum, vt in templo more ſolito me laudes per pſalmos, preces*, &c. Itaque *pſalmos & preces* Deus nuncupatim appellat *ſuam laudem, & glorioſa ſua*, quibus ſibi *obſignatur* homo, & ſignaculum ſimilitudinis ad Deum, in eo ſibi generoſiùs reſculpit: quibus & ſuæ iracundiæ, ne vltrà acerbiùs graſſetur; & humanæ temeritati, ne adhuc vitiis audacter inſaniat, *frenum iniicit.* Generoſa planè orationis Laus! *Laude mea infrenabo te.* Quomodò autem oratio dum hominis ora clamoribus aperit, dicatur oris frenum, alibi forſan explicabitur.

Montanus Vatablus.
Oratio eſt, Glorioſa Dei quæ homini obſignat.
LXX interp. Foret. ibi.
P. Cornelius indidem.
Oratio appellatur frenum.

2\. Danielis 6. regni Satrapæ ſic Dario regi locuti ſunt: *Rex nunquid non conſtituiſti, vt omnis homo, qui rogaret quemquam de Diis, & hominibus vſque ad dies triginta, mittatur in lacum leonum?* O vecordem arroganter ſuperbiam! Parùm videbatur ſuperbiſſimo Regi diuinos honores ſibi arrogare, niſi omnium etiam rogationes vſurparet ſibi, vt non tantùm de præſumpta diuinitatis abreptione, ſed de precariis creaturarum mendicitatibus ſibi ſumptuoſiùs adularetur. Itaque mẽdicantes tantùm apud ſe creaturas ambit, quaſi earum deprecata mendicitas, opulentior ſuæ diuinitatis ſenſus ſit, & numinis inſigne. Elegãter putatus Chryſoſtomus: *Eſt autem oratio quaſi quoddam ſpirituale tributum, quod anima offert Deo de viſceribus ſuis.* Scilicet omne *ſpirituale tributum*, quod orãdo de viſceribus ſuis homines Numini pendunt, auarâ arroganter ambitione vni ſibi Darius vſurpat, vt precariis omniũ mendicitatibus ſummam diuinitatis abreptionem opulentiùs fundet: & dum præter ipſum nemo rogatur, omnia tributa quæ Numini vbique penduntur, ſibi arrogantiùs vſurpet. Porrò ſicut Dij Gentium precibus conſecratur, ſic Darius omnium vnicè precibus, honorariè opulentum diuinitatis tributum ſibi vnicè arrogare præſumit, dum ſuperbè *conſtituit, vt omnis homo, qui rogaret quemquam de Diis & hominibus, mittatur in lacum leonum.* Sibi arrogat Idolorum omnium diuinitatem, qui tributa orationis omnium vni ſibi ambitioſius vſurpat.

Daniel. 6. v. 12.
Darius omnium ſibi arrogat diuinitatem, dum tributa orationis omniũ vſurpat.
Imperf. homil. 13. in Matth.

4\. Redeat iterùm idem Danielis locus moralitatum eximiè grauidus, in quo Satrapæ ſic Darium alloquuntur: *Rex numquid non conſtituiſti, vt omnis homo qui rogaret quemquam de Diis, & hominibus vſque ad dies triginta, mittatur in lacum leonum?* Nempè Darius vnicè diuinitatis honorem ſibi arrogare præſumit, dum neminem Deorum hominumue præter ipſum, quicpiam rogari ſuperbo edicto interdicit, quo omnis humanarum precum *ſpirituale tributum* ſibi vnicè vſurpet. Quod, ſi attentiùs perpendatur, potiùs eſt, ſe omnibus hominum mendicitatibus tributarium exhibere de precum exactione, quàm tributum ab hominibus exigere. Sententiosè Tertullianus: *Agri*, inquit, *tributo onuſti, viliores: hominum capita ſtipendio cenſa ignobiliora: nam hæ ſunt notæ captiuitatis: Dij verò qui magis tributarij, magis ſancti; imò qui magis ſancti, magis tributarij.* Nimirùm Numinis maieſtas, bonitas, ſanctitas, & omnis vis Dei benefica, *ſpiritualis tributi* nomine humanas exigit preces: & indè infinitæ bonitatis maieſtas quodammodò precantium mendicitatibus obærata eſt, quod Numinis auctoritati, aut bonitati, aut ſanctitati minimè derogat: imò inde apud homines gloriâ meretur: nã *Dij qui magis tributarij, magis ſancti; imò qui magis ſancti magis tributarij.* Quaſi ex hoc precum tributo, quod homines Deo pendunt, & vice verſâ Deus quaſi pẽdet hominibus, anguſtior Numinis gloria glorioſiùs exurgat. Sic Deus de humanis precum mendicitatibus, opulentiorem beneficentiæ gloriam captare putatur.

Daniel. 6. v. 12.
Oratio eſt ſpirituale tributum, quod Dei etiam glorioſè quaſi tributarium facit.
Tertul. Apol. cap. 1.

5\. Ioannis 1. *In principio*, inquit, *erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Pro τὸ *verbum*, Græcè habetur λόγος, quæ vox apud Græcos varia ſignificat, vt P. Toletus eruditè tradit: *Nempè verbum, ſermonem, orationem, rationem, virtutem, formam, definitionem, pactum, opus, & alia multa.* Gratulor Orationi quòd vel vocabulo tenus in λόγου ſignificatione inueniatur, quò ſic, auguſtiùs honoretur. Scio (quod nemo neſcit) diuinum Verbum dum *oratio* dicitur, non poſſe implere rem vocabuli in eâ ſignificantiâ, quâ nunc de oratione agimus quippe quod quà Deus eſt, nullius ſit indigum, & omnia poteſt, vndè in eo vacat oratio. Niſi fortè adſpectu ad corporatum Verbum, qui eſt Deus homo Chriſtus Ieſus, *Orationis* vocabulum accipiatur. Porrò hominem Deum, hypoſtaſi inquam Verbi ſubſiſtentem, oratio non dedecet: ſæpè enim Chriſtus Deus oraſſe perhibetur, & inde Deus Deũ orauit; ſic enim oratio nec in Deo, neque in Dei nomine peregrinatur. Illud Matthæi 1. *Et poſt tranſmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel*, ita Strabus Fuldenſis accipit, vt ſpectatâ nominis etymologiâ, *Salathiel petitio mea Deus*, exponatur. Quàm paucis multa! Deus ne petitio noſtra eſt? A Deo quidem beneficia petimus oratione noſtrâ, quâ pietas diuina flectatur ad miſericordiam, & miſeriarum, quæ nos premunt, leuamen. Quantùm merus Deus ab indigentia abeſt, tantùm à petitione abeſſe debet; & tamen *Salathiel petitio mea Deus* nominatur. O grande orationis elogium! O paterna Dei viſcera erga miſeros mortales, propè immortales miſerias oratione deprecantes! Peridoneè Chryſologus loquens de non boni prodigè filij bono patre, per quem Deus adumbratur (*Apud patrem non intercedit extraneus, intùs eſt in patris pectore, ipſe qui intercedit? & exorat affectus.* Quid calamitatibus penè obrutus, Deũ orare negligis, & remedia humana ſollerter inquiris, quaſi de impetratione diffidens, Intùs in Deo eſt, *qui intercedit, & exorat affectus* Quod

Ioann. 1. v. 1.
P. Tolet. ib. Annot. 1.
Quare Deus dicitur, Petitio noſtra.
Matth. 1. v. 12.
Strabus in Gloſsa ibi
S. Chryſol. ſer. 2.

Quod homo votiuè orat, Dei affectus quodammodò exorat?nam *petitio mea Deus*.Ecquid ſuæ quodammodò *petitioni* Deus denegét?Hinc impetrandi fiduciam preces humanæ concipiant. Sic Deus humanas preces nobilitat ? an humanæ preces ſic Deum honorant ?

6. Canticorum 3. ſic loquitur Sponſa Sponſum
Arabicus. ſuum ſollicitè quæiēs:In lectulo meo per noctes
Cantic.3.v. 3. quęſiui quem diligit anima mea:quæſiui illum, & nō inueni.Surgam, & circuibo ciuitatem:per vicos& plateas quæram quē diligit anima mea : quæſiui illum , & non inueni(Addit Arabicus,ne non videatur ſponſa non etiam precibus ſuum Sponſum quærere. *Vocauit eum , & non obedinit mihi.* ) Inuenerunt me vigiles qui cuſtodiunt ciuitatem,*Num quem diligit anima mea vidiſtis ?*
Syrus. Quæ verba ſic emphaticè Syrus vertit:*Num eſſentiam amoris,quam diligit anima mea,vidiſtis ?* Sublimis quidèm loquendi modus,& conceptuū arcanè grauidus!Nimirùm ſancta Sponſa cæleſtem Sponſum ſuum quærens pedum ac precum greſſibus,quem tenere amat, & redamari ſe noſcit , illum ſententioſè *eſſentiam amoris* appellat.

*Sponſa dum Sponſum precibus quærit, quare illum amoris eſſentiā appellat.*

Opinor,*eſſentia amoris* eſt,velle bonum , eſtque aliqua benefaciēdi velut impatientia largiùs benefica,quę neceſſitatibus occurrit,imò neceſſitates præproperè anteuertit,grato beneficentię fomite.Itaque ſancta Sponſa dum cæleſtem ſponſum precibus quærit,non tantum illum appellat *Dilectum*,(vt aliàs ſępè,)& ſui peramantem, gratum,beneficū,ſed nunc viuaciùs , benefici amori elogiū exaggetās,*eſſētiam amoris* nominat.Scilicet cęleſtis Spōſus velut piè ambitioſus animarum riualis , non modò amatus , & amans ; ſed ipſa *amoris eſſentia* nuncupatur. An quia Sponſam fuſcam potiùs ipſe adamauit,& de fœdè diſtortâ & ſqualidâ,ſuæ gratię lenocinio pulchram fecit, & ſe dignam ? An quia precibus beneficè præcurrit?An quia hominum vota,& ipſas calamitates tanquam mutè vocales ad petendi meritum,& impetrandi elogium admittit ? An quia vel inrogata beneficia,largitate inopinatâ parturit , & velut effundit ? Sanè cæleſtis animarum Sponſus non modo Sponſam ſuam amat,& amore honeſtat,& nobilitat , locupletat ; ſed vſque adeò , beneficè illam amat , vt non tam verè amans , quàm vera & mera *amoris eſſentia* nominetur. *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* id eſt , meum cæleſtem Sponſum. id eſt, *Non eſſentiam amoris , quam diligit anima mea , vidiſtis ?* O , quis non redamet *amoris eſſentiam?* quis non magni æſtimet preces anxiè ad Deum effuſas , quas *amoris eſſentia* excipit ? quis ſpem non erigat ad orandum,ſcius ad *amoris eſſentiam* preces effundere, & orationis negotium ab *amoris eſſentia* peramanter expediri ? Præſcripta Syri ſententia alibi forſan enucleatiùs expendetur , & adhuc moralis ſucci plena emedullabitur.

---

## §. CCLXIII.

*Vana gloria orantibus multimodè inſidiatur , vt prædiuites orationis gazas ſubdolè diripiat.*

1. **M**Oraliſſima Chriſti Dei vox eſt, *Attendite*
Matth.6.v.1. *ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus,vt videamini ab eis.*Et quomodò quod fit ab hominibus coram hominibus non fiat ? Quantum patentius iuſtitiæ latet ſenſus , tantùm boni operis occultatur ſecretum. Alioqui poteſt celare radios Solis,iuſtitiæ poterit occultare fulgores. Et quid eſt, quod orationem Dominus corā hominibus fieri non vult,per quam ſtatum capiunt res humanæ;Secretum orationis exigit,qui multorum iunctim preces, & religioſas precantium pompas ſic exambit?Verum hic præceptio cæleſtis,vanæ gloriæ pompam vult demere , vanitatē auferre,ſubmouere iactantiam. Oratio,quæ virtutis ſtudio ſecretum amat,non timet in publico; quia,qui iuſtitiæ ſuæ homines latet ſenſus , vni Deo intimitùs reſeruatur.Oratio,quæ de egeſtate ſuâ deuotionis locupules,& ſibi , & Deo abundat ad gloriam,ſpectaculum populi, vt non metuit,ita neq; vnquam requirit, nec vulgi laudes, populiq;fauores vnquam nundinatur. Boni præbendi exempli prætextus , ſæpè orationem dum publicat,prodit:& obtentu propagandæ pietatis, meræ inſidiæ ſunt, quæ clanculùm pietatem arrodunt. Qui ſemper quærit orationis ſecretum, & clauſo oſtio orare patrem ſuum in abſcondito ſtagit ; etiam in publico aut ſecretum inuenit, aut facit.O quam ſubdolâ ſemper hoſtilitate orationi vanagloria inſidiatur!Exſomni curâ has inſidias præcaue ; qui pietatem amas. Maius periculum,maiori bono affine eſt : & mali Dæmonis ſæuior hoſtilitas , boni in oratione latentis luculenter commentarius eſt.

*Orationem qui publicat, prodit.*

2. Matth.6.Chriſtus Deus,nouus morum informādorū pædagogus,ſic ſuos infātat: *Et cum oratis , non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis,& in angulis platearum ſtantes orare,vt videantur ab hominibus.* Hypocritæ in *Synagogis* orant,vt frequentioris populi oculos admiratione alliciant,& ſtupore defigant.Et quidèm *ſtantes*,vt altiùs emineant , & ſupra reliquorum humeros attollant ſe ſe , pietate præ reliquis aſpectabiles. Aut *ſtantes* orant , quia *ſtantes* legem acceperant : eo enim corporis habitu palàm ſe proteſtantur ad legis obſequium expeditos , & agillimè expromptos;ac ſi in oratione antiquas olim legis voces recenter audirent , & exactius mandatorum obſequium promptitudine,& opere denuò recentarent. Verùm profundâ hypocrytarum vellicatione , *in angulis platearum* dicuntur orare. Quod ſubtiliter Hugo Carenſis his verbis ediſſerit : *In hoc quòd In angulis , notatur abſconditè in hoc quòd dicitur platearum , manifeſtatio. Quaſi dicat: Abſcondunt ſe vt appareant.* Egregiè hîc vapulat ingenioſè fatua vanægloriæ aſtutia, dum non dubiis characteribus humilitatis attramento arrogantiam ſcribit. Stultè in publico *platearum* , *angulus* ad orandum quæritur, cùm domi receſſus ſuppetat.

*Matth. 6. v. 5. Hypocritæ in angulis platearum orantes,abſcondūt ſe vt appareant.*

Hugo Ibibi.

Qui in angulis platearū orat , abſconditè bonum opus manifeſtat,& abſconſâ manifeſtatione malitiam amplificat ; quandoquidem bonitatem operis , quàm ſic ſuffocatur , nundinatur ſumptuoſiùs : & dum bonum orationis opus publicâ abſconſione ſtudioſiùs celat , manifeſtiùs vanagloria tranſlucet. bis ſuperbus dum de humilitate abſconſionis , publicationis arrogantiam ædificat, amplificat , exaggerat. *In angulis platearum abſcondunt ſe vt appareant.* Sicque cogunt orationem ambitioni è peruerſo auxiliari.

3. Rurſùs,*Et orantes, non eritis ſicut hypocritæ,* Matth.6.v.
qui

*qui amant in angulis platearum ſtantes orare, vt videantur ab hominibus.* Ecce hypocritæ orationis finem. Non intendunt exaudiri, ſed videri Spectaculum vanitatis eſt, nõ commercium pietatis. Non precibus cælum pulſant, ſed luteæ ambitionis oculato pultu tangũtur. Alienos oculos ſua oratione ſollicitãt, nõ virtute propriã precibus amplifi ãt. Orationẽ oratione vacuã reddũt, dum orationis habitu ſpectatorũ oculos ludificãt & ambitioſo obiectu ſuccum orationis emedullant, merito orationis vocabulo duntaxat relicto, re orationis vacuo. Pulchrè Hugo ex Chryſoſt. inibi: *Amant in angulis platearum ſtantes orare: vt videantur ab hominibus. Hypocrita*, inquit, *quid vis vt videaris orans: Nonne quia laudabilis res eſt orare? vt qui non vis eſſe laudabilis, qui vis vt lauderis? O inſania vanitatis! eſſe nolunt, quod deſiderant apparere. Mendaciter orant, cùm non orent, & mendaciter laudantur, cùm non ſint laudabiles: ſpeciem vacuam religionis vendunt, & verbum vanum laudis emunt finito verbo finitur bonum, quod poſitum erat in verbo.* Sanè luculenter.

*Hypocrita, vt mendaciter erat, ſic laudes menda es inaniter capiat.*

Hugo ex Chryſoſt. ibi.

4\. Geneſeos 23. demortuã Sarã, de eius funere Abrahamus cogitat: & reliqua peregrinus & aduena, nõ inquilinam ſibi & vxori ſepulturã perquirit. Ergò Abraham appendit pecuniam, quam Ephron poſtulauerat. Confirmatuſque eſt ager quondam Ephronis, in quo erat ſpelũca duplex. *Atq; ita ſepeliuit Abraham Saram vxorem ſuam in ſpelunca agri duplici.* Quæ verba exponẽs Rupertus apud Catenam Lipomani, (idem allegatur ex Eucherio) ita ſcribit: *Hinc eſt, quòd Abraham coniugem mortuam in ſepulcro duplici ſepelit quia nimirùm perfectus quiſque extinctam à præſentis vitæ deſideriis animam ſuam, ſub bonæ operationis tegmine, & contemplationis abſcondit.* O quàm feliciter hominis perfecti anima tumulatur ambitioni vitæ præſentis emortua, bonæ operationis, & ſanctæ *contemplationis* quaſi ſepulcrali lapide profundiùs tecta! Cæleſtium *contemplatio*, ſeu pia precãtis oratio, feliciter emortuam animam vitæ præſentis deſideriis, ſicut benè quaſi tegmine abſcondit, ſic male ac fœtide prodit. Tam longè abſit contemplatio & oratio, vt vitaliter ſepuliã animam, & cum Chriſto benè tumulatam publicet, quòd ipſa oratio debet eſſe ſepulcrale *tegmen*, quod rectiùs animam abſcondat. Quid patens ſepulturæ hiatus, niſi fœtorem eructet? Profectò *tegmen* rei celandæ oppanſum non benè illum manifeſtat: Putre cadauer eſt, quod ſepulcri *tegmen* prodit. O quàm fœtet aperti ſepulcri hiatus! Sic puta orationem, quæ dum ſe publicat, emortuæ per ſuperbiam animæ graueolentiam ructat.

Geneſ. 23. v. 19.

Rupertus, & Eucher. apud Lipom. caté.

*Sit oratio inſtar ſepulcralis ſaxi animam mundo emortuam tegens.*

5\. Matthæi 6. hanc de modo orandi œconomiam de cælo allatam Chriſtus euulgat. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito: & Pater tuus qui videt in abſcondito reddet tibi.* Benè cæleſtis Pater tantum orationem, quæ fit in abſcondito videre dicitur; quaſi cæcus quodammodo ſit ad orationem, quæ ſe dum publicat ambitioſè, periculosè prodit: deſciſcit enim à re & nomine orationis, & in ambitionis vocabulum male degenerat. Hanc orationẽ non videt Deus, etſi perſpicacius omnia videat, vt alias expendebamus. Et ſanè ad occulendam orationem parùm foret intra cubiculũ ſe rectiùs abſcondere, niſi oſtium clauſerit. S. Auguſt. per iſta cubicula, ipſa orantium corda intelligit, & addit: Parum eſt intrare cubicula ſi oſtiũ pateat importunis, per quod oſtiũ ea quæ foris ſunt improbè ſe immergũt, & interiora noſtra appetunt: Foris autẽ diximus eſſe omnia temporalia & viſibilia, quę per oſtium, id eſt, per carnalem ſenſum in cogitationes noſtras penetrant, (Nota attentiùs verba quę ſubdit) & *turba vanorum phantaſmatum orantibus obſtrepunt. Claudendum eſt ergo oſtium, id eſt, carnali ſenſui reſiſtendum eſt, vt oratio ſpiritualis dirigatur ad Patrem.* Parùm eſt Chriſtianæ orationi vt immunis ſit ab arrogantię labe, quòd abſcondatis in cubiculi angulo ad fundendas Deo preces, & clauſo materiato oſtio occultiùs ores: oſtium etiam interioris cubiculi, cordis inquam, claudendum eſt. Oſtiũ autem cordis ſunt carnales ſenſus, & mũdanæ appetitiones, quæ ad inanem gloriam ſubornant: nam *turba vanorum phantaſmatum orãtibus obſtrepunt.* Vel vanæ gloriæ obuerſatum *pantaſma*, quod imaginatio inaniſſime excudit, quo quis ſibi de orationis bono adulatur, quam ocyſſimè excutiendũ eſt, & clauſo noſtræ phãtaſiæ oſtio, in ſecreto cordis orandũ eſt. O caue, ne per phãtaſiæ rimulas, inanis glorioſę phãtaſmata tibi orationi obſtrepant, molle garrulo orationis blandimento, quod tectiùs arrogantiam ſubornat. Sic ſollerter vanagloria orantibus inſidiatur: Complacentia de pulchrã orationis virtute videtur, & virtutis adulteriũ eſt: & meræ precum inſidię. Dum oras, potior tui pars à parte alterâ ſollicitiùs præcaueat, ne iactãtiæ oſtium reſeret.

Matth. 6. v. 6.

S. Aug l. 2. de ſer. Dom. in monte c. 6.

*Claudendũ eſt cordis oſtium, ne vanagloria phãtaſmata orantibus obſtrepant.*

6\. Lucæ 11. cùm eſſet Ieſus in quodam loco orãs, vt ceſſauit, dixit vnus ex Diſcipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare: *Et ait illis: Cum oratis, dicite: Pater ſanctificetur nomẽ tuum.* Quæ verba exponens S. Gregorius Nyſſenus in præluſtri illâ lucubratiunculâ ſuper oratione Domin. ita ſcribit: Vide, inquit, quanto nobis opus ſit apparatu? quali vita? quãto ac quali ſtudio? vt ad eum modũ fiducia erecta tandem conſcientia noſtra ad Deum dicere audemus, Pater. Nam ſi circa ſeculares vitæ fraudes occupatus ſis, *aut ex hominibus gloriam quæras*: deinde eiuſmodi orationem in ore habeas: quid dicturum eſſe putas, qui vitã tuam intuetur, & orationem intelligit? *Nam ego quidèm eiuſmodi quadã, quaſi Deo ad talem dicente, mihi verba videor audire. Cur ſordida tua voce contaminas nomen incorruptum? cur falsò tibi verbum hoc vſurpas? Cur naturam impollutam dedecoras?* Nimirùm qui *ex hominibus gloriam quærit*, cùm ſolemnem Eccleſiæ orationem recitans, in eius initio, Deum appellat *Patrem* cùm ſit degener filius (ſi tamen filius) *ſordida ſuâ voce incorruptum Dei nomen contaminat, & naturam impollutam dedecorare* iſtiuſmodi nuncupatione putatur. Hem, ſic *humanæ gloriæ* ambitu oratio noſtra polluitur, vt in ſacroſanctum Dei nomen, *dedecus* & *contaminationem* reuerberare dicatur? O ab hoc ſqualore oratio noſtra emaculetur.

Lucæ 11. v. 1.

S. Nyſſen. ſerm. 2. de Orat. Dom.

*Humana gloria ambitum, & orationem & Dei nomẽ contaminare dicitur.*

7\. Canticorum 3. ſic loquitur Sponſa ſui Sponſi peramans: In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: *Quæſiui illum, & non inueni.* Scilicet in capite primo Scriptor ſacer deſiderium Sponſæ quo in abſentem Sponſum ferebatur, luculenter deſcripſit. In ſecundo Sponſi in dilectam

Cant. 3. v. 2.

ctam ſponſá blandimenta & officia complexus eſt. In tertio iam propiùs accedit ad nuptias? inducitque Sponſam ſponſum ſuum auide quærétem, dum exſomnis è lecto ſurgit; & vrbem perluſtrans, per vicos & plateas cum negotiosè perquirit. O malum! Non inueniſſe dicit: *Quæſiui illum, & non inueni.* Addit Arabicus. *Vocaui eum & non obediuit mihi.* Benè eſt, ſpõſa iam nuptiis proxima, amoris greſſibus cæleſtem ſponſum diligenter quærat, quòd ſi diligenter quæſitum adhuc non inuenit, oret vt inueniat, uã quod fugit diligentiam, orationi obuiam occurrit occurſu feliciter vltroneo, & largiùs benefico. Sed viderit, qui orando quærit, ne vanæ gloriæ faſtus diſſimulenter ſubrepat, & inuentionem falcinet, atque impediat. *Quæſiui illum, & non inueni: vocaui eum, & non obediuit mihi.* Sponſa ne dum cæleſtem Sponſum rogat, à Sponſo obſequium præſumat? Audientiæ in precibus obſtrepit, qui precando *obedientiam* exambit. Humilitas rogandi, eſt obtinendi vigor atque arbitrium impetrandi. Quærit, & non inuenit; vocat, & non auditur, qui in precibus non indigus rogator, ſed iuſſor faſtuoſus accedit. Deus rogatus, obedire aliquando dicitur, ſed iniuſſus obſequitur. At ſic rogare, vt ſupplici petitioni *obediri* præſumat, aut repulſam ſubornat, aut impetrationem cunctanter protelat. *Quæſiui illum & non inueni vocaui eum, & non obediuit mihi, Paullulum cum pertranſiſſem, inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam?*

Arabicus.

*Qui rogando obedire præſumit, impetrationẽ faſcinat.*

---

## ſ. CCLXXIV.

### *Oratio multorum, dignitas eſt precantis, & deprecantis vigor.*

1. SAnctus Cyprianus in Serm. de oratione Dominic ita ſcribit: *Ante omnia pacis Doctor, atque vnitatis magiſter ſingulatim noluit & priuatim precem fieri, vt quis cum precatur, pro ſe tantum precetur. Non dicimus, Pater meus, nec, Panem meum da mihi. Nec dimitti ſibi tantùm vnuſquiſque delicta poſtulat, aut vt in tentationem non inducatur pro ſe ſolo rogat. Publica eſt nobis & communis oratio: & quandò oramus, non pro vno, ſed pro populo toto oramus, quia totus populus vnum ſumus.* Quaſi priuata hæc oratio, dum ſingulatim etiam nuncupatur, quia bona pluribus priuatim expoſcit, vniuerſalitatis meritum combibat communitatis elogio minime viduata. Vndè oratio Dominica priuatim etiam recitata, *publica eſt nobis & communis oratio*, ac ſi de omnium mendicitatibus votiuè coaleſcat; & ſingularitatem dediſcens, ad placendi gratiam, & ad impetrandi vigorem gratiam ſibi vniuerſalitatis aſſumat, vt de vniuerſalitate impetret, quod de ſingularitate non præſumit.

S. Cyprian. *Oratio Dominica priuatim dicta, communis orationis gratiam exãbit.*

2. Regius Pſaltes modulatè pangit pſal. 118. ſuper re orationis ſic Deum alloquens. *Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo: ſecundum eloquium tuum eripe me* S. Ambroſius inibi exponens illud, *Intret poſtulatio mea*, ita ſcribit: *Sed quia Græcus habet, Intret dignitas mea tamen hoc quoque explanemus vt poſſumus.* Auguſtum ſanè humanarum precum elogium! *Poſtulatio mea*, idem eſt ac, *Dignitas mea.* quaſi hominis *dignitas* ab oratione ſit. Nempe Dauid regio throno ſublimis & ſublimi ſceptri dignitate auctus; à Deoq; ad regale faſtigium meritò electus, adhuc indignũ ſe putat, qui tanquam aliquis è cæleſtis Regis facialibus, intret in eius cõſpectũ. At dũ orat, ſic piè velut ſuperbit, vt modeſtâ quâdam quaſi arrogantia, iam ſe dignum cenſeat, qui in conſpectu ſummi Dei appareat, cùm orat, *audacter* aiens: *Intret dignitas mea in conſpectu tuo.* Sed quoniam Ambroſius nuper pollicitus eſt, in quãtum ipſe poſſit explanare, quænam ſit oratio, quę dicitur dignitas vt appareat in conſpectu Dei, tẽpeſtiue ſubdit: *Sunt autem orationis dignitates.... Intrat oratio tua Dei gratiam, intrat domum eius ſi tecum Eccleſia deprecetur, ſi populus vniuerſus imploret, vt Domine inclinet fauorem.* Scilicet oratio quæ tam auguſtam dignitatem promeretur, ea eſt qua in communi oratur, quam multorum ora & vota concipiunt, quæ vniuerſatim à pluribus fit, *ſi tecum Eccleſia deprecatur, ſi populus vniuerſus implorat vt Domini inclinet fauorem.* Cùm regius Pſaltes ſic orat, tunc, tunc quidem audacter dicit: *Intret poſtulatio mea*, id eſt, *dignitas mea in conſpectu tuo.*

Pſal. 118. v. 170.

S. Amb. ibi. *Oratio multorum dignitas eſt, quà in conſpectu Dei apparere meretur.*

S. Ambr. ſup.

3. Pſalm. 77. Sic Dauid occinit: *Deus in loco ſancto ſuo: Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo.* Benè eſt, Deus ſit in olympia cæli domo in empyreas animas empyrei cæli ſecum domũ inhabitantes, glorioſam beatitudinem vbertim exundans. Aſt in Dei domo non habitabunt nec ad empyrei beatitates admittẽtur, niſi qui in terris *vnius moris* fuerint. Multimodè exponunt Interpretes, quid ſit eſſe *vnius moris* in domo, quòd & ipſius rei difficultas, & tranſlationũ varietas fecit, Singulariter S. Cypranus in Serm. de oratione Domin. multorum orationem in his verbis agnoſcit, & eloquenter publicat, adludens ad illud Actorum 1. Et cum introiſſent in cænaculũ, aſcenderunt vbi manebat Petrus, & Ioannes &c. *Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Mariâ mater Ieſu, & fratribus eius* (pergit Cyprianus) *Perſeuerabant in oratione vnanimes, orationis ſuæ & inſtantiam ſimul & concordiam declarantes. Quia Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo, non admittit in diuinam æternam domum, niſi apud quos eſt vnanimis oratio.* Scilicet Deus habitans *in loco ſancto ſuo*, id eſt in olympiâ cæli domo videt inde homines tanquam terræ inquilinos, cæleſtis beatitudinis candidatos, piâ ambitione, empyream domum inhabitandi. Quid autem digni habentur, vt in cæleſtem beatitudinis domũ intrent, & cum Deo *in loco ſancto ſuo* habitent Cyprianus publicat, cùm in oratione multos, ipſoſque vnanimes, duntaxat recenſet: *Quia Deus qui habitare facit vnanimes in domo, non admittit ad diuinam & æternam domum, niſi apud quos eſt vnanimis oratio.* Sic multorum oratio ianuam ad beatam cæli domum pandit, & empyrei portas feliciter reſerat? O, cæli fores nobis mutuò pandere vnanimiter ambiamus orantes! Clauſa dicitur cæli ianua, niſi iſtiuſmodi orationis claue reſeretur, *Deus in loco ſancto ſuo, habitare facit vnius moris in domo*, id eſt, multos in oratione vnanimes. Alioquin clauſa dicitur cæli ianua. Nota etiam in verbis Actuum Apoſt. quæ recitauimus, quòd virgo Deipara, etſi Domina precum, vt promiſſum Spiritum ſanctum excipiat multorum preces velut auxiliares aduocat.

Pſal. 77. v. 6. & 7.

*Non admittuntur ad æternam domum niſi apud quos eſt vnanimis multorum oratio.*

Actor. 1. v. 14.

S. Cypr. ſer. de Orat. dom.

*Num Deipara multorum preces, ad impetrandum velut auxiliares aduocat.*

4. Ionæ 4. ad minaces Ionæ voces Niniuitæ operiuntur

Ionæ 4. v. 11.

riuntur

riũtur ſaccis;& ieiunio indicto,hominibus infantibus,atq; iumẽtis,benignius ignoſcit Deus. Mœret nimis Propheta,ne nõ ſatis veridicus inueniatur. Augetur Prophetę ira,dum colocynthę vmbraculum vnâ dieculâ marceſcit,areſcit. Et dixit

Ionæ 4.v.11. *Quaſi pudore commouetur Deus,vt orationi multorum adnuat.*

Dominus: Tu doles ſuper hederam, in quâ non laboraſti. *Et ego non parcam Niniue ciuitati magnæ,in quâ ſunt pluſquam centum viginti millia hominum?* Mirùm ſanè eſt,& valdè mirùm, quòd cùm veniam Deus hic Niniuitis conceſſiſſe dicatur, ſic intermittat ipſorum pœnitentiam, & hominum multitudinem ſigillatim recenſeat. Parcitne illis quia plures ſunt? an quia in ſacco & cinere pœnitentiam agunt? Innumeris parcitum eſt,an pœnitentibus? ſanè innumeris, quia pœnitentibus. Sed nota quid ex Regis edicto a-

Ionæ 3.v.8.

ctum ſit: *Operiantur ſaccis homines, & iumenta,& clament ad Dominum in fortitudine.* Diſcors clamorum concordia, & multimoda omnium oratio, Dei viſcera non emollirent ad veniam? Inuidiâ ſic cælum Niniuitæ clamoribus tundunt,Deum precibus tangunt,minas ſic auertunt,diuinum furorem mitigant, & miſericor-

S.Chryſ.in 2.ad Cor. c.1. hom. 2.

diam extorquet. *Nam* (vt tempeſtiuè dixit Chryſoſtomus) *perſæpè quoque Deus quaſi pudore commouetur,cùm multitudinem ad precationem concordem atque conſpirantem cernit. Ob eamq; cauſſam ad Prophetam dicebat: Ego autem non parcam huic ciuitati, in qua habitant pluſquam centum viginti millia hominum?* Nempè tametſi tot Niniuitarum ſceleribus ad peracerbam vindictam extimulabatur Deus, licet Prophetæ voces interminauerant excidij minas;cùm *multitudinem ad precationem concordem atque conſpirantem cernit,quaſi pudore commouetur* vt parcat. Verecundiâ ſuffundãtur Prophetæ ora, cùm Dei verba Dei nomine enuncians, non ſatis veredicus ab ipſis haberi poſſet;ne ipſe Deus cõcinnæ multorum orationi ſurdus, *quaſi pudore commoueatur.* Hic Dei quaſi pudor, diuinæ pietatis exaggeratio eſt, & pulchra orationis multorum panegyris.

5. 2.Corinth.1. Apoſtolus è magnis ſe ereptum

2.Corinth.1. v.11. *Oratio multorum,mutuæ charitatis affrictu exacuitur.* S.Greg.l.5. Reg. c.119

periculis ſcribit auxilio Dei, in quem ſperamus inquit,quoniam adhuc eripiet, *Adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis: vt ex multorum perſonis, eius quæ in nobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.* Paullus ne is eſt,qui tam indigum ſe exhibet,vt communi prece adiouetur? Quid tam obnixè aliorum pro ſe precationem expoſcit? Luculenter Magnus Gregorius: *Preces noſtræ tantò celeriùs in Dominicæ pietatis aures ſubleuantur, quantò eas pro nobis viciſſim fuſas charitatis ardor exacuit,* quaſi alterius oratio,alterutrius alatum vehiculum ſit, vt cælos penetrans, celeriùs ad Dei thronum aſcendat,& rem votiuã feliciter negotietur. Quin & ac ſi habes foret priuata cuiuſque oratio,in aliorum oratione tanquã in cote *exacui* putatur de mutuo charitatis affrictu. Quid?dum communem aliorum orationem Paullus expetit, ſuam etiam *exacuere* ambit? O præclarum de oratione multorum Paulli iudiciũ.

6. Tobiæ 3.quo tempore in Aſſyria Niniuæ To-

Tob.3.v.24. & 25. *Precum conſortium glorioſè apparet in conſpectu gloriæ ſummi Dei.*

bias ſenior calamitatibus obrutus Deum orabat, tunc etiam in Rhages Medorum Sara,& ſæuiẽtis Aſmodæi tot cædibus. & tot procacis ancillæ probris mœſtiſſima, anxiè Deum pariter precabatur: *In illo tempore exaudita ſunt preces amborum in conſpectu gloriæ ſummi Dei. Et miſſus eſt angelus Domini ſanctus Raphaël, vt curaret eos ambos, quorum vno tempore ſunt orationes in conſpectu Domini recitatæ.* Etſi Tobiæ & Saræ preces eodem tempore fuerint in terris fuſæ, & in cælis reiectæ, tamen diuerſiſſimo loco nuncupatæ ſunt,& res diuerſiſſimas poſtulabant. At verò ex temporis,etiam ab vtrôque ignorati, commercio, eam impetrandi vim vtriuſque preces ſortitæ ſunt,vt forſan nullibi in ſacris Biblijs,tantâ verborum pompâ, & ſumptuoſiori ſermonis maieſtate,aliqua cuiuſpiam oratio exauditâ dica- Arabs.
tur. *In illo tempore,*inquit, *exauditæ ſunt preces amborum in conſpectu gloriæ ſummi Dei.* Inde miſſus eſt vnus ex Angelorum proceribus,& Dei facialibus, qui ſic pariter orantes feliciter ſoſpitaret. Quòd autem ad tam auguſtè proſperã impetrationem valdè adiuuerit vtriuſque orationis conſortium, & velut fortuitum etiam commercium, Arabicus textus tempeſtiuè adnotauit: *In illo tempore exauditæ ſunt preces amborum in cõſpectu gloriæ ſummi Dei; & miſſus eſt Angelus Domini: quoniam orationes acceptæ fuerunt vno tempore ante Deum.* Obſerua cauſſalem illam voculam *quoniam*, quæ conſortio etiam vtriuſque precationis,& ſic magnificè apparuiſſe *in conſpectu gloriæ ſummi Dei,*& rei in paucis arduæ feliciſſimum exitum, indubiè adſcribit. Tantam ne dignitatem vnius oratio orationi alterius affricat, vt de illius etiam tam locis & rebus diſſito conſortio,tantam impetrandi vim feliciter mutuetur? Sic glorioſæ apparẽt *amborum preces in conſpectu gloriæ ſummi Dei, quoniam vno tempore ſunt in conſpectu Domini recitatæ?*

Lucæ 6.Factum eſt autem in illis diebus,Ieſus 7.
exiit in montem orare, & erat pernoctans in ora- Lucæ 6.v.
tione Dei. Et cùm dies factus eſſet, vocauit Diſ- 12. & 13.
*cipulos ſuos; & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominauit.* Nemo putet Filium Dei quaſi infirmum pernoctando orare, vt impetret quod implere non poſſit:poteſtatis enim auctor, diſciplinæ magiſter ad præcepta virtutis ſuos informat exemplo. In montem aſcendit; & dimiſsâ turba,ſecum diſcipulos adducit,vt ex ipſis primâ luce duodecim Apoſtolos conſecret futuros Eccleſiæ vertices. Nõ exprimit Euangeliſta,an Diſcipuli etiam in oratione pernoctauerint cum Magiſtro. Non tamẽ putauerim;quòd Magiſtro in oratione pernoctante ad electionem,ipſi eligendi altè dormirent, & ignauè ſterterent. Audiendus eſt Ambroſius: *Et erat pernoctans in oratione Dei. Et cùm dies factus eſſet, vocauit Diſcipulos ſuos, &c. Cùm Apoſtolis orauit, quod aliàs Solus ſemper feciſſe legitur,quaſi tanta res, tam communis,communem, & vnanimem poſtularet orationẽ.*

*Chriſtus Deus ſuæ orationi orationẽ multorum aſſociari expetit.*

S.Ambr.apud Lorin. in Actorum c.1. v.24.

Nimirùm ex Diſcipulis Apoſtolos facturus Chriſtus Deus,non ſolùm in arduo mõtis receſſu pernoctat in oratione Dei,ad erectionem pręuiã;ſed aliorum orationem aduocat, quia *tanta res communem poſtulat orationem.* Quando Chriſtus ipſe,ipſe,inquam Dei filius obnixiùs orat, eius ne preces *communem poſtulant orationem?* Quid adiiciat Chriſti Dei precibus,Diſcipulorum oratio? Scilicet non aduocat Chriſtus Deus auxiliares, ſed exẽplares Diſcipulorũ preces, vndè dum ipſe etiam ſimul orat.*communem poſtulat orationem*, quò Eccleſiam edoceat,quàm ſit ad impetrationẽ potens multorũ oratio,cuius cõmercium init, & orationi ſuæ adſociat vnanimi rogandi fœdere. Et ſanè Eſther,quæ dũ hîc orat,*ſolitaria dicitur;*ſu-
prà cap. 4. v. 16. *cum ancillis ſuis* ieiunare quin Hîc v. 2. 3.
& indè orare perhibetur.

§. CCLXXV.

## §. CCLXXV.

### *Bona opera, ad elogium orationis, & negotium impetrationis feliciter acceptantur.*

1\. ERuditè narrat Laërtius, quòd Diogenes Cynicus deſtomachabatur in eos, *qui pro bonâ valetudine ſacrificarent, & in ipſo ſacro epulis immodicis ſemet ingurgitantes, facerent bona valetudini contraria.* His profectò ſimiles ſunt, qui ore ſuppliciter precario Deum placare ſollicitè negotiantur, & ſcelerato opere propè implacabilem faciunt. Decantatiſſimum fuit apud Lacones prouerbium, & in ore frequens: *Admotâ manu Fortunam eſſe implorandam.* Quò moraliſſimè innuere voluerunt, fruſtrà plerumque inuocari Deum, niſi induſtriam addideris, & manum (vt aiunt) rotæ admoueris. Rogantis ori manus concordent, alioqui oratio noſtra, deſidia eſt, ſegnis inertia, & vigilantium ſomnus. Somniculoſum auditorem, & precantis ſermonibus, ſurdum facit, qui deſes in opere ſtertit. Deſidia operis, orationis retractatio eſt, & repulſæ blandimentum.

Laërt. lib. 1. *Admota manu fortuna imploranda eſt.* Plutarch. in Lacon.

2\. Regius Vates Pſalm. 76. *In die tribulationis meæ* inquit, *Deum exquiſiui, manibus meis nocte contra eum; & non ſum deceptus.* Intermitto nunc quòd Dauid *diem* tribulationi adſcribit, orationi *noctem*, vt feliciùs angorem exenteret lenocinantibus tenebris. Et ſanè qui Deum manibus quærit, conſultè dicitur cum in noctis caligine quærere: nam egregiè cæcutit quiſquis incorporalem Deum manibus attrectare præſumit. Et tamen Dauid ſeriò affirmat, quod Deum in nocte quæſitum manibus, feliciùs inuenit: *Deum quæſiui, manibus meis nocte, & non ſum deceptus.* Quomodo igitur intactilis Deus manibus quæri, & inueniri poteſt. S. Auguſtinus epiſt. 121. agens de piis operibus, quæ debent eſſe orationis comites, ita ſcribit: *Ieiunia, inquit, & ab aliis voluptatibus carnalis concupiſcentiæ refrenatio, maximéque eleemoſynæ multùm adiuuant orationem, vt poſſimus dicere: In die tribulationis meæ Deum exquiſiui manibus meis, nocte coram eo, & non ſum deceptus. Quomodò enim Deus incorporalis & impalpabilis manibus exquiritur, niſi operibus exquiratur?* Nempè Dauid in tribulatione anxius, etſi in nocte Deum incorporalem manibus quærat, confeſtim tamen inuenit: nam manuum, id eſt, operum voce præclariùs clamat. Porrò vocis clamor aliquandò ſurdum inuenit: manus autem quæ palpare non negotiantur, quem in nocte quærunt; ſed operum voce clamorem edunt, etſi ſurdum inueniant, auritum faciunt: & qui ori ſurdus velut longè aberat, operum clamore requiſitus adeſt. *Quomodò enim Deus incorporalis & impalpabilis manibus exquiritur, niſi operibus exquiratur?*

Pſal. 76. v. 3. *Impalpabilis Deus bonorum operum manibus exquiritur.* S. Auguſt. epiſt. 121. cap. 13.

3\. Lucæ 11. Chriſtus Deus ex propoſitâ parabolâ illius amici, qui intempeſtâ nocte ſaltem propter importunitatem expetitos panes impetrauit; ita concludit: *Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulſanti aperietur.* Petitio orationem oſtendit; inquiſitio ſtudium & ſollicitudinem prodit. Monet etiam quòd orando & quærendo pulſemus: nam quamuis non aperiat illicò ianuam, tamen immorandum eſt, vt pulſanti aperiatur: quia ſi quærens immoraberis, vtique recipies: ob hoc fortè recluſum eſt oſtium, vt faciat te pulſare, & pulſanti gratanter aperiat. Verùm non de facili expeditur, quid ſit oratione pulſare. Porrò negotium orationis vocale eſt, non tactile; nec tactu, ſed auditu peragitur, dum aures vox inquietat. Quomodo ergò oratio pulſat. Luculenter Græcus apud Catenam: *Per hoc quod dicit. Pulſate, forſitan inſinuat petere cum effectu: pulſat enim aliquis manu. Boni autem operis ſignum eſt manus.* O bona boni operis oratio, quæ actuosâ exercitæ virtutis manu negotioſè pulſat ianuam, quouſque illam feliciter reſeret. *Vox dilecti mei pulſantis.* & tamen non vox, ſed manus pulſare ſolitat. Verùm operis oratio tacitâ voce, & muto operationis clamore, inuidiâ cælum tundit, fores diuinæ pietatis pulſat, & incorporeum Deum ſic manu velut tangit, vt inueniat; ſic inuenit, vt inuentum exoret. Adeò vt qui precatiuâ operis manu pulſat, non fruſtrà petat repulſæ obnoxius, ſed precum actuoſo pulſu effectum extorqueat. *Pulſat aliquis manu. Per hoc quod dicit, Pulſate, forſitan inſinuat petere cum effectu.* Nam qui bono opere orat, non prece irritâ, ſed cum *effectu* orat. Sic impetrationis ſecurus accedit.

Lucæ 11. v. 9. & 10. *Precaria boni operis manu, cum effectu oramus.* Græcus apud Caten. Cantic. 5. v. 2.

4\. Actorum 3. Petrus & Ioannes aſcendebant *in templum ad horam orationis nonam.* Et quidam vir qui erat claudus ex vtero matris ſuæ, baiulabatur, vt ab introeuntibus in templum ſtipem rogaret. *Is cùm vidiſſet Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat vt eleemoſynam acciperet.* O importunas Claudi preces, quæ Apoſtolorum in Dei templo precationem morantur! Quid Deum ſolenni precatione oraturis importunâ mendicitate obſtrepis? Pauperem à pauperibus ſtipem ambiens, Apoſtolorum ad Deum orationem toti orbi expetendam impedire importunus exambis. Profectò nunc Claudus hic Apoſtolicam non impedit orationem, ſed expedit: non remoratur Apoſtolorum ſolemnes preces, ſed eas excuit, vt prece operis, oris preces feliciter anteuertant. Sciè Chryſoſtomus: *Aſcendunt Apoſtoli Dominum deprecari ſed preces claudi non poterant aſpernari. Præueniuntur precibus preces: rogantem claudum rogaturi antè audiunt, quàm precentur: nec permittit claudus orare illos, quos petit, niſi priùs acciperet quod optauit: vt antè ab eis quod voluit, impetraret, quam ipſi à Domino quod volebant expeterent. O glorioſum meritum Apoſtolorum! qui antè in templo operantur, quàm ipſi Dominum deprecentur: antè virtus oſtenditur, quàm oratio ad Dominum præmittatur.* Bonum opus anteuertit orationem, quaſi illius vigor ſit: antequam preces fundant, pauperculi claudi precem exaudiunt; & miſerum audiendo, vt ipſi ante vocalem orationem exaudiantur, feliciter impetrarunt. *Ante virtus oſtenditur, quàm oratio ad Dominum præmittatur.* Actuoſa operis virtus impetrat mutâ beneficentiâ, quod linguata multorum oratio vix extorſiſſe præſumeret.

Actor. 3. v. 3. *Cur claudi curatio, Apoſtolorum in templo preces anteuertit.* S. Chryſoſt. homil. ſuper illud Sapien. *Iuſtorum animæ* tom. 1. ad finem operis.

5\. Matthæi 6. *Cùm oratis*, inquit, *non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis, & in angulis platearum ſtantes orare.* Benè hîc vapulat vana gloria Phariſæorum, in quibus perſpicuè tranſparet hypocriſis, cùm in publico platearum, ad

Matth. 6. v. 5.

*Iudæi ſtantes orabant, quia legem diuinã ſtando acceperunt.* abſconſionem angulos quærat, vt ſanctitatis famam inueniat. Sed cur non è genu, aut humili totius corporis cernuatione, quâ ſe Deo ſternerent, Iudæi precabantur? Cur non proſtrati, ſed *ſtantes* orabant? Eruditè pariter & acutè Hugo: *Qui amant ſtantes orare. Notat morem Iudæorum, qui ſtantes orant, quia legem ſtando acceperunt. Exodi 19. ſteterunt ad radicem montis.* Conſultiſſimè quidem eodem corporis habitu & ſitu Deum orant, quo legem à Deo acceperunt. N mirùm legem *ſtantes* accipiunt, vt ipſa corporis figura proteſtêtur, ſe paratos, expeditos, & agiles eſſe ad omnes legis ſanctitates deuoto obſequlo expromptiùs præſtandas. Exindè nec deſides tunc ſedent, nec inertes iacent; ſed animum côntentum ſtatione teſtantur. Pati ergò corporis formâ, quâ accepit legem, Dei populus orat; vt in ipſo orandi habitu impreſſus ſit præſtandæ legis priſtinus vigor: aut ipſe orationis habitus ſit legi diuinæ impreſſus; & ipſa orandi forma, quam ſtatione corpus habet, legis diuinæ obſequium præferat ad omnes ſanctitates expromptum. *Stantes erant, quia legem ſtando acceperunt.* Quò in oratione ipsâ non tantùm legis exequendæ votum; ſed penè ipſum obſequium quodammodò deſcriptum ſit.

Hugo ibi. Exod. 19. v. 17.

6. Pſal 4. v. 2. P. Lorin. ibi. Regius Vates Pſalm. 4. ita de oratione pangit: *Cum inuocarem, exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ .......Miſerere mei, & exaudi orationem meam.* Eruditè hîc notat Lorinus, quòd pro τὸ *iuſtitiæ meæ* Chryſoſtomus habet, *Exaudiuit Deus iuſtitiam meam.* Quem locum ſic aliqui ex Hebræâ origine excribunt: *Cùm inuocabo, exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ,* vel, *exaudiuit Deus iuſtitiam meam* (quod non dicitur ſine epithaſi, quam aliàs forſan expendemus: mirum ſanè eſt, quòd Deum oratione inuocaturus, iam exauditus dicatur) Sed quid eſt, quòd Dauidis or ntis non tam vocem, quàm *iuſtitiam* Deus exaudire dicatur? Pulchrè ad rem inibi Chryſoſtomus: *Non ſolet enim Deo perſuadere verborum multitudo, ſed pura anima; & rectè factorum ſeu bonorum operum oſtenſio......Et ideò non dixit Propheta, Exaudi me, ſed iuſtitiam meam.* O quàm concinnè orat, & feliciter exorat *Iuſtitia,* quæ eſt omnium virtutum ac ſanctitatum cumulus! Tardè expetitum beneficium exoraret, niſi adhuc orans, iam exoraret. *Cum inuocarem, exaudiuit Deus iuſtitiam meam.* Vel ideò *iuſtitiam* appellat, quaſi non tam miſericordiam, quàm Dei iuſtitiam quodammodò inuocet. Sic eſt impetrationis ſecutus?

*Non dicit Dauid, Exaudi me, ſed, Exaudi iuſtitiam meam.*

S. Chryſoſt. ibidem.

7. Pſal. 3. v 2. P. Lorin. ibi. P. Lorinus nuper laudatus, exponens præfata Pſalmographi verba, *Cùm inuocarem, exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ*; non cenſet vim magnam eſſe in Latino verbo *inuocandi*, quaſi ſit intùs vocare, & ex intimo cordis affectu, vel Deum in ſe pro internis maximè bonis: quòd obſeruarunt tamen Remigius, Rudolphus, Dionyſius, Richardus, Pampolitanus, Titelmanus, & Ruffinus. Subdit: Quâ ratione valet Origenis adnotatio, *ſolos iuſtos dicendos inuocatores Dei,* hoc enim nomine peculiariter appellatum Samuelem cum Aaron & Moyſe. Si dicto ſcilicet modo τὸ *inuocare* vſurpetur, vt ad eximiè iuſtos duntaxat referatur, non vulgaris ſuppetit expoſitio illius loci Geneſeos, vbi de Enos dicitur: *Iſte cæpit inuocare nomen Domini.* Eſtò, hactenus alij vtcumque Deum orauerint; at Enos illo æuo ſanctitate prælucens, Deum *inuocandi* vocabulum impleuit; quaſi perfecta ſanctitas ſit diuinæ *inuocationis* energia, & impetrationis vigor. Pulchra quidem ex Origene expoſitio, vtinam adæquè vera. Super quo inibi multis.

*An propriè Deum inuocare, ad eximiè ſanctos duntaxat ſpectat?*

Geneſ. 4. v. 26.

Prouerbiorum 11. *Sapiens corde præcepta ſuſcipiet: ſtultus autem cæditur labiis.* Hoc poſterius hemiſtichion ſic nonnulli ex Hebræo tranſcribunt: *ſtultus labiis impinget*, aut *claudicabit.* Quid eſt, labiis claudicare? Labia ne, an potiùs pedes claudicant? Puto, non benè os incedit, quod claudicat. Et ſanè claudicare dicitur ille, qui impares mouet greſſus. Exindè claudicatio tranſlatitiè accommodatur ad imparem, inæqualem, nec ſibi ſimilem agendi formam. Ergò profundè dixit Salomon: *Stultus labiis claudicabit:* nam ſententioſè Chryſoſtomus, *Orationem & doctrinam duobus veluti pedibus conſtare & obfirmari* dicit. Planè claudicat oratio, quæ ſolo ore incedit, nec manu etiam & opere ambulat. Vnipes precatio vix ſtare, nedùm incedere eualet. O quàm male pedatæ ſunt eius preces, qui voce duntaxat, non opere incedit, vt Deo appropinquet! Multimodè nunc Eſther orat, quæ tot præluſtria pietatis opera precibus ſuis adſociat. 8.

Prouerb. 10. v. 8.

*Claudicat oratio, quæ ore, non opere incedit.*

S. Chryſ. homil. 20. ad popul. apud Salaz. ibi.

Hic v. 3.

## §. CCLXXVI.

### *Humilitatis auxiliare patrocinium, pia exambit oratio: eſt enim humilitas, impetrationis vigor.*

ILle Deo veram orationem exhibet (ait S. Gregorius) *qui ſemetipſum cognoſcit, quia puluis ſit humiliter videt, qui nihil ſibi virtutis tribuit, qui bona quæ agit, eſſe de miſericordiâ Conditoris agnoſcit.* Qui cognato vilitatis ſuæ puluere non excæcatur ad ſuperbiam, ſed ad humilitatem inoculatur, illius oratio, *vera oratio* eſt, veraque apparet in conſpectu eius, qui *reſpexit in orationem humilium.* Quaſi preces noſtræ à noſtrâ vilitate, orationis veritatem fœnerentur. O quàm verè eſt, quod diuinis oculis verum eſt? O bona humilitas, precum auſpicium, & orationis vigor! 1.

S Gregor. in Moralib.

*Oratio humilium vera oratio eſt.*

Pſalm. 101. v. 18.

Ioann. 2. Nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ, & erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias. *Et deficiente vino, dicit mater Ieſu ad eum: Vinum non habent.* Nota Marianæ ſupplicationis humilitatem, ſuſpice Virginis in petendo modeſtiam, digniſſimam (etſi alia deeſſent) quæ miraculum feliciter impetraret. Non acceſſit intrepida, & quaſi iure materno palàm locuta eſt, vt audacter coram omnibus omnipotenti filio diceret: obſecro fili, vinum deficit, cognati erubeſcunt conuiuæ, confunditur ſponſus; ſcio quis ſis, oſtende quid poſſis. Sed licet hæc, & multò plura pectus angore alieno æſtuans, & de propria pietate feruens loqui poſſet affectus: priuatim tamen potentem pia filium mater adiit, non exertâ precum vi potentiæ exhibitionem rogans, ſed humili modeſtiâ voluntatem explorans. Luculenter Bernardus in lucubratiuncula de gradibus humilitatis, ita ſcribit: *Diſce & in matre Domini magnam in mirabilibus fidem habere, in magna fide verecundiam retinere.* (humilem modeſtiam, *verecundiam* appellat) *Diſce verecundiâ decorare fidem, deprimere* 2.

Ioan. 2. v. 1.

*Vel Mariana preces, humilitatis patrocinium adſciſcunt.*

S. Bern. de Grad. humil. prope finem.

*mere præſumptionem. Vinum, inquit, non habent. Quàm breuiter, quàm reuerenter ſuggeſſit, undè piè fuit ſollicita. Et vt diſcas in huiuſmodi magis piè gemere, quàm petere præſumptuosè, pietatis æſtum pudoris temperans vmbrâ, conceptam precis fiduciam vereeundè ſuppreſſit.* Ecce tibi Deipara virgo de matris priuilegio, gratiarum velut arbitra, ſequeſtra miſericordiæ, & domina precum, vt opportunum ſubſidium hiaturis mox conuiuis impetret, humilem modeſtiam maternis precibus auxiliarem aduocat, quo impetrandi fiduciam humilitate decoraret. Conceptam de matre fiduciam, ne præſumptionem ſuboleat, *verecundè ſuppreſſit*, & ſic negotiū impetrationis feliciter peregit. O, vel Marianæ preces modeſtæ humilitatis patrocinium adſciſcunt? Tantus impetrandi vigor humilitati ſubeſt? O quàm tranſparet Deo, quod hominibus ſic occulitur! *Reſpexit in orationem humilium.* Liceat Hiſpanicè rem explicatiùs tradere. *Si los hombres nos valemos de la oracion de Maria, Maria ſe vale de la modeſtia y humildad eo ſu oracion.* Quid exaggeratiùs?

3. Matth.6 v. 8. Matthæi 6. reprobatâ hypocritarum in orando oſtentatione, hæc Chriſtus Deus ſubdit: Nolite ergò aſſimilari eis. *Scit enim pater veſter, quid opus ſit vobis antequam petatis eum. Sic ergò vos orabitis: Pater noſter,* &c. Hinc maledicâ ſic garrit

Hugo ibid. Hæreticorum hoſtilitas, ait Hugo Carenſis: *Obiciunt Heretici: Cur ergò ſciente, loquimur, & precamur?* Porrò ſi Pater cæleſtis perſpicaciſſimis omni ſcientiæ oculis prænoſcit quâ re quiſque indigeat, quid indigemus eandem precibus eidem manifeſtare, & rem ei notiſſimam oratione inculcare? actum enim agere hæc videtur oratio.

*Humilis orationis obſequium, & ſinus animæ laxat, & impetrandi vigor perhibetur.*

Reſpondet Auguſtinus: *Ipſa intentio orationis cor ſerenat, capaciuſque efficit ad accipiendum diuina munera.* Nempe homo ante orationem multis indiget, ſed anguſtior eſt eius capacitas, quàm vt tot dona quæ de oratione exundant, cum capiant: ſinus autem animæ peramplè oratione laxantur. quod eſt amplum orationis elogium. Aliter Hieronymus: *Aliud, inquit, eſt narrare neſcienti, aliud rogare ſcientem. In illo iudicium, hic autem obſequium.* Ecquod eſt hoc *obſequium*, quod qui Deum orat, exhibet Deo? Opinor, rem tetigit Hugo, poſtquam Hæreticorum obiectioni quatuor modis reſponderat: *Quintum eſt*, inquit, *vt humiliemur. Omnis enim petens ei quem petit ſe humiliat. Eccleſiaſtici 35. Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit Pſalmo 85. Exaudi me Domine, quoniam inops & pauper ſum ego.* Nempe humilitas eſt orationis *obſequium*, obſequium autem placendi artificium eſt. Hoc humilitatis in orando *obſequium* orationi cognatum, & anguſtos animæ ſinus recipiendæ vberiùs gratiæ feliciter laxat, & largiori obtinendæ gratiæ gratiùs adridet. quaſi demiſſior ſupplicantis humilitas ſit placendi artificium, & impetrationis arcanus vigor.

*S. Auguſt. & S. Hier. apud Hugonem ibidem.*

*Eccl. 35. Pſalm. 85.*

4. Iudith. 9 dum hæc Heroïna magnanima, maſculo vigore facinus ſupra muliebrem faſtum, ſeriò meditatur; præuiâ hâc oratione rem audaciùs gerendam adornat: Non in multitudine virtus tua Domine, neque in equorum viribus voluntas tua eſt, *nec ſuperbi ab initio placuerunt tibi: ſed humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.* Nota nunc attentius quantum in humili oratione confidat, ſubdens: *Domine totius creaturæ, exaudi me miſeram deprecantem, & de tuâ miſericordiâ præſumentem.* O quàm audet oratio

*Oratio humilium piè ambit, & modeſtè præſumit.*

*Iudith 9. v. 17.*

*P. Didac. Celada in Eſtherem.

*præſumptioni confinis!* Sed eſt etiam pia *præſumptio*, precatriæ humilium omnipotentiæ cognata: ſicut eſt modeſta precum ambitio, quam Tertullianus dudùm publicauit, aiens: *Precationibus ambiamus orantes.* Piè ambit, & modeſtè præſumit oratio, quæ in humilitatis officinâ excuditur: nam impetrationem humilitate ambit, humilitate præſumit. Sic Deo officioſiùs adridet, ſic *humilium ſemper placuit deprecatio.* Benè ergò Iuditha Preces ſuffulciens humilitatis vigore, audenter Deum orat, dicens: *Exaudi me miſeram deprecantem, & de tuâ miſericordiâ præſumentem.* (Quid vox *præſumere* ſignificet, & qualiter in bonam & in malam partem in Bibliis vſurpetur, vbertim tractauimus in Iudithæ commentariis, vbi præſcriptum verbum non ſemel occurrit.)

*Tertull. Apolog. cap. 39.*

Ioannis 11. tandem adeſt Chriſtus piis ſororibus Fratris Lazari funere conſternatis. Audi ſororem credentem, audi ſperantem, nec tamen explicitè orantem: *Domine, inquit, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* Magna ſanè fides quâ Mattha credidit ſuâ potentiâ Dominum fratris mortem prohibere potuiſſe, ſi coràm adfuiſſet. Modò autem quid? Abſit vt quem credidit viuum potuiſſe ſeruare, mortuum dubitet poſſe reſuſcitare. *Sed nunc*, inquit, *ſcio quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.* Deindè quærenti Chriſto vbi poſuiſſent eum, reſpondet: *Domine, veni, & vide.* O Mattha, magna nobis tuæ fidei inſignia tribuis; ſed quomodò cum tantâ fide diffidere videris, duntaxat aiens: *Domine, veni, & vide.* Cur ſi non deſperas, non ſequeris, & eum deprecans, dicis, Reſuſcita? Si autem deſperas, cur Magiſtrum ſine cauſſa tarda cunctatione, & lugubri ſermocinatione fatigas? An votiua calamitoſi fides aliquando recepit, quod ſupplicaſſe oratio non præſumit? Pergit Bernardus in illo Tractatu de Gradibus humilitatis, nomine Mariæ & Marthæ reſpondens, cur diſertè fratris reſurrectionem non rogarint: *Sic meliùs tanquam non orantes oramus, ſic efficaciùs tanquam diffidentes confidimus. Exhibemus fidem, perhibemus affectum. Scimus quidem quod omnia poteſt: ſed hoc tam grande miraculum, tam nouum, inauditum, etſi eius ſubeſt potentiæ, multum tamen excedit vniverſa merita humilitatis noſtræ.... Denique quod noſtris meritis deeſt, verecundia fortaſſe ſupplebit.* Ecce tibi humile optati beneficij votum, quod præ animi demiſſione, vix in orationem diſertè erumpit, ſed in corde duntaxat tranſlucet; dum verecundè diffidere videtur, animoſiùs de vigore humilitatis confidit: & quod cenſeri poſſet orationi deeſſe, de eo quod humilitati ſubeſt, ſumptuoſiùs ſupplet. O bona humilitas, diſſimulata ſupplicantis fiducia, fidus petētis obſes, precationis ſupplementum, & arcanum impetrationis ſupplementum. Quoniam humiliter putant, quòd explicatiùs miraculum poſtulare, *multùm excedit vniverſa merita humilitatis ſuæ; meliùs tanquam non orantes orant, & efficaciùs tanquam diffidentes confidunt.* Pulchrè quidem Bernardus.

5. *Ioann. 11. v. 21. & 22.*

*Maria & Martha præ humilitate meliùs tanquam non orantes orant & tanquam diffidentes confidunt.*

*S. Bern. de Gradibus humil.*

Matthæi 6. hanc ſuis orandi formulam Chriſtus præſcribit: *Sic ergò vos orabitis: Pater noſter, qui es in cælis: ſanctificetur nomen tuum.* Diligenter quærunt Interpretes, quare Chriſtus Dominus in ipſo orationis auſpicio iubeat nos Deum appellare Patrem, quò antequam oremus, Patrem quem oremus, agnoſcemus? Reſpondet Hugo: *Per hoc innuit Dominus* (Chriſtus Deus inquam,

6. Matth. 6. v. 9.

*In oratione Dominica exordio, de humilitate præpropera eruditur.*

Hugo ibid.

AA a 2

inquam, hanc orandi normam recitans) *ſe eſſe fratrem noſtrum: alioquin non verè dixiſſet: Pater noſter. Et in hoc ſubleuat & confortat ſpem noſtram, vt tanta ſimus nobilitatis quòd ſumus Fratres filij Dei.* Sed caue tibi, ne ex tam auguſtâ generoſitate humilitatem precibus excutias; & ſic orando ſuperbiens, orationis humilis fructu vidueris. Exindè conſultiſſimè addit ipſe Hugo: *Pater noſter, &c. Item per hoc inuitat nos ad humilitatem, vt nemo applaudat ſibi de nobilitate generis. Omnes enim Filij Dei ſumus. Vndè Malachiæ 2. Numquid non pater vnus omnium noſtrum? numquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergò deſpicit vnuſquiſque fratrem ſuum?* Ecce tibi in ipſo orandi auſpicio, ſeu Dominicæ orationis procemio, ipſâ generoſâ filiatione ad Deum omnium noſtrum adæquè patrem, de humana humilitate inſimul erudimur; *vt nemo applaudat ſibi de nobilitate generis* nec de generoſâ retrò maiorum gloriâ, impetrationis gratiam præſumat. Dum orando quis hoc nomen *Pater* pronunciat, arrogantiæ faſtum deponit, & reliquis ſe adæquat, atque vel minimis ſe adæquè ſternit. Indè ad humilitatis eruditionem, hoc nomen *Pater*, ſolennis Eccleſiæ orationis exordium eſt, vt omnium preces præcurrat humilitas; nec ante impetrare præſumat, quàm ſe demiſſe humiliare prænouerit.

Malach. 2. v. 10.

7\. Matthæi 6. ſic iubemur orare: *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Quorsùm in tam fauſtâ humanæ orationis ſpe, quæ cæleſtia bona votis prægustat, infeſta noſtrorum ſcelerum memoria ingeritur? Vereor ne vel peccatorum recordatio, ſpei alacritatem inhibeat; & precationi obſtrepens, impetrationem infelicitet. O quàm magni æſtimatur à Deo humilium deprecatio! Tempeſtiuè Hugo Carenſis: *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Rememorat hîc peccatorum, vt humiliet; iubet remittere, vt conſcientiam purget; promittit veniam, vt ſtatuat in ſpe; & te facit dominum ſuum: Sicut decreueris, inquit, de eo, & ego de te decernam.* Non obſtrepunt orationi peccata orantis; quia quantùm fiduciæ poſſent detrahere, tantùm humilitati adiiciunt. Imò de precantis humilitate ampliorem fiduciam impetrandi fœnerant: quaſi orantis humilitas ſit fiduciæ incrementum, & impetrationis vigor. (Nec te prætereat, quòd qui alium imitatur, illum quaſi *Dominum* ſuum agnoſcit. quòd caſu non excidit ex ore Hugonis, nec ad aliud thema fors putabitur inidoneum.)

Matth. 6. v. 12. *Quare in oratione Dominica, peccatorum memoria ingeritur.*

Hugo ibi.

Hic v. 3. &c. Tota hæc Eſtheris oratio, ſi ſacrum textum oculis luſtraueris, demiſſionem afflant, humilitatem ſpirant, piè ambitioſo impetrandi lenocinio.

---

## ʃ. CCLXXVII.

### *Quàm grate Deus humanis precibus delicietur, illaſque expetat.*

1\. VLtronea quæque ſicut ex facili inueniuntur, ita facile inuenta vileſcunt. Qui hiamus ad ardua, ad obuia ſemper faſtidioſè nauſeamus. Exindè preces noſtræ non ſtatim beneficium impetrant, etſi Deus dona ſua parturiat; quia deſiderium orantis orationi cunctanter aſſiduus beneficij donandi cenſus eſt & humanæ æſtimationis menſura. *Non vult Deus* (ait Emiſenus) *bona ſua nimia inueniendi facilitate vileſcere. Pretioſa & concupiſcibilis merces, cupidum amatorem & auidum negotiatorem requirit. Ergò ille tantorum munerum repromiſſor nō vult in opere ſuo tepidum, deſpicit faſtidioſum, recuſat cunctum, reſpuit indeuotum. Lentum enim & parum gratum quærere gratiam diuini muneris, maxima eſt iniuria remuneratoris.* Sic exponit illud: *Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis.* Eum enim qui ſic properanter petit, vt diligenter non *quæras*, *lentum* appellat: eum autem qui non perſeuerat *pulſando*, *parùm gratum* nominat, nempè accipiendo indubiè beneficio ingratum. Qui enim *pulſando* perſeuerat, ſic debet eſſe de impetratione ſecurus, vt ipſa perſeuerantia velut inchoata gratiarum actio pro beneficio accepto præmaturè quodammodò exiſtimanda ſit. Sic orationis perſeuerantia eſt impetrationi confinis! Sibi beneficium, & Deo humanæ orationis gloriam inuidet, qui rogandi perſeuerantiam inerter negligit? Sic Deus humanis precibus delicieatur? ſic ideò impetrationem differt?

Emiſ. hom. 3. ad Monach.

*Perſeuerantia in orando, accepti iam beneficij velut inchoata gratitudo dicitur.*

Lucæ 11. v. 9.

2\. Corinthiorum 12. Datus eſt mihi (ait Paullus) ſtimulus carnis meæ angelus ſatanæ, qui me colaphizet, *Propter quod ter Dominum rogaui vt diſcederet à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea.* Paullus talis ac tantus, vt illum nominare, laudaſſe ſit; videns ſe tot calamitatibus cingi, tot tentationibus angi, & de acri gehennæ incendio concupiſcentiam flabellari; liberationem orat, idque non ſemel, neque iterùm, ſed ſæpiùs: *ter* enim vocauit ſæpè; nec tamen valuit impetrare. Paullus ne is eſt, qui in re tantâ tantam patiatur repulſam? Deuſne is eſt, qui Paulli orationem faſtidiat? Imò quia gratius delicìatur in Paulli precibus, diuturnam orationis moram cunctando ſubornat. Audiendus eſt hâc ſuper re Chryſoſtomus, qui in Geneſeos commentariis hunc locum perſtringens, ita eleganter ſcribit: *Noſtrum ergò ſit opus, continuis inſiſtere precibus, & non ægrè ferre ſi differatur quod petimus, ſed longanimes eſſe. Neque enim renuens preces noſtras differt: ſed hâc arte ſedulos nos eſſe efficiens, ad ſemetipſum attrahere vult.* Alibi ad aliam theſim expendimus, qualiter Deus velut faſtidioſa repulſa, & moleſto renutu placidè ſuos alliciat. nunc mihi nota, quare Paulli precibus annuere cunctetur. Neque enim preces protelat, vt eas refutet; nec impetrationem differt, vt expetitum beneficium auferat, ſed vt orationis gratiam diutiùs ſuſpendit, & mora donandi, & ſedulos in orando reddat, & gratæ orationis delicias diuturnâ precum inſtantiâ delibet. Dat veniam interim feſtinatæ gratitudini, gratiæ gratitudinis, oratoris præferens gratiam: & velut doni negatorem ſe præbet, vt diutiùs exhibeat rogatorem. Vim quodammodò feſtinanti miſericordiæ infert, & illam velut inhibet, ne donato citiùs beneficio, orationem impetratione cohibeat. Qui differendo attrahit, inſtantiam orationis cupit, non petitionis repulſam.

2\. Cor. 12. v. 10.

*Dum Deus impetrationē differt, ad diutiùs orandum placidè attrahit.*

S. Chryſoſt. homil. 30. in Geneſ.

3\. 2. Regum 24. ob ſcelus numerati populi, Gad propheta Dei nomine optionem inferendi ſupplicij, & quidem peracerbi, Dauidi obtulit. Immiſitque Dominus peſtilentiam in Iſraël, & mortui ſunt ex populo ſeptuaginta millia virorum. Cúmque extendiſſet manum ſuam Angelus

ſuper

ſuper Ieruſalem vt diſperderet eam, miſertus eſt Dominus ſuper afflictione, & ait Angelo percutienti populum: *Sufficit: nunc contine manum tuam.....* *Dixitque Dauid ad dominum cùm vidiſſet Angelum cædentem populum: Ego ſum qui peccaui, ego iniquè egi: iſti qui oues ſunt, quid fecerunt? vertatur, obſecro, manus tua contra me*, &c. Sed iam mentem pulſat huius loci difficultas, quam Interpretes expedire multimodè tentant. Porrò ſi Dominus dixerat Angelo, (& quidem bono) *ſufficit: nunc contine manum tuam* à populi ſtragibus; quomodò poſtmodum ſcribitur, quòd Dauid exindè vidit *Angelum cædentem populum*? Angelus ne Domini contumaciter immiſericors exiſtimandus erit? Sic Angelo volupe fuiſſe in Ieroſolymam ferocire, putandum eſt, vt nec Deo iubenti parere, putetur? Scio quoſdam per prolepſim locum extricare. Verùm S. Ambroſius ita ſuper hâc re ad rem præſentem peridoneè philoſophatur. *Cùm vidiſſet Dauid Angelum cædentem populum. &c. Si mandauerat Dominus Angelo vt parceret, quomodo feriebat adhuc Angelus? Niſi quia Dominus etſi vult ignoſcere, vult rogari: & vt rogetur operatur.* Nimirùm priùs dicitur, quòd Dominus *miſertus* ſuper populi ſtragibus, manum Angeli à cæde *contineri* iuſſit: poſtmodùm autem ſcribitur, quòd Dauid cum adhuc cruento gladio *cædentem* vidit, forſan gladium minacem, crebrâ cæde dentatum, & tanquam ad vlteriores cædes paratum, vt Dauidis & Seniorum preces alliceret imminentis excidij timore, & illectas ad moram diuturniorem minis officioſiſſimis protelaret. Adhuc poſt veniam metum alit precationum fœcundum, ne citò deſinant timere, ne orare deſinant. Inde adhuc minax Angelus excidij minis, adhuc poſt periculi veniam preces extorquet, quia Dominus etſi vult citò ignoſcere, vult diutiùs rogari. Sic Deus deuotione precum gratè deliciatur, vt periculi metu preces redimat? Quod ex iam iam dicendis amplius elucidabitur.

1. Reg. 24. v. 16. & 17.

*Periculi minas protelat Deus, vt diuturniores preces extorqueat?*

S. Ambr. in Pſ. 37. paullò poſt initium.

4. Lucæ 1. adeſt Mariæ Angelus diuinæ corporationis paranymphus: Ecce, inquit, concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. &c. Expreſſa quidem hæc eſt Angeli promiſſio Dei nomine facta; & ab Iſaiâ prædictâ, perilluſtri indubiè prophetiâ, & quam impleri protsùs neceſſe eſt, ne Dei exerta pollicitatio effectu irrita inueniatur. Nec deſiſtit Angelus velut cunctanter protrahere ſermonem, ſuadendo Incarnationis myſterium peragendum in vtero Virginis, donec ab eius ore audiuit. *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Non diſceptabo nunc cum proceribus Interpretum, ad quam ſpectet virtutem, arcanum illud verbum *Fiat* qualiſue fuerit vocabuli vigor, quod Lucam exponens multis olim tradebamus. Excribam duntaxat S. Bernardi verba ad rem præſentem non inopportuna: *Nil obſtat*, inquit, *intelligi, Fiat, eſſe verbum orantis. Nemo quippè orat, niſi quod credit & ſperat. Vult autem à ſe requiri Deus etiam quod pollicetur. Et ideò fortè multa quæ dare diſpoſuit, prius pollicetur, vt ex promiſſione deuotio excitetur: ſicque quod gratis daturus erat, deuota oratio promereatur. Sic pius Dominus, qui omnes homines vult ſaluos fieri, merita nobis extorquet à nobis: & dum nos præuenit tribuendo quod retribuas gratis agit, ne gratis tribuat.* Duo his verbis præſtat Bernardus. Primò commendat largiorem Dei beneficentiam, qui orationis gratiam hominibus adſpirat, eos ad beneficiis ſupplicationem præueniendo, ne quod diuina largitas, præueniendo, & promittendo gratis egit, *gratis tribuat*. dum tandem per orationis meritum tribuit beneficium, quod gratis promiſit, & ad quod petendum nos gratis præuenit. quæ eſt pulchra diuinæ liberalitatis hyperbole, alibi forſan expendenda. Secundò ad rem præſentem: Sic humana oratio è noſtro ore fluens, eſt mellea apud Deum, vt ad implendum quod per Iſaiam olim promiſit, & nunc per Angelum annunciat implendum, orationem expectet. *Nil obſtat intelligi, Fiat, eſſe verbum orantis* Tam dilucida Deus promiſſa adimplere differt, quia nondùm adimpletionem oratio peragit. Liberalitas Dei promittendo præuenit; ſed cunctatur implere quouſque orationis blandimento allectus, vota petoptantis adimpleat. Quod velut detrahitur beneficentiæ, (dum gratis promiſſa, per orationis meritum donat) orationi magnificandæ impenditur; quippè in quâ ſic Deus gratanter deliciatur.

Lucæ 1. v. 38.

*Gratìs agit Deus vt oremus, ne beneficium gratis tribuere videatur.*

S. Ber. ſer. 4 ſuper Miſſus eſt.

*Quod liberaliter Deus promiſit, per orationis gratiam implere ſatagit.*



Regius Pſaltes ſic Deo pangit: Dixi Domino: Dominus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Et tamen etſi Deum nullius rei indigum prædicauerit, ſtatim ſubdit: *Sanctis qui in terrâ ſunt eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis.* Sententia autem hæc eſſe videtur, vt Bellarminus exponit: Quia Deus bonorum meorum non eget (ait Chriſtus Deus) ideo benefacere ſtudeo electis eius. cuius meæ bonæ voluntatis ipſe Deus mihi teſtis eſt, qui Sanctis qui ſunt in terrâ eius, id eſt, ſanctis, & electis ſuis qui ſunt in terrâ eius, mirificauit, id eſt *mirabiles reddidit omnes voluntates meas in eis*: id eſt, omnem beneuolentiam meam, omniáque ſtudia mea erga illos. Verùm S. Paullinus epiſt. 58. inter epiſtolas Auguſtini. Et ipſe etiam Auguſtinus epiſt. 59. quæſt. 2. codices electiores habere, *omnes voluntates meas*, quamuis alij habeant, *omnes voluntates ſuas*. Exinde forſan noſter Lorinus inibi in præſcriptis verbis orationem intelligit, quâ *à Deo ſpem tutelamque petit*. Altè quidem, cùm ſancti dicuntur precum voto *omnes voluntates ſuas* habere in Deo, viciſſim Chriſtus Deus *omnes voluntates ſuas* habere, & *mirificare* in huiuſmodi ſanctis & electis perhibetur. O grande imprimis elogium! *Omnes voluntates ſuas* Chriſtus Deus habet in ſanctis? Num nihil appetit Chriſti voluntas, quod ad ſanctos oratione conſpicuos, non ſpectet? An omnes voluntates Chriſti occupant, & velut abſordent? O quàm delicioſè gratum eſt, quod omnes alicuius voluntates attrahit, tenet & occupat? *Mirificauit omnes voluntates meas in eis* quaſi Chriſti Dei voluntas tota in eis occupetur. Pulchra ſanè exaggeratio, ſed exaggeratio, vt innoteſcat quàm gratè Deus in eiuſmodi hominibus orationi aſſiduis delicietur; ſiquidem *omnes voluntates ſuas* in eis habere perhibetur. 5.

Pſal. 15. v. 3

Bellarm.

*Quomodò Chriſtus in Sanctis omnes voluntates ſuas habere perhibetur?*

S. Paullin.

S. Auguſt.

Lorinus.

Ieremiæ 7. Filij colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, *vt faciant placentas reginæ cæli.* Et cap. 44. Quòd ſi nos ſacrificamus reginæ cæli, & libamus ei libamina: *nunquid ſine viris noſtris fecimus ei placentas ad colendum eam?* Vox Hebræa quæ ſubeſt pro τὸ *ad colendum eam*, ad varias patet expoſitiones, vt eruditè notat inibi Sanctius. Quarè quidam exponunt, *Ad commouendam reginam cæli*, vt noſtræ miſeræ calamitatis manum porrigat auxiliarem. Alij, *Ad contriſtandam reginam* 6.

Ierem. 7. v. 18.

cap. 44. v. 19.

Sanctius.

*Quarè auditu humanis precibus, præ compaſſione Regina cæli triſtari dicitur?*

*reginam cæli*, eodem ſenſu. Nonnulli per antiphraſim explicant, *Ad lætificandam*, ſeu *exhilarandam reginam cæli*. Itaque effigiatas placentas offerebant Lunæ ſeu Dianæ, reginæ cæli, quandò aliquo graui angore vexabantur, vt Deam *colerent*, id eſt, vt eam *commouerent* ad auxiliarem opem, non tantùm votis ac precibus, ſed etiam muneribus. Quibus precarijs oblationibus Dea cæli dicitur *contriſtari*, id eſt, præ calamitatis compaſſione, ipſis condolere, & indè expromptiùs exaudire, & auxilium præbere. Hæc *commotio* ad miſerandum, aut *triſtitia* præ compaſſione concepta, Deam *colere*, & illam *lætificare*, ſeu *exhilarare* dicitur. O, quæ eſt hæc arcana *commotio*, aut *triſtitia* ex precariis oblationibus concepta, quæ ſic Deam beneficiorum largitricem, *lætificare*, ſeu *exhilarare* perhibetur? Num quantò anxiùs *contriſtatur* de calamitate, quam oratio deprecatur, tantò *lætanter exhilaratur* de auxiliari ope, quam votiuæ preces exorant? Hæc *triſtitia* de humanarum precum pergratâ audientiâ, *lætitiam* ex cultu, *hilaritatem* ex beneficentiâ oſtentandâ cumulatiùs exaggerat. O grande humanarum precum Sacramentum!

*Orationis cultu dum reginam cæli contriſtat, eò cumulatiùs exhilarat.*

---

## §. CCLXXVIII.

### *Vt in nobis Spiritus-Sanctus præſit, operoſa diſpoſitione, & iterata ſupplicatione opus eſt.*

1. Tertull. TErtullianus Apologetici aduerſus Gentes c.21. ita de Deo ſcribit: Iam ediximus Deum vniuerſitatem hanc mundi verbo & ratione & virtute molitum. Apud veſtros quoſque ſapientes, λόγον, id eſt, ſermonem atque rationem conſtat artificem videri vniuerſitatis. Hunc Zeno determinat factitatorem, qui cuncta in diſpoſitione formauerit, *eundem & vocari Deum, & animum Iouis. Hæc Cleantes in ſpiritum congerit, quem permeatorem vniuerſitatis affirmat* ....... *Proprium ſubſtantiam Spiritum inſcribimus, cui & ſermo inſit pronuncianti, & ratio adſit diſponenti, & virtus præſit perficienti.* Mitto quod in ſeculari ſapientiâ Spiritus putatur *animus Iouis*, id eſt, ſummi Dei, & maximi Numinis, quod eſt prægrande Spiritus ſancti elogium. Et nota, quòd in Spiritu & *ratio adeſt diſponenti, & virtus præeſt perficienti*. O quàm multa requirit *ratio*, vt condignè quis *diſponatur* & præparetur, quò Spiritus-ſanctus dignè ſuſceptus, tanquam *virtus præſit perficienti!* Nimirùm humanæ virtuti *perfectæ* ac conſummatæ Spiritus-ſanctus *præeſt*, quaſi gratiarum Præſes; ſed ſi *ratio* adſit operosè ſe *diſponenti*, vt velut inquilinum Deum, & gratiæ Præſidem dignè ſuſcipiat.

*Spiritus dicitur animus Iouis, Zeno. Cleantes.*

*Vt nobis præſit Spiritus-ſanctus, operosâ diſpoſitione opus eſt.*

2. Actor.1 v.4. Actorum 1. Chriſtus Deus iam iam in cælum aſcenſurus, Diſcipulis *conueſcens, præcepit eis ab Ieroſolymis ne diſcederent: ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis* (*inquit*) *per os meum*. Expectandam promiſſionem Patris hîc appellat Spiritus-ſancti aduentum. Nunc autem non litigabo cum Expoſitoribus, quandò id Pater Deus promiſerit. Oecumenius putat tunc à Patre promiſſum fuiſſe Spiritum-ſanctum, cùm Chriſtus dixit, *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*, & aliis huiuſcemodi promiſſionibus. Pergit autem eleganter addubitans: *Verùm ſi nunquam adhuc aduenerat Spiritus, quomodò dixerat: Accipite Spiritum-ſanctum?* Dudùm Chriſtus Deus Diſcipulos alloquens, *inſufflauit, & dixit: Accipite Spiritum-ſanctum*, & nunc eoſdem adhortatur, vt expectent *promiſſionem* Patris, de Spiritus-ſancti miſſione? An expectare debent quod iam diu acceperant? Suæ obiectioni ſic reſpondet magnus hic Doctor ex Græcorum Patrum ſententiâ: (reſcribo obiectionem, quò præniteat ſolutio) *Verùm ſi nunquam adhuc aduenerat Spiritus, quomodò dixerat: Accipite Spiritum-ſanctum? quia hoc dixerat, capaces nos reddens ac idoneos ad Spiritus ſuſceptionem: acceperunt autem quandò deſcendit*, in die inquam, Pentecoſtes. Scilicet vt Diſcipuli triennio ad omnes ſanctitates edocti, *capaces & idonei reddantur*, qui in die Pentecoſtes Spiritum ſanctum plenius accipiant, præproperâ diſpoſitione eos afflat, dum *inſufflauit, & dixit, Accipite Spiritum-ſanctum*. Itaque Spiritus-ſancti acceptio, quam Chriſtus Deus ore afflat, diſcipulos alioqui velut incapaces & inidoneos diſponit ac præparat, vt ipſum Spiritum-ſanctum idoneè excipiant; quo ipſe gratiæ præſes, fiat nobilis eorum inquilinus. Hem è tot adminiſtratoriis ſpiritibus, Angelis inquam, nemo ſatis idoneus inuenitur, qui hominum corda diſponat, vt Spiritus-ſanctus dignè ab hominibus recipiatur? Ipſe eſt ſui-ipſius præcurſor: ipſe eſt humani cordis præparator, & ipſe habitator, & quaſi ſui adminiſter. Hùc forſan ſub aliâ metaphorâ adludere videtur S. Baſilius ita fatus: Is denique Spiritus, inquit, in cælo eſt, & terram impleuit, vbique adeſt, & nuſquam circumſcribitur, totus in quolibet inhabitat, & totus cum Deo eſt, non quidem miniſtri modo dona diſtribuit, ſed dominicâ ac principali poteſtate chariſmata diuidit. Diuidit, inquam, propria cuilibet vt vult. *Mittitur diſpenſatoriè, ſed operatur ſuâ auctoritate*. Nimirùm ad gratias ſingulis diuidendas, velut *diſpenſator*: & rei alienæ adminiſter mitti videtur, & quaſi alieno nomine agere; at *ſuâ auctoritate operatur*, tanquam verè Dominus, chariſmatum ſequeſter, donorum præſes, & gratiarum arbiter. Tanquam *diſpenſator* agere videtur, dum nos præparat, & ſui *capaces ac idoneos reddit*; poſtmodum verò ſic liberaliter ac ſuperfusâ beneficentiâ agit, vt *ſuâ auctoritate operari* dignoſcatur.

Oecum. ibi. Ioan.16 v.7. Ioan.20 v.22.

*Spiritus ipſe capaces & idoneos nos reddit, vt illum excipiamus.*

S.Baſil.hom. 15. de Fide.

*Spiritus mittitur diſpenſatoriè, & operatur ſua auctoritate*

Matthæi 18. acceſſerunt Diſcipuli ad Ieſum, dicentes: Quis putas maior eſt in regno cælorum? *Et aduocans Ieſus paruulum, ſtatuit eum in medio eorum.* Mihi videtur (ait Chryſoſtomus) valdè paruulum in medio ſtatuiſſe omnibus paſſionibus exutum, vt in eo & ætatem quæreret, & ſimilitudinem innocentiæ demonſtraret. Sed non conuenit inter Expoſitores quiſnam ſit hic paruulus inopinato exemplo in Diſcipulorum medio conſtitutus. Plura plures. *Alij* (ait inibi Hieronymus) *paruulum interpretantur Spiritum-ſanctum, quem poſuerit in cordibus diſcipulorum.* Miriſſimum ſanè eſt, quòd Spiritus-ſanctus verus Deus, ſummo Deitatis faſtigio idem cum Patre ac Filio, nec perſonæ dignitate impar; ante ſui aduentum, in cordibus Diſcipulorum *paruulus* dicatur. *Paruulus* ne erit, cui ſummum celſioris magnitudinis faſtigium eſt? Num in cordibus rudium adhuc Diſcipulorum, *paruulus* dicitur, quaſi dum eorum excreſcit virtus, ipſe quoque inibi adoleſcere videatur? An pro humanarum virtutū 3.

Matth. 18. v.2. S. Chryſ.ibi. S.Hieron.

*Cur Spiritus ſanctus in cordibus Diſcipulorum paruulus dicatur?*

incremento

incremento, Spiritus-ſanctus incrementum accipere perhibetur? Dum homo ſanctitate creſcit, in homine Spiritus-ſanctus adoleſcit? Sic hominibus velut admiſcetur Spiritus-ſanctus, vt cum illis adoleſcere & creſcere dicatur? O ſemper in nobis Spiritus-ſanctus grandeſcat! non quòd Spiritus ſanctus *paruulus* magnú've in ſe fiat, qui ſemper Deitate maximus eſt; ſed quia cum gratiæ ſuperfuſæ effectibus humano idiomate creſcere dicatur. O caue, ne Spiritus-ſanctus ſemper in ſe magnus, exiguus, paruulus, aut puſillus in te diu videatur! Ingreſſus eſt aliquandò paruulus, confeſtim in te creſcat, adoleſcat, grandeſcat, & tuæ virtutis incremento ex paruulo magnus dicatur. Similem ad modum quidam exponunt illud 1. Reg. 10. *Et inſiliet in te Spiritus Domini.* Caietanus. *Et proficiet ſuper te Spiritus Iehouah. Ad inſtar proficientis deſcribitur diuinus Spiritus in homine ſecundum nonum donum operans: eò quòd tanquam priùs exiſtens in homine progreditur de bono in melius. non proficit itaque Spiritus Dei in ſe ipſo, ſed in homine.*

1. Reg. 10. v. 6.

Caietan. ibi.

4. Ioann. 14. v. 17. Ioannis 14. Ego rogabo Patrem, (ait Chriſtus Deus) & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum. *Vos autem cognoſcetis eum: quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Subtiliter notat Auguſtinus (aliorsùm expenſus) quòd ſi ſpecietenus vibretur cenſura, non ſatis idoneè dictum videtur, Spiritum-ſanctum apud Diſcipulos primò *manere*, & poſtmodùm *eſſe*. Sic fatur Auguſtinus: *Apud vos manebit, & in vobis erit. Erit, inquit, in eis vt maneat, non manebit vt ſit: priùs eſt enim eſſe alicubi, quam manere.* An tantâ diuinitùs præparatione ac diſpoſitione opus eſt vt Spiritus-ſanctus *ſit* in homine, quòd priùs quàm in eo *ſit* in eo *manere* dicatur? In ceteris rebus priùs eſt eſſe alicubi, quàm inibi permanere; in negotio autem Spiritus ſancti animitùs accipiendi, vſqueadeò eſt operoſa idonea diſpoſitio, vt quodammodò priùs videatur apud Diſcipulos *manere*, illos ad ſui plenam ſuſceptionem diſponens, & poſteà apud illos *eſſe*: Hâc velut inidoneâ locutione, & dictione quaſi præpoſterâ luculenter exponitur, quàm actuosè Spiritus-ſanctus idoneam ſui excipiendi præparationem, in nobis ipſemet operetur. Huc forſan alludit Dauid Pſalm. 103. aiens: *Catuli Leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi.* Quid eſt, quòd in Eccleſiâ hi generoſi leonum catuli, priùs *rapiunt* eſcam de cælo ſibi paratam, & poſteà eam *quærere* dicuntur? An non priùs eſt quærere, & poſteà rapere ſuccedit? Ideò enim quis *quærit*, vt *rapiat*; non verò *rapit*, vt *quærat*. Verùm Lauretus Ceruarienſis cibi ſeu *eſca* nomine (præſertim quæ *à Deo quæritur*) ex S. Gregorio intelligit *auxilium gratiæ Dei*, quod eſt præcipuum Spiritus-ſancti donum, & potiſſima illius operatio. Moraliſſimè ergò hi generoſi Eccleſiæ catuli, priùs hanc cæleſtem Spiritus-ſancti eſcam eſurientes, illam voraciter *rapiunt*, & poſtmodùm illam auidiùs *quærunt*. Sat eſto digitum ad acumen intendiſſe.

*Spiritus priùs apud Diſcipulos manet, vt in eis ſit.*

S. Auguſt. Tract. 74. in Ioann. ad finem.

5. Pſal. 103. v. 21.

*Apoſtoli priùs rapiunt dein quærunt Spiritus ſancti eſcam.*

Laur Ceru. verbo *eſca*. S. Gre. apud Lauretum Suprà.

6. Actor. 2. v. 1. Actorum 2. *Cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit, &c.* Quare prope diem Pentecoſtes Spiritus-ſanctus in Diſcipulos pleniùs deſcendit? Tempeſtiuè Oecumenius: *Cùm complerentur dies Pentecoſtes, hoc eſt circa Pentecoſten, circa ipſum iam feſtum: cùm tempus eſſet maturæ meſſi ſpirituali falcem immittere.* Cùm iam meſſis ſpiritualis matureſcit, tunc adeſt Spiritus-Sanctus? An non ipſe Spiritus-ſanctus ſpiritualem meſſem ab ipsâ ſemente vſque ad maturitatem deduxit? Ita quidem, ſed de Spiritu-ſancto dicitur, *Apud vos manebit, & in vobis erit.* nempè diu apud Diſcipulos *manet* ſpiritualem meſſem vſque ad maturitatem perducens, vt aliquandò in eis *ſit*, & tempus adſit, quo *maturæ meſſi ſpirituali falcem immittat.*

*Cur in die Pentecoſte venit Spiritus-ſanctus?*

Oecum. ibidem.

Matthæi 6 Chriſtus Deus ſic diſcipulos ſuos orare edocet: Pater noſter, qui es in cælis: ſanctificetur nomen tuum. *Adueniat regnum tuum.* Ecquod eſt hoc Dei regnum, quod ſingulis diebus ad nos venire, crebra ſupplicatione poſtulamus? Multa multi hâc ſuper re. Verùm Gregorius Nyſſenus ita ſingulariter locum exponit (an iuxta litteræ rigorem alibi examinabam) *Adueniat* (*Matthæus inquit*) *regnum tuum, quorum verborum loco, Adueniat* (*inquit Lucas*) *Spiritus-ſanctus tuus in nos. . . . . Regnum eſt Spiritus-ſanctus, quod quidem omnibus imperat, non autem imperio ſubiectum eſt.* In quibus verbis primo nota, Spiritum-ſanctum, qui ex proprio charactere amor eſt, dici *omnibus imperare*, & quidem tanquam electum Dei *regnum*. quaſi in hoc Dei ſeu Chriſti regno, non tam plena poteſtas, quam amantior beneuolentia regat, gubernet, imperet. Dei *regnum eſt Spiritus ſanctus, quod quidem omnibus imperat.* Et vice verſa Spiritus-ſanctus nullius *imperio ſubiectus eſt.* Abutitur enim Spiritus-ſancti donis, qui illa venditat, & diſſimulanter ſeruire facit negotioſæ ambitioni, & oſtentato Spiritu dignitates nundinatur. Spiritus-ſanctus nullius *imperio ſubiectus eſt*: exinde non tam in cordibus, quàm ſupra Diſcipulorum capita ſediſſe deſcribitur. Nam qui amore *omnibus imperat, non autem imperio ſubiectus eſt*, nullius ſubeſt capiti, ſed omnium capiti præeſt, ſupremo beneuolentiæ imperio Præpoſitis omnibus exemplari. Denique Spiritus-ſanctus, Dei regnum, & Chriſti imperium dicitur: nam auſpicia incipientium, progreſſus proficientium, & perfectorum conſummatio ab ipſo peragitur; dum ipſe primò gratiæ *capaces & idoneos* reddit; mox quodammodò cum nobis proficientibus creſcit; & priùs in nobis *manens*, vt in nobis *ſit*, virtutis culmen ſenſim extollit. quod Dominica oratione quotidie ſupplicamus. Itaque vt plenè in nobis Spiritus-ſanctus præſit, operoſâ diſpoſitione, & iterata ſupplicatione opus eſt. 7. Matth. 6. v. 10.

S. Nyſſen. tom. 3. Bibl. veter. Patrū.

*Quare Spiritus ſanctus dicitur Dei regnum; omnibus imperare, & à nemine imperari.*

---

## §. CCLXXIX.

### *Muta patientis calamitas, clamor eſt, & grandis clamor, diuinam opem precariè implorans.*

Diuinioris gratiæ aliqua officioſitas eſt, quòd attonita calamitas puſillanimitatis magiſtra, & fiduciæ perſæpè titubatio, etſi dolori tota, & angore occupatiſſima, orare negligat, muto ore clamet, & taciturnitate linguatâ vociferetur, ad nomen orationis, & impetrationis elogium clementer admiſſa. Saltem calamitas, aliquis 1.

*Afflicta Agaris ſilentium, impetrat beneficiis obrui.*
Geneſ. 16. v. 11.

impetrationis vigor eſt. Geneſeos 16. Agar illa nuper de fœcunditate ſuperba, affligente eam Sarai, fugam iniit. Per vaſtam ærumnosè eremum errat conſternata, & quo æſtum tantiſper refrigeret, mœſtiſſima iuxta puteum ſedet. Sed dum ipſa corde & ore tacet, adeſt confeſtim è cælo Angelus, ſic ad eam fatus: *Ecce, ait, concepiſti, & paries filium: vocabiſque nomen eius Iſmael, eò quòd audierit Dominus afflictionem tuam.* Et quandò Agar clamauit, niſi calamitatis voce? quandò orauit, niſi afflictionis clamore? Appoſitè ibidem Lipomanus: *Solatur igitur Angelus emendatam, & obruit promiſſionibus tantopere afflictam. Audierat enim Dominus afflictionem illius,* quaſi ærumnarum voce tot felicitates impetrarit. Et cui exprobrari poterat in tam durâ calamitate ſilentium, de afflictionis voce vberiùs felicitatur. Nempe ſilentium in calamitate patientiæ index, digniſſimum eſt, quod felicitatibus obruatur.

Lipom. ibi.

2. Pſal. 11. v. 6.

Pſalmo 11. ſic pangit regius Vates: *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo.* Miſeria inopum illos angit, ac penè obruit; ſed adhuc tacent, nec mutire audent, vt potentium rapacitatem deprecentur. Gemitus pauperum, angoris indicia exhibent, ſub quo miſerè gemunt, quò tantiſper eiulatus calamitatem quoquomodò euaporet: ſed adhuc ore ſilent, nec vllæ preces apud homines audiuntur; audiuntur tamen apud Deum ad vindictæ impetrationem. Pulchrè inibi Chryſoſtomus: *Pauperum, inquit, patientia, pauperum inquam eorum qui ſunt contriti corde, eſt quòd malè patiantur, defenſio. Non enim vitam, nec virtutem, ſed malorum perpeſſionem dicit Deum excitare, & eum ad ſupplicium & vindictam euocare. Tanta res eſt, ſi tibi fiat iniuria, eam ferre forti animo, tantam Deus curam gerit eorum qui afficiuntur contumeliis: maximæ defenſionis loco eſt calamitas, & mala pati.* (Subiicit mox aurea verba, & digna Chryſoſtomi ore) *Timete quicumque pauperes iniuriâ afficitis. Habetis vos potentiam, opes, & pecuniam, & iudicum beneuolentiam; ſed habent illi arma omnium validiſſima, luctus, & eiulatus, & illud ipſum iniuria affici, quæ è cælo auxilium attrahunt.* Nempe ei, qui iniuriâ afficitur, & mala duriùs tolerat, etſi abſit vitæ probitas, & virtutis commendatio, abſint licet preces, quæ calamitatem auertant; *maximæ defenſionis loco eſt calamitas, & mala pati:* nam ipſa *malorum perpeſſio Deum excitat; & illud ipſum iniuria affici, è cælis auxilium attrahit.* Quaſi ipſa afflictio, & ipſum iniuriâ affici, velut quâdam cum cælo ſympathia, magnes ſit, qui è cælo vindictam attrahat, dum lingnato iniuriæ clamore, & ſurdo mortalibus clamore immortalem vindictam aduocet miſerè calamitoſis auxiliarem. O ſi in Potentium auribus identidem hæc vox reſonaret, & altè in pectus deſcenderet, quò temperarent à miſerorum oppreſſione: *Ipſum iniuria affici, è cælis auxilium attrahit.* Lege quæ ſubdit Chryſoſtomus verba, quæ adſimilia fulgura tonant.

S. Chryſoſt. ibidem.

*Ipſum iniuria affici, ſilente etiam iniuriati ore è cælo auxilium attrahit.*

3. Eccli. 21. v. 6.

Eccleſiaſtici 21 ſic nos erudit Siracides: *Deprecatio pauperis ex ore vſque ad aures eius* (Dei inquam) *perueniet, & iudicium feſtinato adueniet illi.* Nota τὸ *ex ore vſque ad aures.* Quaſi dicat: Os pauperum oppreſſorum velut ſic quaſi vicinatur Dei auribus, vt deprecatio ore eorum prolata mox tangat & feriat Dei aures. Oppreſſio enim pauperum eſt clamor, & grandis clamor in cælum, qui oris preces feſtinus anteuertens, celerem impetrationem negotiatur. Eleganter Syrus: *Oratio pauperis tanquam ab ore ſuo ad aurem ſuam.* Quaſi dicat, ait inibi Cornelius: *Os pauperis eſt os Dei, & viciſſim auris Dei eſt auris pauperum. Quam facile ergò ſermo ex ore pauperis ad aures eiuſdem aſcendit, tam facile quoque & citò ab ore eius aſcendit ad aures Dei; quia Deus ori eorum inſidet, in eòque format precationem quâ opem ſuam inuocent, vt inuocatus illicò eam præſtet. Hoc eſt quod ait Pſaltes: Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus. Non enim expectat Deus pauperem oppreſſum ad ſe clamantem, vt audiat, ſed clamorem eius præuenit.* Pulchra ſanè expoſitio, & quæ in recenti æuo antiquitatis purpuram veſtit. O quàm expromptæ adſunt aures ad proprij oris vocem exaudiendam! auris *Dei eſt auris pauperum.* Quin & os oppreſſi pauperis, *os Dei* nominatur, quippe qui *ori eius inſideat.* Deus ne is eſt qui roget, an qui rogationes ad impetrationem exaudiat; & quod oppreſſio tacito clamore rogauerat, quantocyus exaudiat? O arcana ethicè viciſſitudo, vt *os pauperis ſit os Dei, & viciſſim auris Dei ſit auris pauperum!* Vndè ergò hæc ineffabilis permutatio naſcitur? Scilicet *non expectat Deus pauperem oppreſſum clamantem, vt audiat, ſed clamorem eius præuenit.*

*Dum oppreſſi ore clamant, ſi eius eſt os Dei, & aures eius, Dei aures dicitur.*

Syrus. P. Cornelius. ibi.

Pſal. 9. v...

4. 1. Reg. 16. v. 12.

1. Regum 16. Dauid ille vt inconcuſſa patientiæ columna, ſic & peritus orandi magiſter, arcanum hoc orationis genus miriſſimè docuit. Dum lugubris ipſe filium Abſalomum fugit, à Semeï Beniaminitâ maledictis de ſupercilio montis impudentioribus onerabat. Dixitque Abiſaï regi: Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo regi? vadam, & amputabo caput eius. Et ait Rex: Dimitte eum vt maledicat: *Si fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodiernâ.* Quid eſt, quòd Dauid à dirâ imprecatione felicitatem à Deo expectet? funeſta Semeï vota, proſperitatem Dauidi ſpondent, ab illiſque fortunatiorem rerum ſtatum è diuerſo exorare præſumit? Nimirùm (ait Ambroſius præfata verba exponens) *expetebat maledici ſibi, quia maledictio illa diuinam exquirebat miſericordiam.... O altitudo prudentiæ ò inſigne patientiæ! ò deuorandæ contumeliæ grande inuentũ!* O bona Dauidis afflictio, ò bona Dauidi ſceleſtior iniquorum maledictio, quæ præduros lapides duriùs grandinat! Intermitti non ſinit procaciter impudentis iniuriam, quâ *diuinam exquirat miſericordiam.* Nẽpè Dauid precibus adſuetus, in tam ſæuo atrociter periculo, ad Deum corde & ore clamare aſſiduus, quaſi non tam precibus fideret, quàm iniuriarum clamoribus, iniuriam iniuriis ſollicitè accumularet, vt tot calamitatum voces impetrent, quod lacrymis adiutæ preces vix præſumerent. *O deuorandæ contumeliæ grande inuentum! expetebat maledici ſibi, quia maledictio illa diuinam exquirebat miſericordiam* Porro *ipſum iniuria affici, è cælis auxilium attrahit.*

*Dauid maledictis onerari expetebat, quæ diuinam miſericordiã exquirerent.*
S. Ambr. l. 1. Offic. c. 48.

Regius Pſaltes toto Pſalm. 11. miſerorum fiduciam erigere ſatagit, ne animo cadant, ſed inexpectitum etiam à Deo ſperent auxilium: *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Scilicet Propheta introducit poëticè Deum ipſum loquentem, & promittentem auxilium ſuum pauperculis, humilibus, & miſerè afflictis. *Propter miſeriam,* inquit, *inopum,* 5.

*inopum,*

*inopum*, qui à potentioribus inſolenter decipiuntur, affliguntur, opprimuntur, vndè & gemere neceſſe habent; tametſi inexpetitum non differtam auxilium, ſed *nunc exurgam* quaſi à ſomno, illiſq; adero. *Ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo.* Eruditè notat Cardinalis Bellarminus, quòd Græca vox παρρησιάσομαι hoc loco confidentiam, libertatem, atque audaciam exprimit. Vndè pro τὸ *fiducialiter agam*, ipſe ad rem ſignificantiùs vertit, & exponit: *Audaciter, & liberè agam in hac re.* Quaſi dicat: In ferendo potentiſſimum auxilium pauperculo & miſero, tametſi ipſe nec mutire præ oppreſſione audeat, nec præ animi conſternatione meam imploret opem, calamitoſis præſentiſſimam; tamen dum patiendo, & gemendo ſatis clament ore & corde tacito, ſic in eorum auxilium ſurgam, quaſi à ſomno *exurgam*: vel *exurgam*, id eſt, magnificabor, cùm in ope illis ferendâ *liberè agam*, & velut totam ſupremi dominij potentiam omnipotenter exeram. Quin & *Audacter agam in hac re.* O quàm multa hâc vnâ voce expreſſit! id eſt, ſic validè, robuſtè, ac potenter agam, vt *auſum* putes, citiùs quàm conſultum auxilium. Porrò apud homines, qui dicitur *audacter agere*, temerario propè confinis cenſetur, & ferè inconſultus impetus denotatur. Procul à Deo quippiam inconſultum, & audenter temetarium. Verùm iis qui voce calamitatis orant, tam validum omnipotentet Dei auxilium, & tam citò adeſt, vt Deus *audacter agere in hac re*, magnâ cum emphaſi à Prophetâ denotetur.

Pſal. 11. v. 6. Cardin Bellarm. ibi.

*Cùm Deus voci calamitatis adeſt, audacter agere dicitur.*

6. Canticorum 3. hæc Sponſæ vox auditur: In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni: Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: *Quæſiui illum, & non inueni* Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem. Hunc permoleſtum cuſtodum occurſum latiùs infrà denarrat: *Inuenerunt me cuſtodes qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* Delicata tenerrimè puella è lectulo ſurgit exſomnis, intempeſtâ nocte ciuitatem ſollerter luſtrat; ab agreſtibus inurbanè cuſtodibus *pallio* auarè exuitur, irreuerenter *percutitur*, & cruentè *vulneratur*: & quomodo in tãto Sponſi quærendi ſtudio, nulla ipſius Sponſæ ad ſuum cæleſtem Sponſum vox auditur? Quare quem tam diligenter quærit, non voce inuocat, & inuocatione accerſit? Opinor, quia cæleſtem Sponſum muto ſilentio quærit, *quæſiuit illum, & non inuenit*. Benè eſt, quærat illum votis, quærat pedibus; ſed ore etiam quærat. Cur ora mutâ obſignat taciturnitate, exaudiri ſæpius adſueta? Verùm enim verò in mutâ Sponſæ voce, oratio non defuit forſan ad impetrationem vocalior, quò pœnalior. Conſultiſſimè ad præſcripta illa verba: *Quæſiui illum, & non inueni*, addit Arabicus: *Vocaui eum, & non obediuit mihi.* Crediderim quòd hæc Arabici additio, textus non eſt, ſed opportunus Sacri textus commentarius eſt. Nimirùm ſancta Sponſa Spõſum cæleſtem anxiè quærens, tot incommoda, tot ſubiit moleſtias expoliationis, percuſſionum, vulnerum, & quidem muto ore, quia ærumnarum moleſtia vocalis erat, & viuaciùs orabat iniuriarum linguâ: has ergò arcanas calamitaris preces, Arabicus ſignate expreſſit, & expresſè euulgauit, aiens: *Vocaui eum, & non obediuit mihi.* non obaudiuit inquam ſtatim, ſed paullò pòſt: ipſa enim ſubdit: *Paullulùm cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* Et ſanè grauiores ærumnæ vocales ſunt, & calamitas clamor eſt opem, aut rem votiuè cupitam non tam rogans, quàm imperans: ait enim Sponſa: Calamitatis voce ac prece *vocaui eum*, nec tunc, ſed paullò pòſt *obediuit mihi*: Porrò calamitatis vox non tam beneficium ſuppliciter rogare, quàm ſupplici precariâ omnipotentiâ quodammodò imperare perhibetur: vnde dum illam exaudit Deus, illi velut *obedire* ſcribitur O calamitatum oratio precariè imperialis? Mutè vocales duræ calamitatis preces, minimè Eſther hîc omiſit. Hic v. 3. &c.

Cant. 3. v. 1.

Cant. 5. v. 7.

Arabicus.

*Calamitatis precibus Deus quodammodò obedire perhibetur.*

---

## §. CCLXXX.

### *Friuola, & ſæpè noxia eſt oratio, quæ mundialia bona precario voto auidiùs ſuſpirat.*

Socrates humanæ ſapientiæ quaſi quoddam terreſtre oraculum, nihil vltrà petendum a Deo immortali arbitrabatur, quàm vt bona tribueret: quoniam is demùm ſciret, quid vnicuique eſſet vtile: nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrare meliùs foret. Etenim denſiſſimis tenebris inuoluta mortalium mens, in quamlatè patentem errorem cæcas precationes ſuas ſpargit. Diuitias appetis, quæ multis exitio fuerunt: honores concupiſcis, qui plures peſſum dederunt: regna tecum ipſe voluis quorum exitus ſæpenumerò miſerabiles cernuntur: ſplendidis coniugiis iniicis manus; & hæc vt aliquandò illuſtrant, ita nonnunquam funditùs domos euertunt. *Deſine igitur ſtultè futuris malorum tuorum cauſſis, quaſi feliciſſimis rebus inhiare, téque totum cæleſtium arbitrio permitte: quia qui tribuere bona ex facili ſolent, etiam eligere aptiſſima poſſunt.* Hactenùs Valerius Max. ô quoties quæ tanquam nobis aptiſſima hianter concupiſcimus, inimicorum vota ſunt, & inſidiæ clanculùm pernicioſæ: Et, vt pernicies deſit, bona ſunt futilia, fugitiua, friuola, caduca; & quæ ad beatam immortalitatem properantibus impedimenta ſunt. Quid in conſinio immortalitatis poſitus, mortalia ſuſpiras?

1. Valer. Max. lib 7. c. 2.

*Caue tibi à precibus, quæ rem expetunt temporariã.*

Geneſos 22. tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Tolle Filium tuum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis: *atque ibi offeres eum in holocauſtum.* Nempè *Quem Deus dedit Iſaacum repetit, quem rogatus dederat, rogans accepit*, ait Seleucienſis Baſilius. Iſaacus enim aſſiduus orationis proles citiùs quàm naturæ fuit: ſic ergò firmiter res precibus acquiſita poſſidetur, vt priùs Deus roget ſibi donari, quod ab homine precibus acquiſitum requirit. Verùm aſſiduâ oratione adeptum filium, *in holocauſtum* offerri Deus iubet. Quod ſic Lyranus expoſitione luculentâ elucidat: *Holocauſtum erat ſacrificium, quod totum incendebatur ad honorem diuinum: ita quod de filio ſuo non remanerent, niſi cineres, qui ſtatim per flatum venti diſpergerentur.* Vel leuis aura tot Patriarchæ ſpes, tot precum vota in momento diſſipare eualet? Tam citò, tam ex facili in nigricantem fauillam, & vagum puluerem ſolueretur Iſaacus, diuturnæ precationis atque expectationis optatiſſimus fructus: O quid hianter petis

2. Geneſ. 22. v. 2. Seleu. Orat. 6.

*Vel leuis aura tot Patriarchæ ſpes & precum fructum diſſipare eualet.*

Lyran.

petis, & diu exoptas, quod citò decineréſcat, quod aura diſſipet, quod ventus diſpergat? O fugitiuè caduca mundi bona! Hinc diſce humanas ſpes, & orationis vota altiùs collocare, & fundare ſublimiùs. Non moritura bona, noſtræ orationis

Hic v. 3. &c.

argumentum eſto. Quod in totâ hâc Eſtheris oratione & videre, & admirari licet. Imitare præeuntem.

3. Matth. 6. v. 9.

Matth. 6. his verbis Chriſtus Deus de cæli ſcholâ humanas erudit preces: *Sic ergò vos orabitis: Pater noſter, qui es in cælis.* Eccur in hoc orationis præludio, antequam quicquam petamus, Patrem cæleſtem nos appellare iubet? Pul-

Hugo inibi.

chrè Hugo Carenſis: *Pater noſter, Vt oſtendat ſic orantes iam non ſeruos, ſed filios eſſe; qui non mobilia cum Iſmaële, ſed immobilia cum Iſaac percipere petunt.* Et poſt pauca, alterum verbum exponens, ſubdit: *Qui es in cælis. Erubeſcant ſe terrenis ſubſternere, ſcientes ſe patrem habere cæleſtem.*

*Qui terrena petit, ea rem ſe habere in cælo diffitetur,*

Nimirùm in hoc orationis præludio, antequam Chriſtus dicat quidnam petere debeamus, quid non petendum, ſit priùs inſinuat miro eruditionis compendio: vt pudor ſit, qui patrem in cælis agnoſcunt, in terrenorum appetentiam ignobiliter degenerare. *Erubeſcat* inquam, quaſi eiuſmodi petitione ſe potiùs *ſeruum*, quàm *filiū* profeſſus: & *patrem cæleſtem*, quem voce fatetur terrenorum petitione neget. Iubet enim dicere, *Pater noſter, vt oſtendat ſic orantes iam non ſeruos, ſed filios eſſe, qui iam non mobilia cum Iſmaële, ſed immobilia cū Iſaac percipere petunt*: Iſmael ancillæ filius, pane & vtre duntaxat donatus, domo exheredatus eiicitur. Iſaac autē totius pater-

Geneſ 21. v. 10.

ni cenſus heres eſt, & familiæ princeps: *Non erit heres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* quæ Saræ, id eſt, Eccleſiæ vox eſt. Qui terrena petit, exheredari cum Iſmaële feſtinat. Qui terrena petit, cæleſtem patrem, quem voce nuncupat, eiuſmodi petitione degener, ignobiliter diffitetur. Qui cæleſtia duntaxat precibus ambit, auguſtæ filiationis nomen implet, & patrem ſe habere in cælis ingenuè fatetur. Ergo Chriſtianus rogator, mundialium rerum bonum erubeſcat, niſi illud ad bona cæleſtia congruenter dirigat.

4. Matth. 6. v. 13.

Matthæi 6. hâc clauſulâ oratio Dominica terminatur; & finis principio concinne reſpondet: *Sed libera nos à malo.* Multa hoc compendio inſinuantur citiùs quàm dicuntur. Cyprianus omne vniuerſatim *malum* intelligit; ſiue quiduis quod detrimentum nobis afferat. Incertus Chryſoſtomus ad tentationem refert. quaſi ſenſus ſit: Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos ab illâ. Tertullianus per τὸ *malum* intelligit Diabolum, qui eſt in nobis non ſine nobis, malorum

S. Aug. Epiſt. 121. ad Probam. c. 12.

omnium opifex. Auguſtinus quâ pollebat ingenij ſagacitate, ſic præſcripta verba exponit, ad lemma præſens opportunus interpres: Qui autem (ait) dicit in oratione: Domine multiplica diuitias meas, & honores meos auge: & hoc dicit eorum habens concupiſcentiam, non id attendens vt ex his ſecundum Deum proſit hominibus, puto eum non inuenire in oratione Dominicâ quò poſſit hæc vota aptare. *Quamobrem pudeat ſaltem petere, quod non pudet cupere. Aut ſi & hoc pudet, & cupiditas vincit, meliùs hoc petetur, vt etiam ab iſto cupiditatis malo liberet, cui dicimus: libera nos à malo.* Scilicet cùm tantam tamquam confertam malorum congeriem deprecamur dicentes, *Libera nos à malo*; id etiam ſollicitè oramus, ne vnquam terrena & moritura

*In oratione Dominicâ oramus, ne vnquam pro bonis temporariis oremus.*

bona poſtulemus: & bona oratio non bonam orationem amouendo præcurrit, eamque quammaturè exarmat. *O ſaltem pudeat petere, quod non pudet cupere!* An non velut Chriſtiano cothurno dixit magnus ethicè Philoſophus? *Tunc ſcito,*

Senec. epiſt. 10.

inquit, *eſſe te omnibus cupiditatibus ſolutum, vt nihil Deum roges, niſi quod rogare poſſis palàm: ſic viue cum hominibus tanquam Deus videat, ſic loquere cum Deo tanquam homines audiant.*

5. Iacobi 4. v. 3.

Iacobi 4. *Petitis, & non accipitis eò quòd malè petatis, vt in concupiſcentiis veſtris inſumatis.* O malum! valdè enim Dei bonitas apud homines deuenuſtatur, dum humanas preces impetratione viduatas ſæpè vident. Ideò autem non accipiunt, quia malè petunt; malè autem petūt, qui mundialia & voluptabilia bona expetunt, quæ in concupiſcentiis ſuis inſumant. Hoc eſt, vt ſeſe voluptatibus vbertim expleant: pro eo enim quod interpres dixit, *In concupiſcentiis veſtris,* Græcè ſcripſit Apoſtolus, *In voluptatibus veſtris.* Ecquis à cæleſti Patre terrena petat, vt ſe voluptatibus expleat, & in voluptabilibus concupiſcentiis inſumat? Pulchrè Auguſtinus exponens orationem Dominicam: *Quiſquis id dicit, quod ad Euangelicam iſtam precem pertinere non poſſit, carnaliter orat.* Carnalis eſt oratio, & voluptabilium libido, quæ mundi bona ſic petit, vt ad cæleſtia non dirigat.

*Mundialium rerum votū, carnalis oratio dicitur.*

S. Auguſt. epiſt. 121. c. 12.

6. Ioan. 16. v. 23. & 24.

Ioannis 16. *Amen, amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vſque modò non petiſtis quidquam in nomine meo: Petite, & accipietis.* Aliquid petit, qui cæleſtia poſtulat, vel quæ ad cæleſtia conducunt; ſecùs nihil orat, ſed egregiè nugatur, ne ſeueriori cenſurâ damnetur. S. Gregorius exponens præſcripta Ioannis verba, ita ad rem præſentem grauiſſimè fatur, *Ecce videmus* (inquit) *quàm multi ad ſolemnitatem conueniſtis, genua flectitis, pectus tunditis, voces orationis ac confeſſionis emittitis, faciem lacrymis rigatis. Sed penſate quæſo petitiones veſtras, videte ſi in nomine Ieſu petitis, ſi gaudia ſalutis æternæ poſtulatis. In domo enim Ieſu, Ieſum non quæritis, ſi in æternitatis templo importunè pro temporalibus oratis. Ecce alius in oratione quærit vxorem, alius petit villam, alius poſtulat veſtem, alius dari ſibi deprecatur alimentum* (& poſt pauca) *Sed adhuc, quod eſt grauius, alius poſtulat mortem inimici, eumque quem gladio non poteſt perſequi, perſequitur oratione. Et viuit adhuc qui maledicitur, & tamen is qui maledicit, iam de morte illius reus tenetur. Iubet autem Deus vt diligatur inimicus, & tamen rogatur Deus, vt occidat inimicum. Quiſquis itaque ſic orat, in ipſis ſuis precibus contra conditorem pugnat. Vndè & ſub Iudæ ſpecie dicitur: Fiat oratio eius in peccatum: oratio autem in peccatum eſt, illa petere quæ prohibet ipſe qui petitur.* Longiuſculè, ſed moraliſſimè. Luculenter Auguſtinus: *Nonnullis quippe impatientibus Dominus quod petebant, conceſſit iratus ſic contrà Apoſtolo negauit propitius.*

S. Gregor. homil. 27. in Euang.

*Quàm ſit execranda oratio, quæ temporalibus commodis duntaxat inhiat.*

Pſal. 108. v. 7.

Aug. epiſt. 121. c. 14.

7. Pſal. 52. v. 6.

Pſalmo 52. Deus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum. Et ſanè etſi nimiùm graſſata ſit hominum malitia peſtilitate cognatâ, perarduum creditu eſt, neminē tum Deum quæſiiſſe, & eius opem imploraſſe. Et tamen ſubdit: *Deum non inuocauerunt: illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Ita ne etiam cùm homines timor angit, vt noxia auertant, aut concupita acceſſant, aut pectus votis impleant, *Deum non inuocant?*

*Qui terrena petit, Deum ſibi aduocat ad iterem cupiditatum.*

Imò

Imò in impiorum etiam ore, preces ad Deum fuſæ ſæpiùs relonant: neque enim hominum malitia ſic humanis neceſſitatibus eſt ſurda, vt perſæpè non cogatur auxiliatem implorare Deum, qui aut ærumnas auertat, aut vota cupitis adimpleat. Perbellè Auguſtinus: *Deum non inuocauerunt. Inuocant, ſed non Deum. Inuocas quicquid amas, inuocas quicquid in te vocas, inuocas quicquid vis vt veniat ad te. Porrò ſi Deum propterea inuocas vt veniat ad te pecunia, vt veniat ad te hereditas, vt veniat ad te ſecularis dignitas, illa inuocas quæ vis vt veniant ad te: ſed Deum tibi adiutorem ponis cupiditatum, non exauditorem deſideriorum.* O execrabilem orationis abuſum! cùm ad mundialia bona obtinenda oras, Deum inuocans, non inuocas Deum; ſed rem noxiè cupitam quærens & vocans, Deum aduocas *tibi adiutorem cupiditatum*, execrando orationis abuſu. Saltem ſi terrena petis, dirige ad cæleſtia, & cæleſtia petiſti; & Deum, quem alioqui non inuocares, iam inuocaſti. O quàm ludunt vota hominum pernicioſâ orationis nugacitate, & execrabili precum abuſu! Quid prodeſt poſſe, quod eſſe non prodeſt?

S. Auguſt. in Pſal 85.

8\. Matthæi 6. *Orantes autem*, inquit, *nolite multum loqui, ſicut ethnici faciunt.* Et ſententia quidem Domini forſitan per ſe perſpicua eſt, vt potè nudis verbis nobis expoſita, nec vllam ſubtiliorem deſiderans conſiderationem, præterquam quod operæpretium eſt quærere, quid ſignificet verbum *Battologia*, vndè Battologus ſeu multiloquus in oratione nominatur, vt in oratione vitemus hoc orationis vitium, quod ſolletter Chriſtus prohibet. S. Gregorius Nyſſenus, Græcus doctor, hanc Græcam *Battologia* vocem his verbis ſingulatiter exponit: *Orantes autem nolite multum loqui.* Videtur ergò mihi (inquit) caſtigare inflationem atque tumorem mentis, eorúmque qui ſeſe vanis cupiditatibus immergunt, reprimere atque compeſcere ambitionem, & idcircò peregrinam & nouam hanc dictionem excogitaſſe ad arguendam amentiam eorum, qui vanarum pariter ac inutilium rerum cupiditatibus diffluunt. Nam cordatus, doctus & prudens ſermo, propriè ſermo dicitur: *At quæ per inanem voluptatem cupiditatibus vanis quaſi ſuperfunditur oratio, non ampliùs ſermo, ſed Battologia eſt (quaſi dicas linguæ volubilitas, & vanus ſermo) vt aliquis mentem meliùs explicans dixerit, efferueſcentia atque effutitio: hoc, deliramenta atque nugæ, ac ſi quod aliud vocabulum eiuſmodi ſignificationis eſt.* Itaque *Battologum*, ſeu in oratione multiloquum dicit eum, qui tumore mentis vanis ſe cupiditatibus immergit, &c. Sed vide quàm acerbè eiuſmodi *Battologiam* caſtiget. Iſtiuſmodi enim preces appellat *deliramenta ac nugas.* Lege (ſi iuuat) reliquam orationem, vbi multa peridoneè ad hanc rem. Et ſanè Battologus ſeu multiloquus eſt, quiſquis, etſi vno verbulo, rem merè temporariam precatione ſuâ poſtulat: nugatur enim hæc à Deo petens & egregie delirat.

Matt.6. v. 7. *Qui rem minùs temporariam à Deo petit, Battologus eſt, nugatur, atque delirat.* S. Nyſſ. orat. 1. de orat. Dom.

## §. CCLXXXI.

### *Sacri textus de Eſther orationis elogia elucidatione miſcellanea addenſantur.*

1\. Vix commendandæ orationi charta ſufficit, nec ſatisfacitur referendis & expendendis elogiis, ad quæ ac à Eſtheris commentandæ hiſtoria nos vltrò euocar. Profectò longum nimis facerem, ſi pæterei hactenùs de oratione ſcripta, omnia quæ ſuperſunt, diſtinctis ſeorsùm ſibus elucidando perſequi vellem. Exindè, ne plura de re valdè motibus proficuâ ſilentio intermittam, nonnulla quæ ſacri textus ductu adhuc reſtant, miſcellaneâ ſaltuatim elucidatione perſtringere operæpretium eſt. Non tantùm bigis quadrigíſue, ſed etiam equo ſingulari ſudictus ac ſetius in circo curſus peragitur. quod licebit etiam in hoc motum ſtadio, ne quid fortè in hâc Eſtheris oratione nos inertes fugiat.

*Proœmiolum ad orationis laudes multifariè addenſandas.* Hîc v. 3. &c.

2\. Regius Vates Pſalmo 129. ſceleroſo adulterij & homicidij crimine, & ærumnis criminum appendicibus calamitoſus, ad preces confugit, quibus certò malum auertat: *De profundis*, inquit, *clamaui ad te Domine: Domine exaudi orationem meam. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.* Quid opus eſt vt de profundis Propheta clamet, ne dum vt clamet, quò à Deo exaudiatur? Porrò inanium Deorum ſurdum elogium eſt, *Aures habent, & non audient. Deus autem* (ait S. Zeno) *qui & vbique, & in omnibus eſt, totus audit, totus videt, totus efficit, totus incedit. Et hoc ex Scripturis docemur, cùm dicitur: Ego ſum Deus appropians, & non de longè. Et rurſùm: Quoniam in ipſo & viuimus, & mouemur, & ſumus:* Quid ergò opus eſt de profundis altè clamare, vt Deus qui infinitâ ſuâ mente auritus, *totus audit*, hominis orationem exaudiat? Inani quidem conatu vt audiatur clamat, qui licet ſilenter muſſitet, non audiri nequit. Quid ergò Dauid hoc precario altiùs clamore poſtulat? Nuper laudatus Zeno Veronenſis præſcripta Pſalmographi verba elucidans, ita ſibi reſpondet: *Deus exaudi orationem meam*, inquit, *Deus vbique eſt, & vbi adeſt, audit, & videt, & efficit. Eſt orandus à nobis vt ſecundum precem noſtram adſit, audiat, videat, efficiat. Naturæ ſuæ eſt vt audiat, ſed fides noſtra eſt vt precemur audiri. Et vt efficium ſuum exequitur, vt Dei auditionem rogemus qui per naturam ſuam audit, per orationis precem dignetur audire.* Quaſi qui precibus Deum rogat, vt vocem ſuam audiat, non tam roget audientiam Dei, *qui per naturam ſuam audit*, quàm vt *per orantis precem dignetur audire.* Ac ſi Deo per naturam ſuam infinitè benefico, neſcio quid beneuolentiæ ac beneficentiæ quodammodò accreſcat, dum qui per naturam ſuam audit, nec aliter poteſt, per orantis precem dignatur audire. quaſi dignatio ſic audiendi, ſit vigor exaudiendi: & qui per orationem noſtram excitatus dignatur audire, iam propè exoratus precibus adnuerit. Iam viſus erat in myſtico ſomno Mardochæus ſub ſpecie draconis, cum Amano veneratiſſimo dracone depugnaſſe, illumque protriuiſſe: ſed adhuc obnixiùs oratur Deus, vt populi ſui ærumnas per orantium preces dignetur audire.

Pſal. 129. v. 1. & 2.

S. Zeno ſerm. in Pſalm. 129.

*Naturæ ſuæ eſt, vt orantes audiat Deus, ſed rogandus eſt, vt per orantis preces dignetur audire.* S. Zeno ſuprà.

Eſther. 11. v. 6.

3\. Geneſeos 30. pulchra Rachel vuluâ diu ſterilis, ſed de oratione fœcunda, ſuſcepto ex Balâ filio,

Gen. 30. v. 6.

filio, de optatiſſimâ feliciter ſobole Deo gratanter exultat: *Dixitque Rachel: Iudicauit mihi Dominus, & exaudiuit vocem meam, dans mihi filium: & idcircò appellauit nomen eius Dan.* id eſt, *iudicium.* Ius ſuum petebat Rachel, vt ipſa

*Oratio, ex iuſtitiâ, an ex miſericordiâ beneficiũ poſtulat?*

ſterilis fœcunditatem poſtulabat? Ad iuſtitiæ, an potiùs ad miſericordiæ tribunal accedit ſupplex oratio? Res orationis facta eſt materia iuſtitiæ? *Iudicauit mihi Dominus,* inquit, *& exaudiuit vocem meam.* Quod humana oratio à diuinâ miſericordiâ petit, exigit à iuſtitia? ô nouum impe-

Eſther 14.

trandi ius, & grande orationis elogium! Perſæpè biblici Interpretes notant, quod nos ſparſim non ſemel perſtrinximus, in linguæ ſanctæ idiomate diuinam miſericordiam iuſtitiæ nomine denotari. quod non ſine epithaſi moralitatum grauidâ accidit.

4. Matthæi 17. acceſſit ad Ieſum homo genibus

Match. 17 v. 15. & 16.

prouolutus ante eum dicens: Domine, miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur. *Et obtuli eum diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum. Reſpondens autem Ieſus, ait: ô generatio incredula, & peruerſa, quouſque ero vobiſcum? quouſque patiar vos?* Si ſpecie tenus vibretur cenſura, nemo non mirabitur hæc aſperiora Chriſti verba, tanquam occaſioni non valdè idonea. Porrò hic homo calamitate filij miſer, ſupplex accedit ad Chriſti diſcipulos; mox genibus prouolutus cernuâ precatione filij ſupplicat ſanitatem.

*Non pœna dumtaxat, ſed gemina eſt orantium culpa, cùm beneficium non exorat.*

qui niſi aliquâ fide duceretur, neque diſcipulos, neque Magiſtrum adiiſſet. Quid ergo ſic Chriſtum offendit, vt in eiuſmodi verba aſperiùs eruperit? Eius deuenuſtauit potentiam, an orationis vim deuenuſtauit? an forſan vtrumque? Nota illud importunum verbum, *Non potuerunt,*

S. Hiero. ibi.

& obſerua Hieronymi inibi commentarium ad illa diſcipulorum verba: *Quare nos non potuimus eiicere illum? Dixit illis Ieſus: Propter incredulitatem veſtram. Hoc eſt autem quod in alio loco Dominus dicit: Quæcumque petieritis in nomine meo, &c. Ergo quoties non accipimus, non præſtantis eſt impoſſibilitas, ſed poſcentium culpa.* Scilicet cùm oratio dicitur non *potuiſſe* beneficium impetrare, in præſtantis impotentiam videtur clanculùm culpam referre, cùm potiùs in rogante langor fidei culpandus ſit. Ergò cùm oratio beneficium non impetrat, defenſione apud Hieronymum indiguiſſe videtur præſtantis potentia, ne putetur *impoſſibilitas, ſed poſcentium culpa. Culpa poſcentium eſt,* quandò expetitum beneficium non exoramus, propter exiguam rogantis fidem, & nutantem ſpei titubationem: & *culpa poſcentium* eſt; quia putari poſſet *impoſſibilitas* in diuinâ Chriſti Dei omnipotentiâ; quod fidei noſtræ impotentia eſt, & ſpei langor. O! quandò oratio non exorat, ſic præcauet Hieronymus ne putetur *præſtantis impoſſibilitas, ſed culpa poſcentium*?

Eſth. 14. v. 9.

Non tantùm tua refert, ſed diuinæ etiam omnipotentiæ intereſt, vt ritè ores, quò feliciter exores?

5. Matthæi 14. quartâ noctis vigiliâ ad diſcipu-

Match. 14 v. 26. & 27.

los totâ nocte naufragos, venit Ieſus ſicco veſtigio ſuper maris vndas incedens. Et videntes eũ ſuper mare ambulantem, turbati ſunt, dicentes: Quia phantaſma eſt. *Et præ timore clamauerunt.*

*Quia Deus eſt qui eſt, fidenter nobis orandum eſt.*

*Statimque Ieſus locutus eſt eis, dicens: Habete fiduciam: Ego ſum, nolite timere.* Confuſus clamor, & incerta omnium ſimul vox periculum votiuè deprecans, validæ precationis indicium eſt; digniſſima quidem cui confeſtim Chriſtus adeſſet, illos ad fiduciam excitans, quò in tantâ calamitate auxilium impetrent. Sed videamus quo incentiuo periclitantes diſcipulos ad precum fiduciam potenter extimulet: *Habete,* inquit, *fiduciam: Ego ſum, nolite timere.* Quæ verba ſic Hieronymus exponit: *Quod autem dicit: Ego ſum, nec ſubiungit, quis ſit .... ipſum eſſe* S. Hieron. inibi.
*ſcire poterant, quem locutum ad Moyſen nouerant: Hac dices filiis Iſraël: Qui eſt, miſit me ad vos.* Vide quo incentiuo fiduciam afflet diſcipulorum clamori, ad periculi liberationem impetrandam. *Ego ſum,* inquit: & quia ego ſum qui ſum, in precario opis clamore habete fiduciam, & nolite periculũ timere. Ne cadas animo cùm tuam beneficij impetrandi indignitatem conſideras; intùs eſt in ipſo Deo humanæ fiduciæ ſtimulus, qui ſit noſtræ orationis vigor. *Habete fiduciam: Ego ſum,* & quoniam ego ſum qui ſum, animos reſumat ſpes, & nolite periculum timere. Non vacillabit in precibus omnium ſcelerum reus, ſi precum fiduciam hâc cogitatione adipaucerit. Se- Eſth. 14 v. 6. & 19. & tota fere cap.
cùs ad propria merita attendens, de ſpei titubatione, precationis vacillabit vigor. Hâc fiducia Eſther hîc precum fiduciam validiùs obarmat.

Lucæ 18. poſtquam ingruentium atrociùs calamitatum Chriſtus meminit, virtutem fidelium 6.
roborat orationis vigore: *Oportet,* inquiens, *ſemper orare, & non deficere.* Cur hominem oporteat ſemper orare, ab eius imbecillitate peridonea ſuppetit ratio, ſcilicet, vt *non deficiat.* Virtus enim humana niſi iugiter confortetur, ſenſim marceſcit, languet, *deficit.* Ergò ne deficiamus, oportet ſemper orare. Appoſitè Nazianzenus: *Quem enim vſum cibus corpori affert, eundem animæ præſtat oratio.* Scilicet quem vſum cibus corpori præſtat, adſimilem animæ, animæque virtutibus præſtat oratio. Cibus corporis in ſanguinem excoquitur, indè in alimentum & incrementum corporis, quo vires accipit, ne deficiat. Adſimiliter oratio, qui cibus animæ eſt, & virtutum alimonia. Primùm deuotionis calore excoquitur, & in omnium virtutum ſanguinem vertitur, qui illis congruum alimentum & incrementum præbet, & omnes ſingulatim virtutes cognato vigore fouens & alens, egregiè nutrit, ne deficiant; arcanè adipat vſque ad ſublimiſſima omnium ſanctitatum incrementa. Sic oratio cibus animæ eſt, & electius virtutum nutrimentum eſt, de ſuo ſuggerens, quo reliquæ omnes vigeant. *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Triduo ieiuna Eſther, triduo Mardochæus, quaſi ſpirituali cibo, oratione confortantur; hic contra *draconem* Amanum, hæc aduerſus *leonem* Aſſuerum, confortantur: & corporis viribus impares; animi virtutibus vegeti acrobuſti, vtrumque monſtrum valenter detriumpharunt.

Lucæ 18. v. 1.

*Quod cibus corpori, hoc animæ, & virtutibus præſtat oratio.*

S. Nazianz. Orat. 17.

1. Paralipom. 21. Ob numerati populi ſcelus 7.
(quale illud fuerit, alibi tradetur) ſic Dei nomine Gad propheta Dauidi loquitur: Trium tibi optionem do, vnum, quod volueris, elige, & faciam tibi: Aut tribus annis famem: aut tribus menſibus fugere hoſtes tuos: aut tribus diebus gladium Domini. *Et dixit Dauid ad Gad: Ex omni parte me anguſtiæ premunt: ſed meliùs mihi eſt, vt incidam in manus Domini.* Meritò addubitant Interpretes, quare Dauid non potiùs fugam elegerit, quàm Dei gladium qui ſerpente peſtilitate ſeptuaginta millia virorum in vnâ dieculâ deuorauit? An Dauid fugiendi pudorem tot ſtragibus prætulit? Pulchrè Ambroſius:

1. Par. 21. v. 13.

*Vnius iuſti preces magno in pretio debent eſſe apud Regem.*

S. Ambr. in Pſal. 37.

*Dauid*

*David famem populi vitauit, quia grauior morte & omnibus ſupplicijs habetur; quam ſequitur etiam peſtilentia, quæ cælum contaminat, mortem aceruat. Suam fugam non popoſcit propter illud, quia propheta pro populo deprecari poterat, ſicut factum eſt; populus pro propheta interuenire non poterat.* Vide quanto ſint in pretio preces apud Deum a viro ſancto nuncupatas. Dauid populi amantiſſimus,(adeò vt ſua ipſius nece,populi neces redimere pius nunc precator exoptet) ſatius putat, ſeptuaginta millia virorum miſerabiliter occumbere de cælo tactos,quàm populo per eius fugam deeſſe, qui inſtanter Deum pro populo roget, & ſupplicij veniam prece ſupplici poſcat. O bonus precum æſtimator Dauid! Hoc Prophetæ iudicium, cenſus æſtimandæ orationis

Eſth. 4.v.1.& c.13.v.8. Hic v.1. &c. eſto. quo taxanda nunc eſt Mardochæi ac Eſtheris ad Deum precatio,quæ male concidendo populo ſoſpitatem acceſſit.

8\. 3.Reg 3.v.11. 3.Regum 3.apparuit Dominus Salomoni per ſomnium nocte,dicens: *Poſtula quod vis vt dem tibi.* Illi autem poſtulanti obeundo muneri ſapientiam, reſpondit Dominus: Quia poſtulaſti verbum hoc,& non petiſti tibi dies multos, nec diuitias, *aut animas inimicorum tuorum*,&c.Tantine Deus æſtimat, ne quis ab eo petat acerbam de inimicis vindictam?In vetere etiam lege, vbi vltio ſic percrebuit, tanto laudis cenſu taxatur, non petiiſſe à Deo inimicorum vindictam?Vndè nam tantam malitiam iſtiuſmodi poſtulatio mutuatur? S. Gregorius Nyſſenus rem hanc luculenter verſans,ita ſcribit: Accedit(inquit)aliquis ad Deum per orationem, & non perpenſa apud animum ſublimitate potentiæ ad quam accedit, turpibus & ſordidis petitionibus maieſtatem diuinam dedecorat imprudens........ Ita etiam is qui imperitè vtitur oratione non ad dantis altitudinem ſeſe erigit,ſed ad ſordidas, humiles, & terram ſapientes cupiditates ſuas diuinam potentiam deſcendere deſiderat: atque huius rei gratia vitioſos & perturbatos animi impetus & motus corda cernenti profert, non vt ſanet abſurdos animi motus,ſed vt auxilio Dei,repræſentato prauo impetu deteriores efficiantur. *Quoniam enim ille moleſtus eſt, atque odio cor meum laborat,percute eum, ad Deum dicit,modo non illud clamans, Meus animi motus in te ſit, ac mea malitia atque nequitia ad te tranſeat.*Quid exaggeratiùs? Exinde tanti æſtimat Deus, quòd ab eo Salomon vltionem inimicorum minimè poſtulauerit. Quo autem pacto id nunc Eſther poſtulaſſe videatur, expeditur in commentario litterali.

S Nyſſ.orat. 1.de orat. Dom.

*Quàm ſit Deo iniurioſum ab eo vltionem inimicorum sui. diuinitus expetere.*

Eſther. 15.v. 11.& 12.& 13.

9\. Pſal.49.v 5. Regius Propheta Pſalm.49.ſic modulatè pangit! *Congregate illi*(Deo)*ſanctos eius,qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia.* Hieronymus, *Congregate mihi ſanctos meos*:Cyprianus,*Colligite illi ſanctos eius*: & inſigniores Sanctos Arnobius intelligit. Hos ergo iubet vt ſtudioſè colligantur,& congregentur Deo. Quinam ſunt iſti ſancti Deo colligendi, & quorsùm congregandi ſunt? *Qui ordinant*,inquit, *teſtamentum eius ſuper ſacrificia.* Chaldæus Paraphraſtes ſic locum excribit, & exceptione ad rem præſentem luculenter exponit:*Qui pepigerunt pactum, & firmauerunt legem, & operam nauarunt orationi, quæ ſimilis eſt oblationibus.*Itaque iubentur colligi & congregari Sancti Dei, ideſt, quique fideles(vt exponit S.Thomas) qui *operam nauant orationi*: & hi dicuntur Dei *ordinare teſtamentum*, atque eius *leges firmare.* O pulchrum orationis elogium! Dum iuſti congregati orant Deum,illius *teſtamentum ordinant*, & *leges firmant*? Oratio noſtra ad Deum, *lex* eſt, Dei *teſtamentum* eſt? Quod ore quis orando profert, tanquam *legem* ſancit, ac firmat? Imò eſt iſtiuſmodi multorum oratio, Dei *teſtamentum*, irreuocabili fœdere ſanctum nominatur. O quis ambigat de impetratione,qui dum orat, *legem ordinat, teſtamentum firmat*! Exinde Mardochæo orante, *omnis quoque Iſrael pari mente & obſecratione clamauit ad Dominum.* Eſther regina pia precum ambitione allegat, niſi eius oratio ad impetrationem exaudiatur,Dei *mutari promiſſa*, id eſt,fœdus,ſeu teſtamentum violari. Hic v.9.

S.Hieron. S.Cypr.de Bono Patient.

*Multorum oratio legem condit, & Dei teſtamẽtum ordinat.*

Chaldæus. S.Thomas.

Pſalmo 1.Vir ille beatus,qui die ac nocte *meditatur* in lege Dei,illamque oratione & contemplatione animùs ruminat, *Erit*,inquit,*tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum,quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo: & folium eius non defluet,& omnia quæcumque faciet proſperabuntur.* Nulla fit mentio de terræ bonitate;nam tametſi malignâ gleba ſterilis ſit,tamen pulchra erit frondium ac florum ornatu, & fœcunda fructibus,ſi ſecus vel iuxta decurſus aquarum ſita ſit. Hugo Victorinus *decurſus* iſtos interpretatur vices aſpirationum diuinarum, quæ accedūt, vt creſcamus;recedunt,ne ſuperbiamus. Auguſtinus per *decurſus aquarum*, intelligit lapſus ſeu peccata populorum: *aquæ* enim multæ *populi* multi: quoniam illos trahens in radice diſciplinæ ſuæ, fructus daturus erat, ad bonitatem de alieno malo cautè eruditus. S. Bernardus lacrymas deuotas interpretatur, quæ iugiter in oratione fluunt. Et ſanè oratio humori, quo arbores vegetantur, opportunè comparatur. Quâ ſuper re ſic fatur Chryſoſtomus lib. de orando Deum: *Hac*(oratione) *omnes homines non minus opus habemus, quam arbores aquarum humore Neque enim valent illæ fructus producere, niſi bibant humorem radicibus:neque nos pretioſis pietatis fructibus poterimus eſſe grauidi,niſi precibus irrigemur.* Ecce tibi iugis oratio ſunt *decurſus aquarum*,quibus arida cordis noſtri terra, ſterilis,ſemicoſa humorem fœcundè ſugit, vt vernet frondibus, floribus niteat, & fructibus ad omnem pietatem autumnet. Eleganter ad rem Laurentius Iuſtinianus de Caſto Connubio cap. 13. *Deſtruat cogitationes noxias,diſperdat cordis elationes,diſſipet carnis concupiſcentias, vt in mentis pomario ædificare valeat contemplationis receptacula, atque plantare virtutum paſſiua, & ſanctarum cogitationum,affectuúmque arbuſcula.*Itaque oratio in noſtrâ mente excitans contemplationis receptacula, ſanctarum cogitationum & affectuum arbuſcula ſerit,& irrigat,*atque plantat virtutum paſſiua.*O,virtutum *paſſiua* oratio plantat,& rigat?De orationis fœcunditate anima noſtra virtutum *paſſiua* eſt? Sine oratione adeò eſt agreſtis & infœcunda, vt virtutes, virtutumque ſemina arceat, ac refutet?Sic vitiis coaliti ſumus, vt niſi de orationis virtute virtutum paſſiuitatem velut peregrinam ignoremus? O in noſtrâ animâ plantet, irriget,ac fœcundet oratio *virtutum paſſiua*,cuius beneficio,virtutes facile capeſſat, ad copioſam omnium ſanctitatum vbertatem. *Neque enim nos pretioſis pietatis fructibus poterimus eſſe grauidi,niſi precibus irrigemur* De hoc ſanctarum precum humore Mardochæus & Eſther fœcundè grauidati, ſe omnemque Dei

10\. Pſal.1.v.3.

Hugo Vict. S. Auguſt.

S.Ber apud Lorin.ibi.

*Oratio eſt velut humor quo virentis arbor vernat, ac fructificat.* S.Chryſoſt.

11\. B.Laurent. Iuſtin.

*Oratio plantat in nobis virtutum paſſiua.*

populum ad omnium pietatum fructus vbertimè fœcundarunt: adeò vt ſilueſtria quondam Gentium arbuſta ad fructuum maturitatem erudierint, dum *virtutum paſſiua* precibus aſſiduis complantarunt.

---

## §. CCLXXXII.

*Suffuſus confeſsioni pudor piè neglectus, ſupplicij compendium eſt, memoriam ſcelerum abolet; & Dei munificentiam publicans, de verecundiæ bono extra inuidiam publicatur.*

1. Publ. Mim. apud Senec. *Proximum innocentia tenet locum verecunda confeſſio.*

SAnè Chriſtiano cothurno dixit Publius: *Proximum ad innocentiam tenet locum verecunda peccati confeſſio.* Tanto elogio hæc virtus erat ſublimanda, ne recta ingenia debilitet verecundia, ſicut praua confirmat audaciat. Hæc vna ſpes naufragis reſtat, vt naufragium in ſoſpitatem digerant pœnitentiæ calore. Nam *ignoſcere humanum eſt, vbi pudet cui ignoſcitur*: imò potius diuinum. Sibi inuidet, quiſquis breui verecundiæ tormento, conſcientiæ & gehennæ tormenta non redimit. *In externis iudiciis* (ait Chryſoſtomus) *poſt confeſſionem confuſio & pœna: in diuino, virtus, iuſtitia, merces & abſolutio.* O pulchra Eſtheris vox: *Peccauimus in conſpectu tuo,* &c.

S. Chryſoſt. Ser. de Pœnit. Hic v. 6.

2. Gen. 4 v. 9 *Pudor ex confeſſione, eſt ſupplicij compendium.* S. Ambr. ibi.

Geneſeos 4. poſt ferale ignauè parricidium, adeſt Deus ſeuerus occiſi Abelis vindex: *Et ait Dominus ad Cain: Vbi eſt Abel frater tuus? Qui reſpondit: Neſcio.* Non eſt vox Dei, Abeli necem ignorantis, ſed Cainum ad confeſſionem exhortantis, vt confeſſionis pudore delictum expungat. Eleganter inibi Ambroſius: *Quod autem ad rationem profundam attinet* (ita hanc expenſionem appellat) *peccantes admonet ad pœnitentiam. Confeſſio enim pœnarum compendium eſt...... Eſt quædam in peccatis verecundia, & pœnitentiæ portio crimen fateri, nec deriuare culpam, ſed cognoſcere. Mitigat iudicem pudor reorum, excitat autem pertinacia negantium.* Pulchrè dicitur pudor ex confeſſione delicti, ſupplicij *compendium*, quo non effunditur ſanguis, ſed ſuffunditur. Profectò ſupplicij *compendium* foret, quod pro effuſo Abeli ſanguine, effuſoris Caini ſanguinis ſaltem ſuffunderetur pudore delicti. quod dum tectiùs abſcondit, à Deo iudice meritò condemnatur. *Nouum iudicij genus* (ait S. Zeno) *in quo reus ſi excuſauerit crimen, damnatur; abſoluitur, ſi fatetur.*

S. Zeno ſer. 2. ad Neophy. poſt Baptiſm.

3. Act. 2. v. 34. *Qui pudorem confeſſionis aſſumit, nil vltra habet, quod inuideat.*

Actorum 2. poſt acceptum Spiritum-ſanctum, opportunam concionem habuit Petrus ad Iudæos, euangelizans Chriſtum Deum, quem nuper occiderant. *His autem auditis, compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum & reliquos Apoſtolos: Quid faciemus, viri fratres?* Petrus autem ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite.... vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris, *& omnibus, qui longè ſunt, quoſcumque aduocauerit Dominus Deus noſter.* Addubitant hîc interpretes quare in primâ concione quam ad Iudæos habuit Petrus, auſus ſit mentionem facere vocationis Gentium, quæ erat Iudæis in paucis inuidioſa? Per eos autem, *qui longè ſunt*, Gentiles intelligit, vt inibi Interpretes aduertunt. Oecumenius, locuples Actorum commentator, ita hâc de reſcribit: *Conſidera verò quòd tunc Gentium fidem innuit, quandò compunctos inuenit Iudæos, ac ſeſe condemnantes. Vbi enim ſeipſam anima condemnauerit, iam inuidere non poteſt.* Nimirùm Petrus, quâ pollebat peritiâ, cùm vidit Iudæos iam de commiſſo ſcelere *compunctos*, & publicæ confeſſionis verecundiâ iam idoneos, illis pandit rem infenſiſſimam & inuidioſiſſimam: *vbi enim ſeipſam anima condemnauerit, iam inuidere non poteſt.* Nam tot tantiſque virtutum elogiis per propriæ confeſſionis & condemnationis verecundiam homo ſublimatur, vt in eo iam *inuidia*, etſi illi nimis cognata, vacare videatur. Quid enim alteri *inuideat*, qui excellentiarum cumulum ex pudore confeſſionis confertum, in ſe denuò videt? Profectò, *inuidia* eſt, Alieni boni æmula pœnitudo. Ecquod alienum bonum æmuletur tetrico *inuidiæ* mœrore, qui de verecundiæ bono, tot ac tantis feliciter bonis cumulatiùs exundat? Argutè quidem Oecumenius!

Oecum. ibidem.

Iob 7. hic de calamitate querulus, piè cum Deo expoſtulans, delicta ſua ingenuè confitens ait: *Peccaui, quid faciam tibi ô cuſtos hominum?* Quaſi ethicè dicat Iobus: Excuſſo ſtrenuè verecundiæ pudore, planè me *peccaſſe* confiteor, parùm eſt, vt adnuas delicti veniam; plenum gratiarum cumulum indè ſpero, quo tuæ bonitatis beneficentiam, & magnitudinis elogium oſtentes. *Peccaui, quid faciam tibi?* id eſt: Poſt commiſſum peccatum, peccatum ipſum abiecta verecundia, ingenuè confitens, quid vltrà facere potui, vt magnitudinem beneficentiæ tuæ publicares, verecundæ meæ confeſſionis illicio? Audi Chryſoſtomū ita enucleatiùs ſcribentem: Ex alienigenis, inquit, iudicibus, ſiquis cuicaptorum latronum futumue diceret, vt peccara fateretur, & à pœna dimitteretur; omni certè hoc promptitudine ſuſciperet, *ſalutis cupiditate pudorem contemnens.* Hîc verò non id fit, ſed & peccata tamen Deus dimittit, nec ea cogit præſentibus aliis enunciare (Accuratiùs penſita quæ ſubiicit verba.) *Id vnum modo exigit, vt peccator remiſſione fruens, Domini magnitudinem diſcat.* O bonam diuinæ *magnitudinis diſcendæ* ſcholam! Satis nota non foret diuinæ beneficentiæ *magnitudo*, niſi bonum *pudoris* ex confeſſione concepti, illam tacitè publicaret? *Peccaui, quid faciam tibi?* ô Dei *magnitudinem* diſcamus ex gratiarum plenitudine, quâ Deus verecundiam ex peccatorum confeſſione conceptam, feliciter opulentat, & opulentè beat!

4. Iob. 7. v. 20. *Ex pudore concepto in confeſſione delicti, Dei magnitudo diſcitur.* S. Chryſoſt. homil. 21. ad popul.

Oſeæ 4. ita de Sacerdotibus Propheta loquitur: *Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum ſubleuabunt animas eorum.* Similis loquendi modus *comedendi peccata*, habetur Leuitici 10. vbi ſic in Hebræo textu legitur: *Cur non comediſtis peccatum?* Quæ verba ſic exponit B. Martyr & Pontifex Alexander 1. in epiſt. 2. *Ipſi enim* (inquit de Sacerdotum dignitate loquens) *pro populo interpellant, & populi peccata comedunt, quia precibus ſuis ea delent atque conſumunt.* Bellè quidem; ſed ad aliud thema. Verùm Anaſthaſius Nicenus hoc Leuitici loco adducto, ait: *Ideò vobis dedit Deus ea comedenda, vt auferat peccatum Synagogæ, & pro eo ipſum placetis.* Et ſanè non ſolùm Sacerdos tenetur hominum peccata comedere (&, ſiue calente hoſtiarum ſanguine, ſiue ſanctarum precum feruore digerere) ſed etiam vnuſquiſque debet confuſionis pudore, & confeſſionis verecundia peccata ſua comedere, & digerere.

5. Oſeæ 4. v. 8. Leuit. 10. v. 17.

S. Alex. epiſt. 2 quæ refertur 1. q. 1. c. *Ipſi Sacerdotes.*

Anaſt. Nic. ferè in fine libri q. q. in Script. *Confeſſionis verecundia omnem ſibi digerit cauſſam.*

Orig. hom. 2. in Pſal. 37.

digerere. quod luculenter his verbis tradit Origenes: *Sicut hi, inquit, qui habent intùs incluſam eſcam indigeſtam, aut humoris vel phlegmatis ſtomacho grauiter & moleſtè imminentia, ſi vomuerint, releuantur: Ita etiam hi qui peccauerunt, ſiquidem occultant & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus vrgentur, & propemodùm ſuffocantur à phlegmate vel humore peccati.* (Nota diligentiùs quam ſubtexit ſententiam) *Si autem ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſemetipſum, & confitetur, ſimul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit cauſſam.* Quid eſt, quòd verecundia confeſſionis commiſſorum ſcelerum, *omnem morbi digerit cauſſam*? Porrò quod indigeſtum malè ſtomacho oneri erat, per congruam *digeſtionem*, in ſanguinem, & propriam ſubſtantiam abit, & in viuentis naturam conuertitur, dum ex alimento in aliti ſubſtantiam tranſit. Ecce tibi, ſcelera, quæ nuper tanquam *eſca indigeſta* conſcientiæ ſtomachum grauiter moleſtabant, ingenuæ confeſſionis pudor, *omnem morbi digerit cauſſam*; & peccata ipſa, quæ verecundiâ confeſſionis euomit, in bonos virtutum mores feliciter conuertit. O quàm non nocent, ſed ſæpè proſunt, ſcelera, feruidâ confeſſione expuncta!

6. Lucæ 17. Sic ad Diſcipulos ſuos Chriſtus Deus fatur: *Vos cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus.* Si Chriſti diſcipulus à tanto Magiſtro inſtitutus, poſtquam eius præcepta cumulatiùs impleuit, dicere poteſt: Seruus inutilis ſum; quid dicat omnium præceptorum violator impudens, & omnium ſcelerum flagitioſiſſimè reus? Et quomodo hic poſt tot ſcelera, vtilis reputabitur? quo virtutum compendio id aſſequi poterit? Audiendus eſt hâc de re Chryſoſtomus, qui ſingulariter ad hanc rem, præſcripta Lucæ verba exponit: *Cùm feceritis omnia, dicite vos inutiles, ait Dominus* Dic, (inquit) ne metuas, non ex tuo iudicio fero ſententiam, ſic & aliàs loquitur, dic tu prior iniquitates tuas vt iuſtificeris. In mundanis quidem atque forenſibus iudiciis, poſt accuſationem, & criminum confeſſionem reſtat mors: *at apud diuinum tribunal poſt vtramque corona: ſi tu te ipſum inutilem dixeris, ego te vt vtilem coronabo.* Vide ſubliſſimum dignitatis faſtigium, ad quod pudore confeſſionis aſcendis. *Inutilis* dicitur Diſcipulus, qui omnia Domini præcepta promptiùs exequitur; multò infra *inutilem* eſt, qui omnia violauit Domini mandata. At tanta eſt confeſſionis, & confuſionis vis, *vt ſi tu te ipſum inutilem dixeris, ipſe Chriſtus te vt vtilem coronet.* O incredibilis confeſſionis vis, & confuſionis efficacia! Si ille qui omnia præcepta implet, adhuc *inutilis* eſt; qui omnia temerarius violauit, non modo *inutilis*, ſed etiam idoneus videtur. Vide à confeſſione ſubitam & miriſſimam mutationem? *Si tu ipſum inutilem dixeris, ipſe Chriſtus te vt vtilem coronabit.* Vix innoxius & innocens Diſcipulus, vtilis dicitur; & flagitioſiſſimus quiſque, dum *inutilem* ſe verè iudicat, tanquam vere *vtilis coronatur*? Quid exaggero vltiùs?

Lucæ 17. v. 10.

S. Chryſoſt. homil. 3 de Oſia. *Confeſſis peccatorum, inutilem, tanquam vtilem coronat.*

7. Pſal. 50. v. 5. & 6. Regius pſaltes in Pſalm. 50. ita pangit, Deum alloquens: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Tibi ſoli peccaui,* &c. Ecce quàm ingenuè peccatum ſuum confitetur. Quid ergò? cognoſcit mox poſt confeſſionem peccatum ſuum? an ſicut à peccati ſui conſcientiâ, ita etiam a cognitione

P. Didac. Celada in Eſtherem.

ſeu memoriâ etiam excidit? S. Gregorius exponens eiuſdem Pſalmographi verba: *Si iniquitates obſeruaueris Domine*, &c. ita tempeſtiuè fatur: *Attende qualiter peccati confeſſio, peccata oblitteret, quæ iuſtificat iniquum, tollitque ab eo memoriam peccatorum.* Sed quid eſt, quòd qui in pœnitentiæ exordio, & confeſſionis auſpicio, ſe *cognoſcere iniquitatem* ſuam dicit, & peccatum, quod in Deum commiſerat, coràm habere fatetur; nunc per *peccati confeſſionem* & confuſionem, ſic oblitteratum affirmat, vt vel *peccati memoria* ab ſe ſublata dicatur? Eſtò, peccatum per confeſſionem deletum ſit; ſed cur illius *memoria* iam excuſſa dicatur? Quid Dauidi diu pœnitenti obeſt, vt peccati iam per pœnitentiam oblitterati recordetur? An rel. plus timetur vel ex blandientis recordationis pellaciâ? An ipſius peccati per confeſſionem & confuſionem deleti, *memoria tollitur*, ne in ſuperbiam arroganter incidat, ob ſublimiſſimam ſanctitatem, quam ex confeſſione & confuſione peccatorum fœnerauit? Ab eo, qui dudùm dixerat, *Iniquitatem meam ego cognoſco*, iam nunc ſic *peccata oblitterat, tollitque ab eo memoriam peccatorum* ne fortè ſibi de eximiâ virtute blandiatur, & elatione quâdam animi quodammodò inſoleſcat? Sic pudor confeſſionis, & tormentum confuſionis, in pœnitentiæ exordio, non tantum veniæ adulantur, ſed ingeniantur etiam tantum perfectionis faſtigium? Altè quidem Gregorius!

S. Gregor. in Pſal. 129. v. 3. *An non tantùm culpam ſed culpæ etiam memoriam confeſſio oblitterat?*

## §. CCLXXXIII.

### *Exilium inſipienti calamitas eſt; ſapienti verò, virtutis occaſio, & gloriæ acceſſio.*

QVòd patriâ cares, (ait Seneca) non es miſer: 1.
etenim ita te diſciplinis imbuſti, vt ſcires *omnem locum ſapienti viro patriam eſſe.* Nullus anguſtus eſt locus, qui magnatum virtutum turbam capit, in quem licet cum hoc ire commeatu. Brutus in eo libro quem de virtute compoſuit, ait ſe vidiſſe Marcellum Mitylenis exulantem: & quantùm modo natura hominis pateretur, beatiſſime viuentem. *Itaque adiicit viſum ſibi ſe magis in exilium ire, qui ſine illo rediturus Romam eſſet, quàm illum in exilio relinqui.* O fortunatiorem Marcellum, eo tempore, quo exilium Bruto approbauit, quàm quo Romano populo conſulatum! Exilium tibi indicitur? ſed patria tibi non interdicitur, ſed locus. in quamcumque terram veneris, in tuam veniſti. Patria eſt, vbicumque bene eſt. Illud autem per quod benè eſt, in homine, non in loco eſt. In ſuâ cuiuſque poteſtate eſt, quid ſit illud fortunij. Si enim ſapiens eſt, peregrinatur; ſi ſtultus, exulat.

Seneca l. de Conſol. ad Albin.

*Omnis locus viro ſapienti patria eſt.*

Geneſeos 1. mundialis opificij die quintâ dixit 2.
Deus: *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cæli.* Quibus verbis aquæ volucrum natales deſignantur, vt ibi Interpretum proceres ſerò diſputant. Verùm Rupertus hâc in re ita addubitat: *Quæris etiam, nunc poteſt, inquit, cur cùm omnia volatilia aquæ produxerint, non etiam ſub aquis natantibus eadem viuere poſſint?...... Sed hæc vel cetera cũ de aquis producta ſint, non etiam ſub aquis viuere poſſunt.*

Geneſ. 1. v. 20. Rupert. lib. 1. in Gen. c. 50. *Quare volucres vitam retinere non poſſunt, vnde vitam ſumpſerunt.*

*Cur ergò natura illis quaſi à materno vtero tam diuerſa ſuccedit? Cur illic vitam retinere non poſſunt vnde etiam ſumpſerunt?* Et, ſanè miriſſimum eſt, quòd volucres è natalibus aquis à primordio exortæ in extraneum elementum exponi debeant, vt viuere poſſint. Vitam perdent, ſi vbi vitam acceperunt, perſiſtant. Simul cum vitâ illis exilium indicitur, vt quæ in patrio elemento, cum vitæ auſpicio naufragium biberent, de exilio vitam hauriant, & in extraneâ ſemper regione peregrinari cogantur. In ratione dubitandi bellam ethicè ſolutionem Rupertus inſinuat, & huius theſis doctrina haud dubiis characteribus tranſlucet. *Indè vitam retinere non poſſunt; vndè vitam ſumpſerunt.* Quod explicatiùs iam iam enucleabit Hieronymus.

3.
Gen. 1. v. 20.
*Primum de aquis quod viuit egreditur, & pennatos fideles de terra ad cælum leuat.*
S. Hieron. tom. 2. in epiſt. ad Ocean.

*Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cæli.* Nempe è natalibus aquis volucres enatæ ſunt; indéque vitam retinere non poſſunt, vndè vitam ſumpſerunt; vt Deus terram, aërem, & cælum adornet volucribus in elemento extraneo peregrinantibus. quod ad homines myſticè deriuat Hieronymus, ſic ad rem fatus: *Primùm de aquis quod viuit egreditur, & pennatos fideles de terrâ ad cælum leuat.* Volucres è natalibus aquis ortæ ſunt, & natale elementum deſerere coguntur, ne cum vitâ mortem exhauriant, quò peregrinis incolis ethera ſumptuoſiùs exornent. *Primùm de aquis quod viuit egreditur, & pennatos fideles de terrâ ad cælum leuat.* Quaſi volucrum adinſtar, homines natale ſolum tanquam mortis minas deſerere inſtituantur, vt in extraneo æthere peregrinantes puriorem viuant vitam, & voluceri pennâ è terris ad cælos leuentur: vt dum à cognato elemento exulant, coloniam ducant in cælum. *Primùm de aquis quod viuit egreditur, & pennatos fideles de terrâ ad cælum leuat.* Sapiens in exilio, velut in patrio ſolo feliciter peregrinatur; inſipiens infeliciter exulat. De volucrum gymnaſio hanc ad mores eruditionem excipe.

4.
Matth. 1. v. 17.
*Progenitorū Chriſti exiliū inter eius progenitores cenſetur?*

Matthæi 1. poſtquam Euangeliſta ab Abrahā Hebrææ gentis principe, Chriſti Dei genealogiam ſeriatim texuit, ita concludit: *Omnes itaque generationes ab Abraham vſque ad Dauid, generationes quatuordecim: & à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim: & à tranſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum, generationes quatuordecim.* Sagax interpretum ſollertia videt in ſecundâ aut tertiâ teſſeradecade aliquam deeſſe generationem, vt quatuordecim nihilominùs numerentur; & valdè ſudat eorum induſtria, vt Euangelicam recenſionem ad veritatis normam concinnè adaptent. Et quod Interpretum nonnulli in exſcriptorum imperitiam referunt, refert Chryſoſtomus in moraliſſimum tempeſtiuè myſterium, ita ſcribens: *Generationes quatuordecim*, &c. *Mihi videtur hoc loco etiam captiuitatis tempus in generationum ordine collocare.* Videlicet tranſmigratio Babylonica, ſeu ærumnosè prolixum illud exilium, (de quo ſic conqueritur hic Eſther) accipiendum eſt in numerum vnius ex *generationibus* ipſius Chriſti Dei. Itaque Hebræi populi trāſmigratio ſeu exilium Babylonicum, ex Chryſoſtomi ſententiâ, inter Chriſti Dei progenitores cenſetur. quaſi Chriſtus Deus non ſolùm à ſuis Maioribus originem ducat, ſed etiam ab eorum quodammodo tranſmigratione in alienum ſolum, & à natalis terræ exilio, genus trahat. *Captiuitatis tempus in generationum ordine collocatur.* Tanti æſtimat Chriſtus Deus homines patriâ extorres, vt ipſam tranſmigrationem, & beatas exilij calamitates, in Maiorum recenſitione, & progenitorum catalogo recenſeri ſtudeat? Prolixæ duri exilij ærumnæ inter Maiores recenſentur, quia Chriſtum Deum quodammodò generant, pariunt, propagant? O Chriſti Dei nuriſſimè nouam cum calamitoſo exilio cognationem!

S. Chryſoſt. homil. 4. in Matth.
Hic v. 8.

5.
Ioan. 16. v. 28.

Ioannis 16. hæc Chriſtus Deus ad Diſcipulos ſuos verba facit, illis vtramque ſuam generationem oſtendens: Ipſe Pater, inquit, amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quia à Deo exiui. *Exiui à Patre, & veni in mundum: iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Chriſtus Dei Filius *exiuit* à Patre Deo, dum æternâ generatione prodit, idem cum Patre Deus; non alio eſſentiæ gradu, ſed aliâ hypoſtaſi alius. Venit in mundum, a matre etiam Virgine *exiens*, ineffabili ſacramento corporatus homo Deus, Chriſtus Ieſus. Qui tandem mundum relinquens *ad Patrem vadit.* Quâ ſuper re ſic ad rem præſentem fatur alto ſtilo Veronenſis Zeno: Erat ante omnia, inquit, manens vnus & idem æternaliter ex ſemetipſo in ſemetipſum Deus, ſecreti ſui ſolus conſcius: cuius ex ore vt rerum natura, quæ non erat, fingeretur, *prodiuit vnigenitus filius cordis eius nobilis inquilinus.* Ecce tibi Chriſtus Deus, verus & naturalis Dei filius, Paterni *cordis nobilis inquilinus* nuncupatur. Porrò Chriſtus Deus licet è corde Patris æternaliter prodierit; tamen in tempore homo factus, ſicut è terrenâ matre, ſic patriâ etiam terrenâ prodijt. *Exiui à Patre, & veni in mundum.* Peracto autem humanæ redemptionis ſacramento, in cælos ad Patrem rediens, dum *relinquit mundum, & vadit ad Patrem*, ad eius dexteram perpetuò ſeſſurus; tametſi natali Patris Dei ſinu æternaliter ſit progenitus, Paterni *cordis nobilis inquilinus* appellatur. quaſi poſt corporationem, quâ patriam in terrâ ſortitus eſt, iam nunc in cælo, velut *inquilinus* quodammodo peregrinetur. Scilicet ſicut humano cenſu, in diuinæ naturæ identitate, & perſonæ æqualitate, grande putatur Chriſti Dei elogium, ad dexteram Dei Patris ſedere: ita in corde Patris, vnde æternaliter natus eſt, quaſi *inquilinum* habitare, & in eo quodammodo (ſic loqui liceat) peregrinari, illuſtre Chriſti Dei æſtimatur encomium. Nec mirum videri debet, quòd qui ex mente Chryſoſtomi, naſciturus in terris, exilium ſuorum Maiorum inter ſuos progenitores cenſeri voluit; nunc ex ſententiâ Zenonis, Paterni *cordis nobilis inquilinus* nominetur. Sic magnificum cenſetur *inquilinum* eſſe?

S. Zeno ſer. 2. de Æterna Filij gener.
*Inter Chriſti Dei elogia cenſetur, eſſe paterni cordis inquilinum.*

Pſalmo 67. ita pangit regius Vates: Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: *Dominus in eis in Sina in ſancto. Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem.* Hæc verba Pſalmi explicat Caietanus (vt interim omittam varias expoſitiones, quibus hunc locum interpretes vexant) de eductione per Moyſen, filiorum Iſraël ab exilio ſeu captiuitate Ægyptiacâ, ſic fatus: *Et apoſtrophans Propheta ad Moyſen, dicit: Aſcendiſti in excelſum, in cacumen montis Sinai, captiuaſti captiuitatem. Ordine præpoſtero ſcripta ſunt hæc: nam priùs captiuaſti captiuitatem, & deinde aſcendiſti in excelſum.* (attentiùs expende quæ ſubiicit verba ad theſim præſentem peridonea) *Et dicit ad Moyſen: Captiuaſti captiuitatem; quia captiuitatem filiorum Iſraël in Ægypto exiſtentem.* 6.

Pſal. 67. v. 18. & 19.
Caiet. in id.
*Quomodò Moyſes captiuitatem filiorum Iſraël captiuaſſe dicatur.*

*exiſtentem,ad ſimilitudinem captiuitatis eduxit.* Profectò ænigmati ſimilis videretur hæc expoſitio, niſi thema præſens comprobaret. Scilicet Moyſes educens filios Iſraël ex Ægyptiaco exilio & captiuitate,ad patriam ſuam,terram inquam, promiſſionis, regionem paradiſeam,& empyreæ patriæ vmbram;ſuos Iſraëlitas *captiuaſſe* dicitur, & quaſi de exilio in exilium egiſſe.Tanta eſt exilij excellentia,& ea eſt captiuitatis præſtantia,vt dum è verâ captiuitate educuntur in patriam, & auitum ſolum ad quod ire ſuſpirabant,captiuitas ſeu exilij nomine ſignificetur. Redeunt in patriam quaſi inquilini;& patriæ exules ;in illa peregrinantur. *Captiuaſti captiuitatem:quia captiuitatem filiorum Iſraël in Ægypto exiſtentem,ad ſimilitudinem captiuantis eduxit.* O, captiui & exules ad patriam feliciter deducuntur? Quid ad rem exaggeratiùs?

7\. Geneſeos 3. præuaricatorem Adamum hac Deus ſentẽtia mulctat,dum eum è paradiſo abiicit? In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, *donec reuertaris in terram de qua aſſumptus es:quia puluis es,& in puluerem reuerteris.* Scilicet Homo è paradiſo exul reiici videtur; ſed ad natale ſolum deportatur, vt in terrâ exulet, de qua aſſumptus eſt. Diuinæ ſententiæ verba exilium ſonant; ſed patriæ ſuæ Adamum reſtituunt. Quod ſubtiliter notauit Bernardus ita fatus: *Quid cauſaris ô homo? terræ addictus es,factus es terra, vt ipſa tibi ſit patria,quæ materia fuit.* Nimirùm homo dum viuit,in ea terra de qua aſſumptus eſt,exul eſt;& dum illi morituro denunciatur: Terra es, & in terram ibis,duntaxat addicitur; *vt ipſa illi ſit patria,quæ materia fuit.* Itaque Adam & viuus, & mortuus ſibi videtur exul;ſed exul in natali ſolo, & extorris in patria:exulis nomen retinet, ſed re exilij vacuum,dum ingeminato exilio,bis patriam inuenerit.

*Gen.3.v.19. Adam ingeminato exilio bis patriam inuenit.*

*S. Bernard. Ser. de S. Mart.*

8\. Matthæi 1. *Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in tranſmigratione Babylonis.* Quid eſt in tranſmigratione? nam tranſmigratio eſt itus ipſe in exilium. In itinere tot genuit Ioſias filios? *Imò* (ait inibi noſter Salmeron) *Tranſmigratio dicitur populus tranſmigratus,de quo Ezechielis 3.Ingredere ad tranſmigrationem: & cap. 11.Locutus ſum ad tranſmigrationem. Et Daniel vocatur homo de filiis tranſmigrationis.* Nempe ſic calamitoſi exilij durus ſenſus & cenſus ebibit, & quaſi abſorbet calamitoſè exules, vt non ſolum illos in ſe transfiguret,ſed velut arcanâ quadam metamorphoſi in ſe conuertat, adeò vt & rem nominis,& ipſum nomen exhauriat,& in ſe transformet? *Tranſmigratio dicitur populus tranſmigratus?* exules,& captiui,exilium,& captiuitas nominantur? Sic ſubeunt ærumnæ nomen, qui rem acerbioris ærumnæ ſubeunt? O humanam imbecillitatem in tolerandis laboribus, infamia, incommodis,exilio, morbis, & reliquis calamitatibus! ô concoque calore magnanimæ conſtantiæ infelicitatem,fortunam aduerſam digere, illam animitùs abſume & exhauri, ne priùs ipſa te abſumat & exhauriat,& nec nomen tuum tibi relinquat; ſed ab infortunio granditer exantlato tibi nomen faciat. O quales, quantoſque viros infelicitas crebro imaginationis corroſu fruſtra abſumpſit! Aduerſa fortuna viros expetit, femininos mores proculcat; & vel nomen diripit, poſtquam rem nominis detriumphauit. Exindè Iſraëliticus populus, *Tranſmigrationis filij*, quin & *Tranſmigratio* nominatur, in ſeipſis reſculpto

*Matt.1.v.11.*

*P. Salmeron. Ezech. 3.*

*Ne exilij calamitas calamitoſo nomen faciat.*

*Calamitas magnanimiter eſt perferenda, ne nomen etiam noſtrum nobis eripiat.*

***P. Didac. Celada in Eſtherem.***

durioris exilij vocabulo. ô quàm degenerauit hic populus à Moyſis pædagogia, & morum inſtitutione! *Quapropter apud Moyſen* (ait Philo) *Sapientes omnes dicuntur inquilini:nam horum anima in coloniam è cælo miſſa ſunt.* Cælum patria noſtra eſt; terra eſt colonia, & exilium eſt: *Quid hoc Meſſeline* (inquit Petrus Damianus) *curiſtarum veſanus? Eia ergò dic mihi,quis poteſt exulem in exilium mittere? quis peregrinum peregrè deſtinare?* Sapienti omnis terra patria eſt, imò exilium eſt.

*Philo lib. de Confuſ. ling.*

*Petr. Damian. ſer. 32.*

---

## §. CCLXXXIV.

### *Humana promiſſa apud homines, niue algenti; & dubiæ, aut nullius fidei ſuſpecta ſunt.*

1\. DE Arpaſte vxoris ſuæ fatua (nam ipſe ab his aulæ prodigiis alieniſſimus erat) ſic fatur Seneca: *Hæc fatua ſubitò deſiit videre. Incredibilem tibi narro rem, ſed veram; neſcit eſſe ſe cæcam,ſubindè pædagogum ſuum rogat,vt migret;ait domum tenebroſam eſſe. Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi. Nemo ſe auarum eſſe intelligit. Cæci tamen ducem quærunt,nos ſine duce erramus,& dicimus: Non ego ſumptuoſus, ſed vrbs ipſa magnas impenſas exigit.* Ecce tibi auaritia,cæcum eſt vitium;ſed ad terrenam ſubſtantiam,terræque lucra vſqueadeò perſpicaciter occulatum eſt,vt cæleſtia peruidere, ac diuina rimari præſumat, ſi aliquid lucri indè captare expectet. Nil niſi terrena videt;ſed cælum examinare audet,ſi cælum fore ſibi lucroſum exiſtimet: ſicque ad examen reducit promiſſiones diuinas, quaſi humanæ forent. Pſalmographus Dei miſericordiam concinnè amplificans, ita Pſalm. 11. 2. pangit: *Propter miſeriam inopum,& gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo.* Nempè fiduciam, quam homo in meis promiſſis collocauit, non fruſtrabo, ſed abundè implebo. Probat id Propheta, *Eloquia Domini,eloquia caſta, argentum igne examinatum,probatum terræ, purgatum ſeptuplum.* Itaque docet nunc Dauid promiſſiones Domini explicatas duobus verſiculis ſuperioribus,non eſſe ſimiles promiſſionibus hominum,qui dubiis verbis promiſſa afferunt;ſed eſſe veriſſimas ac fideliſſimas. *Eloquia Domini*, inquit, *caſta*, id eſt *munda* & *pura* (vt ſonat vox Hebraica)non fucata,non ſimulata,ſed ſincera,& fidelia. *Argentum igne examinatum*,id eſt, ſunt eloquia ſeu promiſſa Dei veluti argentum veriſſimum in ſono,pondere,& candore, quale eſt argentum in igne examinatum. dein *purgatum ſeptuplum*, id eſt, non ſemel,ſed ſæpiùs per fuſionem purgatum,vt exprimit vox Hebræa. Verùm poſt puriſſimi *argenti* (cui promiſſa Dei comparantur) tot purgationes, examinationes, probationes;quid vltrà additur,cùm dicitur, *Probatum terræ?* Quæ eſt hæc *terræ probatio*,ſine qua promiſſionum *argentum* non adprobatur? Multa multi,vt hæc obſcuriſſima verba enarrent. Noſter Cardinalis Bellarminus ita inibi locum exponit: *Probatum terræ, id eſt populis terræ approbatum.* Mirum ſanè eſt, & valdè mirum, quòd præcipuum examen, & conſummata approbatio huius

*Seneca epiſt. 51.*

*Auaritia cæcò oculata eſt.*

*Pſal. 11. v. 7.*

*Bellarm. ibi Cum populis terræ conſtatur examen promiſſionum Dei*

 *argenti*

*argenti* promiſſionum Dei committatur *populis terræ*, id eſt, qui terrena ſapiunt, qui terrena ſperant, qui cognatâ terrigenis auaritiâ terrenis commodis inhiant. Mirum, inquam, eſt, quod hoc examen ſeu approbatio *argenti* promiſſionum Dei, quæ terrenam vtilitatem hominibus ſpondent, non dicatur commiſſum ſanctis Angelis, aut beatis hominibus, qui Deum, Deique omnia clarè vident; neque hominibus in terra eximiè iuſtis, qui Dei promiſſiones in ſe certò impleri indies experiuntur; ſe *terræ populis*, qui terrenis lucellis hianti auaritiæ ſtudio addictiſſimi ſunt. Hi, hi inquam, vſqueadeò exſomni animitùs ſollertiâ terrenis lucris & vtilitatibus inuigilant, vt exactiores promiſſorum Dei approbatores inducantur; & quaſi cælicolis omiſſis, *terræ populi* terrenis lucris addictiſſimi, tanquam ſcrupuloſè rigidi examinatores, & approbatores ſiſtuntur: *Probatum terræ, id eſt populis terræ approbatum.* Hi enim ſollerti auaritiæ ſtudio, notatum habebunt diligentiſſimo examine, ſi fortè vel minutiſſimum quidpiam ſuperſit adimplendum; quia magno id ſuo damno accidere reputant. Hem, ſic hominum ſtudia & vota opes adimplent? Sic putatur hominibus difficile & inuſitatum promiſſa adamuſſim implere?

3. Pſal. 11. v. 7. Præſcriptus tamen Pſalmi locus emedullandus eſt, ſiquid adhuc ſucci moribus inſtillet: *Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatũ, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.* Scilicet cùm Deus propter miſeriam inopum & gemitum pauperum, exurgit, vt fiducialiter agat, & promiſſa olim ſua copioſè adimpleat; tunc *eloquia Domini*, id eſt, eius promiſſa, *caſta* dicuntur; non fucata, non ſimulata, aut fide dubia; ſed quaſi argentum igne examinatum, *probatum terræ*, hoc eſt hominibus peritis metallorum. Addit, *Purgatum ſeptuplum. Id eſt* (vt ex Hebræo textu exponit Bellarminus) *non ſemel, ſed ſæpiùs per fuſionem purgatum à ſcoria.* Et quæ eſt hæc *ſcoria*, à qua promiſſio eloquio facta, depuratur, expurgatur, defæcaturque? quænam eſt hæc promiſſorum defæcatio? An *ſcoria* promiſſionis, eſt adimpletionis dilatio? An ambigua verba, quibus promittentis fides dubiè obſtringitur? An ſponſoris ambitioſior grandiloquentia, quæ animum implet promiſſione, re impletionis vacua? ô ſæpè ſumptuoſior promiſſionis opulentia, ore diues, operis inops! Multimoda eſt humanarum promiſſionum *ſcoria*, & reiectanea verborũ ambitio, ore ſuperba, fide humilis, opere nulla. Putabatur promiſſio *argentum* dediſſe, & *ſcoriam* dedit; electa metalla votis ingeſſiſſe, & reiectanea ſuggeſſit. Heu quoties homo *argentum*, ore pollicetur, & *ſcoriam* duntaxat manu accepiſti! ô dubias, & fallaces hominum promiſſiones. Quaſi per fuſionem liquanda, examinanda, & defæcanda eſt magnifica promiſſio, ne *argentum* ore donet, manu *ſcoriam*. Diuinæ promiſſionis elogium eſt, argentum eſſe *ſeptuplum purgatum à ſcoria*. Rara eſt apud homines integra promiſſorum fides. Ergò defæcanda eſt promiſſio, ne pro depurato *argento ſcoriam* offerat reiectaneam.

*Humana promiſſio à ſcoriis defæcanda eſt, vt diuinã æmuletur.*

Bellar. ibi.

4. Iob 38. hæc Deus de arcanis ſapientiæ Iobum
Iob. 38. v. 22. interrogat: *Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti?* Malè conuenit inter expoſitores, quinam ſint iſti *niuium theſauri*. S. Thomas exiſtimat eſſe vapores, in quibus tanquam in materia latent res meteoræ. Alij immenſam aëris vaſtitatem, vbi ventorum vi, tanquam in vaſto quodam conceptaculo, vapores in niuem concreſcunt, aut in grandines concitantur, arcano æſtatis hyemiſque miraculo. Verùm Hugo Carenſis in cap. 13. Matthæi, quo pollebat ingenij acumine, hunc locum ad mores ſingulariter flectit, ita fatus: *Num ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti? Scriptura nix eſt, vbi promittit; grando vbi comminatur.* Benè eſt, ſit *grando* auſteriora Dei eloquia in Scripturis expreſſa, plena minis, terroribus plena, quibus impij acerbiùs caſtigantur, quæ fuit aliqua ex ſeuerioribus Ægypti plagis. Aſt diuina eloquia dum hominibus bona *promittunt*, quare *nix* appellatur? Quid *niui*, quæ eſt frigoris hyperbole, cum flammante promittentis beneuolentiâ, quæ in promiſſiones euaporatur? An quia *niuibus* alget ad donandum homo, qui quod poſſet tunc præſtare, magnificis verbis ſe poſteà donaturum ſpondet? non ſatis igne amoris calet beneficentia, quæ munerum momenta diutiùs protelat. An quia promiſſio ei etiam cui fit, inſtar *niuis* eſt, quâ eius ſpes alget, qui calenti fiduciâ ad bonum accipiendum ferueebat? Niuoſæ plerũque ſunt hominum promiſſiones, indè munera accepturi vota languent, dubia marcet ſpes, & torpet humanitas tota, dum promiſſio toto liberalitatis negotio abundè ningit. O humanarum promiſſionum niues! Hæc eſt frigidè pigra humanarum promiſſionum valetudo. Loquitur autẽ Hugo antropopatos, dum promiſſiones, quæ in Scriptura calent, adſpectu ad humanas promiſſiones, adſimili frigore concretas more humano proponit. Putatur enim quodãmodò frigere Dei largitas, cùm id quod beneuolentiæ calore ſtatim donare poſſet, conceptis, promiſſionibus in longinquum protelat. Sic pœnitentia, ſic recordatio, ſic furor in Deo, paſſim in Bibliis legimus.

S. Thom. ibi.

Hugo.

*Cur hominis beneficentior promiſſio, niui comparatur.*

Redeat iterùm regius Vates Pſalm. illo 11. ſic 5.
Dei nomine pangens: *Propter miſeriã inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Ponã in ſalutari, fiducialiter agam in eo.* Pſal. 11. v. 6.
Magnificis olim promiſſionibus Deus ſpoponderat, ſe opem laturum inopi, calamitoſo, oppreſſo: nunc vel promiſſionẽ recentat, vt ſpem rofigat; vel iam iam illi adeſt, promiſſum adimplens ſuum. Nunc, ait, exurgam, vt *ponam in ſalutari.* Symmachus, *Ponam ſalutare euidens*, id eſt, euidenter illi opitulabor, & promiſſam illi opem coram præſtabo. Addit, *Fiducialiter agam in eo.* Quæ verba ſic nonnulli efferunt ex Hebræo: *Sufflabo in eum*, vel *illaqueabo eum*, vel *aſpirabo ei.* Nempè *aſpirabo* ei promiſſum fauorem, ſicque opem *ſufflabo* in eum, vt eius oppreſſores difflem ac diſſipẽ; & ita *illaqueabo* calamitatibus inimicos eius, & eũ beneficiis. Verùm Cardinalis Bellarminus his commentis non valdè fidens, vulgatum ſic tuetur, & exponit: *Fiducialiter agam in eo, id eſt, Audacter, & liberè agam in hac re. Exprimit vox Græca hoc loco confidentiam, & libertatem, atque audaciam.* Belliſſimè quidem loquens de Deo antropopatos, cùm munificentiorem ſe exhibet in promiſſis, aut ore pronunciandis, aut opere adimplẽdis, agere *liberè, confidenter, & audacter* perhibetur. Nempè homo cùm munificè promittit, *liberè & confidenter* agit, an etiam *audacter*? Saltem *audaciæ* genus putatur, & *audacter agere* dicitur, cùm homo quod liberaliter ore promiſit, opere fideliter implet, quaſi præter fidelitatem *audacia* aliqua neceſſaria ſit, vt quod quis beneficè promiſit, abundè expleat. O! tam diſtat ab adimpletione

Symmach.

*Qui promiſſa adimplet audacter facit.*

Bellar. ibi.

tione promiſſio? *Audacter* agit, qui quod liberaliter promiſit, fideliter ſoluit? Sic friget, ſic torpet manus ad promiſſa fideliter adimplenda.

Hic verſ. 6. Grande hîc Dei elogium Eſther deprædicat, cùm ait, quantumuis homines adnitantur, eius *promiſſa mutare* non poſſe.

6. 4 Regum 2. Elias diſceſſui proximus, dixit Eliſeo: Poſtula, quod vis, vt faciam tibi, antequam tollar à te. Dixitque Eliſeus: *Obſecro, vt fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Adnuit Elias, ſi eum in diſceſſu videat. Et ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrumque: & aſcendit Elias per turbinem in cœlum: & Eliſeus leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei: reuerſúſque ſtetit ſuper ripam Iordanis, & pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percuſſit aquas, quæ non ſunt diuiſæ. *Et dixit: Vbi eſt Deus Eliæ etiam nunc?* Hugo Carenſis ſic excribit, & exponit præfata verba: *Vbi eſt Deus Eliæ? Aliqui habent: Vbi eſt verbum Eliæ? Etiam nunc, id eſt, promiſſio, promiſerat enim ei Elias, quod fieret, quicquid peteret, ſi videret eum, quãdo tolleretur.* Altè quidem! Verbum Eliæ, ſeu Eliæ *promiſſio* nuncupatur Eliæ *Deus?* ô quàm multa, quàm paucis! Procliue eſt enucleare ſententiam conceptuum grauidam.

*Promiſſio Eliæ, Deus Eliæ nuncupatur ab Eliſeo.* 4 Reg. 2. v. 14. Hugo inibi.

---

## §. CCLXXXV.

### *Grande quidem eſt Templorum numen; in quod irreuerentes granditer delinquunt.*

1. SAlomonis vox Deum alloquentis putatur: *Et dixiſti me ædificare templum in monte ſãcto tuo, & in ciuitate habitationis tuæ altare, ſimilitudinem tabernaculi ſancti tui, quod præparaſti ab initio.* Salomoni grauis admodum ratio poſcendæ ſapientiæ fuit, templi ædificatio. Prædixerat Dauidi futurum Deus, vt Salomon ædificaret templum: & admirabilis ſtructura eius in Regum, ac Paralipomenon hiſtoria graphicè deſcribitur. Adeò vt ſumptuoſam affabrè Salomoniani templi molem, pretioſè pulchram, & numeroſè variam ſupellectilem luſtrans, conſiderânſque Regina Saba Malceda (ſic vocatur in hiſtoria Æthiopica apud Gloſſam) maximè verò ipſum Dei templum, vt placet Carthuſiano, præ ſtupore animi quodammodo defecerit. Magnus planè Salomon, & ſolâ ſui templi gloriâ maior. Tantùm veri Dei extruendis templis licet!

Sapient. 9. v. 8. — *Dei templũ fuit Reginæ Sabæ ſtupor.* — Hiſtor. Æthiop. Carthuſ. 3. Reg. c. 10.

2. Matthæi 17. in Taboris præcelſo ſeorſùm vertice transfiguratus eſt Ieſus Et reſplenduit facies eius ſicut Sol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes: *Reſpondens autem Petrus ait ad Ieſum: Domine, bonum eſt nos hîc eſſe: ſi vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.* (Addit Lucas ad hæc Petri verba) *neſciens quid diceret.* Multa ſuper hac Petri neſcientia ethici præſertim Interpretes ſubtiliter cõmenti ſunt. Cæterùm S. Ambroſius præſcripta luce verba ad ethicum ſic vltrò trahit: *Neſciens quid diceret. Neque capit humana conditio in hoc corruptibili corpore facere tabernaculũ Deo, ſiue in animo, ſiue in corpore, ſiue in quolibet alio loco;* quaſi vltra humanũ faſtigiũ ſit dignam Deo Domum ædificare. Scilicet Petrus Chriſtianæ religionis Antiſtes, tabernaculum Chriſto Deo præproperè extruere feſtinat, ſacrámque illi ædem ſuis manibus dedicare maturat, *neſcius*, quòd ei cui totus mundus impar templum eſt, par tantæ maieſtati tabernaculum conſtruere, *ſiue in animo, ſiue in corpore, ſiue in quolibet alio loco non capit humana cõditio.*

Matth. 17. v. 4. — Luc. 9. v. 33. — S. Ambroſ. apud Caren. ibi. — *Supra humanum faſtigiũ eſt, Deo vel in animo, vel in corpore, vel quolibet loco habitaculum conſtruere.*

3. Exhodi 15 poſt Pharaonis, Pharaonianæque potentiæ in mari Rubro naufragium, & inſuſpicabilem populi Dei ſoſpitatem, Moyſes cum filiis Iſraël ſic vindici Deo canunt: Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem: *Iſte Deus meus, & glorificabo eum.* Vatablus vertit, *decorabo eum.* Chaldæus verò pro hac *decora glorificatione*, peritè excribit, & exponit: *Ædificabo ei ſanctuarium*, in quo ſcilicet eum colam: vnde hanc de Pharaone victoriam, perpetuò in Arca & Cherubim, quaſi in curru ſuo triumphali, repræſentari, & in Templo ſuo conſeruari voluit Deus, vt docent Interpretes infrà ad cap. 25. v. 18. Verum Sanctuarium, ſeu templum, quod Dei præluſtre *Decus*, ſeu *decora glorificatio* dicitur, qua ſumptuoſius orbis miraculum fuit, omni ſæculo opinatiſſimum, conſultiſſimè adſpectu ad Dei maieſtatem in Hebræo textu nimis vileſcit. Nonnulli enim ſic vertunt illud, *Iſte Deus meus, & glorificabo eum. Tuguriũ faciam ei.* Nempe Salomonianum templum fuit ſæculorum ſtupor, & *decora glorificatio* Dei. Tanta autem, támque auguſtè ſublimis eſt maieſtas ſũmi Dei, cui extruebatur, vt opportuno vocabulo, *Tugurium* appelletur, ſeu caſa paſtoritia. Quid exaggeratius? Non omittam innotatam, quòd vbi Vulgatus habet: *Iſte Deus meus, & glorificabo eum*, nempè ædificando ei Sanctuarium, & templum, vbi habitet; Caietanus excribit, *Habitabo eum*, id eſt, aſſiſtam ei mẽte, votis, laudibus, affectibus, operibus. *Habitabo eum*, quaſi ille qui Deo templum ædificat, in Deo velut in tẽplo habitet, *Glorificabo eũ*, id eſt, ædificabo ei Sanctuarium ac templũ: & inde *Habitabo eum*, ac ſi qui Deo templũ extruit, ſibi quoque velut ædificet templum. Sic eſt Deo grata Templorum conſtructio!

Exhod. 15. v. 2. — Vatablus. Chaldæus. — *Sumptuoſiſſimum Dei tẽplum, conſultò appellatur Tugurium.* — Cornel. inibi. — *Qui Deo tẽplum extruit, ſibi quoque ædificat templum?* — Caietan. ibi.

4. Ezechielis 24. grandes iactat Deus minas aduerſus ſuum populũ: loquere, inquit, domui Iſraël: *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego polluam Sanctuarium meum, ſuperbiam imperij veſtri, & deſiderabile oculorum veſtrorum, & ſuper quo pauet anima veſtra.* Dicit, *polluam*, id eſt, pro ſcelerum veſtrorum ineluctabili reatu, non amplius habitabo Sanctuarium, & templum; ſed me ab eo abſcedente, permittam impiis profanandum, diruẽdum, & inflammandum. Dein templum vocat, *Superbiam imperij veſtri*: Lxx Interpretes: *Superbiam fortitudinis veſtræ.* Hæbraicè pro τὸ *ſuperbia* eſt גאון *geon*, quod eſt, excellentem eſſe, ſcilicet *glorioſè, ſuperbè, ſeu arroganter agere*, vt indidem noſter Prado adnotauit. In Exhodo: *Glorioſè enim magnificatus eſt*, Hebraicè habetur: *Superbiẽdo ſuperbiuit*, id eſt, excellentiſſimè glorificauit ſe. *Superbiam imperij veſtri* (ait Hugo) *quia in Templo habebant ſuperbiam.* Itaque Dei templo attribuit *ſuperbia*, hoc eſt, vitij nomen, re vitij vacuum, vt glorioſè ſublimem excellentiam demonſtret Hebræi imperij, quandiu in eo Dei templum extabat. Item, tandiu ſic viget, floret, triumphat imperium, Reſpublica, ciuitas, adeo vt *glorioſè, ſuperbè, & arroganter* principetur; quandiu templa Dei erecta ſtant. Vnà cum templis Imperia corruunt. Et ſanè notatione digniſſimum eſt, quòd excellentia & gloria templi

Ezech. 24. v. 21. — *Templũ Dei dicitur pia ſuperbia, & arrogantia imperij.* — Lxx. Interpr. Hæbræus Prado. — Exhod. 15. v. 1. — Hugo ibi.

pli, etſi religioſiſſima & ſanctiſſima ſit, vſque adeò dicitur ſublimiſſimè præcelſa, vt quaſi deeſſent bonitatis vocabula, audacioris vitij nomina vſurpentur, non vt vitium innuant, ſed vt vt poſſunt, bonitatis glorioſam excellentiam exaggerent, quaſi Templi gloria ſit *ſuperbè, & arroganter*, augusta. Inde Hebræis durè minatur Deus: Ecce ego diſcedam à templo meo, & profanari permittam *ſuperbiam imperij veſtri*. Addit Propheta: *deſiderabile oculorum veſtrorum, & ſuper quo pauet anima veſtra.* Hebraicè: *Appetentiam oculorum veſtrorum, & indulgentiam animarum veſtrarum.* Cui templum eſt appetentia oculorum eius animæ etiam *indulgentia* eſt.

*Templum eſt appetentia oculorum, & anima indulgentia.* Hebræus

5. Ieremiæ 17. *Solium*, inquit, *gloriæ altitudinis à principio, locus ſanctificationis noſtræ.* Per hoc Dei *ſolium* noſter Prado ſummum Dei numen intelligit: Lyranus cœlum, quod eſt thronus Dei: Vatablus autem per hoc *ſolium gloriæ* Dei, & cœlum ipſum, & Dei templum intelligit, ſic locum excribens, & exponens: *ſicut ſolium gloriæ eſt altitudo à principio, ſic locus ſanctuarij noſtri*, ſupple, eſt ſedes, & ſolium eius: hoc eſt, ſicut ſolium Dei glorioſi fuit à primordio mundi in cœlo, ſic nunc eſt in templo veſtro, quod in terris glorioſè eminet. Quaſi dicat: Cùm Deus habitet in templo noſtro, vt in cœli ſolio, non ſuperbè, terrenum licet templum, empyreum cœli ſolium gloriâ Dei prælustre, de dignitatis ac maieſtatis gloriâ æmulatur. Hine appoſitè nos Nilus admonet: *Eccleſiam*, aiens, *vt cœlum adi: & nihil in ea aut loquere, aut age, quod terram ſapiat.* O, Dei tẽplum, quaſi *cœlum* ipſum, & olympium Dei ſolium adeamus! ô quàm purè excoctos & defæcatos cœlum excipit! ô quàm attentè Dei glorias cælites ſumptuoſiùs eructant, & triſagium illud Propheticum concinnè modulantur! Ergo Templum, quod eſt *ſolium gloriæ* Dei vt *cœlum adeamus*. Dicamus igitur cum Iacobo Patriarcha: *Verè dominus eſt in loco iſto, & egò neſciebam. Pauenſque: Quàm terribilis eſt*, inquit, *locus iſte! non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cœli.* Si ergo terrenum templum non eſt aliud niſi domus Dei, &, alterum in terris cœlum, *nihil in eo aut loquere, aut age, quod terram ſapiat*, ô pauc ſecùs facere, quia *terribilis eſt locus iſte*. Apud Iſaiam cap. 29. & Ezechielẽ 43. Dei templum appellatur *Ariel*, cauſſam tradit Arias Montanus in Apparatu: *Apertius*, inquit, *ac latius ſpatium atriorum omnium ab ortu, quàm ab occaſu fuit: ita vt tota fabrica Leonis formam referret, qui pectore quã tergo multò eſt latior. Vnde toti loco à Prophetis nomen Ariël factum eſſe dicitur. Significat enim Ariël Leonẽ fortis, ſiue Leonem Dei.* Itaq; templum, Dei *ſolium* & *cœlum*, eſt etiam *Leo Dei*. ô time! quia ſicut *Leo Dei*, *terribilis eſt locus.*

*Ierem. 17. v. 12. Prado in c. 1. Ezech. Lyranus Vatablus*

*Templum Dei, cœli ſolium de maieſtate æmulatur.*

*Nilus ſæpe.*

*Geneſ. 28. v. 17. Templum dicitur Ariël, id eſt, Leo Dei. Iſaiæ 29. v. 1. Ezech. 43. v. 15. & 16. Arias Montan.*

6. Regius Vates Pſal. 26. ſic votiuè pangit: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ: *Vt videam voluntatem Domini, & viſitem templũ eius.* Quæ Pſalmographi verba noſter Cornelius per transpoſitionem luculenter exponit: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, nimirum vt videam voluntatem Domini, hoc eſt, vt viſitem templum.... Erat enim Templum, domus Dei, ſolium Dei, voluntas Dei* Quid prælustrius, quàm quòd Dei templum dicatur. *Voluntas Dei?* Hoc eſt illud grande apud Iſaiam elogium: *Vocaberis voluntas mea.*

*Pſal. 26. v. 4. Cornelius in Ezech. 43. v. 12. Dei templum appellatur voluntas Dei. Iſai 62. v. 4.*

7. Ezechielis 46. Et cùm intrabit populus terræ in conſpectu Domini in ſolennitatibus: qui ingreditur per portam Aquilonis, vt adoret, egrediatur per viam portæ Meridianæ: porrò qui ingreditur per viam portæ Meridianæ, egreditur per viam portæ Aquilonis: *Non reuertetur per viam portæ, per quam ingreſſus eſt, ſed è regione illius egredietur.* Moralis cauſſa erat, vt ſignificaretur aliam decere *viam*, id eſt, vitam ac mores, puta ſanctiores iis, qui ingrediuntur, ac qui egrediuntur è templo Dei: Eccleſiaſtes 4. *Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei.* Quem locum mihi Olympiodorus de ipſo etiam corporis pede, ac morali etiam ingreſſu & egreſſu, interpretatur, ſic fatus: *Si de corporali pede dictum intelligas: Cuſtodi*, inquit, *totum corpus tuum (à parte enim totum ſignificauit) ne inſtrumentis eiſdem, quibus templum Dei frequentas, theatrales adito ludos, & obſcœna ſpectacula, & impia, & profana loca. De aliis quoque humani corporis membris idem intellige faciendum.* Scilicet pedem ſuum cuſtodit ingrediens domum domini, qui aliâ viâ egreditur, quâ ingreſſus eſt; qui non eiſdem pedibus, *quibus templum Dei frequentat, theatrales adit ludos, & obſcœna ſpectacula, & impia, & profana loca.* Alia *via* proponitur poſt ingreſſum templi; quia hactenus male pedatus, pedes ſanctiores de templi ſanctitate, de ſanctuarij veſtigiis mutuari debet. Noua egreſſuris è templo præparetur via, quia noui indidem pedes recenter conſecrantur; ne eiſdem pedibus, quibus frequentatur templum, theatrorum profanitates, obſcœnitates libidinum, auaritiæ commercia, & reliqua imbona mundi negotia, aut alia frequententur. De veſtigio templis imppreſſo, puta pedes tuos pietati, religioni, & ſanctitati arcanè conſecrari.

*Ezech. 46. v. 9. Eccle. 4. v. 9. Olympiad. De impreſſo Templis veſtigio, egredientium pedes ad ſanctitatem conſecrantur.*

Ezechiel c. 27. Factum eſt, inquit, verbum domini ad me, dicens: Tu ergo fili hominis aſſume ſuper Tyrum lamentum: & dices Tyro, quæ habitat in introitu maris, &c. *Quercus de Baſan dolauerunt in remos tuos: & tranſtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico.* Nimirum ſub metaphora triremium vrbem ipſam, eius habitatores, atque ædificia myſticè ſignificat. Vnde per *abietes* innuit Potentes; & per *malum* aliqui intelligunt templũ Iouis Olympij, & alia in Tyro ædificia, vt inibi notant Commentatores. Sed quænam ſunt hæc *tranſtra*, quorum nuncupatim Propheta meminit? LXX. Interpretes pro τὸ *tranſtra* vertunt *templa*: quia (vt ait Sex. Pompeius) templum eſt tignum tranſuerſum in quo ſedent remiges. *Tranſtra* ergo ſunt remigum ſedilia, hæc lignea, ſuperbè ebore in laminas ſecto, & cælato operuerunt, & exornarunt Tyrij. Itaque *tranſtra*, & *templum* ſignificant, & templa Tyriorum indicãt, vt notat ibi Cornelius. Mirum ſanè, & expenſione digniſſimum, quòd *tranſtrum*, ſeu remigũ ſedile appelletur *templum*, templumque adumbret. Ecqui nam ſunt remiges, qui in hiſce templis, ſeu tranſtris moleſtè remigant? Opportunè ad rem S. Paullinus: *Fiat*, inquit, *in corde noſtro caſta tranquillitas; & Spiritu veritatis gubernatore, ac Dei Verbo remige, dirigamur ad portum.* Nimirum in templis, quæ tranſtra appellantur, ſeu remigum ſedilia, Dei corporatum *Verbum*, quod in Euchariſtia corporaliter præeſt, & numine templum implet, ſic irreuerenter dehoneſtatur, tot iniurias mutè tolerando moleſtatur, vt Dei *templa* nominentur *tranſtra*, & ſignificent remigum ſedilia, vbi quaſi remigis labore corporatum Verbum remiget. *Templa fecerunt*, id eſt,

*8. Ezech. 27. v. 6. Templa dicuntur tranſtra, in quibus corporatum Dei Verbum remigare perhibetur. LXX. Interp. Sex. Pomp. Cornelius. S. Paullinus epiſt. 12. Hic verſ. 9.*

feeg

*fecerunt tranſtra, Dei Verbo remige:* tranſtra enim remigum ſedilia ſunt. O vidè quàm grauatè ferat Chriſtus Deus irreuerentiam templis exhibitam. Hoc anxiæ hîc dolet Eſther: *Voluit*, inquit, *extinguere gloriam templi, & altaris tui.*

---

## §. CCLXXXVI.

### *Quò imperitior eſt ſermo, hoc illuſtrior ratio eſt; quoniam non fucatur grata pompa facundiæ.*

1\. Senec. l. 1 de Tranq c. 1.

IN re eloquentiæ effatum illud Senecæ ſemper verum eſt: *In ſtudiis puto mehercule melius eſſe res ipſas intueri, & harum cauſſa loqui. Ceterùm verba rebus permittere, vt quà duxerint, hac inelaborata ſequatur oratio.* Non eſt ornamentum virile concinnitas. Oratio rei cultus eſt: ſi circumtonſa, & fucata, & manu facta, rem elumbat, & effeminat mollicula culturæ ambitione. O vtinam res ipſæ vocem emitterent, & linguato ſilentio exaudirentur, ne tot rerum adulteria aures exciperent!

2\. Gen. 3. v. 1.

*A ſerpentis male diſerti facundia, Eua extitit corruptela.*

Geneſeos 3. Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ. *Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradiſi?* &c. Miriſſimum ſanè eſt artificium, quo ſerpens Dæmon hoc ad mulierem colloquium modulatus eſt, ita vt inſtructiſſimam tunc illius mentem ſic perſtrinxerit, & famoſo ſuperſtitiosè mẽdacio aſſenſum extorſerit, neglecto fulminatæ mortis indubiè periculo. Quibus quæſo pigmentis & ſuadelæ blandimento, mendacium ſerpens colorauit, & infuſcauit veritatem, vt Euæ mentem ſic corruperit: Subtiliùs obſeruauit Rupertus, à malè diſerta ſerpentis eloquentia, & eloquio amarè mellito, hanc veritatis corruptelam extitiſſe. Ergo Rupertus exponens præfata verba, *Serpens erat callidior*, &c. ita ad rem ſcribit: *Mater cunctorum viuentium Eua prima felle huius nequitiæ intrinſecùs amaricata eſt, quando facundiam male diſerti ſerpentis, quaſi diuinam diabolici Spiritus ſapientiam mirata, & ſtultè venerata eſt.* Ecce tibi primum veritatis furtum, maleſuada ſerpentis Diaboli facundia commiſit. A male diſerta ſerpentis facundia, prima verborum Dei corruptela extitit. Eua peritum concinnè ſermonem miratur quaſi diuinam ſapientiam in mendaciorum architecto ſtultè veneratur, vt verba nimis artificiosè compoſita, famoſam Euæ ſeductionem dedicarent. Male diſertus ſerpens facundiæ nubilo offuſcat ſinceram veritatis lucem, vt falſati ſermonis lepore, & grato verborum lenocinio, audientium mentem ſubornet, quo ſuadelam certiùs extorqueat. Inde educta eſt Eua, *quando facundiam male diſerti ſerpentis, quaſi diuinam diabolici Spiritus ſapientiam mirata, & ſtultè venerata eſt.* Quod nimis ambitioſâ verborum pompâ fucatur, compoſiti lenocinij & latentis mendacij ſuſpectum eſt.

Rupert lib. 3. in Gen. c. 3.

1 Cor. 2. v 4. & 5.

1\. Corinth. 2. Paulus de ſcholâ cæli abundè eruditus, ita de ſe ſcribit: Ego in infirmitate, & timore, & tremore fui apud vos: *Et ſermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus & virtutis: vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* Non renunciauerat Paullus ingenio, nec diuinæ ſapientiæ, qua vbertim exundabat: cohibuit tamen cognatæ eloquentiæ facundiam, vt infucatus veritatis vigor, non facundiæ affectatus ſtupor, mundum ad Chriſtum conuertiſſe videretur; & prædicari Euangelij gloriam, cum magnâ Chriſti & veritatis iniuriâ, elaborata ſermonis facundia prælibaret. Qua ſuper re ita philoſophatur Veronenſis Zeno: *Quem putas*, inquit, *vel de tuis ipſis ſtudioſis fideliſſimum hic infidelis: & quem putaueris infidelem, hic fidelis eſt. Fortè in eo ſe quis æſtimat fide ſorem, ſi loquatur argutè, cùm magis verus ſit ille fidelis, qui ſacrâ in prædicatione non vltrà quàm licitum eſt aciem ſuæ tetenderit mentis.* (attende ad verba quæ ſubdit) *Eò enim res deducta eſt, vt fides noſtra per Dei requiratur iniuriam.* Nempè ſiquis concionatorum, Paulli æmulus non exiſtat; ſed in ſacra fidei prædicatione vltra modum aciem ſuæ mentis nouis ſubtilitatibus tetenderit, & de facundiæ ambitione nimis *loquatur argutè*; is non quærit fidei aſſenſum, ſed elaboratæ facundiæ plauſum requirit: veritatem non fundat, ſed negligit, vt ſuæ eloquentiæ & ingenij ſtuporem ædificet; fidem Chriſti ſuadere inerter negligit, vt eloqui *arguté* videatur. *Eò enim res deducta eſt, vt fides noſtra per Dei requiratur iniuriam.* Neque enim res Dei apud multos credibilis fit, dum elegantiæ ornamentis, & argutæ elocutionis pigmentis nimis fucata apparet. Maior eſt ambitioſo eloquentiæ mendacio ſimplex veritatis fides. Fides non putatur integra, ſed ſemiplena, quæ operoſæ eloquentiæ fartura indiget. Res infucata veritatem promittit; fucatus verò nitor, meræ veritatis inſidiæ putantur. O non committat diuinæ fidei Prædicator, *vt fides noſtra per Dei requiratur iniuriam!*

S. Zeno ſer. de fide.

*Nimis arguta concio diuinam fidem per Dei requirit iniuriam.*

Itaque Paulli ſermo & prædicatio, non fuit in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ & eloquentiæ verbis; (quod vitium poſterioris æui fuit, & quod ſollicitè præcauet) ſed in oſtenſione Spiritus, virtutis, & veritatis. Subdit rationem, præcedentis doctrinæ appendicem: *Vt fides*, inquit, *veſtra non ſit in ſapientiâ hominum, ſed in virtute Dei.* Valdè ſatagit Gentium Doctor, fidei Magiſter, & Eccleſiæ apex, ne Chriſtianæ fidei ſuadendæ vigor, excultiori facundiæ, & argutæ *hominum ſapientiæ* vllatenùs adſcribatur: ſed ipſa fidei veritas, virtute Dei potiùs quàm elaborati ſplendidè ſermonis ſubſidio ſe prodat, & credibilitatem inueniat, aut faciat. quaſi ſuaſionis comptior elegantia, & limatulus ambitiosè ſtilus ſit imbecillum fidei noſtræ fulcrum, & perſuaſionis titubatio. Appoſitè indidem Veronenſis Zeno: *Fides veſtra non ſit in ſapientiâ hominum*, &c. Sequitur, inquit, vt ſcire debeamus, vtrùm tractatum fidei, (id eſt, argutam de fide diſputationem) an fidem tractatus debeamus aſſerere. *Si tractatum fidei, dixerimus, vehementer errabimus: ſubiici enim ſe loquacitatis artificio fidei natura non patitur: à quâ nihil aliud laboratur, niſi vt ſuis ſibi tantùm virtutibus approbetur: non enim poteſt eſſe perfectum, quod aliundè expectat ſibi aliquid neceſſarium.* Profectò miſera eſt fides, quam ſola verba concinnant: veritatis voces ſunt, cùm res ipſa loquitur: nam nimis compta facundia phalerato excultiùs ſermone, dum mentem perſtringit, & leporis blandimento occupat, mendacium mentito veritatis fuco impunè colorare ſinitur. Exinde dedignatur fides ſibi auxiliarem adſcire facundiam, & eius ope ſubniti: *Subiici enim ſe loquacitatis*

4\.

1\. Cor. 2. v. 5.

*Subiici ſe loquacitatis artificio, fidei natura non patitur.*

S. Zeno ſupra.

*quacitatis artificio fidei natura non patitur.* Exauctoratur fidei veritas, quæ ambitioſo fucatæ elegantiæ patrocinio indigere compellitur.

5. Actorum 17. Paullus cùm eſſet Athenis, videns idololatriæ deditam ciuitatem diſputabat in Synagogâ cum Iudæis, & cum idola colentibus in foro. *Quidam autem Epicurei & Stoici Philoſophi diſſerebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult ſeminiuerbius hic dicere?* Vim vocabuli *Seminiuerbius* aliqui exponunt Interpretes vt ſignificet non tam hominem loquacem & garrulum, quam qui verba ſpargit temerè ſine arte Rhetoricâ (quæ apud Athenienſes magno erat in pretio) quique verba fundit inania, & vacuos quoſdam ſonos ſine mente. Nimirùm homines Philoſophi, ſéque ipſos valdè in ſuâ doctrinâ, & facundiâ, & ingenio amantes, ſine mente putabant id, quod ſuam mentem, & ingenij ſapientiam, & eloquentiæ elaboratę peritiam longè fugiebat. Euſtathius autem cum aduerterit *Seminiuerbij* Græcam ſignificantiam prouerbiali figurâ dici de homine ſordido, & nulla æſtimatione digno; putat cauſſam compellationis ſordidæ peti ex hominibus qui in foris, & emporiis illa ſibi ad victum comparant, quæ ex ſaccis, ac cophinis à venditoribus putria, & vilia, & porcis magis apta quàm hominibus proiiciuntur, quaſi frugum talium collectores. Itaque tumens Philoſophorum faſtus, & pannoſum egenè Paullum, & inelaboratum eius ſermonem contemnunt: & tamen eorum Proceres de ſuadelâ Paulli imperitâ (vt nuper blatterabant) & incomptâ, fidei veritatem ſuſcipiunt, quaſi ſermone ſimplici & infucato ratio & veritas expreſſiùs tranſluceat. Quod ſapienter tradit Minutius Felix in Octauio, qui Cæcilio ethnico obiectanti Chriſtianis, Euangelij prædicatores eſſe pannoſos, & ineloquentes, reſpondet, homines ineloquentes, plebeios, & ſeminandos è cælo accepiſſe prudentiam, & tradidiſſe ceteris diſciplinam. *Nil itaque, inquit, indignandum, vel dolendum, ſi quicumque de diuinis quærat, ſentiat, proferat; cùm non diſputantis auctoritas, ſed diſputationis ipſius veritas requiratur:* (penſita attentiùs verba quæ ſubiicit) *atque etiam quò imperitior ſermo, hoc illuſtrior ratio eſt: quoniam non fucatur pompa facundiæ & gratiæ, ſed, vt eſt, recti regula ſuſtinetur.* Ecce tibi Paullus, ſeminudus, plebeius, ineloquens, id eſt, *Seminiuerbius* habetur; ne fidem Chriſtianæ veritatis concinnet, aut præcelſa diſputantis auctoritas, aut fucata verborum elegantia. Res ipſa loquatur, veritas ipſa inermis Philoſophiam exarmet: non admittatur auxiliaris facundia, ne ad detriumphati mendacij partiariam gloriam admitti exambiat. Abſint periti ſermonis ſchemata, & orationis lumina, vt veritas micantiùs tranſluceat. Nam *quo imperitior ſermo, hoc illuſtrior ratio eſt: quoniam non fucatur pompa facundiæ & gratiæ, ſed, vt eſt recti regula ſuſtinetur.* Planè luculenter Minutius!

Actor. 17. v. 18.

Euſtr. lib. 5. Odyſſ.

*Quò imperitior ſermo, hoc illuſtrior ratio eſt, quia non fucatur pompâ facundiæ.*

Minut. Felix in Octau.

6. Exhodi 4. Adhuc velut contentioſè agit Deus cum Moyſe Hebrææ gentis principatum recuſante. Et ſane ſi ſpecie tenus vrbetur cenſura, mirum non eſt, quod Moyſes commiſſum ſibi munus conſtanter repudiet. Nam ad populi dimiſſionem edomandus erat Pharao, & populus peruicax ad egreſſum alliciendus, & in auitâ fide roborandus; atque poſtmodum legibus erudiendus, & ad legum obſequium aut perſuaſione mulcendus, aut exerta vi durè cogendus. Quod niſi eximiè diſertus præſtare vix poteſt. Hanc excuſationem obtendit Moyſes aiens: *Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudiuſtertius: ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ ſum.* Hebraicè ſcribitur: *Non vir verborum ego.* Biblia regia, *Non ſum diſertus, facundus, beneloquens*, quod Vulgatus dixit, *eloquens* LXX. Interpretes ἱκανὸς, Non ſum *dignus, ſufficiens* Scilicet ideò Moyſes ſe cenſet indignum & inſufficientem ad legationem obeundam, & rem Dei adminiſtrandam, quia non eſt *eloquens, diſertus, facundus, beneloquus.* Quòd ſi eloquens & diſerta facundia è re diuinâ adminiſtrandâ foret, à diuinâ familiaritate, impeditioris & tardioris linguæ Moyſes non euaderet. Erat enim nuper *incomparabilis eloquentiæ* vir, vt ibi notauit Origenes. Quorsùm ergò Deus Moyſis linguam præpedit; & diſertam à naturâ & arte facundiam velut iniecto freno coërcet, dum Moyſen quaſi ſui interpretem, & ſuæ voluntatis linguam eligit? An à rebus diuinis tractandis diſerti ſermonis nimis elegantem facundiam arcet? ô quàm eſt miſera fides, quam verborum lepor duntaxat concinnat! *Fuit quondam tempus* (ait Nazianzenus) *cùm res noſtræ* (id eſt Chriſtianæ) *florerent, ac præclarè ſe haberent; cùm nimirum ſuperflua hæc, & verborum lepore atque arte furatâ tractandæ Theologiæ ratio ad diuinas caulas ne aditum quidem haberet.* Sic res Dei, in nimis elaborata eloquentiâ, & comptioris ſermonis gratia tempeſtate naufragium pati ſolitæ? ſic marcet fructus in flore verborum? Idcircò Deus Moyſen *incomparabilis eloquentiæ* Theologum, *impeditioris & tardioris linguæ* facit, dum myſteriorum interpretem illum conſtituit, & electi populi Legiſlatorem inaugurat. Rebus detrahitur, quod verborum lepori adiicitur.

Exhod. 4. v. 10.

*Cum initiâ Theologiæ, res Dei fucata ſermonis facundia tractatur.*

Orig. homil. 3.

S. Naz. Orat. in Laudem Athanaſ.

Nunc Eſther Regem pro ſuo populo allocuta, ſic Deum obnixiùs orat: Domine rex deorum, & vniuerſæ poteſtatis. *Tribue ſermonem compoſitum in ore meo.* Non petit ſermonem eloquentiæ limâ ſplendentem, ſed vigore rationis armatum, qui Aſſuerum feliciter tranſuerſum agat, exarmet, detriumphet. Hic v. 13.

---

## §. CCLXXXVII.

### *Iurandi vſus acerbe culpatur: periurium autem acerbiùs ſuggillatur.*

Eruditè in Problem. Plutarchus: *Iuramentum homini libero pro tormento eſt. Vndè Romani à ſeruis veritatem per tormenta extorquebant à ciue iuramento, à ſacerdote ſolo verbo.* Conſilioſè quidem, nam vitæ probitas, dum fidelem adſtruit, iuramenti neceſſitatem deſtruit. *Qui eſt autem ſemel fidelis* (ait Clemens Alexand.) *quemadmodum ſeipſum infidelem præbuerit, vt etiam opus habeat iureiurando, & non ita vitam geſſerit, vt ea ſit firmum ac definitum iuſiurandum? . . . . . . . Oportet enim eum habere vitam fide dignam, vt ne poſtuletur quidem ab eo iuſiurandum* Eſtò hoc primum iuramentorum dehoneſtamentum, quòd primò fauciat iurantem, dum ipſe ſuos mores iurando culpat, & fide ſe prodit indignum. Alias improbi iuramenti pernicies hîc delibatim dabimus, quas ſancti Patres abundè congerunt,

1. Plutarch.

*Qui fruſtrà iurat, ſuam vitam culpat ſeque fide indignum prodit.*

Clem. Alex. 7. Strom. c. 5.

congeſtunt, & Concionatores digerunt ad Chriſtianæ plebis alimoniam, & impietatis amuletũ.

2. Marc.6.in regio cõuiuio bellè ſaltat Herodiadis filiola, & cùm placuiſſet Herodi ſimulque diſcumbentibus, iurauit Rex illi quicquid petierit à ſe donandum. Illa verò cruentâ offenſæ matris ſuggeſtione, ſic Regi reſpondit: Volo vt protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. Tunc Herodes *propter iuſiurandum, & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare: ſed miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput eius in diſco. Et decollauit eum in carcere.* O ſcelus malè iurantis, & iuramentum ſceleroſius adimplentis! Audiendus eſt hac ſuper re Chryſoſtomus ſic luculenter fatus: Etenim, inquit, anteà vos rogaui, vt Ioannis caput abſciſſum adhuc calido cruore diſtillans ſumentes, ſic domum quiſque ſuam redeatis, & putetis ante oculos habere ipſum vocem emittentem, & dicentem: *Odio habete iugulatorem meum iuramentum. Quod increpatio non fecit, hoc fecit iuramentum: quod ira non potuit tyrannica, hoc periurij neceſſitas effecit. Et quando nempe omnibus publicè audientibus arguebatur, increpationem generosè tulit tyrannus: cùm verò ſe in iuramentorum neceſſitatem adegit, tunc illud beatum caput abſcidit.* Pudet ſententiam ore Chryſoſtomi eloquentes expẽſam, adhuc enucleare. Ipſum verborum acumen vltrò ſe menti ingerit.

Marci 6. v. 16. & 27. *Iuramentum Herodis fuit Ioannis iugulator, & carnifex.*
S. Chryſoſt. homil. 14. ad popul.

3. Matthæi 5. in opinatiſſimo illo ſermone, quem in ſuæ prædicationis auſpicio Chriſtus habuit in monte, ſic nos erudit: Audiſtis, inquit, quia dictum eſt antiquis: Non periurabis: reddes autem domino iuramenta tua. *Ego autem dico vobis non iurare omninò .... Sit autem dico veſter: Eſt, eſt, non, non, quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Non diſquiram hîc cum Interpretibus, quo pacto inhibeat Chriſtus iurare *omninò*, cùm licitum, imò neceſſarium ſit aliquando iurare: vnde claudicare videtur illa ſententia: *Quod his abundantius eſt, à malo eſt*; quam poſtmodum elucidabimus. Perueſtigare autem oportet, quare Chriſtus Deus ſic feſtinet hanc doctrinam prouulgare, vt in auſpicio Euangelij eam ſtudioſè tradiderit? Hac non iurandi, aut non peierandi præceptione Euangelio viam ſternit? Tempeſtiuè Petrus Damianus: *Quiſquis iuſiurandum, peierans, violat, à Chriſti ſe corpore, quaſi per quoddam abſciſſionis diſſidium, ſeparat, & à redemptionis humanæ myſteriis alienat.... Hoc cum Deo interpoſitâ conditione paciſcitur, vt ſi promiſſa nõ impleat, à Deo, vel ſancto Euangelio vlterius non iuuetur. Et ſicut tunc, cùm initiatus eſt Chriſto, abrenunciauerat Diabolo, & pompis eius, ita velut retrogradus, ac transfuga, ſic Deo, & Euangelio eius abrenunciat, vt in eum quaſi ſua quodam conuentionis fœdere, de cætero non confidat.* Multas hîc ſententias contra violatum iuramentum, ſeu periurium Petr. Damianus addenſat in paucis moraliſſimas, & quæ ab hac impietate homines arcẽt, quas digerere procliue eſt. Ex inde etiam ſuſpicari cur licet, iuramentum, & periuriũ vetare Chriſtus in Euangelij auſpicio feſtinet: nam peierãs Chriſto Deo, & eius Euangelio, atque Euangelij myſteriis impiâ pactione abrenunciat, & ſe à Chriſtianiſmo longiùs alienat. Idcircò forſan Iacobus de Chriſti ſchola edoctus, dixit: *Ante omnia autem fratres mei nolite iurare.* Notanter ait, *Ante omnia*, vt Euangelicæ doctrinæ viam ſternat. Quę Iacobi verba mulrifariam expendit Auguſtinus vulgò allegatus, & expenſus. Apoſtoli verò ſententiam aliter nunc verſamus.

Matth. 5. v. 33. & 37.
*Periurium, renunciatio Euangelij eſt, & abalienatio à Chriſti myſteriis.*
Petr. Dam. lib. 8. epiſt. 10.
*Periurus deſertioni obnoxius dicitur.*
S. Auguſt.

Iacobi 5. Ante omnia autem fratres mei *nolite iurare*, neque per cœlum, neque per terrã, neque aliud quodcunque iuramentum. *Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt: Non, non: vt non ſub iudicio decidatis.* Quæ verba ſic reddunt Biblia Regia: *Sit autẽ veſtrum illud Etiam, Etiam: & illud Non, non: vt nõ in hypocriſim decidatis.* Et ſanè Grecè ὑπὸ κρί-σιν habetur. Perfectò expẽſione dignum eſt, quòd qui iurat hypocriſis reus ſit, & pœnaliſſimo hypocritarũ iudicio obnoxius. Quæ eſt in iuramento hypocriſis? Putauerim, quòd eſt hypocriſis veritatis. Nam cùm Deum ipſum aduocet tanquam teſtem obſidem, ſeu fideiuſſorem eorum, quæ affirmat; veritatem quam iurando pollicetur, mentiendo negat, & dum veritatem peierando mentitur, hypocrita veritatis nuncupatur. Eſt enim *iuſiurandum* (ait Clemens Alex.) *confeſſio definitiua, cum diuina aſſumptione.* Malè ambitioſo mẽdacio veritas definitur. O quiſquis aliquando iurat, Eſtherem hîc imitetur?

4. Iacobi 5. v. 12.
Biblia reg. *Iuramentum eſt hypocriſis veritatis.*
*Iuramentum eſt confeſſio definitiua.* Clem. l. 7. ſtrom.

5. Redeat iterum nuper enucleatus Matthæi locus: *Ego autem dico vobis non iurare omninò... Sit autem ſermo veſter? Eſt, eſt: Non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Verùm cùm iuramentum ſit actus virtutis, latriæ, inquam, cur *omninò iurare* prohibemur? Vnde Hieronymus hîc ſententioſè dixit. *Qui iurat, aut veneratur, aut diligit eũ, per quem iurat.* Ita ſanè. At nemo ibit inficias, eum qui vltrò iurat, fide ſe indignum profiteri: quid autem tam fatuè indecorum, quàm ſe tanquam fide non dignum accuſare, & iuſiurandum quaſi dubiæ fidei fideiuſſorem adſciſcere? *Eſſeni* (ait Ioſephus) *iuſiurandum quaſi periurio deterius vitant. Iam enim mendacij condemnatum arbitrantur, cui ſine Deo non creditur.* Ergò expedit *non iurare omninò.* Nam etſi impiè non ineres, ſtultè iurabis, tuæ fidei vltrò proditor.

Hic v. 16. Matth. 5. v. 34. & 37.
*Per quem iuramus, aut veneramur, diligimus.* S. Hieron. ibi
*Qui iurat, ſuæ fidei proditor eſt*
Ioſephus l. 2. de Bell. Iudai. c. 7.

6. S. Ioannes Damaſcenus ſic in Parallelis de periurio ſcribit: *Qui rem falſam interpoſito iuramento confirmat, is malum inhumanitatis lucrum, hoc eſt periurium, acquirit.* Profundè quidem dicitur *inhumanitatis lucrum.* ô non bona de periurio *inhumanitatis acquiſitio!* An periurium *inhumanitatem* acquirit, quaſi periurus hominem deſueſcat, & inhumanos aſſumat mores, dum ſub diuina aſſumptione mentitur? ſic natura humana ad veritatem prona eſt, præſertim quando Deum velut ſuæ fidei obſidem adſciſcit! An periurium de *humanitate* culpatur, quaſi periurus inhumanitatem, ſeu credulitatem cum periurio combibat? An quia ſupplicium pœnaliſſimè velut inhumanum, periurij merito periurus accerſit? Plura ædificet conceptuum architectus.

S. Damaſc. l. 3. Parall. c. 17.
*Periurium acquirit malum inhumanitatis lucrum.*

7. Malachiæ 3. Sic Deus durè loquitur ad Hebræos: *Et accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis, adulteris, & periuris.* Non diu differt dominus peracerbum iudicium, quod in ipſo impius hominum ſtupor requirebat. Profectò quædam ſunt flagitia, quæ in publico fieri pudor ipſe, & periculum vetant. Veneficium lege capitale damnatur. Adulterium, & quæcunque veneream ſubolent intemperantiam, vel proſtitutæ in publico ſubire non audent, ſed omnes ſubmouent teſtes venalis pudicitiæ. Idem dicendum eſt de periuris, qui rem falſam iuramento confirmant; quod quidem nullo modo facerent, ſi res eſſet aperta, idcircò namque Deus teſtis adducitur, quia ille arcana cognouit omnia. Et ſanc vt pœnaliſſimi ſupplicij acerbitas denotetur, peridoneè dicitur

Malach. 3. v. 5.
*Deus dicitur teſtis velox periuris, quare?*

dicitur, quòd Deus tanquam iudex accedens ad iudicium, ſimul etiam erit teſtis, & quidem *teſtis velox. Qui modo tardus videor, dum differo* (ait inibi Anſelmus Laud. (*Hæc omnia fiunt occultè, ſed à Deo proferuntur in medium, ne diu lateant.* Vide pœnæ acerbitatem. Primò propalabit periurij propudium, quod periurus occultum putabat. Dein erit iudex & teſtis, tametſi à vobis offenſus, & infenſus vobis. Adhæc erit *teſtis velox*. An quia non differet euulgare infame periurij mendacium? An quia periurij pœna vſque adeò acerba erit, vt (more humano loquens) tantâ acerbiùs celeritate iudicium peragatur, vt non tam conſultè præmeditatum, quam feſtinatum, ſeu quodammodò præcipitatum iudicium videatur? Porrò conſultior prudentia apud homines, moras in decernendo neſcit; ita præceps affectus eſt, & nimis feſtinat. Indè dicit *Dominus exercituum: Accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox periuris.* Quid exaggeratius? Hugo Caten. *Ero teſtis velox periuris*, ita exponit ex Zachariâ: *Veniet ad domum furis.* Periurus furti reus eſt? Eequod eſt hoc periurij furtum? An veritatis, an diuinæ auctoritatis fur erit, qui ſub diuinâ atteſtatione mentitur.

Anſelm. Laud. ibi. — *Periurus diuinæ auctoritatis fur dicitur.* — Hugo ibi. — Zachar 5 v. 4.

8\. Apocalypſis 5. *Et vidi in dexterâ ſedentis ſuprà thronum, librum ſcriptum intùs & foris, ſignatum ſigillis ſeptem.* Multa ſuper hoc libro, & eius ſignaculis Interpretes antiqui & neotherici paſſim ſcriptitant. Petr. Damianus per hunc librum, Sacroſancta Euangelia; per eius ſignacula, Euangelij myſteria interpretatur, ita fatus: *Quæ ſunt autem ſigilla, quibus liber Euangelicus obſignatus dicitur, niſi ſeptem illa Sacramenta, quibus vtique totus ordo Dominicæ diſpenſationis impletur? Videlicet incarnatio Domini, natiuitas, paſſio, reſurrectio, ad cælos aſcenſio, deindè iudicium, poſtremò regnum........ Quiſquis ergò periurat, ſtudioſè perpendat, quia ita ſibi ſeptem ſigilla Euangelicæ narrationis occludit; vt nec incarnatio Domini, neque natiuitas, neque paſſio, vel reſurrectio, aut aſcenſio iudicium quoque, vel regnum ſibi proficere aliquatenùs poſſit. Omnia ſcilicet hæc à ſe procul abiicit, & quantum ad ſe in nihilum redigit, qui dum iuſiurandum violat cum adiutorio Euangelij, abrenunciat nihilominus auxilio Dei.* Sanè longum facerem, ſi ſingulas huius magni Doctoris ſententias, moralitatum ad rē grauidas, ſigillatim expenderem. Sat eſto, illas excripſiſſe, & illarum acumen adnotaſſe. Sed ne te prætereat longiuſculi ſermonis metuenda clauſula: *Qui iuſiurandum violat, abrenunciat auxilio Dei*, O impius pius periurorum ſtupor, gratiæ refuga, & penè religionis apoſtata; quippè qui renunciat gratiæ, quæ eſt Chriſtianiſmi cenſus.

Apocalyp. 5. v. 1. — *Periurus Euangelij myſteria ſibi obſignat.* — Petr. Damil. 8. epiſt. 10. — *Periurus abrenunciat auxilio Dei.*

---

## §. CCLXXXVIII.

*Humilitas honores repudians, ab honoribus ambitur; arcanè velut immetata eſt eius perfectio, menſura magnitudinis, honoris honor, & ſeipſa quodammodò celſior.*

1\. S. Hieronymus ad virginem Euſtochium ſcribens Paullæ matris Epitaphium, ita de eâ loquitur: *Hæc ſicut inter multas gemmas pretioſiſſima gemma micat, & iubar ſolis paruos igniculos ſtellarum obruit & obſcurat: ita cunctorum virtutes & potentias ſuâ humilitate ſuperauit, minimaque fuit inter omnes, vt omnium maior eſſet. Et quantò plus ſe deiiciebat, tantò magis à Chriſto ſubleuabatur. Latebat, & non latebat. Fugiendo gloriam, gloriam merebatur: quæ virtutem quaſi vmbra ſequitur, & appetitores ſui deſerens, appetit contemptores.* Hic eſt veræ gloriæ velut ingratus genius, ſuos riuales contemptim deſpicere: hæc virtutis gloria, per infimiſſimam humilitatem ex inuerſo ſublimare, vſque ad ſummæ gloriæ faſtigium. Gloriæ fuga, compendium gloriæ eſt.

S. Hieron. ad Euſtoch. epita. Paullę. — *Humana gloria arcana ingratitudo.*

Exhodi 7. malè pertinax Pharao, ad Hebræi populi dimiſſionem ſigna poſtulat: *Tulitque Aaron virgam ſuam coram Pharaone & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum.* Hebraicè ita ſcribitur: *Et abiecit Aaron virgam ſuam*, &c. Conuenit inter expoſitores hanc Aaronis virgam fuiſſe paſtoralem baculum, ſeu Moyſis agolum, quod erat tanquam ſceptrum, ſiue ſummæ dignitatis inſigne. Hinc pulchra exurgit ad mores eruditio. Nimirùm paſtoralis baculus, dignitatis ſuæ ſymbolum, dum eſt in manu Aaronis, ſterilis miraculorum eſt; at cùm *abiicitur*, id eſt, cùm dignitatis faſtigium recuſatur, refutatur, & velut in terram proiicitur; tunc, tunc quidem ob recuſatam, & à ſe *abiectam* humilitatis voto dignitatem, fœcundus miraculorum eſt; & de arcanâ humilitatis vi, prodigiorum fertilis. Dignitas ſuperbè ambita, & ambitioſâ manu apprehenſa, vanagloria eſt, & futilis ambitionis faſtus: at humillimè repudiata, & à ſe animoſiùs *abiecta*, miraculum omnipotentiæ eſt, virtutis prodigium, & fœcunda prodigiorum matrix. O Ambroſium, ô vtrumque Gregorium, ô plures Eccleſiæ Antiſtites, quorum vel repudiatæ infulæ repudiatores ambibant, tantorum Præſulum obſtinatè riuales. *Et quantò plus ſe deiiciebant, tantò magis à Chriſto ſubleuabantur. Latebant, & non latebant. Fugiendo gloriam, gloriam merebantur: quæ virtutem quaſi vmbra ſequitur, & appetitores ſui deſerens, appetit contemptores.* Moraliſſimè quidem *abiecit Aaron virgam ſuam* quò abiecta patraret prodigia; ſed à ſe nuper *abiectam* glorioſiùs reſumit, vt noua exinceps ſumptuoſiùs miracula patret.

2\. — Exhod. 7 v. 10. — Hebræus. — *Repudiata humiliter dignitas repudiatorem ambit, ambientem repudiat.* — S. Hieron. ſuprà.

Ioannis 13. Sciens Ieſus quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit: ſurgit à cœnâ, & ponit veſtimenta ſua: & cùm accepiſſet linteum, præcinxit ſe. Deindè mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Petrus autem videns humillimam abiectionem eius, cui dudùm è cælo edoctus dixerat: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, nimio ſtupore defixus exclamat: *Domine tu mihi lauas pedes?* (ô quanta ſub vtroque pronomine *tu mihi*, exploranda tranſparent!) Reſpondit Ieſus, & dixit ei: *Quod ego facio, tu neſcis modò, ſcies autem poſtea.* Mirum ſanè eſt, & attentiore expenſione digniſſimum, quòd ille ipſe Petrus, qui ex Patris Dei indubiâ reuelatione, Chriſti diuinitatem probè agnouerat, & coràm enunciauerat; cùm ventum eſt ad humiliorem Chriſti abiectionem, audiat, *Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſteà.* Perſpicaciores Petri oculi, qui mentis acie diuinitatem Chriſti cognoſcere potuerunt; eiuſdem humilitatem penetrare non eualent; quæ diutur-niori

3\. — Matth. 16. v. 16. — Ioann. 13. v. 7. — *Cui Chriſti diuinitas nota eſt, multum ſupereſt in eius humilitate cognoſcendum.*

niori temporum decurſu adhuc cognoſcenda ſuperſit? Qui probè potuit diuinitatem agnoſcere in Chriſto, ad agnoſcendam eius humilitatem, adhuc impar eſſe perhibetur? ô Chriſti Dei humilitatem profundiùs immetatam! ô arcanam diuinitatis notionem ex Chriſti Dei humilitate ſumptuoſiùs præmonſtratam! S. Anſelmus publicans Chriſti Dei glorias humilitatis merito partas, exponens illa Paulli verba ad Philippenſes 2. *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens..... Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. ſic loquitur de Ieſuanæ humilitatis glorioſa exaltatione. *Deus Chriſtum*, inquit, *ſecundum humanam naturam exaltauit, in quo & diuina natura poteſt dici exaltata ſecundum oſtenſionem, quia cœpit ſciri quod erat.* Scilicet Petrus dum nouerat diuinam in Chriſto naturam, antequam ipſe Chriſtus diſcipulorum pedes humiliori obſequio lauaret, & Paſſionis contumelias abiectiùs ſubiret: ex qua profundiori humilitate poteſt etiam dici diuina natura ſecundum oſtenſionem exaltata, *quia cœpit ſciri quod erat.* Vnde tametſi Petrus Apoſtolorum & Theologiæ apex, dudùm diuinitatem in Chriſto nouerat, cùm ad humilitatem ventum eſt, conſultiſſimè audit: *Quod ego facio, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea.* ex abiectiori enim exinceps Chriſti Dei humilitate, qua ſemetipſum exinaniuit, diuina natura poteſt dici exaltata ſecundum oſtenſionem, *quia cœpit ſciri quod erat.* Sic Chriſti Dei humilitas arcanè immetata eſt, vt cui diuina natura nota eſt, adhuc illi ſuperſit quod in Chriſti Dei humilitate cognoſcat? Sic Chriſti Dei humilitas diuinitatem etiam quoad oſtenſionem exaltat, vt inde manifeſtiùs incipiat *ſciri quod erat*? Profundiùs quidem de more Anſelmus!

Ad Philipp. 2.v.6.& 7. &c.

S Anſelm. ibi.

4. Iacobi 1. ita Apoſtolus ſcribit: *Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſua; diues autem in humilitate ſua.* Bene eſt, cùm ſuperbia ſit velut cognata diuitiis, quòd Chriſtianus diues glorietur in humilitate ſua: humilitatis præſtantiam probè iam noſcens. Sed quid eſt, quòd frater humilis in exaltatione ſua debeat gloriari? Profectò gloriatio in exaltatione, humilitatem non ſapit; imò eam dediſcens, arrogantiam ſubolet. Quomodò igitur frater humilis, illæſa humilitate poterit in exaltatione ſua gloriari? Porrò ſublimior exaltatio, demiſſioris etiam humilitatis titubatio eſt. Miſſas nunc facio complures interpretum commentationes, quibus hunc locum multimodè defatigant, quò citiùs exeribam pulchra Auguſtini verba ad præſentem theſim non inidonea: *Menſura*, inquit, *humilitatis cuique ex menſura ipſius magnitudinis data eſt; cui eſt periculoſa ſuperbia, quæ ampliùs amplioribus inſidiatur.* Sanè paradoxo ſimilis ſententia; ſed quæ præſcriptum Iacobi locum ad mores dilucidè exponit. Profectò diuinæ prouidentiæ elogium eſt, quòd non patitur homines tentari ſupra id quod poſſunt: quin & de gratiæ officioſitate eſt, vt non impar periculo ſubſidium adſit: exindè ad menſuram magnitudinis humilitas diſpenſari ſolitat, nam periculoſa ſuperbia ampliùs amplioribus inſidiatur. Ergò *glorietur frater humilis in exaltatione ſua*, non qua arroganter plùs ſuperbiat, ſed qua ampliorem humilitatem fœneratur: Nam *menſura humilitatis cuique ex menſura ipſius magnitudinis data eſt.*

Iacobi.1.v.9 *Menſura humilitatis, ex menſura magnitudinis datur.*

S. Auguſt. de Sanct. Virg. c.31.

5. Regius Vates Pſalm. 35. Quoniam, inquit, apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te, & iuſtitiam tuam his qui recto ſunt corde. Hac precatione Dauid diuinam etiam miſericordiam exigit ſuis etiam familiaribus, & amicitiæ fœdere coniunctis, quos dicit eſſe Dei notione illuſtres, *ſcientibus te*: item, *recto eſſe corde*: quibuſcum ſperat in Dei *lumine videre lumen* Dei, hoc eſt beata felicitate æternùm potiri. Sed nota, quid confeſtim addat: *Non veniat mihi pes ſuperbiæ.* Hoc eſt, (interprete inibi Caietano) *Ad hoc ſtudeo, ne pes, id eſt, affectus ſuperbiæ ſubrepat mihi.* Et vnde affectus ſuperbiæ Dauidi ſubrepat, & clanculùm humilitati inſidietur? An ex amicitia cum his qui *recto ſunt corde*? obſeruanda eſt S. Hieronymi cautela ad rem præſentem in paucis tempeſtiua. Scribens enim ad Florentium, de Ruffino, qui tunc prælustri ſanctitatis famâ florebat, dicit, *indiuidua* ſecum *germanitatis charitate connecti*: ne autem illi *pes, id eſt, affectus ſuperbiæ* indè *ſubrepat*, confeſtim addit: *Noli nos eius æſtimare virtutibus. In illo conſpicies expreſſa ſanctitatis veſtigia: & ego cinis, & viliſſima pars luti, & iam fauilla, dum vertor, ſatis habeo, ſi ſplendorem morum illius imbecillitas oculorum meorum ferre ſuſtineat.* O quàm eſt velut ſcrupuloſè cauta Dauidis & Hieronymi humilitas, qui vel ex familiaritate cum viris probatiſſimis, timent, ne indè *pes (ſeu affectus) ſuperbiæ ſubrepat*! ô diſce quàm ſint tenerè delicati humilitatis mores: & quàm de facili per tenues conſcientiæ rimulas ſeſe ingerat vana gloria! Sed quis in Magno Hieronymo tantæ humilitatis conſcientiam non ſtupeat? Profectò *menſura humilitatis* Hieronymo *ex menſura ipſius magnitudinis data eſt.*

Pſal.35.v.12. Caiet. ibid. *Dauidis & Hieronymi humilitas, vel ex Sanctiſſimorum amicitiâ arrogantiam timet.*

S.Hieron. epiſt. 5. ad Florent.

6. Eccleſiaſtici 3. ſic ad omnem humilitatem nos Siracides inſtruit: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus; & coram Deo inuenies gratiam.* Hoc eſt, Quantò maior es, humilia te præſertim in iis, quibus excellis & magnus es. ita Cornelius. Alitet Syrus: *in omni quod magnum eſt in mundo, humilia te ipſum.* Magnum non eſt, humilem eſſe in abiectione: rara virtus eſt magna humilitas in magno honoris faſtigio; & indè micantiùs ſcintillat. Quod eleganter tradit Balduinus: *Humilitas*, ait, *in honore, honor eſt ipſius honoris & dignitatis. Omnis dignitas eo ipſo dignitatis nomine indigna eſt, ſi humilia dedignetur. Humilitas autem ſine honore, ipſa ſufficit ad honorem: honor verò ſine humilitate, ſe perducit ad confuſionem.* Sanè luculenter Balduinus. Ergò quantò maior es, humilia te in omni, quod eſt in mundo: & præſertim in iis, quibus ſublimiùs excellis, ne honore ipſo deuenuſteris: ſed potiùs honorem humilitate honores, & generoſiùs adornes.

Eccli 3.v.20. P.Cornell. ibi. Syrus Balduinus apud Cornel. ibi.

*Humilitas eſt honoris honor.*

7. Adhuc emedullandus ſupereſt præſcriptus Eccleſiaſtici locus, *quantò magnus es, humilia te in omnibus* in omnibus inquã, in quibus excellis, & magnus es, alioqui de tuæ magnitudinis inuidiâ minor euades. *Itaque Pōpeius Magnus ſolo Theatro ſuo minor*, dixit Tertull. de hoc magno Heroë, vanæ gloriæ ambitioſiùs ſtudioſo Et alibi de Alexandro Magno: *Habes igitur ex iſto fomite æſtuantem magnum Regem, ſ. la gloria minorem.* Ecce tibi Pompeius magnus, ſolo Theatro ſuo minor: & ex iſto vanæ gloriæ fomite æſtuans magnus Alexander, minor etiam ſuâ gloria. Igitur *quantò*

Eccli.3.v.20. Tertul. lib. de ſpect. c. 10 & lib. de Pallio c.4.

*In ſublimitate humilis, ſeipſo celſior, & illuſtrior appares.*

*magnus es, humilia te in omnibus*, in quibus excellis & magnus es. Alioqui ipſis tuis ſublimiſſimis operibus, & ipſa tua præcelsa auguſtiùs gloriâ minor eris; & à tuâ ſublimitate è peruerſo decreſces. Belliſſimè S. Bernardus ad Eugenium Pontificem ita hâc ſuper re ſcribit: *Nulla ſplendidior humilitate gemma, in omni præcipuè ornatu ſummi Pontificis. Quò enim celſior ceteris, eo humilitate apparet illuſtrior & ſeipſo.* Itaque humilitas eſt honoris honor, & ſublimitatis magnitudò; adeò vt Pompeius Magnus ſolo Theatro ſuo minor exriterit: & Alexander Magnus ſolâ gloriâ minor euaſerit, de ſordidæ ambitionis inuidiâ. At verè humilis, & inanis gloriæ contemptor, dum in dignitatis faſtigio ſublimiùs eminet, *quò celſior eſt ceteris, eò humilitate apparet illuſtrior & ſeipſo.* Scilicèt parùm foret, quòd qui quantò magnus eſt, humiliat ſe in omnibus, in quibus excellit; reliquis celſior & illuſtrior emineat: *ſeipſo* etiam celſior & illuſtrior apparet. quæ eſt faſtigij meta, & aliquis pius auguſtæ humilitatis faſtus.

S. Bern. lib. 2. de Conſid. ad Eug.

Hic v. 16. Ecce tibi nunc in Eſthere celſioris humilitatis faſtigium, dum ſic Deum alloquitur: *Tu ſcis*, inquit, *neceſſitatem meam, quòd abominor ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum* (regiam coronam inquam) *in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ, & non portem in diebus ſilentij mei.* ô quàm eſt miriſſimum, auguſtam regnandi gloriam ſic faſtidire! Aſt humilitas honores repudians, ab honoribus ambitur: & deinceps Eſther glorioſiùs regnauit.

---

## ſ. CCLXXXIX.

*Bene Eſther cruciatur felicitate gloriæ: nam Sanctorum elogium eſt, calamitatibus deliciari, gloriari, beari.*

1. Seneca lib. de Prouid.

INter multas magnificas Senecę ad informationem morum ſententias, & hæc vox eſt, quæ vtinam frequens adhuc ſonet & vibret in auribus noſtris: *Nihil, inquit, mihi videtur infelicius eo, cui nihil vnquam euenit aduerſi.* Non licuit enim illi aut ſuas, aut virtutis vires experiri, cui ex voto fluxerunt omnia. Vir ſapiens dum aduerſæ fortunæ perſonam detrahit, ſcit extrinſecùs diuerſas facies habere, & quidem minaces; ſed introrsùs leuibus vel vanis terreri deprehendit: & inani pauore timuiſſe, quæ citiùs debuerat exoptare. Tūc laudat lene otium, & ab amplis occupationibus quietem ſui iuris: paupertas ambitione exuta habetur in pretio: calamitas magnanimitatis voto exarmatur, & ſpebus beatæ immortalitatis dulceſcit; odio eſt dignitatum fulgor; & fuga iam à rebus adhuc ſtantibus quæritur: tunc iam videas philoſophantis ſaporem, & ægræ fortunæ ſana conſilia. *Nam quaſi iſta inter ſe contraria ſint, bona fortuna, & mens bona, ita meliùs in malis ſapimus, ſecunda rectum auferunt.*

*Nihil eſt infelicius eo, cui nihil vnquā euenit aduerſi.*

*Meliùs in malis ſapimus.* Idem epiſt. 95.

2. Eſther ſuperbis regis Aſſueri nuptiis auguſtè præcelsa, & dirâ populi ſui calamitate lugubris, ſacco & cinere velata, ſic Deum orat: Noſti omnia, [illegible] gloriam iniquorum, [illegible] deteſter cubile incircumciſorum . . . . . . . *Tu ſcis neceſſitatem meam, quòd abominer ſignum ſuperbiæ & glo-*

Hic v. 16.

*riæ meæ: quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ, & non portem in diebus ſilentij mei.* Mirabile eſt quod de ſe quamuetiſſimè affirmat Regina potentiſſima, quæ quod in terris ambiri, aut ſperari poterat maximum obtinuerat: in quo ſibi adeò non placuit, vt potiùs oderit regni gloriam, quam captant plerique, & obtinent pauci. Cur autem illam non amauerit Eſther, ſed potiùs oneri & cruciatui tanta felicitas fuerit, ea eſt ratio, quia nimirùm à teneris annis inſtituta ſapienter, quantùm ſit in fugaci hâc, & fucatâ gloriâ moleſtiæ, & quārùm præterea leuitatis agnouerat. *Sic glorioſus cruciatur felicitate modeſtia*, argutè pariter ac opportunè dixit Philo. Felix eſt modeſtia virtutis, quæ felicitatis glorias æquo rerum cenſu æſtimatas, & contemptim depretiat, & nullo in pretio habitas, eis fucatè blandientibus, & verè lancinantibus feliciter excruciatur. Proindè abominatur Eſther ſignum gloriæ ſuæ, & ſcintillantem auguſtè coronam, quâ in diebus oſtentationis ſuæ glorioſiùs ornatur, deteſtatur feliciùs, arcano virtutis inſtinctu. *Sic glorioſus cruciatur felicitate modeſtia!* Opinor, gloriùs cruciatur, quiſquis improſperis felicitatur. quæ eſt arcana magnæ virtutis philoſophia. Et ſanè non miror, quod regina Eſther *abominetur ſignum gloriæ ſuæ, quod eſt ſuper caput ſuum in diebus oſtentationis ſuæ.* Nempe regium diadema, quod caput coronet; auguſtiorem enim ambibat coronam, bene ſcia, quòd Deus *tentationem permittit, vt mentem coronet.* Quiſquis cæleſtem coronam impenſiùs ambit, terrenam depretiat, negligit, faſtidit. Mente potiùs quàm capite coronari, pia bonorum ambitio eſt, & regiæ gloriæ ſumptuoſior neglectus.

*Glorioſiſſ. Eſther cruciatur felicitate modeſtia.*

Philo in lib. de Abrah.

*Eſther corporis neglegit coronam, quam menti ambit.*

Seleu. Orat. 15.

Geneſeos 1. die mundi primâ cælum creatur, ſed inornatum, & propè infectum; & terra etiam, ſed ſuperfusâ aquarum abyſſo penè obruta. Die verò ſecunda dixit Deus: *Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum, & appareat arida. Et factum eſt ita. Et vocauit Deus aridam, Terram*, congregationéſque aquarum appellauit maria. Nimirùm terra recens nata, inuiſibilis erat, vtpotè merſa aquarum abyſſo, & inde nulla florum, arborum, fructuum ambitione nitens, nullaque herbacea luxurie fœcunda; ſed ſterilis, inuiſa, inutilis, & cœno ſuo ſqualida, aquis ſuperfuſis infeliciter obruta. Sed quid eſt, quòd aquarum molibus terra exuta, & iam iam glorioſiùs veſtiri exambiens; dum primùm & ſibi & mundo apparuit, *Arida* nominatur? Tam citò præ ſiti exaruit, madidè nuper ebria? Subindè aridè ſitit, quæ nuper exorbuit naufragium? Eloquenter Ennodius hâc ſuper re ita ſcribit: *Quis alius præter te* (Deum alloquitur) *mundi fabricam perpendiculo repentinæ iuſſionis exactam bifidâ auctoritate ſolidauit; cùm primùm præcepti tui miraculo terra coagularetur in pelagus; & deductis deindè aquarum impreſſionibus illa naufraga pòſt ſitiret?* O quàm eſt prematurè Terra, Chriſtianæ philoſophiæ inopinata magiſtra! Vix Terra in ſibi funditùs excauatos ſinus maria euomuit, quibus naufraga obruebatur, & iam *Arida* dicitur; & ethicâ quâdam aridæ ſitis impatientiâ, naufragium hiat? Quid eſt tam cunctis improſperè calamitoſum, quàm ſubire naufragium? Quid contràrium proſperum, & feliciter fortunatum, quàm naufragio eripi? ô de Terræ ſchola cæleſtem philoſophiam ediſcamus! Ecce Terra, naufragio liberata,

3. Gen. 1. v. 9. & 10.

*Terra aquarum molibus exuta, ſuum naufragium hiantur ſitit.*

Ennod. Benedict. 1. Cerei.

libertata, *naufragium* hianter *ſitit*, felicitatem calamitatis ſuæ inſtanter honorans, ipsóque *Aridæ* vocabulo manifeſtans. *Eſtaua la Tierra tan bien Hallada con ſu naufragio, que el verſe libre del, la peſaua.* O inuiſam improbis ſæuientis naufragij, & funeſtæ calamitatis felicitatem? Improbus naufragium timet, probus *ſitit naufragium*, probitatis calore illud digerens, & in tranquillam ſoſpitatem arcanè conuertens.

4\. 2. Corinthiorum 12. ſic de ſe Apoſtolus loquitur: Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſatanæ, qui me colaphizet. *Propter quod ter Dominum rogaui vt diſcederet à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea.* Paullus eſt qui rogat, Paullus inquam, Apoſtolorum decus, & ſāctitatis apex: rem piiſſimam rogat, vt par erat Paullo; *ter*, hoc eſt, ſæpè, & inſtanter quidem rogat; & tamen repulſam patitur. Ecquid myſterij lateat in hâc Paulli repulsâ, ſubtiliter Chryſoſtomus ad rem præſentem tempeſtiuus edſſerit: *Ter Dominum rogaui. &c. Noſtrum ergò ſit opus continuis inſiſtere precibus, & non ægrè ferre ſi differatur quod petimus, ſed longanimes eſſe. Neque enim renuens preces noſtras differt; ſed hâc arte ſedulos nos efficiens, ad ſemetipſum attrahere vult.* Parùm foret Christo Deo, quòd blanditiis, atque largitionibus homines ad ſe attraheret; moleſtiore petitionum repulsâ, & ipſo renutu, qui animos abalienare ſolet, blandiùs ad ſe allicit, & *ad ſemetipſum attrahere vult.* O lenocinij è diuerſo hyperbolen! Peracerba alioqui repulſa, ſic probis dulceſcit, vt melleа illecebra ſit, & mulcedinis arbitrium? *Neque enim renuens preces noſtras differt, ſed hac arte nos ad ſemetipſum attrahere vult.*

1\. Cor. 12. v. 8.

*Dum oratio eius repulsâ, nos ad ſemetipſum attrahere vult.*

S. Chryſoſt. homil. 30. in Geneſ.

5\. Apocalyſeos 4. quatuor illa myſtica animalia, id eſt, Beatorum Proceres, & ſubſimiſſimi Dei faciales, *requiē non habebāt die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens*, &c. Nemo Interpretum non addubitat, quonam pacto beatæ illæ mentes dicantur *non habere requiē*, cùm felici beatitudinis requie cumulatiùs potiuntur, & glorioſum illud triſagium Deo modulatiùs occinunt? Qui æternùm beatâ fruuntur requie, laboris prorsùs exorte, *requiem non habere* dicuntur? vtrumque ex alterutro redarguitur. Verùm S. Auguſtinus ſapienter exponens linguæ idiotiſmum, ſic locum peridoneè ad rem præſentem exponit, commentans illud Geneſeos *Et requieuit Deus die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat.* Itaque fatur Auguſtinus: Solet namque Scriptura ſæpè requiei nomine ceſſationem operis ſiuè ſermonis indicare, ſicut in Apocalypſi de ſāctis animalibus, Et requiem, inquit, non habebant die ac nocte, dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, pro eo vt diceret, non ceſſabant hæc ſemper decantare. (Attentiùs expende quæ ſubiicit verba) *Nam maxima & vnica Sanctis eſt requies in cælo, laudem ſummæ Trinitatis quæ Deus eſt indefeſsâ voce dicere.* Itaque vt ſignificetur ſumma *requies*, quâ beatâ felicitate Sancti in cælo perfruuntur, adſpectu ad Sanctos, qui *beatis calamitatibus* (vt loquitur Zeno) in hâc mortali vitâ potiebantur, in ſummâ & indefeſsâ cæli *requie, requiem non habere* dicuntur. An non Paullus gaudio in tribulationibus ſuperabundabat? An non Iacobus omni gaudio exiſtimat tribulationes delibutas? Ergò vt gaudium ſummæ & beatæ in cœlo *quietis* exponatur, irrequieti laboris nomen aſſumitur. *Es la gloria de los bienabenturados, amara del guſto que los Iuſtos tienen en la mayor tribulacion.*

Apocal. 4. v. 8.

*Irrequietis nomine, ſumma ac beata cæli requies tur exponitur?*

Gen. 2. v. 2. S. Auguſt. & Isoil. apud Caten. Lip. ibi.



6\. Regius Pſaltes ſic pangit Pſalm. 149. *Exultabunt ſancti in gloriâ: lætabuntur in cubilibus ſuis.* Alij, *iubilabunt intra thalamos* ſuos: alij, *ouabunt de cubilibus ſuis.* quæ verba aut nuptialem, aut victorialem lætitiam innuunt. Prius hemeſtichiō ſic nonnulli vertunt: *Exultent ſancti cum magnificentia*, aut *ſummâ gloriâ*, aut *decore.* Alij ex Græcis codicibus, *Gloriabuntur*, vel *ceruicem erigent ſancti in gloriâ.* Quæ eſt hæc ſumma gloria, quâ glorificantur, vel ceruicem ſancti erigunt? S. Hieronymus ſic locum excribit, & exponit: *Exultabunt ſancti in cruce.* Hæc velut nuptialis vel victorialis lætitia, quâ ſancti exultim perfruuntur, non tam exuberare dicitur, cùm cæleſti conſolatione delibuti, cœleſtis gloriæ velut ſtillas delibare videntur; ſed cùm calamitatibus penè oppreſſi, *ceruicem erigunt, & exultant in cruce.* Quid exaggeratiùs?

Pſal 149. v. 5.

*Exultabunt ſancti in gloriâ, id eſt, in cruce.*

S. Hieron.

7\. Salomon Prouerbiorum 12. *Non contriſtabit iuſtum, inquit, quicquid ei acciderit: impij autem*, &c. Pro τò *quicquid ei acciderit*, Hebraicè habetur, *omnis iniquitas*, vel *omnis dolor.* Scilicet etiāſi *omnis iniquitas* Tyrannorum potentiâ & ſæuitiâ armata, *omni dolore* Iuſtum vexet, affligat, excruciet, eum *non contriſtabit*: quia Iuſtus tribulationes quaſlibet ſiue à Deo, ſiue à Dæmone, ſiue à naturâ, ſiue ab immaniori Tyranno obuenientes, patienti, forti, hilarique animo patienter ſuſtinet, & lætanter patitur: quò fit vt nullâ ærumnâ turbetur, nullâ afflictione concidat, animúmque deſpondeat, ſed placidus, fidens, imperturbatus, hilaris & lætus in omni aduerſitate conſiſtat. Quâ ſuper re audiendus eſt Petr. Damianus ſerm. 2. de S. Appollinari, ſic de eo opportunè fatus: *Minas non metuit, tormenta alacriter patiendo contemnit. Hinc enim per Salomonem dicitur: Non contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit. Iam quippè Spiritus ad alta ſuſpenſus in hoc ineffabiliter gaudet, dum ſibi cumulari gaudia per tormenta vidit. Pœnis fouetur, incendio refrigeratur, fame reficitur, inopiâ dilatatur.* Et poſt pauca ſubtexit: *Iam denique ille ad cæli culmen anhelat, iam mente in ſublimibus habitat; nihil dolet, nihil timet, niſi, ò perſecutores, ſolam pietatem veſtram, quæ ſi ei tribuitur, ab ipſo impietas crudeliſſima deputatur: & ſi tela veſtra ad eius vultis interiora pertingere, ſolâ illum pietate ferite. Tunc enim grauiter indignamini, ſi miſeremini; tunc immaniter laceratis, ſi parcitis: &, vt ita dixerim, tunc punitis, ſi non punitis.* Itaque *omnis iniquitas* Tyrannorum, & carnificum; *omnis dolor* tormentorum, & atrocioris lanienæ, *non contriſtabit Iuſtum, dum ſibi cumulari gaudia per tormenta videt.* Bellè Sixtus. Philoſophus in ſententiis: *Præpara & apta animam tuam ad tribulationes, & beatus eris. Tyrannus beatitudinem non aufert.* Non aufert Tyrannus crudelior, nec atrocior carnifex lætitiam beatitudinis æmulam, qui *cumulari gaudia per tormenta videt*; imò per pietatem & veniam hoc *cumulato gaudio* Iuſtus defraudatur. Exindè perſecutoris humanitas inhumaniùs Iuſtum ferit, torquet, & lacerat dum acerbæ tribulationis propè empyreâ lætitiâ, quæ exundat in tormentis, viduatur. *Omne gaudium* (id eſt, præcipuum) *exiſtimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis*, &c.

Prouerb. 12. v. 21.

Hebræus.

*Gaudia per tormenta ineffabiliter cumulantur.*

Petr. Dami. Serm. 32.

*Nil Martyr timet, niſi ſolam Tyranni pietatem.*

Sixtus Philoſ.

Iacobi 1. v. 2.

## §. CCXC.

### *Mundialia bona ſi non concupiſcimus, poſſidemus: concupiſcentia enim illorum amittendorum arbitrium eſt.*

1. ABſtrahunt à recto diuitiæ, honores, potentiæ, & cetera quæ opinione hominum chara ſunt, pretio ſuo vilia. Neſcimus æſtimare res, de quibus non eum famâ, ſed eum rerum naturâ deliberandum eſt. *Nil habent iſta magnificum, quod mentes noſtras in ſe trahat, præter hoc quod mirari illa conſueuimus. Non enim quia concupiſcenda illa laudantur; ſed quia laudata ſunt concupiſcuntur.* Diſcedant aliquandò iſta inſidioſa bona, & ſpernentibus meliora, quàm aſſecutis. Siquid in illis eſſet ſolidi; aliquandò & implerent. Vis noſſe, quid inter probum & improbum interſit, ſi vterque diuitiis, & honoribus affluit? Hæc, quæ appellas bona, apud virum ſapientem & probum, in ſeruitute ſunt; apud ſtultum & improbum, in imperio. Probus vir diuitiis nil permittit, improbo diuitiæ omnia ſunt. Improbi tanquam aliquis illis æternam poſſeſſionem earum promiſerit, aſſueſeunt illis, & inhæreſcūt, & concupiſcentiâ earum ſuſpenſi tenentur: probus autem quiſque tunc paupertatem præcipuè meditatur, cùm in mediis diuitiis conſiſtit. Ergò virtus non tam opulentiam arcet, quàm concupiſcentiam. Sat diues eſt, qui extra rerum concupiſcentiam eſt.

Seneca lib. de Paupert.

*Diuitiæ non quia concupiſcēda ſunt, laudantur; ſed quia laudata ſunt, concupiſcuntur.*

2. Geneſeos 3. tunc Adam & Eua periculi expertes in paradiſo deliciabantur, & erat voluptas innoxia, in omni voluptabilium affluentiâ. Diabolus autem ictus inuidiâ ſerpentem efferatus induit, turpi facinori turpiter adrepens: & qui Deum elatione offenderat, ſatis ei ſupplicij foret reptationis dedecus, vel ante ſupplicium. Itaque ſerpentis facie perſonatus tranſgreſſionis ſuggeſtionem inſidioſè aggreditur: & Dei imitamento propoſito vetitæ arbuſculæ eſum perſuadet. Scit enim Deus, inquit, quòd in quocumque die comederitis ex eo aperientur oculi veſtri: *& eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* Tu mihi huiuſce dictionis inſidias obſerua, quæ omnis impietatis parens ac radix extiterunt. An non homo dudùm ſicut Deus erat; (neque enim abreptionem, ſed imitationem diuinitatis ſuadere præſumpſit) An non Deus nuper dixerat: *Faciamus Hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram?* Neque à propoſitâ ideâ opus aberrauit, ipſo dicente: *Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creauit illum.* Quid ergò malus Dæmon vaferrimè auarus, eius rei quam Homo anteà habebat, cupiditatem ſuggerit? Pulchrè Minutius Felix in Octauio ſic in re non abſimili, ad rem præſentem tempeſtiuus fatur: *Aues ſine patrimonio viuunt, & in diem paſcua paſcuntur: & hæc nobis tamen nata ſunt: quæ omnia ſi non concupiſcimus, poſſidemus.* Scilicet id quiſque poſſidet, quod non concupiſcit: vt vel rei poſſeſſæ concupiſcentia, illius abdicatio ſit. Tantùm enim poſſides, quantùm non concupiſcis: tantùmque à te alienas, quantùm concupiſcentiâ tenere præſumis. Sic eſt ſui prodiga, auarior rei concupiſcentia. Nam *omnia ſi non concupiſcimus, poſſidemus*: exindè vel poſſeſſa, concupiſcentiæ libidine furtim abdicamus. Vide ergò calidiſſimi Dæmonum fraudem profundè inſidioſam. Nimirùm eius rei quam Homo poſſidebat, ſubdolè concupiſcentiam ingerit, quò dum id quod poſſidet, ardenter concupiſcit, interter amittat. Nam auiditas concupiſcendi, arbitrium amittendi eſt. Exindè vel Eſther regni tædio, regiam dignitatem altiùs fundat. Hic verſ. 16. &c.

*Omnia ſi non concupiſcimus, poſſidemus.*

Geneſ. 3. v. 5.

Geneſ. 1. v. 26. & 27.

Minut. Fel. in Octau.

Matthæi 19 poſtquam Chriſtus Deus diuitias latè culpauit, reſpondens Petrus, dixit ei: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergò erit nobis?* Sed attentiùs nota, quo præmio rerum omnium abrenunciationem munerarit: *Omnis, inquit, qui reliquerit domū, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet*, &c. Profectò (vt aliàs perſtrictim expendebamus) vtrumque ex alterutro redarguitur: nam ſi hoc Apoſtolorum meritum conſiſtit in facultatum abiectione, quo pacto earundem facultatum auctario congruè muneratur? Si bona eſt opum derelictio, vtique imbona & earum poſſeſſio: malè igitur præſentium bonorum neglectus, multiplicatâ eorum poſſeſſione præmiatur. Niſi fortè ipſe diuitiarum contemptus, opum largiùs poſſidendarum arbitrium ſit. Appoſitè Zeno Veronenſis agens de Spe, ita ſcribit: *Huic, inquit, & præſentia ſubiacent, & futura: iſta, quia contemnit; illa, quia ſua eſſe præſumit.* Scilicet quia omnia ſi non concupiſcimus, poſſidemus; omnia præſentia & futura, quia contempſerunt Apoſtoli, poſſederunt. Exindè eùm *omnia relinquunt*, iure ſuo omnia poſſident auctario multiplici. Ergò qui *reliquerunt omnia* per contemptum etiam egregiè multiplicant, multimodo augmento felices: *Centuplum accipiet.* 3. Matth. 19. v. 29.

*Rei Contemptus, illius poſſidendæ arbitrium eſt.*

S. Zeno ſer. de ſpe. &c.

Eccleſiaſtici 19. ſic homines erudit Siracides: *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguunt ſenſatos.* Nempe nimia Bacchi, & Veneris appetentia, ſapientes *apoſtatare* facit à ſapientiâ, & inſipientiæ *arguit ſenſatos*. Et quâ ratiocinatione ſtrenuè arguit, & ſtultitiæ conuincit, eos qui voluptabilibus inhiant, & veneris deliciis intemperanter indulgent? Sic ſapiens & ſenſatus à ſalacibus ſenſuum blanditijs ignauè ſtulteſcit? Tigurina ſic ſententiam excribit: *Vinum & mulieres etiam cordatos auferunt ſuggillántque ſapientes.* Ecquod eſt hoc *argumentum*, aut *ſuggillatio* aduerſus ſapientes, qui venereis voluptatibus intemperantiùs indulgent? Appoſitè Chryſoſtomus in homil. Quòd nemo læditur niſi à ſeipſo, ita ſcribit: *Hi qui in deliciis & luxu vitam degunt, reſoluta quidem corpora, & omni cerâ molliora circumferunt, atque agmine quodam infirmitatum repleta .... & eſt eis vita ſemper cum medicis & medicamentis.* (obſerua ad rem verba quæ ſubiicit) *ſenſus autem ipſi tardi, graues, obtuſi, & quodammodò iam ſepulti.* Ecce tibi quomodò ipſa libido, ſapiens aduerſus ſapientes *argumentatrix* eſt, & eorū arguta *ſuggillatio*. Porrò luxuria ſenſuum voluptates auidiùs captat; ſimulque ipſa ſenſus ipſos, quibus ſenſuales delicias viuaciùs guſtat, fecit tardos, graues, obtuſos, & *quodammodò iam ſepultos*. Eheu ſenſuum funera libido ſumptuoſiùs peragit, & eorum viua funeſtè cadauera particulatim tumulat, dum næ ſentiendo, facit vt propè nihil ſentiat, atque aſſiduâ intemperanter libidine redduntur *ſenſus ipſi tardi, graues, obtuſi, & quodammodò iam ſepulti?* 4. Eccli. 19. v. 2.

Tigurina

*Laſciuus adhuc viuis voluptatum ſenſum funeſtè ſepelit.*

S. Chryſoſt.

O ſic

O ſic auidior voluptabilium concupiſcentia, illorum abdicatio eſt, & funeſtũ præmaturę ſepulcrum, quo viua ſenſuum cadauera tumulantur?

5. 4. Eſdræ 5 v. 42. *Male ambitio capite emit coronã.*

4. Eſdræ cap. 5. *Et dixit ad me: Coronæ aſſimilabo iudicium meum.* (Sic liceat hunc locũ ad mores flectere, omiſſo litterali ſenſu) Coronæ etiam aſſimilabitur iudicium hominis, ſi coronas reſpuat, ſi pedes coronet, coronas pedibus proculcando: ſi dignitates negotioſâ ſedulitate, ſumptuoſâ ambitione, & prodigo vitæ diſpendio procurare negligat. *Non emo capite coronam,* ſententioſè dixit Tertullianus. Stolidus erit, qui in coronæ pretium, caput ſuum ambitioſè offerat. Nam, quandoquidem non pes aut manus, ſed caput coronâ decorandum eſt; ſi caput deſit quod coronari debet, otiatur corona capite empta. Heu quoties ambitio capite coronam emit! Sic libido voluptates ſenſuum, ſenſuum immaturâ morte infeliciter mercatur. Ergò in mundialibus rebus procurandis, procurandæ *coronæ aſſimiletur iudicium* tuum, dum attento *iudicio* animaduertis, quòd corpus ſine capite infeliciter coronatur. Quid ambitione dignitatis, ſpem dignitatis tecum perdis? Quid libidinis voluptate, ſenſuum voluptatem immaturè ſepelis? *Non emo capite coronam.* Ambitioſa honorum appetentia, & indefeſſa ſumptuoſiùs ſedulitas, capitis pretio fruſtrà coronam mercatur.

Tertull. Apol. 42. aliàs expenſus.

6. Prouerb. 30. v. 8. *Trãſlationes variæ apud Salazar ibi.*

Prouerbiorum 30. ſic Deum Salomon deprecatur: *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, ſed tantum victui meo tribue neceſſaria.* Chaldæus, *Enutri me pane ſufficienti mihi.* LXX. Interpretes, *Conſtitue mihi quæ neceſſaria & ſufficientia,* quibus accinit Hieronymus, *Conſtitue mihi neceſſaria quæ ſufficiant.* Profectò ſi annonam *neceſſariam* Salomoni conſtituit, planè illi *ſufficit*: neque enim *neceſſariam* alimoniam prouidiſſet, niſi *ſufficiens* foret. Heu ſæpè victus naturæ *neceſſarius*, deliciis non *ſufficit*, non *ſufficit* ambitioni, ſuperuacua hianter anhelãti! Precatur ergò Salomon, non ſolùm vt victui ſuo Deus tribuat *neceſſaria*; ſed etiam vt ipſe neceſſariis contentus, illi *ſufficiant* neceſſaria, nec hiet ad ſuperflua. S. Ambroſius exponens præſcripta verba, ſic fatur: *Diuitias,* inquit, *aut paupertatem ne dederis mihi, ſed ordina mihi quæ opus ſunt, & quæ abundent.* (neceſſaria & ſufficientia appellat *abũdantiam*) *ne repletus mendax fiam . . . . . . Salomon diues erat, timuit extolli: pauper fieri formidauit, ne paupertatis neceſſitate abſtinentiæ gratiam non teneret.* Imò ſi pauper eſt, *abſtinentiæ* gratiam potiùs obtinebit. O ambitioſæ hominum auaritiæ arcanum! Scilicet qui paupertatis neceſſitate conſtringitur, dum vltra pauculum illud quod habet hianter deſiderat, ore abſtemius eſt, ſed ambitioſo auaritiæ voto, *abſtinentiæ gratiam non tenet*: & indè vel in ipsâ abſtinentiâ minimè abſtinens eſt; ſed in ipsâ, & de ipsâ corporis abſtinentiâ, ambitioſæ mentis voto abundè luxuriatur: & dum amittit quod eſt, & non eſt quod eſſe percupit, vtroque miſerè viduatur. O ſi cum Salomone quod eſt *neceſſarium* putaremus *ſufficiens*, imò & *abundans*, quadam deſiderij temperantiâ, quæ neceſſario & ſufficienti *abundè* contenta eſt! Timeamus cum Salomone opulẽtiam, ne dum plures adhuc opes ambimus, poſſeſſas amittamus. Timeamus etiam in duræ egeſtatis neceſſitate, *abſtinentiæ gratiam non tenere,* dum abſtinentia abſtinentiam concutit; & de abſtinentiæ neceſſitate, non voluntate, abſtinentiæ bonum eſſe deſiit, & in delicioſam voluptatem votiuè degenerat, quò & abſtinentiam perdit, & opulentiam non acquirit.

S. Ambroſ. in Pſal. 118. Serm. 8. poſt medium. *Pauper, qui diuitias inhiat, abſtinentiæ gratiam non tenet in ipsâ abſtinentiâ.*

7. Pſal. 103. v. 21.

Regius Propheta Pſalm. 103. ſic pangit: Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipsâ pertranſibunt omnes beſtiæ ſiluæ. *Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi.* Tò *quærere à Deo eſcam ſibi,* æquè vniuerſatim verum eſt de omnibus animantibus, quæ à factore ſuo victum expetunt: nam *prouidit Deus eſcam omni carni,* iuxta cuiuſque naturam, ac temperamentum, mirâ quærendi ſagacitate. Sed quid eſt, quòd leones poſt dici abſtinentiam, latrante per famem ventre, & rictu hianter rugiente, dicuntur *rapere, & quærere eſcam ſibi*? (quod aliàs alior sùm adnotabamus) Num priùs prædam *rapiunt,* & eam poſteà *quærunt*? S. Hieronymus in Nahũ cap. 2. *Rugientes rapere, & quærere.* Fameſcens Leo rugit præparatus ad eſcam, & vt rapiat eſcam; ſed & captâ prædâ rugit etiam. (*Sicut leo rapiens & rugiens*) Ante prædam, prodens acrimoniam vexantis famis: vbi ceperit, ſeipſum quaſi geſtiendo ad fruendum excitans, & fruendo edendóque ad ſatietatem extimulans. Ita quidem; aſt dum aduncis vnguibus prædam *rapuit*, & ferociente rictu hianter vorat, quid tunc rugitu ambitioſiori *quærit*? *Quæritne* prædam, quam rapuit, quam edaciter vorat, quâ ſeſe ſaginatè ingurgitat? *Rugientes rapere, & quærere*: vel, *rugientes vt rapiant, & quærant eſcam ſibi.* Fameſcens Leonis ingenium, ſit ambitioſæ hominum auaritiæ ethica ſchola. *Rapuiſti*, & quidem à Deo, eſcam tibi? quid adhuc *quæris*, quod iam habes, quo frueris, quo ſaginaris? Non habet, quod habet, qui id quod habet, adhuc auidè exambit. *Rugientes vt rapiant, & quærant eſcam ſibi.* Porrò mundialia bona ſi non concupiſcimus, poſſidemus: concupiſcentia enim illorum amittendorum arbitrium eſt: exindè Leo rugiens, quod iam rapuit, habet, & vorat; adhuc quærit, & quidem moraliſſimè.

*Leo rugiens, dum prædam rapit, & vorat, illam rugens adhuc quærit, quaſi ei poſſeſſione amiſſam.*

S. Hieron.

Pſal. 21. v. 14.

## §. CCXCI.

### *Grauis peccati enormitas enucleatiùs expenditur.*

1. Senec. epiſt. 98.

OMne tempus Clodios, non omne Catones feret. Ad deteriora faciles ſumus, quia nec dux poteſt, nec comes deeſſe; & res etiam ipſa ſine duce, ſine comite procedit: non pronum iter eſt tantùm ad vitia, ſed præceps. Et, quod pleroſque inemẽdabiles facit, omnium aliarum artium peccata artificibus pudori ſunt, offenduntque deerrantem; vitæ peccata delectant. Non gaudet nauigio gubernator euerſo, non gaudet ægro medicus elato, non gaudet orator, ſi patroni culpâ reus cecidit. At contrà omnibus crimen ſuum voluptati eſt. Lætatur ille adulterio, in quod delectatus eſt ipsâ difficultate: lætatur ille circumſcriptione furtoque: nec antè illi culpa, quàm culpæ fortuna diſplicuit. Hactenùs Seneca quò propè vitandorum criminum aditus præcludi videtur; cùm vſque adeò ſit peruium iter ad vitia. Seriò autem nunc præcludẽdus eſt, patrandorum criminum horrore, & grauioris delicti malitiâ coràm oſtensâ. Quod Eſther nunc

*Quàm ſit pronum iter ad vitia.*

Hic v. 17. & 18.





ſtrenuè

ſtrenuè docet, ſed Chriſtus multò viuaciùs.

Matth. 26. & 39.

2. Matthæi 26. cœnâ peractâ venit Ieſus cum diſcipulis in villam, quæ dicitur Gethſemani. *Et progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuam, orans, & dicens: Pater mi,* &c. Nec pugnat quòd orauerit poſitis genibus, vt Lucas ait: quia primò cœpit genibus flexis, dein *procidit in faciem ſuam* humi proſtratus. Sed quare Chriſtus tunc obnixiùs orans, proſtratus in faciem ſuam procubuerit, non vna ab Interpretibus ratio traditur. Alij putant ſic oraſſe, vt ſubmiſſiùs rogaret: alij vt certius impetraret: alij alias cauſſas obtendunt. Et ſanè necdum idonea redditur ratio, quare tunc *procidens in faciem ſuam*, faciem ſuam applicuerit ad terram, quaſi à cælo abſconderit. Quod peregregiè noſter Salmeron, vir ad omnem eruditionem factus, ibidem adnotauit: *Procidit in faciem ſuam, orans,* inquit, & *proſtratus eſt, ne deſolaretur ſtellas ſuo aſpectu perturbato, & præ fœditate noſtrorum peccatorum, pro quibus ſuo ſanguine, & cruce expurgandis precabatur. Erubeſcebat leuare faciem ad Deum, cùm peccata totius mundi ſuſtineret, vt publicanus apud Lucam.* Scilicet Chriſtus Deus in ſe ſuâ diuinitate impeccabilis, & potioris ſanctitatis nitor, alienorum criminum miſericorditer baiulus, & culparum noſtrarum ſqualore fœdatus, *erubeſcit leuare faciem ad Deum; & procidit in faciem ſuam* cùm ſuſtineret totius mundi peccata, *ne deſolaretur ſtellas ſuo aſpectu.* Aſpectus illius; in quem deſiderant Angeli proſpicere, vel flagitiis alienis adeò fœdatur, vt faciem ſuam à cælo abſcondat, *ne deſoletur ſtellas ſuo aſpectu?* Talis apparet Chriſtus Deus dum totius mundi peccata ſuſtinet, vt *in faciem ſuam procidat, ne ſtellas ſuo aſpectu deſoletur?* Audite mortales, audite peccatores.

*Chriſtus noſtra peccata ſuſtinens, procidit in faciẽ, ne ſtellas ſuo aſpectu deſoletur?*

Salm. tom. 10. tract. 12.

Lucæ 18.

Iudith. 5. v. 21. & 22.

3. Iudith. 5. Holofernes Aſſyriæ militiæ princeps, audiens quòd filij Iſraël præpararent ſe ad repugnandum, Ammonitam Achiorem accerſit, rogatque eum, ecquis eſſet ille populus, qualis illius virtus, & quis *rex militiæ* eius, id eſt, belli dux. Tunc Achior, poſt recenſitas victorias, quas Deo duce, de Amorrhæis ſtrenuè reportarunt, tempeſtiuè addit: *Et vſque dum non peccarent in conſpectu Dei ſui, erant cum illis bona: Deus enim illorum odit iniquitatem. Nam ante hos annos cùm receſſiſſet à viâ, quam dederat illis Deus, vt ambularent in eâ, exterminati ſunt præliis à multis nationibus, & plurimi eorum captiui abducti ſunt.* Itaque interrogatus Achior in quonam confideret Hebræus populus vt reluctari præſumeret, aut quis eſſet *rex militiæ* eius, hoc eſt, belli dux; reſpondet, Hebræos virtute & religione duce Amorrhæos viciſſe, & potentes in Heſebon ſtrenuè profligaſſe. At dum in eis vitia, & peccata regnabant, miſerè profligatum, & male conciſum peregrè exterminatum. Pulchrè Alexandrinus Clemens: *Oppugnantur à belli duce peccato* O quot miſeras ſtrages peccatum, truculentus *belli dux* crudeliter edit? ô funeſta atrociter excidia, quæ indies patrata lugemus à peccato *belli duce*, quem animitùs gerimus, alimus, armamus! ô qualem ſibi ſperent periculoſi belli exitum, qui *peccato belli duce oppugnantur*!

*Peccatores oppugnantur à belli duce peccato.*

Clem. Alex. 4. ſtrom. c. 3

Pſal. 9. v. 18.

4. Regius Pſaltes Pſal. 9. ſic acerbè aduerſus peccatores pangit: *Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliuiſcuntur Deum.* Non dira imprecatio, ſed certa prophetia eſt. τὸ *infernum*, pro damnatorum inferno accipit Hieron. Genebr. verò pro *Gehenna*, Rabbini pro infimo Gehennæ loco. Benè notant Interpretes, Hebræã vocem pro quâ Vulgatus habet, *conuertantur*, ſignificare, *reuertantur*, ſeu *redeant*. Hinc grãde dubium ſuboritur, quo pacto peccatores *reuerti*, ſeu *redire* in *infernum* ſiue gehennam dicantur. Adeò vt Didymus *peccatorum* vocabulo (quò difficultatem declinet) Dæmones quoque, non ſolos homines comprehenderit. Euthym. putat, quòd τὸ *conuerti*, ſeu *reuerti*, eſt fugere, & terga vertere, ita vt Deo aduerſus iniquos pugnante, nullum fugiendi finem faciant, priuſquam peruenerint in *Infernum*, quaſi malint vltrò ad Gehennam ire, quàm hîc iratũ aduerſus ſua peccata numen pati. O, ſic atrociter peccata hominem exagitant! Sed adhuc ſupereſt dubium, quomodo peccatores *reuerti* dicantur in infernum. Cardin. Bellarm. ſic inibi locum exponit: *Conuertantur, poſitum videtur pro reuertantur, vt vox Hebræa ſonat. Dicuntur autem peccatores reuerſuri ad inferos, quia indè venerunt, quà peccatores ſunt.* Adhuc explicatiùs id ipſum his verbis ibidem Lorinus tradit: *Hebræum verbum conuerti poteſt, Reuerti, ſeu Redire; quaſi eò redeant peccatores, vnde erant, voluntate, atque moribus; nempè in infernum, & abeant in locum ſuum.* Quaſi Peccatores cùm poſt mortẽ ad gehennam ſeu inferna deſcẽdunt, non tam dicantur illò ire, quàm *redire*, aut *reuerti*, ac ſi infernalis gehenna ſit eorum patria, *quaſi eò redeant peccatores, vnde erãt.* Hæc vitalis aura, & communis reliquis viuentibus terra, recuſat eſſe peccatorum patria, & illorum mater; & à gehennâ oriundos perhibet, vt hoc nomine genitalem ignominiam excuſet. O vide qualẽ nunc gerat vitam, qui cùm poſt mortem, ad infernalẽ dãnatur gehennã, illò nõ tã ire, quàm *redire*, aut *reuerti* perhibetur!

S. Hieron.

Amos 9.

*Peccatores à Deo fugientes in infernum reuerti dicũtur.*

Didym. ibi.

Euthym. ibi.

*Peccator poſt mortem, non tam ire, quàm reuerti ad infernum dicitur.*

Card. Bell. ibidem.

P. Lorin.

5. Siracides Eccleſiaſtici 9. his verbis erudit iuſtos humiles & pauperculos, qui gloriæ peccatorum inuident: Non zeles, inquit, gloriam & opes peccatoris: nõ enim ſcis, quæ futura ſit illius ſubuerſio. *Non placeat tibi iniuria iniuſtorum, quoniã vſque ad inferos non placebit impius.* Senſus eſt: Impiis ſummè placet proſperitas, opes & gloria, cùm omnia illis ex ſententiâ fluunt, illudque quaſi ſummum bonum maximi æſtimant, ideóque vt ea acquirant, iniuriam crebrò faciunt aliis, per rapinas, iniurias, aliáſque iniuſtitias: at tu ſi ſapis, noli illos æmulari, noli tale habere beneplacitum, nec magni facias laudes, vel appetas eorum proſperitatem: *Quoniam vſque ad inferos non placebit impius.* Cui? quam ob rem? Id ſubticet ſacer Hiſtoricus. Sed ex Lyrano & Dionyſio Richelio reſpondet Cornelius, ſic inibi locum exponens: *Impius non placebit Deo in hac vita: at in altera placebit ei, cùm impietatis pœnas luet apud inferos: ibi enim placebit Deo & Sanctis in pœna, iuſtâque vindictâ, qui hîc diſplicuit in culpa.* Ecce tibi qualis, quantáque ſit peccati malitia, quandoquidem peccator Deo ſummè bono, & immẽſè pio, ſic placet in feralibus infernalis gehennæ cruciamentis, quæ vel cogitare animus exhorret. Sat hîc perſtrinxiſſe locum, alibi aliorsùm à nobis expenſum.

Eccl. 9. v. 17.

*Peccator in gubernali pœnâ Deo placere dicitur.*

Lyra. Carthuſ. Cornel.

6. Dauid ille aliquandò ſalaci crudelitate ſceleroſus, ambitioſo pœnitentiæ ſqualore infuſus iam lacrymis, ſic Deo pangit: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* Alij explicatiùs: *Tibi ſolùm peccaui.* Mirũ ſanè eſt, & valdè mirum, quòd qui Bethſabea dehoneſtauit, Vriam trucidauit, ſeipsũ enormiter læſit; dicere audeat, *ſolùm* Deo pec-

Pſal. 50. v. 6.

caſſe,

caſſe, quaſi illum tantummodò peccando læſerit. An vt propheticæ oculis præuidebat redemptionem à corporato Deo, Dei Filio, filio etiam ſuo inquam, tacitè adludit ad ea, quæ Chriſtus ad expungendum etiam eius peccatum paſſus eſt? Metiri hinc potiſſimè licet atrociorem peccati enormitatem. *Agnoſce homo* (Ait Auguſtinus) *quantùm valeas, & quantum debeas, & dum tantam redemptionis tuæ perſpicis dignitatem, ipſe tibi indicito peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro ſtulto ſapientia illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur iuſtitia pro iniquo, miſericordia affligitur pro crudeli, pro miſero impletur ſinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo. Expaueſcit ſcelus hominum natura rerum, & quem creatura rebellis non agnoſcit, eum mundi Dominum tremens terra teſtatur, & cæli regem Sol fugiens confitetur.* Hinc forſan Dauid exclamat, & ſuo, & peccatorum nomine, *Tibi ſolùm peccaui*; & ceteras læſuras huius comparatione negligens, tacitus intermittit.

*Quare dicat Dauid: Deo ſolùm peccaui.*
S. Auguſtin. Ser. 114. de Tem.

7\. Prouerbiorum 5. ſic nos erudit Salomon, vt grauiora peccata innocentiùs auerſemur: *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus* (alij reſtibus) *peccatorum ſuorum conſtringitur.* Quomodo peccata funibus peccatorem cõſtringant, variè à Commentatoribus exponitur. Nonnulli per *funes peccatorum*, connexionem & colligationem peccatorum intelligunt: *De luxuriâ* (ait S. Gregorius 31. Moral. cap. 3..) *cæcitas mentis, inconſideratio, inconſtantia, præcipitatio amor ſui odium Dei, affectus præſentis ſeculi, horror autem vel deſperatio futuri generatur.* O non bonas malitiæ conſequentias! *Impij* (ait inibi Beda) *Funibus peccatorum ſuorum conſtringuntur, cùm inceſſabili augmento ſuæ prauitatis intereunt. Qui enim funem facit, torquendo ſemper, & inuoluendo filis fila adauget. Talis eſt fortitudo malorum operum.* O eneruandum obnoxiùs robur, quod ſceleroſè torquendo conſcientiam, indices homines texunt!

Prouerb. 5. v. 22.
*Peccata ſunt peccatorum fœcundè grauida.*
S. Gregor.
Beda

8\. S. Hilarius de conſuetudine peccandi præfatum locum intelligit: *Modò,* inquit, *funis ex pluribus minimis creſcentis in multum, peccata tanquam longuo fune tenduntur. Sunt enim hæc delictorum vincula, de quibus in Prouerbiis ſcriptum eſt: Faſciis peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur: ſtringit enim nos atque alligat, & his vitiorũ funibus implicat Diabolus, in omni vitæ noſtræ curſu laqueos prætendens.* ô malum! *faſciis* delictorum tanquam pannis infantiæ homines implicat Diabolus, & quaſi *funibus* ſenſim cõſtringit? ô quàm altè in mores deſcendit, & medullitùs hæret, quod à cunis ac *faſciis*, hominibus concreſcit, & vnà adoleſcit! Peccata, quæ etiam in maiori ætate patrantur, velut *faſciis*, ſeu infantiæ pannis quiſque obuoluitur, illíque velut infanti animitùs reconſueſcunt, & velut in naturam ac mores abeunt? Sic peccata ſenibus etiam inoleſcunt, vt illos quaſi infantes *faſciare* dicantur. Verùm præſcripta verba profundiori emphaſi Hebraicè leguntur: *Funibus peccatorum ſuorum* (non ait, *conſtringitur*, ſed) *fulcitur, tenetur in alto, ne cadat.* ô infelicem malorum felicitatem! Funibus peccatorum ſuorum impius fulcitur, ac *tenetur in alto, ne cadat*? Fortunæ beneuolum adriſum putabat impius, quod diu in hâc vitâ felix fuerit, conſtantem in ſublimitatis faſtigio fortunam nactus; at diu felix diuturnam felicitatem, atrocioribus flagitiis, & flagitiorum pœnis abnoxiam, peccatis ſuis debet. quaſi diuturna felicitas ſit peccatorum criminoſior, & pœnalior appendix.

S. Hilar. in Pſal. 118.
*Peccata in maiori etiam ætate, velut faſciis infantilibus conſtringunt.*
Hebræus
*Diuturna malorũ felicitas eſt peccatorum pœnalior appendix.*

---

## §. CCXCII.

### *Qui in viis Dei ambulat, non leuiter timet leue delictum: quod tabes animæ dicitur ſtipula ſpineæ coronæ, & peracerba reprehenſione dignum.*

IN quod vnum toto agimur animo, nondum perficimus. Adhuc in proceſſu vitia ſunt; ſi non illa magna, vnde peſſimi eſſemus, ſaltem leuia, quibus perfecti eſſe non poſſumus. Voluptas omni ex parte tectiùs quæritur. Nullum intra ſe manet vitium: ſi non in publicum impudenter prodit, ſaltem tranſlucet & non dubium ſui initium explicat. Nil ſatis turpe eſt cui al quod eius pretium placet. Inuenit luxuria aliquid dubiè vetitum. Inuenit impudicitia aliquam contumeliam ſibi, quam ſatis rubore demonſtrat. Inuenit ambitio ſegnes diu ſpes, quibus vilitatem ſuam aut conſolatur, aut fallit. Inuenit deliciarum cupiditas aliquid tenerius moliuſque, per quod maſculæ virtutum conſtantiæ non læuis iniuria fiat. Quin & virgo veritas, diſſimulatione, (fraudibus ſæpè confine) ſi non conſtupratur, ſaltem dubiæ pudicitiæ redditur: ciuilitatem excuſat, dum falſitatem ſubolet. Leuia hæc putantur virtutum diſpendia, quæ humanæ vitæ compendio admittuntur; ſed nitorem conſcientiæ non leuiter infuſcant. Nil leue putes quod Deum offendit, quod magno luendum eſt. *Anima negligentius tabeſcit ac defluit*, inquit Emiſſenus. 1.

*Quàm facilè leuis culpa vel bonis viris ſubrepat.*
*Anima negligentius tabeſcit.*
Emiſſ. homil. 4. ad Monach.

Matthæi 7. eos, qui flagitiosè ſcelesti, vel leuiculos defectus in aliis denotant, & audaciori iudicio, & ore maligno de eis garriunt, his verbis Chriſtus Deus ſeueriùs arguit: *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui; & trabem in oculo tuo non vides?* Quæ eſt hæc *trabes* aut *feſtuca* quibus vtriuſque aſpectus deprauatur? Theophilus Antiochenus ſic rem profundè commentus eſt: *Quid vides feſtucam &c. Hoc autem,* inquit, *ad eos ait qui malè viuentes audent cum ſimplicioribus de lege contendere; quorum ab oculis ſtipulam coronæ Dominicæ mundare nituntur, & in ſuo trabem non ſentiunt crucis.* Alibi expendebamus quo pacto in oculis temerè iudicantium crux figatur. Et vide nunc mihi, quòd leuis defectus *feſtucæ* nomine ſignificatus, *ſtipula coronæ Dominicæ* nuncupatur. Leue tibi videtur quod ſic probroſè ſacroſancta Chriſti Dei tempora acerbè pungit, terebrat, cruentat? Quam leuiculam cenſes culpam, ſi illam conſultiore trutinâ pendas, & attentiùs examines, ſpina eſt coronæ Dominicæ, ſanctum Chriſti Dei caput peracerbè cruentans. Heu venialis defectus, leuis putatur; ſed feſtuca eſt, & *ſtipula coronæ Dominicæ*, cruentâ ſpinoſitate, & contumelioſâ acerbitate Chriſti Dei caput moleſtè compungens. Fateor graue ſcelus, & ſceleroſum flagitium, Cruci aſſimiletur; at defectus leuis, quippè qui per neglectum ſæpè committitur, *Stipula coronæ Dominicæ* nuncupatur: ſpineâ enim coronâ quaſi per irriſionis pompã, Chriſti caput acerbiùs redimitur. 2.

Matth. 7. v. 3.
Theoph. Antioch. l. 1. Comment. in Euang.
*Leuis defectus ſpinea coronæ Dominicæ comparatur.*

3. Pſal. 127. v. 1. Pſalmo 127. ſic pangit regius Vates: *Beati omnes qui timent Dominum qui ambulant in viis eius.* Quid non timeat, qui à viis mandatorum Dei errabundus exorbitat, & per tritos ambitionis, luxuriæ, & errorum calles incedit; quandoquidem qui mandatorum veſtigia premit, & in viis Dei ambulat, ſic trepidè metuit? Imò miriſſimum eſt, quòd ſic timeat, qui in viis Domini benè incedens, rectè pergit in cælum; & per mandatorum obſeruationem olympiæ patriæ in dies appropinquat. S. Zeno Veronenſis præſcripta Pſalmi verba elucidans, ita ad rem ſcribit: *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius, oſtendens non ex trepidatione noſtrâ, quia nec timoris eſt auctor in ceteris, neque ex terrore eius, qui terribilis ſit, beatos eſſe qui timeant, ſed ex eo quòd in viis Dei incedant: timor enim non in metu, ſed in obedientiâ eſt, & timoris teſtimonium eſt obſequela.* Ecce tibi, ex timore Domini venit, quòd in eius viis iuſtus ambulet, hoc eſt diuinis mandatis exactiùs obtemperet: nam timoris teſtimonium eſt mandatorum obſequela. Sed adhuc timet, dum ex Dei timore mandatis paret, ne fortè à perfectâ illorum obſeruantiâ tantiſper declinet, & vel leuiter exorbitet. Nam ex Dei timore etiam dum obedit, adhuc timet, non Deum peccatoribus terribilem, & gehennæ minas ſeueriùs fulgurantem: *timor enim non ex metu ſed ex obedientiâ eſt.* dum, quia in viis Dei ambulat, & diuinis præceptis obedit; non amittit, ſed mutat timorem; illum timorem aſſumens, qui non ex præcepti violatione, ſed ex mandati *obedientiâ* eſt. O bonus ex præceptorum *obedientia* timor, qui vel leuem in obſequelâ defectum veretur; qui ne tantillum deflectat, ſollertiùs præcauet! Timor comminatæ gehennæ ſenſim Iuſtos faciat: at Iuſtorū timor, qui *non ex metu, ſed ex obedientiâ eſt*, Beatos facit, *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius.* Leuis eſt in obſequelâ defectus, quem Iuſtus timet, ſed non leui timore indè concutitur; ne vel leuiter exorbitet, & felici hâc beatitate à Dauide promiſsâ, quoquo modo fraudetur.

S Zeno ſer. in Pſal. 127.

*Beatus eſt, qui in mandatorū obedientia timet*

4. Ioan. 4. v. 48. Ioannis 4. erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cùm audiſſet, quia Ieſus aduenìſſet in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum vt deſcenderet, & ſanaret filium eius: incipiebat enim mori. *Dixit ergò Ieſus ad eum: Niſi ſigna & prodigia videritis, non credetis.* Si ſpecie tenus vibretur cenſura, hæc Chriſti reprehenſio valdè intempeſtiua videtur. Nam vt rectè arguit Chryſoſtomus: *Quòd Regulus venerit, & quòd rogabat, eius fidei eſt argumentum. Prætereà hoc teſtatur Euangeliſta. Nam cùm diceret Ieſus: Vade, filius tuus viuit, credidit homo ſermoni, & ibat. Quid ergò ita Chriſtus reſpondit?* Quid ergò Regulus quaſi fidei inops, infidelitatis arguitur? Luculenter reſpondet idem Chryſoſtomus: *Itaque licet Regulus crediderit, non tamen firmiter, neque integrè: quòd ſciſcitando ſeruos demonſtrauit, quâ horâ reliquerit filium febris.* Nempè tametſi Regulus fide acceſſit ad Ieſum: cui dicēti quòd filius eius viueret, etiam credidit, dicente Euangeliſtâ: *Credidit homo ſermoni, quem dixit ei Ieſus, & ibat.* Quia tamen occurrentibus ſeruis, ac gratulantibus de ſalute filij, Regulus *interrogabat horam ab eis, in qua meliùs habuerit*, ex hâc leui dubietatis vmbrâ, vel potiùs curioſitatis documento, qui verè credidit, ſic deuenuſtauit credulitatem, vt quaſi incredulus tractaretur, adſtante Chriſto: *Niſi ſigna & prodigia videritis non credetis.* En quam graui feritur mulctâ, quod leuis culpa videtur. Vel tantilla titubationis apparentia, & citiſſima curioſitatis vaneſcentia, quâ Regulus credens verbis Chriſti, vix præ exuberanti gaudio, dilecti filij ſanitati credebat; ac ſi foret incredulus audit: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non credetis.* Ne iam leue putes, quod tam magno luitur.

S. Chryſoſt. ibi homil.

*Leuis Reguli titubatio, non leuiter reprehēditur.*

Ioan. 4. v. 52.

5. Matth. 20. v. 13. & 14. Matthæi 20. ille pater familias in vineâ ſuâ excolendâ impaucis ſollers, ſingulis penè diei horis ad vineam ſuam excolendam operarios mittit. Primi obmurmurant querulì, quòd ſingulos tantùm *denarios* acceperint, cùm eadem mercede *nouiſſimi* operarij muneratì ſint: At Pater familias reſpondens vni eorum, dixit: *Amice non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conueniſti mecum? tolle quod tuum eſt, & vade.* Plures ex ſanctis patribus, & interpretum Summatibus, per hunc *denarium* ſingulis operariis tributum, vitam æternam, id eſt, beatitudinem interpretantur. Vnde hæc operariorum obmurmuratio, quæ vitæ æternæ meritum non excuſſit, leue cenſetur delictum, & quod dignitatem ad beatitudinem non excludat. Hinc non leuis exurgit difficultas, quo pacto hinc inconſultus obmurmurator, ad quem dirigitur ſermo; ex Dei ore, quem hic Pater familias repræſentat, auſterum hoc verbum audiat: *Tolle quod tuum eſt & vade.* Quid eſt, *Vade?* A ſe Deus ablegat, quem merito beatitudinis muneratum videt? Quaſi reiectaneum à ſe dimittit, quem & ore *amicum* vocat, & tam opulento meritorum *denario* munerat? Exindè putat Hugo ex gloſſa interlineali, hoc verbo æternæ damnationi addici eiuſmodi operarios. *Tolle, id eſt, tollens quod tuum eſt, ſcilicet pœnam æternam, quam meruiſti, vade, id eſt, vades in ignem æternum.* Verùm ipſe Hugo animaduertens, quòd ipſe nuper *denarium* pro vitâ æternâ acceperat ex communi Interpretum; aſperitatem vocabuli, *Vade*, blandiùs ex Hieronymo emollit: *Vade, id eſt, perſeuera in adeptâ iuſtitia.* O quàm eget auſterâ hâc obiurgatione, & graui ad gratiæ perſeuerantiam admonitione, qui accepto etiam denarij merito, & Dei *amici* glorioſo vocabulo, leuiter delinquere non veretur! *Vade, id eſt, perſeuera in accepta iuſtitia*, nam multiplex leue delictum, ſi non excuſſio, gratiæ titubatio eſt, dum ad graue peccatū haud leuiter diſponat. Quo ſenſu dixit Auguſtinus: *Minuta peccata, ſi negligantur, occidunt: minutæ ſunt guttæ, quæ flumina implent.*

*Quàm auſteris verbis leuiter delinquentes à ſe ablegat Deus.*

Hugo Carenſ. ibi.

S. Hierony. apud Hugonem.

S. Auguſt. Tract. 12. in Ioan. & alibi ſæpè.

6. Ierem. 15. v. 25. Ieremiæ 15. Ex quo ſtudioſiùs Deo ſeruire cœpi, (ait Propheta) *Non ſedi in concilio ludentium.* Ecquod tam graue ſcelus foret, virum etiā ſetium & prophetam, cum *ludentibus* aliquandò ſediſſe? Adeò erit homo vitæ exul, & mundi inops, vt nullo tempore mundanis luſibus leuiter duntaxat noxiis ſeſe non admiſceat? ô ex leui luſu non leuis metus! *A Propheta, vel à viro ſancto hæc dicuntur*, (ait Strabus Fuldenſis) *qui non ſedit in concilio ludentium. Præſtet nobis Dominus non ſedere in concilio ludentium, & eorum qui futura non cogitant.* Scilicet aliqua rerum mundialium ambitio, & titillans leuiter cupiditas, *ludus* dicitur, ſed grauiter ſenſim deprauat, & ex leui morbo ad hunc lethargum deducit. Scitè Clemens Alexandrinus: *Neque enim*, inquit, *ludi ſunt cupiditates, quæ ad morte afficiendum*

*Non ſunt ludi cupiditates, quæ ad blandè nocēdum immiſericordes ſunt.*

Strab. ib.

Clem. 3. Pædag. c. 12.

adeò

*adeò ſunt immiſericordes.* Heu ſic de blandè ludicro ad mortiferè ſerium cupiditas ducit! leuem putas luſum, & leuem ex eo noxam contemnis, & quaſi leuem contemptim cupiditatem negligis. at *cupiditas* leuis, quæ *ludus* nominatur, (ſic Hiſpanè dicimus; *Es coſa de riſa, es entretenimiento*) ludus non eſt, quæ crudeliter *immiſericors* eſt. Dum quaſi per *ludum* leuiter fallit, grauiores cædes & mores, & animæ funera tectiùs cogitat, & ſæuius infligit. *Neque enim ludi ſunt cupiditates, quæ ad morte afficiendum adeò ſunt immiſericordes*, ô vel in modicis time grauiter immiſericordem cupiditatem!

7. S.Chryſoſt. *Studioſiúſne ſunt vitanda veniales culpæ, quam mortalia delictaꝰ cur?*

Paradoxo ſimilis illa Chryſoſtomi ſententia, homil. 88. in Matthæum: *Mirabile quiddam atque inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnunquam non tanto ſtudio magna videri peccata eſſe vitanda, quanto parua & vilia, illa enim vt auerſemur, ipſa natura peccati efficit: hæc autem hâc ipſâ re quia parua ſunt, deſides reddunt; & dum contemnuntur, non poteſt ad expulſionem eorum animus generosè inſurgere. Vnde cito ex paruis*

Eccli. 19. v. 1. S.Anſelm.

*magnâ ſiunt negligentiâ noſtrâ.* Porrò Siracide vox eſt: *Qui ſpernit modica paullatim decidet.* Indidem ſcribit S.Anſelmus epiſt. 6. ad Monachos Ciſt. *Certiſſimum námque eſt, quòd in multis Eccleſiis experimento didicimus, quia in monaſterio vbi minima diſtrictè cuſtodiuntur, ibi rigor monachorum inuiolabilis manet. Vbi verè minimi exceſſus negliguntur, ibi totus Ordo paullatim diſſipatur, & deſtruitur.*

8. Rupert. l. 1. in Ioann. *Si Ioannes verbum otioſum diceret, tota lingua difloreſceret?*

Rupertus Tuitienſis Abbas tractans de vitâ Angelorum æmulâ, quam in eremo Ioannes agebat; peridoneam his verbis rationem reddit: *Ne pulchritudo oris, à quo primum audiendum erat teſtimonium gratiæ & veritatis, aliquo modo defloreſceret loquendo aliquid vani, aut otioſi ſermonis.* Ioannis lingua, qui gratiæ flos eſt, ſi otioſum illi verbulum incautè excideret, aliquo modo *defloreſceret*? O quot ſanctitatum fructus eiuſmodi

Hic v. 17. & 18.

*defloratione* marceſcerent! Quàm multa quàm paucis compendiauit Rupertus! Hinc metiri licet, quàm vel eximiæ ſanctitati defectus leuiculus noceat. Liceat etiam admirari quàm ſe geſſerit cautè Eſther regina, ne vel leuiter deliquiſſet.

---

## §. CCXCIII.

### *Perſæpè qui ad magnas difficultates ſtrenue eualet, modicis imbecille vritur, cedit, ſuccumbit.*

1. Seneca l. 3. Natur. qq. c. 30. *Sine magiſtro vitia diſcuntur.*

*Citò nequitia ſubrepit, virtus difficilis inuentu eſt, rectorem ducémque deſiderat, etiam ſine magiſtro vitia diſcuntur.* Verùm ſanabilibus ægrotamus malis, ipſáque nos ad rectum genitos natura, ſi emendari velimus, ductu rationis iuuat. Non vt quibuſdam viſum eſt, arduum ſemper in virtutes, & aſperum iter eſt, plano etiam aliquandò adeuntur. Sed nos pigre deſides, & inerter

*Patientia maioribus præparata, in friuolis excidit.*

imbecilles, in plano etiam offendimus, & paſſim impingimus. Imbecillæ atque ægræ mentis eſt, formidare inexperta, & falſâ difficultate terreri. Ita cogenda eſt mens, vt incipiat, & vel mo-

Tertull. de Patient. c. 8. Hic v. 17. & 18.

dica ſtrenuè audeat. Deindè non eſt acerba medicina; protinus enim delectat, dum ſanat. Aliorum remediorum poſt ſanitatem voluptas eſt, virtus pariter ſalutaris & dulcis, ſi illius propoſitum animosè ſuſcipias. Facile illam capeſſet, qui facilibus non terretur, qui nec modicis cedit, nec minimis ſuccumbit. Velis, & poteris. Appoſitè Tertullianus: Ipſam, inquis, animam, ipſumque corpus in ſeculo iſto expoſitum omnibus ad iniuriam gerimus, eiúſque iniuriæ patientiam ſubimus: *minorum deliberatione* (alias *delibatione*, aut *delibratione*) *lædimur? Abſit à ſeruo Chriſti tale inquinamentum vt patientia maioribus tentationibus præparata in friuolis excidat.* Vide nunc an Eſthere exciderit.

Ionæ 4. poſtquam in vrbe Niniue minaces excidij voces Propheta buccinauit, ex vrbe egreſſus eſt. Nox erat media, & vireſcens colocyntha in faciem tecti explicata Ionam circumtegebat, & quoddam veluti pratum penſile ſupra caput elatum erat, atque vndique flores fructúſque expanſi ad delicias vſque ſpectabantur, proiectóſque Solis radios vice muri frangebant. Spectando Ionas oblectabatur, ipſius triſtitiam minuebat flos, animúmque lætitiâ perfundebat herbaceus viror tuguriolo appoſitè circumfuſus. Vt ergò Deus Ionam colocynthæ lætitiâ capi vidit, mittit vermem, & corroſu inopinato ſiccatur eueſtigiò planta, citiùs perit, quàm germinauerat. Ecce tibi tecto nudatur Propheta, & extemporario tuguriolo priuatur, æſtuánſque flamma dum acriùs adſpirat, caput adurebat, animi conſternatio voluptatem excepit. Itaque *percuſſit Sol ſuper caput Ionæ, & æſtuabat, & petiuit animæ ſuæ vt moreretur, & dixit: Melius eſt mihi mori, quam viuere.* Miriſſimum ſanè eſt, tantum Prophetam tantâ animi conſternatione ob leuiculam occaſionem concidiſſe. Sic vritur modicis, qui ad magna nuper alacris eualebat? Qua ſuper re ita ibi opportunè Sanctius: *Et petiuit animæ ſuæ vt moreretur, &c. Præparauit Dominus antè piſcem, in cuius ſtomacho grauiùs vrebatur, & coquebatur, quàm nunc à ſole, atque vrente vento, & tamen tunc orabat pro vita: nunc quia æſtum illum ferre non poteſt, mortem optat, dum ab ea moleſtia liberari contingat. Sed cur doles de æſtu, cùm illum ea ratione vitarent Niniuitæ, quā ipſe habuit, neque minùs promptam? Cur areſacta hedera, non ſubit ſpeluncam, aut vrbem ingreditur, vbi ad calorem euitandum, magis erant apta diuerticula?* Vides quàm inerter ſuccumbat modicis, qui ad magna nuper eualebat ſtrenuè. In vaſti ventro ceti acriùs vritur, coquitur, & penè digeritur beſtiali ſtomachi foculo, & tunc Propheta periculo maior, alacri fide vitam expetit, precatur, extorquet: & nunc ad Solis æſtum expromptiùs vitabilem animo cadit, nauſeat ad vitam, & mortem exoptat, ſupplicat, arceſſit? Sic modicis ſuccumbit, qui ad magna ſic eualet? O pudor! Nolle in cauſſa eſt, & non poſſe prætendimus. Velis, & poteris.

Ionæ. 4. v. 8. (2.)

Sanct. ibi. *Ionas ad magna eualens, modicis vritur, cedit, ſuccumbit.*

Matthæi 10. Chriſtus Deus ad pietatis opera homines ſeriò adhortans, ſic Euangeliſtæ ore fatur: *Quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ ...... amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Rem vſqueadeò modicam ac facilem, iam ſeriò Chriſtus mandat, gratam Deo fore, nec fore non muneratam denunciat? Hinc Agypius apud Iſidorum Peluſiotam, egregie deceptus eſt, dum indè cenſeret, ſatis eſſe iis, qui diuitiis luxuriant, poculum frigidæ egentibus porrigere. Abſurda ſanè immiſericordiæ excuſatio, & auaritiæ defenſio. Longe alia eſt Chriſti mens, quam alij aliter verſant. P. Ioannes

3. Matth. 10. v. 42.

Peluſ. lib. 4. epiſt. 118. *Cur calix aquæ frigidæ, non calidæ, à nobis donandus exigitur?*

M. Donatus

Maldon. ibi. Maldonatus, ſic ad rem locum exponit: *Ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, &c. Proponit perſonas abiectiſſimas, & rem vtiliſſimam calicem aquæ, & aquæ non calidæ, quæ ſine impenſa ignis calefieri non poteſt; ſed frigidæ, qualis natura ſua manat ex fonte.* Ecce tibi quale mundatum tam ſeriò Chriſtus condat, & euulget, qualiter ad rem faciliimam homines impensè adhortetur, nempè ad donandum ſitientibus poculum aquæ, & aquæ non calidæ, quæ ſine impensâ ignis calefieri non poteſt, ſed frigidæ, qualis abſque vllâ impensâ aut curâ ex fonte naturaliter emanat. Viliſſimum egenum aſſignat, ne rem viliſſimam largiri pius largitor erubeſcat. O hominum ſæpè ad virtutem ſocordiam! Quid grauaris facere rem obuiam, facilem, expromptam? Quid difficultates plerumque fingis in re facilè parabili? Velis, & poteris.

4. Actorum 26. capitalem cauſſam Paullus apud
Actor. 26. v. 24. Feſtum præſidem agit. Re probè cognitâ, & detectis accuſatorum technis, ab eorum manibus eum ſatagit liberare. Inde regem Agrippam aduocat ad iudicium, vbi Paullus pro ſe, id eſt, pro Chriſtianæ religionis causſâ eloquenter diſſerit, de ſcholâ cæli ſapienter eruditus. *Hæc loquente eo, & rationem reddente, Feſtus magna voce dixit: Inſanis Paulle, multæ te litteræ ad inſaniam conuertunt.* Grande hinc oritur inter Commentatores litigiũ cur præſes Feſtus hactenùs erga Paullum benè animatus, ſic derepentè immutatus ſit, vt probroſo clamore Paulli, id eſt, fidei defenſionem ſiſtat, Apoſtoli vitam periculo exponat, & propagandi Euãgelij negotium inquieret? Oecumenius præſcripta Actorum verba elucidans, ita ſcribit: *Quoniam ad regem* Agrippam *ſemper verba dirigebat, commotus eſt aliquantum Feſtus, & libertatem imitus ex animi perturbatione & ira, Inſanis inquit.* Vide ex quantulâ infeliciter occaſiunculâ, & vita Paulli periclitatur, & res Chriſtiana turbari incipit. Feſtus alioqui beneuolus ob ieiunculam Paulli cauſſam, inurbanitatis malè ſuſpectam, grauiter commouetur, grauatè nimis ferens, aut ad regem Agrippam ſermonem dirigi, aut Paullum de re Chriſtianâ ſe coram magnâ cum *libertate* agere. Qui totius Reipublicæ pondus ſuſtinebat, impar eſt ſuſtinendo, Paulli ſermonem ad Regem dirigi, aut ſtrenua libertate Euangelium prædicari. En quàm futilis ac friuola occaſio qualem rem perturbet, inquietet, & propè euertat. Euertiſſet forſan niſi Apoſtolus medelam peridoneam e veſtigio adhibuiſſet.

*Feſtus ex leui occaſiuncula rẽ Chriſtianam inquietat.*

Oecum. ibi.

5. Iſaiæ 53. euangelicus hic Vates peracerbam
v. 7. æquè ac probroſam Chriſti Dei Paſſionem, eiúſque miriſſimam tolerantiam, & in patiendo taciturnitatem, tam expreſsè deſcribit, ac ſi non Prophetæ, ſed Euangeliſtæ partes ſuſcepiſſet: oblatus eſt, inquit, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet.* Eſt quidem in vtraque comparatione peridoneum ſymbolum eius, qui in dolore & iniuriis animum habet infractum, mite, ac pacatum, & longè ſuperiorem aduerſis, quem nobis proponit Iſaias in agno; quem dum agreſtis tonſor non ſolum nudat naturali velleris tegumento, ſed interdum etiam deglubit, & lacerat; ſilet tamen, neque ſibi aliquam iniuriam inferri, aut queritur, aut dolet. Hactenùs ferè Sanctius, & quidem optimè. Verùm forſan aliquis vrbanam Iſaiæ dictionem ſugillabit, quòd oratio enormiter videatur decreſcere. Priùs ductus mutæ ouis ad occiſionem ponitur, & poſtmodum agnus velut elinguis, & ſine voce coram tondente ſe? Ouis ad macellum, id eſt, ad lanienam ducitur; agnus verò vt tondeatur. Eſtò, eum agreſtis tonſor tondendo vellicet, & pungat, quod tunc agno ingratum eſt: aſt quid hoc eſt comparatum cum ouis dolore, morte, lanienâ, cùm ad occiſionem ducitur? Quorsùm tam diſpar cruciatus parili comparatione proponitur? An quia aliquandò minor difficultas, & calamitas parùm toleratu ardua, magis terret, ferit, conſternat? O quoties paruis ſuccumbit, qui alioqui ſtrenuos Spiritus ad magna quæque animoſus alit! In conſimili tormenti & calamitatis lineâ ponitur, & *ouis ad occiſionem ducta, & agnus coram tondente ſe obmuteſcens.* O parilitatem ſententiosè moraliſſimam!

*Ouis ad occiſionem ducta, [illegible] agnus [illegible] tondente ſe obmuteſcens in [illegible] difficultatis [illegible] ponitur!*

Prouerbiorum 5 ſic monet Salomon: *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* S. Irenæus lib. 3. cap. 10. pro *funibus* habet, *reſtibus*, quibus *conſtringitur*, ſeu *ſuſpenditur*, vt excribit Rabbi Salomon. S. Hilarius in Pſalm. 118. lit. *cheth*, luculenter hos peccatorum funes exponit: *Modo funis, inquit, ex pluribus minimis creſcentis in multum, peccata tanquam longo fune tenduntur. Sunt etiam hæc delictorum vincula, de quibus in prouerbiis ſcriptum eſt: Faſciis peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur: ſtringit enim nos atque alligat, & his vitiorum funibus implicat diabolus, in omni vita noſtra curſu laqueos prætendens.* Ecce tibi ex *minimis*, quibus cedit homo, & illis valenter reluctari imbecillè negligens, torquetur funis, & materiatur laqueus, quo tandem ſuſpenditur. Ne potes *minima*, quibus ægrè reſiſtis; & quæ ad maxima ſenſim alliciunt, & pertrahunt. Et nota modum loquendi Hilarij in huius loci tranſlatione: non enim excribit cum Vulgato, *Funibus peccatorum*, &c. Sed, *Faſciis peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur.* Opinor, *faſciari* proprium infantium eſt. O pudeat viros infantilibus *faſciis* peccatorum ligari, conſtringi, comprehendi, atque *ſuſpendi*. Facile infans ætate imbellis, *faſciis* conſtringi poteſt; indecorè autem propudioſum eſt, virum in robuſtâ virtutis iuuentâ, *faſciis* infantilibus, velut funibus, reſtibus, aut rudentibus illigari, præpediri, ſuſpendi. O non cedamus *minimis*, nec *faſciis* tanquam pueri conſtringamur! Euales ad magna, & ad *minima faſciatus* es? O pudendos centum annorum pueros!

8. Prouerb. 5. v. 22. S. Irenæus Rab. Salom. S. Hilar.

*Faſciis peccatorum ſuorum quiſque velut infans conſtringitur, quare?*

Præſcripta Salomonis verba: Iniquitates ſuæ capiunt impium, *& funibus* (ſeu *reſtibus*, ſiuè *faſciis*) *peccatorum ſuorum conſtringitur*, ſiue *ſuſpenditur*, Hebraicè, *tenetur in alto ne cadat*; aliter S. Iſidorus ad rem præſentem excribit, & exceptione exponit, in lib. 2. de offic. Eccleſiaſt. c. 16. *Qui pœnitentiam agunt, inquit, & capillos & barbam nutriunt, vt demonſtrent abundantiam criminum, quibus caput peccatoris grauatur; ſicut ſcriptum eſt: Crinibus peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur.* Crines appellat Iſidorus, quos Vulgatus, *funes*, Irenæus, *reſtes* nuncupat; O quàm eſt facile, & cuique expromptum, vnum capillum, ſeu *crinem* vnum præcidere! Ecquis eſt tam infirmè imbecillus & eneruis, qui vnum *crinem* rumpere non valeat? quis vno *crine* conſtringi inuitus patiatur? O humana imbecillitas ad *minima* præcidenda! Vnus illi *crinis*, tanquam *reſtis*, aut *funis* eſt. *Crine ſuſpendi*, velut infelix iuuenis

8. Prouerb. 5. v. 22. Hebræus. S. Iſidorus.

*Crinibus peccatorũ, quaſi reſtibus quiſque conſtringitur, atque ſuſpenditur.*

uenis Abſalon, mauult, quàm tantillùm adniti, vt illum feliciter abrumpat, & ſe tot crinium laqueis expediat? In crinibus vires Samſonis reſidebant, & tota roboris valentia; & *crinibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur*, & tanquam *funibus ligatur*, *tenetur*, atque *ſuſpenditur*.

## §. CCXCIV.

### *Aliquis faſtus gratiæ eſt, vt nuſquā magis quàm in minimis tota eſſe videatur*

1. Seneca l. 2. de Irâ. c. 27. SI voluerimus æqui omnium æſtimatores eſſe, hoc primum nobis ſuadeamus, Neminem noſtrum eſſe ſine culpâ. *Quis eſt iſte qui ſe profitetur omnibus legibus innocentem? Vt hoc ita ſit, quam anguſta innocentia eſt, ad legem bonum eſſe? Quantò latiùs officiorum patet, quàm iuris regula? Quàm multa pietas, humanitas, liberalitas, iuſtitia, fides exigunt? quæ omnia extra publicas tabulas ſunt.* Multa exigit virtus, quæ tamquam minuta publicæ leges intermittunt. Nil modicum puta, ſine quo nihil magnum conſtat. Verè conſummatus, perfectus, & magnus eſt, qui in minimis (quæ etiam lex negligit, & redundantia pietatis exigit) virtuti adulantiùs blanditur. *Huius vita* (ait Petrus Dami.) *donec executor, ſic ſe per maiora opera, ex deſiderij feruore dilatet, vt etiam cautus, quæ ſunt minima, non relinquat.* Quod nunc Eſther abunde præſtitit, ſic intentiùs etiam in minimis cauta.

*Anguſta innocentia eſt, ad legem bonum eſſe.*

B. Petr. Da. Opuſ. 15. c. 1. Hic. v. 17. & 18.

2. Matth. 5. v. 19. Matthæi 5. ad Chriſtianam perfectionē Chriſtus Deus diſcipulos (& in eis fideles omnes) adhortans, ita fatur: Nolite putare quoniam veni ſoluere legem aut Prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Quid tam exactum, quàm omnes etiā legis apices obſeruare? E mox ſubdit: *Qui ergò ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Quaſi dicat Chriſtus: Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, quæ ego veni non ſoluere, ſed adimplere; in regno cælorum vocabitur *minimus*, id eſt, *nullus*, vt ex Chryſoſtomo Theophylactus commentatur: ne aliquis in cælo putetur eſſe locus ei, qui vel *minima* negligit in virtutis ſtudio (quod qualiter ſit intelligendum, alibi perſtrinximus) Quid cauſſæ eſt cur Chriſtus Deus, nouus in terris Magiſter è cælo lapſus, tam ſollerter intentós nos eſſe cupit ad hæc in re virtutis mandata *minima*, aut maiorum mandatorum lacinias? An non præſtaret, vt omnes contenderet præceptionis & perſuaſionis neruos, quò maiora, grauiora, & ſanctiora fortiùs ſtabiliret, & robuſtiùs fundaret? Quid tam ſedulus *minimis* impenditur? Opinior, ad *minima* ſolicitiùs incumbere, faſtus quidam gratiæ eſt, ſicut & arcana quædam naturæ arrogantia. Quā ſuper re Princeps naturalis hiſtoriæ ſic eloquenter ſcribit, hoc pulchro epiphonemate ſubtilium animaculorum tractationem auſpicatus: *Rerum natura nuſquam magis quàm in minimis tota eſt.* In magnis, ſiquidem corporibus, aut certè maioribus, facilis officina ſequaci materiā fuit. In his tam paruis, atque tam nullis, quæ ratio, quanta vis, quàm inextricabilis perfectio? Vbi tot ſenſus collocauit in culice? vbi viſum in eo prætendit? vbi guſtum applicauit? vbi odoratum inſeruit? vbi verò truculentam illam, & portione maximam vocem ingenerauit? quâ ſubtilitate pennas adnexuit? prælongauit pedum crura? diſpoſuit ieiunam caueam vti aluum, auidam ſanguinis, & potiſſimùm humani ſitim accendit? Telum verò perfodiendo tergori, quo ſpiculauit ingenio? atque vt in capaci, cùm cerni non poſſit exilitas, ita reciprocâ geminauit arte, vt fodiendo acuminatum pariter ſorbendóque fiſtuloſum eſſet? Hactenùs ille. In magnis ſanè corporibus facilis officina ſequaci materia eſt: at horum ſubtilium animaculorum ſic eſt argutè ingenioſa fabrica, vt *rerum natura nuſquam magis quàm in minimis tota ſit.* Subtiliores haſce naturæ argutias æmulari, quidam diuinæ gratiæ faſtus eſt, ad Euangelicæ perfectionis faſtigium præclarè conſummandum. *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui ergò ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, minimus (id eſt nullus) vocabitur in regno cælorum.* Tanta, támque ſollers Chriſto ineſt de *minimis* cura? Non negliguntur magna præcepta, quorum violandorum ipſamet magnum terrorem incutiunt, & vel hiantis gehennæ metus eorum obſeruandorum expromptior officina eſt. Idcircò eloquentior Chriſti perſuaſio, & officioſior ipſius gratia, *nuſquam magis, quàm in minimis tota eſt.*

*Gratia faſtus eſt, quòd nuſquam magis quàm in minimis tota eſt.*

Chryſoſt. Theophyl. ibi.

Plinius lib. 11. c. 2.

3. Actor. 20. v. 23. Actorum 20. Epheſiorum ſeniores Mileto acceerſitos, his verbis Paullus alloquitur: Et nunc ecce *alligatus ego Spiritu* vado in Ieruſalem, quæ in eâ ventura ſunt mihi, ignorans: *Niſi quòd Spiritus ſanctus per omnes ciuitates mihi proteſtatur, dicens: quoniam vincula & tribulationes Ieroſolymis me manent. Sed nihil horum vereor.* Quaſi dicat Paullus ad Epheſios: Ne flebiliter doleatis, quaſi interficiendus ſim Ieroſolymis. Leuiora me manent: nam à Spiritu ſancto didici, & Spiritu ſeu cogitatione concepi, carceres, catenas, & ſupplicia Ieroſolymis me manere; non mortem, quantumuis aduerſus me Iudæi tendeant. Hoc ergò Spiritu aut inſtinctu, ſeu cogitatione, *alligatus* ducor in Ieruſalem. S. Valerianus epiſcopus Cemelienſis copioſè agens de bono martyrij, ſic deſignatos, & in carcere diu detentos martyres alloquitur: *Nemo ergò diffugiat, ſi ita vſus fuerit, ſonitus catenarum, & tenebroſis ſedibus otioſa ſupplicia, in vſus impiorum parata, neruorum.* Vide quàm contemptim Valerianus depretiet, quæ martyrij candidatus patitur in auſpicia martyrij. Carceres enim, catenas, & ſpectata tormentorum inſtrumenta ſententioſè appellat *otioſa ſupplicia*: aut quia *otiatur* patientia martyris, hians duriora ſupplicia; aut quia per *otioſè* prolixas Tyrannorum ſeu torquentium moras, martyr priùs cōſecratur pœnarum auiditate, quàm torquetur ſuppliciorum immanitate: aut quia carceres & catenæ, tanquam martyrij præludia, & patiendi auſpicium, martyr ſtrenuè ſubit quaſi *otioſa ſupplicia*, & ab actuosâ parte à tolerantia ſecilia quę, martyr ſic leuia & modica putat, vt *otioſa ſupplicia* reputet. Sic in his minimis, ſeu *otioſis ſuppliciis* exultim ludit inuicta patientia martyrum ad atrociora quæque expromptiùs paratiſſima. Sic patientia martyris *nuſquam magis quàm in minimis tota eſt*, vt hæc tanquam leuia, modica, minima, & *otioſa ſupplicia* reputet! Sic Paullus

*Quare vincula & carceres appellentur otioſa ſupplicia.*

S. Valer. hom. 16.

alligatus

*alligatus ſpiritu* ſtrenuè accingitur ad hæc minora fortiter toleranda!

*Patientia Chriſtianorum aduerſarios frangit, & exarmat.*

*2 Cor. 12. v. 9.*

4. 2. Corinth. 12. ait de ſe Paullus: Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſatanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: *nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.* Multa multi ſuper hâc Paulli *infirmitate*, quæ virtutē aut perfectam inuenit, aut facit. *Virtus mea*, ait Chryſoſtomus, *in infirmitate perficitur, cùm videlicet vos perſecutionem patientes, eos, qui vos perſequuntur, frangitis ac ſuperatis, cùm iactati atque vexati de his, qui vos vexant palmam refertis: cùm vinculis adſtricti eos, qui flagris vos cædunt in fugam vertitis.* Aliter Ambroſius inibi ait gloriandum in infirmitatibus eſſe, quia res aduerſæ Chriſti ope mitigantur, *dulcèque eſſe pro Chriſto cædi, & ab eodem curari, plus enim addere medicinam Chriſti ad ſalutem, quàm infirmitas detrahit ſanitati. Quocircà paullò pòſt dicit: Cùm infirmor tunc potens ſum: ibi enim maximè diuina vis cernitur, vbi deeſt humana.* Vt hæc ſint genuina expoſitionè aut ethicè præſcripti loci commentaria, & ad alias theſes illuſtrandas peridonea; ſingulariter Tertullianus τὸ *in infirmitate* accipit pro potentiâ, quæ debilis, imbecilla, & languida apparet, & in patrandis operibus videtur otiari, quandò illa ſunt exigua, modica, minima, & penè nulla. Sic enim aduerſus Marcionem ſcribit: *At cùm animalia irrides minutiora, quæ maximus artifex de induſtria ingeniis ac viribus ampliauit, ſic magnitudinem in mediocritate probari docens, quemadmodum virtutem in infirmitate ſecundum Apoſtolum. imitare ſi potes apis ædificia, formicæ ſtabula, araneæ retia, bombycis ſtamina: ſuſtine ſi potes illas ipſas lectuli & tegetis tuæ beſtias, cantharidis venena, muſcæ ſpicula, culicis & tubam & lanceam.* Itaque virtus in *infirmitate* perficitur idem eſt, ac virtus ſæpè apparet perfecta in minimis virtutis operibus ad quæ virtus infirma ſufficere videbatur. Porrò arguta ſummi artificis induſtria, minutiores beſtiolas ſic ingeniis ac viribus ampliauit, vt *rerum natura nuſquam magis quàm in minimis tota ſit*, totas artis ac ingenij vires in eis contendens. Ad eum ergò modum *Virtus in infirmitate perficitur*, id eſt, apparet perfecta in his modicis ſeu minutioribus operibus, & quæ ab infirmâ ſeu languidâ potentiâ (præ operis exiguitate) procedere videntur. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis.* Et rurſus: *Cùm infirmor, tunc potens ſum.* Sic ex Analogiâ ad locum Paulli, aduerſus Marcionem Tertullianus velitatur.

S. Chryſoſt. ibi.

*Plus prodeſt pœnitentia medicina ad ſanitatem, quàm culpa ad infirmitatem!*

S. Ambr. ibi.

Tertull. l. 1. adu. Marc. c. 14.

*Minuta animalcula ſummus artifex ingeniis ampliauit.*

1. Cor. 12. v. 10.

5. Apud S. Valerianum illa morum gnome opinatiſſima eſt, *Virtus magna in minoribus ſemper experimentum capit.* Quod egregiè probat magnus hic Doctor: Sic rudis miles, inquit, priuſquàm ad pugnam veniat, aduerſus arborem truncatam robur exercet, & inductæ manus vulnera ludendo componit. Nunc pedes attollitur, nunc rapido equorū curſu vētos imitatur. *In tantū denique proficit ſtudium, vt penè minor labor ſit viciſſe hoſtem, quàm exercuiſſe virtutem.* Hinc redit Valerianus ad thema propoſitum: *In ſimilibus ergò præludendum nobis eſt, vt aptandus eſt ſtudiis animus ad fortiora venturus. Virtus enim, quæ in paruis promittitur, faciliùs in maximis exhibetur. Sic dum conſueſcimus minora vincere, maiora diſcimus tolerare.* Veriſſimè pariter ac moraliſſimè Valerianus. ô quoties plus operis, induſtriæ, ac laboris, impenditur in his modicis, quàm in illis maximis, *vt penè minor labor ſit viciſſe hoſtem, quàm* in his minimis *exercuiſſe virtutem!*

S. Valer. homil. 15. in fine.

*Virtus magna in minoribus ſemper experimentū capit.*

*Maior labor in victoria præludiis, quàm in ipsâ victoriâ impenditur!*

6. Ioannis 6. abiit Ieſus trans mare Galilææ, & ſequebatur eum multitudo magna. Quæ multâ fame eſuriens, etſi ventre mordaciter latrante, copioſo ſaturatur conuiuio quinque panibus, & duobus piſcibus abundè adornato. Accepit ergò Ieſus panes: & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus: ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant. *Vt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergò & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum.* Quinque igitur panes offeruntur numeroſæ turbæ, & coràm franguntur, ſubrepunt in frangentium manus quædam fragmentorum procreationes, non imminuitur vndè præfringitur, & tamen præfringentis manum fragmenta occupant: non ſenſus, non viſus profectum tam conſpicabilis operationis aſſequitur. eſt quod non erat, videtur quod non intelligitur, & furtiuo incremento panis parturit panes ad tot millium ſatietatem. Grande quidem prodigium, & iure maximis comparandum. Sed vide quid in eo Chryſoſtomus admiretur: *Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergò & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum. Ego autem*, inquit, *non ſolùm admiror multitudinem panum quæ facta eſt, ſed certitudinem ſuperfluorum, quia neque plus neque minus fecit ſuperfluum eſſe.* Mirum ſanè eſt, quòd in tanta tot rerum admirabilitate, in ſapientiſſimâ mente Chryſoſtomi, Chryſoſtomi inquam, *ſuperfluorum admiratio* locum inuenerit. Res quidem minima videtur, vt duodecim cophini pro duodenario Apoſtolorum numero ſuperfluerent, & ex tot millium menſâ neque plus neque minus ſupereſſet: aſt æquus rerum arbiter Chryſoſtomus, qui in minimis etiam magnitudinem gratiæ recognoſcit, meritò ad preſentiam tanti prodigij ad alimoniam tot milium neceſſarij, *certitudinem ſuperfluorum admiratur. Huius vitæ idoneus executor, quæ ſunt minima, non relinquit.*

Ioan. 6. v. 12. & 13.

S. Hilarius

*Quæ videntur ſuperflua in Chriſti miraculis, Chryſoſtomus miratur.*

S. Chryſoſt. homil. 41. in Ioann.

Petr. Damian. ſuprà n. 1.

---

## ſ. CCXCV.

### *Mundialis felicitas, aut infelicitatibus permixta eſt, aut valdè confinis.*

1. SEntentioſè dixit Plutarchus: *In Olympiis non licet vincere, delecto aduerſario: ſic in vitâ quæcumque obtigit fortuna, cum eâ luctandum eſt.* Miſerum certamen putas cum aduerſâ pugnare, & aduerſis ſtrenuè reluctari. Ego quidem magis operoſum cenſeo ſuſtinere ſecundam, & quæ placidè diu adridet, totóque felicitatis pondere incumbit. Foris ſplendidè nitet, intùs ſordida eſt, & ærumnoſè ſqualet. *Quemadmodum ſtultus eſt, qui equum empturus, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum eius ac frenos: ſic ſtultiſſimus eſt, qui hominem aut in veſte, aut ex conditione, quæ veſtis modo nobis circumdata eſt, æſtimat.* Sæpè ſecundâ fortunâ florentes, magis aduerſâ tunc vel maximè

Plutarch. in Moral.

*Sapienti cum quauis fortuna luctandum eſt.*

Hier. v. 8. afflictantur. Quod hîc Estheri accidit, gemens ſub regno. Sapiens fortunam non accipit, ſed quamcumque acceperit, vincendo facit.

2. Geneſeos 45. Ioſeph ille Patriarcha, poſt tot exantlatas fortunæ aduerſæ calamitates, Princeps Ægypti, & à Pharaone ſecundus inopinatâ felicitate renunciatur. (Gen. 45. v. 13.) Demùm fratres ſuos agnoſcens, ſic illos alloquitur: *Nunciate patri meo vniuerſam gloriam meam, & cuncta quæ vidiſtis in Ægypto.* Nimirùm poſt tot dura, quæ hactenùs calamitosè pertulit, gratior venit inopinata felicitas, quam patri renunciare exultim feſtinat. Verùm Sanctorum proceres addubitant, an Ioſepho aduerſa fortuna, an ſecunda, grauior extiterit? Felicior ne fuit ſub ergaſtuli calamitate an ſub principandi dignitate? (*Ioſeph patiens fuit in carcere, in regno patientior.*) Audiendus eſt Zeno Veronenſis, qui vtrumque Patriarchæ ſtatum apprimè componit: (S. Zeno Ser. de Patient.) *Similiter Ioſeph*, inquit, *patiens inuenitur, è paſcuo cùm à fratribus rapitur; patiens, cùm in puteum dimittitur, patiens durâ dum haſtâ diſtrahitur, patiens in carcere, in regno patientior, patientiſſimus, deſideratos cùm fratres agnoſceret: & vbi iactantia ſe non poteſt continere, poſitus in honore continuit. Cæleſtis profectò eſt iſta patientia, quam à ſuo ſtatu non ærumna, non felicitas, non affectus potuit commouere.* Quid non paſſus eſt Ioſeph ab inueteratâ fratrum atrocitate, à durâ & barbaricâ ſeruitute, à diuturno ac diro carcere? ô inuictam Patriarchæ patientiam! At ſub anguſtiori felicitate, toto proſperæ fortunæ pondere in ſe grauiùs decumbente, maiorem exhibet tolerantiam: *In regno patientior* inuenitur. O principandi curas ſollicitas, occupationes improbas, angores frequentes! Nimirùm felici bracteata fortuna ſubeſt; foris grata, medullitùs ſpinoſa, dura, lugubris, funeſta. Ioſephus *patiens in carcere, patientior in regno* inuenitur. Sapienti cum quâcumque fortuna luctandum eſt: cum proſpera autem grauius, periculoſiùs.

3. Lucæ 5. tametſi Petrus cum ſociis totâ nocte ſtrenuè piſcando laborans, nihil cœperat, in Chriſti verbo retia ad capturam laxauit, (Lucæ 5. v. 6. & 7.) *Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam, rumpebatur autem rete eorum.* Et annuerunt ſociis, qui erant in aliâ naui vt venirent, & adiuuarent. *Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur.* (*Proſperior Petri fortuna naufragio confinis.*) Nuper Petrus cum ſociis de malignæ fortunæ auaritia miſerè angebatur, quòd tota nocte infelici induſtriâ deſudans, nec vnum piſcem prendiderit. Nunc verò de feliciter copioſâ tot piſcium capturâ ſic angitur, vt penè periclitetur. Primò vocem ſtupore ferè amittit: rete (quod propè eſt piſcatorum cenſus) rumpitur: & ambæ nauiculæ cum tot piſcibus *penè mergebantur*, magna mercenarij piſcatoris iactura, nec ſine vitæ periculo. Anſelmus Laudunenſis exponens præſcripta Lucæ verba: *Impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur*, ita ad thema præſens opportunus ſcribit: (Anſel. Laud. ibidem.) *Rumpitur qui diuitias & paupertates non ſuſtinet.* Nimirùm Petrus cùm tota nocte impenſiùs nihil ad victum prendidiſſet, ipſe præ inopiæ neceſſitate infeliciter rumpitur. Cùm verò copioſa piſcium captura feliciùs ditatur, incumbentem ſibi felicitatem ſuſtinere impotens, ruptis retibus, ipſe etiam *penè mergitur*, proſperiorem fortunam ſuſtinere non eualens. Itáque malignæ capturæ infelicitate impranſus & inops angitur; in copioſiùs prædiuite tot magnorum piſcium captura penè naufragium patitur, *diuitias non ſuſtinens.* O frequens de proſperiore fortuna naufragium!



4. Lucæ 8. cæleſtis ille ſator, qui diuini verbi fœcundum ſemen, in terris ſeminare ſatagit; dum (Lucæ 8. v. 6.) manum ad ſationem aperit & grana ſpargit; aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt. *Et aliud cecidit ſupra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem.* Cùm Beda *petram* audit, ſupra (Beda ibibi.) quam ſpargitur diuinum ſemen, (ſicut res ipſa præ ſe ferre videtur) petrinum aut ſaxeum cor intelligit: *Petram dicit durum & indomitum cor.* (*A fortuna delicati & debiles, petra ad tolerantiã comparantur.*) Verùm S. Chryſoſtomus altius rem parabolæ contemplatus, ita apud Catenam, hunc locum commentatur: (S. Chryſoſt. apud Caten. ibi.) *Qui ſecus viam ſunt, tanquam negligentes audire. Qui ſupra petram, tanquam delicati & debiles.* Nimirum qui proſperioris fortunæ adriſu, honoribus ſublimes ſunt, opibus fluxi, voluptatibus delicatuli, & deliciis molliter debiles, obdureſcant tanquam prædura *petra* ad ferendas ærumnas proſperitati ſuccedaneas, & felicitatis appendices. O arcanam de cæli ſchola eruditionem! Qui à ridenti fortuna *debiles & delicati* dicuntur, hi, hi inquam, *petra* nominantur, ad ferendos labores, quos proſperitas nuper felicibus minatur, Fortunæ mulcedines videntur, & duræ ſunt minæ, quæ petræ duritiem ad ſufferentiam requirunt. *Qui autem ſupra petram, tanquam delicati & debiles.* Pulchra ſanè Chryſoſtomi antitheſis.

5. Matthæi 24. Dominici aduentus, & finalis ſeueriſſimè iudicij ſignum, his verbis Chriſtus proponit: (Matth. 24. v. 32.) Ab arbore autem fici diſcite parabolam: *Cùm iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, ſcitis quia propè eſt æſtas.* O ter acerbiſſimæ peracerbum ſignum, pœna præcoqua! Vix ramus eſt tener, & folia nata, quibus arbor frondeo virore nitet; cùm æſtatis vorax æſtus iam apperit ſic nitenti flori ætatis tabida florum lues confinis eſt? Appoſitè Hilarius: (S. Hilar. Canon 26. in Matth.) *Cum tenereſcere cœperit, atque frondeſcere, tunc proxima eſſe æſtas, id eſt, dies iudicij ſentitur. Frondeſcere autem quadam peccatorum exultantium viriditate noſcitur. Erit enim tunc flos criminoſorum, & honor facinoroſorum, & gratia prophanorum: quibus tamen æſtus, id eſt calor æterni ignis in proximo eſt.* (*Mundana gloria flos, infelices ſpondet fructus.*) O quàm eſt æui breuiſſimi humanæ gloriæ & malitiæ flos! cùm ramus tener fit, cùm ambitioſiùs frondeſcit, & vernantium florum ornatu glorioſiùs nitet, de gehennalis æſtus afflatu vſtulatur? Sic eſt gloria mundi caduca, vt ipſe flos, qui ſolet eſſe fructuum ſpes & obſes, ſit æſtus, vicinantis ſignum, exuſtionis notaculum, & fauillæ documentum? Sic eſt mundialis gloria funeſtum appropinquantis infortunij augurium?

6. Iob. 20. Hoc ſcio à principio, quo poſitus eſt homo (*Adam* propriè, non appellatiuè) ſuper terram, (Iob 20 v. 5. Apud P. Pined. ibid.) *Quod laus impiorum breuis ſit, & gaudium hypocritæ adinſtar puncti.* Tò *breuis* in Hebræo eſt, *de propinquo*, quod Pagninus, Caietanus, & Vatablus ad localem quaſi diſtantiam referunt. (*Præ enim vbi ta gaudia, cùm tangis, amittis.*) Nempe, in proximo eſt luctus, qui extrema gaudi occupat. Exindè gaudium hypocritæ, ſeu mundialis felicitas eſt *adinſtar puncti.* Nam vt inibi dixit Gregorius: *Hypocrita præſentis vitæ gaudia cùm tangit, amittit.* O bonam ethicè Philoſophiam! (S. Greg. ibi.) Tam ruinæ altitudo vicinatur, vt cùm ſublimis aſcendit, iam deſcendat? Sic felicitas eſt infelicitati confinis, vt improbus ipſa felicitate

DDd infelici

infelicitari incipiat? Mundanæ gloriæ cupidus, & voluptatum impensè ſtudioſus, *præſentis vitæ gaudia, cùm tangit, amittit*. Heu quàm eſt anguſtum, perbreue, fugax, caducum, deſideriorum centrum! Hem cum mundi gaudia incipis *tangere, amittere* cœpiſti! Salubriter Auguſtinus:

S. Auguſt. epiſt. 45.

*Quantum illi laudandi atque prædicandi*, (inquit) *qui dignati non ſunt etiam cum mundo florente florere*: tantùm increpandi quos perire cum pereunte delectat...... Qui tamen periculo eius ſæpe turbati, citius eam finiunt, eo ipſo quòd finire formidant, & mortem dum declinant accelerant.

*Viuenti felicitas, mortis doloribus emitur, aut perditur.*

*Iactant in mare tempeſtate ſæuiente aliquando & alimenta, & vt viuant, proiiciunt vndè viuant, ne citò finiatur quod vel in labore viuitur. Quantis laboribus agitur, vt longiore tempore laboretur, & mors cùm impendere cœperit, ideò cauetur vt diutiùs timeatur? Multi cruciatus ab ægrotantibus ſuſcipiuntur incerti, vt pauci dies adiiciantur incerti. Et nonnunquam ipſis doloribus victi, continuò moriuntur, quos mortis timore ſuſcipiunt. Et cùm omninò non eligant vitam finire ne doleant, ſed dolere ne finiant, accidit eis vt doleant, & finiant*. Hactenùs Auguſtinus, vel potiùs Paullinus. Eheu præſentis vitæ gaudia vt tangat, vitam amittit!

7. Iacobi 3. Lingua, inquit, conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, *& inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehenna*. Grande eſt apud Interpretes diſſidium, quænã ſit hæc *rota natiuitatis noſtræ*. Nonnulli ex Græco textu per *rotam natiuitatis* accipiunt vniuerſum orbem conditum. Vatablus per *rotam natiuitatis*, rotam natam & genitam, non arte à fabro factã, accipit totum corpus. Beda, *curſum humanæ vitæ, quo ad mortem vſque veluti currenti rota agimur*. Oecumenius, *rota dicitur vita, quia in ſemetipſam reuoluta*. Nempè tempus vitæ humanæ rotæ ſpeciem imitatur; vt potè quod in ſe torqueatur & conuoluatur. Dies enim ſuccedit diei, menſis mẽſi, annus anno, vt vno finiente alter incipiat: itaque ad ſui principium dies menſis & annus quaſi redeant, & in ſe perpetuò reuoluantur, vt choream iugem agere videantur (ita ex Iſidoro Cornelius inibi) Ætas ergo vitaque noſtra peridoneè vocatur *rota*, quia nunquam conſiſtit, ſed inſtar rotæ circumuoluitur, & ſimul cum nobis reliqua noſtra rotat, & ſuſque déque perpetuò agit. Eleganter ad rem S. Gregorius Nazianzenus in Sentent. *Rota*, ait, *eſt incertè fixa, breuis hæc & multiplex vita. Surſùm mouetur, ac deorſùm trahitur: neque enim ſtabilis eſt, quantumuis ita videatur: fugiens tenetur, & manens fugit: ſaltat plerumque, nec tamen fugere poteſt: ſtationem ſuam motu trahit ac retrahit. Quocircà ipſius inanitas nullo modo rectiùs deſcribi poteſt, quam ſi vel fumus, vel inſomnium, vel herba flos appelletur*. Hæc Nazianzenus de vita, & ſimul de vitæ appendice felicitate, infelicitatéque; proſperâ fortunâ, ac improſpero infortunio: fortuna enim æque ac vita noſtra perpetuo curſu rotatur. Hoc eſt quod Boëtius de ſui experientiâ eloquenter ediſſerit, de alternantis fortunæ rotâ, lib. 2. de Cõſolat. proſâ 1. ſic fatus: *Hæc noſtra vis eſt, hunc continuò ludum ludimus: rotam volubili orbe verſamus, infima ſummis: ſumma infimis mutare gaudemus. Aſcende, ſi places, ſed eâ lege, ne vtique cùm ludicri mei ratio poſcit, deſcendere iniuriam putes*. Vide nunc mihi, quàm felicitas humana infelicitati confinis ſit. *Rota* eſt vita noſtra, hâc rotâ res aguntur humanæ; hunc ludimus fortunæ ludum: felicitas enim fugiens tenetur, & manens fugit; ſtationem ſuam motu trahit ac retrahit; infima ſummis, ſumma infimis permutare aſſueta: Hâc lege aſcendere ad faſtigium datur, vt è faſtigio vicineris ruinæ, quod temporarij huius ludi ratio ſeriò poſcit. Sic felicitas infelicitatibus aut mixta, aut vicina eſt, aut vtrumque.

Iobi 3. v. 6.

Vatablus.

Beda ibi.

Oecum. ibi.

*Humana vita rotæ ſapienter aſſimilatur.*

S. Iſidorus Cornel. ibi.

S. Nazianz.

*Infima ſummis, ſumma infimis vicinantur, fortunæ lege.*

Boëtius.

# SYNOPSIS CAP. XV.

*Iuxta patrui Mardochæi imperium, poſt macilentam tridui inediam, & corporis ſqualorem, lugubribus veſtimentis exuta, pretioſas ſumptuoſiùs veſtes Eſther aſſumit, & duabus comitata puellis, inuocata Regem adit: quam cùm Rex truci proſpectaſſet aſpectu, exanimis corruit. Tunc Rex ſubitò mutatus è throno exilit, & amatoriis blandiciis exanimatam Reginam recreare ſatagit. Ipſa verò tantiſper recreata, conſternationis cauſſam beneuolo iam Regi aperit, nempè maieſtatem ac ſplendorem qui in eo micantiùs ſcintillabat, de legis ac mortis metu omninò tacens. Sed dum hæc verba vix conatur, iterato examinatur deliquio, & à Rege, Regiſque ſatellitio iterùm recreatur. Quid tandem Regi dixerit, habetur ſuprà c. 5. à v. 3.*

## CAPVT XV.

*Hæc quæ addita ſunt reperi in editione Vulgatâ.*

1. ET mandauit ei (haud dubium quin eſſet Mardochæus) vt ingrederetur ad Regem, & rogaret pro populo ſuo, & pro patria ſua. 2. Memorare (inquit) dierum humilitatis tuæ, quandò nutrita es in manu mea, quia Aman ſecundus à Rege locutus eſt contra nos in mortem. 3. Et tu inuoca Dominum, & loquere Regi pro nobis, & libera nos de morte.

*Nec*

*Nec non & iſta quæ ſubdita ſunt.*

4. Die autem tertio depoſuit veſtimenta ornatus ſui, & circundata eſt gloria ſua?
Cúmque regio fulgeret habitu,& inuocaſſet omnium rectorem & ſaluatorem Deũ,
aſſumpſit duas famulas:6.& ſuper vnam quidem innitebatur,quaſi præ deliciis,& ni-
mia teneritudine corpus ſuum ferre non ſuſtinens:7.altera autem famularum ſeque-
batur dominam,defluentia in humum indumenta ſuſtentans.8.Ipſa autem roſeo co-
lore vultum perfuſa,& gratis ac nitentibus oculis triſtem celabat animum, & nimio
timore contractum. 9. Ingreſſa igitur cuncta per ordinem oſtia,ſtetit contra regem,
vbi ille reſidebat ſuper ſolium regni ſui,indutus veſtibus regiis,auróque fulgens, &
pretioſis lapidibus,eratque terribilis aſpectu. 10.Cúmque eleuaſſet faciem,& arden-
tibus oculis furorem pectoris indicaſſet,regina corruit,& in pallorem colore mutato,
laſſum ſuper ancillulam reclinauit caput. 11. Conuertitque Deus ſpiritum regis in
manſuetudinem & feſtinus ac metuens exiliuit de ſolio:& ſuſtentans eam vlnis ſuis,
donec rediret ad ſe, his verbis blandiebatur: 12.Quid habes Eſther?Ego ſum frater
tuus,noli metuere.13.Non morieris:non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex con-
ſtituta eſt. 14. Accede igitur,& tange ſceptrum. 15. Cúmque illa reticeret, tulit au-
ream virgam,& poſuit ſuper collum eius,& oſculatus eſt eam, & ait: Cur mihi non
loqueris? 16.Quæ reſpondit: Vidi te domine quaſi Angelum Dei,& conturbatum eſt
cor meum præ timore gloriæ tuæ.17. Valde enim mirabilis es domine, & facies tua
plena eſt gratiarum. 18.Cúmque loqueretur,rurſus corruit, & plenè exanimata eſt.
19 Rex autem turbabatur,& omnes miniſtri eius conſolabantur eam.

## ſ. CCXCVI.

### *Commentarius litteralis.*

1. HÆC *quoque addita reperi in editione vulgata.*]Hæc quæ Hieronymus dicit, ſe in editione quondam vulgata repeririſſe, quæ quidem in Hebræo non habentur,ſuum habent locum in c. 4. vbi Mardochæus propinqui ſanguinis,& beneuolæ educationis iure, Reginæ præcepit, vt Regem adiret. Itaque quæ in his tribus verſ. ſcribuntur, penè iiſdem verbis in Bibliis Sixtianis Regiis habentur c.4.v.8.&c.

*Verſ.* 1. *&* 2. *&* 3. Et mandauit ei (haud dubium quin Eſther Mardochæus) vt ingrederetur ad Regem,&c.

Haud dubium etiam eſt,quin hanc parentheſim Hieronymus addiderit,cùm ea in Græcis codicibus non habeatur: habetur autem hoc Mardochæi ad Eſtherem mandatum:inde neceſſum non fuit,vt inibi diceretur,quod Eſtheri hęc Mardochæus mandauit;ibi enim fiebat expreſſa Mardochæi mentio, atque adeò ſuperuacaneum foret id expreſſiſſe; ſecùs in hoc loco, vt notauit Mariana. Iubetur rogare *pro populo ſuo*, id eſt, *Iudæis & pro patria ſua*,quæ verba,aut idem inculeant; aut ſignificant Iudæos in patrio ſolo commorantes, Ieroſolymis inquam, vt mauult Carthuſianus. *Quomodo nutrita ſis in manu mea*] Hebraiſmus eſt,id eſt, per me,ait Mardochæus. Nam cum manus ſit multorum operum adminiſtra, fit vt pro omni ſimpliciter inſtrumento ſeu miniſterio ſumatur, ſiue manus propriè ſit, ſiue linguæ, ſiue quiduis aliud, quod ad operis molitionem aſſumitur, vt peritè notauit Sanctius in Aggæi c.1.vnde ſepè Deus locutus dicitur *in manu Prophetarum*,id eſt per illorum ſermonem. Et Numer.31.v.1.egreſſi dicuntur filij Iſraël de terra Ægypti,*in manu Moyſis & Aaron*, hoc eſt,illorum miniſterio.Porrò *in* vſurpari pro *per* in Sacris Bibliis,obuium eſt Indè Eſther educata dicitur *in manu* Mardochæi,id eſt,induſtriâ ac Miniſterio Mardochæi. Id non tam erat dicendum,quàm non omittendum. Hoc verò mandatum Mardochæi ad Eſtherem, explicatiùs traditum eſt à Vulgato c.4.& ibi expoſitum.

Carthuſ.
Mariana
Lanſel.ibid.
*Quid ſit, Eſtherem eſſe educatam in manu Mardochai.*
Sanct. in Agg.1.v.3.
Num.31.

*Verſ.* 4. Die autem tertio depoſuit veſtimenta ornatus ſui, & circumdata eſt gloria ſua.

Huic Verſiculo 4.& reliquis quæ vſque ad finem capitis exinceps ſequuntur,pręmittit Hieronymus,*Nec non & iſta quæ ſubdita ſunt*,nempe ſe reperiiſſe in editione olim vulgatâ,quæ capiti 5. inſeri debent, vbi res eadem ſuccinctiùs denarratur.Itaque Eſther *die tertio* inchoati ieiunij,& precum.*Veſtimenta ornatus ſui*,] modeſti ac mœſti,quoad luctum & pœnitentiam idoneè ornata, id eſt,induta erat.Ita Cornelius inibi. Sumit ergò ornamenta pro veſtibus rei gerendæ idoneis. Itaque. *Veſtimenta ornatus ſui* vocat hic,quæ ad mœrorem & ſqualorem illo triduo induerat.Porrò ſaccus,cinis,ſordes,& euulſis crinibus deturpatum caput,exquiſitus erat *ornatus*, quo in anguſto illo rerum articulo,& ſibi complacebat,& cæleſti Regi placere impenſiùs ſtudebat. Quin & ſæpe ornamentorum neglectus, ſumptuoſior cenſetur ornatus. L X X. interpretes.*Veſtimenta ſeruitutis* appellant Biblia regia,*luctus*.Ioſephus, *Denuò mutat habitum*.Haud dubiè ſacco depoſito,*circundata eſt gloria ſua*.id eſt, pretioſis ac regiis veſtibus, quibus decoris ac regni gloriam oſtentat. ſumitur enim effectus pro cauſsâ,nempè pretioſior & [excultior veſtium ornatus, pro gloriâ quam oſtentat.Conſule hîc Sanctium n.3. & Serarium quæſt. 8. Varias autem huius loci tranſlationes habes apud Hugonem, & Marianam.

Cornelius.
*Saccus appellatur Eſtheris ornatus.*
LXX. Interp.
Bibl reg.
Ioſephus.
Sanct.
Serarius
Hugo
Mariana.

*Verſ.* 5.*&* 6. *&* 7.*&* 8.Cúmque regio fulgeret habitu,&c.

3. Nuper dictum fuerat, quod Eſther ſacco depoſito, *circumdata eſt gloria ſua*, nunc explicat quales fuerint hæ gloriæ veſtes, nempe regius quo fulgebat habitus. Dein aliarum Heroïdum more, duas aſſumit famulas, & quidem iuuenculas, quod Gorionides expreſſit; quarum altera humero, aut brachio innixum leniter ſuſtentabat, quaſi *deliciis diffluens* (vt habent LXX. interpretes) imbecillam gracilitatem oſtentans, quæ aliqua femineæ venuſtatis portio putatur. Ancillarum altera lõgum ambitioſè ſyrma, id eſt, ſinuoſam ac fluentem in terram veſtem a tergo ſuſtentabat. Ipſa autem vultu roſeo, & placitis oculis, vt vt poterat, mœſtitiam diſſimulans, lætitiam oſtentabat. Quam ſit difficile ac pœnale in ſumma animi mœſtitudine hilarem vultum oſtendere, expendebamus in Iudith Commẽtariis. Cauſſas verò ob quas Eſtheris nunc animus, & *triſtis & contractus* fuerit, hic Tirinus recẽſet; ſed obuiæ ſunt, & quæ cuiuſque animum etſi non quæſitæ, vltrò ſubeant. Cùm autem dicitur Eſther *roſeo colore perfuſa*, putauerit aliquis à rubricetâ vultui colorem inductum: nam quo augebatur timor pallorem potiùs quàm ruborẽ affert quaſi Eſther vt magni metus pallorem diſſimulet, è rubricetæ pyxide aſcititium ruborem aſſumpſerit. Neque huic cogitationi officit, quòd poſtmodùm minaci Regis aſpectu exanimis, rubor in pallorem conuerſus ſit: nam feminæ facies, quæ aſcititio colore rubet, in animi deliquio pallet: quaſi ſpiritus vitales coloris quodammodò bibuli, cùm faciem deſerunt, & ad præcordia feſtinant, vel affrictum etiam colorem ſuffurentur. Nihilominùs putauerim Eſtheris tunc *roſeum colorem* non ab arte fuiſſe, ſed à naturâ. quod diſſertè tradunt LXX. interpretes ſuprà c. 5. v. 1. *Et ipſa rubens vigore pulcritudinis ſuæ*. Et Vatablus. *Ipſa formæ preſtantia rubens.*

*Qualis fuerit Eſtheris ad Regem aditus.*
Ioſeph. Gorion. LXX. interp.
Tirinus.
*Eſtheris rubor à natura fuit, non ab arte.*
LXX. interp. Vatablus.

## *Verſ.* 9. Ingreſſa igitur cuncta per ordinem oſtia.

4. De hoc Eſtheris ad Regem ingreſſu, agebamus ſuprà c. 5. v. 1. *Stetit contra Regem.*] Id eſt, è regione Regis, Biblicâ phraſi. Regius Aſſueri ornatus, dum in regio throno reſidebat, habetur etiam capitulo 5. v. 1. *Erátque terribilis aſpectu.*] Vel ex naturali hominis feritate ac truculentiâ; vel quia vt maieſtatem ſumptuoſiùs venditarent, reges Perſarum auſteriores audiebant: vel ex ſubita iracundia, videns Eſtherem inuocatam contra legem acceſſiſſe; vel cùm auguſtiorem in regio throno maieſtatem oſtentabat, reputans ſe à feminâ contemptum.

*Cur Aſſuerus fuerit aſpectu terribilis contra Eſtherem.*

## *Verſ.* 10. Cúmque eleuaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, Regina corruit.

5. Rex itaque ſubito furore percitus, toruos ac minaces oculos in Reginam porrigit, quòd auſa fuiſſet non vocata ad ſe ingredi. Illa confeſtim exanimis exanguiſque præ mortis metu pallida corruit, & ipſius morienti ſimilis languidum caput ſuper puellæ humeros vltrò cadit.

*Ad minacem Regis aſpectũ Regina corruit.*

## *Verſ.* 11. & 12. & 13. Conuertítque Deus ſpiritum Regis, &c.

6. Aſſuerus hactenùs leo, Dei afflatu (quem obnixiùs Regina expoſtulauerat) ſubitò mutatur in agnum: & regiæ maieſtatis immemor, è throno feſtinus exilit, vt euntem illius animam ſiſtat, reuocet, foueat, amatoriis illi verbis blanditur. Hunc locum allegat S. Auguſtinus lib. de Gratiâ Chriſti contra Pelág. c. 24. Et P. Ioannes Antonius Velaſquez de optimo Principe lib. 5. Adnotat. 11. n. 1. hîc agnoſcit *conuerſionem* cum impetu & ardore ad benefaciendum. *Ego ſum frater tuus.*] Blandientis vox eſt, & intimæ inter coniuges familiaritatis: exindè crebrò in Canticis reſonat, Sponsáque *ſoror* audit. Pinto Ramirez in Cant. l. 1. c. 4. v. 9. putat his verbis Iunonem nuncupari. Non adducar, vt illi adſentiam. Non ſic renuerem, ſi Dianam, aut Lunam. *Hæc lex,*] quâ ſub capitali pœnâ ſancitur, ne quis non vocatus Regem adeat, *Non pro te,*] quæ regnum, regiamque dignitatem mecum communem habes; *Sed pro omnibus,*] ſubditis noſtris inquam. vnde ſicut illâ lege pro ſubditis lata non teneris, ita neque illius pœna obſtringeris.

*Eſtheri exanimatæ rex Aſſuerus blanditur.*
S. Auguſt.
Velazquez.
Pinto Ram.

## *Verſ.* 14. & 15. Accede igitur & tange ſceptrum, &c.

7. Hoc pacati animi documentum erat, quod ipſa probè nouerat, ſuprà c. 4. v. 11. vbi habetur: *Niſi forte Rex auream virgam ad eum tetenderit.* Forſan verò non tantùm extenſione, ſed tactione etiam opus erat, vt hîc innuitur. Niſi fortè Rex ad maiorem ſecuritatem pauidæ atque exanimatæ Reginæ, ſceptri adtactum expoſcit. Cúmque illa adhuc ſine voce eſſet, *Tulit* (Rex) *auream virgam, & poſuit ſuper collum eius.*]

Ita etiam Græci codices, Gorionides *ſuper manum* habet, Flauius Ioſephus vtrumque. Et oſcula peramanter libans, vocem eius adhuc ſilentis audire expoſcit.

Eſther. 4.
*Sceptrum Eſtheris manui inſeritur.*
Ioſephus vterque.

## *Verſ.* 16. & 17. Vidi te Domine, quaſi Angelum Dei, &c.

8. Hactenùs exanimata Eſther, cùm ſe tantiſper ab animi conſternatione recepit, & deliquij & ſilentij rationem reddit peridoneam ad retinendam ampliandamque Regis beneuolentiam. Porrò duriùs audiſſet Aſſuerus conſternationis cauſſam fuiſſe, minaces illius oculos furorem adſpirantes, & barbaricam Perſarum legem vel Reginæ interdicentem liberum aditum ad alloquium mariti. Idcircò adulantiùs rationem Regi dedit, cauſata eius maieſtatem & ſplendorem diuino adſimilem. Sed quid eſt: *Vidi te quaſi Angelum Dei?* Eſto, Hebræi Angelos norint; num Angeli apud Perſas noti erant? Profectò omnibus in confeſſo eſt, eiuſmodi prouerbiali formâ, quæ exaggeratione non vacat, apud Hebræos ſignificari aliquid auguſtè excellens ſiuè ſapientiâ ſiuè pulchritudine, ſiue maieſtate, ſiue aliquo quouis elogio 1. Reg. 29. v. 9. & 2. Reg. 14. v. 20. & Ezechielis 28. v. 14. & Geneſeos 33. v. 10. in Hebræo textu. Ergò Eſther hæc dixit Perſarum regi, vel Perſicâ parœmia, quæ eandem vim ac Hebraica haberet: vel propriè, & abſque vlla prouerbiali formulâ. Vndè neuter Ioſephus Angeli mentionem fecit. Ita Serarius hîc quæſt. 10. *Et turbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ.*] Aptè quidem ad nuper dicta: ea enim eſt Angelicæ naturæ excellentia, & auguſtior gloriæ maieſtas, vt quantumuis Angelus ſe exhibeat bene-

*Angeli ſimilitudo eximiũ aliquid ſignificat.*
1. Reg. 29.
2. Reg. 14.
Ezech. 28.
Geneſ. 33.
Ioſephus vterque
Serarius.
*An Eſther Regi adulatur?*

uolum,

Daniel 10. Salian. ann. m. 3502 n. 24. Hier. de Gueuar. Richardus

uolum, ad ipſius apectum hominum natura ſtupeat, torpeat, & expalleſcat, vt conſtat ex Danielis 10. v. 8. Indè frequens ea Angeli vox: *Noli timere.* Præfata Eſtheris verba forſan videbuntur alicui adulatoria, & quæ parùm conſentiant terribili Regis aſpectui, & minacibus oculis. Verùm (vt rectè occurrit Salianus) hæ gratiæ pertinent ad Regem diuinitùs iam conuerſum in manſuetudinem, & ſuauiter Reginæ blandientem. Scitè notat noſter Hieronymus de Gueuara tom. 2. ſect. 11. §. 7. n. 54. quòd facies Aſſueri dicitur *plena gratiarum*; Chriſtus autem dicitur *plenus gratiæ*, & Deipara Virgo *gratiâ plena*, Nam dici aliquē plenum gratiis ſolum deſignat illum gratiarum collectione præditum, non verò quamlibet gratiam in illo plenè infuſam. Cùm verò plenus gratiâ nuncupatur, nullâ ſigillatim expreſsâ, innuitur omnibus illum gratiis dotatum, ita vt quælibet plena in illo inueniatur. Ad quod probandũ tempeſtiuè adducit Richardum de Sanct. Laur. lib. 1. qui hunc ipſum Eſtheris locum verſans, id diſſertè tradit.

*Verſ.* 18. & 19. Cumque loqueretur, rursùs corruit.

9\. *Iterùm Eſther exanimis corruit.*

Tantiſper recreata Eſther blandiciis Aſſueri, hæc loqui potuit: aſt tantum conceperat metum ex truci Regis aſpectu, & ſæuâ mortis lege, vt iterùm exanimis corruerit, in Regis (vt reor) vlnas; nuper enim illam amplexans inducitur. Æſtuat Rex, turbantur miniſtri, & Reginam exanimem recreare ſatagunt. Quæ hactenùs enarrata ſunt de Eſtheris ad Regem ingreſſu, aut à Vulgato prorſus omittuntur, aut ſuccinctiùs enarrantur ſuprà cap. 5. v. 1. & 2. At à verſ. 3. quæ hîc intermiſſa ſunt, diſſertè traduntur. nempè quid à beneuolo Rege petierit, poſtquam ſe à deliquio recepit.

## §. CCXCVII.

### *Quid ex hoc capite tranſluceat ad mores, aperitur.*

*Verſ.* 1. Et mandauit ei (Mardochæus Eſtheri) vt ingrederetur ad Regem.

1\. *Lxx. interp. c. 4. v. 8. Eſther dum iubetur ingredi, iam ingreditur.*

CVnctabatur Eſther ad Regem ingredi non vocata, pauido interminatæ mortis periculo, At dum id diſſertè iubet Mardochæus, ita iuſſionem LXX. interpretes expreſſerũt: *Vt mandaret illi* (Eſtheri) *ingredienti deprecari Regem.* O Pulchrũ obedientiæ typũ in Eſthere expreſſum! Nimirùm dum Mardochæus patris ſeu educatoris poteſtate Eſtheri reginæ exertè *mandat vt ingrediatur* ad Regem, cum tanto etiam vitæ periculo, vt eum roget pro populo ſuo; moraliſſimè dicitur. *Vt mandaret illi ingredienti deprecari Regem.* ô bona ethicè ſynonyma! Dum iubetur *ingredi* vt deprecetur Regem, mandatur *ingredienti* deprecari. Iam ingreditur Eſther, dum ingredi iubetur, quantumuis ingreſſum timeat, quæ eſt obedientiæ meta.

*Verſ.* 2. Memorare dierũ humilitatis tuæ.

2\. Cunctabatur Eſther mortis metu, non vocatam ingredi ad Regem. Mardochæus autem vt metum excutiat, priſtinæ *humilitatis* memoriam reuocat. An vel priſtina quondam *humilitas* animos addit, & audaciam parturit? Natales audaciæ ab *humilitate* ſunt? Superbia timet multa, plura audet *humilitas* Illa habere putat plura quæ perdat, hæc ſui inops, ope cæleſti ſubnixa animoſiùs audet. Bene Mardochæus ſuam Eſtherem molliculam, delicatulam, imbecillulam ad maſculum facinus heroïnæ audaciæ indigum, vel *humilitatis* memoriâ obarmat. *Humilitas eſt audaciæ cœnæ plasmum.*

*P. Didac. Celada in Eſtherem.*

*Verſ.* 2. Quomodò nutrita ſis in manu mea.

*Id eſt*, (ait Carthuſianus) *ſub diſpoſitione regiminis mei, qui te corporaliter, ſpiritualiterque nutriui in timore Dei, deuotione, & Scripturis te inſtruens.* Pia & ſpiritualis inſtitutio, morum compoſitio, fides iuxta Scripturas, deuotio ſecundum diuinæ legis pietatem; *manu*, an potiùs ore fit? O quàm eſt infima morum ſuadela, quæ ſermone ac linguâ non opere ac *manu* conſtat! De *manuum* gymnaſio mores inſtrue, hoc probè inſtituta Eſther, ab inſtitutore Mardochæo moraliſſimè audit: *Memorare quomodò* (*corporaliter ſpiritualiterque in timore Dei, deuotione, & Scripturis*) *nutrita ſis in manu mea.* 3. Carthuſian. *Eſther in manu Mardochai inſtituta eſt.*

*Verſ.* 4. Die autem tertio depoſuit veſtimenta ornatus ſui.

LXX. interpretes: *Exuit veſtimenta ſeruitutis* Biblia regia, *Luctus*. Hugo Carenſis, *Humilitatis*. Vatablus, Ecce tibi pœnitentiæ ſaccus, qui dicitur, *veſtimentum ſeruitutis, luctus, & humilitatis*; nunc ab Eſthere vocantur, *Veſtimenta ornatus ſui.* quod aliàs ornatiùs expendebamus, hîc quaſi in proprio loco delibandum erat. 4. Lxx. interp. Bibl. reg. Hugo. Vatablus *Pœnitentiæ ſaccus, ab Eſthere vocatur, veſtimenta ornatus ſui.*

*Verſ.* 4. Et circundata eſt gloria ſua.

*Hic eſt* (ait inibi Dionyſius Richel) *pretioſioribus ac pulchrioribus ſuis veſtimentis ac ornamẽtis.* Gloria pulchræ fœminæ, etiam piæ ac modeſtæ, dicuntur pretioſiora ac pulchriora ornamenta? 5. Dionyſ. Richel. *Cultior veſtis dicitur pulchra fœminæ gloria.*

*Verſ.* 5. Cúmque . . . inuocaſſet omnium rectorem Deum.

LXX. interpretes: *Inuocans omnium inſpectorem Deum.* O bona ethicè ſynonyma, *Rector*, & *inſpector*! Scilicet ne *Rectores* delationum, coniecturarum, & tumuſculorum incerto ſe iuiò credant; oculis credant; quia *Rector* perindè eſt, ac *Inſpector*. Ille benè *regit*, qui perſpicaciter *inſpicit*. Scientia *inſpiciendi*, peritia *regendi* eſt. 6. Lxx. interp. *Bonus Rector, inſpector debet*

*Verſ.* 8. Ipſa autem roſeo colore vultum perfuſa &c.

Ioſephus: *Ad Regem venit, rubore genas ſuffuſa.* Nequis autem putaret ruborem è pyxide mutuatum; atque ſaltem vt tunc pallorem ex magno metu diſſimularet, faciem rubricatâ fucaſſe; opportunè adſunt LXX. interpretes, qui infucatam Eſtheris modeſtiam his verbis vindicant: *Et ipſa rubens vigore pulchritudinis ſuæ.* Adſentit Vatablus: *Ipſa formæ præſtantia rubens.* Vndè Eſtheris *roſeus color*, cùm metus pallorem minari poſ- 9. Ioſephus *Eſtheris rubor non ab arte, ſed à natura* Lxx. interp. Vatablus.



ſet

ſet, à naturæ bonitate eſt; ab artis fuco non eſt. Vide hîc quàm ſollerter Scriptura ſuam Eſtherem ab eiuſmodi mentitæ venuſtatis præſtigiis vindicet.

*Verſ.* 8. Gratis ac nitẽtibus oculis, triſtem celabat animum.

10. Bibl. Sixt. & Regia. *Vultus hilaris, idem eſt, ac amabilis.* Biblia Sixtiana: *Facies eius hilaris, tanquam iucunda.* Biblia regia, *quaſi amabilis.* Qui hilatis ac iucundus eſt, *amabilis* eſt. Tetricum vultum natura abhorret, politia auerſatur, ſocietas faſtidit: hilaritas venuſtatis eſt vigor, & amabilitatis gratia.

*Verſ.* 8. Ipſa autem roſeo colore vultum perfuſa, gratis ac nitentibus oculis.

11. Ioſeph. l. 11. Antiq. c. 6. *In Eſthere elucet maieſtati admixta venuſtas.* Ioſephus ſic præfata verba excribit, & exponit: *Ad Regem venit, rubore genas ſuffuſa, & maieſtate mixtam venuſtatem præferens.* Comptiori venuſtati admixta maieſtas, ſicut gratiam placendi auget, ita & ſpectatorum ſalacitatem cohibet. Siſtit maieſtas audaciam oculorum, ne viſæ pulchritudinis illicio cæcè impingant: & arcano modeſtiæ miraculo, hebetant concupiſcentiam, dum amoris gratiam exacuunt. *Maieſtati mixta venuſtas,* modeſtę pulchritudinis exaggeratio eſt, & placendi meta.

*Verſ.* 10. Cúmque (Rex) eleuaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet.

12. LXX interp. c. 5. v. 1. *Quandò Regis facies inflammatur gloriâ.* L X X. interpretes: *Et eleuans faciem ſuam inflammatam gloriâ.* An facies Regis *inflammari gloriâ* dicitur, cùm aulicos ſibi proximos, legum violatores videns, ſupplicij minas oculis vibrat? An cùm ſtatutum lege ſupplicium propè iam iam infligens, regiæ benignitatis memor, iram frenat, & pallenti reo indulgenter parcit? Profundè quidem tunc dicitur Regis *facies inflammari,* non tam irâ, quàm *gloria.*

*Verſ.* 13. Non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex cõſtituta eſt.

13. L X X. interp. c. 5. v. 2. *Pœnaliſſimũ eſt, legi obnoxium eſſe, etſi priuilegio eximatur.* L X X. interpretes: *Confide: non morieris, quoniam commune præceptum noſtrum eſt.* Scilicet parùm foret Eſtherem ſuam priuilegio exemptam à rigore legis, & illius pœna; niſi Rex propalaret etiam eiuſmodi lege ipſam non comprehendi, nec legi obnoxiam fuiſſe, quaſi Legiſlatrix foret, & vnà ſecum legem condidiſſet. Sic eſt pœnale ac pergraue, obnoxium eſſe legi, tametſi ab illius obſeruatione priuilegio quis eximatur? Non ſatis ab animi deliquio recrearetur Eſther, niſi coràm euulgaretur, tam longè abfuiſſe, quòd præcepto illo teneatur, vt vtriuſque fuiſſe *commune præceptum* declaretur?

*Verſ.* 13. Non pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.

14. *Non pro Deiparâ ſed pro omnibus, peccati lex conſtituta eſt.* Viderint qui quondam dixerunt, Virginem Deiparam incurriſſe peccatum originale, quia *omnes in Adam peccaſſe* dicuntur. Scilicet Aſſuerus Chriſti figura, ſuæ Eſtheri Deiparæ antitypo verè hîc dicit: *Non pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Itaque τὸ *omnes,* quod ſenſum implicare videtur, figuram figurato apprimè quadrare, luculenter oſtendit. Sudata ſunt hæc; ſed ob celebritatem vulgaria.

---

## §. CCXCVIII.

*Arcana quædam non virtutum, ſed quaſi vitiorum hypocriſi, vitia in virtute oſtẽtare, aliquis pius virtutis faſtus eſt.*

QVòd agitis, ſine iactantiâ agite. placent illi, qui obeundo muneri ſeduli, *actu otioſis ſimillimi* ſunt. Qualis ille Piſo: *quo nemo aut validiùs otium dilexit, aut faciliùs ſufficit negotio: magiſque quæ agenda ſunt, egit, ſine vllâ oſtentatione agendi.* ait Velleius. Humilitas ſic inoleſcit, inuidia virtutis ſic vitabitur. huic amoliendæ, & illi conciliandæ, Sanctorum nonnulli velut delapſi ſunt ad *vitiorum etiam imitamenta,* Mæcenates illi hoc ſpectarunt. *Quis mens circumflua luxu nouerat intactum vino ſeruare vigorem.* Et callidus Criſpi nepos, (aliena caſtra diripiamus, vt vel è peruerſo adornemus noſtra) *qui diuerſus à veterum inſtituto, per cultum & munditias luxu propior. Suberat tamen vigor animi ingentibus negotiis par, eò acrior, quo ſomnum & inertiam magis oſtentabat.* Aliquam improbitatis ſpeciem in ſtrenuâ probitate aliquandò oſtentare, aſylum humilitatis eſt, & aliquis pius virtutis faſtus. Quod hîc in Eſthere admirari licet. 1.

Vellei. lib. 2. *An ſublimior virtus in hypocriſi vitiorum emicet?* Tacit. li. 16. Annal. Claud. de Prob. & Ol. conſul. Tacitus lib. 3. Annal.

Geneſeos 22. Abraham ſerus cùm fuerit pater, immaturæ ætatis filium iubetur victimare, ſolatium paternæ ſenectutis, vnicum pignus electæ poſteritatis. Qui quantò ſerior, tantò de ſpei moleſtiis dulcior. *Tolle,* inquit, *filium tuum vnigenitum; quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium quem monſtrauero tibi.* Ecce inter pietatem patris, & deuotionem Dei, filium eſt quidem velut ſcelus occidere, ſed Deum ſceleſtiùs non audire. In anguſto poſita eſt perfecta Abrahami iuſtitia. *Quid hoc eſt? Imperat parricidium, qui prohibet homicidium.* Pergit luculenter Auguſtinus: *Nouum præcepti genus eſt, homini legem ſceleris dare, & religioſum habere, ſi impium volueris perpetrare.* Abrahamus ſic erat gratiæ velut moribus factus, ſic pietati aſſiduus, obſequio facilis, & virtutum facinoribus adſuetus, vt ad imperandum illi aliquid ſtrenuè arduum, quidpiam flagitij ſpeciem repræſentans foret illi iubendum? Non blanditur Abrahamo perfectâ virtute conſummato, gratior voluptas, quâ vel in exercendâ etiam pietate potiebatur; ſed arduè ærumnoſior ſanctitatum difficultas. Ergò difficultatem mutuet virtus ab aliquâ ſpecie flagitij, ne excelſæ pietati deſit ſtrenua arduitas operis obſequio exhibendi; quæ apud Abrahamum præcipuè ſita eſt in horrore flagitij Verùm quantò ſpecies flagitij arduum reddit Abrahami facinus, tantò gratius illi erat; quandoquidem larvâ impietatis erga filium, ſummam erga Deum pietatem obuelabat. Indè illi *imperat parricidium, qui prohibet homicidium,* quò aſpectabilius Patriarchæ obſequium, velut inſolentis parricidij penicillo coloret; & quod eſt reipsâ perfectior virtus, impietatis ſpeciem quodammodò repræſentet. O piè velut inſolens conſummatæ

Hîc v. 4. 2. Gen. 22. v. 1. S. Auguſt. ſer. 73. de Temp. *Perfectior Abrahami pietas, dum aliquâ impietatis ſpecie ſumptuoſiùs coloratur.*

matæ virtutis ænigma! *Nonum præcepti genus eſt, hominis legem ſceleris dare, & religioſum habere, ſi impium volueris perpetrare.*

3. Cantic. 1. v. 5.

Canticorum 1. cæleſtis ſponſa, digna expetito ſponſi oſculo, & thoro; dum in terris peregrinatur, empyreum thalamum auidè exambiens, ita de ſe fatur: *Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.* Mulier expetens amari ab eo, quem ipſa diligit, quæcumque amori minuendo videntur fore, ea ſolet omni curâ vel amoliri, vel negare, vel defendere, vel maiori bono compenſata contendere. Cùm ergò Sponſa, id eſt, anima eximiè ſancta, & quæ piâ perfectioris ſanctitatis ambitione tenetur; defectus (re defectuum vacuos, & ſanctitatum plenos) prætendit, videatque externam ſpeciem ſuam poſſe videri deſpicabilem; & ideò etiam poſſe ſibi obiici, quæ tam nigra ſit & ſordida, tali indignam eſſe ſponſo; & decipi vano ſui amore, quæ Sponſi ſibi mutuum amorem audeat polliceri. Occurrit Sponſa, &, ſum (ait) fateor, ſubnigra & fuſca, ſed cute tantùm extima: extrinſecùs autem facie ſum liberali, lineamentis decoris, & cuncti corporis membris venuſta. *Nigra ſum ſed formoſa.* Et huius meæ venuſtatis teſtes ſiſto *filias Ieruſalem*, id eſt, Sanctos Angelos, qui illam animitùs noſcunt. *Nigra confeſſione peccatorum, formoſa gratia ſacramenti* ait inibi Iuſtus Orgelitanus. Non erubeſco me palam profiteri delictorum fœditate nigram & ſqualidam; dum intrinſecùs formoſior ſum gratiæ nitore, qui eo cælo lucet magis, quò magis in terris obtegitur. Opportunè Innominatus ille apud Genebrardum: *Nigra ſum, & non nigra.* Cui fauet Theodoretus, qui τὸ *formoſa* interpretatur *candidam.* quaſi dicat Sponſa: *Nigra ſum, ſed formoſa*, id eſt, *Nigra ſum, & non nigra.* Vel *Nigra ſum, ſed candida.* O ſententioſa pulchrè ſynonyma, vel potiùs conſummatæ virtutis ænigmata? Sic perſpicaciſſimis Angelorum oculis, non nigror in nigrore, ſed in nigrore candor tranſparet!

*Sponſa nigra eſt, ſed formoſa, id eſt, non nigra, ſed candida.*

Innomi. apud Genebrard. Theod. ibi.

4. Geneſ. 39. v. 19. & 20.

Geneſis 39. Ægyptia illa Ioſephi Domina impudenter procax, dixit ad eum: Dormi mecum. Qui nequaquam acquieſcens operi nefario, dixit ad eam: Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua: nec quidquam eſt quod non in mea ſit poteſtate, præter te, quæ vxor eius es: *Quomodo ergò poſſum hoc malum facere?* Verùm impudica mulier cupita libidine fruſtrata, amat & perſequitur, concupiſcit & ſæuit, quærit que perire quem diligit. Tandem femineis ſtrophis, & mulieris malè caſtæ fraude, factum eſt, vt Ioſeph reus & impudicitiæ erga vxorem, & ingratitudinis aduerſus maritum, in carcerem trudatur: *His auditis Dominus, & nimiùm credulus verbis coniugis, iratus eſt valdè: tradiditque Ioſeph in carcerem.* Eheu, Ioſephus caſtitatis idea, & gratitudinis meta, ingratiſſimi ſtupri patitur infamari reatu? An non ſatiùs foret ſuam tueri innocentiam, ne iniquitas inſoleſceret? Repudiat oblatam vltrò libidinem, ne erga beneficum Dominum videatur ingratus, & muto ſilentio obiectæ ingratitudinis fundat reatum? An quia ſatis gratus non eſt, qui ingratitudinis infamiam non patitur, ne deſinat eſſe gratus? Luculenter Philoſophus & diſertiſſimus, & moraliſſimus ita ad rem ſcribit: *Gratus ſum, non quia expedit, ſed quia iuuat. Hoc ſcias ita eſſe ſi gratum eſſe non licebit, niſi vt videar ingratus; ſi reddere beneficium non aliter quàm per ſpeciem iniuriæ potero, æquiſſimo animo ad honeſtum conſilium per mediam infamiam tendam. Nemo videtur mihi pluris æſtimare virtutem, nemo illi magis eſſe deuotus, quàm qui boni viri famam perdit, ne conſcientiam perderet.* Non videtur tibi hic ex altè cinctis, & aliquis cothurno Chriſtiano magnus? Sic ratio ad ductum moralium virtutum eualet! Nimiùm mauult Ioſephus erga beneuolum herum ingratus videri, quàm eſſe: & inhoneſti ingratè flagitij nomine rem gratitudinis implet, ipſiúſque rei quam gratus reſeruauerat, ſuſtinet nomen & famam, ne vera obiecti reatus defenſione, dum palàm cenſetur innoxius, perſpicuè appareat ingratus. O argutum virtutis acumen! Sub ſpecie vitij, virtutem glorioſiùs alit, fouet, adipat, magno fœnore ſanctitatis. Sic Ioſephus benefico in illum Domino, per ſpeciem illatæ iniuriæ beneficium reddidit, arcana non virtutum, ſed quaſi vitiorum hypocriſi: & vſtia taciturnitate quodammodò mentitur, ne præcelſarum virtutum conſcientiæ mentiri videatur.

*Ioſephus ſpecie ingratitudinis gratitudinem ſumptuoſiùs alit.*

Seneca epiſt. 18.

1. Corinth. 13. multus eſt Paullus vt elogia charitatis ſigillatim recenſeat, & glorioſè deprædicet: Charitas, inquit, patiens eſt, benigna eſt: Charitas non æmulatur, non agit perperam..... *non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati.* Porrò Charitas, quæ eſt virtutum ſumma, & perfectionis compendium, tametſi beneuolo affectu proximos piè proſequatur, non tamen ſic excutit, & exertat, vt ſuper proximi iniquitate gaudeat, nec eius defectibus gratuletur. Nec qui charitatem habet, ideò in ſe culpas, quas verè non habet, falsò agnoſcit: nam *charitas veritati congaudet.* Ex hoc Paulli loco grauiter cum ſuo Sulpitio Seuero Paullinus expoſtulat: nam Seuero magnificè laudanti Paullinum, & ſe ipſum nimis vituperanti, ſic Paullinus reſcribit: *Hæc enim*, inquit, *nobis præ nimio tuæ vnanimitatis affectu expoſtulandi cauſſa eſt, quòd te multa dilectio vſque ad mendacij peccatum trahit, ſiue enim ea reputem quæ de te, ſiue illa quæ de nobis loqueris, onera noſtra iniuſtis laudibus cumulans, tua falſis vituperationibus muniens, arguam te in charitatem de charitate peccare. Charitas enim (inquis) benigna eſt, charitas proximo malum non operatur, &c.* Ecce tibi, alteruter vſque eò propria in ſe bona non æſtimat, vt quod de ſe alter verè laudat, mendacium reputet, & ſe vnuſquiſque alterum æmulatus, falſis vituperationibus muniat. Ait ergo Paullinus falſa reputans, & quæ in ipſius laudem & quæ in ſui vituperium Seuerus ſcripſerat: Quandoquidem *charitas congaudet veritati, arguam te in charitatem de charitate peccare*, cùm tuæ laudi detrahas, quod meæ adiicis. Quaſi dicat: Dum tua eximia charitas præ humilitatis faſtu delinquere videtur, charitas tua haud dubiè tranſparet. Defectus quos, & virtutes meas ferè vſque ad mendacium exaggeras; ſed in hoc quaſi mendacio charitatem tuam lego: quantumuis eam humilitatis tenebris obſcures, in ea tua virtus præclarè tranſlucet: exambis enim tuorum defectuum, & mearum virtutum oſtentatione, & diſſimulare iuſtum, & iniuſtum quodammodò ſimulare, pio quodam abſconſæ virtutis faſtu. Quia ex ſumma virtute venit, vt defectus propè vſque *ad mendacij peccatum* oſtentes, *& in charitatem de charitate*

5. 1. Cor. 13. v. 6.

*In virtute quæ vitia piè oſtentat, virtutis fulgor tranſlucet.*

S. Paullin. epiſt. 2.

ritate peccare, ſpecie tenus videaris.

6. Gen. 38 v. 15. & 16.

Geneſeos 38. nuntiatum eſt Thamari, quòd Iudas eius ſocer iret ad tondendas oues, & deſiderio prolis è populo electo, potiùs quàm libidinis fomite; depoſitis viduitatis veſtibus, aſſumpſit theriſtrum: & mutato habitu, ſedit in biuio itineris, quod ducit Thamnam: eò quòd creuiſſet Sela, & non accepiſſet eum maritum. *Quã cùm vidiſſet Iudas, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem: operuerat enim vultum ſuum, ne agnoſceretur. Ingredienſque ad eam, ait: Dimitte me vt coëam tecum: neſciebat enim quòd nurus ſua eſſet.* Plures è commẽtatoribus factum Thamaris in rudi illo æuo piè excuſant. quod inibi multis examinauimus. Philo autem ſub allegoriarum nubilo, hâc ſuper re ad rem præſentem ita ſcribit: *Velatâ facie ſicut Thamar, ſedet in triuio, pro meretrice ſe oſtentans prætereuntibus, ne quis curioſior velum detrahat, & intemerati virgineique pudoris pulchritudinem decentiſſimam conſpiciat.* Ecce tibi Thamar, quam adhuc virginem contemplatur Philo, & quæ ad tantum meritum aſſumpta eſt, vt inter Chriſti Dei maiores cenſeretur; viduitatis ſuæ modeſtum habitum deponit, & theriſtrum, ſiue æſtiualem induens ornatiùs amictum, meretricem ſe publicè oſtentat. Meretricio ornatu regit ſacramentum pudoris; & dum leuiculam in triuio meretricem oſtentat, ſic obuios perſtringit aſpectus, vt intemeratam virginem mẽtiri, & putidum ſcortum haberi exambiat, arcanâ vitiorum hypocriſi, quâ in Ieſuanæ genealogiæ recenſitione locum obtinuit. Quid accommodatius?

*Thamar habitu virginem abſcondit, meretricem oſtẽtat.*

Philo. l. de Cong. quær. erud. gratiâ.

7. Iob 1. v. 20.

Iob 1. minax Satan cum eo atrociter duellãs, prædonum corda face furiali ſuccendit, impetibus crebris totas eius facultates inuadit: ſubitò rapinâ, igne, ferróque vniuerſa vno momento diſperdit. *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite, &c.* Quid eſt quod Iob patientiſſimus, etſi auditis tot ſimul calamitatibus, veſtimenta ſcidit ritu tragicè mœrentium? Appoſitè S. Zeno Veronenſis: *Quo nuncio accepto Dei ſeruus ſcidit veſtimenta ſua, non vt Deo inuidiam faceret, ſed vt expeditiùs cum hoſte pugnaret: Contempſit denique in perditis facultatibus diuitem: diſſimulauit in amiſſis liberis patrem, in pœnâ ſui corporis iuſtum.* Nimirùm Iob tot lugubribus auditis ex improuiſo nunciis, *ſcidit veſtimenta ſua*, quod erat vulgate profundæ mœſtitudinis ſignum; nec omiſit hunc Idumææ gentis ritum, ſed eo animum inconcuſsè flecti neſcium his doloris acerbi notis tectiùs abſcondit. *Diſſimulauit in pœna ſui corporis iuſtũ.* dum quodam velut impotentiæ notamento, conſtantiæ æquanimitatem diſſimulat, & aliquâ velut vitiorum piâ hypocriſi, conſternati animi notas obtendit, qui eſt præcelſus aliquis virtutis faſtus.

S. Zeno ſer. de Iob.

*Iob piâ quadam velut vitiorũ hypocriſi, in pœnâ ſui corporũ diſſimulat iuſtum.*

## §. CCXCIX.

*Intùs omnia populo diſſimilia ſint in re virtutis; quæ foris apparent, populo conueniant, nec ſint de ſingularitate arroganter famoſa.*

1. Seneca epiſt. 5.

Seneca ſuum Lucilium philoſophiæ moribus inſtituens, ſic erudit. *Illud autem te admoneo,* inquit, *ne eorum more qui non proficere, ſed conſpici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia ſint.* Aſpetum, incultum, & intonſum caput; & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi poſitum, *& quicquid aliud ambitionem peruerſa via ſequitur, deuita. Id agamus vt meliorem vitam ſequamur quàm vulgus, non contrariam.* Hic mihi modus placet. Temperetur vita inter bonos mores & publicos. Quid ergò? eadem faciemus, quæ ceteri? nihil inter nos, & illos intererit? Plurimum inquam. Diſſimiles nos vulgo ſciat, qui inſpexerit propiùs, qui domum intrauerit, qui ad familiare colloquium admittetur; non qui quæ foris ſunt tantũ videt; videt autẽ quouſque habet oculos. *Intùs omnia diſſimilia ſint, frons noſtra populo conueniat.* quod eſt virtutis aſylum, & Chriſtianæ philoſophiæ meta. Sic Eſther *roſeo colore vultum ſuperfuſa, triſtem celabat animum.* Hic verſ. 8.

*Quæ in re virtutis valdè notabilia ſunt, vanam gloriam ſubornant.*

2. Lucæ 2. v. 5.

Lucæ 2. Factum eſt autem in diebus illis, *exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.* Aſcendit autem & Ioſeph à Galilæâ de ciuitate Nazareth in Iudæam in ciuitatẽ Dauid, quæ vocatur Bethlehem: eò quòd eſſet de domo, & familiâ Dauid, *V. profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante.* Quiſquis ſpecie tenus vibraret cenſuram, in arduo Deiparæ & Ioſephi itinere, quod auſteriori brumæ tempore conficiendũ erat, pauperculo victu, & nullo apparatu, nil ibi videret præter obſequium Cæſaris edicto impenſum ſuper Cæſareo cenſu, aut ambitioni Imperatoris deſeruiente. Sed vide mihi, cui potiùs Regi, huiuſmodi itu omnibus vulgari, Deipara & Ioſephus obſequantur. Porrò Saluatoris in Bethlehem natiuitas, edicto Prophetarũ antedicta, tali præſtruebatur obſequio, quod populariter commune erat, & vulgo præſtandum. Audiendus eſt hâc ſuper re Ambroſius, ad præſcripta Lucæ verba ſic fatus: De ortu Saluatoris dicturi, inquit, non putamus alienum, vt quo natus ſit tempore requiramus. *Quid enim profeſſio ſecularium ad generationem Domini pertineret, niſi vt aduertamus hoc quoque diuinũ eſſe myſterium. quia dum profeſſio ſecularis obtenditur, ſpiritualis impletur, non terrarum Regi dicanda, ſed cæli.* Luculenter quidẽ de more Ambroſius! Diuinum ſanè myſterium peragitur, dum *profeſſio ſecularium* ad generationem Domini arcanè pertinet: ſiquidem dum *profeſſio ſecularis obtenditur, ſpiritualis impletur*: & dum obſequium videtur exhiberi terrarum Regi, cæleſtis Regis ſacramentum tectiùs peragitur. Quis non ſibi ſeriò perſuadeat, quod *ſecularis profeſſio*, ſaltem profana eſt, ſæpè noxia, & virtuti plerumque exitialis? At ſi rem attentiùs inſpicias, & medullitùs penetres, videbis quoſdam (heu pauculos!) ſub communi reliquis habitu, vitâ, fronte, qui *ſeculari profeſſione* cenſẽtur, *ſpiritualem profeſſionem* cumulatiùs *implere*, & in rebus vulgo communibus, & quæ ferè profanam ſeculi profeſſionem ſubolent, ſpiritualem vitam intentiùs alere, perfectiorem virtutem ſub ſeculari inuolucro tectiùs colere, & ſecuriùs operari; & dum ſeculari terrarum Regi obſequi videntur, cælorum Regi intentiùs deſeruire. *quia dum profeſſio ſecularis obtenditur, ſpiritualis impletur.*

*Dum profeſſio ſecularis obtenditur, ſpiritualis impletur.*

S. Ambr. in cap. 2. Lucæ lib. 2.

3. Pſal. 67. v. 6. & 7.

Regius Pſaltes agens de cæleſtibus beneficiis ac ſpiritualibus gratiis, quibus Deus ſuum electiſſimum populum vbertim cumulauit, ſic pangit:

git: *Deus in loco ſancto ſuo: Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo.* Perſpicuum eſt agi de electis, & ſanctitate præcipuis tunc in Synagogâ, & typicè in Eccleſiâ. Ideircò nonnulli apud Lorinum vertunt: *Habitare facit eos, qui ſunt eiuſdem vitæ, vel eiuſdem ſtudij ac præſtantiæ in domo.* Quod explicatiùs tradit Symmachus, *Qui dat monachis* (id eſt, religioſis viris) *habitare domum.* Quinta editio pro *vnius moris* habet *eximios.* Verùm Pagninus, Caietanus, Clarius, Vatablus Hebræum *iechidim*, pro quo LXX. vertunt *vnius moris*, ipſi ſcribunt, *vnicos, ſingulares.* quaſi vnici & *ſingulares* ſint illi *eiuſdem vitæ & ſtudij eximij*, qui in domo Dei habitant, & in quibus habitat Deus. Vereor tamen ne *ſingularitas* in re virtutis, ſit ambitionis illecebra, & vanægloriæ ſumptuoſior pompa, dum de famâ *ſingularitatis*, ſpectatorum oculos ad ſe trahere, eorum ſtuporem ædificare, & humanos plauſus aucupari exambit. Exindè S. Auguſtinus, qui velut per anotomiam, exploratam habebat vitiorum ac virtutum naturam, indolem, ingenium, tam longè abeſt, vt hos *eximios* in domo Dei appellet *ſingulares*, vt præſcriptum Pſalmi locũ ſic exponat: *Dominus in loco ſancto ſuo. Quis enim ſit locus eius aperuit cum dicit: Deus qui inhabitare facit vniuſmodi in domo.* Ne autem quis putet, quòd cùm dicit omnes habitatores magnæ domus Dei eſſe *vniuſmodi* indè affirmaſſe, omnes eodem ſanctitatis ac perfectionis gradu eminere, quandoquidem ſunt aliqui (vtinam pauculi) virtutum inopes, alij non valdè locupletes, alij virtute opulentiſſimi, ſubdit Auguſtinus: *Eſt enim domus magna, in qua non ſolùm aurea vaſa ſunt & argentea, ſed & lignea & fictilia. Et alia quidem ſunt in honorem, alia in contumeliam.* Ita ſanè. Si verò quæ extrinſecùs apparent, attentiùs ſpectes, adeò ſunt ſingularitate vacui, vt omnes putes *vnius moris*, & *vniuſmodi*, Sic nullus tanquam de ſingularitate famoſus, exorbitare, aut eminere ambit. Intùs omnia diſſimilia ſunt, frons tamen, & exterior obſeruantiæ ſpecies cum reliquis conuenit: ne dum virtutis ſingularitas
4. oculos attrahit, & plauſus excitat ambitionem clanculum ſubornet. Magna ſanè huius magnæ domus laus, quòd tametſi meritis diſpares in eâ habitent; ſic virtute præſtantes illam diſſimulant, vt omnes *vnius moris*, & (quod mirere magis) *vniuſmodi* eſſe videantur. Alibi aliorsùm forſan expendemus, quòd in hâc magnâ Dei domo, vbi Sanctorum *eximij* habitant, etſi non omnes polleant eodem ſanctitatis, ſapientiæ, ac prudentiæ merito, atque canæ auctoritatis, ac munerum ſuffragio; omnes tamen *vniuſmodi* cenſentur, & æqua omnium apparet menſura, æquabili tractatione laudabilis. in merito impares ſunt; victu autem, veſtitu, & honore pares: quia Deus inhabitare facit *vniuſmodi* in domo. nemo enim aliter tractari hactenùs exambit.

Lorin. ibi. Symm. Quinta editio. Pagninus. Caietanus. Clarius. Vatablus.

*Omnes habitatores domus Dei, vniuſmodi eſſe cenſentur.*

S. Auguſt. ibidem.

*In hâc domo Dei, omnes, & ſi impares, vniuſmodi tractantur.*

5. Canticorum 4. Quàm pulchra es amica mea, quam pulchra es! *Oculi tui columbarum, abſque eo, quod intrinſecùs latet.* Non mirò (inquit Sponſus) quod de tuorum anteà oculorum venuſtate, atque modeſtiâ dixi: quin addo prætereà ad ipſorum dignitatem accedere, quòd intra capillos à fronte pendulos, aut nuptiali flammeo modeſtè, ac verecundè lateant. S. Gregorius Nyſſenus præſcripta Canticorum verba exponens, ita ad thema præſens eleganter ſcribit: Prædicatur, inquit, vterque oculus, vt totus homo laudis fiat particeps, tum is qui apparet extrinſecùs, tum quem mente intelligimus. Etenim illam ob cauſſam in hâc laudatione mentionem facit etiam alterius cuiuſdam excellentiæ, cùm ait: *Præter id quod in te reticetur.* (Sic legit Græcus textus, quod Vulgatus habet, *Abſque eo, quod intrinſecùs latet*) Addit prætereà ad rem Nyſſenus: *Nam vita bona partim hominibus veluti expoſita eſt & nota, partim occulta, Deo nimirùm ſolo eam intuente. Quapropter is, qui quod necdum factum eſt, videt, & abdita perſpicit; teſtimonium perhibet perſonæ illi, quæ commendatur, ampliùs ineſſe id quod reticeatur,* (id eſt, *intrinſecùs latet*) *quam quod extrinſecùs apparet.* Scilicet virtutis ſtudioſo *magis ineſt* virtus, *quæ intrinſecùs latet, quam quæ extrinſecus apparet.* Probitas enim quæ ſub communi hominum vitâ latet, altiùs radicata, medullitùs ineſt; quæ verò de ſingularitate famoſa, hominum oculos attrahit, & ſtupore ſuſpendit, imbecilla eſt, & interitui facile obnoxia. Vndè poſt multa ſubdit Nyſſenus: *Et hic autem duplex laus virtutis, nempè & per ea quæ apparent in vita honeſta, & per ea quæ rectè geruntur in animæ impatibilitate.* Quaſi eæ virtutes quæ ſub communi vitâ abſconſæ ſunt, *in animæ impatibilitate gerantur.* Nimirùm virtus quæ ſingularitatem fugit, & ſub communi extrinſecùs honeſte, intimiùs abſconſa geritur, quodammodò *impatibilis* ab vllâ vitiorum hoſtilitate prædicatur. quod eſt auguſtiſſimum virtutis elogium.

Cant. 4. v. 1. S. Greg. Nyſſ. Orat. 7. in Cantic.

*Magis ineſt homini occulta virtus, quàm extrinſecus apparens.*

*Virtus ſub communi vitâ, quodammodò impatibilis prædicatur.*

Regius Pſaltes ſic ad rem pangit: *Qui timent te videbunt me, & lætabuntur, quia in verba tua ſuperſperaui.* Multis autem ibi addubitat Ambroſius, quo pacto verè dicatur, quod qui Deum timent, & colunt, viſo Iuſto lætentur. cum Geneſareni Chriſtum rogarent, vt ab eorum finibus egrederetur. Reſpondet autem his verbis: *Qui videt iuſtum, debet ſcire quid videat: non tantùm videt in corpore, non in veſtimento, non in patrimonio, non in vultu, ſed intùs videt. Non, inquam, illum vides, niſi eius videris mentem, niſi eius ſermonem intenderis, niſi ſenſus illius potueris comprehendere, ſapientiam de tractatu eius potueris aſſumere.* Multa ad hanc rem, in hoc ſerm. 10. adducit Ambroſius. 6.

Pſal. 118. v. 74. S. Ambr. ibi. Ser. 10. Lucæ 8.

*Quis dicatur Iuſtũ videre.*

Lucæ 1. Angelus Gabriel à Deo miſſus Incarnationis paranymphus, ad Beatam Virginem, ſic eam ſalutauit: *Aue gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Hæc gratiæ plenitudo, gratiarum Deiparæ ſumma, atque compendium eſt. Sed aduerte quid ad rem præſentem Bernardus adnotauerit, eadem Angeli verba exponens: *Sola*, inquit, *generalem gratiam ſingulariter accepiſti, nam ſola præ omnibus gratiam inueniſti ſingularem, quod ſola hanc inueneris plenitudinem* Generalem gratiam inuenit Virgo Deipara (quæ etiam apud Deum inueniſſe perhibetur) & quâ ipſa foret abundè grata, & quam in homines copiosè refunderet: gratiæ autem *plenitudo*, in eo etiam mirè pellucet, quòd *generalem gratiam ſingulariter accepit*, non ſingulariter oſtentauit. Sub vitâ & habitu ſpecie tenus communi, non communem, ſed præcelsè *ſingularem* & angelicam gerebat vitam; & generalem gratiã animitùs ac medullitùs *ſingulariter* fouebat. Exindè (vt pulchrè Beda adnotauit) Beata Virgo auditâ Angeli ſalutatione, turbata eſt. Quid turbata Virgo Deipara Angelorum colloquiis aſſueta cùm 7.

Lucæ 1. v. 28. & 29. S. Ber. Ser. 3. de Annũciat.

*Virgo Deipara ſub communi vitâ, ſingulariter animitùs viuere ſtudet.*

Beda ibi.

cum ex ore Angeli audit, *Aue gratia plena: dominus tecum: benedicta tu in mulieribus?* Audi Bedam: *Turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Cum prudentia pauebat, quia Benedictionis nouam formam miratur, quæ nuſquam lecta eſt, nec ante comperta.* Nempe ad ſingularia cum prudentia pauet B. Virgo. ſingularia non extrinſecùs inuenire, ſed animitùs facere impenſiùs ſtudet.

## §. CCC.

*Viro conſummatè perfecto ſint animitùs omnia diſſimilia à populo, frõs tamen populo conueniat, quo inſolentis vitæ faſtus ſobriè caſtigetur.*

1. Seneca epiſt. 29.

NVnquam volui populo placere, (ait Seneca) *Nam quæ ego ſcio, non probat populus: quæ probat populus ego neſcio.* Qui enim placere poteſt populo, cui placet virtus? Aut malis artibus, aut miris & inſolentibus, Popularis plauſus quæritur: Aut ſimilem te illis facias oportet, aut actibus ſolitio mirioribus, ſtuporem eius ædificare, conuenit. Quid ergo illa laudata, & omnibus præferẽda artibus rebuſque Philoſophia (virtutis amor inquam) præſtabit? ſcilicet, vt malis tibi placere, quàm populo: vt æſtimes iudicia, non numeres. O quàm ignorant homines cupidi gloriæ, quid illa ſit, & quemadmodum petenda? Cæterùm ſi te videro celebrem ſecundis vocibus vulgi: ſi intrante te clamor & plauſus obſtrepuerint, ſi totâ ciuitate fœminæ pueriq́ue laudauerint, quaſi per extraordinaria opera caput ſupra reliquorum faſtigium extuleris, quid ni ego tui miſerear, cùm ſciam quæ via ad iſtum fauorem ferat? Has voces plerumque ambitio parat, faſtus excipit, & vana gloria in ſuperbiam digerit, egerit. Conſcientiæ ergo ſatisfaciamus, nil in vulgi famam laboremus. Videat te populus, non admiretur: quid boni in vita tua imitetur, cernat; non quid tanquam inſolens ſtupeat. In communi vita, non communem virtutem medullitùs alere, aliquis virtutis faſtus eſt, & opinatiſſimum ſanctitatis miraculum. Heu quàm difficilis eſt, cunctis te admirantibus, ſobriæ humilitatis cuſtodia? In conſcientia diſſimili, frons noſtra populo conueniat.

*Sub communi vita, non communis virtus delitescit, quodam humilitatis faſtu*

2. Actor. 10. v. 40. & 41.

Actorum 10. Petrus Cornelio ſuo Euangelium annuncians, Chriſti Dei præclara geſta ad fidem enarrat: Et nos, inquit, teſtes ſumus omnium, quæ fecit in regione Iudæorum, quem occiderunt ſuſpendentes in ligno. *Hunc Deus ſuſcitauit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo: nobis, qui manducauimus & bibimus cum illo poſtquam reſurrexit à mortuis.* Hanc vnicam rationem Petrus adducit ad probandas reſurgentis Chriſti glorias, ſcilicet quod ipſi poſt glorioſam reſurrectionem, cum illo manducauerunt & biberunt, id eſt, familiari conuictu, & commenſali familiaritate vſi ſint. Inde ne aptè ſublimior Chriſti virtus, & gloria reſurrectionis ſatis comprobatur? Scitè OEcumenius præſcripta verba commentans, ita ſcribit: *Qui comedimus, ac bibimus vnà cum ipſo poſtquam reſurrexit à mortuis. Hinc Chriſti reſurrectionem confirmat, quòd cum eo poſt reſurrectionem comederint. Neque enim à reſurrectione fecit aliquod ſignum: ipſa namque reſurrectio magnum erat ſignum: reſurrectionis autem nullum tale ſignum erat, quale eſt ediſſe & bibiſſe.*

*Ceſſatione à faciendis miraculis, ſua reſurrectionis glorioſius miraculum Chriſtus probat.*

Oecumenius ibidem.

Sanè expenſione digniſſimum eſt, quòd Chriſtus Deus, dudùm patratione miraculorum multus, poſt reſurrectionis glorias, quò illi ſuffragetur, & ſe verum Deũm probet, nullum aut rarum patrauit miraculum. Tantæ ne gloriæ abſque miraculorum ſuffragio homines credẽt? Eccur, dum Diſcipulis apparebat, vulgari conuerſatione contentus, nil patrat, quod mirentur, nil quod ſtupeant, vident? An non è re probandæ glorioſæ virtutis foret, glorias gloriis replicare, & veteres glorias nouis exaggerare? Imò *hinc Chriſti reſurrectionem Petrus confirmat, quòd cum eo poſt reſurrectionem comederint,* & ſpecie tenus vulgari conuerſatione & communi cibo & potu vſus ſit. *Neque enim à reſurrectione fecit aliquod ſignum: ipſa autem reſurrectio magnum erat ſignum: reſurrectionis autem nullum tale ſignum erat, quale eſt ediſſe & bibiſſe.* Profectò non niſi grandius & glorioſius miraculum, communi conuerſatione, & vſitatiſſimo viuendi genere confirmandum erat. Scilicet viro conſummatè perfecto ſint omnia diſſimilia à populo; frons tamen populo conueniat, quò inſolentis vitæ faſtus caſtigetur, animitùs non vulgariter ſanctus eſt, ne extrinſecùs glorias de geſtis inſolentibus captes. Vitæ glorioſioris miraculum, ceſſatione à miraculis ſæpe adſtruitur: Expediebat aliquando, vt miraculorum ſtupore diuinitatem ſuam Chriſtus Deus ſuaderet: ſed grandius ſuæ glorioſæ reſurrectionis miraculum, ſine miraculorum pompâ glorioſâ ſumptuoſiùs ædificat, ad noſtram eruditionem, & Chriſtianæ humilitatis cautelam. O caue ſubtilioris vanæ gloriæ dubios ſcopulos! A virtute ſæpè eſt, quod ſubdolè virtutem ſubruit. Heu ſobolem è peruerſo degenerem! Ne te fallas, & proſtitutæ virtutis commercio inanes hominum plauſus nundinetis.

Eccleſiaſtes 7. ſic nos erudit Salomon: Hæc 3.
quoque vidi in diebus vanitatis meæ, Iuſtus perit in iuſtitia ſua... *Noli eſſe iuſtus multum, neque plus ſapias quàm neceſſe eſt, ne obſtupeſcas.* Et ſanè ſi de *iuſtitia* ſtrictè hæc verbã accipiantur, conſultiſſime id præmonet Salomon: nam qui ſummum ius perſequitur, iniuriam facere cenſetur. Verùm S. Bernardus per τὸ *iuſtitiam*; quamcumque virtutem, præcipuè humilitatem intelligit: *Bona eſt, inquit, iuſtitia, omniſque virtus; ſed adhuc infirmi ſumus: oportet vt bona ipſa temperentur gratiâ, ne fortè elationis vitium incurramus.* O quoties exquiſitis ſingulariter virtutum facinoribus, quæ ſtuporem intuentium ædificent, inclytæ virtutis famam mercari præſumimus; & depreſſiori viliter humilitate immodicam gloriam è peruerſo ambimus! Pulchrè Ticinenſis Ennodius: *Idem eſt, terminum in arrogantia non tenere, quòd in humilitate tranſcendere. Supercilij affectus eſt, iuſto ampliùs eſſe ſubiectum, Familiare eſt grauiter hiantibus, nouas inuenire blanditias, & grandis coturnus, in eloquentia ſimulare formidinem, vel examen metuere de laude ſecurum.* Ecce tibi iuſtus perit etiam in iuſtitia ſua. Ergo *noli eſſe iuſtus multum* ne immodicus gloriæ affectus, etiam in ipſa ſubiectione, elatioris arrogantiæ faſtum prodat. Immodica virtus, latentis vitij ſuſpecta eſto: nam *ſupercilij affectus eſt, iuſto ampliùs eſſe ſubiectum.*

Eccl. 7. v. 17.

S. Bernard. ſer. 4. in Pſal. 90.

*Idem eſt, terminum in arrogantia, ac in humilitate non tenere.*

Ennod. lib. 1 epiſt. 15.

Matthæi 2. cùm natus eſſet Ieſus in Bethlehem 4.

Iuda

Iuda, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? *vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Quo audito, turbatur Herodes, conſulit ſcribas, dimittit Magos, & ecce ſtella, quam viderant in oriente, antecedebat eos,
Matt.2.v.11. vſque dum veniens ſtaret ſuprà vbi erat puer. *Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Mariâ matre eius, & procidentes adorauerunt eum.* Pulchrè quidem Magi dum Deum hominem in cælis quærunt, in terris inueniunt, reliquis infantibus extrinſecùs ſimilem. Audiendus eſt hâc
S. Chryſol. Ser.156. ſuper re Chryſologus: *Qui nobis*, inquit, *naſci voluit, a nobis noluit ignorari: & ideò ſic apparuit, ne magnum pietatis Sacramentum, magni fieret erroris occaſio.*
*Qui in cælo terram, in terrâ cælum videt.* *Hodie Magus quem fulgentem quærebat in ſtellis, in cunis reperit vagientem. Hodie Magnus clarum miratur in pannis, quem diu in aſtris patiebatur obſcurum. Hodie Magus quid ſibi videat profundo ſtupore peruoluit, in terrâ cælum, in cælo terram, in Deo hominem, in homine Deum, & vniuerſo ſeculo non capacem includi, corpore perpuſillo.* Ecce effulget in rudi natiuitate, & infantiâ reliquis hominibus non abſimili, qui in cæli fulgoribus obſcurabatur ignotus. Magus autem ſidera explorans, vt ea de Chriſto ſciſcitetur, ne magnum pietatis Sacramentum magni fieret erroris occaſio; *in terrâ cælum, in cælo terram videt.* O bonam ethicè eruditionem! Homo cùm ſis, noli in re virtutis vltra humanum faſtigium extolli, & peruerſo ambitionis rumore cælo vicinari: & in terris agens, quaſi præ virtutis ſublimitate iam fores mundi exul, & in cælum duxeris coloniam, cæleſtes ſemper virtutes oſtentare. Magi rerum attenti exploratores, *in cælo terram, in terrâ cælum vident.* Dum magis ambis apparere cælum, terra magis tranſparet, & perſpicacior aſpectus *in cælo terram videt.* Cæli potiùs dona diſſimula, & rectiùs occulta, terram tuam inaffectatâ ſimplicitate oculis obiice, & *in terrâ cælum videbunt.* In communi cum hominibus conuerſatione præſtat apparere terrigenis ſimilis, ne fias cælicolis diſſimilis. Qui de ambitioſâ affectatione virtutis, in terrâ apparet cælum, cælicolæ in eiuſmodi cælo terram videbunt. Nam *Magi in cælo terram, in terra cælum vident.*

5. Matthæi 11. Chriſtus Deus nouam illam ſen-
Math.11.ſv.12. tentiam nouitate & difficultate celebrem pronunciauit: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Regnum cælorum ſiue ſit ipſe Chriſtus Deus, vt vult Ambroſius; ſiue beata & æterna vita, vt mauult Gregorius; non eſt intellectu facile, quo modo dicatur vim pati, & à violentis rapi. Quidam interpretes cenſent, ideò
Quidam apud P. Maldon. *regnum cælorum* dici *vim pati*, quia *magno ad illud impetu curritur*: Falluntur egregiè: nam *magnus impetus* magnum ſtrepitum, & quandam velociter currendi externam ambitioſè pompam denotat, quæ curſum potiùs retardat, quàm vrget, dum inſolenti *impetu* currere feſtinat. Sapienter adæquè ac ſubtiliter P. Maldonatus ex Ambroſio & Hilario ſic locum exponit: Ego,
P. Maldo. ibi. inquit, vehementer Hilarij, & Ambroſij probo ſententiam, *propterea dici vim pati regnum cælorum, & rapi à violentis, quia non intra vnum populum, (vt in veteri lege) concluſum eſt, quaſi certis finibus cuſtoditum; ſed omnibus apertum, omnibus expoſitum, vt quicumque velit in illud irruat*: Videlicet quiſquis auidè cupit regnum Dei obtinere, *violentus* ferri dicitur ad illius obtentionem, ex illo tempore, quo omnibus nationibus, gentibus, perſonis, ſexibus æque propoſitum eſt. Ante Chriſti enim tempora ſolis Hebræis ſpeciatim propoſitum fuit. Exindè à tem- *Quia regnum cæleſte omnibus iam æquè propoſitum eſt, violenti in illud aguntur*
pore Chriſti, & eius Præcurſoris, *violentè* quis ferri in regnum cælorum dicitur, quia omnibus adæquè expoſitum eſt, & ab omnibus indifferenter obtineri poteſt. Profectò in re etiam virtutis, & regni cæleſtis expetendi, neſcio, quæ agitata ſingularitatis ambitio hominibus latenter ineſt, vt quidpiam ſibi ſingulare ſectentur, nec reliquis vniuerſarim commune, vt vel ad cæli gloriam, quam vltrò aſſequi poſſunt, & cuius ardenti tenentur ſtudio, ex eo tempore *violenti* ferantur, quo *omnibus apertum, omnibus expoſitum eſt, vt quicumque velit in illud irruat.* Cùm quiſque videt, ſe iam non videri de ſingularitate famoſum, & de nouitate ſingulariter aſpectabilem, ſic curſum repigrat, vt in regnum cælorum propè *violentus* feratur. O ſtudioſe cohibeamus hoc cognatum ſingularitatis ſtudium de ambitione ſuſpectum! Animitùs omnia diſſimilia ſint à reliquis, externa frons ceteris conueniat. Videat te populus, non admiretur. Conſcientiæ ſatisfaciamus, nil famæ laboremus. Imò de bonâ conſcientiâ, opinatiſſima fama tranſlucet.

3. Regum 19. ſic Elias cum Deo expoſtulat: 6.
Altaria tua deſtruxerunt, prophetas tuos occide- 3.Reg.19. v.18.
runt gladio, *derelictus ſum ego ſolus*, & quærunt animam meam. Deus autem poſtquam ingentem populi ſtragem comminatus eſt, Eliæ qui putabat ſe relinqui ſolum, reſpondit: *Et relinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incuruata ante Baal.* Conſultiſſimè *Confinis eſt ſingularitati ſuperbia.*
Deus Prophetæ quodammodò ſe iactanti, quòd *ſolus* relictus eſt; ne de ſingularitate famoſus ſibi videatur, addit, ſeptem millia adhuc ſupereſſe, qui auitam religionem colant. Tempeſtiuè Gregorius in hunc modum exponit præſcriptum lo- S. Greg. 31. Moralium. cap.23.
cum: *Magno humilitatis radio ſua opera illuſtrat, qui aliorum bona ſubtiliter penſat: quia dum ea quæ ipſe fecerit, facta foris, & ab aliis conſpicit, eum qui de ſingularitate intùs erumpere nititur, ſuperbiæ tumorem premit.* Nempe *ſingularitas*, ſuperbiæ tumorem malè gignit, nec benè nutrit: ergò ſub communi vitâ non communis virtus deliteſcat, quodam humilitatis faſtu: nam confinis eſt ſingularitati ſuperbia. Ne autem Propheta incautè ſuperbiret, plures alios religione ſimiles illi præmonſtrat, quo ambitioni tectiùs erumpenti cauterem inurat.

Matthæi 14. quartâ noctis vigiliâ venit Ieſus 7.
ambulans ſuper mare, ad diſcipulos in nauiculâ Math.14. v.29.& 30.
periclitantes. Cui dixit Petrus: Domine, ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas. At ipſe ait: Veni. *Et deſcendens Petrus de nauicula ambulabat ſuper aquam, vt veniret ad Ieſum. Videns verò ventum validum, timuit: & cùm cœpiſſet mergi, clamauit dicens. Domine &c.* *Mergi incipit Petrus quia non per terram, ſed per vndas ambulat?* Hîc vulgus Hæreticorum Petrum reprehendit, & quia dixit, *ſi*, Maldon. ibi.
quaſi in fide dubitauerit; *& quia voluit ſolus dimiſſis aliis ad Chriſtum ire, quod arrogantiam fuiſſe dicit.* Verùm Petri facinus meritò commendant ſancti Patres, & Expoſitorum proceres. At in tanto deuotionis feruore, quamobrem *mergi cœpit*? An *quia voluit ſolus dimiſſis aliis ad Chriſtum ire*? An quia piâ quâdam virtutis velut *arrogantia*, non per terram (vt reliqui homines) ſed extraordinariè per vndas ambulando, *ire*

cupit

cœpit ad Chriſtum? O quàm eſt periculoſum per viam tritam non incedere! O quàm ſæpè qui per aëra, vndáſue ad Chriſtum ire præſumit, vel in terrá naufragium facit! Sic iuuat ex hoc loco ethicè velitari. Etiam quod virtus eſt, ſi nimis ſingulare ſit, vitiis confine eſt. O ſingularitatem timeat, qui virtutem amat!

---

## §. CCCI.

*Diuina Gratia quodammodò ſerpentinæ fraudis æmulatrix eſt: ſine conatu vrget, & ea Dei Spiritus proſperatur ingenio alliciendi.*

1. S. Chryſ. in 1. Cor. 4. *Qui humanas laudes exambit, diuinæ gratiæ iniuriam facit.*

SEntentioſè Chryſoſtomus: *Ne igitur aliorum laudes requiramus: hoc enim illi* (Deo inquam) *magna iniuria eſt.* Scilicet diuinæ gratiæ facinora in te coronare Deus exoptat; refutat autem in te gratiæ ſuæ furacitatem, & humanam diuinæ gloriæ auaritiam. Furti arguitur, qui quod de gratiæ officioſitate venit, ſibi adſcribi humanis laudibus exambit. Gratiæ diuinæ ingenium humanam tranſcendit potentiam, induſtriam, ſagacitatem. Hæc vanæ gloriæ furta, diuinæ ſapientiæ ac potentiæ arreptiones ſunt, de Pelagianiſmo ſuſpectæ.

2. Eccli. 1. v. 6. Vatablus. *Diuina gratia calliditatem ſerpentis æmulatur.* Matth. 10. v. 16. Remig. ibi.

Siracides Eccleſiaſtici 1. Fons ſapientiæ, Verbum Dei in excelſis; & ingreſſus illius, mandata æterna. Radix ſapientiæ cui reuelata eſt; *& aſtutias illius quis agnouit?* Vatablus pro *aſtutia* habet, *calliditatem* Haud dubium eſt in bonam partem hìc ſumi *aſtutiam*, ſeu *calliditatem*: ſed non ſine epitheſi ſic vſurpatur. Matthæi 10. Chriſtus Deus mittens Apoſtolos, qui Euangelium per mundum ſpargant, & Chriſtianam doctrinam afflent, quam Spiritus ſanctus animitùs per gratiam fouebit; his verbis illos erudit: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.* Quam ſententiam ſic exponit Remigius: *Pulchrè etiam prædicatores ſerpentis prudentiam monet habere: quia primus homo per ſerpentem deceptus eſt. Ac ſi diceret: Quia hoſtis callidus fuit ad decipiendum, vos prudentes ſitis ad liberandum.* Vide hìc congruum diuinæ gratiæ afflatum, cum callidi ſerpentis malitioſo aſtutè ſibilo eleganter compoſitum, & ex diuerſo æmulum. Quâ de re aliàs alioſum egimus in hoc Opere, cùm Euangelici Concionatoris induſtriam elimamus, exacuimus, obarmamus. Procliue eſt alterutrum ad alterum thema flectere.

3. Eccli. 36. v. 24. *Cum pulchra libidinis pellacia gratiæ illicium comparatur.*

Eccleſiaſticus cap. 36. ita ſcribit: *Species mulieris exhilarat faciem viri ſui, & ſuper omnem concupiſcentiam hominis ſuperducit deſiderium.* Quaſi dicat: Feminæ eximia venuſtas, & gratior forma ſic exhilarat viri faciem, & pectus deliciis implet, vt eâ contentus lætè viuat, nec aliam quærat: hæc enim venuſtas viri concupiſcentiam & deſiderium incitat, & ad ſe rapit præ omnibus rebus, *& ſuper omnem concupiſcentiam*, id eſt, præ omni obiecto concupiſcibili, quod hominis concupiſcentiam in ſui amorem allicit & irritat. Ita videmus iuuenes œſtro libidinis excitos, ſic pulchratum mulierum formam inſanè deperire, vt quò eâ potiantur, opes liguriant, famam profligent, vitam temporariã & æternam in diſcrimen adducant. Sic eſt ſui impotens inſana formæ libido! Audiendus nunc eſt Rabanus Maurus, qui

Rabanus ibidem.

exponens hoc Siracidis caput, muliebris formæ præſtigias cum diuinæ gratiæ officioſo illicio tempeſtiuè componit, ita ſcribens: *Femina, quia pulchra & gratioſa, ſignum eſt gratiæ Dei, quæ nos Deo & Angelis facit gratos & ſpecioſos.* Nimirùm mulieris venuſtas, & comptior formæ gratia, cognato libidinis præſtigio, viros ſtupore ſuſpendit, & ad ſe mirè allicit, velut liberâ quâdam neceſſitate: ſimilẽ ad modũ puta de officioſâ diuinæ gratiæ efficacitate, quæ ſic ad bonũ vltrò pellicit, vt libidinis inſana pellacia, arcanum diuinæ gratiæ illicium è diuerſo æmuletur. De Eſtheris pulchritudine, an de gratiâ venit, quòd ſic repentè Aſſuerus mentem mutarit? Grande quidem eſt gratiæ illicium, dum pulchritudini comparatur.

Hic v. 11.

4. Geneſ. 3. v. 17.

Geneſeos 3. Protoparentes primæui delicti ſcelerosè rei, de vindicis Dei ore, maledicti ſententiam audiunt: *Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* &c. Hanc ſententiam damnationis ſuæ Progenitores noſtri tulerunt. Homo verò ne ſalutis ſpem proiecerit: non enim execrationi creaturam Deus fecit obnoxiam, neque bonâ ſpe interim orbata natura eſt. Namque Chriſti præſentia longè potentior eſt Protoplaſti voracitate, & hominũ genere per gulam nefariam in fraudem inducto. Vnigenitus Dei filius contrariis medicamentis curans vulnera, de ipſo homine corpus in quod ſe inſinuaret, libauit, & ſecundum Adamum ſibi circumiecit. Pergit Seleucienſis Baſilius ad rem opportunè: *Paradiſo ſolitudinem obiecit, ieiunium deliciis, ſerpentinæ fraudi trophæum, quod per hominem contra Diabolum ſtatuit.* Benè eſt paradiſo voluptatis, incultam mundi ſolitudinem obiecerit; & paradiſeis deliciis ieiunium macilentum: aſt Dæmonis *ſerpentinæ fraudi* quomodò obiecit trophæum crucis, redemptionis conceptaculum, fœcundam diuinæ gratiæ matricem, & perennem expromptè officinam? quid ineſt diuinæ gratiæ, in crucis redemptricis trophæo erectæ cum *ſerpentina fraude* commune? Scilicet diuina gratia in bono ſuadendo, maleſuadam paradiſei ſerpentis calliditatem æmulatur. Exindè Deus congruum maledicto remedium apparans, gratiæ trophæum *ſerpentinæ fraudi* conſultiſſimè obiecit. Idcircò ſerpens ille à Moyſe in deſerto exaltatus, adumbrauit Redemptorem, gratiæ fluenta è cruce iugiter emanantem, ad primævæ ſeductionis medelam.

*Dæmonis ſerpentinæ fraudi, gratiã redemptionis opponit Deus. Et quare?*

Baſilius Seleu. Orat. 3.

Ioan. 3. v. 14. Numer. 21. v. 9.

5. Ioann. 13. v. 10. S. Auguſt. Tract. 56. in Ioann. *Dei gratia, tranſcendit neceſſitatem.*

Ioannis 13. tandem refutato pertinaciter lauacro Petrus annuit: Et dicit ad Ieſum Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos, ſed & manus, & caput. Dicit ei Ieſus: *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Vbi pulchrè addubitat Auguſtinus: *Hic moueatur fortaſſis quis, & dicat: Imò ſi mundus eſt totus, quid ei opus eſt vel pedes lauare?* Vtrumque ex alterutro redarguitur, aut lauacro nõ egere, qui eſt mundus totus; aut totum non eſſe mundum, qui pedum lauacro indiget. Subtiliter ad rem indidem Origenes: *Lauat autem pedes poſtquam mundi erant, quoniam Gratia Dei tranſcendit neceſſitatem: & ſicut dicit Ioannes. Mundus mundificatur adhuc.* O arcana diuinæ gratiæ altitudo! In eo qui totus eſt mundus, quid adhuc mundet, Gratia repetit? Sic exuberat gratia Dei, vt *neceſſitatem tranſcendat*? An *tranſcendit* hoc eſt, imbibit, aut penetrat neceſſitatem; an *tranſcendit*, id eſt, neceſſitatem ſuperat, & excellit?

Orig. tom. 32. in Ioann.

S. Lu

6\. S Lucas his verbis Euangelij ſui narrationem auſpicatur: *Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis completa ſunt, rerum*, &c. viſum eſt & mihi, aſſecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi ſcribere. Multi enim conati ſunt, ſed Dei gratiâ deſtituti. Conati vtique illi ſunt, qui implere nequiuerunt. Ergò multos cœpiſſe nec impleſſe etiam Sanctus Lucas teſtimonio locupletiore teſtatur, dicens plurimos eſſe conatos. Pulchrè addit inibi Ambroſius: *Multi conati ſunt, &c. Qui enim conatus eſt ordinare, ſuo labore conatus eſt, nec impleuit. Sine conatu ſunt enim donationes & gratia Dei.* Vide hîc multos ſine Dei gratiâ ad rem virtutis *conatus*, quò interim reliquias Pelagianorum Ambroſius interſtingueret. Et ſanè vel ad virtutum facinora, & ardua ſanctitatum faſtigia, *ſine conatu eſt gratia Dei.* Non quòd homo nihil agat, quippe qui gratiæ diuinæ vltrò cooperatur. Sed quia gratiæ officioſitate, & arcanæ ſuadelæ lenocinio afflatus, eiuſdémque obarmatus vigore, ſic facile, ſic lætanter agit, obuiis difficultatibus cælitùs exarmatis, vt volupe illi ſit benè operari, & Chriſtianæ militiæ facinora complere. *Sine conatu ſunt enim donationes & gratia Dei.* Sic facile cæleſtis gratiæ officina. Confeſſorum, Virginum, ac Martyrum heroas cudit.

*Lucæ 1. v. 1.*

*Quo ſenſu gratia Dei dicatur ſine conatu.*

*S. Ambr. in Præf. ad Lucam.*

7\. Iudicum 14. cùm arduum Samſonis problema extricaſſent Philiſtini, de vxoris ſuggeſtione, *Irruit in eum Spiritus Domini, deſcenditque Aſcalonem, & percuſſit ibi triginta viros*, &c. Et cap. 15. idem Samſon nouis funibus arctè ligatus eſt, & Philiſthiim vociferantes occurrerunt ei, *Irruit Spiritus Domini in eum: & ſicut ſolent ad odorem ignis lina conſumi, ita vincula quibus ligatus erat, diſſipata ſunt & ſoluta.* Caietanus ex Hebræo ita vtrobique excribit, & exponit præfata verba, *Irruit Spiritus Domini in eum. Iuxta Hebraum habetur: Proſperatus eſt ſuper eum Spiritus Iehouah.* Nimirùm cùm ſic irruit Spiritus Domini in Samſonem, vt ſicut ſolent ad odorem ignis lina conſumi, ita funes quibus ligatus erat, diſſipati ac ſoluti ſint, tunc perhibetur *Spiritus Domini in eum irruere*; ſeu in eo *proſperari Spiritus Iehouah* dicitur. Scilicet cùm Dei gratia ſic facilè ardua quæque virtutum facinora peragit, *Spiritus Iehouah proſperari* perhibetur. O noua Spiritus Domini proſperitas! Arcanâ gratiæ efficacitate Deus proſperatur? Hic planè pius aliquis gratiæ faſtus eſt.

*Iudicum 14. v. 19. & c. 15. v. 14.*

*Spiritus Domini in Samſone gratia proſperari dicitur.*

*Caietan. ibi.*

8\. Gentium Doctor ad Romanos 6 his verbis fideles ad gratiæ facinora, ex bona carnis æmulatione ſapienter adhortatur: Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ: *Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Nimirùm ſicut ex cognata ſagaciſſimè carnis ac membrorum appetentiâ, & callida ſubdolè Diabolorum ſuggeſtione, ſtudioſè inſeruitis gulæ deliciis, libidinum blandiciis, & ambitionis libidinibus; ita nunc de diuinæ gratiæ officioſitate, inſtinctu, & afflatu, eadem *membra* non minori ſtudio, conatu, ac ſagacitate, virtutum facinoribus exhibete. Sanè voculæ, *ita nunc*, quandam de ſimilitudine æmulationem è peruerſo denotãt. Nempè ſi corporis *membra* à Diabolo inſtigata, ſic erant ad malum ſagaciter acuta; ne de gratiæ diuinioris inſtinctu ſegniora aut hebetiora ſint ad bonum. Pulchè Tertullianus in lib. de Anima c. 14. loquens de eius potentiis, non animæ partes; ſed eius vires, & efficacias appellat; & ſubdit; *Non enim membra ſunt ſubſtantiæ animalis, ſed ingenia: vt motorium, vt actorium, vt cogitatorium, & ſiqua in hunc modum diſtingunt, vt & ipſi illi quinque notiſſimi ſenſus, viſus, auditus, guſtus, tactus, odoratus.* Ecce tibi, animales ſenſus ad malum male acutos, & ſtudioſè ſagaciſſimos, *non membra ſubſtantiæ animalis, ſed ingenia* nuncupat. Ipſe etiam Tertullianus quaſi tacitè adludat ad præſcriptum Paulli locum addit infrà c. 20. *Magiſterque ex occulto Deus producit ingenia, ex ſeminibus ſcilicet inſitis & occultis per infantiam, quæ ſunt & intellectus.* Quæ ſunt hæc *ingenia*, quæ *ex occulto Deus producit*, afflat, inſpirat, quæ *intellectus* propter ſubtilitatem appellat? Opinor, erit ſinderesis, quæ eſt gratia naturalis, & illi velut appendices gratiæ, quæ hominem inſtruunt. Quin & (ſi vocabulum extendere liceat) gratiæ ſupernaturalis *ingenia*, quæ *ex occulto Deus producit*, & afflat.

*Ad Rom. 6. v. 19.*

*Diuinæ gratiæ ingenia ex occulto Deus afflat.*

*Tertullian.*

---

## §. CCCII.

*Pulchræ feminæ etiam dum grauitatem ſimulant, aut languore franguntur, meræ & veræ ſunt caſtitatis inſidiæ. cælites in tuto ſunt, caueant terrigenæ.*

ADuerſaria eſt confidentia, quæ vltrò rem caſtitatis periculo exponit. *Et lubrica ſpes eſt, quæ inter fomenta peccati ſaluari ſe ſperat.* Nec quiſquam ſibi proponat & dicat: Habere volo quod vincam: & indè occaſiones non deuito, ſed intrepidè ſubeo. *Hoc eſt dicere* (ait S. Cyprianus) *Viuere volo ſub ruina. Quis tam ſtultus qui arctari cupiat ad laborem, cui offertur delicatus triumphus?* Trepida periculi fuga, ſumptuoſior victoria eſt. Itaque omninò noxia eſt viro muliebris conſuetudo, etiam bonæ. *Nam, vt improbitas deſit, forma rapiet; oculique etiam caſta non caſtè ferient. Ineſt neſcio quæ illis illecebra etiã dum maturitatem, & pietatem loquuntur. Frons deindè, verba, vultus, capillatura, manúſque, corpuſque totum teneritudine ſua tanquam fulminibus virile pectus emedullant.* 1.

*S. Cyprian. de Singulat. Cler.*

*Lubrica eſt ſpes eorum, qui ſe ingerunt luxuriandi occaſionibus.*

*Politico-Chriſt. lib. 1, cap. 4.*

Eccleſiaſtici 9. *Cum aliena muliere*, inquit, *ne ſedeas omninò, nec accumbas cùm ea, ſuper cubitum: & non alterceris cum illa in vino, ne fortè declines cor tuum in illam, & ſanguine tuo labaris in perditionem.* Profectò ipſa pertinacior contentio auertere nos ſolet à contentioſo, à quo facit animos alienari: quid ergò refert cum muliere *altercari*, vnde luxuriæ illecebra præcauenda ſit? Moraliſſime Origenes præfata Eccleſiaſtici verba exponens, ita hâc ſuper re ſcribit: *Taceo*, inquit, *reliqua, quæ magis pudenda ſunt, quàm dicenda: Solùm hoc dico, in dolore, vel in ira mulierem frangi conſpicere, iam non eſt ſine mulcedine. Quid dicimus ſi videas iucundantem, aut quod eſt deteriùs blandientem? Semel dixerim: omnis inconueniens ſodalitas mulierum, gluten eſt delictorum, & viſcum toxicatum, quo Diabolus aucupatur.* Hinc præſcriptum locum exponit, aiens: *Incongrua eſt ſodalitas feminarum, quarum ſodalitatem nos Salomon docet in omnibus* 2.

*Eccli. 9 v. 12. & 13.*

*Vel in ira, ſeu altercatione femina placet viro.*

*Orig. apud Cypr. de Sing. Cler.*

*præcauere. Cum aliena, inquit, muliere ne ſedeas omnino, & ne altercceris cum illa, ne fortè declines cor tuum in illam.* Et ſanè ira, contentio, & altercatio longè abeſſe ſolent, Vt animos ad ſe alliciat. Aſt quaſi parùm foret feminis per venuſtatem, & gratiam ad ſe allicere; etiam per *iræ* & *altercationis* ingratiam, virorum ſtuporem ædificant, & inuerſo lenocinio robuſtè illudunt virili robori. *Hoc dico, vel in ira* (in *altercatione* etiam *mulierem frangi conſpicere, iam non eſt ſine mulcedine.*

3. In hoc cap. 15. ita ſcribit ſacer Hiſtoricus: Cùm Eſther regio fulgeret ex habitu, aſſumpſit duas famulas, & ſuper vnam quidem innitebatur, quaſi præ deliciis, & nimiâ teneritudine corpus ſuum ferre non ſuſtinens: altera autem famularum ſequebatur dominam, defluentia in humum indumenta ſuſtentans. *Ipſa autem roſeo colore vultum ſuperfuſa, & gratis ac nitentibus oculis* triſtem celabat animum. Ingreſſa igitur cuncta per ordinem oſtia, ſtetit contra Regem, vbi ille reſidebat ſuper ſolium regni ſui, indutus veſtibus regiis, auróque fulgens, & pretioſis lapidibus, erátque terribilis aſpectu. Cúmque eleuaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet,

Hic v. 11. & 12. *Regina corruit, & in pallorem colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinauit caput.* Tunc rex Aſſuerus *feſtinus ac metuens exiliuit de ſolio, & ſuſtentans eam vlnis ſuis donec rediret ad ſe, his verbis blandiebatur: Quid habes Eſther? Ego ſum frater tuus, noli metuere.* Attentâ ſanè expenſione dignum eſt, quòd cùm Eſther eximia venuſtate, & regio ornatu apparet coram Rege, non ſic ei placuiſſe perhibetur, ac quando in pallorem colore mutato, Regina corruit, laſſum ſuper ancillulam reclinans caput. Redeāt iterum verba Origenis huic rei tempeſtiua: *Taceo reliqua, ſolum hoc dico: In dolore mulierem frangi conſpicere, iam non eſt ſine mulcedine.* Ecce tibi muliebris formæ aduerſus virum præſtigias. Quaſi parùm foret, viro lenocinari, cùm roſeo colore vultum ſuperfuſa, nitentibus oculis, formoſa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa, & amabilis videbatur; tunc, tunc quidem vel maximè Regi perplacet, cùm in pallorem colore mutato, præ animi angore, penè deficiens corruit. *In dolore mulierem frangi conſpicere, iam non eſt ſine mulcedine.* Quis hilarem & iucundam feminæ venuſtatem audeat aſpicere tutâ caſtitate, quæ etiam dum pallida præ angore corruit, etiam cum dolore frangitur, blandè mulcet, molliter palpat, & impotenter concupiſcentiæ adulatur? O feminarum vel ex inuerſo lenocinia! O nimis obuia caſtitatis latrocinia! Caue tibi à feminarum gratia; ab ingratia etiam tibi caue. Ira, dolor, altercatio in muliere mulcent animum, & maſculam continentiam molliter frangunt. A gratia, & ab ingratia etiam libidinis fomitem venuſtas ſubminiſtrat.

*In dolore mulierem frangi conſpicere, nō fit ſine mulcedine.*

Origen. ſuprà.

4. 1. Cor. 4. v. 8. Paulus 1. Cor. 4. quaſi Corinthij nimis de ſe præſumerent, multáque auderent, quæ tutò aggredi non licebat; (animâ adhuc in collegio carnis, caſtitatis victorias ediſcente, necdùm continentiâ laureatâ) non ſine tempeſtiuo ſarchaſmo, ſic ad illos ſcribit (litteraliſſimum ſenſum inibi tradidimus, nunc ex aliorum ad mores commento velitamur) *Iam ſaturati eſtis, iam diuites facti eſtis; ſine nobis regnatis, & vtinam regnetis.* Non conuenit inter Commentatores, de quo nam regno hîc loquatur Apoſtolus, S. Cyprianus putat, ſermonem habere de cæleſti ac beato regno: ac ſi Corinthij ſic ſe putarent ferè culpis non obnoxios, quaſi iam cæleſti regno potirentur: indè euitandarum labendi occaſionum ſtudia ferè negligerent; non veriti facile exprompta caſtitatis pericula. Ergò ſic fatur Cyprianus: *Siquidem*, inquit, *in futurum ſpes iſta libertatis manet, quam fidei noſtræ Chriſtum credimus contuliſſe: vt tunc nobis omninò mulier non noceat, cùm & ipſa mors fuerit euacuata.* (expende accuratiùs verba quæ ſubtexit.) *Nam ſi modo putamus nos intentabiles eſſe muliebribus iaculis, quid ergò reſtat cæleſtibus regnis? Non immeritò tales ſenſus Apoſtolus increpat, dicens: Iam ſaturati eſtis, iam diuites facti eſtis: ſine nobis regnatis, & vtinam regnetis.* Profundè quidem dicit Cyprianus, quòd qui ſe putat *intentabilem* muliebribus iaculis, propè nihil ſibi *in cæleſtibus regnis* reſtare putat. Imò multa in cæleſti regno ſuperſunt, quæ Beatos felicitant, & empyreâ illos felicitate beant. Cæleſtis regni incolæ, impeccabiles ſunt, & omni proſperitate cumulatiùs exundant: quo ergò pacto iis, qui in carne degentes, *intentabiles* muliebribus iaculis eſſent, *in cæleſti regno*, nil propè felicitatis ſupereſſet? Sic eſt proſperum & beatum in cæleſti empyrei gloriâ, Beatum muliebribus iaculis *intentabilem* eſſe? Sic eſt in hâc mortali vita improſperum viris, ineluctabile cum feminis certamen, quo inſultat concupiſcentia, conſcientia vſtulatur, virtus infeſtatur, caſtitas periclitatur? Sic pietati intuta & acerba ſunt cum mulieribus certamina? *Nam ſi modo putamus nos intentabiles eſſe muliebribus iaculis, quid ergò reſtat cæleſtibus regnis?* O quàm multa quampaucis compendiauit Cyprianus! Sententiam ſenſibus grauidam cuiquam adhuc emedullare, pronum eſt.

*Si nos putamus intentabiles mulieribus iaculis*

*quid reſtat cæleſtibus regnis?*

S. Cypr. de Sing. Cypr.

Prouerbiorum 5. Fili mi, inquit Salomon, *Vt cuſtodias cogitationes tuas ....... ne attendas fallaciæ mulieris.* Primum verſiculi hemiſtichion, *vt cuſtodias cogitationes*, Hebraicè habetur: *ad cuſtodiendum ſagacitates, ne attendas fallaciæ mulieris.* Imò potiùs fallaciæ mulierum debet attendere, vt ab earum ad alliciendum ſagacitatibus cuſtodire ſe poſſit. Alterutrum pudicitiæ nocet, vtrumque periculoſum eſt, & impudicitię affine. Si enim mulieris *ſagacitates* ad illicium ignoraueris, fortè incautus capieris: ſi verò ſollertiùs *attenderis* ne ignarus decipiaris; vel ipſæ mulierum ſagacitates, ea ſunt, quæ etiam vt euitentur obſeruatæ, blandè concupiſcentiam inquietant. Verùm τὸ *non attendere*, fugere eſt, & declinare periculum. Ergò *vt cuſtodias cogitationes tuas, ne attendas fallaciæ mulieris*: nam ſub quâcumque formâ *cogitationi* tuæ mulier obuerſetur, te præſtigiis ſuis fallet, concupiſcétiæ igniculum ſubflabellans. *In varias formas ſe mutat cupiditas*, (ait Clemens Alexandrinus) *quæ pluſquam Proteus marinus dæmon varius, nunc hanc, nunc illam, nunc aliam figuram ſuſcipit, & ad libidines, ſtupra, & adulteria allicit*, (Et poſt pauca) *Omnia enim fit cupiditas, & omnia effingit, & vult fucum facere, vt occultet hominem.* Nunc concupiſcentia ſub vrbanitatis ſpecie diſſimulatur, nunc ſub permiſſo cogitationis iure, & conceſſa ſanguini ciuilitate; aliquandò *vt occultet hominem*, in virtutis latibulo occultatur: quin & ipſa mulieris odia, tædia, iræ, clanculùm concupiſcentiæ inſidiantur. Igitur *vt cuſtodias cogitationes tuas, ne attendas fallaciæ mulieris.* Moraliſſimè Chryſoſtomus: *Si igitur ô homo gehennam*

5. Prouerb. 5. v. 2.

*Quàm ſit mulier varia ad fallendum præſtigiatrix.*

Clem. Alex. l. 3. Pædag. c. 1.

S. Chryſ homil. de Mulier. & pulchrit.

*non*

*non metuis*, at *præſtigias mulierum metue.*

6. Siracides Eccleſiaſtici 42. ſic moraliſſimè ſcribit: *De veſtimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Inde ſubdit: *Melior eſt enim iniquitas viri, quam mulier benefaciens.* Hæc ſententia paradoxo ſimilis videtur, & explicatu creditúque perdifficilis. Quomodò enim melior eſt iniquitas viri, quàm beneficentia mulieris? Quocircà Scholia Vatablo adſcripta ſic locum vertunt, *Melior eſt deformitas viri, quàm pulchra mulier.* Valdè fallor, niſi vtriuſque hemyſtichij ſententia eſt valdè connexa, quod vocula *enim* perſpicuè indicat. Dixerat enim Siracides: *De veſtimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* vbi pro τὸ *viri*, Biblia Complutenſia, & Romana ſubſtituunt *mulieris*. Vndè Tigurina habent: Nam *vt tinea naſcitur è veſtimentis: ita à muliere iniquitas muliebris*, nec ſine epithaſi. Quaſi dicat: Sicut à veſtimento ſiue vili ſiue pretioſo tinea naſcitur; ita mulieris, non ſolùm leuiculæ & impudentis, ſed etiam pudoratæ, modeſtæ, & grauis, ea eſt natura de muliebri genio, vt etiam ſibi tuta, aliis intuta ſit de ipſius ſexus blando lenocinio, virilis concupiſcentiæ impotenter illice. Exindè *de veſtimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas muliebris* adſpectu ad *virum*, cuius concupiſcentiam videndo allicit (vt vnius Virginis Deiparæ ſingulare priuilegium ſit, intuentibus caſtitatem afflare) Hæc eſt vniuerſatim *iniquitas muliebris*, ipſ. rum naturæ cognata, de inculpato etiam feminei ſexus blandimento. Mulier enim viſu eſt Baſiliſcus, voce Siren; voce incantat, viſu dementat, vtróque perdit miſero concupiſcentiæ incendio. Idcircò *vt tinea naſcitur è veſtimentis, ita à muliere iniquitas muliebris.* Vnde conſequenter ſubditur: *Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.* id eſt, iniquitas viri non eſt vniuerſatim ita pernicioſa, quàm pulchra mulier etſi benefica, grauis, & modeſta: nam etiam dum grauitatem & modeſtiam ſpectatorum oculis obiicit, ipſo pulchritudinis præſtigio, & feminei ſexus blandimento (quæ eſt *iniquitas muliebris*) incantat, vrit, dementat, perdit. Nam *de veſtimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas muliebris*, id eſt, *viri*: ipſa enim inaccenſa, eſt fax, fomes, & incendium viri. Ita hunc Eccleſiaſtici locum exponit S. Cyprianus in Tract. de ſingularitate clericorum, his verbis: *De carbonibus ſcintillæ diſſiliunt: de ferro rubigo nutritur, morbos aſpides ſibilant: & mulier fundit concupiſcentiæ peſtilentiam: quam Salomon ſic comparat, dicens: de veſtimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Pergit S. Baſilius in cap. 3. Iſaiæ: *Femina iactu oculorum ſagittam planè exitialem emittit. eiuſmodi tandem obtinet rumor de baſiliſci natura, quem dicunt ſuo aſpectu corrumpere ſuos ſpectatores.* Addit Rabbi Hillelin: *Qui multiplicat carnes, multiplicat vermes. Qui multiplicat opes, multiplicat curas. Qui multiplicat ſeruos, multiplicat rapinas. Qui multiplicat feminas, multiplicat ſortilegia. Qui multiplicat ancillas, multiplicat fornicationem.*

Eccli. 42. v. 13. & 14.

Vatablus.

Bibl. Compl. Romana Tigurina.

*An aliqua ſit muliebris iniquitas aſpectu ad viros.*

*Feminarum aſpectus viros incantat, dementat, perdit.*

S. Cyprian.

S. Baſil.

R. Hillelin. apud Corn. in Matth. 5.



## §. CCCIII.

*Superbus dum inſolentiùs vltra ſuum faſtigium præſumit, in abiectiores vilitates ſceleſtè degenerat.*

1. VT Deus iraſcitur in eos, qui fulmen ac tonitru imitantur, eoſque in tartara præcipitat, vt Saloneum: (verba ſunt Plutarchi) *ſic ſuperbus & elatus indignatur, qui magnitudinem æmulantur, non exprimunt bonitatem.* De arrogantiæ faſtu exprimitur illa vox: *Venite, faciamus nobis ciuitatē & turrim, cuius culmen pertingat cælū, & celebremus nomen noſtrum.* Sed confeſtim præclara Dei vox è cœlo reſonat: *Venite igitur deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Quæ verba ſic exponit Rupertus: *Cum dicit pluraliter, Venite, deſcēdamus, confundamus, non Angelorum multitudinem ad auxilium cohortatur; ſed ad ferendam ſuperbiam ſe adeſſe teſtatur tota Trinitas & vnus Deus.* Sic eſt pergraue ferre ſuperbum, vt Deum quà vnum & trinum degrauare dicatur? Multa breui Rupertus complexus eſt.

Plutarch. in Moralib.

*Sic eſt grauis ſuperbia, vt Deū etiā vt trinum degrauet?*

2. Geneſeos 3. ſerpentem Dæmonem totius primordialis tragœdiæ auctorem, venenatas ſuperbiæ voces nuper blandè ſibilantem, his verbis caſtigat Deus: *Et ait Dominus ad ſerpentem, Quia feciſti hoc, maledictus es, &c. ſuper pectus tuum gradieris, & terram comedes.* Hugo Carenſis ex Auguſtino edoctus, exponens præfata verba, *ſuper pectus tuum gradieris*, benè ſcius, quòd repere eſt ſerpenti agnatum; & quòd huius ſententiæ fulmen, non tam materiatum colubrum, quàm ſpiritualem Dæmonem ferit; ita exponit: *Super ſuperbiam tuam gradieris.* O quàm graue & acerbum ſupplicium eſt, gradi ſuperbiæ greſſibus! *Non veniat mihi pes ſuperbiæ*, ne pallium impingam ſub elationis graui ſarcina, incedens per arduas vanæ gloriæ crepidines. O quàm dura & moleſta imperat gloriæ inanis operoſa ambitio! quæ, *Grauis Dominus*, à Nazianzeno nuncupatur: Sciunt f muli quàm ſit pergraue, moroſum pati Dominum.

3. Verum S. Ambroſius elucidans præſcripta verba, ita ſuperbiam infamat: *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes, Pectore autem & ventre (ait) reptare ſerpentem, non tam propter corporis figuram, quàm quòd propter terrenas cogitationes de illa cœleſti beatitudine ſit lapſus. Pectus enim frequenter receſſus quidam accipitur ſapientiæ.* Paradoxo ſimile eſt, quòd differtè dicat Ambroſius, peccatum Angeli apoſtatæ, cuius merito è cœlo in gehennæ barathrum corruit, fuiſſe *terrenas cogitationes*: An non arroganter apud Iſaiam, dicebat in corde ſuo: *In Cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo?* Hæc ne fuit *terrena cogitatio*? an potiùs ſpiritalem Angeli naturam ſupergreſſa, ſupercœleſtis, & vltra ſublimioris creaturæ faſtigium? Deum ſupergredi ſuperbiendo affectat, & tunc infimiſſime *terrena cogitatio* dicitur? Ita quidem. Nam quiſquis ſupra ſe eſſe ſuperbè cogitat, infra ſe eſſe abiectiùs incipit, de arrogantiæ faſtu ignobiliter degenerans. Vnde dum ſuper cœleſtia ambitioſè meditatur, *terrena*

Gen. 3. v. 14.

Hugo inibi.

*Quàm ſunt ardui ſuperbiæ greſſus.*

Pſ. 35. v. 12.

S. Naz. alib. expenſus.

S. Ambr. lib. de Paradiſ.

*Angelorum nequam ſuperbiſſimus faſtus, terrena cogitatio dicitur.*

Iſaiæ 14. v. 13.

*cogitare* perhibetur, qui *propter terrenas cogitationes de illa cœleſti beatitudine lapſus eſt.*

4. Pſal 75. v. 13. Regius vates Pſal. 75. mundi Proceres ſeriò adhortatur, vt iratum ſibi Deum placare feſtinent: Vouete, inquit, & reddite Domino Deo veſtro, omnes qui in circuitu eius affertis munera. *Terribili & ei qui aufert ſpiritum Principum, terribili apud reges terræ.* Paraphraſis Chaldaica ita hunc locum excribit & exponit: *Terribilis, comprimens tumorem ſpiritus Magnatum.* Et quæ eſt hæc temerariè impudens ſuperbiæ audacia, quàm Deus durè inhibendam comminatur? Appoſitè Bernardus: *Vult Deus fieri ſuam voluntatem, & Superbus vult fieri ſuam. Iam videtur æqualitas.* (ſiſtiturne hîc humana ſuperbia? an vltrà progredi affectat arrogantiæ temeritate?) *Sed attende malè congruam proportionem. Deus in his tantùm, quæ ratio approbat, vult ſuam fieri voluntatem: ſuperbus verò, & cum ratione, & contra rationem.* O ſuperbiæ faſtum impudenter temerarium! O præſumpta omnipotentia, arroganter ſuperomnipotens, de nimietate potentiæ impotens! Contra rationem poſſe, non eſt magnitudo, tumor eſt, quo irrationalis turget ſuperbia, duriori lupatu frenanda.

Hîc v. 11. & 12. Chaldæus. S. Ber. ſer. 4. de Vigil. Nat. *Superbus, ſuperomnipotens eſſe ambit.*

5. Gen. 1. v. 1. S. Auguſt. de Gen ad litt. imperf. Geneſis 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Quæ verba commentans S. Auguſtinus, *Cœli* nomine Angelicam creaturam intelligit; & *Terræ* vocabulo creaturas reliquas, etiam animam rationalem, tametſi ſpiritualis ſit, & à terræ concretione immunis. Ne autem alicui videatur inſolens ſpiritualem animam *terræ* nomine cenſeri, his verbis ſuam Auguſtinus tuetur ſententiam: *Fortaſſe*, inquit, *non incongruè comparatione inuiſibilis* (id eſt, Angelicæ) *creaturæ, omne viſibile Terra dicitur, vt illa Cœli nomine nuncupetur. Quoniam & anima quæ viſibilis eſt, cùm rerum viſibilium amore tumeſceret, & earum adeptione extolleretur, Terra dicta eſt, ſicut ſcriptum eſt: Quid ſuperbit terra, & cinis?* Num anima quæ ambitione turget, & mundiali felicitate arrogantiùs extollitur, à ſuperbâ ambitione, & exuberantiâ deliciarum obbruteſcit? Spiritus degenerat in corpus? anima deſciſcit in terram? Spiritualis animus ore Dei afflatus, & Angelis de immaterialitate confinis, à ſuperbiæ degenere rumore detumeſcet in viliſſimum terræ elementum? Sic ſuperba elatio velut è peruerſo corporat animam, vt *Terræ* nomine abiectiùs nuncupetur?

*Superbia, & voluptas rationalem animam quodammodo refingit in terram.*

6. Lucæ 10. v. 30. Lucæ 10. *Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum: & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto.* Ex inopinatis latronum inſidiis, in hanc luctuoſam calamitatem Homo incidit, & miſerrimam ſtragem paſſus eſt? an ipſe tanto periculo ſpontè occurrit? Et quid eſt, quòd non *aſcendens*, ſed *deſcendens*, in crudelem latronum furacitatem incurrit? Tempeſtiuè Rupertus: *Non dixit ſolummodo*: ait, *Homo quidam incidit in latrones; ſed deſcendebat, inquit, ab Ieruſalem in Iericho, & tunc demum incidit in latrones. Niſi enim deſcenderet, non incidiſſet: quia videlicet niſi ſuperbiret Adam, dati præcepti præuaricationem non incurriſſet.* (Sollertiùs explora quæ ſubiicit verba) *Deſcendebat, quia mente tumebat, tumore namque aſcendere, veraciter deſcendere eſt: quia videlicet vbi mens eleuatur, ipsâ eleuatione deiicitur. Vnde Pſalmiſta: Deieciſti, inquit, eos dum alleuarentur.* Bellè dictum: Ambitionis tumore *aſcendere*, infimiſſimè *deſcendere* eſt: ſuperbia enim tumor eſt, non magnitudo.

*Tumore aſcendere, veraciter deſcendere eſt.* Rupert. l. 3. in Gen. c. 1. Pſal. 72. v. 18.

7. Gen. 3. v. 12. Geneſcos 3. interrogatus Adam de infidè commiſſo flagitio, quo omniſcientiam diuinitatis arroganter præſumpſit, ſic Deo reſpondit: *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Malè compoſiti animi incompoſita verba, quibus vel in fugitiuo timore ambitioſæ excuſationis tumida arrogantia tranſlucet. Audiendus eſt hâc de re S. Gregorius in Moralibus ita fatus: *Primus homo poſt culpam audacior extitit, dicens: Mulier quam dediſti mihi, &c. Qui quidem per timorem ſe ipſum abſconſurus fugerat, ſed tamen requiſitus innotuit, quantùm etiam timens tumebat. Cùm enim ex peccato præſens pœna metuitur, & amiſſa Dei facies non amatur, timor ex tumore eſt, non ex humilitate.* Scilicet ſuperbia etſi de generoſitate ſibi adulctur, timoris matrix eſt, & ſeruilis metûs vile conceptaculum: *timor ex tumore* eſt. Tumor enim timidus eſt, quippe qui omnia imaginatur, veretur omnia, quæ elationis faſtum deprimere minitantur. Res nimis meticuloſè pauida, ſuperbia eſt.

*Timor ex tumore eſt.* S. Greg. Moral. c. 28.

8. Gen. 1. v. 16. Geneſis 1. *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præeſſet nocti.* Vtraque luminaria magna ſunt aſpectu ad ſtellas, quæ minoris potentiæ ſunt. Comparatione autem inter ſe factâ, Luminare maius eſt Sol, loci ſublimitate, molis magnitudine, influxuū efficaciâ, & lucis amplitudine longè ſuperans Lunæ orbitam. Ampliùs autem ex eo Sol (ait Rupertus) quàm Luna, quia lucet luce propriâ; nam Luna relucet ab alio, luce ſcilicet non ſuâ, ſed alienâ. Addit magnus hic Doctor: *Alij autem dicunt Lunam proprium lumen habere, ſed globum eius dimidium lucere, dimidium autem obſcurum eſſe: Dumque mouetur in circulo ſuo, partem eandem quâ lucet paullatim ad nos conuerti, vt videri à nobis poſſit, & ideò priùs quaſi corniculatam apparere.* O pulchrum, ſicut inconſtantiæ, ita & ſuperbiæ ſymbolum! Nempe ambitioſa Lunæ arrogantia tota ſedulò incumbit, vt eâ parte quâ lucet, ab humanis oculis ſpectata glorioſè ſuſpiciatur. Et dum terris fulgores ſuos ambitioſiùs explicat, eam partem quâ obſcura eſt, Cælo obuerſare fruſtrà ſatagit. Negligit Cælo ac cælicolis obſcura videri, dum hominibus lucida appareat. Ideò eâ ſollertiâ mouetur Luna in circulo ſuo, vt terræ peramplo theatro lucida videatur, licet Cælo opaca ſit, obſcura, tenebroſa. O ſuperborum conſcientiam, ſibi & Cælo ſordidè obſcuram; hominibus apparenter limpidam, candidam, ſplendidam! Diſcipulus eſto Cæli, & de eius gymnaſio hoc ſuperbiæ vituperium ediſce. Tametſi in id Luna conari potuit, id præſtare non potuit; vt de ſuperborum more, ſuæ arrogantiæ fructu defraudetur.

Rupert. l. 1. in Gen. c. 43. *Luna dum terris lucere ambit, partē obſcurā cælo obiicit.*

9. Exod. 9. v. 9. Exodi 9. rex Pharao, & Ægyptus tota adhuc arroganter flecti-neſcia, grauiores ſuperbâ obſtinatione plagas acceſſit. Dixit ergò Dominus ad Moyſen & Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, & ſpargat illum Moyſes in cælum coram Pharaone. Sitque puluis ſuper omnem Terram Ægypti: *Erunt enim in hominibus & iumentis vlcera, & veſicæ turgentes in vniuerſâ Terrâ Ægypti.* Hæc plaga non fuit aliqua ex grauioribus, quibus contumax ſuperbè Ægyptus vulnerata eſt, vt ex ſacræ Hiſtoriæ textu, Moyſis cenſu,

cenſu,& Expoſitorum gloſſis liquidò conſtat; & tamen nulla maiori rerum ac verborum apparatu peracta eſt. Quorsùm fauillæ ex accensâ fornace? quorsùm cinerum in cælum quaſi ambitioſa iactatio? quorsùm velut minæ gehennalis pyræ in æthera ſparſæ? quorsùm ſumptuoſiori apparatu plaga inuritur, non admodùm grauis? Putauerim, grauiſſimam & acerbiſſimam fuiſſe ſuperbiſſimis Ægyptiis, non tam ſenſus cruciamento, quàm honoris dehoneſtamento; non tam pœnali ſupplicij cruciatu, quàm viliſſimi conſortis reatu: *Erunt*, inquit, *in hominibus & iumentis vlcera, & veſicæ turgentes in vniuerſa Terra Ægypti.* Plus, opinor, Ægyptij homines barbarico faſtu arroganter ſuperbi, vlcerantur pecuino pœnæ conſorte, quàm ipsâ vlceris pœnâ. Hominis dignitate mulctatur, qui dignus eſt habitus vt eandem cum iumentis patiatur mulctam. Conſimilis pœna non valdè diſſimiles mores arguit. Supplicium cum pecore commune, pecuinos hominum mores prodit, & prodendo punit acerbiùs, quàm tumentium vlcerum inflicto cruciatu: & dum veſicarum vlcere humana caro ambitioſè tumeſcit, pecuino pœnæ conſorte agnatus Ægyptiis faſtus, & ambitioſior elatio humiliter detumeſcit: & qui ſummo Deo contumaciter repugnare, illique bellum ſuperbè inferre præſumunt quaſi præ belluinâ elatione obbruteſcerent, in haſce vilitates, vt pares iumentis cenſeantur, peridoneè deſciſcunt. Porrò ſuperbus dum inſolentiùs vltra ſuum faſtigium præſumit, in abiectiores vilitates ſceleſtè degenerat, quaſi ambitionis appendices, & arrogatiæ conſequentias. Elatior vltra modum ſuperbia humiliationis pompa eſt, & dedecoris cenſus.

*Vilitas conſortis in ſupplicio, ſupplicij exaggeratio eſt.*

*Elatior vltra modum ſuperbia humiliationis pompa eſt.*

---

## §. CCCIV.

### *Humani periculi anxius timor ſæpè acerbiùs quàm ipſa calamitas excruciat; dum vanis & nũquam venturis angitur malis, inani metu præſumptis.*

1\. QVod ego leue dixero, tu fortè grauiſſimum eſſe contendes. Scio alios etiam ex ſecularibus, inter flagella ridere, alios gemere ſub leuiculâ offensâ. Ambiguum eſt inter Philoſophos vtrùm iſta ſuis viribus valeant, an imbecillitate, ſuâ præſtent. Omittamus hæc (ait Seneca) dum plurâ ſunt quæ nos terrent, quàm quæ premunt. *Illud tibi præcipio, ne ſis miſer ante tempus, cùm illa quæ velut iminentia expauiſti, fortaſsè nunquam ventura ſint, certè nondùm venerunt. Quædam enim nos magis torquent quàm debeant, quædam antè torquent quàm debeant, quædam torquent cùm omninò non debeant. Aut augemus dolorem, aut fugimus, aut præcipimus.* Hèu ſæpè non tam re, quam imbecillâ timoris opinione laboramus.

*Non tam re, quàm timoris opinione laboramus.*

Seneca epiſt. 13.

2\. Matthæi 1. in clauſulâ ſecūdæ quaterdenæ, quæ Regibus conſtat, ita ſcribitur: Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in tranſmigratione Babylonis. *Et poſt tranſmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel.* Quæ verba exponens Abulenſis, ita ſcribit: *Et iſte erat Iechonias nepos Ioſiæ: & in Babylone genuit Salathiel: & ibi vixit longo tempore.* Profectò admiratione digniſſimum eſt, Ioſiam dici genuiſſe Iechoniam in tranſmigratione Babylonis; non quia tunc exul eſſet, ſed quia exilium *imminebat*: (vt aliàs expendebamus) de Iechoniâ autem, qui in ipſo exilio genuit Salathielem, dici: *Et poſt tranſmigrationem* (ſeu *exilium*, vt alij exſcribunt) *Babylonis, Iechonias genuit Salathiel.* Ioſias in exilio Babylonico, quem non ſuſtinuit (ſed ſibi ac ſuis impendens valdè timuit) dicitur genuiſſe Iechoniam, & Iechonias qui exul fuit, & *in Babylone genuit Salathiel*, dicitur illum genuiſſe *poſt tranſmigrationem*, ſeu exilium? Vtrumque ex alterutro redarguitur. Verùm opportunè ad lemma præſens redargutio ſoluitur. Scilicet exilium, captiuitas, ærumna, & quæuis alia temporalis calamitas, non tam angit, & tolerari dicitur, cùm re ipsâ actu ſuſtinetur, quàm dum patienda imminet, & metu præuio ad pœnam præſentitur. Nam timor veretur multa, imaginatur plura, illáque omnia ſimul obuerſat animo, quæ paullatim ſuſtinēda ſunt. Imò plura, ipſaque grauiora quàm quæ quis actu patitur: nam metus imaginationis arbitrio calamitatem mirè amplificat ad cruciatum. Vndè cùm quis reâpſe patitur, ferè ſenſus paſſionis euaneſcit, cùm multò mitiora ſuſtineat, & ſucceſſiuè quidem, quæ timor ſimul patienda repræſentarat. Exindè Iechonias dicitur Salathielem genuiſſe poſt *exilium*, ſeu, *tranſmigrationem Babylonis*: quia iam diu deſæuierat timor imminentis exilij; mitius quippè erat dum illud actu patiebatur. O bonam moraliter eruditionem! Quid tu imaginatione impendentis mali prematurè te excrucias, præuento carnificis officio? Mitiùs tecum aget externa calamitas, quàm tuæ imaginationis internus pauor. Sufficit innatus ærumnarum aculeus, ne tu præproperè illum exacuas ad pœnam.

Matth. 1. v. 11. Abulenſ. ibi. in Comment.

*An dũ exul, aut miſer quis eſt, miſer eſſe deſijt, quia defecit timor?*

3\. Exhodi 9. Deus Moyſis ore hæc Pharaoni cōminatur: Ecce manus mea erit ſuper agros tuos; & ſuper equos, & aſinos, & camelos, & boues, & oues peſtis vadè grauis. *Fecit ergò Dominus verbum hoc alterâ die: mortuaque ſunt omnia animantia Ægyptiorum.* Pro τὸ *altera die*, in Hebræo eſt, *mimacorath*, id eſt, *à craſtino.* Vndè eclocus Hebraicè effertur: *Fecit ergò Dominus verbum hoc à craſtino.* Et ſanè non benè cohærere videtur verbum *fecit* de præterito, & τὸ *à craſtino*, quod futurum tempus importat. Acerbè ne tunc iam afflixit Deus Ægyptios, quos *à craſtino* die afflicturus erat? Sic certò eueniunt quæ timemus mala, vt quod *à craſtino* die timemus, Moyſis ore inflictum dicatur? Sic quod de futuro prænunciatur aduerſum, iam re ipsâ de præſenti factum, & certò credimus, & acerbè patimur præſumptione calamitatis? Sic timor intempeſtiuè excruciat anticipatâ plagarum laniena: Heu iam durè patimur, quod patiendum timemus! *Fecit ergò Dominus verbum hoc à craſtino.* Ne ſis miſer ante tempus.

Exhod. 9. v. 6.

Hebræus

*Imminens de futuro malū iam re ipsâ de præſenti patimur.*

4\. Ionæ 2. præparauit Dominus piſcem grādem, qui Ionam è nauijin pelagus proiectum, immani pietate deglutiret. Et orauit Ionas ad Dominum Deum ſuum de ventre piſcis, & dixit: Clamaui de tribulatione meâ ad Dominum, & exaudiuit me. *Et proieciſti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui ſuper me tranſierunt.* Ecquod eſt hoc *flumen*, cuius hìc mentio importuna videtur? Nonnemo putat, quòd à flumine circumdatus Propheta dicitur, quia hæc dixit è mari recens iacta

Ionæ 2. v. 4.

*Cur Ionas vorticoſum procellis mare, flumen appellat?*

iactatus prope littus, in quo flumen erat. Sed vbi flumen prope Ioppen, quod in pelagus influat, & in profunda demerſum Prophetam circumdet? Vndè alij cēſent, quòd flumen locus aliquis eſt in mari, qui more fluminis rapido curſu decurrit, qui Euripi dicuntur: eſt autem Euripus ea pars maris, quæ valido impetu torrentis adinſtar præceps euoluitur, & reuoluitur. Sed vbinam Euripi atrociùs vorticoſi, miti *fluminis* vocabulo denotantur? Vndè putauerim, quòd Propheta hîc denarrat, quod reipsâ accidit, & ſenſum quem in ipſo calamitas expreſſit, Quaſi dicat: Proiectus reàpſe ſum è naui in profundum in corde maris, omnes procelloſi maris gurgites me priùs abſorbuerunt. *Circumdederunt me aquæ vſque ad animam: abyſſus vallauit me, pelagus operuit caput meum.* Hæc quidem omnia, quæ cùm ſubire verebar, cœpique ſubire, ita videbantur: cùm reipsâ prorsùs ſubiui, abyſſus quæ vallabat me, & pelagus quod operuit caput meum, & profundū in corde maris, in quod proiectus eram, quaſi aliquod *flumen* mihi videbatur. Geminato naufragio & ceti & pelagi abſorptus nunc ſum; ſed *flumen* tranare mihi videor. *Flumen circumdedit me.* Vnde poſtquam æſtuantis maris ſæuos vortices, *flumen* mitiori vocabulo appellauit, ſubdit tempeſtiuè, *Omnes gurgites tui, & fluctus tui ſuper me tranſierunt*, quaſi iam tranſierit procella quandò illam ſubit, & timere deſiuit, vt alias expendebamus. Proindè qui dixerat, Proiicite me in *mare*; in mare proiectus, mare ipſum appellat *flumen*. Pelagus ipſum, ipſum pelagus ſubeunti *flumen* erit.

5\. Sapientiæ 17. *Cùm ſit enim timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæua, perturbata conſcientia. Nihil enim eſt timor niſi proditio cogitationis auxiliorum.* Nempè cum timor ſit proditio cogitationis auxiliorum, quæ timenti patrocinari poſſent: qui ſic timet, conſilij inops veretur omnia, imaginatur omnia, etiam minimè nocitura. Indè *ſemper præſumit ſæua perturbata* timore *conſcientia*. Magna latet energia in hâc voce *præſumere*, quam alia ex Græco textu tranſlatio ſic expreſſit: *Semper autem velut anticipatâ opinione atque præſagitione ſumit*, ſiue *ſuſpicatur grauia & moleſta*. Alij forſan ad rem viuacius: *Semper ſuſpicatur mala, ipſa inquam malitia coacta, conſtricta, compreſſa, & quaſi ſuffocata à conſcientia.* Scilicet non bona pauide timentis conſcientia ſic coarctatur & conſtringitur *anticipatâ opinione atque præſagitione* malorum, quæ ſibi cateruatim imminere inaniter *præſumit*, vt penè *ſuffocetur* ſæuiente malorum horrore, & præſumptâ eorum phantaſiâ. Sic anticipatâ opinione & præſagitione inani ſæua quæque præſumit! Appoſitè Philoſophorum ethicè maximus. quaſi commentaretur præſcripta Sapientiæ verba, *Semper præſumit ſæua turbata* timore *conſcientia*, ita fatus: *Neſcio quomodò magis vana perturbant; vera enim modum ſuum habent: quicquid ex incerto venit coniectura, & licentiæ pauentis animi traditur.* Exindè imbecillè timidus anticipatâ opinione, & vanâ impendentium malorum præſagitione ſæua quæque præſumens, quaſi ſui atrociter carnifex ipſe ſe excruciat & *ſuffocat*, incertis & nunquam venturis cruciamentis, quæ de timoris ingenio accerſit & præſumit.

Sapient. 17. v. 10. & 11.

*Homo timore exagitatus, ſæua præſumit, & præſagitionibus præfocatur.*

Seneca epiſt. 13.

6\. Eccleſiaſtici 9. *Non placeat tibi iniuria iniuſtorum; ſciens, quoniam vſque ad inferos non placebit impius.* Locus ſanè obſcurus, niſi illi aliarum tranſlationum facula præluceat, (etſi ſcio quid *vſque ad, donec,* & plures iſtiuſmodi voculæ in bibliis ſignificent (quid enim eſt, quòd impius *vſque ad inferos non placebit*? Impius ne apud inferos feraliſſimis tormentis excarnificatus, ſibi ne, an aliis tunc *placebit*? Et cui impius vbilibet placeat? Græcè ſic effertur hoc poſterius hemiſtichion: *Non iuſtificabuntur iuſti vſque ad inferos.* Et quopacto impius apud inferos *iuſtificatus* erit, cùm adhuc ſit damnatiſſimè impius? Syrus autem ſic excribit: *Recordare, quod impius vſque ad mortem non vincit.* Quænam eſt hæc impij *victoria*, in eius morte pœnaliſſimâ, & ad inferos damnatiſſimâ? Alij denique apud Cornelium ſic locum efficiunt: *Memento, quòd impij vſque ad inferos non ſunt euaſuri pœnas.* Quid? impij in impietatibus tumulati, apud inferos euadent pœnas, quas iam tunc incurrere incipiunt? Dùm æternam gehennæ damnationem acerbiùs perpetiticij pœnaliſſimè iam ſubeunt, tunc *vincere, iuſtificari, & pœnas euadere* dicuntur? Ecce pulchram pœnaliſſimi timoris hyperbolen, hyperbolen inquam, vt ex eâ agnoſcamus quàm ſit ſæuus carnifex prauius timor. Nimirùm impius poſt mortem cùm apud inferos excruciari incipit, timere deſiit quod actu ſuſtinet cruciamentum; & quæ in mortali vitâ à ſe & ab aliis imminentia timebat, & pauidâ imaginatione immeiatè apud ſe exaggerabat, meticuloſo turbatæ phantaſiæ vitio. Iam inquam, apud inferos reàpſe ſuſtinet peracerba gehennæ cruciamenta; (ô qualia quantáque! auerte Deus) ſed quia vera ſunt, modum habent, quem diuina iuſtitia præſcripſit: at pauidus imbecillè timor, dum *ſæua ſemper præſumit*, & licentiâ infauſtæ præſagitionis, intra veri ſubeundi mali metas minimè continetur; veretur enim omnia, imaginatur omnia, quæ carnifex conſcientia obuerſari audet, & ſine modo terminóve vllo ſæua quæque præſumit. Quæ re ipſa toleratur pœna, modum habet; quæ verò timeri poteſt, vltra modum eſt. Moraliſſimè ergò Græcus interpres vt exaggeret ethicâ hyperbole, quàm ſæua quæque præſumat priùs pauidus timor, inquit: *Memento, quòd impij vſque ad inferos non ſunt euaſuri pœnas*, vel *non iuſtificabuntur*, vel *non vincent.* (Venuſta ſanè hyperbole, ſed planè hyperbole: nam reipſa quod miſeri damnati in gehennâ patiuntur, pauidi timoris multimodas præſagitiones excellit.) Subdit Siracides Verſ. ſequenti: *longè abeſto ab homine poteſtatem habente occidendi, & non ſuſpicaberis timorem mortis.* Quod Tigurina explicatiùs ad rem ſic tranſtulit: *Procul abſiſte ab homine poteſtatem necis habente, nec timore mortis eris anxius.* Vel præſentia hominis, qui necis *poteſtatem* habet, quantumuis innocentem reddet anxium, & quaſi mortis periculo obnoxium? ô timendas timoris præſagitiones! Sic vel *poteſtas* necis inferendæ vel innoxio cuique ſuſpecta eſt? Nemo iam mirabitur, quòd Eſther ſic Regis præſentiam expauerit, ſic expalluerit exanimata, ſic propè exanimis corruerit; & beneuolum blandiùs maritum, velut ſæuum *leonem* extimuerit.

Eccli. 9. v. 17.

*Quo ſenſu dicantur impij apud inferos euaſiſſe pœnas quas ſubeũt.*

Syrus apud P. Cornel. ibi.

*Vel poteſtas inferendæ necis, innoxio ſuſpecta eſto.*

Eccli. 9. v. 18. Tigurina Hic v. 10. & 11. & 12.

S. Auguſtinus (ſi Auguſtini eſt illa ad Armentarium epiſtola) ita ſcribit: Iactant, inquit, in mare tempeſtate ſæuiente aliquandò & alimenta, *& vt viuant proiiciunt vnde viuant*, ne citò finiatur, quod vel in labore viuitur. *Quantis* 7.

S. Auguſt. epiſt. 45. tom. 2.

*Per vnam mortem fugitur plurium metus.*

*tis laboribus agitur vt longiore tempore laboretur, & mors cùm impendere cœperit, ideò cauetur, vt diutiùs timeatur? Nam inter tot caſus fragilitatis humanæ, quàm multæ mortes timentur, quarum certè vna cùm venerit, reſtat ceteras non timere, & tamen fugitur vna, cùm omnes timeantur.* Lege, ſi placet, quæ his ſubtexit Auguſtinus, quæ etſi pulcherrima, præcidenda ſunt, ne longum faciam.

---

## §. CCCV.

### *Nemo homo Angelis naturam inuiderit, cuius gloriam in gratiæ officina in ſeipſo refingere eualet.*

1. IObius Monachus apud Photij Bibliothecam, grauatè admodum tulit plurium hominum ſtudioſas virtutum, vitiorúmque aduerſatrices querelas, quibus & de naturæ integritate, & gratiæ felicioris gloria, velut pia quadam ſanctitatum ambitione Angelis inuidebant. Quomodo (inquit Iobius) nobis expedire magis poſſit Angelorum conditione produci, quando peccatum ipſorum pœnitentiam non recipit, & propterea omni quoque venia careat: noſtrum autem mortale genus etiam peccans, per pœnitentiam rurſum reſurgat? Et certe poſt Chriſti Domini aduentum etiam in hominibus maiora opera videre licet, quàm quæcunque ab Angelis fiunt. Ecce ego dico vobis (inquit Paullus) licet Angelus de cœlo euangelizet vobis præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Et iterum Michaël quidem Archangelus non eſt auſus iudicium inferre blaſphemo diabolo; nos verò accepimus poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici. Neque Angelorum quiſquam ſe, vel alium auſus eſt Deum, aut Dei Filium appellare, humanum verò genus, & Dij, & Filij Dei nominamur. Cùm enim dixiſſet, qui inter illos Lucifer vocabatur, ſimilem ſe futurum Altiſſimo, ſoliumque ſupra cælũ collocaturum, illis ipſis, quæ tunc poſſidebant, bonis amiſſis, in ſæcula ludibrio eſt, atque condemnatus manet; nobis tamen Veritatis decretum poteſtatem illam fecit, vt ſimiles Patri efficeremur, vnáque cum eius Filio reſideremus. Illud ampliùs reſuſcitauit, & conſedere nos fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu; & ſi ſuſtinebimus, etiam conregnabimus. Et ſcimus (alius iterum Apoſtolus teſtatur) quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus. *Itaque his ipſis, qui Angelorum honorem tantoperè ambiunt, iam conceſſus ille eſt.* Hactenus ille, qui plura alia in hanc ſententiam ſcitè ſubdens, tandem concludit: *Aliis ſexcentis argumentis ſapientiſſima Dei erga homines prouidentia perſpicitur, & eorum qui nos Angelos potiùs quàm homines conditos volunt, dementia, atque inſania palàm exponitur.* Homo ergò ne Angelis naturam inuiderit; ſed ſibi de humanitate Angelificanda gratuletur.

Iobius Monach. in Bib. Photij.

*Ne homo Angelis aliquo potatis ſtudio, naturam inuiderit.*

2. Danielis 9. *Adhuc me loquente in oratione,* inquit, *ecce vir Gabriel, quem videram in viſione à principio.* Putà in prima viſione qua quatuor beſtias vidi, quas ille mihi expoſuit cap. 7. v. 15. & 16. Licèt enim Daniel eum illic non nominauerit, hîc tamen eum opportunè nominat. Idem eſt Gabriel qui miſſus eſt ad Danielem, & qui miſſus eſt ad B. Virginem Lucæ 1. v. 26. quia hæc legatio eius de 70. hebdomadibus, vti & ceteræ eiuſdem, ordinabantur ad myſterium diuinæ corporationis, quâ Deus homo factus eſt, quæ eſt communis Patrum ſententia. Ceterùm tametſi apud Hieronymum, Bernardum, & alios paſſim, *Gabriel* interpretetur, *fortitudo*, vel fortis *Dei*; tamen Cyzicenus in homil. quæ habetur in Concilio Epheſino, Gabrielem interpretatur *Deus homo*, Theophylactus in Lucæ 1. *homo Dei*, vel *vir Dei*. Magnum ſanè eſt inter Expoſitores litigium, cur *Gabriel* indubie Angelus, & indè corporis exors, *vir Gabriel*, quoniam ſub viri ſpecie Danieli apparuit. Sed quare cùm illi apparuit ſuprà cap. 7. verſ. 15. & 16. & quatuor beſtiarum ſacramentum illi aperuit, non appellatur *vir Gabriel*, ſiquidem etiam ſub viri ſpecie ſe videndum obiecit? Cùm cætera reuelat, eius nomen tacetur, & cùm diuinam corporationem tractat, *vir Gabriel* nuncupatur? Imò cùm ambiguum ſit Gabrielis nomen, vt ſiue *fortitudo Dei*, ſiue *homo Deus* interpretari poſſit; nunc, tunc quidem cùm Deum hominem impreſſiùs notificat, *Vir Gabriel* nuncupatim nominatur. *Viri* vocabulo Angelica deuenuſtatur natura? an dum corporatio Dei reuelatur, *viri* nomine venuſtatur egregiè? Scilicet cùm Angelus corporis expers, præproperè Danieli antedicit, quòd poſt 70. hebdomades Deus fiet homo; nomen hominis ipſe ſpeciatim aſſumit, ſub cuius ſpecie videndus apparuit, vt ante reliquos cæli ſpiritus, *viri* ſiue *hominis* glorioſum iam nomen dedicaret; exinde vel nomine tenus *vir* ſeu *homo* nominari feſtinat. Itaque dum Angelus, *vir Gabriel* nominatione præcoqua nuncupatur, aut Deo, quòd homo futurus ſit, piè adulatur, dum Angelus ipſe ſe *virum* nominat; aut ſibi ſumptuoſiùs gratulatur de ſpecie hominis tunc aſſumptâ, ſub qua homini Deo aſſimilat ſeſe: Studioſè enim Angelus exambit hominibus adgregari, videns Deum fore hominem, dum diuinæ corporationis myſterium annunciat: *Revereamur noſtrum* caput, (ait Chryſoſtomus) *cogitemus cuius capitis ſumus corpus, cui omnia ſunt ſubiecta. Hoc exemplo nos Angelis oportet eſſe meliores, & Archangelis maiores, vt qui in omnibus ſimus honore præpoſiti: Non Angelos apprehendit Deus.* Nempe quia non Angelos apprehendit Deus, ſed humanam naturam aſſumpſit; idcirco Angelus piâ quâdam gloriæ ambitione, Deo homini velut adulatur, gratulaturque ſibi, dum ſe *vir Gabriel* nominari feſtinat.

Daniel. 9. v. 21.

S. Hieron. S. Bernard.

Cyzicenus Concil. Eph.

Theophylact.

*Deo homini adulatur, an gratulatur ſibi Angelus, dum vir Gabriel nominari feſtinat?*

S. Chryſoſt. homil. 3. in ad Epheſ.

3. Lucæ 20. agens Chriſtus Deus de his, qui pudicitiæ honore nitent, ait: *Æquales enim Angelis ſunt, & filij ſunt Dei: cùm ſint filij reſurrectionis.* Quid eſt, *æquales Angelis*? Naturáne humana, de lutea quondam fictione vilis, poteſt cognatum ſibi lutum ita deſueſcere, vt quantumuis ambiẽdo adnitatur, limpidiſſimæ Angelorum naturæ refingatur *æqualis*? Luti opificium etiam in gratiæ officina, in ſpiritum reformari eualet? O arcanam redemptricis gratiæ metaphoram! Tempeſtiuè Chryſoſtomus. *Si virtus Angelos facit, vtique Angelos poſſumus facere, & ſi non naturâ, certè propoſito, & electione: nam hoc abſente, nulla vtilitas eſt Angeli eſſe naturam, id quod Diabolus indicat, qui antea Angelus erat. Hoc autem præſente nullum damnum eſt eſſe hominem natura.* Certè quod Angelis commune eſt cum dæmonibus, nemo in ſe excudere eualet; Angelorum

Lucæ 20. v. 36.

*Homo ad Angelicam gloriam refingi poteſt in gratiæ officina.*

S. Chryſoſt. hom. 32. in Acta.

*Primitiua Eccleſia cœtus, Angelis*

*ca Reſpublica nominatur.*

lorum autem decus, nitorem, præſtantiam gloriam quâ cenſetur, & Diabolis antiſtant, planè eualet: *æquales enim Angelis ſunt*, Adeò vt de naſcentis Eccleſiæ cœtu dixerit idem Chryſoſtomus: *Hæc erat Angelica Reſpublica*. Nec facilè diiudicare queas, an humanæ naturæ, an Angelicæ his verbis de perfectione adulctur. Inde exclamat Bernardus: *Altiſſima eſt profeſſio noſtra, par Angelis eſt.*

*S. Chryſoſt. hom. 7. in Acta.*

*S Bern. ad Fra'r. de monte Dei.*

4 Eſther cap. 15. ingreſſa cuncta per ordinem oſtia, ſtetit coram Rege, vbi ille reſidebat ſuper ſolium regni ſui, indutus veſtibus regiis, auróque fulgens, & pretioſis lapidibus. Cúmque Aſſuerus rex eleuaſſet faciem, *Regina corruit*, & in pallorem colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinauit caput. Tunc rex Aſſuerus feſtinus, ac *metuens* exiliuit de ſolio, & ſuſtentans eam vlnis ſuis donec rediret ad ſe, illi placidè blandiebatur. *Corruendi* cauſſam ipſa tandem Regina his verbis enunciat: *Quæ reſpondit: Vidi te Domine quaſi Angelum Dei, & conturbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ*. Timet Eſther, quia Regem Aſſuerum, *quaſi Angelum* Dei contemplatur, & præ Angelicæ *gloriæ timore corruit*. Cæterùm notatione digniſſimum eſt, quòd Aſſuerus etiam, qui *quaſi Angelus Dei* apparuiſſe dicitur; videns Eſtherem timore proſtratam, ipſe quoque *metuerit*. O arcanum geminati timoris, adſpectu ad ſpeciem Angeli Sacramentum! Scilicet & Synagogæ, & Eccleſiæ hîc myſterium adumbratur. Olim enim in lege veteri ſolenne fuit hominibus Angeli aſpectum pauidè pertimeſcere. Iam autem in gratiæ lege, poſtquam Deus homo factus eſt, & humanam naturam hypoſtatico nexu ſibi in vnam perſonam copulauit, proſtratum ſibi quemuis hominem videre, reuerenter Angeli *metuunt*. Audi Magnum Gregorium: *Angeli naturam noſtram, quam prius deſpexerant, poſtquam hanc ſupra ſe conſtitutam conſpiciunt, proſtratam ſibi videre pertimeſcunt.* O benè! Scilicet Hebr. Eſther veteris Synagogæ typus, videns Aſſuerum *quaſi Angelum Dei*, præ Angelicæ gloriæ timore pauidè metuit, & proſtrata *corruit*. Sed quoniam Chriſti Dei myſterium iam tunc etiam adumbratur; Aſſuerus, qui *quaſi Angelus Dei* præ maieſtate gloriæ ſuæ ſplendet, videns ante ſe *corruentem* Eſtherem, plus ipſe typicè *metuit*. Nam vbi Deus homo factus figuratur, *Angeli naturam noſtram, quam prius deſpexerant, poſtquam hanc ſupra ſe conſtitutam conſpiciunt, proſtratam ſibi videre pertimeſcunt*. Appoſitè quidem Gregorius!

*Eſther. 15. v. 16.*

*Poſtquam Deus homo factus eſt, Angeli naturam humanã ſibi proſtratã videre pertimeſcunt.*

*S. Greg. homil. 8. in Euang.*

5\. Sententiosè nuper dixit Chryſoſtomus agens de primitiua Eccleſia in terris agente; & ad cœlos peregrinante. *Hæc erat Angelica Reſpublica.* Nam dum Angelica ſanctimonia nitet, Angelici in æternum conſortij candidata eſt. Hinc de felici in cœlis Republica dixit Auguſtinus: *Hæc in ſanctis Angelis beata perſiſtit, & ſuæ parti peregrinanti ſicut oportet, opitulatur; quia vtraque erit vna conſortio æternitatis, & nunc vna eſt vinculo charitatis, quæ tota eſt ad colendum vnum Deum*. Sit nunc in terris Angelorum & hominum Reſpublica, ambæ vna, & vtraque eadem, quia quantumuis nũc loco diſſita, & naturis, meritiſque diuerſa, *vtraque erit vna conſortio æternitatis*. Pulchrè Ambroſius hanc Angelorum & hominum Rempublicam, etſi locis remotiſſimam, ſic fœderat: *Conuerſatio connectit, quos ſeparat elementum, neque intereſt, vtrum in cœlis, maneant, an in terris; Angelici ſint habitus, an humani, quibus vita communis eſt; incipiunt etiam illis viuendi elementa eſſe communia.* Hominibus in terra piè conuerſantibus, & Angelis in cælo beatè degentibus, cùm *Angelicam Rempublicam* conſtituant, *viuendi elementa communia eſſe* dicuntur. Opinor, cælum *elementi* vocabulo hîc ab Ambroſio nominatur, ne cælum ad terram, ſed ad cælum terra traducatur. Sanè alto ſtilo, cum agitur de *Angelica Republica* hominum, qui ex elementis conſtant, & ab elementis, & de elementis viuunt; *elementi* vocabulum transfertur in cælum, ne homines in terra peregrinantes, cælo exortes videantur. Quibus enim vita & mores cum Angelis communes ſunt, quaſi præproperè cæli inquilini, adhuc in terra viuentes, *viuendi elementa communia eſſe* cum Angelis perhibentur, ac ſi moribus homines iam ſint, empyrei in cælis Angeli; & Angeli, cæleſtes in terris homines. O quam eſt cognata Reſpublica Angelis, & hominibus conſtans, cui *viuendi elementa communia ſunt!* Quid ſic fœderat & counit, quos conditio, natura, & locus ſic remotè diſpeſcit? *Crux* Domini (ait Athanaſius) *Angelos hominibus conſociauit, & interpres, conciliatrixque eorum amicitiæ fuit.* O bona Angelicæ, & humanæ amicitiæ interpres!

*S. Chryſoſt. ſupra.*

*S. Auguſt. in Enchir. c. 56.*

*Hominum & Angelorum Reipublicæ, viuendi elementa communia dicuntur.*

*S. Ambr. ſer. 85.*

*Crux Domini fuit interpres Angelorum, & hominum.*

*S. Athanaſ. O.a'. de Paſſio. & cruce.*

Lucæ 12. ſui aduentus ſcopum Chriſtus Deus proponit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?* Ecquis eſt iſte *ignis*? Tertullianus putat eſſe odia, & perſecutiones infidelium. Cyrillus eſſe Apoſtolorum prædicationem, Ambroſius per *ignem* accipit Spiritum S. Sed quo fine hunc ipſum mittere in terram venerit, eleganter ediſſerit Bernardus, ſic alloquens ac perſtringens Luciferum, quem eſſe è Seraphinorum ordine cenſet: *Audi enim*, inquit, *quid ipſe* (Chriſtus) *loquatur: Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur? Vult ergo Seraphim fabricari; vt ibi ſtet, vbi tu corruiſti, vt tabeſcas ampliùs, & liuore proprio torquearis.* Scilicet cùm *Seraphim* ab incendio dicantur, Spiritus-ſancti *ignem* Chriſtus venit mittere in terram, quo in gratiæ officina homines in Seraphinos recudat, excoctâ primordialis limi cognatâ ſcoriâ. Porrò ſicut Deus vel ipſos lapides in filios Abrahæ refingere eualet, ſic de Spiritus S. concepraculo poteſt homines in Angelos ac Seraphinos reſculpere. Ne ergo homo Angelis naturam inuiderit, cui Angeli gratiæ gloriam (ſi poſſent) inuidiſſent. Sic eſſe Angelum exambis? *Velis & poteris.* 6.

*Lucæ 12. v. 49.*

*Tertul. l. 4. cont. Marc. c. 29.*

*S. Cyrill. in caten.*

*S. Ambroſ. ibi.*

*S. Bern. ſer. 3. de verbis Iſaiæ.*

*Chriſtus Spiritus ſancti ignem mittit in terram, vt homines in Seraphinos refingat.*

*Clem. Alex. aliàs expenſus.*

---

## ſ. CCCVI.

### *Angelorum elogia, quæ in hoc ſacri textus loco ſubobſcurè tranſparent, perſtrictim elucidantur.*

SPonſi vox eſt: *Vineæ florentes dederunt odorem ſuum. Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni.* Eccur cæleſtis ſponſus, verus Salomon, Chriſtus Deus, animam ſanctam, quam iam ſpecioſam appellat, ad ſe allicit, & venire iubet, quia *vineæ florentes dederunt odorem ſuum*? Quænam eſt iſta vinea, quæ odoratis *floribus* ſic gratè fragrat? & cuinam *dat* pergratum florum odorem? Huius loci anagogen his verbis ſcitè tradit Origenes: 1.

*Cant. 2. v. 13.*

*Angelica*

Orig homil. 4 ex Quatuor.

*Angelicæ virtutes, quibus electi quique & beati in Reſurrectione ſociabuntur, qui erunt ſicut Angeli Dei, ipſe ſunt florentes vites & vineæ, quæ odorem ſuum vnicuique animæ, & gratiam quam à Conditore ſuſcepit priùs, & nunc iterùm perditam recuperauit, impertiunt,* (Nota quare Angelici *flores* odorem dant; & cui *dant* odorē) *ſuauitateque cæleſtis odoris fœtorem tandem obiectæ ab eis mortalitatis, corruptioniſque depellunt.* Scilicet cùm in Reſurrectione electi homines dicantur Angelis Dei æquales; ipſis electis Angeli de Angelicarum virtutum floribus, odorem ſuum, id eſt, fragrantiam Angelicam, quam ſpirant, illis afflant, *dant*, & *impertiunt*, vt *ſuauitate cæleſtis odoris fœtorem obiectæ mortalitatis, corruptioniſque depellant.* O pulchros de cæleſti topiario flores, qui empyreum beatæ incorruptibilitatis odorem, ſic gratè electis hominibus adſpirant, & allinunt, vt fœtorem humanæ mortalitatis, & corruptionis graueolentiam depellant, quò homines beatam incorruptionem, & immortalitatem fragrent, qui in cælo Angelis erūt *æquales*! Saluete diuinioris gratiæ flores, humanarum etiam virtutum fructibus fœcundi: flores veſtri, fructus ſunt honeſtatis ad gratiam, & honoris ad gloriam. O quis horum florum glorioſam gratiam dum prodere audet, verbis non deuenuſtet?

*Angeli ſunt flores, qui immortalita-tis odorem mortali hominiglorioſè adſpirant.*

2\. Iob 25. Reſpondens autem Baldad Suhites, dixit: *Poteſtas, & terror apud eum* (Deum) *eſt, qui facit concordiam in ſublimibus. Numquid eſt numerus militum eius?* &c. Per τὸ *Sublimia*, Philippus, S. Thomas, Hugo, Dionyſius, Caietanus, & alij apud Pinedam noſtrum inibi, intelligunt *Angelos*, quos quantumuis naturâ potentiſſimos, & dono gratiæ granditer ſanctiſſimos, & beatitate præcelſiùs ſublimiſſimos, continet Diuina maieſtas in timore & tremore: neque enim tanta cum empyreo Rege familiaritas vel timorem, vel reuerentiam imminuit, quò vel audeant vel ſe cum Deo comparare, vel de primatu cum aliis ſeditioſè contendere, aut tumultuoſè decertare. Grande ſanè diuinæ maieſtatis elogium eſt indiuidua iam Angelorum concordia, de primæuo illo tumultu ſumptuoſior: *Qui fecit concordiam in ſublimibus.* Hùc forſan adludit Nazianzenus, qui in Orat. 1. dē Pace, Angelorum concordiam ſic deprædicat: *Angelorum primum illud eſt, quòd pacati ſint, & ſeditionis expertes; quippè qui à ſanctâ Trinitate hoc acceperunt, vt vnum ſint.* (Vide quomodò Angeli à ſanctâ Trinitate ſingulariter acceperint concordiam, quâ vnū ſint) *Trinitas ſiquidem illis vnus Deus eſt, non minus propter concordiam, quàm propter ſubſtantiæ identitatem.* Itaque tametſi plura ſint ipſáque præluſtriſſima, in quibus Angeli excellunt, *primum illud* eſſe videtur Nazianzeno, quòd præ pacatâ concordiâ, ac tranquillæ pacis concentu, *vnum ſint*, id eſt, vnum plures. Quod quidem licèt à Deo, non tamen ſub Dei nomine, ſed ſub *Trinitatis* vocabulo accepiſſe notanter ediſſerit Nazianzenus: *A ſanctâ Trinitate acceperunt, vt vnum ſint. Trinitas ſiquidem illis vnus Deus eſt, non minus propter concordiam, quàm propter ſubſtantiæ identitatem.* Profundo quidem ſtilo Nazianzenus. Scilicet Angeli plures ſunt innumerabiles ſunt; & tamen tantâ concordiâ, ac pace vllius contentionis experte conuerſantur, vt à ſanctâ Trinitate nūcupatim acceperint, *vt vnum ſint.* Nimirum Angeli contemplantur *identitatem ſubſtantiæ* in perſonarum Trinitate, & *concordiam* perſonarum in identitate Deitatis; adeò vt nulla ex tribus perſonis, aut mente, aut voluntate, aut potentiâ ab aliâ diſtentat, aut diſſentire diſcrepareque poſſit. Ergò quam in tribus perſonis contemplantur *concordiam* in *ſubſtantiæ identitate*, tanquam Angelicæ concordiæ exemplar ſibi impreſsiùs proponunt, & (vt vt poſſunt) exprimere piè exambiunt: quò de ſanctæ *Trinitatis* typo, in tantâ Angelorum multitudine excudant concordiam concordiæ Trinitatis æmulam, quæ eſt concordiæ perfectioris meta. Hinc velut faſtigium diuinæ poteſtatis proponitur, quòd *fecit concordiam in ſublimibus.* Vſqueadeò eſt arcanè ſublimis Angelorum concordia, in tantâ naturarum diſcordiâ concors ſemper & vnanimis poſt illam quondam ſeditionum tragœdiam! Cui Trinitas eſt pax, ecquis diſcordiæ locus?

Iob 25. v. 2. Philippus S. Thomas Hugo Dionyſius Caietanus Pineda ibi.

S. Nazian.

*Cur Angeli à Trinitate, tantam concordiam, vt vnum ſint, accepiſſe dicantur.*

3\. Regius Propheta Pſalm. 118. ſic pangit: *Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.* Hieronymus, *conſumpſit me zelus meus.* Ambroſius, *exquiſiuit me zelus.* Hilarius, *tabeſcere me fecit zelus tuus.* Quaſi dicat: Conſumptus diſtabui præ magnitudine zeli mei de tuâ gloriâ, ô Deus; cùm video te hominum offenſis toties impeti, laceſſiri, dehoneſtari. Zelo conſumitur, zelo tabeſcit, zelo cruciatus deficit Dauid: quia *fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio*, zelus inquam. Aliàs expendebamus peridoneam *zeli* cum *inferno* analogiam. Porrò inferorum gehennalis *illa non caſualis, ſed rationabilis & pœnalis exuſtio ſubſtantiam neſcit abſumere*: nam carnem dum erogat, reparat; & dum incipit *inextinguibili ardore tota hominis ſubſtantia intùs infundi, & depaſcentibus flāmis corpora atque animas ex parte velut conſumi, ex parte nutriri, inter medios ignium globos dānata natura det pabulum, & accipiat incrementum.* Sic pius homo, & zelo tabeſcit, & conſumitur, & ipſo zelo velut pabulo accipit incrementum, & ad viuaciorem vitam reparatur. Nunquam enim præſtantiori ac vegetiore vitâ vixit Dauid, quàm cùm ait: *Tabeſcere me fecit zelus meus.* Quod belliſſimè inibi Ambroſius ad Angelos transfert; *Angeli*, inquit, *ſine zelo nihil ſunt, & ſubſtantiæ ſuæ amittunt prærogatiuam, niſi eam zeli ardore ſuſtentent.* Itaque adeò acer ac viuidus eſt zelus, quo Angeli Dei gloriam zelant, vt eorum viuaciſſima ac immortalis natura, ſi interitus & conſumptionis foret capax, præ zeli magnitudine *tabeſceret, conſumeretur*, deficeret. Hic etiam ardentior Angelorum zelus in hoc inferorum flammis inuenitur ſimilis, quòd illo ipſo zelo, quo velut *tabeſcunt*, & *conſumuntur*, eodem viuunt, & ad immortalem vitam quodammodò reparantur: & indè Angelicam vitam tueri videntur, vndè forſan eam credi poterat amiſiſſe. *Tabeſcere me fecit zelus meus. Angeli ſine zelo nihil ſunt, & ſubſtantiæ ſuæ amittunt prærogatiuam, niſi eam zeli ardore ſuſtentent.* O benè: Præcelſam Angeli prærogatiuam, & immortalem eorum vitam, ardentior diuinæ gloriæ zelus velut *ſuſtentat*, nutrit, reparat? An in Angelo zelus eſt ſuæ immortalitatis ſubſiſtentia? Qui zelo tabeſcere & conſumi dicitur, de eodem zelo *ſuſtentatur*, & ex diuerſo adipatur? Angelicę præſtantiæ, ac immortalitatis velut aſylum zelus eſt? Zelo tabeſcit, & zelo etiam viuit, qui mori non poteſt.

Pſal. 118. v. 139. S. Hieron. S. Ambroſ. S. Hilarius.

Cantic. 8. v. 6.

Emiſ. homil. 1. ad Monach.

*Zelo tabeſcit, & zelo etiam viuit Angelus, qui mori non poteſt.*

S. Ambroſ.

Iob 35.

4.

Iob 35.v.10.

Iob 35. *Vbi eſt Deus, qui fecit me: qui dedit carmina in nocte?* Tum hoc, tum quod verſ. ſequenti ſubditur, pertinet ad Dei auguſtiorẽ arcanè maieſtatem. Nonnulli Interpretes per *carmina* in nocte à Deo data, intelligunt peculiares de diuinis rebus inſtructiones. Alij reuelationes, ſeu viſiones nocturnas. Nocturnas alij cæli faculas, puta lunam & ſtellas, qui modulato ordinis ac fulgoris concentu diuinas laudes modulantur. *Idem, & longè magis faciunt Angeli*, ait inibi Olympiodorus in Catenâ. Et ſanè Origenes apud eandem Catenam, Angelos intelligit. Vndè Chaldæus vertit: *ante cuius conſpectum Angeli excelſi ordinant laudem in nocte.*

Olymp. apud Concl. in Eccl 16. v.28. Fides Auctorem appellet. Origenes Chaldæus.

Sed quare cùm ſumma ſummi Dei maieſtas glorioſiùs prædicatur, huiuſmodi panegyris ſeu laudatio, quã Angeli modulatè concinunt, dicitur *carmen in nocte*, ſeu in *nocte laus*? Quid Angelorum luci cũ tenebroſæ noctis obſcuritate? quæ ſocietas lucis cum tenebris, ad Dei laudes ſumptuoſiùs prædicandas? Deinc maieſtas ineſtabilis micantiùs elucet, cùm eam Angeli in nocturnis tenebris modulantur? O *noctis* obſcuritas, Deo ab Angelis laudando indonea! Imò magis idonea, atque expetenda magis. Porrò incomprehenſibilis Dei natura, ac immetata perfectio, abyſſus multa hominibus eſt, & quantumuis in hac vita cõtemplando adnitantur, in ænigmate eum agnoſcunt, & velut in *nocte* vident.

*Cur Deus dat Angelis carmina, qui illa in nocte decantent?*

S. Gregor. l.5.Moral.c. 21.& 23.

Vnde apud Gregorium, nocturna viſio dicitur contemplatio diuinorum in hac vita, quia ſub quadam caligine, & obſcuritate Deum cognoſcimus. Angeli autem de perſpicaciore Dei viſione inoculãtur, vt quò homines non pertingunt, illíſque obſcuritas, & nox eſt, ipſis claritas & lux ſit. In hac ergo *nocte* apud homines, Deus dat *carmina*, id eſt, laudatiores modulatè hymnos, quo illi glorioſiùs Angeli occinant. *Qui dedit carmina in nocte.* Id eſt, *Ante cuius conſpectum Angeli excelſi ordinant laudem in nocte.* Scilicet diuinæ eſſentiæ abyſſus, quæ ab hominibus velut in *nocte* cognoſcitur, in hac hominum *nocte* ab Angelis tanquam in die clarâ luce ſumptuoſiùs prædicatur. Quia noctis tenebræ non obſcurabuntur Angelis, & illis hominum *nox ſicut dies illuminabitur*: ſicut tenebræ hominum, ita & lumen Angelorum. Exindè Deus quò glorioſiùs prædicetur, Angelis *dedit carmina in nocte*. Planè *nox* eſt humana Dei laus, ſi cum Angelicis laudibus conferatur.

Pſal.138.v. 12.

5.

Ezech 28.v. 12.& 13.&c

Ezechielis 28. ſub perſona Tyrij regis ſic deſcribitur occiduus ille Lucifer, Angelorum olim antiſtes. *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ, & perfectus decore, in deliciis paradiſi Dei fuiſti: omnis lapis pretioſus operimentum tuũ*, &c. *Tu Cherub extentus, & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulaſti. Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ* Hæc ille de ornatu duntaxat naturæ & gratiæ, quem pulchrè diuites empyreæ gloriæ dotes nunquam exornarunt: nam ſuperbiæ ambitione arroganter turgens, defectionem, quam incœpit in Angelo, conſummauit in dæmone. Et inde Dei facies clarè videnda, reliquorum humilitati conceſſa, ipſi ac ſuis denegatur.

*An Angeli ſeipſos contemnunt, vt ex toto quod boni ſunt, Deo fruantur?*

Matth. 18. v.10.

S. Auguſt.

Audiendus eſt Auguſtinus adludens ad illa Matthæi verba: *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.* Sic Auguſtinus ſcribit lib. 9. de Ciuit. Dei cap. 22. Angeli *incommutabili & ineffabili pulchritudine* (Dei) *cuius ſancto amore inardeſcunt, omnia quæ infra ſunt, ſéque ipſos inter illa contemnunt, vt ex toto, quod boni ſunt, eo bono, ex quo boni ſunt perfruantur.* Nimirum boni Angeli (quorum cuilibet potiùs nunc conuenit, quod ſit *ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia, & perfectus decore, in deliciis paradiſi Dei*) non ſolùm omnia quæ infrà ſunt, ſed etiam ſeipſos inter illa humillimà *contemnunt, vt ex toto, quod boni ſunt, eo bono, ex quo boni ſunt perfruantur.* O gratiæ, & gloriæ miraculum! Perfectiſſimi Angeli ſe ſe ex toto *contemnunt, vt ex toto fruantur* ſummo illo bono clarè viſo, & facie ad faciem clarè ſpectato? In tanta naturæ, gratiæ, & gloriæ perfectione, abiectior ſui contemptus, & demiſſior humilitas eſt Angelicæ beatitatis menſura, ex toto ſe *contemnunt*, vt diuinâ *fruitione* ex toto beentur? Lucifer ille de elationis tumore Dæmon tranſnominatur; Angeli verò *omnia quæ infrà ſunt, ſéque ipſos inter illa contemnunt, vt ex toto, quod boni ſunt, eo bono, ex quo boni ſunt perfruantur.*

6.

*Non prælatio, ſed ſubiectio humilis, Angelorum perfectionem metitur.*

Hinc explorare licet, quare dominationes, Principatus, ac Poteſtates in Angelica hierarchia præſtabiliores non ſint; quandoquidem nomine, & re nominis, reliquis antiſtare videantur. An non qui principandi, ac dominandi dignitatem obtinent, ex muneris prælatione ſubliniorem faſtigij dignitatem obtinebunt? Angelicus Doctor huic dubio ſapienter reſpondet: *In Angelis potiùs eſt, quòd ſubiiciuntur Deo, quàm quòd inferioribus præſident: & ideo ordines denominati à prælatione non ſunt ſupremi, ſed magis ordines nominati à conuerſione ad Deum.* In Angelica Republica non ſublimior prælatio, ſed humilior ſubiectio perfectionem metitur. O quàm multa paucis! Taceo, vt hac ſuper re audiamus Pſalmographum: *Benedicite Dominum omnes Angeli eius; potentes virtute, facientes verbum illius*, quaſi potentiæ decus ab obſequio ſit, quod inibi notauit Agellius: *In hoc*, inquit, *beatorum Angelorum proprietas indicatur, qui faciunt verbum Dei . . . Nam obedire Creatoris imperio, id ſuarum actionum finem ſtatuunt, & ſummum ſibi decus in eo poſitum putant,*

S. Thomas 1. p.q 108.ar. 6.ad 1.

Pſal 102.v. 20.

Agellius ibi.

7.

Tobiæ 12. v.12.

Tobiæ 12. ſic Raphaël Angelus Tobiam alloquitur: *Quando orabas cum lacrymis, . ego obtuli orationem tuam Domino.* Et iſde vltra id, quod ſupplex rogauit, feliciter impetrauit. Nõ potuit non audiri hominis oratio, cui Angelus precum baiulus, gratiam quoque placendi mutuatur. Tẽpeſtiuè S Ioannes Climacus: *Non habet vim confidentiæ oratio noſtra, neque munditiæ pennas, vt ingredi ad Deum poſſit, niſi hanc è proximo aſſumant Angeli, eámque offerant Domino.* Sic humanæ preces, munditiei pennas, & confidentiæ vigorem, ex Angelico baiulatu, & interuentu fœnerant? Ecquid humanis precibus allinunt, aut adiiciunt Angeli relatores? Acute pariter ac piè Sophronius Angelos obnixiùs orat, vt in vltimo ſuæ vitæ hiatu, *placidos clementéſque vos mihi exhibeatis, bilancémque quã prauis meis operibus perditè grauaui, dexterè ſubleuetis; eandémque tanquam ſolius clementis Dei miniſtri quauis ratione & arte exonerare ſtudeatis*, (notanter addit Sophronius) *Porrò autem bonorum honeſtorúmque operum loco, de quibus ſpem concipere licebat, immenſam Domini miſericordiam, in medium proponite*, &c. Quòd Angeli ſint placidi, clementéſque, tanquã *ſolius clementis Dei miniſtri*, n. ſequenti expendemus. Nunc vide quomodo

S.Ioann. Clim.Grad. 5.

*Oratio, quam Angeli præſentant, munditici alas, & confidentiæ vim aſſumit.*

Sophron. Orat.6.

*Angeli, quãdo orantis merita deſunt, immenſam Dei miſericordiam allegant ad impetrationẽ.*

oratio

oratio humana ab Angelorum induſtria, confidentiæ vim, & impetrationis vigorem mutuetur: *Bonorum*, inquit, *operum loco, de quibus ſpem concipere licebat, immenſam Domini miſericordiam, in medium proponite.* Hac *ratione*, hac *arte*, hac Angelorum induſtriâ humanæ orationis fiduciam, meritorum inopem Sophronius armat, nempe vt placidi clementéſque Angeli meritorum rogantis loco (quando nulla ſuppetunt) immenſam Dei miſericordiam, cuius miniſtri ſūt, obnoxiùs proponant; quo meritorum vices ſic diuinior clementia ſuppleat, vt merita, quæ non inuenit, faciat, Angelorum obſequio placidè conniuendo. *Bonorum operum loco, immenſam Domini miſericordiam in medium proponite. Non habet vim confidentiæ oratio noſtra, neque munditiei pennas, niſi hanc è proximo aſſumant Angeli.* Porrò humana oratio, quam è proximo aſſumūt Angeli, *munda* eſt, *pennata* eſt, & de *confidentiæ* vigore piè impetrationem præſumit.

8. Geneſeos 19. tres illi Angeli libidinum flāmis

Gen. 19 v. 23.

accenſam Sodomam, pœnali acerbiùs incendio euertere feſtinant. Cum totâ familiâ Lot eductus, & in vrbeculæ Segor aſylo collocatus, interim Angelis cunctanter agētibus hactenùs dilato ſupplicio; *Sol egreſſus eſt ſuper terram, & Lot ingreſſus eſt Segor. Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cælo: & ſubuertit ciuitates has.* Aliàs curioſiùs peruestigauimus, quare Angeli ad Sodomorum euerſionem, vſque ad ortum Solis cunctanter expectauerint? an non ipſis magis decorum fuiſſet ſub obſcuræ noctis atrâ caligine durioris ſupplicij rigores tectiùs occultare? quid claram diei lucem expectant? an vt palàm ab omnibus agnoſcantur acerbioris pœnæ exactores ſeueri, & diuinæ iuſtitiæ adminiſtri duriores? Imò id Angeli ſubterfugere videntur honeſto quodam velut pudore caſtigandi. Ita quidem, & idcircò ad occultandum ſupplicium, claram diei lucem conſultiſſimè præſtolantur. An non ignibus Pentapolis vſtulanda erat, & miſero flammarum incendio tota ad fauillas redigenda? cùm ergò flammarum lux micantiùs in tenebris luceat, vberiore Solis luce clam pœnalis ignis abſconditur, & tectiùs occultatur, quo arbitrio Angeli naturâ ſuâ placidi & clementes, quaſi vel ipſum iuſtitiæ bonum erubeſcant, *ſolius clementis Dei miniſtri*, & videri, & cenſeri piè exambiant (vt nuper ex Sophronio notabamus) Scilicet pœnalem Ignium lucem, Solis fulgoribus infuſcant, & abſcondunt aliquo acerbiùs caſtigandi pudore, vt *ſolius clementis Dei miniſtri* appareant, id eſt, *Miniſtri Dei* quà *clemens* eſt, non quà ſeuerè iuſtus, & pœnaliſſimis rigoribus peracerbus ſcelerum vindex. Vide hîc clementer placidum, & generosè beneficum Angelorum ingenium.

*Angeli ſolius clementiæ diuinæ Miniſtri cenſeri, piè exambiunt.*

Sophronius Orat. 6.

9. Matthæi 28. albicante Dominicæ Reſurrectionis aurorâ, placidæ lucis floribus terra cælum fragrat gratiùs quàm odoratis Magdalenæ vnguentis. Quin & ſplendidus Angelus amico cum roſeâ aurorâ commercio diē lucernare ſuo fulgore præſumit, ne ſepulchri caligo vnquam tenebreſcat; ſed lucis etiam ſuffragio Reſurrectionem teſtetur: *Ecce Angelus Domini deſcendit de cælo: & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum, erat autem aſpectus eius ſicut fulgur: & veſtimentum eius ſicut nix.* Huius Angeli myſterium Angelicus Doctor luculenter exponit, ſic de Angeli ſupra petrā ſeſſione, & Angelico inibi miniſterio fatus: *Sedebat*, inquit, *cui nulla inerat laſſitudo, vt fidei doctor, vt Reſurrectionis Magiſter: ſedebat ſupra petram vt ſoliditas ſedentis daret credentibus firmitatem..... Vel per lapidem monumenti poteſt deſignari mors, quâ omnes premebantur.* Addit Victor Antiochenus in Marci cap. 16. *Contingere potuit, vt illum ipſum Angelum, quem ſecundum Matthæum lapidi inſidentem viderant* (mulieres;) *poſteaquam iam in monumentum intrauerant, quaſi via ducem præeuntem, nec nō à dextris ſe collocantem conſpexerint.* Ecce tibi Angelus *in Dominicum* monumentum ingreditur, ex illóque egreditur, dum mulieribus ingredientibus & egredientibus, *quaſi via dux præit.* Adhæc Angelus ſedet ſuper lapidem monumenti, per quem deſignatur *mors*, quæ omnes premit. Itaque Angelus naturâ ſuâ immortalis, nec morti vllo modo obnoxius, & ſepulchrum, id eſt domum mortis ingreditur; & ſupra ſepulchri *lapidem*, hoc eſt ſupra *mortem ſedet Reſurrectionis Magiſter.* Quid eſt Angelo cum ſepulchri ingreſſu? ô nobilē humani ſepulchri inquilinum! Dein ſuper ſepulcralem lapidem, quaſi ſupra *mortem ſedet*, quaſi mortis ſymbolum in ſuæ immortalitatis ſedem, thronum, ac ſolium erigat, nouus *Reſurrectionis Magiſter.* Sic generoſa Angelorum immortalitas, poſt Chriſti Dei mortem, humanæ mortalitatis ſchema velut exambit? Sic de ſepulchri ingreſſu, de ſeſſione ſupra mortem, de reſurrectionis magiſterio, mortem ipſam, ſymbola mortis, & mortis conſequentia auidè tractat, honorat, nobilitat? Poſtquam Angelus Deum ac Dominum ſuum funeſte mortuum vidit, vario mortis ſchemate ſuam immortalitatem mortis exlegem conſolatur? Si inuidia Cælites tangeret, poſt Chriſti mortem, moriendi felicitatem hominibus inuidiſſent? Mortis ſymbola ſtudioſiùs tractare, mortis blandimentum eſt, & velut ſuæ immortalitatis ſolatium?

S. Thomas ibi.

Victor Antioch.

*Num Angelus ſymbola Dominicæ mortis ſtudioſè tractat, ad ſuæ immortalitatis ſolatium?*

Geneſeos 28. *Vidit* Iacob *in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen eius tangens cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ.* Lauretus Ceruarienſis ex Hieronymo, Auguſtino, & Cyrillo, per hanc Iacobi *ſcalam*, Chriſti crucem intelligunt; per eam enim homines angelificatis moribus aſcendunt in cælum; & per eandem Angeli velut hominum contubernales, ad terram deſcendunt. Huic etiam ſcalæ, id eſt, cruci *Dominus innititur*, è clauis ſuſpenſus. Appoſitè S. Athanaſius in ſerm. de Paſſione & cruce, ita ſcribit: *Crux Domini Angelos hominibus conſociauit, & interpres, conciliatrixque eorum amicitiæ fuit.* Per Chriſti crucem Angelus humano idiomate loquitur, & eâ velut *interprete* vtitur, vt cum hominibus conuerſetur? ô præclarè peritum Angelorum *interpretem!* Quod Angelus loquitur, ab hominibus per crucem intelligitur? Abſque crucis myſterio Angelus homini elinguis eſt, & homo Angelo mutus? 10.

Gen. 28. v. 12.

Ceruarienſis verbo, *ſcala.* *Crux eſt interpres Angelorum & hominum.*

S. Athanaſ.

Ioannis 5. Eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium expectantium aquæ motum. *Angelus autem Domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam: & mouebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.* S. Cyrillus hîc putat τὸ 11.

Ioan. 5. v. 4.

S. Cyrill.

ſecundum

*ſecundum tempus*, intelligi ſemel in anno, ſcilicet in Pentecoſte. Et appoſitè quidem dicitur in Pentecoſte, vt hic ſalutaris Angelus quandam cum Spiritu-ſancto affinitatem habere denotetur. Ad hunc locum adludens Tertullianus in lib de Baptiſmo cap. 4. ita ſcribit. *Igitur medicatis quodam modò aquis per Angeli interuentum, & ſpiritus in aquis corporaliter diluitur, & caro in eiſdem ſpiritualiter mundatur.* Quæ verba exponens noſter Cerda, præluſtris Tertulliani interpres, ſic ibi ſcribit: *Per Angeli interuentum. Alludit ad Piſcinam Ioann. 5. vbi Angelus Spiritus-ſancti typus. eodem reſpicit Tertullianus cap. 6. In aquâ mundati ſub Angelo. Spiritum ſanctum Angelum hic vocat; quam appellationem ſuppoſuit S. Odon Cameracenſis in expoſit. Canonis diſt. 3. de Virgine ait: Cuſtode Spiritu-ſancto ſine omni culpâ vixiſſe, quaſi habuiſſet Angelum cuſtodem Spiritum-ſanctum: vocatur ita à Tertulliano, quoniam Spiritus-ſanctus figuram & typum habuit Angelum illum.* Ecce tibi, Angelus nomine Spiritus-ſancti nobiliter inſignitur, & Spiritus-ſancti typum gerit, & officium adumbrat. Sic etiam & Spiritus-ſanctus dum Virginis Deiparæ *Cuſtos* nominatur, Angelorum miniſterium quodammodò obit, quaſi miniſteriis vices reciprocent. Quid præluſtrius pro auguſtâ Angelorum gloriâ?

Tertull. — Cerdan. 67. — *Spiritus-ſanctus Virginis cuſtos dicitur.* — Odon Camer. — *Nam Spiritus-ſanctus miniſteria cum Angelis reciprocet?*

11\. Matthæi 22. Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem, ſubdolè interrogauerunt Ieſum ſuper muliere ſeptem viris nuptâ. Reſpondens autem Ieſus, ait illis: Erratis neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei. *In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur: ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo.* Quæ Chriſti Dei verba in lib. de Reſurrect. carn. cap. 62. ſic luculenter Tertullianus exponit: *Erunt*, inquit, *tanquam Angeli. Si non nubendo, quia nec moriendo, vtique nec vlli ſimili neceſſitati ſuccidendo corporalis conditionis.* (quaſi nuptiis deficiētibus, ſimul auferatur mors, & conditionis humanæ neceſſitas omnis) *Quia & Angeli aliquandò tanquam homines fuerunt edendo, & bibendo, & pedes lauacro porrigendo. Humanam enim induerunt ſuperficiem* (ſpecie tenus homines) *ſaluâ intùs ſubſtantiâ propria. Igitur ſi Angeli facti tanquam homines in eâdem ſubſtantia ſpiritus carnalem tractationem ſuſceperunt, cur non & homines facti tanquam Angeli in eadem ſubſtantia carnis ſpiritualem ſubeant diſpoſitionem, non magis ſolemnibus carnis obnoxij ſub Angelico indumento, quàm Angeli tunc ſolemnibus ſpiritus ſub humano?* Scilicet perſæpè Angelus in terris, humani apparenter corporis indigus fuit, ad Dei mandata pleniùs exequenda, quod eſt eorum cognatum munus: exindè Angeli in cælis vice verſâ; Angelificatam hominibus apparentiam donari conniuent, quò glorioſiorem rependant vicem.

Matth 22. v. 30. — *Nuptiarum appendices calamitates.* — Tertull. — *Quia Angeli in terris apparuerunt quaſi homines, homines in cælis quaſi Angeli apparebunt?*

## §. CCCVII.

*Exertæ Iuſtitiæ ſeuerus pro rei merito, rigor; Principum gloriæ ſumptuoſius militat.*

CLementia eſt Principis laudatior prærogatiua, & quæ illum in terrenum quoddam Numen refingit. At nimiam clementiam, & legis coràm violatæ veniam, atque in diſciplinæ obſeruantiâ quandàm animi lentitudinem, nemo eſt qui approbet. Noxia hæc in primis regnis Regibúſque eſt. Miſcuit clementiæ elogium, diſtrictioribus iuſtitiæ rigoribus, ſiquis alius, Traianus. nam cùm ratâ in omnes, etiam in hoſtes, clementiâ eſſet, tum illud illius erga diſtrictiorem præceptionum obſeruantiam, iuſtitiæ magnæ fuit. *Cum Suræ* (inquit Caſſius) *tribunatum militum traderet, Talem, ait, enſem accipe, quem pro me ita demùm ſtrinxeris, ſi iuſtè imperauero: quòd ſi perperam per me quidem fieri cognoueris, etiam in perniciem meam vtaris.* Quis Chriſtianorum Principum imitetur? quis tam amans iuſtitiæ, & legum à ſubditis obſeruandarum ſtudioſus, vt in ſe etiam, & ſua ſtringi ferrum cum Traiano pro legum cuſtodiâ, non permittat, ſed imperet? Plus fulget regia manus ſceptro ſeu virgâ ad legum vindictam, quam redimitum diademate caput ad regni gloriam. Sic debet eſſe Princeps legum, etiam à ſe violatarum acerrimus vindex, & inuiolatores glorioſè ſeuerus. *Renouemus certè* (ait Caſſiodorus regis Athalarici nomine) *dictum illud celeberrimum Traiani: Sume Dictationem, ſi bonus fuero pro Republica, & me: ſi malus, pro Republica in me.* Leges ergò violatas vlciſci, ſumma Principum laus eſt, & ſumptuoſior regiminis gloriâ.

Caſſius. — *Traianus legum à ſe etiam violatarum fuit vindex acerrimus.* — Caſſiodor. l. 8 Var. epiſt. 13.

Regina Eſther hic contemnens mortis minas latâ acerbiùs lege interminatas, iniuſſa adeſt Regi. Ingreſſa igitur cuncta per ordinem oſtia, ſtetit coram Rege. Rex autem etſi indole pacatus, & venuſtiſſimæ coniugis peramans, vbi vltrò violatam legem animaduertit, apparuit *terribilis aſpectu, & ardentibus oculis furorem pectoris indicauit.* Tunc Regina corruit, & in pallorem colore mutato, laſſum ſupra ancillulam reclinauit caput. Turbatur Aſſuerus ob charæ coniugis deliquium, & anxiè ſciſcitatur ſilentij cauſſam: Cur mihi non loqueris? Cui reſpondit Eſther: *Vidi te domine quaſi Angelum Dei, & turbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valdè enim mirabilis es domine, & facies tua plena eſt gratiarum.* Nimirùm Eſther contemptæ legis rea, pauidè timet Regem legum vindicem, qui ob legem violatam, *terribilis aſpectu, ardentibus oculis furorem pectoris indicabat.* At cùm ſic pauidè expalleſcit, & deliquio languet, *turbatum eſt cor meum*, inquit, *præ timore gloriæ tuæ.* Et addit: *Valdè enim terribilis es domine, & facies tua plena eſt gratiarum.* Scilicet *gloria* Regis appellatur, ob violatam legem *terribilis* conceptus furor: trucior enim tunc frons, & oculi præ iracundiâ minaciter torui, *facies gratiarum plena* nuncupatur. Nunquam enim Rex gratioſus magis, magíſque bonus apparet, quàm cùm in contemptarum legum vindictam truculentiùs iraſcitur. Deum Marcionis bonum ac beneficum duntaxat, non acerbum ſcelerum vindicem, ſic caſſæ diuinitatis Tertullianus redarguit: *At hîc*, inquit, *peruerſiſſimum Deum oſtendis, in ipſo præconio ſolitariæ bonitatis. Si enim neque damnat, neque vexat, non inuenio quomodo illi diſciplinarum ratio conſiſtat. Quale eſt enim vt præcepta conſtituat non executurus, vt delicta prohibeat non vindicaturus? Cur enim prohibet admitti, quod non defendit admiſſum? cùm multò rectiùs non prohibuiſſet quod defenſurus non eſſet, quàm vt non defenderet quod prohibuiſſet: imò & permiſiſſe directò debuit, ſine cauſ-* 2.

Hic v. 16. & 17. — *Violatæ legis vindicta, gloria Regis eſt, gratiarum plena.* — Tertull. l. 1. adu. Marc. c. 26.

ſa

*ſa prohibiturus,non vt defenſurus.* Et poſt paucula ſubdit, *Primò quòd qualicumque ſententia ſua & legi debeat vindictam in auctoritatem, & obſequij neceſſitatem.* Et confeſtim addit de Deo optimo, quòd *non alias plenè bonus ſit, niſi mali æmulus, vt boni amatorem odio mali exerceat,& boni tutelam expugnatione mali impleat.* Idcircò cùm rex Aſſuerus ob contemptam legem *terribilis* apparet, & boni tutelam expugnatione mali implere putatur, tunc glorioſam vindicatæ legis *auctoritatem* aſſequi perhibetur, quia peruerſiſſimus Rex foret *in ipſo præconio ſolitariæ bonitatis*,quæ debitæ animaduerſionis expers probaretur. Exinde Eſther legis violatæ rea, dum oſtenditur ei *terribilis,& ardentibus oculis furorem pectoris indicans*;tunc,tunc quidem ait: *Turbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ.*

3.
Eccl.27.v.9. S.August. *Honor ex iuſtitiâ, pudor eſt apud homines* Græcus Syrus.

Siracides Eccleſiaſtici 27. *Si ſequaris iuſtitiam, apprehendes illam; & indues quaſi poderem honoris.* (S.Auguſtinus in ſpeculo legit, *Pudorem honoris.* Mendum planè moraliſſimum,quaſi homo erubeſcat honorem, qui à iuſtitia eſt. Sic virtutis gloria apud homines ſqualet! Verùm Græcus textus Vulgato adſentit: *Si ſequaris iuſtitiam, indues eam vt talarem tunicam gloriæ.* Syrus habet: *Indues eam ſicut veſtem gloriæ.* Peridoneè veſtimentum poderis, amictus honoris ſeu gloriæ dicitur: *In veſte enim poderis,quam habebat, totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta.* Videlicet Princeps,qui *iuſtitiam* ſequens, ſeueriorem ſe violatarum legum vindicem oſtentat, dignum ſe præbet, cui totus orbis pareat;reſculpit parentum ſuorum magnalia, & Aſtrææ gloriæ veſtibus induitur. Cùm ergò Princeps, qui *iuſtitiam* ſectatur, *veſtem gloriæ* induat;pulchrè terribilis tunc Aſſuerus audit, *Turbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ.*

Sap.18 v.24. *Qui iuſtitiam ſeuerè exercet, veſte gloriæ induitur.*

4.
1.Reg.8.v.18.

2. Regum 8. *Et regnauit Dauid ſuper omnem Iſraël: faciebat quoque Dauid iuſtitiam omni populo ſuo.* Et ſtatim recenſet eos, qui in iudiciis egregiam illi operam nauabant in pace ac bello: Ioab,inquit,erat ſuper exercitum. *Banaias autem filius Ioiadæ,ſuper cerethi & phelethi: filij autem Dauid Sacerdotes erant.* Non poterant Dauidis filij Sacerdotes eſſe, cùm in tantùm à Deo conceſſum eſſet familiæ Leui. Communiter interpretes putant. Sacerdotum nomine denotari, fuiſſe regni Proceres, qui Regi ſemper aderant: & qui in iure dicundo,& Republicâ adminiſtrandâ illi multa conſilioſè ſuggerebant. Quare autem appellentur *Sacerdotes*, non conuenit inter Expoſitores. An propter iudiciorum ſeueritatem Sacerdotes nominantur? Audiendus eſt Theodoricus Rex, qui Eugenium renuncians magnæ prouinciæ Præfectum, ſic illum Caſſiodori calamo inſtituit: *Eſto*, inquit, *innocentiæ exemplum, temperantiæ ſacrarium, ara iuſtitiæ,abſit à iudiciariis mentibus aliquid profanum*, (aliàs *profuturum*, verbum ſanè acri moralitate non viduū) *pio Principi ſub quodam ſacerdotio ſeruiatur.* Itaque regni Optimates Reipublicæ præpoſiti, tametſi Sacerdotes non ſit,eſſe iubentur, *Ara iuſtitiæ.* Opinor, *ara* licèt pietatis ſacrarium ſit,valdè de ſacrificantium pietate cruentatur, & ſanguine madet. Conſultiſſimè ergò regni Proceres, Principum in Republica adminiſtranda coadiutores, *Sacerdotes* dicuntur, & ara *iuſtitiæ*,in qua ſceleroſus flagitioſè grex Aſtrææ mactatur. Sic iuſtitia ritè ſeuerior,de acerba ſontium victimatione, ſacerdotij gloriam fœneratur *Pio Principi ſub quodam ſacerdotio ſeruiatur.*

*Iuſtitia ſeuerior, ſacerdotium,& ara iuſtitiæ glorioſè nominatur.*

Caſſiod.l.1. variat. epiſt.11. *Muneratus iudex, profanus dicitur.*

5.
Geneſ.14. v.14.

Geneſeos 14. profligatis quinque Pentapolis regibus, Loti ſubſtantia hoſtiliter diripitur; ipſeque à victoribus captiuus abducitur. In rapacis flagitij meritam vltionem plures vernaculos Abrahamus obarmat: ſtrenuóſque duces *Aner, Eſchol, & Mambre* ſecum ducit ad victorialem inopinati facinoris vindictam: Qua ſuper re ſic philoſophatur Hebræus Philo in lib. de Migr. Abrahami: *Et comitibus meis Eſchol, Aunam, Mambre portiones accipient,quod dicit de generoſis moribus. Nam Eſchol bonam indolem ſignificat, ab igne docens nomen: quoniam quod generoſum, idem audax eſt & calidum, inhærens omnibus quæ attingit.* Strenuè ferociit Eſchol cum Abrahamo aduerſus ſceleroſos inuaſores;ab igne enim nomen habet: quoniam quod *generoſum*, idem *audax* ad iuſtitiæ vindictam,idem & *calidum* ne moras nectat, & cunctatione pigrâ ſupplicij infligendi elabatur occaſio: ab igne etiam ſplendidum eſt, dum à flagitioſè ſceleroſis, per cormm ſtrages victoriam glorioſè reportat, & ſumptuoſum exertæ malitiæ trophæum erigit. Sanè quod generoſum eſt,idem & audax eſt ad iuſtitiæ tutelam,& iniuſtitiæ ruinam. Profectò *tot illecebris mali expugnantibus bonum, quis illud appeteret,quod impune contemneret?*

Philo.
*Quod generoſum, idem & glorioſè audax eſt ad iuſtitiæ rigores.*
Tertull.l.2. adu.Marc.c.13.

6.
Matth.25. v.41.

Matthæi 25. poſtrema poſtremi iudicij dies, magno dominicæ gloriæ ſuggeſtu celebratur: *Cùm autem*,inquit, *venerit Filius hominis in maieſtate ſua,& omnes Angeli eius cum eo,tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ.* Tunc dicet Rex his,qui à dextris eius erunt. Venite benedicti Patris mei,poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. *Tunc dicet & his,qui à ſiniſtris eius erunt: Diſcedite à me maledicti in ignē æternum*, &c. An non etiam empyreum beatitudinis regnum,Beati *æternùm* poſſidebunt? Profectò deſciſceret à beatitatis elogio, niſi in æternum perennaret. Cur ergò in damnatis ritè caſtigandis, mentio æternaturi ſupplicij impreſsè fit? An ad pœnæ auctarium? an ad glorioſam quam exaggerat,Iudicis maieſtatem? Theodoricus rex Caſſiodori calamo, ita ſcribit ad Romanæ vrbis Præfectum: *Si à quoquam irrogata fuerit iniuria Senatori, confeſtim loquax temeritas legum ſeueritate plectatur. Si verò Senator ciuilitatis immemor, quemquam ingenuum nefaria fecerit cæde vexari, protinus relatione tranſmiſsâ Perennitatis noſtræ mulctam perculſus excipiat.* An non Rex potentiſſimus Maieſtatis, Altitudinis, aut Serenitatis honore titulatur? Quam ob rem cùm ſeueriſſimo Senatores mulctat ſupplicio, *Perennitatis* ſe titulo indigitari præſumit? *Perennitatis* gloriâ ſe honorat, cùm acerbiùs caſtigat Optimates,ad diuturniorem ſupplicij acerbitatem, vt dum iuſta perennat ſontibus pœna, caſtigantis ſimul gloria perennet De perennitate ſupplicij iuſtè irrogati Proceribus, Auctoritatis & gloriæ æternaturam perennitatem Theodoricus exambit.

*Acerbius ſupplicium iuſtè irrogatum,auctarium gloriæ eſt in irrogante.*
Caſſiod.l.1. var.epiſt 32.

8.
Geneſ.1. v.1.

Geneſis 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*, quibus verbis totum mundi opificium compendio exponitur. Pro τὸ *Deus*. Hebraicè ſcribitur *Elohim*,id eſt, *iudex*, vt bonitate largioris beneficentiæ erga homines, iuſtitiæ ſeueritas miſceatur. Profundè ad rem Tertullianus. *Bonitas Dei operata eſt mundum; iuſtitia modulata eſt.* Profectò miſericordia exlex eſt, & nullis claudi

*Gloria Principis eſt, iuſtitiam modulari.*
Tertull.l.2. adu. Marc. c.12.

claudi terminis patitur. *Iuſtitia* dum mundum *modulari* dicitur, ad harmoniæ leges componenda perhibetur. Harmonia autem & melodia perditur, non modò ſi fides altiùs contendas, ſed etiam ſi tantillùm plus æquo laxes. O quàm debet eſſe modulatus humanæ iuſtitiæ concentus, vt Dei aures concinnè permulceat! Iuſtitia laxè administrata, harmoniam abſurdè corrumpit. O raucè abſonos tribunalium ſonos! Cùm reus iniuſtè abſoluitur, Iudex iuſtè damnatur.

---

## §. CCCVIII.

*Cæleſtis beatitudo humanæ rapinæ expoſita eſt; apprehendi poteſt, æſtimari non poteſt; propè eam neſcientes allicit; eius contemptus, titubatio fidei eſt, & gehennæ cenſus.*

1. Matth. 11. v. 12. S. Chryſ. homil. 10 in 2. ad Timoth. *Non per violentiam ac rapinam cæleſtis beatitudo idoneè acquiritur?*

R*Egnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Vides* (ut Chryſoſtomus) *vt bona dum rapiuntur, abundant magis: terrena verò dum fuerint direpta, minuuntur. Non itaque conſeneſcamus inopia, ſed diuitias ambiamus. Diuitiæ Dei ſunt, ſi plures ſunt qui cælo perfruuntur. Violenti, inquit, rapiunt illud. Violentia, & rapinâ opus, neque enim in promptu, atque ad manus eſt regnum cælorum. Raptor huiuſmodi ſemper eſt ſobrius, vigilque perdurat, & in cura cogitationibuſque verſatur, vt rapere opportunè poſſit.* In his Chryſoſtomi verbis multa enucleatiùs elucidanda ſeſe menti quaſi cateruatim obiiciunt, quæ cuique expendere obuium eſt, ac facile parabile, & ex iam iam dicendis lucem mutuabunt.

2. Ad Philipp. 2. v. 4. Emiſ. homil. 3. ad Monach. *An inuidia, & rapina beatas aliorū glorias inuadat, præoccupet, rapiat?*

Ad Philippenſes 2. ad omnes Euangelicæ perfectionis ſanctuates his verbis Paullus fideles adhortatur: Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; ſed in humilitate, &c. *Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum.* Litteralis horum verborum ſenſus valdè perſpicuus eſt; & tamen eius ſententiam ſic ad thema præſens eleganter flectit Emiſenus. (ſi verborum contextus attentiùs conſideretur) Præceptum eſt, inquit: *Nolite quærere quæ veſtra ſunt. Et iterùm: Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes: à quo non hoc ſolum expetitur, vt mercedem ſuam impleat, ſed vt alienas inuadat, præoccupet, rapiat.* Quaſi parum foret, quòd nuper aiebat Chryſoſtomus, quodammodò *violentia & rapina*, & piâ quâdam furacitatis ambitione, inuadendum eſſe cælum; vt de exſomni vigiliâ perduret beatæ gloriæ riualis; de difficultate dulciùs ſapiat, & de rapinâ, gratiæ fruitionis adulcetur: addit Emiſenus, quòd pia gloriæ auaritia, & ſobria acquirendæ beatitudinis furacitas, non hoc ſolùm expetit, vt mercedem ſuam quis impleat, *ſed vt alienas inuadat, præoccupet, rapiat.* Sic enim vnuſquiſque debet eſſe ſedulus in cæleſti gloria acquirenda, vt quaſi alienæ beatitatis inuidiâ tangatur, & furaci æmulatione exagitetur, beatas aliorum glorias, & meritorum dignas mercedes inuadere, præoccupare, rapere voto exambiat. quò pulchrè piam beatæ gloriæ acquirendæ auaritiam Emiſenus exaggerat. Hæc velut inuidia, ſobria eſt; hæc ambitio, ſancta; hæc violentia, grata; hæc rapina, religioſa. Hos beatæ gloriæ riuales Emiſenus exoptat. *Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes: à quo non hoc ſolum expetitur, vt mercedem ſuam impleat, ſed vt alienas inuadat, præoccupet, rapiat.* Ecquis niſi per arduas exaggerationum crepidines, cæleſtis gloriæ ſummam felicitatem exponat? Verùm hæc quaſi rapax inuidentia, furacis inuidiæ expers eſt: *Quanam* (inquit Bernardus) *inuidiæ cauſſa poteſt eſſe, vbi ſortium magnitudini conſortium multitudo nihil detrahit?* S. Bernard. epiſt. 105.

3. Gen. 1. v. 27. & 28.

Geneſeos 1. *Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creauit illum, maſculum & feminam creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Magna ſanè verborum & rerum pompa ſacer Hiſtoricus hominis formationem inducit, opulentè honorario humanæ naturæ cenſu. Sed ſubtiliter diſputat Rupertus, quare creator bonus & clemens hominem fecerit, quem malum fore præſciuit? Quorſùm tot impenſæ in corporis argura formatione? in animo rationali, de immaterialitate & immortalitate Angelis confine? in gratiæ dotibus hominem exornantibus? in Dei ſimilitudine illi impreſſa? in beata cæli gloria ſpebus prælibata? Vicinius rationi foret, ſi ita obiiceretur (ait Rupertus) *Quare ſubſtantiam hominum impiorum ſubſiſtere permittit Deus, quoniam malè ſubſiſtit; & non ſic funditùs interire facit, ſicut interit, & eſſe deſinit ſpiritus iumenti*: Et quidem forſan Deo digna foret clementia, ſi impiorum animus ſimul cum ſuo homine interiret, nec ſuppliciis deputaretur æternis, ob fugaciſſimè volaticum peccati gaudium! O acerbiſſimè æternaturam pœnam in torrida gehennæ pyra! Pergit Rupertus ad theſim præſentem opportunus interpres? *Poſſet namque reſponderi*, inquit, *iuſtum eſſe vt ſemper ſit in pœna, cui pro culpa ſua deſit vt non ſit ſemper in gloria.* Sanè luculenter! Nempè benigniùs actum foret cum homine impio, æternaturis gehennæ ſuppliciis duriùs addicto, (quippe qui cùm in honore eſſet non intellexit, ſed comparatus eſt *iumentis* inſipientibus) ſi interiret ſicut ſpiritus *iumenti*, licèt quòd animus ſit immortalis, nemo Catholicorum neget: at diuina iuſtitia ſic contra impios iraſcitur ob contemptam beatam cæli gloriam per æterna ſecula duraturam, quòd *iuſtū ſit vt ſemper ſit in pœna, cui pro culpa ſua deſit vt non ſit ſemper in gloria.* Dignus planè eſt æterna gehennæ pœna, qui æternaturam cæli gloriam, ſic contemptim neglexit, & cum friuola & fugaci voluptatula commutauit, quaſi gehennalium pœnarum æternitas ſit merces æternaturæ gloriæ contemptæ. Crucietur æternùm, qui æternum beari neglexit.

Rup. l. 1. in Gen. c. 17. *Gehennalium pœnarum æternitas eſt merces cæleſtis gloriæ contemptæ.*

1. ad Timotheum 6. ita Paullus ſcribit: Tu 4.
autem homo Dei hæc fuge, ſectare verò iuſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem. *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es.* Græcè, *Agoniza pulchrum agonem fidei*: & ſic pulchrè, ac viriliter certando, *apprehende* vitam æternam, ad quam vocatus es à Deo. Quid eſt, *Apprehende vitam æternam?* Num Timotheus, aut quiuis alius è Sanctorum ſummatibus, in hac mortali vita degens, quantumuis *pulchrè agonizet*, & ſtrenuè contendat, manibus *vitam æternam apprehendet?* Annon illud ſemper verum: Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus

1. ad Tim. 6. v. 12. Græcus tex. *Cæleſtis beatitudo apprehendi poteſt, acquiri poteſt, æſtimari non poteſt.*

tibus ſc? Neque enim humanus intellectus quãtumuis nunc adnitatur audacter, id aſſequi cogitando poteſt. An ſatis mente *apprehendere*, quod meritis aſſequi iubemur? Appoſitè Euſebius quaſi ad hunc Paulli locum tacitè adludat; *Pulſemus ergò*, inquit, *in quantùm poſſumus, quia non poſſumus quantùm debemus. Futura beatitudo acquiri poteſt, æſtimari non poteſt.* Profectò cùm tanta tamque auguſta ſit futuræ beatitudinis felicitas, vt eam dignè *æſtimare* non poſſimus, illam ſaltem mente *apprehendamus*, quò velut cæcis meritis aſſequamur. Nam *futura beatitudo acquiri poteſt*, (mente *apprehendi* poteſt) *æſtimari non poteſt.* Quod ex iam iam dicendis explicatiùs traditur.

Euſeb homil. 3. ad Monach.

5. Geneſeos 12. dixit Dominus ad Abram: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi.* Terra Abrahamo monſtranda erat Terra promiſſionis, regio paradiſea, & præclara patriæ cæleſtis vmbra. Et quò ad eam (vt vt poſſit) tendat, à natali ſolo exul extrahitur, è chara cognatione euellitur; ſed planè neſciens quò iret: *Veni, inquit, in terram, quam monſtrabo tibi.* Et ſanè miriſſimum eſt velut cæcis ſpebus tot cognationum vincula Abrahamum vltrò præcidiſſe, vt quò neſciret, tam maturè contenderit. Audiendus eſt Rupertus ſic ad præſcripta verba philoſophatus. *Hoc ſolùm dixit Deus: Et veni in terram quam monſtrauero tibi, & ipſam illi terram nondum demonſtrauit. Profectò neſcientem quò iret, ire iuſſit, & miro modo & expectando ire, & eundo expectare præcipit, vbinam quies daretur ſibi.* Scilicet non niſi magna aliqua vis Abrahamum poſſet extrahere de terra ſua, & de cognatione ſua, & de domo patris ſui, vt maturiùs iret, quò ipſe neſciret: niſi terra promiſſionis ad quam ducebatur, & quæ erat paradiſeæ felicitatis vmbra, dubiis ſaltem notis quodammodò tranſpareret: quæ etſi obſcurâ luce illum traheret, & *neſcientem* duceret. Itaque cæleſtis beatitudo, velut cæcâ aliquâ vi magne è æmulata, ſic ad ſe homines attrahit, vt non modo mente *apprehenſa*, nec dignè *æſtimata*, ad ſe alliciat, ſed à dubiis coniecturis propè ignorata, vltrò Abrahamum extraxerit, & *neſcientem quò iret*, ire cõpulerit, & *miro modo & expectando ire, & eundo expectare.* Ò propè inuiſa cæleſtis beatitudinis vmbra, ſic Abrahami affectum ad anhelum ſui ſtudium oppignerat, & adumbratæ felicitatis riualem gratâ violentiâ fecit?

Gen. 12. v. 1.

*Beatitudo velut magnes quaſi cæcâ vi propè neſcientes homines ad ſe rapit.*

Rupert. l. 5. in Geneſ. c. 6.

6. Præfata Geneſeos verba aliter ad rem verſat incertus Chryſoſtomus. Neque enim admirabilitate caret, quòd Abrahamus *neſciens* quò iret, rectâ tendens, Terram promiſſionis feliciter inuenerit. Sic ergò ſcribit in Opere imperfecto: *Abraham pater fidelium, quem Deus voluit exẽplum eſſe Sanctorum, dicens ad eum: Exi de terra tua, &c. & veni in terram, quam tibi monſtrabo: vt ſciãt omnes homines, qui voluerint eſſe filij Abrahæ, & terram illam viuam poſſeſſionis accipere, de qua ſcriptum eſt. Credo videre bona domini in terra viuentium*, vel *vitarum*, vt ex Hebræa origine alij tranſtulerunt. Sententioſè cæleſtis & beata Ieruſalem, *terra viua* nominatur. An *terra viua* dicitur, ſicut *aqua viua*, quæ ſpontè fluens mouetur? Quorſum cæleſtis promiſſionis Terra, *terra* ſic *viua* nuncupatur? Citò dicam, quia eam propè *neſciunt* homines, cùm eorum *æſtimationem* excellat; ipſa cæleſtis beatitudo, ſeu beatum

Geneſ. 12. v. 1.

Imperf. homil. 1. in Matth.

Pſal. 26. v. 13.

*Cur Terra promiſſionis, cæleſtis regni vmbra, terra viua dicatur.*

*P. Didac. Celada in Eſtherem.*

cæli regnũ, quaſi *terra viua* ſpontè venit ad nos. Quod in oratione dominica quotidie poſtulamus repetitâ oratione precantes, *Adueniat regnum tuum.* Vnde in ſua Apocalypſi vidit Ioannes *Ciuitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cælo.* Quâ ſuper re aliàs agebamus. Vide oculis prænobilem generoſitatem cæleſtis patriæ, ad quam quia exules cunctamur pergere, ipſa parat ad exules deſcendere, vt beatis ſpebus, & gloriæ obſidem teneamus, & futuræ beatitudinis gaudia prælibemus. Ideò *terra viua* Abrahamo credentium patri præmonſtratur.

Matth. 6. v. 10.

Apocalyp. 21. v. 1.

7. 1. Regum 2. Anna illa Samuelis mater, hoc auſpicio ſuum canticum exultim dedicauit: *Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo.* Pro τὸ *exultauit cor meum*, cùm cæleſtem beatitudinis exultationem Anna adumbrabat anagogicè, LXX. Interpretes, quos ferè Græci Patres ſequuntur, excribunt: *Confortatum eſt cor meum.* Quaſi cæleſtis in empyrea patria exultatio, ſic vltra humanum captum vbertim exundet, vt niſi homo diuinitùs *confortaretur*, præ immetata lætitiæ amplitudine, penè deficeret. Quod Hugo Victorinus ſub olei metaphora (quâ in ſacris Bibliis lætitia ſignificatur) his verbis expreſſit: *Habet oleum Deus*, inquit, *habet oleum mundus. Ad oleum Dei vaſa deficiunt: oleum mundi in vaſis deficit. Oleũ Dei dulcedo æternorum, oleum mundi delectatio præſentium. Illa ſufficit, iſta deficit.* Alluditur ad 4. Reg. 4. vbi Heliſæo non tam oleum, quàm vaſa defuerunt. Sic animi captus quantumuis ſinus laxet, impar de ſe eſt excipiendæ lætitiæ, quæ in cælis beatâ perennitate vbertim exundat. Deus, inquit Philo, *attemperat ſe ad vires eorum quos dignatur ſua beneficentia, nec enim ſicut Deus ad beneficiendum naturâ propenſus eſt, ita creatura ad capienda beneficia, illius enim potentia longè ſuperat, at huius infirmitas impar eſt eorum magnitudini, ſuccumberetque niſi Deus pro cuiuſque portione moderaretur ſuam gratiam.* Exinde eodem verbo, quo dicitur in Deo velut effusè *exultare*, eodemmet *confortari* perhibetur; ne homo *deficeret* impar tantæ gloriæ, ſi exultatio confortationem anteuerteret.

1. Reg. 2. v. 1.

*Eodem verbo quo dicitur beatè exultare, eodem confortari perhibetur.*

Hugo Victor. 1. Miſcellan. c. 51.

4. Reg. 4. v. 6.

Philo de mund. opif.

8. 2. Corinth. 4. ad ſtrenua virtutis facinora nos adhortans Paullus, ita ſcribit: *Quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur.* Hæc Paulli verba Diodocus ad mores elucidans, ita fatur: *leui mente credit in quo gloriæ pondus non operatur.* Scilicet qui in hac vita mortali, hoc æterno gloriæ pondere ſic oppreſſus non eſt, vt inertiâ ſolerter excuſsâ, non currat impiger in via virtutis, *leui mente credere.* Quaſi cogitanti æterna cæli gaudia, deſidia in bonis operibus, ſpei langor, & fidei titubatio reputetur. Quantò æternum gloriæ pondus magis graue eſt, tantò debet currentium pedes magis alleuare, vt confragoſum ſanctitatum iter velocius conficiant, auctâ è diuerſo agilitate.

2. Cor. 4. v. 17 & 18.

Diodoc. de Perf. c. 21.

*In quo gloria pondus non operatur, leui mente credit.*

Suum Aſſuerum, qui fuit Chriſti typus, Eſther hîc his verbis alloquitur: *Vidi te Domine quaſi Angelum Dei, & conturbatũ eſt cor meũ præ timore gloriæ tuæ. Valdè enim mirabilis es Domine, & facies tua plena eſt gratiarum.* O, quis tantæ gloriæ pondus dignè æſtimet? Æſtimatio autem beatæ gloriæ in ſequenti §. adhuc enucleatur.

Hîc verſ. 16. & 17.

## §. CCCIX.

*Num idoneè Beatus in cæleſti patriâ, quaſi in tentorio habitare, inibi peregrinari, & Deum inuentum arcanè quærere perhibetur? Id terrenæ, non cæleſtis voluptatis probrum eſt.*

1\. Seneca de vitâ beatâ, cap. 7. VEriſſimæ ſunt illæ Senecæ monentis voces, tanquam de Sapientiæ adytis, & propè Chriſtiano cothurno editæ: *Summum*, inquit *bonum immortale eſt, neſcit exire, nec ſacietatem habet, nec pœnitentiam.* Nunquam recta mens vritur, nec ſibi odio eſt, nec quicquam mutauit, quia ſemper ſecuta eſt optima. *At voluptas, tunc cùm maximè delectat, extinguitur. Nec multum loci habet, itaque citò implet, & tædio eſt, & poſt primum impetum marcet. Nec id vnquam certum eſt, cuius in motu natura eſt. Ita non poteſt quidem vlla eius eſſe ſubſtantia; quod venit tranſitve celerrimè in ipſo vſu ſui periturum. Eò enim peruenit, vbi deſinit; & dum incipit, ſpectat ad finem.* Tantò enim eſt voluptas magis grata, quantò magis fugitiua eſt. Nam quod lentâ morâ tædium ſui faceret, celerrimo tranſitu gratiam placendi fœnerat. Marceſcit ſacietate voluptas: nec apud homines nomen voluptatis habet, rémque voluptatis implet, quod non velociter venit, tranſitue iteratò rediturum; aut in ipſo celerrimo vſu non perit, vt nouo aduentu, ac tranſitu placeat. O vide mihi, quod ſpe implet hominis vota, tranſitu delibatur, ne poſſidendi faſtidioſa ſacietas pro voluptate, voluptatis tædium propinet, nec aliter homo gaudij naturam concipit, quam ſemper iſtiuſmodi percipit. Exinde cæleſtis Beatitudo inuatiatâ æternitate ſubſiſtens, ne ab hominibus putetur voluptatis inops, ſi faſtidium ſacietate pareret, idoneo tranſeundi vocabulo denotatur, re tranſeundi vacuo, ad humanæ voluptatis contumeliam.

*Voluptas dū incipit, ſpectat ad finē.*

2\. Pſal. 5. v. 12. Pſalmographus humanæ tenuitati mundialibus delitiis adſuetæ exponens immenſâ cæli gaudia, vt mortales ſpe nunc mordeant beatitudinis gloriam, qua perenniter abſque tædio exaciandi ſunt, ita pangit: *Et lætabuntur omnes qui ſperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis.* Vocula &, cùm dicitur, *Et habitabis in eis*, vti aliàs non rarò, poteſt ætiologicè accipi, vt cauſſa lætitiæ atque exultationis ſit, vt peritè ex Salmerone notat Lorinus. Scilicet Iuſti qui in terris ſpe lætantur in te, in cælis æternùm exultabunt, & (id eſt, *quia*) *habitabis in eis.* Verùm Cardinalis Bellarminus præſcripta verba exponens, ita ſcribit: *Deus habitabit in eis, id eſt, ſuper eos ad modum tentorij, vt in Hebræo legimus; proindè ipſi in Deo erunt, & Deus in eis.* Sanè obſeruatione digniſſimum eſt, quòd cùm Iuſti in cælis empyreâ gloriâ in æternum perfruantur, dicatur *Deus habitare ſuper eos ad modum tentorij*, ſeu tabernaculi; non in modum domus olympiæ, ſeu cæleſtis palatij. Porrò *tentorium* peregrinorum tabernaculum eſt; ſicut domus, quieſcentium ſeu incolarum ſtabile domicilium. Num Beati in cælis peregrinantur? tanquam inquilini ibi reſident? an tanquam in propriâ domo, & patriâ? Viatores ſunt, & vlteriùs progredi feſtinant, non quieſcunt, qui in *tentoriis*, ſeu tabernaculis habitant. Eſtò, Deus ipſe in cælis ſit Beatorum *tentorium*; ſed *tentorium* quidem, & factitia ad tranſitum domus. Quo igitur pacto in olympiâ gloriâ, in æternâ gloriæ beatitate, in quietiſſimo illo humanæ ſpei centro, dicitur *Deus habitare ſuper Iuſtos ad modum tentorij?* Verùm quo alio modo humanæ tenuitati exponenda erat æterna illa empyreæ felicitatis gloria, & ſempiterna beatitudinis quies, niſi irrequietæ voluptatis habitu? Scilicet homo in propriâ domo, tanquam inquilinus proponitur: in patriâ ſuâ arcanè peregrinus: indè cæli quies in viam vocabulo refingitur, & æterna quietis domus, in mobile *tentorium* reconditur; ne humana forſan appetentia tranſitoriis voluptatibus deliciari ſolita, faſtidiat æternas: & quæ ad beatitudinem ſpe hiat, timeat ad ſacietatem nauſeare. Nam humana *voluptas, tunc cum maximè delectat, extinguitur. Nec multùm loci habet, itáque citò implet, & tædio eſt, vbi poſt primum impetum marcet.* Conſultiſſimè ergò olympium cæli palatium, & æterna illa gloriæ domus, *tentorium* nominatur, ſeu factitium viatorum tabernaculum, quod quidem Deus ipſe eſt (*& habitabis ſuper Iuſtos ad modum tentorij*) qui cùm claro ſui aſpectu Iuſtos beat, ipſos habitat, & ſuper ipſos habitare perhibetur. Hinc forſan Petrus vbi Dominicam Taboris gloriam vidit, *tabernacula* inibi excitare molitur. Sed neſciebat quid diceret, nam ſumma beatæ gloriæ felicitas, *bonum immortale eſt, neſcit exire, nec ſacietatem habet, nec pœnitentiam.*

*Lorinus ibi.* — *Bellarmin. ibidem.* — *Iuſti in cælo, tanquam in tentorio habitant.* — *Matth. 17. v. 4.*

3\. Pſal. 14. v. 1. Idem regius Vates ſui memor, dum deſcribit viam, quâ ad cæleſtem beatitudinem itur, ita pſallit: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſanctô tuo?* Quærit Propheta, quis ſit habitaturus, id eſt, ſtabili manſione potiturus in tabernaculo cæleſti, aut requieturus in vertice montis altiſſimi, in quo finitur omnis labor aſcenſionis, cùm ſupra illud nihil ſit. Hìc autem in terris, neque ſtabilis manſio, neque vera quies eſſe poteſt. Verùm Hieronymus ad Hebræam originem reſpectans, ſic locum excribit: *Domine, quis peregrinabitur in tentorio tuo?* Et ſanè *tabernaculum* ſeu *tentorium* extemporarium ac ſubitarium eſt, conueniéque militi, paſtori, peregrino; & in Hebræâ ac Græcâ origine verbum quod ſubeſt, denotat migrationem, ſiue aliò migrantium breuem manſionem. Id quo pacto empyreæ cæli gloriæ conueniat, impeditum eſt. Iuſtúſne in cælis tanquam in *tentorio* hoſpitatur? Iuſtúſne in cæleſti gloriâ *peregrinatur*? Et quæ eſt patria Iuſti, qui in terris inquilinus exulat? Nuſquam Iuſtis patria eſt, ſi in cælo, & in terrâ extorres *peregrinantur.* Exponenda tamen eſt hæc Prophetæ ſententia, iuxta dicta n. præcedenti. An Iuſti dicantur in cælo *peregrinari*, ſicut aliàs à Zenone Chriſtus dicitur, *pectoris Patris nobilis inquilinus?*

*Quo pacto Iuſtus peregrinatur in cælo?* — *S. Hieron. ibi.* — *S. Zeno alibi expenſus.*

4\. Gen. 28. v. 4. Geneſeos 28. agreſtis Eſaüi paternâ benedictione viduatus, in fratrem Iacob nimis ferocit. Iſaacus verò miti ingenio vir, atroces offenſi fratris minas veritus, ad Meſopotamiam mittit ſuum Iacobum proſperâ benedictione dotatum: *Det tibi Deus benedictiones Abrahæ, & ſemini tuo poſt te: vt poſſideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus eſt auo tuo.* Scilicet mittitur Iacob in Meſopotamiam, vbi eius cognatio morabatur, vt iterùm rediens in Terrã promiſſionis vbi

*Cur in Terrâ promiſſionis, vbi natus eſt Iacob, peregrinari dicitur?*

vbi natus eſt, peregrinetur. Niſi foret *peregrinus*, paradiſeam promiſſionis Terram, Abrahæ, & ſemini eius promiſſam percipere non poſſet? Iacob qui *peregrinus* mittitur in Meſopotamiam, quo modo indè redux, peregrinabitur in Terrâ promiſſionis, vbi ipſe, & eius pater Iſaac nati ſunt, & auus Abraham perdiu vixit? Opinor ſic Iacob *peregrinabitur* in patrio ſolo. Eritne patriæ ſuæ inquilinus, qui beatitudinis candidatus, beatæ æternitatis ſpe coloniam duxit in cælum? An potiùs tametſi in Terrâ promiſſionis natus ſit, quia promiſſionis Terra cæleſtis patriæ ſymbolum eſt, in eâ *peregrinaturus* perhibetur? Incola iam diu eſt Terræ promiſſionis, qui in Meſopotamiâ peregrinari, & exulare dicitur: aſt in eam tanquam *peregrinus* redir, in eáque velut aduena hoſpitatur, quò arcanè denotetur, cæleſtis Terræ promiſſionis incolas, quaſi *peregrinos* in ea perpetuò habitaturos. Nimirùm æternâ Beatitudinis quiete in cælo potiuntur, quæ aptè ſignificatur nomine *peregrinationis* irrequietæ, & ad migrationem inſtanter paratæ; ne æterna & immutabilis perennaturæ beatitatis diuturnitas, nauſeam mouere, & ſacietate faſtidium parere reputetur hominibus adſuetis humanæ voluptati, quæ in tranſitu adridet, peritura placet, quæ venit tranſitque celerrimè, vt gratiam voluptatis afflet. Indè aſpectu ad humanas voluptates, æternum cæli habitaculum, non tam domus, quàm *tentorium*; non patria, ſed *peregrinatio* moraliſſimè nominatur. Idcircò Terra promiſſionis, cæleſtis patriæ typus, *Terra peregrinationis*, à perdiu incolâ nuncupatur. Probrum hoc eſt mundialis in terrâ voluptatis, non æternæ in cælo beatitatis contumeliâ: hâc enim Beati abſque ſacietate vlla perpetuò implentur, ſaginantur, adipantur.

5\. Itaquæ cæleſtis patriæ æterna beatitudo, hâc de cauſsâ ſub nomine *tentorij*, & *tabernaculi*, & *peregrinationis* deſignatur, vt ad ſubmouendam deliciarum ſacietatem, idonea humano more vocabula acccommodentur, abſque imperfectionis næuo. Idcircò Ieſus Sirac, Eccleſiaſtici 14. ſub alia metaphorâ, ita ſcribit (ex ſudatis verbis aliquid noui ſucci exprimere ambimus.) *Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Tigurina, *Qui me comederint, eſurient amplius, & qui me biberint, adhuc ſitient, me* inquam, vt adnotauit Syrus. Res ſanè mira, Beatitudo ipſa eſt cibus, ipſa eſt eſuries; ipſa eſt largior potus, ipsáque eſt ſitis: nam qui eam comedit, amplius eſurit, & qui eam biberit, eam adhuc ſitit. Simul ſatiat, vt nihil vltra eam quærat: ita verò ſatiat, vt ſimul ſui eſuriem ac ſitim accendat. Pebellè Euſebius Emiſſenus hunc locum verſans: *Qui edunt me, adhuc eſurient, &c. Ergò iucunditate ſui excitat appetitum, ſed non facit de ſacietate faſtidium,* (& poſt pauca) *Ipſam bonorum celeſtium ſitim bibere; impleri ſcit, neſcit expleri: vt quantùm capacitate augetur, tantùm auiditate deficiat.* Cæleſtis gloriæ beatus poſſeſſor non ſatiatur vberrima ſummæ felicitatis ſacietate, ſiquidem in oppiparo illo conuiuio cum ſaturitate eſuriem manducat, & ipſam etiam ſitim ebibit: inde enim eſuries & ſitis acuitur, vnde credi poterat exaciata. Vide an adhuc argutiùs ſuper eâdem ſententiâ philoſophetur Auguſtinus: *Qui me manducant*, inquit, *adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient. Manducant & bibunt, quia inueniunt. & quia eſuriunt & ſitiunt, adhuc quærunt ...... Intellectus eum quem inuenit, adhuc quærit. Deus enim reſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum.* Scilicet Beatus Deum, quem clarè videt, & facie ad faciem contemplatur, plenè inuenit: ne autem æternaturâ viſione exaciatus putetur; ſicut viſum Deum adhuc *ſitire*, & in cælo *peregrinari* dicitur, ſic etiam & eum *quærere*. Non quia vltrà ſit quod adhuc beatus *quærat*, qui Deum *inuenit*, in ipſóque tanquam in centro quieſcit; ſed quia mundialis voluptas diuturnâ poſſeſſione faſtiditur, & non niſi in tranſitu placet; & dum abit, reditura ſperatur, & rursùs placitura quæritur; ſic ſumma illa cæleſtis paradiſi voluptas, etſi æternùm ſtabilis, dum æternatura *inuenitur*, (quò apud homines ſubmoueatur nauſea) Beatus quaſi rursùs *quærens* quod beatis delicijs poſſidet, perhibetur.

*Eccli. 14. v. 19.*
*Tigurina*
*Syrus.*
*Beatúſne beatitudinis ſitim bibit?*
*Emiſ homil. 3. de Epiph.*
*S. Auguſt. l. 15 de Trin. c. 2.*
*Pſal. 13. v. 2.*
*Quomodo beatus quod inuenit, rurſus quærere perhibetur?*

6\. Geneſeos 29. Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decorâ facie, & venuſto aſpectu Quam diligens Iacob, ait: Seruiam tibi pro Rachel filiâ tuâ minore, ſeptem annis. Reſpondit Laban: Meliùs eſt vt tibi eam dem quàm alteri viro, mane apud me. *Seruiuit ergò Iacob pro Rachel ſeptem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Vt autem ducta tandem eſt Rachel poſt Liam (ait S. Hieronymus aduerſ. Iouinianum) typus eſt vitæ cæleſtis & futuræ, quam terreſtris vita præcedit. Vndè Apoſtolus: Primus homo de terra terreſtris: ſecundus homo de cælo cæleſtis; & priùs quod carnale, deindè quod ſpirituale. Suam itaque cæleſtem Rachelem ſic Iacobus auidè adamauit, vt longum durè ſeptennij ſeruitium, tanquam pauculos reputaret dies præ amoris magnitudine. Hebræus Philo in lib. de Congreſſu quær. erudit. gratiâ, ſic ſcribit: Matronarum altera, ſaniſſima optimè conſtituta pacatiſſimáque motio, ex re Lia nomen habet (id eſt, laborioſa) Altera coti ſimilis Rachel vocatur, ad quam intellectus certaminis exercitiique cupidus ſe atterens acuitur. *Interpretatur autem viſio profanationis, non quòd profanè videat, ſed contrà quia viſibilia ſenſibiliáque, collata cum immortali natura inuiſibili & intelligibili, non religioſa, ſed profana eſſe iudicat.* O bellè! Rachel pulcherrima, id eſt cæleſtis beatitudo, & ſummi Dei clarus aſpectus. *Interpretatur viſio profanationis*; quia immetata Dei magnitudo ac bonitas clarè viſa, mundialium rerum bonitates, quaſi bonitatis inopes quodammodò *profanat*. O quàm multa pauculis compendiauit Philo! Quæ ſententia ampliùs alibi enucleabitur.

*Gen. 29. v. 20.*
*S. Hieron.*
*Quare Rachel, id eſt, beatitudo, Viſio profanationis interpretatur? Philo.*

# SYNOPSIS CAP. XVI.

*Hæc Aſſueri epiſtola ferale illud contra Iudæos edictum ab Amane extortum ſapienter derogat: in qua Aſſuerus id ſedulò agit, vt ſe ab inconſtantia ac leuitate vindicet: quare totum crimen & à ſe pellit, & in clancularias calumniatorum fraudes deriuat. Qui acceptæ potentiæ abuſu, & bonos quoſque inſolenter opprimunt, & Principum vitæ inſidias moliuntur. Cuius ingratæ ac petulantis audaciæ recens exemplum ſpectandum offert in Amane, qui Mardochæum, & Eſtherem perimere molitus eſt, vt regiæ vitæ tutiùs inſidiari poſſet: & ſic imperiū Perſicum ad Macedonas transferre. Exinde edictum ab Amane aduerſus Iudæos extortum reuocat: quibus poteſtatem indulget, vt die illa decimatertia menſis Adar, impunè liceat in ſuos hoſtes cruentè debacchari; ſeueriùſque iubet diem illam ſollenni feſto conſecrari.*

## CAPVT XVI.

*Exemplar epiſtolæ regis Artaxerxis, quam pro Iudæis ad totas regni prouincias miſit: quod & ipſum in Hebraico volumine non habetur.*

1. REX magnus Artaxerxes ab India vſque Æthiopiam, centum vi-
gintiſeptem prouinciarum ducibus ac principibus, qui noſtræ
iuſſioni obediunt, ſalutem dicit. 2. Multi bonitate principum,
& honore qui in eos collatus eſt, abuſi ſunt in ſuperbiam: 3. &
non ſolùm ſubiectos Regibus nituntur opprimere, ſed datam
ſibi gloriam non ferentes, in ipſos, qui dederunt, moliuntur inſidias. 4. Nec
contenti ſunt gratias non agere beneficiis, & humanitatis in ſe iura violare, ſed
Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur ſe poſſe fugere ſententiam. 5. Et in tan-
tum veſaniæ proruperunt, vt eos, qui credita ſibi officia diligenter obſeruant, &
ita cuncta agunt, vt omnium laude digni ſint, mendaciorum cuniculis conentur
ſubuertere, 6. dum aures principum ſimplices, & ex ſua natura alios æſtimantes
callida fraude decipiunt. 7. Quæ res & ex veteribus probatur hiſtoriis, & ex his
quæ geruntur quotidie, quo modo malis quorundam ſuggeſtionibus regum ſtu-
dia deprauentur. 8. Vnde prouidendum eſt paci omnium prouinciarum. 9. Nec
putare debetis, ſi diuerſa iubeamus; ex animi noſtri venire leuitate; ſed pro qua-
litate & neceſſitate temporum, vt Reipublicæ poſcit vtilitas, ferre ſententiam. 10. Et
vt manifeſtiùs, quod dicimus, intelligatis: Aman filius Amadathi, & animo & gen-
te Macedo, alienúſque à Perſarum ſanguine, & pietatem noſtram ſua crudelitate
commaculans, peregrinus à nobis ſuſceptus eſt: 11. & tantam in ſe expertus huma-
nitatem, vt pater noſter vocaretur, & adoraretur ab omnibus poſt Regem ſecun-
dus: 12 qui in tantum arrogantiæ tumorem ſublatus eſt, vt regno priuare nos ni-
teretur & ſpiritu 13. Nam Mardochæum, cuius fide & beneficiis viuimus, &
conſortem regni noſtri Eſther, cum omni gente ſua, nouis quibuſdam atque inau-
ditis machinis expetiuit in mortem: 14. Hoc cogitans, vt illis interfectis, inſidia-
retur noſtræ ſolitudini & regnum Perſarum transferret in Macedonas. 15. Nos au-
tem à peſſimo mortalium Iudæos neci deſtinatos, in nulla penitus culpa reperimus,
ſed econtrario iuſtis vtentes legibus; 16. & filios altiſſimi & maximi, ſempérque
viuentis Dei, cuius beneficio & patribus noſtris & nobis regnum eſt traditum, & vſ-
que hodie cuſtoditur. 17. Vnde eas litteras, quas ſub nomine noſtro ille direxerat, ſcia-
tis eſſe irritas. 18. Pro quo ſcelere ante portas huius vrbis, id eſt, Suſan, & ipſe
qui machinatus eſt, & omnis cognatio eius pendet in patibulis: non nobis, ſed Deo
reddente ei quod meruit. 19 Hoc autem edictum, quod nunc mittimus, in cun-
ctis vrbibus proponatur, vt liceat Iudæis vti legibus ſuis. 20. Quibus debetis eſſe
adminiculo, vt eos, qui ſe ad necem eorum parauerant, poſſint interficere tertiade-
cima die menſis duodecimi, qui vocatur Adar. 21. hanc enim diem, Deus omni-
potens mœroris & luctus, eis vertit in gaudium. 22. Vnde & vos, inter cæteros fe-

ſtos

ſtos dies, hanc habetote diem, & celebrate eam cum omni lætitia, vt & in poſterum cognoſcatur, 23. omnes, qui fideliter Perſis obediunt, dignam pro fide recipere mercedem: qui autem inſidiantur regno eorum, perire pro ſcelere. 24. Omnis autem prouincia & ciuitas, quæ noluerit ſolennitatis huius eſſe particeps, gladio & igne pereat, & ſic deleatur, vt non ſolùm hominibus, ſed etiam beſtiis inuia ſit in ſempiternum, pro exemplo contemptus, & inobedientiæ.

## §. CCCX.

### Commentarius litteralis.

1\. *Exemplar epiſtolæ Regis Artaxerxis*, &c: Hoc caput in Hebraico textu non reperit Hieronymus, quare illud huc reiecit. Habetur autem in Græcis codicibus cap. 8. & in Vulgato Latino cap. etiam 8. v. 13. vbi huius epiſtolæ ſumma paucis deſcribitur.

*Verſ.* 1. 2. *&* 3 Rex magnus Artaxerxes ab India vſque ad Æthiopiam.

Eſther c. 13. & c. 1. Sylueira to. 1. c. 1. q. 9. Hic verſ. 1. penè iiſdem verbis habetur ſuprà cap. 13. v. 1. & cap. 1. v. 1. vbi & expoſitus eſt. Non tamen hîc innotatum dimittam, quòd acutè notauit Sylueira; nempè, Aſſuerus huic iuſto edicto præſcribitur, *Rex magnus*; Amani autem tyrannico edicto, Eſther 13. v. 1. *Rex maximus* Scilicet cùm malè quis agit præſtantioribus & auguſtioribus titulis malitiam diſſimulare, aut colorare ambit. Qui hîc dicuntur *duces* ac *principes*, Biblia reg. appellant *Satrapas*, perinde eſt. Senſus verſ. Menoch. 2. ac 3. valdè expeditus eſt. Illud *datam ſibi gloriam non ferentes*, moderatè, inquam, vt Menochius exponit, quaſi impares ſuſtinere tantam gloriæ felicitatem ſibi incumbentem: inde immoderatè ſuperbiunt, inſoleſcunt, exorbitant. Totum hoc caput valdè perſpicuum eſt, quare luculentâ paraphraſi, potiùs quàm commentario Sanctius. illud Sanctius illuſtrat. Nos verò ſiquid adnotatione, aut luce dignum occurrerit, illud expedire, aut clarare conabimur.

*Verſ* 4. *&* 5. *&* 6. Nec contenti ſunt gratias non agere, *&c.*

2\. Eos ingratitudinis denotat erga principes largiùs beneficos. *Humanitatis in ſe iura violare*, ingratitudinis periphraſis eſt. *Fugere ſententiam*, hoc eſt, vltionem, quò legi priſtinæ reuocandæ viam Aſſuerus ſternit, quaſi non tam à ſe, quàm ab ipſo Deo ſcelerum vindice, eiuſmodi hominibus ſeuerius hoc ſupplicium infligatur. Idem eſt figurato ſermone verſ. 5. *Mendaciorum cuniculis ſubuertere*, ac verſ. 6. *callidâ fraude decipere*. Carthuſianus, pro τὸ *cuniculis*, habet *funiculis*, mendosè quidem. Addit, *Aures principum ſimplices*, quod ignaui principis ac rectoris elogium eſt, ſub quibus nimis ſycophantis licet. Quâ ſuper re aliàs vbertim, & ad hunc Verſ. 6. in Notulis moralibus nonnihil libamus. Semper illud Sapientis verum eſt: *Qui citò credit, leuis eſt corde, & minorabitur.*

*Sententia ſumitur pro vltione.*

*Aures Principum ſimplicitas, inidoneæ ſunt.*

Carthuſian.

Sap. 19. v. 3.

*Verſ* 7 *&* 8 *&* 9. Quæ res & ex veteribus probatur hiſtoriis, & ex his, *&c.*

3\. Cuius rei ex vtraque eruditione obuia exempla licet colligere plenâ manu: nec deſunt quotidiana, lugubri rerum exitu. Ergò ad aurium margines excolabit Princeps quicquid vel amiciſſimus ac familiariſſimus ſuggerat. Itaque de multorum exemplo ſuſpicionem inconſtantiæ excutere Aſſuerus hîc ſatagit.

*Verſ.* 10. *&* 11. *&* 12. Et vt manifeſtiùs, quod dicimus, intelligatis, Aman, *&c.*

Hactenus vniuerſatim locutus fuerat, quò dicendis de Amane viam præſtrueret. *Aman animo, & gente Macedo*, &c. de Amani genealogia, ac patria, & quomodò cùm fuerit Agagæus, dicatur gente Macedo, diximus ſuprà §. 88. n. 3. Benè notat Villalpandus noſter in Ezechielis cap. 17. vbi hunc locum verſat, quòd hîc omnia ſcelera Amani enumerans Aſſuerus, ea adſcribit diuerſitati nationis, & inde amoris. *Pietatem noſtram ſua crudelitate commaculans*; nam miniſtrorum ſcelera, Regibus, quibus ſeruiunt, adſcribuntur. Vnde Aman Aſſueri pietatem, labe crudelitatis aſperſiſſe prohibetur: *Pater noſter vocaretur*. Hæc etiam *Patris* nomenclatura expoſita eſt §...n... *Vt regno priuare nos niteretur, ac ſpiritu*. Innuitur conſors, imò & fautor coniurationis eunuchorum, propter quorum cædem Aman *voluit necere Mardochæo* inſidiatum fideli detectori. 4.

Villalpandus.

*Regi adſcribitur, quod eius miniſter peccat.*

Eſther 12. v. 6.

*Verſ.* 13. *&* 14. *&* 15. Nam Mardochæum, cuius fide, *&c.*

Adludit Aſſuerus ad eunuchorum coniurationem, quam Mardochæus per Eſtherem detexit, cap. 4. v.... Sic autem Rex interpretabatur Amani conſilium, vt ferali illo edicto vafrè extorto decreuerit perimere Reginam, vtpotè Iudæam, cum Mardochæo, & cæteris pariter Iudæis, vt Regiæ vitæ vindicibus priùs de medio ſublatis, in Regem aliquid cruentum moliri impunè eualeret. Vnde ſubdit: *Illis interfectis, inſidiaretur noſtræ ſolitudini*, id eſt, nobis ſolis relictis, ab que fideli illorum præſidio, ita Menochius, Sanctius, Tirinus. (Quomodo autem Perſarum regnum tunc potuerit ad Macedones traduci, diximus ſuprà §. 10. n. 12.) Noſter Hieronymus de Gueuara tom. 3. obſer. 1. in c. 1. Matth. v. 23. n. 12. putat *ſolitudinem* appellare, ſe præaffectatæ diuinitatis faſtu ſubditis abſconditè inuiſum, quem nemo iniuſſus adire poterat ſub capitali pœna. 5.

Eſther 2.

*Quid ſit Regis ſolitudini inſidiari.*

Menochius. Sanctius. Tirinus.

Hieronym. Gueuara.

*Verſ* 16. *&* 17. *&* 18. *&* 19. Et filios altiſſimi, *&c.*

Filios altiſſimi hîc Aſſuerus appellat Iudæos, quia forſan ipſi iam anguſto ſe nomine ſublimabant, vt Sanctius exiſtimat. *Iſraëlitæ*.] Itaq; vero & ſemper viuenti Deo acceptum refert Aſſuerus, quod eius maiores imperium à Chaldæis ad Perſas tranſtulerit. Quod profeſſus eſt Cyrus imperij Perſici primus Monarcha, 1. Eſdiæ, 5. 6.

Sanctius.

*Iſraëlitæ vocantur filij Altiſſimi.*

1\. Eſdræ

*2.Paralip. Iſaiæ 45. Matiana.* & 2.Paral.vlt. & Innuitur Iſaiæ 45. τὸ *cuſtoditur*, Matiana ex Græco vertit, *regitur*, perinde eſt.*ſciatis eſſe irritas.*] At ſecundum leges Medorum atque Perſarum, Regum nemo poterat ſua edicta abrogare, vt aliàs notauimus.Ita quidem, *Tirinus hic ad v.9.* niſi edictum fraude fuiſſet extortum, vt veroſimili coniecturâ Tirinus adſtruit: alioqui Aſſuerus palàm non auderet priſtina decreta, & ſanè Perſis inuidioſa, exerte reuocare. De ſupplicio, quod cum filiis, & cognatis ſubiit Aman, ſupra egimus cap.7.v.10.& cap.9.v.5.*Non nobis, ſed Deo reddente ei quod meruit.*] Quid eſt, quod Aſſuerus de ſe negat,quod ipſe executus eſt? De Aſſueri ſententia Aman pependit è cruce,& ait, *Non nobis ſed Deo*, &c. Nimirùm parùm ſcit in re Biblicâ, qui neſcit,quòd cùm Hebræi volunt vnum per comparationem alteri præferre, id quod præferunt, affirmant, alterum negant. Exempli cauſsâ,Iſaiæ 63.v.16.*Abraham neſciuit nos,& Iſraël ignorauit nos*; *Tu Domine pater noſter*,&c.Oſee 6.v.6.*Miſericordiam volui, & non ſacrificium*.id eſt,miſericordiam malo, quàm ſacrificium.Pſalm.21.v.7. *Vermis & non homo*, id eſt,potiùs quàm homo,Matthæi 23.v. 9. *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram*,&c.& 1. Cor.3. v.7.*Non ego,ſed gratia Dei*,id eſt,non tam ego, quàm gratia Dei. Similem ad modum Aſſuerus hìc: *Non nobis, ſed Deo reddente ei, &c.*Hanc notam debes Tirino in Idiotiſm. §. 7.

## *Verſ.*20.*&* 21.Quibus debetis eſſe adminiculo,&c.

7\. *Regij Præfecti adminiculo ſunt Iudæis.* Haud dubium quin hoc Regis edictum (quo integrum erat Iudæis eos omnes perimere, qui ſe ad eorum cædem præparauerant) Perſis odioſum fuerit. Idcircò vt tot inimicorum cædes patrare impunè poſſent Iudæi,quin occidendorum amici, & cognati,alióue neceſſitudinis aut humanitatis fœdere coniuncti, illis ſtricto gladio reluctari poſſent, Præfectorum eos poteſtate ac ſatellitio obarmat. *Tertiadecima die,&c.*] Nam arcanâ Dei prouidentia factum eſſe dicit, vt quâ die ipſi à ſuis hoſtibus trucidandi erant, hoſtes ſuos potiùs trucidarent. Hìc, & alibi ſparſim in hac hiſtoriâ,*tertiadecima* dies menſis Adar cædi *Eſther 13.* deſignatur: quomodò autem cap. 13. v. 6. *quartadecima* dies potiùs deſignetur, inibi exponebamus,§ ...... n....

## *Verſ.*22.*&* 23.Vndè & vos inter ceteros feſtos dies,hunc habetote diem.

8\. *Familiare fuit Gentibus dies feſtos Numini dedicare.* Iubet Aſſuerus ſub pœnis ſeueriſſimis,vt ſubditi omnes Perſici imperij inter faſtos referant diem hanc eámque feſto plauſu perpetuò celebrent,quaſi in eâ ipſe vitam acceperit,inſidiatore Amane patibulato,& Amanitis omnibus interfectis; ſoſpitatis etiam Eſthere, & Mardochæo, *Herodotus l. 3.* quorum ope & præſidio incolumitatem recepit. Dicit, *Inter ceteros feſtos dies.*] nam, vt refert Herodotus, Darius Hyſtaſpis cædi Magorum qui occiſo Smerde Cyri filio,imperium Perſicum *Plutarch.in Nicia.* vſurparant,diem feſtum aſſignauerat. Addit Plutarchus in more poſitum apud Gentiles, certos deſignare dies,in quibus pro præſtantioribus beneficijs gratias Numini agerent. Reddit cauſſam Aſſuerus verſ.23.huius feſti dedicandi,nempe vt in poſterum publicetur eius largior beneficentia in fide Mardochæi munerandâ;& eiuſdem ſeueritas in Amani, Amanitarúmque perfidiâ caſtigandâ.

## *Verſ.*24.Omnis autem prouincia & ciuitas,quæ noluerit, &c.

Et cur non tantùm Perſis, ſed etiam Iudæis, 9.
atrocioris pœnæ minis iubetur huius feſti celebritas, quam ipſi vltrò vouerant? Putauerim, hæc ſupplicia primariò fuiſſe Perſis interminata, ne iſtiuſmodi diem feſtum multis inuidioſum, non celebrarent: cumque omnes Perſici imperij ſubditos hoc edictum obſtringeret,Iudæos etiam ex conſequenti obligauit: neque enim ſeuerior hæc pœna pro Iudæis duntaxat ſtatueretur. Et quo modo Aſſuerus iubet omnem delere prouinciam,quæ hoc feſtum non receperit,quandoquidem non paucos in eâ fore innocentes, neceſſe eſt? Tempeſtiuè inquit Ammianus, *Leges apud Perſas impendio formidandæ, per quas ob noxam vnius, omnis propinquitas perit.* Quâ de re ſupra agebamus.*Gladio & igne* (Græcè.*Lancea & igne*) *pereat, & ſic deleatur.*] Grande quidem ſupplicium,non modo ſontes, ſed ſontium etiam prouincias ac vrbes *deleri*! obuium tamen in vtrâ eruditione ſupplicium, de quo eruditè hic Sanctius,n.14. *Quàm eſſent formidandæ Perſarū leges. Amm.Marcell.lib.23. Græcus. Sanctius.*

Iuuat in fine huius commentarij, rationem temporum huius hiſtoriæ adtexere, & ſuccinctam rerum geſtarum Chronologiam. Prorſus ignoratur quo ætatis ſuæ anno Eſther adducta ſit ad gynæceum cum reliquis puellis: tantùm in confeſſo eſt apud omnes, fuiſſe iuuenculam: at in eâ ætate,etſi puellari, quæ potuerit ad nuptias expeti.Demus illi(ſi placet) quatuordecim annos. Ergò Eſter Aſſueri, id eſt, Artaxerxis Longimani vxor, nata eſt ſub Xerxe, ann.m. 3588. ante Aſſueri regnum ann.9.Mardochæus verò ſomnium videt futurorum præſagum, ann. Aſſueri 2. & ann. m. 3591.Conuiuium Aſſueri ann.eiuſdem 3. & ann. m. 3592. In hoc eodem anno repudiatur Vaſthi. Pulsâ autem Vaſthi, Eſther ducitur ad gynæceum,vbi vltra biennium commoratur, ann. 4. Aſſueri, & ann.m.3593. Eſther introducitur ad Regem, & mox Regina inauguratur,ann.Aſſueri 7. & ann.m. 3596.Poſt coronatam Eſtherem, in anno quopiam triennij, Eunuchi moliuntur Regi inſidias. Poſtmodùm Aman fit apud Regem magnus, an. Aſſueri 10. & ann.m. 3599.Mardochæus autem non adorat Amanem,ann. Aſſueri 11. & an. m. 3600. Dein Aman extorquet edictum aduerſus Iudæos; vlulant & ieiunant Iudæi. Eſther præualet in conuiuio: ſuſpenditur Aman: poſt duos menſes à priori edicto, exit nouum edictum de occidendis hoſtibus Iudæorum poſt aliquot menſes. ann. Aſſueri 12.& ann.m. 3601. Adhæc occiduntur hoſtes Iudæorum menſe Adar, eodem tempore quo debebant occidi Iudæi per prius edictum, ann.Aſſueri 13.& ann.m. 3602. Denique inſtituitur feſtum Phurim,id eſt,ſortium,ann.Aſſueri 14.& ann.m. 3603. His geſtis Eſtheris terminatur hiſtoria; ſacet verò Hiſtoricus cetera tacet, quæ ſcioli allucinantes garriunt.Ego autem malo per Deum neſcire, quàm per hominem ſcire, quod neſcit. id eſt, ignorare. 10. *Chronologia huius hiſtoriæ.*

§.CCCXI

## §. CCCXI.

### *Paucula ex hoc capitulo ethicè perſtringuntur.*

*Verſ.* 1. Qui noſtræ iuſſioni obediunt

1. NImirùm rex magnus Artaxerxes Aſſuetus ita ſcribit in epiſtolâ ad principes, ſatrapas, præfectos, duces, qui eius *iuſſioni obediunt*. Peritè eruditiſſimus Serarius pro τὸ *noſtræ iuſſioni obediunt*, è Græco textu exctibit, & exponit, *Qui noſtra ſentiunt*. Pulchrè quidem ad mores! Non qui Principis iuſſa promptus exequitur, dicitur eius *iuſſioni obedire*; ſed qui cum Principe *ſentit*: qui eius conſilio adſentit, qui eundem cum iubente animum habet ac mentem.

Serar. 3. l. p. q. 16.
*Idem non eſt iuſſioni obedire, ac illi adſentire?*

*Verſ.* 2. Multi bonitate principum ..... abuſi ſunt in ſuperbiam.

2. Ioſephus conſultiſſimè excripſit, *Ex nimia bonitate*, &c. Profectò bonitas bonum Principis elogium eſt: at *nimia bonitas*, abuſus poteſtatis eſt, ſtultitiæ confinis, & in miniſtris inſolentiæ fomes.

Ioſephus.
*Nimia bonitas, non bonum Principum elogium eſt.*

*Verſ.* 2. Multi bonitate principum, & honore qui in eos collatus eſt, abuſi ſunt in ſuperbiam, &c.

3. Quæ verba ſic Ioſephus elucidat: *Multi elati magnitudine honoris & beneficiorum, quæ ex nimiâ conferentium bonitate percipiunt .... contra ipſos auctores beneficij non verentur inſoleſcere, quantùm in ſe eſt tollentes omnem omninò gratitudinem, quæ vſquam eſt inter homines: & corrupti inopinatâ felicitate, abutuntur ea contra illos*, &c. Bellè quidem: nam quiſquis ex infimâ aut mediana conditione ad ſublimem honorem aſcendit, nimis *inſoleſcit, corruptus inopinata felicitate*. Profectò inopinata dignitas, dignitatis abuſus eſt, gratitudinis aborſus, atque inſolentiæ præſagium. Ipſa merita adipiſcendi dignè honoris, ſpem, & opinionem modeſtiſſimo cuique afflant. At præcelſus honor, qui ex inopinato venit, inſolentiæ fomes eſt, arrogantiæ conceptaculum, & honoris abuſus. *Que ſe puede eſperar en el pueſto, de quien ni le paſo por el penſamiento merecerle?* Heu quoties indignus dignitate ſublimis, *inſoleſcit inopinata felicitate corruptus!* Quod hîc in Amalecitâ Amano exemplariter Aſſuerus demonſtrat. Conſule mox ſubiicienda n. 5.

Ioſephus
*Indignus inſoleſcit inopinatâ felicitate corruptus.*

*Verſ.* 3. Sed datam ſibi gloriam non ferentes, &c.

4. Biblia regia, *Vbertatem gloriæ* LXX. interpretes: *Et ſacietatem* (gloriæ) *non valentes ferre.* Profectò ſicut acerbiorem calamitatem ægrè homines ſuſtinent, ſic magnam felicitatem toto inopinatæ gloriæ pondere incumbentem, grauatè ferunt. O nimis anguſtum humanæ gloriæ captum, in homine etiam honores ambitioſiùs ſuſpirante! Gloriæ *vbertas*, *ſacietas* gloriæ eſt. Hinc vel ambitionis nauſea increſcit, & inopinati honoris tædium, quo ambitum faſtidit honorem, iterùm ſumptuoſiùs ambiendum. *Satiatus* honoribus, ad gloriam bonorum nauſeat, quam cruda mox ſitit ambitio, & incerta gloriæ libido. Item gloriæ ambitus, nunquam ſatur, ſemper faſtidioſus eorum etiam, quæ hiantet eſurit! *Vbertatem gloriæ, gloriæ*, inquam, *ſacietatem non valens ferre*, &c.

Bibl. regia
LXX. interp.
*Gloria vbertas, ſacietas gloriæ eſt, quam vel ambitioſus non poteſt ferre.*

*Verſ.* 4. Nec contenti ſunt gratias non agere beneficiis, ſed, &c.

Quæ verba ſacri textus retentâ ſententiâ, 5.
LXX. interpretes ita reddunt: *Et gratitudinem non ſolum ex hominibus auferentes, ſed etiam inſolitorum bonorum pompa elati.* &c. Explicatiùs Biblia regia: *Sed & inexperientia bonorum elationibus eleuati*, &c. Sic noui homines de inexperientiâ bonorum arroganter inſoleſcunt? Inopinatæ gloriæ pompa elationem quam non inuenit, facit. Adi ſupra dicta, n. 3.

LXX. interp.
Biblia reg.
*Inexperientia bonorum inſolentiam parturit.*

*Verſ.* 6. Dum aures Principum ſimplices.

O non bona in Principibus & Gubernatoribus, aurium ſimplicitas! quid quiſque ſuggerat, 6.
ad aurium margines excolandum eſt, ne animus delationum bibulus, errores hauriat veritatis laruâ mentitos. Audiendus eſt ad Eugenium Bernardus, ad hæc Aſſueri verba forſan adludens: *Facilitas Eſt item vitium*, inquit, *cuius ſi te immunem ſentis, inter omnes quos noui ex his qui cathedram aſcenderunt, ſedebis me iudice ſolitarius, quia veraciter ſingulariterque leuaſti te ſupra te, iuxta Prophetam. Facilitas credulitatis hoc eſt, cuius callidiſſimæ vulpeculæ, Magnorum neminem comperi ſatis vitaſſe verſutias. Indè eis ipſis pro nihilo iræ multæ, indè innocentium frequens addictio*, &c. Pluſculum reſcripſimus, ſed quidem moraliſſimum, & *Magnis* imprimis neceſſarium. Profectò *aures Principum ſimplices*, fagineì ignauè Principis character eſt.

S. Ber. lib. 2. de Conſid. ad Eugen.
*Facilitas credulitatis in Principe reprobatur.*

*Verſ.* 9 Nec putare debetis, ſi diuerſa iubeamus, ex animi noſtri venire leuitate.

L X X. interpretes: *Vtentes mutationibus, & quæ ad conſpectum veniunt, iudicantes ſemper cum* 7.
*æquiori occurſu.* O in ipſo faucium meatu ſtranguletur frequens illa Præfectorum quorundam vox: Præfectum dedecet ſententiam mutare: Præſtat vt vnus innocenter periclitetur, quàm vt leuitatis & incõſtantiæ notâ ſublimis Præfectura inuratur. Bona leuitas, quæ congruis *mutationibus vtens*, *ſemper cum æquiori occurſu* cenſuram vibrat. Inconſtantia videtur, quæ æqui ac boni conſtantia eſt? Sapientis eſt mutare conſilium: ſtultus, pertinaciter capito eſt, quia iuris æquitatem non capit.

L X X. interp.
*Aliquando Gubernatoris inconſtantia, æqui conſtantia eſt.*

*Verſ.* 12. Qui (Aman) in tantum arrogantiæ tumorem ſublatus eſt, vt, &c.

Flauius Ioſephus ſic locum exponit: *Felicitatem ſuam ferre non potuit, neque ſobria mente* 8.
*magnitudinem honoris metiri.* Qui in faſtigio dignitatis eſt, ne ſublimitate inſoleſcat, *ſobria mente magnitudinem honoris metiri* debet. Cum propriâ tenuitate, dignitatis amplitudinem componat, & adſpectu ad ſeipſum, magnitudinem *metiatur.* Menſura honoris non eſt præcelſum dignitatis

Ioſephus l. 11. Antiq. c. 6.
*Sobriâ mente metiri oportet honores.*

dignitatis faſtigium, ſine adſpectu ad perſonam tanto honore ſublimandam.

*Verſ.* 14. Illis interfectis, inſidiaretur (Aman) noſtræ ſolitudini, &c.

9. *Sanctius. Rex in multâ aulicorum turba, ſolitudo nuncupatur.* *Quia ſe Rex nudum* (ait inibi Sanctius) *à fideli cuſtodia arbitrabatur ſi defuiſſent illi duo, Mardochæus videlicet, & Eſther.* Miriſſimum ſanè eſt, quòd tantus Rex, in tanta aulicorum turbâ, in tam frequenti militum ſatellitio, ſi ei deforet vnus aut alter fideliſſimus, non modò cenſeatur ſolus, ſed *ſolitudo* nuncupetur.

*Verſ.* 24 Omnis autem prouincia & ciuitas, quæ noluerit ſollennitatis huius eſſe particeps, gladio & igne pereat, &c.

10. *Quare quod in votis eſt, ſub acerbiori pœna præcipitur?* Benè eſt, acerbiori interminato ſupplicio, huius feſti celebritas Perſis indicatur; at Iudæis etiam quod vltrò vouent, & in votis habent, cur ſub eâdem pœnâ præcipitur? Sic eſt arduum, gratum beneficiis animum diu exhibere? ſic homo, tranſacto accepti beneficij feruore, ad gratitudinem torpet? ſic eſt inconſtans humana voluntas, vt ad quod nunc votiuè hiat, poſtmodùm faſtidioſè nauſeabit? Ergò humanæ mutabilitatis inconſtantia, anchorâ acerbioris interminatæ pœnæ immota ſiſtatur: & quod Iudæi gratitudinis calcare ſtimulati vouent, grauioris ſupplicij timore exequantur.

---

## §. CCCXII.

### *Nimium in magiſtratibus ampliandæ iuriſdictionis ac potentiæ ſtudium, egregiè hic vapulat.*

1. Magiſtratuum plerique inuidia præſentium veterumque ducti, & amplificandæ iuriſdictionis libidine, antiquos mores conturbant; quò dignitatem dilatent ſuam, aliquid noui indies illi adiicere tentant. & quaſi in turbido fœcundior piſcatio ſit, malitiam oderunt. Ac neſcio quomodo in omni propè Dignitatis amplificatione pulcherrima nomina prætexantur, aut auiti iuris, aut integrioris iuſtitiæ, aut inſtituti arctiùs ſeruandi. Exindè prudentiæ laruâ ambitio clanculùm inſidiatur; quæ, vt negligit quo pacto ſubditos promoueat, id vnum ſatagit quomodo nihil de iure ſuo cedat; imò iuriſdictionem ac potentiam ſuam latiùs dilatet ampliori imperio. Reuerà dominandi libido has iuriſdictionis lacinias expetit, cùm maximum honorem in maximo ſemper imperio homines poſuerint. Neque Magiſtratum cuiquam vicinam remotámque iuriſdictionem inuadenti cauſſa defuit, nec deeſſe ambitioni cauſſa poteſt, ingenioſa eſt, & ſatis ambiuiſſe eſt, vt cauſſam repetiat. Nec finem ambitio, & ſupra ceteros eminendi deſiderium nouit. quod hîc in Aſſuero iure culpatur.

*Magiſtratuũ ſtudium in amplificandâ iuriſdictione nimis inuigilat.* Hic v. 1.

2. Actor. 1. v. 21. & 23. Actorum 1. Petrus Apoſtolorum ſublimior apex, & ſummus totius Eccleſiæ Præſes; poſt Chriſti ad cælos aſcenſionem, in Iudæ locum, alium ſubſtituere Apoſtolum pro munere ſuo ſatagit. Ergò exurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum ſimul, ferè centum viginti) *oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Ieſus..... teſtem reſurrectionis nobiſcum fieri vnum ex iſtis. Et ſtatuerunt duos, Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt iuſtus: & Mathiam.* Profectò ſi oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus-ſanctus per os Dauidis, dicens, *Et Epiſcopatum eius accipiat alter*; eccur ipſe Petrus, Chriſti in terris Vicarius, & ſummus Eccleſiæ Pontifex, ac Pontificum idea, in Iudæ proditoris locum, Epiſcopum non elegit? Quam ob cauſſam multitudini permittit, quod ipſe per ſe facere non vetatur? Eleganter Oecumenius hac ſuper re ita ſcribit: *Rem illis Petrus communicat, ne in pugnam euadat, & in contentionem incidant. Propterea quoque incipiens: Viri fratres, inquit, oportet eligi è vobis, multitudini iudicium permittens, ſimulque & eos qui eligerent, venerandos reddens; & ſeipſum inuidiâ liberans erga illos.* Non ſatagit Petrus primam Epiſcopi electionẽ per ſe ipſum facere; nec timet ne ſuæ dignitati quicquam deroget; nec præcauet ne fidelium multitudo in Epiſcoporum electione præſcribat; ſed rei Chriſtianæ attentiùs conſulens, & ſollertiùs prouidens, rem illis communicat, *venerandos reddens* eos, quibus iudicium electionis permittit: ſimulque *ſeipſum inuidia liberans erga ipſos.* Procliue eſt cuiquam Oecumenij expoſitionem moralitatum grauidam particulatim emedullare. properanti ad alia, ſat eſt digitum ad eruditionem noſtram intendiſſe; quò minores Antiſtites diſcant è Petri ſchola, iuriſdictioni ſuæ tantiſper cedere, vt bono communi attentiùs conſulant: nec amplificandæ iuriſdictioni, ſed rei Chriſtianæ promouendæ ſollertiùs inuigilent. Sæpè ambitio in cauſſa eſt, & ius religionis obtenditur. O caue has ambitionis inſidias!

*Quare Petrus primam Epiſcopi electionem multitudini permiſit?* Oecum. ibidem.

Exhodi 11. tot diu plagis afflictata acerbiùs Ægypto, adhuc Pharao obſtinatè flectineſcius, Hebræi populi dimiſſionem infidè recuſat. Dum autem Moyſes primogenitorum funeſtas comminatur cædes, de Hiſtorici ſacri ore hæc audit: *Fuitque Moyſes vir magnus valdè in Terrâ Ægypti coram ſeruis Pharaonis, & omni populo.* Quare Moyſes vir *valdè magnus*, ſeu maximus nuncupatur? An ob eximiam in paucis viri ſapientiam, ſanctimoniam, peritiam? An propter grandia imprimis miracula, quæ poſt tot etiam ſecula orbis ſtupet? Multa ſunt, ipsáque permagna, quæ Moyſen *valdè magnum* reddidere. Qua de re ita philoſophatur Lyranus: *Fuit Moyſes vir magnus valdè, id eſt, reuerendus & timendus, propter quod coram Pharaone loquebatur conſtanter, & abſque timore.* Qui coram Principe *conſtanter* loquitur, verè *magnus* dicitur, & re vera *valdè magnus* eſt. Sic palatij limina viros elumbant? ſic Principum gratia *conſtantiam* curat? Vel ex eo quis *valdè magnus* eſt, quòd Principe coram *conſtanter* loquitur? O præſtigiatores Principum nutus, qui maſculam virorum conſtantiam ſic concutiunt! Aliter propiùs ad rem Lipomanus locum verſat: *Fuitque Moyſes vir magnus, vel vt alij vertunt, maximus, in Terrâ Ægypti, id eſt, maximæ auctoritatis apud Pharaonem, & ſeruos eius.* Scilicet Moyſes dicitur *magnus*, vel *maximus*, non tam quia *magnus* erat (etſi reuerà *magnus* fuit) ſed quia maximam habuit

3. Exhod. 11. v. 3.

*Qui conſtanter coram Principe loquitur, magnus nuncupatur.* Lyra ibi.

4. Lipom. ibi. *Sola Regum gratia, magnum facit?*

habuit auctoritatem apud Regem, & aulicos, quaſi ſola auctoritas in Regis aula, magnitudinis menſura, & celſitudinis faſtigium ſit. Quantumuis quiſque in ſeipſo puſillus ſit, ſi in aula *magnus* eſt, *maximus* erit. O Scenicam, dubiam, & falſatam magnitudinis menſuram! Vel idipſum aliter ad rem opportuniùs: Moyſes ſummo principatu in Hebræo populo condignè præeminebat; quando autem ſic ampliauit ſuum principatum, vt maximæ etiam eſſet auctoritatis apud Regem Pharaonem, & regni Proceres, (conſtitutus Pharaonis Deus) tunc, tunc quidem *magnus valdè*, & *magnus* nominatur. Sic magnum apud Principes habetur ſuam iuriſdictionem latiùs protelare, vt eius vel modica dilatatio, *Magni*, *Maximíve* elogium glorioſè fœneretur, præcelsâ magnitudinis viuiâ.

*Qui iuriſdictionem latiùs extendit, Magnus appellatur.*

5. Actorum 4. Petrus & Ioannes ad ſpecioſam portam, claudum illum integrè ſanant. Stupet populus oculis videns nuper malepedatum exultim Apoſtolos ſequi. Confeſtim inopinato magni prodigij reatu, Apoſtoli in tetrum carcerem detruduntur. Factum eſt autem in craſtinum, vt congregarentur principes eorum, & Seniores, & Scribæ in Ieruſalem. Et Annas princeps Sacerdotum, & Caïphas, & Ioannes, & Alexander. *Et ſtatuentes eos* (Petrum, & Ioannem inquam) *in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos!* Non latebat conſultiſſimos hoſce Senatores, pedes claudo redintegratos fuiſſe, ad hanc Petri vocem: *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, ambula*: quorſùm rem notiſſimam, & quæ omnibus in confeſſo erat, tanto præſente Senatu, per quæſtionē interrogant? Quid vafrè ſubdolum in hac ſuperuacua interrogatione deliteſcit? O aſtutè callidum inuidioſæ malitiæ ingenium! Hæ Pontificum technæ attentiùs rem explorantibus planè transluecent, eáſque vidit inibi Œcumenius, & his verbis prodit: *In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos? Vide autem quàm ſubdolè interrogant. Malebant enim Apoſtolos fateri ſuum eſſe opus, quàm potentiæ Chriſti*: Nimirum probè nouerant Pontifices, Phariſæi, & Scribæ, Apoſtolos omnes, (præſertim Petrum, & Ioannem, reliquorum apices) ſic peramenter Chriſto addictos, vt piâ quâdam velut obſtinatione, illius ampliandæ gloriæ ſedulò inuigilarent. Ergò tametſi miraculum palam in Chriſti nomine patratum eſt, adhuc Pontifices præſumunt ambitioſo malitiæ ingenio, Apoſtolis perſuadere totâ magni Senatus auctoritate; vt ſaltem inſinuent, ſuo nomine, ſuâ auctoritate, & ſuâ potentiâ cælitus acceptâ, & humanitùs exhibitâ, magnum illud miraculum perpetraſſe. *In quo nomine feciſtis hoc vos? Malebant enim Apoſtolos fateri ſuum eſſe opus, quàm potentiæ Chriſti. Vide quàm ſubdolè interrogant.* Sciunt quàm ſit hominibus procliue ſuam ampliare *potentiam*, ius ſuum extendere, ſuam dilatare iuriſdictionem, etiam contra ius, eáſque; vnde licet miraculum factum ſit palàm *in nomine Ieſu-Chriſti Nazareni*, cuius Apoſtoli erant, ipſique peramanter addictiſſimi; adhuc tamen præſumunt, quòd Apoſtoli (ne non *potentiam* ſuam extendant) publicam, quam prædicabant veritatem, mendaciſſimè negabunt, abnegabunt infidè Chriſtum, nihilque non facient, quantumuis fœdum ac impium, quod *potentiæ*, ac iuriſdictioni ampliandæ auxiliare videatur. Sic amplificandæ iuriſdictionis, ac *potentiæ* ſtudio, ſubdola Pontificum ambitio præſidit? Hi populi Senatores de ſuæ ambitionis conſcientia, conſcientias reliquorum metiri præſumunt, irrito tamen malitioſæ fraudis conatu. O caueant Potentes hos regiminis ſcopulos!

*Actor. 4. v. 7.*

*Oecum. ibi.*

*Pontifices Iudæorum præſumunt, quòd Apoſtoli ſua amplianda potentiæ ambitu, Chriſto detrahent.*

Paullus ad Romanos 14. ſic litem componere ſatagit inter Iudæos, à quibuſdam cibis lege vetitis abſtinentes, & Gentiles, qui cibis indifferenter veſcebantur: *Is qui manducat*, quilibet, puta Gentilis) *non manducantem* (certos cibos lege vetitos, putà Iudæum) *non ſpernat: & qui non manducat* (Iudæus) *manducantem* (Gentilem) *non iudicet*: id eſt, ne iudicio ſuo, velut in iudiciario tribunali damnet, quaſi legis tranſgreſſorem, aut gulæ addictum, *Deus enim illum aſſumpſit*, id eſt, illum, qui per naturam erat ſuus, per vocationem ad Euangelij gratiam, illum ſpeciatim etiam ſuum fecit, vocationis & gratiæ titulo. Exinde ad rem ſubdit Apoſtolus: *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum?* (ſubditum) *Domino ſuo ſtat, aut cadit*, &c. Et infrà verſ. 10. *Tu autem quid iudicas fratrem tuum?* fratrem inquam, non ſubditum, aut ſeruum. Scilicet Doctor Gentium ab hoc diſſidio ſatagit fideles auertere, idcircò ſubtiliùs adnititur oſtendere, quàm ſit iſtiuſmodi cenſurâ, & obmurmuratio Chriſto iniurioſa, de iuriſdictionis iniuſta vſurpatione. Quaſi dicat Paullus, ait inibi Cornelius: *Vnus omnium eſt iudex Chriſtus Dominus, non ergo noſtrum eſt inuicem iudicare. Si enim hoc facimus, Chriſto iudiciū ſuum præripimus.* Quod eleganter edifferit S. Anſelmus, præſcriptum Paulli locum inibi his verbis commentans: *Tu quis es, id eſt, cuius valentiæ, qui iudicas, id eſt, damnandum affirmas, alienum ſeruum?* (ſubditum) *Cum enim non tuus ſit, ſed alterius, in eo quòd illum iudicas, Dominum illius præcipuè offendis, quia ſeruum eius ipſo prohibente iudicare præſumis. Nam quâ conſcientiâ edat, vel nō edat quiſque, Dominus eſt iudex.* Quaſi dicat Apoſtolus: Nemo ſic abſurdè erret, vt modicum cenſeat, ſiniſtram cenſuram ex proximi conſcientia aduerſus illum vibrare: nam quiſquis de proximi conſcientia iudicat, *Chriſto iudicium ſuum præripit*; & cùm illius iuriſdictionem audacter inuadat, timeat omnipotentem eius iram, ad ſuam vindicandam iuriſdictionem potenter armatam. *Tu quis es, id eſt, cuius valentiæ, qui iudicas? Nam qua conſcientiâ edat vel non edat quiſque, dominus eſt iudex.* Viderit qui iuriſdictionem Chriſti, temerarius cenſor inuadit, *cuius valentiæ* ſit, vt reluctari audeat Chriſto iudici, tuendæ ſuæ iuriſdictionis zelo omnipotenter armato. Porrò iudicum ardor eſſe ſolet acerrimus pro iuriſdictione ſua tuenda, aſſerenda, amplianda. 6.

*Ad Roman. 14 v. 4. & 10.*

*Qui proximum ſuum iudicat, vſurpata diuinæ iuriſdictionis reus eſt.*

*Cornel. ibi. S. Anſelm.*

---

## §. CCCXIII.

*Prudens cautela, tametſi falſos, veroſimiles tamen de ſe rumuſculos præcidit, humanam præcludens maledicentiam.*

1. Conſcientiæ ſatisfaciamus, nil in famam laboremus (ait Seneca) *ſequatur vel mala, dū benè merearis.* Ita quidem: nam quis ſis plurimùm intereſt, non qualis habearis. Verùm cùm honeſtus

*Seneca l. 3. de Ira c. 41.*

*Vitanda eſt occaſio quæ obtrectatorũ maledicentiã nutrit.*

neſtus rumor, alterum virtutis patrimonium ſit, probitatis cenſus non facile contemnendus eſt. Sicut bonæ famæ ambitioſè auaros, ſic & boni nominis contemptim prodigos culpat virtutis cenſura. Quid prodeſt eo loco haberi, in quo eſſe non prodeſt? Sapiens factis ſuis non alet inuidioſos vulgi rumuſculos, nec fruſtrà oculis obtendet, quod vulgus iure carpere poſſit. Non timet virtus cenſuram hominum, nec tamen contemnit. Vitabit, ſi poſſit; ſin minus, depretiabit. Igitur quantum ad nos attinet, præcindenda eſt occaſio, ex qua aduerſus nos vulgus cum fundamento obloquatur, etſi falſato ore petulantiùs garriat.

2. Exhodi 32. moram faciente Moyſe, Hebræus populus idololatriæ pronus, vitulum conflat, & in Numen ſuum dedicat. Interim locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Peccauit populus tuus: feceruntque ſibi vitulum conflatilem, & adorauerunt eum. Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos. Moyſes autem orabat dominum, dicens: Cur, Domine, iraſcitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxiſti de Terra Ægypti, in fortitudine magna, & in manu robuſta? *Ne quæſo dicant Ægyptij: Callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra: quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui...... Placatúſque eſt dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduerſus populum ſuum.* Aliqui apud Lipomanum excribunt: *Ne quæſo dicant Ægyptij: Malo ſidere eduxit eos.* Quaſi dicat: Ne permittas vt Ægyptij, qui de rebus Hebræorum petulanter garrire ſolent, in hunc modum dicant. Infelici ſidere eduxit eos. Ægyptij enim omnia tribuunt ſideribus. Aliter Anſelmus Laudunenſis locum exponit: *Ne quæſo dicant Ægyptij: Callidè eduxit eos. Ac ſi dicat: dicerent Ægyptij, quia aliter eos delere non poterat.* Verùm Caietanus ex Hebræo textu tempeſtiuè locum exponit: *Ne quæſo dicant Ægyptij: Callidè eduxit eos, &c. Iuxta Hebræum repetitur: Vt quid dicent Ægyptij, In malo ſeu malitia eduxit eos, &c.* Vnde *placatus eſt Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduerſus populum ſuum.* Vide nunc Moyſis in Deo placando peritiam; atque idealem Dei bonitatem omnibus æmulandam. Dei ira ob impiè ingratam populi ſui idololatriam, eum delere iuſtè feſtinabat. Moyſes autem excuſandi impos populi ſcelus, ingenioſâ pietatis ſagacitate, Deo tempeſtiuè ſuggerit: *Vt quid dicent Ægyptij*, &c. Quaſi dicat: Tametſi acerbioris infligendi ſupplicij rationabilis cauſſa vrgeat, amputanda tamen occaſio eſt, ne aliquâ veroſimili coniecturâ garriant Ægyptij, & exanimis ſideribus Numen deferant, quod Deo vero detrahent.. Ne putent, te adeò imbecillum, qui niſi in ſolitudine populum perimere non eualeas: vel vſque adeò immitem, vt electiſſimum populum ob vnius noxæ reatum funditus deleueris. *Vt quid* hæc *dicent Ægyptij?* Inuidioſos hoſce rumuſculos præcauere oportet. Iuſtè quidem facies, ſed facti non declinabis inuidiam. *Placatuſque eſt Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduerſus populum ſuum.* Quid prodeſt inhoneſtos de te rumuſculos alere? Ne ſis bonæ famæ malè prodigus. Huic Moſaicæ affinem rationem, hic Eſther quamperitè allegat.

Exhod. 32. v. 11.

Lipom. ibi.

Anſelm. Laud. inibi.

Caietan. ibi.

*Præcauet Deus, ne de ſe veroſimiliter homines obloquantur.*

Eſther 14 v. 10.

3. Matthæi 4. *Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare, (erant enim piſcatores) & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum. Quis in lacubus citiùs quàm in gymnaſiis, erudiendo orbi Magiſtros quærat? *deliquit, opinor, diuina doctrina, ex Iudæa potiùs quàm ex Græcia oriens: errauit & Chriſtus piſcatores citiùs, quàm Sophiſtas mittens.* Sed Paullus *Athenis expertus linguatam ciuitatem, omnes illic ſapientiæ atque facundiæ caupones deguſtauit.* Miriſſimum ſanè omni æuo fuit, quare Chriſtus Deus homines illiteratos, idiotas, agreſtes, barbaros, cæleſtis doctrinæ antiſtites maluerit. Præſcripta Matthæi verba exponens Lyra, de electione rudium tunc Apoſtolorum, ita fatur: *Quæritur quare ſimplices homines primò vocauit ad prædicationem Euangelij? Dicendum, quod ſicut à principio aliquos ſimplices vocauit, vt patet in iſtis prædictis,* (Petro, Andreâ, Iacobo, Ioanne) *ita ſimiliter aliquos litteratos vocauit à principio, vt Nathanaelem & Nicodemum: quia ſi ſolos ſimplices vocaſſet, credi poſſet quòd fuiſſent ex ſimplicitate decepti. Veruntamen ſimplices magis conſtituit Apoſtolos ac prædicatores Euangelij quàm litteratos, vt fides Euangelij magis attribueretur ſapientiæ diuinæ quàm humanæ.* Nimirùm è re Chriſtianæ doctrinæ erat, vt ſimplices & idiotæ, facundam ac eruditam mundi ſapientiam toto orbe protererent, proculcarent, detriumpharent, ne perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, & limatulæ in academiis peritiæ, Euangelij victoria fruſtrà adſcriberetur. Verùm conſilioſè præcauet Chriſtus Deus, vt aliquot litterati à principio, & exinceps vocarentur, ne *credi poſſet, quod fuiſſent ex ſimplicitate decepti.* Rudes, ſimplices, & imperitè ruſticanos vniuerſatim elegit, ne detriumphari orbis gloriam eruditior mundi ſapientia prælibet; ſed neceſſariâ cautelâ quorundam eruditio interſerenda fuit, ne garriat humana malitia, & veroſimili coniecturâ oblatret, quod omnes *ſimplicitate decepti*, re indiſcuſsâ in hanc doctrinam conſpirarint. Sic perſuaſibilis maledicentia cautione præcoquâ iugulanda erat, præuenta veritatis officio.

Matth. 4. v. 18.

Tertull. l. de Anim. c. 3.

*Cur imperitis Apoſtolis, aliquis humaniùs periti diſcipuli aggregentur?*

Lyran. ibi.

Ioann. 1. & 3

Eſther 2. erat vir Iudæus in Suſan ciuitate vocabulo Mardochæus, *qui fuit nutritius filiæ fratris ſui Ediſſæ, quæ altero nomine vocabatur Eſther.... pulchra nimis, & decora facie.* Mardochæus aſpectabili prudentiâ, venuſtiſſimam neptem, & Gratiarum manibus factam puellam, cautè admodum in ædium angulis ſeruabat occultam, ipsâ pudiciſſimæ Eſtheris indole abſtruſiori etiam abſconſioni cautiùs adhuc lenocinante. Vnde nomen *Eſther*, cuius etymon apud quoſdam idem eſt ac *aſtrum*, ob ſideream venuſtatem: apud alios, *pulchra vt luna*, propter idem formæ venuſtioris elogium; apud quoſdam *Eſther* idem eſt ac *occulta*, ſeu *abſcondita*. Nec tamen ſiderea eius pulchritudo ſic effugere potuit, quin *Ediſſa*, id eſt, *myrthea*, quod eſt Veneris epitethon, cômuni hominũ plauſu nuncuparetur. Sic cautè cuſtodiẽda erat, *occultanda, abſcondenda*, ne quæ *Ediſſa*, ſeu *myrthea* dicebatur, ob Veneri ſimilem formã, propter venuſtiori formæ confinem licentiã, Veneris mores imitari, vllo modo diceretur. Non deuenuſtatur Eſtheris opinatiſſima pudicitia ſollerti patrui Mardochæi cautelâ, puellæ cuſtodiendæ ſupernacuâ; affectui erga ipſam demonſtrando, prorſus neceſſariâ. Belliſſimè Caſſiodorus 4.

Eſther 2. v. 7.

Auctor ſ. 59. n. 9.

Caſſiod l. 1.

Variar. epiſt. 41. dorus: *Cautela ſiquidem prodit affectum: & quæ ſtudioſius diligimus, maiori gratiâ cuſtodimus.* Suum erga ſuam Eſtherem affectum minimè Mardochæus demonſtraſſet, niſi illam ſic cautè abſcondiſſet, ſic abſconſè ſeruaſſet. Cautela ſiquidem ſiniſtram ſuſpicionem non arguit, ſed chariorem prodit affectum: nam vilia quæque incautè negligimus, & obuiis exponere periculis non veremur. Quæ verò pretioſo æſtimationis cenſu habemus, chariora nobis ſunt, & *ſtudioſius diligimus, maiori gratia cuſtodimus.* Æſtimationis *gratiam* ſtudioſior cautela prodit. Eſther, quæ de venuſtatis gratiâ, ſidera cæli, aſtra æmulari putatur, celebri famâ Edißa, id eſt *myrthea* dicitur, adſpectu ad veneris formam, *occultetur* ergò Eſther, & in ædium penetralibus inuiſa cautè *abſcondatur*, ne *myrtheum* Edißæ nomen, à Veneris formoſitate inchoatum, maledicentiæ impuni licentiâ, Veneris mores, & eius lenocinium ſenſim inſinuet, ſi in publicum aſpectabilis prodeat. Sollers ergò cautela ſuſpicionum & linguarum licentiam ſerpere inhibeat, & præmaturè ſiſtat: nam *quæ ſtudioſius diligimus, maiori gratiâ cuſtodimus.* Itaque Mardochæi cautela in Eſtherre abſcondenda, non eſt indicatum venuſtatis periculum, ſed officioſum *gratiæ* lenocinium, ſuſpicionum licentiam anteuertens.

*Quæ ſtudioſius diligimus, maiori gratiâ cuſtodimus.*

5. 2. Regum 3. cæſo Saule, longa hoſtiliter concertatio fuit inter domum Saül & Domum Dauid. Abner autem filius Ner regebat domum Saül, belli princeps acerrimus. Qui tandem ad Dauidem confugiens, amicitias cum eo iniit. Dauid autem etſi prudenter egit, quia tamen nõ valde cautè cum inimico ſe geſſit, ſiniſtram Ioabi ſuſpicionem, & oblocutionem incurrit. Et ingreſſus eſt Ioab ad Regem, & ait: Quid feciſti? 2. Reg. 3. v. 25. Ecce venit Abner ad te: quare dimiſiſti eum & receſſit? *Ignorans Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te vt deciperet te, & ſciret exitum tuum, & introitum tuum & noſſet omnia quæ agis?* Nihil perhibetur Dauid Ioabo reſpondiſſe, vt ſuſpiciones, & oblocutionem auerteret, ſpecie tenus veroſimilem. Quod Theodoricus fecit Caſſiodori calamo, dum Liberium Odouacris partes contra ipſum pugnaciſſimè ſecutum excepit, auxit, & honoribus ſublimauit, ſic fatus ad Senatum, apud quem erat politiæ cenſus: Caſſiod. l. 2. epiſt. 26. *Retinetis, P.C. patritium Liberium, & in aduerſitate noſtrâ fuiſſe laudabilem, qui ſic Odouacri integerrimus parebat obſequiis, vt noſtra poſt fuerit electione digniſſimus, contra quos multa feciſſe videbatur inimicus. Non enim ad nos viliſſima transfugæ conditione migrauit: nec proprij Domini finxit odium, vt alterius ſibi procuraret affectum. Expectauit integer diuina iudicia, nec paſſus eſt ſibi Regem quærere, niſi primitùs perdidiſſet. Vnde ſic factum eſt, vt ei libenter daremus præmium, qui noſtrum fideliter iuuit inimicum, qui caſu patrocinante contrario tantùm nobis videbatur acceptus, quanto tunc cognoſci poterat inimicus. Flexo tam Domino penè nullis eſt terroribus inclinatus: ſuſtinuit immobilis ruinam Principis ſui, nec nouitas illum turbare potuit, quem nunc etiam ſerenitas gentilis expauit.* His, & aliis, quibus ſubdit vocibus, ſuſpicionum ſiniſtritatem anteuertit, & obloquentium ora diſertè præcludit. quod in hoc c. longiuſculè præſtat Aſſuerus a verſ. 2. ne videatur iniquiſſimo Amani, inſidiâ alienigenæ minùs cautè fauiſſe. Hic v. 2.

*Suſpiciones aucta à ſe hoſtis, prudenter Theodericus præcludit.*

6. Iacobi 3. v. 6. Iacobi 3. Lingua conſtituitur in membris noſtris; quæ maculat totum corpus, & *inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehennâ.* Pro *τὸ generationis*, nonnulli ex Græco textu legunt, *gehennæ*, vt ſenſus ſit (ait ex Oecumenio Cornelius) *Lingua incendit & excitat in nos gehennam, veluti graſſari faciens aduerſus nos ignem. Sed & ipſa incenditur à gehennâ, vt manifeſtum eſt ex diuite qui linguâ cruciabatur.* Profectò licet ignis gehennalis atrociter pœnaliſſimus ſit, æquus tamen eſt, & ſapiens meritorum explorator; illius enim acre incendium, iuſtus eſt ſcelerum arbiter, & meritorum ſtipendium. O videret querulus de obmurmuratricis linguæ pruriente mordacitate, ne aduerſus ſe *excitet gehennam*, id eſt, meritorium ignem, atrociter æquum. Præcaueat ergò detrahendi cauſſas, & gehennalem linguæ ignem pœnaliſſimè vſtulantem, excuſſit.

Oecumen. Cornelius.

*Qui detractioni occaſionem dat, gehennam linguæ aduerſus ſe excitat.*

*P. Didac. Celada in Eſtherem.*

## §. CCCXIV.

### *Homo in officina ingratitudinis ex beneficiis aduerſus benefactorem arma cudit.*

NAturâ compertum eſt, vt altiùs iniuriæ, quàm merita deſcendant, & illa citò defluant, has tenax memoria cuſtodiat. quid expectat, qui offendit, dum obligat? Satis aduerſus illum gratus eſt, ſiquis beneficio eius ignoſcit. Nõ eſt autem quòd tardiores faciat ad bene merendum, turba ingratorum. Nam primùm nos illam augemus. *Deinde ne Deum quidem immortalem ab hac tam effusâ neceſſitate, ſacrilegi negligenteſque eius deterrent. Vtitur Deus natura ſua cunctaturque. Illos ipſos munera in ſuorum malos interpretes iuuat. Hanc ſequamur ducem, quantùm humana imbecillitas patitur.* Egregia virtus eſt dare beneficia, non vtique ſoluenda, ſed ingratitudine perdenda, imò iniuriis rependenda. Deum æmulatur, qui ſic benefacit. 1.

Seneca l. 1. de benef. c. 1.

*Homo non eſt bonus beneficiorum interpres.*

Regius Vates ſic Deum alloquens, auſpicatur Pſalmum 34. Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. *Apprehende arma & ſcutum; & exurge in adiutorium mihi.* Multa Interpretes doctè commenti ſunt: ſenſum litteralem, allegoricum, & moralem aucupantes, vt exponant quid per hæc *arma*, & *ſcutum* intelligatur. Hugo Carenſis, qua ſolet ingenij facilitate aut felicitate, his verbis ad thema præſens opportunè, hunc locum interpretatur: *Apprehende arma ad expugnandum, & ſcutum ad ſuſtinendum.* Poſtmodùm autem exponit, quænam ſint *arma* velut offenſiua, quæ Deus ad expugnandum homines aſſumit: & *ſcutum*, quo ad *ſuſtinendum* clypeatur. *Arma, ſcilicet pharetram, & arcum. Pharetra Dei, quam ſumpſit ad venandum homines peccatores, fuit eius amor: Arcus eius largitas. Qui arcus ſumptis de pharetra amoris ſagittis beneficiorum, multas ad nos traxit, & corda carnea, id eſt, mollia, & humore gratiæ humefacta vulnerauit. Hæc arma apprehendis Deus ad deuincendam malitiam hominum, quando Solem ſuũ facit oriri, non ſolùm ſuper bonos ſed & ſuper malos, & bona ſua indignis peccatoribus largitur, vt ſic eos conuertat.* Benè eſt, per *arma* intelligat ſubtilis hic Doctor, diuina beneficia, quibus indifferenti benignitate & beneficentiâ homines ſauciat ad amorem, & ad gratitudinem quodammodò 2.

Pſal. 34. v. 2.

Hugo Car. ibi.

*Deus aſſumẽs beneficiorum arma, clypeatur ſcuto patientiæ.*

modò cogit, quorſùm ergò poſt beneficia largiùs collata, *ſcutum* aſſumit, quo ſe clypeet, & velut defendat? Pergit laudatus Auctor: *Sed quia hæc beneficia non ad pœnitentiam, ſed ad luxuriam conuertunt, & vndè deberent ad Dominum conuerti, indè eum peccando perſequuntur per ſuperbiam & luxuriam, ideò ne Dominus indignetur, & ad vindictam ſe conuertat, rogat, vt patienter* Hîc v.3. *ſuſtineat, addens hîc, & ſcutum manſuetudinis, & patientiæ ad ſuſtinendum eorum infeſtationes.* Quid accommodatiùs? Quod Hiſpanè dicimus: *Haz bien, y guarte.* Quod hic Aſſuerus expertus eſt cum Amane.

3. Oſee 2. Dei nomine loquitur Propheta de Ieruſalem ingratè peccatrice, quæ cæleſtem ſponſum faſtidiosè auerſata, Idololatriæ libidine proſtituta erat: Oſee 2.v.8. *Et hæc neſciuit,* (practicè inquam,) *quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum quæ fecerunt Baal* τὸ *Baal* in datiuo caſu eſt, *Baali*, inquam. *Feciſſe* autem Baali argentum & aurum, nihil eſt aliud, quàm illud à Deo beneficè donatum, conflaſſe, vt Idolum Baal indè effingeret. *Factum* enim argentum illud dicimus, quod cælatum eſt, & aliquo argentariæ artis argumento illuſtre. Quare penè certum videtur hoc loco *facere argentum & aurum Baali*, nihil eſſe aliud, quàm ex argento & auro, à Deo beneuolentiùs donato, conflaſſe effigiem Baali, argutâ artificis manu cælatam, & affabrè elaboratam, quo præbitorem Deum auerſata, diuinos Idolo honores ingratiſſimè deferret, mente enormiter apoſtatrice. Dederat (ait ibi Sanctius) ſponſus ſui imaginem, aliquod amoris caſti ſymbolum, quod geſtaret ſponſa, quaſi datæ fidei, & coniugalis amoris monumentum, in argento & auro, quale Cant.8.v.6. Canticorum 8. commendaret ſponſæ, cùm dixit: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum*, id eſt, *Ex Dei auro, idolu effigiem in corde exculpimus.* imaginem mei, quæ pectus tuum conſignet, & ornet. Sed argentum illud colliquefecit Adultera, ablatáque ſponſi effigie, Baalis induxit; quam eodem loco ſtatuit, vnde alteram ſuſtulerat, nempe ſuper cor, aut, quod idem eſt, inter vbera; in auribus, & facie, vbi aut ſponſi, aut amatoris effigies, aut ſymbolum geſtari ſolet. Addit idem Sanctius ibi n 48. Sanctius: Pro moribus locus hic illuſtris eſt, & mirè exprimit peccatoris impudentiam, qui, quæ à Deo munera ſuſceperat, illa ad Dæmonis voluptatem, & vſus planè nefarios, atque inuerecundos conuertit, & cùm Deus imaginem ſui ſculpſiſſet animæ, quandiu illa in fide manſit quaſi coniugali, & igne ſupernæ charitatis inuſſiſſet; ille tamen exculpſit inde, exuſſitque, & dæ-
4. monis imagine conſignauit ſeſe, & quaſi charactere certo illius ſe mancipium profitetur. Quo Ad Philipp 3.v.19. quid aut horribilius, aut impudentius? Ex his concludit nuper laudatus Doctor: *Quod ſi venter Deus eſt, vt dicit Paulus, ſi libido aut quæuis alia* *Qua concupiſcimus, & veneramur, Deus recens nobis eſt.* *inordinata voluptas; ſanè ille Dei dona, argentum, & aurum, & ingenij vires, & mentis facultates omnes, quas ſibi Deus, & vendicat, & ſuo quaſi charactere conſignat, idolis conſecrat, & eripit Deo, qui aut ventri, aut libidini, aut aliis in-* Pſal 80.v.10. *temperantibus animi deliciis impendit.* Vt autem S.Hieron.ibi comprobet, has inordinatas voluptates, ſeu affectus eſſe hominibus pro Deo, aduocat illud Hieronymi in ea verba Pſalmi, *Non erit in te Deus recens. Cui Deus*, inquit, *venter eſt, Deus ei recens eſt. Quotcumque vitia habemus, quotcumque peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus ſum, ira mihi Deus eſt: vidi mulierem, & concupiui, libido mihi Deus eſt. Vnuſquiſque enim quod cupit, & veneratur, hoc illi Deus eſt.* Ad hunc modum tempeſtiuè exponit Sanctius præſcriptas Dei querelas, *Et argentum multiplicaui ei, & aurum quod fecerunt Baal.* Oſeæ concinit Ezechiel, cap. Ezechiel 16.v.17. *Et tuliſti*, inquit, *vaſa decoris tui de auro meo, atque argento meo, quæ dedi tibi: & feciſti tibi imagines maſculinas, & fornicata es in eis.* Ad quæ verba ita ſcribit Theodoretus: Theodoret. ibidem. *A me, inquit, argentum & aurum accipiens, Deóſque ex meis donis fabricans, meo cultui eos prætuliſti.* Repetitæ Dei querelæ, ingrati ſceleris enormitatem produnt.

Ioannis 10. Patris Dei beneficentiam, & omnipotentiam, longo ad Iudæos ſermone Chriſtus 5. prædicauerat. Addidit autem: *Ego, & pater vnum ſumus*, quod adeò prouitauit Iudæorum animos, vt tanquam blaſphemiæ reum, lapidibus illum obruere fruſtrà tentauerint: *Suſtulerunt ergò lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Reſpondit eis Ieſus.* Ioann.10.v.31.& 32. *Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo propter quod eorum opus me lapidatis?* Suſtulerunt, inquam, lapides Iudæi, ſed non iecerunt, quia Chriſti potentiâ, eâ ipsâ propter quam eum lapidare volebant, prohibiti ſunt, vt Theodorus Theodorus Mopſueſt. Mopſueſtienſis ibi adnotauit. Aculeata valde ſunt Chriſti verba, pungit enim eos, obliquè inſinuans nullâ ſuâ culpâ, nullam ob noxam ſe ab illis lapidari; reliquum ergò eſſe, vt ob bona opera, & merita in eos ſua, ipſorum ingrato animo, inuidiáque lapidetur. At quare Chriſtus Deus interrogabat, ob quod bonum opus, quod eis be- *Cur Chriſtus beneficia commemorat, cùm iam iam lapidibus impetitur?* neficè contulerat, lapidetur, cùm perſpicuum foret ipſimet Chriſto Deo, & omnibus qui ibi aderant, & ex contextu liquidò conſtat, quod Iudæi mox reſponderunt: *Non de bono opere lapidamus te, ſed de blaſphemia, quia tu homo cùm ſis, facis teipſum Deum?* Si ergò in comperto erat, quòd non ob bonum opus, ſed ob blaſphemiam, quam putabant, cum lapidibus impetere tentat; cur ergò interrogat, ob quod bonum opus ipſis exhibitum lapidetur, quod nemini in mentem veneiat? Verum Leontius exponens Leontius apud Mald. præfata verba, *de bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia*, putat *confiteri his verbis Iudæos Chriſtum multa ſibi bona opera feciſſe*, nempe ſanauerat eorum ægrotos, liberauerat à dæmonibus multos, nonnullos vitæ reſtituerat, plures vbertim in deſerto non ſemel pauerat. Itaque *quamuis inuiti confitentur multa beneficia ſibi impenſa à Chriſto*, ait Alcuinus: vnde ingratitudi- Alcuinus apud Caten. nis atrocitas magis apparet. Scilicet tametſi indubium erat, quod non lapidabatur Chriſtus ob Iudæis impenſa beneficia, tamen cùm ſæuiùs contra ipſum Iudæi ferocirent, illa opportunè commemorat, vt innuat, ſic crudeliter in eum deſæuire, vt ſolent ij, quibus maxima beneficia beneficentiùs impenſa ſunt, munificum benefactorem atrociùs perſequi. Exinde tunc beneficia 6.
commemorat; vt ingratæ lapidationis ſæuitiam *Addenſata ingratitudinu vituperia.* exaggeret: quâ inde ad crudelitatem duriùs armantur, vnde gratitudinem beneficentiùs rependere debuiſſent. Diſertiſſimè Bernardus: *Per-* S.Bernard de ſept.pan. *emptoria res eſt ingratitudo, hoſtis gratiæ* (& gratiæ præbitoris) *inimica ſalutis. Dico ego vobis, nihil ita diſplicet Deo, quemadmodum ingratitudo. Vias enim obſtruit gratiæ, & vbi fuerit illa, iam gratiæ acceſſum non inuenit, locum non habet.* Et rurſùs: *Sola nos à perfectiâ conuerſatione im-* Idem Serm.

*pedit*

contra ingratos.

*pedit ingratitudo noſtra, dum quodammodò amiſſum repuțas dator, quod ingratus accepit, cauet ſibi de cætero, tanto plura ingrato conferre. Et idcircò clementia eſſe videtur, ingratis negare quod poſtulant: ne contingat nobis, vt tanto grauiùs de ingratitudine iudicemur, quantò magis accumulatis beneficiis ingrati probabimur extitiſſe.* Quid tam Deo acerbè offenſum, quàm id quo liberalior & beneficentior eſſe non ſinitur?

7. Iſaiæ 1.v.2.

Iſaiæ 1. Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt: *Filios enutriui, & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum*, &c. Quod Vulgatus ait, *Filios enutriui*, LXX. Interpretes vertunt, *genui*, Theodotion, *educaui*. Denique Iſraëlitę, quos tanquam filios *genui, nutriui, educaui*, etiam *exaltaui*, hoc eſt, præ aliis omnibus gentibus eos opibus, miraculis, victoriis, regno, templo, aliiſque donis cumulaui, & excelſos, ac glorioſos effeci; *ipſi ſpreuerunt me*. Non ait, obliti ſunt, neglexerunt; ſed expreſſè, *ſpreuerunt me*, quaſi directè me meáque iuſſa contemnentes, aſpernantes, violantes, & præuaricantes, vt habent Hebræa. Sed quare Deus cùm ingratitudinis Hebræos arguit, eos *filios*, & ſe eorum patrem appellat? Sanè Ariſtoteles lib. 2. Moral. cap. 14. *Cur nam*, inquit, *pater filium magis amat, quàm filius patrem? vtrùm quòd pater beneficus erga filium ſit, quodque filius de patre benemeritus, & eius factio ſit?* Hactenus Ariſtoteles, qui aliis inibi rationibus id confirmat, & 8. Eth. cap. 2. O malum! Filius ideò non tam amat patrem, quàm pater filium; quia filius factura patris eſt, quia in filium largè beneficus pater eſt; ſecùs filius in patrem? Filius debet patri quod eſt, quod eum *genuit, nutriuit, educauit*, & quàm potuit maximis beneficiis ſublimiter *exaltauit*, & ideò minùs amat patrem, quò magis beneficium experitur? Sic medullitùs ingratitudo hæret, malè hominibus cognata? Inde filius minùs amat, vnde credi poterat, amoris pyram gratiùs ſufflammari? Ergò Deus conſultiſſimè Iſraëlitas appellat *filios*, cùm illos impiæ ingratitudinis arguit.

Lxx. interp. Theodotion.

Beneficentia amorem auget.

Hebræos.

Ariſtotel.

*Filius ideò minùs amat patrem, quia pater beneficentior eſt, in filium?*

---

## §. CCCXV.

### *Quiſquis ingrato benefacit, & beneficiũ perdit, & vltrò inimicum acquirit.*

1. Senec. epiſt. 19.

PVlchrè Seneca: *Nullum habet maius malum occupatus homo, & bonis ſuis obſeſſus, quàm quòd beneficia ſua efficacia iudicat ad conciliandos amicos: cùm quidam quò plus debent, magis oderint.* Quid ergò? beneficia non parant amicitias? parant, ſi accepturos licuit eligere, ſi collocata, non ſparſa ſunt. Itaque dum incipis eſſe mentis tuæ, interim hoc conſilio ſapientum vtere, vt magis ad rem exiſtimes pertinere, quis quam quid acceperit: alioqui beneficentia, quæ eſt gratior amicitiæ conciliatio, de obuiæ ingratitudinis genio, inimicitias è peruerſo generat. Quid beneficiorum impendio, inimicitiarum compendiũ paras? *Incredibilis quædam profectò* (ait Damaſcenus) *ingratitudo ac malignitas hæc eſt, cuius beneficio ornatus ſit, eius benignitate etiam in ingratitudinis anſam trahere.* Addit Plutarchus: *Serpentem alit, qui apud ingratum beneficium collocat: neutri enim collata gratia beneficium conciliat.* Quod hîc in Amane Aſſuerus expertus eſt.

Quidam quo plus debent, magis benefacientem oderunt.

S.Damaſ. l.1. Parall.c. 29.

Plut. in Moral.

Hic v.4.

*P. Didac. Celada in Eſtherem.*

2. Eccl.19.v.7. & 8.

Eccleſiaſtici 29. de hominibus pecuniam mutuam poſtulantibus, ita ſcribitur: *donec accipiant, oſculantur manus dantis, & in promiſſionibus humiliant vocem ſuam: & in tempore redditionis poſtulabit tempus, & loquetur verba tædij & murmurationum, & tempus cauſabitur: ſi autem potuerit reddere, aduerſabitur: ſolidi vix reddet dimidium; ſin autem fraudabit illum pecunia ſua, & poſſidebit illum inimicum gratis.* Largiore mutui beneficentiâ amicum parare putabas, & tuo munere vltrò inimicum feciſti: & vnde amicam gratitudinem ſperare poſſes, inimicitias gratis aſciuiſti. Quia illi beneficij loco mutuum dedit, *Poſſidebit illum inimicum gratis.* Quod Biblica eruditio ethicè docuit, profana moraliſſimè litteratura non omiſit: *Leue æs alienum debitorem facit, graue inimicum.* O nimis verè? Seneс. epiſt. 19.

Leue æs alienum debitorem, graue inimicum facit.

3. Eccl. 19.v. 22.

Idem Ieſus Sirach adhuc ab ingratitudine homines auertens, ſic fatur: *Bona repromiſſoris ſibi aſcribit peccator: & ingratus ſenſu derelinques liberantem ſe.* Quid ſceleſtiùs quàm liberatorem ſuum *derelinquere*? S. Ennodius Ticinenſis dictione ethicâ 5. has tragicas Carthaginenſis reginæ voces eloquenter format: *Hæc nec dexter Iunonis oculus, nec ſummi Tonantis patietur aſpectus, vt pro tot impenſis ſequeſtratione conſumar; nec aliud pietate promouerim, niſi vt merear non amari.* Heu beneficiorum fides ab innumeris perturbata mortalibus! Pro regiis diu impenſis, pro tot obſequiis ſumptuoſiùs peregrino Heroi exhibitis, *derelictionem* promeruit, *nec aliud pietate promouit, niſi vt meruerit non amari.* Quaſi ſollertiùs benefacientes ſtudium, in accipiente nauſeam moueat, & ſuperciliosum tædium efflet ingratis: & vnde ſtitionem figere debuiſſet, *derelictionem* promouerit. Eheu aliena ingratitudo carò à nobis emitur! *Graue eſt* (ait Damaſcenus) *eũ qui maximis beneficiis obſtrictus eſt, non modò nullam gratiam referre, ſed etiam eum qui de ſe benè meritus ſit ignominia laceſſere, graue, inquã, eſt illud: ſed facienti grauius malum eſt, quàm patienti.*

S. Ennod. ethic. 5.

*Sæpe beneficentia nihil aliud promouet, niſi vt mereatur non amari.*

S.Damaſ. lib. 1. Parall. c. 19.

4. Pſal.77 v. 10.

Pſalm. 77. ita Dauid pangit: Benedictus Dominus die quotidie: *proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum.* Quod eſt hoc proſperum iter, quod in paradiſeam promiſſionis terram, ſiue in olympium cælum ſalutaris Deus ægris mortalibus feliciter promittit? S. Hieronymus ſic præfata Pſalmi verba exculbit, & exponit: *Portabit nos Deus ſalutis noſtræ.* Id eſt, proſperum ad cælum faciet iter, qui à Ieſu ſalutari ſeu Saluatore noſtro portatur. Deus ſalutis noſtræ, vt ſaluet nos, noſtris oneratur peccatis, quò nos eorum mole exonerati, expeditiùs euehamur in gloriam. Sed qui te peccatorum ſarcina exonerat, ſimul onerat mole gratitudinis debitæ beneficio ſaluationis. Vnde pro τὸ *Portabit nos Deus ſalutis noſtræ*, Biblia regia transferũt: *In onus imponet nobis Deus ſalutis noſtræ.* Accipe pulchrum huius ſententiæ gloſſema, è S. Bernardi ore, ita ad rem ſcribentis: *Oneriferum animal eſt homo tempore ſuæ mortalitatis: Si adhuc portat peccata ſua, onus eſt graue. Si iam fortè exoneratus eſt à peccatis, minùs quidem graue: ſed ſi ſanum ſapiat, non minus graue onus inueniet, hanc ipſam quam diximus exonerationem. Onerat nos, cùm exonerat Deus; onerat beneficio, cùm exonerat peccato.* Grande in primis copioſæ ſaluationis beneficium, quo exoneramur peccatis, arcanum eſt onus, quo vectigales reddimur tantæ gratiæ

S.Hieron. ibi.

*Cùm peccatorum pondere exoneramur, oneramur gratitudinis debito.*

Bibl. reg.

S.Ber. ſer. 15. in Pſal. *Qui habitat.*

rependendæ Saluatori noſtro, qui *in onus imponit nobis ſalutis noſtra.* O caue tibi, ne hoc ingenuo gratitudinis onere vnquam ingratè exonereris, & mala pro bonis aliquandò reſtituas! Nefas eſt beneficiorum magnitudinem magnitudine obliuionis metiri. Si onus gratitudinis portas, nec ingratè excutis, ad paradiſeam felicitatem *proſperum iter facies*: quod eò expeditiùs conficies, quò magis onuſtus gratitudinis ſarcinâ incedas.

*5. Gen. 1. v. 26. & 28.*

5. Geneſeos 1. *Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creauit illum, maſculum & feminam creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubiicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus.* His verbis velut in compendium rediguntur omnia bona, quæ in Protoparentes Deus munificentiſſimè contulit. Sed nulla gratitudinis vox auditur; ſed ingratâ taciturnitate mundus ſilet, Hominis ſilentium incuſans. An non ſaltem paradiſi voluptatis iucundam poſſeſſionem aliquo gratitudinis honoraret indicio? Audiendus eſt Rupertus hâc ſuper re ita eleganter fatus: Hic tandem, inquit, animaduertendum eſt, quàm pertinaciter homo primus, à creatoris laude mutus perſtitit, quàm obſtinatis labiis ab omni gratiarum actione abſtinuit, & ingratum Dominó Deo ſilentium dedit: *formante Deo & inſpirante ſpiraculum vitæ, factus in animam viuentem, non ſuſpirauit eodem ſpiraculo vitæ acceptæ in plaſti ſui faciem, vt adoraret, & eum gratificaret, & ei gratias ageret.* Sera foret gratitudo in tam largè munificum benefactorem, niſi eodem ſpiraculo quo in faciem eius vitam Deus inſpirauit, in faciem Dei tot gratiarum præbitoris, reciproco anhelitu gratitudinem *ſuſpiraret.* quo verbo plura ſignificat Rupertus, quàm dicit. Pergit magnus hic Doctor: *Item ab eodem Domino Deo poſitus in paradiſum voluptatis, nullas ei gratias egit, & taciturnâ ingratitudine tantum tamque facilem Deliciarum Dei locum, quaſi rapinam arbitratus occupauit.* Quod grato præbitoris dono poſſidet ingratus, quaſi *rapinam* ſententiosè Rupertus putat. ac ſi qui beneficia vltrò ſibi donata, per *rapinam* poſſideat, quouſque ſe largitori gratum exhibeat, & olim ſponte datum, tandem per gratiarum actionem faciat ſuum, & iure poſſideat. Heu tot neglecta ingratitudinis furta! Malæ fidei poſſeſſor, ingratus eſto. O vtinam tanquam ius poſſeſſionis, gratitudinem erga largitorem reputemus!

*Adam eodem vna ſpiraculo, gratias Deo ſuſpirare debuit.*

*Rupert. l. 2. in Gen c. 39.*

*Quod ingratus accipit, de rapina poſſidet.*

*6. Matt. 2. v. 3.*

6. Matthæi 2. cùm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum. *Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo.* Mirum non eſt, quòd alterius in Iudæâ Regis nomen, Herodem turbet: at Ieroſolyma ſuum expectatiſſimum Meſſiam tandiu piè ſuſpirans, quid cum Herode turbatur, cùm de ſidereæ claritatis voce, aduéniſſe fauſtè audit? An non citiùs & ſibi feſto plauſu exultim gratulari, & Chriſto ſuo gratias agere votiuè debuiſſet? Quid cum alienigenâ Herode Ieroſolyma perturbatur? Hâc de re ſic eloquenter Cyprianus ſcribit? *Turbatur cum Rege maligno Ieroſolyma; non lætatur, expaueſcit, & tabeſcit, & negare erubeſcit quod ſcriptura teſtatur, nec minus horrendum ſcribarum ſacrilegium, quàm Herodis impietas, quia proprio Iudæi abutentes priuilegio, cùm viſitationi diuinæ inuenirentur ingrati, cauſſam ſibi cum Herode fecere communem.* Quodnam fuit tam enorme flagitium, propter quod Deus permiſit electiſſimum olim Iudæorum populũ prolabi in iam horrendum ſcelus, vt cauſſa impiiſſimi Herodis communis fuerit cum Iudæis: & Iudæus populus reus nunc fuerit cum Herode & deſertæ fidei, & deicidij mox in Innocentibus inchoati? Quid tantam electi populi apud Deum deſertionem promouit? Ingratitudini videtur à Cypriano imputari: *Cùm viſitationi diuinæ inuenirentur ingrati, cauſſam ſibi cum Herode fecere communem.* Quia non lætatur Ieroſolymitanus populus cum Chriſto ſibi nato, ſed ſublimiori Dei beneficio turbatur ingratus, ideò permittitur [illegible] ſuueſtiſſimæ tot ſcelerum, & pœnarum tragœdiæ. Quid niſi ingratitudo potuit eſſe cauſſa tot immanium ſcelerum? Deſertionem Dei, in Deum ingratitudo promeruit? Ingratus impietati Herodis affinis eſt, & inchoato funeſtè deicidio obnoxius? Sic de beneficiorum amplitudine, ad præbitoris offenſas Iudaica impietas obarmatur?

*Ingratus impietati Herodis affinis eſt, & Deicidio velut obnoxius S. Cypr. Ser. de ſtellâ & Magis.*

7. Geneſeos 3. præſumptam ex arbore ſcientiam turpi verecundia Protoparentes luunt; & propriam pudoris confuſionem herbaceis tegumétis abſcondunt. *Et cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam, & vxor eius,* &c. Tanquam crapulatus à vino (ait Rupertus) toto meridie dormiſſe Deus dicendus eſt, quandò illo tacente, tantum malum vniuerſo generi humano partum eſt. *Et notandum, quod non poſt noctem, ſed poſt meridiem Dominus Deus excitatus deambulaſſe dicitur. Quid ergò inquis? culpandus eſt Deus, qui toto meridie dormiuit? Non vtique, ſed tota culpa illius eſt, quia cuſtodem ſuum dormire permiſit. Nam vt ille non dormiat, in arbitrio hominis eſt, qui ſemper illum ne dormitet aut dormiat, inquietare debet. Vnde & per Prophetam Spiritus eius dicit: Qui reminiſcimini Domini, ne taceatis, & ne detis ſilentium ei. Videlicet tota die, & tota nocte non tacendo laudare nomen Domini.* Et quomodo Adam & Eua inerti ſilentio non inquietarunt Deum, ſed tota meridie illum requieſcere neglexerunt? Inter meridianum excitandus erat, ne tunc dormitaret ad auxilium ferendum, ſed peruigil exſomni curâ expromptus adeſſet. Pergit Rupertus exponens quid omiſerit Adam, quò minùs Deum *inquietaret*, ſiue à ſomno excitaret: *At ille ſcilicet Adam & vxor eius vterque pari pertinaciâ ſilentium tenuit, quia neque quia formauit, neque quia in paradiſo Deus hominem poſuit, vllam gratiarum actionem reddidit. Itaque nec eius culpa eſt qui dormiuit, ſed eius qui tam ingratum ſilentium, vt meritò dormire poſſit, ei præbuit. Igitur magnitudinem negligentiæ hominis & iuſtitiæ Dei, Scriptura valenter & propriè ſatis expreſſit, dum Dominum Deum aſſimilauit homini tam quietè tãque licentiosè in meridie dormienti, vt peracto ſomno, etiam deambularet ad auram.* Tam particulatim, tantâque verborum energiâ expenſionem noſtram præoccupauit Rupertus, vt ſatis ſit eius verba prolixiùs exſcripſiſſe, quò publicetur, quàm grate Deus gratitudine noſtrâ velut à ſomno [illegible], & ad ferendã opem euigilet. E contrariò autẽ quàm altè ingratis dormiat, tanquam humanæ ingratitudinis ſomno profundè ſoporatus.

*7. Gen. 3. v. 8.*

*Rupert. l. 3. in Gen. c. 14*

*Gratitudine inquietandus eſt Deus, vt ad hominum auxiliũ euigilet?*

*Iſaiæ 62. v. 6 & 7.*

Ingrati

8. *Caſſiodor. Addenſata ingratitudinis elogia.* Ingrati, & ingratitudinis non bona elogia addenſat eloquenter Caſſiodorus lib. de Amicitia, *Vide*, inquit, *ne ingrata ſis, ingratitudo enim peremptoria eſt ſalutis, ipſa eſt flatus aſpidis, virus animi, vrebo virtutum aura corrumpens ſtillicidia pietatis, rorem gratiæ, & miſericordiæ fluenta deſiccans.* Obuium eſt, ſingulas enucleare ſententias, moraliſſimi ſucci plenas, quò ingratitudinem auerſati, gratitudo tanquam virtutum cenſu, beneficiorum fœcunditas, & omnium ſanctitatum vigor, atque ſubſiſtentia perametur.

---

## ſ. CCCXVI.

### *Homo tot beneficiorum reus eſt, quorum & ingratus.*

1. *Ingratitudo proditur, & culpatur.* PRodeſt gratum eſſe; & quamuis habeat aliqua extra ſe commoda, ſepoſitis quoque illis ac remotis gratitudo placeat, eróque gratus etiā ſi noceat. Qui gratus eſt quid ſequitur? Vt hæc res illi alios amicos, alia beneficia conciliet. Ingratus eſt, qui in referenda gratia aliud datum videt, qui ſperat cùm reddit. Ingratum voco, qui vbi primùm beneficium accipit, non primam penſionem ſoluit, voluntatem inquam, referendæ gratiæ; qui etſi bono animo accipiat, non bono debet; qui quod debeat, in animo tenet clauſum, nec ore, nutu, & manu tranſlucet. Gratitudo referendæ gratiæ impar, actuoſa eſt, ceſſare neſcit: impotentia ſine conatu iners, beneficij accepti obliuia ſubornat, & ingratitudini vicinatur. Caueat ingratus: ne totam Largitoris beneficentiam aduerſus ſe obarmet.

2. *Gen 13. v. 4.* Geneſeos 12. Abrahamus vt Chananitidis famem declinaret, in Ægypto peregrinatur, & Ægyptiis opibus benè latus, reuerſus eſt per iter, quo venerat, à meridie in Bethel vſque ad locum vbi priùs fixerat tabernaculum inter Bethel & Haï: *in loco altaris quod fecerat priùs, & inuocauit ibi nomen Domini.* Scilicet paulò ante famem exortam (vt habetur præcedenti cap. verſ. 8.) *Officina impetrationis ſuperſtes, ſit gratitudinis auſpicium, & monumentū.* Abrahamus inibi ædificauerat altare Domino, neque illud peracto ſacrificio demolitus eſt; quod (ſi ſpecie tenus vibretur cenſura) demoliri debuit, ne Dei ara ab idololatris contaminaretur, vt ex Abulenſi notat Salianus. Eccur ſanctum Dei altare periculo profanæ pollutionis exponatur? Nempè redituius erat Abraham poſt expletam in Ægypto famem, *in locum altaris quod fecerat prius*: maneat ergò altare erectum, in quo poſtulatum eſt beneficium, vt in eodemmet pro beneficio accepto gratiæ referantur. Illud ipſum altare in quo poſtulatur beneficium, ſit gratitudinis monumentum, & auſpicium gratiarum actionis; & altare quod preces detulit, impetrati beneficij referat gratias; ne altare quod petitionem nouit, impetrati beneficij gratitudinem ignoret. Eandemmet aram (aliquo licet periculo deuorato) teſtem ſuæ gratitudinis ſiſtit, ne de accepti beneficij reatu vnquam poſſit appellari. Nam *gens humana* (vt ſententioſè dixit *Tertull. Apolog. cap. 40.* Tertullianus) *illius rea eſt, cuius & ingrata*: ingratus enim ipſamet beneficia in reatum conuertit, beneficiorum infidè reus. Exindè Abrahamus non demolitur altare, quod erexerat priùs, vt quæ fuerat officina impetrationis, futuræ gratitudinis ſuperſtes notaculum auſpicatò foret, gratitudine precibus coæuâ. Ergò ipſum altare, in quo poſtulauerat beneficium, ſit pro ipſo accepto gratitudinis monumentum: & *in loco altaris quod fecerat priùs, inuocabit ibi nomen Domini.*

*P. Didac. Celada in Eſtherem.*

3. In huius hiſtoriæ Eſtheris cap. 16. cauſſam reddens Aſſuerus, cur tam acerbè in Amanum ſuccenſeat, ita ſcribit in epiſtolâ, quam ad omnes prouincias miſit, quò aſperioris edicti inuidiam temperaret: Et vt manifeſtiùs, inquit, quod dicimus, intelligatis, Aman filius Amadathi, & animo & gente Macedo, alienuſque à Perſarum ſanguine, & pietatem noſtram ſuâ crudelitate commaculans, peregrinus à nobis ſuſceptus eſt: *Et tantum in ſe expertus humanitatem, vt pater noſter vocaretur, & adoraretur ab omnibus poſt regem ſecundus.* *Eſther 16. v. 11.* Quare Aſſuerus vt ſeuerius ſupplicium ab inhumanitate vindicet, non hîc potiùs flagitioſa ſcelera denarrat, ſed eius honores, & ſublimem regiæ familiaritatis dignitatem? Hoc ne ſcelus eſt, an felicitatis ſumma? Num Aman infelicitatis, an immanitatis reus eſt? Qui nunc iuuat præcelſas recenſere dignitates, quibus regiâ beneficentiâ ſublimatus erat; vt inflictæ ſtragis acerbitatem coloret? Huius rei parallelum legere licet apud Danielem, vbi Chaldæorum Proceres ſic accuſant Hebræos apud Nabuchodonoſorem, quòd eius ſtatuam adorare renuant: *Sunt*, *Daniel. 3. v. 12.* inquiunt, *viri Iudæi, quos conſtituiſti ſuper opera regionis Babylonis, Sidrach, Miſach, & Abdenago*, &c. *S. Chryſoſt. homil. 4. ad Popul.* Quæ verba ſic ad rem expendit Chryſoſtomus: *Non ſimpliciter gentem commemorauerunt, ſed etiam honorem in memoriam reuocarunt, vt Regis iram accenderent. Ita maxima laus, accuſatio; & crimina, laudes fiunt.* Nimirùm inobedientia regio edicto, putatur eorum crimen, de quo eos apud regem accuſant, quaſi illius numen depretient: ſed accuſationi præmittunt eorum honores quibus regiâ beneficentiâ præcelsè eminent, vt ingratitudinem prodant. Nam maximus olim honor, maxima ingrati accuſatio eſt; & ſumma nuper dignitas, criminoſior culpa fit. Porrò ingratitudo degenere quâdam metamorphoſi laudes in vituperia, honores in ſcelera, dignitates in flagitia recudit. *Ita maxima laus, accuſatio; & crimina, laudes fiunt.* Hinc Aſſuerus ſummos Amani honores à ſe acceptos, tanquam ſummum illius reatum moraliſſimè recenſet. Nam gens Humana illius beneficij rea eſt, cuius & ingrata. Quâ de re hîc verſ. 5. viuaciùs conqueritur. *Hic v. 5.*

4. *Ioann. 13. v. 27.* Ioannis 13. Apoſtoli piè curioſi, auidè cupiebant prænoſcere, quis eorum Criſtum proditurus eſſet. Itaque cùm recubuiſſet Ioannes ſupra *S. Auguſt. Tract 62. in Ioann.* pectus Ieſu, dicit ei: Domine quis eſt qui tradet te? Reſpondit Ieſus: Ille eſt cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxiſſet panem, *B neuolentia notaculū ingrato Satanas eſt.* dedit Iudæ Simonis Iſcariotæ. *Et poſt buccellam, introiuit in eum Satanas.* Non putauerim per hanc buccellam innui Euchariſticū panem: *Si autem bonum aliquid* (ait inibi Auguſtinus) *hæc ſignificat tinctio, eidem bono ingratum meritò eſt ſecuta damnatio. Sequitur enim: Et poſt buccellam, introiuit in eum Satanas.* Ecce tibi buccella, ſpecialioris beneuolentiæ cupediis intincta, quæ eius debuit amorem ſauciare, dum ab ingrato accipitur, Satanæ viam ſternit, & cordis ianuam reſerat: indéque criminoſior, & obſtinatior factus eſt, vndè credi poterat emollitus. Eheu beneuolentiæ notaculum, Satanas ingratus eſt!

S. Baſilius diſputans contra Eunomium, ita

S. Baſil. l. 5. aduerſ. Eunom. Ad Epheſ. 6. v. 17.

ſcribit: *Propterea, inquit, & Dei quidem verbum, Filius eſt, Filij autem verbum Spiritus.* Quod probare admititur ex Paullo ad Epheſios 6. *Quoniam verbum Filij per Deum, gladium, inquit, Spiritus, quod eſt verbum Dei: verbum autem Dei viuens ac operans.* Scio Scholaſticos doctores à S. Thoma peritè imbutos, hanc B. Baſilij locutionem, quâ Spiritus ſanctus, dicitur verbum Filij: impropriè accipere: filius enim propriè Patris verbum eſt. Verùm Spiritus-ſanctus, etſi impropriè, moraliſſimè tamen dicitur Filij verbum, ſiue ſermo, aut interpres. Amor enim optimus rei amatæ ſermo, ſeu interpres eſt. (de quo aliàs) Et nota ad rem præſentem, quòd Spiritus-ſanctus, qui ex proprio charactere procedit vt amor, & donum eſt, tempeſtiuè dicitur, *viuus gladius.* Magnum enim donum, Deo dato & datore dignum, ingratis non vtcumque *gladius* qui eos acerbiùs feriat; ſed *viuus gladius*, vel potiùs Deus gladius eſt. Serò enim videri poſſet Spiritus-ſanctus magno huic dono ingratos punire, niſi ipſomet dono omnipotentet punirentur. Inde Spiritus-ſanctus, qui amor & donum eſt, gladius etiam eſt: *Et gladium, inquit, Spiritus, quod eſt verbum Dei.* Non ſum neſcius per *gladium ſpiritus*, intelligi *gladium ſpiritualem*: ſed ex Magni Baſilij interpretatione ſic iuuat ad mores velitari.

*Cur Spiritus, qui eſt amor, & donum, dicatur gladius viuus.*

6. Matth. 24. v. 30. *In die iudicij, ſignum crucis accuſabit damnandos.*

Matthæi 24. præuia extremi iudicij ſigna his verbis Chriſtus demonſtrat: Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur: *Et tunc parebit ſignum Filij hominis in cælo: & tunc plangent omnes tribus terræ.* Per ſignum Filij hominis, communiter Interpretes Crucem ſignificari putant: tametſi alij ſeriò reſtagentur, quorsùm enim in ſumptuoſiùs glorioſâ Iudicij pompâ. & acerbæ damnationis ſeueriſſimo horrore, beneficæ crucis ſignum oſtentetur? Belle inibi Hugo Catenſis ex Chryſoſtomo: *Tunc apparebit ſignũ Filij hominis, id eſt, crux in aere. Crux apparebit Sole luculentior exiſtens: & non eſt neceſſitas accuſationis, cùm viderint crucem.* Ecce tibi crux ipſa, quæ gratiarum extitit fons, & copioſæ redemptionis officina; dum cæleſtibus beneficiis exundans proponitur, ſceleroſè ingratos peracerbè accuſat, vtriſq; videndo. Faceſſant inde dæmones atrociter accuſatores, ſileat cõſcientię ſuffragium: *non eſt neceſſitas accuſationis, cùm viderint crucẽ.* O auguſtiora beneficia nobiliter time!

Hugo ibid.

7. Lucæ 12. v. 17. *Ingratitudo ex quadam parte Deum reprehendit.* S. Leo ſer. 1. de Ieiun. doc. meſ. &c.

Lucæ 12. hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager attulit: *& cogitabat intra ſe, dicens: Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos!* Vide animi angorem ex vbertate natum. Et vbi eſt gratiarum actio pro abundantia vberiùs exundante? S. Leo præfata Lucæ verba exponens ita ad rem ſcribit. Cùm ergò, inquit, Deus bonos nos eſſe velit, nihil nobis debet de eius iudiciis diſplicere. *Nam non per omnia illi gratias agere, quid eſt aliud, quàm ex quadam eum parte reprehendere? Audet plerumque humana inſipientia aduerſus Creatorem ſuum, non ſolùm de inopia, ſed etiam de copia, murmurare: vt & cùm aliquid non ſuppetit querula; & cum quadam exuberant, ſit ingrata. Multa meſſis dominus horreorum ſuorum plenitudinem faſtidiuit, & ad copiam vindemiæ affluentis ingemuit. Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos?* Ecce abundantia aduerſus ingratos armatur in Dei vltionem: nam exundans ingratitudo *ex quadam parte Deum reprehendit.*

8. Geneſ. 1. v. 26.

Geneſeos 1. magno verborum apparatu hominis formatio præſtruitur: *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis vniuerſæque terræ, omnique reptili quod mouetur in terra.* Tandem homo tot gratiis ac dignitatibus opulenter dotatus, de infirmiſſima rerum ſubſtantia materiatus eſt: *Formauit igitur dominus Deus hominem de limo terræ.* Hinc opinatiſſima illa Irenæi ſententia contra Hæreſes cap. 28. *Non quaſi indigens Deus hominem plaſmauit, ſed vt haberet in quem collocaret ſua beneficia.* Nimirum Deus ſummè beneficus eſt, & de immetata bonitate ſumptuoſiùs munificus: ergo vacare videretur eius opulentior liberalitas, niſi crearetur homo, in quẽ ſua beneficia largiùs collocaret. Sed verior, vt limus par non ſit ad tot beneficia grate ferenda: nam quantò opulentiùs beneficiis oneratur, tantò de cognata tenuitate & leuitate citiùs ſuccumbit aliquo ingratitudinis lenocinio. Scitè rem tetigit Rupertus lib. 2. de Victor. Verbi Dei cap. 12. vbi de Angelo, & de homine ita ſcribit: *Illum in capite celſitudinis Angelicæ conſtituit; iſtum in patrem multitudinis hominum, multitudinis ſanctorum, & Dei filiorum eſſe volens, in paradiſo collocauit: magna vtriuſque altitudo, illius in principatu Angelico, iſtius in propagando genere humano. Neuter pondus tanti honoris humiliter ferre potuit, vt potè vterque creatura leuis: vnde autem leuitas vtriuſque naturæ, niſi ex propria conditione?* (Penſiculatiùs attendenda ſunt verba, quæ ſubiicit, quò abiectiſſimi ingratitudinis natales prodantur) *Et vt manifeſtiùs dictum ſit, vnde vterque leuis, niſi quia de nihilo, vel de non exiſtentibus creata eſt? quia ergo tam Angelus quàm homo de nihilo creatus creatura leuis eſt, & niſi ipſum, per quod creata eſt Verbum domini, Verbum increatum per amorem ſuſcipiat, nullius ponderis eſt nullum Dei donum, ſiue beneficium ferre poteſt humiliter.* Ecce tibi ignominioſos ſuperbæ ingratitudinis natales, vnde beneficiis obliuione ſepultis, in barbaricam ingratitudinem homo degenerat. De limi ſui lutoſâ vilitate ingratitudo humana naſcitur, quia *homo de nihilo creatus creatura leuis eſt, & nullum Dei donum, ſiue beneficium ferre poteſt,* quaſi homo ſuæ etiam naturæ & ſubſtantiæ reus ſit, quoniam illa vilitatis ſuæ vitio ingratitudinem inſidioſe ſubornat: & homo creatus vt Deus in eo ſua collocaret beneficia, tot beneficiorum reus eſt, quorum & ingratus inuenitur.

Geneſ. 2. v. 7. S Irenæus. *Homo creatus eſt, vt Deus haberet in quem beneficia ſua collocaret.* Rupert. *De cognata hominibus vilitate, humana ingratitudo naſcitur.*

## ſ. CCCXVII.

*Scelerum loco eſt, apud inertem dignitas.*

MAgna ſeruitus eſt magna fortuna: quin & magnus ſæpe reatus. Non vni ſibi viuit, qui omnibus præeſt. Qui ſubiectorum flagitia non compeſcit, tametſi priuatim ipſe innoxius, egregiè culpatur, & iure peccat. Certe ſcelerum loco eſt, apud inertem dignitas. Pulchrè Seneca: *Iudex damnatur, cùm nocens abſoluitur.* Porrò ſicut reus eſt reatus alieni, ſic nocentis impunitate culpatur. Reatum omnẽ ſcrutetur, examinet, compeſcat, puniat. Qui ſecùs faxit, iure illi imputabitur 1.

*Iudex damnatur, cùm nocens abſoluitur.* Seneca in Prouerb.

putabitur. Seriò puret, ſe aliorum delictis offendi, quorum reatu ipſe Deum & homines offēdit. Hic v. 5. Quâ ſuper re hîc Aſſuerus Amanem meritò culpat, & indè in eum ſeueriùs animaduertit.

2. Gen. 33. v. 13. Eugub. ibi. Caietan. inibi. *Bonus paſtor claudicantē onem ſupra ſe ſentit* Geneſeos 33. vrbane recuſat Iacob fratrem Eſaü habere itineris ſocium, dicens? *Noſti Domine mi, quòd paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas mecum.* Eugubinus ex Baſilienſi codice pro τὸ *mecum*, habet, *Claudicantes ſuper me.* Et putat Caietanus adludi ad Iacobi claudicationem. Scilicet Paſtor claudus quantumuis alioqui ſanum, integrum, & validum gregē habet, claudicantem facit, quaſi Paſtoris vitio langueat pecus, quod claudicat claudicante paſtore. Sic paſtorum vitium contagio ſerpit in gregem? Heu velut originalia paſtorum delicta! Vel aliter, ad rem opportuniùs, *Claudicantes ſuper me.* Bonus inquam Paſtor Iacob, & paſtorū typus, paruulos & teneros filios, & oues cum agnis habet *claudicantes ſuper ſe.* Super paſtorem claudicat grex? Sic ſentit claudicationem, cùm ouis impingit, ac ſi *ſupra ſe* impingeret, atque *claudicaret*? Sentire non dicitur, cùm non offenſat, ſed rectè graditur; & claudicationem ſuper ſe factam queritur? Bonus paſtor, qui vitioſam ouium claudicationem qu ſi ſupra ſe fiat, ægrè ſuſtinet. Sic vellem vt rationalium ouium paſtores, ſubiectorum claudicationem quaſi ſupra ſe factam ſentirent; & dum ſubiectæ oues offenſant, & paſſim impingunt, ſe *claudicare*, & periculosè offenſare reputent.

3. Eſther 1. v. 16. P. Mariana ex Hebr. ix. ibi. *Quiſquis ſubiectorum iniquè agit, Regē lædit.* Eſther 1. Mamuchan, è ſeptem illis ſapientibus præcipuus, ſuper renutum in publicum prodeundi reginæ Vaſthi, hanc rogatus ſententiam dicit: Reſponditque Mamuchan audiente rege, atque principibus? *Non ſolùm regem læſit regina Vaſthi, ſed & omnes populos, & principes.* Pro τὸ *Regem læſit, & Principes*, P. Ioannes de Mariana ex Hebraicâ origine, ita excribit, & exceptione locum moraliſſimè exponit: *Regem læſit. Hebraicè. Iniquè egit.* O ſynonima in paucis tempeſtiua! Idem ne eſt, in linguâ ſanctâ myſteriorum grauidâ, *iniquè egit*, ac *Regem læſit*? Profectò ſubiectus populus multimodè poteſt *iniquè agere*, quin læſæ maieſtatis reus exiſtat. Quis hoc neget? quis non videat? At vſqueadeò debet Gubernator ſubiectorum ſcelera grauatè ferre, & eorum flagitiis offendi, ac ſi ipſemet ſubditorum iniquitate læderetur. O quàm exardeſcit Regū furor aduerſus læſæ maieſtatis reos! Læſam maieſtatem offendiſſe putet quiſquis ſceleſtè agit. Sic Gubernatorem culpat ſubiectorum iniquitas? *Regem læſit*, id eſt, *iniquè egit*: quia Regis etiam conſcientiam lædit, qui iniquè agit.

4. Ad Hebr. 13. v. 17. S. Chryſoſt. ibi. *Quanto cum periculo Rectoratus geratur.* Gentium doctor ad Hebræos 13. *Obedite*, inquit, *Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Sanè locus ad hoc thema ſudatus. Sed Chryſoſtomi ad ea verba minas non tonare, nefas ducerem: *Quid dicis vigilant? imminet periculum eius capiti, ſubiicitur pœnis tuorum peccatorum, & propter te eſt tanto obnoxius timori........ Papè quantum eſt periculum! Quid miſeris illis dixeris, qui ſe coniiciunt in tantam abyſſum ſuppliciorum? Omnium quos regis mulierum, & virorum, & puerorum, à te reddenda eſt ratio, tanto igni caput tuum ſubiicis. Miror an fieri poſſit, vt aliquis ex Rectoribus ſit ſaluus, cùm videas poſt minas, & præſentem ſocordiam, aliquos adhuc occurrentes, & ſe coniicientes in tantam molem* rectionis. Heu nimis verè! ergò metuat.

Geneſeos 34. Simeonem & Leui, quibus reliqua familiæ turba poſteà militauit in Sichimorum excidio, ſic bonus pater reprehendit: *Turbaſtis me, & odioſum feciſtis me Chananæis.* Addunt LXX. Interpretes: *Ita vt ego malus ſim omnibus habitantibus terram.* Bonus erat Iacob in omnibus vitæ ſuæ ætatibus æquè pius in Deum, & mitis ac beneficus in homines. At vbi à familiæ ſcelere *odioſus* factus eſt, de aliorum odio confeſtim *malus* eſt apud omnes terræ habitatores. Tantùm affectibus licet! Aut certè Iacob bonus ſemper & optimus, quia aliqui ex familiâ cui præerat, ſe inſcio ſceleroſum perpetrarunt crimen, iam apud *omnes habitantes terram malus* habetur. Flagitioſæ malitiæ culpam neſcit, & impactum ſibi reatum non ignorat. 5. Gen. 34. v. 30. LXX. interp. *Iacob de familia malitiâ imbonus habetur.*

Geneſis 18. tres illi Angeli lauto excepti conuiuio, vt gratificarētur obſequio, maſculam prolem è coniuge Sarâ ſpondent Abrahamo. Reuertens, inquit, veniam ad te tempore iſto, vitâ comite, & habebit filium Sara vxor tua. Quo audito, Sara riſit poſt oſtium tabernaculi. Erant enim ambo ſenes, prouectæque ætatis, & deſierant Saræ fieri muliebria. *Quæ riſit occultè, dicens: Poſt quā conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo? Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare riſit Sara, dicens: Num paritura ſum anus?* Hæc interrogatio Abrahamo facta, non parùm negotij Interpretibus faceſſit. Porrò cap. præcedenti eadem promiſſio ipſi Abrahamo facta, ob eandemmet rationem, Abrahæ etiam riſum mouit. Sic enim ſcribitur: *Cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit, dicens in corde ſuo: Putaſne centenario naſcetur filius? & Sara nonagenaria pariet?* Idem erat vtrobique qui promiſit, idem quod promittebat: ob eandem proſſus rationem pariter vterque riſit: & tamē increpatur Abrahamus quòd vxor Sara riſerit, qui ob proprium coram riſum minimè increpatur. Quod in qq. ſuper Geneſim acutè notauit Auguſtinus: *Quare riſit Sara, &c. Arguitur Sara quia riſit, & non Abraham, cùm tamen ſuperiùs ſimiliter riſerit & ipſe.* Addit inibi Lipomanus: *Sara autem ridendo & dubitando peccauit, & tamen Angelus non ſtatim eam increpauit, ſed primò eius maritum ſciſcitatus eſt, cur ipſa riſiſſet.* Scilicet parùm fuiſſet, quòd Angelus ſciſcitaretur maritum familiæ rectorem, de ſubiectæ vxoris delicto, niſi cauſſam perquireret delinquendi. Sic vxorum conſcientia debet eſſe peruia maritis? Nec motiuum vxoriæ culpæ debet latere maritum? (Hæc obiter perſtrinxerim) Et ſanè cùm Abraham fuerit paterfamilias, & familiæ rector, tametſi eius riſus abſque increpatione ferè negligitur; de ſubiectæ Saræ riſu etſi occulto (riſit enim apud *ſemetipſam*, vt exponunt Hieronymus & Chryſoſtomus) incunctanter arguitur, & rigido examine, vxorij riſus cauſſa ab eo diſquiritur. Nimirùm adſimilis riſus ei non imputatur, tametſi ipſe riſerat: at ſubiectæ Saræ riſus non modò illi imputatur; ſed & iubetur cauſſam reddere & motiuum euulgare, ob quod ſubiecta ei Sara, etiam occultè, & apud ſemetipſam, deliquerit. *Arguitur Sara quia riſit, & non Abraham cùm tamen ſuperiùs ſimiliter riſerit & ipſe........ Angelus eius maritum ſciſcitatus eſt, cur ipſa riſerit.* Hem, ſic ſubiectæ domus rectori, familiæ delicta imputantur? 6. Gen. 18. v. 12. *Familiæ rector, non tam ob ſua delicta, quàm ob familiæ delicta arguitur?* Gen. 17. v. 17. S. Auguſt. q. q. ſuper Geneſ. Lipom. ibi.

Eccleſiaſtici 45. Excelſum, inquit, fecit Aaron 7.

 fratrem

Eccl. 45. v. 8. fratrem eius; (Moyſis) & ſtatuit ei teſtamentum æternum, *Et dedit illi ſacerdotium gentis, & beatificauit illum in gloria.* Quæ verba ſic excribit & exponit Syrus: *dedit ſuper illum de honore ſuo & gloria, elegitque illum in celſitudine honoris ſui.*

Syrus. Palac. apud P. Cornel ibi

*Num viſione aliquâ Dei præſtruatur Aaron ad gerendum Pontificatum?*

Palacius apud Cornelium inibi, *per gloriam accipit viſionem Dei. Sicut enim Deus hanc gloriam dedit Moyſi, vt Deum viderit, & cum eo tractarit; ſic & eandem communicauit fratri eius Aaron.* Nempè dum Aaron inauguratur ſummus populi Præſul, & rationali adornatur, portâtque deſcriptas ſuper ſe omnes ſubiectæ gentis tribus, *tunc beatificatur in gloria*, id eſt, Dei viſione (qualis qualis illa fuerit, quæ Moyſi etiam communicata fuit) adſimiliter beatur. Hac Dei viſione, & parte gloriæ præſtruendus & præmuniendus eſt Præſul, qui totius populi onus ſuper ſe tollit, rationem Deo de ſingulis redditurus? Hoc honore, & hac gloriâ diſcat qualis quantúſque iam ſit, & tantæ gloriæ vita reſpondeat, ne tot animarum onera periculosè ſubeat. Exinde Ambroſius de dignit. Sacerdot. ita notanter ſcribit: *Dignè, inquit, noſcamus quod ſumus; & quod ſumus profeſſione, actione potius quàm nomine demonſtremus: vt nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini: ne ſit nomen inane, & crimen immane; ne ſit honor ſublimis, & vita deformis.* Crimen immane dicitur quo delinquit Superior ſubiectorum delictis. Vnde bonus Paſtor Iacob claudicantes oues ſupra ſe ſentiebat: & in ſe bonus, malus dicitur filiorum reatu. Et Abraham qui impunè riſit, de ſubiectæ Saræ riſu, & cauſſa ridendi, mortaliſſimè arguitur. Hoc *crimen immane* committere verebatur Pius V. Pontifex maximus, qui dum in Pontificem eligeretur, expalluit, & intremuit. Rogatus cauſſam, dixit: *Cùm in monaſterio viuerem mihi & Deo, optimè ſperabam de mea ſalute: creatus Epiſcopus & Cardinalis timere cœpi: nunc ferè de ea deſpero. Quis enim totius Eccleſiæ molem, quis tot animarum onus ſuſtineat ſine euidenti ſalutis periculo?* Idcircò Aaron dum Hebrææ gentis Pontifex creatur, & totius populi onus veſtibus induit, viſione illa Dei allicitur, ne onus detrectet; præſtruitur, ne ſuccumbat tantâ animarum mole oppreſſus, ne aliorum crimen *crimen immane* illius cæleſti exactiùs cenſurâ reputetur.

S. Ambroſ. de dignit. Sacerd. c. 3.

Pius V. apud Cornel. in Eccl. 32. v. 2.

8. Prouerbiorum 5. *Reſpicit Dominus vias hominis, & omnes greſſus eius conſiderat.* In Hebræo textu ſic locus effertur: *Coram oculis domini via hominis, & omnes ſemitas eius ad amuſſim librat.* LXX. Interpretes ſic locum exponunt: *Sunt coram oculis Dei viæ viri, & in omnes eius orbitas* (Aquila, *flexus*; Symmachus, *gyros*) *ſpeculatur.* Ecqui ſunt hi *flexus gyrus*, & *orbitæ viarum viri*, quas Deus ſic attentè contemplatur, conſiderat, & ad libellam ſeu bilancem librat & ponderat? Reſpondet Salomon verſ. ſequenti: *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur;* Arabicus, *ligatur*: Vatablus, *irretitur*, Symmachus, *comprehenditur*; Pagninus, *tenetur*. Quod tempeſtiuè ad rem Hebræus textus habet, (ſic locum excribens, & excriptione exponens) *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum* יִתָּמֵךְ *iittamedh*, id eſt, (vt inibi notat Cornelius) *fulcitur*; *tenetur in alto ne cadat.* Exinde Rabbi Salomon interpretatur, *ſuſpenditur.* Suſpenſus enim, inquit ipſe, funibus laqueiſque peccatorum, à quibus pendet, *fulcitur.* O benè! *Vir*, qui in dignitatum faſtigio ſtat, & per ſublimitatum crepidines indignè ac ſceleroſè ambulat, caſui proximus, & ruinæ vicinus exiſtimari poterat, de fortunæ inconſtantia omnia ſúſque déque verſante; ſed ſi quando in faſtigio perſeuerat, ne illi inuideris, cùm potiùs pœnaliſſimo ſcelerum ſupplicio deputandum ſit: *funibus peccatorum ſuorum fulcitur, & tenetur in alto, ne cadat.* Indignus porrò in faſtigio non ſtat fixus, ſed ſuſpenſus, & caſuro ſimilis; ad pœnæ autem incrementum, nondum præceps ruit, ſed *tenetur in alto, ne cadat.* Heu ſuorum ſcelerum teſtibus *fulcitur*, qui indignè & ſceleroſè faſtigia occupat! O time!

Prouerb. 5. v. 21. Hebræus. LXX. interp. Aquila. Symmach.

*Scelesti indignum funibus peccatorum tenetur in alto, ne cadat.*

Prouerb 5. v. 22. Arabicus Vatablus Symmachus. Pagninus. Hebræus. Cornelius. Rab. Salomon.

---

## §. CCCXVIII.

*Quibus abeſt conſcientia pudicitiæ, nil verum adeſſe ſolet: quaſi mendacium ſit luxuriæ ſequela, & veritas caſtitatis appendix.*

IN arduo eſt Veri exploratio, ſed eò imus in humana conuerſatione, quò ducit veriſimilitudo. Omne hac viâ procedit officium. Sequimur quà ratio, non quà veritas trahit. Non quia Veritas ſit ſapiēti inuidioſa, ſed inuiſa. Fallaces enim ſunt rerum ſpecies, quibus credimus. Sed nihil aliud inuenio per quod cogitationem regam, & linguam. His veritas mihi veſtigiis ſequenda eſt: certiora non habeo. Hæc, vt quàm diligentiſſimè æſtimem, operam dabo; nec citò illis aſſentior. Nō eſt ſuperuacua hæc ſollertior cautela: res ſumma vertitur, dum Veritatis cauſſa à viro ſapiente agitur: ne virgo veritas ſcortari cogatur, & tot pati ſtupra, quot inconſulta loquentium ora. Nemo plerumque niſi malè impudicus, benè pudicam veritatem adulterat, & ad mendacij proſtibulum cogit. Caſtitatis notaculum in ore præfert: cui turpe eſt veritatem fatigare. Hinc à Clemente Alexandrino, *Caſta veritas* pulchrè nominatur, & ſalaciſſimus Aman, mendaciorum architectus hic apparet. 1.

*Prudentis eſt non facilè credere.*

Hic v. 6. & 7. Caſta veritas. Clem. Alex. 5. ſtr. c. 2.

Geneſeos 38. Chananæa illa Thamar, Iacobææ prolis intemperanter auida; depoſitâ prolixæ viduitatis veſte, Iudæ ſoceri fraudem, id eſt, theriſtrum, ſiue æſtiualia induit. Scilicet libidinis æſtas, æſtiualem aſſumit ornatum, quò laſciuiæ æſtu Iudas ſpectator exæſtuet noxio laſciuiæ feruore. Itaque nunciatū eſt Thamari, quòd ſocer illius aſcenderet in Thamnas ad tondendas oues. Quæ, depoſitis viduitatis veſtibus, aſſumpſit theriſtrum, & mutato habitu, ſedit in biuio itineris, quod ducit Thamnan: eò quòd creuiſſet Sela, & non eum accepiſſet maritum. *Quam cùm vidiſſet Iudas ſuſpicatus eſt eſſe meretricem: operuerat enim vultum ſuum, ne agnoſceretur. Ingrediénſque ad eam, ait: Dimitte me vt coeam tecum: neſciebat enim quòd nurus ſua eſſet*, &c. Et vnde Thamar prænouit, ſocerum Iudam facilè pelliciendum in ſui amorem? Leuicula tunc femina, vnde de grauiſſimo Patriarcha id conijcere potuit? Tempeſtiuè inibi Lipomanus ita ad Lemma præſens ſcribit: *Habitu ornatiore ſe induit Thamar, vt pelliceret ad ſui deſiderium. Sciuerat enim Socerum conuiuio lætum interfuiſſe. Viderat demum manifeſtè mentitum, dato filio ſuo Se à alteri.* 2.

*Libido, appendix mendacij, & violatæ fidei ſequela putatur.*

Geneſ. 38. v. 15. & 16.

Lipom. inidem.

*alteri*. Nimirùm ſagaciſſimè Thamar ex manifeſto Iudæ mendacio, occultam eiuſdem libidinem arguit.quaſi luxuria ſit appendix mendacij, & violatæ fidei certior ſequela.

3. Ierem.3. v.9.

Ieremiæ 3. (vt alibi perſæpè in ſacris Bibliis) propudioſo fornicationis & adulterij nomine, Idololatria denotatur. Sic enim lugubris Propheta cum Iſraele expoſtulat: *Et facilitate fornicationis ſuæ contaminauit terram, & mœchata eſt cum lapide & ligno*. Mirifſimum ſanè eſt, quòd Idololatria dum exculio ligno & lapidi diuinos honores fatue defert, ſcortationis propudio denotetur. Quæ nam eſt cognatio Idololatriæ cum libidine? Libido fluxæ carnis negotium eſt: Idololatria falſatæ animitùs mentis iners otium, & futile deceptæ aſſenſionis elogium. Quod ergò eſt Idololatriæ cum libidine commercium? Tertullianus alto ſtilo ſic ad rem fatur: *Proindè, adulterium & ſtuprum in eodem* (Idololatriæ negotio inquam) *recognoſcas. Nam qui falſis Deis ſeruit, ſine dubio adulter eſt veritatis, quia omne falſum adulterium eſt. Sic & in ſtupro mergitur*. Scilicet violata veritas erroris libidine, vicini adulterij, & cognati ſtupri vocabula mutuatur. Qui ethnico eſt deceptus errore, dum mendaces Deos colit, adulter eſt veritatis. Qui autem veritatis adulter eſt, adulteranti libidini vicinatur: *quia omne falſum adulterium eſt. ſic & in ſtupro mergitur*. Sic libido conuiſceratur mendacio, aut falſitati laſciuia confinis eſt! A veritatis ſtupro ad libidinis commercium petitus nimis exitus eſt. (Sic liceat ex Tertulliani verbis ad mores veluari.)

*Omne falſū, adulterium eſt. Sic & in ſtupro mergunt.*

Tertull l. de Idolol. c.1.

4. Ioſue 2. v. 1. & 4. & 5.

Ioſue 2. magnus hic Hebrææ gentis dux, miſit duos viros in abſcondito, qui vrbem Iericho attentius explorarent. *Qui pergentes ingreſſi ſunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, & quieuerunt apud eam*. Cúmque Ierichuntini regis Miniſtri eam vrgerent, vt exploratores traderet: ipſa quæ nuper viros domi ſuæ abſconſos retinebat, reſpondit: *Fateor, venerunt ad me, ſed neſciebam vnde eſſent: cúmque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, neſcio quo abierunt*. Gemina hinc apud Expoſitores exurgit quæſtio, magnâ ingenij, & eruditionis contentione ſæpiùs agitata, an hæc Rahab verè fuerit meretoria femina, obuiæ libidini proſtituta; quippè quæ *meretrix* dicitur: an etiam mentita ſit, de abſconſis à ſe exploratoribus, aiens, & ipſos pariter è domo ſuâ exiiſſe, ipſámque quo abierint, proſſus neſcire. Lyranus, qui non meretricem, ſed cauponam putat; cùm eam a libidine quaſi pudicam aſſerat, (vt porè quæ Salmoni principi ex regiâ tribu Iudæ confeſtim nupſerit, ex eâque Chriſtus Deus prognatus ſit) facilè à mendacio pariter vendicabit, cognata vitia funditùs extirpans, ne alterutrum ex altero argui poſſit. Rupertus Tuitienſis agens de obſtetricum apud Pharaonem mendacio, ita de Rahab ſcribit: *Ergo qui obſtetrices pro tot infantibus ſeruandis mentientes accuſant, conſequitur vt multò magis pro duobus hominibus liberandis mentientem non iuſtificent Rahab, quam & prophetica ſimul & euāgelica iuſtificat auctoritas. In Euangelio namque Chriſti mater aſſumitur, & parens veritatis, quæ Chriſtus ipſe eſt*. Scilicet Rahab etſi ſpecie tenus mentita videtur, reipsâ tamen mentita non eſt; quia in Euangelio Matthæi ab imputato meretricio iuſtificatur, & *Chriſti mater aſſumitur, & parens veritatis*. Nempè dum ab Euangeliſtâ

*Rahab à meretricio iuſtificatur à Matthæo; exinde parens veritatis inducitur.*

Rupert. in c. 2. Exod.

*Chriſti mater* inducitur, à meretriciâ ſuſpicione (ex ſententiâ Ruperti) *iuſtificatur*. exinde mentita non eſt, quia *parens veritatis* eſt.

Exodi 4. poſtquam Moyſes diu multúmque recuſauerat legationem in Ægyptum, aiens: *Non credent mihi, neque audient vocem meam*; tandem cum Sephorâ proficiſcitur: quæ poſt intentatam ab Angelo mariti necem, in domum patris ſui ipſa inopinato conſilio reuertitur. Ecur Moyſes vxorem ex itinere dimittit, & quaſi cœlebs in Ægyptum ingreditur? An quia dum timebat, ne ipſi non crederent, de meliori diſtrictioris pudicitiæ, credibilitatem ſibi adſtruit? Et ſanè qui nuper habitans cum vxore, poſt edita miracula, dicebat: *Non credent mihi*; vxore iam dimiſſâ, & cœlibem agens vitam; poſt facta ſigna, ipſe de ſe ſcribit: *Credidit populus*. Appoſitè Tertullianus librum de Pudicitiâ hoc auſpicio inchoat: *Pudicitia flos morum, honor corporum, decor ſexuum, integritas ſanguinis, fides generis, fundamentum ſanctitatis*, &c. Ecce tibi pudicitia ſententiosè appellatur: *Fides generis*. quaſi qui pudicus eſt, fide dignus ſit & quantum adijcitur pudicitiæ, tantùm auctoritati adcreſcat.

5. Exod 4. v. 31. Tertull. de Pudicit. c. 1.

*Quantùm caſtitati adijcitur, tantū auctoritati adcreſcit.*

6. Gen. 3. v. 5.

Geneſeos 3. mendax aſtutè ſerpens, his verbis Protoparentes in errorem inducit: Nequaquam, inquit, morìemini. Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri: *& eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum*. Quæ verba ſic Rabanus Maurus elucidat: *Numeroſitatem Deorum illis credendam propoſuit, dicens: eritis ſicut Dij, quatenùs ſi forte ad inobedientiam eos pertrahere nequiret, fidei tamen quâ vnum Deum colebant, caſtitatem corrumperet*. Eſt enim, ſicut errorum libido, ſua etiam veræ fidei caſtitas: quaſi vera caſtitas ſit veræ fidei bibula, & luxuria matrix errorum, & ficta credulitatis titubatio. Sic mendacij parens, veritatis interpolator, & errorum architectus, *fidei caſtitatem corrumpere* ſatagit, quo fides ſine caſtitate, malignè apud homines faciat.

Raban. ibi. *Fides ſine caſtitate, malignè facit fidem.*

7. Tertull. l. de Cult. fem. c. 1.

Tertullianus in lib. de Cultu fæmin. ambitioſum in veſtibus ornatum, quo etiam pudicæ feminæ luxuriari ſolitant, his verbis ſeueriùs caſtigat: Pleræque, inquit, aut ignorantes ſimplicitet, aut diſſimulantes audacter, ita ingrediuntur, quaſi pudicitia in ſolâ carnis integritate, & ſtupri auerſione conſiſtat; nec quicquam extrinſecùs opus ſit, de cultus dico, & ornatus diſpoſitione. Sed enim perſeuerant in priſtinis ſtudiis formæ & nitoris ſui, *eandem ſui ſpeciem circumferentes, quam femina Nationum, à quibus abeſt vera conſcientia vera pudicitia: quia nihil verum in his, quæ Deum neſciunt præſidem & magiſtrum veritatis*. Sapienter itaque Tertullianus in feminis Nationum, à quibus abeſt conſcientia ſolidæ & integræ *pudicitiæ nihil verum* agnoſcit; quippè quæ Deum præſidem & magiſtrum veritatis ignorant. Quaſi conſcientia pudicitiæ ſit veritatis patria, & mendaciorum exilium. Exindè nil ferè verum eſt, vbi caſtitas non eſt: nam *quibus abeſt conſcientia pudicitiæ, nihil verum* plerumque adeſt. Imò & virtutes ipſæ (ſi quæ adeſſe videntur) ſæpiùs fictæ ſunt, mentitæ, falſatæ, & adulterino veritatis penicillo, ſpecie tenus fucatæ, quo virium tectiùs virtutem mentiuntur.

*Quibus adeſt conſcientia pudicitia, nil verum adeſſe dicitur.*

*Deus, præſes veritatis appellatur.*

Mulier illa Samaritana nuper libidine famoſa, iam de Chriſti colloquio præcoqua veritatis annunciatrix; relictâ hydriâ iuxta puteum, abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus: *Venite & videte*

Ioann. 4. v. 29.

*videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: numquid ipſe eſt Chriſtus?* Nemo auditorum ignorabat, quòd qui propudioſæ meretrici dixerat omnia quæcumque fecerat, libidinis impudentiam non tacuit. Quomodo ergò credunt ſcorto Samaritani homines dudùm vrbaniſſimi? O inconſultam leuitatem! ſalaciſſimæ feminæ Euangelium creditur? Crediderim potiùs, quòd vel Euangelium incredibile forſan videbitur in ore meretricis. S. Maximus loquens de Samaritanâ, ita ad rem ſcribit; De hâc dixiſſe Prophetam puto: Eiuſmodi eſt iniqua via mulieris meretricis, quæ cùm ſe abluerit, nihil ſe dicit feciſſe prauum. De hâc planè dictum eſt, quæ poſtquam eſt fonte abluta Saluatoris, delictorum vitia non meminit, virtutem prædicationis aſſumit: & viuâ aquâ abſtergens maculas ſuas, ad Euangelizandum non conſcientiâ peccati retrahitur, ſed fidei calore compellitur. *Nihil enim ſe dicit feciſſe prauitatis, dum ſit nuncia veritatis; & obliuione abnegat impudicitiam, dum deuotione prædicat caſtitatem. Hæc enim virtus Chriſti & Domini, vt quamuis peccator qui eius vndâ ſe lauerit, denuò in virginem reparatus, non meminerit antè quod fecerit: & rediuiuâ natiuitate infantiæ innocentiam præferat, iuuentutis ſcelera non agnoſcat: ſitque virgo fide Chriſti, qui fuerat adulter corruptione peccati.* Ecce tibi, vt Euangelij prædicatio impudicæ Samaritanæ concredatur, priſtinam impudicitiam priùs deſueſcit; & cæleſti denuò natiuitate, ex adulterâ in virginem, fidei ſacramento integratur, neceſſariâ credibilitatis præſumptione. *Nihil ſe dicit feciſſe prauitatis, dum ſit nuncia veritatis; & obliuione abnegat impudicitiam, dum deuotione prædicat caſtitatem*, &c.

S Maxim. ſerm. 1. de eleemoſ.
Prouerb. 30.
*Samaritana redintegratur in virginem, vt Euangelij veritas illi concredatur!*

9.
3. Reg. 3. v. 13.

3. Regum 3. dixit Dominus Salomoni: Poſtula quod vis vt dem tibi. Cui ſapientiam poſtulanti reſpondit Deus: *Ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantùm vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* Tam familiariter Deus cum Salomone conuerſatur, & tantam illi ſapientiam cælitùs afflat, vt abſtruſa quæque norit, quid ergò Salomoni deeſt, vt Vates nominetur, quaſi diuina eloquia illi concredita ſint? Quod prauè aliquandiu vixerit, nihil prophetiæ officit: nam ſcimus aliquos prophetiæ dono! opinatiſſimos, qui prauè vixerunt. Appoſitè S. Cyrillus: *Non enim*, inquit, *propheta à nobis Salomon vocatur, neque Euangeliſta; ſed vir potiùs delicatè enutritus, & propter delicias mentem parùm conſtantem habens.* Nempè carnis deliciæ, & ſalaciſſima libido, Salomoni offuit, quominùs Propheta, aut Euangeliſta ſit, eoque præluſtri vocabulo nominetur: nam carnis deliciæ mentem parum conſtantem enutriunt, & à veritate facilè deficientem. Non concredit Deus prophetiæ auctoritatem laſciuo homini; & indè de mentis inconſtantiâ, veritati infidus, & falſitati nimis obnoxius. Aut vera non dicet Salomon; aut ſaltem apud homines, quibus nota eſt eius impudentia, dubiæ fidei vulgò reputabitur. *Non enim Propheta à nobis Salomon vocatur, neque Euangeliſta; propter delicias mentem parùm conſtantem habens.*

*Salomon propter libidinem, non habetur Propheta.*
S. Cyrill l. 7. contra Iulia.

10.
Ioann. 1. v. 23.
Iſaiæ 40. v. 3.

Ioannis 1. Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis ſacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vitam Angelorum æmulam in eremo agentem, vt eum interrogarent, Quis nam eſſet. Quibus tàdem ipſe reſpondit: *Ego vox clamantis in deſerto: Dirigite viam Domini*, &c. Præclarum ſanè hîc de Chriſto teſtimonium Ioannes reddit. Quod expendens Rupertus ita inibi fatur: *Tunc audita eſt vox clamantis in deſerto, vbi ſolitarius & Eliæ ſimilis vitam aluerat, qualem decebat eſſe legitimi & immaculati teſtis.* (Vide nunc mihi quid requirat Rupertus, vt Ioannes ſit veritatis legitimus & immaculatus teſtis:) *Ne*, inquit, *oculi, qui viſuri erant præſentiam veræ lucis, quippiam haurirent de omni, quæ in mundo eſt, concupiſcentiâ carnis.* Nimirùm Ioannes Baptiſta venerat, vt teſtimonium perhiberet de lumine, & omnes crederent per illum, aſſentientes *legitimi & immaculati teſtis* perſpicuo teſtimonio, quod hîc perhibuit de Chriſto: quapropter neceſſe fuit, vt vitam priùs ageret in deſerto Eliæ ſimilem, & Angelicâ puritate nitentem; ne eius *oculi quippiam haurirent de omni, quæ in mundo eſt, concupiſcentia carnis.* Quid? veritatis vigor in prælustri Ioannis teſtimonio, à caſtitate eſt? Si Ioannes *à concupiſcentia carnis quippiam hauriret*, falſitatis ſuſpectus eſſet, vt potè qui non erat *teſtis immaculatus*? Opinor, quod ſi Ioannes non ſic præniteret caſtimoniæ immaculato pudore, aut non eligeretur à Deo ad Filij ſui demonſtrandi irrefragabile teſtimonium; aut apud homines ſuſpectus falſitatis foret. Sic eſt mendacium luxuriæ appendix, & veritas caſtitatis ſequela reputatur!

Rupert. l. 1. in Ioann.
*Niſi Ioannes tantâ floreret caſtitate, eius teſtimonium fortè ſuſpectum falſitatis foret.*

Pſalmo 11. ſic Dauid pangit: *Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum.* Et paullò antè: 11.
*Quoniam diminutæ ſunt veritates à filijs hominum.* Vt verò ab hâc mendacij labe Deum perſpicuè vendicet, ſubdit: *Eloquia Domini, eloquia caſta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.* Quæ verba ſic eleganter ad rem Caſſiodorus exponit: *Quid ſint ergò* inquit, *eloquia Domini, ſub breuitate definitur, id eſt, eloquia caſta. Videlicet virginali integritate puriſſima, quæ nullum mendacium corrumpat, nulla macula falſitatis inficiat. Nam ſicut caſtitas ignorat pollutionem, ita eloquia Domini neſciunt cum aliqua ſorde miſceri. Sed hoc non otioſè accipias, quia contra illud ponitur quod ſuperius dictum eſt de iniquis: Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum.* Ecce tibi, vt Dei *eloquia*, & puta, & ab omni ſcoriâ mendacij (vt par eſt) aliena probentur, *caſta* dicuntur. Parùm eſt, *caſta* dici *eloquia*, quæ ſummam veritatem decent: etiam *virginali integritate puriſſima* nominantur. Quaſi ſumma Dei veritas, niſi adſpectu ad maximam caſtitatem, quæ eſt *virginalis integritas* explicari nequeat. Sic eſt caſtitati cognata veritas, & virginitati confinis!

Pſal. 11. v. 7.
Caſſiod. ibi.
*Summa Dei veritas, in ordine ad caſtitatem, ſeu virginitatem apprimè exponitur*

Siracides Eccleſiaſtici 19. hâc morum gnome 12.
homines erudit: *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguent ſenſatos.* Videtur adludi ad illud Oſee? *Fornicatio & vinum auferunt cor.* quaſi tanta ſit luxuriæ vis, vt vel ſapientes à ſapientiæ throno depoñat, & eos reddat excordes atque vecordes. Itaque mulieres apoſtatare faciunt *ſapientes* à ſapientiâ, putà à ſuâ prudentiâ, dignitate, virtute, fide, veritate, quod eſt ſapientiæ negotium. *Et arguent ſenſatos.* Tigurina vertit: *Sugillantque ſapientes.* Ecce tibi, libido ſic ſapientes veritatibus, ſcientiarum imbutos, ignorantiæ *arguit*, & eorum iam ſtultitiam *ſuggillat*, vt quaſi vecordes ſubſannet, & quaſi ſapientiam, id eſt, ſcientiam, fidem, & veritatem cum luxurie deſciuerint, reprehendat. Exindè laſciuus dudum ſapientiâ eruditus, libidinum præſtigijs,

Eccl. 19. v. 2.
Oſee. 4. v. 11.
Tigurina.
*Libido ſapientes à ſapientia veritatis apoſtatare facit.*

præſtigiis, à ſapientia, fide & veritate *apoſtatare* dicitur, *arguitur* & *ſuggillatur*. Addit Siracides: *Et qui ſe iungit fornicariis* (Græcè *meretricibus*) *erit nequam*. Græci codices, *erit audax*. Clemens Alexandrinus, *Audacior erit*. Hincò cùm videris aliquos ſapientiæ olim famâ nobiles, nimis iam ad dicteria, & ſcommata *audaces*, ad contentiones & turbas tumultuosè *audaciores*, atque diſſidiis contumelioſe pugnaciſſimos; impunè aliquando ſuſpicari licet, non modeſto veritatis zelo, ſed aliquo clancularii ſcortationis œſtro extimulatos in huiuſmodi ſcommatum *audacias* petulanter erupiſſe.

Eccli. 19. v. 3.
Græcus. ibi.
Clem. Alex. l. Pædag. c. 10.
*Mordax & Sapientibus audacia, à libidine, ſæpè eſt.*

13. Rupertus Abbas Tuitienſis exponens prima Ioannis verba: *In principio erat Verbum .... Et Verbum caro factum eſt*, illa luculenter elucidat adſpectu ad illud Pſalmi, *Veritas de terra orta eſt*, ſic imbi ad rem præſentem tempeſtiuè fatus: *Ecce, inquit, Veritas, quæ de terra orta eſt, carnem de Virgine aſſumens, eadem de virginali Ioannis anima generatur, vocem corpoream induens, vt pro nobis contra omnem hæreticam prauitatem dimicet. Qui enim de corde ſuo Verbum bonum eructauit in vterum Virginis, vt Deus inuiſibilis, viſibilis & verus homo fieret; ipſe caſtis complexibus ſuis aſcitam dilecti Ioannis animam eodem Verbo impregnauit, vt verbum ineffabile per vocem, litterámque eius audibile & intelligibile procederet. Ait ergò: In principio erat Verbum.* Vide nunc mihi quàm ſtudioſè Verbum, quæ eſt ſumma Dei Veritas, caſtitatem quærat; virginitatem, quâ in terra corporetur requirat. *Veritas de terra orta eſt*, id eſt, corporata eſt de terra virgine, in florido virgineo Virginis vtero, geminatâ integritatis & maternitatis virginitate, vt inuiſibilis Deus, homo etiam viſibilis appareret. Deinde eadem *Veritas*, quæ de virginali terra orta eſt, carnem de Virgine aſſumens; *eadem de virginali Ioannis anima generatur*, vt Verbum ineffabile *per vocem litterámque Ioannis audibile & intelligibile procederet. Ait ergò: In principio erat Verbum.* Sic ſollicitè Verbum, quæ eſt ſumma *Veritas*, cùm de terra oritur, ineffabilem materni vteri virginitatem, quâ corporetur, elegit; & vt audibilis & intelligibilis procedat eadem Veritas *de virginali Ioannis anima*, quodammodò *generatur*. O quàm ſtudioſè ſumma Veritas libidinem reſpuit, & virginem pudicitiam aſciſcit! Sic eſt cognata veritati caſtitas.

Ioann. 1. v. 1. & 14.
Pſal. 84. v. 12.
Rupert. l. 1. in Ioann.
*Summa veritas cur de Virgine vtero, & virgine Ioannis animâ oriri dicatur?*
*Quomodo Ioannes, Dei Verbum audibile, & intelligibile generare dicatur.*

---

## §. CCCXIX.

*Grande in Principibus malum eſt, nolle videri errare: inde nutritur peruicacia in errore; quæ multis elogiis culpatur.*

1. VNum hîc à Principum ferè moribus ſuperiorúmque habemus: *Quod ſemel ſine ratione feciſtis, ne videamini aliquando neſciſſe, defenditis; meliúſque putatis non vinci, quàm confeſſe cedere aut annuere veritati.* Grande malum, & ô nimis familiare magnis, nolle doceri, nolle videri erraſſe, aut falli poſſe! arrogantis iuxta ac imprudentis ingenij malum, prudens gaudebit emendari, exinde moneri, doceri; at cùm Principes neſcio quid diuinum ſpirare præſumant, turpe putant eſſe & Principe indignum, errare. Ingens faſtus: quare cum monentes non audiant, errorem errore veſtiunt, vnumque alteri inædificant. Miſera omninò conditio, perpetuare errorem, nouòque priorem firmare Superiores Principéſque volunt, ne ipſi cogantur agnoſcere, quem omnes agnoſcunt, quanquam non deſint modi, quibus & mederi errori, & auctoritatem tueri poſſint; maximè in magna fortuna, qui nunquam medendi ratio deeſt. Quæ neque hîc defuit Aſſuero Rege, cùm ferale edictum contra Iudæos meliore mente reuocauit. Diſcant Principes Chriſtianè politici, vel ex barbarici Principis ſcholâ. *Nec putare debetis*, (verba ſunt Aſſueri ad ſubiectas prouincias) *ſi diuerſa iubeamus, ex animi noſtri venire leuitate, ſed pro qualitate & neceſſitate temporum, vt Reipublicæ poſcit vtilitas, ferre ſententiam.* Bona leuitas; ſi leuitas dicenda eſt, quæ eſt æquitatis conſtantia. *Nec inconſtantis putem ſententiam, tanquam aliquod nauigium, è Republicæ tempeſtate moderari.* Nam vere prudens & *ſapiens, non ſemper in vno gradu, ſed vnâ viâ; nec ſe in aliquibus mutat, ſed potiùs aptat*: & vt verbo dicam, non curſum eundem tenet, ſed portum.

Politico Chriſti. lib. 1. cap. 6.
*Ne ſuperior ſit in cœpto errore flecti neſcius.*
Hîc verſ. 9.
Cic. pro Balbo.
Senec. apud. Lipſ. l. 3. Polit. c. 5.

Geneſeos 5 de Henoch viro in paucis pietate opinatiſſimo, ita ſacer Hiſtoricus ſcribit: *Ambulauitque cum Deo, & non comparuit: quia tulit eum Deus.* Sic diuinæ litteræ raram & ſingularem hominis ſanctitatem, & Deo placitam, perfectionis diuinæ imitatricem, vt multis probat P. Martinus del Rio 5. tom. Adag. 11. Quid eſt quod Henoch needum mortuus eſt poſt tot retrò ſecula peracta? An non adhuc extat diuina ſententia Adamo, atque eius poſteris ſeueriùs inflicta: *In quacunque die comederis, morte morieris*, id eſt, mortalis eris? Hac de re ita appoſitè ad rem præſentem Chryſoſtomus fatur, præfata Geneſeos verba exponens, quibus Henoch tranſlatus perhibetur: *Vides ſapientiam Domini: viuentem tranſtulit, non immortalitatem largitus eſt, vt peccandi metum eneruaret, ſed mortis in humanum genus ius ſuum reliquit. Propter hoc itaque obſcurè (vt ita dicam) & latenter reuocare vult ſententiam, quam contra Adam protulit: ſed manifeſtum hoc non facit, vt timor illius emendationem ſeruet. Et idcircò Henoch, cùm ſibi multùm placeret, tranſtulit.* Et paullò pòſt: *Vidiſti bonitatem Domini quomodò inuentum virum qui virtutem operatus eſt, non fraudauit dignitate, quam protoplaſto ante mandati tranſgreſſionem largitus erat.* Ecce tibi primò quantùm eximiam vnius hominis virtutem Deus æſtimet, vt illum ferè non fraudauerit dignitate, quam habiturus eſſet, ſi Adamus non peccaret: & propter illum (tametſi *obſcurè, vt ita dicam, & latenter*) *reuocare voluerit ſententiam, quam contra Adamum protulit*, ex Chryſoſtomi ſententia. Ita vnius hominis perfecta virtus Deo grata eſt, vt omni humano generi hanc gratiam propè conciliare voluerit? Illud autem præcipuè ad rem obſerua, quòd licet ſancta illa Dei lex de omnium hominum morte certò ſubeundâ, conſultiſſimè decreta ſit: tamen Deus non adeò rigidè flectineſcius manere dicitur in propoſito; ſed propter Henochum *obſcurè, vt ita dicam, latenter reuocare voluerit ſententiam, quam contra Adamum protulit.* Non vult quidem efficaciter: ſed ſaltem illam cum Henocho mitigauit: & homini mortali quoddam immortalitatis

2.
Gen. 5. v. 24.
P. Mart. del Rio.
*Quàm ſit omnibus proficuum, vnius hominis eximiè iuſtus.*
S. Chryſoſt. ibidem.
3.
*Deus, ſi non reuocat mortis ſententiam, ſaltem Henocho mitigat.*

talitatis genus benignè largitus fuit; quò ſententiam illam rigidam emolliret. Saltem immutabilis Deus, quæ conſultiſſimè & efficaſſimè decreuit, ſi non abrogat, temperat; ſi non plenè reuocat, ſaltem ſuauiter mitigat; & placidè emollit. O bona eruditio his Præfectis, qui quod inconſultè ſeueriùs decreuerunt, quodam vanæ gloriæ faſtu conſtantiam dignitatis mentiente, flectineſcij exequuntur! Hi profectò aut obſtinatè capitones ſunt, aut rem clementiæ non capiunt.

4. Geneſ. 1. v. 27.

Geneſis 1. Hominis mira creatio, diuini opificij clauſula fuit, & creandi finis. *Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creauit illum.* Similes repetitiones in Biblijs rem adaugent, & nimè incrementant. Iteratur vox *imago*, vt *imago* exemplari ſimillima denotetur. Sancti Patres, & communiter Interpretes hanc hominis ad Deum ſimilitudinem, in mentis ratione conſtituunt, quæ adeò homini animitùs impreſſa eſt, vt homine ſuperſtite aboleri non poſſit. Eam diuina verba efficaciam ſortita ſunt: præſertim cùm elogium naturæ humanæ cognatum præbuerint. Sed vide mihi an ſaltem perfectio huius imaginis à Deo medullitùs impreſſæ, aliquando à ſua perfectione tantiſper degeneret. Bellè Rupertus ſic inibi ſcribit: *Hoc ergo differt ſpiritus hominis à ſpiritu iumentorum, quod hic rationalitatem accepit munere, ille autem brutus permanſit. Hoc inquam, differt, quia hic tanquam cera ſigilli teſtatoris imagine ſignata, ſic imagine Dei ſignatus eſt.* Non potuit Rupertus viuaciùs ſignificare rationem diuinæ imaginis hominibus impreſſæ, quam comparatione ad ſigillum molli ceræ impreſſum: & quidem *teſtatoris*, quod irreuocabilem quandam perpetuitatem apud homines deſignat. Verùm in ipſa maioris ſignificantiæ energia, aliquid non adeò ſolidum, ſed debile reperitur, & quod à ſua duritiei conſtantia deſciſcere ſolet. Nempe *cera* ſigillo quam ſimillimè impreſſa: *cera* enim natura calore mitigatur, à ſua duritie cedit; & retenta *cera* natura ſic molleſcit blandè, vt ab impreſſa imagine tantiſper deſciſcat. Sic homo humanâ ratione Deo ſimillimè impreſſus, adhuc rationalitatis perſeuerante elogio, in mentis & rationis vſura, à generoſa rationalitate degenerat & brutis animantibus ſe confinem, & valdè ſimilem præbet. Scilicet etſi Deus ſit, qui hanc ſuam imaginem homini impreſſam ſemper voluit: ſaltem dum homo cupiditate molleſcit, & fluit voluptatibus velut liquatur; tamen in rationis vſu non ſic perfectè apparet imago, etſi velut *teſtatoris ſigillo* impreſſa dicatur, in *cera* tamen figurata dicitur. Non in præduro adamante, ſed velut in molli *cera* imprimit Deus, quod etiam ſemper durare ſtatuit, vt homines doceat ſaltem blandâ, etſi efficaci impreſſione rem exequendam, non in duritie rigida, & nec leuiter flecti-ſcia. *Homo tanquam cera ſigilli teſtatoris imagine ſignata.*

*Homo tanquam cera ſigilli, teſtatoris imagine ſignatus eſt*

Rup. l. 2. in Geneſ. c. 21.

5. Exod. 7. v. 22.

Exhod. 7. Aaronianæ virgæ attactu omnes Ægypti aquæ in ſanguinem verſæ ſunt. Grãde ſanè prodigium & quod Pharaonis peruicaciam edomare poſſet, vt Dei potentiam recognoſceret. *Feceruntque ſimiliter malefici Ægyptiorum incantationibus ſuis: & induratum eſt cor Pharaonis nec audiuit eos.* Quaſi liceat facer Hiſtoricus: Ideò Pharaonis cor induratum eſt, vt non audiret Moyſen & Aaronem, quia Magi fecerunt adſimiliter ac Moyſes & Aaron, ſcilicet aquas in ſanguinem conuertendo. Specie tenus non videtur valdè improbabilis hæc ratio, quæ Pharaonis pertinaciam nutriat. Ergo diuina prouidentia eam vt poſtmodum præcludat, neceſſe eſt, quod in ſciniphum plagâ faciendum curauit. Sic enim cap. ſequenti factum denarratur: *Feceruntque ſimiliter malefici incantationibus ſuis vt educerent ſciniphes, & non potuerunt.... Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei eſt hic, induratumque eſt cor Pharaonis, & non audiuit eos.* O pulchram obſtinationis ideam! Nuper induratum fuerat cor Pharaonis, quia eius Magi *fecerunt ſimiliter*; & nunc quia eius Magi non potuerunt facere ſimiliter, vt ſciniphes procrearent, induratum eſt cor Pharaonis, & non audiuit eos. Quod bellè inibi notauit Cornelius, ita ſcribens: *Induratum eſt cor Pharaonis, tum ex eo, quod Magi ſimilia ac Moyſes ſe poſſe & ſcire dicebant, ſimiliáque facturos, ni à Deo impedirentur: tum etiam quia maiora iam eos feciſſe viderat.* Nempè idem propoſitum, quod in Pharaonis animum obſtinatè irruit, quia eius Magi potentiam Moyſis in factis æmulantur; idemmet propoſitum in animum inducit; quia Magi ſuam profeſſi impotentiam, Moyſis virtutem æmulari non poſſunt. Quis intercludit aditũ malitiæ eius, qui oppoſitis incẽtiuis in eandem mentẽ extimulatur? Quis emollire, & aliò flectere præſumat propoſitũ eius, qui ſic obſtinatè illius tenax eſt, vt vel ex contraria ratione idem fundet? Huius propoſitum rationẽ præit, non ratio propoſitum. 6.

*Ex oppoſitis rationibus homo peruicax ſuum propoſitum ædificat.*

Exhod. 8. v. 18. & 19.

Cornel. ibi.

S. Bernardus Pontifici Eugenio obſtinati Pharaonis exemplum deteſtandum proponit, vt cor flexile in Eugenio recudat: *Induratum eſt cor Pharaonis, & non audiuit eos.* Sic fatur Bernardus: *Quæris quid ſit cor durum. Solum eſt cor durum, quod ſe ipſum non exhorret, quia nec ſentit. Quid me interrogas? interroga Pharaonem..... Quid ergò eſt cor durum? Ipſum eſt quod nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia eſt, ad conſilia infidum, ad iudicia ſæuum, impudum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiſcens, præſentium negligens, futura non prouidens. Ipſum eſt cui præteritorum, præter ſolas iniurias nil omninò non præterit, præſentium nil non perit, futurorum nulla, niſi fortè ad vlciſcendum proſpectio ſeu præparatio eſt.* Longiuſculè. Sed quid ex perelegantibus Bernardi verbis negligetem? Quibus Ægyptium Principem pertinaciter obduratum proponit, vt ſummus Eccleſiæ Princeps obdurati Principis faciem totam ſimul peruidens, peruicaciã obdurationis deteſtetur, & *cor docile*, ſicut Salomon, prudenter refingat. Et ſanè peruicacia viro Principe indigna eſt, quippe quæ agreſtes ac ruſticanos mores decet. Vndè S. Ennodius nobiliſſimo Senatori Auieno ſcribens, ita fatur: *Benè magnitudo veſtra, dum origini & moribus præſtat obſequium, emendationem ſine internallo coniungit errori: & quod peccatum ſapienter intellexit, priuſquã altero denũcietur auertit.* Præclare ſuę ſtirpi debet Senator Auienus, quod peccatũ ſapienter intellexit, ſine interuallo emẽdare.

Exhod. 7. v. 22.

S. Bernard. l. 2. de Conſid. ad Eug.

*Conglobata epitheta obdurati cordis.*

*Nobilitati quiſque debet docile ingenium, quod peruicaciam excludat*

S. Ennod. l. 5. epiſt. 17.

1. Regum 5. Tulerunt Philiſtinorum Principes nuper de Iſraële feliciter victores, arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon: & manè die alterã conſurgentes, inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam in terra coram arcã Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen. Ag- 7.

grauata eſt etiam manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos: & percuſſit in ſecretiori parte natium Azotum, & fines eius. Videntes autem viri Azotij huiuſcemodi plagam, dixerunt:

1.Reg.5.v.7 Non maneat arca Dei Iſrael apud nos: *Quoniam dura eſt manus eius ſuper nos, & ſuper Dagon Deum noſtrum.* Inſolens ſanè eſt huiuſmodi Principum Azoti pertinacia in colendo Dagone. Vident illum ex altari deiectum virtute Arcæ Dei; in terra iacere deformiter truncum; eius manus & caput in limine abſciſſa, & omnibus proculcanda, Idolum planè ab arcâ Dei deiectum, deuictum, detriumphatum, & ſeipſos propudioſo natiû vlcere punitos; & adhuc Dei arcam abiiciunt, & Dagonem Deum ſuum honorificè in altare reſtituunt, & diuinis honoribus colunt? O homines mentis inopes, & obſtinatè pertinaces! Pulchrè inibi Chaldæus paraphraſtes ſic locum excribit: *Quoniam dura eſt manus eius ſuper nos, & ſuper Dagon errorem noſtrum.* O cæcam Principum Azoti obſtinationem, & barbaricè agreſtem pertinaciam! *Errorem* ſuum iam de experientia perſpectum, non modo non abiiciunt, ſed adhuc reuerenter colunt, & pro Numine adorant: *Super Dagon Deum noſtrum,* id eſt, *Super Dagon errorem noſtrum.* Scilicet errorem, quem ſemel tenuerunt, ne diffiteri videantur, malunt adorare, quàm deponere. Imò ne hactenuùs erraſſe videantur, deponendum errorem reuerenter colunt, & obſtinatiùs adorant.

*Philiſthæi perſpectum errorem ne deponere videantur, obſtinatiùs adorant.*

Chaldæus.

---

## §. CCCXX.

### *Homo de lutea origine mutationibus corporatus, ad conſueta nauſeans, varietate gaudet, noua ſemper exambiens.*

1\. Tertull. lib. de Pall. c. 2. CErtè habitum vertere naturæ totius ſolemne munus eſt: fungitur (munere inquam vertendi habitum) & ipſe mundus interim quem incumbimus. Viderit Anaximander, ſi plures putat: ſed & ſi quem Plato æſtimat, cuius imago hic ſit: etiam ille habeat neceſſe eſt proinde mutare. Quippè ſi mundus, ex diuerſis ſubſtantiis officiiſque conſtabit, ad formam eius quod mundus hic eſt. Proinde diuerſa in vnum, ex demutatione diuerſa ſunt. Denique diuerſitatis concordiam vices fœderant. Ita mutando erit mundus omnis, qui & diuerſitatibus corporatus, & vicibus temperatus. Hactenùs Tertullianus, qui plura in hanc ſententiam pereleganter ſubtexit. Hinc homo, qui Microcoſmus dicitur, id eſt, mundus minor, maioris mutationibus inuidet; adeò inconſtantiæ ſtudioſus, vt parum ſe beatum putet, niſi de varietate, quâ vniformitatis tædium fugit, ſibi gratuletur.

*Mundus varietatibus corporatur.*

2\. Iob 14. Putáſne, inquit mortuus homo rurſum

Iob 14. v. 14. viuat? *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* Perpetititius hic vir ſummam miſeriarum paſſus, grauiſſimas, quas conſtanter ſubit ærumnas, ſpe reſurrectionis conſolatur, Symmachus. *Donec veniat ſecunda natiuitas mea,* reſurrectio enim, vt *mutationis*, ſic & natiuitatis ſeu generationis nomen habere ſolet; renaſcitur enim qui reſurgit, & ingreditur in vitæ nouæ curriculum, nunquam omninò abſoluendum. Verùm admirabilitate non vacat, quòd Sanctus Iob, omiſſo pulchro *reſurrectionis* ſeu nouæ *natiuitatis* nomine, ſuam ad beatam gloriam, reſurrectionem, *immutationis* vocabulo appellet. Sic homo varietate gaudet, & mutationibus gloriatur, vt empyream cæli gloriam nomine *immutationis* mereetur? S. Zeno Veronenſis cognatam hominî ad mutationes procliuitatem his verbis eloquenter exponit. *Solus homo præceps, quotidie mobilitatibus gaudet, varietatibus ſtudet, miſerum ſe putat, ſi ipſe ſit.* Scilicet humano idiomate loquitur; qui nimium varietatibus ſtudet, quia valde mobilitatibus gaudet. Proindè quia *miſerum ſe putat, ſi ipſe ſit*, ſummam olympicę beatitudinis felicitatem, *immutationis* vocabulo exponit: quaſi parùm ſe beatum forſan crederet, niſi æternam beatitudinem ſui *immutatione* auſpicaretur. Sic bella varietas, dum humanarum rerum nauſeam excutit, animum implere putatur? Summè felix (ſi humanitus rȩs æſtimanda foret) quodammodò *miſerum ſe putaret*, niſi auſpicium beatitudinis varietatum exortu, ſui *immutatione* inchoaret? Sed in hoc Zenonis loco aliquid adhuc emedullandum ſupereſt, quod inſtà n. 7. præſtatur.

Symmach.

*Beandus homo, miſerum ſe putaret, niſi immutaretur.*

S. Zeno ſer. de Patient.

Siracides Eccleſiaſtici 43. *Et Luna in omnibus in tempore ſuo,* oſtenſio temporis, & ſignum æui. Poſt Solem, inquit, etiam *Luna in omnibus*, hoc eſt, *in omnibus ſuis mutationibus*, quæ ei accidunt in tempore ſuo, vt ex Ianſenio inibi exponit Cornelius. Quæ verba Syrus ita excribit: *Luna ſtat in tempora.* Complutenſia, *Lunam fecit in ſtatum.* Alij. *Lunam fecit ad ſtationem.* Nimirum Lunæ *ſtatio*, ſeu *ſtatus*, ſiue cùm Luna *ſtat*, idem eſt ac cum *in omnibus ſuis mutationibus* variat. quaſi Lunæ *ſtatus* de omnibus ſuis *mutationibus* conſtet; tantóque firmiùs *ſtare* dicatur, quantò inſtabiliùs demutatur. Pergit Siracides: A Luna ſignum Diei feſti, *luminare quod minuitur in conſummatione.* Menſis ſecundum nomen eius eſt, *creſcens mirabiliter in conſummatione.* Difficile quidem eſt, & quod non leuiter fatigat Commentatorum ingenia (vt aliàs admonuimus) quo pacto Luna, quæ mutationibus corporata, nunquam eſt eadem, ſemper eſt alia, quandoquidem de eâ verè dicitur, *quod minuitur in conſummatione*, id eſt, in perfectione, putà in plenilunio (eo enim peracto Luna mox minuitur, corniculatur, & decreſcit, cùm Sol ſemper idem, plenuſque in ſuo orbe permaneat;) confeſtim de eâdem Lunâ addatur; *Creſcens mirabiliter in conſummatione.* Quodnam eſt hoc Lunæ incrementum ſanè *mirabile in conſummatione*, ſeu plenilunio? Cùm iam decreſcere & minui incipit, tunc *mirabiliter creſcere* perhibetur? Opinor, Lunæ ingenium denotatur, & cognata mutationum ambitio, qui ſuæ naturæ, ac præſtantiæ ſenſus eſt, & mirabile prærogatiuum. Quod Tigurina luculenter expreſſit, ſic locum excribens: *Luna creſcens mutationibus eſt mirabilis.* Biblia Complutenſia, *Creſcens mirificauit mutatione* id eſt, *cum mutatione.* Scilicet indubium eſt, & experientia occulta perſpicuum, quòd Luna *minuitur in conſummatione*, & tamen ſpectato illius ingenio, quod inceſſante mutabilitate gaudet, quaſi de continua ſemper mutatione præſtantiam fœneret; etiam cùm *in conſummatione*, ſeu plenilunio decreſcere & minui incipit, quia tamen mutari non ceſſat, creſcere ſeu excellere dicitur: nam *Luna creſcens mutationibus eſt mirabilis*; ſe enim *mutationibus mirificat.* Nempè etiam cùm decreſcit & minuitur, ſibi

3\.

Ianſenius.
Cornelius.
Syrus.
Complut.

Eccli. 43. v. 7. & 8.

*Luna cùm in conſummatione decreſcit, quia tunc etiam mutatur, mirabiliter creſcere perhibetur.*

Tigurina
Complut.

P. Didac. Celada in Eſtherem.

quaſi de mirabili incremento gratulatur, quia decreſcit *mutationibus*, quibus ipſius præſtantia cenſeri videtur. Quid exaggeratius?

4. Eccli. 27 v. 12. Bibl. Rom. Tigurina. S. Ambr. 4. Hexam. c. 8. *Hominis mẽs à Luna mutabilitate nuncupatur.*

Eccleſiaſticus c. 27. Homo ſanctus, inquit, in ſapientiâ manet ſicut Sol (conſtanter, eodem fulgore ſemper lucens) *Nam ſtultus vt Luna mutatur*. Biblia Romana. *alteratur*; Tigurina, *variatur*. Obnixiùs adlaborat Ambroſius vt ab hâc inconſtantiæ leuitate Lunam vendicet. *Stultus vt Luna mutatur*, inquit. *Et ideò Sapiens non cum Luna mutatur, ſed manebit cum Sole. Vnde non Luna eſt particeps ſtultitiæ, quia non Luna mutatur vt ſtultus, ſed ſtultus vt Luna.* Quid ſi non tantum ſtultus, & amens, ſed etiam ſenſatus & ſapiens, de mutabilitate Lunæ adinſtar ſibi gratuletur? quaſi mutatio ſit humanæ menti animitùs cognata. Dubius Auguſtinus in lib. de Spiritu & animâ, cap. 10. vocem *mens* (quod eſt rationale hominis decus) deriuat à Græco μήνη *mini*, id eſt, *Luna*: Quia, ait, *Sicut Luna creſcit, & decreſcit, & varia viciſſitudine commutatur, in id tamen quod fuit quadam perfectâ nouitate ſe reſtituit: ſic mens nunc caput ſummis inſerit, nunc decidit infimis, nunc ſeſe inferens ſibi, veris falſa redarguit: modo ad corporalia regenda reflectitur, modo æternis rationibus inſpiciendis vel conſulendis adhæreſcit: Mens vniuerſorum capax, & omnium rerum ſimilitudine inſignita, omnia eſſe dicitur.* Itaque non maior mundus duntaxat, ſed etiam Microcoſmos, id eſt mundus minor, homo inquam, extrinſecùs eſt *vicibus temperatus, & diuerſitatibus corporatus*. Parum eſt, ait Auguſtinus; quod varietatibus *corporatus* eſt; mutationibus etiam *mente* animatus eſt: hominis enim *mens* à *Luna* mutabilitate nuncupatur, imbono nominis elogio, te vocabuli minimè vacuo.

S. Auguſt.

5. Gen. 2. v. 7.

Geneſeos 2. hominis formatio his verbis traditur: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Quid enim ſi nullo opere præuio, ſtatim figmentum de contactu Dei conſtitiſſet? O quoties hic limus in hominem formandus, manus Dei immutationibus patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur! Recogita torura illi immutando Deum occupatum, ac deditum manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientia, prouidentiâ, & ipſa imprimis affectione, quâ in toties immutatâ materiâ formandi hominis, lineamenta ductabat. Non, opinor, alia materia, niſi toties immutata competiſſet excudendo homini, qualem excuſſum videmus. Carnem iam teneo, non terram: licet & caro audiat, Terra es, & in terram ibis: origo cenſetur, non ſubſtantia reuocat. (pergit Tertullianus) *Datum eſt eſſe aliquod origine generoſius, & demutatione felicius* O bellè! Nimirùm homo mutationibus lætanter obnoxius, præuia Dei operatione multiformi corporatur, & originis elogium in opere excuſſum appingit: nec excuſſato originis cenſu homo eliquatur; cui *datum eſt eſſe origine generoſius, & demutatione felicius.* Porrò ſicut ſplendidior atque nobilior de obſoletiore matrice, mutationum beneficio prodiit; adhuc etiam iam nunc de cognato ſuæ originis ſapore, ſicut quidpiam origine generoſius, ita *demutatione felicius* euadit, cognatâ mutationis appetentiâ, *nunquam ipſe, ſemper alius, etſi ſemper ipſe quandò alius.* Sic eſt de originariâ indole varietatibus temperatus, & mutationibus *corporatus!* *Sic & hominem ipſum diuerſitas temperauit, tam in corpore, quàm in ſenſu.* Quod in Aſſuero videre licet.

*Homo originariâ mutatione felicior de cognatâ indole mutari ambit.*

Tertull. lib. de Reſurr. carn. c. 6.

Tertull. lib. de Pallio. c. 3. Idem lib. 1. adu. Marc. c. 16. Hic v. 9.

6. Sapient. 16. v. 21. Græcus. Vatablus. Lorinus.

Sapientiæ 16. de Manna illo ad delicioſam Hebrææ gentis annonam dato, ita ſcribitur: Subſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes oſtendebat: *Et deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur.* Græcè, *Subſeruiens deſiderio eius, cui offerebatur*: vel, vt Vatablus exponit: *Appetitui ſumentis cuiuſque ſubſeruiens.* Lorinus mauult: Subſeruiens deſiderio, voluntati, concupiſcentiæ, appetitui aut cibi, aut comedentis, ſiue comedere volẽtis: quia huiuſmodi ſubſtantia, ſeu Mãna *ad quod quiſque volebat, conuertebatur.* Vel quoniam *conuerſio* vel mutatio phyſicè ſumitur pro verâ ſubſtantiali mutatione (vt quidam volunt) vt puta cùm quis piſcem appeteret, mutaretur Manna in piſcis veram ſubſtantiam, ſaluis accidentibus Manna. Vel potiùs quia accidentalis tantùm mutatio innuitur: vndè Græcè habetur, *tranſtemperabatur*. Teneo tamen ex hoc loco, quòd de iſtiuſmodi *conuerſionis* ſeu mutationis priuilegio S. Chryſoſtomus Manna appellauit *nouum quotidie cibum*. Exindè illi præſtantiæ, ac delicioſi ſaporis cenſus. Quâ ſuper re ſic fatur Nyſſenus: *Ad quod quiſque volebat conuertebatur, &c. Deſuper defluit cibus varius ſimul & ſimplex, ſimplex viſu atque vnicus; qualiter varius, ad ſingulorum cupiditates ſe vertens.* Ecce tibi deliciarum hyperbolem adſpectu ad hominis guſtũ, ad conſueta faſtidioſè nauſeantẽ. Nimirùm ipſum Manna, quo nomine præſtantior ac delicatior cibus ad palati delicias cenſetur, de varietate ſeu mutatione æſtimatur; & gratiam placendi fœnarat, non quia Manna eſt, ſed quia ſe exhibet *varium, & nouum quotidie cibum.*

*Manna quia varius eſt, & nouus quotidie cibus gratiam placendi fœnerat.*

S. Chryſoſt. Tract. quòd nemo læditur niſi à ſemetipſo.

S. Nyſſen. de Vitâ Moyſis.

7. Iob 14. v. 2.

S. Iob cap. 14. multas hominis miſerias adaggerat, & exaggerat: Homo natus de muliere inquit, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis. Qui, quaſi flos egreditur, & conteritur: & fugit, velut vmbra: *Et nunquam in eodem ſtatu permanet.* Calamitoſa quidem hæc hominis miſeria eſt, & quam tragicè hîc Iobus deplorat. Sed quod oppidò miſerabilius eſt, hanc miſeram calamitatem, quam à luteâ origine homo expreſſit; felicem, ac beatam putat, quæ eſt miſeriæ meta. Quod S. Zeno Veroneſis nuper laudatus, his verbis eloquenter ediſſerit: *Solus homo præceps, ſolus impatiens, prauis quotidie motibus gaudet, miſerum ſe putat, ſi ipſe ſit; nec intellegit rem dementiæ eſſe ſimilem in ſtatu ſuo non manere.* Nimirùm cùm res dementiæ ſimilis ſit in ſtatu ſuo non manere, homo vicibus temperatus, & mutationibus corporatus; ſic *prauis quotidie motibus gaudet*, vt *miſerum ſe putet, ſi ipſe ſit.* O ineluctabilẽ miſeriam de inſuſpicabili felicitate ludentem! Iuuat de optatiſſimis varietatibus eſſe verè miſerum, qui mutabilitatis miſeriam putat eſſe felicitatem. Qui de agnato originis luto *nunquam in eodem ſtatu permanet, miſerum ſe putat, ſi ipſe ſit*, & non ſemper alius; etſi nunquam magis ipſe quàm cùm ipſe ſemper eſt alius.

*Homo ſic varietatibus gaudet, vt miſerum ſe putet, ſi ipſe diu ſit.*

S. Zeno ſer. de Patient.

8. Ierem. 7. v. 18. Vatablus. Pagninus. S. Hieron.

Ieremiæ 7. Filij colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, *vt faciant placentas Reginæ cæli*. Nempè Hebræi ſtellatas placentas faciebant cæli Reginæ; per quam Vatablus Solem accipit, Saturnum Pagninus. Optimè S. Hieronymus per *Reginam cæli* intelligit Lunã, quâ Phœbem ſeu Dianam Gentiles

*Non ſine aculeo Luna dicitur Cæli purpura.*

Gentiles vocant. Mirum ſanè eſt, & valdè mirum, quòd *lunæ* perpetuis obnoxiæ mutationibus, cæli æthereum ſceptrum credatur. Sententiosè (& forſan non ſine aculeo) Secundus philoſophus ab Hadriano Imperatore interrogatus: *Quid eſt Luna?* reſpondit. *Cæli purpura.* O, regium nomen, & regalis cæli *purpura* Lunæ datur? Non terræ duntaxat, ſed etiam cæli *purpura* ſic mutationibus obnoxia, vt mutabilitate corporata ſit; à ſapientiori ethicè philoſophia proponitur? Sic *purpura* varietate gaudet? Serò, ſcio quidem Perſica *purpura*, purpuræ cæleſtis de ſidereo ſplendore, ac mutationibus æmula, cognatam ſibi mutabilitatem excuſat, aiens: *Nec putare debetis, ſi diuerſa ſubeamus, ex animi noſtri venire leuitate, ſed pro qualitate, & neceſſitate temporum, vt Reipublicæ poſcit vtilitas, ferre ſententiam.* Profectò de ethicæ ſapientiæ adytis, terræ ac cæli *Purpura*, Lunæ comparatur: plura enim ſignificat, quàm dicit.

Eſther 16. v. 9.

Secundus apud Cornel. Eccl. 43. v. 6.

---

## ſ. CCCXXI.

*Malè acutas ſubditorum contra Præpoſitos querelas, ſiſtat dubia poſtulandi cauſſa, & humana abuſiuè paternitas ſiſtat.*

Seneca in Prouerb.

OPinatiſſimum Senecæ prouerbium eſt: *Volunt homines ita præceptum eſſe vt viuunt, non ita viuere vt præceptum eſt.* Hinc tergiuerſatio, quæ legem excutit; hinc interpretatio, quæ ſanctiones fruſtratur; hinc potentia, quæ Cenſorem exarmat; hinc excuſatio, quæ obſeruantiam eludit; hinc querelæ, quæ ſeditioſo tumultu tragœdias excitant, & vt conſueta ſcelera impunè peragant, præfecturam nimiæ aut imparis ſeueritatis egregiè culpant. Quò autem Baſilius Dei iudicia ab his hominum querelis vindicet, ita ſcribit: *Neque citra iudicij diſquiſitionem clemens eſt; neque inclementer iudicat miſericors & iuſtus Dominus.* Ferè nemo ſontium eſt, qui iudicij aduerſus ſe facti, iudex eſſe, querulus non præſumat; & cùm ſeueram iudicis iuſtitiam ſæpè damnare non poſſit, ſaltem quandam fruſtra inæqualitatem, & iniquam perſonarum acceptionem non accuſet. Exinde *neque Dominus citra iudicij diſquiſitionem clemens eſt*, aut ſeuerus.

*Neque Deus citra iudicij diſquiſitionem clemẽs, aut ſeuerus eſt.*

S. Baſil. Præfat. in reg. fuſ. diſp.

2. Exhodi 4. tandem Dei iuſſu Moyſes cum vxore Sephora, & filiolis Gerſan & Eliezer, è Madianitide in Ægyptum redit inauguratus Hebræi populi princeps. Cúmque eſſet in itinere, in diuerſorio occurit ei Dominus, & volebat occidere eum. *Tulit illicò Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputiũ filij ſui... Et dimiſit eum poſtquam dixerat: Sponſus ſanguinum ob circumciſionem.* Ex communi Interpretum ſententia (cui in litterali commentario inibi ſubſcripſimus) idcircò Angelus Moyſen volebat occidere, quia neglecto Hebrææ gentis ritu, needum maſculam prolem circumciderat. Inde vbi primùm Sephora circumcidit infantulum, periculum patris auertit. *Verùm ſi vnius filij circumciſio* (arguit Emiſenus) *patris corpus ſeruauit, quare factum eſt, vt alterius præputium patrem non læſerit?* Concinit Emiſeno Diodorus inibi aiens: *Enimuerò ſi id verum eſt, quod Sephora in ſuſpicionem venit, non video qua ratione Angelus altero filio non circumciſo diſceſſerit.* Nimirum cur Eliezer (exempli cauſâ) circumcidendus erit, incircumciſo Gerſan? Id tam ſeuerè Cælum expoſtulet tanto patris periculo? Subaudire mihi videor tacitam balbutiem infantuli Eliezeris, de exactoris inæqualitate diſſertè expoſtulantis, cur cælum cruentam ſui circumciſionem expetat, fratre Gerſan omiſſo. Has inconditas tumultuantis naturæ voces Cælum hodie compeſcit moralitate communitatibus imprimis neceſſaria. Quid tu tui negligens, pro fratre tuo intentiùs æmularis, & balbutientibus querelis tot fruſtrà tragœdias ſuſcitas? Tu ſolus ab Angelo deſignaris, quid tanta tibi de fratre cura eſt? Tuâ circumciſione dumtaxat placatur Angelus Dei; aliena, aut neceſſaria nunc non eſt, aut in aliud opportunum tempus differtur. Dolor coërcitionis non eſt idoneus coercendorum arbiter, aut ſequeſter iudicij. Heu durum exactorem paſſus, peracerbus reliquorum exactor eſt, propriúmque dolorem alieno conſolari fruſtrà præſumit.

Exhod. 4. v. 25.

Euſeb. Emiſ. in Caten. Lip.

Diodorus ibi.

*Cur altero Moyſis filiolo circumciſo, placatur Dei Angelus?*

3. Geneſeos 22. Abraham pariter cum Iſaaco ad ſacrificij locum pergunt: & venerunt ad locum, quem oſtenderat ei Deus, in quo ædificauit altare, & inſuper ligna compoſuit: *Cúmque alligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum. Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium ſuum.* Eccur religioſus carnifex vt ſtringat gladium quo filium Deo mactet, illum priùs alligat? Fugam Iſaaci timet? præcauet, ne reluctetur proximæ mortis horrore? An pater optimus de ſe ſecurus, veretur ne filij dolori aliquid liceret in morte? Multa dolori licent, quæ obedientiam, pietatem, ac prudentiam dedecent. Non benè actum videtur cum Iſaaco, cùm is iudicatus eſt, quem ad obſequium quantumuis arduum *alligari* oportuerit. Aſt Lyra has querelas ſic idoneè componit: *Cúmque alligaſſet, &c. Aduertendum etiam quòd Abraham ligauit filium, non propter hoc quòd timeret eum fugere, vel rebellare: ſed vt immolaret eum ſicut & animalia quæ offerebantur in holocauſtum, quæ ligata offerebantur.* Litteraliſſimè pariter ac moraliſſimè Lyranus. O ceſſet in nobis malè acutus querelarum tumultus. Diligens præcautio ſæpe non fit, quia apud Præpoſitum habearis ſuſpectus perpetrandi delicti, quod anteuertere ſatagit; ſed quia cum cæteris ſic cautè agitur. Sollenni ritui adſcribe, non ſuſpicaci ſcrupuloſiùs cautioni imputa. Quia brutæ pecudes dũ immolantur, ligari ſolitant, Iſaacus etiam ligandus erat. Non præcauetur piiſſimi & obſequentiſſimi iuuenis renutus, ſed conſuetus victimarum ritus impletur. Bonus & pius rerum interpres, ſuſpicacem querelarum aditum prudenter præcludit. An non ſatius eſt, telum bono interpretamento excutere, quàm malè cogitando refigere?

Geneſ. 22. v. 9.

*Præpoſiti cautio, plerumque ex more, non ex ſiniſtra ſuſpicione venit.*

Lyranus ibi.

4. Geneſis 29. Liâ in locum adamatæ Rachelis clàm ſuppoſitâ, *tandem* Iacob potitus optatis ſuæ Rachelis nuptiis, *amorem ſequentis priori prætulit*, ſeruiens apud eum ſeptem annis aliis. *Videns autem Dominus quòd deſpiceret Liam, aperuit vuluam eius, ſorore ſterili permanente.* Tametſi paſſim Iacobi & Liæ mentio occurrat, nuſquam legimus quòd Iacob Liam deſpexerit: & tamen Caietanus pro τὸ *deſpiceret Liam*, vertit, *exoſa eſſet Lia*: Chaldæus, *odioſa eſſet Lia*: Lipomanus

Geneſ. 29. v. 31.

Caietanus Chaldæus Lipomanus Rupert. ibi.

manus ex Hæbræo, *odio haberetur Lia.* Rupertus hîc: *Videns autem Dominus quòd deſpiceret Liam, id eſt, minus diligeret.* Quia Iacob minùs diligebat vltroneam Liam, quàm expetitam peramanter Rachelem, ideò dicitur Iacob *deſpexiſſe Liam, exoſam* eſſe, & *odioſam* fuiſſe? Familiæ Præſes qui aliquem minùs diligit, (etſi illi nullam alioquin faciat iniuriam) illum *odiſſe, deſpexiſſe, & exoſum habuiſſe* putatur. Illius frequens querela, & crebra expoſtulatio, hæc nomina cudit in officinâ inuidiæ. Lia æmulationis ſupercilio ſe putat à Iacobo *deſpectam*, quia ægrè tulit, venuſtiſſimam ſororem ſibi amore prælatam.

*Lia quia minus dilecta, deſpectã, & exoſam ſe putat.*

5\. Exhod. 4. v. 6. & 7.

Exodi 4. virga in ſerpentem conuerſâ, & rurſùs ſerpente in virgam reformato, dixit Dominus ad Moyſen: *Mitte manum tuam in ſinum tuum. Quam cùm miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar niuis. Retrahe, ait, manum tuam in ſinum tuum. Retraxit, & protulit iterùm, & erat ſimilis carni reliquæ.* Benè inibi notat Theodoretus, quòd *manus illa quæ tot rerum miracula effecit, cùm priùs leprâ infecta eſſet, poſteà tamen diuinis ſignis ſubminiſtrauit.* Aliâs forſan expeudemus, cur leproſam dudùm Moyſis manum, recèns emaculatam, ad tot præclara miracula glorioſiùs patranda Deus elegerit. Nunc autem obſeruat idem Theodoretus, Cyrillus, Anſelmus Laud. & Lyra, per hanc Moyſis *manum*, Hebræum populum illi ſubiectum intelligi. Sed quid eſt, quòd Moyſes totius populi Præpoſitus, alteram *manum*, id eſt, ſubditorum aliquos, ad *ſinum* applicat ſuum: hoc eſt, ſpecialiori fouet beneuolentiâ? An non altera *manus*, id eſt, reliqui Moyſis ſubditi inuidiâ tangentur, cùm videant ſe beneuolo Superioris *ſinu* interdictos? O mentitam inuidentiæ, & maliloquentiæ cauſſam! Scilicet *manus* in *ſinum* admiſſa, leprâ ſqualet. Proferatur indè vt ſanitatem recipiat; adhuc producta candicat leprâ, *Protulit leproſam inſtar niuis.* Saltem minimè leproſa è ſinu manus, ſinui Moyſis iterum applicetur, ne ex ſinu, id eſt, lepræ officinâ, ampliùs inficiatur, & lepræ infectio magis, ac latiùs ſerpat irremediabili contagione. Verùm hæc verba Moyſes iterùm audit: *Retrahe manum tuam in ſinum tuum. Retraxit, & protulit iterùm, & erat ſimilis carni reliquæ*: & è ſinu beneuolo, à quo *manus* morbum contraxerat, ſanitatem mutuatur. O, quiſquis ſubditus es, & virtutem amas, ſiſte audaciam ſiniſtræ ſuſpicionis, & querulæ oblocutionis. Videbatur Moyſes populi Præfectus, *manum* alteram, id eſt, ſudditorum aliquos, peramantiùs tractare cùm ad ſinum applicat, non ſine reliquorum inuidiâ; & tamen beneuolo ſinu leproſos reddit. Extrahitur *manus* è ſinu lepræ conceptaculo, & extra ſinum etiam leproſa eſt. Retrahit rurſùs in *ſinum*, ex quo peſtilentior contagio timeri poterat: & indè ſanitatem concipit, vndè lepræ contagium graſſari incœpit. O, nec beneuolum Superioris ſinum ambitioſè expetas, nec faſtuoſè detrectes: nec inuideas eis, quos Superior in ſinum accipit. Vtrinque morbus imminet, vtrinque ſalus adſpirat. quod inibi egregiè Niſſenus adnotauit: *Manus, inquit, in ſinum recondita, in niueum candorem immutatur: & iterùm in eundem ſinum immiſſa, in priſtinam rediit naturam.*

*Leproſa nuper manus miraculis facit.*

Theodoret.

Cyrillus. Anſelm. Lyra.

*Manus quæ lepram traxit ex ſinu, de eodem ſinu ſanitatem concipit.*

Niſſenus apud Caten. ibi.

6\. Matth. 23. v. 8. & 9.

Matthæi 23. Chriſtus Deus reprehendens eos, qui Synagogæ præerant, Eccleſiam cælitùs inſtruit. Amant, inquit primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. *Vos autẽ nolite vocari Rabbi. vnus eſt enim Magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis. Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram: vnus eſt enim Pater veſter, qui in cælis eſt.* Obuium apud Expoſitores dubium eſt, quòd plures in Eccleſiâ appellentur Doctores, Magiſtri, Patres, quod huic Chriſti Dei præcepto refragari videtur, & ſic ſoluitur à Hieronymo: *Nos ſi hominem patrem vocamus, honorem ætati deferimus, non auctorem noſtræ oſtendimus vitæ. Magiſter enim dicitur ex conſortio veri magiſtri: & quomodò vnus per naturam Deus, & vnus filius non præiudicat ceteris ne per adoptionem Dij vocentur & filij*; (nota quæ ſubdit verba) *ita & vnus pater & magiſter non præiudicat aliis, vt abuſiuè vocentur & patres & magiſtri.* Quid ergò male acuta, & maledicè garrula Subditorum impatientia, querelis cælum pulſat, aëra expoſtulationibus toxicat, terram querimoniis implet, & vicinas conuictorum aures inquietat, ſi quandò Præpoſitus, qui *abuſiuè* pater, & magiſter nominatur, aliquandò à ſcopo aberret, aut aberrare videatur; ſi aliquandò peritia manca ſit, beneuolentia claudicet; & non æquus æquitatis arbiter, potentiâ iniquè, aut illicitè *abutatur*, aut *abuti* appareat? Homo eſt, nihil humanum ab eo alienum puta. Scio verum illud Velleij: *Familiare eſt hominibus omnia ſibi ignoſcere, nihil aliis remittere; & inuidiam rerum non ad cauſſam, ſed ad voluntatem perſonáſque dirigere.*

*Humanus pater, & magiſter; magiſter, & pater abuſiuè dicitur.*

S. Hieron. ibi.

Velleius.

Multus eſt Aſſuerus hîc v. 9. & 10. &c. in reddendâ ratione cur olim Amanem exaltauerit; & quare nunc mutato conſilio ſic ſeuerè in illum animaduerterit; vt male acutas ſubditorum querelas ſiſtat vel dubia expoſtulandi cauſſa. Porrò dextram in partem ſtrenua ſuſpicio eſt: ſemper quidem tutior, non ſemper verior. Hîc v. 9. & 10. &c.

---

## ſ. CCCXXII.

*Non annoſitas otioſè cana; ſed in minore etiam ætate eruditior negotioſè peritia, ad obtinendas dignitatẽs merita cudit.*

QVem animum nos aduerſus pueros habemus, hunc Sapiens aduerſus omnes, quibus etiam poſt iuuẽtam canóſque puerilitas eſt. An quicquam illi labentibus annis profecerunt, quibus adhuc puerilis animus eſt, auctíque in maius errores: qui à pueris magnitudine tantùm formaque corporum differunt? Plures videas cano capite venerabiles ſpecie tenus, qui nihil ad ſenectutis ornamentum adducere poſſunt, niſi quod diu vixerint. Qui in canâ ſenectute in re prudentiæ & eruditionis, nil niſi grandæuus puer eſt; fruſtrà ſtipendia ſenectutis exambit. Heus tu, quid ad dignitatis meritum annos otioſos numeras, canos ſenili eruditione vacuos oſtentas? Benè eſt, obſeruare oportet illud de diuinâ œconomiâ erutum: *Coram cano capite conſurge; & honora perſonam ſenis*; Sed myſticus Philonis commentarius attento animo audiendus eſt: *A facie cani, inquit, ſurges & honorabis faciẽ ſenioris: quaſi plurimum interſit inter vtrumque. Canum enim dicit tempus illud otioſum.........* 1.

*Canities otij dicitur; ſenectus, negotium meritorum eſt.*

Leuit. 19. v. 32.

Philo de Sacrif. Abel.

*Seniorem*

*Seniorem autem eum, qui honore, præmio, dignitatéque præfertur cæteris.* O ſi annoſus quiſque animaduerteret, quòd aliud eſt eſſe *canum*, aliud *ſeniorem* eſſe! Honoraria dignitas non eſt res temporis, ſed meriti.

2. Matthæi 20. operarij illi diſpari vocantur horâ ad vineæ cultionem: & de conſultiſſimo iudicio patrisfamilias parem recepere mercedem. Sed priùs nouiſſimi, quàm primi munerantur. Ne autem hæc electionum gnome aduerſus primos & ſeniores inoleſceret, illam in clauſula parabolæ mitigauit, aiens: *Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi.* Quæ verba theologicè difficilia, ſic ethicè incertus Chryſoſtomus ad rem commentatur: *Ideò primos dicit nouiſſimos, & nouiſſimos primos: non vt nouiſſimi digniores ſint quã primi; ſed vt coæquentur, & nulla ſit inter eos differentia temporis cauſſa.* Itaque moralis parabolæ ſcopus eò tendit, vt excutiat ſenum perſuaſionem, qua ſeriò cenſent venerabiles canos eſſe capitis flores, qui honores ac dignitates, tanquam fructus parturiant. His ergo præferuntur nouiſſimi, etſi in minori ætate, qui vâ pollent induſtriæ peritiâ, vt quod ſenes longo labore æſtuantes, ipſi vnâ horâ confecerint; qui ſi à primo mane laboraſſent, multò plus culturæ impendiſſent, & primos operarios ſuperaſſent. Saltem hoc ratum ſit, ex hac cæleſti œconomia, quòd omnes *coæquantur, & nulla eſt inter eos differentia, temporis cauſſa.* Ne ergò rem meritorum, aut minor ætas negotiationis ingenio, aut maior canæ ſenectutis priuilegio auidiùs rapiat. Tantùm meritis licet! funeſtè querantur licet ſenes, qui ſenectutis otium occupare & honorare ambiunt dignitatibus, quæ ſunt meritorum ſtipendia.

Matth. 20. v. 16. Imperf. ho. 34.

*Operariorum muneratio, abſque vlla temporis differentia fit.*

3. Audiamus verò operariorum querelam, ſi fortè ei ſatisfacitur. Dicit Dominus vineæ procuratori ſuo: *Voca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouiſſimis vſque ad primos.* Venientes autem & primi, arbitrati ſunt, quòd plus eſſent accepturi: acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios. *Et accipientes murmurabant aduerſus patremfamilias, dicentes: Hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti?* Audiſti conſuetum ſeniorum murmur, quòd pares illis iuniores fiant in diſtributione munerum. Audire etiam oportet, qua ratione has ſeniorum querimonias dubius etiam Chryſoſtomus compeſcat: *Redde illis mercedem incipiens à nouiſſimis vſque ad primos, &c. Non eſt in homine, quando naſcatur, priùs aut poſtea, ſed poteſtatis diuinæ. Nec ille quidem ſibi priorem debet locum defendere, qui priùs natus eſt; nec ille contemptibilior debet eſſe, qui poſtea.* Adſimilis expenſio loco non adſimili congruit. Parco verbis, ne rebus parcere videar.

Matth. 20. v. 8. & 11.

*Primus dignitatum locus non maiori ætati debetur, ſed meritis.*

Imperf. homil. 34. in Matth.

4. Ioannis 1. Ioanne Baptiſtâ teſtimonium palàm de Chriſto perhibente, audierunt eum duo diſcipuli, & ſecuti ſunt Ieſum. Erat autem Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & ſecuti fuerant eum. *Inuenit hic primum fratrem ſuum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Meſſiam. Et adduxit eum ad Ieſum.* Ecce tibi Andreas, & maior natu eſt!, & vocatione ad Apoſtolatum primus; imò qui alios adduxit, & meritorum prærogatiuâ imprimis eximius. Aſt Petrus ætate, & vocatione iunior, ſeniori Andreæ palàm antefertur, & primatu Eccleſiæ præ cæteris ſublimatur. Sed vbi ſunt Andreæ omiſſi querelæ, quas ſuperbia parturire, ambitio exprimere ſolitat? Nec iunior Petrus dignitate inſoleſcit, nec ſenior Andreas de iunioris prælatione expoſtulat, quaſi ſtipendio ſenectutis fraudatus. Adeò cognatum eſt maiori ætati id ægrè ferre, vt Petrus Damianus in admirationem raptus, poſt plura Andreæ elogia eloquenter denarrata, dixerit: *Et vt magis ſtupeas, non moleſtè tulit Andreas, quòd in fide primus, factus eſt ordinis dignitate ſecundus.* Stupor eſt, quòd huiuſmodi iuniorum antelatio, ſeniores canitie venerabiles nullatenus inquietet. De Chriſti Dei arcana ethicæ œconomia eſt, ad noſtram exinceps eruditionẽ, quòd Petrus ætate & vocatione iunior, antiquioribus dignitate præponatur; ne ambitioſæ annoſitatis inane ius præſcribere videatur. Vide quàm acri ſtimulo inde vratur ſenectus, quandoquidem magnus hic Doctor, *ſtupore* dignam Andreæ ſobrietatem cenſuerit, quia *non moleſtè tulit quòd in fide primus, factus eſt ordinis dignitate ſecundus.* Expende è diuerſo cauſſam, ob quã magnus Baſilius odio fuerit Athenarum Magiſtris: *Graue enim* (ait Nazianzenus) *minimeque ferendum eſſe, eos qui philoſophica pallia priores induiſſent, atque in fundiandis verbis operam antè poſuiſſent, extero & nouitio nequaquam anteferri.*

Ioan. 1. v. 41. & 42.

*Stupor eſt, Andream non moleſtè tuliſſe iunioris Petri prælationem.*

Petr. Dam. ſerm. 37.

S. Naz. orat. pro Baſilio.

5. Ioannis 3. erat homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum, & magiſter in Iſraël, atque vnus de ſenioribus, qui primas ſedes in ſenatu occupabat. Cui dixit Ieſus: Amen, amẽ dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: *Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire, & renaſci?* Nicodemus ſenex erat, & *Magiſter in Iſraël*, & hæc ignorat? Quid Dei omnipotentiam coarctare præſumit? An, non iam mẽtis tenuitu, quàm forſan canæ ambitionis ingenio, ipſe iam ſenex, & dignitate ſublimis, iuniores annos recuſar, veritus ne ſenectute, ſenectutis ſtipendia, honores, inquam, excuſſerit? Hac ſuper re audiendus eſt Seleucienſis Baſilius ita ex Matthæo fatus: *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum Cælorum. Quid*, inquit, *de primatu contenditis relicta cura, viâque regni cæleſtis obtinendi? quid nondum vocatione compeſta primas affectatis? Hac ſola eſt ad regnum cæleſte via, hac ſcala: Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli: Non vt naturam violento fluxu vertatis, non vt præter naturæ ordinem actam ætatem reuocare ſtudeatis, non vt temporis curſum retroagi doceatis: mores vertite, non tempora.* (Nota quæ ſubiicit verba ad rem tempeſtiua) *Nicodemus, qui noctem in auxilium eruditionis trahebat, qui nocturnus diſcipulus tenebris pauori medebatur, cùm audiſſet de Saluatore: Niſi quis natus fuerit denuo, non poteſt introire in regnum cælorum, naturã obiecit temporum vindictam, & ad tempus confugit, Gratiæ incogitans. Et quomodo poteſt, inquit, homo, cùm ſit ſenex, introire in ventrem matris ſuæ? Vide Nicodeme Gratiæ rationes.* (Et poſt paucula) *pueris nulla de dignitate vox, illi primas non ambiunt*, &c. Ideò forſan Nicodemus ætate ſenex, eruditione Magiſter, dignitate Senator, repueraſcere metuebat, craſſo ambitionis ingenio reputans, cum ſenectute dignitates ſenectutis appendices, & canis diu cognatas, confeſtim amiſſurum. *Pueris enim nulla de dignitate vox, illi primas non ambiunt.* Ne timeat Nicodemus *Gratiæ incogitans, & primas affectans*, vt ſi natura

Ioan. 3. v. 4

Matth. 18. v. 3. Baſil. Seleu. Orat. 28.

*Senex Nicodemi ambitio, tur repueraſcere tantopere metuit?*

violento fluxu ad minorem ætatem retroacta ſit, ſi peritiam non perdat,ſe dignitates amiſſurum. Iuniores *primas non ambiunt*,ſed primas ſæpè ambire ipſos iuniores,gratiâ,& ſapientiâ præluſtres, comperimus. Dignitas,ſicut virtus,caret tempore.Adſit meritum, & aderit honor. Minor ætas non renunciauit peritiæ : actuoſa autem peritia citiùs quàm otioſa ſenectus ab honoribus ambitur.Ne timeat minorem ætatem, qui de meritis ſecurus accedit.

6. Geneſeos 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Hinc litigioſa quæſtio in Commentatores ſuboritur, Cælumne , an terra priùs creata ſit.Moyſes nominationis prælaturâ. Cælo primas dare videtur. Econtrariò Dauid Pſalm. 101.primum locum Terræ adæquè præbet,aiens? *Initio tu Domine terram fundaſti , & opera manuum tuarum ſunt cæli.* Antilogiam his verbis Beda compoſuit,aſſerens creatum fuiſſe *vtrumque ſimul,quamuis vtrumque ſimul ab homine non dicatur.* Quare ergò cælum ſublimioris naturæ quàm terra,priùs creatum non fuit ? Ad naturæ præſtantiam , longæuitatis etiam auctoritas debuit accedere , vt terrenorum præſidentiam condigniùs mereretur.Imò indè forſan cælum recuſauit antiquitatem, qui eſt non merentium titulus. Itaque cælum ſublimiſſimo rerum omnium faſtigio præeminet,non quia antiquius terrâ eſt, ſed quia cælum eſt , & quia cæli elogio terram præcellit.Quaſi cælum antiquitatis auctoritatem erubeſcat,renuit tempore præcedere , ne otioſo antiquitatis priuilegio , ſed actuoſo præſtantiæ ſuæ elogio, ſupra terrena ſublimari , & terrenis præeſſe putaretur. Ob hanc eandem cauſſam Deus die quarto, cæli aſtra creauit,ne alicuius ſideris ſublimior excellentia, antiquitati,non merito adſcriberetur , vt alibi ex Athanaſio expendebimus.

Gen 1.v.1. *Cælum non antiquitatis ſed præſtantia vre terris præeſt.*
Pſal.101 v. 26.
Beda ibi.
Gen.1.v.16.

7. Danielis 7.*Aſpiciebam* , inquit , *donec throni poſiti ſunt;& antiquus dierum ſedit:veſtimentum eius candidum quaſi nix, & capilli capitis eius quaſi lana munda.*Maieſtas Dei Patris hîc deſcribitur,cùm in ſupremæ dignitatis, ac ſummæ auctoritatis ſolio auguſte ſedet. Et tunc Prophetæ apparuit, tanquam *antiquus dierum*:tuum quia ipſe plenus eſt dierum;tum quia fuit ante omnes dies;tum quia conditor eſt omnis temporis,atque in ſe,ſuáque æternitate eminenter continet omnem temporis antiquitatem.Tum quia Filio ſuo prior origine eſt, quà Filius Deus eſt ; & etiam prior tempore.quà Filius eſt homo.tum denique quia immenſam habet ſapientiam & experientiam:hæc enim in iudice maximè requiritur, eſtque in ſenibus,iuxta illud Iobi:*In antiquis eſt ſapientia , & in multo tempore prudentia.* Additur capillos habuiſſe candidos, *quaſi lana munda*,id eſt,alba,quæ nullo colore eſt tincta, quia ſenum eſt canities. Ecce tibi quâ formâ Deus Prophetæ oſtenditur , cùm dignitatem obit , & iudicem agit.Verùm hæc canæ ſenectutis ſpecies,formam etiam iuuentutis non excludit. ( Aliqui apud Theodoretum pro *antiquus dierum* vertum,*antiquans dies* , quaſi tranſcendat omnia tempora, eáque antiquet , abroget , aboleat ) Audiendus etiam eſt hâc ſuper re Philo Iudæorum diſſertiſſimus:*Sed à Deo*,inquit,*nunquam ſeneſcente,ſemperque iuuene noua recentiaque bona copioſè accipiendo diſcant credere non eſſe quicquam vetus apud eum.* Deum canâ ſenectute venerabilem antropopathôs Propheta videt : eundem nunquam ſenem,ſemper iuuenem more humano ſatis decenter contemplatur Philo,quo arcana eius ſpecies nec ſenectutem defendat, nec iuuentutē excludat. Mallem plerumque ſenes obtinere dignitates;arcendus tamen Daniel non eſt , cui in minori ætate *Deus dedit honorem ſenectutis* ;cani enim ſunt ſenſus hominis.Otioſæ annoſitati eruditior iuuentus præferenda eſt. Ne numeres annos,ſed expende merita. Aptior ad Munera eſt, non qui annoſior,ſed qui eruditior,probatior, & indè dignior. Seniores honora, & paſce, reliqua vacent,etſi querelis cælos fruſtrà oppleant.Benè Daniel in eâ ætate eligitur,in qua omnium filius dici poterat:malè eligitur Aman,etiam cùm Regis *pater* appellatur. Quâ de re adhuc in ſequenti §. agitur.

Daniel. 7. v.9.
*Deus apparet velut ſenex canitie venerabilis; & dicitur iuu nis,& quare.*
Iob 12.v.12.
Theodoret. ibi.
Philo l.de Sacrif. Abel.
Daniel.12.v. 50.
Hîc v.50.

---

## §. CCCXXIII.

### *Malè ſenes , annorum ſcalis ad dignitatum faſtigia conſcendere præſumunt.*

HAnc magnam Epicuri vocem,& magnificè dilaudat,& ſibi adaptat & ad omnes perferendam Seneca cenſuit:*Inter cætera*,inquit, *mala,hec quoque habet ſtultitia,ſemper incipit viuere.Conſidera quid vox iſta ſignificat, & intelliges quàm fœda ſit hominum leuitas,quotidie noua vitæ fundamenta ponentium,nouas ſpes etiam in exitu inchoantium. Circumſpice tecum ſingulos , occurrent tibi ſenes, qui ſe tunc maximè ad ambitionem,ad peregrinatione , ad negotiandum parent. Quid eſt autem turpiùs , quàm ſenex viuere incipiens?* qui minorem ætatem,etſi eruditione & prudentiâ excultam, ab honoribus arcendam putat, quaſi dignitates ſint canorum dumtaxat ſtipendia?Hoc inter cetera decrepitæ ætatis deliramenta forſan ponendum eſt. Nulla in re ſenes ſic ſe probant vltrà maturitatem effœtos peritia inopes & prudentia vacuos,quàm quòd ceteros adhuc crudos & immaturos ad dignitates cenſent. Nimirùm diſſimulatæ ambitionis ingenio , reliquos excludendos curant , vt pauculi ipſi dumtaxat, tanquam annorum ſcalis dignitatum faſtigia conſcendant. Sic maior ætas ambitione caligat, nec videt ciconiam,quæ à tergo pinſit , & aſpectabile ſubſannantium theatrum. 1.

Seneca epiſt. 13.Sic habēt antiqui codices.
*Irridendi ſunt ſenes, qui ſe ad ambitionem, ad peregrinationes, & ad negotiandum parant.*

Geneſeos 25. coxit Iacob pulmentum : ad quem cum veniſſet Eſaü de agro laſſus , ait : Da mihi de coctione hâc rufâ , quia oppido laſſus ſum. *Cui dixit Iacob: Vende mihi primogenita tua.Ille reſpondit : En morior , quid mihi proderunt primogenita?* Hinc diuinæ prouidentiæ conſilio conſultiſſimo , Iacob ſapientiæ & virtutis ſymbolum, etſi natu minor , maiori Eſaü primatum dignè præripuit. Quod præſcripta verba elicidans, luculenter Ambroſius adnotauit: *Ne ergò dubites* , inquit , *quòd malitia præcedat tempore ,ſed iuueneſcat infirmitate. Habet illa* (malitia inquam)*ætatis ſtipendium, virtus autem prærogatiuam gloriæ , qua plerumque iuſto iniquus iudici cedit. Cuius rei teſtis eſt fidelis diuina Scriptura , quæ docet Eſaü cognomine ſtultitia virum ceſſiſſe patienter primatus ſuos fratri ſuo Iacob, ita vt diceret ; Et quid mihi primatus?* Itaque malitia antiquior & annoſior virtute eſt ; ſed non indè auctoratior. Habet grandæua malitia ( quæ 2.

Gen.25.v. 31.& 32.
S Ambr. l.1. de Cain & Abel.c.4.
*Habet vitiū ætatis ſti, endium,ſapientia autem & virtus prærogatiuā gloriæ.*

(quæ ſæpè iuueneſcit ad vitia) ætatis ſtipendium: ſed virtus in minori ætate moribus cana, habet prærogatiuam gloriæ. Exindè *primatum*, qui ſeniori Eſaü cælitus præcipitur, iunior Iacob meritis obtinet. Idcircò Eſaü, etſi reproborum vmbra, iuniori Iacobo *primatum*, ſibi alioqui debitum, typicè cedit, quò omnibus innoteſcat, dignitatum faſtigia non eſſe rem annorum, ſed meritorum; non eſſe rem ætatis, ſed virtutis. Valdè fallor, niſi Hebræus Philo acerrimus virtutis vindex, aſpectu ad ambitiosè querulas canæ ſenectutis voces, dixit, quòd *Virtus caret tempore*, ne ſcilicet annoſior malitia de caduco ſenectutis priuilegio, in obtinendis dignitatibus virtuti præferatur. Nimirùm hoc moraliſſimo paradoxo virtutem ac ſapientiam à cenſu ætatis, & canæ ſenectutis ambitioſo ſupercilio eximere conatur, forſan veritus ne inſani Seniorum admiratores, ob annoſitatis prærogatiuam, vitium virtuti præponant.

*Philo ſibi expoſitus.*

*Cur virtus & ſapientia tempore carere dicantur.*

3\. Sapientiæ 4. Iuſtus autem ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. *Senectus enim venerabilis eſt non diuturna, neque annorum numero computata: cani enim ſunt ſenſus hominis.* Non qui non admodùm concinnè diu licet cantauerit, cantoris adipiſcitur laudem, aut alterius cuiuſuis artis, qui ſit eam multo tempore profeſſus profectu exiguo; verùm qui modicâ licet morâ arti conſentanea peritè exequatur. Non ſunt, vt aliquoties ridet Hieronymus, à vetuſtate æſtimanda ingenia, ſed à probitate, eruditione, morum grauitate. Non ſunt anni numerandi, ſed penſanda merita. Conſultiſſimè Caſſiodorus, regis Athalarici nomine ita ſcribit Paulino: Electio, inquit, noſtra de meritis venit: & tantò quis regali animo proximatur, quantò bonis ſtudiis ſocietate coniungitur. Non veremini abſentes, nec ſitis de Principis ignoratione ſolliciti; quandò benè noti ſunt qui meritis aſſeruntur, & abundè cognoſcitur, quiſquis fama teſte laudatur. *Propoſitum ſiquidem tuum celebrata diu ſtatuit opinio, faciens fidem generis morum pondere, non ætate. Semen generis morum fructibus reddidiſti. Nihil vobis ætas longa ſubduxit. Antiquos in te Decios Roma cognouit.* Ecce tibi Paulinus tanto plauſu Conſul renunciatur, dignitatum apicem adeptus, *morum pondere, non ætate*, in quâ ſenectutis ſtipendia promeruit. *Senectus enim venerabilis eſt non diuturna, neque annorum numero computata: cani enim ſunt ſenſus hominis.* Vel, vt alij efferunt: *Cani autem ſunt hominibus prudentia.* Tempeſtiuè Seneca: *non eſt itaque quod quemquam propter canos, aut rugas putes diu vixiſſe. Non enim ille diu vixit, ſed diu fuit.* Neque ve ulus centenarius, dicebat Varro, quàm nouellus melior, nec canitudini comes virtus. Multi iuuenes morum grauitate ſunt maturi; è contrario quidam ſenes morum leuitate iuueneſcunt, & centum annorum pueri ſunt.

*Sap. c. 4. v. 8.*

*Caſſiod. l. 9. epiſt. 22.*

*Æſtimanda eſt peritia, morum pondere, non ætate.*

*Senex imperitus, non diu vixit, ſed diu fuit.*

*Seneca de Breu. vitæ c. 8.*

4\. Grauatè admodum tulit Bernardus, quòd *ſcholares pueri, & impuberes adoleſcentuli ob ſanguinis dignitatem promouentur ad Eccleſiaſticas dignitates, & de ſub ferula transferuntur ad principandum presbyteris: lætiores interim quòd virgas euaſerint, quàm quòd meruerint principatum: Væ tibi terra cuius rex eſt puer.* Ita quidem. Ingens hoc Eccleſiæ detrimentum. Verùm Timotheus, qui forſan per ætatem contemptui eſſe poterat, de morum grauitate ſenectutis ſtipendia tulit: *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat*, ait Apoſtolus. Ex quo loco idem inibi Bernardus ſubinfert. *Nec dicimus quamcumque ætatem Dei gratia præmaturam, ſicut nec ſeram: cùm multos videamus iuniorum ſuper ſenes intelligere, moribus antiquare dies, præuenire tempora meritis, & quod ætati deeſt, compenſare virtutibus. Boni pueri, qui quod ætate videntur, eſſe ſtudent & malitiâ. Malitiâ inquam, ſed non ſenſu: quorum, iuxta admonitionem Apoſtoli, nemo contemnat adoleſcentiam. Meliores bonæ indolis adoleſcentes, iuueteratis*, &c. Bonus fuit puer Samuel promptus Dei auditor. Ieremias ante ſanctificatus, quàm natus: Daniel in iudicio conuincens ſenes impudicos: Salomon duodennis prudenter de meretricibus iudicans: Tobias nihil in pueritia pueriliter gerens in opere. Hæc in minori ætate præcoqua ſenectus, in bonis moribus dulcior eſt, in conſiliis virilior, ad conſtantiam ſubeundæ contradictionis paratior, & ad reprimendos contumaces audentior.

*S. Ber. epiſt. 42.*

*Eccl. 10. v. 16.*

*1. ad Tim. 4 v. 12.*

*Aptus dignitatibus iuuenis, qui fuit moribus antiquare dies.*

5\. Geneſeos 4. Adam verò cognouit vxorem ſuam Heuam: quæ concepit & peperit Cain. *Rurſùmque peperit fratrem eius Abel. Fuit autem Abel paſtor ouium, & Cain agricola.* Non eſt otioſum (ait inibi Ambroſius) quòd cùm ante generatus ſit Cain, prælatus ſit hoc loco Abel: nec idem ſit ordo nominum, qui eſt ordo naturæ. Quid ſibi vult mutatio ordinis, vt prius in moris meminerit, vbi ſcribitur vitæ ſtatus, operíque vſus? Officiorum interrogemus diſtantiam, vt colligamus cauſſam prælationis. Operari terram vſu prius eſt, gratiâ inferius, quàm oues paſcere. Hoc enim inſtar eſt cuiuſdam Doctoris & Principis. Meritóque prior ſe à vetuſtioribus inchoauit, iunior recentiora prætulit, quæ nullas ſpinas, nullos tribulos germinarent, nulli ſententiæ eſſent obnoxia. (Nota quæ tempeſtiuè verba ſubtexit) *Rectè ergo vbi naſcuntur hi fratres, ſeruatur etiam in prædicando ordo naturæ: vbi verò exprimitur diſciplina viuendi, ſeniori iunior antefertur. quia etſi tempore iunior, virtute præſtantior eſt quàm malitia, & quadam ſuppar ætate: ſed meritorum nobilitate antiquior, Senectus enim venerabilis eſt, non annis incana, ſed moribus. Et ætas, inquit, ſenectutis vita immaculata. Vbi ergo generatio exprimitur, præueniat Cain: vbi diſciplinarum fit prædicatio, præcurrat Abel.* Ecce tibi vbi de annorum maioritate fit mentio, prænominatur Cain, vt ætate ſenior cognoſcatur. Idem verò de ætate ſenior cognitus, in muneris prælatione cedat Abelo iuniori: *quia etſi tempore iunior, virtute præſtantior eſt. Innocentia enim tempore præſtantior eſt quàm malitia, & quadam ſuppar ætate*, Dilucidè quidem Ambroſius.

*Geneſeos 4. v. 2.*

*S. Ambroſ. l. 1. de Cain & Abel. c. 3.*

*Cain ob natiuitatem prænominatur: ſ. à Munere poſthabetur.*

6\. Prouerb. 20. *Exultatio iuuenum fortitudo eorum; & dignitas ſenum canities.* Benè inibi notat noſter Salazar, quòd nomen illud *dignitas* ſumendum eſt, vt ſonat. *Es dignidad.* Adeò vt ſenum canities, non tantùm ſit eorum honor, ſed vſque adeò proximum ad dignitates meritum, vt vices cum dignitate reciprocet. Verùm S. Chryſoſtomus duplicem canitiem diſtinguere videtur, aliam quidem capillorum, aliam animi, iuxta illud, *Cani ſunt ſenſus hominis*, ſic fatus: *Canos enim ideò honoramus, non quia album colorem nigro præferimus, ſed quia candor ille eſt ſignum vitæ, quæ ex virtute agitur, & vel videntes inter nos canos ex eo coniiciamus.* Pulchrè ſubdit Ambroſius: *Verè ſenectus illa venerabilis, quæ non*

*Prouerb. 20. v. 29.*

*Eſt canities capillorum, & animi.*

*S. Chryſoſt. apud Salaz. ibi.*

*S. Ambroſ. apud eundẽ.*

*canis ſolùm, ſed meritis albeſcit: ea eſt enim reuerenda canities animæ in canis cogitationibus & operibus fulgens.* Profectò canæ cogitationes, quibus prudentia cenſetur, eſt ſenectus venerabilis, & in minori etiam ætate dignitatum digniſſima, præcoquæ peritiæ merito.

7. Iſaiæ 65. v. 20. Iſaiæ 65. *Non erit ibi ampliùs infans dierum, & ſenex qui non impleat dies ſuos: quoniam puer centum annorum morietur.* Scilicet, Non erit ampliùs infans dierum, multorum inquam, hoc eſt, Non erit is, qui ætatis multos dies & annos habet, ſed quoad ſapientiam & mores eſt infans. Ita ex Sanctio Cornelius. *Infans* ergo *dierum*, idem eſt quod *puer centum annorum*. Quaſi dicat: Tempore Chriſti veri Chriſtiani nulli erunt ætate viri, & morum leuitate ac prauitate pueri; ſed omnes vitæ puritate, gratiâ, ſapientiâ, & virtute erunt viri, etiam qui puerilem ætatem agunt. Rationem peridoneam reddit Hebræus Philo in lib. de Abrahamo ſic fatus: *Nam reuerà ſenior, non ex longitudine temporis, ſed ex laudata vita ſpectatur. Siquidem qui multùm ætatis in corpore vixerunt ſine probitate longæui pueri dicendi ſunt, quia nunquam diſciplinas attigerunt dignas canicie. Amator autem ſapientiæ, prudentiæque, iuſtè ſenior ſiue primas vocari poteſt*, in quacunque ille ætate ſit. Itaque ad ambitum dignitatum computanda non eſt otioſa annoſitas, & albeſcentes cani, qui nihil aliud probare poſſunt, quàm hominem diu vixiſſe; non qui ſapientiæ ac prudentiæ maturitatem denotent. Ergo longæui pueri arcendi ſunt, & adſciſcendi pueri qui non canis, ſed meritis albeſcunt: nam *puer centum annorum* reprobatur, & cana Danielis prudentia in pueri etiam ætate conſultiùs eligitur. Quocircà malè ſenes, annorum ſcalis ad dignitatum faſtigia conſcēdere præſumunt, ambitioſâ ſenectutis præſcriptione. Senior eſt, primas eſt, quiſquis ſapientior & prudentior eſt.

Sanctius. Cornelius. *Senior, & primas eſt, quiſquis in quàuis ætate ſapientior eſt.* Philo.

---

## §. CCCXXIV.

*Deum vis magnitudinis ſuæ, & notum hominibus obiecit, & ignotum: & quem comprehendere præ ſua amplitudine nefas eſt, planè ignorare, præ noſtra ſocordia ſceleroſum.*

1. *Quid ſit Deus?* MVltum dare ſolemus præſumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum eſt, aliquid omnibus videri. Itaque Deū eſſe, inter alia hinc colligimus, quòd omnibus de Deo opinio inſita eſt: nec vlla gens vſquam eſt, adeò extra leges moreſque proiecta, vt non aliquē Deum credat. Pergit Seneca: *Quid eſt Deus? quod vides totum, & quod non vides totum. Sic demum magnitudo ſua illi redditur, quâ nihil maius excogitari poteſt.* Hæc eſt cognitionis noſtræ meta, quâ immetatum Deum noſcens, vltra humanam notionem dignè æſtimat.

Seneca in Præf. Natur. qq.

2. Exhodi 33. v. 23. Exhodi 33. Moyſes amicâ familiaritate cum Deo conuerſans, auſus eſt eius claram viſionem poſtulare. Cui Deus reſpondit: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet.* Ecce, inquit, eſt locus apud me, & ſtabis ſupra petram. Cúmque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dexterâ meâ, donec tranſeam: *Et videbis poſteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.* Eccur Deus ſic humanum fugit aſpectum, vt poſteriora tantùm chariſſimorum oculis permittat, faciē autem ſic auertat? Aut lucem habitat inacceſſibilē, quæ intuentium perſtringat obtutus; aut in altâ caligine, quæ prohibeat oculos. Appoſitè Minutius Felix in Octauio, ita de Deo ſcribit: Hic nec videri poteſt, viſu clarior eſt: nec comprehendi poteſt, nec æſtimari: ſenſibus maior eſt, infinitus, immenſus, & ſoli ſibi quantus quantus eſt notus. *Nobis verò ad intellectum pectus anguſtum eſt: & ideo ſic eum dignè æſtimamus, dum ineſtimabilem indicamus. Eloquar quemadmodum ſentio:* (penſita ad rem hæc verba) *Magnitudinem Dei qui ſe putat noſſe minuit: qui non vult minuere, non nouit.* Deum minuit, qui illum noſſe præſumit: qui non vult minuere, plenè illum nocere non præſumit. Minutio coæuus Tertullianus his verbis adſentit: Deus eſt, inquit, inuiſibilis, etſi videatur; *incomprehenſibilis: etſi per gratiam repræſentetur*; ineſtimabilis, etſi humanis ſenſibus æſtimetur; adeò verus, & tantus eſt. Ceterùm quod videri communiter, quod comprehendi, quod æſtimari poteſt, minus eſt & oculis quibus occupatur, & manibus quibus contaminatur, & ſenſibus quibus inuenitur. Quod verò immenſum eſt, ſoli ſibi notum eſt: *hoc quod eſt, Deum æſtimari facit, Deum æſtimari non capit.* (concludit argutè.) *Ita Deum & vis magnitudinis, & notum hominibus obiecit, & ignotum.*

Minut. Felix. *Magnitudinem Dei, qui putat noſſe, minuit.* Tertull. in Apolog. cap. 17. *Deum vis magnitudinis & notum hominibus obiecit, & ignotum.*

Adeò à cognitione Dei remota eſt humana tenuitas, vt ignoremus & nomen, quod immetatam eius eſſentiam definiat. Ipſe Deus Angeli voce increpat Manue, aiēns: *Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile?* Et Damaſcenus? *Comprehendi omninò diuinum illud non poteſt, neque nominari.* Etſi nos tamen nomina ab antiquo habeamus, & quod miremur pleræque gentes quadrilitera. An cum Herme ſentire de Deo licet? *Ineffabilis non dicendus, ſilentio* tamen *exprimendus.* Pulchrè S. Leo, re & nomine magnus: *Excedit quidem, multumque ſupereminet humani eloquij facultatem diuini operis magnitudo: & inde oritur difficultas fandi, vnde adeſt ratio non tacendi... Gaudeamus igitur quòd ad eloquendum tantæ miſericordiæ ſacramentum impares ſumus, & cùm ſalutis noſtræ altitudinem promere non valemus, ſentimus nobis bonum eſſe quòd vincimur.* Alto ſanè ſtilo, de Deo, Deique corporatione Leo magnus eloquitur. 3.

Iudic. 13. v. 18. S. Damaſ. de Fide c. 13. *Deus ineffabilis non dicendus, ſilentio exprimendus.* Herm. apud Lipſ. in Notis ad Polit. c. 2. l. 1. S. Leo ſer. 9. de Natiuit.

Sapientis cuiuſpiam vox eſt: *De Deo hoc tantùm dic, Eſſe.* Sed quæri etiam iubet, aiens per Prophetam: *Quærite dominum dum inueniri poteſt.* Deum quærere, & licet, & expedit. Sed, vt ait Baſilius, *Animi morbus eſt, malè & ſuperfluè de Deo quærere.* Poëtam audiamus: *Deum eſſe crede, & colito, ſed ne inquirito. Nam nihil habebis aliud hic, quàm quærere.* Pius noſter, Hilarius inquam, magis piè; *Deus religione intelligendus eſt, pietate profitendus eſt, ſenſu verò perſequendus non eſt, ſed adorandus.* Quem mente non plenè capimus, cultu & religione intelligemus: *Religio intelligit*, an cultu adorat? O quàm multa paucis expreſſit Hilarius! 4.

Bias apud Laërt. in eius vita. Iſaiæ 55. v. 6. S. Baſil. apud Lipſ. ſuprà Philetas. S. Hilar. de Trinit. *Deus religione intelligendus.*

Exhodi 3. cunctanti Moyſi Ægyptiacam legationem exequi, hæc dixit Deus: *Ego ſum qui ſum.* De quo tetragrammato nomine, quod vocant ineffabile, multa inibi vbertim Interpretes. Inde 5. Exhod. 3. v. 14.

olim

Apud Lipſ. ſop à
*Deus eſt, & quæ ſunt, & quæ non ſunt, & quo ſenſu.*

olim Ægyptiorum templis Deo conſecrátis, ritè inſcriptum erat: *Quod fuit, quod eſt, quod erit.* Belliſſime Hermes ille Termaximus: *Ipſe eſt, & quæ ſunt, & quæ non ſunt.* Quo ſenſu? Mallem per me ruſpando inquirere, quàm ab ipſo audire. Addit: *Nam & quæ ſunt, habet in ſe ipſe.*

Tullius 1. Tuſc.

6. Deum aliqui Philoſophi ſic ex parte deſcripſerunt: (infinitam enim eſſentiam quis definiat?) *Mentem ſolutam quandam, & liberam, ſegregatam ab omni concretione mortali, omnia ſentientē & mouētem, ipſámque præditam motu ſempiterno.* Hæc vltima Tullij verba rectè accipe. Pro vita & actione ſēpiternâ Ariſtoteles explicabit, aiēs: *Dei actio, immortalitas: hoc autem eſt perpetua vita: vt neceſſum ſit diuinitati perpetuum motum ineſſe.* Nam de alio motu planè falſum. Ille omnia mouet immobilis, omnia quatit inconcuſſus ipſe. Altè Hermes: *Omne motum non in moto mouetur, ſed in quieſcente, & id quod mouet, quieſcit.*

Ariſt 2. de Cælo c. 3.
*Deus inquiete omnia mouet.*

7. Minutius Felix in Octauio, his verbis Cæcilium ethnicum de Deo erudit: *At enim quem colimus Deum nec oſtendimus, nec videmus: imò & hoc Deum credimus, quòd eum ſentire poſſumus, videre non poſſumus. In operibus enim eius, & in mundi omnibus motibus virtutem eius ſemper præſentem aſpicimus: cùm tonat, fulgurat, fulminat, cū ſerenat. Nec mireris, ſi Deū non vides: vento & flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur, & ſub oculis tamen non venit ventus, & flatus,* (Accuratiùs ad rem expende verba quæ ſubiicit) *Solem adeò, qui videndi omnibus cauſſa eſt, videre non poſſumus: radiis acies ſubmouetur: obtutus intuentis hebetatur: etſi diutiùs inſpicias, omnis viſus extinguitur. Quid, ipſum Solis artificem, illum luminis fontem poſſis ſuſtinere? cùm te ab eius fulgoribus auertas, à fulminibus abſcondas:* Et S. Zeno Veronenſis ſub alia metaphora id ipſum expoſuit. Vter elegantiùs, & explicatiùs, tu videris, Subiicio verba etſi prolixa, ne eorum ſenſum deuenuſtem: *Hic eſt Deus noſter, qui ſe digeſſit in Deum. Hic pater, qui ſuo manente integro ſtatu, totum ſe reciprocauit in filium, nequid ſibimet derogaret. Denique alter in altero exultat, cum Spiritus-ſancti plenitudine vnâ originali coæternitate renitens. Quemadmodum (ſi dicere dignum eſt) duo maria, quæ in ſemet recumbunt, freto æſtus alternos in vnum conferente, connexa, quæ licet ſui proprietate, locis, vocabuliſque diſcreta ſint: tamen trini profundi vaporis vna virtus, vna ſubſtantia, vna eſt fluendi natura: nec poteſt incomprehenſibilis, communiſque vndæ diuidi magnitudo, & tamē vtrumque commeando largiflua, vtriſque propria, nulli priuata: etenim damnum patiuntur vbertatis & gratiæ, ſi adimatur, quod vno eodemque æſtu alterum ex altero decoratur.*

Minut. in Octauio.
*Deus Solis inſtar, & viſibilis, & inuiſibilis eſt.*
S. Zeno ſer. 1. de Geneſ.
*Trina hypoſtaſis in vna Dei natura, exemplo freti exponitur.*

8. 1. Corinth. 13. poſtquam Gentium Doctor vſque ad tertium cælum raptus, audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui, ſic loquitur de tenuitate humanæ de Deo notionis: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Profectò ænigmati ſimilis eſt notio, quæ per ſpecierum reuerberationem exprimitur. Perdoctè Nazianzenus: *Vix ipſum ſummi boni ſimulacrum quiſquam in hac vita cernere queat: non aliter atque hi qui Solem in aquis intuentur.* Et ſanè rei notio, quam aquæ reuerberāt; (ſi benè attenderis) rem inuerſam obiectat oculis. Semper intuemur in aquis arborem frondeâ comâ radicatam, & radicum fibris peruersè comatam. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; non aliter atque hi qui Solem in aquis intuentur.*

1. Cor. 13. v. 12.
*Hic Deum neſcimus, ſicut qui Solem in aquis intuentur.*
S. Naz. Orat. 1.

9. Iſaias propheta Euangelicus, de fœcunditate Dei loquens, ſic æternam Verbi natiuitatem admiratur: *Generationem eius quis enarrabit?* Enarrabit ſanè qui nouit. Sed quis hominum nouit, quod nunc humanum captum excellit, & intelligentiæ faſtum longè ſuperat. Præſcripta Iſaiæ verba Zeno Veronenſis elucidans, ſic alto ſtilo ſcribit: *Natiuitatem eius,* inquit, *quis enarrabit? Dementia genus eſt, inuiſibilis incōprehenſibiliſque velle opinari ſecretum, eiuſque interna diſcutere, cuius exteriora nequeat ſuſpicari: quia Deus hoc eſt, quod eſt: quod verò homo definiendum putauerit, non eſt.* Quid ſubtiliùs? quid eloquentiùs? Nec ſibi impar ingenio, & eloquio, ſic aliàs ſcribit: *Principium, inquit Dominus noſter incunctanter eſt Chriſtus: quem ante omnia ſecula Pater in profundo ſuæ ſacræ mentis arcano inſuſpicabili, ac ſoli ſibi notâ conſcientiâ, Filij non ſine affectu, ſed ſine reuelamine amplectebatur. Igitur ineffabilis illa, incomprehenſibiliſque ſapientia ſapientiam, omnipotentia omnipotentiam propagat, de Deo naſcitur Deus: de ingenito vnigenitus: de ſolo ſolus: de toto totus: de vero verus: de perfecto perfectus. Totum Patris habens, nihil derogans Patri.* Perbellè quidem.

Iſaiæ 53. v. 8.
S. Zeno ſer. 1 de Natiu.
*Deus non eſt, quod homo de eo ſuſpicatur.*
Idem ſer. 1. de æter. Dei gener.
*Dei Filius totum Patris habere dicitur, nil derogans Patri.*

10. Tobiæ 8. ſic nouus ſponſus Saram alloquitur: Filij quippe ſanctorum ſumus, & non poſſumus ita conuerſari *ſicut Gentes, quæ ignorant Deum.* Quo vno ignorantiæ elogio omnem Gentilium reatum penè in compendium redegit. Quaſi Dei veri ignoratio ſit ſcelerum omnium epitome. Octauius catholicus poſtquam Cæcilio ethnico peracerba gehennæ cruciamenta deſcripſit, ſcitè ſubdit: *Eos autem meritò torqueri, qui Deum neſciunt, vt impios, vt iniuſtos, niſi profanus nemo deliberat; cùm parētem omnium, & omnium Dominum non minoris ſceleris ſit ignorare, quam lædere. Et tanquam imperitia Dei ſufficiat ad pœnam, ita ut notitia proſit ad veniam.* Nempè ſicut in hâc vitâ Deum perfectè noſcere, humanæ mentis faſtum excellit; ita eum ignorare, ſcelerum compendium, & Gentilium elogium eſt. Nec plura de Dei notione ineffabili addam, Cypriani effatum veritus: *de Deo etiam vera dicere, periculoſum eſt,* qui *meliùs ſcitur neſciendo,* vt inſcitiâ perdoctâ edocet Auguſtinus. Gratulor nunc Eſtheri ac Mardochæo, quòd ſuus Aſſuerus, qui nuper non tantùm arrogabat ſibi diuinitatem, ſed etiam illius abreptiones arrogantiâ furaciſſimè ſacrilegâ aliis impertiri præſumebat, tanquam ſuperbiſſimæ ambitionis ſpolia; iam hîc Deum verum *altiſſimum, & maximum, ſempérque viventem* agnoſcit, & reuerenter adorat: Hæc inchoatæ fidei trophæa Mardochæus de Aſſuero altè erigit: & vndè calamitosè periclitatum, indè feliciter victoriatum eſt.

Tobiæ 8. v. 5
*Dei ignoratio, ſceleſtiſſima eſt.*
Minut. in Octau.
*De Deo vera etiam dicere, periculoſum.*
S. Cypr. de Symb.
S. Auguſt. lib 2. de Ordin.
Hîc verſ. 16.

11. Exhodi 3. interrogatus à Moyſe Deus, quo appelletur nomine: *Dixit Deus ad Moyſen: Ego ſum, qui ſum.* Videri autem poſſet alicui, idem per idem explicari, & (ſi dialecticè loqui liceat) definitum in definitionem ingredi, & ignotum per æquè ignotum exponi. Quod inibi ſubtiliter Caietanus adnotauit, aiens: *Ego ſum, qui ſum. Antequam dicat nomen proprium, manifeſtat rem ſignificatam per nomen proprium.* Porrò, *Ego ſum, qui ſum,* eiuſdem rei geminata repetitio eſt, nec poſterior ſententia plus importat, quàm prior. *Deus,* ait pulchrè Nazianzenus, *eſt quod cùm dicitur, non poteſt dici: cùm æſtimatur, non poteſt æſtimari.*

Exhodi 3 v. 14. Caiet. ibi.
*Deus cùm definitur, ipſâ definitione creſcere dicitur.*
S. Naz Orat. de Fide.

*æſtimari: cùm definitur, ipſa definitione creſcit.* Quid de Deo luculentius, atque ſublimius.

## §. CCCXXV.

### *Num ex errorum gymnaſio, fidei Chriſtianæ veritas aliquandò ſumptuoſiùs ornatur?*

1. Lact. l. 7. Inſt. c. 7. Minut. in Octauio. Phauor. apud Petrarch. lib. 3. rer.

ERuditè Lactantius: *Facile eſt autem docere,* inquit, *penè vniuerſam veritatem per Philoſophorum ſectas eſſe diuiſam.... Totam igitur veritatem, & omne diuinæ religionis arcanum Philoſophi attigerũt.* Adcò vt Minutius in Octauio latè probarit conſenſum Philoſophorum cum Chriſtianis, *Vt quiuis arbitretur, aut nunc Chriſtianos Philoſophos eſſe, aut Philoſophos fuiſſe iam tunc Chriſtianos.* Verùm rectè adnotat Phauorinus, quòd *etſi aliqua interdum oſcitantes vera tacſlarent caſu, id non ratione contingere.* (Chriſtianæ veritatis myſteria Philoſophi attigerunt.) *Vt eos lubricis, & fallacibus coniecturis, ac velut per tenebras ſuſpenſo gradu, prætentáque manu palpitantes, nonnunquam in ipſam veritatem ignoranter incurriſſe.* Scilicet non ſic in alto latuit Chriſtiana veritas, vt puri laticis quibuſdam guttulis non rigarit ſapientum retrò Philoſophorum ſitim: qui cruſtam adhuc veritatem ſæpè eructarunt, ne illorum auctorato ſuffragio religio Chriſtiana fraudaretur.

Tertull. l. de Anim. c. 2. *Planè non negabimus* (ait Tertullianus) *Philoſophos iuxta noſtra ſenſiſſe. Teſtimonium eſt veritatis etiam inuentus ipſius.* (& adludens ſententiæ Phauorini nuper laudati, ſubdit) *Nonnunquam & in procella confuſis veſtigiis cæli & freti aliquis portus offenditur proſpero errore; nonnunquã & in tenebris aditus quidam & exitus deprehenduntur cæca felicitate. Sed & naturâ pleraque ſuggeruntur quaſi de publico ſenſu. Hunc nacta Philoſophia ad gloriam propriæ artis inflauit præſtudio eloquij quiduis ſtruere atque deſtruere eruditis, magiſque dicendo perſuadenter, quàm docendo.* Ergò gratulandum eſt Chriſtianæ veritati, quòd de hoſtibus errorum caſtris, quaſi quædam ſpolia victrici manu detrahat, quibus veræ ſapientiæ ſupellectilem ſumptuoſiùs adornet. Adornatur

Hic v. 16. hìc vera tunc Iudaiſmi religio, & veri Dei cultus, ido ol trico Aſſueri ore.

2. Matth. 2. v. 1. & 2. (In ſacrum Scripturis à Magis barbaris religionem diſcunt.) Matthæi 2. cùm natus eſſet Ieſus in Bethlehẽ Iuda in diebus Herodis regis, *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam; dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Siderea claritas apud Magos ſtellæ illuſtrioris apparuit, & intuentium animos ita admiratione ſui ſplendoris impulit, vt nequaquam ſibi crederent negligendum, quod tanto nunciabatur indicio, quod illuſtrioti prodigio cælum publicabat. *Præerat au-*

S. Leo ſer. 4. de Epiph. *tem* (ait S. Leo) *huic miraculo Gratia Dei.* Sed videamus in quonam ſublimiùs emineat & appareat hæc gratiæ præſidentia, cùm Magi ab Oriente veniunt Ieroſolymam, litteratiſſimam Iudæorum vrbem, & veræ tunc ſapientiæ metropolim, vt Chriſtum recens natum & quærant, &

Haymo ibi. adorent. Haymo inibi ita hâc ſuper re ad rem philoſophatur: *Cùm enim Iudæi*, inquit, *Prophetias habentes, qui Chriſti prædixerant aduentum, parùm aduerterent animum, ideò diſpoſitum eſt vt venirent barbari, hique Magi, & è longinqua regione, vt eos docerent, quod à propriis Prophetis diſcere non curabant.* Scilicet conſultiſſimi olim legiſperiti, & inclyti Iudaicæ religionis Theologi, dum quod de ſuo Meſſiâ ſcriptum eſt in propriis eorum Prophetis ſeu magiſtris diſcere oſcitanter negligunt, nec curant intelligere, *ideò diſpoſitum eſt, vt venirent barbari, hique Magi,* qui eos propriam ſuam ſapientiam & eruditionem de barbaria gentilitatis edocerent. Fortè gentiles barbari erroribus adducti, veram Dei religionem feliciùs edocebunt; & quod in Prophetis negligunt, à barbaris diſcent cæcâ perſpicaciùs felicitate. Nimirùm neſcio quo naturæ noſtræ cognato vitio inſtigamur ad vitia, agimur ad errores: exinde de *Gratiæ præſidentia* venit, vt *barbari & Magi* Scribas Scripturis imbutos, de arcanis Scripturarum ſenſibus edoceant, ſi fortè de hominibus errare adſuetis veritatem hauriant, & feliciùs arripiant. Hæc fuit piè ingenioſa velut aſtutia diuinioris gratiæ: *præerat autem huic miraculo Gratia Dei, vt venirent barbari, hique Magi, vt eos docerent.*

Ceterùm adhuc claranda eſt huius Magorum ſtellæ præclarior diſciplina: Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? *vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Puto de Iudæorum bibliothecâ eſt, & de eorum oraculis, illud Dauidicum: *Cæli enarrãt gloriam Dei.* Leo Magnus id impletum exiſtimat per ſtellam, quæ Magos perduxit ad Chriſtum. Per hanc enim ſtellam Cælum ſidereâ lucis linguâ gloriam Chriſti Dei feliciter publicauit. Aſt procliue omnibus non fuit has præclarè dubias ſtellæ voces intelligere. Iudæorum erat eas expeditiùs regere, & lectas expectanti populo exponere. Verùm (ait Tertullianus) *Magi & Aſtrologi ab Oriente venerunt.* (*Scimus magiæ & aſtrologiæ inter ſe ſocietatem.*) *Primi igitur ſtellarum interpretes, natum Chriſtum annunciarunt.* Quid eſt quòd Magi appellantur ſiderei ſplendoris *Interpretes?* Lux eget *interprete,* Quid eſt obſcurum in luce? quid luce clarius? Sic caligant hominum oculi, aut ſic lippiunt mentes, vt lux egeat *interprete?* Fortè tenebras ipſas perſpicaciter videbit oculis, quiſquis ad videndam lucem *interprete* indiget. Et ſanè ad intelligendas huius ſidereæ facis præclaras voces, nemo adfuit è Iudaica ſchola tunc veritatis alumna, & veræ religionis magiſtrâ: ſed inter ſuperſtitioſos gentilium Magorum errores, hæc haud dubia veritatis lux ſuos fulgores micãtiùs explicuit. Atque vbi Iudæi biblicâ eruditione prælustres, præ nimio ſtupore de ea tacent, quia radiorum loquelam etſi in Bibliis adumbratam, minimè percipiunt, ethnici & barbari *Magi primi ſtellarum interpretes* inueniuntur. ſi fortè tunc Iudæa vitiis ſceleroſa, dum è Magorum ethnico ore errores videtur haurire, veritatem proſperè arripiat, & de cæcutire adſuetis veram huius ſidereæ lucis interpretationem excipiat.

Margin notes, right column: 3. Matth. 2. v. 2. — Pſal. 18. v. 1. — S. Leo ſer. 2. de Epiph. — Magi duumtur huius ſideræ ſtellæ primi interpretes. — Tertull. l. de Idol. c. 9. — Siderea lux eget Magorũ interpretatione.

Auditâ nouâ noui Regis natiuitate, feſtis cælorum facibus illuſtrata, urbatur Herodes, & omnis Ieroſolyma cum illo. *Et congregans omnes principes Sacerdotum, & Scribas populi ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur.* Benè eſt Idumæus Herodes, vtpotè alienigena, & Scripturarum ignarus, Scribas conſulat rei biblicæ peritos: aſt Magi de Gratiæ præſidentia cæliùs edocti, cur Iudæorum ſapientes interrogant? cur ad Ieroſolymam curſum deflectunt, ſtudioſè ſciſcitantes 4.

Margin notes: 4. Matth. 2. v. 4. — Infideles fidelibus de fide interrogati, opportune reſpondent.

ſcitantes

S. Auguſt. ſer. 34 de Temp.

ſcitantes *Vbi Chriſtus naſceretur*? Perbellè Auguſtinus hæc ſuper re ita ſcribit: *Magi quærendo ciuitatem, in qua natus erat, quem videre, & adorare cupiebant, neceſſe habuerunt percunctari principes Iudæorum, vt illi de ſancta Scriptura, quam in ore, non corde geſtabant, infideles fidelibus de gratia Dei reſponderent: mendaces à ſe, veraces contra ſe.* Quæ eſt hæc arcana *Gratiæ præſidentia*, & abſtruſa diuinioris prouidentiæ induſtria? Magi primitiæ fidei, idem diſcent ab infidis & refractariis Iudæis; *Infideles fidelibus de gratia reſpondeant*? Quid ab infidelibus, niſi perfidiam fideles ediſcant? Quid de veritate cælitùs edocti, veritatem ab infidelibus emendicant? O nouam eruditionem è peruerſo mirè auxiliantem! Scilicet forſan ſuperbiſſimi Iudæi docendo diſcent fidem, quam diſcendo à Magis, ſtellæ magiſterio edoctis, accipere recuſabant. Superbus ſatiùs putat ignorare, quàm diſcere: ergo docendo diſcat, quod diſcendo doceri non ſuſtinet. Fiat ſui diſcipulus, dum fit aliorum magiſter, qui alterius ſubire magiſterium faſtidioſè detrectat, quò ſeipſum erudiat, dum Magos docet. Et ſanè de pia gratiæ ſagacitate venit, vt *infideles fidelibus de gratia Dei reſponderent*; & errare adſuetus, veritatem ſtillet, proſperi magiſterij cæcâ felicitate. Vnde Magi de cælo eruditi præclaro ſideris ſplendore, obſcuratam tunc & infidam Iudæorum ſapientiam conſulunt, vt *infideles fidelibus de gratia Dei reſponderent*, & fideles ab infidelibus de fide docerentur, & de errorum gymnaſio, illuſtrior emicaret veritas, tantò aliquibus forſan credibilior, quantò erroribus cognatior videbatur. Quare autem tunc Iudæi dicantur ab Auguſtino, *Mendaces à ſe, veraces contra ſe*, cùm veritatem Herodi reſpondent, aliàs extricabitur. Quid ſi *mendaces* appellantur, quia dum à Rege interrogati, Michææ teſtimonium truncant; dimidiatam propinant veritatem?

*Qui dimidiatam veritatem conſultus dicit, conſultiſſimè mendax appellatur.*

5. *Iudæus ſit Gentilis diſcipulus; incredulos, vt credat, ſequatur.*

Matthæi 8. cùm intraſſet Ieſus Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Ieſus: Ego veniam, & curabo eum. Et reſpondens Centurio, ait: Domine non ſum dignus vt intres ſub tectũ meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic, Vade, & vadit: & alij. Veni, & venit: & ſeruo meo, Fac hoc, & facit. *Audiens autem Ieſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſraël.* Quæ verba ita Seleucienſis Baſilius elucidat, ad lemma præſens ſubtiliter opportunus: *Quid tibi, Iſraël, lucri ex miraculis in Ægypto editis? vnus Gentilis ſupra totam Iudæorum multitudinem fide ſe ſe extulit. Eſto Gentis diſcipulus; incredulos, vt credas, ſequere.* Verba ſanè aurea! Sed quia rem præſentem, non ſolùm tradunt, ſed expendunt, & quia alibi ea etſi præſtrictim libauimus, adſuetâ elucidatione conſultò viduantur.

Matth. 8 v. 10.
Baſil. Orat. 19.

6. Geneſ. 27. v. 1.

Geneſeos 27. *Senuit autem Iſaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat: vocauitque Eſau filium ſuum*, &c. Mirum ſanè eſt quòd cùm Iacob cæcè caligaſſe perhibetur, tunc Iudaicæ fidei ſacramenta, & perſpicaciùs videat, & explicatiùs ediſſerat; quod Magnus Gregorius ſic expendit: *Iudæi*, inquit, *ab Herode requiſiti, locum natiuitatis eius exprimunt, & teſtimonium proferunt, quòd Bethlehem honorari natiuitate noui Ducis oſtenditur, vt ipſa eorum gemina ſcientia & illis foret ad teſtimonium damnationis, & nobis ad adiutorium credulitatis. Quod profectò benè Iſaac, cùm Iacob filium ſuum benediceret, deſignauit: qui caligans oculis, & prophetans: & in præſenti filium non vidit, & tamen multa in poſterum præuidit.* Ecce rei non bonæ optimum typum. Iudæorum oculatiſſimam erga Magos cæcitatem myſticè adumbrauit Iſaacus, nimirum ipſe oculis cæcè caligans, præſentem non videt ſobolem, & longè poſt futuram præuidens, non videntibus oſtendit. Quis credat, iuxta ſe poſita non videntem, à ſe remotiſſima peruidiſſe? Dum caligant oculi oculatiùs prophetet, vt de oculorum caligine, futurorum claret aſpectum, cæcitatis ſuffragio, dictorum fidei ex diuerſo nimiùm auxiliante, dum *in præſenti filium non vidit, & tamen multa in poſterum præuidet.* Ænigmati ſimile apparet, vt qui non *videt, præuideat*: & tamen non *videnti, præuidere* haud dubiè creditur.

S. Greg. ſer. de Epiph. Matt. 2. v. 4. &c.

*Iſaaco non videnti indubiè creditur præuidere.*

7. Matth. 2. v. 6. Mic. 5. v. 2. Strab. ibi.

*Falſi Magiſtri aliquando demonſtrant veritatem.*

Needum ſtellæ Magorum claritas, ſui nitoris pellaciâ aliò ſinit mentis oculos reflexiſſe Legiſperitis Iudæorum ab Herode conſulti, vbi Chriſtus naſceretur, dum illis Magi annunciant natum iam fuiſſe, de Prophetarum oraculis reſpondent: *In Bethlehem Iuda: Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam.* Ad quæ Matthæi verba ita ſcribit Strabus Fuldenſis: *Chriſtus iam per fidem natus de gentilitate velut de longinquo venientibus, per falſorum Doctorum demonſtrationem aliquando quæritur, & inuentus, adoratur.* Magi verè inſtructi à Deo, & vocalibus ſtellæ radiis edocti, quare falſatam tunc Hebræorum ſapientiam conſulunt, & conſultam exequuntur? Recognoſce hîc illuſtre indicium latentis in Chriſto deitatis. Vulgare eſt, cælum de cæleſti veritate homines erudire; Deum, qui veritas eſt, veritatem Dominicæ natiuitatis inſpirare, & veritatis Doctores veris imbuere. Vis noſſe potentiam infantuli Dei recens nati? *per falſorum Doctorum demonſtrationem aliquando quæritur, & inuentus adoratur.* Falſi etiam Doctores Chriſtum *demonſtrant*: Vera notitia hauſta è falſis magiſtris, præclara veritatis *demonſtratio* eſt. Inter præclara noſtræ fidei miracula cenſe, quòd à falſis Doctoribus *demonſtratur*: & vnde timeri poterat infuſcatio veritatis, indè appareat manifeſta *demonſtratio*? & quod ſeruiebat errori militet veritati.

---

## §. CCCXXVI.

### *Impenſius Sanctorum ſtudium de amplificanda Dei gloria, auguſtè glorioſum Chriſto eſt.*

1. Plutarch. in Polit.

*Deo cedat tota boni operis gloria, qui humanam induſtriam commodatò accipit.*

PYtho ille Græciæ apud Plutarchum opinatiſſimus, *admirantibus eum Athenienſibus, & honore ac laude proſequentibus, quod Cotin interemiſſet: Diis inquit, habenda eſt gratia, quibus auctoribus patratum facinus egregiè eſt, manu duntaxat & operâ à me commodatò acceptâ.* Si hoc ethnicus, quid Chriſtianũ hominem, & dicere, & facere par eſt? O Chriſtiane, Ethnici diſcipulus es. Nimis gloriæ auara eſt humana natura, præſertim ſi crucifixi Dei fides abſit. Exinde ſtudium diuinæ gloriæ, propriâ contemptâ, & mitiſſimum,

tiſſimum, & laudatiſſimum eſt. Ecce tibi nuper Aſſuerum de diuinitatis arreptione ſuperbiſſimum; nunc de conſuetudine cum Eſthere, & Mardochæo religioſum, & egregium veri Numinis cultorem.

Hic v. 16.

2. Canticorum 2. ſic Eccleſiæ ſponſus de ſe loquitur: Ego flos campi, & lilium conuallium. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Benè hîc notant Expoſitores, quòd hic *filiarum* nomen, ſicut aliàs perſæpè in Bibliis, non benè audit. Vnde apud nonnullos Interpretes, *filiæ* intelliguntur victrices Aſſyriorum & Chaldæorum Gentes, apud quas Synagoga (tunc Dei populus, & ſponſa) captiua exulabat. Paraphraſis Chaldaica præſcripta verba in eundem ſenſum ſic exponit: *In tempore autem quo ego declino à viis, quæ recta ſunt coram eo, & ipſe aufert maieſtatem ſanctitatis ſuæ à me; ego comparata ſum roſæ, quæ germinat inter ſpinas, à quibus perforatur & rumpuntur folia eius: ſic ego ſum compuncta & ſciſſa propter peſſimas impoſitiones in captiuitate inter prouincias populorum.* Nimirùm Hebrææ gentis Synagoga, quæ tunc erat vera veri Dei Eccleſia, etſi inter *ſpinas* Gentium, & plurium Hebræorum à fide & auitis moribus deficientium, verſabatur; nil in diuè ærumnoſâ captiuitate æquè moleſtum & acerbum illi accidit, quam quòd Deus ab illâ tunc *abſtulit maieſtatem ſanctitatis ſuæ.* Quod Prophetæ præproperè prædixerunt, & funeſtiùs deplorarunt. Circunſtantium Gentium ſpinoſitate pungitur, laceratur, cruentatur, & folia eius perforantur atque rumpuntur laceratione acerbiùs calamitoſâ, vt in dira captiuitate par erat; & quaſi hæc parùm moleſta forent, acerbiùs excruciatur, & funeſtè conqueritur, aiens: *Ipſe aufert maieſtatem ſanctitatis ſuæ à me.* Quaſi dicat: Reliquæ ærumnoſi exilij calamitates, faciles toleratu forent, quantumuis acerbius permoleſtæ; at diſpendium *maieſtatis* diuinæ in me nunc imminutæ, id omnem ſenſum doloris exaggerat. Dirâ ſpinoſitate vndecunque excrucior, non tam quia folia perforantur calamitatum punctionibus; ſed quia *ipſe aufert maieſtatem ſanctitatis ſuæ à me.*

Cant. 2. v. 2.
*Nil apud acerbum, quàm quòd Deus à nobis auferat maieſtatem ſanctitatis ſuæ.*
Chaldæus.

3. Matthæi 4. Diabolus ſemel victus, adhuc de humano faſtigio Chriſti Dei ædificare ruinam molitur: *Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorſum,* &c. De myſticâ ſignificantiâ *Templi,* & *Pinnaculi,* multa tradunt allegorici Interpretes. Theophilus Antiochenus lib. 1. Commentar. ſeu Allegoriar. in Euangelia, hâc ſuper re ita ſcribit: *Diabolus ſtatuit Ieſum ſupra pinnam Templi: per templum, hominem ſignificat, vt & Apoſtolus, Vos eſtis templum Dei. Per pinnam templi noſtram indicat ſublimitatem, de qua Chriſtum deſcendere Diabolus hortabatur dicens, Mitte te deorſum,* Ecce, Theophilo interprete, per *templum* in quod ſublimiùs aſcendit Chriſtus, homines ſignificantur: per templi *pinnaculum,* quod eſt præcelſius eius faſtigium, intelligitur excelſa ſublimitas, quâ Chriſtus Deus in hominibus præeminet. Huic igitur auguſto faſtigio, quo Chriſtus Deus à quibuſdam hominibus diuinæ gloriæ impenſiùs ſtudioſis, excelsè ſublimatur; ambitioſiùs inuidens malus Dæmon, de illo Chriſtum Deum deiicere ſatagit, vt de illâ celſitudine palam ruat, ruinâ indecorâ. Sic homo Dominicæ gloriæ impensè ſtudioſus, Chriſtum

Matth. 4. v. 5. & 6.
Theophil. Antiochen.
*Diabolus ſatagit, de partâ per homines gloriâ Chriſtum deiicere.*

Deum exaltat, vt Diabolorum inuidia eò negotioſiùs tendat, vt de illo faſtigio Chriſtum deiiciat? Nihil non magnum & auguſtum in homine Deo ſuſpicatur: hæc tamen ſublimitas nimis eum vrit. Diaboli ergò inuidioſa contentio, noſtra eruditio ſit; vt homo diuinam gloriam, quà ſic ſublimatur Chriſtus, impenſiùs æmuletur.

Matthæi 6. ſolemnem Eccleſiæ orationem his verbis Chriſtus inſtituit: Sic ergò vos orabitis: *Pater noſter, qui es in cælis: ſanctificetur nomen tuum.* Numquid Deus non erit ſanctus, ſi id à me non dicatur? Quam ſanctitatem humana precatio Deo poteſt fœnerari? Et cur non precatur quiſque vt ipſe bonis ſuis operibus Deum ſanctificet, id eſt, auguſtiùs glorificet? Quid medìè ſeu indifferenter à me poſcitur, quod ab aliis faciendum eſt; An quia parùm eſt, vt à me glorificetur Deus, niſi per me ab aliis etiam glorificetur? Audiendus eſt hâc de re Chryſoſtomus exponens præfata Chriſti verba, *Sanctificetur nomen tuum,* ita fatus: *Rogare iubet orantem, Deum per noſtram glorificari vitam, ac ſi dicat: Ita fac nos viuere, vt per nos vniuerſa te glorificent: ſanctificetur enim idem eſt quod glorificetur. Digna eſt autem Deum deprecantis oratio nihil petere ante Patris gloriam, ſed omnia eius laudi poſtponere.* Benè & optimè gloriæ diuinæ vota, reliquorum quibus indigemus votis præponenda ſunt, vt in vnoquoque homine nihil ſit antiquius diuinæ gloriæ deſiderio. Parùm eſt autem, quòd nos id in nobis intendamus; niſi etiam tale ſit in nobis ſtudium diuinæ gloriæ amplificandæ, *vt per nos vniuerſa Deum glorificent.* O votum piè audax! ô conatus piâ velut ambitione immetatos! Ne autem quicquam gloriæ in iſtiuſmodi voto ſibi homo arrogare videatur, non poſtulat, vt per ipſius hominis operam, vniuerſæ creaturæ Deum glorificent; ſed quaſi omnem à ſe gloriam abdicans, quam vnicè in Deum regerat, non ait, Peto, vt ego te glorificem, & per me omnia; ſed verbo impersonali (vt aiunt) vtens, dicit: *Sanctificetur nomen tuum.* id eſt, *glorificetur.* O preces diuinioris gloriæ ſtudioſiſſimas! Sibi quiſque deneget gloriam diuinæ gloriæ ſtudioſius procurandæ, vt illud quod ſibi detrahit, diuinæ gloriæ eroget, adiiciat, & accumulet ad glorioſius auctarium. Ideò conſultiſſimè dicit, *Sanctificetur,* hoc eſt, *glorificetur nomen tuum,* piè ambitioſâ quâdam diuinæ gloriæ auaritiâ. Vnde ſubdit Chryſoſtomus: *Et vide,* inquit, *quàm cautè locutus eſt, non dixit: Pater ſanctifica nomen tuum in nobis,......nec ſanctificemus nomen tuum,* &c. 4.

Matth. 6. v. 9.
*Cur impersonaliter oramus. Sanctificetur, id eſt, glorificetur nomen tuum?*
S. Chryſoſt. homil. 20. in Matth.

Paullus ad Coloſſenſes 1. ita ſcribit: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.* Locus multimodo expoſitorum ardore ſudatus: & quem præ arduâ ſententiæ nouitate variè verſant. Et ſanè admirabilitate plenum eſt, quòd paſſioni Chriſti Dei aliquid deeſſe dicatur, quod vel Paullus adimplere potuerit. An non paſſio Chriſti fuit operatio theandrica, id eſt, Dei-virilis, Patri Deo infinitè grata, & quæ magnum redemptionis negotium plenè & condignè peregit? Quid nam Chriſti Dei merito, paſſionum acerbitati, & patiendi voto, ad conſummationem paſſionis, & ad redemptionis perfectionem *deeſſe* potuit? Quid pati potuit Paullus in *carne* ſuâ, quòd Chriſtus in *corpore* ſuo paſſus non ſit, vt homines à peccato liberaret? Profectò Chriſtus cùm Deus homo ſit, ſalutem humanam peregit, abſque vllo amittendæ 5.

Ad Coloſſ. 1. v. 24.
*Paullus quia peccare poteſt, dicitur implere in carne ſuâ quæ deſunt paſſionum Chriſti?*

tendæ

S Naz. alibi citatus.

tendæ gratiæ aut gloriæ diſcrimine: ( ſiquidem *extra peccandi aleam* erat, vt loquitur Nazianzenus ) Paullus autem ſic habebat ad ſalutem hominum, vt in illis ſaluandis *anathema* eſſe, non ſolùm præ naturæ imbecillitate poſſet, ſed præ gratiæ animoſitate cuperet. Itaque Chriſtus extra aleam amittendæ gratiæ & gloriæ, paſſione ſua ſalutem hominum procurauit; Paullus verò hoc periculum (vt poterat ſine peccato, quod etiam de ſanctiſſimo protoparente noſtro Ignatio legimus) pro hominum ſalute ſuis paſſionibus ſubire non abnuit. Exinde in *carne* ſua *adimplere* potuit, quod in ſua paſſione Chriſto defuit, id eſt, non adfuit. Quod S. Anſelmus his verbis inſinuat: *Adimpleo, inquit, ea quæ deſunt. Cui deſunt? Paſſionibus Chriſti. Et vbi deſunt? In carne mea. Nam in carne Chriſti, quam Virgo peperit, nihil paſſionum deeſt, ſed omnes in illa paſſiones ſunt impletæ: ſed adhuc reſtat pars paſſionum eius in mea carne, quas quotidie tolero pro vniuerſali corpore eius, quod eſt Eccleſia.* Nempe nihil deeſt paſſionum Chriſti *in carne ſua*, quam Spiritus-ſancti operâ ex Virgine ſumpſit, & homo Deus eſt extra peccandi aleam: at *in carne mea*, de Adami elogio peccatis ſubiecta, (ait Paullus) aliquid paſſionum reſtat, quod adimpleat, quod eſſe non potuit in Chriſti paſſione. Vide zelum diuinæ gloriæ in Paullo, vide in Ignatio, vterque enim in carne ſua adimplent, quæ deſunt paſſionum Chriſti; non quæ in eius impeccabili carne poſſent impleri, ſed quæ in vtriuſque carne, de Protoparentis limo peccatis ſubiectâ. Sic Paullus *adimplet ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne ſua pro corpore eius, quod eſt Eccleſia*, Planè luculenter Anſelmus.

S. Anſelm. inibi.

*Zelus S. Ignatij pro amplificanda Dei gloria.*

6. Matthæi 17. tres illos Apoſtolorum ſummates, ad transfigurationis glorias Chriſtus ſelegit: Et transfiguratus eſt ante eos. *Et reſplenduit facies eius ſicut Sol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.* Marcus verò expreſſiùs tradit veſtium ſplendorem, aiens: *Et veſtimenta eius facta ſunt ſplendentia, & candida nimis.* Theophilus Antiochenus lib. 4. Allegoriarum in Euãgelia, has gloriæ veſtes ita exponit: *Iſus aſcendit in montem, id eſt, in maieſtatem Patris. Et vultus eius immutatus eſt, ſcilicet maiori ſui luminis claritate..... Per veſtem verò ipſius ſplendidam, Aſſumptionem Sanctorum futuram indicat.* Nempe Dominus regnauit, *decorem indutus eſt*, dum Sanctorum meritis, velut regiis gloriæ veſtibus, & triumphali trabeâ ſumptuoſis ornatur. Ac ſi Chriſto ſatis non foret, ad gloriæ ſuæ oſtenſionem, *aſcendere in montem, id eſt, maieſtatem Patris*, & maiori luminis claritate vultu fulgere, ne quis exinceps de ſua diuinitate poſſit ambigere; induit etiam *veſtem ſplendidam*, quæ *Aſſumptionem Sanctorum futuram indicat.* Tanto ne gloriæ auctario Sancti Chriſtum cumulantidum ſe oſtentat aſcendiſſe in paternæ *maieſtatis montem*; tunc, tunc quidem ad gloriæ cumulum, *Sanctorum aſſumptionem*, velut *decorem induit* O Chriſti Dei in Tabore glorias, Sanctorum ope decoratas! Sanctorum de diuina gloria amplificanda ſtudio, Taboris gloria gratuletur, quam ſic meruit decorare.

Matth. 17. v. 2.
Marci 9 v. 2.
Theophilus. Antioch. l. 4.

*Chriſtus in Tabore, partâ ſibi à Sanctis gloriâ, velut ſplendidâ veſte decoratur.*

7. Ioannis 14. Qui diligit me, (ait Chriſtus Deus) diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & *manifeſtabo ei meipſum. Dicit ei Iudas, non ille Iſcariotes: Domine, quid factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis teipſum, non mundo?* Quid fuerat in Chriſti ſententia ambiguum, quo factus fuerit Apoſtolorum dubio locus? Dixerat Chriſtus ſe Apoſtolis ſuis tanquã amicis manifeſtaturum, non mundo: nam mundus mundi ambitione & concupiſcentiâ obcæcatur, nõ capiebat arcanam Chriſti Dei notionem, neque illam vllatenus merebat. Quid ergo Iudas Thadæus ambiguum putat, & intellectu arduum, quòd Chriſtus Deus teipſum Apoſtolis, & non mundo manifeſtet? *Domine, quid factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis teipſum & non mundo?* Eleganter Cyrillus ſic ad rem exponit præſcriptum locum: *laude dignus eſt, quippe Solis more per totum terrarum orbem Chriſti gloriam ſplendere deſiderat: nec ſibi ſufficit, ſi cum paucis ipſe Chriſtum agnoſceret.* Benè Apoſtolus ambigit, quo pacto fieri poſſit, vt Chriſti Dei gloria ipſi manifeſtata, mundo non ſimul manifeſtetur: impoſſibile enim ſibi cenſet, illam ſibi notam, mundo non publicare; frendeat licet Orcus, ferociat Tartarus, ſæuiat Gentilitas, & obuius inhumanè Tyrannus atrociter deſæuiat. Sic enim æſtuant Apoſtoli Ieſuanæ gloriæ latiùs propagandæ ardore amoroſo, vt poſſibile non cenſeant, ſibi notam, diu fore aliis ignotam. *Domine, quid factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo? Nec ſibi ſufficit, ſi cum paucis ipſe Chriſtum agnoſceret.*

Ioan. 14. v. 21. & 22.

*Quàm æſtuent Apoſtoli Ieſuanæ gloriæ amplificandæ ardore.*

S. Cyrill. l. 10. Ioan.

Lucæ 10. deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos, &c. Et dicebat illis: *Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum meſſis vt mittat operarios in meſſem ſuam.* An Dominus meſſis meſſem ſuam negligit, cùm ad mittendos operarios ſufficientes rogari expetit? an diſcipulorum zelum nimis inde commendat? *Sed quare ſe vult rogari Dominus*, (ait inibi Hugo) *vt mittat operarios in meſſem ſuam, imò rogat vt rogetur, & rogat operarios vt rogent eum?* Reſpondet: *Per hoc oſtendit deſiderium prædicatorum circa ſalutem animarum.* Non negligit Chriſtus Deus meſſem ſuam, ex qua ſuæ gloriæ fructus copioſè metit: ſed oſtendit viuidum operariorum zelum de amplificanda gloria diuina, quo ſic flagrant, vt vel Domini meſſis ſollicitudinem quodammodò anteuertant; illúmque quaſi ceſſantem ſollicitent, *vt mittat operarios in meſſem ſuam.* Quid exaggeratius.

8. Lucæ 10. v. 2.

*Operariorum zelus, Domini meſſis ſollicitudinem quomodo anteuertit?*

Hugo ibid.

## §. CCCXXVII.

### *Non qui eloquitur magna, ſed qui viuit, Euangelium, & Euangelij mores feliciter perſuadet.*

1. SApienter de more Seneca: Illud autem, mi Lucili, te rogo atque hortor, inquit, vt Philoſophiam ( id eſt, morum doctrinam ) in præcordia ima demittas, & experimentum tui profectus capias, non oratione, nec ſcripto, ſed animi firmitate, & cupiditatum diminutione. *Verba rebus proba. Aliud propoſitum eſt declamantibus, & aſſenſionem coronæ captantibus, aliud his qui iuuenum & otioſorum aures diſputatione varia aut volubili detinent. Facere docet Philoſophia, non dicere: & hoc exigit, vt ad legem ſuam quiſque viuat, nec ab oratione vita diſſentiat: vt ipſa inter ſe vita,*

Seneca epiſt. 20.

*Per ea quæ quis operatur admonet: verba rebus comprobans.*

*adiungere innocentiam, & manibus intelligentiam.* Scilicet Dei populus diuini verbi vberrimis paſcuis alendus eſt à Concionatore, in innocentia cordis,& in intellectu manuum. Nemo, nemo,inquam, putet in cordis ſeu mentis officina ſubtiliter fabricandos eſſe diſcurſus, quibus dominicum gregem Concionator paſcat, & expugnet peccata;*in intellectu manuum*,& actuoſâ operum ſedulitate ingemianda conflandáque ſunt verba, quæ Chriſtianas ſanctitates ſpirent, & delicta feliciter expungant. *Manuum intellectus* eſto ſubtilis cōcionum artifex,qui non euaneſcat ſubtilitatibus, ſed graueſcat vtilitatibus. Hæc non mentis, ſed *ſenſuum ingenia* alibi ex Tertulliano commendauimus.

Tertull.alibi expenſus.

7. Matthæi 2. Magi præclaro ſideris ductu Deū recens natum ſollertet perquirunt, & tandem proſperè inueniunt. Sed mitiſſimum eſt, quòd inuentum agnouerint: *Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum.* Ad quæ Euangeliſtæ verba,ſic de humillima Chriſti Dei natiuitate,& mitiſſima adoratione Magorum philoſophatur Chryſologus: *Sæpe quærimus*, inquit, *quare ſic mundum Chriſtus intrat, vt veniens experiatur anguſtias,partus patiatur iniuriam, ſuſtineat vincula pannorum,cunabula toleret imbecilla, lacrymis vberum nutrimenta diſquirat, ætatum gradus, neceſſitatéſque præſentiat.* (Penſita quæ ſubiicit verba) *Et qualiter venire debuit, qui voluit apportare gratiam,timorem pellere, quærere charitatem?* Ecquis non ſtupore defigitur ad naſcentis Dei ignominias, ad tot probra humanæ Dei natiuitatis, videns Dei gratiam in agreſti præſepio abiectiſſimè ſtabulantem? Attentiùs Chryſologi rationem expende: Sed non aliter,inquit, venire debuit,*qui voluit apportare gratiam.* Sic,ſic ſe exhibere debuit, gratiæ baiulus, ſanctitatis portitor, & virtutum omnium opportunus delator. Non modulata diuinioris ſapientiæ facundia, non empyrea cæli pompa, non excertæ diuinitatis maieſtas; ſed in tot virtutum præclarâ exhibitione, vel muta pueruli infantia debuit Magis *apportare gratiam.* Heu Concionatores Chriſti Dei vicarios,& deſtinatos gratiæ baiulos! Profectò non benè *apportat gratiam* inanis eloquentiæ ambitio, non eruditioris ſapientiæ faſtuoſum ſupercilium, non ventris cura, non famæ ſtudium, non corporum aut veſtium nitor; ſed vilitates,incommoda,probra,& relinquarum virtutum exhibitiones, quas hic de Chriſto Chryſologus prædicat, fide ſpirant, ſanctitatem fragrant, virtutes afficant, & *gratiam apportant.* Gratia non eſt artificium ambitionis, ſed humilitatis negotium. Vitium non eſt idoneum gratiæ vehiculum.

Matth.2.v.11.

S.Chryſol. ſer.158.

*Qualis debeat eſſe Concionator, qui eſt gratiæ baiulus.*

8. Matthæi 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ:quia clauditis regnum cælorum ante homines; vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare.* Eſto, Phariſæi vitio hypocriſis non intrent in regnum cælorum, quomodo eius portas claudunt, vt reliqui introeuntes illuc intrare nō poſſint? Ciò dicam,quod hic Origenes ſubtiliter excogitauit: *Hoc peccatum inuenitur maximè in Doctoribus, qui docent quod decet ſecundum iuſtitiam Euangelij homines; non autem faciunt quod docent. Benè autem viuentes & benè docentes,aperiunt hominibus regnum cælorum, & dum ipſi intrant,alios prouocant introire.* Itaque Doctor & Concionator ore viam in cælum demonſtrat, & quaſi in cælorum limine auditores collocat. At ſi bono opere portas cæli ipſe non pulſat,aperit & ſic intrat in cælum; cæli portas auditoribus claudit:nam verba opere viduata, inaniſſima ſunt,&(ſi ita fari liceat) velut ſpirituales quædam nugæ,quæ ad bona opera non extimulant. Scilicet Concionator, qui ore errantes corrigit in cælum, opere ſuo debet in cælum intrare; vt dum ſibi introeunti portas aperit, illas auditoribus aperiat.Quod ſi eas ſibi non aperit, cæteris claudit.Quid exaggeratius?

Matth.23.v.13.

*Concionator qui bono opere non intrat in cælum,illius oſtium cæteris claudit.*

Orig. Tract. 25. in Matt.

---

## §. CCCXXVIII.

### *Infelix eſt ſuadela Prædicatoris,qui quod ore docet,opere non loquitur.*

1. NVllos ſanè peius mereri de omnibus mortalibus iudico,quàm qui ſapientiam, & diuini ſermonis miniſterium, velut aliquod artificium venale didicerunt:qui aliter viuunt, quàm viuendum eſſe aliis præcipiunt. In ore maſculū virtutis vigorem oſtentant; exempla tamen ſemet ipſos inutilis diſciplinæ circumferunt, nulli non vitio quod inſequuntur,obnoxij. Non magis mihi poteſt quiſquam talis prodeſſe præceptor, quàm gubernator,alioqui peritus, ſed in tempeſtate nauſcabundus, qui in occaſione exhibendæ artis,opere quod norat,dediſcit. Ergo eum elige præceptorem:quem magis admireris cùm videris, quàm cùm audieris, qui quod ore viriliter tractauit,femineo opere non retractat.

*Inutilis eſt Prædicatoris doctrina, qua opere non ſuadet,quod ore loquitur.*

2. Matthæi 7. Attendite à falſis prophetis, (ait Chriſtus) qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoſcetis eos(id eſt,ex operibus) *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus,& in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam noui vos.* Quid eſt, quòd neſcire Chriſtus dicitur eos, qui Euangelicam doctrinam prædicant, & in nomine eis præſagâ cælitùs mente prophetant, & miracula patrant? Profundè inibi dubius Chryſoſtomus: *Sed conſidera*, inquit,*quia in nomine dicunt, non in ſpiritu,prophetant enim in nomine Chriſti,ſed in ſpiritu diaboli:Dæmonia eiiciunt in nomine Chriſti,habētes ſpiritum inimici:faciunt & virtutes,id eſt,miracula, non vtilia & neceſſaria, ſed inutilia & vacua.* Nempe Concionatores,& morum præceptores, qui aliud ore docent,aliud opere loquuntur: qui quod ſermone ornatiùs fatentur, operibus efficaciùs negant;*prophetant in nomine Chriſti, ſed in ſpiritu Diaboli.* Chriſti doctrinæ voce tenus adulantur,ſed operibus diabolo ſtudēt. Ore inaniter ſonat Chriſti doctrina,& Euangelicus ſermo;opere autem diaboli mores & Spiritum manifeſtè ſpirant. Homines verò minùs credunt verbis, quàm operibus, in quibus haud dubiis characteribus ſpiritum diaboli legunt, Chriſti nomine tectiùs diſſimulatum. *Prophetant in nomine Chriſti,ſed in ſpiritu diaboli.*

Matth.7.v.22.

*Qui dicunt, & nō faciūt, prophetant in nomine Chriſti ſed in ſpiritu diaboli.*

Imperf.hom. 19.in Matth.

3. Lucæ 13.dicebat autem Ieſus & hanc ſimilitudinem: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa,& non inuenit.* Vnde confeſtim ſuccidi iuſſit

Lucæ 13.v.6.

S. Ambroſius ſapienter cenſet, quòd hæc vinea Domini Sabaoth fuit Synagoga, quæ etiam ſub ficulneæ comparatione adumbratur: quia ſicut iſta arbor redundat foliis fluentibus, ſpem poſ-
S.Ambr. ibi. ſeſſoribus ſuis caſtâ ſperatorum prouentuum expectatione deſtituit. *Ita etiam in Synagoga: dum Doctores eius operibus infœcundi, verbis tamen velut foliis redundantibus gloriantur, inanis vmbra legis exuberat. Hec etiam ſola arbor ab initio germinat poma pro floribus, & poma decidunt, & poma ſuccedunt, manent tamen aliqua priorum parata nec decidunt.* Ecce inficulneâ boni imbonique Doctoris ſeu Prædicatoris elogium typicè adumbratum. Porrò ficulnea arborum fœcundiſſima eſt, dum præcoces ficus pro floribus germinat, nequid non edule & fructuoſum in câ ſit; poma iam matura decidunt, & poma perenniter ſuccedunt, ſuccedaneâ maturitate vernantia & perenni prouentu fœcunda. Vide hîc boni Doctoris ſeu Prædicatoris Hieroglyphicum, ſiquidem vel eloquentiæ, ingenij, & ſubtilitatum flores, non infœcundè ad ſpeciem vernant, ſed edules ſunt, fructus ſunt, prouentus ſunt, & fructus fructibus perenniter ſuccedunt, ſuccedaneâ perennitate aſpectabiles. At doctores & Prædicatores (velut hæc Euangelij ficulnea) *operibus infœcundi, verbis tantùm velut foliis redundantibus glorientur,* & deciduâ frondium viriditate, aut frondeâ caducè ambitione inutiliter vernant. *Succide ergò illam: vt quid etiam terram occupat.*

*Prædicator operibus infœcundus, ficulnea euangelica ſimilis eſt.*

4. Matt. 22. v. 32. Matthæi 22. acceſſerunt ad Ieſum Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem: & eorum argutulis captioſè interrogationibus reſpondit: De reſurrectione autem mortuorum non legiſtis quod dictum eſt à Deo dicente vobis: *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob?*
S. Auguſtin. Tract. 11. apud Caten. S. Auguſtinus verſans hunc locum, ita Prædicatoribus, qui verbum Dei tractant, appoſitè accommodat: Ideò autem (inquit) ſpecialiter Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob dicitur; quia in iſtis tribus omnes modi generationis filiorum Dei vocantur. *Generat enim Deus multoties de bono Prædicatore bonum filium, & de malo malū: quod ſignificatur per Abraham, qui de libera vxore fidelem filium habuit, & de ancilla infidelem genuit,* &c. Eſtò, Deus de bono Prædicatore, verbi Dei ſemine (*ſemen eſt verbum Dei*) bonos generet, ſicut Abraham de bonâ Saiâ bonum Iſaacum generauit: aſt quomodò Deus ipſe de malo Prædicatore, verbi Dei ſemine, malum filium gignere poteſt? Sicut Abraham de non bonâ ancillâ Agare Iſmaëlem *infidelem genuit?* ſic Prædicator malis moribus corruptus, diuinum verbi Dei ſemen velut deprauat, vt vel ex bono verbi Dei ſemine malos gignat, & malitiam propaget. Vel bonum ſemen verbi Dei, per imbuni Prædicatoris traducem inſtillatum, malos generat, & Iſmaëles propagat? Vnde Iſaaci expectabantur, inde Iſmaëles naſcuntur? Tantum male morato Prædicari licet! ô monſtrum! Diuini ſeminis corruptela, an aborſus eſt?

*Malus Prædicator, diuini verbi ſemine malos filios gignit, & malitiam propagat.*

5. Marci 6. v. 10. Beda ibi c. 24. Marci 6. Chriſtus Deus mittens diſcipulos ad prædicandum, præcepit eis ne quid tollerent in viâ, niſi virgam tantùm. *Et dicebat eis: Quocumque introieritis in domum: illic manete donec exeatis inde. Et quicumque non receperint vos ...... exeuntes inde,* &c. Vbi dat conſtantiæ generale mandatum, (ait Beda) vt hoſpitalis neceſſitudinis iura cuſtodiant; *Alienum à prædicatore regni cæleſtis adſtruens, curſitare per domos.* Benè admonet, monentem ſequere. Porrò Concionatoris munus non eſt impune viſitandi priuilegium. Taceo. Aliter Theophylactus ad rem tempeſtiuè: *Quocumque introieritis in domum: illic manete donec exeatis inde. Ne ſcilicet de gulâ contingeret eos reprehendi, ab aliis ad alios tranſeuntes.* Miriſſimum ſanè eſt, tam ſeriò à Chriſto vetitum, ne ſi forſan in aliqua domo non benè cum illis actum foret, tranſirent in aliam, vnde eius Euangelicam doctrinam prædicarent, & ciuitatem ad Chriſtum conuerterent: & iſtiuſmodi prohibitionis cauſſam eſſe, vt *gula* ſuſpicionem à Prædicatoribus arceret. Infidelis permaneat illa ciuitas, Prædicatoribus viduata, & cum quâ acerbiùs, quàm cum Sodomis ideò agetur, ne Prædicatores ex leuiculo fundamento, *gulæ* inſimulentur? Inſimulentur quidem, & hanc contumeliam innocenter ſuſtineant, ne ciuitas illa, & incredulitatis, & tot ſuppliciorum rea inueniatur. An non ſatiùs foret, vt fruſtrà iactatis aduerſus ſe contumeliis, illius ciuitatis reatum Prædicatores redimerent, & propriâ infamiâ illorum fidem mercarentur? Ita quidem, ſi fieri potuiſſet. Verùm Prædicator vitiis diffamatus, fruſtrà verbum Dei ore tractabit, cùm vulgò cenſeatur aliud opere docere. Faciliùs arripient auditores vitia, quæ de famâ tranſparent, quàm doctrinam & virtutes, quas ore tenus tradere videtur. Æquum ergo eſt, ne tranſeant de domo in domum, ſed ex illâ vrbe confeſtim exeant: ne ſi de vitio notentur, illud citiùs, quàm Chriſti doctrinam perſuadeant. Idcircò ſic cautè Diſcipulos Chriſtus præmonet, ne *de gulâ contingeret eos reprehendi,* magno doctrinæ Euangelicæ diſpendio. Et ſanè Matthæi 23. de Hebræorum Magiſtris ſic loquitur Chriſtus Deus: *Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro.* De primo in cœnis accubitu, ita fatur Chryſoſtomus: *In cœnis hoc pati qualitercumque tolerabile erat; quāuis Doctorem in admiratione eſſe oporteat, non in Eccleſiâ ſolum, ſed vbique.* Scilicet oportet, vt Doctor ſeu Prædicator præ raritate occurſus, *vbique* omnibus *admirationi* ſit. Pergit Rabanus: *Quamuis in hoc culpa non careant, ſi iidem in foro litibus intereſſent, qui in cathedra Moyſi, magiſtri Synagogæ cupiunt appellari, & vocari ab omnibus Rabbi.* Procul à conuiuiis, procul à foro, idonei verbi Dei præcones, & doctrinæ antiſtites. Longè ſit à vulgi moribus, qui mores vulgi reformare ſtudet; ne deſtruat opere, quod verbo adſtruit.

Theoph. aud Catenam 1 non in oin eius Commentariis, ſed eodem ſenſu.

*Ne Concionator ſit gulæ ſuſpectus.*

6. *Procul à conuiuiis, & à foro, verbi Dei præcones.*

Matth. 23. v. 6 & 7. S. Chryſoſt. hom. 73. in Matthæ.

Rabanus ibi.

Marci 6. vocauit Ieſus duodecim, & cœpit illos mittere ad prædicandum. *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm: non peram, non panem, neque in zona æs.* Ecce verbi Dei præcones, tam egenè pauperes, & tantâ mundi penuria extremè inopes, Chriſtus mittit? Quam ob rem Euangelicæ prædicationis ſudoribus nullum permittit ſubſidium? Profundè Theophylactus: *Prohibet autem eis quippiam tollere, vel peram, vel æs, vel panem, docens per hæc illos à diuitiarum ſtudio eſſe debere alienos.* (Nota quæ ſubtexit verba) *& quòd his qui illos vident, grati ſint futuri, cùm agnouerint paupertatem tantam, eò quòd nihil habeant.* Quæ eſt hæc præpropera inopum Prædicatorū erga auditores, *gratitudo?* An in ſuæ paupertatis aſpectu, de inopiæ ſuæ largo beneficè ſubſidio, ſibi gratulantur,

7. Marci. 6. v. 8.

Theophyl. ibidem.

*Inopia Prædicatoris, prapropera gratitudinem auditoribus præſert.*

gratulantur, & gratum audituris animum oſtendunt? An inopes Prædicatores, præcoquam gratitudinem præferunt his: qui viſâ eorum inopiâ, ante prædicationem ore faciendam, conuerſionem ad Euangelium fauſtè ominantur; & paupertatis linguato ſilentio, Euangelij prædicationem, & oppidi conuerſionem præmaturè auſpicati ſunt? O inopum Prædicatorum præproperam auditoribus *gratitudinem*, quæ fructum Euangelicæ prædicationis anticipat, & feliciter anteuertit! Pauperior Prædicatoris inopia benè adſtruit, quod ambitioſa opulentia malè deſtruit. Præſens inopia Prædicatoris, futuræ populorum conuerſionis auſpicium eſt. (ſic ad mores vſurpare liceat τὸ *grati ſint futuri*.)

## §. CCCXXIX.

*Comitas placida in Doctore, perſuaſionis lenocinium eſt: opprobria verò diſputantium, noctem vel perſpicuis diſputationibus offundunt.*

1. Seneca de vita beata. cap. 17.

SIquis ex his qui ſapientum mores *collatrant, quod ſolent, dixerint: Quare ergo tu fortius loqueris quam viuis? Quare Superiori verba ſubmittis, & damno moueris, & reſpicis famam, & malignis ſermonibus tangeris?* An tu præſumis, quòd virtus homines reddat inſenſibiles? Malignis quidem tuis ſermonibus *tangitur*, mores ſuos latrantem, & mordentem pariter; ſed ſine remorſu, aut iniuriarum regeſtu. Magiſter, qui pugnax eſt, & ſapientiam adinſtar belli adminiſtrat, tractandæ ſapientiæ inidoneus eſt. Propterea monet Clemens Alexandrinus, vt diſcamus ab his, qui *quieta dogmata tradunt*; & dum mente certant, in affectu plus pacis habent. *Eum elige Doctorem, quem magis admireris cùm videris, quàm cùm audieris.* Arguite de virtutibus diſputat; ſed argutiùs malignis ſermonibus quibus *tangitur*, non mouetur; cùm feritur concertantis iniurijs, iniurias nõ reuerberat, nec mordentem vnquam remordet, Male vitium vitio curatur. Sapientis animi eſt has iniurias deſpicere. *Vltionis contumelioſiſſimum genus eſt, non eſſe viſum dignum, ex quo peteretur vltio. Multi leues iniurias altiùs ſibi demiſere, dum vindicant. Ille magnus nobilis eſt*, & dignus ſapientiæ alumnus, *qui more magnæ feræ latratus minutorum canum ſecurus exaudit.*

*Virtutis doctrina, pacatè tradenda eſt.* — Clem. Alex. alibi expenſus. — Seneca epiſt. 34. — Idem lib. 2. de Iræ. c. 32.

2. Actor 9. v. 22. — Græci codices. — *Fidem confirmat, qui eam cum manſuetudine docet.* — Oecumen. inibi.

Actorum 9. *Saulus autem multò magis conualeſcebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damaſci affirmans quoniam hic eſt Chriſtus.* Græci codices, ac Patres pro τὸ *affirmans*, exſcribunt, *confirmans*. Sed quo modo Paulus *confirmabat*, & fidem in Chriſtum, & eam robuſtiùs obfirmabat? An quia legis Moſaicæ peritiſſimus erat? an quia ardentiori vigebat zelo quàm reliqui diſcipuli? an quia acri & intrepido erat ingenio, & in diſputationibus pugnaciſſimus? Pulchrè Oecumenius: *Confirmans, hoc eſt, cum manſuetudine docens Ieſum eſſe Chriſtum Dei Filium.* Non tam hic dicitur *confirmare* fidem, quia eam Prophetarum oraculis prædictam, Moſaicâ lege adumbratam tot Chriſti miraculis fundatam oſtendit? Profectò cum felici ſuadela Paulus *confirmare* perhibetur, quia ipſe, etſi flammeo ingenio acer, eam *cum manſuetudine docet*. O nouam *confirmandæ* doctrinæ artem! Qui ſecùs facit, non confirmat, ſed infirmat.

Paulo ſuccedat Stephanus, qui cùm diſputando ſuper re Chriſtiana, Scribarum & Phariſæorum vetuſtas detriumphaſſet argutias, *concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium.* Scilicet, *Petrum reliquóſque Apoſtolos à templo, nunc autem & Stephanum iudicandum è doctrinæ loco ad concilium rapientes.* Et audito inductorum teſtium falſato teſtimonio, dixit Princeps Sacerdotum: Si hæc ita ſe habent? Stephanus autem ait: *Viri fratres, & patres audite: Deus gloriæ*, &c. Ad quæ verba ſic ad lẽma præſens tempeſtiuè idem Oecumenius ſcribit: *Eſt autem, inquit, verè ſapiens, ac animi magnitudine plenum exordium. Nominum etenim proprietate demonſtrare intendit prudentiæ non eſſe, iniurioſum quippiam, aut quod damnum afferat aduerſus fratres ac patres inducere: id autem adferre quod & gloriam nouit & lucrum parere, hoc demum viri eſt naturâ abſoluti, quique ſalutiferè ad eos loquitur, ad quos eſt ſermo.* Nimirùm cùm Stephanus è loco doctrinæ trahitur ad iudicium blaſphemiæ reus, pacatâ & minimè pugnaci apologiâ calumniam excuſſit, nec inconſultum excidit verbum, quod damnum afferret aduerſariis. Imò *fratres ac patres*, amoris & honoris cauſâ, etſi inimicè laceſſitus, conſultiſſimè appellat; nihilque ſe dicturũ, niſi quod illis *gloriam & lucrum adferat*, pollicetur, tanquam qui *fratres ac patres* alloquatur. Sic pacatè, & humanè ad inhumanos calumniatores in re doctrinæ loqui, *viri eſt natura abſoluti, quique ſalutiferè ad eos loquitur.* O quàm multa his paucis verbis Oecumenius compendiauit! 3. Actor. 6 v. 12. Oecum. ibi. — Actor. 7. v. 2. Oecum. ibi. — *Qui pacatè calumnias doctrinæ refutat, abſolutus naturâ eſt, & ſalutiferè loquitur.*

Matthæi 11. Chriſtus Deus nouus è cœlo magiſter adeſt, & ſic homines alloquitur: *Tolle iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* O gratiſſimum pondus (exclamat incertus Chryſoſtomus) quod magis confortat portantes. Nam pondus terreſtrium dominorum atterit paullatim miniſtrantium vires; pondus autem Chriſti magis adiuuat baiulantem, quia nos non portamus gratiam, ſed gratia nos. Nec nos ad auxilium gratiæ dati ſumus, ſed gratia magis ad noſtrum. Benè quidem: ſed Chriſtiani iugi ſuauitatem, & gratiam oneris exponit; non verò quo pacto non inidonea ratio reddatur, cur diſcendum nobis à Chriſto ſit, *quia mitis eſt, & humilis corde.* An non magis idonea foret ratio: *Diſcite à me*, quia increata ſapientia ſum, quia Verbum Patris, quia in me reconditi ſunt theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei? Hæc citiùs quàm mitis humilitas, & pacata manſuetudo Magiſtrum nobilitant, & diſcipulos ad diſcendum alliciant, Profectò inexpugnabilis rationis vigor, & perſpicuæ doctrinæ veritas, potius quàm mitis ac minimè pugnax magiſter, doctrinam diſcentibus perſuadet. Subtiliter Hugo Carenſis hoc mite Chriſti Dei magiſteriũ his verbis exponit. *Diſcite à me, quia mitis ſũ, quia nullum deſpicio. Nihil aridum humilibus, nihil aſperum mitibus: & facile præcepta veniunt in affectum, quoniam & gratia præcedit auxilium.* Nimirùm ediſcenda veritas, otium eſt animi, aut potiùs mentis negotium, quæ ſæpe pium voluntatis affectum requirit pretium, qui cognato lenocinio intellectum inclinet ad aſſenſum veri- 4. Matth. 11. v. 29. Imperf. ibi. — *Manſuetudo docentis, victor ſuadela eſt.* — Hugo inibi.

tati preſtandum. At à Magiſto pacato & humili, & qui *quieta dogmata tradit, facile præcepta veniunt in affectum.* Inde ex pacatâ & quietâ doctrinâ, quæ non irritat conuitiando, ſed placidè docendo mulcet, feliciter perſuadet, *quoniam & gratia præcedit auxilium.* Sanè profundo ſtilo hanc ſententiam Hugo ex ſcholiis Theologicis inuoluiſſe videtur: in quibus tametſi *auxilium* vices cum *gratiâ* reciprocet, tamen pacati & humanis Magiſtri gratia, ſic affectui blanditur ad fœlicem veritatis ſuadelam, & iniunctæ præceptionis obſequium, vt pacati magiſtri bona *gratia præcedat auxilium*, quaſi ante intrinſecum gratiæ *auxilium*, quieta & pacata præcipientis aut ſuadentis extrinſecùs *gratia* præcedat, quæ piâ quâdam & grata pellacia affectum alliciat ad conſenſum & obſequium feliciter exhibendum. Ait ergò Chriſtus Deus: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde. Facilè præcepta veniunt in affectum, quoniam & gratia præcedit auxilium.* Ecce tibi, manſuetudo docentis, ſæpè vigor ſuadeiq; eſt. Nollem, vt vel cum Hæreticis impudentioribus Catholicus doctor aſperioribus verbis diſputet; & ne eo tanquam magiſtro ad conuitiandum vtatur. Sanè aſperiora verba ſpinoſitate cognata pungunt, non emolliunt; auertunt, non alliciunt; vulnera irritant, non curant. Felicem ſibi ſuadelam inuidet, qui Chriſtianam religionē tractans, detrectat Chriſti magiſterium, aientis: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Sic *facile præcepta veniunt in affectum, quoniam & gratia præcedit auxilium.*

5. Actor. 15. v. 39. Actorum 15. Dixit ad Barnabam Paullus: Reuertentes viſitemus fratres per vniuerſas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodò ſe habeant. Barnabas autem volebat ſecum aſſumere & Ioãnem, qui cognominabatur Marcus. *Paullus autem rogabat eum* (vt qui diſceſſiſſet ab eis de Pamphyliâ, & non iſſet cum eis in opus) non debere recipi. *Facta eſt autem diſſenſio, ita vt diſcederent ab inuicem, & Barnabas quidē aſſumpto Marco nauigauit in Cyprum. Paullus verò electo Silâ profectus eſt.* Hoc etiam in Prophetis reperimus, quòd humaniùs diuerſas habuerint ſententias, moréſque diuerſos: velut Elias qui auſterus fuit, Moyſes autem manſuetus: ita ſanè & hoc loco Paullus vehementior eſt Barnabâ. Hæc verò contentio plurimùm Marco profuit. Siquidem Paulli terror ipſum conuertebat; Barnabæ autem bénignitas efficiebat ne ampliùs relinqueretur, aut ille diſcederet. Itaque contendunt quidem; attamen in vnum finem lucrum occurrit. Contendunt quidem; ſed Paullus *rogans* Barnabam; Barnabas verò mitiſſimè Marci miſeratus. Pergit ibidem Occumenius: *Etenim Marcus videns Paulum eligentem potiùs ſeparari, quàm ipſum aſſumere, admodum timuit, ſeſeque condemnauit: videns autem Barnabam adeò ſe complectentem, vehementer eum dilexit* (enucleatiùs pende verba, quæ addit) *Et emendabatur diſcipulus contentione præceptorum, tantùm abfuit, vt offendiculum inde ſuſciperet.* Num his verbis exaggeratur eximia iam Marci virtus, qui vel ex *contentione* Magiſtrorum ad omnes ſanctitates magis proficit? (ſanè magnum quid eſt, litigantibus contentiosè Magiſtris, diſcipulum proficere) An Marcus proficit *contentione* Magiſtrorum; quia in eâ non pugnax contumacia; ſed gratior manſuetudo prælucet? Paullus enim *rogando* Barnabam, cum Barnaba *contendit*: Barnabas autem Marco mitiùs miſerando, *contendit* eum Paullo. Exindè *emendabatur diſcipulus contentione Magiſtrorum, tantùm abfuit vt offendiculum inde ſuſciperet.* Sapientum diſputatio *contentionem* non tollit, bilem autem contendentium tollit. Infortunata eſt veritas, quæ malignis ſermonibus ſuaderi præſumitur.

Quomodo diſcipulus Marcus proficiat contentione Magiſtrorũ.

Occum. in- didem.

Ioannis 8. Chriſtus Deus quò Euangelicæ fidei veritatem adſtrueret, longam cum Iudæis habuit diſputationem, cæleſtem doctrinam micantibus fulgurantem: cum verò aduerſariis non ſuccumberet, quid manifeſtis Chriſti rationibus reſponderent, ita concludit: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Iudæi autem cùm perſpicuam veritatem refutare non eualerent, quantumuis adniterentur; ad contumelias confugiunt, quibus veritatem infuſcare videantur. Vnde cùm latiùs foret vibratæ aduerſus ſe rationi reſpondere, probra tumultuoſis clamoribus verſutè reſponderent: *Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & demonium habes?* Notiſſimæ ſunt hæ malè arguentium aut reſpondentium technæ, quæ de obſcuro conuitiorum tumultu veritatem obnubilare contendunt, contumeliarum tenebris obſcuro effugio lenocinantibus. Quò ſpectat illud Minutij, nempe Cæcilius ethnicus pro Idololatriæ cultu latè perorauerat contra Chriſtianos, nec ſine felle iactatis ſparſim amarulentis ſcommatis. Octauius verò Catholicus, (vt Catholicos decet) hoc proœmiolo ſuam diſputationem aggreditur: *Dicam equidem,* ait, *vt potero pro viribus: & adnitendum tibi mecum eſt, vt conuitiorum amariſſimam labem, verborum veracium lumine diluamus.* Nempe verba veracia, hoc eſt ipſa veritas, lumen quoddam eſt, quo diſputantes *amariſſimam conuitiorum labem diluunt.* Porrò ſincerus veritatis noſcendæ amor, tanquam ſplendida lux, conuitiorum amaras tenebras prodit: ergò omnibus innoteſcat, amariſſima conuitia eo fine à malæ cauſſæ diſputatoribus eſſe ſubdolè iactata, vt contumeliarum confuſo tumultu, patefacta veritas tectiùs obſcuretur. Profectò in non bonâ cauſsâ Ethnicorum ſub Cæcilio, & Iudæorum ſub Phariſæis; quia veriſque vel argutiæ ad reſpondendum non ſuppetunt, quod rationi deeſt, contumeliis ſupplent. validum ſanè argumentum, ſed apud vulgus imperitum, cui validior vociferatio pro rationis momento eſt. Ergò diſputantibus ſincero inueniendæ veritatis ſtudio *adnitendum eſt, conuitiorum amariſſimam labem verborum veracium lumine diluant.* O quàm ſplendidè fulgerent diſputationes, ſi diluta conuitiorum labe, expulsáque contumeliarum nubeculâ, veracium verborum lumen præfulgeret!

6. Ioann. 8. v. 46. & 48.

Conuitiorum obſcuram labem, veracium verborum lumen diluat.

Minut. Felix in Octau.

---

## §. CCCXXX.

*Quæſtuaria in Euangelico Prædicatore auaritia, multis ſuggillatur.*

Tertullianus in Apologetico aduerſus Gentes, ſic Idolorum numen de auaritia miniſtrorum irridet: Sed enim agri, inquit, tributo onuſti, viliores: hominum capita ſtipendio cenſa, ignobiliora: nam hæ ſunt notæ captiuitatis: Dij verò qui magis tributarij, magis ſancti; imò qui 1.

Tertull. Apolog. c. 13.

*Auaritia ſacerdotum, qui ... Gentium miniſtrabant.*

qui magis ſancti, magis tributarij: *maieſtas quæſtuaria efficitur. Circuit cauponius religio mendicans, exigitis mercedem pro ſolo templi, pro aditu ſacrorum: non licet Deos eſſe gratis, venales ſunt.* Quòd ſi Gentilium Deos gratis eſſe non licet, ipſos eſſe notos, & religionem cuiuſque, populo per ſacerdotes exponi, minimè licebit. Mercenaria Deorum religio, quæſtuariam exigit vocem, de nummario prædicationis commercio lucroſam. Inopes numine Deos, furacior prædicatio decet. dedecet veri Dei adminiſtros, quibus vberior merces eſt, & eruditionis ſapientiæ ſtipendium, religionem veri Numinis propagare.

2. Matth. 8. v. 19. & 20.

Matthæi 8. obtulerunt Chriſto multos dæmonia habentes; & eiiciebat ſpiritus verbo; & omnes male habentes curauit. *Et accedens vnus ſcriba, ait illi: Magiſter, ſequar te, quocumque ieris. Et dicit ei Ieſus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Scriba ſequelam petit, & de paupertate illi reſpondetur; vel petitionem non cenſet reſponſo dignam, vel aliorſum Chriſtus reſpondet. Scilicet moris eſt Domino non tam rogata ſpectare, quàm rogantium moribus occurrere, & eorum vitia diſſimulanter perſtringere. Quâ ſuper re ita philoſophatur Seleucienſis Baſilius: *Phariſæus igitur,* inquit, *ardens auaritiæ morbo, miraculorum conſpectâ multitudine trahitur amore rem ſuam augendi, & perſonatus diſcipulus Dominum aggreditur, vt arte miraculorum cognitâ miracula vertat in pecunioſam nundinationem.* Sequar enim, inquit, quocumque ieris. *Cum ad mentem Chriſtus aptat reſponſum, non ad verba, oratione inſtruens eius mores.* Vulpes enim, inquit, foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet. *Quid miraculorum ſingis deſiderium, cum pecuniarum te teneat amor? quid ob quæſtum diuitiarum paupertatis adiiſti legiſlatorem? pecuniæ miraculis non auctitantur. Inſpice me, qui ex auctoritate patro miracula, volucribus pauperiorem. Non è miraculis aurum legitur, neque nobis hoc admirabilium rerum lucrum eſt.* Plures hîc ſententias conglobat Baſilius, opportunæ expenſioni obuias.

*Scriba miraculorum artem in lucroſam nundinationem vertere ambit.*

Baſil. Seleu. Orat. 28.

3. Geneſ. 3. v. 5.

Geneſeos 3. callidus ille ſerpens dulci Euam illicio ad præuaricationem pellicere ſatagit: & mulieri comminatam ſibi mortalitatem obiicienti, quominùs de ligno vetito ederet, Sic aſtutè mentitis ſpebus reſpondet: Nequaquam moriemini. Scit enim Deus quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri: *Et eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum.* Magno conſenſu putant Interpretes, hîc gulæ & ambitionis negotium peragi. Pulchri enim pomi aſpectu blanditur palato; & obtinendæ diuinitatis falſato ambitu præſumptionem vitia humanum faſtum, audacter ſubrigit. Verum S. Gregorius rem penitiùs contemplatus, ita ſcribit: *Eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum: Ex gula quippè diabolus tentauit, cum cibum ligni vetiti oſtendit ex vana gloria, cùm dixit, Eritis ſicut dij. Ex prouectu autem auaritiæ, cùm addidit, Scientes bonum & malum.* Scire bonum & malum, ſcientiæ negotium eſt, auaritiæ non eſt. niſi fortè cæleſtis ſapientia, factum eſt quæſtuoſum auaritiæ commercium, & eruditior ſcientia pecuniarum vſura ſit, & lucroſa nundinatio. Velut genus quoddam mercaturæ hodie habetur ſapientiæ negotium, iam olim adumbratum in ſubdolâ

S. Greg. homil. 16. in Euang.

*Scientia boni & mali, lucroſum auaritiæ commercium dicitur.*

prouentuum tentatione; quibus Scientia boni & mali ſuggeritur, ad excitandum auaritiæ ſtudium? O auariſſimos ſapientiæ caupones, qui in ſcientiarum gymnaſio, pecuniarum auidius congerendarum artem ſtudioſè didicerunt! *Ex prouentu autem auaritiæ, cùm addidit, Scientes bonum & malum.* Altè quidem de more Gregorius!

4. Lucæ 10. v. 35.

Lucæ 10. vt Iuriſperito malitioſè interroganti de legis mandato maximo, Chriſtus ſatiſfaceret, ſub idoneâ parabolâ exponit, quiſnam ſit cuiuſque proximus. Nempe hominem illum à latronibus ſpoliatum, & vulneribus cruentum, Sacerdos præteriit, leuita neglexit. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus eum: & videns eum, miſericordiâ motus eſt. Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum, & imponens illum in iumentum ſuum, duxit in ſtabulum, & curam eius egit. *Et altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcumque ſupererogaueris, ego cùm rediero reddam tibi.* Samaritanus iſte communiter putatur Chriſtus, qui cùm redierit in die iudicij, quicquid quiſque ſupererogauerit, cumulatiùs reſtituet. Quis autem fuerit hic ſtabularius, non conuenit inter expoſitores. S. Auguſtinus ſic peritè locum commentatur: *Stabularius,* inquit, *fuit Apoſtolus, qui ſupererogauit quod etiam manibus ſuis operatus eſt, ne infirmorum aliquem in nouitate Euangelij grauaret, cum ei liceret ex Euangelio paſci. Multùm etiam ſupererogauerunt Apoſtoli.* Nimirùm Paullus, qui (vt commentatur Anſelmus) plus omnibus laboraſſe in Euangelio dicitur; quia Euangelij prædicandi ſubſidia & emolumenta neglexit, myſticus hic *ſtabularius* eſt, qui beneficè *ſupererogauit*; & Euangelicæ prædicationis idea factus, huius miniſterij faſtigium demonſtrat, & Euangelij prædicandi ſummam implevit. Pudeat mercenariâ prædicatione Euangelium nundinare: & Chriſti fidem, aut Euangelicam diſciplinam ſordidè venalem exponere, ob viliſſimum pecuniarum lucellum. Auaritia interdicitur, quæ ſub congrui victus larua ſubrepit, magno Euangelicæ prædicationis dedecore, & animarum diſpendio.

*Paullus nullam accipiens pro prædicatione mercedem, multum ſupererogauit.*

S. Aug. l. 2. q. 19.

S. Anſel. ibi

5. Ad coloſſ. 2. v. 8.

Paullus his verbis Coloſſenſes admonet: *Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi.* Redit Apoſtolus ad principale argumentum, & cauſam huius epiſtolæ ſcribendæ, ſcilicet vt dehortetur Coloſſenſes ab hæreſi Philoſophorum. Et nota, quòd pro *decipiat*, Græcè eſt, *deprædetur*. Ita Syrus, Ambroſius, Theophylactus. Vnde Hilarius legit, *ſpoliet*. Simonianos ergo, (quorum patriarcha auaræ ſimoniæ nomen fecit) & ab eis prognatos Gnoſticos, alióſque eiuſdem fæcis hereticos vocat prædones Paullus, vti & Chriſtus Ioannis 10. v. 8. Hunc Paulli locum in hoc ſenſu verſat Tertullianus in lib. de Præſcriptionibus aduerſ. Heret. cap. 7. & in lib. de Animâ cap. 3. *Siquidem,* ait, *& ab Apoſtolo iam tunc Philoſophia concuſſio veritatis prouidebatur. Athenis enim expertus linguatam ciuitatem, cùm omnes illic ſapientiæ atque facundiæ caupones deguſtaſſet, indè concepit præmonitorium illud edictum.* Benè ergò Coloſſenſes ſic præmonet Paullus; ne quis Simonianæ doctrinæ ſucceſſor, eos in diſciplinâ traditâ, tamquam furax auarè *caupo deprædetur*, & *ſpo-*

Græcus S. Ambroſ. Theophylact.

S. Hilar. 12. de Trinit.

*Ne ſit Prædicator doctrinæ caupo.*

Ioannes. Tertull.

*liet.* Veritatis concuſſio eſt, à doctrinæ *cauponibus* erudiri.

6. Lucæ 10. v. 4.

Lucæ 10. deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos Apoſtolis auxiliares, & miſit illos prædicare Euangelium. Et dicebat illis: Ite, ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos. *Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta.* Quare tantam rerum inopiam Euangelij ſatoribus Christus præcipit? Victum accipere permittit; lagenam, & panarium portare vetat. Appoſitè

S. Gregor. homil. 17. in Euangel. *Prædicator qui ad temporalia occupatur, minùs alijs prouidet æterna.*

Gregorius: *Nolite portare ſacculum, &c. Tanta enim Prædicatorum debet eſſe in Deo fiducia, vt præſentis vitæ ſumptibus quamuis non prouideat, tamen ſibi hos deeſſe certiſſimè ſciat. Ne dum mens eius occupatur ad temporalia, minùs alijs prouideat æterna.* Itaque fiducia in Deo quaſi prædicatoribus cognata, imprimis commendatur. Neque modò auaritia erga lucrum è prædicatione reportandum arcetur; ſed neque *occupatio* ad temporalia permittitur, ne *minùs alijs prouideat æterna.* ac ſi quantùm eiuſmodi, non dico auaritiæ, ſed *occupationi* impenditur, tantùm de æternitatis negotioſâ curâ alijs detrahat. Prædicator qui temporalibus lucellis occupatur, æternitatem auditoribus inuidet; & quod temporali curæ erogat, æternitatis negotio derogat: quia dum *mens eius occupatur ad temporalia, minùs alijs æterna prouidet.* Alienæ æternitatis diſpendio, pecuniarum negotium Prædicator pertractat. O fuge hoc auaritiæ commercium, & propudioſas Euangelij nundinas!

7. 2. Cor. 6. v. 4. & 5. & 6.

Gentium Doctor 2. Corinth. 6. Euangelij miniſtros ita inſtituit: *Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum.* Quænam eſt hæc offenſio, quæ non tam Euangelij miniſtrum, quàm ipſum Euangelium vituperat? *In omnibus*, inquit, *exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multâ patientiâ..... in neceſſitatibus, & anguſtijs......in ieiunijs, in caſtitate.* Hæc omnia in quibus Euangelicus Prædicator ſe debet probum Dei miniſtrum exhibere, eleganter ad rem Theophylactus elucidat. Itaque

*Parùm caſtus eſt Concionator, qui auarè ſtipendio conciones nundinatur.* Theoph.

Concionatorem Euangelicum monet Paullus, vt ſe verum veri Dei miniſtrum demonſtret, *in neceſſitatibus, & anguſtijs, in ieiunijs, in caſtitate.* Quæ eſt hæc Prædicatoris *caſtitas*, quam tantoperè Paullus deprædicat? Theophylactus, qui è Græco pro *caſtitate, puritatem* legit, ſic opportunè locum exponit: *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in puritate. Temperantiam ſic appellat, vel puritatem in omnibus rebus, tum quòd munerum corruptelam non admiſerit, tum quòd citra ſumptum aliorum prædicauerit verbum.* Vide nouam ac infrequentem *caſtitatis* ſignificantiam. nempè citra aliorum ſumptum prædicare, nec *munerum corruptelam admittere.* Qui hæc auidè expetit, & auarè exambit, tanquam verbi Dei caupo, in *caſtitatem* peccare dicitur? Quid? qui Euangelij prædicationem nummario commercio nundinatur, inhoneſtatis arguitur, aut Euangelium ſaltem dehoneſtat? Hinc abſtinentia à munerum corruptelâ dicitur à Vulgato *caſtitas*, à Theophylacto *puritas*. Hiſpanè dicimus, *limpio de manos.* Plus forſan Theophylactus ſignificat, quàm dicit quod ex num. ſequenti conſtabit.

8. Michææ 3. v. 11.

Michææ 3. minax ſcelerum obiurgator Propheta adeſt: *Sacerdotes eius in mercede docebant, & prophetæ eius in pecunia diuinabant: & ſuper Dominum requieſcebant.* Et confeſtim peracerbũ ſupplicium ſubdit, putà regni ac religionis ruinam: Propter hoc, inquit, cauſsâ veſtri Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem quaſi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelſa ſiluarum. Tam atroci funeſtè excidio condignum eſt Sacerdotum, ac Prophetarum venale miniſterium?

*Prædicator, qui Dei verbũ vendit, luxuriari ambit.*

Hugo ibi.

Hugo Carenſis ibi præſcripta verba ſic elucidat: *Cùm os Sacerdotis ſecundum Malachiam; oraculum ſit Domini, & ipſi voces Dei vendant: cùm etiam illi qui ſe putant Prophetas in pecuniâ diuinant, &c.* Continuò addit ex Hieronymo:

S Hieron.

*Permittitur tibi ô Sacerdos, ſi viuas de altari, non vt luxurieris.* Ecce vbi quàm ſit grande piaculum, Dei verbum nundinari, & vltra honeſtum Prædicatori victum ambire. Nempe Dei voces, & oracula nummario commercio vendere, & Dei maieſtatem efficere quæſtuariam. Qui enim hoc facit, non quærit de verbi Dei miniſterio *viuere*, ſed de prædicationis lucro ambitioſiùs *luxuriari*. Sanè hoc Hugonis commentum concinere videtur expoſitioni Theophylacti, qui illud Paullinum, Exhibeamus noſmetipſos *ſicut Dei miniſtros in caſtitate*, expoſuit de incorruptelâ à muneribus, quibus vox Concionatoris venditur.

---

## §. CCCXXXI.

*In verbi Dei adminiſtris, viliſſima ſordidi lucelli auaritia, quæ cibario aut nummario pretio veritatem cauponatur; multis culpatur.*

1. Actor. 9. v. 38.

ACtorum 9. dum euangelizaret Petrus Lyddæ, in Ioppe fuit quædam diſcipula, nomine Tabitha. *Hæc erat plena operibus bonis, & eleemoſynis, quas faciebat*; largè quidem in pauperes omnes, ſed erga eos præſertim à quibus & fidem & diſcipulatum acceperat; quos penuriâ mundi, quaſi vitæ exules, laborare dolebat. Factum eſt autem vt infirmata moreretur. Quam cùm lauaſſent, poſuerunt eam in cœnaculo. *Cùm autem propè eſſet Lydda ad Ioppen, diſcipuli audientes quia Petrus eſſet in eâ, miſerunt duos viros ad eum, rogantes. Ne pigriteris venire ad nos.* Confeſtim perrexit Petrus, eamque à mortuis ore ſuſcitauit. Quare cùm adhuc Tabitha ægrotaret, non vocant Petrum ad ægritudinis medicinam? ſed poſt beneficæ mulieris mortem illum

Oecum. ibi. *Nec propter mortuorum ſuſcitationem Diſcipuli auelluntur à prædicationis miniſterio.*

accerſunt? Reſpondet Oecumenius: *Hoc autem non fecerunt priuſquam moreretur: indignum ducentes ob talia vexare Diſcipulos, & a prædicatione auellere. Nam & propterea dicit, quod vicinus erat locus. Id enim per modum ſucciſiua opera petebant: ſiquidẽ diſcipula erat.* Vide quãti olim faciebãt Euangelij prædicandi miniſterium, vt neque ob propè deſperati infirmi vitam, *Diſcipulos à prædicatione auellere* auderent. Verùm hæc Oecumenij ratio tametſi magnificè extollat Euangelici concionatoris dignitatem; neſcio tamen an ſatis ſibi conſentiat. Nam ſi poſt Tabithæ mortem, id *per modum ſucciſiua opera petunt* à Petro, quare id cùm periculosè languebat, ſimiliter non expoſcerent abſque Euangelicæ prædicationis diſpendio? Verùm forſan S. Lucas idoneam rationem ethicè præmiſit ad prædicatorum eruditionem. Scilicet *Tabitha erat plena bonis operibus,*

*& eleemo-*

*& eleemoſynis,quas faciebat*,& ipſa diſciplina erga Diſcipulos largiùs beneficia:exinde poſt mortem,qua eius beneficentia erat ſepulta, accerſitur Petrus: non cum adhuc viueret,& periculoſè ægrotaret, ne Euangelicæ prædicationis, aut ſanitatis exhibitę gratia,auaritię,aut munerũ cupidini forſan adſcriberetur.Sic olim præcauebãt diſcipuli,ne Euangelicam prædicationem,aut appendices Euangelij gratias nundinari viderẽtur.

2\. Matthæi 25.intempeſtâ nocte cæleſtem ſponſum expectantes,dormitant prudentes virgines; fatuæ autem alto ſopore dormiunt, & profundè ſtertunt.Mediâ nocte clamor factus eſt:Ecce ſpõſus venit,exite obuiam ei.Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades ſuas. Fatuæ autem ſapientibus dixerunt:date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguntur. Reſponderunt prudentes,dicentes; Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes,

Matth 25. v.10. & emite vobis; *Dum autem irent emere, venit ſponſus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias,& clauſa eſt ianua.* O quàm præproperè ianua clauditur, & miſericordia ineffabilis, citò & inopinatè facta iam eſt inexorabilis! An non virgines illæ feſtinanter ierunt ad *vendentes*, vt gratiam *emerent*? Quid ſi iam emerunt? Saltem citò empturas,& quammaturè venturas, veroſimile eſt. Profectò ſponſus, qui alias tam patienter cunctatur, & tam cunctanter longani-

Hugo Carens.ibi. mâ pietate expectare ſolitat,inſperatâ feſtinatio. ne *ianuam claudit.* Hacde cauſſa ſolliciter quærunt Interpretes,quinam ſint iſtiuſmodi olei, id eſt,gratiæ quaſi venditores.Nonnemo apud Hugonem cenſet *venditores eſſe pauperes: quia per eos oleum,id eſt, miſericordia acquiritur.* Verùm incertus Chryſoſtomus ſecutus Origenem, & quem plures ſequuntur,hos gratiæ adminiſtros, ſeu bonorum operum venditores cenſet eſſe

Imperf.homil.54 in Matth. Concionatores, Confeſſoréſue ita fatus:*Ite potiùs ad vendentes, & emite vobis,*&c. *Venditores operum bonorum.vel doctrinæ, Sacerdotes ſunt qui*

*Cæli ianua clauditur his, qui à vendete Sacerdotis,gratiæ oleũ,emere it.* *præcepta iuſtitiæ in populo dant quaſi pretium aliquod accipientes fidem ipſorum,qui peccatores per pœnitentiam ſoluunt,pretio confeſſionis eorum placati. Aut certè hoc pretium doctrinæ accipiunt, quando ſic docentes eos audierit populus.*Non putauerim iiſtead eos Euangelij miniſtros, qui dicuntur *venditores* olei, ſeu gratiæ ſuggerendæ verbis, ſeu per pœnitentiam communicandæ; qui merè fidei,ſeu doctrinæ ſuggerendæ ingenuo pretio *venditores* appellantur. Sed ad eos *venditores* iiſſe,qui è cathedra diſciplinas tradunt,*hoc pretium doctrinæ accipientes, quòd ſic docentes eos audierit populus*, quaſi multus auditorum concurſus,& frequens plauſus, ſit acceptæ doctrinæ merces. Ad eos *venditores*,qui muneribus ſubornati,& amicitiæ familiaritate vincti,in concionę inſectanda peccata ſubticent; aut in confeſſione ſcelera pœnitentium diſſimulant, quaſi acerbam digne reprehenſionem donorum largitione redemerint.Moraliſſimè ergo dum ad hos doctrinæ *venditores* eunt, vt oleum emant, clauditur præproperè cæli ianua;nam abſque dubio verum gratiæ oleum à corruptis his venditoribus non deferent:*dum autem irent emere, clauſa eſt ianua.* Gratiæ oleum perperàm venale fit. Gratiæ oleum à ſic *vendentibus* emptum,plerumque non oleum

Matt. 10. v.8. eſt,amurca eſt, ſqualidæ fæces. *Gratis accepiſtis, gratis date.* O auertat Deus peſtem hanc auarè malitioſam!

Geneſeos 3.eſum interdictæ arboris exhorreſcit mulier,interminatæ mortis metu;dæmonum verò verſutiſſimus, & timorem mortalitatis excuſſit,& venenatam ſcientiæ ambitionem peſtilenter afflauit: Nequaquam,inquit, morte moriemini.Scit enim Deus quòd in quocumque die comederitis ex eo,aperientur oculi veſtri: *& eritis ſicut Dy ſcientes bonum & malum.* Ecquid ambiuit homo huius ſuggeſtionis inſtinctu?Superbus ſcientiæ ambitus videtur,ſed in eiuſmodi ſcientiæ cupiditate, è vitiorum adytis abſtruſior alia malitia latet, non bonæ ſapientiæ cognata. Audiendus eſt hac de re magnus Gregorius: *Eritis ſicut Dy ſcientes bonum & malum. Ex gula quippe Diabolus tentauit, cùm cibum ligni vetiti oſtendit. Ex vana gloria cùm dixit: Eritis ſicut Dy. Ex prouectu autem auaritiæ,cùm addit, Scientes bonum & malum.* Immodicam ſapientiam Protoparentes negotiantur, & iam gulæ delicijs voluptosè indulgent? O non bona Adami ſcientia,quæ *auaritiæ* negotium ſententioſè perhibetur! Affectata ſcientia,diuinæ ſapientiæ æmula, factum eſt *auaritiæ* commercium? Heu hodie dę Adami hereditate, vel ſapientia eruditior in honorarium aliquod mercium genus ignobiliter degenerat;& animi eximia dos,in auaritiam deſciſcit, & ingenuum luctoſæ negotiationis arbitrium! Heu paradiſea primorum Parentum ſapientia in ambitioſa auaritia dedicatur! Affectatam ab Adamo ſcientiam ſapit, ſapientia quæ auaritiam ſubolet, ignobiliter à ſua præſtantia degener.*Ex prouectu autem auaritiæ, cùm addidit Scientes bonum & malum.* Qui bonum auarè ſcit, malum etiam ſapit. 3. Geneſ. 3.v.5.

*Adæ peccatum,cur in auaritiã ambitioſa didicaturã* S Greg. in homiliis. homil. 16.

Amos 7. durum habuit ſermonem aduerſus 4. Ieroboam regem Iſraël, de ſuæ poſteritatis excidio,& Iſraëlitici populi exilio.Quod ægrè ferens Amos 7. v. 12.& 13, & 14. Amaſias Sacerdos, dixit ad Amos. *Qui vides*, (hoc eſt,videns, ſeu propheta) *gradere, fuge in terram Iuda: & comede ibi panem, & propheta ibi. Et in Bethel non adiicies vltrà vt prophetes: quia ſanctificatio* (aliàs *palatium*) *Regis eſt, & qui ob cibadomus regni eſt.Reſponditque Amos, & dixit ad Amaſiam:Non ſum Propheta .... ſed armentarius ego ſum.* Non ſine felle Amaſias Sacerdos dixit ad Prophetam Amos, vt illum eſſe falſum Prophetam oſtenderet; in Bethel,vbi eſt Regis palatium, non adiices vltrà vt prophetes, & concioneris ad populum, quia cùm dura prædices, nullo emolumento concionaris:ergo *Fuge in terram Iuda;& comede ibi panem, & propheta ibi*, quaſi ciborum delicias,& vile è concionibus lucellum Amos verbo Dei negotiaretur. Quod his verbis expreſſit Lyranus:Propheta Amos, *Fuge in terram Iuda vbi audientur talia. Et comede ibi panem*, (omnem cibum panis ſignificat) *qui tibi dabitur pro tua prophetia. Et reſpondit Amos primò ironia ſibi illata, ſcilicet quòd prophetaret in terra Iuda pro pane:Non ſum Propheta,id eſt, Non ſum de Prophetis falſis, qui prophetant pro talibus acquirendis:ſed armentarius, id eſt habens animalia,quæ erant diuitiæ illius temporis. Quaſi dicat:Non indigeo victu neceſſario,vt illo prophetizem mendaciter;ſed ſum verus propheta.* Totus Prophetæ locus cum peridonea Lyrani gloſſa, præſentis theſis probationem vndecumque afflat. Primò dicitur,quod quia Amos in concionibus, quas habebat in Bethel, vbi erat Regis *palatium*: nec Regi grata loquebatur, ſed dura prædicabat;abſque vllius opis cibariæ, aut pecuniariæ

*Falſus Propheta dicitur, qui ob cibarium, aut nummarium emolumentũ prophetat.*

Lyran.ibi.

niario emolumento id factorum. Vndè ironicè Propheiam Amaſias hortatur, vt pergat in terram Iuda, vbi ſumptuoſius pretium ſuis concionibus penditur. Reſpondet autem Amos: *Non ſum Propheta,id eſt,non ſum de Prophetis falſis, qui prophetant pro talibus acquirendis;ſed armentarius ſum.* id eſt, de meo armentorum cenſu victito,neque huiuſmodi viliſſimo lucello indigeo. Adhæc obſerua, quòd hæc ex verbo Dei ſtipendia ambire, falſi Prophetæ notaculum ſit. Sed heu! tam frequentes erant, qui conciones ob temporalia ſubſidia auarè nundinabantur, vt dixerit Amos:*Non ſum propheta, quia* (vt Lyranus adnotauit) *non erat de Prophetis falſis, qui prophetabant pro talibus acquirendis.* Propheta non cenſetur,qui non ob lucrum,falsâ non propheiat (Sic erat frequens auara mendacitet prophetia? O tempora! ô mores!

5. Ezech.13. v. 15. & 19. *Ne verbi Dei adminiſter,ob exiguum lucellum verba emolliat, quæ Deum violant, ſeu contaminant.*

Ezechielis 13. hæc dixit Dominus ad eum aduerſus propheriſſas, quæ de corde ſuo proſpera prædiecbant, cùm à Deo improſpera impenderent: *Væ quæ conſuunt puluillos ſub omni cubito manus;& faciunt ceruicalia ſub capite*(aliàs,*velamina ſuper caput*) *vniuerſæ ætatis ad capiendas animas ..... Et violabant me:*(aliàs,*contaminabant me*)*ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, vt interficerent animas, quæ non moriuntur,vt viuificarent animas,quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendacijs.* Hæc Dei ad Ezechielem verba rem præſentem peridonè ſpirantia, ſic appoſitè Theodoretus elucidat:

Theodor. ibi.

*His per tranſlationem,*inquit, *molliores ac mitiores innuit ſermones. Ceruicalia enim & puluinaria requiem afferunt membris, & molliora verba cùm falſa ſint,ad tempus aures titillant,ſed omnis generis euerſiones animis afferunt:*(Attende verbis,quæ ſubiicit (*Ita etiam falſi Vates animo exitium, ſibi ipſis pecuniarum lucrum comparabant, ea prophetantes quæ videntur vtilia* O adulterinos diuini verbi adminiſtros, qui ob exiguam mercedem veritatem auarè cauponantur;id duntaxat loquentes quod vilis lucelli vtilitatem parturit, & cibario nummariove emolumento, populorum exitium,& animarum ruinam mercantur! Et ſanè dum blanda ceruicalia, & molles puluillos capiti ſupponunt;*velamina ſuper caput* oppandunt, quia per ſuauem mendaciter adulationem,ſalubrem veritatem abſcondunt. Hi, hi inquam,Deum *violare*,ſeu *contaminare* dicuntur. Quo quid tam ſacrilegè ſceleroſum,&: flagitioſè impium? Prolixum foret omnia ſigillatim expendere; ex dictis autem facile parabilis expenſio propinatur.

6. 1.Cor 6.v.12. S.Ambroſ. ibidem. *In munerato Concionatore, Euangelij vigor torpeſcit.*

1. Corinth. 6. ſic de ſui exemplo eos Paullus inſtruit, qui Dei verbum ex munere adminiſtrāt: *Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigor poteſtate.* Quæ Paulli verba ſic ad lemma præſens exponit Ambroſius: *Noluit ab his accipere, ne cauſſa ventris vigor Euangelicæ veritatis torpeſceret.Si enim ab iis acciperet, quos in tantis vitiis arguebat auctoritatem miniſterij conceſſam à Domino inclinabat.*In munerato auarè Concionatore,& auctoritas auguſtioris miniſterij minuitur, inclinatur,diluitur; *& ventris cauſſa Euangelicæ veritatis vigor torpeſcit?*Proh nimis verè! Caue haſce ſubdolas aduerſus Euangelicam veritatem inſidias.Viuus eſt enim ſermo Dei & efficax,& penetrabilior omni gladio ancipiti. ne per te eius acies hebetetur, & dentata repandave torpeſcat inelustabili animarum diſpendio.

Matthæi 10.vbi primùm Chriſtus elegit duodecim Apoſtolos, Eccleſiæ Summates & Euangelij prædicandi antiſtites,confeſtim illos mittit, vt Chriſtianam doctrinam Iudæis annuncient Euntes,inquit,prædicate, dicentes: quia appropinquauit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite:*Gratis accepiſtis, gratis date. Nolite poſſidere aurum,neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris.*Hæc ne in Euangelio annunciando cautela, auaritiæ videtur exprobatio, potiùs quàm Prædicatorum eruditio? Quis enim in animum induceret, vt qui *reliquerunt omnia*, vt Chriſtum ſequerentur?Euangelij prædicationem nundinari præſumerent? Tempeſtiuè inibi Gloſſa: *Gratis accepiſtis,gratis date. Hoc autem dicit, ne Iudas qui loculos habebat, de prædicta poteſtate pecuniam congregare vellet.* Aliquis nunc adnotare poſſet Chriſti Dei peritiorem cautelam, qui ne aliquem ſigillatim denotaret,vniuerſatim eum omnibus loquitur: & ob vnum Iudam ſceleris ſuſpectum, propè Apoſtolorum collegium denenuſtat. Verùm animaduerſione digniſſimum eſt, quòd nemo, nemo inquam,niſi vnus Iudas, qui Chriſtum Deum viliſſimo pretio ad mortem vendidit, potuit eſſe Euangelicæ prædicationis vendendæ ſuſpectus: qui marſupij, non animarum lucra captaret;qui burſam,potiùs quàm cælum implere negotiaretur, ſimonianæ auaritiæ lucroſâ ambitione.*Gratis accepiſtis, gratis date.*

7. Matt 10 v. 8. & 9. *Solus Iudas Euangelicæ prædicationis vendendæ ſuſpectus eſt.* Gloſſa apud Canté. inibi.

---

## §. CCCXXXII.

*Cæleſtium diſciplinarum, ſeu concionum audientiæ Præſes eſt Chriſtus:qui quodammodò diſcit in auditoribus, quorum aures ſanguine ſuo madent.*

1. Gen. 5. v. 24. Hebræus. *Henoch, quia primus litteras didicit,præmaturè paradiſo muneratur?*

FActi ſunt omnes dies Henoch trecenti ſexaginta quinque anni.*Ambulauitque cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus.* Hebraicè ſcribitur: *Ambulauitque cum Deo, & non ipſe.* Qui eximiè iam Deo placet, non iam *ipſe* eſt? Gratia ſic dediſcit naturam, vt ille *ipſe* non maneat, ſed mutetur in alium? Verùm quid non commune cum reliquis ſanctiſſimis Patriarchis in Henocho reperit Deus,quare illum præ omnibus in paradiſum tranſtulerit? Nónne plures è Patriarchis ambulauerunt cum Deo, ſicut Henoch? An tantam aſſecutus eſt & gratiæ officioſitatem, & paradiſi gloriam, quia *primus litteras didicit*?( id tradit Græcus in Catenâ) Præproperè paradiſeis muneratur deliciis, qui primus diuinis mancipatur diſciplinis pio audiendi ſtudio, & ſtudioſâ diſcendi auiditate. Non tam qui ſapienter docet,quàm qui ſtudioſè audit, & diſcit, præmaturè paradiſo dignus cenſetur.

Græcus in Catena Lip.

2. Lucæ 10. v. 1.

Lucæ 10.deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos diſcipulos. *Et miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem, & locum quò erat ipſe venturus.* Diſcipulos ſuos in prædicandâ Euangelij doctrinâ diu inſtructos,& præ reliquis ſelectos, dum ad Euangelij prædicationem deſtinat, Chriſtus Deus *ante faciem ſuam mittere* perhibetur; vt dum mittuntur ad prædicandum, dum prædicaturi diſcedunt, & dum populis

Euangelium

Euangelium prædicant, adhuc *ante faciem ſuam* eſſe putet. Sed quid eſt, quòd Chriſtus diſcipulos benè & optimè ad prædicandum inſtructos, præmittit in *omnem ciuitatem, & locum quo erat ipſe venturus?* An vt ipſos Prædicatores probè inſtructos, adhuc perfectiùs inſtruat? an vt auditores ad idoneam audientiam, congruè inſtituat? Bellè Chryſoſtomus: *Chriſtus*, inquit, *vbique præſidet verbis Dei.* Scilicet adeſt Chriſtus omni ciuitati, & loco vbi Diſcipuli prædicaturi erant, quaſi *Præſes* & concionatoris, & concionis; vt præſideat Prædicatori, & auditorio: huic, vt proficuè audiat; illi, vt fructuosè prædicet. Adeſt Chriſtus verbi *Præſes*, vt inſtructorem inſtruat, & vt inſtruendos inſtituat. Non eſt minùs neceſſaria Chriſti *præſidentia* Prædicatori, quàm auditori. O quàm multa vno *Præſidis* nomine compendiauit Chryſoſtomus.

*Chriſtus & Prædicato. ru. & auditory Præſes dicitur.*

Chryſoſt. apud Caten. in Marc. c. 2.

3. Actor 17. v. 18. Actor. 17. Paullus cùm perueniſſet Athenas, linguatam argute ciuitatem, videns eam idololatriæ deditam, diſputabat in Synagoga cum Iudæis, & in foro, per omnes dies ad eos, qui aderant. *Quidam autem Epicurei, & Stoici philoſophi diſſerebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult ſeminiuerbius hic, dicere?* Præſcripta vox *ſeminiuerbius* ſignificat hominem loquacem & garrulum, qui verba ſpargit temerè ſine arte Rethoricæ (quæ apud Athenienſes magno erat in pretio) quique verba fundit inania, & vacuos quoſdam ſonos, & ſine mente. Nimirùm homines Philoſophi, ſéque ipſos valdè in ſua doctrina, & ingenio amantes; qui ambitioſam eloquentiæ pompam, & argutas Dialecticæ ſtrophas magni æſtimant, diuina nec pili quidem faciunt: qui theatralia verba dictione eloquenter compoſita ambiunt, dictionem verò ſimplicem, etſi ſucci plenam, myſteriis grauidam, & cæleſtia ſpirantem contemnunt, irrident, & quaſi nugis illudunt; ſic de doctrina Paulli cenſebant. Tamquam extremè infelicem Rempublicam deplorabat Nazianzenus, *Vt quæ ſicut circos & theatra, ita diuina myſteria pro ludo habeat.* Proh eodem animo itur ad ſacram in templo concionem, & ad profanitates theatrorum! qui ſententioſam concinnè pompam, aut argutulas friuolè ſubtilitates non venditat, velut in profano ſcenicè theatro, *ſeminiuerbius* impudenter appellatur: quippe qui *diuina myſteria, ſicut theatra pro ludo habent.* O quàm egent hi concionum auditores, Chriſti *præſidentia.*

*Sacra concio ſiue theatrũ pro ludo habetur.*

S. Naz. Orat. de ſeipſo, &c.

4. Ioann. 5 v. 20. Ioannis 5. Chriſtus Deus in quadam concione ad Iudæos habitâ, ita fatur: *Pater enim diligit Filium*, (id eſt, Pater æternus ipſum Chriſtum Deum (*& omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit: & maiora his demonſtrabit ei, vt vos miremini.* Loquitur Chriſtus de miraculis, quorum patrandorum poteſtatem Pater illi dedit. Et ſubdit: *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me habet vitam æternam.* Diligenter perquirunt Interpretes, quare Chriſtus dixerit, quòd Pater Deus hæc miraculoſa opera demonſtrat Filio, & non dicit, demonſtrat nobis, hominibus inquam, vt reapſe accidit? Quod dubium ita proponit, & eleganter ſoluit Auguſtinus inibi: *Sed quare, ait non dixit, demonſtrabit vobis, ſed Filio? Quia & nos membra ſumus Filij, & ipſe diſcit quodammodo in membris ſuis; quomodò & patitur in nobis. . . . Ita ſi interrogetur Chriſtus à vobis, Quomodò eris diſcens, cum tu doceas omnia? Reſpondet: Cum vnus ex minimis meis diſcit, ego diſco.* Vide quanta ſit dignitas & excellentia in eo, qui verbum Dei benè audit, & attentâ aure diſcit diuina myſteria; cùm Chriſtus, qui omnes, & omnia docet, in eo dicatur diſcere. *Cùm vnus ex minimis meis diſcit, ego diſco.* Parùm eſt, quòd Chriſtus Deus ſit Prædicatoris, & audientium *Præſes*, niſi etiam ipſe cum auditorio *diſcat.*

*Quomodò cùm vnus ex minimis ſuis diſcit, Chriſtus diſcit?*

S. Aug. tract. 21. in Ioan.

Matthæi 1. *Ioram autem genuit Oziam, Ozias autem genuit*, &c. Prolixa & ſalebroſa quæſtio olim & nunc, quare inter Ioram & Oziam, tres Reges Euangeliſta omiſerit. Qua ſuper re ita ad rem præſentem Rupertus philoſophatur; *Ioram autem genuit Oziam. Tres Reges de medio ſuccidit, videlicet Ochoziam, Ioas, & Amaſiam. Qualem enim locum habere deberent inter parētes carnis Domini, hi ſub quibus nec ſaltem loqui licuit Prophetis verbi Domini? Atque idcircò iſti ſoli de memoria præſenti, de libro generationis Ieſu-Chriſti repulſi ſunt, qui verbum audire, vel præcones verbi Dei viuere paſſi non ſunt.* Nemo vel mediocriter in ſacris litteris verſatus, neſcit, hos tres Reges ignominiosè excluſos, non fuiſſe deteriores aliis recenſitis, ſed longè præſtantiores. Præſtaret ergo flagitioſiùs ſceleratos omittere, non minùs ſceleſtos. Aduerte autem hos Reges ideò probroſiſſimè excluſos, & quaſi è regio ſolio ignominiosè deiectos, quia verbum Dei audire contemptim neglexerunt, & auerſati ſunt diuini verbi præcones, illóſque impiè mulctauerunt, aut minacibus verbis, aut ærumnis quammoleſtiſſimis. Deus autem ſic irritatur aduerſus Principes, qui inſolentiâ poteſtatis, vel claudunt ora ſacri concionatoris, vel illum durè vexant; vt, velut impunè Reges magis crimino ſos omittens, in hos acriùs animaduertat, & propudioſis contumeliis ad ignominiam denotet. Quò intimetur Principibus, verbum Dei ſubditum non eſſe humanæ poteſtati, ſed ſupra regiam iuriſdictionem generosè ſublimari. Qui ſacri concionatoris obturat ora, verbi Dei aborſum facit, quæ impietas ſeueriùs hîc punitur, quàm execranda aliorum Regum flagiria. Ex magnitudine ſupplicij, ſceleris grauitatem taxat: & caue tibi, ne verbi Dei audientiam impedias, quam tanti Deus æſtimat, vt de ſuæ genealogiæ catalogo deleat eos, qui ſecùs faciunt. Sic diuini verbi congruæ audientiæ Chriſtus *præſidet!*

5. Matth. 1. v. 8.

Rupert. ibi.

*De Ieſuana genealogia catalogo expungitur Rex, qui Prædicatorum audientiam impedit.*

6. Leuit. 8. v. 22. & 23. Leuitici 8. Moyſes obtulit & arietem ſecundum in conſecratione Sacerdotum. *Quem cùm immolaſſet Moyſes, ſumens de ſanguine eius, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron.* Quare dum Sacerdos conſecratur Deo, immolatæ tunc victimæ ſanguine, eius dextera auricula tingitur? quid arietis immolati ſanguinis præſtabit dextris conſecrandorum auriculis? Pulchrè inibi Theodoretus myſterium pandit: *Sumens de ſanguine eius tetigit extremum auriculæ.* &c. *Hæc bonorum noſtrorum typum gerebant: nempe ſanguis typum ſanguinis ſalutaris.* Nimirùm dextræ conſecrandorum aures ad proficuam myſteriorum audientiam, victimæ ſanguine aſpergantur, & ſalutari Chriſti ſanguine typicè madeant. Vnde infrà vbi Vulgatus habet, oblatio *conſecrationis*, alij exeribunt, *conſummationis*, alij, *explicationis.* Scilicet magna pars ſanguinis Chriſti, in rigādis auditorum auribus impendatur, vt benè & proficuè diuinæ legis *explicationem* audiāt, & morum pedagogiam, ad vitiorum medelam, & virtutum *conſummationem* excipiant. Itaque tanta efficacia

*Auditorum dextræ aures, Chriſti ſanguine typicè madent.*

Theodoret. ibi. q. 8.

ineſt

ineſt audientiæ diuini verbi, vt auditorum dexteræ aures, Chriſti ſanguine madere videntur. Nempè conſecrandorum dextræ auriculæ, de victimâ *conſecrationis*, id eſt, *explicationis*, ſeu *conſummationis* moraliſſimè aſpergantur.

7. Ioannis 17. Chriſtus Dominus ſic pro diſcipulis ſuis, & per eos credituris, Patrem Deum ſupplex rogat: De mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo. *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt.* Grande hinc inter expoſitores litigium, quid ſpeciatim ſit, *Sanctificare in veritate*, quod non ſine aliquâ non vulgari energiâ Euangeliſta ſcripſit. S. Chryſoſtomus huius loci, ac difficultatis explicationem pluriſariam tentat: *Sanctifica eos in veritate, id eſt, ſanctos fac per ſancti Spiritus donationem, & recta dogmata: recta enim dogmata de Deo docent & ſanctificant animam: & quia hîc de dogmatibus ait, ſubiunxit, Sermo tuus veritas eſt.* Ecce tibi, hæc ſanctificatio in veritate, ad veri dogmatis audientiam pertinet, quâ auditorum aures Spiritus ſancti afflatu ſternuntur, vt recta dogmata auidiùs arripiant. Pergit Chryſoſtomus: *Videtur autem mihi & aliud oſtendere hoc quod dicit, Sanctifica eos in veritate, id eſt, ſegrega eos ſermoni, & prædicationi.* Ille dicitur ſanctificari in veritate, qui *ſegregatur ſermoni* dicendo, an audiendo? qui ſegregatur prædicationi, an idoneæ prædicationis audientiæ? Grande quidem elogium, quòd qui è ſeculo audiendæ prædicationi ſegregantur, præ reliquis *ſanctificari in veritate*, dicantur. Quod eſt magnum prædeſtinationis ſacramentum: nam *oues meæ vocem meam audiunt.*

Ioann. 17 v. 17.

S Chryſoſt. homil. 81. in Ioann.

*Qui ſegregatur prædicationi, in veritate ſanctificatur.*

8. Geneſeos 25. de Eſaü & Iacob, ita ſacer Hiſtoricus ſcribit: Quibus adultis, factus eſt Eſaü vir gnarus venandi, & homo agricola: *Iacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis.* Hebræus codex cum paraphraſi Chaldaicâ: *Erat miniſter domus ſapientiæ; ſeu frequentabat ſcholas, vel domos doctrinæ.* Alij vertunt: *Auditor ſapientiæ.* Hoc ſi eſt verum, habes ſcholarum, & gymnaſiorum antiquitatem; & primum in gymnaſiis auditorem fuiſſe Iacobum, populi Dei Patriarcham. Tanto quidem viro dedicanda fuit ſapientiæ, doctrina! Niſi primas Henocho deferre malis, ex Græci auctoritate ſupra num. 1. Saltem, non reprobus Eſaü, ſed electiſſimus Iacob, Patriarcharum apex, & populi Dei conditor *auditor ſapientiæ*, cæleſtis diſciplinæ audientiam fauſtè dedicauit. Gratulor auditoribus fauſtiſſimum auſpicium, & benè ominatum audientiæ ſtudium.

Gen. 25. v. 27.

Hebræus. Chaldæus. *Iacobus fuit primus in gymnaſiis auditor.*

## §. CCCXXXIII.

### *Contumelioſa ſcelerum obiurgatio, emendationem ſæpè corrumpit, & obiurgantem deuenuſtat.*

1. NOn bona verba vitum bonum nunquam decent: nunquamque committet virtus, vt vitia dum corrigit, imitetur ipſa. Non benè, opinor, malum malo curatur: nec maledicentia maledicentiâ emendatur: garrulo enim conuitiatore, tanquam magiſtro non benè vtitur. Vitiata correctio eſt, quæ vitiâ dum emendat, auget, & nouo vitij fœnore incrementat. Quid tu, qui videris ſanus, ipſo remedio ægrotas; & dum aliorum maculas eluere ſatagis, te fœdè conſpurcas? Plutarchus in lib. de non iraſcendo, ita ſalubriter admonet: *Mare quidem purgari tradunt, quandò ventis exagitatum, muſcum algamque eijcit: quæ verò excandeſcentia animo conturbato euomit impudica, fœda, & futilia verba, ea primum dicentes conſpurcant, infamiaque obruunt, quòd ſemper eorum pleni, tunc per iram detegere videantur.* Aſperiora increpantis verba nec increpatione dignum emendant, neque decent increpantis auctoritatem, quam potiùs probroſâ obiurgatione diluunt, dum euomunt fœda, & futilia verba, vt *mare ventis agitatum, algam eijcit.*

*Contumelioſa verba, increpantis auctoritatem diluunt.*

Plutarch.

2. Iudas Thadæus in ſuâ epiſt. Canonicâ ita ſcribit: *Cùm Michaël Archangelus cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet* (alij, *increpet*) *tibi Dominus.* Scilicet Michaël Angelorum Primas viuidè altercabatur cum Diabolo, qui publicare Moyſis ſepulchrum ſatagebat, quò Hebræum populum ad idololatriam nimis pronum, ad idololatriam pelliceret: & cùm inter diſceptandum malus Dæmon blaſphemias impudenter geminaret; Michaël quâ erat modeſtiâ, non eſt auſus blaſphemiæ iudicium ferre, Diabolum de blaſphemiâ contumelioſe increpando, blaſphemiæ increpationem Deo relinquens totam. quæ eſt Oecumenij ibidem expoſitio: *Iſti quidem*, inquit, *temerè ac petulanter contra omnes maledicta congerunt, cum tamen neque eos, qui maledictis ſunt digni, inſectari conuitiis iuſtum ſit; id quod ex Archangelo Michaële manifeſtum eſt, qui cùm aduerſus Diabolum diſceptaret de corpore Moyſis, ac poſſet eum ob impudentiam maledictis inceſſere, id minimè ſibi faciendum cenſuit, ſed tantummodò dixit: Increpet te Deus, Diabole.* Addit Hieronymus rationē tanto doctore dignam, & ad rem in paucis idoneam, ita fatus: *Merebatur quidem Diabolus maledictum, ſed per Archangeli os blaſphemia exire non debuit.* Sententioſè Hieronymus blaſphemiam appellans, contumelioſam obiurgationem, & maledictum, quo Diabolum ob blaſphemiam increparet. Porrò licèt damnatiſſimus Diabolus, & in eâ diſputatione deuictus, ob blaſphemiam maledictum probroſè contumelioſum audire merebatur, *ſed per Archangeli os maledictum, ſeu blaſphemia exire non debuit.* Neque enim congruere videtur Angeli decoro, & magnæ Cælitum auctoritati, maledictis quemquam inceſſere. Modeſtia Archangeli ſit hominum eruditio.

Iudæ v. 9.

Oecum. ibi. *Contumelioſa ob blaſphemiam obiurgatio, per Angeli os exire non debuit.*

S. Hieron. in epiſt. ad Titum c. 3.

3. Zachariæ 3. adſimilia ſcribuntur verba: *Et dixit Dominus* (Angelus Domini inquam) *ad Satan: Increpet Dominus in te Satan, & increpet Dominus in te, qui elegit Hieruſalem.* Eccur non ipſe Angelus acerbiùs increpat, & contumelioſiùs proſcindit Satanam, qui Ieſum ſacerdotem impudenter inſectabatur? Quid prohibet in damnatiſſimum Satanam, à Deo apoſtatam, & Angelo contumacem, probroſiùs maledicta congerere? Tempeſtiuè Iuſtinianus vtrumque Zachariæ & Iudæ locum verſans, ita ex Didymo ſcribit: *Non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Deus: & increpet Dominus in te Satan. Reſpexit enim Michaël bonam Diaboli naturam, atque idcircò maledictis abſtinuit, ſuòque exemplo docuit, quid nos facere oporteat, qui plerumque vel irâ inflammati, vel odio*

Zachar. 3. v. 2.

*Aliqua rei bonitas correptorem inhibeat à probroſâ malitiæ correptione.*

P. Iuſtin. in Epiſt. Iudæ v. 9 n. 9. ex Didymo Alexand. Iudæ. v. 9.

correpti

*corr pti non tam vitia, quàm homines ipſos inſectamur, ac maledictis inceſſimus.* Scilicet Satan, etſi de malitia peſſimus eſt, & prauitate petulanter obſtinatiſſimus; piâ tamen vrbanitate reſpexit Angelus, in tanta ſcelerum colluuie acrioribus maledictis digniſſimâ, aliquid Satanæ ſubeſſe boni, quod reueritus fuit, ne illum probroſis maledictis acriùs inceſſeret. O bona correctorum eruditio, de cæli ſchola conſilioſe mutuatâ, quæ contumelioſam correptionem inhibeat! Ecquis eſt tam ſceleſtè reus, omni prorſus bono infeliciter viduatus? ergo quantum prauitas correptionem exſperati, tantùm latens bonitas obiurgationem mitiget. Reuerere bonitatem, qui ſic malitiam odiſti. Vel Satanæ aliquid boni ſubeſt. Ne ſis ad bonitatem cæcus, qui ſic ad malitiam perſpicaciter oculatus es. *Reſpexit Michaël ad bonam Diaboli naturam, atque idcircò maledictis abſtinuit.*

4. Eccli. 19. v. 13.

Eccleſiaſtici 19. *Corripe*, inquit, *amicum, ne fortè non intellexerit, & dicat: Non feci: aut, ſi fecerit, ne iterùm addat facere.* Conſultè dicit: *Corripe amicum*, id eſt, amicè illum corripe, obiurga, & emenda: tanquam cum amico age, dum illum corripis. Et ſi forte dicat, non intellexiſſe, aut non aduertiſſe in eo opere reatum fuiſſe, diſſimula te id ſcire; & fortaſſe de ſua amica diſſimulatione, citiùs quàm de acerbiori increpatione, iterùm non addet facere. Vnde pro τὸ *corripe amicum*, Græcè habetur, *Argue amicum*, id eſt, amicè illi perſuade. Qui enim indubiè patratum ſcelus obiicit, quaſi diligentiùs exploratum ſit, & de illo duriùs obiurgat, emendationem plerumque faſcinat. Ergo *argue amicum* hac cautelâ diſſimulati, nec explorati delicti. Quod vel de ſacræ paginæ clancularià eruditione, vel de cognatæ rationis notione ediſſerit Philoſophorum ethicè diſſertiſſimus: *Meliorem*, inquit, *illum facies ferendo; peiorem exprobrando. Non eſt quòd frontem eius indures; ſine, ſiquid eſt pudoris reſidui ſeruet. Sæpe dubiam verecundiam vox conuitiantis clarior rupit: nemo id eſſe, quod etiam videtur, timet: deprehenſus pudor amittitur*: Ergo in correptione maledictis abſtine; conuitia & ſcommata tam procul abſint à correptione, quantùm ab amicitia exulât. Si ex munere aliquem ad emendationem corripis, *corripe amicum*, non aduerſarium. Imò ſic amicè corripe, vt correptione potiùs *arguas*, quaſi rem non planè notam, non plenè iam exploratam, & indubiè commiſſam: ne ſi quid eſt pudoris reſidui exacerbatus excutiat. *Sæpe dubiam verecundiam vox conuitiantis clarior rupit.*

*Dubiam verecundiam vox conuitiantis clarior rupit.*

Seneca l. 7. de Benef. c. 26.

5. 2. ad Tim. 4 v. 2.

2. Ad Timotheum 4. Prædica verbum, inquit, inſta opportunè, importunè: *Argue, obſecra, increpa, in omni patientia, & doctrina.* Benè eſt, delinquentes ſceleris *arguas* rationis vigore; blandiùs etiam *obſecres*, vt quod ratio non obtinet, fortè obſequium extorqueat. Non ſufficit, vt peruicaciam frangas? Acerbiùs *increpa*. Sed non te lateat, quòd ſi obſtinatos duriùs increpueris (vt par eſt) *omni patientiâ* indiges. Eccur *omni patientia* indiget, qui ſceleſtos duriùs *increpat*? An quia ſe acerbiori reprehenſione deuenuſtat? An quia ſæpe emendationem faſcinat? An quia ſic reprehenſos aduerſus ſe armat? (de hac vltima ratione aliàs egimus) Nunc ad rem expendere oportet duriorem obiurgationem, qua Chriſtus Deus Iudæorum vitia incuſauit, aiens: Matthæi 23. *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt*....... Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. *Dico enim vobis, non me videbitis amodò, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.* An non Chriſtus ſe videndum pluries exhibuit, ex quo hanc increpationem aduerſus Iudæos duriùs vibrauit? Pulchre inibi Chryſoſtomus: *Non me videbitis amodò, donec dicatis: Benedictus, qui venit, &c. Per hoc occultè ſecundum aduentum ſignificauit, quoniam tunc omninò eum adorabunt. Quòd autem dicit, Amodò, ad tempus crucis refertur.* Quid? ex illo tempore, quo acerbiùs obiurgauit (tametſi non parùm ante paſſionem ſuam id fecit) iam quodammodò *tempus crucis* dici poteſt? Iam dehoneſtatur paſſionis contumeliis? iam inhumana crucis ſubit cruciamenta? Metaphoricam crucem paſſionis æmulam iam ſubit, qui duriùs alium obiurgat. *Quòd autem dicit, Amodò, ad tempus crucis refertur.* Quaſi ex quo tempore acerbiùs *increpat*, ſic *omni patientia* indigeat, ac ſi iam tunc crucem & paſſionem ſubiret.

*Qui acerbiùs aliū reprehendit, exindè crucem & paſſionem ſubire putatur.*

Matth. 23. v. 39.

S. Chryſoſt. homil. 75. in Matth.

6. Prouerb. 14. v. 3.

Prouerbiorum 14. ſic oris vitia Salomon caſtigat: *In ore*, inquit, *ſtulti virga ſuperbiæ, labia autem ſapientum cuſtodiunt eos.* Quem locum L xx. Interpretes ita efferunt: *Ex ore imprudentium baculi contumeliæ*: Theodotion. *virgula iniuriæ*: Syrus, *ſtimulus & contumelia.* Noſter inibi Salazar per τὸ *virgam* (vt alibi perſæpe in Bibliis) *ſceptrum* accipit, quod ſit imperij & poteſtatis inſigne, vt ſenſus ſit: *In ore ſtulti virga*, id eſt *ſceptrum ſuperbiæ.* Nempe ſtultus & vecors præ inſano faſtu & ſuperbia, perinde ac ſi virgam ſeu ſceptrum ore ſuo gereret, putat ſibi in omnium famam licere: atque adeò omnes probris appetit, conuitiis onerat, acerbis detractionibus ac reprehenſionibus denigrat: Præſcriptam Salomonis ſententiam plures ex Commentatoribus tanquam moralem gnomen adaptant ſuperbis Prælatis, ac Prædicatoribus. Audiendus eſt S Gregorius lib 24 Moral. cap. 9. ſic ad rem eleganter fatus: *ſed hæc eſſe propria arrogantium Prædicatorum ſolent, vt etiam afflictos auditores ſuos magis diſtrictè corripere appetant, quàm blandè refouere, plus enim ſtudent vt mala obiurgando increpent, quàm bona laudando confirment. Superiores quidem videri deſiderant: atque adeò magis gaudent cùm eorum animos ira eleuat, quàm cùm charitas exæquat: ſemper inuenire appetunt, quæ increpando rigidè feriant: vnde ſcriptum eſt: In ore ſtulti virga ſuperbiæ: quia percutere rigidè ſcit, ſed compati humiliter neſcit.* Ecce tibi in ore Prælati aut Prædicatoris diſtrictiùs ſubditos vel auditores increpantis, *virga ſuperbiæ* eſt, qua eorum *ſtultitia* probatur. *Virga* eſt, ſeu *baculus* (ait Vatablus) *qua cædimus homines, vt virga equos.* Sic ne verberandi ſubditi, & non potiùs emolliendi blandiùs ad virtutem? Aſt dum ipſos duræ reprehenſionis verbere flagellat, ipſe etiam egregiè vapulat, dum *ſtultitia*, ac *ſuperbia* notatur; & viciſſim ſæpe linguarum flagellis cæditur talionis lege. *In ore ſtulti virga* ſeu *ſceptrum ſuperbiæ eſt*: quia ſic etiam aliquando reprehendunt, ac ſi imperiali poteſtate ac iure, in omnium famam eis quiduis liceret. Imò ab ore Prælati ac Prædicatoris, non tantùm *ſceptrū*, ſeu *ſtimulus*, ſeu *baculus* ſuperbæ obiurgationis abeſſe debet; ſed etiam *virgula iniuriæ.* Hiſpane dicimus: *Ni aun tirarle vna vareta que le Ingurie.* O bene! Aliud eſt

Lxx. Interp. Theodor. Syrus Salazar

S. Gregor.

*Superior acerbiùs ſubditos reprehendens, acerbè reprehenditur.*

Vatab. ibi.

reprehendere, aliud obmurmurare, conuitiari, detrahere. Ergò in *ore ſtulti* Prælati aut Prædicatoris *virga, ſceptrum, ſtimulus, baculus, virgula ſuperbiæ : labia autem ſapientium cuſtodiunt* (alij habent, *ſanant*) *eos.* ſanant inquam mollioribus verbis, non iniuriatum iracundo proritamento, quo ſæpiùs vulnera recrudeſcunt.

Sholiaſtes

7\. S. Iſidorus. Prouerb. 14. v. 3. *Seuerior reprehenſio non emendat, ſed confundit.* Cornelius Polychron.

Adſimiliter S. Iſidorus lib. 1. Orig. c. 41. præfatum Salomonis locum exponit, aiens: *Superbi Doctores vulnerare potiùs quàm emendare norunt Salomone atteſtante: In ore ſtulti virga ſuperbiæ: quia increpando rigidè feriunt, & compati humaniter neſciunt.* Addit etiam inibi Cornelius Polychronium in Catenâ Græcorum: *Quos reprehendunt, non tam emendare, quàm confundere ſtudent.* Profectò acrior contumelioſè obiurgatio, non tam emendationem, quàm confuſionem imò ſæpè impudentiam negotiatur. O, non benè

Hic v. 18. vitium vitio curatur! Heu ſæpè remediis laboramus!

Quem Aſſuerus hîc acerbiori obiurgatione infamat, priùs vita priuarat, quaſi vita indignum, & emendationi inidoneum. Quâ ſuper re ſequens §. vberiùs ad rem tractabit.

---

## §. CCCXXXIV.

### *Acerbior delictorum reprehenſio; emendationem plerumque faſcinat.*

1\. *Sæpè aſperior obiurgatio non tã emendationem, quàm contumaciam procurat.*

DAmnare eſt obiurgare, cũ auxilio eſt opus. Si autem auxilio obiurgationis potiùs indiget reus, legum præſidem, ciuitatiſque rectorem decet (quandiu poteſt) verbis & his mollibus ingenia curata: vt facienda ſuadeat, cupiditatemque honeſti conciliet animis, faciatque vitiorum odium, pretium virtutis. Nec ad triſtiorem curationem tranſeat, quã exprobrando moneat, niſi contumax & propè inſanabile ingenium inuenerit. Lenia molliunt, dura plerumque exaſperant, & peruicacem aut inueniunt, aut faciunt. Nunquam committet virtus, vt vitia dum compeſcit, augeat. Porrò dum quis acerbiore obiurgatione exaſperatus eſt, etiam ſi ingeritur oculis veritas, amat & tuetur errorem, & ſpe recuperandæ famæ iam amiſſa, in male cœptis honeſtior illi pertinacia videtur, quàm pœnitentia.

2\. Numer. 20. v. 12.

Numerorum 20. præ ſiti æſtuat populus in Cades, & acerbiùs obmurmurat. Locutuſque eſt Deus ad Moyſen, dicens: Tolle virgam, & congrega populum, tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Tulit itaque Moyſes virgam, congregatâque multitudine ante petram, dixit eis: *Audite rebelles & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere?* Cumque eleuaſſet Moyſes manum, percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ. Dixitque Dominus ad Moyſen & Aaron: *Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Multa hic tentant Expoſitores, vt perueſtigent, quo pacto nunc Moyſes & Aaron Deum periluſtri gloria, & magnificâ *ſanctificatione* fraudauerint: propter quam noxam, terræ promiſſionis ingreſſu vterque etiam fraudatur. Porrò reipsâ præſtiterunt quod Deus iuſſerat, & virgæ attactu aquæ largiùs emicarunt, quo viſo prodigio procliue fuit oblocutionis noxam in Dei laudes commutare. Quam ergò ob cauſſam in hoc facto Deus magnifica gloria ſibi à populo reddendâ, fraudatus eſt? litteraliſſimè pariter ac moraliſſimè Abulenſis hâc de re ita ſcribit: *voluerat*, inquit, *Deus, quòd Moyſes, & Aaron loquerentur ad petram in nomine eius, & daret aquas, quo populus ad magnificandum nomen Domini moueretur: ſed non fecerunt ſic Moyſes, & Aaron: quinimò incœperunt populum increpare educentes aquam.* Itaque Moyſes & Aaron iuſſi ſunt congregare populum impudentiùs obloquentem, vt tanto, tamque opportuno eductæ aquæ prodigio attentiùs ſpectato, impiam detractionem in magnificas Dei laudes permutaret. At Moyſes & Aaron iniuſſi duram obiurgationem miraculo miſcent, aientes: *Audite rebelles & increduli*: vnde & miraculum fructu ſuo priuatum, & Deus gloria inde ſibi reddenda, viduatus eſt. Nam acerba & probroſa Rectorum obiurgatio, ſic exaſperat reorum animos, vt etſi ingeſta ſit oculis prodigij veritas, ad illam non attendant, ſed potiùs ament, ac tueantur errorem: adeò vt in male cœptis honeſtior illis videatur pertinacia, quàm pœnitentia. Dura delictorum increpatio ſæpiùs infauſtè ad emendationem præmittitur. Animus obiurgatione exaſperatus malè ad vitiorum correctionem componitur, & inidoneus redditur ad corripientis etiam benefici laudes mente tunc percipiendas, & ore prædicandas. Exindè Moyſen & Aaronem ſeueriùs punit Deus, quia ſeueriorem obiurgationem miraculo præmittentes, diuinam gloriam à populo prædicandã pariter prohibuerunt. Porrò acerbior increpatio & gratitudinem ſæpè prohibet, & emendationem plerumque faſcinat.

Abul. inibi. q. 14.

*Praua populi obiurgatio, diuinam è tanto miraculo gloriam prohibuit.*

3\. 2. ad Tim. 4. v. 2.

2\. ad Timotheum 4. ſic Gentium doctor, & Eccleſiæ magiſter, ſuum diſcipulum nuper Epiſcopum, de cælo edoctus, inſtituit: Prædica, inquit, verbum, inſta opportunè, importunè. *Argue, obſecra, increpa in omni patientia.* Optima ſanè eruditio! Nempè, ſi æquum cenſeas prauos aliquandò errantium mores reprehendere pro tui Muneris ſollicitudine; primò errantes *argue*, dum illos perſpicua aut veroſimili ratione erraſſe conuincis. Poſtquam verò culpam agnouerint, illos obnixè *obſecra*, vt exinceps à culpis abſtineant: & hoc blando medicamine forſan duriora emollies. Non ſufficit? *Increpa*, hoc eſt, reprehende. Sed non ita durè & acerbè, vt illorum patientiam ad impatientiam irrites; perdes enim correptionis fructum, & obſtinationem citiùs quàm emendationem inuenies: ſed *increpa in omni patientia*, tua inquam, potiùs quàm aliena. Aſperiora verba, ac iracundiam ob admiſſa ſcelera rectori cognatam, & propè ſcelerum appendicem, *in omni patientia* tua priùs cohibe, vt benè *increpes*, increpatione emendes. Nunquam committet virtus, vt vitia dum compeſcit, imitetur ipſa: nec vitium vitio curatur. Eleganter de more Ennodius ſuo Laconio ita ſcribit: *Numquam inter amantes ſilentio bene mulctatur offenſa. Nefas eſt pro emendatione culparum, culpas adhiberi: dum ſtudio curationis qui medetur agreſcit.* O vtinàm populorum Rectores, & animarum medici, hanc Ennodij ſententiam identidem mente verſarent, & animis altè infigerent! Qui probroſè hominem ſanabilem ob ſcelera obiurgat, delicta permutare procurat, non emendare

*Nefas eſt pro emendatione culparum culpas adhibere.*

Ennod. Ticin. l. 2. epiſtol. 5.

darę

date. Puto, qui *in omni patientiâ* non *increpat* periculoſiùs ipſe forſan ægrotat; nec vulnus curat, ſed acerbiùs irritat, *dum ſtudio curationis qui meditur, ægreſcit.* Quin & languentis rei morum ægritudines multiplicat & propagat, dum obſtinationem obiurgatione procurat. Heu ſæpè non tam morbis, quàm morborum curatione laboratur! Contumelioſa peracerbè obiurgatio vltimis morbis adhibeatur: quippè quæ inſanabilè ingenium aut inuenit, aut facit.

4. Cant. 2. v. 3. Iuſt. Orgel. inibi. *Reprehenſio ſine ſuperſtitione facienda eſt.*

Canticorum 2. ſic cæleſtem ſponſum ſponſa cæleſtis alloquitur: Sub vmbrâ illius quem deſideraueram ſedi: *& fructus eius dulcis gutturi meo.* Hunc fructum eximiè dulcem Iuſtus Orgelitanus ad fraternam charitatem deriuans, ita ad rem ſcribit: Sed & illa inquit, ordinata charitas, vt ſerui Dominum non ſicut malefactores ſentiant, nec ſicut laſciuientes execrabili amore ſe diligant; *ſed etiam vbi neceſſe fuerit ſemetipſos mutuò expulſa ſuperſtitione cum libertate corripiant, ſecundum illud: Qui arguunt, laudabuntur; & ſuper ipſos veniet benedictio.* Quid eſt, quòd admonentis correptio, ſic gutturi prædulcis, ſine *ſuperſtitione* facienda eſt? Quæ eſt hæc corripientis *ſuperſtitio*? An quòd ſæpe iracundus correptor, ſuſpicionis genio infectum quaſi factum fingit reatum, aut faciendum infauſtè ominatur; ne non inueniat quod acriùs reprehendat? An quia non ſincerè & candidè (vt par eſt) ſed ſcrupuloſè, & quaſi *ſuperſtitioſè* reatum perquirit, exactiùs & moroſius examinat, & acerbiùs correptione damnat? Hæc *ſuperſtitionis* metaphora moralitatum grauida lectorum ſagacitati multa ſuggeret ad informandam correptionem, quò eius fructus ſit corripiendorum palato dulcis; *Et fructus eius dulcis gutturi meo: cùm ſemetipſos mutuò expulſa ſuperſtitione corripiunt.*

5. 3 Reg. 13. v. 2. *Cur Propheta in re inanimatâ homines acriùs reprehendit?*

3. Regum 13. dabat aureis vitulis ſacrificialem operam Ieroboam in Bethel, vbi primum erat impiæ religionis maximumque ſacrarium; cùm adfuit Propheta, qui minaci vaticinio ſacra, ſolemnitatemque turbauit. *Et exclamauit contra altare in ſermone Domini, & ait: Altare, hæc dicit Dominus, &c.* Quid eſt, quòd Propheta cùm acerbiores minas, & duram reprehenſionem tonat, ad exanimale vitulorum altare verba dirigit; & non potiùs ad Regem, regnique Principes, & frequentem populum, qui vitulorum dedicationi aderat? putat P. Sanctius quòd cùm res eſt eiuſmodi, vt graues in animis excitentur affectus, res inanimatæ aut aduocantur teſtes, aut audiunt de ſe formidandum aliquid, quod tamen hominum, aut ſcelus oſtendunt immane, aut ſupplicium intendunt horribile.

P. Sanct. ibi. n. 3.

Et ſanè indubium eſt, quòd inibi adnotauit Mariana: *in re inanimata hominibus loquitur Propheta.*

P. Mariana indident. Strab. inibi.

Verum Strabus Fuldenſis rem propiùs attigiſſe videtur, ſic tempeſtiuè fatus. *Et ecce vir Dei, &c. Cuius nomen hic tacetur ........ Propheta a Deo miſſus, vt increparet Ieroboam* An Prophetæ nomen tacetur, quia ſcelera duriùs *increpat*? An nomen perdidit, & rem nominis periculo exponit, qui impium Regem acerbè, etſi iuſtiſſimè reprehendit? An dum ſeueriùs vitia obiurgat, verba dirigens ad altare hominibus loquitur, vt religionis ſacrario velut reprehenſionis ſeuerioris traduce, ad piam emendationem vtatur? Prophetæ vox, tanquam ſacratior quædam echo, correptionem de ſacratio altaris temperatè reuerberet; vt ſicut Dei vox, non hominis excipiatur. An potiùs Propheta & nomen abſcondit ſuum, & in re inanimatâ hominibus loquitur, cùm acerbiores minas, & aſperam, etſi condignam reprehenſionem fulminat? Sed eheu acrior obiurgatio, etſi ex altari in hominum aures reſiliens, Ieroboami impietatem non compeſcuit; quin intentatâ Prophetæ cæde ſuperſtitionem adauxit!

P. Didac. Celada in Eſtherem.

6. Cant. 4. v. 11. Iuſt. Orgel. ibi. *Mellea correptio peccatorum putredines tollit.*

Canticorum 4. ſic tenerè ſponſus ſponſam alloquitur: *Fauus diſtillans labia tua ſponſa, mel & lac ſub lingua tua.* Quæ verba Iuſtus Orgelitanus ſic commentatur: Fauus, inquit, diſtillans labia tua, expoſitio Scripturarum ſacrarum. Mel & lac in doctrinâ tuâ: *Sub lingua tua, eò quòd lacte paruulos nutris; & in melle diuerſorum vulnerum ſiue peccatorum putredines tollis.* Tempeſtiuè laudatur ſponſa, Eccleſia inquam, de melleâ labiorum dulcedine in ſcelerum vulneribus reprehenſione ſanandis: quæ non felle irritat, ſed melle gratiùs mulcet; & gratâ mellis dulcedine medelam procurans, *peccatorum putredines tollit.*

7. Actor. 9. v. 22. Oecumen. *Paullus Euangelium confirmabat, dum illud cum manſuetudine docebat.*

Actorum 9. Paullus è perſecutore ſtatim Apoſtolus, continuò in Sinagogis prædicabat Ieſum, quoniam hic eſt filius Dei. *Saulus autem multò magis conualeſcebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damaſci, affirmans quoniam hic eſt Chriſtus.* Oecumenius cum aliis Græcis ſcriptoribus, non *affirmans*, ſed *confirmans*, exscribit, & ſic locum ad rem exponit: *Nempè cùm Paullus legem didiciſſet, ora illis* (Iudæis) *obturabat, nec ſinebat loqui, ſed à Scripturis contrarium oſtendebat. Confirmans, id eſt, cum manſuetudine docens.* Sanè alto ſtilo Oecumenius! Non ait magnus hic Doctor, quòd tantum Scripturarum teſtimoniis confirmabat nouam Euangelij doctrinam, obuium enim confirmandi genus eſt; ſed etiam Paullus præter Prophetarum oracula, peritiſſimus Doctor Euangelium *confirmabat, id eſt, cum manſuetudine docebat.* Nam licet acri eſſet ingenio, nec Iudæorum odia pro Chriſto verebatur, ſic lenitem ac placidum exhibebat in docendo, & inſtruendo auditorum mores, vt non tantùm teſtimoniis Scripturarum, & Prophetarum oraculis, ſed ipſâ etiam docendi & erudiendi manſuetudine Euangelium *confirmaret.* Quaſi qui probra, & contumelias miſcet in prædicatione, aut morum eruditione, Euangelium non confirmet ad robur, ſed ad ſuadelam potiùs exarmet. *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde,* dixit cæli Magiſter Chriſtus Deus, quem Diſcipulorum congregandorum nouum titulum alibi copioſè expendebamus. Idcircò Paullus ſui Magiſtri imitator egregius, Euangelium *confirmabat, id eſt, cum manſuetudine docebat.*

Matth. 11. v. 29.

8. Prouerb. 14. v. 3. Hugo ibi. Exhod. 25. Num. 17. *In Dei arcâ cur virga cum Mannâ adſeruatur?*

Hugo Cardinalis ſic tempeſtiuè commentatur illud Prouerbiorum: *In ore ſtulti virga ſuperbiæ, id eſt, ſuperbia, & imperioſa correctio. E conuerſo, in ore iuſti virga manſuetudinis. Vide & in arca Manna ſimul & virga fuit. Et in Numer. de virga illa legitur, quòd fronduit, & floruit, & amygdala protulit, quæ ſunt cibus infirmorum.* Ecce, ibi, imperioſa correctio, virga ſeu ſceptrum ſuperbiæ eſt, in ore ſtulti reperta. In ore autem ſapientis ſicut in Dei arcâ, virga erat, ſed & ſimul Manna: Mannæ enim gratior dulcedo, virgæ acerbitatem mellit. Floreat virga, vt emendationis fructum abundè afferat.

## §. CCCXXXV.

### *Ad rem vitij ſæpè infamia facit, quod vix tentatio præſumit.*

1. QVis ſis maximè intereſt? ſed qualis habearis, non parùm ſæpe refert. O quoties publica infamia enormioribus flagitiis habenas laxauit, quæ hactenùs peccandi pudor continebat, & diffamiæ metus! Opinionem quidem & famam eo loco habeamus, tanquam quæ non ducere, ſed adhuc in ſtudio virtutis lapſantem, continere debeat. Honeſtus rumor, vitiorum frenum eſt, & virtutum cuſtodia. Fidem ſpei facit, qui adhuc peccare erubeſcit: nutriendus eſt per bonam famam hic pudor, qui quandiu in animo durauerit, aliquis erit bonæ ſpei locus; ſecus in deſperationem veniet, & effronti impudentiâ præceps in vitia ruet.

*Infamia habenas vitiis laxat.*

2. Iſaiæ 1. v. 2. & 3. Iſaias fauſtus alioqui vates, durè nimis ſuam auſpicatur prophetiam, ſic Dei nomine aduerſus Iudæos fatus: *Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt. Filios enutriui, & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſraël autem me non cognouit.* Vehemens commotio eſt, cùm is de iniuriâ ſuâ queritur, qui ſe poteſt facillimè vindicare. Deus Iudaicum populum, ſuperbiæ & luxuriæ æſtu exuberante corruptum publica increpatione confundit. *Filios* vocat, vt abdicatio; *exaltatos*, vt ruina timeatur: *ſpretores* ſui, vt impios demonſtret. Sed quid eſt, quòd tanto verborum apparatu cælum terramque teſtes citat, id eſt, cælicolas ac terrigenas omnes? Cùm Hebræi populi ſceleroſa demonſtrat flagitia, ad eius medelam plùs forſan conduceret, crimina in ſecreto corripere, non creaturas omnes accerſere, ne impudentiam citiùs, quàm emendationem negotietur. Porrò ſicut beneuola occultè obiurgatio, artificium eſt emendationis; ſic ex turpi delicto publicata infamia, impœnitentiam perſæpè procurat. Audiendus eſt hac de re Zeno Veronenſis, ſic ad rem præſentem eloquenter fatus: *Audite cæli, & auribus percipe terra, &c. Sicut Iſaiæ indicat carmen*, inquit, *Iudaico populo iraſcitur Deus: eumque ne fortè pœniteat, publicâ obiurgatione confutat. Humanâ ſentienti nundinari deteriùs eſt, quam puniri.* Heu ſæpe pœnitétiæ obſtrepit humanus reprehenſor, qui probroſa flagitia palàm obiurgat. Infamiæ malum, pudoris exilium eſt: impudentia autem frenos ſceleribus laxat: & qui nihil ſe putat habere quod apud homines perdat, in omnia flagitia ſolitar perditiſſimè ruere, nullo inhibitus freno pudoris. Quiſquis in publico alium facile infamat, illius impœnitentiæ adulari videtur. Vltima remedia deſperatis ſceleribus duntaxat adhibentur. Qui latentes publicat morbos, ſaluti ægrotantis palam inuidet. Ille in lubrico erat, quid tu in lubrico lapſantem impellis ad ruinam? Ille ſceleris reus eſt, tu impœnitentiæ reus. *Eum ne forte pœniteat, publicâ obiurgatione confutat*: nam *humana ſentienti nundinari deterius eſt, quam puniri.*

*Qui turpia aliorum flagitia publicat, ſæpè illorum impœnitentiam negotiatur.*

S. Zeno, de Iſaiâ ſer. 2.

3. Exod. 5. v. 21. Exodi 5. ſeriò ſibi perſuadet Pharao, defectionem meditari filios Iſraël, dum per legationem Moyſis itum poſtulant ad ſacrificandum. Exindè de ſolito laterũ penſo nil minuẽs, paleas illis denegari iubet. Intolerabile onus deprecãtis fruſtrà coram Pharaone Iſraëlitæ vociferantur. Occurreruntque Moyſi & Aaron, qui ſtabant ex aduerſo, egredientibus à Pharaone: *& dixerunt ad eos: Videat Dominus & iudicet, quoniam fætere feciſtis odorem noſtrum Coram Pharaone & ſeruis eius.* Obſeruatione digniſſimum eſt, quod Hebræus populus durâ Pharaonis tyrannide vltra vires immaniſſimè oppreſſus, anxiè querulus, non tam coram Moyſe expoſtulet de ſordidè infami, & durè paracerbo ſeruitio, quàm de tetro fœtore, id eſt, infamiæ malo, ſeu famæ iacturâ. Audiendus eſt Bernardus qui præſcriptum Exhodi locum ita commentatur: *Fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſeruis eius. Hoc dicunt iſti de opinione. Habent enim & mores colores ſuos, habent & odores. Neque enim in ſpiritualibus idem ipſum eſt color & odor, non magis quam in corporibus. Ergò de colore conſcientia conſulitur, de odore fama.* Ecce tibi, cùm Iſraëlitæ animaduertunt bonæ famæ iacturam feciſſe, & apud Pharaonem, & regni Proceres fœtide fuiſſe diffamatos, reliquis tot calamitatum ærumnis propè neglectis, de hâc calamitate anxiè conqueruntur, & coram ſuo Moyſe flebiliter expoſtulant: quaſi iam de illis actum foret, & rerum ſtatus deſperationi confinis. *De colore conſcientiam conſultant*, nec male coloratam vident: ſed de tetro *famæ odore*, quem *fætorem* appellant, ſic grauiter expoſtulant, ac ſi iam conſcientia inueniretur decolor, imò & tetro infuſcata colore. Heu ſic grauatè homines ferunt famæ iacturam! *Videat Dominus & iudicet, quoniam fætere feciſtis odorem noſtrum.*

*De colore conſcientia conſulitur, de odore fama.*

S. Bern in Cant. allegatus in Catenâ.

4. Ioann. 11. v. 39. Ioannis 11. Lazarus in ſe eximiè ſanctus, perditiſſimè peccatorum typus proponitur. Nam de eo dudum emortuo, & funeſtè tumulato, dixit Martha ad Ieſum: *Domine, iam fætet, quatriduanus eſt enim.* Rupertus Tuitienſis agẽs de Lazaro vitioſæ multitudinis flagitiis deploratæ typum gerente, ita ad rem ſcribit: *Lazarus eâdem dormitione ſuâ, vel quatriduanâ ſepulturâ typum gerit peccatoris iam conſuetudine nequitiæ inueterati, iamque malâ opinione fœtentis.* Per ſuos gradus deſperatior peccatorum nequitia propagatur. Primò enim Lazarus adumbrans inſigniter delinquentes, animæ morte exanimus iacet: gratia enim, animæ vita eſt. Dein *conſuetudine nequitiæ inueteratus* inducitur, dum *quatriduanus* dicitur. Heu, ſi vltra cognatæ concupiſcentiæ fomitem, inueteratæ conſuetudinis præſcribat diuturnitate malitia, reſipiſcentiæ locus ægrè præſumitur! Verùm ſupra animæ mortem, quæ delictis peragitur; & inueteratam conſuetudinem, quæ altè malitiam fundat, (quod putari poſſet nequitiæ meta) addit Rupertus, *mala opinione fœtentem* quâ opinionis iacturâ, ſeu fætido infamiæ malo deploratus eſt Lazarus, tumulatus, deſperatus. Vnde de mortuo peccatis Lazaro; conſuetudine nequitiæ inueterato, & *mala opinione fœtente*, dum opinatæ vitæ reuocandus erat, quaſi rem communem prodigiorum menſuram excedens, ait Chriſtus: *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam.* Qui opinione iam fœtida, bonæ famæ iacturam fecit, adeò deſperata ſalute laborat, vt eius ad priſtinam gratiam inſperata reſtitutio, diuinæ *gloriæ* ſumptuoſiùs adulетur.

Rupert. l. 5. in Gen c. 9. *Poſt diffamiam, priſtina probitati reſtitutio, diuina gloria adulatur.*

Geneſeos

5\. Geneſeos 37. Ioſeph cùm ſedecim eſſet annorum, paſcebat gregem cum fratribus ſuis adhuc puer: *Accuſauitque fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo.* Multa multi de hoc crimine peſſimo, de quo Ioſephus ſuos fratres apud patrem duntaxat accuſauit: & apud reliquos multâ taciturnitate ora ſignauit Hebræi putant, quòd Ioſeph ſolum Ruben accuſauerit, de ſuo inceſtu cum Bala. Crimen autem vnius, communitati ſolet in Bibliis adſcribi. Et ſanè ſi hæc interpretatio vera eſſet, mirisſimum eſt, quòd cùm reliqui fratres in impiè crudelem Ioſephi cædem atrociter conſpirarent, *audiens hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum.* Profectò hoc piũ Rubeni ſtudium, non tam offenſi animi, quam forſan grati argumentum eſt. Pulchrè S. Zeno Veron. *Propè pro infecto habetur, quod non diffamatur.* Nimirùm deſpumatâ libidine Ruben inceſti nefarij iam pœnitens, non valdè Ioſepho ſuccenſuit ob vni patri delatum flagitium. Imò forſan gratus erga illum extitit, quia illud puerili licentiâ nemini vltrà garrulus denunciauit; ſed fratri, & toti familiæ conſulens, rectiùs taciturnitate obſtruxerit, & ferè non factum reddiderit: nã *propè pro infecto habetur, quod non diffamatur.* Quod autem illud ſcelus Iacobus morti proximus publicauerit, ex iuſta Dei ira venit, potiùs quàm ex delatione Ioſephi. O viderint Reipublicæ Præpoſiti, quod *propè pro infecto habetur, quod non diffamatur.* Quiſquis flagitium probroſum inconſultè diffamat, de prope infecto factum reddit. O quàm præſtat, humanæ imbecillitati conſulendo, diſſimulationis arbitrio, commiſſum ſcelus, de facto propè infectum feciſſe! Quid inconſultâ flagitij infamiâ, ſcelera flagitioſiùs amplificas?

Gen 37. v. 2.

Hebræi apud P. Cornel. ibi.

*Propè pro infecto habetur, quod non diffamatur,* S. Zeno de Iſaiâ ser. 4.

6\. Danielis 13. Suſanna illuſtris Hebræa veræ decus pudicitiæ, cùm in viri ſui pomario ſola verſatur, inuicto pudore æſtuantem ſenum procacitatem deludit. Sed nota inueteratam ſenum aſtutiam de Diaboli ſuggeſtione callidam. Quam blanditiis ad ſtuprum allicere nequeunt, infamiæ metu pertrahere conantur: *Aſſentire nobis*, inquiunt, *& commiſcere nobiſcum, quòd ſi nolueris dicemus contra te teſtimonium, quòd fuerit tecum iuuenis.* Quod poſtea mentito ore teſtati ſunt. Quare hi ſenes benè amentes, & malè amantes, quam concupiſcentiæ lenocinio ad libidinem extimulare non poſſunt, diffamare vaferrimè negotiantur? O aſtutiſſimos riuales? An quòd integrâ famâ extorquere non eualet, à diffamata Suſanna, ſaltem infamiæ minis obtinere præſumunt? Tempeſtiuè Veronenſis Zeno ſic de Suſannâ loquitur: *Sufficit pudicitiæ conſcientia: teſtis eſt Deus. Non reſpexit caſtitas quid falſi dicerent teſtes, aut qualiter iudices circumuenti damnarent. Non denique qualiter Diabolus infamaret, qui non potuit pudoris fundamenta ſubuertere.* Vide ſubdolum Diaboli ingenium, plenum malitiæ, artis plenum. Aduertens quòd in Suſannâ *non potuit pudoris fundamenta ſubuertere*, illam ſatagit auctorato ſenum ore turpiter *diffamare.* quò infamia publicata, vel infamiæ falsô publicandæ vmbra in publicationis metu expreſſa, ab infamatâ extorquere Suſannâ, quod à benè opinatâ non potuit. O diſcamus Diabolicas tentandi argutias, de Zenonis gymnaſio! & ſimul omnibus innoteſcat, quòd Dæmonum aſtutiſſimus, adamantinam pudicitiam, quam concupiſcentiæ blanditiis pellicere non poteſt, ſubdolâ infamiæ fraude ſubuertere intentant: vt quod blanda libidinis titillatio non eualet, obtineat de infamiâ. Non reſpexit Suſannæ caſtitas *qualiter Diabolus infamaret, qui non potuit pudoris fundamenta ſubuertere.* Infamiam putas ſolam famæ iacturam, & cum dedecore probrum; & meræ vitiorum minæ ſunt, & arguiæ Diaboli fraudes. Quis cunctetur facere, quod feciſſe non erubeſcit? Heu ſæpè diffamia, conſcientiæ naufragium eſt.

Daniel. 13 v. 20. & 21.

*Sæpè infamia ad libidinem pertrahit, quos concupiſcentia non trahit.*

S Zeno ſer. de Suſanna.

*P. Didac. Celada in Eſtherem.*

7\. Prouerbiorum 2. de hominibus flagitioſiſſimè ſceleroſis ſic fatur Salomon: Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas: *qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Qui namnam hi, qui in tam profundum malitiæ barathrum proruerunt? *Quorum viæ peruerſæ ſunt, & infames greſſus eorum.* id eſt, eorum viuendi ratio eſt nefaria, impia, flagitioſa, & (forſan exegeticum, vt ſæpè in Bibliis) ingloria, turpis, *infamis.* Sed vide nunc qualis ſit, qui *infames* greſſus habet. Lxx. Interpretes ſic hunc verſiculum excribunt: *Quorum ſemitæ prauæ* (Symmachus, *curuæ*; Theodotion, *tortuoſæ*) *& flexuoſi curſus eorum*; Tigurina, *Qui vias ſuas deprauant, & propudioſi ſunt in orbitis ſuis*; Vatablus, *Quorum ſemitæ ſunt obliquæ, & qui peruerſi ſunt in ſemitis ſuis*; Alij, *Et retrocedentes* vel *retrogradientes*; *in ſemitis ſuis*, ſicut cancri, quod communiter notant Interpretes? Aquila, *Iactant ſe in flexuris ſuis, & ſubſannant in inuolutionibus* vel *gyris ſuis.* Ecce tibi qualis, & quàm ſceleroſus ſit, qui turpis ac *infamis* eſt & *propudioſus* in viâ, quâ incedit. Sanè *lætatur cum malefecerit, & exultat in rebus peſſimis.* Parum hoc, *Iactat ſe in flexuris ſuis*, id eſt, viarum ac greſſuum flexuoſâ prauitate; & pios *ſubſannat*, & infamare adnititur *in inuolutionibus* vel *gyris ſuis.* Quid tam enormiter ſuperbum, ac flagitioſum, quàm non ſolùm in propudioſâ malitiâ *gloriari*, ſed etiam ſe de malitiâ *iactare*? Sanè frons à malitiâ impudentiam edocta, ſcelerum infamiſſima propudia ambitioſè affectat. Exindè rectæ viæ & inſtituti aut manifeſta deſertio, aut clanculatia apoſtaſia: *Et retrocedentes* vel *retrogradientes in ſemitis ſuis*: quid enim aliud à propudioſè infamato, ac iam *infami*, expectari potuit, quàm turpis retrogreſſio ad latam & ſpatioſam ſeculi viam, inferni hiatibus *infamem*? Hùc, hùc imbecillos raptat infamia, Non viuentes, ſed vitâ iam orbatos, ſic nunc probroſè Aſſuerus infamat.

Prouerb. 2. v. 15.

*Diffamatus ſe iactat in malitiâ, & de regreſſu cogitat.*

Lxx. interp. Symmach. Theodotion Tigurina

Vatablus

Aquila

Hic v. 18.

## §. CCCXXXVI.

### *Paci ſtudet Superior, qui vibratis minis, & inflictis idoneè ſuppliciis, Reipublicæ pacem inquietare videtur.*

1\. LEgum tutorem, Reipublicæque præſidem decet (quandiu poteſt) verbis & his mollibus ſubiectorum ingenia curare, ac vitiorum odium, pretiumque virtutis inceſſanter facere. Tranſeat deinde ad triſtiorem curationem, quâ ſeueriùs moneat, & acerbiùs exprobret: nouiſſimè ad pœnas, & has adhuc leues, & reuocabiles. Vltima ſupplicia vltimis ſceleribus deſtinet, vt nemo pereat, niſi quem perire, & pereuntis, & Reipublicæ etiam interſit. Quòd ſi improborum

*Caſtigandum eſt contumax ingenium, etſi improborum grex tumultuet.*

grex altè conqueritur; non eſt iſte communitatis tumultus, ſed neceſſaria medelæ acrimonia; neque eſt inconſulta Rectoris imperitia, ſed contumacis ingenij miſera curatio. Sibi imputet dura pati, qui ad molliora ſurdus fuit.

2. Matth. 10. v. 34. Matthæi 10. ſic Chriſtus de Euangelicâ doctrinâ Apoſtolos erudit, & in eis Eccleſiam vniuerſam: *Nolite*, inquit, *arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem*, &c.

Matth. 10. v. 13. Mirſſimum ſanè eſt, quòd nuper Chriſtus Diſcipulos inſtruens, ſic eis præceperit: *Intrantes autem in domum, ſalutare eam, dicentes: Pax huic domui.* Profectò vtrumque redarguit alterutrum; nam ſi non venit Chriſtus pacem mittere, cur pacem annunciat? & ſi annunciat pacem, quare publicat, ſe non veniſſe pacem mittere, ſed gladium? Sagacem Chryſoſtomi mentem hoc dubium non latuit, quod ad præſentem theſim tempeſtiuus, his verbis & proponit, & ſoluit: *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram. Qualiter ergo eis iuſſit, vt in vnamquamque domum ingredientes pacem indicerent? Quoniam maximè eſt pax, cùm id quod ægrotat, inciditur: cùm id quod litem infert, ſeparatur. Nam & medicus ita reliquum ſeruat corpus, cùm id quod inſanabiliter ſe habet, abſciderit.* Ne putetur Rector pacem communitatis inquietare, cùm poſt blandam admonitionem dein ſcelerum exprobrationem tandem ad triſtiorem curationem decurrens, contumacia ingenia ſupplicijs domare, & exterminio ſeparare ſatagit; etſi improborum grex, aſperitatum querulus, ſeditiosè tumultuet, vt malitiæ ingenio impunitatem ſibi ſubdolè vendicet. Hæc ergo miſera ſubiectorum curatio ne infamet communitatis Rectorem, quaſi pacis non amantem. Nam Chriſtus Deus, qui Euangelicam pacem annunciare iubet, aiens: *Pax huic domui*; confeſtim hanc ſuam pacem exponit, inquiens: *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Nec pugnantia dicit, nam ſunt idem ambo, *Quoniam maximè eſt pax, cùm id quod ægrotat, inciditur: cùm id quod litem infert, ſeparatur.* Recognoſcis Euangelij œconomiam? ſequere. licèt exlex impietas oggāniat, & tanquam malè peritū Gubernatorem incuſet. Secura in vitiis quies, non eſt Euangelij pax, ſed paſſionum rixa. Paci ſtuderet Aſſuerus dum punitis Amano & Amanitis condignâ ſcelerum pœnâ, teucras adhuc minas vibrat, quò ſubiecti populi pacatè obſequantur.

*Paci ſtudet, qui congruis ſupplicijs parē inquietare videtur.*

S.Chryſoſt. homil. 36. in Matth.

Hic v. 24.

3. Sapient. 1. v. 3. Sapientiæ 1. Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram....... *Peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo: probata autem virtus corripit inſipientes.* Hæ peruerſæ cogitationes in Iudicibus, qui præſunt *terræ*, id eſt, terrenis hominibus, & terrena vitia ſapientibus, Græcè dicuntur, *diſcurſus tortuoſi, perplexi, obliqui, verſuti.* Hi diſcurſus tortuoſi & verſuti in Iudicibus, forſan conſiſtunt in ſceleratorum impunitate, ne Reſpublica tumultuare videatur, ſi flagitioſus quiſque acti reprehenſione aut ſupplicio tangatur. Vndè ſubdit: *Probata autem virtus corripit inſipientes.* Quæ verba de poteſtate iudiciariâ Hieronymus Oſorius interpretatur. Scilicet tunc in Iudice aut Superiore *probata virtus* eſt, cùm ſtrenuè audet inſipientes *corripere*, nec *verſutè* cedit ſeditionum timori, ne ſubiectorum ſceleribus conſentire aut obſequi videatur; ſed pugnaciter cum flagitiis rixari non veretur. Hæc, hæc inquam, *probata virtus corripit inſipientes.* Audiendus eſt hâc ſuper re Ennodius Ticinenſis Epiſcopus, Dictione 6. quæ eſt de Hæreticis & Synodo: *Patienter* (inquit) *ſufferre non poſſumus vana in Chriſtum noſtrum, & blaſphema ructantes: ſcimus quia qui in putribus membris non vtitur ferri medicinâ, ſerpentibus morbis præſtat obſequia: nam niſi ſecentur tabefacta, contaminant.* (Addit ad rem tempeſtiuè) *Pacificata eſt cum his, qui rectum nituntur impugnare, congreſſio: quis à bellis talibus timoris reuocetur obſtaculo, de quibus vitali poſſit morte gaudere?* Itaque Rectorum *probata virtus* idoneâ ſcelera:orum correptione non abſtinet vano ſeditionum timore; ſed animosè *corripit inſipientes: pacifica eſt cum his congreſſio*, quantumuis pugnaciter aduerſus illum armentur; & vitam honoremve corripientis tumulare præſumant, ſæuitiæ aut maledicentiæ arbitrio. Ergò *probata virtus corripit inſipientes pacificâ* pugnaciter *congreſſione*: alioqui diſſimulatione *verſutâ*, & ſuæ famæ ſtudioſiùs militante, *ſerpentibus morbis præſtat obſequia*: nam delictorum impunitas, delinquendi temeritas eſt. *Pacifica congreſſio* eſt, quæ pro diſtrictiori diſciplinâ morum iſtiuſmodi bella mouet. *Pax huic domui*, ante dicit Chriſtus; & mox ſubdit: *Non veni pacem mittere.*

*Oſorius apud P. Lorin.*

*Pacifica congreſſio eſt, qua vel cum ſeditionum periculo ſceleſtos corripit.*

Ennod. d. Ɖ. 6.

Regius Vates Pſalm. 98. ſic modulatè occinit diuinæ iuſtitiæ rigores deprædicans: Dominus regnauit, iraſcantur populi: qui ſedet ſuper Cherubim, moueatur terra. *Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile, & ſanctum eſt: & honor regis iudicium diligit.* Scilicet Dauid quaſi rem nouam, & vltra ordinariam hominum fidem euulgat, quòd Deus etiam dum *terribilis* eſt, & ſceleſtos reprehenſionibus culpat, & ſupplicijs exacerbat; adhuc *ſanctus* eſt, cùm homines nequam caſtigationibus exacerbati eius ſanctum vbiq; nomē nullibi culpare aut dehoneſtare potuerint: imò exindè honorem apud homines mutuarit: *Terribile, & ſanctum eſt: & honor Regis iudicium diligit.* Quæ Pſalmographi verba ſic ad rem eleganter Rupertus exponit: *Sicut clementia*, inquit, *honor eſt Principi, ſic & honor Regis iudicium diligit. Etenim vbi totum punitur, regia ſeueritas crudelitate polluitur: vbi verò totum remittitur, facies maieſtatis ſine metu diſciplinæ contemnitur.* Nimiùm quia Dominus regnans, & ſcelerosè ſubiectos vibratis minis territat, & inflictis pœnis acerbat; tametſi *iraſcantur* populi dum ſupplicij acerbitatem ſubeunt; adhuc *ſanctum* eſt nomen eius, etſi animaduerſionum acerbitate *terribile* ſit: nam *ſicut clementia honor eſt Principi, ſic & honor Regis iudicium diligit.* Si quidem malitiæ punitæ & ſupplicijs iratæ dehoneſtamenta punientis honor eſt: infeſtas enim voces, quas dolor caſtigationis expreſſit, peritorum prudens æſtimatio meritò recudit in laudes: & quod timeri poſſet tanquam honoris ruina, è diuerſo honorem ædificat. *Sic honor Regis iudicium diligit!* Eloquenter Philo: *Officiunt autem nimis æquanimes principatus; benignitas enim res eſt contemptibilis, veriſque tum Principibus, tum ſubditis noxia; illis, dum contemptui ſubditis, nec priuatim, nec publicè valent quicquam conſtruere: interdum etiam principatu ſe abdicare coguntur; his verò, dum continuo Magiſtratuum contemptu negligentiores facti, magnum morbum, arrogantiam ſibi contrahunt.* Quid de contemptu honorem & pacifici elogium quæris? quid de caſtigandi honore contemptum metuis?

4. Pſal. 98. v. 3.

*Honor Superioris iudicium diligit. neque enim puniſorum obtrectationibus dehoneſtatur.*

Rupert. l. 8. in Geneſ. c. 37.

*Benignitas in Superiore res contemptibilis perhibetur.*

Philo l. de Agricul.

Ioannis

5. Ioannis 14 hæc Chriſtus Deus morti proximus, diſcipulis mandat: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodò mundus dat, ego do vobis.* Ne Chriſtus eam pacem relinquere quam ſolent homines dare temporalem, mundanam, & quæ potiùs eſt vitiorum rixa, quàm vera pax; cenſeretur, addit, *Pacem meam*, nempe quam ego veni in mundum ſtabilire. Propterea etiam ſubiũxit, *Non quomodò mundus dat, ego do vobis*: mundus enim nudis verbis, & aliquandò fictis, & quam ipſe non habet, nec quæ ſua, nec quæ vera pax eſt, dare ſolet: at ego non ſic, ſed cæleſtem & ſpiritualem pacem do, quæ tametſi meraciſſima pax ſit, bellum improbitatibus indicit abſque vllo charitatis diuortio, aut pacis diſpendio, quæ eſt arguta Hieronymi commentatio: *Chriſtus Dominus noſter*, inquit, *pax eſt, vadens ad cælum nobis vexillum demiſit, dicens: Pacem meam do vobis.* Scilicet Chriſtus vadens in cælum, pacem ſuam nobis dat; nec quomodò dat mundus, ipſe dedit: dedit enim pacem non tanquam inerter quietam, & pacatè deſidem; ſed pacem, quaſi militare *vexillum* dedit. Ne putarent Apoſtoli, quibus hæc verba dicta ſunt, (& in eis denunciata Prælatis reliquis, cunctiſque ſuperioribus) quòd Chriſtus pacem ſuam appellat, quam mundus pacem nominat, & vitiorum conſenſu, atque ſuffragio ſæpè conſtat; pacem ſuam tanquam militare *vexillum* illis reliquit. Pacis ſtudium, & religionis ardor, & ſanctitatis vigor, ſi opus eſt, ad arma vocet, bellum ſceleſtis moueat, cenſuræ & mulctæ acerbitates vibret: nam tametſi ob ſupplicia exacerbati, ſeditiosè tumultuent nebulones, non eſt concordiæ iactura, ſed Chriſtianæ pacis compendium. Pacis *vexillum* nobis Chriſtus relinquit: nam ex bello pax. Pacem quam mundus dat, rixa potiùs vitiorum eſt, & pacatè ſeditioſum virtutis bellum. Hoc prælium, *pacificata congreſſio* eſt.

Ioan. 14. v. 27.

*Quare Chriſtus nobis pacem, tanquam vexillum militare reliquerit.*

S. Hieron. in Pſal. 119.

6. Ionæ 1. Factum eſt verbum Domini ad Ionam, dicens? *Surge, & vade in Niniuem ciuitatem grandem, & prædica in ea: quia aſcendit malitia eius coram me.* Et ſurrexit Ionas, vt fugeret in Tharſis à facie Domini. Creditâ igitur Prophetæ mali curatione mandat ægros antè adeat, quàm morbus auctior mortis ſuffragium confirmet. Hinc Seleucienſis Baſilius reddit cauſſam cur Ionas fugerit, ne videlicet mendax Propheta inueniretur, ſi viri Niniuitæ per aſſumptam pœnitentiam ſupplicij minas anteuerterent. Porro in ipſis minis, miſericordiæ tabulam Propheta legit. Quâ ſuper re ſic Baſilius eloquenter philoſophatur: *In ſuppliciorum comminatione plena miſerationis ſunt verba; punitionis promiſſio, & affectionis demonſtratio, oſoris vox, & mens miſerentis. Iam ciuitati veniam offert, indignãs miſeretur; & minitans ſaluare deſiderat, & cùm apertè iram gerat, occulto clementiam demonſtrat.* quaſi qui indignatus minas iactat atroces, iam miſertus eſt, vt comminaretur; & minis ipſis, quæ implacatam acerbitatem eructant, veniam demonſtret non dubiis minarum characteribus legendam. Minis *veniam offert, indignans miſeretur.* Pergit Seleucienſis Præſul: *Verùm Niniuem nunc Dominus punire, vt arbitror, minatur, ſed pœnam terrore commutabit. Suſpicor equidem comminationem in clementiæ matrem euaſuram. Nam cur euerſionem prænunciat, ſi veram vult animaduerſionem? Si punire vult, cur admonet periculi? cur oraculo plagam anteuertit? Noui Dei hominum amantiſſimi artes, iram ſimulat, ſtudet eos antè exoluere pœnâ, quàm experiantur.* Longum nimis facerem, ſi ſingulas magni huius Doctoris voces penſiculatiùs enuclearem, ſat eſto eas exeripſiſſe, & ad thema præſens intendiſſe digitum.

Ionæ 1. v. 2.

Baſil. Seleu. Orat 12.

*Dum quis acerbiùs minatur, veniam offert, indignans miſeretur.*

7. Siracides Eccleſiaſtici 40. de Deo ſic loquitur: *In magnitudine ſuâ poſuit nubes, & confracti ſũt lapides grandinis.* Græcè, *In magnificentiâ ſuâ fortificauit*, vel *corroborauit nubes.* Tigurina, *In magna potentia ſua nubes exauget, vt elidat lapides grandinis.* Quæ eſt hæc magna potentia, ſeu *magnificentia* Dei, quæ ſic nubes *fortificat, vt elidat lapides grandinis*, & tamen lapides grandinis *confracti* ſunt? Sic facilè *confringitur*, quod Dei *magnificentia fortificauit*? Appoſitè Cornelius hîc ex Hieronymo in Pſalm. 147. per grãdinem ſignificari putat *minas iræ & vindictæ Dei*: has liquefacit Deus, quandò minis exterritis hominibus parcit, & veniæ dulcedine mulcet: nam minis *veniam offert, & indignans miſeretur, & pœnam terrore commutat.* Exindè Dei *magnificentia fortificat nubes, vt elidat lapides grandinis*, lapides inquam *confractos*, id eſt, iam blandè liquefactos, qui terram fœcundant.

Eccli. 40. v. 16.

Græcus.

Tigurina.

*Dei magnificentiâ fortificat lapides grandinis, ſed confractos quare?*

Cornel.

S. Hieron.

## §. CCCXXXVII.

### *Aſſueri regimen, quod in multis grauiter deliquit, in pauculis obiter vapulat.*

1. HIc Eſtheris liber, ſiquis alius in Bibliis, rem politicam totus ſpirat. (alterius ſanè calami negotium, ſiue otium: huiuſmodi enim politicæ theſes, ſicut gratè vulgò leguntur, ita extempore paſſim reiiciuntur, niſi propriæ vtilitati, ambitioni, aut auaritiæ militent. Præſtat autem otioſum eſſe, quàm nihil agere) Non pauca ſacri textus exponendi ductu, tractauimus pleno Paragrapho: ne verò plura omittamus, aliquos huius imboni Principis in regimine errores, & delibatim, & ſaltuatim hîc perſtringimus; ſi fortè in non bonâ politicâ ſcholâ, boni regiminis inſtitutio è diuerſo erudiêtur.

*Tractationis ratio.*

2. Eccleſiaſtici 24. hæc Sapientiæ vox reſonat auribus, corde infigatur, ne facilè refigi poſſit: *Flores mei, fructus honoris & honeſtatis* ſunt inquam. Puta ſapientem Principem velut comatam procerè arborem patulis diffuſam ramis (arbori Nabuchodonoſorianæ ſimilẽ) hæc frondeo virore primò vernat, geminat, floret, & demum maturis fructibus autumnat. Sanè in flore, & de flore fructus coaleſcit, coquitur, adoleſcit, & ad ſaporis maturitatem eruditur. Adeò vt tota fructuum ſpes, in flore ſita ſit. Floris gratia breuicula eſt, fugitiua, mentita, fallax, & ſpe fructuum adipatur, dum fructum in flore ſpebus momordit, & oculis prælibat, quod palatus deliciosè guſtet. Sed qui ſunt iſti Principum flores, ad eorum ornatum, & fructum? ſubiectos illis populos opinor. Sic eos appellat magnus ille Zeno Veronenſium Antiſtes, aiens: *Itaque dulciſſimi flores mei talia procurate.* Subditos ſibi populos nuncupat *dulciſſimos ſuos flores, dulces* nominat, quaſi fructus in floribus prægustet: *flores ſuos* nominat, quia illis honeſtatur & decoratur: *Flores mei, fructus honoris & honeſtatis.* quaſi

Eccl. 24. v. 23.

*Subditi ſunt tractandi velut flores in quibus eſt tota fructuũ ſpes.*

S. Zeno ſer. de Pſal. 40.

fructus in floribus videat, demetat, guſtet. O bonam Principibus eruditionem, de Aſſueri inconſultâ tyrannide, è peruerſo auxiliatrem! Princeps ſubiectos populos reputet velut flores ad ornatum, & fructuum vtilitatem. O quàm eſt delicatula florum valetudo! Ergò mitiſſimè & delicatè, tanquam flores tractentur, ne regiæ pulchritudinis decus, & ſpes fructuum defloreat, marceſcat, & decidat tota. Sibi viderit Princeps, qui hæc non videat, nec tragicam Aſſueri Barbariem execratur, qui mentitæ adulationis pretio omnem Dei populum feraliſſimis ſtragibus fruſtrà
Eſther 5 v. 10. vendidit. Siccine *flores* tractandi? Qui ſic flores præcidit, ac iugulat, opimos in floribus fructus ſibi enecat. Vt alia deeſſent, hæc Aſſueri ferociam inhibere debuiſſet. Conſulat ſubditis, vt ſaltem ſibi conſulat. Fructum ſibi inuidet, qui ſuos flores negligit.

3.
Gen. 10 v. 8. Geneſeos 2. Chami poſteritas longâ ſerie cenſetur. Tandem *Chus genuit Nembrod: ipſe cœpit eſſe potens in terrâ, & erat robuſtus venator corã Domino.* Hic regnandi felicitatem dedicauit. Fuit autem principium regni eius Babylon. &c.
LXX Interp. Pro τὸ *Ipſe cœpit eſſe potens*, LXX. Interpretes excribunt: *Ipſe cœpit eſſe gigas.* Moraliſſima ſanè Regibus eruditio hæc eſt, quâ ſubita magnitudinis portenta exulant. *Cœpit eſſe potens, cœpit eſſe gigas*; non inconſultâ fauoris gratiâ ſubitò fit potens, derepentè fit gigas. Nemo repentè fiat ſummus, quia nemo repentè fit ſummus. Pygmæus ſublimes ſoccos altè calceans, pygmæus adhuc eſt, gigas non eſt, & ſi extemplò gigantæam ſtaturam de ſublimationis gratiâ æmuletur. Aſcendat per ſuos gradus quiſquis in ſummo vertice collocandus eſt, ſuas habeat ætates magni faſtigij ſublimitas. Vel Nembrod *cœpit eſſe potens, cœpit eſſe gigas.* Languet eligentis prudentia, ſi cum candidato meritum non adoleſcit. Incipiat eſſe gigas, qui ad gigantæam proceritatem ſublimandus eſt. Heri puſillus, hodie gigas, monſtrum naturæ, ſimul & politiæ monſtrum eſt, hunc non meriti dignitas, ſed fauoris temeritas ſic euexit.

*Ne Princeps quemquam derepentè ad magnam dignitatem ſublimet.*

S. Nazian. Orat. 1. *Quis ille eſt* (ait Nazianzenus) *qui veritatis Antiſtitem ac propugnatorem, vnius diecula ſpatio, velut ſimulacrum ex argilla finxit?*
Eſther 3 v. 1. Eſther 8. v. 2. & 3. Quis eſſe poteſt niſi Aſſuerus, qui Amanem, velut gigantes vnâ die ſatos & adultos, præcelsè ſublimauit? *Poſt hæc rex Aſſuerus exaltauit Amã: & poſuit ſolium eius ſuper omnes Principes, quos habebat.* Et cap. 8. Mardochæus etiam repentè exaltatur. Aſt rectum ab errore, quod nemo prudens in re politicâ ſperat. Nam prudentia poſtquam iudicauit, eligit; non poſtquam elegit, iudicat: ad pœnitentiam autem properat, citò qui iudicat. Summatum primus, *cœpit eſſe potens, cœpit eſſe gigas.*

4.
Gen. 10. v. 10. Pergit ſacer Hiſtoricus narrans de eodem Nembrod, qui fuit princeps è maledictâ poſteritate Cham: *Fuit autem principium regni eius Babylon.* &c. Mirum ſanè eſt, quòd Nembrod, qui fuit è poſteris Cham, qui de patris Noëmi maledictione ſeruituti addictus erat, Geneſ. 9. v. 25. ante Sethi ac Iaphethi poſteros regnauerit. O maledictionem de felicitate ludentem! Qui ſeruituti maledictione mancipatur, primus omnium mortalium regnat; & qui principatum benedictione obtinent, nondum principantur? Ar-
S. Chryſoſt. gutè inibi Chryſoſtomus: *Fuit autem principium regni eius Babylon, &c. Sed Nembrod iterum proauum ſuum imitatus, & abuſus naturæ priuilegio, aliũ ſeruitutis modum adinuenit, & Princeps atque Rex fieri attentauit.* Profectò nunc ſeruilis Chami ſoboles ſeruitute coronatur, quaſi regium ſtemma ſit ſtigma ſeruitutis. Quid eſt regia dignitas, niſi præclara ſeruitus? ſic ſceptra mancipari debent populorum ſeruitio: ſic Reges ſeruire debent ſubiectorum vtilitati? O quàm ab hâc mente alienus fuit Aſſuerus, totus deliciis factus; qui ſic inſolenter peregrinatur in vmbrâ *ſeruitutis*, quam illi Regina obtendit!) Sic Eſther 7. v. 4.

*Regia dignitas eſt coronata ſeruitus.*

Iacob è Meſopotamiâ redux, valdè timens offenſi Eſaü intempeſtiuum occurſum, nuncios ante ſe ad eum præmittit: præcepitque eis dicens: *Sic loquimini Domino meo Eſaü: Hæc dicit frater tuus Iacob*, &c. Hebraicè pro τὸ *frater tuus* habetur, *ſeruus tuus*: quod ritè conuenit cum ſuperiori verbo, quo eum *Dominum* appellauerat. 5. Gen. 32. v. 4. Hebræus.

Quid eſt, quòd Iacob *ſeruum* Eſaü ſe nominat, illumque ſuum *Dominum* obſequenter appellat? Annon ſuprà dixerat Iſaacus Eſaü ipſi: *Dominum tuum illum* (Iacobum) *conſtitui, & omnes fratres eius ſeruituti illius ſubiugaui?* Hanc difficultatem his verbis verſat Lipomanus: *Hæc dicit ſeruus tuus Iacob, non interim mendacem reddit Patrem, qui Dominum eum conſtituerat. Nec benedictioni renunciat, nec hereditati.* Nimirùm Iacob propheticâ patris Iſaaci benedictione *Dominus* fratris Eſaü conſtitutus, tunc, tunc quidem maximè *Dominum* ſe exhibet, ac probat, dum *ſerui* rem, & vocabulum *ſerui* ſibi obſequenter vſurpat. O nimis vera vox: Humanum dominium ſeruitio conſtat, ſeruitio peragitur. Niſi abutaris dominio, dominium potiùs ſeruiendo, quàm dominando impletur. Quid aliud putas eſſe Reges, qui verè Reges ſunt, niſi coronatos ſeruos? Principale dominium, illuſtre ſubiectis populis ſeruitium eſt. Primam orbis purpuram *ſeruus* Cham induit; & Iacob fratrum Princeps, fratrem Eſaü *Dominum* appellat, & ſe eius *ſeruum* nominat. Gen. 27. v. 37. Lipom. in c. 32. Gen.

*Iacob ſeruiẽdo etiam, impleuit Domini vocabulũ.*

Geneſeos 10. Porrò Chus genuit Nembrod: 6.
ipſe cœpit eſſe potens in terrâ: *Et erat robuſtus venator coram Domino.* Fuit autem principium regni eius Babylon. Itaque primus regum, qui cognato corporis robore, & animi induſtriâ, & regnum obtinere, & illud conſeruare ſtrenuus euaſit, *robuſtus venator coram Domino* perhibetur. *Venator* hominum inquam. ſic ferè Interpretes. Alij apud Lipomanum in Catenâ exſcribunt: *Robuſtus inueſtigator*: exindè *cœpit eſſe potens*; dein Rex Babylonis, regnúmque fortiter tueri, ac feliciter dilatare. Scilicet Nembrod curioſâ *inueſtigandi* arte, & ſibi potentiam, & in alios imperium comparauit. *Inueſtigandi* peritia, obtinendi, & conſeruandi regni arbitrium eſt. Itaq; Nẽbrod robuſtus peritè *inueſtigator*, & ſtrenuè explorator, regnũ primus cõparauit, conſeruauit, dilatauit. Nunc autem Aſſuerus iners ter ſtolidus, inſipienter deſes, inter tot infidæ aſtutię *fraudes*, ac *cuniculos*, quibus eum cum toto regno euertere Amanus nitebatur, fageam quandã *bonitatem* allegat, & *aures Principum ſimplices* cauſatur: cùm potiùs eſſe debeant cautæ, vt de aurium nunciis ſollertia *inueſtigatrix*, quid facto opus ſit, peritè exploret. Sollers ſcitè peritia in Principe quæritur, non ſtolida oſcitanter naturæ bonitas. Profectò primus Regum inter homines, *robuſtus inueſtigator* fuit; & inter cæleſtes ſpiritus de electione Dei primam præfecturam Cherubini occuparunt: *Et collocauit ante paradiſum*

Gen. 10. v. 9. Lipom. ibi.

*Primus Regum totius orbis, robuſtus Inueſtigator dicitur, quare?*

Eſther 16. v. 6. Gen. 3. v. 24.

*paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Eccur non Seraphinos, aut quempiam e mediano, aut infimo Angelorum ordine? Scitè indidem Rupertus: *Et rectè Angeli, qui in huiuſmodi præſunt, Cherubim, id eſt, plenitudo ſcientiæ vocantur. Ipſi namque iudicandi plenam habent ſcientiam. Sicut enim quid in libro cuiuſque ſit ſcriptum, id eſt, benè habent memoriæ traditum quid boni aut mali geſſerit quiſque noſtrum quotidie ſingulariter legunt............Rectè itaque Cherubim non tam ad laudem ipſorum, quàm ad terrorem noſtrū dicti ſunt, quia noſtra illis occulta publicata ſunt.* Laus Præpoſiti non eſt eſſe Cherubinum, id eſt, plenitudinem ſcientiæ habere? (*Cherubim non ad laudem ipſorum dicti sūt*) Forſan eminentior ſapientia politicæ rectioni præiudicat? An Rupertus ſapientiâ excultiſſimus velut blanditur non valdè litteratis Prælulibus, dum ait, hos Dei Præfectos, non ad eorum laudem dici Cherubinos, hoc eſt, plenitudine ſcientiæ opinatiſſimos? Verùm attentior & conſultior peritia, rerum *inueſtigatrix*, multis vndecumque notitiis & experientiis inoculata, Præfecturas feliciùs adminiſtrat. Sapientiane prudentiæ obeſt? Taceo, veritus ne eiuſdem cum Ruperto, aut adulationis, aut irriſionis reus ſim. Sanè qui illiterato Superiori adulatur, illum planè irridet. Hinc autem erudimur, primam Præfecturam cæleſtibus commiſſam ſpiritibus, non fuiſſe à Deo traditam Seraphinis charitate & amicitiâ coniunctioribus, non Angelis frequēti miniſterio officioſis; ſed ſapientiſſimis Cherubinis, ſcientiæ plenitudine conſpicuis: qui quod Nembrod Regum primus, ſollerter *inueſtiganit*, ipſi *in libro cuiuſque noſtrûm quotidie ſingulariter legunt.*

Rupertus. — Inueſtigatrix peritia Præfectos adornet.

7. Neque Ruperti inibi clauſulam omittere innotatam oportet: *Rectè*, inquit, *Cherubim, non tam ad laudem ipſorum, quàm ad terrorem noſtrum dicti ſunt, quia noſtra illis occulta publicata ſunt.* Terrórne ſubiectorum eſt Præpoſitus, qui omnia etiam occulta petnoſcit? qui abſtruſas humanæ malitiæ *fraudes, ac cuniculos inueſtigat*, & explorata habet? Terror ſanè eſt tanta, támque perſpicaciter attenta, aurita, & oculata Superiorum peritia: quam, tanquam ſibi moleſtiſſimam in ſummâ Dei prouidentiâ horret, & execratur exlex Gentilium licentia. Audiendus eſt Cæcilius ethnicus, qui apud Minutium, ſic contra Octauium Catholicum argutatur: *At etiam Chriſtiani,* inquit, *quanam monſtra, quæ portenta confingunt? Deum illum ſuum quem nec oſtendere poſſunt, nec videre, in omnium mores, actus omnium; verba denique & occultas cogitationes diligenter inquirere? diſcurrentem ſcilicet, atque vbique præſētem: moleſtum illum volunt, inquietum, impudēter etiā curioſum: ſiquidem adſtat factis, omnibus, locis omnibus intererrat: cùm nec ſingulis inſeruire poſſit per vniuerſa diſtrictus, nec vniuerſis ſufficere in ſingulis occupatus.* Qui Deū inertem ſtupidū, & ſtupidè deſidem malūt, Aſſueri oſcitantem inertiam, & imperitiæ ſtuporem adprobabunt. Deus vno omniſcientiæ ſuæ obtutu omnia peruidet, omnibus prouidet: Princeps autem *rebuſtus inueſtigator* rerum, Cherubinorum peritiam, & Dei prouidentiam exploſādo æmuletur; ne habeat *aures ſimplices* Aſſueri adinſtar, id eſt, velut ille Midas aſininas, aptas ſanè grandioribus fabulis, quas in Dei populum

Rupert. ſuprà. — Eſther 16. v.5. — Princeps omnium inueſtigator, peritus ſubditorum terror eſt. — Minutius in Octauio ante medium.

Amanus malitiosè confinxit.

8\. Exhodi 8. grauiſſimam muſcarum plagā Pharao auertere ſatagit: vocatque Moyſen, & abactis muſcis egreſſionem pollicetur. Dixitque Pharao: Ego dimittam vos vt ſacrificetis Domino, rogate pro me. Et ait Moyſes: Egreſſus à te, orabo Dominum, & recedet muſca à Pharaone, & à populo eius. *Egreſſúſque Moyſes à Pharaone, orauit Dominum. Qui fecit iuxta verbum illius; & abſtulit muſcas à Pharaone.* Nam cùm Moyſes nuper *Deus Pharaonis* conſtitutus, non ignorabat fraudem malitioſam Pharaonis, qui non de promiſsâ populi dimiſſione, ſed de dimiſſione gratioris plagæ ſubdolè cogitabat: & tamen illius votis ſincerè adnuit, tanquam doli neſcius. Quā ſuper re ita philoſophatur Ambroſius: *Rogatur Moyſes, vt his quoque finem exitiis daret, orauit, & impetrauit. In illo prædicandum, quòd a fraudis conſortio temperauit, in hoc mirabile quòd diuinitùs intenta ſupplicia, virtute propria etiam ab hoſte detorſit. Verè nimium (ſicut ſcriptum eſt) manſuetus & mitis; ſciebat quòd fidē Rex non ſeruaret promiſſi, tamen honeſtum putabat vt rogatus oraret, læſus benediceret, appetitus remitteret,* ô non boni ſubditi, Pharaonis inquā, bonus Princeps Moyſes; qui benè conſcius fraudis, quā vaferrimè Pharao expetitam dimiſſionem, quò plagam auerteret, fictè pollicetur; tamen conſultiſſimum putat, ſe fraudis non inſcium, quaſi neſcium falli. Nempè Moyſes ac ſi foret rei inſcius, ſe ſcire ſapienter diſſimulat, & Pharaonis fraudem prætextu pietatis ſimulatam non detegit, ne ſubditum velut fraudulentum prænotet, & præuulgata fraudis culpa, exercitæ fraudis improperium anteuertat. Peritior eſt prudentia, quæ aliquandò *ſimplices aures* obtendens, & ſcitè ignorare, & ſapienter ſtulteſcere videtur. Diſſimulata ſpecie ignorationis notitia, ſæpè rectioris politiæ ingenium eſt, & arcani teginimis arbitrium. Qui ſic gubernat, aut peritè magnanimus eſt, aut *nimium mitis*, aut vtrumque Saltem id erga offenſos, cautè tamen, tentandum eſt. Sic vellem Aſſueri aures, de adytis prudentiæ *ſimplices*; non oſcitanter ignauas, vulgóque obuias, ac credulas. Hanc affectatam inſipientiam, aut ſapientiam diſſimulatam, aliàs in Salomone laudauimus; ad illa Eccleſiaſtes verba: *Dedique cor meum vt ſcirē prudentiam, atque doctrinam, erroréſque, & ſtultitiam.* Aliquis conſultioris peritiæ faſtus eſt, aliquandò *ſimplices aures* offerre, & ſapienter ſtulteſcere, tempeſtiuā ſcientiæ diſſimulatione.

Exhodi 8. v. 30. & 31. — S.Ambr. l. 3. Offic. c. 14. — Peritia faſtus eſt, aliquandò ſimplices præbere aures, & peritè ſtulteſcere. — Eſther 16. v.6. — Eccleſ. 1. v. 17.

9\. Canticorum 7. ſic ſponſus Salomon loquitur: *Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima in delicijs!* Vatablus ſic vertit, *In deliciis primatum obtines.* Paraphraſtes autem Chaldæus ſic locum exribit, & excriptione ſingulariter exponit: *Dixit Salomon Rex: Quàm pulcher es cœtus Iſraël, in tempore, quo portas iugum regni mei, & tu ſuſcipis illud in charitate, & videtur tibi delicia!* Indè Philo Carp. etſi contra fidem Hebræorum, Græcorum, ac Latinorum Codicum, tamen iuxta Chaldaicam paraphraſim, habet; *Quàm ſpecioſus factus es, & potens!* Nempè cœtus filiorum Iſraël, *in deliciis primatum obtines,* cùm ſic placidè *portat iugum regni, vt videantur ſibi deliciæ.* O quàm eſt aſpectabilis Regum ac Gubernatorum peritia, peritiæ Salomonianæ æmula, quæ legum ac tributorum graue iugum, cognatam præmiorum inuidiam, & peracerbam ſupplicij

Cant. 7. v. 6. Vatablus Chaldæus. — Philo. — Subiecti populi iugum regni portare, delicias reputat.

ſuppliciorum moleſtiam,ſic modulatè temperat, ſic attentè modulatur ad gratiam,vt cùm ſubiectus populus graue ſubiectionis *iugum portat*, ei *deliciæ videantur*! Id Aſſuerus ferè toto cap. 16.obtendit; oppoſitum autem in omni hâc Eſtheris narratione haud dubiè tranſlucet. Feralia Regis edicta in vrbe Suſan pro valuis pendent, pendent in toto regno: vbique minæ ſubiectorum animos territant,vbique lamenta inconcinnè perſtrepunt,vbique ſtrages,& plurima mortis imago miſcetè obuerſatur: vbique tributa ſubiectos populos diripiunt. Vide ex *regni iugo* tragicas Perſarum *delicias*,& flendam paſſim imperij felicitatem.

Eſther 16.

10. Geneſis 33.efferus Eſaü ad humanitatem muneribus mitigatus,ſocium ſe itineris fratri Iacobo offert.Officium recuſat Iacob:Præcedat, inquiens,Dominus meus ante ſeruum ſuum:*& ego ſequar paullatim veſtigia eius*. Quæ verba Caietanus ſic exſcribit, & exponit: Iuxta *Hebræum habetur: Et ego ducam ad ſuaue meum*, (alij *ad otium meum*) *ad pedem gregis mei qui an e me*,*& ad pedem filiorum.Claudicabat enim Iacob,& proptereà moderandum cenſuit iter ad commodum proprium.*Ad *otium* ſuum,ſeu ad *ſuaue* ſuum dicit ducendum à ſe gregem? Cauſatur commodum gregis, eiuſque imbecillitatem, & vitio ſuæ *claudicationis* ſuccurrens, ad *otium* ſuum, vel *ſuaue* ſuum, ſuum gregem ducat?Ecce in bono alioquin Paſtore,Paſtoris non boni vmbram.Ad deliciatum *otium*, & conuiuiorum *ſuaue* ſuum Aſſuerus inerter ducat populorum gregem.qui *fecit grande conuiuium cunctis Principibus*, &c. *centum videlicet & octoginta diebus*. Et cap. 3. *Statimque in Suſan pependit edictum, Rege & Aman celebrante conuiuium, & cunctis Iudæis, qui in vrbe erant,flentibus.*Malè Paſtor ad *otium*, vel *ſuaue* ſuum,ſuum ducat gregem.Iacob pede claudicabat,Aſſuerus moribus,mente,iudicio.

Gen 33.v. 14.

Caietan.ibi.

*Non bonus eſt Paſtor, qui ad otiũ, vel ſuaue ſuum gregem ducat.*

Eſther 1.v.3. & c.3.v.15.

11. Eſther cap. 3.Aman Mardochæo, ac reliquis Iudæis infenſus,dixit regi Aſſuero: Eſt populus per omnes prouincias regni tui diſperſus,& à ſe mutuò ſeparatus,nouis vtens regibus ac ceremoniis,inſuper & Regis ſcita contemnens: *Si tibi placet,decerne vt pereat,& decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ*. Quod Mardochæus Eſtheri referens: *Quomodo* (inquit) *Aman promiſiſſet, vt in theſauros Regis pro Iudæorum nece inferret argentum*. Vel munerum ſponſio, dum non bonam ſubornantis cauſſam colorat,iudicium adulterat,& Regem deuenuſtat. O munerum ingenia, & argenti præſtigias! Scitè Nyſſenus:*Iudex*, inquit, *aut ſuâ ſponte ad quæſtum iuſtitiæ libram detorquet, aut contra voluntatem nimiâ ſubtilitate ac diligentiâ ſuperuacuâ veritatem confundentium deceptus, quod iniuſtum & iniquum eſt decernit, comprobat, atque confirmat.* Scilicet ea eſt munerum vis, & argenti ingenium, vt aut tranſuerſum agat Magiſtratum vel Principem, & vltrò ad manifeſtam iniuſtitiam deducat; aut ſaltem nimia ſubornantis *ſubtilitas*, de negotioſà munerum *diligentiâ* veniens, Principem vel inuitum trahat, vt *iniuſtum & iniquũ decernat,comprobet,confirmet*. Nimirùm quæſtus, & cognata auaritia, de munerum ingenio,ſic *ſubtiliter* pro cauſâ ſubornantis allegat,ſic argutè ſuadat, ſic ſolidè inania fundat, vt Magiſtratum alioqui æquum, dum *veritatem confundit*,ſic perſtringat,& excæcet,vt vel inuitum trahat ad iniquum iuſtitiæ adulterium. Profectò munerum *nimia ſubtilitas* de Amani *diligentiâ ſuperuacuâ*, nunc ſtolidi Aſſueri ingenium non acuit; ſed veritate confuſâ muneribus, ſic illum perſtrinxit, hebetauit,obcæcauit,vt rem totam arbitrio ſubornantis ſtupide permiſcerit. Ecce tibi Aſſuerus de munerum nimiâ ſubtilitate enormiter hebetatus.

Eſther 3.v.9 & c.4.v.7.

S.Nyſſen.de orat.orat 1.

*Aſſuerus nimiâ munerum ſubtilitate enormiter hebetatur.*

12. Geneſeos 37.Filij Iacob ruſticanè agreſtes,inuidiæ æſtro agitati, dum Ioſephũ ad ſe venientem procul vident,antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere.*Audiens autem hoc Ruben,nitebatur liberare eum de manibus eorum.* &c.Eccur inter tot fratres ſolus Ruben ſollerter ſatagit liberare Ioſephum?An quia Ioſephus reliquos fratres apud Patrem accuſauit de crimine peſſimo, ſecùs Rubenum primogenitum? Imò moleſto gratus officio Rubenus extitit, vt decebat Iacobææ familiæ principem. Quod moratiſſimè Anſelmus Laudunenſis adnotarit:*Accuſauit Ioſephus fratres ſuos apud Patrem crimine peſſimo.Solum Ruben accuſauit de concubina Patris;non autem omnes accuſauit.* Nempè Rubenus agnatâ primogeniturâ naturaliter ſublimis, & natiuitatis priuilegio Iacobææ familiæ Princeps ac dominus, ſolus accuſatur, & ſolus fuit mitis ac beneuolus in accuſatorem, & offenſum *peſſimi criminis* delatorem. Dedecet Principem ac Superiorem, cui de cognatâ Gubernatoribus curioſitate,pergratum eſt ſubditorum vel incertas delationes audire, iniquiùs ferre delationes in ſe vibratas Singularem Rubenus exhibet beneuolentiam erga offenſum delatorem,quia tueri deſiderat nutantem in ſe familiæ principatum: vt quod de *crimine peſſimo* amittere timebat beneficentiâ in ipſum *peſſimi criminis* delatorem, recuperet. Sic eſt cognata Principibus, generoſa in offenſores beneuolentia, tanquam præluſtris ſuæ dignitatis ſequela. Nollem vt hîc rex Aſſuerus in cruentâ Amani ſententiâ allegaret ſibi fuiſſe iniurioſe offenſum; cùm tot tantæque cauſſæ ad atrociorem damnationem ſuppeterent.

Gen.37.v.21.

Suprà v.2. Anſel.Laud.

*Superior,qui beneuolè audit delatores,non ingratè ſua patiatur.*

Eſther 16.v.12.

13. Matthæi 18. acceſſerunt Diſcipuli ad Ieſum, dicentes:*Quis putas, maior eſt in regno cælorum?* Culpent alij ſtudium tunc Diſcipulorum inconſultam honoris ambitionem. Sanè regni cæleſtis deſiderium,illius obtinendi genuit affectum;affectus autem ab humanitate eruditus, in primi honoris appetentiam erupit; cuius argumentum interrogatio eſt. *Quis* ergò *maior eſt*?Nemo ergò miretur, ſi Diſcipulorum vox ſeruiat cognatis naturaliter affectibus. Nam homines cùm eſſent, & humanis paſſionibus affecti, ſibi in diſciplinam eos Gratia congregauit, vt vndè exorbitare paſſionibus putabantur, indè in peritos hominum Rectores dedolaret, & de eorum humanis affectibus ad humanitatis peritiam expoliret: *Homines cùm eſſent* (ait ad ea verba) Seleuc. Baſilius) *hominum Doctores creauit, vt offenſionis ſimilitudine Magiſtros reddat ignoſcentiores, & communicatione paſſionum humanitatem doctrinæ adiungant.* Impaſſibilis Magiſter morum repudiatur, tanquam ab impaſſibilitate practice ineruditus; eliguntur autem homines paſſionibus obnoxij, vt de ſuarum paſſionum cenſu, alios ſimiliter æſtiment; & dum ipſi ſibi indulgenter ignoſcunt, ex ſeipſis diſcant aliis humaniſſimè indulgere. Hæ Apoſtolorum humanæ paſſiones eorum electionem adornant, dum hominum Rectores ad humanitatem erudiunt, quò de ſuarum paſſionum gymnaſio edocti,

Matth.18.v.1.

*Superior de communicatione paſſionum, doctrinam humanitatis diſcat.*

Baſil. Seleuc. orat.18.

ćti, offenſionis ſimilitudine ignoſcentiores reddātur, *& communicatione paſſionum humanitatem doctrina* ediſcant. Ne mireris ſi in regimine Aſ-
Eſther. 3. v. 3. ſuetus paſſim impingat, & barbarica arrogantiâ, & inhumanitate inſoleſcat; quippe qui humanitatem elatiùs dediſcens, ſibi congenitam Diuinitatem arrogauit, & ſuæ Diuinitatis abreptiones, ad nutum ſuis impertiri præſumpſit.

14. Ioannis 11. ad ſt triduani Lazari ſepulchro
Ioannis 11. v. 43 Chriſtus Deus cum Diſcipulorum collegio, adeſt vtraque mœſtiſſima ſoror, & Iudæorum turbâ non modicâ. Euoluto lapide: Ieſus *voce magna clamauit: Lazare veni foras*. Præmiſerat orationem Patri, æquum forſan videretur (quod inibi adnotauit Chryſoſtomus) vt diceret; *In nomine Patris veni foras.* Neque etiam dixit: *Surge tu*, vitalem illi ſpirans vigorem; ſed tanquam cum viuente loquens ei, qui dudùm fuerat mortuus, ait: *Lazare veni foras.* Magna quidem hæc vox eſt, & altè imperialis iuſſio, eruditionis profundè grauida. Scitè Chryſoſtomus: *Lazare veni foras. Hoc ſapientia ſua eſt, per verba quidem condeſcenſionem, per res verò oſtendere poteſtatem.* Grandis ſanè Principibus, ac Magiſtratibus eruditio! Verba imperantis humanitatem, *condeſcenſionem*, & beneuolam beneficentiam ſonent, ne aures rigoribus exaſperent, ſed miſericordem lenitatem ſpirent; & ſic res *poteſtatem oſtendet.* quaſi à beneuole gratis *condeſcenſionis* beneficæ verbis, executio vigorem mutuetur. Sæpè enim ipſa iuſſionis aſperitas, humanitate viduata, operis executionem inter homines impedit, faſcinat, perdit. Rectrix Chriſti ſapientia, dum *per verba condeſcenſionem, per res poteſtatem oſtendit.* Quod illi non neceſſarium, nobis planè neceſſarium fuit. Indè etiam feralia Aſſueri edicta, dum inhumanâ auſteritate barbaricè tument, poteſtatis effectu fruſtrantur.

*Blanda aliquandò condeſcenſio imperantis, vis per poteſtatis eſt, & executandi lenocinium.*

S. Chryſoſt. homil. 63.

Eſther 3. v. 13.

# TRACTATVS APPENDIX
## *DE*
# ESTHERE FIGVRATA,
## In quo
## *VIRGINIS DEIPARÆ LAVDES In Eſthere adumbrata prædicantur.*

# PROOEMIOLVM.

1. Andr. Cret. in Encom. 2. de Dormit. Virg. *Bibliorum Interpretes vectigales ſunt Marianis laudibus.* Te t. Apol. c. 13.

TEMPESTIVA Andreæ Cretenſis vox eſt : *Maria eſt ſumma diuinorum oraculorum: & de te reſonarunt omnes Spiritus Interpretes.* Interpretes Spiritus-ſancti , dicuntur Interpretes ſacræ Scripturæ , quam Spiritus-ſanctus ſacris Scriptoribus afflauit. Pulchrum ſanè encomium ! Exindè omnis Spiritus-ſancti , id eſt , Scripturarum Interpres , Marianis laudibus vectigalis eſt , & illis ore & calamo pendendis nobiliter tributarius. *Sed enim agri tributo onuſti , viliores ; hominum capita ſtipendio cenſa , ignobiliora : nam hæ ſunt notæ captiuitatis* : Interpretes *verò qui magis tributarij, magis ſancti ; imò qui magis ſancti , magis tributarij* : Biblicæ litteraturæ maieſtas quæſtuaria efficitur , & hoc ingenuum vectigal à Commentatoribus pendendum exigit. O nobile tributum, quod Bibliorum Interpretes glorioſè penſitant! Nemo , nemo inquam , immunis eſt ab honorario hoc tributo , cui piè vectigalis eſt , quiſquis Scripturas commentatur. Porrò *Maria eſt ſumma diuinorum oraculorum*: & indè æquum eſt , vt de ipſâ *reſonent omnes Spiritus Interpretes.* Hoc tributum libenter adæquè ac neceſſariò pendimus , ex animi voto , atque iuris debito : nam vt ſuprà § 9. num. 7. ex Hieronymo, Caniſio , & Rio præſcripſimus , regina Eſther populi Dei vindex , Virginem Deiparam totius humani generis corredemptricem , glorioſiſſimè adumbrat. Sed *quid nos tantilli*, inquit Auguſtinus, *quid actione puſilli , quid in Virginis laudibus referemus ? cum etſi omnium noſtrum membra verterentur in linguas, eam laudare ſufficeret nullus.* Et Anſelmus : *Ea quæ incunctanter de Virgine vera exiſtunt , tantâ laudis materia ſunt referta , vt quicumque in laudando eam morari deſiderat , neceſſe ſit , vt facultas eius magnitudini rei , & veritati ſuccumbat.* Pergit propiùs ad rem Damaſcenus : *Quid ergò ? an quia eam pro dignitate laudare minimè poſſumus , idcircò metu reprehenſi conticeſcemus? minimè ſanè. Quin potiùs temperata metu cupiditate , contextáque vna ex vtroque corolla cum ſacra reuerentia , tremente manu , ac cupido animo viles ingenij noſtri primitias Regiæ Matri de vniuerſa natura benemeritæ, grato candidóque animo tanquam debitum quoddam perſoluemus.* Itaque de biblico munere Marianis laudibus vectigales, nunc (vt vt poſſumus) tremente manu *debitum perſoluimus.* Moroſus eſſem, ſi hìc adſtruere vellem , quod Eſther fuerit Deiparæ vmbra. De quo eruditè Cornelius in Eſther c. 2. edoctus à S. Gregorio lib. 25. Moralium c. 5.

Auctor ſuprà. S. Hieron. Caniſius. Mart. del Rio. *Nemo par eſt Deiparæ laudandæ.* S. Auguſt. ſer. 35. de ſanctis. S. Anſel. l. de Excell. Virg. c. 1. S. Damaſ. Orat. 1 de Aſſump. Cornelius. S. Gregor.

---

## CAPVT XI.

*Verſ.* 7. Qui fuit nutritius filiæ fratris ſui Ediſſæ, quæ altero nomine vocabatur Eſther.

### § . CCCXXXVIII.

*Sanctum Mariæ nomen (quod Angeli audire deſiderant) diuinam Maternitatem præſagit ; gratiam , & gloriam ſpirat, aliquo nominis Sacramento.*

S. Hieronymus , vel potius Philo etymologicam ſignificantiam huius nominis *Maria* ſollerter indagans , ita ſcribit : *Mariam plerique æſtimant interpretari , Illuminant me iſti : vel Illuminatrix.* quaſi *Maria* vel in ipſo nomine , & ſyllabarum præclaro ſono, faculam præferat, quæ mentium humanarum tenebras illuſtret , quaſi fulgida hominum *illuminatrix.* Et indè reciprocà fulgorum reuerberatione, nomen etiam ipſum felici præſagio ſignificat , *Illuminant me iſti.* 2.

S. Hieron. apud Caniſ. l. 1. c. 1. *Nomen Mariæ ſignificat, Illuminant me iſti.*

Et

Et qui ſunt *iſti* vſqueadeò felices, vt ad præluſtre *Mariæ illuminandæ* elogium admitti meruerunt? ô, quis non ſumptuoſiùs expetat, eſſe de felici *iſtorum* numero, quos *Mariæ* nomen fauſtè præſagit? Porrò de eâ ſcriptum eſt: *Qui elucidant me*) id eſt, *illuminant me iſti*) *vitam æternam habebunt.* O bona ambitio, etſi vltra faſtum piè audax! Ecquis Solem humanis languidè faculis lucernare præſumat? Aſt iuxta Mariani nominis auſpicium, id obnoxiùs conari, pietatis priuilegio licet.

Eccli. 24. v. 31.

3\. Lucæ 1. v. 30. *Maria iuxta ſui præſagium nominis, ſignificat, Deus ex genere meo.*

Lucæ 1. miſſus eſt angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. Turbatur Virgo nuncij nouitate; & ſubdit Angelus: *Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Et quidem conſultiſſimè Angelus, quam hactenùs *Gratia plena* nominauerat, nunc primò eam appellat *Mariam*, cùm diuinæ corporationis in eius vtero myſterium prædicit propinquum, obſequenter negotiatur. *Ne timeas*, ait, *Maria.....ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Sic eſt Mariæ nomen diuinæ Incarnationi cognatum? Ita quidem, *iuxta ſui præſagium nominis*, vt aliorsùm Petrus Damianus ediſſerit. Nam, vt tempeſtiuè dixit Ambroſius: *Speciale Maria Domini nomen inuenit, quod ſignificat Deus ex genere meo.* Itaque cùm iam iam in Mariano vtero diuini Verbi incarnatio peragitur, conſultiſſimè Angelus eam nominat *Mariam*, vt *iuxta ſui præſagium nominis*, diuinæ Maternitatis auſpicium mundus prænoſcat, & quòd *erit Deus ex genere* ſuo, & de vtero ſuo, in ipſo *Mariæ* nomine velut impreſſum prælegat, in ipſo *Mariæ* vocabulo non ambiguis notis notanter deſcriptum, quò non modo Mariæ indoles, Mariæ gratia & meritum; ſed vel ipſum nomẽ *Mariæ* diuinam in eâ maternitatem feliciter ſpiret; dum *iuxta ſui præſagium nominis ſignificat, Deus ex genere meo.* Benè enim monet Tertullianus: *In quibuſdam non ſonum nominis ſolùm expectandum eſſe, ſed & ſenſum.* Ergò in *Mariæ* nomine non merus ſyllabarum ſonus, ſed ſoni ſignificantia, diuinam maternitatem auſpicatò præſagit, quod eſt arcanũ elogiorum Mariæ compendium.

Petr. Dam. Ser. 13.
S. Ambr. de Inſtit. Virg. c. 5.
Tertull. ad Iudæos c. 9.

4\. Match. 1. v. 20.

Matthæi 1. Ioſeph Sacramenti inſcius, inſuſpicabili vteri tumore in Virgine Sponſâ, ſolliciriùs angitur. *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* quaſi dicat Angelus: Quid mali, ô Ioſeph, à Mariâ timeas? Vel ipſum *Mariæ* nomen (quod honoris cauſsâ nomino) iuxta ſui præſagium nominis, ſufficit, vt te reddat ſecurum. *Genitricem munit ſecuritas, & ſacramentum nominis ſui*, dixit aliàs Ennodius. Dei genitricis nomen audis? hoc ego nomen conſultiſſimè nunc vſurpo, vt à te omnem mali ſuſpicionem excutiam. Eſto ſecurus in aſylo Mariani nominis, quod diuinam maternitatem præloquitur: nam Dei *genitricem munit ſecuritas, & Sacramentum nominis ſui.* Peridoneè gratioſum omnibus *Mariæ* vocabulum, ſyllaborum ſono duntaxat expreſſum, *Sacramentum nominis ſui* poteſt appellari. Siquidem neſcio quam gratiæ officioſitatem, & ſpem diuini fauoris afflat, & protinùs ſpondet inuocatum *Mariæ* nomen. Ecquis dulce Mariæ vocabulum proferens, non ſtatim experitur auxilium diuinæ gratiæ maturantis, quo inſtanti timore eximitur, & proſpera cuncta ſibi animitùs ſpondet? An dulciſſimum *Mariæ* nomen proferenti & inuocanti adeſt diuina gratia velut ſacramentalis, iuxta *Sacramentum nominis ſui*? Sic citò, ſic ſecurè exoptatam impetrat gratiam de aliquo velut *Sacramento* Mariani nominis? Hinc ſapientiſſimus Idiota agens de dulciſſimo Mariæ nomine, ait: *Omnis lingua confiteatur huius ſanctiſſimi nominis gratiã, gloriam, & virtutem.* quaſi Mariæ vocabulum gratiam, & gloriam animitùs ſpiret, ingerat, imprimat. Quod eſt *Sacramentum nominis ſui.*

S. Ennod. in Natali S. Laurent. Dict. 15. *Mariæ nomen eſt velut quoddã gratiæ Sacramentum.*

Idiota in lib. Contemp. de Virg. Mariâ. c. 5.

5\. Cant. 3. v. 6.

Canticorum 3. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?* Moroſus eſſem, ſi hîc referrem Auctores, qui hæc verba B. Virgini dicta intelligunt. Maius litigium eſt, quis nam ea dixerit? Pſeudohieronymus putat hæc eſſe verba Chriſti ad Mariam. Theodoretus autem, Nyſſenus, & Ambroſius exiſtimant, hanc eſſe Angelorum vocem. Et ſanè miriſſimum eſt, Angelos quærere quænam ſit Maria. Empyream cæli Reginam Angeli ignorant? an tantum meritorum faſtigium feſtâ admiratione concelebrant? Sublimius quid excogitauit Richardus, & his verbis ſuam mentem opportunè produit: *Quæ eſt iſta? &c. Forſitan quia dulce* Mariæ *nomen ſibi deſiderant reſponderi: Sicut enim antiquis Patribus Iſaiæ, & ceteris nomen Domini in deſiderio erat, vt ſcilicet inter homines nominaretur Chriſtus, qui notus erat in cælo, & nomen quod claudebatur in cælo, effunderetur in terris: ſic & Angeli Mariæ nomen deſiderabant nominari, & in notitiam effundi, vt non intra terræ terminos clauderetur, ſed etiam celebre haberetur in cælis.* Scilicet ideò Angeli non ſolùm nunc, ſed aliàs ſæpè in Canticis, auidè ſciſcitantur, *Quæ eſt iſta?* non quòd ſuam Reginam neſciant, ſed quò deuoto obſequio expetant, gratum *Mariæ* nomen in cælo ſibi *reſponderi*, ne ſolùm in terris, ſed etiam in cælis dulciſſimum *Mariæ* vocabulum feſto cunctorum obſequio, & beatis laudibus lætanter celebretur. Nempè in illo olympiæ Beatitudinis pelago, quo feliciter exundant, poſt ſacroſanctum Ieſu nomen, nil gratius ſibi, nil ſibi adulantius fore cenſent, quàm dulciſſimum Mariæ nomen in empyreâ cæli gloriâ identidem perſonare. Indè alij piè alios ſollicitant, vltrò citróque interrogãtes, *Quæ eſt iſta?* vt ad interrogationem cupita reſponſio cælis publicet *Mariæ* nomen, *vt non intra terræ terminos clauderetur, ſed etiam celebre haberetur in cælis.* Quam hilariter & gratanter dulciſſimum Mariæ nomen Angeli audiant, S. Brigitta his verbis piè tradit: *Angeli boni audito hoc nomine* Mariæ, *ſtatim appropinquant magis iuſtis, quibus dati ſunt ad cuſtodiam, & gaudent de profectu eorum.*

Pſeudohier. tom. 9. epiſt. 10.
Theodor.
S. Nyſſen.
S. Ambroſ.
Richar. à S. Laurent l. 1.
*Cur Angeli videantur diſſimulare, ſe ſcire Mariæ nomen in cælis?*
S. Brigitt. l. 1. Reuelat. c. 9.

6\. Matth. 1. v. 18.

Matthæi 1. poſt longuam Ieſuanæ genealogiæ recenſitionem, ſic Euangeliſta ſcribit: Chriſti autem generatio ſic erat: *Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto.* Quæ verba elucidans Chryſologus ita fatur: Mariæ *nomen prophetia germanum eſt, hoc virginitatis inſigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium caſtitatis, hoc Dei ſacrificium, hoc collegium ſanctitatis: meritò ergò Matris Chriſti nomen eſt hoc maternum.* Scilicet auguſtum Mariæ nomen,

S. Chryſol. Ser. 146.

Dei matrem decet diuinæ maternitatis iure. Porrò cùm virgo debeat eſſe Dei mater, illuſtre Mariæ nomen virginitatem præfert: eſt enim *virginitatis inſigne*, quod Dei maternitatẽ notanter oſtendit, & inſigniter venuſtat. Eſt etiam arcanum Mariæ nomen, *prophetiæ germanum*: nam iuxta *ſui præſagium nominis*, diuinam maternitatem in Virgine præmonſtrat: ſiquidem *ſignificat, Deus ex genere meo*. Eſt etiam dulciſſimum Mariæ nomen *prophetiæ germanum*, quia illud piè proferenti prophetat, vel potiùs euangelizat fauſta quæque felici præſagio: quandoquidem vel pronuntiatum auxiliare Mariæ nomen, eſt proſpera inuocantis fortuna, ſpondens fortunatos quoſque rerum euentus, & auſpicium futuræ æternùm beatæ felicitatis. Dicitur etiam Mariæ nomẽ *Dei ſacrificium*. An quia Mariani *nominis Sacramentum, ſacrificiis* de præbendâ gratiâ apud Deum æmulatur? An quia Mariæ portio, quam Chriſtus Deus de eius viſceribus aſſumpſit, adhuc perſeuerans in Euchariſtiâ adoratur, & immolatur: & indè velut Euchariſtica Maria *Dei ſacrificium* nominatur? An quia Maria *cruciformis* dicitur, & ſimul cum filio Deo *ſacrificabatur* in crucis altare?

*Cur Maria nomen dicatur Prophetiæ germanũ & alia Mariani nominis epitheta.*

7\. Prouerbiorum 20. *Lucerna Domini, ſpiraculum hominis, quæ inueſtigat omnia ſecreta ventris.* Pro τὸ *lucerna*, nonnulli *lux*, ſeu *fax* exſcribunt: & τὸ *ſpiraculum* intelligunt *vitam*, ſiue *animam* ſiue *reſpirationem*, quâ anima & vita potiſſimùm indicatur. Alij non ſolum naturalis vitæ ſpiritum & reſpirationem; ſed etiam ſupernæ gratiæ ſpiritum, ſeu Spiritum ſanctum interpretantur. De quo inibi Cornelius. Ceterùm R. Dauid cum aliis ex Hebraicâ origine pro *ſpiraculo* vertunt *ſermonem*, ſic locum exponentes: *Lucerna Domini ſermo hominis.* Sed quis eſt hic hominis *ſermo*, qui *ſpiraculum* dicitur, *vita*, ſeu *reſpiratio*? Citò dicam cũ ſapientiſſimo Idiotâ: hic *ſermo*, qui *ſpiraculum* nominatur, eſt dulciſſimum Mariæ nomen: *Tanta eſt virtus*, inquit, *tui ſanctiſſimi nominis, ô ſemper benedicta Virgo Maria, quòd mirabiliter emollit & penetrat duritiem cordis humani. Ideò ſcribitur: lucerna Domini, ſpiraculum hominis, quæ inueſtigat omnia ſecreta mentis: ſic etiã dicere tibi poſſumus, Lucerna Dominæ, id eſt, Maria, quæ doctrix & magiſtra maris interpretaris; Spiraculum hominis, quia peccator per te reſpirat in ſpe veniæ & gratiæ.* Adhuc explicatiùs rẽ ediſſerit Germanus in Serm. de Zonâ B. Virg. *Si tu*, inquit, *nos deſeris, quid de nobis fiet, ô ſanctiſſima Deipara, ſpiritus, & vita Chriſtianorum? quomodò enim corpus noſtrum vitalis ſignum operationis habet reſpirationem; ita etiã ſanctiſſimum tuum nomen, Virgo beatiſſima, quod in ore ſeruorũ tuorum verſatur aſſiduè, in omni tempore, loco, & modo vitæ, lætitiæ, & auxilij non ſolum eſt ſignum, ſed ea etiam procurat, & conciliat.* Ecce tibi ſanctiſſimum Mariæ nomen, deuoto Chriſtianorum ori aſſiduum, *ſpiritus, vita, ſpiraculum*, ſeu *reſpiratio* nominatur. Sic debet eſſe in pio ore frequens dulce Mariæ nomen? Sic nomen Mariæ adinſtar *reſpirationis* medullitus cõuiſcerandum eſt? Sic naturalis, & ſpiritualis vita aſſiduâ Mariæ nominatione & inuocatione animatur? Cui hæc vitalis *reſpiratio* abeſt, in deuotionis ſepulcro tumulatus, viuas ſui exequias peragit. O Mariæ nomen, vitale Chriſtianorum *ſpiraculum*, & eorum viuifica *reſpiratio*!

Prouerb. 20. v. 27.

R. Dauid apud Corn. ibi.

Idiota l. Cont. de Virg. Mar. c. 5.

*Maria nomẽ eſt Chriſtianorum ſpiraculum, ſeu reſpiratio.*

German.

8\. Lucæ 1. Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph: *Et nomen Virginis Maria.* Vide quanto apparatu anguſtum *Mariæ nomen* ab Euangeliſtâ inducitur. Profectò ſi ſpectes ſyllabarum ſonum, & nominis etymologiam, apud Hieronymum, *Maria* idem eſt ac *Stella maris*. (Et ſanè *Eſther*, idem etiam eſt, ac *aſter*, ſeu *aſtrum*, quod in litteræ commentario adnotabamus: quò vmbra rei adumbratæ conſentiat.) Apud alios idem eſt ac *Doctrix, Magiſtra, Illuminatrix, Domina, Exaltata, Pluuia maris temporanea*, &c. De quo legi poteſt Caniſius lib. 1. cap. 1. & Spinellus cap. 4. n. 11. Nec putes multiplicem Mariani nominis ſignificantiam, ſibi prælustrem, ac nobis valdè proficuam, rei ſignificatæ infœcundam eſſe, & inanem nominis baiulam. Neque enim Maria (ſicut neque eius filius Chriſtus Ieſus) *nominis phantaſma affectauit.* In effectis aſſiduè recognoſcitur *Sacramentum nominis ſui.* Neque enim Maria vnquam ſenſit, ſentietve *nominis ſonum*, vt alias ex Tertulliano expendebamus.

Lucæ 1. v. 27.

Eſther. 2.

S. Hieron. l. de Nom. Hebr. in Exod.

Caniſius.

Spinellus.

*Maria non affectauit nominis phantaſma.*

Tertull. l. 3. adu. Marc. c. 15.

Putat enim, hoc Mariani *nominis Sacramentum* gratiarum ſpirans, innui Lucæ 1. cùm Gabriel Angelus à Deo ad Virginem miſſus, eam nomine proprio non ſalutauit: *Ingreſſus*, ait, *Angelus ad eam dixit: Aue gratiâ plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.* Eccur in auſpicio ſalutationis Mariæ nomen tacendo diſſimulat; illudque poſtmodùm interſerit, aiens: *Ne timeas Maria*? Pulchrè Albertus Magnus in Lucæ cap. 1. ſic reſpondet: *Omittit Angelus interponere nomen, Maria, quia in aliud tempus nominandum, poſtquam gratiæ eius fuerant explanatæ, ſine quibus tam plenæ ſignificationis nomen non intelligeretur.* Nimirùm tametſi à fauſto Mariæ nomine hæc nominatiſſima ſalutatio inchoanda erat, & diuinæ corporationis negotium Mariæ nomine auſpicandum; conſultiſſimè tamen Angelus iſtiuſmodi nominationem diſtulit, ne gratiarum plenitudo, & prærogatiuarum cumulus, quibus vbertim nomen exundat, non intelligerentur. Antequam ſanctiſſimum Mariæ nomen ore proferat Angelus, auguſtam nominationem præſtruit, dum præuio congruenter elogio appellatur, *gratiâ plena, benedicta in mulieribus*, vt gratiarum plenitudo, & ſanctitatum cumulus, quibus Mariæ nomen refertum eſt, ad ſignificationis intelligentiam præmitterentur. Vnde Angelus non in ſalutationis auſpicio profert ſacroſanctum *Maria* nomen, ſed *poſtquam gratiæ eius fuerant explanatæ, ſine quibus tam plenæ ſignificationis nomen non intelligeretur.* Ecce tibi quàm exundet *gratiis* ſanctiſſimum Mariæ nomen. Priùs appellatur *gratia plena*, & *benedicta in mulieribus*, quàm ab Angelo *Maria* nominetur, vt hoc nomen non gratiâ vacuum, ſed gratiis ac benedictionibus plenum denotetur: *Tuum, Dei Genitrix nomen* (ait Metodius) *diuinis benedictionibus, & gratiis omni ex parte refertum.* Exinde antequam Maria ab Angelo nominetur, *gratia plena*, ac *benedicta in mulieribus* conſultè nominatur: quò vel Mariæ vocabulum gratiis ac benedictionibus exundans denotetur, quod eſt Mariani *nominis Sacramentum*, gratiis vbertim exundans, æmula Sacramentorum operatione. 9.

Lucæ 1. v. 28.

Albert. Magnus.

*Quare priùs dicitur gratiâ plena, quàm Maria nominetur!*

*Mariæ nomẽ gratiis exundat.*

Metod. in Hypopant.

Gentium Doctor ad Romanos 10. omnem incredulitatis excuſationem Gentibus præcludens, ait: 10.

ait: *Idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum, Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.* Sed obiicit ſibi Apoſtolus: Quomodò ergò inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodò credent ei, quem non audierunt? Quomodò autem audient ſine prædicante? Subdit de Apoſtolorum prædicatione; Sed dico: Numquid nō audierunt? *Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quæ verba ſapientiſſimus Idiota ad ſanctiſſimum Mariæ nomen piâ admodum accommodatione flectit: *In prædicatione*, inquit, *Apoſtolorum in omnem terram exiuit ſonus tui ſanctiſſimi nominis, & manifeſtum toti mundo factum eſt.* Nimirùm Virgo Maria nominis ſui priuilegio ipſa eſt *eadem Domina omnium, diues in omnes, qui inuocant illam. Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Dominæ* (Maria enim Dominam ſonat) *ſaluus erit.* Quod ſi obiicias: Quomodo ergò inuocabunt Gentes Mariæ nomen, quod nunquam audierunt? Reſpondet Paullus ex magni huius doctoris accommodatitio ſenſu; id fuiſſe operoſum Apoſtolorum munus à Dauide in Pſalmis prædictum: *In prædicatione Apoſtolorum in omnem terram exiuit ſonus tui ſanctiſſimi nominis, & manifeſtum toti mundo factum eſt*: O pius etiam Apoſtolorum labor, & glorioſus operosè ſudor, ſanctiſſimum Mariæ nomen, ſimul cum nomine Filij ſui, *toti mundo manifeſtare!* In omnem terram, ô Maria, in Apoſtolorum prædicatione, *exiuit ſonus tui ſanctiſſimi nominis*, ad omnium Gentium ſalutem. *Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Dominæ, ſaluus erit.* Sic eſt diues in omnes, qui ſuo nomine inuocant illā! O Mariani *nominis Sacramentum*, gratiis plenè exundans! O glorioſus Apoſtolorum labor, Mariæ quoque nomen Mundo manifeſtare!

Pſal. 18. v. 5. Ad Rom. 10. v. 18. Idiota l. de Contemp. B. Virg. c. 5.

*Apoſtolorum etiam labor fuit, ſanctum Mariæ nomē manifeſtare mundo.*

11\. Iſaiæ 62. Et videbunt Gentes iuſtum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum: *Et vocabitur tibi nomen tuum, quod os Domini nominabit.* S. Thomas, & Cyrillus Alexandrinus hoc *nomen nouum* putant eſſe nomen *Ieſu* Chriſto in circumciſione impoſitum. S. Hieronymus, Chryſoſtomus, & Euſebius interpretantur de Eccleſiâ, quæ nomen nouum à Chriſto accepit. Richardus vero lib. 1. & alibi ſæpè, de glorioſo Mariæ nomine hoc *nomen nouum* intelligit. Sed quare ſanctum Mariæ nomen, *nomen nouum* dicitur, quod *os Domini*, id eſt, Angelus nominauit? An nō ſoror Moyſis hoc Mariæ nomine olim inaugurata eſt? Quid ergò nouitatis habet in Virgine Deiparâ vetus Mariæ nomen, vt *nomen nouū* appelletur? Pulchrè Franco Abbas de Grat. noui teſtam. Tract. 6. *Nomen namque Mariæ*, inquit, *mirum quid ſuaue, atque diuinum in ſe continet: vt cùm ſonuerit amicis cordibus, amicæ ſuauitatis odorem ſpiret. Et mirum illud eſt de nomine Mariæ, & valdè mirum, vt millies auditum, ſemper audiatur quaſi Nouum*, Ecce tibi in antiquo nomine arcanum in Mariâ nouitatem. Tot enim ſuauitates ſpirat, tot afflat iugiter fauores, tot gratiis vberrim exundat, vt de antiquitate in Deiparâ rediuiuum, ſic eſt ſoni gratiâ perpetuo recens, *vt millies auditum, ſemper audiatur quaſi Nouum.* Nimirùm frequens vſus rei etiam optimæ, & optatiſſimæ, dum nauſeam mouet, faſtidium parit: quò vna ſit empyreæ gloriæ laus, æternùm ſine vllo diuturnitatis tædio beare. Ergò præluſtre Mariani nominis elogium eſt, cæleſti Beatitudini cognatum, vt nouiter de antiquitate recentetur, nec de frequentiâ faſtidium moueat; ſed *millies auditum, ſemper audiatur quaſi Nouum.* Quod adeò mirū eſt, vt de Virgine Mariâ notanter Propheta antedixerit: *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit.*

Iſaiæ 62. v. 2. S. Thomas. S. Cyrillus. B. Hieron. S. Chryſoſt. Euſeb. apud Cornel. ibi. Richard. à S. Laur. l. 1. c. 2.

*Mariæ nomē ſemper nouū dicitur, quaſi Beatitudini cognatum.*

Franco Abbas.

12\. Lucæ 1 Angelus à Deo miſſus, vt negotium ſeculorum cum Virgine Deiparâ peragat, ipſa innominatâ, ſic ſalutationem auſpicatur: *Aue gratiâ plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.* Poſtmodum *Mariæ* præcelſum nomen, quod omiſerat in ſalutationis auſpicio, ex occaſione turbationis interſerit. Nuper addubitabamus, quare tandiu Angelus diſtulerit Deiparam proprio Mariæ nomine nuncupare? Sanè conſultiſſimè priùs dicitur *gratiâ plena*, quàm ab Angelo *Maria* nominetur. Quod egregiè Richardus his verbis expendit: *Oſtendens hoc nomen multum habere gratiæ, & altius memoriæ commendandum, & diligentiùs inueſtigandum.* Scilicet priùs dicitur Beata Virgo, *Gratiâ plena*: *Dominus tecum*: ne autem quis putaret Deiparæ corpus & animam hâc gratiæ plenitudine duntaxat exundare; confeſtim eam proprio nomine *Mariam* appellat, vt oſtendat *hoc nomen multum habere gratiæ*. Ipſa Maria eſt *gratia plena*: nec vel eius nomen eſt gratiæ exſors: *multum* enim *gratiæ habet*, quam vel ſonus ſyllabarum adſpirat, aliquo Mariani *nominis ſacramento.*

Lucæ 1. v. 28.

*Mariæ nomē habet multū gratiæ.*

Richard. à S. Laur. l. 1.

13\. Ioannis 20 Magdalena peramanter Ieſum inter mortuos quærens, viuum feliciter inuenit. Nam conuerſa retrorsùm vidit Ieſum ſtantem: & non ſciebat quia Ieſus eſt. Dicit ei Ieſus: Mulier quid ploras? quem quæris? Illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi vbi poſuiſti eum: & ego eum tollam. *Dicit ei Ieſus: Maria. Conuerſa illa, dicit ei: Rabboni*, &c. Quid eſt, quòd hæc mulier familiariter notiſſimum Ieſum oculis coràm videt, & vocem eius audit, nec eum hactenùs agnoſcit; & vbi ſe proprio nomine compellari audiuit, indubiè confeſtim recognoſcit? Citò dicam cum Origene homil. de Magdalenâ: *Dicit ei Ieſus: Maria, &c. vbi Maria audiuit, MARIA, præſenſit in nomine quandam vocationis ſingularem dulcedinem, & per eam cognouit ipſum à quo vocabatur, eſſe Magiſtrum ſuum. Tunc reuixit Spiritus eius, & reuerſus eſt ſēſus eius Cumque Ieſus vellet adhuc adiungere, non potuit hæc Maria patienter expectare, ſed præ nimio gaudio interrumpit ea, dicens: Rabboni.* O ineffabile Mariani nominis Sacramentum! O Mariæ nominis inſuſpicabilem arcanè gratiam! O præſentiſſimum Chriſti Dei cognoſcendi collyrium! Hactenùs Magdalena oculorùm & aurium cæca; vbi *Maria* nomen audiuit, occultâ gratiæ officioſitate delinita, Mariani nominis grato lenocinio, ad ſe ſubitò rediens, *ſenſus* reſtaurat, *ſpiritum* rediuiuum recuperat, tantâ nominationis dulcedine, vt præ nimio Chriſti Dei amore, & concepto impotenter gaudio, in verba erumpens, Chriſtum incipientem loqui piâ peramanter inurbanitate interruperit, ruſticante amore tantò gratior, quantò inciuiliter amoroſe incomptior. O miriſſimos huius nominationis effectus! O arcanum Mariani nominis Sacramentum, quod *ſenſus* recuperat, *ſpiritum* reſtituit, vigorem infundit, dulcedinem ſpirat, gratias afflat: & dum nomē *Maria* auribus perſentitur corde impreſſum, in mente animitùs transnominatur ad gratiam.

Ioan. 20. v. 16.

*Mariæ nomē ſenſum, & ſpiritum nominatione Magdalenæ reſtituit.*

Origen.

## §. CCCXXXIX.

### *Plura gratiarum elogia in glorioſo Mariæ nomine, velut ſub ænigmate arcanè latent.*

1. Nicephor. 1. Hiſtor. c. 7. *Maria nomen, gratiarum ænigma eſt.*

NIcephori de Beatâ Deiparâ loquentis, præclara vox eſt: *poſtquam puella è maternis prodiit locis, ſtatim eam Mariam nominant, ænigmate latente acceptam gratiam declarans.* Quæ gratiæ, ſub Mariæ nomine velut in arguto *ænigmate* arcanè lateant, præcedenti §. explicare cœpimus, idem in hoc perſequimur; nec ſatisfacitur. Aliqua de hoc ſanctiſſimo Mariæ nomine adhuc perſtringere, & dictis ſubtexere operæ pretium eſt: neque enim omnia omittenda ſunt, quia multa idoneè dicere impares ſumus.

S. Bern. Sen. tom 1. Ser. 1. *Sit noſtra vita Mariani nominis interpretatio.*

*Da mihi, Virgo* (ait S. Bernadinus Senenſ.) *virtutem, ingenium, ſermonem, vt fidelibus, & deuotis tuis valeam nunciare gloriam nominis tui; non quantum eſt, aut quale, ſed vt tantillùm ego paruulus tuus laudibus tuis immenſis enunciem ad gloriam tuam, & deuotionem meam:* vt afflet ingenium, quæ adſpirauit affectum.

Richar. à S. Laur. l. 1. c. 2.

Appoſitè Richardus texens Mariani nominis encomium, ait: *Roganda eſt igitur aſſiduò Maria, vt nomen ſuum* (*quod eſt Domina*) *interpretetur in nobis.* O ſimus ore, calamo, opere, Mariani nominis animata *interpretatio*, & viuus dilucidè commentarius, qui ſaltem in *ænigmate* Mariæ elogia loquatur! Pulchrè Richardus.

2. Lucæ 1. v. 27.

Lucæ 1. miſſus eſt angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, *Et nomen virginis Maria.* Et ingreſſus Angelus ad eam, dixit: *Aue gratia plena.* Conſultò Euangeliſta non ſtatim in huiuſce narrationis veſtibulo publicat præluſtre Mariæ nomen, ſed poſt nomen patriæ vrbis, electiſſimi ſponſi; vt ſic cunctanter aditum præſtrueret ad auguſtè venerabile Mariæ vocabulum, præmiſſo aliorum ſuggeſtu.

*Mariæ nomen non ſolùm gratiam præfert, ſed & aliis præbet.*

Et quidem notatione attentâ, & dilucidâ expenſione digniſſimum eſt, quanto cum decoro Mariæ nomen Euangeliſta ſcripſerit, dum illi *virginitatem* præmittit, illíque ſuccedaneam *gratiam* ſubdiderit. quod perbellè his verbis Richardus adnotauit:

Richard. l. 1. cap. 2. ad finem.

*Et nomen virginis Maria: Bene autem immediatè iungitur Mariæ Virginitas, eò quòd non ſolùm nomine præferat, ſed & aliis præbeat Gratiam caſtitatis: ita enim nomini Mariæ Virginitas, & Sanctitas inſeparabiliter ſunt adiuncta,* &c. Ecce tibi Mariani nominis Sacramentum, & tacitè à S. Lucâ expoſitum quales ſpiret gratias; quandoquidem ei conſultiſſimè *Virginitatem* immediatè præmiſerit, ſubiunxeritque *gratiæ* Sanctitates; quas virtutes non ſolùm Marianum nomen in ſe præfert, ſed & aliis afflat, tanquam Mariani nominis conſequentias, & appendices *inſeparabiliter* gratias, illi indiuiduè adiunctas, arcano quodam nominis Sacramento, *Eò quòd non ſolùm nomine præferat, ſed & aliis præbeat gratiam: ita enim nomini Mariæ Virginitas, & Sanctitas inſeparabiliter ſunt adiuncta.* O præluſtres confertè *Gratias* Mariæ nomini *inſeparabiliter* adiunctas! O in Mariæ nomine latens gratiarum *ænigma*!

3. Lucæ 7. v. 37.

Lucæ 7. rogabat Ieſum quidem Phariſæus, vt manducaret cum illo Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit. *Et Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix,* vt cognouit quòd accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti: & ſtans retrò lacrymis cœpit rigare pedes eius, &c. Adhæc ſubdit Euangeliſta cap. 8. Et factum eſt deinceps, & Ieſus iter faciebat per ciuitates, & caſtella prædicans, & euangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis, & infirmitatibus:

Lucæ 8. v. 2. & 3.

*Maria, quæ vocatur Magdalene, & Ioanna vxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.* Sollerter perquirunt Interpretes, quare illa ipſa, quæ nuper velut anonyma, appellata eſt *Mulier*, iam nunc non communi vniuerſatim vocabulo, ſed proprio ac cognato *Maria* nominetur.

*Magdalena peccatrix, Mulier dicitur; iam Sancta, Maria nominatur, & quare.*

An non eadem *Mulier in ciuitate peccatrix*, quæ lacrymis infuſa, veniam quæſiuit, & exoptatam inuenit; eſt illamet, quæ nunc Chriſto miniſtrans de facultatibus ſuis, *Maria* nominatur? Ecce *Maria* nomen illi nuper negatum, nunc eidem palàm reſtituitur? Aut non benè ablatum videtur nomen, quod incunctanter reſtituitur; aut ſi protinùs reſtituendum erat, cur illi nuper ablatum eſt? O illuſtre Mariani nominis ſacramentum! quod his verbis Richardus luculenter elucidat:

Richard. ſupra.

*Ita enim nomini Mariæ virginitas & ſanctitas inſeparabiliter ſunt adiuncta, quòd cùm agit beatus Lucas cap. 7. de pœnitentiâ Magdalenæ, propter huius Nominis reuerentiam, non auſus fuit Mariam, ſed mulierem nominare. Et paullò poſt ſcilicet cap. 8. cùm dicit eam iuſtificatam à Domino de ſuis facultatibus illi miniſtrare, vocat Mariam.* O ſublimiſſima ab Euangeliſtâ exhibita Mariæ nomini reuerentia! Magdalena cùm adhuc peccatrix veniam lacrymis quærit, *Mulier* communi vocabulo nuncupatur, quaſi veritus ſit Euangeliſta, ne peccatorum contagiū puriſſimum, limpidiſſimumque Mariæ nomen appellatione toxicaret, affricaretque illi inhoneſtatis contagium. Exindè ſanctus Lucas Mariani honoris ſtudioſiſſimus, *propter huius nominis reuerentiam, non auſus fuit Mariam, ſed Mulierem nominare.* Cùm verò iam lacrymarum diluuio, peccatorum naufragium fecit, & inhoneſtate per pœnitentiam dilutâ, quaſi virgineæ continentiâ innocentiam reſculpere ambiret: iam ipſi facultatum obſequio largiùs miniſtranti, auguſtum *Mariæ* nomen, quod delinquendo deſueuerat, piè pœnitendo recuperat, redintegrat, & impreſsè reſculpit. Tantum reuerenter honoris obſequium auguſto Mariæ nomini Euangeliſta exhibet: ne nomen quod ſanctitates *inſeparabiliter adiunctas* adſpirat, hoc indiuiduo elogio viduari viduatur. Scilicet tot gratiæ in Mariæ nomine ſub *ænigmate* latent.

4. Pſal. 32. v. 6. S. Baſilius S. Damaſ. S. Auguſt. S. Gregorius. Appoll. apud Lorin. ibi.

Regius Pſaltes ſic modulatè occinit: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Cælorum nomine ſidereos globos, & totam ſupermundanam cæli machinam intelligi, communis Interpretum expoſitio eſt. Baſilius, & Damaſcenus per *cælos* intelligunt Angelos. Auguſtinus, & Gregorius *cælos* volunt eſſe Apoſtolos. Didymus *cælorum* nomine cæleſtes homines intelligi mauult. Benè eſt; per cælos, cæleſtes homines myſticè intelligantur: ſed quid eſt, quod à *ſpiritu oris eius omnis virtus eorū* eſt? Per *os* Baſilius, & Apollinaris Patrem videntur intelligere;

telligere; & per *Spiritū* ſignificari Spiritum-Sanctum, quaſi Spiritus-ſanctus per gratiam, quam cæleſtibus hominibus aſſiduè adſpirat, ſit velut

S. Cyprian. eorum ſpiritus, aut reſpiratio. (quod alibi ex Cypriano excripſimus) Verùm Germanus in Zo-

Germanus. nâ Virginis, ſpiritûs, reſpirationis vitale munus Mariæ nomini attribuit, ſic tempeſtiuè fatus:

*Maria nomen in ore, reſpirationi aſſimilatur.* *Quomodo corpus noſtrum vitalis ſignum operationis habet Reſpirationem, ita etiam ſanctiſſimum tuum nomen ô Virgo, quod in ore ſeruorum tuorum verſetur aſſiduè in omni tempore, loco, & modo, vitæ, lætitiæ & auxilij non ſolùm eſt ſignum, ſed ea etiam procurat, & conciliat.* Itaque quod eſt homini *reſpiratio*, id eſt cæleſtibus hominibus in eorum ore aſſiduè verſari vitale Mariæ nomen. Homo ſine *reſpiratione* exanimale cadauer eſt, omni vitali facultate viduatus: at *reſpiratio*, vitalis functio eſt, vitæ ſignum, & vitalis vigor

Pſal. 32. v. 6. omnem animæ virtutem fouens: *Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Adſimilem ergò virtutem ac vigorem ſpirat in ore aſſidua Mariani nominis nuncupatio. O, ſi fieri poſſit, *omnis ſpiritus* (aliàs *reſpiratio*) *laudet Dominum*, dicamus Dominum! & *ſanctiſſimum tuum nomen ô Virgo in ore verſetur aſſiduè in omni tempore, loco & modo*; atque in ſignum, & functionem cæleſtis animitùs vitæ, in tuorum ore, *reſpirationis* adinſtar percrebreſcat. Sic hauſto ad omnes ſanctitates vigore vitali, præcordiorum congeneratus ad viria igniculus tepeſcet. ô quàm multa ex hâc ad *reſpirationem* analogiâ grauido compendio abbreuiantur, quæ ex hoc *ænigmate* enucleare cuiquam procliue eſt.

5. Sapientiæ 4. *O quàm pulchra eſt caſta genera-*

Sapient. 4. v. 1. *tio cum claritate: immortalis eſt enim memoria illius*, &c. Virginitatis porrò pulchritudo talis eſt ac tanta, vt eam Interpres exclamando indicare voluerit, plenus admiratione, atque laudibus imparem ſe ipſius cognoſcens. Virginitatem

Cantacuz. celebrari Cantacuzenus, & Expoſitorum pars melior putat. Falluntur ergò qui generis ac filiorum ſucceſſiones arbitrantur *immortalitatem*:

*A nomine Virginis Mariæ reliquæ eius virtutes, virgines denominantur.* illa potiùs immortalitas vera, quæ conſpicuam laudem continet, & communem Deíque, hominúmque approbationem. Itaque pulchra valdè eſt illibata virginitas, & *immortalis* habetur memoria illius, ſi cum *claritate* coniuncta ſit. Pro *claritate*, ſeu luce Græcè ſcribitur, *cum virtute*, quemadmodùm etiam legunt Hieronymus, &

S. Hieron. S. Ambroſ. apud Lorin. ibi. Ambroſius. quaſi perpulchra ſit meracior virginitas coniuncta cum *claritate* ſeu ſplendore *virtutis*. Quem autem ſplendorem virginitas virtutibus fœneret, adſpectu ad Mariæ nomen, his

S. Gregor. Thaum. Orat. 1. in Annunciat. verbis S. Gregorius Thaumaturgus edifferit: *Sanctiſſimæ Virgini valdè ſuum quadrat nomen, Maria enim nuncupata erat, quod Illuminatio interpretatur; quid enim ſplendore virginitatis illuſtrius;* (attentiùs penſita quæ ſubiicit verba) *Quapropter & virtutes virgines denominant, qui rectè eſſentias earum coniiciunt.* Grande quidèm Mariani nominis elogium; nam Maria, idem ac *Illuminatrix*, ſiue *Illuminatio* ſonat quæ Virginis Mariæ (ſecundùm nomen ſuum) *illuminatio* ſeu *claritas*, ideò nomenclaturam cum *virtute* reciprocat, quia virginitas ſic *clarat*, & *illuminat* virtutes reliquas, illáſque ſuâ *claritate* ita illuſtrat, vt *virtutes virgines denominet*. O bellè! Ab *illuminatione* Mariani nominis, virtutes quas Beata Virgo in ſe habet, & quas aliis ſuo fotu adſpirat, *virtutes virgines* ſunt? Scilicet parùm foret, quòd Maria & virgo eſſet, & virgo virginum, ob principem puritatis nitorem diceretur, niſi etiam de Mariani nominis Sacramento, ſic reliquæ illuminarentur virtutes, vt *virtutes virgines* nominentur. Virgo eſt Maria Deíque Maternitas eius virginitatem geminat, & amplificat; virgo etiam eſt eius humilitas, fides, pietas, ſpes, modeſtia, deuotio, charitas, & reliquæ Virginis virtutes, de Mariani nominis *claritate* ſeu *illuminatione*, *virtutes virgines denominantur. O quàm pulchra eſt caſta generatio* (id eſt, Virginitas) cum *claritate*, hoc eſt, *cum virtute*, virtutes enim ſuâ illuminatione virgines nominantur. quod eſt pulchrum Mariani nominis *ænigma*.

Ad Hebreos 1. Chriſti Dei præſtantia multis 6. Ad Hebr. 1. v. 4.
à Paullo elucidatur, dum appellatur Patris ſplendor, & figura ſubſtantiæ eius, ſedens ad Syrus.
dexteram maieſtatis in excelſis. *Tanto*, inquit, *melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit.* Vox *melior*, hîc non tam ad mores, quàm ad præſtantiam, dignitatem, & potentiam pertinet: ſicut & *differentius*, quod tam excellentius, ſiue præſtantius, quàm differentius verti poteſt. Ita Syrus. Sed quid eſt, quòd ex nomine, quod Chriſtus *hereditauit*, eius ab Angelis differentia, ſeu præſtantia vltra illos taxatur, quaſi nomen ſit Ieſuanæ excellentiæ cenſus? Ceterùm S. Bernardinus Senéſis præſcriptum locum ad Mariæ nomen tempeſtiuè flectit, aiens: *Sicut Filius Dei ſedet à dextris maieſtatis in excelſis, tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit, quod nomen eſt vt ſit verè Deus per gratiam vnionis: ſic & Mater Domini noſtri glorioſa Maria, tantò melior eſt Angelis effecta, quantò præ omnibus creaturis hereditauit, vt obtineret digniſſimæ Matris nomen.* Itaque Beata Virgo tantò eſt Angelis melior, dignior, præſtantior, quanto præ illis excellentius Mariæ, & Deiparæ nomen *hereditauit*. Mariæ Deiparæ nomen, Mariæ præſtantiæ cenſus eſt? Tantum Maria nomen *hereditate* obtinet? O quàm multa vox *hereditauit*, paucis exponit! Vide quot gratias Mariani nominis *ænigma* præferat.

*Maria tantò eſt Angelis excellentior, quantò præ illis nomen hereditauit.*

S. Bern. Sen. tom. 1. ſer. 61. ar. 2. c. 4.

---

## §. CCCXL.

### *Sacroſanctum nomen Ieſu, quod Deiparæ nomen integrat, appendice laude commendatur.*

A Probo calamo monitum eſt, olim Ieſu 1.
quoque nomen Mariæ apponi ſolitum; Nouar. l. 4.
adeò vt Beata Virgo, *Maria-Ieſu* diceretur. In- Vmbr. Virg. n. 1119.
dicat priſci illius æui prælustris Auctor, S. Ignatius Martyr, qui Epiſt. 1. ita ſcribit; *Sunt & hîc multæ de mulieribus noſtris Mariam-Ieſu videre cupientes.* Verè *Ieſu-Maria*, tum quia eius vera Mater; tum quia ipſe Ieſus erat Filius, & Pater; tum quia ipſius Ieſu erat quicquid Maria erat, & exindè ab eo mutuatur nomen *Ieſu*. Quod, quia ad integritatem Mariani nominis ſpectat, appendices illi glorias ſubſcribimus.

*B. Virgo, olim Maria-Ieſu nominabatur.*

Iſaiæ 62. Propter Sion non tacebo donec

P. Didac. Celada in Eſtherem. LLl 3 egre

Iſaiæ. 61. v. 2. & 3. egrediatur, vt ſplendor iuſtus eius, & *Saluator* eius vt lampas accendatur: *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* Grande quidem apud Expoſitorum proceres litigium quodnam ſit hoc *nomen nouum*, quod ex Dei ore glorioſè procedet? Non morabor nunc Interpretes, qui ſeriò cenſent, hic à Prophetâ prædici, fidelium cœtus, iam non ſicut hactenùs Iſraëlitas; ſed à Chriſti nomine Chriſtianos eſſe nuncupandos (quid ſi etiam à Ieſu nomine Ieſuitas?) Cyrillus Alexandr. & S. Thomas cenſent hoc nomen nouum eſſe nomen *Ieſu*, impoſitum Chriſto Domino in circumciſione. Sed quid eſt, quòd exindè dicitur, quòd *Saluator* nomine Ieſu inſignitus, *erit corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei*? Hic nouus coronæ ſitus Interpretes meritò fatigauit. Corona porrò non manum adornat, dexteram diadema non redimit. Nouum ſanè coronamentum eſt, quod cingendum capiti, tempora deferens, ad manum fruſtrà delabitur. Quid ergò eſt, *Erit corona gloriæ in manu*? Profectò Tertullianus agens de ſtrenuo illo Chriſtianè Milite, qui ad Imperatorum liberalitatem, lauream capiti detraxit, ne fortè laureatus, non Chriſtianus videretur; ita ſcribit: Adhibetur quidam illic magis Dei Miles, ceteris conſtantior fratribus, *Solus libero capite coronamento in manu otioſo*, id eſt inutili ac vacante, cùm non aptaretur capiti, cuius ornamentum eſt. Ne autem quis putaret, non æquo rei ſenſu & cenſu, quòd corona, quæ micanter rutilaret in capite, ingloriè ſordeter in manu, poſt pauca conſultiſſimè addidit: *Laureâ & de manu claruit.* Scilicet quod ironicè forſan ante dixerat, *Coronamento in manu otioſo*; protinùs explicatiùs tradit, & viuaciùs emendat, aiens: Micantiùs corona *de manu claruit.* Enim verò priùs *manus*, id eſt, opera coronanda ſunt, ne immerita corona ſordeat in capite. Ergò alto ſtilo Iſaias cùm *Saluatori* prædicit auguſtum nomen *Ieſu*, aiens: *Et vocabitur tibi nomen, quod os Domini nominabit*; ſtatim ſubdit à nomine *coronam*, non in capite otioſam, ſed in *manu* actuoſam, & ſollerter operoſam, & quam *manu* meriti habere mercatur: *Corona gloriæ in manu, Diadema regni in manu* (quæ eſt à *nouo nomine*, id eſt, à nomine *Ieſu*) Sic corona, non de capite, ſed *de manu claruit*, quia *manum*, id eſt, opera & merita priùs coronare debet. Appoſitè tertullianus: *Chriſti nomen non ex naturâ veniens, ſed ex diſpoſitione, proprium eius efficitur, à quo diſpoſitum inuenitur.* Exindè vbi primùm Iſaias promittit glorioſum nomen *Ieſu*; ſtatim eo, non caput, ſed *manum*, id eſt, operationem, & meritum, tanquam *diſpoſitionem* ad illud obtinendum, glorioſè coronat: *Erit tibi nomen nouum: & eris corona gloriæ in manu, diadema regni in manu. Laurea & de manu claruit.* Quod ex iam iam dicendis ampliùs elucidabitur.

S Cyrill. l. de Fide ad Theodoſ. S. Thom. ibi.

Cur nomen Ieſu, non tam caput, quàm manum coronare perhibetur?

Tertull. l. de Coron. Milit. c. 1.

Tertull. l. 3. aduerſ. Marc. c. 15.

3. Lucæ 2. Poſtquam conſummati ſunt dies octo vt circumcideretur puer? *Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quòd vocatum eſt ab Angelo priuſquam in vtero conciperetur.* Nempè infanti Deo recèns nato, poſt circumciſionem impoſitum eſt nomen Ieſu: quoniam ante eius incarnationem, id Angelus Mariæ antedixerat: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Itaque in auſpicio conceptionis, iſtiuſmodi auguſtum *Ieſu* nomen Chriſto præſtruitur Angeli oraculo, & in circumciſione ei imponitur, & *Ieſus* inauguratur, iam tunc præproperè effuſo ſanguine, *Ieſu*, id eſt. Saluatoris nomen emens. Ceterùm cùm in circumciſione *vocatum ſit nomen eius Ieſus*, profundo Ieſuani nominis ſacramento dixit Paullus ad Philipenſes 2. *Humiliauit ſemetipſum* (Chriſtus Ieſus) *factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Τὸ *propter quod*, (quod fiat bonâ Caluini venia) non conſequentiam vel euentum, ſed meritum & mercedem ſignificat, vt Expoſitores Catholici magno conſenſu meritò docent. Nomen autem, quod Chriſto propter crucis ac paſſionis meritum datur, eſt illud, quod explicat, cùm ſubdit mox: *vt in nomine Ieſu omne genu flectatur.* Mirum ſanè eſt, & valdè mirum, quòd venerabile *Ieſu* nomen, quod ab Angelo prænuntiatum, & in circumciſione pretio ſanguinis emptum, infans Chriſtus accepit; ſub vitæ finem, propter paſſionis, crucis, ac mortis meritum, illi donatum Paullus affirmet: *Propter quod Deus donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu.* &c. Propter paſſionis meritum donatur Chriſto nomen *Ieſu*, quo à circumciſione nominatur? An in circumciſione effuſus ſanguis non plenè acceptatus fuit ad tanti nominis pretium? Num toto vitæ curriculo inſignitus fuit Chriſtus nomine *Ieſu*, cuius pretium needum plenè reddiderat, reddendum tamen in cruce? Anticipatus honor in *Ieſu* nomine, adhuc paſſione ac morte promerendus erat? Poſt effuſum in circunciſione ſanguinem, noua adhuc deſiderabatur *diſpoſitio*, ad Ieſu nomen condignè accipiendum? *Chriſti nomen* (nempè *Ieſu*) *non ex naturâ veniens, ſed ex diſpoſitione, proprium eius efficitur, à quo diſpoſitum inuenitur.* Inuenitur autem diſpoſitum, quandò meritò paſſionis & crucis redemptione conſummatâ, Chriſtus Deus plenè Saluator iam eſt: & tunc meritò donatur illi nomen *Ieſu*, cùm rem nominis impleuit redemptione peractâ. Appoſitè Caſſiodorus: *Sumpſiſti nomen ex meritis, cuſtodi* (potiùs, *cuſtodiſti*) *vt ſemper lateris veritate vocabuli.* Itaque licet in circumciſione *vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo priùs quàm in vtero conciperetur*; tamen factus eſt obediens vſque ad mortem, *mortem autem crucis: propter quod Deus donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu*, &c. Nimirùm auguſtum nomen *Ieſu*, id eſt, Saluatoris, & rem nominis denuò *ſumpſit ex meritis, vt ſemper lateatur veritate vocabuli.* O qualis, quantáque diſpoſitio huic nomini accipiendo præſtruitur!

Lucæ 2. v. 21.

Lucæ 1. v. 31.

Ad Philip. 2. v. 8. & 9. & 10.

Acceptum in circumciſione nomen Ieſu, denuò propter meritum paſſionis illi donatur.

Caſſiod. l. 1. epiſt. 10

4. Regius Vates Pſal. 129. quò veniæ ſpem erectiùs, & animoſiùs concipiat, ſic Deum alloquitur: *Si iniquitates obſeruaueris Domine* (vel vt habet Hieronymus, *Si iniquitates attendas Domine*) *Domine quis ſuſtinebit*: Τὸ *Domine*, vt ex Hebræâ origine eruditè notauit Lorinus innuit per incarnationem abbreuiatum Verbum: vndè ſermo eſt ad Chriſtum *Ieſum.* Subindè addit: *Quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te, Domine.* Pro τὸ legem

S Hierony. in Iſaiæ c. 12.

Lorinus ibi.

Tranſlationes Variæ. Pſal. 129. v. 4.

Saluatore Ieſu nomen eſt illi velut lex, ſit etiam nobis.

*legem* ( ex Hebrææ vocis hodie ambiguitate ) aliqui legunt *ſapientiam*, alij *verbum* : nonnulli ad *terrorem*, aliqui ad *viſionem*, ſignificationem referunt. Ceterùm codices multi etiam correcti, & Theodoretus, Euthymius, Nicephorus, & alij quos refert abſque nomine his antiquior Chryſoſtomus, nec non is, qui dicitur Baſilius, Pſalterium Ambroſianum, Arabicum, Æthiopicum, Illyricum, illud *propter legem tuam*, commodo profundè ſenſu excribunt, *propter nomen tuum*. Cùmque ſermo ſit de Chriſti Dei nomine, quod eſt ſacroſanctum nomen *Ieſu*, luculenta ethicè ſententiâ redditur, quaſi *nomen Ieſu* ſit *lex* quædam. An nobis? an ſibi? an ſibi pariter, ac nobis? Scilicet *nomen Ieſu*, id eſt, *Salutaris*, aut *Saluator*, velut *lex* illi eſt, quæ non tantum rem ſui nominis, quò illam impleat, illius memoriæ viuaciùs obuerſari; ſed etiam quaſi *lex* quædam foret, rem nominis implendam edicit, nempè ſalutem hominum obnixius procurandam, ne nomen re ſua vacuum portare videatur. Grande quidem viri elogium eſt, quòd ſit *vir ſui nominis*, & rem, quam nomine præfert, impleat veritate vocabuli, ne nominis phantaſmate ludere videatur. Itaque præcelſum *Ieſu nomen* fuit Chriſto (ſit & ceteris ſuum cuique nomen) velut *lex*, quæ ad perardua humanæ ſaluationis facinora, illum quodammodò obligabat. Hæc etiam Ieſuani nominis *lex*, nobis quoque noſtram ab eo perfectam animarum ſalutem erectiùs ſperare iubet: *Quia apud te propitiatio eſt; & propter legem tuam* (id eſt) *Nomen tuum ſuſtinui te Domine. Suſtinuit anima mea in verbo eius: ſperauit anima mea in Domino.*

Theodoret. Euthymius. Nicephorus. S Chryſoſt. S. Baſilius Pſalterium. Ambroſianũ Arabicum Æthiopicũ Illyricum apud Lorinũ ibi.

5\. Celebre eſt illud 2. Paralip. 6. *Vt ſciant omnes populi terræ Nomen tuum, & timeant te ſicut populus tuus Iſraël, & cognoſcant, quia Nomen tuum inuocatum eſt.* Sic eſt auxiliare Domini Nomen in periculoſo pugnaciter bello, quod non ſolùm gerimus contra viſibiles hoſtes, ſed etiam aduerſus carnem & ſanguinem, atque aduerſus principes & poteſtates, & mundi rectores tenebrarum harum: nempe contra inteſtinas affectuũ peſtes, & infernales Diabolorum phalangas. Porrò *militia eſt vita hominis ſuper terram.* Appoſitè P. Alfonſus Salmeron tom. 3. Tract. 37. ſic adſpectu ad hanc *militiam*, de nomine *Ieſu* eleganter ſcribit: *Quemadmodũ in prælio, qui excubias agunt nocturno tempore, vt ſe inuicem agnoſcant ſalutis cauſſa nomen dant quaſi teſſeram; ſic nos in continuo conflictu, Ieſu nomen demus, vt ab imminenti periculo liberemur, & ſalute æternâ perfruamur.* Nimirùm ſacroſanctum nomen *Ieſu* in hac hominum *militia*, & continuo aduerſus hoſtes conflictu, ſit *quaſi teſſera* Chriſtiano populo, & nuncupatim Ieſuitarum familiæ, quo tamquam ſigno, & militare ſub Chriſti vexillo dignoſcantur, & imminentia paſſim pericula ſtrenuè arceant. Sic enim *cognoſcent, quia nomen tuum inuocatum eſt.* Ergò hoc nomen in corde inſculptũ, & in ore frequens, omnes præferamus: & *quaſi noſtræ militiæ teſſeram Ieſu nomen demus.* O ſalutaris *teſſera* in hac periculoſa hominum militiâ! ô auxiliare noſtræ *militiæ* ſignum!

2\. Paralip. 6. v. 33.

Iob. 7. v. 1.

P. Salmer.

*Ieſu nomen demus, quaſi noſtræ militiæ teſſeram.*

6\. Lucæ 1. miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo diuinæ corporationis paranymphus, & ingreſſus ad Virginem, dixit ei: Aue gratiâ plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone eius. Et ait Angelus ei: *Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Verùm Syrus voculam *enim* aliò transfert, & ſenſum reddit ad rem opportunum; ſic enim exſcribit: *Inueniſti gratiam apud Deum: ecce enim concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Scilicet quia concipies, & paries filium, *& vocabis nomen eius Ieſum*, ideo *inueniſti gratiam apud Deum*, & es gratiâ plena, & benedicta in mulieribus, & Dominus eſt tecum. Quaſi dicat Angelus Virgini Deiparæ: Non modo inueniſti gratiam apud Deũ, quia paritura es Dei Filium, ſed etiam quia *vocabis nomen eius Ieſum*, quaſi etiam ex ipſa nominatione Ieſu, inuentio gratiæ, & exuberans gratiæ plenitudo, ad te copioſè regeratur. O grande nominis Ieſu Sacramentum!

Lucæ 1. v. 30. & 31.

Syrus.

*Deipara gratiam etiam inuenit, quia filium ſuum appellauit Ieſum.*

Prouerbiorum 18. ſic monet Salomon: *Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſum currit iuſtus, & exaltabitur.* Hebræus, *Turris fortitudinis* (Aquila, & Theodotion, *turris potentiæ*) *nomen Iehoua: in ipſo*, vel *in ipſum curret iuſtus, & exaltabitur*, Syrus, *fortis erit*, Tigurina, *extra telorum iactum eſt.* Benè notat Cornelius, quòd *nomen* Dei hîc eſt etiam *nomen Ieſu*: hoc enim eſt nomen proprium Verbi incarnati, quod ſalutem quam ſignificat, omnibus ad ſe velut ad turrim confugientibus præſtat: iuxta illud: *Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Audiendus eſt Beda in Pſalm. 80. qui de hâc turri, quæ eſt nomen Domini, & hominum aſylum, ita ſcribit: *Factus vtique mihi Deus turris fortitudinis, ideò ego non perfugabilis ero, ſed ſtatorius miles ero.* Miles *ſtatorius* à Beda appellatur miles ſtationarius, ſeu præſidiarius. Indè luculentus euadit ſenſus. Nempè *nomen Ieſu* turris eſt fortitudinis ſeu potentiæ, ad quod velut ad turritam arcem in periculis *currere* debemus; nec tantùm ad illud quaſi ad turrim currere debemus, vt illo defendamur; ſed tanquam ſtationarij milites in illo quaſi in turri & arce ſtationem debemus figere, & *in ea currere*, & diſcurrere ad huiuſmodi turris, id eſt nominis propugnationem. Ecce tibi Bedæ acumen: Homines debemus in periculis confugere ad *nomen Ieſu*, tanquam ad turrim & arcem, non modò vt in illo tuti ſimus, ſed etiam vt, tanquam ſtationarij & præſidiarij milites illud tueamur, & ſtrenuè propugnemus. Sit ergò nobis *Ieſu nomen*, tanquam *turris potentiæ*, quâ tuti ſimus ab hominum ac Diabolorum hoſtilitate: ſimus etiam & nos velut præſidiarij ac ſtationarij milites, qui ſtrenuè illud defendamus, & ab hoſtilitate propugnemus. *Turris fortiſſima nomen Domini* (*nomen Ieſu*) *ideò ego non perfugabilis ero, ſed ſtatorius miles ero.* O feliciſſimum illum, qui ad *nomen* Ieſu quaſi ad turrim fortiſſimam confugit, & qui idem venerabile nomen, velut miles ſtationarius acerrimè propugnat!

7\. Prouerb. 18. v. 10.

Hebræus. Aquila. Theodotiõ. Syrus. Tigurina. Cornel. ibi.

Actor. 10. v. 12.

Beda.

*Nomen Ieſu eſt velut turris, & qui ad illud confugiunt, quaſi milites ſtationarij.*

Siracides Eccleſiaſtici 45. deſcribens Pontificis ornatum, ita ſcribit: *Corona aurea ſuper mitram eius expreſſa ſigno ſanctitatis, & gloria honoris: opus virtutis: & deſideria oculorum ornata.* Corona aurea eſt lamina aurea, quæ inſtar ſemicirculi velabat & ornabat frontem Pontificis, & ad vtramque aurem porrigebatur. Hæc corona ſeu lamina dicitur *expreſſa ſigno ſanctitatis*, quia in eâ erat ſculptum ineffabile illud Dei nomen *Iehoua* tetragrammaton, quod plures è recentioribus, à nomine *Ieſu* non diſtingui, multis argumentantur. Rabanus Maurus ita ad eum locum

8\. Eccli. 45. v. 14.

Rabanus.

ſapienter ſcribit: *Corona autem ſuper mitram, in quâ expreſſum erat ſignum caſtitatis* (ſanctitatis potius) *hoc eſt nomen omnipotentis Dei, honorificentiam ſignificat diuinæ maieſtatis, quam in arce ſtatus noſtri, & ſuper omnia ſtatuere debemus. Ita vt in omnibus actibus noſtris honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt caput corporis Eccleſiæ & Saluator omnium.* quæ eſt nominis Ieſu ſignificatio. De hoc nomine ſacerdotali coronæ inſculpto, ſic loquitur Sapiens: *Magnificentia tua in diademate capitis illius ſculpta erat.* Verùm Græca Complutenſia Siracidis locum eleganter exeribunt, & totam ſententiam ſic efferunt: *Coronam auream ſuper mitram, ſculpturam ſignaculi ſancti, gloriationem honoris, opera virtutis, concupiſcentias oculorum, ornata pulchra.* Nempe hæc corona ſeu lamina in qua ſculptum nomen *Iehoua*, ſeu *nomen Ieſu, vt honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrũ*, erat *gloria* ſeu *gloriatio honoris*, id eſt, ornamentum ſic magnificè auguſtum, vt eo vel ipſe honor gloriari poſſet: Erat etiam *opus*, ſeu *opera virtutis*, id eſt, Dei poteſtatem, & ſummam omnipotenter auctoritatem demonſtrabat: erat quoque *deſideria oculorum*; quippe in quem deſiderãt Angeli proſpicere. quod exaggeratiùs exprimitur, dum *concupiſcentia oculorum* nominatur. Porrò Dei *magnificentia* in illo ſumptuoſiùs oſtentatur. Moroſus eſſem, ſi ſingula elogia enucleatiùs elucidaſſem; ſat eſto ea perſtrictim delibaſſe: indè Ieſuani nominis panegyrim quiſque facilè concinnabit. De huiuſmodi coronâ ſeu laminâ, in quâ ſculptum eſt ſacroſanctum nomen *Iehoua*, ſeu *nomen Ieſu*, ſcribit Siracides: *Corona aurea ſuper mitram eius, expreſſa ſigno ſanctitatis*, ſiue *caſtitatis*, vt nuper ex Rabano excripſimus: quo denotetur, *nomen Ieſu* ſigno *caſtitatis* eſſe expreſſum. Sic vel ipſum *Ieſu nomen* caſtitatem fragrat, ſpirat, afflat? Tempeſtiuè Origenes lib. 1. contra Celſum: *Nomen Ieſu lymphaticos ſanat, & Dæmones exigit, morbis etiam præſentaneum affert auxilium. Inſerit etiam miram quandam manſuetudinẽ, morumque honeſtatem.* Itaque ipſe Ieſus matre ſemper Virgine conceptus & natus eſt: & ipſius *Ieſu nomen ſigno caſtitatis expreſſum* eſt: & *miram quandam morum honeſtatem inſerit.* Sic vel ipſum nomen cum caſtitate, & morum honeſtate cognationem affectat, & oſtentat? O de caſtimoniæ merito hanc affinitatem cum *nomine Ieſu* negotioſe exambire licet!

*Nomen Ieſu dicitur glorificatio honoriſque Dei magnificentia oſtentatur.*

Sapient. 18. v. 24.

Bibl. Compl.

9. Eccli. 45. v. 14.

Rabanus.

*Nomen Ieſu caſtitatem ſpirat, & morum honeſtatem inſerit.*

Origenes.

## CAPVT XI.

*Verſ.* 5. & 7. Erat vir Iudæus in Suſan ciuitate, vocabulo Mardochæus filius Iair, &c. qui fuit nutritius filiæ fratris ſui Ediſſæ, quæ altero nomine vocabatur Eſther, &c.

### §. CCCXLI.

*Omnia certatim ſecula ſibi Deiparam vendicare, pia gloriæ auaritia exambiunt.*

1. S Bern. ſer. 2. de Pente c.

VVlgare eſt illud Deiparæ Virginis elogium, & præ celebritate omnium ore ſudatum, quo dicitur, *Negotium ſeculorum*, quaſi ſecula ſeculis æmulentur, quod nam illorum felicitaretur Mariæ natiuitate. *Certabant ſecula* (ait Damaſcenus) *quodnam maximè ortu tuo gloriaretur. Verùm eorum concertationem præfinitum Dei, à quo ſecula facta ſunt, conſilium ſuperauit: & poſtrema prima facta ſunt, dum ipſis feliciſſima natiuitas tua obtigit.* Non abſimili contentione pro typicæ Mariæ, id eſt, Eſtheris ortu, verò acta *certabant ſecula*, ac ſi illud tunc maximum foret *ſeculorum negotium*. Aſtyagis Medi ætas Eſtherem ſibi vendicat, vendicat & Cambiſis, & Darij Iſtaſpis, & Xerxis, & Artaxerxis Longimani, & Darij Nothi, & Artaxerxis Memnonis (vt ſuprà §. 10. copioſe tradebamus) quaſi ex his vnaquæque ætas, vt ſibi vendicet ortæ in eâ Eſtheris felicitatem, hanc aliis gloriam contentioſiùs inuideat. Pulchrum ſane *ſeculorum negotium*, & digniſſimum pro quo *ſecula certent*!

S Damaſc. Orat. 1. de Natiu.

*Secula certãt quod nam eorum Eſtheris ortu glorietur.*

Auctor ſuprà.

Siracides cap. 43. Eccleſiaſtici, ita ſcribit: *A Luna ſignum diei feſti, luminare quod minuitur in conſummatione.* Nimirùm à Lunâ Iudæi accipiebant ſignum & indicium diei feſti. Nam feſtum Neomeniæ, id eſt, nouæ Lunæ, incidebat in nouilunium Feſtum verò Paſchæ, à quo cetera computabantur, incidebat in plenilunium. Communiter ab Expoſitoribus per lunam Beata Virgo myſticè intelligitur. Richardus à S. Laurentio lib. 7. de Laud. B. Mariæ, tempeſtiuam reddit rationem, quare à Lunâ ſignum diei feſti ſit, ita fatus: *A Luna ſignum diei feſti. Ipſa enim eſt ſignum aui, inſigniens omnem ætatem præſentem, præteritã, & futuram.* Quaſi Virgo Deipara ſit omnium temporum decus; & quæ dum naſcitur in aliquâ ætate, *inſignem* reddit *omnem ætatem*. Scilicet parùm foret, quòd Maria ortu ſuo ſuam ætatem inſigniter felicitaret, & feliciter illuſtraret, niſi etiã in antiqua retrò ſecula, & mox exinceps perpetuò futura, fulgorum luces inſigniter reuerberaret, *Omnem inſigniens ætatem, præſentem, præteritam, & futuram.* Quaſi Beatæ Deiparæ ætas durationem æternitatis æmuletur, & ſuam ætatem inſigniſſimam reddens, reliquas etiam reddat inſignes. Quo autem ſenſu partus Virginis in tempore, dici poſſit quodammodò æternus, dilucide tractat noſter Salazar tom. 1. in Prouerb. ad c. 8. n. 389. ad illud v. 30. *Cum eo eram cuncta componens*, vel vt alij exeribunt: *Propè ipſum eram nutrix*, qui indidem hâc ſuper re conſulendus eſt. De quo agemus infrà n. 4.

2. Eccli. 43. v. 3.

*Deiparæ ortus omnem inſignem facit ætatem, præſentem, præteritam, & futuram.*

Richard.

Salazar.

3.Regum 18. Elias dimiſſo Regè, illum bonis pluuiæ ſpebus conſolatus, dixit ad puerum ſuum: *Aſcende ſupra verticem Carmeli, & proſpice contra mare. Qui cum aſcendiſſet, & contemplatus eſſet, ait: Non eſt quicquam.* Rurſum miſſus idem ſæpe exploraturus, reſpondit: *Ecce nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.* Ioannes Ieroſolymitanus alios ſecutus, & quem ſequuntur alij: per huiuſmodi *nubeculam* adumbrari putat Virginem Deiparam, de mari huius mundi in quo nata eſt, ortu ſuo aſcendentem. Sic autem fatur: *Et quia nubecula illa (ſcilicet Beata Maria) non fuit à puero viſa naſci in illa prima ætate mundi, ideò puer dicit, Non eſt quicquam.* E ſublimiſſimo illo ardui montis vertice, Eliæ puer vaſtas cælorum, marium, atque terrarum plagas latè proſpicit, & quia nec leue Mariæ veſtigium agnoſcit, quoniam *in illa prima ætate mundi non viſa fuit naſci*, ideò confidenter Prophetæ renunciat, *Non eſt quicquam?* Adeò eſt bonis

3. 3. Reg. 18. v. 43. & 41.

*Ætas in quâ B. Deipara non extitit, etſi aliis bonis exundet, bonis viduata perhibetur.*

Ioann. Ieroſoly. l. de inſtit. Monach. c. 33.

bonis viduata ætas, quæ caret Mariani ortus gloriâ, vt tametſi grato placidè cælo, benefico largè ſiderum influxu, vaſto negotiosè, ac piſcosè mari; terris frugiferis latè iacentibus ad copioſam hominum alimoniam, & vberrima pecorum paſcua; quaſi hæc omnia, quæ hominum vota explere ſolitant, nihil ſint, & nihil æſtimentur, in illa ætate verè dicatur: *Non eſt quicquam.* Nemo iam miretur, quòd quadam piæ ambitionis auaritiâ de Mariæ ortu ſecula certent, & hanc gloriam hianter expetant, aliiſque æmulanter inuideant: nam vbi deeſt Maria, etſi reliqua copiosè exundent, *Non eſt quicquam: quia nubecula illa (ſcilicet Beata Maria) non fuit à puero viſa naſci in illa prima ætate mundi.* O Deipara, feliciter, pulchrum omnium ætatum, ac *ſeculorum negotium!*

4. Pſalm. 109. v. 3. Regius Vates Pſalm. 109. ſic ad rem modulatè pangit: Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum: *Ex vtero ante luciferum genui te.* Quæ verba de æterna diuini Verbi generatione, ex Patris Dei mente, ſicut ex vtero, accipiunt Baſilius, Nyſſenus, Cyrillus Alexandrinus, Ieroſolymitanus, Irenæus, Theodoretus, Euthymius, & alij. Eadem Pſalmographi verba, de temporali Chriſti generatione ex virgineo Deiparæ vtero, interpretantur Iuſtinus, Tertullianus, Euſebius, Heſychius, Auguſtinus, Victor Vticenſis, & alij, quos Lorinus allegat. Præſcripta autem verba, Ex vtero ante luciferum genui te, ſic apud Lyranum ex Hebræo nonnulli efferunt: *De matrice auroræ tibi ros adoleſcentiæ tuæ*, alij, *infantiæ tuæ.* Alij, *ante rorem puerum.* Nonnulli apud eundem etiam Lorinum, *Ab aurorâ*, ſeu *præ aurorâ*, id eſt, *ante auroram.* Mirum ſanè eſt, & valdè mirum, quod Chriſtus Deus, qui *ex aurorâ*, vel de *aurora* Maria naſcitur, *præ aurora*, ſiue *ante auroram* naſci dicatur. Num qui eſt *ante auroram* Mariam ex vtero Paternæ mentis ab æterno genitus, iam tunc *ex aurora*, & *de aurora* Maria eius *infantia*, ſeu *adoleſcentia* eſt? Sic *aurora* Maria ſeipſam præcoqua anticipatione anteuertit, & in tempore edita, retroacta ſecula præmaturè præcurrit, prodigioſo ante ſecula ortu, æternitatis æmulo? An potiùs retro acta ab æterno ſecula, dum contentiosè cum reliquis certant de Mariani ortus felicitate, illam ſibi piâ ambitione vendicant, & in æternâ Verbi generatione ex Paternæ mentis vtero, adumbratam præproperè cenſent eiuſdem corporati Verbi generationem ex Deiparæ vtero, velut ex purè albicante gratiæ *aurora*? quaſi æterna Verbi generatio, vmbra quædam ſit, & arcanus auguſtè typus temporariæ eiuſdem diuini Verbi generationis ex Deiparæ vtero, velut ex auroræ vulvâ. Idcircò dicitur: *de vulua*, ſeu *matrice*, ſeu *vtero auroræ*; vel *ex aurora*, vel *ante auroram ros infantiæ*, ſiue *adoleſcentiæ tuæ.* Vnde Deipara *ab æterno ordinata*, ſiue *inaugurata*; *& propè ipſum* Deum *nutritia*, ſiue *nutrix* dicitur; non quia ab æterno extiterit, quæ in fine temporum orta eſt; neque duntaxat quia ab æterno ad diuinæ Maternitatis gloriam prædeſtinata ſit; ſed etiam quia tanquam in vmbrâ ſeu typo Patris Verbum ex ſuæ mentis vtero generantis, eadem ipſummet Verbum velut *aurora* puriſſimè generans, ab æterno arcanè præceſſerit. Sic *certabant ſecula*, quodnam eorum maximè Deiparæ ortu gloriaretur! hoc olim & nunc eſt *ſeculorum negotium*: quia ipſa facit *inſignem omnem ætatem præſentem*, *præteritam*, faciet etiam & *futuram.* Idcircò æterna retrò ſecula, quæ de temporali Mariæ ortu nequeunt gloriari, de præluſtri eius typo in æternâ Verbi generatione expreſſo, ſibi ſtudiosè adulantur, quod explicatiùs iam iam traditur.

Lorinus hos omnes inibi allegat.

*Retroacta æternitas de typico Deiparæ ortu ſibi adulatur.*

Prouerbiorum 8. ita de ſe ſub diuinæ Sapientiæ nomine, Beata Deipara loquitur: *Mecum ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia.* 5. Prouerb. 8. v. 18.

Pro τὸ *opes ſuperbæ*, Hebraicè habetur, *Subſtantia durabilis*, Theodotion, *Subſtantia antiqua*, Symmachus, *Vita antiqua.* Itaque vox *ſuperbæ*, quæ non tam iactantiam, quàm magnitudinem ſonat, perindè eſt apud Symmachum, ac *vita antiqua.* Quid ergo eſt, quòd Virgo Deipara de ſe dicit: Mecum ſunt diuitiæ, & gloria, & *vita antiqua*? quæ eſt hæc *vitæ antiquitas*, quæ dum *ſuperbiæ* nomine deſignatur, etſi non iactantiam, inſignem tamen magnitudinem deſignat? Quodnam genus *ſuperbiæ*, *vita antiqua* ſubolet? Profectò dubium non eſt, quòd qui *vitam antiquam* ſe habere dicit, tunc viuit; ſecùs enim quomodò id aſſerere potuiſſet? Quin etiam diu hactenùs vixiſſe indicare videtur: ea enim eſt vulgaris *vitæ antiquæ* ſignificatio. Ceterùm noſter Ferdinandus de Salazar inibi eruditè tradit non vulgarem huius *antiquitatis* nouitatem. Putat enim, quòd hæc *ſubſtantia*, ſeu *vita antiqua*, quæ in exſcriptione Hebræa dicitur *durabilis*, ad futurum etiam tempus ampliatur. *Nam vetera, & antiqua* inquit, *non ſolum dicuntur ea, quæ multo antehac tempore perdurarunt, ſed etiam quæ dehinc multo tempore durabunt.* Quod docuit Canticorum 7. v. 13. ad illud, *Noua & vetera ſeruaui tibi.* Ait ergò de ſe Beata Virgo: Mecum ſunt diuitiæ, & gloria, ſubſtantia, ſeu *vita antiqua*, id eſt, perdiu exinceps duratura: diuturnior enim in futurum etiam duratio, quædam velut *ſuperbia* vitæ eſt. Exindè Deiparæ conceditur pia ſeculorum contentione; quippè quæ reddit *inſignem omnem ætatem, præſentem, præteritam, & futuram*, quâdam velut æmulatione æternitatis, quæ omnium temporum durationem complectitur. Porrò Philonis dogma eſt, alibi copiosè non ſemel expenſum: *Virtus caret tempore*: ſimilem ad modum, illa quam ad diuinam dignè Maternitatem obumbrauit Altiſſimi virtus, virtutis adinſtar, perhibetur *carere tempore*, *inſigniens omnem ætatem, præſentem, præteritam, & futuram.*

Hebræos. Theodotion Symmach.

*Quo ſenſu Deiparæ vita, veluti caren. tempore, antiqua dicatur.*

Salazar ibi n. 160.

Cant. 7. v. 13.

Philo aliàs expenſus.

Matthæi 1. *Chriſti autem generatio ſic erat: Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto.* 6. Matth. 1. v. 18.

Morales citiùs, quàm litterales Expoſitores ſubtiliter hærent in vocula *erat*, cùm de temporali Chriſti generatione ex virgineo Deiparæ vtero, ſermo eſt. Exſcribam Chryſologi verba, qui etiam ad rem expendit, cur Ioſephi ſponſa, non vxor inibi Deipara nominetur. *Chriſti generatio ſic erat*, inquit, Non dixit, ſic facta eſt; ſed, ſic erat: quia Chriſti generatio erat apud Patrem, quandò generabatur ex Matre. Quod erat, ſemper erat, quod factum eſt, hoc reddebatur: erat Deus, reddebatur homo: ex vtero nos ſuſcepit ille, qui nos plaſmauit ex luto. (addit tempeſtiuè ad rem) *Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Virginitate ſponſa, fœcunditate mater: mater viri neſcia, partus conſcia. Aut quomodo non ante conceptum mater, quæ poſt partum virgo mater; Aut genitrix quando non, quæ ſeculorum generauit auctorem?* Profectò ſicut nuper laudatus Philo profundè dixit, quòd *Virtus*

S. Chryſol. Serm. 146.

*Quando non eſt Dei Genitrix, quæ ſeculorum generauit auctorem.*

*caret tempore*, etſi reapſe in tempore fiat; ſic Chryſologus de diuinâ Maternitate philoſophari videtur, expēdens voculam *erat*, cùm de Chriſti generatione ex vtero Virginis, loquitur, aiens: *Aut genitrix quandò non, quæ ſeculorū generauit auctorem?* Num quæ in tempore generauit *ſeculorum auctorem*, & Dei Genitrix aliquandò facta eſt, arcano diuinæ Maternitatis iure inauguratur etiam ſeculorum princeps, adeò vt antiquam durationem, & retroacta ſecula ſic denuò eualeat temetiri, vt in aliquo definito tempore Dei *Genitrix*, quia *ſeculorum generauit auctorem*, nunquam non Dei *Genitrix* appellari poſſit? Sanè alto ſtilo dixit Chryſologus: *Aut genitrix quandò non, quæ ſeculorum generauit auctorem?* quaſi diuina Maternitas æternitatis æmula, ita ſit ſeculorum domina, vt quodammodo *tempore carere* dicatur, quæ definito tempore nata eſt.

---

## CAPVT XI.

*Verſ.* 15 Erat enim formoſa valdè, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur.

## CAPVT XV.

*Verſ.* 13. Non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.

### §. CCCXLII.

*Fundamentum immaculatæ Conceptionis ſuper ore Patrum incumbens, nemo mente, aut ore fruſtrà labefactare audeat.*

1. Pſal. 68. v. 1. & 2. PSalmum 86. ſic profundè Dauid auſpicatur: *Fundamenta eius in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei.* Oratio

S. Auguſt. Arnobius ibi. iſta abrupta (vt Auguſtinus, Arnobius, & alij Patres adnotarunt) indicat Prophetam multa ſecum anteà in profundo mentis ſilentio concepiſſe, & parturiiſſe; atque cùm tacitus clamauiſſet ad Dominum; tandem rei magnitudine velut attonitum, in aures etiam hominum derepentè erupiſſe. Amantium, aut ſtupentium hoc eſt, ex abrupto loqui, & ambiguis pronominibus vti; & ſic ſe probè ab aliiś intelligi exiſtimare. Idcircò in Pſalmi initio exclamat: *Fundamenta eius.* cuius nā quæſo? cùm nihil præceſſerit. Tacet Propheta; ſed res ipſa loquitur. *eius* inquam, id eſt, Virginis Deiparæ, cuius vberioris gratiæ arcana ſacramenta, de cælo abundantiùs afflatus, & ſtupens præuidet, & admirabundus deprædicat. (obuium eſt hæc verba myſticè de B. Virgine exponi) Ecquod nam eſt hoc *fundamentum eius*,

*Fundamentū immaculatæ Conceptionis ſuper ore Patrum incumbit.* id eſt, Mariæ, niſi initium eius in naturalibus perfectiſſimum, in ipſo Conceptionis inſtanti? in quo etiam immaculatæ Conceptionis auſpicio, vberioribus ſupernaturalibus gratiis copioſè dotata eſt. Summa enim gratiarum, in ſuæ Conceptionis momento ipſi largiùs donata, reliquam immenſæ exinceps gratiæ plenitudinem, & glorioſè excipit, & tanquam initium fundat. Verùm enimverò quoniam huic præproperæ feliciter gratiæ, in ipſo Conceptionis inſtanti Virgini donatæ, aliqualis clanculum rumuſculus forſan refragari poſſet; vide oculis, & attentiùs aduerte quale *fundamentum* illi Propheta iecerit: *Fundamenta eius in montibus ſanctis.* Per *montes* hîc, antiquos Patres, ſapientiæ Proceres intelligi, inibi communiter erudimur. Idcircò Chaldæus Paraphraſt. Chaldęus Paraphraſtes opportuniſſimè hæc verba ſic exeribit, & exponit: *Cuius fundamenta ſuper ore Patrum, qui fuerunt à principio.* exindè tempeſtiuè ſubdit Propheta: *Glorioſa dicta sūt de te, ciuitas Dei.* Hanc immaculatæ Conceptionis veritatem, typus multiplex præclarè linguatus, in veteri Teſtamento adumbrat: hanc ſubindè Prophetæ altiùs buccinant: hanc Eccleſiæ *Patres, qui fuerunt à principio*, diſertiſſimo *ore* clamant: hanc nunc Theologiæ Antiſtites, & Biblicæ literaturæ Summates, magno conſenſu edocent; adeò vt nemo iam contrà obloqui audeat. Itaque conſultiſſimè Chaldæus, etſi plures Patres ad teſtimonium inducit, vnum duntaxat *os* omnibus tribuit, quaſi omnes vno *ore* loquantur: *Cuius fundamentum ſuper ore Patrum, qui fuerūt à principio. Diligit Dominus portas Sion* (id eſt, ingreſſum Deiparæ, per Conceptionem, ad naturæ & gratiæ vitam) *ſuper omnia tabernacula Iacob Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei. Et ipſe fundauit eam Altiſſimus.* Auctor in Iudith. Quod verò immaculata Deiparę Conceptio, immunis ab originali labe, in diuinâ Scripturâ ſolidè etiam fundetur; in Commentariis ſuper Iudith, Tractat. de Iudith figuratâ, § 31. copioſè adſtruebamus, ex Paullo ad Rom. 5. verſ. 15. expendentes illud, *In plures abundauit.*

Iudith 8. perilluſtre ac perrarum huius venu- 2. Iudith. 8. v. 8.
ſtiſſimæ Heroïdis elogium notanter deſcribitur: in quo etiam dignoſcitur fuiſſe Mariæ vmbram: Erat, inquit, eleganti aſpectu nimis, cui vir ſuus reliquerat diuitias multas, & familiam copioſam. *Et erat hæc in omnibus famoſiſſima .... nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* *Spiritus ſanctus quicquid indecēs de Virgine dici vel ſentiri poſſet, penitùs remouit.* Grande quidem Iudithæ encomium, quòd pulchra eximiè femina, cenſu prædiues, in vidualis cœlibatus licentiâ impune, tam perfectâ indubiè puritate degeret, vt nec iudicij vulgaris audacia garrulè ſuſpicax, nec linguæ garrulitas audacter mordax, quicquam quod impudenter ſuggillaret, in Iudithâ curioſè inuenerit. Rarum ſanè puritatis auctoramentum, vel occultam in corde ſuſpicionem, vel apertam in ore maledicentiam præcluſiſſe. Hæc in typo Iudith. O qualis fuit eius antitypus! De opinatiſſima Virginis Deiparæ puritate in re pudoris, quem fœcunditate auxit, ita ſcribit Philippus Abbas: Scias, inquit, Philipp. Abb. l. 1. Cant. col. *opera de ſancto Spiritu poſſibiliter quidem, ſed ineffabiliter concepturam: quia ille quicquid indecens vel dicitur, ſentitur à te penitùs remouebit.* Parum foret Spiritui-ſancto, à ſuâ ſponsâ remouere quicquid reipsâ *indecens* eſt; niſi etiam ſic zelaret Marianæ puritatis famam, vt *penitùs remoueret, & quicquid indecens* mente *ſentitur*, & ore *dicitur*. Hominum tetra animitùs ſuſpicio temerariè audax, alienam virtutem non faſcinat: & maledicentia audacter temeraria, minimè puritatem morſicando ſuggillat, inficit, denigrat: at Spiritus-ſanctus velut præcoquâ ſcrupuloſe ſollicitudine

licitudine ſic ſtuduit Deiparæ puritati, vt præproperè ab eâ *penitus remoueret*, quicquid inconſulta humanæ cenſuræ ſiniſteritas, aut mente *indecenter ſentire*, aut ore petulanter *dicere* poteſt. Scilicet, eſto velut menſura diuinæ operationis in Deiparæ puritate, quicquid Spiritus-ſanctus, *poſſibiliter quidem, ſed ineffabiliter* operari eualet. O ineffabilis Marianæ puritatis menſura! Quicquid eſt Deo *poſſibile*, id totum de immaculata Mariæ puritate cenſendum eſt? Sic caute agit Spiritus ſanctus in re Mariani pudoris, præcludens humanæ cenſuræ, & maledici oris audaciam; & rem originalis peccati, & primæuæ ſordidè labis conceptione imbibendæ negotium negligeret? Et quomodò (pudet dicere) ſi Deipara in aliqua temporis morulâ, Deo infenſe inimica, cæli exors, Diabolorum mancipium, & de originali labe ſqualida foret; Spiritus-ſanctus *quicquid indecens vel dicitur, vel ſentitur, ab ea penitùs remouiſſet*? Igitur Deiparæ immaculata puritas, à maledicentiæ audacia immunis eſto. *Nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. Maria ergò* (ait S. Bonauentura) *primè ſignata eſt per illam famoſiſſimi nominis fœminam Iudith, de qua ſcriptum eſt: Nec erat qui de ea loqueretur verbum malum.*

S Bonau. in Specul. B. Virg. c. 8.

3. Eſther. 2. v. 15. Eſther inde ea ſic refert ſacer Hiſtoricus: *Erat enim formoſa valde, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur.* Quod elogium ſub Eſtheris typo, de B. Virgine intelligendum eſſe, Ricardus exiſtimat aiens: *Ideo in figura Mariæ dictum eſt de Eſther: Erat formoſa valdè, & incredibili pulchritudine.* Bene eſt Eſther figurata dicatur *formoſa valdè*: at quo pacto *quæ omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur*, florere dicitur *incredibili pulchritudine*? Niſi forte *incredibile* putetur in Deiparâ quod *omnium oculis* ſpectandum apparet. Et ſane pulchritudo aut non debuit *incredibilis* putari, quæ eſt adeò certa, & de communi conſenſu indubia, vt in *omnium oculis* appareat, & ore increbreſcat: aut quæ *omnium oculis* videtur, non debuit *incredibilis* reputari. Vtrumque enim ex alterutro redarguitur? vel *oculis* non videri, quod *incredibile* cenſetur; vel ſi apparet *oculis*, non fore *incredibile*. Vidit hanc difficultatem idem inibi Richardus, & vt exponat illud, *incredibili pulchritudine*, aduocat locum Iſaiæ: *Quis audiuit vnquam tale? & quis vidit huic ſimile?* Nimirùm figurata Eſther, Maria inquam, erat *formoſa, valde*, in ſuæ etiam Conceptionis momento: & tamen licet ita certum, & communi ore peruulgatum ſit, vt omnium oculis apparere videatur; tamen hæc præpropera *pulchritudo incredibilis* forſan dicitur: non quia *incredibilis* ſit; ſed quia de purâ creatura, *quis vidit huic ſimile? quis audiuit vnquam tale?* At Deiparæ priuilegium eſt, quod nec primam viſa eſt, nec habere ſequentem. Ne ergo *incredibilis pulchritudo* putetur, quæ prope *omnium oculis* apparet, ſic omnium ferè conſenſu rata, vt nemini in contrarium obloqui liceat.

Richard. de S Laur. l. 5. in principio.

Quare Eſtheris pulchritudo, omnium oculis apparens, incredibilis dicatur.

Iſaiæ 66. v. 8.

4. Prouerb. 8. v. 34. Prouerbiorum 8. ſic diuinæ Sapientiæ ore Virgo Deipara loquitur: Audite diſciplinam, *& eſtote ſapientes, & nolite abiicere eam...... Beatus homo, qui audit me: & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei.* Hebraica poſterius hemyſtichion ſic habent: *Et cuſtodierit poſtes oſtiorum meorum.* Lxx. interpretes: *Seruans limina meorum introituum.* Totus ſermo indubie tropicus eſt, & ſtudioſam ſollertiam ſignificat erga Sapientiam; & inde myſtice erga Virginem Deiparam. Sed explorare iuuat, quæ nam ſint iſtæ *fores, & poſtes oſtiorum*: & qui ſunt hi, qui eos *ſeruant, & cuſtodiunt*. Beda in expoſitione alleg. ad hunc locum, ita ſcribit: *Fores ſuas, & poſtes oſtij ſui Scripturas ſanctas, & earum Doctores nuncupat* Caietanus litteralem ſenſum indagans, explicatiùs agit, ſic locum excribens, & exponens: *Iuxta Hebræum habetur: Ad cuſtodiendum poſtes oſtiorum meorum, Poſtes oſtiorum Sapientiæ, ſunt Doctores ſuſtinentes oſtia.* Nimirùm diuinæ Sapientiæ mater, Deipara inquam, obnixiùs expetit, vt *nolint abiicere eam*, ſed potiùs exſomni ſtudio *vigilent ad fores eius, & cuſtodiant* ac *ſeruent oſtia* ſeu *introitus* illius. Et quidem pluratiuo nomine dicit, *fores, oſtia, introitus*, vt geminatum introitum ſignificet, & ad eſſe naturæ, & ad eſſe gratiæ. Poſtes autem *oſtiorum*, vel *introituum nuncupat doctores, ſuſtinentes oſtia* ſeu *introitus* Deiparæ, Hi enim hos Deiparæ *introitus*, ſuper quibus Marianæ gratiæ culmen fundatur, in re hactenùs non definitâ, ſed prope diem definiendâ; verbo & ſcripto valenter ſuffulciunt, Biblicæ eruditionis, & eruditæ pietatis flecti-neſcio robore. *Poſtes oſtiorum ſunt Doctores ſuſtinentes oſtia* ſeu *introitus* Mariæ. O feliciſſimum illum Doctorem, qui verbo aut ſcripto, Deiparæ ad vtramque vitam puriſſimos, & immaculatos *introitus obſeruat & cuſtodit*, & velut marmoreis ſtantibus pilis, ſuper humeris ſuis Athlantico vigore *ſuſtentat*!

Hebræus Lxx. interp.

Beda.

Caietanus ibi.

Doctores ſunt poſtes qui ſuſtentant oſtia ſeu introitus Deiparæ.

Matthæi 1. tumeſcente indies Sponſæ vtero, Ioſeph myſterij neſcius, zelotypiæ ſollicitudinibus angitur, & de abſceſſu ſeriò meditatur. *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu-ſancto eſt.* ô malum! Mariani ex diuina Maternitate honoris titubatio, Ioſephi animum acerbè pulſat; & mens aliè imbibita de Sponſæ puritate, importuniùs quatefit, dū peractum iam diuinæ Incarnationis Sacramentum, in tacito Ioſephi corde vocatur in dubium. Virginem Deiparam deuenuſtare potuit Ioſephi abſentia, Myſterij dubietate inhonora, operatum iam Incarnationis Sacramentum labefactare non potuit. Sed vide nunc mihi quantæ apud Paſchaſium fiat huius Patriarchæ non bona ſuſpicio, vel in mentis receſſu occulta: *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, &c. Signanter additur Angelus Domini, ne fortuita delūſio putaretur. Vnde quia in Ioſepho pietas & iuſtitia decertare videntur, mox pellitur dubietas, & reuelatur arcanum.* (Nota attentiùs quæ addit verba) *Panditur planè quod primùm per Angelum oſtenſum fuerat Mariæ, & fit continuò myſterium.* Cùm ambigua Ioſephi dubietas per Angelum pellitur, & Incarnationi iam operatæ in Deiparæ vtero, non dubius tenuit Patriacha, ſed vltrò adnuit, tunc *fit continuò Myſterium*? Numquid ambigente Ioſepho, & ſiniſtris Myſterij ignorati ſuſpicionibus iactato, peractum iam Incarnationis Myſterium, myſterium non foret? Quid deeſt Incarnationis Sacramento, vbi adeſt Dei voluntas, Virginis conſenſus, & Spiritus-ſancti fœcunda diuinitùs obumbratio? Numquid tantum eſt Ioſephi in ſponſam dominium, vt expectetur Ioſephi conſenſus ad velut perfectionem Myſterij, & tunc dicatur conſummati

5. Matth. 1. v. 20.

Paſchaſius inibi.

Vbi dubietas Ioſephi pellitur, continuò fieri incarnationis Myſterium dicitur, & quare?

Ioſephi ineffabile dominium in ſponſam Deiparam.

mari, cùm Ioſephus dubietate depulsâ, Myſterio adnuit? An Myſterium Incarnationis (idem cenſe de immaculatæ Conceptionis Myſterio) in virgineo vtero iam peractum, ſic velut inconſummatum, nec ſatis perfectum putatur vel vnius magni viri ambiguâ dubietate, vt cùm palàm cælitùs adſentit, *fieri continuò Myſterium* dicatur? Erat, erat quidem diuinæ Incarnationis, &

Heſych. Orat. in laud. Deip. Prou 31. v. 18. immaculatæ Conceptionis conſummatum Myſterium; ſed illius extrinſecæ perfectioni valdè officit paucorum tenuitas, & vel vnius Patriarchæ dubietas: quam cùm Angelus pellit, *fieri continuò Myſterium* perhibetur. Sic immaculatæ Conceptionis *fundamenta ſuper ore patrum* incumbit? Altè quidem Paſchaſius! Tametſi Heſychius eam ſententiosè appellat: *Lucernam oris expertem, quæ à ſeipſa iugiter ardeat.* De eâ enim dicitur Prouerb. 31. *Non extinguetur in nocte Conceptionis lucerna eius.*

---

## CAPVT XI.

*Verſ.* 15. Erat enim formoſa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur.

## CAPVT XV.

*Verſ.* 13. Non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.

## §. CCCXLIII.

*Figurata Eſther populi ſui vindex, ab Originali labe multimodè vindicatur.*

1. S. Bern. ſerm. quodam de B. Mariâ tom 2. PVlchra Bernardi vox eſt: *Pater in creatione Mariæ exhibuit potentiam, & auctoritatem contra peccatum.* Nimirùm in Deiparæ formatione, ſeu Conceptione, Deus Pater non modo omnipotentiæ valido adnixu, ſed etiam *auctoritatis* decoro, peccatum illi imminens anteuertit, *auctoritatem* ſuam vindicans: indecorum forſan enim reputaret, ſi Vnigeniti ſui vera Mater, peccati labe infecta aliquandò fuiſſet. Porrò ſi par turturum, aut duos pullos columbarum pro peccato iubet offerri, quia hæ volucres *nullam cum*

*Omnipotentiâ, & auctoritas Dei, Deiparam à peccato præſeruarunt.*

Clem Alex. l. 1. Pædag. c. 5. *peccato affinitatem* habent; (ait Clemens Alexandrinus) parùm eſt, ſe, Filiumque ſuum, in quouis rerum euentu, à peccato eſſe immunes, ſi vel *affinitatem* quodammodò haberet cum peccato, id eſt, cum eâ, quæ aliquandò peccatum habuiſſet, & de peccati iure, Diaboli mancipium foret. Fateamur ergò neceſſe eſt, Filij Dei Matrem à peccato ſemper immunem extitiſſe; & Deum in eius Conceptione *exhibuiſſe potentiam, & auctoritatem contra peccatum.* Decet enim *auctoritatem* Dei, *nullam cum peccato affinitatem* habere. Non tantùm Dei omnipotentia, & beneficentia, ſed etiam eius *auctoritas*, à peccato præſeruarunt

Hildeb. epiſt. 48. S. Th in 1 d. 44 art. 3. ad 3. Deiparam: *In ea præter virtutem, nil virtus inuenit.* Tanta præniruit puritate! *Puritas* (inquit S. Thomas) *intenditur per receſſum à contrario, & ideò poteſt aliquid creatum inueniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati inquinatum ſit: & talis fuit puritas B. Virginis, quæ peccato originali, & actuali immunis fuit.* Ipſum ipſi opponimus; nec poſſumus maiorem.

Matthæi 1. poſt Chriſti genealogiam longâ ſerie ductam, ita Euangeliſta ſcribit: *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.* Vetus quæſtiuncula eſt, vulgò ſudata, & quam celebritas vulgarem non inuenit, ſed fecit; cur in Conceptionis immaculatæ feſto, nil de Mariâ, niſi diuinam eius Maternitatem, Eccleſia in Euangelio proponat? Quid diuinæ Maternitati ad Conceptionem puriſſimam dudum peractam? P. Alfonſus Salmeron, vir in omni litteraturâ impaucis exculptiſſimus, & vnus de primis Sociis S. Patriarchæ noſtri Ignatij, tom. 3. in Euang. Tractatu 30. hâc ſuper re ita grandirer ſcribit: *De qua natus eſt Ieſus, &c. Mariæ ſiquidem Maternitas (vt ita dicā) Conceptionis illius comes fuit, & adminiſtra.* Quid ſublimius? quid auguſtius, quàm diuina Maternitas, quâ Virgo Deipara verè dicitur, & eſt vera Dei genitrix? Vis noſſe puritatem, & dignitatem immaculatæ Conceptionis Deiparæ? penſita verba huius magni Doctoris: *Mariæ maternitas (vt ita dicam) Conceptionis illius comes fuit, & adminiſtra.* Ne reputes temporis diuortium inter Mariæ Conceptionem, & Dei Maternitatem: nam etſi Conceptio quindecim annorum ſpatio Maternitatem anteuerterit, in Dei mente, & myſteriorum præuiſione, Maternitas Conceptionis eſt *comes*, nec computanda eſt ſine Maternitate Conceptio: concipitur enim mox Dei Mater dignè futura. Vnde & Dei *auctoritas*, & diuina *Maternitas*, futuræ Dei Matris *Conceptioni* adiunt, vt *affinitatem cum peccato* præproperè arceant, & auertant. Nec tantùm diuina *Maternitas comes* adeſt, ſed etiam Marianæ *Conceptionis adminiſtra*. Scilicet tantus gratiæ, & gloriæ nitor in Deiparæ puriſſima conceptione ſcintillat, vt Dei Maternitas, quæ eſt omnium Mariæ gratiarum matrix, non dedignetur puritati Conceptionis velut *miniſtrare*: ſiquidem ſingulare & præluſtre gratiarum omnium priuilegium, in Conceptione Virgini præmaturè conceſſum, ex diuinâ Maternitate auguſtè naſcitur. Gratia enim tunc naturam præproperè anteuertit, vt digna Filij Dei Mater conciperetur. Ergò infinita dignitas & gratia diuinæ Maternitatis, velut *comes & adminiſtra* adeſt immaculatæ Virginis Deiparæ Conceptioni. Sanè audaciuſculum verbum *Adminiſtra*, plura expendenda omittit pio lectori, piè in puriſſimam Deiparæ Conceptionem affecto. Pulchrè Petr. Damianus Serm. de Aſſumpt. *Caro Virginis ex Adam ſumpta, maculas Adæ non admiſit; ſed ſingularis continentiæ puritas, in candorem lucis æternæ conuerſa eſt.* Scilicet candor lucis æternæ in conceptione ſeu Incarnatione Filij Dei, puriſſimum gratiarum candorem, in Matris Dei Conceptionem velut officio miniſteriali reuerberat.

2. Matth. 1. v. 16.

P. Salmeron.

*Diuina Maternitas Conceptioni adeſt velut comes, & adminiſtra.*

*Candor lucis æternæ in conceptione Filij Dei gratiæ candorem in Matris Conceptionem reuerberat.*

Pe. Damian.

Lucæ 3. longa progenitorum ſerie traditur Mariæ per Ioachimum parentem genealogia (vt inibi multis olim adſtruximus, multorum Patrum, & Doctorum ſuffragio, & rationum momentis validiſſimis) Sic ergo Euangeliſta ſcribit: *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta (vt putabatur, filius Ioſeph) qui* (Ieſus inquam) *fuit Heli, qui fuit Mathat. &c. qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Ecce tibi cùm Mariæ Deiparæ genealogia, & Decus natiuitatis traditur, à *Ieſu* eius 3. Lucæ 3. v. 23.

Filio

Rupert. in c. 1. Matth.

*Cur Deipara genealogia, à Deo incipiat, & termine-tur in Deum, arcano circulo?*

Filio Euangeliſta incipit, & tandem poſt Adamum, in *Deum* deſinit: quod ſubtiliter Rupertus adnotauit: *Nonne*, ait, *cùm ſic incipit: Et erat Ieſus incipiens quaſi annorum triginta (vt putabatur filius Ioſeph) qui fuit Heli: & ſic finit. Qui fuit Adam, qui fuit Dei: non (inquam) initium, & finem coniunxit, & circulum fecit; Cùm enim vno ductu linea ſic flectitur, vt eius initium & finis coniungantur, nonne circulus formatur?* Non ex vulgatis Philoſophiæ vitio, ſed ex arcanis Theologiæ adytis, hic nouus *circulus* in Virginis Deiparæ genealogiâ, ſeu formatione inuenitur. Scilicet Mariæ genus à Lucâ hîc traditum, à Chriſto Deo incipit, *Et erat Ieſus*: & in Deo ipſo finitur: *Qui fuit Dei*. Ecce tibi arcanum *circulum*, quem Rupertus adorat, & nos elucidamus in Deiparæ genere. Deus Deo tangitur in Deiparæ immaculatâ formatione ſeu Conceptione. Mariæ Conceptio à Chriſto Deo oritur, & in Deum ipſum finitur. A Chriſto Deo (dum eius gratia anteuertit naturam maturantem ad primæuæ culpæ originale contagium) initium ducit Mariæ conceptio: & in Deum terminatur, cui digna Mater ſine affinitate cum peccato, præproperæ gratiæ congruo priuilegio præſtruitur. Cupis noſſe Marianæ Conceptionis auguſtum genus? A Filio Deo initium ducit, ab eius gratiâ habens eſſe, priuſquam à naturâ quâ anticipatâ beneficentiâ præuenit. Nihil vulgariter humanum, terrenæ generationi cognatum, in Conceptione Deiparæ cogites, cuius principium pariter ac finis Deus eſt, dum arcano diuinioris gratiæ *circulo* Deum Deo iungit, gratiam gratiæ, & gloriæ gloriam adnectit. Vndè Mariani generis linea, ſeu Conceptionis genus, non terminatur ad terrenos parentes, neque ab illis incipit; ſed à primordiali eorum limo puriſſimè defæcata, tota immaculata eſt, cæleſtis eſt, diuina eſt.

Rupert. ſuprà.

*In Mariâ initium & finis vitæ, beatâ gloriâ nectitur?*

4. Vel aliter Ruperti verba concipe: Deiparæ generatio, ſeu Conceptio, a Chriſto Deo ortum ducit; & ad Deum terminata, *initium, & finem coniungit, & circulum facit*. Nimirùm *finis*, in quem deſiit ſanctiſſima Mariæ vita cæleſtis vberrimè gloria fuit, & empyrea Beatitudo tantâ dignitatis, ac meritorum pompâ excelsè condigna. Hic Deiparæ *finis*, Deus inquam, clarè viſus, & opulentè beans. An *initium* etiam Marianæ Conceptionis, non tantùm à gratiâ, ſed à beatâ etiam gloriâ fuit, quâ *initium, & finem coniungit, & circulum facit?* Auſpicatur ne B. Virgo in Conceptione beatitudinis gloriam, quam in vitæ fine nectet cum æternâ, quam nunc poſſidet gloriâ? Sanè cùm in diuinâ Incarnatione, B. Deipara dicatur clarâ viſione diuinæ eſſentiæ potita; eiuſmodi fruitio non inidoneè ad eius Conceptionem, à quibuſdam piè Sapientibus protrahatur. Vndè eius *initium, & finis coniungitur*, reliquo vitæ ſpatio interruptus, qui in Mariâ gloriæ *circulum facias*, dum *initium & finis coniunguntur*, Euge B. Virgo in vitæ initio, & in fine vitæ, glorioſiſſimè Beata.

Daniel. 4. v. 11. & 12.

5. Danielis 4. hoc ſomnium Nabuchodonoſor vidit, & prophetæ interpretandum ſic denarrat: Ecce arbor, inquit, in medio terræ, & altitudo eius nimia. Magna arbor & fortis: & proceritas eius contingens cælum, aſpectus illius erat vſque ad terminos vniuerſæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius: & eſca vniuerſorum in eâ: ſubter eam habitabant animalia, & beſtiæ, & in ramis eius conuerſabantur volucres cæli; & ex eâ veſcebatur omnis caro. Et ecce vigil, & ſanctus de cælo deſcendit: clamauit fortiter, & ſic ait: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius .......Verùm tamen germen radicum eius, in terra ſinite*. Quæ ſit hæc arbor, perſpicuè Propheta clarat: ſed in eius vmbrâ multi allucinantur, quid adumbret, dubiè coniectantes. Noſter Benedictus Pererius Biblicâ eruditione opinatiſſimus, ſic de hac re philoſophatur: Arbor, inquit, illa viſa Regi in ſomno, proceriſſima, & ampliſſima, pulcherrimis frondibus, floribus, & fructibus ornata, ſecundum myſticum ſenſum, adumbrauit miram ſtatus primi hominis ante peccatum, felicitatem. Eadem, mox bonis ſuis omnibus, atque ornamentis ſpoliata, & exciſa, ſeruata tamen radice, vndè rursùs creſcere, ac fructificare poſſet, ſignificauit eiuſmodi primi hominis miſerrimum ſtatum, poſtquam lapſus eſt in peccatum, quo omnis eius poſteritas vitiata, & perdita eſt. (Nota verba quæ ad rem ſubiicit.) *Fuit tamen radix, & germen eius ſeruatum: intelligo autem per radicem, Beatam Virginem Mariam peccata Adami nullatenùs infectam: ſic enim ipſam appellauit Iſaias: Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Per germen autem radicis Chriſtum Dominum interpretor, per arborem humanæ naturæ vitio Adami deſtructam, & corruptam, non tantùm in priorem, quâ cōdita fuerat, dignitatem, ſed in multò etiam ampliorem, ac florentiorem reparauit.* Nimirùm pulcherrima arbor humanæ naturæ in iuſtitia creatæ, cum præuaricatore Adamo exciſa eſt, ſed non funditùs extirpata: nam *radix* Maria cum eius *germine*, qui eſt Chriſtus, ſeruata eſt, ne originalis iuſtitia omninò interiret; ſed è *radice* Maria, à contagio exciſionis reſeruata, humanæ naturæ arbor exciſa, *in dignitatem multò ampliorem, ac florentiorem repareiur*. Itaque *radix* Ieſſe, vel in typo ſeruata eſt diuina iuſſione, ne cum *arbore* communem ſtragem ſubiret. Sic cautè agit Deus cum Mariæ vmbrâ? Talis debuit eſſe *radix*, è quâ tale *germen*, Chriſtus Deus inquam, pullularet. Conſultiſſimè ergò in tantæ arboris interitu, *radix* cum *germine* in terra ſinitur, quò florentiùs iterùm vernet.

Pereira ibi.

*Ex Nabuchodonoſoris arbore, pura Deiparæ conceptio aſſeritur.*

Iſaiæ 11. v. 6.

---

## CAPVT XI.

*Verſ.* 15 Erat enim formoſa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur.

## CAPVT XV.

*Verſ.* 13. Non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.

## §. CCCXLIV.

*Materia præcedentis Paragraphi, pro immaculatâ Deiparæ Conceptione, ab originali labe limpidiſſimè immuni, productiùs ampliatur.*

Canticorum 6. Cælites hâc voce incredibilē Deiparæ venuſtatē admirātur: *Quæ eſt iſta*, 1. Cant. 6. v. 9.

aiunt, *quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens?* Profectò ſicut Solis nomine Chriſtus adumbratur, ſic auroræ vocabula B. Virginem ſignificari, his verbis Petrus Damianus colligit: *Tu fabricatus es Auroram, id eſt, Virginem, & ſolem iuſtitiæ, id eſt, Chriſtum, qui de Spirituſancto eſt conceptus.* Peridoneè *Auroræ* vocabulū in Deip tam quadrat: quandò enim primò extitit B Virgo, in primo inquam, ſuæ Conceptionis inſtanti, quaſi vera ſurrexit Aurora. Aurora eſt prænuncia diei ſempiterni: quia ſicut Auroræ quotidianæ initium eſt non eſſe noctis, & diurnæ lucis inchoatio, & prænitens incipientis diei auſpicium. Nimitùm hactenùs nox, ſed nondùm Aurora: nam vbi primùm Aurora, iam nox præcedens luce tumulata deſiit, lucidis Auroræ ſpiculis ſplendidè interempta, & ſequentis diei initium incipit. Sic puta de myſticâ Eccleſiæ Aurorâ Virgine Deiparâ quæ nihil de illam præcedente nocturnâ peccati obſcuritate trahit, participat ve; ſed tota aduentantis diei albore & ſplendore conſtat, & integratur. Opportunè incertus Bernardus ſer. 4. ſuper Salue Regina, ſic Deiparā alloquitur: *De te ſecretorum conſcius Salomon dicit: Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens? Aurora ſemper noctem ſequitur, nox præcedit Auroram. Quid autem eſt nox frigida & obſcura, niſi originale peccatum, frigidum concupiſcentiâ, obſcurum ignorantiâ. Tu verò proceſſiſti, vt Aurora lucida, & rubicunda, &c.* Itaque ſicut Aurora, quæ eſt albor; aut nitor aduentantis iamiam Solis, diem auſpicatò præit, nec plena dies computatur: ſic etiam *Aurora ſemper noctem ſequitur, nox præcedit Auroram*: præcedit inquam, non integrat, præit extrinſecè, intrinſecè non adintegrat: neque enim Auroræ nitor, noctis caligine conſtat; ſed tota Solis iam iam aduentantis fulgore prænitet. Ecquis dum primò *Aurora conſurgit*, in eâ noctis tenebras videat, niſi qui *ſi ſubitò apparuerit Aurora, arbitratur vmbram mortis*? Eccleſiæ Aurora *vmbra mortis* non fuit; ſed prænius lucis nitor, plenum gratiæ diem feliciſſimè prænuncians: gratiarum luce à ſui initio conſtat; *vmbrâ mortis* nunquam Aurora integratur. Maria ſemel Aurora, ſemper Aurora fuit, ſemper gratiæ nitore præfulgens. In reliquis Adæ poſteris, nox præceſſit originalis culpæ; Deipara verò quaſi *Aurora conſurgit*, ſemper albicans, ſemper gratiæ candore prænitens.

*Petr. Damia. Serm. de Aſſump. Pſal 71. v. 16.* — *Deipara ex Auroræ elogio, à nocte originalis culpæ aliena oſtenditur.* — *S. Bernard.* — *Iob 24. v. 17.*

2. Eſther 8. patibulato condignè Amano, *Die illo dedit rex Aſſuerus Eſther reginæ domum Aman aduerſarij Iudæorum.* Quantæ fuerint Amani diuitiæ, ex cap. 3. v. 9. abundè conſtat. Et ſanè cùm in figuratâ figuratum tranſluceat? ſicut Eſther Deiparam, ſic Amā Diabolum adumbrat, vt ſuprà ex communi myſticè ſententiâ præmoſtrauimus. Conſultiſſimè ergò figuratæ Eſtheri, Mariæ inquam, Amani, id eſt, Diaboli opulentas gazas rex Aſſuerus, Deus inquam, regiâ munificentiâ tribuit, pulchrè opulento Marianæ in ſuâ conceptione puritatis ſacramento, ac ſymbolo. Porrò prædiuites Diaboli opes, & opulentæ Luciferi, ſeu Satanæ gazæ, in gratiæ cenſu in inſtanti ſuæ creationis conſiſtere, nemo ambigit: creatus enim eſt Lucifer, ſignaculum diuinæ ſimilitudinis, cæleſtis gratiæ opibus potens: benè ergò Aſſuerus rex cæleſtis figuratam Eſtherem ditat Amanis Diaboli gazis, quæ eſt gratiæ opulentia, in ſuâ primâ formatione ei abundè collata, qui fuit prædiues Diaboli, ſeu Luciferi cenſus. Forſan hùc profundè alluditur Apocalypſis 2. vbi de vincente ſcribitur: *Dabo illi ſtellam matutinam.* Multa multi intelligunt per hanc *ſtellam matutinam.* Cornelius noſter plures inibi interpretationes referens, ait: *Hæc ſtella matutina eſt Lucifer. Iam Lucifer hic eſt Diabolus*, inquit Andreas Cæſarienſis, de quo dicitur Iſaiæ 14. *Quomodò cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris!* Hunc dedit Deus deuicendum, proculcandum, diripiendum. Nec ſine magno aliquo myſticè ſacramento, hæc *ſtella matutina*, quæ ab Andreâ Cæſarienſi putatur *Lucifer*, ſeu *Diabolus* calcandus & diripiendus, ab aliis *Deipara* cenſetur: quoniam Amanus *Diabolus* ſeu *Lucifer* figuratæ Eſtheri Mariæ inquam, vincendus, calcandus, & diripiendus datur: eius enim opulentæ gazæ, nempè quas habuit, non in tempore alio, quàm in ſuæ creationis ſeu productionis initio, adumbratæ Eſtheri, Deiparæ inquam, Dei liberalitate donantur: cumque præcipuus Diaboli cenſus in primâ ſui formatione opulentiùs conſtiterit, is Eſtheri, id eſt, Deiparæ donatur. Vnde ſicut Amanus Lucifer in gratiâ primò productus eſt; ſic Eſther Deipara cæleſtis Aſſueri regiâ liberalitate, ſpoliis opimis Luciferi ditata, in gratiâ concepta eſt: hic eſt enim Amani Luciferi prædiues cenſus, qui Eſtheræ Mariæ ſingulariter obuenit. Exindè Maria in hoc epitheto ſeu nomine præfert deuicti, proculcati, & direpti, Diaboli elogium: quia eius ſpoliis in ſuâ Conceptione glorioſè dicatur.

*Eſther 8. v. 1.* — *Eſther 3.* — *Ex Amani diuitiis Eſtheri donatis, Marianæ Conceptionis immaculata puritas adſtruitur.* — *Apocalyp. 2. v. 28.* — *Cornelius* — *Andr. Cæſar. Iſaiæ 14. v. 12.* — *Quare Diabolus B. Virgini diripiendus traditur.*

3. Canticorum 1. *Faſciculus Myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Alibi abundè diſquirebamus, cur Deipara (quam hîc intelligi communiter traditur) *Myrrhæ* amaritudinē miſceat cum dulciſſimo Matris obſequio & melleâ *vberum* præbitione. Nimis amara Myrrha eſt; ſed æquè dulcis & grata Filij ſui conceptio, geſtatio in vtero, ex vtero partus, fotus, baiulatus & præbitio *vberū*, quo vno verbo omnia miniſteria erga infantē Ieſum cōpendio deſignantur. Quæ ergò Myrrhæ amaritudo in his obſequiis infanti Ieſu à piiſſimâ, & Filij ſui peramante Matre, exhibitis admiſcetur? Omnia mella dulciſſimè ſtillant, & ſuauitates omnes vndique afflant: vndè ergò hic *Myrrhæ faſciculus* pullulauit; quis eum Deiparæ vtero, eiuſve dulciſſimis vberibus amariſſimè miſcuit? Intempeſtiuè Rupertus Tuitienſis exponens hunc locum, cenſet, Virgini Deiparæ impreſſam fuiſſe expreſſam notitiam crucis & paſſionis Filij ſui; ab ipſo eiuſdem infantis Ieſu conceptu: vndè futuræ Paſſionis felle velut *Myrrhæ faſciculo* venter, & vbera amaricabantur. Quod luculenter ad rem S. Bernardinus expoſuit, ſic fatus: *Virgo cum Chriſto cruxifixa eſt in hora huius* (Dominicæ inquam) *conceptionis ........ in ſignum igitur quod crucifixa crucifixum concepit, ordinauit ſumma ſapientia Dei, quòd eodem die Chriſtum concepit, quo etiam fuit paſſus.* Scilicèt oportebat vt in Conceptione Filij ſui præmaturè Crucis Paſſionem ſentiret Deipara, quæ in Conceptione ſuâ, eiuſdem Crucis ac Paſſionis effectus præproperè, ac abundè præſenſerat. *Cruxifixa Crucifixum concipit*, & in Filij ſui Conceptione Crucem præſentit, tempora dolore præcurrens, ad quam Crucis gratia, & ſapor Paſſionis ſic anticipate præcucurrit, vt in ſua conceptione eiuſdem Crucis ac Paſſionis fructum prægustaret. Adſit illi ante tempus Filij ſui Paſſio, quæ ante Paſſionis

*Cant. 1. v. 13.* — *Rupertus inibi.* — *In ſi ij ſuâ conceptione crucem præſenſit, quæ in Conceptione ſuâ crucis fructum præſenſerat.* — *S. Bern. tom. 3. ſer. 6. ar. 2. c. 1.*

nis tempus, promeritas Paſſione gratias vbertim obtinuit: & quæ *crucifixa crucifixum concepit*, in ſuâ Conceptione *Crucifixum*, gratus præſentiat: quod fuit præmaturæ ſuauiter gratiæ, amarum dulciſſimè ſtipendium.

4. Canticorum 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Ex pulchritudine ſingularum partium, putà membrorum ſponſæ hactenus recenſitorum, totius corporis pulchritudinem concludit. Hebræum verbum מום *mum* non tantùm maculam coloris, ſiue *neuum*, ſed quodlibet *vitium*, ſiue quemlibet *defectum*, & *deformitatem* ſignificat, vt inibi oſtendit Cornelius. Richardus præſcripta Canticorum verba exponens: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*, ſic fatur? *Tota pulchra in corpore per virginalem caſtitatem ..... Tota pulchra in corde per humilitatem, quod eſt eſſe ſine macula.* Nimirùm B. Deipara eſt *tota* pulchra in corde per profundiſſimam *humilitatem*; *tota* inquam, quod eſt eſſe ſine vllo vnquam *næuo*, aut *vitio*, aut *defectu*, aut *deformitate* vnquam vlla; quaſi tantæ humilitatis ſequela ſit, ſic *eſſe ſine macula.* Scilicet infimiſſima Deiparæ *humilitas*, eſt eius *immaculatæ* puritatis cenſus. Mariana inſuſpicabilis humilitas non tantùm eſt huius virtutis ſingulare ſtudium, ſed etiam eius *immaculatæ* puritatis argumentum, & menſura. *Tota* (tota inquam) *pulchra in corde per humilitatem, quod eſt eſſe ſine macula*, ſine *næuo* ſine *vitio*, ſine *defectu* ſine *deformitate*. Hinc Mariæ humilitas ſic ſumptuosè in Bibliis ac Patribus commendatur, (quæ dum augusta Dei Mater efficitur, *ancillam* ſe demiſſiùs nominat) vt eius ſemper puritatem metiri omni tempore liceat ſecundum arcanas virtutum conſequentias. Hic Richardi locus pro eximiâ Mariæ humilitate aliàs expenſus eſt; & idcircò hîc non enucleatur vberiùs.

Cant. 4. v. 7. Cornelius Richa. à S. Laur. 5. ſub initium.

*Infimiſſima Deiparæ humilitas eſt eius immaculatæ puritatis menſura, & cenſus.*

5. Pſalmo 80. ſic regius Vates pangit. *Buccinate in Neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtra.* Prò τὸ *Neomenia*, nonnulli apud Lorinum excribunt, *in Nouilunio*, quod feſtum apud Hebræos celebre fuit. Et licet hoc Neomeniæ ſeu Nouilunij feſtum fuerit dedicatum in memoriam diuinæ perpetuò gubernationis: tamen S. Auguſtinus quâ pollebat perâ ingenij ſagacitate, in hoc feſti vmbrâ aliam in lege gratiæ ſollemnitatem vidit: *Hæc Lunæ celebratio*, inquit, *nouam creaturam, quæ per Chriſtum facta eſt prænunciaret.* Quænam eſt hæc inuſitata nouitas, aut *noua creatura* per Chriſtum facta, quæ in nouâ Lunâ, ſeu *Nouilunio* prænunciatur? Putauerim rem hanc in Deiparam apprimè quadrare. illa enim *pulchra vt Luna* ſollemniter nuncupatur: eſt etiam *noua creatura*, quia nec ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. Profundo igitur myſterio, non hîc plena luna dum fulget totâ lampade, ſed *Nouilunium*, hoc eſt, *noua luna* prima naſcentia indicatur, in quâ primum fulgorum auſpicium à ſole fœnerat, & nitere incipit: neque enim niſi primis ſplendoribus. *Nouilunium* peragitur: nec *noua luna* adhuc eſt, quouſque Solis fulgoribus illuſtratur, etſi terris non appareat, niſi de perſpicaci dioptræ ſeu longiſpicij ingenio, peritis notiſſimo. Itaque cùm in terris non plenè appareat *noua luna*, ſeu Lunæ naſcentis nitor; quia tamen in cælis notiſſimus eſt, ideò Dei olim populus de cælo inſtinctus *Neomeniæ* ſeu *Nouilunij* feſtum inſtituit *inſigni ſolemnitate* celebrandum: nam hæc *noua Lunæ celebratio, nouam creaturam, quæ per Chriſtum facta eſt prænunciat.* Vulgare eſt apud Aſtrologos, *noua Luna* ſplendorem primâ Nouilunij die videri in cælis, ſecundâ die in mari, tertiâ in terris. Hinc forſan *noua luna* ſeu Marianæ Conceptionis feſtum ſerò terris affulſit, & celebrari cœpit; cùm ſtatim in cælis, vbi gratiæ nitor primò apparuit, celebratum ſit. Quâ de re ſic fatur S. Vincentius Ser. 2. de Natiuit. Virginis: *Non credatis quòd fuerit ſicut in nobis, qui in peccatis concipimur, naſcimur, & nutrimur; ſed ſtatim poſtquam corpus fuit formatum, & anima creata, tunc fuit ſanctificata; ideò fit feſtum de eius ſanctificatione*, (id eſt Conceptione in gratiâ, vt patet ex voculis *ſtatim*, & *tunc*) *quia facta eſt lux ſanctificationis in ea: & ſtatim Angeli in cœlo fecerunt feſtũ Conceptionis* Quid accommodatius? Nimirùm quoniam hæc *lux* in huius *noua Luna* Neomenia ſeu Nouilunio quæ tardè apparet in terris, *ſtatim* in cælo viſa eſt, ideò *ſtatim Angeli in cælo fecerunt feſtum Conceptionis*, quod poſtmodùm in terris tantâ celebritate peragitur.

Pſal. 80. v. 4. Lorin. ibi.

S. Aug. l. 19. cont. Fauſt. c. 10.

*Neomenia nouam feſtũ creaturam, feſtum immaculatæ Conceptionis prænunciat.*

6.

*Cur feſtum Conceptionis primò in cælis, poſteà in terris celebratum eſt.*

S. Vincent.

---

## CAPVT XI.

*Verſ.* 15. Erat enim formoſa valdè, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur.

## CAPVT XV.

*Verſ.* 13. Non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.

## §. CCCXLV.

### *Deiparæ pura Conceptio, à peccato Originali immunis adhuc multis aſſeritur.*

1. OPinatiſſima Sponſi Dei ad Sponſam Deiparam vox eſt: *Tota pulchra es amica mea & macula non eſt in te.* Haut dubium eſt his verbis agi de B. Virgine, & gratiæ pulchritudine, quæ fœdam peccati labem neſcit. Porrò ſicut vox illa *omnis*, cum dicitur: *Sicut in Adam omnes moriuntur*, quia vniuerſalis eſt, vniuerſatim omnes omninò videtur amplecti: ſic vocula *tota*, totalem, & omnimodam gratiæ pulchritudinem, nullâ peccati fœditate conſciam importabit, Quâ ſuper re Idiota ſapientiſſimus de B. Maria, c. 2. ita ſcribit: *Tota pulchra es Virgo glorioſiſſima, non in parte ſed in toto: & macula peccati ſiue mortalis, ſiue venialis, ſiue Originalis, non eſt in te, nec vnquam fuit nec erit.* Non mirarer hunc ſapientiſſimum Doctorem doctrina pariter ac pietate magnum; dixiſſe, quòd in B. Deipara, *totalis pulchritudinis* iure, neque vnquam *fuit* peccatum Originale, neque *eſt*: quid autem eſt, quòd ait, *Nec erit*? Poteſtne quiſquam poſtquam iam diu natus eſt, in matris vterum iterò redire, & (vt ſic loquar) reconcipi; & tunc peccatum Originale, in prima conceptione non contractum, in ſecunda

Cant. 4. v. 7.

1. Cor. 15. v. 22.

Idiota.

*Sententiosè de B. Virgine dicitur, quòd peccatum originale in ea non eſt, nec fuit, nec erit.*

dà conceptione infeliciter contrahere? O peſtiferè monſtroſa conceptionum multiplicatio, ad ampliorem peccati Originalis impuram fœcunditatem! Quorsùm ergò Deipara quæ dum *tota pulchra* dicitur; pariter aſſeritur, quòd in ea peccati Originalis malum non *fuit*, nec *eſt*; additur etiam, *nec erit*. Quæ eſt hæc vſque adeò præproperè tarda præcautio, *nec erit*: quandoquidem peccatum Originale, quod in conceptione non *fuit*, nec *eſt*; neceſſe iam eſt, quòd *nec erit*? Forſan Vir Theologicè ſapientiſſimus, nec timet, nec præcauet peccatum Originale ſimul in conceptione puriſſimâ non incurſum, nec exinceps incurrendum reipsâ, ſed in aliquorum exiſtimatione, ac cenſu. Hanc quorundam mentem ſatagit anteuertere; ne Originalem peccati labem, quam in ſuâ immaculatâ Conceptione in ſeipsâ Deipara non contraxit, in eorum mente, ac mentis conceptu vnquam contrahat. Hoc timet, hoc præcauet, benè ſcius, quòd ex maculatæ conceptionis (etſi in ſe puriſſimæ) cenſu, & ſuo mentis conceptu, quæ in ſe *tota pulchra* eſt, fœda peccati labe nimiùm deuenuſtatur fœditate deformi. Conſultiſſimè ergò dicitur: *Macula peccati Originalis non eſt in te; nec vnquam fuit, nec erit*: vel ipſius exiſtimationem piâ præproperè ſedulitate anteuertens, præcoquo huius propalandæ veritatis auſpicio.

2. Iſaiæ 7. proponitur celebre illud ſignum Meſſiæ noſcendi: Ecce, inquit, virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel: *Butyrum & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* Nempè eò ſe demittet Deus natus ex Virgine, vt inſtar infantis melle & butyro indigeat, iiſque veſcatur, idque ad hoc, vt Sapientia Dei humanæ infantiæ lacteſcat. Itaque infantulus Deus tametſi adhuc ſugens Matris Virginis mammillas, non id ruditate infantili præſtabit cęterorum infantium adinſtar, ſed conſultà animitùs electione maternum lac ſuget; quippè qui iam tunc *ſcit reprobare malum, & eligere bonum.* Eccur tam ſapiens infantis diſcretio ad ſugendum lac è Matris Virginis vberibus, ab Iſaiæ ore notatur, daturque in Meſſiæ noſcendi præluſtre ſignum? Quorsùm ad ſugendum maternum lac tanta, tamque diſcreta ſapientiâ requiratur? Opinor, grande aliquod lactantis Virginis ſacramentum in hoc vaticinio deliteſcit, quod ſubtiliter S. Cyrillus prodit ita fatus: *Butyrum lac Virginis vocat Propheta, quod non ex muliebri mollitie, voluptatéque, ac diſſolutione natum ſit; ſed leue eſſet, ac firmum, nullam peccati amaritudinem admixtam habens, ſed mellis dulcedinem.* Profundè quidem Cyrillus! Vide quam ob cauſſam cùm infans Deus Matris Virginis vbera ſugit, dicitur ſcius *reprobare malum, & eligere bonum.* bonum lac, id eſt, dulce ac melleum *nulla peccati amaritudine mixtum.* Nemo benè Theologus ignorat, quòd peccatum Originale Matris (ſi foret) non transferretur in Chriſtum, vt potè Deum, & à Virgine Matre de Spiritu-ſancto conceptum: at Matris vbere lactantis peccatum aliquam è ſuo peccato amaritudinem lacti admiſceret, vt lacteam mellis dulcedinem dediſcat, admixtâ materni peccati felleâ amaritudine. Non dicitur lac peccati bibulum, aliquâ peccati ad infantem transfuſione cum ipſo lacte, quod è mammis ſugit; ſed aliquâ fellis amaritudine è matris peccato velut mutuatâ, amaricaturum infantis palatum, vt pro melleo alioqui lacte felleum ſugere videatur. *Butyrum lac Virginis vocat Propheta, nullam peccati amaritudinem admixtam habens, ſed mellis dulcedinem*: quod dicitur deguſtare, & diſcernere infans Deus, dum Matris lac ſugit, benè ſcius *reprobare malum, & eligere bonum*: Hùc forſan adludere videtur Agelius ſic exponens illud Pſalmi: *Spes mea ab vberibus Matris meæ: vult docere, vt Virginis matris lac ſugeret, id non niſi diuina efficientia, & potentia factum eſſe, Deumque Patrem ſuæ vitæ ſponſorem quodammodò, ac fideiuſſorem extitiſſe; nouo, inauditoque miraculo lac eius Matris vberibus ſuggerentem.* Grande quidem ſupra naturam miraculum fuit, Virgini lac ſuggerere, quo infantē Deum lactaret; grandius tamen miraculum, & aliquis gratiæ faſtus, vt Virgo Mater ſic prorsùs peccati expers foret, vt nullâ peccati amaritudine admiſceretur lac ab infante Deo ſugendum. Hoc, hoc potiùs inquam, *Deum Patrem ſponſorem quodammodò, ac fideiuſſorem* requirit, vt eius Filius non modò lac è Virgine Matre, ſed lac abſque vlla admixtâ peccati amaritudine ſugat, prædulce ſemper melleo gratiæ ſapore. O bonus ſponſor, & *fideiuſſor* Deus Pater, de Filij ſui idoneâ lactatione præproperè ſollicitus! Qui ſic eſt ſollicitus de ſugendo lacte; quid de conuiſceratione, & lactatione etiam non præcaueat, feſtinantis gratiæ fideiuſſione, & præbitione?

Iſaiæ 7. v. 15.

S. Cyrill. in Caten. Græcâ ad Lucæ 2.

*Lac Virginis nullam vllius peccati amaritudinem admixtā habuit, in ſe ab originali labe vindicatur.*

Pſal. 21. v. 10.

Agelius ibi.

*Deus eſt fideiuſſor puri lactis Deiparæ, ne peccati amaritudinē habeat admixtam.*

3. Doctor gentium ad Romanos 7. ſic conqueritur de peccati fomite, quæ eſt non bona ex Adamo filiorum hereditas: Quod operor, inquit, non intelligo, non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio. *Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Quod eſt hoc peccatum Paulli, ac reliquorum hominum inquilinum, ſibi medullitùs conuiſceratum, niſi peccati fomes, qui nomine tenus ſortitur peccati nomen; non quia in ſe peccatum ſit, ſed quia à peccato eſt, & ad peccatum validè inclinat. Hoc peccati fomite reliquis cognato, peccatoque confini, Deiparam à ſuæ conceptionis inſtanti caruiſſe, alibi cum multis adſtruebamus. Plures ſuppetunt rationes, plura Patrum oracula, vt hanc fomitis peſtem longiùs à Deipara abigamus; quæ affatim ſuggerunt Recentiorum de B. Deipara lucubrationes, plenæ pietatis, plenæ ingenij; illud præſertim ex Gerſone aliàs aliorsùm enuclearum, qui ad rem præſentem ita ſcribit: *Peccati fomes in Maria extinctus fuit, quod Paullus peccatum appellauit (quod habitat in me peccatum) vt vel peccati nomen ab ipſa procùl eſſe crederemus nedum peccatum ipſum.* Vel nudum peccati nomen re nominis prorsùs vacuum, longiùs exulat à Deipara, quæ tanta puritate, & innocentiæ ſinceritate nitet, vt peccati vocabulum non capiat. Scilicet quam Spiritus-ſanctus diuinitùs *obumbrauit*, vt digna fieret Dei Mater; non modò ab ea peccati fœditatem præproperè abegit, ſed vel vmbram peccati ſolo nomine obſcuram præcoqua ſollicitudine in eius Conceptione diſpulit, ne vel in ſceleroſi nominis vmbratico inaniter prælio, Matris Dei immaculata puritas, etſi non reipsa, ſaltem in vocabuli cenſu, non boni nominis elogio ſauciaretur: *vt vel peccati nomen procul ab ipſa crederemus, nedum peccatum ipſum.* Rem peccati negliget, qui ſic eſt ſollicitus de abigendo peccati vocabulo? Prælium nominis obnixiùs arcet, & vlceroſa prælij vulnera neglexit?

Ad Rom. 7. v. 17.

*Vel peccati nomen procul abigitur à Deipara immaculatiſſimâ puritate.*

Gerſon.

Iacobi 1.

4. Iacobi 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, *deſcendens à Patre luminum apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* His verbis aiunt nonnulli notari diſcrimen inter Solem, qui eſt fons luminis, & Deum Patrem luminum; quò ille quidem mutationis vices ſubeat; & nunc ſplendeat, nunc obſcuretur terræ, aut lunæ oppoſitu: vndè nocturnæ vmbræ, & diurnæ eclypſes exiſtunt. Et ſanè ita ſententiam partiuntur, vt illud, *apud quem non eſt tranſmutatio,* intelligant de eclypſi, aut defectione lucis: illud verò, *nec viciſſitudinis obumbratio,* de conuerſione, quâ nunc nobis illuceſcit, nunc teneb reſcit. Denique ad thema præſens oportune addunt, τὸ *apud quem*, in verbis Iacobi ſignificare poſſe, non ſolùm *in quo*, ſed etiam *à quo*. quaſi hoc elogium non modò ſit in Deo Patre luminum, ſed ab illo etiam (vt vt puræ creaturæ, in quâ ſincerioris gratiæ nitorem voluit oſtentare, conuenire poteſt) in alium ſingulariter deriuetur, in quo nec *tranſmutatio* à peccati tenebris ad gratiæ lumen inueniatur, neque vlla iſtiuſmodi *viciſſitudinis obumbratio*, aut de terrenæ labis obiectu, aut de alicuius caligine eclypſis. Ecquis nam eſt in totâ Eccleſiâ, *apud quem non eſt* hæc *tranſmutatio*, *vel viciſſitudinis obumbratio*; ſed præluſtri gratiæ nitore ſemper ſplenduit, obſcuri peccati, & ſplendidæ gratiæ alternas viciſſitudines ignorans, pia Dei æmulatione de luminis indefectâ conſtantia? Opinor, ea, ea inquam, quæ à Spiritu-ſancto ſupernè obumbrata, alternæ humanitùs obumbrationis non ſenſit iniuriam. Bellè Ansbertus: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te, nec viciſſitudinis obumbratio.* Quæ plenæ pulchritudini nitore ſemper ſplendet, abſque vllo vnquam vmbrarum næuo, & viciſſitudine obſcurationis, quando, aut quomodò de tenebroſo primæuæ culpæ ſqualore, ad tardæ gratiæ nitorem, vices cum peccato alternantis tranſmutatur? O bellè!

Iacob 1. v. 17. Apud Dazam ibi n. 16. & 18.

*In Deiparâ nulla vnquã fuit viciſſitudinis obumbratio, & quo ſenſu.*

Cant 4. v. 7. Ansbert. ibi.

5. Canticorum 1. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es ...... Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus: Lectulus noſter floridus,* Beata Deipara vti præ ceteris notat myſterium Incarnationis in ſe peractum, ita præ aliis Chriſti Dei & hominis pulchritudinem admiratur; vnde hanc de alterius pulchritudine velut contentionem ſacer Scriptor inducit. Sed quorsùm in hac amatoria pulchritudinis quaſi æmulatione, fit *Lectuli* mentio? Quid floridus *lectulus* ad vtriuſque pulchritudinem facit? Quænam eſt hæc pulchritudo, quam florida lecti venuſtas ſic adornat? Appoſitè Galatinus præſcripta Canticorum verba ſic ad rem præſentem exponit: *Ecce tu pulchra es amica mea....... Ecce tu pulcher es dilecte mi, &c. Quemadmodum ego abſque originali labe concepta ſum, ita tu quoque amicus meus: & idcircò pulcher es, & formoſus: Lectulus noſter, hoc eſt Conceptio noſtra eſt florida, & odorifera, abſque peccati corruptione.* O bona de Conceptione pulchritudo, de quâ Mater Virgo Filium Deum æmulatur! Contendit, contendit piè quidem præpropera Gratia in Deiparæ Conceptione, cum vnionis hypoſtaticæ auguſto priuilegio: & pura diuerſimodè Conceptionis pulchritudo, in vtriuſque Conceptione ineffabiliter concinnatur. Exindè dum eximia vtriuſque pulchritudo in Conceptione peccati exlex, de puritate contendit, immaculati *lectuli*, ideſt Conceptionis mentio tempeſtiua immiſcetur. Perrara hîc laudatur pulchritudo, quæ tota conſtat purâ Conceptionis venuſtate. *Ecce tu pulchra es, &c. Quemadmodum ego abſque originali labe concepta ſum, ita tu quoque amicus meus,* &c. Luculenter ſanè Galatinus.

Cant. 1. v. 15. & 16.

*Puritas Mariana Conceptionis puritatem Conceptionis Chriſti piè æmulatur.*

Galat. l. 7. c. 5.

## CAPVT XI.

*Verſ.* 15 Erat enim formoſa valdè, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur.

## CAPVT XV.

*Verſ.* 17. Facies tuá plena gratiarum.

## §. CCCXLVI.

*Marianæ pulchritudinis vitalis fulgor, obumbratione nitet: quæ nitet etiam pulchritudine diuina, cuius corpus ſanctitatis pulchritudine fulget: exindè pulchritudinum pulchritudo nominatur.*

SIracides loquens de cæli eximia pulchritudine, cap. 43. ita ſcribit: *Altitudinis firmamentum pulchritudo eius eſt, ſpecies cæli in viſione gloriæ.* Cùm verò Beata Deipara communiter dicatur à ſanctis Patribus, non exanimatæ cælum, quod oculis aſpectabile ſuſpicimus; ſed *cælum animatum*, meritò hoc cæli elogium Deiparæ accommodatur, & hunc locum Richardus ei ſpeciatim accommodat. Vide igitur quanta ſit Beatæ Virginis *pulchritudo*, quæ tantæ in ipsa *altitudinis firmamentum eſt*, ipſiuſque magnitudinem altè fundat. Quid cælo pulchrius? nam eius *ſpecies in viſione gloriæ*. Hùc pertinet expoſitio Palacij indidem; *Species cæli*, inquit, *eſt in viſione gloriæ, ideſt, ſpecies cæli eſt viſio gloriæ, hoc eſt perinde eſt ac ſi gloriam videres.* Quid pulchrius quàm gloriæ viſio? Qui Mariam contemplatur, gloriam videt: nam *pulchritudo* ſeu *ſpecies* huius animati *cæli in viſione gloriæ.* Quin & inanime cælum vix pulchrum dici poteſt, cùm vita careat, quæ eſt pulchritudinis vigor, teſte Platone ita Pulchrum definiente: *Pulchritudo eſt vitalis fulgor ex ipſo bono manans per ideas, rationes, ſemina, & vmbras effuſus, animos excitans vt per bonum in vnum redigantur* Ex hoc cælo pulchrè animato, *vitalis fulgor* emanat, dùm ab eo Chriſtus Deus, qui eſt ſplendor Patris, & candor lucis æternæ naſcitur; in quo vt potè corporata Dei Sapientia, rerum *ſemina, ideæ*, ac *rationes* per Spiritus ſancti *vmbram*, ſeu *obumbrationem*, *in vnum rediguntur.* Quid Marianæ pulchritudini accommodatius?

1\. Eccli 43. v. 1. Richard. l. 4.

*Maria pulchritudo, quæ eſt ſpecies gloriæ, eſt ſua magnitudinis firmamentũ.*

Palacios apud Corn. ibi.

*Elegantes argutæ Pulchri definitio.*

Plato in Menone, Protagor. & Alcibiad.

Canticorum 1. *Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decolorauit me Sol.* Hoc poſterius hemiſtichium vertit Aquila, *Combuſſit me Sol.* LXX. interpretes, *Deſpexit*, hoc eſt, obliquè aſpexit *me Sol.* S. Ambroſius lib. de Iſaac & anim. cap. 4. *Quoniam non eſt intuitus me Sol.* Nimirùm Virgo Deipara ſe ſubnigram dicit, quia Sole 2.

Cant. 1 v. 6. Aquila Lxx. interp. S. Ambr.

*Decora B. Virginis pulchritudo obumbratione manifeſtatur, & augetur.*
Idiota.

eam obliquè aſpiciente, quaſi illam non fuiſſet intuitus, fuſca erat vmbræ adinſtar: nam Deum ex viſceribus ſuis generaret, non candicans, aut dealbata, ſiuè à Sole directè irradiata, ſed *obumbrata* à Spiritu-ſancto perhibetur: à quâ velut *fuſcâ obumbratione* mirè Deipara venuſtatur, & egregiè pulchreſcit. Opportunè ſapientiſſimus Idiota, Contemp. de Mariâ Virgine, cap. 2. *Miranda illa obumbratio*, inquit, *Spiritus-ſancti, quæ te vno momento templum Dei irradiauit, & decorem tuum manifeſtauit, & auxit.* Ergò ab hâc Spiritus-ſancti arcanâ *vmbrâ*, & fuſcatione decoloratur, & lumen fœnerat, quo decorem *auget* & auctum *manifeſtat*. Porrò *vmbra* ſicut luminis imminutio, ita decoris detrimentum, & illius abſconſio eſt: hic autem fuſca, & decolor obumbratio, adeò eſt ineffabilis, vt Deiparæ pulchritudinem è diuerſo *augeat*, & perſpicuè *manifeſtet*. Nam aſpectabilior venuſtas, & pulchrior

Plato ſuprà.

ſpecies, non tantùm nitore fulget, ſed vmbris niteſcit: *Pulchritudo eſt vitalis fulgor, ex ipſo bono manans per ideas, rationes, ſemina, & vmbras effuſus* Igitur Spiritus-ſancti *obumbratio*, quâ velut infuſcatur & ſubnigreſcit Deipara (dum vitalis fulgor diuinitatis medullitùs conuiſceratæ *vmbras effundit*) conſummatam illi pulchritudinem aſciſcit, & eius *decorem manifeſtauit, & auxit*. O quàm pulchrè inexpugnabilis eſt decor, quem vmbræ fuſcatio auget ad pulchritudinem, & venuſtat ad illuſtriorem pulchritudinis gratiam!

3.
Cant. 1. v. 15.
Lxx. interp.
*Humilitas & Virginitas eſt Marianæ pulchritudinis menſura.*
Hugo Victor.

Canticorum 1. *Ecce tu pulchra es amica mea* (Lxx. interpretes, *proxima*) *ecce tu pulchra es.....* *Ecce tu pulcher es Dilecte mi, & decorus.* Hugo Victorinus Serm. 2. de Aſſumptione, vtriuſque pulchritudinem eleganter componit. Et cùm bis Sponſa dicatur pulchra, geminatam in Deiparâ virginitatis ac humilitatis pulchritudinem deprædicat, ſic fatus: *O qualis*, inquit, *ſocietas, totus pulcher totam pulchram ſibi ſociat: Ego totus pulcher, & tu tota pulchra. Ego per naturam, & tu per gratiam. Ego totus pulcher, quia totum quod pulchrum eſt in me eſt. Tu tota pulchra, quia nihil quod turpe eſt in te eſt. Pulchra in corpore, pulchra in mente. In corpore pulchram te facit integritas virginitatis: in mente pulchram exhibet virtus humilitatis. Tota ergò pulchra es, corpore niuea, mente ſincera.* (Nota verba, quæ poſt pauca notanter ſubiicit) *Nec alia talem decebat; nec alius tali inueniri poterat. O digna digni, formoſa pulchri, munda incorrupti, excelſa altiſſimi, Mater Dei, Sponſa Regis æterni.* Itaque modulatè ſibi concinit, & concinnè reſpondet alternum vtriuſque ipſiſſimum elogium: *Ecce tu pulchra es: Ecce tu pulcher es*: quia *nec alia talem decebat; nec alius tali inueniri poterat.* Pulchrè ſanè Hugo Victorinus de Mariæ pulchritudine cenſet, eamque cum Virginitate purâ, & mirâ Humilitate reciprocat, adeò vt Virginitas, & Humilitas ſit Marianæ pulchritudinis menſura. Sed ſuper hunc Canticorum locum viuaciùs, opinor, philoſophatur

*Num B. Deipara Deum ſibi conuiſcerans, pulchritudine diuinâ pulchreſcit?*
Rupert. l. 6. in Cant.

Rupertus, aiens: *Ecce tu pulchra es, &c. Quandò Spiritus-ſanctus in te ſuperuenit, & Filium, Virgo, concepiſti, tunc tu, & ex tunc pulchra pulchritudine diuinâ* Parùm foret Deiparæ, Virginitate in conceptu & partu; & humilitate, in tantâ faſtigij dignitate pulchreſcere, etſi creatæ pulchritudinis meta videatur; niſi Deipara Deum animitùs & medullitùs ſibi maternitate conuiſcerans, dum *vitalis fulgor* ex ipſo ſummo bono manans, *obumbrationis* nitore arcanè proditur, *tunc, & ex tunc pulchra pulchritudine diuinâ* appareret. Quid tam immetatè pulchrum, quàm quod *pulchritudine diuina* pulcreſcit? Mariæ pulchrior ſpecies (quam cælum æmulari præſumit) in *viſione gloriæ* ſumptuoſiùs tranſlucet: & vita-

4.
*Quo pacto Deipara diuinâ pulchritudine pulchreſcere dicatur.*
Richard. à S. Laur. l. 5. ſub initium.

lis ſplendor Filij in Matre Virgine effuſus, maternâ Spiritus-ſancti obumbratione rectus, fidei oculis micanter tranſpatet. O quàm eſt pulchra, quæ *totum quod pulchrum eſt*, in ſuis viſceribus continens, *pulchritudine diuina* pulchreſcit! Vnde cùm ſic *pulchra* à Spōſo dicitur, *proxima* nominatur: quia de conuiſceratâ vicinitate ſic pulchreſcit. Iiuſmodi *vitalis fulgor* Diuinitatis, qui in Deiparâ ipſâ, & per ipſam tranſlucet, & quo *pulchritudine diuina* nitet, apprimè his verbis à Richardo exponitur: *Sicut ferrum*, inquit, *ab igne extractum, non ſolùm ignitum, imò totum eſt ignis; & ſicut aër illuſtratus à Sole, qui dum inflammat aerem, ſuum ei imprimit calorem, totus Sol efficitur; & velut aquæ gutta, dolio vini optimi infuſa, tota tranſit in odorem, in ſaporem, & in colorem vini; & ſicut vitrum candidum & purum illuſtratum à ſole, tranſit in ſplendorem & calorem Solis..... ſic anima Mariæ Spiritu-ſancto repleta, & maximè luce illa cæleſti, id eſt, Filio Dei in eam deſcendente, non ſolùm luminoſa eſt iā effecta, ſed tota eſt deificata. Et ſicut Dei Filius carnem aſſumēs ex ea, in ea informatus eſt vſquequaque; ſic quandò de eius ſubſtantia Filius carnem induit, ipſa Beata Virgo quiddam diuinum nobis ineffabile ex Dei omnipotentia mutuanit.* Longiuſculè, ſed planè, eleganter. Hic, hic inquam, eſt Marianæ pulchritudinis *vitalis fulgor*, quo *pulchritudine diuina* arcanè pulchreſcit.

5.
Ierem. 31. v. 23.

Ieremiæ 31. poſtquam Propheta Dei in Deiparâ corporationem prædixit, aiens: Creauit Dominus nouum ſuper terram. *Femina circumdabit virum*, ſubdit verſ. ſequenti. *Benedicat tibi Dominus pulchritudo iuſtitiæ, mons ſanctus.* Quænam eſt hæc *iuſtitiæ pulchritudo*? An non iuſtitia & ſanctitas eſt ipſa animæ pulchritudo, quá animitùs eximiè venuſtat? Fateor nonnullos per *iuſtitiæ pulchritudinem* intelligere Eccleſiam: ſed forſan aptiùs Deipara intelligitur, quæ nuper *circumdare virum* perhibetur, & confeſtim *Mons ſanctus* appellatur. Igitur Virgo Deipara pulchræ iuſtitiæ & ſanctitatis pulchrum decus eſt, ipſam egregiè decorans. Adeò vt Gregorius

Greg. Nico. Orat. de Oblat.
*Deipara dicitur iuſtitiæ id eſt, pulchritudinum pulcherrima pulchritudo.*

Nicomedienſis Virginem alloquens exclamauerit? *O pulcherrima pulchritudo pulchritudinum! ô Dei genitrix pulchrorum omnium ſummum ornamentum!* An deformiter fœda eſt humana pulchritudo, quam Deiparæ pulchritudo non venuſtat? Saltem Beatæ Virginis pulchritudini comparata, tenuis eſt, & admodùm exigua, quin & *iuſtitia pulchritudo* per Mariam comparatur, & niſi illam ſuâ intercesſione fouerit, flacceſcit, languet, cadaueraſcit. Vndè iuſtitiæ vigor, pulchritudo, nitor, per Mariam floridè vernat, pulchrè floret, & maturè autumnat ad gloriæ prouentum: qui ſine Mariæ interuentu deformiter marceſceret ignauo interitu. Exindè cùm Beata Deipara humanæ iuſtitiæ vel ſanctitatis vigor, id eſt, conſtantia, ſeu permanentia ſit, ne langueat ad interitum, eius, viuidus nitor, ſeu viuax pulchritudo nominatur: & non modo pulchrorum omnium ſummum ornamentum, & venuſtatis decus; ſed pulchræ *iuſtitia pulchritudo*, ideſt,

id eſt, *pulchritudinum pulcherrima pulchritudo*, prædicatur:

Iſaiæ 11.v.1. Rupert.

*Deipara pulchritudo eſt Chriſtus Deus eius Filius.*

6. Viuaciùs forſan Beata Deipara appellatur, *Pulcherrima pulchritudo pulchritudinum*, quia *pulchritudine diuinâ* eximiè pulchreſcit. quod elogium adhuc aliter enucleandum eſt, ex illo Iſaiæ oraculo: *egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*. Communiter ſancti Patres & huius loci Interpretes ſicut in *virgâ* Deiparam, ita in huius *virgæ flore* Chriſtum eius Filium agnoſcunt. quod egregiè expendit Rupertus lib. 1. in cantica, ſic fatus Deiparæ nomine: *Verè ergò dicis mihi: Ecce tu pulchra es: & dico tibi: Ecce tu pulcher es; quia tu pulchritudo mea es. quod ego pulchra ſum, totum tibi attribuendum eſt: neque enim virga floris, ſed flos virgæ pulchritudo eſt.* An non *pulchritudine diuinâ* pulchreſcit, quæ eius Filio Chriſto Deo verè dicere potuit, *Tu pulchritudo mea es*? Cùm igitur Deipara Chriſti Dei *pulchritudine diuinâ* pulchreſcat, rectè eius pulchritudo, *pulchritudo iuſtitiæ* dici poteſt, & *pulcherrima pulchritudo pulchritudinum*.

7. Eſther 2. v. 15.

*In Maria etiam corpore admirari eſt ſanctitatis pulchritudinem.*

S. Gregor. Thau. apud Nouar. in Vmb. Virg. n. 257. vbi ex Græco ita legit.

Eſther 2. Et adamauit eam Rex plus quàm omnes mulieres, habuitque gratiam & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite eius. *Erat enim formoſa valdè & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur.* Quomodò Eſtheris pulchritudo dici poteſt *incredibilis*, ſiquidem ſpectatorum oculis patebat? quòd euidentiâ oculorum percipitur, quo pacto capit ambiguũ *incredibilitatis* elogiũ? Indè cenſere liceat hæc verba Marianam potiùs pulchritudinem adumbrare: quâ in re antitypus typum excellit. Ergò figuratæ Eſtheris, Deiparæ inquam, pulchritudinem ſic Gregorius Thaumaturgus admiratur, ſerm. 1. de Annunc. B. Mariæ: *Nec ſolum admirari eſt ſanctitatis pulchritudinem in corpore, ſed & virtutes animæ eius.* Nimirùm humanum corpus vniuerſatim ſulphureum eſt, & concupiſcentiæ fomes pulchritudinis ſcintillâ ad libidinem ſufflammatur: & generatim corpus fœditatibus peccatorum cognatum eſt; viciniorémque cognationem à corporeâ pulchritudine fœneratur: anima verò virtutum decore venuſtatur, & venuſtate ſanctitatum pulchreſcit. Igitur in Deiparæ *corpore admirari eſt ſanctitatis pulchritudinem*, quaſi Marianæ pulchritudinis *vitalis fulgor* in eius etiam corpore niteat ad virtutis gratiam, & ſanctitatis gloriam. Vis noſſe virtutis faciem, & pulchram gratiæ ac ſanctitatis ſpeciem? Mariæ vultum vide, intuere Mariam Mariam contemplare, & dum in eius etiam *corpore admiraris ſanctitatis pulchritudinem*, eius *incredibilem pulchritudinem* peruidiſti. De Mariæ enim pulchritudine etiam quæ videntur *incredibilia*, oculis videre licet. Indè figuratæ Eſtheris, potiùs quam Aſſueri *facies*, *plena gratiarum* perhibetur. Quod elogium Richardus Deiparæ accommodat.

Eſther. 15. v. 17. Richard. à S. Laur. alibi expenſus.

* * *

---

## CAPVT VIII.

*Verſ.* 1. Die illo dedit rex Aſſuerus Eſther reginæ domum Aman aduerſarij Iudæorum,

## CAPVT V.

*Verſ.* 4. Quid vis Eſther regina? etiamſi dimidiam partem regni mei petieris dabitur tibi.

## ſ. CCCXLVII.

### *B. Deipara alioqui paupercula nummario cenſu, opulentis ſanctitatum omnium gazis prædiues fuit.*

1. In relat. S. Brigitt. in ſerm. Angeli c. 10. Match. 6. v. 21.

*B. Anna eſt Omnipotentis gazophylacium: & Maria theſaurus, in quo eſt cor Dei.*

SEntentiosè B. Anna nuncupatur, *Omnipotentis Dei gazophylacium*. Et peridoneè ſubditur: *O quàm propè erat iugiter cor Dei huic theſauro, qui poſtmodùm in Euangelio dixit: Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum!* Neque vacat vox *omnipotentis*, dum Anna in vtero geſtans Mariam, opulentum ſanè Dei theſaurum, dicitur *Omnipotentis Dei gazophylacium*. Porrò *Omnipotentia* ſicut diuitiarum Dei adextrà eſt matrix, ſic & theſaurorum Dei cenſus eſt. Grande quidem Marianæ animitùs opulentiæ elogium, quòd diuinæ *Omnipotentiæ* theſaurus, & prædiues opulentia cenſeatur ex Virgine. Sic immenſis gratiæ opibus diuitatur! Quin & Deus, tametſi ſibi abundè ſufficiens, & nullius indigus, hîc antropopathôs huius theſauri velut auarus inducitur, ac ſi cor illi addixerit, & quaſi auarè adhæſerit. *Sic propè erat iugiter cor Dei huic theſauro! Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* O quàm opulentè prædiues eſt theſaurus, & quàm Omnipotentiæ gazis exundat, qui diuinum cor ſic tenere, & velut implere perhibetur! *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa.* Ambroſius, *Cor meum cepiſti.* Syrus, *confidere me feciſti.* Hic theſaurus cor Dei cepit; In eo Deus ne confidit? *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*, Quàm ſit pretioſus huius theſauri cẽſus, his verbis Richardus tradit lib. 2. de laudib. Virginis: *Corpus eius terra eſt Heuilath, de quâ exortum eſt aurum peroptimum, ſcilicet caro Chriſti, ex cuius pretio impretiabili omnes iuſti locupletati ſunt, & redempti.* Quid opulentius?

Cantic. 4. v. 9. S. Ambr. in Pſal. 118. Syrus. Richardus. Gen. 2. v. 11.

2. Prouerbiorum 8. ſic diuinæ Sapientiæ nomine, de ſe Deipara loquitur ex communi Interpretum ſententiâ: *Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Per me principes imperant*, &c. τὸ *per me*, Hebraicè habetur, *in me*. quaſi in Mariâ, & per Mariam Reges omnes regnent, & Principes imperent; ac proindè ipſa ſit Regum omnium, rerumque Regina. A Chriſto hoc regnandi ius (ait inibi Cornelius) participauit B. Virgo, tanquam eius mater. Regis enim mater regina ſit oportet, vti concludit Athanaſius Serm. de Deiparâ. Idque quia mater in filium regem ius habet maternum, quo ei quaſi filio poteſt præcipere & imperare: quare hoc quoque ius habuit B. Virgo in Chriſtum. Cùm enim

Prouerb. 8. v. 15. & 16. Cornel ibi. S. Athanaſ.

*Oportebat Dei Matrem ea, quæ Filij ſunt, poſſidere naturali maternitatis iure.*

filius naturaliter parentibus ſubiectus ſit, hinc fit vt quæcumque naturaliter habet filius, eadem quoque parentibus cedant,& obueniant: Chriſtus autem naturaliter, puta ex vi vnionis hypoſtaticæ habuit dominium in omnia; ergò idem obuenit quoque eius matri. Vnde ipſa à S. Athanaſio, Ruperto, Ildefonſo, Anſelmo, Bernardo, imò à totâ Eccleſiâ ſalutatur *Regina cæli & terræ, regina hominum & angelorum.* Itaque quæ vniuerſatim ait, *Per me Reges regnant, & Principes imperant*, etiam iure matris ſuper Filij ſui regno regnare perhibetur. Qua ſuper re ſcitè Damaſcenus: *Oportebat*, inquit, *Dei matrem ea, quæ filij erant, poſſidere, atque ab omnibus rebus conditis vt Dei matrem adorari. Quamquam enim ſemper ita compertum eſt, vt hereditas à parentibus ad filios deuoluatur; nunc autem (vt eruditi cuiuſdam viri verbis vtar) ſurſum ſacrorum fluminum fontes fluunt. Etenim filius matri res omnes conditas in ſeruitutem addixit.* Cùm ergò hereditas Filij Dei deuoluatur ad Dei Matrem, vide quàm opulentum omnipotentiæ theſaurum, diuinæ Maternitatis iure Deipara poſſideat. Vndè facta eſt Dei gazophylacium, omnipotentiæ cenſus, & ſupernarum opum locuples theſaurus. *Oportebat Dei Matrem ea, quæ Filij erant, poſſidere.* Idcircò ait Rupertus: *Prædicabitur de te quòd ſis Mater Chriſti; ac proindè Regina cælorum, totum iure poſſidens Filij regnum.* Et S. Antoninus: *Maria propter Chriſtum Imperatrix, & Monarcha eſt mundi.* Rationem reddit S. Bernardinus: *Quoniam Chriſtus Dominus eius Filius, in primo inſtanti ſuæ conceptionis Monarchiam totius obtinuit vniuerſi.* Quid opulentius?

S. Athanaſ. Rupertus S. Ildefonſ. S. Anſelmus S. Bernard.

S. Damaſc. Orat. 2. de Aſſump.

*Deipara maternis iure Monarcha vniuerſi.*

Rupert. l. 3. in Cantic. 4. S. Anton. 4. p. tit. 15. S. Bernardin. tom. 1. con. 61 ar. 1. c. 7.

3. Pergit inibi Salomon ore Deiparæ loquens: *Mecum ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia.* Symmachus pro τὸ mecum, vertit, *à me.* LXX. interpretes: *Mihi eſt poſſeſſio multorum.* Quaſi dicat: *Mecum*, vel *mihi ſunt diuitiæ*, quæ *à me* ſunt; ſed ita largè omnibus diſtribuuntur, ac ſi quod *mecum* aut *mihi* eſt, foret *poſſeſſio multorum: quia hæc eſt voluntas eius,* (Dei) *qui totum nos habere voluit per Mariam*, inquit S. Bernardus Serm. de Natiuit. Benè quidem pro expendendarum opum largâ Deiparæ beneficentiâ. Sed quare eius *opes ſuperbæ* nominantur? Superbiæ nomine pollui debuit humillimæ Virginis prædiues opulentia? Quid eſt *opes ſuperbæ*; id eſt, peramplæ, magnificæ; ſic moles ſuperba, ſuperba palatia aut templa dicuntur. Scilicet, nomine, vocabulo tenus vitio confine, exponitur præcelſè ineffabilis, & arcanè inſuſpicabilis excellentia opulentiæ Marianæ. Quâ ſuper re audiendus eſt Methodius in hypapantem, ſic Virginem alloquens: *Tu Deo alioquin nullius indigenti, carnem quam non habebat, dediſti: quo (inquam) hac ratione Omnipotens, id quod eſſe dignatus eſt, homo videlicet verè appareret. Quid hoc illuſtrius? quidue ſublimius? qui cælum & terram implet, cuius præterea ſunt omnia quæcumque mouentur, atque ſubſiſtunt, is tui factus eſt indigus; tu enim admirabilem incarnationem, quam aliquandò non habuit, Deo mutuatam dediſti.* Vide hîc Deiparæ *ſuperbas opes.* Deus ſuâ naturâ & eſsētiâ ſibi ſufficiens eſt: *is autem alioquin nullius indigens*, Deiparæ *factus eſt indigus*, vt Deo dignam carnem aſſumeret: & cui omnes omnia debemus, hoc ei ipſe debet. Quo niſi *Superbarum opum* nomine, tanta Mariæ opulentia adumbrari potuit; Velut *Superbiam* piè ſubolet, Deum nullius indigentem, velut ſupplicem & *indigum* ſui habere. An autem myſterio vacet, quòd non dixit Methodius B. Virginem donaſſe Verbo carnem, ſed *mutuam dediſſe*, alibi forſan emedullabitur. Non amo per exaggerationum crepidines æquiuoco greſſu incedere.

Prouerb. 8. v. 18. Symmachus LXX. interpr.

S. Bern. *Quod B. Virgo ſibi poſſidet, dicitur poſſeſſio multorum.*

Methodius

*Deus, qui ſibi ſufficiens eſt, cur Deiparæ indigus dicitur?*

Apocalypſis 12. *Signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim. Et in vtero habens*, &c. Magnum hoc ſignum, ſeu prodigium, de B. Virgine communiter exponitur. Inter Expoſitores autem non conuenit, vndè hæc magnitudo, ſeu altitudo ſumenda ſit: nam multimodè hanc altitudinem metiuntur. Noſter Cornelius ita inibi ſcribit: *Signum magnum, &c. viſa eſt S. Ioanni Mulier, Mulier magna amicta Sole, coronata ſtellis, calcans Lunam, pariēs maſculum.* Itaque dicitur *ſignum magnum*, quia in cælo viſa eſt. *Mulier magna, habens in vtero, & pariens maſculum.* ô quàm idoneè Deiparæ altitudo, & opulentiæ ſublimitas, indè menſuranda eſt! Appoſitè S. Bernardus Senenſis: *ô ſtupendum*, inquit, *miraculum, & inaudita altitudinis faſtigium, vt à Muliere Dei Filius quodammodò recognoſcere videatur ſuum eſſe humanum.* Non dicitur *Mulier magna*, quia cæleſti Sole micanter veſtitur; non quia ſidereo ſtellarum iubare coronatur; non quia Phœbe magni Phœbi regia coniux, eius ambitiosè veſtigia lambit. *Mulier magna* dicitur. Recognoſce tamen *inauditæ altitudinis faſtigium: A Muliere Dei Filius quodammodò recognoſcere videtur ſuum eſſe humanum.* ô ſuperbas opes, & inſuſpicabile opulentiæ faſtigium! Dei Filius à Muliere quodammodò recognoſcere videtur ſuum eſſe humanū? *Euge euge Mater Dei, & ancilla, euge euge, quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur: Deo namque vniuerſi debemus, tibi verò etiam ille debet.* Hic planè debebantur notiſſima Methodij verba. 4.

Apocal. 12. v. 1. & 2.

Cornelius.

*Dei Filius à muliere quodammodo recognoſcere videtur ſuū eſſe humanū.*

S. Bern. tom. 3. Ser. 11. ar. 2. c. 2.

Method. in hypapant.

Iſaiæ 10. *Conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam.* Super hac perbreui ſententiâ latè expatiantur Interpretes. Succinctè inibi Cornelius: *Conſummatio abbreuiata*, id eſt, pauci credentes, putà Apoſtoli, *inundabunt iuſtitiam*, id eſt, inſtar fluminum, inter Gentes fidem Chriſti Dei, Euangelij iuſtitiam, & omnes ſanctitates diſpergent. Quod in B. Deiparam aptiùs quadrat; ſic enim fuit gratiis plena, virtutibus cumulata, & ſanctitatibus exundans, vt rectè dici poſſit, Perfectionum *conſummatio abbreuiata inundans iuſtitiam.* De B. Deiparâ citiùs quàm de Epiphanio dixit S. Ennodius: *In quo clarum eſt epitoma omnium virtutum. Momenta condenſabat.* Sanè *epitoma*, eſt compendium, ſeu abbreuiatio. Nimirùm Deipara, cuius gratiæ *immenſitas* frequenter à Sanctis Patribus prædicatur, omnes virtutes latè exercebat, & poſſidebat altè? tamen vt earum *immenſam* amplitudinem admittere poſſet, quantumuis ipſa ſanctitatum immenſè capaciſſima, virtutum *immenſitatem* quaſi ſtringebat condenſabátque, quò illas velut ad minus ſpatium abbreuiaret, & ad compendium, vel epitomam redigeret; non detrimento virtutis, ſed miro ſanctitatum omnium incremento. Imò & *momenta condenſabat*, ad meriti amplitudinem, & gloriæ auctarium. Argutum ſanè virtutis ingenium, ſpiſſare pietates, virtutes addenſare, & ſanctitatum abbreuiare momenta, vt earum *immenſitatem* capere valeat. *Conſummatio abbreuiata inundabit* 5.

Iſaiæ 10. v. 22. Cornel. ibi.

*In Deiparâ fuit conſummatio virtutum abbreuiata, quia momenta addenſabat.*

S. Ennod. de vitâ Epiph.

*dabit iuſtitiam*: nam *momenta condenſat, in quâ clarum eſt epitoma omnium virtutum.* Vide hîc gratiarum omnium opulentiam. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.* Chaldæus pro *congregauerunt*, habet *poſſederunt.* Hebræus *fecerunt.* Ita quidem, in quâ eſt virtutum omnium *epitoma*, & omnium ſanctitatum *conſummatio abbreuiata.* Appoſitè de ſuâ Gorgoniâ Nazianzenus: *Et vt quoſdam fuiſſe demus, qui vnâ aliquâ virtute cum ipſa contenderent,* (nemo ſic arroganter de ſe præſumpſit) *at certè hoc nomine omnes vicit, quod vna virtutes omnes complexa eſt. Sic enim omnia prælucit, vt ne mediocriter quidem vnum quiſquam alius; ſic autem ad ſummum ſingula, vt vel vnum ſolum pro omnibus abundè ſufficeret.* Nazianzeno Emiſſenus ſuccedat, pari ingenio, nec impari eloquio: *Sic in ſe excoluit gratiam vnamquamque quaſi ſolam: pauci ſic tenuerunt ſingulas, quomodò illa in ſe impleuit vniuerſas.* Ergò tametſi multæ filiæ abundè fecerint, congregauerint, & poſſederint diuitias, ò B. Deipara, *tu ſupergreſſa eſ vniuerſas*, quæ omnium ſanctitatum *epitome, momenta condenſabas*, vt *conſummatio abbreuiata inundaret iuſtitiam.*

Prouerb. 31. v. 19. Chaldæus Hebræus

S Naz Orat. 11. de S. Gor. *Sic Deipara impleuit omnes virtutes, quaſi aliquã ſolam coluiſſet.*

Emiſ homil. de S. Max hæc de ipſo ſcribit.

6. Prouerbiorum 31. *Mulierem fortem quis inueniet?* (Quaſi dicat: Inuentu non eſt impoſſibilis, ſed difficilis: eſt enim velut rara auis in terrâ, nempè vna Deipara) *Procul & de vltimis finibus pretium eius.* Hebraicè, *Præ margaritis*, ſiuè *vnionibus pretium eius.* Quæ verba exponens Bernardus, ait: *Mulierem fortem quis inueniet? At ne hoc quæſiſſe putent deſperando, ſubdit prophetando: Procul & de vltimis finibus pretium eius, hoc eſt, non vile, non paruum, non mediocre, non denique de terrâ, ſed de cælo; nec de cælo proximo terris, pretium fortis huius mulieris, ſed à ſummo cælo egreſſio eius.* Aſt non ſolùm *quærendo*, ſed nec *prophetando* adhuc inuentum, aut proditum eſt huius Viraginis magnum *pretium, margaritis*, ſeu *vnionibus* pretioſius. S. Ildefonſus quo pollebat ingenij acumine, & in Deiparam pietate, poſtquam illam appellauit *ſolum Opus incarnationis*, & *Opus Redemptionis*, ſubdit: *Quod enim Chriſtus Deus in mea redemptione eſt operatus, in tuæ perſonæ veritate formauit. Quod mihi Redemptor factus eſt, tibi Filius fuit.* (Addit opportuniſſimè) *Quod pretium emptionis meæ factus eſt, ex carne tua eius Incarnatio fuit.... ô ſalutis ac vitæ meæ ſimul & gloriæ premium, grandi opulentia magnum!* Profundè quidem Ildefonſus! Profectò Redemptionis noſtræ *pretium*, ex theſauro carnis & ſanguinis Mariæ ſumptum eſt: præ *margaritis*, ſeu *vnionibus pretium* huius Mulieris, Deiparæ inquam, *grandi opulentia magnum.* ô Deiparæ piè *ſuperbas opes!* Quare autem Maria dicatur *Gloria præmium*, alibi forſan enucleabimus.

Prouerb. 31. v. 10 Hebræus S. Ber. ſer. 2. ſuper Miſſus eſt.

*De theſauro Marian. vteri, pretium noſtræ redemptionis depromptum eſt.*

S. Ildef. de Virg. S. Mariæ c. 12.

## CAPVT XI.

*Verſ.* 15. Erat enim formoſa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur.

*Verſ.* 17. Et adamauit eam Rex plus quàm omnes mulieres, habuitque gratiam & miſericordiam coram eo.

## §. CCCXLVIII.

### *Marianæ gratiæ plenitudo proponitur, & multimodè expenditur.*

S. Bernardus Serm. 4. ſuper Miſſus eſt, pulchrè addubitat, quo pacto Angelus Deiparæ dicat, *Spiritus-ſanctus ſuperueniet in te*, cui nuper dixerat, *Gratia plena.* Sed præſtat id audire ex ore Bernardi, ſic arguitè aientis: *Superiùs dicta eſt eſſe gratia plena, & nunc quomodò dicitur: Spiritus-ſanctus ſuperueniet in te; Nunquid potuit repleri gratia, & needum habere Spiritum-ſanctum, cùm ipſe ſit dator gratiarum? Si autem iam Spiritus-ſanctus in ea erat, quomodò adhuc tanquam nouiter ſuperuenturus repromittitur? An fortè ideo non dixit ſimpliciter, Veniet in te, ſed addidit Super; quia priùs quidem in ea fuit per multam gratiam, ſed nunc ſuperuenire nunciatur, propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effuſurus eſt ſuper illam?* Ecce tibi quàm exuberanti gratiarum, virtutũ ac ſanctitatum omnium plenitudine Maria exundet; cùm adhuc gratiis plena, vlteriori Spiritus-ſancti plenitudine vberiùs ſuperfundenda dicatur. O Marianæ *gratiæ immenſitatem!* Sed vlteriùs iſtiuſmodi gratiæ plenitudo emedullanda adhuc ſupereſt: coluit enim gratiarum *incredibili pulchritudine.* 1.

Lucæ 1. v. 36. & 28.

S. Bernar.

*Maria gratijs plena, adhuc Spiritum ſuperuenturum ab Angelo promittitur.*

P. Dam. ſer. de Virg. Aſſump. Eſth. 2 v. 15.

2. Lucæ 1. his verbis cæleſtis Paranymphus Beatam Virginem ſalutat: Aue *gratia plena.* Aſt ſi *gratia plena.* Ab Angelo renunciatur, quo pacto confeſtim idem Angelus ſubdit, *Spiritus-ſanctus ſuperueniet in te?* Profectò aut non eſt *gratia plena*, quæ vlteriorem à Spiritu-ſancto gratiæ plenitudinem expectat; aut ſi *plena* iam eſt, vacare videtur Spiritus-ſancti ſuperuentus ab Angelo promiſſus. Niſi forſan Spiritus-ſanctus plenitudinem ipſam adhuc impleat, quæ arcana plenitudinis exaggeratio foret: alioqui planè effundit, qui mittit in plenum; & effluentem palàm exuberantiam, citiùs quàm addenſatam plenitudinem operatur. Verùm S. Baſilius exponens infrà ſcripta ipſius Deiparæ verba, *Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*, ita profundè ſcribit de Marianæ gratiæ ineffabili immenſitate: *Virgo ſancta totam ſibi hauſerat Spiritus gratiam* ô quàm eſt gratiarum bibula, & quàm laxos habet immenſæ capacitatis ſinus, quæ *totam ſibi* Spiritus-ſancti *gratiam hauſiſſe* perhibetur; ô quàm hianter gratiam ſitit, quæ *totam* Spiritus-ſancti gratiam plenè *haurire* dicitur! Num quæ *totam* Spiritus-ſancti *gratiam hauſit*, eam forſan exhauſit? Porrò quæ *totum haurit*, illud exhaurire videtur: nam vltra *totum*, nihil adhuc ſupereſt; alioqui non eſſet *totum*, ſi aliquid ſupereſſet. Aſt de infinito gratiarum conceptaculo, haurire quis plenè poteſt; illud autem planè exhaurire non poteſt: nam quod immenſum eſt, & omnipotenter infinitum ſicut à fine exemptum eſt, ſic ab exhauritione prorſùs immune. Quid igitur eſt quòd Virgo Deipara, quæ *gratia plena* dicitur, adhuc expectat munificum Spiritus-ſancti ſuperuentum, vt *totam ſibi hauriat Spiritus gratiam?* ô arcanum Marianæ gratiæ Sacramentum, mundo prorſùs ineffabile! Profectò quæ Deum ſibi conuiſcerare meruit, totam hauſit, & exhauſit Spiritus-ſancti gratiã: quid enim vltra Deũ ipſum, Spiritus-ſancti omnipotens beneficentia vltra donare ualet?

Lucæ 1. v. 28. & 36.

*Quo pacto B. Virgo totam Spiritus-ſancti gratiam hauſiſſe dicatur.*

S. Baſilius apud Catenã ibi.

Pſalmo

3. Pſalmo 21. ſic Dauidis ore Chriſtus Deus Deum Patrem orat: *Erue a framea Deus animam meam,& de manu canis vnicam meam.* Tò *anima* pro *vita* ponitur, vt inibi notant Interpretes. Pro τὸ *vnicam* Lxx. habent, *vnigenitam*, Chaldæus verò, *Spiritum corporis mei.* Itaque *anima*, & *vnica* tanquam ſynonyma ponuntur. Sanè *vnica* dicitur ſua cuique anima, Spiritus, & vita, quia chariſſima, & quam Homerus vocat *amicum cor*, Per *vnicam*, ſeu *animam*, ſeu *ſpiritum* Chriſti, S. Auguſtinus Deiparam myſticè intelligit. Quaſi Deipara tanto gratiæ cenſu ſit ſumptuoſiùs dotata, vt *anima* ſeu *ſpiritus* Chriſti, & Chriſti *amicum cor* nominari mereatur. Hùc forſan alludit Arnoldus Carnotenſis, Tractatu de Laudibus Virg. dum inquit: *Vna eſt Maria & Chriſti caro, vnus Spiritus, vna Charitas.* Vnica eſt Chriſto, cuius vna eſt vtriuſque caro. *Vnus Spiritus* vtriuſque eſt, quæ *anima* ſeu *vita*, ſeu *Spiritus* Chriſti Dei, à Prophetâ nominatur. *Vna Charitas* etiam eſt, quæ Chriſti Filij ſui *amicum cor* profundè nuncupatur. Quæ nam dici, excogitariue poteſt hâc gratiâ ſublimior, hâc prærogatiuâ ſublimiùs auguſtâ? An non quæ *vna caro, vnus ſpiritus, vna charitas* cum Chriſto dicitur; eius *vnica anima, vita, Spiritus*, dici etiam poteſt, & *totam ſibi hauſiſſe Spiritus gratiam*? Quid gratiæ donandum ei ſupereſt, quæ de arcanâ Spiritus ſancti obumbratione, eius verus Filius verè Deus eſt; eiúſque & *anima*, & *vita*, & *ſpiritus* nominatur? Nil infra Deitatem nexu hypoſtatico vnitam, huic Marianæ gratiæ antiſtat.

*Pſal. 21. v. 21.* *Lxx. Interp. Chaldæus.* *Homer. S. Aug. apud Lorin. ibi.* *Deiparâ, Chriſti anima, vita, & ſpiritus nũcupatur.* *Arnol. Car.*

4. Eſtheris 2. Et adamauit eam (Eſtherem inquam) Rex Aſſuerus plus quàm omnes mulieres, *habuítque gratiam* & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres: *Et poſuit diadema regni in capite eius.* Itaque Eſther dum Perſicæ latiſſimè Monarchiæ inauguratur vnicè Regina, & regni diademа glorioſè coronatur, non tam aſſimili, quàm eadem cum Aſſuero dignitate extollitur. Menſura enim gratiæ, dignitatis, ac faſtigij Reginæ Eſtheris, Rex Aſſuerus eſt. Exindè non ſolum in fine huius libri deſcribitur latiſſimum huius Monarchæ imperium; ſed etiam in hiſtoriæ Eſtheris fronte ſtatim præſcribitur: *In diebus Aſſueri Regis, qui regnauit ab India vſque ad Æthiopiam ſuper centum viginti ſeptem prouincias*, &c. Et Cap. 16. *Rex magnus Artaxerxes ab India vſque Æthiopiam*, &c. Eccur toties agens de Eſthere, Artaxerxis Aſſueri auguſtiorem buccinat dignitatem, niſi vt indè taxemus Eſtheris dignitatem, ad quam eius gratiâ fuerat ſublimata? Hæc de Eſtheris typo. de eius antitypo, Eſthere figuratâ inquam, id eſt, de Virgine Deiparâ, ita Eucherius appoſitè ſcribit: *Quaritis qualis Mater? Quærite priùs, Qualis Filius*: nam qualis Mater, talis Filius, ſeruatâ vtriuſque congruenti analogiâ. Cupis noſſe Deiparæ gratias, virtutes, ſanctitates, prærogatiuas? quære priùs, & attentiùs conſidera, *qualis* ſit eius *Filius*, verus Deus inquam; & indè Matris gratias & prærogatiuas taxa. Cenſus gratiarum Matris Dei, Filius Deus eſt, & indè cenſenda. Conſidera gratiarum cumulum, quem dignam Dei Matrem decet; & talem, tantámque Mariam reputa. *Quæritis qualis Mater? Quærite priùs qualis Filius.* Tantùm diuinæ maternitati licet, vt Deum habeat tanquam ſui menſuram!

*Eſther. 2. v. 17.* *Eſther. 1. v. 1.* *Cap. 16. v. 1.* *Filius Deus eſt Matris idonea menſura, & gratiarum cenſus.* *Eucher. in Vigil. Nat.*

5. Euangeliſta Matthæus his pauculis verbis & myſterium Virginis, & negotium diuinæ Maternitatis, ac Incarnationis abſoluit: *Iacob autem genuit Ioſeph virũ Mariæ, de quâ natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.* An non expediret, vt antequam diuinæ corporationis Sacramentum proponeret, quò homo Deus decenter monſtraretur, Matris virginitatem, gratiæ plenitudinem, puritatis decorum, & conſertum omnium in eà ſanctitatum cumulum præſtrueret, ac præmonſtraret? Tam ſimplicibus verbis tantum Myſterium, abſque vllâ elogiorum ſaltem prælibatione, ſic præſtrictim Euangeliſta denarrat? Sed, opinor, cùm Mariam dixit Ieſu-Chriſti Matrem, reliquas eius gratias viuaciùs expreſſit, quæ indè taxandæ ſunt, potiùs quàm ex ſumptuoſo verborum ſuggeſtu, quod ſubtiliter vidit Richardus Victorinus, ſic exclamans: *O puritas mentis, ô fœcunditas ventris! O ſumma puritas, ô ſingularis fœcunditas! Quàm beatus fructus ventris, tam glorioſa puritas mentis.* Videlicet glorioſa Marianæ mentis puritas, tot gratiarum ac ſanctitatum fulgoribus prælustris, ex fructu ventris, Filio Deo inquam, cenſenda eſt. *Quàm beatus fructus ventris, tam glorioſa puritas mentis.* ô bellè! Tam ſunt glorioſæ Deiparæ Virginis prærogatiuæ, gratiarum priuilegia, præpropera ſanctitas, & ſidereus puritatis nitor; quàm eſt *beatus fructus ventris* illius: indè ne taxanda ſunt. O præcelſam menſuram! ô piam æmulationem, quâ gratia, & puritas Matris, cum Filij beatitate contendit!

*Matt. 1. v. 16.* *Quàm beatus fructus Mariani ventris, tã glorioſa puritas mentis.* *Richard. in Pſal 71.*

6. Lucæ 1. ob gratiam pudoris turbata Virgo, adhuc cunctatur Angelo adnuere. Et reſpondẽs Angelus dixit ei: *Spiritus-ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* O quàm multa in hâc Spiritus-ſancti *vmbrâ*, Virginem Mariam ineffabiliter fœcundante, Sancti olim Patres, & recentes nuper Scriptores viderunt. Subtiliter Richardus à S. Laurentio lib. 12. de Laud. Virg. per hanc *vmbram*, Chriſti corpus hypoſtatico nexu Deitati vnitum intelligit, ſic fatus: *Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, quia vmbram in te accipies, id eſt, carnem leuem, & à peccato immunem: vmbra enim figuram habet corporis, ſed non corruptionem.* O arcanam ineffabiliter *vmbram*, quam Spiritus-ſanctus præclarè oppandit Virgini Deiparæ ad ipſius elogia glorioſiùs adumbranda! Nempè Chriſti Dei caro, Deo hypoſtaticè vnita, Mariæ *vmbra* nominatur. Prælustris ſanè *vmbra*, quæ Diuinitatis fulgores, & prælustres gloriæ luces in Deiparam, tanquam in huius *vmbræ* corpus, micanter reuerberat! Chriſti caro à peccati corruptione immunis, Deiparæ *vmbra* eſt, qua à Spiritu ſancto obumbrata, formam delineat Chriſto Deo: *vmbra enim figuram habet corporis.* Semper ſplendet corpus, quod ſemper vmbram habet: ſemper ſplendet, ſplenduítque Maria; cuius *vmbra* velut corporis ſequela, & incorruptibilis figura, eius Filius idest, Chriſtus Deus eſt. Vis noſſe, qualis, quantúſque ſit Chriſtus Deus eius Filius, Filiúſque etiã Patris Dei, in ſplendoribus Sanctorum ab æterno genitus; Satage Matrem Virginem noſcere: ipſa enim eſt corpus, cuius *vmbra* ipſe eſt: *vmbra enim figuram habet corporis.* Cupis etiam noſſe, qualis, quantáque ſit Maria? metire priùs hanc eius *vmbram*: vmbra enim corporis menſura eſt, & corpus incorruptibiliter ſignat. Vmbra corpus indiuiduè ſequitur: ſic Chriſtus Mariam? O quanta videt in vmbris eruditior ſubtiliter peritia!

*Luc. 1. v. 35.* *Richard. à S. Laurent.* *Chriſtus Deus Deiparæ vmbra ſententiosè appellatur.*

Ne

7\. Ne autem quis putet, quòd hæc *vmbra*, Chriſtus Deus inquam, extra Mariam eſt, cùm ſit huius *vmbra* corpus, aduertat ineffabilem hanc *vmbram* non extra, ſed intra corpus arcanè oppandi. Hinc dicitur ab Angelo: *Gratia plena: Dominus tecum.......Spiritus-ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Parùm foret Deiparæ, *gratiarum* chariſmatis *plenam* eſſe, niſi adderetur, *Dominus tecum*, quò plena Deo, Deique gloria plena etiam medullitùs innuatur. Quâ de re ſcitè Petr. Damianus, ita ſcribens? *Quid ſanctitatis, quid iuſtitiæ, quid perfectionis ſingularis huic Virgini deeſſe potuit, quæ totius Diuinæ gloriæ chariſmate plena fuit.* Nempe Deipara Virgo non modò fuit animitùs *gratia plena*; ſed cui dicitur, *Dominus tecum*, etiam *totius diuinæ gloriæ chariſmate plena fuit.* Quid gratiæ, quid ſanctitatis, quid gloriæ deeſſe poteſt ei, cuius medullitùs *vmbra* eſt Filius Deus? quæ *totius* gratiæ, ac gloriæ plena verè prædicatur.

*Deipara totius gloriæ chariſmate plena fuit.*

Lucæ 1. v. 28. & 35.

Petr. Dam. Serm. 5 de Natiu. B. Virg.

---

## CAPVT XV.

*Verſ.* 13. Non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.

### §. CCCXLIX.

*Deipara eſt naturæ miraculum, gratiæ prodigium, & vtriuſque ſtupor; adeò vt extra omnia cenſeatur.*

1\. S. Bernardus poſt enarrata naturæ plura miracula, quæ de conſuetudine apud homines viluerunt, cum mente calamum ad Virginem Deiparam conuertens, aduocat illud Siracidis: *Innoua ſigna, immuta mirabilia*, exclamans: *O noua miracula......O verè nouitas inaudita! Virgo peperit, & poſt partum inuiolata permanſit. Creſcunt miracula, quæ generat & Mater, & Virgo eſt: qui generatur & Deus, & homo eſt.* Verùm & ipſa Virgo Maria grande naturæ ac gratiæ miraculum eſt Vnde S. Ignatius in epiſtola ad S. Ioannem, eam (ſi fas eſt dicere) appellat; *Cæleſte prodigium, & ſacratiſſimum ſpectaculum.* Quid non prodigiosè miriſſimum, & miriſſimè ineffabile, fidei oculis in Mariâ cernimus? Sed quod naturæ faſtigium longè excellit, mirior gratiæ faſtus arcanè capit: nunquam autem ſigne tanti miraculi digno ſtupore: *O Virgo* (ait Epiphanius) *ſanctiſſima, quæ exercitus Angelorum in ſtuporem deduxiſti: ſtupendum enim eſt miraculum in cælis, Mulier amicta Sole: ſtupendum miraculum in cælis, Mulier geſtans lucem in vlnis: ſtupendum miraculum in cælis, alter thronus Cherubicus: ſtupendum miraculum in cælis, Mulieris Filius, qui & ipſius & ſeculorum eſt Pater: ſtupendum miraculum in cælis, thalamus Virginis habens Filium Dei: ſtupendum miraculum in cælis, Dominus Angelorum, Infans Virginis effectus eſt.* O Maria naturæ miraculum, gratiæ prodigium, vtriuſque ſtupor! *Sileat Sapientiſſimus Salomon, nec iam nihil ſub Sole nouum eſſe affirmet*, ait Damaſcenus.

Eccli. 36. v. 6.

S. Bern. Ser. 4. in Vigil. Natiuit.

S. Ignat. ſup. *Maria eſt naturæ miraculum, gratiæ prodigium, & vtriuſque ſtupor.*

S. Epiphan. Orat. de Deip.

S. Damaſ. Orat. 1. de Natiuit.

2\. Lucæ 1. hæc Deiparæ verba leguntur: Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. *Quia fecit mihi magna qui potens eſt.* Pulchrè Theophylactus ab illa interrogat (neque enim alius præter Deum id plenè ſcire poterat) *Quæ tibi magna fecit qui potens eſt?* Ipſa autem ſicut à propriis laudibus abſtinet humilitate, ſic ora obſignat taciturnitate. Hugo Carenſis plura recenſere *Magna* ambit, quæ in Beata Virgine Dei omnipotentia fecit: ſed in limine ſtatim impingit: nam quod ineffabile eſt, audacter eloqui ambimus. Richardus à S. Laurentio præ rei magnitudine ambiguus hæret, ita fatus: *Ipſa Beata Virgo quiddam diuinum nobis ineffabile ex Dei omnipotentia mutuauit. Vnde & dicit Canticorum 2. Dilectus meus mihi, & ego illi: quid autem ſit illi Dilectus, quid illa Dilecto non dicit, quia id tantum eſt, quòd ad ipſum explicandum verba deficiunt, & iſtud inſcrutabile eſt viatori, quia credere præcipimur, diſcutere prohibemur.* Itaque Richardus arcanum, & ineffabile putat, quaſi viatoris faſtigium excellat, *quid* Filius Deus ſit Matri Virgini (*Quid* autem Mater Virgo ſit Filio Deo, alibi copiosè expendimus) Audimus igitur ex ipſius Deiparæ ore: *Fecit mihi magna qui potēs eſt. Ipſa Beata Virgo quiddam diuinum nobis ineffabile ex Dei omnipotentiâ mutuauit.* Quid nam autem ſit hoc *Diuinum*, quod pura ſemper creatura, inter creaturarum metas relicta, ſic illam fecit *Magnam*, & Deo confinem, cùm *ineffabile* ſit, fandi abſtulit facultatem: & *quia credere præcipimur, diſcutere prohibemur*: eſt enim Maria naturæ miraculum, gratiæ prodigium, & vtriuſque ſtupor: ſiquidem naturæ ac gratiæ leges ſublimiſſimè excellit.

Lucæ 1. v. 49

Theophyl.

Hugo ibi.

Richard. l. 5. ſub initium Cant. 2. v. 16.

*Quid ſit Filius Deus Deiparæ, cùm quiddam diuinum dicatur, ineffabile eſt.*

3\. Siracides Eccleſiaſtici 43. Glorificantes, inquit, Dominum quantumcumque potueritis, ſuperualebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius. *Benedicite Dominum, exaltate illum quantùm poteſtis: maior eſt enim omni laude.* Hæc verba idem Richardus ad Beatam Virginem piè pariter & acutè flectit, lib. 2. de Laudibus B. Mariæ, ita ſcribens: *Benedicentes Dominum, dicamus Dominam, exaltate illam quantùm poteſtis. Exaltate, id eſt, extra omnia, & ſuper omnia altam prædicate: maior eſt enim omni laude.* Quid eſt, quòd Deipara *omni laude maior* à Richardo prædicatur? Eſto; Beatæ Virgini congruat potiſſima laus, & omniū maxima, (& ſi dicere exaggeratiùs liceat) ſumma immeritè laus: hæc autem quantumuis exaggeratior, & hyperbolæ confinis aut hyperbolica; cùm aliqua laus ſit, neceſſe etiam eſt, vt ſub τὸ *omni laude* comprehendatur. Nam vniuerſale ſignum *omnis*, ſicut omnia complectitur, ita nihil omninò omittit, quod in illâ ſerie collocatur. Verùm enimuerò magnus hîc Doctor ſcitè præmiſerat: *Exaltate illam, id eſt, extra omnia, & ſuper omnia prædicate: maior eſt enim omni laude.* Scilicet parùm foret dicere, *ſuper omnia*; opportuniùs, & argutiùs ait, *Extra omnia.* O grande naturæ miraculum, gratiæ prodigium, & vtriuſque ſtupor! *extra omnia* eſt, quæ *maior omni laude* eſt. Nimirùm Virgo Deipara, Deus non eſt, etſi Mater Dei ſit: eſt ergò extra ſummum eſſe Dei. Dein ipſa Virgo Deipara cùm Mater Dei ſit, *quiddam diuinum nobis ineffabile, ex Dei omnipotentiâ mutuauit*; exindè etſi reipsâ pura creatura ſit, extra creaturarum cenſum quodammodò collocatur; quocirca tanquam naturæ & gratiæ prodigium miriſſimum; *extra omnia* cenſeri perhibetur: & inde *omni laude maior* prædicatur. Belliſſimè quidem Richardus! Id autem

ex

Eccli 43 v. 33.

Richard.

*Deipara omni laude maior eſt, quia extra omnia eſſe perhibetur.*

ex dicendis ſequenti n. explicatiùs intelligetur.

Eſther. 15. v. 13.

4. Eſtheris 15. ſedebat rex Aſſuerus in præcelsè glorioſo regni Perſici ſolio, eo habitu vt ſuam maieſtatem diuinæ ſimilem aliis ambitioſiùs oſtētaret, auro decorus, & Regiæ veſti pretioſis lapidibus intextis; aſpectu tamen terribilis & ipſis etiam viris formidandus. Cumque ſcintillantes oculos interni furoris indices in Eſtherem intendiſſet, toruos videlicet, atque minaces, quòd auſa fuiſſet ingredi non vocata; illa ſtatim exanguis corruit, & præ timore pallida nutabundum caput in ceruice languidâ ſuper puellæ humeros reclinauit. Tunc Rex feſtinus, & charæ ſuæ Eſtheris periculum ſibi metuens exiliuit de ſolio, & ſuſtentans eam vlnis ſuis, donec rediret ad ſe, his verbis blandiebatur: Quid habes Eſther? ego ſum frater tuus noli timere: Non morieris: *Non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Verba ſanè blanditiarum plena, & quæ internum cordis amorem plenè eructant; ſed parùm (vt apparet ſibi cohærētia. An Rex Eſtheris periculo perturbatus, nec mente, nec ore ſibi conſtat? Quid eſt, *Non pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt*? Non ſub τὸ *omnibus* Eſther minimè continetur? an Eſther à numero *omnium* eximitur, & extra cumulum *omnium* collocatur: Aut Aſſuerus inidonèe fatur, parùm ſibi cohærens; aut grande aliquod myſterium de Eſthere figuratâ arcanè loquitur. Redeant iterùm arguta opportunè Richardi verba: *Benedicentes Dominum, dicamus Dominam, exaltate illam quantum poteſtis. Exaltate, id eſt, extra omnia, & ſuper omnia altam prædicate.* Profundè quidem rex Aſſuerus, & vltra quàm habebat oculos, & mentis aciem contendere poterat, ait ad Eſtherem, ad Eſtherem figuratam potiùs: *Non pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Quia iure ab *omnibus* excipitur, nec ſub τὸ *omnibus* comprehenditur, ab vniuerſalitate meritò exempta; quæ non tantùm ſuper omnia, ſed etiam *extra omnia* cenſeri perhibetur. Quod attinet ad gratiæ dona, virtutum dotes, & ſanctitatum elogia, non modo vltra *omnes*, ſed *extra omnes* etiam Deipara collocatur. Dein quantum ſpectat ad *omnem* immunitatem ab omni peccato, & indecoro peccatorum omnium reatu, & ab omni legum pœna, inuectigalem, & ingenuè exemptam puta Deiparam diuinæ Maternitatis titulo: non enim pro illa, ſed *extra omnia* etiam ſublimatur, quod eſt naturæ miraculum, gratiæ *prodigium, & vtriuſque ſtupor.

*Deipara in τὸ omnibus non comprehenditur, quia extra omnes cenſetur.*

Richardus ſuprà.

6. Eccleſiaſticus cap. 43. ſic altè ſcribit: *A Lunâ ſignum Diei feſti luminare quod minuitur in conſummatione.* Confeſtim addit: *Creſcens mirabiliter in conſummatione.* Quæ Siracidis verba communiter Interpretes de Beatâ Virgine intelligunt, ſub Lunæ nomine præclarè adumbratâ. Hinc forſan à S. Ignatio dicta eſt. *Cæleſte prodigium.* Grande enim hîc de Lunâ, ſeu Maria prodigium Eccleſiaſticus denarrat. Dicitur enim *luminare quod minuitur in conſummatione*; & paullò poſt ſubditur. *Creſcens mirabiliter in conſummatione.* Profectò luminare quod *minuitur* in conſummatione, nimis ſanè mirabiliter in ipſa conſummatione *creſcit*: niſi forſan *creſcere*: idem ſit ac *minui*: quod inſolens foret paradoxon de contrarietate ludens, & oppoſitionibus corporatum. Ardua huius loci de materiali Luna exponendi difficultas, ductu procliui nos ad Lunam Mariam ducit. Sequamur ergò Richardi ductum,

Eccli 43. v. 7. & 8.

S. Ignatius ſuprà.

*Deipara inſignem facit omnem ætatem, præſentem, præteritam, & futuram.*

qui hac ſuper re præſcripta verba exponens, ſic ſapienter ſcribit: *A Lunâ ſignum Diei feſti. Ipſa etiam eſt ſignum æui, inſigniens omnem ætatem, præſentem, præteritam, & futuram.* (Locus conceptuum grauidus, alibi aliorsùm enucleandus. Pergit ad rem Richardus.) *Sequitur, Luminare quod minuitur in conſummatione. Hoc de Lunâ materiali non poteſt intelligi, quia non minuitur in conſummatione, ſed poſt conſummationem; priùs enim confirmatur per perfectionem, & poſteà minuitur decreſcendo. Beata verò Maria quando annunciata eſt Gratia plena, & in Matrem Domini electa eſt, quod fuit conſummatio excellentiæ eius, quaſi ſe mirabiliter minuens, reſpondit Ecce ancilla Domini. Proinde autem dictum eſt, Minuitur id eſt humiliatur; nec dictum eſt, Decreſcit ne poſſet intelligi de minutione decrementi: quaſi diceret: Cùm audiſſet Maria tantam ſibi promiſſam celſitudinem, quòd fieret Mater Dei, & ſe imminuiſſet per humilitatem, nominans ancillam; ex hoc conſummata eſt, & facta Luna plena, quia in hoc verbo concepit filium Dei: Ideò paullò poſt ſubditur, Creſcens mirabiliter in conſummatione.* Pluſculùm præter morem noſtrum excripſimus; ſed quod verbis detraherem, Auctoris acumini detraxiſſem. Vide igitur oculis *cæleſte monſtrum*, velut ex oppoſitis corporatum: nam dum *minuitur in conſummatione*, eiuſmodi minutione non decreſcit; imò potiùs in eadem *conſummatione mirabiliter creſcit.* Quod ſola Deipara poteſt facere, ſiquidem non tantùm ſuper omnia, ſed etiam *extra omnia*, mirior omnibus cenſetur. O Maria, naturæ miraculum, gratiæ prodigium; & vtriuſque ſtupor! Diuinæ Maternitatis priuilegio, ingenuè exlex, Deipara facta eſt; cùmque *extra omnia* ſit, communibus naturæ & gratiæ legibus non arctatur: exindè *Cæleſte prodigium* meritò nominatur.

Richard. à S. Laur. l. 7 de Laudib. B. Mariæ.

*Deipara dum in conſummatione minuitur, è diuerſo mirabiliter creſcit, & rem monſtri implet.*

Regius Pſaltes ſic altè de Virgine Deipara prophetat: Thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum: *& teſtis in cælo fidelis.* Hoc fidele Beatæ Virginis teſtimonium pro nobis in cælo, ad piam ipſius aduocationem in periculoſis hominum cauſſis Richardus argutè flectit, ita fatus: *Dixit autem Pater, Geneſis 2. Non eſt bonum eſſe hominem ſolum, id eſt, non ſufficit vnicus aduocatus, aut mediator aut interceſſor humani generis in cælo, cùm tot, & tam periculoſas habeat cauſſas coram me. Faciamus ei adiutorium id eſt, Beatam Virginem, quæ alleget pro genere humano coram Filio, ſicut Filius coram me. Propterea dicitur de ipſâ Pſal. 88. Teſtis in cælo fidelis.* Et quomodo Beata Deipara allegans coram Deo pro ferè deſperatis flagitioſorum hominum periculosè cauſſis; *fidelis in cælo teſtis* perhibetur? Videns ergò homines ſceleribus innutritos, ſeſe de malitiâ gloriantes, quid verè ac *fideliter* pro ipſis alleget? Eſto: proponat ſua vbera, & Filij ſui vulnera, vt infinitam Patris pietatem, ad veniam flectat; obeſt autem non impar iuſtitia rigidè flectineſcia. Quid ergò ad hominum ſuffragium, nè æternitatis cauſſam perdant, verè ac *fideliter* allegabit? Sic non bonas hominum cauſſas ſua immenſa pietate excuſat, & colorat? Sic velociter quod petit impetrat, vt de præcoqua veniæ homo malitiam dediſcat; adeo vt Deiparæ oratio, quæ cœpit pro peccatore conſummetur in iuſto? *Fidelis* in cælo *teſtis* eſt, & ſic vero ſuffragio pro nobis allegat, & in cauſſis prope deſperatis verè ac iuſtè veniam peccatoribus

6.

Pſal 88. v. 38.

*Deipara pro non bonis hominum cauſſis coram Deo allegans, quomodo dicitur Teſtis in cælo fidelis?*

Richard. l. 4.

ribus extorquet, aduocata ſapienter curialiſſima, & *teſtis in cælo fidelis*. An non id eſt fidelitatis miraculum, gratiæ prodigium, & vtriuſque ſtuporis? ſiquidem cùm incipit allegare pro inexcuſabilibus peccatoribus, allegationem conſummat in iuſtis. Quid exaggeratius?

---

## CAPVT XI.

*Verſ.* 15. Erat enim formoſa valde, & incredibili pulchritudine, &c.

*Verſ.* 17. Et adamauit eam Rex pluſquam omnes mulieres, habuitque gratiam & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres.

## CAPVT XV.

*Verſ.* 16. & 17. Præ timore gloriæ tuæ. Valdè enim mirabilis es, & facies tua plena eſt gratiarum.

## §. CCCL.

*Immenſitas Marianæ gratiæ, beatæ gloriæ iuſtificatio dicitur, & diuinæ gloriæ auguſtior expreſſio: ipſaque B. Virgo ſuorum prærogatiuis meritorum glorioſior.*

1. S. Anſel. de excell. Virg. c. 8. *Immenſitas Mariana gloria, gloriam in Deum reuerberat, quæ in homines etiam reſultat.* S. Bonauent. in ſpecu. Virg. c. 7.

S. Anſelmus, quo ſolet ingenij acumine, & deuota erga Deiparam pietate, ſic in eius laudibus piè audet. *Immenſitatem*, inquit, *gratiæ, & gloriæ, & felicitatis tuæ conſiderare cupienti, ô Virgo, ſenſus deficit, lingua fatiſcit.* Si immenſa eſt Deiparæ *felicitas, & gratia*; vbique ergo inueniatur, vbique tota tranſpareat, vbiuis transflueat. Si *immenſa* eſt Deiparæ *gloria*, vbique exuberet, in omnes vbiuis exundet, neceſſe eſt, vt *immenſitatis* ſaltem analogiam adimpleat. Profundè Bonauentura: *Gloria Domini plenum eſt opus eius: Hoc enim plenum eſt Dominica gloria, quia ſupra omnem puram creaturam reſultat, & relucet pleniſſimè in Maria: nam præter aſſumptam à Verbo naturam, nullum eſt opus, nulla eſt creatura, in qua tanta diuinæ gloriæ materia reluceat ſicut in Maria.* Itaque B. Virgo non ſolùm eſt *gratia plena*, ſed itaque adeò plena, & ſuperplena *gloria* vt *immenſitatis* æmula, in Deum glorias copioſè reuerberet, & in homines cumulatiùs *reſultet*. O Virgo hanc *immenſitatem gloriæ tuæ* conſiderare cupienti, ſenſus deficit, lingua fatiſcit, & alacer calamus torpeſcit.

2. Lucæ 17. v. 10. 2. Cor 4. v. 17.

Lucæ 17. *Sic & vos* (ait Chriſtus Deus) *cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus.* Tantæ molis eſt hominem nuper peccatorem, & Deo offenſum, de boni operis actione æternùm beari empyreâ felicitate! dicente Paullo: *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quaſi dicat Apoſtolus: Omnis noſtra tribulatio momentanea eſt & leuis, ſi cum æterno illo & grauiſſimo gloriæ pondere confe-



ratur, perindè ac ſi plumam vnam, ac fauillam leuiſſimam cum plumbo totius vniuerſi conferas. Vndè ergò iuſtificabitur tanta beatæ gloriæ moles, qua homines in cælo glorioſè munerantur; An non velut effuſa Dei pietas & & beneficentia videtur, & cui refragari poſſe videatur infinita Dei æquitas, & ſumma iuſtitia, cùm momentaneum ac leue tribulationis noſtræ, æterno gloriæ pondere muneretur? Num hanc immenſam donatæ gloriæ liberalitatem, Virgo Deipara velut iuſtificare, aut ſanctificare videtur? Forſan huc adludit Andreas Cretenſis Orat. de Annunc. *Salua ſis*, inquit, *Dei gloriæ noua arca, in quâ Dei Spiritus delapſus quieuit: arca in qua noua ſanctificatio gloriæ.* Ecce tibi Virgo Deipara appellatur, *Dei gloriæ noua arca*: quin & *ſanctificatio gloriæ*. Scilicet nemo, nemo inquam, iam putet nimiam eſſe Beatorum gloriam, dum momentaneum & leue, æternum gloriæ pondus operatur; dum *ſerui inutiles* empyreâ cæli gloriâ velut effuſè munerantur. Porrò quandoquidem ipſa Dei Mater pro hominibus ſanctificandis ac beandis ſupplex orat & ore ac manu ſuâ Deo offert infinita Filij ſui merita, talem tantámque illis gratiam impetrat, vt dici poſſit iuſtificatio ſeu *ſanctificatio gloriæ*. O glorioſè nouum Deiparæ elogium! Nimirùm Dei Mater dum ſuâ, & Filij ſui merita pro nobis Deo præſentat, & redemptionis gratiam abūde impetrat; ſic momentaneum & leue bonæ operationis noſtræ eleuat ad meritum æternæ gloriæ, vt iuſtificatio, ſeu *ſanctificatio gloriæ* glorioſè nominetur. quaſi Virgo Deipara ſit diuinioris beneficentiæ vindex, & æqua Beatitudinis aſſertio, beatam gloriam ſanctificans, illam defendens ab æquitatis iure.

*Virgo Deipara, beatæ gloriæ iuſtificatio, ſeu ſanctificatio nominatur.*

Andr. Cret.

Matthæi 1. Cùm eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam conuenirent, *inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto*. Et paullò poſt: *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Et ſane notatione digniſſimum eſt, quod tertia Triados perſona, quæ hactenùs in Biblijs *Spiritus Dei*, vel *Spiritus Domini* nuncupatur, *Spiritus-ſanctus* nouo exinceps vocabulo nominetur, quo etiam nomine apud Lucam appellatur. Quod notanter his verbis Rupertus diſſerit: *Spiritus-ſanctus maximè ex hoc facto ſuo nominatur; quia quod in ea natum eſt (ait Angelus) de Spiritu ſancto eſt. Antehac Spiritus Dei, ſiue Spiritus Domini dicebatur. Nec facile in omni ſerie veteris Teſtamenti reperies hoc inſigne vocabulum Spiritum-ſanctum. Ab hoc loco ferè primùm ſonuit in auribus noſtris hoc reuerendum & inſigne vocabulum proprium atque abſolutum Spiritus-ſanctus. Quam ob cauſſam; niſi quia maximè ex hoc opere, quod in Maria operatus eſt, claruit hic Spiritus Domini, quòd verè ſanctus ſit.* Scilicet tantam, & tam auguſtè excelſam gratiarum exuperentiam velut effudit Dei Spiritus in Mariam, vt nouum ac præluſtre vocabulum ſibi fecerit ex ſanctitatum omnium pleno cumulo, quo vberrim Deiparam exornauit. Exindè qui hactenùs *Spiritus Dei* aut *Spiritus Domini* communiter dicebatur, à tantâ ſanctitatum plenitudine, quâ cumulauit Mariam, *reuerendum atque inſigne vocabulum, proprium atque abſolutum Spiritus-ſanctus* ſibi fecit, è tanto ſanctitatum omnium cumulo, *Sancti* fœnerans vocabulum. Itaque præluſtrem tanti nominis gloriam, Spiritus-ſanctus Mariæ debet.

3. Matth. 1 v. 18. & 20. Lucæ 1. v. 35. Rupert. in Matth. c. 1. *Spiritus Dei Spiritus-ſancti nomen Mariæ debet.*

Siracides Eccleſiaſtici 42. *Gloriâ*, inquit, 4. Eccli. 42, v. 16.

*Domini plenum eſt opus eius.* Quod de Sole ad litteram intelligitur:& ad Chriſtum myſticè Rabanus deriuat. Bonauentura autem de B. Deiparâ his verbis interpretatur: *Maria plena fuit reſultatione, ſiue expreſſione diuinæ gloriæ, iuxta illud Eccleſiaſtici: Gloria Domini plenum eſt opus eius. Antonomaſticè opus Domini mirabile eſt Maria..... Hoc enim opus plenum eſt Dominica gloria, quia ſupra omnem puram creaturam reſultat, & relucet pleniſſimè in Maria.* Et poſt pauca: *Plena eſt omnis terra gloria eius, ſicuti dicitur in Iſaia, Plena eſt tota Maria, relucente in ſe pleniſſimè diuina gloria.* Nimirùm non ſolùm *tota Maria* plena eſt diuinâ gloriâ in eâ pleniſſimè relucente:ſed vſque adeò gloriâ Domini plenum, & ſuperplenum eſt hoc miriſſimum opus eius, vt diuinæ gloriæ *expreſſione, & reſultatione* inſculptum, ſiue inſignitum ſit. Itaque vbi virginea Deiparæ viſcera diuinitatis bibula, velut putiſſima charta Verbo Dei impreſſa fuerunt, diuinam gloriam ſumptuoſiùs *expreſſit*, quæ in ipſum Deum glorioſè *reſultauit* arcanâ *expreſſione.*

Rabanus. S. Bonau. in Specul. B. Virg. c. 7. *B. Virgo expreſſione, & reſultatione diuina gloria inſignita fuit.* Iſaiæ 6. v. 3.

5\. 1. Regum 2. hæc Dei verba referuntur: *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum.* O reciprocæ gloriæ glorioſa æmulatio! Vides quàm glorioſam Dominus fecerit B. Virginem: vide quantam gloriam ipſa in Deum reuerberet. S. Bernardus, ſerm. 2. de Pentec. de Virgine Deiparâ ſic loquitur: *Tota Trinitas de plenitudine eius accepit gloriam.* Et S. Cyrillus Alex. homil. 6. aduerſus Neſtorium, ſic Deiparam alloquitur: *Per te Trinitas ſanctificatur; per te Crux glorioſa celebratur.* Nimirùm Virgo Deipara fuit ſibi *gratia plena*, & ſuperplena nobis, gratiâ vbertim in omnes exundante: ſed tantæ gratiæ exuberans gloria, ſic reſultauit in Deum, vt *tota Trinitas de plenitudine eius acceperit gloriam*: ſiquidèm per Deiparam *Trinitas ſanctificatur.* O quam multa quàm paucis Cyrillus! Sic beata Trinitas, & Virgo beata velut alternis fluctibus glorias reciprocant! *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum.*

1 Reg. 2. v. 30. S. Bernard. S. Cyrillus. *Tota Trinitas de plenitudine Mariana gratiâ gloriã mutauit.*

6\. Siracides Eccleſiaſtici 14. de ſapientiæ arcanis hanc ſententiam propinat: *Qui ſibi inuidet, nihil eſt illo inquius.* Miriſſimum ſanè morum dogma, & ſpecie tenus ab ethicâ Philoſophiâ nimis alienum. Porrò nemo, nemo inquam, eſt, qui ſibi inuideat: nam inuidia eſt liuor ſeu dolor, triſtiſſimè ſuſtinens alienum bonum de boni proprij immodico deſiderio. Quo igitur pacto quis ſibi inuideat bonum, quod dum inuidet, alij inuidet, quia ſibi illud exoptat. Ita quidem. Scimus tamen ex Tertulliano, quòd Magnus Pompeius fuit *ſolo theatro ſuo minor*: & Alexander Magnus ſua *gloria minor*, ab eodem appellatur. Superba enim theatri Pompeiani moles adeò opinatiſſima fuit, vt auctorem ſuum reddiderit tanto opere minorem, quaſi opere nimis glorioſè magno, velut magnitudini cognominis ſui Pompeius inuidens, ſibi dettaxerit: cùm nil prope Romæ magnum comparatione theatri Pompeiani exurgat. Adſimiliter cenſueris de Alexandro Magno. Simile Heroum par priſca ætas non tulit:& tamen ſuorum operum ſublimitate, quaſi ſibi inuidiſſent, magnitudini cognominis ſui detraxiſſe dicuntur:neque enim illi tam *magni* cenſentur, quàm illorum opera, orbis plauſu ſublimiſſima. Vide nunc Deiparæ gloriam è diuerſo ſumptuoſiorem, ne plus in malum audeat in perueiſis malitia, quàm in bonis laudatior probitas audet in bonum. Quod Sophronius in Serm. de Aſſump. argutè notauit: *Beata*, inquit, *& glorioſa Virgo Maria quamuis dudùm incomparabilis eſſet vniuerſis, quæ ſub cælo ſunt Virginibus, vt decenter poſſet in ſe ſuſcipere Diuinitatis admixtionem ſaluâ vtrâque naturâ; tamen cùm gratia repletur, cùm Spiritu-ſancto perfunditur, cùm virtute Altiſſimi obumbratur, fit pretioſior meritis celſis, ſublimior faſtigijs* ( Attende ad verba quæ ſubtexit ) *pulchrior ſanctitate, glorioſior ſuorum prærogatiuis meritorũ.* Scilicet parùm foret, quod Virgo Deipara prædicetur pretioſior meritis celſis, ſublimior faſtigiis, pulchrior ipsâ ſanctitate; niſi etiam ac ſi aliqua eſſet inter Deiparam ipſã, & ipſius opera & merita velut æmulatio, aut pia inuidentia; ipſa *ſuorum meritorum prærogatiuis glorioſior* conclamatur. Pompeius cognominatur *Magnus, Magnus* etiam Alexander dicitur: hic autem ſuâ *gloria minor fuit*, ille *theatro ſuo minor.* At tanta eſt Deipara, tam præ ſublimitatibus exceſſa, tam vltra faſtigia ſublimis, vt in tam auguſtâ operum ſublimitate, & prærogatiuis meritorum, adhuc ipſa maior ſit, & *ſuorum prærogatiuis meritorum glorioſior.* Quid niſi Mariæ prærogatiuæ, magnitudinem Mariæ æmulari poſſent, pio quodam tot prærogatiuarum velut faſtu? Aſt Deipara eſt *pretioſior meritis celſis, ſublimior faſtigiis, ſanctitate pulchrior*: exindè *glorioſior ſuis prærogatiuis meritorum.* Cui ſua bona ſic inuident, & magnitudinem piè æmulantur, nihil eſt illo felicius, nihil ſublimius, nihil glorioſius. Vel Deiparæ prærogatiuæ, Deiparâ minores ſunt. Bellè quidèm Sophronius.

Eccli. 14. v. 6. Tertullianus alibi expenſus. Sophronius. *Suorum meritorum prærogatiuis longè glorioſior eſt Deipara.*

## CAPVT XIV.

*Verſ.* 1. Et corpus ſuum humiliauit, &c.

*Verſ.* 16. Tu ſcis neceſſitatem meam, quòd abominer ſignum ſuperbię meę, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, &c. Et nunquam lætata ſit ancilla tua, ex quo huc tranſlata ſum.

### §. CCCLI.

### *Profunda Deiparæ humilitas, in tantâ diuinæ maternitatis auctoritate, multimodè elucidatur.*

Canticorum 4. ſponſus Deus Virginem ſponſam ſic peramanter alloquitur: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa: vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Quæ verba de humilitate Deiparę Rupertus inibi luculenter exponit: *In hoc vno oculorum tuorum*, inquit, *vulneraſti cor meum, ſed in vno crine colli tui, id eſt, in nimia humilitate cordis tui, quem videlicet crinem ſemper vnum vidi, quam humilitatem ſemper vniformem & indeficientem eſſe conſpexit. Quid vno crine gracilius, & quid humilitate ſubtilius? Quid crine flexibilius, & quid humilitate confractius? Crinis vnus vix comparet, humilitas tua vix conſentit quòd computari poſſit inter homines.* Plures hic de Mariæ humilitate ſententias conceptuum fœcundas, per analogiam 1.

Cant. 4. v. 9. Rupert. *Deiparæ humilitas dicitur, quia vix cõſentit inter homines cõputari.*

Tranſlationes variæ.

logiam ad *vnum crinem*, ſtringit Rupertus, quas ſigillatim expendere, prolixum foret. Sat nunc eſto, quòd Sponſus ait: *Vulneraſti cor meum*, vel *excordaſti nos*, vel *abſtuliſti mihi cor* vel *incordiaſti me* (hoc eſt, cor meum mihi eripuiſti) vel *cor*

Pſal. 21. v. 7 *mihi indidiſti in nimia humilitate cordis tui* Porrò Sponſus, & Filius tuus de ſe olim dixit: *Ego ſum vermis, & non homo, & humilitas tua vix conſentit quod computari poſſit inter homines*, quæ verè eſt Mater Dei. Tanta Sponſæ humilitas, cor *abſtulit* an *indidit* Sponſo? Opinor, *abſtuliſſe*, *indidiſſe* eſt. De quo alias.

2. Cant 4 v. 9. Rupert. l. 6.

*Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Crinis vnus vix compareret, humilitas tua*, ô Virgo Deipara, *vix conſentit, vt computari poſſit inter homines.* Vnde eximiè complacet Sponſus Deus *in nimia humilitate cordis tui.* An non *nimia* Deiparæ *humilitas* videtur, vt dum Mater Dei ab Angelo renunciatur,

Anſ. l. Lud. in Lucæ c. 1.

*ancillam* ſe nominet? An non *nimia humilitas* videtur, vt regia puella Deo grauida, vltrò in Iudææ montana properaret Eliſabethæ *grandæuæ prægnanti deſeruire*? Humillima domeſticè ſeruitia, empyrea femina, auguſta Dei Mater obibit? An non aliquandò conuitiatum eſt Chriſto Deo, quod eſſet Mariæ Filius? Forſan oportuiſſet, vt, ſi non priuatæ perſonæ nomine; ſaltem auguſto diuinæ Maternitatis titulo, auctoritatem prætenderet, nec tam abiectè demiſſam humilitatem, hominum oculis obieciſſet, ne Matris humilitas, Filium Deum deuenuſtare videretur. Exindè forſan Deiparæ *humilitas nimia* à Ruperto nominatur. Verùm de hoc Virginis myſterio, & Marianæ humilitatis ſacramento, dum in eius puriſſimis viſceribus diuina Incarnatio peragitur, ſic Andreas Cretenſis, ad rem præſentem argute fatur: *Siquid*, inquit, *quod nos ſuperas in eâ* (Deiparâ *inquam*) *operata eſt gratia, nemo mereatur intuens ad nouum, & inaeſtimabile, quod in ea perfectum eſt myſterium ab omni infinitate infinities infinitè exemptum.* Alto quidem ſtilo, & acumine opportunè moraliſſimo! Scilicet inaeſtimabile dicitur hoc Virginis myſterium, *nimia humilitate* admirandum. Quod vt præſtet Deipara cum Filio Deo Chriſto Ieſu, hoc myſterium *ab omni infinitate infinitè exemptū perhibetur*. Quaſi B. Virgo diuinæ Maternitatis dignitate ſublimis, velut expetito, obtentóque priuilegio, ad omnes humilitates infra viliſſimam quámque creaturam ſe abiecerit, & ab omni mundana auctoritate *infinities infinitè exempta* ſit. Scilicet diuinæ Maternitatis auctoratiſſimo nomine, infinitam dignitatem & auctoritatem mutuauerat: ab hâc ergò *infinitate* velut priuilegium ſe demiſſiùs humiliandi, ſingulariter obtinuit, cuius titulo, *infinities infinitè exempta* perhibetur. Nimirum ſicut humana ambitio vilitatibus obnoxia, aut auaritia humana vectigalibus ſtipendiaria, obtento empróve priuilegio ab eis *eximi ſolitas*: ſic *infinita* Deiparæ dignitas, ab humanâ reuerentiâ tantæ debita dignitati, *exempta* dicitur, vt ſe poſſit ſubmiſſiùs, & velut abiectiùs humiliari. Idcircò Deiparæ *nimia humilitas* dicitur, quæ à tanti faſtigij *infinitate infinities infinitè exempta* eſt, inſuſpicabili humiliationis ſtudio. Luculenter ſanè Andreas Cretenſis!

Quomodo Deipara ab auctoritatis infinitate, infinitè exempta dicitur.

Andr. Cret. Orat. 1. de dormit. B. Virg.

3. Lucæ 1. v. 38

Lucæ 1. cæleſtis Paranymphus negotium diuinæ Incarnationis peragendum in virgineis Deiparæ viſceribus, illi ineffabiliter pandit: *Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Intempeſtiuum forſan videri poſſet *Ancillæ* nomen, (quod ſeruitutem importat) cùm infinita diuinæ Maternitatis dignitas Mariæ conceditur. Dei Mater appelletur *ancilla*? Profectò *ancillæ* nomen peregrinatur in Matre? quæ ſeruitutis nomen, cum Matris dignitate excuſſiſſe videtur. Videtur enim *humilitas nimia*: & indè forſan apud maledicos, ambitionis ſuſpecta. Nam eloquenter dixit Ennodius: *Idem eſt terminum in arrogantia non tenere, quod in humilitate tranſcendere. Superbiæ affectus eſt iuſto ampliùs eſſe ſubiectum. Familiare eſt granditer his intibus nouas inuenire blanditias.* At Virgini Deiparæ piè licuit velut *tranſcendere in humilitate terminum*: & nomen *ancillæ* ſeruituti confine vſurpare, cùm auguſta Dei Mater inauguratur: dum à diuinæ Maternitatis *infinitate*, quod ad demiſſiorem humilitatem attinet, *infinitè exempta*, vſque ad ſeruitutis nomen humiliatur. Opportunè Damaſcen. Orat. de Dorm. Virg. *Dei matris, & ſeruorum Dei infinitum eſt diſcrimen.* Scilicet Virgo Deipara, tanto humilitatis amore flagrabat, vt parum ſe humilem crederet, niſi ab hâc infinitate velut exempta, ſe poſſet infinitè humiliare, & *infinitum diſcrimen* demiſſa humilitate tranſcendere. Hæc Deiparæ *humilitas nimia* in aliis forſan videretur, ſed quæ Deiparæ aptiſſimè congruit diuinæ Maternitatis iure.

Idem eſt terminum in dignitate tranſcendere, quod in humilitate non tenere.

Ennod. l. 2. Epiſt. 15.

Cùm infinitè diſtet Mater Dei à ſeruis, velut infinitè ſe humiliauit Deipara.

S. Damaſc.

Regius propheta Pſalm. 72. ſic de ſe pangit: 4.
*Et ego ad nihilum redactus ſum, & neſciui.* Quæ Pſal. 72. v. 22.
Pſalmographi verba S. Hieronymus intelligit de S. Hierony.
Chriſto, qui ſe exinanitum, & humiliatum oſten- S. Remig.
dit, vt verum hominem probaret. Remigius verò interpretatur de humiliatione voluntariâ, vt magnificetur Deus Hæc præmiſimus, ne alienior videatur S. Bernardini expoſitio, qui præſcripta verba de Virgine Deiparâ appoſitè cōmentatur: *Sic à principio*, inquit, *mentem eius* (Mariæ inquam) *in abyſſo humilitatis fundauit: quòd ſicut nulla poſt Filium Dei creatura tantam aſcendit in gratiæ dignitatem, ſic nec tantùm deſcendit in abyſſum humilitatis profundæ: nec inſuper alicui puræ creaturæ in hoc ſeculo eſt datum tantum deguſtare nihilum creaturæ, nec tantùm ſe humiliare, & annihilare ſub voluto diuinæ maieſtatis.* Et infrà ait. 3. cap. 2. *Affuit ei aſpectus ſuæ propriæ nihilitatis, eò quòd continuè habebat actualem relationem ad diuinam maieſtatem. proindè in perſonâ intellectus ſui Propheta dicebat: Ad nihilum redactus ſum.* O Marianæ humilitatis myſterium, à dignitatis *infinitate*, humilitatis priuilegio, *infinitè exemptum!* Cùm diuinæ Maternitatis infinitate, à reliquis creaturis infinitè diſtat, tunc, tūc quidem, ſic profundè humiliatur, ſic in abyſſum profundæ humiliatis vltrò deſcendit, vt *tantùm deguſtare nihilum creaturæ*, & *tantùm ſe annihilare*, ſit aliquis humilitatis faſtus, & dignitatis è diuerſo exaggeratio. *Ad nihilum redacta eſt* Deipara per profundiſſimam ſui *annihilationem*; & velut *neſciuit*, quòd dum intimiùs ſe redigit in proprium nihilum, tunc perfectiùs primo ac ſummo Enti aſſimilatur, quod eſt inſuſpicabile humilitatis ſacramentum, ſeculo hactenùs inuiſum: *Quia inter omnes Angelos, & homines ipſa Virgo inuenta eſt humillima, idiò ſuper omnia quæ creata ſunt, facta eſt ſublimiſſima, omniúmque pulcherima, atque ipſi Deo ſuper omnes ſimillima.* Verba ſunt Angeli apud S. Brigittam

S. Bern. tom. 2. Ser. 51. art. 1. c. 3.

Deipara præ humilitate redigitur ad ſuum nihilū cui medullitùs conuiſceratur.

S. Brigitta in Ser. Angel. c. 2.

*Quò quis propiùs humilitatem accedit ad ſuum nihilum, eò magis primo Enti aſſimilatur.*

loquentis de Virgine Deiparâ. Vide pulchram in humilitate antitheſim: Quanto propiùs conſideratione accedit ad proprium nihilum, illúque medullitùs conuiſceratur, tantò magis primò ac ſummo Enti Deo aſſimilatur, eíque humilitatis arbitrio animitùs vicinatur.

5. Lucæ 1.v.29.

Lucæ 1. negotium ſeculorum acturus Gabriel, à Deo mittitur ad Virginem. Et ingreſſus Angelus ad eam, dixit: Aue gratiâ plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. *Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Quid auditâ iſtiuſmodi ſalutatione ex ore Angelico, Deipara turbatur? in quo turbatur? quare turbatur? Quid turbata cogitat? An non erat illi aſſidua Angelorum conuerſatio? An non ex Iſaiæ vaticinio præſcribat, quòd expectatiſſimus Meſſias naſciturus erat de Virgine? Tempeſtiuè Bernardus, hæc eadem verba elucidans: *Quod turbata, inquit, eſt, verecundiæ fuit virginalis; quòd non perturbata, fortitudinis: quòd tacuit, & cogitauit, prudentiæ: cogitabat autem qualis eſſet iſta ſalutatio.* (attentiùs excipe quæ ſubiicit verba) *Sciebat prudens Virgo, quia ſæpè Angelus Satanæ transfigurat ſe in Angelum lucis; & quia humilis erat, & ſimplex, nil tale penitùs à ſancto Angelo ſperabat.* Explicatiùs S.Bernardinus: *Non eſt credendum, inquit, quòd ad recipiendum Filium Dei in carne ſuâ ſe exiſtimaret dignam.* Nimirùm cùm B. Virgo ex Angeli ore audit, Dei Filium in ſuis viſceribus corporandum; adeò ab eâ alienum fuit præ humilitatis profunditate, ſe dignam exiſtimare diuinâ Maternitate, vt citiùs ambigat, an Angelus Gabriel ſit Satanæ Angelus, quàm *ad recipiendum Filium Dei in carne ſua, ſe dignam exiſtimaret. Sciebat prudens Virgo, quia ſæpè Angelus Satanæ transfigurat ſe in Angelum lucis; & quia humilis erat, nil tale penitùs à ſancto Angelo ſperabat.* Quid pro humilitate Deiparæ exaggeratiùs?

S.Bern. hom. 3. ſuper Miſſus eſt. *Deipara ne præ humilitate ambigit, an Gabriel ſit Satanæ Angelus?* S.Bernardin. tom. 3. ſer. 51. art. 1. c. 3.

6. Lucæ 1.v.38.

Ne autem Virgo Deipara à velut *nimia humilitate* putetur puſillanimis, cui ſolet eſſe confinis; de Virgineâ magnanimitate vindicias Bernardus ſuſcipit, ex illis verbis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* vbi in *ancilla* humilitate, animoſæ fidei magnanimitas Deiparâ Virgine digna, haud dubiè tranſparet: *Ineffabili, inquit, artificio Spiritus ſuperueniens tantæ humilitati magnanimitas tanta credulitatis in ſecretario Virginei cordis acceſſit, quod videlicet, nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem; ſed cùm in ſua æſtimatione tam humilis eſſet, nihilominùs & in promiſſionis Credulitate magnanimis; vt quæ nihil aliud quàm exiguam ſe ſe reputabat ancillam, ad incomprehenſibile myſterium, & admirabile commercium, ad inſcrutabile ſacramentum nullatenùs eſſe dubitaret electam, & veram Dei & hominis genitricem crederet mox futuram.* An non dici poteſt auguſtè *nimia humilitas*, cum quâ, præ ſublimi ſui excellentiâ, audacior nobiliter *magnanimitas* de magnitudine contendit?

S.Bern. ſerm. Signum magn. *Magnanimitas in Virgine, tum humilitatis magnitudine contendit.*

## CAPVT XIV.

*Verſ.* 1 Et corpus ſuum humiliauit, &c.

*Verſ.* 16. Abominor ſignũ ſuperbiæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ.

## CAPVT X.

*Verſ.* 6. Paruus fons creuit, &c.

### §. CCCLII.

*Depreſſior humilitas, index, & comes virginitatis, in B. Virgine micanter elucet.*

Conſultiſſimè Diuus Ambroſius in virginibus expetit *gloriandi abſtinentiam*: nam vel gloriæ libido virginem dedecet. Vnde virginale elogium eſt, quòd *grauetur laudibus ſuis.* Hæc humilitatis prærogatiua, puritatis comes, & index, B. Virginem abundè nobilitauit, dum encomiaſtem Angelum audiens, pudore turbatur; & quâ iam gloriæ *abſtinentia*, cùm Mater Dei appellatur, ſe nominat *ancillam.* Hanc virginum diſciplinam, quò virginitas ſit meracior, & muratior, his verbis tradit Tertullianus: *Viſque ea deligenda, quæ virgines includit ſoli Deo notas, quibus, præter quod à Deo non ab hominibus capienda gloria eſt, etiam ipſum ſuum bonum erubeſcendum eſt. Virginem magis laudando, quàm vituperando confundas.* Rara virtus in Mariâ fuit cum maternitate virginitas; rara etiam eſt in celſiori ſublimitate demiſſior humilitas (quâ Eſther regina præclarè toto cap. 14. adumbrauit) S. Bernardus agens de B. Virginis humilitate, ita fatur: *Harum virtutum pulchra eſt permixtio, nec mediocriter Deo placet illa anima, in quâ & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. Sed quanta putas veneratione digna eſt, in qua humilitatem exaltat fœcunditas, & partus conſecrat virginitatem?* 1.

S. Ambr. l. 3. de Virg. S. Hieron. de Aſellâ. *Vana gloria abſtinentia, virginitatis humilitate ſaturat.* Tertull. l. de Velan. Virg. c. 2. *Virgo ſuis laudibus confunditur.* S Bern. ſer. 1. ſuper *Miſſus eſt.* Eſther. 14. v. 8. & toto c.

Lucæ 1. hactenùs B. Virgo virginitatis amore, & turbationis pudore cunctata, tandem cæleſti paranympho ſponte adnuit. Sed dum ſummam maieſtatem à diuinâ maternitate auguſtiùs fœnerat, tunc humillimam ſe notanter exhibuit, aiens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Hæc ad Angelum. Et poſtmodùm ad Eliſabetham: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Vſque adeò ſe præbuit demiſsè humilem, cùm fieret auguſta Dei mater, vt quæ virginitate placuit, humilitate concepiſſe dicatur. Quare tunc vſque ad *ancillæ* nomen ſe demittit Maria? Tanta humilitas Filium Deum, filium ancillæ publicans, tanquam velut ſeruilis conditionis forſan deuenuſtabit. Adlaborant ſedulò Euangeliſtæ, vt prolixâ Maiorum recenſitione, regiam eius generoſitatem oſtẽdant, quâ futuram Dei matrem nobilitent; & ipſa ſe tunc vſque ad ancillæ nomen demittit? Ecquod hîc ſacramentum latet? Forſan comes virginitas depreſſiore humilitate denotatur. Audiendus eſt hâc ſuper re Richard. à S. Laurent. exponens illud Canticor. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te,* ita fatus: *Tota pulchra* 2.

Lucæ 1 v. 38. & 48. *Deiparæ humilitas, eius immaculatam puritatem probat.* Cant. 4. v. 7. Richard. l. 5. ſub initium.

*pulchra in corpore per virginalem caſtitatem. ....... Tota pulchra in corde per humilitatem, quod eſt eſſe ſine macula.* In mundi cenſu vilis, abiecta, & ſordida videtur humilitas, & heroïbus, heroïniſque parùm digna. (ſic cenſent vanæ gloriæ mancipia, quibus honorum arrogantia pro numine eſt) Verùm tantùm abeſt, vt deturpet Magnos, & dignitate præcellos, vt illos venuſtet egregiè. O inſuſpicabilis ab humilitate pulchritudo, quæ venuſtatem abſque vllo næuo aſciſcit! Virgo Deipara *tota pulchra eſt in corpore per virginalem caſtitatem: tota pulchra in corde per humilitatem, quod eſt eſſe ſine macula.* Ergò Euangeliſta ſæpiùs inculcat Mariæ humilitatem, vt immaculatam indè publicet puritatem. Indubiè legis profundiſſimam Virginis humilitatem, in ea etiam legis pulchritudinis plenitudinem, & ſine vlla macula puritatem, quæ in illa tranſparet. O bona humilitas, quæ Deiparam ſine vlla *macula* probat! Cui de vlla vnquam *macula* eſt ſuſpecta Maria, apud eum humilitas eius etiam ſuſpecta eſt, & ſuperbiæ confinis: puritas enim eſt humilitatis ſequela, per arcanas virtutum conſequentias.

5. Lucæ 8. v. 21. Lucæ 8. Chriſto Domino nouam virtutis diſciplinam, & de cælo allatam politiam edocente, innumera turbarum multitudo de eius ore intentiùs pendebat. Venerunt autem ad illum Mater, & fratres eius, & non poterant adire eum præ turba. Et nunciatum eſt illi: Mater tua, & fratres tui ſtant foris, volentes te videre. Qui reſpondens, dixit ad eos: *Mater mea, & fratres mei, hi ſunt qui verbum Dei audiunt, & faciunt.* Hi qui Dei verbum & mente audiunt, & opere faciunt, *Mater Dei* meritò nuncupantur; eò quòd ſuo exemplo, vel dicto Chriſtum quotidie in cordibus proximorum arcanè parturiunt. Ita quidem, at his verbis tunc Chriſtus, etſi non Matri iniurium, auſterum tamen, nec illius peramantē ſe quodammodò exhibet; cùm in tanta populorum frequentia, illam velut à ſe alienet, & quaſi cum extranea agat. An non Filium (cui matrem honorare, decens, ac peridoneum eſt) valdè decebat, vt talem Matrem coram frequenti populo obſequentiùs exciperet, & honorificentiùs tractaret? S. Chryſoſtomus præſcripta Lucæ verba exponens, hac de re ſic eleganter exſcribit: *Mater mea, & fratres mei, hi ſunt qui verbum Dei audiunt, & faciunt. Non autem hoc dicit increpando matrem, ſed eam plurimum adiuuando. Nam ſi erga ceteros ſollicitus erat, multò magis erga matrē.* Attentiùs excipe quæ ſubdit verba, aliàs aliorsùm expenſa (*Non autem elegiſſet eam ad illa faſtigia, ſi ſemper expectaret honorari ab eo tanquam à filio.* Altè quidem Chryſoſtomus? Nimirùm præcelſior puta creaturæ honos, & ſummum dignitatis faſtigium, eſt euehi ad Matris Dei nomen, & tam auguſta dignitate meritò ſublimari, & eam meritis dignè implere: at ſi meritum ſibi honorem à Filio Deo exhibendum Mater expectaret, & expeteret, etſi nihil vltra ſuæ dignitatis faſtigium optaret, tamen *non elegiſſet eam ad illa faſtigia.* Vide quàm fuerit exors appetentiæ honorū, quæ Dei digna Mater exiſtit. Non à ſe Chriſtus talem Matrem alienat, quam ab æterno conſultiſſimè elegit, & electâ gloriatur; ſed de inappetentiâ obſequij ſibi debiti, dignam eſſe diuinâ Maternitate palàm euulgat, dum de humilitatis voto ſumptuoſiùs commendat.

Deipara non eligeretur in Dei matrem ſi expeteret à Filio Deo ſemper honorari.

S.Chryſoſt. homil 45. in Matth.

4. Pſal. 8. v. 2. Dauid Pſalm. 8. ſic concinnè pangit: Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſâ terrâ! *Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos.* Non conuenit inter expoſitores, quid τὸ *magnificentia* ſignificet, etſi aliquid granditer ſignificatum intelligant. Hieronymus & Caietanus *gloriam* efferunt, Chryſoſtomus *laudem*, Chaldæus *ſplendorem*, Felix *confeſſionem*. Quaſi dicat Propheta: Domine Dominus noſter, *quàm admirabile eſt nomen tuū in vniuerſâ terrâ!* Et tantæ admirabilitatis cauſſam reddens, ſubdit: *Quoniam eleuata eſt laus tua, confeſſio tua, gloria tua*, id eſt, *magnificentia tua ſuper cælos.* Hanc *magnificentiam* Bruno vniuerſaliter refert ad Chriſtum, quia ſuos reddit magnificos. Auguſtinus, Chryſoſtomus, & Heſychius interpretantur de Incarnationis myſterio. Euthymius *magnificentiā eleuatam* ait, quia trāſcendit omnem intellectum, etiam Angelorum, Incarnationis ſublime myſterium. Verùm S. Bernardinus ſic ad rem ſublimiter de Virginis humilitate, ex præfatis Pſalmi verbis ſcribit: *Singularis magnificentia Dei fuit Beata Virgo, quia in eius exaltatione plus magnificatur, & in eius etiam humiliatione.....plus magnificat Dominum, quàm omnis creatura alia ſimul ſumpta.* Sanè miriſſimus apparet Deus in Virgine, quoniam vltra cælos eius *laus, confeſſio ſplendor, gloria, magnificentia*, id eſt, B. Virgo, de prærogatiuâ *humiliationis* exaltata eſt. Quaſi Maria demiſſioris humilitatis arbitrio, euaſerit Dei *laus, gloria, ſplendor, magnificentia* ſuper cælos ſublimis Itaque B. Virgo in humilitatis & *humiliationis* officinâ, cognatam naturæ humanæ vilitatem recudit in Dei *gloriam, ſplendorem, magnificentiam* vltra cælos præcellam. *Magnificentia Dei fuit B. Virgo, quia in eius humiliatione plus magnificat Dominum, quàm omnis creatura alia ſimul ſumpta,* nobilioris attributi vocabulum demiſsâ humilitate fœnerans. Quomodo autem Deipara, ab *humiliatione* dicatur Dei *ſplendor*, alibi forſan enucleabitur.

S.Hieron. Caietanus S Chryſoſt. Chaldæus Felix.

S. Bruno ibi. S.Auguſt. in Enchir c.36. S.Chryſoſt. Heſychius Euthymius.

S.Bernardin. Tom. ſer. 12. art. 1. c. 2.

*Deipara, ab humiliatione, Dei gloria, ſplendor, & magnificentia nominatur.*

Lucæ 1. Virgine auguſtis nominibus ſalutatâ, & virginali excuſſo timore, rem legationis diuinæ ſic Gabriel auſpicatur: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum, hic erit magnus, & Filius altiſſimi vocabitur.* Beatus venter, qui ſtupente naturâ, Deo plenus, neſcio Virginis pudore, tumet. O vēter, tam Deo animatum cælum, empyreo auguſtius! *Tu incircumſcripti circumſcriptio.* (liceat ſic loqui cum Methodio) *Tu cuncta continentis, & comprehendentis comprehenſio,* dum verè Deus iam corporatus in Virginis vtero continetur. Pulchrè Zeno Veronenſis: *Maria,* inquit, *ſuperbus emicat venter non munere coniugali, ſed fide: Verbo, non ſemine.* Eſto, Virginis vterus Deo plenus turgeſcat: quo tamen pacto *ſuperbus emicare venter* dicitur? Procùl à contento, & continente ſuperbia; quæ nec Virgini humillimæ congruit, nec Deum infantem decet. Audiendus eſt Petrus Cellenſis potiùs de B. Virgine, quàm de anima ſancta, ita fatus: *Parit fœtum de Spiritu gratia; ſed cum ſalute: venter non ſuperbia turgeſcit, ſed creſcit humilitate.* Itaque peridoneè dixit Veronenſis Zeno: *Maria ſuperbus emicat venter* (quo ſenſu ipſa dixit: *Mecum ſunt diuitiæ & gloria, opes ſuperbæ*) dum Deo plenus tumet: nam Deiparæ *venter non ſuperbia turgeſcit, ſed creſcit humilitate.* Scilicet cùm in Mariani ventris ſacrario infans Deus ſenſim excreſcit, *Maria ſuperbus emicat venter; non ſuperbia turgeſcens, ſed creſcens humilitate.* Itaque Deiparæ venter creſcens humilitate, *ſuperbus* nominatur

5. Lucæ 1. v. 31.

*Superbus Mariæ venter, non turget ſuperbiâ, ſed creſcit humilitate.*

S.Method. Orat. de hypapantem Dom.

S.Zeno ſer. 2. de Natiu. Chriſti.

Pet.Cell. l. 4. Epiſt. 12.

Prouerb. 8. v. 18.

natur. Tanto enim cremento humilitate augetur B. Virgo, vt vel ſuperbiæ ambitioſa ſuperet vota, ſine ſuperbiæ vitio, ſed potiùs cum humilitatis prærogatiuâ, & de illius priuilegio. Vide quanta humilitate Maria præniteat, vt ad declarandum quantum eius beneficio excreuerit, *ſuperbia* nomen, re nominis vacuum, Zeno Veronenſis mutuarit.

6. Matthæi 11. poſtquam Chriſtus Deus cæleſti doctrinâ homines imbuerat: Venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. *Et diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Sanè omnium virtutum, ac ſanctitatum plenitudo, abũdè ſuppetebat Chriſto Deo: & omnium virtutum perilluſtria exempla hactenùs hominibus exhibuerat: eccur ergò potiùs humilitatem, mititatemque hominibus imitanda proponit? An audientium turba, harum potiùs virtutum indiga apparebat? Opinor, aliarum quoque ſummam indigentiam patiebatur. An hæ duæ virtutes in Chriſto magis elucebant? Scio, reliquas etiam in homine Deo micantes ſcintillaſſe, quas homines imitatione exprimere oportebat. Quid ergò cauſſæ eſt, quòd humilitatem cum mititate coniunctam, nunc tantoperè commendet, & prælustre hoc virtutum par, in ſe ſpeciatim imitandum proponat? Rem hanc Ambroſius, dum Deiparæ humilitatem deprædicat ad præſens thema his verbis deriuare videtur: Vide humilitatem, inquit, vide deuotionem. Ancillam ſe dicit Domini, quæ mater eligitur; nec repentino exaltata promiſſo eſt; ſimul Ancillam dicendo, nullam ſibi prærogatiuam tantæ gratiæ vendicauit, quæ faceret quod iuberetur: *Mitem enim, humilemque paritura, humilitatem debuit etiam ipſa præferre.* Profundè quidem Ambroſius! Quaſi Chriſtus Deus, qui eſt omnium virtutum conſummatus apex, & ſanctitatum meta, has duas virtutes à ſe imitandas ſingulariter proponat; non quòd reliquas negligat, aut in ſe perfectè non habeat; ſed quoniam eius chariſſima Mater præcipuè humilitatem mititatemque *pretulit*, quia ipſum mitem ac humilem erat paritura. Nimirùm has virtutes, in quibus ſingulariter ſuam Matrẽ expreſſit, & quas vt foret digna eius Mater, ipſa *pretulit*; has, has inquã particularim à ſe diſcendas proponit, quæ ſi ſpecialiter à ſe adamatas, & cum indole à Matre quodammodò hauſtas, & velut ſingulariter expreſſas. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: mitem enim humilemque paritura, humilitatem debuit etiam ipſa præferre.*

Matth. 11. v. 29.

*Humilitatẽ, quam à Matre velut expreſſerat, ſtudioſiùs docet Chriſtus.*

S. Ambr. l. 2. in Lucam.

## CAPVT XI.

*Verſ.* 10. Fons paruus creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas redundauit Lux & Sol ortus eſt, & humiles exaltati ſunt.

## CAPVT X.

*Verſ.* 6. Paruus fons, qui creuit in fluuium ...... & in aquas plurimas redundauit: Eſther eſt, &c.

## §. CCCLIII.

*Tam eſt præcelſa Deiparæ magnitudo ſuper eius puritatem fundata, vt non ſolum incrementis, ſed etiam diminutione creſcat; emineátque ſemper ſua quoque gloria maior.*

IN illa ineluctabili Hebrææ gentis fame, cælo ad terræ prouentum diu ſurdo, Elias dixit ad puerum ſuum: Aſcende, & proſpice contra mare. *Qui cùm aſcendiſſet, & contemplatus eſſet, ait: Non eſt quidquam.* Rurſùm miſſus, reſpondit: *Ecce nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.* Ioannes Ieroſolymitanus per hanc nubeculam adumbrari cenſet Virginem Deiparam ex mari huius ſeculi aſcendentem, ſic ad rem fatus: *Et quia nubecula illa (ſcilicet Beata Maria) non fuit à puero viſa naſci in illa prima ætate mundi, ideò puer dicit, Non eſt quicquam.* Ad arduum montis Carmeli verticem Eliæ puer aſcenderat, vnde magnam ſuſpiciebat cæli plagam, terras deſpiciebat vaſtè iacentes, vaſtum proſpiciebat mare latè ſtagnans; & quia hanc *nubeculam paruam* non vidit, nihil vidiſſe renunciat; Qui cælum, terras, & maria videt, quia vel Mariæ vmbram non videt, *Non eſt quicquam*, verè renunciat; Aſt vbi typicum Mariæ *veſtigium* apparet, etſi ſub *parua nubeculæ, quaſi veſtigium hominis figura*, tanquam qui rem magnam inuenerit, lætus & alacer iam Prophetæ gratulatur. O immenſam Mariæ magnitudinem de paruitate ludentem! Cùm per profundiſſimam humilitatem adhuc appareat paruula, ſic eſt in ſe procerè grandis, vt cælum, terra, maria, in comparatione illius tanquam nihilum reputentur; *Quia nubecula illa (ſcilicet B. Maria) non fuit à puero viſa naſci in illa prima ætate mundi, ideò puer dicit, non eſt quicquam.* Porrò ſicut ſolus Deus poteſt dicere, *Ego ſum qui ſum*; & adſpectu ad illud primum & ſummũ eſſe, omnes nationes quaſi nihilum computantur: ſic (prò creaturarum modulo) reliquæ mundi creaturæ, quantumuis nobis permagnæ videantur, reſpectu ad Deiparam, quaſi non ſint reputantur; & non viſa Maria, nec Mariæ veſtigio, verè ab Eliæ puero dicitur: *Non eſt quicquam.* O in tanta paruitate inſuſpicabilem Deiparæ magnitudinem! 1.

3. Reg. 18. v. 43. & 44.

Ioann. Ieroſolym. l. de Inſt. Mon. c. 33.

*Non viſâ Mariâ, etſi creatura reliqua videatur, nihil videri cenſetur.*

2. Matthæi 2. noui Regis audita natiuitate turbatur Herodes, & Scribarum conſilium cogens, ſciſcitatur ab eis, vbi Chriſtus naſciturus eſſet. Illi autem vno ore reſpondent: *In Bethlehem Iudæ: ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in Principibus Iuda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſraël.* Minima ex Iudææ vrbibus, & paruula ſanè vrbecula hactenùs cenſebatur Bethlehem; at ex ciuitatula valdè parua, magna nimis, & nobilis vrbium Princeps eſt, ex quo in ea mundi Opifex naſci voluit, ampliſſimamque exindè magnitudinem mutuatur. Tempeſtiuè Bernardus: *O Bethlehem parua, ſed iam magnificata à Domino; magnificauit te, qui factus eſt in te paruus ex magno!* ô bellè! Vide quo inopinato artificio diuinus Opifex vrbeculam Bethlehem magnificauerit. Nimirùm intra eius anguſta mœnia Deus immenſitate magnus, paruulus factus eſt:

Matth. 2. v. 5.

S. Ber. Ser. 1. in Vig. Natiuit.

*Magna eſt Deipara, quia Deus factus eſt in eâ paruus ex magno.*

eſt: inde breuis anguſtę ciuitatula, tantam amplitudinem, ac magnitudinem è diuerſo mutuauit, vt ex nuper paruula, iam auguſtè magna, & magnarum vrbium princeps nuncupetur. O auguſta Deipara humilitatis paruitate magna! *magnificauit te, qui factus eſt in te paruus ex magno.* O mirum creſcendi arbitrium! quia magnus Deus in te paruus puer factus eſt, quaſi ex illius paruitate magnitudinem mutuaſſes, ad tantum magnitudinis faſtigium aſcendiſti. O grande miraculum! dum magnum Deum Deipara fecit paruulum, & Deum, & ſeipſam ſublimiſſime magnificauit.

3. Lucæ 1. v. 49. Lucæ 1. hæc Deiparæ ore verba ſonant: Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicēt omnes generationes. *Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.* Et quæ ſunt hæc *Magna*, quæ à Deo in Virgine facta eſſe dicuntur? *Quæ tibi magna fecit, qui potens eſt?* rogat inibi Theophylactus. (Theophyl.) Omnipotens ſummi Dei *potentia* inducitur, ne tam ſublimis magnitudo incredibilis videatur. Beda exponens præſcripta verba, *Fecit mihi magna*, ſapienter notat, quòd *Reſpicit hoc ad initium carminis, vbi dictum eſt, Magnificat anima mea Dominum. Sola enim anima illa, cui Dominus magna facere dignatur, dignis eum præconiis magnificare poteſt.* (Beda apud Caten. ibi.) Benè eſt: ſola Deipara, in qua Deus tam *magna* fecit, poſſit pro tam ſublimi magnitudine digna præconia gratanter rependere: ſed an ipſamet Beata Virgo ſuam præcelsè magnitudinem plenè comprehendere, & dignè æſtimare valeat, B. Thomas de Villanoua ſcitè ambigit, ita fatus Conc. 3. de Natiuit. B. Virg. *Fecit mihi magna, qui potens eſt; ſed quàm magna neſcio an ipſamet valuit ſuam comprehendere magnitudinem.* (Deipara ſuā comprehendere magnitudinem non valet, tanto faſtigio eminet! — B. Thom. de Villanou.) Virgo Deipara tantâ excelluit ſapientiæ plenitudine, vt cùm ipſa ſit Mater increatæ Sapientiæ, Sapientiæ diuinæ vocabulo in ſacris litteris adumbretur. Aſt tam ſublimiter *magna* in eâ fecit, qui potens eſt, & quem ipſa præ omnibus iunctim creaturis magnificat, vt neque ipſamet magnitudinem quam in ſe experitur, digno æſtimationis cenſu comprehendere valeat. *Sola anima illa, cui Deus magna facere dignatur, dignis eum laudibus magnificare poteſt*: Sed *neſcio an ipſamet valuit ſuam comprehendere magnitudinem*, quantumuis ſapientiſſimâ mente obnixiùs adnitatur.

4. Eccli. 43 v. 7. & 8. Siracides Eccleſiaſtici 43. A Lunâ, inquit, ſignum diei feſti: *Luminare quod minuitur in conſummatione. Menſis ſecundum nomen eius* (Lunæ) *creſcens mirabiliter in conſummatione* Obuium eſt apud ſanctos Patres, & recentes huius loci Commentatores, hæc verba de Virgine Deiparâ (quæ eſt præfulgens Eccleſiæ Luna) myſticè interpretari. Peruium autem non eſt, quare hoc magnum Luminare, quod in primo hemiſtichio dicitur *minui in conſummatione*, vel, vt habent Biblia Romana, *ſuper conſummationem*; in ſecundo hemiſtichio dicatur, *Creſcens mirabiliter* (Syrus *ſublimiter*) *in conſummatione.* (Bibl. Rom. Syrus.) Profectò mirabile eſt vt hoc Luminare magnum, quod in *conſummatione minui* dicitur; *in conſummatione mirabiliter*, ſeu *ſublimiter creſcere* dicatur. Num ex diminutione pariter ac incremento, incrementum magnitudinis fœneratur? Sanè *mirabiliter* creſcit, quod etiam diminutione incrementatur, & nouam etiam magnitudinem de imminutione mutuat. (B. Virgo non ſolum incrementis, ſed diminutione etiam mirabiliter creſcit, & faſtigiatur.) Appoſitè Richardus lib. 1. de Laud. B. Mariæ: (Richard. à S. Laur.) *Parua apparuit, per humilitatem ſe offerens Domino in ancillam, cum poſtularetur in Matrem; ſed poſtea magnam ſe eſſe teſtatur dicens: Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi Magna qui potens eſt. Ideò ipſa dicitur, Luminare quod minuitur in conſummatione.* Ecce tibi quomodo B. Virgo *minuatur in conſummatione*: nam dum poſtulatur in Dei Matrem, quod eſt ſummum dignitatis faſtigium, ſe appellat *ancillam*, quæ eſt infimiſſimæ conditionis meta, & demiſſionis hyperbole. Cùm autem ſe ancillam cenſet, & nominat, rursùs ait, *Fecit mihi magna qui potens eſt*, quaſi de diminutione magnitudinem fœneretur. Sic quæ *minuitur in conſummatione*, ſimul *in conſummatione mirabiliter creſcit.* O qualis, quantâque erit magnitudo, & celſitudinis ſublimitas, quæ non tantum incrementis, ſed diminutione etiam *mirabiliter* faſtigiatur!

Idem autem Siracides ibidem tradit quale ſit 5.
huius Marianæ magnitudinis, aut ſublimitatis fulcrum, ſeu fundamentum: ne ſublimis Deiparæ magnitudo, caduca putetur, & caſuræ ſimilis, humanæ ſublimitatis adinſtar: *Altitudinis*, inquit, (Eccli. 43. v. 1.) *firmamentum pulchritudo eius eſt*: (protinus ſubinfert qualis ſit huius animati cæli, Mariæ inquā, *pulchritudo*, quæ tantæ altitudinis faſtigium fundat) *ſpecies cæli in viſione gloriæ.* (Deiparæ magnitudinem, eius munditiæs, ac puritas altè fundat.) Itaque Marianæ altitudinis fulcrum ſeu firmamentum eſt eius *pulchritudo.* O quàm firmo hęc magnitudo nititur firmamento! Biblia Complutenſia: *Superbia*, vel *gloria altitudinis, firmamentum munditiei.* Romana & Tigurina, *Puritatis.* Alij, *Exultatio altitudinis firmamentum purum.* (Exceptiones variæ apud Cornel. ibi.) Ecce tibi ſidera Marię *pulchritudo*, quę præaltam eius magnitudinem altè firmat, ac firmiter fundat. Nimirùm pulchra Mariæ *ſpecies*, quam cælum æmulatur, *in viſione gloriæ* eſt. Hæc Mariæ *ſpecies*, quæ gloriæ viſionem intuentium oculis repræſentat, Marianæ altitudinis firmamentum eſt. Verùm Græci codices adhuc explicatius tradunt huius (Græcus.) magnæ altitudinis fundamentum; nempe *munditiem*, ſeu *puritatem*, ita excribentes: *Gloria*, vel *ſuperbia*, vel *exultatio altitudinis firmamentum purum.* quaſi Marię immaculata *puritas*, ſiue peccati Originalis in ſua Conceptione, ſiue à carnis corruptione in Conceptione & partu Filij Dei, ſit Marianæ *altitudinis firmamentum.* O quàm ſolidè ſtabilitur Deiparæ celſior magnitudo, quam eius immaculata munditiès, ac puritatis nitor altè fundat? Hæc eſt Marianæ altitudinis *exultatio*, & *gloria*; imò (ſi dicere viuaciùs liceat) pia *ſuperbia*, vt eius præcelſa ſublimitas, ſuper *munditiem*, ac *puritatem* firmiter fundata, ſic ſublimiſſimè faſtigietur. *Paruus fons, qui creuit in fluuium* (*maximum*,) *& in lucem, Solemque conuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit; Eſther eſt, quam Rex accepit vxorem, & voluit eſſe Reginam.* (Eſther. 19. v. 6.) Vide fontis puritatem cum tanto incremento coniunctam.

Eccleſiaſtici 43. Glorificantes, Dominum, inquit, quantumcumque potueritis, ſuperualebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius. Benedicite Dominum, *Exaltate illum quantum poteſtis: maior eſt enim omni laude.* (6. Eccli. 43. v. 33.) Tigurina ſic (Tigurina.) excribunt: *Quantùm poteſtis extollite Dominum: ſiquidem ſemper laude maior eſt.* Quare ſicut Bernardus Tractatu de Diligendo Deo, verè & ſapienter dixit: *Cauſſa diligendi Deum, Deus eſt, modus diligendi Deum, eſt ſine modo diligere.* (S. Bern. Modus diligendi Deum eſt ſine modo diligere.) Verùm Richardus à S. Laurentio præſcripta (Richar. l. 1. p. 5.)

Siracidis verba Deiparæ Virgini opportunè accommodat, ita fatus: *Pro modulo noſtro exaltemus eam, ſecundum quod nobis præcipitur de Filio....... Benedicentes Dominum, dicamus Dominam, exaltate illam quantùm poteſtis. Exaltate,* id eſt, *extra omnia, & ſuper omnia altam prædicate; maior eſt enim omni laude.* Quaſi idoneus modus exaltandi Deiparam, ſit eam quodammodò ſine modo exaltare: *maior eſt enim omni laude* vel *omni gloriâ*, vt inibi Cornelius exponit. Hùc ex oppoſito aduocare liceat illud Tertulliani, qui de Alexandro Magno ſic fatur: Habes, inquit, ex iſto fomite (gloriæ querendæ inquam) æſtuantem *magnum Regem, ſola gloria minorem.* Modus ſanè loquendi efficax, & exaggerans? Quaſi dicat! Metire, ſi vis, Magnum Alexandrum, & inuenies eum *ſola gloria* victum, eáque *minorem.* Nimirùm cùm gloriæ fama nuſquam ſit laudum auara, ſed potiùs res præclarè geſtas amplificet potiùs, quàm minuat; aliis quidem in rebus Alexander verè Magnus fuit, ſolâ autem gloriæ famâ *minor*, quia cognatus Gratiæ faſtus illum vltra merita arroganter extulit ambitioſâ facinorum amplificatione: exindè *minor* erat in ſe, quàm ſui fama, ac geſtorum gloriâ: ac proindè eum appellat *ſola gloriæ minorem.* quaſi à tantâ famæ gloriâ in ſe ipſe decreuerit. Ait ergò Siracides ex Ricardi mente: *Dominam ſuper omnia altam prædicate: maior eſt enim omni laude*, ideſt, *gloria.* Ecce tibi pulchra antitheſis, Deiparæ magnitudinem luculenter exponens: Alexander Magnus *ſola gloria minor* inuentus eſt; at Virgo Deipara, tametſi tanta gloriæ fama ſublimis, *maior eſt omni gloria.* Alexander Magnus gloriæ magnitudine minoratur? Deipara autem vltra gloriæ ſuæ famam præcelsè ſublimis, quantumuis famoſis laudibus extollatur, & glorioſiùs faſtigietur; adhuc tamen *maior eſt omni gloria:* ſicut Alexander Magnus *ſola gloria minor.* Quid exaggeratius? *Eſther regina* (ait Richardus) *quæ interpretatur, Eleuata in populis, ſignat Mariam.*

*Alexander. Magnus ſola gloria ſua eſt minor; Deipara verò maior eſt omni gloria.* Cornelius

Richard. à S. Laur. l. 3.

---

## CAPVT XI.

*Verſ.* 15. Erat enim formoſa valdè, & incredibili pulchritudine.

## CAPVT X.

*Verſ* 6 Paruus fons, qui creuit in fluuium & in lucem Solemque conuerſus...... Eſther eſt.

## ſ. CCCLIV.

### *Meracior Deiparæ virginitas, Filij ſui diuinitatem ſumptuoſiùs manifeſtat.*

1. S. Zeno Ser. 3. de Natiu. *Deus ex Virgine ſuo indicio naſcitur.*

SCitè Veronenſis Zeno de Verbi diuini in Deiparæ vtero Incarnatione, ita ſcribit: *Sacrario templi virginalis hoſpes pudicus illabitur: ibidémque qualis velit eſſe, diſponit: imò quod iam olim diſpoſuerat complendum, latenter aſſumit: námque requieſcit libens florentiſſimo in domicilio caſtitatis, & in viſceribus ſacra Virginis comparat ſibi corpus, ſuo indicio naſciturus...... Mira res! concipit Maria de ipſo, quem parit; tumet viscera maieſtate, non ſemine: capítque Virgo quem mundus, mundúsque non capit magnitudo. Parturit Maria, non dolore, ſed gaudio, naſcitur ſine patre filius, non totus matris; ſibi debens quod conceptus eſt: dans matri, quod natus: quæ principaliter ſtupet talem ſibi filium prouenifſe, qui ex ſe natus non crederetur, niſi quia ſicut fuit Virgo incorrupta poſt conceptum, permaneret talis quoque poſt partum.* Pluſculùm quàm de more, excripſimus: ſed nunc intermittimus plures ſententias expenſione digniſſimas, & conceptuum abundè fertiles, alibi forſan enucleandas: & verborum clauſula ſit huius §. labor. Nempè ante dixerat Zeno, quòd Deus in ſacrario templi virginalis, hoſpes pudicus carnem *latenter aſſumpſit*: prodidit ergò ſe *latenter* occultata diuinitas, dum ex matre virgine prodiit. Siquidem Deipara Virgo, cui de ore Angeli notiſſimum erat Incarnationis ſacramentum, *principaliter ſtupet talem ſibi Filium prouenifſe. qui ex eâ natus non crederetur, niſi quia fuit virgo incorrupta poſt conceptum.* Sic Deus *requieſcit libens florentiſſimo in domicilio caſtitatis*, vt virginitas in matre, ſit notamentum diuinitatis in Filio!

*Chriſtus non totus Matris & quare.*

*Virginitas in matre, notamentum eſt diuinitatis in Filio.*

2\. Ad Coloſſ. 2. v. 9.

Paullus ad Coloſſenſes 2. eos his verbis cautiores reddit: Videte, inquit, nequis vos ſeducat per Philoſophiam, aut inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum: *Quia in ipſo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter.* Multa mouent Interpretes ſuper voculâ *corporaliter*, quandoquidem diuinitas, exors omninò corporis eſt. Mitto hæc, ne fortè longum faciam. Et auſim interrogare Gentium doctorem, & Eccleſiæ magiſtrum, vnde certo innoteſcat, quod omnis plenitudo diuinitatis in Chriſto *corporaliter inhabitet?* Ad id ſuadendum densè aduocantur Prophetarum oracula, Chriſti prodigia, & tota Euãgelij œconomia in veteri Paginâ quondam adumbrata, & Chriſtiani catechiſmi omnis eruditio conglobatur. Benè eſt. Sed aliam prætereà rationem argutè Nyſſenus inuenit ex immaculatâ Deiparæ puritate: *Hanc ob cauſſam exiſtimo*, inquit, *fontem ipſum incorruptionis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum nullâ nuptiarum quæſita via in hunc mundum ingreſſum; vt ex modo incarnationis magnum hoc myſterium pateſieret: quoniam Dei præſentiam, ingreſſúmque ſola puritas excipere ſufficiens eſt, quam aliter omninò perfectè præſtare non poteſt, niſi qui ab omnibus ſe carnis affectibus alienet:* (Nota quæ ſubinfert verba) *quod in inuiolata Maria contigit, corporaliter plenitudine Diuinitatis in Chriſto, per Virginem elucente.* Ecce tibi *corporaliter plenitudo diuinitatis* in Chriſto, in eius incarnatione, per inuiolatam Virginis puritatem notanter *elucet.* Scilicet ex aliis indiciis, & fidei argumentis, diuinitas in Chriſto probè arguitur, quia indè tranſparet; at in virginali Deiparæ puritate, *corporaliter plenitudo diuinitatis* in Chriſto, micanter ſcintillat, *elucet*, prænitet, quaſi fulgores diuinitatis in Matris virginitatem reuerberet. Nimirùm humanæ carnis velamine, diuinitas in Chriſto tectiùs latet: aſt licet in humano Chriſti Dei corpore latenter occultatur, in Deiparæ illibatâ ſemper virginitate, *corporaliter plenitudo diuinitatis elucet.*

S. Niſſen. in Caten. Græcâ ad Lucæ 1.

*In illibata Deiparæ virginitate, corporaliter plenitudo diuinitatis elucet.*

3\. Lucæ 1. v. 35.

Lucæ 1. vt ad Verbi diuini corporationem, Virginis adſenſum Angelus alliciat, dicit ei: *Spiritus*

*virtus ſancti ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Hæc in Verbi Incarnatione vmbra, pudoris corruptionem non diſſimulat, neque occultat; ſed Matris virginitatem illuſtrat; & inde Filij diuinitatem illuſtriùs manifeſtat.

S. Zeno Ser. 2. Natiuit. Chriſti. *O magnum Sacramentum!* (exclamat Zeno Veronenſis) *Maria virgo incorrupta concepit: poſt conceptum virgo peperit: poſt partum virgo permanſit. Ita Chriſtus in hominē ſe fecit naſci, quemadmodum homo non poteſt naſci. Totum denique ſua luce reſplendens corpus ſine vmbra geſtabat: humilis carnē, ſed excelſus omnipotentia maieſtate.*

Deipara obumbratione diuinā. Chriſti corpus ſine vmbra geſtauit. & quo ſenſu.

Scilicet Chriſtus dum diuinitatem diſſimulans, homo naſcitur, quandoquidèm naſcitur ex virgine, ſe Deum naſci probat: quia ita *in hominem ſe fecit naſci, quemadmodùm homo non poteſt naſci.* Et Spiritus ſancti *obumbratione* conceptus, *luce reſplendens corpus ſine vmbra geſtabat.* Itaque de virginitate Matris probatur & apparet ſplendor diuinitatis in Chriſto; qui mutuatum à Virgine *corpus ſine vmbra geſtabat.* id eſt, non fecit *vmbram* Matri, Chriſti corpus diuinitate ſplendens, vmbram inquam, violati pudoris, quæ eſt communis maternitatis ſequela; nam Chriſtus, etſi humilis carne, excelſus concipitur *omnipotentia maieſtate:* maieſtas enim diuinæ *omnipotentiæ*, in Matris virginitate ſingulariter elucet. Exindè Virgo Deipara, quæ Spiritus ſancti *obumbratione* concipit, Chriſti Dei reſplendens *corpus ſine vmbra geſtabat:* nam ſola *Altiſſimi virtus*, non humanum Chriſti corpus, illi *vmbram* fecit. quò tota inſuſpicabili virginitate ſplendens, *corporaliter plenitudinem diuinitatis* in Chriſto comprobaret.

4. Iſaiæ 7. v. 14. Iſaiæ 7. *Propter hoc* (non tam regi Achaz, quam toti Eccleſiæ, ait Propheta) *dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Quæ verba Patres, & Expoſitores Catholici magno cōſenſu, de Virgine Deiparâ, & diuinâ Verbi corporatione, intelligenda meritò cenſent. Lxx. interpretes pro τὸ *Ecce virgo*, cùm emphaſi excribunt: *Ecce illa virgo*, id eſt, illa Virgo rara & vnica, illa phœnix mundi, illa Virgo illuſtris, & toto orbe, ſeculiſque omnibus celebranda; quæ illibato pudore Meſſiam expectatiſſimum generabit. In cuius rei præluſtre *ſignum datur*, quòd virgo concipiet, & pariet? in *ſignum* ſcilicet nati *Emmanuelis* (quod interpretatur, *Nobiſcum Deus*) Hoc grande *ſignum*, Chriſtum Deum naſci deſignat. Nam *Talis partus congruebat virgini, vt non pareret niſi Deum; & talis natiuitas decebat Deum, vt non niſi de virgine naſceretur.* Mitto ſudata teſtimonia, vt Nyſſeni verba citiùs excribam: *Terra*, inquit, *intacta permanſit, & tamen pane plena fuit.* (loquitur de manna) *quò fameſcentes Myſterium Virginis peracti facilè ſaturentur.* Ecce myſterium Incarnationis, *Myſterium Virginis* appellat. O bonum præclarè ſynonymum! Sic cognatum, & indiuiduo vinculo adnexum, Sacramentum Incarnationis Verbi diuini, & patientis *Virginis Myſterium*, vt perindè ſit, *Myſterium Virginis*, ac Verbi Incarnatio. Pulchrè quidèm Nyſſenus, & dignus qui enucleatiùs emedulletur!

Incarnatio appellatur, Virginis Myſterium. S. Bernard. Ser. 2. de Aduentu. S. Nyſſen. de vitâ Moyſ.

5. Iſaiæ 7. v. 14. Iſaiæ 7. agens Propheta de hoc *Virginis myſterio*, ita ſcribit: *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce virgo concipiet, & pariet filiū, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* hoc eſt, *Nobiſcum Deus*, id eſt, Chriſtus Ieſus, Dei Patris, ac Matris Virginis verus ac naturalis filius. Quod Propheta antedixit, Angelus annunciauit Deiparæ virgini: *Ecce* ait, *concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Hoc *ſignum* intemeratæ partu virginitatis, imò & auctæ, Iſaias prænunciauit. S. Bernardus Serm. *Signum magnum*, &c. ita de virginitate, & maternitate Deiparæ loquitur: *Atque ita in Deiparâ virginitas ex fœcunditate; & ex virginitate fœcunditas mutuis ſe ſe radiis illuſtrare hæc duo ſidera videntur.* O res miriſſima, & planè arcanum *Virginis myſterium*, in quo illibata virginitas fœcunditatem è diuerſo parturit; & fœcunditas ſidereâ luce virginitatem, atque præclaros intactæ puritatis ſplendores micanter reciprocant; dum virginitas fœcunditatis fœcunda eſt; & fœcunditas vice verſâ ſidereos puritatis ſplendores in Marianam virginitatem reuerberat. adeò vt alterutra alteram nobilitet, dum *mutuis ſe ſe radijs illuſtrat.*

Lucæ 1. v. 31. Virginitas, & fœcunditas mutuis ſeſe radiis illuſtrant. S. Bernard.

6. S. Bonau. in ſpeculo c. 4. Bernardo Bonauentura ſuccedat, & in B. Virginis laudibus piâ æmulatione decertet: *Ex quo*, ait, *Maria Virgo de Spiritu ſancto diuinâ eſt prole fœcundata; nequaquam virginitas eius ſacrata tali ex prole eſt vitiata; ſed mirabiliter eſt in tanta prole glorificata: nam in prole approbata, in prole conſecrata, in prole nobilitata, in prole dicata, & dotata, & conſignata, & confirmata eſt tua virginitas ô Maria.* Plura hîc conglobat Marianæ virginitatis elogia, à conceptu & partu (quod eſt vulgare pudoris naufragium) fœnerata. Nimirùm Mariæ virginitas ante partum illibata, partu *approbata* eſt: & vndè periculum timeri poterat, indè ſoſpitas emicuit. O nouam intacti pudoris probationē, & approbationis, & virginitatis argumentū, è diuerſo mirabiliter auxiliatæ! Adhæc Deiparæ purior virginitas, partu *dicata* eſt, *dotata* eſt, *conſignata* eſt, *glorificata* eſt, *conſecrata* eſt. Sat Eſto, digitum intendiſſe ad præluſtria confertim Marianæ virginitatis epitheta, quæ expendere, & enucleare pronum cuique erit, mihi ſuperuacuè prolixum.

Deipara virginitas, maternitate conprobata, conſecrata, approbata, & glorificata eſt.

7. S. Ildefon. de Virg. Mar. c. 2. Bernardo ac Bonauenturæ hâc in re Ildefonſus ſuccedat, deuotione, ingenio, & facundia, neutri impar: *Ecce*, inquit, *inſolito modo, inſolito vſu, inſolito ordine, inſolito iure: in vna perſona, in vno corpore, in vna conditione, in vna ætate, alternat honor Matris & Virginis: alternat pudor Virginis & Matris; alternat in generatione virginitas; alternat in Virgine generandi facultas; & neutrum cedit vlli, & vtrumque in alterutrum deriuatur; & neutrum impeditur abinuicem, & ambo properant ſibi. Vtrumque ſeruatur in proprio, vtrumque tranſit in alterum: quia ambo vnum, quia duo idem, quia diuerſa idipſum, quia indiſtinctum accidens. Non matrem virginitatis deſerit decus. Non virginem maternus impedit partus: & Virginem non violat fœtus; & Matrem nobilitat pudor virgineus: & Virginem nobilitat fœtus: & matrem non violat pudor virgineus.* Operoſum, ac prolixum foret ſingula enucleatiùs expendere. Illud non omittam, quòd in Deiparâ de virginitate ac maternitate, tanquam de ſynonymis loquitur: *Vtrumque*, inquit, *ſeruatur in proprio; vtrumque tranſit in alterum, quia ambo vnum, quia duo idem.* quaſi ipſa Deiparæ virginitas tranſeat in Dei maternitatem, & *ambo vnum* ſint, quamuis *vtrumque ſeruetur in proprio.* Adeò Marianæ virginitatis ſplendor, eſt diuinæ maternitati confinis, &

Virginitas, & Dei maternitas in Mariâ, velut Synonyma ſunt, & duo idem.

Marianæ

Marianæ virginitati diuina maternitas, vt *duo idem* nuncupentur, quin alterutrum à propria natura deſciſcat. ô grande Marianæ virginitatis elogium! O Mariæ virginitas, diuinæ maternitati cognata; & per arcanas virtutum conſequentias, velut ſynonyma!

---

## CAPVT XI.

*Verſ.* 15. Erat enim formoſa valdè, & incredibili pulchritudine.

## CAPVT X.

*Verſ.* 6. Paruus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem Solemque conuerſus eſt.. Eſther eſt.

### §. CCCLV.

*Deiparæ virginitas à partu ampliata, de bonis carnis Deo adulatur, pia quadã pudicitiæ obſtinatione; quæ diuinum Verbum in ſe corporandum probat.*

1. Matt. 1. v. 20. S. Chryſol. Serm. 145. *Maria Virginitatis fœcunda conglobata epitheta, & perſtrictim elucidata.*

IOſephum angore zelotypiæ afflictatum, ſic Angelus Dei alloquitur: Ioſeph fili Dauid, *noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu-ſancto eſt.* Quæ verba exponens Chryſologus, virginis Deiparæ Maternitatem eloquenter elucidat: *Noli timere. quam vides virtus eſt iſta, non crimen; hîc præmium eſt, non reatus hîc incrementum cœli eſt, non corporis detrimentum; hîc non eſt proditio perſonæ, iudicis eſt ſecretum; hîc palma cognitoris eſt, non ſupplicij pœna; hîc hominis furtum non eſt, theſaurus eſt Dei; hîc non eſt mortis cauſſa, ſed vita. Et ideò noli timere, quia quæ vitam parturit, non meretur occidi.* Multa hîc Chryſologus conglobat; è multis aliqua perſtringamus. Sententiosè quidem Virginitas Deo grauida, *præmium* dicitur, non autem meritum, (etſi vere ſit.) An quia tanta Deiparæ virtus æquè præmiari non poſſe forſan videatur? tam excelsè auguſtum eſt meritum diuinæ Maternitatis cum intacta virginitate coniunctũ, vt niſi ipſum etiam *præmij* partem ſubeat, condigno in terris præmio viduetur? Dein appellatur Deiparæ grauida virginitas, *palma cognitoris.* quaſi detriumphauerit honeſtatis ac pudicitiæ hoſtes, qui hanc Virginis excellentiam votiuè ſuſpicit, & ſtudioſiùs adorat, pudoremque deuoto fœneret *cognitori.* Sic Mariæ virginitas, victorialem pudicitiæ *palmam* vel *cognitori* porrigit? Sic in ſui *cognitorem*, nitorem honeſtatis reuerberat? Adhæc, *incrementum cœli* appellatur Deipara. incrementatur empyrea cæli gloria Marianæ puritatis olympio nitore, quæ ætheris lucida videtur particula, non humilis terrulæ carnea portio, cælis de ſplendore inuidioſa? Tandem Deiparæ ſanctior virtus, *furtum non eſt*: & tamen velut piè furax, immortales cæli gazas, opulentos Omnipotentiæ theſauros quodammodò exhaurit, vt illos copiosè mortalibus impertiat, gratiarum deſtribuendarum Præſes.

Matthæi 1. Chriſti autem generatio ſic erat: 2.
*Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto.* Quare tunc Virgo Deipara deſponſata dicitur, non verò maritata; ſiquidem vero tunc matrimonio iuncta fuit Ioſepho? Ego enim ſic exiſtimo, cùm veterum Interpretum nonnulli nuptias negant, ſponſalibus contenti; non verum tunc matrimonium, ſed communem torum negaſſe, & honeſto ſponſæ vocabulo deſignare noluiſſe Marianæ virginitatis in vero matrimonio candorem. Scilicet Maria & Ioſephus diſſimulant coniuges, ſponſos virginitate imitantur in vero coniugio. Forſan hùc alludit, aliud agens Tertullianus ita ſcribens: *Virginitas quoque, & viduitas, & modeſta in occulto matrimonij diſſimulatio, de bonis carnis Deo adulantur.* Nempe Maria Deipara in puellari ætate, & poſtmodùm coniugata diſſimulatione matrimonij virgo fuit; virgo etiam Ioſepho marito tandem viduata. Exindè perpetua ſemper in omni ſtatu virgo, *de bonis carnis Deo adulatur.* Quid eſt, quòd velut pertinax in omni ſtatu, etiam coniugali, Mariæ virginitas, partu quoque fœcunda, de bonis carnis *Deo adulari* perhibetur? Marianæ virginitatis candor, *Dei adulatio* eſt; Deus noſter is eſt, cui ſumptuoſior Matris virginitas *aduletur*; Quid Deo adulantius, quàm empyreæ virginitatis nitor in Matre; Adulatio, ſi Ethicos conſulas, vltra veritatis metas audet. Sed mitiùs quoque aliquandò accipitur, pro ſummâ laude, quæ videtur adulationi confinis. Sic meracior Deiparæ virginitas maternitate aucta, *de bonis carnis Deo adulari* perhibetur: valdè enim venuſtatur Deus homo, de Matre virgine natus.

Matth. 1. v. 18.

Tertull. l. de Reſur. carn. c 8.

*Num Deipara virginitas, de bonis carnis Deo adulatur?*

3. Lucæ 1. v. 34. S. Nyſſ. homil. de Natiuit. Dom. *An Deipara pia quadam virginitatis obſtinatione, angelicæ demonſtrationi refragetur?*

Lucæ 1. B. Virgo de cæleſtis Angeli ore indubiè audit, *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* E ſuperno oraculo hæc excipit, ad aurium margines cauta percolat, & ſtudio pudoris mente attentiùs pertractans, Dei maternitatem recipere cunctatur iacturâ pudicitiæ; & pia virginitatis velut obſtinatione, adhuc Angelo obiectat: *Quomodò iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Quæ Deiparæ verba, ſic Gregorius Nyſſenus eloquenter exponit: *Angelus partum nunciat, & illa virginitati inhæret, & integritatem Angelicæ demonſtrationi anteponendam iudicat: nec Angelo fidem non habet, nec à propoſito recedit ſuo.* Quid eſt quòd B. Deipara *virginitati hærens, iudicat integritatem Angelicæ demonſtrationi anteponendam?* Audeat ne virginitas *Angelicæ demonſtrationi* peruicaciter refragari; ô auſus temeritati penè confines! ſed pudicitiæ maxime conformes: audio enim à Tertulliano laudatam honeſtatis ſtudio, *vniuiratûs obſtinationem*: & Chriſtianos abdicatione voluptatum ad aliquam ſubeundi martyrij *obſtinationem erudiri.* Audis pudicitiæ *obſtinationem* æmulari de conſtantiæ bono Hereticorum nequam peruicaciam; minùs pietas audebit in bonum, quàm vitium in malum audet? Hæreticorum grex, Pharaonis æmulus, ſurdus eſt ad rationes moraliter euidentes, quæ catholicam fidem adſtruunt. Pudicitia etiam meracior & maturatior, piè *obſtinata* eſt in honeſtatis propoſito Redeant Nyſſeni verba de Virgine Deiparà: *Angelus partum nuncias, & illa virginitati inhæret, & integritatem angelicæ Demonſtrationi anteponendam iudicat.* An non pia quædam virginitatis *obſtinatio* eſt angelicæ *Demonſtrationi* velut refragari;

Tertull. l de Exor. caſt. c. 13 & l. de Spect. c. 1.

Pſalm,

4. Pſalm. 71. ſic pangit Propheta regius de Verbi diuini humanâ corporatione in virgineo Deiparæ vtero: *Deſcendet ſicut pluuia in vellus.* Quæ Pſalmographi verba luculenter ad rem exponit Ambroſius: *Maria*, inquit, *rectè velleri comparatur, quæ ita concepit Dominum, vt toto eum corpore hauriret, nec eius diſciſſuram corporis pateretur; ſed eſſet mollis ad obſequium, ſolida ad ſanctimoniam.* Pergit in eâdem metaphorâ Chryſologus ex Sophronio: *Vellus cùm ſit de corpore, neſcit corporis paſſiones: ſic virginitas cùm ſit in carne, vitia carnis ignorat: cæleſtis ergò imber virgineum in vellus placido ſe fudit illapſu, & tota diuinitatis vnda bibulo ſe noſtræ carnis celauit in vellere.* Ecce tibi in B. Deiparâ geminatus virginitatis titulus, qui ſub velleris metaphorâ tranſparet. Porrò *vellus* totum eſt roris bibulum; ſic Deipara fuit bibula Diuinitatis, quæ velut ros aut imber in eam deſcendit, & ſic *toto eam corpore hauſit.* Quid hâc empyrea puritate limpidius? Dein *vellus cùm ſit de corpore, neſcit corporis paſſiones:* ſic Deiparæ virginitas, cùm ſit in carne, vitia carnis ignorat. Sed de hâc vitiorum carnis in B. Virgine ignoratione, alibi diſſeritur.

Pſal. 71. v. 6. S. Ambroſ. Serm. 13. *Tenuis virginitas ſub velleris ænigmate incorporata traditur.* S. Chryſol. ſerm. 143. Sophron. ſer. de Aſſump.

5. Matthæi 1. Ioſepho nimis anxio loquitur in ſomnis Angelus, aiens: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in eâ natum eſt de Spiritu-ſancto eſt. Et mox additur prophetia Iſaiæ: *Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Panditur meracior Deiparæ virginitas, & quaſi Angelus & Euangeliſta in eâ aſſerendâ toti eſſent, mirè ſilent de perſonâ diuinâ, quæ in virgineo Mariæ vtero carnem induit. Nonne è re Eccleſiæ foret, vt in hoc opportuniſſimo narrationis articulo, aut Angelus, aut Euangeliſta, Verbum diuinum corporandum fore, ſaltem indicaſſent? Quid ſi non dubiè ex Deiparæ virginitate indicarunt; Eleganter Theophilus in Serm. Concilij Epheſ. *Quia verò Photinus purum hominem dicit, qui natus eſt, dicat nunc quomodò natura humana per vuluam virginalem nata, virginitatem vulua ſeruauit incorruptam? nullius enim hominis mater virgo permanſit. Sed quia natus eſt carne Deus Verbum, cuſtodit virginitatem, ſeipſum per Verbum eſſe oſtendens:* (Lege attentiùs quæ ſubnectit verba) *neque enim noſtrum verbum cùm paritur, corrumpit mentem, neque Deus Verbum partum eligens peremit virginitatem.* Audis ex ore magni Theologi, temporariam Chriſti Dei natiuitatem ex illibatæ Virginis vuluâ, æmulari æternam natiuitatem ex Patris incorruptâ mente; Miriſſimè quidem Virginei partus puritas immaculata exprimitur, cùm Verbum Dei in humano conceptu, & partu, mentalis noſtri verbi proprietates referre perhibetur. Scilicet ſicut mens humana mentalis verbi conceptu incorrupta manet, ſic matris Virginis vulua, cùm ex eâ corporatum Dei Verbum procedit. Quaſi Mariæ vulua ſit velut mens, in quâ corporatum Dei Verbum concipitur. Theophilo conſentit S. Thomas in cap. 1. Matthæi, plures tradens rationes, quare diuinum Verbum de matre Virgine carnem ſumpſerit, ſubdit: *Quarta cauſſa eſt propter proprietatem Verbi: quia ſicut verbum ſine corruptione cordis emanat a corde; ita Chriſtus de Virgine naſci voluit, & debuit ſine corruptione.* Vides incorporeâ incarnati Verbi natiuitate, ſimilitudinem incorporeæ, & æternæ natiuitatis? Audis Deiparam in Chriſti partione aſſimilari *cordi*? Quid exaggeratiùs ad Marianæ puritatis laudē? Tu expende *cordis* epithera ac elogia, & congruè Mariæ adapta. Porrò humanum cor eſt cogitationum promptuarium, conflatorium amoris, affectuum conceptaculum, purioris ſanguinis, & ſpirituum officina, vitæ auſpicium; quippe quod primùm viuat. Hanc obiectiua analogiam in B. Virgine, quæ myſticum, & arcanum *cor* peridoncè nominatur.

Matth. 1. v. 23. Iſaiæ 7. v. 14. *Ex Maria virginitate coniici potuit Dei Verbum corporari.* Theophyl. S. Thomas. *Maria cordi aſſimilatur.*

Matthæi 1. hæc verba ex Euangelico prophetâ Euangeliſta refert, quò deiparæ virginitatem auctoratiùs euulget: *Ecce*, inquit, *virgo in vtero habebit, & pariet filium.* Pulchre obſeruat Chryſoſtomus, nuſquam ab Euangeliſta Matthæo Mariam appellari Virginem, niſi cùm Dei Mater nominatur. Eccur non etiam anteà; neque enim potuit eſſe virgo in conceptu, & partu, niſi etiam ante conceptum virgo foret. Et tamen nunc primò de virginitatis bono ei blanditur Matthæus, quandò Mater inducitur: *Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium.* Tempeſtiuè Auguſtinus rationem ſubindicat: *Creuit enim in eius partu corporis integritas, potiùs quam decreuit virginitas ampliata eſt.* Quaſi ante conceptum & partum, quodammodo parùm virgo foret, (etſi tunc integerrima, Virgo virginum, & virginatis votiua Primiceria) tunc primò dicitur Virgo ab Euangeliſtâ Matthæo, quando fœcunditas fuit virginitatis auctarium, & inſigne pudoris incrementum; indè *ampliata virginitate*, vnde poterat timeri iactura. Itaque quæ ſemper fuit integerrima virgo, quę virginior nitet à partu, quaſi partus ſit virginitatis ſplendor, & ampliatio; conſultiſſimè vſque ad partum virgo non dicitur à Matthæo: nam menſura Marianæ virginitatis, non eſt honeſta ſemper puriſſimè carnis integritas; ſed puritas etiam in partu, & à partu meracior: *Creuit enim in eius partu corporis integritas, & virginitas ampliata eſt.* Vndè Maria in Matthæi Euangelio nunquam audit virgo (etſi anteà aliquoties eius cum laude reſonet nomen) quouſque Mater prædicatur: ne taxetur eius virginitas à puritate dumtaxat mentis & corporis; ſed à diuinæ etiam partionis integritate, in partu arcanè ampliatâ,

6. Matth. 1. v. 23. Iſaiæ 7. v. 14. S. Chryſoſt. homil. 5. in Matth. S. Auguſt. ſer. de Natiuit. *Menſura Marianæ virginitatis, à diuino partu taxanda eſt.*

---

## CAPVT XI.

*Verſ.* 15. Erat enim formoſa valdè, & incredibili pulchritudine.

## CAPVT X.

*Verſ* 6. Paruus fons, qui creuit in fluuium & in lucem Solemque conuerſus...... Eſther eſt.

## §. CCCLVI.

*Deiparæ virginitas Chriſti Dei virginitatem venuſtat; cuius æterna virginitas, cenſus illius eſt, vitæ perpetuæ idea, & quaſi vitales Angelorum deliciæ.*

1. PRofundè S. Damaſcenus: *Chriſtus*, inquit, *virginitatis decus eſt & ornamentum, vt qui non*

S. Dam. l. 4. de Fide.

*non modò ex Patre citra congreſſum ſit genitus, ſed etiam carnem ex Virgine ſine viri congreſſu ſumpſerit; ipſeque omnibus numeris abſolutam virginitatem in ſe ipſo oſtenderit.* Quaſi parùm foret ad Virginitatem Chriſto Deo dignam, in ſeipſo *abſolutam* virginitatem perfectè ſeruaſſe; ideò addit Damaſcenus oſtendiſſe etiam virginitatem relatiuam: nam ex Patre Deo æternâ generatione, & ex Matre Virgine generatione temporali, vltra viri congreſſum genitus eſt; atque adeò ex Patre virgine, & de Virgine Matre. Illud neceſſarium abſolutè fuit ad Filij Dei generationem æternam; iſtud decebat ad plenam etiam extrinſecè & velut relatiuè, virginitatem Chriſti, ac ſi quodammodo virginior ſit, qui in ſe omnibus numeris abſolutam virginitatem habens, non ſolùm de Patre, ſed de Matre etiam Virgine naſcitur. Eug. Deipara Virgo, maternâ virginitate virginior; quæ ad Filij Dei virginitatem (vt vt potes) aliquid adiecisti: tu es virginum decus, & ſingulare virginitatis ornamentum: Filiúmque Deum tuâ virginitate venuſtaſti.

*Deipara virginitas venuſtat Christi virginitatem.*

2. Matthæi 1. *Chriſti autem generatio ſic erat: Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto.* Cùm dogma ſit Theologicum, opera ad extrà toti Trinitati communia eſſe, peritè ſciſcitantur Theologi, quare *Chriſti generatio* Spiritui-ſancto nuncupatim tribuatur. S. Thomas quo pollebat ingenij acumine, quaſi contentus non foret communi ratione, quæ vbiuis vniuerſatim adducitur, in huius loci Commentario aliam eruditè tradit, è rei viſceribus belliſſimè erutam: *Ratio aſſignatur* inquit, *in geſtis Niceni concilij, & eſt quòd in nobis eſt duplex verbum: verbum cordis, & verbum vocis. Verbum cordis eſt ipſa conceptio intellectus, quæ occulta eſt hominibus, niſi quatenus per vocem exprimitur, ſicut per verbum vocis. Verbo autem cordis comparatur Verbum æternum ante incarnationem, quando erat apud Patrem, & nobis abſconditum: ſed verbo vocis comparatur Verbum incarnatum, quod in nobis apparuit, & manifeſtatum eſt.* (Aduerte attentiùs ad verba quæ ſubdit) *verbum autem cordis non coniungitur voci niſi mediante ſpiritu: & ideò rectè Incarnatio Verbi, per quam nobis inuiſibilis apparuit, mediante Spiritu-ſancto facta eſt.* Eleganter ſanè rem expreſſerunt Niceni Patres: & ſententiosè compararunt. Spiritum-ſanctum reſpirationi, quâ vitam iugiter haurimus, reſtinguimus inteſtinum viſcerum ardorem, verba efformamus ad loquelam rationalem, ne rationalis homo rudi infantiâ obbruteſcat. Certè Spiritus-ſancti cum humana reſpiratione comparatio latam ſubminiſtrat analogiam ethicæ expenſioni expromptam: præſertim ad rem externæ locutionis, cuius ipſe Spiritus-ſanctus (ſicut & ipſa hominis reſpiratio) debet eſſe vehiculum, & excuſſor, qui cordis verba externæ voci imprimat, vt

Matth. 1. v. 18.

S. Thomas Nicen. Concil.

*Spiritus-ſanctus (ſicut reſpiratio) fit quaſi vehiculum verbi cordis ad vocem.*

3. verba rationali & ſpirituali homine digna efformentur, & voce proferantur. Ceterùm hæc Nicenorum Patrum comparatio, ſicut mirè explicat diuini Verbi Incarnationem, ita Marianę virginitatis puritatem exponit egregiè. Contemplare quâ integritate, ſinceritate, & puritate, ſpiritus ſeu reſpiratio hominis velut deuehat verbum mentis, & voci imprimat, quò externum & audibile verbum proferatur: adſimilis analogia contemplanda, imò longè ſplendidior, in diuini Verbi humana incarnatione. Porrò verbum diuinum ab æterno erat nobis inuiſibile & occultum in corde ſeu mente Patris: ergo vt hoc Verbum reddatur viſibile, *mediante Spiritu-ſancto*, velut Spiritu ſeu reſpiratione *coniungendum*, & quaſi imprimendum aut conuiſcerandum erat in vtero Matris. Itaque Incarnatio eſt velut vectatio ſeu tranſlatio diuini Verbi per Spiritum-ſanctum, quaſi per ſpiritum ſeu reſpirationem, quo *mediante*, diuinum Verbum ex intellectu Patris Dei coniungitur Matris virginis puriſſimis viſceribus: vndè ſenſibiliter corporatum, viſibile nobis apparet. Profectò Solis nitor ſqualidè ſordet præ hac diuinæ Maternitatis puritate. Exindè hæc quaſi vectatio Verbi à mente Patris, ad ventrem Matris, Spiritui ſancto peridoneè adſcribitur: & Deipara dicitur *inuenta in vtero habens de Spiritu-ſancto.*

*Quia Incarnatio tribuitur Spiritui-ſancto, inde virginitas Deiparæ elucet, & quare.*

Itaque intacta puella, & incognita viro, *Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto.* S. Chryſologus hæc ſuper te ita ſcribit Deiparam alloquens: *Virgo te gratia matrem præſtitit, non natura: genitricem te dici pietas voluit, quam non ſineb at integritas: in tuo conceptu, in tuo partu creuit pudor, aucta eſt caſtitas, integritas roborata eſt, eſt ſolidata virginitas, omnes perſeuerauere virtutes.* (mox ſententioſiùs ſubdit) *Virgo, ſi tibi ſalua ſunt omnia, quid dediſti?* Quid Deo dederit Maria ſciſcitatur Chryſologus, quaſi nihil dederit? Profectò dedit puriſſimum de ſuis viſceribus ſanguinem, ex quo homo Deus coalitus eſt; dedit de ſuo corpore corpus Deo dignum, dedit carnem concarnandam diuino Verbo; dedit auguſtam virgineæ Matris gloriam; dedit regiæ nobilitatis glorioſum ſtemma. Vides quàm multa Virgo Deipara Filio Deo munificè donauerit? Verùm cùm ſalua virginitate, quæ in maternitatis etiam decoro periclitari ſemper ſolitat, hæc omnia Deo B. Virgo donauerit, plus *habere* & recepiſſe dicitur, quàm donaſſe. Quaſi *omnia.* Mariæ ſit virginitatis pudor, & pudicitiæ decus; quæ cùm ipſâ maternitate creuerit, tanquam nihil dediſſe quodammodo computat, quia ea omnia dedit citra pudoris iacturam. Tanti æſtimat pudoris prærogatiuam, quaſi virginitas ſit Deiparæ cenſus.

4. Matth. 1. v. 18

S. Chryſol. ſerm. 142.

*Virginitas eſt Deiparæ omnia, & velut totius illius cenſus.*

Lucæ 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph.* Eccur B. Maria, quandoquidem vera Ioſephi vxor erat, adhuc *ſponſa* nominatur? Quo modo loquendi non ſolum Lucas, ſed etiam Matthæus vtitur: *Cùm eſſet deſponſata*, inquiens, *Mater Ieſu Maria Ioſeph.* Paſchaſius Ratbertus ad eum Matthæi locum, ſic ad rem ſcribit: *Nam vltrà in negotio quid obſtat, ne vir Ioſeph, & Maria vxor rectiè dicatur, niſi quo ſola libido interuenire non potuit, vbi ad informandam vitam perpetuam, virginitas ſeruabatur.* Profundè quidem dixit Paſchaſius, quòd Deiparæ *virginitas ad informandam vitam perpetuam ſeruabatur.* Nũ virginitas futilem, caducam, & cadaucreſcentem mortaliũ vitam in vitam perpetuam & immortalem redingrat, vendicat, reformat? An fortè floribus Marianæ virginitatis nitor *informat* velut idea, forma, aut exemplar vitam perpetuam, id eſt, beatam cæli gloriam? Num Mariæ virginior integritas vitam cæleſtem ac beatam *informat* ad perpetuæ incorruptionis prærogatiuam? Opportunè dixit dubius Chryſoſtomus: *Virginitas eſt incorruptibilitas, incorruptibilitas autem virginitas*

5. Lucæ 1. v. 26. & 27.

Matth. 1. v. 18. Paſchaſius.

*Eſtne Deiparæ virginitas, idea perpetuæ, ac beatæ vitæ*

Imperf. in Matth. c. 1.

Imperf. in Matth. c. 1.

*nitas ipſa ſincera.* Cùm ergò incorruptibilitas ſit virginitas ipſa ſincera, conſultiſſimè incorruptior & ſincerior Deiparæ *virginitas* (ſub ſponſæ nomine, tanquam meracior & muratior expreſſa) ad *informandum vitam perpetuam ſeruabatur.* Ergò puriſſima Mariæ virginitas, virginitatis empyreæ idea & *forma* eſto, quæ beatam gloriæ incorruptibilitatem informet.

6. Matthæi 1. Ioſephus ab Angelo in ſomnis edoctus, Sponſæ virginis, & Deo grauidæ myſterium cognouit: *Et non cognoſcebat eam donec peperit Filium ſuum primogenitum: & vocauit nomen eius Ieſum.*

Matth. 1. v. 25.

Hinc neſcio quis Heluidius linguâ ſacrilege immundâ, ſpurcâ, cœnulentâ, & aliæ pauculæ ex hoc cœno ranæ, perpetuæ Deiparæ virginitati auſi ſunt refragari, ignari locutionum ſacræ Scripturæ, ex verborum ſuperficie cenſuram vibrantes; quaſi vocula *donec* excluſiuam ſemper ſignificantiam admittat. Perpetua ergò Mariæ virginitas ſemper adoranda eſt. Quâ de re ita S. Ildefonſus ſcribit: *Hæc femina ſanctificationis vas eſt, æternitas virginitatis, Mater Dei eſt, ſacrarium Spiritus-ſancti eſt, templum ſingulariter vnicum factoris ſui eſt.* Quomodò Deiparæ virginitas, quæ cum illa cœpit, *æternitas virginitatis* congruè dici poteſt? in vitâ mortali, quæ tandem deſiit, quo pacto virginitas eius comes, *æterna* eſſe potuit? Eſtnè vocis abuſus? an breuis æternitas, mortalis vitæ, & modico annorum numero computata? Opinor, tantam, tamque multipliciter ampliatam fuiſſe Deiparæ virginitatem, vt in breui annorum ſpatio, de immetatâ duratione æternitatem poſſit æmulari: & ſeptuaginta annorum compendio quodammodò æternitatem virginitatis abbreuiaſſe, Sic B. Virgo ſpatia merendi, *æternæ virginitatis* ſacramento addenſabat!

S. Ildefonſ. de Vir. Mar. c. 10. *Æternitas virginitatis in Deipara ſtatuit.*

7. Ezechielis 44. *Et conuerti me,* inquit, *ad viam portæ ſanctuarij exterioris, quæ reſpiciebat ad Orientem, & erat clauſa: & dixit Dominus ad me: Porta hæc clauſa erit: Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam, eritque clauſa principi. Princeps ipſe ſedebit in ea.* Poſtquam viſa eſt gloria Domini per hanc portam intraſſe, clauſa dicitur; & quidem ter clauſa inculcatur, quod Richardus attentè obſeruauit: *Maria,* inquit, *eſt porta Ezechielis. Et erit clauſa. Nota, quòd hæc porta ter clauſa dicitur, quia Maria, virgo ante partum, & in partu, & poſt partum.* Quod ex Auguſtino mutuaſſe videtur, qui per hanc Ezechielis portã ſimiliter intelligens B. Virginem, ita ſcribit: *Et quid eſt, quòd clauſa erit in æternũ, niſi quia Maria, virgo ante partum, virgo in partu, virgo poſt partũ? Dicat ergò Maria: Porta facta ſum cœli, ianua facta ſũ Filio Dei, illi facta ſũ ianua clauſa... Adimpleuit ventrem meum diuinitate, & ventrẽ meum non euacuauit caſtitate.* Hinc licèt *princeps* Chriſtus Deus in eâ *ſederit,* clauſa *principi* adhuc perhibetur: nam ingreſſus, & egreſſus eſt per eam, qui ianuis clauſis ad diſcipulos egreſſus eſt; & qui quem impleuit ventrem *diuinitate,* non euacuauit *virginitate.* Ter ergò repetitur in paucculis verbis hanc portam eſſe clauſam, etſi *Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam:* dicitur enim, *erat clauſa,* & ſtatim, *clauſa erit,* & mox, *eritque clauſa;* quia ante partum, in partu, & poſt partum clauſa fuit *æternæ virginitatis* clauſtro, vt ex Auguſtino, & Richardo diſſeruimus. Forſan alia ratio non inidonea huic attexi poteſt: quia nimirùm ter virgo fuit. Primò in ſe *æterna virginita-*

Ezech. 44. v. 1. & 2. & 3.

Richard. à S. Laur. l. 10

S. Aug. Ser. 14. de Natal. Dom.

*Cùm Ezechielis porta ter clauſa fuit, Deipara ter virgo perhibetur. & quo ſenſu.*

*te* ante partum, in partu, & poſt partum, quod vel ex hoc Ezechielis loco abundè adſtruitur. Deinde cùm B. Virgini *in ſuo conceptu, in ſuo partu creuit pudor, aucta eſt caſtitas, integritas roborata eſt, & ſolidata virginitas,* vt ex Chryſologo nuper obſeruauimus, & aliàs ex Auguſtino tradidimus; diuina B. Virginis maternitas, quâ eius virginitas *ampliata* eſt, ad virginitatis prærogatiuam admitti poteſt, quâ virginior euaſit. Denique rarior Deiparæ modeſtia, ad aliquod virginitatis genus admitti poteſt: ſiquidem *matrem bonorum operum amauit verecundiam, quæ ex ſe ſpecies virtutum fœcunda, & virgo parturit,* vt aliàs dixit Ennodius. Sed de B. Deiparæ modeſtiâ, quæ *fœcunda, & virgo* dicitur, ſuo loco commodiùs & vberiùs pertractabitur.

S. Ennod. in Paranæſi Didaſc.

S. Athanaſius in lib. de Virginitate ita ſcribit: *O virginitas, opulentia indeficiens, corona immarceſcibilis, templum Dei, domicilium Spiritus-ſancti ........Angelorum vita, Sanctorum corona.* Sententioſè quidem virginitas dicitur, *Angelorum vita.* Audiendus eſt Bernardus ſic Deiparam ſalutans: *Aue Maria, gratia plena. Benè plena, quia Deo, & Angelis, & hominibus grata: hominibus per fœcũditatem, Angelis per virginitatem, Deo per humilitatem.* Tametſi multa Deiparæ ſuppetunt elogia, ob quæ *grata* Angelis eſſe poſſit, virginitatem præ ceteris Bernardus maluit, quia *Virginitas, Angelorum vita* nominatur. O qualiter in cœlis Deiparæ virginitate Angeli fouentur, paſcuntur, deliciantur! eſt enim virginitas *Angelorum vita,* quaſi in cælis virginitate viuant. 8.

S. Athanaſ. *Virginitas eſt Angelorũ vita; indè Deiparæ virginitate deliciantur.*

S. Bern. Ser. 3. inter paruos.

---

## CAPVT XI.

*Verſ.* 7. Qui fuit nutritius filiæ fratris ſui Ediſſæ, quæ altero nomine vocabatur Eſther.

## CAPVT XIV.

*Verſ.* 16. Abominor ſignũ ſuperbiæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ.

## §. CCCLVII.

*Verecundia, quæ eſt fœcunda & virgo, Deiparæ typus eſt: hæc dum intra merita ſui honoris modeſtè hæret, diuinæ Maternitatis characterem inſigniter præfert.*

MVlier, quæ modeſtiam exuit, exuet facilè pudicitiam: ergò ab opinatiſſimâ Verecundiâ muratior etiam eſt virgineus Deiparæ pudor. Exindè propè ſuſpectum adulterij flagitium non excuſat Maria, ne virginem Verecundiam deuenuſtet. *Cùm eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto. Ioſeph autem vir eius cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Adhuc quæritur apud Interpretes 1.

Matth. 1. v. 18. & 19.

terpretes, cur ſic tacet Deipara in tantâ ſe excuſandi occaſione; nam Sponſus etſi ore mutus, vultu loquitur ſuſpiciones offenſæ. Adhuc grauida Sponſa ſilet, quæ fortè expromptam inueniret fidem Sponſi, vultu quærentis excuſationem, potiùs quàm vltionem ſuſpecti facinoris Quid ſi Sponſæ ſilentium in re pudoris armat Sponſi ſuſpiciones? aſt pudiciſſima Virgo debet quidem dolori ſuo vocem, ſed reuerentiæ mariti, & ſuæ verecundiæ taciturnitatem. Excuſatio ſuſpecti pudoris inrogata, non facit fidem, quam ſuſpectam inuenit. Vel loquela in re libidinis ſuſpecta eſt viro, qui vxoriæ caſtitatis exactor eſt. Imò Deipara incautè excuſaret ſuſpiciones pudoris, quam *vitæ auctoritas armat, & generis.* Vetat virginis ſponſæ modeſtia, Verecundia vetat, quod forſan anx j Sponſi amor expoſcit. Porrò Deipara *matrem bonorum operum amat Verecundiam, quæ ex ſe ſpecies virtutum fœcunda, & virgo parturit*, dixit aliorſùm luculenter Ennodius. Videt B. Virgo ſui perfectam ideam in Verecundia, quæ dum *fœcunda & virgo parturit* virtutes, Virginis, & ſimul Dei Matris typum gerit peridoneum. Parùm foret Dei Matrem eſſe virginem corpore & animo, niſi etiam eius cautiſſima Verecundia ſimilem æmularetur prærogatiuam; eſſétque ſimul virtutum fœcunda, & virgo pudore. Virginæ enim Verecundiâ floret Maria. Tenera valdè eſt perfectæ virginitatis valetudo, & vel leui verbulo faſcinatur. Virgo cautè Verecundia vetat excuſare, quin & de re loqui, quæ ſine iactura Verecundiæ non poteſt admitti. Conſultiſſimè mauult Deipara Virgo integram ſeruare virginem Verecundiam, quàm opinionem virginitatis apud Ioſephum, emete leuiter violatæ Verecundię pretio. Sic ſtudet verborum Modeſtiæ, quæ ſic ſtudet virginitati! Vel leuicula Verecundiæ iniuria, iacturam pudicitiæ inauſpicatò auguratur infelici pronoſtico. Male Virginem Verecundiam conſtuprat lingua, çùm virginitatis flos vernat in corpore. Sic Virgo, & ſimul Dei Mater, *fœcundam & virginem Verecundiam coluit*: & ſuæ vmbræ defert, quod Verecundiæ detulit.

*Mariæ verecundia eſt. Deipara typus; cùm fœcunda, & virgo pariat modeſtia virtutes.*

S. Ennod. l. 9. epiſt. 9

Idem in Paræneſ. didaſc.

2. Lucæ 1. miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, & nomen virginis Maria. Et ingreſſus Angelus ad eam, dixit: Aue gratiâ plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. *Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Inuſitatæ hactenus ſalutationis nouam formulam miratur, & inter ſuas laudes noua admiratrix turbatur, & hæret: quæ autem apud Deum tantæ meretur Maternitatis gratiam, fruſtrà timet. Non accedit Angelus decepturus, ſed primææ deceptionis abſolutionem optatiſſimam rogaturus. Non venit prædaturus tuam inuiolabilem virginitatem, ſed de arcana Dei Maternitate nouis incrementis aucturus. Non eſt maleſuadi ſerpentis fraudulentus miniſter, ſed peremptuři per te ſerpentem empyreus vrbaniſſimè legatus. Scio, quòd trepidare virginum eſt, & ad omnes vel apparentis viri ingreſſus turbari: ſed Angelus eſt, qui te verè gratiâ plenam ſalutat, qui te de virginitatis merito mox futuram Dei Matrem annunciat. Quid cunctaris? quid hæres? *Aue gratiâ plena ...... turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Diſcam, à Mariæ cunctante Verecundiâ, dignè Mariam in Dei Matrem electam fuiſſe. Perbellè Symmachus: *Tardiores habet proceſſus Verecundia, quæ facit, vt intra merita ſui honoris hæreat.* Scilicet hoc deerat ſummo gratiarum faſtigio, quo eminebat Maria, vt Verecundia, quæ in terris tranſlùcebat, apud Cælites micantiùs ſcintillaret? & ad rem tanti faſtigij, qualis erat diuina Maternitas, tardiores haberet proceſſus, dum *intra merita ſui honoris hærebat.* Ecce tibi merita ad Dei Maternitatem auguſtè ſublimiſſima, hæſitans tardè Modeſtia, citò propalat, & euulgat: dum cunctantis Verecundiæ ſuffragio, ad diuinam Maternitatem merita comprobantur; quaſi diuina Maternitas foret confinis modeſtiæ, & Verecundiæ ſtipendium. *Et cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*: nam *tardiores habet proceſſus Verecundia, quæ facit, vt intra merita ſui honoris hæreat.* Vna ambitio de impudentia nota, ſicut tarda eſt ad merendum honores, ita ad eos capeſſendos inuerecundè agilliſsima.

Lucæ 1. v. 29.

*Maria cogitabunda turbatur, quia intra merita ſui honoris præ Verecundia hæret.*

Symmach. l. 4. epiſt. 34.

*Ambitio ſicut tarda eſt ad merendū honores, ita ad illos capeſcendos agilliſsima.*

3. Euangeliſta Matthæus cap. 1. opinatiſſimum illud Iſaiæ oraculum, pro Deiparæ virginitate, ac diuinâ maternita e, his verbis allegat: *Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Quæ Prophetæ verba exponens S. Hieronymus, quâ ſolet eruditâ peritia, ſic ad rem ſcribit: *Et re vera virgo Hebraicè Bethula appellatur, quæ in præſenti loco non ſcribitur in Propheta. Sed pro hoc verbo poſitum eſt Halma. Porrò Halma ambiguum eſt: dicitur enim & adoleſcentula, & abſcondita. Ergo Halma non ſolùm puella, vel virgo; ſed virgo abſcondita dicitur, & ſecreta, quæ nunquam virorum patuit aſpectibus.* Parùm foret, ſi cùm de Maria loquitur Iſaias (cuius verba hîc Euangeliſta mutuauit) dixiſſet *Bethula*, id eſt, ſimpliciter virgo; exaggerationi verbi ſignificantiâ vſus eſt, quæ dum modeſtiam à ſecreto oſtendit, virginiorem Verecundiam oſtenderet, & ideò *Halma* ſcripſit: *Ecce Halma concipiet, & pariet filium.* Porrò *Halma non ſolùm puella, vel virgo, ſed virgo abſcondita dicitur, & ſecreta, quæ nunquam virorum patuit aſpectibus.* Fuit enim Maria verè *Halma*, hoc eſt, virgo mente, virgo corpore, virgo Verecundiâ, virgo oculis, non modo ſuis, ſed & aliorū, quippè *quæ virorum non patuit aſpectibus*: nequod eſſet virginitatis elogium, quod pleniſſimè non fulgeret in Mariâ: quò pluriès eſſet virgo, quæ Deum paritura erat. Profectò etſi Deiparæ eximia venuſtas non fuerit concupiſcentiæ illex, ſed generoſæ *animæ aliqua veſtis vrbana*; & intuentibus pudicitiam arcanè ſpirabat; tamen congruum fuit, vt de modeſti *ſecreti*, & Verecundæ *abſconſionis* ſuffragio virginitatem cumularet, ne vlla publicitatis ſuſpicio deuenuſtaret virginitatis pudorem. Siquidem populariter cenſetur, quòd pulchra virgo, quæ Verecundiæ oblita, & modeſtiæ negligens, vltrò ſe obiicit virorum aſpectibus, ſaltem ſpecie tenus ſpectatoribus proſtituitur. *Ha pompa gratiam nitoris proſtituunt*: nec ſatis virgo videtur, quæ ſpectatorum oculis conſtuprari poteſt. De proximo procurat luxuriæ negotium, aut otium, quæ propriæ formæ benè conſcia, malè amat publicos virorum concurſus: nam vbi pudicitia, ibi vacua eſt pompa pulchritudinis, & videndi ſtudium. Pulchra virgo in ſeceſſu, præ Verecundiæ bono, dupliciter virgo eſt, & vna plures ad prærogatiuam pudoris. Verùm tametſi reciproco vacabat periculo B. Deipara, æquum fuit, vt non deforet illi hæc virginitatis

Matth. 1. v. 13.

Iſaiæ 7. v. 14.

S Hieron. l. 3. in Iſai.

*In oraculis Prophetarum, Verecundia, quaſi futura Deiparæ character prænūciatur.*

*Pulchritudo eſt animæ aliqua veſtis vrbana.*

Tertul. de Cult. femin. c. 2.

Idem ibibi. c. 9.

*Pompa ſpectatorum, gratia nitorem in feminis proſtituunt.*

nitatis excellentia, quæ à modeſtia pudorem etiam mutuatur quò ex eius ſchola eruditior atque meracior puritas diſceretur. Et quaſi Verecundia virginior foret Deiparæ futuræ character, iſtiuſmodi notamentum Prophetarum oracula prænunciarunt: *Halma non ſolum puella, vel virgo; ſed virgo abſcondita dicitur, & ſecreta.*
Eſther. 2. v. 7. Quod vel nomine ipſo regina Eſther adumbrauit: *Eſther* enim (vt ſuo loco adnotauimus) *abſcondita*, ſeu *ſecreta*, iuxta nominis ſui etymologiam, ſeu ſignificantiam communiter interpretatur, vt antitypo typus correſponderet egregiè.

4. Lucæ 1. v. 28. Lucæ 1. miſſus eſt angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, & nomen virginis Maria. *Et ingreſſus Angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.* Turbatur Virgo, hæret anceps. Iterùm Gabriel loquitur, illi adhuc in eius dictis hærens, Maria tandem reſpondet. Verùm cùm B. Virgo reuerenter ac honorificè à cæleſti Angelo ſummi Dei legato, ſalutata ſit; quare ſic priùs ſalutata, minimè Angelum reſalutat? Profectò virginalis pudor inciuilis non eſt, nec ruſticanus. Salutantem reſalutare, reciprocæ vrbanitatis ſtipendium eſt, & agreſtis ruſticitatis exilium. Fortè Angelum reſalutare negligit, iam iam futura Dei Mater, mundi Imperatrix, & Angelorum Domina? Sed arrogantiæ faſtus in tantæ dignitatis faſtigio Mariam plus à ſublimitate humilem, nunquam vellicauit. Opinor, magis Verecundam virginem, quàm faſtuoſam Reginam Deipara
S. Ambr. l. 1. Offic. c. 18. moraliſſimè agit. Luculenter ad rem Ambroſius ſic de B. Deiparâ fatur: *Quamuis eſſet humilis, præ Verecundiâ tamen non reſalutauit, niſi vbi de ſuſcipienda Domini generatione cognouit.* O bonam virginibus eruditionem de modeſtiſſimæ Virginis gymnaſio ediſcendam! Scilicet cauta virginitas, de Verecundiæ illi agnatæ priuilegio, aulicæ ciuilitatis exlex eſt, & politicæ vrbanitatis polito obſequio naturaliter exempta; ne in compitæ vrbanitatis ſcopulis modeſtia impingens, naufraga verecundia periclitetur. Tenera nimis eſt pudicitiæ valetudo, & quam vel leuis vrbani officij aura periculosè faſcinat. Reciproca cum viris vrbanitatis obſequia, dum politicâ ciuilitate placent, complacentiam negotiantur, & ſub ſpecie vrbanitatis, Verecundiæ iacturam, quę confinis eſt pudicitiæ furto. Meracior virginitas eſto rudis ne de laſciuiæ ingenio malè acuta, dũ Verecundiam vrbanè nundinatur, impudentiam emat ciuilium obſequiorum pretio. O fuge alternæ ſalutationis obſequia! Non eſt obærata modeſtior virginitas his ciuilitatum obſequiis; ne dum comptè vrbanior eſt, de iacturâ Verecundiæ minùs virgo ſit. Hæc quæ videtur inurbanitas, aliquis modeſtus virginitatis faſtus eſt. O diſcant virgines Verecundiæ velut inurbanæ bonum ciuilitatum exlegis de Marianæ Verecundiæ, ac virginitatis ſcholâ: quæ ad virginum eruditionem *quamuis eſſet humilis, præ Verecundia tamen* vel Dei Angelum ſpecie viri, *non reſalutauit, niſi vbi de ſuſcipienda Domini generatione cognouit.* Rudis meraciſſimè virginitas has inſidioſas vrbanitatis nugas cautâ Verecundiâ negligit, & nec pili eas facit pudicitiæ ſtudio, ne per ciuilitatis rimulas ſenſim libido ſubrepat.

*Quamuis B. Virgo humilis erat, velut inurbana cautè Verecundia, Angelum nõ reſalutat.*

5. Lucæ 1. v. 29. Redeat iterùm Angelica ſalutatio, quod eſt laudum B. Virginis compendium: Aue gratiâ plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. *Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Quid eſt quod Deipara Angelorum viſionibus adſueta, ſic turbatur? E cælo ſe laudari audit Angelico ore, & ſuæ præſtantiæ bonum erubeſcit? an quæ virginitate ſic placuit, ante diuinam Maternitatem debuit verecundiam ſumptuoſiùs oſtentare? Appoſitè ad ea verba Richardus: *Quia enim* Richard. à S. Laurent. l. 4. *virgo erat, ad inopinatum aduentum, vt Verecunda pauere debuit: ſed quia virgo prudentiſſima, ſubito pauore ſuperari non potuit, ſed conſilio regente circumſpecta cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*, Scilicet quæ virginitate ſic placuit, vt eſſe Mater Dei mereretur, priùs *debuit* modeſtæ verecundiæ ſuffragio commendari; ne non priùs à Verecundiâ commendata, forſan non digna Dei Mater putaretur: *Quia enim virgo erat, vt Verecunda pauere debuit.* Debuit inquam, ne ante modeſtam Verecundiam cælo etiam inſigniter præmõſtratam, ad ſublime diuinæ Maternitatis faſtigium, merito virginitatis aſcendere. In voculâ *debuit*, multa eruditis expendenda tranſparent.

*B. Virgo ante diuinam Maternitatem, cælo Verecundiam inſigniter præmonſtrare debuit.*

---

## CAPVT XV.

*Verſ.* 16. Vidi te Domine quaſi Angelum Dei, & conturbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valdè enim mirabilis es Domine, & facies tua plena eſt gratiarum.

## CAPVT XI.

*Verſ.* 16. Ducta eſt itaque (Eſther) ad cubiculũ regis Aſſueri ... .. Et adamauit eam Rex plus quàm omnes mulieres & poſuit diadema regni in capite eius.

## §. CCCLVIII.

*Deus in ſplendoribus, B. Virgo in obumbratione, eundem generant Filium: ex hac obumbratione Marianas glorias metari, aut metiri licet.*

SAtis modò ſit (ait Chryſol.) *oculorum noſtrorum pura acies vt poſſit in diuini ortus intendere claritatem: nam ſi naſcentis iubar Solis oculorum noſtrorum vix ſufficit ſanitas tota, vel puritas: quanta interni viſus eſt præparanda ſinceritas, vt ſplendorem ſui ferre poſſit orientis & radiantis auctoris.* De paternæ mentis ſinu proceſſit ab æterno lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. Idem quoque in almæ Virginis deificato glorioſè ſinu generatur ſecundâ generatione, prioris de generoſitate æmulâ. In primâ generatione, quis, qualiſque ſit Deus Pater in *ſplendoribus* ſanctorum generans, ab hominibus cognoſcitur; in ſecundâ verò, quanta ſit Dei Mater, quæ Deum *obumbratione* gignere meruit, palam innoteſcit. 1. S. Chryſol. Ser. 149.

*Præclarum ſui auctoris ortum, acie humana vix valet intueri.*

Regius Vates Pſalm. 138. ſic modulatè pangit: 2. Pſal. 138. v. 12.

*P. Didac. Celada in Eſtherem.*

Et dixi: Forſitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea *in delicijs meis*. Quia tenebræ *non obſcurabuntur* à te, & nox ſicut dies illuminabitur, *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius*. Mira ſanè eſt hæc Dauidis ſententia, & ænigmati ſimilis; ſed adeò ſcitu neceſſaria, vt eam Propheta in his pauculis verbis quater repetat, vt in audientium animis altiùs refigat. Quænam ſunt iſtæ *tenebræ*, quæ non *obſcurantur*, & quæ Dei *delicia* nominantur? Myſticè de Chriſto

S.Hilar.ibi

*Maria à Spiritu-ſancto obumbratur, & ipſa eius vmbraculũ perhibetur.*

Lucæ 1.v.35.

id exponit cum alijs Hilarius? vel in Paſſione, vel in Reſurrectione, vel potiùs in Incarnatione, vbi apparet vmbra luci confinis; quæ non obſcuratur. In Paſſione Sol obſcuratur, in Reſurrectione illuminatur nox; atque inter ſuperna Incarnationis lumina, aliqua interuenit obumbratio, Angelo ad Virginem dicente: *Spiritus-ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Ne autem quis ſuſpicetur, aliquid non lucidum ac præclarum huic *obumbrationi* ſubeſſe, vice verſâ Deiparam Methodius appellat, *Spiritus-ſancti vmbraculum*. Benè quidem hæ *obumbrationes*, qui *in delicijs* Incarnationis circunſtant, non *obſcurantur*, ſed eas arcanâ luce, & reciproco fulgorum congreſſu Spiritus-ſanctus reuerberat in Deiparam; & rurſùs Deipara numine plena, in Spiritum-ſanctum velut reciprocat; eùm *obumbrata* à Spiritu-ſancto, ipſius *vmbraculum* perhibetur. Porrò ſicut *tenebræ eius, ita & lumen eius*; neque *obumbratio* obſcuratur. Sanè profundo ſtilo dixit tempeſtiuè Bernardus ſerm. de Natiu. Virginis: *In ſplendoribus ſanctorum ex vtero ante luciferum genui te; verùm id quidem Pater. At Mater ſane eundem ipſum in ſplendore non genuit, ſed in vmbrâ*. Ita quidem. Sed in *vmbrâ* adeò præclarè fulgidâ, vt dici poſſit Methodij ore, *Spiritus-ſancti vmbraculum*. Nam *ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius*: & ſicut lumen eius, ita & tenebræ eius; quia *tenebræ non obſcurabuntur à te*. Sic hæc *obumbratio* eſt lucis bibula, & *vmbraculi* fulgores in Spiritum-ſanctum glorioſè reuerberans, reciproco *obumbrationum* congreſſu? nam dum Spiritus-ſanctus tunc gratiam velut effundit in Mariam, à Mariâ gloriam copioſè recipit.

Method. in Orat. de Hypopantem Dom.

*Pater in ſplendoribus, Maria in vmbrâ eundem generat.*

S.Bernard.

Pſal.109.v.3.

3.

Iſaiæ 4 v. 5 Iſaiæ 4. Et creabit Dominus ſuper omnem locum montis Sion, nubem per diem, & ſplendorem ignis flammãtis in nocte: *Super omnem enim gloriam protectio*. Hebræa vox חפה *chuphah*, quæ hîc redditur, *protectio* (vt eruditè inibi notat Sanctius) Pſalm. 19. vertitur *thalamus*, & Cantic. 2. *vmbra*. Alij *velum* alij *vmbraculum* excribunt. Adluditur enim hîc ad rem nuptiàlem: vnde τὸ *chuphah*, id eſt, *protectio* ſumitur pro velo, quod ſupra nouorum coniugum capita ſuſpenditur, cùm nuptiæ celebrabantur. Itaque nunc τὸ *protectio* perindè eſt ac *velum, vmbra, vmbraculum*.

Sanctius

Pſal 19.

Cantic 2.

*Super omnem Deiparæ gloriam eſt vmbraculum, ſeu obumbratio.*

Ad quem ritum adludens Euãgeliſta, refert Angelum dicentem ad Virginem: *Spiritus-ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Ait ergò Iſaias: Periluſtre quidem beneficium fuit, cùm Deus ſuo populo ex Ægyptiacâ ſeruitute reduci, per noctem flammantis ignis facem accendit, & per diem nubium vmbraculum oppandit ad obumbrationem. At ſuper omnem gloriam, quam hiſce miraculis exhibuit, erit *vmbraculum*, ſeu *obumbratio*. Porrò dum peragitur expectatiſſimum, & adumbratiſſimum incarnationis myſterium, Deipara audiet: *Spiritus-ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Super omnem enim gloriam vmbraculum*, ſeu *obumbratio*: nam omnem Deiparæ gloriam, ex hâc *obumbratione* metari, aut metiri licet, quæ eſt Marianæ gratiæ immetata menſura. *Super omnem enim gloriam vmbraculum*.

Lucæ 1.v.35.

4.

Prouerbiorum 25. Sicut qui multum mel comedit, non eſt ei bonum: *Sic qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria*. Hebraicè poſterioris hemiſtychij ſenſus contrarius redditur, *Et inueſtigatio gloriæ illorum gloria*. quaſi ſcrutatio ſeu inueſtigatio gloriæ ſit gloria. Hebræis conſentiunt LXX. Interpretes: & rationem diuerſitatis petite tradit inibi Salazar. Vulgati ſenſum Richardus à S. Laurentio lib. 12. de laudibus Virg. ſic flectit ad rem præſentem: *Et virtus Altiſſimi obũbrabit ei; vt aſſumptæ carnis velamine interiecto, ſusceptrix, & cõceptrix Maieſtatis effecta, nequaquam opprimeretur à gloriâ*. Itaque cùm veroſimile ſit B. Virginẽ in hâc mortali vitâ, Dei viſione clarâ potitam, in myſterio Incarnationis id factum, aliàs tradidimus: ideò autem tunc Altiſſimi *obumbratione* protegitur, ne *ſuſceptrix, & conceptrix Maieſtatis opprimeretur à gloria*. Sic beatis tunc gaudiis, & empyreis delicijs Deipara exundauit! Et notanter tunc diuinitas appellatur *Maieſtas*? quoniam auctoratior & auguſtior in Mariæ virgineo aluo, quàm in ſolio olympico, & throno cælorum Deus apparuit. Ergò tunc, tunc quidem à Spiritu-ſancto *obumbratione* protegitur, ne tantæ *Maieſtatis gloria*, obtutu, & fruitione, humana tenuitas opprimatur, dum in hâc mortali vitâ beatis diuinæ viſionis fulgoribus par non eſt. Dicitur autem à Vulgato, quòd *ſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria*, niſi cælitùs *obumbretur*, & ita ſuffulciatur, ne tantæ gloriæ ſuccumbat. Vel quaſi contrario ſenſu, *Inueſtigatio gloriæ illius gloria*: nam hæc *obumbratio*, ad diuinam *maieſtatem*, & Dei gloriam priuilegio maternitatis clarè intuendam, Marianæ gloriæ cenſus eſt.

Prouerb. 25. v. 27.

Hebræus

LXX. interp.

Salazar.

*Obumbratur Maieſtatis conceptrix, ne opprimatur à gloriâ.*

5.

Lucæ 1. B. Virgo cauſatur virginitatem, ne illius iacturâ Dei maternitatem admittat. Metum Angelus adimit: & quæ vitæ candore placuit, Deum virginitate concepit: *Et reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus-ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Vmbra nec grauat, nec lædit; ſed refrigerium præbet, & gratiorem reddit lucem. Hæc Spiritus-ſancti vmbra, nec Virginem lædet, nec grauabit; ſed gratè adtemperato diuinæ lucis fotu, ad Dei optatiſſimam partionem fœcundabit. Appoſitè Richardus à S. Laurentio nuper laudatus: *Obumbrabit tibi non lædendo, ſicut vmbra nec lædit, nec grauat, ſed refrigerium præſtat. Virtus vegetans, vmbra refrigerans. Spiritus-ſanctus eam fœcundauit, Virtus à corruptione ſeruauit*. quaſi per hanc *vmbram*, ſeu *obumbrationem* Spiritus-ſanctus B. Virginem à corruptione præſeruans, illam cælitùs fœcundauit, vt Deum conciperet, pura foueret aluo, & medulliùs vſque ad partum de ſuis viſceribus aleret, nutriret, incrementaret. *Virtus vegetans, vmbra refrigerans*. O arcana Spiritus-ſancti vmbra, quæ virtus eſt vegetans: per eius enim virtutẽ alma Virgo vſque ad incrementum idoneum *vegetat* Deum, adeò vt non ſolùm de propriâ anima, ſed etiam de corpore, verè dixiſſe valeat, *Magnificant anima mea, & corpus meum Dominum*: nam Spiritus-ſanctus ſuperuenit in me, & virtus Altiſſimi *obumbrauit* mihi. *Virtus vegetans, vmbra refrigerans*.

Lucæ 1. v. 35.

*Obumbratur B. Virgo ad fœcunditatem; quia virtus vegetans, vmbra refrigerans.*

Richard. Suprà.

Redeat

6. Redeat ruſus nuper enucleatus Iſaiæ locus,
Iſaiæ 4. v. 5. iterum enucleandus: *Super omnem enim gloriam protectio* Hebraicè, *velum* vel *vmbra*, vel *vmbraculum* ac *obumbratio*. Hac vmbrâ Virgo in Incarnatione *protegitur*, ne *ſuſceptrix*, *conceptrix*, *& ſcrutatrix Maieſtatis opprimatur à gloria* (vt ſuprà n. 3. expendebamus) quaſi hac *obumbratione* increatus fulgor diuinæ maieſtatis, ſeu eſſentiæ diuinæ adtemperetur Virginis menti, vt clarè intueri Deum eualeat. Hæc autem *obumbratio*, ſeu diuinæ lucis adtemperatio, *ſuper omnem gloriam* Deiparæ perhibetur. An dicitur ſuper omnem Mariæ gloriam; quia non tantùm per Mariam ſibi, ſed etiam Suis adſimilis gratia præſtatur, vt tandem illis Dei gloriam intueri liceat? Hac ſuper re audiendus eſt Damaſcenus Orat. 1. de Aſſumpt. Virg. *Eam*, inquit, *non hominum linguæ, non modò ſublimior Angelorum mens ſat dignis laudibus efferre poteſt, per quam Domini gloriam intueri nobis datum eſt.* Per merita in terris excuſſa, & per lumen gloriæ in cæli limine hominibus impreſſo, illis (de ſe tantæ gloriæ indoneis) licet *Domini gloriam intueri*. At populo Dei iam olim gratulatur Propheta, quòd *ſuper omnem gloriam protectio*, ſeu *vmbra*; vel obumbrans protectio. Scilicet, vt poſſit videre Dei gloriam *obumbratur* Maria *per quam Domini gloriam intueri nobis datum eſt*, quaſi huiuſmodi Mariæ *obumbratio* ſit meritorum officina, & velut matrix luminis gloriæ. Nam poſt merita, beandis datur lumen gloriæ, vt Deum videre poſſint; & obumbratio eſt ſuper omnem gloriam Mariæ, *per quam Domini gloriam intueri nobis datum eſt*. ô præluſtrem atque glorioſam Deiparæ *obumbrationem* luminis gloriæ nobis velut arcanè matricem!

S. Damaſc. *Deipara obumbratio eſt luminis gloriæ nobis arcana velut matrix.*

7. Canticorum 7. *Pone me vt ſignaculum ſuper*
Cant. 8. v. 6 *cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt vt mors dilectio.* Quodnam eſt ſignaculum ſuper ſponſæ cor imprimendum? & quiſnam eſt, qui ſic impreſsè ſigillat? & quæ etiã forma ab hoc ſigillo imprimitur? Opinor, cùm *dilectionis* tunc nuncupatim meminerit, Spiritum-ſanctum Athanaſius intelligit: *Ipſe autem Spiritus*, inquit, *& ſigillum, & vnguentum eſt, in quo omnia iungit, & ſigillat Verbum.* Verbum ne ſuam ſponſam, id eſt, Virginem & Matrem ſuam Spiritu-ſancto ſigillat? Ita quidem: & de Angelico ore ab Euangeliſta prouulgatur: *Spiritus-ſanctus*, ait, *ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Quod in Catena Græca inibi profundè meditatur Geometra, ita fatus: *Spiritus-ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Inuiſibilem ſuam formam in te vmbraticè depinget, & ad noſtram ſimilitudinem in te formabitur*: (nota quæ ſubijcit verba) *vel etiam ipſum Spiritus ſigillum in te exprimetur.* Nimirũ in Verbi diuini humanâ corporatione Spiritus-ſanctus in Mariam ſuperueniens, illámque obumbrans, in ipſa Deipara ipſe *ſuam formam vmbraticè depingit*, ac ſi ipſum Sancti *Spiritûs ſigillum in ea imprimatur.* Quaſi B. Virgo Spiritus-ſancti ſigillo, eius ſimilitudine impreſſa, & expreſſa, in ea *inuiſibilem ſuam formam* Spiritus-ſanctus adumbrauerit, vel *vmbraticè depinxerit*. Euge, euge B. Deipara, non ſolùm diuino Verbo tibi conuiſcerato generoſè grauida; ſed Spiritus-ſancti ſigillo impreſſa, eius formam impreſsè adumbrans; ſi te Spiritus-ſancti *formam* appellem, digna exiſtis: nam in te *ſuam formam vmbraticè depinxit* & ipſo tanquam ſui ſigillo *impreſsè* expreſſa es. Quid ſublimius?

S. Athanaſ. ep. ad Sera. de ſpiritu.

Lucæ 1. v. 35.

Geometra. *Spiritus-ſanctus in Deipara ſuam formam vmbraticè pinxit.*

*B. Virgo appellatur Spiritus ſancti forma.*



---

## CAPVT XI.

*Verſ.* 16. Ducta eſt itaque (Eſther) ad cubiculum regis Aſſueri...... Et adamauit eam Rex plus quàm omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite eius ..... Et iuſſit conuiuium præparari permagnificum pro coniunctione, & nuptiis Eſther.

### §. CCCLIX.

*Myſterium Incarnationis (in quo Deus non tantum ex Virgine, ſed à Virgine carnem ſumpſit) quo ſenſu* inoperatũ *dicitur; tuncque Deipara ad quandam quaſi cum Deo æqualitatem eleuata?*

1.
DE myſterio Virginis ſic alto ſtylo aduerſus Tertull. l. 3.
Marcionem Tertull. loquitur: Atquin ait, adu. Marc. c.
hinc magis Chriſtũ intelligere debebis ex Dauid 10.
deputatum carnali genere, *ob Mariæ virginis cẽ-* Pſal. 131. v.
*ſum*. De hoc enim promiſſo iuratur in Pſalmo ad 11.
Dauid: Ex fructu ventris tui collocabo ſuper thronum tuum. Quis iſte venter? Ipſius Dauid? vtiq; non neque enim parturus eſſet Dauid. Sed nec vxoris eius. non enim dixiſſet, ex fructu ventris tui, ſed potiùs ex fructu ventris vxoris tuæ. Ipſius ergò dicendo ventrẽ, ſupereſt, vt aliquem de genere eius oſtenderit, *cuius ventris futurus eſſet fructus caro Chriſti, quæ ex vtero Mariæ floruit.* Mitto nunc Chriſtũ deputari *ob Mariæ virginis cenſum*: vocula enim *cenſus* fœcundæ ſignificantiæ eſt, & quam aliàs enucleamus. Sententioſè autem dicitur, quòd *Chriſti caro ex vtero Mariæ floret.* Scilicet terra virgo Mariani vteri, vmbrâ cælitùs roridâ Spiritus-ſancti fœcundata, carnem Chriſti Dei floridã protulit. *Caro Chriſti ex vtero Mariæ floruit.* O quam pulchrè flos Chriſtus vernat, quàm venuſtus oculis, quàm odoratui ſuauis, quàm ſenſibus gratus! Sic *ſenſibus quoque intimandus erat Dominus*! Quanta ſpes fructuum à flore, & in flore eruditur, & matureſcit? ô vberes fructus Ieſuani floris! Quot Sanctorum merita militant in viâ, coronantur in patriâ, fructum huius floris cenſe qui in florido Mariæ Virginis vtero glorioſiùs ſibi vernat, gẽmat, floret ad gratiam, & vberiùs ad gloriam fructificat. *Caro Chriſti ex vtero Mariæ floret.* Scilicet florida caro Chriſti ex Mariâ, & in Mariâ, Mariæ floret, Mariæ fructificat, & per eam participant vniuerſi. O quàm eſt opulentè auguſtum, Ieſuanum florem germinaſſe!

*Caro Chriſti ex Maria, & in Maria, Mariæ floret.*

Tertull. de Reſur. Car. c. 40.

Lucæ 1. Gabriel Angelus miſſus eſt ad Virginem, vt negotium Incarnationis, id eſt, ſeculorum, cum eâ tractet. Turbatur Maria voto pudoris: & de re non ambigens, modum ſciſcitatur, quo poſſit fœcũdari virginitas. Audit, *Ecce* 2.
concipies, & paries filium; & ſubindè *dixit* Ma- Lucæ 1 v.
ria ad Angelum: *Quomodò fiet iſtud, quoniam* 34. & 35.
*virum non cognoſco*? Confer attentiùs hanc Virginis interrogationem, cum verbis, quibus An-

gelus illi continuò reſpondet : *Spiritus-ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideòque & quod naſcetur ex te ſanctum*, &c. Quod bonâ tanti Archangeli veniâ dixerim (dicam tamen audaciuſculè) non videtur reſponſio interrogationem æquate, illique plenè ſatisfacere. Eſto, Spiritus-ſanctus Virginẽ obumbret, *quomodo* Virgo adhuc ad Dei partum fœcundabitur? Id in terris prorsùs ignoratur. An etiam ignoratur in cælis; Ignorantia in cæleſtem Angelum non cadit, præſertim ad iſtiuſmodi legationem nuncupatím miſſum: at humanis oculis aliqua neſcientiæ vmbra tranſparet. Imò exindè ineffabilis Deiparæ excellentia, humanō faſtigio maior, micanter tranſlucet. Quâ ſuper re ſic argutè S. Bernardus philoſophatur: *Quòd Deus generet Deum, nulla requirebatur in Deo diſpoſitio, cùm ei ex naturâ conueniret, vt per viam naturæ intellectus produceret Verbum per omnia ſibi æquale. Sed quod femina conciperet, & pareret Deum, eſt & fuit miraculum: oportuit enim (vt ſic dicam) feminam eleuari ad quandam æqualitatem diuinam per quandam quaſi infinitatem perfectionum & gratiarum; quam æqualitatem creatura nunquam experta eſt: vndè (vt credo) ad illam abyſſum imperſcrutabilem chariſmatum Spiritus-ſancti, quæ in B. Virginem deſcenderunt in horâ diuinæ Conceptionis intellectus humanus, vel angelicus nunquam potuerunt attingere*: (Nota verba, quæ Bernardinus ſubdit, & pende ſacramenta) *& cùm Virgo diceret, Quomodò fiet iſtud*, &c. *Angelus reſpondet, ſe tantum myſterium ignorare, dicens: Spiritus-ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Quaſi dicat: Quod à me quæris, ignoro: ſed æternæ ſapientiæ Doctor, qui ſibi ſolum hoc altiſſimum myſterium reſeruauit, te per illuminatiſſimam experientiam edocebit.* Pluſculùm exſcripſimus: ſed nihil eſt quod demere poſſis pulchræ impaucis Bernardini ſententiæ. Ecce tibi Euangeliſtæ locum peridoneè expoſitum, & indicatum quàm ſit ineffabile Virginis myſterium. Et indè Deiparæ auguſtior in Incarnatione ſublimitas, vltra humanum faſtum præcelſa: *oportuit enim (vt ſic dicam) feminam eleuari ad quandam æqualitatem diuinam per quandam quaſi infinitatem perfectionum, & gratiarum.*

S.B tom. 1.Conc.61. art.1.c.12.

*B Virgo propè eleuata eſt ad quandam æqualitatem cum Deo, per quandam quaſi infinitatem perfectionum.*

3. Iſaiæ 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*, &c. Quæ verba Prophetæ S. Hieronymus Euſtochio virgini exponens, & communem explicationem tradens, ſic notanter ſcribit: *Virga mater eſt Domini, ſimplex, pura, ſincera, nullo extrinſecùs germine cohærente; & ad ſimilitudinem Dei vnione fœcunda: virgæ flos, Chriſtus eſt.* Pulchra ſanè Prophetæ allegoria, & quæ diuinam Virginis maternitatem luculenter exponit. Nimirùm ex Dauidico ſtipite, Maria velut *virga*, aut ramulus pullulat, ramus inquam, Deo floridus, Dei fœcundus: nam Chriſtus Deus eſt huius rami flos. Vidéſne arboreo ramo cohærentem florem? Vide etiam filium Deum velut cohærentem Virgini matri, *ad ſimilitudinẽ Dei vnione fœcundæ.* Scilicet Pater Deus non ab extrinſeco fœcundus, Verbum ſuum intrinſecùs generat in vnitate naturæ. Virgo autem Deipara, *nullo extrinſecùs germine cohærente*, id eſt, nullâ vllius viri operâ, ſed ipſa Virgo Spiritus-ſancti bibula, *ad ſimilitudinem Dei vnione fœcunda*, Chriſtum Deum arcanè cõcipit, Virgo parturit. *De quâ natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.* Propter hanc *vnionem*, quâ Hieronymus myſterium Virginis expoſuit, ab Andrea Cretenſi forſan Deipara appellatur: *Seraphica myſtici anthracis fibula*: quia nullâ extrinſecâ viri operâ, naturam humanam perſonæ etiam Verbi coniunxit, Spiritus-ſancti operâ inſuſpicabili. Si forſan ad productionem vnionis hypoſtaticæ eleuata concurrit. quod accidere potuiſſe, non abnuo: an autem ita de facto acciderit, vellem à pluribus ante me affirmari.

Iſaiæ 11.v.1. S.Heron. epiſt.22.

*B.Virgo ad ſimilitudinem Dei vnione fœcunda eſt, & quomodo.*

*Cur Deipara anthracis fibula nuncupetur.*

Matth.1.v. 16.

Andr.Cret. Orat de Annunt. Virg.

4. Pſalmo 138. ſic pangit regius Vates: Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto: & ſubſtantia mea in inferioribus terræ. *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Grande litigiũ eſt inter Commentatores, quid τὸ *imperfectum* ſignificet: ſiquidèm imperfectionem denotare non poſſe videtur: perfectio autem non benè, opinor, imperfectionis diuerſiſſimo vocabulo deſignatur. Niſi forſan audaciuſcula tradatur ſententia, ex oppoſito in bonum exaggeratior; vt virtus ex vitij vocabulo, re vitij vacuo, perfectionis augmentum exprimat. S. Ambroſius è Græco textu pro *imperfectum*, legit *inoperatum*, idque refert ad Verbum diuinum à Patre Deo genitum, ſed *inoperatum*, id eſt, increatum: nam Dei Filius ab æterno non creatur, ſed propriè gignitur. Addítque ex aliquorum ſententia illud ad Chriſti etiam ex Virgine generationem, æternæ generationis æmulam, referri poſſe. *Scio*, inquit, *aliquos dicere, inoperatum eſſe etiam Incarnationis myſterium, quod non ſit virili copula vſus operatus, quia partus eſt Virginis. Si ergò plerique hoc loco nec Mariæ partum opus eſſe dixerunt, tu Ariane opus putas eſſe Dei verbum?* Itaque diuini Verbi æterna à Patre Deo generatio, vt perfectionis ſummam ſublimiùs exaggeret, *inoperationis* vocabulo exponitur: tanta enim, támque ineffabiliter arcana Dei de Deo generatio, ne opus, & inde creaturam, produxiſſe videatur; ſed verum Deum, veri Dei Filium, quid *inoperatum* præ ſublimiori infinitè perfectione nominatur, quò nomen vitio *imperfectionis* velut confine: immeritam *perfectionem* viuaciùs exponat. *Imperfectum meum*, id eſt, *inoperatum meum viderunt oculi tui*: Sic etiam *plerique* apud Ambroſium, diuinam Chriſti Dei de Virgine Deipara generationem, id eſt, Verbi incarnationem, ſeu Virginis myſterium, vt procul amoueatur viri opus, & æternam Verbi generationem propiùs de ſumma perfectione æmuletur, quid *inoperatum* aliè nominarunt. Non quod nihil operata ſit Deipara, cùm ex ſuis viſceribus verè verum Deum genuit: ſed præ genituræ ſummâ perfectione, myſterium Incarnationis, quod ſemper eſt, & erit myſterium, ad ſimilitudinem æternæ generationis, *inoperatum* arcanè nominatur.

Pſal.138.v. 16.

*Cur myſterium Virginis Deum generantis, inoperatum nominetur? & quo ſenſu.*

S.Ambroſ. l.3.de Fide c.7.

*Quare generatio æterna, quid inoperatum dicatur?*

5. Lucæ 1. miſſus eſt angelus Gabriel à Deo, ad Virginem, cui nomen Maria, vt diuinæ corporationis negotium cum ea tractans, eius ad diuinam Maternitatem conſenſum alliciat. Eccur ad ea cæleſtis Paranymphi verba, *Ecce concipies, & paries filium*, Incarnationis myſterium non peragitur; ſed ad huc ſuſpenſis cæli votis, & mundi ſpebus, eius vltrò conſenſus expectatur? Peractum enim eſt Incarnationis ſacramentum, ad illa exſpectatiſſima Deiparæ verba, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum* Hoc dubium & eleganter verſat, & ſubtiliter expedit Guilielmus, ad ea Canticorum verba, *Fauus diſtillans labia tua.* Vult enim Deum miſiſſe Gabrielem ad

Lucæ 1.v.31.

Cantic. 4. v. 11.

Virginem

Guiliel. apud Mart. del Rio in Cant 4.v.11. in Mixta interpr. de Deip.

Virginem, vt ei myſterium Incarnationis, & Redemptionis panderet, atque eius conſenſum flagitaret. *Nolebat enim omnipotens carnem ſumere ex ipſa, non dante ipſa, ſicut ſumpſerat de dormiente, & non dante Adam, vnde formauit Euam. Ad futuræ Matris excellentiam, non tantùm ex ipſa carnem ſumere, ſed etiam ab ipſa volebat.* Tanti enim æſtimauit Deus puriſſimam carnem de Virgine immaculata accipere, vt quaſi parùm foret carnem *ex ipſa* ſumere *ab ipſa* etiam vltrò donante, mutuare carnem ambiuit. Fiat B Virgo Mater Dei non ſolùm ventre, ſed etiam mente: non modo natura, ſed etiam conſenſu, vt quæ ſemel genuit Chriſtum Deum, bis Dei Mater exiſtat; & quot modis poſſit Matris Dei ineffabilem dignitatem augeat, multiplicet, & exaggeret. Sic non horruit Deus corporari, carnem ex Virgine ſumens, vt ſumendi modos multipliciter geminans, *non tantùm ex ipſa carnem ſumere; ſed etiam ab ipſa voluerit*: vt quandoquidem res ipſa Incarnationis ex Virgine multiplicari non expediebat, in modo ſaltem multiplicaretur, quò perſpicaciùs appareret quanto ſtudio, quámque ſtudioſo cordis voto, carnem ex B. Virgine ſumere Deus exambierit: ô quàm pulchriorum, ac verborum ambitu rem expreſſit Guilielmus!

Geneſ. 2. v. 21. & 22.

*Diuinum Verbum non tantum ex Virgine, ſed à Virgine carnē ſumere ambiuit.*

6\. Matthæi 1. Chriſti autem generatio ſic erat: Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent, *inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto.* Et mox: Vt adimpleretur quod dictum eſt à domino per Prophetam dicentem: *Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium.* Ad quæ verba ita ſcribit P. Alphonſus Salmeron ſapientiâ, & eruditione notiſſimus; *In vtero*, inquit, *non in corde corporeo & naturali. Fuit enim quidam Petrus Lucenſis ordinis Canonicorum, vel Regularium S. Auguſtini, qui id ferè noſtro æuo prædicare auſus fuit, ex ſanctæ cuiuſdam feminæ Bononienſis reuelatione; Chriſtum non in vtero communi, & parùm honeſto xenodochio, ſed in præcordiis, ſeu in corde Virginis conceptum.* Itaque Petrus Lucenſis illud Euangeliſtæ, *Ecce virgo in vtero habebit*, metaphoricè accipit, iuxta Poëtam, *Vterúmque armato milite complent.* Sanè parùm veroſimilis videtur hæc expoſitio, nec ſufficienti auctoritate fulcta in re adeo graui. Ceteroqui ſuauis, & mellea meditatio foret contemplari infantulum Ieſum recens conceptum ex puriſſimis guttulis auguſti ſanguinis Mariani cordis, quæ eſt amoris ſedes, & charitatis conceptaculum; ab ipſóque indolem expromptioris miſericordiæ generosè mutuantem: atque ipſum etiam Ieſum in corde Virginis Deiparæ tanquam in ſacrario reſidentem præſidentémque Mariæ cogitationibus, & affectibus: ſedentémque in Mariano corde velut in ſolio auguſtioris maieſtatis: vt qui quà Verbum Deus erat, eſſet in mente Patris Dei, & quà homo Deus in Matris Virginis corde nobilis inquilinus reſideret. Dulce ſanè id meditari, ſed intutum ſectari. Procùl à Bibliis metaphoricus ſenſus, cùm hiſtorialis inoffenſè currit alioqui nil erit in Scripturâ ſanctâ ab allegoriarum nubilo immune.

Matth. 1. v. 18. & 23. Iſaiæ 7 v 14. Salm tom. 3. in Euang. Tract. 6 Petrus Lucenſ.

*In Deipara corde, an in eius vtero cōceptus fuit Ieſus?*

Virgil. 2. Æneid.

## CAPVT XI.

*Verſ.* 18. Pro coniunctione, & nuptiis Eſther.

## CAPVT VII.

*Verſ.* 3. Si inueni gratiam in oculis tuis ô Rex, dona mihi animam meam pro qua rogo, & populum meum pro quo obſecro. Traditi enim ſumus ego, & populus meus, &c.

## §. CCCLX.

*Chriſtus Deus, totus Matris virginis eſt; quæ ſolum opus Incarnationis, & redemptionis Opus ſententiosè appellatur.*

S. Ambroſius, quo ſolet ingenij & eloquij acumine, agens de redemptrice gratia, quâ de Filij ſui pretioſo ſanguine Virgo Deipara vbertim exundat, ita ſcribit: *Nec mirum ſi Dominus redēpturus mundum, operationem ſuam inchoauit à Matre; vt per quam ſalus omnibus parabatur, eadem prima fructum haberet ex pignore.* Pergit Bernardus: *Proindè factor hominum, vt homo fieret naſciturus de homine, talem ſibi ex omnibus debuit deligere, imò condere Matrem; qualem & ſe decere ſciebat, & ſibi nouerat placituram.* Ecce tibi Virgo Deipara: vt digna Dei Mater conderetur, Dominicæ redemptionis primiceria, in ſe redemptionis fructum copioſiſſimè dedicauit. Adeò vt propè dixerim, quòd totum ſibi Filium, Filiique operoſum redemptionis negotium quodammodò vendicarit. 1.

S. Ambroſ. l. 2. in Lucam. S. Bern. Ser. 2. ſuper Miſſus eſt.

*Virgo Deipara primum fructum habuit ex Filio Deo.*

Lucæ 2. Ioſeph Cæſariani edicti compulſus imperio, venit in Bethlehem, vt profiteretur cū Mariâ vxore ſibi prægnante. Factum eſt autem, cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies vt pareret. *Et peperit Filium ſuum primogenitum.* Et ſanè Ioſepho de ſponſâ Deiparâ vniuerſatim dictum eſt: *Pariet autem Filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Non Ioſepho ſponſa Virgo Filium parit. Cui ergo *peperit Filium ſuum*? Suus, dicitur natus è Virgine Filius Deus, qui in terris patrem non habet. An idcircò Virgini matri totus naſcitur in terris Chriſtus Deus? Eleganter Veronenſis Zeno: *Mira res! concipit Maria de ipſo, quem parit, tumet vterus maieſtate, non ſemine: capitque Virgo, quem mundus, mundíque non capit magnitudo. Interea promouent ſuum membra factorem; & opus ſui figura veſtit artificem.* (Nota verba, quæ altè ſubdit) *Naſcitur ſine patre filius, non totus matri: ſibi debens quòd conceptus eſt, donans Matri quòd natus, quæ principaliter ſtupet talem ſibi filium prouenisſe.* Cùm Chriſtus Deus patrem non habeat in terris, ſic forſan percrebuit Chriſtum totum Virgini Deiparę naſci, vt opus fuerit quòd Zeno Verónenſis nos moneat, quòd Chriſtus Deus *non totus Matri naſcitur; ſibi debens, quòd conceptus eſt donans Matri, quòd natus?* Exindè Damaſcenus ſermonem ad Virginem Deiparam conuertens, inter alia admirabilia, quæ 2.

Lucæ 2. v 7. Matth. 1. v. 21.

*Quare dicatur Chriſtus, non totus matris.*

S. Zeno. Ser. 3. de Natiu. Chriſti.

S. Damaſc. Orat. de Natiuit. — *Ex ſolâ Virgine partem Chriſtus aſſumpſit, carnem ex carne.*

de illa recenſet, ait: *Sanè res omnes conditas dignitate antecelluiſti: ex te enim ſola ſummus ille opifex partem aſſumpſit, hoc eſt maſſæ noſtræ primitias. Caro ipſius ex carne tua, & ſanguis ex ſanguine tuo, & lac è mammillis tuis ſuxit Deus, & labia tua Dei labiis vnita ſunt.* Itaque ex ſola Deiparâ diuinus Opifex partẽ aſſumpſit; ſed quâ tota tunc Chriſti caro, conſtaret. Aſſumpſit ergò *partem* ex *ſola* Maria, id eſt, maſſæ noſtræ primitias, ex quibus totum Chriſti Dei corpus primò materiatum eſt. Nimirùm *pars* eſt adſpectu ad Mariam; ſed reſpectu Chriſti Dei ſine patre in terris nati, totum corpus Chriſti eſt. Vnde ex hâc *parte*, Chriſtus Deus *totus matri naſcitur.* Quod ex iam iam dicendis explicatiùs tradetur.

3. Lucæ 1. v. 35. — Lucæ 1. B. Virgine pudicitiæ officioſitate cæleſtem paranymphum cunctante, hæc de eius Angelico ore audit: Spiritus-ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. *Ideóque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Rectè quidem Chriſtus ex Virgine verè natus, naturalis etiam Filius Dei eſt: nam *vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* (Ioann. 1. v. 14.) Cùm ergò Chriſtus Deus homo, per æternam generationem ſit verè Filius Dei, & per generationem humanam in tempore peractam, ſit etiam verus Virginis filius; argutè ſciſcitatur Bernardus, cuius nam ſit totus Chriſtus. Patris Dei, an Matris Virginis? Alterutrius, an vtriuſque? *Cùm*, inquit, *Deus ſit in omnibus Sanctis propter concordiam voluntatis, ſpecialiter tamen cum Maria, cum quâ vtique tanta ei conſenſio fuit, vt illius non ſolum voluntatem, ſed etiam carnem ſibi coniungeret, ac ſi de ſua, Virginiſque ſubſtantia vnum Chriſtum efficeret, vel potiùs vnus Chriſtus fieret:* (Attentiùs aduerte ad verba, quæ ſubiicit) *Qui etſi nec totus de Deo, nec totus de Virgine; totus tamen Dei, & totus Virginis eſſet.* Itaque Chriſtus verè homo Deus, nec totus de Patre Deo, nec totus de Virgine matre naſcitur: attamen *totus* Patris Dei eſt & Virginis matris *totus* eſt. O talis poſſeſſio, per quandam myſterij immenſitatem, arcanè partita! Gratulor tamen Deiparæ, & hominibus etiam gratulor, quòd Chriſtus *totus Virginis eſt.*

*Chriſtus totus Dei, & totus Virginis eſt.* — S. Bern. hom. 3. ſuper Miſſus eſt.

4. Matth. 1. v. 21. Imperf. hom. 1. Lucæ 1. v. 13. — Matthæi 1. Ioſepho præ angore zelotypiæ nimis anxio, hæc Angelus dixit: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu-ſancto eſt. *Pariet autem filium.* Quæ Angeli verba nuper enucleata, ſic dubius Chryſoſtomus expendit: *Non dixit: Pariet tibi filium, ſicut ad Zachariam. Maria, quæ non ex viro conceperat, non filium Ioſepho peperit, ſed ſibi tantummodò.* Sibi tantummodò Maria peperit filium? Totum ſibi filium Deum Maria vendicat? Num totius mundi Redemptor vni Deiparæ ſolummodo naſcitur, & impenditur?

*Maria filium Deum ſibi tantummodò peperit?*

5. S. Ildef. l. de Virg. c. 12. — S. Ildefonſus autâ deuotionis ſublimiſſimè abreptus, ſic Deiparam alloquitur: *Procido coram te ſola Opus Incarnationis Dei mei...... Illi ſicut Redemptori meo, tibi ſicut Operi redemptionis meæ: quod enim in mea redemptione eſt operatus, in tua perſona veritate formauit*, aliàs *firmauit.* Altè Deipara *ſolum opus Incarnationis*, ſeu Redemptionis ab Ildefonſo dicitur. An quia ipſa ſola, id eſt, ſine humano patre, in ſuo virgineo vtero, & de ſuis puriſſimis viſceribus efformauit & genuit *Chriſtum Deum, qui verè noſtra redemptio* nominatur? An quia fuit primitia *redemptionis*? An quia de Filij tui copioſa *redemptione*, plus gratiæ ipſi Deiparæ, quàm iunctim reliquis omnibus impenſum eſt; An quia gratia *redemptionis* per Mariam, & beneficè diſpenſatur, & animirùs hominibus applicatur? Audiendus eſt hac ſuper re S. Bernardus, ſic hominem alloquens: *dedit tibi Deus Chriſtum per Mariam propter ſanitatem: ſed quia indignus eras cui donaretur, datum eſt Mariæ, vt per illam acciperes quicquid haberes; quæ per hoc, quòd Mater eſt, genuit tibi Deum; per hoc quòd Virgo eſt, exaudita eſt pro reuerentia ſua in cauſa tua, & totius generis humani.* Itaque cùm homo indignus eſſet, qui totam redemptionem à Filio Deo operatam, & in cruce peractam, acciperet, tantum donum Matri ſuæ digniſſimè donauit, vt illud hominibus diſpenſaret, nihilque haberemus, quod per Mariæ manus non tranſiret, quaſi hæc fuerit voluntas Filij vt totum per Matrem haberemus. Filio debes, quòd redemptus es; Matri debes, quòd Redemptorem tibi dedit, & eius redemptionem largâ beneficentiâ diſpenſat. An ideò Maria *ſolum opus Incarnationis, & opus redemptionis nominatur?*

*Quo ſenſu Deipara dicitur, ſolum opus Incarnationis.* — S. Bern. ſer. 3. in Virg. Nat. *Maria eſt redemptionis diſpenſatrix.*

Iudicum 6. ſic Gedeon loquitur ad dominum: 6.
Ponam, inquit, hoc vellus lanæ in areâ: ſi *ros in ſolo vellere* fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quòd per manum meam liberabis Iſraël. Factúmque eſt ita. Dixítque rurſùs ad Deum: *Oro vt ſolum vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens.* Ecce tibi vellus Gedeoni, quod ſolum nuper copioſo cælitùs rore madebat, totâ areâ aridè ſicca; iam ipſum ſiccum eſt, totâ areâ rore exundante: quod Gedeon magis idoneum ſignum Iſraëlis liberandi iudicauit. Appoſitè Bernardus hac ſuper re ita philoſophatur: *Cæleſti rore aream Deus rigaturus, totum vellus priùs infudit, redempturus humanum genus, pretium vniuerſum contulit in Mariam: quia ſic voluit Deus Matrem honorare . . . Altiùs intueamini quanto deuotionis affectu a nobis eam voluit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria, vt proinde ſiquid ſpei in nobis eſt, ſiquid gratiæ, ſiquid ſalutis, ab ea nouerimus redundare.* Itaque Virgo Deipara *vellus* Gedeonis eſt, redemptricis gratiæ rore plenum, dum tota area areſcit ſiccitate; at vt tota area mox cæleſti rore abundè madeat, ſiccum perhibetur vellus. Non quòd vnquam Marianum Gedeonis vellus, gratiarum copioſo rore plenum non fuerit; ſed quia ex vberrima roris plenitudine, quo madebat, ſic copioſè exuberauit in totam aream, vt niſi *immenſitate gratiæ* (vt loquitur Petrus Damianus) plena foret, gratiarum rore vacua putari poſſet. *Cæleſti rore areã Deus rigaturus, totum vellus priùs infudit*, quaſi de Mariani velletis rore, totam Eccleſiæ aream Deus infundat, & cæleſtibus gratiis abundè madidam reddat. Nam eius Filius *redempturus humanum genus, pretium vniuerſum contulit in Mariam*, tanquam redemptionis ſequeſtram, gratiæ diſpenſatricem, & pretij ſolutricem. An indè etiam dici poteſt *Opus redemptionis, & ſolum Opus Incarnationis?*

Iudicum 6. v. 39. *Quare Maria dicatur vellus Gedeonis, quod area madente ſiccum fuit.* — S. Ber. Ser. de Aquæductu. — Petr. Dam. alibi enucleatus.

Canticorum 4. ſic cæleſtis ſponſus Mariam 7.
ſponſam alloquitur: *Vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa: vulneraſti cor meum*, &c. Alij qui ex Hebræo excribunt, *incordaſti me*, id eſt in corde me ſauciaſti: cordis autem vulnus eſt ſummi doloris, & mortiferum. Alij, *Tranſfixiſti mihi cor.* Et quando, aut quomodo B. Deipara dilectiſſimum

Cant. 4. v. 9. Hebræus. *Quo pacto Maria primis vulneribus Chriſtum in cruce trãſfixit?*

mum

S. Bernard. 2. tom. Conc. 51. ar. 3. c. 3. mum Filium ſuum Chriſtum Deum *vulnerauit*, & illius cor durè *transfixit*? Opportunè S. Bernardinus ex Gloſſa ſic locum exponit: *Vulneraſti, ſeu transfixiſti cor meum*, &c. *Pro amore tuo carnem aſſumpſi, & vulneribus primis in cruce, vulneraſti cor meum.* (& addit.) *Nam primogenita Redemptoris filij ſui Ieſu fuit B. Virgo, & plus pro ipſa redimenda venit, quam pro omni alia creatura.* Prima vulnera in cruce Chriſtus Deus pro Virgine Matre auidè excepit? Sic piè exambibat Chriſtus Deus primitias redemptionis, Redemptoris primogenitæ, & Matri præpropere largiùs impendere? Qui *totus Virginis eſt*, ſic feſtinat pro Virgine matre in cruce *transfigi*, illique vulnerum ſuorum primitias dedicare? Ita ſanè: nam *plus pro ipſa redimenda venit, quàm pro omni alia creatura*: ſiquidem diuinum Verbum pro Mariæ *amore carnem aſſumpſit*. Indè ne Deipara dici queat, *Solum* (id eſt, primum, & præcipuum) *Opus Incarnationis, & Opus redemptionis*?

*Chriſtus plus pro matre redimenda venit, quàm pro omni alia creatura.*

8\. Actor. 17. v. 28. Actorum 17. *In ipſo* (Deo) *viuimus, mouemur, & ſumus.* In Deo *viuimus*, non formaliter, ſed effectiuè, ab illo ſemper pendentes: *Mouemur* loco, & operatione: exinde in eo *eſſe* dicimus. *Hoc* commune omnibus. At Deus ſpecialiter (ait Petrus Damianus) *ineſt Mariæ Virgini identitate, quia idem eſt cum illa. . . . . . Habitat in Angelis Deus, ſed non cum Angelis, quia cum illis eiuſdem non eſt eſſentia: habitat Deus in virgine, habitat cum illa, cum qua vnius naturæ habet identitatem.* Ergò Guarricus Abbas his verbis inducit Chriſtum Deum cum Deipara loquentem: *Communicaſti mihi quòd homo ſum, communico tibi quòd Deus ſum.* Filius Deus Matris humanitatem Incarnatione induit: Mater Filij deitatem velut mutuauit: idẽtitas enim carnis inter Deum, & Deiparam eſt: totus Filius Deus Matris eſt; & Mater *tota Opus Incarnationis, & redemptionis Opus.*

Petr. Dam. Serm. 1. de Natiuit. B. Mariæ. *Filium Matris humanitatẽ induit: & Mater Filij deitatem quodammodo mutuat.* Guerr. ſer. 2. de Aſſump.

## CAPVT XVI.

*Verſ.* 13. Cuius fide & beneficiis viuimus. &c.

## CAPVT XI.

*Verſ.* 15 Erat enim formoſa valdè, & incredibili pulchritudine.

## §. CCCLXI.

### *Quid ſit Virgo Deipara Filio Deo, planè inſcrutabile eſt, ineffabile eſt.*

1\. Tertullian. *Deipara ſententiosè dicitur, Chriſti cenſus.* TErtullianus ſententiarum vel in vno verbo grauidè fœcundus, in lib. aduerſ. Iudæos, c. 9. Chriſtum dicit, *Ex ſtirpe Ieſſe deputatum per Mariam ſcilicet, & indè cenſendum.* Aliàs adnotabamus hìc alludi ad Romanorum olim Cenſorem, qui ſingulis luſtris ciuium facultates & honorum titulos rigido cenſu notabat atque taxabat: nemóque plus opum, aut honorum videbatur poſſidere, quàm Cenſor luſtratione cenſuiſſet. Cùm ergò Chriſtus dicatur *per Mariam cenſendus*, ſententiosè innuitur, quod Maria putatur Chriſti Dei *cenſus*. Vide qualis, quantáque ſit Maria Chriſto Deo, cuius opulentia, & nobilitas humanitus per Mariam, & ex Mariâ *cenſeri* perhibetur. Nec mirùm, quòd Filius, qui Patrem habet in cælis, per Matrem in terris cenſeatur.

2\. Cant. 2. v. 16. Cant. 2. hilce maternis peramãter blanditiis, cęleſtis Sponſa Sponſum cęleſtẽ, id eſt Mater Virgo Filium Deum alloquitur: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Quaſi dicat: Dilectus meus mihi (ſubaudi) totum ſe tradidit: vnde & ego illi auidè me totam tradam, imò reipsâ trado. Illi vni vaco, ſeruio, & placere ſtudioſius ſatago. Quare quod ipſe vult, hoc & ego volo: ipſius enim velle & nolle, meum velle, & nolle eſt. Symmachus vertit in genitiuo: *Et ego eius.* Quaſi dicat: Ego tota ſum Sponſi, ſicut Sponſus totus eſt meus, adeoq; ipſe eſt id quod ego ſum, vt non tam duo, quàm vnus idémque eſſe videamur. Hactenùs ſcitè Cornelius in huius loci commentario. Sed quidem ex commentario: nam Sponſa non dicit quid ſit illi Sponſus, & illa Sponſo: tantùm enim ait, *Dilectus meus mihi, & ego illi*; quid autem illa ſit Sponſo tectiùs ſilet, quaſi ineffabile, & præ magnitudine obſignandum arcanâ taciturnitate quod peridoneè Richardus adnotauit, ſic fatus lib. 5 de Laudib B. Mariæ: *Ipſa* inquit, *Beata Virgo quiddam diuinum nobis ineffabile ex Dei omnipotentiâ mutuauit. Vnde & dicit Canticorum 2. Dilectus meus mihi, & ego illi: quid autem ſit illi Dilectus, & illa dilecto non dixit, quia id tantum eſt, quòd ad ipſum explicandum verba deficiũt, & iſtud inſcrutabile eſt viatori, quia credere præcipimur, diſcutere prohibemur.* Itaque cùm Beata Deipara diuinæ maternitatis iure *quiddã diuinum* nobis ineffabile, ex Dei omnipotentiâ mutuarit; *quid ſit illa Dilecto non dicit, quia id tantum eſt, quòd ad ipſum explicandum verba deficiunt.* Sanè inſcrutabile, & inde planè ineffabile eſt, *quid* Mater Virgo Filio Deo ſit. *Tantum* autem eſt, támque auguſtè ſublimiſſimum, vt Chriſtus Deus ex Mariâ, & per Mariam cenſeri humanitùs dicatur, quaſi Beata Deipara ſit Chriſti Dei cenſus; indè enim cenſendus perhibetur.

Symmach. Cornel. ibi.

*Quid ſit Virgo Deipara Filio Deo, planè inſcrutabile, & ineffabile eſt.* Richard. à S. Laurent. Cant. 2. v. 16.

3\. Prouerb. 31, v. 10. Prouerbiorum 31. ita ſcribitur: *Mulierem fortem quis inueniet*; Iſtiuſmodi interrogatio (vt aliàs ſæpè in Bibliis) arduam inueniendi difficultatem innuit. Sed virum etiam omnipotenter fortem quis vnquã inuenit? Opulentam vtriuſque inuentionis felicitatem, in Filio Deo, & Matre Virgine ſubtiliter Richardus recognoſcit, & his verbis eloquenter edifferit: *Mulierem fortẽ quis inueniet? quaſi nullus, niſi ſolus Chriſtus.... Et nota, quòd hìc mentio fit de Inuentione. Similiter Lucæ 1. dictum eſt Mariæ: Inueniſti enim gratiam apud Dominum. Sicut enim Mariæ fuit Inuentio, habere talem Filium; ſic Chriſto fuit Inuentio, habere talem Matrem.* (Nota verba quæ ad rem luculenter ſubtexit, & pende attentiùs verborum ſacramenta.) *Vndè ſicut Maria dicere poteſt de Sapientiâ Dei, ex eâ carnem aſſumente: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illâ, Sapient. 7 ſic & Chriſtus de Mariâ: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Quia natus ſum ta mundus de munda, immaculatus de immaculatâ, & de Virgine virgo. Vel hæc omnia bona, membra virginea, quæ de carne eius ſibi aptauit.* Benè eſt; inuento Chriſto Deo Deiparæ Filio, dicere Deipara Virgo poſſit: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illo*: nam Deus, ſicut eſt in ſe ſummum,

Richard. l. 6 de Laud. B. Mariæ. Lucæ 1. v. 30.

Sapient. 7. v. 11. *Mariâ inuenta, poteſt ne dicere Chriſtus Deus: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa?*

&

& increatum bonum, ita ſui poſſeſſoribus creata bona abundè parturit, & velut effusè communicat. At mirifficum ſanè quòd audaciuſculè forſan Richardus dixit, quòd Chriſtus Deus inuentâ Mariâ, ex cuius puriſſimis viſceribus virgineam carnem fœneraret, vt naſceretur de Virgine virgo, de munda mundus, immaculatus de immaculata; generoſus de regia Matris ſtirpe, glorioſus de auguſta Matris gloria, pie munificus de pia Matris indole, piam etiam indolem Filio mutuantis; poſſit etiam aſſimiliter dicere inuentâ Mariâ, *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Quid luculentius? quid exaggeratius? Præſtat loci ſententiarum, & acuminum fœcundi, eloquentiorem ſubtiliter expenſionem eruditis permittere, quàm ruſticante calamo, aut non plenè exaciare, aut per arduas exagerationum crepidines audacter euagari. Semper verum illud: *Quid ſit illa* (Deipara) *Dilectio non dicit, quia id tantum eſt quod ad ipſum explicandum verba deficiunt.* An non Chriſtus Deus *cenſeatur per Mariam*, de qua ipſe dicere perhibetur: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa?* De Mardochæo, ab Eſthere inſpirato, ait Aſſuetus: *Cuius fide, ac beneficijs viuimus*, &c.

Eſther. 16. v. 13.

4. Ioann. 1. v. 14. Ioannis 1. *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Si Euangeliſta dixiſſet, Verbum homo factum eſt, facilis eſſet ſenſus; difficilem, & in varios errores ancipitem fecit nomen *carnis*. Vndè non inidoneè Interpretes quærunt, quamobrem Ioannes potiùs dixerit, *Verbum caro*, quàm Verbum homo *factum eſt*; quia credendum non eſt eum ſine cauſsâ feciſſe. Plures rationes indidem noſter Maldonatus adducit, quas conſulere obuium eſt. Ceterùm Theophylactus inſinuat, quòd Ioannes in obſequium Virginis Deiparæ, *carnis* expreſsè meminerit; ſiquidem non animam, ſed *carnem* ex carne Deiparæ mutuauit: *Addiſcimus ergò*, inquit, *per hoc quod dicitur, verbum caro factum eſt, quia ipſum Verbum eſt homo; & Filius Dei exiſtens, factus eſt filius Mulieris, quæ principaliter Dei genitrix nuncupatur, tanquam Deum in carne genuerit.* Itaque Euangeliſta Ioannes, vt potè Mariæ addictiſſimus, & Marianæ gloriæ ſtudioſiſſimus vbi primò Verbi diuini Incarnationem induxit, protinùs mentionem expreſſam ſubinfert *carnis*, quam è Mariæ Deiparæ carne Verbum mutuauit; quò palàm innoteſcat, ex aliqua parte Marianæ carnis materiatum eſſe Verbum diuinum Incarnatione corporatum. Quâ ſuper re Germanus Archiepiſcopus Conſtantin. ſic altè philoſophatur eam alloquens: *Salue legis atque gratiæ mediatrix, veteris nouique Teſtamenti ſigillum, totius Prophetiæ chariſſimum ſupplementum, ſumma diuinitùs inſpiratæ veritas Scripturæ.* Attentiùs nota quæ præſcriptis attexit verba) *quæ Dei, ac Verbi ſpirans, ac puriſſima pars, in qua ſine voce, & ſcriptura, ipſe inſcriptus Deus & Verbum per diem legitur.* Intermitto nunc, quòd Virgo Deipara dicatur id, in quo ſine voce ac ſcriptura Verbum D. us inſcriptum *per diem* (hoc eſt clarè) legitur. Item, vtriuſque Teſtamenti *ſigillum*. Ad hæc, *Scripturæ veritas*. Dein, *Prophetiæ ſupplementum*, Profundæ quidem ſententiæ, & ethicè ſententiarum grauidæ. Mitto hæc in alijs forſan theſibus enucleanda, vt citiùs ad rem notemus, quòd ab Euangeliſta Ioanne dicitur, *Verbum caro factum eſt*, vt innuatur, quòd Verbum ex *parte* Marianæ carnis *carnem* aſſumpſerit; à

Maldonat. Theophyl.

*Deipara dicitur, Veritas Scripturæ, & Prophetiæ ſupplementū.* Germań. orat. de Natiuit. Virg.

*Quo ſenſu Deipara dicatur, Verbi ſpirans, ac puriſſima pars.*

Germano autem appellatur Deipara Virgo, *Dei, ac Verbi ſpirans, ac puriſſima pars.* Scilicet diuinum *Verbum* dicitur *factum caro*, quia *partem* Marianæ *carnis*, cui hypoſtaticè vniretur, aſſumpſit: exindè Virgo Deipara nuncupatur *Dei, ac Verbi ſpirans, ac puriſſima pars*, quia ex Mariæ carne, *partem* aliquam eius carnis, cui per incarnationem vniretur, *Verbum* aſſumpſit. Vnde nominatur, *Verbi ſpirans, ac puriſſima pars.* Alto quidem ſtilo ſic appellatur Deipara; quia ſuæ *carnis pars*, totam carnem corporando Verbo miniſtrauit. Quid ſublimiùs, quàm quòd Deipara corporati *Verbi ſpirans, ac puriſſima pars* nominetur? Vide hic quid ſit Deipara Filio Deo quod ſanè ineffabile eſt, & vltra faſtum humanæ mentis ſublimiſſimum. *Quid ſit ipſa Dilectio non dicit, quia id tantum eſt, quòd ad ipſum explicandum verba deficiunt.* Hæc eſt Eſtheris *incredibilis pulchritudo*? Eſther. 2. v. 15.

5. Sapientiæ 7. *Prepoſuit illam Regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius: nec comparaui illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.* Quæ verba Beatæ Deiparæ, non tantùm adſpectu ad homines, ſed etiam reſpectu Dei, Richardus accommodat lib. 2. c. 3. Ad quod explicatiùs enucleandum lib. 2. aduocat illud Iobi: *Neſcit homo pretium eius, quia non eſt pretium, quod poſſit ei* (Mariæ Deiparæ) *comparari; quia pretioſior eſt cunctis opibus corporalibus, & ſpiritualibus. Et omnia quæ conſiderantur, non valent ei comparari.* Valdè audet hæc vltima Richardi ſententia, & ſententiarum clauſula. Porrò mentis *conſideratio* de phantaſiæ licentia, vltra æquum rerum cenſum, audacter bona fingit, & de earum bonitate ſupra verum pro nutu poëtatur affectionis lenocinio, & liberæ *conſiderationis* priuilegio. Aſt minus eſt, quod libera mentis *conſideratio* ambitioſo affectionis aut deſiderij mendacio fingit, quàm quod reipsâ Virgo Deipara eſt. *Neſcit homo pretium eius, quod poſſit ei comparari. Et omnia quæ conſiderātur, non valent ei comparari.* Tantus támque opulentus bonorum cumulus, humanæ *conſiderationis* æſtimationem longè excellens, ſolùm comprehenditur ab eo, qui *creauit illam in Spiritu-ſancto & vidit & dinumerauit: & menſus eſt.* Indè ipſa de ſe verè dicit: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*; ac ſi Deipara quodammodò ſit Chriſti Dei *cenſus* æquâ æſtimatione prædiues. Philippus Abbas ſuper Cantic. perſtringens illud Sapient. 7. *Candor eſt lucis æternæ, ſpeculum ſine maculâ Dei maieſtatis*, ſic Beatam Virginem alloquitur: *Tu es ergò omni claritate, & ſplendore Solis clarior & ſplendidior, omni lapide pretioſo longè incomparabiliter pretioſior. Tu ſuper omnem ſtellarum fulgorem, vt potè ſtella maris, fulgentior inueniris: Candor quippè es æterna claritatis; & ſpeculum ſine næuo diuina maieſtatis. Tu es hereditas Domini: in te moratus eſt Filius Dei.* Vide quàm præclarè temporalis Chriſti generatio ex Matre ſine patre, aſſimiletur æternæ Verbi diuini generationi ex Patre ſine matre. Huius autem elogij clauſula, quâ Beata Deipara appellatur, *Hereditas Domini*, plus ſignificat, quam dicit: dicit enim Chriſtum Deum, *ex ſtirpe Ieſſe deputatum, & inde cenſendum.* quaſi Virgo Deipara ſit Chriſti *cenſus*: ruſus ipſe Chriſtus Deus ſit Deiparæ hereditas. Illud Eccleſiaſtici 24. *Et in*

Sapient. 7. v. 8. & 9.

Iob. 28. v. 15. Richardus à S. Laur.

*Omnia, quæ infra Deum conſiderantur non valent Deiparæ comparari.*

Eccli. 1. v. 9.

Prouerb. 8. v. 22.

Sapient. 7. v. 26. Philipp. Abbas.

*Deipara dicitur candor æternæ claritatis, & ſpeculum ſine næuo diuinæ maieſtatis.*

*Eſt ne diuinitas Filij, Pars Marianæ hereditatis.*

Eccli. 24. v. 16.

*in parte Dei mei hereditas illius*, his verbis de Virgine exponit Honorius: *Hereditas illius in parte Dei ſui, id eſt, Filij ſui diuinitate erit.* Hereditas Deiparæ, non ſolùm eſt Filij ſui humanitas, ſed etiam diuinitas? Diuinitas Filij Dei, eſt Matris Virginis hereditas? Quid exaggeratius? Hæc opulentior Deiparæ hæreditas alibi forſan latiùs enucleabitur.

---

## CAPVT IV.

*Verſ.*4 Et veſtem miſit(Eſther) vt induerent eum,(Mardochæum.)

## CAPVT VIII.

*Verſ.* 15. Mardochæus autem de palatio, & de conſpectu regis egrediens, fulgebat veſtibus regiis, hyacinthinis videlicet & aëreis,&c.

## §. CCCLXII.

### *B. Deipara Dei maieſtate veſtita, de ſuo Vellere Agnum induit ſuum: & de ſui Agni vellere homines etiam veſtit.*

1. B Virgo ſudato nimis elogio, Euæ antitheſis prædicatur.( quam etſi vulgarem prærogatiuam multis nuper recentauimus.) Verùm Eua non ſolùm viri maleſuada, iacturam iuſtitiæ originalis fecit; ſed etiam dum palati delicias quæſiuit in eduli ſcientiæ arbore, ſuam, & noſtram nuditatem inuenit. Pudore inueſtis ſuffunditur; & ante ſobolem peperit ſobolis nuditatem. Hinc homo inueſtis orbi, velut mancipium met illo datur. Er nuper benè nudus, frondeo amictu male veſtitur. Opinor, non inidoneè Eſther audita

Eſther 4.v.4. Mardochæi inſuſpicabili calamitate, *conſternata eſt: & veſtem miſit, vt ablato ſacco induerent*

Eſther 8.v. 11. *eum.* Sed mox fortunâ è cælo fauentiùs adſpirantè *Mardochæus de palatio, & de conſpectu regis egrediens, fulgebat veſtibus regiis, hyacinthinis videlicet & aëreis, coronam auream portans in capite, & amictus ſerico pallio atque purpureo.* His veſtibus inueſtem Mardochæum typica Eſther induit. An figurata Eſther, Deipara inquam, vt Euæ etiam antitheſim impleret, homines quos illa malè nudauerat, benè veſtiuit? Appoſitè Epiphanius quo ſolet ingenij acumine, & pio erga Deiparam eloquio: *Eua*, inquit, *datum eſt operire corpus ſenſibile propter nuditatem ſenſibilem; Mariæ verò datum eſt à Deo, vt pareret nobis Agnũ, & ex gloria ipſius Agni fieret nobis velut à vellere ſapientia per virtutem ipſius indumentum immortalitatis.* Nimirùm Adam & Eua mox vt peccarunt, *cùm cognouiſſent ſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* At B.Virgo nobis peperit Dei Agnum, vt ex *gloria* ipſius agni velut ex *vellere*, fieret nobis *indumentum immortalitatis.* Itaque veſtis quam nobis mittit figurata Eſther, longè pretioſior ac fulgentior eſt regiis Mardochæi veſtibus; contexta eſt enim ex Dei Agni ſumptuoſo *vellere*(quæ eſt ipſius *gloria*) ex quo nobis fit glorioſum *immortalitatis indumentum.*

*B.Virgo de ſui Agni vellere nos veſtit gloria, & immortalitatis indumento.*

S.Epiphan. Hæreſ.78.

Gen.3.v 7.

*tum.* O quàm pretioſè nos induit, qui nos Agni Dei vellere veſtit! non potuit pretioſiùs, glorioſiùs non potuit: eſt enim veſtis *gloriæ, & immortalitatis indumentum*, quod nullo æuo veteraſcet; imò ſemper perpetuo nitore recens ſplendet. O ambiamus de manu Virginis hoc Agni vellere glorioſè amiciri!

Geneſeos 3. Adamo tranſlato in paradiſum, 2.
ibi formatur Eua; ibi ambo delinquunt, puniuntur: & ne de vitæ arbore edentes, immortalem ſubeant calamitatem, è paradiſo ſubindè eiciuntur. Ante exilium autem malè frondeo amictu ſuccinctis, *fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos: & ait: Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum.* Eccur dum eiiciuntur è paradiſo, & adhuc in illo erant, à Deo Protoparentes veſtiuntur? Damnatum reum iudex veſtit; & nudum veſtit, eiectionem è paradiſo demoratur? Eccur in paradiſo, vbi deliquerunt, veſtes accipiunt qui condignam ſceleri nuditatem ſubeunt? Inflicta à Deo pœna hoc indumentorum dono mitigatur? an Deus hoc facto alterius paradiſi ſacramentum loquitur? Opportunè Damaſcenus Orat.2.de dormit. Virginis. *Hodie*, inquit, *Edem noui Adam paradiſum ſuſcipit animatum, in quo ſublata eſt condemnatio, in quo plantatum eſt lignum vitæ, in quo operta fuit noſtra nuditas.* Scilicet tametſi parùm opportunus videbatur ad ſubſidium indumentorum præbendum, ipſe condemnationis feruor; & extraordinaria putaretur feſtinatio, Protoparentes in paradiſo veſtibus induere, qui tandiu apud Deum inibi inueſtes conſtiterant; tamen oportebat maximè vt typus reſponderet antitypo; & iam olim præfiguraretur, hominum nuditatem in Mariano paradiſo paradiſeis veſtibus, ornatiùs induendum. Porò in Mariâ tanquam in *paradiſo animato operta fuit noſtra nuditas.* In primæuo paradiſo emortuis pecorum pellibus veſtiti ſumus; in hoc autem animato paradiſo, *immortalitatis indumenta* accepimus. Illic poſt acceptas veſtes illis velut inſultatum eſt de ambitâ arroganter ſcientiâ, & de inuentâ citiùs ignoratione: hìc verò *velut à vellere ſapientia per virtutem ipſius indumentum* accipimus. Ergò conſultiſſimè in paradiſo Adamus & Eua præmaturè induuntur, vt paradiſeæ veſtes, quibus induimur ab hoc paradiſo animato præfigurentur; & vmbra veritati, & typus antitypo correſpondeat.

Gen.3. v.21. & 22.

*Cur ante eiectionẽ è paradiſo, Protoparentum nudi as veſtiuntur.*

S.Damaſc.

Epiph. ſuprà

Paullus ad Philippenſes 2.de Chriſto Deo ait: 3.
Qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit, in ſimilitudinem hominum factus, *& habitu inuentus vt homo.* Quia nimiùm Verbum diuinum caro factum, naturam humanam velut veſtem induit, vt exponit Auguſtinus. Quam autem operam ad hunc *habitum*, ſeu veſtem conficiendam Virgo Deiparâ contulerit, Proclus Epiſcopus Conſtantinopolitanus perelegantèr exponit, ita fatus: *Hæc* (Maria inquam) *vellus mundiſſimum cæleſti pluuiâ madens, ex quâ paſtor ouem induit: Hæc ancilla eſt, & mater; virgo, & cælum. Hæc ſola pons eſt, per quem Deus ad hominem deſcendit. Hæc admirandæ illius œconomiæ Tela, ex quâ, & in quâ ineffabili modo quædam admirabilis illius vnionis tunica confecta eſt, cuius quidem textor extitit Spiritus-ſanctus, nectrix virtus ex alto obumbrans; lana, vetuſta villoſaque Adami pellis, ſubtegmen impolluta Vir-*

*ginis*

Ad Philipp. 2.v.7.

S.Aug.l.83. quæſt q.73. tom.4.

Proclus apud Spin. c.8.

*Quali veſte B.Deipara diuinum Verbum veſtierit.*

*Quali veſte B. Deipara diuinũ Verbum veſtiuerit.*

*ginis caro, radius texterius, immenſa geſtantis gratia; artifex, Verbum per auditum illapſum. Quis vidit? quis audiuit talia? incircumſcriptus Deus vterum habitat: quem cæli non capiunt, venter complexus eſt Virginis.* Vide, & expende ſingulas ſẽtentias, quibus Proclus ſigillatim exponit hanc carnis veſtem, quâ Virgo Mater in ſuis almis viſceribus de ſuæ carnis telâ induit Filium Deum; qui indè *habitu inuentus vt homo* eſt. Quaſi parùm foret in hoc, & ex hoc animato paradiſo homines *immortalitatis veſtimento* induiſſe, ineffabili prodigio diuinum Verbum veſtiuit mortalitate, ex quâ noſtræ immortalitatis glorioſa veſtis texeretur. Profundè Ildefonſus: *Abſque veſte Deus, vt ita dicam, ingreditur, qui vt certè dicam, carne veſtitus egreditur.* Quod videtur ex Auguſtino mutuatum, ait enim: *Solus ad eam Dominus, & fabricator eius venit, veſtem quam non habebat induit.* Quid ſublimius?

*Veſtem, quam non habebat Deus, in Mariâ, & de Mariâ induit.*

S. Ildef. de Virg. S. Mar. c. 2.
S. Aug. l. de quinque Hæreſ.

4\. Apocal. 12. v. 1.

Apocalypſis 12. *Signũ magnum apparuit in cælo: Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Signũ id eſt, oſtentum, prodigium, portentoſum ſpectaculum: idque *magnum* in ſe: in hoc enim *ſigno* viſa eſt Mulier magna, amicta Sole, calceata lunari ſidere, & ſtellis coronata, ne quid toti corpori veſtiendo deeſſet. Itaque quicquid occlamet Eraſmus, poſſunt hæc, quæ de Eccleſiâ in ſenſu litterali dicuntur, & accipi, & appropiari B. Virgini, cũ Ambroſio, Andreâ, Ansbert. Haymone, Aretâ, Pannonio, Gagneio, Auguſtino, Bernardo, & aliis: Pulchrè autem S. Bernardus ibi, ex præſcripto Deiparæ veſtitu, ad rem præſentem ſic fatur: *Quàm familiaris ei facta es Domina, quàm proxima; imò quàm intima fieri meruiſti; quantam inueniſti gratiam apud Deum? In te manet, & tu in eo; & veſtis eum, & veſtiris ab eo: veſtis eũ ſubſtantia carnis, & veſtit ille te gloriâ ſuæ maieſtatis: veſtis Solem nube, & Sole ipſa veſtiris.* Et mox: *Denique & coronauit eum, & viciſſim ab eo meruit coronari*: Vide magnum ſignum, quod Ioannes in cælo vidit. Vide magnam *Mulierem*, & ipſo cælo ampliorem, immenſum Deum in vtero circumſcribentem. Vide Mulierem, quæ Deũ *veſtit ſubſtantia carnis*: quæ caro nuper ſua, iam Deus eſt, nam *Verbum caro factum eſt.* Et Deus ſic auguſtè à Deiparâ veſtitus, vices generosè reciprocat, & arcanâ æmulatione, illam *veſtit ille gloriâ ſuæ maieſtatis*, dum Sole (iuſtitiæ inquam, Sole) veſtitur: & in cælo apparet *Mulier amicta Sole.* B. Virgo humanitatis *nube Solem veſtit, & Sole ipſa veſtitur.* O quàm ſumptuosè ornatur, quam Chriſtus Deus *veſtit gloria ſuæ maieſtatis!* O quàm multa in hoc breui elogio videnda tranſparent.

Eraſmus.
S. Ambroſ.
Andreas.
Ansbert.
Haymo
Aretas
Pannoni.
Gagneius
S. Auguſt.
S. Bernard. apud Com. inibi.

*B. Virgo Chriſtum carne veſtit; & ſuæ maieſtatis gloriâ vicissim ab eo ipſa veſtitur.*

5\. Ad Rom. 13. v. 14.

Paullus ad Romanos 13. poſtquam multa illorum vitia diſſimulanter ſuggillauerat, vt tot animæ morbis medicinam faciat, ſubinfert: *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum.* Eſt Hebraiſmus; Hebræi enim לָבַשׁ *labas*, id eſt *indui* dicunt aliquẽ decore, ſalute, iuſtitiâ, &c. hoc eſt, his repleri, copiosè decorari. Indumentum ergò ſignificat copiam vndique circumfuſam. Pulchrè inibi Chryſoſtomus: *Induere Chriſtum, eſt vndique in nobis per ſanctimoniam Chriſtum conſpicuum eſſe. Homo enim indutus, id eſſe videtur, quod indutus eſt*: (non enim foris homo, ſed hominis veſtimentum apparet) *appareat itaque in nobis Chriſtus.* S. Cyrillus cenſet Paullum hîc adludere ad illud Iſaiæ: *Induit me veſtimentis ſalutis.*

S. Chryſoſt.
S. Cyrill. l. 9. in Geneſ.

Vel vt alij vertunt: *Induit mihi veſtimentum Ieſum.* Bona quidem, & hominibus neceſſaria eſt veſtis, quâ tot morbis languentes, *Ieſum*, id eſt, *ſalutem* induunt. De Mariæ autem officinâ hoc lanicium prodiit, cuius ipſa, & tela, & opifex eſt. Quod eloquenter Ambroſius his verbis ediſſerit, exponens illud Pſalmi: *Deſcendet ſicut pluuia in vellus.* Sic ergò fatur Ambroſius: *Rectè Maria velleri comparatur, de cuius fructu ſalutaria populis veſtimenta texuntur. Vellus planè Maria eſt, ſiquidem de molli ſinu eius Agnus egreſſus eſt, qui & ipſe Matris lanicium, hoc eſt carnem geſtans, molli vellere cunctorum operit vulnera populorum: omne enim peccati vulnus Chriſti lanâ ſuffunditur, Chriſti fouetur ſanguine, & vt ſanctitatem recipiat Chriſti indumento veſtitur.* Itaque B. Deiparæ caro puriſſima, *vellus* eſt, quo Dei *Agnus* veſtitur, hoc lanicio de carne Virginis mutuato, Chriſtus nos induit, non ſolùm ad regendam ornatius noſtram nuditatem, ſed etiam ad humanorum vulnerum medicinam. *Induit me veſtimentis ſalutis*, id eſt, *induit mihi veſtimentum Ieſum.* Ergò Romanos malè præſcriptis vitiis ægrotantibus tempeſtiuè monet Paullus, *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum. Omne enim peccati vulnus Chriſti lana ſuffunditur, Chriſti fouetur ſanguine, & vt ſanitatem recipiat Chriſti indumento veſtitur.* Huius autem indumenti lanicium Deipara præbuit, ipſius opifex, & tela eſt.

Iſaiæ 61. v. 10.
*Deipara eſt vellus Agni Chriſti inquam.*
Pſal. 71. v. 6.
S. Ambr. ſer. 13 de Natali.
*Qui Chriſtũ induit, ſalutem, id eſt, Ieſum induit.*

Magnum ſanè beneficium nuper Iſaias prophetabat: *Induit me veſtimentis ſalutis.* Siue vti alij ex Hebræa origine excribunt: *Induit mihi veſtimentum Ieſum*: ex quo Prophetæ dogmate eruditus Paullus ait: *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum.* Sanè magnum, præluſtre, ac generoſum eſt, Ieſum Chriſtum induere; huic autem cognatum & confine eſt, eius Matrem, Virginem Deiparam induere. Ipſa enim non ſolum Dei Verbum de pretioſâ ſuæ carnis telâ corpore veſtiuit, nóſque de ſui Agni vellere induit, ſed etiã ſe tanquam Suorum veſtem obtulit: *Quis non gaudeat veſtiri poſſe de virtutum vellere Beatæ Virginis Mariæ?* ait Richardus de S. Victore. Ergò ô Clientes Mariæ, qui de eius beneficentiâ induiſtis Dominum Ieſum-Chriſtum; de piâ erga illam deuotione, & virtutum imitandarum ſtudio, induimini Dominam Deiparam: *Mariam induite quotquot diligitis eam, hæc luceat in moribus, ſplendeat in actionibus.* Quid æquè præluſtre ac generoſum, quàm veſtiri eâ, quæ ſic Deum veſtiuit; Qui hanc veſtem induit, in mortali corpore propè corporis expers, immortalitatis candidatus incedit, quaſi gloriæ veſtibus præproperè amictus. O quàm benè indutus, ornatúſque incedit, in cuius moribus lucet Maria, in cuius actionibus Maria ſplendet! O ſtudiosè ambiamus hoc pretioſo amictu veſtiri: Eheu *nam negligentes ſeruientes Mariæ, veſtiuntur ſicut diploide confuſione ſua*, ait Richardus.

6\. Iſaiæ 61. v. 10.
Hebræus.
Ad Rom. 13. v. 14.
*Mariam induant, quotquot ſtudiosè eam diligũt.*
Richard. in Pſal. 71.
S. Bonau. in Pſalter.
Richard l. 2. de Laud. Virg.
Pſal. 108. v. 29.

CAP. X.

## CAPVT X.

*Verſ.* 29 Scripſerúntque Eſther regina filia Abihail, & Mardochæus Iudæus etiam ſecundam epiſtolam, &c.

## §. CCCLXIII.

### *Virgo Deipara eſt tabula digito Dei conſcripta: & puriſſima charta, in qua Pater Verbum diuinum ſcripſit Spiritus-ſancti calamo.*

1. Exhod 31 v. 18 & c. 32 v. 15.

EXhodi 31. *Dedit Dominus Moyſi ..... in monte, Sinai, duas tabulas teſtimonij lapideas, ſcriptas digito Dei.* Et ſequenti cap. *Reuerſus eſt Moyſes de monte, portans duas tabulas teſtimonij in manu ſuâ, ſcriptas ex vtrâque parte, & factas opere Dei: ſcriptura quoque Dei erat ſculpta in tabulis.* Mirum ſanè eſt, & valdè mirum, quòd hæc ſcriptura duntaxat, De opere ac digito, à Deo ſcripta dicatur. Reliqui Scripturarum libri, etſi ex indubio Dei afflatu conſcripti ſint per ſacros Hiſtoricos, aut Prophetas, aut reliquos Scriptores canonicos, horum nomina præferunt, & eorum quiſque ſui Voluminis Scriptor dicitur, non Deus, à quo tantùm hæ tabulæ conſcriptæ dicuntur. Eccur, nec Deus in veteri Teſtamento, neque in nouo Chriſtus Deus vllum librum ſcripſiſſe perhibetur, ſicut has *tabulas digito Dei ſcriptas* fuiſſe denarratur? Sed, ô malum! populo atrociter delinquente, Moyſes *proiecit de Manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis.* Nulla iam ſcriptura reſtat, nulla tabula, quæ ſic dicatur à Deo conſcripta; Forſan id accidit, vt ſola Deipara hoc præniteret elogio. Tempeſtiuè Geometra his verbis Mariam alloquitur: *Omnes te appellant facem inextinctam, templum inacceſſum, montem inſecabilem, tabulam à Deo conſcriptam:* Ecce tibi B. Virginem *omnes appellant tabulam à Deo conſcriptam.* Por rò (vt aliàs expendebamus) *Maria eſt ſumma diuinorum oraculorum*: Mariam præſagiunt Patriarchæ, adumbrant Prophetæ, demonſtrant Euangeliſtæ, & omnes ſcripturæ ſacræ re, & voce perſonant. Fregerit ſanè Moyſes illas quondam tabulas à Deo conſcriptas, vt vnius Mariæ ſit laus, eſſe *tabulam à Deo conſcriptam*, & ſingularis Dei Liber. Quæ eſt maxima, & *ſumma diuinorum oraculorum*; & indè aliud ſummum & maximum non admittit. Ergò præſtruatur iam olim hoc grandius Mariæ elogium: & ſit viuus Dei Liber, qui totam Dei ſapientiam continet & amplectitur; & vnica *tabula à Deo conſcripta.* Itaque Eſther, quia cum Mardochæo *ſcripſit epiſtolam* hanc, ſeu hiſtoriam, Scriptoribus ſacris aggregari dicitur. Quin & eius res geſtæ, ob Dei populi redemptionem ab Amani tyrannide, redemptionem noſtram, & Scripturarum negotium adumbrant. Sic & B Virgo, ob à ſe modulatum Canticum *Magnificat*, inter Scriptores canonicos numerari, tradidimus: & nunc *Mariã omnes appellãt tabulã à Deo conſcriptã, & diuinorum oraculorũ ſummã.* Vide an vm-

*B Virgo dicitur liber, ſeu tabula à Deo conſcripta.* Exhodi 32. v. 19. Geometra in Carm. in Virgin. ... Laud. c. 2. And. Cretenſ. relatus in Proœmiolo. Eſther. 10. v. 29.

P. Didac. Celada in Eſtherem.

bra in rem adumbratam apprimè quadret, *Ecce* (ait Arnoldus Carnotenſ. de Laud. Virginis) *tabernaculum Dei habens intra ſe Sanctum Sanctorum, virgam ſignorum, tabulas teſtamenti, manna, & ſine vmbra propitiatorum palam expoſitum; Hæc non figuris, ſed in ipſa veritate.* Arnold. Car.

2. Iſaiæ 8. v. 1

Iſaiæ 8. dixit Dominus ad prophetam: *Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtilo hominis.* Iubet Deus Iſaiæ, vt in grandi membranâ ſcribat magnis litteris, *ſtilo hominis*, id eſt, characteribus apud homines vſitatis, hoc eſt, apertè & clarè, vt ab omnibus legi & intelligi poſſint. S. Antoninus, & Richardus per hunc librum grandem myſticè intelligunt Virginem Deiparam: Liber iſte Maria, inquit, Richardus, *quæ ſic dicitur liber, ſicut Apoſtolus Corinthios nominat epiſtolam ſuam, Et dicitur liber iſte grandis dignitate, ſcientiæ profunditate, multimoda difficultate, ſententiarum inſcrutabilitate, & omnimoda vtilitate.* Obuium eſt cuique expendere huius magni Doctoris ſententias, ſententiarum fertiles pro Marianis laudibus. Et ſanè ſi *liber* iſte grandis eſt, & maiuſculis litteris ſcribendus; & quidem *ſtilo hominis*, hoc eſt claro & perſpicuo, & vſitatis characteribus; quomodò dicitur *grandis multimoda difficultate, & ſententiarum inſcrutabilitate*? Profectò hic *liber grandis* eſt, quia fecit in eâ magna qui potens eſt. Vis noſſe quàm magna, & præ omnimoda difficultate inſcrutabilia, Deus in hoc libro deſcripſerit, audi Bernardum ſic de B. Deiparâ loquentem: *Et vt breuiter concludam: De hac, & ob hanc, & propter hanc omnis Scriptura facta eſt: propter hanc totus mundus factus eſt: & hæc Dei gratia plena eſt: & per hanc homo redemptus eſt.* O grandis arcanè liber Virgo Deipara, de quâ, & ob quã, & propter quam omnis Scriptura facta eſt! De Mariâ, & propter Mariam Scriptura facta dicitur? *Liber iſte Maria grandis dignitate, ſcientiæ profunditate, multimoda difficultate, & ſententiarum inſcrutabilitate.* O euoluamus hunc diuinæ Sapientiæ librum grandem, vbi corporati Dei inſcrutabilia Sacramenta haud dubiis characteribus apertè leguntur!

S. Anton. 4. p. tit. 15. c. 5. Richardus à S. Laurent. l. 12. 2. Corin. 3. v. 21. *De Maria, & propter Mariam omnis Scriptura facta eſt.* S. Bern. ſer. 3. ſuper Salue Regina.

3. Matth. 1. v. 18.

Matthæi 1. Chriſti autem generatio ſic erat: *Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto.* Cur de deſponſata, & non de ſimplici ac innuptâ Virgine Chriſtus naſci voluerit, multa tradunt Interpretes. Scilicet vt Virgo Deipara ſolatium viri, & miniſterium: & (vt ait Baſilius) vt ſponſum teſtem virginitatis haberet. Addit Damaſcenus: *In deſponſatione puella Maria Ioſeph à ſacerdotibus traditur, vt nouus liber litteras ſcienti.* O qualia quantaq; legit & intellexit Ioſephus (alioqui rudium lignorum opifex) in nouo hoc libro ſibi cælitùs tradito! Verbum incarnatum in virginali Sponſæ vtero ibi legit, & appẽdices huic myſterio notitias arcanè intellexit. Pulchrè Andreas Cretenſis loquens cum Mariâ: *Tu es, inquit, liber verè viuus, qui in te tacitè fuit ſcriptus, Verbi paterni, viuifico calamo Spiritus. Tu ſola verè es noui Teſtamenti volumen à Deo ſcriptum, quod Deus, antè fecit cum hominibus.* Itaque Virgo Deipara eſt *viuus liber*, in quo pater Deus Spiritus-ſancti calamo diuinum Verbũ (quo tota Diuinitatis ſapientia conſtat, in quo ſunt theſauri ſapientiæ & ſciẽtiæ Dei) tacitè ſcripſit. Hic nouus & viuus liber, Ioſepho ſcienti litteras, à Sacerdotibus traditur. O attẽtiùs euol-

*Maria velut nouus liber Ioſepho legẽdus traditur.* S Baſilius. S. Damaſ. l. 4 c. 15. Iſaiæ 29. v. 11. *Maria eſt liber viuus, in quo Pater Verbum diuinum ſcripſit Spiritus calamo.* And. Cret. Orat. 2. de dormit.

uamus hunc librum , à Deo ad arcanam hominum eruditionem, conſcriptum. De cæleſti gymnaſio hoc nouum ac viuum volumen Ioſepho traditur , vt omnes eius lectione ſtudioſiùs fruamur.

4. Cant 1.v.4. Rupertus. Canticorum 1. *Introduxit me Rex in cellaria ſua*, gratà er inquit Sponſa. Quæ verba inibi exponens Rupertus, ita ſcribit: *Et quæ ſunt illa cellaria Regis Dei ? Nimirùm ſacra myſteria quæcunque continentur in Scripturis ſanctis. Nihil enim à me abſcondit , ſed omni dulcedine ſuâ me inebriauit. Qui enim Verbum ſuum quod erat, & eſt in corde ſuo, mihi totum infundit, quomodò non etiam cum illo omnia mihi donauit?* Itaque quæcumque in Scripturis ſanctis continentur , Deiparæ impreſſa ſunt: quippe in quam Pater Deus Verbum ſuum, quod erat , & eſt in corde ſuo illi *totum infudit*. Quod Rupertus dixit, *Verbũ ſuum totum infudit*, explicatiùs traditur à Damaſceno, ſic de Virgine Deiparâ loquente: *Is qui omnia efficit Deus Verbum, quod Pater è pectore eructauit, librũ nouum condidit Dei linguâ à Spiritu tanquã calamo quodam in ipſo conſcribendum: qui quidẽ homini litterarum perito datus eſt.* Scilicet huic viuo & nouo libro *infuſa* eſt tota Scripturarum litteratura. Dicam luculentiùs cum Damaſceno: *Verbum, quod Pater è pectore eructauit, librũ nouum condit Dei linguâ à Spiritu tanquam calamo quodam in ipſo ſcribendum.* O bonus huius libri auctor, Deus inquam: bona huius libri doctrina, nempè tota Dei ſapientia, Spiritus-ſancti calamo conſcripta. Nempè diuinum Verbum ( quod ex proprietate characteriſticâ eſt Dei Sapientia ) quod Deus Pater in ſuâ diuinâ mente ab æterno dixit; illud, illudmet inquam, in Virgine Deiparâ, velut in nouo ac viuo libro, Spiritus-ſancti calamo tacitè deſcripſit.

*Dei Verbum, & Sapientia Deiparæ infuſa, & velut in libro quodam conſcripta eſt.*

S. Damaſ. Orat. 1. de Natiuit.

5. Iſaiæ 29.v. 11. Iſaiæ 19. *Et erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati, quem cùm dederint ſciẽti litteras dicẽs: lege iſtum: & reſpondebit: Non poſſum , ſignatum eſt enim.* Hunc librum ſic obſignatum eſſe Virginem Deiparã putat Georgius Nicomedienſis, ſic fatus in Orat. de oblat. Deiparæ : *Eam*, inquit, *indicauit liber obſignatus , quem nullus legit ſciens litterarum : præter eum , qui obſignauit , & ſeruauit ſupra rationem , eam carta ſignificauit puriſſima, in quâ Verbũ ſine ſcriptis impreſſum ſcidit fraudis chirographũ.* Ecce tibi, Virgo Deipara eſt viuus liber, & carta puriſſima , ſed obſignata perpetuæ virginitatis elogio, in quâ Verbũ impreſſum ſcidit ſerpentinæ fraudis chirographum. Scilicet rei eramus dãnationis æternæ , per fraudis primæuæ chirographum, quod aduerſus omne genus humanũ Adamus præuaricator excripſerat: Dei autem Verbum in Deiparâ , velut in *puriſſima carta impreſſum* ſatisfecit pro hoc chirographo , illud delens : quo carta diuino Verbo impreſſa , & coram Iuſtitiâ diuinâ recitata , nos antiquo chirographi reatu eximeret. Siquidèm in hâc *puriſſima carta Verbum ſine ſcriptis impreſſum ſcidit fraudis chirographum.*

Georg. Nicom. *Verbum in Deiparâ velut cartâ impreſſum, ſcidit fraudis chirographũ.*

6. S.Bern. to 2. Apoc. 4.v.5. S Bernardus in quodam Serm. de B. Mariâ: *Ioannes*, inquit, *in Apocalypſi de throno ait , ſcilicet de Maria, procedebant fulgura , & voces , & tonitrua ; quia mater filij Ieſu-Chriſti parabolas , ænigmata legalia , mirifica geſta, dicta, opera diuidiùs ebibit , ſinceriùs luculentiùſque aliis edidit.* Vide quam in Sapientiæ abyſſum , hic liber Verbum Dei habens impreſſum ebiberit, ac ediderit. Concinit Bernardo Seleucienſis Baſilius : *Quo laudum flore* , inquit , *debitam Mariæ plectamus coronam? Aue gratiâ plena: aue florentiſſime virginitatis paradiſe, in quo lignum vitæ ſatum producat fructus omnibus ſalutares: & ex quo Euangeliorum fons in quatuor ora ſectus , miſerationum flumina credentibus deducat.* Audi Euangeliorum fontem in quatuor ora ſectum , è Mariâ emicuiſſe velut è paradiſo floridiſſimo ?

*Quomodo è Virgine Deipara quatuor Euangelia emanauerint.*

Baſil. Seleu. Orat. 36.

S. Ildefonſus lib. de Virg. Mariæ cap. 12. ſic 7.
eam alloquitur: *ô ingenuitatis meæ præclara conditio! ô libertatis meæ nobiliſſimum titulum!* Nimirùm primæui delicti iure, peccati ſerui, & Diabolorũ mancipia naſcimur : Maria autem eſt noſtræ *libertatis nobiliſſimus titulus*. Quo autem modo, opportunè Proclus his verbis excribit Orat. 1. in laudem Dei Genitricis: *ô vterum* , inquit , *in quo confectus eſt communis noſtræ libertatis libellus !* Nempè in Deiparæ vtero tanquam in limpidiſſima chartâ deſcriptus , & confectus eſt communis *libertatis libellus* , quo velut *nobiliſſimo titulo* , ſeruitutem Diaboli excuſſimus , & præclaram *ingenuitatis conditionem* nobiliter nacti ſumus. In hoc Mariano *libello* immenſum Dei Verbum ſcriptum, & abbreuiatum eſt , ſyngraphus noſtræ ſeruitutis expunctus , & nobiliſſimus ingenuæ libertatis *titulus* deſcriptus. Hìc *titulus* humanæ iam nobilitatis conditio, & cenſus eſt. O magni æſtimemus hunc Marianum libellum !

S. Ildefonſ. *Deipara eſt noſtræ libertatis libellus, & inde eiuſdem titulus.*

Proclus.

---

## CAPVT X.

*Verſ.* 29. Scripſerúntque Eſther regina filia Abihail , & Mardochæus Iudæus etiam ſecundam epiſtolam.

### §. CCCLXIV.

*Commendatur multimodè arcana Sapientia Deiparæ , ex quâ cæli ac terræ Doctor dignius prodiret.*

LÆtiſſima Prophetæ vox eſt : *Filij Sion exultate , & lætamini in Domino Deo veſtro : qui dedit vobis Doctorem iuſtitiæ , & deſcendere fecit ad vos imbrem matutinum.* Chriſtus *doctor* appellatur iuſtitiæ , & hìc à Ioele , & ab aliis Prophetis perquàm ſæpè , quia illius tum vitæ exemplum , tum diſciplina ac ſermo eò ſpectant , vt homines veram iuſtitiam ac ſanctitatem acquirant. Eruditè notat Sanctius quòd vbi Vulgatus habet *Doctor* , Hebraicè eſt מורה *morech* , quod inter alia *ſtillare* ſignificat , aut *pluere*. Exindè forſan , poſtquam dixit : Dedit vobis *Doctorem* , id eſt , Chriſtum , ſtatim ſubdit : *Et deſcendere fecit ad vos imbrem matutinum* , quo modo loquendi Verbi diuini corporationem in puriſſimo Deiparæ vtero luculenter expreſſit : indè enim hic magnus *Doctor* egreſſus eſt ; nec niſi ex puriſſimis Mariæ viſceribus egredi decebat iuſtitiæ *Doctor*. Tempeſtiuè ad rem S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 12. *Decebat ſanè* , inquit , *vt puriſſimus puritatis Doctor ex thalamo puris prodiret*, Mariæ Virginis inquam. Profectò maximè *decebat* , vt qui prodibat cæli ac terræ *Doctor* ,

1. Ioelis 2.v. 23.

Sanct. ibi. n. 70.

*Decebat vt cæli ac terræ Doctor, ex Mariæ vtero, tanquam ex ſapientiæ officio, prodiret.*

S. Cyrillus.

omnige

omnigena ſapientiâ inſtructiſſimus, prodiret ex puriſſimo vtero Mariæ: Mariæ inquam, quæ fuit diuinæ ac humanæ ſapientiæ meta, & poſt Deum, Angelorum, & hominum magiſtra, quæ à ſapientiſſimo Idiota, *Doctrix Doctorum, & magiſtra Apoſtolorum* nuncupatur. *Decebat* ſane vt è Mariæ vtero prodiret magnus ille ſeculorum *Doctor*, prodiret inquam, ſi non tanquam e gymnaſio, & ſchola ſuæ ſapientiæ increatæ, quam à Patre Deo cum natura vnum â mutuatur; ſaltem ex eâ prodiret, tanquam e Sapientiæ theſauro, ſacrariove; & tanquam ab eâ in cuius almo vtero infuſam perfecte ſapientiam arripuit, hauſit, expreſſit. Et ipſa Infantis Verbi facta ſcholaris, ipſius ſapientiam corporea è viſibilem, & demonſtrabilem fecit: vnde factus eſt eius vterus diuinæ ſapientiæ conceptaculum. Ergò *decebat* vt de vtero Doctricis Doctorum; & de ſapientiæ conceptaculo, cæli ac terræ *Doctor prodiret*, Chriſtus Deus inquam, corporata Dei Sapientia.

Idiota de Cont. Virg. c. 4.

1. Canticorum 1. hæc Sponſæ verba referuntur: *Introduxit me Rex in cellaria ſua: Exultabimus, & lætabimur in te*, &c. Magna olim, & nunc quæſtio, quænam ſint hæc cellaria Sponſi, in quæ ipſe Sponſam introduxit. Chaldæus apud Cornelium intelligit ſecretarium diuinitatis, diuinæque Sapientiæ, ex quo lex condita eſt. Verùm (addit ipſe) *Cellaria hic ſignificare ſecreta diuinitatis, in quibus Sponſus Sponſæ oſtendit arcana ſua Myſteria, atque ac bona ac dona recondita, quæ magna, & multiplicia ſunt*, de quo Sponſæ ſodales exultim gaudent, & ei congratulantur, aientes: *Exultabimus, & lætabimur in te.* Rupertus Tuitienſis exponens præſcripta Canticorum verba, & hanc eandem interpretationem tradens, ex perſonâ Deiparæ, eius ſapientiam his verbis enucleat, *Et quæ ſunt*, inquit, *illa cellaria regis Dei? Nimirum ſacra myſteria quæcumque continentur in Scripturis ſanctis. Nihil enim à me abſcondit, ſed omni dulcedine ſuâ me inebriauit. Qui enim Verbum ſuum quod erat, & eſt in corde ſuo mihi totum infudit, quomodò non etiam cum illo mihi omnia donauit*; Scilicet B. Deipara in *cellaria Regis Dei*, hoc eſt, in ſecretarium diuinitatis, diuinæque ſapientiæ, ſic introducta dicitur, vt ab ipſâ nihil abſconſum ſit quantumuis ſecretum, & arcanum, atque in diuinioris ſapientiæ adytis reconditum. Probat hoc Rupertus egregiâ ſententiâ, & præſoſtri verborum energiâ: *Qui enim Verbum ſuum quod erat, & eſt in corde ſuo mihi totum infudit, quomodò non etiam cum illo mihi omnia donauit*; Verbum quod eſt in Patris corde, totum in Dei Matrem Pater Deus *infudit*? Totum Verbum quod eſt in corde Dei, Dei tota ſapientia eſt. tota ergò ſapientia Dei, Deiparæ *infuſa* eſt. Quid non ſapiat, quæ ſic in ſecretarium diuinitatis, diuinæque ſapientiæ introducta eſt, vt totum Dei Verbum de corde Patris Dei *infuſum* illi ſit; τὸ *infuſum* magnâ ſignificantiæ energiâ Rupertus expreſſit: arcanior enim diuinorum ſcientia, ad quam humani intellectus vis naturalis non euadet, *infuſa* à Theologis nominatur. Quin etiam quod alicui *infunditur*, intimè miſcetur, concorporatur, conuiſceratur. Itaque totum Dei Verbũ, vt humanæ naturæ ſine vllâ naturarum confuſione per hypoſtaticam vnionem miſceretur, & Deus fieret homo; de corde Patris Dei, in quo erat, & eſt, Deiparæ *infuſum* eſt, in Deiparâ concarnatum eſt, illique conuiſceratum eſt. Quid accommodatius?

Cant 1 v. 4.
Chaldæus Cornel. ibi.
Rupert. ibidem.
Totum Verbum quod eſt, & erat in corde Dei, Deiparæ infuſum eſt.

*P. Didac. Celada in Eſtherem.*

3. Matthæi 1. *Cùm eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto.* Habet in vtero totum Dei Verbum, id eſt, totã Dei Sapientiam, quæ eſt, & erat in corde Dei, ſibi *infuſam*: & quidem Spiritus-ſancti operâ. At hîc peruestigamus, eccur Spiritui-ſancto potiùs adſcribatur hoc Virginis myſterium; opera enim adextra Trinitati communia ſunt, quare ergò hoc ſibi myſterium Spiritus-ſanctus arrogat? vide in? Scilicet cum Verbum quod eſt, & erat in corde Patris, B. Virgini *infundendum* erat, Spiritui-ſancto adſcribendum fuit, qui eam doctricem doctorum & ſuæ ſcholæ ac doctrinæ magiſtram initiauit. Eleganter B. Laurentius Iuſtinianus Serm. de Natiuit. S Mariæ: *Illam profectò*, inquit, *adamauit Verbum, ſibique in genitricem elegit, vt potè ſuperabundanti ſuam benedictione præuentam, tamque ſancti Spiritus magiſterio deputatam.* Itaque Verbum adamauit B Virginem, & in ſuam Matrem ſingulariter elegit: Pater Deus totum Verbum quod eſt, & erat in corde ſuo, illi *infundendum*, & totam ſuam Sapientiam pariter conuiſcerandam concupiuit. At Spiritui-ſancto totum opus attribuitur, quia cùm Mariam prævidet Dei Sapientiâ grauidam, gymnaſio ſuo illam præficit: & idcircò *ſancti Spiritus magiſterio deputatur.* O immenſam arcanam Deiparæ ſapientiam, quæ Spiritus ſancti magiſterij centus eſt. De hoc Spiritus-ſancti *magiſterio*, cui Deipara laureata præſidet, non mens duntaxat ſapientiæ luce inoculatur; ſed gratiæ calore ad omnes ſanctitates affectus eruditur. De ſcholâ Spiritus-ſancti, & Mariæ arcano magiſterio, ſcientia operum ſterilis, quæ ſapientes arroganter inflat; bonis operibus ſenſim fœcundatur prouentu fertili. O, gratulemur Deiparæ, gratulemur & nobis, quòd pia *Sancti-ſpiritus magiſterio deputetur!* ô, qui diu ſcientiis addiſcendis, ac edocendis deſudarunt, denuò ſint ſtudioſi Deiparæ Virginis ſcholares! Quomodò autem Virgo Deipara ſancti Spiritus magiſterio deputata ſit, explicatiùs his verbis tradit Anſelmus: *Erat*, inquit, *vtilis, & neceſſaria fidei noſtræ conuerſatio eius poſt Aſcenſionem Chriſti Domini inter Apoſtolos eius; quia licèt ipſi per reuelationem Spiritus-ſancti edocti in omnem fuiſſent veritatem; incomparabiliter tamen eminentiùs & manifeſtiùs ipſa per eum Spiritum veritatis virtutum profunditatem intelligebat; & per hoc multa eis per hanc reuelabantur, quæ in ſe non ſolùm ſimplici ſententiâ, ſed ipſo effectu, ipſo experimento addiderat de myſteriis eiuſdem Domini noſtri Ieſu-Chriſti.* Addit Auctor ſupplementi Gabrielis in 4. diſt. 49. quæſt. 4 artic. 3. dub. 2. *Et ob hoc Chriſto aſcendente in cælum, ipſa ad tempus in terris pro fidelium conſolatione, & magiſterio eſt derelicta, & piè tenendum eſt, quòd ipſa Diaboli ſuggeſtiones plus omnibus aliis detexit, & eneruauit, diſcipulos Domini, & Eccleſiæ magiſtros informando, & erudiendo, & ſacratiſſimis morum diſciplinis inſtituendo, veritate Euangelicâ illuſtrando, & fidei ſecreta pandendo.* Plures ſententias conglobant ſic Doctores pro Mariano de Spiritus-ſancti ſcholâ, magiſterio, quas obuium eſt cuique accommodatiùs enucleare. Et ſanè cùm Saluator dixerit: *Paraclitus autem Spiritus-ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Opinor, id plenè adimpleſſe, & per ſe ipſum, & per ſui vicariam

Matth 1 v. 18.
Deipara Virgo ſancti Spiritus magiſterio putatur, & illius ſcholæ præficitur.
B. Laurent. Iuſtinian.
Deipara hoc magiſterio edocta quid docuerit.
S. Anſelm. de excell. Virg. c. 7.
Gabrielis ſupplem.
Deipara dicitur Veritas Prophetarũ.
Ioan. 14. v. 26.

tiam Virginem Deiparam, diuinæ Sapientiæ Matrem, *Sancti Spiritus magiſterio deputatam.* Hinc forſan B. Virgo à S. Bonauenturâ appellatur: *Veritas Prophetarum, doctrix Apoſtolorum, magiſtra Euangeliſtarum.* Expende illud; *veritas Prophetarum*, verba quidem ſententiarum grauida.

S.Bonau.in hymno.

4. Apocal.12. v.1.

Apocalypſis 12. *Signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta Sole.* Hic Solis amictus, cuius luciđiſſimâ claritate magna hæc Mulier veſtitur, perfunditur, ac penetratur, (teſte Bernardo) clariſſima eſt Deiparæ ſapientia, quâ velut veſtimento prænitet, quæ ſumptuoſior ſapientiæ oſtentatio eſt. *Homo enim indutus* (ait Chryſoſtomus) *id eſſe videtur, quod indutus eſt*: non enim foris homo, ſed hominis veſtimentum apparet. Indè hæc magna Mulier Maria Sole velut diuinioris ſapientiæ veſtibus, apparet amicta, vt ſapientiæ gazas glorioſè demonſtret. Audiendus eſt inibi Bernardus: *Signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta Sole. Iure Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundiſſimam diuinæ Sapientiæ, vltrà quam credi valeat, penetrauit abyſſum; vt quantum ſine perſonali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili videatur immerſa.* Humanam fidem longè tranſcendit arcanior Deiparæ Sapientia, & quàm lynceis mentis oculis diuinitatis *abyſſum penetrauerit? Vltrà quàm credi poteſt*, penetrat Deiparæ ſapientia? *Quantum ſine perſonali vnione creaturæ conditio patitur*, B. Virginis ſapientia tranſcendit? Sic Diuinitatis luci inacceſſibili, & perfectionum abyſſo altè immergitur? Quid exaggeratius?

S.Chryſoſt. in ad Rom. 13.

S.Bern Serm. Sign.mag.

*Sa vine Maria quantum ſine perſonali vnione creaturæ conditio patitur?*

5. Matth.1.v.1.

Matthæi 1. *Liber generationis Ieſu-Chriſti filij Dauid, filij Abraham*, &c. & poſt longam progenitorum recenſitionem, lineam genealogiæ terminat in Mariam, de quâ natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. Communiter cenſent Expoſitores, idcircò regiam Dauidis proſapiam præmitti, vt generoſa Mariæ, & indè Chriſti nobilitas glorioſè prænitcat. Ita ſanè. Sed aliam præterea rationem Andreas Cretenſis tempeſtiuè ad rem præſentem his verbis adducit: *Conſentaneum eſt*, inquit, *eam* (Deiparam ſcilicet) *vt potè nobilem, & Dauidis filiam, diuinarum Scripturarum non fuiſſe ignaram.* Vide hic peregrinè nouum Marianæ Sapientiæ, & Biblicæ in eâ eruditionis conceptaculum, nempè regia Mariæ *nobilitas.* Quantùm adiicitur generoſæ B. Virginis nobilitati, ex tot retrò Patriarchis, Ducibus, ac Regibus propagatæ, tantùm etiam adiici exiſtimandum eſt Deiparæ Virginis ſapientiæ, & eruditioni. Vel hoc etiam titulo ad ſapientiam peregrino, Deiparę arcana Sapientia inſigniter nobilitatur: quaſi eruditior Sapientia computetur inter dotes generoſæ *nobilitatis*, tanquam illius appendix, per cognati elogij conſequentias. O generoſas de nobilitate Sapientiæ abreptiones, nequid ſapientiæ vndecumque infuſum, aut acquiſitum, aut experimento cõparatũ, deſit Deiparæ *ſancti Spiritus magiſterio deputatæ.*

Andr. Cret. Orat. de Annunc.

*Deipara generoſa etiam nobilitatis titulo ſapiens eſt.*

B.Laur. Iuſt. ſuprà.

* *
*

## CAPVT VIII.

*Verſ.* 3. Nec his contenta (Eſther) procidit ad pedes Regis, fleuitque, & locuta ad eum orauit vt malitiam Aman...... iuberet irritam fieri.

*Verſ.* 6. Quomodò potero ſuſtinere necem & interfectionem populi mei?

## CAPVT VII.

*Verſ.* 3. Si inueni gratiam in oculis tuis ô Rex, dona mihi animam meam pro quâ rogo, & populum meum pro quo obſecro, &c.

### §. CCCLXV.

*Beata Deipara de congruo cum Filio Deo Corredemptrix eſt; apud quem peridonea Mediatrix eſt.*

CHriſtus Deus in cruce atrociter pendens, iam proximus morti, quâ mundum redempturus erat, Beatam Deiparam ſub vmbrâ crucis ſtantem, non Matrem, ſed Mulierem appellat: *Mulier ecce filius tuus.* Eccur tunc, tunc quidem, cùm mundum redimit, nobili Matris nomine non honoratur Deipara? An Chriſtus Deus, vnicus eius Filius, ore conſultiſſimè tacet, quod cruce & paſſione expreſſiùs loquebatur? Ipſa Chriſti paſſio vocalior eſt, quàm lingua; & quod ore ſilet, linguatis paſſionis ſuæ clamoribus diſſertè loquitur. Ideò enim patitur, vt Mariam verè Dei Matrem demonſtret, vt ſcitè Ildefonſus ediſſerit, ita Virginem alloquens: *Vt te veram Matrem oſtenderet, verum ſe hominem patiendo tormenta monſtrauit.* Hanc patiendi cauſſam reliquis Ildefonſus addenſat. Nimirùm cùm Filius Deus tormenta in cruce patitur, Redemptorem agens, vacaret in eius ore *Matris* appellatio, quam veram *Matrem*, & inde ſecum Corredẽptricem, *patiendo tormenta* coram eâ, iuxta crucem conſtantiſſimè ſtante, demonſtrabat. Exindè Euangeliſta tunc non tacuit *Matris* elogium, quod paſſione Chriſtus loquebatur: *Stabat*, inquit, *iuxta Crucem Ieſu Mater eius. Planè Mater* (inquit Guarricus) *quæ nec in terrore mortis Filium deſerebat,.....Planè iuxta crucem Ieſu ſtabat, cuius mentem dolor crucis ſimul-crucifigebat.* Ecce tibi, Filius Deus, & Mater Virgo, eandem crucem ſubeunt, eiſdem clauis, eâdemque lanceâ vulnerantur, eadem tormenta patiuntur, idem ſacrificium pro mundi redemptione Deo offerunt, Filius in corpore, in corde Mater. Chriſtus Deus Redemptor eſt, Chriſti Mater iuxta Filij crucem, opinatiſſima Corredemptrix. Cuius pia tunc vota eleganter Arnoldus Carnotenſis his verbis proponit: *Chriſtus carnem, Maria immolabat animam: optabat quidem ipſa ad ſanguinem animæ, & carnis ſuæ adolere ſanguinem, & eleuatis in cruce manibus celebrare cum Filio ſacrificium veſpertinum, & cum Domino Ieſu corporali morte, Redemptionis noſtræ conſummare myſterium.* 1.

Ioan.19.v.26.

*Ideò ne Chriſtus patitur, vt Mariam veram eſſe Dei Matrem demonſtret*

S.Ildefonſ. Ser.8. de Aſſump.

*Matris mens ſimul cum Filio Deo crucifigitur.*

Ioan. 19.v.25.

Guarr.ſer.4 de Aſſump.

*Deipara optabat corporali morte conſummare Redemptionis myſterium.*

Quod

Quod ſimul cum Filio Deo operabatur Redemptionis myſterium, corporali etiam morte *conſummare* cupiebat: ô quanta, quamque ineffabilia latent ſub hoc verbo *conſummare!*

3. Geneſeos 2. mundiali opificio iam conſummato, dixit quoque Dominus Deus: *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* In Adami adiutorium formatur Eua; ſed de adiutorij ope periculum creatur: quæ ad iuuamen quæſita, ruinam citiùs inuenit. Quò ſecunda Eua, Deipara inquam, præclariùs adumbretur, dum ſecundo Adamo in opere Redemptionis *adiutorium* exhibuit. Quia ſuper re, ſic ad rem præſentem Richardus philoſophatur, ad Lucæ verba, *Dominus tecũ*, ita fatus: *Fuit Dominus cum ea, & ipſa cum Domino in eodem labore, & in eodem opere noſtræ Redemptionis. Mater miſericordiæ, Patrem miſericordiarum adiuuit in opere noſtræ Salutis. Vnde prædictum erat de prima Muliere: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutoriũ ſimile ſibi. Illa enim litteralis Eua viro ſuo non fuit in adiutorium, ſed in destructorium magis; hæc autem in adiutorium, quia in manu feminæ tradidit dominus Siſaram, &, Vna mulier Hebræa fecit confuſionem in domo Nabuchodonoſor.* Nimirum iam tunc Maria inaugurabatur auguſta cum Filio Deo Corredemptrix, cùm Eua *in adiutorium*, quod non præſtitit, formabatur. Eua in Adami adiutorium formata, ipſius & poſterorum omnium altè ruinam ædificat, vt vota quæ Eua fruſtratur, Deipara impleat *in eodem labore, & in eodem opere noſtræ Redemptionis*, in qua egregie *Mater miſericordiæ Patrẽ miſericordiarũ adiuuit.* Adoremus ergò iã tunc hãc Patris Dei vocẽ: *Non eſt bonum eſſe hominem* Chriſtũ *ſolum, faciamus ei adiutorium*, in labore & opere Redemptionis, Virginẽ Deiparã inquam, *ſimile ſibi*, vt ſalutem humani generis, quam Filius Deus operatur condignè in cruce, Virgo Mater iuxta crucem, congruè mereatur. *Omnino tunc erat* (ait Arnoldus) *vna Chriſti, & Mariæ voluntas, vnúmque holocauſtum ambo pariter offerebant Deo: hæc in ſanguine cordis; ille in ſanguine carnis. Vnde communem in mundi ſalutem cum illo effectum obtinuit.* ô bonum, & *ſibi ſimile* in Redemptionis opere *adiutorium*; in quo vna eſt vtriuſque voluntas, vnum in ambobus holocauſtum, quod *communem in mundi ſalutem cum illo effectum obtinuit!*

Geneſ. 2. v. 18.
Lucæ 1. v. 28.
Richardus l. 1. de laud. B. Mariæ.
Iudicum 4. & 4.
Iudith. 14. v. 16.
*B. Deipara, adiutorium Chriſto ſimile in opere Redemptionis perhibetur.*
Arnol. Carnot. Tract. de laud. Mariæ.

4. Iſaiæ 63. ſic Chriſtum alloquens, interrogat Sion, aut Ieroſolyma, id eſt, primitiuæ Eccleſiæ ciues: Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Confeſtim à Propheta inducitur Chriſtus ſic eis reſpondens: *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.* Quaſi reſpondeat Chriſtus: Bene dixiſtis me eſſe eo habitu, ſicque ſanguine mea veſtimenta rubere, ac ſi calcaſſem, & expreſſiſſem torcular: ego enim preſſi, calcauique in eo, non vuas; ſed hoſtes meos omnes validiſſimè; ego inquam *ſolus*: quid mirum ergò, ſi omnia mea veſtimenta ex tanta, támque continua ſanguinis mei in cruce expreſſione, eodem ſanguine madeant. Senſus eſt: Ego victoriam hanc difficilem, & paſſionis prælio cruentam, *ſolus* mihi peperi, *ſolus* hoſtes calcaui: neque enim fuit *vir*, id eſt, aliquis me adiuuans ad victoriam humani generis redemptricem in cruce obtinendam. Profectò etſi *ſolus* dicitur hanc cruentam victoriam adeptus, adiutorem duntaxat *virum* excludit; de coadiutrice femina conſultiſſimè ſilet: in cuius ſilentio, ſicut Deiparæ adiutorium tranſparet, ita illud haud dubiis characteribus deſcriptum, Richardus legit: *Quid eſt*, inquit, *quòd Dominus dicit: Torcular calcaui ſolus, & de Gentibus non eſt vir mecum? Verum eſt, Domine, quòd non eſt vir tecum; ſed Mulier tecum eſt, quæ omnia vulnera, quæ tu ſuſcepiſti in corpore, ſuſcepit in corde; & ſicut lancea militis perforauit latus tuum, ita gladius doloris, eius animam pertranſiuit. Et ſicut tu, non quod voluiſti, ſed quod Pater tuus voluit, ſuſtinuiſti; ita ipſa, non quod ipſa voluit, ſed quod tu voluiſti, ſuſtinuit tecum: quia ſicut tu ſalutem humani generis in cruce ſitiuiſti, ſic & ipſa ſitiuit.* Ecce tibi Mater Virgo ſimul cum Filio Deo in cruce compatiens, & iuxta crucem ſimul Corredemptrix. Quot in corpore Filius mundum redimens ſubiit cruciamenta, tot Mater in corde tormenta ſuſtinuit: fuit enim vtriuſque vna voluntas, vna caro, eadem altera paſſio, idem holocauſtum ab vtroque oblatum, adeo vt dixerit Laurentius Iuſtinianus: *Cor Virginis fuit clariſſimum ſpeculum paſſionis Chriſti, & perfecta eius mortis imago.* Verba ſanè expenſionum fœcunda.

Iſaiæ 63. v. 3.
*Solus Chriſtus torcular paſſionis calcauit: nec Vir illi, ſed Mulier adfuit.*
Richard. à Laur. l. 1. de laud. B. Mar.
*Cor Virginis fuit ſpeculũ Paſſionis Chriſti, & eius mortis imago.*
B. Laur. Iuſt. l. de Chriſti agone.

Michææ 6. *Numquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Nimirùm ſacrificauit olim Abraham filium ſuum Iſaac, quod ex Iſraëlitico populo nemo ignorabat Deo fuiſſe gratiſſimum: quare hi viri, quos Deus ſceleris arguerat, quóſque ipſa malefactorum conſcientia inſtimulabat, gratum ſe Deo ſacrificium oblaturos putabant, ſi filios, illóſque primogenitos immolarent, qui chariores plerumque ſunt, & aliis vt ætate, ſic etiam dignitate præpoſiti. Hunc Prophetæ locum Richardus excriptione, & interpretatione ad Beatam Deiparam ſtantem iuxta Filij crucem, leui flexu eleganter accommodat, aiens: *Charitate autem eximiâ, qua vulnerabatur, Vnigenitum ſuum dedit pro ſceleribus noſtris, & Fructum ventris ſui pro peccatis animarum noſtrarum* (ſic flectit Michææ verba) *Tunc impletum eſt illud quod de prima Muliere dixerat Deus in figura Mariæ, quaſi loquens de ſecundo Adam: Non eſt bonum eſſe hominem ſolum. Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* (Attentiùs pende quæ ſubiicit verba) *Nolebat ſiquidem Deus Pater (ſi liceat ita loqui) ſolius Filij morte ſaluari genus humanum, & Diabolum condemnari; ſed diſpoſuerat in manu feminæ tradere Siſaram.* Audaciuſculè quidem Richardus. Itaque tametſi nuper adſtruebamus ex Arnoldo, quòd *omninò tunc erat vna Chriſti* patientis, *& Mariæ voluntas, vnumque holocauſtum ambo pariter offerebant Deo; hæc in ſanguine cordis, hic in ſanguine carnis*: & inde Redemptionem, quam ſolus Filius, quia Deus erat, operari condignè potuit, ſola Deipara, quia erat Dei Mater, congruè mereri eualuit, & idcirco ad Corredemptricis titulum idoneè admitti: at ſublimiſſimè rem elucidat, & exaggerat Richardus, addens: *Nolebat ſiquidem Deus Pater (ſi liceat ita loqui) ſolius Filij morte ſaluari genus humanum, & Diabolum condemnare, ſed diſpoſuerat in manu Feminæ tradere Siſaram.* Sanè mentem tanti doctoris id ſubiiſſe, additâ etiam præfatâ reſtrictione, præcelſum eſt Deiparæ elogium. Et quidem ſi omninò in vmbris decretoriè certare liceret Debbora Siſaram fugauit, Iahel interfecit; interfecit & Iudith Holophernem; & noſtra Eſther Amanum

5.
Mich. 6. v. 7.
*Num Pater noluit mundum ſaluari in ſolius Filij morte, ſine corredemptrice Matre?*
Richard. l. 2. de laud. B. Mariæ.
Gen. 2. v. 18.
Iudicum 5.
Arnold ſuprà.



num

num profligans,Dei populum ab atrociſſimâ cæde redemit.

6. Redeat iterùm ſemel expenſus Geneſis locus, aliter expendendus : *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum:faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Quæ verba exponens Richardus de S.Laurentio lib. 2. de Laud.B.Mariæ,primum apud Patrem aduocatum cenſet eſſe Spiritum-ſanctum , ſecundum verò Dei Filium Chriſtum Dominum,& addit: *Tertius aduocatus eſt B.Virgo,præcipuè coram Filio ſuo,& nobis generaliter impetrat omne bonum; ſiquidem deerat nobis aduocatus apud Filium,antequã Maria naſceretur. dixit autem Pater Geneſis 2. Non eſt bonum eſſe hominem ſolum , id eſt, non ſufficit vnicus aduocatus, aut Mediator , aut interceſſor humani generis in cælo,cùm tot & tam periculoſas habeat cauſſas coram me. Faciamus ei adiutorium, id eſt,beatam Virginem,quæ alleget pro genere humano coram Filio,ſicut Filius coram me. Propter hoc dicitur de ipsâ Pſalmo 88. Teſtis in cælo fidelis.* Itaque cùm genus humanum tot tamque periculoſas cauſſas habeat in cælo;donec naſceretur Virgo Deipara , *deerat nobis mediator* apud Filium,qui allegaret pro hominibus,illiſque impetraret *omne bonum*:vt aduocata,& *Mediatrix* exiſteret *coram Filio,ſicut Filius coram Patre.* O quã piè audet vocula *deerat*? ô quàm rem exaggerat comparatio Matris Virginis apud Filium Deum, cum aduocatione Filij apud Deum Patrem! Item quòd ſic noſtra *Mediatrix* apud Filium Deum intercedat,vt *nobis generaliter impetret omne bonum*; quaſi nobis *non ſufficeret vnicus Mediator*, quia apud ipſum Mediatorem Mediatrix deerat. Ex hâc autem noſtræ *Mediatricis* apud Deum aduocatione,putat Richardus, quòd Deipara dicitur, *Teſtis in cælo fidelis* Et ſanè miriſſimum eſt, quòd cùm homo tot flagitiis ſceleroſus , Deiparam velut *Mediatricem* ſiſtat apud Filium Deum, tunc ipſa dicatur, *Teſtis in cælo fidelis.* Sufficiat argutum delibaſſe dubium , quod aliàs aliorsùm enucleauimus.

Gen.1.v.18. Richard.

*Quaſi nobis non ſufficeret vnicus Mediator , Deipara apud Filium Deũ Mediatrix inauguratur.*

Pſal 88.v. 38.

*Quouſque Virgo Mater naſceretur, apud Filium Deum, hominibus aduocatus deerat.*

---

## CAPVT VIII.

*Verſ.* 3. Nec his contenta(Eſther)procidit ad pedes Regis,fleuitque,& locuta ad eum orauit.vt malitiam Aman iuberet irritam fieri.

## CAPVT VII.

*Verſ.* 3. Si inueni gratiam in oculis tuis ô Rex,dona mihi animam meam pro quâ rogo, &c.

## ſ. CCCLXVI.

*Eua per ænigma,in corredemptricem Mariam redintegratur,& transfunditur: quæ per latronem Adamum rursùs paradiſum complantat.*

1. TErtullianus lib.de Habitu muliebr. his elogiis Euam cumulat,eam ſic alloquens : *Tu es Diaboli ianua , tu es arboris illius reſignatrix, tu es diuinæ legis prima deſertrix ; tu es quæ eum ſuaſiſti,quem diabolus aggredi non valuit;tu imaginem Dei hominem tam facile eliſiſti : propter tuum meritum,id eſt,mortem,etiam filius Dei mori habuit.* Hæc prima Eua. vide qualis ſecunda fuerit,Maria inquam,de quâ ſic loquitur Auguſtinus: *Per feminam mors,per feminam vita : illa poculum à ſerpente propinatum libenter accepit,& viro tradidit , ex quo ſimul mereretur occidi; Hæc gratia cæleſti deſuper infuſa , vitam protulit, per quam caro mortua poſſit reſuſcitari.* O bona Euæ antitheſis , Maria!

Tertull. l.de Habit.mul. c.1.

*Qualis prima Eua,& qualis ſecunda,Deipara inquam.*

S.Auguſt.l. 3.de Sym.ad Catec.c 4.

1. Corinth. 15. *Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem,nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem .... Primus homo de terra , terrenus: ſecundus homo de cælo cæleſtis.* Ecce tibi totam Incarnationis œconomiam,corporati Dei apparatum,& munus Redemptoris.Nempe vt ſecundus Adam,id eſt Chriſtus Deus , Adæ primi primæuum facinus,& naturam lapſam gratiæ vigore renouaret,redintegraret,viuificaret.Quâ de re audiendus eſt Zeno Veronenſis ſic eloquenter fatus,agens de Charitate,& illam alloquens : *Tu Deum in hominem demutare valuiſti.Tu virginali carceri nouem menſibus religaſti. Tu Euam in Mariam redintegraſti. Tu Adam in Chriſtum renouaſti.* Itaque ex primo ac terreno Adamo pullulauit ſecundus ac cæleſtis Adam , Chriſtus inquam , vt potè eius ſoboles : ergò Adam primus in ſecundum,id eſt, Chriſtum , *renouatus* eſt. *Tu Adam in Chriſtum renouaſti.* Inſuper ad rem, *Tu Euam in Mariam redintegraſti.* Non Euam flebilem,præuaricatricem , & infeliciter ærumnoſam;ſed felicem,puram,ſanctam,& cuius dotes eximias,& empyreas gratia in paradiſeo innocentiæ ſtatu Eua poſſet æmulari.Nota verbum *redintegraſti* , cui a gutæ ſignificationis ſubeſt vigor.Non prima Eua præuaricatrix ſic *redintegratur in Mariam*,vt quaſi ipſa peccato mortua, morte rediuiuâ in Mariam reſurgat. ( ſicut nec præuaricatior Adam,in ſecundum,id eſt,in Chriſtum Redemptorem ſic *renouatur*(Itaque *Eua in Mariam redintegratur* , ita vt ſit Maria , altera ipſa Eua : quò adornata paradiſeis Euæ felicis dotibus,Euæ poſtmodùm infelicis infelicitatem, Deum pariens,extermineret; atque corredemptrici ope Euam *redintegrando* recuperet. Sic de amoris diuini benefico erga Matrem ingenio, & diuinæ parturitionis peridoneâ decentiâ, *Eua in Mariam redintegratur* : vt quæ ſibi ac mundo per inobedientiam perdidit vitam,ſibi ac mundo per obedientiam , vitam inueniat. Tempeſtiuè Irenæus : *Sicut Eua ſeducta eſt per angelicum ſermonem* ( hoc, eſt diaboli) *vt effugeret Deum ; ſic Maria per Angelicum ſermonem euangelizata eſt , vt portaret Deum,& ſuaſa eſt obedire Deo, vt Virginis Euæ Virgo Maria fieret aduocata: & quemadmodum aſtrictum eſt morte genus humanum per virginem ; ſoluatur per Virginem æquâ lance diſpoſitâ : virginalis inobedientia per virginalem obedientiam.* 2.

1.Cor. 15.v. 45.& 47.

S.Zeno Ser. de Fide, ſpe, &c.

*Eua felix,nõ præuaricatrix Eua,in Mariam redintegratur.*

S.Irenæ.l.5. c.19.

Itaque ſcitè admodùm à Zeno Veronenſi dictum eſt : *Tu Euam in Mariam redintegraſti.* Zenoni verò concinit argutè Bernardus , ita fatus: *Sic nimirum prudentiſſimus,& clementiſſimus Artifex,quod quaſſatum fuerat non confregit,ſed vtiliùs omninò refecit ; vt videlicet nobis nouum formaret Adam ex veteri,& Euam tranſfunderet in Mariam.* Quod Zeno dixit *redintegare*, Bernardus 3.

S.Bernard. ſerm.*Signum magnum.*

*Quare Eua dicatur in Mariã transfuſa à diuino artifice.*

Bernardus *transfundere* ſignificantiùs ediſſerit. Nimirùm cæleſtis *Artifex* in redemptionis officinâ peccatricem Euam decoxit, & primæui delicti ſqualore, & appendicibus ſordibus defæcauit: atque indè *Euam in Mariam redintegrauit*; vel potiùs quaſi opere fuſili Euam iam excoctam, defæcatam, deputatam à primæuis ſordibus, velut maſſam puriſſimam, ex quâ digna Dei mater conflaretur, *transfudit in Mariam*: vt ipſa à cognatis Euæ ſordibus depurata, & præcoquo opere munda, Chriſti Dei mundiſſimo partu, mundi ſordes abluerit, adiutrix redemptionis, ſicut prima Eua fuerat præuaricationis adiutrix.

4. Geneſeos 3. peracto præuaricationis nego o mortis ſententiæ nuper fulminatæ Protoparentes ſubiacent. Confeſtim paradiſo exulare iubentur, ne de arbore vitæ, mortalitatis antidotum malè quærentes, immortalem mortalitatem inueniant. Incursâ ergò mortis ſententiâ: *Vocauit Adam nomen vxoris ſuæ, Heua: eò quòd mater eſſet cunctorum viuentium.* Sanè intempeſtiuum inidoneè nomen! Porò *Heua* ſignificat *vitam*. Appelletur ne congruè *vita*, quæ recèns ab immortalitate ad mortalitatem translata, mortem cum omni futura ſobole incurrit? Ecquod nomen magis à re alienum, vnquam factum eſt? Hanc ne ſapientiam è pomi interdicti eſu Adamus fœnerauit? Verùm in hac nomenclatura primæ Euæ inidoneâ, Euæ ſecundæ myſterium tranſlucet, & Euâ tranſnominatur Maria, arcano quodam rei ænigmate ad nomen transfuſo. Quod & perſpicaciter vidit, & eleganter his verbis diſſeruit Epiphanius: *Beata mater Dei Maria per Euam ſignificatur, quæ per ænigma accepit, vt mater viuentium diceretur: illa enim mater viuentium vocata eſt etiam poſtquam audiuit, Terra es, & in terram reuerteris: poſt tranſgreſſionem ab illa Eua omnis hominum generatio deducta eſt in terra: hic autem verè à Maria hæc vita mundo genita eſt, vt viuentem gigneret, & fieret Maria mater viuentiū.* Ecce tibi Eua dum poſt mortalitatem appellatur *vita*, & viuentium mater, facta eſt Mariæ *ænigma*. Scilicet non erat in tot Biblicis matronis, ac heroinis, quæ perfectè Deiparæ res geſtas adumbraret: exinde è diuerſo aſſumitur Eua, tanquam pulchrum Mariæ *ænigma*. Nam aliquâ abſtruſioris analogiæ proportione illi adſimilatur: quia quantum Eua perdidit, recuperauit Maria. Eua ſibi, & poſteris mortem; Maria ſibi, & omnibus præſtantiorem vitam inuenit. Sic autem Eua, aut *redintegrata* aut *transfuſa* in Mariam, illius opinatiſſimum *ænigma* dicitur; & mortis calamitoſa parens, & Mariæ *ænigmate, mater cunctorum viuentium*, è diuerſo tranſnominatur? Euæ enim mortalitatem, vita per Mariam inuenta, abundè tranſcendit. Rectè ergò *mater Dei Maria per Euam ſignificatur atque per ænigma accepit, vt mater viuentium diceretur.* Huc forſan adludit Ildefonſus ſic de Maria fatus: *Ecce ad quam omnia eloquia Prophetarum, omnia ænigmata concurrunt Scripturarum.* Videlicet ſummam perfectionem, quam typus exponere non eualet, *ænigmata* è diuerſo adumbrent.

Geneſ. 3. v. 20.

S. Epiph. Hæreſ. 78. *Cur Eua, non umbra, ſed ænigma Deiparæ nuncupetur?*

S. Ildefonſ. ſerm. 1. de Aſſump. Virg.

5. Geneſeos 2. *Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio: in quo poſuit hominem, quem formauerat.* Ibi formatam Euam ſicut ad delictum adiutricem, ſic ad delicti pœnam, conſortem Adamus inuenit. *Et emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt. Eiecitque Adam: & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium,* &c. Nempe Angeli diuinæ iuſtitiæ vindices, Præpoſiti viæ ad paradiſum conſtituuntur, ne ad paradiſum aditus rurſus Adamo pateat. Videamus autem quid præſtiterit Maria, vt Adamus & Eua paradiſi exules, illum recuperarent. Quâ ſuper re ſcitè Epiphanius Orat. de Deipara: *Angeli, inquit, accuſabant Euam, nunc verè Mariam gloria proſequuntur; quia mulierum infirmitatem verè glorioſam reddidit; quæ lapſam Euam erexit; & Adam è paradiſo deiectum in cælos miſit: quæ paradiſum clauſum aperuit; & per latronem rurſum Adamum complantauit.* Benè eſt, quòd Maria paradiſi ianuas primæui delicti repagulis clauſas, reſerauit: quid autem eſt, quòd paradiſum iam apertum, per Adamum *rurſus complantare* perhibetur; *Paradiſum voluptatis*, quem *à principio plantauerat dominus Deus*, & præuaricationis diluuio iam perierat, Maria rurſus cum Adamo *complantat*? Imò quid eſt, quòd per *latronem rurſum Adamum complantat*? Ecquid eſt hoc, adſpectu ad paradiſum, Adami *latrocinium*? Maria ne ea eſt, quæ *latrone* vtatur ad paradiſi *complantationem*? Forſan Adam *latro* dicitur, quia ſibi ac nobis acceptum paradiſum, nobis perdidit; & totius paradiſi perditi reus eſt, & nobis illius debitor. Quin & cùm paradiſum ſibi etiam perdiderit; cùm paradiſeam cæli gloriam, per ſecundam Euam, id eſt, Mariam, recuperat, velut paradiſi cæleſtis *latro*, in illum ingredi perhibetur. ô bona Maria *per latronem rurſum Adamum*, empyrei paradiſi *complantatio*! Nimirum Maria & Adamus pari â operâ paradiſum complantant. Adamus homines abundè propagat, cùm vniuerſa hominum gens, ſoboles Adami ſit: Maria per Filium Deum inuenit gratiam amiſſam, quæ merita ad gloriam excudat, eàmque largiori munificentiâ diſpenſat. Exinde paradiſum cæleſtem *Maria per latronē rurſum Adamum complantare* dicitur. Itaque terrigenas omnes in cæleſti paradiſo beatos, Mariæ Deiparæ per gratiam, & latronis Adami per naturam, paradiſeas *plantas* reputa-

Geneſ. 2. v. 8.

Geneſ. 3. v. 23. & 24.

S. Epiphan.

*Cur Maria per latronem rurſus Adamum complantare paradiſum dicatur.*

Geneſeos 2. Adamum recèns creatum, ad voluptatis paradiſum tranſtulit Deus Præcepítque ei dicens: Ex omni ligno paradiſi comede. De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. *In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Tandem Eua inſtinctu ſerpentis, *tulit de fructu illius, & comedit: dedítque viro ſuo, qui comedit.* Edulis pomi eſum putaſti, arcanæ ſcientiæ opificem; & æternaturæ vitæ naufragium exorbuiſti, & iugem ærumnoſæ mortis reatum, in ventrem condidiſti. ô Maria Euæ illius pulchra antitheſis, *Aue, quæ in vtero matris Euæ mortem demerſiſti*, ait Gregorius Thaumaturgus. Scilicet Eua mortifero cibo in ventrē ingeſto, cùm morte vitæ immortalis naufragium ſorbuit: at Deipara mortis naufragium fuit, quandoquidem *in vtero ſuæ matris Euæ mortem demerſit.* 6.

Genſe. 2. v. 17.

Geneſ. 3. v. 6.

*Maria in vtero ſuo, matris Euæ mortem demerſit, facta mortis naufragium.*

S. Gregor. Thaum. ſer. 3 de Annun.

Lucæ 1. miſſus eſt angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, *ad Virginem* deſponſatam viro, &c. Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: Aue gratiâ plena dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus ....... Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum, &c. Ad quę verba adludens Zeno Veronenſis adſpectu ad Euam à ſerpente ſeductam, ſic eloquenter ſcribit: *Et quia ſuaſionem per aurem irrepens Diabolus,* 7.

Lucæ 1. v. 27.

*Eua vulnus, dum de Virgine naſcitur, Chriſtus curat.*

S. Zeno. ſer. de Circumciſ.

*Euam vulnerans interemerat, per aurem intrans Chriſtus in Mariam, vniuerſa cordis diſſecat vitia; vulnuſque mulieris, dum de Virgine naſcitur, curat: Signum ſalutis accipite, corruptelam integritas, partum eſt ſecuta virginitas.* Scilicet lethale Euæ vulnus, quod totam poſteritatem vulnerauit, dum de Virgine naſcitur, Chriſtus curat.

*Diuina maternitas, Deiparæ virginitatem geminauit.*

O quàm multa quàm paucis Zeno compendiauit! (Et nota. quòd Mariæ partum dicitur *ſecuta virginitas*. Quaſi B. Deipara ante partum virgo; virgo etiam mater, virginitatem geminauerit. Bis dicitur virgo, quæ mater ſimul & virgo eſt) Et S. Damaſcenus ſic Adamum & Euam inducit, B. Virginem lætanter adloquens: *Beata tu filia, quæ violati mandati pœnas nobis ſuſtuliſti: Tu mortali corpore à nobis accepto, immortalitatis indumentum nobis peperiſti: Tu cùm à lumbis noſtris ortum accepiſſes beatitudinem nobis rependiſti, dolores deleuiſti, mortis faſcias perfregiſti, ad veterem ſedem quaſi poſt liminio nos reuocaſti: Nos paradiſum clauſimus: Tu ligni vitæ iter patefeciſti ex latis triſtia noſtra culpa venerunt, ex triſtibus contra lætiora per te redierunt: Tu vitæ flos, & cæli ſcala*, &c. Planè luculenter Damaſcenus.

*S. Damaſc. Orat. 2. de Dormition. Virg.*

*Eua & Mariæ antitheſis.*

---

## CAPVT VIII.

*Verſ.* 3. Nec his contenta (Eſther) procidit ad pedes Regis, fleuitque & locuta ad eum orauit, vt malitiam Aman iuberet irritam fieri.

## CAPVT XI.

*Verſ.* 15 Erat enim formoſa valdè, & incredibili pulchritudine.

## §. CCCLXVII.

*B. Virgo Euæ reſtinguit appetentiam, dum concupiſcentiam quodammodò in voluntatem reformat; & carnis paſſionem ſoluens, mutat in ſpiritum?*

1\. SAncte Bonauentura in ſpeculo B. Virg. *Maria, inquit, eſt nobis columna nubis, iuxta illud Pſalmi: deduxit eos in nube; quia tanquam nubes protegit ab æſtu diuinæ indignationis, & ab æſtu Diabolicæ tentationis, ſicut dicitur in Pſalmo: Expandit nubem in protectionem eorum.* Si ambitio ad dignitates arroganter tumet, honorum inexplebili ſiti; ſi gulæ ſuperbia palati delicias hianter ſuſpirat; ſi carnis concupiſcentia ſæuis libidinibus ſalaciter æſtuat: ſi infernalis furor, vel aperto Marte vel fraude ſubdolè inſidiatrice atrociùs ferocit, & totas ciet Tartarorum machinas; nemo, nemo inquam, animo cadat, accurrat ad Mariam, ſub cuius protectione, *æſtus Diabolicæ tentationis* mitigatur, tepeſcit, & alget, cuius vmbra humanis paſſionibus quantumuis ſæuè æſtuantibus, niues afflat.

*S. Bonau. in Specul. c. 3. Pſ. 77. v. 14. Pſal. 104. v. 39*

*B. Virgo, nubes eſt, ab æſtu Diabolicæ tentationis protegens.*

2\. Regius Vates Pſalm. 77. ſic modulatur: *Et deduxit eos in nube diei.* Alij, *eduxit* habent, quò vniuerſalior ſit ſenſus. Indubiè adluditur ad *nubis columnam* in Exhodo celebrem. S. Chryſoſtomus eam typum fecit noſtræ crucis, quæ ante oculos viſa omnem ſtatim abigat malam voluptatem: tanquam ſalus animæ, fœdarúmque concupiſcentiarum ſalubre antidotum, quemadmodum illa materialis columna nubis Hebræorum multitudinem protegebat, ne quid mali ab Ægyptiis paterentur. Verùm communiter Patres, & expoſitores *nubis* nomine, Deiparam myſticè interpretantur, quæ pluit in nos ſpiritualem gratiarum imbrem temperamentum flagrantiæ corporalis, vt concupiſcentiæ interſtinguat æſtum, & cordis interna tepeſcant: *Hæc pluuia*, ait eleganter Ambroſius, *Euæ reſtrinxit appetentiam, hoc vnguentum fœtorem hereditarij erroris abſterſit.* Quæ eſt hæc *Euæ appetentia*, quam Deipara velut *nubes pluuia* ſuâ reſtringit? Imò quæ appetentia noxia ab Euâ in nobis medullitùs non exæſtuat? De *Euæ appetentia* belluina in nobis ira furit, vindicta ferocit; ambitio ſublimitatibus inhiat, ſuperbia vltra ſe ambit arroganter: gula palati delicias hiat, & pleno ventre eſurit, & ſitit ſitire: carnis appetitus nunquam ſatur, & de faſtidio rurſus appetentiùs hians concupiſcentiæ æſtu nouas ſemper voluptates ſuſpirat. Hic eſt fomes peccati, tota Protoparentum hereditas. Tantæ miſerabiliter tragœdiæ, *Euæ appetentia* maleſuada, cenſus fuit, quibus paſſionum ſubſultibus tragicè ab vtero cenſemur: his furiarum facibus homo miſer vltrò ſufflammatur, & vſtulatur: in hâc pyrâ pyræ gehennali cognatâ, & confine flagrat, comburitur, cinereſcit. O, quis interſtinguat hoc incendium? Deipara *nubes* eſt, quæ hos ardores temperat: huius *nubis pluuia Euæ reſtinguit appetentiam.* Hæc pluuia, quâ in nobis pluit Maria, non mera aqua eſt, ſed vnguentum eſt, quo *fœtorem hæreditarij erroris abſtergit*: vt qui Euæ errorem obſcœnis paſſionum ſubſultibus fœtidè ſubolebat, cælum fragret dum cæleſtium appetentiam adſpirat, adeò vt cum Paullo dicere homines poſſint: *Chriſti bonus odor ſumus.* Sanè luculenter Ambroſius?

*S. Chryſ. homil. de Ioſeph. & Cont. tom. 1.*

*S. Ambr. de Inſtit. Virg. c. 13.*

*Quomodo Deipara in nobis Euæ appetentiam reſtinguat.*

*Fœtorem hereditarij erroris abſtergit Deipara.*

*2. Cor. 2 v. 15.*

3\. Prouerbiorum 8. ſub diuinæ Sapientiæ nomine, ſic homines Deipara alloquitur: Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Hebraicè, *inueniet vitas.* vitam animæ, vitam corporis, vitam gratiæ, & vitam gloriæ. Inuentâ iam *vita*, adhuc ſupereſt quærenda, & inuenienda *ſalus*, ne vita feliciter inuenta, valetudine aduerſâ periculosè langueat ad mortem, qui eſt hereditarius ab Euâ cenſus, cui obærati naſcimur. Exindè Vatablus penitiùs enucleans ſignificantiam voculæ *ſalus*, pro τὸ *hauriet ſalutem à Domino*, habet, *hauriet voluntatem à Domino.* Et ſanè *voluntatis* nomine *concupiſcentiam*, ſeu *appetitum* etiam ſignificari, vulgaris eruditio eſt in re Biblicâ. Sic Ioannis 1. dicitur: *Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*, vt alibi copiosè ex ſapientiſſimo Maldonato adnotabamus. Itaque deuotè priuil. Deiparæ ſtudioſus, à primæui delicti languore, quo paſſionum æſtuante febri malè ægrotamus, *hauriet ſalutem*, id eſt, *voluntatem*, ſcilicet *concupiſcentiam* ſeu *appetitum* mitigatum, propè *ſalute* donatum, & in melius inſigniter reformatum. Adeò vt non tam *appetitus* ſeu *concupiſcentia* æſtuans ad voluptabilia, quàm *voluntas*, & quidem

*Prouerb. 8. v. 35. Hebræus.*

*Vatablus.*

*Ioann. 1. v. 13. Maldon. ibi.*

*Opera Deiparæ humana concupiſcentia ſic dediſcitur, vt voluntas à Domino poſſit appellari.*

quidem *voluntas à Domino*, nominari poſſit, quaſi non ab *Euæ appetentia*, ſed à domini compreſſione ortum habuiſſet. Sic operoſo Deiparæ interuentu auxiliis diuinioris gratiæ præparatur? Vnde pro τὸ *hauriet ſalutem à domino*.

Lxx. interp.

Lxx. Interpretes tempeſtiuè exſcripſerunt, *præparatur voluntas à domino*. Sic operâ B. Deiparæ, humana *concupiſcentia & appetitus*, qui inteſtinus eſt virtutum hoſtis, & earum hoſtiliter proditor, à Deo *præparatur*, & in bonum reformatur, vt prope deſueſcens *concupiſcentiæ* nomen, *voluntas à domino* poſſit dici, & ad rem virtutis auxiliatricem euocari?

4

Matth. 1. v. 18.

Matthæi 1. Chriſti autem generatio ſic erat: Cùm eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, *antequam conuenirent inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto*. Obuium eſt, & facile parabile, quærere, & inuenire rationes, ob quas oportuerit, vt naſciturus in mundo Deus, ex Virgine naſceretur. Sancti Patres, & Biblici expoſitores multas vbiuis addenſant. Dubius Chryſoſtomus in opere imperf. Hanc appoſitè ſcribit: *Antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto*, &c. *Ideo ergo Dominus conceptus eſt antequam conuenirent; vt non ex paſſione carnis & ſanguinis naſceretur, qui ideo venit, vt carnis & ſanguinis ſolueret paſſionem, & mutaret in Spiritum*. Non de carnis & ſanguinis paſſione, ſed de Virgine Maria & Spiritu-ſancto concipitur, & naſcitur Chriſtus Deus, vt libidinis concupiſcentiam in nobis reſtingueret, & luxuriantes carnis ſubſultus mitigaret, atque compeſceret? ò time, & caue, ne per te in te fruſtretur myſterium Virginis! Itaque Virgo Deipara ſine *paſſione carnis*, de Spiritu-ſancto Chriſtum generat, vt in hominibus *ſolueret paſſionem carnis*, quaſi B. Virgo, eiúſque meracior virginitas, ſit humanæ libidinis diſſolutio (niſi per vos ſteterit) & velut arcanus quidam caſtitatis fomes. Nemo, nemo inquam, virginalem pudicitiam, aut viduam continentiam colit, qui à Deipara Virgine non mutuet viuidum caſtitatis propoſitum, & pudoris lenocinium. Ceterùm penſiculatiùs animaduerte eleganter Pſeudo-Chryſoſtomum dixiſſe, ideò Chriſtum Deum voluiſſe de Matre Virgine concipi ſine *carnis paſſione*, vt in Matre Virgine *carnis paſſionem ſolueret, & mutaret in ſpiritum*. Scilicet parùm foret Virgini Deiparæ, non de *carnis paſſione*, ſed Spiritu-ſancto Chriſtum Deum in ſuis viſceribus concipienti, in ea *carnis paſſionum*, aut tunc *diſſolui*, aut dudum in eius puriſſima Cõceptione citiùs *diſſolutã* fuiſſe; niſi alto ſtylo & ſẽſu argutiùs addidiſſet, *carnis paſſione, mutatam in ſpiritum*. Dicam explicatiùs, & forſan luculentiùs: Sicut reliqui puri homines præter Deiparam, à natura habent inditam carnis paſſionem ad voluptabilia, habuit ab auxiliorum vigore, & congrua gratiæ officioſitate B. Virgo arcanam velut paſſionem, ſeu quaſi fomitem ad virginalem caſtitatem. Ac ſi nõ ſegniori caſtitatis illicio, & puritatis lenocinio ferretur B. Virgo ad ſpirituales pudicitiæ delicias, quàm inpotens laſciuientis concupiſcentiæ libido homines ſalaciores inſtigat ad Veneris voluptates. (An Deiparæ pudicitia ſegnior & remiſſior erat ad bonum, quàm ſalacior libido ad malum? (Exindè magnus hic doctor ait, quòd in Virginis myſterio *carnis paſſio mutatur in ſpiritum*, quaſi in B. Virgine quodammodò fuerit aliqua ſpiritualis paſſio ad caſtitatem, humanæ libidinis è diuerſo

Imperf. homil. 1. Matt. *Virginis myſterio ſolui paſſionem in hominibus paſſionem libidinis?*

*In Virgine Deiparâ carnis paſſio ſoluta eſt, & in ſpiritum à Spiritu-ſancto mutata, & quo ſenſu.*

æmula. Hinc forſan purior & animoſior caſtitas profundè appellatur à Nanzianzeno, *Splendor libidinis*. quòd aliàs multis expendebamus. Niſi fortè dubius Chryſoſtomus, operâ Virginis *carnis paſſionem mutari in ſpiritum* in nobis malit, quod mitiùs intelligendum eſt iuxta dicta in hoc §. n. 2. & 3.

S. Nazian. alibi expenſus.

5.

Cantic. 2. v. 2.

Canticorum 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*. Communiter ſancti Patres per hoc *lilium* intelligunt B. Virginem: *per ſpinas*, Iudæorum & Hæreticorum blaſphemias cõmentatur Rupertus. Alij multimode præſcriptam ſententiam Deiparæ accommodant, quos apud noſtrum Cornelium inibi legere licet, vbi aduocat pulchra Dionyſij Carthuſiani verba, ad rem præſentem peridonea: *Quamuis*, inquit, *fuerint multæ Virgines ſanctæ, tamen reſpectu Virginis beatiſſimæ quaſi ſpinæ fuiſſe videntur, in quantum aliquid culpæ habebant; & quamuis in ſe fuerint mundæ, non tamen fuit in eis fomes prorſus extinctus: fuerunt & alij ſpinæ, qui ex earum intuitu concupiſcentiâ pungebantur. Porrò Deipara Virgo ab omni culpa fuit prorſus immunis, fuit fomes in ea plenè extinctus, & tamen immenſâ charitate erat repleta; quare intuentium corda ſic penetrauit ſuâ ineſtimabili caſtitate virgineâ, quod à nullo potuit concupiſci; imò potius extinxit ad horam illorum libidinem*. Scilicet reliquæ, etſi ſanctiſſimæ, & puriſſimæ Virgines, licèt in ſe ipſis *lilia* fuerint, perpetuò vernante caſtitatis flore, tamen fortè ſpectatoribus *ſpina* fuerunt, periculoſæ venuſtatis pulchro lenocinio, ô quàm multi pereũt in aliena impunè formâ! At B. Virgo, tametſi Eſtheris ad inſtar, *erat formoſa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa, & amabilis*, tamen *intuentium corda ſic penetrauit ſua ineſtimabili caſtitate virginea, quod à nullo potuit concupiſci; imò potiùs extinxit ad horam illorum libidem*. Nota attentiùs illud: *Intuentium corda penetrabat ſuâ ineſtimabili caſtitate virgineâ*. Sanè ineſtimabilis caſtitas eſt, quæ aliorum corda videndo *penetrat*. Ne te prætereat hoc verbum conceptuum grauidum Carthuſiano adſentit Alexander Alenſis, aiẽns: *Beata Virgo ſuo aſpectu concupiſcentiæ motus extinxit*. Addit Henricus de Haſſia: *In exteriori etiam eius effigie gratia diuina tam coppioſè efficaciterque lucebat, quòd eius aſpectu carnalium æſtus extingueret, peccatorum, corda compungeret, mundanorum hominum deſideria ad cæleſtia eleuaret*. Quaſi parùm foret aſpectu, quo aliorum oculos pulchrè excipit, carnis æſtus in eis extinguere; *mundanorum hominum deſideria ad cæleſtia eleuabat*, afflabátque arcanum quendam velut fomitem ad cæleſtia appetentius deſideranda? ac ſi quodammodo *carnis paſſionem ſoluens, mutaret in ſpiritum*, vt nuper ex incerto Chryſoſtomo multis expendebamus. Hæc ne eſt *incredibilis pulchritudo*, quæ non in typicâ Eſthere, ſed in Eſthere figuratâ ineffabiliter prænitet?

Rupert.

Cornel.

Carthuſ. ibi

*B. Virgo carnales æſtus eorum intuentium extinguebat, & ad deſideranda cæleſtia elevabat.*

Eſther. 2. v. 15.

*B. Virgo intuentium corda penetrabat ſua ineſtimabili caſtitate.*

Alenſ. 3. p. q. 9. n. 2. art. 5.

Henr. l. 2. de laud. Virg. art. 2.

Imperf. ſuprà.

CAP. IX.

## CAPVT IX.

*Verſ.* 16. Sed & per omnes prouincias pro animabus ſuis ſteterunt Iudæi, interfectis hoſtibus ac perſecutoribus ſuis: in tantùm vt ſeptuaginta quinque millia occiſorum implerentur.

## CAPVT XV.

*Verſ.* 8. Triſtem celabat animum, & nimio timore contractum.

### §. CCCLXVIII.

*B. Virgo Chriſti panoplia, & dura pugnaciter bellatrix eſt: ſed quæ de imbecillitate valentiam mutuauit, quò typicam Eſtherem adimpleat.*

1. S. Brigitt. l. 1. Reuelat. c. 9. S. Brigittæ Deipara hæc de ſe ſuoque nomine reuelauit: Filius, inquit, meus quantùm etiam honorauerit nomen audi. Nomen meum eſt Maria, ſicut legitur in Euangelio. Hoc nomen cùm Angeli audiunt, gaudẽt in conſcientiâ ſuâ, & regratiantur Deo, qui per me, & mecum talem gratiam fecit ...... *Omnes etiam Dæmones verentur hoc nomen, & timent: qui audientes hoc nomen, Maria, ſtatim relinquunt animam de vngulis, quibus tenebant eam. Sicut enim auis, quæ in prædam, vngues, & roſtrum habet, ſi audierit ſonum aliquem relinquit prædam ....... ſic Dæmones audito nomine meo, ſtatim relinquunt animam, quaſi territi.* O Heroïna maſculo robore pugnaciſſima, quæ non tantùm exercito prælio (*terribilis vt caſtrorum acies ordinata*) Tartareos profligat hoſtes, ſed vel nomine duntaxat illos fugat, *quia nominis prælium* eſt! O triumphalis fœmina, cuï vel ſolo tuo nomine victoriarum eſt!

*Mariæ nomen prælium eſt, victoria eſt aduerſus Tartareum hoſtem.*

Cant. 6. v. 3. Tertull. in Apolog. c. 2.

2. Cant. 4. v. 8. Rupert. Canticorum 4. ſic ſponſus ſponſam, Chriſtus Deus Mariam eius matrem alloquitur: Veni de Libano, veni: *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Noti ſunt hi montes, qui in Terræ promiſſionis confinio ſiti, altè adſurgunt, & arduo nimis dorſo latè excurrunt. Sed cur Deus Deiparam ab hiſce perarduis mõtibus, quos *leonum* mõtes appellat, ad regiam & triumphalem *coronam* euocat? Rupertus inibi ſic locum exponit: *Veni de Libano ſponſa mea; veni de Libano, veni coronaberis. Vndè coronaberis? De capite Amana, quod interpretatur, Nocturna auis: de vertice Sanir, quod interpretatur, Dens vigiliarum: & Hermon, quod interpretatur, Anathema. Venies de Libano, quod interpretatur, Candidatio.* Hæ Hebraicorum nominum nouæ interpretationes, non pauca, nec alias inidonea offerunt ad illuſtrandam victoriam, quam de leonibus Deipara reportauit, & ob quam triumphali coronâ decoratur. Singulare enim eſt, vt Deipara de *candidatione*, de *vigiliarum dente*, & de *anathemate* ad *coronam* euocetur. Sed quid eſt, quod ait Deiparæ Chriſtus Deus, eius Filius: *Veni coronaberis de cubilibus leonum?* Mitiſſima Virgo, pacatiſſima puella, dulciſſima Deipara melleam vndique fauentiam gratè ſpirans, *de cubilibus leonum* ad triumphum, ac triumphalem coronam euocatur? Tempeſtiuè Epiphanius: S. Epiph. Hæreſ. 78.
*Si Chriſtus leonis catulus, profectò etiam Genitricem eius leænam dixerim.* O quàm aptè *Leæna* rictu & vnguibus pugnaciſſima, victorialis, triumphalis, de *cubilibus leonum* ad coronam euocatur! Porrò poſt *aues nocturnas* profligatas, poſt pandè retuſum *vigiliarum dentem*, & audaciæ *anathema* ritè damnatum, id eſt, poſt Hæreticas & Infernales phalangas malè conciſas, & benè detriumphatas, tanquam pugnax *Leæna* generoſi *Leonis* verè *Genitricem*, ad triumphalem ac victorialem coronam ritè vocatur. *Veni ſponſa me, veni Leæna Leonis genitrix, veni coronaberis, de cubilibus Leonum Leonem* hic Eſther Aſſuerum nominat: ipſa autem velut generoſa *Leæna* Amanẽ, & Amanitas quaſi agreſti & implacabili ferociâ lacerauit. Sic typus antitypum aptè præfigurat! Eſther 14. v. 13.

*B. Virgo dicitur Leæna, à cubilibus Leonum ad coronam euocatur.*

3. Cant. 1. v. 9. Canticorum 1. ſic ſponſus ſponſam, Chriſtus Deus matrem Virginem alloquitur: *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te, amica mea.* Grande quidem litigium, quod Expoſitorum nemo hactenùs compoſuit, cur ſponſa Virgo, puella pacatiſſima, *equitatui* militari comparetur. Sed eſto, ſimilis ſit *equitatui* pugnaciſſimo, quare ait ſponſus Salomon, Hebræi populi Rex pacificus eius Sponſam aſſimulari *equitatui* ſuo non ſuis falcatis curribus, ſed in Pharaonianis hoſtiliter *curribus* dimicanti. Nota eſt populi Dei cum Ægyptio populo cognata ſemper hoſtilitas. Quomodò igitur Sponſa aſſimilatur Salamonis *equitatui*, ſanè rebelli, ſiquidem *in curribus Pharaonis* pugnat, & ſub eo ſtipendia refractariè merere videtur? Appoſitè inibi Cornelius: Cornel. ibid. n. 3.
*Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te, &c. Per te ô* ſponſa *omnes tuos hoſtes infideles profligabo, ſed ita vt ex infidelibus faciam fideles, ex hoſtibus amicos, ex rebellibus ſubditos.* Rebellem equitatum (quod erat robur Pharaonianæ potentiæ) hic Cornelius agnoſcit, *rebellem* inquam, iuxta Mariæ Ductricis elogium. Nouè Caniſ. l. 1. c. 1.
pariter, ac tempeſtiuè Caniſius noſter, erudito vir ingenio: Maria, inquit, *deducitur à verbo Marah, quod rebellionem ſignificat.* O quàm in B. Virgine hoc *rebellionis* nomen peregrinatur! Scilicet vſqueadeò Tartareus Princeps quietâ perdiu poſſeſſione hominibus principabatur, vt qui à tyrãnico ipſius imperio eximebatur, & ad Deum legitimum creaturam Dominum redibat, *rebellaſſe* diceretur. Hinc forſan Dei iam *equitatus* in curribus Pharaonis, ſibi iam ſubditus, *rebellis* dicitur. Et B. Deipara Heroina pugnaciſſima hanc fideliſſimam *rebellionem*, tanquam illius Princeps, in nomine inſculptam præfert, & *Rebellio* nominatur. O ſtrenua pugnaciſſimè bellatrix, quæ infernales Tartarorum phalanges ſic deuicit, profligauit, detriumphauit; & homines benè iam Diabolo *rebelles*, Domino Deo ſuo feliciter reſtituit! Cui hæc ſeruabatur victoria niſi Mariæ? (ait Bernardus.) *Hanc re-* S. Bern. Ser. 2. ſuper Miſſus eſt.
*quirebat Salomon cùm vehementer admirans dicebat: Mulierem fortem quis inueniet? & ita videbatur congruere, vt qui vicerat per fœminam, vinceretur per ipſam.* Prouerb. 31. v. 10.

*B. Virgo adeò eſt ſtrenua bellatrix, vt Rebellio nominetur, & quare.*

4. Ieremiæ 25. *Facta eſt terra eorum in deſolationem à facie iræ columbæ, & à facie iræ furoris* Ierem. 25. v.
*Domini.* Peritè inibi notat Cornelius, quòd in 38.
Hebræâ Cornel.

Hebræa origine non ſcribitur ſimpliciter *columbæ*, ſed cum emphaſi, *ſtam columbæ*; ſcilicet inſignis, & opinatiſſimæ. Quænam eſt hæc *columba* viſque adeò nota, & omnium ore celebrata? S. Ambroſius vniuerſatim per *columbam* myſticè intelligit Spiritum-ſanctum. S. Gregorius Deum ipſum. Beda, & Rupertus B. Virginem, quòd latè adſtruit Lauretus Ceruatienſis ex plurimis ſacræ Scripturæ locis. Et ſanè *columba* ſimplex eſt, æquabilis, pacata, manſueta: erat tamen inſigne Chaldææ gentis, ſicut *Leo* erat inſigne & ſtemma Iudæorum, vt eruditè ibidem Sanctius aduertit. Componit enim Propheta columbam, quæ cum leone duellet, illúdque malè concidat, profliget, ac perdat. Vnde pacatiſſimæ columbæ tanta vnquam valentia, & inopinabile robur, vt leonem laceret, diſcerpat, proculcet? *Facta eſt terra eorum in deſolationem à facie iræ columbæ, &* (id eſt: eſt enim exegeticum) *à facie iræ furoris Domini*, quaſi idem ſit *ira columbæ*, ac *ira furoris Domini*. ô columba pugnaciſſimè bellatrix, quæ bellandi virtutem cum Deo velut reciprocas, & à Deo mutuaris! *Nec miror, ô Domina* (ait Carthuſianus) *ſi ſic fortitudine pollebas, ſummis etiam Angelis robuſtior, quoniam Dominum virtutum Chriſtum regem, qui Patris virtus eſt protuliſti.*

S. Ambroſ. l. de Inſtitutione c. 3. & 4. S. Gregor. 32. Moralium, c. 6. Beda in 8. Geneſ. Rupert. in c. 4. Cantic. Lauretus. Sanctius. *A facie iræ columbæ ſeroſter leo diſcerpitur.* Carthuſ. l. 3. de laud Virgin. ar. 11.

5\. Ioſue 6. dixit Dominus ad Ioſue: Ecce dedi in manu tua Iericho, (tunc enim eam obſidebat) & Regem eius, omnéſque fortes viros. Circuite vrbem cuncti bellatores: *Septimo autem die Sacerdotes tollant ſeptem buccinas, & præcedant Arcam fœderis.* Cúmque inſonuerit vox tubæ, & in auribus veſtris increpuerit, *Conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent ciuitatis.* Dictum, factum puta. Res forſan ſpecie tenus videretur ingloria, niſi ſacramentum aliquod magnum adumbraret. Quare tot millium armatæ phalanges, tot murales machinæ, tot Ducum ſtrenua ſollertia, vrbem modicam hoſtiliter cingit? Iners ter vacat hoſtilis pugnacitet valentia, ſi belli pondus ad *Arcam* defertur. Vacat quidem, ſed arcano quodam Marianæ virtutis & gloriæ ſacramento: *Iubilemus* (ait Damaſcenus Orat. 2. de dormit. Deiparæ) *in Arca Domini Dei toto animo, & muri cadent Iericħuntini, contrariarum poteſtatum infeſtæ munitiones.* Coram hac Dei Arca muri Iericħuntini contrariarum poteſtatum funditùs corruunt; infeſtæ enim munitiones Deiparæ vmbram coràm ſuſtinere non eualent. Profectò ſi Reginæ meæ bella numerem, tot inuenio quot triumphos: cōgreſſui tuo nullus hoſtium, niſi qui laudibus tuis adderetur, occurrit: militauit trophæis, qui reſtitit voluntati. *Qui te in acie conſpexit, ſuperatus eſt*: virtutem enim tuæ vel adombratæ præſentiæ, ſaxa etiā ipſa exanimalia, ex aduerſo firmiter ſtantia, ſuſtinere non eualent, dum coram Arca fœderis Iericħuntina mœnia funditùs euertūtur.

Ioſue 6. v. 4 & 5. *Coram hac Dei Arca, muri Iericħuntini funditùs corruunt.* S. Damaſ. S. Ennod. in Paneg.

6\. Poſt patibulatum peracerbè Amanum cum tota poſteritate, adhuc Eſther vltra fœminam viriliter audax, & audacter animoſa, ſupra ſeptuaginta quinque millia Amanitarum contrucidat. Maſcula quidem virtus in femineo corpore vigens! Et tamen illa ipſa nimio etiam metu concutitur, dum *celat animum nimio timore contractum*, & animo deficiens *corruit, in pallorem colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinans caput.* Quid eſt, quòd hæc typica Heroina, tantā pollens valentiā, vt Regem exarmaret, & Dynaſtam Amanum cum numeroſe prævalidis Amanitarum copiis, vltrice manu abolere funditùs potuit; & animum nimio timore contractum habens, expaueſcit, expalleſcit, vſque ad imbecillum animi deliquium? An pauidâ hac imbecillitate in tanto animi robore, Deiparæ typum arcanè implet? Profectò de B. Deiparæ virili potētiā, animoſitate, robore ſic fatur Methodius, eam alloquens: *Tu potentem illum corpore* (Chriſtum Deum inquam) *tanquam decenti panopliâ* (hoc eſt, omni armorum genere) *induiſti... per quam etiam ignita omnia Maligni tela extinguuntur.* Quid fortius, quid valentius, quid pugnacius, quàm Mariæ ſacrum vterum, dici armamentarium, quo velut *panopliâ* armatus, Chriſtus Deus ad duellum contra Tartareum Amanem cataphractus proſiliuit? An non etiam hæc *panoplia* infirmitate quoque obarmatur, & à corporis imbecillitate robur viget? Opportunè S. Bernardus ſer. 77. in Cantica agens de Sponſa, quæ in lectulo ſuo quærit Chriſtum Sponſum, *lectuli* nomine ipſum Virginis vterum interpretans, ita fatur: *Meritò Sponſa ponens lectulum, dicit ſuum: quia omne quod infirmum eſt Dei, non de proprio ineſſe illi manifeſtum eſt: ſed de noſtro. Ex nobis aſſumpſit, quæ pro nobis ſuſtinuit, Naſci, lactari, mori, ſepeliri. Mea eſt mortalitas nati, mea infirmitas paruuli, mea expiratio Crucifixi, mea ſepulti dormitio.* Ecce tibi virginalis Deiparæ vterus, & *panoplia* eſt, quâ Chriſtus armatur; & nati Chriſti Dei *mortalitas, & paruuli infirmitas*, & Crucifixi expiratio, & ſepulti dormitio, quæ imbecillitatem præferunt; cùm à diuinitate ineſſe non poſſint ex Deiparæ vtero traxit, ad redemptricis victoriæ gratiam, & ad triumphi victorialis gloriam. Stat animoſa Eſther, & Amanum pugnaciſſimè detriumphat, & ſtrenua bellatrix Amanitas proculcat. Sed etiam imbecillè expaueſcit, vt Deiparæ typum impleat, & populi Dei meliorem redemptionem præfiguret. Atque ſimul pauide timere ſcribitur, quoniam Chriſtus Deus de eius vtero ſumpſit, *mortalitatis, & infirmitatis* elogium.

Eſther 7. v. 10. & c. 9. v. 16. Eſther 15. v. 8. & 10. *Cur Eſther Mariæ typus, ſimul & valētèr audeat, & imbecillè timeat?* Method. orat. in Hypapant. *Maria eſt Chriſti panoplia.* S. Bern. *Chriſtus Deus ex Mariano vtero traxit imbecillitatem, quâ diabolū vinceret.*

## CAPVT VII.

*Verſ.* 3. Dona mihi animam meam pro qua rogo, & populum meum pro quo obſecro: traditi enim ſumus ego & populus meus, vt conteramur, *&c.*

## CAPVT XIV.

*Verſ.* 2. Fletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit, *&c.*

## CAPVT XV.

*Verſ.* 8. Ipſa autem... triſtem celabat animum, & nimio timore contractum.

## §. CCCLXIX.

*Totus Filius crucifixus eſt in intimis viſceribus Matris, quæ iuxta crucem ſtabat velut impaſſibilis per patientiam.*

1\. GReſſum contendunt Angeli vt Sodomam cum totâ Pentapoleos regione funditùs perdant, & acceſſitis de cælo flammis libidinum vltrici

vltricibus, acerbiùs vſtulent. Arcanum impendentis ſupplicij ſecretum, itineris comiti Abrahamo indulgenter produnt: & ille innocentiâ ac pietate aſpectabilis, ignitas Sodomorum pœnas inſtanter deprecatur. Sed in eius deprecatione videre licet benignitatis ingenium, & ingenioſas pietatis artes. Nempè dignè ſupernis ignibus arſuros Abrahamus prævidet Sodomitas, & in fauillã, ac vagos cineres incendio redigendos; & ipſe a pœnâ innocenter immunis, quaſi iam eandem ſibi immeritam ſubiiſſet pœnam, & illâ eâdem pyrâ miſerabiliter conflagraſſet, ſe conſultiſſimè cinerem vocat. Reſpondénſque Abraham, ait: Quia ſemel cœpi, loquar ad Dominum meum, *cùm ſim pulvis & cinis.* Quorsùm iuſtus Abraham, cùm videt iam iam iniuſtos Sodomitas de cœleſti incendio iuſtè ſufflammatos miſere decineraſcere, quaſi ipſe etiam eiſdem pariter inuolueretur ignibus, *cinerem* ſe appellat, niſi vt meritas impiorum pœnas, ipſe pius piiſſimè ſubiens, diuinum furorem ignium minacem auertat, & veniam impiis deprecetur. Scilicet videat Deus in innocente immerito meſtitas nocentium pœnas, quo ſpectaculo pleno pietatis, & piiſſimi ingenij pleno, Dei iras mitiget piâ veniæ deprecatione. Quo arbitrio Lotum ſuum, cum totâ familiâ incēdio exemit. Sic Eſther à ferali Regis edicto immunis, ſibi quoque excidium, & interminatas ſtrages atrociter imminere, Regi proponit. Sic cum ſuo populo ſtragibus addicto, in adſimili ſacco ac cinere volutatur. Sic etiam figurata Eſther, Deipara inquã, ipſa innocentiſſima, & immaculatiſſima, dolores, ærumnas, & calamitates noſtris acerbiores, quibus obærata non erat, vltrò ſubit; ſibi non parcens, vt nobis parceret Deus. O quis ſiccis oculis videat cruciatuum lamenta, quibus piè innocentiſſima Virgo cruciabatur? O ſi cœleſti collyrio ad eas peruidendas animitus inoculemur; & de Eſtheris piè ambitioſo ſqualore, & anxio peracerbè planctu, Deiparæ in Filij ſui damnatione, & patibulo, feralia medullitùs cruciamenta taxemus!

*Abraham cinerem ſe appellat, ne Sodomitæ cœleſtibus flāmis iuſtè decinereſcant.*

Geneſ. 18 v. 27.

Eſther 7. v. 3.

Eſther 14. v. 2. &c.

2. Ioan. 19. v. 25

*Totus Chriſtus crucifixus eſt in intimis viſceribus Materni cordis.*

Ioannis 19. In ferali ligno contumelioſè patiter ac acerbè Chriſto Deo inhumanè patibulato, *Stabant iuxta crucem Ieſu Mater eius, & ſoror Matris eius*, &c. Itaque Maria Mater Ieſu, non corpore conſternata, & clamore miſerabiliter querulo, ſed magnanimâ ac flectineſciâ animitùs conſtantiâ, iuxta dulciſſimi Filij atrociſſimâ *crucem* conſtanter *Stabat*. Mater iuxta crucē ſtabat, in cruce Filius. Quid eſt in cruce? in vnâ tantùm cruce Chriſtus crucifixus eſt? Tempeſtiuè Laurentius Iuſtinianus, ſic Deiparam alloquens: *O mira res,* inquit, *totus Chriſtus crucifixus eſt in intimis viſceribus cordis tui.* Tenera Matris viſcera crucis vicem obeunt? Per vnici Filij ſui, & Filij Dei compaſſionem, in tenellis ſuis viſceribus, citiùs, & acerbiùs quàm in cruce, Chriſtus patibulatus pendet, ſacris vulneribus toto corpore hiātibus? *Totus Chriſtus crucifixus eſt in intimis viſceribus cordis tui.* Imò intima viſcera Materni cordis, in ipſa cruentâ Filij cruce, vel in crucifixo Filio incruente crucifixa ſunt. Opinor, tenera Matris viſcera, non dura, ſed mitis ac blanda crux Filio ſuo dulciſſimo foret. Imò ex blandâ teneritudinis compaſſione tantam crucifixo Filio duritiem è diuerſo mutuabat, vt intima viſcera materni cordis, crux illi foret quamduriſſima. In crucis ligno Filij corpus excarnificatum pendebat, & feraliter cruciabatur; in intimis autem materni cordis viſceribus blandâ compaſſione atrociter ſauciatis, *totus Chriſtus*, animo & corpore, incruentâ paſſione excruciabatur. *Dico* (ait Epiphanius de Virgine Deipara loquens) *illam eſſe cœlum, thronum, ſimul & crucem, extenderat enim ſanctas vlnas Dominum portauit. Thronus Cherubicus, cruciformis, & cœleſtis.* Nempè Virgo Dei Mater, dum ſtabat iuxta crucem Filij, *crux* eius dicitur; & indè *cruciformis*: quia *totus Chriſtus crucifixus eſt in intimis viſceribus cordis ſui.* Sic etiam in intimis viſceribus cordis Eſtheræ, totus Dei populus comminatas crudeliter ſtrages per compaſſionem dutè iam patiebatur.

B. Laurent. Iuſt. de Incend. diuin. amor. c. 4.

S. Epiph Ser. de Laud. Deip.

*B. Virgo, & Chriſti crux, & cruciformis dicitur.*

Adhuc idem Euangeliſtæ locus ſupereſt, pro Deiparæ in ſummis doloribus cōſtantiâ magnanimiter flecti-neſciâ, adhuc emedullandus: *Stabant autem iuxta crucem Ieſu Mater eius, & ſoror Matris eius*, &c. Stabat apud crucem piiſſima Virgo, Filiúmque dilectiſſimum in ligno ſuſpenſum ſuſpiciens, cruentas ſæuè plagas reputans, intuens clauos, ferale ſpinis ſertum, colaphos, flagella, lanceæ vulnus, ridiculárias inſultanter ſubſannationes, cadaueraſcentem Filij vitam, & totam Paſſionis tragœdiam; ore, quin & corde tacito, peracerbos ſanè dolores animitùs concoquebat. *Stabat*, inquam, *iuxta crucem Mater.* O quàm multa quàm paucis Euangeliſta compendiauit! quæ, opinor, S. Bonauentura pauculis verbis ſententioſè expreſſit. Agens enim de beatis gloriæ dotibus, quibus B. Virgo ornatur in cœlis, illorum in terris merita ſigillatim recenſet, ita fatus: *Quæ* (Deipara inquam) *in hâc vitâ ornata extitit ijs virtutibus, quæ cum dotibus corporis ſimilitudinem habent: fuit enim clariſſima per ſanctitatem, ſubtiliſſima per humilitatem, agiliſſima per pietatem* (attentiùs nota quam ſubdit ſententiam) *impaſſibilis per patientiam.* Altè quidem Bonauentura! Scilicet B. Virgo in terris fuit *clariſſima* per ſanctitatem: quâ empyreè claruit: *ſubtiliſſima* per humilitatem, qua ſe infra ima quæque in tanto dignitatis faſtigio exinaniuit, *agiliſſima* pietate ad omnes, & ad omnia facilè exprompta: fuit etiam *impaſſibilis per patientiā.* Nēpè B. Deipara nō ſolùm in reliquo vitæ ſuæ curriculo, ſed præſertim iuxta dulciſſimi Filij ſui crucē, magnanimiter *ſtans* flectineſcio vigore, tantos, támque dirè acerbos dolores perpeſſa eſt, vt *per patientiam, impaſſibilitatem* æmularetur. Verè paſſibilis erat, veréque patiebatur, ſed tam conſtanti patientia, vt velut *impaſſibilis* videretur. Sanè quòd *impaſſibile* eſt, patientiæ expers eſt, & vmbraticè patitur, cùm pati videtur, impatibilitate paſſionem prohibente, ne excrucietur. At Dei Mater *ſtans* iuxta crucem Filij atrociter patibulati, tanta, tāque acerba reipſa cruciamenta patienter tulit, quantum ferè poſſet *impaſſibile* innoxiè pati; arcanè facta velut *impaſſibilis per patientiam.* Faceſſat Stoicus quondam ſtupor, & mentitum bonum ſuæ falſatæ impatibilitatis erubeſcat. Hæc verè laus vnius Deiparæ eſt, *impaſſibilis per patientiam.* Minùs eſt quod Stoicus ſtupor finxit, quàm quod iſta verè geſſit, maiórque ambitioſo mēdacio ſimplex Euangeliſtæ fides: *Stabat autem iuxta crucem Ieſu Mater eius, impaſſibilis per patientiam.* Luculenter ſanè Bonauentura!

3. Ioan. 19. v. 25.

S. Bonau. in ſpecul. c. 6.

*Stabat iuxta crucem Ieſu Mater eius impaſſibilis per patientiā quo vere ſuper ducatur.*

4. Cant. 8. v 6. Symmach.

Canticorum 8. Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium: *quia fortis eſt vt mors dilectio*, &c. Symmachus pro τὸ *fortis*

*fortis* excitibit, *inexpugnabilis*. Benè notat inibi
Cornelius. Cornelius, quòd hæc verba præ omnibus competunt B. Virgini, præſertim quia ipſa ex *forti*, & *inexpugnabili* amore Dei pro hominum ſalute & ſeipſam ſtantem iuxta crucem, & Chriſtum Deum Filium ſuum in cruce pendentem morti deuouerit, & in victimam piacularem obtulerit: fuit enim *inexpugnabilis vt mors dilectio*, quæ tantâ animoſitate tam ſæuè acerbos cruciatus in patibulo Filio perpeſſa fuit. Tanta enim fuit

*Chriſtus, quaſi dimidium Deiparæ cordis, cùm eius dolores ex. tenduntur.*

S. Brigitt. l. 1. Reuel. c. 35. coniunctio & vnio Virginis Matris cum Filio Deo in cruce pendente, vt ipſa reuelauerit S. Brigittæ: (*Cùm*, inquit, *naſceretur* Chriſtus *ex me, ſenſi ego quòd quaſi dimidium cor meum naſceretur, & exiret ex me; & cùm ipſe pateretur, ſenſi quòd quaſi dimidium cor meum patiebatur. Sicut enim illud quod dimidium eſt extrà, & dimidium intrà ſi illud pungitur quod eſt extrà, æquè ſentit dolorem quòd intùs eſt; ſic ego cùm flagellaretur & pungeretur Filius meus, quaſi cor meum flagellabatur & pungebatur.* Dulcis ſanè ac mellea meditatio in tam pœnali cruciamentorum diritate.

Sophron. Verùm S. Hieronymus, vel potiùs Sophronius in Serm. de Aſſumptione, præſcripta epithalamij verba ſic opportunè ad rem præſentem elucidat: *Beata*, inquit, *Virgo Dei genitrix, quia in eâ parte paſſa eſt, quæ impaſſibilis habetur; ideò (vt ita fatear) quia ſpiritualiter, & atrociùs paſſa eſt gladio paſſionis Chriſti, plus quàm martyr fuit vnde conſtat quia plus omnibus dilexit, propterea & plus doluit; in tantum, vt animam eius totam pertranſiret & poſſideret vis dolorũ ad teſtimonium eximiæ dilectionis.* (Attende ſtudioſiùs ad verba quæ ſubtexit) *Nimirùm & eius dilectio ampliùs fortis quàm mors fuit; quia mortem Chriſti ſuam fecit.* Ecce tibi *fortis, & inexpugnabilis* Marianæ dilectionis patientia & dolor. Partùm fotet, quod dimidium cordis patiente Filio pateretur, plus audet Sophronius ad exponendos Deiparæ cruciatus, inquiens, *quia* etiam *in ea parte paſſa eſt, quæ impaſſibilis habetur.* Sed quis pati poteſt in eâ parte, quæ *impaſſibilis* habetur, niſi quæ (ſenſu nuper præſcripto) facta eſt *impaſſibilis per potentiam*? Addit aliam rationem huic minimè ſuppatem, *Nimirùm quia mortem Chriſti ſuam fecit.* Quid eſt quòd Deipara atrociſſimã Filij ſui mortem fecit ſuam? An quia tanta illi ex Filij morte obuenerunt merita, & ſanctitatũ gratiæ, ac ſi mortem pro eâ ſolâ Chriſtus obiiſſet; ac ipſa fuiſſet ſolum opus redemptionis? Sic Beata Virgo, gratiarum ſitienter bibula, Chriſti redemptionem velut exhaurit? An *mortem Chriſti ſuam fecit*, quia Filij ſui vitâ quodammodo viuebat? Sic eſt *inexpugnabilis* vt mors, Virginis Deiparæ iuxta crucem ſtantis dilectio! Sanè *inexpugnabilis* vt mors Mariæ dilectio, quæ *mortem Chriſti ſuam faciens*, adhuc iuxta crucem magnanimiter *ſtabat*.

*Deipara in eâ parte patitur, quæ habetur impaſſibilis.*

*B. Deipara iuxta crucem ſtans, Chriſti mortem ſuã fecit.*

5. Ioannis 19. *Stabant autem iuxta crucem Ieſu*
Ioan. 9. v. 25. & 26. *Mater eius, & ſoror Matris eius, Maria Cleophæ,*
S. Brigitt. l. 1. Reuelat. c. 35. *& Maria Magdalene. Cùm vidiſſet ergò Ieſus Matrem*, &c. Hæ plures feminæ cruci aderant; ſed Crucifixi Mater propior ſtabat corpore, ſimul animo: *Ego* (ait B. Virgo) *ſtabam viciniùs cruci eius: & ſicut hoc grauiùs pungit quod vicinius eſt cordi, ſic dolor eius grauior erat præ ceteris mihi: cùmque reſpexiſſet ad me de cruce, & ego ad eum, tunc de oculis meis quaſi de venis lacrymæ exibãt, & cùm ipſe me cerneret dolore confectam, in tantum amaricabatur de dolore meo, quòd omnis dolor vulnerum ſuorum erat quaſi ſopitus ſibi præ dolore meo, quem in me videbat: propterea audacter dico, quia dolor eius erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum.* Chriſto in cruce pendenti *quaſi ſopiti* ſunt peracerbi tot cruciatuum dolores, ne quid ferè ſentiat, aut potiùs vt Matris dolores viuaciùs perſentiat? Tanta Matris calamitas tantum à Chriſto dolorem expreſſit, vt reliquis quaſi ſopitis doloribus, dolor Matris eſſet Filij dolor, ac ſi Mater foret præ compaſſione pia Filij in cruce carnifex, & altera ipſius crux. At pia Mater ſic dolorum vices peramanter reciprocat, vt audeat dicere: *dolor eius erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum.* Dolor Filij ipſiſſimus dolor Matris eſt, ne Dei mater aliquo degenere dolore, niſi dolore Filij vnquam doleret. Crucifixo Filio *quaſi ſopiti* ſunt crucis dolores, ne quid Matris doloribus pœnaliùs ſentiat: & Matris iuxtà crucem ſtantis dolor, erat dolor Filij, vt ad reliqua propè impaſſibilis, Filij dolores tantùm perſentiret.

*Dolor Filij in cruce, erat dolor Matris; & dolor matris erat Filij dolor, reciproco arcanè ſenſu.*

P. Didac. Celada in Eſtherem.

---

CAPVT VII.

*Verſ.* 3. Dona mihi animam meam pro qua rogo, & populum meum pro quo obſecro: traditi enim ſumus ego, & populus meus, vt conteramur, &c.

CAPVT XIV.

*Verſ.* 2. Fletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit, &c.

CAPVT XV.

*Verſ.* 8. Ipſa autem....... triſtem celabat animum, & nimio timore contractum.

§. CCCLXX.

*Materni doloris acerbitas adhuc copioſè expenditur: tunc autem Deipara iuxta crucem, cum diuinitate ſtabat ipſa immobilis, & gaudens.*

S. Bernardus quo ſolet melleo eloquio, in Lamentatione Virg. Mariæ, ſic eius amariſſimos iuxta crucem dolores expendit: *Non credo*, inquit, *plenè enarrari, vel meditari poſſe dolorem Virginis, niſi tantum fuiſſe credamus, quantum vnquàm dolere potuit de tali Filio talis Mater; verumtamen rectum erat amoris & mœroris continens modum.* Piæ Matris iuxta crucem Filij peracerbus dolor, vt *meditationem* ſuperat, ſic & *narrationem* longè tranſcendit: doluit enim *quantum de tali Filio talis Mater dolere potuit*: Dignitas Filij, Materni doloris menſura eſt, & quæ dolendi potentiam exæquat, quâ mœrendi ambitione, qui eſt arcanus aliquis dolendi faſtus. Et quoniam opinatiſſimè celebris Eſtheris planctus fuit, idcircò adhuc immorabor pluſculùm in adumbratæ Eſtheris, Deiparæ inquam, piè ambitioſo dolore & planctu vberiùs exponendo. 1. S. Bernard.

*Dignitas Filij crucifixi, menſura eſt dolorũ Matris.*

Eſther 14. toto cap.

2. Ioannis 19. *Stabant autem iuxta crucem Ieſu Mater eius, & ſoror Matris eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cùm vidiſſet ergò Ieſus Matrem,* &c. Dum patibulo crucis quis pendet diſtrictus, Quid huius viuere eſt? planè diu mori, vulnera ſua premere, inter ſupplicia tabeſcere, perire membratim, toties potiùs per cruoris ſtillicidia amittere animam, quàm ſemel exhalare. Quin etiam adactus ad illud infelix lignum iam debilis, iam defectus, iam exanguis, & in fœdum ſcapularum, ac pectoris tuber eliſus, trahere animam tot tormenta tractoram. Huius ſiquidem vita ſupplicij mora eſt. *O qualis erat anima Matris,* (exclamat S. Bonauentura) *cùm ſic pœnosè videbat Filium deficere, languere, lacrymari, & mori!* Denarrat S. Brigitta ſibi à B. Deipara dictum, ex infixis ſpineæ coronæ aculeis ſacra Filij tempora terebrantibus, vberes ſanguinis riuulos defluxiſſe per Chriſti Dei faciem, eiúſque ſacrum vultum, oculos, comam, barbam ſic cruentè impleſſe, vt nihil ferè niſi ſanguis videretur, Quomodò igitur *videre* potuit Ieſus Matrem iuxta crucem ſtantem? *Nec ipſe,* inquit, *me adſtantem cruci videre potuit, niſi ſanguine expreſſo per ciliorum compreſſionem.* Vidit, vidit quidem Ieſus e cruce Matrem prope crucem ſtantem; dicit enim cóſultiſſimè Euangeliſta, *Cùm vidiſſet Ieſus Matrem*; vidit inquam, ſed per oculos ſanguine madidos, vt Chriſti aſpectus Redemptionis ſanguine ſucculentè madidus, Matrem videret, & quaſi per ſanguinem illam reſpiceret, quæ plus bibula redemptricis vndæ, plus Dominici ſanguinis hauſit, ac participauit, quàm reliquum omne hominum genus. Madeat ſanguine Redemptoris Filij aſpectus, cùm matrem è cruce reſpicit, vt aſpectus etiam velut ſui ſanguinis arcanè baiulus, ſanguinem, quem è Matre ſumpſerat, regerat, & infundat in Matrem, & ineffabili aſpectuum velut vectatione Matri reſtituat, quem à Matre medullitùs quondam mutuauit.

Ioann. 19. v. 25. & 26.
S. Bonau. in Specu. c. 37.
*Sanguine ſuffuſo aſpectu Filius è cruce Matrẽ videt, & quo ſacramento.*
S. Brigitt. l. 4. Reuelat. c. 70.

3. Lucæ 2. acerba illa Simeonis ad Mariam verba referuntur: Ecce poſitus eſt hic, inquit, in ruinam, & in reſurrectionem multorum: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* O inſuſpicabiles diſtricti gladij minas? ô peregrinam ad ſauciandum armorum aciem; quæ non tam corpori, quàm animæ inſolenter minitatur! Appoſitè S. Bernardus ſic ad præſcripta verba fatur: *Verè tuam, ô Beata Mater, animam gladius pertranſiuit: alioquin non niſi eam pertranſiens, carnem Filij tui penetraret.* Dira inhumani atrociter tortoris lancea, non poterat penetrare Chriſti crucifixi corpus, niſi per animam Matris pertranſiret? Sic, Filij anima à corpore recedente, frigido iam cadaueri hærebat Matris anima? ſic Materno adglutinabatur affectu, vt niſi pertranſiens per animam Matris, Filij corpus ſauciare nequiret? Pergit Bernardus: *Et quidem poſteàquàm emiſit ſpiritum tuus ille Ieſus, ipſius planè non attigit animam crudelis lancea, quæ ipſius (nec mortuo parcens, cui nocere non poſſet) aperuit latus: ſed tuam vtique animam pertranſiuit, ipſius nimirùm anima iam ibi non erat, ſed tua planè inde nequibat auelli. Tuam ergò pertranſiuit animam vis doloris.* Quaſi feralis lancea, quæ Filij inſenſile iam cadauer inhumanè ſauciauit; ne pœnali vulnere vacua rediret, animam Matris, quæ *auelli nequibat* à Filij defuncto corpore, tantò crudeliùs feriret, quantò in eius cadauer inerti inhumanitate deſæuiret. Scilicet ne cum receſſu animæ aliquis ſenſus doloris omninò deſit, pro anima Filij ſubſtituitur anima Matris, quæ *inde nequibat auelli,* vt dolorem vulneris, quem non ſentiebat Filius, pœnaliſſimè Mater perſentiret. Luculenter ſanè Bernardus!

Lucæ 2. v. 35.
S. Bern. ſerm. Signũ mag
*Vulnere defuncti Filij, anima Matris pro Filij anima ſubſtituta, inhumaniter feritur.*

4. Canticorum 1. *Faſciculus Myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Pro τὸ *commorabitur,* ex Hebræo ſcribitur, *pernoctabit.* Non quòd interdiu abiecerit Sponſa myrrhæ faſciculum, ſed quia noctu maximè ingruunt triſtes cogitationes, & moleſtiores viuaciùs phãtaſiæ. Verùm S. Ambroſius, *requieſcet* exſcribit. Quæ eſt iſta tam dulcis ac placida *requies* cum amariſſimo myrrhæ faſciculo? S. Bernardus, Rupertus, & alij paſſim, ſicut huius epithalamij reliqua, B. Virgini adaptant; ſic etiam hæc verba de myrrhæ amaritudine, & auxiis doloribus, quos in Filij crudeliſſimâ morte perpeſſa fuit, nuncupatim exponunt. Sed quare felleam Paſſionis *myrrham* connectit, cum melleâ *vberum* dulcedine? Quorsùm cùm Paſſionis amaritudine exacerbatur, *vberum requiem* inducit? Opinor, rem tetigit S. Bernardinus Senenſis, qui piè contemplatur B. Virginem iuxta crucem Filij ſtantem, & verè cruciformem, ab incarnationis momento, & *vberum requie,* ita fatur: *Hæc Virgo,* inquit, *ſe obtulit ad illam inæſtimabilem mortem, & illud ineffabile incendium, quo in ipſa Chriſti conceptione tota fuit ſuccenſa.* Eſt poſt pauca: *Quantò magis Virgo cum Chriſto crucifixa eſt in horâ huius ſuæ conceptionis ........ In ſignum igitur quod crucifixa crucifixum concepit, ordinauit ſumma ſapientia Dei, quod eodem die Chriſtum concepit, quo etiam fuit paſſus.* O præproperam crucifixionem moræ diuturnitate pœnaliſſimam! Dum ipſi ipſe Deus gratiſſimè, & peramanter conuiſceratur; dum venter Dei baiulus, Deo glorioſè tumet, dum infantem Deum dulciſſimè brachiis ſtringit ſuis, os ori imprimit, & lactat ſacro nectare; *crucifixa crucifixum concipit*, amplexatur, & lactat? Hic myrrhæ faſciculus dum *requieſcit* aluo, dum in *vberibus pernoctat,* crucis amaritudinem Deiparæ ſpirat, paſſionem imprimit, & crucifixam, aut cruciformem exprimit; ne priùs mella, quàm fella guſtaret S. Bernardino concinit Rupertus ad eundem Canticorum locum, inducens Virginem ſic loquentem: *Nolite ſolam attendere horam, vel diem illam, in quâ vidi talem dilectum ab improbis comprehenſum, male tractari, ſcilicet illudi, ſpinis coronari, flagellari, crucifigi, felle & aceto potari, lanceari, mori, ſepeliri ........ Cùm igitur carne meâ taliter progenitum, talem Filium ſinu meo fouerem, vlnis geſtarem, vberibus lactarem, & talem eius futuram mortem ſemper præ oculis haberem, qualem, quantam, quàm prolixam me putatis materni doloris pertuliſſe paſſionem? Hoc eſt quod dico; Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. O commoratio dulcis quidem,* (hinc pro τὸ *commorabitur*, Hebraicè, *requieſcet,* habetur) *ſed plena gemitibus inenarrabilibus: ad vbera deformis cingebatur, & iiſdem lactabatur vberibus, ſimúlque inter vbera intùs in corde præſcio futurorum ſemper parebat quali eſſet morte moriturus.* Ecce tibi qualiter Deipara crucifixa crucifixum concepit, peperit, lactauit, fouit: vt ſic diuturnè ampliaretur paſſio, cui paſſionis fructus ſic præproperè, ac copioſè exundauit.

Cant. 1. v. 13.
Hebræus
S. Ambr. in Pſalm. 118. ſerm. 3.
S. Bernard. Rupert.
S. Bernardin. tom. 3. ſer. 6. art. 2. c. 1.
*Deipara crucifixa crucifixum concipit parit. lactat, & quo ſenſu.*
Rupert. in Cant. c. 1.

5. Ioannis 19. *Stabant autem iuxta crucem Ieſu Mater eius, & ſoror matris eius,* &c. Beata Dei Mater

Ioann. 19. v. 25.

*Quid nam pœnalius, aut Filio eſſe in cruce, aut Matrem iuxta crucem ſtare?*
S. Bern. Ser. Signũ magn.

Mater à Filij ſui conceptione cruciformis, dum Filius erat in cruce, ipſa *iuxta crucem ſtare* dicitur, & cruci vicinior. Sed cuinam fuit crux acerbior ac pœnalior? an Filio Deo cruci affixo? an Matri iuxta crucem ſtanti? Piè audax quæſtio. Sed liceat audaciuſculè cùm Bernardo reſpódere: *Sed fortè quis dicat: Numquid non eum Virgo præſcierat moriturum? Et indubitanter...... Super hac doluit crucifixum, & vehementer. Alioquin quis tu frater, aut vnde tibi hac ſapientia, vt mireris plus Mariam compatientem, quàm Mariæ Filium patientem? illi enim mori corpore potuit; iſta commori corde non potuit: fecit illud charitas, quâ maiorem nemo habuit; fecit & hoc charitas, cui poſt illam ſimilis altera non fuit.* Vel comparatio ſola dolorum Matris iuxta crucem pœnaliſſimè *compatientis*, cum Filij doloribus in cruce acerbiſſimè *patientis*, rem vltra modum exaggerat. Et ſanè Chriſti dolores cum ipſo mortui ſunt; ſed in Matris corde adhuc viuaciſſimè, & pœnaliſſimè ſupererant; quæ reliquias etiam paſſionis, lanceæ ferale vulnus, & vulnerum tabem, & ſepulturæ horrorem, & furorem reliquum Iudæorum hoſtiliter ſæuientium, velut immortali dolore ſuſtinuit. *Chriſtus mori corpore potuit, Deipara commori corde non potuit.* O quàm multa pro Matris doloribus, in hâc breui Bernardi ſententiâ eruditis tranſparent!

6. Needum plenè enucleata ſunt illa ſæpè noſtro elucidario tentata Euangeliſtæ verba: *Stabant autem iuxta crucem Ieſu Mater eius*, &c. *Stabat*. non degeneri Mater ſpectaculo, quæ non metueret peremptorem: *ſtabat*, cui in animo non minus amoris, quàm mœroris æſtuabat: *ſtabat*, quæ ſuperabat mulierem, & humanum magnanimitatis faſtum: *ſtabat* Mater Virgo de conſtantiæ immobilitate, Patris Dei glorioſè æmula. Quod perbellè tradit S. Mechtildis, denarrans ſe vidiſſe Seraphim ad Virginem ſalutandam: *Ob amorem*, ait, *quo Deum præ omni creaturâ in terris dilexit: quia amor in paſſione Vnigeniti ſui in eâ tantùm prævaluit, vt omnem humanum affectum penitùs deuinceret, & extingueret:* (Nota quæ ſubdit verba) *quia omni creatura in morte Filij Dei dolente, ipſa ſola cum Diuinitate immobilis, & gaudens Filium ſuum pro mundi ſalute voluit immolari.* Sileat conſueta elucidatio, vbi ſententia affulget humano mentis faſtigio & eloquio maior. In tanta cauſsâ dolendi, B. Virginem mœſtiſſimè & ſimul pœnaliſſimè *gaudere*, *immobili* magnanimitate, æmulâ *Diuinitatis*, (quæ penitùs dolere non poteſt) humani ingenij faſtum tranſcendit, muto ineffabiliter ſtupore venerandum.

Ioann. 19. v. 25.
*Dei Mater iuxta Filij crucem, ſola cum diuinitate immobilis & gaudens Filium ſuum immolari voluit*
S. Mechtild. l. 1. Reuel. c. 36.

## CAPVT IV.

*Verſ.* 16. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo, &c.

## CAPVT XIV.

*Verſ.* 2. Et corpus ſuum humiliauit ieiuniis.

## §. CCCLXXI.

### *Ieiunium (quæ ſpecies aliqua humilitatis eſt) ſic ne præcelluit in Deipara, vt, acſi foret quodammodo ſui corporis pars, ad conceptionem Redemptoris adiuuerit?*

VErè pariter ac bellè dixit Ambroſius: *Illa terra aratris ſcinditur, vt mundanis ſit congrua frugibus: mea terra ieiuniis inaratur, vt cæleſtibus ſit apta ſeminibus. Sicut enim reditum vberiorem capit, qui frequentius vexando exercet campum, ita maiorem gratiam percipit, qui exercet corporis ſui campum ſæpiùs ieiunando.* Suo, ac Dei populo periclitãte, de ferali Amanis aſtutiâ, humanitatis auara, & exeidiorum atrociter prodigâ; anxiatur Eſther auxilij ferendi ſterilis, & opis precariæ inops: aditum enim ad Regem clauſerat inhumanum crudeliter edictum, in piè etiam tranſgreſſores cædium enormiter fœcundum. Ergò Eſther toto triduo cum omni populo inediâ maceratur, vexatur ieiunio; quo ſe reddidit, & à propria cæde mirabiliter exemptam, & ferendæ opis fœcundam, & fœcundæ impetrationis feliciter opulentam. Æquum ſanè erat, vt quæ corporis ſui campũ ſic ieiunando vexauerat, & periculi ſentes exeinderet, & gratiam inopinatæ impetrationis perciperet vbere incolumitatis prouentu: *Non comedatis*, inquit, *non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: Ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo, & tunc ingrediar ad Regem contra legem faciens non vocata tradenſque me morti ac periculo.* Iſtiuſmodi ieiunij vberes fructus, tota huius Heroïcæ hiſtoria copioſè denarrat. Neque hoc ieiunij elogium typicæ Eſtheris, Eſtheri figuratæ deeſt; ne quid obſcurè in vmbra tranſpateat, quod non micanter in corpore eluceat. 1.

S. Ambroſ. Serm. 36.
*Eſther tridui ieiunio, ad opem ſuo populo ferendam vberrimè fœcundatur.*
Eſther. 4. v. 16.

Eſtheris cap. 14. ita de eâ ſcribitur: Eſther quoque regina confugit ad Dominum, pauens periculum, quod imminebat. Cùmque depoſuiſſet veſtes regias, fletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit, & pro vnguentis variis cinere impleuit caput, *Et corpus ſuum humiliauit ieiuniis*, &c. Vidè quàm largè Eſther piè ambitioſa pœnitentiæ munera obit, & vltra puellæ nobiliter delicatæ vires, triduanæ inediæ patrocinium aſſumit: & quod ieiuniis velut auarè detrahit corpori, pœnitentiæ officiis largiùs impendit. De Eſthere figuratâ, Deiparâ inquam, ſic tempeſtiue fatur Ambroſius: *Quid exequar ciborum parſimoniam,* 2.

Eſther. 14. v. 2.
*Præ ciborum parſimonia B. Virgo pend ipſi natura defuiſſe perhibetur.*
S. Ambr. l. 2. de Virginib.

*efficiorum redundantiam: alterum vltra naturam ſuperfuiſſe, alterum penè ipſi naturæ defuiſſe? Illic nulla intermiſſa tempora, hic ingeminati ieiunio dies.* Ecce tibi in typo & antytipo, officiorum redundantiam vltra naturam abundè ſuperfluentem: & ciborum parſimoniam, adeò ſuſtentationis auaram, & inediæ prodigam, vt congeminati ieiunio dies, dum corporis defectionem negotiantur, naturæ detrahunt, quod ſupra naturam pietati erogant. *Alterum vltra naturam ſuperfuiſſe, alterum penè naturæ defuiſſe.* Quod abundè ieiuniis erogatur gratiæ, naturæ defecit: & naturæ defectum, quem inedia procurat, arcanus ieiunij vigor arcet; & quod naturæ demitur, gratia ieiuniorum redintegrat. Pabulum ac potum triduo abijcit Eſther, vt tridui ieiunio penè deficiens, *in virgine adhuc ſaliuâ, cælum fragrans* apud terrenum Regem, Dei populum redimat; dum de macilento naturæ defectu, gratiæ vigor robuſtiùs mutuatur.

Tert. aduerſ. Pſychic.

3\. Danielis 1. conſtituit Rex ipſi Danieli, ac ſociis eius annonam per ſingulos dies de cibis ſuis, & de vino vndè bibebat ipſe. Daniel autem ieiunandi ſtudio, obnixiùs rogat eunuchorum Principem, vt aquæ potu, & olerum pabulo illos decem diebus ad tentamentum alat. *Poſt dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores, præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibo regio.* Lxx. Interpretes pro τὸ *corpulentiores*, habent, *fortiores carnibus*, Hebraicè, *pinguiores*, quaſi de ieiunij macie, aliquid pinguedinis, & corporei incrementi mutuarint. Simile quid Eſtheri contigit, quæ de triduano ieiunio formoſior, gratior, & nitentior regiis oculis apparuit. Ad hanc à ieiunio *corpulentiorem* Danielis, & Eſtheris formam fortè adludit S. Iulianus Commentario in Nahum, vbi de ieiunio ita ſcribit: *Ieiunium eſt mors vitiorum, vita virtutum; eſt ieiunium pars corporis decus membrorum, ornamentum vitæ; eſt ieiunium robur mentium vigor animæ.* Duo notantur animaduerſione digniſſima de ieiunio; ſcilicet quòd ab eo *apparuerunt vultus* Danielis (& Eſtheris etiam) *meliores, & corpulentiores*, quaſi *corpulentiam*, & pulchritudinis *decus* ab eo fœnerarint: vtrumque autem elogium ieiunio Iulianus attribuit, aiens, *Eſt ieiunium pars corporis, decus membrorum.* Parùm foret, quòd ieiunium eſſet *decus membrorum*, & venuſtatis ornamentum, niſi etiam *pars corporis* diceretur. *Corpulentior* eſt à ieiunio Daniel, item & Eſther typica: quin & Eſtheri figuratæ *pars corporis* ieiunium quodammodò fuit: vt inde corporis fieret incrementum, vnde poterat decrementum timeri. O grande in Deiparâ ieiunij elogium! Deiparæ corpus, corpus Deo ſubminiſtrat; corpus vtriuſque eadem caro eſt: carnem enim Deus de corpore Virginis mutuauit. Arcanè igitur Mariæ corpus ieiunio velut ampliatur, & Mariani *corporis pars*, *ieiunium* quodammodò nominatur. Quid auguſtius de ieiunio Deiparæ excogitari poteſt, quàm quòd velut *pars corporis* Mariani nuncupetur, & illam quodammodò integrare dicatur?

Daniel. 1. v. 15.
Lxx. interp. Hebræus.
Eſther c. 5. & c. 15.
S. Iulianus.
*Ieiunium eſt quodammodò pars Mariani corporis.*

4\. Eſther cap. 15. *depoſuit veſtimenta ornatus ſui, & circumdata eſt gloria ſua.* Cúmque regio fulgeret habitu aſſumpſit duas famulas, & ſuper vnam quidem innitebatur, quaſi præ deliciis & nimiâ teneritudine corpus ſuum ferre non ſuſtinens: altera autem ſequebatur dominam, defluentia in humum indumenta ſuſtentans. *Ipſa autem roſeo colore vultum perfuſa, & gratis ac nitentibus oculis triſtem celabat animum.* Quodnam fuit hoc animi operimentum, quo animum celabat? Appoſite regius Propheta, quaſi ieiunij Eſtheris memor: *Operui in ieiunio animam meam.* Quæ verba ſic Paullinus elucidat: *Dauid operiebat in ieiunio animam ſuam, vt eam ſpiritualis ſaturitate contegeret: vndè diſcimus veſtimentum animæ eſſe ieiunium.* Ecce tibi quo pacto Eſther, cùm Regem allocutura, ieiunium abſoluit, dicitur *depoſuiſſe veſtimenta ornatus ſui*, vt corpore indueret regalia ſumptuoſiùs indumenta, quam *gloriam ſuam* appellat: nam gloria Reginæ, regalia glorioſiùs veſtimenta ſunt, & glorioſum regni inſigne. Ergò quandò Eſther ieiunium intermiſit, cùm *animæ veſtimentum* depoſuerit, *veſtimenta ornatus ſui depoſuiſſe* dicitur. Itaque animæ *veſtimentum*, & glorioſior illius *ornatus*, ieiunium eſt. Hoc animæ veſtimento, & ornatu egregiè Deipara induitur, adornatur, venuſtatur. Niſi potiùs qui ieiunij excellentiam opulentiore cenſu æſtimat, exiſtimet cum Proclo, quòd eſt Deipara *ipſa indumentum temperantiæ.* Scilicet ieiunium eſt ornatior animæ veſtis; At Beata Virgo (ſic ieiunij ſtudioſa, vt *penè naturæ defuiſſe* dicatur) eſt ipſius ieiunij *indumentum*, ornatus, & decus glorioſiſſimum. O, gratulemur ieiunio, quòd Mariam induit, Maria adornatur, per Mariam eximiè pulcheſcit; ſiquidem Mariâ ipsâ, velut gloriæ veſtimento nitet. Ergò, ô homines, *ſanctificate ieiunium*; oſtendetur enim ſanctum, ſi Deiparam induat, & eius pulchram temperantiam imitatione æmuletur. Nunquam hæc noſtri *ornatus veſtimenta deponamus.* Hinc forſan quiſpiam *pulchrè ieiunare*, à Clemēte Alexandrino perhibetur. De quo aliàs.

Eſther 15. v. 4.
Eſther 15. v. 8.
Pſ. 68. v. 10.
S. Paullin. epiſt. 10.
*B. Deiparæ glorioſum ieiunij veſtimentum eſt.*
Procl. Orat. 6.
Ioël. 1. v. 14
Clem. Alex alibi expenſus.

5\. Iudicum 13. præclara Redemptoris vmbra, Samſon olim fuit, quia à Philiſthinorum ſeruitute Dei populum liberauit. Angelus autem eius conceptum matri prenuncians, ſic illam alloquitur: *Concipies, & paries filium: caue ergò ne bibas vinum, ac ſiceram, nec immundum quicquam comedas: quia concipies, & paries filium: & ipſe incipiet liberare Iſraël de manu Philiſthinorum.* Conſultiſſimè quidem matri concepturæ, ac pariturae Redemptoris typum, ieiunium inducitur. Cauſſam reddit Baſilius *Quid, inquit, fortiſſimum Samſonem inexpugnabilem reddidit? nonne ieiunium cum quo in matris ventre conceptus eſt? Ieiunium concepit, ieiunium nutriuit*, Eſto: Samſon Iſraëlis Redemptor typicus, cum ieiunio in Matris ventre conceptus ſit, quia ieiunium Matri ab Angelo indictum eſt: aſt quo pacto Samſonem *ieiunium concepit, ieiunium nutriuit*? An quia *ieiunium pars corporis*, à S. Iuliano nuper appellatur? (Sat eſto intendiſſe digitum ad Iuliani nouum acumen, alioqui Magni Baſilij verba iam olim à nobis enucleatiùs elucidata ſunt) ô, adumbratum Redemptorem *ieiunium concipit, ieiunium nutrit*, & ad illum concipiendum, & nutriendum, *ieiunium* velut *pars corporis* computatur? Quid Mariano ieiunio accommodatius? Et ſanè admirabilitate plenum eſt, quòd ieiunium, quæ eſt ciborum ablegatio, & penuria, nutrire dicatur. Infantem Samſonem ieiunium ad tantum robur enutriet, ſaginabit, adipabit? ô inſuſpicabile ieiunij miraculum!

Iudicum 13. v. 3. & 4. & 5.
*Adumbratū Redemptorē ieiunium concipit, ieiunū nutrit.*
S. Baſilius homil. 1. de Ieiun.
*Ieiunium Samſonem nutrit.*

6\. Lucæ 1. ab Eliſabethâ magnificè laudatur Deipara; quæ corde humilis, prædicatas de ſe laudes

Lucæ 1. v. 48.

des

des in Deum protinùs regerit. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum: & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* O vera humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innouauit; mundum purificauit, paradiſum aperuit. Facta eſt Mariæ humilitas ſcala cæleſtis, per quam Deus deſcendit ad terras. Huic autem Marianæ humilitati refragari videtur Origenes, non vt eam minuat, ſed vt illam latiùs amplificet, ſic fatus: *Sed quid humile atque deiectum, quæ Dei Filium geſtabat in vtero? Sed conſidera quoniam humilitas in Scripturis vna de virtutibus prædicatur, quæ à Philoſophis Modeſtia dicitur. Sed nos eam poſſumus appellare quodam circuitu, cùm aliquis non eſt inflatus*: & præ modeſtiâ, ambitione non turget. Quin & Deiparæ humilitas in Eſthere eius typo vlteriùs etiam ampliatur. De ipsâ enim ſcribitur cap. 14. *Et corpus ſuum humiliauit ieiuniis.* quaſi ieiunium ſit etiam aliqua humilitatis ſpecies, ambitioſæ corporum *inflationi* oppoſita: *Macies non diſplicet nobis* (ait Tertullianus) *faciliùs ſi fortè per anguſtam ſalutis ianuam introibit caro exilior, citiùs reſuſcitabitur caro leuior, diutiùs in ſepulturâ durabit caro aridior.* (Attentiùs expende quam ſubdit ſententiam) *Saginentur pugiles: illis enim ambitio corporis competit.* Scilicet quemadmodùm ingluuies, dum gulæ illecebris carnem adipat, & elatiùs diſtendit; de ſaginæ nobilioris & delicatioris ingeſtâ arrogantiâ, *ambitionem corporis* procurat: ſic ieiunium, dum per inediam acquirit maciem, & de eſculentorum ac poculentorum aridâ abſtinentiâ redditur *caro exilior*, corporis humiliatem negotiatur. Idcircò Eſther, humilitate opinatiſſima, quò ſaginati regiè *corporis ambitionem* excutiat, *corpus ſuum humiliaſſe ieiuniis*, moraliſſimè perhibetur: vt typus antitypo conueniat, & veritas in vmbra tranſpareat; omnibúſque palàm innoteſcat, omnium humilitatum genere cumulatam fuiſſe, cuius Deus *humilitatem reſpexit*.

S. Aug. Ser. 2. de Aſſump.

*Ieiuniũ, aliqua eſt humilitatis ſpecies, dum ambitionem corporis arcet.*

Orig. homil. 8. in Lucam.

Eſther. 14. v. 2.

Tertull. adu. Pſych. c. 17.

---

## CAPVT I.

*Verſ.* 3. & 4. Fecit grande conuiuium Principibus ſuis ...... vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui ac magnitudinẽ, atque iactantiam potentiæ ſuæ, &c.

## CAPVT XI.

*Verſ.* 18. Iuſſit conuiuium præparari per magnificum .... pro coniunctione, & nuptiis Eſther.

## §. CCCLXXII.

### *Quàm altum gratiæ & gloriæ pelagus, in Deipara exundet.*

1\. Albertus Magnus in homil. ſuper Miſſus eſt gratiarum plenitudinem, quæ in Virgine Deipara vbertim ſtagnant, hiſce verbis perite tradit. *Congregationes aquarum vocauit Deus maria, locus autem omnium gratiarum vocatur Maria.* Alberto Magno S. Bonauentura concinit: *Maria*, inquit, *dicitur mare propter affluentiam & copiam gratiarum: vndè ſcriptum eſt: Omnia flumina intrant in mare, dùm omnia chariſmata Sanctorum intrant in Mariam.* Hanc in Maria gratiarum plenitudinem perſtringere, & adumbrare, huius §. labor eſto.

Alber. Mag. Geneſ. 1. v. 10.

1 Bonau. in Spec. B. Virg. c. 3.

Eccle. 1. v 7.

2\. Canticorum 4. ſic cæleſtis ſponſus Mariæ ſponſæ venuſtatem deprædicat: *Quam pulchra es amica mea, quàm pulchra es..... Abſque eo quod intrinſecùs latet.* Symmachus, & LXX. præter *ſilentium*, vel *taciturnitatem*. id eſt, præter id, quod ſic intrinſecùs latet abditum, & tectiùs reconditũ, vt & inuiſum, & inſuſpicabile, & ineffabile ſit. Grande hinc litigium inter Commentatores, quod nemo hactenùs compoſuit. Richardus lib. 12. de Laudibus B. Mariæ, ita locum exponit. *Quàm pulchra es amica mea, &c. abſque eo, id eſt, præter illud, quod intrinſecùs latet, ſoli Deo cognitum, nemini manifeſtum. Vel, Abſque eo quod intrinſecùs latet, id eſt, abſque interna virtutũ pulchritudine, quæ omnes homines latuit, etiam ſeipſum.* Scilicet plura B. Virginis elogia, ipſáque granditer præcellia, Bibliorum oracula publicant, & Sanctorum Patrum volumina præclarè buccinant, totâ plaudente Eccleſiâ, quæ de tantâ gratiarum plenitudine in Deiparâ, lætanter ſibi gratulatur. Neque his metari licet Marianas laudes, & eximias gratiarum prærogatiuas, quibus inſigniter dotata eſt Dei mater, & Spiritus-ſancti ſponſa. Alia ſuperſunt, quæ *intrinſecùs latent, nemini manifeſta, & ſoli Deo cognita.* Audeat, audeat piè erudita Fidelium deuotio, hæc Deiparæ elogia, quæ *intrinſecùs latent, nemini manifeſta, & ſoli Deo cognita*, de cæleſti inſtinctu ſollerter explorare, & animoſiùs prouulgare. Scrutetur hoc *ſilentium*, vocalem reddat hanc *taciturnitatem*, & de gratiarum theſauro, qui *intrinſecùs latet, nemini manifeſtus, & ſoli Deo cognitus*, indies noua, arcana, & ineffabilia Deiparæ elogia, piè furaci deuotione depromat. Quid terris, quid cælo adulantiùs, quàm recentes ſemper hymnos Matri Virgini modulari? Sed attentiùs nota poſteriorem loci expoſitionem, & ſententiæ clauſulam. *Abſque eo quod intrinſecùs latet, id eſt, abſque interna virtutum pulchritudine, quæ omnes homines latuit, etiam ſeipſam.* Quid boni, quid pulchritudinis, quid gratiarum, eſt in Deipara, quod ipſam lateat? An quia nulla creata mens, neque humana, neque Angelica, neque ipſa Deiparæ mens, quamuis prælustriùs cognato Numine irradiata, ipſius gratias, dotes, prærogatiuas comprehendere eualet? An quia quæ ipſa de ſe probè noſcit, ſic præ humilitate profundiſſima velut neſcit, aut ſcire tectiùs diſſimulat, ac ſi penitùs ignoraſſet? Hic ſanè pius quidam eſt humilitatis faſtus, cum gratiarum immenſitate coniunctus, & ineffabili commercio fœderatus.

Cant. 4. v. 1.

Symmach. LXX. interp.

*Deiparæ elogia, nemini manifeſta, ſoli Deo cognita dicuntur.*

Richard. à S. Laurent.

*An Deiparæ elogia tanta ſint, vt ipſam lateant?*

3\. Lucæ 1. ſciſcitanti Deiparæ quomodò prolem Virgini ſpondeat, reſpondet Angelus: *Spiritus-ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, &c.* Quæ Angeli verba S. Athanaſius elucidans, ita ſcribit: *Spiritus-ſanctus in Virginem deſcendit cum omnibus ſuis eſſentialibus virtutibus, quæ illi per rationem diuini Principatus adſunt, imbuens eam in gratia.* Quid eſt, quòd cùm Spiritus ſanctus ſuperuenit in Virginem, dicitur *veniſſe cum omnibus ſuis*

Lucæ 1. v. 35.

S. Athanaſ. Ser. de Deipara.

*eſſentialibus virtutibus, quæ illi per rationem diuini Principatus adſunt?* Num cùm Spiritus-ſanctus ad reliquos Sanctorum Proceres deſcendit, omnes ſuas *eſſentiales virtutes* ſecum non adfert? Poteſtne Spiritus ſanctus ſuas *eſſentiales virtutes* ſibi vniſſimas, & ipſiſſimas ſecum, ſecum non afferre? Quid ergò eſt, quòd dum in Deiparam pleniſſimè ſuperuenit, tunc, tunc quidem ſecum *eſſentiales virtutes* attuliſſe Spiritus-ſanctus perhibetur? An quia ad reliquos Sanctorum Summates, non per ſeipſum, ſed per aliquam ſui virtutem, ſuæ beneficentiæ adminiſtram, Spiritus-ſanctus venit; *in Virginem* autem *deſcendit cum omnibus ſuis eſſentialibus virtutibus*, vt eaſdem per Incarnationem Deiparæ viſceribus imprimat, & tantæ gratiæ plenitudine exprimat? An cum omnibus ſuis eſſentialibus aut connaturalibus virtutibus Spiritus-ſanctus veniſſe dicitur in Virginem, quia tunc connaturali vitiorum fomite in Virgine extincto, velut connaturalem ad virtutes omnes fomitem, Deiparæ forſan ingeſſit? An Spiritus-ſancti *eſſentiales virtutes* appellat, qui tantam virtutum, gratiarum, ac ſanctitatum exuberantiam contulit in Mariam, vt tantùm ſibi *eſſentiales virtutes*, illi non contulerit? Et ſanè ad Deiparam gratiis exornandam adeſt Spiritus-ſanctus *cum omnibus eſſentialibus virtutibus, quæ illi per rationem diuini Principatus adſunt*, vt nil non diuinè regium, non empyreè auguſtum, in Deiparâ operatum fuiſſe intelligatur. Tunc enim generoſiorem *diuini Principatus* munificentiam ſumptuoſiùs Spiritus-ſanctus oſtentauit. Adeò vt alibi aliorsùm ex Ruperto oſtendimus, ex hâc gratiarum & ſanctitatum plenitudine nunc Mariæ collatâ, præluſtre Spiritus-ſancti nomen glorioſè mutuarit. Nec piget Ruperti verba reſcribere, expenſionem indidem fœnerabis: *Spiritus-ſanctus*, inquit, *maximè ex hoc facto ſuo nominatur; quia quod in ea natum eſt (ait Angelus) de Spiritu-ſancto eſt. Antehac Spiritus Dei, ſiue Spiritus Domini dicebatur. Nec facile in omni ſerie veteris Teſtamenti reperies hoc inſigne vocabulum Spiritum-ſanctum. Ab hoc loco ferè primùm ſonuit in auribus noſtris hoc reuerendum & inſigne vocabulum proprium atque abſolutum Spiritus-ſanctus. Quam ob cauſſam? niſi quia maximè ex hoc opere, quod in Maria operatus eſt, claruit hic Spiritus Domini, quòd verè ſanctus ſit.* Superuenit ergò in Virginem Deiparam *cum omnibus ſuis eſſentialibus virtutibus*, vt de tantâ ſanctitatum immenſitate, verè *Spiritus ſancti vocabulum proprium atque abſolutum* mutuaret.

*Spiritus-ſanctus cum omnibus virtutibus ſuis eſſentialibus in Virginem ſuperuenit, & quare?*

4.

*Ex Marianâ ſanctitatum plenitudine, hactenùs Spiritus Domini, Spiritus-ſanctus nominatur.*

Rupert. in Matth. c. 1.

5. Eſtheris 1. Aſſuerus tertio anno imperij ſui fecit grande conuiuium cunctis Principibus & pueris ſuis, *Vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentiæ ſuæ... Et iuſſit conuiuium præparari in veſtibulo horti, & nemoris, quod regio cultu & manu conſitum erat.* Et infrà cap. 2. *Et adamauit eam Rex plus quàm omnes mulieres, habuitque gratiam ac miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite eius...... Et iuſſit conuiuium præparari permagnificum cunctis principibus, & ſeruis ſuis pro coniunctione, & nuptiis Eſther.* Hæc omnia Eſtheris elogia, à ſacro Hiſtorico ſparſim iactata, S. Bernardinus in vnâ Deiparâ compendio collegit, & piè pariter ac argutè inuenit, ſic fatus de Virgine loquens: *Hic eſt hortus ille Aſſueri, qui regia manu, & cultu conſitus erat. In hoc horto factum eſt conuiuium grande pro nuptiis, & coniunctione Eſther, quam adamauit rex Deus ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni ſuper caput eius, & voluit eam eſſe Reginam. Iſtud eſt diadema ſpeciei, & gloriæ corona, qua Virgo ſuper Angelos coronatur, vt intra Trinitatis gloriam ipſa ſola ampliùs ſit euecta, ac plus ſanctiſſimæ Trinitatis diligat gloriam, capiat, ſentiat, ac fruatur, quàm omnis alia pura creatura ſimul ſumpta; de cuius gloria poſt Filium participant vniuerſi.* Vide velut immenſam gratiæ ac gloriæ capacitatem, quâ Virgo Deipara *plus ſanctiſſimæ Trinitatis gloriam capit, ſentit, ac fruitur, quàm omnis alia creatura ſimul ſumpta.* Vnde Aſſuerus Eſtherem elegiſſe dicitur, *vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, & magnitudinem, atque iactantiam potentiæ ſuæ.* Iactantia in Deum non cadit: at immenſa opulentia Marianæ gratiæ ac gloriæ, vitij nomine, vitij re vacuo exprimitur, ad illius immetatam magnitudinem humano more ſumptuoſiùs exponendam. Sicut enim eius *opes ſuperbæ* dicuntur; ſic *potentiæ iactantiam* eam diuitaſſe perhibetur: nam ſi verus rex Aſſuerus *iactantiæ*, aut *ſuperbiæ* capax foret, eas in hoc opere maximè oſtentaſſet.

Eſther 1. v. 4. & 5.

Eſther 2. v. 18.

S. Bern. to. 1. Ser. 61. art. 3. c. 3.

*In Eſthere oſtentauit Aſſuerus diuitias gloriæ ſuæ, & potentiæ ſuæ iactantiam.*

Prouerb. 8. v. 18.

Reuerſemus iteratò eadem ſacri Hiſtoriographi verba, quæ ſub Eſtheris typo de B. Deiparâ n. præcedenti interpretati ſumus: Tertio, inquit anno imperij ſui fecit Aſſuerus grande conuiuium cunctis principibus ac pueris ſuis, *Vt oſtentaret diuitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentiæ ſuæ.* Et ſanè cæleſtis Aſſuerus in ſuâ adũbratâ Eſthere, Mariâ Deiparâ inquam, naturæ, & gratiæ, & gloriæ dotibus exornandâ, verè oſtendit *diuitias gloriæ regni ſui, & potentiæ ſuæ magnitudinem oſtentauit.* Quod ipſa adumbrata Eſther non dubiè agnoſcens, exclamauit, *Quia fecit mihi magna qui potens eſt.* Ecce tibi, vtriuſque Eſtheris illuſtriſſima excelsè attributa, diuinæ omnipotentiæ magnitudinem *oſtentare* perhibentur, quaſi immetata Deiparæ gratia & gloria, ſit diuinæ omnipotentiæ menſura immenſurabilis: *Ex quo* (ait S. Bernardinus) *patet, quòd excepto Chriſto, tanta gratia Virgini à Domino data eſt, quanta vni creaturæ puræ dari poſſibile eſt.* Nimirùm tanta gratiarum plenitudo, & ſanctitatum pelagus immetatum, æſtimandum eſt ex *poſſibilitatis*, & omnipotentiæ cenſu. O immenſa valdè menſura! Nec *poſſibilis* eſt maior gratia Deiparæ conferenda; nec Deus ipſe toto omnipotentiæ ſuæ adnixu maiorem gratiam, quàm diuinæ maternitatis gloriam, puræ creaturæ conferre eualet. Verè fecit illi magna, qui *potens* eſt: & in typicâ Eſthere ſuus Aſſuerus *diuitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentiæ ſuæ oſtentauit.* (Tò *iactantia*, n. præcedenti explicatum eſt. procùl calumnia.)

6.

Eſther 1. v. 4

*Num menſura Mariana gratiæ ſit rerum poſſibilitas, & Dei omnipotentia?*

Lucæ 1. v. 49.

S. Bern. to. 1. Conc. 61. art. 2. c. 10.

Lucæ 1. ſic Deiparam Angelus ſalutauit, *Aue gratiâ plena: Dominus tecum.* Verè *gratia plena*, gratiæ plenitudine exundans. Verè *gratia plena*, per quam largo Spiritus-ſancti imbre ſuperfuſa eſt omnis creatura. Verè *gratia plena*, in quâ omnes Spiritus-ſancti gratiæ altè ſtagnant, & in omnes vbertim exundant. Verè *gratia plena*, quòd fœcunda ſit *gratiis*, ait Græcus apud Catenam. quaſi Mariæ virginitas, non ſolùm *fœcunda* ſit inopinato Dei partu, ſed etiam ſit *fœcunda gratiis*, dum in illâ, & per illam, & propter illam, gratia vberrimè ſoboleſcit. Verè *gratia plena*: nam (vt ait S. Bonauentura) *immenſa fuit*

7. Lucæ 1. v. 28.

*Maria dicitur fœcunda gratiis.*

Græcus in Catenâ ibi.

*Maria dicitur vas immenſiſſimum.*

S. Bonau. in Spec. B. Virg. c. 5.

*gratia,*

*gratia, quâ ipſa fuit plena: immenſum enim vas non poteſt eſſe plenum, niſi immenſum ſit illud quo eſt plenum: Maria autem vas immenſiſſimum fuit, ex quo illum, qui cælo maior eſt, continere potuit.* Verè vas immenſum dicitur, cuius menſura rerum poſſibilitas adſpectu ad Dei omnipotentiam eſt.

---

## CAPVT XI.

*Verſ.* 17. Et adamauit eam Rex pluſquam omnes mulieres, habuítque gratiam & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite eius.

## CAPVT XV.

*Verſ.* 17. Valdè enim mirabilis es Domine, & facies tua plena eſt gratiarum.

## §. CCCLXXIII.

*Ineffabilis eſt beata Deiparæ gloria; quæ principium ignorare, & finem neſcire perhibetur: Maria enim velut gloriæ æternitate confecta dicitur.*

1\. Iob.38. v 22. SApienter arguta Dei ad Iobum vox eſt, cui mortalium nemo reſpondeat: *Numquid........ oſtendiſti Auroræ locum ſuum;* S. Bonauentura

S Bonau. in Specul. c. 9. hìc Auroræ nomine Deiparam intelligit: *Non ad te,* inquit, *pertinet oſtendere Auroræ Mariæ locum ſuum in cælo, ſed ad me, id eſt, ad Deum: benè autem dicit, Suum, quaſi appropriando & diſcernendo illum ab aliis omnium Sanctorum locis.*

3\. Reg. 8. *Hinc etiam benè legitur: Intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum ſuum: hic certè locus eſt ſuper omnes choros Angelorum.* Sanè cùm homo videat quouſque habet oculos, quis adeò lynceo erit obtutu, vt ad tantum ſublimitatis faſtigium aſcendere videndo poſſit? Conſultiſſimè autem dicit, *Locum ſuum.* quaſi olympia Virgo (etſi è noſtro limo coalita) inquilina foret in terris, & Cæli nobilis indigena. *Locum ſuum* dicit, quaſi cæli Domina, & Angelorum regina, dum non collocatur in auguſtiſſimo empyrei ſolio, extra velut connaturalem ſibi locum foret. *Locum ſuum* dicit. quia cùm eius Filius Deus ſit aliqua ſui portio, ad illum, velut ad centrum adhuc in terris, propenſiùs anhelabat toto gratiarum pondere, & tot ſanctitatum mole. *Locum ſuum* dicit. Quia in cælo, illi ſoli poſt Deum, proprius locus & thronus eſt, huic ſuppar, reliquis præ auguſtiori ſublimitate impar. Ergò *locum ſuum oſtendere* Deiparæ, ſicut humanam perſpicaciam longè excellit, ita ſoli Diuinitati nuncupatim adſcribitur: & apud Iobum ſeſe velut iactat Deus, quòd illum poſſit cognoſcere, ac oſtendere: *Numquid oſtendiſti Auroræ locum ſuum?*

*Quis niſi Deus oſtendat Auroræ Mariæ in cælo locum, ſeu thronum ſuum?*

Sanct. ibi. n 41. Benè inibi notat Sanctius, quòd *Aurora quia aliquid eſt Solis, lux nempè Solis, aut Sol ipſe oriens, pro ipſo Sole ſumitur.* quaſi locus Auroræ ſit locus Solis. Sic locus ſeu thronus Auroræ Mariæ vicinatur ſolio Chriſti, qui cæli Sol nominatur? Quis tantam vicinitatem æſtimare valeat? *Numquid oſtendiſti Auroræ locum ſuum?*

Regius Pſaltes hâc ſuper re ſic modulatè pan- 2.

Pſ 44. v. 10. git: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate.* Quæ verba de gloriâ Deiparæ intelligunt S. Athanaſius ſerm. de Deipar. S. Ildefonſus Serm. 1. & 2. de Aſſumptione. Petr. Damianus Serm. de Aſſump. Georgius Nicom. Orat. de oblat. Deiparæ. Et ſanæ Regina cæli Virgo Deipara benè dicitur ſedere à dextris

S. Athanaſ. S. Ildefonſ. Petr. Dam. Georg. Nic.

S. Bern. tom. 3 Ser. 11. art. 3. Regis: nam vt S. Bernardinus appoſitè ſcribit: *Sicut benedictus Ieſus ſedet à dextris Patris, id eſt, in potioribus bonis paternis: ſic iſta Virgo glorioſa in potioribus bonis Filij ſui Ieſu iuxta ipſum in throno ſublimata conſedit.* Chriſtus Deus in empyreâ cæli gloriâ, à dextris Dei Patris glorioſè ſedet: Dei Mater ſedet etiam ad dexteram Filij Dei, quæ eſt in purâ creaturâ ſumptuoſioris glorificationis meta. Nempè Chriſtus Deus Dei Filius, potitur in cœlo *potioribus bonis* Patris Dei, quod eſt à dextris eius ſedere: Sic B. Virgo Dei Mater, in olympiâ cæli gloriâ à dextris Filij ſui, veri Dei glorioſè ſedet, *potioribus bonis* eius empyree potita. Filius Deus diuinæ Filiationis iure fruitur *potioribus bonis* Patris Dei: Dei Mater *potioribus bonis* etiam Filij ſui, diuinæ Maternitatis priuilegio fruitur. Sed quis cogitando aſſequi poterit, quæ ſint hæc *potiora bona*, à Patre Deo, Deo Filio communicata, & per ſeſſionem *à dextris* expoſita: & quæ ſint *potiora bona* Filij Dei, Matri Dei Virgini Deiparæ, in *hac à dextris* etiã ſeſſione ſumptuoſiùs communicata? *Numquid oſtendiſti Auroræ locum ſuum,* id eſt, Deiparæ in cælo thronum ſuum? Aurora autem portio Solis eſt, & Sol ipſe oriens. Sic Auroræ Deiparæ in cælo ſolium, Filij Dei, ac ſui ſolio vicinatur!

*Deipara in cælo ſedet à dextris Filij ſui, in potioribus eius bonis.*

3\. Eſther 2. v. 16. & 17. Eſther. 2. *Ducta eſt ad cubiculum regis Aſſueri ...... & adamauit eam Rex pluſquam omnes mulieres, habuitque gratiam & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite eius, fecitque eam regnare.* Super hâc typicâ Eſtheris coronatione ſic eleganter S. Bernardinus philoſophatur: *Tunc Beatiſſima Virgo quaſi altera Eſther de triclinio feminarum, id eſt, de Eccleſia militante adducta, & per totam militiam cæleſtis exercitus ad cubiculum Aſſueri, ſcilicet ſummi Dei, ita vt illi conueniat Propheticum illud: Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me.* Benè eſt, figurata Eſther, id eſt, B. Deipara adamatur à cæleſti Aſſuero ſuper omnes mulieres, id eſt, ſuper omnes iunctim creaturas, & olympij regni diademate coronatur. Aſt quali cæleſtis ſolij faſtigio, & gloriæ ſublimitate? Parum eſt ſicut Eſther regina adſpectu ad reliquas Perſicæ Monarchiæ feminas: quod diſcrimen profundè Damaſcenus expreſſit, ſic exclamans præ Marianæ gloriæ ſtupore: *O præclariſſimum excelſum, qui hoc tibi affert, vt cùm Deo præſens ſis! Nam cùm omnibus quoque aliis numine diuino afflatu Dei famulis iſtud diuino munere conceſſum ſit: at infinitum tamen Dei ſeruorum, ac Matris diſcrimen eſt.* Præcelſa ſanè Eſtheris dignitas infinitum diſcrimen inter ſe, & reliquas Perſicæ Monarchiæ heroïdes nec inuenit, nec fecit: at gloria Deiparæ, adſpectu ad cæli Proceres, tanta eſt, vt *infinitum diſcrimen* Damaſcenus agnoſcat: quia propè infinita eſt diſtantia, non inter humanum ſeruum, & Dominum; ſed inter Dei

S Bern. tom. 3. Conc. 11. art. 2. c. 2.

Pſ. 72. v. 24.

*Infinitum diſcrimen in cælo traditur inter ſeruos Dei, ac Dei Matrem.*

S. Damaſc. Orat 1. de Dormit.

Dei ſeruos, & Matrem Dei. An beata Deiparæ gloria, diuinæ Maternitatis gratiæ quodammodò infinitæ, adæquè etiam correſpondere dicitur? An diuinæ Maternitati, quæ aliquam infinitatem importat, ( & à quibuſdam nuper putatur forma ſanctificans) aliqua etiam gloriæ præbetur infinitas? An potiùs accidentalis Mariæ gloria in *infinitum* ampliatur? Saltem inter Deiparam & reliquos Cælites, *infinitum diſcrimen* in cæli gloriâ tradit Damaſcenus, opulento Marianæ gloriæ cenſu, ſed infra cenſum gloriæ eſſentialis.

4. Prouerb. 8. v. 23. Prouerbiorum 8. ſub diuinæ Sapientiæ perſona, ſic de ſe Deipara loquens à Salomone inducitur: Dominus poſſedit me (alij *creauit* me) in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio, id eſt, creaturarum omnium primogenita. Vnde ſubdit: *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret.* Marinus in Lexico: *Ego me ipſam inauguraui*, in cæli ac terræ Reginam. An quia tantam gloriam accepit ex meritis Filij ſui, quæ ſibi quodammodò adſcribit, cùm totus Chriſtus Deus, vt potè eius Filius, Matris ſuæ totus ſit? An quia ad tantam gloriam *inaugurata* eſt, ad qualem ipſa ſe *inauguraſſet*; quia auguſtiorem ſibi non potuit aſſumere? Alij vertunt ex Hebræo: *Ab æterno principatum habui*, id eſt, habui cæleſtis ac terreni principatus beatam gloriam, ad quam ab æterno ordinata, electa, & inaugurata ſum; nec poſſem habere maiorem, ſi me ipſa *inauguraſſem*. Luculenter Ildefonſus de hâc Marianæ gloriæ æternitate, ita ſcribit: *Oro te, ſancta Virgo, vt de illo Spiritu habeam Ieſum, de quo tu genuiſti Ieſum. O ſalutis, & vitæ meæ, ſimul & gloriæ præmium; grandi opulentiâ magnum! ô libertatis meæ nobiliſſimum titulum! ô ingenuitatis meæ præclara conditio!* (Attende ad ea, quæ ſubtexit) *ô nobilitatis meæ aſtipulatio inſolubiliter glorioſa, & gloria æternitate confecta!* Itaque quæ *ab æterno ordinata*, perhibetur *inaugurata*, & gloriam ſupremi *principatus habens*; hìc ab Ildefonſo dicitur *gloria æternitate confecta*, (non tam forſan eius ſtimulatio, quàm ipſa, quæ ſtipulatur) Ne in B. Deiparâ beatæ gloriæ cenſum à temporibus computes, quià ab æterno, ſicut Dei Mater *ordinata* eſt, & Angelorum & hominum *inaugurata* Regina, ita velut olympiæ *gloria æternitate confecta* dicitur. Tantâ, tamque velut immetatè beatâ gloria in cælo Deipara penetrata eſt, imbuta eſt, delibuta eſt, ſit medullitùs beatitudinibus exuberat, vt non tam exundans gloria, quàm *gloria æternitate confecta*, & coalita videatur. Ne ſpectes tantùm generoſam Mariæ Natiuitatem tot Regibus prognatam, tot gratiæ dotibus in Conceptione ornatam; Maria, Maria inquam, velut *gloria æternitate confecta* eſt. O quanta expendenda tranſlucent, in hac voce *confecta*! Reliqua Deiparæ elogia, quæ in verbis præcedentibus Ildefonſus addenſat, conceptuum grauida, alibi forſan enucleabimus.

Marianus.

*An Deipara ſeipſam inaugurauit Reginam?*

Hebræus.

S. Ildefonſ. l. de Virg. Mar. c. 12.

*B. Deipara gloria æternitate confecta dicitur, & quare.*

5. 1. Cor. 2. v. 9. Paullus de empyrei paradiſi ſcholâ eruditus, ſic fatur de beata Cælitum gloria: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.* Si Doctor Gentium ineffabile dictu, & vltra humanæ mentis faſtum cenſet, qualem; quantamque Deus gloriam Beatis vniuerſatim præparârit; quid cenſendum erit de gloria Dei Genitrice condigna? O, qualem gloriam præparauit Matri, ex omnium ſanctitatum defloratione coalitæ, quæ tantam ſeruulis gloriam præparauit? nam *infinitum Dei ſeruorum, ac Matris diſcrimen eſt.* Exindè Beata Deipara *gloria æternitate confecta* dicitur, vt nuper ex Ildefonſo expendebamus. Appoſitè Petrus Damianus: *gloria quæ eam de hoc mundo tranſeuntem excepit, principium ignorat, neſcit finem: de quâ nihil aliud poſſimus dicere, niſi quia glorioſa dicta ſunt de te, gloria Dei.* Eſto, beata gloria, quæ Deiparam de hoc mundo migrantem excipit, *finem neſciat*, alioqui à Beatitudinis elogio deſciſceret; aſt quo pacto *principium ignorat*, quæ cum eius ex hâc vitâ migratione cœpit? An beata Deiparę gloria ſine principio incipit? ô monſtrum arcanæ durationis. An ſic planè incœpit, vt æternitatem incœptione æmuletur? Profectò quæ velut *gloria æternitate confecta* dicitur, nil mirum ſi dicatur etiam de eius gloriâ, quòd *principium ignorat, neſcit finem*. Hoc, hoc inquam, *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit*; & humanum captum planè tranſcendens, ignoratione potiùs æſtimandum eſt, & humanâ admiratione taxandum: *Quia glorioſa dicta ſunt de te, gloria Dei.* Porrò talem, tamque ineffabilem gloriam decebat eam, quæ vera Mater Dei eſt, & *Dei gloria* verè nuncupatur.

S. Damaſc. ſuprà.
S. Ildef. ſupr.
Petr. Dam. Serm. 45.

*Quo pacto dicatur, quòd Deipara gloria principium ignorat, & finem neſcit.*

Lucæ 1. ingreſſus Angelus ad Mariam dixit: 6.
Aue gratia plena: *Dominus tecum.* O quàm mul- Lucæ 1. v.
ta ſub his pauculis verbis arcanè latent quæ ex- 28.
plicatiùs enucleare prolixum foret! Pulchrè Arnoldus Carnotenſis: *Vna eſt Mariæ, & Chriſti caro vnus ſpiritus, vna charitas: & ex quo dictum eſt ei: Dominus tecum, inſeparabiliter perſeuerauit promiſſum, & donum; & Filij gloriam cum Matre non tam communem iudico, quàm eandem.* Profectò ſi gloria Filij Dei, & Matris Virginis, non tam vtrique communis, quàm quodammodò *eadem* nuncupatur; quid mirum, ſi Beata Virgo, *gloria Dei* nominetur; & ipſa velut *gloria æternitate confecta*, eius gloria & *principium ignorare, & finem neſcire* dicatur.

Arnol. Carn. Tract. de Laudib. Vir.

*Matris Virginis, ac Filij Dei gloria, non tam communis, quàm eadem nominatur.*

## CAPVT XI.

*Verſ.* 15. Erat enim formoſa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur.

## CAPVT XV.

*Verſ.* 17. Valdè enim mirabilis es...... & facies tua plena eſt gratiarum.

## §. CCCLXXIV.

*E cumulo Marianæ gloriæ, quanta vbertim gloria in Filium Deum exundet.*

1. Gen. 30. v. 13. Fœcundia Lia, & ſterilis Rachel contentioſâ fruſtrà æmulatione, de fœcunditate decertant. Hunc Racheli faſtum, & pulchritudinis gratia, & gratioſa mariti fauentia, malè afflauit. Ergò Zelpha Liæ ancilla, Balam Rachelis ancillam pariter æmulata, Dominæ ſuæ alterum filium parit.

parit. Dixitque Lia: *Hoc pro beatitudine meâ: Beatam quippe me dicent mulieres, propterea appellauit eum, Aſer.* Quæ Liæ verba exponens Hieronymus, ita ſcribit: *Hoc* (id eſt, nata proles) *pro beatitudine mea: beatam quippe me dicent omnes mulieres; propterea appellauit eum, Aſer. Ab eo quod beata dicatur* Lia *ab hominibus, filiũ ſuum beatum vocauit.* אשר *Aſer ergò beatus dicitur.* Scilicet quia mater Lia *beata* dicitur ab hominibus, eius filius Aſer dicitur *beatus*? Beatitudine matris filius quoque beatur, & matris beatitatem nomini inſculptam præfert? Ecce tibi Liam, pulchrum Deiparæ typum. (omnia quippe in figuris contingebant illis) Quia B. Mariã Virginem Chriſti Dei matrem, *beatam dicent omnes generationes.* ideò etiam Chriſtus eius filius, Aſeris inſtar, dicetur *beatus*? Beaturne quodammodò Chriſtus Deus, matris Virginis glorioſâ beatitate? ô gratulemur gloriis Mariæ, quæ in Filium Deum glorias exundant!

S. Hieron. apud Caten. Lipom. ibi.

*Deipara gloria in filium Deũ exundat.*

Lucæ 1 v. 48.

2. Eſtheris 2. de eâ ſcribitur: *Erat formoſa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur.* Hæc verba de Eſthere, velut in typo dicta, ad eius antytypum, id eſt, B. Virginem, ſcitè pariter ac opportunè transfert Richardus, ita fatus: *Et nota, quòd dicit oculis omnium. Primò oculis ipſius Dei Trinitatis, qui ......ſpeciem eius deſiderat intueri. Vndè dicunt ei Pater, & Filius, & Spiritus-ſanctus: Reuertere, reuertere Sulamitis: reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Nimirùm B. Virgo per Eſtherem adumbrata, erat formoſa valde & *incredibili pulchritudine, omnium oculis* gratioſa videbatur. *Primò oculis ipſius Dei Trinitatis, qui ſpeciem eius deſiderat intueri.* O incredibilis Mariæ pulchritudo, & exaggeratior gratiæ venuſtas, & felix gloriæ vbertas! *Ipſe Deus Trinitas*, qui clarè ſpectatus, eſt, plena Beatorum gloria, & in quem *deſiderant* Angeli proſpicere, ipſe, ipſe inquam, Mariæ *ſpeciem deſiderat intueri*? Tanto gloriæ cumulo dotata eſt Maria, vt in Filium Deum, & Deum Trinitatem gloriis exundet? (τὸ *deſiderat* antropopathoſs dicitur: & gloria quamuis empyreè augusta, accidentalis eſto: neque enim quicquam præter Deum, eſſentialem integrat beatitatem.)

Eſther 2. v. 15.

Richard. à S. Laurent. l. 5. ſub titulo Cant. 6 v. 12.

*Deus Trinitas Deiparæ ſpeciem deſiderat intueri?*

2. Apocalypſis 14. empyreum illud triſagium, quod cæli Proceres Deo modulatè occinunt; nemo poterat dicere, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terrà. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: *Virgines enim ſunt. Hi ſequuntur agnum quocũque ierit.* Scilicet quia hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno, hâc in cæleſti beatitudine ſingulariter dotantur gloriâ, vt quocumque ierit, Agnum ſequantur. Appoſitè Richardus lib. 1. de laud. Virg. *In laude aliarum Virginum dicitur, quòd ſequuntur agnum quocumque ierit: de illa autem poteſt ſecurè dici, quòd Agnus ſequebatur eam quocumque ijt; vnde Lucæ 2. deſcendit cum illis Nazareth; & erat ſubditus illis.* Nimirùm præluſtre Virginum priuilegium eſt, Agnum in cælo ſequi, & de præeuntis eius veſtigiis glorias fœnerati. Aſt agnus, quem ſubſequi, pars gloriæ eſt, partem gloriæ ſuæ reputat, Matrem Virginem ſequi quocumque ierit. Quid Filio Deo, ac Matri Virgini adulantiùs? Ille, quẽ Virgines glorioſè ſequuntur, Virginum Virginem glorioſè ſequitur.

Apoc. 14. v. 4. *Agnum Virgines, agnus Virginẽ glorioſè ſequitur.*

Richard. à S. Laurent.

Lucæ 2. v 51.

4. Canticorum 3. Tandem ait ſponſa, Inueni quem diligit anima mea: *Tenui eum: nec dimittam donec introducam illum in domũ matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Ecquod eſt hoc genitricis cubiculum, in domo matris, in quod inuentus iam cæleſtis ſponſus, eſt introducendus, neque vnquam exinceps dimittendus? Et quæ eſt hæc mater, ſemel & iterùm glorioſè nominata? Multa inibi Interpretes ſuper verborum cortice, & auſteri corticis ſucculentâ medullâ. Profundè Iuſtus Orgelitanus præſcripta verba exponens, ita ſcribit: *Introducam in cubiculum genitricis meæ. Tunc Chriſtus in domo Matris inducitur, cum ad Ieruſalem cæleſtem Chriſtianus populus, qui eſt corpus ipſius, ſociatur.* Nimirùm lætanter exultat Chriſtus, cùm populus Chriſtianus ſuo ſanguine ſumptuosè redemptus, empyreâ cæleſtis Ieroſolymæ gloriâ potitur; tunc enim acerbiſſimæ ſuæ Paſſionis vberrimos fructus glorioſè demetit. Et ſanè, ſi *gaudium eſt in cælo* ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, lætiori iucunditate gaudebit Chriſtus, cùm *populus Chriſtianus, qui eſt corpus ipſius, ad cæleſtem Ieruſalem ſociatur.* Grandis quidem Chriſti exultatio, & ineffabilis gloria! Hæc vt pro dignitate explicentur, *Tunc Chriſtus in domum Matris, & in cubiculum genitricis induci perhibetur*, quò ſumma accidentalis gloriæ denotatur in Chriſto. Iuſti Orgelitani ſententiam conceptuum fœcundam, ad alia etiam themata pro Marianis laudibus edere, pronum eſt. Nolo eſſe longior.

Cant. 3. v. 4.

*Cùm populus Chriſtianus cælo donatur, tunc Chriſtus in domum matris inducitur.*

Iuſt. Orgel. ibi.

5. Geneſeos 28. egreſſus Iacob de Berſabee, pergebat in Haran. Cumque veniſſet ad quendam locum, & vellet in eo requieſcere poſt Solis occaſum, tulit de lapidibus qui iacebant, & ſupponens capiti ſuo, dormiuit in eodem loco. *Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper eam, & Dominum innixum ſcalæ.* Caietanus ſic exponit Τὸ *ſcalam ſtantem: Dictio Hebraica, ſtare non qualitercumque ſed firmiter ſignificat.* Notat Lipomanus idem verbum Hebræum *muzab* pro quo *ſtantem* vertit Vulgatus, reperiri infrà dum dicitur, *& Dominum innixum ſcalæ*, aiens: *Similiter, & idem verbum inferiùs vbi dicitur, & Dominum innixum ſcalæ. L x x. vertunt: Firmatus erat ſuper eam. Chaldaica: Et gloria Domini ſtabat ſuper eam.* Quæ eſt hæc ſcala, cui tota incumbit gloria Domini, & quæ ſic eam eualet firmiter ſuſtentare? Vulgare eſt, & quod probare pudet, & piget, quòd Virgo Deipara appelletur *Scala Iacob.* Mariæ ne tota Dei *gloria* firmiter incumbit, & illi *innixa* ſtat erecta? ô quàm paucis quàm multa emedullari obuia!

Gen. 28. v. 12.

Caiet. ibi.

*Super Deiparam incũbit ne tota Dei gloria?*

Lipomanus indidem.

Lxx. interpr.

Chaldæus.

6. Geneſis 2. opificio ſextiduò peracto, ita Moyſes ſcribit: Igitur perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat: *Et requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat.* Multa diſputãt Interpretes ſuper hâc Dei *requie.* Litem appoſitè componit Bonauentura, dum ab eo Deipara dicitur, *Totius trinitatis requies.* Nimirùm tota Trinitas omnium creaturarum opifex, ab vniuerſo opere ſuo *requieſcit* in Mariâ. Ab illis, non in illis requieſcit, vt in ſolâ Virgine requieſcat. Angelorum ſummates, & Sanctorum Proceres non admittuntur ad hoc elogium, vt ſingulare Deiparæ ſit, quòd ſic ſublimiter Deum glorificat, vt totius *Trinitatis requies* nominetur.

Gen. 2. v. 2.

S. Bonau. In Specul.

*Deipara, totius Trinitatis requies perhibetur.*

7. Geneſeos 2. *Plãtauerat autem Dominus Deus*

Gen. 2. v 8.

*Paradiſum*

*Paradiſum voluptatis à principio : in quo poſuit hominem quem formauerat.* Hæc verba de ſecundo etiam Adamo myſticè intelliguntur, qui in paradiſo Virginei vteri feliciter collocatur. Et quidem conſultiſſimè dicitur hic paradiſus *à principio* plantatus ; nam ante principium alter paradiſus in ſinu Patris Dei, Dei Filio glorioſè

Petr. Dam. Ser. de Annunt. vernabat. Quâ de re ſic ad rem præſentem Petr. Damianus philoſophatur : *Iam conſecranda erat* Maria *in locum voluptatis, de quo fons ille debebat*

*Sinus Patris & Matris venter, duplex Chriſti Dei paradiſus eſt.* *aſcendere, qui vniuerſam terræ ſuperficiem irrigares.........Fluuius iſte eſt Dominus meus Ieſus, qui à duobus locis voluptatis egreditur, ex vtero Patris, ex vtero Virginis.* (Et poſt pauca) *Locum voluptatis vterum Mariæ intelligo, in quo cumulauit omnes delicias deliciarum. Dominus: de cuius deli-*

Cant. 8. v. 5. *ciis Spiritus ſanctus admiratorio ſermone in Cantico ſic eructat: Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens?* Itaque duplici Paradiſo voluptatis fruitur Chriſtus Deus : alter eſt Patris ſinus, qui ante principium erat, vbi in ſplendoribus ſanctorum genitus, æternum beatus naſcitur increatâ beatitate ſummè felix, infinitæ felicitatis immensâ mole beatus. Alter Paradiſus voluptatis eſt *vterus Mariæ, in quo cumulauit omnes delicias deliciarũ Dominus.* Quid adulantius Filio Deo, & Matri Virgini? Scilicet tales tantæque deliciæ ex hoc paradiſeo vtero in Chriſtum exuberant, vt eas Spiritus-ſanctus *admiratorio ſermone* celebrare dicatur, aiens : *Quæ eſt iſta quæ aſcendit deliciis affluens?* quandoquidem in *Mariæ vtero omnes delicias deliciarum Dominus cumulauit.* Paradiſeum Matris Virginis vterũ, vel conferri cum Patris Dei ſinu quoad gloriam deliciarum, Marianæ gloriæ ſumptuoſiùs exundantis exaggeratio eſt. Ineffabile autem eſt, quod additur, in Virginei vteri paradiſo, *omnes delicias deliciarum* Filium Deum cumulatas inueniſſe.

8. Ioannis 12. ſic Chriſtus Deus ſuos Diſcipulos

Ioan. 12. v. 26 alloquitur, quo eos vberioris gloriæ ſpebus, ad Chriſtianam ſedulitatem, & virtutis facinora extimulet : *Siquis mihi miniſtrat,* inquit, *me ſequatur: & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Siquis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Hiſce verbis Chriſtus Deus animos ingerit, & calcar addit ad illius obſequia : nam famulitio, quod vile miniſterium apud homines cenſetur, *honorificatio* præcelſior promittitur, & idem in cælo locus cum Domino. *Nam quem maiorem*

S. Aug apud Caten. ibi. *honorem* (ait Auguſtinus) *accipere poterit adoptatus, quàm vt ſit vbi eſt Vnicus?* Sat hîc honorata videmus in cælo, Iuſtorum in terris miniſteria. Sed vereor, ne Dei matris empyreæ gloriæ, ſubplimiori merito condignæ, non parùm detrahatur, cùm idem cum Chriſto in cælis locus vniuerſatim cunctis benè miniſtrantibus proponitur.

*Non ſatis glorificatus videtur Chriſtus, donec Deipara in cælis glorificetur.* Porrò Deipara in omni opere miniſtratrix ſedulior extitit : nam velut inquilinum in vtero ſuo Deum excepit, ſibi animitùs, & medullitùs conuiceraui, virgineâ generoſitate peperit, partu effuſum vbere de cælis pleno, mammilliſque regiis lactauit, faſciauit, fouit, aluit. Perfectam autem in reliquis ſequelam, & miniſteriorum exhibitionem, ſicut ſuperant omnium Angelorum & hominum obſequia, ita capacioris mentis captum & cenſum excellunt. Quis ergò in cælis locus Mariâ dignus ſupereſt, ſi vbi eſt eius Filius, illic

Guarr. Serm. de Aſſump. & quiuis miniſter erit? Tempeſtiuè Guarricus Abbas ad hæc Euangelij verba adludens, inducit Chriſtum hæc Matri ſuæ dicentem; *Nullus mihi plus miniſtrauit in humilitate mea, nulli abundãtiùs adminiſtrare volo in gloriâ meâ : nec ſatis glorificatus videbor donec tu glorificeris.* Nimirùm Sancti reliqui, quia mihi in terris miniſtrarunt, mecum erunt in cælo : at Mater mea, quæ mihi ſumptuoſiùs miniſtrauit, non tantùm erit vbi ego ſum; ſed ſic erit mecum, vt in gloriâ meâ illi ſic vberes velut immetatè glorias adminiſtrem, vt earum exuberantia in me etiam empyreas glorias reuerberet, & de eius ſumptuoſâ glorificatione glorificationem abundè fœnerem. *Nec ſatis glorificatus videbor, donec tu glorificeris.* Matris enim gloria, gloriæ Filij deerat : & in tanto eſſentialis beatitudinis pelago, futuram Deiparæ gloriam reputans ſuam, ſuæ gloriæ cenſui deeſſe fatetur. Pià argutè animoſitate Guarricus multa expendenda obiicit eruditis, quibus licet infra gloriam eſſentialem piè audere.

---

## CAPVT XI.

*Verſ.* 17. Et adamauit eam Rex pluſquam omnes mulieres, habuitque gratiam & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite eius.

## CAPVT X.

*Verſ.* 16. Omnis itaque ciuitas exultauit, & læta eſt. Iudæis autem noua lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, & tripudium.

## CAPVT XV.

*Verſ.* 17. Facies tua plena eſt gratiarum.

## §. CCCLXXV.

### *Auguſtiſſima Mariæ gloria, in Cælites omnes, empyreis gloriis vbertim exundat.*

EVangeliſta Matthæus poſtquam ter quater- 1.
denas Maiorum Chriſti Dei, longâ ſerie re- Matth. 1. v. 16.
cenſuit, hâc clauſulâ eius genealogiam terminat: *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de quâ natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.* Ad quæ Beda ibi.
verba ſic argutè Beda philoſophatur : *Quemadmodùm,* inquit, *Iſraëliticus populus de Ægyptiacâ ſeruitute liberatus, quadraginta duo arctiſſimæ viæ metatus eſt caſtra, aperto mox Iordane ſedes victis hoſtibus adit : ſic Dominus Ieſus quadrageſima ſecunda generatione, in carne veniens ad participandam nobiſcum mortalitatem deſcendit, vt per tot viros quaſi eiuſdem numeri manſiones ad intelligibilem Iordanem, id eſt, Virginem Mariam Sancti-ſpiritus gurgite plenam, duce Ieſu Chriſto ventum ſit,* &c. Nimirùm ſicut Hebræa gens cùm palabunda erraret per vaſtam ſolitudinem, quadraginta duas manſiones in tranſitu fixit, donec tranſmiſſo Iordane, optatiſſimam Promiſſionis

*Maria eſt intell. Flualis Iordanis, quâ ingredimur in terram Promiſſionis, & quæ illam lætificat.*

Promiſſionis terram feliciter poſſedit: ſic Chriſtus D.us poſtquam per hoſpitas ſedes duorum ſupra quadraginta Progenitorum olim vagaretur, tandem tranſmiſſo *intelligibile Iordane, id eſt, Virgine Maria, Sancti-ſpiritus gurgite plena,* peruenit in hunc mundum, qui Chriſto Deo præ voluptate hominis redimendi, fuit velut paradiſea Promiſſionis terra. Et quidem Maria quaſi *intelligibilis*, id eſt, *intellectualis Iordanis*, mirabili ſeculis prodigio ſtitit naturæ vndas; & ipſa Spiritus-ſancti gurgite plenas virgineum corpus, & ad terram Promiſſionis felicem aditum, Verbo Dei arcanè ſubminiſtrat. Ecce tibi per huius *intellectualis Iordanis* alueum, vel aluum populus Dei diu in eremo palabundus, in paradiſiacam, & verè empyream Promiſſionis terram feliciter ingreditur. quò ab huius mundi deſerto, niſi per hunc *intellectualem Iordanem Spiritus-ſancti gurgite plenum*, non itur: neque enim niſi Iordane tranſmiſſo, empyrea Promiſſionis terra poſſidetur. Non vado pedibus, non cymbâ vectatu, Iordanis traiicitur, vltrò ſiſtat gurgitem, & vndarum impetum, vt ad veram terram Promiſſionis peruium, & feliciter expeditum præbeat aditum. Nec modò Iordanis aditum præſtat ad paradiſeam Promiſſionis terram; ſed illam quoq; abluit, fœcundat, nobilitat: id etiam præſtat hic *Iordanus intellectualis*, dicente Pro-
Pſal. 45 v. 5. pheta: *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei*, quod de hoc *intellectuali Iordane*, Deipara inquam, communiter intelligitur. Quanta verò gloria ex gloria Deiparæ in reliquos exundet Cælites, huius §. labor eſto. *Glorioſum* (ait S. Bonauentura) *gloriæ Mariæ priuilegium eſt, quod quicquid poſt Deum pulchrius, quicquid dulcius, quicquid iucundius in gloriâ eſt, hoc Maria, hoc in Mariâ, hoc per Mariam eſt. Glorioſum omninò gloriæ Mariæ priuilegium eſt, quod poſt Deum maior gloria noſtra, maius noſtrum gaudium de Maria eſt.* Sic huius *fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei*! &, hic *intellectualis Iordanis* non ſolum tranſitum feliciter ad paradiſeam Promiſſionis terram; ſed etiam inibi vberes paradiſi glorias mirè fœcundat.

S. Bonau. in Spec. c. 7.

2. Lucæ 10. ſub perſona alterius Mariæ, ſic de Mariæ Deiparæ gloriâ Chriſtus loquitur: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Eccur beata Deiparæ gloria, quam Eccleſia hoc Euangelio concelebrat, *pars*, tametſi *optima*, nuncupatur? An non clara Dei viſio eſt tota Beatorum merces? Et quomodò beata Deiparæ gloria, quam reliquorum cælitum iunctim gloria minimè exæquat, *pars* dicitur? huius *partis* quænam eſt alia compars? Ecquid ſacramenti ſub hoc *partis* vocabulo deliteſcit? Quis velut immenſam Mariæ gloriam *partiri* præſumat S. Bernardinus Senenſis agens de empyrea gloria ad quam Deipara euecta eſt, adſpectu ad typicam Eſtherem, ita ſcribit: *Hic eſt hortus ille Aſſueri, qui regia manu & cultu conſitus erat. In hoc horto factum eſt conuiuium grande pro nuptiis & coniunctione Eſther: quam adamauit rex Deus ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni ſuper caput eius, & voluit eam eſſe Reginam.* (Addit Magna cum emphaſi ad rem opportunè) *Iſtud eſt diadema ſpeciei, & gloriæ corona, quâ Virgo ſuper Angelos coronatur, vt intra Trinitatis gloriam ipſa ſola amplius ſit euecta, ac plus ſanctiſſimæ Trinitatis diligat gloriam, capiat, ſentiat, ac fruatur quàm omnis alia pura creatura ſimul ſumpta:*

Lucæ 10 v. 41.

S. Bern. tom. 1. Serm. 61. art. 3 c. 3. Eſther. 2. v. 17. *Emphaticè dicitur Deipara intra Trinitatis gloriam euecta.*

*de cuius gloria poſt Filium participant vniuerſi.* Itaque Virgo Deipara plus empyreæ gloriæ capit, ſentit, ac fruitur, quàm omnis alia creatura ſimul ſumpta, ita vt de gloria eius cælites omnes participent. Sed quid eſt, quod *intra Trinitatis gloriam* ipſa euecta perhibetur? Quid eſt admitti intra ipſam Trinitatis gloriam; An quia ſicut gloria Trinitatis eſt, ſe ipſam clarè videre; ita (vt poteſt) glorioſæ Deiparæ clara viſio, ſic eſt Trinitati pergrata, vt Trinitatem glorificare dicatur? An quia Maria, vera Dei Mater, cenſetur velut quædam portio Filij ſui, Chriſti Dei inquam, per quãdam corporis identitatem, & ideò quodammodò admittitur ad obiectiuæ gloriæ partem? An quia B. Virgo non ſolùm clara Dei 3.
viſione beatur; ſed ipſa etiam clara ſui viſione reliquos Cælites, etſi non eſſentialiter, inſigniter tamen ſic beet, vt eius auguſtior empyreè gloria, in reliquos vbertim exundet, & Ciuitatem Dei abunde lætificet; Si hoc non eſt, quid aliud eſt, *Intra Trinitatis gloriam euehi*? Vide quod *partes* hâbeat Deiparæ gloriæ, quæ tota multipliciter velut immenſa eſt. Quæ *optimam partem elegit*, quæ quamtumuis participetur, *non auferetur ab ea*; ad totum eligitur, tantaque fruitur gloria, vt in reliquos Beatos vbertim exuberet. Hoc eſt *Diadema ſpeciei, & gloriæ corona*, qua B. Virgo in Eſthere, velut in typo coronatur: *Omnibus*, (inquit Ephrem) *ſuperis exercitibus glorioſior, omnium Sanctorum corona.* Quid glorioſius ea, quæ omnes ſanctos gloria *coronat*? dicatur ergò *pars*, qua ipſa fruitur: & altera *pars* gloriæ, quæ in reliquos Beatos abundè exuberat, illoſque glorioſè coronat.

*B. Virgo gloria ſua Sanctos omnes coronat.*

S. Ephrem. Orat. de Deiparâ.

Dauid filiæ Deiparæ encomiaſtes concinnè 4.
factus, ſic Pſalm. 44. pangit: Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate, &c. *Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.* Chaldæus, *Faciem tuam mane quærent.* Quæ verba poſt Athanaſium, & Damaſcenum, de B. Virgine S. Ildefonſus intelligit: *Præmium gloriæ noſtræ magnum, cuius* (Deiparæ inquam) *vultum deprecabuntur omnes Diuites plebis.* Magnum ſanè in gloria præmium, hoc eſt, beatæ gloriæ prærogatiua eſt, in cælo *deprecari* Deiparæ vultum: quem Sanctorum Proceres *mane* (id eſt, auidè) *quærent.* Quid eſt, quòd Cælites ſollicitè *deprecari*, ſeu auide *quærere* Deiparæ vultum perhibentur? Qui vultum Dei faciali viſione intuentur, quid Mariam videre mane *quærunt*? Ipſe Ildephonſus maiori difficultate minorem forſan extricat. Sic loquitur de Cælitibus poſt Aſcenſionem Domini, Deiparæ Aſſumptionem, & Aſſumptionis gloriam deſiderantibus: *Quam Angeli deſiderabant*, inquit, *& Cælum ipſum de eius aſcenſione querebatur.* Parùm eſt dicere, quòd omnes Diuites plebis, hoc eſt, cæli Summates faciem B. Deiparæ *deprecantur*; eam etiam dum ipſa in terris agebat, *querere* dicuntur, imò quòd cælo abeſſet, *queri*. O *querelas* cælo peregrinas! quis in empyrea gloria *querelis* locus? ſuper quo expoſtulet, qui totum habet, cui nihil deeſt; Ita ſanè. Sed quo alio modo potuit Ildefonſus humano more explicare, quàm ſit Cælitibus glorioſum faciem B. Virginis, & ſublimiſſimam eius gloriam videre? Procul cælo anxia *quæſitio*, & inſuſpicabilis *querimonia*: at ſi in cælo poſſet eſſe, ante Aſſumptionem Virginis, de eius in terris incolatu, & in cælis abſentia Cælites *quererentur*, quaſi tantam

Pſal. 44 v. 13. Chaldæus S. Athanaſ. S. Damaſc. S. Ildef. c. 12. de Virgin.

*Quo ſenſu Cælum aliquando queri dicatur de abſentia Deiparæ.*

S. Ildef. Ser. 6. de Aſſũpt.

tam

tam gloriam quodammodò terricolis inuiderent: *Et cælum ipſum de eius Aſcenſione querebatur.* Quid exaggeratius? Ildephonſo ſuffragatur Anſelmus ſic fatus: *Dies Aſſumptionis non ſolùm te Domina ineffabiliter ſublimauit, ſed Cælum ipſum quo penetraſti, nec non cuncta quæ in ea ſunt, noua & ineffabili gloria decorauit. Noua quidem cælum gloria decorauit, quia priorem gloriam eius ex præſentia tui vltra quàm dici poſſit, aut cogitari, magnificauit: nam cùm tu Domina illuc aſcendis, noua illud, & præcellenti virtutum tuarum dignitate irradias, immenſaque miſerationum tuarum, & gratiarum luce prælustras.* Et infrà ſequenti cap. *Aduertat quæ gloria, vel quod gaudium, vel quæ iubilatio erit omnibus illis, qui in regnum Beatitudinis aſſumpti, cum ipſam Dominam, per quam tanta bona eis prouenere, præ oculis habuerint iuxta Deum, quem de ſuo vtero Filium peperit reſidentem, & iure materno cælo terræque cum eodem Filio ſuo præſidentem conſideremus.* Id cùm cælo abeſſet, de eius abſentiâ Cælum *queri* dicitur.

S.Anſel.de excell.virg. c. 8.

5\. Regius Pſaltes ſic modulatè occinit: *Ego autem in iuſtitia apparebo: ſatiabor cùm apparuerit gloria tua.* Quod Vulgatus dixit *ſatiabor*, S. Hieronym. *implebor* excripſit Theodotio, *Satiabor* aut *implebor cùm manifeſtabitur dextera tua.* quaſi *complementum* gloriæ extendat ad humanitatem Christi ad Patris *dexteram* reſidentis, aut ad Virginem Matrem ad Filij *dexterã* auguſtè collocatam. *Complebor*, inquit, *cùm apparuerit gloria tua.* O ineffabile olympiæ gloriæ *complementum*; quod dum cælis ante Aſſumptionem deerat, Cælites *queri* dicuntur! Belliſſimè Ildephonſus: *Hæc*, inquit, *feſtiuitas Aſſumptionis Virginis præcipua, & venerabilis nobis; ſed venerabilior in cælo eſt Angelis, & Sanctis omnibus; quorum lætitia & gaudium proculdubiò ex huius completur diei exultatione, quandò beata Dei Genitrix clarior Sole refulſit in throno claritatis.* Conſultiſſimè ait Propheta, *Complebor cum apparuerit gloria*: & de beatâ Deiparæ gloriâ ait Ildefonſus, eâ lætitiam & gaudium Cælitum abundè *compleri*. Nec valdè mirum eſt, quòd quæ aliàs dicitur *Trinitatis complementum*; quia eiuſdem ad extrà gloriam vbertim cumulat, Cælitum etiam gloriam *complere* dicatur. Hinc iam Beatorum *querelas* humano more expreſſas, admirari non liceat, ſed propè immensè exuberantem Deiparæ gloriam gratulanter venerari.

Pſal.19 v.15. S.Hieron. Theodotio. *Empyreæ Deiparæ gloria, gloriæ Cælitum complementum dicitur.*

S.Ild.ſer.2.de Aſſumpt.

6\. Apocalypſis 2. *Et qui vicerit*, & cuſtodierit vſque in finem opera mea........*dabo illi ſtellam matutinam.* Magnum ſanè ac præluſtre præmium neceſſe eſt quòd ſit hæc *ſtella matutina*, quæ in perieuloſiſſimæ, & illuſtriſſimæ victoriæ mercedem à Deo promittitur. Quid tam pugnaciter arduum, quàm concupiſcentiæ petulantes continuò ſubſultus frenare; arrogantem ambitionis faſtum inhibere; & totas Diabolorum vires, fraudes, machinas detriumphare? Hinc multa multi ſuper hâc *Stellâ matutinâ*, quæ in victoriæ præmium, ab Agonothete Deo magnificè proponitur. Hæc *ſtella matutina* eſt Venus, ſiue Licifer. Iam Lucifer hic eſt Diabolus, inquit Andreas Cæſarienſis, hunc enim Deus victoribus Sanctis dat calcandum, vti dicitur ad Romanos vltimo: *Deus pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris.* Verùm Franciſcus Mayro Doctor cognomento Illuminatus; per hanc *ſtellam matutinam*, non Luciferum, ſeu Diabolum, ſed Luciferi, ſeu Diaboli antitheſim, Deiparam inquam, opportuniùs intelligit, ſic loquens in Serm. de Creat. animæ Virginis: *Iſta eſt*, inquit, *illa ſtella, quæ, vnicuique promittitur Apocalypſis 2. Vincenti, inquit, dabo ſtellam matutinam quia omnes Sancti in patria de plenitudine felicitatis Virginis participant, vt patet.* Grande meritum eſt, Luciferum deuiciſſe, ſed grande præmium eſt, illum pedibus victoriali pompâ proculcaſſe. Cùm autem hoc factum ſit, per Mariam, quæ eſt vera *Stella matutina*, & Luciferi antitheſis, & victrix, tantæ victoriæ merito congruum præmium vincenti datur, vt *de plenitudine felicitatis Virginis.* Diaboli victor, glorioſè in cælo *participet* ô vide quanta ſit gloria, de glorioſâ *Virginis felicitate in patria participare*, cùm nuncupatim etiam aſſignetur in tantæ victoriæ præmium!

Apoc.2.v. 28.

*Deuicti Satanæ præmiũ etiam aſſignatur, de felicitate Virginis in cælo participare*

And. Cæſar. Ad Rom.16. v. 20.

*B. Virgo Luciferi antitheſis poſita eſt*

Mayro.

---

## CAPVT V.

*Verſ.* 3. Dixitque ad eam Rex: Quid vis Eſther regina? quæ eſt petitio tua? etiam ſi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.

## CAPVT XI.

*Verſ.* 17. Adamauit eam rex plus quàm omnes mulieres, habuítque gratiam & miſericordiam coram eo, &c.

## §. CCCLXXVI.

### *Ne degeneri titubatione ſpes noſtra imbecillè nutet, in precaria Deiparæ omnipotentia ſtudioſè fundanda eſt.*

DEi populus, de Amani ſubdolâ potenter hoſtilitate, & Regis ferali edicto, pro Suſorum valuis atrociter pendente, cruentis ſtatâ die ſtragibus irremediabiliter addictus; re humanitùs deſperatâ, ad Eſtheris patrocinium, tanquam ad imminentis naufragij portum, fiduciâ ſupplici ineunctanter accurrit. Nec ſpes feſellit confidentes in præluſtri Deiparæ vmbra: *Tibi* (inquit Damaſcenus) *nos quoque hodierna die aſſidemus, ô Domina, domina, atque iterùm dicam, domina, Dei genitrix, & virgo: animas noſtras ad ſpem tuam, non ſecus atque ad firmiſſimam quandam anchoram alligantes, mentem, animam, corpus, totos denique nos tibi dicantes ac conſecrantes.* ô, nos miſerè naufragos in vorticoſo ſeculi pelago, hæc fiduciæ *anchora* fundet, ne hiantibus vndique naufragiis vitæ noſtræ cymba ſorbeatur. 1.

*Maria velut anchora ſpei naufragos fundat.*

S.Damaſc. Orat.1.de. dormit. Deip.

2\. Eccleſiaſtici 24. diuina Sapientia, & myſticè in ea Sapientiæ mater, Virgo Deipara, ita de ſe fatur: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei.* Mitto quòd *timorem* cum *ſpe* coniungat, nam timor ſine ſpe, deſperationi cognatus eſt; & ſpes ſine timore, præſumptioni confinis: alteruter ergò vtrumque temperat: & ſic erit timor ſpei non titubatio, ſed quodammodò vigor. Itaque B. Virgo *Mater ſanctæ ſpei* nominatur. Adeò vt dixerit Bernardus de ea fatus

Eccl. 24. v. 24.

S.Ber.Ser. de Aquæductu

ſatos: *Filioli, hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ.* O, nimis audet Bernardus; & deuotionis aurâ, vltra bonæ theologiæ metas abripi videtur. Et quomodo B. Virgo erit *tota ratio ſpei meæ*? Et vbi eſt Chriſtus cum theandrico meritorum cumulo? An non omnipotentia & beneficentia Dei, firmiùs ſpes humanas fundarent? Forſan præuidens Siracides quàm ſit gratum & procliue, hoc humanæ ſpei illicium; ne putarent homines, quod *tota ratio ſpei*, in Mariâ collocanda erat, præmiſit τὸ *agnitionis*, aiens: *Ego mater.......agnitionis, & ſanctæ ſpei*: vt præſciant homines, ſic ſperandum in Mariâ *ſpei matre*, quod non debet eſſe *tota ratio ſpei*, ne videatur potiſſimas ſpei rationes excluſiſſe. Imo eaſdem tanquam appendices gratias includit: nam cui Maria eſt *tota ratio ſpei*, etſi reliqua deſperationem procurent, noli audacter de eius æternâ felicitate ambigere. Deus iuſtè iratus minis terreat; hiet tota inferni gehenna: & peccata conſuetudine inolita, & gehennalem pyram ſufflamminēt, & Dei vindicis iras prorītent, & de inueteratâ conſuetudine deſperationem ſollicitent, ſi tamen ſpes in Mariâ ſtudioſè collocetur, & ipſa ſuperſit tanquam *tota ratio ſpei*, ſat erit, vt reliquas appendices gratias extorqueat: eſt enim Dei mater, & *mater ſanctæ ſpei*: & inde *ſcala peccatorum* in cælum, & *tota ratio ſpei meæ*, ait Bernardus. Reddit rationem Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus: *Certè, ait, Domina Dei parens, certè meum refugium, vita & defenſio, arma & gloriatio, ſpes & robur meum..... Habes enim, ſat ſcio, cum tuâ voluntate concurrentem potentiam, vt quæ ſis mater Altiſſimi, & proptereà audeo.* Expende illud, quod ſpes humanas valdè erigit: *Habes enim cum tuâ voluntate concurrentem potentiam, vt quæ ſis Mater Altiſſimi*, quaſi ex ipſo diuinæ maternitatis iure, ad Matris voluntatem concurrit Filij omnipotentia. Qui *totam ſpem* in Deiparâ collocauit, mox illi aderit Theologica in Deum ſpes.

*B. Virgo, tota ratio ſpei noſtra dicitur, & quare.*

*Germanus Conſtant. Orat. in obl. Deiparæ.*

*Deipara habet cum ſuâ voluntate omnipotentiā Filij concurrentem?*

3\. Pſalmo 4. ſic occinit regius Pſaltes: In pace in idipſum dormiam, & requieſcam. *Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* Pro τὸ *ſingulariter*, alij habent, *ſolus*, aut *ſolummodò*. Illud autem, *In ſpe conſtituiſti me*, quidam exponunt *fiducialiter*, alij *in fiduciam*, alij *in ſecuritatem*. Quis nam eſt hic, qui *ſingulariter*, aut *ſolus* ſic *in ſpe* collocatur, vt *in fiduciam* erectus, poſſeſſionis gloriam æmuletur, tanquam ſperati boni *ſecurus*? Spes humana quamuis audenter adſurgat, omnipotentiâ promittentis animosè erecta, ſæpè de noſtrâ peccatrice infirmitate nutat, obtentionis ambigua, timens ne in præſumptionem degeneret. O quoties animoſa ſpes, iuſto timore contracta hæret anceps, nutat incerta, & quantùm in Deo confidit, de ſuâ conſcientiâ propè diffidit: & ambigua vtrimque conſcientia euadit præſumptæ gloriæ ſuſpecta! ô quis dicere poteſt: *Tu Domine ſingulariter, ſolum, aut ſolummodò in ſpe, aut fiduciâ, aut potiùs ſecuritate conſtituiſti me?* Tempeſtiuè Gregorius Nicomedienſis Orat. de oblat. Deiparæ: *Per te*, inquit, *nos Regnum cælorum ſperamus aſſecuturos; te noſtræ ſalutis habemus adiutorem; te noſtri auxilij habemus defēſorem; te proponimus cuius ore noſtra dicatur excuſatio, te noſtræ fiduciæ circumferimus gloriationem.* Ecce tibi, quam nuper *ſpem* collocatam in Virgine, dixit, iam *fiduciam* nominat, quæ eſt erectior, animoſior, ac robuſtior *ſpes*; & retento gratiori *fiduciæ* vocabulo, *fiduciæ gloriationem* appellat, quaſi ſpes obtinendæ gloriæ in B. Virgine collocata, ſit *fiduciæ gloriatio*, aut quodammodò ſpes glorificata, & *ſingulariter* de gloriæ poſſeſſione propè *ſecura*. O qui deuotioni Deiparæ animitùs ſtudent, feſtâ illâ voce ſibi præproperè adplaudant: *Tu Domine ſingulariter, ſolos, aut ſolummodò in ſpe, aut fiduciâ, aut propè ſecuritate conſtituiſti nos.* Deipara enim eſt *noſtræ fiduciæ gloriatio.*

*Pſal. 4. v. 10. Tranſlationes variæ apud Lorin. ibi.*

*Spes in Deiparâ collocata, eſt noſtra fiduciæ gloriatio.*

*Georg. Nic.*

4\. Hanc ſingulariter ſpem, quæ in *fiduciam*, ſiue *ſecuritatem* quodammodò tranſit, expreſſiſſe videtur Paullus ad Hebræos 4. loquens de Abrahamo, *qui contra ſpem in ſpem credidit.* Quid eſt, *in ſpem credere*? An fidenter ſperare, credulitatis & fidei negotium eſt? ecquis tam certò ſperat, vt ſperet fidei certitudine ſecurus? Quæ eſt hæc ſpes fidei de certitudine confinis? *In ſpem credidit*, ait Apoſtolus: & Tertullianus in Apologetico: *Sed etſi aliqua*, inquit, *nos perſtringunt, lætamur magis recognitione diuinarum prædictionum, confirmantium ſcilicet fiduciam, & fidem ſpei noſtræ.* O miriſſima fiducia eius, qui *in ſpem credidit*, & *fidem ſpei* habere dicitur! Quis eſt hic ſpei vigor, niſi quæ dicitur, *noſtræ fiduciæ gloriatio*? Porrò qui toto intentiùs deuotionis ſtudio, & pio ſtudioſiùs obſequio, ſpem in Mariâ poſuit, quaſi ſuæ *ſpei fidem* habeat, *fiduciæ gloriatione* dicere audeat cū Prophetâ: *Tu Domine ſingulariter in ſpe*, vel *fiduciâ*, & quodammodò *ſecuritate conſtituiſti me*: nam *fiduciæ gloriatio*, (quod eſt Deiparæ epitheton) propè facit *ſpei fidem*, quæ eſt certitudo exaggerator.

*Ad Hebr. 4. v. 18.*

*Tertull. in Apolog. c. 41.*

*An B. Virgo, dum eſt noſtra fiduciæ gloriatio, faciat ſpei noſtræ fidem?*

5\. Lucæ 1. angelus Gabriel, dum cum Mariâ, ſtudio pudoris negotium diuinæ corporationis cunctante, agit; exemplum infœcundæ & vetulæ Eliſabethæ prægnantis adducit, vt comprobet, quòd ſicut illa ſeminis ſtupida, ſic ipſa intacta concipere ac parere eualet: *Quia non erit*, inquit, *impoſſibile apud Deum omne verbum.* Quare non dixit Angelus (addubitat Hugo) Non erit impoſſibile apud Deum omne factum, ſed omne verbum? nimitùm vt oſtenderet, quia ſoli Deo idem eſt facere, quod loqui; idem loqui, quod velle, dicente Pſalmiſtâ, *ipſe dixit, & facta ſunt.* Quale igitur verbum poterit impoſſibile eſſe ei, qui omnia creauit in Verbo? Et ſanè forſan, quia idem Verbum, in quo omnia omnipotenter creauit, tunc concarnandum, & conuiſcerandum erat B. Virgini, idcircò omnipotentiæ ipſius Verbi expreſsè meminit, quia in eiuſdem omnipotentis Verbi cōuiſceratione cum Matre Virgine, aliquod ei cum omnipotentiâ cōmercium cōuiſcerandi Verbi arcanè cōmunicauit. Quare tunc cōſultiſſimè inquit Angelus, *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* Quò adludere videtur Anſelmus de excell. Virginis cap. 12. *Rogamus te*, inquit, *Domina per ipſam gratiam, quâ te pius, & omnipotens Deus ſic exaltauit, & omnia tibi ſecum poſſibilia eſſe donauit, quatenus id apud ipſum nobis impetres, & obtineas.* Itaque Angelus in Dei Incarnatione in Deiparæ viſceribus, ideò videtur inducere omnipotentiam, tunc, tunc quidem aiens, *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*, quia *omnipotens Deus omnia Deiparæ ſecum poſſibilia eſſe donauit.* O ineffabile noſtræ ſpei illicium, & fiduciæ anchora! Omnipotens Deus B. Virgini *omnia ſecum poſſibilia eſſe donauit*? Non eſt apud Deiparam etiam impoſſibile omne verbum? O nobis luctoſum nimis Deiparæ

*Lucæ 1. v. 37.*

*Hugo Card. ibi.*

*Pſal. 148.*

*Omnipotens Deus omnia Deiparæ ſecum poſſibilia eſſe donauit.*

*S. Anſelm.*

cum omnipotentiâ commercium! Humanæ ſpei exinceps titubatio, parùm piè videtur ambigere, Deiparæ omnia cum Deo poſſibilia eſſe. O ſpes noſtras animoſiùs erigat, precaria Virginis cum Deo omnipotentia, ſiue omnipotentiæ conſortium!

6. Matthæi 1. Ioſeph videns ſponſæ Virginis vterum intumeſcere, ſiue inopinato ſuſpicionum tædio, ſiue arcanioris myſterij ignoratione, acerbiùs angitur. Nec adducar, vt credam, vel in inuiſo mentis receſſu, pudorem Virginis ſponſæ deuenuſtaſſe. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicẽs: *Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu-ſancto eſt, pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: *Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, &c.* Vide quàm ſtudiosè, & quàm validè Deiparæ virginitas adſtruatur. Primò cæleſtis Angeli diuino teſtimonio; dein Prophetæ quondam oraculo: adhæc irrefragabili ſuffragio mariti, qui vxoriæ caſtitatis exactor eſt. Sed quare dum totus eſt Angelus in probandâ mnltipliciter Deiparæ virginitate, à propoſito videtur deflectere, enuncians, quòd Filius, quem in ſuis viſceribus Maria mater & virgo geſtat, *ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Hoc enim eſt beatæ gloriæ à nobis adipiſcendæ ſpem erigere, potiùs quàm Marianæ virginitatis puritatem fundare, quod tunc erat Angeli negotium? An Angelus altiùs fundat Marianæ virginitatis fidem, vt indè ſpem noſtram animoſiùs erigat? Tempeſtiuè Bernardus: *O verè*, inquit, *nouitas inaudita! Virgo peperit, & poſt partum inuiolata permanſit. Iam ſecurus expecto promiſſam mihi gloriam incorruptionis in carne meâ, quandoquidem conſeruata per eum eſt incorruptio etiam in Matre ſua.* Et alibi: Maria *per hoc, quòd Mater eſt, genuit tibi Deum: per hoc, quod Virgo eſt, exaudita eſt pro ſua reuerentia in cauſſa tua, & totius generis humani.* Ecce tibi nouam cauſſam, propter quam etiam Euangeliſta, Marianæ virginitatis ſacramentum, multiplici probatione intentiùs fundat: non ſolùm vt illibatæ ſemper puritatis fides adſtruatur firmiùs; ſed etiam vt humanam ſpem animoſiùs erigat, & robuſtiùs ſuſtentet, dum eius multimodè arcanâ virginitate fundatur. Porrò Deipara, quia Virgo eſt, pro nobis velut obſequenter exauditur: & in virgineâ incorruptione Matris, beatæ incorruptionis in corporum gloriâ, prælustrem typum gerit. Exindè Marianæ virginitatis fides, ſpem beatæ incorruptionis adſpirat, inopinato virginitatis ſacramento. Deus *totius boni plenitudinem poſuit in Maria, vt proindè ſiquid ſpei in nobis eſt, ſiquid gratiæ, ſiquid ſalutis, ab ea nouerimus redundare.* Ergò *votis omnibus Mariam veneremur, quia ſic eſt voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam,* quod eſt grande fiduciæ conceptaculum: *Eſt enim beatiſſima Virgo vnica ſpes deſperatorum,* ait S. Ephrem.

*Matth. 1. v. 20. &c.*
*[Ɩs]aiæ 7. v. 14.*
*Marianæ virginitatis fides adſtruitur, vt inde etiam noſtra ſpes animoſius erigatur.*
*S. Bern. Serm. 4 in Vigil. Natiu.*
*Idem inibi. Ser. 3.*
*Siquid ſpei, ſiquid gratiæ in nobis eſt, à Mariâ redundat.*
*S Bern. Ser. de Aquæd.*
*S. Ephr. orat. ad Virginẽ.*

* * *

# CAPVT IV.

*Verſ.* 8. Et moneret eam (Eſtherem) vt intraret ad Regem, & deprecaretur eum pro populo ſuo, &c.

# CAPVT XI.

*Verſ.* 17. Et adamauit eam Rex pluſquam omnes mulieres, habuítque gratiam & miſericordiam coram eo, &c.

## §. CCCLXXVII.

*Oratio ad Mariam, donorum impetratio eſt; eſt enim ipſa precandi ratio, & precum complementum: adeò vt etiam qui malè eam ſupplicat, ei adulāri dicatur.*

SAlomonis ore ſic nos Deipara monet: Bea- 1.
tus homo qui audit me, & *qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei.* Quaſi deuotè ſtudioſus impetrandi aliquid à B. Virgine, æmulari debeat ſollicitam candidatorum ambitionem, vt vota cumulatè adimpleat. Vndè ſubdit: *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Tò *haurire*: tum facilitatem, tum copiam ſignificat. Chaldæus paraphraſtes habet, *Habebit beneplacitum à facie Dei*, quaſi qui Virginem ſupplicando adit, velut faciem Dei adierit, ab eius facie donũ impetret. Pagninus, *Educet quod voluerit à Domino*, immeratâ liberalitate. Caietanus, *Quicquid voluerit.* Vatablus, *Hauriet voluntatem à Domino.* Nempe omnipotenter ſupplici Mariæ interuentu, *quicquid voluerit*, impetrabit: adeò vt dum *voluntatis* ſuæ vota Mariæ ſupplex proponit, *voluntatem à Domino haurire* dicatur. Sie feliciter poſtulata impetrat, qui Mariani oſtij limina frequentat, & ad eius fores quotidie vigilat!

*Prou. 8. v. 35.*
*Qui Mariam ſupplicat, voluntatem à Domino haurit.*
*Chaldæus. Pagninus. Caietanus. Vatablus.*

Apocalypſis 12. *Signum magnum apparuit in* 2.
*cælo: Mulier amicta Sole, & luna ſub pedibus eius.* Ecquid eſt, quòd *Luna*, id eſt, Eccleſia ſub Mariæ pedibus humilis iacet? An vt ad imitationem expreſſiùs recognoſcat eius veſtigia? an vt ea reuerentiùs adoret? an potiùs vt eam ore, & rem expetitam feliciter exoret, ad eius pedes, & ſacra veſtigia ſupplex prouoluitur? *Iam ſi Eccleſia* (ait Bernardus) *Lunæ intelligenda videtur vocabulo, quòd videlicet non ex ſe ſplendeat, ſed ab eo, qui dicit, ſine me nihil poteſtis facere; habes Mediatricem euidenter expreſſam: Mulier*, inquit, *amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius. Amplectamur Mariæ veſtigia, & deuotiſſima ſupplicatione beatis illius pedibus prouoluamur, teneamus eam, nec dimittamus donec benedixerit nobis; potens eſt enim.* Sed cur citiùs ad Mediatricem Matrem, quàm ad Mediatorem eius Filium Deũ nos ducit Beanardus? *Fidelis*, inquit, *& potens Mediator Dei, & hominum Chriſtus; ſed diuinam in eo reuerentur homines maieſtatem. Abſorpta videtur in Deitatem humanitas, non quòd mutata ſit ſubſtantia, ſed affectio deificata: non ſola illi cantatur*

*Apoc. 12. v. 1.*
*S Bern. Ser. Signũ mag.*
*Prouoluamur ſupplices ad pedes Mariæ, quæ eſt Mediatoris Mediatrix.*

*tatur miſericordia, cantatur pariter & iudicium: opus eſt enim Mediatore ad Mediatorem iſtum, nec aliter nobis vtilior quàm Maria.* Itaque cùm affectio Chriſti deificata ſit, & velut *abſorpta in deitatem* eius humanitas, humaniore Mediatrice ad Mediatorem Deum & hominem opus eſt; cuius natura tota ſit humana, non velut *abſorpta* in Deitatem, ſcelerum etiam vltricem; cuius *affectio* tota ſic humana, non maieſtate diuinitatis ſeuerior. Conſultiſſimè ſub pedibus huius *Mulieris* apparet Eccleſia ſub ſpecie Lunæ, quæ ad veſtigia Deiparæ ſupplex prouoluta, à Sole tota ſplendet. Ergò *amplectamur Mariæ veſtigia, & deuotiſſima ſupplicatione beatis illius pedibus prouoluamur.* Itaque humaniſſima eſt in cælo B. Deipara: oportet autem vt intelligamus quo idiomate noſtris ſupplicationibus ipſa reſpondeat: *Sicut ergò* (ait ipſa) *humilis fui in mundo cognita ſoli Deo, & Ioſeph; ſic etiam nunc ſum humilis ſedens in ſublimiſſimo throno, parata præſentare Deo omnium orationes rationabiles: ſed reſpondeo per infuſiones diuinas.* Per *infuſiones diuinas* orationibus humanis Deipara reſpondet? O quàm eſt hæc reſponſio rerum ac ſententiarum fœcunda! *Infuſiones diuinæ*, ad noſtris orationibus reſpondendum, B. Deiparæ idioma eſt. Quis eſt tam barbarè idiota, qui hoc Marianum idioma non legat mente, & experimento intelligat?

*Per infuſiones diuinas orationibus humanis Deipara reſpondet.*

In Reuelat. S. Brigittæ l. 7. c. 25.

3\. Canticorum 1. ſic loquitur ſponſa Deipara: *Introduxit me Rex in Cellaria ſua.* Per *cellaria* ſignificat ſponſi Regis intima ſeu penetralia, qualia ſunt conclauia & cubicula, in quibus herus ipſe ſecretò degit, ac ſuas opes ac theſauros condit. Alludit ad cellaria quæ fabricauit Salomon, in quibus theſauri & opes Templi recondebantur, 1. Paralip. 28. v. 11. Cùm verò ſponſæ Deiparæ ſodales eam viderent tot cæleſtium opum ac theſaurorum ſequeſtram ac diſpenſatricem, ſubdunt: *Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum.* Alij exſcribunt: *Hilares ſimus, iucundemur, exhilaremur in te, memores vberum tuorum.* Quaſi iam ſibi mutuò gratulentur, quòd tantam opulentiæ vbertatem precario acceſſu, tanquam dulciſſimum lac abundè ſugant ad dulciſſimam animi ac corporis alimoniam. Sed viderint homines quo ſtudio & voto ad Deiparæ vbera accedant acceſſu precario; ne dona donanti, & lac lactanti præferant ruſticanâ accipiendorum munerum auaritiâ, quod ſcitè ibi Guilielmus adnotauit, ita fatus, Deiparam alloquens: *Ceterùm eos qui diligunt lac tuum, non te, quantumlibet adulentur tibi, repelles eos ab vberibus conſolationis tuæ.* O pulchrè! Indigni ſunt, vt fruantur Deiparæ vberibus, qui lac potiùs, quam lactantem æſtimant, qui prece ſupplici ſic ad vbera accedunt, vt donum donanti præponant. Verùm enimuerò qui etiam ſic inurbanus rogator accedit ad Deiparæ ſugenda vbera, & copioſam beneficiorum vbertatem; adhuc ipſi *adulari* ſententioſè perhibetur: vt more humano argutè exponatur, quàm gratus Mariæ accedat, qui etiam indignus precator accedit. Qui ſic auarè & ruſticanè rogat, malè *adulatur*, & ab vberibus conſolationis & impetrationis abiici meretur: aſt *adulatur* quidem: *adulatio* autem humanitus, & eſt gratia placendi, & aliquis impetrandi vigor. Quiſquis vtcumque Mariam ſupplicat, ad eamque precarius rogator venit; ſupplicat quidem, rogat, precatur; & inde illi *adulari* perhibetur: *adulatio* autem lenocinium impetrationis eſſe ſolitat; & impetratio adulationis ſtipendium.

1\. Paralip.

Cant. 1. v. 4. Lxx. interpr. Symmachus

*Qui in Pr. etiam Deiparam ſupplicat, illi adulari perhibetur.*

Guilielm.

*P. Didac. Celada in Eſtherem.*

4\. Geneſeos 47. toto ſeptennio annonæ durâ inopiâ, & rerum penuria periclitantur Ægyptij, qui vt famis malum excutiant, populariter accurrunt ad Ioſephum, parandæ annonæ inuentorem, ac ſequeſtrum, & ſic ſupplices eum rogant: *Salus noſtra in manu tua eſt: reſpiciat nos tantum Dominus noſter, & læti ſeruiemus Regi.* In Patriarchæ Ioſephi manu, arbitrio, & nutu, totius Ægypti ſalus, calamitatis ſubſidium, & redéptio famis poſita perhibetur. Ioſephi gratiam, gratúmque aſpectum precantur ſupplices, vt ad emendum victum, & calamitatem rediniendam, pretij ſupplementum inueniant. Quod ad Virginem Deiparam Richardus opportunè flectit: *Salus noſtra in manu illius* (Mariæ) *eſt, vt ei dicere multò veriùs valeamus nos Chriſtiani, quàm dixerunt Ægyptij Ioſeph: Salus noſtra in manu tua eſt; reſpiciat nos tantùm Domina noſtra, & læti ſeruiemus Filio eius. Ipſa enim verè poteſt figurari per Ioſeph, qui interpretatur augmentum, vel accreſcens; quia ei accreuit gratia fœcunditatis, ſuper gratiam virginitatis. Ideò dicitur de ea, Gratia ſuper gratiam,* &c. (Notanter excipe, quæ ſubdit verba Richardus.) *Ipſa eſt enim cauſſa ſalutis generis humani, & quædam Ratio, & Complementum poſt Filium ſuum, omnium quæ facta ſunt, & quæ futura ſunt,* in negotio inquam, pietatis, & rogatæ beneficentiæ, de quâ agitur ex analogiâ ad Ioſephum Patriarcham, tunc Ægyptiorum vota, & ſupplicationes cumulatè adimplentem. Itaque B. Deipara eſt poſt Filium ſuum, eorum quæ ab eâ miſericorditer optamus, & piè expetimus, & *Ratio*, & *Complementum.* Scilicet nobis vndecumque ſceleroſè indignis, ſæpe nulla petēdi & impetrandi *Ratio* ſuccurrit, quâ ſubnixi confidentiam enutriamus: ſed tamen ſpes abiicienda non eſt in Virgine Mariâ piè collocata: ipſa eſt abundè ſufficiens, & ſuperabundanter exuberans petendi *Ratio*, & impetrandi vigor. Ipſa, ipſa inquam eſt, & à quâ beneficium petitur, & viuida petenti *Ratio.* Quod ſi aliqua forſan ſuppetat petendi cauſſa, quæ ad impetrationem ſupplemento indigeat ipſa Deipara etiā eſt precum ad ipſam noſtrarum *Complementum.* Eſther 4. v. 8
O quàm cumulatius integræ, & plenæ ſunt preces humanæ, quæ ad Mariā nuncupatæ, in ipsâ, & per ipſam, & de ipsâ, nobile ad impetrationē *Complementum* accipiunt, atque ex ipsâ fœnerātur? Hinc Mardochæus cum populo, in tantâ calamitate anxij, ad Eſtherem precibus confugiunt: nec de ope ferendâ tam eam rogant, quàm illam de munere ſuo ſuppliciter *monent.*

Gen. 47. v. 25.

Richard l. 2. p. 2.

Eccli. 26.

*B. Maria eſt noſtrarum precum ſufficiens Ratio, & nobile Complementum.*

5\. Sapientiæ 7. ſic de Sapientiâ (quo nomine Beata Deipara ſolet adumbrari) ſcribit Salomon: Super ſalutem, inquit, & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile eſt lumen illius. *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manum illius.* Itaque Sapientia, & B. Virgo per illam deſignata, ſic hianter adamatur, & concupiſcitur; nam ex eâ, eiuſque precario deuotè ſtudio omnia pariter bona ſimul nobis proueniunt. Sibi igitur bonum quodlibet inuidet, qui illud a Maria non expoſcit: inuentâ enim Mariâ, omne bonum faciliſupplicationis pretio affatim ſuppetet. Scitè Idiota ſapientiſſimus lib. de B. Virgine in Prologo: *Accede per deuotam mentis contemplationem ad glorioſiſſimam Virginem*

Sap. 7. v. 11.

*Propter preces ad Mariam nuncupatas, habet habebitque mundus omne bonum.* Idiota.

*nem Mariam matrem eius* (Chriſti Dei inquam) *quia per ipſam, & in ipſa, & cum ipſa, & ab ipſa habet mundus, & habiturus eſt omne bonum.* Mundus, mundus etiam, quo nihil immundius, ſi Mariam ſupplicate oſcitanter non negligat, *omne bonum* cumulatè habebit? O, ſic deuotè precantium Maria Virgo pectora bonis implet? Nihil excipit, qui promittit totum. Da preces, & bona concupita accipe. Nil arduum, & obtentu difficile eſt Mariam deprecanti; *quia per ipſam, & in ipſa, & cum ipſa, & ab ipſa habet mundus, & habiturus eſt omne bonum.*

6. Lucæ 1. auditâ Angeli nouâ ſalutatione, turbatur Maria; cuius cogitationes, vt placidè pacatas redderit, aliud priſtinis elogium Gabriel addenſat, aiens: *Inueniſti enim gratiam apud Deum.* Inuenit quidem, an adhuc inuenit? an inuenire iam deſiit? Quare cùm inauguratur Dei Mater, tunc, tunc quidem, gratiæ inuentrix nominatur? Opportunè ex Bernardo Richardus: *Cupientes,* inquit, *inuenire gratiam, quæramus inuentricem gratiæ Mariam; quæ quia ſemper inuenit; fruſtrare non poterit, exaudietur enim pro ſua reuerentiâ.* Nimirum cùm Virgo Deipara Dei mater renunciatur, tunc conſultiſſimè publicatur *gratiæ inuentrix,* non quia ſemel ipſa ſibi gratiam inuenit; ſed vt noſtris precibus fiduciam ingerat, quodam fiducialiter ſupplicandi lenocinio allectis: *vt cupientes inuenire gratiam, quæramus inuentricem gratiæ Mariam; quæ quia ſemper inuenit, fruſtrare non poterit.* Non ſoli ſibi ſemel Maria gratiam inuenit: ſemel inuenit ſibi gratiæ plenitudinem; ſed appendices diuinæ maternitati gratias, quibus precantium vota impleat, ſemper inuenit inuentu aſſiduè perenni, & iugis *gratiæ inuentrix* renunciatur. Petennent igitur noſtræ ad eam preces, impetrandi fiduciâ alacres, & erectæ; quia *gratiæ inuentrix, quia ſemper inuenit, fruſtrare non poterit.* Sibi nouas perpetuo gratias inuidet, qui illas à Deiparâ poſtulare cunctanter negligit.

Lucæ 1. v. 30.

Richard à S. Laur. l. 2. part. 5. Ad Hebræ. 5

*Maria ſibi gratia inuentrix, eam nobis precantibus ſemper inuenit.*

---

## CAPVT V.

*Verſ.* 3. Dixítque ad eam Rex: Quid vis Eſther regina? quæ eſt petitio tua? etiam ſi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.

## CAPVT XI.

*Verſ.* 17. Et adamauit eam Rex pluſquam omnes mulieres, habuítque gratiam & miſericordiam coram eo.

## §. CCCLXXVIII.

*Deipara ne ſupplici imperio, an imperiali prece Filium Deum orat & exorat?*

David frequentibus ærumnis iactatus, & inteſtinâ Sui, & Suorum hoſtilitate turbatus, confugit ad orationem, tanquam ad expertum calamitatum aſylum: *Ad me ipſum anima mea conturbata eſt, propterea memor ero tui,* &c. Sed videamus ad quem ſupplices manus tollat, vt remedium impetret. *Abyſſus,* inquit, *abyſſum inuocat, in voce cataractarum tuarum.* Quæ eſt hæc *vox* cataractarum Dei, ſeu portarum cæli, quæ quaſi bifores ſupplicanti pandantur, dum *abyſſus abyſſum inuocat,* & auxiliarem ſupplex aduocat? Appoſitè S. Bonauentura: *Abyſſus,* inquit, *eſt Maria in bonitate, & miſericordia profundiſſimâ: vnde etiam miſericordiam profundiſſimam Filij ſui pro nobis interpellat, quaſi abyſſus abyſſum inuocat.* Nimirùm dum B. Deipara a nobis afflictatis rogatur, & ipſa Filium ſuum rogat, tunc miſericordiæ profundiſſima *abyſſus abyſſum inuocat.*

*Cùm Deipara pro nobis Filiū rogat, abyſſus abyſſum inuocat.*

Pſ 41. v. 8.

S. Bonau in Specul. B. Virgin c. 5.

Lucæ 1. miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, & nomen Virginis Maria. *Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: Aue gratiâ plena: Dominus tecum.* Benè Angelus *a ſalutatione incipit, qui ſalutem in lingua portauit,* ait Auguſtinus. In primâ autem huius ſalutationis vocula exponenda, multi ſunt Interpretes. P. Alfonſus Salmeron ſic de hac re ad rem præſentem philoſophatur, *De prima voce, Aue, aduerte, dici à verbo aueo, quod eſt deſiderare. Et ita idem eſt dicere, Aue: ac dicere deſidera.... Aue ergò B. Virgo, ſeu deſidera: quia quodcumque auebas & ſuprà quàm auebas, obtinebis.* Itaque non modò exerta Deiparæ oratio; ſed etiam *deſideria,* & vota, ad rem orationis, & negotium impetrationis acceptantur. In B. Deipara, ipſum *deſiderare,* orare eſt, exorare eſt, impetrare eſt: ſiquidem *quodcumque auet, & ſuprà quàm auet, obtinet.* quæ eſt orationis, ſiue exorationis hyperbole. Quid tam præcoqua exauditione felix, quàm votis orare, & deſideriis properanter exorare? Hoc Matris Dei priuilegium eſt, quò humanæ preces ad eam feliciter corrigantur. Sic orat, & exorat: quia *abyſſus abyſſum inuocat. Iuſto enim* (potiùs Matri ſuæ) *dicit Deus: Pete, & dabo tibi: Cogita, & faciam.* quaſi cogitationi & deſiderio Deiparæ adſit orationis vis, & impetrationis vigor. 2.

Lucæ 1. v. 28.

S. Aug. ſer. 17. de Nat. Dom.

Salm. tom. 3. Tract 5.

*Deiparæ deſideria, inſtar precum reputantur, & ſuprà quàm auet, obtinet.*

Clem. Alex. 7. Str. c. 6.

Canticorum 4. hæc ad Sponſam Sponſus; Filius Deus ad Matrem Virginem: *Vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa: vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum,* &c. Pro τὸ *vulneraſti cor meum,* emphaticè repetitum, Biblia Complutenſia habent, *ſtupefeciſti me.* Ecquis eſt hic velut *ſtupor* Sponſi? Vatablus, *Abſtuliſti mihi cor.* quòd Lxx. interpretes dixerunt, *Excordaſti.* Alij autem velut contrario ſenſu ſententiam expreſſerunt, ſic exeribentes, *Cor mihi indidiſti.* Quaſi dicat (ait inibi Cornelius) *Cor tuum mihi inſeruiſti, vt illud in me operetur.* Itaque hoc *vulnus* in corde Sponſi, ſeu cordis *ſtupor,* perinde eſt, ac ſi diceret: *Excordaſti me,* hoc eſt, *Abſtuliſti mihi cor, & cor tuum mihi indidiſti, vel inſeruiſti, vt illud in me operetur.* quaſi Sponſæ, & Deiparæ *cor inditum & inſertum* ſit Sponſo, id eſt, Chriſto Deo eius Filio, vt quod Deiparæ cor cupiat, aut velit, Chriſtus Deus operetur. Nimirùm ſic ad Virginis Matris nutum, gratiæ negorium operatur Filius Deus, ac ſi cor Matris ſibi indidiſſet & corde, hoc eſt nutu, aut voluntate Matris cuncta moderaretur. Vndè Syrus pro τὸ *cor tuum mihi indidiſti* habet, *Excitaſti cor meum.* Enimuerò ſic potenter voluntas Matris, Filij voluntatem, ſeu cor ad aſſenſum *excitat,* ac ſi Filium Deum *excordaſſet,* & illi cor ſuum *indidiſſet,* vt illud 3.

Cant. 4. v. 9.

Bibl. Compl.

Vatablus.

Lxx. Interpr.

Cornel. ibi.

*Cor & voluntas Chriſti, quodammodo eſt cor ſeu voluntas ſuæ Matris.*

Syrus.

illud in Chriſto operaretur. Tantus eſt inter Filium Deum, & Matrem Virginem, cordium, ſeu voluntatum, vel deſideriorum concentus, ſeu quodammodò præ conſenſione identitas. Illud Prouerb. 8. *Hauriet ſalutem à Domino*, Vatablus habet, *Hauriet voluntatem à Domino*, (de quo alias agebamus) Sic abundè Virgo Deipara, Filij *voluntatem haurit*, & in ſuum pectus mirè infudit!

Prou. 8. v. 35. Vatabl. ibi.

4. Redeant adhuc enucleanda, & emedullanda, eadem Canticorum verba: *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Rupertus ibi per *vnum oculorum*, accipit vnitatem cogitationum, & orationum, quas B. Virgo figebat in Deo. Vnde proferens exemplum Annæ matris Samuelis, de quâ dicitur 1. Reg. 1. post orationem: *vultus eius non ſunt amplius in diuerſa mutati*, ſubdit opportunè Rupertus: *Quid erat illa vniformitas vultuum non ſe amplius in diuerſa mutantium? nimirùm identitas cogitationum & valdè intenta earundem perſeuerantia precum.* Deinde idipſum B. Virgini accommodat. Parco verbis, quia pluſculè ſe diffundit. Sat eſto expendere verba, quæ de ipſâ Deiparâ typicè intelligit. Nempe de humili B. Virginis oratione interpretatur Rupertus τὸ *in vno oculorum tuorum*, quaſi indidem innuatur *identitas cogitationum* in Marianis precibus. Quæ eſt hæc *identitas cogitationum*, dum Deipara orat, & Filiũ Deũ feliciter exorat? An hæc *identitas cogitationum* eſt Mariæ ad Chriſtum Deum orantis, cum homine orante ad ſe? (Sanè inæſtimabilis pietas eſt, quòd quæ cogitat quis orans ad B. Virginem, eadem velut *identitate cogitationum*, B. Virgo cogitet) An eſt *identitas cogitationum* ſecum, præ intenſâ perſeuerantiâ precum? (Magnum quidem eſſet, ſic attentè noſtras ad eam preces, Deiparam excipere, ac ſi nihil tunc aliud cogitaret. Sanè quod re eſſe non poteſt, effectu apparet) An eſt *identitas cogitationum*, Matris orantis, & Filij orationẽ exaudientis? Hoc inſinuatum videtur à Clemente Alexandrino nuper laudato: *Pete, & dabo tibi: Cogita, & faciam*, quaſi foret aliqua *identitas* inter *cogitare* Matris cùm orat, & *facere* Filij cùm orauit. Sic Mater Virgo dum orat, *cor* ſuum Filio Deo *trahit*, & *voluntatem haurit*? Hinc Georgius Nicomedienſis precatriam omnipotentiam Marianis precibus adſcribit: *Habes*, inquit, *vires inſuperabiles, robur inexpugnabile ..... Nihil tuæ reſiſtit potentiæ, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo iuſſui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ poteſtati ſeruiunt.*

Cant. 4. v. 9.

1. Reg. 1. v. 18. Rupert.

Eſtne identitas cogitationum inter B. Virginem dũ orat, & Chriſtum dum oratur?

Clem. Alex. 7. Strom. c. 6.

Georg. Nic. Orat. de Oblat. Deip.

5. Ioannis 2. Nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ: & erat mater Ieſu ibi: Vocatus eſt autem Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Ieſu ad eum: Vinum non habent. *Et dicit ei Ieſus: Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.* Sanè videtur Chriſtus renuiſſe orationi Matris reſpondiſſe. Et tamen confeſtim, *dicit mater eius miniſtris: Quodcumque dixerit vobis, facite.* Mitiſſimum quidem eſt, quòd tantâ effuſarum precum fiduciâ, Deipara, hæc miniſtris iubeat, etiam cùm eius petitio velut intempeſtiua, refutari videtur. Verùm cui dicitur: *Cogita, & faciam*, de impetratione ambigere, impoſſibile eſt. Audiendus eſt S. Antoninus: *Oratio Sanctorum*, inquit, *non innititur alicui rei ex parte ſui, ſed tantùm miſericordiæ ex parte Dei. oratio autem Virginis innititur gratiæ Dei, iure naturali, & iuſtitia Euangelij: nam Filius non tantùm tenetur audire Matrem, ſed & obedire, iuxta illud Apoſtoli, Filij obedite parentibus veſtris; quod etiam eſt de iure naturæ.* (Nota quæ mox ſubiicit verba) *Oratio Deiparæ erat nobiliſſimus modus orandi, tum quia habebat rationem iuſſionis, & imperij; tum quia impoſſibile erat eam non exaudiri, iuxta illud quod in figurâ eius dixit Salomon matri ſuæ Berſabeæ, cùm aliquid petere vellet: Pete, inquit, mater mea, neque enim fas eſt, vt auertam faciem tuam.* Ergò Virgo Deipara, aut ſupplici imperio iubet, aut imperiali prece orat: quandoquidem eius Filius Deus iure naturæ, ac Euangelij tenetur Matrem audire, & obedire: vnde *impoſſibile erat non exaudiri*, iuxta Antonini ſententiam.

Ioan. 2. v. 4. & 5.

*An Deipara ſupplici imperio iubet, an imperiali prece orat?*

S. Antonin. 4 p. tit. 15 c. 17 § 4.

Ad Epheſ. 6. v. 1.

3. Reg. 2. v. 20.

6. Geneſeos 21. Ægyptia Agar cum ſuo Iſmaële, ex Abrahæ domo eiicitur. Errabat autem in ſolitudine Berſabee. Cúmque cõſumpta eſſet aqua in vtre, abiecit puerum ſubter vnam arborum. Et abiit, ſeditque è regione procùl, dixit enim: Non videbo morientem puerum: & ſedens contrà, *Leuauit vocem ſuam, & fleuit. Exaudiuit autem Dominus vocem pueri.* Ad quæ verba ita ſcribit Auguſtinus: *Quid mirum ſi etiam illâ ætate, matre deinde non viſâ, & tanquam perdita, eo loco vbi ſolus remanſerat, puer fleuerit?* Grauiùs ferè puer Iſmaël Matris abſentiam, quàm præ ſiti & ariditate emori? Bonus Iſmaël, legitima Abrahæ proles, qui magis ſitit bonam Matrem, quàm in tantâ ſiti frigidum potum. Scilicet abſentia matris, quæ eſt peccatorum Mater, præ morte dolenda eſt. O ſitiat anima mea ad Mariam viuum paradiſi fontem gratias abundè rigantem, carnis æſtum oppportunè refrigerantem! Aliter Lipomanus: *Exaudiuit autem Dominus vocem pueri, cum non puer fleuiſſe, vel clamaſſe, ſed mater ſcribatur.* Nempe puer exauditur, quia eo tacente, Mater pro eo clamat: ideò orante Matre, puer calamitoſus exaudiri perhibetur, quaſi prece Matris, ipſe quoque ſubclamet; & miſericordia erga Matrem, in Filium exundet. Ideircò Lucæ 7. ſcribitur, quòd cùm appropinquaſſet Dominus portæ ciuitatis Naim, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matri ſuæ: *Quam cùm vidiſſet Dominus miſericordiâ motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere*, &c. & illum è feretro redimiuum, dedit matri ſuæ. *Pulchè ait ibi Beda) Euangeliſta Dominum ſuper iis miſericordiâ motum eſſe ſi per matrem, ac ſic ſi iuum reſuſcitaſſe teſtatur.* Moraliſſimè quidem prius miſericordiâ erga Matrem tangitur, vt exanimem reſuſcitet filium: vnde illum dedit Matri ſuæ, non eum iam viuum ſibi relinquit. Exinde etiam *exaudiuit Dominus vocem pueri* Iſmaëlis, *cùm non puer clamaſſe, ſed Mater ſcribatur.* Mater clamat, & tacente filio Mater orat, & filius exauditur; quia Matris preces filio imputantur. Quid accommodatiùs Marianæ pro nobis orationi?

Gen. 21. v. 16. & 17.

S. Aug apud Caten. ibi.

*Sitiat anima ad Mariam viuum paradiſi fontem.*

Lipom. ibi.

*Marianæ preces nobis tacentibus imputantur.*

Lucæ 7. v. 13.

Beda.

7. Paulus ad Hebr. 5. ita ſcribit de Chriſto: Qui in diebus, inquit, carnis ſuæ preces ſupplicationéſque ad eũ qui poſſit illũ ſaluũ facere à morte, cũ clamore valido, & lacrymis offerens, *exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Pro τὸ *reuerentia*, alij *pietatem*, alij *eximiam charitatem*, alij *caſtum timorem* exeribunt, & exponunt. Moroſus eſſem, ſi penitiùs enucleare vellem, quid exactè ſignificet τὸ *reuerentia*, propter quam Chriſti *preces* ac *ſupplicationes*, à Deo exauditæ ſunt. Sat eſto, adſimilem in Deiparæ precibus *reuerentiam*, apud Bernardum legi. Et ſanè ſicut in Chriſti precibus

Ad Hebr. 5. v. 7.

Apud Corn. ibidem.

*Mariæ virgini non dicitur reuerentia propter quam exauditur.*

bus *caſtus timor*,ſic in Deiparæ oratione, purior caſtè virginitas,*reuerentiam* ſonat. Sic ergò fatur Bernardus: *Dedit tibi Deus Chriſtum per Mariam propter ſanitatem: ſed quia indignus eras cui donaretur,datum eſt Mariæ,vt per illam acciperes quicquid haberes: quæ per hoc,quòd Mater eſt,genuit tibi Deum:* (Nota attentius quæ ſubdit verba)*per hoc,quod Virgo eſt, exaudita eſt pro reuerentia ſua in cauſſa tua, & totius generis humani.* An non diuina Maternitas potius eſt ad exauditionem ius? Verùm Virginitas maternitate geminata,& mirè aucta,*reuerentia* dicitur,Chriſti *reuerentiæ* adſimilis, propter quam Deipara exauditur in totius generis humani cauſsâ. O nouum ad impetrationem titulum, & Marianæ Virginitatis elogium!

S. Bern. Ser. 9. in Vigil. Natal.

## CAPVT XI.

*Verſ.* 20. Quicquid enim ille (Mardocheus) præcipiebat,obſeruabat Eſther: & ita cuncta faciebat vt eo tempore, quo eam paruulam nutriebat.

*Verſ.* 22. Quod Mardochæum non latuit, ſtatímque nunciauit reginæ Eſther:& illa Regi ex nomine Mardochæi.

### §. CCCLXXIX.

*Dei, ac Deiparæ voluntas, velut ipſa altera eſt, duæ vnum, & idem ambæ.*

1. SAnctus Auguſtinus(ſi Auguſtini, & non potiùs Hugonis Victorini eſt liber ille de Animâ & ſpiritu,qui extat tom. 3. operum S. Auguſtini) agens de beatâ Cælitum gloriâ, ita de eâ ſcribit:In cælo eſt,inquit, quicquid amatis,quicquid deſideratis.Si delectat pulchritudo, fulgebunt iuſti ſicut Sol,ſi velocitas & fortitudo,erũt ſimiles Angelis Dei,ſi ſapiẽtia,erunt omnes docibiles Dei.*Si concordia,cibus erit voluntas Dei Si poteſtas,introibunt in potentias Domini, & omnipotentes erunt ſuæ voluntatis,vti Deus ſuæ. Nam ſicut poterit Deus quod volet per ſeipſum; ita poterunt illi quod volent, per illum.* Quod de Beatis dixit Auguſtinus,peridoneè Virgini Deiparæ congruit.Quæ *omnipotens eſt ſuæ voluntatis, vti Deus ſuæ.* Et quomodo id de purâ creaturâ dici poteſt? quia tantus eſt conſenſionis concentus inter Dei,ac Mariæ voluntatem, vt *ſicut poteſt Deus quod volet per ſeipſum, ita poteſt illa quod volet, per illum.* Vndè tanta duarum voluntatum conſenſio,& concors modulatè harmonia? nimirùm quia Mariæ *cibus eſt voluntas Dei.* Sicut de ſeipſo dixit Filius eius: *Meus cibus eſt,vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Profectò cibus in ſubſtantiam aliti conuertitur,& ſuas proprietates,& qualitatum accidentiam illi per nutritionem imprimit, exprimit. Cum ergò Deiparæ *cibus fuerit voluntas Dei*, Dei voluntas quodammodò tranſiit ad Deiparam:eamque non ſolùm anima,ſed & ſanguis & caro obſequenter ſpirabant. Exindè velut omnipotenter poteſt,quod obſequenter volet,nouâ quâdam arcanè obſequij omnipotentiâ. Sic Deipara *introiuit in potentias Domini, omnipotens ſuæ voluntatis,ſicut Deus ſuæ*: quia Dei ac Deiparæ voluntates,non tam erant duæ, quam duæ vnum, & idem ambæ, mirisſimo diuinæ Omnipotentiæ,& Mariani obſequij concentu.

S. Auguſt. Hugo Vict.

*Quo ſenſu Beati dicantur Omnipotentes ſuæ voluntatis, ſicut Deus ſuæ?*

*Dei,ac Deiparæ voluntates non tã erant duæ, quàm duæ vnum & idẽ ambæ.*

Ioan 4. 34.

Iſaiæ 62. Non vocaberis Derelicta: & terra 2.
tua non vocabitur deſolata: *Sed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua Inhabitata.* Vatablus & Pagninus, *maritata*,quam ſcilicet Deus ſibi maritabit. Vocaberis,inquit, *voluntas mea*, id eſt,eris,ita vt iure vocari poſſis. *Voluntas*,hoc eſt beneplacitum,complacentia, delectatio, & deliciæ meæ, vt ex Hebræo exponit Cornelius. Ceterùm Hayino & Hugo ſic locum exponunt. *Vocaberis voluntas mea*;quia ſemper obediẽs voluntati meæ eamque promptè ad nutum in omnibus exequens: quaſi tua voluntas ſic in diuinam voluntatem impreſſa ſit,aut diuina voluntas in tuâ expreſſa,vt illi in omnibus conformis, in eam transformata, aut tranſnominata videatis. Hæc Iſaiæ verba peridoneè Guarricus Abbas de Virgine Deiparâ his verbis exponit: *Etenim ipſa Virgo voluntatem Patris in tantùm faciebat, vt de ipſa prædiceret Pater Iſaiæ 62. Vocaberis voluntas mea.* O grande Virginis elogium, Euãgelici Prophetæ ore ante tot retrò ſecula decantatum! *Voluntas Dei*, Deiparæ voluntas dicitur? ò arcanè ineffabile voluntatum commercium, mirisſimâ conſenſione præluſtre! Sic diuina ac Mariana voluntas miro concentu vices reciprocant! Sic Mariæ voluntas,ipſa eſt altera Voluntas Dei, & ambæ vna? Gratulor Deo, qui inter puras creaturas,ad decus humanæ naturæ, & diuinæ naturæ gloriam, adeò ſibi conformem voluntatem excuſſerit. Gratulor etiam Virgini Deiparæ, quòd non ſolum ſit diuinæ voluntatis ſequeſtra,ſed quòd ore Prophetæ, Dei *voluntas* glorioſè nominetur. Sic conformis extitit voluntati diuinæ!

Iſaiæ 62. v. 4. Vatablus Pagninus.

Cornel. ibi. Hayino Hugo

*Volũtas Dei, Deipara voluntas nominatur, quaſi ipſa altera.*

Guarr. Serm. 4. de Aſſũpt.

Ioannis 19. *Stabant autem iuxta crucem Ieſu* 3.
*Mater eius* Ecquis non miretur in tam cruentâ atrociter laniena,talem talis Filij Matrem, non conſternari,ſed adhuc *ſtare*. Quid tunc Deiparã, vt inſuſpicabili magnanimitate *ſtaret* ſi ctineſcia ſuffulcire valuit? Imò quo pacto de humanâ compatienter imbecillitate labefactari potuit,quæ diuinâ voluntate velut ſua regebatur? ſic illi cõformis,ac ſi nõ eſſent duæ,ſed duæ vnũ, & idem ambæ,& ipſa altera. Ad tale ſpectaculum *ſtat* Pater Deus voluntate flectineſciâ; *ſtat* etiam Mater Dei inconcuſsâ pariter voluntate. Quod viuidè S. Antoninus his verbis ediſſerit: *Stabat firma voluntati Dei conformans ſe, ſciebat enim B. Virgo,quòd Dei voluntas erat Filium ſuum pati, & propter hoc in mundum venerat. Et cùm in omnibus requiem quæreret, vt de ipſa canitur,quæ non aliter verè quæritur, & poſſidetur,niſi conformando ſe diuinæ voluntati.* Requiẽ quærit Maria *ſtans* iuxta crucem Filij,dum videt ſe conformari voluntati diuinæ: ô inſuſpicabilis Matris requies iuxta Filij peracerbum patibulum! Et addit idem Antoninus poſt pauca ex Anſelmo: *O Domina, quos fontes lacrymarum dicam erupiſſe de pudicisſimis oculis tuis,cum attenderes Vnicum tuum innocentem coram te flagellari,ligari,mactari,& carnem carne de tua crudeliter diſſecari? & tamen ita diuinæ voluntati conformis fuiſti, & ſalutis humani generis auida,vt dicere audeam,quod ſi nullus fuiſſet repertus, qui Filium crucifige*

Ioann. 19. 25.

*Virgo Deipara, requiem quærit iuxta crucem Filij?*

S. Anton. 4. p. tit. 15. c. 41. §. 1

Eccli. 24. v. 11.

S. Anſelm.

*Deipara ſi poſſet Dei voluntas, ſuum immolaſſet Filium.*

crucifigeret, ad hoc vt ſequeretur ſalus hominum, & adimpleretur Voluntas Dei, ſi oportuiſſet, ipſa poſuiſſet in crucem. Neque enim credendum eſt minoris fuiſſe perfectionis, & obedientiæ ad Deum, quam Abraham qui proprium filium obtulit Deo in ſacrificium propriis manibus occidendum, & comburendum. Stabat ergo fixa in Dei voluntate.

Gen. 22.

Antonino accinit Gerſon, aiens, quòd *ipſa ſi Deus iuſſiſſet, crucifixiſſet*, &c. Quid exaggeratius pro conformitate Deiparæ cum voluntate diuina?

Gerſ. Tr. ... ſuper Magnificat.

4. Regius Pſaltes ſic Deo pangit: *Sacrificium & oblationem noluiſti; aures autem perfeciſti mihi ..... vt facerem voluntatem tuam.* Quod Dauid de ſe dixit, id peridonee Paullus ad Hebræos 10. Chriſto accommodat; & eius Matri non inidoneè accommodari poteſt. Græci codices: *Aures autem mihi meas perfeciſti.* Et quo pacto Deiparæ aures Deus perfecit? Quæ eſt hæc aurium perfectio, quam Propheta ante tot ſecula præcinit? Pulchrè Galatinus, cui Caniſius, & Spinellus vltrò conſentiunt. Galatinus ergò teſtatur *Deiparam vſque adeò modeſtiam coluiſſe, vt eius oculi nihil inhoneſti, nihil illiciti aſpexerint: imò vt oculos nunquam eleuauerit, ſicut ceteri homines facere ſolent; ſed ſemper niſi Deum oraret, humi defixos tenuerit, atque inter ceteras perfectiones eo ſpiritu prophetiæ donata ſit, vt ſi forte aliquid inconceſſum, ſeu illicitum vel auditura, vel viſura eſſet, illicò eius aures, & oculi clauderentur, ita vt non niſi Voluntati diuinæ deſeruire viderentur.* O quam verè dicere poteſt Deo immaculatiſſima Virgo Deipara. *Aures mihi meas perfeciſti, vt facerem voluntatem tuam Deus!* ſiquidem ſingulari prophetiæ ſpiritu animitus afflata, ſiquid *inconceſſum* ſeu *illicitum* viſura, auditurâve foret, cautè antè aduerteret; & (quod mirere magis) *aures*, ſicut & oculos, ad nutum clauderet: ad bonum attentiùs aurita; ad *inconceſſum*, ſeu *illicitum* ſurda, & vltrò aurium cæca, *ita vt non niſi Voluntati diuinæ deſeruire videretur.*

Pſal. 39. v. 7. ad Hebr. 10.

Græci apud Lorin. ibi.

Galatinus l. ... c. ... Canis. l. 1. c. 14. Spinell. c. 21.

*B. Virgo ad inconceſſa, & illicita ... obſurdeſcebat.*

5. Lucæ 1 B. Virgo virginitatis ſtudio cunctanter agit cum cæleſti Paranympho, cui tandem adnuens, in eius, & de eius viſceribus Deus corporatus eſt: *Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum:* Quoad ſenſum verborum attinet, variant Doctores in eo interpretando. Athanaſius putat τὸ *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*, eſſe verba optantis. Ambroſius eſſe voti ſeu deſiderij coniuncti cum fide. S. Bernardus putat eſſe verbum orantis, & deprecantis, vt tale myſterium in eâ perageretur. Auguſtini verò expoſitio, quam legitimam putat eſſe Toletus, eſt, *nimirum eſſe verba conſentientis, & aſſenſum præbentis diuinæ Voluntati; hunc enim aſſenſum Angelus expectabat, & hic ſolum quærebatur*, quaſi B. Virgo virginitate & humilitate placuerit, conſenſione autem ſuæ voluntatis cum diuina conceperit Chriſtum. Hinc pulchra dubitatio apud eruditos occurrit, cùm potuiſſet Deus concipi, & naſci de beatâ Virgine, eius conſenſu non requiſito, ſicut etiam de Adamo dormiente Euam formauit, cur ipſius voluntatem requiſiuit, & conſenſum expectauit: Huc forſan adludit Irenæus, aiens: *Eua inobedientiæ nodus ſolutionem accepit per obedientiam Mariæ.* Scilicet obedientia Mariæ extricet nodum inobedientiæ Euæ. Sic voluntate Mariæ extricatur primordialis inobedientiæ nodus, quo Eua olim totam naturam implicauerat. Idoneè quidem Irenæus. Sed argutiùs, opinor, Bernardus homil. 3. ſuper Miſſus eſt: *Cùm*, inquit, *Deus ſit in omnibus Sanctis propter concordiam voluntatis; ſpecialiter tamen cum Maria, cum qua vtique tanta ei conſenſio fuit illius non ſolum Voluntatem, ſed etiam carnem ſibi coniungeret, ac ſi de ſua, Virginique ſubſtantia vnum Chriſtum efficeret, vel potius vnus Chriſtus fieret.* Nimirùm ad Dei in ſuo vtero corporationem, non dixit B. Virgo, id opto, id oro, id in me fieri annuo, & vltrò volo; ſed ſuam voluntatem diſſimulans, ait, *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*, ſe ſuaque diuinæ voluntati per Angelum annunciatæ permittens, vt in diuinæ incarnationis myſterio, non ſolùm Chriſti carnem ſibi coniungeret; *ſed etiam voluntatem, vt de Verbi, Virginiſque ſubſtantia vnus Chriſtus fieret.* Quaſi non modo naturalem carnem, ſed mortali et etiam Voluntatem à Matre Virgine Filius Dei mutuarit. Adeò vt vtriuſque exinceps voluntas ſit ipſa altera duæ vna, atque eadem ambæ, arcanæ conſenſionis ineffabili ſacramento.

S. Athanaſ. ſer. de Deipara.
S. Ambr. ibi.
S. Ber. hom. 4 ſuper Miſſus eſt.
S. Aug. ſerm. 14. de Sanctis.
Tolet. Annot. 111.

*Eua inobedientiæ nodus, ſolutionem accepit per obedientiam Mariæ.*

S. Irenæ. l. 3. c. 31.

S. Bern.

*Chriſtus in Incarnatione, non ſolum carnem, ſed Mariæ voluntatem accepit. & conſenſu.*

Ezechielis 1. ait Propheta: Cumque aſpicerem animalia, quæ myſticum diuinæ gloriæ currum vehebant, *aparuit rota vna ſuper terram iuxta animalia, habens quatuor facies. & aſpectus rotarum, & opus earum, quaſi viſio maris.* Per miriſſimam iſtam *rotam* S. Bernardinus Deiparam intelligit. Et ſanè infrà cap. 10. ſcribitur de hac rota, quæ ob quatuor facies, pluratiuo nomine, effertur: *Et rotas iſtas vocauit volubiles audiente me.* Hebraicè pro τὸ *volubiles*, nonnulli *rotas* habent. Quaſi dicat: *Et rotam iſtam vocauit rotam*, ac ſi nullum ſuppetat epithetum ad res creatas, quo expromptiſſimum Deiparæ obſequium valeat conferri. Audiendus eſt S. Bernardinus: *Eleuata fuit B. Virgo per excellentiam conuerſationis deſignata in eleuatione rotæ, de qua Ezech. 1. ſcriptum eſt, Apparuit rota*, &c. Et poſtquam rotæ elogia Virgini adaptauit, tandem concludit: *Inæſtimabiliter ſuperauit omnem obedientiam Martyrum, & Confeſſorum: nam in omnibus fuit pondus difficultatis ad bonum, & pronitas ad ipſum malum: in Virgine beata nullum fuit omnino retardatiuum: Proinde rota volubilis fuit ſecundum omnem Spiritus-ſancti nutum.* Nempe Virgo Deipara adſpectu ad omnes Sanctos, qui Deo promptè obtemperarunt, fuit *rota volubilis*, id eſt, *rota rota*, hoc eſt, tota rota ſine *retardatiuo* ad obſequium procliuis, agili gratiæ impetu, quem nulla retardabat pronitas in oppoſitum. Vndè *inæſtimabiliter* fuit *rota volubilis*, & tota rota ad Dei Voluntatem, *ſecundum omnem Spiritus-ſancti nutum.* Quid diuinæ voluntati adulantius.

* * *

6.
Ezech. 1. v. 15.
Ezech. 10. v. 13.
Hebræus.
S. Bernardin. tom. 3. ſer. 21. art. 1. c. 1.

*B. Virgo fuit tota rota ad omnem Spiritus-ſancti nutum.*

## CAPVT IV.

*Verſ.* 15. Eſther hæc Mardochæo verba mandauit: Vade, & congrega omnes Iudæos.....Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus .....& nunc ingrediar ad Regem.

## CAPVT VII.

*Verſ.* 3 Dona mihi animam meam pro qua rogo, & populum meum pro quo obſecro.

## §. CCCLXXX.

*B. Virgo eſt officina, quæ ex peccatoribus Sanctos excudit: & velut ex quadam benignitatis lege, dum gratiam donat, debitum implet.*

1. PRouerbiorum 8. Salomon recenſitis primæuæ creationis operibus, quæ Deus ſexiiduo apprime fabricatus eſt, ſubdit de Sapientia diuina: *Cum eo eram cuncta componens*: R. Leui, *Apud Deum, qui amplificat.* Alij, *Aderam illi quaſi artifex.* Hùc procul dubiò adludens S. Dionyſius, ita ſcribit: *Hæc* (Dei Sapientia) *vt ſcripta diuina tradunt, omnium eſt artifex, & ſemper omnia componit, eſtque cauſſa indiſſolubilis cohærentiæ & ordinis omnium: fineſque priorum cum ſequentium principiis ſemper connectit, & vnam vniuerſi conſpirationem concentumque pulcherrime efficit* obuium eſt apud Interpretes, hæc Salomonis verba adaptare Deiparæ: (legantur noſter Salazar, & Cornelius inibi) eſt enim *quaſi artifex*, quæ opera redemptionis apte *componit*, & mire *amplificat*. Forſan aptius Verbum diuinum, aut Spiritus ſanctus dicuntur artifices, Deipara verò, officina, quæ huiuſmodi opera *componit*, & *amplificat* Andreas Cretenſis Virginem appellat, *Verbi officinam* Artificis perſonam, non eſſentiam, artemve denutat Bernardinus Senenſis: *Spiritus-ſanctus*, inquit, *occurrit Virgini glorioſæ, eam recognoſcens, fornacem ſui amoris, & officinam ſuæ ſtupendæ operationis in qua, & de qua fabrefactum eſt corpus mundiſſimum Filio Dei.* Et infra addit opportuniùs: *Spiritus-ſanctus oſtendit electis expreſſè, quòd in hac officina, & per eam fabrefecit quicquid in gratia mirificum operatur, & quòd in hac totum ignem operationis recluſit, quem vnquam dare diſpoſuit creaturæ rationali.* O quàm in hac *officina* diuinus *Artifex* opera redemptionis apte *componit*, & ad ſceleroſius peccatores mire *amplificat*! Si ob enormiſſima hominum flagitia Spiritus-ſancti tepeſcit amor, in Maria, & per Mariam, velut in *ſui amoris fornace*, ardenter ſufflāmatur. Vides ex Saulo Paullum; ex Latrone, Confeſſorem, inſuſpicabili paradiſi latrocinio felicem; ex Peccatrice, Mariam altera, iam non ipſam; ex Publicano, Apoſtolum, Apoſtolam ex Samaritana à Spiritu-ſancto in hac officina, & per eam fabrefecit quicquid in gratia mirificum operatur. Et meritò quidem, quæ fuit *officina*, quæ Verbo corpus fabricauit, vt in ea, noſtrorum ſcelerum ſcoriâ defæcatius excocta, *fabrefaciat quicquid in gratiâ mirificum* inuenitur. O bona *officina*, quæ humana vitia excoquit, & inopinatas mirificè Sanctitates ſumptuoſiùs excudit!

Prou 8 v. 30.
Tranſlationes variæ.
S. Dionyſ. de Diuin. nom. c. 7.
Salazar
Cornelius.
*Deipara eſt fornax amoris Spiritus-ſancti.*
Andr. Cret. Orat. in Salutat. Angel.
S. Bern. tom. 3. ſer. 11. art. 2. c. 3.
*Deipara eſt officina, in quâ fabrefactum eſt quicquid in gratiâ mirificum eſt.*

2. Siracides Eccleſiaſtici 50. *Quaſi ſtella*, inquit, *matutina in medio nebulæ*, &c. In litterâ cortice Simon Pontifex denotatur. Allegoricè iuxta Hugonem, Chriſtus intelligitur. Alij nomine *ſtellæ* fulgentis in medio nebulæ, B. Virginem myſtice intelligi malunt. Et ſanè per hanc *nebulam* Cornelius intelligi putat, *calamitates, errores, & vitia*; inter hæc enim, etſi ab ſe alieniſſima, hæc *ſtella* gratiæ ſplendet, & micantiùs fulget, dum vel nebuloſam Vmbram mortis, inopina luce perluſtrat. Appoſitè S. Bernardus: *Iſta eſt nobilis ſtella Iacob, cuius radius vniuerſum mundum illuminat, cuius ſplendor præfulget in ſupernis, & inferos penetrat, terras etiam perluſtrans, & calefaciens magis mentes, quàm corpora, fouet virtutes, excoquit vitia.* Pergit S. Bernardinus ſic in perſonâ Deiparæ fatus: *Penetrabo inferiores partes terræ, ſcilicet quæ ſunt frigidæ, & obſcuræ, & aſpiciam, ſcilicet oculo miſericordiæ omnes dormientes, id eſt, tepidos, & negligentes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino, id eſt illuminatione meâ faciam, quòd agnoſcant Deum, & ſperent in eo.* Scilicet hæc noua Stella non ſolum terras perluſtrat, ſed etiam *inferos penetrat* id eſt, infernales præ nequitia homines, & gehennæ candidatos; qui in hâc vita degentes, tantum in inferno non ſunt; hos, hos inquam, *ſperantes* appellat; qui licet præ flagitiorum mole propè deſperare poſſent, illuminationis ſuæ fotu beneuolo, eorum ſpē erigit, vt *ſperent in eo*, quem ipſa peperit, & ſupplex orat. Sic dicitur B. Virgo *inferos penetrare*, & propè deſperatis afflare ſpem. Audiendus eſt hîc ſuper re S. Antoninus: *Sapientia aduocati, & eloquentia manifeſtatur in tribus: ſcilicet quod obtineat apud iuſtum, & ſapientem iudicem. Secundò contra aduerſarium aſtutum & ſagacem. Tertio quod in cauſſâ deſperatâ Sacra Virgo Maria aduocata noſtra obtinuit apud ſapientiſſimum, & iuſtum iudicem Deum contra aſtutiſſimum aduerſarium Diabolum in cauſſâ deſperatiſſima inter Deum & hominem, in qua nullus hominum, qui eam præceſſerant, loqui audebat.* Cauſſam deſperatorum feliciter agit, quæ ſic *inferos penetrare* perhibetur, vt gehennalibus tenebris confines, & fere ſedentes in vmbrâ mortis, pleniſſimis ſpebus inopinatè affulgeat.

Eccli. 50. v. 6.
Hugo ibi.
Cornelius ibidem.
S. Bern. hom. 2. ſuper Miſſus eſt.
S. Bernardin. tom. 3. ſer. 1. art. 1. c. 3.
Eccli. 24.
*Quo ſenſu B. Virgo in cauſſa deſperatorum, inferos penetrare dicatur.*
S. Antonin. 4. p. tit. 15. c. 19. §. 2.

3. Prouerbiorum 31. de Muliere illâ Forti, quæ communiter proponitur Mariæ typus, ita Salomon ſcribit: *Os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in linguâ eius.* Hebræum verbum *cheſed*, quod pro τὸ *clementia* ineſt, propriè ſignificat pietatem id eſt, pium affectum, quo quis parentes, conſanguineos affines, ac domeſticos proſequitur. Chaldæus, Theodoretus, & Ambroſius pro *lex clementiæ*, exſcribunt, *lex gratiæ*. Itaque B. Virgo omnes homines pietate, clementiâ, ac beneficentiâ, velut parentes, conſanguineos, ac domeſticos largè proſequitur: in quos, etſi clementiæ indigniſſimi ſint, ac ſi lege adſtricta foret, *clementiam* exhibet, & *gratiam* ſpirat: *Lex clementiæ, lex gratiæ in lingua eius.* Quæ eſt, *lex gratiæ*? Nam B. Deipara, velut ex lege [illegible] obſtricta eſt ad *gratiam* omnibus etiam indigniſſimis, abundè adminiſtrandam. Imo forſan

Prouerb. 31. v. 26.
Hebræus
Chaldæus
Theodoret.
S. Ambr.
*An aliqua lege ad donandam peccatoribus gratiam Deipara teneatur?*

ſan à *gratiæ* nomine deſciſcet, cùm ex debito *legis* obligatur. Porrò *gratia*, quò nomen ſuum, & rem nominis adimpleat, à debito exempta eſt.
S. Bern Ser. Signū magn. Tempeſtiuè Bernardus: *quæ ad eam* (Deiparam inquam) *pertinent: plena omnia pietatis, & gratiæ; plena ſunt manſuetudinis, & miſericordiæ. Denique omnibus omnia facta eſt, ſapientibus, & inſipientibus copioſiſſima charitate debitricem ſe fecit; omnibus miſericordiæ ſinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi*: Nimirùm velut illâ *clementiæ*, & *gratiæ lege*, etiā *inſipientibus* (id eſt, enormiter ſceleroſis, qui quaſi belluinò more delinquunt) *debitricem* ſe fecit; aut qua tanta clementia ſummæ peccatorum miſeriæ obærata, & velut ſtipendiaria eſt, quâdam præſtandæ *gratiæ lege*: aut quia tantam (quam plenè accepit) gratiam, quodammodò debet peccatoribus, ſine quibus tanti Filij non foret Mater. conſultiſſimè ergò Deiparæ *lex gratiæ* ineſſe dicitur, quoniam illius præſtandæ nobiliter ingenua *debitrix* eſt.

4. Eccli 43. v. 24. Aluar. 2 Tract. de Mortif. Rabanus. S. Bernardin. tom. 3. Ser. 11. ar. 1. c. 3. *Medicina hominum, in feſtinatione nebula, id eſt, Maria, figurata eſt.* Eccli 24 v. 6. Hugo Car. ibi.

Siracides Eccleſiaſtici 43. *Medicina omnium*, inquit, *in feſtinatione nebulæ.* Noſter Aluarez de Paz per *nebulam*, mortificationem tropologicè intelligit. Rabanus ſymbolicè Incarnationem Chriſti. Myſticè S. Bernardinus Senenſis Deiparam, eiuſque largiorem erga omnes beneficentiam interpretatur: *Beata Virgo*, inquit, *quia irrigat Eccleſiam militantem, figurata fuit in figura nebulæ.......Vndè ſcriptum eſt: Medicina omnium in feſtinatione nebula: quia omnes, qui volunt, fiunt participes gratiæ ſuæ.* Et quæ eſt hæc gratiæ *nebula*, quæ eximiè hic commendatur? Hugo Carenſis B. Virgini accommodat illud Eccleſiaſtici 25. *Ego feci vt in cælis oriretur lumen indeficiens, & ſicut nebula texi omnem terram.* Vide opportuniſſimum huius *nebulæ* munus: nempe *tegere terram*, & quodammodò impedire cæli proſpectum, vt Deus per hanc *nebulam* peccatores terræ videns, quaſi eius viſus impediretur, (loquimur de Deo more humano) humana diſſimulet ſcelera, ac ſi ea non videret; aut videat
Eccli. 50. v. 7. ea per *nebulam*, id eſt, per Mariam: & indè ad veniam, potiùs quàm ad vindictam. Quare *nebulam gloriæ* Siracides appellauit. Summa enim gloria Marianæ interceſſionis eſt, ſic velut *nebulâ tegere omnem terram*, id eſt, terrenos homines, qui nil niſi terram ſapiunt. Pulchrè ergò dicitur: *Medicina omnium in feſtinatione nebulæ*: nam cum Maria *velut nebula texit omnem terram*, per hanc *nebulam gloriæ* Deus videns terrenos homines, videt ad gratiam, videt ad veniam, videt ad gloriam.

5. 3. Reg. 2. v. 20. 3. Regum 2. venit Berſabee Salomonis mater ad Regem: Et ſurrexit Rex in occurſum eius, adorauítque eam; ſedit ſuper thronum ſuum: poſitúſque eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius. *Et dixit ei rex: Pete mater mea: neque enim fas eſt vt auertam faciem tuam*: Quæ verba vero Salomoni adſpectu ad Matrem ſuam communiter adaptantur. Conſultiſſimè enim dicitur, fas non eſſe, quicquam quantumuis arduum, Matri negare: quaſi ex iure Maternitatis id ei debeatur. Audiendus eſt, de hoc Virginis
Georg. Nic. *Chriſtus Matris petitiones adimplens, quaſi exoluit debitum.* erga peccatores patrocinio, Georgius Nicomedienſis Orat. de oblat. Deiparæ. *Per te nos, inquit, regnum cælorum ſperamus aſſecuturos? Te noſtræ ſalutis habemus adiutorem; te noſtri auxilij habemus defenſorem; te proponimus, cuius ore noſtra dicatur excuſatio; te noſtra fiducia circumferimus gloriationem........Da petitioni conuenientem (potes enim) euentum; habes vt Mater in Filium, quæ recuſari non poteſt, fiduciam; habes vires inſuperabiles, robur inexpugnabile, ne in menſam tuam clementiam ſuperet multitudo peccatorum, Nihil tuæ reſiſtit potentiæ, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo iuſſui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ poteſtati ſeruiunt.* (Nota attentiùs verba, quæ tempeſtiuè ſubdit) *Tuam enim gloriam Creator exiſtimat eſſe propriam, & tanquam Filius ea exultans, quaſi exoluens debitum, implet petitiones.* Ecce tibi, Salomon nefas putauit à petitione Matris faciem auertere; & verus Salomon, *quaſi exoluens debitum, implet petitiones* Matris in cauſſa etiam deſperatiſſima: nam Matris ſuæ *gloriam Creator exiſtimat eſſe propriam.* Itaque Mater Virgo ſubuenire peccatoribus, *lege clemētiæ*, ſiue *gratiæ* velut obligata eſt: & Filius Deus, Matri pro peccatoribus adnuit, & eius implet petitiones; *quaſi exoluens debitum.* Quid exaggeratius?

Hanc velut effuſam erga peccatores etiam Deiparæ beneficentiam, forſan in illis Canticorū verbis innuitur: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum. vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Guarricus Abbas: *Ieſus impreſſus in corde expreſſus in opere ſigillum planè, & munimentum eſt inuiolabile caſtitatis ſuæ ſponſæ.* Benè eſt pro Deiparæ virginitate, in corde & opere Ieſu ſigillata. Verùm S. Bonauentura ad hunc locum alludens, ſic opportunè fatur: *Cùm homines ſoleant credere ſigillo, quare vos non creditis ſigillo maternæ virginitatis? .....Sub hoc ſigillo per Chriſtum, & per Chriſtum, & per Euangelium ſuum tanquam per litteras regales ſententia mortis æternæ reuocata eſt. Digitus Dei Spiritus-ſanctus dicitur: annulus huius digiti donum eſt Spiritus-ſancti, quo impreſſa eſt virginitas Mariæ.* Quid tam auctoritate ſanctum eſt in forenſi etiam litigio, quàm regales litteræ regio annulo, ſeu ſigillo impreſſæ? Ecce tibi B. Virgo expreſſa eſt Spiritus-ſancti annulo, & Verbi ſigillo, quo peccatoribus venia promittitur: nam *ſub hoc ſigillo per Chriſtum tanquam per litteras regales ſententia mortis æternæ reuocata eſt.* O credamus huic regali ſigillo, & ſpebus erecti, de noſtra venia, deiparæ, ac nobis exultim gratulemur! 6. Cant. 8. v. 6. Guarr. Ser. 2. de Annun. *B. Virgo eſt peccatorum veniæ regale ſigillum.* S. Bonau. Serm. 2. de Dominica Paſſion.

## CAPVT XI.

*Verſ.* 17. Et adamauit eam (Eſtherem) Rex pluſquam omnes mulieres, habuitque gratiam & miſericordiam coram eo.

## CAPVT VIII.

*Verſ* 8. Scribite ergò Iudæis, ſicut vobis placet, Regis nomine ſignantes litteras annulo meo.

## §. CCCLXXXI.

### *Num miſericordia Chriſti, ſit etiam ſoboles Mariæ, quādoquidem ab ea æternæ pietatis indolem generoſè expreſſit?*

Richardus lib. 2. de laud. B. Mariæ, ſic de eius erga miſeros homines pietate ſcribit: *Ipſa eſt* 1. Richard.

*eſt cauſſa ſalutis generis humani, & quædam Ratio.....poſt Filium ſuum, omnium quæ facta ſunt, & quæ futura ſunt*, in re inquam pietatis, miſericordiæ, ac beneficentiæ, de hoc enim ſermo præceſſerat. Scilicet mundus multimodis periculosè ægrotat morbis; Deipara autem poſt Filium ſuũ, *cauſſa ſalutis* exiſtit. Imò à matre Deiparâ quodammodò Filius Deus hanc ſalutatem pietatem etiam cum humanitatis indole expreſſit. Exindè B. Virgo appellatur *Ratio* omnium, quæ in re miſericordiæ hactenùs à Filio Deo facta ſunt, & exinceps facienda. Quaſi ipſa B. Virgo ſit Filio Deo *Ratio* ipsâque abundè ſufficiens, ob quam omnium miſereatur, omnibus polliceatur veniã, & largiùs gratias impertiat: ac ſi Maria ſit *Ratio* miſericordiæ, pietatis titulus, & benignitatis fomes, aut propenſio, quam ab ipſâ Chriſtus Deus cum indole mutuauit. Niſi fortè latiùs videar, *Rationis* vocabulo ideam deſignari. Quaſi piiſſima Virgo Dei mater ſit Filio Deo clementiæ idea, vt quodammodò pietatis exemplar. Porrò cùm eius Filiùs Chriſtus Ieſus, qua Deus eſt, æquiſſimis Iuſtitiæ rigoribus ad vindictam efferueſcit; oportebat ad vltricem ſedandam in homines iracundiam, vt etiam è piâ Matris indole, indolem etiam pietatis hauriret, eſſetque clementiæ moribus mitiſſimè coalitus. Quare piiſſima Maria Dei mater, Filij ſui clementiæ indulgenter piiſſimæ *Ratio* ſententiosè nominatur; aut tanquam pietatis quodammodò idea, aut tanquam clementiæ indoles à piâ indole Matris atrepta, hauſta, & expreſſa.

*Quare Maria dicatur diuinæ miſericordiæ Ratio*

2\. Cant.3.v.11. Canticorum 3. *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Nimirùm Sponſa inuitat filias Sion ad hoc Sponſi ſui Spectaculum eo fine, vt eas in illius admirationem, amorem, & cultum rapiat. Vndè eum *Salomonem*, id eſt, pacificum nuncupat, eò quòd ipſe pacem, id eſt, tranquillitatem, gaudium, opes, honores, ſalutem, felicitatem, & omne bonum regiâ liberalitate ac clemẽtiâ ipſis ſit allaturus. Audi inibi Hugonem: *Coronauit eum* (Chriſtum) *nouerca, Pater, & Mater. Nouerca Synagoga, Mater Virgo, Pater eius Deus: Nouerca coronauit eum coronâ ſpineâ & miſeria, Mater corona iuſtitiæ, Pater corona gloriæ.* Aptiùs, opinor, Ambroſius donatam Filio coronam non tam iuſtitiæ, quàm miſericordiæ, Matri Deiparæ attribuit, aiens: *Eum concepit, & peperit, & coronam capiti eius æternæ pietatis impoſuit.* Itaque Chriſtus à Deo Patre *corona gloriæ* coronatur: at Mater Virgo Filium Deum concipiens de ſuis viſceribus puriſſimis, in eo impreſsè exprimens ſuæ benignitatis indolem, *Coronam capiti eius æternæ pietatis impoſuit.* Quaſi Virgo Deipara diademate *æternæ pietatis* Chriſtum Deum coronauerit. Num tam à Patre æterno, quàm à Virgine in tempore Matre, *æternam pietatem* Chriſtus expreſſit? Quà Chriſtus Deus à Matre eſt, *æternæ pietatis* diademate coronatur: Sic feliciter æternat in Filio Deo pietas, quam à Matre Virgine moribus expreſſit; Sic omiſſit Ambroſius *æternam pietatem*, quam ab æterno Patre Chriſtus Deus hauſit, vt quam ab indole Matris arripuit, glorioſiùs prædicaret? Quænam corona Chriſto glorioſior eſt, an gloriæ corona, quam habet à Patre? an *corona æternæ pietatis*, quam illi Mater impoſuit?

Hugo

S.Ambr. de Inſtit. Virg. c.16.

*Coronam æternæ pietatis Chriſto Deipara impoſuit.*

Geneſeos 24. Heliezer Abrahami œconomus, heri ſui iuſſu peruenit in Haran, quærens puellam dignam nuptiis Iſaaci, ex quo feliciter connubio Chriſtus Deus aliquandò naſceretur: Ecce ego, inquit, ſto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egrediuntur ad hauriendam aquam. *Igitur puella cui dixero: Inclina hydriam tuam vt bibam: & illa reſponderit: Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipſa eſt quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac: & per hoc intelligam, quòd feceris miſericordiam cum Domino meo.* Geneſ.24.14. Necdùm intra ſe verba compleuerat, & ecce Rebecca, &c. Futilis Heliezeri videtur ſuperſtitio; & tamen Deiparæ myſterium aliè adumbrat. Porrò ex largiri liberalitate ſumitur indicium eius, quæ à Deo præparata erat digna Filij ſui futura mater. Sit vltra petitionem benefica, cuius generosè piâ ſobole, Dei Mater, & Filius Deus naſciturus erat. Non inquirit de puellæ ducendæ genere, nobili antiquitate generoſo; non de diuitiis, quibus puella opulentè dotetur; omittit reliqua, quæ magno in pretio ad nuptias haberi ſolitant; & exuberantem velut effuſe liberalitatem auidiùs expetit, vt indolem homine Deo dignam tam tunc ſollerter procuret. Qua ſuper re audiendus eſt Richardus, ſic appoſitè fatus: *Largitas Mariæ aſſimilat largitatem Filij ſui, qui dat ampliùs quam petatur. Vnde...... Rebecca* (*quæ interpretatur, Multum accepit*) *in figura Mariæ Heliezer petenti aquam ad bibendum ſibi, reſpondit: Bibe Domine mi, quin etiam camelis tuis potum tribuam.* O bellè: & bellum generosè indicium eius, quæ digna Dei Mater futura eſt; vt Filius Deus beneficentiam vltra preces, & *æternam pietatem* à Matre hauriat, & moribus generosè exprimat. Figurata Rebecca, *quæ interpretatur, Multum accepit* multum etiam donauit pia redonandi æmulatione, cùm *æternæ pietatis* indolem Filio Deo ingenerauit.

*Ex liberalitate vltra preces donandi probatur digne futura Dei Matr.*

Richard. à S.Laur. l.4. de Laud. Matris.

4\. Pſal 109.v.3. Propheta regius Pſalm. 109. ſic ad rem concinnè pangit: Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum: *Ex vtero ante luciferum genui te.* Quis; quem? Sanè apud Interpretes hactenùs inexploratum eſt; cùm alij aliter ſentiant, & multimodè locum exponant. Omitto vernaculas Hebræorum nugas. Baſilius, Cyrillus vterque, Epiphanius, Ambroſius Euthymius, & alij Patres, & paſſim Expoſitores, de æterna Verbi diuini generatione, ex mente Patris velut *ex vtero*, præſcripta verba intelligunt. At Tertullianus, Iuſtinus, Heſychius, Hieronymus, Auguſtinus, Proſper, & plures alij commentatores apud Lorinum, locum interpretantur de temporali Chriſti Dei generatione ſeu natiuitate ex virgineo Deiparæ *vtero*. Ceterùm Caietanus ſic locum ex Hebræo legit: *De vulua auroræ erit tibi ros natiuitatis tuæ.* Lyranus recitat aliam tranſlationem ex Hebræo textu: *De matrice auroræ erit tibi ros adoleſcentiæ tuæ*, apud alios, *infantiæ tuæ*. Eruditè inibi notat Lorinus, quòd ſi Hebræus textus perpendatur, *τὸ ex vtero*, ſeu *ex vulua*, ſiue *ex matrice*, Hebraicè מרחם *merachem*, de femina ſola propriè dici poteſt, vt temporalis Chriſti Dei ex virgineo Mariæ *vtero* natiuitas expreſsè denotetur. Et mox addit, quòd pro *τὸ ex vtero*, poſſet etiam verti, *Ex miſericordia*, ſeu *miſeratus*. Quaſi perindè ſit, dum agitur de Chriſti Dei natiuitate ex Virginis Mariæ vtero, *de vtero auroræ* Mariæ *erit tibi ros natiuitatis tuæ*, ac ſi diceret, *Ex miſericordia*, ſiue *miſerens erit tibi ros natiuitatis tuæ*. ô pulchrè! ac ſi idem ſit Chriſtum

Lorinus hos omnes Patres allegãs, Caietanus Lyranus

Lorinus ibidem.

*Chriſtus ex Mariæ vtero prodiens, ex miſericordiâ, ſeu miſerans, prodiiſſe dicitur.*

Chriſtum Deum *ex vtero* Mariæ generari, aut naſci, quàm *ex miſericordiâ* generari, aut naſci. O, ſic eſt naturali Mariæ Virginis Filio cognatum, pietatis ac *miſericordiæ* elogium? Sic Filius Deus cum pia Matris indole, Matris pietatem arripuit, hauſit, expreſſit? Nec mirùm ſi miſericordiæ Mater, miſericordiarum Patrem generaret; naſceretúrque Deus miſericors ex piiſſimæ Matris vtero generatus. Quin & non ſolùm Chriſtus Deus, dum *ex vtero* Mariæ prodit, dicitur *ex miſericordia* prodiiſſe; ſed etiam iam *miſerens*. quaſi Chriſto ex Beata Virgine concepto, parùm foret indoles, ſeu ingenerata ad miſericordiam propenſio; niſi etiam iam tunc *miſerens*, ſeu exercita miſericordia piè beneficus diceretur. Sic aurora Maria miſericordiam irrorat in humanitatem Filij, & in homines abundè pluit! *Ex* Mariæ *vtero*, id eſt, *ex miſericordiâ erit tibi* (ô Chriſte) *ros natiuitatis tuæ, infantia tuæ, adoleſcentia tuæ.*

5. Iob 31.v.18. Iobi cap. 31. opinatiſſima verba ſunt *Ab infantia creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum.* Quaſi benignitas, miſericordia, & pietas non ſolùm Iobo adfuerit ex iſtiuſmodi virtutis ſtudio, ſed ex indolis bonitate, & innata quadam naturæ propenſione; adeò vt ex infantiâ adoleſceret, & ſublime caperet incrementum. (S.Gregor.) *Electis* (ait inibi Gregorius) *cùm foris ætas corporis, intùs, ſi dici licet, creſcit ætas virtutis.* Et ſanè cùm Iobus dicat, miſericordiæ indolem ex vtero matris mutuaſſe, & inſigniter ſecum *creuiſſe*, non inidoneè, opinor, de Iobi antitypo, Chriſto Deo inquam, id poſſe accipi, eique aptiùs accommodari: nam Filij humanitas ac pietas, Matris Virginis humanitatem naturâ, pietatem indole impreſſiùs aſſimilat; & *de vtero Matris egreſſa miſeratio* ſecum mirabiliter *creuit*, ſcilicet auctario infinitæ miſericordiæ, quam Chriſti humanitas indole miſericors, ex vnione cum Verbo fœnerauit. Idcircò dicit: *Ab infantia* id eſt, conceptione, ſeu natiuitate *mecum creuit miſeratio*; ſiquidem humanæ miſericordiæ in Chriſto, ex piâ indole Matris per generationem expreſſæ, mirifficè accreuit diuina ac infinita miſericordia, illi à Patre Deo per æternam generationem cum attributis reliquis communicata. Vide igitur in Chriſto grande miſericordiæ incrementum: à Matre Virgine humanam miſericordiæ indolem habet; à Patre Deo infinitam miſericordiam accepit: vt qui Deus & homo eſt, diuinâ & humanâ miſericordiâ præcelleret; atque in ſe, & Patris Dei, & Matris Virginis miſericordiam referret. *Luculentiùs dixerim* (ait noſter Ferdinandus de Salazar (*Chriſtus Dominus non ſolum vt Deus, ſed etiam vt homo patrizabat, id eſt Parentis æterni mores referebat.* (quod ex Auguſtino nuper probauerat) *Ergò quemadmodùm Chriſtus ea ratione, in quantum Deus ſimul, & in quantùm homo patrizauit: ita etiam æquum fuit, vt Deus pariter, & homo matrizaret*, id eſt, Matris mores referret. Itaque non ſolum Chriſtus vt homo, ſed Chriſtus Deus, verus Deus inquam, (cõſultò à reduplicatione abſtineo procul calumnia) Virginis Matris miſericordiam refert. Adeo vt verè dici poſſit de Deipara, quòd ipſi Deo egregiam miſericordiæ indolem mutuauit: & quòd ipſe Chriſtus Deus benigniſſimè miſericors, Matris miſericordiam impreſſiùs referret. Porro cui dicit propheta: *Ex vtero*, id eſt, *miſericordia erit tibi ros natiuitatis*, aliàs *infantia tua*, rectè etiam ipſe dicere cum Iobo poteſt: *Ab infantia creuit mecum miſeratio, & de vtero Matris meæ egreſſa eſt mecum.* Merito inquit, *Creuit*, aut quia indies plus operibus miſericordia oſtendebatur, ſicut dicitur creſcere gratiâ, & ſapientiâ apud homines; aut potiùs quia in ipſo Matris vtero, humanæ miſericordiæ accreuit diuina, cùm eius humanitati Verbi perſona hypoſtaticè vnitur.

*Chriſtus Deus matrizat, dum maternæ miſericordiam indole refert.*

Salazar in Prou.c.8.n.12.

---

## CAPVT XI.

*Verſ.* 17. Adamauit eam Rex plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam & miſericordiam coram eo.

## CAPVT VIII.

*Verſ.* 5. Si placet Regi, obſecro, vt nouis epiſtolis veteres Aman litteræ corrigantur.

## §. CCCLXXXII.

### *B. Deipara humanas neceſſitates & preces, præpropera fauentia cumulatè anteuertit.*

QVæ mente beneuolâ, & larga manu B. Virgo confert hominibus beneficia, vt maieſtate præcellunt, ita propter hominum ignorationem, mutuum non expoſcunt: ſicut ſæpè neque emuntur ſupplicum egenorum precibus, dum eius ſollers & exprompta liberalitas anteuertit properantes hominum neceſſitates: quaſi maturans Deiparæ beneficentia largior, ſupplicaturum præmaturè beneficiis præueniat, beneficentiæ probrum quodammodò cenſens, niſi ſæpè inrogata rogaturis occurrat. quæ eſt miſericordiæ meta, dum optatam gratiam non petitam præbens, aufert velut inuidiam ſupplicandi. 1.

*B. Virgo properantes neceſſitates inrogata anteuertit.*

Prouerbiorum 8. ſic B. Virgo homines alloquitur: *Beatus homo qui audit me & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes Oſtij mei.* Vide quàm ſollerti & exſomni ſollicitudine optat, vt eius ambiamus gratiam: & nota huius pij ambitus cauſſam quam protinùs ſubdit: *Qui me inuenerit, inueniet vitam,* (alij *vitas*) *& hauriet ſalutem à Domino.* Pro τὸ *ſalutem* Hebraicè eſt, voluntatem, beneplacitum, beneuolentiam. Vndè Chaldæus vertit, *Habebit beneplacitum à facie Dei.* Pagninus, *Educet quod voluerit à Domino.* Caietanus, *Quicquid voluerit, à Deo facile obtinebis.* Vatablus, *Hauriet voluntatem à Domino.* Magnum ſanè, & ineffabile, per Mariam, *Domini voluntatem haurire*! Magnum quidem, ſed magno emptum: nam id aſſequitur, qui ad Mariæ fores quotidie inſomnis vigilat, & velut ambitu quodam liminis poſtes ſollicitè obſeruat, vt Mariam *inueniat*. Verum LXX. interpretes cõſultiſſimè ad rem, pro τὸ *qui me inuenerit, inueniet vitam*, habent, *Egreſſiones meæ egreſſiones vitæ.* Syrus, *Quoniam proceſſiones meæ, vitæ ſunt proceſſiones.* Profundè quidem! Nempè Mariæ inuentus, qui tot ſecum felicitates adducit, *Domini* 2. Prou.8.v.35.

Hebræus Chaldæus Pagninus Caietanus Vatablus

*Maria ſupplicare voléntium preces egrediendo præuenit.*

LXX. Interp. Syrus.

*Domini voluntatem hauriens*, non operoſâ ſollicitudine conſtat, ſed Mariæ obuiam *egreſſiones* & *egreſſiones* ſunt; ad nos enim ipſa *procedit*, & ſæpè vltro *procedit*, vt nobis ante preces ſupplicandâ concedat gratiam. Quod Baſilienſe Concilium inſtituens feſtum Viſitationis Deiparæ, his verbis edisserit: *Ipſa non ſolùm ſupplicantes exaudit, ſed ſicut ex ſuâ clementiâ conſueuit, etiam ſupplicare volentium preces præueniet.* Quaſi Deipara pro ſuâ clementiâ *conſueſcat* vota ſupplicandi præuenire, & pro ſupplicationibus ad impetrationem beneficentiùs acceptare, *Inuenitur* enim à nobis, dum ipſa ad nos *egreditur*, & *procedit*. Vndè ait, *Qui me inuenerit, inueniet vitam*, id eſt, *Egreſſiones meæ egreſſiones vitæ*, quibus homo feliciter *hauriet voluntatem à Domino*. ô grande donum per Virginem inuentum, vel Domini haurire voluntatem, vel voluntatem noſtram à Domino haurire. (Id autem alterius theſis negotium, aut otium eſto)

Conciliũ Baſilienſe.

*Per Mariam Domini voluntatẽ haurimus.*

3. Sapientiæ 6. de diuina Sapientia, ſeu Prouidentiâ ita ſcribitur! Non enim ſubtrahet perſonam cuiuſque Deus........ *Et æqualiter cura eſt illi de omnibus.* E Græco fonte pro τὸ *æqualiter*, alij legunt, *pariter*, aut *ſimiliter*, aut *communiter*. id eſt, nihil in rebus creatis inuenitur, quod diuinam prouidentiam, ſeu curam effugiat. Sic intelligendi ſunt Patres, quandò dicunt æqualiter omnibus à Deo conſuli. S. Cyprianus breui acutáque ſententia rem clarauit: *Deus ſe omnibus ad cæleſtis gratiæ conſecutionem æqualitate libera præbet parem.* Quod & ad huius loci expoſitionem, & ad controuerſias Theologicas de Gratia, animaduerſione digniſſimum eſt, vt inibi Lorinus aduertit. Sed nos hîc amœniora ad mores inueſtigamus. Sanè Albertus Magnus ſuper Miſſus eſt, docet Deiparæ propter *curam* maternam, quam omnium gerit, aptari poſſe quod hic dicitur, *Ipſi cura eſt de omnibus.* Diuinæ autem prouidentiæ (quam B. Virgo æmulatur) *cura* peruigil & attenta humanam orationem, imò arbitrium ſollicitè anteuertit, & non rogata fauentiam adſpirat. Appoſitè S. Bernardinus Senenſis: *Mater*, inquit, *in Nuptiis Canæ Galilææ interpellat, ac ſi ad eam Cura omnium pertineret, & omnium hominum aduocatam ſe ſentiens, quæ præ omnibus creaturis, cunctarum facta fuerat Virgo Mater, officium aduocationis, & piæ auxiliatricis aſſumpſit, etiam non rogata.* O quàm aptè B. Virgini accõmodatur illud, *Ipſi Cura eſt de omnibus*, quandoquidem à Filio Deo gratiam impetrat, *etiam non rogata, ac ſi ad eam Cura omnium pertineat.* Quod ex iam iam dicendis enucleatiùs clarabitur.

Sapient. 6. v. 8.

S. Cypr. l. 3. epiſt. 8.

Lorin. ibi.

Alber. Mag.

*B. Virgini cura eſt de omnibus, quandoquidem in. rogata ſubuenit.*

S Ber tom. 3. Ser 9. ar. 3. c. 2.

4. Ioannis 2. nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: & erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem Ieſus, & diſcipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Ieſu ad eum: Vinum non habét. Et dicit ei Ieſus: *Quid mihi & tibi eſt mulier? nondùm venit hora mea.* Mox autem miniſtris de obſequio admonitis, neceſſitati needùm ab eis cognitæ abundè ſubuenitur. Grande hinc pro Deipara litigium apud Interpretes, cccur Filius Deus, cùm eius mater *non rogata*, penuriam ſupplere feſtinat, Deiparam non honoret conſueto *Matris* vocabulo; ſed *mulieris* auſteriori nomine appellet? Quid deliquit B. Deipara, cui ex diuinæ Maternitatis officio *cura* debet eſſe de omnibus, cùm munus ſuum implens, Filium Deum rogat, vt tunc ipſe non *Matris* honorum vocabulum, ſed commune ac vulgare *mulieris* nomen vſurpet? Argutè Guarricus Abbas Serm. 14. de Aſſumpt. *Ipſa* inquit, *Virgo voluntatem Patris in tantùm faciebat, vt de ipsâ prædiceret Pater Iſaiæ 62. vocaberis voluntas mea: igitur vbi eam Filius negligere videtur*, (aiens hîc Quid mihi & tibi eſt mulier?) *ibi ampliùs honoraſſe inuenitur; dum ei ſcilicet Materni nominis honor duplicatur, pro eo quò eundem Filium, quem aluo geſtauerat, incarnatum etiam nunc animo geſtabat inſpiratum.* Alto quidem ſtilo, etſi ſubobſcurè rem Guarricus tetigit. Nimirùm nunc Deipara ſollicitudine præcoquâ dum etiam *non rogata*, neceſſitates humanas præproperâ pietate anteuertit, munus Matris Dei exercet, & implet, ſiquidem *ipſi eſt cura de omnibus: igitur vbi eam Filius negligere videtur*, non Matrem, ſed Mulierem appellans, *ibi ampliùs honoraſſe inuenitur*: quia quem aluo geſtauerat, *incarnatum etiam nunc animo geſtat inſpiratum*, dum rem *Materni nominis*, *non rogata* cumulatiùs adimplet. Conſultiſſimè tunc ſiletur, & velut negligitur honorificum Matris Dei nomen, quandò *non rogata* ſollicitudo, & anticipata beneficè cura, eiuſdem nominis pompam reipſa præfert, & præclarius buccinat: & indè *Materni nominis honor duplicatur*, dum *inſpirata* præmaturè pietas, re oſtendit eſſe, quod nomine oſtentat. Opportunè ergò ſilet lingua, quod res ipſa loquitur. Bellè quidem Guarricus!

Ioan. 2. v. 4.

Guarric.

Iſaiæ 62. v. 4.

*Non rogata Maria pietas, eſſe Dei matrem præclarè conuigat.*

5. Redeat iterùm Sapientiæ locus, ab Alberto Magno de B. Deipara interpretatus: *Cura eſt illi de omnibus.* itaut nihil lateat eius prouidentiam, aut ſolleriam effugiat, quin velut exſomni cura, & anticipata prouidenter ſollicitudine omnia præuideat, omnibus prouideat. quod proculdubio ſpectat ad ſtatum Reginæ omnium. Potiò receptiſſima eſt S. Thomæ ſententia aſſerens, animam Chriſti Domini cognoſcere omnia, quæ Deus cognoſcit ſcientia viſionis, *Quoniam ad Chriſtum, & eius dignitatem ſpectant quodammodò omnia, in quantum ei ſubiecta ſunt omnia.* Exindè protracta tanti Doctoris ratiocinatione, cùm B. Deipara diuinæ Maternitatis priuilegio ſit iuſtorum mater, Angelorum Regina, & omnium hominum aduocata, & domina, omnium horum habere cognitionem perfectam, veriſimile exiſtimatur, quandoquidem *cura eſt illi de omnibus.* Tempeſtiuè Germanus Serm. de Aſſumptione: *Spiritus*, inquit, *tuus ô Maria, viuit in æternum, omnia obſeruas, omnia intueris, & inſpectio tua ad omnes ſe porrigit.* Omnia intuetur Deipara, omnia obſeruat, & noſtras neceſſitates pia obſeruatione anteuertens, inſperato ſubſidio calamitati præcurrit; eiuſque videre, prouidere eſt, quoniam *cura eſt illi de omnibus*: & perſæpè ſubſidij prouidentia, videntiam comitatur, ne tarditas benefaciendi, beneficio inuidiſſe videatur; & empta precibus gratia beneficentiam prouidentiſſimâ Matre Dei dignam, quodammodò deuenuſtet. Sic omnia ad medelam obſeruat, ſic ſcrutatur omnia Deipara!

Sapient. 6. v. 8.

Albert. Mag. ſuprà.

*Deipara ad ferẽdã opem, omnia ſcrutatur, obſeruat omnia.*

S. Thom. 3. p. q. 10. ar. 2. in corp.

Germanus

6. Lucæ 1. tandem Angelo annuit Deipara, & *Verbum caro factum eſt*? atque ſtatim: *Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione, in ciuitatem Iudæ, & intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth. Et factum eſt vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius: & repleta eſt Spiritu-ſancto Eliſabeth.* Quorſum hæc tam velox modeſtiſſimæ

Lucæ 1. v. 39. & 40. & 41.

Virginis

Virginis in puellaribus delicatè annis, ad ardua Iudææ montana *feſtinatio*? An vt quamprimum dictis Angeli de ſterilis Eliſabethæ conceptu, fidem oculis faciat? Forſan quæ fide concepit, adhuc ambiguâ fidei titubatione dubia hæret? Quare ergò modeſtiſſimæ ac virginalis puellæ tam inopinata feſtinantia? Quin & velut oblita Deiparam, & ancillæ memor, ipſa iuuencula non vocata feſtinat ad ſeruilia grauidæ vetulæ miniſteria, eamque ſalutationis obſequio præcurrit. Præcauet ne B. Deipara, ne prior ipſa ab Eliſabethâ ſalutetur, & ante ſuam ſalutationem, quæ gratiis plenè exundet in Ioannem, Ioannes infans needum natus, eius beneficam vocem anteuertat? O inſuſpicabilis *feſtinatio*, & in munificâ *ſalutatione* præuentio, quæ præproperam Mariæ liberalitatem præcoquâ gratiâ demonſtrat! Pulchrè S. Ambroſius ſic ad rem præſentem ſcribit: O diuitias, inquit, Marianæ virginitatis! Scriptum eſt enim de eâ: Ecce Dominus venit ſedês ſuper nubem leuem. Leuis erat, quæ remiſſionem peccatorũ in vtero geſtabat. *Denique eleuauit Ioannem in vtero conſtitutum, qui ad vocem eius exiliuit, & infans exultauit in gaudio, priùs ſenſu deuotionis, quam ſpiritus infuſione vitalis animatus.* Ecce tibi Marianæ *feſtinationis* ſacramentum, matrem Eliſabetham feſtinatâ *ſalutatione* gratiarum plenè exundante, velox præcurrit; & eâdem *ſalutatione* infantulum Ioannem nondùm natum, adhuc rationis impotem, gratiis præproperè implet; & inrogata quidem: rogari enim ab infantulo Ioanne non potuit, quandoquidem ille Virginis *ſalutatione* vltrò gratiarum vbere, *priùs ſenſu deuotionis, quàm ſpiritus infuſione vitalis animatus* dicitur. Quàm maturè feſtinat Deipara, ne infantem Ioannem inueniat natiuitate plenè animatum, vt *ſenſus deuotionis*, eius benefico ore largiùs infuſus, natiuitatem, quam appellat *animationem*, anteuertat. Inrogata cum *feſtinatione* tribuit, quæ Ioannem antequam *ſpiritus vitalis infuſione animetur, ſenſu deuotionis* vbertim expleuit. Hoc præpropero beneficio cum tantâ *feſtinatione* exhibito, beneficentiam Dei Matre dignam Deipara dedicauit. Sed ô qualem, quãtamque gratiarum vbertatem inrogata nunc tribuit! Pergit ex Origene Ambroſius: *Non ſola*, inquit, *familiaritatis eſt cauſſa, quod ſancta Virgo diu manſit in domo Zachariæ, ſed etiam tanti Vatis profectus: nam ſi primo ingreſſu tantus profectus extitit, vt ad ſalutationem Mariæ exultaret Infans in vtero, repleretur Spirituſancto Mater infantis; quantum putamus vſu tanti temporis S. Mariæ addidiſſe præſentiam?*

*Maria ſalutatione Ioannes priùs ſenſu deuotionis, quam ſpiritus infuſione animatur?*

S. Ambr. de Inſtit. Virg. c. 13.

S. Ambr. in Lucam, l. 2. ad c. 2. Orig. homil. 9. in Lucam.

*P. Didac. Celada in Eſtherem.*

## CAPVT X.

*Verſ. 6.* Paruus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem Solémque conuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit; Eſther eſt, quam Rex accepit vxorem, & voluit eſſe Reginam.

## §. CCCLXXXIII.

*B. Virgo eſt perennis gratiarum fons, diuinorum influxuum Præſes, officina ſanctitatum, velut fulcrum miſericordiæ, hominum in vtero baiula, & Patris æterni de pietate æmula.*

Miriſſimum ſanè eſt, quod de primæuo illo fonte ſacer Hiſtoricus denarrat: *Sed fons,* 1.
inquit, *aſcendebat è terra, irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ.* Vnus ne fons omnem terram abundè irrigare, & fœcundare ſufficit? Appoſitè S. Bernardinus: *Figurata fuit Virgo Maria in fonte illo, de quo Geneſis 2. qui de terra aſcendẽs, irrigabat vniuerſam ſuperficiem terræ: & iterùm Pſalm. 45. ait: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Pergit Bernardus quo ſolet melleo erga Deiparam eloquio: *Quis miſericordiæ tuæ, ô Benedicta, longitudinem, & latitudinem, ſublimitatem, & profundum queat inueſtigare? Nam longitudo eius vſque in diem nouiſſimum inuocantibus eam ſubuenit vniuerſis: latitudo eius replet orbem terrarum, vt tua quoque miſericordia plena ſit omnis terra: ſic & ſublimitas eius ciuitatis ſupernæ inuenit reſtaurationem, & profundum eius ſedentibus in tenebris, & vmbra mortis obtinuit redemptionem.* Verè pariter, ac plenè.

Gen. 2. v. 6.

S. Bernard., Tom. 1. Ser. 52. art. 1. c. 2. Pſal. 45. v. 5. S. Bern. Serm. 4. de Aſſũpt.

*Deipara eſt fons gratiarum, irrigans omnia.*

In Pſalmo 71. ad Salomonem inſcripto, ſic de 2.
eius regno pangit Dauid: *Et dominabitur à mari vſque ad mare: & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.* Inficiabitur nemo, hanc prophetiam in Salomone impletam non fuiſſe, vt ſumptuoſiùs in Deiparâ adimpleretur. *Glorioſa,* (inquit S. Bernardinus) *Virgo Maria eleuata fuit ad altitudinem regni, vt de ea dici poſſit, quod non ſolùm dominatur à Dan vſque Berſabee, ſed dominatur à mari gratiæ, vſque ad mare gloriæ; & à flumine influxuum diuinorũ, vſque ad terminos orbis terrarum ſuper omnem creaturam regnans.* Nimiùm Dan & Berſabee, Terræ promiſſionis terminos metabantur: hanc prouinciam obtinuit Salomon, & pauculas alias huic adiacentes. At Maria Salomonis generoſa ſoboles, non tantùm veræ promiſſionis Terræ principatur; ſed *à mari gratiæ, vſque ad mare gloriæ.* ô ampliſſimum immenſè imperium, & glorioſum auguſtè principatum (Gratiæ mari, & mari gloriæ Maria dominatur: quin & *flumina influxuum diuinorum* illi ſubiecta ſunt, eamque rectricem, & moderatricem agnoſcunt. Quid Deiparæ ſublimius, & honorificentius? quid nobis adæquè ſalutare, ac proficuum? Maribus gratiæ, & gloriæ, & fluminibus diuinorum influxuum Maria præeſt. Quid tam obuiè omnibus expoſitum, quid æquè vbertim pleno alueo exundans, quàm maria, ac flumina? Sibi imputet, qui aquarum indigus

Pſal. 71. v. 8.

S. Bernardin. tom. 3. Serm. 11. art. 1. c. 2.

*Maria dominatur à mari gratiæ, vſque ad mare gloriæ.*

*Maria eſt diuinorum influxuum Præſes.*

indigus, eas non haurit pleno cantharo Itaque B. Virgo non ſolùm eſt Præpoſita maribus gratiæ, & gloriæ; ſed etiam *diuinorum influxuum* Præſes, quod eſt præluſtre Deiparæ Virginis elogium.

3. Matth 13.v. 55. Matthæi 13. ſic contra Chriſtum Deũ,Iudæorum vulgus, imperitè oggannit: Vnde huic ſapientia hæc,& virtutes? *Nónne hic eſt fabri filius? Nónne mater eius dicitur Maria?* Mira ſanè Nazarenorum ſtultitia. Mirantur vndè habeat ſapientiam Sapientia, & virtutes Virtus. *Eſt autem pater Chriſti* (ait Auguſtinus) *faber Deus, qui totius mundi opera fabricatus eſt. Fabrum dixerim, qui mentem rigidam explanat, ac cogitationes ſuperbas excidit.* hoc eſt, totum naturæ, & gratiæ opificium. Et benè quidem, cùm Chriſti Dei pater, *faber* dicitur, eius matris *Mariæ* nomen inducitur: eſt enim huius magni Opificis mira officina. Peridoneè S. Bernardinus ſic fatus de B. Virgine: *Spiritus-ſanctus oſtendit electis expreſsè, quòd in hac officinâ, & per eam fabrefecit quicquid in gratia mirificum operatur.* Expreſsè electis oſtenſum dicitur, quòd cæleſtis *faber*, & diuinus opifex, quicquid in re gratiæ mirificum operatur, in hâc *officina* vniuerſatim excuditur. O quàm multa ſub *officina* vocabulo, in re tranſparent! Et S. Damaſcenus introducit Deiparæ ſepulcrum ita loquens: *Nunc me circũdant Angeli, nunc diuina in me habitat gratia, ego euaſi officina medicinæ ægrotantibus; ego ſum fons perennis curationum; ego remedium contra Dæmones; ego Ciuitas refugij omnibus ad me confugientibus.* Bellè pariter, ac verè.

S. Aug. apud Caten. ibi. *Deus eſt faber, cuius officina eſt B. Virgo.* S. Bernardin. tom. 3. Ser. 11. ar. 2. c. 3. *Deipara eſt officina medicinæ.* S Damaſc. Orat. 2 de dormit.

4. Matth. 1. v. 18. & 20. & 21. Matthæi 1. Chriſti autem generatio ſic erat: Cùm eſſet diſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent, *Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto.* Et mox: *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu-ſancto eſt, pariet autem filium: & vocabis nomen eius Ieſum.* Quâ ſuper re ita philoſophatur Petrus Damianus, ita ſcribens de hoc Virginis myſterio: *Adeſt*, inquit, *Deus & homo, mater & virgo, caro & verbum, lux & illuminans, miſericordia* & veritas, *fœcunda virginitas, æterna nouitas, noua æternitas, diuina humanitas, humilis ſublimitas*; (Attende ad verba, quæ ſubdit) *& in his omnibus miſericordia fabricatur.* Num etiam *fœcunda virginitas, mater & virgo*, Dei miſericordiam *fabricant*? O diuinæ miſericordiæ noua æternitas, & æterna nouitas! Maria ne Deo grauida, diuinam miſericordiam *fabricat*, fundat miſericordiam diuinam? Quid? nutabat fortè Dei adextrà miſericordia, tot hominum velut labefactata flagitiis? Mariáne fulcrum eſt, & firmum diuinæ miſericordiæ ſuſtentaculum? Labaſcere non poteſt æternùm. Ita quidem. Num ſi poſſet, in *Matre Virgine*, velut in firmiſſimâ columnâ ſtaret diuina adextrà miſericordia, ſtabilis, firma, inconcuſſa, & à ruinæ minis exempta? Tanta miſericordiæ moles incumbere poſſet tenellis vnius puellæ humeris? ô Mariam, robuſtiſſimum miſericordiæ Atlantem! *In his omnibus miſericordia fabricatur.* Niſi malis, diuinum Opificem in Deiparâ, tanquam in gratiarum omnium *officina*, omnia miſericordiæ opera *fabricaſſe*, iuxta nuper dicta n. præcedente.

Petr. Dam. Ser. in Vigil. Natiu. *Fundâtne Deipara diuinæ miſericordiæ fabricam?*

5. Lucæ 1. v. 38. Lucæ 1. Angelus Gabriel, diuinæ corporationis paranymphus, rem cum Virgine tractat, & obumbratione Spiritus-ſancti promiſsâ, inſuſpicabilem pudoris integritatem cum diuinâ maternitate pollicetur. Quo nouè audito, & excitè credito, *Dixit Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Et ſtatim Verbum caro factum eſt; & in puriſſimo Deiparæ vtero Deus homo factus, illi arcanè conuiſceratur; & B. Virgo fit Dei bibula, & baiula, ſtupente naturâ gratiæ ſacramenta, humano faſtigio maiora. Sanè miriſſimum eſt, quòd Deipara per hunc ad diuinam corporationem conſenſum, non modò Filium Deum geſtet in ventre, (quod eſt Incarnationis myſterium) ſed etiam homines in viſceribus portet, quod eſt Marianæ miſericordiæ ſacramentum. Quâ ſuper re S. Bernardinus Senenſis ita fatur: *Ecce ancilla Domini, &c. Virgo per hunc conſenſum in Incarnationem Filij omnium electorum ſalutem viſceroſiſſimè expetiit, & procurauit, & omnium ſaluti, & ſaluationi per hunc conſenſum ſe ſingulariſſimè dedicauit; ita vt ex tunc omnes in ſuis viſceribus baiularet tanquam veriſſima mater filios ſuos.* Pergit S. Bernardinus infrà Serm. 11. art. 2. cap. 1. *Vndè ab ipſo Patre æterno B. Virgo recepit fontalem fœcunditatem ad generandos omnes electos, & etiam ipſos Angelos in aliquo guſtu, & gradu, & experientiâ diuinorum.* Opinor, ſerò B. Virgo fieret hominum *vera mater*, & *viſceroſiſſimè* nos ſibi velut corporaret, & ſecum conuiſceraret, atque *omnes in ſuis viſceribus baiularet*; niſi *per hunc conſenſum in Incarnationem Filij* Dei, nos etiam ad omnium ſanctitatum gratias, & indulgenter concepiſſet, & feliciter peperiſſet. quaſi bonum diuinæ Maternitatis quodammodò erubeſceret, niſi foret ſimul beneficè fœcunda hominum mater. Sic feſtinat immenſa Deiparæ erga homines gratia! Simul enim fit Dei mater, *ita vt ex tunc omnes in ſuis viſceribus baiulet, tanquam veriſſima mater filios ſuos.* (Illud autem de Deiparæ maternitate adſpectu ad Angelos, *in aliquo guſtu, & gradu, & experientia diuinorum*, alibi forſan emedullabimus.) Addit S. Antoninus, nequis putet hanc Marianam erga homines Maternitatis gratiam, eſſe otioſam, aut modicam, *Quia Ioãnes interpretatur, In quo eſt gratia, cuilibet etiam qui Ioannes dicitur, & exiſtit, in quo ſcilicet eſt gratia, datur Virgo Maria in matrem.* ac ſi fœcunda Deiparæ gratia Ioannes inueniat, aut Ioannes faciat. quæ eſt fœcundioris gratiæ hyperbole. O ſanctitatum omnium vberes gratias, ex hâc *fontali fœcunditate* ſitienter hauriamus!

*B. Virgo per conſenſum, quo fit Mater Dei, omnes in ſuis viſceribus baiulat.* S. Bern. tom. 3 Ser. 6. ar. 2. c. 2. *Fœcunda Deipara maternitas, aut Ioannes inuenit, aut facit.* S. Anton. 4. p. tit. 15. c. 2.

Chriſtus Deus (ait Bernardus) *redempturus humanum genus, pretium vniuerſum priùs contulit in Mariam.* quaſi Maria fuerit omnium gratiarum gazophylacium, & immenſè ſequeſtra. Sed vide quàm fuerit largè munifica diſpenſatrix, beneficâ Dei æmulatione. De Deo ait Apoſtolus, vt eius liberalitatem exaggeret: *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Sanè emphaticè dicit *omnia, omnia* inquam, quæ ſpectant rem gratiæ, & felix gloriæ negotium. Hanc infinitam ſummi Dei munificentiam, piâ liberalitatis contentione, B. Deipara egregiè æmulatur. Adeò vt præſcripta Paulli verba S. Antoninus illi luculenter accommodet: *Et quod*, inquit, *dicitur de Patre æterno Chriſti, ita & de eius Matre temporali dici poteſt illud Roman. 8. Proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum, ſcilicet paſſum voluntate, & affectu: & quomodò non etiam cum illo omnia donauit pertinentia ad recreationem noſtram?*

6. S. Bern. Ser. de Aquæductu. Ad Rom. 8. v. 32. *Dei Mater, Patris æternimula, cũ Filio Deo omnia nobis donauit.* S. Anton. 4 p. tit. 15. c. 20. § 11.

*noſtram*? Itaque B. Deipara, in qua poſuit Deus omne redemptionis *pretium*, & gratiarum omnium opulentas gazas; cùm proprio Filio ſuo non pepercerit, ſed adſimili Patris Dei affectu, illum nobis tradiderit; *quomodò non etiam cum illo omnia nobis donauit*? Niſi per te ſteterit, & tantæ Deiparæ beneficentiæ opere tuo inerter renuncies, *omnia* tibi puta iam donata, quæ donanda votiuè expetis.

Richard. Vict. c. 26. in Cant.

Quare Richardus Victorinus ſic loquitur de B. Virgine: *Tanta fuit eius charitas, vt non ſolum ad Iudæos, ſed ad omnes homines dilatata fuerit: pro his indeſinenter orauit, pro his ſolicita fuit, pro his orando exaudita fuit, dicente ad eam Angelo Gabriele, Inueniſti gratiam apud Deum, ſcilicet quem quærebat: omnium ſalutem deſiderauit, quæſiuit, & obtinuit.*

B. Virgo apud Deum inuenit gratiam, quam omnibus imperteret.

Lucæ 1. v. 30.

Nota, & expende hæc vltima Richardi verba, plena pietatis, acuminis plena. Nempè cùm ei dixit Angelus, *Inueniſti gratiam apud Deum*, innui, quod B. Virgo *omnium ſalutem deſiderauit, quæſiuit, & obtinuit*; obtentam autem omnibus largiſſimè impertit.

S. Damaſc. Orat. 1. de Dorm.

Vnde dicitur à Damaſceno: *Fons perennis veri luminis, atque inexhauſtus ipſius vitæ theſaurus, & vberrima benedictionis ſcaturigo, quæ nobis bonorum omnium cauſſa, & parens extitiſti.*

---

## CAPVT VIII.

*Verſ.* 1. Et Mardochæus ingreſſus eſt ante faciem Regis. Confeſſa eſt enim ei Eſther, quòd eſſet patruus ſuus. Tulitque Rex annulum, &c.

### §. CCCLXXXVI.

### *Quiſquis Chriſtum Deum, in Maria, & per Mariam quærit; & feliciùs inuenit, & ſecuriùs tenet.*

1\.

Prouerb. 8. v. 35. Ioan. 14. v. 6. Chriſtus in Maria quærendus eſt.

SAlomon Prouerbiorum 8. ſub Sapientiæ vocabulo, Sapientiæ matrem, Mariam inquam, ſic homines alloquentem inducit: Beatus homo qui audit me, *& qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei.* Et quare *beatus* dicitur, quiſquis ſollerti cura, & ſollicitudine exſomni, ſic Deiparæ inueniendæ ſtudet? *Qui me inuenerit*, inquit, *inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.*

S. Ambr. l. 2. de Virgin.

Et quæ eſt hæc *vita*, quæ in B. Virgine feliciter inuenitur, niſi eius Filius Chriſtus Deus, qui dixit: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Ergò qui ſtudioſè quærit inuenire Chriſtum, Mariam quærat, vt Chriſtum inueniat. Maria enim virginitatis arbitrio, *nubes, aſtra, Angelos, ſideraque tranſgrediens, Verbum Dei in ſinu Patris inuenit, & toto hauſit pectore.* An non præſtaret ad inueniendum Chriſtum, vt illum potiùs in ſeipſo, quàm in Maria quæreremus, quò citiùs, & certiùs inueniamus? Cur vigilare ad Mariæ fores, & ad eius poſtes quotidie obſeruare per Salomonem iubemur, vt Chriſtum, qui eſt ſalus & vita noſtra, feliciùs inueniamus?

S. Anſel. l. de Excell. Virg. Cornel. ad eum locum Prouerb.

Cauſſam dat S. Anſelmus à Cornelio inibi aduocatus: *Velocior eſt*, inquit, *nonnunquam ſalus memorato nomine eius*, (Mariæ inquam) *quàm inuocato nomine Ieſu vnici filij ſui. Et id quidem non ideò fit, quòd ipſa maior & potentior eo ſit (neque enim ille magnus eſt & potens per eam, ſed illa per ipſum) Dicam quod ſentio: Filius eius Dominus eſt, & iudex omnium, diſcernens merita ſingulorum. dum igitur ipſe à quouis ſuo nomine inuocatus nō exaudit, iuſtè quidem facit: inuocato autem nomine Matris, etſi merita inuocantis non merentur vt exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt vt exaudiatur.* His, præ celebritate ſudatis, Anſelmi verbis, aditum ad dicenda in hoc §. præſtruere, operæpretium fuit, vt quàm certò Chriſtus in Mariâ, & per Mariam inueniatur, omnibus innoteſcat.

2\.

Matth. 13. v. 44. Cælum, per omnium renunciationē emitur.

Matthæi 13. *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro: quem qui inuenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illum.* Quidam per hunc *theſaurum*, æternam ac beatam vitam intelligunt, quæ in cælo velut *agro* abſcondita latet, quem venditis & abalienatis omnibus, quæ poſſidemus emere debemus: cælum enim meritis venale proponitur.

Prouerb. 31. v. 16. S. Hilar. & S. Greg. apud Hugonem ibi.

Prouerbiorum 31. *Conſiderauit agrum, & emit illum. Quem qui inuenit homo, vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illum.* Vbi Hilarius: *Quem inueniſſe gratuitum eſt. Sed quia cæleſtes diuitiæ non niſi damno ſæculi poſſidentur, qui inuenit, contemnere ſecularia debet.* Et S. Gregorius: *Quem venditis omnibus comparat, qui voluptatibus carnis renunciat, & terrena deſideria per cæleſtis diſciplinæ cuſtodiam calcat.* Lucroſum ſanè commercium, quo temporalibus æterna, terrenis cæleſtia nundinamur!

Ac Chriſtum ſecurè diſcit Mariâ, quam in ſeipſo homo poſſideat.

Hugo inibi.

Verùm Hugo Cardinalis, quâ ſolet ingenij lima, rem totam, ad rem præſertim opportunè, breui verborum compendio illuſtrauit: *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, &c. Item theſaurus Chriſtus, ager caro*, vel potius Virgo Deipara; ex qua Chriſtus carnem aſſumens, in eius puriſſimis viſceribus ſeculo abſconſus latet.

S. Epiphan. Andr. Cret. Orat. de Annunt.

Ita Epiphanius Serm. de laud. Deiparæ: *Ipſa*, inquit, *eſt ager minimè cultus.* Et Andreas Cretenſis: *Salue Dei ager ampliſſime, quem nullus alius locus, niſi tu ſola, comprehendere poteſt.* Aptè quidem Epiphanius. Verùm cùm hic feliciſſimus homo, qui *theſaurum*, id eſt, *Chriſtum* inuenit in *agro*, præ deſiderio illius theſauri adquirendi, *vendit vniuerſa quæ habet*; cur non *theſaurum*, quem quærit, & expetit; ſed *agrum*, in quo latet *theſaurus*, omnium ſuorum opulento pretio mercatur? An *agrum* emens, agricolationem in eo exercere ambit? an potiùs poſſidendi *theſauri* pia ambitione poſſidetur? O granditer excelſum Deiparæ Sacramentum! Nimirum hic homo feliciſſimus, qui inuenit *theſaurum*, Chriſtum inquam, illum percupit hîc per gratiam, in cælo per beatam gloriam æternùm poſſidere: et quò *theſaurum*, qui eſt, Chriſtus, ſecuriùs teneat, & feliciùs poſſideat, ſuorum omnium iactura, *agrum emit*, id eſt, B. Virginem piè poſſidere exambit, ab Anſelmo præproperè eruditus, quòd Chriſtus citiùs quæritur per Mariam, & ſecuriùs poſſidetur, ne per humana delicta à nobis excidat. O quàm ſecurè Chriſtum in ſe habet, qui illum in Maria, & per Mariam tenet, & poſſidet! Exindè feliciſſimus hic homo, pia conſilioſè *theſauri* auaritiâ, non tam ipſum in ſe *theſaurum*, quàm *agrum*, in quo *theſaurus* latet, poſſidere feſtinat. Rationem dedit Anſelmus n. præcedenti laudatus.

3\.

Iſaiæ 11. v. 1. & 2.

Iſaiæ 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Et requieſcet ſuper*

*cum Spiritus Domini*, Spiritus ſapientiæ,& intellectus,ſpiritus conſilij,& fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis....... ſpiritus timoris Domini. Quibus verbis Spiritus-ſancti dona compendio recenſentur. Porrò *virga* eſt B.Virgo Maria, *flos* eſt Chriſtus, *radix* eſt familia Dauidis iam ablato ſceptro quaſi emortua & ſucciſa: ſed hæc ipſa denuò vetuans,germinat *virgam*, cuius flos eſt Chriſtus Deus. Ita paſſim ſancti Patres, quos fusè Leo Caſtrius inibi allegat. Qua de re ita ad rem præſentem ſcribit S.Bonauentura: *Quicumque* inquit, *ſeptiformem Spiritus-ſancti gratiam adipiſci deſiderat, ipſum florem Spiritus-ſancti in virga quærat: per virgam enim ad florem, & per florem ad ſpiritum in eo requieſcentem peruenimus. Per Mariam ad Chriſtum accedimus, & per Chriſtum gratiam Spiritus ſancti inuenimus.* Nota attentiùs illud: *ipſum florem Spiritus-ſancti in virga quærat.* Sanè idonea metaphora ad rem exprimendam. Porrò *flos* à *virga* præciſus, ſuauiter quidem olet, tamen ſterilis manet, & ſpebus fructuum viduatus. Sic per quandam analogiam, ait Bonauentura, quiſquis Chriſtum *florem* quærit, quærat illum in *virga*, in Maria, inquam, vt Spiritus-ſancti multiformes fructus inueniat. Alioqui etſi à ſe gratiarum fertilis ſit, quippè qui Deus eſt; at niſi in *virga* quæratur, & inueniatur, inuenienti forſan infœcundus erit: quia cùm Deus ſit, non tantùm donorum munerator eſt, ſed etiam acerrimus ſcelerum vindex. *Ergò quicumque ſeptiformem Spiritus-ſancti gratiam adipiſci deſiderat ipſum florem Spiritus ſancti in virga quærat*, in Maria inquam. Ideò monet Propheta: *Egredietur virga de radice Ieſſe,& flos de radice eius aſcendet,& requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini*,&c.

*Qui Chriſtũ florem quærit, illũ quærat in virga Maria.*
Leo Caſtr.
S.Bonau in ſpeculo.c.6.

4.
Siracides Eccleſiaſtici 24. ſic ſub Sapientiæ re, & nomine, B. Virginem loquentem inducit: Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis,& ſanctæ ſpei. *In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis ſpes vitæ, & virtutis.* Pro τὸ *virtutis*, alij *vigoris* excribunt, nec ſine emphaſi. Itaque in Deipara eſt *gratia omnis viæ & veritatis*, id eſt, viæ ad veritatem, vel viæ veræ. Quaſi dicat: In me eſt gratia oſtendendi docendíque omnem viam & modum quo ad veritatem veramque vitam gratiæ & gloriæ itur & peruenitur: habet enim intra ſe Deipara eum, qui dixit: *Ego ſum via, veritas,& vita.* Palacius ſic locum exponit: *In me gratia omnis viæ, &c. Ego intra me habeo omnes gratias viæ, veritatis,& vitæ vt nemo eas poſſit habere niſi per me.* Scilicet quia nulla gratia à Filio Deo, niſi per Matris interuentum conceditur: Maria enim eſt omnium gratiarum iugis aquæductus, qui perenniter in homines influit, de meritorum Chriſti fonte. Palacio olim præ adſenſerat Richardus, præſcripta Siracidis verba ſic elucidans: *In me gratia omnis viæ & veritatis, id eſt, Chriſti, qui eſt via & veritas. Vel intranſitiue, omnis gratia, quæ eſt via & veritas. Vel omnis gratia effectiua vitæ & veritatis.* Itaque apud B. Virginem depoſita eſt *gratia omnis viæ* veræ, quæ eſt Chriſtus, itavt ipſa ſit ſequeſtra, & diſpenſatrix *gratiæ omnis*, quæ pertinet ad *viam*, quæ eſt Chriſtus, ad cumque ducit, & inde ad æternam cæli felicitatem. Adeò vt nulla ſit *gratia viæ*, quæ apud Virginem non ſit. *In me gratia omnis viæ: quam initiauit nobis etiam nouam ac viuentem*, addit Siracidi Paullus. *Via viuens* dicitur Maria, quia frequens, & quaſi viatoribus ebulliens: nam quotquot ad cælum eunt, per hanc viam pergunt. Vel dicitur *via viue. s*, ſicut dicitur *flumen viuum*, quia ſe mouet. Sic B. Maria, quæ habet *gratiam omnium viæ*, habet etiam hanc gratiam, vt ſit *via viuens*, quaſi ipſa viuo motu nos deuehat, & ad Filium ſuum, & ad cælos rectà perducat: ſicut *viuum flumen* vectores in cymba ſubuehit.

Eccli.24. v.25.
*In B. Maria eſt gratia omnis viæ,& quo ſenſu.*
Ioan.14.v.6.
Palacius apud Cornel. ibi.
Richard à S. Laur l.6.de laud. B.Mar.
*B.Virgo eſt via viuens, & quo ſenſu.*
Ad Hebr. 10.v.20.

5.
Geneſeos 1. in rerum primordio, & ſumptuoſo mundialis opificij apparatu; terra erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: *Et Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Alij codices habent, *Spiritus Dei fouebat aquas*, quaſi Spiritus-ſanctus rerum opifex, auis ad inſtar *foueret* aquas, è quibus mundiale opificium materiandum erat, edendique elementorum partus. Hæc in re naturæ Spiritus-ſanctus *fouendo* præſtare perhibetur. Sed in re gratiæ, quod eſt proprium illius negotium, quid Spiritus-ſanctus *fouendo* præſtet, videamus. Ricardus lib. 10. de Laud.Virg. ita ſcribit: *In nido ponit & fouet auis oua ſua,& pullos: ſic & vir iuſtus opera, & bonos actus in Maria.* (Nota quæ tempeſtiuè ſubdit) *Maria nidus columbæ, id eſt, receptaculum Spiritus-ſancti.* Nimirùm homo quique iuſtus opera ſua,& bonos virtutis actus, in Mariâ, illius deuoto ſtudio, ſollicitè deponat; vt fœcundo fotu, & creſcant,& multipliciter ſoboleſcant ad gratiæ & gloriæ feliciſſimam & tutiſſimam vitam. Vndè verò id Maria præſtet, apprimè expreſſit Richardus: *Maria nidus columbæ, id eſt, receptaculum Spiritus-ſancti*: ergò ſicut *in nido ponit & fouet auis oua ſua, & pullos; ſic & vir iuſtus opera, & bonos actus in Maria.* Oua niſi in nido ponantur, infœcundè frigent, idoneóque fotu ſteriliter carent: ſic & bona opera, quæ licet à gratia ſemen vitæ æternæ in ſe habent, tamen vix excluduntur in vitam æternam, niſi ponantur in Maria, quæ *nidus* eſt columbæ Spiritus-ſancti, qui auctatio gratiæ,& perſeuerantiæ fotu illa animet ad vitam æternam.

Gen. 1.v.2.
Richard. à S. Laurent.
*Bona opera ponenda ſunt in Maria, quæ eſt nidus columbæ Spiritus-ſancti.*

6.
Canticorum 3. anima ſancta ore ſponſæ, ſic de ſe fatur: In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea. Et poſtquam diu multumque illum quæſiiſſet, tandem ait: *Inueni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam eum, donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Quomodo verò & quibus vinculis tenendus ſit Chriſtus animarum ſponſus eleganter docet Bernardus Serm. 79. in Cant. vbi aduocat illud Geneſeos 32. de Iacob (*Non dimittam te, niſi benedixeris mihi*) ſic fatus: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam eum in domum matris meæ,&c. Ita ſponſa non vult ſponſum dimittere, & fortè magis quam Patriarcha, id non vult: quia nec pro benedictione quidem; ſiquidem ille benedictione accepta dimiſit eum, hac autem non ſic. Nolo, inquit benedictionem tuam, ſed te. Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Tenet autem ſponſa fidei firmitate, tenet deuotionis affectu,&c.* Sed vndè anima ſancta tam firmiter ſponſum tenet? vnde tentionis tanta ſecuritas? quia ſic tenaciter eum tenet, *introducens eum in domum matris ſuæ, in cubiculum genitricis* ſuæ. Hem, ſic firmiter tenetur Chriſtus, & ſecura tentione poſſidetur, cùm introducitur in *domum matris ſuæ*, & in *cubiculum genitricis* ſuæ? Parum ne putat eius benedictionem tenere, qui Chriſtum ipſum in Maria,& per Mariam tenet?

Cant.3.v.4.
*Securè tenetur Chriſtus, cum inducitur in domũ matris ſuæ.*
Gen.32.v.26.
S.Bernard.

CAPVT

## CAPVT IV.

*Verſ. 16.* Non comedatis, & non bibatis, tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo & tunc ingrediar ad Regem.

## §. CCCLXXXV.

*B. Deipara velut ex repercuſſione diuini luminis ſuos imitatores denſiùs irradiat: exindè ipſa nobis imitatione incorporanda, quaſi hominis veſtigium, aut veſtigium oculorum apparet, præluſtri calceamentorum gloria fulgens.*

1. Cornel. ibi. Sponſa Canticorum 6. laudans Sponſum orditur à capite, & finit in pedibus: ex aduerſo autem Sponſus cap. 7. laudans Sponſam orditur à pedibus finit in capite: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis!* Calceamenta, ſeu veſtigia Deiparæ eſt eius præcipua laus, laudúmve caput, vt ab illis potiùs laudum auſpicium deſumat? Quid in Mariæ pedibus, veſtigiíſve ſic micanter elucet, & notanter eminet, vt intermiſſo capite, ac reliquis potioribus, ac nobilioribus membris, præluſtri panegyri calceamenta, ſeu veſtigia primò deprædicet? Scilicet forſan nos terret Chriſti, vt potè Dei, imitari veſtigia, qui ſicut gigas viam currit velox giganteis greſſibus; humaniùs, expromptiùs, & dulciùs putamus premere Mariæ veſtigia, illiúſque mores imitatione exprimere. Ergò Mariæ pulchri greſſus, & præluſtria veſtigia, primò à cæleſti Sponſo laudantur, quæ tanto numero errantes alioqui fidelis in cœlum correxerunt: *Amplectamur Mariæ veſtigia fratres mei* (ait Bernardus) *& deuotiſſima ſupplicatione illius pedibus prouoluamur. Teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis.* Sandalia eius rapiant oculos noſtros, noſtráque vota eius veſtigia imitatione amanter premant: dicamus cum cæleſti Sponſo, cæleſtis ſponſæ pariter riuales: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis*, vel *voluntatis*, vel *beneplaciti*. Exindè Sponſus Sponſæ laudes à pedibus, ſeu veſtigiis auſpicatur, vt eorum pulchritudine hominum voluntates ad imitationem ſpontaneam alliciat.

*Cant. 7. v. 1. Cur primò Sponſa greſſus, ſeu veſtigia à Sponſo prædicentur.*

*S. Bern. ſer. 7. de B Virg.*

*Tranſlationes aliæ.*

2. Ecclesiaſtici 24. ſic diuina Sapientia, ſeu Deipara loquitur: *Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Quæ verba ſic ad B. Virginem flectit Richardus à S Laurentio: *Qui edunt me, id eſt, qui meam conuerſationem ſibi incorporant, adhuc eſurient: quia non parit faſtidium, ſed deſiderium. Conuerſatio enim ſancta, qua trahitur in exemplum, cibus eſt ſpiritualis reficiens, & ſaginans.* O bellè! Amplectamur ergò Mariæ veſtigia, vt eius imitatio, tanquam animæ cibus nos alat, reficiat, ſaginet. Itaque Deiparæ in terris conuerſatio, velut cibus electus, auidè ac famelicè eſurienda eſt, edenda eſt, digerenda eſt, vt nobis *incorporetur*, & conniſceretur. O Feliciſſimum illum, qui Mariæ exempla, & vitæ conuerſationem ſibi *incorporat!* Inter Sanctorum proceres præpoperè cenſeri merentur, quem iam ſuſpicimus Marianis virtutibus, exemplis, ac ſanctitatibus, corporatum, dum eius conuerſationem *ſibi incorporat.* O quàm multa quàm paucis Richardus inſinuat!

*Eccli. 24. v. 29. Richardus l. 12. Deipara conuerſatio nobis incorporanda eſt.*

3. Sapientiæ 5. ſera hæc impiorum vox auditur: *Ergò errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Bona & vera, ſed tarda nimis liter illatio. Nec diuina admittere monita ſuſtinuerunt, nec ſiquid luminis intrò ſuſceperunt, permiſerunt diu conſiſtere lumini pertinaciter rebelles. Impij aberrant à via veritatis, in qua conditi ſunt, Sol intelligentiæ, qui omnibus oritur, ipſis efficaciter non lucet, cùm tamen omnibus radij illi ſufficienter exhibeantur, quoniam obſtinatè malunt in deliciarum tenebris eſſe, quàm ſibi moleſtâ pietatis ac probitatis luce perfundi: indè intelligentiæ luci reſiſtunt, atque illi aditum prohibent, ne penetret efficaciter. Nunc autem ſerò oculos quos culpa clauſit, pœna inutiliter aperuit. *Ergo errauimus à via veritatis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Eſto impij maluerint in tenebris verſari, intelligentiæ ſeu iuſtitiæ lumen omnibus ſufficienter penitum reſutantes: at in ipſis tenebris ſuis aliqua ſpes lucis affulgeret, ſi etſi Solari lumini ex aduerſo rebelles, ſidercam Mariæ lucem non refutent, quæ reflexo velut ambitioſè fulgore illos luce perfundere ſatagit. Quâ ſuper re ſic appoſitè ad rem præſentem Abſalon Abbas philoſophatur: *In ipſis tenebris tuis, eo quo potes reſpectu B. Mariam intuere; in lectulo tuo illam cogita, & tene in memoria cordis tui; quoniam & res in quam directè radius Solis non dirigitur, ex repercuſſione luminis quandoque irradiatur, & infirma conſcientia, quæ radio aſpirantis gratiæ non tangitur, per vitam Iuſtorum, & exempla bonorum operum quandoque mutatur in melius.* Itaque tametſi Sol intelligentiæ aut iuſtitiæ ſuos radios efficaciter ad te directè non dirigat, atque adeò in ſceleroſo ſtatu, deſperationis tenebris confini, iaceas; adeò vt cenſeas, quòd *Sol intelligentiæ non eſt ortus* tibi; *in ipſis tenebris tuis.* Mariæ vitam, opera, *exempla* tacitùs cogita, & animoſè imitari votis concipe; & ſollicitè procura, & cæleſte lumen abundè per Mariam recepiſti: *quoniam res in quam directè radius Solis non dirigitur, ex repercuſſione luminis irradiatur.* O ſint tibi, ſint omnibus Marianæ vitæ exempla, velut corpus terſum, & ſolidum, ac de Spiritus-ſancti *obumbratione* opacum, vt radius *Solis intelligentiæ*, qui directè ad te non dirigitur, te abundè *ex repercuſſione luminis irradiet!* Multa ſanè miriſſima, & velut naturæ miracula, quæ de luminis *repercuſſione*, ſeu reflexione docet Optica ſcientia, cùm admiratione indies experimur: quaſi ex corpore obiecto & densè opaco Solares radij ſuboriantur, & inopinatâ noue fœcunditate ſoboleſcant ad miram multiplicationem, & incredibilem operationis efficaciam, experientiæ ſtupore notiſſimam. Adſimiliter cenſe de gratiæ radiis, quos Sol intelligentiæ aut iuſtitiæ ad nos directè non dirigit, qui per Mariam velut corpus ſolidè terſum, & Spiritus-ſancti *vmbra* opacum, *ex repercuſſione luminis irradians* homines ad eius piam imitationem, & vitæ ſequelam: ac ſi indè arcanam miriſſime virtutem combibant, & ampliatam efficacitatem mirè fœnerent. O ex hâc *repercuſſione luminis irradiemur!*

*Sapient 5. v. 6.*

*Ex Maria tbu... bruta, velut ex repercuſſione diuini luminis irradiemur.*

*Abſal. Abb. Serm. 28.*

*Lucæ 1. v. 35*

4. Canticorum 7. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis*, vel *filia voluntatis*, aut *beneplaciti*, vt Ambroſius exſcribit. Quæ eſt hæc tanta greſſuum in calceamentis pulchritudo, quæ ſic Sponſam glorioſe nobilitat, & pulchrè venuſtat, vt tam gratè Sponſi ſui voluntatem, ſeu beneplacitum principaliter conciliet? Pulchros appellat greſſus; ſed in calceamentis, quæ veſtigia imprimunt ad ſequelam, & pediſequarum imitamentum. Parùm foret Deiparæ rectè, & rectà ad Deum pergere innocentiæ ac virtutum greſſibus, niſi ſequenda veſtigia poſt ſe impreſſa relinqueret. Hoc, hoc inquam, illius pulchritudinem eximiè venuſtat, eiuſque gloriã pulchrè cumulat. Euangelicus Vates ſic emphaticè prophetat: *Auferet Dominus ornamentum* (Hebraicè *gloriam*) *calceamentorum*. Quæ eſt hæc calceamentorum *gloria*, quam Deus à Synagogâ auferendum minatur, Eccleſiæ donanda? Non aufert calceamenta, & nudipedes fore prædicit; ſed *calceamentorum gloriam*, hoc eſt, ſequenda veſtigia pulchrè ad imitationem impreſſa. Hæc eſt Beatæ Deiparæ *gloria*, & pulchritudo à Sponſo glorioſiùs celebrata: *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis (in gloriâ calceamentorum) filia Principis, filia voluntatis, filia beneplaciti.*

Cant. 7. v. 1. S. Ambr. in Pſ. 118. Ser. 17.

*Gloria calceamentorũ Synagogæ ablata, Eccleſiæ in Mariâ reſtituitur.*

Iſaiæ 3 v. 18. Hebræus.

5. 3. Regum 18. occiſis Prophetis Baal, largam Elias Regi pluuiam pollicetur: dixítque ad puerum ſuum: Aſcende, & proſpice contra mare. Qui cùm aſcendiſſet, & contemplatus eſſet, ait: Non eſt quicquam. Et rursùm ait illi: Reuertere ſeptem vicibus. In ſeptimâ autem vice, *Ecce nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.* Ioannes Ieroſolymitanus, quem alij ſequuntur, ſeriò cenſet, Beatam Mariam in huius *nubeculæ* typo adumbrari. Indè meritò diſquirit, quare Virgo Deipara tanquam hominis veſtigium apparuerit: *Ecce*, inquit, *nubecula parua, ſcilicet Beata Maria, quaſi veſtigium hominis deſcendebat in Carmelo. Quæ ideò viſa fuit, quaſi veſtigium hominis aſcendere; quia in hoc ipſo ſpirituali aſcenſu, non feminam quam imitaretur, ſed hominem habuit in exemplum.* Imò potiùs quia ipſa non ſolùm feminas, ſed omnes etiam homines exemplo præit, ſuáque relinquit, ac impreſſa proponit imitatione premenda veſtigia, ideò tanquam *veſtigium hominis* moraliſſimè apparet. Et quoniam tanta hominum multitudo eius exempla, & veſtigia ſequitur, idcircò vel ab ipſâ infantiâ *quaſi veſtigium hominis* proponitur: ac ſi eiuſmodi *veſtigia*, & imitamenta in ſeipſâ glorioſè ſculpta præferat, & præproperè oſtentet. Sic eſt Virgini glorioſum ſuâ imitatione homines allicere, & ad Deum trahere poſt ſua *veſtigia*, vt hanc ſibi formam velut imprimat, & honoris cauſa *quaſi veſtigium hominis* appareat? ô, ne te defraudes tanto bono; ne tantam Deiparæ gloriam inuideris! Hûc forſan alludit Siracides Eccleſiaſtici 41. vbi diuina Sapientia, per quam Beata Deipara intelligi ſolitat, ſententioſè dicitur, *Reuelans veſtigia oculorum.* Sic pro *occultorum*, exſcribunt Biblia Romana è Græco Latina, Richardus. & alij. Quænam ſunt hæc *oculorum veſtigia*, quæ Beata Deipara Virgo, in ſe inſculpta reuelat? Opinor, ea, quæ *quaſi veſtigium hominis* apparet, vt ipſa ſequentium veſtigiis decoretur, ſpectatorum oculis arcana ſua veſtigia imitanda reuelat, quæ non facilè ab omnibus ad imitationem dignoſcuntur: exindè *oculorum veſtigia* profundè nominantur. O feliciſſimum illum, cui B. Virgo *oculorum veſtigia reuelat*! In his nouiter inuentis *oculorum veſtigiis*, altiora meditari, peritis iam peruium eſt. De quo & nos forſan agentes de femineum pulchritudine, fuco, ornatu.

3. Reg. 18. v. 44.

Ioann. Ieroſoly. de Inſt. Monach. c. 34.

*Cur veſtigia hominũ, qui eam imitatione ſequũtur, in ſeipſâ B. Virgo velut inſculpat?*

*B. Deipara oculorũ veſtigia ad imitationem reuelat.*

Eccli. 41. v. 19.

Bibl. Rom. Richard.

6. Canticorum 1. ſic Sponſa, Virgo Deipara inquam, Sponſum alloquitur: *Trahe me; poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Vna attrahitur, vt omnes ſimul currant? Sola Beata Virgo attrahitur, & protinùs certatim omnes current? Pulchrè Alanus: *Trahe me; poſt te curremus. Curremus, non ſtabimus delectatione in viâ mundi, ſub vmbrâ ſeculi, aut phantaſiâ terreſtris oblectamenti: ſed curremus benè operando, de virtute in virtutem benè aſcendendo.* Sic currit, qui poſt Mariam vadit, qui Mariam imitatione ſequitur, qui Mariæ veſtigia premit: *Non ſtat in viâ mundi, ſub phantaſiâ terreſtris oblectamenti.* O quales, & quàm fœdas patitur *phantaſias*, & quàm obſcœna oblectamentorum ludibria, qui in hâc viâ ad cælum, poſt Mariam nõ currit, eius ſequendo veſtigia! ô curſum velociſſimum, & facilè ſecurum; in quo *oblectamentorum phantaſiæ*, neminem tenent, terrent neminem, qui Mariæ veſtigia imitatione ſequitur!

Cant. 1. v. 3.

Alanus.

*Qui poſt Mariã currit, oblectamentorum phãtaſias in virtutis viâ non patitur.*

7. Regius Vates Pſalm. 54 ſuo, ac fidelium nomine, hæc pia vota anticipat: *Quis dabit mihi pennas ſicut Columbæ, & volabo, & requieſcam.* Obuium eſt *Columbæ* vocabulo Beatam Virginem expreſſiùs adumbrari, de quo vberrim Canticorum Interpretes. Cupit ergò ſicut *Columba* volare, & Mariæ adinſtar eius velociſſimum volatum imitari in arduâ ad cælum viâ. Eleganter Philippus Abbas indidem ita fatur: *Non Dædalus, ſed Pater ſpirituum doceat nos volare, iter regat incognitum, itinerandi gratiam velit dare: ne luto & facibus immergamur, dum tenemus terræ inſtar carnalium propiora, vel ne à gloria deprimamur, dum ad formam Icari ſtultè inuadimus altiora* Mariæ alas, vel Marianis ſimiles, (id eſt, *ſicut Columbæ*) pennas expetit, vt in arduo ad cælum volatu, non ingenio Dædali, & Dædaleo periculosè artificio volatum audacter temerarium caſurus explicet. *Columbæ*, id eſt, Mariæ alas, quas Pater ſpirituum agitat; non alas Icari, quas Dædalus labyrinto notus, ingeniatur, animi votis expetit: ne dum imitatione non æmulatur Mariæ itum in cælum, inſtar *Columbæ*, *ad formam Icari ſtultè inuadat altiora* præcipiti ruinâ.

Pſal. 54. v. 7.

Philippus Abbas l. 1. Cant. c. 25.

*Non Dædalus, ſed Columba alis volandum eſt in cælum.*

8. Canticorum 5. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis Dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.* Quorsùm tam ſollennis adiuratio? An non id Dilectus probè nouerat? An non ipſa id ſuo Sponſo viuaciùs enunciare poterat? Quare feminas Ieroſolymitanas amoris ſui interpretes apud Sponſum præmittit? Hoc inibi dubium Rupertus proponit, & appoſitè ſoluit eleganter expendens, quàm auidè cupiat Deipara, vt reliquæ ipſam imitentur, & Sponſum diligant: *Quorſum ergò tendit, vel quid efficit hæc adiuratio? Eò nimirùm vt percuſſa percutiat, & vulnerata vulneret mater filias, ſalubriumque vulnerum ſuorum aliquod, etſi non ſtatim omnibus, at ſaltem iam aliquibus earum experimentum efficiat, vt audientes filiæ, vel ſentientes in matre tantum vitæ futuræ, quæ non videtur, deſiderium, in mente præſentiant, & ipſa talem illum eſſe Dilectum, vt iure propter eum faſtidiat quiuis, vel quanis hoc præſens ſeculum; iamque inter moras*

Cant. 5. v. 8.

*Quàm auidè cupiat Deipara, vt ipſã imitentur alij, quos ad Deum imitatione trahat.*

Rupert. l. 5. in Cant.

*præſentis*

*præſentis vitæ magis, ac magis cupiat eum agnoſcere. Vndè & protinus dicunt: Qualis eſt Dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adiuraſti nos? Quid accommodatius?*

---

## CAPVT IV.

*Verſ.* 15. Rursúmque Eſther hæc Mardochæo verba mandauit: Vade, & congrega omnes Iudæos, quos in Suſan repereris.

## §. CCCLXXXVI.

### *B. Deipara legem beneuolæ clementiæ ſanciens, ſuorum clientum pax & concordia eſt.*

1. Prouerb. 31. v. 26.

SAlomon Prouerb. 31. de Muliere illâ forti, ſiue Heroïna tot ab ipſo elogiis commendatâ, ita ſcribit: Os ſuum aperuit ſapientiæ *& lex clementiæ in linguâ eius.* Quæ verba myſtici Expoſitores B. Deiparæ communiter accommodant: Quaſi dicat: In verbis non eſt aſpera, moroſa, iracunda; ſed lenis, blanda, modeſta, ſuauis: hanc enim *legem clementiæ* ſibi, ſuiſque fixit. Chaldæus, Theodoretus, & Ambroſius habent: *Lex gratiæ in lingua eius.* Nempè ſic gratioſā ſe exhibet in loquendo, vt non tam ipſa, quàm ipſa gratia per melleum eius os loqui videatur. B. Virginis lingua eucharis, non tam verba, quàm gratias loquitur: & hanc ſibi ac ſuis ſanxit legem, vt non niſi ſuauia, ac beneuola, quæ charitas, & pacis ſtudium ſuggerunt & dictant, promant, & linguâ proferant. Qui ſecùs faxit, reus eſt violatæ legis latæ à Deiparâ: cuius religioſa, imò forſan ſcrupuloſa obſeruatio, velut indiuiduus Suorum character eſt: in quorum linguâ *lex clementiæ*, & *gratiæ*, beneuolentiæ, ac paci ſtudens, ſicut diſſidia abigit, ſic concordiam adſpirat mutuo cognatæ beneuolentiæ fotu. *Lex clementiæ, lex gratiæ in linguâ eius*: lingua enim eſſe ſolitat iurgiorum matrix, & diſcordiæ conceptaculum. Hanc concordiæ legem, quam Suis Maria fixit, vſque adeò ſanctam ac inuiolabilem ſeruare debent, vt pro fideli inter Suos concordiâ, ſuam fidem Deipara oppignerarit: *O Maria*, ait Auguſtinus, *te Deo mundus ſuæ fidei obſidem fecit.* O pretioſiſſimum fidei, ac fidelitatis noſtræ erga Deum, & homines pignus! Inter Deiparæ deuotæ ſtudioſos ex latâ gratiæ & concordiæ lege, nemo iam alteri infidelis exiſtat; nam B. Virgo Suorum fidei fideiuſſor eſt, pignus, atque obſes eſt. O, ſimus Deo & hominibus fideles, omnes diſcordiæ fibras præſecantes, nam Deiparam *Deo mundus ſuæ fidei obſidem fecit!*

Chaldæus. Theodoret. S. Ambr. apud Cornel. ibi.

*Deipara ſibi, ac Suis beneuolæ gratiæ legem ſanxit, concordiæ ſtudio.*

*B. Virgo eſt Suorū fidei, & concordiæ obſes.*

S. Aug. Ser. 17. de Natiu. Domin.

2. Gen. 8. v. 16. & 17.

Geneſeos 8. dudum Noëticum diluuium deſæuierat mundo naufrago; & adhuc Noë cum tota familiâ, & omnigenis animantium gregibus, clauſus tenebatur. Locutus eſt autem Deus ad Noë, dicens: *Egredere de Arcâ, tu & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum. Cuncta animalia quæ ſunt apud te ex omni carne ....... educ tecum.* Expenſione digniſſimum eſt, quòd in his pauculis verbis toties inculcatur, vt iuncti exeant. Tu & vxor tua, filij tui, & filiorum vxores tecum, educ etiam tecum cuncta animantia. quod peridoneè S. Iſidorus adnotauit, aiens: *Egredere de Arcâ, &c. Iuncti exeunt, qui disiunctè intrauerunt.* Quid eos in Arcâ, ſeu hominum ac ferarum caueâ, eos iunxit? Separati ingrediuntur, & iuncti exeunt? O nouitas, myſteriorum grauida! An cohabitatio, & ſociale diu contubernium, ſimultates etiam ingeniis cognatas mitigat, aut dirimit? an vniuerſale omnibus naufragium, priuatas inimicitias deuorauit? an commune periculum interſtinguit odia priuata? Sanè mirisſimum eſt, quòd homines & animalia dum mutuò diuiduntur in *egreſſu*, vltro ſociantur, qui dum in ingreſſu vniebantur contubernij ſocietate ſeparatè ac *disiunctè intrant.* Sed quid in reipsâ cauſſam quærimus, quæ typicè tempeſtiua tranſparet? Nam in Noë Arcâ pulchrè Deipara adumbratur: *Arca Noë* (ait S. Bernardus) *ſignificauit Arcam gratiæ, excellentiam ſcilicet Mariæ: ſicut enim per illam omnes euaſerunt diluuium; ſic per iſtam peccati naufragium: Illam Noë, vt diluuium euaderet, fabricauit: Iſtam Chriſtus, qui eſt Pax noſtra, & requies*, &c. Ecce tibi cur *de Arcâ iuncti exeunt, qui disiuncti intrauerunt.* Nimirùm typus antitypo reſpondet, quia Noë Arca *Arcam gratiæ* adumbrabat, quam *Chriſtus, qui eſt Pax noſtra, & requies fabricauit.* Arca hæc, arca gratiæ & concordiæ eſt; Arca amici ac ſocialis fœderis inter ſuos; Arca, quam *Pax* & requies fabricauit; Arca, quæ ſimultates à naturâ cognatas procul abigit, & amicam inuicem concordiam aut inuenit, aut facit: eſt enim hæc Arca diſſidiorum naufragium, & pacificæ concordiæ portus.

S. Iſid. apud Gloſſam ibi.

*Cur Noë cū filiis & pecoribus in Arcam ſeparati intrant, & iuncti exeūt.*

S. Bernard. Serm. de B. Mariâ, to. 2.

*Deipara eſt Noëmi Arca, in quam ſeparati intrant, & de quâ iuncti exeunt.*

Canticorum 8. auditur hæc Sponſæ Deiparæ vox: *Ego murus, & vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.* Arabicus: *Vnica pacis, vnica ſalutis.* Nempè vera Sulamitis Dei & hominum, & hominum inter ſeſe pacificatrix, *murum* ſe eſſe dicit, & turritam arcem, nequis hoſtilitati ſtudeat, defenſionis prætextu. *Vbera* oſtentat materno amore, quibus Suos lactet, & fraternâ beneuolentiâ conglutinet: & ſic perditam hactenùs *pacem reperiſſe* perhibetur. Exindè *Vnica pacis* nominatur, quia vnicè pacificatrix eſt, & pacis inuentrix. S. Bernardus Serm. 3 ſuper Miſſus eſt, exponens illud Angeli ad Mariam: *Inueniſti gratiam apud Deum*, hanc gratiam à B. Virgine inuentam interpretatur *Pacem*, ſic fatus: *Gratiam, quam ipſa quærebat & nullus ante ipſam inuenire potuit, Dei videlicet, & hominum pacem.* Sic ſollicitè & anxiè B. Deipara *pacem* apud Deum quærebat, tantâ *pacis* appetentiâ hiabat, tanto in pretio illius cenſu & ſenſu erat, vt de inuentâ à ſe *pace* (glorioſo *gratiæ* nomine ſignificatâ) illi quamprimùm Angelus velut adulanter blandiatur? Tantâ in æſtimatione *pax* habetur apud Deiparam, vt ſumptuoſo *gratiæ* vocabulo ab Angelo denotetur? *Inueniſti gratiam*, id eſt, *pacem apud Deum.* Apud Deum quidem perfectam: apud homines verò inter ſeſe, ſaltem inchoatam. Hem, ſic eſt ardua inter homines mutua concordia, & concors in vnitate pacis conſenſio? ô infeliciter hominibus cognata diſſidia! Appoſitè Gulielmus exponens præſcripta Canticorum verba: *Ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens*, ita notanter ſcribit, ex B. Virginis perſona: *Denique mox vt ex carne meâ.* Verbum caro factum

3. Cant. 8. v. 10. Arabicus.

*B. Virgo eſt pacis inuentrix, ſeu vnica pacis.*

Lucæ 1. v. 30. S. Bern.

*Quam ſit pax inuentu ardua.*

4. Guilielm. apud Cornel. ibid.

eſt *inueni & ſenſi me habere in vtero de Spiritu-ſancto, & reperi in vtero meo quaſi Pacẽ, nondùm quidem Pacem, ſed iam quaſi Pacem.* Benè dicitur *reperiſſe in vtero ſuo quaſi Pacem, nondùm quidem Pacem, ex quo facta eſt coram eo quaſi Pacem reperiens.* Sic eſt inuentu ardua perfecta pax, & ſtudiorum abſque ſimultatibus conſenſio? *Vnica pacis* dicitur, quæ *quaſi pacem, nondùm quidem pacem reperit?* An quia primò *quaſi pacem*, aut pacem inchoatam, aut auſpicium pacis inuenit; mox perfecta, & *vnica pacis* inuentrix facta eſt? Ceterùm obſeruare oportet, quòd vbi primùm Deipara ſenſit ſe habere in vtero de Spiritu-ſancto, ſimul ſenſit ſe *quaſi pacem reperiſſe*, vt pax corporato Verbo coæua foret, & ſimul cum Verbo incarnato auſpicium haberet: & quidem æquè generoſo ventre prognatam: nam vbi B. Virgo ſe habere ſenſit de Spiritu-ſancto, *in vtero ſuo quaſi pacem reperit*, quâ ſenſim adoleſcente congruis ætatum incrementis, *Vnica pacis* glorioſè renunciatur. Profectò mitiſſimè arcanum eſt, quod Deipara in ſuo vtero *quaſi pacem* ſenſerit, quò Virgo Deipara & primum optatæ pacis inuentum, eiuſque primum guſtum prælibaret. Inde Sulamitis, ſeu pacifica, & pacis inuentrix acclamatur: eius enim vterus præluſtre pacis conceptaculum eſt, & pulchræ concordiæ matrix generoſa. *Et factus eſt in pace locus eius.* Hebraicè, *Factum eſt in Salem vmbraculum eius*, ſeu *in pace vmbraculum eius*: nam *Salem* ſonat pacem, & *vmbraculum* Mariam indigitat.

*Deipara ſimul cum Verbo corporato, in ſuo vtero quaſi pacem ſenſit.*

*Pax æquè cũ Chriſto Deo, generoſo Mariæ vtero gaudet.*

Pſal. 75. v. 3. Hebræus.

5. Prouerbiorum 31. ſub nomine illius mulieris fortis ſeu Viraginis, ita de B. Deiparâ Salomon ſcribit: *Non timebit domui ſuæ* (domeſticis ſuis) *à frigoribus niuis: omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.* Pro *duplicibus* Pagninus, & alij ex Hebræo vertunt, *coccinum.* Sic enim habet Chaldæus: *Non timebunt filij domus eius à niue: quoniam omnes domeſtici eius veſtiti ſunt coccino*, id eſt veſtibus coccineis. Quaſi dicat: omnes domeſtici eius veſtiti ſunt veſtibus pretioſis, quantò magis neceſſariis ad arcendum frigus? Ceterùm quænam ſint hæ *duplices* veſtes, ſeu coccineæ, quibus Deipara induit ac ornat ſuos domeſticos, id eſt, ſibi deuotos, pulchrè ad rem tradit Richardus: *Omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus, id eſt diuerſis virtutum generibus, ſcilicet byſſo caſtitatis, cocco* (adludit ad Hebræam translationem) *geminæ charitatis, hyacintho deſiderij cæleſtis, & purpurâ regalis dignitatis, quæ ſcilicet veſtimenta ſunt ad nitorem & decorem.* Videlicet Deiparæ domeſtici ne timeant à frigoribus niuis, quorum iniuriâ alget fraterna charitas, & mutua inter fratres beneuolentia: his enim præter alias aliarum virtutum veſtes *duplicibus*, id eſt, *geminæ charitatis cocco*: bis quidem tincto, regali amore in Deum, & in proximum *pulchrâ dilectione* (vnde dicitur *mater pulchræ dilectionis*) eâ enim velut coccineâ, & verè regiâ veſte adornatur. Itaque mutua beneuolentia, & beneuola charitas, eſt coccus bis tinctus, & regia purpura, quâ veſtiri & inſigniri ſunt Mariæ domeſtici: hanc induant, vt Mariam non exuant: *Mariam induite* (ait S. Bonauentura) *Quotquot diligitis eam: hæc luceat in moribus, ſplendeat in actionibus.* Quiſquis mutuæ charitatis *cocco* aut *duplicibus* his veſtibus induitur, *Mariam induit.* Sanè Mariam exuit, qui fraternæ charitatis coccineam veſtem deponit. O *timeat à frigoribus niuis!* de huiuſmodi niuibus dicitur Iob 24. *Tranſibunt ab aquis niuium ad ardorem nimium*, ait inibi Richardus. Si hanc Marianam concordiæ veſtem non amas de honeſto, illam exuere time de infauſto.

Prouerb. 31. v. 21.

Pagninus

Chaldæus.

Richard. à S. Laur. l. 2.

*Qui veſtem coccineam mutuæ charitatis induit Mariam induit.*

Eccli. 24. v. 24.

S. Bonau. in Pſalter.

Iob 24. v. 19.

Richard. ſuprà.

6. Ioannis 19. Milites ergò cùm crucifixiſſent Ieſum acceperunt veſtimenta eius, & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. *Dixerunt ergò ad inuicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illâ cuius ſit.* Quid hæc Chriſti *tunica*, nec conſuta, nec à militibus ſciſſa, ſignificet; non conuenit inter expoſitores. Multa inibi multi allegoricè tradunt. Addit Euthymius: *Hanc tunicam è traditione Patrum accepimus opus fuiſſe Dei Matris.* Appoſitè ergò ſapientiſſimus Idiota adſpectu ad præſcriptum Ioannis locum, & ad illum Matthæi 22. *Amice, quomodò huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* per hanc *tunicam* nec conſutam, nec ſciſſam, & quam B. Virgo ſuâ operâ texuit, fraternam mutuò charitatem peridoneè intelligit, ita fatus: *Ne ſi fortè intret ſine veſte nuptiali eiiciatur iuſſu tuo extrà, & proiiciatur in tenebras exteriores, vbi ſemper eſt, & erit fletus, & ſtridor dentium. Ita veſtis eſt amor & dilectio, quæ excellit omnes alias virtutes.* Et confeſtim addit propiùs ad rem: *Iſta veſtis ex pretioſis filis, id eſt, tuis beneficiis homini collatis contexta, & ſubtili magiſterio facta, & decorata, quæ deſignatur per tuam tunicam inconſutilem, quæ nec ſciſſa eſt, nec diuiſa, quia amor neque diuidi debet, nec ſcindi. Et qui eum diuidunt, vel ſcindunt peiores videntur, quàm milites te crucifigentes, qui tuam tunicam diuidere noluerunt.* Accinit Bernardus aiens, *Tunicam hanc fuiſſe inconſutilem propter indiſſolubilis charitatis indiuiduam vnitatem.* Itaque Hæc *tunica* inconſutilis, quam Deipara Filio ſuo naturali, & in eo Filiis ſuis adoptiuis myſticè contexuit, eſt *veſtis* illa *nuptialis*, quam qui non habet, inueſtis mittitur in gehennales tenebras, inornatæ nuditatis merito. Eſt etiam amictus inconſutilis fraternæ mutuò charitatis, & inſolubilis concordiæ, quam *tunicam inconſutilem* Mariæ operâ contextam, *qui diuidunt, vel ſcindunt peiores videntur, quàm milites* Chiſtum *crucifigentes, qui eius tunicam diuidere noluerunt.* O time hanc charitatis *tunicam* à B. Virgine Deiparâ concinnè inconſutilem ſcindere, vel diuidere, quod facere vel atroces Chriſti Dei in cruce carnifices, & feraliſſimi inhumanè tortores auſi non ſunt. O acerbiſſimas inter Deiparæ clientes, diſſidiorum minas! Heu, quis audeat hanc inconſutilem *tunicam* à Matre Dei contextam temerariè ſcindere?

Qui hæc faxit, ferè vltra Chriſti
ſæuos carnifices audet. O caue,
quiſquis virtutem
amas!

Ioann. 19. v. 24.

Euthym. ibi.

Matth. 22. v. 12.

Idiota l. 1. de Amor. diu. c. 24.

*Tunica inconſutilis, quam nec Chriſti tortores ſcindere auſi ſunt, eſt fraterna charitas inter Deiparæ clientes.*

S. Bern. in Apolog. ad Guilielm.

CAPVT

## CAPVT XI.

*Verſ* 18. Iuſſit conuiuium præparari permagnificum cunctis Principibus, & ſeruis ſuis pro coniunctione, & nuptiis Eſther Et dedit requiem vniuerſis prouinciis, ac dona largitus eſt iuxta magnificentiam principalem.

### §. CCCLXXXVII.

### *Quam operam Virgo Deipara ad ſacram Euchariſtiam contulerit.*

1. Leuit. 24. v. 6. *Deipara eſt menſa, in quâ eſt panis vitæ.* Geometra in Caten. Græc. in Luca c. 1. Method. in Hypop. *Euchariſtia, Myſterium Virginis nominatur.* S. Nyſſenus de vitâ Moyſis.

LEuitici 24. locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Accipies ſimilam, & coques ex eâ duodecim panes, *quorum ſeni altrinſecùs ſuper menſam puriſſimam coram Domino ſtatues.* Quæ eſt hæc menſa puriſſima panes coram Domino ſtatuens? Indubiè hæc puriſſima propoſitionis menſa adumbrat Mariam, dum Euchariſticum panem largè hominibus præbet. Perìdoneè Geometra ſic Virginem alloquitur: *Omnes te appellant facem inextinctam, templum inacceſſum ..... Menſam in quâ eſt panis vitæ.* Et ideò *Altare animatum panis vitæ*, à Methodio Deipara nuncupatur. Gregorius Nyſſenus agens de pane illo cæleſti, Manna inquam, quod terra abſque aratione virgo, quotidiano prouentu, è cælo abundè donabat; licèt Manna Euchariſticum præfigurabat panem, in illo etiam typo Virginem Deiparam perſpicaciter agnouit: *Terra*, inquit, *intacta permanſit, & tamen pane plena fuit. quò fameſcentes Myſterium Virginis perdocti facilè ſaturentur.* Opinor, *Virginis Myſterium* appellatur Euchariſticum Manna, quod Virginis Deiparæ *terra intacta* vbertim fameſcentibus offert.

2. Eccli. 24. v. 25. Græca Rom. *Deipara eſt vitis, quæ Euchariſticum nectar fundit in vitam æternã.* S. Damaſc. Orat. 1. de natiuit.

Eccleſiaſtici 24. ſic in ſenſu myſtico communiter recepto Deipara loquitur: *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honeſtatis.* Græca Romana ſic habent: *Ego ſimilis ſum viti germinanti gratiam* (tantùm non dixit bonam gratiam, Euchariſtiam inquam) *& flores mei fructus ſunt gloria & diuitiarum.* Nempè Deipara ſimilis eſt viti germinanti Euchariſtiam, cuius flores ſunt fructus gloriæ & opulentiæ. Appoſitè hunc locum Damaſcenus commentatur: *Vinea*, inquit, *vberrima* (Deipara) *ex Annâ pullulauit, atque vuam ſuauiſſimam protulit, nectar mortalibus fundentem in vitam æternam.* Scilicet Deipara velut generoſa vitis diuino brachiata pampino germinat Euchariſtiam, cuius fructus ſunt gloriæ & diuitiarum, id eſt, mortalibus Euchariſticum *nectar fundit in vitam æternam.*

3. Ioann. 6. v. 56. S. Bernardin. tom. 3. de B. Virg. ſer. 3.

Ioannis 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Itaque vi verborum, quibus Euchariſticum ſacramentum conficitur, panis conuertitur in Chriſti *carnem*, & vinum in *ſanguinem* Chriſti. Nam etſi diuinitas adſit Euchariſtiæ, non verborum vi, ſed ex concomitantiæ nexu. Quid ſacramenti hìc delitèſcit? Putauerim, vt Euchariſtiæ primitias, & primarias huius Sacramenti glorias Deipara delibet. Quâ de re audiendus eſt S. Bernardinus: *Omnis inſtitutio Sacramentorum*, inquit, *ad Euchariſtiam ordinatur: quamuis enim per concomitantiam in Chriſti corpore ſit diuina ſubſtantia, & anima ſola, tamen ſubſtantia panis tranſſubſtantiatur in ſolam ſubſtantiam carnis, non in diuinitatem, neque in animam: & vt expreſſiùs magnificem illam digniſſimam, & beatiſſimam carnem de Virgine glorioſâ deciſam, dico quòd tantâ infinitate nobilitatis eam dignauit Altiſſimus.* Ecce tibi quàm auguſtè Chriſtus Deus in hoc Sacramento magnificauerit Virginem Deiparam, vt id ex vi verborum in Euchariſtiâ ponatur, quod eius Filius Chriſtus Deus ex illa mutuauit. Nempè caro & ſanguis (*caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*) è Matre Virgine ſunt aſſumpta; non anima, non diuinitas; quæ vt aliundè Chriſto adſunt, ſic in Euchariſtiâ adſunt per concomitantiam, non ex verborum vi. Et ſanè ſi Labano licuit dicere Iacobo, *os meum es, & caro mea*; quantò magis Mariæ hæc eadem verba Chriſto eius Filio dicere licebit. Chriſtus enim portionem ſubſtantiæ, quam in Incarnatione aſſumpſit à Matre Virgine, nunquam per accretionem dimiſiſſe perhibetur: *Caro Ieſu* (inquit Auguſtinus) *caro eſt Mariæ; & multò ſpecialiùs quàm Ioſeph, Iudæ, cæterorumque fratrum eius, quibus dicebat: Frater enim, & caro noſtra eſt: caro enim Chriſti quamuis gloriâ reſurrectionis fuerit magnificata, & potenter ſuper omnes cælos aſcenſione glorificata; eadem tamen carnis manſit, & manet natura, quæ ſuſcepta eſt de Mariâ.* Et S. Bernardinus Senenſis: *Virgo*, inquit, *fuit viciniſſima Filio Dei per carnis identitatem: quia eadem caro, quæ fuit Virginis matris, facta eſt caro Filij Dei.* Itaque cùm in Euchariſtiâ ex vi verborum conſecrationis tantùm ponatur caro & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini; non anima, non diuinitas; ſibi ſuperſtites Mariæ reliquias, in hoc Sacramento Chriſtus Deus collocauit: poſuitque primò quod à Matre virgine; ſecundariò autem, & per comitantiam, quod à Patre Deo per æternam generationem mutuauit.

*Quod à Matre Chriſtus accepit, in Euchariſtiâ primò collocauit.*

Gen. 29. v. 14.

S. Aug. l. de Aſſumpt. c. 5. Geneſ. 37. *Identitas carnis Mariæ, & Chriſti.*

S. Bernardin. apud Spicell. cap. 8.

4. Cant. 5. v. 1. Lxx interpr. Arabicus. *Deipara panẽ incarnat, quem conuerſum in lac fideles ſugant.* S. Auguſt. in Pſal. 33. Concion. 1. *Qui accedit ad Euchariſtiam, Deiparæ mamillas ſugere putet.*

Canticorum 5. *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi* LXX. interpretes, & Arabicus pro *fauum* vertunt *panem*: vt hinc conſtet quàm rectè Commentatores præſcripta verba de Euchariſtiâ interpretentur. Sed quid eſt, quòd Euchariſtico *pani ac vino*, additur *lac*? quid lacti cum Euchariſtiâ? Lacte Chriſtus in hoc Sacramento ſuos alit? Appoſitè Auguſtinus: *Sicut*, inquit, *quia minus aptus eſt infans qui pane veſcatur, ipſum panem mater incarnat* (id eſt comedendo & digerendo, vi caloris naturalis in carnem vertit) *& per humiditatem mamillæ, & lactis ſuccum de ipſo pane paſcit infantem*, puta lacte, in quod conuertit panem. Quæ eſt hæc *mater*, quæ Euchariſticum panem ac vinum ſic *incarnat.* vt Euchariſtia lacteſcat ad paruulorum alimoniam? Opinor, τὸ *incarnat*, Deiparam ſubindicat. Quâ de re ſic fatur, S. Germanus in Theoriâ rerum ſacrarum: *Crateras*, inquit, *ſanguinis Chriſti interpreteris mammas Deiparæ, ſalutare lætitiæ poculum, & tutelare conſeruatorium totius generis humani.* Itaque cùm ad ſacram menſam accedis, & cratere Dominici ſanguinis potaris, non tam vinum bibere, quàm de *mammis Deiparæ* lac ſugere putes: *Bibi vinum meum cum lacte meo.* Quod de Eccleſiâ prædixit Iſaias, aiens: *Mamilla regum lactaberis.* id eſt, mamillâ regiâ. Quod interpretatur Sanctius *de inuſitatâ*

S. Germ.

Iſaiæ 60. v. 16. Sanct. ibid. n. 71.

*inuſitatâ quâdam indulgentiâ , quâ Deus Eccleſiam ſuam proſequitur. Quaſi dicat Deus : Complectar te, atque alam cibo ſplendido , ac delicato, quali veſcuntur Reges.* Regalis ſanè, ac delicioſa nimis in hoc Sacramento indulgentia, *Deiparæ mammas* filios adoptiuos ſugere. Neque Deipara Euchariſticum panem *incarnans*, tota ac integra mater fidelium putaretur , niſi nos verè regiis ſuis mammillis indulgenter lactaret. Hoc Euchariſtico lacte Suos Deipara regiè infantat. *Mammillâ Regum lactoberis.*

5. Gen.18.v.6.

Geneſeos 18. typicum derepentè conuiuium tribus Angelis ſplendidè Abrahamus apparat, *Feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Saram: dixitque ei: Accelera , tria ſata ſimilæ commiſce , & fac ſuccirinicios panes. Ipſe verò ad armentum cucurrit , & tulit indè vitulum tenerrimum.* In hâc vmbrâ opera, quam B. Deipara ad Euchariſtiam contulit , præclarè tranſlucet. Audiendus eſt Damaſcenus Virginē in hoc Abrahæ tabernaculo recognoſcens, & ſic eam alloquens: *Nam tabernaculum* inquit, *Abrahæ te apertiſſimè indicabat : etenim Verbo diuino in ventre tuo tanquam tabernaculo habitanti , humana natura ſuccinericium panem, hoc eſt , ſui primitias , ex puris tuis ſanguinibus obtulit à diuino igne quodammodò coctas, panemque effectas, atque in diuinâ ipſius perſona exiſtentes , & ad veram corporis animati anima rationali atque intellectuali ſubſtantiā venientes.* Aliter ad rem philoſophatur Ambroſius viderit æquus rerum arbiter , vter elegantiùs : *Tria ſata ſimilæ commiſce , & fac ſuccinericios panes, &c. Mulier ſimilaginem offert, hoc eſt , interiora ſpiritualis frumenti, vel grani illius, de quo dictum eſt, quòd niſi in terram ceciderit , nullum fructum affert.* Scilicet hunc panem ſuccinericium, ex puris Deiparæ ſanguinibus conflatum, Dominici corporis *primitias* appellat Damaſcenus. Et Ambroſius ait , quòd Deipara *ſimilaginem offert, hoc eſt , interiora ſpiritualis frumenti.* Deipara ad Euchariſticum ſacramentum offert Dominici corporis *primitias* adhuc ſuperſtites, & *interiora ſpiritualis frumenti?* ô grandis opera ad Euchariſtiam collata !

S. Damaſc. Orat.1 de dormit.

*Deipara & Dominici corporis primitias, & interiora ſpiritualis frumenti offert.*

S.Ambr. l. 1. de Abrah. c. 5.

6. Cantic.7. v.2. Cornel. Alcazar.

Canticorum 7. ſic cæleſtis ſponſus ſponſam Virginem alloquitur: *Vmbilicus tuus crater tornatilis , nunquam indigens poculis. Venter tuus ſicut aceruus tritici , vallatus liliis.* Benè notat hîc Cornelius ex Alcazar, quod Hebræum verbum, pro quo Vulgatus *vmbilicum* reddit, *omnia vitalia complectitur.* quaſi omnia vitalia Deiparæ ſint velut crater poculo Euchariſtico ſemper plenus. Verùm plerumque *vmbilicus* pro ventre, ſeu aluo ſumitur. *Verè* ( inquit Ildefonſus ) *aluus Mariæ tornatilis fuit , quia in eo Sapientia ſe influxit, quæ in cratere illo vinum miſcuit.* Ambroſius verò vtrumque huius Verſ. hemyſtichion nectit, ſic fatus: *Verè aluus ille Mariæ crater tornatilis nunquam indigens poculis , in quo erat Sapientia , quæ miſcuit in cratera vinum ſuum, indeficientem cogitationis piæ gratiam , diuinitatis ſuæ plenitudine ſubminiſtrans. In quo Virginis vtero ſimul aceruus tritici, & lilij floris gratia germinabat; quoniam & granum tritici generabat & lilium.* Ecce tibi diuinum Verbum , quæ eſt Dei Sapientia in Mariæ vterum, velut in craterem *ſe influxiſſe* dicitur, vt vel iam ab Incarnatione Euchariſtici vini indè fluxum emicaturum , fauſtè ominaretur: è quo , tanquam è tornatili cratere diuina Sapientia *diuinitatis ſuæ plenitudinem* propinaret. O grande Euchariſtiæ epitheton , dum è Mariani ventris cratere *diuinitatis plenitudo* fluxiſſe perhibetur !

S.Ildefonſ. Serm.1. de Aſſumpt. S.Ambr. de Inſtit. Virg. c. 14.

*Euchariſticus potus diũ è Mariæ vtero fluxiſſe dicitur, plenitudo diuinitatis nominatur.*

Ezechielis 44. porta illa ter arcanè clauſa 7.
Prophetæ videnda proponitur: per quam Sancti Patres, & Interpretes Deiparam magno cõſenſu intelligunt: Eritque clauſa, inquit, Principi. *Princeps ipſe ſedebit in ea , vt comedat panem coram Domino.* Hoc ſanè eſt ineffabile Virginis myſterium , quòd porta hæc ſit Principi clauſa, & Princeps in eâ ſedeat. Sed quorsùm per eam clauſam ingreſſus, in illâ nouem menſibus ſedit, id eſt , diuinum Verbum caro ex eius carne virgineâ factum, in eius vtero tandiu requieuit? *Vt comedat* inquit, *panem coram Domino.* Quæ verba exponens S. Ildefonſus, ita ſcribit: *Princeps in ea ſedit, vt comederet panem coram Domino: quia Dei Filius in vtero illius nouem menſium ſpatio moratus eſt : indeque egreſſus tanquam Sponſus de thalamo ſuo, vt comederet panem coram Domino, iuxta quod ipſe dixit : Meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius , qui miſit me Patris.* Itaque hic Princeps Deus, Dei Patris Filius, & æternitatis heres: vterum æternæ virginitatis, id eſt, Virginis Deiparæ elegit, ibique ſedit, & requieuit nouem menſibus , vt inde voluntatem Patris expromptiori obſequio perficiens , eam velut cibum faceſcat, & comedat, eaque auidè ſuſtentetur, & in ſuæ ſubſtantiæ alitum velut conuertat ? Ex Matris Deiparæ vtero hanc ſtrenuè voluntatem Chriſtus arripuit, hauſit, expreſſit ! Hanc etiam Paterni obſequij indolem, è Materno etiam vtero quodammodò mutuauit? Altè quidem Ildefõſus cauſſam, ob quam in Matris vtero homo factus eſt, & inibi tandiu commoratus , euulgauit! Aliam prætereà cauſſam Prophetæ vbera offerunt, quæ ſenſum abſque metaphorâ peridoneũ reddunt. *Princeps ſedebit in ea, vt comedat panem,* Euchariſticum inquam: nam Deipara ex ſuo virgineo vtero, & puriſſimis viſceribus, Euchariſtici panis, & Dominici Corporis primitias obtulit, & interiora ſpiritualis frumenti, ex quibus hic cæleſtis Euchariſtiæ panis conficiendus erat , ab eo poſteà ſumendus , & ad ſaturitatem animarum, & beatæ gloriæ pignus , hominibus largè propinandus. Nam quod à Matre Chriſtus accepit : velut primitias Euchariſtiæ , in hoc Sacramento primò collocauit. Vndè *Virginis myſterium* forſan nominatur. Hinc dicitur, quod *Princeps ipſe ſedebit in ea vt comedat panem coram Domino.*

Ezechiel 44. v 3.

*Ex Matris etiam vtero hauſit Chriſtus, Patris voluntate tanquam cibo alit*

S. Ildefonſus Serm.7 de Aſſumpt. B. Virg.

Ioan. 4. v. 34.

*Chriſtus in vtero Matris nouem menſibus habitat, vt Euchariſtici panis primitias delibet*

## CAPVT IV.

*Verſ.* 8. Et moneret eam (Eſtherem) vt intraret ad Regem, & deprecaretur eum pro populo ſuo, &c.

## CAPVT IX.

*Verſ.* 27. Suſceperunt Iudæi ſuper ſe , & ſemen ſuum......vt nulli liceat duos hos dies abſque ſollemnitate tranſigere.

§.CCCLXXXVIII.

## §. CCCLXXXVIII.

### *Ad B. Deiparæ deuotionem arcana quadam vi homines populariter feruntur.*

1. Iſaiæ 2.v.2. EVangelici Prophetæ vox eſt: *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice mõtium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Multa Interpretes ſuper hoc arduo monte, qui ſupra omnium montium faſtigia altè exurgit, peritè adaggerant, & exaggerant, quò illum nobis demonſtrent. Verùm S. Gregorius myſterium Virginis hîc agnoſcit, & his verbis edifferit: *Poteſt, inquit, huius montis nomine beatiſſima ſemper virgo Maria Dei genitrix deſignari: mons quippè fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ dignitate tranſcendit. An non mons ſublimis Maria, quæ, vt ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros vſque ad ſolium diuinitatis erexit? Huius enim montis præcelſiſſimam dignitatem Iſaias vaticinans ait: Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes.* Ecce tibi inquam, myſterium Virginis nempè quanto ſibi ſtudio vota omnium occupet, omniumque ſtudia appetenter alliciat, dum ad arduum montem ſuper alta montium faſtigia ſublimiſſimè erectum, non accliui & impedito greſſu æſtuantes; ſed facili, prono, ac velut naturali curſu, omnes Gentes ad illum *fluant*, quaſi connaturali fluxu, & procliuitate. quod vox *fluere* ſignatè denotat: *Et erit mons in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes.* Sic eſt omnibus volupe erga Virginem Deiparam deuotè affici, & deuoto procliuiſſimè affectu ad illam intenſiùs accurrere! Quod hoc pulcho ænigmate ſacer Vates notanter antedixit; & nunc adimplatum oculis ſentimus, & perſpicuè cernimus. *Fluent ad eam omnes Gentes.*

S.Greg. l. 1. In 1.Reg.c.1.

*Quãuis Maria ſit mons præcelſus, ad eam tamen pronè fluunt omnes gentes.*

2. Pſal.21.v.10. Regius Propheta Pſal.21. ſic pangit de Chriſto Deum Patrem adloquente: *Quoniam tu es, qui extraxiſti me de ventre.* Tertullianus; *Tu es, qui auulſiſti me de vtero Matris meæ.* Arias Montanus: *Tu es quies mea.* Quæ verba Cyrillus Ieroſolymitanus exponit de conceptione, & natiuitate Chriſti. Obſeruat autem in hac extractione Auguſtinus partum Virginis ſeruatâ eius integritate mirabili: vt quod ibi mirabiliter factum eſt, cùm Deus feciſſe dicitur, nemini incredibile videatur. Et ſanè quod *extrahitur*, & *auellitur*, potenter eruitur: ideóque Chriſtus Deus à Matris viſceribus *Auulſus* perhibetur, quaſi è loco ſibi proprio, cognato, & connaturali, ac ſi vis aliqua, ac violentia quodammodò interueniret; quâ è propriâ *quiete* ad peregrinum *extraheretur* locum, aliquâ ex Maternis viſceribus *auulſione*, & velut à ſuo centro *extractione*. Multis ſanè alibi oſtendebamus, cum Mariâ, & in Mariâ Chriſtum *requieſcere*, quod aliquam cum centro analogiam ſonat. Exindè Chriſtus è Mariæ vtero *extrahi*, & quaſi à loci *quiete auelli* perhibetur. Nec mirum, cùm Deus homo factus eſt, & nouus mundi inquilinus apparuit, idem cum mundo centrum ſtatim agnouiſſe accliui pondere. Quod tempeſtiuè Richardus adnotauit lib. 8. de Laudibus Virginis, ita fatus: *Maria centrum mundi, quia ex omni parte mundi omnes habent* (fortè *auent*) *ad eam recurrere in omnibus ſuis neceſſitatibus, ſicut omnes circumferentiæ recurrunt ad centrum.* O bellè! Nimirùm omnes homines Mundi incolæ, fideles præſertim, neſcio quo deuotionis cognato pondere, tanquam ad *centrum* propendent, & inclinant ad Mariam, ad Mariam arcanè vergunt, *ſicut omnes circumferentiæ recurrunt ad centrum.* Quot patimur ægritudines, angores, *neceſſitates*, tot induimus velut cognatas propenſiones ad Mariam, tanquam ad humanæ *quietis centrum*. O ſpontè feramur hoc quaſi piè congenito deuotionis pondere! In Chriſto Deo velut in typo id pulchrè adumbratur, qui iam Mundi incola, ex vtero Materno forâs prodiens, tanquam à *centro extractus*, ſeu *auulſus* ſententioſè perhibetur. Et ſanè Chriſtus præſertim infans, ex alimoniæ *neceſſitate* ad Matris vbera *recurrebat*; & poſtmodùm puer ad victum, ad veſtitum, & reliqua humanarum neceſſitatum ſubſidia. Ceteri verò homines omni ætate habent, & auent ad Mariam tanquam ad *centrum* recurrere, vt quietem inueniant. *Et erit mons domus Domini* (Maria inquam) *in vertice montium, & fluent ad eum omnes Gentes*, tanquam ad *centrum*. Sic in Mardochæo, & cum Mardochæo omnis populus votiuè ad Eſtherem accurrit: quæ omnium vota cumulatè implet. Eſther.4.v.1.

Tertull. de Carn.Chriſti c.20. Arias Mont. S. Cyrill. Ieroſolym. Catech.12. S. Auguſt. Epiſt.120. c. 12.

*Eſtne Maria centrum Chriſti, ac reliquorum fidelium?*

Richard.à.S. Laurent.

3. Cant.1.v.3. Canticorum 1. ſic Sponſa virgo Sponſum Deum alloquitur: *Trahe me; poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Nota τὸ *poſt te*, aptius referri ad τὸ *curremus*, quod ſequitur. Quaſi dicat Sponſa: Trahe me, vt ego cum omnibus adoleſcentulis meis poſt te curramus. Ceterùm cùm hæc verba faciat Virgo Deipara, difficile eſt, cur dicat: *Trahe me*, cùm ipſa vltroneo auidè ſtudio ad Deum vergat, & gratiæ calcare ſtimulata ad Deum, & poſt Deum, Deo proxima currat. Dein cùm antedixerit, *Trahe me*, quare numerum mutat, nec dicit, *Poſt te curram*, ſed nomine pluratiuo, *Poſt te curremus*; An ſi vna Deipara ad Deum *trahatur*, omnes celeri curſu ad Deum pariter contendent? ipsáne eſt vna plures, vt ipsâ poſt Deum currente, currant inſimul omnes? Appoſitè Philippus Abbas ſic inibi fatur: *Curremus (ait) in odorem vnguentorum tuorum. Pluraliter dicit, Curremus, cùm ſingulariter præmiſerit, Trahe me; ſi me ad te traxeris affectu, & gratiâ ſpeciali ........iam non ſola ego munere ſpiritualis ſed mecum Adoleſcentulæ gaudebunt quodam beneficio generali; vt me ſcilicet præcurrentem pro ſuo modulo deuotiùs imitentur, & poſt me, quem diligunt, mecum vnà currere prædicentur:* Sic Deipara velut magnes arcanâ quâdam vi omnes ad ſe attractos, ad Deum ipſa trahit, vt celeri curſu alacres ad Deum ſecum currant? *Trahe me; poſt te curremus.* Quod explicatiùs tradit Ambroſius, dum non excribit, *Trahe me*, ſed emphaticè, *Attrahe nos.* quaſi perindè ſit, *Trahe me*, ac, *Attrahe nos*: nam attractâ ad Deum Deipara, omnes pariter cum illâ ad Deum attrahuntur, vt ſecum ad Deum pro vniuſcuiuſque modulo pariter currant. O bonum moraliſſimè ſynonymum ſingulariter Deiparæ congruens, *Attrahe me*, id eſt, *Attrahe nos*: nam ſi me ſpeciali gratiæ tuæ illicio attraxeris, ego arcano quodam lenocinio omnes ad me attrahens magnetis adinſtar, ad te pariter attractos cenſe, & ad te velociter currentes exiſtima. quaſi idem ſit, *Attrahe me*, ac, *Attrahe*

Philippus.

*Dum Maria attrahitur ad Deum, omnes pariter attrahi, & currere dicuntur.*

S. Ambr. l. de Iſaac & anim. c. 3.

*Attrahe nos.* Sic velut arcanâ quâdam vi omnes tanquam ad *centrum* à Mariâ attrahuntur, ad Mariam inclinant, currunt ad Mariam? *Trahe me, poſt te curremus.* id eſt, *Attrahe nos.* ac ſi pariter cum Mariâ reliqui concatenentur.

4 Sapientiæ 7. ſic de Sapientiâ, cuius nomine Beata Virgo myſticè adumbrari ſolitat, Salomon ſcribit: Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile eſt lumen illius. *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illâ, & innumerabilis honeſtas per manum illius.* Meritò Sapientia (& per illam Virgo Deipara ſignanter adumbrata) ſic concupiſcitur, & adamatur, ex quâ hominibus cetera proueniunt bona, quæ hominem bonum abſolutè denominant, quaſi omnia bona pariter cum Beatâ Virgine illi cumulatè prouenitant. Nam vt opportunè inquit Idiota ſapientiſſimus in Prol. Contemp. de Virgine Mariâ: *Inuentâ Virgine Mariâ, inuenitur omne bonum.* Exindè fideles omnes tantâ animitùs procliuitate, & deuotionis velut cognato pondere, ad Mariam inclinant; quoniam illâ inuentâ, omne cum illâ bonum inueniſſe meritò cenſent: ac ſi ſola Deipara illis ſit omnium bonorum prædiues cenſus: nam *inuentâ Mariâ, inuenitur omne bonum. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.* Ecquis enim tam bardus ſit, ac truncus, & tam inerter ſui negligens; vt *omne bonum* non ſibi concupiſcat, & ad illud adipiſcendum auidiùs non fiet irrequietâ votiuè appetentiâ? O acuamus piam hanc Mariæ inueniendæ appetentiam, *bonorum omnium* pariter cum illâ, & in illâ inueniendorum meditatione ſedulâ! Cui adeſt Maria, nihil boni deeſt.

*Sapient. 7. v. 11.*

*Inuentâ Mariâ, inuenitur omne bonum: exindè ad illam omnes propendent.*

Idiota.

5 Ieremiæ 6. Confortamini, inquit, filij Benjamin in medio Ieruſalem, & in Thecua clangite buccinâ, *& ſuper Bethacarem leuate vexillum: quia malum viſum eſt ab Aquilone, & contritio magna.* Quid eſt, quòd Propheta iubet, vt Ieroſolymitani ciues *confortentur*, cum ſæuum ab Aquilone bellum ingruit, & atrox Nabuchodonoſor armatis phalanguibus iam iam hoſtiliter adeſt? Nimirùm quia illos præmonet, vt *vexillum* leuent, aiens: *Leuate vexillum.* Nonnulli pro τὸ *vexillum*, ex Hebræa origine excribunt, *ſignum*, aut *ignem*, alij *facem*. Quænam eſt hæc *fax*, quæ Ieroſolymitanis ciuibus prælucens, ipſos *confortabit* in *contritione magna*, quæ ſiue à Chaldæo Nabuchodonoſore, ſiue à Nabuchodonoſore infernali periculoſiùs imminet? *Leuate facem* inquit, vt ad illam omnes Ieroſolymæ habitatores confugiant, & ſic periculum impendens euadant. Sanè prælucens hæc *fax*, ad quam omnes reſpiciunt tanquam ad incolumitatis ſignum, Virgo Deipara eſt, quam Georgius Nicomedienſis ſic alloquitur: *Facem tanquam ſignum aliquod tolle, & ad te dirige orbem terræ.* Scilicet ſi Beata Deipara *ſignum* leuet, vel *facem* velut ſignum præmonſtret, *ad ſe diriget orbem terræ.* Nemo, nemo inquam, erit tam inerter ignauus, & tam ſui oſcitanter negligens, vt ſi Maria præmonſtret *facem*, ad eam quaſi ad liberationis, & incolumitatis *ſignum* properanter non accurrat. O, ſic facilè *ad ſe orbem terræ dirigit*? Ita quidem. nec mirum quòd ſic expromptè, & velut cognatâ propenſione ad ſe *orbem terræ dirigat*, quæ *centrum mundi* à Richardo nominatur.

*Ierem. 6. v. 1.*

*Hebræus.*

*Si facè Maria tollat, ad ſe orbem terræ diriget.*

Georg. Nicom.

Richardus. ſuprà.

6 Profectò nemo mirabitur, quòd homo de ſe pauperrimè indigus, & auarè mendicus, tanto ſtudio Beatam Virginem colat: in ipſâ enim expromptum inuenit agnatæ mendicitatis ſubſidium. Porrò Salomonis ore ſic de ſe Deipara loquitur: *Mecum ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, &c.* Simmacus, *à me ſunt diuitiæ.* LXX. interpretes, *Et poſſeſſio multorum.* Ac ſi perindè ſit, apud Mariam ſunt diuitiæ, & opes opulentæ, quaſi apud cæleſtium theſaurorum ſequeſtram; ac à Maria ſunt eiuſmodi diuitiæ hominibus piè diſtributæ: & dum adhuc apud Mariam ſunt, iam *poſſeſſio multorum* præpropetè nuncupantur. Adeò vt Beata Deipara à Germano in eius encomio appelletur: *Mendicitatis diuitiæ.* Porrò Maria ſic eſt prædiues, & ad beneficentiam largiſſimè procliuis, vt ſua opulentia ſit iam anticipata *poſſeſſio multorum*, & humanæ indigentiæ ac pauperrimæ *mendicitatis diuitiæ.* Quaſi omnis homo recurrens ad Mariam, ſit ſuâ mendicitate diues, & inopiâ abundè opulentius. Hinc velut cognatum hominibus eſt, de naturæ ſuæ mendicitate ad Mariam, quaſi ad ſubſidij centrum auidè recurrere.

*Prouerb. 8. v. 18.*

Symmacus.

Lxx interpr.

*B. Virgo eſt humanæ mendicitatis prædiues opulentia.*

Germanus.

## §. CCCLXXXIX.

### *Figuratæ Eſtheris adſpectu ad Eſtherem typicam, plura elogia delibatim addenſantur.*

1 Longum nimis feciſſem, nec breuiculus Marianæ gloriæ Tractatus, ſed iuſtum volumen euaderet; ſi omnia quæ in Eſthere tranſlucent, & Deiparæ glorias typicè adumbrant, ſtylo vberiore perſequi affectaremus. Idcircò ne prorſus illibata omitteremus plura, nonnulla perſtrictim adæquè ac ſaltuatim hîc addenſare, operæ pretium duximus.

Eſther 10. *Paruus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem, Solémque conuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit; Eſther eſt.* Mirum ſanè eſt, quòd exiguus fonticulus, vix nuper aquulam auarè ſudans, in aquas plurimas derepentè exundarit. Multò autem mirius, quòd ex huiuſmodi fonte lux Solis vberrim emanauerit. Verùm Ioſue 15. *Fons Solis* legitur. Ideò Damaſcenus Orat. 1. de Natiuit. Virginis, eam appellat *Portam vitæ, Fontem lucis*: & Heſychius, *Matrem lucis*: & Chryſippus Orat. ad Deiparam. *Aue* inquit, *fons lucis omnem hominem illuminans.* A Sophronio etiam appellatur, *Fons ſignatus ſigillo totius Trinitatis, ex quo fons vitæ manat, in cuius lumine omnes videbimus lumen.* Et S. Ephrem in Serm. de Laud. Virginis: *Tu, inquit, noſter es portus, & Præſes ...... fons gratiæ.* Adhæc Richardus à S. Laurent. exponens ſignificantiam nominis Mariæ, id eſt, *illuminata* ita ſcribit: *Item illuminata à Filio Dei, vero Sole iuſtitiæ in illius conceptione, quem totum in corde, totum ſuſcepit & portauit in ventre; nec potuit eſſe nõ illuminata, quæ fontem luminis ſuſceperat in ſe totum.* Quin & Deipara poteſt appellari, quæ apud Iſaiam legitur, *Ciuitas Solis.* De Mariæ autem ſidereâ luce, & ſolari ſplendore, obuium eſt chartam implere: neque adhuc ſatisfacitur.

Eſther. 10. v. 6.

*Deipara dicitur Fons Solis, & Fons lucis ſignatus ſigillo Trinitatis.*

Ioſue 15. v. 7.

S. Damaſc.

Heſych.

Orat. 1. de S. Mariâ.

Chryſippus.

Sophron. de Aſſumpt.

S. Ephrem.

Richard. l. 1. c. 3.

*Maria eſt Ciuitas Solis.*

Iſaiæ 19. v. 18.

2 Pſalm. 51. ſic modulate Pſalmographus pangit: *Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei in æternum, & in ſæculum ſæculi.* Quiſnam eſt, qui

Pſal. 51. v. 10.

S. Chryſoſt. homil. de Fide, & lege natu. S. Nyſſ. apud Locin. imbi.

qui dignus ſit nominari nomine *oliuæ ſpecioſæ, vberis, pulchræ, fructiferæ*? (his oliuæ epithetis vtraque litteratura exundat) Chryſoſtomus nomine *oliuæ*, Eccleſiam myſticè intelligit. Aptiùs, opinor Damaſcenus Beatam Deiparam adumbrari putat. Et ſanè Nyſſenus in *domo Dei mei* ſcribit, vt non vniuerſatim Deus, ſed Deus, quia eſt ſpeciatim ſuus, vt potè eius filius, denoteiur. Itaque Maria Deipara dicitur plãtata *ſicut oliua fructifera in domo Dei ſui*, id eſt, in Templo, quæ eſt domus Filij ſui. Subiiciam Damaſceni verba: *Adducitur Deipara in templum, atque in domo Dei plantata, atque per Spiritum ſaginata, inſtar oliuæ frugiferæ virtutum omnium domicilium efficitur.* Et Germanus Patriarcha Conſtantinop. ſic B. Annam loquentem inducit Zachariæ Sacerdoti: *Accipe ô Propheta meam à Deo datam Filiam, & introductam planta in loco Sanctuarij, in prompto Dei habitaculo.* Scilicet hæc ſpecioſa oliua, quæ virgine fœcunditate eum protulit, qui à Diuinitatis oleo Chriſtus, ſiue vnctus nominatur, *in ſacris gratiæ adytis plantanda* erat, id eſt, in Templo, vt quæ erat virtutum ac ſanctitatum omnium domicilium, futuraque erat ſãctius Dei Templum; in Templo, hoc eſt, *in domo Dei ſui, in prompto Dei habitaculo plantaretur.* Hæc virga de generoſa Ieſſe radice, quæ Chriſtum Deum velut florem germinauit, quæ vitæ fructus vbere prouentu tulit, vbi nam niſi in Templo, niſi *in domo Dei ſui, in prompto Dei habitaculo, in ſacris gratiæ adytis plantaretur.*? Hâc cæleſti *plantâ* Templum paradiſeâ amœnitate vernat, floret, fructificat. Creſcat hæc *planta* in domo Dei ſui, quæ ſuum, omniumque Deum germinabit; quæ tota Deo plena, tota Deo ſuo creſcit. Monent agriculturæ Scriptores, vt tranſplantandi, aut inſerendi ſurculi, *eam cæli plagam conſpiciant, quã in ſeminariis reſpexerunt.* Ergò puella Deipara in Templo prope Deum *plantata*, cùm exindè tranſplantatur, eandem cæli plagam ſemper reſpiciens, prope illum ſemper fuit, imò illi propior, quem ſibi animitùs, & medullitùs conuiſceratum reſpiciebat. Sic Eſther ad *gloriam Templi, & altaris* ſtudioſiùs reſpexiſſe perhibetur.

S. Damaſc. l. 4. de Fide c. 15. Germ. Orat. de Præſent. Deiparæ. Cur Deipara dicitur in Templ. plantata? Idem Germ. Suprà.

Eſther 14. v. 9.

2\. Iſaiæ 6. poſtquam vidit Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum; diuinorum gloriam ſumptuoſiùs oſtentantem: & illi adſtantes Seraphinos ſenis ornatos alis: *Volauit*, inquit, *ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Hic *calculus*, ſeu ignitus carbo, quem Seraphinus contingere non eſt auſus, communiter putatur Chriſtus diuinitate ignitus: *forceps* autem, quo eum tulit, Deipara intelligitur. Quâ ſuper re ita ſcribit Georgius Nicomedienſis Orat. de oblat. Deiparæ, de eâ agens: *Eam*, ait, *forceps expreſſit propheticus, qui carbonem ferebat, & labra expurgabat; quæ Seraphicè cuſtodiebatur, & per Spiritum-ſanctum prædicabatur.* An timet Seraphinus charitate ſuccenſus, ignitum calculum manu ſuâ contrectare? Imò hæc Seraphini cautio, Marianæ puritatis Sacramentum loquitur, & quàm mundè humanas emundet iniquitates deſcribitur. Scilicet impunè poterat Seraphim manu ſuâ tollere ignitum calculum, & eo Prophetam purificare: at ſine Mariâ Chriſtus Deus humanas ſordes non emaculat. Seraphinus *forcipe* id eſt, Mariâ tollat ignitum *calculum*, id eſt, Chriſtum diuinitate ignitum, ad auferendas iniquitates, & peccata mundanda: ſed aliena peccata, & hominum iniquitates nullatenùs contingat. O quàm longè abeſt à labe propriâ, quæ vel alienas ſordes, ad eas etiam purificandas, ſic cautè accedit! Manu Seraphicâ velut *forceps* ignitum *calculum* deferat, qui tollat peccata mundi; at ipſa Deipara, ne vel ad purificationem, labia polluta contingat, *Seraphicè cuſtoditur.* O, ſic cautè agitur cum Deiparæ vmbrâ, etiam cùm ad emaculandas ſordes alienas accedit? Niſi fortè malis, hanc accommodare ſponſo Ioſepho adſpectu ad Deiparam: & typicè Mardocheo reſpectu Eſtheris, quam in ædium ſuarum receſſu nutriuit; & cui poſteà ad palatij ianuam aſſiduus aderat, curam illius gerens, & illius cuſtodiæ ſollerter inuigilans.

Iſaiæ 6. v. 6. & 7.

Georg. Nic. Tanta eſt Mariæ puritas, vt Seraphicè cuſtodiri dicatur.

Eſther 2. v. 11.

4\. 1. Corinth. 10. de populo Dei per deſerti auia diu peregrinante, ait Paullus: *Omnes eundem potum ſpiritualem biberunt: bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos petrâ: petra autẽ erat Chriſtus, &c.* Non tracto nunc quomodò hæc petra conſequens, id eſt ſecuta Hebræos dicitur: quod in ſenſu litterali, & morali, grande Interpretibus negotium faceſſit. Petra autem quæ dedit aquam Hebræis, erat typus Chriſti, qui eſt vera petra, è quâ fluxit ſanguis & aqua ſitim concupiſcentiæ noſtræ reſtinguens. *Petra autem*, inquit, *erat Chriſtus.* Ex quo Guarricus Abbas Serm. 2. de Annunciat. ſic argutè philoſophatur: *Si ergo Petra Chriſtus, vt ait Apoſtolus, non degenerat à Matre Filius, quandò & ipſa petra nomine cenſetur. An non rectè vocatur petra, quæ in amorem integritatis propoſito ſuo firma, affectu ſolida,* (Nota quæ attexit verba) *ſenſu quoque ipſo aduerſus illecebram peccati tota inſenſibilis erat, & Lapidea*? O quam *Seraphicè cuſtoditur* à peccato, quæ blandâ diuinæ gratiæ officioſitate, in petrinam ſoliditatem ſic obduruit, vt *ſenſu quoque ipſo aduerſus illecebram peccati tota inſenſibilis eſſet*! Ab humanis ſenſibus lenocinium peccati eſt, & delinquendi blandimentum: quot ſenſus habemus, tot hoſtiliter inſidias patimur. O naturæ miraculum, gratiæ monſtrum, & vtriuſque ſtupor! *Senſu quoque tota inſenſibilis* ad peccatum perhibetur. Quid exaggeratius? Nónne hæc eſt Eſtheris *incredibilis pulchritudo*?

1\. Cor. 10. v. 4.

Guarric. Deipara ſenſu inſenſibilis ad peccatum dicitur.

Georg. Nic. ſuprà.

Eſther 2. v. 15.

5\. Prouerb. 1. Parabolæ, inquit Salomonis ad ſciendam ſapientiam, & diſciplinam: ad intelligenda verba prudentiæ: *Vt detur paruulis aſtutia adoleſcenti ſcientia.* Quænam eſt hæc ſcientia & prudẽtia paruulis & humilibus neceſſaria, quæ propter intelligentiæ ſagacitatem, *aſtutia* nominatur? *Timeo autem* (ait Doctor Gentium) *ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutiâ ſuâ*; ita, &c. Nimirùm primæuus ille ſerpens elatione turgens decepit nos *aſtutia tua*; detur ergò *paruulis aſtutia*, vt ſubdolas eius aſtutè fraudes ſagaciſſimè deludere, ac fruſtrari eualeant Eſtheris ſapiens aſtutia, & profundè conſultior ſagacitas in eludendo, & profligando Amane, qui cognatis æſtutiæ ſuæ vafrامentis aduerſus Dei populum atrociter ferociit, in hac hiſtoria opinatiſſimè celebris eſt. Pariter etiam & Eſtheris figuratæ, Deiparæ inquam, pia ſagaciter aſtutia, ad eludẽdam & profligandam veteratoris ſerpentis aſtutiam impiè ſubdolam, à Patribus decantatiſſima eſt. Idcircò S. Ephrem Serm. de laudibus Virginis, *Deiparam* appellat *principem omnium prudentiſſimam, & ſagaciſſimam.* Et S. Damaſcenus

Prou. 1. v. 4.

2\. Corinth. 11. v. 3.

Eſther 5. v. 4 &c.

*Eſtheris vtriuſque prudens aſtutia, & induſtrior ſagacitas.*

S. Ephrem. S. Damaſc.

Orat. 1. deDormit.hanc Deiparæ piam *aſtutiam* & prudentiæ *ſagacitatem* vocat *Sapientiæ theſaurum, quâ incautam Euæ verbis ſerpentis* Lucæ 1.v.34. *nimium credulæ ſimplicitatem emendauit; dum Angelo prudenter reſpondit, Quomodò fiet iſtud?* Scilicet typicæ Eſtheris cautior *aſtutia*, & Eſtheris figuratæ prudentior *ſagacitas*, fraudulenti atrociter Amani, & ſubdoli feraliter ſerpentis, noxias hoſtiliter machinas ſubruant, eludant, detriumphent: vt qui *aſtutia* pugnant, *ſagacitate* vincantur.

6. Geneſeos 2. de primæuo naſcentis mundi ſta- Gen.2.v.5.& 6. tu, ita ſacer Hiſtoricus ſcribit: Non enim pluerat Dominus ſuper terram, *& homo non erat, qui operaretur terram: Sed fons aſcendebat è terrâ irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ.* Quiſnam eſt hic *fons*, qui vniuerſam terræ ſuperficiem ir- Richard. rigare ſufficit; & quæ eſt hæc *vniuerſa ſuperficies terræ*, quam iſtiuſmodi fons abundè irrigat? Richardus à S. Laurentio lib. 8. de Laudib. B. Mariæ, ita de eâ ſcribit: *Hæc eſt terra, de quâ dictum eſt Geneſis 2. quòd homo non erat, qui operaretur terram. Nullus enim homo operatus eſt in ea terra virgine, de quâ formatus eſt Chriſtus.* (Attentiùs expende verba quæ ſubiicit) *Sed fons aſcendebat è terra irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ.* *Quare B. Virgo dicatur, Vniuerſa ſuperficies terræ.* *Superficies terræ id eſt dignitas terræ Virgo. Maria picturata omnium florum ſpecioſitate, id eſt virtutum: quam irrigat Spiritus-Sanctus, qui eſt fons aquæ viuæ.* Cùm Spiritus-ſanctus ſit huiuſmodi *fons*, nemo Interpretum iam mirabitur, ſi vniuerſam terræ ſuperficiem irrigare ac fœcundare valeat. At *vniuerſa ſuperficies terræ* (quæ eſt terræ *dignitas*) eſt Virgo Maria. O bellè! *Superficies terræ* ſóla eſt, quæ germinibus verna, frondeo ornatu viret, picturatur floribus, autumnat fructibus, meſſibus albicat. *Superficiei* terræ totus cæli, ac ſiderum influxus impenditur. Itaque Beata Deipara eſt *vniuerſa ſuperficies terræ*; & quoniam *terra virgo* eſt, *homo non erat, qui operaretur terram*: at Spiritus-ſanctus velut *fons* vberrimus, illam irrigauit; & quia ipſa eſt tanquam *vniuerſa ſuperficies terræ*, totus cælorum influxus illi quodammodò impenditur ad prærogatiuarum fœcunditatem. Virgo Maria, vt potè *vniuerſa ſuperficies terræ*, gratiis floret, virtutibus vernat, vbere ſanctitatum omnium prouentu vberrimè fertilis, adeò vt hæc *terra virgo* fœcundè fuerit Dei fetax: hominem enim Deum, Chri- *Vel Mariæ ſuperficies, eximia eius dignitas eſt.* ſtum Dominum arcanè protulit. Quid florum, quid fructuum terra vnquam fert, quod *ſuperficies terræ* non ferat? Neminem autem prætereat latens Richardi acumen, quo plus ſignificat, quàm dicit: *Superficies terræ, id eſt dignitas terræ Virgo Maria.* Vel Mariæ extima *ſuperficies*, & quæ omnium oculis obuiè patet, eius aſpectabi- Eſther 2. v. 15. lis *dignitas* eſt. O qualis, quantaque erit Deiparę *dignitas*, quæ nō in *ſuperficie*, ſed in adytis Mariani cordis & animi, animitùs ac medullitùs explorandum Angelis & hominibus, atque ſummo Deo obiicit contemplandum. Ideò forſan figuratæ etiam Eſtheris *pulchritudo incredibilis* appellatur.

## §. CCCXC.

### *Materia præcedentis Paragraphi, eadem methodo productiùs ampliatur.*

LVcæ 1. pudoris votiuo ſtudio Virginis Dei- 1. Lucæ 1.v.35. paræ reſpondet Angelus: *Spiritus-ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideóque & quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei.* *Spiritus-ſanctus eſt velut vmbra animæ Virginis Deiparæ.* Nempe vt Dei Filium, & verum Deum Virgo concipiat, & pariat illibato pudore, illi Spiritus-ſancti *vmbra* promittitur. Multa litterales ac ethici Expoſitores in hâc Mariæ vmbrâ vident: nec vlli adhuc in mentem venit, quòd agatur de Mariani corporis vmbrâ. Quid ſi forſan agitur de myſticâ animæ vmbrâ? Porrò ſicut corpus habet ſuam naturalem vmbram; ſic & anima ſuam etiam myſticam habere vmbram perhibetur. Qua ſuper re ſic philoſophatur Baſilius homil. 7. *Sicut Vmbra corpus, ſic peccatum animam ſequitur, geſtorum imaginem referens.* Itaque peccatum in hominibus eſt velut animæ vmbra, referens improbitatum imaginem. Vide ergo Marianæ animæ vmbram. Nimirùm cùm Deipara caruerit omni peccato actuali, & originali, hac peccati vmbra, quæ naturaliter animam ſequitur caruerit neceſſe eſt. Exindè præluſtrem animæ vmbram Virgini Deiparæ Angelus pollicetur, quò digna Dei Mater efficiatur, nēpè Spiritum-ſanctum, aiens: *Spiritus-ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* ac ſi Spiritus-ſanctus Marianæ animæ vmbra ſit. Nam ſicut vmbra corpus, ſic (dum iam iam Deo plena eſt) Spiritus-ſanctus Deiparæ animam ſequitur. O arcanè præluſtrem animæ Marianæ vmbram! Tam arcto amoris nexu, & arcana ſequela Spiritus-ſanctus velut Mariæ vmbra, illam ſequitur? Sic Spiritus-ſāctus in donis ſuis elucet, vt geſtorum Mariæ imaginem referant? ô grande Virginis elogium? Peccata in reliquis ſunt animæ vmbra, Deiparæ verò (quæ Spiritu-ſancto *obumbratur*) Spiritus-ſanctus velut animæ vmbra eſt. Eſther. 2. v. 11. Quid hac vmbra illuſtrius? *Incredibili pulchritudine* nitet, cuiùs vmbra Spiritus-ſanctus perhibetur.

2. Lucæ 2. v. 51. Lucæ 2. Ieſus duodennis toto abeſt triduo: tandem inuenitur in templo, & illud numine im- *Infans Deus cui ad nutum Angeli parent, ſub Mariæ arbitrio verſatur.* plens, & Doctores de cælo erudiens. Mater de inopinata eius abſentia beneuolè queritur: *Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth: & erat ſubditus illis.* Quis? quibus? Hominibus Deus, Deus inquam. Non tantùm ſubditus erat Mariæ tanquam Matri, ſed Ioſepho etiam propter Mariam, quò ſubiectionē Matri debitam (vt vt poſſet) amplificaret. Nimirùm Deus, cui Angeli obſequuntur, cui Principatus, & Poteſtates ſubditi ſunt, ſubditus erat Mariæ: *Ergò* (ait S. Ildefonſus) S. Ildef. Ser. 1. de Aſſūpt. *qui cuncta paſcit, cæleſtia, & terreſtria ſimul regit, hunc ſanctiſſima Virgo lacte carnis aluit, & nutriuit. ad cuius deindè nutum vniuerſi reguntur, ſub eius, diſciplina, vel arbitrio infans Deus verſatur.* O Marianæ poteſtatis miraculum! Cui cælorum Proceres humili obſequio *ad nutum* obediunt, & de accepta iuſſione ſibi adulantiùs gratulantur; *infans* Mariæ eſt *ſub eius arbitrio* obſequenter verſatur? ô dignitatis, ac potentiæ miraculum! Sub *arbitrio* Mariæ Deus? ô quàm multa

multa quàm paucis Ildefonſus compendiauit, quæ Deiparæ dignitatem, ac potentiam ſublimiſſimè extollunt. Vide in tota hâc Hiſtoriâ Aſſuerum regem typicæ Eſtheri ad nutum obſequentem, ac ſi *ſub eius arbitrio verſaretur*. Esther. c. 7. & 8.

3. Pſalmo 118. ſic occinit regius Pſaltes: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes; ſed non, vt lex tua.* Fabulones appellat Gentilium poëtas, qui ſuorum numinum myſteria vaniſſimis eloquenter fabulis ac figmentis commiſcent, & arcanè adumbrant. Conſtat autem fabulas non paucas è veris quoque ſacris hiſtoriis originem duxiſſe, vt tradunt præter Nazianzenum, Clemens Alexandrinus, Origenes, Iuſtinus, Tertullianus, Hieronymus, Auguſtinus, & Iulius Firmicus apud Lorinum ibidem. Ait igitur Dauid: Narrauerunt mihi iniqui *fabulationes*, hoc eſt, fabulas, & figmenta poëtarum, *ſed non, vt lex tua.* Nempe figmenta illa non ſunt vt lex tua, nec iuxta illam: longè enim inferiora ſunt, quæ illi fictè præcantur, quàm ea, quæ in vera tuæ religionis ac fidei œconomia continentur. Minus eſt quod de ſuis Heroibus antiquitas finxit, quàm quod Chriſtus in myſterio Virginis geſſit, mendacioque eſt ambitioſo eloquentiæ mendacio ſimplex veritatis fides. Præ rei magnitudine vltra humanum faſtum ſublimi, fabuloſum forſan figmentum quibuſdam videbitur, ſed ſimpliciſſima, ipſâque meraciſſima veritas eſt. Tempeſtiuè Andreas Ieroſolymitanus, Serm. in ſalut. Angelica, ſic Deiparam ſaluta: *Salue ſancta Virginalis tellus, ex qua nouus Adam ineffabili fictione formatus eſt.* Hoc modo loquendi Ethnicos in Apologetico alloquens ironicè vtitur Tertullianus, dum diuinæ corporationis myſterium in Virginis vtero inducit: *Accipite hanc fabulam, ſimilis eſt veſtris*, & poſtmodum: *Ecquis ille Chriſtus cum ſua fabula?* Ecce tibi dum Mariæ meracior Virginitas Deum concipit, parit Deum, quaſi poëtarum *fabulatio, fabula*, ſeu *fictio* nominatur: non quia non ſit ipſiſſima fidei veritas; ſed quia Virginis myſterium tam excelſo faſtigio excelſit, vt præ auguſtâ rei ſublimitate, libera audaciaque *fabulationum figmenta* æmulari videatur. Imò ipſa Poëtarum figmenta, (vt nuper ex Nazianzeno retulimus) Virginis Sacramentum æmulantur. Maior enim eſt ambitioſo fabulationum mendacio ſimplex veritatis fides. Exinde *Virginalis telluris ineffabili fictione* nouum Adam, id eſt, Chriſtum Deum formaſſe perhibetur. (Scio quid *fictio* apud Græcum auctorem ſignificet: ſic tamen iuuat ethicè velitari) Ideò ne *incredibilis pulchritudo* Eſtheris dicitur?

Psal. 118. v. 85.

Andr. Ieroſ.

Tertull. in Apol. c. 21. & 23.

Esther. 2. v. 15.

4. Siracides Eccleſiaſtici 24. ſic de ſe loquentem inducit diuinam Sapientiam; & myſticè Beatam Virginem: *In me gratia omnis viæ & veritatis: in me ſpes omnis vitæ & virtutis.* Pro Te *virtutis*, Tigurina exscribit *præſidij*; alij *vigoris* & *roboris*; & quidem ſignificantiùs, & Hæbrææ origini conformiùs. Nam, vt ibidem adnotauit Cornelius, *virtus* in hoc loco pro *fortitudine* ſumitur, quaſi omnem ſpem noſtræ *virtutis, vigoris, fortitudinis, roboris* Deipara fundet. Audiendus eſt Richardus à S. Laurentio lib. 8. de Laud. B. Mariæ, qui ad eam præſcriptum locum ita flectit: *Maria terra, quia omne ædificium in terra fundatur: ſic quicquid boni facere volumus, in ipſa fundare debemus per fidem Incarnationis, cuius fuit miniſtra, & eorum, quæ ad ipſam pertinent. Vnde ipſa dicit: In me omnis ſpes vitæ, & virtutis.* O quiſquis in terra fundare cupit ædificium, quod culmine cælum pertingat; illud fundet in Mariâ, quæ terra eſt: *omne autem ædificium in terra fundatur.* Itaque huius celſiſſimæ fabricæ fundamentum, per fidem incarnationis in vtero virgineo, in Mariâ collocandum eſt; ipſa enim eſt huiuſmodi ædificij *virtus, fortitudo, robur, vigor.* Qui in hâc terrâ cæleſte ædificium non fundat, non ædificat, ſed deſtruit. Exinde cùm de Amani hoſtilitate iam tam corruit domus Iacob, hoc eſt, Dei populus, omnis poſt Deum, incolumitatis ſpes, & ſtabilitatis firmamentum in Eſthere typicè fundatur.

Eccli. 24. v. 25.

Tigurina.

Cornelius.

Tranſlationes variæ.

*Deipara eſt terrâ, in quâ vniuerſum cæleſte ædificium fundari debet.*

Esther. 4.

5. Iſaiæ 6. *Vidi*, inquit, *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum. Quia* (ait S. Bernardinus) *immobiliter requieuit ſuper Virginem glorioſam Mariam, excelſum quidem, & eleuatum ratione dignitatis lauſſima.* Et S. Epiphanius in Serm. de laudibus Deiparæ ita de hoc Dei throno ſcribit: *Deipara etiam cælorum Virtutes in ſtuporem conuertit: obſtupuerunt omnes Angeli, Cherubim, ac Seraphim, & exhorreſcebant: ſpectabant Virginem, cælum, & thronum & formidabant dum aſpicerent eum, qui principio caret, deſcendentem à throno Cherubico, in vtero Virgineo ſedere.* Quomodò autem Deus in præcelſo Mariæ vteri throno *immobiliter* ſedere dicatur, alibi forſan expendemus: neque enim delibatum perſtringere licet ſententiam acuminum grauidam. Sed quid Deum in hoc throno *immobiliter* ſedentem *formidant* Angeli, & virtutes cælorum *perhorreſcunt*; Appoſitè Ildefonſus Serm. de Part. & Purif. *Vexilla virtutis in Maria effulſerunt, in qua tota maieſtas Deitatis verſatur.* Sanè emphaticè dicitur, quòd in Virgineo Deiparæ vtero, tanquam in auguſtiori ſolio *tota maieſtas Deitatis* verſatur. An non *tota Deitatis maieſtas* apparet in cælo, in empyreo ac Cherubico ſolio? An non etiam in poſtrema Iudicij die cùm apparebit *ſuper ſedem maieſtatis ſuæ*? An in thronis reliquis apparet Dei maieſtas; & in Mariani vteri ſolio, *tota Deitatis maieſtas* nuncupatim apparet? Sic planè *totam Deitatis maieſtatem* Deus in Deipara oſtentat; Altè quidem Ildefonſus, quo ſolet pietatis, & ingenij acumine.

Iſaiæ 6. v. 1.

B. Bernardin. tom. 3. Conc. 11. art. 3. cap. 1.

S. Epiphan.

Esther. 15. v. 9.

*Totam Deitatis maieſtatem Deus in Deipara oſtentat velut in ſolio.*

S. Ildefonſ.

Matth. 25. v. 31.

6. Habacuc 3. *Sol, & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo.* Quæ verba ita exscribunt Lxx. Interpretes: *Eleuatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo.* Sicut *Solis* nomine Chriſtus allegoricè intelligitur, ſic & *Lunæ* vocabulo Beata Deipara donatur. In eo Sol cum Chriſto, & cum Virgine Maria Luna conueniunt, quòd vt à Sole Luna, ſic à Chriſto lumen accipit Maria. In eo tamen differunt, quòd Chriſtus tanquam iuſtitiæ Sol, *leuatus* eſt, vt cum ſit homo, Deus etiam ſit. At licet Luna de ſe, ad diuerſum Solis aſpectum, fulgorum varietatem ſuſcipere ſoleat, quaſi grande miraculum notatur, quòd hæc *Luna ſtetit in ordine ſuo*, ac ſi mutationibus non eſſet obnoxia. Inde forſan Chriſtus Deus *immobiliter* in ea eſſe, nuper ex S. Bernardino notabamus. *In ordine ſuo ſtat* velut *immobilis*, neque incrementis notabilis; ſpecietenus virtutes habebat cum ceteris communes, animitus autem celſiſſimè ſingulares: *Ceteras quoque virtutes* (ait Bernardus) *ſingulares quoque inuenies in Maria, quæ videbantur eſſe communes.* Scilicet Mariæ virtutes, quæ vulgo ſpectatorum *videbantur eſſe communes*, medullitùs in ſacræ mentis penetralibus, tanquam *ſingulares* eminebant. Si quæ foris apparent, aſpicias, hæc *Luna ſtabat in ordine ſuo*, nec extraordinarijs exorbita-

Habac. 3 v. 11.

Lxx. interpr.

*Quo pacto Deipara dicatur immobilis.*

S. Bern. Seq. ſuprà.

S. Bern. Ser. 4. de Aſſūpt.

*Singulares virtutes naturæ & gratiæ in Deiparâ videbantur eſſe communes.*



TTt 2 bat

bat virtutibus : at ſub *communi* formâ viuendi, nil niſi inſigniter *ſingulare* in ſacrario Mariani pectoris eminebat. Adeò vt virtutes, quæ ceteris *cōmunes* videbantur, latēter *ſingulares* in Deiparâ forent. Pergit idem Bernardus Serm. de Aquæd. *Pura ſiquidē humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, ſed pura ſingularitate naturæ.* Nimirùm Virgo Maria pura creatura fuit, & de faſtigio diuinæ maternitatis, etſi confinis Deo, vltra puræ creaturæ faſtigiū non excelluit, at Virgo & Mater; Mulier, & Mater Dei, etſi *naturæ ſingularitate* excelleret ſupra reliquas creaturas præcelsè ſublimis; adhuc *ſtetit in ordine ſuo*; & *ſingulares* etiam virtutes in eâ videbantur eſſe *communes*. qui eſt pius humilitatis faſtus, & conſummatæ perfectionis meta. Quid ergò mirum, ſi hęc ſtudioſiùs abſconſa virtutum *pulchritudo, incredibilis* in Eſthere apud aliquos videre-
Eſther 2. v. 15. tur.

7. Eſther 15. v. 14 Eſther 15. ſic blandè rex Aſſuerus Eſtherem alloquitur : ego ſum frater tuus : *Accede igitur, & tāge ſceptrum.* Putâ ne benè regium *ſceptrum* ponitur in manu mulieris? Profectò non bona mulier benè ab Anaſtaſio appellatur *ſceptrum inferorum.* At Aſſuerus Deum adumbrans, in manum Eſtheris *ſceptrum* collocat; dicitur enim à Cyrillo Alexandrino Eſther figurata, Deipara inquam, *Rectæ fidei ſceptrum, & norma.* Rectè ergò *ſceptrum* in Eſtheris manus inſeritur, quò impreſsè præmonſtret ſceptriferam regiè Deiparam, quæ rectæ & Orthodoxæ fidei *ſceptrum* geſtat imperiali manu. quò typus antitypum præclariùs adumbret. Quare autem Deipara dicatur, *Fidei norma*, alibi forſan expeditur.

Anaſt. q. 60. *Vtraque Eſther ſceptrum in manu geſtat.* S. Cyrill. ho. 6. contra Neſtor.

---

## §. CCCXCI.

### *Adhuc eadem ſeruata methodo, Deiparæ laudes perſtrictim delibantur.*

1. Lucæ 2. v. 51. LVcæ 2. induxerat Euangeliſta duodennem Ieſum in templo audientem Doctores, & interrogantem illos: & poſtquam arcanum ad Mariam reſponſum notanter ſcripſerat, conſultiſſimè addit: *Et Mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo.* Itaque Beata Virgo verba omnia, quæ vel à puero Ieſu audiebat, & diligentiùs ſcrutanda, & attentiùs ruminanda in corde ſuo recondebat. Quâ de re Græcus apud Catenam, ſic profundè ſcribit: *Mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo. Non enim ei vt puero, neque vt viro, ſed vt Deo vacabat: & illius vo[ces] diuinas, & opera reputabat, idcircò nil ex dictis aut actis ab eo incaſſum illi patebat:* (Attentiùs penſita quæ ſubtexit verba) *Sed ſicut ipſum Verbum prius viſceribus, ita nunc eiuſdem modos & dicta concipiebat, & in corde ſuo quodammodò fouebat.* Idem pene eiſdem verbis docet Geometra in Catenâ Græcâ ad Lucæ cap. 2. *Mater, inquit, conſeruabat omnia verba in corde ſuo, nihil illi dictorum eius, aut actionum excidebat: ſed ſicut ipſum Verbum prius in viſceribus; ita nunc eiuſdem ſermones, ac mores, omnēſque inſtitutiones concipiebat, & in corde ſuo quodammodo fouebat.* Nimirùm Beata Deipara diuinum Verbum ſuis viſceribus concepit, & vtero ac gremio fouit, ſic quodammodò eiuſdem corporati Verbi *ſermones*, doctrinam, actiones, & *mores* animo *cōcipiebat*, actione ſuâ *fouebat*; & egregia operatrix, auditu & viſu *in corde ſuo conſpiebat*, atque opere ipſo feliciter parturiebat. O bene! Sermones, & mores Filij ſui adhuc Deipara in corde ſuo *concipit*, attentâ animi conſideratione *fouet*, & opere parturit? Chriſti etiam *ſermones*, doctrina, ac *mores*, generoſam Deiparæ filiationem piè exambiunt? Ac ſi parum eſſet, quod ipſe Chriſtus Deus eſſet verus Mariæ Filius; eius quoque *ſermones*, ac *mores* cupiunt in eius corde *concipi, foueri*, & ex eâ quodammodò naſci; quò Deipara Virgo non ſolum ſit Chriſti Dei Mater, ſed eius *ſermonum ac morum* (vt vt poteſt) Mater exſtat? Quid luculentius? Quàm ſtudioſe fouerit Eſther Eſther 14.
Dei Sermones, latè traditur toto cap. 14.

Græcus apud Caten. S. Thom.

Geometra. *Num Chriſti ſermones ac mores, à Mariâ concipi, ex eaque etiam naſci, piè ambiunt?*

2. Ioannis 19. Ieſus cruci affixus, & morti proximus, cùm vidiſſet Matrem, ac Diſcipulum ſtantes Ioann. 19. v. 26. & 27. iuxta crucem, *Dicit Matri ſuæ: Mulier ecce filius tuus. Deindè dicit Diſcipulo: Ecce Mater tua.* Ethici ac litterales Interpretes multa ſubtiliter diſputant ſuper hâc nouâ Deiparæ maternitate, & Ioannis filiatione; & velut arcanum quoddam maternitatis ac filiationis ſacramentum, operatorio Chriſti Dei ſermone quodammodò celebratum, ingeniantur. Belliſſimè Galfridus apud Tilm. in Alleg. *Quodammodo Ioannes Virginis Matris in virginitate filius fuit: cuius illa ſi non carnem, carnis tamen integritatem edidit, & illum, ſi non hominem tamen virginem generauit. Ceterùm quam multos hodie parit ſanctiſſima illa, fœcundiſſimaque virginitas. Quàm ſe ex eiuſmodi generatio, fœcunda, & incorrupta poſt ruas* Videlicet quaſi parùm foret, quòd Virgo Maria Chriſtum Deum illibata conciperet, intemerata pareret, (monſtrum ſanè eſt puerpera virgo) eius etiā virginitas fœcunda eſt, & virgines edit. Deiparæ enim dicitur, *Ecce filius tuus*; & pariter Ioanni, *Ecce Mater tua*: nam etſi Virgo Maria, non Ioannis carnem, carnis tamen integritatem edidit; & illum non hominem, ſed arcana fœcunditate *virginem generauit*. Exindè licet non Ioannes homo, tamē Ioannes virgo, felix Mariæ Virginis proles eſt, & Marianæ virginitatis generoſa ſoboles, quæ Chriſti Dei ore, Deiparæ filius nuncupatur. *Mulier*, inquit, *ecce filius tuus.* Sic eſt Mariæ virginitas virginitatis fœcunda, & incorruptæ ſobolis abundè fertilis!

Galfridus. *Virgo Maria Ioannem, etſi non hominem, tamen virginem generauit.*

3. Lucæ 1. ſecundum Angeli verbum, Verbum diuinum ſaluo pudore Maria Virgo concepit. Lucæ 1. v. 39. *Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum feſtinatione, in ciuitatem Iuda.* Et intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth. Et factum eſt vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans Ioannes in vtero eius, & repleta eſt Spiritu-ſancto Eliſabeth, &c. Quare modeſtiſſima Virgo *cum feſtinatione* pertrexiſſe notanter ſcribitur? Nónne inceſſu grauis, à S. Ambroſio deſcribitur? Poſtquam Virgo concepit, & mirabili conceptione virginitatem amplificauit, quare ſic properanter feſtinat? Ieremię 48. *Date florem Moab, quia florens egredietur.* Notiſſimum virginitatis hieroglyphicum *flos* eſt (quod probare piget, & pudet) ergò dum *flores* geminat, virginitatis *florem* figurate amplificat. Verùm præſcripta verba ſic Lxx. Interpretes vertunt! *Date ſigna Moab*: Syrus & Arabicus: *Date coronam Moab*. Opportuniùs tamen Pagninus, Vatablus: *Date alam Moab, quia volando volabit.* Alij, *Date alas Moab, quia volando exibit.* Nimirùm ſententiosè hos geminatæ Virginitatis *flores*

*B. Virgo de Virginitatis flore alas aſſumit, vt citius Ioannem ſanctificet.* Ierem. 48. v. 9. Lxx interpr. Syrus. Arabicus. Pagninus. Vatablus.

*flores* appellat *alas*, quibus ocyſſimè *volat*: exinde vbi primum Beata Virgo efficitur Mater Dei, confeſtim quaſi geminas *alas* de geminatâ virginitate aſſumpſiſſet, abiit *cum feſtinatione*. O quam *feſtinat*, qui *alas* aſſumit! ô quàm tempeſtiue virginitatis geminatus *flos*, in geminas refingitur *alas*, vt *cum feſtinatione* Ioannem emaculet, & in matris vtero ſanctitate *coronet*. *Date alas* Virgini Deiparæ, *quia volando exibit*: exindè *abiit cum feſtinatione*. Quàm feſtinauerit Eſther populo Dei auxiliaris, habetur cap. 8. v. 10.

Eſther 8. v. 10.

4. Lucæ 1. tandem Virgo Deipara Angelo annuit: quâ annuente *Verbum caro factum eſt*, de eius puriſſimis viſceribus. Dixit enim Maria ad Angelum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundũ verbum tuum.* Ad *Virginem* mittitur Angelus, virginem Matrẽ Deus cupit; & tota negotij ſeculorum cunctatio pro re, & voto virginitatis fuit. Aſt dum Virginis humili expectato conſenſu, myſterium Incarnationis peragitur, non tam Deiparæ virginitate, quàm humilitate conſummari videtur. Vnde illud Expoſitorum dogma: *Virginitate placuit, humilitate concepit*: concepit enim cùm dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Magni quidem à Deo æſtimatur Deiparæ virginitas, eiuſdem autem Humilitas maiori æſtimationis cenſu apud Deum forſan habetur. Quòd acute his verbis Paſchaſius Radbertus adnotauit: *Virginem ſacram ſuo ſibi gratuito* (Dei filius) *munere facit, à quo ideò nullis præcedentibus virginitas ſacra datur meritis, vt illi ſemper gratiarum actio pura cordis humilitate reddatur.* Nimirùm Beata Deipara ideò virginitate floruit, vt dignâ partione Chriſtum Deum pareret: & etiam perpetuam *virginitatem* gratuito dono accepit, vt de tanto accepto munere *humilitatem* conciperet, conceptamque, gratitudinis arbitrio incrementaret. O qualis, quantáque fuit Virginis Deiparæ *humilitas*, cui mitior in Matre *virginitas* præſtat obſequium! Eſtheris humilitas in tantæ dignitatis faſtigio, ſatis apparet cap. 14. v. 16.

Lucæ 1. v. 38. *Deipara virginitas, eius humilitati præſtat obſequium.*

*Maria virginitas, eius gratitudinem fouet.*

Paſchaſ. in Pſal. 44.

Eſther 14. v. 16.

5. Ioannis 1. *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Apollinarius Leodicenſis in hoc verbo hæreſim fundauit: dicebat enim quòd Chriſtus animam rationalem non habuit, ſed tantùm carnem. Eodem etiam verbo ſubnititur Neſtorius: porrò ſicut mendacium de veritate, ſic hæreſis de Scriptura animari præſumit. Cur ergò non dicitur: Verbum homo factus eſt, quo tot hæreſes Euangeliſta iugularet? Appoſitè inibi Theophylactus: *Addiſcimus ergò per hoc quod dicitur, Verbum caro factum eſt, quia ipſum Verbum eſt homo; & Filius Dei exiſtens, factus eſt filius Mulieris, quæ principaliter Dei genitrix nuncupatur, tanquam Deum in carne genuerit.* Scilicet cùm Verbum diuinum Dei Filius, factus ſit Filius Deiparæ, *quæ principaliter Dei genitrix nuncupatur, tanquam Deum in carne genuerit*; quoniam ex eâ, non animam, ſed *carnem* accepit, in Virginis Deiparæ obſequium, *carnis* aſſumptæ Euangeliſta meminit, aiens: *Verbum caro factum eſt.* Huc, opinor, ſpectat illud Nyſſeni, ſerm. de ortu Chriſti: *ô beatam illam carnem, quæ propter inſignem puritatem bona ad ſe attraxit! in aliis enim omnibus vix anima pura ſancti Spiritus aduentum acceperit; hîc autem fit caro ſpiritus receptaculum.* Itaque cùm in aliis omnibus vix anima pura ſit, & à carnis contagio immunis, beata illa Beatæ Virginis caro, ex quâ ipſiſſimâ Verbi caro aſſumpta eſt, *propter inſignem puritatem* Verbum diuinum *ad ſe attraxit*; de qua carne ex Mariæ viſceribus acceptâ, ſic Filius Deus gloriatur, vt tametſi reapſe Verbum homo factum ſit, quia Mariæ caro illud *ad ſe attraxit*, in Deiparæ obſequium dicitur, *Verbum caro factum eſt*: quo omnibus innoteſcat quanto æſtimationis cenſu apud ipſum ſit carnem ex Virgine Deiparâ ad ſui corporationem mutuaſſe. Hinc de typicâ Eſthere dicitur: *Erat formoſa valdè, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratioſa & amabilis....: Et adamauit eam Rex plus quam omnes mulieres*, &c.

Ioan. 1. v. 14.

Theophyl. *Pura Deiparæ caro, Verbum diuinũ ex ſe corporandum ad ſe attraxit.*

S. Greg. Nyſſ. *Cùm dicitur Verbum caro factum eſt, carni Virginis velut adulatur Euangeliſta.*

Eſther 2. v. 15. & 17.

6. Pſalm. 102. ſic pangit Pſalmographus: *Qui replet in bonis deſiderium tuum, renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Quæ verba quidam exeribunt, *Reuocabitur iuuentus tua* quaſi in ſenio iuuentus reuocetur, & qui iam ſenuerat, exutâ ſenectute rurſus iuueneſcat. Alij legunt: *Renouabitur ſenectus tua*; ac ſi ſenecta annis marcida ad florem iuuentutis redeat; & qui ſenio incanuerat, pulchrâ iuuentâ iteratò vernet ac floreat. Et quo remedio immedicabilis ſenectutis morbus ſanabitur, aut *anni recurrantur*? (vt Tertullianus loquitur) Tempeſtiue Andreas Ieroſolymitanus: *Senio quaſi confectus mundus per Mariam peccatorum ſenectam exuit.* Nempè per Mariam anni recurrantur, renouatur in ſenectute iuuentus, & ſenecta ad nitorem & vigorem iuuentutis refloreſcit redintegrato ætatis robore, dum *ſenio confectus mundus per Mariam ſenectam exuit.* Hoc fuit negotium omnium retrò ſeculorum, vt Deiparæ ortu, & optatiſſimo Virginis myſterio, vetuſtum ſenium exuerent, & nouâ recenter induta facie, viuido gratiæ vigore iuueneſcerent, vernarent, reflorerent, auræ ætatis pulchrâ iuuentute. Per Eſtherem etiam *omnis ciuitas exultauit, atque lætata eſt. Iudæis autem noua lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, atque tripudium*, &c. dum Dei populus ortu rediuiuo refloreſcit.

Pſ. 102. v. 5. Tranſlationes variæ apud Lorin.

*Senio confectus mũdus, per Mariam exuens ſenectã, pulchrè iuueneſcit.*

Tertull. l. de Pallio.

Andr. Ieroſ.

Eſther 8. v. 16.

7. Beatus Iob cap. 19. ſic conqueritur: *Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum.* Non morabor nunc litteraliſſimos Interpretes, qui hunc Iobi morbum medicè potiùs, quàm ethicè verſant. At in Hebræo nunc ſimpliciùs & breuiùs: *In pelle meâ, & in carne meâ adhæſit os meum.* Ita vt dicat, non aliam eſſe carnem, quàm pellem: nam vniuerſa caro iam extabuerat, in ſolam pellem redacta. Verùm Albertus Magnus ſic præſcriptum locum allegoricè exponit: *Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum: conſumptis enim carnibus, hoc eſt, mollibus Diſcipulorum cordibus per dubitationem, adhæſit os meum, ſolidum cor Virginis glorioſæ pelli extenſæ in cruce per fidem.* Benè eſt: Diſcipulorum corda in Chriſti paſſione per dubitationem, dicantur molliſſima, & inde penè conſumpta; at Virginis Deiparæ cor fide ſolidum, Chriſti *oſſa* profundè nominantur, quæ Filij ſui *pelli extentæ* in crucis patibulo, fide, compaſſione, amore firmiter adhæſerunt. Alibi ſæpè legimus Virginem Deiparam, dici Filij ſui, Chriſtus Dei inquam, *cor, animam*, &c. At illius velut *oſſa* myſticè appellari, grande quidem elogium eſt, & conceptuum inſigniter grauidum. Multa enim, ipſáque præluſtria ſub hâc allegoriâ deliteſcunt.

Iob 19. v. 20.

Hebræus.

*Chriſti Dei oſſa, Virgo Deipara iuxta crucẽ nuncupatur.*

Albert. Mag. in Lucæ c. 1.

***

## §. CCCXCII.

### *Sub eadem adhuc methodo, Deiparæ ſaltuatim perſtrictæ laudes.*

1. Eccli.24.v.23. Græcus Tigurina. SIracides Eccleſiaſtici 24. *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris.* (Fragránſne florum odor fructus eſt pulchræ vberrimè vitis?) *Et flores mei fructus honoris & honeſtatis.* Græca Romana: *Ego ſimilis ſum viti germinanti gratiam, & flores mei fructus ſunt gloriæ.* Tigurina autem legunt: *ego quaſi vitis odorem emiſi gratiam, & flores mei fructus gloria ſunt.* Zachar.9. *Deiparæ virginitas, & Dei, & bonorum operum fœcunda eſt.* Marianæ vitis flos, virginitatis flos eſt: nam & virginitas vulgò appellatur flos, & huius vitis vinum, virgines germinare perhibetur. Arcanè verò Marianæ vitis virgineus flos, *fructus odoræ gratiæ & gloriæ* dicuntur: nam Deiparæ illibata ſimul & fœcunda virginitas fuit: non tantùm quia Virginitatis flos Deum fœcundè germinauit, ſed quoniam bonorum operum abundè fertilis fuit, S.Antonius. & vbertim fœcunda. Sententiosè S. Antonius de Padua Serm. in Dominicâ 5. poſt Paſcha: *Animæ*, inquit, *Virginitas eſt fides per dilectionem operans, animam incorruptam conſeruans.* O benè! *Mariæ opera ab eius virginitate naſci generosè ambiunt.* Mariæ Deiparæ virginei flores, ſunt *fructus odoræ gratiæ, & gloriæ*: nam in Deipara virginitatis flos, non tantùm Deum germinat arcana fœcunditate; ſed ipſamet eiuſdem virginitas, odoræ *gratiæ*, & empyreæ *gloriæ*, id eſt, bonorum omnium operatrix eſt, & virtutum, ſanctitatum, ac beatitudinum matrix incorruptè fertilis. Scilicet parùm Marianæ virginitati foret, quòd Dei fertilis eſſet, niſi eſſet etiam bonorum operum copioſè fœcunda. Quaſi Deiparæ etiam opera, ab eius virginitate, è quâ Verbum Deus naſcitur, naſci quoque exambiant: quò ipſa Virginitas Deo fœcunda, fœcunda etiam operum, eadem opera generosè nobilitet *Anima Virginitas eſt fides per dilectionem operans, animam incorruptam conſeruans.* exindè Sancta Deipara de ſuæ Virginitatis flore ait: *Ego quaſi vitis odoram emiſi gratiam, & flores mei fructus gloriæ ſunt*: generoſa enim operum gloria eſt, ex Deiparæ virginitate nobiliter naſci, eâdemque cum Deo Matre quodam- Eſther.2.v.15. modò cenſeri. Hæc forſan eſt Eſtheris *incredibilis pulchritudo.*

2. Ad Philipp.2.v.6. Ad Philippenſes 2. ita Gentium Doctor ſcribit: Hoc enim ſentire in vobis quod & in Chriſto Ieſu: *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*: ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Satis idoneè corporatum etiam Verbum à *rapina* diuinitatis defenditur: nam Ioann.1 v.1. etiam poſt Incarnationem idem eſt, quod *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ergo *rapina* Diuinitatis aliena eſt à diuina perſona Verbi. Sed forſan Spiritus-ſancti diuinæ perſonæ, alia quodammodò *rapina* non ſic incongruit, nec ab eo peregrina- Petr.Dam. tur. Petrus Damianus Serm. de Annunciat. ſic de *Spiritum-ſanctus B. Virginem ſibi totâ rapturus erat.* Virgine Deipara ſcribit: *A Deo electam, & præelectam totam eam rapturus erat ſibi Spiritus-ſanctus.* An velut *rapina* imputatur, quòd Virginem Mariam, quæ eſt Dei Patris filia, Filij Dei Mater, Angelorum Regina, mortalium ſpes, peccatorum aſylum, Spiritus-ſanctus *totam* vindicet ſibi? Videamus autem an illa ipſa, quam *totam ſibi rapuiſſe Spiritus-ſanctus dicitur*, aliùs piè ſublimiter *rapinæ* alicubi arguatur. Quâ ſuper re ſic S. Bernardinus Senenſ. philoſophatur: *Per noctem contemplationis ſuperſplendentem caliginem intellige, in quâ nocte hæc Virgo ſurrexit & apice affectionis in æterna ſe ſuſtulit. Verbum de ſinu Patris rapuit, omnique creaturæ ſuum auctorem, & Principem reſtituit.* S.Bern. to.3. ſer.5.art.2. c.1. Itaque corporatum Verbum non *rapinam* arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: at Virgo Deipara, quam *totam Spiritus ſanctus ſibi rapuiſſe*, perhibetur, piâ diuinæ Maternitatis audaciâ, ſic præcelsè ſublimata eſt, vt Deum *verbum de ſinu Patris rapuerit omnique creaturæ ſuum auctorem, & principem reſtituerit.* O bona *rapina*, quæ Deum Verbum ſic conuiſcerat ſibi, non vt ſoli ſibi auarè vſurpet, ſed vt creaturis ſuum Auctorem, & hominibus ſuum Principem munificè *reſtituat*! quaſi Deus ex quo tempore in almo Deiparæ vtero homo factus eſt iam non tam donari, quàm *reſtitui* dicatur: ſiquidem omnium *auctor* ſuis creaturis, omnium *Princeps* ſuis populis condonatur. *B. Deipara Verbum de ſinu Patris rapuiſſe, dicitur, & quare.* Sic Eſther ob *incredibilem pulchritudinem* gratioſa Aſſuerum de regio ſolio ad ſe *rapuit*, & *Principem* æquum populo Dei *reſtituit.* Eſther.2.v.15.&c.15.v.11.

3. Matth.1.v.20. Matthæi 1. mœſtitudine zelotypiæ Ioſephus angitur, dum ſponſam Virginem animaduertit grauidam. Hæc autem eo cogitante: Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens: Ioſeph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam: *quod enim in ea natum eſt, de Spiritu-ſancto eſt.* Nimirùm quæ nuper ab ipſo Ioſepho inuenta eſt *in vtero habens de Spiritu-ſancto*; de illa ipſâ nunc Angelus publicat, *Quod in ea natum* (hoc eſt genitum, ſeu conceptum) *eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Sed quid eſt quòd *de Spiritu-ſancto* conceptus, ſeu genitus, ſiue natus in vtero Virginis Chriſtus Deus perhibetur? Strabus ibi. Strabus Fuldenſis in Gloſſâ exponens illud, *In ea natum eſt, de Spiritu-ſancto eſt*, voculas *in*, atque *de*, ſic interpretatur: *In ea natum eſt, &c. De ea naſci, eſt in lucem produci: in ea vero naſci, eſt concipi.* Itaque Chriſtus Deus, quà homo eſt, *in ea* concipi, ſeu generari, ſeu naſci dicitur, etiam ante exteriorem *de* vtero natiuitatem, poſt nouem menſes peractam. An Chriſtus Deus, etiã quà Deus? & æterni Patris Filius æternus, *in ea*, id eſt, in eius vtero generatur? S.Bernardinus Senenſis hâc ſuper re ſic ſapienter ſcribit: *Reperio in Rege noſtro Ieſu duas digniſſimas dignitates, videlicet quòd ſit æternus Deus genitus ab æterno, & æternum Deum producat, eò quòd Spiritum-ſanctum ſpiret; & ipſe clauſus in Virgineo vtero in æternitate à Deo Patre generabatur æternus, & in eadem æternitate idem ipſe Puer in ventre Matris Deum ſpirabat, & producebat.* S.Bern. to.1. ſer.61.c.8. *In Virginis vtero Chriſtus concipitur, in eodem à Patre naſcitur, & in eodem Spiritus-ſanctus ſpiratur, & quo ſenſu.* Scitè quidem Bernardinus, & de arcanæ Theologiæ adytis, Virginis Deiparæ vterum auguſtè ſublimat. Nempè Chriſtus Deus quâ homo eſt, tunc *in eâ* natus dicitur *de Spiritu-ſancto.* Quin & tunc, tunc etiam *in Virgineo vtero* quà Deus eſt, *à Deo Patre generabatur æternus* Filius. Itaque Chriſtus Deus quà homo, ex eius viſceribus genitus, *in ea* generatus fuit: item quà Deus, & æternus æterni Patris Filius, tunc etiam *in ea* generabatur. Neque duntaxat, (licet diuerſimodè) hæc duplex generatio in Deiparæ vtero arcanè peragitur; ſed etiam in eodẽ Virginis vtero Ieſus clauſus Spiritum-ſanctũ

producebat:

producebat: *Idem ipſe Puer in ventre Matris Deum ſpirabat.* O præcellum Mariani vteri Sacramentum! ô ineffabile myſterium Virginis! In vtero Mariæ Chriſtus Deus generatur: ex eodem, & in eodem vtero, à Matre generatur, quà homo eſt: in eodem vtero à Deo Patre generatur, quà Deus eſt, & Dei Filius, verus ſẽper Deus ex Deo vero. In eodem etiam vtero *idem ipſe puer Deum* (Spiritum-ſanctum) *ſpirabat, & producebat.* O virgineum Mariæ vterum ineffabile myſteriorum Deitatis ſacrarium! Ex ipsâ, & in ipsâ Chriſtus Deus de Spiritu-ſancto concipitur: in ipsâ Dei Filius à Patre Deo generatur: in ipsâ etiam à Puero Deo eius Filio, Spiritus-ſanctus ſpiratur, & producitur. Ex ipsâ Deus quà Deus eſt, produci non potuit: potuit tamen Filius, quà Deus eſt, à Patre Deo in ipsâ generari; & Spiritus-ſanctus etiam quà Deus eſt, à Filio Deo in ipsâ ſpirari, atque produci. An forſan indè tantâ gratiæ officioſitate Myſterio Virginis Spiritus-ſanctus adfuit? Spiritus-ſanctus eam *obumbrat*: Inuenta eſt in vtero *habens de Spiritu-ſancto*: & quod in eâ natum eſt, *de Spiritu-ſancto eſt.* Hæc
Eſther. 2. v. 15. eſt figurata Eſther, *formoſa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium* trium perſonarum *oculis gratioſa & amabilis.*

4. Lucæ 1. ſummam legationis obit Angelus à Deo miſſus, cùm Mariæ Virgini enunciat: Ecce concipies, & paries Filium, & vocabis nomen eius Ieſum: *Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi*
Lucæ 1. v. 32. & 35. *vocabitur.* Et poſt paucula: *Quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Vulgaris hic & alibi ſæpè Interpretum addubitatio eſt, eccur de Chriſto Deo non dicatur, Erit Altiſſimi Filius: Erit Filius Dei; ſed quaſi prærogatiua foret in nomine, *Vocabitur Filius Dei*, ab Angelo perhibetur? An non Chriſtus Deus, qui verè eſt Deus verus de Deo vero, ſemper Deus eſt, Deíque Filius? neque enim Deus Verbum ob aſſumptam in tempore humanitatem in Virginis vtero, Deitatem, Deique æternam Filiationem deſueſcit. O magnum Virginis Deiparæ Myſterium! Scilicet adſpectu ad Patrem Deum, Deus Verbum Dei Patris naturalis Filius eſt: aſt ab Incarnatione ex vtero Matris Deiparæ, non rem diuinæ Filia-
B. Laurent. Iuſt. ſer. de Annunc. tionis, ſed nomen mutuatur. quod B. Laurentius Iuſtinianus & ſubtiliter vidit, & eloquenter ediſſerit: *Erit námque* ait, *quem paries, magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur. Erit planè magnus meritis, dignitate præcelſus, incomparabilis ſapientiæ ſanctitate conſpicuus, ita vt Filius vocetur*
Quo pacto Chriſtus Deus nomen Filij Dei, à B. Deiparâ mutuare poſſit? *Altiſſimi. Iſtud enim nouum nomen, recentemque dignitatem nequaquam ſortietur ex Patre, cùm ſit ille Filius coæternus, Deus de Deo, Verbumque incommutabiliter manens in Patre*: (Attentiùs penſita quæ ſubiicit verba) *ſed eidem tribuitur ex gratia per humanitatis naturam, quam ſumet ex te.* ô benè! Nimirùm corporatum Verbum Chriſtus Deus inquam, à Patre Deo per æternam generationem neceſſario habet, quòd ſit Filius Altiſſimi, id eſt, reipsâ verus Dei Filius: aſt quouſque carnem ſumpſit ex Virgine Deiparâ, eiúſque Filius & verè fuit, & verè ſic nominatus eſt, Dei Filius non appellabatur. Exindè rem diuinæ Filiationis à Patre Deo communicatam habet; auguſtum verò *Filij Dei* nomen adſpectu ad Patrem Deum, à Matre Virgine per myſterium Incarnationis ineffabiliter mutuauit. Nemo benè Catholicus ambigit, quòd Virgo Deipara eſt vera Dei Mater: ſed non eſt Mater Dei, quà eius Filius Deus eſt; ſic enim eius Filius Deus vnicè Patris Dei Filius eſt: nominatio autem *Filij Dei* etiam adſpectu ad Patrem Deum, Virgini Deiparæ per Incarnationem debetur: *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei. Iſtud enim nouum nomen nequaquam ſortitur à Patre, cùm ſit ille Filius coæternus, ſed eidem tribuitur ex gratia per humanitatis naturam, quam ſumet ex te*, ô Beata Deipara.

5. Lucæ 10. hæc Chriſti Dei verba leguntur:
Lucæ 10. v. 42. Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum eſt neceſſarium. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Græcum nomen μερὶς & Latinè *partis*, quo vſus eſt Euangeliſta, in ſacris Litteris *hereditatem* propriè
Pſ. 72. v. 26. Iob 20. v. 29. *partem* ſignificat, nempè tota *hereditas*, quæ cuique heredum obuenit, *pars* nominatur; in partes enim defuncti patris diſtribuenda *hereditas* diuidi ſolebat. Conueniebat hoc in Martham & Mariam (vt egregiè inibi notat Maldonatus) Nā
Maldonat. *Maria optimam partem, id eſt, Filij ſui diuinitatem elegit* & ſorores erant, & Chriſtum quaſi *hereditatem* ſuam diuidebant: altera eum in ipſo, altera extra ipſum quærebat. Maria natu minor, cuius erat eligere, *optimam elegit partem*, quia Chriſtum in ſemetipſo, non extra ipſum (ſicut Martha) elegit. Hic Euangeliſtæ locus, qui Mariæ Deiparæ ab Eccleſiâ accommodatur, forſan adludit ad verba
Eccli. 24. v. 16. illa Siracidis, Eccli. 24. Et radicaui in populo honorificato, *Et in parte Dei mei hereditas illius.* ac ſi vtraq; Dei *pars* ſit Virginis Deiparæ hereditas. Quæ eſt autem hæc Dei ſui *pars*, quam Deipara, tanquam ſuam hereditatem conſultiſſimè elegit? Profectò *partes* peregrinantur in Deo, qui naturâ ſuâ vniſſimus eſt, ſimpliciſſimus eſt. Quis eſt hic Deiparæ Deus cuius hereditas in *parte* Dei ſui eſt: & indè optimam partem elegiſſe perhibetur? Profundè quidem Honorius in ſigillo de B. Mariâ, titul. de Epiſtola, exponens præſcripta Eccleſiaſtici verba: *Et in parte Dei mei hereditas illius*, ita ad rem præſentem ſcribit? *Hereditas*
Honorius. *illius in parte Dei ſui, id eſt, Filij ſui diuinitate erit.* Benè Chriſtus Deus, Deus Deiparæ eſt, quia totus Filius eius eſt. (de quo aliàs copioſè) Et licèt Chriſtus Deus, humanitate, & diuinitate cōſtans, totus ſit Deiparæ (vndè alij habent, *In partes Dei mei hereditas illius*) verùm cùm Maria *optimam partem elegiſſe* dicatur, *in parte Dei ſui hereditas illius* perhibetur, *id eſt, in Filij ſui diuinitate.* Scilicet quaſi parùm foret Virgini Matri, quòd humanitas, quam ab ipsâ Filius Deus mutuauit, foret ſingulariter eius *pars optimam elegit partem* ſibi tanquam ſuam hereditatem, nempè Filij ſui diuinitatem: nam *hereditas illius in parte Dei ſui, id eſt, Filij ſui diuinitate erit.* O prædiuitem Marianæ hereditatis cenſum! non modò Filij ſui humanitas, ſed etiam diuinitas, pars hereditatis eſt? ô quàm verè *Maria optimam partem elegit.*

---

## §. CCCXCIII.

### *Mariani ſtromatis clauſula.*

1. S. Athanaſius in epiſt. ad Epictet. elucidans illud Iſaiæ oraculum: *Ecce virgo concipiet, &*
S. Athanaſ. Luc. 1. v. 27. *pariet filium*, &c. ita ſcribit: *Gabriel porrò ad illam ipſam legatur: neque ſimpliciter ad quamuis virginem; ſed virginem deſponſatam viro: vt ex*

*Ex Sponſo Ioſepho oſtenditur, quòd B. Deipara, non Deus, ſed homo eſt.*

*ſponſo oſtenderet Mariam verè hominem eſſe.* Frequens eſt ſanctorum Patrum ac Doctorum ingenioſa pietas, vt adſtruat Deiparæ elogia diuinis elogiis proximè vicinari, qui Marianæ gloriæ cenſus putatur. Athanaſius econtrariò ſatagit, Mariam non eſſe Deum, ſed verè *hominem* comprobare, quod illius tandem glorioſiùs extollit: tantâ enim perfectionum gloriâ eminet, vt Deũ non eſſe adſtruere, neceſſarium putetur. Olim Romæ triumphatori (ait Tertullianus *ſuggerebatur à tergo: Hominem memento te. Etiam hoc magis gaudet tanta ſe gloria coruſcare, vt illi admonitio conditionis ſuæ ſit neceſſaria.*

Tertull. Apolog. c. 33.

2. Eccli. 36. v. 24.

Siracides Eccleſiaſtici 36. *Species mulieris exhilarat faciem viri ſui, & ſuper omnem concupiſcentiam hominis ſuperinducit deſiderium.* Quaſi dicat: Forma & pulchritudo feminæ, tum externa, tum interna, quæ ſita eſt in virtutibus, & morum compoſitione, exhilarat faciem viri, vt eâ contentus lætè viuat: hæc enim forma viri deſiderium incitat, & ad ſe rapit præ omnibus rebus, id eſt, præ omni obiecto deſiderabili, & quod ad ſui amorem appetentiùs allicit venuſtioris gratiæ blandimento. Myſticè apud Rabanum hæc pulchra mulier eſt anima fidelis & ſancta. Longè aptiùs, & quaſi propriè hæc conueniunt Virgini Deiparæ, cuius pulchritudinis, virtutum & gratiarum decor exhilarauit faciem *viri ſui*, id eſt, Chriſti ſui. Vndè illa ſua ſpecie rapuit ad ſe deſiderium omnium hominum & Angelorum; quin & ipſius Verbi diuini, vt ex eâ carnem humanam aſſumeret. Quâ ſuper re audiendus eſt Cardinalis Halgrinus, qui in Cant. 4. hæc Siracidis verba ita exponit: *Species quidem mulieris virum potentem humiliat, ſeuerum & auſterum emollit: Virginis autem ſpeciem ſic concupiuit Dominus, & ipſa eius deſiderium in tantum ſuperduxit, hoc eſt, ad tantum exceſſum perduxit, vt ad noſtram infirmitatem humiliatus ſit Omnipotens, & qui eſt vita viuentiũ emollitus ſit ad mortem.* Addit inibi Cornelius: de Virgine enim hæc myſticè accipi, patet ex eo quod ſequitur: *Non eſt vir illius ſecundum filios hominum.* Audaciuſculè quidem Algrinus! Sanè philoſophari videtur in opinatiſſima illa ſententia ſubtiliſſimi Scoti, & ſapientiſſimi Suarez, de Incarnationis decreto ante præuiſum Adæ peccatum. Videns itaque Dominus Virginis Mariæ venuſtiſſimam corporis, & præcipuè morum ſpeciem, & pulcherrimam omnium ſanctitatum formam, ex meritis Chriſti nondùm paſſibilis, tantâ venuſtate allectus, ex illa naſci voluit, & carnem paſſibilem ex eâ ſumere, & Dei Matrem planè conſtituere: *Virginis ſpeciem ſic concupiuit Dominus, vt ad noſtram infirmitatem humiliatus ſit Omnipotens, & qui eſt vita viuentium emollitus ſit ad mortem.* Grande ſanè Virginis elogium! Conſule, ſi placet, quæ perſtrinximus in Tractatu de Iudith figurata § 17. n. 80. ſcilicet an Verbum homo factus ſit, vt Virginem Mariam ad diuinam Maternitatem auguſtè ſublimaret?

Rabanus. Cornel. inibi. Halgrin. *Num Virginis ſpeciem ſic concupiuit Deus, vt propter illam homo factus ſit?* Scotus. Suarez. Auctor in Iudith.

3. Exod. 3. v. 7. *In gratiam B. Deiparæ Iſraëliticum populũ Deus appellat ſuũ.*

Exhodi 3. de medio rubi ſeriò agit cum Moyſe Deus de Hebræo populo potenter redimendo ex tyrannicâ Ægyptiorum ſeruitute, Diabolicæ ſeruitutis vmbra, & barbaricæ acerbitatis æmula. E rubo enim iam tunc Deus auſpicium Redemptionis typicè dedicauit. Itaque de rubo incombuſte flagrante dixit Dominus Moyſi: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto.......* & ſciens dolorem eius, deſcendi vt liberem eum de manibus Ægyptiorum, & deducam de terrâ illâ in terram bonam & ſpatioſam, &c. Eccur Hebræum populum, luteæ ſeruitutis ſordide ſqualidum, & durâ ceruice rebellem, atque barbaræ idololatriæ pronum; Deus populum *ſuum* apppellat? Quid in rubo apparens ſic Deo blanditur, vt hoc placido & amico vocabulo, & beneficiorum munifice grauido, illum tunc maxime *ſuum* nuncupet? Sed cur non appellet *ſuum* in rubo incombuſta Virginem Mariam impreſſiùs adumbrante? Appoſite Galatinus lib. 7. c. 11. *Tam ingens, tamque immenſus fuit ab æterno Dei in Matrem Meſſiæ amor, vt propter eam Iſraeliticum populum ſibi peculiarem fecerit, eò quòd ex ipſo proditura eſſet.* Nimitùm in rubo incombuſte ardente ſplendenteque iam tunc velut in typo præmonſtrabatur Deus in vtero Virginis Deiparæ, quæ ex illo populo naſcitura erat; cuius blandimento ſic grate Deus allicitur, vt illum populum appellet *ſuum*; & inde tot fauoribus educat, augeat, nobilitet tot gloriis Marianæ ex eo natiuitatis appendicibus. *Tam ingens, tamque immenſus fuit ab æterno Dei in Matrem Meſſiæ amor!* Galatinus.

4. Lucæ 2. v. 7.

Lucæ 2. Virgo Deipara ſuæ vrbis auſpicatò inquilina, peregrina natiuitate cognatum ſibi peperit Deum: Factum eſt autem cum eſſent ibi, impleti ſunt dies vt pareret. *Et peperit Filium ſuum primogenitum.* Tò *ſuum* emphaticè ab Euãgeliſtâ ſcriptum putauerim: nam cùm Chriſtus Deus ex Virgine natus, patrem non habuerit in terris, in terris ſolius Deiparæ Filius eſt, imago eſt, in quâ tanquam in ſpeculo, Deiparæ pulchritudo, indoles, natura, mores, & animi notæ eluceant. Exinde perfecta & quaſi geminata Matris Virginis ſimilitudo reſpondet in Chriſto Filio: *Vult & Cleantes* (ait Tertullianus) *non ſolùm corporis lineamentis, ſed etiam animæ notis ſimilitudinem parentibus in filios reſpondere; de ſpeculo ſcilicet morum; & ingeniorum, & adfectuum.* O bene! Quia filius cum parentis indole haurit (& exprimit tanquã in ſpeculo bonitatem ingenij, probitatem naturæ, naturales ad pietatem affectus, & habiles ad virtutum mores, quæ ſunt *animæ notæ*, & benè compoſitæ indolis characteres. Itaque Chriſtus quà Deus eſt, & æterni Patris vnicus Filius, *Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius.* Idem etiam Chriſtus, quà homo eſt, & vnicus ſolius Virginis Filius, velut ampliatâ ſimilitudine humana, & in vnicam Parentem ſingulariter regeſta, candor etiam eſt Marianæ puritatis, ſpeculum ſine macula, & maternæ bonitatis expreſſior imago. Sic etiam Filius Deus matrizat? Sic Chriſtus Matri Virgini *non ſolùm corporis lineamentis, ſed etiam animæ notis ſimilitudine reſpondet, de ſpeculo ſcilicet morum, & ingenij, ac affectuum*: Gaudeat Virgo Deipara, quia *peperit Filium ſuum*; *ſuum* inquam, quia verè eum è ſuis viſceribus genuit, *ſuum*, quia in terris vnius Mariæ filius eſt; *ſuum*, quia velut duplicata ſimilitudine imaginis, tãquam in quodam puriſſimo ſpeculo Chriſtus Deus in ſe repræſentat materni corporis lineamenta, & generoſas animæ notas, virtutes inquam, maternæ indolis appendices. Ex hâc viua imagine, diſce, & metire prototypon.

*Chriſtus Deus eſt Virginis Deiparæ ſpeculum, & imago.* Tertull. l. de Anim. c. 5. Sapient. 7. v. 26.

5. Iſaiæ 40. v. 9.

Iſaiæ 40. *Super montem excelſum aſcende, tu, qui euangelizas Sion.* Ita Romana. *Sion*, id eſt Sioni, hoc eſt Eccleſiæ: nam Sion terrena erat in excelſo monte, nec eo erat excelſior, in quem

præco

Hebræus. præco aſcendere poſſet. Hebræa habent: *Super*
Paull. Burg *montem excelſum aſcende euangelizatrix Sion,*
Luc. 1. v. 39 vel *qua euangelizas Sion. Dic ciuitatibus Iuda:*
*Euangelizatrix Deipara dulci colloquio conſecrat Ioannem.* *Ecce Deus veſter.* Paullus Burgenſis, & ex eo
alij, in his verbis Beatam Virginem intelligunt,
quæ præproperè *exurgens, abiit in montana cum*
*feſtinatione in ciuitatem Iuda,* & Chriſtum, quem
in vtero portabat, prima euangeliſauit Zachariæ, Eliſabethæ, Ioannique Angeli in Filij ſui natiuitate, aut Matthæus in ſcriptione Euangelij primus, illi præcurrerent; ſed ipſa omnium prima glorioſum Euangeliſtæ nomen dedicaret:
Petr. Dam. Ser. 23. *Tanto tempore* (ait Petr. Damianus) *manet cum Eliſabeth Virginalis integritas, & nunc dulciore colloquio nunc amplexu feliciore Ioannem puerum conſecrat, & inſignit.* O bona *Euangelizatrix*, & Euangeliſtarum primiceria, quæ Angelos & Euangeliſtas munere anteuertens, omnium prima Euangeliſtæ nomen, & rem nominis dedicauit, *dicens in ciuitatibus Iuda: Ecce Deus veſter:* & *dulciore colloquio Ioannem puerum conſecrat.* Scilicet quicquid Ioannes Chriſti præco poſtmodùm prædicauit, id Deiparæ colloquio debet, quo Virgo Maria Chriſtum illi euangelizans, illũ in Præcurſorem, & præconem Chriſti mirifſimè *conſecrauit.* O felix *Euangelizatrix*, quæ ſuo *dulciore colloquio* Chriſtum Deum annuncians, *Ioannem conſecrat,* illúmque Præcurſorem excudit! ô nouum nouæ *Euangelizatricis* decus, *colloquio conſecrare!*

6\. Eſther cap. 8. ſic Aſſuerum alloquitur: Si placet Regi, & ſi inueni gratiam in oculis eius, *obſecro, vt nouis epiſtolis, veteres Aman litteræ, inſidiatoris & hoſtis Iudæorum, quibus eos in cunctis Regis prouinciis perire præceperat, corrigantur.* Annuit vltrò Aſſuerus, vt antitypus, typo egregiè reſpondeat, quod appoſitè Richardus adnotauit: *Maria,* inquit, *impetrat deletionem chirographi Diaboli, ſignata per Eſther, quæ litteras Aman fecit irritari. De quo chirographo dicitur. Delens quod aduerſum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, quod fecit Maria Filio mediante.* Ambroſius hoc *chirographum* vult eſſe peccatum, & debitum Adæ ad nos propagine tranſcriptum. Auguſtinus verò cenſet, quòd *chirographum decreti* eſt obligatio ad pœnam æternam iuxta decretum Dei, & ſententiam damnationis in Adamum, & poſteros eius peccantes latam. Vndè dixit Origenes: *Quiſque dũ peccat, peccati ſui litteras ſcribit.* ô gratulemur nobis, quòd noſtra potiùs Eſther, Maria inquam, Filio mediante deleuit hoc pœnaliſſimum *chirographum,* cui eramus omnes obnoxij, & duriſſimis exactoribus obærati; illud affigens cruci, & delens Filij ſui ſanguine. Quod Eſther fecit per Aſſuerum, Maria per Filium conſummauit.

Eſther 8. v. 5. — *Figurata Eſther potiùs deleuit, quod aduerſum nos erat chirographũ.* — Richard. à S. Laur. lib. 4. — Ad Coloſſ. 2. v. 14. — S. Ambr. ibi. — S. Auguſt. in Pſal. 68. — Orig. hom. 13. in Gen. *Qui peccat, peccati ſui litteras ſcribit.*

### S. Ioſephi, Deiparæ ſponſi Laus.

1\. Mardochæus Eſtheri ſanguine iunctiſſimus qui è quibuſdam putatur puellam Eſtherem, in futuram ſibi Sponſam enutriiſſe: qui ſanctitate ac genere præluſtris, ad ianuam gynæcei, ac palatij aſſiduus erat, curam agẽs ſalutis Eſther ſedulo peramanter miniſterio; Ioſephum, figuratæ Eſtheris ſponſum, adumbrare putatur. Porrò de Mardochæo dicitur: *Mardochæus manebat ad ianuam Regis.* Et à Petro Cellenſi dicitur *Ioſeph vices portitoris agens.* Quod autem Mardochæus fuerit Ioſephi typus eleganter probat Aloyſius Nouarinus in vmbrâ Virgineâ n. 1115. Exindè Marianæ gloriæ appendices Ioſephi laudes ſubtexere, & delibatim perſtringere, operæpretium me facturum putaui: ne Sponſo Ioſeph illaudato, aliqua Sponſæ Deiparæ pars illaudata inertes omittatur. *Ioſeph autem vir eius* (Mariæ Virginis) *cum eſſet iuſtus.* Iuſtus, ſanctus atque perfectus Sponſus Sponſæ ſanctiſſimæ prædicatur. Pulchrè Nazianzenus non tam de ſorore ſuâ, quam de Mariâ Deiparâ ſcripſit: *Porrò cum hoc vnum omnibus accidere cuperet, vt maritus quoque perficeretur, vt ſic toto corpore ipſa conſecraretur, ac non dimidiâ tantùm ex parte perfecta diſcederet, ipſiuſque aliquid imperfectum relinqueretur. Hoc quoque precibus impetrauit.* Audis Ioſephi ſanctitatem eſſe quodammodò Marianæ ſanctitatis partem; & de perfectione Ioſephi Mariam toto corpore dici perfectam? Porrò cùm vterque coniux ſit vna caro, & anima vna ab amore reciproco; velut *imperfectum aliquid relinqueretur* in Mariæ corpore aut mente, niſi Ioſephus etiam foret ſanctitate perfectus. Idcircò vbi primùm inducitur *Ioſeph vir eius,* id eſt Mariæ, incunctanter ſubiungitur, *cùm eſſet iuſtus,* ſanctus, atque perfectus; ne Maria, quæ *gratiâ plena* eſt, *dimidia tantùm ex parte perfecta diſcederet* & ſui *imperfectum aliquid,* (Sponſus inquam, qui aliqua ſui pars eſt) habere videretur.

Eſther 2. v. 19. — Petr. Cell. l. de Pan. c. 22. — Matth. 1. v. 19. — S. Naz. orat. 11. quæ eſt de Gorgon. — *Ioſephuſne eſt aliqua ſua Sponſa pars, aut dimidium Mariæ* — *Eſſétne Maria integrè perfecta, niſi Ioſephus etiã perfectus eſſet*

---

## §. CCCXCIV.

### *Quo genere Filiationis Chriſtus Deus Ioſephi Filius perhibetur?*

1\. Cardinales laudum Ioſephi, ſunt Nuptiæ cũ Maria Deipara, & paternitas adſpectu ad Chriſtum Deum. De matrimonio Beatæ Virginis, & Ioſephi eâ induſtria ſancti Patres, & alij Scriptorum Proceres loquũtur, vt nuptias innuant, thalamum abnuant: quod vt peritiùs adſtruant, verum ac ratum matrimonium ſponſalium vocabulo indigitant. Quâ de re Magiſter in 4. diſt. 29. & 30. S. Thomas 3. p. q. 19. ar. 1. & 2. & vtriuſque expoſitores indidem. P. Suarez 2. tom. in 3. p. diſput. 7. ſect. 1. P. Vazquez 2. tom. in 3. p. diſput. 125. M. Cerda Benedictinus Academiâ 24. Quos conſulere procliue eſt. Circa alterum; nempè de Filiatione Chriſti adſpectu ad Ioſephum, comptior, quàm difficilior eſt controuerſia; quæ in litterali rigore ethicas argutias æmulatur.

Magiſter — S. Thomas — P. Suarez — P. Vazquez — M. Cerda.

Lucæ 2. dixit Beata Virgo duodenni Ieſu: *Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Et in eodem cap. B. Deipara, & Ioſephi dicuntur, *Parentes eius.* En Ioſephus diſſertè à Beatâ Virgine, & ab Euãgeliſta dicitur Chriſti Dei *Pater.* Certum eſt Fidei Catholicæ dogma, Chriſtum Deum non fuiſſe naturalem Ioſephi filium. Dubium eſt apud Expoſitores, an fuerit adoptiuus Ioſephi filius: neque enim de hac adoptione alicubi rite conſtat. Exindè cùm Ioſephus Chriſti Dei *Pater* nuncupatur, Pater putatiuus, ſeu exiſtimatus pater duntaxat cenſetur quo nomine appellatur ab eodem Euangeliſta Luca, cap. 3. *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta,*

Lucæ 2. v. 48. & 41. & 43. — *Multiplex filiationis genus.* — Lucæ 3. v. 23.

VT

*vt putabatur, filius Ioſeph.* Omitto filiationem legalem olim Moyſis lege ſanctam: nam hu- Deuter. 25. v. 6. iuſmodi filius adſpectu ad fratrem, qui fratris defuncti ſemen ſuſcitauit, filius naturalis eſt vt potè ab eo naturaliter genitus, etſi ſuæ familiæ non deputetur. At reſpectu defuncti fratris, qui improles deceſſit, filius adoptiuus cenſetur legis arbitrio tacite adoptatus, de eiuſdem quondam vxore generatus.

3. Verùm cùm in confeſſo ſit apud omnes Catholicos, Sanctum Ioſephum fuiſſe verum Deiparæ coniugem; item non eſſe naturalem patrem Chriſti Dei; qui in virgineo Beatæ Mariæ vtero de Spiritu-ſancto abſque vlla vllius viri operâ cõceptus eſt; præter putatiuam filiationem, quæ non vera, ſed tantùm exiſtimata filiatio eſt, in medium adducam aliam, quam pereruditus Lucas Bruxenſis in Matth. cap. 1. his verbis tradit: Bruxenſ. *Ioſephi legitimus heres, Ieſus Saluator noſter fuit, quippe filius eius, non quidem naturalis, aut ab eo genitus, ſed neque ſecundum vulgi opinionem & famam publicam tantùm, vt neque adoptiuus; ſed reipſa Proprius ac Legitimus, ipſi legitimè ex vxore Virgine, nec aliunde ex alio viro, virtute Spiritu-ſanctiſſimo coniugio conceptus, natus, generatus, ac diuino munere datus: quò regnum, cuius ipſe* Ioſeph *heres quidem erat, ſed aſſumere illud atque erigere nequaquam volebat opera Vnigeniti illius filij ipſius reſtitueretur, & exaltaretur,* &c. Ne quis autem quaſi inſolens admiretur, & tenuiter excipiat hoc nouum filiationis genus in Chriſto Deo adducitur Auguſtinus lib. 2. de Conſenſ. Euang. c. 1. qui ſic fatur: *Cùm Euangeliſta narret non ex concubitu Ioſeph ſed ex Maria Virgine natum Chriſtum, vndè eum* (Ioſephum inquam) *patrem eius appellat; niſi quia & virum Mariæ rectè intelligimus ſine commixtione carnis, ipſa copulatione coniugij: & ob hoc etiam Chriſti Patrem multò coniunctius qui ex eius coniuge natus ſit, quàm ſi ei eſſet aliundè adoptatus?* Magno Patri Auguſtino numeratis penè verbis Beda concinit, quæ reſcribere non piget, vt huius nouæ Paternitatis ſtruatur auctoritas, tanti etiam Doctoris auctoritate. Ergò Vener. Beda lib. 1. in Lucam cap. 2. ita ſcribit: *Quamuis & eo modo* (Ioſeph) *Pater illius valeat dici, quo & vir Mariæ, ſine commixtione carnis, ipſa copulatione coniugij: multo videlicet coniunctius, quàm ſi eſſet aliundè adoptatus.* Diſſertè quidem Iuſtini etiam verba §. 397. n. 3. exſcripſimus. Ratio Lucæ Bruxenſis eſt; nam cùm legitimo matrimonio coniunctus eſſet Ioſephus Virgini Mariæ, eſſetque proindè Mariæ corpus, corpus eius, quin & vna ipſe cum eâ eſſet caro, iure, & ſi non re (Ioſephus enim per votum virginitatis, non iuri matrimonij ceſſerat, ſed iuris executioni) proles è Mariæ carne genita, ex Ioſephi carne genita reputatur. Dumq; inuiolatâ cõnubij fide, legitimè Deo operãte, qui nihil non legitimè operatur, cuius libero dominio non ſubtrahit vxorem mariti auctoritas, in connubio concepta eſt, legitima cõnubij illius Ioſephi & Mariæ proles fuit (Quis neget Chriſtum legitimũ filium fuiſſe, cùm etiam filius legalis, & adoptiuus legitimus habeatur?) Hanc ſuam ſententiam probat auctoritate Auguſt. lib. 1. de Nupt. & concup. c. 11. vbi dicit Ieſum eſſe huius coniugij prolem: *Omne*, inquit, *nuptiarum bonum impletum eſt in illis parentibus Chriſti, proles, fides, ſacramentum. Prolem agnoſcimus ipſum Dominum Ieſum; fidem, quia nullum adulterium; ſacramentum, quia nullum diuortium.* Eandem ſententiam repetit Auguſtinus lib. 5. contra Iulianum, cap. 9. & videtur tradi à S. Iuſtino, cuius verba exſcribũtur § 397. num. 3. Itaque cum caro Ioſephi, & Virginis Mariæ, connubij iure, non executione, fuerit vna caro, filius, qui huic connubio non defuit, *Proprius ac Legitimus* Ioſephi filius cẽſendus eſt, quia de ea carne, quæ iure erat eius caro, natus eſt, non *commixtione carnis*, ſed *ipſa copulatione coniugij*. Atque adeò etſi Ioſephus non fuerit naturalis Chriſti Pater, fuit tamen Pater proprius ac Legitimus, multò coniunctiùs ac ſi illum aliundè adoptaſſet.

*Chriſtus, etſi non naturalis, verus tamen, ac legitimus Ioſephi filius, à Bruxenſi appellatur.*

S. Auguſt. — Beda. — *4. Probatio ſuperioris aſſerti.* — S. Auguſt.

5. Obiicis ergo ſi propria vxor ex adulterio genuiſſet, eiuſmodi filius de adulterio natus, eſſet etiam mariti ſui filius; quoniam propria vxor, cum qua eſt vna caro, illum genuit. Verum cùm huiuſmodi filius conceptus ſit contra coniugij, ac coniugum fidem, ei præſcripta filiatio non ſuffragatur. Chriſtus autem ex Virgine vxoratâ conceptus de Spiritu-ſancto, citra vllam coniugij, aut coniugum iniuriam conceptus eſt: nam Deus vlus eſt libero, ac ſupremo dominio, cui nihil detrahit in vxorem mariti auctoritas.

*Geminatæ obiectionis reſponſio pro legitima ſeu hu paternitate.*

Quòd ſi vrgeas, igitur ſaltem ſi mulier duobus viris nupſiſſet, (quod Deo diſponente fieri poſſe, nemo abnuet) vnius mariti filius eſſet etiã hoc modo alterius mariti filius: natus enim eſt de vxoria carne, id eſt, ſua: & quidem citra connubij iniuriam, aut violatam matrimonij fidem. Hæc obiectio ducit ad ſalebroſam illam apud Iuriſperitos quæſtionem, an citra eandem rem (fundum, aut mancipium inquam) poſſint duo habere plenum, ſolidum, & integrum dominium, & quomodò prouentum partiri debent. Quem ſi patiuntur, quo pacto plenè integrum habent? Deus autem plenum ſemper ac integrum dominium habuit in Virginem Deiparam: neque enim Ioſephi mariti auctoritas, aut ius in vxoris corpus ex connubio acquiſitum, ſummo ac libero Dei dominio ſubtrahit, qui nihil non legitimè facit: vndè ipſe legitimè potuit Virginem maritatam virtute ſua grauidam facere. Idcircò cùm Mariæ ac Ioſephi ex vi coniungij rata fuerit vna caro, Filius natus non *commixtione carnis*, ſed *ipsâ copulatione coniugij*; non tanquam naturalis, ſed tanquam Proprius, ac Legitimus Ioſepho deputatur.

6. Toletus. Noſter Cardinalis Toletus in Lucæ cap. 3. Annot. 57. meritò cenſet, quòd iuxta ſacræ Scripturæ loquendi modum, verbum *genuit* poteſt etiã ad filios non naturales, ſed duntaxat adoptiuos extendi: *nam adoptans charitate gignit adoptatum, & is filius eius dicitur: quomodò filij Dei fideles dicimur, & ab ipſo geniti: genuit enim nos in verbo charitatis.* Ne autem confuſio fiat, & vocis amphibologia hæreſim antiquatam ſuboleat; etſi Ioſephus prædicto modo dicatur Chriſti Dei *Proprius*, ac *Legitimus* Pater multò coniunctiùs ac ſi aliunde illum adoptaſſet; inidoneè tamen diceretur, quod *genuit* Ieſum, ne cum ſit vxoris ſuæ naturalis filius, eius quoque filius naturalis innuatur.

*De Ioſepho dici nequit, quod genuit Ieſum.*

7. Lucas Bruxenſis ex hac filiatione infert, quòd Chriſtus Deus verum habuit ius ad regnum Iudaicum, & Dauidis ſolium, quia Ioſephus fuit, etſi non naturalis, legitimus eius pater, & Chriſtus fuit legitimus eius filius, & indè heres, ad quem defuncto patre pertinebat non tantum illius hereditas, ſed etiam ius ad regnũ paternum. Nam

*Nũ Chriſtus quia Ioſephi filius, ius habuerit ad regnum Iudaicum?*

Nam ſi iure Gentium ſuccedit in hereditatem paternam, is qui ſolius publicæ famæ teſtimonio filius habetur; & apud Hebræos filius etiam adoptiuus; quantò magis is, quem & fama publica filium credit, & reuerà è coniugio illo Deus dedit, vxorem reddens grauidam, quod ſolet aliàs mariti operâ, ſuâ ſolius voluntate, quod attinet ad paternam operam. Quocircà à Ioſephi morte regalis Dauidicæ familiæ dignitas rectò ordine deuenit ad Ieſum: qui fuit non promiſſione Dei tantùm aut donatione, ſed hereditariæ etiam ſucceſſionis iure ſceptri Iudaici occupator. Quod autem Ioſephus habuerit ius ad regnum Iudaicum, copioſè probat Bruxenſis: ſcilicet quia Herodes occidit omnes principes è tribu Iuda, ne quis regnum violenter inuaſum ei eriperet. An quod euincendum adducit Ioſephum Flauium, & Galatinum. Porrò Ioſephum Beatæ Mariæ virum, præ aliis Dauidici generis ſuperſtitem, cùm nullâ fulgeret dignitate, & procul Ieroſolymis in Nazareth Galilææ ciuitatulà degeret, remanſiſſe, creditu facile fuit Bruxenſi; mihi autem non ita facile eſt, alium proximiorem nullibi relictum: vndè hoc ius ad regnum apud me valdè dubium eſt, quia incertâ nititur coniecturâ. Satis eſto, hæc paucula delibaſſe; nam pleniori ſtilo pertractare, operoſè alienum à re foret. Igitur inter Ioſephi laudes ethicè coloratas, hanc Lucæ Bruxenſis opinionem explicatiùs digeſtam, & operoſiùs locupletatam, eruditis proponere, operæpretium duximus. Quòd ſi illis placeat, nobis etiam placebit. Non amo ſubtiliter recentia, ſed veraciter ſolida.

Ioſephus. Galatinus.

Lucas Brux. ſuprà.

---

## §. CCCXCV.

### *Per Mariæ ac Ioſephi coniugium (quod vtriuſque virginitate deputatur) vna amborum mens, vna fides, vnus ſpiritus cenſentur.*

1. QVam ob cauſſam Euangeliſta ſic perſtrictim delibat Ioſephi laudes, quas neque diſſertè publicat, nec explicatiùs affirmat? tantùm enim ait: *Cùm eſſet iuſtus.* Profectò dum Ioſephi auctoritate altiùs fundat Mariæ virginitatem, & indè Incarnationis myſterium, quæ eſt rei Chriſtianæ ſumma, oportuiſſet antè præſtruxiſſe auctoratiſſimi teſtis ſuffragium, ab eis fuſiore laude, quam omnigenam ſumptuoſiùs præmittere potuiſſet. Scilicet ideò Euangeliſta velut prætetit Ioſephi commendationem, quia ſublimiſſimas eius laudes arcano explicatiùs compendio ſuperioribus verbis conſultè denarrauit: *Ioſeph autem vir eius cùm eſſet iuſtus.* Qui diſſertè antedixerat, Ioſephum eſſe *virum Mariæ*, quid neceſſe eſt, expreſsè affirmet eſſe pium, iuſtum, religioſum, atque ſanctiſſimum? quod conſultiùs iam ſupponit tanquam prioris laudis ſequelam, & tantæ dignitatis appendicem. Porrò in Ioſepho ſumma laudum, & elogiorum matrix, à Virgine coniuge eſt: quocircâ de quo prædictum fuerat, fuiſſe *virum Mariæ*, ſerò, ac ſupervacaneè auguſtis etiam encomiis oneraretur. Aptiùs quàm de ſuâ Gorgoniâ, de Virgine Deiparâ adſpectu ad Ioſephum, dixit Nazianzenus: *Vultis vno verbo Virum deſcribam? Vir illius neque enim ſcio quid ampliùs dicere neceſſe ſit.* Nam ſicut Deiparæ elogia ex Filio Deo idoneè metimur, tanquam tantæ maternitatis ſequelam; ita Ioſephi encomia æſtimare debemus ex Mariâ coniuge, quaſi tanti coniugij appendices glorias. Vnde *Vir Mariæ iuſtus* explicatiùs ſupponitur: *Ioſeph autem vir eius cùm eſſet iuſtus.*

Matth. 1. v. 19. *Sumptuoſior Ioſephi laus eſt Mariani coniugij ſequela.*

S. Nazianz. Orat. 11.

2. Matth. 1. *Cùm eſſet deſponſata mater eius* (Ieſu) *Maria Ioſeph.* S. Chryſologus præſcripta verba elucidans, quâ ſolet ingenij limâ, ita fatur: Peruolat ad Sponſam feſtinus interpres (Gabriel Angelus inquam) vt à Dei ſponsâ humanæ deſponſationis arceat, & ſuſpendat affectum: *Neque auferat à Ioſeph Virginem, ſed reddat Chriſto, cui eſt in vtero pignerata cùm fieret. Chriſtus ergò ſuam ſponſam recipit, non præripit alienam: nec ſeparationem facit, quandò ſuam ſibi totam iungit in vno corpore creaturam.* Non tam hîc agnoſco, quam publicare intendit Euangeliſta, Ioſephi zelotypiam de ſuâ grauidâ Sponsâ, quàm admiror, & adoro zelum Dei erga ſuam Sponſam Mariam. O arcanam æmulationem Dei, & Ioſephi! Inuidétne Deus Ioſepho felicitatem Mariani connubij, quod ipſe præordinauerat? Allegat Deus, iam olim Virginem ſibi fuiſſe deſponſatã, *quam in* Annæ *vtero oppigneraueris cùm fieret*, illam videlicet in primo conceptionis inſtanti præproperè ornando prædiuite gratiæ arrhabone: & indè Deus antiquioris deſponſationis iure ſuam ſponſam ſibi vendicat totam; *ſuamque ſponſam recipit, non præripit alienam.* At contrà Ioſephus pudoris non violati famam ipſi deberi contendit, dum ſub vmbrâ Sponſi myſterium diuinæ corporationis colorauit. Hiſce arrhis ſe Sponſam dotaſſe ſuam aſſerit, vt totam ſibi vendicet, quam cæleſtis Sponſus totam vendicat ſibi. O Dei, & Ioſephi honorariam Virgini æmulationem! *Vultum tuum deprecabuntur omnes Diuites plebis.* Verùm tota ſit Dei Spóſa; quæ Spóſo Ioſepho non negatur: *nec* Deus *ſeparationem facit, quandò ſuam ſibi totam iungit in vno corpore creaturam*, quaſi Deo nubat, quæ ſpondetur Ioſepho.

Matth. 1. v. 18. S. Chryſol. ſerm. 140. *Æmulatio Dei ac Ioſephi, vter Mariã Sponſam ſibi vendicet totam.*

Pſal. 44. v. 13.

3. Matthæi 1. nimis anxio præ zelotypiâ Ioſepho, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis, dicens: *Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Ad quæ Euangeliſtæ verba ſic argutè fatur Hilarius: *Ergò & coniugis nomen Sponſa ſuſcepit, & poſt partum in coniugem recognita tunc Ieſu Mater oſtenditur, vt quemadmodum iuſto Ioſeph deputaretur eiuſdem Mariæ in Virginitate coniugium: ita venerabilis eius oſtenderetur in Ieſu Matre virginitas.* O pulchrum, & hactenùs inſuſpicabile, Mariæ ac Ioſephi *in virginitate coniugium!* In reliquis coniugium carnis etiam commercio peragitur; Mariæ autem & Ioſephi cenſeri dicitur *in virginitate coniugium*, quaſi ambo in carne viuentes, ſed à collegio carnis abſtracti; nõ carne, ſed velut ipsâ carnis virginitate coniugium peragant. Scilicet mutuo vtriúſque conſenſu nuptias ritè concelebrant; ſed ac ſi vtriuſque foret Angelificata caro, *deputari in virginitate coniugium* perhibetur. Itáque ſicut iuſto Ioſepho deputatur ſuæ vxoris *Mariæ in virginitate coniugium: ita venerabilis Ioſephi oſtenditur in Ieſu Matre virginitas.* O qualis eſt Ioſephi virginitas; quæ in ſuæ vxoris Mariæ Deiparæ virginitate oſtenditur! Quid niſi puriorem virginitatem, velut carnis exlegem, Deiparæ virginitas demonſtrare poteſt? Vis noſſe

Matth. 1. v. 20.

S. Hilarius inibi, Can. 1. *Mariæ & Ioſephi coniugium in virginitate deputatur.*

*Ioſephi virginitas in Deipara virginitate oſtenditur.*

noſſe in hoc coniugio Ioſephi puritatem? Deiparæ virginitatem agnoſce; in illâ enim tranſpatet purior Ioſephi virginitas.

4. Gen.2.v.20.

Geneſeos 2. Adamo dormiente, à Deo ei cõſta extrahitur, & in mulierem ipſi mox nuptui datam ædificatur. Et adduxit Deus eam ad Adam. *Dixitque Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Multa hîc diſputant Sancti Patres, quare Mulier non ex terrâ ſicut Adam, ſed ex ipſo Adamo; quin & ex ipſius latere formata ſit. Baſilius Seleucus Orat. 2. vnitatis coniugalis ſacramentum hîc recognoſcit, ita fatus: *Neque verò ex terrâ, ſed ex latere membrum mutuatur, partitur corpus, vt mentem coaptet: & natura vna diſſipatur arte formantis, vt vna mens conſtruatur ad imitationem naturæ..... Qui diſtulit corpora, animas noſtras in vnum contrahit.* Quaſi coniugium ſit mirabilis officina, quâ fiunt duo in carne vnâ, & vnum ambo. Quin & mentes quoque in vnam mentem excuduntur: non quia vtrumque coniugem idem informet animus: ſed quia quemadmodum matrimonij lege duo corpora coaptantur in vnum; ſic etiam animus animo adglutinatur, ac ſi vna mens in vtroque vigeret, vna anima, ſpiritus vnus. Qua ſuper re ſic ad rem præſentem S. Bernardinus philoſophatur: *Quomodò cogitare poteſt mens diſcreta, quòd ſanctus Spiritus tantâ vnione* (nempè coniugij) *vniret menti tantæ Virginis aliquam animam, niſi ei virtutum operatione ſimillimam? Vndè credo Ioſeph fuiſſe mundiſſimum in virginitate, profundiſſimum in humilitate, ardentiſſimum in charitate,* &c. Ecce quàm ſit *iuſtus*, id eſt, omnium virtutum, ac ſanctitatum laude conſummatè perfectus, quia *vir Mariæ* fuit. Quin & Ioſephi *anima*, quia Marianæ virtuti *ſimillima*, Deiparæ ipſius *menti vnita* perhibetur. O ineffabilis prærogatiua! Non tantùm Marianæ voluntati per reciprocum eximiè amorem, ſed etiam eiuſdem *menti* vnitus, ac coniugatus Ioſephus dicitur. Euge feliciſſime, ac fortunatiſſime hominum, qui meruiſti *ſimillimum* Deiparæ euadere, & illius *menti* arcanè *vniri*, & puriſſimè coniugari. Quid tam præcelsè Ioſepho glorioſum, quàm quòd per *coniugium in virginitate deputatum* meruerit eius *anima*, Virginis Deiparæ *menti* arctiùs *vniri*, & ineffabili virginei connubij nexu adglutinari?

Baſil. Sele.

S. Bern. Sen. Ser. de S. Ioſeph.

*Ioſephi animus, Virginis Deiparæ mẽti cõiugatur.*

5. Matth.1.v.21. Lucæ 1.v.31.

Matthæi 1. Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſepho, dicens: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu-ſancto eſt: *Pariet autem filium: & vocabis nomen eius Ieſum.* Sed ſtatim difficultas mentem ſubit, & animum pulſat, quo pacto Angelus etiam Virgini Mariæ antè dixerit: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum?* Profectò ſublimis auctoritas imponendi nomen Ieſu, quæ Ioſepho nunc datur, iam dudum Sponſæ Virgini donata erat. Riténe quod alterutri, vtrique donatur? Paſchaſius Rathbertus in Matthæi cap 1. hâc ſuper re ſic profundè ſcribit: *Ceterùm quia Ioſepho dicitur, Vocabis, quod olim iam Mariæ dixerat, debemus animaduertere, quòd idem Angelus in ſuâ perdurat ſententiâ.* Imò (quod bonâ tanti Doctoris veniâ dixerim) potiùs videtur intelligi, Angelum ſententiam demutaſſe: nam qui dudùm Virgini Deiparæ dixerat, *Vocabis nomen eius Ieſum*, idemmet poſtmodùm Ioſepho intimat eadem verba, *Vocabis nomẽ eius Ieſum.* Quid eſt, quòd Angelus dum Legati munus obit apud Mariam, & officioſum illi ſe exhibet, ipſi cõmittit honorem imponendi nomen Filio Dei, & idem Angelus nunc volens Ioſepho gratificari, idem eidem mandat officium? An idem Angelus eodem munere duorum promereri gratiam exambit? Hæc porrò terrenæ curiæ politia eſt, non Procerum, aut officialium curiæ cæleſtis. Verùm enimuerò dum idem Angelus illudmet, quod olim Sponſæ Mariæ commiſerat, nunc Ioſeph Sponſo committit, adhuc in ſuâ perdurat ſententiâ, quam non mutat, ſed firmat: vſque adeo cenſetur vnum Maria & Ioſephus, & idem ambo: quaſi ſit duitas in arcanâ corporis ac mentis vnitate. Sic *Spiritus-ſanctus tantâ vnione vniuit menti tantæ virginis animam* Ioſephi! Nimirùm quod Angelus hîc denuò Ioſepho mandat, iam illudmet eidem olim Ioſepho mandauerat, dum Mariæ commiſerat: & quod dudum Mariæ commiſſum erat, Ioſepho mandabatur. Quod dicitur Mariæ, Ioſepho intimatur? & quod Ioſepho intimatur, de Mariâ intelligitur? Sic Maria, & Ioſephus ſunt duo vnum? Sic ſublimes reciprocant eminentias? ſic merita ineffabiliter mutuant? ô miriſſimum tanti coniugij Sacramentum, & ſingulare Ioſephi prærogatiuum! Semper verum illud S. Bernardini Senenſis: *Quia omnia, quæ ſunt vxoris, ſunt viri, credo quòd Beatiſſima Virgo totum theſaurũ cordis ſui, quem Ioſeph recipere poterat, ei liberaliſſimè exhibebat.* Laxior Ioſephi capacitas, virtutum ac ſanctitatum eius menſura eſt. ô, quis, qualíſve eſt Mariani *cordis theſaurus*, quo ampliſſimum Ioſephi captum Deipara cumulatiùs impleuit? ô quàm multa quàm paucis!

Paſchaſius.

*Quod Maria dudum commiſſum fuerat, denuò Ioſepho committitur, quaſi vnum ambo ſint.*

Paſchaſ. ſuprà.

*An Maria totum cordis ſui theſaurũ Ioſepho communicarit.*

S. Bern. Sen. Ser. de S. Ioſepho.

Matthæi 1. *Cùm eſſet deſponſata mater eius* (Ieſu) *Maria Ioſeph*, &c. De hâc Virginis Mariæ cum Ioſepho deſponſatione ſic eloquenter ſcribit Rupertus: *Quomodo, vel in quo coniugati fuerunt? Nimirùm quod vnus Spiritus, & vna fides erat in eis; ſola illic deſinit corruptio carnis.... Coniugum horũ vita ſeu coniunctio, tota fuit cæleſtis; & Spiritus-ſanctus amborum coniugalis amor, in ambobus præſidens.* Bonum ſanè Mariæ & Ioſephi coniugium, in quo *vna fides* erat amborum. Num tam longè aberat Ioſephus à violandâ huius cæleſtis connubij *fide*, & pudore coniugi debito, vt aberat B. Virgo Deipara? *Vna fides* vtriuſque dicitur. Imò & *vnus ſpiritus*. Profectò matrimonij vis vnum corpus ex vtroque conflat: at hoc cæleſte Mariæ & Ioſephi connubium, velut *vnum ſpiritum*, & vnam animã ambobus inſpirauit. O cogita qualis fuerit Ioſephi anima, quæ eadem ipſi ac Deiparæ Virgini perhibetur! Non tam de ſorore Gorgoniâ, quàm de Virgine Deiparâ Ioſephi Sponsâ, dixit Nazianzenus: *Nec minus virtute, neceſſitudinéque cum Deo, atque conſortio, quam carne coniugatos*, iure quidem, coniugij titulo; non iuris executione, virginitatis voto. Additur, *& Spiritus-ſanctus amborum coniugalis amor.* Spiritus-ſanctus per proprium characterem amor eſt, & amoroſus Patris ac Filij nexus, idémne munus hîc æmulatur increatus amor inter Mariam & Ioſephum, quos arcanè nectit caſti amore coniugij? Spiritus Mariæ & Ioſephi Spiritu-ſancto nectuntur? Expẽde huius ineffabilis nexus eminentias. Addit Rupertus, *Spiritum-ſanctum in ambobus præeſſe*, quaſi alterutrer, vel potiùs vterque ſit ſanctitatis conſiſtorium, aut concilioſus virtutis ſenatus, cui ipſe

6. Matth. 1. v. 18

Rupert. ibi.

*Vna fides, & vnus ſpiritus Mariæ & Ioſephi.*

S. Naz. Orat. 11.

*Conſilio Mariæ & Ioſephi, Spiritus-ſanctus præſidet.*

Spiritus

Spiritus-ſanctus præeſt. O bona, & hominibus ſalutaria decreta, quæ ab hoc conſultiſſimo ſenatu procedunt! Quis non ambiat eius cauſſas in hoc tribunali tractari, vbi ambo piiſſimè cœlibaliſſimi coniuges Iudicum munere funguntur, Spiritu-ſancto Conſilij Præſide? Luculenter ſane Rupertus.

---

## §. CCCXCVI.

### *Puriſſimæ caſtitatis prærogatiua, quæ in Mardochæo tranſparet, in Ioſepho micanter elucet.*

1. Lucæ 1. v. 27

CÆleſtis à Deo legatus adeſt in terris Angelus, vt diuinæ corporationis negotium, negotium inquam ſeculorum cum ſponsâ Virgine auſpicatô pertractet: Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, *Ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria.* Maritata iam Maria adhuc Sponſæ retinet nomen vt in nomine etiam eius ſemper illibata virginitas dilucide tranſparcat, & in ipſo vocabulo non dubiis characteribus deſcripta pudicitia micãter eluceat; nequid ſit in Maria, quod virginitatem non fragret, ſpiret, aſſlet. Ceterùm Ioſephus non dicitur eius Sponſus, ſed *Vir* eius: *Ad Virginem deſponſatam Viro* (ait Euangeliſta (*cui nomen erat Ioſeph.* An non multò honeſtiùs Sponſus, quam *Vir* diceretur? ô quàm multa peracutè ethici Commentatores ingeniati ſunt, vt *Viri* etiam nomen in Ioſepho puriorem virginitatem adſpiret! Quâ ſuper re ita philoſophatur Albertus Magnus in Mariali: *Ad Virginem deſponſatam Viro, cui nomen erat Ioſeph, &c. Quòd hîc adijcitur, Viro, non fuit ad denotandum ſexus diſcretionem; ſed ad tangendum Sponſi Beatiſſimæ Virginis commendationem, & Sponſæ etiam à Ioſepho honorificationem. Vir ergò non notat hîc ſexum, vel ætatem, ſed virtutem. Ergò fuit iſte Ioſeph Vir per conſtantiam fidelitatis, per virtutem caſtitatis,* &c. Quod etiam docet Sanctus Bernardus homil. 2. ſuper Miſſus eſt: *Virum, inquit, nominat Euangeliſta Ioſephum, non quia maritus, ſed quòd homo virtutis erat.* (Matrimonium ratum non negant, ſed conſummatum.) Itaque ex Bernardi, & ex Magni Alberti mente, cùm Sponſæ Deiparæ *Vir* appellatur Ioſephus, non denotatur ſexus virilis *diſcretio*, ſed *honorificentia* Sponſæ Virginis à virgine ſponſo Ioſepho: nam à *virtute caſtitatis* Ioſephus *Viri* etiam nomen mutuatur. Summa Chriſtianæ olim caſtitatis videtur à Tertulliano exaggeratiùs tradita, cùm dixit *Chriſtianus ſoli vxori ſuæ maſculus naſcitur.* quaſi adſpectu ad alias feminas præter propriam vxorem, nec maſculus, nec femina cenſeatur de continentiæ bono. Grande quidem Chriſtianæ dudùm caſtitatis elogium! At ſaltem *vxori ſuæ maſculus*, aut *vir naſcebatur.* Ioſephus autem cùm Virginis Deiparæ *Vir* appellatur, quaſi præ eminentiâ virgineæ puritatis (quâ extincto, aut mitigato fomite, in coniugio viuebat) nullius ſexus foret, *non denotatur ſexus diſcretio, ſed Sponſæ à Ioſepho honorificentia. Ergò fuit Ioſeph Vir per virtutem caſtitatis.* (quod modo nuper

*R.P. Didac. Celad. in Eſtherem.*

Albert. Mag.

*An cùm Ioſephus dicitur Mariæ Vir, denotetur ſexus diſcretio, an caſtitatis virtus?*

S. Bernard.

Tertullian. alibi expenſus.

explicato intelligendum eſt.) Quid pro Ioſephi puritate luculentius? Vide etiam quàm caſtè ſe geſſerit Mardochæus cum Eſthere, quam ſanguine iunctiſſimam alebat in Sponſam, vt in Commentario litterali adnotabamus.

Redeat ſemel expenſus Euangeliſtæ locus, 2. Lucæ 1. v. 27.
aliter iterùm expendendus: Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, *Ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat* Ioſeph, *de domo Dauid, & nomen Virginis Maria.* Maria Deipara in his pauculis verbis ſemel, & iterùm *Virgo* nominatur: de Ioſepho autem eius ſponſo, quòd ſit *Vir* dicitur, quod ſit virgo tacetur. An quia Mariæ ſponſæ virginitas, virginitatis Ioſephi (vt vt poteſt) menſura cenſetur? Pulchrè Gerſon Serm. de Natiuit. Mariæ, Conſider. 3. *Sicut decuit Mariam*, inquit, *vt ſummâ puritate niteret; ſic decuit, vt haberet ſuo modo parem Sponſum puriſſimum, qui cum perpetuâ Virgine priùs, ac poſteriùs permaneret.* Nimirùm in negotio, aut otio virginitatis, perpetua Mariæ Deiparæ virginitas, *ſumma puritas* eſt: cùm autem Ioſeph ſponſus virginis dicitur, quaſi puritatem Sponſæ ab ſponsâ ipsâ quodammodò mutuarit, velut altera eadem puritas inſinuatur. Nam cùm Sponſa Virgo *ſummâ puritate niteret, decuit, vt haberet ſuo modo parem Sponſum puriſſimum.* Profectò dum Marianæ puritati, etſi cum addito, *par* dicitur Sponſi Ioſephi puritas, præcelſa puritatis exaggeratio eſt. Quid enim eſt ſub Deo tam limpidiſſimè purum, vt puritati Virginis Deiparæ valeat comparari? *Par ſuo modo* in Sponsâ & Sponſo virginitas, geminato in Sponsâ *virginitatis* vocabulo forſan denotatur: ſunt enim *duo in carne vnâ.* Exindè Ioſephus ſponſæ Deiparæ adinſtar, virgo *priùs ac poſteriùs permanſit.*

*Ioſephi virginitas, ſuæ ſponſæ virginitati par ſuo modo cenſetur.*

Gerſon.

Geneſeos 2. Adæ non inueniebatur adiutor 3.
ſimilis eius: ad formandam igitur mulierem: Gen. 2. v. 21.
*Immiſit ergò Dominus Deus ſoporem in Adam: cúmque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro eâ. Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Pro *ſoporem*, Lxx. Interpretes habent ἔκστασιν *ecſtaſin*: in hoc enim ſomno raptus eſt Adam per mentis *ecſtaſim*, quâ mens eius non tantùm naturali modo ſoluta erat à corporis & ſenſuum functionibus; ſed & diuinitùs ita eleuabatur, vt videret ea quæ gerebantur, & ſpiritu prophetico cognoſceret myſterium per ea ſignificatum, nempe & matrimonium ſuum naturale cum Euâ, & myſticum Chriſti cum Eccleſiâ: Imò ſunt qui putent Adamum in hâc *ecſtaſi* vidiſſe Dei eſſentiam. huc inclinat Richardus, nec reiicit S. Thomas. Quorsùm præuiâ ad futurum in paradiſo matrimonium *ecſtaſi*, Adamo beata Dei viſio delibanda monſtratur? Quid matrimonio celebrato in felici innocentiæ ſtatu, & in ipſo voluptatis paradiſo, cum vitæ beatæ viſione præconceſsâ? Quid ſi hoc matrimonium Adami & Euæ in paradiſo innocentiæ ſtatu peractum, non modo Chriſti cum Eccleſiâ connubium; ſed etiam Virginis Deiparæ cum Ioſepho nuptias nuptiis paradiſeis feliciores, myſticè præfigurat? Huc forſan adludit Paſchaſius Ratbertus ſic altè fatus: *Quid obſtat, ne vir Ioſeph, & Maria vxor rectè dicatur, omninò non video, niſi quod ſola libido interuenire non potuit, vbi ad informandam vitam perpetuam virginitas ſeruabatur.* Profectò Adami & Euæ connubium

Lxx. interpr.

Richar. in 2. diſt. 23. ar. 2. q. 1.

S. Thom. 1. p. q. 94. ar. 1.

*Perpetua cæli vita, per Ioſephi virginitatemq; in Mariano coniugio informatur.*

Paſchaſius.

nubium toto tempore quo in paradiſo commorati ſunt, virginitati vtriuſque deputatum eſt: in hoc etiam Deiparæ & Ioſephi matrimonio *ſola libido interuenire non potuit.* In illo etiam paradiſi coniugio inducitur Adamus præuiâ ad matrimonium in paradiſo celebratum, *ecſtaſi* diuinæ eſſentiæ claram viſionem delibans: in hoc etiam Deiparæ & Ioſephi matrimonio, *ad informandam vitam perpetuam virginitas ſeruabatur.* Num puriſſima Ioſephi etiam in Mariano coniugio virginitas limpidiſſimè ſeruata pari votiuè conſenſu, *vitam perpetuam informabat*? Vitæ perpetuò beatæ, quæ exlex incorruptionis ſemper eſt, & in carne à collegio carnis feliciter abſtracta, pura Ioſephi in hoc matrimonio virginitas, forma, idea, ac typus eſt? Beata cælicolarum incorruptibilitas, immortalitas, impaſſibilitas, in connubiali Ioſephi virginitate adū bratur, figuratur, *informatur*? Profundè quidem Paſchaſius! Profectò non auſim affirmare, quòd ſicut de Adamo in illâ præuiâ ad connubium *ecſtaſi* dicitur, diuinam eſſentiam vidiſſe beatâ temporariè viſione; ita putetur veroſimile aſſerere idem de Ioſepho. Saltem bono ac pio calamo ſcriptum legimus: *ô ſanctiſſime Ioſeph, ſi Petrus ſemel tantum videns gloriam, & pulchritudinem Ieſu Transfigurati, dixit: Domine, bonum eſt nos hîc eſſe. Quid tu dicere debebas, cui non ſemel ſed ſæpiùs (vt piè creditur) ſe Benedictus Ieſus transfiguratum in corpore glorioſo oſtendit?* Nempè in hoc Mariæ ac Ioſephi connubio, in quo *ad informandam vitam perpetuam virginitas ſeruabatur,* Ieſus glorioſus ſæpè Ioſepho apparuiſſe creditur; vt in virgineo matrimonio, quod perpetuam adumbrabat cæli glorioſam vitam, cæleſtis gloriæ ſtilla multiplex per Dominici corporis rimulas tranſluceret.

4. *Ieſus non ſemel transfiguratus & glorioſus Ioſepho apparuiſſe traditur.*

Bernard. de Buſt. Ser. 12. de Deſponſ. Mariæ.

Matth. 17. v. 4.

5. Tertullianus in lib. de Reſurrectione carnis, quem aduerſus ſtolidas plurium Hæreticorum technas eloquenter conſcripſit, ſic de hominis carne adſpectu ad ſpiritualem animam, quâ informatur, ad rem loquitur: *Adeò autem non ſola anima tranſigit vitam, vt nec cogitatus, licet ſolos, auferamus à collegio carnis. Siquidem in carne, & cum carne, & per carnem agitur ab animâ, quod geritur in corde.* Quæ huius magni Doctoris verba, plena acuminis, ingenij plena, ſic eius Commentator breui ecphraſi exponit: Nam nec cogitatus non deductos ad carnem, in quibus ipſa hæret, non perficit ſine carne, *quæ eſt ipſius animæ Collega,* quandò quod agit in corde, omnia per carnem fiunt. Hactenus ille. Et ſanè idem Tertullianus *Terreni cenſus carnem* agnouit tributariam; quia nimirùm *caro* noſtra è terræ limo coalita eſt, inde *terreni cenſus,* redituum nomine, tributa pendit concupiſcentiæ, quam ipſa anima à *collegio carnis* quodammodò impteſſe fœnerat, opinor, non, bono commercio. Teneo quidem ex Tertulliano, quòd caro dicitur *ipſius animæ Collega.* Quo forſan adludit Iſidorus de Ioſepho ſic fatus: *Ioſeph Patris cæleſtis vices geſſit..... Beatiſſimæ Reginæ mundi coniugis ſuæ Collega fuit, atque Angelicæ maieſtatis ſublimitatem attigit.* Nimirùm in hoc *Collegio,* ſicut caro dicitur animæ *Collega,* quia carnis appetitiones tranſmittit in animam: *ſiquidem in carne, & cum carne, & per carnem agitur ab animâ, quod geritur in corde:* ſimilem ad modum, licet è diuerſo, Ioſephus dicitur Deiparæ Collega, & ipſa Deipara ſponſi Ioſephi *Collega* nominatur. quaſi vterque alteri de virtutum arcano commercio, puriſſimos ſuggerat cogitatus, exemptos à *terreni cenſus carne.* Vndè poſtquam Ioſephus dicitur Virginis Deiparæ *coniugis ſuæ Collega,* de eo confeſtim ſubditur, quòd *Angelicæ maieſtatis ſublimitatem attigit.* quaſi Virginis *coniugis ſuæ Collega* factus, velut carnem deſueſcens, & Marianæ puritatis nitorem, & Angelicæ puritatis priuilegium feliciter mutuarit, qui Beatiſſimæ Reginæ mundi *coniugis ſuæ Collega fuit.* Ecce tibi Virginis Deiparæ & puriſſimi Ioſephi connubium, non modò *ſanctitatis,* ſed purioris etiam virginitatis *Collegium* ritè poterit nuncupari. O ambiamus in hoc virgineæ puritatis *Collegio* (vt vt poſſumus) adoptari.

Tertull. de Reſurr. carn. c. 15.

Cerda ibi. in Explicat.

Tertull. l. de Carn. Chriſti c. 16.

*Deipara dicitur Ioſephi collega, & Ioſephus collega Deiparæ nominatur, & quo ſenſu*

Iſid Iſolanus 2. p. 11.

Geneſeos 49. morti proximus Patriarcha Iacob, Iacobææ familiæ vltimum vale dicens, ſingulis filiis ſingularum tribuum Patriarchis benedixit. Cùm autem ventum eſt ad ſuum Ioſephum, ſic prophetat: *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, & decorus adſpectu.* Hebraicè ſic locus effertur: *Filius fructifer Ioſeph, filius fructifer.* Vel *Creſcens iuxta fontem,* vel *iuxta oculum.* Appoſitè Bernardus homil. 2. ſuper Miſſus eſt, Ioſephum Patriarcham Sancto Ioſepho Virginis Deiparæ ſponſo, in multis luculenter aſſimilat. Ceterùm cùm potiſſimum illius Ioſephi elogium à caſtitate fuerit, vtriuſque pudicitiam his verbis componit: Ioſephi, inquit, *illius caſtimonia magna fuit, quòd adulterium fugerit, huius multò maior, quòd virginitatem ſeruarit; ille dictus eſt Saluator mundi, quòd ab Ægypto famem depulerit, hic Pater Domini veri totius mundi Saluatoris eſt appellatus, quòd Matris Domini coniux fuerit.* Teneo ex Bernardo vtriuſque Ioſephi adſimilem fuiſſe pudicitiam; quin & noſtri Ioſephi caſtitas virginitatis nitore præcellit. Verùm de caſtitate Ioſephi Patriarchæ, qui Sancti Ioſephi typus fuit, ſic profundè Iſidorus Peluſiota ſcribit: *Vt quod verius eſt dicã, pudicitiæ Arbiter.........caſtitatis columnam poſteris erexit, & fratribus fame laborantibus nutricium ſeruauit, & Ægyptiis Præfectum deſignauit.* Num *Pudicitiæ Arbiter* dicitur Deus adſpectu ad Ioſephum? an Ioſephus ipſe! Porrò *Arbiter* in iure appellatur Iudex honorarius non à lege datus, ſed ab iis qui litigant, lectus; qui totius rei habet poteſtatem, dictus ab arbitrando. Nempe *Arbiter* eſt iudex honorarius, qui non tenetur ad legum apices, ſed pro ſuo arbitratu iudicat ex æquo & bono: vndè ſuper re illâ ſibi commiſsâ, perampla, & valdè libera eſt eius iuriſdictio; eſt enim illi exlex poteſtas. Scilicet Deus non tanquam iuſtus iudex, ſed tanquam iudex honorarius ſeu *Arbiter,* pudicitiæ ſtudium, & rem pudicitiæ noſtro Ioſepho ſic largè velut effusè, ac immeritè donauit, vt *pudicitiæ Arbiter* nominari præ liberalitate poſſit. S. Ioſephus virgo fuit, mitigatum vel extinctum habuit concupiſcentiæ fomitem: & de familiari conuictu cum virgineo infante Deo, & Deiparâ Virgine eius ſponſâ, *iuxta oculum,* vel potiùs *iuxta fontem* puritatis *creſcebat* nouo virginitatis auctario.

6. Gen. 49 v. 22. Hebræos.

S. Bernard.

*Quo ſenſu Deus adſpectu ad Ioſephum dicatur, Pudicitiæ Arbiter.*

S. Iſidor. Peluſ. l. 2. epiſt. 136.

§. CCCXCVII.

## ſ. CCCXCVII.

### *Quàm ſit Ioſephi præcelsè auguſtum, quòd Chriſti Dei Pater appelletur.*

1.
Lucæ 2. v. 48.

NOtiſſima Deiparæ vox eſt ad duodennem Ieſum: *Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Quo etiam *Parentis* nomine ſæpè eum Euangeliſta Lucas indigitat. Forſan aliquis laudum Ioſephi auaros putet Euangeliſtas, qui eum appellaſſe *iuſtum* contenti, ab ampliori commendatione ceſſarunt. An non decebat, vt quem Chriſti Dei *Patrem* nominarunt, tanto nomini condigna merita prædicatione adſtruerent? Imò in tanto Euangeliſtarum ſilentio, vndè fundabit pia Concionatorum ſubtilitas tot laudum encomia, quæ argutè de Ioſepho digniſſimè prædicat? Profectò *malè pertinax diſtrictio eſt, quæ meritum in parente conſiderat*, dixit aliorsùm Ennodius. Non quia Ioſephus ſit meritorum inops; ſed quia vel ſolum *Patris* Chriſti nomen, ſatis eſt virtutum, ſanctitatum, ac laudum fertile. Indè metiri liceat meritorum Ioſephi faſtigium. Profectò Ioſeph *vir* Deiparæ fuit, Chriſti Dei *Pater* nominatur, eâtque *vir ſui nominis.* Vbi hoc adeſt, alia elogia propemodùm vacant: nam *pertinax diſtrictio eſt, quæ meritum in parente conſiderat.* Vocabulum *Patris* Dei in Ioſepho audis? (an ſit exocca vox, & merum de exiſtimatione nomen, re prorsùs vacuum, nuper agebamus) ſuperuacaneum ergò puta, meritorum Ioſephi apices referre, auctoritatem fundare, dignitatem percenſere: nam hoc auguſtum *Patris* nomen, Ioſephi laudum cenſus eſt, gratiarum conceptaculum, & ſanctitatum, omnium officina. O qualis, quantuſque eſt, qui habetur dignus, vt Chriſti Dei *Pater* nominetur! qui dignè geſtat nomen *Patris* adſpectu ad Dei, ac Deiparæ Filium: qui non degenerat à tanti generoſitate vocabuli, & ſi generationis vacui. Sola etiam *Patris* Chriſti Dei nomenclatura, grande *nominis Sacramentum* eſt.

*Vel ſolum Patris Chriſti nomen, meritorum ſertax cenſetur.*

S. Ennod. l. 3. Epiſt. 24.

Auctor ſuprà §. 394. toto §.

2.
Matth. 1. v. 18. & 19.

Matthæi 1. *Cùm eſſet deſponſata mater eius* (Ieſu) *Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto. Ioſeph autẽ vir eius cùm eſſet iuſtus*, &c. Rectè cùm Ioſephus dicitur Sponſus Deiparæ *iuſtus* nominatur, quaſi indè ſanctitatem cumulatiùs mutuarit. Quâ de re ſic ad rem præſentem opportunè contra Heluidium Hieronymus fatur: *Tu dicis Mariam virginem non permanſiſſe: ego mihi plus vendico, etiam ipſum Ioſeph virginem fuiſſe per Mariam, vt ex virginali coniugio virgo Filius naſceretur.* Tantâne fuit Mariæ puritas, & virginitatis nitor, vt exundaret in ſponſum Ioſephum, adeò vt à Sponſâ virgine virginitatem ipſe mutuarit? Quorsùm tam ſtudioſè expetitur tam exquiſitus virginitatis ſplendor in vtroque ſponſo? Audi ſingularem rationem Hieronymi: *Vt ex virginali coniugio virgo Filius naſceretur.* Numquid non tantùm Mariæ, ſed & Ioſephi etiam virginitatem Chriſtus Deus quodammodò hauſit, atque expreſſit? Ita velut adulatur ſibi Chriſtus de Ioſephi puritate? tantíſne æſtimat æſtimatum parentem moribus referre? Sic virgo Filius Deus naſcitur ex virginali Mariæ ac Ioſephi connubio? *Ex* Mariæ ac Ioſephi *virginali connubio virgo Filius naſcitur.* O qualis eſt dignitas virginitatis Ioſephi, quæ ex Deiparæ ſponſæ virginitate, in ipſum copioſè exundare perhibetur, quaſi aliqua puritatis Marianæ portio foret!

S. Hieron.

*Num Ioſephi virginitatem hauſit Chriſtus eũ nomine Filij?*

*Ipſa Deipara virginitas in Sponſum Ioſephum exũdat.*

3.
Lucæ 3. v. 23.
S. Iuſtin. q. 133.

Lucæ 3. *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta, vt putabatur, Filius Ioſeph, qui fuit Heli*, &c. Quæ verba his verbis Sanctus Iuſtinus martyr exponit: Quemadmodum, inquit, Ioſeph vocatus eſt Heli filius, non autem ex eo genitus, quia diuinæ legi ita placitum fuit ex vxore Héli dare ei filium: *ad eundem modum Deo viſum eſt, ex coniuge Ioſeph Filium dare eidem Ioſeph, naturaliter ex eo non genitum. Nam id quod ex muliere quâpiam abſque ſtupro & fornicatione progignitur, neceſſariò viri & vxoris filius eſt: cuiuſmodi ratione Deus dare vult Filium viro: per copulationem videlicet, vel citra copulationem.* Videtur adludere Iuſtinus ad opinionem Lucæ Bruxenſis, quam ex Auguſtino roboratam, nuper retulimus §. 394. vbi dicitur Ioſephus non tantùm putatitius, ſed etiam *proprius* ac *legitimus*, & ſi non naturalis Chriſti pater: *ſine commixtione carnis, ipsâ copulatione coniugij* (vt inibi loquitur Auguſtinus) *& ob hoc etiam Chriſti Pater multò coniunctiùs, quia ex eius coniuge natus ſit, quàm ſi eſſet aliundè adoptatus.* Porrò ſicut quod in vineâ, aut fundo tuo naſcitur, tuum eſt: ita quod de Virgine Mariâ, verâ Ioſephi vxore, (& erunt duo in carne vnâ) *abſque ſtupro aut fornicatione progignitur*, Ioſephi eſt. Itáne Chriſtus Deus erit Ioſephi poſſeſſio? *Eius denique ſit poſſeſſor, cuius non fuerat conditor*, dixit aliorsùm opportunè Seleucienſis Baſilius. O Ioſephum, opulentiſſimum virum, & Paternitatis titulo totis cæli gazis prædiuitem, qui totum Chriſtum Deum, quem non *condidit* ad naturam, *poſſidet* ad gratiam, potitur ad gloriam!

S. Auguſt. inibi relatus, & expenſus.

*Num Chriſtus Deus Ioſephi poſſeſſio eſt, arcano Paternitatis iure?*

Baſil. Seleu. orat. 1.

4.
Lucæ 2. v. 48.
P. Salm. tom. 3. Tract. 30.

Lucæ 2. Et dixit Mater Ieſu ad illum: *Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Grande quidem Ioſephi elogium Chriſti Dei Patrem modo præſcripto nominari! Adeò vt dixerit P. Alfonſus Salmeron: *Verè Ieſus-Chriſtus Ioſephi ingenium, ac proprietates referebat; quia ſimiles effectus à cauſa* (ſuperiori & increatâ) *iis, qui item à ſecunda, producuntur.* Magnus hic Auctor religione pariter ac eruditione celebris, manifeſtè inſinuat Spiritum-ſanctum (cui peculiariter adſcribitur arcana Chriſti Dei generatio in virgineo Mariæ vtero) velut vicarias Ioſephi vices egiſſe in Chriſti productione. Nam cùm ſecundum naturæ ordinem filius ex vxore gignendus, mariti operâ procreandus ſit, & Spiritus-ſanctus vi ſupernaturali operatus ſit, quod vir erat naturaliter operaturus, exindè videtur factum, vt & Spiritus-ſanctus fuerit velut ſubſtitutus & vicarius Ioſephi operator; & ſimul vt produxerit Chriſtum, & ſi non Ioſephi imaginem, ſaltem valdè Ioſepho ſimilem, & in corporis lineamentis qualis ſecundum naturæ curſum futurus erat Ioſephi filius. Nam cùm Deus aliquid ſupernaturaliter operatur, imprimis ſtudet illud producere non abſimile ei, quod naturaliter foret producendum. Quid tam ſublime ac præluſtre dici potuit de Ioſepho, quàm ipſummet Spiritum-ſanctum velut geſſiſſe illius vices, & in arcanâ

*Num Spiritus-ſanctus ſubſtituit Ioſephi vices, tãquam eius vicarius?*

*Ioſephi ingenium, & proprietates Chriſtus referebat.*

Chriſti Dei è Mariano vtero productione, tanquam Ioſephi vicarium, aut ſubſtitutum fuiſſe? Indè deducit P. Salmeron, quòd *verè Chriſtus ingenium, & proprietates Ioſephi referebat.* Scilicet Chriſtus in diuinitate idem eſt cum Patre Deo; in proprietate perſonali non eſt illi ſuppar; in humanitate verò quamſimilis fuit Ioſepho eius *Patri*, etſi non naturali, *proprio* tamen ac *legitimo*, vt loquitur Bruxenſis. Quid tam præcelsè auguſtum dici, excogitaríve poteſt de Ioſepho, quàm Chriſtum Deum, quà homo eſt, bonitate indolis, ingenij præſtantiâ, naturæ probitate Ioſephum parentem expreſſiſſe?

Bruxenſ. in c. 1. Matth.

5. Redeant iterùm eadem verba ex Lucæ cap. 2. *Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Vis noſſe quàm fuerit *iuſtus* Ioſeph, & quàm excelsâ fuerit virtute cumulatus? cogita virum eſſe Mariæ Deiparæ, & indè Chriſti Dei, etſi non naturalem, putatitium tamen, ſeu legitimum *Patrem*. Profundo ſtylo dixit Tertullianus: *Ergò facies erit Filij Pater.* Scilicet Chriſtus verus Deus, & verus homo eſt: igitur Chriſti *facies* quà Deus eſt, Pater æternus eſt; quà homo, Ioſephus eſt: nam *facies erit Filij Pater*: Facies pulchritudinis ſedes eſt, & hominis notio, quin & nota reliqui hominis, qui ex facie cenſetur. O ſublimiſſimam meritorum Ioſephi dignitatem! Profectò *facies occultorum ea quæ apparent.* De Ioſepho autem ita ſcribit Gerſon: *De Ioſeph aſt ratio ſuadet, ſua quòd facialis forma, leſu formæ ſimilis reputanda fuiſſe, eſt. Si non quo pacto Pater eius creditus eſſet? qualiter omninò Matris ſaluaſſet honorem?* Profectò ſi Chriſtus Deus fuit ſpecioſus formâ præ filiis hominum, aduerte hâc eximiâ formæ venuſtate, velut filius *Patrem*, referre Ioſephum: Ioſephi enim *formam, ingenium, & proprietates* Chriſtus referebat. quod eſt pulchrum Ioſephi elogium.

Lucę 2. v. 48

Tertull. ad. Praxe. c. 14.

*Ioſeph Chriſti Dei facies dicitur? quia eius Pater nominatur.*

Tertull. l. 1. de Anim. c. 18.

Gerſon in fine Ioſephinæ.

6. Lucæ 3. vbi vox Patris Dei de cælo facta eſt: Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi. Confeſtim ſcribit Euangeliſta: *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta, vt putabatur, filius Ioſeph.* Scilicet cùm Chriſtus Deus à Deo Patre tanquam verus ac naturalis filius palam agnoſcitur, protinùs additur, quòd idemmet Dei Patris Filius, *putabatur filius Ioſeph.* Quorsùm tam confinis vtriuſque *Patris* mentio? Opinor, non vacat eruditionis ſacramento. Quâ ſuper re ita Iſidorus philoſophatur: *Fuit pia, & religioſa Ioſephi conuerſatio, qui Chriſto Deo vero dies & noctes ſeruiebat: fuit denique diuina officio, habitatione atque coniugio: geſſit enim perſonam Dei Patris, omnium conditoris per Verbum, dum eiuſdem Verbi incarnati putabatur eſſe Pater.* Ecce tibi pia Ioſephi conuerſatio, *diuina officio* perhibetur: cum tribus enim diuinis perſonis quoddam habens arcanum ſublimiter commercium. Nam primò diuini Verbi in ſuæ ſponſæ virgineo vtero corporati, *Pater* putabatur. Dein (vt præſcripſimus num. 4.) Spiritus ſanctus, cui Myſterium Incarnationis adſcribitur, velut vicarias Ioſephi vices, & ſubſtitutam eius operam nauaſſe perhibetur. Nunc autem de Ioſepho altè dicitur, quod *geſſit perſonam Dei Patris, dum eiuſdem Verbi incarnati putabatur eſſe Pater.* Sic conuerſatio Ioſephi *diuina officio* cenſetur? Omnium omnipotenter Conditoris vices gerere Ioſephus dicitur, quia incarnati Verbi *Pater* eſſe putatur?

Lucę 3. v. 23

Iſid. Iſolan. 1. p. c. 16.

*Ioſephus perſonam Dei Patris geſſiſſe perhibetur, & quo ſenſu.*

7. Matthæi 1. *Chriſti autem generatio ſic erat: Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto.* Sollerter Euangeliſta ſatagit, non Mariæ duntaxat, ſed etiam Ioſephi virginitatem in Chriſti Dei humanâ generatione vindicare, notanter aiens, *Antequam conuenirent*, & ſtatim, *In vtero habens de Spiritu-ſancto.* Deipara porrò Mater Dei reipsâ erat. Ioſephus autem Chriſti Dei *Pater* erat nominandus, & de vtriuſque virginitate cenſendus. In aliis coniugibus de corporum commercio fœcunditas exiſtit; in Deiparâ verò, & Ioſepho, fœcunditas diuinæ prolis arcanè fertilis, in virginitate deputatur: quò ergò Ioſephus Chriſti Dei *Pater* dici poſſit, virgo priùs adſtruitur. *Gaude itaque Ioſeph,* (ait S. Auguſtinus) *nimiùmque congaude virginitati Mariæ, qui ſolus meruiſti virginalem affectum poſſidere coniugij: quia per meritum virginitatis ita ſeparatus es à concubitu vxoris vt Pater diceris Saluatoris.* Quod luculentiùs, & explicatiùs mox his verbis ediſſerit Auguſtinus: *Habe Ioſeph cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum: quia de virgineis membris virtus naſcitur Angelorum. Sit Maria ſponſa Chriſti in carne ſua virginitate ſeruata: ſis autem & tu Pater Chriſti curâ caſtitatis, & honorificentia virginitatis: vt de virgineis membris Genitricis ſeculis Chriſtianis nulla ſit zelotypia.* Profundè quidem Mariæ Deiparæ, ac Ioſepho ſponſo *communis virginitas* deputatur, vt Chriſti Dei *Pater putetur* Ioſephus. *Sis & tu* (ô S. Ioſeph) *Pater Chriſti cura caſtitatis, & honorificentia virginitatis.* Nimirùm puriſſima Ioſephi virginitas, auguſtum etiam nitorem, & conſummatam perfectionem à Deiparæ virginitate fœneret, quaſi vna virginitas in duobus deputetur; quia virginitas in Ioſepho eſt opulentus huius Paternitatis cenſus: nam de *honorificentia communis virginitatis* Ioſephus *Chriſti Pater* cenſetur. De hâc *ſeculorum zelotypia* alibi forſan.

Matt. 1. v. 18.

*De honorificentiâ communis virginitatis cum Deiparâ, Ioſephus Chriſti Pater cenſetur.*

S. Aug. Ser. 15. de Natiu. Domin.

*Virginitas Mariæ & Ioſephi arcet ſeculorum zelotypiam.*

---

## §. CCCXCVIII.

### *Sanctus Ioſephus & Deiparæ virginitatis, & myſterij Incarnationis Aſſertor nominatur.*

1. Altè Ioannes in ſui Euangelij auſpicio tonat: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Cùm λόγος apud Græcos (vt inibi noſter Cardinalis Toletus adnotauit) multiplicem habeat ſignificationem, factum eſt, vt non omnes eodem modo hanc vocem interpretentur. Vulgatus *Verbum* excripſit: Hilarius, Ambroſius *Sermo* habent. Tertullianus lib. aduerſ. Praxeam, ait: *In principio erat Ratio.* Non voco ad examen, quænam harum præſtantior excriptio, quod olim copioſè inibi præſtabamus. Nunc autem cùm verſamus myſterium Virginis, quandò diuinum Verbum in virgineo eius vtero per Incarnationem ſeipſum conuiſceraủit; eíque Ioſephus in ſponſum, & adminiſtrum deſtinatus eſt; vt explicatiùs res traderetur, non tam *Verbum*, quàm *Ratio* à Tertulliano nominatur. Quò adludere videtur Metaphraſtes Orat. de Educat. Mariæ, aiens: *Inuentus eſt itaque Ioſeph, qualem quærebat ratio.* opinor, non

Ioann 1. v. 1.

Card. Tolet. Annot. 1.

S. Hilar. l. 2. de Trinit.

S. Ambr. de Fide contr. Aria. c. 2.

Tertullian.

Metaphraſt.

ron tantùm humana, ſed diuina etiam *Ratio.*

*Inuentus eſt Ioſephus, qualem quærebat ratio.*

Nimirùm cùm Deus Verbum Ioſephum deſtinat in Matris ſuæ ſponſum, adoptat ad Patris ſui nomen, eligit ad infantis Dei, & Matris Virginis, miniſteriale obſequium, non dictum eſt, *Inuentus eſt Ioſeph,* qualem *Verbum* quærebat, ſed *qualem quærebat Ratio*, quò præluſtrior Ioſephi dignitas, & ſublimiſſimum conſummatè meritum explicatiùs denotetur. Porrò *τὸ quærere,* & *inuenire*, diligens ſtudium, & ſolertem diligentiam, ex ſuæ ſignificantiæ energiâ importat. Itaque Ioſephus ad hæc munia *quæſitus, inuentus* eſt, qualem Deus *Ratio* inuenire optaſſet ad myſterium virginis, & Verbi corporandi ſacramentum: cui & honeſtas myſterij, & ſponſæ Deiparæ fama crederetur. Tantùm Ioſepho licet, vt Deum habeat quæſitorem! qui talis, tantuſque eſt, qualem quærebat Deus *Ratio*, in ſuæ Virginis ſponſæ vtero corporanda; quò humanæ maledicentiæ ſuſpiciones, & rumuſculos procul arceret.

2. Matth. 1. v. 19.

Matthæi 1. Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto *Ioſeph autem vir eius cùm eſſet iuſtus,* &c. Quarè Euangeliſta Matthæus, contentus de ſolâ *iuſtitiâ* Ioſephum laudaſſe, ipſius vlteriùs laudes minimè proſecutus eſt: Imò ſiniſtras Ioſephi ſuſpiciones ſcribens, expreſſum Ioſephi teſtimonium explicatiùs non ponit, ſed tectiùs ſupponit? An non è re Marianæ virginitatis foret, vt & Ioſephi ſanctitates ſumptuoſiùs prædicarentur, & expreſſum illius ſuffragium diſertè magis ſcriberetur?

*Num Ioſephus fuerit myſterij Incarnationis Aſſertor?*

S. Ambr. ibi.

Appoſitè Ambroſius ad præſcripta verba, *Ioſeph autem cum eſſet iuſtus,* ita ſcribit: *Et ideo* Euangeliſta *qui Incarnationis incorruptum ſuſceperat probare myſterium, non putauit vberiùs perſequendum virginitatis Mariæ teſtimonium, ne defenſor magis Virginis, quàm aſſertor Myſterij crederetur. Certè quandò iuſtum docuit Ioſeph, ſatis declarauit, quòd Sancti Spiritus templum, vterum myſterij, Matrem Domini violare non potuit.* Nimirùm id per Ioſephum præſtat Euangeliſta Matthæus, ne potiùs Marianæ virginitatis defenſor, *quàm Aſſertor myſterij crederetur.* Quaſi Ioſephus nuper ſuſpicioſus, poſtmodum aſſenſor egregius, fuerit *Aſſertor myſterij* Virginis, id eſt, dominicæ Incarnationis. O quantam Ioſephus auctoritatem veritatis Incarnationis in Virginis vtero conciliauit, illam à ſuſpicionum licentiâ vindicans; quandoquidem ipſe cum Euangeliſtâ, aut Euangeliſta per ipſum, *Aſſertor myſterij* nominatur. Porrò mariti nuper ſuſpicioſi ſuffragium in re vxorij pudoris, auctoratiſſimum eſt: quo imprimis vtitur Euangeliſta, vt corporati Verbi myſterium vendicet. Itaque Euangeliſta dicitur per Ioſephum, *Aſſertor myſterij* Incarnationis. Sed Ambroſio adteſtatur Chryſologus hâc de re ſic fatus:

*Ioſephus Marianæ Virginitatis Aſſertor.*

S. Chryſol. ſer. 145.

*Æſtuabat animus ſanctus negotij nouitate perculſus; ſtabat Spõſa prægnans, ſed virgo, ſtabat plena pignore, ſed non vacua pudore: ſtabat de conceptu ſollicita, ſed de integritate ſecura. Sponſus quid faceret ad iſta? Accuſaret de crimine? ſed erat ipſe innocentiæ teſtis. Culpam diceret? ſed erat ipſe Cuſtos pudoris. Vlgeret adulterium? ſed erat ipſe virginitatis Aſſertor.* Pulchrum ſanè Ioſephi encomium! quid enim laudatius, quàm dici Marianæ *virginitatis aſſertorem*? Quaſi ad hoc natus ſit Ioſephus, ad id ex vtero deſtinatus, vt eius negotium foret, Mariæ pudorem tueri, pudicitiam inculpatam, inſuſpectam ſeruare, & puriſſimam virginitatem *aſſerere.* Verùm cùm Deiparæ illibata ſemper virginitas ſit diuinæ Incarnationis nitor, quiſquis eſt Marianæ *virginitatis Aſſertor*, ſimul etiam ſit *myſterij* Incarnationis *Aſſertor*, neceſſe eſt. Hinc altè metiri liceat ſublimem Ioſephi dignitatem auctoritatemque, inter primas Ioſephi laudes glorioſiùs cenſendam.

Non latuit honeſtiſſimam virginem quali zelotypiæ angore charus Sponſus animitùs angebatur tumeſcente indies vtero præter Sponſi conſcientiam. Nec ignorabat, quàm ipſa ſiniſtris ſuſpicionibus dehoneſtari poterat: imò & deuenuſtari magnum Incarnationis myſterium. Verùm ore tacito, corde clamabat ad Dominum: *Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi.* Hebrææ voces pro quibus Vlgatus reddit, *arma & ſcutum*, ferè ſynonymæ ſunt. vnde nonnulli excribunt, *Apprehende clypeum, & ſcutum.* Alij *Apprehende ſudem*, ſeu *ſpinam, & ſcutum.* Eruditè inibi notat Lorinus noſter, poſſe etiam verti: *Apprehende clypeum & ſcutum meum.* Quod nam eſt hoc *ſcutum* Deiparæ, quo in tanto ſui ipſius, & arcani Incarnationis myſterij periculo, clypeari obnixiùs ſatagit? Tempeſtiuè Iſidorus de Sancto Ioſepho ita ſcribit: *Hic quoque Matris Virginis pudorem tutatus eſt tanta fide, & ſapientia, vt etiam intellectum Angelicum Diaboli obtenebrauerit. Videte, penſate, conſiderate quanta auctoritate apud Deum, & Angelos ſanctum effulſiſſe Ioſeph; quia altiſſimi myſterij Scutum fuit inexpugnabile. Legitimam Chriſti natiuitatem ab æterno Patre Angeli beati ſoli cognoſcebant; Ioſeph verò ex Matre temporali ortus legitimi Scutum fuit.* Altè igitur occlamat Propheta nomine Deiparæ afflictatæ ſui Ioſephi pœnaliſſimis ſuſpicionibus: ô Deus, *Apprehende ſcutum, ſcutum meum.* Suum dicit, quia Ioſephus *ſuus* erat Sponſus peramanter, dilectus. Bis etiam *ſcutum* expreſſit, quia Ioſepho velut *ſcuto* clypeanda erat eius virginitas, virginitatiſque fama, & etiam arcanum diuinæ Incarnationis myſterium. *Altiſſimi myſterij ſcutum fuit inexpugnabile: Matris quoque Virginis pudorem tutatus eſt* Ioſeph, vt inde *ſcutum* inexpugnabile ſuppetat, vnde ſuſpicati dehoneſtamenti impendebant minæ. Nam tetras ſuſpiciones, quas maritalis zelus armabat eiuſdem præclarum ſuffragium valentiùs exarmauit. O, quid timeat, qui Ioſephi protectione, tanquam geminato *ſcuto* clypeatur: Magnus ſane Ioſephus, qui pudoris Deiparæ, & myſterij Incarnationis & *Scutum* & *Aſſertor* glorioſè nominatur. 3.

Pſal. 34. v. 2.

Lorinus.

*Ioſephus, & Deiparæ pudoris, & myſterij Incarnationis ſcutum nominatur.*

Iſidor. Iſolan. 1. p. c. 4.

4. Matthæi 1. anxio Ioſepho ſic loquitur in ſomnis Angelus: *Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt, pariet autem filium: & vocabis nomen eius Ieſum.* Nimirùm Ioſephus excluſus ab Incarnatione Verbi in Sponſæ ſuæ vtero ineffabiliter peracta, idoneo tamen miniſterio cælitùs deputatur quod profundè Strabus Fuldenſis his verbis ediſſerit: *Vt enim non videretur Ioſeph ampliùs coniugio non eſſe neceſſarius, cum conceptio eſſet facta ſine eius auxilio, oſtendit, quod quamuis non ſit neceſſarius conceptui, tamen vtilis eſt procurationi; quia ipſa pariet Filium, & tunc Matri & Filio erit neceſſarius; Matri vt ab infamia defendat; Filio; vt eum nutriat.* Publicat Angelus reum eſſe, qui

Matth. 1. v. 20. & 21.

Strabus Intibi. in Gloſſa.

ex Deipara naſcitur,& Ioſepho indigere dicit? *Eſtne Ioſephus Matri Virgini,& Filio Deo neceſſarius?* Neceſſitas indigentiam arguit;eritne verè Deus, cui aliquis *neceſſarius* eſt?Deus,qui ſibi ſufficiens non eſt, Deus planè non eſt: nam præfert nomen Dei,re Deitatis vacuum,& plenum neceſſitate, quæ non eſt res Dei,ſed paupertinæ mendicitùs creaturæ.Nemo,nemo inquam, *neceſſarius* eſt ei,qui à naturâ ſuâ ſibi ſufficiens eſt, & nullius indigus, qualis eſt Deus, cuius potiſſimum elogium hoc eſt, & quo eiuſdem eſſentia cenſeri putatur. O humanitùs inſuſpicabilis Ioſephi dignitas, cuius alma Sponſa Virgo Deiparâ *pariet Filium* Deum,*& tunc Matri & Filio erit Ioſeph neceſſarius!* Nempè ſiquis poſſet eſſe *neceſſarius* ei;qui verè Deus eſt,& inde ſibi per omnia ſufficiens,maximè foret Ioſephus. Vſqueadeò eſt ſublimiſſimè arcana Ioſephi dignitas, præcelsè auguſtum Ioſephi meritum,& ſedulo actuoſa eiuſdem ſollertia! Nam cùm diuinum Verbum corporatur, & è Ioſephi ſponsâ Virgine Deipara naſcitur Deus-homo Chriſtus-Ieſus, *tunc Matri & Filio erit Ioſeph neceſſarius, Matri,vt ab infamiâ defendat; Filio vt eum nutriat.* Vide quàm egeant Ioſephi operâ,& Dei Mater, & eius Filius Deus-homo. Eſt enim Ioſephus *Scutum* Marianæ virginitatis,& myſterij Incarnationis idoneus *Aſſertor.* Eadem penè verba legere licet in Anſelmo,& in S.Thomâ inibi, ne quis in voce *neceſſarius* inerter peregrinetur. *S.Anſelm. S Thomas ibi.* Dicitur enim Ioſephus *neceſſarius* Chriſto Deo, non quà Deus, ſed quà homo eſt: egebat enim & bonâ Matris ſuæ famâ,& congruâ ad victum alimoniâ.

5\. Geneſeos 3.poſt funeſtam illam innocentiæ *Gen.3.v.24.* ſtragem, Protoparentes infidè præuaricatores eiecit Dominus Deus de paradiſo: *Et collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem,ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Moroſus eſſem, ſi probare adniteremur,Virginem Deiparam, *Paradiſi* nominæ impreſſiùs adumbrari: quis autem fuerit hic Cherubinus,cui paradiſi cuſtodia commiſſa eſt,his verbis tradit Iſidorus: *Iſidorus Iſol. 3.p.c.22.* *Memento ſacræ ſeriem Geneſeos, aſſerentem Deum poſuiſſe Cherubim, qui paradiſi terreſtris cuſtos foret, atque ſeruator: Reminiſcere quoque Virginem Matrem Paradiſi typo ſignatam, & Chriſtum lignum eſſe vitæ,quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* (Nota quæ ſubdit verba) *Porrò ſi iſthæc explorata creduntur veritatis, cur non Ioſeph Cherubim aſſerendus eſt, qui & Virginis ſanctiſſimæ, & Chriſti cuſtos à Deo immortali poſitus fuit?* ô bona emphaticè analogia inter Cherubinum Paradiſi cuſtodem,& Ioſephum, qui animati huius Paradiſi melioti cuſtodiæ præſidebat! *Ioſeph eſt Cherubinus Paradiſi cuſtos, Seraphicè tamen eũ cuſtodit.* Cherubinus ſapientiæ elogio excellit; tota Ioſephi Cherubica ſapientia huic Paradiſo cuſtodiendo ſollertiùs impenditur.Materiati paradiſi Cherubim, vnus plures cenſetur: Cherubicus autem Ioſeph,tanquam vnus plures,ad cuſtodiam Matris Virginis,& Filij Dei deputatur.Sic operosè incubuit ad tuendam Deiparæ famam, cuius *Scutum* fuit; & ad myſterij Incarnationis fidem, cuius *Aſſertor* perhibetur? Et quaſi parum foret huiuſmodi cuſtodiæ Cherubicam operam ſollerter impendiſſe, Seraphini quoque elogium mutuauit: Deipara enim *Seraphicè cuſtoditur*, ait Georgius Nicomedienſis alibi enucleatus; *Georg.Nic. Orat.de oblat.Deip.* vt ſapientiæ opinatiſſimo elogio, ſollicitæ cuſtodiæ amoroſum ſtudium non deeſſet. Fuit enim Ioſeph Marianæ cuſtodiæ,in ſcientiæ ſagacitate Cherubinus; in puro flammeæ charitatis ardore Seraphinus: nam qui adumbratus Cherubinus erat, Matrem Virginem,ac Filium Deum,& diuinæ corporationis myſterium *Seraphicè cuſtodiuit.*

Geneſeos 28. offenſi fratris minas metuens 6. Iacob, & nouus viator in Meſopotamiam pergens, *Gen.28.v.12.& 13.* *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram,& cacumen illius tangens cœlum........Et Dominum innixum ſcalæ.* Multa & ad litteram, & ad mores,olim,& nũc de hâc Iacobi ſcalâ ſublimiter dicta vbertim exundant. Rupertus autem *Rupert.* lib.1.in Matthæum,ſic ad thema præſens peridonè fatur: *Supremus ſcalæ gradus, cui Dominus innixus eſt iſte eſt Beatus Ioſeph,vir Mariæ, de quâ Ieſus natus eſt. Quomodò iſte Deus, & Dominus huic innixus eſt? Vtique tanquam tutori pupillus: quippè qui in hoc mundo ſine patre natus eſt;ita innixus eſt huic Beato Ioſeph, vt eſſet infantulo iſte pater optimus.* *Quo ſenſu dicatur Deus,Deiqué myſteria Ioſepho inniti.* Scilicet meditatur magnus hic Doctor genealogiam Chriſti Dei, quam longâ ſerie Euangeliſta denarrat, velut Iacobæam ſcalam; cumque in catalogi clauſulâ ſcribatur: *Matth.1.v.16.* *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de quâ natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus,* ſubtiliter hanc poſtremam maiorum recenſitionem in quâ Ioſephus ponitur,ſupremo ſcalæ gradui accommodat,cui Deus *inniti* dicitur, grandi ſanè elogio. quaſi ſummus Deus Ioſepho *inniti* dicatur. Ille enim Deus homo Chriſtus-Ieſus, in terris ſine patre natus, *innititur* velut filius optimo patre, quaſi pupillus tutore optimo:tanquam cui eius Mater Virgo Deipara, pudoris famam debet, tanquam fidei fulcro electiſſimo, & auctoratiſſimo, id eſt, myſterij Incarnationis(quod eſt rei Chriſtianæ ſumma) vindice, & *Aſſertore.* Sic, ſic inquam: *Deus & Dominus huic innixus eſt?* Quid ſublimius,quid auguſtius pro glorioſâ Ioſephi dignitate dici,excogitarive poteſt? ô qualis, quantuſqueeſt,cui Deus ipſe quodammodò *inniti* perhibetur!

---

## §. CCCXCIX.

### *Virgo Deipara, & eius Filius Deus:tanquam Sponſo,ac Patri,Ioſepho parent reuerenti obſequio: paret etiam Ioſephus Filio Deo,quem velut legem ſenſibus intimauit.*

Scitè Gennadius: *Volens Deus ampliori charitate virum vxori coniungere, feminam è latere viri formauit: vt quiddam æqualis honoris,* 1. *Gēnad. apud Caten in c.2.Gen.v.21.* *vnà tamen cum ſubiectione præſeferret. Nam ſi coſtam ex anteriori parte eduxiſſet, quaſi viro aduerſariam mulierem effinxiſſet;ſi verò ex poſteriori parte exemiſſet,nimio plùs mulier vilior extitiſſet.* *Vxor ſuperba eſt domeſtica hoſtilitas.* Nimirùm ſi è *poſteriori* viri parte mulier extracta foret, nimiùm apud eum viluiſſet; ſi verò ex parte *anteriori* eximeretur, inſolenter tumeſcens de præſtantiori materiæ portione, quaſi à ſubiectione nobiliter exempta, non tam conſortem, quàm *aduerſariam* effinxiſſet: nam vxoris arrogantia, hoſtilitas aduerſus virum eſt. *Per ſubiectionem ad Ioſephum,ſuam dignitatem Deipara honorat.* O nimis frequentem domeſticè hoſtilitatem,

nullis

nullis vnquam induciis mitigatam! Efformetur ergò mulier de latere viri, *vt quiddam æqualis honoris: vnâ tamen cum ſubiectione præſeferat.* Sic porrò eſt vxoribus cognata vitis *ſubiectio*, vt *æquali honori* nihil detrahat? Imò de *ſubiectione* vxoriam dignitatem honoret, & honorem è diuerſo nobilitet! ô nobile ſponſæ Deiparæ, & Filij Dei obſequium Ioſepho exhibitum!

2. Matthæi 1. *Cùm eſſet deſponſata Mater eius* (Ieſu) *Maria Ioſeph......Ioſeph autem vir eius cùm eſſet iuſtus.* Cùm dicitur Ioſephus Deiparæ Mariæ ſponſus, & *vir*, hoc vno verbo eius ſublimior dignitas, & auctoritas compendio declaratur. Quâ de re ita Gerſon ſcribit: *ô miranda prorſùs Ioſephe ſublimitas tua, ô dignitas incomparabilis; vt Mater Dei, Regina cæli, Domina mundi appellare te Dominum, non indignum putaris.* Nimirùm cùm Ioſephus dicitur Deiparæ *vir*, putà ſimul velut *Dominus* etiam nominatur (ſic Abrahamus à Sarâ, *Dominus meus* vocatur) Dominus inquam Mariæ, Dominæ mûdi, Deique Matris. O auguſtam Ioſephi dignitatem! (*Nam ſuſpecta eſt obedientia, quæ famulatur indignis*, eloquenter dixit Ennodius) *Quanta ô fiducia, quanta eſt vis impetrandi; quia dum vir, dum Pater orat vxorem, & natum, velut imperiũ reputatur.* Ecce tibi Ioſephi aut ſupplicationem imperialem, aut omnipotentiam ſupplicem. Vide hîc quanta ſit eius dignitas, quam princeps auctoritas; imò potiùs de auctoritate humilitas; & ipſum alieno ore audi dicentem ſponſæ Deiparæ, & Filio Deo: *Licèt parendi vobis, magis quàm iubendi habuerim voluntatem, mutaui tamen per officium perſonam, ſeruiendi animum non amiſi.* Vndè qui titulo Viri, & Patris nomine, tanquam familiæ herus illis poterat principari, miniſterialia officia, & officialia obſequia vltrò præſtabat vtrique.

Matth. 1. v. 18. & 19.
*Mater Dei, & mundi Domina, Dominum appellat Ioſephum.*
Gerſon ſer. de Natiuit. Virg.
Gen. 18. v. 12.
S. Ennod. in Panegyr.
Gerſon in Ioſephina.
*Ioſephi humilitas in tantâ dignitatis ſublimitate.*
S. Ennod. in vita Epiph. de eo loquens.

3. *Cùm eſſet deſponſata Mater eius* (Ieſu) *Maria Ioſeph*, &c. plures hîc cauſſas adaggerant Interpretes, cur non de ſimplici virgine, ſed de Virgine *deſponſatâ* Chriſtus Deus naſci maluerit. Haymon indidem hanc aliis aſſociat: *Secunda cauſſa eſt*, inquit, *propter quod Dominus voluit de deſponſatâ Virgine naſci, vt fugiens in Ægyptum Maria haberet ſolatium viri, qui eam duceret, & reduceret, & gubernaret.* Sic gratè placida eſt familiaris conuerſatio cum Ioſepho, vt Virgo Deipara, quæ crebra cum Angelis miſcebat colloquia; quæ paradiſeis gaudiis erat iugiter delibuta; quæ Filio Deo totius lætitiæ promptuario fruebatur in ſinu; Ioſephi *ſolatio* indigeat? Ioſephúſne is eſt, qui poſſit ad tot, tamque vberes lætitiæ cauſſas, aliquid noui gaudij Mariæ adiicere? Sic cœleſti gaudio vbertim exundat Ioſephus, vt glorias reuerberet in Mariam? *Vt Maria haberet ſolatium viri*, Ioſephi inquam. Addit ad rem: Et qui eam *gubernaret*. Illuſtre quidem Ioſephi elogium! *Gubernator* ne Mariæ Ioſephus dicitur? Ecce tibi peramplum Ioſephi regnum cui præeſt, & quod Ioſephus *gubernat*, ſcilicet Virgo Deipara Dei Mater, Angelorum hominumque Regina; & puerulus Ieſus, Dei, ac Virginis Filius. ô generoſum auguſtè imperium, quo Deo, ac Dei Matri Ioſephus principatur! Forſan vrbanius à Ruperto appellatur Ioſephus, *Mariæ miniſter*; à Theophylacto, *Curator*, *Procurator* ab aliis: & tamen ab Haymone Ioſephus audaciuſculè *Gubernator* dicitur. Num *Gubernatore* eget, quæ in ſinu ſuo portat corporatam Dei Sapientiam? Opinor, huius nominis ſacramento non tam Mariæ Virginis indigentia, quàm imperialis Ioſephi dignitas denotatur.

Matth. 1. v. 18.
Haymon.
*Ioſephus gaudia refundit in Mariam.*
*Eſtne Ioſephus Mariæ, ac Infantis Dei Gubernator?*
Rupert.
Theophyl.
Inibi.

Lucæ 2. inuento Ieſu duodenni poſt triduum in Dei templo, dixit Mater eius: Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce *Pater tuus*, & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid eſt quòd me quærebatis? *neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.* Et ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos. *Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth: & erat ſubditus illis.* Nec vacat, nec iuuat ad litteraliſſimum examen vocare Bernardi opinionem, qui Serm. 19. in Cantica cenſet Ieſum, non ſponte ſuâ, ſed parentibus eum vrgentibus, ad vrbeculam Nazareth cum eis rediiſſe: *Cùm remanſiſſet*, inquit, *in Ieruſalem, & dixiſſet, In his quæ Patris ſui erant, oportere ſe eſſe, non acquieſcentibus parentibus eius, ſequi eos in Nazareth non deſpexit, magiſter diſcipulos, Deus homines, Verbum & ſapientia fabrum & feminam.* Scilicet quemadmodum Chriſti erga Patrem Deum obedientia mirè commendatur, cùm licèt de humanitatis voto, & affectu, Paſſionis calicem à ſe tranſire cupiens, nihilominùs dixit, Non mea, ſed tua voluntas fiat, quæ fuit perfectioris obſequij meta, ſic etiam adſimilem obedientiæ ſubiectionem contemplatur Bernardus in Chriſto adſpectu ad Deiparam & Ioſephum, eius *parentes*: nam ipſis *non acquieſcentibus* inſinuatæ eius voluntati, *ſequi eos in Nazareth non deſpexit*, ſed eis ad nutum obſequentiſſimè in omnibus paruit. Quod diſertè (nuncupatim de Ioſepho) ipſe Ieſus apud Iſidorum Iſolanum his verbis expreſſit: *Ego conuerſatus ſum cum Ioſepho in omnibus, ſicut ſi eſſem Filius eius, & eram per omnia ſicut ipſe & obediebam ei in omnibus, nec vnquam tranſgreſſus ſum verbum illius, & eram ſubditus illi, ſicut filij parentibus; & diligebam Ioſeph valdè, ſicut pupillam oculi mei.* Ergò cùm Ieſus duodennis inſinuaret, ſe velle Ieroſolymis manere, *non acquieſcentibus parentibus eius* Mariâ, & Ioſepho, illis tamen obſequenter paret: nam Ioſepho *obediebat in omnibus, nec vnquam tranſgreſſus eſt verbum illius*, quæ eſt obedientiæ ſumma. Quod autem præmittit, *Et eram per omnia ſicut ipſe* Ioſephus vberiorem exigit expenſionem, quàm tranſcurſus permittit: digitum nunc intendiſſe ſufficiat.

4.
Lucæ 2. v. 51.
S. Bernard.
*Chriſtus Ioſepho per omnia obedit, etiam cùm velle ſe aliud facere inſinuaſt.*
Iſid. Iſolan. part. 4. c. 9.
*Chriſtus dicitur per omnia Ioſepho ſimilis?*

5. Adhuc licet præſcripta Lucæ verba enucleatiùs emedullare. Dixerat Virgo Deipara Ieſu duodenni: Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce *Pater tuus*, & ego dolentes quærebamus te. Poſt pauca ſubditur: *Et deſcendit cum eis, & erat ſubditus illis.* Græcè *ſubiectus*, nempè quoad humanam naturam, quam à Matre hauſerat. Expenſione digniſſimum eſt, quòd cùm multa vſque ad hanc duodennem ætatem Euangeliſta denarrauerit, hinc vſque ad trigeſimum annum omnia alta obuoluat taciturnitate. Quod ſententiosè his verbis inibi obſeruauit Cornelius *Multa egit, multa dixit Chriſtus per triginta annos, ſed hæc omnia hac gnome concluſit Lucas: Et erat ſubditus illis.* Nimirùm tot Chriſti Dei dicta, geſtáque per duo de viginti annos, contentus hac gnome Euangeliſta concluſit, *Et erat ſubditus illis*, vt tot anni & ſubiectioni Chriſti Dei, & dignitati ac imperio Ioſephi deputentur. Cupis noſſe quid tot annis & dixerit, & egerit Chriſtus? ſcilicet

Lucæ 2. v. 51.
*Totis duodeuiginti annis Chriſti ſubiectio fundat ſublime Ioſephi dignitatem.*
Cornel. ibi.

propriâ ſubiectione dignitatem,& auctoritatem Ioſephi altiùs fundare, & ſublimiùs extollere: *Omnia hæc gnome concluſit Euangeliſta*: *Et erat ſubditus illis*: erat enim Ioſephus & ſponſæ Deiparæ,& Chriſti Dei *Gubernator*. Et, vt opportunè dixi Chriſtophorus Capitefort. in lib. de Virginitate Mariæ, loquens de Ioſepho: *Hic certè dignus erat, qui etiam totius mundi curam haberet, ſiquidem ei Filius Dei ſubditus fuit, & eum Mater Dei tenerrimè dilexit, vt ſponſum agnouerit, & vt Dominum coluerit.* Ecce tot annis Ieſuanæ œconomiæ facies nempè Ioſephus à ſponsâ Deiparâ tanquam *Dominus* colitur; & *ei Filius Dei ſubditus fuit*: exindè tantâ peritiâ, ac dignitate præcelluit, vt *certè dignus fuerit, qui etiam totius mundi curam haberet.*

Chriſtoph. Archiepiſc.

6. Eſther. 8. v. 2. & c. 9. v. 4. Eſther 8 de Mardochæo Ioſephi vmbrâ, ita ſcribitur: *Tulit itaque Rex annulum, quem ab Aman recipi iuſſerat, & tradidit Mardochæo.* Et cap. ſequenti: *Quem* (Mardochæum) *Principem eſſe palatij, & plurimum poſſe cognouerant*, &c. Princeps palatij eſt Ioſephus, cui figuratus Aſſuerus, Chriſtus Deus inquam; & figurata Eſther, nempè ſponſa Deipara ad nutum parent: *Et erat ſubditus illis*. Verè olimpij *palatij Princeps*, cui ſignatorius *annulus* traditus eſt: neque enim tantùm in terris, ſed in cœlo etiam paternâ auctoritate, & ſupplici omnipotentiâ principatur. Tempeſtiuè S. Thereſa ſcripſit in lib. ſuæ vitæ cap. 6. his verbis, quæ Latina fecit Nouarinus: *Significare vult Deus omnibus patrocinium ſanctiſſimi Ioſephi implorantibus, quòd ſicut ipſe in hoc mundo viuens factus homo, voluit ſubditus eſſe Ioſepho, & eius obedire mandatis, ita etiam in cælis ad dexteram Patris glorioſus exiſtens, nihil ei pro nobis interpellanti negat, quinimò libentiſſimè omnia concedit.* Profectò comparationis energia, plus ſignificat, quàm dicit. In luteâ Nazarethi caſulâ, Ioſepho Ieſus *ſubditus erat*: an etiam ſic eſt empyrei *palatij Princeps*, vt Chriſtus Deus ad dexteram Patris glorioſè ſedens, illius piæ ſemper petitioni, velut adhuc ei *ſubditus* obtemperet? Auguſtior ſanè auctoritatis honor, & pius dignitatis faſtus. Tantùm vel exiſtimatæ Dei paternitati licet!

Num Chriſtus in cælo glorioſus, adhuc Ioſepho ſubditus ſit? Nouar. l. 4. Vmbr. Virg. n. 1113.

7. Matth. 2. v. 24. Perfecta Ioſephi obedientia. Profectò cui Chriſtus Deus *ſubditus*, ſeu *ſubiectus* erat, nil mirum ſi ipſe perfecto imprimis obſequio paruiſſet. Matthæi 2. *Exurgens autem Ioſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini.* Parùm foret, ſi Euangeliſta dixiſſet: Fecit Ioſephus quod præcepit ei Angelus Domini, ſeu Dominus per Angelum. vt aliàs aliorsùm adnotabamus & inibi acutè notauit Paſchaſius: *Nimirùm hìc iuſti Viri perfecta deſcribitur obedientia, dum dicitur: Fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini. Quia niſi fiat ſicut præcipitur, & non aliud quàm præcipitur, & tum fiat quandò, vel vbi præcipitur, obedientia vera eſſe non poteſt.* Fallor, niſi in ſingulare Ioſephi obſequium apprimè quadrat, quod aliàs monet Tertullianus, nempe, *Senſibus quoque intimandum Dominum.* Vulgaris expoſitio eſt, *Senſibus* liberè vagis Chriſtum, tanquam *Dominum*, ſeu eorum *legem intimandum*. Cæterùm emphaticè loquitur Tertullianus ſuo minimè vulgari ſtilo; & τὸ *intimare*, quod plerumque de legibus dicitur, accipit (vt ibi obſeruat Rhenanus) pro *incorporare*, ſeu *intimè penetrare*. Scilicet ſponſa Ioſephi Virgo Deipara conuiſceratur Filio Deo, quem de ſuis viſceribus genuit, & in ſuo vtero portabat. Ioſephi autem, qui pater naturalis non erat, idem Filius Deus, & omnium Dominus, ſaltem *ſenſibus* tanquam *Dominus*, & velut *lex intimatur*, vel potiùs *incorporatur*, ſeu *intimè penetratur*. Nempè Ioſephi oculis ſæpè videndo, velut oculorum lex *intimatur*, ſeu *incorporatur* Chriſtus *Dominus*; tactu igremij blanditiis; & oſculi attactu; auribus crebrò inſonans familiaris eiuſdem vox: & infans Deus cælum fragrans, odoratui Ioſephi intimè *penetratur*. Exinde Ioſephi *ſenſibus dominus* tanquam eorum lex *intimatur*, id eſt, *intimè penetratur*, ſeu, *incorporatur*. Adeò vt Chriſtus Deus, velut *Dominus*, & viua *lex*, Ioſephi *ſenſibus intimatus*, ſeu *incorporatus* ſit.

Paſchaſ. ibi.

Chriſtus Dominus velut, lex intimatus, vel incorporatus Ioſepho dicitur, & quo ſenſu. Tertull. l. de Reſur. carn. c. 40. Rhenanus.

## §. CCCC.

### In ſiniſtris Ioſephi ſuſpicionibus, & ipſius gloria tranſparet, atque è diuerſo pulchrum Mariani pudoris ſuffragium.

Virginis Deiparæ exiſtimata vox eſt, S. Brigittæ calamo deſcripta: *Poſtquam conſenſi nuncio Dei, Ioſeph videns vterum meum Spiritus-ſancti virtute intumeſcere, expauit vehementer, nec ſuſpicatus contra me aliquid ſiniſtrum, ſed recordatus dicta Prophetarum prænunciantium Filium Dei naſciturum de Virgine, reputabat ſe indignum tali ſeruire Matri donec Angelus in ſomnis præcepit ſibi non timere, ſed cum charitate mihi miniſtrare.* Quod ſiniſtra Ioſephi ſuſpicio videri poſſet (dum, quia Ioſephus nolebat Sponſam traducere, voluit occultè dimittere eam) hìc dicitur *timor*, *vehemens pauor*, ſeu ſtupor, quia quam virginem bene nouerat, grauidam peruidebat. Pergit inibi: *Fui in mundo cognita ſoli Deo, & Ioſeph.* Grande quidem Ioſephi elogium, quòd Deipara Virgo eius ſponſa, ſoli Deo, & Ioſepho cognita fuit: cognoſcebat enim virtutum culmen, & ſanctitatum faſtigium, quo ſemper Maria præcelluit: ſed adhuc *videns vterum intumeſcere, vehementer expauit*; & virgo Sponſus de Sponſæ virginis intumeſcente vtero anxiè adhuc æſtuabat. O qualis fuit Ioſephus in hoc angore, quem ſuſpicionem, aut dubium plures exiſtimant! nec ideò Marianæ puritati quicquam detrahunt, & Ioſephi virtuti ac gloriæ nimium adiiciunt.

1. S. Brigitta l. 7. Reuel. c. 25.

Virgo Deipara ſoli Deo, ac Ioſepho nota.

Matthæi 1. *Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto. Ioſeph autem vir eius cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Æſtuat præ angore Ioſephus, & æſtuantibus zelotypiæ fluctibus iactatus, medelam mitiſſimè occultam tacitus meditatur. Sponſæ vterus ſenſim intumeſcens, ſilenter loqui videbatur adulterium, inſuſpicabile quidem ipſi, cui ſoli, & Deo nota erat ſponſæ Virginis pudicitia, & ſanctitatum eminentia. Quod eleganti expenſione his verbis Auguſtinus elucidat: *Attendite, inquit, quemadmodum vir iuſtus Ioſeph, tanto flagitio, quod de vxore fuerat ſuſpicatus, tanta benignitate pepercit, antequam ſciret, vndè illa conceperat, quam grauidam ſenſerat, & ſe ad illam non acceſſiſſe nouerat.*

2. Matth. 1. v. 18.

Quid ipſe ſolus Ioſeph ſuſpicione ſenſerat, ipſe ſolus ſibi ſciebat.

S. Aug. Ser. 16 de Verb. Domini.

*rat. Reſtab it itaque certa adulterij ſuſpicio* ( Nota quæ ſub extr verba ) *& tamen quia ipſe ſolus ſenſerat, ipſe ſolus ſciebat.* Aitè quidem Auguſtinus de ſublimiſſimâ Ioſephi virtute! Quod ſiniſtrum *ipſe ſolus* Ioſephus de Sponſâ Virgine ſuſpicione *ſenſerat*, *ipſe ſolus ſciebat*, nemini rem communicauerat, occulto diſceſſu ſuſpectum ambiguè ſtuprum diſſimulare ſatagit. Huc tempeſtiue aduocare liceat, quod late expendebamus in Iudith cap.8. num 84. vbi ex Chryſoſtomo adnotauimus, ideò Angelum in ſomnis Ioſepho ſiniſtre ſuſpicanti apparuiſſe ad ſatisfactionem, vt quod ſenſibus ignorantibus voluebat mens, in mente dumaxat ſan.fi ret; ne vel ex ſatisfactione, ſuſpicionum ſiniſtteritas ſenſibus intimaretur. Et ſanè ideò etiam Incarnationem Verbi in virgineo Sponſæ vtero peractam, *in ſomnis Angelus* reuelat Ioſepho, vt eius menti duntaxat, non inſciis ſenſibus intimetur: quò Sponſus virgo Virginem Sponſam æmuletur, *quæ diuinum pignus ſic ſuo ſuſcepit, & ſeruauit in pectore, vt illud tota corporis externa neſcirent*, vt diſſerit eleganter Chryſologus.

Cur in ſomnis Angelus Ioſepho apparuit, gemina ratio. Auctor in Iudith.c.8. § 21. S.Chryſoſt. Matth 1.v. 20. S Chryſol. Ser.44.

3. Idem mihi Euangeliſta: *Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto. Ioſeph autem vir eius cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei*, &c. Vide hîc qualis fuerit Ioſephus in tanto ſuſpicionum æſtu, in ſæue fluctuante zelotypiæ angore, qui concibiloſum quemque virum, conſilij inopem reddere ſolitat. Tunc etiam meruit non modo confortari ab Angelo, ſed tantæ etiam ſponſæ arctiori affectu quodammodò iterùm beneuolè coniugari: *Quantus ex ſtimandus eſt* ( ait Gerſon ) *iuſtus Ioſeph in gloriâ, & in cælis; qui talis ac tantus inuentus eſt in miſeriâ, & in terris?* Vis noſſe quàm ſit perfectè iuſtus, & conſummate perfectus Ioſeph? ne primò attollas oculos ad empyream *gloriam* quâ exundat in cælis ( perſtringeris tanto gloriæ iubare ) ſed aſpectum cum Gerſone demitte ad *miſeriam*, quâ anxiè iactabatur in terris, atque ad appendices tantæ miſeriæ glorias, quas inde metiri ſublimius licet. Nimirùm ſi talis ac tantus inuentus eſt Ioſephus in zelotypiæ *miſeriâ*, quantus erit in cæli *gloriâ*? Dicam explicatiùs, & forſan luculentiùs: Si iuſtus Ioſeph diuinæ Incarnationis gloriis, (in miſeriâ ſuæ zelotypiæ veluti in ænigmate tranſparentibus) quæ gaudia in homines, & in Angelos, & in Deum ipſum copioſè reuerberant; ſic grauiter angitur, ſic in tertis cruciatur acerbè; dic quæſo quali, quantóque gloriæ cumulo opus erit, vt dignè beetur in cælis? quem talis gloria ſæuis æſtibus excruciat, qualis gloria beabit? Quem fieri Dei Patrem (& ſi non naturalem, tamen putatitium, aut legitimum) eius charam coniugem Mariam ſublimari in auguſtam Dei Matrem, in domo, cui ipſe præerat. Deum fieri hominem, ipſúmque effici ſibi ſubditum, quæ eſt generoſioris gloriæ meta, ſic *miſerè* angit in terris; quanto gloriæ pondere opus eſt, vt condignè beetur in cælis? Hîc deficit intellectus, ſublimior mens planè faiſcit, quæ aſſequi cogitando non eualet, quod nunc Ioſephus fruendo poſſidet, harum etiam ſuſpicionum ſuffragio, è diuerſo auxiliari.

Matth 1.v. 18 &c. Gerſon Ser. de Natali Virg. Si felicioribus gloriis Ioſephus angitur quantâ gloriâ opus eſt vt dignè beetur?

4. Matthæi 1. *Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto. Ioſeph autem vir eius cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Hæc fuit cauſſa ob quam ſic angebatur Ioſephus, vt mœſtiſſimè de diſceſſu cogitaret. Sed vide mihi quid ei Angelus ſuggerat, vt turbatam eius mentem ſedaret: *Quod in eâ natum eſt, de Spiritu-ſancto eſt, pariet autem filium.* Ad quæ Euangeliſtæ verba ſic fatur Chriſtianus Druthmarus: *Quamuis de Spiritu-ſancto ſit quod in eâ natum eſt, tamen pariet filium: quod nunquam audiſti, vt femina peperiſſet filium de Spiritu-ſancto.* Profectò nouum ſuadelæ genus Angelus inducit, vt arduum creditu myſterium reluctanti Ioſepho toto rationis impetu faciliùs perſuadeat. Nimirùm eius Sponſam Mariam adhuc virginem de Spiritu-ſancto concepiſſe, *quod nunquam audiſti.* Quia nouum, inuiſum, in vtrumque eſt cunctis retrò ſeculis, ideò aſſenſum præbere debet Ioſephus? Allicitne ipsâ difficultate, & ( ſi fari ſic liceat ) ipſius rei humanâ improbabilitate? Homines cùm aliquid è editu difficile perſuadere ſatagunt, ſollerter procurant oſtendere, aliquandò ſaltem (etſi rarò) ſimile quid alicubi contigiſſe, quò credendi difficultatem mitigent. Angelus verò rem nouam, inſolitam, & hactenùs inuiſam, ac inſuſpicabilem, ipsâ rei nouitate, & velut inſolentiâ Ioſepho probat: vt dum illum ſic facile ad aſſenſum pertrahit, omnibus innoteſcat, rem illam eouſque inuiſam, inauditamque veram eſſe, quandoquidem ipsâ rei difficultate ſuaderet, quæ eſt arcanioris ſuadelæ ſumma. Hæc eſt Druthmari arguta ſubtilitas, & ineffabile, cæloque dignum perſuadendi genus, nempe difficultatem maiori difficultate domare, mitigare, vincere: quam arcanioris ſuadelæ artem primò Ioſephus in Euangelio dedicauit felici credibilitatis auſpicio, quod ex iam iam dicendis ampliùs elucidatur.

Match 1.v. 20. & 21. Druthmar. ibi. Arduam credendi difficultatem, difficultate maiori Ioſephus domat.

5. Redeat ergò ſemel & iterùm expenſus Euangeliſtæ locus: Cum eſſet, inquit, deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam cõuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto. *Ioſeph autem vir eius cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* ô myſterio Virginis intempeſtiua ſuſpicio! Portò maritus vxoriæ pudicitiæ arbiter eſt, exactor eſt. Vel ſiniſtra Ioſephi ſuſpicio, etſi eam tandem veritas excuſſerit, Mariani pudoris famam nimis deuenuſtare videtur: nam fama, quam ſuſpicionis rumuſculus tantiſper dehoneſtauit, tardò cicatricem obducit: tenera enim eſt valdè virginei pudoris valetudo: ſiquidem in ſiniſtram partem ſtrenua ſuſpicio cenſetur. An non præſtaret, vt has Ioſephi ſuſpiciones mutâ taciturnitate Matthæus obſignaſſet? Imò indè Marianus pudor auctoratiſſimum captat ſuffragium, & ſiniſtris Sponſi ſuſpicionibus Deiparæ ſponſæ illibata virginitas robuſtiùs fundatur, ſicut incredulitate Thomæ fides Chriſtiana fulcitur. Quod latè perſequitur Bernardus Serm. 2. ſuper Miſſus eſt, ita ad rem fatus: Poterant ſiquidem ſimilis erroris laqueum nobis inijcere, fidei videlicet in illo, caſtitatis in illâ, veritatem in ſuſpicionem adducere: *Sed valdè prudenter & piè factum eſt per contrarium, vt vndè metuebatur ſuſpicio, firma ſit certitudo.* Ioſephi ſuſpiciones ſpecie tenus nimis veroſimiles, pacatam Virginis Deiparæ mentem non inquietant: totum negotium permittit Deo, qui eſt fidus bonæ famæ ſequeſter.

Matt.1.v.19 Vbi timetur ſiniſtra Ioſephi ſuſpicio, ibi firma innititur pudoris certitudo. S.Bern.

ſequeſter,& naufragæ veritatis fideiuſſor:qui in ſuæ prouidentiæ officina excudit media, quæ dum refragari videntur, è diuerſo ferunt ſuffragium peridoneum. O, quis crederet ſiniſtris pij mariti ſuſpicionibus, vxoriam pudicitiam ſumptuoſiùs fundari? *Valdè prudenter factum eſt per contrarium, vt vnde metuebatur ſuſpicio, firma ſit certitudo.* Ecquis ſiniſtras Ioſephi *ſuſpiciones* fateri abnuat, quibus Mariani pudoris certitudo firmatur? Eſt enim pius aliquis prouidentiæ diuinioris faſtus, vt vndè pudoris diffamia me ui poterat, velut proſpero errore, & quaſi cæcâ oculatiſſimè felicitate, virginitatis fama micantiùs ſcintillet. Ita ſæpè profundior Dei prouidentia in humanis remediis ſapienter ludit, dum in ſiniſtris ſuſpicionibus, famæ nitorem è diuerſo colorat. quod ex dicendis explicatiùs conſtabit.

6. Neque adhuc ſatis emedullatus eſt Matthæi. locus, moralis ſucci plenus: *Cum eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto. Ioſeph autem vir eius cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Ecce tibi quid perplexum ſuſpicionum angorem Ioſepho ingeneret: nempè ſuæ caſtitatis indubia conſcientia, & vxoriæ virginitatis altè diu fundata opinio, atque Sponſæ vterus de Spiritu-ſancto, grauidè intumeſcens. Vide nunc mihi quid ei dixerit in ſomnis Angelus, vt ſpecie tenus veroſimiles Ioſephi ſuſpiciones cælitùs excutiat: *Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu-ſancto eſt.* Opinor, illudmet ſuggerit Angelus ad ſuſpicionum agoniam excutiendam, quod ſuſpiciones ingeſſerat. Supponit enim in Ioſepho propriæ caſtitatis conſcientiam, Sponſæ Mariæ virginitatem notificat: & quæ *inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto*, quod ipſa grauida in vtero habet, de Spiritu-ſancto eſſe perhibet. O noua ſuadendi de cælo allata politia, quæ hactenùs peregrinabatur in terris! Tempeſtiuè pariter & argutè Chryſoſtomus hæc verba eiuſdem Angeli ad ſponſam Mariam cunctanter adſenſum Incarnationi præbentem, refert; quæ ad ſponſum Ioſephum accommodatè flectere licet: *Ne quæras*, inquit, *naturæ modum, & ordinem*..... *Itaque quam ob rem dubitas, eam ob rem crede.* O bellè! Scilicet *valdè prudenter factum eſt per contrarium, vt vndè metuebatur ſuſpicio, firma ſit certitudo*, vt nuper ex Bernardo expendebamus. Nimiùm parùm foret Angelo Dei, inquietum ſiniſtris ſuſpicionibus animum Ioſephi, aliter ſedare: probat ſe Angelum Dei, à Deóque ſe miſſum oſtendit, dum difficultatem ipsâ difficultate ſoluit, dubium dubio pellit, & *quam ob rem* Ioſephus *dubitat, eam ob rem credere* iubet, & credulitatem ſuadet. Porrò ſub vtriuſque coniugis virginitate, tumens Mariæ vterus, ſuſpiciones Ioſepho anxias ſuggeſſit: at niſi vterque coniux virgo foret, ſponſæ Deiparæ vterus de Spiritu-ſancto minimè grauidatus foret. *Itaque* (ô Ioſephe) *quam ob rem dubitas, eam ob rem crede.*

Matth. 1. v. 20.

*Ioſephus quā ob rem dubitat, eam ob rē credit.*

S. Chryſ. ho. 49. in c. 24. Geneſ.

Lucæ 1. v. 34.

S. Bernard. ſuprà.

*Siquid in hoc opere humana tenuitas deliquit, lubens ſubiicio correctioni ſanctæ matris Eccleſiæ Romanæ, & eruditorum cultiori iudicio.*

*Siquid fortè laude dignum appareat, vltrò deſtino Deo O. M. Virgini Deiparæ, & S. Ignatio Protoparenti optimo.*

INSTITV

# INSTITVTIO POLITICO-CHRISTIANA.

CAPVT I.

*Excelſus principandi honor: & quale munus, & onus.*

CAPVT II.

*De amicis & Familiaribus Principum, quos Priuatos vocant.*

CAPVT III.

*Aulicorum mores adulationi obnoxij, egregiè vapulant.*

CAPVT IV.

*Qualis debeat eſſe Princeps in legibus ferendis.*

CAPVT V.

*Subiectorum obedientia eruditur.*

CAPVT VI.

*Eruditur Electorum politia.*

CAPVT VII.

*Bona & mala Candidatorum ambitio proditur.*

CAPVT VIII.

*Conſultorum bona & imbona politia eruditur, & proditur.*

CAPVT IX.

*Benefica congruè liberalitas, cognatum Principum elogium eſt.*

CAPVT X.

*Nemo benemeritus abeat impræmiatus.*

CAPVT XI.

*Blanda Benignitas & clementia in Principe commmendatur.*

CAPVT XII.

*Rigida iuſtitiæ ſeueritas, eſt principandi vigor.*

CAPVT XIII.

*Ira Iudicis, euerſio iuſtitiæ eſt.*

CAPVT XIV.

*In ſuperiore ſcientia reatus, reorum aſylum eſt. Inde Sycophantæ vapulant.*

CAPVT XV.

*Reprehenſio fiat ſine felle, ac probro.*

CAPVT XVI.

*De imponendis tributis, & furaci exactorum auaritia.*

CAPVT XVII.

*Nonnulla alia Superioribus, ac tribunalibus cognata vitia proſcribuntur.*

INSTI

# INSTITVTIO POLITICO-CHRISTIANA,

## Ad ſupremos, medianos, & infimos Eccleſiaſticæ atque ſecularis politiæ Antiſtites.

*§. paragraphum ſignificat.* n. *numerum denotat marginalem.* p. *paginam indicat.*

### CAPVT I.

*Excelſus principandi honor : & quale munus, & onus.*


QVI omnibus præponitur, omnium inimicus dicitur.§.90.n.3. p.191

Indignus dignitate auctus, inſoleſcit inopinatâ felicitate corruptus.§.311 n.3. p.621

Indoneus dignitati eſt, qui honores dignitati debitos ſemper expectat.§.87.n.2. p.181

Sapientia, & magiſterium cum ſublimi dignitate non hauritur.§.90.n.2. p.191

Honorem *Primi* ambimus, *Primi* honoris moleſtias detrectamus.§.163.n.3. p.330

Scelerum loco eſt, apud inertem Dignitas.toto §.317 pag.630.

Sæpè inter fortunam maximam, & infimam, nil medium eſt: ſic ſublimiſſima ruinæ vicinantur ! toto § 191. p.381

Inexperientia honorum inſolentiam parturit.§.311. n.5. p.621

Honor appellatur ſuperbia.§.257.n.11. p.521

Olim Principes rurali agricolationi iucundè vacabant.§.12.n.3. p.27

Princeps regni exordium à deuictis hoſtibus ducit. §.16.n.2. p.40

Regibus quondam ſollenne fuit, diem natalem ſumptuoſiori luxu, & læto funeſtè augurio celebrare. toto §.19. p.45

Tanta Rex poſſidere creditur, quantis dapibus glorioſè epulatur.§.45.n.2. p.92

Non regni adminiſtrandi deſiderium, ſed deſiderium gloriæ regnandi, peruerſitas ambitionis eſt. §.87.n.3 &c. p.181.182

Non bonus eſt Princeps, qui dum populus coarctatur, ipſe deliciatur.§.90.n.10. p.192

Maieſtati maior ex longinquo reuerentia: nam frequens conſuetudo, aut contemptibiles inuenit, aut facit.toto §.131. p.268

Frequens aſpectus minùs verendos magnos viros ipſâ ſacietate facit.toto §.132. p.269

Aſſuerus rex etiam in peruigilio actuoſus.§.163.n.1. p.329

Eruditio & ſapientia Reges adornat, & regimen egregiè felicitat.toto §.164. p.331

Regiæ poteſtatis inſignia, cur rex Aſſuerus faſtidit? §.203.n.2. p.409

Fruſtrà rex Aſſuerus appellari *Magnus* exambit. §.251.n.2. p.507

Qui dominatur quantùm vult, vniuerſo orbi dominatur.§ 255.n.1. p.516

Bonus Paſtor claudicantem ouem ſupra ſe ſentit. §.317.n.2. p.631

Regia dignitas eſt coronata ſeruitus. §.337. n.3. Iacob ſeruiendo etiam impleuit *Domini* vocabulum.§.337.n.5. p.668

Non bonus eſt Paſtor, qui ad ſuaue ſuum gregem ductat.§.337.n.10. p.670

Corona non tam caput, quàm manum coronet. §. 340.n.2. p.678. Etſi capitis ornamentum dicitur, quo mens potiùs quàm caput coronetur.§.57.n.11 p.124. Quare corona regia, monile appelletur? §.155.n.6. p.314


### CAPVT II.

*De amicis & familiaribus Principum, quos Priuatos vocant.*


BEnè erubeſcit rex Aſſuerus, quod ſe, & imperium Priuato Amani tradiderit. §.180.n.7.p.362

Qui Regi propiùs adhæreſcere exambit, aulæ regiæ periculoſam aleam ſubeat neceſſe eſt, quam ſapientes ſollerter effugiunt.toto §. 194. p.387

Amanum Aſſueri Priuatum, nulla prætereuolat ſuſpicionum aura.§.4.n.4. p.6

Regi proximus propiùs adhæreſcere ſatagit ſuffragij ad nutum greſſibus.§.16.n.10. p.41


Malè

ad nutum greſſibus.§.16.n.10. p. 41
Malè regius Priuatus Regi notitias rerum intercludit.§.120.n.7. p.149
Quid eſt, quod regina Eſther Regem inuitat ad conuiuium, regio Familiari præparatum? §. 142. num.6. p.289
Callida Priuatorum ambitio, Exreges aliquandò facit.§.142.n.7. p.289
Facilè in ſchedulis ingentem pecuniæ ſummam, Regi Priuatus ſoluere ſpondet.§. 90.n.8. p.192
Aman Aſſueri Priuatus indignatur, quia Mardochæus non tremuit ab eo §. 142. num. 9. pag. 289
Regij familiaris amici litterati, cur non dicuntur Sapientes?§.142.n.10. p.290
Regio Priuato licet, quod ipſi Reginæ non licet? §.161.n.4. p.324
Malè tibi perſuadet Priuatus, quamcumque ſententiam de te protulerit, in rem ſuam fore. §. 163. num.5. p. 330
Regius Priuatus Anteſignani obſequia captare ambit.§.163.n.7. p.330
Regius Familiaris maximi æſtimare ſolitat, vt niſi de eius arbitrio nemo à Principe muneretur.toto §.206. p. 414
Pluſquàm Rex, regius Priuatus timetur? §.216. num.4. p 438
Ne ſit Priuatus, ſecundus Regis pater.§. 255. n. 5. pag.516
Dira patitur Dei populus, quia à Priuati rationibus diſſidet.§.255.n.7.& 8. ibid.
Regij Priuati moderatio, immutabilem facit Principum beneuolentiam.§.255.n.4. ibid.
Ioſeph patiens fuit in carcere, in ſumma regni adminiſtratione patientior. §. 295. num. 2. pag. 589.
Blanditiæ Principum, infidum mare. §. 4. num. 4. pag 6
Sciat regius Familiaris, quòd qui omnibus præponitur, omnium inimicus dicitur.§.90.n. 3. p. 191.
Grande in Regibus, & eorum Priuatis malum eſt, nolle videri erraſſe: indè nutritur peruicacia in errore, quæ multis elogiis culpatur. toto §. 319. p.635
Prudenti rarò adeſt fidelitas, & fideli rarò adeſt prudentia?§.26.n.6. p.59
Veniet tandem ad illum diu felicem ſua portio: quiſquis videtur à Fortunâ dimiſſus, dilatus eſt. toto §.154. p.310

## CAPVT III.

*Aulicorum mores adulationi obnoxij, egregiè vapulant.*

OLim palatij ianua erat morum efformandorum officina, & eruditio ad dignitates obeundas.§.251.n.4. p.507
Quàm ſint lubrica aulæ culmina.§.57. num.9.pag. 124.
Principum aula etiam per blandimenta decipit. §. 142.n.4. p.289
A Principibus exhibita *premia*, adulteratâ aulæ nominatione, *gratia* nuncupatur.§. 163. num. 2. p.329.
Aulicis benè non eſt, niſi aliis male eſt?§.163. n. 3. pag.330.

*R. P. Didac. Celada in Eſtherem.*

Calumniator in aulâ, Diabolus eſt.§.180.num. 4. p. 362.
Principum aulam puta flendi agonem: in eâ per pericula ad pericula venis, per ornamenta deceptus & aſſentationi obnoxius. toto §. 193. p. 385
Qui Regi propiùs adhæreſcere exambit, aulæ regiæ periculoſam aleam ſubeat neceſſe eſt, quam Sapientes ſollerter effugiunt. toto §. 194. p. 387
Ambitioſior aulicorum adulatio, & Principum aures aſſentationi faciles, multis culpantur. toto §.195. p. 389
Adhuc multimodè vapulat aulicæ adulationis inſania.toto §.196. p.391
Non ingrediens, ſed egrediens de palatio, Mardochæus fulgere dicitur.§.203.n.10. p.410
Cur qui ad palatij ianuam ſedet, in aulâ quieſcere dicitur.§.253.n.1. p. 510
Aulicus, etiam inter aulæ turbas, ſolitarius eſt:§.257 n.3. p. 521
Rex in multâ aulicorum turba, ſolitudo nuncupatur.§.311.n.9 p.622

## CAPVT IV.

*Qualis debeat eſſe Princeps in legibus ferendis.*

PRæcipere, fundare eſt. §. 16. numer. 6. pagina 41
Lex à Rege ſcribenda, & exponenda.§.90. num. 9 pag.192
Apud plures nationes, regni quibuſdam legibus Reges ſubduntur.§.14.n.8.p.35.& 38. & §. 15. num.7.
Perennes legum ac mandatorum fontes obturentur, & traditionum laciniæ regibus malè aſſutæ reſecentur, ne ſubiectus populus offendat, & paſſim impingat.toto §.110. p. 227
Qui legem accipit, velut ſeruiliter extrahitur à loco quo circumſcribitur, & quaſi in Adamum refingitur, & aduerſarium patitur, & rigidâ dilectionis forma imprimitur.toto.§.111. p. 229
Auſteriores hominum leges, dum præ arduitate terrorem incutiunt, violationem ſubornant. toto §.112. p. 231
Hebræorum leges, etſi vetuſtiſſimæ dicuntur nouæ quia diuerſæ à Perſarum legibus? §.90.num. 6. pag.191
Superioris mandatum, velut dogma ſæpè proponitur.§.120.n.3. p.248
Mardochæo parata crux, legi comparatur. §. 180 num.13. p.363
Amani lex legem humanitatis abrogare ſatagit. §.255.n.6. p. 516
Quare quod in votis eſt, ſub acerbiori pœnâ præcipitur? §.311.n.10. p. 622
Vel ipſa lex tanquam conſilium placidè propoſita, rudes ad obſequium ſubditos comitate edomat, §.111.n.7. p. 231
Perfecta obedientia legem neſcire dicitur. §. 198. num.5. p.395
Legum abuſu Amanus, contra innoxios ſibi inimicos ſæuit.§.120.n.6. p. 249
Pœnaliſſimum eſt, legi obnoxium eſſe, etſi priuilegio eximatur.§.297.n.13. p. 594

## CAPVT V.

*Subiectorum obedientia eruditur.*

EXprompta Superioribus obedientia,pulchritudinem ſubditis conciliat.§.57.n 8. p.124
Alieno arbitrio agi, eſtne Euangelicæ perfectionis meta, & atrocior martyrij acerbitas? toto §. 80. pag.168.
Peritior,& paratior obedientia ſit fidei æmula, cæcè oculata.toto §.83. p.173
Vir obediens de obſequio vitam mutuatur: creatura enim ſentit creatorem, non tam viuendo, quàm obediendo. toto §.84. p.175
Notitia dependentiæ eſt obſequij expromptioris lenocinium.§.133.n.5. p.272
Perfecta obedientia, legem neſcire dicitur. quare? §.198.n.5. p.395
Eſther dum iubetur ingredi, iam ingreditur. §. 297. n.1. p.593
Idémne eſt, iuſſioni obedire,& illi adſentire?§.311. num.1. p.621
Mortificatione eſt propenſio ad obediendum? §. 2. num.3. p.3
Apud plures nationes,regni quibuſdam legibus Reges ſubduntur.§.14.n.8.& §.15.n.7.p.35.& 38.
Aptemus nos præceptis,quæ dicuntur arma, ſeu veſtes lucis.§.83.n.1. p.173
Eſtne obedientia præcepti appendix? §. 83. num.4. pag.174
Num corporata Dei ſapientia non habet quid dicat, quo exequendi præcepti acerbitatem declinet?§. 83.n.6. p.175
Mandatorum viam reddere laxam & ſpatioſam adnitimur.§.108.n.7. p.225

## CAPVT VI.

*Eruditur Electorum politia.*

SVmma Eligentis dignitas,æquitas, & auctoritas, præcipua Electi pompa eſt, quæ dignitati dignitatem fœnerat.toto §.171. p.342
Cognata atque idonea muniis ingenia,ſolleꝛter quærere & explorare, peritioris electorum politiæ labor eſto. toto §.172. p.344
Conſultior apud homines Electio,,viros pares negotiis,neque ſuprà deſtinat.toto §.174. p.348
Aman,Aman inquam eſt,qui derepentè ſublimatur. §.2.n.5. p.3
Bonus imbonúſue Electorum affectus, dum candidatorum merita cudit in voluntatis officinâ, iudiciorum ſæpè arbiter eſt.toto §.145.p.294.
Regis dignitas & ſublimitas,Mardochæum eligit, & exaltat.§.233.n.3, p.471
Inexperientia honorum inſolentiam parturit. §. 311. num.5. p 621
Indignus inſoleſcit inopinatâ felicitate corruptus. § 311.n.3. ibid.
Nouus Iudex valdè timendus eſt.§.257.n.8. p.511
Sobriâ mente oportet honores metiri.§.311. num. 8. pag 621
Quare Petrus,ſummus Eccleſiæ Pontifex, primam Epiſcopi electionem multitudini permittit?§.312. num.2. p.622
Scelerum loco eſt,apud inertem dignitas.toto §.317. pag.630
Non annoſitas otioſè cana,ſed,in minori etiam ætate,eruditior negotioſè peritia, ad obtinendas dignitates merita cudit.toto §.322. p.640
Male ſenes, annorum ſcalis, ad dignitatum faſtigia aſcendere præſumunt.toto §.323. p.642
Inidoneus dignitati eſt, qui honores dignitati debitos ſemper expectat.§.87.n.2. p.181
Ingenium non datur opibus,ſed naturæ.§. 114. n.1. pag.235
Sapientia & magiſterium cum ſublimi dignitate non hauritur.§.90.n.2. p.191
Prauas electiones regni depoſitione Reges luunt. §.172.n 5. p.345
Ne Princeps derepentè quemquam ad magnam dignitatem ſublimet.§.337.n.3. p. 668

## CAPVT VII.

*Bona,& mala Candidatorum ambitio proditur.*

HOnorum impotenter cupidis ſatiùs ſit, eſſe inter minimos Magnum, quàm inter magnos Minimum. toto §.85. p.177
Non obeundum munus, ſed muneris gloriam, & commoda ambire,peruerſitas ambitionis eſt. toto §.87.p.181.Honorem *Primi* ambimus, *Primi* moleſtias excutimus.§.163.n.6. p.330
Neſcit ambitio naturæ ſuæ menſuram agnoſcere,vndè & indecora,& flagitioſa ſedulò ſibi negotiatur. toto §.100. p.209
Ambitio per mille indignitates,ad regiminis dignitates aſcendit.§.163.n.7. p.330
Ne qui dudùm erat pauperculus opifex, & laborioſus ruſticanus, fiat in religione ambitioſe delicarulus.toto §.125. p.257
Superbus Candidatus tantò indigniùs dignitates ambit,quantò humiliùs.toto §.176. p.352
Aliorum fauor,& adulationum ſuffragium, eſto ambitioſum meritum ad dignitatum repulſam.§.100. num.4. p.210
Ambitio vel aliàs benemeritum, facit dignitatis indignum.§.100.n.3. ibid.
Malè ſenes,annorum ſcalis, ad dignitatum faſtigia aſcendere ambiunt. toto §. 323. p.642.& §.322. pag.640
Ambitio adulationis multis caſtigatur §. 193. & 194. & 195.& 196. p.385.386
Largior muneratio, vtilitatis ſuffragio, benemeriti famam Candidato malè fœnerat,toto §.20. p.47
Aſſuerus rex nimia munerum ſubtilitate enormiter hebetatur.§.337.n.11.p.670. Vel recuſata munera inſidioſè ſubornant.§.180.n.2. p.361
Sola virtus, & exploratum Candidati meritum ad dignitatum electionē ſubornet.toto §.169. p. 339
Meritorum conſcientia dum Primatum fugit,ad eum feſtinat: indignus verò in dignitate conſtitutus, dignitatis obtentæ lucrum quærere poteſt, inuenire non poteſt. toto §.174. p.348
Facientes opus quod Regis duntaxat, inidoneus ad dignitates cenſetur.§.216.n.3. p.438
Repudiata humiliter dignitas repudiatorem ambit. §.288.n.2. p.576
Recuſatio Diuinitatis,meritum ad illam putabatur. §.100. n. 2. p. 209. Inde mortuos homines inter Numina Gentiles referebant,ne immeritos honores recuſare poſſent.§.95.n.4. p.201

CAPVT

## CAPVT VIII.

*Conſultorum bona & imbona politia eruditur, & proditur.*

BOni Principis eſt, Sapientes conſulere. §. 26. n. 1. pag. 58.
Conſiliarius in Regis vultu, eius voluntatem malè videt ad ferendum ſuffragium §. 16. n. 9. p. 41
Conſiliarius Regi proximus, adhuc propiùs ſatagit ad eum accedere ſuffragij ſui greſſibus. §. 16 n. 10. pag. 41.
Conſiliarij ambitioſa adulatio, peſtis conſilij eſt. §. 16. n. 13. p. 42
Quaſi quoddam ſacrum conſultario habetur. §. 26. num. 2. p. 58
Quàm debeat eſſe cauta conſiliarij ſapientia, ſub iniquo Principe. §. 26. n. 3. p. 58.
Proprium nouiter ſuffragium, male à conſiliario tanquam lex antiqua proponitur. §. 26. numero 4. pag. 58.
Sæpè conſultores præſtantius conſilium corde, deterius ore verſant. §. 26. n. 5. p. 59
Prudenti rarò adeſt fidelitas, fideli rarò adeſt prudentia? §. 26. n. 6. p. 59
Fatui conſultores ad danda conſilia, à Deo ſe agi putant, & oracula dare. § 26. n. 6. p. 59
Sit dulcis Principi rationalis conſiliarij contrarietas §. 26. n. 7. ibid.
Audiat Princeps conſiliarios, ſed cum iudicio. §. 27. num. 1. p. 60
Conſilium ſæpè aduocatur, non vt deliberetur de bono, ſed vt excuſetur decernendum malum. §. 27 num. 3. ibid.
Conſilium idem eſt ac fundamentum, aut ineffabile Domini. §. 27. n. 4. p. 61.
Non benè conſulit Princeps, qui conſultorum ordinat ſententias, tanquàm ſtratagemata. §. 27. n. 4. p. 61
Qui conſulit, malè ſpongiam imitatur, quæ aquam cognatam attrahit, vinum reiicit. §. 27. numero 5. pag. 61.
Conſilium tuum à te auctoritatem accipiat. §. 27 num. 6. ibid.
Superbus conſiliarius ambit, vt omnes ſapiant de eius ore conſenſione ſuffragij. §. 28. n. 1. p. 61
Errauit Michæas quandò cum pluribus concordauit. §. 28. n. 2. p. 62
Petito Principi ſuſpectus ſit conſiliarius, qui ſemper ad eius nutum reſpondet. §. 28. n. 3. p. 62
Qui veram ſententiam alapâ munerauit, falſam adprobatam morte emit. §. 28. n. 4. ibid.
Regij miniſtri fatuè Michæam ſubornant, vt prophetice Regi adnuat. §. 28. n. 5. p. 63
Rex iniquus improſpera paſſurus, non niſi proſpera audire meretur. §. 28. n. 6. ibid.
De adulationis ingenio rara eſt conſultorum fides. §. 28. n. 7. ibid.
Quæ maior pars eſſe videtur, ſæpè peior eſt: nam paucitas magiſtra eſt diſciplinæ. toto §. 29. pag. 63.
Feſtinatio capeſſendi conſilij improuida eſt, & cæca: tempeſtiua cunctatio egregiè conſilium adornat. toto §. 59. p. 127
Propoſitum fauendi cognatis anteuertit conſilium. §. 59. n. 7. p. 129
Sit Princeps, Principúmque Senatus, ſecretorum ſcrupuloſè cuſtos. toto §. 149. p. 301
Non præceps paſſione ſcelus, ſed præmeditata conſilioſè malitia, criminoſior cenſetur; & conſilij ſuffragio ſceleroſior. toto §. 157. p. 316
Conſiliarius tunc ſapiens dicitur, cùm improſpera prudenter augurari non veretur. §. 163. num. 11. pag. 331.
Ne maritus in capeſſendis conſiliis, vxoris ſuæ ſuaſionibus ſit obnoxius. toto §. 182. p. 365
Mora in deliberando conſilium adornat: nam ad pœnitentiam properat, qui repentè decernit. toto §. 187. p. 374
Qui Regi Aſſuero conſulit quod ei non placet, flagris cæditur. §. 255. n. 3. p. 516
Non in regno, ſed in errore ſocius quæritur. §. 7. n. 2. pag. 12.
Illuſtrantur opinatiſſima illa verba: Poſtquam docti prodierunt, boni deſunt. toto §. 30. p. 69
Apud Principes cautè ſapiat eruditus conſiliarius, ne alienæ innocentiæ reus ſit. §. 3. numero 5. pag. 6.
Ciuitas litterarum, ſpinarum vrbs dicitur. §. 98. n. 6. pag. 99
Regij Familiaris amici litterati, cur Sapientes non dicuntur? §. 142. n. 10. p. 290
Bonus imbonúſue affectus, iudiciorum arbiter eſt. toto §. 145. p. 294
Hominis prudentia (cuius præſtantiam ex defectu cognoſcimus) eſt operis faciendi negotium. & tanquam Dei intellectus homini aſſiſtens. toto §. 181 pag. 363

## CAPVT IX.

*Benefica congrue liberalitas, cognatum Principum elogium eſt.*

LArgior beneficentia, illuſtrioris famæ aucupandæ artifex eſt, de beneloquæ gratitudinis arbitrio. toto §. 10. p. 47
Effuſa in Principibus liberalitas caſtigatur, ne liberalitate liberalitas pereat. toto §. 147. p. 267
Liberalitatis virtus eſt, vltimum potentiæ donare, & totam potentiam donando implere. §. 242. n. 6. pag. 490
Beneficus ob propriam vtilitatem, inimicitias beneficiis ſæpè mercatur. §. 233. n. 11. p. 472
Chriſtus è cælo homines munerat, vt ab hominibus in cælo eſſe putetur? §. 20. n. 2. p. 47
Munera reuerentiam negotiantur. §. 93. n. 2. p. 197
Manus cùm donant, intellectibus ornandæ ſunt. §. 147. n. 1. &c. p. 298.
Regius Familiaris malè ſatagit, vt niſi de ſuo arbitrio nemo à Principe muneretur, toto §. 206. p. 414
Ne Princeps quemquam derepentè ad magnam dignitatem ſublimet. §. 337. n. 3. p. 668
Non benè Rex ſceptrum in manu Reginæ inſerit. §. 142. n. 3. p. 289
Omnis apud Reges petitio, *quæſtio* ſententioſè nominatur. §. 142. n. 8. p. 289
Benè erubeſcit Aſſuerus rex, quòd ſe, & imperium Priuato tradiderit. §. 180. n. 7. p. 362
Regem offendit, qui quod ipſe è regio fiſco dederat, accipit. §. 216. n. 6. p. 438

## CAPVT X.

*Nemo benemeritus abeat impræmiatus.*

A Principibus exhibita *præmia*, adulteratâ aulæ nominatione,*gratia* nuncupatur.§.163.n.2. pag.329.
Dulce verbum, premij loco eſt benemerentibus. §. 163.n.3. p.331
Præmiatúrne Mardochæus munere, quod præhabebat?§.253.n.3. p.511
Quia Deus ad bilancem præmiat,mortuorum reſurrectio adſtruitur,§.175.n.8. p.351
Strenuus labor opere aſpectabilis, virtutem, virtutiſque præmia glorioſè captat. toto §. 175. pag. 350.
Sine ſpe præmij torpet humanitas tota.§. 170. n.1. pag.341.
Præmia temporalia foliis argutè comparantur, quæ fructum adornant, & tuentur. §. 170.numero 2. ibid.
Vbi docti honorantur, multiplicantur docti. §. 170. num.3. ibid.
In intellectibus manuum, dignitates & honores in pæmium donandi ſunt.§.170.n.4. ibid.
Præmia honeſtatis, honeſtatem deſiderabiliorem reddunt.§.170.n.5. p.342
Graue Chriſti iugum, leue ac ſuaue eſt, quia largè munerandum eſt.§.170.n.6. p.342
Qui ſperat, rei expectatæ gaudium iam momordit. toto §.139. p.282
Heu, Regum memoria, obliuioni ſuccedanea eſt!§. 57.n.1. p.123
Sola virtus, & exploratum meritum, ad dignitatum præbitionem ſubornet.toto §.169. p.339
Humana promiſſa apud homines niue algent,& dubiæ, aut nullius fidei ſuſpecta ſunt.toto §.284. pag.569.

## CAPVT XI.

*Blanda benignitas & clementia in Principe commendatur.*

Clementiæ encomium.§.160.n.1. p.321
Homo periculosè nimis iuſtus eſt: & ideò ſub ſecuritate(ſi ritè poteſt)ſemper ignoſcit.§.160.n.2. pag.321.
Facile abſolutor eſt alieni criminis, conſcius ſui.§. 160.n.3. p.322
Qui timet alios, terrere ſatagit. §. 160. numero 4. pag.322.
Cur ſanguis Achab iuſtè effuſus,in regis Iehu poſteris viſitatur? §.160.n.5. p.322
In alienis calamitatibus, nobiſmetipſis conſulimus. §.160.n.6. ibid.
Contra Dauidem Dauid, ſeueriſſimam ſententiam inſcius tulit.§.160 n.7. ibid.
Fraudatorem domini ſui Chriſtus laudat, vt ad indulgentiam dominos, ac iudices erudiat? §. 160. num.8. p.323
Imbecillitas dicitur clementiæ affinis.§ 5.numero 3. pag.8.
Deus non comminaretur non pœnitenti,niſi ignoſceret pœnitenti?§.200.n.5. p.399
Tuta ſcelera eſſe, ſecura eſſe non poſſunt, de pœnaliſſimo conſcientiæ tormento, delinquentis viſcera ſenſim morſicante. toto §. 177. pag. 353.
Deus ſuorum oppreſſione opprimi dicitur. §. 130. num.5. p.267
Subditi ſunt tractandi velut flores,in quibus eſt tota fructuum ſpes.§.337.n.2. p.667
Superior de communicatione paſſionum, doctrinam humanitatis ediſcat.§ 337.n.7. p.669
Blanda aliquandò condeſcenſio imperantis, vigor poteſtatis eſt.§.337.n.14. p.671

## CAPVT XII.

*Rigida iuſtitiæ ſeueritas, eſt principandi vigor.*

QVæ putatur miſericordia erga impios, iræ diuinæ poteſtas dicitur.§. 155. numero 2. pag. 312.
Paci ſtudet Superior, qui vibratis minis,& inflictis idoneè ſuppliciis, Reipublicæ pacem inquietare videtur.toto §.336. p.665.
Superior, qui ex congruentiis duntaxat iudicat,nimis ſeuerus eſt.§.80.n.3. p.168
Legum abuſu Amanus contra innoxios ſibi inimicos ſæuit.§.120.n.6. p.249
Solitaria bonitas ſine comite iuſtitia, Deum fingeret inertem ſtupidum, & hominibus gubernandis inideneum.toto §.220. p.445
Quorundam Magiſtratuum, quæ videtur noxa, innocentia eſt.§.239.n.2. p.482
Nouus Superior valdè timendus eſt. §.257. num. 8. pag.521.
Contumelioſa ſcelerum obiurgatio, emendationem corrumpit, & obiurgantem deuenuſtat. toto §. 333.& 334. p.660.vſque ad 661
Felicitatis portio eſt,vna ſententia ad mortem damnari.§.120.n.5. p.249
Apud inferos placebit Deo & Sanctis in pœna, qui nunc diſplicuit in culpa. toto. §. 184. pag. 369.
Grauatè fert Deus ſupplicium non putari, quod reuerà eſt.§.257.n.6. p.521
Aliquandò eſt clementia irrationalis.§.5. numero 4. pag.8.
Erga quaſdam perſonas ac familias,Dei cenſura inexorabilis dicitur.§.5.n.4. ibid.
Seuerior punitio non eſt ira, ſed miſera curatio.§. 5. num.4. ibid.
Impiè ſæuit Superior, qui falſato pietatis & obſeruantiæ prætextu fecit.toto § 108. p.224
De ſummæ poteſtatis genio Aſſuerus rex,in leonem degenerat.§.257.n.10 p.521
Regis facies iuſtum ſupplicium minitans,inflammari gloriâ perhibetur.§.297.n.12. p.594
Nimia bonitas, non bonum Principis elogium eſt. §.311.n.1. p.621
Quiſquis ſubiectorum iniquè agit, Regem lædit § 317.n.3. p.631

CAPVT

## CAPVT XIII.

*Ira Iudicis, euerſio iuſtitiæ eſt.*

PIſo iratus tria crimina in ſubditis fecit, quia poſtquam punire cœpit nullum quod puniret, inuenit.§.34.n.1. pag. 72
Iudicum iracundia, acumen temeritatis ſententioſè dicitur.§.34.n.2. p.73
Ratio id iudicari vult, quod æquum eſt; ira id æquum videri vult, quod iudicauit. §. 34. num. 3. pag.73
Princeps iratus oculos in terram deiicit; indéque terræ rationes quærit §.34.n.4. p.73
Ingenioſa eſt ira, dum legum obſeruandarum ſpecie ſæuit.§.34.n.5. p. 74
Principis furor ſit velut ira columbæ. §. 34. num.6. pag.74
Ira oppreſſoris, vocabulo iræ columbæ colorari ſatagit.Inibi.
Iracundia rationem exeutiens, homines recudit in belluas: quæ etiam dum pia eſt,intuta valdè eſt. toto §.186. p. 372
Sceleroſus Aman iuſtè reus, ab irato Rege iniuſtè damnatur.§.180.n.10. p.363

## CAPVT XIV.

*In ſuperiore ſcientia reatus, reorum aſylum eſt. Inde ſycophantæ vapulant.*

ERuditio & ſapientia Reges adornat, & regimen egregiè felicitat. toto §. 164. p.331
Nil facile credere,atque omnia ſagaciùs cauere, boni Principis elogium eſt. toto §. 106. pag. 220
Facilitas credulitatis in Principe reprobatur. §. 311 n.6. p. 621
Grande in Superioribus malum eſt, nolle videri erraſſe:indè nutritur peruicacia in errore, quæ multis culpatur toto §.319. p. 635
Primus Regum totius orbis, Robuſtus Inueſtigator dicitur. quare? §. 337. numero 6. & 7. pag. 668. 669
Gubernatricis peritiæ faſtus eſt, aliquandò ſimplices præbere aures,& peritè ſtulteſcere §.337.num. 8. pag.669
Delatorum quorundam præpoſtera malitioſè fatuitas §.90.n.5. p.192
Criminoſa calumniatorum delatio, quæ clam, & ex inſidiis adoritur,egregiè vapulat.toto §.102.pag. 213.
Fœda criminosè calumnia eſt, quæ ab innocentiâ raditur.§.102.n.5. p.214
Delatorum zeli prætextu,ſycophantica maledicentiæ prurigo,cauenda §.247.n.7. p. 500
Res deferenda priùs exploranda, & diligentiùs peruidenda eſt.§.253.n.2. p.510
Superior, qui beneuolè audit alienas delationes non grauatè ſuas audiri patiatur.§. 337. num. 12. pag. 670.
Iudex qui non audit reum,nec cauſſam explorat, calumniator eſt.§.180.n.3. p.361
Reorum ora ne propriæ defenſioni obſtruantur nam ipſius rei ore viuacior affulget defenſio. toto §.192. p.383

*R. P. Didac. Celada in Eſtherem.*

Bonus Rector,inſpector dicitur.§.297.n. 6. p. 593.
Animo dolenti ac querulo nihil oportet credere. toto §.130. p.266
Malè regius Priuatus Regi notitias rerum intercludit.§.120.n.7. p.249

## CAPVT XV.

*Reprehenſio fiat ſine felle,ac probro.*

COntumelioſa verba increpantis auctoritatem diluunt.§.333.n.1. p.660
Probroſa blaſphemiæ obiurgatio,per os Angeli exire non debuit.§.333.n.2. ibid.
Aliqua ſaltem rei obiurgandi bonitas, obiurgantem inhibeat à contumelioſâ reprehenſione. §. 333. n.3. ibid.
Dubiam verecundiam vox obiurgantis clarior rupit. §.333.n.4 p. 661
Qui acerbiùs alium reprehendit, exindè crucem & paſſionem ſubire putatur. §. 333. numero 5, ibid.
Superior acerbiùs ſubditos reprehendens, acerbè reprehenditur.§.333.n.6. ibid.
Durior reprehenſio non emendat, ſed confundit §. 333.n.7. p.662
Prauia populi obiurgatio, diuinam è grandi miraculo gloriam prohibuit?§. 334.n.2. p.662
Nefas eſt,pro emendatione culparum, culpas adhibere §. 334. n. 3. ibid.
Cur Propheta in re inanimatâ homines acriùs reprehendit? §.334.n.5. p.663
Reprehenſio ſine ſuperſtitione facienda eſt. §. 334. num.4. p.663
Mellea correptio peccatorum putredines tollit. §. 334.n.6. p. 663
Paullus Euangelium confirmabat, cùm illud cum manſuetudine docebat.§.334.n.7. ibid.
In Dei arcâ cur virga cum Manna adſeruatur?§.334 num.8. ibid.

## CAPVT XVI.

*De imponendis tributis, & furaci exactorum auaritia.*

SOlutio tributorum inquieta eſt.§.57.n.12. p.125
Mera Regum vtilitas non eſt bonus regiminis arbiter.§.90.n.7. p. 192
Qui tributa imminuit, in regem crudelis nominatur? §.180.n.5. p. 362
Tributis grex tondendus, non deglubandus. §. 233. n.2. p. 471.
Deus ſuorum oppreſſione opprimi dicitur. §. 130. num.5. p. 267
Regem offendit, qui quod è regio fiſco dederat, accipit? §.216.n.6, p. 438
Aſſuerus Rex plus ſubiectorum facultates,quàm vitam æſtimat. ibidem.
Oeconomia vectigalium imponendorum, adſpectu ad Medicorum artem idoneè exponitur. §. 235. num.5. p. 476
Bonus paſtor claudicantem ouem ſupra ſe ſentit. §. 317.n.2. p.631
Subditi ſunt tractandi velut flores, in quibus eſt tot fructuum ſpes.§.337.n.2. ibid

Subiecti populi iugum regni portare, delicias reputent. §. 337. n. 9. p. 669
Non bonus eſt Paſtor, qui ad ſuaue ſuum gregem ducat. §. 337. n. 10. p. 670
Non bonus eſt Princeps, qui dum populus coarctatur, ipſe deliciatur. §. 90. n. 10. p. 193
Vectigalia inaudita exercuit Caligula, & Salomon. §. 234. n. 1. p. 473
Chriſtus quaſi agnus coram tonſoribus, id eſt, exactoribus, vellus deponere dicitur. §. 234. n. 2. ibid.
Chriſtus Paſſionem ſuſtinens, tributum pendere perhibetur. §. 234. n. 3. p. 474
Dei populus tributorum immenſitate ſenſim liqueſcit, & exhauritur. §. 234. n. 4. ibid.
Qualia tributa Princeps imponit, talia Deo pendit. §. 234. n. 6. ibid.
Pharaonis oppreſſio, tributorum exactio eſt. §. 234 num. 5. ibid.
Augmento ſuo decreſcit tributorum ſumma. §. 234. num. 6. ibid.
Immodica tributa Regibus, regniſque perniciosa ſunt. §. 234. n. 7. ibid.
Regius fiſcus lieni apprimè comparatur. §. 235. n. 1. p. 475.
Male Sennacherib ſceptrum ſuum in manu exactorum ponit. §. 235. n. 2. ibid.
Homines ſceptro exactoris Diaboli, per Adami culpam ſubduntur. §. 235. n. 3. ibid.
Petrus & Chriſtus idem Cæſari vectigal pendunt. §. 235. n. 4. ibid.
E tribus vitulis, quos Anna adduxit, vnus dumtaxat ſummo Sacerdoti ac Principi ceſſit. §. 235. n. 6. ibid.
Quod regij Præfecti dicunt tolerabile tributum, immodicum eſt. §. 235. n. 7. ibid.
Populorum felicitas eſt regnum peruium. §. 255 num. 2. p. 516

## CAPVT XVII.

*Nonnulla alia Superioribus, ac tribunalibus cognata vitia proſcribuntur.*

PAuper ante conteſtationem litis, inauditâ cauſsâ punitur. §. 192. n. 8. p. 385
In forenſibus actibus ſicut inſanæ moleſtiæ ac impenſæ, ſic rara litigantium virtus inuenitur. toto §. 148. p. 299
Incordinata iudicum cunctatio, velox totius populi interitus eſt. §. 148. n. 4. p. 300
Vel recuſata munera iudicem ſubornant. §. 180. n. 2. pag. 361.
Præfectorum reciprocus inter ſe conſenſus, regiminis peritia eſt: iudiciorum autem diuortium, politiæ euerſio. toto §. 205. p. 412
Magiſtratus agnatâ cupiditate munera expetunt: quibus acceptis & corrumpunt gratiam, & animum vendunt, atque oculorum velamen ſordidè emunt. toto §. 217. p. 439
Nimium ampliandæ iuriſdictionis ac potentiæ ſtudium, multis vapulat. toto §. 312. p 622.
Sit Princeps, Principúmque ſenatus, ſecretorum ſcrupuloſè cuſtos. toto §. 149. p. 301
Aliquando gubernatoris inconſtantia, æqui conſtantia eſt. §. 311. num. 7. pag. 621. & toto §. 319 p. 635.
Loqui de Principe, benè loqui de Principe ſit. §. 180 n. 12. p. 363. Male acutas ſubditorum aduerſus Præpoſitos querelas, ſiſtat dubia expoſtulandi cauſſa, & humana abuſiuè paternitas ſiſtat. toto §. 321. p. 639
Vel vnius Iuſti preces magno in pretiò debent eſſe apud Principes. §. 281. n. 7. p. 564.

PROOEMIO

# PROOEMIOLVM

## Pro exprompțiori vſu huius Compendij, aut Copiæ ad ſacras Conciones.

S*ÆPE mihi à tergo ſuggeri ſubaudio gladiatoriam illam vocem:*Repete: *tanquam enim ſatis dicitur, quod numquam ſatis diſcitur. Scilicet ( quòd ſæpè aliàs expetebam ) non aduoco ad hoc Concionum ſacrarum conceptaculum, ſiue ſuccinctum Concionum materiandarum compendium, eos qui præter memoriam aut naturalem aut factitiam, & vocem ſiue de natura dote ſiue de medicamentorum arte defæcatam, & politulum elaboratè geſtum, nil vltrà ad concionandum afferunt. Quibus nec mica ingenij, nec guttà eruditionis adeſt, oſcitantis inertiæ multum: quos vnâ dieculâ videas & latos & adultos, tanquam ex argillâ efformatos, quales finxit gigantes ambitioſa Poëtarum vanagloria: quibus vel totâ ipsâ concione integrè conſummatâ vix, aut nec vix quidem ſatisfacitur. His enim fagineis hominibus nimis operoſum eſt, vel theſim Latinam fideliter in linguam vernaculam tranſtuliſſe, quin vel in Grammaticorum obuias Syrtes paſſim impingant, conſulto etiam identidem Dictionario. Indè querelas cient in Auctorem tragadias, quod ſub ſtili obſcurioris nubilo, rerum medullam auarè contegat, & abſcondat. Quare rei inuidiam non ad cauſſam ( quæ eſt ſuæ naturæ, aut eruditionis inopia,) ſed ad perſonas, & rerum, aut dictionis ambitionem referunt, quò ſe defectu eximant, eximie amatores ſui ſine riuali. Igitur hoc Biblicæ ſapientiæ poculum, his tantùm propinamus, qui ad rem Concionatoriam cum reliquis dotibus ſollertiam, & indicium quoque afferunt, æquo rerum cenſu. Porrò non abſolutas Conciones ſcribimus ( quod aliorum labor eſt, ) ſed exegeticis Commentariis paræneticas theſes de more attexımus: has hìc pro Concionibus concinnandis ( vt vt fieri poteſt ) in vnum corpus digerimus: contenti aliquandò Concionatoris ingenium ad themata inquietare, & idoneum aſſumptum perſtringere, quod de ſuo, vel de alieno locupletet. Plerumque tamen vel vſque ad lectoris nauſeam multa addenſantur ( quod ſacer textus inibi exigebat, ) vt ex multis eligat Concionator, quæ idoneè ipſe digerat, & pro rei occaſione, non cruda ore egerat; omiſſis quibuſdam, aut aliorsùm peritè flexis, aut aliundè opulentiùs adornandis. Ergò plura dedolanda ſunt, aliqua aut excaudicanda aut reſecanda, alia vberiùs exacianda & adipanda, alia acutioris ingenij limâ aut ad panegyrim expolienda, aut ad moralitatem auditoribus proficuam, adaptanda, complananda, ſternenda. Itaque ſæpè rerum ſemina duntaxat ſpargimus, quæ de alieno fotu & cultione fructificent. Alibi runcinâ opus eſt, alibi falce; ſemper ingenio, ſollertiâ, iudicio.* Multi Tyrſigeri, pauci ſunt re quoque Bacchi.

# COPIA
## AD SACRAS CONCIONES DE TEMPORE, ET DE SANCTIS.

*Dominica I. Aduentus.*

LVCÆ XX.

**E**T erunt ſigna in Sole, & Lunâ, & ſtellis, &c. Quare cùm Eccleſia lætum Dominici Aduentùs, & corporati Verbi feſtum celebrare incipit, tot funeſtis ſupremi iudicij ſignis mundus concutitur? An Verbum caro factum eſt, vt nemo ſe in iudicio finali per carnis imbecillitatem excuſet? §. 189. n. 2. p. 378

*Erunt ſigna in Sole, & Lunâ, & ſtellis, &c.* Tot prodigioſis ſignis opus eſt, vt iam iam inſtans finalis iudicij dies in hominis memoriam veniat? Scilicet ſicut cognata hominibus libido gehennalem ignem concinnat, & accendit; ſic iudicij memoriam abolet. §. 61. n. 5. p. 132

*Erunt ſigna in Sole.* Eccur cùm diſtrictior diuinæ iuſtitiæ rigor durè imminet, tunc ſigna & prodigia in Sole præmittuntur? An quia diuina beneficentia & benignitas hactenùs oſtentata, in die iudicij quodammodo ceſſabit? Porrò Sol ſignificatiua, expreſſa, & euidens Deitatis imago dicitur; & munifica Solis beneficentia, Dei bonitatem æmulari exambit. § 242. num. 5. & 6. pag. 490.

*Erunt ſigna in Sole.* Quare cùm in die iudicij imminet durum illud Chriſti verbum: *Diſcedite à me maledicti*, Solis inducitur mentio? An quia ſicut tenebræ dicuntur vinculum; ſic & Solis lux nominatur vinculum, quod ad bonum colligat §. 242 n. 4. p. 490

*Erunt ſigna in Sole.* Magna ſanè, & certiſſima calamitas eſt, quam Sol, id eſt, cœli cor, ac mens præſentit, ac prænunciat! §. 242. n. 8. p. 491

*Erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis.* Obſcurentur cœli lumina, ſi fortè ea vid ant extincta, qui lucentia non vident. Homines enim ſunt ſicut Heli, qui lucentem non videt lucernam, ſed penè extinctam. §. 64 n. 4. & 5. p. 138

*Erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis: & in terris preſſura gentium, &c.* Prodigioſa hæc ſigna ſummos diſtrictioris iuſtitiæ rigores oſtentant, & Deum ſcelerum vindicem probant. Porrò ſolitaria bonitas ſine comite iuſtitiâ, Deum effingeret inertem ſtupidum, & hominibus gubernandis inidoneum toto §. 220. p. 445

*Et in terris preſſura gentium, areſcentibus hominibus præ timore.* Impij ante infligendum durè ſupplicium, metu acerrimè caſtigantur. Nam tuta ſcelera eſſe, ſecura eſſe non poſſunt, de pœnaliſſimo conſcientiæ tormento, delinquentis viſcera ſenſim morſicante. toto §. 177. p. 353

*Et in terris preſſura gentium, areſcentibus hominibus præ timore.* Peccator ante infligendum ſupplicium, ipſe etiam aduerſus ſe durè ſæuit timoris cruciatu. Porrò homo propriæ imaginationis tormento, & tentamento, ſe pœnaliùs, vrget, & ſceleroſiùs exagitat, ab inteſtino phantaſiæ Dæmone, toto §. 136. & 137. p. 277. 278. & 279

*Et in terris preſſura gentium, areſcentibus hominibus præ timore.* Certè humanis periculi anxius timor, ſæpè acerbiùs quàm ipſa calamitas excruciat. toto §. 304. p. 605

*Areſcentibus hominibus præ timore.* Et iuſti etiam metu tabeſcent, propriæ imaginationis tormento? Profectò triſtitia ante triſtitiam eſt noſtræ imaginationis commentum. §. 324. n. 7. p. 645

*Et in terris preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris &c.* Confuſio hîc anxia *perplexitas* interpretatur. Porrò nunc perplexitate mundus concutitur, & terretur: nam incertus perplexitate animus, dum conſilij inops multa dubiè mentitur ſibi, non dubiè angitur, ſauciatur, vritur, toto §. 137. p. 279

*Et tunc videbunt Filium hominis, &c.* Vox, *Filius hominis*, humanitatem ac benignitatem præfert, quam hactenùs exhibuit. Ita quidem. Sed quæ putatur miſericordia erga impios, iræ diuinæ poteſtas dicitur. §. 155. n. 2. p. 312

*Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & maieſtate.* Benè cùm ſontes acerbè punit, maieſtate fulget Chriſtus: nam Regis facies iuſtum ſupplicium minitans, inflammari gloriâ perhibetur. §. 297. n. 12. p. 594

*His autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra.* Qui tunc reſpicere poteſt ad anteactæ vitæ bona merita, ſecurus ac lætus caput leuabit. Porrò ſtrenuus labor opere aſpectabilis, virtutem, virtutiſque præmia glorioſè captat. toto §. 175. p. 350. Item, ſapiens in actuoſæ vitæ officinâ, fortunam, ac felicitatem ſibi ſedulus finxit. toto §. 209. p. 421

*His autem fieri incipientibus, reſpicite, & leuate capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Tot mala, quę præmittuntur, ſumma bona, quæ Iuſtis appropinquant, egregiè declarant: nam præuium malum, luculentior ſubſecuti boni interpretatio eſt toto §. 210. p. 423

*Reſpicite, & leuate capita veſtra quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Ideò ante dicitur, quòd hæc calamitas imminet *vniuerſo orbi*, ne hominibus ſpem ponamus; ſed in cœlo, ad quod iubemur leuare caput. Porrò futile ac caducum, eſt humanum patrocinium: exindè ſpes noſtras in Deo collocare debemus. toto §. 239. p. 480

*Leuate capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Spem cœleſtium erigit, illorum appropinqua

appropinquatione, quorum poſſeſſio in benè ſperantes ſe ſe præproperè velut infert. Nam ſpes non timet, ne non veniat ſperata felicitas: qui enim benè ſperat, rei expectatæ gaudium iam momordit. toto §. 139. p. 283

*Leuate capita veſtra* (ſpe cœleſtium:) *quoniam appropinquat redemptio veſtra.* In tot atrociſſimis periculis, ad bonæ ſpei, operum grauidæ confugere iubemur. Porrò grandiora pericula facilè eludit ſpes; quæ ſi excidat, vel magnanimus ſimul corruet. toto §. 149. p. 502

*Leuate capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Tot malis, & grauiorum angore homines terrentur; & tunc eorum redemptio appropinquare dicitur. Quæ eſt hæc *Redemptio?* Noſter inibi Mariana: *Fructus redemptionis.* Quaſi redemptio in cruce peracta, ſit velut flos, cuius *fructus* eſt beata cælitum gloria. Caietanus, *Appropinquat redemptio veſtra: hoc eſt bonum deſiderata à vobis libertatis à ſeruitute mortis & corporis, & reliquorum quæ mundi ſunt.* Quaſi liberatio à mundialibus rebus, ad redemptionis elogium admittatur. Hugo Card. *Appropinquat redemptio veſtra. Ipſa enim mala, quæ hîc ſuſtinemus propter Chriſtum, ſunt redemptio noſtra; & ad hoc mittit ea Dominus nobis, vt per illa nos redimamus; Redemptionem miſit Dominus populo ſuo*, Pſalm. 110. O redimamus nos arcanâ præſentium malorum redemptione!

*Cum venerit Filius hominis in maieſtate ſuâ, &c. Et ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris.* (Ex Matth. cap. 25. In ipſa ſegregatione, cùm reprobos vocat *hœdos*, ſententia ferenda tranſlucet. Num reprobi ante Iudicis ſententiam, de libidinis reatu hœdorum vocabulo prædamnantur? §. 61. n. 3. p. 131

*Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum, &c.* De beatâ Cælitum gloriâ, vide in Syllabo rerum, verbo, *Beatitudo.*

*Poſſidete paratum vobis regnum....... eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare.* Benè miſericordibus beata cæli gloria tribuitur: nam eleemoſyna quodammodò reſculpit innocentiam; & qui extendit manum ad pauperem, cæli verticem tangit; & cibis pauperum beata æternitas in hâc vitâ nutritur. Ergò in pauperes grati ſimus. toto §. 227. p. 458

*Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, &c.* Filius hominis tam durè puniat, & homines pœnaliſſimæ gehennæ æternitati eroget? Aſt acerbius ſupplicium iuſtè irrogatum, auctarium gloriæ eſt in irrogante. §. 307. num. 6. & toto §. pag. 613

*Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, &c.* De feraliſſimis gehennæ infernalis cruciatibus, vide in Syllabo rerum, verbo, *Infernus.*

*In ignem æternum.* Profectò apud inferos placebit Deo, & Sanctis in pœna, qui nunc diſplicuit in culpâ. toto § 184. p. 369. Sanè ignis gehennalis myſterium, humanæ voluptatis ſacramentum eſt. §. 58. n. 7. p. 59

---

*Dominica II. Aduentus.*

MATTHÆI XI.

*AVdiens autem Ioannes in vinculis opera Chriſti.* Ioannes acerbioris martyrij candidatus, ſic ad atrociora cruciamenta hiabat, vt carcerem ac vincula reputet, *Otioſa ſupplicia?* §. 194. num. 3 pag. 587

*Audiens autem Ioannes in vinculis opera Chriſti, &c.* Chriſti lucerna Euangelio prælucens, vinculis tenetur? Imò & lux ipſa Solis, *vinculum intelligens* nominatur. §. 242. n. 4. p. 490

*Audiens autem Ioannes in vinculis opera Chriſti, &c.* Non hîc Ioannes Chriſti verba, ſed opera ſtupet, ad diſcipulorum fidem. Porrò non qui eloquitur magna, ſed qui viuit, Euangelium, Euangeliique mores feliciter perſuadet. toto §. 327. & 328. pag. 649. 650. 651.

*Audiens autem Ioannes in vinculis opera Chriſti, &c.* In carceris otio, non otiatur Ioannes; ſed ibi audit opera Chriſti, & ſuos diſcipulos ad eum mittit. Porrò Adam dum non operatur, paradiſum quaſi rapinam arbitratus occupabat. §. 175. num. 3. p. 350

*Audiens autem Ioannes in vinculis opera Chriſti, &c.* Ionnes ſanctitatis idea, inter ſceleſtiſſimos flagitiosè ſontes, in carcere vinctus tenetur? Scilicet criminoſior & impudentior vitiorum inſolentia, Ioanni virtutum eruditio eſt, & animoſæ probitatis gymnaſium. toto §. 245. p. 495

*Audiens Ioannes in vinculis opera Chriſti, mittens duos de Diſcipulis ſuis, &c.* Diſcipulos mittit, vt ipſi videant, & audiant, ne vel auctoratior Magiſtri auctoritas, ſed rei ipſius veritas, veritatem Euangelij perſuaderet. toto §. 114. p. 235

*Mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Speciem dubitantis præbet Ioannes, vt eius diſcipuli certiùs credant? Sanè ardua credendi difficultas, difficultate maiori ſæpè domatur. §. 400. n. 4. p. 789

*Mittens duos de Diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Specie etiam dubietatis in fide, non ceſſat Ioannes adhuc in carcere, Chriſtum prædicare, & demonſtrare? & de ſuis Diſcipulis Apoſtolorum collegium augere. Scilicet volupe hominibus eſt, credibilem putare alienam virtutem, quæ vitij ſpeciem obtendit, vel quippiam vitio confine. toto §. 64. pag. 137

*Ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Adhuc in carcere & vinculis prædicare Chriſtum non ceſſat Ioannes; qui dicitur citiùs veniſſe prædicans, quàm prædicaret. §. 266. n. 4. p. 537.

*Ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Eccur qui dudum Chriſtum digito demonſtrauerat, nunc quaſi dubius Diſcipulos ſuos mittit? An vt vel ſic fidem adſtruat? Porrò euidentior, & atteſtatior credibilitas, humanæ incredulitati è diuerſo perſæpè adulatur; & contrà. toto §. 238. p. 480

*Mittens duos de Diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Audierat Ioannes cum Diſcipulis vulgares rumuſculos de Chriſti *operibus.* Neque vult, vt idcircò credant; ſed auribus ſuis, & oculis videant. Siquidem non vera rei eſſentia, ſed vel falſata apparentia, vulgarem rei cenſum procudit. tota §. 244. p. 493. Graues patitur hiatus humana credulitas §. 1. n. 2. p. 1. Facilitas credulitatis in magnis viris reprobatur. §. 311. num. 6. p. 621

*Mittens duos de Diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Forſan hi duo Diſcipuli præ reliquis tenaciores erant auitæ legis, & ſuarum traditionum; quos ideò ad Chriſtum mittit, vt ſint Euangelij Antiſtites. Porrò

ex

ex errorum gymnaſio, fidei Chriſtianæ veritas aliquando ſumptuoſiùs ornatur toto. §. 325. p.646

*Mittens duos de Diſcipulis ſuis,ait illi:Tu es,qui venturus es, an alium expectamus?* Quod ex narrantium relatione audierant de operibus Chriſti, mittit vt ipſi audiant, & videant, quo firmiùs credant; benè ſcius quàm facile virgo veritas pro variâ referentium libidine conſtupretur. toto §. 166. p.333

*Tu es,qui venturus es, an alium expectamus.* Ioannes ſpecie dubij veritatem adſtruit; ſicut econtrario Dæmon veritatis ſuffragio, erroribus patrocinari ambit.§.103.n 5. p.216

*Mittens duos de Diſcipulis ſuis,ait illi:Tu es,qui venturus es,an alium expectamus?* Quare,vt Chriſtum, Chriſtique doctrinam ſequantur, Ioannes Diſcipulis ſuis nō mandat? Scilicet Ioannes peritè ſciebat,quòd Magiſter & Doctor non debet eſſe, ſicut legiſlator.§.7.n.1. p.12

*Mittens duos de Diſcipulis ſuis,ait illi:Tu es,qui venturus es, an alium expectamus?* Quare Ioannes Diſcipulos ſuos à ſe ablegat, & fieri Chriſti Diſcipulus ſatagit? Scilicet Doctor nullam ſodalitatē agnoſcit; & male putat ſe ſolum eſſe veritatis cognatum:nam Barrabas eſt,Magiſtri filius.§. 7.n. 2.p. 12. Item, ſuperbus Doctor ambit,vt omnes ſapiant de eius ore.§.28.n.1. p.61

*Mittens duos de Diſcipulis ſuis,ait illi:Tu es,qui venturus es,an alium expectamus?* Non mittit Diſcipulos à ſe edoctos, vt de re fidei diſputent,& argutētur; ſed vt videant,& audiant.Nam nimis arguta & ſubtilis de fide diſputatio, ſæpè deſtruit, quod adſtruit:quia fides non eſt,vbi quæritur fides. toto §.97. p.204

*Mittens duos de Diſcipulis ſuis,ait illi:Tu es,qui venturus es,an alium expectamus?* Ex omni Diſcipulorum turbâ, duos tantùm eligit,qui idoneè fiant Chriſti Diſcipuli? O quoties, quæ maior pars eſſe videtur,peior eſt! Sanè paucitas magiſtra diſciplinæ.toto §.19. p.63

*Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Cum Chriſto coram præſente loquuntur,& cum interrogant,an ſit, qui venturus eſt? An quem vident præſentem,quaſi abſentem tractando,eum ſic reuerentiùs honorant; Profectò maieſtati maior ex longinquo reuerentia:nam frequens conſuetudo, aut contemptibiles inuenit,aut facit.toto §. 131 p. 268. Sanè frequens aſpectus minùs verendos magnos viros ipſâ ſocietate facit. toto §. 132. p.270

*Tu es,qui venturus es,an alium expectamus?* Chriſtus dum ideò quæritur, vt inueniatur, iam propè inuentus eſt,vt quæreretur toto §.140.p.284

*Tu es,qui venturus es,an alium expectamus?* Eccur nō palam Magiſtri auctoritate iubet, vt illum tanquam expectatiſſimum Chriſtum cognoſcant, & adorent? Scilicet Deus, Deique fides, humano patrocinio ad gratiam concinnato non indiget.§.97. n.7. p.205

*Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Cum præſente loquuntur,& an ſit futurus,ſeu venturus interrogant? Scilicet needum eum tanquam Deum colebant. Deus autem religione intelligendus dicitur.§.324.n.4.p.644 Item, Deus eſſe dicitur, & quæ ſunt,& quæ non ſunt,quo ſenſu? §.324 n 5. p.645

*Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis.* Corporata Dei Sapientia, operibus potiùs quàm verbis reſpondet? Profectò non qui eloquitur magna,ſed qui viuit,& Euangelium,& Euangelij mores feliciter perſuadet.toto §.327. p.649

*Euntes renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis.* Non tantùm ore,ſed opere etiam reſpondet. Nam infelix eſt ſuadela Prædicatoris, qui quod ore docet,opere non loquitur.toto §.328 p.651

*Cæci vident.* Cæcis oculos reſtituit, cùm eruendus etiam ſit dexter oculus ſiniſtro conſpectu conſertus?§.109.n.8. p.227

*Claudi ambulant.* Claudorum pedibus Chriſtus reſpondet? Ita quidem, nam Petrus manu ſanitatem præbet,pedibus Claudus prædicat. §. 175. num.5. p.351

*Pauperes euangelizantur.* Miraculum ne eſt, quòd pauperes, qui nihil retribuere poſſunt, euangelizentur? Sanè in verbi Dei adminiſtris, viliſſima ſordidi lucelli auaritia, quæ cibario ac nummario pretio veritatem cauponatur, egregiè vapulat. toto §.331. p.656

*Quid exiſtis in deſertum videre?* Solitudinis laudes vide in Syllabo rerum,Verbo, *Monachus.*

*Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam?* Inconſtantiæ næuum à Ioanne remouet. Tametſi aliqua in Iudicibus inconſtantia,ſeu mutatio laudatur. toto §.319 p.635 & §.311.n.7. p.621

*Qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt.* De ſumptuoſiori veſtium ornatu, vide §. 77. & 78. p.161.162.163. & 164

*Ecce ego mitto Angelum meum.* Angelus ne appellatur Ioannes? An quia primitiuæ Eccleſiæ cœtus,Angelica Reſpublica nominatur? §.105.n.3. p.219. An quia hominum & Angelorum Reipublicæ, viuendi elementa communia dicuntur? §.305.n.5.p.608. An quia lingua proficua Angelos loquitur?§.6.n.7. p.10

*Ecce ego mitto Angelum meum.* Ergò ne homo Angelis naturam inuiderit, cuius gloriam in gratiæ officinâ in ſeipſo refingere eualet. toto §. 305. p.607

*Dominica III. Aduentus.*

IOANNIS I.

*Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis, &c.* Leuitæ ſacerdotio ſublimes,Ioannem Leuitam etiam & ſacerdotis filium, ſummâ Meſſiæ dignitate augere ambiunt; Iudæi autem contribulem Ieſum Chriſtum negligunt. Scilicet cognatos pauperes faſtidit opulentus diues, qui pecuniæ potiùs cognatus dicitur. toto §.204. p.411

*Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis ſacerdotes, & leuitas ad Ioannem, &c.* Sacerdotes & Leuitæ re indiſcuſsâ,ſacerdotes & Leuitas mittunt, vt Ioannem inaugurent in Meſſiam. Nam propoſitum fauendi cognatis anteuertit conſilium. §.59.num.7.p. 129. Multam opem cognatus cognato præbet. §. 257. n.4. p.521

*Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes,& Leuitas ad Ioannem,&c.* Magnus Ieroſolymorum Senatus, Ioannem eligit;vt eum auidiùs alliciant, quo ſublimiùs honorant. Porrò magni eligentis iudicium, cenſus dignitatis eſt, & ſublimitatis menſura. toto §.171. p.342

*Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis ſacerdotes & Leuitas ad Ioannem.* Impiè ſceleroſa Iudæorum Reſpublica, merum hominem in diuinam Meſſiæ dignitatem inaugurare ſatagit. Scilicet æquum eſt,

vt eum vnuſquiſque religione colat Deum, quem ſuis moribus colere prometetur. toto §. 94. p.198

*Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis ſacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, &c.* De Ioanne ſublimiùs cenſent, quod reipsâ non eſt; & de Chriſto Meſſiâ vero, quod re verâ eſt, cenſere detrectant? Nempè bonus imbonúſue affectus, dum merita cudit in voluntatis officinâ, iudiciorum arbiter eſt. toto §.145. p.294

*Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis ſacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, &c.* Ioannes in populo Dei, & inter Prophetas magnus eſt, quo nemo ſurrexit maior. Ioannes autem Meſſias non eſt. Profectò vel honorum impotenter cupidis ſatiùs eſt, eſſe inter minimos magnum, quàm inter magnos minimum. toto §.85. p.177

*Vt interrogarent eum: Tu quis es?* Merus homo eſt; nec ſupra hominis faſtum haberi exambit. Porrò ſuperbus dum inſolentiùs vltrà ſuum faſtigium præſumit, in abiectiores vilitates ſceleſtè degenerat. toto §.203. p.409

*Et confeſſus eſt, & non negauit. Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.* Non præſumit Ioannes terris lucere, ſed cœlo; Lunæ adinſtar, quæ dum terris lucere ambit, partem obſcuram cœlo obiicit. §. 303. n.8. pag.604

*Et confeſſus eſt, & non negauit. Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.* Sacerdotes ac Leuitæ cognati Ioannis, illi ſummam dignitatem offerunt. At Ioannes ſicut Chriſtus, humilitatis & abiectionis duntaxat cognatus perhibetur. §. 204. n.5. p.412

*Et confeſſus eſt, & non negauit. Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.* Merus homo meritum ad diuinitatem habere nõ eualet. Aſt olim oblatæ diuinitatis recuſatio meritum ad illam putabatur. §.100.n.2.p. 209. Exindè mortuos homines inter Numina gentiles referebant, ne immeritos honores refutare poſſent. § 95.n.4. p.201

*Et confeſſus eſt, & non negauit. Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.* Gloriam diuinitatis Ioanni offerunt? Sic gloria Deo debita, non eſt apud ambitioſos homines tuta? §.87.n.5. p.182

*Et confeſſus eſt, & non negauit. Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.* Profectò humilis conſcientia dum primatum fugit, ad eum feſtinat: indignus verò in dignitate conſtitutus, dignitatis obtentæ luctum quærere poteſt, inuenire non poteſt. toto §.174. p.348

*Et confeſſus eſt, & non negauit. Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.* Porrò humilitas honores repudians, ab honoribus ambitur, arcanè velut immerata eſt eius perfectio, menſura magnitudinis, honoris honor, & ſeipsâ quodammodò celſior. toto §.288. p.767

*Et confeſſus eſt, non negauit. Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.* Scilicet abiectior humilitas, ſublimioris gloriæ arbitrium eſt. toto §. 239. p. 482. Non prælatio, ſed abiectio humilis, Angelorum perfectionem metitur? §. 306. num. 6. p. 610. Etſi ſuperbus candidatus tantò indigniùs dignitates ambiat, quantò humiliùs. toto §. 176. p.352

*Elias es tu? Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: Non.* Eſto, Ioannes non ſit Elias; quo pacto dicere potuit, non eſſe prophetam, qui Chriſti ore Propheta nominatur? Profectò arcanâ quâdam non virtutum, ſed quaſi vitiorum hypocriſi, vitia in virtute quodammodò oſtentare, aliquis pius humilitatis faſtus eſt. toto §.298. p.594

*Elias es tu? Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: Non.* In tanto dignitatis faſtigio ſpontè oblato, vſque ad non eſſe, ſe Ioannes humiliat? Profectò Magnorum ſubſiſtentia, quæ glorioſam altè magnitudinem fundat, abiectior humilitas eſt. toto §.240. p.485

*Elias es tu? Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: Non.* Ioannes de ſe dicit: Propheta non ſum, Elias non ſum, Non ſum ego Chriſtus. Verè ne dicitur: Deo nihil eſt ſimilius, quam qui non eſt? §.239.n.7. p.484

*Elias es tu? Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: Non.* Ioannes de ſe dicit: Propheta non ſũ, Elias non ſum, Non ſum ego Chriſtus. Verè ne Deus eſſe dicitur, Et quæ ſunt, & quæ non ſunt? §.324.n.5. p.645

*Elias es tu? Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: Non.* In poſtremiſſimum, aut nullum locum Ioannes (quo maior non ſurrexit) obiicitur? Sanè vir magnus in vltimum reiectus locum, non eſt ceteris poſtpoſitus, ſed ſuperpoſitus. toto §. 99. p.207

*Elias es tu? Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: Non.* Vt ſit, magnæ dignitati par humilitate creſcat. §.173.n.6. p.347

*Elias es tu? Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: Non.* Valdè audet Ioannes, dum Procerum Senatui conſtanter aduerſari non veretur. Verùm demiſſior humilitas eſt audaciæ conceptaculum. §. 297.n.2.p.593. Humiles deuorant, & abſorbent inclytos. §.251.n.10. p.508

*Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* An Iudæi Chriſtum tanquam Meſſiam non agnoſcũt, quia in habitu, cultu, & victu communi verſatur? Verùm omnia intùs populo diſſimilia ſint; quæ foris apparent, populo conueniant, ne ſint de ſingularitate arroganter famoſa. toto §.299. & 300. p.596.597.598

*Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* Iudæi nolunt inuenire Chriſtum, dum expectare volunt, quærere nolunt. Nam Chriſtus, dum ideò quæritur vt inueniatur, iam propè inuentus eſt vt quæreretur. toto §.140.p.284. Et ſponſa dum ſpõſum quærit, eſſentiam amoris illum appellat. §. 272.n.6. p.548

*Ego vox clamantis in deſerto.* Vocem ſe appellat, vt legitimum ac immaculatum ſe exhibeat teſtẽm, de caſtitatis prærogatiuâ velut carnis experte. Quaſi veritas ſit caſtitatis appendix. toto §. 318. præſertim.n.10. p.632

*Dirigite viam Domini.* Ioannes ſatagit, vt dirigatur via Domini; nos autem viam Domini reddere laxam, & ſpatioſam ſollerter adnitimur. §.108. n.7. p.225

---

*Dominica VI. Aduentus.*

## LVCÆ III.

*Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæſaris, &c.* Heu quàm ſceleroſam Principum colluuionem hæc ætas tulit! An etiam in animi morbis ſuus eſt etiam dies criticus, in quo vitiorum ægritudo plus ſæuit? toto §.101. p.211

*Anno quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris, &c.* Qui omnibus

omnibus principatur, omnium inimicus dicitur. §.90.n.3. p.191

*Anno quinto decimo imperij Tiberij Caſaris*, qui nouis vectigalibus orbem vexauit. Sanè mera Regum vtilitas, non eſt bonus regiminis arbiter. §. 90. n.7. p. 192. Exindè Rex ſententioſè dicitur Medicus, ſeu chirurgus. §. 235. num. 5. p. 476. O ſubiecti populi iugum regni portare, delicias reputent. §. 337.n.9. p.669

*Anno quintodecimo imperij Tiberij Caſaris*, &c. Superbo Imperij nomine nuncupatur, & coronata ſeruitus eſt. §. 337. n. 4. p. 668. Bonus Princeps Iacob Patriarcha, qui ſeruiendo etiam impleuit Domini vocabulum. §.337.n.5.p.668. Non bonus eſt populorum Paſtor qui ad ſuaue ſuum gregem ducat. §.337.n.10. p.670

*Anno quintodecimo Imperij Tiberij Caſaris.* Decimuſquartus imperij annus dicitur; & tamen Rex hodie iam mortuus eſt, & cras iam mortuus eſt. §. 19.n.5. p. 47. Regibus olim ſollenne fuit diem natalis ſui ſumptuoſiori funeſtè luxu celebrare, toto §.19. p.45

*Procurante Pontio Pilato Iudæam.* Gratùm populis *Procuratoris* vocabulum ambit, & ſollicitæ procurationis onus detrectat. Scilicet non adminiſtrandi regni deſiderium; ſed deſiderium gloriæ principandi, peruerſitas ambitionis eſt. §. 87. n. 3. &c. p. 181

*Procurante Pontio Pilato Iudæam.* Reatus impij eſt pium nomen. §.2. n. 4.p. 3. Impiè ſæuit Superior, qui falſato pietatis prætextu ferit. toto §.108. pag. 224

*Procurante Pontio Pilato, Iudæam.* O quàm iniquè Pilatus iudicat, dum ex congruentiis tantum iudicauit! §.80.n.3. p. 158

*Tetrarchâ autem Galilææ Herode.* Vel Patris ſui nomine inuidioſè cruentus, dum repetitâ cæde Chriſtum in Innocentibus occidit. Heu, in filiis parentum ſuorum auida otia, heredes nacta, atrociter perdurant! toto §.91. p.193

*Tetrarcha autem Galilææ Herode*, Herodis cognomento *Magni* filio. O, fruſtra, & infauſtè Rex appellari *Magnus* exambit! §. 251. n. 2. p. 507. Virtus nobiliter generoſos facit, citiùs quàm prælustria Maiorum ſtemmata. toto §. 236. pag. 476

*Tetrarcha autem Galilææ Herode.* Qui inimicitias cũ Pilato hoſtiliter gerebat. Sanè ſicut Præfectorum reciprocus inter ſe conſenſus, regiminis peritia eſt? ita iudiciorum diuortium, politiæ euerſio. toto §. 205. p.412

*Tetrarcha autem Galilææ Herode.* Qui de poteſtatis inuidiâ, ac æmulatione, inimicitias cùm Pilato gerebat. Exindè nimium in Præfectis ac Iudicibus ampliandæ iuriſdictionis ſtudiũ, multis ſuggillatur. toto §.312. p.622

*Sub Principibus ſacerdotum Anna & Caipha.* Apud quos Sacerdotium venale erat. Opulenta Sacerdotum auaritia egregiè vapulat toto §.78. p.164

*Sub Principibus ſacerdotum Anna & Caipha.* Vidiſtin tot ſceleſtiſſimos homines faſtigio dignitatum ſublimes; ne illis inuideris. Nam Aman etiam in hoc altiùs tollitur, vt decidat altiùs §.40.n4.& toto §.p.83. Sæpè inter fortunam maximam & infimam, nil medium eſt. Sic ſublimiſſima ruinæ vicinantur. toto §. 191. p.381. Veniet tandem ad illum diu felicem ſua portio: quiſquis videtur à fortunâ dimiſſus, dilatus eſt. toto §. 154. p.310

*Sub Principibus ſacerdotum Anna & Caipha.* Tot ſceleroſiſſimi Principes ac Præfecti hac recenſitione inducuntur, vt indè innoteſcat enunciandi Meſſiæ expectatiſſimus principatus, & optimum regimen. Porrò præuium malum, ſubſecuti boni interpretatio eſt. toto §.210. p.423

*Factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannem.* Factum dicitur Verbum Domini, potiùs quàm dictum: porrò infelix eſt ſuadela prædicatoris, qui quod ore docet, opere non loquitur. toto §. 328. p. 651

*Factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannem.* Factum dicitur Verbum Domini potiùs quam dictum. Non enim qui eloquitur magna, ſed qui viuit, & Euangelium, & Euangelij mores feliciter perſuadet. toto §.327. p. 649

*Factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannem.* Factum dicitur Verbum Domini; ne res ſentiat eneruati damna ſermonis. §. 6. n. 7. p. 11. Sanè proficua lingua Angelos loquitur. Ibidem.

*Factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannem in deſerto.* In deſerto, ſeu vaſtâ incultâque eremo, verba quæ prædicet, Ioanni cælitus ſuggeruntur. Erunt, opinor, verba incompta atque ruſticana, non eleganter compta, politula, nitidula. Scilicet quò imperitior eſt Concionatoris ſermo, hoc illuſtrior eſt ratio; quoniam non fucatur & effeminatur gratâ pompâ facundiæ. toto §.286.p.573. Contra vitia impetu, non ſubtilitate pugnandum. §.7.n.4. p. 13. Vel iumenta intelligant, quæ concionator prædicat. Ibid.

*Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem in deſerto.* Benè in deſerti ſolitudine, ſe ſe Deus Ioanni communicat. Nam vita ſolitaria felicem Dei eſſentiam æmulatur, diuinæ viſioni aptior eſt, cœlum habet apertum; illam percupiebant Apoſtoli tanquam Chriſtianæ libertatis ſymbolum. toto §.72. p. 151

*Factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannem in deſerto.* Nunc in deſerto ſe ſe Deus communicat Ioanni, quem olim Euangelizatrix Deipara dulci colloquio conſecrauerat. §.393.n.5. p. 777

*Prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Sed caue, ne dum lacrymis conſcientiam diluis, lutum facias. toto §.265. p.534

*Prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Lacrymæ porrò ſunt delictorum ſpongia, iugis & expromptus velut baptiſmi fons: adoptionis radios inſertos habent, quibus vitæ fructus matureſcunt; citiúſque ſine rogandi pudore veniam impetrant. toto §.264. p.533

*Prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Lacryma fons eſt & fluuius, & ſimul lux & Sol. §. 233. n. 8. p. 472. Ex oculis noſtris fluat Pactolus, pretioſior cœno, quam fluento. §.261.n.8.p.529. Sanè ridiculum eſt lugere quod colas, aut colere quod luges. §. 193. n. 3. p. 385.

*Vox clamantis in deſerto.* Voce clamat, vitâ perſuadet. toto §.327.& 328. p. 650. 651. 652. Concionum audientiæ Præſes eſt Chriſtus, qui quodammodò diſcit in auditoribus, quorum aures ſanguine ſuo madent. toto §.332. p.658

*Omnis vallis implebitur.* id eſt, vallium abiectior humilitas attolletur. Porrò Magnorum ſubſiſtentia, quæ glorioſam altè magnitudinem fundat, depreſſior humilitas eſt. toto §.240. p.485

*Et omnis mons & collis humiliabitur.* Siquidem ſuperbus dum inſolentiùs vltra ſuum faſtigium præſumit, in abiectiores vilitates ſceleſtè degenerat. toto §.103. p.409.

*Et erunt praua in directa.* Praua itinera, quibus homo

homo tendit ad vitia, & ad gehennam agitur, dirigi ad virtutem, & ad cælum poſſunt? Num homo, iiſdem paſſionibus, quibus agebatur ad vitia, virtutibus militare debet. toto §. 197. p. 393. Homo iiſdem profanis affectibus, quibus incitabatur ad vitia, Deo religioſiùs conſecratur, & virtuti obnixiùs militet. toto § 213. p. 429

*Et aſpera in vias planas.* Aſperáne ac ardua virtutis difficultas, Sic in viam delicioſè planam ſternitur? Benè Eſther cruciatur felicitate gloriæ: nam Sanctorum elogium eſt, aſperis arduè calamitatibus deliciari, gloriari, beari. toto §. 289. p. 578. Caro per patientiam velut impatibilis, eruditur ad immortalitatem proficere. §. 245. numero 6. pag. 496

*Et erunt praua in directa, & aſpera in vias planas.* Viæ antiquæ nouiter diriguntur, an nouæ ac rectæ promittuntur? Sanè viam iniquitatis à ſe amoueri, Propheta obnixiùs expoſcit. §. 61. n. 7. pag. 132

*Et videbit omnis caro ſalutare Dei.* Videndus obiicitur, quem ignorare, ſceleſtiſſimum eſt §. 324. n. 10. p. 645 Deus non eſt, quod homo de eo ſuſpicatur. §. 324. n. 9. p. 645 Deus Solis adinſtar, & viſibilis, & inuiſibilis eſt. §. 324. n. 7. p. 645. Nunc Deum noſcimus, ſicut qui Solem in aquis intuetur. §. 324. n. 8. p. 645. Deus autem religione intelligendus perhibetur. §. 324. n. 4. p. 644

*Et videbit omnis caro ſalutare Dei.* Si illum videndum quæſierit, inuentum appellabit eſſentiam amoris. §. 272. n. 6. p. 548

---

*In Vigil. à natiuitatis Domini.*

## MATTHÆI I.

EVangelium habetur ethicè expoſitum, in feſto S. Ioſephi. Reliqua vide in feſto Natiuitatis, & Incarnationis, & Expectationis.

---

*In Natiuitate Domini.*

## LVCÆ II.

E*Xiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.* Totus orbis ſoluendis tributis deſcriberetur, vt nemo eſſet quantumuis ignobilis, pauperculus, & ignotus, qui eximi poſſit. Aſt dum Principes opulenti de pauperum inopiâ diteſcere ambiunt, & paupertatem ſibi negotiantur, & ruinam ædificant. toto §. 150. p. 303

*Exiit edictũ à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.* Tributorum durâ exactione Chriſtus Deus in vtero matris vexatur, ipſius Paſſio adumbratur: & ſub Nebuchadonoſore olim nunc ſub Cæſare, Dei populus liquefit. toto §. 234. p. 473

*Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis, &c.* Tributorum *profeſſio* ſeculari obtenditur, & ſpiritualis impletur, non terrarum Regi dicanda, ſed cæli. § 112. n. 4. p. 232

*Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis, &c.* Sic Chriſti Dei natiuitas in Bethlehem arcanè peragitur. Porrò diuinæ prouidentiæ officioſitas, etiam ex vniuerſo ſapienter operatrix, & inſcrutabiliter arcana eſt. toto §. 168. p. 337. Qui diuinam prouidentiam ſcrutatur, oſſa Chriſti conterere dicitur. §. 168. n. 8. p. g. 338

*Aſcendit autem Ioſeph à Galilæâ... in ciuitatem Iudæ, quæ vocatur Bethlehem.* Vrbecula Bethlehem minima ex ciuitatibus Iuda; ſed magna etiam eſt, quia Deus in eâ factus eſt paruus ex magno. §. 353. n. 2. p. 701

*Cum Mariâ deſponſata ſibi vxore prægnante.* Totum enim verbum, quod eſt, & erat in corde Dei, Deiparæ vtero infuſum eſt. §. 364. n. 2. p. 723. Item B. Virgo dicitur tabula à Deo conſcripta. §. 363. num. 1. p. 721

*Et peperit Filium ſuum primogenitum.* Quid eſt, Filium ſuum? Chriſtus Deus totus, Matris Virginis dicitur. § 360. n. 2. & 3. p. 715. 716. Num Deipara Filium Deum ſibi tantummodò peperit? §. 360. num. 4. p. 716

*Et peperit Filium ſuum primogenitum.* Num Chriſtus Deus non tantùm in corporis lineamentis, ſed etiam in animæ notis, Deiparæ Virginis ſpeculum & imago eſt? §. 393. n. 4. p. 776

*Et peperit Filium ſuum primogenitum.* Deiparæ virginitas maternitate conſecrata, approbata, & glorificata eſt. §. 354. num. 6. pag. 705. Virginitas & Dei maternitas in Mariâ, ſuntne velut ſynonima, & duo idem? §. 354. numer. 7. pag. 705

*Et peperit Filium ſuum primogenitum.* Deiparæ virginitas à partu ampliata, de bonis carnis Deo adulatur, piâ quâdam pudicitiæ obſtinatione; quæ Verbum diuinum in ſe corporatum probat? toto §. 355. p. 706

*Et peperit Filium ſuum primogenitum.* Chriſtus eſt Filius, & Deus Virgini Deiparæ, quid ſit autem Virgo Deipara Filio Deo, planè inſcrutabile eſt, ineffabile eſt. toto §. 361. p. 717

*Et pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio.* Scilicet pannis Chriſtus obuoluitur, vt ſciſſam myſtici corporis vnitatem ſuo redimeret in corpore. §. 115. n. 7. p. 238

*Et pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio.* O frumentum hoc in præſepio poſitum, rationalem dignitatem pecuinis hominibus tribuat! §. 41. n. 6. p. 86

*Quia non erat ei locus in diuerſorio.* Non eſt locus in diuerſorio, cui totus mundus anguſtus eſt. Porrò magnitudinem Deî qui putat noſſe, inuenit. §. 324 n. 2. p. 644. Deus cùm definitur, ipsâ definitione creſcere dicitur. §. 324. n. 11. p. 645

*Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, &c.* Chriſtus non tam propter ſe, quàm propter homines naſcens, ſic debuit glorioſè naſci. §. 222. n. 6. & §. 125. num. 6. pag. 150

*Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, &c.* Ex quo Deus homo factus eſt, de hominis aſſumpto vocabulo Angelus homini Deo adulatur, an ſibi gratulatur? §. 305. n. 2. &c. p. 607

*Gloria in altiſſimis Deo.* Porrò maieſtati maior ex longinquo reuerentia. toto §. 131. & 132. p. 268. 269

*Et in terrâ pax hominibus.* Multa de pace, vide in Syllabo rerum, verbo, *Pax.*

---

*In Natiuitate Domini.*

## IOANNIS I.

I*N principio erat Verbum.* Græcè τὸ λόγος *Verbum*, ſermonem, orationem, rationem, virtutem,

formam, definitionem, pactum, opus, & alia multa ſignificat.§.272.n.5. p.548

*In principio erat Verbum.* Sed familiare eſt etiam ſcripturis, leges ac præcepta appellare, Dei verba. §.84.n.4. p.176

*In principio erat Verbum.* Vt iam tunc in principio, Verbi generatio humanæ beneficentię typum gerat.§.224.n.5. p.453

*In principio erat Verbum.* quod in noctis ſilentio hodie infans naſcitur. ô quàm eſt arduum tenere vocis ac ſilentij temperamentum! toto §. 146. pag.196

*Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Aptène Deus dicitur, & quæ ſunt, & quæ non ſunt?§.324.n.5. p.645

*Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum,* Eccur Verbum totam Patris perfectionem habens, nihil detoget Patri?§.156.n.5. p.315

*Et vita erat lux hominum.* Porrò lux infructifera non computatur ad lucendi gratiam. §. 87. n.6. pag.183

*Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Et tamen tam feſtinanter, velut lux à tenebris, boni Angeli à malis diuiduntur.§. 69. n.6.& §.68.n.7. p.147.& 145

*Hic venit in teſtimonium ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Num niſi Ioannes Baptiſta tantâ floruiſſet caſtimoniæ puritate, eius teſtimonium fortè ſuſpectum falſitatis foret§.318.n.10. p.634

*Hic venit in teſtimonium ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* An lux, quæ teſte probatur, modicè lucere arguitur; & indè creditur? §.64.n. 6. p. 138. Profectò volupe hominibus eſt credibilem putare alienam virtutem, quæ vitij ſpeciem obtendit, vel quicpiam vitio confine.toto illo §.64. p.137

*Hic venit in teſtimonium ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Lumen ne teſtimonio dicentis, an euidentiâ oculorum percipitur? Sanè euidentior & atteſtatior credibilitas humanæ incredulitati è diuerſo perſæpè adulatur; & contrà. §.238 num. 2. & toto §. p.480

*Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Ideòne filius minùs amat Patrem, quia pater beneficentior eſt in filium?§.314.n.7. p.627

*Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri,* &c. Aptène voluntas carnis, an carnis concupiſcentia nominatur? An operâ Deiparæ, carnis concupiſcentia ſic dediſcitur, vt voluntas à Domino poſſit appellari?§.367.n.3.& toto illo §. p.728

*Verbum caro factum eſt.* Verbum caro factum eſt, an Verbum homo factum eſt? Forſan cùm dicitur, Verbum caro factum eſt, puriſſimæ Virginis carni velut adulatur Euangeliſta. §. 391. n. 5.p.773. Porrò puriſſima Deiparæ caro verbum diuinum ex ſe corporandum ad ſe attraxit.Inibi.

*Verbum caro factum eſt.* Hic modus loquendi carni Deiparæ velut adulari videtur. Indè diſquiritur, quo ſenſu B.Virgo dicatur, Verbi ſpirans, ac puriſſima pars.§.361.n.4. p.718

*Verbum caro factum eſt.* Summa veritas cur de Virginis vtero, & virgine Ioannis animâ oriri dicitur?§.318.n.13. p.635

*Verbum caro factum eſt.* Quomodò Ioannes Dei verbum audibile, & intelligibile generare perhibetur?Inibi. p.635

*Verbum caro factum eſt.* Verbúmne caro factum eſt vt nemo ſe in die iudicij per carnis imbecillitatem excuſet?§.189.n.2. p.378

*Verbum caro factum eſt.* Verbum ne caro factus ſit, & carnis elogiis obnoxium? Chriſtus tamen dicitur homo impatibilis, quia tentationibus ſuccumbere nequit.§.248.n.4. p.501

*Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patri, &c.* Chriſtus Deus, qui non tam propter ſe quàm propter homines venerat, ſic glorioſè naſci oportebat.§.226.n.6. p.457

*Et vidimus gloriam eius gloriam quaſi Vnigeniti à Patre.* Gloriâ quaſi Vnigeniti à Patre ornatur Chriſtus: num etiam Matris Virginis elogiis adornatur? §.251.n 9.p. 508. An Chriſtus Maternæ etiam virginitatis titulo, glorioſam ſuam hereditatem poſtulat? §. 270. n. 6. p. 545. Num etiam qua Ioſephi filius (vt ſit eiuſmodi filiatio) ſit Iudaici regni glorioſus heres? §. 394. num. 7. pag.778

*Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre,* &c. Gloria ne Chriſti Dei quaſi Vnigeniti à patre, eſt gloria cicatricum?§.96.n.5.p. 103. Auguſtiores Chriſti gloriæ ſtigmatum humilitate decorantur.§.239 n.4. p.483

*Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre.* Tanta gloriâ à Patre, non homine, ſed Deo ſublimatur: nam pater homo quantumuis Filij ſui peramans, Pater abuſiuè nominatur. §. 321. n. 6.pag.640

*Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis.* Plenus eſt Patris gloriâ, plenus eſt gratiâ verâ; quæramus ergò illum hodie recèns natum? nam inuentus, eſſentia amoris inueniri dicitur.§ 272.n 6.

---

*In feſto S. Stephani Protomartyris.*

MATTHÆI XXIII.

*Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & ſcribas.* Imò ex obuiis lacubus ruſticanos Piſcatores, potius quàm ſapientes ex academiis ſophiſtas, Chriſtus mittendos elegit. §. 7. n. 4. p. 13. Illuſtratur opinatiſſima illa ſententia: Poſtquam docti prodierunt, boni deſunt. toto § 30. p 65. Sanè gubernatricis peritiæ faſtus eſt, aliquando ſimplices præbere aures, ſapienter ſtuleſcere §.337.n.8. p.669

*Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, & ſcribas.* id eſt, ruſticanos Apoſtolos, & pauperculos humiliter diſcipulos. Ne faſtuoſa docentis auctoritas, ſed ipſius doctrinæ ſimplex veritas, ad perſuaſionis energiam adduceretur.toto §.114. p. 235. Alioqui ciuitas litteratum, ſpinarum vrbs dicitur. §.98.n.6. p.207

*Ecce ego mitto ad vos Prophetas,&c. Et ex illis occidetis & crucifigetis; & ex eis flagellabitis,* &c. Tot calamitates mittendis diſcipulis antedicit? Ecquis ire audeat? Aſt perſecutionem patientibus impunè inuidere licet: eſt enim perſecutio, à perſecutore aſylum, & in terram promiſſionis proiectio.toto §.122. p.151

*Et ex illis occidetis, & crucifigetis & ex eis flagellabitis in Synagogis veſtris.* Synagogæ auctoritas obtenditur, vt atrociùs contra Diſcipulos ferociant. Nam impiè ſæuit, quiſquis prætextu pietatis ac religionis ferit.toto §. 108. p.225

*Et ex illis occidetis, & crucifigetis: & ex eis flagellabitis in Synagogis veſtris.* Sic victrix Tyrannorũ potentia, Diſcipulos proculcabat, & detriumphabat. Verùm

Verùm ſui etiam & victo pompa eſt, & ex inuctio gloria. Qui Chriſtianè ſapit, etiam cùm contemptim vincitur, glorioſè vincit. toto §.211. pag.425

*Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis, qui effuſus eſt ſuper terram: à ſanguine Abel*, &c. Ne peccantium multitudine quis ſcelera ad impunitatem coloret. Nã vbi multi peccant, peccatum excuſatione blanditur. §.69.n.8 p.147. Itê mores ſuos ſenſim miſcet improbitas. §.69.n.1.p.146. Inde peccatores vnus plures ſunt. toto illo §.146.

*Quem occidiſtis inter templum & altare.* Grande quidem nefas, templi violatio, & grauiter luenda! inde ipſum têplum dicitur Ariel, id eſt, Leo Dei. §.285.n.5.p.572. Eheu templa dicuntur tranſtra, in quibus corporatum Verbum remigare perhibetur! §.285.n.8. p.572

*Amen dico vobis: venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.* ô certiſſimas acerbioris ſupplicij minas! Sanè promiſſio Eliæ, Deus Eliæ nuncupatur ab Eliſeo. §.284.n.6. p.571

*Amen dico vobis: venient hæc omnia ſuper generationem iſtam*; Licet miſeriùs ſit nocere, quàm lædi. §.117.n.1.p.241. Etſi hæc ſupplicia abeſſent, dum gloria martyrum inuidiam eorum excitat, durè admodùm puniventur. toto § 156. p.314

*Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt.* ô quàm flebiliter ac minaciter de lapidatione ac cæde Stephani Chriſtus conqueritur! Nam Chriſtus licet impaſſibilis, in Stephano pati dicitur. §.96.n.7.p.203. In Stephani paſſione, velut paſſio Chriſti eſt. § 96.n.6 p.203. Sanè Stephani in martyrio tolerantia, Chriſti mores manifeſtat §.96.n.6. p.203

*Quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt.* Caſtiſſimi Leuitæ ſanguis, quem caſtitas retinebat, per martyrium effudit. § 96.num.4. p.203

*Quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt.* Et quomodò Stephanus in lapidum vibicibus ſic glorioſus apparet? Gloriáne Chriſti quaſi Vnigeniti à Patre, eſt cicatricum gloria? §.56.n.5. p.203. Beatitudo martyrum, dicitur Chriſti vita? §.96.n.6. p.203

*Quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt.* Tantò acerbius ſupplicium Stephani tortoribus imminet, quantò ipſe pro eis orans, longius à vindictæ voto. Sanè rara virtus eſt, quæ offenſori prorsùs ignoſcit; & grauiter ſauciantem nec leuiter referit. toto §. 221. p. 446. Meta beneficentiæ eſt, ſiquis iniurias beneficiis remetiatur, inuerſo gratus officio, Stephanum imitatus. toto §.222.p.448. Sanè aliquis perfectæ virtutis faſtus eſt, ſua vltori potiùs, quàm ſuo offenſori ſuccenſere, & iniurias beneficiis vleiſci. toto §.223. p.450

*Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Tunc Iudæis relinquitur Dei templum, cum deſertum eſt, & ipſi abſunt peregre exules? Sanè templum Dei dicitur pia ſuperbia, & arrogantia impetij §. 285.n.4.p.571. Et appetentia oculorum, & animi indulgentia. Inibi. Item quamuis ſumptuoſius, conſultò appellatur tugurium. §. 285.n.3.p.571. Plura de templo lege in eodem §.285. p.571

R. P. Didac. Celada in Eſtherem.

*In feſto S. Ioannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ.*

## IOANNIS XXI.

*Conuerſus Petrus vidit illum Diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem.* Benè de Chriſti ſequelâ Ioannes ſublimiùs commendatur. Num pes Chriſtum ſequens, beatitudinem videat, ſeu manu apprehendat? §.71.n.2.p.149. Chriſtus ſequentibus ſe, fauſtum æternæ felicitatis augurium dicitur. §.71.n.7.p.151. Se vel inuitum ſequentes, obuiam Chriſtus beneficus exit. §.71.n.3. p.150

*Conuerſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus ſequentem.* quaſi amor Chriſti à ſequelâ ſit. Num pius ille adoleſcens Chriſtum non ſequens, dignus ſit Dominico amore? §.71.n.4.p.150

*Conuerſus Petrus vidit illum Diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem.* Dum Ioannes eum Sponsâ ſic Sponſum Chriſtum quærit, inuenit, ſequitur, ſententioſè eum appellat *eſſentiam amoris*. §.272. num.6. p.548

*Vidit illum Diſcipulum, quem diligebat Ieſus.* vtpotè virginem, & ſpecialiſſimum Matris Virginis filium. Porrò Virgo Deipara Ioannem, etſi non hominem, tamen virginem generauit. §.391.n.4. pag.772

*Hic autem quid.* Quid non ſummum, & ineffabile in Ioanne, qui Deiparæ filius, & de diuinâ maternitate quodammodò æmulus fuit. Indè ſapienter quæritur, cur ſumma Veritas de Virginis Mariæ vtero, & virgine Ioannis animâ oriri dicatur? §. 318.n.13. p.635

*Hic autem quid? Dicit ei Ieſus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Deus oſtenditur Omnipotens, cùm humanam curioſitatem inhibet. §. 178.n.2.p.356. Curioſitas reum facit, non peritum; & oſſa Chriſti conterere perhibetur. §. 178. num.4.& 5. p.356

*Hic autem quid? Dicit ei Ieſus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Sic curioſitas diſcipuli eſt Chriſto inuidioſa? nimiùm, Chriſtus gloriæ ſuæ impenſiùs ſtudere dicitur, cùm ſuos diſcipulos curioſos videt. §.178.n.6. p.357

*Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Petri curioſitas hic inhibetur; nam Petrus ex curioſitate Chriſtum negauit: & ex militis curioſitate, Chriſti iam mortui corpus lancinatur. §.178.n.7. pag.357

*Exiit ergo ſermo inter fratres quia Diſcipulus ille nõ moritur. Et non dixit Ieſus: Non moritur, ſed; Sic eum volo manere*, &c. ô quàm facile virgo veritas pro variâ referentium libidine conſtupratur! toto §.166. p.333

*Et non dixit Ieſus: non moritur.* Tametſi Ioannes aſſiduâ mortificatione mortalitatem penè exhauſerit. §.126.n.5. p.260

*Hic eſt Diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc.* Adeò vt Ioannes Euangeliſta indè dicatur, Dei Verbum, audibile, & intelligibile generaſſe? §.318.n.13. p.613

*Et ſcripſit hæc, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius.* Ecquod ſpeciale veritatis ſuffragium, humanitùs habet Euangelium Ioannis? An à Ioannis virginitate? Profectò ſicut mendacium cenſetur libidinis ſequela; ſic & veritas caſtitatis appendix reputatur. toto §.318. p.632

*In Feſto Sanctorum Innocentium.*

MATTHÆI II.


ANgelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens, &c. Cur cæco ſomno veritates permittit Deus? §. 238. n. 7. p. 481. An quia ſomnus eſt tanquam veritatis theſaurus? Inibi. Ratio ſæpè inuitãda eſt ad ſomni gymnaſium. toto §. 237. p. 478

*Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens.* Cur Deus dat Angelis carmina, quæ illi in nocte decantent? §. 306. n. 4. p. 610

*Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens,* &c. Et quomodò res tanta ſomno permittitur, & creditur ſomno? An quia ſæpè euidentior & atteſtatior credibilitas, humanæ incredulitati è diuerſo adulatur; & contra? toto §. 238. p. 480

*Dicens: Surge, & accipe puerum, & Matrem eius, & fuge,* &c. Benè eſt, dicatur Ioſepho, vt tollat puerum; quid autem opus eſt, vt dicatur ei, quòd ſponſam Deiparam tollat? An non Ioſephus dicitur aliqua pars, ſeu dimidium Mariæ? Ante §. 394. n. 1. p. 777. Ioſephi animus ſponſæ Deiparæ menti coniugatur. §. 395. n. 4. Vna fides, & vnus ſpiritus Mariæ & Ioſephi? §. 395. n. 6. p. 780

*Dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge,* Eſtne Ioſephus Matri Virgini, & Filio Deo neceſſarius? §. 398. n. 4. p. 785. Ioſephus eſt paradiſi Mariani cuſtos, quem Seraphicè cuſtodiuit. §. 398. n. 5. p. 786. Quo ſenſu dicatur Deus, Deique myſteria Ioſepho velut inniti. §. 398. n. 6. ibid. Eſtne Ioſephus Mariæ, ac Infantis Dei Gubernator? §. 399 num. 3. p. 787

*Et fuge in Ægyptum, & eſto ibi, vſque dum dicã tibi.* Exilium inſipienti calamitas eſt, ſapienti verò virtutis occaſio, & gloriæ acceſſiò. toto §. 283 p. 567

*Et fuge in Ægyptum, & eſto ibi vſque dum dicam tibi.* Ipſum exilij vocabulum, populo Dei indè reditum, fauſtè ominabatur. §. 200. n. 3. & 4. p. 399

*Et fuge in Ægyptum, & eſto ibi vſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim, vt Herodes quærat puerũ ad perdendum eum.* Chriſtus Deus iſne erit, qui etſi puer fugiat hominis iras? Scilicet timoris infirmitate hoſtes potentiores vincere, omnipotentiæ documentum eſt. §. 31. n. 3. p. 67

*Futurum eſt enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Sed perſecutio, à Perſecutore aſylum eſt. ferè toto §. 122. p. 251

*Futurum eſt enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Inſidãne impiè Ægyptus, ſecurum tamen erit à perſecutione Herodis, an exilij calamitati accedet atrox Ægypti barbaries, populi Dei hoſtiliter aduerſatrix? Aſt præuium malum, luculẽtior venturi boni interpretatio eſt. toto §. 210. p. 423

*Qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & ſeceſſit in Ægyptum.* Suprà poſitum eſt præceptum Ioſepho intimatum, & quibuſdam interpoſitis, nunc deſcribitur eius obſequium. Ioſephine obedientia narrari debuit continuata cum mandato, quaſi illius appendix; §. 83. n. 4. p. 174. Num etiã Chriſtus per omnia Ioſepho obediuit, etiam cũ vellet ſe aliud facere inſinuabat? §. 399. n. 4. p. 787 Totis duodeuiginti annis, Chriſti ſubiectio fundat ſublimem Ioſephi dignitatem. §. 399. n. 5. & 6. ibid.

*Et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem,* &c. Cunctanter agit Herodes, & dum diu expectat Magorum reditum, tot Innocentium ſtrages atrociter meditatur. Porrò non præceps paſſione ſcelus, ſed præmeditata malitia criminoſior cenſetur. toto §. 157 p. 316

*Et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, &c.* Omnes trucidantur, nam ſub Thyranno, nemo miſeris opem ferrè audet. §. 2. num. 8. pag. 4.

*Et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, &c.* Hanc immeritam perſecutionem Innocentibus inuidere licet: eſt enim à perſecutione aſylum, & in terram promiſſionis feſtinata proiectio. toto §. 122 p. 251

*Et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, &c.* O inopinata innoxiè patiendi neceſſitas! Sed gratia tranſcendit neceſſitatem §. 207. n. 11. p. 418.

*Et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem.* In Innocentibus repetitã cæde Chriſtus occiditur. Exindè beatitudo Innocentium martyrum dicitur Chriſti vita. §. 96. n. 6. p. 203

*Et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem.* Imbecilla non eſt Innocentium martyrum virtus, cuius vinci victoria eſt, & de inuerſo gloria. toto §. 211. p. 425

*Rachel plorans filios ſuos.* At non erant Rachelis, ſed æmulæ Liæ filij. Tanta verò fuit immeritæ Innocentium ſtragis calamitas, vt vel lacrymas exprimat æmulæ Rachelis. Aliquis enim compaſſionis faſtus eſt, crudeli vltori potiùs, quàm afflicto offenſori ſuccenſere. §. 223. n. 2. p. 450


*De fugâ in Ægyptum.*

Euangelium ethicis expenſionibus illuſtratum eſt in feſto ſanctorum Innocentium.

*In feſto Circumciſionis Domini.*

LVCÆ II.


POſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer. Chriſtus à lege immunis, legi cruentæ ſic paret? Num Chriſtus non habet quid dicat, vt præcepti rigorẽ declinet? §. 83. n. 6. p. 175

*Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circũcideretur puer.* Infans Ieſu vix octo vitæ dies numerat, & cruentæ legi ſic expromptè obedit? Scilicet perfectus obediens velut de obſequio vitam mutuatur. toto §. 84. p. 175

*Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer.* Dilectionem erga homines, an obſequium diuinæ legi, Chriſtus hîc præproperè oſtentat? Sententioſè lex, rigida quædam dilectionis forma nominatur. §. 111. n. 6. p. 230

*Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer, &c.* Puer Ieſus expreſsè non hîc dicitur circumciſus, ſed manifeſtè circumciſus ſupponitur. An quia perfectior obedientia legem neſcire dicitur? §. 198. n. 5. p. 395. An quia dicitur præcepti appendix, & legis ſequela? §. 83. n. 4. p. 174

*Poſtquam conſummati ſunt dies octo, & circumcideretur puer.* Reliqui priores ſeptem dies non dicuntur conſummati; ſed dies, in quo circumciſus eſt acerbo dolore. Scilicet à calamitate potiùs, quàm à felicitate perfectus ac lætus dies nominatur. §. 251. n. 1. p. 507

*Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer.* Sic propetanter puer Ieſus feſtinat ſanguinem ſuũ pro hominibus redimendis effundere?


Scilicet

Scilicet actuoſum rei agendæ exordium, rei ipſius ſenſus eſt toto §.18. p.44

*Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer,* &c. Puer Ieſus ſuâ circumciſione circumciſionem expungit. Sanè in petrino circumciſionis cultro, eius abolitio tranſpatet. §. 168. n.5. p. 338

*Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Acceptum in circumciſione nomen Ieſu, denuò propter paſſionis meritum Chriſto donatur. §. 340. n.3. p. 678. Exindè nomen Ieſu non tam caput, quàm manum coronare perhibetur? §.340.n.2. p.678

*Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Ieſu nomen demus, velut noſtræ militiæ teſſeram. §.340.n.5. p. 679. Nomen Ieſu eſt velut turris, & cui ad illud confugiunt, tanquam milites ſtationarij. §. 340. num.7. p.679

*Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Nomen Ieſu dicitur glorificatio honoris, illóque Dei magnificentia oſtentatur §.340.n. 8. p. 639. Nomen Ieſu caſtitatem ſpirat, & morum honeſtatem inſerit. §. 340. num.9. p. 680

*Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Salutare Ieſu nomen eſt illi velut lex, ſit etiam nobis §. 340. n. 4. p. 678

*Vocatum eſt nomen eius Ieſus.* B. Deipara gratiam etiam inuenit, quia Filium ſuum appellauit Ieſum. §.340.n. 6. p. 679. Virgo Deipara olim Maria-Ieſu nominabatur vno vocabulo. §. 340. n. 1. pag.677

---

*In Epiphaniâ Domini.*

MATTHÆI II.

ECce *Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: Vbi eſt, qui natus eſt,* &c. Magi dicuntur primi ſtellarum interpretes §.325.n.5.p. 646. Siderea lux egit Magorum interpretatione. ibi. pag.646

*Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam dicentes: Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum?* Sancta, & ſacris litteris edocta Ieruſalem, à Magis barbaris religionem ediſcat? Num ex errorum gymnaſio, fidei Chriſtianæ veritas aliquandò ſumptuoſius ornatur? toto §.325.p.646

*Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymã, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Iudæus ſit Gentilium diſcipulus; incredulos, vt credat ſequatur. §.325.n.5. p.647

*Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Cur Magi ab Herode rege Iudæorum, Regis Iudæorum natiuitatem quærunt? An hoſtiliter æmuli teſtimonium ſagaciſſimè perquirunt? §. 167. n. 4. p.336.

*Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Credunt, & quærunt? interrogant, & annunciant? Scilicet Magorum eruditior humiliter ſapientia, quærendo docet. §.167.n.5. p. 336

*Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Stellæ, quæ erant Gentium numina & idola, idoneè Chriſtum prænunciabunt? Scilicet vel diuinus honor Idolis exhibitus, Chriſtianæ fidei cogitur militare. §.167.n.3. p.336

*Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Meſſiæ natiuitas, non tam à ſapientibus ſcribis, quàm à Magis enunciabitur? Num vera Dei religio arcanâ ſuperſtitionis ſpecie edocetur à Magis? §.167.n. 2. p.335

*Audiens autem Herodes rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo.* Iudæus diſcredit de Meſſiâ, & Magus credit; Magus contra ſecredit, & Iudæus pro ſe non putat eſſe credendum? §.133.n. 3. p.272

*Audiens autem Herodes rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo.* Sed turbatæ etiam Ieroſolymæ paſſiones, cœleſtibus motibus informandæ ſunt. §.197.n.5. p. 394. Nam homo iiſdem concitationibus, quibus agebatur ad vitia, virtutibus militet. toto illo §.197. p.393

*Audiens autem Herodes rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo.* Ieroſolyma de ſui expectatiſſimi Meſſiæ aduentu, cum Rege turbatur? Scilicet ſub Herode, omnis Ieroſolyma erat adulator aulicorum grex. §.193.n. 7. p. 386. Aulica aſſentatio, ſeu aſſenſio multis vapulat. ibi. n. 8. & toto illo §. p.387

*Audiens autem Herodes rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo.* Scilicet Iudæi populi ingratitudo, ipſius cauſſam cum Herode fecit eſſe communem. §.315.n.6. p.628

*Et congregans principes ſacerdotum, & ſcribas populi ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur.* De fide interrogati Iudæi infideles, fidelibus opportune reſpondent: mendaces à ſe, veraces contra ſe. §.325.n.4. p.646

*At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ: ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu Bethlehem,* &c. Vera reſpondent: ſed de vero reſponſo malitiam armat Herodes. O quàm debet eſſe cauta conſiliarij ſapientia ſub iniquo Principe! §.26.n.... p.58

*At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ: Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam Et tu Bethlehem,* &c. De Herodis commentario è peruerſo auxiliante, annunciata à Magis veritas credibilior apparet. §.167.n.6 p.337. Magi autem velut neſciendo veritatem perſuaſerunt. §.167.n.5.p. 336. Falſi Magiſtri aliquando demonſtrant veritatẽ? §. 325.n.7. pag.647

*At illi dixerunt: In Bethlehem Iudæ: Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam,* &c. Vndè Herodes Innocentium tragœdiam machinatur. O, apud Principes cautè ſapiat eruditus, ne alienâ innocentiâ deprauetur. § 30. n. 5. p.66

*Ex te enim exiet dux,* &c. Beáturne Bethlehem, quia ex eâ exiet Chriſtus; non quia in eâ manebit? §.132. n. 3. p. 270

*Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Mariâ matre eius.* Magi qui in cælo terram, in terrâ cælum vident. §.300.n.4. p.592

*Videntes autem ſtellam gauiſi ſunt gaudio magno valdè. Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius.* Scilicet Virgo Deipara oculorum veſtigia reuelat. §.385.n.5. p. 762

*Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius.* Quiſquis Chriſtum Deum in Mariâ, & cum Mária, & per Mariam quærit; & feliciùs inuenit, & ſecuriùs tenet. toto §.384. p. 759

*Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera,* &c. Magorum manus, cùm hæc munera offerunt, intellectibus ornantur. §.147.n.1. &c. p. 298

*Et apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera aurum,* &c. Deus homo in humili ac paupere tugurio ſtabulans, Magorum munera ad inopiæ ſubſidiũ acceptat: licèt indiga ſubſidij acceptio de largitoris mendicitatibus, ſe victitare fateatur. toto §. 229. p.461

### *Dominica infra octauam Epiphaniæ*

## LVCÆ II.

*CVm factus eſſet Ieſus annorum duodecim.* Annorum duodecim eſſe dicitur, cui Virgo Mater coronam æternitatis impoſuit; §. 381. n.2.p.754

*Cùm factus eſſet Ieſus annorum duodecim aſcendentibus illis Ieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti, &c.* Moraliſſimum parentibus exemplum exhibetur, quòd ad omnem religionem ac pietatem in biuio rationis puer inſtituendus & innouandus eſt,vt in virtute conſeneſcat. §. 159. n.8.p.321.Porrò à tenerâ ætate morum diſciplina, fomes bonæ indolis dicitur, imbet boni ingenij, alteram quodammodo naturam tribuens.toto §. 81. pag. 170. O quoties iubar ſanguinis ſuperat pædagogi induſtria. §. 1. num. 3. pag. 1.

*Aſcendentibus illis Ieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti.* Opinor, non obligat lex nec Matrem Virginem, nec puerum Deum. At ex illorum vitâ lex diſcit, quod præcipiat, tanquam ex Legiſlatorum ſcholâ. §. 207. n. 2. pag. 416

*Aſcendentibus illis Ieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti.* Porrò virtutibus diu adſuctus, ipſam virturem velut ſibi conuiſcerat, & in mores trahit.toto §.82.& 81. p.170.171.172

*Remanſit puer Ieſus in Ieruſalem.* In ſanctâ ciuitate, cum viris eruditione ac virtute opinatiſſimis. Nam adhuc puer à perfectione cœpit, & cana conſilia in annis puerilibus meditatur. §.1. n. 4. pag.2.

*Et non inuenientes, regreſſi ſunt in Ieruſalem, requirentes eum.* Mirum ſanè eſt, quòd Ieſum ſedulo quærentes, non ſtatim inuenerint. Nam Deus dum ideò quæritur vt inueniatur, iam propè inuentus eſt vt quæreretur.toto §.140. p.584

*Inuenerunt illum in templo.* dum ſic Sponſa Sponſum quærit, *eſſentiam amoris* inueniſſe perhibetur §.272.n.6. p.548

*Inuenerunt illum in templo.* Templum enim dicitur appatentia oculorum, & animæ indulgentia. §. 285.n. 4. p. 571. Et templum Dei, cæli ſolium de maieſtate æmulatur.§.285.n.5. p.572

*Inuenerunt illum in templo.* Vbi nam citiùs quàm in templo, Chriſtus Deus inueniatur? Porrò Dei templum appellatur voluntas Dei.§. 285. n. 6. p. 572. Et de impreſſo templis veſtigio, egredientium pedes ad ſanctitatem conſecrantur. §. 285. n. 7. p. 572 Eheu templa hodie dicuntur tranſtra, in quibus corporatum Dei verbum remigare dicitur!§.285.n.8. p. 572

*Inuenerunt illum in templo, ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.* In medio Doctorum puer Ieſus ſedet, illos muto ſilentio audiens, & iuxta ætatem vrbanè interrogans. Scilicet comitas vrbanè placida in Doctore, perſuaſionis lenocinium eſt. toto §. 329. p. 653.

*Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Sanè dolentes quærebant: nam incertus perplexitate animus, dum conſilij inops multa dubiè cogitat, non dubiè angitur, ſauciatur,vritur.toto §.137. p.279

*Ecce pater tuus, & ego, &c.* An Ioſephus præter putatitiam paternitatem, alio paternitatis genere præluſtris fuerit, traditur toto §. 394. & Ethicè §.395. &c. pag.777.778. 779. De maternitate Deiparæ, habes multa in Syllabo rerum, verbo, *Virginitas, & Maternitas Mariæ.*

*Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Dolentes quærunt, & iucundiùs inueniunt. Nam voluptabile quoduis naturæ aut gratiæ, graui difficultate ac periculo comparatum, gratiùs adridet.toto §.135. p.276

*Ecce pater tuus, & ego, &c.* Deiparáne primum locum Ioſepho cedat? An non ipſa dignitatis merito longe præcellit? Scilicet humanæ arrogantiæ faſtus, magni æſtimat ambitioſæ comitatis nugas: vir autem magnus in vltimum reiectus locum,non eſt cæteris poſtpoſitus, ſed ſuperpoſitus. toto §.99. p. 207

*Neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Paternæ gloriæ obnoxius ſtudet, cui auguſtè glorioſum eſt, Sanctorum ſtudium de amplificandâ Dei gloriâ toto §.306. p.647

*Et erat ſubditus illis.* Totis duodeuiginti annis Chriſti ſubiectio fundat ſublimem Ioſephi dignitatem. § 399.n.5. p. 787

*Et erat ſubditus illis.* Otiatúrne Chriſtus totis octo & decem annis, quos ſilentio peregit? Verùm alieno arbitrio agi, Euangelicæ perfectionis meta dicitur.toto §.8. p.15

*Et Ieſus proficiebat ſapientia & ætate, & gratia apud Deum & homines.* Quin & Chriſtus Deus arcanè etiam per homines proficere perhibetur. §. 94. n.5. p.199.

### *Dominica II.poſt Epiphaniam.*

## IOANNIS II.

*NVptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ.* Bonorum coniugum vnitas, conſenſio, pax, requies felicitas pluriſariam commendantur. toto §. 36. pag.76

*Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.* Nuptiæ deliciarum obtentu hominibus adrident; ſunt autem perſæpè ingens ærumnarum ſeminarium, & tribulationum officina.toto §.37. p.78. Et multa perſtrictim ac ſaltuatim de nuptiis delibantur, toto §.38. p.80

*Nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ,& erat Mater Ieſu ibi.* Matrimonium non eſt theatrum,ſed myſterium.§.38.n.8.p.83.Cœlibatus tamen emphaticè dicitur Redemptio.§.37.n.7 p.79

*Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat Mater Ieſu ibi.* Bona vxor penè ſine iudicio æſtimer, ac beatificet virum ſuum.§.38.n.6.p.80.In quo nam bonæ vxoris pulchritudo diuinam gratiam æmuletur?§.38.n.7.p.81.Vxor Dei imago nuncupatim dicitur,ſi viro ſimilis ſit.§.36. n. 7. p.77

*Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ & erat Mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem Ieſus, &c.* Nuptiæ dicuntur mortis inchoatio.§.74. n. 6. p. 156. Quæ nubit, vltrò Euæ maledictum ſubit,quod innupta excutit.§.37.n.5.p.79 Nuptiæ cælo exulant;Deus tamen dicitur.Coniugij Præſes.An ideò illis adeſt Ieſus? §. 37. n. 1. p.78

*Et deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum: Vinum non habent.* Materne Domini vinum expectat conuiuio? Verùm moderatum vinum eſt homini vitæ pars, additamentum vitæ & defæcatio ſenectutis.§.25.n. 2. p. 56. Senum annoſitas moderato vino recuratur. Ibi Sapiens vino maceratus, ſeipſo ſuauior eſt.§.25.n. 3. p.57. Sobrius vini potus,

tus,

tus malas affectiones temperat, bonas erigit. Inibi. Immo ieiacus vini vſus multis culpatur. toto §. 14. pag. 54

*Et deficiente vino dicit, &c.* Tam citò voluptatis vinum in nuptiis deficit? Scilicet humana voluptas, quæ peribit, iam periit. § 199. n. 5. p. 397 Qui habat ad ſperata, imò ad ſpreta, nauſeat ad poſſeſſa. §. 99. n. 6. p. 209. Areſcit voluptatum flos, cùm vetuſtate incipit. § 59. n. 5. p. 128. Scenica tragicè voluptatis cataſtrophe expenditur. §. 58. n. 6. p. 127

*Et deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum: Vinum non habent.* Non acceſſit modeſtiſſima Mater materno iure miraculum expetens ab Omnipotente Filio. Vel Matianæ preces, verecundiæ patrocinium aſciſcunt? § 32. n. 5. p. 69

*Et deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum: Vinum non habent.* Ecce qualiter Virgo Deipara pietatis æſtum temperat, & conceptam precis fiduciam verecundè ſuppreſſit. §. 176. n. 2. p. 554 Quin & humilitatem aduocat auxiliatem. toto illo §. 276. p. 554

*Et deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum: Vinum non habent.* Non expectat egentium preces pliſſima Deipara. Porrò aliquis miſericordiæ faſtus eſt, beneficium negotiando, & erogando, egentium ſupplicationem anteuertere; ne ſibi inuidiam erogando concitet. toto §. 225. p. 454

*Et deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum: Vinum non habent.* Profectò piè beneficus, & de benignitatis elogio laudatior, ſentiri ſe magis cupit, quàm videri; ne quaſi hoſtiliter, ſed tanquam cælitùs ſuccurrat. toto §. 226. p. 456. Detrahiturne decori gratiæ, quod gratiæ precum adiicitur? §. 257. n. 2. p. 520

*Et deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum: Vinum non habent.* Nil expreſsè petit Deipara, ſed neceſſitatem Filio proponit. Porrò muta patientis neceſſitas, clamor eſt, & grandis clamor, diuinam opem precariè implorans. toto §. 279. pag. 560

*Et deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum: Vinum non habent.* Ex liberalitate vltra preces, idoneè probatur eſſe digna Dei mater §. 381. numer. 3. p. 754 Maria ſupplicare volentium preces egrediendo præuenit. §. 382. num. 2. p. 755. Virgini Deiparæ cura eſt de omnibus quandoquidem inrogata ſubuenit. § 382. n. 3. p. 756. Non rogata Mariæ pietas, eſſe Dei matrem præclarè euulgat. §. 382. n. 4. p. 756

*Quid mihi & tibi eſt mulier? nondùm venit hora mea.* Auſterius forſan videbitur reſponſum, & Deiparæ matri minimè præbendum. Verùm inidoneus dignitati eſt, qui honores dignitati debitos ſemper captare ambit. §. 87. n. 2. p. 181

*Dixit Mater eius miniſtris: Quodcumque dixerit vobis, facite.* Videtur Filius renuiſſe reſpondiſſe, & quaſi adnuiſſet, rem Deipara tractat? An Deipara ſupplici imperio iubet, an imperiali prece rogat? §. 378. n. 5 & toto §. p. 748

*Dicit Mater eius miniſtris: Quodcumque dixerit vobis, facite.* Promiſit ne beneficium, an preces refutauit? Scilicet ſæpè humana oratio ſic accedit impetrationis ſecura, ac ſi diuinâ promiſſione ſubnixa, beneficium petitione prægustaſſet. toto §. 269 p. 541

*Vt autem guſtauit Architriclinus aquam vinum factam.* Aquam appellat, quæ hactenùs ſemper aqua fuerat, etſi iam vinum ſit? Sic vitium, quod per conſuetudinem in mores abiit, propè incurabile cenſetur, vt eius curatio, cauillatio nominetur? toto §. 158. & 159. p. 318. 319

---

*Dominica in Septuageſimâ.*

MATTHÆI XX.

*Simile eſt regnum cœlorum homini patri-familias.* Deus dicitur *pater*, ad ſollicitudinis erga homines exaggerationem. Exindè humanus pater, pater abuſiuè nominatur. §. 321. n. 6. p. 640

*Simile eſt regnum cœlorum homini patri-familias.* Forſan Deus inducitur *patris* nomine, vt filiorum ingratitudinem ſe ferre denotaret. Ideóne filius minùs amat patrem, quia pater beneficentior eſt in filium? § 314. n. 7. p. 627

*Qui exiit primo mane.* Non curat de ſomno Christus, qui tantum dormit, quantum finit vſus corporis, ad ſui officij munia actuoſus. *No deja la occupacion para dormir, ſino que duerme quando le deja la occupacion.* §. 175. n 6 p. 351. Aſſuerus in peruigilio actuoſus eſt. §. 163. n. 1. p. 329

*Qui exiit primo mane conducere operarios.* Actuoſos operarios quærit ſollicitus hic paterfamilias. Nam ſtrenuus labor opere aſpectabilis, virtutem, virtutiſque præmia glorioſè captat. toto §. 175. pag. 350

*Conuentione autem factâ cum operariis ex denario diurno, miſit illos in vineam ſuam.* Christi operarius, qui ab eo denarium diurnum expectat, ne ab hominibus mercedem quærat. Porrò in Verbi Dei operariis viliſſima eſt ſordidi lucelli auaritia, quæ cibario, nummario, aut honorario pretio veritatem nundinatur. toto §. 331. p. 656

*Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno, miſit illos in vineam ſuam.* Mercedem promittit, vt languidos hominum animos ad operis laborem ſtimulet. Nam præmia qui tollit, ferè virtutem, ſapientiam, atque peritiam omnem ſuſtulit. toto §. 170. p. 341

*Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno, miſit, &c.* Nouum indies præmium, nouo indies labori Rex cæleſtis pollicetur; nam terrenus Rex Mardochæum munerat munere, quod præhabebat. §. 253. n. 3. p. 510

*Vidit alios ſtantes in foro otioſos.* Dum non operatur Adam, paradiſum quaſi rapinam arbitratus occupat. §. 175. n. 3. p. 350 Hominis otium nequiores contra ſe Dæmones facit. §. 243. n. 2. p. 491

*Quid hìc ſtatis tota die otioſi?* Perdiu hactenùs otioſis, vineæ ſuæ culturam permittit? Scilicet conſultior apud homines electio, viros pares negotiis, neque ſuprà deſtinat. §. 173. n. 5. & toto illo §. p. 346

*Quid hìc ſtatis tota die otioſi?* An non his, qui circa vndecimam horam vocantur, vltra vnam horam ſupereſt ad laborem? Scilicet qui vſque ad vndecimam vitæ horam otioſus fuit & animæ ſuæ negligens, totâ die vitæ ſuæ otioſus dicitur. §. 261. n 2. p. 529. Exindè dubia ſemper eſt Salus, & propè certa damnatio eius, qui ſceleroſæ vitæ pœnitentiam vſque ad horam mortis procraſtinat. toto illo §. 262. p. 529

*Dicit Dominus vineæ procuratori ſuo: Voca operarios.* Christus eſt, & Dominus vineæ, & Procurator. Vel Spiritus-ſanctus Christi Procurator appellatur. O viderit Paterfamilias, cui domus ſuæ procurationem concredat! §. 243. n. 6. p. 492

*Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſſ.*

*nouiſſimis vſque ad primos.* Eccur nouiſſimus ante primos muncrandus eſt? Scilicet primus dignitatum locus, non maiori merè ætati debetur, ſed meritis in minori etiam ætate. §. 322. num. 3. pag 641

*Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos.* Quare largior Dei pietas, nimia dicitur, neque hîc ordinem aſpicere perhibetur? §. 246. n. 3. p. 497

*Et accipientes murmurabant..... Hi nouiſſimi vnâ horâ fecerunt, &c.* Scilicet quia hi nouiſſimi plus in vnâ horâ laborauerunt. Portò deſes ac lentus in opere, non fortunam, ſed fortunati induſtriam attentiùs exploret. §. 109. num. 3. p. 422. Sapiens enim in actuoſæ induſtriæ officinâ fortunam ſibi ſedulus fingit. toto illo §. 209. p. 421

*Et accipientes murmurabant aduerſus patrem familias, dicentes: Hi nouiſſimi, &c.* Sunt ne quaſi ſynonyma, obmurmurandi cauſſa, & murmuratio? §. 104. num. 3. p. 217. Sic eſt hominibus exprompta maledicentiæ prurigo? toto illo §. 104. p. 217

*Et accipientes murmurabant aduerſus patrem familias, dicentes: Hi nouiſſimi vnâ horâ fecerunt. & pares illos nobis feciſti, &c.* Sed plus illâ horâ laborauerunt. Num actuoſus laborioſè operarius, tantâ præmij gloriâ fulget, vt cælitum inuidiam ciere poſſet? §. 175. n. 2. p. 350

*Qui portauimus pondus diei, & æſtus.* Pondus diei ſunt onerosa legis præcepta. Ergò non oportet grauedinem ponere mandatorum. §. 110. num. 6. & toto illo §. 110. & 111. p. 228. 229. 230

*Non facio tibi iniuriam, tolle quod tuum eſt, & vade..... An oculus tuus nequam eſt, &c.* O quàm auſteris verbis, leuiter delinquentes à ſe ablegat Deus! §. 292. n. 5. p. 584

*Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi*, Vt nulla ſit inter eos differentia temporis cauſſâ. Non enim annoſitas otioſè cana, ſed in minori etiam ætate, eruditior negotioſè peritia, ad obtinendas dignitates merita cudit. toto §. 322. præſertim num. 2. p. 640

---

*Dominica in Sexageſima.*

LVCÆ VIII.

E*Xiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* Dum domo exit ſeminare, iam ſeminat verbum Dei in auditorum auribus? Ita quidem. Nam bono exemplo oculis loquitur, antequam verba auribus loquantur. Quod ſi deſit, quantumuis eloquenter dicat, auditores erunt *aurium cæci*, vt loquitur Tertullianus lib. de Anim. cap 10.

*Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* Cùm domo exit ſeminare, iam ſeminat Verbum Dei? Ita ſanè. Non ſermone auribus, ſed exemplo oculis. Portò non qui eloquitur magna, ſed qui viuit, Euangelium, Euangeliique mores feliciter perſuadet. toto §. 327. p. 649

*Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* Semen ſuū, id eſt, propriam ſapientiam eructet Euangelicus Concionator. Quomodo autem debeat alienam librorum ſapientiam facere ſuam, traditur §. 7. n. 6. p. 13

*Et dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt.* Non miraret conculcatum fuiſſe granum, quod in viâ cecidiſſet crebris viatorum veſtigiis expoſitum. Aſt granum prope viam cadens proculcari non poteſt, niſi viatores per viæ proxima loca incedere adniterentur. Heu mandatorum viam reddere laxam & ſpatioſam ſic adnitimur! §. 108. n. 7. p. 225

*Et conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud.* Volucres cœli, & non potiùs terræ, aut inferni volucres dicantur, quæ electum granum ſic auidè vorant? Scilicet de ſpirituali deuotionis cenſu gulæ ſtipendia delicioſè captare, hypocritarum elogium eſt. toto §. 118. præſertim n. 5. p. 244

*Aliud cecidit ſupra petram, &c.* Adſimili etiam prudentiâ præditum fuit granum, quod cecidiſſe dicitur ſecus viam, & conculcatum eſt. Scilicet cùm proiicitur, & conculcatur, cecidiſſe ſe putat, ac dicit moraliſſimâ eruditione. Ne homo propriæ imaginationis tormento, ſe pœnalius vrgeat & ſceleroſiùs exagitet ab inteſtino phantaſiæ Dæmone. toto §. 136. præſertim n. 5. p. 177

*Aliud cecidit ſupra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem.* Nempè qui de fortunæ felicitate delicati ſunt ac debiles ad ferendas virtutis calamitates; ad ſuſtinendas vitij ærumnas, petræ ob tolerantiam comparantur. §. 295. n. 4. & toto §. p. 589

*Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud.* Non dicit, quòd ſpinæ, id eſt actes paſſiones, ſeu appetitiones, quæ præextiterant, ſuffocauerunt diuini verbi granum. Nam ſæpè homo iiſdem profanis paſſionibus, quibus agebatur ad vitia, Deo religioſiùs conſecratur, & virtuti obnixiùs militat, toto §. 213. p. 429

*Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud.* Non ait, quòd præexiſtentes ſpinæ ſuffocauerunt granum Verbi Dei; ſed quòd ſpinæ, id eſt actes aculei, & ſpinoſæ punctiones, ſimul cum verbo exortæ, & illi admixtæ, granum diuini verbi ſuffocarunt. Porrò non probroſa obmurmurationis ſpinoſitas; ſed comitas vrbanè pacata & placida in Concionatore, perſuaſionis lenocinium eſt. toto §. 329. p. 653. Quin & fidem confirmare dicitur, qui eam cum manſuetudine docet. §. 329 n. 2. p. 653

*Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.* Terræ bonitas, fructuum vbertate demonſtratur. Nam vel lux infructifera non computatur ad lucendi gloriam. §. 87. numer. 6. p. 183

*Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.* Dei Verbum in bonam terram ſeminatum, Deo & virtuti; non verò Prædicatori copioſè fructificare debet. Nam in Verbi Dei adminiſtris, viliſſima eſt ſordidi lucelli auaritiâ, quæ cibario ac nummario pretio veritatem cauponatur. toto §. 331. & §. 330. pag. 654. 655. & 656

*Qui habet aures audiendi audiat..... Vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Grande quidem fidelibus malum, ac ſupplicium, in ſacro Concionatore cæca obſcuritas, ſiue ab inaniſſimis ſubtilitatibus, ſiue ab exquiſito dictionis cultu. Contra vitia impetu, non ſubtilitate pugnandum. §. 7. n. 4. p. 13. Vtilitas iuuandi præferenda eſt gratiæ placendi per ſubtilitates. Ibi. Etſi moralitas ex vtroque teſtamento debet habere acutum § 6. n. 5. p. 10. Item vel iumenta intelligant, quæ Concionator prædicat. §. 7. n. 4. p. 13

*Qui habet aures audiendi audiat..... Vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Idcircò Chriſtus Dominus concionum audientiæ Præſes eſt;

eſt; qui quodammodò diſcit in auditoribus, quorum aures ſanguine ſuo madent. toto §. 332. pag.658

*Dominica in Quinquageſima: & in Feſto 40. horarum.*

LVCÆ XVIII.

*ASſumpſit Ieſus duodecim* (*ſecretò* addit Matthæus) *& ait illis: Ecce aſcendimus Ieroſolymam, &c.* Secretò dicit Ieſus diſcipulis ſuis, quòd aſcendunt Ieroſolymam. An non ipſi viam in Ieruſalem probè norant, & vel ardui itineris defatigatione percipiunt? Viam virtutis per quam ambulant, ſic ignorare videntur? Scilicet boni operis theſaurum ab aliorum oculis cautè abſconſum, à tuis etiam cautiùs abſconde. toto § 66. p.140

*Aſſumpſit Ieſus duodecim ſecretò, & ait illis, &c.* Familiares & amicos aduocat ad ſecreti myſterium. Cor amici furari dicitur, qui illi ſilenda renunciat. §.149. n.4. p.302. Sit Princeps, Principúmque Senatus, ſecretorum ſcrupuloſe cuſtos. toto illo §.149. p.301

*Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur, &c* Licet ſponte aſcendant Diſcipuli arduam Ieroſolymæ viam, vel ipſâ defatigatione id norunt; quid ergò opus eſt monitore, qui ſuggerat, Ecce per arduam viam aſcendimus? Nimirùm vltrò votiua calamitatum ſuſceptio, illatum moleſtias magnanimiter exarmat. toto §.124. p.255

*Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur, &c.* Plura ſignificat Chriſtus, quàm dicere ſecreto videtur. Dicit, quod Diſcipuli illum ſequuntur præeuntem ad paſſionem: ſignificat etiam omnes eum ſuo tempore paſſionibus imitaturos. Porrò Chriſtum ſequi, & moribus imitari; & ipſi pergratum eſt, & nobis perquam proficuum, piè fauſto augurio Ieroſolymæ cæleſtis feliciter fruendæ. toto §.71. p.149

*Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur, &c.* Sanè ad cæleſtem Ieruſalem per arduum ac difficile iter aſcenditur. An vt augeat deliciarum pretia? Nimirùm voluptabile quoduis aut naturæ aut gratiæ, graui difficultate ac periculo comparatum, humanæ concupiſcentiæ gratiùs arridet. toto §.135. p.276

*Et conſummabuntur quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis.* Profectò humana promiſſa apud homines mire algent, & dubiæ aut nullius fidei ſuſpecta ſunt. toto § 84. p.569. Verùm Deus à ſe exigit, quod promiſſione debet. §.229. n.6. p.463. Promiſſio Eliæ, Eliæ Deus nuncupatur ab Eliſeo. §.284 n.6. p.570

*Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur & conſpuetur: & poſtquam flagellauerint, occident eum.* Apud Matthæum Chriſtus per Sacerdotum Principes & Scribas tradendus ſcribitur, quaſi de cæde Chriſti religioni conſulerent. Porrò impiè ſæuit, quiſquis fallato pietatis prætextu ferit. toto §.108. p.224

*Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur: & poſtquam flagellauerint, occident eum.* Paſſionis acerbitatem non tantùm ſubiit Chriſtus, cùm paſſus eſt, ſed cùm eam mente verſat, & ore tractat. Scilicet humani periculi anxius timor, ſæpè acerbius, quàm ipſa calamitas excruciat. toto §.304. p.605

*Illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur: & poſtquam flagellauerint occident eum.* O quàm acerba de ſe prænunciat Chriſtus! Verùm ærumnoſior & acerbior calamitas, extrinſecùs auſtera videtur, medullitùs autem angoris inops, in naufragio ſecuritas, cognatio cum Angelis, & felicitatis gratulatio eſt. toto §.123. p.253. Exindè additur: *Et tertia die reſurget.*

*Et poſtquam flagellauerint, occident eum, & tertia die reſurget.* In ipsâ acerbiori calamitate, felix calamitatis exitus tranſparet. toto §.200. p.398

*Et poſtquam flagellauerint, occident eum, & tertia die reſurget.* Voluptas enim de præuio labore dulciùs ſapit. toto §.135. p.276

*Et poſtquam flagellauerint occident eum, & tertia die reſurget.* De Paſſionis acerbitate, Reſurrectionis glorias taxare licet. Nam præuium malum, luculentior ſubſecuti boni interpretatio eſt. toto §.210 p.423. Indè à calamitate citiùs, quàm à felicitate, fauſtus apud Hebræos fortium dies nominatur. §.251. n.1. p.507

*Et ipſi nihil bonum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.* Rudes tunc Diſcipuli non intelligebant arcanum tribulationum myſterium. Profectò in typo nouæ legis, bene Eſther cruciatur felicitatę gloriæ; nam Sanctorum elogium eſt, calamitatibus deliciari, gloriari, beati. toto §. 289. p.578. Et Mardochæus triſtatur, cùm penè triſtitiæ cauſſas excuſſit. §. 120. n. 11. p.249

*Poſtquam flagellauerint, occident eum, & tertia die reſurget. Et ipſi nihil horum intellexerunt.* Non intellexerunt, quod erit reſurrectio ærumnoſæ mortis ſuccedanea. Nam caro per patientiam velut impatibilis, auditur ad immortalitatem proficere, §.245, n.6. p.495. Tribulatio magnanimiter perferenda eſt, ne nomen etiam hoſtium nobis eripiat. §.281. n.8. p.567

Quiſquis in 40. horarum concione velit aliqua de Euchariſtia delibare, eligat è multis quæ hîc habétur, à §.41. vſq; ad §.51. p.85. & ſeq. Vbi agitur de myſtico Aſſueri regis conuiuio. p.85. & ſeqq. De gulæ deliciis. & ebria conuiuiorum voluptate, copioſè agitur, à §.21. vſque ad §.25. p.49. & ſeqq. De mundialium voluptatum fallacibus præſtigiis, conſule in ſyllabo rerum, verbum, *Voluptas, felicitas.* Exinde forſan ad materiandas de hoc argumento conciones, non valde paupertinam rerum venam fodicare licet.

*Feria IV. Cinerum.*

GENESIS III.

MEmento homo, quia *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* In capite ieiunij, capita puluere aſpergimur, ad ingerendam noſtræ mortalitatis memoriam. Nam homo aſſiduâ mortificatione mortalitatem pene exhaurire dicitur, §. 126, n.3, p.260

*Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Cinis in memoria conſummare eualuit, quod diadema non potuit. §.127. n.5. p.262

*Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Suam ac Dei cognitionem homines deſcriptam legant in puluere ac cinere, qui flos incendij, ac mortalium Præfectus dicitur, toto §. 207. p.538

Memento

*Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Cinerati arietes fœcundè generoſiores ſunt.§.128.num.4.p.263. Cine e ad terrena cæcamur, ad cæleſtia inoculamur.§.267.n.5.pag. 539.

*Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Adam poſteris hæreditatem indigeſtæ mortis reliquit.§ 17.n.2. p.42

*Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Mortis memoria, affectuum nix eſt, gazis cæleſtibus opulenta, vicarias Dei gerit vices: & decrudæ mortalitatis indigeſto ructu, immortalem hereditatem ſpondet toto §.128. p. 262

*Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Dum mors è vicino imminet, negotium beatæ æternitatis operosè agendum eſt. toto §.127. p.260

*Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Chriſtiani dum mori poſt mortem timent, interim mori non timent.toto §. 214. p.430

*Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Dubia ſemper eſt ſalus, & propè certa damnatio eius, qui ſceleroſæ vitæ pœnitentiam vſque ad horam mortis procraſtinat. toto §. 262. p.519

*Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Eſtne pœnitentia hominis diſſolutio? §.263. n.9. p. 532

*Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Iam mori incipit, quiſquis viuere cœpit. §.17. n. 4. Quælibet pars vitæ hominis, noua generatio emphaticè nuncupatur.§.17.n.3. p. 42. Mulier dum hominem parit, mendacium edit. §.18.n.3.p. 44. Dies creaturarum ex non eſſe, & eſſe quodammodò integratur. §. 18. n. 4. p. 44. Rex hodie iam mortuus eſt, & cras iam mortuus eſt.§.19.n.5. p. 47

*Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Viuendi felicitas mortis doloribus emitur,& perditur.§.295.num.6.& 7. p 589.& 590

---

*Feria IV. Cinerum.*

MATTHÆI VI.

*Cum ieiunatis.* Eſt ne ieiunium quodammodò pars Mariani corporis?§.371.n.3.p.736.Beata Deipara, glorioſum ieiunij veſtimentum eſt. §.371.n. 4. p. 736. Adumbratum Redemptorem ieiunium concipit, ieiunium nutrit. §. 171. n.5. p. 343. Virgo virginis guſtus, in virgine adhuc ſaliuâ,myſterium continentiæ eſt. §. 24. num. 2. p.55

*Cum ieiunatis.* Adam vilitate ciborum, generoſitatis, ac immortalitatis iacturam minuit. §. 23. n.3.p.53. Tametſi ieiunium eſt aliqua humilitatis ſpecies, dum ambitionem corporis arcet. §. 371. num.6. p.737

*Cum ieiunatis.* Ieiunium Sacramentorum gratiam æmulatur, nominatúrque Sacramentum Redemptionis, fomitis interſtinctio,& contra vitia virtutum Præſes.toto §. 134. p. 274

*Cum ieiunatis.* Idémne eſt ieiunare, ac orare; §.220. n. 8. p. 446. Ieiunium & clamor dicuntur, Sanitas & conſilium.§.216.n.12. p.439

De gulâ, ac ebrietate copiosè agitur, à §. 21. vſque ad §.25. p.49. & ſeqq.

*Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ.* Eccur dum ieiunium ſuadet, dehortatur hypocriſim? Scilicet de ſpirituali deuotionis ſenſu, gulæ ſtipendia captare;hypocritarum elogium eſt.toto §. 118.pag. 242

*Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes*: & indè odibiles: nam vultus hilaris, idem eſt, ac amabilis. §. 297. num. 10. p.594

*Sicut hypocritæ triſtes: exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Sanè ipſo ieiunio pulchritudo refrenatur.§.3.n.3. p. 5. Extant enim ieiunij appendices ac victrices ſordes. Ibid. Et tamen pulchritudinis gratia,ieiunij ſtipendium eſt.§.142 n.1.p.288.Quæ ſunt ieiunij ænigmata. §.3.n.1. p. 4

*Exterminant enim facies ſuas,vt appareant hominibus ieiunantes.* Porrò de male acuto malitiæ ingenio venit, vt homines virtutis penicillo vitia colorent toto §.109. p.225

*Sicut hypocritæ triſtes: exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Sanè hypocritarum factitius populus, dum virtutes mentitur, vitia flagitioſiùs amplificat. toto §. 212. p.427.Reatus impij eſt pium nomen.§. 2. num.4. pag.3

*Exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Hypocritæ faciem abſentant, vt in facie ieiunus macilentâ,ieiunium demonſtrent. Sic etiam hypocritæ in angulis platearum orantes, abſcondunt ſe ſe, vt appareant. §. 273. n. 2. p.549.

*Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans.* Cùm quis ieiunat,lauacri munditiem, & vnguenti fragrantiam oſtentabit? Sanè arcana quâdam non virtutum, ſed quaſi vitiorum hypocriſi, vitia in virtute oſtentare, pius aliquis virtutum faſtus eſt. toto §. 298. p. 594

*Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua,ne videaris hominibus ieiunans.* Porrò virtus ſub communi vitâ quodammodò impatibilis prædicatur.§.299.n.5. p.597

*Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua,ne videaris hominibus ieiunans.* Intùs omnia populo diſſimilia ſint in re virtutis, frons tua populo conueniat, ne ſis de ſingularitate famoſus.toto §.299.&.§.300. p.596. & ſeqq.

*Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.* Eccur lauacrum ſuadet, cùm ieiunatur? An iſte ieiunij modus,baptiſmi, & vnctionis Sacramenta æmulatur? §.134.n.3. p.274

*Ne videaris hominibus ieiunans,ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito, &c.* Caue ab alienis oculis, caue etiam à tuis ne ſolida virtus in vitium inaniſſimum degeneret. Ergò boni operis theſaurum ab aliorum oculis cautè abſconſum, à tuis etiam cautiùs abſconde.toto §.66. p.140

*Sed Patri tuo,qui eſt in abſcondito: & Pater tuus,qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Scilicet gloria Deo debita, non eſt apud ambitioſos homines tuta. §.87.n.5. p. 182

*Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra: vbi ærugo & tinea demolitur, &c.* Scilicet ſumma diuitium felicitas parùm à ſummâ infelicitate diſtat §.155.n.3. p.313

*Vbi eſt enim theſaurus tuus,ibi eſt & cor tuum:* Viuidum virtutis, ac rerum cæleſtium amorem perſuadere fatagit. Nam qui impenſiùs amat, & obnixiùs aliquid vult, immeratâ quodammodò potentiâ ſupra vires eualet.toto §.98. p.395

*Feria*

*Feria V I. Poſt Cineres.*

MATTHÆI V.


*Audiſtis quia dictum eſt: Diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum.* Forſan pulchrum tunc fuit Eſtheri ac Iudæis durè vlciſci; nunc verò Chriſtianis pulchrius eſt inimicis parcere. §. 103. n. 8 p. 410. Amanus dicitur auctor inimicitiæ Eſtheris. §. 180. n. 1. p. 361

*Audiſtis quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Sanè effuſior eſt vltionis auiditas, ſi vindictam aliqua ſors honeſtas colorat. §. 216. n 8. p. 438

*Odio habebis inimicum tuum.* Profectò nullum aſylum ſatis tutum eſt ab hoſtili inimicorum tabie, quæ infernalem diabolorum hoſtilitatem impotentet æmulatur. toto §. 219. p. 441. Sæpè inimicus homo, crudelior ipſo diabolo inuenitur. §. 180. num. 6. p. 362

*Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* Porrò in poſteris Maiorum ſuorum auita odia, heredes nacta, malè perdurant. toto §. 91. p. 193

*Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* Sibi enim potiùs conſulit, qui diu rancida deponens odia, recentem amicitiam cum vetere inimico init. toto §. 93. p 196

*Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* Condonantem iniurias vſque ad adulationem laudat Iacob? §. 20. n. 4. p. 48. Mitiſſimum in Aſſuero fuit, quòd cum obliuione offendentis, offenſæ memoria adhuc hæreret §. 57. n. 2. p. 123

*Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* Exindè reciproca beneuolentia concordiæ matrix, agnata Chriſtianis eſt, qui ſe amant mutuò penè antequam nouerint. toto §. 115. p. 237

*Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* Quod vindictæ non caues de iniurioſo inimico; caue de infauſto. §. 216. n. 5 p. 438. Vltio etiam iuſta nimis inuidioſa eſt. §. 251. n. 6. p. 508

*Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos.* Siue loquatur de odientibus *militari inſultu, & violentia*, vt vult Græcus, & Syrus; ſiuè vniuerſatim de quouis inimico odio: ſiue tanquam conſilium id proponat, ſiue quaſi exertum mandatum; conſultò abſtinet verbo mandandi ac præcipiendi, vt ad obſequium alliciat. Nam vel ipſa lex, tanquam conſilium placidè propoſita, rudes ad obſequium ſubditos comitate edomat. §. 111. n. 7. p. 231

*Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, &c.* Rara virtus eſt, quæ offenſori prorsùs ignoſcit; & grauiter ſaucientem nec leuiter referit. toto §. 221. p. 446

*Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos.* Porrò meta beneficentiæ eſt, ſiquis iniurias beneficiis remetiatur, inuerſo gratus officio. toto §. 222. p. 448

*Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.* Profectò aliquis Chriſtianæ virtutis faſtus eſt, ſuo vltori potiùs quàm ſuo offenſori ſuccenſere, & iniurias beneficiis vlciſci. toto § 223. p. 450

*Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos.* Inimicos, & odio habentes, pluratiuo expreſſit vocabulo, quaſi raro ſingularis inimicus inueniretur. Porrò vnus, vel pauculi inimici, multos inimicos quamcitiſſimè faciunt. §. 251. num. 7. p. 508

*Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos.* Et quomodò inimicum hoſtiliter Abſalomi bellum, dicitur partis Dauidis pax? §. 121. n. 2. p. 250. Quare Goliath, à victore Dauide filius nuncupatur? §. 223. n. 6. p. 451

*Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos.* Diligendus eſt beneficiis inimicus, tametſi ſæpè noſtra patientia, alienæ temeritatis fomes ſit. §. 5. n. 4. p. 8. Certè miſeriùs eſt nocere, quàm lædi. §. 117. n. 1. p. 241. Et ſanè maledictum per patientiam repercuſſum, in ſuum redit auctorem. §. 105. n. 8. p. 220

*Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos.* Præſtitit ne Chriſtus, quod tam ſeriò docet ac præcipit? Sanè in Chriſto illa etiam ipſa iniuriarum ſufferentia, iniuriantibus benefica fuit, §. 223 n. 2. p. 450

*Et orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Hinc taxare licet quàm ſit Deo iniurioſum, ab eo diram vltionem inimicorum auidiùs expetere. §. 181. n. 8. p. 265


*Dominica I. Quadrageſima.*

MATTHÆI IV.


*Ductus eſt Ieſus in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo.* Spiritus ne is eſt, qui ducit, vt Ieſus tentetur? Profectò acres Iuſtorum tentationes, dum Dei offenſas periculoſè fabricare videntur, diuinæ gloriæ è peruerſo militant. toto §. 248. p. 500

*Ductus eſt Ieſus in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo.* In deſertam ſolitudinem ducitur, vt tentetur? Scilicet ſolitudo viduata ſpectatorum cenſurâ, peccandi pudore exuta, ſæpe vitia fœcundè maritat. toto § 73. p. 153

*Ductus eſt Ieſus in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo.* Vt tentationes à Diabolo patiatur, Ieſus in deſertum ducitur? Sed aliud eſt, tentationem pati, aliud tentationi ſuccumbere. Sane Chriſtus dicitur homo impatibilis, quia tentationibus ſuccumbere nequit. §. 248. numero 4. pag. 501

*Ductus eſt Ieſus in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.* Adeóne eſt Diabolus impudens, vt cum Chriſto congredi audeat? Scilicet Diabolus vitio ſimilis, vinci ſe turpe non putat, aſſuetus ignominiæ. §. 161. n. 5. p. 324

*Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, &c.* Si placet ſuper re ieiunij ad mores velitari, conſule in ſyllabo rerum, verbum, *Ieiunium, Gula.*

*Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, &c.* An non totidem diebus, ac noctibus Moyſes, & Elias ieiunarunt? Imò idcircò totidem diebus ieiunat, cùm ad palæſtram tentationis accedit. Porrò virtus ſub communi vitâ quodammodò impatibilis prædicatur. §. 299. p. 596. n. 5. Animitùs omnia populo diſſimilia ſint in re virtuoſis; quæ verò foris apparent, populo conueniant, ne ſint de ſingularitate famoſa. toto §. 299. & 300. p. 596. & ſeqq.

*Poſtea eſuriit. Et accedens tentator, &c.* Eſuriem, & duram poſt ieiunium in eremo neceſſitatem, ad tentandum aſtutè captat. Nam in hominibus dira fames, & dura neceſſitas, dum nihil habet, ſuſtinet totum, magnâ ſæpè probitatis iacturâ, toto §. 153,

§ 153 præſertim n.7. p.308

*Et accedens tentator, dixit ei. Si Filius Dei es*, &c. Diabolus, qui manducantem contempſerat Chriſtum, ieiunatem eſſe Dei Filium ſuſpicatur. §. 23. num. 4. p.53

*Si Filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.* Et quid refert? quòd Chriſtus lapides conuertiſſet in panes? Diabolorum ſubdolè potentiſſimus, quare quem opinatur Dei Filium, maiori ac difficiliori tentamento non adoritur? Scilicet perſæpè qui ad magnas difficultates ſtrenuè eualet, modicis imbecillè vritur, cedit, ſuccumbit. toto §. 193. p. 585. In periculoſo mari Soſpes, aliquandò in terrâ patitur naufragium. §. 248. n. 5. pag. 502

*Si Filius Dei es, mitte te deorſùm.* Vix Chriſtum ſupra ſublimiſſimum faſtigium ſuſtulerat, & præcipitem caſum ſeriò perſuadet? Heu altius faſtigium vices cum præcipitio reciprocat! § 191. n. 6. p. 382. Sæpè inter fortunam maximam & infimam, nihil medium eſt. Sic ſublimiſſima ruinæ vicinantur! toto illo §. 191. p.381

*Si Filius Dei es mitte te deorſum.* Eccur Diabolus impetu facto hominem non impellit ad ruinam ſed hortando allicit ad caſum & ruinam? Nempè Chriſtum ſicut ceteros homines adoritur. Homo enim ſui ipſius inf. ſtior hoſtis exiſtit, aduerſus ſe de propriâ imbecillitate potenter armatus toto § 188. p.376

*Mitte te deorſùm. Scriptum eſt enim: Angelis ſuis mandauit de te*, &c. Ex ipſis Scripturis laqueum Diabolus parat, & abſcondit. Chriſtus extra ſcripturam paſſus dicitur. quare? §. 6. n. 4. p. 10. Male quis interpretatur ſcripturas, vt mordeat & tentet. §. 7. n. 3. p. 12. Dæmon veritatis ſuffragio, erroribus patrocinari ambit. §. 103. n. 5. p. 216 Ne quæ ſunt de noſtro genio Scripturæ adſcribamus: nam ambiguitas ipſa, pars aliquando ſcripturæ dicitur. §. 7. n. 1. p. 12

*Si Filius Dei es, mitte te deorſum. Scriptum eſt enim*, &c. Scilicet Dæmon ſatagit, de parvâ per homines gloriâ, Chriſtum deiicere. §. 326. num. 3. p. 648.

*Et oſtendit illi omnia regna mundi, & gloriam eorum*, &c. Non tam deſiderium obtinendi regni quàm gloriæ regnandi deſiderium, Dæmon Chriſto ſuadere ſatagit. §. 87. n. 3. p. 181. Porrò non obeundum Munus, ſed Muneris gloriam. & commoda ambire, peruerſitas ambitionis eſt. toto illo §. 87. p. 181

*Et oſtendit illi omnia regna mundi, & gloriam eorum*, &c. Addit Lucas, *In momento temporis*, nec diſpareant. Sic ocyſſimè euaneſcunt! Porrò boni mundialibus rara eſt manendi fides, oblectandi nulla. toto §. 19. p.81

*Et oſtendit illi omnia regna mundi, & gloriam eorum in momento temporis.* Fallax eſt, & fugax humanæ felicitatis gloria; quæ antequam teneatur, elabitur. toto. §. 40 p. 83. Breuis eſt mundana felicitas, fugax, incerta, caduca. toto §. 199. pag. 396

*Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Sublimem honorem pollicetur, ſed obtinendum abiectiſſimæ adorationis vilitate. Porrò ſuperbus dum inſolentiùs vltra ſuum faſtigium præſumit, in abiectiores vilitates ſceleſtè degenerat. toto §. 203. p. 409

*Et oſtendit illi omnia regna mundi... & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo*, &c. Nónne hæc regna Chriſti sūt? quomodò igitur Princeps tenebrarum illa nunc vſurpat, vt Chriſtum tentet? Scilicet vt pro tuendâ iuriſdictione nimiùm belligeretur, quæ eſt Principibus, ac iudicibus cognata periculoſè tentatio. toto §. 312. p. 622

*Et oſtendit illi omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo*, &c. Concupiſcentiam gloriæ regnandi ſuggerit, vt regnum amittat. Porrò mundialia bona ſi non concupiſcimus, poſſidemus: concupiſcentia enim illorum amittendorum arbitrium eſt, toto § 290. p. 580

*Tunc dicit ei Ieſus: Vade Satana*, &c. Scilicet Tentator non priùs à Chriſto Satanæ ignominioſo vocabulo nominatur, quàm ipſe ſe impudenter proderet. §. 75. n. 3. p. 157. Quò viri boni linguam erudiat, vt de alienis defectibus etiam publicis garrire præcaueat toto illo §. 75 p. 157

*Tunc reliquit eum Diabolus.* Nec mirùm à Chriſto Diabolum receſſiſſe: Chriſtus enim altera Diaboli velut gehenna perhibetur. §. 183. n. 8. p. 368

---

*Feria IV. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.*

MATTHÆI XII.

*Acceſſerunt ad Ieſum ſcribæ & Phariſæi, dicentes: Magiſter volumus à te ſignum videre.* Plura miracula olim viderant boni *Magiſtri* non boni Diſcipuli, plurima audierant; nuper opinatiſſimum illud de excæcato Dæmone oculis exploraverant; & nouum nunc miraculum expoſcunt? Scilicet euiden ior, & atteſtatior credibilitas, humanæ incredulitati e diuerſo ſæpè adulatur; & contra. toto §. 338. p. 480

*Acceſſerunt ad Ieſum Scribæ & Phariſæi, dicentes: Magiſter volumus à te ſignum videre.* O Phariſaicam ſubdolè peruerſitatem! Qui ſignum volunt videre, quaſi virtutis zelo, ob multa ſigna glorioſè edita, Chriſtum condemnarunt. §. 247. num. 4. p. 499

*Acceſſerunt ad Ieſum Scribæ & Phariſæi, dicentes: Magiſter volumus à te ſignum videre.* Qui ſignum à Chriſto volunt videre, Chriſtum ob multa ſigna condemnarunt. Nempè maledica improbitas id vnum ſæpè quærit, vt aliquid aduerſus alium quoquomodò dicat, non vt veroſimile quippiam dicat. toto §. 103. p. 215

*Magiſter volumus à te ſignum videre.* Inurbano & inidoneo vtuntur verbo, *volumus*, cum Chriſto Deo loquentes. Scilicet ad humanum nutum Deū fingere, Hebræus populus impudenter meditatur. §. 218. n. 2. p. 441

*Magiſter volumus à te ſignum videre.* An non tunc præluſtre miraculum coram patrauerat? Opinor, propiùs accedere, oculis videre, & nouum miraculum curioſiùs ſcrutari ſatagebant. Curioſitas erga diuina, & humana multis vapulat, toto §. 178. p. 356

*Magiſter volumus à te ſignum videre.* Homo autem Dei voluntatem, non ſuam, ſuâ voluntate facere debet. §. 218. n. 5. p. 442. Sanè apud hominem, Dei voluntas, altera ipſa ipſius voluntas eſto; quam non ſuæ flectere, ſed ſuam diuinæ flexilem exhibere debet toto illo §. 218. p. 441

*Magiſter volumus à te ſignum videre. Qui reſpondens, ait illis: Generatio mala, & adultera ſignum quærit*, &c. Tot benefica ſigna illis exhibuerat, & nouum petentes, priora negant? Profectò Hebreus

Hebræus populus iuſtè reprobatur, quia Chriſtum in beneficiis non agnouit.§.133.n.9.p.273. Benefactorem in beneficiis non agnoſcere, barbaricum ſcelus eſt.§.20.n.7. p.49

*Generatio mala, & adultera ſignum quærit*, &c. Homo enim tot beneficiorum reus eſt, quorum & ingratus. toto §.316.p.628. Quiſquis ingrato benefacit, & beneficium perdit, & vltrò inimicum acquirit. toto §.315.p.627. Homo in officinâ ingratitudinis, ex beneficiis aduerſus benefactorem arma cudit. toto §.314. p.625

*Signum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti*, &c. Quare cùm Chriſtus Iudæis ſignum ſeu miraculum negat; ſignum ſuæ mortis, & miraculum ſuæ reſurrectionis præmonſtrat? An aliqua ceſſatione à faciendis poſt reſurrectionem miraculis, ſuæ Reſurrectionis glorioſius miraculum Chriſtus probat?§.300.n.2. p.598

*Ita erit Filius hominis in corde terræ.* Cùm dehoneſtatur à Iudæis, ſuam in cruce mortem, & in *corde terræ* ſepulturam ad ſumptuoſiores glorias prænunciat? Sic fuit glorioſa Chriſti mors? Num Angelus ſymbola Dominicæ mortis in eius Reſurrectione pertractat, ad Angelicæ immortalitatis ſolatium?§.306.n.9. p.611

*Viri Niniuitæ ſurgent in indicio cum generatione iſtâ & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt*, &c. Viri Niniuitæ ſceleſtiùs olim peccatores, ideò ad exemplar proponuntur: Quia feſtinata pœnitentia famæ peccatoris conſulit, feſtinatiorem inuenit veniam, peccati alium fomitem reſecat. toto §.261. p.527

*Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt.* Nam aſperioribus veſtimentis pulchriùs & ornatiùs ad virtutis gratiam venuſtantur. §.142. n.2. p.288. Aſperioribus hominum veſtibus Chriſtus refici uit?§.77.n.17.p.164. Horrentis cilicij, & ſqualoris piè ambitioſi, beatæ calamitates, quibus Niniuitæ meruerunt in exemplum proponi, multis commendantur toto §.266. p.536

*Et ecce pluſquam Salomon hic.* Et quomodò id credent Iudæi? Nimirùm præmiſerat pluris factum Ionam à Niniuitis, & Salomonem à Reginâ Saba, qui erat non modicus Chriſti contemptus. Profectò volupe hominibus eſt, credibilem putare alienam virtutem, quæ aliquid obtendit vitio, vel dehoneſtamento confine. toto §. 64. pag.137

*Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe.* Nequiores ſpiritus denuò aſſumpti, ſunt fictæ virtutes per hypocriſim. §.212. num.2. pag.427

*Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei....ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Nempe bonum pietatis exemplum, velut diuinum quoddam ſemen eſt, quod in ſpectatoribus Chriſtum generat.§.70.n.5. p.149

---

*Feria VI. poſt Dominicam I. Quadrageſimæ.*

## IOANNIS V.

*Erat dies feſtus Iudæorum.* Quid eſt, quòd Iudæi feſtum Sortium diem à calamitate potiùs quàm à felicitate vel ſoſpitate nominarunt? §.251.n.1. p.507

*In his iacebat multitudo magna languentium...... expectantium aquæ motum.* Huiuſmodi ægrotos Angelus Domini à quâcumque ægritudine curabat. Quid ſi ipſa etiam ægritudo Spiritus nominatur.§.137.n.4. p.280

*In his iacebat multitudo magna languentium .... expectantium aquæ motum.* O diu ægrotabit, qui inerter ipſe iacens, motũ ſeu diligentiam alterius pro ſe hianter expectat! Sapiens in actuoſæ operationis officinâ, fortunam ſibi ſedulus fingit. toto §.209. p.421

*Angelus autem Domini ſecundum tempus deſcendebat in piſcinam.* Salutem ſecundum tempus ægrotantibus præbebat Angelus. Sic in animi morbis ſuus eſt etiam dies criticus, in quo ſequit magis vitiorum ægritudo. toto §.101. p.215

*Angelus autem Domini ſecundum tempus deſcendebat in piſcinam.* Hic Angelus aquis præſidens à quibuſdam appellatur Spiritus ſanctus, quia illius typum gerit.§.306.n.11. p.612

*Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate ſuâ.* Eheu vitium, quod per conſuetudinem in mores abiit, propè incurabile cenſetur; adeò vt eius curatio, cauillatio nominetur! toto §.158. p.318

*Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate ſuâ.* Num eò infelicitatis praua conſuetudo deducit, vt eſſe malum propè neceſſe ſit? toto §.159. p.319. Exindè viam iniquitatis à ſe amoueri, Propheta expoſcit; nec ipſe ſe à viâ amouere dicitur? §.61.n.7.p.132. Profectò virtutibus diu adſuetus, etſi in vitium impingat, ad priſtinam gratiam citò adſurgit. toto §. 82. p 172

*Dicit ei: Vis ſanus fieri?* Quare Chriſtus ante languidi preces, inrogatus beneficium præbet? Scilicet pius beneficentiæ faſtus, eſt, beneficia erogando egenorum preces anteuertere, ne ſibi inuidiam rogando conciteт.§.225. num. 2. & toto §. pag.454

*Dicit ei: Vis ſanus fieri?* Nimirum non admonitus facit Chriſtus cum paralytico, quod forſan vix rogatus impleret?§.268 n.6. p.541

*Vis ſanus fieri? Reſpondit ei languidus: Domine, hominem non habeo.* O quàm eſt humanum patrocinium debile, friuolum, futile, caducum! ergo diuinum potiùs exambi. toto §.138. p.281

*Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Tolle grabatum tuum, id eſt, proximum tuum qui te portabat, porta, quò iter agas ad Dominum. §. 117. n.3. p.241

*Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Eccur grabatum, in quo nuper requieſcebat, toto grauatè adnixu portare iubetur? Nempe quod nuper paralytico erat requies, iam ſano pergraue eſt, §. 260.n.2.p.526 Porrò vera pœnitentia ſic hominem refingit in alium, vt eadem grauatè iam ferat, in quibus nuper deliciabatur. toto illo §. 260. pag 525

*Is autem qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quid eſſet, Ieſus autem declinauit à turbâ conſtitutâ in loco.* Scilicet piè beneficus, & in faciendis beneficiis laudatior, ſentiri ſe magis cupit, quàm videri & agnoſci; ne hoſtilitet, ſed quaſi cælitus ſuccurrat. toto §.226. p.456

*Ieſus autem declinauit à turbâ conſtitutâ in loco.* Porrò turba ſtrepitum habet, Dei viſio ſolitudinis ſecretum deſiderat.§.72 n.2. p.151

*Dicebant ergo Iudæi .... Sabbatum eſt non licet tibi tollere grabatum tuum, &c.* Ecce Chriſtus in die ſabbati hunc languidum ſanans, illi ſerio mandat,

vt tunc grabatum ſuum humeris tollat;quod apud Iudæos violationem ſabbati ſubolet? An vt defectus apparentis lenocinio, miraculum fiat credibilius? Scilicet volupe hominibus eſt,credibilem putare alienam virtutem , quæ vitij ſpeciem obtendit,vel quippiam vitio confine.toto §.64. p.137

Dominica II. in Quadrageſima.

MATTHÆI XVII.

*ASſumpſit Ieſus Petrum,& Iacobum,& Ioannẽ,& duxit illos in montẽ excelſum ſeorſum*,&c.Eccur hoſce præ reliquis Apoſtolis,ad videndas Taboris glorias Chriſtus elegit? Scilicet ſola virtus , & exploratum meritum, ad electionem ſubornet. toto §.169. p.339

*Aſſumpſit Ieſus Petrum,& Iacobum , & Ioannem & duxit illos in montem excelſum ſeorſum*,&c.Petrus nondùm Eccleſiæ Primas,Iacobus,ac Ioannes reliquis ſemper præferantur? An non id pacem turbabit , concitabitque ex æmulatione tumultus? Imò ſedabit.Nam pax ſententioſè dicitur, Tranquillitas ordinis. §. 86.n. 4. p. 180. Porrò Reſpublica vbi nullum eſt parium diſpariúmque diſcrimen,& ſeditionũ in cælo ſuſpecta foret , & confuſaneam inferni inordinationem in terrâ æmularetur toto illo §.86. p.179

*Et duxit illos in montem excelſum ſeorſum:& transfiguratus eſt ante eos.* Benè ad transfigurationis glorias , in montem excelſum ſeorſum Chriſtus cum Diſcipulis ſecedit. Nam turba ſtrepitum habet,Dei viſio ſolitudinis ſecretum deſiderat.§.72. num.2. p.151

*Et duxit illos in montem excelſum ſeorsùm:& transfiguratus eſt ante eos.* Scilicet in ſolitudine cælum eſt apertum,& familiarior Deus.§.72.n.3.p. 152 Quercus Tabor de ſolitudinis ſingularitate , famoſa eſt.§ 72.n.5.p.152.Indè ſolitudo dicitur,hypoſtaſis cordis.§.72.n.7. p.153

*Transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies eius ſicut Sol,veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix*.Chriſtus Deus in Tabore,nõ tantùm propriâ,ſed partâ ſibi à Sanctis gloriâ,velut ſplendida veſte decoratur.§.327.n.6 p.650

*Et tranſfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies eius ſicut Sol,&c.*Vel comparatio cum Sole,& humanæ Diſcipulorum viſioni permiſſa gloria illius auguſtam præſtantiam quodammodò deuenuſtât. Eccur ergo Rachel,id eſt,Beatitudo , viſio profanationis interpretatur?§.309.n.6. p.617

*Et transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies eius ſicut Sol*, &c. Poſt ardui montis difficilem aſcenſum,beatæ gloriæ ſpecies Diſcipulis præmonſtratur. Porrò voluptabile quoduis graui labore comparatum,concupiſcentiæ gratiùs adridet. toto §.135. p.276

*Et transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies eius ſicut Sol*,&c.Hæc vmbra Ieſuanæ beatè gloriæ præmonſtratur. Nam cæleſtis beatitudo apprehendi poteſt , æſtimari non poteſt; prope eam neſcientes allicit:cuius contemptus , titubatio fidei eſt,& gehennæ cenſus.toto §.308. p.614

*Et ecce apparuerunt eis Moyſes, & Elias cum eo loquentes.* Capita Prophetarum ad ſe aduocat , vt differentia ſeruorum ac Domini appareat ; & hominibus exprompta maledicentiæ prurigo cohibeatur §.104.n.2.& §.108.n.6. p.217.& 225

*Domine,bonum eſt nos hîc eſſe:ſi vis , faciamus hîc tria tabernacula , tibi vnum* , &c. Neſciebat quid diceret:nam ſupra humanum faſtigium eſt,Deo vel in animo,vel in corpore , vel quolibet loco habitaculum conſtruere.§.285.n.2. p.571

*Domine bonum eſt nos hîc eſſe:ſi vis, faciamus hic tria tabernacula,tibi vnum*,&c.Num idoneè beatus in cæleſtis patriæ gloriâ,quaſi in tentorio habitare, inibi peregrinari,& Deum inuentum arcanè quęrere,perhibetur?toto §.309. p.616

*Si vis,faciamus hîc tria tabernacula,tibi vnum, Moyſi vnum , & Eliæ vnum.* Et vndè Petrus hactenus piſcator , tabernaculorum faciendorum artem didicerat? At virtutis eximiè ſtudioſus , diuerſiſſima , & velut ſibi pugnantia munera , integro ſucciduè ardore pleniùs adimplet. toto §. 241. pag.487

*Si vis,faciamus hîc tria tabernacula,tibi vnum,Moyſi vnum , & Eliæ vnum.* Et vndè piſcatori Petro ſcenofactoriæ artis peritia? O velut omnipotentia amoris! Scilicet qui impenſiùs amat , & obniziùs vult,immetata quodammodò potentia vltra vires eualet.toto §.198. p.395

*Hic eſt Filius meus dilectus,in quo mihi benè complacui.* Cùm Pater Deus Filium ſuum gloriâ Taboris ornatum videt,tanquam Filium agnoſcit,& in eo glorioſè complacet? Eccur adſimilis vox in paſſione,& cruce non auditur? Imò forſan videtur. An non gloria Chriſti quaſi Vnigeniti à Patre , eſt etiam vlnerum ac cicatricum gloria? §. 96. n. 5. p.203

*Hic eſt Filius meus dilectus,in quo mihi benè complacui:ipſum audite.* Vt Chriſtum audiant, & ab illo diſcant, dicitur Apoſtolis , qui futuri Euangelij concionatores. Quin & ipſe Chriſtus dicitur ſacrarum concionum Præſes,& quodammodò cum auditoribus diſcere.toto §.332. p.658

Feria IV. Poſt Dominicam ſecundam Quadrageſimæ.

HOc Euangelium ethicis adnotationibus illuſtratũ eſt ſuprà Dominicâ in Quinquageſimâ.

Feria VI. Poſt Dominicam ſecundam Quadrageſimæ.

MATTHÆI XXI.

*HOmo erat paterfamilias, qui plantauit vineam.* Quid Eccleſiæ cum vineâ? Scilicet Eccleſiæ vinea,felici crucis ligno ſuſpenſa , vberem fundit vindemiam.§.201.n.6.p.401.Vitis etiam amputatæ lacrymæ,lacrymas pœnitentium adumbrant. § 264.n.4. p.533

*Homo erat pater-familias,qui plantauit vineam.* Diues hic pater-familias , diuitem diffitetur,dum de ſuo diteſcere ambit. Porrò diuites dum de pauperum inopiâ locupletari adnituntur , & paupertatem ſibi negotiantur , & ſuam ruinam ædificant. toto §.150. p.303

*Et ſepem circumdedit ei, & fodit in eâ torcular , & ædificauit turrim.* Quid vltrà debuit facere vineæ ſuæ ad vbertatem fructuum, & ad illorum cuſtodiam? Planè gratia tranſcendit neceſſitatem.§.207. n 11. p.418

*Et ſepem circumdedit ei.* id eſt,Angelorum auxiliũ,& cuſtodiã.Rectè ne hominum & Angelorũ Reipublicæ,viuendi elementa cõmunia dicuntur?§.305. num.5.p.608.Zelo tabeſcit , & zelo etiam viuit Ange

Angelus, qui mori non poteſt. §.306.n.3. p. 609. Angeli ſunt flores, qui immortalitatis odorẽ mortali homini glorioſè adſpirant. § 306.n. 1. ibid.

*Sepem circumdedit ei*, ad cuſtodiã inquã. Sanè gratiæ vis oſtenditur, dum religioſos domi clauſos continet. toto §.76.p.159 Gratulor Deiparæ, quòd Seraphicè cuſtoditur §.389.n.3. p 769

*Et fodit in eâ torcular.* Torcular eſt mortificatio, quæ immortalitatis liquorem exprimit. Porrò aſſidua nunc mortificatio, futuræ beatitudinis alimentum eſt, & perfectionis menſura; atque hominis mortalitatem exhaurire dicitur. toto §. 1 .6. pag. 159

*Et fodit in eâ torcular.* Quo cenſetur Euchariſticus vini calix. De quo habentur plura in Syllabo rerum, verbo, *Euchariſtia*.

*Et ædificauit turrim.* Id eſt, Legem quæ arceat tranſgreſſionem. Cæterùm auſteriores hominum leges dum præ arduitate terrorem incutiunt, ſæpè violationem ſubornant. toto §.112.p.131. O! præcipere, fundare ſit. § 16.n 6. p.41

*Et locauit eam agricolis, & peregrè profectus eſt.* Glorioſus tunc nuncupatim dicitur Deus, cùm ab hominibus recedere dicitur. §.132.n 4.p.270. Et Hebræi non putant Moyſis abſentiam niſi per Deos poſſe ſuppleri. §.132.n.7. p.271

*Et locauit eam agricolis, & peregrè profectus eſt.* Agricolæ dum abeſt Dominus, fructibus non ſuis ouant; eo autem veniente, iuſtè ſpoliantur, & perimuntur. Sic accidit eis, qui de alieno inornantur. Nam Luna de ſolis abſceſſu fulget, de acceſſu obſcuratur, fulgoribus ſenſim viduata §.132.n.5. pag.270

*Cùm autem tempus fructuum appropinquaret, miſit ſeruos ſuos vt acciperent fructum eius.* Non cùm impletum eſt, ſed cùm appropinquat tempus fructuũ exactores mittit. Scilicet ſollerter præcauet, ne pauper & ruſticanus debitor perceptos fructus diſtrahat, & ſoluendo non ſit. Sic agẽdum eſt cum hominibus naturâ ſuâ ruſticanis & agreſtibus!

*Miſit ſeruos ſuos, vt acciperent fructum eius.* Sic debitores ſolutioni expromptos exiſtimat, vt nõ mittat, qui debitum exigant, ſed qui vltro oblatum *accipiant*?

*Iterùm miſit alios ſeruos, &c.* Poſt priores flagitioſè occiſos, inconſultè alios miſiſſe videtur. Sed forſan iteratâ miſſione, eorũ emendationi adulatur. Porrò feſtinata pœnitentia famæ peccatoris conſulit, feſtinatiorem inuenit veniam. toto §.261. p.527

*Verebuntur fortè filium meum.* Quid eſt *fortè*? Cur bonus hic homo pater-familias poſt tot agricolarum repetita flagitia, ſiniſtras plenè ſuſpiciones cohibet? Iudicium temerarium, proprium ſui opprobrium putat Dauid. §.105.n.4.p.219. Non facilè malum ſuſpicatur, qui non facilè ad malum impellitur. §.105. n. 5. ibid. Bona eſt alienæ malitiæ incredulitas ad occultandas peruerſæ mentis profunditates. § 105 n.6. ibid.

*Verebuntur fortè filiũ meum.* Vir ſanè bonus, qui vel de malis malè cenſere non audet. Porrò plerũque in hominibus de voluntatis officinâ affectibus vitiatâ, temeraria in malũ exeuduntur iudicia, quæ veritatẽ recuſant: cùm tamen improbè iudicet, qui quod alij merentur, iudicat. toto §.190. p.380

*Et apprehenſum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.* Et cur non intra vineæ ſepem, eum occidunt; ſed in viâ publicâ omnibus peruiâ? Scilicet qui excuſſo peccandi pudore, verecundiam impudenter abiecit, in enormiora flagitia effrenis proruit. toto §.161. p.323

*R. P. Didac. Çelada in Eſtherem.*

*Aiunt illi: Malos malè perdet.* Benè de ſupplicij acerbitate augurantur. Porrò inuerecunda iniquitas eſt oratio ſeueriorem vltionem impetrans. §. 32. num.4. p.69

*Malos malè perdet.* Nam exerta iuſtitiæ ſeuerus pro rei merito, rigor, Principum gloriæ ſumptuoſiùs militat. toto §.307. p.612

*Malos malè perdet.* Malè perditur, qui non ad emendationem in hâc vitâ, ſed ad pœnam in gehennâ punitur. Expenduntur feraliſſima infernalis gehennæ cruciamenta, quorum memoria voluptates infuscat, toto §.183. p.367

*Malos malè perdet.* Eheu apud inferos placebit Deo, & Sanctis in pœnâ, qui nunc diſplicuit in culpâ! toto §.184. p.369

*Et vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum.* Derelictionem Iudæorum, & Gentium electionem prophetant. Porrò æquum eſt, vt vnuſquiſque cum religione colat Deum, quẽ ſuis moribus colere promeretur. toto §.94. p.198

---

## *Dominica III. in Quadrageſimâ.*

## LVCÆ XI.

*ERat Ieſus eiiciens Dæmonium.* Τὸ *erat*, pertinaciã arguit, quæ de diuturnitate manendi venit. Eheu vitium, quod per conſuetudinem in mores abit, propè incurabile dicitur: adeò vt eius curatio, cauillatio nuncupetur toto §.158.p. 318. Aſt virtutibus diu adſuetus, etſi in vitium impingat, ad priſtinam gratiam citò adſurgit. toto §.82. p.174

*Erat Ieſus eiiciens Dæmonium.* Τὸ *erat*, manendi obſtinationem deſignat. Num eò infelicitatis praua conſuetudo deducit, vt eſſe malum propè neceſſo ſit. toto §.159. p.319

*Erat Ieſus eiiciens Dæmoniũ, & illud erat mutum:* Homóne, an Dæmõ erat mutus? linguæ vitia hominẽ faciunt in Dæmonẽ degenerare? Sanè detractor, vir apoſtata id eſt, homo diabolus nominatur. §. 103.n.6. p.216

*Erat Ieſus eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum.* Dæmónne is eſt, qui reluctari Chriſto obſtinatiùs præſumat? Nimirùm Diabolus vitio ſimilis, vinci ſe turpe non putat, aſſuetus ignominiæ. §.261.n.5. pag.324

*Erat Ieſus eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum.* Lingua procax, & obmutmuratrix Diabolos haurit, & concorporat; lingua verò proficua Angelos loquitur. §.6.n.7. p.11

*Erat Ieſus eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum.* Mutáne lingua, an loquax cẽſetur nequior? O quã eſt arduum abſque vllâ cõſcientiæ offẽſâ, tenere vocis ac ſilentij temperamentũ! toto §. 146.p.296

*Erat Ieſus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Pudor confitendi peccata, mutum reddiderat. O malũ! Porrò peccator confeſſione perpetuam vitã præſenti pudore mercatur. §.185.n.6. p.373

*Erat Ieſus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Verecundia ſcelerum confitendorum mutum fecerat, Scilicet ſuffuſus confeſſioni pudor piè neglectus, ſupplicij compendiũ eſt, memoriã ſcelerũ abolens; & Dei beneficentiã publicans, de verecundiæ bono extra inuidiam publicatur. toto §.282. p.566

*Erat Ieſus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Sanè quaſi in noſtram naturam verſum eſt cõfuſionis tormentum, &c. toto §.185.p. 370. Cur facies Amani plurатiuo vocabulo opertæ dicuntur? §.180.n.11. p.363

*Et cùm eiecisset Dæmonium, locutus eſt mutus.* Mutũ

appellat hominem, qui diu mutus fuerat, etſi iam expeditè loquitur? Vide in Syllabo rerum, verbo, *Conſuetudo.*

*Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia.* Quid tam fatuè improbabile, quàm vt Dæmoniorum Princeps ſuis ſatellitibus pugnaciter aduerſetur? Profectò maledica improbitas id vnum ſæpè quærit, vt aliquid aduerſus alium quoquomodò dicat, non vt veroſimile quippiam dicat. toto §. 103. p. 215

*In Beelzebub principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia.* O quàm eſt hominibus inconſultè expromptа maledicentiæ prurigo! toto §. 104 p 216. Quare detractio dicitur ſceptrum, baculus, ſtimulus? §. 105. n. 7. & 8. p. 220

*In Beelzebub principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia.* Hinc æſtimare licet, quàm erant Iudæi male affecti erga Chriſtum. Profectò de voluntatis officinâ affectibus vitiatâ, temeraria in malum excuduntur iudicia, quæ veritatem recuſant. toto §. 190. p. 380

*Alij tentantes ſignum de cælo quærebant.* Et quomodo ſignis de cælo eredent, qui viſis ſignis in propriam vtilitatem cedentibus, credere recuſant? Sanè humana vtilitas, humanæ æſtimationis cenſus eſt §. 133. n. 7. & ferè toto §. p. 271

*Ipſe autem vt vidit cogitationes eorum, dixit, &c.* Quare improbas cogitationes præcludere ſatagit? Scilicet apud improbos, improba cogitare, adſentire eſt. §. 103. n. 4. p. 216

*Omne regnum in ſe diuiſũ deſolabitur, &c.* Hinc Eccleſiæ perpetuitas, concordiâ etiam ſtabilitur. Porrò mutua charitas, & *vicaria* ſententioſè dicitur, & apud nos retineri iubetur, vt quiſque ſui mater, & filius ſit. Hinc dum prædicatur concordia, diſcordia multis vituperatur, toto §. 116. p. 239

*Inuenit eam ſcopis mundatam, & ornatam.* Num conſcientia per pœnitentiam mundata, Dæmoni ornatur? O! ne dum pœnitentiæ lacrymis conſcientiam diluis, lutum facias! nam nimis frequens abſque emendatione pœnitentiam, impœnitentiæ aut rea, aut ſuſpecta eſt. §. 265. p. 534

*Et cùm venerit, inuenit eam* (*vacantem* addit Matthæus) *ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe.* An nequior Diabolus habetur, qui minùs nocet? §. 243. n. 2. p. 491. An hominis otium nequiores contra ſe Dæmones facit? Inibi.

*Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe.* Qui ſunt iſti Dæmones priore peiores? An phantaſia hominis malè exagitata, peior eſt inteſtino Dæmone? §. 136. n. 2. p. 278

*Feria IV. poſt Dominicam tertiam Quadrageſimæ.*

MATTHÆI XV.

QVare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum? Traditiones Seniorum vocant, legis additamenta, maiorum traditionibus obſeruata à multis. Non bene, opinor, lex plus exigit quàm ſatis eſt, vt præſtetur quantùm ſatis eſt. §. 110. n. 1. p. 227 Ne ergo Præfecti ſint, tamquam pupillarum legum Tutores. Ibidem.

*Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum?* Scilicet quia de ſuo addunt ad legem Dei. Porrò qui addit ad præceptum, illud quaſi ſemiplenum infamat. §. 110. n. 2. p. 228

*Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum?* Nimirum Dei placita non ęquè Phariſęis curæ erant, ac traditiones Seniorum § 110. n. 4. ibi.

*Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum.* Quid mirum ſi tot traditiones contemnantur? Porrò turbidi ab inobedientia ſunt perennes mandatorum fontes. § 110. n. 5. ibid.

*Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum?* Quia non oportet grauedinem ponere mandatorum. §. 110. n. 6. p. 229. Pondus diei ſunt onerofa legis præcepta. Inibi. Et ſanè Abraham ſub lege non erat, & legem ſolus impleſſe dicitur quare? §. 110 n. 7. ibid.

*Quare Diſcipuli tui tranſgrediũtur traditiones ſeniorum?* In tanta Diſcipulorum probitate, quid reprehendant, auidè perueſtigant, & effutiũt. Sanè fœda criminosè calũnia eſt, quæ ab innocentia traditur. §. 102. n. 5. p. 214. O, delatorũ zeli prætextu, Sycophantica maledicenter prurigo? §. 247. n. 7. p 500

*Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum.* Vitis ſanctiſſimè iuſtis tranſgreſſas legis lacinias exprobrant? ex Iuſtorum vita lex diſcit, quod præcipiat, tanquam ex Legiſlatorum ſcholâ. §. 107. n. 2. p. 416

*Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum? non enim lauant manus cùm panem manducant.* Manuum lotionem negligunt Diſcipuli tanquam rem inutiliter ſuperuacuam, non tanquam rem in re virtutis leuem. Porrò aliquis gratiæ faſtus eſt, vt nuſquam magis, quàm in minimis tota eſſe videatur. toto §. 284. p. 569

*Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* O ſcelus! Dei mandatis ſuas traditiones præferunt? Scilicet idcircò Iudæi *eradicandi* erant, tanquam adulterina aliundè plantatio. Porrò qui de ſeniorum traditionibus, non de diuinis præceptis curant, proculdubio *eradicabuntur* §. 110. n. 3. p. 228

*Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Quam in aliis culpant tranſgreſſionem in ſeipſis ſceleſtiùs implent. Porrò maledicus detractor citiùs de ſe, quã de aliis, ipſâ ſuæ cenſuræ ſiniſteritate obloquitur. toto § 105. p. 218

*Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtrã?* Sic ardenter zelant aliorum obſeruantiam, & propriam ſic inerter negligunt? Scilicet nimius de alienâ emendatione zelus, adſimilia in zeloſo vitia, aut facit, aut auguratur. toto §. 247. p. 498

*Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* O ſcelus! traditionum obſeruandarum ſpecie, præceptorum tranſgreſſionem honeſtare adnituntur. Scilicet de male acuto malitiæ ingenio venit, vt homines virtutis penicillo vitia colorent toto §. 109. p. 225

*Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Seniorum traditionem obtendunt, vt communem eſſe præceptorum violationem cauſentur. Porrò vbi multi peccant peccatũ excuſatione blanditur. §. 69. n. 8. p. 147. Garrulas omitte excuſationes, quibus ſceleta honeſtè colorare feſtinas: nemo, nemo inquam peccat inuitus. toto §. 189. p. 378

*Vos autem dicitis: Munus quodcumque ex me eſt, tibi proderit.* O! ſic ſummã cum parentibus egenis cognationem auarè diffitentur? Scilicet affines pauperes faſtidit diues phariſaicè auarus, qui pecuniȩ potius cognatus dicitur toto §. 204. p. 412

*Scis, quia Phariſei audito hoc verbo ſcandalizati ſũt? At ille reſpondens, ait: Omnis plantatio, &c.* Quaſi actum ſit de eorũ ſalute, quos acerbiùs increpauit. Porrò cõtumelioſa ſceletũ reprehẽſio, emẽdationẽ plerum

plerũque feſtinat.toto §.333.& 334.p.660.& 662.
*Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſũ emittitur.* O! quid refert, quàm pretioſis cibis ſtercus conficias? §.21.n.8 p. 50. Plura de palati delicijs traduntur illo §.21.§.22.§.23.p.50.& ſeq.

---

*Feria VI. Poſt Dominicam tertiam Quadrageſ.*
IOANNIS IV.

*VEnit Ieſus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar* Caſu Chriſtus illàc iter egiſſe, & mulier Samaritana illùc tunc ad hauriendam aquam aduenisse forſan putabitur: & tamen id arcano Dei conſilio factum eſt. Sanè diuinæ prouidentiæ officioſitas, etiam ex diuerſo ſapienter operatrix, & inſcrutabiliter arcana eſt. toto §.168.p.337. Qui diuinam prouidentiam ſcrutatur, oſſa Chriſti conterere dicitur. §.168.n.8. p.338
*Ieſus ergò fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* Non cùm ipſe pedes exæſtuans iter conficit, ſed cum ex itinere ad requiem ſedet, tunc *fatigatus* dicitur? Sic mundialis requies & voluptas, aut ærumnis permixta eſt, aut valdè confinis! toto §. 295. p.588
*Ieſus ergò fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* Fatigatus ſedet, qui requiei indigus ob requiem ſedet: nam humana requies, & voluptas indigentiam excludit. §.155.n.3. p.309
*Ieſus ergò fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontẽ.* Ecce! æſtum ac defatigationem præmittit, quandò meretricem Samaritanam in ſanctam Euangelij euulgatricem reformat? Scilicet voluptabile quoduis graui labore comparatum, gratius adridet. toto §.135. p.276
*Dicit ei Ieſus: Da mihi bibere.* Dum requieſcere videtur Chriſtus, & quieſcendo otioſus, tunc valdè actuoſus eſt. Porrò Adam dum non operatur, paradiſum quaſi rapinam arbitratus occupat. §.175. num.3. p.350
*Dicit ei Ieſus: Da mihi bibere.* Neceſſitatem prætendit, & potum expetit, nõ vt ipſe bibat, ſed vt ex diuerſo diuinorum ſitim in Samaritanâ accendat. Porrò diuina gratia quodãmodò ſerpentinæ aſtutiæ æmulatrix eſt: ſine conatu vrget, vt eâ Dei ſpiritus proſperetur ingenio alliciẽdi. toto §.301.p.600
*Dicit ei Ieſus: Da mihi bibere.* A paupercula feminâ Chriſtus opis indigus, ſubſidium expetit? Nimirùm vt doceat, quòd pauper ſuccurrendo pauperi (vt vt poteſt) non exemptus, ſed obæratus eſt. toto §. 228. p.459
*Dicit ei Ieſus: Da mihi bibere.* Precarium ab alio ſubſidium Chriſtus humillimè expoſcit. Sanè indiga ſubſidij acceptio valdè hominem humiliat, dum de largitoris mendicitatibus ſe victitare fatetur. toto §.229.& 230. p.461.& ſeqq.
*Diſcipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent.* Diſcipuli etiam fatigati ex itineris æſtu ac labore, in locum quietis ac laxamenti, nouũ laborẽ feſſi non recuſant. Ne ergò qui dudũ erat pauperculus opifex, aut laborioſus ruſticanus, fiat in religione ambitioſè delicatulus. toto §.125. præſertim num.2. p.257
*Quomodò tu Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?* Vide hic non bonas non bonæ feminæ ſuſpiciones de violatâ lege. Non facile malum ſuſpicatur, qui non facile ad malũ impellitur. §.105.n.5.p.219. Iudiciũ temerariũ, proprium ſui opprobriũ putat Dauid. §.105.n.4. ibid. Sanè mulier, quæ violatæ religionis zelo Chriſtũ arguit, tunc Samaritana dicitur. §.247.n.3.p.499
*Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.* Porrò immundum cenſetur, quod, etſi alioqui mundum cum immundis verſatur. §.69.n.2. p. 646. Malum exemplum vel in remotiſſimas prouincias vnâ die ſerpit! §.69.n.3. ibid. O! vel aduerſariorum vitia, auerſatrice contentione ſenſim haurimus? §. 233. n.10.p. 472. Plura de malo ac bono exemplo traduntur. §.68.& 69.& 70. p.144.& ſeqq.
*Quomodo tu Iudæus cum ſis, bibere à me poſcis, &c.* Sic ſcrupuloſè agebant Iudæi cum Samaritanis, qui apud illos tanquam Hæretici habebantur Porrò cautè nimis cum Hæreticis agendum eſt, ne rubiginem blandientium errorum incautis ſenſim affricent. toto §.98. p.205
*Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi: Da mihi bibere tu forſitan petiſſes ab eo,* &c. Ipſe Chriſtus à Samaritanâ muliere tanquàm indigus ſubſidium petit, & *donum Dei* impertiri dicit? ô beneficentiæ Sacramentum! Plus donat, qui indigus petit & accipit, quàm qui beneficè donat. Igitur grati ſimus erga egenos; quia plus dant, quàm accipiunt. §.227. num.6. p.459
*Si ſcires donum Dei.... tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi, &c.* Quia grande donum dedit, ideò ab eo petendum eſt, quia plura proculdubiò donabit? Num Dei liberalitas quò plus donat, plus debet? An liberalitatis virtus eſt, vltimũ potẽtiæ donare & totam poteſtatem donando implere? §.242.n.6. p.490. An velut dogma eſt, neminẽ ex non petẽtibus accepturum diuina beneficia? § 270.n.3.p.544
*Et dediſſet tibi aquam viuam.* Benè quidquid apud homines magno in pretio habetur, aquis perenni lapſu abſcedentibus comparatur. Porrò facile quis voluptabilia bona aſpernatur, quæ amittere nequit. §. 199. n.7.p.398. Qui hiabat ad ſpreta, nauſeat ad poſſeſſa. §.199.n.6. ibid. Voluptabilium conſuetudo, adhuc ad ingrata & faſtidita allicit. §.159.n.7.p.320 O! humana voluptas, quæ peribit iam periit. §.199.n.7. p.398
*Domine da mihi hanc aquam, vt non ſitiã, neq; veniam hùc haurire.* Profectò omnes penè actiones humanas metitur ſua cuiuſque vtilitas. toto § 133.p.271
*Domine da mihi hanc aquam, vt non ſitiam, &c.* Aſt aqua hæc modò refrigerat, modò velut ignis accendit §.241.n.4. p.488
*Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus.* Sanè æquũ eſt, vt vnuſquiſq; eum religione colat Deum, quẽ ſuis moribus colere promeretur. tot. §. 94.p.198. Deus religione intelligẽdus dicitur. §.324 n.4.p.644. Deus Solis adinſtar, & viſibilis, & inuiſibilis eſt §.324.n.7.p.645. Nũc Deũ noſcimus ſicut qui Solem in aquis intuetur. §.324.n.8 p 645
*Reliquit ergò hydriam ſuam mulier, & abiit, &c.* Ecce! Samaritana hydriam ſuam negligit, dum ad Chriſtum intentiùs conuertitur? Scilicet vera pœnitentia ſic hominem refingit in alium, vt eadem grauatè iam ferat; in quibus nuper verſabatur, & deliciabatur. toto §.260. præſertim n.5. p.525
*Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: numquid ipſe eſt Chriſtus?* Mirum ſanè eſt, huic impudicæ feminæ ſic populariter creditum Euangelium. Porrò quibus abeſt conſcientia pudicitiæ, nil verum adeſſe ſolet: quaſi mendacium ſit luxuriæ ſequela, & veritas caſtitatis appendix. toto §. 318. p. 632. Exinde Samaritana redintegrari dicitur in virginem, vt Euangelij veritas illi credatur. §.318 n.8. p.634
*Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci, &c.* Eius libidinem publicauerat, &

omnia quæcumque fecerat, publicaſſe dicit?ſic libido, morbus immedicabilis putarur ? toro §. 61. pag.131

*Dominica IV. in Quadrageſimâ.*

## IOANNIS VI.

C*Vm ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus.* Sic humillimus Ieſus modeſtiæ ſtudebat, vt notatione dignũ cenſuerit Euangeliſta, quòd aliquandò oculos ſubleuauerit? Aſt glorioſus cruciatur felicitate modeſtiæ. §.77.n.5. p.161

*Cùm ſubleuaſſet ergò oculos Ieſus.* Sanè de pulchro oculorum lenocinio mundus in flore eſt, vt vberiùs fructificet. §.1.n.2. p.1

*Et vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum,* &c. Multitudo maxima vſque ad deſertum venerat, Chriſtum auidè quærens: & indè eius peramantem beneficentiam fauſtè ominatur. Porrò dum Chriſtus ſic cum ſponsâ quæritur; dum inuenitur, *Eſſentia amoris* nominatur. §. 272.n.6. p.548

*Et vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum: Vndè ememus panes, vt manducent hi?* Famem turba muto ſilentio tolerat, & Chriſtus ſic eſt de eorum ſubſidio ſollicitus? Scilicet muta patientis calamitas, clamor eſt, & grandis clamor diuinam opem precariè implorans. toto §.279. p.559. Porrò friuola, & ſæpè noxia eſt oratio, quæ mundialia bona auidiùs ſuſpirat. toto §.280. p.561

*Dicit ad Philippum: Vndè ememus panes, vt manducent hi?* Eccur de tot millium cibatione agit cum Apoſtolis, qui nec ſibi quid manducent, habebant? Scilicet vt egenos doceret, quòd pauper ſuccurrendo pauperi (vt vt poteſt) non exemptus, ſed obæratus eſt. toto §.228. p.459

*Dicit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Præcurrit Chriſti beneficentia ſenſum famis. & præbendæ alimoniæ ſupplicem egentium precationem. Scilicet aliquis miſericordiæ faſtus eſt, vt ſubſidij erogatio preces pauperum anteuertat. toto §.225. p.454

*Vndè ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus.* Cùm is qui conſulit antè decreuit & preſcit quid ſit facturus, rei faciendæ conſultatio, *tentatio* dicitur; quod moraliſſimè Euangeliſta notauit.

*Reſpondet ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat.* Opinor, non idoneè Philippus reſpondit: nam Dominus interrogauerat, Vndè annona emi poſſet; ipſe aliorsùm reſpondet de magnâ denariorum copiâ ad panum emptionem neceſſariâ. Scilicet neceſſitati prouidet Dominus, adminiſtri ac procuratores denariorum ſumptum cauſantur.

*Dicit ei vnus ex diſcipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: Eſt puer vnus hîc,* &c. Et vbi eſt ipſe Simon Petrus, qui ad alia quæuis opportunè importunè vltrò proſilire, & ſeſe ingerere ſolitus? Cùm de re nummariâ quærendâ, aut expendendâ agitur, ſic mutus ſilet? Id dedecet Petrum ſpiritualia tractantem?

*Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos?* Notandus ſanè tantus ciborum neglectus in tantâ hominum multitudine, Chriſti doctrinam ſectante. Aſt qui Chriſtum Deum ſequitur, gulæ negotium non curat. Nam qui ad ventris ingluuiem viuit, velut athæus viuit. §.21.n.7.p.50. de gulæ deliciis conſule. §.21.& 22.& 23.p. 50. & ſeqq. vbi multa: & in Syllabo rerum, verbo, *Ieiunium.*

*Eſt puer vnus hîc, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos?* Ecce tibi ſpes in mundi ſubſidio, quàm ſit deſperationi confinis. Porrò erectior in mundialibus bonis ſeu auxiliis fiducia, languor ſpei eſt, & fictæ erectionis titubatio. toto §.258. p.522

*Accepit ergò Ieſus panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.* An hæc gratiarum actio, oratio eſt, quæ prægustat beneficium, quod ſupplex petit? §.269.n.2. p.541

*Accepit ergò Ieſus panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.* Eccur priùs accipit, quàm multiplicet? Scilicet Deus, quæ potuit augere dando, poteſt etiam multiplicare in pauperibus accipiendo §.228.n.4. p.460

*Accepit ergò Ieſus panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus, ſimiliter & ex piſcibus quantùm volebant.* Quantò plus egenis donat, tantò donum multiplicatur. Porrò largior erga pauperes beneficentia, terrenas non minuit opes, ſed auget: & cæleſtium bonorum beatâ cupiditate antecedit auaritiam. toto §.224. p.452

*Accepit ergò Ieſus panes, &......diſtribuit diſcumbentibus, ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant.* Occultò ſanè, & velut furtiuo clàm incremento. Siquidem laudatior beneficentia, ſentiri ſe magis cupit, quàm videri; ne hoſtiliter, ſed tanquam cælitùs ſuccurrat. toto §.226. p.456

*Et ex piſcibus quantum volebant.* Alij exeribunt, *Quantùm volebat*, ipſe Chriſtus inquam, quaſi voluntas Chriſti dantis, & hominum accipientium, eadem voluntas ſit. §.218.n.7.& ferè toto §. pag. 441.& ſeq.

*Vt autem impleti ſunt, dixit Diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta.* An non diſcipuli cum turbâ fameſcebant? An non ſatis erat menſis miniſtrare, ſed etiam menſarum reliquias colligere adhuc famelici iubentur? ô bona religioſis eruditio! §.125 n.3. p.257

*Collegerunt ergò.......duodecim cophinos fragmentorũ.* Ipſa etiam quæ videntur ſuperflua in Chriſti miraculis, adnotanda, & admiranda ſunt. §. 294.n.6. pag.588

*Collegerunt ergò, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus ordeaceis.* Non in triticeis, ſed in ordeaceis panibus, Euchariſtiæ typus præmonſtratur, quò vel brutas pecudes Euchariſtico eſu conuertat in homines. §. 49.n.8. p.101. Plura, qui volet, de Euchariſtiâ; adeat. §.41. vſque ad §.52. p.85.& ſeqq.

*Illi ergo homines cùm vidiſſent quod Ieſus fecerat ſignum, dicebant: Quia hic eſt Propheta, qui venturus eſt in mundum.* Scilicet largior beneficentia, illuſtrioris famæ aucupandæ artifex eſt, de beneloquæ gratitudinis arbitrio. toto §.20. p.47

*Quia hic eſt Propheta, qui venturus eſt in mundum.* Quem præſentem videbant, *venturum* dicũt? Scilicet reuerentiæ eſt, quòd Chriſtum, quem oculis cernunt, *venturum* appellent. §.131.n.1. p.268

*Ieſus ergò cùm cognouiſſet quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterùm in montem ipſe ſolus.* Vides regni fugam, & tamen crucifigitur, qui regnum ambibat. ô iudicia hominum! Sanè qui Primatum fugit, ad eum meritis feſtinat. toto §.174. p.348

*Fugit*

*Fugit iterum in montem ipſe ſolus.* Et vbi eſt Diſcipulorum hactenùs ſequela? An vbi Ieſus conclamatur Rex, eius ſequelam Diſcipuli intermittunt? §.194.n.2. p.387

Feria IV. poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ.

IOANNIS IX.

*PRæteriens Ieſus vidit hominem cæcum à natiuitate, &c.* Nil putatur tam ſalutare ac beneficum, quod in tranſitu proſit? Chriſtus autem *præteriens* etiam largè benefacit. An laudatiſſimæ liberalitatis virtus eſt, vltimum potentiæ donare, & totam poteſtatem donando implere? §.242. n. 6. p.490

*Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à natiuitate, &c.* Sed cæcus etiam eſt, & lumine carens, qui lucis fructum non facit. Nam lux infructifera non computatur ad lucendi gloriam. §.87.n.6. p. 183. Sanè hominis fortunati manus dicuntur luces. §. 39.n.5. p.82

*Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à natiuitate, &c.* Eccur tam ſollicitè cæco benefacit, adeò vt vel ipſius etiam fugiat aſpectum? Scilicet laudatior beneficentia ſentiri ſe magis cupit, quàm videri. toto §. 226. p.456

*Rabbi, quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cæcus naſceretur?* Rudes tunc Diſcipuli audaciore ſiniſtritate cenſent ſuper huius hominis cæcitate, quaſi in pœnam peccati acciderit; cùm tamen improbe indicet, qui quod alij merentur, iudicat. Nam iudicium, veritatem recuſare dicitur. quare? §.190.n.5. p. 381

*Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur?* Ærumnoſa à natiuitate calamitas putatur peccati pœna. Imò diuturna improborum felicitas, eſt peccatorum pœnalior appendix. §. 291.n.8. p.383

*Neque hic peccauit, neque parentes eius.* Sæpè enim ærumnæ anteuertunt noſtra delicta. Porrò Adam ſuis poſteris hereditatem indigeſtæ mortis reliquit. §. 17.n.2. p. 42

*Quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cæcus naſceretur? Neque hic peccauit, neque parentes eius.* Sed Deus per calamitates illi velut feneſtratim quodammodò inſidiatur. §.123.n.5. p.254

*Neque hic peccauit, neque parentes eius: ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Ergò acerbos hominis angores, quaſi Dei vicarios, & numine plenos puta. §.128.n.5. p. 263

*Neque hic peccauit, neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Quid eſt quòd Chriſtus gloriæ ſuæ ſtudet, cùm diſcipulos ſuos curioſos videt? §.178.n.6. p.357

*Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit ſuper oculos eius .... & venit videns.* Luto non excæcantur oculi, qui dicuntur ipſius animæ membrum. §.107.n.8.p. 223. Sicut etiam cinere ad terrena cæcamur, ſed ad cæleſtia inoculamur. §. 267. n.5. p. 539

*Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit ſuper oculos..... & venit videns.* Scilicet lutum eſt collyrium, quo cæcus hic homo inoculatur, vt ſe penitus exploret. §. 267.n.6. ibid.

*Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit ſuper oculos eius....... & venit videns.* Sputo (quæ ſuperfluitas eſt) & lingua muti ſoluitur, & cæci oculi aperiuntur. In Chriſto vel ſuperflua, ſalutaria ſunt. §.71.n.8. p.151

*Et fecit lutum ex ſputo, & liniuit ſuper oculos eius, & dixit ei: Vade, & laua in natatoria Siloë, &c.* O arcana medicina, ſicut Pactolus, pretioſior cœno, quam flucnto! §.261.n.8.p. 529. Sed caue, ne dum lacrymantibus oculis conſcientiam diluis, lutum facias. §.265.n.1. p. 534

*Et fecit lutum ex ſputo, & liniuit ſuper oculos eius.... & venit videns.* Luto cæcari ſolent oculi, non perſpicaciter illuminari. Verùm diuinæ prouidentiæ officioſitas, etiam ex inuerſo ſapienter operatrix, & inſcrutabiliter arcana eſt. toto §. 168. p.337

*Vade, & laua in natatoria Siloë......& venit videns.* Quare non præſentem illuminat, ſed longiùs mittit, vt illuminationis beneficium accipiat? Scilicet homo ſæpè eſt ſicut Luna, quæ de Solis abſceſſu fulget, & acceſſu obſcuratur. §.132. n. 5. p. 270.

*Erat autem Sabbatum quandò lutum fecit Ieſus, & aperuit oculos eius*: Hinc inſolentiùs contra Chriſtum Phariſæi deſæuiunt. Nam impiè ſæuit, quiſquis prætextu pietatis ferit. toto §. 108. p.224

*Erat autem Sabbatum quandò lutum fecit Ieſus, & aperuit oculos eius.* Eccur miraculum factum eſt ſpecie violationis Sabbati? An quia dum violationem accuſant, miraculum fatentur? Nimirùm volupe hominibus eſt credibilem putare alienam virtutem, quæ vitij ſpeciem obtendit, vel quippiam vitio confine. toto §.64. p.137

*Iterùm ergò interrogauerunt eum Iudæi quomodò vidiſſet, &c* Et poſtmodùm adhuc ei non credentes, eius, parentes interrogant; vt quod nuper irreligionis prædamnauerant præ inuidâ in Chriſtum iracundiâ, veroſimiliùs damnent. Porrò inconſulta ira id æquum videri vult quod iniquè iudicauit, dum æquitatis prætextum iniquiùs obtendit. toto §.34. p. 72

*Dicunt ergò cæco iterùm: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia Propheta eſt.* Tametſi reliqui aut ambigant, aut negent; qui beneficium acceperat, id planè fatetur. Sanè beneficentia illuſtrioris famæ aucupandæ artifex eſt, de beneloquæ gratitudinis arbitrio. toto §. 20. p 47.

*Scimus autem quia peccatores Deus non audit, &c.* Eſtne aliqua vitiorum virtus, quòd ſupplex orantis improbitas beneficium impetret? §.246. n. 5. p.498

*In peccatis natus es totus, & tu doces nos*; In peccatis dicitur natus totus, quia & cæcitatis calamitate, & durâ egeſtate *mendicus* permebatur. Profectò dura egeſtas dum nihil habet, ſuſtinet totum, magnâ ſæpè probitatis iacturâ. toto §. 153. pag. 308

*In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* Quàm eximia probitas in Doctore ſeu Concionatore requiratur ad doctrinæ ſuadelam, traditur §. 327. & 328. &c. p. 649. & ſeqq.

Feria VI. poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ.

IOANNIS XI

*ERat quidam languens Lazarus.* Dolor & ægritudo ſententioſè *Spiritus* nominatur. §. 137. n.4. In animi morbis ſuus eſt etiam dies criticus,

in quo vitiorum ægritudo ſæuit magis. toto §. 101 p. 211.

*Miſerunt ergo ſorores eius ad eum, dicentes: Domine ecce quem amas infirmatur.* An patientia in infirmitate eſt Dominicæ diſciplinæ ſanitas? §. 1. 9. num 3. p. 264

*Miſerunt ergò ſorores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.* In fratris infirmitate quærunt per litteras ac preces, quem pedibus quærere nequibant: & ſic quærentes, *eſſentiam amoris* inuenerunt. §. 272. n. 6. p. 548

*Miſerunt ergò ſorores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.* Nihil petunt, ſed infirmitatis ærumnas proponunt. Profectò præſtandæ gratiæ decori detrahitur, quod gratiæ precum adiicitur. §. 257. n. 2. p. 520. Muta patientis calamitas, clamor eſt; & grandis clamor diuinam opem precariè implorans. toto §. 279. pag. 559

*Miſerunt ergò ſorores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.* Et quare languentis fratris ſalutem non expoſcunt? An quia ſæpè friuola, ac noxia eſt oratio, quæ mundialia bona precario voto auidiùs ſuſpirat? toto §. 280. p. 561

*Domine, ecce quem amas infirmatur.* Amorem ſuggerunt, vt erga dilectum, totam exerat potentiam. Nam qui impenſiùs amat, & obnixiùs aliquid vult, immeta à quodammodò potentiâ vltra vires eualet. toto §. 198. p. 395

*Miſerunt ergò ſorores eius ad eum, dicentes, Domine, ecce quem amas infirmatur.* Dum mittunt, ſpem farentur: ſed quare nihil petunt? Num fiducia aliquandò recipit beneficium, quod oratio non præſumit? §. 170. n. 2. p. 544

*Tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus.* Quare in re adeò graui, ſic cunctantes Chriſtus agit? An quia apud homines in rebus grauioribus tempeſtiua cunctatio egregiè conſilium adornat? toto §. 59. p. 127

*Lazarus mortuus eſt; & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi.* Et quomodò gaudet, quia Diſcipuli credent, quòd non erat ibi; ſiquidem Diſcipuli perſpicuè ſciebant, quòd ibi non erat? An Chriſtus ibi non eſſe dicitur, vbi non benefacit, & ibi duntaxat eſſe, vbi largiorem beneficentiam exhibet? An Chriſtus è cœlo ideò homines largè munerat, vt in cœlo eſſe putetur? §. 20. n. 2. p. 47

*Domine, ſi fuiſſes hîc frater meus non fuiſſet mortuus Sed & nunc ſcio quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.* Quomodò Martha fratris reſurrectionem non potens impetrauit? An non quaſi dogma eſt, neminem ex non petentibus, diuina accipere beneficia? toto §. 270. p. 543 Imò Martha meliùs tanquam non orans. orat; & efficaciùs tanquam diffidens confidit. § 268. n. 3. p. 540

*Domine, ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet mortuus. Sed & nunc ſcio, quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.* Martha præ humilitate meliùs, tanquam non orans orat; & tanquam diffidens, meliùs confidit. §. 76. n. 5. p. 554 & toto §.

*Dicit illi Ieſus: Reſurget frater tuus, &c.* Martha non petitam fratris reſurrectionem audit de Chriſti ore, & adhuc ambigit? An non ſatis firmum beneficium putat, quod oratio non impetrauit? §. 270 n. 4. p. 544

*Domine, iam fœtet, quatriduanus eſt enim.* Imò poſt fœtoris diffamiam, priſtinæ vitæ, ac probitatis reſtitutio, diuinæ gloriæ adulantiùs blanditur. §. 335. n. 4. p. 664

*Domine, iam fœtet, quatriduanus eſt enim.* O! Hinc Lazaro typicè imputantur delicta, quæ forſan patrare non potuit! §. 104. n. 4. p. 217

*Voce magna clamauit: Lazare veni foras.* Hactenus mitiùs egerat. At mitior blandè condeſcenſio præuia, ſæpè vigor poteſtatis eſt, & operis faciendi lenocinium. §. 337. n. 14. p. 671

*Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis.* Lazarus (vulgare peccatorum ſymbolum) à morte peccati reſurgens, carnis delicias putat moleſtas. §. 260. n. 3 p. 526. Porrò vera pœnitentia ſic hominem refingit in alium, vt eadem grauatè iam ferat, in quibus nuper deliciabatur. toto illo § 260, p. 525

*Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis.* Scilicet Lazarus (qui eſt peccatorum typus) adhuc concupiſcentiæ inſtitis ligatus, è luxuriæ morte ad vitam redit. §. 61. n. 6. p. 132

---

## *Dominica in Paſſione.*

## IOANNIS VIII.

*Quis ex vobis arguet me de peccato!* Verè id dicere potuit Chriſtus innocentiâ præluſtris. Porrò fœda crimininosè calumnia eſt, quæ ab innocenti à raditur. §. 102. n. 5. p. 214

*Quis ex vobis arguet me de peccato?* Videbitur forſan alicui, quòd hæc verba iactantiam ſubolent. At Chriſto, imò & perfecto viro ſæpè familiare eſt, quod in aliis arrogantiam ſaperet. §. 107. n. 4 p. 17

*Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nam quod alicui forſan videbitur imperfectio, perfectionis meta eſt. Porrò vir eximiè perfectus vel ex apparentis vitij latebris inſidiatur ſpectatorum profectui. §. 207. n. 15. p. 419

*Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nam etſi foris vitij ſpecies appareat, intùs perfectæ virtutis medulla ſubeſt. Porrò arcanâ quadam non virtutum, ſed quaſi vitiorum hypocriſi, vitia in virtute oſtentare, aliquis eius virtutis faſtus eſt. toto §. 298. p. 594

*Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et quomodò id audet dicere, vel ipſe Chriſtus, erga quem tot Iudæi male affecti aderant? Porro de voluntatis officinâ affectibus vitiata, temeraria in malum excuduntur iudicia, quæ veritatem recuſant; cùm tamen aliquandò improbè iudicet, qui quod alij merentur, ſentit. toto §. 190. pag. 380

*Quis ex vobis arguet me de peccato?* At non deerit qui arguat, & obmurmuret. Nam maledica improbitas id vnum ſæpè quærit, vt aliquid aduerſus alium quoquomodo dicat, non vt veroſimile quippiam dicat. toto §. 103. p. 215

*Quis ex vobis arguet me de peccato?* Sed neque ipſe Chriſtus Deus effugit impudentis linguæ audaciam maledicè obtrectantem. Nimis enim eſt hominibus exprompta maledicentiæ prurigo. toto §. 104. p. 216

*Quis ex vobis arguet me de peccato?* Etſi maledicum vulgus Chriſtum Deum de peccato arguat; aſt viri religioſi linguis parcent. Verum perfectus quiſque maledicentiæ pruriginem vix interſtinguit. §. 104. n. 6. p. 218

*Quis ex vobis arguet me de peccato;* Scilicet prudens cautela

cautela, tametſi falſos, veroſimiles tamen de ſe rumuſculos præcidit, humanam præcludens maledicentiam.toto §.313. p.623

*Quis ex vobis arguet me de peccato?* Imò quis impudenti audacia non arguet?Porrò detractio dicitur, ſtimulus,baculus, ſceptrum.§.105.n.7.& 8.p.220

*Si veritatem dico,quare non creditis mihi?* Conſultiſſimè Euangelicæ *veritatis* prædicationi præmittit vitam inculpatam, & quæ atqui de peccato non poſſit: nam bona & inculpata Prædicatoris vita, eſt Euangelicæ veritatis ſuadendæ vigor.§.327.& 318. p.649.& ſeqq.

*Si veritatem dico quare non creditis mihi?* Chriſto credendum eſt,qui eſt,ipſa veritas;reliqui è vulgo Doctores male putant ſe eſſe veritatis cognatos. §.7.n.2. p.12

*Quis ex vobis arguet me de peccato? ſi veritatem dico, quare non creditis mihi?* De multis peccatis (tametſi falsò) Phariſæi Chriſtum arguebant, in re autem caſtitatis nec ſiniſtrè cogitarunt,nec maledicè arguerunt. Num hinc ſuæ prædicationis veritatem nunc adſtruit? Porrò mendacium putatur libidinis ſequela, & veritas caſtitatis appendix. toto §.318. p. 632

*Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Scilicet quia ſæpe euidentior & atteſtatior credibilitas, humanæ incredulitati adulatur; & contrà. toto §. 238. p. 380

*Si veritatem dico,quare non creditis mihi?* Quia non vera rei eſſentia, ſed vel falſata apparentia, vulgarem rei cenſum procudit.toto §.244. p.493

*Si veritatem dicò,quare non creditis mihi?* Quia bonus,imbonúſve affectus dum merita cudit,iudiciorum arbiter eſſe ſolet.toto §.145. p.294

*Si veritatem dico,quare non creditis mihi?* Quia oculis noſtris imponimus, & mendacio delectamur. §.107.n.1.p.221. Quin & veritas diſſimulationibus fatigatur.§.107. n. 2. ibid. & humana lingua diuinam omnipotentiam è peruerſo æmulatur. §.107.n.6. p.223

*Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Sanè Chriſtus concionum audientiæ Præſes eſt; qui quodammodò diſcit in auditoribus, quorum aures ſanguine ſuo madent.toto §.332. p.658

*Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* Vide hîc Scribas & Phariſæos diſputationibus petulanter mordaces. Ergo Doctor ſit velut agnus, non velut carnis mordax.§.7.n. 3. p.12. Non faſtuoſa diſputantis auctoritas, ſed diſputationis ipſius veritas,ad perſuaſionis energiam requiritur. toto §. 114. p. 235. Heu ciuitas litterarum, ſpinarum vrbs dicitur! §.98.n.6. p.207

*Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* Aliquando acerbior delictorum increpatio, emendationem faſcinat, & acerbiorem obiurgationem in obiurgantem reuerberat.§. 333. & 334. p. 660. & ſeq.

*Ego dæmonium non habeo.* ô manſuetudinem Chriſto Deo dignam, & docendo Euangelio peridoneam!Porrò fidem, & doctrinam confirmat, qui eam cum manſuetudine docet.§.329. n.2. p. 653 Manſuetudo docentis, ſæpè vigor ſuadelæ eſt §.329.n.4. ibid.

*Amen,amen dico vobis:ſiquis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.*Quod rectæ rationi aduerſatur, mors dicitur: ergò ratio vita eſt.§.144.n.9. p.294

*Feria IV. poſt. Dominicam in Paſſione.*

## IOANNIS X.

*Facta ſunt Encænia in Ieroſolymis.* Encænia, id eſt,*feſtum renouationum*,templi,inquam.Benè eſt, templum Dei renouetur & augeatur. Nam Dei templum quantumuis ſumptuoſius, meritò *Tugurium* appellatur.§.285.n.3.p.571.Porrò ſupra humanum faſtigium eſt Deo vel in animo, vel in corpore, vel in quolibet alio loco, dignum habitaculum præparare.§.285. n. 2. p 571

*Facta ſunt Encænia in Ieroſolymis.* Renouetur Dei templum, quod cæli ſolium de maieſtate æmulari debet.§.285.n.5.p.572. Et ſanè qui Deo templum extruit, ſibi etiam templum ædificare dicitur. §.285.n.3. p. 571

*Facta ſunt Encænia in Ieroſolymis.* ô, ad omnem munditiem, & ſanctitatem renouentur Dei templa; ne ſint velut tranſtra,in quibus corporatum Dei verbum remigare dicatur! §.285.n.8.p. 572. Templum ergò Dei ſanctè extructum ac renouatum,Dei voluntas dignè appelletur.§.285.num.6. p.572.Sic enim templum erit, & oculorum appetentia,& pia arrogantia imperij § 285.numero 4. p.571

*Facta ſunt Encænia in Ieroſolymis.* Encænia, id eſt, *feſtum renouationum*, renouationum inquam, ne torpeat ceſſatione virtus. Nam qui ceſſat ab opere feliciter cœpto,egregiè mentitur.§.18.num. 3. pag.44

*Facta ſunt Encænia in Ieroſolymis.* Per pœnitentiam ergò viua Dei templa, aſſiduè renouentur Nam pœnitentia, ſi non diluit, ornat. §. 7. n. 9. pag 14

*Facta ſunt Encænia in Ieroſolymis.* Celebret ergò incunctanter terrena Ieruſalem per pœnitentiam, feſtum renouationis. Nam qui citò pœnitet,penè deliquiſſe non creditur.§.263.n.2.p.531 Feſtinata pœnitentia famæ peccatoris conſulit, feſtinationem inuenit veniam,& peccati altum fomitem reſecare dicitur. toto §. 261. p. 527.

*Facta ſunt Encænia in Ieroſolymis:& hiems erat.* Sæpè in hieme celebrantur Encænia, id eſt, *renouationes*,pluratiuo vocabulo, per frigidam pœnitentiam nimis frequentes. Nam nimis frequens abſque emendatione pœnitentia, impœnitentiæ aut rea,aut ſuſpecta eſt.toto §.265. p.534

*Et deambulabat Ieſus in templo,in porticu Salomonis.* Ecceur porticus Salomonis dicitur,iam diu à Chaldæis diruta, & ab aliis reædificata, & ampliata? Porrò qui rem magnam,quam alij promouêr, primus incepit; & auctor illius dicitur, & potiorem gloriam ſecurus delibauit.toto §.245. p. 491

*Quouſque animam noſtram tollis?* Sanè incertus perplexitate animus,dum conſilij inops, multa mentitur ſibi,non dubiè angitur,& vritur. toto §.137. pag.279

*Quouſque animam noſtram tollis?* Candidum noſcendæ veritatis deſiderium Phariſæi aſtutè ſimulant, Porrò de ſubdolo mendacij ingenio ſimplex veritas tectiùs fatigatur.toto §.107. p.222

*Quouſque animam noſtram tollis?ſi tu es Chriſtus, dic nobis palam.*Sed fides non eſt, vbi quæritur fides, § 97.n. 4 & 5. p. 205

*Quouſque animam noſtram tollis? ſi tu es Chriſtus, dic nobis palam.* Palam & candidè ſibi loqui expetunt, qui ſub dolo tectiùs obſcuro fraudulenter loquuntur

loquuntur. Sanè obſcurus ſermo, furax veritatis perhibetur.§.107.n.5.p.223 Et ſcribæ etiam dum vera dicunt, mendaces dicuntur. §. 107. num. 4. pag.223

*Reſpondit eis Ieſus: Loquor vobis,& non creditis* Neque enim digni erant Chriſto Deo credere. Sanè æquum eſt, vt vnuſquiſque cum religione colat Deum,quem ſuis moribus colere promeretur. toto §.94 p. 198

*Loquor vobis,& non creditis*: Opera, quæ facio, &c. Miſera enim eſt fides, quam ſola verba concinnant § 97.num.1.p. 204. Non qui eloquitur magna,ſed qui viuit, Euangelium feliciter perſuadet operum eloquentiâ toto §.327. p.649

*Multa bona opera oſtendi vobis.......propter quod eorum opus me lapidatis?* Quare Chriſtus beneficia commemorat, cùm iam iam lapidibus impetitur? Scilicet homo in officinâ ingratitudinis, ex beneficiis aduerſus benefactorem arma cudit toto §. 314.præſertim n.2. p. 625

*Multa bona opera oſtendi vobis........propter quod eorum opus me lapidatis?* Nempè Hebræus populus reprobatur, quia Chriſtum in beneficiis non agnouit §.133.num.9.p.271.Sanè benefactorem in beneficiis non agnoſcere,barbaricum ſcelus eſt. §.20.n.7. p. 49

*Multa bona opera oſtendi vobis.........propter quod eorum opus me lapidatis?* Porrò ingratus impietati Herodis affinis eſt, & deicidio velut obnoxius. §.315.num.6.p.628 Saltem homo tot beneficiorum reus eſt,quorum & ingratus.toto §.316 pag. 629

*Multa bona opera oſtendi vobis........propter quod eorum opus me lapidatis.* Profectò quiſquis ingrato benefacit,& beneficium perdit,& vltrò inimicum acquirit.toto §.315. p.627

*Feria V. poſt Dominicam in Paſſione.*

LVCÆ VII.

Adi feſtum S. Mariæ Magdalenæ, vbi hoc Euangelium ad mores elucidatur.

*Feria VI. poſt Dominicam in Paſſione.*

IOANNIS XI.

*Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium aduerſus Ieſum.* Concilium verò ſæpè aduocatur,non vt deliberetur de bono,ſed vt excuſetur decernendum malum.§,27.n.2. p. 60

*Collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium aduerſus Ieſum.*Porrò non præceps paſſione ſcelus, ſed præmeditata malitia,criminoſior cenſetur,& conſilij ſuffragio ſceleroſior.toto §.157. p. 316

*Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium aduerſus Ieſum.* Auctoritate opinatiſſimi concilij inuidiam ac odium aduerſus Chriſtum hoſtiliter pertinacem celare exambiunt. Nempè de male acuto malitiæ ingenio venit, vt homines virtutis penicillo vitia colorent, quò impudentiùs delinquant. toto §.109 p.226

*Collegerunt Pontifices,& Phariſæi concilium aduerſus Ieſum.* Scilicet factitius Phariſæorum Senatus, dum virtutem mentitur, vitia ſceleroſiùs amplificat.toto §.211. p. 427

*Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium aduerſus Ieſum.* Religionem prætendunt, vt ſæuitiam colerent.Nam impiè ſæuit, quiſquis falſaro pietatis prætextu ferit.toto §.108 p. 224. Reatus impij eſt pium nomen.§.2.n. 4. p.5

*Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium aduerſus Ieſum.* Rancida diu inuidè iracundia Phariſæorum,id æquum videri vult, quod iniquè iudicauit, dum æquitatis prætextum iniquitati iniquiùs obtendit toto.§.34. p.72

*Et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?*Illi ipſi qui phariſæi, ſignum à Chriſto volebant videre,vt tanquam Meſſiam adorarent; nunc illum damnant, quia multa ſigna facit? §. 247.n.4. p. 499

*Et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?*Et vnde iniquum ac damnabile, plura ac prodigioſa miracula beneficè edidiſſe? At inuidia hoſtilitatem cum bono gerit.§.156.num. 4.& 8.p 314.315.Exindè Terrigenæ putauerunt, Cælum eſſe terram ex aduerſo ſitam §.156.n.4.p. 314

*Et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit:*Ecquid mali ſubeſt in tot ſignorum patratione miranda? Sanè fœda criminatio eſt, quæ malitioſè ab innocentiâ raditur.§ 102. numero 5. pag. 214

*Et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit:*Ecquod eſt delictum concilio dignum, tot miracula patraſſe? Scilicet maledici inuidioſè criminatores obmuteſcunt quantùm ad rem, non tamen tacent.§ 102.n.4. p.214

*Et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* Vide quàm prauè ſtulteſcant Iudæorum Sapientes; adeò vt neque vni quidem illorum gutta mentis aut probitatis inſit. Eheu, vbi docti prodierunt,boni deſunt?toto §.30. p.65

*Et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit.*Hæcne ſententia, ea eſt, quæ in ore omnium Pontificum ac ſapientum reſonat,in cano ac litterato concilio? Verùm ſæpe conſultores præſtantius conſilium corde, deterius ore verſant. §.26.n 5.p.59.Num prudenti rarò adeſt fides, & fideli rarò adeſt prudentia?§ 26 num.6.p.59 Quæ maior pars eſſe videtur,ſæpè eſt peior? nam paucitas magiſtra eſt diſciplinæ. toto §.29. p 63

*Si dimittimus eum ſic,venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* Pontificis & Phariſæi acerbâ inuidiæ iracundiâ perciti, oculos in terram, Caini adinſtar deiiciunt; indéque terræ rationes quærunt, & obtendunt. §. 34. numero 4. pag. 73

*Vos autem neſcitis quicquam,nec cogitatis*, &c. Nihil ſciunt,nihil cogitant malitioſi Phariſæi.Nam malitia eſt caligo ſcientiæ.§.6. num. 3. p. 9. At non in regno,ſed in errore ſocius quæritur. §. 7. n. 1. pag.12

*Vos autem neſcitis quicquam,nec cogitatis*,&c. ô! nemo auferat clauem ſcientiæ § 7.num.1.p.12.Turpe eſt in diuinis diſputationibus tyrannidem ſibi vendicare.Ibid Doctor ne ſit velut Legiſlator.§. 7. num.1.p.12.qui male putat,ſe ſolum eſſe veritatis cognatum.§.7.n.2. p.12

*Vos autem neſcitis quicquam,nec cogitatis*, &c. Porrò arroganter ſuperbus eſt,quiſquis ambit, vt omnes ſapiant ex eius ore.§.28 n.1. p.61

*Vos autem neſcitis quicquam, nec cogitatis*,&c. Vide Pontificis ſuperbum arroganter ſupercilium, Profectò non faſtuoſa diſputantis auctoritas, ſed diſputationis ipſius veritas, & rationis momentum, ad perſuaſionis energiam requiritur. toto §.114. pag. 235. Sanè comitas vrbanè placida in Doctore,

Doctore perſuaſionis lenocinium eſt : opprobria verò noctem vel rebus perſpicuis offundunt. toto §.319. p.653

*Vos autem neſcitis quicquam, nec cogitatis*, &c. Vide quàm acerbè ferat Caiphas, quod ei conſultores in omnibus non adſentiant. Imò perito Principi ſuſpectus eſſe debet conſiliarius, qui ſemper ad eius nutum reſpondet. §.28. num.3. p.62. Qui vetam ſententiam alapâ muneravit, falſam approbatam morte emit §.82. num.4. p. 62. Princeps iniquus improſpera paſſurus, non niſi proſpera audire meretur. §.28. n.6. p.63

*Nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus*, &c. Eccur conſultorum duntaxat vtilitatem allegat, vt Chriſtum Deum tot miraculis clarum, atrociùs damnent? Eheu! propè omnes actiones humanas metitur ſua cuiuſque vtilitas? toto §.133. p.271

*Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo: & non tota gens pereat.* Morte enim ſuâ Diabolum ac peccatum in mundo regnans expugnabit. Chriſtus enim dicitur Dæmonis, ac peccati velut gehenna. §.183. n.8. p.368

*Hoc autem à ſemetipſo non dixit: ſed cùm eſſet Pontifex anni illius prophetauit*, &c. Ecce tibi diuinæ prouidentiæ officioſitas, etiam ex inverſo ſapienter operatrix, & inſcrutabiliter arcana eſt. toto §.168. p.337

*Sed vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum.* Sic paci & concordiæ Chriſtus ſtudet? Sanè pax æquè cum Chriſto Deo, generoſo Mariæ vtero gaudet. §. 384. numero 4. pag. 760. Et quidem reciproca beneuolentia concordiæ matrix, agnata Chriſtianis eſt, qui ſe amant mutuò penè antequam nouerint. toto §. 115. pag. 237

---

*Dominica in Palmis.*

## MATTHÆI XXI.

*Dicite, quia Dominus his opus habet.* Sic parcè Rex cæli ſecum agebat in terris, vt precario iumento vtatur ad triumphum? Sanè perfecta paupertas (quæ Apoſtolicus character, & cæleſtis gloriæ ſpecimen dicitur) rarò inuenitur in terris. toto §.151. p.305

*Dicite, quia Dominus his opus habet.* Non ſolet Chriſtus quicquam ab hominibus poſtulare, & vbi proclamatur Rex (*ecce Rex tuus*) confeſtim reculis pauperum *opus habere* dicitur, eáſque per miniſtros ſuos exigit; adumbrans, & taxans humanorũ Principum genium. At Principes dum de pauperum inopiâ diteſcere ambiunt, & paupertatem ſibi negotiantur, & ſuam ruinam ædificant. toto §.150. p.303

*Dicite, quia Dominus his opus habet.* Chriſti triumphus Paſſioni confinis, ſubſidio per miniſtros exacto, typicè exornatur. Porrò tributorum durâ exactione, Chriſti Dei paſſio adumbratur: & ſub Nabuchodonoſore Dei populus liquefit. toto §. 234. p.473

*Dicite, quia Dominus his opus habet.* Rex proclamatur; & quandò diuitias ad regiam liberalitatem oſtentare debuit, tunc precariam indigentiã oſtendit; vt ex inuerſo decantandas laudes ſolidiùs ædificet. Porrò largior Principum beneficentia, illuſtrioris famæ aucupandæ artifex eſt, de beneloquæ gratitudinis arbitrio. toto §. 20. p.47

*Dicite, quia Dominus his opus habet.* Neceſſitati, non ſumptuoſiori Principum vtilitati, vltrò ſeruitur. Nam mera Regum vtilitas, non eſt bonus regiminis arbiter. §.90. n.7. p.192

*Ecce Rex tuus venit tibi.* Tibi venit, non ſibi: & indè vel ſuper vile iumentum glorioſè ſedet ad triumphi gloriam. Porrò Chriſtus non tam propter ſe, quàm propter homines veniens, glorioſè naſci oportebat, § 212. n.6. p.450

*Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus* (humilis) *ſedens ſuper aſinam.* Sic humilis dignè proclamatur Rex. Non obtinendi regni deſiderium, ſed deſiderium gloriæ regnandi, peruerſitas ambitionis eſt. §. 87. num.3. &c. pag.181

*Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum.* Probrum ſubolet, Hebræorum rex in triumpho ſuper aſinam ſedens. Sed indè forſan inopinati triumphi gloria redditur credibilior. Profectò volupe hominibus eſt credibilem putare alienam virtutem, quæ aliquid vitio, aut probro confine obtendit. toto §. 64. pag.137

*Ecce tibi Rex tuus venit tibi manſuetus*, &c. id eſt, pacatus, ac mitis Nam Princeps, quia periculosè nimis iuſtus eſt, ſub ſecuritate (ſi rite poteſt) ſemper ignoſcit. toto §.160. p.321

*Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus*, &c. id eſt, procul ab irâ. Iracundia enim in Principe, temeritatis acumen eſt. §.34. n.2. p.75

*Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via*, Non veſtes, quæ ambitioſiùs ornent; ſed quæ ad proculcationem ſterni poſſint in viâ, Chriſti triumphum adornant. Veſtium exquiſitior ornatus multis vapulat. toto § 77. & 78. pag. 161. 162. 163. 164

*Turba autem clamabant, dicentes: Oſanna filio David.* Sic nunc glorioſè triumphat, qui poſt pauculos dies, in cruce detriumphari videbitur? Aſt ſua etiam & victo pompa eſt, & de inuerſo gloria. Qui Chriſtianè ſapit, etiam cùm contemptim vincitur, glorioſè vincit. toto §. 211. pag. 425

*Turba autem.....clamabant, dicentes: Oſanna filio David.* ô quàm feſtinanter abiit hæc mundialis triũphi gloria! Sic eſt mundi felicitas, fugax, incerta, caduca. toto §.199. & §.40. p.396. p.83

*Turba autem .......... clamabant, dicentes: Oſanna filio David.* Sic in triumpho acclamatur Meſſias, qui poſtmodùm ſeductor proclamabitur in cruce? Sæpè inter hominum fortunam maximam & infamiam, nil medium eſt, ſic ſublimiſſima ruinæ vicinantur! toto §.191. pag. 381. Indè mundialis felicitas, propè antequam tenetur, elabitur. §. 40. n.3. p.83

*Turba autem ........... clamabant, dicentes: Oſanna filio David.* ô quàm citò Chriſtus velut nauſeauit ad hanc triumphi gloriam; & paſſionis contumeliam mauult! Scilicet gloriæ vbertas, ſatietas gloriæ eſt, quam vel ambitioſus non poteſt ferre §.311. n.4. p.621

---

*De Chriſti oratione in horto.*

## LVCÆ XXII.

*Et egreſſus* Ieſus *ibat ſecundum conſuetudinem in Montem oliuarum.* Vt indè auſpicium ſumeret paſſionis bellum, vnde auſpicium ſumpſit glorioſus triumphus in cælum.

Et

*Et cùm perueniſſet ad locum, dixit illis: Orate ne intretis in tentationem.* Duce Iudâ, aduerſariorum phalanges appropinquant: ergò orationis acies diriguntur. §. 2. n. 9. p. 4. Sanè humanas preces licet appellare victoriales, cùm victricem opem ritè precantibus modulentur. toto §. 271. p. 545

*Dixit illis: Orate (mecum* addit Matthæus) *ne intretis in tentationem.* Qui meruit exaudiri pro ſuâ reuerentiâ, comites Diſcipulorum preces expetit? Profectò multorum humana oratio, ſæpè dignitas eſt precantis, & arcanus deprecationis vigor. toto §. 275. p. 553

*Et ipſe auulſus eſt ab eis quantũ iactus eſt lapidis.* Nuper Euangeliſta dixerat, quòd diſcipuli *ſecuti* ſunt Dominum, dum eum ex pe. gunt orare; tunc autem *auulſus* ab eis dicitur, quia ſic quæſitus, *amoris eſſentia* nuncupatur. §. 272. n. 6. p. 548

*Et, poſitis genibus orabat.* Matthæus autem habet: *Procidit in faciem ſuam, orans.* An Chriſtus noſtra peccata tunc ſuſtinens, procidit in faciem, ne ſtellas ſuo aſpectu deſolaret? §. 29. n. 2. p. 582

*Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me: verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* An Chriſtus Deus non habet quid dicat, quòd Paterni præcepti rigorem declinet? §. 83. n. 6. p. 175

*Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me: verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Ergò apud hominem, Dei voluntas, altera ipſa ipſius voluntas eſto; quam non ſuæ flectere, ſed ſuam diuinæ flexilem exhibere debet. toto §. 218. p. 441

*Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me: verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Alieno arbitrio agi, éſtne perfectionis meta, & atrocior martyrij acerbitas? toto §. 80. p. 168

*Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum.* Feſtinat Angelus confortare eum, qui de calamitatis acerbitate, arcanam cum ipſo neceſſitudinem contraxerat. Nam tribulatio acerbior, nobilis cum Angelis cognatio nominatur. §. 123. n. 7. p. 255

*Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum.* Porrò Angeli ſunt flores, qui immortalitatis odorem mortali homini glorioſè adſpirant. §. 306. n. 1. p. 609. p. 155

*Et factus in agonia, prolixiùs orabat.* In agoniâ factus, prolixiùs orat, an aliud orationis genus priori aggregat & adſociat? Porrò muta patientis calamitas, clamor eſt, & grandis clamor diuinam opem precariè implorans. toto §. 279. p. 5 0

*Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Sanè apud homines humani periculi anxius timor, ſæpè acerbius, quàm ipſa calamitas excruciat. toto § 304. p. 605

*De S. Petri negatione, ac lacrymis.*

LVCÆ XXII. MATTHÆI XXVI.

*Quem cùm vidiſſet ancilla quædam, &c.* ô Petre, Redemptorem ſequens, tibi à feminis ſollicitiùs non caues? An qui ſibi à feminis non cauet, redemptionis quodammodò facit diſpendium? §. 31. n. 7. p. 68. Mulier ſicut aſpis, morum ſibilat morbos. §. 31. n. 6. p. 68. vel Dæmoni pœnaliſſimũ eſt, cum victâ etiam muliere inimicitias agere. § 93 n. 4. p. 187

*At ille negauit coram omnibus, dicens, &c.* Petrus Chriſtum negat, quia humanâ curioſitate illum ſequebatur. §. 178. n. 7. p. 357. Exindè curioſitas erga diuina & humana, multis vapulat, toto illo §. 178. p. 356

*At ille negauit coram omnibus, dicens, &c* Petrus cùm præ reliquis confidit, enormi negationis lapſu corruit: at cùm nulli ſubditorum ſe præfert, omnibus præficitur. §. 239. n. 9. p. 484. Heu non ſemel proſperior Petri fortuna, naufragio confinis! §. 195 n. 3. p 589

*At ille negauit coram omnibus. dicens, &c.* Chriſtum ſequendo, dum alij diffugiunt, periculum Petrus ſubiit. Pulchrum ſanè periculum putatur, ad Deum transfugere §. 3. n. 1. p. 4

*Et egreſſus foràs fleuit amarè.* Ex Pontificis aulâ lugens exit, vt lugeat. Ergò aulam puta flendi agonem §. 191. num. 2. p 381. Sanè ridiculum eſt, flere, quod colis, aut colere quod lugeas. §. 193. n. 3. pag. 385

*Et egreſſus foràs, fleuit amarè.* De Chriſti oculis Petrus luce perfuſus, confeſtim in lacrymas erupit. Nam lacryma, fons eſt, & fluuius; & ſimul lux, & Sol. §. 233. n. 8 p. 472

*Et egreſſus foràs, fleuit amarè.* Ecce ex Petri oculis Pactolus profluit, pretioſior cœno, quàm fluento. §. 261. n. 8. p 529

*Et egreſſus foràs, fleuit amarè.* Eccur foràs confeſtim exit, & non accurrit ad Chriſtũ? An timet videndi pudorem? At lacrymæ ſunt delictorum ſpongia, iugis & expromptus velut baptiſmi fons, adoptionis radios inſertos habens; citiuſque ſine rogandi pudore veniam impetrant. toto §. 264. p. 563

*Et egreſſus foràs, fleuit amarè.* Audè venit ad palatium, ſed audiùs egreditur. Porrò vera pœnitentia ſic hominem refingit in alium, vt eadem grauatè iam ferat, quæ nuper expetebat. toto §. 270. p. 543

*Et egreſſus foràs, fleuit amarè* ô bona pœnitentia peccato incunctanter ſuccedane! Porrò feſtinata pœnitentia famæ peccatoris conſulit, feſtinatiorem inuenit veniam, & peccati alium fomitem reſecat. toto §. 261. p. 527

*Et egreſſus foràs, fleuit amarè.* Et quomodò amarè flet, qui toto vitæ ſpatio lacrymis deliciatur? Scilicet pœnitentiæ dulcedo, peccandi voluptatem æmulatur. §. 259. num. 3. pag 524. & ferè toto illo §.

*Et egreſſus foràs, fleuit amarè.* Amarè flet, cui vitium, quod lacrymis deteſtatur, non dulce, ſed amarum eſt. §. 259. num 9. pag. 525. ô caue, ne dum lacrymis conſcientiam diluis, lutum facias! §. 265 n. 1. p. 534

*Et egreſſus foràs, fleuit amarè.* Totâ vitâ amarè flet peccatum, quod ſemel lacrymis confitetur? An non tantùm culpam, ſed culpæ etiam memoriam lacrymoſa confeſſio oblitterat? §. 282. numero 7. pag. 67.

*Et egreſſus foràs, fleuit amarè.* Eccur Petrus Chriſti amore iam dignus, & de venia ſecurus, ſic pertinaciter delictum deflet? Scilicet pœnitentia ſi non diluit, ornat. §. 7. n. 9. p. 14

*De ſpineâ coronâ.*

MATTHÆI XXVII.

*Tunc milites Præſidis..... exuentes eum; chlamydem coccineam circumdederunt ei.* Gentium Idola, non cùm fabricantur, ſed cùm ornantur, diuinitatem mutuare Gentes putabant. §. 77. num. 2. p. 161. Eſther autem iam olim in Chriſti typo, regiis

regiis ſumptuoſè veſtibus exhonoratur. §. 3.n. 2. pag.5

*Tunc milites Præſidis..........exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.* In tantâ irriſionis pompâ, non defuit chlamydato ridiculariè Regi liberalior beneficentia Chriſto rege digniſſima. Nam illa ipſa tot iniuriarum ſufferentia, inimicè offenſoribus largiùs benefica fuit. §. 223.num. 2. pag.450

*Plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius.* Quia nomen Ieſu non tam caput, quam manum coronat, coronam de ſpinis ſuper caput eius poſuerunt, quâ caput coronetur. §.340.n.2.p. 678. Et ſanè corona, capitis ornamentum dicitur, quo mens potiùs quàm caput coronatur. §.57.num. 11. p.124

*Plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius.* Sanè florida pudicitiæ corona, ſpineam coronam mutat in gloriam triumphantis. §.62.n.7. pag.134

*Plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius.* Porrò corona aurea, oneri eſt potiùs quàm honori. §.205.n.10.p.410. ô! qui putatur honoribus felix, vt hoſtia ad pœnam coronatur. §.155.n. 6.pag.314

*Plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius.* Et quæ ſunt hæ ſpinæ; quæ Chriſti Dei caput peracerbè coronant? An ſpinoſa ſcommata, quibus viri litterati in diſputationibus ſe mutuò lacerant, & cruentant? Porrò vrbs litterarum, ſpinarum vrbs dicitur. §.98.n.6. p. 207. An Hæreticorum doctrina, ſpineto peridoneè ſimilis? Ibidem. An leues defectus, qui ſpineæ coronæ comparantur? §. 292.n.2. p.583

*De bono Latrone.*

## LVCÆ XXIII.

DOmine memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Memoriam tui expetis, dum veneris in regnum ſuum? Ita quidem opinatur de Chriſto. Alioqui humanorum Regum memoria obliuioni ſuccedanea eſt. §. 57.n.1.pag.123. Sed in extremis nil tentare, perditio eſt. §.1.n.9. p.4

*Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Deſperatúſne dicitur, qui in Deo vnicè ſpem habet? quare? §.257. n.13.p. 521. Scilicet nimis futile eſt humanum patrocinium: de eo igitur deſperandum eſt, quò totam ſpem noſtram in Deo collocemus. toto §.138. p.281

*Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Parùm videtur petere, qui memoriam duntaxat expetit. Sed quo parcior videtur poſtulatio, eò audacior eſt Latronis ſpes. Porrò qui benè ſperat, non timet, ne nô veniat ſperata felicitas: nam qui ſic ſperat, rei expectatæ gaudium iam momordit. toto §.139.p.283. ô! timendum ſæpè eſt, ne aliqua ſpes peccatorem occidat. §.261.n.7. p.530

*Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Oratio memoriam petens, beneficium ſpe obtinet. Num fiducia aliquandò recipit beneficium, quod oratio non præſumit? §.270.n.2. p.544

*Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Memoriam tui expetis, & non potiùs rei expetitæ promiſſionem? Verùm ſæpè humana oratio ſic accedit impetrationis ſecura, ac ſi diuina promiſſione ſubnixa, beneficium petitione prægustaret. toto §.269. p.541

*Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Sed quid proderit, quòd habeat memoriam latronis perditi ſceleſtè furaciſſimi? Verùm quia Deus eſt qui eſt, fidentiùs nobis orandus eſt §. 281.n.5. p.564

*Hodie mecum eris in paradiſo.* Credulitatis compendio, vbi Diſcipulorum legitur titubaſſe perfectio, hactenùs Latro, paradiſum rapuit. §. 262.num.8. p. 530. Alioqui dubia ſemper eſt ſalus, & propè certa damnatio eius, qui ſceleroſæ vitæ pœnitentiam vſque ad horam mortis procraſtinat. toto illo §.262. p.529

*Hodie mecum eris in paradiſo.* Latro ob ſcelera crucifixus abſoluitur, quia Chriſtum in ſuppliciis agnouit, quem Iudæi in beneficiis non agnouerunt. §. 133.n.9. p.275

*Hodie mecum eris in paradiſo.* Eua per ænigma in corredemptricem Mariam redintegratur, & transfunditur: quæ per Latronem Adamum rursùs paradiſum complantat. toto §.366. p.726

*Hodie mecum eris in paradiſo.* Num beata paradiſi gloria rapinam expetit, quò dulciùs ſapiat? §135. n.4. p.276

*Hodie mecum eris in paradiſo.* ô fiduciæ animoſioris inopinata furta! Qui ſic ſperat in Deum, velut cæleſtis animus quodammodò præmaturè beatur. §.139.n.9. p.287

*Hodie mecum eris in paradiſo.* Siquidem cæleſtis beatitudo humanæ rapinæ expoſita eſt; apprehendi poteſt, æſtimari non poteſt; & propè eam neſcientes allicit. toto §.308. p.614

*Hodie mecum eris in paradiſo.* An Latro paradiſum profanabit? Quare ergò Rachel, id eſt, Beatitudo, Viſio profanationis nominatur? §.309.numero 6. pag.617

*Feria V. in Cœnâ Domini.*

## IOANNIS XIII.

ANte diem feſtum Paſchæ. Dominicæ Paſſionis auſpicium, à læto Paſchatis feſto eſt? Sanè lætum Iudæorum feſtum, ab humanâ calamitate citiùs, quàm à felicitate nominatur. §. 251.num. 1. pag.507

*Sciens Ieſus, quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem.* Vicinæ mortis memoria in Chriſto, fit mortalibus idealis eruditio. Nam dum temporalis mors è vicino imminet, negotiû beatæ æternitatis operoſè agendum eſt. toto §. 127. p. 260. Mortis memoria affectuum nix eſt, gazis cæleſtibus opulenta; vicarias Dei gerit vices; & de crudæ mortalitatis indigeſto ructu, immortalem hereditatem ſpondet. toto §.128. p.262

*Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Chriſti erga Suos amor, cum prærogatiuâ diuturnitatis proponitur. Nam ſubitus amor inconſtantiæ ſuſpectus eſt §.128.n.2. p.262

*Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Sic eſt Chriſtus Deus hominû peramãs? ô, Chriſtum auidiùs quæramus; nam qui illum ſic quærit; *eſſentiam amoris* inueniet; §.140.numero 7. pag.286

*Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Homóne is eſt, qui ſic diligatur à Chriſto Deo? Sanè nihil vnicuique niſi quod amauerit, rectum eſt. §.145.n.5.p. 295. Habet enim amor intuitum chamæleontis. §.191.n.7. p.383

*Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Hominum amorẽ præmittit, ne ob vicinæ

Paſſionis acerbitatem ſcandalizentur incerti ſtupore. Porrò qui impenſiùs amat, & obnixiùs aliquid vult, immetatâ quodammodò potentiâ propè vltra vires euale. toto §. 198. p. 395

*Et cœna factâ.* Euchariſtici conuiuij elogia copioſè habentur à §. 41. vſque ad §. 52. p. 85. vſque ad 105. coaptet quiſque ex multis, quæ magis idonea videbuntur.

*Cùm diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas.* Quem Chriſti electio Apoſtolū fecerat, auaritia Exapoſtolum fecit. Perfecta enim paupertas, Apoſtolicus character appellatur. §. 151. n. 1. & 4. pag. 305

*Cùm diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas.* Iudas propter auaritiam, Apoſtolum amiſit, & diuitem non fecit. Nam mundialia bona ſi non concupiſcimus, poſſidemus: concupiſcentia enim illorum amittendorum arbitrium eſt. toto §. 290. p. 580

*Cùm diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas.* Chriſtum Deum deicidio prodit Iudas, ex Apoſtolo infidus criminator, ac proditor. Num ſceleroſa infidi calumniatoris criminatio, Atheum aut inuenit, aut facit? §. 21. n. 7. p. 50

*Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Scilicet Dei Filius totum Patris habere dicitur, nil derogans Patri. §. 324. n. 9. p. 645

*Et quia a Deo exiuit, & ad Deum vadit.* Vicinam iam Paſſionem appellat viam, ſeu itum ad cæleſtem Patrem. Porrò in ipsâ acerbiori calamitate, felix calamitatis exitus tranſparet. toto §. 200. p. 398

*Surgit à cœnâ, & ponit veſtimenta ſua, &c.* Cùm Chriſtus Deus infra hominum pedes abiectiſſimè volutatur, tunc *ſurgere* dicitur? ô humilitatis ſacramentum! Scilicet vir magnus in poſtremiſſimum reiectus locum, non eſt ceteris poſtpoſitus ſed ſuperpoſitus. toto §. 99. p. 207. Homo vt ſit ſublimiſſimæ dignitati par, humilitate decreſcat. §. 173. n. 6. p. 347. Num Chriſtus humilitatis & abiectionis duntaxat cognatus perhibetur? §. 204. num. 5. p. 412

*Et cœpit lauare pedes diſcipulorum.* Cœpit, inquit. Nam qui initium exactè denarrat, reliqua exinceps vſque ad finem denarraſſe perhibetur. Nam rei exordiū, ipſius cēſus eſt. §. 18. n. 1. & 2. &c. p. 44

*Et cœpit lauare pedes diſcipulorum,* & ſæpè alios lauandi poteſtatem illis reliquit. Sed caueat homo ne dum lacrymis conſcientiam diluit, lutum faciat: nam nimis frequens abſque emendatione pœnitentia, impœnitentiæ aut rea, aut ſuſpecta eſt. toto § 265. p. 534

*Domine, tu mihi lauas pedes? ........ quod ego facio, tu neſcis modo.* Petrus, cui Chriſti diuinitas nota erat, ad æſtimandam eius humilitatem inidoneus dicitur? An cui Chriſti etiam diuinitas nota eſt, multum ſupereſt in eius humilitâte noſcendum? §. 288. n. 3. p. 576

*Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Chriſtus lauit pedes, etſi mundi erant, quia gratia tranſcendit neceſſitatem. §. 207. n. 11. p. 418

*Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Et quomodò qui eſt mundus totus, indiget vt pedes lauet? An quia pœnitentiæ lauacrum ſi non diluit, ornat? §. 7. n. 9. p. 14

*Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Perfecta mundities, de lauandorum pedum indigentiâ vulgo ſuadetur. §. 64. numero 3. Nam familiare hominibus eſt, credibilem putare alienam munditiem ac virtutem, quæ ſpeciem vitij obtendit, vel quippiam vitio confine. toto illo §. 64. p. 137

*Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Non eſt totus perfectè mundus, niſi qui de humilitatis lenocinio, pedes ſe habere immundos exiſtimat? §. 240. n. 6. p. 487

*Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Totus mundus eſt à labe mortali, ſed pedes à veniali maculâ mundat. Nam qui in viis Dei ambulat, non leuiter timet leue delictū. toto §. 292. p. 583. ô naturæ imbecillitatem! Perſæpè qui ad magnas difficultates ſtrenuè eualet, modicis imbecillè vritur, cedit, ſuccumbit. toto §. 293. p. 585

*Domine, non tantùm pedes meos, ſed & manus, & caput.* ô exemplariter conſultiſſimum ſummi Præſidis conſilium! Porrò grande in Principibus & Præfectis malum eſt, nolle videri erraſſe: indè nutritur pervicacia in errore, quæ multis elogiis culpatur. toto §. 319. p. 635

*Et vos mundi eſtis: ſed non omnes. Sciebat enim, &c.* Quare ſibi notiſſimum proditorem non publicat, cùm ipſe ſe iam iam publicat? Scilicet ad rem vitij ſæpe infamia facit, quod vix tentatio præſumit. toto §. 335. p. 664

*Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Porrò bonum virtutis exemplum afflatæ imitationis beneficio, virtutes affricat, ſeminat, propagat, magno ſanctitatum fœnore. toto §. 70. p. 147

---

*Feria VI. in Paraſceue.*

Hiſtoria Dominicæ Paſſionis ex Euangeliſtis intertexta, ſeriatim referenda eſt; intemixtis breuiculis expenſionibus: non quas eruditio, aut acumen excitet; ſed quas meditationis, ac deuotionis calor excoquat. Iſtiuſmodi meditationes in piis libellis abundè ſuppetunt.

---

*Virgo Deipara Filio Deo crucifixo compatitur.*

IOANNIS XIX.

*Stabant autem iuxta crucem Ieſu Mater eius, &c.* Totus Chriſtus crucifixus eſt in intimis viſceribus Materni cordis. §. 369. numero 2. pag. 732

Virgo Deipara, & Chriſti crux, & cruciformis dicitur. Ibidem.

Stabat iuxta crucem Ieſu Mater eius impaſſibilis per patientiam, quo ſenſu? §. 369. numero 3. pag. 732

Chriſtus Deus erat quaſi dimidium Deiparæ cor: indè peracerbi eius dolores expenduntur. §. 369. num. 4. p. 733

Deipara in eâ parte patitur, quæ putatur impaſſibilis. Inibi.

Beata Deipara iuxta crucem ſtans, mortem Chriſti ſuam fecit. §. 369. n. 4. p. 733

Dolor Filij in cruce, erat dolor Matris: & dolor Matris erat Filij dolor, reciproco arcanè ſenſu §. 369. n. 5. p. 733

Summa dignitas Filij crucifixi, menſura eſt dolorum Matris. §. 370. n. 1. p. 734

Sanguine

Sanguine ſuffuſo aſpectu Filius è cruce Matrem videt: ecquo ſacramento? §. 370. n. 2. p. 734
Virgo Deipara crucifixa crucifixum concipit, parit, lactat. quare? §. 370. n. 4. p. 734
Quidnam pœnalius, aut Filio Deo eſſe in cruce, aut Matrem iuxta crucem ſtare? §. 370. n. 5. p. 735
Dei mater iuxta Filij crucem, ſola cum Diuinitate immobilis & gaudens, Filium ſuum immolari voluit? §. 370. n. 6. p. 735
Virgo Deipara iuxta crucem appellatur, Chriſti Dei oſſa. quare? §. 391. n. 7. p. 773
Vulnere defuncti Filij, anima Matris pro Filij animâ ſuſtituta, inhumaniter feritur. §. 370. n. 3. p. 734

*Feria II. in Reſurrectione Domini.*

## LVCÆ XXIV.

*Duo ex Diſcipulis Ieſu ibant ipſa die in caſtellũ, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Ieruſalem.* Ambiúntne huiuſmodi abſceſſu declinare Magiſtri crucifixi, ac mortui ignominiam? Aſt per Reſurrectionem noſtra mortalitas in immortalitatem, noſtra contumelia tranſiuit in gloriam §. 33. n. 6. p. 72
*Et ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis.* Dum illi longiùs abſcedunt, ipſe Ieſus illis propiùs accedit? Nimirùm ipſius gratia, illorum tranſcendit neceſſitatem. §. 207. n. 11. p. 418
*Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent.* Chriſti præſentia Diſcipulorum oculi infuſcantur? Scilicet homo ſæpè eſt ſicut Luna, quæ de Solis abſceſſu fulget, de acceſſu obſcuratur, fulgoribus ſenſim viduata §. 132. n. 5 p. 270
*Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent.* Chriſtum Deum, quem deſerebant, & adhuc putabant mortuum; viuum iam, & præſentem nec agnoſcunt, nec venerantur. Nam æquum eſt, vt vnuſquiſq; eum religione colat Deum, quem ſuis moribus colere promeretur. toto §. 94. p. 98
*Qui ſunt hi ſermones, quos confertis adinuicem ambulantes, & eſtis triſtes?* Sed præuia triſtitia puerum ac perfectum excipit gaudium §. 210. n. 2. p. 423
*Quibus ille dixit: Quæ?* Num Diſcipulos examinat Magiſter, ſi fortè eorum quæ viderant, narrationem, verè referant? Sic facilè virgo veritas pro variâ referentium libidine conſtupratur! toto. §. 166. pag. 333.
*De Ieſu Nazareno, qui vir fuit Propheta potens in opere & ſermone.* Benè opera ſermonem anteuertunt Non enim qui eloquitur magna, ſed qui viuit, & Euangelium, & Euangelij mores feliciter perſuadet. toto §. 327. & 328. p. 649. 650. 651
*Quibus ille dixit: Quæ?....de Ieſu Nazareno, qui fuit vir Propheta potens in opere & ſermone.* Chriſto Chriſtus euangelizatus. Porrò Chriſtus concionum audientiæ Præſes eſt; qui quodammodò diſcit in auditoribus, quorum aures ſanguine ſuo madent. toto §. 332. p. 658
*Nos autem ſperabamus*, &c. Spei titubatio, ruinæ vicinatur. Sanè arduas difficultates facilè cludit ſpes, quæ ſi excidat, vel magnanimus ſimul corruet. toto §. 249. p. 502
*Sed mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos*, &c. Optatiſſimo ac lætiſſimo Dominicæ Reſurrectionis nuncio, Diſcipuli *terrentur*? Quod dudùm hianter ſperauerat, deſperanti *terror* eſt? Sic dulcis ſpes bonorum poſſeſſionem mellit?
R. P. *Didac. Celada in Eſtherem.*
*Venerunt, dicentes ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe, qui dicunt eum viuere.* Angeli Chriſtum ex mortuis viuentem annunciant, & ſpolia dominicæ mortis in Reſurrectione auidiùs verſant & tractant, ad ſuæ immortalitatis ſolatium? Sic eſt auguſtè glorioſa Chriſti à mortuis Reſurrectio? §. 306. n. 9. p. 611
*Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Sanè non benè dulcis eſt humana felicitas, quam ardua priùs difficultas non condit ad placendi gratiam. toto §. 135. præſertim n. 5. p. 276
*Et factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, ac porrigebat illis*, &c. Porrò Euchariſtia eſt Chriſti ſublimiùs noſcendi nobilis officina. § 52. n. 7. p. 107
*Accepit panem, & benedixit ac fregit, ac porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum.* Quorum nuper oculi tenebantur, ne eum agnoſcerent dum Euchariſtiæ ſymbolum tractat, eum manifeſtè cognoſcunt. Nam Euchariſtia eſt fidei collyrium ad noſcendum Chriſtum §. 52. num. 7. p. 107
*Accepit panem, & benedixit, ac fregit, ac porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum*, &c. Dum comedit, & bibit, & ceſſat à faciendis nouis (ſicut hactenùs) miraculis, ſuæ Reſurrectionis glorioſius miraculum Chriſtus probat. §. 300. n. 2. p. 598
*Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerant eum: & ipſe euanuit ex oculis eorum.* Qui non cognoſcebatur præſens, ſemel cognitus confeſtim abſentatur? Num Chriſti abſentia addit ad Reſurrectionis gloriam? §. 132. n. 2. & toto illo §. 132. & 131. p. 268 & ſeqq.
*Dicentes: Quod ſurrexit Dominus verè*: Eſto, verè ſurrexit? An non etiam alij quondam verè ſurrexerunt? Quare ergò Chriſtus dicitur, Primus ex reſurrectione mortuorum? §. 199. n. 2. p. 397

*Dominica in Albis.*

Hoc Euangelium ethicè elucidatur in feſto S. Thomæ Apoſtoli.

*In Litaniis maioribus, & minoribus.*

## LVCÆ XI.

*Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte*, &c. Ad fiduciæ impetendo animoſitatem, orandus Deus *amici* vocabulo inducitur. Porrò quiſquis Deum precibus quærit, *eſſentiam amoris* inueniſſe perhibetur. §. 272. n. 6. pag. 548
*Et ibit ad illum media nocte*, &c. Importuno etiam intempeſtæ noctis tempore, audientiam hic amicus præſtat orantibus? Sic gratè Deus humanis precibus deliciatur, illâſque expetit? toto § 277. p. 556. Sanè hominum preces, Dei gloriam ſumptuoſius prædicant, & generoſiùs negotiantur. toto §. 271. p. 547
*Amice, commoda mihi tres panes*, &c. Oratio cibum petit, propter quandam cum eo affinitatem. Siquidem quod cibus corpori, hoc animæ, ac virtutibus præſtat oratio. §. 281. n. 6. p. 654
*Et ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes*, &c. indignus rogator, & beneſi

beneficus largitor, conſultè *media nocte* inducuntur. Nam piè beneficus, & de beneficentiâ laudatio, ſentiri ſe magis cupit, quam videri; ne hoſtiliter, ſed amicè potiùs ſuccurrat. toto §. 226. p. 456

*Et dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes*, &c. Conſultò inquit, *commoda*: nam qui commodat, donando nihil perdit. Sanè largior erga indigentes beneficentia, terrenas non minuit opes, ſed auget: cæleſtium bonorum beatâ cupiditate antecedit auaritiam. toto §. 224. p. 452

*Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de viâ ad me, & non habeo quid ponam ante illum.* ô quot virtutes orationem comitantur! Amicitia, fraterna charitas, ſollicita miſericordia, & beneficentia, &c. Scilicet Oratio plantat in nobis virtutum paſſiua §. 281. numero 11. pag. 565

*Et ille deintùs reſpondens, dicat: Noli mihi moleſtus eſſe*, &c. Moleſtus audit, qui ſic rogat? Nimirùm ſupplex hominum rogator nimis vileſcit, quandoquidem alienæ opis indigum ſe fatetur. toto §. 2.0. p. 463

*Iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili.* Et qui ſunt iſti pueri, qui nullatenus inquietandi ſunt? Nimirùm quandò aliquis abrenuncians carnis, per rationem vitæ virtuoſæ paſſionem confutauit, tunc quaſi puer inſenſibiliter ſe habet erga paſſiones §. 126. n. 6. p. 260

*Non poſſum ſurgere, & dare tibi.* An hæc oratio repulſam pati videtur, quia rem temporariam poſtulat? Scilicet friuola, & ſæpè noxia eſt oratio: quæ mundialia bona precatio voto auidiùs expetit toto. §. 280. p. 561

*Propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios.* An aliqua vitiorum virtus eſt, quòd ſupplex improbitas impetret? §. 246. n. 5. p. 498

*Propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios.* Audit repulſam, & adhuc rogat? Nempè Deus dum impetrationem differt, ad diutiùs orandum placidè attrahit. §. 277. n. 2. p. 556. Imò perſeuerantia in orando, accepti iam beneficij velut inchoata gratitudo dicitur. §. 277. n. 1. p. 556

*Surget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios.*) Audit, *Non poſſum*, & adhuc perſeuerando velut improbe ac pertinaciter contendit? Nimirùm humanas preces licet appellare victoriales, cùm victricem opem ritè precantibus modulentur. toto §. 271. p. 545

*Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis.* Indè ſæpè humana oratio ſic accedit impetrationis, ſecura, ac ſi diuinâ promiſſione ſubnixa, beneficium petitione prægustaret. toto §. 269. pag. 541. Eſtne quaſi dogma, neminem ex non petentibus diuina accipere beneficia? toto §. 270. pag. 543

*Petite, & dabitur vobis.* Citiùs enim, & certiùs impetrat, cùm non vnius tantùm, ſed multorum adſociatur oratio. Porrò oratio multorum dignitas eſt precantis, & deprecationis vigor. toto §. 274. p. 551. Multorum enim oratio ſibi mutuò auxiliaris eſt. §. 120. n. 8. p. 249

*Quærite, & inuenietis.* Nam Deus, dum ideò quæritur vt inueniatur, iam propè inuentus eſt vt quæreretur. toto §. 140. p. 284

*Pulſate, & aperietur vobis.* Sed manu, non ore pulſatur. Quid hoc ad rem orationis? Scilicet precariâ boni operis manu, cum effectu impetrationis oramus §. 275 n. 3. & toto illo §. p. 553

*In die Aſcenſionis.*

## MARCI XVI.

*Recumbentibus vndecim Diſcipulis, apparuit illis Ieſus, & exprobrauit incredulitatem eorum*, &c. Poſtquam ſubiit crucem & Paſſionem, iam immortalis reſurgens Chriſtus, Diſcipulos reprehendit, blandè quidem, & amicè. Porrò qui acerbiùs & contumelioſiùs alios corripit, exindè crucem & paſſionem ſubire putatur. §. 33. n. 5. & toto illo §. 333. & §. 334. vbi contumelioſa reprehenſio acerbè reprehenditur. p. 660 661. 662

*Et exprobrauit incredulitatem eorum.... quia his qui viderant eum reſurrexiſſe non crediderunt.* Heu quoties euidentior & atteſtatior credibilitas humanæ incredulitati adulatur; & contrà! toto §. 238. p. 480

*Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium* &c. Quos nuper reprehendit quaſi fidei proditores, ſtatim tanquam fidei Magiſtros inaugurat? Scilicet virtutibus diu adſuetus, & ſi in vitium impingat, ad priſtinam gratiam citò adſurgit toto § 82. p. 172

*Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium*, &c. Dedecere videtur, vt de infidelitate diffamatos mittat in vniuerſum mundum tanquam fidei ſatores. Verùm feſtinata pœnitentia famæ peccatoris conſulit, feſtinatiorem inuenit veniam, & peccati alium fomitem reſecat. toto §. 261. p. 527

*Euntes in mũdum vniuerſum, prædicate Euangelium*, &c. Hinc Apoſtolorum merita ſumptuoſiùs euulgantur, quos conuertendo ad Euangelium orbi Chriſtus deſtinat. Porrò cognata atque idonea muniis ingenia ſollerter quærere & explorare, præcipuus Electoris labor eſt. toto §. 172. p. 344. Imo & conſultior apud homines electio, viros pares negotiis, neque ſuprà deſtinat. toto §. 173. p. 346

*Euntes in mũdum vniuerſum, prædicate Euangelium*, &c. Grande quidẽ munus, & quod vltra humanum faſtigium eſſe videtur! Verùm ſumma eligentis dignitas, & æquitas, præcipua electorum pompa cenſetur, quæ dignitati dignitatem fœnerat. toto §. 171. p. 342

*Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Rudes & illiteratos piſcatores, in lacubus enutritos, orbi ad Euangelium conuertendo deſtinat? Scilicet arcana Dei prouidentia, per inidonea humanitùs media præfixum ſibi ſcopum perſæpè collima. toto §. 167. p. 335. Nam diuinæ prouidentiæ officioſitas, etiam ex inuerſo ſapienter operatrix, & inſcrutabiliter arcana eſt. toto §. 168. p. 337. Adeò vt qui diuinam prouidentiam ſcrutatur, dicatur oſſa Chriſti conterere. §. 168. n. 8. p. 338

*Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*, &c. Aſt imperatrix Idololatria vniuerſum mũdum occupat. Num pauculi piſcatores tantam potentiam detriumphabunt? Verùm poſt Apoſtolorum prædicationem, iam Idolatria irridetur, vituperatur, culpatur; quippè quæ omnia delicta vno crimine expungit. toto §. 59. p. 127. Et quidem Apoſtolorum quiſque, benè omnia elogia in ſe complexus eſt, quæ Diis Gentium male tribuuntur. § 207. n. 3. p. 416

*Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Sed verendum eſt, ne honorata mundi vitia, ſuum contagium Apoſtolis affricent. Imò

Imò vitiorum inſolentia, Apoſtolis virtutum eruditio eſt, & animoſæ probitatis gymnaſium. toto §.245. p.495

*In nomine meo Dæmonia eiicient.* Num Apoſtolorum verba ac preces, alterum Dæmonum incendium eſt? 271.n.6.p.546. Eſtne Chriſtus Dæmonis, ac peccati velut gehenna? §.183.n.8. p.368

*Et Dominus quidem Ieſus, poſtquam locutus eſt eis aſſumptus eſt in cælum*, &c. Qui nuper contemptim apud homines tractabatur, iam in cælo *Dominus* dicitur,& ſedere ad dexteram Patris, vnus cum illo Deus perhibetur. Scilicet maieſtati maior ex longinquo reuerentia: nam frequens aſpectus minus verendos magnos viros facit. toto § 131.& 132. p.168 & ſeqq.

*Et Dominus quidem Ieſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum*,&c. Verùm cùm Ieſum aſcendentem nubes ſuſciperet ab oculis eorum; vndè Euangeliſta incredulis perſuadeat, in cælum tandem aſcendiſſe, ibíque eſſe? Num Chriſtus è cælo homines largè munerat, vt in cælo eſſe putetur? §.20.n.2. p.47

*Et Dominus quidem Ieſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei.* Petrus autem tantùm ait, *Quem oportet cælum ſuſcipere.* Num quod ſemiplenè Petrus de Aſcenſione oculis videt, ipſe expreſſiùs non denarrat? §.166 n.4. p.334

*In die Pentecoſtes.*

## IOANNIS XIV.

SI *quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Quid ſi exhibenda Chriſti ſermonibus fides, in aliqua creditu difficilia incurrat? Scilicet nihil vnicuique niſi quod amauerit, rectum eſt: §.145.n.5. pag.295

*Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Imbecillius homo ſi Chriſtum amet, omnia eius præcepta & conſilia quantumuis ardua, opere exequi poterit? nimirùm qui impenſius amat, & obnixiùs aliquid vult, immetatâ quodammodò potentiâ vltra vires eualet.toto §.198. p.395

*Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Sic amor allicit ad operoſum omnium mandatorum, & conſiliorum obſequium? ô quam aptè Spiritus-ſancti gratia pulchritudini;& pulchritudo, gratiæ comparatur?.§.38.n.7. p. 81

*Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Omnem inquam ſermonem: non ſolum in arduis præceptis, ſed & in exiguis conſiliis. Porrò Spiritus-ſancti gratiæ aliquis faſtus eſt, vt nunquam magis quàm in minimis tota eſſe videatur. toto §. 294 p. 587. Gratia enim tranſcendit neceſſitatem. §. 207.n.11. p. 418

*Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Et quomodò aduersùs humanarum paſſionum pellaciam ſeductricem, homo alliciatur ad omnium ſermonum Chriſti obſeruantiam? Nempè Spiritus-ſancti gratia aſtutiæ ſerpentinæ æmulatrix eſt, ſine conatu vrget, & eâ Dei Spiritus proſperatur.toto §.301. p. 600

*Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Aſt amor cæcus eſt, & indè mentis infuſcabit oculos, ne exequendum ſermonem videat. Verùm peritior & paratior obedientia eſt fidei æmula, cæcè oculata. toto §.83. p. 173

*Sermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum,* R.P.Didac. Celad. in Eſtherem, Sanè obſequium velut quoddam philtrum eſt, Dei amorem alliciens. Nam exprompta obedientia pulchritudinem conciliat.§.57.n.8. p.124

*Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Non ſatis eſt, quòd Spiritus-ſanctus veniat, niſi diuturnam manſionem fecerit. Nam regia Spiritus-ſancti dignitas, non cùm repentè in Diſcipulos *venit*, ſed cùm diuturnè *ſedet*, dignoſcitur. §.187.n.5. p. 375

*Paraclitus autem Spiritus-ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* In nomine Chriſti Spiritus-ſanctus mittitur: an quia miniſteria cum Angelis reciprocans, Matris Virginis cuſtos appellatur? §.306.n.11.p.612. Sanè Spiritus-ſanctus eſt velut vmbra animæ Deiparæ.§.390.n.1 p.770

*Paraclitus autem autem Spiritus-ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* An indè Spiritus-ſanctus, Chriſti Dei Procurator appellatur; §. 245.n.6.pag. 492. Caducam enim hominum carnem erudit ad immortalitatem proficere.§.245.n.6. p.496

*Paraclitus autem Spiritus-ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* At vt in nobis Spiritus-ſanctus præſit, operoſâ diſpoſitione, & iteratâ oratione opus eſt.toto §.278. p. 558

*Paraclitus autem Spiritus-ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Sanè Chriſtus Deus Spiritus-ſancti ignem miſit in terram, vt homines in Seraphinos refingat. 305.n.6. p. 608

*Paraclitus autem Spiritus-ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo,* Qui opportunè in die Pentecoſtes, ſeu nouorum fructuum aduenit. §. 127 num.4. p 261

*Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* O quàm multa quàm paucis Spiritus-ſanctus docet! Indè Diſcipuli Spiritu-ſancto repleti, ſcitas, breuéſque ſententias proferunt.§.146.n.2 p.296

*Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Quod impleuit & per ſeipſum, & per ſui vicariam Virginem Deiparam. §. 364.n.3. p. 723

*Gauderetis vtique quia vado ad patrem, quia Pater maior me eſt.* Num per accepti doni confeſſionem Chriſtus Deus minor Patre non eſt? §. 229. n. 4. pag. 461.

*Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Num Chriſtus nobis pacatiſſimam pacem, tanquam vexillum militare reliquerit? §.336.n. 5.pag.667. Plura de *Pace* legere licet in Syllabo rerum, verbo, *Pax*, & *Inimicorum dilectio.*

*Et nunc dixi vobis priùs quàm fiat, vt cùm factum fuerit, credatis.* Cur credi dicitur, quod iam factum oculis cernitur? §. 238. n.4. p. 481

*Cur Spiritus-ſanctus ſub formâ linguæ aduenerit,* conſuli ad rem poteſt in Syllabo rerum, verbum, *Lingua, Detractio, Eloquentia.*

*In Feſto SS. Trinitatis.*

## MATTHÆI XXVIII.

D*Ata eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Omni poteſtate præditum ſcimus. Sed viderit liberalitas, an omnem poteſtatem donando adæquet. Num liberalitatis virtus eſt vltimum potentiæ donare, & totam poteſtatem donando implere? §. 242. n.6. p. 490

*Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra,* Hinc

Hinc etiam Chriſtus ſuas glorias donando cumulauit. Porrò largior beneficentia illuſtrioris famæ aucupandæ artifex eſt, de beneloquæ gratitudinis arbitrio. toto §. 20. p. 47. Effuſior tamen in humanis Principibus liberalitas caſtigatur, ne liberalitate liberalitas pereat. toto §. 147. p. 297

*Euntes ergò, docete omnes gentes.* Plures ad docendum deſtinat, ne vnus, aut alter priuatus Doctor diuinæ ſapientiæ tyrannidem arroganter exerceat Porrò ſuperbus ambit, vt omnes ſapiant de eius ore. §. 28. n. 1. p. 61

*Eunces ergo, docete omnes gentes.* Doctrina, quam pauculi tenent præſtantior erit, quam quæ *omnium gentium* Philoſophia, & auita diſciplinarum præſcriptio docet? Scilicet quæ maior pars eſſe videtur, ſæpè peior eſt: nam paucitas magiſtra eſt diſciplinæ. quare? toto §. 29. p. 63. Certa ſemper ſunt in paucis. § 6 n 9. p. 11

*Eunces ergò, docete omnes gentes.* Ad omnium gentium eruditionem rudes piſcatores virtute conſpicuos, potiùs quam litteratos arroganter Sophiſtas, academiis eruditos, Chriſtus mittit? Ergò eluc datur opinatiſſima illa ſententia: Poſtquam docti prodierunt, boni deſunt. toto §. 30. p. 65. Nam nimis arguta & ſubtilis de fide diſputatio, destruit, quòd aſtruit: quia fides non eſt vbi quæritur fides. toto §. 97. p. 204

*Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terrâ. Euntes ergò docete omnes gentes.* Christo Deo omnis poteſtas, & auctoritas ineſt in re doctrinæ, quæ priuatis doctoribus deeſt. Ergò non faſtuoſa diſputantis auctoritas, ſed diſputationis ipſius veritas, ad perſuaſionis energiam requiritur. toto §. 114. p. 235. Doctor ne ſit velut Legiſlator. §. 7. n. 1. pag. 12

*Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terrâ. Euntes ergò docete omnes gentes.* Omnem ſibi ineſſe poteſtatem præſtruit, vt mittat, qui doctrinam ſuam doceant? Sanè hanc vim habet vocula illa *ergò*. O, tot bella litteratis ingruunt? At cum dogmate, non cum dogmatis auctore belligerandum eſt. §. 7. n. 3. p. 12. Chriſtianus Doctor ſit velut agnus, non velut canis mordax. Indè malè quis interpretatur ſcripturas, vt mordeat. §. 7. num. 3. pag. 12

*In nomine Patris, & Filij, & Spiritus-ſancti.* Quibus verbis vniſſima Dei eſſentia, in Trinitate perſonarum ſubſiſtens, euulgatur. Quod nunc capere, humanæ mentis faſtum excellit. Quid eſt Deus? §. 324. n. 1. p. 644. Quis præſumat eſſe diuinitatis arbiter, ſeu dimenſor? §. 97. n. 6 p. 205. Magnitudinem Dei, qui putat noſſe minuit. §. 324. n. 2. p. 644. Deus ne ineffabilis non dicendus, ſed ſilentio exprimendus? §. 324. n. 3. p. 644

*In nomine Patris, & Filij, & Spiritus-ſancti.* At Deus non eſt, quod homo de eo ſuſpicatur, §. 324. n. 9. p. 645. Deus Solis adinſtar & viſibilis & inuiſibilis eſt. §. 324 n. 7. p. 645. Deus eſſe dicitur, & quæ ſunt, & quæ non ſunt, quo ſenſu? §. 324. n. 5. p. 645. Deus cùm definitur, ipsâ definitione creſcere perhibetur. §. 324. n. 11. p. 645. Sanè Dei ignoratio ſceleſtiſſima eſt; & de Deo vera etiam dicere, periculoſum §. 324 n. 10. p. 645. Deus tamen religione intelligendus dicitur. §. 324. n. 4. p. 644

*Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-ſancti.* Eccur aquarum mentio, cùm Trinitatis myſterium arcanè ineffabile, palàm publicatur? An quia nunc Deum noſcimus, ſicut qui Solem in aquis intuetur? §. 324. n. 8. p. 645. Sanè Trina hypoſtaſis in vnâ Dei naturâ, exemplo freti luculenter exponitur. § 324. n. 7. p. 645

*Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-ſancti.* Baptiſmi lauacrum, explicatiorem Dei notionem hic comitatur. Potiò æquum eſt, vt vnuſquiſque eum religione colat Deum, quem ſuis moribus colere promeretur. toto §. 94. p. 198.

*In nomine Patris, & Filij, & Spiritus-ſancti.* Vnus enim Deus in tribus perſonis tranquillè & pacatè ſubſiſtit. Nam Dei Filius totum Patris habere dicitur, nil derogans Patri. §. 324. n. 9 p. 645. Imò & Angeli à ſancta Trinitate totam concordiam, vt vnum ſint, accepiſſe dicuntur, quare? §. 306. n. 2. p. 609

*In nomine Patris, & Filij, & Spiritus-ſancti.* Adeò vt Virgo Deipara, Fons Solis ſignatus ſigillo Trinitatis dicatur. §. 389. n. 1. p. 768

*In nomine Patris, & Filij, & Spiritus-ſancti.* Poſtquam fides Trinitatis in *omnes gentes*, per Apoſtolos euulgatur, Idololatria retrò gentium imperatrix, ſenſim irridetur, vituperatur, culpatur, quippè quæ omnia delicta vno crimine expungit. toto § 95. p. 200. Iam diu Idolum idem eſt, ac ſtultum. §. 257. n. 7. p. 521

*Docentes ſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis.* De ſcholâ Chriſti ſic Idololatræ erudiendi ſunt. Num etiam ex errorum gymnaſio, fidei Chriſtianæ veritas aliquandò ſumptuoſiùs ornatur? toto §. 325. p. 646

*Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi ad hominum alimoniam in mundo manet. Vt qui Euchariſticum panem edit, ad incrementum virium diuinarum quodammodò veniat. §. 44. n. 5. p. 91

---

*In feſto Corporis Chriſti.*

## IOANNIS VI.

DE ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento copioſè agitur à §. 41. vſque ad §. 52. p. 85. vſque ad p. 105. Præſtabit è multis, ſi quæ arrideant eligere, adaptare, expolire; & ad gratam tanti beneficij panegyrim, & ad copioſum auditorum fructum.

---

*Dominica infra octauam Corporis Chriſti.*

## LVCÆ XIV

ET Euangelium, & Feſtum, Euchariſtiam ſpirant: ergò ad materiandas vbertim conciones, indidem copia petenda, digerenda, egerenda. A §. 41. vſque ad §. 52. à p. 85. vſque ad 105. Vbi affatim multa ſuppetunt.

# PRO SANCTIS.

*In feſto S. Andreæ Apoſtoli.*

## MATTHÆI IV.

A*Mbulans Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres.* In rudibus imperitè piſcatoribus, idoneos Euangelio Apoſtolos Chriſtus videt. Sanè arcana Dei prouidentia, per inidonea humanitùs

niùs mediâ, præfixum ſibi ſcopum perſæpè collimat.toto §.167.& 168.p.335.336.337.

*Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, &c.* O fortunatiſſimos fratres ex obuiæ viſionis occurſu, ad tantum virginitatis faſtigium electos, & euectos! Verùm Chriſtus eos vidit muneri ſuo perite, ac negotiosè ſedulos. Scilicet homo verè ſapiens, in actuoſi operis operosâ officinâ, fortunam ſibi ſedulus fingit. toto §. 209. p.411

*Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres,&c.* Ecquid ad tam ſubitam electionem allicere Chriſtum potuit? Nempè ſola virtus, & attentiùs exploratum eorum ingenium, ad dignitatum electionem ſubornat.toto §.169. p.339

*Vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius.* Nonne Andreas ætate maior Petro eſt? cur ergò illi, & ordine, & dignitate, minor Petrus præponitur? Scilicet no cana annoſitas, ſed in minori etiam ætate eruditior negotiosè peritia, ad obtinendas dignitates merita cudit. toto.§ 322.& 323. p.640.641.642

*Vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius.* Et poſtmodùm alios duos fratres ad collegium Apoſtolorum adlegit, vt inter primos Eccleſiæ alumnos, fraternæ charitatis nexus arctiùs adſtringatur.§.117.n.5. p.242

*Mittentes retia in mare; erant enim piſcatores.* Porrò ſtrenuus labor opere aſpectabilis, virtutem, virtutiſque præmia glorioſè captat. toto §. 175. p.350

*Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Officium demutat, non vilis officij nomen? vt in Apoſtolico collegio maneat eius memoria ad Religioſorum exinceps eruditionem. Ne qui dudùm erat pauperculus opifex, aut laborioſus ruſticanus, fiat in religione ambitiosè delicatulus.toto §.125. p.257

*Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Officij materiam, non officium demutat. Porrò cognata atque idonea muniis ingenia ſollerter quærere, & explorare, peritioris Electorum politiæ labor eſt toto §.172.p. 344. Conſultior autem apud homines politia, viros pares negotiis, neque ſupra deſtinat.toto §.173. p.346

*Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Nouitiis vocatione, & virtute rudibus, non officium, ſed officij nomen demutat. At veteranus virtutum ſtudioſus, diuerſiſſima, & velut ſibi pugnantia munera, integro ſucciduè ardore pleniùs adimplet: toto §.241. p.487

*Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Magnum ſanè decus ad Apoſtolicum faſtigium euehi; ſed longè maius ab Electore Chriſto Deo. mutuantur. Porrò ſumma eligentis dignitas & æquitas, præcipua electi pompa cenſetur, qui dignitati dignitatem fœnerat.toto §.171. p.341

*Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Sequelam præmittit, & Apoſtolatum ſpondet. Profectò Chriſtum ſequi, & moribus imitari, & ipſi pergratum eſt, & hominibus perquam proficuum, piè fauſto beatæ felicitatis augurio. toto §.71. 149

*At illi continuò relictis retibus, ſecuti ſunt eum.* Hinc iam nouam vitam feliciter auſpicantur. Porrò vir obediens de obſequio vitam mutuatur: creatura enim ſentit creatorem, non tam viuendo, quàm obediendo.toto §.84. p.175

*At illi continuò relictis retibus, ſecuti ſunt eum.* An exindè perfecta paupertas, Apoſtolicus character nominatur?§.151.n.1.& 4. p.305

*Et procedens indè, vidit alios duos fratres, &c.* Binos & binos eligit, ac binos & binos mittit. Nam ſolitudo viduata ſpectatorum cenſura, peccandi pudore exuta, ſæpè vitia fœcundè maritat. toto §. 73. 153

*Et procedens inde, vidit alios duos fratres.* Num omnes Apoſtoli erunt piſcatores, idiotæ, ruſticani, agreſtes? At poſtmodùm imperitis Apoſtolis aliquot Diſcipulos ſcientiis eruditos aggregat. Nam prudens cautela, tametſi falſos, veroſimiles tamen de ſe rumuſculos præcidit, humanam præcludens maledicentiam. toto §.313.p. 624. præſertim n.3. p.624

Si cui fortè in feſto S.Andreæ, aliquid iuuat libare de Cruce, conſulat in Syllabo rerum, verbo, *Crux.*

---

*Pro S. Franciſco Xauerio P.N. Orientis Apoſtolo.*

## LVCÆ XII.

Evangelium ethice elucidatũ habetur in Feſto S. P.N.Ignatij Extra Euangelicam elucidationẽ accipe nonnulla forſan non inidonea eius elogia.

Vndè magnus hic Orientis Apoſtolus, quaſi anguſti eſſent Europæ fines, in totum ferè orbem ſeſe latè intulit; & ad omnium virtutum ſanctitates ſedulus & alacer ſe extendit? Nempe Xauerius nõ ſub lege ſed in lege voluntatem habens, in infinitam libertatem ſe extendiſſe dicitur.§. 198.n.5. p.395

Inter primos Societatis alumnos S. Ignatius Xauerium auidiùs adlegit, vt ſcribendæ leges & conſtitutiones, quod præcipiant, diſcant ex Xauerij moribus, tanquam ex Legiſlatoris ſcholâ. §. 207.n.2. p.416

Ecquid arcanum Xauerio inerat, vt tot Gentium myriades, abiuratâ Idololatriâ, ad Euangelium conuertere potuerit? Scilicet vnus Xauerius vniuerſa ea verè complexus eſt, quæ ſigillatim Diis ſuis gentiles tribuerunt.§.207.n.13. p.418

Mirum ſanè fuit, quòd S.Ignatius dilectiſſimum ſuũ Xauerium à ſe in Indos ablegaret, & tanto viro defraudaret Europam. Nempè diuinæ prouidentiæ arcano factum eſt, vt Ignatius & Xauerius forent duo cardines terræ, in quos totius orbis conuerſio incumberet.§.207.n.7. p.418

Et quomodò Xauerius ſui negligens, &. propè inimicus ſui, ſic erat anxiè ſedulus, ac operosè ſollicitus de gentium ſibi commiſſarum ſalute? Nimirùm Xauerius tantùm ſe in populo gentilium amabat, vt penè oderit ſe ſine illo. 207. num.5. p.417

Quid eſt, quòd Xauerius ſic audacter rebellibus de cœlo minatur, ſic fidenter morbis ac mortibus imperat, ſic certò ac palam futura & longè poſita Prophetat? Scilicet ſicut Paulo, ſic & Xauerio familiare eſt, quod in aliis arrogantiam ſaperet.§. 207.n.4. p.417

Adeò erat Xauerius operi ſedulus, vt ſemper exſomnis & peruigil, operi actuosè expromptus fuerit. Nempè Xauerius, Chriſti adinſtar, tantùm dormit, quantùm ſinit vſus corporis, ad alia ſemper operosè intentus.§.175.n.6. p.351

Sanguinem ore Xauerius deſpumat, vel ſomniatæ libidinis pudicè impatiens. O ad hoc ſomni gymnaſium ratio inuitanda eſt: & ibi animus futuram

in morte abſentiam ediſcet. toto §.237. p.478
Et quomodò Xauerius, aſpectabilis omnium ſanctitatum idea, adeſt militibus dum ludis ſecularibus vacant; & impudicorum conuiuiis ſe vltrò ingerit? Scilicet Xauerius vel ex apparentis vitij latebris inſidiatur ſpectatorum profectui. §. 207.n.15. p.419
Sic Xauerius ſuum corpus vinculis ſpirulatim ſtringit, vt inutilis ad conficiendam viam, & morti proximus euaſerit, dum dira ſtrictè vincula carni intexta oſſibus vicinantur. Et tamen adhuc vincula putat otioſa ſupplicia.§.294.n.3. p.587
Conſultiſſimè Xauerius mittitur ad barbaricos inſolenter Idololatras, Mahumetanos petulanter impiiſſimos, Iudæos procaciter obſtinatos, & Chriſtianos impudenter ſceleroſos; cum quibus diu verſabatur. Quò vitiorum inſolentia foret Xauerio virtutum eruditio,& animoſæ probitatis gymnaſium, toto §. 245. p.495.Malitia horum omnium eſt menſura virtutum Xauerij. §. 207. n.9. p.418
Eſtne Xauerius viuum cadauer? tanta enim aſſiduè agebat,inceſſanter patiebatur,& ſtrenuè perficiebat, quibus vix mortale corpus ſufficeret.At Xauerij caro per patientiam velut impaſſibilis, erudiror ad immortalitatem proficere. §.245.num.6. p.496
Cùm Xauerius acerbiori tribulatione angitur tunc plures ac plures auidiùs expetebat,& cùm cæleſti iubilo cælitùs perfundebatur, ſatis eſt Domine, ſatis eſt,occlamat:Scilicet benè Xauerius cruciatur felicitate gloriæ: nam Sanctorum elogium eſt,calamitatibus deliciari, gloriari. toto §. 289. p.578

*Pro S.Nicolao Epiſcopo.*

## MATTHÆI XXV.

*Homo peregrè proficiſcens,vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua.* Nõ expectat hic homo munificè beneficus,egenorum preces, vt illis bona ſua diſtribuat.Nam aliquis miſericordiæ faſtus eſt, eleemoſynas erogando preces pauperum anteuertere,ne ſibi inuidiam erogando concitet. toto §.225. p.454
*Homo peregrè proficiſcens,vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua.* Et peregrè ſe abſentans,& ſine nomine inducitur hic homo,dum bona ſua beneficè tradit.Siquidem pie beneficus,& in faciendis eleemoſynis laudatior, ſentiri ſe magis cupit, quàm videri; ne hoſtiliter,ſed quaſi cælitùs ſuccurrat.toto §.226. p.456
*Homo peregrè proficiſcens,vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua.* Nicolaus non perdidit opes, illas largiùs erogando; ſed Epiſcopali dignitate auxit. Porrò largior erga pauperes beneficentia, terrenas non minuit opes,ſed auget;& cæleſtium bonorum beatâ cupiditate antecedit auaritiam. toto §.224. p.452
*Homo peregrè proficiſcens,vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua.* Sanè multum dedit Nicolaus, bona ſua tradens egenis; ſed plus,opinor, accepit. Profectò largior eleemoſyna beatam æternitatem nutrit ac cæli verticem manu tangit: ergo in pauperes & benefici,& grati ſimus.toto §.227. pag.457
*Homo peregrè proficiſcens,vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua.* Qui beneficentiam ſuſcipiunt, ſine nomine inducuntur. Vulgò enim pauper, nomine indignus cenſetur.§.230.n.5.p.464. Item *ſerui* appellantur. Nam indiga ſubſidij acceptio, arrogantiæ faſtum deprimit, dum de largitoris mendicitatibus ſe victitare fatetur. toto §. 229. & 230. p.461.& 463
*Vni dedit quinque talenta,&c.vnicuique ſecundũ propriam virtutẽ.* Secundum propriam virtutẽ,id eſt, captum,talenta hoc eſt, Dignitates hic Dominus impertit.Porrò ſola virtus, & exploratum candidati meritum,ad Dignitatum electionem ſubornat.toto §.169. p.339
*Vni dedit quinque talenta, &c. vnicuique ſecundum propriam virtutem.* Secundum propriam cuiuſque virtutem Munera conſultò diſtribuit. Nam cognata atque idonea muniis ingenia ſollerter quærere,& explorare, periculoſior electorum politiæ labor eſto.toto §.172. p.344
*Vni dedit quinque talenta, &c. vnicuique ſecundum propriam virtutem.* Secundum propriam cuiuſque virtutem, ſeu capacitatem munera diſtribuit non tamen infra illam. Nam conſultior apud homines electio,viros pares negotiis,neque ſuprà deſtinat. toto § 173. p.346
*Abijt ergò qui quinque talenta acceperat,& operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque.* Bonus ſeruus Nicolaus, qui non ſibi,ſed Domino lucrum ſollicitè negotiatur. Sanè impenſius Sanctorum ſtudium de amplificandâ, non ſuâ,ſed Dei gloriâ, auguſtè glorioſum Chriſto Domino eſt. toto §. 326. p.647
*Qui quinque talenta acceperat,operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque.* Grande quidem lucrum homini diuiti,quia *ſua bona*,non ex inopum rapinis aliena,diſtribuit.Porrò diuites dum de pauperum inopiâ diteſcere exambiunt, & paupertatem ſibi negotiantur,& ſuam ruinam ædificant.toto §. 150. p.303
*Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum.* Hoc quod bonus ſeruus ſuperlucratus eſt, dum otioſum ſeruum reprehendit,Dominus,*vſuras* appellat. Sanè prædicationis diuinæ vſura exercitium eſt boni operis. §. 327.n.4.p.650. Non enim qui eloquitur magna, ſed qui viuit,Euangelium,& Euangelij mores feliciter perſuadet.toto illo §.327. p.649
*Euge ſerue bone,& fidelis.........ſupra multa te conſtituam.* In Lucæ Euangelio hic ſollerter actuoſus ſeruus, decem ciuitatibus donatur. O ſeruum feliciter fortunatum! Scilicet ſapiens in actuoſæ operationis officinâ, fortunam ſibi ſedulus fingit. toto §.209. p.421
*Euge ſerue bone,& fidelis........ſupra multa te conſtituam.* Quia bonus ac fidelis hic ſeruus, non ſibi ſed Domino lucrum quæſiuit, ſic honorificè, ac opulentè ſublimatur. Porrò mundialia bona, ſi non concupiſcimus, poſſidemus: concupiſcentia enim illorum amittendorum arbitrium eſt. toto §.290. p.580
*Intra in gaudium Domini tui.* Quare cùm dignè quis accipit Euchariſtiam, tunc feliciter audit: Intra in gaudium Domini tui?43.n.5. p.90

*In feſto immaculatæ Conceptionis Deiparæ.*

MATTHÆI I.

EVangelium huius feſti moraliter habetur expenſum in feſto Natiuitatis Deiparæ. Ergo extra Euangelicam elucidationem, non pauca traduntur.§.342.& §.343. & §.344. & §.345. quibus paucula aliunde adduntur in Syllabo rerum, verbo, *Mariæ conceptio.* p.682.vſque ad 687.

*In feſto Expectationis B. Mariæ.*

LVCÆ I.

ADi feſtum Annunciationis, & Concionē 1.in. Natiuitate Domini ;& ſi placet, conſule in Syllabo rerum, verbum, *Maria.*

*In feſto S. Thomæ Apoſtoli.*

IOANNIS XX.

*CVm ſero eſſet die illo.......& fores eſſent clauſæ.* Serò venit Chriſtus, vt omnes Diſcipulos domi congregatos inueniat. Nec tamen inuenit Porrò gratiæ vis oſtenditur, dum religioſos domi clauſos continet. toto §.76. præſertim num. 2. pag.159

*Cùm ſero eſſet die illo.......& fores eſſent clauſæ.* Ineunte iam nocte,& clauſis foribus venit, qui ſic beneficus adeſt. Nam beneficentior liberalitas ſentiri ſe magis cupit, quàm videri. §. 216. num. 2. pag 456

*Et fores eſſent clauſæ propter metum Iudæorum.* Dū fores habent clauſas propter metum Iudæorum, non mortem, quam timebant, ſed indubiam reſurrectionis fidem inuenerant. Profectò iam Chriſtiani dum mori poſt mortem timent, interim mori non timent:& ſanè timor fit per incrementum fidei;& dum voluptate ſuâ ſe parit, euadit dilectio, funereo ambitu mirabilis. toto §.214.p.431

*Et dicit eis: Pax vobis.* Identidem totius orbis Magiſtris hanc *pacis* vocem Chriſtus inculcat. Porrò Chriſtianus Doctor debet eſſe tanquam agnus, non tanquam canis mordax.§.7. n. 3. p. 12. Ergo Male quis interpretatur Scripturas, vt mordeat. Inibi. Eheu ciuitas litterarum, ſpinarum vrbs dicitur!§.98.n.6. p.207

*Et dicit eis: Pax vobis.* Cognatam ſibi pacem frequēs in ore verſat. Pax enim æquè cum Chriſto Deo, generoſo Mariæ vtero gaudet.§.384.n 4. p. 760. Sanè reciproca beneuolentia concordiæ matrix, agnata Chriſtianis eſt, qui ſe amant mutuò penè antequam nouerint. toto §.115. p.237

*Gauiſi ſunt ergo diſcipuli, viſo Domino.* Porrò præuia triſtitia purum, ac perfectum excipit gaudium. §.210.n. 2. p. 423. Et præuium malum, luculentior ſubſecuti boni interpretatio eſt. toto §.210. pag.423

*Hæc cùm dixiſſet, inſufflauit: & dixit eis: Accipite Spiritum-ſanctum.* Et quomodo nunc accipientes Spiritum-ſanctum, cum vt accipiant, expetere iubentur? Nempè Spiritus ipſe capaces,& idoneos nos reddit, vt illum excipiamus. §. 178. num. 2. pag.558

*Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum.....non credam.* O quàm graues hiatus patitur humana credulitas!§.1.n.2.p.1. Et ſanè fides non eſt, vbi quæritur fides.§.97.n.4. p. 205. Miſeráque eſt fides, quam ſola verba concinnant. §. 97. num.1. pag.204

*Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum.....non credam.* Thomæ fides ſpei pugnat, ſed ſibi tandem vincit.§.133.n.4.p.272. Et fides bonæ ſpei ſupplementum dicitur §.138 n.7. n.282

*Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum......non credam.* Aſt euidentior & atteſtatior credibilitas humanæ incredulitati è diuerſo perſepè adulatur; & contrà. toto §.238. p.480

*Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum.....non credam.* Nempè Reſurrectionis glorias non credit, niſi ſtigmatum dehoneſtamentis admixtas. Siquidem volupe hominibus eſt, credibilem putare alienam virtutem, quæ dehoneſtamenti ſpeciem obtendit, vel aliquid illi confinę. toto §. 64. p.137

*Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, &c.* Sacra ſtigmata ad fidem Thomas videre cupiebat: & vbi vidit Reſurrectionis glorias credit. Gloria ne Chriſti quaſi vnigeniti à Patre, eſt gloria cicatricum?§.96 n.5. p.203

*Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum hùc, & vide manus meas, &c.* Quid humanitus contumelioſius, quid humilius clauorum, ac lanceæ cicatricibus? Cicatrices ne eæ ſunt, quæ probent Reſurrectionis glorias? Profectò auguſtiores Chriſti gloriæ, ſtigmatum humilitate decorantur.§.239. n.4. p.483

*Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.* O quàm citò ad virtutem Thomas redit, & ſe Chriſto reſtituit! Porrò virtuti diu adſuetus, etſi in grauius vitium impingat, in priſtinam gratiam citò adſurgit. toto §. 82. pag.172

*Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.* Thomæ incredulitas propè contumax, noſtræ fidei ſtrenuè militat. Num ex errorum gymnaſio fidei Chriſtianæ veritas aliquandò ſūptuoſiùs ornatur? toto §.325. p.646

*Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.* Ecce redit ad Deum, ac Dominum ſuum, qui infidelitate aberrauerat. Porrò æquum eſt, vt vnuſquiſque eum religione colat Deum, quem ſuis moribus colere promeretur. toto §.94. pag.198

*Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.* Thomas ſic victus, de infidelitate victoriam reportat. Porrò ſua etiam & victo pompa eſt,& de inuerſo gloria. toto §.211. præſertim num.1. p.425

*Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.* Quibus verbis priſtinum retractans errorem, reſtituitur ad Eccleſiæ principatum, ad Principum eruditionem. Porrò grande in Principibus malum eſt, nolle videri erraſſe: indè nutritur peruicacia in errore, quæ multis elogiis culpatur. toto §.319. p.635

*In feſto S. Sebaſtiani Martyris.*

## LVCÆ VI.

DEſcendens Ieſus de monte, *ſtetit in loco campeſtri.* An non ad tot miraculorum ſublimiſſimam gloriam,aptior erat prælati montis ſublimitas? quid ergo in depreſſam deſcendit vallem? Nempè magnorum ſubſiſtentia, quæ glorioſam altè magnitudinem fundat, depreſſior humilitas eſt.toto §. 240. p.485. Abiectior humilitas ſublimioris gloriæ arbitrium eſt.toto §. 239. p.482

*Deſcendens* Ieſus de monte, *ſtetit in loco campeſtri.* Ad tot patranda miracula, cur è ſublimi monte in humilem deſcendit vallem? An quia humilitas dicitur piæ audaciæ conceptaculum? §. 297. num.2. p 593

*Et turba Diſcipulorum eius.* Turbam ſeu vulgus appellat eos, quos Euangelij Prædicatores nuper conſtituerat? Opinor, res Euangelij prædicandi ſenriet contrutati ſeu vulgaris damna ſermonis. Imò quo imperitior eſt Prædicatoris ſermo, eò illuſtrior eſt ratio;quoniam non fucatur gratâ pompâ facundiæ.toto §.286. p.573

*Et multitudo copioſa plebis ab omni Iudæâ,& Ieruſalem, & Maritimâ, & Tyri, & Sidonis, qui venerant,&c.* Omnes qui verè Chriſtum quærunt, illum proculdubio inueniunt. Nam Chriſtus dum ideò quæritur vt inueniatur, iam propè inuentus eſt vt quæreretur.toto §.140. p.284

*Qui venerant, vt audirent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis, &c.* O quot ſanitates erga quærentes ſe,beneficentiſſimè facit!Nempè qui ſic Chriſtum quærit,*eſſentiam amoris*, inueniſſe perhibetur.§.272.n 6. p.548

*Qui venerant,vt .... ſanarentur à languoribus ſuis,* &c Scilicet propè omnes actiones humanas metitur ſua cuiuſque vtilitas.toto §133. p 271

*Qui venerant,vt....ſanarentur à languoribus ſuis. Et qui vexabantur à Spiritibus in mundis,curabantur.* Quo etiam ſenſu, dolor & ægritudo Spiritus nominatur?§.137.n.4. p.280

*Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur.* Eſtne Chriſtus Dæmonis velut gehenna? §. 183.n.3. p.368

*Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis,curabantur.* O quàm eſt arduum à ſpiritus immundi morbo homines curare? Porrò immunda obſcœnè libido infernalis incendij ſcintilla eſt, ferè æternæ damnationis ſententia, & propè immedicabilis morbus.toto §.61. p.131

*Et ipſe eleuatis oculis in Diſcipulos ſuos,dicebat:Beati pauperes.* Sic eſt alta paupertas, vt vel Chriſtus Deus ad illam ſuſpiciendam oculos eleuet?

*Et ipſe eleuatis oculis in Diſcipulos ſuos,dicebat:Beati pauperes.* Cùm pauperes glorioſè beat, ad ſuos Diſcipulos duntaxat conuertit oculos? Porrò perfecta paupertas (quæ Apoſtolicus character, & cæleſtis gloriæ ſpecimen dicitur) rarò inuenitur in terris.toto §.151.p.305.Siquidem dura egeſtas dum nihil haber,ſuſtinet totum,magna ſæpè probitatis iacturâ.toto §.153. p.308

*Beati qui nunc eſuritis,quia ſaturabimini.* De eſurie, & ſaturitate, conſule in Sillabo rerum, verbum *Ieiunium*,& *Gula*,& *Vinum*

*Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Porrò de gemitu beata eſt commutatio ad gaudium,quod præſagit. §.200.n.7.p.400.Sanè præuia triſtitia, purum ac perfectum excipit gaudium. §. 210.n.2.p.423.Et præuium malum, luculentior ſubſecuti boni interpretatio eſt.toto illo §.210. p.423

*Beati eritis cùm vos oderint homines*, &c. Beati dicuntur,qui ſic martyrium ſubeunt. Nam beatitudo martyrum dicitur Chriſti vita: & eorum tolerantia, Chriſti mores manifeſtat. § 96.n. 6. pag.203

*Beati eritis cùm vos oderint homines*, &c. Nam in martyrum paſſionibus, velut paſſiones Chriſti ſunt.§.96.n.6. Chriſtus enim licet impaſſibilis,in martyribus pati dicitur.§.96.n.7. p.203

*Beati eritis cùm vos oderint homines, &c.* Indè perſecutionem patientibus impunè inuidere licet: eſt enim perſecutio à perſecutore aſilum, concupiſcentiæ baptiſmus,& in Terram promiſſionis proiectio.toto § 122 p.251

*Beati eritis cùm vos oderint homines, &c.* Ecce arcana præproperè Martyrum beatitudo. Nam acerbior perſecutio,& ærumnoſior tribulatio, extrinſecus auſtera videtur, medullitùs autem angoris inops;in naufragio ſecuritas,cognatio cum Angelis, & felicitatis gratulatio eſt. toto §. 123. pag. 253.

*Gaudete in illâ die & exultate: ecce enim merces veſtra multa eſt in cælo.* Super hâc ſententiâ vide in Syllabo rerum,verbo,*Beatitudo*,& *Præmium.*

*In feſto S. Agnetis.*

## MATTHÆI XXV.

S*Imile eſt regnum cælorum decem virginibus.* Quare tot virginum cohortes, tam exiguo numero cenſentur?Sanè delicatula nimis eſt pudicitiæ valetudo:ſollicitudine languet, & ætatis integritate periclitatur; & quæ oculos patitur, tota iam virgo ferè non cenſetur toto §.62. p.133

*Simile eſt regnum cælorum decem virginibus.* Exiguus ſanè virginum numerus compendiatur, in tantâ tot retrò ætatum hominum multitudine. Scilicet quæ maior pars eſſe videtur,ſæpè peior eſt: nam paucitas magiſtra eſt diſciplinæ. toto §.29. p. 63 Quo enim ſublimior eſt perfectio, tantò eſt in paucioribus.Ibi.n.3. p.63

*Simile eſt regnum cælorum decem virginibus.* Tam exiguus eſt numerus virginum?Et tamen mulier, quæ nubit, vltrò Euæ maledictum ſubit, quod Virgo innupta excutit. §. 37. num. 5.p.79. Qui pacatè viuit neſciens litigia,cœlebs eſt.§.37. n.4. pag. 79. Sanè cælibatus emphatice dicitur Redemptio.§.37.num.7.pag 79. Vnde crux proponitur tanquam nuptiarum typus.§. 37.num. 8.p. 79.Et nuptiæ dicuntur mortis inchoatio. §. 74. num.6. p.156

*Simile eſt regnum cælorum decem virginibus.* Exiguus ſanè virginum numerus, adſpectu ad tantam hominum multitudinem, quæ virginitatem colunt. Sanè pulchra virgo non tam oculis, quàm conſideratione æſtimanda eſt in re pudoris. §. 57. n.3. p. 123. Cùm quis virginem videt dubitare non debet an virgo ſit; dubitat autem ſi ornatam videat.§.77.n.4. p.161

*Simile eſt regnum cælorum decem virginibus.* Sat grande elogium virginitate oppignerant. Nam virginitas) quam Chriſtus Deus, & eius Mater dedicarunt) eſt virtutum indoles, & diuinæ gratiæ decus.(in etiam vigor? ) §.74.n.1.& 2.& 3. p.155.Chriſtus Deus ſponſus virginum,eorũ pars

dicitur §. 74. n 6. q. 156. Conſilium Dei ſola virginitas noſſe ſcribitur: quæ etiam concilium appellatur. §. 74. n. 5. p. 156

*Simile eſt regnum cælorum decem virginibus.* Opinatiſſima Agnetis virginitas, in ſe præluſtris, felix etiam fuit luxuriæ riualis ſuffragio. §. 74. num. 4. p. 156

*Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas.* Præluceant faculæ, vt in puriſſimis cum Chriſto nuptiis, quoddam virginitatis miraculum appareat. §. 65. n. 9. p. 140. Et ſanè virginitas profundè dicitur imago caſtitatis. Ibidem.

*Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus: quæ accipientes lampades ſuas:* Accendantur faculæ, vt cognoſcatur, quòd adhuc in terris virginitas cæleſtis gloriæ beatitatem prælibat. §. 65. n. 4. p. 139. Homo etiam poſt baptiſmum, terrenus dicitur; qui virginitatem colit, cæleſtis nominatur. §. 65. n. 8. p. 140

*Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus: quæ accipientes lampades ſuas.* An luces præferuntur, vt appareat, quòd virginitas humani generis fundamentum confirmat? An fortè virginitas metuit, ne ſit ampliùs, quàm vocatur? §. 65. n. 2. p. 138

*Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus; quæ accipientes lampades ſuas.* Præferantur luces, vt vel ſiniſtræ forſan ſuſpiciones rei claritudine præpropere euaneſcant. Nam tenera nimis eſt pudicitiæ fama: defenſione læditur, inquiſitione dehoneſtatur: quaſi potentia ad ſtuprum, aliqua ſtupri paſſio ſit toto §. 65. p. 135

*Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas.* Accendantur faculæ, vt videatur quàm ſit cognatum virginitati martyrium. Nam ſanguis, quem caſtitas retinet, per martyrium effunditur. §. 96. n. 4. p. 203

*Decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obuiam ſponſo, & ſponſæ.* Et quomodò cùm in nuptiali lætitiâ obuiam exeunt ſponſis, nulla inducitur ornatuum, & fucorum mentio? Scilicet illarum pretioſior eſt cultus, quarum pudicitia vilis. §. 77. n. 13. p. 163. Vbi vbertim vapulat ornatuum, & fucorum vanagloria, toto illo §. 77. & §. 78. p. 161. & 164

*Quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.* Quouſque emicuit cæleſtis lux, quæ conſcientiam clarauit, non dignoſcitur, quænam fatuæ, aut prudentes forent: Nempè intùs omnia diſſimilia ſint, frons noſtra populo conueniat. toto §. 299. p. 596

*Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguntur, &c.* Heu, vel Prudentium patrocinium ſuffragio peragendum, non ſatis fidum eſt? §. 138. num. 1. p. 281

*Ite potiùs ad vendentes, & emite vobis.* Hoc reſponſum dederunt irridentes, non conſulentes, vt irent ad adulatores, & emerent ſibi oleum, id eſt, laudem famâmque probitatis. §. 100. n. 4. p. 210

*Ite potiùs ad vendentes, & emite vobis.* Oleum doctrinæ venale proſtat? Sanè in verbi Dei adminiſtris viliſſima ſordidi lucelli auaritia, quæ cibario ac nummario pretio veritatem cauponatur, multis culpatur. toto §. 331. præſertim num. 2. pag. 656

### *In Conuerſione S. Pauli Apoſtoli.*

## MATTHÆI XIX.

*Ecce nos reliquimus omnia.* Magnum quidem virtutis facinus eſt omnia reliquiſſe. Sanè perfecta paupertas (quæ Apoſtolicus character, & cæleſtis gloriæ ſpecimen dicitur) rarò inuenitur in terris. toto §. 151. p. 305

*Ecce nos reliquimus omnia, &c.* Petrus Apoſtolici collegij vertex, Apoſtolos omnes iunctim nominat, nec vlli in recenſitione ſe præfert. Profectò Paullus ferè periclitatur ob inanes ambitioſæ comitatis nugas. §. 99. n. 2. p. 208

*Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergò erit nobis?* Timentne Apoſtoli cognata egeſtatis pericula? Sanè dura egeſtas dum nihil habet ſuſtinet totum, magnâ ſæpè probitatis iactura. toto §. 153. p. 308

*Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis?* Petri ore Paullus hîc inducitur curam gerens de reliquis Apoſtolis. An ſummam fraternæ charitatis docendam, Chriſtus Paulo ceſſit? §. 116. n. 6. p. 240

*Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergò erit nobis?* Paulusne Chriſti ambiuit ſequelam, an Pauli ſequelam Chriſtus ambiuit? Num cæleſtis gloria Paulum ambit? §. 172. n. 6. p. 346. Quomodò Pauli indoles, & peridoneum ingenium, gratiam dicitur velut attrahere. §. 172. n. 3. p. 345.

*Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergò erit nobis?* Ore Petri Paulus interrogat, quid ipſe futurus ſit? Scilicet Paulus omnia omnibus factus, id quod erat, factus eſt. §. 241. n. 7. p. 489. Paulus dicitur omnium credentium firmamentum, §. 207. n. 8. p. 418. Paulus inferior Angelis cenſetur, quandò neſcit, an cum corpore in cælum aſcenderit. §. 197. n. 6. p. 394

*Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergò erit nobis?* Paulus ne is eſt, qui Petri ore de reliquis Apoſtolis curam gerat? Subolet ne ambitionem hæc præpropera eius ſollicitudo? An potiùs Paulo familiare eſt, quod in aliis forſan arrogantiam ſaperet? §. 207. n. 4. p. 417

*Ecce nos reliquimus omnia ........ quid ergò erit nobis?* Omnia omninò Paulus reliquit; quia non tantùm reliquit, quæ poſſidebat, ſed Euangelicæ prædicationis ſtipendia neglexit. Exindè dicitur, Plus omnibus laboraſſe. §. 243. n. 5. p. 492

*Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergò erit nobis?* Paulus peccatis obnoxius, de futurâ ſuâ excellētiâ ſollicitus eſt. Num Paulus quia peccare poteſt, quæ de ſunt paſſionum Chriſti, in carne ſuâ impleſſe perhibetur? 326. num. 5. p. 648

*Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te; quid ergò erit nobis?* Plures ex Apoſtolis contribules, & cognati Chriſti erant, & vltrò pauperes effecti, cognatum ſibi Chriſtum ſequuntur. Num præcauent illius faſtidium? Sanè pagana ambitio pauperem & abiectam cognationem faſtidit; quā Chriſtiana modeſtia generosè gloriatur, toto §. 204. p. 411

*Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm venerit Filius hominis, &c.* Gloriosè quidem magnum ſequelæ primium. Porrò Chriſtum ſequi, & moribus imitari; & ipſi per gratum

gratum eſt,& nobis perquam proficuum, piè fauſto æternæ felicitatis augurio. toto §.71. p.149

*Et omnis qui reliquerit, &c. centuplum accipiet,* Ecce tibi quàm opulentè diuites ſint diuitiæ quæ à pauperta te ſunt. toto §.152 p.306. Cur paupertas apud homines probos, potiùs quàm apud improbos inueniatur? §.153.n 9. p. 310

*Sedebitis ſuper ſedes iudicantes, &c.* Benè pauperes ne fiant rei, iudices conſtituuntur. Nam pauper etiam ante conteſtationem litis, inauditâ cauſsâ damnatur. §.192.n.8. p.385

*Centuplum accipiet, &c.* Sic diuitiis onerat, eos qui diuitias reliquerunt? Nimiùm ſæpè diuitum crimen eſt quod diuitiarum eſſe putatur; aliquandò enim aſpectabilis virtus, opulentiæ ſtipendium eſt, & opulentia reconciliationis ſuffragium. toto §.208 p.419

*Centuplum accipiet, &c.* Illis, qui vltrò reliquerunt omnia, omnia centies multiplicata nunc in hâc vitâ Chriſtus pollicetur? Scilicet mundialia bona ſi non concupiſcimus, poſſidemus: concupiſcentia enim illorum amittendorum arbitrium eſt. toto §.190. p.580

---

*In Feſto Purificationis B. Virginis.*

## LVCÆ II.

POſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ. Concupiſcentiæ generatricis hoc *purgationis* ſtipendium reliquæ mulieres penſitant. Num Virgo Deipara Euæ reſtinguit appetentiam, & noſtram concupiſcentiam in voluntatem reformat; & carnis paſſiones ſoluens, mutat in ſpiritum? toto §.367. p.728

*Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi.* Conſultiſſimè Euangeliſta purgationem inducens, addidit, ſecundum legem Moyſi. Nam Spiritus ſanctus quicquid indecens de Virgine dici, vel ſentiri poſſet, præproperè remouit. §.342.n.2. p.682

*Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi.* Benè ſecundum legem Moyſi duntaxat dicitur *purificata* Deipara; quæ gloriæ æternitate confecta dicitur. §. 373. num. 3. p. 739

*Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi* Minuiturne Mariæ puritas dum *Purificari* dicitur? Imò tam eſt præcelſa Deiparæ magnitudo, ſuper eius puritatem fundata, vt non ſolum incrementis, ſed etiam diminutione creſcat, emineátque ſemper ſuâ quoque gloriâ maior. toto §.353. p.702

*Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi.* Infuſcatur ne Mariæ puritas, *Purificationis* vocabulo? Imò Marianæ pulchritudinis vitalis fulgor, obumbratione nitet: quæ nitet etiam pulchritudine diuinâ, cuius corpus ſanctitatis pulchritudine fulget: exindè pulchritudinum pulchritudo nominatur. §.316.n. 1. & 2. & 3.&c. p 689.& 690

*Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi.* Nomen *Purificationis* à partu Chriſti Dei, purum Deiparæ nitorem obſcurabit? Imò ipſe Chriſtus Deus Deiparæ vmbra ſententiosè nominatur §.348.n.6. p. 694

*Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi.* Mens humana capere non eualet *Purgationem*, niſi ab aliquâ immunditiâ. At Deipara eſt naturæ miraculum, gratiæ prodigium, & vtriuſque ſtupor adeò vt extra omnia cenſeatur, toto §.349. p. 695

*Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi.* Ecur cùm Simeonis ore coram publicatur Filij ſui diuinitas, & eius diuina maternitas; *purgationis* vocabulum proponitur? An quia procliue hominibus eſt, credibilem putare alienam virtutem, quæ alicuius vitij ſpeciem obtendit, vel quippiam vitio confine? toto §. 64. p.137

*Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi.* Quaſi vna è reliquis haberi cupit ſingularitatis refuga Porrò ſingulares virtutes naturæ & gratiæ, in Deiparâ videbantur eſſe communes. § 390. n. 6. p 771. Sanè intùs omnia populo diſſimilia ſint in re virtutis; quæ foris parent, populo conueniant. toto §. 399. p. 596

*Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſalem, &c.* Vide conſummatam legis ſeruandæ ideam, imitatione exprimendam. Sanè Deipara velut ex repercuſſione diuini luminis ſuos imitatores denſiùs irradiat: exindè ipſa nobis imitatione incorporanda, quaſi hominis veſtigium, aut veſtigium oculorum apparet, prælustri calceamentorum gloriâ fulgens. toto §.385. p.761

*Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum, &c.* Conſultè nunc *legis* mentio inducitur. Porrò ex Mariæ actionibus lex diſcit, quod præcipiat, tanquam ex legiſlatorum ſcholâ. §. 207. numero 2. pag. 416

*Et vt darent hoſtiam.....par turturum, aut duos pullos columbarum.* Deiparæ manus cùm hoc donum Deo donant, intellectibus adornantur. §.147.n.2. &c. p. 298

*Duos pullos columbarum.* Columba columbas offert. Non enim Dædaleis, ſed huius columbæ alis volandum eſt in cœlum. §.385. num. 7. p. 762

*Et homo iſte* ( Simeon ) *iuſtus, ac timoratus expectans redemptionem Iſraël.* Sanè ſpes non timet, ne non veniat ſperata felicitas: nam qui ſperat, rei expectatæ gaudium iam momordit. toto §. 139. p. 282

*Et venit in Spiritu in templum.* Qui ſpiritu in templum venit, Deum in templo inuenit; ſecùs ſuæ irreuerentiæ pœnam. Grande quidem eſt templorum numen, in quod irreuerentes granditer delinquunt. toto §.285. p.571

---

*In Feſto ſancti Blaſij Epiſcopi & Martyris.*

## MATTHÆI XVI.

SI quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, &c. Cùm arduam ſui abnegationem, & operoſam ſequelam Chriſtus perſuadet, conſultiſſimè præmittit, *Si quis vult.* Nam vltrò votiua calamitatum ſuſceptio, duras illarum moleſtias magnanimiter exarmat. toto §.124. p. 255

*Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, &c.* Tametſi voluptas concupiſcentiam blanditiis titillet. Porrò ſpontanea virtus voluptates ſemper offuſcat.

offuſcat.§.114. n. 4. Leue aut graue animus tolerantis facit.Ibi.n.7. p.256

*Si quis vult venire poſt me,abneget ſemetipſum*, &c. Bellum hominis contra hominem his verbis indicitur. Siquidem homo ſui ipſius infeſtior hoſtis exiſtit;aduerſus ſe de propriâ imbecillitate potenter armatus.toto §.188. p.376

*Si quis vult venire poſt me,abneget ſemetipſum*, &c. Niſi enim quis a ſeipſo deficiat,ad eum qui ſupra ipſum eſt,non appropinquat.§.188.n.4.pag.377. Num anima etiam inuita aliquid contagij ſibi affricat?Ibidem.

*Si quis vult venire poſt me,abneget ſemetipſum*, &c. ô Tyrannidem in nos,non regnum caro exerceat! quare?§.188.n.7. p.377

*Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*, &c. Sic altè hæret voluptatum concupiſcentia, vt cor ipſum cum voluptate vellendum ſit?§.58.num.1. p.125.Et ſanè vinculis arctè ferreis, voluptatulæ herbis,aut floſculis alligamur.§ 58.n.2.& 3. &c. p.125

*Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*,&c. Tanta eſt voluptatis pellacia, vt conſuetudo voluptabilium adhuc ad ingrata & faſtidita alliciat. § 159.n.7.p. 310. Tametſi humana voluptas quæ peribit,iam periit.§.199.n.5. p.397

*Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*,&c. Porrò aſſidua nunc mortificatio, futuræ beatitudinis alimentum eſt,& perfectionis menſura, hominique immortalitatem exhaurire dicitur. toto §.126. p.259

*Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*,&c. Nam aſſidua ſui abnegatio propè inſenſibiles facit homines erga paſſiones §.126.n.6. p.260

*Abneget ſemetipſum,tollat Crucem ſuam,& ſequatur me.*Præit Martyribus, adeò vt in martyrum paſſionibus velut paſſiones Chriſti ſint.§.96. num.6. p. 203. Chriſtus licet impatibilis, in martyribus pati dicitur.§.96.n.7. p.203

*Tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Crucem vltrò tollere, & mortem de mortis contemptu ſubire iubet: porrò Chriſtiani dum mori poſt mortem timent,interim mori non timent. toto §.214.pag. 431

*Abneget ſemetipſum,tollat crucem ſuam,& ſequatur me* Alacres vult martyres de periculi contemptu. Nam humani periculi anxius timor,ſæpè acerbiùs quàm ipſa perſecutionis calamitas excruciat;dum vanis, & nunquam venturis angitur malis inani metu præſumptis.toto §.304. p.605

*Abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.*Præeũtem demonſtrat Chriſtum,non tantùm ad ſequelæ,ſed etiam ad fiduciæ animoſitatem. Siquidem grandiora pericula facilè eludit ſpes;quæ ſi excidat, vel magnanimus ſimul corruet.toto §.249. p.502

*Abneget ſemetipſum,tollat crucem ſuam, & ſequatur me.*Animosè crucem tollere, id eſt paſſionem & martyrium ſubire iubet,quin terrore perſecutionis retrocedat à præeuntis Chriſti conſtanti ſequelâ. Porrò non eſt magnus animus, quem curuat perſecutionum calamitas:flecti-neſcia in perſecutionibus conſtantia,aliquis virtutis faſtus eſt toto §. 121. p.250

*Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit*, &c. Ergò perſecutionem patientibus impunè inuidere licet; eſt enim perſecutio à perſecutore aſylum, concupiſcentiæ baptiſmus,& in Terram promiſſionis projectio.toto §.122. p. 251. Heu ſæpè in periculoſo mari ſoſpes,in terrâ patitur naufragium! §. 148. n.5. p.302

*Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam.Qui autem perdiderit*, &c. Sanè per tolerantiam perſecutionum, velut ſine paſſione ad immortalitatem peruenitur. Porrò caro per patientiam perſecutionum velut impatibilis,erudit ur ad immortalitatem proficere. §. 245. n.6. p.496. Corpus extenuandum eſt,vt pars immortalis mortalem partem quodammodò abſorbeat.§.126.n.5. p.260


---

*Pro S.Matthia Apoſtolo.*

## MATTHÆI XI.


*Confitebor tibi Pater,Domine cæli & terræ: quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus & reuelaſti ea paruulis.* An ſemper,& pro omnibus debemus Deo gratias agere?§. 184. num. 4. pag.370 Num pro ipsâ etiam gehennâ,Deo gratias agere debemus?§.184.n.8. p.370

*Confitebor tibi Pater ........quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Gratias Deo agit, quia à ſapientibus Euangelium abſconſum eſt? Heu poſtquam docti prodierunt boni deſunt!quare?toto §.30. p.65

*Confitebor tibi Pater..........quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, reuelaſti ea paruulis.* Tot ſapientes ſcribæ in lege eruditi reiiciuntur, & exiguus ac puſillus Apoſtolorum grex eligitur? Quæ maior pars eſſe videtur,ſæpè peior eſt: nam paucitas magiſtra eſt diſciplinæ.toto §. 29.pagina 63

*Quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Porrò ſuperbus ambit, vt omnes ſapiant ex eius ore §.28.n.1.p.61. ſcientia inflat, quia ſæpè tumor eſt,non magnitudo. §.30. numero 3. pagina 65. Sapiens, qui bonis operibus non facit ſibi bonum intellectum, inſipiens eſt. §. 30. numero 7. pag. 67. Non faſtuoſa diſputantis auctoritas, ſed diſputationis ipſius veritas, ad perſuaſionis energiam requiritur. toto §.114. p.235

*Quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Porrò ſola virtus, & exploratum candidati meritum, ad electionem ſubornare debet. toto §.169.pagina 339.Siquidem ſcelerum loco eſt apud inertem dignitas.toto §. 317. p.630

*Quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Sanè electio humilis Matthiæ (ſicut & Mardochæi) ſententiosè dicitur,Magnitudinis declaratio.§.233.numero 4.pagina 471. Sed quare Petrus electionem Matthiæ,multitudini potiùs permittit?§. 312. num.2. p.622

*Et reuelaſti ea paruulis. Ita pater: quoniam ſic placitum fuit ante te.* Nimirùm diuinæ prouidentiæ officioſitas, etiam ex inuerſo ſapienter operatrix, & inſcrutabiliter arcana eſt, toto §. 168. pagina 337. Qui diuinam prouidentiam ſcrutatur,oſſa Chriſti conterere dicitur. §.168. n. 8.p.338

*Venite ad me omnes,qui laboratis,& onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Et ſanè voluptas de præuio labore dulciùs ſapit. toto §. 135. p. 276. Quin & ſæpè in ipsâ acerbiori calamitate, felix

calamitatis exitus tranſparet. toto §. 200. pagina 398

*Qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Imò etiam in ipſis laboribus reficit. Siquidem benè Eſther cruciatur felicitate gloriæ: nam Sanctorum elogium eſt, calamitatibus deliciari, gloriari, beari. toto §. 289. p. 578. Et ſanè à calamitate citiùs quàm à felicitate, fauſtus Sortium dies nominatur §. 251. n. 1. p. 507

*Tollite iugum meum ſuper vos.* Sic enim graue non erit. Nam vltrò votiua calamitatum etiam ſuſceptio, illarum moleſtias magnanimiter exarmat. toto §. 124. p. 255

*Diſcite à me, quia mitis ſum.* Et non potiùs dixiſſet: diſcite à me, quia Dei ſapientia ſum? Quid manſuetudini cum doctrinâ. Profectò manſuetudo docentis, vigor ſuadelæ eſt. §. 329. numero 4. pag. 653

*Diſcedite à me, quia mitis ſum.* Exindè Paullus dicitur Euangelium ipſum confirmaſſe, dùm illud cum manſuetudine docebat. §. 335. n. 7. p. 665

*Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Num humilitatem, quam à Virgine Matre velut expreſſerat, ſtudioſiùs docet Chriſtus? §. 352. numero 6. pag. 702

*Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* An graue alioqui Chriſti iugum, leue ac ſuaue eſt, quia commodum eſt? §. 170. n. 6. p. 342

*Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Porrò amanti durius prælium, choræa, & panegyris eſt. §. 198. n. 6. p. 396


---

### *Pro S. Ioſepho Deiparæ ſponſo.*

## MATTHÆI I.


*CVm eſſet deſponſata mater Ieſu Maria, Ioſeph.* Nec Maria myſterium diuinæ Maternitatis cum ſponſo Ioſepho communicauerat. Imò Virgo Deipara adeò fuit ſecreti tenax, vt toti ſibi non intimaret Incarnationis ſecretum. §. 145. n. 3. pag. 302. An Maria totum cordis ſui theſaurum Ioſepho communicauerit? §. 395. n. 5. p. 780

*Cùm eſſet deſponſata mater Ieſu Maria, Ioſeph.* Ex ſponſo Ioſepho oſtenditur, quòd B. Deipara non Deus, ſed homo eſt. §. 393. n. 1. p. 776. Ioſephi ineffabile dominium in ſponſam Deiparam. §. 342. n. 5. p. 683. Æmulatio Dei ac Ioſephi, vter Mariam ſponſam ſibi vindicet totam. §. 395. num. 2. p. 779

*Cùm eſſet deſponſata mater Ieſu Maria, Ioſeph.* Deipara dicitur Ioſephi collega, & Ioſephus collega Deiparæ nominatur. §. 396. n. 5. p. 782

*Antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu-ſancto.* Ecce tibi Ioſephi & Mariæ cõiugium in virginitate deputatum §. 395. num. 3. p. 779. de puriſſimâ Deiparæ virginitate, & diuinâ maternitate, adi Feſtum Annunciationis.

*Ioſeph autem vir eius, cùm eſſet iuſtus.* Hinc cenſentur Ioſephi elogia. Porrò ſumptuoſior Ioſephi laus eſt Mariani coniugij ſequela. §. 395. numero 1. pag. 779. Ioſephi animus ſponſæ Deiparæ menti coniugatur. §. 395. n. 4. p. 780. Fuítne vna fides, & vnus animus Mariæ, & Ioſephi? §. 395. num. 6. p. 780. Num cùm Ioſephus dicitur Mariæ *vir*, denotatur ſexus diſcretio, an etiam caſtitatis virtus? §. 396. n. 1. p. 781

*Ioſeph autem vir eius, cùm eſſet iuſtus.* Ex hoc puriſſimo coniugio, Ioſephi virginitas, ſuæ Sponſæ virginitati par ſuo modo cenſetur. §. 396. n 2. p. 781. Perpetua cæli vita, per Ioſephi virginitatem in Mariano coniugio deputatur. §. 396. n. 3. pag. 781. Deúſne adſpectu ad Ioſephum Virginis ſponſum, dicitur pudicitiæ arbiter? §. 396. n. 6. p. 782. Ipſa Deiparæ virginitas in ſponſum Ioſephum exundat. §. 397. n. 2. p. 783

*Voluit occultè dimittere eam.* Ioſephus fugit, Ioſephi autem merita ambiunt dici Chriſti patrem § 1 4. n. 3. p. 348

*Hæc autem eo cogitante, &c.* Ioſephus zelotypiæ moleſtiis angitur. Sed virginitas Mariæ & Ioſephi arcet ſeculorum zelotypiam. §. 397. num. 7. p. 784

*Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini, &c.* Quod ipſe ſolus Ioſeph ſuſpicione ſenſerat, ipſe ſolus ſibi tantùm ſciebat. §. 400. n. 2. p. 788

*Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini, &c.* zelotypiæ angore anxius obdormiſcit Ioſephus. Ergò ſi felicioribus Incarnationis glori is Ioſephus angitur, quantâ gloriâ opus eſt, vt dignè beetur? §. 400. n. 3. p. 789

*Ioſeph fili Dauid; noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Quid iam Ioſephus timeat accipere Mariam coniugem ſuam? Ioſephúſne eſt aliqua ſuæ ſponſæ pars, aut dimidium Mariæ? Ante §. 394 n. 1. p 777 Eſtérne Maria integrè perfecta, niſi Ioſephus etiam perfectus eſſet? Imbi. Sic Ioſephi animus ſponſæ Deiparæ coniugatur? §. 395. n. 4. p. 780

*Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu-ſancto eſt.* Num Spiritus-ſanctus ſubſtituit Ioſephi vices, tanquam eius vicarius? §. 397. n. 4. p. 783. Quin & Ioſephus perſonam Dei Patris geſſiſſe perhibetur. quo ſenſu? §. 397. n. 6. p. 784

*Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Filium naturalem Mariæ vxoris tuæ, non tuum. Num aliquo genere filiationis præter filiationem putatitiam, fuit Chriſtus Deus Ioſephi filius? toto §. 394. p. 777. An Chriſtus quà Ioſephi filius, ius habuit ad regnum Iudaicum? §. 394 n. 7. p. 778

*Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Vel ſolum Patris Chriſti nomen in Ioſepho, meritorum ferax cenſetur. §. 397. n. 1. p. 783 Num Ioſephi virginitatem hauſit Chriſtus cum nomine filij? § 397 n. 2 p. 783. Chriſtúſne Ioſephi poſſeſſio eſt, arcanæ paternitatis iure? §. 397. n. 3. p. 783. Ioſephi ingenium, & proprietates Chriſtus referebat. § 397 n. 4. p. 783. Ioſeph Chriſti facies dicitur, quia eius pater nominatur. §. 397. n. 5. p. 784. Do horrorificentiâ communis virginitatis cum Deiparâ? Ioſeph Chriſti pater cenſetur. §. 397. num. 7. p. 784. Chriſtúſne dicatur per omnia Ioſepho ſimilis? §. 399. n. 4. p. 787

*Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Ad honeſtandum diuinæ corporationis ſacramentum, inuentus eſt Ioſephus qualem quærebat ratio. §. 398. n. 1. Num Ioſephus fuerit myſterij Incarnationis aſſertor. §. 398. numero 2 Ioſephus, & Deiparæ pudoris, & myſterij Incarnationis ſcutum nominatur. §. 398. num. 3. p. 784

*Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Eſtne Ioſephus Matri Virgini, & Filio Deo neceſſarius? §. 398. numero 4. Ioſephus eſt Cherubinus paradiſi cuſtos, quem Seraphicè cuſtodiuit §. 398. num 5. Quo ſenſu dicitur Deus, Deique myſteria Ioſepho velut inniti. §. 398. num. 6. p. 786

*Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Per ſubiectionem ad Ioſephum, ſuam dignitatem

dignitatem Deipara honorat.§.399.num.1. Mater Dei, & mundi Domina Dominum appellat Ioſephum.§.399.n.2 p. 787

*Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum.* Eſtne Ioſephus Mariæ Deiparæ, ac infantis, Dei Gubernator?§.399.n.3. Chriſtus Deus per omnia Ioſepho obedit, etiam cùm velle ſe aliud facere inſinuat?§.399.num. 4. Totis duodeuiginti annis, Chriſti ſubiectio fundat ſublimem Ioſephi dignitatem.§.399. n. 5. Num Chriſtus in cælo glorioſus, adhuc Ioſepho ſubditus eſt? §.399.n.5.ô Ioſephi humilitas in tantâ dignitatis ſublimitate! §. 399.n. 2 Chriſtus Dominus velut lex intimatus, vel incorporatus Ioſepho dicitur, quare §. 399. n.6. p.787, & ſeq.

*Et vocabis nomen eius Ieſum.* Quod Mariæ dudùm commiſſum fuerat, denuò Ioſepho committitur, quaſi vnum ambo ſint.§.395. p. 780

*Exurgens autem Ioſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini.* Hæcne Ioſephi obedientia narrari debuit continuata cum præcepto, quaſi illius appendix? §.83 n.4. p. 174

---

*In feſto n Anunciationis B. Mariæ Virginis.*

LVCÆ I.

*Miſſus eſt angelus Gabriel à Deo.........ad Virginem.* Benè dum negotium diuinæ corporationis, & humanæ Redemptionis peragitur, Angelus ad *Virginem* mitti dicitur. Nam Euæ vulnus dum de Virgine naſcitur, Chriſtus curat. §. 366. num.7. p.727

*Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena,* Quare priùs ab Angelo dicitur, Gratiâ plena, quàm Maria nominetur?An præmittitur, *Gratia plena,* tanquam *Maria* ſynonymum; nam Mariæ nomen gratiis exundat?§.338.n.9. p. 674

*Aue Gratia plena.* Benè Gratiâ plena dicitur, quæ totam Spiritus-ſancti gratiam hauſiſſe perhibetur. quo ſenſu? 348.n.1. p.693

*Aue gratiâ plena: Dominus tecum.* Quàm altum gratiæ, & gloriæ pelagus in Mariâ exundet. toto §. 372. p. 737

*Aue gratiâ plena: (aliàs gratioſa) Dominus tecum.* Marianæ pulchritudinis vitalis à gratiâ fulgor, obumbratione nitet, quæ nitet etiam pulchritudine diuinâ, cuius corpus ſanctitatis pulchritudine fulget: exindè pulchritudinum pulchritudo nominatur.toto §.346. p. 689

*Aue gratia plena: Dominus tecum.* Maria Deipara alioqui paupercula nummario cenſu( vt potè inopis fabri *Ioſephi ſponſa*)opulentis ſanctitatum omnium gazis prædiues fuit.toto §.347.p.691.Adhuc Marianæ gratiæ plenitudo proponitur, & multimodè expenditur toto §.348. p.693

*Quæ cùm audiſſet turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Verecundia, quæ eſt fœcunda & virgo, Deiparæ typus eſt:hæc dum intra merita ſui honoris modeſtè hæret, diuinæ maternitatis characterem inſigniter præfert. toto §.357. p. 710

*Inueniſti enim gratiam apud Deum.* ô qualem gratiam! Porrò immenſitas Marianæ gratiæ, beatæ gloriæ iuſtificatio dicitur, & diuinæ gloriæ auguſtior expreſſio: ipſáque B. Virgo ſuorum prærogatiuis meritorum glorioſior toto §.350.p. 697

*Inueniſti enim gratiam apud Deum.* ô qualem gratiam! Sanè Deipara eſt naturæ miraculum, gratiæ prodigium, & vtriúſque ſtupor; adeò vt extra omnia cenſeatur.toto §.349. p. 695

*Ecce concipies in vtero, & paries filium, &c.* Myſterium Incarnationis (in quo Deus non tantùm ex Virgine, ſed à Virgine carnem ſumpſit) quo ſenſu *inoperatum* dicitur? tunc ne Deipara ad quandam quaſi cum Deo æqualitatem eleuata? toto §.359. p.713

*Ecce concipies in vtero paries filium, &c.* An cùm dicitur, Verbum caro factum eſt, carni Virginis velut adulatur Euangeliſta?§.391. numero 5. pag. 773

*Ecce concipies in vtero, & paries filium, &c.* In Virginis vtero Chriſtus concipitur, in eo à Patre naſcitur, & in eodem Spiritus-ſanctus ſpiratur, quo ſenſu? 392.n.3. p. 774

*Ecce concipies in vtero, & paries filium, &c.* Chriſtus Deus, totus Matris Virginis eſt, quæ opus Incarnationis, & Redemptionis opus ſententioſè appellatur.toto §.360 p. 715. Quid autem ſit Virgo Deipara Filio Deo, planè inſerutabile eſt. toto §. 361.p.717

*Quomodò fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Meracior Deiparæ virginitas, Filij ſui diuinitatem ſumptuoſiùs manifeſtat. toto §. 374. pag. 741.

*Quomodò fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Sanè Deiparæ virginitas à partu ampliata, de bonis carnis Deo adulatur, piâ quâdam pudicitiæ obſtinatione, quæ diuinum Verbum in ſe corporandum probat.toto §.355. p.706

*Quomodò fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Profectò Deiparæ virginitas, Chriſti Dei virginitatem venuſtat: cuius æterna virginitas, cenſus illius eſt, vitæ perpetuæ idea & quaſi vitales Angelorum deliciæ. toto §. 356. pagina 707

*Spiritus-ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Num Deipara de obumbratione diuinâ, Chriſti corpus ſine vmbrâ genuit? §. 354.n.3. p. 705

*Et virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Deus in ſplendoribus Virgo Deiparâ in obumbratione, eundem generant Filium: ex hâc obumbratione Marianas laudes metiri, aut metari licet. toto §. 358.p.711

*Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Depreſſior humilitas, index & comes virginitatis, in Virgine Deipara micanter elucet.toto §.352.p.700

*Ecce ancilla Domini, &c.* Tam eſt præcelſa Deiparæ magnitudo ſuper eius puritatem fundata, vt non ſolùm incrementis, ſed etiam diminutione creſcat, emineátque ſemper ſua quoque gloria maior.toto §.353. p. 702

*Ecce ancilla Dnmini, &c.* Deiparæ virginitas, eius humilitati præſtat obſequium. §. 391. numero 4. pag. 771. Virginis Deiparæ in humilitate ſublimitas, Lunæ ſymbolo eleganter exponitur.§.239. numero 11. pag. 485. Profunda Deiparæ humilitas, in tanta diuinæ Maternitatis auctoritate multimodè elucidatur.toto.§.351. p.698.

*Pro S. Marco Euangeliſtâ.*

## LVCÆ X.

AD feſtum S. Lucæ Euangeliſtæ: ibi enim hoc Euangelium ethicè elucidatur.

*In feſto Inuentionis S. Crucis.*

## IOANNIS III.

S. Crucis elogia traduntur toto §. 201. Conſule etiam in Syllabo rerum, verbum, *Crux*.

*Pro S. Barnaba Apoſtolo.*

## IOANNIS XV.

AD ſimile Euangelium ethicè elucidatur in feſto SS. Apoſtolorum Simonis & Iudæ. Conſule etiam in Syllabo rerum, verbum, *Concionator*, & *perfectus vir*.

*Pro B. P. N. Ludouico Gonzagâ.*

## LVCÆ XII.

ETHica huius Euangelij expoſitio habetur in feſto S. P. N. Ignatij. Saltem paucula eius elogia extra Euangelicam expoſitionem ſubſcribere, operæpretium duximus.

Adhuc puer noſter Ludouicus à perfectione cœpit. §.1.n.4.p.2. Sanè bonum, imbonumve initium, rei progreſſum & exitum, benè aut male metitur. toto §.2.18. p.44

Sui inſtituti apices exactiſſime obſeruabat. Sanè aliquis gratiæ faſtus eſt, vt nuſquam magis quàm in minimis tota eſſe videatur. toto §. 294. pagina 587

Principalis & opulentæ familiæ heres, mundi inops vitam tranſigebat, benè expertus, quòd mundialis voluptas & gloria quæ perıbit, iam periit. §. 199. num.5. p.397

Cùm naturæ, fortunæ, ac gratiæ donis vbertim exundaret, præ humilitate ſe reputabat inutilem, ac nullius meriti. Quippè qui bonorum operum theſaurum ab aliorum oculis cautè abſconſum, à ſuis etiam cautiùs abſcondebat. toto §. 66. pag. 140

Maiorum nobilitatem contemnens, auguſtiorem ambiuit nobilitatem, benè ſcius, quòd virtus nobiliter generoſos facit, citiùs quàm prælustria Maiorum ſtemmata toto §.236. p. 476

Vndè tantus nunc honor, opulentos honores contemptim refutanti? Scilicet humilitas honores repudians, ab honoribus ambitur; arcanè velut immetata eſt eius perfectio, menſura magnitudinis, honoris honor, & ſeipsâ quodammodo celſior. toto §.288. p.576

Qui B. Ludouicum videret, aut Principem, aut religioſum, quaſi vnum è reliquis æſtimaret, quò vana gloria cohiberetur. Scilicet intùs omnia populo diſſimilia erant in re virtutis, quæ foris apparebant, conueniebant populo, ne forent de ſingularitate famoſa. toto §.299.& 300.p.596. & ſeqq.

Angelicus hic puer citiùs virtuti, quàm vitiis naſcitur, & pietatis vota, vitiorum celeritatem anteuertunt. §.203. n. 9. p. 410. Sanè in eo gratia videtur tranſcendere neceſſitatem. §. 207. n. 11. pag.418

Ex noſtri Ludouici vitâ lex diſcere potuit, quod præcipiat, tanquam ex Legiſlatoris ſcholâ. §.207. n.2.p.416. Qui impreſſus virtuti videtur, ſiue eſſe in virtute. §.207.n.6. p.417

Noſtro Ludouico vel ſeculares diuitiæ profuerunt: quæ rara virtus eſt. toto §.208. p.419

Apud illum Dei voluntas, altera ipſius voluntas erat. toto §.218. p. 441

Mirum videri poſſet, in ætate tam tenerâ, & ægrâ diu valetudine, tanta ſtudio perfectionis agere, ac pati potuiſſe. Verùm qui impenſiùs amat, & obnixiùs vult, immetatâ quodammodò potentiâ vltra vires eualet. toto §.198. p. 395

Nihil illi in ſtudio perfectionis difficile, nihil non procliue, quantumuis toleratu arduum foret. Sic noſtri Ludouici caro per patientiam velut impatibilis, erudiebatur ad immortalitatem proficere. §.245.n.6 p.496

Diſciplina arctiùs religioſa Ludouico in deliciis erat, & mundi honoribus angebatur. Cruciabatur enim, ſicut Eſther, felicitate gloriæ: nam Sanctorum elogium eſt, ærumnis deliciari, gloriari, beari. toto §.289. p. 570

In paternâ domo innocenter innoxiùs, obnixiùs ambiuit in Societatem Ieſu ingredi; benè ſcius, quòd diſtrictior morum diſciplina, fomes bonæ indolis dicitur, alteram naturam quodammodò tribuens, imber boni ingenij, & mali fermentum. toto §.81. pag. 170

*Pro S. Ioanne Baptiſta.*

## LVCÆ I.

IN feſto Viſitationis Deiparæ, nonnulla S. Ioannis Bapriſtæ elogia delibantur.

*In feſto SS. Apoſtolorum Petri & Paulli.*

## MATTHÆI XVI.

Q*Vem dicunt homines eſſe Filium hominis?* Quorſùm Chriſtus Diſcipulos interrogat, quid homines de ſe ſentiant, & forſan obmurmurent? Scilicet prudens cautela tametſi falſos, veroſimiles tamen de ſe rumuſculos præcidit, humanam præcludens maledicentiam. toto §.313. pag. 624. Porro humana maledicentia diuinam omnipotentiam è peruerſo æmulatur. §. 107. numero. 6.p. 223

*Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* Ecquis iuſtus & innocens inuenietur in hominum cenſu, ac linguâ? Porrò tam eſt hominibus exprompta maledicentiæ prurigo, vt perfectus etiam vir illam vix interſtinguat. toto §.104. præſertim. n.6. pag.216

*Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* Nec ideò magni faciendum eſt, quid *homines* de te garriant. Nam maledica improbitas id vnum ſæpè quærit, vt aliquid aduersùs alium quoquomodo dicat, non vt veroſimile quippiam dicat. toto §.103. p.215

*Alij*

*Alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Id vtcumque laudabile erat. An non alij Chriſtum palam dicebant Samaritanum, Dæmoniacum, & ſeductorem? Aſt boni viri lingua de alienis defectibus garrire cautè præcauet: qui ſicut occultas aliorum laudes prædicare ſcit, ſic vel publicam aliorum infamiam eructare neſcit. toto §. 75. pagina 157

*Alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex prophetis.* Mirum forſan videri poſſet, in hâc relatione Diſcipulos vno ore conueniſſe. Sic facilè virgo veritas pro variâ referentium libidine conſtupratur! eadem enim res in relationibus rarò eſt eadem, ferè ſemper eſt alia. toto § 166. p. 333

*Alij Ioannem Baptiſtam.* Id vnus Herodes è proprio cerebro fatuè effutiit. Eheu, quod Herodi regi inconſultè placuit, *homines* cenſere dicuntur? Sic Regis nutus conſilia ſubornat. toto § 27. præſertim n. 3. p. 60

*Alij Ioannem Baptiſtam? alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex prophetis.* ô! de ſubdolo mendacij ingenio ſimplex veritas tectiùs fatigatur. toto §. 107. p. 221

*Alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex prophetis.* Heu non veræ rei eſſentia, ſed vel falſata apparentia, vulgarem rerum cenſum producit. toto § 244. p. 493

*Alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam,* &c. An non oſtenderat hominibus opera, quæ eum probant Chriſtum? Quid illi cum his Prophetis? Nimirùm euidentior & atteſtatior credibilitas, humanæ credulitati è diuerſo adulatur; & contrà. toto §. 238. p. 480

*Vos autem quem me eſſe dicitis?* Conſultiſſimè Apoſtolos ab *hominibus* ſegregat, cùm illorum de ſeipſo ſenſum ſciſcitatur. Nam apud homines bonus imbonúſve affectus, dum merita cudit in voluntatis officinâ, iudiciorum arbiter eſſe ſolet. toto §. 155. p. 294

*Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Quod ſentiunt pauculi Diſcipuli, tantæ hominum multitudini opponit. Verùm quæ maior pars eſſe videtur, ſæpè peior eſt: nam paucitas magiſtra eſt diſciplinæ. toto §. 29. p. 63

*Tu es Chriſtus Filius Deus viui.* Dei autem Filius totum Patris habere dicitur, nil derogans Patri. §. 314. n. 9. p. 645

*Reſpondens Simon Petrus, dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Petri & Apoſtolorum perfecti mores, hanc de Chriſti diuinitate exigebant notionem, aliis negatam. Porrò æquum eſt, vt eum vnuſquiſque religione colat Deum, quem ſuis moribus colere promeretur, toto §. 94. p. 198. Deus religione intelligendus dicitur. §. 324. n. 4. p. 199

*Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater,* &c. Non caro & ſanguis, id eſt, humanum ſubtiliter ingenium, ſed Pater Deus reuelans, eſt fidei arbiter. Porrò miſera eſt fides, quam arguta verba concinnant. Nimis enim arguta de fide diſputatio, ſæpè deſtruit quod adſtruit: quia fides non eſt, vbi quæritur fides. toto §. 97. p. 204

*Et ego dico tibi, quia tu es Petrus.* Sumptuoſior Petri laus eſt eſſe Petrum? Petri nonnulla elogiâ vide in ſyllabo rerum, verbo, *Petrus*, & *perfectus vir.*

*Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Tantæ dignitatis præmium, ſublimiſſimæ confeſſionis merito ſucceſſit. Nam præmia qui tollit, ferè virtutem, ſapientiam, atque peritiam omnem ſuſtulit. toto §. 170. p. 341

*Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Non huius firmamenti defectu, ſed noſtræ malitiæ incremento, Eccleſia proceſſu ſuo mirè relabi dicitur, & multiplicatione decreſcere. §. 29. n. 2. p. 64

*Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Portæ inferi; ſeu mortis, tribunalium ſubſellia dicuntur. Scilicet nequior Dæmonum malitia, per tribunalium metaphoram exponitur. §. 148. n. 3. & 5. & toto ferè §. p. 299. & 300

*Et tibi dabo claues regni cælorum,* &c. de hâc Petri poteſtate, vide verbo, *Pœnitentia:* vbi pœnitentiæ ad vtramque partem elogia copiosè traduntur.

Pro commemoratione S. Pauli, conſule ſuprà Concionem in eius Conuerſione.

---

### *In feſto Viſitationis B. Mariæ Virginis*

## LVCÆ I.

E*Xurgens Maria, abiit in montana,* &c. Cum Virgo Deipara vſque ad humillima Eliſabethæ ſeruitia demittitur, tunc *exurgere* dicitur? Verùm tam eſt præcelſa Deiparæ magnitudo, ſuper eius puritatem fundata, vt non ſolùm incrementis, ſed etiam diminutione creſcat emineátque ſemper ſuâ quoque gloriâ maior, toto §. 353. p. 702

*Exurgens Maria, abiit in montana,* &c. Vbi primùm Maria integrâ virginitate fit Dei Mater, confeſtim vſque ad Eliſabethæ ſeruitium humillimè demittit ſeſe. Scilicet depreſſior humilitas, index & comes virginitatis, in Virgine Maria micanter elucet. toto §. 352. p. 700

*Exurgens Maria, abiit in montana cum feſtinatione,* &c. Quam ob cauſſam vbi ſaluâ virginitate fit Dei Mater, abiit cum feſtinatione vt cognatam Eliſabeth viſitet? Num Beata Virgo de virginitatis flore alas aſſumit, vt citiùs Ioannem ſanctificet? §. 391. n. 3. p. 772

*Exurgens Maria, abiit in montana cum feſtinatione,* &c. Præ verecundiâ B. Virgo in viâ feſtinat. Quare Sol etſi in curſu ſuo velociſſimus, nunquam verecundam antecuertit auroram? §. 32. n. 2. p. 69. Sanè verecundia eſt flos virtutum, & probitatis tinctura. §. 32. n. 1. p. 69

*Et intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth.* Quouſque intrauit in domum cognatæ Eliſabethæ neminem per viam ſalutaſſe perhibetur, Sit pudica virgo non ſatis vrbana, vt ſit ſatis virgo. §. 32. n. 7. pag. 79. Apud Gentiles impudicitia vocatur vrbanitas. §. 109. n. 7. p. 227

*Et intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth,* Facta Dei Mater, & inde Angelorum & hominum Regina, prior inferiorem ſalutat. Sanè humanæ arrogantiæ faſtus eſt, magni æſtimare ambitioſæ comitatis nugas toto §. 99. p. 207

*Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius.* Num Mariæ ſalutatione Ioannes priùs ſenſu deuotionis, quàm ſpiritus infuſione animatur? §. 382. n. 6. pag. 756

*Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius.* Vbi primùm Virgo Maria fit Dei Mater, ſtatim feſtinat, vt Ioannem ſanctificet, & tantam illi gratiam afflet. Nimirùm fœcunda Virginis Deiparæ

maternitas,aut Ioannes inuenit, aut facit.§.383. num.5. p.758

*Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius.* Vbi auditur Deiparæ vox, infans Ioannes in vtero exultat? Nempe Euangelizatrix Deipara dulci colloquio conſecrat Ioannem.§.393.n.5. p.777

*Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth,exultauit infans in vtero eius.* Ioannes Baptiſta ex Deiparæ voce, & Patris ſilentio naſcitur,Chriſti conſecretalis §. 149.n.6 p.302

*Et factum eſt,vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth,exultauit infans in vtero eius.* Infans dicitur Ioannes, ſed vocali exultatione præmaturè loquitur. Num Ioannes citiùs venit prædicans, quàm prædicaret?§.216.n.4. p.537

*Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth,exultauit infans in vtero eius.* Nuper Mater, & ſemper Virgo feſtinat perpetuam virginitatem Præcurſori afflare, & contactu allinere. Num forſan niſi Ioannes tantâ floruiſſet caſtitate, eius de Chriſto teſtimonium foret falſitatis ſuſpectum? § 318.n.10. p.634

*Et repleta eſt Spiritu Sancto Eliſabeth*, &c. Maria gratiâ plena, Eliſabetham gratiâ implet. Porrò quod Virgo Deipara ſibi poſſidet,dicitur poſſeſſio multorum.§ 347.n.3. p.692

*Et repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth*, &c.Porrò nuper B.Virgo apud Deum inuenit gratiam, quam omnibus impertiret §. 383. numero 6. pagina 758

*Et clamauit voce magnâ, & dixit : Benedicta tu*, &c. Præ admiratione exclamat voce magnâ.Mariæ laudes deprædicans.Porrò Deipara eſt naturæ miraculum, gratiæ prodigium, & vtriuſque ſtupor; adeò vt extra omnia cenſeatur.toto §. 349. p.695

*Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Num Deus in gratiam Deiparę Iſraëliticum populum appellat ſuum.§.393.n.3.p.776 Quiſquis Chriſtũ Deum in Mariâ, & per Mariam quærit, & feliciùs inuenit, & ſecuriùs tenet. toto § 384. p.759.

*Magnificat anima mea Dominum.* Scilicet Deiparæ virginitas à partu ampliata, de bonis carnis Deo adulatur. toto §.355. p.706.Num totam Deitatis maieſtatem Deus in Deiparâ oſtentat velut in ſolio?§.390.n.5.

---

### *Pro S. Mariâ Magdalenâ*

## LVCÆ VII.

*Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.* Magdalena peccatrix,*mulier* nominatur; iam poſt pœnitentiam ſancta Maria, dicitur,quare?§ 339. n.3. p. 676. Auditum Mariæ nomen ſenſum & ſpiritum Magdalenæ reſtituit.§.338. numero 13. p.675

*Ecce mulier,quæ erat in ciuitate peccatrix.* Peccatrix dicitur ampliori vocabulo, tanquam peccatorum officina.Nam pulchra feminâ,etiam tuta ſibi,aliis intuta,obuiis ſpectatorum oculis obiicit ſeſe. toto § 33. p.70

*Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.* Mulier peccatrix dicitur.Mulier enim ſicut aſpis, morum ſibilat morbos.§.31.n 6. p. 68. Sicut magnes ferrum,ita mulier virum attrahit.§.31.n.5.p.68.Qui ſibi à feminis non cauet,Redemptionis quodammodò fecit diſpendium?§.31.n.7. p.68

*Ecce mulier,quæ erat in ciuitate peccatrix.* Peccatrix dicitur, quia in virorum conſeſſu, & colloquio forſan vrbanior quàm ſalacior. Sit ergò pudica femina non ſatis vrbana,vt ſit ſatis verecunda.§. 32.n.7.p.70.Et ſanè pulchra femina etiam dum grauitatem ſimulat,aut langore ſ angitur, meræ ac veræ ſunt caſtitatis inſidiæ toto § 302. p.601

*Ecce mulier,quæ erat in ciuitate peccatrix.* Profectò de ſcatula nimis eſt pudici ſe valetudo; ſi lacitudine languet, ætatis integritate periclitatur, & quæ vltrò oculos patitur,tota iam virgo ferè non cenſetur. toto § 62. p. 133. Et quidem cùm quis virginem videt, dubitare non debet, an virgo ſit? dubitat,ſi nimis ornatam videat. §.77.numero 4. p.191

*Et ſtans retrò ſecus pedes.* Coram adeſſe præ verecundiâ recuſat.Sanè verecundiâ in facie, in facie Eccleſiæ decorem effecit.§. 12.n.3. p.69

*Et ſtans retrò ſecus pedes.* Importunè impudens forſan videbitur.Aſt perfectior pœnitentia vitioſo ſcelerum colore depingitur § 247 n. 6.p 500. Porrò excelſior virtus, audacioris vitij nomine re vitij vacuo,ad virtutis exaggerationem coloratur. toto illo § 246. p.496

*Lacrymis cœpit rigare pedes eius.* Quod venuſtate oculorum fœdauerat,oculis diluit, & emaculat;& officinam criminum refingit in pietatis officinam §.213.n.2.p. 429. Sanè homo iiſdem profanis affectibus,quibus agebatur ad vitia,Deo religioſiùs conſecretur; & virtuti obnixiùs militet.toto illo. §.113. p.429

*Lacrymis cœpit rigare pedes eius.* Profectò ex Magdalenæ oculis profluit Pactolus, pretioſior cœno, quàm fluento §.261.n.8. p.529

*Lacrymis cœpit rigare pedes eius : & capillis capitis ſui tergebat.* Porrò lacrymæ ſunt delictorum ſpógia, iugis & expromptus velut baptiſmi fons: adoptionis radios incertos habent, quibus vitæ fructus matureſcunt; citiuſque ſine rogandi pudore veniam impetrant.toto §. 264. p. 533. Sed caue,ne dum lacrymis conſcientiam diluis, lutum facias.§.265. p.534

*Hic,ſi eſſet Propheta : ſciret vtique quæ & qualis eſſet mulier,quæ tangit eum quia peccatrix eſt.* Quia de libidinis æſtu peccatrix eſt, irremediabilis eſt:Profectò libido gehennalis incendij ſcintilla eſt, ferè æternæ damnationis ſententia, & propè immedicabilis morbus.toto §.61. p.131

*Hic,ſi eſſet Propheta,ſciret vtique quæ, & qualis eſſet mulier,quæ tangit eum;quia peccatrix eſt.* Sanè libidinis concupiſcentia, Diaboli cachinnos ciet, hominem Deo ferè clauſum tenet, primordiali delicto interfuit: facit pecuinos mores quos conuertit in ſacra, Diabolique æſtum æmulatur toto §.79. p.166

*Quis ergo eũ plus diligit?* Plus diligere debet, quæ ex libidinis cœnoſo volutabro limpidior emerſit. Porrò præuiũm malum, luculentior ſubſecuti boni interpretatio eſt.toto § 210. p.423

*Remittuntur ei peccata multa.* Mulieri ſalaciter peccatrici remitti dicuntur peccata multa;an infinita?§.79.n.4. p.167

*Remittuntur ei peccata multa.* Num ſic peccatis remiſſis,Magdelena de meretrice virgo dicitur, ob arcanam pœnitentiæ virtutem;§.259. numero 4. pag.525

*Pro S. Iacobo Apoſtolo.*

MATTHÆI XX.

*Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedai cum filiis ſuis, &c.* Accedit petens ſublimiores in regno dignitates, cognationis iure. Porrò multam opera cognatus cognato præbet. §. 257. n. 4. pag. 521

*Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedai cum filiis ſuis, adorans & petens, &c.* Humili cernuatione adorat, vt ſublimes expetat ſedes. Porrò ambitioſus tantò indigniùs dignitates ſupplicat, quantò humiliùs §. 176. n 2. & toto §. p. 372. Ambitio per mille indignitates ad regiminis Dignitates aſcendit. §. 163. n. 7. p. 330

*Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, &c.* Inſtat, vt *dicat*, id eſt, decernat cognatis ſibi Diſcipulis primas regni ſedes donare. An temerè, ſubitò, & ſine præuio conſilio, rem tantam decernere oportet; Scilicet propoſitum fauendi cognatis conſilium anteuertere ſolitat §. 59 n. 7. p. 129

*Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, &c.* O male inerter otioſam expetunt in dignitate *ſeſſionem*, non actuoſum in ea laborem; ſcilicet non obeundum Munus, ſed Muneris auctoritatem, gloriam, & commoda ambire, peruerſitas ambitionis eſt. toto § 87. præſertim n. 4. p. 181

*Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, &c.* Otioſam expetit *ſeſſionem* laborioſis nuper piſcatoribus; Ne qui dudum erat pauperculus opifex, aut laborioſus ruſticanus, fiat in religione ambitioſè delicatulus. toto §. 125. p. 257

*Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram.* Eccur non dicitur, vnus, & alter; ſed vnus, & vnus, Planè ambitio tranſparet, quę nemini cedere, aut pariari ſatagit. Sic Conſtantinopolis dicitur, Prima vrbs poſt primam. §. 85. n. 6. p. 178. Honorem Primi ambimus, Primi moleſtias excutimus. §. 163. num. 6. pag. 330

*Vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo, &c.* Scilicet qui ad dexteram Regis vocatus, propiùs accedere ambit, ſiniſtram negotiatur. §. 194 n. 5. & toto §. p. 390

*Reſpondens autem Ieſus, dixit: Neſcitis quid petatis.* Hoc auſteriori reſponſo opulentam ambitionem, non pauperem cognationem refutat Chriſtus. Sanè pagana ambitio pauperem & abiectam cognationem faſtidit, quâ Chriſtiana modeſtia generosè gloriatur. toto §. 204. p. 411

*Reſpondens autem Ieſus, dixit: Neſcitis quid petatis.* Neſcit quid petat, qui ad dexteram vocatus, expetit ſiniſtram, quæ eſt reprobrorum nota. Profectò neſcit ambitio naturæ ſuæ menſuram agnoſcere: indè & indecora, & flagitioſa ſedulò ſibi negotiatur. toto §. 100. p. 209

*Reſpondens autem Ieſus, dixit: Neſcitis quid petatis.* Porrò aduocatus aliorum fauor, & adulatoriè præuium *adorationis* ſuffragium, ambitioſum eſt meritum ad Dignitatum repulſam. §. 100. n. 4. p. 210. Ambitio vel benemeritum facit indignum. §. 110. n. 3. p. 210

*Neſcitis quid petatis.* Nam apud me non blandior cognatio, aut aſſentatrix *adoratio*, ſed ſola virtus, & exploratum candidati meritum, ad dignitatum electionem ſubornat. toto §. 169. p. 339

*Neſcitis quid petatis.* Nam apud me humilis conſcientia dum Primatum fugit, ad Primatum è diuerſo feſtinat. toto §. 174. p. 348

*Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum, &c.* Scilicet iugis de tentationibus victoria, Chriſti calicem ſeu paſſionem præ acerbâ difficultate æmulatur. §. 248. n. 3. p. 501

*Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei: Poſſumus.* Quis eſt iſte calix, quem Apoſtolis propinat? An paſſionis calici aſſimilatur alterius arbitrio ſubdi? §. 80. num. 2. & toto illo §. p. 108

*Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei: Poſſumus.* Paſſionem Chriſti ſubeunt Apoſtoli? Scilicet in Martyrum paſſionibus velut paſſiones Chriſti ſunt §. 96. n. 6. p. 203. Chriſtus licet impaſſibilis, in Martyribus pati dicitur. §. 96. n. 7. p. 203

*Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei: Poſſumus.* O alacrem Apoſtolorum animoſitatem! Sanè non eſt magnus animus, quem curuat perſecutionum calamitas: flecti-neſcia in perſecutionibus conſtantia, aliquis virtutis faſtus eſt. toto §. 121. p. 295

*Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei: Poſſumus.* Qui nuper honores ambibant, ad bibendum calicem Domini, ambitionem reformant. Nam homo iiſdem profanis affectibus, quibus agebatur ad vitia, Deo religioſiùs conſecratur, & virtuti obnixiùs militat. toto §. 213. p. 429

*Dicunt ei: Poſſumus.* Hoc eſt, quantumuis ſit peracerbè amarus, volumus, & expetimus. Porrò qui impenſiùs amat, & obnixiùs aliquid vult immetatâ quodammodò potentiâ vltra vires eualet. toto §. 198. p. 395

*Calicem quidem meum bibetis, &c.* Plus obtinent, quàm petebant. Nam perſecutionem duriorem patientibus impunè inuidere licet: eſt enim perſecutio à perſecutore aſylum. toto §. 122. p. 151

*Non eſt meum dare vobis.* Nempè Chriſti non eſt, dignitatem dare, quam immerens ambit accipere. §. 169. n. 2. p. 339

*Pro S. Annâ Deiparæ matre.*

MATTHÆI XIII.

*Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo abſcondit.* Quiſnam eſt hic theſaurus antè abſconditus, & iterùm abſcondendus? Nempè boni operis theſaurum ab aliorum oculis cautè abſconſum, à tuis etiam cautiùs abſconde, toto §. 66. p. 140

*Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, &c.* Nimirum prærogatiua aliquibus tantùm conceſſa, & reliquis negata, *abſcondita* ſententiosè nominatur. §. 156. n. 3. p. 314

*Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro quem qui inuenit homo, abſcondit.* Quid eſt, quòd theſaurum abſconſum cautè rurſùs abſcondit? Scilicet bonorum operum gloria Deo debita, non eſt apud ambitioſos homines tuta. §. 47. num. 5. p. 97

*Simile eſt regnũ cælorum theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo, abſcondit.* Bonorum operum theſaurum abſconſum, adhuc diſſimulat, & abſcondit? Nempè arcanâ quâdam non virtutum, ſed quaſi vitiorum hypocriſi, vitia in virtute oſtentare

oſtentare, aliquis pius humilitatis faſtus eſt, toto §.298. p.594

*Simile eſt regnum celorum theſauro abſcondito in agro, &c.* Bene bonorum operum theſaurum abſcondit, qui ſingularitatem fugit. Intùs omnia populo diſſimilia ſint in re virtutis; quæ foris apparent, populo conueniant, ne ſint de ſingularitate notanter famoſa. toto §.299. & 300. p.596. 597. 598.

*Simile eſt regnum calorum theſauro abſcondito in agro quem qui inuenit homo, abſcondit.* Alto ſtilo dixit, Abſconſum abſcondere: aliquid enim abſcondunt, vt abſconſum tranſluceat. Porrò hypocritæ in angulis platearum orantes, abſcondunt ſeſe, vt appareant. §.273. n. 1. p.5,9

*Quem qui inuenit homo abſcondit, & pra gaudio illius vadit.* Vix theſaurum feliciter lætus inuenit, & ſtatim ſe ab illo abſentat? Eheu quam breuis eſt humana felicitas, fugax, incerta, caduca! toto §. 199. p.396

*Quem qui inuenit homo abſcondit, & pra gaudio illius vadit & vendit, &c.* Fortunæ forſan imputabitur, felix huius theſauri inuentio. Vir autem ſapiens in actuoſæ induſtriæ officinâ, fortunam ſibi ſedulus fingit. toto §.209. p.411

*Et pra gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa qua habet, & emit agrum illum.* Vniuerſa quæ habet à ſe abdicat, vt beatæ gloriæ theſaurum emat: Imò & perfecta paupertas eſt beatitudinis ſpecimen. §. 151. n. 5. p.306

*Et pra gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa qua habet, & emit agrum illum.* Theſaurum habere percupit, & non potiùs illum, quàm agrum emit? Scilicet *theſaurus* eſt Chriſtus, *ager* autem Maria? An ſecuriùs Chriſtum in Mariâ, quàm in ſe pſo homo poſſidet? §.384. n. 2. p.759

*Pra gaudio illius (theſauri inquam) vendit vniuerſa qua habet, & emit agrum illum.* Profectò Anna eſt Omnipotentis gazophylacium, & Maria theſaurus, in quo eſt cor Dei. §.347. n. 1. p. 691 De theſauro Mariani veteri pretium noſtræ redemptionis depromptum eſt. §.347 n 6. p.693

*Simile eſt regnum calorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna, &c.* Num fruſtra additur *inueniſſe*, de quo dicitur, quod *quærit*? Scilicet Deus dum ideò quæritur vt inueniatur, iam propè inuentus eſt, vt quæreretur. toto §.140. p 284

*Simile eſt regnum calorum homini negotiatori quærenti bona margaritas, &c.* Non iners otium, ſed ſtrenuus negotioſè labor opere ſpectabilis, virtutem, virtutiſque præmia glorioſè captat. toto §.175. p.350

*Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum.* Angelicâ diſcretione opus eſt, vt mali à iuſtis diſcernantur; Eheu, de mate acuto malitiæ ingenio venit vt homines virtutis penicillo vitia colorent. toto § 109. p 225

*Separabunt malos de medio iuſtorum.* Miriſſimum ſanè eſt iuſtos in medio malorum non fuiſſe inuitiatos. Porrò vitioſæ imitationis ſcabiem conuictor conuictori allinit, peruerſâ morum æmulatione. toto. §.68. p. 144. Sanè malum exemplum noxiè exhibetur, expromptiùs arripitur, & punitur acerbiùs. toto § 69. p.146

*Et mittent eos in caminum ignis: Ibi erit fletus.* ô voluptates magno luendas! Porrò ignis gehennalis myſterium, humanæ voluptatis ſacramentum eſt. §.58. num. 7. p. 127. Expenduntur feraliſſima gehennæ infernalis cruciamenta, quorum memoria voluptates infuſcat. toto §. 183. p.36/

*Omnis ſcriba doctus in regno calorum, ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua, & vetera.* Sanè nimia olim vetuſtatis reuerentia Idololatriæ plaudit, Iudaiſmo militat, Euangelio obſtrepit: ne ergò ſibi Chriſtianus inuideat veri in Chriſto Numinis nouum inuentum. toto §. 113. p.233

Pro elogiis S. Annæ conſule in Syllabo rerum, verbum, *Maria*, & *Eſther*, & *Perfectus vir*, & *Filius*, & *Eleemoſyna*.

---

### *Pro S. P. N. Ignatio.*

## LVCÆ XII.

*Sint lumbi veſtri præcincti.* Quid Ignatius pugnaciter *præcingitur* quaſi ad reluctandum, qui ſuis aduerſariis tam generoſâ demiſſione cedit, & tantâ beneficentiâ proſequitur? Nimirùm ſua etiam & victo pompa eſt, & de inuerſo gloria: qui Chriſtianè ſapit, etiam cùm contemptim vincitur, glorioſè vincit. toto §. 2 1. p.425

*Sint lumbi veſtri præcincti.* O quàm arctè ſtringitur, & præcingitur, qui tot carceres & vincula ſubiit ſed cupiens ac.ibiora negotio è pati pro Chriſto, carceres ac vincula, reputat *otioſa ſupplicia*! §.294. n 3. p.587

*Sint lumbi veſtri præcincti.* Ad arctè anguſtam Euāgelij viam percurrendam præcingitur: quandoquidem homines mandatorum viam reddere laxam & ſpatioſam adnitimur §.108. n.7. p.225

*Sint lumbi veſtri præcincti.* Quid præcingitur ad bellum contra concupiſcentiæ cognatas illecebras? Porrò fugâ vincere, caſtitatis triumphus eſt. §.31. n.8. p.68

*Sint lumbi veſtri præcincti.* Nam diſtrictior morum diſciplina, fomes bonæ indolis dicitur alteram naturam quod mmodò tribuens; imber boni ingenij, & mali fermentum. toto §.81. p.170

*Sint lumbi veſtri præcincti.* Quo diſtrictior corporis mortificatio intimatur. Porrò aſſidua nunc mortificatio, futuræ beatitudinis alimentum eſt, & perfectionis menſura, atque hominis immortalitatem exhaurire dicitur. toto §.126. p.259

*Sint lumbi veſtri præcincti.* Id eſt, paſſiones inhibendæ. Num Ignatius iiſdem concitationibus, quibus dudum agebatur ad vitia, virtutibus ſtrenuè militauit? toto §. 197. p. 393. Sanè in Ignatio pietatis vota, celeritatem vitiorum anteuerterunt. § 203 n 9. p.410

*Sint lumbi veſtri præcincti.* Id eſt, ad quiduis quantumuis arduum expromptiùs parati. Sane qui impenſius amat, & obnixiùs vult, immeta quâdam potentiâ vltra vires eualet. toto §. 198. pag.395

*Sint lumbi veſtri præcincti*, vt ad nutum pareatis. Alieno arbitrio agi, eſtne perfectionis meta, & atrocior martyrij acerbitas? toto §.80. p.168

*Sint lumbi veſtri præcincti.* Ad pugnam paratos eſſe iubet. Num pulchrum periculum eſt, ad Deum transfugere. §.3. n.1. p.4

*Sint lumbi veſtri præcincti.* Id eſt eſtote promptiùs præparati ad Dei voluntatem obſequentiùs præſtandam. Verùm apud Ignatium, Dei voluntas, altera ipſius voluntas fuit. toto §.218. p.441

*Sint lumbi veſtri præcincti.* Id eſt, eſtote parati ad quæuis munia in Dei obſequio ſtudioſè peragenda. Porrò virtutis ſtudioſus, diuerſiſſima, & velut

velut pugnantia munera integro ſuccidue ardore plenius adimplet.toto §.241. p.487

*Sint lumbi veſtri præcincti.* Id eſt, parati ad omnia non tantùm ad ardua virtutis facinora, ſed ad exequendum etiam quippiam, quantumuis leue videatur. Nimirùm aliquis gratiæ faſtus eſt, vt nuſquam magis quàm in minimis tota eſſe videatur. toto §.284. p.569

*Sint lumbi veſtri præcincti.* Sic caro per aduerſorum patientiam velut impatibilis, eruditur ad immortalitatem proficere. §.245.n.6. p.496

*Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Quorsùm faculæ, cùm paſſiones ac vitia præcingenda, & inhibenda ſunt hoſtili conflictu. Num quia paſſionum ac vitiorum inſolentia vitis perfectis virtutum eruditio eſt, & animoſæ probitatis gymnaſium? §. 245. pag. 491

*Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Quorſum faculæ, cùm præcinctionis, ſeu diſtrictionis moleſtias ſubeunt? An vt humanæ felicitatis, & infelicitatis ænigmata clarent? Scilicet bene Eſther cruciatur felicitate gloriæ: nam Sanctorum elogium eſt, calamitatibus deliciari, gloriari, beari. toto §.289. p.578

*Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Lucernæ accenduntur, cùm Sanctorum proceres, paſſiones ac vitia quæ edomant, ſe habere fatentur? Nempè arcanâ quâdam non virtutum, ſed vitiorum hypocriſi, vitia in virtute oſtentare, aliquis pius humilitatis faſtus eſt, qui enituit in Ignatio. toto §. 298. pag. 594

*Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Quorſum luces dum virtuti impenſiùs ſtudent? Nimirùm vt appareat, quòd Ignatius vel ex apparentis vitij latebris inſidiabatur ſpectatorum profectui. §.207.num.15. pag. 419

*Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Quò perſpicuè apparet, quòd Ignatius diem illis facit, cum quibus viuit. §. 207. num.10. p.418

*Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Luces præferantur, quò appareat quàm ſit Chriſto glorioſum Ignatij impenſius ſtudium de eius gloria ſumptuoſiùs propaganda. toto §.326. præſertim n.5.p.647. Chriſtus Deus per Ignatium proficere dicitur. quare? §.94. n.5. pag.199.

*Et vos ſimiles hominibus.* Dum Sanctorum perfectiſſimos depingit, ſimiles hominibus tradit? O perfectam Ignatij ideam! Scilicet intus omnia populo diſſimilia ſint in re virtutis; quæ foris apparent, populo conueniant, ne ſint de ſingularitate notanter famoſa. toto §.299. & §. 300. p. 596.597.598. Virtus ſub communi vitâ quodammodo impatibilis prædicatur. §.299. num. 5. pag. 597

*Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum.* O Ignatij ſpes, beatæ poſſeſſionis æmulas! Profecto ſpes non timet, ne non veniat ſperata felicitas: nam qui ſic ſperat, rei expectatę gaudium iam momordit. toto 139. p.283

*In Transfiguratione Domini.*

## MATTHÆI XVII.

Vide in Dominica ſecunda Quadrageſimæ.

*Pro S. Laurentio Martyre.*

## IOANNIS XII.

*Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit,* &c. Sed granum frumenti exanimale quippiam eſt, & ſenſu carens; huicne aptè Laurentius comparetur? Eſtne impatibilis Laurentij patientia? §.129.n.2.

*Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit,* &c. Glorioſiùſne granum in terrâ moritur an Laurentius ſuppoſito igne torretur? Profectò inhumanus Rex non inuidiſſet Laurentio, niſi eum præcepiſſet ardere. §.122.n.2.

*Niſi granum frumenti cadent in terram, mortuum fuerit, &c.* Frumenti granum non ſentit interitum; Laurentio autem amanti durius hoc prælium, chorea, & panegyris eſt. §. 198. numero 6. pag.396.

*Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, &c.* Diu in terrâ moritur granum, pigro igne diu etiam vritur in crate Laurentius. Porrò regia dignitas Spiritus-ſancti, qui ſub ignis formâ apparuit, non cùm *repente* venit, ſed cùm diuturnè *ſedet*, dignoſcitur. §. 187.n.5. pag.375

*Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit.* Diu in terrâ moritur granum, ſubiecto igne diu æſtuat in crate Laurentius. Sed Spiritus-ſanctus, qui (licèt dicatur ignis) eſt velut vmbra animæ Virginis, hâc illum vmbrâ refrigerat. §.390 num.1. p.770

*Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit,* &c. Vt viuat granum in terrâ moritur. Num Spiritus-ſanctus (qui ignis dicitur) caducam & mortalem Laurentij carnem erudit ad immortalitatem proficere? §. 245. num. 6. pag. 496

*Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, &c* Granum in terrâ moritur, vt ad nouam, ac præſtantiorem vitam reformetur; Chriſtus autem Spiritus-ſancti ignem mittit in terram, vt homines in Seraphinos refingat. §. 305. n. 6. pag.608

*Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, &c.* Grani mors reſurrectionem præmonſtrat, Laurentij in martyrio magnanima tolerantia, Chriſti mores manifeſtat. §.96. num.6. pag.203

*Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit.* Suam mortem non ſentit granum, Laurentius non timet. Nam dum mori poſt mortem timet, interim mori non timet. toto §.214. p.430

*Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, &c.* Granum contemptim in terra proijcitur, morti damnatur. Sed inde mortem detriumphat ad vitam. Sua etiam & victo pompa eſt, & deinuerſo gloria: Laurentius dum Chriſtianè ſapit, etiam dum contemptim vincitur, glorioſè vincit. toto §.211. p.425

*Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit,&c.* Granum in terrâ emoritur, vt nouum pulluler, vireſcat, & vernet: ſic Laurentij caro tormentis extenuatur,& emoritur,vt pars immortalis immortalem partem quodammodò exhauriat.§.126.n.5. p.260

*Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit.* Granum terræ frigore digeritur ad meliorem vitam, & vberes fructuum diuitias. Vicina autem mors Martyri affectuum nix eſt,gazis cæleſtibus opulenta; & de crudæ mortis indigeſto ructu, immortalem hereditatem ſpondet. toto §.128. p.262

*Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit.* Proiecti grani videtur arrogantia, quòd de mortis ſqualore pulchram ſibi iuuentutem ſpondeat. Scilicet Laurentio martyri familiare fuit in martyrio,quod forſan in aliis arrogantiam ſaperet.§.207.n.4. p.417

*Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit,&c.* Granum in terram proiectum, quibus putreſcit diſpoſitionibus animatur ad vitam: & Laurentius animoſiori illâ velut iactantiâ,& Tyranni irriſione, quibus videri poſſet agi ad vitia, virtuti impenſiùs militabat.toto §.213. p.429

*Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit,&c.* O quàm proficuè ſapit hoc rationale granum, quod dum proiicitur, & conculcatur, *cadere* ſe cenſet,ac dicit.'Heu quoties homo propriæ imaginationis tormento, & tentamento ſe pœnaliùs vrget,& ſceleroſiùs exagitat ab inteſtino phantaſiæ Dæmone!toto §.136. p.277

---

### *In Feſto Aſſumptionis B.Mariæ Virginis.*

## LVCÆ X.

*INtrauit Ieſus in quoddam caſtellum.* Mitiſſima pacatè Virgo arci pugnaciter munitiſſimæ comparatur? At Virgo Deipara Chriſti panoplia, & dura pugnaciter bellatrix eſt:ſed quæ de imbecillitate valentiam mutuauit,quò typicam Eſtherem adimpleat. toto §.378. p.748

*Et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam.* Quid eſt,quòd cùm populus Chriſtianus cælo donatur, tunc Chriſtus Deus in domum Matris induci perhibetur? §. 374. num.4. p.741

*Excepit illum in domum ſuam.* Sanè Patris ſinus, & Matris venter, duplex Chriſti Dei paradiſus eſt. §.374.n.7. p.742

*Et huic erat ſoror nomine Maria.* ſi iuuat aliquid delibare de Mariæ nomine, adi §. 338. & 339. p.676.& ſeqq.

*Quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini, &c.* Mater Domini dimitti ac prouolui myſticè perhibetur? Verùm tam eſt præcelſa Mariæ magnitudo ſuper eius virgineam puritatem fundata, vt non ſolum incrementis,ſed etiam diminutione creſcat, emineatque ſemper ſuâ quoque gloriâ maior. toto §.353. p.702

*Quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Nempè totum Verbum quod eſt, & erat in corde Dei, Mariæ Deiparæ infuſum eſt. §.364.n.2.p.723. Dei Verbum & ſapientia Deiparæ infuſa, & velut in libro quodam ſcripta eſt. §.363.n.4.p.722.Indè Maria Virgo Spiritus-ſancti magiſterio deputatur, & illius ſcholæ præficitur.§.364.n.3. p.723

*Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium, &c.* Eſculenta & poculenta ad eſum ſollicitè apparens; ſecùs Maria,ciborum ieiunè oblita. Sic ne ieiunium præcelluit in Mariâ Deiparâ, vt ac ſi foret quodammodò ſui corporis pars, ad conceptionem Redemptoris adiuuerit?toto §.371. p.735

*Domine, non eſt tibi curæ,quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare?* Has Marthæ querelas conſultiſſimè Chriſtus refutauit. Animo enim dolenter querulo nihil oportet credere. toto §. 130. pagina 266

*Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.* Maria optimam partem, id eſt,Filij ſui diuinitatem elegit.§.393.n.5. p.777

*Maria optimam partem elegit,&c.* Sanè emphaticè dicitur Maria Deipara intra Trinitatis gloriam euecta.§.375.n.2. p.743

*Maria optimam partem elegit, &c.* Eccur non dicitur Maria electa ad optimam partem? An Maria Deipara ſeipſam inaugurat Reginam?§.373.n. 4. p.740

*Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* B. Deipara gloriæ æternitate confecta dicitur, quare?§.373.n.4 p.740 Quo pacto dicitur, quòd Deiparæ gloria principium ignorat,& finem neſcit.§.373.n.5. p.740

*Maria optimam partem elegit, &c.* Quis niſi Deus oſtendat auroræ Mariæ in cœlo locum ſuum? §.373.n.1. p. 739. Deipara in cœlis ſedet à dextris Filij ſui,in potioribus eius bonis. §. 373. n. 2. p. 739. Infinitum diſcrimen in cœlo traditur inter ſeruos Dei, ac Dei Matrem. §. 373. num. 3. p.739

*Maria optimam partem elegit, &c.* Matris Virginis ac Filij Dei gloria,non tam communis, quàm eadem perhibetur quare?§.373.n.6.p.740. Deiparæ gloria in Filium Deum exundat.§.374.n.1. p.741. Deus Trinitas Deiparæ ne ſpeciem deſiderat intueri?§.374.n.2. p.741

*Maria optimam partem elegit,&c.* Super Deiparamne incumbit tota Dei gloria? §. 374. n. 5.p.741. Deipara totius Trinitatis requies perhibetur. §. 374.n.6. p.741

*Maria optimam partem elegit,&c.* An ſatis glorificatus videatur Chriſtus,donec Deipara in cœlis glorificetur?§.374.n.8. p.742

*Maria optimam partem elegit, &c.* Deipara gloriâ ſuâ ſanctos omnes coronat.§.375.num.3.p. 743. Empyrea Deiparæ gloria, gloriæ Cœlitum complementum dicitur §.375.n.5.p. 744. Quo ſenſu Cœlum aliquandò queri dicatur de abſentiâ Deiparæ.§. 375.n.4. p.743

*Maria optimam partem elegit, &c.* Sanè Deipara diuinæ maternitatis iure eſt Monarcha vniuerſi. §.347.n.1.p.691. Oportebat enim Dei Matrem, quæ filij ſunt poſſidere naturali maternitatis iure ibidem.

*Maria optimam partem elegit, &c.* Vides quot gratiæ & gloriæ diuitias,in hâc optimâ parte B.Deipara poſſidet. Aſt quod B. Virgo ſibi poſſidet, dicitur poſſeſſio multorum. §. 347. numero 3. pag.692

*Pro*

*Pro S. Bartholomæo Apoſtolo.*

## LVCÆ VI.

E*Xiit Ieſus in montem orare.* Quare exit orare in montem,& non potiùs in templum? An non idcircò Eſther feneſtratim orat?§.257.n.5.p. 521. Profectò templum dicitur, Voluntas Dei: & de impreſſo templis veſtigio, egredientium pedes ad ſanctitatem conſecrantur. §. 285. 6. & 7. p. 572. Eheu Dei templa ſic profanantur, vt dicantur tranſtra, in quibus corporatum Dei verbum remigare perhibetur! §.285.n.8. p.572

*Exiit Ieſus in montem orare.* Orat Chriſtus Deus, vt hominibus, qui tot indigentiis angimur, præmonſtret beneficiorum promptuarium. Nam quaſi dogma putatur, neminem ex non petentibus diuina accipere beneficia? toto §.270. p.543

*Exiit Ieſus in montem orare; & erat pernoctans in oratione Dei.* Oraſſe dicitur; quid petierit, & an impetrauit, non dicitur: nec inde fructu ſuo oratio viduatur. Nam hominum preces, Dei gloriam ſumptuoſiùs deprædicant, generoſiùs negotiantur. toto §.272. p.547

*Exiit Ieſus in montem orare, &c.* Cùm exiit orare, cœpit iam impetrare? Porrò ſic ſolet eſſe fauſtum orationis initium, vt antequam quis ſuppliciter oret, feliciter Deum exoret. toto §.268. p.540

*Exiit Ieſus in montem orare: & erat pernoctans in oratione Dei.* Ad noſtrum exemplum, non ad ſui indigentiam tandiu orat. Nam ſæpè vel humana oratio ſic accedit impetrationis ſecura, ac ſi diuinâ promiſſione ſubnixa, beneficium beneficij petitione prægustaret. toto §.269. p. 541

*Et erat pernoctans in oratione Dei.* Noctu orat, vt doceat nos dum oramus, hominum oculos fugere. Nam vana gloria orantibus multimodè inſidiatur, vt prædiuites orationis gazas ſubdolè diripiat. toto §.273. p.549

*Et erat pernoctans in oratione Dei.* Tandiu quaſi indigus orat, vt humilitatem diu rogando doceat. Porrò humilitatis auxiliare patrocinium noſtra exambit oratio: eſt enim precantis humilitas impetrationis vigor. toto §.276. p.554

*Et erat pernoctans in oratione Dei.* Cur tandiu orat, qui tam velociter impetrare ſolitus? Nimirùm vt diuturnitate precandi demonſtret, quàm gratè Deus humanis precibus delicietur, illáſque expetat. toto §.277. p.556

*Et erat pernoctans in oratione Dei.* Qui virtutum ſeminarium in ſe habere ambit, diu oret, nam Oratio plantat in nobis virtutum paſſiua. §.281.n. 11. p.565

*Et erat pernoctans in oratione Dei.* Orare dicitur, impetraſſe tacetur. At vel humanas preces licet appellare victoriales, cùm victricem opem ritè precantibus modulentur. toto §.271. p. 545

*Et erat pernoctans in oratione Dei.* In oratione Dei pernoctare dicitur Chriſtus Deus, quandò ſuæ orationi orationem multorum adſociat? §. 275. n.7. p. 554. Sanè oratio multorum putatur dignitas precantis & deprecantis vigor. toto illo §. 275. p. 553

*Et erat pernoctans in oratione Dei. Et cùm dies factus eſſet, vocauit Diſcipulos ſuos: & elegit duodecim ex ipſis.* Scilicet Chriſtus ante Apoſtolorum electionem pernoctat in oratione Dei, vt nouo modo illis ſufficientiam impetret. §. 169. n.4.p. 340. Sola enim virtus, & exploratum candidati meritum, ad dignitatum electionem dignè ſubornat. toto illo §.169. p.339

*Vocauit Diſcipulos ſuos: & elegit duodecim ex ipſis, &c.* Poſtquam pernoctauit in oratione Dei, ex tot Diſcipulis, duodecim Apoſtolos conſilioſè eligit. Porrò cognata atque idonea muniis ingenia ſollerter quærere & explorare, peritioris electorum politiæ labor eſt. toto §. 172. p. 344. Quin & conſultior apud homines electio, viros pares negotiis, neque ſupra deſtinat. toto §. 173. pagina 346

*Vocauit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis.* Chriſto Deo electore glorientur Apoſtoli. Nam ſumma eligentis dignitas, æquitas, & auctoritas, præcipua electi pompa cenſetur, quæ dignitati dignitatem fœnerat. toto §.171. p. 342

*Vocauit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis.* Quis ambigat electos ad Apoſtolatum, tunc fuiſſe digniores. Porrò electio Mardochæi (ſic & Apoſtolorum) ſententioſè dicitur, Magnitudinis declaratio. §.233.n.4. p.471

*Simonem, quem cognominauit Petrum, & Andream, &c.* Eccur iuniorem Petrum Andreæ ſeniori præponit? Scilicet non cana annoſitas, ſed in minori etiam ætate eruditior idoneè peritia, ad obtinendas dignitates merita cudit. toto §. 322. & §. 323. p.641 642.643

*Simonem.....& Andream. Iacobum, & Ioannem, &c.* Primum locum Petro tribuit, Andreæ ſecundum, & exinceps reliquis ſuo ordine. Porro reſpublica vbi nullum eſt parium diſpariúmque diſcrimen, & ſeditionum in cœlo ſuſpecta foret, & confuſaneam inferni inordinationem in terrâ æmulaterur. toto §. 86. p. 179. Superbia ordinem contentioſè euertere ſatagit. §. 176. n. 7. p. 353. Pax ſententioſè dicitur, Tranquillitas ordinis. §. 86. n.4. p.180

*Et Andream fratrem eius, Iacobum, & Ioannnem, Philippum, & Bartholomæum, &c.* Non eundem ordinem Apoſtolos recenſendi ſeruant Euangeliſtæ, ſed modò hos, modo alios præponunt. Profectò humanæ arrogantiæ faſtus magni æſtimat ambitioſæ comitatis nugas: vir autem magnus in vltimum etiam reiectus locum, non eſt ceteris poſtpoſitus, ſed ſuperpoſitus toto §.99. p. 207

*Et Iudam Iſcariotem, qui fuit proditor.* Eccur quem præſciebat proditorem, ad Apoſtolatum, & Euangelij prædicationem eligit? An quia oportet tenere Euangelium à Philoſophis, & à Iudâ damnatum? §.97.n.3. p. 204

*Pro S. Auguſtino Epiſcopo & Doctore.*

## MATTHÆI V.

V*Os eſtis ſal terræ.* Sali cognatū eſt ſtringere. Heu ſcientia inflat, quia ſæpè tumor eſt, non magnitudo. §.30 n.3. p. 65

*Vos eſtis ſal terræ.* Parùm ſalis cibos condit; multùm ſalis cibos deprauat, & bonum ſaporem corrumpit. Eheu quæ maior pars eſſe videtur, ſæpè peior eſt: nam paucitas magiſtra eſt diſciplinæ quare? toto §.29.p.63. Non in regno, ſed in errore ſocius quæritur. §.7.n.2. p. 12

*Vos eſtis ſal terræ.* Sal temperatè miſcendum, quia nimis mordax eſt. Heu ciuitas litterarum, ſpinarum vrbs dicitur! §. 98. n. 6.p. 206. Non faſtuoſa diſputantis auctoritas, ſed diſputationis ipſius veritas,

veritas, ad perſuaſionis energiam requiritur. toto §. 114. p. 235

*Vos eſtis ſal terræ.* Profectò ſal terræ admixtum, terram non fœcundat, ſed ſterilem reddit, & terrenorum fructuum inopem. In verbi Dei adminiſtris, viliſſima ſordidi lucelli auaritia, quæ cibario ac nummario pretio veritatem cauponatur, egregiè vapulat toto §. 331. p. 656. Et quæſtuaria in Euangelico doctore aut Concionatore auaritia, multis culpatur toto §. 330. p. 655. Adeò vt Doctor aut Concionator auarus, luxuriæ ſuſpectus ſit. §. 330. numero 7. & 8. pagina 656

*Vos eſtis ſal terræ.* Sal & moderatè ſpargitur, & ſenſim carpit. Profectò in Præſule, & Concionatore acrior ſcelerum obiurgatio, emendationem ſæpè faſcinat, & obiurgationem egregiè deuenuſtat. toto §. 333. & §. 334. pag. 660. & 661. & 662

*Vos eſtis ſal terræ.* Bonum eſt ſal ſapientiæ, ſed cum prudentiâ temperandum, & ſpargendum eſt. Porrò ſtaticulum ſalis prudentiæ loco ponitur, quæ defuit vxori Lot. §. 181. numero 2. pag. 363

*Vos eſtis ſal terræ.* Sal ſenſim ſe rebus admiſcet. O, cautè nimis cum Hæreticis magiſtris agendum eſt, ne rubiginem blandientium errorum ſenſim affricent. toto §. 98. p. 205

*Quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum, &c.* Sic prauè ſal euaneſcit, & in malitiam degenerat? Illuſtratur opinatiſſima illa ſententia: Poſtquam docti prodierunt, boni deſunt. quare? toto § 30. p. 65

*Ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foràs, & conculcetur ab hominibus.* Sic agitur cum re inutili? Heu! propè omnes actiones humanas metitur ſua cuiuſque vtilitas. toto §. 133. pagina 271

*Vos eſtis lux mundi.* De hâc cum luce ſeu Sole analogiâ, Doctorum præſtantia cenſetur. Porrò Sol de largiori beneficentiâ notiſſimus; naturæ gratia, præſtantia creaturæ, vinculum ad bonum, cœli cor ac mens, atque ſignificatiua & euidens diuinæ bonitatis imago nuncupatur. toto §. 242. pag. 489

*Vos eſtis lux mundi.* Quos elegit Diſcipulos, *Luces* appellat. Scilicet electi exeant ab electore, quaſi à Sole radij. §. 171. n. 8. p. 344

*Vos eſtis lux mundi.* Eheu, ſæpè homines, ſicut Heli, lucentem non vident lucernam, ſed penè extinctam! §. 64. n. 4. & 5. p. 137. 138

*Vox eſtis lux mundi* Sed lux infructifera non computatur ad lucendi gloriam. §. 87. n. 6. p. 185. Et ſanè hominis fortunati manus dicuntur luces. §. 39. n. 5. p. 82

*Vos eſtis lux mundi.* Lux mundi dicuntur, non terræ, ſicut Sal. Ne ergò Doctor ſit ſicut Luna, quæ dum terris lucere ambit, partem ſui obſcuram cœlo obiicit. §. 303. n. 8. p. 615

*Vox eſtis lux mundi.* Lux res eſt placidè pacata, carens contrario. Et comitas vrbanè placida in Doctore, perſuaſionis lenocinium eſt: opprobria verò diſputantium, noctem vel perſpicuis diſputationibus offundunt. toto §. 329. pag. 653. Doctrina non eſt tuenda more cauſſidicorum. §. 7. num. 9. p. 14

*Vos eſtis lux mundi.* Doctrina claro lucis ductu, non cæco voluntatis affectu amplectenda, & tradenda eſt. Porrò bonus imbonúſue affectus, dum doctrinæ merita cudit, iudiciorum arbiter eſt. toto §. 145. p. 294. Malè putat Doctor ſe eſſe veritatis cognatum. §. 7. n. 2. p. 12. Barabbas eſt Magiſtri filius §. 7. n. 4. p. 13. Ne ergò doctor ſit velut Legiſlator. §. 7. n. 1. p. 12

*Vos eſtis lux mundi.* Sed ne priuatus Doctor præſumat, de exiguo ſui ingenij lumine Scripturas perſpicuè claraſſe. Nam ambiguitas ipſa, pars aliquandò Scripturæ eſt. §. 7. num. 1. p. 12. Ne ergò quæ ſunt de noſtro ingenio, Scripturæ adſcribamus. Inibi.

*Vos eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi, &c.* Scilicet Doctor, & Solis lux, & ciuitas dicitur: & Deipara ciuitas Solis appellatur. §. 389. num. 1. p. 768. Deiparæ ſapientia, & ſapientiæ præſidentia, habetur in Syllabo rerum, verbo, *Maria ſapientia.*

*Vos eſtis lux mundi &c.* Cœli lux, eadem quotidie videtur, ſed velut eadem indies nouiter renaſcitur. Diſciplinarum vetuſtas cano flore hodie vernat. §. 6. num. 6. pag. 10 Delectamur vetuſtatis inuentu. Ibidem Res eſt ardua vetuſtatem renouare §. 6. num. 6. pag. 10. Profectò nimia olim vetuſtatis reuerentia, Idololatriæ plaudit, Iudaiſmo militat, Euangelio obſtrepit: ne ergò ſibi Chriſtianus inuideat, veri in Chriſto Numinis nouum inuentum. toto §. 113. pagina 233

*Vos eſtis lux mundi &c.* Non verborum, ſed rerum luces in Doctore, & Concionatore expoſcit. Plerumque enim quò imperitior eſt Concionatoris ſermo, eò illuſtrior eſt ratio; quoniam non fucatur gratâ pompâ facundiæ. toto §. 286. pag. 573. Vel iumenta intelligant quæ Concionator prædicat. §. 7. n. 4. p. 13

*Voi eſtis lux mundi.* Doctorum ſapientia luci comparatur, lux autem valdè ſubtilis eſt. Ergò doctrinæ moralitas ex vtroque Teſtamento habeat acutum. §. 6. num. 5. pag. 10. Vtilitas autem iuuandi præferenda eſt gratiæ placendi per ſubtilitates. §. 7. num. 4. p. g. 13. Contra vitia impetu potiùs, quàm ſubtilitate pugnandum. Inibi. Nimis arguta & ſubtilis de fide diſputatio ſæpè deſtruit, quod adſtruit. toto §. 97. pagina 204

*Vos eſtis lux mundi...... Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona.* Enimverò non qui eloquitur magna, ſed qui viuit Euangelium, Euangelijque mores feliciter perſuadet. toto §. 327. p. 649. Infelix eſt ſuadela Prædicatoris, qui quod ore docet, opere non loquitur. toto §. 328. p. 652

---

*In Feſto Natiuitatis B. Mariæ Virginis.*

MATTHÆI I.

*Liber generationis Ieſu-Chriſti.* Maria Deipara eſt liber viuus, in quo Pater Verbum Diuinum ſcripſit Spiritus-ſancti calamo. §. 363. n. 3 p. 721. Eſt liber ſeu tabula à Deo conſcripta §. 363. n. 1. pag. 721. Dei Verbum & ſapientia Virgini Deiparæ infuſa, & velut in libro quodam ſcripta eſt. §. 363. n. 4. p. 722. Verbum diuinum in Deiparâ velut chartâ impreſſum, ſcidit primæuæ fraudis chirographum. §. 363. n. 5. p. 722

*Liber generationis Ieſu Chriſti Filij Dauid, Filij Abraham.* In capite huius libri generoſa regis Dauid,

Dauidis, & Patriarchæ Abrahami proſapia præſcribitur. Num Virgo Deipara generoſæ etiam nobilitatis titulo ſapiens eſt? §. 364. numero 5. pag. 724

*Liber generationis Ieſu-Christi Filij David, Filij Abraham.* Cùm Virginis Deiparæ genealogia præſcribitur, an ſine vrbanè iunior Dauid Patriarchæ Abrahamo præponitur? Num eâ in Mariæ Virginis pudicitia adumbratur? Scilicet ne ſit pudica femina ſatis vrbana, vt ſit ſatis verecunda. §. 31. num. 7. pag. 70. Enimuerò apud gentiles impudicitia appellatur vrbanitas. §. 109. n. 7. p. 227

*Filij David, Filij Abraham.* Eccur iunior Dauid Patriarchæ Abrahamo præponitur? Verùm humanæ arrogantiæ faſtus magni æſtimat ambitioſæ comitatis nugas: vir autem magnus in vltimum rejectus locum, non eſt ceteris poſtpoſitus, ſed ſuperpoſitus. toto §. 99. p. 207

*Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.* Eccur in capite Ieſuanæ ac Marianæ tribus, peccatricis Thamaris mentio inducitur? An à Thamare Chriſti originem quodammodò maculante Chriſtus redemptionis beneficium inchoauit? §. 222. num. 3. pag 449. & § 135. numero 6. p. 273

*Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naaſon.* Id eſt, *augurium*, & interpretatur Chriſtus. Num Chriſtus ſuis imitatoribus fauſtum æternæ felicitatis augurium antè dicitur? § 71. n. 7. p. 151

*Booz autem genuit Obed ex Ruth.* An Ruth Deo nubit, & Dei Filium in progenitore parit? §. 36. n. 8 p. 77

*Booz autem genuit Obed ex Ruth.* Diues Booz pauperculam Ruthām ducat? Scilicet nemo optet in vxore, quod in meretricibus quæri ſolet. § 38. n. 1. p 81. Bonus Booz, qui laſciuiæ indicia non adſcribit libidini, ſed religioni tribuit. §. 75. num. 6. pag. 158

*Booz autem genuit Obed ex Ruth.* Nempè Euangeliſta in Chriſti, ac Mariæ genealogiâ tres domeſticos Reges abijcit, & virtutem, etſi in alienigenis mauult §. 236. numero 4. pagina 477

*Ioram autem genuit Oziam, Ozias autem genuit, &c.* Eccur Euangeliſta nonnullos nunc Reges omiſit? ſcilicet à Ieſuanâ genealogiâ expungitur Rex, qui Prædicatorum audientiam impeditit. §. 332. n. 5. p. 659

*Ioſias autē genuit Iechoniam, & fratres eius in tranſmigratione Babylonis.* Eccur non exilium, aut captiuitas, ſed tranſmigratio nominatur? An ſpontanea captiuitas, Tranſmigrationis vocabulo mitigatur? §. 124. num. 6. p. 256. Sanè calamitas magnanimiter ferenda eſt, ne nomen etiam noſtrum nobis eripiat. §. 283. num. 8. pagina 569

*Iechonias genuit Salathiel.* Salathiel interpretatur, *Petitio mea Deus.* Quare Deus dicitur, Petitio noſtra? §. 272. n. 5. p 548

*Et poſt tranſmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel.* An non in Babylonicâ captiuitate illum genuit? An dum exul, aut miſer quis eſt, miſer eſſe deſiit, quia defecit timor? §. 304. n. 2. pag 605

*Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ; de quâ natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.* Quorsùm in Mariæ Natiuitate, diuinæ Maternitatis inducitur mentio? An diuina Maternitas Marianæ Conceptioni, & Natiuitati adeſt velut comes, & adminiſtra? §. 343. n. 2. p. 684

*Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ; de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.* In expectatiſſimâ Mariæ natiuitate, & ipſius Virginis ſponſæ, & ſponſi virginis inducitur mentio: nam vtriuſque virginitas arcet ſeculorum zelotypiam. §. 397. n. 7. p. 784

*De qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.* In Deiparæ Natiuitate, Chriſti Dei Mater inducitur. Sed quandò non eſt Dei genitrix, quæ ſæculorum genuit auctorem? quo ſenſu? §. 341. num. 6. pag. 681. Retroacta ætas de typico Mariæ Deiparæ ortu ſibi adulatur. §. 341. num. 4. pag. 681. Ætas in quâ B. Deipara non extitit, etſi aliis bonis exundet, bonis viduata perhibetur. §. 341. num. 4. pag. 680. Quo ſenſu Deiparæ vita, velut carens tempore, antiqua dicatur. §. 341. num. 5. pag. 681. Senio confectus mundus, nunc per Mariam exuens ſenectam, pulchrè iuueneſcit. §. 391. num. 6. pag. 773. Deiparæ ortus omnem inſignem facit ætatem, præſentem, præteritam, & futuram. §. 341. numero 2. pag. 680. Quouſque virgo Deipara naſceretur, apud Filium Deum pro nobis aduocatus deerat? §. 365. num. 6. p. 726

---

*Pro S. Matthæo Apoſtolo & Euangeliſta.*

## MATTHÆI IX.

*Vidit Ieſus hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine.* Hominem de fraudibus auarè lucroſum, ſic exprompte cum diuina gratia à lucris extrahit? Verùm gratia diuina quodammodò ſerpentinæ fraudis æmulatrix eſt, ſine conatu viget, & ea Dei ſpiritus proſperatur ingenio alliciendi. toto §. 301. pag. 600. Sanè gratia tranſcendit neceſſitatem. §. 207. numero 11. pag. 418

*Vidit Ieſus hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine.* In telonio Matthæus ſedet rapinis egenorum opulentus. Aſt dum diuites de pauperum inopiâ diteſcere exambiunt, & paupertatem ſibi negotiantur, & ruinam ædificant. toto §. 150. p. 303

*Vidit Ieſus hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine.* O durè inuidioſam vectigalium exactionem! Sanè quando Regis ſceptrum in exactorum dumtaxat manu eſt, proximæ ruinæ regnum vicinatur. toto §. 235. p. 475

*Vidit Ieſus hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine.* Hebræus populus nimis grauatè ferebat vectigalium pendendorum exactionem. Porrò tributorum durâ exactione, Chriſti Dei paſſio adumbratur: & ſub Nabuchodonoſore Dei populus liqueſit. toto §. 234. pag. 473. Sanè vectigalium ſolutio valdè irrequieta eſt. §. 57. num. 12. pag. 125. Mera Regum vtilitas non eſt bonus regiminis arbiter. § 90. num. 7. pag. 192. Heu, qui tributa imminuit, in Regem crudelis nominatur? § 180. n. 5. p. 362

*Vidit Ieſus hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine.* Valdè diues erat Matthæus; ſed indè habuit, quod pro Chriſto relinqueret. Enimuerò perſæpè diuitum crimen eſt, quod diuitiarum eſſe putatur: aliquandò enim aſpectabilis virtus,

opulentiæ ſtipendium eſt, & opulentia reconciliationis ſuffragium. toto §. 208 p. 419. Diuitiarum caſtitas auditur. §. 208. n. 5. p. 429. Tametſi facultates impiorum, venenum moribus afflent. §. 216. n. 9. p. 439

*Vidit Ieſum hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine.* In multâ diuitiarum poſſeſſione, quâ in telonio *ſedens*, in opes, & opibus incumbebat; tunc pauper Matthæus erat. Nam mundialia bona ſi non concupiſcimus, poſſidemus: concupiſcentia enim illorum amittendorum arbitrium eſt. toto §. 290. p. 580

*Vidit Ieſum hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine.* Mirifficum ſanè fuit, hominem diu in vitiis *ſedentem* extrahi potuiſſe. Nam cò infelicitatis praua conſuetudo deducit, vt eſſe malum propè neceſſe ſit. toto §. 159. p. 319. Ideò ne viam iniquitatis à ſe amoueri Dauid expoſcit, nec à viâ ipſe ſe amoueri? §. 61. n. 7. p. 132

*Vidit Ieſum hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine.* Bonus ſanè medicus Chriſtus eſt, qui hominem tandiu in vitio *ſedentem* ſic ſanauit! Siquidem vitium, quod per conſuetudinem in mores abiit, propè incurabile cenſetur; adeò vt eius curatio, cauillatio nominetur. toto §. 158. pag. 318

*Vidit Ieſum hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine.* Alij Euangeliſtæ honoris cauſsâ Matthæi nomen diſſimulant. Ipſe autem inuidioſi auarè officij confuſione neglectâ, telonarium ſe publicat, & palam confitetur. Enim verò ſuffuſus confeſſioni pudor piè neglectus, ſupplicij cõpendium eſt, memoriam ſcelerum abolens; & Dei munificentiam publicans, de verecundiæ bono extra inuidiam publicatur. toto §. 281. pag. 566

*Et ait illi: Sequere me. Et ſurgens, ſecutus eſt eum.* Quem *vidit* ad luctum in telonio *ſedentem* eligit ad Apoſtolatum? Sanè cognata atque idonea muniis ingenia ſollerter quærere, & explorare, petitioris electorum politiæ labor eſto. toto §. 171. p. 344

*Et ait illi: Sequere me. Et ſurgens, ſecutus eſt eum.* Matthæum malè diuitem, in benè pauperem refingit, dum conſtituit Apoſtolum. Nam perfecta paupertas, Apoſtolicus character perhibetur. §. 151. n. 1. & 4. p. 305

*Et ait illi: Sequere me. Et ſurgens, ſecutus eſt eum.* Felix qui ad Chriſti ſequelam, & imitationem acciтur. Porrò Chriſtum ſequi, & moribus imitari; & ipſi pergratum eſt, & nobis perquam proficuum, piè fauſto æternæ felicitatis augurio. toto §. 71. p. 149

*Et ait illi: Sequere me. Et ſurgens, ſecutus eſt eum.* Vide hic vitalem de obſequio feſtinantiam. Porrò vir obediens de obſequio vitam mutuatur: creatura enim ſentit creatorem, non tam viuendo, quàm obediendo. toto §. 84. p. 175

*Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magiſter veſter?* Sic obmurmurant: nam vitioſæ imitationis ſcabiem conuictor conuictori allinit peruerſâ morum æmulatione. toto §. 68. p. 144. Aſt bonum etiam virtutis exemplum, afflatæ imitationis beneficio, virtutes affricat, ſeminat, propagat magno ſanctitatum fœnore. toto §. 70. pag. 147

Pro S. Matthæi laudibus, conſule in Syllabo rerum, verbum, *Scriptor*, & *Perfectus vir*, & *Concionator*, & *Sapiens*.

### *Pro S. Michaële Archangelo.*

De Angelis copioſè agitur §. 305. & §. 306. Conſulatur etiam in Syllabo rerum, verbum, *Angelus*, & *Dæmon.*

### *Pro B. P. N. Franciſco de Borgia.*

Adi feſtum S P. N. Ignatij, & Franciſci Xauerij: & conſule in Syllabo rerum, verbum, *Perfectus vir.*

### *Pro S. Lucâ Euangeliſtâ.*

### LVCÆ X.

*Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos, &c.* Electionem honorat, dum dicitur *Dominus* elegiſſe. Porrò ſumma eligentis dignitas, æquitas, & auctoritas, præcipua electi pompa cenſetur, quæ Dignitati dignitatem fœnerat. toto §. 171. p. 342

*Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos, &c.* Dignos eligit, ne eos electione dehoneſtet, ac deprauet. Nam ſcelerum loco eſt apud inertem dignitas. toto §. 317. p. 630

*Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos, &c.* Binos mittit Diſcipulos, ne paſſiones præualeant. §. 73. n. 4. p. 154. Porrò ſolitudo viduata ſpectatorum cenſurâ, peccandi pudore exuta, ſæpè vitia fœcundè maritat. toto illo §. 73. p. 153

*Et miſit illos binos ante faciem ſuam, in omnẽ ciuitatem & locum, quò erat ipſe venturus.* Quare ante faciem ſuam mittit Prædicatores, & illis confeſtim adeſſe pollicetur? Scilicet cæleſtium concionum audientiæ Præſes eſt Chriſtus, qui quodammodò diſcit in auditoribus, quorum aures ſanguine ſuo madent. toto §. 332. præſertim n. 2. p. 658

*Meſſis quidem multa: operarij autem pauci.* In tanto hodie Prædicatorum numero, pauci operarij diuini verbi eſſe dicuntur? Sanè quæ maior pars eſſe videtur, ſæpè peior eſt: nam paucitas magiſtra eſt diſciplinæ. toto §. 29. Quomodò Dei populus quia exiguus eſt, innumerabilis eſt? §. 29. num. 6. p. 65

*Meſſis quidem multa: operarij autem pauci.* Pauci ſunt Prædicatores. Non enim qui eloquitur magna, ſed qui viuit, & Euangelium, & Euangelij mores perſuadet. toto §. 327. p. 649. Heu miſera eſt fides, quam verba concinnant! §. 97. num. 1. pag. 204

*Operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum meſſis vt mittat operarios in meſſem ſuam.* Num prouentum negligit, vt operariorum zelum experiatur? An operariorum zelus, Domini meſſis ſollicitudinem quodammodo anteuertit? §. 326. n. 8. p. 649. Sic impenſius Sanctorum ſtudium de amplificandâ Chriſti gloriâ, auguſtè glorioſum Chriſto eſt! toto illo §. 326. p. 647

*Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos.* Ergo qui Apoſtolorũ miniſteria obit, ſit velut agnus, nõ ſicut lupus aut canis mordax. §. 7. n. 3. p. 12. Igitur malè quis interpretatur Scripturas, vt mordeat. Inibi

Cum.

Cum dogmate, non cum dogmatis aſſertoribus congrediendum eſt §.7.n.3. pag. 12

*Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos.* Bene Euangelij Prædicatoribus agninam manſuetudinem ſuadet. Num Euangelicam doctrinam confirmat, qui eam cum manſuetudine docet? §.329. n.2.p.653. Sanè manſuetudo docentis, vigor ſuadelæ eſt. §.329.n.4. p.653

*Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos.* Bonus paſtor agnos inter lupos mittat? Verùm perſecutionem patientibus impunè inuidere licet: eſt enim perſecutio à ſæuo perſecutore aſylum, &c. toto §.122. p.251

*Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos:* Bonúſne paſtor commiſſum ſibi gregem inter lupos mittit? Bonus paſtor Iacob claudicantem ouem ſupra ſe ſentit §.317.n.2. p.631

*Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta.* Eſtne perfecta paupertas, Apoſtolicus character? §.151.n.1.& 4. p. 305

*Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta.* Sanè diſcalceatio eſt luxuriæ nix, & obſequij blandimentum § 81.n.3.p. 174 Diſcalceatio, id eſt, ſui iuris ceſſio, conſultè mandato præmittitur. Ibidem.

*In quamcumque domum intraueritis: primum dicite: Pax huic domui.* Multa de Pace habentur in Syllabo rerum, verbo, *Pax.*

*In eadem autem domo manete: edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt.* Quod ſtatim repetit, aiens: *Nolite tranſire de domo in domum.* Ne ſcilicet Diſcipuli ob parciorem victum, de domo in domum tranſmigrare putentur, vt lautiorem, & nouo hoſpiti idoneum inueniant. §.318. n. 5. &c. p.652. Profectò in verbi Dei adminiſtris, viliſſima ſordidi lucelli auaritia, quæ cibario ac nummario pretio veritatem cauponatur, multis vapulat. toto §. 331. p. 656

Pro elogiis S. Lucæ, vide in Syllabo rerum, verbo, *Scriptor,* & *Sapiens,* & *Concionator,* & *perfectus vir,* & *Maria Sapientia.*

---

*Pro SS. Apoſtolis Simone & Iuda.*

## IOANNIS XV.

HÆc mando vobis, vt diligatis inuicem. Vnum dat dilectionis *mandatum,* & ait; *Hæc* mando vobis, quaſi multa mandauerit? ô quàm multa implebit, qui hoc vnum mandatum, mandatorum grauidum impleuerit!

*Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Sic diſtrictè cognatam ſibi pacem mandat: Pax enim æque cum Chriſto Deo, generoſo Mariæ vtero gaudet. §.384.n.4. p. 760

*Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem:* Exinde reciproca beneuolentia concordiæ matrix, agnata Chriſtianis eſt, qui ſe amant mutuo penè antequam nouerint. toto §.115. p.237

*Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Mutua charitas, & *vicaria* ſententioſè dicitur, & apud nos r tineri iubetur, vt quiſque ſui mater, & filius ſit hinc dum prædicatur concordia, diſcordia vituperatur. toto §.116. p.236

*Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Hoc fraternæ dilectionis arbitrio, hominis naturam gratiæ inopem Deus opulentat. Nam cùm propriâ voluntas ad proximum extenditur, ſine argento Dei gazis emimus. §.117.n. 2. p. 241

*Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem* vt proximus quiſque ſit proximo, languoris lectus, cui in ægritudine incumbat. §.117.n.3. p.241

*Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Rationalis homo è ſilueſtrium lignorum mutuâ beneuolentiâ fraternam charitatem ediſcat. §. 117. n. 4. p. 241

*Hæc mando vobis vt diligatis inuicem.* Exinde ſuper duas fraternitates Chriſtus fundat Eccleſiam. §. 117.n.5.p.242. Et in naſcentis Eccleſiæ exordio, omnium erat cor vnum, & anima vna. quomodo? § 117.n.6. p. 242

*Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Sanè religioſiores ſunt copulæ mentium, quàm corporum. §.117.num.8.p. 242. Quin & conſenſio eſt concentus in animis. §.117.num.7. p. 242. Superbiæ faſtus eſt, nullum ſuum proximum putare. §. 117. num.9. p. 242

*Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Fraternæ charitatis mandatum, & exemplum Diſcipuli acceperunt à Chriſto Deo? Angeli autem à Trinitate totam concordiam, vt vnum ſint, accepiſſe dicuntur. quare? §.306.n.2. p.609

*Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem:* Mutuum dilectionis affectum mandat, qui diſcordiarum ſemina ſuffocet. Nam bonus in bonúſue affectus dum merita cudit in voluntatis officinâ, iudiciorum arbiter eſt. toto §. 145. Nihil cuique niſi quod dilexerit, rectum eſt. §. 145. num. 5. pag. 295.

*Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Eccur non determinat quos diligere debeant, ſed imperſonaliter ait, *vt diligatis inuicem?* Scilicet ne vllus homo etiam inimicus excludatur. Adeò vt cum obliuione offendentis offenſæ memoria adhuc hæreat. §.57.num.2. p. 123. Quod vindictæ non caues de ſceleroſo inimico, caue de infauſto §.216 num.5. p 438

*Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem,* neglecta iniuriarum hoſtilitate. Sanè rara virtus eſt, & prorſus Chriſtiana, quæ offenſori ignoſcit; & de fraternæ dilectionis arbitrio, grauiter ſaucientem nec leuiter referit. toto §. 221 p. 446

*Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* An hoc mandatum prælibauit Dauid, apud quem hoſtile filij Abſalomi bellum, Pax Dauidis dicitur? §.121.n.2. p.251. Et inimiciſſimus Goliath deuictus, Dauidis filius nuncupatur. §.223.n.6. p.451

*Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Hæc mutua dilectione cohibeat in Præfectis iuſtam ſcelerum mulctam, quaſi pacis inimicam. Nam paci ſtudet Superior; qui inflictis congruè ſupplicijs, Reipublicæ pacem inquietare videtur. toto §. 336. p. 663

*Si mundus vos odit: ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Hinc mandatam Chriſtianis dilectionem fundat. Porrò adſimile odium, & iniuria Dauidem excitat ad vltionem, Chriſtum verò ad largiorem beneficentiam extimulat. § 213.num.5. & §.222.n.2. pag. 429. & 449

*Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Sanè Chriſtum præuntem ſequi, & moribus imitari, & ipſi pergratum eſt, & nobis perquam proficuum, piè fauſto æternæ felicitatis augurio toto §. 71. p. 149.

*Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Ad magnanimam in perſecutionibus conſtantiam Diſcipulos adhortatur. Porrò non eſt magnus animus, quem curuat perſecutionum calamitas: flecti-neſcia in perſecutionibus conſtantia

aliquis Chriſtianæ virtutis faſtus eſt. toto §. 111. p. 250

---

*In feſto omnium Sanctorum.*

MATTHÆI V.

De Beatorum cœleſti gloriâ copiosè agitur. §. 308. & 309. p. 614. & 616. Conſule etiam in Syllabo rerum, verbum, *Beatitudo.*

*Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Pauperes inducit, quò auidiùs beatæ gloriæ diuitias rapiant. Num beata cœli gloria violentiam, & rapinam expetit, quò dulciùs ſapiat? §. 135. n. 4. p. 276

*Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Beatam cœli gloriam mundus depretiabit, quippè quæ duntaxat hic promittitur pauperibus, humilibus, lugentibus, afflictatis &c. An ideò Rachel, id eſt, Beatitudo, Viſio profanationis interpretatur? §. 309. n. 6. p. 617

*Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum* Quid nunc pauperi cum beatâ cœli gloriâ. An quia perfectè pauper, æternæ gloriæ ſpecimen appellatur? §. 151. n. 5. p. 306

*Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Sic eſt cæleſtis Beatitudo paupertati confinis! Sine perfecta patienter paupertas facit, vt cæleſtis Abrahæ ſinus Lazarum ambiret. §. 151. n. 6. p. 306

*Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Benè regnum cœlorum promittitur pauperi, qui in ditâ egeſtate, à virtute non deſciuit. Porrò dura egeſtas dum nihil habet, ſuſtinet totum, magnâ ſæpè probitatis iactura. toto §. 153. p. 308

*Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Nunc pauper, Beatus dicitur, quaſi paupertate benè auctus? § 152. n. 4. p. 307. Et quidem egenus, dominus dicitur bonorum, quibus diues abundat. §. 152. n. 6. p. 307

*Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Num pauper dicitur Beatus, quia paupertas paradiſeam vitam quodammodò reuocat? §. 152. n. 5 p. 307. Sartem ex paupertate diues intrare poteſt in regnum cœlorum. §. 152. n. 9. p. 308 Enimuerò tribus Leui dum depauperatur, dicitur Dei cenſus §. 152. n. 8. p. 308

*Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Sic eſt paupertas cœlo, ac cælitibus cognata? Sanè pagana ſecularium hominum ambitio, pauperem & abiectam cognationem faſtidit qua Chriſtiana modeſtia hinc edocta, generosè gloriatur. toto §. 204. p. 411

*Beati pauperes ſpiritu* (id eſt, corde humiles:) *quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Porrò excelſa Beatitudinis gloria, ſine humilitate, aut faſtus vacuitate, inueniri non poteſt. §. 239. num. 3. pag. 482

*Beati pauperes ſpiritu* (id eſt, humiles corde:) *quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Sublime cœli faſtigium, infimiſſimæ humilitatis ſtipendium eſt? Nempè abiectior humilitas, ſublimioris gloriæ arbitrium cenſetur. toto §. 239 p. 482. Porrò magnorum ſubſiſtentia, quæ glorioſam altè magnitudinem fundat, humilitas eſt. toto §. 240. p. p. 485

*Beati mites &c.* Imò videntur humanitùs infelices. Sæpè enim mitis patientia noſtra alienæ temeritatis fomes eſt. §. 5. n. 4. p. 8. Verùm mitis patientia eſt Dominicæ diſciplinæ ſanctitas, fidei Præſes, virtutum portus, & conſummatio: & de quâdam propè impaſſibilitate, miſeriam refugit in gloriam. toto §. 129. p. 264

*Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur.* Porrò adoptionis radij per Chriſtum in aquâ lacrymarum inſeruntur. §. 264. num. 3. pag. 533. Lacrymæ ſecuritatem citò impetrandi habent, rogandi pudorem non habent. §. 264. n. 5. p. 534. Eheu quorundam lacrymæ factæ ſunt velut mendacium aquarum infidelium! §. 265. num. 4. p. 535

*Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur.* Iuſtitiæ nomine miſericordia innuitur. Beneficentior autem miſericordia cupiditate beatâ antecedit auaritiam. §. 224. num. 2. p. 452

*Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Siquidem in alienis calamitatibus ſubueniendis, nobiſmetipſis conſulimus. §. 160. num. 6. pag. 322. Porrò Iudex, quia periculosè nimis iuſtus eſt, ſub ſecuritate (ſi rectè poteſt) ſemper ignoſcit. toto illo §. 160. pagina 321

*Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Ipſe enim Chriſtus illis erit ſumma præmij, qui eſt forma præcepti. §. 224. num. 4. pag. 453. Nihil ſanè eſt tam cuiuſque proprium, quam quod aliis beneficè impendit. Inibi. & toto illo §. 224. p. 452.

*Beati pacifici: quoniam Filij Dei vocabuntur.* Eſt autem pax, tranquillitas ordinis. Ordo autem eſt parium diſpariumque ſua cuique loca tribuens diſpoſitio. § 86. num. 4. & toto §. p. 179

*Beati eſtis cùm maledixerint vobis ......... & dixerint omne malum aduerſus vos mentientes.* Ergò reorum ora ne propriæ defenſioni obſtruantur. §. 192. n. 3. & toto §. p. 385

*Gaudete, & exultate: quoniam merces veſtra, &c.* Tot malis penè obruti, gaudeant, & exultent? Sanè ærumnoſior tribulatio extrinſecus auſtera videtur, medullitùs autem angoris inops, cognatio cum Angelis, & felicitatis gratulatio eſt. toto §. 123. p. 253. Enimuerò prævium malum, luculentior ſubſecuti boni interpretatio eſt. toto §. 110. p. 423. Et quidem à calamitate citiùs quam à felicitate, fauſtus ſortium dies à populo Dei nominatur. §. 251. n. 1. p. 507

---

*In Feſto Præſentationis B Mariæ Virginis.*

LVCÆ XI.

Extollens vocem quædam mulier de turbâ, &c. Mulier de turbâ Beatam Virginem dignè laudare præſumat? Nemo, nemo inquam par eſt Deiparæ laudandæ. antè §. 338. n. 1. p. 672. An Deiparæ elogia tanta ſint, vt ipſam etiam lateant? §. 372. n. 2. p. 737

*Extollens vocem quædam mulier de turbâ, &c.* Extollatur vox, vt laudetur ea, quæ etiam in Eſtheris typo adhuc puella à perfectione cœpit, & cana conſilia in annis puerilibus meditatur. §. 1. n. 4. pag. 2

*Extollens*

*Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter*, &c. De exhibitâ à Christo virtute, eius Mater dilaudatur. An Filius Deus, & Mater virgo laudes mutuò reciprocent; & Deiparæ elogiis Christus adornatur? § 251. n. 9. p. 508

*Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi*, &c. Cùm Pharisæi gloriam tanti miraculi tunc exhibiti infuscare præſumunt, opportunè *extollitur vox*, quæ præclarius elucidet laudes Matris; ex quâ *obumbrata*, velut ex repercuſſione diuini luminis irradiamur. §. 385. n. 3. p. 761

*Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portauit.* Venter enim Deiparæ fuit ſumptuoſius Dei templum, adſpectu ad quod, tugurium appellatur Ieroſolymitanum templum. §. 385. n. 3. p. 771. Ideone Deipara dicitur in templo tranſplantata? §. 389. n. 2. p. 769

*Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portauit.* Præproperè deferatur in templum, quæ Deum in ventre portabit. Porrò Anna dicitur Omnipotentis gazophylacium, & Maria theſaurus, in quo eſt cor Dei. §. 347. n. 1. p. 691. De theſauro Mariani vteri pretium noſtræ redemptionis depromptum eſt. § 347 n. 6. p 693

*Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portauit.* Benè quædam è populo laudat vterum, qui domus fuit Dei: porrò cùm populus Chriſtianus cœlo donatur, tunc Chriſtus in domum matris inducitur. §. 374. n. 4. p 741

*Beatus venter, qui te portauit.* Benè beatificatur venter, in quo Chriſtus Deus tot menſibus habitauit. Nam ſinus Patris, & Matris venter, duplex Chriſti paradiſus eſt. § 374. n. 7. p. 742. Deipara totius Trinitatis requies perhibetur. §. 374. n. 6. p. 741

*Beatus venter, qui te portauit.* Et inde in Templum præſentanda præproperè Dei Mater adducitur. Num ſicut cœlum, ita & templum, quodammodò queri dicitur de abſentia Deiparæ §. 357. n. 4. p. 711. Et quomodò in templum adducitur, quæ quodammodò eſſe extra omnia perhibetur? §. 349 n. 4. p. 696

*Beatus venter, qui te portauit.* Exinde præmaturè in templum præſentanda portatur. Nam totam Deitatis maieſtatem Deus in Deiparâ oſtentat velut in ſolio. §. 390. n. 5. p. 771

*Beatus venter, qui te portauit.* Benè beatificatur, & magnificatur venter puriſſimus Deo grauidus, adhuc in puellâ virgine. Siquidem tam eſt præcelſa Deiparæ magnitudo, ſuper eius puritatem fundata, vt non ſolùm incrementis, ſed etiam diminutione creſcat, emineatque ſemper ſuâ quoque gloriâ maior. toto §. 353. p. 702

*Beatus venter, qui te portauit.* An decebat, vt cœli ac terræ Doctor, ex Mariæ vtero tanquam ex ſapientiæ conflatorio prodiret? §. 364. n. 1. p. 722. Porrò totum Verbum, quod eſt, & erat in corde Dei, Virginis vtero infuſum eſt. §. 364. n. 2. p. 723. Diuinum Verbum in Deiparæ vtero velut chartâ impreſſum, ſcidit fraudis chirographum. §. 363. n. 5. p. 722

*Beatus venter, qui te portauit.* Virginitate, & maternitate conſecratus. Niſi fortè virginitas, & Dei maternitas in Mariâ, velut ſynonyma ſunt, & duo vnum, §. 354. n. 7. p. 705

*Beatus venter, qui te portauit.* Beatus venter, qui Chriſtum Deum portauit. Porrò Deiparæ virginitas à partu ampliata, de bonis carnis Deo adulatur, piâ quâdam pudicitiæ obſtinatione, quæ diuinum Verbum in ſe corporandum probat, toto §. 355. p. 706

*Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.* Sanè beatus eſt Chriſtus quem Virginis Deiparæ vbera lactauerunt. Porrò lac Virginis nullam vllius peccati amaritudinem admixtam habuit. Deus enim eſt fideiuſſor puri lactis Deiparæ, ne vllam habeat amaritudinem. §. 345. n. 2. p. 688

*Beati qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Tantáne dignitas his qui ritè audiunt verbum Dei? Sanè Chriſtus Deus concionum audientiæ Præſes eſt; qui quodammodò diſcet in auditoribus, quorum aures ſanguine ſuo madent. toto. §. 332. p. 658

*Quinimo beati qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Num Chriſti ſermones, ac mores, à Mariâ concipi, ex eáque etiam naſci, piè exambiunt? §. 391. n. 1. p. 774

*De communi vnius Martyris.*

Adi feſtum S. Blaſij & S. Laurentij.

*De communi plurimorum Martyrum.*

Adi Feſtum S. Sebaſtiani.

*De communi Confeſſorum Pontificum.*

Adi Feſtum S. Nicolai.

*De communi Doctorum.*

Adi Feſtum S. Auguſtini Epiſcopi, & Doctoris.

*De communi Confeſſorum non Pontificum.*

Adi Feſtum S. P. N. Ignatij.

*De communi Abbatum.*

Adi Feſtum de conuerſione S. Pauli.

*De communi Virginum & Martyrum.*

Adi Feſtum S. Agnetis.

*De communi non Virginum, & Viduarum.*

Adi Feſtum S. Annæ.

*Pro Dedicatione Eccleſiæ.*

Adi §. 285.

# INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRAE EX VTROQVE TESTAMENTO.

*§. Paragraphum ſignificat*, n. *numerum denotat marginalem*, p. *Paginam indicat.*

## Ex Veteri Teſtamento.

### *Ex Geneſi.*


*Cap.*1.*v.*1. IN principio creauit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, &c. §.156. n.4.p.314. & §.73.n.4.p.347.& §.303.n.5.p.604.& §.307 n.8.p.613 & §.322.n.6. pag.642

2. Et Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.§.384. n.5. p.760

3. Dixitque Deus: Fiat lux: Et facta eſt lux. §.75.n.5. p.158

4. Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona: & diuiſit lucem à tenebris.§.69.n.6. p.147

8. Vocauitque Deus firmamentum, Cœlum, &c. §. 166. n.5.p.334. & §.175.num. 7. p. 351. & §. 187. n. 6. p. 375. & §.149. n.2. p.301

Et factum eſt veſpere & mane, dies ſecundus.§.183.n.7. p.368

9. Dixit Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum vnum, &c. §.241.n.5. p.488.& §.289.n.3. p.578

10. Congregationes aquarum vocauit Deus maria.§.372.n.1. p.737

16.& 17. Fecit Deus duo luminaria magna: Luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas, &c. §.132.n.5.p. 270. & §.191.n.4. p. 382.§. 242.n.8.g.492.& §.244. n.4. p. 493.& §. 303.n.8. p.604

17. Vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram.§.87.n.6. p.182

20. Dixit etiam Deus: producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli.§.17.num.5.p.43. & §. 67. n.3. p.143. & §. 283. num.2. & 3. pag.567

24. Dixit quoque Deus: producat terra animam viuentem in genere ſuo, &c. §.70.n.3. p. 148 &.205.n.5. p.413

25. Et fecit Deus beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas, & iumenta, &c.§.172.n.2. p.344

26. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, &c. §. 27. n.2. p.60.& §.59. n.3. p.128. & §.181. n.4. p.364.& §.149.n.5. p.302

27. Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam, &c. §. 144. n.8. p.293. & §.147. n.5.p.298.& §. 217. n.2 p.439. & 248. n.4.p.501.& §.290 n 2 p.580. & §.308. n.3.p.614.& §.315.n.5.p.628. & §.319. num.4. p.636

2.v.1. Igitur perfecti ſunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum.§.65.n.7 p.139.& § 145. n.6. p.295

2. Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, &c.§ 18.n.4. p.44 & §.99. n.5.p.208.& §.289.n.5. p. 579. & §. 374. n.6. p.741

3. Et requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat. Et benedixit diei ſeptimo, quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo, quod creauit Deus vt faceret. §. 181. n.3. p.363

5. Et homo non erat qui operaretur terram, &c. §.389.n.6. p.770

6. Sed fons aſcendebat è terrâ, irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ.§.383 num.1. pag. 757

7. Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. §.17. n.6. p. 43. & §. 144.n.7.p.293.§.316.n.8.p.630.& §.320 n.5. p.638

8. Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem quem formauerat.§.366.num.5. p.727.& §.374.n.7.p.741. & §.243. n.4. p.492

9. Lignum etiam vitæ in medio paradiſi. §. 46.n. 2.q.94.& §.52.n.4 p.106

15. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis.§.153.n.3. p.309.& §.231.n.2. p.465

Vt operaretur, & cuſtodiret illum. §.175. num.3. p.350

16. Præcepitque ei, dicens: Ex omni ligno paradiſi, &c.§.111.n.4. p.230

17. De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.§.83.n.2. p.174

In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.§.128.n.8.p.264.& §.366 n.6.p.727 & §.210. n.3. p.424

18. Dixit quoque Dominus Deus: Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.§.138.n.5. p. 282.& §.36.n.6.& 7.p.77.& §.182.n.5.p.366.& §.365.n.3.p.725.& §.365.n.6. p.726. & §.395.n.4. p.700


21. Immi

21. Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam cúmque obdormiſſet; tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro eâ. &c.§.396.n.3. p.781
23. Dixitque Adam: Hoc nũc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea §.31.n.4. p.68
25. Erat autem vterque nudus, Adam ſcilicet & vxor eius; & non erubeſcebant. §.185.n.2. pag.371
3. v. 1. Et ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: cur præcepit, &c. §.135 n.2.p.271. & §. 189.n.3.p.378. & §.286. n.2. p.573
3. De fructu verò ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud. §. 110. n.2. p.228
5. Eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum. §. 290.n.2. p.580.&§.100.n.3. p. 210.& §. 318 n.6.p.633. & §.330.n. 3.p.655.& §. 331.n.3. p.657
6. Vidit mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum & pulchrum oculis, aſpectúque delectabile: & tulit de fructibus illius, &c. §.49.n.7.p.101.& §. 178. n.5.p.366.& §. 182.n.3 p.365.& § 366.n.6. p.727
7. Cumque cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.§.52.n.5.p.106.& §.177.n. 8. p.355. & §.79 n.2.p.166.& §.266.n.5. p.538
8. Et cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem §.315.n.7. p.628
Abſcondit ſe Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi. §.79. n.3. p. 166
11. Quis enim indicauit tibi quòd nudus eſſes, niſi quòd ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes comediſti? §. 30. n.6. p.66
12. Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi. §.303. n.7. p.604
14. Super pectus tuum gradieris.§.60.n.4. p.130
Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. §.22.n.7.p.52.& §.303.n.2. p.603. & §. 192.n.4. p. 384
15. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius: §.77.n.12.p.163.& §.93.n.4. p.197
16. Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. §.36.n.9.p.77.& §.182.n.6. p. 366
17. Quia ..... comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes maledicta terra in opere tuo, &c. §.23.n 3. p.53.& §.181.n.4.p.365.& §.301.n.4. p.600
19. Donec reuertaris in terram de quâ aſſumptus es: quia puluis es, &c. §.283.n.7. p 569
20. Vocauit Adam nomen vxoris ſuæ, Heua eo quòd mater eſſet cunctorum viuentium. §.366.n.4. p.727
21. Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas & induit eos: & ait: Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum.§.362.n.2.p.719
22. Ne fortè mittat, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.§. 128.num.3. p.263
23. Et emiſit eum Dominus Deus de paradiſo &c.§.366.n.5. p.727
24. Eiecitque Adam, & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem, &c.§. 185.n. 5.p.371. & §. 80 n. 4. p. 169.& §. 337.n. 6.p.669.& §.398.n.5. p.786
4. v.1. Adam verò cognouit vxorem ſuam Heuam, &c § 38 n.4. p.80
2. Rurſúmque peperit fratrem eius Abel. Fuit autem Abel paſtor ouium, &c. §.323.n. 5. pag.643
4. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum: & reſpexit Dominus, &c. Ad Cain verò, ad munera illius non reſpexit.§.143.n.2. p.290
5. Iratuſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius, &c.§.34.n.4. p.73
6. & 7. Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne ſi benè egeris recipies, &c.§.144.n.3.p. 292. & §.34.n.4. p.73
8. Cùm eſſent in agro, conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, &c.§.200.n.2.p.398. & §.168.n.6.p.338.& §.17.n.2. p 42
9. Vbi eſt Abel frater tuus.....Num cuſtos, &c.§. 189.n.4. p.378
10. Quid feciſti? vox ſanguis fratris tui clamat ad me de terrâ §.52.n.8. p.107
14. Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tuâ abſcondar.§. 208.n.3. p.420
15. Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet; ſed omnis, qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur. Poſuitque, &c. §.136.n.5. p.278
26. Iſte cœpit inuocare nomen Domini.§.139. n.1.& 8.p.283.284.& §.269.n.7. p. 543. & §.275.n.7. p.554
5. v. 24. Ambulauitque cum Deo, & non comparuit: quia tulit eum Deus. §.319. num.2. p.635.& §.332.n.1. p.658
29. Vocauitque nomen eius Noë, dicens: Iſte conſolabitur nos, &c. §. 201. num. 5. p.401
6. v. 2. Videntes filij Dei filias hominum quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant. §. 38. n. 2. 3. p.80
3. 12. Dixitque Deus: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt ..... Omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram.§. 74. n. 3. p.155. & §.144.n.5. p.293
4. Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis, &c 191.n.2. p.381
5. Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra, &c. §.157.num.5. p.317
9. Noë vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis. §. 17.n.3.p.42. §.186.n.4. p.373
14.15. Fac tibi arcam de lignis læuigatis: manſiunculas in arcâ facies. Et ſic facies eam: trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, &c. §.29.n.3.p.64. & §.126.n.3. p.259
16. Et in cubito conſummabis ſummitatem eius, §.65.n.3. p.139
7. v.1. Ingredere tu & omnis domus tua in arcam, te enim vidi iuſtum coram me in ge-

neratione hac.§.59.n 5. p.128
2. Ex omnibus animantibus mundis tolle ſeptena & ſeptena, maſculum & feminam de animantibus verò immundis duo & duo, maſculum & feminam §. 68. n. 3. p. 145.& §.125.n.8. p.258
11. Anno ſexcenteſimo vitæ Noë, menſe ſecundo, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ,& cataractæ cæli apertæ ſunt,&c. §. 40.n.2. p.83
12. Rupti ſunt fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cæli apertæ ſunt: & facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus, &c. §. 123.n.5. p.254
8.v.6.& 7. Aperiens Noë feneſtram arcæ, quam fecerat, dimiſit coruum: qui egrediebatur, &c §.159.n.3. p.320
8.& 9. Emiſit quoque columbam poſt eum.... Quę cum non inueniſſet vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad eum in arcam.§.36.n.5. p.77
15.& 16 Locutus eſt autem Deus ad Noë, dicens: Egredere de arca tu & vxor tua, filij tui & vxores filiorum tuorum tecum. §.84.n.6. p.177.& § 386.n.2. p.763
9. v. 3. Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum.§.21.n.2. p.49
9 Hoc ſignum fœderis quod do inter me, & vos, in generationes ſempiternas. Arcum meum ponam in nubibus,&c. §.168.n.2. p.337
20. Cœpitque Noë vir agricola exercere terram, & plantauit vineam. §. 50 num. 4. pag.102
21. Bibenſque vinum inebriatus eſt.§.25.num.7. pag.57
24. Euigilans autem Noë ex vino, cùm didiciſſet quæ fecerat ei filius ſuus minor, &c. §.236.n.3. p.477
10. v. 8. Chus genuit Nembrod: ipſe cœpit eſſe potens in terrâ, & erat robuſtus venator coram Domino.§.337.n.3.& 6.p.668
11. v. 4. Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat in cœlum, & celebremus nomen noſtrum §.100.n.1. p.209
6. Deſcendit autem Dominus vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam, & dixit. Ecce vnus eſt populus. &c.§.157.n.2. p.316
Cœperunt hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.§.40.n.6 p.84
7. Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui. § 68. num. 2. p.144
12. v. 1. Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ,& de domo patris tui, & veni in terram, quam,&c.§ 308.n.5.& 6. p.615
2. Faciamque te in gentem magnam, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus. §.29.n.5. p.64
4. Egreſſus eſt itaque Abram, ſicut præceperat ei Dominus....ſeptuaginta quinque annorum erat Abram cùm egrederetur de Haram §.95.n.3. p.200
10. Facta eſt autem fames in terrâ:deſcenditque Abram in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi.§.84.n.1. p.175
18.& 19. Vocauitque Pharao Abraham & dixit ei: Quidnam eſt hoc quod feciſti mihi, &c.§.148 n.2. p.299
13. v. 4. In loco altaris quod fecerat priùs, & inuocauit ibi nomen Domini. §. 316. num. 2. p.629
6.& 8. Vnde facta eſt rixa inter paſtores gregum Abram & Lot....... dixit ergo Abram ad Lot:Ne quæſo ſit iurgium inter me & te, &c.§.68.n.4. p. 14,. & § . 21. numero 6. p.448
16. Faciamque ſemen tuum ſicut puluerem terræ,ſi quis poteſt hominum numerare puluerem terræ, ſemen quoque tuum numerare poterit § 29.n 6. p.65
14.v.14.Quod cùm audiſſet Abram, captum videlicet Lot fratrem ſuum,numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo,&c §.59.n.7. p.129
19.& 20. Benedictus Abraham Deo excelſo, qui creauit cælum & terram: & benedictus Deus excelſus,quo protegente,&c,§.271. n.2. p.546
21. Qui reſpondit ei: Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum,&c.§.159.n.6. p 320 & §.207.15. p.419
23. A filo ſubtegminis vſque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt,&c.§.229.n 1. p.461
24. Aner,Eſchol,& Mambre.§.307 n.5. p.413
15.v.5.Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes. Et dixit ei:ſic erit ſemen tuum. §.70.n.6. p.149
16. v. 5. Iniquè agis contra me: ego dedi ancillam meam in ſinum tuum, quæ videns quòd conceperit, deſpectui me habet. Iudicet Dominus inter me & te§. 37.n.4. p.79
13. Vocauit nomen Domini qui loquebatur ad eam:Tu Deus qui vidiſti me.Dixit enim: Profectò hîc vidi poſteriora videntis me, &c.§.226.n.5. p.457
17.v. 1. Circumcidetur ex vobis omne maſculinum: & circumcidetis carnem præputij veſtri,vt ſit in ſignum fœderis inter me & vos. §. 79.n.4. p.166
17. Cecidit Abraham in faciem ſuam: & riſit, dicens in corde ſuo: Putáſne centenario naſcetur filius,&c §.317.n.6. p.631
18. v. 5. Ponamque buccellam panis, & confortate cor veſtrum,§.43.n.7. p.90
6. Feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Saram:dixitque ei:Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce,&c.§.387.n.5. p.766
9. Vbi eſt Sara vxor tua?ille reſpondit: Ecce in tabernaculo eſt.§.32.n.7. p.70
12. Quæ riſit occultè, dicens: Poſtquam conſenui,& Dominus meus vetulus eſt voluptati operam dabo?§.77.n.9.p.162.& §.317. n.6. p.632
27. Cùm ſim puluis & cinis. §. 369. numero 1. p.732
19. v. 23. Sol egreſſus eſt ſuper terram, & Lot ingreſſus eſt Segor. Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem,&c.§.306.n.8. p.611
26. Reſpicienſque vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis.§.181.n.2. p.363
20.v.16.Saræ autem dixit:Ecce mille argenteos dedi fratri tuo,hoc erit tibi in velamen oculorum.§.117.n.6. p.440

Conce

21.v.2. Concepitque, & peperit filium in ſenectute ſua.§.199.n.4. p.397

10.Non erit heres filius ancillæ,&c. §. 280.n. 3. p.562

12. Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.§.36.n.9 p.77.& §.37.n.5. p.79

16. Leuauit vocem ſuam,& fleuit.Exaudiuit autem Dominus vocē pueri.§.378.n.6.p.749

22.v.2.Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis, Iſaac,& vade in terram viſionis:atque ibi offeres in holocauſtū, &c.§.59.n.2.p.127 & §.67.n.6. p.143

Atque offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium quem monſtrauero tibi. §.130.n.1.p.266 §. 280. n. 2. p. 561. & §.298.n.2.p 594.& §.121.n.5.p. 251.& §.128.n.1. p.262

9. Cumque alligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum. Extenditque manum,&c.§.321.n 3. p.639

10. Extenditque manum,& arripuit gladium, vt immolaret filium ſuum.§.67.n.2. p 142

11. Et ecce Angelus Domini de cœlo clamauit, dicens.Abraham,Abraham. Qui reſpondit:adſum.Dixitque ei,&c.§.83 n.5.p.175

12. Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quicquam.§ 67.n.5.p.143

23.v.8.& 9. Si placet animæ veſtræ vt ſepeliā mortuum meum,audite me,& intercedite pro me apud Ephron,&c.§ 267.n.4. p.539

17. Confirmatus eſt ager quondam Ephronis, in quo erat ſpelunca duplex,Abrahæ in poſſeſſionem.§.128.n.7. p.264

18. Videntibus filiis Heth, & cunctis qui intrabant portā ciuitatis illius.§.166.n.3. p.334

19. Atque ita ſepeliuit Abraham Saram vxorem ſuam in ſpelunca agri duplici. §.273.n.4. p.550

24. v. 14. Igitur puella cui dixero: Inclina hydriam tuam vt bibam: & illa reſponderit.Bibe, quin & camelis tuis dabo potum,&c. §. 382.n 3. p 754

16.Puella decora nimis, virgóque pulcherrima, & incognita viro, deſcenderat autem ad fontem,& impleuerat hydriam, ac reuertebatur,&c.§.32.n.6.p.70.§.77.n.4.p.161. §.77.n.14. p.163

21. Ipſe contemplabatur eam tacitus, ſcire volens vtrùm proſperum iter ſuum feciſſet Dominus,an non.§.33.n.7. p.72

50. Reſponderunt Laban,& Bathuel:A Domino egreſſus eſt ſermo.§. 37.n.1. p.78

27.Iacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis.§.332 n.8. p.660

31.& 32. Cui dixit Iacob: Vende mihi primogenita tua. Ille reſpondit: En morior,&c. §.323.n.2. p.642

27. v. 1. Senuit autem Iſaac,& caligauerunt oculi eius,& videre non poterat,&c. §. 325. n.6. p.647

2. Accuſauitque fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo.§.335.n.5. p.665

19. Ego ſum primogenitus tuus Eſaü: feci ſicut præcepiſti mihi: ſurge, ſede, & comede de venatione meâ,vt benedicat mihi anima tua §.107.n.2. p.222

28. v. 4. Det tibi benedictiones Abrahæ, & ſemini tuo poſt te: vt poſſideas terram peregrinationis tuæ,&c.§.309.n.4. p.616

12. Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram,& cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei aſcendentes, &c. §.374.n.5.pag.741.& §.207.n.3.pag.416. & §.306.num.10.pag. 611. & §.398. n.6. p.786

17. Verè Dominus eſt in loco iſto,& ego neſciebam. Pauenſque:Quàm terribilis eſt,&c. §.285.n.5 p.572

20. Si fuerit Deus mecum....& dederit mihi panem ad veſcendum, &c. erit mihi Dominus in Deum. §. 151. n. 1. p. 305. & §.45.n.1. p.92

22. Cunctorúmque quæ dederis mihi decimas offeram tibi.§ 228.n.2. p.459

29.v. 10. Quam cùm vidiſſet Iacob, & ſciret conſobrinam ſuam ..... amouit lapidem quo puteus claudebatur, &c. §. 198. num. 2. p.395

14. Os meum es, & caro mea. §. 387. num. 3. p.765

20. Seruiuit ergo Iacob pro Rachel ſeptem annis:& videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.§.309.n.6. p.617

31. Videns autem Dominus quòd deſpiceret Liam,aperuit vuluam eius,&c.§.321.n.4. pag.639

33. Quoniam audiuit me Dominus haberi contemptui,dedit etiam iſtum mihi.§.130.n.3. p.264

30.v.6. Dixitque Rachel:Iudicauit mihi Dominus, & exaudiuit vocem meam, dans mihi filium: & idcircò appellauit nomen eius Dan.§.281.n.3. p.564

8. Pro quo ait Rachel: Comparauit me Dominus cum ſorore meā.§ 156.n.2. p.314

13. Dixitque Lia: Hoc pro beatitudine meâ: Beatam quippe me dicent mulieres, proptereà appellauit eum, Aſer. §. 364. n. 1. p.741

24. Et vocauit nomen eius Ioſeph, dicens: Addat mihi Dominus, &c. §. 199. num. 6. p.398

27. Ait illi Laban:Inueniam gratiam in conſpectu tuo, experimento didici, &c. §. 199. num 3. p.397

31.v. 3. Maximè dicente ſibi Domino:Reuertere in terram patrum tuorum....eróque tecum. §. 151.n.3. p.305

16. Deus tulit opes patris noſtri, & eas tradidit nobis,&c.§.236.n.5. p.477

19. Eo tempore ierat Laban ad tondendas,oues, & Rachel furata eſt idola Patris ſui. §. 68. num.6. p 145

20. Noluitque Iacob confiteri ſocero ſuo quod fugeret.§ 149.n.4. p.302

24. Viditque in ſomnis dicentem ſibi Deum caue ne quidquam aſperè loquatis contra Iacob.§.186.n.3. p.373

30. Eſto ad tuos ire cupiebas, & deſiderio erat tibi domus patris tui,&c.§.190.num.3.pagina 380

32. Quòd autem furti me arguis; apud quemcumque inueneris Deos tuos,necetur coram fratribus noſtris. Scrutare quicquid tuorum apud me inueneris, &c.§.59.n.4. p.128

32.v.5.Habeo boues, & aſinos,& oues.....mittoque nunc legationem ad Dominum meum, &c.§.204 n.2.& 3. p.413

11. Erue me de manu fratris mei Eſaü, quia valdè

valde eum timeo: ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis. §. 177. num. 2. p.154
20. Placabo illum muneribus quæ præcedunt, & poſteà videbo illum, forſitan propitiabitur mihi. §.93.n.11.p.196.& §. 217. n. 5. p.440
24. & 25. Et ecce vir luctabatur cum eo vſque mane,&c.§.198 n.3. p.395
28. At ille:Nequaquam, inquit,Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, &c. §. 139.n.3. p.283
33. v. 10. Sic vidi faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei. §. 20.num. 4.p. 48. & §.93.n.5. p.197
13. Noſti Domine mi, quòd paruulos habeam teneros,& oues, & boues fœtas mecum. §.317 n.2: p.631
14. Et ego ſequar paullatim veſtigia eius. §.337. n.10. p.670
34 v. 1. Egreſſa eſt autem Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius. §.178.num.9. p.357
2. Quam cùm vidiſſet Sichem filius Hemor Heuæi,princeps terræ illius, adamauit eam; & rapuit,& dormiuit cum illâ, vi opprimens virginem §.62.n.3. p.133
7. Ecce filij eius veniebant de agro, auditóque quod acciderat,irati ſunt valde,&c.§.221. num.5. p.448
8.& 17. Sichem filij mei adhæſit anima filiæ veſtræ, &c. Si autem circumcidi nolueritis, &c.§.204.n.7. p.412
14. Non poſſumus facere, quod petitis,nec dare ſororem noſtram homini incircunciſo,&c. §.247.n.2. p.499
20. Ingreſſique portam vrbis, locuti ſunt ad populum, &c. Aſſenſique ſunt omnes,circumciſis cunctis maribus. §.76. num. 4. p.159
30. Turbaſtis me, & odioſum feciſtis me Chananæis.§.317.n.5. p.631
35. v. 4. Abiicite Deos alienos qui in medio veſtri ſunt.§.77.n.6. p.162
13. Et receſſit ab eo.§.132.n.4. p.270
37.v.2. Accuſauitque fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo.§.222.n.5. p.449
21. Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum.§.337.n. 12. p 670
38. v. 5. Tertium quoque peperit; quem appellauit Sela. Quo nato parere vltra ceſſauit. §.18.n.3. p.44
15. & 16. Quam cum vidiſſet Iudas, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem: operuerat enim vultum ſuum ne agnoſceretur,&c.§.298.n.6. p.596.& §.318.n.2. p.632
39.v.6.7. Erat autem Ioſeph pulchrâ facie, & decorus aſpectu. Poſt multos itaque dies iniecit domina ſua oculos in Ioſeph. §.62. n.5. p.134
9.& 10 Quomodo ergo poſſum hoc malum facere?§ 298.n.4. p.595
12. Apprehenſa lacinia veſtimenti eius, diceret: Dormi mecum.Qui relicto in manu eius pallio,fugit,& egreſſus eſt foràs.§.31.n.8. p.68
19.& 20. Iratus eſt valdè: tradiditque Ioſeph in carcerem, vbi vincti Regis cuſtodiebantur,& erat ibi clauſus.§.60.n. 2.pag.129.
& §.223.n.5. p.451
41.v.40.& 42.Tu eris ſuper domum meam, ad tui oris imperium,&c.§.206.n.4. p.415
56. Aperuitque Ioſeph vniuerſa horrea, & vendebat Ægyptiis: nam & illos oppreſſerat fames.§ 147.n.6. p.299
9. Exploratores eſtis,&c.§.221.n.3 p. 447. & §. 223.n.3. p.451
42. v. 19. Vos autem abite & ferte frumenta quæ emiſtis, in domos veſtras. §. 40 num. 3. p.83
21. Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum,&c.§.221.n.3. p.447
43.v. 8.[Mitte puerum mecum vt proficiſcamur,& poſſidemus viuere, ne moriamur, &c. §. 204.n.4. p.411
34. Et mirabantur nimis,ſumptis partibus, quas ab eo acceperant. Maiorque pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet.§ 91.n.2. p.193
44.v.5.Scyphus,quem furati eſtis,ipſe eſt in quo bibit Dominus meus,& in quo augurari ſolet.§.42.n.2. p.87
15. Quibus ille ait: Cur ſi facere voluiſtis? an ignoratis, quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia.§.244.n.3. p.493
45. v. 13. Nunciate patri meo vniuerſam gloriam meam,&c.§.295.n.2. p.589
47.v.2. Extremos quoque fratrum ſuorum quinque viros conſtituit coram Rege. §. 194. n. 4. p.388
7. Poſt hæc introduxit patrem ſuum ad Regem, & ſtatuit eum coram eo. §. 204. num. 6. p.412
22. Præter terram ſacerdotum,quæ à rege fuerat tradita eis, quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur. §. 78. n. 2. p.165
25. Salus noſtra in manu tuâ eſt, reſpiciat nos tantùm Dominus noſter, & læti ſeruiemus Regi.§.377.n.4. p.747
48. v. 7. Mihi,quando veniebam de Meſopotamiâ, mortua eſt Rachel in terrâ Chanaan in ipſo itinere,erat enim vernum tempus:& ingrediebar Ephratam,&c. §. 48. num. 2. p.98
14. Qui extendens manum dexteram, poſuit ſuper caput Ephraim, &c. 201. numero 2. p.400
49.v.8. Iuda, te laudabunt fratres tui......adorabunt te filij patris tui.§.99.n 1. p.207
14. Iſſachar aſinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem quòd eſſet bona: & ſuppoſuit humerum ad portandum. §.125. num.5. p.258
20. Aſer pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.§.45.n.2. p.92
22. Filius accreſcens Ioſeph,filius accreſcens, & decorus aſpectu.§.396.n.6. p.782
50.v.4.& 5. Expleto planctus tempore, locutus eſt Ioſeph ad familiam Pharaonis: Si inueni gratiam,&c.§.206.n.6. p.416
19.& 20. Quibus ille reſpondit: Nolite timere: Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? Vos cogitaſtis de me malum, &c. §.223. num.4. p.451

## *Ex Libro Exodi.*


*Cap.* 1. *v.* 11. PRæpoſuit itaque eis Magiſtros operum, vt affligerent eos oneribus. §. 234. n. 5. p. 474

13. Oderant filios Iſraël Ægiptij, & affligebant illudentes eis: atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, &c. §. 91. n. 5. p. 194

2. v. 5. Ecce deſcendebat filia Pharaonis vt lauaretur in flumine......Quæ cùm vidiſſet fiſcellam in papyrione.......cernenſque in eâ paruulum vagientem, &c. § 168. num. 4. p. 338

12. Cùmque circumſpexiſſet huc atque illuc, & nullum adeſſe vidiſſet, percuſſum Ægyptium abſcondit in ſabulo. §. 177. n. 5. p. 355

3. v. 2. 3. Apparuitque ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moyſes: Vadam, & videbo viſionem hanc magnam. §. 118. n. 2. p. 243. & §. 266. num. 3. p. 537

5. Ne appropies huc: ſolue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt §. 83. n. 3. p. 174

6. Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, &c. §. 188. n. 3. p. 376

7. Vidi afflictionem populi mei in Ægypto.......... § 393. n. 3. p. 776

9. Clamor ergo filiorum Iſraël venit ad me: vidique afflictionem eorum, quâ ab Ægyptiis opprimuntur. §. 32. n. 4. p. 69

12. Qui dixit ei: Ego ero tecum: & hoc habebis ſignum quòd miſerim te: Cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum. §. 111. num. 3. 230

14. Dixit Deus ad Moyſen: Ego ſum, qui ſum. Ait: Sic dices filiis Iſraël: Qui eſt, miſit me ad vos. §. 131. num. 3. p. 268. & §. 230. n. 3. p. 463. & §. 324. n. 5. & 11. p. 644

15. Dominus Deus Patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac. &c. §. 171. num. 4. p. 343

4. v. 1. 2. Non apparuit tibi Dominus. Dixit ergo ad eum. §. 133. n. 5. p. 272

4. Dixitque Dominus: extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, verſáque eſt in virgam. §. 123. num. 4 p. 254

6. 7. Mitte manum tuam in ſinum tuum. Quam cùm miſiſſet in ſinum, &c. §. 145. num. 7. p. 295. & §. 239. n. 2. p. 482. & §. 321. n. 5. p. 640

10. Obſecro Domine non ſum eloquens ab heri, nudiuſtertius: ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum. §. 286. n. 6. p. 574

13. Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es. §. 174. n. 1. p. 348

25. Tulit illicò Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui...... Et dimiſit eum poſtquam dixerat: Sponſus ſanguinum, &c. §. 321. n. 2. p. 639. & § 124. n. 7. p. 155

31. Non credent mihi, neque audient vocem meam § 318. n. 5. p. 633

5. v. 3. Ne fortè accidat nobis peſtis aut gladius. §. 128. n. 5. p. 265

21. Et dixerunt ad eos: Videat Dominus & iudicet, quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone. §. 335. num. 3. p. 664

6. v. 3. Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente: & nomen meum Adonai non indicaui eis, &c. §. 178 num. 2. p. 356

7. v. 1. Dixit Dominus ad Moyſem: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus, &c. §. 146. num. 4. p. 296. & §. 206. num. 3. p. 415

10. Tulitque Aaron virgam ſuam coram Pharaone & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum. §. 188. num. 2. p. 576. & §. 244. num. 5. p. 494

16. Hæc igitur dicit Dominus: In hoc ſcies, quod ſim Dominus: &c. §. 205. num. 2. p. 413. & §. 206. n. 5. p. 415

17. & 18. Ecce percutiam virgâ, quæ in manu mea eſt, aquam fluminis, & vertetur in ſanguinem, &c. §. 241. n. 6. p. 488

22. Feceruntque ſimiliter malefici Ægyptiorum incantationibus ſuis: & induratum eſt, &c. §. 319. n. 5. & 6. p. 636

8. v. 12. Egreſſique ſunt Moyſes & Aaron à Pharaone, &c. §. 193. n. 6. p. 386

18. & 19. Feceruntque ſimiliter Magi incantationibus ſuis, vt educerent ſciniphes, & non potuerunt, &c. §. 189. num. 4. p. 379. & §. 319 n. 5. p. 636

30. & 31. Egreſſúſque Moyſes à Pharaone, orauit Dominum. Qui fecit iuxta verbum illius: & abſtulit muſcas à Pharaone. §. 337. num. 8. p. 669

9. v. 1. Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: dimitte populum meum vt ſacrificet mihi: Quod ſi adhuc renuis, &c, §. 130. n. 5. p. 267

3. Ecce manus mea erit.....ſuper equos, & aſinos, & camelos, & boues, & oues, peſtis valde grauis. §. 79. n. 5. p. 167

6. Fecit ergo Dominus verbum hoc alterâ die mortuáque ſunt omnia animantia, &c. §. 301. n. 3. p. 605

7. Et miſit Pharao ad videndum: nec erat quidquam mortuum de his quæ poſſidebat Iſraël. §. 101. n. 5. p. 210

9. Erant enim in hominibus & iumentis vlcera, & veſicæ turgentes. §. 303. n. 9. p. 604

11. v. 1. Adhuc vnâ plagâ tangam Pharaonem & Ægyptum, & poſt hæc dimittet vos, & exire compellet. §. 122. n. 3. p. 252

3. Fuitque Moyſes vir magnus valdè in terrâ Ægypti coram ſeruis Pharaonis, &c. §. 312. num. 3. p. 622

12. v. 3. 6. Decimâ die menſis huius tollat vnuſquiſque agnum per familias........Et ſeruabitis eum vſque ad quartam decimam diem menſis huius; &c. §. 47. num. 2. p. 96. & §. 49. n. 5. p. 101

8. Et edent carnes nocte illâ aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus. §. 51. n. 9. p. 105

9. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, ſed tantùm aſſum igni, §. 41. n. 2,

n.1.p.85.& §.41. n. 5. p. 88. & §. 49. n. 4. p.100
11. Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter. §. 48. n 5. p.99
12. Tranſibo per terram Ægypti nocte illâ percutiámque omne primogenitum, &c. §. 249.n.3 p. 502
13. Cumque viderit ſanguinem in ſuperliminari, & in vtroque poſte tranſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domus veſtras, & lædere. §.41.n.41. p. 86. & §.249.n.4. p.501
14. v. 14. & 15. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis, Dixitque Dominus ad Moyſem, Quid clamas ad me. §. 146. num. 7. p.297
19. Tollénſque ſe Angelus Domini qui præcedebat caſtra Iſraël, abiit poſt eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, poſt tergum. §.99.n.6. p. 209
16. v. 7. Colligat vnuſquiſque ex eo quantum ſufficit ad veſcendum: gomor per ſingula capita, iuxta, &c. §.147.n 4. p. 298
23. v. 29. & 30. Non eiiciam eos à facie tua anno vno: ne terra in ſolitudinem redigatur ......paullatim expellam eos, &c. §. 245. n.4. p.495
31. v. 18. Dedit Dominus Moyſi.......in monte Sinaï duas tabulas teſtimonij lapideas, ſcriptas digito Dei, &c. §.363.n. 1. p. 721
32. v. 1. Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant: Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit. §. 132. n. 7. p. 271. & §. 218. n. 2. p.441
2. Tollite inaures aureas de vxorum, filiorumque & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me. §.77.n 16. p.164
6. Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. §. 21. n. 3. p.49. 50
12. Ne quæſo dicant Ægyptij: Callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra: quieſcat ira tua.....placatúſque eſt Dominus, &c §. 313.n.2. p.624
33. v. 23. Et videbis poſteriora mea: faciem autem meam videre non poteris. §. 132. n.6. p.271
23. Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet. §. 324. n. 2. p.644

## *Ex Leuitico.*

Cap.2.v.11. OBlatio quæ offertur Domino, abſque fermento fiet, &c §. 213. n. 1. pag.429
8. v. 3. & 4. Et congregabis omnem cœtum ad oſtium tabernaculi. Fecit Moyſes vt Dominus imperauerat. Congregatâque omni turbâ &c. §.169.n.6. p. 340
23. Quem cùm immolaſſet Moyſes, ſumens de ſanguine eius, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, &c.§.331.n.6. p.659.
19. v. 32. Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis, &c. §. 322. numero 1. pag. 640
24. v. 6. Super menſam puriſſimam coram Domino ſtatues. §.387.n.1. p. 765

## *Ex Numeris.*

Cap.11.v.17. ET auferam de Spiritu tuo, tradámque eis, vt ſuſtentent, &c. 56.n 6. p.115.& §.106.n. 2. pag. 414. & §. 173. num.2. p 346
20.v.11. Audite rebelles, & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere. §.334 n.1. p.662
17. & 19. Obſecramus vt nobis tranſire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, neque per vineas, &c.§ 208.num.7. pag. 410
23. v. 10 Quis dinumerare poſſit puluerem Iacob, & noſſe numerum ſtirpis Iſraël.§.29. n. 6. pag 64
25. v. 3. Ingreſſus eſt poſt virum Iſraëlitem in lupanar, & perfodit ambos ſimul, &c.§. 261. num.6. p.528

## *Ex Deuteronomio.*

Cap.6.v.4. AVdi Iſraël, Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt. §. 72. n. 3.p. 152
7.v. 7. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus eſt Dominus, & elegit vos, cùm omnibus ſitis populis pauciores § 29.n.5. p. 64
10.v.9. Non habebit Leui partem, neque poſſeſſionem cum fratribus ſuis: quia ipſe Dominus poſſeſſio eius eſt. §. 152. numero 8. pag.308
12. v. 32. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.§.110.n.5. p. 228
15.v. 4. Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos: vt benedicat tibi Dominus, &c. § 225.n.5. p.455
28. v.63. Et ſicut antè lætatus eſt Dominus ſuper vos, benè vobis faciens......, ſic lætabitur diſperdens vos, &c.§.184 n.6. p.370

## *Ex Ioſue.*

Cap.1.v.5. NEc dimittam, nec derelinquam te. § 188.n. 2. p. 376
2. v. 1. Qui pergentes ingreſſi ſunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, &c. §. 318. num.4. p.633
4. Fateor venerunt ad me, &c. §. 318. num. 4. p.633
5. v. 2. Ait Dominus ad Ioſue: Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundò filios Iſraël §.96.n.4.p.202.& 203.& §.168.num. 5. p. 338
6. v. 4. Septimo autem die Sacerdotes tollant ſeptem buccinas, & præcedant arcam fœderis.§.368 n 5. p.731
7. v. 21. Vidi inter ſpolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulam

regulamque auream quinquaginta ſiclorum, & concupiſcens abſtuli. §. 135. n. 6. pag 277

10. v. 12. & 13. Tunc locutus eſt Ioſue Domino..... Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna, &c. §. 205. n. 3. p. 413

14. Obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſraël § 205. n. 4. p. 413

10. v. 12. 13. Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. §. 35. num. 4. pag. 75

## *Ex Libro Iudicum.*

Cap. 1. v. 11. ABiit ad habitatores Dabir, cuius nomen vetus erat Cariath Sepher, id eſt, ciuitas litterarum. §. 98. num. 6. p. 207

2. v. 17. Fornicantes cum diis alienis, & adorantes eos §. 79. n 6. p. 167

3. v. 1. Hæ ſunt gentes quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraëlem. §. 245. n. 2. & 5. p. 495. & 496

5. v. 4. Domine, cùm exires de Seir, & tranſires per regionem Edom. Terra mota eſt, cœlique ac nubes diſtillauerunt aquis. §. 112. n. 2. p. 231

7. & 8. Ceſſauerunt fortes in Iſraël, & quieuerunt... Noua bella elegit Dominus. §. 211. num. 5. p. 426

6. v. 31. Numquid vltores eſtis Baal, vt pugnetis pro eo? &c. § 148. n. 7. p. 300

39. Oro vt ſolum vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens. §. 360. num. 6. p. 716

7. v. 10. Sin autem ſolus ire formidas, deſcendat tecum Phara puer tuus. §. 73. n. 2. pag. 153

13. Vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex ordeo volui, & in caſtra Madian deſcendere: &c. §. 42. n. 3. pag 87

9. v. 13. Numquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum & homines? §. 25. num. 6. p. 57

13. Cui apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam § 63. n. 6. p. 136

13. v. 7. & 8. Ecce concipies & paries filium: caue ne vinum bibas..... erit enim puer Nazaræus Dei ab infantiâ ſuâ, ex vtero matris ſuæ vſque ad diem mortis ſuæ, &c. §. 18. num. 5. pag. 45. & §. 371. num. 5. pag. 736

18. Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile. §. 324. n. 3. p. 644

14. v. 14. De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo. §. 50. num. 8, pag. 103

19. Irruit in eum Spiritus Domini...... & percuſſit ibi triginta viros, &c. § 301. n. 7. p. 601

16. v. 17. Si raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam. §. 62. n. 8. p. 134

28. Domine Deus memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem priſtinam, &c. § 258. num. 2. p. 522

## *Ex Ruth.*

Cap. 3. v. 1. FIlia mea quæram tibi requiem, & prouidebo vt bene ſit tibi. §. 36. num. 2. p. 76

## *Ex Libro I. Regum.*

Cap. 1. v. 17. DEus Iſraël det tibi petitionem tuam. §. 269. n. 3. p. 542

23. Precórque vt impleat Dominus verbum ſuum. §. 269. n. 3. p. 542

24. Et adduxit eum ſecum poſtquam ablactauerat in vitulis tribus. §. 235. num. 6. pag. 476

2. v. 1. Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum, &c. §. 308. n. 7. pag. 615

8. Suſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem: vt ſedeat, &c. §. 207. num. 7. p. 417
Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem. §. 122. num. 6. p. 253. & §. 173. n. 6. p. 347

30. Qui glorificauerit me glorificabo eum. §. 350. n. 5. p. 698

3. v. 2. Factum eſt in die quâdam, Heli iacebat in loco ſuo, & oculi eius caligauerant, nec videre poterat: Lucerna Dei antequam extingueretur, &c. §. 64. n. 4. p. 137

4. v. 18. Cumque ille nominaſſet arcam Dei, cecidit de ſella retrorſum iuxta oſtium, & fractis ceruicibus mortuus eſt: & ipſe iudicauit Iſraël quadraginta annis. §. 67. num 4. p. 143

5. v. 5. Porrò Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo. Propter hanc cauſſam non calcant ſacerdotes Dagon, &c. §. 95. num. 8. pag. 202

7. Quoniam dura eſt manus eius ſuper nos, & ſuper Dagon Deum noſtrum. §. 95. n. 7. pag. 201. & §. 158. num 6. pag. 319. & §. 319. n. 7. p. 637

8. v. 28. Et regnauit Dauid ſuper omnem Iſraël; faciebat quoque Dauid iuſtitiam, &c. §. 307. n. 4. p. 613

10. v. 3. Cúmque abieris inde, & vltrà tranſieris, & veneris ad quercum Thabor, inuenient te tres viri, &c. §. 85. n. 4. p. 178. & § 72, num. 5. p. 152

5. Poſt hæc venies ad collem Dei, vbi eſt ſtatio Philiſtinorum, & cum ingreſſus fueris vrbem, obuium habebis gregem Prophetarum, &c. §. 271. num. 4. pag. 546

6. Inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alterum. § 81. n. 3. pag. 170

15. v. 6. Tu enim feciſti miſericordiam cum omnibus filiis Iſraël, cum aſcenderent de Ægypto §. 148. n. 4. p. 299

27. & 28 Et conuerſus eſt Samuël vt abiret: ille autem apprehendit ſummitatem pallij eius, quæ &c. § 150. n. 3. p. 303

16. Homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. §. 63. n. 7. p. 136

12. Si fortè reſpiciat Dominus afflictionem meã,& reddat mihi,&c.§.279.n.4.p.560
18. Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere,& fortiſſimum robore,&c.§.193. n.4.p.386.& §.194.n.3. p.388
17. v. 4. Et egreſſus eſt vir ſpurius de caſtris Philiſtinorum nomine Goliath, de Geth, altitudinis ſex cubitorum & palmi. §. 91. num.4. p. 194
45. Tu venis ad me cum gladio, & haſta....ego autem, &c.§.207.n.14. p. 419
18. 10. & 11. Inuaſit ſpiritus Dei malus Saül.....Tenebátque Saül lanceam, &c.§. 219. n. 4. p.444
17. Dixitque Saül ad Dauid:Ecce filia mea maior Merob, ipſam dabo tibi vxorem, &c. §. 193.n.5. p. 386
Saül autem reputabat, dicens: Non ſit manus mea in eum,ſed ſit ſuper eum manus Philiſtinorum.§.34.n.2. p.73
20. Dixitque Saül: Dabo eam illi, vt fiat ei in ſcandalum.§.37.n. 3. p. 78
24.v.23.Abiit Saül in domum ſuam: & Dauid, & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca. §. 258.num.4. p.523

## *Ex Libro II. Regum.*

*Cap.*1.*v.*17. PLanxit autem Dauid planctum huiuſcemodi ſuper Saül........& ait: Conſidera Iſraël pro his qui mortui ſunt ſuper excelſa tua vulnerati, &c. §. 115. n. 6. p. 238
3. v. 6. Cùm ergo eſſet prælium inter domum Saül,& domum Dauid, Abner,&c.§.222 n.4. p. 449
25. Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te,vt deciperet te,&c.§.313. n. 5.p.625
11. v. 2. Viditque mulierem ſe lauantem ex aduerſo ſuper ſolarium ſuum: erat autem mulier pulchra valdè §.60.n.5. p.130
12. v. 4. Cum autem peregrinus quidam veniſſet ad diuitem,&c.§.158.n.3. p.318
5.& 6. Viuit Dominus, quoniam filius mortis eſt vir qui fecit hoc.Ouem reddet, &c §.160. n.7. p.322
9.10. Vriam Hethæum percuſſiſti gladio,& vxorẽ illius accepiſti in vxorem tibi...Quamobrem non recedet gladius de domo tua, &c.§.157.n.6. p.317
13. Peccaui Domino Dixitque Nathan ad Dauid: Dominus quoque tranſtulit, &c. §. 261.n.4.& 5.p.528.§.61.n. 8. p.132
16.v.10.Et ait Rex: Quid mihi, & vobis eſt, filij Saruiæ?&c.§.221. n. 4. p. 447. & §. 223. num.2. p. 450
23. v. 15. Deſiderauit ergo Dauid, & ait: ô ſiquis mihi daret potum aquæ de ciſternâ, quæ eſt in Bethlehem.§.47.n.7. p. 97
24.v.16.& 17.Sufficit, nunc contine manum tuam ......Dixitque Dauid ad Dominum, cùm vidiſſet Angelum cædentem populum, &c.§.277.n.3. p. 557

## *Ex Libro III. Regum.*

*Cap.*2.*v.*5.*&* 6. TV quoque noſti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ,&c.§.220 num.5. p.446
20. Et dixit ei rex: pete mater mea: neque enim fas eſt vt auertam faciem tuam. §. 380 num.5. p.753
3. v. 11. Poſtula quo vis vt dem tibi. §. 281. n. 8. p.565
12. Ecce feci tibi ſecundùm ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens,in tantum vt nullus ante te ſimilis tui fuerit,neo poſt te ſurrecturus ſit.§.30.n. 2. p. 65. & §.318.n. 9. p. 634
16. Meretricum iudicium.§.181.n.6. p. 364
26. Dixit autem mulier, cuius filius erat viuus ad Regem......Obſecro, &c. §. 213. n. 5. p.430
11.v.4. & 5. Cúmque iam Salomon eſſet ſenex deprauatum eſt cor illius per mulieres, &c. §.263.n.2. p. 531
13. v. 2. Et clamauit contra altare in ſermone Domini, & ait; Altare,&c.§.334. n. 5. pag.663
15. v. 5. Eo quod feciſſet Dauid rectum in oculis domini, & non declinaſſet ab omnibus quæ præceperat ei, &c. §. 157. num. 3. pag.316
17. v. 14. Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei,&c.§.228.n. 4. p. 460
18. v. 13. Quod abſconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos & quinquagenos in ſpeluncis, &c.§.231.num.8. pag.466
44. Ecce nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.§.341.n.3.p.680.& §.386.n.5. p.762
19.v.7.8.Surge,comede,grandis enim tibi reſtat via. Qui cùm ſurrexiſſet,comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius vſque ad montem Dei Horeb. §. 48. num. 1. pag.98
18. Et reliqui mihi in Iſraël ſeptem millia virorum,quorum genua non ſunt incuruata ante Baal.§.300.n.6. p.599
21. v. 4. Venit ergo Achab in domum ſuam indignans,&c.§.150.n.7. p. 304
Et proiiciens ſe in lectulum ſuum,auertit faciem ſuam ad parietem,& non comedit panem §.150.n.5.& 7. p. 304
20. Venundatus es vt faceres malum.§.150. n. 7. p.304
22. v. 13. Nuncius verò qui ierat vt vocaret Michæam,locutus eſt ad eũ,dicens:Ecce ſermones prophetarum ore vno Regi bona prædicant,&c.§.28.n.5. p.63
15. Aſcende in Ramoth Galaad, & vade proſperè, & tradet Dominus in manus regis §.28.n.2. p.62
16. Iterùm adiuro te, vt non loquaris, mihi niſi quod verum eſt,in nomine Domini.§.28. n.3. p. 62
21. & 22. Egreſſus eſt autem Spiritus, & ſtetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum, &c. §. 219.num. 3. pagina 444

24. Acceſſit Sedecias, & percuſſit Michæam in maxillam.§.28.n.4. p.62


## *Ex Libro IV. Regum.*


*Cap.1.v.9.& 10.* DIxitque Eliſeus: Obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus. Qui reſpondit,&c. §. 173. num. 3. pag.346.&§.108.n.5.p.225.& §.258.n.3. pag.522

12. Pater mi, pater mi, currus Iſraël & auriga eius.§.271.n.3. p.546

3. v. 27. Arripiens filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum: & facta eſt indignatio magna in Iſraël. §. 69. num. 7. pag.147


## *Ex I. Paralipomenon.*


*Cap.21.v.13.* ET dixit Dauid ad Gad: Ex omni parte me anguſtiæ premunt: ſed melius mihi eſt, vt incidam in manus Domini.§.281.n.7. p.564


## *Ex II. Paralipomenon.*


*Cap.6.v.33.* VT ſciant omnes populi terræ Nomen tuum,&c.§.340.n.5. p.679


## *Ex II. Eſdræ.*


*Cap.9.v.6.* DEus meus confundor & erubeſco leuare faciem meam ad te quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrum, &c. §. 108. num. 8. p.225


## *Ex IV. Eſdræ.*


*Cap.5.v.42.* ET dixit ad me: Coronæ aſſimilabo iudicium meum.§.290.num. 5. pag.581

7. v. 49. Quid enim prodeſt nobis, ſi nobis promiſſum eſt immortale tempus, nos autem mortalia corpora egimus?&c. §.126 num. 5. p. 260


## *Ex Libro Tobiæ.*


*Cap.3.v.24.& 25.* IN illo tempore exauditæ ſunt preces amborum in conſpectu gloriæ ſummi Dei. Et miſſus eſt Angelus Domini ſanctus Raphaël, &c.§.274. num.6. p.552

4.v.19.Conſilium ſemper à ſapiente perquire.§.26. num. 6. p. 59

8. v. 5. Sicut gentes, quæ ignorant Deum. §. 324. *R. P. Didac. Celada in Eſtherem.* num.10. p.645

12. v. 12. Quando orabas cum lacrymis.....ego obtuli orationem tuam Domino.§.306.n.7. pag.610


## *Ex Libro Iudith.*


*Cap.2.v.2.* VOcauit omnes maiores natu, omneſque duces,ac bellatores ſuos, & habuit cum eis myſterium conſilij ſui. §.26.n.2. p. 58

3.& 4. Dixitque cogitationē ſuam in eo eſſe,vt omnem terrā ſuo ſubiugaret imperio. Quod dictum cùm placuiſſet omnibus,&c.§.28 n.7.p.63.& §.164. n. 2. p.332

5. v. 21.Et vſque dum non peccarent in conſpectu Dei ſui,erant cum illis bona,&c. §. 291. num.3. p.582

8. v. 8. Et erat hæc in omnibus famoſiſſima.....nec erat qui loqueretur de illa verbum malū §.342.n.2.p.682,& §.63.n.2. p. 135

9. v. 17. Domine totius creaturæ, exaudi me miſeram deprecantem,&c.§.276.n.4. p.555

11. v. 19. & 21. Non eſt talis mulier ſuper terram in aſpectu....Et tu in domo Nabuchodonoſor magna eris, & nomen tuum, &c. §.154.n.7. p.312

13.v.20. Viuit autem Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, &c.§.65.n.2. p. 135


## *Ex Libro Eſthèr.*


*Cap.1.v.8.* NEc erat qui nolentes cogeret ad bibendum.§.109.n.5. p.226

16. Non ſolùm Regem læſit Regina Vaſthi, ſed & omnes populos,&c.317.n. 3. p. 631

18. Vnde Regis iuſta eſt indignatio.§. 145. n. 8. p.295

19. Vnde iratus rex, & nimio furore ſuccenſus. §.34.n.5. p.73

22. Eſſe viros Principes ac maiores in domibus ſuis.§.182.n.8. p. 366

2.v.7.Qui fuit nutritius filiæ fratris ſui Ediſſæ........ pulchra nimis, & decora facie,&c.§.313. num.4. p.624

8. Eſther quoque inter cæteras puellas ei tradita eſt vt ſeruaretur in numero feminarum. Quæ placuit ei,&c.§.74.n.4. p. 158

15.Erat enim formoſa valde, &c. §. 342. num. 3. pag.683.

18. Et iuſſit conuiuium præparari permagnificum cunctis principibus,& ſeruis ſuis,pro coniunctione,& nuptiis Eſther,&c.§.38. num.8. p. 81

3. v. 1. 2. Poſt hæc rex Aſſuerus exaltauit Aman filium Amadathi......& poſuit ſolium eius ſuper omnes principes,quos habebat,&c. §.40.n.4. p.83

6. Pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus ſuas?&c.§.207.n.9. p.418

10.& 11. Tulit Rex annulum, quo vtebatur, de manu ſuâ, & dedit eum Aman........hoſti Iudæorum,&c.§.106.n.2. p.220

4. v. 1. &. 3. Et indutus eſt ſacco ſpargens


 cinerem

cinerem capiti ſuo, &c. §. 267. num. 5. p.539.
2. Cùmque vidiſſet Reginam ſtantem, placuit oculis eius.§ 38.n.5. p. 80
7.v.2. Quæ eſt petitio tua Eſther vt detur tibi? &c. §.182.n.2. p.365
8. Et ſtatim operuerunt faciem eius.§.185. num. 7. p. 372
8. v. 1. Dedit rex Aſſuerus Eſther reginæ domum Aman.§ 344.n.2. p. 686
15. Quomodo Mardochæus Iudaici generis, ſecundus à Rege,&c.§.207.n.5. p.417
16. Omniſque ciuitas exultauit,&c.§. 207. n. 8. & 10. p. 418
26.& 28.Atque ex illo tempore dies iſti appellati ſunt Phurim, &c. §. 210. num. 4. p. 424
11. & 12. Quod cùm vidiſſet Mardochæus, & ſurrexiſſet de ſtrato, cogitabat quid Deus facere vellet, &c. §. 238. num.7.p. 481
13. & 14 Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem,excepto Deo meo. §.95.n.200. & §.207.n.12. p. 418
14. v. 2. Cùmque depoſuiſſet veſtes regias, fletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit,&c. §.259.n.5. p.525
16. Tu ſcis neceſſitatem meam quòd abominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ meæ, &c. §.289.n. 2. p. 578
15. v. 11. Regina corruit, & in pallorem colore mutato,&c.§.302.n.3. p. 602
16. Vidi te Domine quaſi Angelum Dei, &c. §.305.n.4.p.608.& §. 306. n. 2. p.612. §.308 n.9. p.615
16.v.6. Dum aures principum ſimplices, & ex ſuâ naturâ alios æſtimantes, callidâ fraude decipiunt.§.105.n.5. p.219
9. Nec putare debetis, ſi diuerſa iubeamus, ex animi noſtri venire leuitate, &c. §. 310. num.8. p. 639
11. Et tantam in ſe expertus humanitatem, vt pater noſter vocaretur, &c. §. 316. n. 3. p.629.
16. Filios altiſſimi & maximi ſemperque viuentis Dei, &c.§.211.n.3. p.425

## *Ex Libro Iob.*

*Cap.*1.*v.*20. TVnc ſurrexit Iob, & ſcit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram adorauit, &c. §. 137. n.2.p. 279. & §.124. n. 3.p. 250.§. 298. num.7. p. 596
21. Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. §. 129. num.5. p.265
2.v. 9. Adhuc tu permanes in ſimplicitate tuâ: benedic Deo,& morere.§. 82. n. 8. p. 173
3. v. 2. 3. Et maledixit diei ſuo, & locutus eſt: Pereat dies in quâ natus ſum, & nox in quâ dictum eſt: Conceptus eſt homo. §. 19.n.3. p.46
9.& 16.Expectet lucem, & non videat........ Aut ſicut abortiuum abſconditum non ſubſiſterem, &c.§.242.n.7. p.491
17. Ibi impij ceſſauerunt à tumultu, & ibi quieuerunt feſſi robore. §. 154. num. 4. pag.311
7. v. 15. Terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties. §. 137. num. 4. p.280
20.Peccaui, quid faciam tibi ô cuſtos hominum? 282.n.4. p.566
9.v.13. Qui portant orbem. §. 164. n. 6. p. 333
10. v. 21. Terram miſeriæ & tenebrarum vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.§.86.n.2. p. 179. & §.183.n.3. p. 367
13. v. 4. Prius vos oſtendam fabricatores mendacij, & cultores peruerſorum dogmatum. § 97.n.5. p.205
7. Numquid Deus indiget veſtro mendacio, vt pro illo loquamini dolos? §. 97. num. 7. pag.205.& §.195.num. 4. pag. 390. & §. 107.n.3. p.222
12. Memoria veſtra comparabitur cineri, & redigentur in lutum ceruices veſtræ. §.127. num. 5. p. 262. & §.267. num. 1. pag 538
14. v. 2. Et numquam in eodem ſtatu permanet. §.320.n.7. p. 638
24. Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea, &c. §.320.num. 2. p. 637. & §. 127. num. 6. p.262
10. v. 5. Laus impiorum breuis eſt, & gaudium hypocritæ adinſtar puncti. §. 295. n. 6. p.589
11. Oſſa eius implebuntur vitiis adoleſcentiæ ſuæ, & cum ipſo in puluere dormient. §.101.n.5. p. 212
23. v. 11. & 12. Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus, viam eius cuſtodiui.....A mandatis labiorum eius non receſſi, &c.§.144. num. 2. p.292.§.71.n.2. p.149
25. v. 2. Poteſtas, & terror apud eum eſt, qui facit concordiam in ſublimibus,§.306. n. 2. p.609
28. v.13. Neſcit homo pretium eius. §.361. n. 5. p.718.
29.v.32.& 33. Super illos ſtillabat eloquiũ meum. Expectabant me ſicut pluuiam, & os ſuum aperiebant quaſi ad imbrem ſerotinum.§.81 n.4. p. 170
31. v. 18. Ab infantiâ creuit mecum miſeratio, &c. §.381.n.5. p. 755
35.v.10.Vbi eſt Deus qui fecit me:qui dedit carmina in nocte.§.306.n.4. p.610
38. v. 7. Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? §.127.n.3. p. 261.& §.128 n.6. p.265
11. Et dixi: Vſque huc venies, & non procedes ampliùs, & hîc confringes tumentes fluctus tuos.§.197.n.3. p. 393
12.Numquid........oſtendiſti Auroræ locum ſuum §.373.n.1. p.739
22. Numquid ingreſſus es theſauros niuis: aut theſauros grandinis aſpexiſti. §. 284. n. 4. p.570
40. v. 7. Reſpice cunctos ſuperbos, & confunde eos,& contere,impios in loco ſuo. §. 176. num.6. p. 353
16. Sub vmbra dormit in ſecreto calami: &c. §.100.n.6. p. 210
41. v. 4. Quis reuelabit faciem indumenti eius

eius, & medium o is eius quis introibit? § 73.n.6. p. 166

21. Et ſternet ſibi aurum quaſi lutum. § 161. num. 8. p. 519

25. Omne ſublime videt, ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ. §. 176. numero 3. p. 352

---

## *Ex Pſalmis.*

*Pſalm.* 1. v. 1. ET in Cathedra peſtilentiæ non ſedit § 148. n. 9. p. 301. & §. 149. n. 7. p. 301 & §. 190. n. 6. p. 381

2. Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. §. 198. num. 5. p. 395

3. & 4. Erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod, &c. Et folium eius non defluet, & omnia quæcumque faciet proſperabuntur. §. 170. n. 2. p. 341. & §. 127. n. 2. p. 161. & §. 231. n. 10. p. 467. & §. 281. n. 10. p. 565

5. Non ſic impij, non ſic; ſed tanquam puluis, &c. §. 183 n. 5. p. 368

6. Ideo non reſurgent impij in iudicio, neque peccatores. §. 192. n. 5. p. 384

2. v. 8. Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, &c § 319. n. 6. p. 462. & §. 270. n. 3. & 6. p. 544. & 545

9. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. §. 158. num. 5. p. 3 9

12. Apprehendite diſciplinam, ne quandò iraſcatur Dominus, & pereatis de viâ iuſtâ § 81. n. 2. p. 170

13. Cùm exarſerit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo. §. 139. num. 9. pag. 284

3. v. 1 Pſalmus David cùm fugeret à facie Abſalom filij ſui. § 121. n. 1. p. 250

4 v. 2. Cùm inuocarem exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ. §. 268. n. 4. p. 541. & §. 275. n. 6. & 7. p. 554

7 Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine, &c §. 201. n. 7. p. 401

10. Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me, §. 376. n. 3. pag. 745

5. v. 12. Et lætabuntur omnes qui ſperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis. §. 40 num. 5. p. 285. & §. 309, num. 2. p 616

6. v. 7. Turbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos. §. 259. num. 2. p. 524

7. v. 1. Pſalmus David quem cecinit Domino pro verbis Chuſi filij Iemini. §. 221. num. 2. p 447

4. Si reddidi retribuentibus mihi mala, &c. §. 223. n 7. p. 452

6 Exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandaſti, & Synagoga populorum circumdabit te §. 10. n. 8. p. 49

9. Iudica me Domine ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me. §. 219. n. 5. p. 483.

10. Scrutans corda, & renes Deus. §. 245. n. 3. p. 495

8. v. 2. Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos. §. 352. num. 4. pag. 701

4. Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, &c. § 240. n. 2. p. 486

10. Vt deſtruas inimicum, & vltorem. §. 7. n. 1. p. 12

9 v. 1. In finem pro occultis filij Pſalmus David. §. 223. n. 6. p. 451

4. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. §. 148. n. 8. p. 300

Quoniam feciſti iudicium meum, &c. ibi i. p. 301

5. Non eſt Deus in conſpectu eius: inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur iudicia tua à facie eius: §. 61. n. 5. p. 132

8. & 9. Sedet in inſidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat..... Oculi eius in pauperem reſpiciunt: inſidiatur, &c. §. 150. num. 6. p. 304

18. Conuertantur peccatores in infernum, &c. § 291. n. 4. p. 582

15. Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem omnes laudationes tuas in portis, &c. §. 148. n. 3. p. 299

21. Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos, vt ſciant gentes quoniam homines ſunt. §. 112. n. 3. p. 232. & §. 7. n. 1. p. 12

23. Dum ſuperbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in conſiliis quibus cogitant. §. 150. n. 2. p. 303

24. Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ. §. 196. n. 2. p. 391

38. Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum, &c. §. 215. num. 3. pag. 434. & §. 268. num. 1. p. 540

10. v. 3. Nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit aduerſus proximos ſuos. § 106. n. 6. p. 221

v. 4. Oculi eius in pauperem reſpiciunt, palpebræ eius interrogant filios hominum. §. 145. n. 3. p. 294

11. v. 2. Labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt, § 196. n. 4. p. 392

6. Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum. §. 279. n. 2. p. 560. & §. 284. n. 5. p. 570

Ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo §. 279. n. 5. p. 561

7. Eloquia Domini, eloquia caſta, a gentium igne examinatum, &c. §. 284. n. 2. & 3. p. 569. & §. 318. n. 11. p. 634

12. v. 2. Quandiu ponam conſilia in animâ meâ, dolorem in corde meo per diem? §. 27. num. 4. p. 61

13. v. 1. Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus. corrupti ſunt, &c. §. 154. n 3. p. 310

2. Deus reſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, &c. §. 309. num. 6. p. 617

5. Dominum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore vbi non erat timor, §. 95. num. 6. p. 201

14. v. 1. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis, &c. §. 109. n. 3. p. 616

3. Qui loquitur veritatem in corde ſuo qui non egit dolum in linguâ ſuâ. §. 39. n. 4. p. 82

15. v. 1. *Aurum optimum Dauidi.* §. 239. num. 6. p.483
3. Sanctis, qui ſunt in terra eius, mirificauit, &c. §. 218. n. 6. p. 442. §. 277. num. 5. p.557
7. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum, inſuper, &c. §. 245. n. 3. p. 495
16. v. 8. A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me, vt pupillam oculi, &c. §. 122. num. 5. p.252
9. Sub vmbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum, &c. § 219. n. 2. p. 443
15. Ego autem in iuſtitia apparebo.........ſatiabor cùm apparuerit gloria tua. §. 375. num. 5. p.744
17. v. 2. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. §. 126. num. 2. p. 259
11. Et aſcendit ſuper Cherubim, & volauit, volauit ſuper pennas ventorum. §. 187. num. 2. p. 374
21. v. 10. Quoniam tu es qui extraxiſti me de ventre, &c. §. 338. n. 2. p. 767
Spes mea ab vberibus Matris meæ, &c. §. 345. n. 2. p.688
21. Erue à framea Deus animam meam, &c. §. 348. n. 3. p. 694
22. v. 1. Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit. §. 50. n. 2. p.102
5. Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos, qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meum: &c. §. 134. num. 4. p.274
24. v. 14. Firmamentum eſt Dominus timentibus eum. §. 27. n. 4. p. 61
26. v. 4. Vt videam voluntatem Domini, & viſitem templum eius. §. 285. num. 6. p.572
28. v. 6. Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat, & tranſeat: veſpere decidat, induret, & areſcat. §. 39. n. 6. p. 82
30. v. 20. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti, &c. §. 214. num. 4. p.431
31. v. 4. Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua: conuerſus ſum, &c. §. 177. n. 3. p.354
32. v. 6. Verbo Domini cœli firmati ſunt: & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. §. 84. n. 5. p. 176. & 339. n. 4. p. 676
33. v. 16. Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius, &c. §. 269. n. 5. p. 543
34. v. 2. Apprehende arma, & ſcutum: & exurge in adiutorium, &c. §. 314. n. 2. p. 625. & §. 398. num. 3. p.785
10. Omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi §. 143. n. 4. p.291
35. v. 12. Non veniat mihi pes ſuperbiæ. §. 288. num. 5. p.577
38. v. 3. Dixi cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in linguâ meâ. §. 146. n. 3. p.296
39. v. 7. Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi.......vt facerem voluntatem tuam. §. 379. n. 4. p. 751
40. v. 2. Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, &c §. 225. n. 4. & 6. p. 454. & 455. & §. 153. n. 2. p. 308
41. v. 4. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. §. 263. n. 7. p. 532
43. v. 20. Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis. §. 39. n. 7. p. 83. & §. 79. num. 8. p.167
44. v. 10. Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. §. 77. num. 10. pag. 162. & §. 373. num. 2. p.739
13. Et filiæ Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. §. 375. n. 4. p.743
48. v. 8. Frater non redimit redimet homo. § 263. num. 6. p.532
49. v. 5. Congregate illi ſanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius, &c. §. 281. num. 9. pag. 565
14. 15. Immola Deo ſacrificium laudis: & redde Altiſſimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. §. 95. n. 5. p. 201
50. v. 2. Secundùm multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam. Amplius laua me, ab iniquitate meâ, & à peccato meo munda me. &c. §. 264. n. 1. pag. 533
5. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco; & peccatum meum, &c. §. 282. num. 7. p. 567
6. Tibi ſoli peccaui, &c. §. 291. num. 6. pagina 582
51. v. 10. Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei in æternum, &c. §. 389. num. 2. p.768
52. v. 6. Deum non inuocauerunt: illic trepidauerunt timore, &c. §. 280. num. 7. pagina 562
54. v. 7. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, &c. §. 385. n. 7. p. 762
62. v. 2. Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. §. 47. num 5. pagina 97
65. v. 12. Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. §. 164. n. 6. p. 313
67. v. 7. Deus in loco ſancto ſuo, Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo. §. 299. n. 3. p. 597. & §. 76. n. 3. p. 159. & §. 274. n. 3. p. 551
7. Qui educit vinctos in fortitudine: ſimiliter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris. § 80 n. 5. p. 168
9. Cœli diſtillauerunt à facie Dei Sinaï, à facie Dei Iſraël. §. 49. num. 6. p. 101. §. 51. n. 3 p. 105
10. Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam. §. 51. numero 10. pagina 105
14. Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, &c. §. 239. n. 6. p. 483. & §. 240 n. 5. p. 487
18. Dominus in eis in Sinâ in ſancto. Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem: accepiſti dona in hominibus. §. 111. n. 2. p. 219. & §. 124. n. 5. p. 256. & §. 283. n. 6. p.568
20. Benedictus Dominus die quotidie. Proſperum iter faciet nobis Deus, &c. §. 209. numer. 5. pag. 422. & §. 315. num. 4. pag. 627
68. v. 10. Operui in ieiunio animam meam. §. 371. num. 4. p. 736

69.v.4.Auertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi Euge,euge §.195.n.1. p.389

71.v.2. Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis. Iudicare,&c.§. 164.n.4. p.332

6. Deſcendet ſicut pluuia in vellus, &c.§.355.n.4. p.707

8. Et dominabitur à mari vſque ad mare, &c. §. 383.n.2. p.757

16. Et erit firmamentum in terrâ in ſummis montium;ſuperextolletur ſuper Libanum fructus eius,&c.§ 44 n.3. p.91

72.v.15. Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram.§.143.n.7. p.292

22. Et ego ad nihilum redactus ſum, &c. §. 351. num.4. p.699

74. v.9. Calix in manu Domini, vini meri, plenus mixto: & inclinauit ex hoc in hoc:verumtamen fæx eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.§.46.n.8 p.96

75.v. 11. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi:& reliquiæ cogitationis, &c. §.148. n.2.p.300.& §.265.n.5. p.536

13.Terribili,& ei qui aufert ſpiritum Principum, &c.§.303.n.4. p 604

76.v.3. In die tribulationis meæ,Deum exquiſiui, manibus meis,&c.§.275.n.2. p.553

77.v.14.Et deduxit eos in nube diei. §. 367.num.1. & 2. p.728

19. Numquid poterit Deus parare menſam in deſerto?§.51.n.6. p.104

20. Quoniam percuſſit petram, & fluxerunt aquæ.....Numquid & panem, &c. §.146. num.6. p.297

23. Et mandauit nubibus deſuper,& ianuas cæli aperuit. Et pluit illis manna ad manducandum,& pânem cæli dedit eis,&c.§.48. n.3. p.98

30.31. Panem Angelorum manducauit homo, cibaria miſit eis in abundantia.§.42.n.7. pag.88

66. Et percuſſit inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit illis, &c. §. 219.n.5. p 444

72. Et pauit eos in innocentia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos. §.147.n.2.p.297.& §.170.n.4. p.341. p. 327.n.6. p.610

80.v.4.Buccinate in Neomeniâ turbâ,&c.§.344.n.5. p.687

83. v. 3. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.§.16.n.5.p.41.& §.51.n.5. p.104

84 v.12.Veritas de terra orta eſt,&c.§.318.num,13. pag 635

86.v.1.Fundamenta eius in montibus ſanctis, &c. §. 342.n.1. p 682

88.v.26.Et ponam in mari manum eius,& in fluminibus dexteram eius.§.58 n.4. p.126

38. Teſtis in cœlo fidelis.§.349.n.6. p.696

89.v.11. Quis nouit poteſtatem iræ tuæ; & præ timore tuo,&c.§.155.n.2. p.312

95.v.13. Tunc exultabunt omnia ligna ſyluarum à facie Domini.§.117.n.4. p.241

98.v.3.Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile,& ſanctum eſt, &c. §.336.n.4. p 666

4. Et honor Regis iudicium diligit. §. 220. n.4. p.446

101.v.4.Sicut cremium aruerunt. §.183.n. 8. p.368

103. v. 3. Qui ambulas ſuper pennas ventorum §. 187.n.2. p.374

21. Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi.§.278.num. 5. p.559.& §.290.n.7. p.581

105.v. 14. Concupierunt concupiſcentiam in deſerto,&c.§.248.n.5. p.502

109.v.3.Ex vtero ante luciferum genui te. §. 341. n.4.p.681.& §.381 n.4. p.754

110.v.10.Initium ſapientiæ timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum,laudatio eius manet in ſæculum ſæculi.§.30. n.7.p.67.& §.209 n.2. p.421

111.v.7.In memoria æterna erit iuſtus,ab auditione malâ non timebit.§.102.n.3. p 213

113.v.8.Similes illis fiant,qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. §. 44.n.6.p.92.& §. 94 n.6. p.199.& 200

115.v. 3.4. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam,& nomen Domini inuocabo.§.52. n.9. p.107

118.v.1.Beati immaculati in via,qui ambulant,&c, §.327.n.2. p.650

29. Viam iniquitatis amoue à me,& de lege tuâ miſerere mei.§.61.n.7. p.132

39.Amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum: quia iudicia tua iucunda. §.105.n.4. p.219

74. Qui timent te,videbunt me, & lætabuntur, &c.§.299.n.6. p.597

85. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua,§.183.n.6.p.368.& §.390. num.3. p.771

132. ſpice in me,& miſerere mei, ſecundùm iudicium diligentium nomen tuum. §. 190, n.4. p 380

135.& 136.Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum,& Exitus aquarum, &c.§.264.n.3. pag.533

139. Tabeſcere me fecit zelus meus,&c.§.306. num.3. p.609

170. Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo,&c. §.274.n.2. p.551

176. Errraui ſicut ouis quæ periit; quære, &c.§. 140.n.6. p.285

120.v.9.Dominus cuſtodit te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus.§.75.num.6. p.155

127.v.1.Beati omnes qui timent Dominum, &c. §. 291.n.3. p.584

2. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es,& benè tibi erit.§.52. num,10. pag.107

128.v.1.& 2. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute meâ dicat nunc Iſraël. Sæpe expugnauerunt à me iuuentute meâ: etenim non potuerunt mihi §.93.n.6.p.197.& §. 123, n.6.p.254. & §.221 n.7. p.448

129.v.1.2.De profundis clamaui ad te Domine,&c. §.280.n.2. p.563

130.v.1.Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.§.108.n.2. p.224

134.v.2.Qui ſtatis in domo Domini,in atriis domus Dei noſtri.§.227.n.5. p.458

5. In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, &c.ibid.& n.6. p.459

136. v. 9. Si ſumpſero pennas meas diluculo, &c. §.211. n.6. p.426

138. v. 12. Nox ſicut dies illuminabitur. §. 306.

num.4. p 610
12. Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. §. 358. n.2. p.712
16. Imperfectum meum viderunt oculi tui. §.359. n.4. p.714
17. & 18. Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt, §. 170.n.3. p.341
143.v.12. Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ vt ſimilitudo templi.§.66.n.3.p.141.& §.77. n.5.p.161.& §.77.n.2. p.161
149.v.5 Exultabunt ſancti in gloria lætabuntur,&c. §.289.n.6. p.579

---

## *Ex Prouerbiis.*

*Cap.*1.*v*.4. VT detur paruulis aſtutia, &c.§.389. n.5. p.769
26. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, &c. §. 184 n.5. p.370
2.v.1.2. Fili ſi ſuſceperis ſermones meos, & mandata mea abſconderis penes te, vt audiat ſapiētiam auris tua; inclina cor tuum ad cognoſcendum prudentiam.§.81.n.6. p.175
7. Cuſtodiet rectorum ſalutem, & proteget gradientes ſimpliciter.§.41.n.8. p.87
14. Qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis,&c.§.163.n.4.p.591.& §.335.n.7. p.665
3.v.3. Miſericordia,& veritas non te deſerant:circunda eas,&c.§.225.n.4. p.454
27. Noli prohibere benefacere eum, qui poteſt. §.152.n.6. p.307
5.v.2. Vt cuſtodias cogitationes tuas........ne attendas fallaciæ mulieris.§ 302.n.5. p 602
3. Fauus diſtillans labia meretricis,&c.§.259 n.3. p.524
21. Reſpicit Dominus vias hominis, & omnes greſſus,&c.§.317.n.8. p.632
22. Iniquitates ſuæ capiunt impium,&c. §.291.n. 7.p.583.& §.293.n.7.& 8. p.586
6.v.12. Homo apoſtata vir inutilis, graditur ore peruerſo,&c.§.102.n 6.p.214.& §. 103.n.6. p.216
7.v.27. Viæ inferi domus eius, penetrantes in interiora mortis.§.183.n.9. p.368
8.v 15. Per me reges regnant,&c.§.347.n 2. p.691
18. Mecum ſunt diuitiæ,& gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia.§.45.n.3.p.93.& §.341.n.5.p. 681.& §.317.n 3. p.692
23. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret.§.373.n 4. p.740
30. Cum eo eram cuncta componens,&c.§.380. n.2. p.752
31. Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.§.50. n.3. p.102
34. Beatus homo, qui audit me...... & obſeruat ad poſtes oſtij mei, &c. § 341. num. 4. p.683.& § 377.n.1.p.746.& §.382.n.1. p.755.& §.384.n.1. p.759
Qui me inuenerit,inueniet vitam, &c.§. 367.n.3. p.718
9.v.5. Venite, comedite panem meum,& bibite vinum quod miſcui vobis.§.45.n.3. p.95
10. Et ſcientia ſanctorum prudentia. §. 181. n.7. p.365
17. Aquæ furtiuæ dulciores ſunt,& panis abſconditus ſuauior.§.154.n 6. p.311
10.v.8. Sapiens corde præcepta ſuſcipiet, ſtultus autem cæditur labiis.§.59.n.6.p.128.& §.71. n.5.p.171.& §.275.n.8. p.554
12. Odium ſuſcitat rixas; vniuerſa delicta operit charitas.§.161.n.3. p.324
11.v.17. Benefacit animæ ſuæ vir miſericors.§.224 n. 4.& 5. p.452.& 453
24. Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.§.20.n.6. p.48
29. Qui conturbat domum ſuam poſſidebit ventum.§ 67.n 8. p.144
12.v.18. Eſt qui promittit, & quaſi gladio pungitur conſcientiæ.§.177.n.4. p.354
21. Non contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit:impij autem replebuntur malo. §. 72. n.7.p.153.& §.289 n.7 p.579 & §.76. n. 6.p 160
27. Non inueniet fraudulentus lucrum, & ſubſtantia hominis erit auri pretium. §.174. n.5. p.349
13. v. 8. Redemptio animæ viri, diuitiæ ſuæ: qui autem pauper eſt,&c.§.192.n.8.p.385.& §.227.n.7 p.459
19. Deſiderium,ſi compleatur, delectat animam deteſtantur ſtulti,&c.§.159.n.7. p.320
14.v.3. In ore ſtulti virga ſuperbiæ, labia autem ſapientium cuſtodiunt eos. §. 165. n. 7. p. 210.& §.333.n.6.p.661. & § 334. n. 8. pag.663
27. In timore Domini fiducia fortitudinis, &c. §.214.n.2. p.431
15.v.22. Diſſipantur cogitationes,vbi non eſt conſilium:vbi verò ſunt plures conſiliarij, confirmantur.§ 26.n.5. p.59
16.v.11 Pondus & ſtatera iudicia Domini ſunt:& opera eius omnes lapides ſacculi. §. 175. n.8 p.351
18.v.10. Turris fortiſſima nomen Domini,&c.§.340. n.7. p.679
19.& 20. Et quartum penitus ignoro. .. . . viam viri in adoleſcentia Talis eſt via mulieris adulteræ,&c.§.212.n.2. p.427
20.v.1. Luxurioſa res vinum,& tumultuoſa ebrietas. §.24.n.3.& 4. p.55
27. Lucerna Domini ſpiraculum hominis,&c. §. 338.n.7. p.674
29. Dignitas ſenum canities.§ 323.n.6. p.645
21.v.16. Vir qui errauerit à via doctrinæ, in cœtu Gigantum commorabitur. § 98. num. 7. pag.207
22. v. 1. Melius eſt nomen bonum, quam diuitiæ multæ.§.217.n.4. p.440
6. Prouerbium eſt: Adoleſcens iuxta viam ſuam etiam cum ſenuerit,&c.§.159.n.9. p.321
9. Victoriam & honorem acquiret, qui dat munera, animam autem aufert accipientium.§.217.n.3. p.440
23.v.1. Quando ſederis vt comedas cum Principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam.§.41.n.1. p.85
3. Si tamen habes in poteſtate animam tuam,ne deſideres de cibis eius, in quo eſt panis mendacij § 23.n.2.p.53.& §.22.n.8.p.52
21. Et veſtietur pannis dormitatio. §. 189. n. 6. pag.379
25.v.2. Gloria Dei eſt celare verbum. § 149. num.5. pag.301
27. Scrutator maieſtatis opprimetur à gloria. §. p.358.n.4 p.712.& §.178.n.4. p.356

26.v.23

26. v. 23. Quomodo ſi argento ſordido ornare velis vas fictile:ſic labia tumentia cum peſſimo corde ſociata.§ 247.n.1. p.498
28. v. 1. Iuſtus autem quaſi Leo confidens abſque terrore erit.§.122.n.7. p.253
25. Qui ſe iactat, & dilatat,iurgia concitat: qui verò ſperat in Domino ſaluabitur.§.258. num.6. p.523
30. v. 8. & 9. Vanitatem & verba mendacij longè fac à me: Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi,&c.§.153.n.9. p. 310. & §. 208.n.5.p.420.& §.290.n.6. p.581
16. Infernus, & os vuluæ........ignis verò nunquam dicit,ſufficit.§.23.n.6. p.54
31.v.10.Mulierem fortem quis inueniet, procul & de vltimis finibus pretium eius. §. 347. n. 6.p 693.& §.361.n.3. p.717
21. Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis, &c. §. 386. n.5. p.764
26. Os ſuum aperuit ſapientiæ & lex clementiæ in lingua eius,&c.§.380.n.3.p. 752. & §. 380.n.1. p.763
29. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.§.347.n.5. p.693
30. Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo. §. 51. num.7. p.104

## *Ex Eccleſiaſte.*

*Cap.* 1.*v*.5.& 6. ORitur ſol,& occidit, & ad locum ſuum reuertitur: ibique renaſcens gyrat per Meridiem,& flectitur ad Aquilonem: Luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus.§.32.n.2. p.69
2.v.2.Riſum reputaui errorem:& gaudio dixi,Quid fruſtra deciperis? §. 155. n. 6.p.313.& §. 260.n.4. p.527
3. Cogitaui in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad ſapientiam,&c.§.260.num.4.& 6. p.526.& 527
4.v.9.Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei. §.285.n.7. p.572
7.v.13.Sicut protegit ſapientia, ſic protegit pecunia: hoc autem plus habet eruditio & ſapientia, quod vitam tribuunt poſſeſſori ſuo.§.40.n.8. p.84
17. Noli eſſe iuſtus multum, neque plus ſapias quàm neceſſe eſt, &c. §. 300. num. 3. p.598
9.v.10. Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare;quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, &c. §. 231.n.5.& 6. p.465

## *Ex Cantico Canticorum.*

*Cap.*1.*v*.3. TRahe me: Poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum. §. 388. n.3.p.767.& 385.n. 6. p.762
4.& 5.Introduxit me Rex in cellaria ſua: exultabimus,& lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum.§.43.n.3. p.89. & §.363.n.4.p.722.& §.364.n.2. p. 723. & §.377.n.3. p.747
5.Nigra ſum,ſed formoſa,&c §.298.n.3. p.595
& §.82.n.4. p.172
6. Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me Sol.§.346.n.2. p.689
Filij matris meæ pugnauerunt contra me. §.92.n.5.& 6. p.195.& 196.
8. Si ignoras te,ô pulcherrima inter mulieres, egredere,&c.§.267.n.2. p.539
9.Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te,&c.§.368.n.3. p.730
10. Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis. §. 143. n.6. p.291
13. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, &c. §.344.n.3.p.686.& §.370.n.4. p.734
15. Ecce tu pulchra es amica mea,&c.§. 345. n. 5.p.689.& §.346.n.3. p.690
2.v.2.Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.§.62.n.7.p.134.& §.326.n.2.p.648, & §.367.n.5. p.729
3. Sicut malus inter ligna........Sub vmbra illius quem deſideraueram,ſedi,&c.§.195.n. 6. pag.390
Fructus eius dulcis gutturi meo. §. 334. n.4. p.663
5. Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.§.47.n.1. p.96
13. Vineæ florentes dederunt odorem ſuum.Surge amica mea,&c.§.306.n.1. p.608
15. Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit. §.103.n.3. p.215
16. Dilectus meus mihi, & ego illi,qui paſcitur inter lilia. §. 43. n. 2. p. 89.& §.361.n.2. pag.717
3.v.1.In lectulo meo per noctes, quæſiui quem diligit anima mea,&c.§.135.n.7. p.277
2.Quæſiui illum,& non inueni. §.273.n.7.p.550. & §.279.n 6. p 561
3. Num quem diligit anima mea vidiſtis? Paullulum, &c. §.140.n.7.p.286.& §.272.n.6. pag.549
4. Tenui enim,nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, &c. §. 374. n.4.p.741.& §.384.n.6. p.760
6. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi,&c.§.338.n.5. p.673
11. Egredimini filiæ Sion,& videte Regem Salomonem in diademate,&c.§. 381. num.2. pag.754
4.v.1.Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es. Oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecus latet. §.131.n 6. p. 269. & §. 66.n.7.p.142.& §.299.n.5.p.597.& §. 372.n.2. p.737
2.Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro.§.76.n.1. p.159
3. Sicut fragmen mali punici, ita & genæ tuæ, abſque eo,quod intrinſecus latet.§.32.n.3. p.69
7. Tota pulchra es amica mea,&c.§.344. n. 4. & §.345.n.1.& 4. p.687.& 689
8. Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir,& Hermon,&c.§.368.n.2. p.730
9. Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, &c.§. 347.n.1.p.691.& § 351.n.1.& 2.p.698.& 699.& §.360.n.7.p.716.& §.378.n.3.& 4. p.748.& 749
11. Fauus diſtillans labia tua,ſponſa, &c. §.334. num.6. p 663
15.Fons hortorum,puteus aquarũ viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.§.77. n.8. p.9

5.v.1. Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo?§.387.n.4. p.765
2. Vox dilecti mei pulſantis.§.175.n.3. p.553
Caput meum plenum eſt rore,& cincinni mei guttis noctium.§.226.n.6 p.457
8. Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum,&c.§.385.n.8. p.762
6.v.3. Pulchra es amica mea,&c.§.77.n.17. p.164
8. Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matris ſuæ,electa genitrici ſuæ.§.45.n.4. p.93
7.v.1.Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis,filia principis,&c.§.385.n.4. p.762
2. Vmbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis. Venter tuus ſicut aceruus tritici,&c.§.387.n.6. p.766
6. Quàm pulchra es, & quam decora chariſſima in deliciis!§.337.n.9. p.669
8.v.6.Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, &c. §.314.n.3.p.626.& §.380.n.6.p.753. & §.358.n.7. p.713
Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. §. 306. n. 3.p.609.& §. 369.n.4. p.732
10. Ego murus,& vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem repetiens.§.386.n.3. p.763

## *Ex Libro Sapientiæ.*

*Cap.*1.*v.*3. PEruerſæ cogitationes ſeparant à Deo, &c.§.336.n.3. p.666
9. In cogitationibus impij interrogatio erit: ſermonum autem illius auditio ad eum veniet ad correptionem, &c. §.154.n.2. pag.310
11. Sermo obſcurus in vacuum non ibit: os autem quod mentitur, occidit animam. §. 107.n.5. p.223
2.v.8. Coronemus nos roſis antequam marceſcant, nullum pratum,&c.§.199.n.8. p.398
3. v. 1. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori.§.129.n.9.p.266
4.v.1.O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate!immortalis,&c.§.339.n.5. p.677
6. Ex iniquis enim ſomnis filij qui naſcuntur,teſtes ſunt nequitiæ aduerſus parentes in interrogatione ſuâ.§.39.n.3. p.82
8. Senectus enim venerabilis eſt non diuturna..../ cani enim ſunt ſenſus hominis, &c.§.323. n.3. p.643
5.v.6.Ergo errauimus à viâ veritatis,& iuſtitiæ lumē non luxit nobis,&c.§.385.n.3. p.761
16. Et cogitatio illorum apud Altiſſimum.§.268. n.5. p.541
6.v.8.Et æqualiter curâ eſt illi de omnibus. §. 382. n.3.& 5. p.756
17. Quoniam dignos ſeipſa circuit quærens, & in viis oſtendit ſe illis hilariter,&c.§.172. n.6. p.346
22. Si ergo delectamini ſedibus, & ſceptris, &c. §.164.n.7. p.333
23. Diligite lumen ſapientiæ omnes qui præeſtis populis.§.164.n.5. p.332
26. Et Rex ſapiens ſtabilimentum populi eſt. §. 164.n.6. p.333
7. v. 1. Sum quidem & ego mortalis homo ſimilis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum carto.§.19.n.6. p.47
8.& 9. Præpoſui illam regnis,& ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, &c.§.361.n.5. p.718
11. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illâ,&c.§.377.n.5.p.747.& §.358.num. 4. p.768
15. Mihi dedit Deus dicere ex ſententia, & præſumere digna horum quæ mihi dantur. §. 164.n.2. p.332
25.& 26. Emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis Dei ſincera,&c. §. 242.n.5.& 6. p.490
9. v. 8. Et dixiſti me ædificare templum in monte ſancto tuo,& in ciuitate habitationis tuæ altare,&c.§.285.n.1. p.571
15. Corpus quod corrumpitur,aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.§.33.n.2. p.67
14. v. 15. Acerbo luctu dolens pater, citò ſibi rapti filij fecit imaginem: & illum qui tunc quaſi homo mortuus fuerat,&c.§ 95.n.4. p.201
16. v. 21. Subſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat, &c. §.44.n.2. p 91
Et deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur. § 320.n.6. p.638
27.Quod enim ab igne non poterat exterminari, ſtatim ab exiguo radio ſolis calefactum tabeſcebat.§.42.n.6. p.88
17.v.2.Vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti,&c.§.242.n.4. p.490
10. Cùm ſit enim timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæua perturbata conſcientia, &c.§. 304.n.5. p.606
17. Vna enim catena tenebrarum omnes erant colligati.§.242.n.4. p.490
18.v.4.Digni quidem illi carere luce, & pati carcerem tenebrarum.§.242.n.4. p.490
21. Properans enim homo ſine querelâ deprecari pro populis, proferens ſeruitutis ſuæ ſcutum orationem,&c.§.271.num.7. p.547
24. Magnificentia tua in diademate capitis illius ſculpta erat.§.341.n.8. p.680

## *Ex libro Eccleſiaſtici.*

*Cap.*1.*v.*6. AStutias illius quis agnouit.§.301.n.2. p.600
11.& 12. Timor Domini,gloria & gloriatio, & lætitia,& corona,&c.§.214.n.4. p.431
16. Initium ſapientiæ timor Domini.§. 30. n. 4. p.66
27. Ne fueris hypocrita in conſpectu hominum. §.212.n.5. p.418
2.v.11.Reſpicite,filij,nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperauit in Domino,& confuſus eſt.§.249.n.5. p.503
14. Væ duplici corde,& labiis ſceleſtis, & manibus malefacientibus,& peccatori terrâ ingredienti duabus viis.§.143.n.7. p.291
3. v. 20. Quantò magnus es humilia te in omnibus,&c.§.240.n.3.& 4.p.486. & §. 288. n 6.

num.6.& 7. p.577

12. Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris; ſed quæ præcepit tibi Deus,&c.§.168.n.8 p.338.& §. 178. n.3. p.356

19. Et peccator adiiciet ad peccandum.§.261.n.2. p.527

4. v. 8. Declina pauperi ſine triſtitia aurem tuam, & redde debitum tuum.§.251.n.7. p.466

6. v.21. Quàm aſpera eſt nimiùm ſapientia indoctis hominibus, & non permanebit in eâ excors.§.109 n.7. p.227

8. v.6. Ne deſpicias hominem auertentem ſe à peccato,&c.§.265.n.2. p.535

20. Cum fatuis conſilium non habeas:non enim poterunt diligere, niſi quæ eis placent. §. 26.n.6. p.59

9. v.11. Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt.§.61.n.2. p.131

12. Cum alienâ muliere ne ſedeas omnino, &c. §.302.n.2. p.601

17. Non placeat tibi iniuria iniuſtorum; ſciens &c.§.155.n.4.p.315.& §.184.n.2.& 3.p. 369.& §.291.n.5.p.582.& §.304.num.6. pag.606

18. Longè eſto ab homine poteſtatem habente occidendi,&c.§.304.n.6. p.606

10. v.1. Iudex ſapiens iudicabit populum ſuum, & principatus ſenſati ſtabilis erit.§.164.n.3. pag.332

11. 12. Omnis potentatus breuis vita. Languor prolixior grauat medicum. Breuem languórem præcidit medicus:ſic & Rex hodie eſt,& cras moritur.§.19.n.5. p. 47. & §. 158.n.2. p.318

22. Non eſt creata hominibus ſuperbia, neque iracundia nationi mulierum.§.186.num.5. pag.373

11. v. 2. Sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum,&c.§.239.n.10. p.485

9. Qui ædificat domum ſuam impendiis alienis quaſi qui colligit lapides ſuos in hieme.§. 150.n.4. p.304

12. Eſt homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate.§.152.n.2. p.306

13. v.26. Locutus eſt ſuperba, iuſtificauerunt illum. §.196.n.7. p.392

14. v. 6. Qui ſibi inuidet, nihil eſt illo nequius,& hæc redditio eſt malitiæ illius. §.114.n.7. p.235.& §.240.n.3.p.486.& §.350.n. 6. pag.698

15. v.3. Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aquâ ſapientiæ ſalutaris potabit illum. §.44.n.4.p.91.& § 52.n.14.p.108.& §.41. n.5. p.86

18. v.1. Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul.§. 181.n.3. p.363

33. Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, & eſt tibi nihil in ſacculo: eris enim inuidus vitæ tuæ.§.21.n.4. p.49

19. v.2. Vinum & mulieres apoſtatare faciunt, &c. §.290.n.4.p.580.& §.318.n.12. p.634

3. Et qui ſe iungit fornicariis, erit nequam. §.318.n.12. p.635

Et tolletur de numero anima eius. §. 86. n.5. p.180

10. Audiſti verbum aduerſus proximum tuum? commoriatur in te, ſciens quoniam non te diſrumpet.§.104.n.1. p.216

13. Corripe amicum, ne fortè non intellexerit, &c. §.333.n.4. p.661

22. Bona repromiſſoris ſibi aſcribit peccator: & ingratus,&c.§.315.n.3. p.627

23. Eſt qui nequiter humiliat ſe, &c.§.176. n. 5. p.353

20. v. 4. Quàm bonum eſt correptum manifeſtare pœnitentiam,&c.§.265.n.6. p.526

11. Eſt propter gloriam minoratio: & eſt qui ab humilitate leuabit caput. §. 240. num. 1. p.485

21. v. 6. Deprecatio pauperis ex ore vſque ad aures eius perueniet, & iudicium feſtinatò adueniet illi.§.279.n.3. p.560

32. Æqua vita hominibus, vinum in ſobrietate ſi bibas illud moderatè eris ſobrius. §.25. num.2. p.56

24. v.23. Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris,&c.§.387.n.2.p.765.& §.392.num.1. p.774

23. Et flores mei fructus honoris & honeſtatis. §.124.n.3.p.255.& §.337.n.2. p.667

24. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, &c.§.376.n.2. p.744

25. In me gratia omnis viæ, & veritatis, in me omnis ſpes vitæ, & virtutis.§.384.num.4. p.760.& §.390.n.4. p.771

29. Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me,adhuc ſitient.§.47.n.6. p. 97.& §.309.n.5.p.617.& §.140.n.3. p. 285. & §.385.n.2. p.771

31. Qui elucidant me,vitam æternam habebunt. §.338.n.2. p.673

25. v.14. Timor Dei ſuper omnia ſe ſuperpoſuit, &c. §.214.n.3.& 6. p.431

15. Beatus homo, cui donatum eſt habere timorem Dei.§.31.n.4. p.68

22.& 23. Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris. §.35.n.3. p.75

32. Manus debiles, & genua diſſoluta mulier, quæ non beatificat virum ſuum.§.38.n.6. p.80

33. A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur.§.31.n.7. p.68

34. Non des aquæ tuæ exitum, nec modicum, nec mulieri nequam, veniam prodeundi. §.38.n.9. p.81

26. v. 10. Sicut bonum iugum quod mouetur ita & mulier nequam: qui tenet illam quaſi qui apprehendit ſcorpionem. §. 35. num. 3. pag.74

27. v.9. Si ſequaris iuſtitiam, apprehendes illam; & indues quaſi poderem honoris.§.307.n.3. p.613

12. Stultus vt Luna mutatur.§.320.n.4. p.638

28. v.10.& 11. Abſtine te à lite, & minues peccata:homo enim iracundus incendit litem, &c.§.148.n.6. p.300

15.& 16. Lingua tertia multos commouit. §. 68. n.5. p.145

29. v.7. Donec accipiant oſculantur manus dantis, & in promiſſionibus humiliant vocem ſuam, &c.§.315.n.2. p.627

31. v.8. Beatus diues,qui inuentus eſt ſine macula,& qui poſt aurum non abiit, &c. §.152.n.4. p.307

9.& 10. Quis eſt hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua. Qui probatus

eſt

eſt in illo, & perfectus eſt, erit illi gloria æterna.§.151.n.5. p.306
33. Quæ vita ei qui minuitur vino.§.46.num.7. pag.95
36.& 37.Exultatio animæ, & cordis vinum moderatè potatum. Sanitas eſt animæ, & corpori ſobrius potus.§.25.n.3. p.56
40. Ebrietatis animoſitas, imprudentis offenſio minorans virtutem, & faciens vulnera. §.22.n.6. p.52
34.v.6.Ab immundo quid mundabitur? &c. §.49. n.3. p.100
35.v.24.Donec reddat hominibus ſecundum opera Adæ,& ſecundum præſumptionem illius. §.143.n.5. p.291
36.v.8.Excita furorem,& effunde iram,&c.§.39.n.2. p.81
9. Tolle aduerſarium, & afflige inimicum.§.191. n.5. p.382
24. Species mulieris exhilarat faciem viri ſui, &c §.301.n.3. p.600
26. Qui poſſidet mulierem bonam, inchoat poſſeſſionem:adiutorium ſecundum illum eſt. §.36.n.1. p.76
27. Et vbi non eſt mulier ingemiſcit egenus. §. 37.n.9. p.79
37.v.17.& 18.Cor boni conſilij ſtatue tecum: non eſt enim tibi aliud pluris illo. Anima viri ſancti,&c.§.237.n.2. p.478
32. Vir peritus multos erudiuit, & animæ ſuæ ſuauis eſt. Qui ſophiſticè loquitur odibilis eſt: in omni re defraudabitur,&c.§.26. n.7. p.59
40.v.2.Cogitationes eorum, & timores cordis, adinuentio expectationis, & dies finitionis. §.136.n.7. p.279
14. In aperiendo manus ſuas lætabitur:ſic præuaricatores in conſummatione tabeſcent. §. 39.n.5. p.82
16. In magnitudine ſua poſuit nubes, & confracti ſunt lapides grandinis,&c.§.336.n.7. p.667
24. Fratres in adiutorium in tempore tribulationis,& ſuper eos miſericordia liberabit. §. 225.n.7. p.455
42.v.12.& 13.In medio mulierum noli commorari, &c.§.31.n.6. p.68
13. De veſtimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.§ 302.n 6. p.603
16. Gloria Domini plenum eſt opus eius. §. 350. num.4. p.698
43.v.1. Altitudinis firmamentum pulchritudo eius eſt,&c.§.346.n.1.p.689.& §.353.num.5. p.703
2. Sol in aſpectu annuncians in exitu, vas admirabile opus Excelſi.§.242.n.2. p.489
7.& 8. A Lunâ ſignum diei feſti,Luminare quod minuitur in conſummatione,&c.§.191.n. 3.& 7.p.382.& 383.& §.239.n.11. pag. 485.& §.320.n.3.p.637.& §. 353. n.4.p. 703.& §.341.n.2.p.680.& §.200. n.7. p. 400.& §.349.n.5. p.696
24. Medicina omnium in feſtinatione nebulæ. §. 380.n.4. p.753
33. Benedicite Dominum,& exaltate illũ, quantum poteſtis,&c.§.349.n.3. p.695. & §. 353.n.6. p.703
45.v.8.Et dedit illi ſacerdotium gentis,& beatificauit illum in gloriâ.§.317.n.7. p.632
14. Corona aurea ſuper mitram eius expreſſa ſigno ſanctitatis,&c.§.340.n.8.& 9.p. 679.& 680
50.v.6. Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ. §. 380.n.2. p.752

## *Ex Iſaia.*

Cap.1.v.2. Filios enutriui, & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me, &c. §. 314. num. 7. pag.627
2. Audite cæli,& auribus percipe terra,&c.§.335. n.2. p.664
4. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, &c.§.189.n.5. p.379
22. Argentum tuũ verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum miſtum eſt aquâ.§ 27.n.5. p.61
24. Heu conſolabor de hoſtibus meis,& vindicabor de inimicis meis.§ 184.n.4. p.369
2.v.2. Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles,&c. §. 388. n. 1. p.767
3.v.1. Ecce dominator Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & à Iuda, validum & fortem, & omne robur panis. §. 44.n.1. pag.90
7. Reſpondebit in illa die dicens: Non ſum medicus & in domo meâ nõ eſt panis,neque veſtimentum,&c.§.235.n.5. p.476
4.v.5.Super omnem enim gloriam protectio.§.358. n.3.& 6. p. 712.& 713
6.Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri....... Verè fœnum eſt populus: exiccatum eſt fœnum,& cecidit flos. §.40. n.7. p.84
6.v.1.Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum.§.390.n.5. p.771
5.& 7. Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.§.389.n.3. p.769
7.v.14. Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum,&c.§.354.n.4.& 5. p.705
Ecce virgo concipiet,& pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.§.65. n.5.p.139.& §.74.n.2. p.155
15. Butyrum, & mel comedet,vt ſciat reprobare malum,&c.§.345.n.2. p.688
8.v.1.Sume tibi librum grandem,& ſcribe in eo ſtilo hominis.§.363.n.2. p.721
9.v.3.Multiplicaſti gentem,& non magnificaſti lætitiam.§.29.n.2. p.63
4 Iugum enim oneris eius,& virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti. §. 235.n.2.& 3. p.475
6. Et vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius,&c.§.68.n.7. p.145
10.v.22. Conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam §.347.n.5. p.692
11.v.1.Egredietur virga de radice Ieſſe,&c §. 343. n.5.p.685.& §.346.n.6.p.691.& §.359.n. 3.p.714.& 384.n.3. p.759
13.v.22. Et reſpondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & ſirenes in delubris voluptatis §.201.n.3. p.400
14.v.13. In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meũ,&c.§.303.n.2.p.603
22.v.13.Comedamus,& bibamus:cras moriemur. §. 22 n 9. p.52

25.v.6.

35. v. 6 Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguiũ medullatorum, vindemiæ defæcatæ. §.49.n.2.p. 100
29.v.1.Ariel.§.285 n.5. p.572
10. Quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis, claudet oculos veſtros, &c.§.237 n.6. p.480
11. Et erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati, quem cùm dederint ſcienti litteras, dicent, &c.§.363.n.5. p.722
14. Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentium reprobabo, &c. §. 30. n.5. p. 66
33. v. 13. Audite qui longè eſtis, quæ fecerim, & cognoſcite vicini fortitudinem meam. Conterriti ſunt in Sion peccatores...Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante §.183.n.2. p.367
40.v.31 Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas, &c.§. 197.n.4. p. 393
45. v. 20. Neſcierunt qui leuant lignum ſculpturæ ſuæ, & rogant Deum non ſaluantem. §. 229.n.5. p.462
48.v.9.Propter nomen meum longè faciam furorem meum: & laude meâ infrenabo te.§. 272. n.2. p.54 .& 548
50.v. 1. Quis eſt creditor meus cui vendidi vos &c. §. 58.n.4. p.118
53.v.7. Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet. §. 293.num.5. p. 586. & §. 234. num. 2. p. 473
8.Generationem eius quis enarrabit? § 211.n. 2. p.425.& §.324.n.9. p 645
55. v. 1. Omnes ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, comedite: venite, emite abſque argento, &c. §.117. num. 2. p. 241. & §. 153. num.4.p.309. & §. 229. num. 3. p. 462
6. Quærite Dominum dum inueniri poteſt, &c. §.324.n.4. p. 644
59.v.16.Et vidit, quia non eſt vir: & aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat §.270.n.1. p.544
60. v. 16. Mammillâ regum lactaberis. §. 387. n. 4. p.765
61.v.10. Induit me veſtimentis ſalutis. §. 361. n. 6. p.720
62. v. 2. Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.§.358.n.11.p.675.& §.340.n.2. p. 678
4. Vocaberis voluntas mea in eâ, &c.§.285.n.6. p.572.& §.379.n.2. p. 750
63.v.3.Torcular calcaui ſolus,&c.§.365.num. 4. p. 725
65. v. 24. Erit antequam clament, ego exaudiam. §. 268.n.1. p.540
66. v. 8. Quis audiuit vnquam talia? &c. § 341. num.3. p. 683

## *Ex Ieremia.*

*Cap.2.v.* 18. ET nunc quid tibi vis in viâ Ægypti, vt bibas aquam turbidam?§. 20 num.3. p.48



3. v. 9. Et facilitate fornicationis ſuæ contaminauit terram, & mœchata eſt cum lapide, & ligno.§.318.n.3. p.633
6.v.1.Et ſuper Bethacarem leuate vexillum: Quia malum viſum eſt ab Aquilone,&c.§.388. n.5. p.768
15. Confuſi ſunt, quia abominationem fecerunt &c.§.185.n.6. p. 372
30. Argentum reprobum vocate eos, quoniam Deus proiecit illos.§.85.num.2. p. 177.
7. v. 18. Vt faciant placentas reginæ cæli.§.277.n.6. p.557.& §.320.n.8. p.638
15. v. 17. Non ſedi in concilio ludentium & gloriatus ſum à facie manus tuæ; Solus ſedebam, quoniam commotione repleſti me. §. 129. num. 8.p. 266.& §.292.n.6. p.584
18. Quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis renuit curari? facta eſt mihi quaſi mendacium aquarum infidelium §.265.n.4. p. 536
17.v 5.Maledictus homo qui confidit in homine,& ponit carnem brachium ſuum, &c. §. 138. n. 1. p. 281
12. Solium gloriæ altitudinis à principio, locus ſanctificationis noſtræ.§. 285. numero 5. pag.572
16.Et diem hominis non deſideraui,tu ſcis.§.19. n.4. p. 46
25. v. 27. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: bibite,& inebriamini, & vomite, & cadite §.24.n 6. p 55
38. Facta eſt terra eorum in deſolationem à facie iræ columbæ,&c.§.367.n.4.p. 730. & §.34 n.6. p.74
31. v. 23. Benedicat tibi Dominus pulchritudo iuſtitiæ,&c.§.346.n 5. p. 690
44.v.19.Numquid ſine viris noſtris fecimus ei placentas ad colendum eam. §. 277. num. 6. p.557

## *Ex Threnis.*

*Cap.1.v.1.* PRinceps prouinciarum facta eſt ſub tributo.§.234.n.4. p. 474
3. v. 18. Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.§.73 n.5. p. 155

## *Ex Ezechiele.*

*Cap.1.v.10.* SImilitudo autem vultus eorum; facies hominis, & facies leonis à dextris ipſorum quatuor,&c.§. 197. num. 2. p.393
15. Apparuit rota vna ſuper terram iuxta animalia,&c.§.379.n.6. p.751
16.Et aſpectus earum, & opera quaſi ſit rota in medio rotæ.§.200.n.4. p. 399
10. v. 13. Et rotas iſtas vocauit volubiles. §. 379. n.6. p. 751
13. v. 17. Contra filias populi mei, quæ prophetant de corde ſuo.§.195.n.5. p. 390
18. Væ quæ conſuunt puluillos ſub omni cubitu manus, &c.§.331.n.5. p.658
16. v. 17. Et tuliſti vaſa decoris tui de auro meo, atque argento meo,&c.§.314.n.4. p. 626

20. v. 35. Et adducam vos in deſertum populorum, & iudicabor vobiſcum ibi facie ad faciem.§.72.n.6. p.152
21. v. 10. Gladius exacutus eſt, & limatus, &c. §.263.n.5. p. 532
26. & 27. Hæc dicit Dominus: Aufer cidarim, tolle coronam: nonne hæc eſt, quæ humilem ſubleuauit,&c.§.172.n.5.p.345.& §.174.n.6. p.349
24. v. 21. Hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego polluam Sanctuarium meum, ſuperbiam imperij veſtri, &c.§.285.n.4. p. 571
27. v. 6. Quercus de Baſan dolauerunt in remos tuos: & tranſtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico.§.285.n.8. p.572
11. Sed & Pigmæi, qui erant in turribus tuis, pharetras ſuas,&c.§.244.n.6. p. 494
28. v. 12. Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia,& perfectus decore, &c. §. 306. n.5. p.610
29. v. 28. Initium vitæ hominis aqua, & panis, & veſtimentum, & domus, protegens turpitudinem.§.18.n.1. p. 44
44. v. 1. & 2. Et conuerti me ad viam portæ ſanctuarij exterioris.......Porta hæc clauſa erit: Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam,&c.§.356.n.7. p.709
3.Princeps ipſe ſedebit in eâ, vt comedat panem coram Domino.§.387.n.7. p. 766
46.v.9. Non reuertetur per viam portæ, per quam ingreſſus eſt, ſed è regione illius egredietur.§.285.n.7. p. 572

## *Ex Daniele.*

*Cap.1.v.15.* POſt dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores, &c.§. 371. n.3. p.736
3. v. 19. Tunc Nabuchodonoſor repletus eſt furore §.122.n.2. p.251
4. v. 12. Et alligetur vinculo ferreo & æreo in herbis quæ foris ſunt, & rore cæli infundatur, & cum feris pars eius in herbâ terræ §.58.n.2. p. 125
Germen radicum eius in terra ſinite, &c. §.343.n.5. p. 685
14. Quamobrem rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, &c.§.208.n.4. p.420
30. Sermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abiectus eſt,&c. §. 266. n.6. p. 538
6.v. 12. Rex nunquid conſtituiſti, vt omnis homo, qui rogaret quemquam de diis ....... mittatur in lacum leonum? §.272.n. 3. & 4. p.548
7. v. 9. Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt; & antiquus dierum ſedit, &c. §. 322.n. 7. p.642
9. v. 21. Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel,&c §.305.n.2. p. 607
12. v. 50. Deus dedit honorem ſenectutis. §. 322. n.7. p. 642
13.v. 20. Aſſentire nobis,& commiſcere nobiſcum, &c.§.335.n.6. p. 665
32.At iniqui illi iuſſerunt vt diſcooperiretur,&c. §.185.n.3. p. 371
36. & 37. Cùm deambularemus in pomario ſoli, ingreſſa eſt hæc cum duabus puellis: & clauſit oſtia pomarij, & dimiſit à ſe puellas.§.105.n.2. p. 219

## *Ex Oſeâ.*

*Cap.1.v.* 4. VOca nomen eius Iezraël, quoniam adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Iezraël ſuper domum Iehu, &c.§.160.n.5. p. 322
2. v. 8. Et hæc neſciuit, quia ego dedi ei frumentum,& vinum, & oleum,&c.§.314.n.3. p.626
4. v. 8. Peccata populi mei comedent, &c. §. 282. n.5. p. 566
11.Fornicatio,& vinum.........auferunt cor.§.318. n.12. p. 634
7. v. 3. & 4. In malitia ſua lætificauerunt Regem; & in mendaciis ſuis principes. Omnes adulterantes,&c.§.196.n.5. p. 392
14. Super triticum & vinum ruminabant. §. 41. n.7. p. 86

## *Ex Ioële.*

*Cap 1.v.5.* EXpergiſcimini ebrij, & flete,& vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam periit ab ore veſtro. §. 199.n.5. p. 397
2. v. 12. & 13. Conuertimini ad me in toto corde veſtro in ieiunio, & fletu, &c.§. 266 n. 1. p. 537
23. Filij Sion exultate.........dedit vobis Doctorem iuſtitiæ,&c.§.364.n.1. p. 722

## *Ex Amos.*

*Cap.1.v.3.* HÆc dicit Dominus ſuper tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non conuertam eum.§. 159. n. 2. p. 319
7. v. 12. Qui vides, gradere, fuge in terram Iuda, & comede ibi panẽ, &c.§.331.n.4.p.657
13. In Bethel non adiicies vltra vt prophetes: quia ſanctificatio Regis eſt, &c. §. 195 n. 2. p. 389
9. v. 2. Nunquid non vt filij Æthiopum vos eſtis mihi, filij Iſraël? &c. §. 241. num. 1. p.489.

## *Ex Abdiâ.*

*Verſ.* 1. VIſio Abdiæ. Hæc dicit Dominus Deus ad Edom.§.93.n.2. p. 195

## *Ex Ionâ*

*Cap.1.v.2.* SVrge, & vade in Niniuem ciuitatem grandem,& prædica in ea,quia aſcendit malitiâ eius coram me,&c.§.200 n.6. p.399.& §.336.n.6. p. 667

3. Et ſurrexit Ionas, vt fugeret in Tharſis à facie Domini.§.246.n.4. p. 497
12.&c.2.1. Tollite me, & mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis.......Et præparauit Dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam.§.139 n.6. p.283
2. v. 4. Et proieciſti me in profundum in corde maris, &c.§.304 n.4. p.605
3. v. 8. Operiantur ſaccis homines,& iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine. §.274.num.4. p. 552
4. v. 1. Et afflictus eſt Ionas afflictione magnâ, & iratus eſt: & orauit ad Dominum, & dixit: Obſecro Domine,&c.§.130.n.4. p.267
8. Percuſſit Sol ſuper caput Ionæ & æſtuabat, & petiuit animæ ſuæ, vt moreretur, &c. §.193.n.2. p.585
9. Et dixit Dominus ad Ionam: Putaſne bene iraſceris tu ſuper hedera? Et dixit: Bene iraſcor ego vſque ad mortem.§. 58. n. 3. p.116
11. Et ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua ſunt plu quam centum viginti millia hominum? §.274.n.4. p. 552

## *Ex Michæa.*

*Cap.3.v.11.* PRincipes eius in muneribus iudicabant,&c.§.217.n.7. p. 441
Sacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecuniâ diuinabant &c.§.330.n.8. p. 656
5. v. 4. Et ſtabit, & paſcet in fortitudine Domini, in ſublimitate nominis Domini Dei ſui.§.44.n.5. p. 91
5.v.2. Et egreſſus eius ab initio,à diebus æternitatis. §.107.n.4. p. 223
6. v. 7. Numquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo,&c.§.365.n.5. p.725

## *Ex Habacuc.*

*Cap.2.v.16.* CIrcumdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.§.21.n.6. p. 50
3. v. 6. Aſpexit, & diſſoluit Gentes. §. 263. n. 9. p.532
11. Sol, & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo. §.390.n.6. p.771

## *Ex Aggæo.*

*Cap.2.v.8.* ET veniet deſideratus cunctis gentibus: & implebo domum iſtam gloriâ.§.47.n.3. p.96

## *Ex Zacharia.*

*Cap.3.v.2.* INcrepet Dominus in te Satan, &c. §.333.n.3. p.660
5. v. 7. Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce Mulier vna ſedens in medio amphoræ,&c.§.159.n.8. p.321
9.v.12.Conuertimini ad munitionem vincti ſpei. §.139.n.5. p. 283



17. Quid bonum eius, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum,& vinum germinans virgines.§.49.n.1.p. 100. & § 43. num.1. p. 89

## *Ex Malachiâ.*

*Cap.2.v.10.* NVmquid non pater vnus omnium noſtrum? §.276.n.6. p. 556
17. Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris,& dixiſtis,&c.§. 154. n. 5. p. 311
3.v.5.Ero teſtis velox maleficis, adulteris, & periuris.§.287.n.7. p.575
4. v. 6. Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.§.92.n.4. p.195

## *Ex I. Machabæorum.*

*Cap.6.v.46.* ET iuit ſub pedes elephantis,& ſuppoſuit ſe ei,&c.§.211.n.7. p.426

## *Ex II. Machabæorum.*

*Cap.1.v.19.* CVm in Perſidem ducerentur patres noſtri, ſacerdotes,qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè abſconderunt,&c. §. 82. num, 6. p.173.& §.200.n.3. p.399
22.Non inuenerunt ignem, ſed aquam craſſam, §.81.n.2. p.172

# Ex Nouo Teſtamento.

## *Ex Matthæo.*

*Cap.1.v.1.* LIBER generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham.§.364.n.5. p.724
3. Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. §.222.n.3. p. 449
4. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naaſſon §.71.n.7. p. 150
5. Salomon autem genuit Booz de Rahab, Booz autem,&c.§.236.n.4.p.477.& §.63. n. 4. p.135
Booz autem genuit Obed ex Ruth.§.36 num.8.p.77.& §.207.n 6. p. 417
Obed autem genuit Ieſſe.Ieſſe autem genuit Dauid regem §.267.n.1. p.539
6. Dauid autem rex genuit Salomonem ex eâ quæ fuit Vriæ.§.132 n.6. p. 273
7. Salomon autem genuit Roboam. §. 29.n.7.p. 64
8.Ioram autẽ genuit Oziam, &c.§.331.n.5.p. 659
11. Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in tranſmigratione Babylonis. §. 124 num.6.p.256.& §.283.n.8. p. 569
1. v. 12. Et poſt tranſmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel. §. 272. num, 5, p.548.& §.304.n.2. p.605
16. Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus,&c.§.343.n.2 p. 684. & §.375.n.1.p.742.& §.348.n.5. p. 694
17.Omnes itaque generationes ab Abrahã vſque

ad Dauid, generationes quatuordecim: & à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim, &c. §.101.n.2.p.211.& §.283.n.4. p. 568

18. &c. Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, &c. Ioſeph autem vir eius cum eſſet iuſtus, &c.§.397.n.2.p.783.& §.400 n.2.3.4.& 5.p.788.& 789.&.§.63.n.5. p.136.& §.149.n.3.p.301.& §.338.n.6. p.673.& §.341.n.6.p.681.& §.398.n.2. p.785.& §.399. num. 2.& 3. p.787.& §.356. n. 2.& 4. p.708.& §.397.n.7. p.784.& §.357.n.1.p.709.& §.362.n.3. p.721.& §.364 n.3.p.723.& §.367.n.4. p.729.& §.383.n.4. p.758

19. Ioſeph autem vir eius cum eſſet iuſtus, & nollet eã traducere voluit occultè dimittere eam.§ 174.n.3. p.348

20. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei dicens: Ioſeph fili Dauid. noli timere accipere Mariam coniugem tuam, §.75.num.4.p.157. & §.263.n.3.p.531.& §.376.n.6.p.746. §.338.n.4.p.673.& §.342.n.5.p.683.& § 355.n.1 p.706.& §.400.n.6.p.790.& §.398.num.4.p.785.& §.83.num. 4. pag. 174

Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſanctoeſt.§.350.n.3. p.697

21. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet, &c. §. 263 n.5. p. 532

23. Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuël, &c.§.222.n.6.p.450.& §.355.n.5.& 6. p.707.& §.357.n.3. p.710

25. Et non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum, &c.§.356.n.6. p.709.

2. v. 1. Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: Vbi eſt, &c.§.167. n. 3. 4. & 5.p.336 & § 325.n.2. p. 646

2. Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius, &c.§.201.n.8 p. 402. & §.325.n.3. p. 646

3. Audiens autem Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo.§.193.n.7. & 8.p.386.& §.132.n.3.p.272.& §.197.n.5. p.394.& §.315.n.6. p. 628.

4.5. Et congregans omnes principes ſacerdotum & ſcribas populi, ſciſcitabatur ab eis vbi Chriſtus naſceretur, &c §. 26.n. 3. p. 58. & §.325.n.4.p.646.& §.167.n.6. p. 337.

5. Ait illi dixerunt ei: in Bethlehem Iudæ: ſic enim ſcriptum eſt per prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, &c.§. 107.num. 4. p.223.& §.167.n.2.p.335.& §.353.n. 2. p.702.& §.325.n.7. p.647

11. Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Mariâ matre eius, &c.§.300.n.4.p.599. & §.327.n.7. p. 651

24. Exurgens autem Ioſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini,§.399.n.7. p.788

3. v. 1. & 4 In diebus autem illis venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ, & dicens pœnitentiam agite....ipſe autẽ Ioannes habebat veſtimentũ de pilis camelorũ &c.§.266.num.4.p.537.& §.263.num.1. p.531

6. Et baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata ſua §.262.n 9. p.530

9. Dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus, de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. §.94.n.7. p. 200

11. Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni, §.122.n.4. p. 252

4. v. 2. Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit §. 134.n.2.p.274.& §.134.n.6.p.275. & §. 153.n.7. p. 309

3. Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.§.23.n.4.p.53

5.& 6. Tunc aſſumpſit eum Diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuens eum ſupra pinnaculum templi, &c.§.191.n.6.p.382. & §. 326.n.3. p.648

8.& 9. Aſſumpſit eum in montem excelſum valdè & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, &c. §.75.n. 3.p.157.& §.87.n.2. p.181

18. Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ, &c.§. 313.n.3. p.624

Vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, &c. §.117.n.5. p. 242

21. Et procedens inde vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui...& vocauit eos, &c.§.73.n.3. pag.154.& §.171.n.7. p.344

5. v. 3. Beati paup. ſpiritu, &c.§.239.n. 3. p. 482.& §.224.n.5. p. 453

6. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiã, &c.§.224. n.2. p. 452

7. Beati miſericordes: quoniam, &c. §. 160.n.6 p.322

9. Beati pacifici: quoniam, filij Dei vocabuntur.§.86.n.4.p.180.& §. 268. n. 4. p. 541

11. Beati eſtis cùm maledixerint vobis....& dixerint omne malum aduerſus vos mentientes. §. 192.n.3. p.384

14. Vos eſtis lux mundi.§.205.n.6.p.414.& §.171. n.7. p. 344

16. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, &c. §. 177. num.7. p.355

19. Qui ergo ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum.§ 85.n.5.p.178.& §.294.n.2. p. 587

25. Eſto conſentiens aduerſario tuo citò dum es in viâ cum eo: ne fortè tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris.§.111.n.5. p. 230

29. Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum & proiice abs te.§.109.n.8.p. 227 & §.264.n.6. p. 534

34. Ego autem dico vobis non iurare omnino, &c.§.287.n.3.& 5. p. 575

37. Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt: Non, non: Quod autem his abundantius, &c.§.287. n.3.& 5. p. 575

44. Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, &c.§.111.n.7. p.231

6. v. 1, Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, &c. §.226.num. 2.pag.456.& §.273.n.1. pag. 549

2. Cùm

2. Cùm ergo facies eleemoſynam, noli tubâ canere ante te, ſicut hypocritæ,&c.§.226. n.3.& 4. p.456
3 & 4. Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua: vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito,&c. §. 66. n.5.p.141.& §.98.n.3. p.206
5. Et cùm oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in Synagogis & in angulis platearum,&c.§.273.n.2.& 3.p.549. & §.275. n.5. p.553
6. Tu autem cùm oraueris intra in cubiculum tuum; & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito,&c.§.273.n.5. p.550
7. Orantes autem nolite multum loqui,§.280.n.8. p.565
8. Scit enim pater veſter, quid opus ſit vobis antequam petatis eum, &c §.276.num.3. p.555
9. Pater noſter qui es in cælis,&c.§.276. num. 4. p.541.& §.276.n.6.p.555.& §. 280. n. 3. p.562
Sanctificetur nomen tuum,&c.§.326.n.4. p.648
10. Adueniat regnum tuum,&c.§.218. num. 3. p. 442.& §.278.n.7. p.559
Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra, &c.§.52.n.12.p.108.& §.80.n.7.p.169.& §.48 n.4. p.98
11. Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.§.151.n.4.p.305.& §.44.n. 7. & 8. p.92.§.46.n.5.p.95.& §.270.n.5. p.545
12. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.§.276. n.7. p.556
13. Sed libera nos à malo.§.280.n.4 p.562
16. Cùm ieiunatis, nolite fieri, ſicut hypocritæ triſtes.§.212.n.3. p.438
17. Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.§.134 n.3. p.274
25. Ideò dico vobis, ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini.§.125.n.4. p.257
28.& 29. De veſtimento quid ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt? non laborant, neque nent. Dico autem vobis, &c.§.77.n.15. p.163
7. v. 1. Nolite iudicare vt non iudicemini. In quo enim iudicio iudicaueritis, &c. Et in qua menſura,&c.160 n.2. p.321
3. Quid vides feſtucam in oculo fratris tui; & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo,&c. §. 108. num. 3. p.224.& §.292.n.2.p.583. & §. 201. n. 4. p.401
7. Quærite,& inuenietis.§.140.n.1. p.284
22. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, &c.§.328.n.2. p.651
8. v. 2. Ecce leproſus veniens adorabat eum, dicens; Domine, ſi vis, potes me mundare. §. 198. n.4. p.395
4 Et ait illi Iesvs...... Vade, oſtende te ſacerdoti,& offer munus quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.§.78.n.3. p.165
7.8 Et ait illi Ieſus: Ego veniam,& curabo eum. Et reſpondens Centurio, ait: Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum: ſed tantùm dic verbo & ſanabitur puer meus.§.20.n.5. p.48
10. Audiens autem Ieſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſraël. §. 325.num.5. p.647
16. Veſpere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes; & eiiciebat ſpiritus verbo,& omnes malè habentes curauit.§. 101.n.3. p.212
19. Et accedens vnus ſcriba, ait illi: Magiſter ſequar te, quocumque ieris,&c.§.39.n.2 p.655
24. Ipſe verò dormiebat §.238.n.7. p.481
29. Quid nobis & tibi fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos?§.183.n.8. p.368
9. v.3.& 4. Et ecce quidam de ſcribis dixerunt intra ſe: hic blaſphemat. Et cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit,&c.§. 157. n. 4. p.317.
6.7.& 9. Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuã. Et ſurrexit,&c.§ 156.n.8. p.315
10. v. 8. & 11. Gratis accepiſtis, gratis date....... Dignus eſt enim operarius cibo ſuo. §. 229. num.2.pag 461. & §. 331. num. 2. & 7. p.657
10. Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: non peram in via......neque virgam. §. 138. n.3. p.281
11. In quamcumque autem ciuitatem, aut caſtellum intraueritis, interrogate,&c. §. 224. n.7. p.453
16. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Cauete autem ab hominibus.§.106.n.3. p.221
34. Non veni pacem mittere, ſed gladium, &c. §.336.n.2. p.666
42. Quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ,&c.§. 293. n.3. p.585
11. v. 12. Regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud.§.135.n.4.p. 276. & §. 300. n.5.p.599.& §.308.n.1. p.614
29. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum,& humilis corde, &c. §.329.n.4.p 653.& §.352.n.6. p.702
30. Iugum enim meum ſuaue eſt,& onus meum leue.§.70.n.6. p.142
12. v. 20. Arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.§.116.n.3. p.239
38. Tunc reſponderunt ei quidam de ſcribis, & Phariſæis,&c.§.247.n.4. p.499
44. & 45. Tunc dicit reuertar in domum meam, vnde exiui. Et veniens,&c.§.212.num.1. p.417
50. Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt; ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.§.70.n.5. p.349
13. v. 41. Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, &c. §.249.n.6. p.503
44. Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro: quem qui inuenit homo, abſcondit; & præ gaudio illius vadit, &c. §. 66.n.2.p.140.& §.140. n. 4. p. 285. & §. 156.n.3.p.314.& §.384.n.2. p.759
55. Vnde huic ſapientia hæc, & virtutes? Nonne hic eſt fabri filius? nonne mater eius dicitur Maria?&c.§.114.n.3.p.235.& §.383. n.3. p.758

14. v. 8. At illa præmonita à matre ſuâ, da mihi, inquit, hîc in diſco caput Ioannis Baptiſtæ §.60.n.6. p.130

10. & 11. Et tunc ſcandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem. Et multi pſeudoprophetæ ſurgent,& ſeducent multos.§.92.n.3. p.195

13. & 14. IESVS ſeceſſit inde in nauiculâ, in locum deſertum ſeorſum.§.71.n.3. p.150

22. Et ſtatim compulit Ieſus diſcipulos aſcendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum douec dimitteret turbas. §. 131. n.4. p. 268

26. & 27. Statimque Ieſus locutus eſt eis, dicens: Habete fiduciam,ego ſum,&c.§.249.n.2. p.502.& §.281.n.5. p.564

29.& 30.Et deſcendens Petrus de nauiculâ, ambulabat ſuper aquam ,&c. §.269.num.4. p.541.& §.300.n.7. p.599

30. Videns ventum validum timuit: & cùm cœpiſſet mergi, clamauit,&c. §. 188.num.5. p.377

15. v. 13. At Ieſus reſpondens ait: omnis plantatio quam non plantauit pater meus cæleſtis eradicabitur.Sinite illos:cæci ſunt,& duces cæcorum.§.110 n.3. p.228

19. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia,adulteria,fornicationes, furta, falſa teſtimonia,blaſphemiæ,&c.§.17.n.7. p.43

26. Qui reſpondens ait: Non eſt bonum ſumere panem filiorum,& mittere canibus.§.130. n.3. p.267

29.& 30. Et aſcendens in montem ſedebat ibi.At acceſſerunt ad eum turbæ multæ, habentes ſecum mutos,cæcos, claudos, debiles, &c.§.71.n.5. p.150

16.v.7. Si quis vult poſt me venire abneget ſemetipſum,&c.§.188.n.4. p.376

14.At illi dixerunt,Alij Ioannem Baptiſtam, &c. §.27.n.3. p.60

15.Dicit illis Ieſus:Vos autem quem me eſſe dicitis §.171 n.2. p.342

18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram....& portæ inferi,&c.§.148. n.5. p.300

24. Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum,& tollat crucem ſuam,& ſequatur me.§.124.n.4. p.256

17. v. 2. Et reſplenduit facies eius ſicut Sol: veſtimenta autem eius,&c.§.326.n.6. p.649

3. Et ecce apparuerunt illis Moyſes,& Elias cum eo loquentes.§.104.n.2.p. 217. & §. 108. n.6. p.225

4.Domine bonum eſt nos hîc eſſe,&c.§.285.n.2. p.571

15. & 16. Et obtuli eum diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum.Reſpondens autem Ieſus,&c.§.281.n.4. p.564

23. Magiſter veſter non ſoluit didrachma, &c. §.234.n.3. p.473

26. Et eum piſcem, qui primus aſcenderit tolle: aperto ore eius, inuenies ſtaterem, &c. §.235.n.4. p.475

18. v.1. Quis putas,maior eſt in regno cælorum? §. 337.n.13. p.670

2. Et aduocans Ieſus paruulum, ſtatuit eum in medio eorum.§.278.n.3. p.558

3. Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, &c.§.322.n.5. p.641

10. Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris,&c.§.306.n.5. p.610

15.16.17.Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Si te audierit,lucratus eris fratrem tuum,&c. §.161.n.4. p.324

19. v. 5. 6. Si licet homini dimittere vxorem ſuam, quàcumque ex cauſſâ.§.36.n.4. p.77

10.Si ita eſt cauſſa hominis cum vxore, non expedit nubere.§.35.n.7.8. p.75.76

11.& 12.Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.§.65.n.2. p.138

17.Si autem vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. §.84.n.3. p.176

25. Auditis autem his,Diſcipuli mirabantur valdè,dicentes:Quis ergo poterit ſaluus eſſe? §.151.n.2. p.305

29. Ecce nos reliquimus omnia,&c. §. 290. n. 3. p.580

20. v. 6. Circa vndecimam verò exiit, & inuenit alios ſtantes,& dicit illis: Quid hic ſtatis totâ die otioſi?§.173.n.5.p.347.& §. 262. n.2. p.529

8. Dicit Dominus vineæ procuratori ſuo: voca operarios,&c.§.143.n.6.p.492.& §. 496. n.3.p.497.& §.322.n.3. p.641

11. & 12. Et accipientes murmurabant aduerſus patremfamilias, dicentes: Hi nouiſſimi vnâ horâ fecerunt, & pares illos nobis feciſti,&c.§.104.n.3.p.217.& §.175.num.2. p.350.& §.209.n.3.p.422.& § 246. n. 2. p.497

13. Amice, non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conueniſti mecum?&c.§.292.n.5 p.584

16.Erunt nouiſſimi primi,&c.§.322.n.2. p.641

21.Ait illi:dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. §.85.num.6.p.178. & §.87. n.4.p.181.& §.176.n.2.p.352.& §. 194. n.5. p.388

22.Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?dicunt ei:poſſumus.§.80.n.2. p. 168. & §.248.n.3. p.501

23. Sedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à patre meo.§.169.n. 2. p.339

31. Turba autem increpabat eos vt tacerent. §. 153.n.5. p.309

21.v.22. Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes,accipietis.§.269.n.6. p.543

33. Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam,&c.§.101.n.6 p.401.& §. 264. n. 4. p.533

22.v. 1. Simile factum eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. §. 94. num.4. p.199

11.Intrauit autem Rex vt videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali Et ait illi,&c.§.52 n.6. p.106

12. Amice, quomodò huc intraſti non habens veſtem nuptialem?&c.§.192.n 6. p.384

13. Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores,&c.§.183.n.4. p.367

23. In illo die acceſſerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem dicentes: Magiſter, Moyſes dixit,&c.§.114.num.7. p.237

30. In reſurrectione enim neque nubent, neque

nubentur : ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo.§. 74. n. 8. p. 156. & 306.num.12. p. 612.

32. Ego ſum Deus Abraham,& Deus Iſaac, &c. §.328.n.4. p.652

34. Phariſæi autem audientes quod Ieſus ſilentium impoſuiſſet Sadducæis,conuenerunt in vnum,&c.§ 102.n.4. p.214

40. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & Prophetæ.§.145.n.5.p.295. & §. 207. num.2. p.416

23. v. 6. Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis,&c.§.328. num.6. p.652

8. Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus eſt enim Magiſter veſter,&c.§.321.n.6. p.640

9. Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram, &c.§.321.n.6. p. 640

13. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia clauditis regnum cœlorum ante homines &c.§.327.n.8. p.651

30. Si fuiſſemus in diebus patrũ noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine Prophetarum. Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis,&c.§ 91.n.3. p.193

39. Ieruſalem, Ieruſalem,quæ occidis Prophetas .....non me videbitis amodò, &c. §. 333. n.5. p.661

24. v. 30. Et tunc parebit ſignum filij hominis in cœlo, &c.§.316.n.6. p.630

32. Cùm iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, ſcitis quia propè eſt æſtas.§.58.n.5. p.126.& §.295.n.5. p.589

25. v.2. Quinque autem ex eis erant fatuæ,& quinque prudentes.§ 74.n.5. p. 156

6. Media autem nocte clamor factus eſt. &c. §.262.n.3. p. 530

8. Fatuæ autem ſapientibus dixerunt:Date nobis de oleo veſtro,&c.§.138.n.2. p. 281

10. Dum autem irent emere,venit ſponſus, &c. §.331.n.2. p.657

21. Euge ſerue bone,& fidelis,quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.§. 43. n. 5. pag.90

27. Oportuit ergo te committere pecuniam meã numulariis, & veniens ego recepiſſem, &c.§.327.n.4. p. 650

33. Et ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris.§.61.n.3.p.131.& §.132. n.8. p. 273

34. Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi,&c.§.227.n.4.p.458.& §.230. num. 4. p.464

40. Reſpondens Rex dicet illis:Amen dico vobis, quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis,& §.204.n.5. p. 412. & §. 227. n.5. p.458

41. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, &c.§.227.n.4 p.458:& §.307.n.6. p. 613 & §.183.n.7. p. 368

26. v. 10. Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me....Mittens enim hæc vnguentum, &c.§.126.num.4. p.259

14. Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes,ad principes ſacerdotum: & ait illis:Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam.§.42.n. 4. p. 88

18. At Ieſus dixit: Ite in ciuitatem ad quemdam & dicite ei: Magiſter dicit, &c. §. 230. n.5. p. 464

22. Et contriſtati valde cœperunt ſinguli dicere Nunquid ego ſum, Domine,&c.§.196.n. 6.p.392.

26. Reſpondens autem Iudas, qui tradidit eum dixit: Nunquid ego ſum Rabbi? §. 196. n.6. p. 392.

39. Et progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuam, orans,&c.§.291.n.2. p.582

58. Petrus autem ſequebatur eum à longè, &c.§. 178.n.7. p. 353.

75. Et recordatus eſt Petrus verbi Ieſu, quod dixerat.........Et egreſſus foras fleuit amarè. §.264.n.5. p.534

27. v.47. Quidam autem illic ſtantes, & audientes dicebant Eliam vocat iſte.§.104.n.5.p.218

28. v. 2. Ecce Angelus Domini deſcendit de cælo: & accedens reuoluit lapidem, &c.§.306. n.9. p. 611

3. Erat autem aſpectus eius ſicut fulgur: & veſtimentum eius ſicut nix.§.33.n.8. p.72

4. Ecce terræ motus factus eſt magnus. §. 60. n.7. p.131

## *Ex Marco.*

*Cap.1.v.27.* ET ſtupebant ſuper doctrinâ eius. §.113.n.6. p. 235

4. v. 35. Excitauerunt eum,& dicunt illi: Magiſter non ad te pertinet, quia perimus. §. 138. n.4. p. 281

38. Et erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens: & excitant eum,&c.§.175.n.6. p. 351

39. Et exurgens comminatus eſt vento, & dixit mari,tace,obmuteſce. Et ceſſauit ventus, & facta eſt tranquillitas magna.§.84.n.2. p.176

6. v.5. Et non poterat ibi virtutem vllam facere,niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit,&c.§.198.n.7. p. 396

8. Et præcepit eis ne quid tollerent in viâ, niſi virgam tantum, &c.§.328.n.7. p. 654

10. Quocumque introieritis in domum, illic manete donec exeatis, &c. §.328.n.5.p.652

21. Et cùm dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit principibus & tribunis,& primis Galilææ.§. 19. n.2. p. 46.

22. Cumque introiiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet,& placuiſſet Herodi,ſimulque diſcumbentibus,&c.§.77.n.18. p.164

26. Et contriſtatus eſt rex, propter iuſiurandum, & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare: ſed miſſo ſpiculatore, præcepit afferri caput eius in diſco.§.108. n. 4. pag.224.& §.287.n.2. p. 575

7. 33. Et apprehendens eum de turbâ ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius,& expuens tetigit linguam eius.§.71.n.8. p. 171

10. 21. IESVS autem intuitus eum,dilexit eum §.75. n.4. p. 150

27. Quia omnia poſſibilia ſunt apud Deum. §. 138.n.6. p. 282

11. 13. & 14. Et cùm veniſſet ad eam nihil inuenit præter folia: non enim erat tempus ficorum, &c.§.228.n.5. p. 460

14. v. 32. Et venit in prædium, cui nomen Gethſe-

mani. Et ait diſcipulis ſuis: Sedete hîc, &c. §. 271. n. 5. p. 546
72. Et cœpit flere. §. 193. n. 2. p. 385
15. v. 39. Videns Centurio, qui ex aduerſo ſtabat, quia ſic clamans expiraſſet, ait, &c. §. 238. n. 5. p. 481
16. v. 17. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, &c. §. 271. n. 6. p. 547

## *Ex Luca.*

*Cap.* 1. *v.* 1. QVoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ ſunt rerum, &c. §. 301. n. 6. p. 601
17. Et incredulos ad prudentiam iuſtorum: parare Domino plebem perfectam. §. 105. n 6. p. 219
22. Ecce eris tacens, & non poteris loqui. §. 149. n. 6. p. 502
26. Miſſus eſt Angelus Gabriel. &c. §. 396. n. 1. & 2. p. 781
27. Et nomen Virginis Maria §. 338. n. 8. p. 674 & §. 339. n. 2. p. 676
28. & 29. Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena, &c. §. 196. n. 3. p. 391. & §. 373. n. 6. p. 740. & §. 348. n. 1. & 2. & 7. p. 693. & 695. & § 338. n 9. & 12. p 674. & 675. §. 372. n. 7. p. 738. & §. 378. n. 2. p. 748
29. Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. §. 357. n. 2. 5 p. 710. & 711 §. 351. n. 5. p. 700
30. Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum, &c. §. 338. n. 3. p. 673. & §. 340. n 6. p. 679. & 377. n. 6. p. 748
31. Ecce concipies in vtero, & paries filium, &c. §. 352 n. 5. p. 701. & §. 355. n. 3. p. 706
34. Quomodo fiet iſtud, &c. §. 359. n. 2. p. 713
35. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. §. 348. num. 6. p. 694. & 372. n. 3. p. 737. & §. 66. n. 4. p. 141 & § 358. n. 5. p. 712. & §. 390. n. 1. p. 770. & 348. n. 1. & 2. p. 693. & §. 354. n. 3. p. 704
37. Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. §. 376. n. 5. p. 745. & §. 107. n. 6. p. 223
38. Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum. §. 351. n. 3. & 6. p. 699. & 700 & §. 352 n. 2. p. 700. & §. 125. n. 1. p. 257. & §. 379. n. 5. p. 751. & §. 277. n. 4. p. 557. & §. 383. n. 5. p. 758
39. 40. & 41. Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione, in ciuitatē Iuda, &c. §. 382. n. 6. p. 756
48. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent, &c. §. 371. n. 6. p. 737. & §. 374. n. 1. p. 741
49. Quia fecit mihi magna qui potens eſt, &c. §. 349. n. 2. p. 695. & §. 353. n. 3. p. 703
80. Puer autem creſcebat, confortabatur ſpiritu: & erat in deſertis vſque ad diem oſtenſionis ſuæ in Iſraël. §. 72. n. 4. p. 152
2. v. 1 Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. §. 112. n. 4. p. 232
5. Vt profiteretur cum Mariâ deſponſata ſibi vxore prægnante. §. 299. n. 2. p. 596
7. Et peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit & reclinauit eum in præſepio. §. 41. n. 6. p. 86. & §. 360. n. 2. p. 715. & §. 115. n. 7. p. 238
14. Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ volũtatis. §. 87. n. 5 p. 182
21. Vocatum eſt nomen eius Ieſus, &c. §. 340. n. 3. p. 678
35. Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. §. 370. n. 3. p. 734
48. Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce Pater tuus, &c. §. 397. n. 1. & 4. & 5. p. 783. & 784. & §. 399. n. 4. & 5. p. 787
51. Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth: & erat ſubditus illis §. 390. n. 2. p. 770
Et Mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo. §. 391. n. 1. p. 772
52. Et Ieſus proficiebat ſapientiâ, & ætate & gratiâ apud Deum, & homines. §. 94. n. 5. pag. 199
3. v. 23. Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta (vt putabatur filius Ioſeph) qui fuit Heli, &c. §. 343. n. 3. p. 684. & §. 397. n. 3. & 6. p. 783. & 784
4 v. 13. Et conſummata omni tentatione, diabolus receſſit ab illo, vſque ad tempus. §. 161. n. 5. pag 324
25. Multæ viduæ erant in diebus Eliæ, &c. §. 207. n. 10. p. 418
41. Exibant autem dæmonia à multis clamantia, & dicentia: Quia tu es Filius Dei: & increpans non ſinebat ea loqui: quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum. §. 190. n. 7. p. 211. & §. 86. n. 6. p. 180
42. Factâ autem die egreſſus ibat in deſertum locum, & turbæ quærebant eum, & venerunt vſque ad ipſum: &c. §. 131. n 5 p. 268
5. v. 6. Concluſerunt piſcium multitudinem copioſam, rumpebatur autem, &c §. 295. n. 3. pag. 589
6. v. 12. & 13. Exiit Ieſus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus eſſet, vocauit diſcipulos ſuos; & elegit duodecim ex ipſis, &c. §. 169 n. 4. p. 340. & § 274. n. 7. p. 552
37. Dimittite, & dimittemini. § 93. n. 7. p. 198.
38. Date, & dabitur vobis. § 224. n. 6. p. 453
7. v. 37. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, &c. § 246. num. 6. p. 498. & §. 259. n. 4. p. 524
38. Et ſtans retrò ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare, &c. §. 213. n. 2. p 429. & §. 259. n 6. p. 525
8. v. 2. Maria, quæ vocatur Magdalene, &c. §. 339. n. 3. p. 676
5. Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum, &c. § 136 n. 5. p. 278. & §. 118 n. 5. p. 244
Et dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud §. 108 n. 7. p. 225
6. Et aliud cecidit ſupra petram, &c. §. 295. n. 4. p. 589.
21. Mater tua, & fratres tui ſtant foris volentes te videre, §. 71. n. 6. p. 150
22. Qui reſpondens dixit ad eos: Mater mea, & fratres mei hi ſunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt. §. 117. n. 8. p. 242. & §. 352. n. 3. p. 701
9. v. 26. Qui me erubuerit, & meos ſermones: hunc filius hominis erubeſcet cùm venerit in maieſtate ſuâ. §. 52. n. 2. p. 105

33. Neſ

33. Neſciens quid diceret.§.285.n.2. p.571
10.v.1.Miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem,& locum, &c. §.332.num. 2. p.658
Ite,ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos. §.73 n.4. p.154
2. Meſſis quidem multa,operarij autem pauci,&c. §.326 n.8. p.649
4. Nolite portare ſacculum, neque peram, &c. §.330.n.6. p.656
29. Ille autem volens iuſtificare ſeipſum, dixit ad Ieſum : Et quis eſt meus proximus? §.117.n.9. p.242
30. Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Iericho,&c.§.303.n.6. p.604
35. Et altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario,&c.§ 330.n.4. p.655
42. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.§.375.n.2. p.743
11. v. 2. Et ait illis:Cùm oratis dicite: Pater ſanctificetur nomen tuum. §. 273. numero 6. p.550
7. Noli mihi moleſtus eſſe, iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgerę. §. 116. num. 6. p.260
8. Propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi quotquot, &c. §. 246. num. 5. pag.498
9.& 10.Petite,& dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſatę, &c. §. 275. numero 3. pag.553
16. Alij tentantes ſignum de cœlo quærebant ab eo.§.132.n.7. p.273
17. Ipſe autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis:Omne regnum,&c.§.103.num.4. pag.216
24. 25. Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cum venerit, inuenit eam ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, &c. §.136.n.2. p.278
Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.§.243.n.2. p.491
34. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem nequam fuerit,&c.§.143.n.3. p.290
44. Væ vobis,quia eſtis vt monumenta,quæ non apparent,&c.§.212.n.3. p.428
50. Vt inquiratur ſanguis omnium Prophetarum, qui effuſus eſt à conſtitutione mundi à generatione iſtâ,à ſanguine Abel vſque ad ſanguinem Zachariæ. §.70.n.7. p.149
52. Væ vobis legiſperiti, quia tuliſtis clauem ſcientiæ: ipſi non introiſtis, & eos qui introibant,prohibuiſtis §.7.n.1. p.12
12.v.4.& 5.Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, &c. §.214.n.5. p.431
17. Et cogitabat intra ſe dicens : quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos. §.137.n.5.p.280.& §.155. num. 3. pag.313.& §.258.n 5.p.523.& § 316.n.7. p.630
19. Anima habes multa bona repoſita in annos plurimos,&c.§.262.n.5. p.530
20. Dixit autem illi Deus : Stulte hac nocte animam tuam repetent à te. §. 101. num. 4. p.212.& §.262.n.4.& 5. p.530
22. Nolite ſolliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis, neque, &c. §. 152. num.5. pag.307
37. Beati ſerui illi, quos cùm venerit Dominus inuenerit vigilantes.§.237.n.4. p.479
42. Quis,putas, eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt de illis in tempore tritici menſuram? Beatus, &c. §.147.num.3. p.298
49. Ignem veni mittere in terram,&c.§.305.n.6. p.608
13.v.6.Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua,&c.§.328.n.3. p.651
24. Contendite intrare per anguſtam portam: quia multi,&c.§ 262.n.6. p.530
14. 2. Ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.§.35.n.6. p.75
10. Sed cùm vocatus fueris, vade recumbe in nouiſſimo loco,&c §.176.n.7. p.353
13.& 14.Cùm facis conuiuium voca pauperes,&c. §.231.n.9. p.466
14. Beatus eris, quia non habent retribuere tibi. §.43.n.4. p.89
15. Quidam de ſimul diſcumbentibus, dixit illi: Beatus,qui manducauerit panem in regno Dei.§.52.n.3. p.106
17. Quia iam parata ſunt omnia. §. 41. num. 3. p.86
23. Exi in vias, & ſepes: & compelle intrare, vt impleatur domus mea. §. 81. numero 7. pag.171
15. v. 16. Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant. §.50.n.5. p.102
23. Adducite vitulum ſaginatum, & occidite,& manducemus, & epulemur. §. 43. n. 6. p.90
29. At ille reſpondens dixit Patri ſuo : Ecce tot annis ſeruio tibi, &c. §. 247. num. 5. pag.499
16. v. 8. Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet. §. 160. num. 8. p.323
20.& 21.Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius.....Factum eſt autem vt moreretur mendicus, &c.§.151.n.6. p.306
22. Factum eſt autem vt moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno. §.58.n.6.p.127.& §.225. num.8. p.455
23. Vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius, & ipſe clamauit, &c. §. 210. n. 6. p.425
24. Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui, &c.§.153.n.6. p.309
17. v. 10. Vos cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus, &c. §. 282. n. 6. p.567. & §. 350.num.2. p.697
18.v.1. Oportet ſemper orare, & non deficerę. §. 281.n.6. p.564
11. Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat : Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum:raptores, iniuſti, adulteri; velut etiam hic publicanus. §. 75. n. 7. pag.158
24 & 25.Quàm difficile, qui pecunias habent,in regnum,

regnum Dei intrabunt. Facilius eſt enim camelum,&c.§.152.n.9. p.308
19. v. 8. & 9. Ecce dimidium bonorum meorum Domine,do pauperibus, &c. §. 208.n.6. p.420
20. v. 35. Illi verò qui digni habentur ſeculo illo & reſurrectione ex mortuis, neque nubent neque ducent vxores: neque enim vltrà mori poterunt,&c.§.65.n.4. p.139
36. Æquales enim Angelis ſunt,& filij ſunt Dei, &c.§.305.n.3. p.607
21.v.25.Erunt ſigna in Sole & Luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris,&c §.137.n.3. p.280
22.v.20. Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens:Hic eſt, calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur. §.50.n.6. p.103
29. 30. Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit Pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. §. 46. n.6. p.95
39. Et egreſſus ibat ſecundùm conſuetudinem in montem oliuarum.§.52 n.13. p.108
23.v.43.Et dixit illi Ieſus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo.§.132.n.9.p. 273. & §.20.n.7.p.49.& §.262.n.8. p.530
24.v.26.Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.§.135.n.5. p.277

## *Ex Ioanne.*

*Cap.*1.*v.*1. IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,& Deus erat Verbũ, &c.§.84.n.4.p.176.& § 156.n.5. p. 315. & §.272.n.5.p.548.& §.318.n.13.p.635. & § 398.n.1. p.784
7. Hic venit in teſtimonium vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. §. 64. n.5.p.138.& §.238.n.2. p.480
1. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. §.36.n.3.p.76.& §.37.n.2. pag.78
1.v.14 Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.§.189.n.2.p.378.& §.391.n.5.pag. 773.& §.361.n.4. p.718
21. Et interrogauerunt eum:Quid ergo? Elias es tu?&c.§.239.n.7. p.484
23. Ego vox clamantis in deſerto: Dirigite, &c. §.318.n.10. p.634
41. Inuenit hic primum fratrem ſuum Simonem, & dicit ei:Inuenimus Meſſiam,&c.§.322. n.4. p.641
2. v. 1. Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: & erat mater Ieſu ibi:§.51.n.4. p.104
2. Et deficiente vino,dicit mater Ieſu ad eum:Vinum non habent §.32.n.5.p.69.& §.276. n.2. p.554
4.& 5. Quid mihi,& tibi eſt mulier...... Dicit Mater eius miniſtris:Quodcumque dixerit vobis facite §.378.n.5.p.749.& §.382.n. 4.p.756.& §.87.n.2. p.181
3.v.4.Quomodo poteſt homo naſci cùm ſit ſenex? &c.§.322.n.5. p.641
14. Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, &c.§.201.n.1. p.400
4.v.7.Dicit ei Ieſus: Da mihi bibere. Dicit ergo illi mulier illi Samaritana,&c.§.130. n. 2. p.463
8. Diſcipuli eius abierant in ciuitatem vt cibos emerent.§.125.n.2. p.257
9. Quomodo tu Iudæus cùm ſis,bibere à me poſcis?&c.§.247.n.3. p.499
10. Si ſcires donum Dei,&c.§.270.n.3. p.544
Forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam.§.241.n.4. p.488
28.Reliquit hydriam ſuam mulier,&c.§.260.n.5. p.527
29. Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci,&c.§. 318. n. 8. p.634
38. Ego miſi vos metere quod non ſeminaſtis, &c.§.245.n.5. p.492
46. Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. §. 7.n. 1. p.11.& §. 17.n.4. p.45
48. Niſi ſigna, & prodigia videritis, &c.§.292. n 4. p.584
52. Interrogabat horam ab eis, in quâ melius habuerit.§.292.n.4. p 184
5.v. 4. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam,&c.§.306.n.11. p.611
6. Vis ſanus fieri.§.225.n.2.p.454.& §.268.n. 6. p.542
8. Dixit ei Ieſus:Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille: &c. §. 117. n. 3. p.241.& §.260.n.2. p.526
13. Is autem qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet. Ieſus enim declinauit à turbâ conſtitutâ in loco.§.72.n.2. p.151
20. Pater diligit filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit,&c.§.332.n.4. p.659
6. v. 9. Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos,& duos piſces.§.228.n.4.pag. 460.& §.49.n.8. p.101
11. Accepit Ieſus panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit,&c.§.218.n.7.p.443. & §. 269. n.2. p.542
12. Vt autem impleti ſunt, dixit Diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, &c.294.n.6.p.588.& §.125.n.3. p.257
14. Illi ergo homines cùm vidiſſent quod Ieſus fecerat ſignum,dicebant:Quia hic eſt Propheta,qui venturus eſt in mundum.§.131. n.2. p.368
15. Ieſus ergo cùm cognouiſſet, quia venturi eſſent vt raperent eum,& facerent eum regem,&c.§.194.n.2. p.387
37. Omne,quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, non eiiciam foras.§.136.n.4 p.278
38. Quia deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam,&c.§.218 n.5. p.442
48. Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cælo deſcendens: vt ſiquis ex ipſo manducauerit,non moriatur. §.52.n.11. p.108
54. & 55 Dixit ergo eis Ieſus:Amen amen dico vobis: Niſi manducaueritis carnem Filij hominis,& biberitis eius ſanguinem,&c. §.50 n.7. p.103
56. Caro mea verè eſt cibus,& ſanguis meis verè eſt potus.§.387.n. p.765

57. Qui manducat meam carnem,& bibit meum ſanguinem,in me manet,& ego in illo.§. 46 n.3.& 4. p.94.& 95
7.v.48.Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum,aut ex Phariſæis?Sed turba hæc,quæ non nouit legem,maledicti ſunt. §. 114. n.2. p.235
8.v.6.Ieſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terrâ.§.61.n.4. p.131
7.& 9. Qui ſine peccato eſt veſtrum , primus in illam lapidem mittat..........Audientes autem vnus poſt vnum exibant, &c. §.160. n.3. p.322
46. Si veritatem dico vobis , quare non creditis mihi.§ 329.n.6. p.654
51. Amen , amen dico vobis: ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.§.144.n.9. p.293
9.v.2.& 3. Et interrogauerunt eum Diſcipuli eius: Rabbi,quis peccauit,hic aut parẽtes eius, &c §.178.n.6. p.357
9.6.Expuit in terram,& fecit lutum ex ſputo, & liniuit ſuper oculos eius....... & venit videns.§.207 n.8.p.413.& §. 267. num. 6. p.540
10.v.16. Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere.§.159. n.4. p.320
31. Suſtulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum.Reſpondit eis Ieſus:Multa bona opera,&c.§.314.n.5. p.262
11.v.3.Miſerunt ergo ſorores eius ad eum,dicentes: Domine , ecce quem amas infirmatur. §. 129.n.5. p.265
11.& 12.Lazarus amicus noſter dormit:ſed vado, vt à ſomno excitem eum,&c.§. 237.n. 5. p.479
16. Et alij tentantes , ſignum de cælo quærebant ab eo.§.220.n.2. p.445
21. & 22. Dixit ergo Martha ad Ieſum: Domine ſi fuiſſes hîc........ſed & nunc ſcio, &c. §. 268 n.3.p.541.& §.270.n.2. p. 544. & §. 276.n.5. p.555
23.Dicit illi Ieſus:Reſurget frater tuus.§.270.n.4. p.545
39. Dicit ei Martha ſoror eius , qui mortuus fuerat:Domine iam fœtet , quatriduanus eſt enim.§.104.n.4.p.217.& §.335. num. 4. p.664
41. Date eleemoſynam , & ecce omnia munda ſunt vobis.§.227.n.2.& 3. p.458
43. Voce magna clamauit: Lazare veni foras. §. 337.n.14. p.671
44. Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes,& manus inſtitis.§.61.n.6.p. 132. & §.260.n.3. p.526
47. Quid facimus , quia hic homo multa ſigna facit?§.247.n.4. p.499
12. v. 26. Si quis mihi miniſtrauerit honorificabit eum Pater meus §.374.n.8. p.742
27.Nunc anima mea turbata eſt. Et quid dicam? §.83.n.6. p 175
13. v. 7. Quod ego facio tu neſcis modò , ſcies autem poſteà.§.288.n.3. p.576
10. Qui lotus eſt,non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus §.64.n.3.p.137.& §. 207.n.11.p.418.§.301. n. 5. p. 600. & §. 240.n.5. p.487
27. Et poſt bucellam,introiuit in eum ſatanas. §. 316.n.4. p.629
14.v.2 In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.§. 209.n.4. p.422
6.Ego ſum via,veritas,& vita.§.384.n.4. p.760
17. Vos autem cognoſcetis eum , quia apud vos manebit,& in vobis erit.§.140.n.2.p.284 & §.278.n.4. p.559
21. Manifeſtabo ei meipſum,&c.§. 326. num. 7. p.649
27. Pacem relinquo vobis , pacem meam do vobis,&c.§.336.n.5. p.667
28. Si diligeretis me , gauderetis vtique quia vado ad Patrem,&c.§ 229.n.4. p.463
29. Et nunc dixi vobis priuſquam fiat : vt cum factum fuerit , credatis. §.238. num.4. p.481
15.v.4.& 5. Manete in me , & ego in vobis......Qui manet in me,&c.§.218.n.4. p.442
16. Non vos me elegiſtis : ſed ego elegi vos. §. 171.n.6. p.343
25. Sed vt adimpleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt : Quia odio habuerunt me gratis. §. 213. n. 3. p. 429.& §.222.n.2. p 449
16.v.21.Cùm autem peperit puerum , iam non meminit preſſuræ propter gaudium. §. 136. num.6. p.278
23.& 24. Amen,amen dico vobis : ſi quid petieritis Patrem in nomine meo , &c. § 280. num.6. p.562
28. Exiui à Patre , & veni in mundum : iterum relinquo mundum , &c. §. 283. num. 5. p.568
17. v. 3. Hæc eſt autem vita æterna : vt cognoſcant te , ſolum Deum verum , & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. §. 238. numero 3. p.480
17. Sanctifica eos in veritate, &c. §.332.num.7. p.660
19. Pater venit hora , clarifica Filium tuum , vt Filius tuus clarificet te. §. 238. num. 5. p 481
19. v. 24. Dixerunt ergo adinuicem : Non ſcindamus eam,ſed ſortiamur de illâ cuius ſit. §. 386.n.6. p.764
25. Stabant iuxta Crucem Ieſu Mater eius , &c. §.369.n.2.3.& 5.p.732.& 733.& §.370. n.2.& 5.& 6.p.734.& 735.& §.379.n.3. pag.750
26. Mulier ecce filius tuus,§.365.num. 1. p.724. & §.391.n.2. p.772
34. Sed vnus militum lanceâ latus eius aperuit , & continuò exiuit ſanguis , & aqua. Et qui vidit teſtimonium perhibuit : &c. §.64.n.2.p.137.& §.45.num. 5. pag 93. §. 178. num. 7. pag. 357.& §.52.num.1. p.105
Et continuò exiuit ſanguis , & aqua,&c. §.264.n.2. p.533
20. v. 2. Quia vidiſti me Thoma,credidiſti. §.238. num.4. p.481
16. Dicit ei Ieſus : Maria , &c. §. 338. num. 13. p.675
17. Noli me tangere ; nondum enim aſcendi ad Patrem meum. §. 238. num. 6. pagina 481
19. Cùm ſero eſſet die illo,vnâ ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant Diſcipuli congregati propter metum Iudæorum : venit IESVS , & ſtetit in medio,&c.§. 76.n. 2. p.159

15. Dixit Simoni Petro Ieſus : Simon Ioannis diligis me plus his? dicit ei : Etiam Domine tu ſcis quia amo te. Dicit ei : Paſce agnos meos. §.118.n.4.p.245. & §.239. n.9. p.414
18.& 19. Amen, amen dico tibi: cùm eſſes iunior, cingebas te , & ambulabas vbi volebas: cum autem ſenueris , extendes manus tuas , &c.§.80.n.5. p.169
25. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula , nec ipſum arbitror mundum poſſe capere eos , qui ſcribendi ſunt libros.§.18.n.2. p.44

## *Ex Actis Apoſtolorum.*

Cap.1.v.1. PRimum quidem ſermonem feci de omnibus, ô Theophile , quæ cœpit Ieſus facere, & docere vſque in diem, &c.§.18. n.2 p.44.& §.70.n.4.p.148 & §.327.n.5. p.650 & §.207.n.4. p.417
3. Per dies quadraginta apparens eis , & loquens de regno Dei.§.132.n.2. p.270
4. Conueſcens præcepit eis ab Ieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis, inquit, per os meum. §.139.n.2.p.283.& §.278.n.2.p.558. & §.210.n.2. p.423
9. Et cùm hæc dixiſſet , videntibus illis eleuatus eſt : & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.§.135.n.2.p.276.§.20.n.2. p.47
10. Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, &c.§.244.n.2. p.493
13. Vbi manebant Petrus, & Ioannes , & Iacobus, & Andreas , Philippus , & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes , & Iudas Iacobi, &c.§.75.n.2. p.157
14. Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Ieſu, &c.§.274.n.3. p.551
21. Oportet ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati.......teſtem reſurrectionis nobiſcum fieri vnum ex iſtis, &c.§.312.n.2. p.622. & §.171.n.5. p.343
24. Tu Domine qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris, &c.§.169.n.3. p.339
25. Accipere locum miniſterij huius, & Apoſtolatus de quo præuaricatus eſt Iudas , vt abiret in locum ſuum.§.169.n.5. p.340
2. v. 1. Cùm complerentur dies Pentecoſtes , erant omnes pariter in eodem loco : & factus eſt repentè de cælo ſonus, &c.§.127. n.4. p 261.& § 278.n.6. p.559
2. Et factus eſt repentè de cælo ſonus , tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes. §. 20.n 2.p 47.& §.187.n.5. p.375
4. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque, &c.§.146.n.2.p.296
Et cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.§ 146.n. 2. & 5. p.296. & 297
13. Alij autem irridentes dicebant : Quia muſto pleni ſunt iſti. §. 145.n.2.p.294. & §.103. n.2. p.215
15. Non enim, ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt, cùm ſit hora diei tertia , &c. §. 192.n.2. p.383
34. His autem auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt, &c.§.282.n.3. p.566
3.v.3. Is cum vidiſſet Petrum & Ioannem incipientes introire in templum , rogabat vt eleemoſynam acciperet.§ 275.n.4. p 553
6. Argentum & aurum non eſt mihi : quod autem habeo, hoc tibi do, &c.§ 78.n. 5 p. 165.& §.151.n.7.p 307.& §.268.num. . p.540
7. In nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ſurge, & ambula. Et apprehensâ manu eius dexterâ, &c.§.175.n.5. p.351
21. Quem oportet cælum ſuſcipere vſque in tempora reſtitutionis omnium.§.166. n.4. p.334
25. Vos eſtis filij Prophetarum , & teſtamenti quod diſpoſuit Deus ad patres noſtros , dicens ad Abraham: Et in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ, &c.§.70. n.2. p.148
4.v.3.& 4. Et iniecerunt in eos manus, & poſuerunt eos in cuſtodiam. Multi autem eorum qui audierant verbum, crediderunt, &c §.187. n.4. p.375
7. Et ſtatuentes eos in medio , interrogabant : In quâ virtute, &c.§.312.n.5. p.623
32. Multitudinis autem credentium , erat cor vnum, & anima vna: nec quiſquam eorum quæ poſſidebat , aliquid ſuum eſſe dicebat , ſed erant illis omnia communia. §. 117.n.6 p.242.& §.29.n.4.p.64.& §.231. n.5. p.465
6.v.12. Concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium.§.329.n.3. p.653
13. Et ſtatuerunt falſos teſtes, qui dicerent , Homo iſte non ceſſat loqui verba aduerſus locum ſanctum, & legem, &c. Audiuimus enim, &c.§.166 n.3. p.335
14. Audiuimus eum dicentem : quoniam Ieſus Nazarenus hic deſtruet locum iſtum , & mutabit traditiones., quas tradidit nobis Moyſes.§.110.n.4. p.228
7. v. 2. Viri fratres, & patres audite : Deus gloriæ, &c.§.329.n.3. p.653
22. 23. Athenienſes per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video. Præteriens autem , & videns ſimulacra veſtra, inueni & aram, &c. §.94 n.3. p.198.199
8.v.19. Date & mihi hanc poteſtatem , vt cuicumque impoſuero manus, &c.§.327. num.3. p.650
39. Cùm autem aſcendiſſent de aquâ, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam ſuam gaudens.§.18.n.6. p.45
9. v. 3. Et cùm iter faceret , contigit vt appropinquaret Damaſco ; & ſubitò circumfulſit eum lux de cælo, &c.§.166 n 6. p.335
7. Viri autem qui comitabantur cum eo , ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, &c. §.145.n.4. p.294
11. Surge, & vade in vicum , qui vocatur Rectus: & quære in domo Iudæ Saulum , &c. §. 172.n.3. p.345
22. Saulus autem multò magis conualeſcebat, & confundebat Iudæos......affirmans quoniam hic eſt Chriſtus, &c.§.329.n. 2. p.651. & §.334.n.7. p.663

38. Hæc

38. Hæc erat plena bonis omnibus,& eleemoſynis,&c.§.331.n.1. p.656
10.v.1.& 2. Vir autem quidam erat in Cæſarea,nomine Cornelius,Centurio cohortis,&c.§.208.n.2. p.419
6. Hic hoſpitatur apud Simonem quemdam coriarium,cuius eſt domus iuxta mare:hic tibi dicet quid te oporteat facere.§.72.n.4. p.152
12. 13. & 14. In quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentes terræ, & volatilia cœli. Et facta eſt vox ad eum: Surge Petre, occide & manduca,&c.§.69.n.2. p. 146
40. Hunc Deus ſuſcitauit tertâ die, & dedit eum manifeſtum fieri non omni populo ſed teſtibus præordinatis à Deo,&c.§.300.n.2. p.598
11.v.27.& 28. In his autem diebus ſuperuenerunt ab Ieroſolymis prophetæ Antiochiam: & ſurgens vnus ex eis, nomine Agabus,&c. §.190.n.2. p.380
12.v.22.& 23. Populus acclamabat Dei voces, & non hominis,&c.§ 195.n.3. p.389
13.v.10. & 11. Saulus autem: qui & Paulus repletus Spiritu-ſancto,intuens in eum dixit:O plene omni dolo,&c.§.186.n.2. p.372
50.& 51. Et excitauerunt perſecutionem in Paulum & Barnabam: & eiecerunt eos de finibus ſuis. At illi excuſſo puluere pedum in eos,venerunt Iconium, &c. §. 98.n.2. p.206
14.v.14.17. Dij ſimiles facti hominibus, deſcenderunt ad nos.§ 100.n.2. p.209
15.v.39.Facta eſt autem diſſenſio, itaut diſcederent ab inuicem, & Barnabas quidem, &c. §. 329.n.5.p.654.& §.168.n.3. p.337
16.v.6.Tranſeuntes autem Phrygiam,& Galatiæ regionem,vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia.§.98.n.5. p.206
17.18. Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis.Hoc autem faciebat multis diebus,&c.§.103.n.5.p.216
17.v.11. Hi autem erant nobiliores eorum, qui ſunt Theſſalonicæ, qui ſuſceperunt verbum cum omni auiditate. §. 236.num.2. p 477
18. Quidam autem Epicurei & Stoici Philoſophi diſſerebant cum eo....Quid vult ſeminiuerbius hic dicere.§.226.n.5 p.574.& §. 97.n.3.p.204.& §.332.n.3. p.659
Alij verò: Nouorum Dæmoniorum videtur annunciator eſſe: quia Ieſum,& reſurrectionem annunciabat eis.§.113.n.2.p.233
28. In ipſo viuimus,mouemur,& ſumus.§.360. num.8. p.717
20.v.23.Quoniam vincula, & tribulationes Ieroſolymis me manent,&c.§.294.n.3. p.587
21.v.9.Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes,§.65.n 6. p.139
26.v.23. Si paſſibilis Chriſtus,ſi primus ex reſurrectione mortuorum §.199.n.2. p.396
24. Feſtus magnâ voce dixit:Inſanis Paule, &c. §.293.n.4. p.586

## *Ex Epiſtola ad Romanos,*

*Cap.1.v.1.* PAulus ſeruus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de Filio ſuo,&c.§.114.n.4. p.236
24.Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditia.§.188.n.6. p.377
2.v.1.Propter quod inexcuſabilis es,ô homo,omnis, qui iudicas.In quo enim iudicas alterum, &c.§.105.n.31. p.219
4. An diuitias bonitatis eius,& patientiæ, & longanimitatis contemnis?Ignoras,&c.§.265 n.3.p.535.& §.51.n.2. p.103
14. Gentes, quæ legem non habent naturaliter quæ legis ſunt,faciunt,eiuſmodi legē non habētes,ipſi ſibi ſunt lex.§.110.n.7.p.229
5.v.3.Spes autem non confundit §.249.n. 5. p.503
6.v.11.Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore,vt obediatis concupiſcentiis eius, &c.§.188.n.7. p.377
19 Sicut exhibuiſtis membra ſeruire immunditiæ, &c §.245.n.1.p.495.& §.301.n.8.p.601
7.v.8. Occaſione autem acceptâ, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat.§.69.n.5. p.147
14. Ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato.§.79.n.9. p.168
17. Nunc autem iam non operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. §. 345. num. 3. p 688
23. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ,& captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis,&c.§.134.n.5. p.275
24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. §.124.n.2. p.255.& §.213.n.6. p.430
8.v.22. Qui ſubiecit eam in ſpe.§.125.n.2. p.253
32. Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit,ſed pro nobis omnibus,&c.§.220.n.3. p. 445. & §.383.n.6. p.758
35. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas?an periculum? an perſecutio? an gladius?&c.§.129.n.2. p.264
10.v. 18. Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum,&c.§.2,8.n.10. p.675
11.v.8.Spiritum compunctionis.§.237.n.6. p.480
33. O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei:quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius.§.123.n.3. p.254
34. Quis enim cognouit ſenſum Domini. §. 97. n.6. p.205
35.Quis prior dedit illi, & retribuetur ei. §.229. n.7. p.463
12.v.12.Spe gaudentes.§.139.n.4. p.283
12. v. 19. Sed date locum iræ,ſcriptum eſt enim; Mihi vindicta:Ego retribuam, dicit Dominus.§.96.n.7. p.203
13.v.8.Nemini debeatis, niſi vt inuicem diligatis.§. 115.n.4.p. 237.& §. 115.n.5.p.238.& §. 116.n.4. p.239
13. v. 12. Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.§.198.n.6. p.396
Et induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus.§ 83.n.1. p.173
14. Induimini Dominum Ieſum Chriſtum.§.362. n.5. p.729
14.v.4.Tu quis es,qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat,aut cadit,&c.§.190.n.5.p.381
10. Tu autem quid iudicas fratrem tuum, &c. §. 311.n.6. p.613

## *Ex I. ad Corinthios.*


*Cap.*1.*v.*19. Scriptum eſt, perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens, vbi ſcribâ, &c. §.30.n.5. p.66

23. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum: Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. §.96.n.2. p.202

26. Videte vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes, non multi potentes non multi nobiles, &c. §.114. numero 5. p.236

2.v.4. Et ſermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis. §.97. numero 4. p.205. & §. 286. num. 3. p.573

5. Vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, &c. §.286.n.4. p.573

9. Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus, &c. §.373 n.5. p.740

3. v. 16. Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis. §. 152. num. 3. p.307

4.v.8. Sine nobis regnatis: & vtinam regnetis. §.302. n.4. p.602

6.v. 12. Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigor poteſtate. §.331. num. 6. p.658. & §. 30.n.5. p.65

7. v. 27. Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. §.37.n.7. p.79

28. Si autem acceperis vxorem: non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccauit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. §.37.n.6. p.79

32. & 33. Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat, &c. Qui autem cum vxore eſt, &c. §.62. numero 2. p.133

8.v.1. Scientia inflat, charitas verò ædificat. §.30.n.3. p.65

9. Videte autem ne fortè hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis. §.33.n.2. p.71

11. Et peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt. §. 109.n.4 p.226

9.v. 22. & 23. Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, &c. §.241.n.7. p.489

4 Omnes eundem potum ſpiritualem biberunt.... Petra autem erat Chriſtus, &c. §.389.n.4. p.769

30. Si ego cum gratia participo, qui blaſphemor pro eo quod gratias ago. 161.n.2. p.323. & §.33.n.4. p.71

11.v.10. Ideo debet mulier poteſtatem habere ſupra caput propter Angelos. §.62.n.4. p.133. & §.185.n.4 p.371

18. Primùm quidem conuenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo, &c. §.115 n.2. p.137. & §.43.n.8. p.90

25. Hic calix nouum Teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hoc facite, quotieſcumque bibetis in meam commemorationem. §.51. n.8. p.104

13. v. 4. Charitas patiens eſt..... non agit perperam, non inflatur, &c. §.195.n.7. pag.391

5. Charitas non cogitat malum. §.190. num. 3. pagina 380

6. Non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. §. 98.n.5. p.595

12. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, &c. §.324.n.8. p.645

14. v. 40. Omnia autem honeſtè & ſecundum ordinem fiant. §.86.n.1. p.179

15.v.10. Gratia autem Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, &c. §.243. n.5. pag.492

47. & 48. Primus homo de terrâ, terrenus: ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Qualis terrenus tales & terreni: & qualis cæleſtis tales & cœleſtes. §.65.v.8. p.139. & c. §.366. n. 2. pag.726


## *Ex II. ad Corinthios.*


*Cap.*1.*v.*11. Adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis: vt ex multorum perſonis, eius quæ in nobis eſt donationis, &c. §.274.n.5. p.552

4. v. 11. Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Ieſum: vt & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtrâ mortali. §.96. n.6. p.203

17. Quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, &c. §.308. num.8. p.6.5

5.v.21. Qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, &c. §. 261.n.5. p.528

6.v.4. Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur, &c. §.330.n.7. p.656

8.v.9. Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopiâ vos diuites eſſetis. §.45.n.6. p.93

9 v.8. Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: vt in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, &c. §. 228.n.3. p.460

11.v.2. Æmulor enim vos Dei æmulatione. §.65.n.9. p.140

21. Secundum ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte. §. 236 num. 6. p 478

12.v.2. Scio hominem in Chriſto....... Siue in corpore neſcio, ſiue extra corpus, &c. §.197. n.6. p.394

7. Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. §.31.n.3. p.67

8. Propter quod ter Dominum rogaui vt diſcederet à me, & dixit mihi: ſufficit, &c. §.289. n.4. p.579. & §.277.n.2. p.556

9. Virtus in infirmitate perficitur, &c. §.294.n.5. p.588. & §.277.n.2. p.556


## *Ex Epiſtolâ ad Galatas.*


*Cap.*2.*v.*20. Viuo autem iam non ego, &c. §. 263.n.8. p.532


4.v.28.

18. Bonum autem æmulemini in bono ſemper.§. 147.n.6. p.500
5.v.13. Vos in libertatem vocati eſtis fratres:tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem ſpiritus ſeruite inuicem.§.182.n.7. p.366
17. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum: ſpiritus autem,&c.§.245.n.6. p.496
16.v.6.Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim ſuo metemus, &c. §. 224. n.3. p.452

## *Ex Epiſtola ad Epheſios.*

*Cap.*4. *v.* 8. PRopter quod dicit : Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, &c.§.210. num.5. p.424.& §.174. num.2. p.348
26. Iraſcimini,& nolite peccare : Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite, &c. §.159.num.5.p.320.& §.186. num.6. p.373
5. v. 18. Et nolite inebriari vino,in quo eſt luxuria. §.22.n.2.& 3. p.51
20. Gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domini Ieſu Chriſti Deo & Patri. §.184.n.7. p.370

## *Ex Epiſtola ad Philippenſes.*

*Cap.* 2. *v.*2. IMplete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eandem charitatem habentes §.116.n.5. p.240
4. Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes.§.308 n.2. p.614
6. Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo : ſed ſemetipſum exinaniuit. §. 135. n.5.p.276. & §.199.num.7. p.398. & §. 211. num.4. p.426.& §.288. n.3. p.577. & §.125.n.6. p.258.
7. Habitu inuentus vt homo,&c. §.362. num.3. p.719
3.v.14. Quæ retro ſunt obliuiſcens ad ea verò quæ ſunt priora,extendens meipſum ad deſtinatum perſequor,ad brauium ſupernæ vocationis.§.66.n.6. p.142
19. Quorum finis interitus : quorum Deus venter eſt : & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. §. 22. num. 4. & 5.p.51.& §.176.n.4. p.352. & §. 314. num.4. p.626

## *Ex Epiſtola ad Coloſſenſes.*

*Cap.* 1. *v.*4. ADimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, &c. §.326.n.5. p.648
2.v.4.Hoc autem dico,vt nemo vos decipiat in ſublimitate ſermonum.§.97.n.2. p.204
8. Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam,& inanem fallaciam, &c.§.330.n.5. p.655
9. Quia in ipſo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter.§.354.n.2. p.704
14. Delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci; &c.§.113.n.6. p.233

## *Ex I. ad Timotheum.*

*Cap.*1. *v.* 9. SCiens hoc quia lex iuſto nō eſt poſita, ſed iniuſtis,& non ſubditis,impiis & peccatoribus,&c.§.111.n.6. p.230
19. Habens fidem,& bonam conſcientiam,quam quidam repellentes,circa fidem naufragauerunt.§.94.n.2. p.198
4. v. 12. Nemo adoleſcentiam tuam contemnat. §. 323.n.4. p.643
5.v.6. Quæ in deliciis eſt, viuens mortua eſt. §. 21. n.7. p.50
23. Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. §. 25. num.5. & 7. p.57
6. v. 6. Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia §.208.n.5. p.410
12. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, &c. §.308.n. 4. p.614

## *Ex I I. ad Timotheum.*

*Cap.*2.*v.*16.*&* 17. PRofana autem, & vaniloquia deuita : multum enim proficiunt ad impietatem : & ſermo eorum vt cancer ſerpit, in quibus eſt Hymenæus. §.98.n.4. p.206
4. v. 2. Argue, obſecra, increpa,&c.§.333.num. 5. p.661.& §.334.n.3. p.662
5. Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ,&c.§.241.n.3. p.488

## *Ex Epiſtola ad Philemonem.*

*Verſ.* 1. PAullus vinctus Chriſti Ieſu, &c. §. 239. num.8. p.484

## *Ex Epiſtola ad Hebræos.*

*Cap.* 1. *v.*4. TAntò melior Angelis effectus,quantò differentius præ illis nomen hæreditauit.§.339.n.6. p.677
4. v. 18. Qui contra ſpem in ſpem credidit. §. 376. num.4. p.745
5. v. 7. Exauditus eſt pro ſuâ reuerentiâ.§.378.n.7. p.749
11. v. 1. Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. §. 138.n.7.& 8.p.282.& §.132.n.4.p.272.& §.174.n.4. p.348
12.v.18. Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem,& accenſibilem ignem, & turbinem, & caliginem,& procellam,&c, §.112.n.5. p.232
13. v. 16. Beneficentiæ, & communionis nolite obliuiſci

obliuiſci,&c.§.226 n.7. p.457. & §.218. num.6. p 460
17. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant,&c. §. 317. num.4. p.631

## *Ex Epiſtola Jacobi.*

*Cap.*1.*v.*2. OMne gaudium exiſtimate....... cùm in tentationes varias, &c. §. 289. num.7. p.579
4. Patientia autem opus perfectum habet: vt ſitis perfecti & integri in nullo deficientes. § 129.n 4 p.265
6.& 10 Glorietur frater humilis in exaltatione ſua: diues autem,&c.§.208 n.8.p.421.& §.288 n.4. p.577
15. Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum verò, &c. §. 177. n. 6. p.355
17. Deſcendens à Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, &c. §. 345. num.4. p.689
21. Abiicientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum,&c. §.144. num.4. p.292
3. v.2. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.§.104.n.6. p.218
6. Et inflammat rotam natiuitatis noſtræ,inflammata à gehenna. §.101.n.6. p.212. & §. 295.n.7.p.590.& §.313.n.6.p.625.& §.91. n.6. p.194
14. Quòd ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris, &c. §.156. n.9. p.316
4. v. 3. Petitis,& non accipitis,eò quòd malè petatis,&c.§.280.n.5. p.562
5.v.12. Sit autem ſermo veſter: Eſt,eſt: Non,non vt non ſub iudicio decidatis. §. 287. n. 4. pag.575

## *Ex Epiſtola I. Petri.*

*Cap.*1. *v.*14. QVia omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni: exaruit fœnum,& flos eius decidit, verbum autem Domini manet in æternum. §.40 n.5. p.84
3. v. 3. Quarum non ſit extrinſecùs capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum.§.77.n.11. p.163
21.& 22. Sed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Ieſu Chriſti, &c.§.172.n.4. p.345
4.v.12.Chariſſimi,nolite peregrinari in feruore, &c. §.213.n.4. p.419

## *Ex Epiſtola II. Petri.*

*Cap.*1. *v.*16. NOn doctas fabulas ſecuti notam facimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & præſentiam, &c. §.114.n.6. p.236

## *Ex Epiſtola Iudæ.*

*Verſ.* 9. CVm Michaël Archangelus cum Diabolo diſputans,&c.§ 333.n.2. p.660
13. Fluctus ſeci maris, deſpumantes ſuas confuſiones.§.129. n.6. p.265.& §.261. n.3.p. 528.& §.109.n.6. p.227

## *Ex Apocalypſi.*

*Cap.*2. *v.* 28. ET qui vicerit...... dabo illi ſtellam matutinam.§.375.n.6. p.744. & §. 344.n.2. p.686
3. v. 19. Quos amo,arguo, & caſtigo. §. 200. n. 1. p.398
4. v. 8. Requiem non habebant die ac nocte, dicentia.Sanctus,ſanctus, &c.§.289.num.5. p.579
5. v. 1. Et vidi in dexterâ ſedentis ſuprà thronum librum ſcriptum intus & foris, &c. § 287. n.8. p.576
12. v.1. Signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta ſole,&c.§.347.n.4.p.692.& §.362 n.4.p.720.& §.364 n.4. p.724. & §.377. n.2. p.746
8. Factum eſt prælium in cælo:Michaël & Angeli eius præliabantur cũ dracone,& draco pugnabat & Angeli eius:&c §.86.n.3. p.179
14.v.4.Virgines enim ſunt.Hi ſequuntur agnum,&c. §.374.n.3. p.741
17. v. 4. Et mulier erat circumdata purpurâ,& coccino,& inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis,&c.§ 77.n.7. p.162
5. Et abſtulit me in ſpiritu in deſertum. §. 77. n.8. p.162

# SYLLABVS
# RERVM ET VERBORVM,

## Prę́ſertim quę mores inſtruunt, & paullò vberiùs traduntur.

*§. Paragraphum deſignat*, n. *numerum denotat marginalem*, p. *Paginam indicat.*


A

*Abnegatio.*

VIDE verbo, *Mortificatio.*

*Abſens, Abſentia.*

Maieſtati maior ex longinquo reuerentia: nam frequens conſuetudo, aut contemptibiles inuenit, aut facit. toto §. 131. & 132. p. 268. & 269

Vide verbo, *Præſens.*

*Abundantia.*

Vide verbo, *Diuitiæ, Felicitas.*

*Accuſatio.*

Vide verbo, *Delator.*

*Adoleſcens, Adoleſcentia.*

Vide verbo, *Iuuenis, Puer.*

*Aduerſitas.*

Vide verbo, *Labores, Perſecutiones, Patientia.*

*Adulatio, Adulator.*

Conſiliarij ambitioſa adulatio, peſtis conſilij eſt. §. 16. n. 13. p. 42

Aulica Aſſentatio, ſeu aſſenſio ſeueriùs caſtigatur. §. 93. n. 8. p. 387

Ambitioſior aulicorum adulatio, & Principum aures aſſentationi faciles, egregiè vapulant, toto §. 19. p. 589.

Adhuc vapulant aulæ adulationis inſania, toto §. 196 p. 591.

Adulatores ſunt ſicut ſerui, qui non de aceruo, ſed de ſemine furantur. §. 244. n. 1. p 493

*Adulter.*

Vide verbo, *Luxuria, Mulier, Maritus.*

*Ægrotus, Ægritudo,*

In animi morbis ſuus eſt etiam dies criticus, in quo vitiorum ægritudo plus deſæuit. toto §. 101. p. 211

Dolor & ægritudo quo ſenſu Spiritus dicitur. §. 137. num. 4. p. 280

*Æmulatio*

Vide verbo, *Inuidia, Zelus.*

*Ærumnæ.*

Vide verbo, *Labor, Perſecutio, Patientia.*

*Ætas.*

Vide verbo, *Senectus, Pueritia, Iuuentus.*

*Affectus.*

Bonus imbonúſue affectus, dum merita cudit in voluntatis officinâ, iudiciorum arbiter eſt. toto §. 145. p. 294

Homo iiſdem profanis affectibus, quibus agebatur ad vitia, Deo religioſiùs conſecretur, & virtuti obnixiùs militet, toto §. 213. p. 429

*Afflictio.*

Vide verbo, *Labor, Perſecutio, Patientia, Triſtitia.*

*Affinitas, Cognatio.*

Male putat Doctor ſe eſſe veritatis cognatum. §. 7. num. 2. p. 12

Propoſitum fauendi cognatis anteuertit conſilium. §. 59. n. 7. p. 129

Mutuus amor ſanguini cognatus. ſi ex aliquâ fortè occaſiunculâ exaſperetur, in acerrima odia inhumanè degenerat. toto §. 92. p. 194

Pagana ambitio pauperem & abiectam cognationem faſtidit, quâ Chriſtiana modeſtia generosè gloriatur. toto §. 204. p. 411

Multam opem cognatus cognato præbet. §. 257. n. 4. p. 521

*Aman.*

Do repentè ſublimatur Aman. §. 2. n. 4. p. 3

Aman fuit Spiritus impuri ſupplementum. §. 2. n. 5. pag. 3

Fuit mortibus fœcundus. §. 2. n. 5. p. 3

In Amane fuit acumen temeritatis. §. 2. n. 6. p. 3

Amani zelus proprium rodit auctorem. §. 2. n 6. p. 3

Nimis peccat Amani peccatum. §. 2. n. 7. p. 4

Timor talionis per eundem ſeu parem paſſionis Amanum non ſtitit. § 4 n. 6. p. 7

Aman quomodò à Deo extorquet, vt cum ſuis peccat. §. 5. n. 2. p. 7

Aman in hoc altiùs tollitur, vt decidat altiùs. §. 40. n. 4. p. 83

Plura de Amano legi poſſunt in Commentario litterali, ſuis in locis.

*Ambitio.*

Honorum impotenter cupidis ſatiùs ſit, eſſe inter minimos magnum, quàm inter magnos minimum, toto §. 85. p. 177

Non obeundum munus, ſed muneris gloriam, & commoda ambire peruerſitas ambitionis eſt. toto §. 87. p. 181

Neſcit ambitio naturæ ſuæ menſuram agnoſcere: inde & indecora, & flagitioſa ſedulò ſibi negotiatur. toto §. 100. p. 209

Ne qui dudùm erat paupereculus opifex, aut laborioſus ruſticanus, fiat in religione ambitioſè delicatulus. toto §. 115. p. 237

Honorem *Primi* ambimus, *Primi* moleſtias excutimus. §. 163. n. 6. p. 330

Ambitio per mille indignitates, ad regiminis dignitates aſcendit.§.163.n.7. p. 330
Humilis conſcientia dum Primatum fugit, Primatum dignè ac piè ambit.toto §.174. p.348
Superbus candidatus tantò indigniùs dignitates ambit, quantò humiliùs.toto § 176. p.352
Ambitio adulationis multis caſtigatur.§.193.& 194 & 195 & 196. p. 185.vſque ad 391
Perſæ ſimulant ſe eſſe Iudæos, quos honoribus auctos vident.§.203.n.11. p. 410
Pagana ambitio pauperem & abiectam cognationem faſtidit.toto §.204. p. 411
Repudiata humiliter dignitas, repudiatorem ambit. §.288.n.2. p. 576
Malè ſenes, annorum ſcalis ad dignitatum faſtigia aſcẽdere ambiũt. toto §.323.& 322.p.642.& 640
Superbia ambitionis, dum inſolentiùs vltra ſuum faſtigium præſumit, in abiectiores vilitates ſceleſtè degenerat.toto § 303. p.603
Vide verbo, *Superbia, Dignitas, Dignus, Fuga.*

*Amor, Charitas.*

Amor vt faſtidioſus,& furioſus dicitur.§.5.n.2. p.7
Blanda libido, & durior ſæuitia, affectus ſunt indiuiduè cognati: de amoris enim ſcintillâ furor accenditur.toto § 60. p. 129
Lex rigida, quædam dilectionis forma nuncupatur. §.111.n.6. p.230
Reciproca beneuolentia concordiæ matrix, agnata Chriſtianis eſt, qui ſe amant mutuò penè antequam nouerint.toto § 115. p.237
Mutua charitas, & *Vicaria* ſententioſè dicitur, & apud nos retineri iubetur, vt quiſque ſui mater & filius ſit. Hinc dum prædicatur concordia, diſcordia vituperatur.toto §.116. p.239
Fraternæ charitatis nexus, arctius adhuc multis ſtringitur.toto §.117. p.241
Subitus amor inconſtantiæ ſuſpectus eſt. §.128.n.2. p. 262
Qui dilectum quærit, eſſentiam amoris diligit,& inuenit.§.140.n.7. p.286
Amor habet intuitum chamæleontis.§.191.num.7. p.383
Qui impenſiùs amat,& obnixiùs aliquid vult, immetata quodammodo potentiâ vltra vires eualet toto §.198. p 395
Nihil vnicuique nisi quod amauerit, rectum eſt.§. 145.n.5. p.294
Vide verbo, *Inimicorum dilectio, Pax, Affectus.*

*Angelus.*

Proficua lingua Angelos loquitur.§.6.n.7. p.10
Tanta eſt Mariæ puritas, vt Seraphicè cuſtodiri dicatur.§.389.n.3. p 769
Minax Angelus, niueâ caſtitatis veſte mulieres metu eximit.§.60.n.7. p.132
Tribulatio acerbior, eſt nobilis cum Angelis cognatio.§.123.n.7. p.255
Angelus ſub ſpecie hominis apparens, cognationem eum homine habere dicitur. §.144. num.2. p. 493
Angeli ſimilitudo eximium aliquid ſignificat.§.296. num.8. p.592
Ne homo Angelis aliquo pietatis ſtudio, naturam inuiderit.§.305.n.1. p.607
Deo homini adulatur, an gratulatur ſibi Angelus, dum vir Gabriel nominari feſtinat? §. 305. n. 2. p.607
Homo ad Angelicam gloriam refingi poteſt in gratiæ officinâ.§.305.n.3. p.607
Primitiuæ Eccleſiæ cœtus, Angelica Reſpublica nominatur. Ibidem. Poſtquam Deus homo factus eſt, Angeli naturam humanam ſibi proſtratam videre pertimeſcunt.§.305.n.4. p.608
Hominum & Angelorum Reipublicæ, viuendi elementa communia dicuntur §.305.n.5. p.608
Chriſtus Spiritusſanct. ignem mittit in terram, vt homines in Seraphinos refingat. §. 305. num. 6. p.608
Angeli ſunt flores, qui immortalitatis odorem mortali homini glorioſè adſpirant. §. 306. num. 1. p.609
Cur Angeli à Trinitate totam concordiam, vt vnum ſint, accepiſſe dicantur?§ 306.n.1. p 609
Zelo tabeſcit,& zelo etiam viuit Angelus, qui mori non poteſt.§.306 n. 3. p.609
Cur Deus dat Angelis carmina, quæ illi in nocte decantent?§.306 n.4. p.610
An Angeli ſeipſos contemnunt, vt ex toto quod boni ſunt, Deo fruantur?§ 306.n.5. p.610
Non prælatio, ſed ſubiectio humilis, Angelorum perfectionem metitur?§ 306.n 6. p.610
Oratio, quam Angeli præſentant munditiei alas, & confidentiæ vim aſſumit,§.306 n.7. p.610
Angeli quandò orantis merita deſunt, immenſam Dei miſericordiam allegant ad impetrationem. Inibi.
Angeli ſolius clementiæ diuinæ Miniſtri cenſeri piè ambiunt.§.306.n.8. p.611
Num Angelus ſymbola Dominicæ mortis ſtudioſè tractat ad ſuæ immortalitatis ſolatium?§.306.n.9. p.611
Crux eſt interpres Angelorum,& hominum. §.306. n.10. p.611
Num Spiritus ſanctus miniſteria cum Angelis reciprocet?§.306.n.11. p.612
Quia Angeli in terris apparuerunt quaſi homines; homines in cœlis tanquam Angeli apparebunt? §.306.n.12. p.612

*Antiquum.*

Vide verbo, *Nouum.*

*Apologia.*

Comitas vrbanè placida in Doctore, perſuaſionis lenocinium eſt: opprobria verò diſputantium, noctem vel perſpicuis diſputationibus offundunt. toto §.329. p.653

*Apoſtolus.*

Eſtne perfecta paupertas, Apoſtolicus character? §.151.n.1.& 4 p.305
Vide verbo, *Concionator, Perfectus vir.*

*Arbitrium.*

Vide verbo, *Voluntas, Subditus.*

*Arrogantia.*

Vide verbo, *Superbia. Ambitio.*

*Aſcenſio Domini.*

Chriſtus è cælo homines largè munerat, vt in cælo eſſe putetur?§. 20.n. 2. p.47
Maieſtati maior ex longinquo reuerentia. §. 131.& 132. p.268.269.270
Num quod Semiplenè videt Petrus de Aſcenſione, tunc expreſsè non narrat?§. 66.n.4. p.334

*Aſtrum.*

Eſther ab Aſtro nomen habet.§.53.n.9. p.113

*Aſtutia.*

Vide verbo, *Dolus.*

*Aſſuerus.*

Nominis Aſſueri etymon. Idem eſt ac Artaxerxes. §.10.n.1. p.19
Hic aſſuerus fuit Artaxarxes Longimanus. §. 10. n.9. p21
Quâ de re grande litigium toto illo §. ibid.
Non fuit valde auſterum ingenium Aſſueri. §. 10. num

n 16. p.23
Quo tempore floruerit rex Aſſuerus.§.10.n.16.p.23
Aſſuerus ab ebrietate vindicatur.§.13.n.6. p.32
Multa de hoc Aſſuero traduntur in hoc Commentario, ſuis in locis ſcripta ad litteram aperiendam.

*Atheus.*

Num criminoſa calumniatoris delatio, Atheum aut inuenit aut facit?§.102.n.6. p.214
Qui ad ventris ingluuiem viuit, velut atheus viuit. §.21.n.7. p.50

*Auaritia.*

Auaritia opulenta clericorum, multis ſuggillatur toto § 78. p.164
Auarus ipſum opum experimentum, reputat augurium.§.199.n.3. p.397
Mundialia bona ſi non concupiſcimus, poſſidemus: concupiſcentia enim illorum amittendorum arbitrium eſt.toto §.290. p.480
Quæſtuaria in Euangelico Prædicatore auaritia, egregiè vapulat.toto §.330.& 331.p.655. & 656.
Vide verbo, *Diuitiæ, Paupertas, Felicitas.*

*Auctor.*

Qui rem magnam; quam alij promouent, primus incœpit; & auctor illius dicitur, & potiorem gloriam ſecutus delibauit. toto §. 245. pagina 491
Vide verbo, *Scriptor librorum, Sapiens.*

*Auctoritas.*

Non faſtuoſa diſputantis auctoritas, ſed diſputationis ipſius veritas, ad perſuaſionis energiam requiritur.toto §.114. p.235

*Auditus, Auris.*

Apud ſimplices Principum aures minori metu, & maiori præmio peccatur.§.106.n.1.& 2. p.220
Qui auribus alienum opprobrium accipit, tanquam ſuum detinet.§.106.n.6. p.222
Vide verbo, *Delator, Credibilitas, Adulatio, Aulicus Detractio.*

*Aulicus.*

Quam ſint lubrica aulæ culmina.§.57.n.9. p.124
Principum aula etiam per blandimenta decipit. §. 142.n.4. p.289
At principibus exhibita *premia*, adulteratâ aulæ nominatione, *gratia* nuncupatur.§.163.n.2. p.330
Aulicis benè non eſt, niſi aliis male eſt? §.163.n.3. p.330
Calumniator in aulâ, Diabolus eſt.§.180.n.4.p. 362
Principum aulam puta, flendi agonem: in ea per pericula ad pericula venis, per ornamenta deceptus, & aſſentationi obnoxius.toto §.193. p.385
Qui Regi propius adhæreſcere exambit, aulæ regiæ periculoſam aleam ſubeat, neceſſe eſt, quam ſapientes ſollertes effugiunt.toto §.194. p.387
Ambitioſior aulicorum adulatio, & Principum aures aſſentationi faciles, egregiè vapulant. toto §. 195. p.389
Adhuc multis vapulat aulicæ adulationis inſania, toto §.196. p.391
Non ingrediens, ſed egrediens de palatio, Mardochæus fulgere dicitur.§.203.n.10. p.410
Olim palatij ianua erat morum officina, & eruditio ad dignitates obeundas.§.251.n.4. p.507
Cur qui ad palatij ianuam ſedet, in aulâ quieſcere dicitur.§.253.n.1. p.510
Aulicus inter turbas ſolitarius eſt.§.257. n.3. p.521
Rex in multâ aulicorum turbâ, ſolitudo nuncupatur. §.311.n.9. p.622

*Auris.*

Vide verbo, *Auditus.*

*Aurum.*

Vide verbo, *Diuitiæ, Paupertas.*

B

*Beatitudo, Beata gloria.*

Quare beata cæli gloria violentiam, & rapinam expetit, quò dulciùs ſapiat?§.135.n.4. p.276
Qui ſperat in Deum, velut cæleſtis animus, quodammodo præmaturè beatur.§.139.n.9. p.284
Perfecta paupertas eſt Beatitudinis ſpecimen.§.151. n.5. p.306
Æſtimatio beatæ gloriæ, inuidæ ne murmurationis vocabulo aptè exprimitur?§.246.n.2. & 7.p.497. & 498.
Cæleſtis beatitudo humanæ rapinæ expoſita eſt; apprehendi poteſt, æſtimari non poteſt; propè eam neſcientes allicit; eius contemptus, titubatio fidei eſt, & gehennæ cenſus.toto §.308. p.614
Num idoneè Beatus in cæleſti patriâ, quaſi in tentorio habitare, inibi peregrinari & Deum incognitum arcanè quærere perhibetur?toto §.309. p.616
Quare Rachel, id eſt Beatitudo, Viſio profanationis interpretatur?§.109.n.6. p.617

*Bellum. Prælium.*

Vide verbo, *Victoria, Maria bellatrix.*

*Beneficium.*

Vide verbo, *Gratia, Munus, Liberalitas, Gratitudo, Ingratitudo, Eleemoſyna, Oratio.*

*Benignitas.*

Vide verbo, *Miſericordia, Eleemoſyna.*

*Biblia.*

Vide, *Scriptura Sacra.*

*Bonum.*

Præuium malum, ſubſecuti boni interpretatio eſt, toto §.210. p.423
Bona mundialia, vide verbo, *Felicitas, Diuitiæ.*

*B. Borgia.*

Corpus mirè extenuauit, vt pars immortalis mortalem partem quodammodo exhauriat.§.126. n. 5. p.260
Dignitatum & opulentiæ faſtus, cum à pietate non auertit.§.208.n.2. p.419

C

*Cadauer.*

Vide verbum, *Sepultura, Mors.*

*Calceus, Diſcalceatus.*

Diſcalceatio eſt luxuriæ nix, & obſequij blandimentum.§.83.n.3. p.174
Diſcalceatio, id eſt, ſui iuris ceſſio, conſultè mandato præmittitur. Ibidem.

*Canities.*

Vide verbo, *Senex.*

*Cecus.*

Cinere ad terrena cæcamur, ad cæleſtia inoculamur. §.267.n.5. p.539
Lutum eſt collyrium, quo cæcus homo inoculatur, vt ſe penitùs exploret.§.267.n.6. p.539
Vide verbo, *Oculus.*

*Calamitas.*

Vide verbo, *Labor, Perſecutio, Patientia.*

*Canis.*

Canes argumentorum oſſa rodunt.§.7.n.3. p.13
Baculus continentem facit canem. Ibi.

*Carcer.*

Vide verbo, *Vincula.*

*Caro, Corpus.*

Corpus mortis, mortem dediſcens, ad immortalitatem eruditur.§.213.n.7. p.438

Quantas anima ærumnas à corpore patiatur. Ibi. n.6. p.430
Caro per patientiam velut impatibilis, eruditur ad immortalitatem proficere.§.245.n.6. p.496
Vide verbo, *Homo*.

*Caſtitas.*

De celebritate etiam eſt ſuſpecta mulieris caſtitas. ante.§.1.n.1.p.5. in proœmiolo.
Fugâ vincere, caſtitatis triũphus eſt.§.31.n.8. p.68
Delicatula nimis eſt caſtitatis valetudo, ſollicitudine languet, ætatis integritate periclitatur: & quæ oculos patitur, tota iam virgo ferè non cenſetur. toto. §.62. p.133
Tenera nimis eſt pudicitiæ fama: defenſione læditur, inquiſitione dehoneſtatur, quaſi potentia ad ſtuprum aliqua ſtupri paſſio ſit toto §.63. p.135
Quare virginitas dicatur, imago caſtitatis. §.65. n.9. p. 40
Sanguis, quem caſtitas retinet, per martyrium effunditur.§.96.n.4. p.203
Quibus abeſt conſcientia pudicitiæ, nil verum adeſſe ſolet: quaſi mendacium ſit luxuriæ ſequela; & veritas, caſtitatis appendix. toto.§.318. p.632
Vide verbo, *Virginitas, Luxuria, Mulier, Periculum.*

*Catena.*

Vide verbo, *Vincula.*

*Cautus, cautela.*

Vide verbo, *Periculum, Prudentia.*

*Charitas.*

Vide verbo, *Amor.*

*Chriſtianus.*

Reciproca beneuolentia concordiæ matrix, agnata Chriſtianis eſt, qui ſe amant mutuo penè antequam nouerint. toto.§.115. p.237

*Chriſtus.*

Chriſtus Deus eſt Virginis Deiparæ ſpeculum, & imago §.393.n 4. p.776
Chriſtus è cœlo homines largè munerat, vt in cælo eſſe putetur?§ 20 n.2. p.47
Chriſtum ſequi, & moribus imitari, quàm ſit illi gratum, & nobis proficuum toto §.71. p.149
Ex ſputo (quæ ſuperfluitas eſt) linguam muti Chriſtus ſoluit. quare?§.71.n.8. p.151
Chriſtus Deus ſponſus virginum, eorum pars dicitur. §.74.n.6. p.156
Chriſtus non habet quid dicet, quo præcepti rigorem declinet?§.83.n.6. p.175
Chriſtus Deus arcanè per homines proficere dicitur. §.94.n.5 p.199
Quare Chriſtus Deus de peccatoribus naſci voluerit. §.133.n.6. p.273
Eſtnè Chriſtus Dæmonis ac peccati velut gehenna? §.183.n.8. p.368
Chriſtus non tam propter ſe, quàm propter offenſores naſcens, glorioſè naſcitur.§.222.n.6. p.450
In Chriſto illa ipſa offenſarum ſufferentia, inimicè offenſoribus benefica fuit.§ 223.n.3. p.450
Chriſtus dicitur homo impatibilis, quia tentationibus ſuccumbere nequit §.248.n.4. p.501
Num Deiparæ elogiis adornetur Chriſtus? §. 251. n.9. p.508
Num titulo Maternæ virginitatis, Chriſtus ſuam hereditatem poſtulet?§.270.n.6. p.545
Chriſtus dicitur factarum concionum Præſes, & quodammodo cum auditoribus diſcere. toto §. 332. p.658
An Chriſtus quà Ioſephi filius (vt ve ſit eiuſmodi filiatio) ſit Iudaici regni heres? §. 394. num. 7. p.778
Vide verbo, *Maria.*

*Cibus.*

Vide verbo, *Gula, Ieiunium, Euchariſtia.*

*Cicatrix.*

Gloria ne Chriſti quaſi vnigeniti à Patre, eſt gloria cicatricum?§.96.n.5. p.203
Auguſtiores Chriſti gloriæ, ſtigmatum humilitate decorantur.§.239.n.4. p.483

*Cilicium.*

Eſther ſacco exaſperatur.§.3.n.2. p.5
Spinoſitate protegitur: & hiſpida ſpinoſè veſtis perfectam conſecrat Heroïnam.§.3.n.2. p.5
Aſperioribus hominum veſtibus reficitur Chriſtus. §.77 n.17. p.164
Pœnitentiæ veſtes, pulchriùs, & ornatiùs venuſtant. §.142.n.2. p.288
Horrentis cilicij, & ſqualoris piè ambitioſi, beatæ calamitates commendantur. toto §.166. p.336
Pœnitentiæ ſaccus ab Eſthere vocatur, Veſtimenta ornatus ſui,§.297.n.4. p.593.

*Cinis.*

Cinis in memoriâ conſummare valuit, quod diadema non potuit §.127.n.5. p.262
Cinerati arietes fœcundè generoſiores ſunt. §. 128. n.4. p.263
Suam, ac Dei cognitionem homines deſcriptam legant in puluere ac cinere: qui flos incendij, & mortalium Præfectus eſt. toto §.267. p.538
Vide verbo, *Mors.*

*Circumciſio.*

In petrino Circumciſionis cultro eius abolitio tranſparet.§.168.n.5. p.338

*Clericus.*

Vide verbo, *Sacerdos.*

*Cognatus.*

Vide verbo, *Affinitas.*

*Comitas.*

Vide verbo, *Vrbanitas.*

*Compaſſio.*

Imbecillitas dicitur clementiæ affinis.§.5.n.3. p.8
In alienis calamitatibus, nobis ipſis conſulamus. §.160.n.6. p.322
Cõmiſeratione dignus eſt, non tam quem calamitas inuenit, quàm qui eam audacter quærit. §. 203. n.6. p.410
Quare auditis humanis precibus, præ compaſſione Regina cæli triſtari dicitur?§.277.n.6. p.557
Superior de communicatione paſſionum, doctrinam humanitatis ediſcat.§.337.n 14. p.671
Quare Goliath à victore Dauide: filius nuncupetur. §.223.n.6. p.451
Vide verbo, *Compaſſio Mariæ.*

*Concio, Concionator.*

Ne res ſentiat eneruati damna ſermonis. §. 6. n.7. p.11
Proficua lingua Angelos loquitur. Ibid.
Contra vitia impetu, non ſubtilitate pugnandum. §.7.n.4. p.13
Iumenta intelligant, quæ concionator prædicat. ibid.
Conciones hodie aliqui tanquam otij diuerſorium frequentant.§.7.n.5. p.13
Quomodo Concionator debeat aliena librorum ſapienti, & eruditione vti.§.7.n.6.& 7. p.13.& 14
Sit Concionatoris ſermo ſicut tonitru, vita ſicut fulgur.§.33.n.6. p.72
Quò imperitior eſt concionatoris ſermo, hoc illuſtrior eſt rario; quoniam non fucatur gratâ pompâ facundiæ. toto § 286. p.573
Non qui eloquitur magna, ſed qui viuit, & Euangelium, & Euangelij mores feliciter perſuadet. toto

to §.327. p.649

Infelix eſt ſuadela Prædicatoris,qui quod ore docet, opere non loquitur.toto §.328. p.651

Ne ſit gulæ ſuſpectus.ibid.n.5.& 6. p.652

Comitas vrbane placida in Doctore, perſuaſionis lenocinium eſt: opprobria verò diſputantium, noctem vel perſpicuis diſputationibus offundunt toto §.329. p.653

Quæſtuaria in Euangelico Prædicatore auaritia, multis ſugillatur.toto §.330. p.654

Concionator auarus, luxuriæ ſuſpectus eſt.ibi. n. 7. & 8. p.656

In verbi Dei adminiſtris, viliſſima ſordidi lucelli auaritia, quæ cibario ac nummario pretio veritatem cauponatur, multis culpatur. toto §. 331. p 656

Chriſtus Concionum audientiæ Præſes eſt; qui quodammodò diſcit in audiroribus, quorum aures ſanguine ſuo madent.toto §.332. p.658

Vid verbo, *Sapiens*, *Scriptor librorum*, *Scriptura*, *Eloquentia*, *Sobrietas*.

*Concupiſcentia.*

Mundialia bona ſi non concupiſcimus poſſidemus concupiſcentia enim illorum amittendorum arbitrium eſt.toto §.190. p.580

Vide verbo, *Paſſiones*, *Luxuria*, *Mulier*, *Tentatio*

*Concordia.*

Vide verbo,*Pax*.

*Confeſſio.*

Vide verbo,*Pœnitentia.Excuſatio*.

*Confuſio.*

Vide verbo,*Pudor*.

*Coniux.*

Vide verbo,*Maritus*,*Nuptiæ*.

*Conſilia Euangelica.*

Vel lex tanquam conſilium placide propoſita, rudes ad obſequium ſubditos comitate odorat. §.111.n.7. p.229

Perfecta obedientia legem neſcit.§.198.n.5. p.395

Vide verbo,*Lex*,*Obedientia*,*Perfectus vir*.

*Conſilium*,*Conſiliarius*.

Conſiliarius in Regis vultu, eius voluntatem male videt.§.16.n.9. p.41

Conſiliarius Regi proximus, accedere propius ad eum ſatagit ſuffragij ſui greſſibus. §. 16. num. 10. pag.41

Conſiliarij ambitioſa adulatio, peſtis conſilij eſt. §.16 n.13. p.42

Boni Principis eſt ſapientes conſulere. §. 26. n. 1. p.58

Quaſi quoddam ſacrum conſultatio habetur. §. 26. num.2. p.58

Quam debeat eſſe cauta conſiliarij ſapientia ſub iniquo Principe.§.26.n.3. p. 58

Proprium nouè ſuffragium, malè tanquam lex antiqua præponitur.§.26.n.4. p.58

Sæpè conſultores præſtantius conſilium corde, deterius ore verſant.§.26.n.5. p.59

Prudenti raro adeſt fidelitas, & fideli raro adeſt prudentia ? §.26.n.6 p. 59

Fatui ad danda conſilia,à Deo agi ſe putant, & oracula dare. Ibidem.

Sit dulcis Principi rationalis conſiliarij contrarietas.§.26.n.7. p.59

Audiat Princeps conſiliarios, ſed cum iudicio. §. 27.n.1. p.60

Conſilium ſæpè aduocatur, non vt deliberetur de bono, ſed vt excuſetur decernendum malum. §.27.n.2. p.60

Quod Herodi regi placuit, homines cenſent. §. 27. num.3. p. 60

Conſilium idem eſt ac fundamentum, aut ineffabile Domini.§.27.n.4. p.61

Non benè conſulit Princeps, qui conſultorum ordinat ſententias,quaſi ſtratagemata. inibi.

Qui conſulit male ſpongiam imitatur, quæ aquam cognatam attrahit, vinum reſpuit. §.27. num.5. p.61

Conſilium tuum à te auctoritatem accipiat. §. 27. n.6. p.61

Superbus ambit, vt omnes ſapiant ex eius ore.§.28 num.1. p.61

Conſiliarius, ſi opus eſt non annuat Principi, ibid.

Errauit Michæas quandò cum pluribus concordauit.§.28.n.2. p.62

Petito Principi ſuſpectus ſit conſiliarius, qui ſemper ad eius nutum reſpondet.§.28.n.3. p. 62

Qui veram ſententiam alapâ munerauit, falſam adprobatam morte emit.§.28.n 4. p. 62

Regij miniſtri fatuè Michæam ſubornant, vt Regi adnuat.§.28.n.5. p.63

Rex iniquus improſpera paſſurus, non niſi proſpera audire meretur.§.28.n.6. p.63

De adulationis ingenio rara eſt conſultorum fides. §.28.n.7. p. 63

Quæ maior pars eſſe videtur, ſæpè peior eſt: nam paucitas magiſtra eſt diſciplinæ. toto §.29. p.63

Feſtinatio capeſſendi conſilij, improuida eſt, & cæca;tempeſtiua cunctatio egregiè conſilium adornat.toto §.59. p.127

Propoſitum fauendi cognatis anteuertit conſilium. §.59.n.7. p.129

Sit Princeps, principumque ſenatus, ſecretorum ſcrupuloſè cuſtos.toto §.149. p.301

Non præceps paſſione ſcelus, ſed præmeditata malitia, criminoſior cenſetur, & conſilij ſuffragio ſceleroſior.toto §.157. p. 316

Conſiliarius tunc ſapiens dicitur, cùm improſpera prudenter augurari non veretur. §. 163. n.11. p 331

Ne vir in capeſcendis conſiliis vxoris ſuæ ſuaſionibus ſit obnoxius toto §.182. p. 365

Morâ in deliberando, conſilium adornat: nam ad pœnitentiam properat, qui repentè decernit. toto §.187. p. 374

Qui regi Aſſuero conſulit quod ei non placet, flagris cæditur.§.255.n.3. p. 516

Vide verbo, *Electores*,*Princeps*, *Familiaris regius*, *Iudex*,*Aulicus*,*Sapiens*,*Prudentia*.

*Conſuetudo bona, & malâ.*

Cur viam iniquitatis à ſe moueri Dauid expoſcat; nec ipſe ſe à viâ amouere dicatur ? §. 61.num. 7. p.132

Virtutibus diu adſuetus, etſi in vitium impingat, ad priſtinam gratiam citò adſurgit. toto §. 82. p.172

Vitium, quod per conſuetudinem in mores abit, propè incurabile cenſetur: adeò vt eius curatio, cauillatio nominetur.toto §.158. p.318

Num eò infelicitatis praua conſuetudo ducit,vt eſſe malum propè neceſſe ſit?toto §.159. p.319

*Conſtantia.*

Non eſt magnus animus, quem curuat calamitas: flectineſcia in aduerſis conſtantia, aliquis virtutis faſtus eſt.toto §.121. p.250

Vide verbo,*Mutatio*,*Obſtinatio*.

*Conſcientia.*

Conſcientia appellatur, Spiritus ſcientiæ boni & mali.§.154.n.2. p. 310


Pulchra

Pulchra eſt conſcientiæ interrogatio. Ibidem. Vindicem Deum impij negant, quò voluptatis aquam liquidam puramque bibant. §. 154. n. 6. pag. 311
Tuta eſſe ſcelera, ſecura eſſe non poſſunt, de agnato conſcientiæ tormento, deliquentis viſcera ſenſim morſicante. toto § 177 p. 353

*Continentia.*

Vide verbum, *Caſtitas, Virginitas, Luxuria.*

*Contrarium.*

Contrarietas conſiliatij ſit Principi dulcis. §. 26. n. 7. p. 59
Diuinæ prouidentiæ officioſitas, etiam, ex inuerſo ſapienter operatrix, & inſcrutabiliter arcana eſt. toto §. 168. p. 337
Sua etiam & victo pompa eſt, & ex inuerſo gloria, toto §. 211. p 425
Vitiorum inſolentia, Dei populo virtutum eruditio eſt, & animoſæ probitatis è diuerſo gymnaſium. toto §. 245. p. 495
Vide verbo, *Prouidentia.*

*Contumelia.*

Vide verbo, *Detractio, Inuidia, Infamia.*

*Conuiuium.*

Vide verbo, *Gula, Ieiunium.*

*Corona.*

Cur Ieſu nomen non tam caput, quàm manum coronat. §. 340. n. 2. p. 678
Corona, capitis monile dicitur, quâ mens potiùs quàm caput coronetur. §. 57. n. 11. p. 114
Muliebris corona, non virilis, Eſtheri reginæ imponitur. Ibi.
Florida pudicitiæ corona, ſpineam coronam mutat in gloriam triumphantis. §. 62. n. 7. p. 134
Qui putatur honoribus felix, vt hoſtia ad pœnam coronatur § 155. n. 6. p. 314
Corona aurea, oneri eſt potiùs quàm honori. §. 203. n. 10. p. 410

*Corpus.*

Vide verbo, *Caro, Homo.*

*Correctio.*

Vide verbo, *Reprehenſio.*

*Credibilitas.*

Graues patitur hiatus humana credibilitas. §. 1. num. 2. pag 1.
Arduam credendi difficultatem, difficultate maiori Ioſephus domat. §. 400. n. 4. p. 789
Volupe hominibus eſt, credibilem putare alienam virtutem, quæ vitij ſpeciem obtendit, vel quidpiam vitio confine. toto §. 64. p. 137
Bona eſt incredulitas ad occultandas peruerſæ mentis profunditates. §. 105. n. 6. p. 219
Nil facile credere, atque omnia ſagaciùs cauere, boni Principis ac Superioris elogium eſt. toto §. 106. p. 220
Euidentior, & atteſtatior credibilitas humanæ incredulitati è diuerſo perſæpè adulatur; & contrà. toto §. 238. p. 480
Non vera rei eſſentia, ſed vel falſata apparentia, vulgarem rei cenſum procudit. toto §. 244. p. 493
Facilitas credulitatis in Superiore reprobatur. §. 311. n. 6. p. 621
Ex errorum gymnaſio, fidei Chriſtianæ veritas aliquando ſumptuoſiùs ornatur? toto §. 325. p. 646
Vide verbo, *Fides, Veritas, Mendacium, Delator,*

*Crux.*

Quare Deipara in filij ſui Incarnationem Crucem præſentiit? §. 344. n. 3. p. 686
Crux ponitur, tanquam nuptiarum typus §. 37. n. 8. pag. 79
Mardochæo parata, crux, legi comparatur. §. 180. n. 13. p. 363
Crux humiles altè erigit, Sirenes voluptatis excantat, terram reddit fœcundam: trabes eſt in oculis, lumen vultus Dei hominibus impreſſum, & pretioſum Ieſuanæ gloriæ auctarium. toto §. 20. pag. 400.
Exultabunt Sancti in gloria, id eſt, in cruce. § 289. n. 6. p. 579
Crux Domini fuit interpres Angelorum & hominum. §. 305. n. 5.
Num pretium crux adidit Chriſto, an Chriſtus cruci §. 201. n. 8. p. 402.

*Culpa.*

Vide verbo, *Peccatum.*

*Curioſitas.*

Curioſitas moleſtiores excitat tragœdias. §. 90. n. 5. p. 192.
Curioſitas erga diuina, & humana, multis vapulat, toto §. 178. p. 356

D

*Dæmon Diabolus.*

QVo pacto miſeriæ humanarum libidinum, ſocium ſe diabolus præbeat §. 79. n. 7. p. 167
Chriſtus Diaboli ſuffragium compeſcit, ne rerum ordo perturbetur. §. 86. n. 6. p. 180
Dæmoni pœnaliſſimum eſt, vel eum victâ muliere inimicitias agere § 91. n. 4. p. 197
Dæmon confeſſionis pretio Apoſtolicam Dignitatem mercari ambit. §. 100. n. 7. p. 211
Dæmon veritatis ſuffragio erroribus patrocinari ambit; non homo. §. 103. n. 5. p. 215
Detractor, vir apoſtata, id eſt, homo Diabolus dicitur. §. 103. n. 6. p. 216
Phantaſia inteſtino Dæmoni aſſimilatur. §. 136. n. 2. p. 278
Diabolus vitio ſimilis, vinci ſe turpe non putat, aſſuetus ignominiæ §. 161. n. 5. p. 324

*Damnatio.*

Vide verbo, *Iudex Iudicium finale, Iudicium temerarium, Gehenna, Pœna.*

*Defectus.*

Vide verbo, *Peccatum veniale.*

*Delator, Delatio.*

Delatorum quorundam præpoſtera malitioſè fatuitas. §. 90 n. 5. p. 192
Criminoſa calumniatorum delatio, quæ clam, & ex inſidiis adoritur egregiè vapulat. toto §. 102. p. 213
Fœda criminoſè calumnia eſt; quæ ab innocentiâ raditur. §. 102. n. 5. p. 214
Nil facile credere, atque omnia ſagaciùs cauere; periti Superioris elogium eſt. toto §. 106. p. 220
Delatorum zeli prætextu, ſycophantica maledicenter prurigo §. 247. n. 7 p. 500
Res deferenda priùs exploranda, & diligentius peruidenda eſt. §. 253. n. 2. p. 510
Superior, qui beneuole audit alienas delationes, non ingratè ſuas patiatur. §. 337. n. 12. p. 670

*Deliciæ.*

Vide verbo, *Voluptas, Diuitiæ Gula, Felicitas.*

*Deſertum.*

Vide verbo, *Monachus.*

*Deſiderium.*

Hiamus ad deſiderata, ad eadem poſſeſſa nauſeamus. §. 57. n. 13. p. 125

*Detractio, obmurmuratio.*

Deuenuſtatæ famæ vulnus ſi ſanetur, manet tamen cicatrix. §. 75. n. 1. p. 157

Quantâ

Quantâ cum cautelâ de Iudæ proditione agitur. §. 75.n.2 p.157
Tentator non priùs,à Chriſto dicitur Satanas, quàm ipſe ſe proderet.§.75.n.3. p. 157
Angelus blanditur Ioſepho, propter ſiniſtræ ſuſpicionis ſilentium.§.75.n.4. p.157
Tenebras non dicit Deus, quia in eis nihil boni intelligitur.§.75.n.5. p.158
Booz laſciuiæ indicia non adſcribit libidini, ſed religioni.§ 75.n.6. p.158
Iniuta res eſt vel notiſſimos aliorum defectus publicare.§.75.n 7. p. 158
Maledica improbitas id vnum ſæpè quærit, vt aliquid aduerſus alium quoquomodo dicat, non vt veroſimile quippiam dicat. toto §. 103. p.215
Quàm ſit hominibus expromptа maledicentiæ prurigo.toto § 104 d.216
Detractor citius de ſe,quàm de aliis,ipſâ ſuæ cenſuræ ſiniſteritate obloquitur.toto § 105. p.218
Detractio dicitur ſceptrum,baculus,ſtimulus.quare? §.105.n.7.& 8. p.220
Prudens cautela, tametſi falſos veroſimiles tamen de ſe rumuſculos præcedit, humanam præcludens maledicentiam.toto §.311. p. 613
Vide verbo, *Lingua*, *Fama*, *Delatio*, *Infamia*.

*Deus.*

Deus de ſuo optimus, de noſtro iuſtus perhibetur.§. 5.n.2. p.7
Æquum eſt, vt vnuſquiſque, cum religione colat Deum, quem ſuis moribus colere prometetur. toto §.94. p. 198
Quis præſumat eſſe diuinitatis arbiter & dimenſor? §.97.n.6. pag. 205
Deus, Deique fides, humano patrocinio ad gratiam concinnato, non indiget.§.97.n.7. p. 205
Quam ſe debeat homo voluntati diuinæ conformare,toto.§.218. p.441
Magnitudinem Dei, qui putat noſſe, minuit.§. 324. n.1. p.644
Quid ſit Deus? §.324.n.1. p. 644
Deusne ineffabilis non dicendus, ſed ſilentio exprimendus? §. 324. n. 3. p.644
Deus religione intelligendus dicitur.§.324. num. 4. p.644
Deus eſſe dicitur, & quæ ſunt,& quæ non ſunt. quo ſenſu? §.324.n.5. p.645
Deus in quiete omnia mouet.§.324.n.6. p. 645
Deus Solis inſtar, & viſibilis, & inuiſibilis eſt. §. 324.n.7. p.645
Trina hypoſtaſis in vnâ Dei naturâ, exemplo fieri exponitur. Ibi Nunc Deum noſcimus, ſicut qui Solem in aquis intuetur.§.324.n.8. p. 645
Deus non eſt, quod homo de eo ſuſpicatur. § 324. n.9. pag. 645
Dei Filius totum Patris habere dicitur, nil derogans Patri. Inibi.Dei ignoratio ſceleſtiſſima eſt. §. 324 num.10. p.645
De Deo vera etiam dicere, periculoſum eſt. Ibidem
Deus cùm definitur, ipſa definitione creſcere dicitur.§ 324.n.11. p.645
Vide verbo, *Trinitas*.

*Diabolus.*

Vide verbo, *Dæmon*.

*Difficultas.*

Voluptabile quoduis aut naturæ aut gratiæ, graui difficultate & periculo comparatum, concupiſcentiæ gratiùs adridet.toto.§.135. p. 276
Perſæpè qui ad magnas difficultates ſtrenuè eualet, modicis imbecille vritur, cedit, ſuccumbit. toto. §.293. p. 585

*Dignitas, Prelatio.*

Inidoneus dignitati eſt, qui honores dignitati debitos ſemper expectat.§.87.n.1. p. 181
Sapientia & magiſterium cum ſublimi dignitate non hauritur.§.90.n.2. p.191
Qui omnibus præponitur, omnium inimicus dicitur.§.90.n.3. p. 191
Aliorum fauor, & adulatorum ſuffragium, ambitioſum eſt meritum ad dignitatum repulſam. §. 100.n.4. p. 210
Honorem *Primi* ambimus, *Primi* moleſtias detrectamus §.163.n.6. p.330
Magni eligentis iudicium, cenſus dignitatis eſt & ſublimitatis menſura.toto.§.171. p. 342
Sæpè inter fortunam maximam & infimam nil medium eſt, ſic ſublimiſſima ruinæ vicinantur. toto §.191. p.381
Scelerum loco eſt, apud inertem dignitas. toto. §. 317. p. 630
Vide verbo, *Princeps*, *Iudex*, *Familiaris regium Ambitio*.

*Dignus.Meritum.*

Æquum eſt, vt vnuſquiſque religione colat Deum, quem ſuis moribus colere prometetur. toto. §. 94. p. 198
Ambitio vel benemeritum facit dignitatis indignum.§.100.n.3. p. 210
Bonus imbonuſue affectus, dum merita cudit in voluntatis officina iudiciorum arbiter eſt, toto. §.145. p.294
Sola virtus & exploratum candidati meritum, ad dignitatum electionem ſubornet, toto. §. 169. p.339.
Meritorum conſcientia, dum Primatum fugit, ad eum feſtinat: indignus verò in dignitate conſtitutus, dignitatis obtentæ lucrum quærere poteſt inuenire non poteſt.toto §.174. p. 348
Facientes opus, quod Regis,idoneus ad dignitates cenſetur.§.216 n.3. p.438
Indignus inſoleſcit inopinata felicitate corruptus. §.311.n. 3. p. 621
Non annoſitas otioſè cana, ſed, in minori etiam ætate,eruditior negotioſè peritia, ad obtinendas dignitates merita cudit.toto.§.322.& 323.p. 640 641.642.643.
Vide verbo, *Electores*, *Principes*, *Ambitio*,*Fuga*.

*Diſciplina.*

Diſtrictior morum diſciplina, fomes bonæ indolis dicitur, alteram naturam quodammodò tribuens; imber boni ingenij, & mali fermentum. toto. §.81. p.170

*Diſcipulus.*

Vide verbo,*Magiſter. Sapiens.*

*Diſcordia.*

Vide verbo, *Pax*.

*Diſertus*

Vide verbo,*Eloquentia*.

*Diuitiæ, Diues.*

Pecunia nihil eſt aliud, quam argenti vmbra. §. 40. n.8. p. 84
Ingenium non datur opibus, ſed naturæ. §. 114. n. 1. p.235.
Dum diuites de pauperum inopia diteſcere exambiunt, & paupertatem ſibi negotiantur, & ſuam ruinam ædificant,toto.§.150. p. 303.
Summa diuitum felicitas,parum à ſummâ infelicitate diſtat.§.155.n.3. p. 313
Affines pauperes faſtidit opulentus diues,qui pecuniæ cognatus dicitur. toto. §. 204. p. 411
Diuitum crimen eſt, quod diuitiarum eſſe putatur: aliquandò

aliquando enim aſpectabilis virtus, opulentiæ ſtipendium eſt, & opulentia reconciliationis ſuffragium. toto §. 208. p. 419
Diuitiarum caſtitas §.208.n.5. p.420
Facultates impiorum, venenum moribus afflant. §.216.n.9. p.436
Vide verbo, *Paupertas, Felicitas, Voluptas.*

*Doctor.*

Vide verbo, *Sapiens, Magiſter. Concionator, Scriptor.*

*Dolus, Aſtutia.*

Amanus de hoſtilitate, fidelitatis opinionem captat. § 90.n.1. p. 191
Qui fraude ſuperat, imbecille vincit. §.93.n.4. p.197
De ſubdolo mendacij ingenio ſimplex veritas tectiùs fatigatur. toto §.107. p. 222

*Donum.*

Vide verbo. *Munus,*

*Dubius*

Fides non eſt, vbi quæritur fides. §. 97. num. 4. & 5. p.205.
Incertus perplexitate animus, dum conſilij inops multa dubiè mentitur ſibi, non dubiè angitur, ſauciatur, vritur. toto §. 137. p. 279

E

*Ebrietas.*

Vide verbo, *Vinum.*

*Eccleſia.*

Eccleſia proceſſus ſuo mirè rehabi dicitur, & multiplicatione decreſcere §.29.n.2. p. 64
Primitiuæ Eccleſiæ paucitas immortales diuitias præſenti paupertatis ambitu emebat. §.29.n.4. ibi.
An quilibet accipiens Euchariſtiam, plena ſit Eccleſia? §.45.n.4. p.93

*Educatio.*

Vide verbo, *Pædagogus.*

*Elatio.*

Vide verbo, *Superbia, Ambitio.*

*Electio, Electores.*

Derepentè ſublimatur Aman. §.2.n.5. p.3.
Ambitio vel benemeritum facit dignitatis indignum §.100.n.3. p.210
Aliorum fauor, & adulatorum ſuffragium, ambitioſum eſt meritum ad dignitatum repulſam. §.100. n.4. p.210
Bonus imbonusve affectus, dum merita cudit in voluntatis officina, iudiciorum arbiter eſt. toto §.145. p. 294
Sola virtus, & exploratum candidati meritum, ad dignitatum electionem ſubornet. §.169. p. 339
Summa eligentis dignitas & æquitas, præcipua electi pompa cenſetur, quæ dignitati dignitatem fœnerat. toto §. 171. p. 342
Cognata atque idonea munijs ingenia ſollerter quærere & explorare, peritioris electorum politiæ labor eſto toto §.172. p.344
Conſultior apud homines electio, viros pares negotiis, neque ſuprà deſtinat. toto §. 173. p.346
Meritorum conſcientia dum Primatum fugit, ad Primatum apud electores feſtinet. toto §. 174. p.348.
Regis dignitas & ſublimitas, Mardochæum eligit, & exaltat. §.233.n.3. p.471
Electio Mardochæi ſententioſè dicitur, Magnitudinis declaratio. §.233.n.4. p.471
Inexperientia honorum, inſolentiam parturit §. 311. n.5. p. 621
Sobriâ mente oportet honores metiri. §.311. num.8. p.621.
Quare Petrus primam Epiſcopi electionem multitudini permittit? §.312.n.2. p.622.
Scelerum loco eſt, apud inertem dignitas. toto §. 317. p. 630
Non annoſitas otioſè cana, ſed in minori etiam ætate, eruditior negotioſè peritia, ad obtinendas dignitates merita cudit. toto §. 322. & 323. p. 640. 641. 642.
Vide verbo, *Ambitio, Dignitas, Dignus, Fuga, Princeps.*

*Eleemoſyna.*

Sanctus & miſericors ſunt ſynonyma? §. 196. n. 4. p.392
Largior erga pauperes beneficentia, terrenas non minuit opes, ſed auget: & cæleſtium bonorum beatâ cupiditate antecedit auaritiam, toto §. 224. p. 452
Aliquis miſericordiæ faſtus eſt, eleemoſynas erogangando preces pauperum anteuertere; ne ſibi inuidiam erogando concitet. toto §. 225. p.454
Piè beneficus, & in faciendis eleemoſynis laudatior, ſentiri ſe magis cupit, quàm videri, ne hoſtiliter ſed quaſi diuinitus ſuccurrat, toto §. 226. p.456
Sic peccata expungit eleemoſyna, vt ferè baptiſmo indulgentior cenſeatur: beatam æternitatem nutrit, ac cæli verticem manu tangit: ergo in pauperes, & benefici, & grati ſimus. toto §. 227. p.457
Pauper ſuccurrendo pauperi (vt vt poteſt) non exemptus, ſed obæratus eſt. toto §. 228. p.459
Indiga ſubſidij acceptio, arrogantiæ faſtum deprimit, dum de largitoris mendicitatibus ſe victitare fatetur. toto §.229. p. 461
Supplex hominum rogator nimis vileſcit, quandoquidem alienæ opis (& quidem humanæ) indigum ſe fatetur. toto §.230. p. 263
Mixtim addenſantur eleemoſynæ laudes, anteſcriptarum theſium appendices. toto §.231. p. 465
Vide verbo, *Munera, Miſericordia, Liberalitas.*

*Eloquentia.*

Sermonum niues. §.1.n.1. p. 1
Sermonis cultus paganus. §.6.n.4. p.10
Dictionis elegans ambitio caſtiganda eſt. §. 6. n. 7. p.11
Felicitas in rebus, non in verbis inuenitur. ibi.
Sermo habena & ſtimulus eſt. §.6.n. 7. p. 11.
Sapor mentis in ore guſtatur. ibi.
Ne res ſentiat eneruati damna ſermonis. §. 6. n.7. p.11.
Hodie ſtudium amœnitates quærit. 6.n.7. p. 11
Proficua lingua Angelos loquitur. Ibidem
Optimus ſermo eſt ſicut nummus quare? §.6.n.8. p. 11
Preſſior, an laxior dictio ſit optima? §.6.n. 8. p. 11.
Laxior ſtilus maioris ingenij vitium eſt. Ibid.
Plus agit inculcator rationis §. 6. n. 8. p. 11
Laconiſmus vituperatur. inibi
Ad modum roris doctrina inſtillanda eſt §. 6. n. 9. pag. 11
Miſera eſt fides, quam verba concinnant. §. 97. n. 1. p.204
Formæ gratia eloquenter perſuadet §.257.n.9. p.521
Quò imperitior eſt ſermo, hoc, illuſtrior eſt ratio, quoniam non fucatur gratâ pompâ facundiæ. toto. §.286. p. 573
Non qui eloquitur magna, ſed qui viuit, Euangelium & Euangelij mores fœliciter perſuadet, toto §.317. p. 649
Vide verbo, *Concionator, Sapiens, Scriptor librorum,*

*Epiſcopus.*

Quare Petrus primam Epiſcopi electionem multitudin

tudini permittit.§.312.n.2. p. 622
Vide verbo, *Sacerdos, Princeps, Iudex, Electores.*

*Eremus.*

Vide verbo, *Monachus.*

*Eſther.*

Per Eſtherem genus reſpirat ad gloriam.§.1.n.2.p.1.
Eſtheris nobilitas à ſanguine, à virtute §.1.n.3.p.1.
Non niſi de Mardochæi imperio impetrat Eſther.§.1.n.3. p.1
Cana conſilia in annis puerilibus meditatur. §.1.n.4. p.2
Adhuc puella Eſther, à perfectione cœpit.§.1.n.4.p.2
Eſtheris abſconſio, & modeſtia.§.1.n.5. p.2
Eſther gloriæ refuga, latebat, & non latebat. §.1.n.5. p.2
Eſtheris rara pulchritudo §.1.n.6. p.2
Eſtheris pulchritudo luceritne lucidus iuſtitiæ character?§ 1.n.6. p.2
Quam contempſerit ornatum.§.1.n.6. p.2
De eius honeſtate nil audet fingere maledicentia. §.1.n.6. p.2
Inſuſpicabili diademate Eſther coronatur. §.2.n.1. p.2
Imperium quaſi ſcenam depretiat Eſther §2.n 2.p.3
Eſther patitur imperiū, quod alij ambiūt.§.2.n 3 p.3
Eſtheris ieiunium opinatiſſimum.§ 3.n.1. p.4
Eſther de palatio ſolitudinem fecerat ibidem
Eſther regiis veſtibus exhonoratur. §.3.n.2. p.5
Eſther pœnitentiæ ornatu decenter inculta. §.3.n.2. p.5
Cilicij ſpinoſitate pungitur, velut erinacius. §.3.n.2. p.5
Hiſpida ſpinoſè veſtis perfectam conſecrat Heroïnam. Ibidem
Eſtheris cor ſtercore pingueſcit, quæ per victrices ſordes ſponſi quærit augmentum.§.3.n.3. p.5
Ieiunio pulchritudinem refrenauit. Inibi.
Eſtherine dolor publici doloris redemptio eſt?§.3.n.4. p.5.
Eſtheri dominans oratio. ibi.
Eſtheris lacrymę ſunt Amani naufragium.§.3.n.4.p.5
Eſtheris vultus vitæ ſimilis.§.3.n.5. p.6
Piè ambitioſa Eſtheris humilitas. Ibidem
Peccauitne Eſther dilectionis nimietate?§.3 n.5 p.6
Eſther illacrymat felicitatem periculi ſui. ibid.
Eſther in ipſo officio inofficioſa cenſetur?§4.n.1.p.6
Eſther defectæ temeritatis arguitur.§.4.n.1. p.6
De Eſtheris timiditate vindiciæ.§.4.n.2. p.6
In Eſthere muliebris infirmitas mundi principem detriumphat.§.4.n.3. p.6
Eſtheris amor Aſſuerum domat. ibi.
Metu Eſther metus vacuitatem inducit.§.4 n.3 p.6
Cogitationibus Eſtheris paret Aſſuerus. §.4.n.5. p.7
Aman impactus in Eſtherem §.4.n 6. ibid.
Eſther inimici ſanguinis ſitim bibiſſe videtur. §.5.n.1. ibid.
An Eſther diuino furore correpta ſit?§.5 n.1. ibid.
An Eſther omnia ſæuiſſima abſque inuidiâ glorioſarum mortium peregerit?§.5.n.1. ibid
Benè Eſther Amani duritiam domat non ſuadet.§.5.n.2. ibid.
His ab Eſthere cladibus, Deus notitiam ſui armat.§.5.n.2. ibid.
Eſtheris de crudelitate vindiciæ. §.5. num. 2.3.&4. p.7.& 8
Per Eſtherem Dei populus ipſâ ruinâ protegitur.§.5.n.5. p.8
Eſtheri vincit quiſquis contra illam arma ſumit. §.5.n.6. p.8
Eſther redemptæ religionis eſt victima. ibid.
Eſtheris facinus feſto encænio colitur.§.5.n.6. p.8
Hebræus populus ſibi vouet, quæ pro Eſthere precatur.§.5.n.7. p.8
Nuda Aſſueri fides fide Eſtheris ornatur. ibidem
Eſtheris fides nutrit Aſſueri intellectum.§.5.n.7. p.8
Cur poſt hoc facinus, Eſtheris ſilet Hiſtoria?§.5.n.8. p.9
In Eſthere præter virtutem nil virtus inuenit.inibi.
Sermo de Eſthere cur in medio aëre naufragus?§.5.n.8. p.9
Eſther, & Mardochæus ſunt huius libri Scriptores.§.9.n.2.&c. p.16
In quonam Eſtheris pulchritudo diuinam gratiam æmulatur?§.38.n.7. p.81
Præluſtris Eſtheris, & Mardochæi proſapia. §.53.n.6. p.112
Nominis *Eſther* etymologia, & multiplex ſignificantia.§.54.n.9. p.113
Eſther ad Aſſuerum innoxiè ingreditur.§.56.n.5. & 6. p.121
An Eſther fuerit improles, & Holofernes eius filius? d.56.n.6. p.121
Aſpectu ad myrteam Venerem, Eſther appellatur Ediſſa.quare?§.57.n.4. p.125
Eſther putatur erudiri in Mardochæi vxorem. §.57.n.5. p.124
Mirè elucet Eſtheris æquanimitas in tam inæquali fortunâ.§.57.n.14. p.125
Eſther repudiat Amani conuiuium, & ipſa Amanum inuitat ad conuiuium.§.257.n.12. p.521
Plura de Eſthere, ſuis in locis habentur, ibi quærenda.

*Euangelium.*

Quomodò è Virgine Deiparâ quatuor Euangelia manauerint.§.363 n.6. p.722
Oportet tenere Euangelium à Philoſophis damnatum.§.97.n.3. p.204
Qui per Euangelium ſaluantur, Euangelium ab Oecumenio dicuntur §.241.n.7. d.489
Vide verbo, *Concionator.*

*Euchariſtia.*

Ambitioſa conuiuij Aſſueri pompa, quomodò Euchariſticum conuiuium adumbrat?§.16.n.4. p.41
Potanduſne eſt calix iuxta conſuetudinem, aut legem corporis?§.16.n.5. p.41
Qui accedit ad Euchariſticum panem, ſapienter intelligat.§.41.n.1. p.85
Præuia interpretatio Euchariſtiam condiat, nequis crudas carnes voret.§.41.n.2. p.85
Hoc conuiuium Iudæi ignoranter parauerunt. §.41.n.3. p.86
Dum Euchariſtia intentâ mente cogitatur, ore ad redemptionem ſumitur.§.41.n.4. p.86
Chriſtus quaſi ſub diaphano cryſtalli tranſparet in Euchariſtiâ.§.41 n.5. p.86
Hoc frumentum in præſepio rationalem dignitatem pecuinis, hominibus tribuat.§.41.n.6. p.86
Super triticum, & vinum ſedulo ruminare oportet, §.41.n.7. p.86
In Euchariſtiâ homo ſuam præcognoſcat eſſentiam, & fortunam.§.41.n.8. p.86
Euchariſtia dicitur, Conuiuium inſpectionis ibidem.
Species ſacramentales appellantur virgineæ creaturæ §.42.n.1. p.87
In Euchariſtico ſcypho bona aut mala noſtra auguria captantur §.42.n.2. p.87
Panis ſubcinericius, tremor panis ſententioſè nuncupatur.§.42.n.3. p.87
Qui indigne communicat, Iudæ proditori idoneè

aſſimilatur §.42.n.3. p. 87
Qui deuotionis feruo e non aſſauerit agni carnem, eius caro æternis ignibus aſſabitur. §. 42.num. 5. pag.88
Vitiorum calore,& paſſionum æſtu, cæleſte Manna velut tabeſcit.§.42.n.6. p. 88
E cælo, non gehennâ decinereſcunt, qui indignè Eucharistiam ſumunt.§.42.n.7. p. 88
Electis nocet reproborum ad Euchariſtiam acceſſus § 42.n 8. p 8
In hoc Sacramento Deus pulchreſcit,& gloriatur.§. 43.n.1. p.89
Cùm nos Chriſtus Euchariſtico cibo paſcit, ipſe delicijs paſcitur §.43.n.2. p. 89
Quo ſenſu dicatur Chriſtus ſe portare, cum anima Euchariſticum potum ſumit.§.43.n.3. p.89
Chriſtus dum inuitat, delicijs teinuitationis præmaturè fruitur.§.43 n.4. p.89
Quare dum d gnè qu s a c pit Euchariſtiam, tunc audio.Intra in ga dium Domini tui.§.43.num.5. p.90
Deus gaudium ſuum hoc conuiuio exornat. §. 43. n.6. p. 90
Euchariſticum conuiuium totius Trinitatis lætitia eſt.§.43.n.7. p. 90
Euchariſtia Satanæ phalanges exarmat §.43.num.8. p.90
Euchariſtia gloria Dei antonomaſticè nominatur ibid.
Panis dicitur baculus, ſeu fulcrum quo ſuſtentamur. §.44.n.1. p.90
Euchariſtia eſt hypoſtaſis, ſeu baſis noſtræ vitæ. §.44.n.2. p. 91
Firmamenti nomine panis Euchariſticus denotatur. §.44 n.3. p.91
An diuina ſapientia firmetur in homine, ab Euchariſtico pane robur mutuante?§.44.n.4. p.91
Diuina prouidentia rebus infirmis velut nitens, ab illis quodammodo robur accipere videtur? § 44. num.4 p. 91
Qui edit hunc panem,ad incrementum virium diuinarum quodammodo venire dicitur. §. 44. n. 5. pag.91
Languent populi,qui nec panem edunt, nec vinum bibunt,quia ventos colunt.§.44.n.6. p.91
Euchariſtia eſt velut eſſentia hominis quem ſtabilit, & fundat.§.44.n.7. p.92
Euchariſtia eſt animæ vis mentis nerui, & fiduciæ vinculum.§.44.n 8. p.92
Chriſtus in Euchariſtiâ ſe Deum per beneficentiam oſtentat.§.45.n.1. p.92
Tanta Rex poſſidere creditur,quantis dapibus epulatur.§.45.n.2. p.92
Euchariſtica margarita propinatur ad palati opulentam gloriam.§.45.n.3. p. 93
An quilibet accipiens Euchariſtiam, plena ſit Eccleſia?§.45 n.4. p. 93
Etſi par eſt Euchaſticum donum, maior eſt inuidia. quare? ibi.
Cur ſitiat Chriſtus, ſi copioſum aquarum fontem in pectore continet?§.45.n.5. p. 93
Chriſtus in Euchariſtia nos ditat ſuâ inopiâ. §. 45. n.6. p.94
Chriſtus in Euchariſtiâ cur egere mendicitatibus creatoris dicitur? ibid.
Chriſtus in hoc pane immetata noſtri cordis deſideria implet.§ 45 n.7. p 94
Euchariſtia eſt incarnatæ Deitatis vitale alimentum §.46.n.1. p 94
Cur Euchariſtia,lignũ vitę nominatur.§.46.n.2 p.94
Homo per Euchariſtiam tranſelementatur ad vitæ incorruptibilis participationem?§.46. n.3. p.94
Num Euchariſtia indiuiduitatem in corpore Chriſti operatur?§.46.n.4. p. 95
Euchariſticum panem dum accipimus, noſtrum facimus.§.46.n.5. p. 95
Cur Euchariſticus panis dicitur *noſter*, & non omnium? ibi.
Euchariſtia portio vitæ æternæ nominatur. §. 46. n 6. p. 95
Euchariſtia eſt vitæ æternæ præludium. ibidem
Qui ad vitalem hunc cibum frequentiùs accedit frequenter viuit, & abundantius viuit.§.46. n.7. pag 95
Cur non cæli, ſed terræ peccatores, vitam recuperare poſſint?§ 46.n.8. p.96
Euchariſtiæ deſideria, flores dicuntur. quare? §. 47 n.1. p. 96
Cur quatriduò ante Paſcha paſchalis agnus parabatur?§.47.n.2. p.96
Quare non Incarnatio, ſed Euchariſtia, inſperata accidit?§ 47.n.3. p. 96
Frumentum profundo ſtilo dicitur, Famis emptio. § 47.n.4. p. 97
Delicioſâ fame affligitur, qui hunc cibum deſiderat. § 47.n.5. p. 97
Qui plus, & plus manducat, plus, & plus amat vice versâ §.47.n.6. p. 97
Cur Dauid effudit aquam de ciſternâ Bethlehem; §.47.n.7. p.97
Dauid dum ciſternæ effudit aquam, Euchariſtiæ ſitim bibit. ibid.
Noſtra erga Euchariſtiam deſideria, ſunt gratiarum menſuræ?§ 47.n.8. p. 97
Euchariſtia eſt currus Iſraël, & auriga eius. §. 48 num.1. p.68
Euchariſtico prandio iter ad terram promiſſionis mereri debemus.§.48.n 2 p. 98
Quare priùs ianuas cæli aperiat,quam pluat manna; §.48.n.3. p. 98
Euchariſtia eſt confinium terræ ad cælum.§ 48.n.4 p g.99
Agnum feſtinanter comedit,qui dum comedit, ad cælorum iter ſuſpenditur.§ 48.n.5. p. 99
Chriſtus in Euchariſtia dicitur, Via viuens, quaſi ipſe ambulet nobis viam ad cælum.& quo ſenſu §.48.n.6. p. 99.
Rubore Dominici ſanguinis pulchreſcit homo.§ 49 n.1. p.100
Euchariſtia vitioſos animos à voluptabilium fæcibus auellit.§.49.n.2. p.100
Hoc calice potatus, fellea peccatorum horret pocula.ibidem
Euchariſtia, ritè ſuſcipientes, à non bonis phantaſmatibus voluptabilium denudat.§.49 n.3. p.100
Agni aſſatio omnem in nobis excoquat ſenſuum carnalium cruditatem.§.49.n.4. p.100
Quinque diebus adſeruatus quia Euchariſtia quinque ſenſus expurgat.§.49 n.5. p.101
Euchariſtia ſedat membrorum ſæuientium leg m. §. 49.n.6. p.101
An per Euchariſtiam fames antiqua ceſſet,& gratia antiqua reddatur?§.49.n.7. p.101
Qu re in panibus ordeaceis præmonſtrata ſit Euchariſtiæ figura?§. 9.n.8. p.101
Euchariſtia hœdos transformat in agnos. ibi.
Quam ſit ſapidus Euchariſtiæ cibus § 50. num. 1. p.102
Hoc cibo paſtus,aliarum dapum deſideria faciat. §. 50.n.2. p.102

Deus

Deus in Euchariſt â ſuis cum homine deliciis frui-
tur.§.50.n.3. p.102
Cur Noë plantans vineam, priùs voluptaria, quàm
neceſſaria quærit?§.50.n.4. p.102
Deliciis gloriæ in Euchariſtico epulo ſaginamur. §.
50.n.5. p.102
Euchariſticus calix eſt exultatio diuinæ gratiæ. §.50.
n.6. p.103
Euchariſticus panis eſt vitæ æternùm beatæ defini-
tio §.50.n.7. p.103
Ad huius cibi glorioſam dulcedinem, omnipotentiæ
robur exeritur.§.50.n.8. p.103
Chriſti opulentia hoc pane cenſetur.§.51.numero 1.
p.103
Chriſtus in Euchariſtiâ maiorem ſe exhibet? §. 51.
n.2. p.103
Chriſtus Deus ſententiosè dicitur, in Euchariſtiâ
eleuari.§ 51.n.3. p.104
Amor Dei in Euchariſtiâ exhibitus, quaſi immode-
ratus dicitur.§.51.n.4. p.104
Amor Dei in Euchariſtiâ, zelotypiam ſubolere di-
citur. ibi. Euchariſtiæ gaudium imbuit etiam cor-
poris ſenſus.§.51.n.5. p.104
Euchariſtia eſt victoriale epulum. Ibi.
Euchariſtia oſtendit quantum poſſit Deus §.51.n.6.
p.104
Decor ab hoc Sacramento quodammodò incorrup-
tibilis eſt.§.51.n.7. p.104
In Dominici calicis teſtamento, mortis beneficium
nobis donatur.§.51.n.8. p.104
Cur lactucæ amaræ cum Euchariſtiæ typo comedũ-
tur?§ 51 n.9. p.105
Dum Euchariſtico cibo Dei populus perficitur, tunc
emancipari perhibetur.quare?§.51.n.10. p.105
Per hoc Sacramentum animalis homo tranſit in ſpi-
ritum?§.52.n.1. p.105
Materiæ huius Sacramenti homo illud reſpiciens,
comparatur.quare?§.52.n.1. p.105
Pia Euchariſtiæ fidei velut impudentia, impuden-
tiam idololatriæ expiat.§.52.n.2. p.106
Euchariſtia eſt de menſâ Dei, & Dei vſibus, §. 52.
n.3. p.106
An arbor vitæ vitam perpetuabat, per virtutem Eu-
chariſtici cibi?§.52.n.4. p.106
Euchariſtia eſt vitalis mundi cibus, & noſtræ nudi-
tatis amictus.§.52.n.5. p.106
Euchariſtia nos veſtit vellere agni. Ibi.
Ne æqualis cibus inæquali ornatu ſumatur.§.52.n.6.
p.106
Euchariſtia eſt Chriſti ſublimiùs noſcendi, nobilis
diſciplina.§.52.n.7. p.107
Euchariſtia eſt fidei collyrium ad noſcendum Chri-
ſtum. ibi.
Hic ſanguis Verbum, vocalis eſt, aut pro nobis, aut
contra nos.§.52.n.8. p.107
Confeſſio abſoluit peccata, communio beneficia ab-
ſoluit § 52.n.9. p.107
Euchariſtia vt det vitam æternam, ſit manuum no-
ſtrarum labores per idoneam diſpoſitionem.§. 52.
n.10. p.107
Euchariſtia mane peragitur, quia in eâ reſurrectionẽ
Domini etiam celebramus.§.52.n.11. p.108
De Euchariſtiæ gratiâ, Deo per omnia obedire poſ-
ſumus §.52.n.12. p.108
In Euchariſtiâ beata agilitas, & impaſſibilitas quo-
dammodò hauritur.§.52.n.13. p.108
Euchariſtia hominem à beſtiali ſenſu exuit. §. 52. n.
14. p.108
Euchariſtia quod rationis, & conſilij, & iudicij eſt,
detriumphat?§ 52 n.15. p.109

*Excuſatio.*

Vbi multi peccant, peccatum excuſatione blanditur.
§.69.n.8. p.147
Garrulas omitte excuſationes, quibus ſcelera hone-
ſtè colorare feſtinas: nemo, nemo, inquam, peccat
inuitus.toto §.189. p.378

*Exemplum bonum, & malum.*

Quàm citò apud feminas malum exemplum ſerpat.
§.16.n.12. p.42
Morum ſcabiem conuictori conuictor affricat. §. 68.
n.1. p.144
Qui palam non peccat, muta ſurdáque vitia facit. §.
68.n.2. p.144
Septenis mundis animalibus, bina immunda ad pro-
pagationis negotium æquipollent §.68.numero 3.
p.144
Parùm refert ſua vitia proieciſſe, ſi cum alienis ri-
xandum eſt.§.68.n.4. p.145
Malum exemplum, lingua eſt, quæ de imitatione aſ-
pectibus detrahit.§.68.n.5. p.144
Cur Rachel nil præter Labani idola, quæ ſecum tu-
lit, furata eſt?§.68.n.6. p.145
Syneſius cenſuit, Angelum non poſſe diu homini-
bus aſſueſcere ſine humanæ labis ſceleroſâ con-
tage.§.68.n.7. p.145
Mores ſuos ſenſim miſcet improbitas.§.69. num. 1.
p.146
Immundum cenſetur, quod etſi alioqui mundum,
cum immundis verſatur § 69.n.2. p.146
Malum exemplum vel in remotiſſimas prouincias
vnâ die ſerpit?§.69.n.3. p.146
Benè Lot, non in medio nefariæ ciuitatis, ſed in fo-
ribus ſedere dicitur.§.69.n.4. p.146
Caue, ne dũ ſcelera vitas, illa ſuadeas.§.69.n.5.p.147
Cur tam feſtinanter boni Angeli, velut lux à tene-
bris, à malis Angelis diuiduntur? § 69.numero 6.
p.147
Acerbius Iſraël feritur, cum eius malum exemplum
Moab arripuit.§ 69.n.7. p.147
Vbi multi peccant, peccatum excuſatione blanditur.
§.69.n.8. p.147
Bonum virtutis exemplum afflatæ imitationis bene-
ficio, virtutes affricat, ſeminat, propagat, magno
ſanctitatum fœnore, toto §.70. p.147
Vel aduerſariorum vitia, auerſatrice contentione
ſenſim haurimus?§.233.n.10. p.472

*Exilium, Exul, Captiuitas.*

Ipſum captiuitatis nomen, Iſraëlitatem indè redi-
tum, fauſtè ominatur.§.200.n.3.& 4. p 399
Exilium inſipienti calamitas eſt; ſapienti verò, vir-
tutis occaſio, & gloriæ acceſſio. toto §. 283.p.567

F

*Falſitas.*

VIde verbo, *Mendacium*, *Veritas*, *Credibilitas.*

*Fama.*

Tenera nimis eſt pudicitiæ fama: defenſione læditur,
inquiſitione dehoneſtatur. quaſi potentia ad ſtu-
prum, aliqua ſtupri paſſio ſit. toto §. 63. pagi-
na 135
Vide verbo, *Infamia.*

*Familiaris regius.*

A manum nulla præteruolat ſuſpicionum aura. §. 4.
n.4. p.6
Regi proximus, propiùs accedere ſatagit ſuffragij ſui
greſſibus.§.16 n.10. p.41
Facile in ſchedulis ingentem pecuniæ ſummam, Re-
gi Priuatus ſoluet.§.90.n.8. p.394

Malè regius Priuatus Regi notitias rerum intercludit.§.120.n.7. p.249
Quid eſt, quòd Eſther Regem inuitat ad conuiuium, Regio familiari præparatum? §. 142. n. 6. p.289
Callida Priuatorum ambitio, Exreges aliquandò facit.§ 142.n.7. ibid.
Aman indignatur, quia Mardochæus non tremuit ab eo.§.142.n.9. ibid.
Regij Familiaris amici litterati, cur Sapientes non dicuntur?§.142.n.10. p.290
Regióne Priuato licet, quod Reginæ non licet? §. 61.n.4. p.324
Malè cogitat Priuatus, quamcumque ſententiam protulerit, in rem ſuam fore.§.163.n.5 p.330
Regius Priuatus Anteſignani obſequia captare ambit.§.163.n.7. ibid.
Benè erubeſcit Aſſuerus, quod ſe & imperium Priuato Amani tradiderit.§.180.n.7. p.362
Qui Regi propiùs adhæreſcere exambit, aulæ regiæ periculoſam aleam ſubeat neceſſe eſt, quam ſapientes ſollerter effugient.§.194. p.387
Regius familiaris maximi æſtimare ſolitat, vt niſi de ſuo arbitrio nemo à Principe muneretur, toto. §.206. p.414
Plus quàm Rex, regius Priuatus timetur.§.216.n.4. p 438
Regij Priuati moderatio immutabilem facit Principum beneuolentiam.§ 255.n.4. p.516
Ne ſit Priuatus, ſecundus Regis pater. §. 255. n. 5. p.516
Dira patitur Dei populus, quia à Priuati rationibus diſſidet.§.255.n.7.& 8. p.516
Ioſeph patiens fuit in carcere, in regni adminiſtratione patientior.§.295.n.1. p.519
Vide verbo, *Princeps, Electores, Iudex, Aulicus.*

*Fauor.*

Vide verbo, *Patrocinium.*

*Felicitas, Fortuna.*

Improbos auget felicitas.§.2.n.4. p.3
Bonis mundialibus rara eſt manendi fides.§. 39. n.1. p.81
Inter miſeras calamitates, Exultationem aduerſariis apprecamur.§.39.n.2. ibid
Veritatem in corde ſuo loquitur, qui temporalia bona nihili æſtimat.§.39.n.4. p.82
Hominis fortunati manus dicuntur luces. §. 39. n.5. ibid.
Mundialis gloria eſt inſtar tonitrui fulgure mixti. inibi.
Homo voluptate confringitur, & humiliatur.§. 39. n.7. p. 82
Quàm ſit fallax & fugax mundana felicitas. §.40. n.1. p.83
Cur verno tempore mundi naufragium acciderit. §.40.n.2. p. 83
Mundialis felicitas antequam tenetur, elabitur §.40. n.3. p. 83
Aman in hoc altius tollitur, vt decidat altiùs. §. 46. n.4. p.83
Mundi gloria vſque adeò inſubſiſtens eſt, vt priùs ferè corrumpatur, quàm fit.§.40. n 5. p.84
Aſſiduâ felicitas viduatæ animæ indicium eſt. §. 40. n.6. p. 84
Quàm ſit caduca humana gloria, floris exemplo elucidatur.§ 40 n.7. p.84
Quàm ſint lubrica aulæ culmina.§.57.n.9. p.124
Hiamus ad deſiderata, ad eadem poſſeſſa nauſeamus §.57.n.13. p.125
Ad herbaceos voluptatum floſculos homo arctiùs illigatur.toto §.38. p.80
Veniet tandem ad illum diu felicem ſua portio: quiſquis videtur à ceſſante diuinâ prouidentiâ dimiſſus, dilatus eſt.toto §.154. p.310
Magnæ felicitatis fuit, à felicitate Iuditham non vinci.§.154.n.7. p. 312
Gratior impiorum proſperitas, & illis adridens fortuna, calamitoſi infortunij minæ ſunt.toto §.155. p.312
Ad conuiuium, quod gratâ ſpe momordit, nunc Amanus cogitur §. 163. n. 12. p.331
Sæpè inter fortunam maximam & infimam, nil medium eſt, ſic ſublimiſſima ruinæ vicinantur! toto §.191. p.381
Breuis eſt mundana felicitas, fugax, incerta, caduca. toto §.199. p.396
Sapiens in actuoſæ prudentiæ officinâ fortunam ſibi ſedulus fingit.toto §.209. p.421
Auguſtior felicitas impiorum, damnationis æternæ obſes eſt.§.233.n.1. p.471
Mundialis felicitas, aut infelicitatibus permixta eſt, aut valdè confinis.toto §.295. p.588
Gloriæ vbertas, ſacietas gloriæ eſt; quam vel ambitioſus non poteſt ferre §.311.n.4. p.621
Vide verbo, *Diuitiæ, Voluptas.*

*Feſtum.*

De feſto Phurim, ſiue ſortium.§.215.n. 6. & 7. &c. p.435.436.437
Lætum Sortium feſtum à calamitate citius quàm à felicitate nominatur.§.251.n.1. p. 507

*Fides.*

Æquum eſt, vt vnuſquiſque cum religione colat Deum, quem ſuis moribus colore promeretur. toto § 94. p. 198
Nimis arguta & ſubtilis de fide diſputatio, ſæpè deſtruit, quod adſtruit: quia fides non eſt, vbi quæritur fides: neque res diuina humani mendacij indiga eſt. toto.§.97 p.204
Fides ſpei pugnat, ſed ſibi vincit.§.133.n.4. p.272
Fides bonæ ſpei ſupplementum dicitur. §. 138.n.7. p.281
Euidentior, & atteſtatior credibilitas, humanæ incredulitati perſæpè adulatur, & contra.toto §. 238. p. 480
Qui fide credit Deum eſſe, nullum periculum timeat? §.249.n.2. p.502
Eſtne oratio eorum quæ concupiſcuntur certa fides? §.269.n.6. p.543
Num ex errorum gymnaſio, fidei Chriſtianæ veritas aliquandò ſumptuoſiùs ornatur? toto §. 325. p.646

*Fiducia.*

Vide verbo, *Spes, Fides,*

*Filius.*

E patre nobili, & ignobili matre, nequam filij generantur.§.38.n.3. p. 80
Egeſtas patris eſt inopia pudicitiæ in filiâ. ibi.
In filijs, parentum ſuorum auita odia, heredes nacta, male perdurant.toto §.91. p.193
Ideóne filius minùs amat patrem quia pater beneficentior eſt in filium?§.314.n.7. p.627
Quare Goliath, à victore Dauid filius nuncupetur. §.163.n 6. p.451
Vide verbo, *Pater.*

*Fortuna.*

Vide verbo, *Felicitas,*

*Frater.*

Vide verbo, *Affinis.*

*Fraus.*

Vide verbo, *Dolus.*

*Fucus.*

Politior veſtium ornatus, & fucata pigmentis facies, idololatriæ propè affinis dicitur, libidinis ludibrium, & luxuriæ meditatio, atque multimodè aliundè infamatur. toto §.77. p.161

Theatricæ mulierculæ propter meritam de pyxide verecundiam, inuerecundiſſimæ ſunt. §.212.n.4. p.428

Varia ad fucum vnguenta, dicuntur ſuperbæ ſuauitates. §.257 n.1. p.520

Eſtheris rubor, non ab arte, ſed à naturâ. §.297 num.9. p.593

Vide verbo, *Ornatus, Pulchritudo, Mulier.*

*Fuga, Repulſa.*

Fugâ vincere caſtitatis triumphus eſt. §31. num.8 p.68

Recuſatio diuinitatis, meritum ad illam putabatur. §.100.n.2. p.209

Mortuos homines inter numina gentiles referunt, ne immeritos honores recuſare poſſent. §.95. num 4. p.201

Humilis conſcientia, dum Primatum fugit, ad eum feſtinat: indignus verò in dignitate conſtitutus, dignitatis obtentæ lucrum quærere poteſt; inuenire non poteſt. toto §.174. p.348

Vide verbo, *Dignus, Dignitas, Electores, Ambitio.*

G.

*Gaudium.*

SPes non timet, ne non veniat ſperata felicitas: namqui ſperat rei expectatæ gaudium iam momordit toto §.139. p.283

Humanum gaudium quod peribit, iam periit. §.199 n.5. p.397

Præuia triſtitia purum ac perfectum excipit gaudium §.210.n.2. p.423

Vultus hilaris, idem eſt, ac amabilis. §.297. n.10. p.594

Vide verbo. *Felicitas, Voluptas.*

*Gehenna.*

Vide verbo, *Infernus.*

*Gloria beata.*

Vide verbo, *Beatitudo.*

*Gloria Dei.*

Acres iuſtorum tentationes, dum Dei offenſas periculosè fabricare videntur, diuinæ gratiæ è peruerſo militant. toto §.148. p.300

Homo cilicio mortificatus, diuinam gloriam nutrit, & gloriâ diuinâ nutritur. §.266.n.3. p.537

Hominum preces, Dei gloriam ſumptuoſiùs prædicant, & generoſiùs negotiantur. toto §.272.p.547

Impenſius ſanctorum ſtudium de amplificandâ Dei gloriâ auguſtè glorioſum Chriſto eſt. toto §. 326. p.647

*Gloria inanis.*

Boni operis theſaurum ab aliorum oculis cautè abſconſum, à tuis etiam cautiùs abſconde. toto §.66. p.140

Gloria Deo debita, non eſt apud ambitioſos homines tutò. §87.n.5. p.182

Vana gloria orantibus multimodè inſidiatur, vt prædiuites orationis gazas ſubdolè diripiat. toto §.273. p.549

Vide verbo, *Ambitio, Superbia, Humilitas, Occultum.*

*B. Gonzaga.*

Aliquis gratiæ faſtus eſt, vt nuſquam Magis quàm in minimis tota eſſe videatur. toto §194 p.587

Adhuc puer à perfectione cœpit. §.1.n.4. p.2

Vide verbo, *Perfectus vir.*

*Gratia.*

In quonam Eſtheris pulchritudo diuinam gratiam æmuletur. §.38.n.7. p.81

Gratia tranſcendit neceſſitatem §.207.n.11.

Aliquis gratiæ faſtus eſt, vt nuſquam magis quàm in minimis tota eſſe videatur, toto §.294. p.587

Diuina gratia quodammodò ſerpentinæ fraudis æmulatrix eſt; ſine conatu vrget, & eâ Dei ſpiritus proſperatur ingenio alliciendi. §.301. p.600

*Gratitudo.*

Gratitudinem fouet virginitas. §.391.n.4. p.773

Gratia liberalitatis in auctorem redit. §.20.n.6.p.49

Apténe ipſum Dei beneficium, Dei nomine honorabitur? §.30.n.8. p.49

Ad non bonam gratitudinem Dæmon ſubornat. §100.n.7. p.211

Quomodo ſemper, & pro omnibus debeamus Deo gratias agere. §84.n.7. p.370

Nam pro ipsâ gehennâ debeamus Deo gratias agere? §.184.n.8. p.370

Grati ſimus erga pauperes, quia plus donant quàm accipiunt. §.227.n.6. p.459

Humanæ gloriæ arcana ingratitudo. §.288. num.1. p.576

Ioſeph ſpecie ingratitudinis, gratitudinem ſumptuoſiùs alit. §.298.n.4. p.595

Gratitudine inquietandus eſt Deus, vt ad hominum auxilium euigilet? §.315.n.7.

Homo creatus eſt, vt Deus haberet, in quem beneficia ſua collocaret. §.316.n.8. p.630

Vide verbo, *Ingratitudo, Munus.*

*Gula. Conuiuium.*

Eſus carniũ eſt agricolarum priuilegiũ. §.21.n.2.p.49

Qui voracitate præditus eſt, paſſiones per gulam nouit. §.21.n.3. p.49

Gulones vitæ ſuæ inſidiantur, & inuident. §.21. n.4. p.49

Blandæ epulæ ferrea viſcera nutriunt. §.21.n.5.p.50

Gula & crapula indigeſtiem ſuam ructant ad cælum. §.21.n.6. p.50

Qui ad ventris ingluuiem viuit, velut atheus viuit. 21.n.7. p.50

Helluo æmulatur gehennalem pœnam, cui confinis eſt. §.21.n 8. p.50

Arguta gulæ philoſophia ſuggillatur. §.21.n.9.p.51

Quid refert quam pretioſis cibis ſtercus conficias? Ibi, Corpus & anima excipienda ſunt ad conuiuium. §.22.n.1. p.51

Libido eſt gulæ appendix: nam edacitas in ſalacitatem tranſit. §.22.n.2. p.51

Libido eſt gulæ ſequela; & gula eſt libidinis pœna, §.22.n.3. p.51

Qui mentem in ventre infodit animali fide in ventrem credit §.22.n.4. p.51

Gula Dagon eſt, ventridæmon, ſeu Dæmon ventriloquus. §.22.n.5. p.52

Ebria ſacietas eſt inſolentiæ, ac impudentiæ fomes, §.22.n.6. p.52

Ebria edacitas hominis carnem luteam reddere dicitur §.22.n. 7. p.52

Effeminatus gulonum panis eſt ludibrium voluptatis. §.22.n. 8. p.52

Gulones craſtinam ſibi mortem augurantur. §.22. n.9. p.52

Ingluuies homines transformat in belluas. §.23. num.1. p.53

Homo inſatiabilis, dicitur helluationis coniux. §.23. n.1. p.53

Adam vilitate ciborum generoſitatis ac immortalitatis iacturam minuit. §23.n.3. p.53

Diabolus manducantem contempſerat Chriſtum. §.23.n.4. p.53

Adſimilis Dei vox ieiuno Eliæ blanditur, Adamo paſto minatur. §. 23.n. 5. p.54

Gulonum venter eſt inſtar inferni, aut ſepulchri. §.23.n.6. p.54

Gula meretrici ſimilis,& igni aſſimilatur ibidem.

Gula vitiorum omnium matrix, & compendium eſt. §.23.n.7. p. 54

Gulæ obſtinatio pertinax §.23.n. 8. p. 54

De ſpirituali deuotionis cenſu,gulæ ſtipendia captare hypocritarum elogium eſt.toto §.118. p.242

Vide verbo,*Vinum,Ieiunium.*

*Gynæceum.*

De Gynæceo multa traduntur.toto §.54. p.113

H

*Hæreſis.*

HÆreticus dicitur,qui ſuper vino eſt Deo gratus. §.25 n.6. p.57

Cautè nimis cum Hæreticis agendum eſt,ne rubiginem blandientium errorum ſenſim affricent. toto §.98. p.205

Se perimunt Hæretici, vt Catholicos contriſtent. §.115.n.6. p.238

*Hiſtoria.*

Hiſtoriarum libri ſunt optimi conſiliarij.§. 164. n. 1. p.351

*Homo,Vita hominis.*

Humana vita breuitate incertâ ludit.§.17.n.1. p.42

Adam poſteris hereditatem indigeſtæ mortis reliquit. §.17.n.2. p. 42

Quælibet pars vitæ homnis, noua eius generatio nuncupatur.§.17.n.3. p. 42

Iam mori incipit, quiſquis viuere incœpit. §. 17. n.4. p.43

Volucres vitam retinere non poſſunt, vnde vitam ſumpſerunt §.17.n.5. p.43

Vitæ auſpicium, illius finem inauſpicato auguratur §.17.n.6. p.43

Homo de ſuo interitu famam quærit inſanâ gloriæ pompa.§.17.n.7. p. 44

Mulier dum hominem parit,mendacium edit. §. 18. n.3. p. 44

Dies creaturarum ex non eſſe, & eſſe quodammodò integratur.§.18.n.4. p. 44

Homo ratione,& numero viuere dicitur. 86.n. 5. p.180

Quia homo tanquam homo viuit, ideò Deus Pater homini aſſimilari dicitur?§.94.n.4. p.199

Homo ſui ipſius infeſtior hoſtis exiſtit, aduerſus ſe de propriâ imbecillitate potenter armatus. toto §.188. p.376

Eſtne pœnitentia hominis diſſolutio? §.263. n. 9. p 532

Viuendi felicitas,mortis doloribus emitur, aut perditur.§.295.n.6.& 7. p.589.590

Ne homo Angelis naturam inuiderit Cuius gloriam in gratiæ officinâ in ſeipſo refingere eualet. toto §.305. p. 607

Vide verbo,*Mors,Natiuitas Principum.*

*Honor.*

Honor appellatur ſuperbia.§ 257.n.11. p.521

Vide verbo,*Dignitas,Nobilitas,Princeps,Iudex.*

*Hoſtis.*

Amanus de hoſtilitate,fidelitatis opinionem captat. §.90.n.1. p.191

Lex dicitur hominis aduerſarius: quare? §. 111. n.5. p. 191

Homo ſui ipſius infeſtior hoſtis exiſtit, aduerſus ſe de propriâ imbecillitate potenter armatur, toto §.188. p. 376

Vide verbo,*Inimicus.*

*Humilitas, Humiliatio.*

Inter magnos eſſe minimum, ſupplicij, & gehennæ inſtar habetur.§.85.n.5. p.371

Vir magnus in vltimum reiectus locum, non eſt ceteris poſtpoſitus, ſed ſuperpoſitus. toto §. 99. p.207

Recuſatio diuinitatis, meritum ad illam putabatur. §.100.n.2. p. 209

Vt ſit magnæ dignitati par, humilitate decreſcat. §.173.n.6. p.347

Superbus candidatus, tanto indignius dignitates ambit,quantò humiliùs.toto §.176. p. 352

Pagana ambitio pauperem & humilem cognationem faſtidit,toto §.204. p.411

Num Chriſtus humilitatis & abiectionis duntaxat cognatus perhibetur?Ibi.n.5.

Abiectior humilitas,ſublimioris gloriæ arbitrium eſt toto §.239. p.482

Magnorum ſubſiſtentia,quæ glorioſam altè magnitudinem fundat humilitas eſt.toto §.240. p.485

Humiles deuorant,& abſorbent inclytos.§.251.n.10. p.508

Humilitatis auxiliare patrocinium, pia exambit oratio: eſt enim humilitas impetrationis vigor. toto §.276. p.554

Humilitas honores repudians,ab honoribus ambitur; arcanè velut immetata eſt eius perfectio,menſura magnitudinis, honoris honor, & ſeipsâ quodammodo celſior.toto §.288. p.576

Humilitas eſt audaciæ conceptaculum.§.297.num.2. p.593

Arcanâ quâdam non virtutum, ſed quaſi vitiorum hypocriſi,vitia in virtute oſtentare, aliquis pius humilitatis faſtus eſt.toto §.298. p.594

Iuſtus omnia populo diſſimilia ſint in re virtutis; quæ foris apparent, populo conueniant, nec ſint de ſingularitate famoſa. toto §. 299. & 300. p.596. 597.& 598

Non prælatio, ſed ſubiectio humilis, Angelorum perfectionem metitur?§.306.n.6. p.610

Vide verbo, *Humilitas Mariæ Ambitio, Superbia Dignitas.*

*Hypocriſis.*

Reatus impij eſt pium nomen.§.2.n.4. p. 3

Impiè ſæuit, quiſquis falſato pietatis prætextu ferit. toto §.108. p.224

De malè acuto malitiæ ingenio, venit, vt homines virtutis penicillo vitia colorent, quò impudentiùs delinquant.toto §.109. p. 225

De ſpirituali deuotionis ſenſu, gulæ ſtipendia captare, hypocritarum elogium eſt. toto §. 18.1 p.242

Hypocritarum factitius populus, dum virtutes mentitur, vitia flagitioſiùs amplificat, toto §. 212. p.427

Piè beneficus, & faciendis eleemoſynis laudatior, ſentiri ſe magis cupit, quàm videri;ne hoſtiliter, ſed quaſi diuinitùs ſuccurrat,toto §.226. p.456

Hypocritæ in angulis platearum orantes,abſcondunt ſeſe,vt appareant.§.273.n.2. p.549

Iuramentum eſt hypocriſis veritatis. §. 287. n. 4. p.575

Arcanâ quâdam non virtutum, ſed quaſi vitiorum hypocriſi, vitia in virtute oſtentare, aliquis pius virtutis faſtus eſt §.298. p. 594

Vide verbo, *Humilitas, Occultum, Gloria inanis.*

I

*Idolum, Idololatria.*

GEntium Idola non cùm fabricantur, ſed cùm ornantur, diuinitatem mutuare putabantur. §. 77.n.1. p.161
Ornata femina Ægyptiorum templis aptè comparatur quare? §.77.n.3. p.161
Femina ſumptuoſius ornata actu colit idola quæ ore reſpuit. §.77.n.5.& 6. p.161.162
Origo Idololatriæ à Libidine eſt; cuius mores conuertit in ſacra. §79.n 6. p 167
Æquum eſt, vt vnuſquiſque eum religione colat Deum, quem ſuis moribus colere promeretur. §. 94. p.194
Idololatria vituperatur, irridetur, culpatur: quippè quæ omnia delicta vno crimine expungit. toto §.95. p.200
Gentium idola tormentis in Deos excudebantur. §. 96.n.1.& 3. p.202
Nimia olim vetuſtatis reuerentia Idololatriæ plaudit. toto §.113. p.233
Idolum idem eſt, ac ſtultum. §.257.n.7. p.521

*Ieiunium.*

Ieiunium Eſtheris opinatiſſimum. §.3.n.1. p.4
Ieiunij ænigmata. Ibid.
Ieiunij appendices ac victrices ſordes. §.3.n.3. p.5
Ieiunio pulchritudo refrenatur. Ibi
Eſtne ieiunium quodammodò pars Mariani corporis? §.371.n.3. p.736
B.Deipara glorioſum ieiunij veſtimentum eſt. §.371. n.4. p.736
Adumbratum Redemptorem ieiunium concipit, ieiunium nutrit. §.371.n.5. p.736
Ieiunium aliqua eſt humilitatis ſpecies, dum ambitionem corporis arcet. §.371.n.6. p.737
Adam vilitate ciborum, generoſitatis ac immortalitatis iacturam minuit. §.23.n.3. p.53
Virgo virginis guſtus, in virgine adhuc ſaliuâ, myſterium continentiæ eſt. §.24.n.2. p.55
Idemne eſt ieiunare, ac orare? §.120.n.8. p.249
Quare Eſther ſuæ etiam familiæ ieiunio ieiunare dicitur? §.120.n.9. p.249
Ieiunium Sacramentorum gratiam æmulatur; nominatúrque Sacramentum Redemptionis, fomitis interſtinctio, & contra vitia virtutum Præſes. toto §.134. p.274
Pulchritudinis gratia ſtipendium ieiunij eſt. §. 142. n.1. p.288
Ieiunium, & clamor dicitur ſanitas, conſilium. §.216. n.12. p 439
Vide verbo, *Gula, Vinum.*

*Ieſu.*

Virgo Deipara olim Maria Ieſu nominabatur vno vocabulo. §.340.n.1. p.677
Cur nomen Ieſu non tam caput, quàm manum coronare perhibetur? §.340.n.2. p.678
Acceptum in circumciſione nomen Ieſu, denuò propter meritum Paſſionis Chriſto donatur. §. 340. n.3. p 678
Salutare Ieſu nomen eſt illi velut lex, ſit etiam nobis. §.340.n.4. p.678
Ieſu nomen demus, velut noſtræ militiæ teſſeram. §. 340.n.5. p 679
Deipara gratiam etiam inuenit, quia Filium ſuum appellauit Ieſum. §.340.n.6. p.679
Nomen Ieſu eſt velut turris; & qui ad illud confugiunt, quaſi milites ſtationarij. §. 340. numero 7. p.679
Nomen Ieſu dicitur, Glorificatio honoris, illoque Dei magnificentia oſtentatur. §.340.n.8. p.680
Nomen Ieſu caſtitatem ſpirat, & morum honeſtatem inſerit. §.340.n.9. p.680
Vide verbo, *Nomen.*

*S. Ignatius.*

Chriſtus Deus per Ignatium proficere dicitur, quo ſenſu? §.94.n.5. p.199
Ignatius vel ex apparentis virij latebris inſidiatur ſpectatorum profectui. §. 207.n.15. p.419
Impenſius Ignatij ſtudium de amplificandâ Dei gloriâ, auguſtè glorioſum Chriſto eſt. toto §.326. p.647
Zelus S.Ignatij de amplificandâ Dei gloriâ. §. 326. n.5. p.648
Vide verbo, *Perfectus vir.*

*Ignobilis.*

Vide verbo, *Nobilitas, Infamia.*

*Imaginatio.*

Homo propriæ imaginationis tormento, & tentamento, ſe pœnalius vrget, & ſceleroſiùs exagitat, ab inteſtino phantaſiæ dæmone. toto §. 136. pagina 277
Incertus perplexitate animus, dùm conſilij inops multa dubiè mentitur ſibi; non dubiè angitur, ſauciatur, vritur. toto §.137. p.279
Humani periculi anxius timor, ſæpè acerbiùs quàm ipſa calamitas excruciat; dum vanis, & nunquam venturis angitur malis, inani metu præſumptis. toto § 304. p.605
Vide verbo, *Timor.*

*Imitatio.*

Bonum virtutis exemplum, afflatæ imitationis beneficio, virtutes affricat, ſeminat propagat, magno ſanctitatum fœnore. toto §.70. p.147
Chriſtum ſequi, & moribus imitari; & ipſi pergratum eſt, & nobis perquàm proficuum, piè fauſto æternæ felicitatis augurio. toto §.71. p.149
Vide verbo, *Exemplum.*

*Impatientia.*

Vide verbo, *Patientia.*

*Impudentia.*

Inuerecunda iniquitas eſt oratio vltionem impetrans §.32.n.4. p.69
De male acuto malitiæ ingenio venit, vt homines virtutis penicillo vitia colorent, quò impudentiùs delinquant. toto §.109. p.225
Qui excuſſo peccandi pudore, verecundiam impudenter abiecit, in flagitioſiora ſcelera effrenis corruit. toto § 161. p.323
Vide verbo, *Pudor, Infamia.*

*Incarnatio.*

In Incarnatione Virgo Deipara ſummitatem virgæ Filij ſui tetigit. §.142.n.3. p.289
Deipara non toti ſibi intimat Incarnationis ſecretum. §.149.n.3. p.302
De Incarnatione multa traduntur, verbo, *Virginitas, & Maternitas Mariæ.*

*Inconſtantia.*

Vide verbo, *Mutatio.*

*Iudicium.*

Vide verbo, *Iudicium temerarium.*

*Indignus.*

Sceletum loco eſt, apud inertem dignitas. toto §. 317. p.630.
Vide verbo, *Dignus, Dignitas, Electores, Ambitio.*

*Infamia.*

Male caſtus eſt, qui de incontinentiâ diffamatur. §. 161.n.2. p.323
Delictorum infame vulnus alligandum & tegendum eſt; & illius delenda cicatrix. §.161.n.3. p.324

Qui pudore amiſſo, opprobriis plurimorum exponitur, quaſi ethnicus & publicanus haberi poteſt. § 161.n.4. p.324
Diabolus vitio ſimilis, vinci ſe turpe non putat, aſſuetus ignominiæ §.161.n.5. p.324
Infamia præmaturè eſt crimen peſſimum.§.222.n.5. p.449
Qui probroſæ parcit delicti pœnæ, delinquentem iuſtificare dicitur.quare?§.233.n.13. p.473
Ad rem vitij ſæpè infamia facit, quod vix tentatio præſumit.toto §.335. p.664
Vide verbo, *Pudor, impudentia.*

*Infans.*

Vide verbo, *Puer.*

*Infernus, Gehenna.*

Ignis gehennalis myſterium, humanæ voluptatis ſacramentum eſt.§ 58.n.7. p.127
Inter magnos eſſe minimum, gehennæ inſtar habetur § 85.n.5. p.178
Reſpublica ſine parium diſpariumque diſcrimine, inferni æmulatio eſt.§.86.n.2. p.179
Expenduntur feraliſſima gehennæ infernalis cruciamenta, quorum memoria voluptates infuſcat. toto §.183. p.367
Apud inferos placebit Deo & Sanctis in pœnâ, qui nunc diſplicuit in culpa toto §.184. p 369

*Infidelitas.*

Vide verbo, *Fides, Hæreſis, Idolum.*

*Ingenium.*

Ingenium non datur opibus, ſed naturæ. §.114.n. 1. p.235

*Ingratitudo.*

Benefactorem in beneficiis non agnoſcere, barbaricum ſcelus eſt.§.20.n.7. p.49
Hebræus populus reprobatur, quia Chriſtum in beneficiis non agnouit.§.133.n.9. p.273
Homo in officinâ ingratitudinis, ex beneficiis aduerſus benefactorem arma cudit. toto §. 314.pagina 625
Quiſquis ingrato benefacit, & beneficium perdit, & vltrò inimicum acquirit.toto §.315. p.627
Homo tot beneficiorum reus eſt, quorum & ingratus.toto §.316. p.629
Ingratus impietati Herodis affinis eſt, & Deicidio velut obnoxius.§.315.n.6. p.628
Vide verbo, *Gratitudo, Munus, Eleemoſyna.*

*Inimicus, Inimicorum Dilectio.*

Condonantem iniurias vſque ad adulationem laudat Iacob?§.20.n.4. p 481
Quo pacto eum obliuione offendentis, offenſæ memoria adhuc hæret.§ 57.n.2. p.123
Qui omnibus præponitur, omnium inimicus dicitur.§.90.n.3. p 191
In poſteris Maiorum ſuorum auita odia, heredes nati, male perdurant.toto §.91. p.193
Sibi potius conſulit, qui rancida deponens odia, recentem amicitiam cum inimico init. toto §. 93. p.196
Reciproca beneuolentia concordiæ matrix, agnata Chriſtianis eſt, qui ſe amant mutuò penè antequã nouerint.toto §.115. p.237
Aman regiæ familiaritati cederet, ne obſequeretur inimico.§.163.n 6. p.330
Amans dicitur auctor inimicitiæ Eſtheris.§.180.n.1. p.361
Inimicus homo, crudelior ipſo Diabolo inuenitur. §. 180.n.6. p.362
Pulchrum tunc fuit Iudæis, vlciſci; Chriſtianis verò inimicis parcere.§.203.n.8. p.410
Quod vindictæ non caues de ſceleſtoſo inimico, time de infauſto.§.216.n.5. p.438
Effuſior eſt vltionis auiditas, ſi vindictam aliqua fors honeſtas colorat.§.216.n.8. p.438
Nullum aſylum ſatis tutum eſt ab hoſtili inimicorum rabie; quæ infernalem diabolorum hoſtilitatem impotenter æmulatur.toto §. 219. p. 443
Rara virtus eſt, quæ offenſori prorſus ignoſcit; & grauiter ſauciantem nec leuiter referit, toto §. 221. p.446
Meta beneficentiæ eſt, ſi quis iniurias beneficiis remuneratur, vniuerſo gratus officio, toto §. 222. p.448
Aliquis perfectæ virtutis faſtus eſt, ſuo vltori potius quàm ſuo offenſori ſuccenſere, & iniurias beneficiis vlciſci toto §.223. p.450
Vltio etiam iuſta, nimis inuidioſa eſt. §. 251. n.6. p.508
Pauculi inimici multos quamcitiſſimè faciunt.§.251. n.7. p.508
Quàm ſit Deo iniurioſum, ab eo vltionem inimicorum auidiùs expetere.§.281.n 8. p.565
Vide verbo, *Amor, Pax, Hoſtis.*

*Initium, Incipere.*

Rei exordium ipſius cenſus eſt §.18 n. 1. p.44
Qui initium exactè denarrat, reliqua vſque ad finem denarraſſe perhibetur.§.18.n.2. p.44
Qui ceſſat ab opere feliciter cœpto, egregiè mentitur.§.18.n.3. p.44
Qualis quis eſt in pueritiâ, talis plerumque eſt vſque ad vitæ finem.§.18.n.5. p.45
Quare Philippus tam citò eripitur ab eunucho.§.18. n.6. p.45
Cur Diabolus ſancta in ipſo ortu feſtinat extinguere. ibid.
Opus non conſummatum, cogitatio mera dicitur, quo ſenſu?§.157.n.1. p.316
Qui rem magnam, quam alij promouent, incepit, & auctor illius dicitur, & potiorem gloriam ſecutus delibauit.toto §.243.n.3. p.491
Sic eſt fauſtum orationis initium, vt antequam quis ſuppliciter oret, feliciter exoret?toto §. 268. p.540

*Iniuria, Offenſa.*

Vide verbo, *Inimicorum dilectio.*

*Innocentia.*

Fœda criminoſe calumnia eſt, quæ ab innocentiâ raditur.§.102.n.5. p.214
Vide verbo, *Perfectus vir, Pœnitentia.*

*Inſidiæ.*

Qui alicui inſidiatur illius inhiare ſanguini perhibetur.§.216.n.1. p.437

*Intellectus.*

Humanus intellectus fallax eſt:& ſenſus in falſo teſtimonio deprehenſi ſunt §.103.n.4. p.216
Prudentia dicitur, Dei intellectus in homine. §. 181. n.6. p.364
Bonus ſucceſſus, bono intellectui expreſſus, & imbutus eſt §.209.n. 2. p.421

*Inuidia.*

Qui omnibus præponitur; omnium inimicus dicitur.§.90.n.3. p.191
Felicium inuidia, nil boni reliquis permittit. §. 156. n.2. p.314
Prærogatiuam aliquibus tantùm conceſſam, communis inuidia abſcondit.§.156.n.3. p.314
Cur terrigenæ putauerint, cælum eſſe terram ex aduerſo ſitam.§.156.n.4. p.314
Verbum totam Patris perfectionem, habens cur nil deroget Patri?§.156.n.5. p.315
Inuidia hoſtilitatem cum bono gerit. §. 156. num,

num.4 & 8. pag.314.& 315
Adglomerantur non bona inuidiæ elogia. §. 156. n.6.& 7.& 9. p.315.& 316

*Intentio.*

Recta operantis intentio,boni operis vigor, & anima,& pulchritudo eſt.toto §.143. p. 290
Malitia Amani dicitur eius cogitatio, & commentum.§.203.n.5. p.410

*S. Ioannes Baptiſta.*

Mariæ ſalutatione Ioannes priùs ſenſu deuotionis, quàm ſpiritus infuſione animatur? §. 382. n. 6. p 756
Fœcunda Diparæ maternitas, aut Ioannes inuenit, aut facit.§ 383.n.5. p.758
B.Virgo de virginitatis flore alas aſſumit, vt citiùs Ioannem ſanctificet?§ 391 n. 3. p. 772
Euangeliz.trix Deipara dulci colloquio conſecrat Ioannem.§.393.n 5. p.777
Ioannes Baptiſta ex ſilentio naſcitur, Chriſti conſecretalis §.149.n.6. p.302
Num Ioannes citiùs venit prædicans, quàm prædicaret?§.266.n.4. p. 557
Si Ioannes verbum otioſum diceret, eius lingua defloreſceret?§.282.n.8. p.567
Niſi Ioannes tantâ floruiſſet caſtitate, eius teſtimonium fortè ſuſpectum falſitatis fuiſſet? §. 318. n.10. p.634

*S Ioannes Euangeliſta.*

Virgo Deipara Ioannem, etſi non hominem, tamen virginem generauit.§ 391.n 2. p. 772
Summa veritas cur de Virginis vtero, & virgine Ioannis animâ oriri dicitur?§.318.n.13. p.635
Quomodò Ioannes Dei Verbum audibile, & intelligibile generare dicitur? Inibi.

*Ioſeph.*

Ioſephi ineffabile dominium in ſponſam Deiparam. §.342.n.5. p 683
Ex ſponſo Ioſepho oſtenditur,quod B.Deipara, non Deus,ſed homo eſt.§.393.n.1. p.776
Ioſephne eſt aliqua ſuæ ſponſæ pars, aut dimidium Mariæ? Ante §.394.n.1. p. 777
Eſſetne María integrè perfecta, niſi Ioſephus etiam perfectus eſſet? ibidem
An aliquo genere filiationis præter filiationẽ putatitiam, Chriſtus Deus Ioſephi filius fuerit? toto §. 394. p. 777
Num Chriſtus quia Ioſephi filius, ius habuerit ad ſceptrum Iudaicum?§.394.n.7. p. 778
Sumptuoſior Ioſephi laus eſt Mariani coniugij ſequela.§.395.n.1. p.779
Æmulatio Dei ac Ioſephi vter Mariam ſponſam ſibi vendicet totam.§ 395.n.2. p. 779
Mariæ & Ioſephi coniugium in virginitate deputatur.§.395.n.3. p. 779
Ioſephi animus Sponſæ Deiparæ menti coniugatur. §.395.n.4. p.780
Quod Mariæ dudùm commiſſum fuerat, denuò Ioſepho committitur, quaſi vnum ambo ſint §. 395.n.5. p. 780
An Maria totum cordis ſui theſaurum Ioſepho communcauerit?§.395.n.5. p.380
Vna fides,& vnus Spiritus Mariæ,& Ioſephi?§.395. num 6. p.780
Conſilio Mariæ, & Ioſephi Spiritus-ſanctus præſidet. Ibidem
An cùm Ioſephus dicitur Mariæ Vir, denotetur ſexus diſcretio,an caſtitatis virtus?§.396.n.1. p.781
Ioſephi virginitas ſuæ Sponſæ virginitati par ſuo modo cenſetur.§.396.n.2. p. 782
Perpetua cæli vita, per Ioſephi virginitatem in Mariano coniugio informatur.§.396.n.3. p. 782
Ieſus non ſemel transfiguratus & glorioſus Ioſepho apparuiſſe perhibetur.§.396.n.4. p. 782
Deipara dicitur Ioſephi collega,& Ioſephus collega Deiparæ nominatur. quo ſenſu?§. 396.n.5.p.782
Deus ne adſpectu ad Ioſephum dicitur pudicitiæ arbiter?§.396.n.6. p.782
Vel ſolam Patris Chriſti nomen, meritorum ferax cenſetur.§.397.n.1. p.783
Num Ioſephi virginitatem hauſit Chriſtus cum nomine Filij?§.397.n.2. p. 783
Ipſa Deiparæ virginitas in ſponſum Ioſephum exundat. ibi.
Num Chriſtus Deus Ioſephi poſſeſſio eſt arcanæ paternitatis iure?§.397.n.3. p.783
Num Spiritus-ſanctus ſubſtituit Ioſephi vices, tanquam eius vicarius?§.397.n.4. p.783
Ioſephi ingenium & proprietates Chriſtus referebat. Inibi
Ioſeph Chriſti Dei facies dicitur, quia eius pater nominatur.§.397.n.5. p.784
Ioſephus perſonam Dei Patris geſſiſſe perhibetur. quo ſenſu?§.397.n.6. p. 784
De honorificentiâ communis virginitatis cum Deipara, Ioſephus Chriſti pater cenſetur.§.397.n.7. p.784
Virginitas Mariæ & Ioſephi arcet ſeculorum zelotypiam. ibi.
Inuentus eſt Ioſephus qualem quærebat ratio. §. 398 n.1. p. 784
Num Ioſephus fuerit myſterij Incarnationis aſſertor? §. 398.n.2. p. 785
Ioſephus Marianæ virginitatis vindex. §. 398. n.2. p.785
Ioſephus, & Deiparæ pudoris, & myſterij Incarnationis ſcutum nominatur.§.398.n. 3. p. 785
Eſtne Ioſephus Matri Virgini,& Filio Deo neceſſarius?§.398.n.4. p.785
Ioſephus eſt Cherubinus paradiſi cuſtos, quem Seraphicè cuſtodiuit.§.398.n.5. p.786
Quo ſenſu dicatur Deus Deique myſteria Ioſepho velut inniti.§.398.n.6. p.786
Per ſubiectionem ad Ioſephum, ſuam dignitatem Deipara honorat.§.399.n.1. p. 786
Mater Dei, & mundi Domina Dominum appellat Ioſephum.§.399.n 2. p. 787
Ioſephi Humilitas in tantâ dignitatis ſublimitate. ibi.
Ioſephus gaudia refundit in Mariam. §.399. n. 3, p.787
Eſtne Ioſephus Mariæ,ac infantis Dei Gubernator? ibidem
Chriſtus per omnia Ioſepho obedit,etiam cùm velle ſe aliud facere inſinuat?§.399.n.4. p. 787
Chriſtus dicitur per omnia Ioſepho ſimilis? ibi.
Totis duodeuiginti annis,Chriſti ſubiectio fundat ſublimem Ioſephi dignitatem.§.399.n.5. p.787
Num Chriſtus in cælo glorioſus, adhuc Ioſepho ſubditus ſit?§.399.n.5. p.787
Chriſtus Dominus velut lex intimatus, vel incorporatus Ioſepho dicitur. quo ſenſu? §. 399.n. 6, p.788
Virgo Deipara ſoli Deo, ac Ioſepho nota, §. 400. n.1. p.788
Quod ipſe ſolus Ioſeph ſuſpicione ſenſerat, ipſe ſolus ſibi ſciebat.§.400.n.2. p.788
Si felicioribus gloriis Ioſephus angitur, quantâ gloriâ opus eſt,vt digne beetur?§ 400.n.3. p.789
Arduam credendi difficultatem, difficultate maiori Ioſephus domat.§.400.n.4. ibid.

Vbi timetur ſiniſtra Ioſephi ſuſpicio, ibi firma innitur pudoris certitudo §.400.n.5. p.789

Ioſephus quam ob rem dubitat, eandem ob rem credit.§.40.n.6. p. 90

Angelus blanditur Ioſepho, propter ſiniſtræ ſuſpicionis ſilentium §.75.n.4. p.157

Ioſephine obedientia narrati debuit continuata cum præcepto, quaſi illius appendix? §.83.n.4. p.174

Ioſephus fugit, Ioſephi autem merita ambiunt dici Chriſti patrem.§.174.n.3. p. 348

*Ira.*

Iudicum iracundia acumen temeritatis eſt.§.34.n. 2. p.73

Ira id æquum videri vult quod iudicauit §.34. n. 3. pag. 73

Princeps iratus oculos in terram deiicit, indéque terræ rationes quærit.§.34.n.4. p.73

Ingenioſa eſt ira, dum legum obſeruandarum ſpecie ſæuit.§.34.n.5. p. 74

Principis furor ſit velut ira columbæ. §. 34. num. 6. pag.74

Ira oppreſſoris, vocabulo iræ columbæ colorari ſatagit.§.34.n.6. p. 74

Ira eſt libidini cognata.toto §.60. p. 129

Iracundia rationem excutiens, homines recudit in belluas: quæ etiam dum pia eſt,intuta valdè eſt. toto §.186. p.372

*Iter.*

Vide verbo,*Via*,

*Iudex,Magiſtratus,Superior*,

Piſo tria crimina in ſubditos fecit, quia nullum crimen,quod punire cœpit, inuenit. §.34. num. 1. pag.72

Iudicis ira id æquum videri vult, quod inique iudicauit, dum æquitatis prætextum iniquitati iniquiùs oppandit.toto.§.34. p.72

Qui ex congruentiis dumtaxat cenſet, ſæpè inique iudicat.§.80.n.3. p.168

Legum abuſu Amanus contra innoxios ſibi inimicos ſæuit.§.120 n.6. p. 249

Bonus imbonúſue affectus, dum merita cudit in voluntatis officinâ iudiciorum arbiter eſt. toto. §.145. p.290

In forenſibus actibus ſicut inſanæ moleſtiæ ac impenſæ: Sic rara litigantium virtus inueniuntur. toto.§.148. p.299

Inordinata Iudicum cunctatio, velox totius populi interitus eſt §.148.n.4. p. 300

Iudex, quia periculoſe nimis iuſtus eſt, ſub ſecuritate (ſi ritè poteſt) ſemper ignoſcit; in alienâ calamitate ſibiipſi conſulens. toto.§.160. p.322

Vel recuſata munera Iudicem ſubornant.§.180. n.2. pag.361

Iudex qui non audit reum, nec cauſſam explorat, calumniator eſt.§.180.n.3. p. 361

Scelcroſus Aman iuſte reus, iniuſtè tamen damnatur,quare?§.180.n.10 p. 363

Ne vir in capeſſendis conſiliis, & officiis obeundis vxoris ſuæ ſuaſionibus ſit obnoxius, toto §. 182. p.365

Reorum ora ne propriæ defenſioni obſtruantur;nam in ipſius rei ore viuacior affulget defenſio. exinde Deus ſecundum multitudinem iræ ſuæ, non quærere perhibetur. §.192. p.383

Præfectorum reciprocus inter ſe aſſenſus, regiminis peritia eſt. iudiciorum autem diuortium, politiæ euerſio.toto.§.205. p. 412

Magiſtratus agnatâ cupiditate munera expectant: quibus acceptis,& corrumpunt gratiam, & animam vendunt, atque oculorum velamen ſordidè emunt,toto.§.217. p. 439

Solitaria bonitas ſine comite iuſtitiâ, Deum fingeret inertem ſtupidum, & hominibus gubernandis inidoneum,toto §.220. p. 445

Aliquorum Magiſtratuum quæ videtur noxa, innocentia eſt.§.239.n.2. p.482

Honor appellatur ſuperbia.§.257.n.11. p.521

Nouus iudex valde timendus. §. 257. numero 8. pag.521

Bonus Rector, inſpector dicitur. §. 297. num. 6. pag.593

Nimium in iudicibus ampliandæ iuriſdictionis ac potentiæ ſtudium, egregie vapulat. toto. §. 312. pag.622

Contumelioſa ſcelerum obiurgatio, emendationem corrumpit, & obiurgantem deuenuſtat. toto §. 333.& 334. p.660.661 662.

Paci ſtudet Superior, qui vibratis minis, & inflictis idoneè ſuppliciis, Reipublicæ pacem inquietare videtur.toto §.336. p. 665

Vide verbo,*Princeps*, *Electores*, *Dignitas*, *Dignus*.

*Iudicium finale.*

Num reprobi ante Iudicis ſententiam, de libidinis reatu prædamnetur?§.61.n.3. p.131

Libido memoriam iudicij abolet,& ignem æternum concinnat,& accendit.§.61.n.5. p.132

Inter præuias finalis iudicij calamitates, dubia perplexitas recenſetur.§.137.n.3. p.280

An Verbum caro factum eſt, vt nemo ſe in iudicio finali, per carnis imbecillitatem excuſet? §.189. n.2. p.378

Vide verbo, *Iuſtitia,Pœna,infernus.*

*Iudicium temerarium.*

Pietas Mardochæi erga Eſtherem, putatur coniugij meditatio.§.57.n.5. p.124

Tenera nimis eſt pudicitiæ fama: defenſione læditur,inquiſitione dehoneſtatur.toto §.63 p.135

Volupe hominibus eſt, credibilem putare alienam vitrurem, quæ vitij ſpeciem obtendit, vel quidpiam vitio confine.toto §.64. p.137

Qui ex congruentiis duntaxat cenſet, ſæpè inique iudicat.§.80.n.1. p. 168

Iudicium temerarium, proprium ſui opprobrium putat Dauid.§ 105.n.4. p. 219

Non facile malum ſuſpicatur, qui non facile ad malum impellitur.§.105.n.5. p.219

Bona eſt incredulitas ad occultandas peruerſæ mentis profunditates.§.105.n.6. p.219

De voluntatis officinâ affectibus vitiatâ; temeraria in malum excuduntur iudicia, quæ veritatem recuſant;cùm tamen improbè iudicet, qui quod alij merentur,ſentit.toto §.190. p.380

Qui temerariè alios iudicant,trabem crucis in oculis geſtant.§.201.n.4. p.401

De inimicorum opinione cenſemus. §. 233. n. 10. p.472

In re genealogiæ, dexteram in patrem ſtrenua ſuſpicio eſt.§.251.n.3. p.507

*Iuramentum.*

Qui dudùm iurauit, & nunc iurat, num exinceps iurabit?§.159.n.6. p. 320

Iurandi vſus acerbè culpatur; periurium autem acerbiùs ſuggillatur.toto §.287. p. 574

*Iuriſdictio.*

Nimium in Magiſtratibus ampliandæ Iuriſdictionis ac potentiæ ſtudium, egregiè vapulat.toto §.312. p.622

*Iuſtitia.Rigor.*

Aliquandò eſt clementia irrationalis.§.5.n.4 p.8

Erga quaſdam perſonas ac familias, Dei cenſura inexorabilis dicitur §.5.n.4. p.8
Seuerior punitio non eſt ira, ſed miſera curatio.§.5. n.4. ibid.
Sæpè noſtra patientia eſt alienæ temeritatis fomes.ibi.
Solitaria bonitas ſine comite iuſtitia, Deum effingeret inertem ſtupidum, & hominibus gubernandis imdoneum.toto §.220. p.445
Exeræ iuſtitiæ ſeuerus pro rei merito, rigor, Principum gloriæ ſumptuoſiùs militat. toto §. 307. p.612
Vide verbo, *Pœna.*

*Iuuenis, Iuuentus.*

Vitia adoleſcentiæ, & iuuentutis in ſene repullulant. §.101.n.5. p.212

L

*Labores, Ærumnæ, Tribulationes.*

Ex aduerſis ſecunda naſcuntur proſpero errore. §.2.n.8. p.4
Triſtatur Mardochæus cùm triſtitiæ cauſſas excuſſit. §.110.n.11. p.249
Non eſt magnus animus, quem curuat calamitas: flectineſcia in aduerſis conſtantia, aliquis virtutis faſtus eſt.toto §.111. p.250
Ærumnoſior tribulatio, extrinſecùs auſtera videtur, medullitus aut.in angoris inops, in naufragio ſecuritas, cognatio cum Angelis, & felicitatis gratulatio eſt.toto §.113. p.253
Vltrò votiua calamitatum ſuſceptio, illatum moleſtias magnanimiter exarmat. toto §. 114. p.255
Humanos labores quaſi Dei vicarios, & numine plenos puta.§.128.n.5. p.263
Voluptas de præuio labore dulcius ſapit.toto §.135. p.2 6
In ipſâ acerbiori calamitate felix calamitatis exitus tranſparet.toto § 200. p.398
Commiſeratione potiùs dignus eſt, quem calamitas inuenit, non qui eam audacter quærit §.203. n.6, p.410
Præuium malum luculentior ſubſecuti boni interpretatio eſt.toto §.210. p.423
A calamitate citius quàm à felicitate, fauſtus Sortium dies nominatur.§.251.n.1. p.507
Muta patientis calamitas, clamor eſt, & grandis clamor, diuinam opem precariè implorans. toto §.279. p.559
Benè Eſther cruciatur felicitate gloriæ:nam ſanctorum elogium eſt, calamitatibus deliciari, gloriari, beari, toto §.289. p.578
Vide verbo, *Perſecutio, Patientia, Felicitas, Martyr.*

*Lacrymæ.*

Aulam puta flendi agonem. §.193.n.2. p.385
Ridiculum eſt lugere quod colis, aut colere quod luges.§.193.n.3. p.385
Lacryma, fons eſt, & fluuius; & ſimul lux, & Sol §. 233.n.8. p.472
Ex oculis noſtris profluat Pactolus, pretioſior cœno, quàm fluento §.261.n.8. p.519
Lacrymæ ſunt delictorum ſpongia, iugis & expromptus velut baptiſmi fons; adoptionis radios inſertos habent, quibus vitæ fructus matureſcunt; citiúſque ſine rogandi pudore veniam impetrant. toto §.264. p.533
Ne dum lacrymis conſcientiam diluis, lutum facias: nam nimis frequens abſque emendatione pœnitentia, impœnitentiæ aut rea, aut ſuſpecta eſt. toto §.265. p.534
Vide verbo, *Pœnitentia,*

*Lætitia.*

Vide verbo, *Gaudium, Voluptas, Felicitas.*

*Latro bonus.*

Boni Latronis elogium.§.261.n.8. p.530

*S. Laurentius.*

Rex non inuidiſſet Laurentio, niſi eum præcepiſſet ardere.§ 121.n.2. p.251
Laurentij patientia ſitne impatibilis? §. 129. n. 2. p.264
Amanti durius prælium, chorea, & panegyris eſt. §.98.n.6. p.396
Vide verbo, *Martyr. Perſecutio, Labores, Perfectus vir.*

*Lex, Præceptum.*

Præcipere fundare eſt.§.16.n.6. p.41
Aptemus nos præceptis, quæ dicuntur arma, ſeu veſtes lucis.§.83.n.1. p.173
Eſtne obedientia, præcepti appendix? §. 83. n.4. p.174
Corporata Dei ſapientia non habet quid dicat, quo præcepti rigorem declinet?§.83 n.6. p.175
Vir obediens de obſequio vitam mutuatur: creatura enim ſentit creatorem, non viuendo, ſed obediendo toto § 84. p.175
Hebræorum leges dicuntur nouæ, quia diuerſæ à Perſarum legibus.§.90.n.6. p.192
Lex à Rege ſcribenda, & exponenda. §.90. num.9. p. 92
Mandatorum viam reddere laxam, & ſpatioſam adnitimur.§.108.n.7. p.225
Perennes mandatorum fontes obturantur, & traditionum laciniæ legibus malè aſſutæ reſecantur; ne ſubiectus populus offendat, & paſſim impingat.toto §.110. p.227
Qui legem accipit, velut ſeruiliter extrahitur à loco, quo circumſcribitur, & quaſi in Adamum refingitur, & aduerſarium patitur, & rigidâ dilectionis formâ imprimitur.toto §.111. p.229
Auſteriores hominum leges, dum præ arduitate terrorem incutiunt, ſæpè violationem ſubornant, toto §.112. p.231
Superioris mandatum velut dogma ſępè proponitur. §.120.n.3. p.248
Legum abuſu Amanus contra innoxios ſibi inimicos ſæuit.§.120.n.6. p.249
Mardochæo parata crux, legi comparatur. §.180.n. 13. p.363
Amani lex legem humanitatis abrogare ſatagit. §. 255.n.6. p 516
Quare quod in votis eſt, ſub acerbiori pœna præcipitur?§.311.n.10. p.622
Vide verbo. *Obedientia, Conſilium, Princeps,*

*Liber.*

Vide verbo, *Scriptor.*

*Liberalitas.*

Largior beneficentia, illuſtrioris famæ aucupandæ artifex eſt, de benèloquæ gratitudinis arbitrio toto §.20. p.47
Effuſa in Principibus liberalitas caſtigatur, ne liberalitate liberalitas pereat.toto §.147. p.297
Beneficus ob propriam vtilitatem, inimicitias beneficiis mercatur.§.233.n.11. p.472
Liberalitatis virtus eſt, vltimum potentiæ donare, & totam poteſtatem donando implere?242. n.6, p.490
Vide verbo, *Miſericordia, Munus, Eleemoſyna,*

*Libido.*

Vide verbo, *Luxuria, Mulier, Periculum.*

*Lingua,*

Proficua lingua Angelos loquitur.§.6.n.7. p.15

Boni viri lingua de'alienis defectibus garrire cautè præcauet:quæ ſicut occultas aliorũ laudes prædicare ſcit, ſic vel publicam aliorum infamiam publicare neſcit.toto §.75. p. 157
Lingua genealogiarum ſeries maculat de gehennæ æſtu.§.10.n.6. p.212
Perquam arduum eſt abſque vllâ conſcientiæ offenſâ,tenere vocis ac ſilentij temperamentum. toto §.146. p.296
Sapientis os non tam loqui, quàm ſcribere dicitur. §.253.n.9. p. 516
Vide verbo, *Detractio*, *Eloquentia*.

*Lis*, *Litigium*.

Vide Verbo, *Iudex*.

*Luna*.

Cur Luna non bonæ vxoris ſymbolum proponitur. §38.n.5. p.80
Luna de ſolis abſceſſu fulget, de acceſſu obſcuratur, fulgoribus ſenſim viduata.§.132.n.5. p. 270
Humana felicitas eſt adinſtar Lunæ, quæ minuitur ſuper conſummationem.§.191.n.6. & 7. p. 381. & 383
Luna dum terris lucere ambit; partem obſcuram cœlo obijcit.§.303.n.8. p. 604
Non ſine aculeo Luna dicitur,Cœli purpura.§.320. n.8. p.639

*Lux*.

Hominis fortunati manus dicuntur luces.§.39. n. 5. p.82
Heli lucentem non videt lucernam, ſed penè extinctam.§.64.n.4.& 5. p 137. 138
Lux infructifera non computatur ad lucendi gloriam.§.87.n.6. p.183
Vide verbo, *Sol*.

*Luxuria*, *Libido*.

Libido eſt gulæ appendix : nam edacitas in ſalacitatem tranſit.§.22.n.2. p. 51
Libido eſt gulæ ſequela; & gula eſt libidinis pœna. §22.n.3. p. 67
Hiſtrio amorem dum fingit, infligit. §. 31. num. 2. p.67
Qui eſt ad occaſiones libidinis timidus, benè intrepidus eſt ad virtutem.§.31.n.4. p. 68
Fermè ignorante animâ homo fertur ad rem libidinis §.31.n.5. p. 68
Eiuſdem libidinis eſt videre.& videri.§.33.n.1.p.70
Pulchritudo,quæ concupiſcentiæ periculum obiicit, fideiuſſionem apud Deum facit? §.33.n.2. p.71
Omnis publicatio virginis bonæ, ſtupri paſſio videtur.§.33.n 3. p.71
Peiúſne eſt quàm mœchia;continentiam ducere criminoſam? §.33.n.4. p.71
Doloſè oculorum machinulæ, aſpectabilem pulchritudinem deuenuſtare dicuntur.§.33.n.5.p.72
Num Angeli niuea veſtis, mulierum blanditiem cautè arcet? §.33.n.6. p. 72
Libido hydropi ſimilis eſt dum ipſam ſitim bibit. §.35.n.6. p. 75
Venerea voluptas, ſomnus dicitur, qui filios generat.§.39 n.3 p. 82
Blanda libido, & durior ſæuitia, affectus ſunt indiuiduè cognati: de amoris enim ſcintillâ furor accenditur.toto §.60. p.129
Libido gehennalis incendij, ſcintilla eſt, ferè æternæ damnationis ſententia, & propè immedicabilis morbus.toto.§.61. p.131
Delicatula nimis eſt pudicitiæ valetudo; ſollicitudine languet, ætatis integritate periclitatur: & quæ oculos patitur, tota iam virgo ferè non cenſetur.toto. §.62. p.133
Exquiſitior ornatus, & fucos, luxuriæ cognatus eſt. §.77.fere toto.§. p 161
Libidinis concupiſcentia, Diaboli cachinnos ciet, hominem Deo clauſum tenet, primordiali delicto interfuit : facit pecuinos mores, quos conuertit in ſacta;Diabolique æſtum æmulatur. toto §79. p.166
Libido pudicitiam odit, & hoc cupit videri, quod illa eſt.§.109.n.6. p. 217
Num vel ipſa libidinis damnatio, eſt quaſi libidinis fomes,& gehennæ ſcintilla?§.144.n.5. p.293
Cum pulchrâ libidinis pellaciâ,gratiæ illicium comparatur?§.301.n.2. p.600
Pulchræ feminæ etiam dum grauitatem ſimulant, aut languore franguntur, meræ & veræ ſunt caſtitatis inſidiæ:|cæli cites in toto ſunt caueant terrigenæ.toto §.30. p.601
Quibus abeſt conſcientia pudicitiæ,nil verum adeſſe ſolet : quaſi mendacium ſit luxuriæ ſequela, & veritas caſtitatis appendix.toto §.318. p.632
Vide verbo,*Caſtitas, virginitas*, *Virginitas Mariæ, Mulier*, *Periculum*.

M.

*Magdalena.*

AVditum Mariæ nomen, ſenſum & ſpiritum Magdalenæ reſtituit §.338.n.13. p. 675
Magdalena peccatrix,mulier nominatur;iam ſancta, Maria dicitur, quare?§ 339.n. 3. p. 676
Magdalena criminum officinam refingit in officinã pietatis.§.213.n.2. p. 429
Magdalena de meretrice virgo dicitur, ob arcanam pœnitentiæ virtutem.§.259.n.4. p.525

*Magiſter*.

Quare ſerui Eſtheris,eius magiſtri dicuntur? §. 120. n.4. p. 248
Vide verbo, *Sapiens*, *Scriptor librorum*.

*Malum*.

Præuium malum, luculentior ſubſecuti boni interpretatio eſt toto §. 210. p. 423

*Mandatum*.

Vide verbo, *Lex*.

*Manus*.

Vide verbo, *Opus*.

*Manſuetudo*.

Fidem, & doctrinam confirmat,qui eam cum manſuetudine docet.§.329.n.2. p. 653
Manſuetudo docentis,vigor ſuadelæ eſt. §. 329.n. 4. p.653
Vide verbo, *Patientia*, *Pax*.

*Mardochæus*.

Non niſi de Mardochæi imperio imperat Eſther. §.1.n.3. p. 1
Mardochæi laus à pedagogiâ Eſtheris.§.1.n.4.& 5. pag.2.& 1.
Vigorem ad facinus Eſtheri Mardochæus afflat. §. 2.n.9. p. 4.
Mardochæus cum Eſthere, ſunt huius libri ſcriptores.§.9.n.2.&c.
Mardochæus non in ſe, ſed in Maiorum lumbis ingreſſus eſt Babylonem.§.10.n.11. p.22
Quare Mardochæus Beniaminita, appellatur Iudæus? §. 53.n.3. p.111
An hic Mardochæus captiuitate cum Zorobabele aſcendit? §.53.n.5. p.111
Cur Mardochæus Amanum adorare recuſauerit. §.88.n.4.&c. p.185.186.& 187
Triſtatur Mardocheus cùm penè triſtitiæ cauſſas excuſſit.§.120.n 11. p. 249
Mardochæi ornamentum Amanus eſt : & Abſalom Patris

Patris pax.§.163.n.8. p.331

Mardochæus Eſtheris patruus, non patruelis. §. 102. n 3. p.213

Mardochæi laudes prædicantur toto §.207. p.416

Virtus Mardochæi Amani malitiam è diuerſo piè æmulatur.§.233.n.9. p.472

Cur Mardochæus dicitur immanis draco?§.251. n.5. p.507

*Maria*

*Aduocata peccatorum.*

Quo ſenſu Virgo Deipara in cauſsâ deſperatorum inferos penetrare dicitur?§.380.n.2. p.752

An aliquâ lege ad donandum peccatoribus gratiam Deipara teneatur.§.380.n.3. p.752

Medicina hominum in feſtinatione nebulæ, id eſt, Mariæ,ſita eſt.§.380.n.4. p.753

B. Virgo eſt peccatorum veniæ regale ſigillum. §. 380.n.6. p 753

Deipara eſt noſtræ libertatis libellus:& inde libertatis titulus §.363.n.7. p.722

Vide verbo, *Miſericordia Mariæ, & Oratio Mariæ*

*Corredemptrix Mariæ.*

*Bellatrix Mariæ.*

Virgo Deipara Chriſti panoplia, & dura pugnaciter bellatrix eſt;ſed quæ de imbecillitate valentiam mutuauit, quò typicam Eſtherem adimpleat.toto §.368. p.730

*Caſtitas Mariæ.*

Vide verbo, *Virginitas Mariæ.*

*Compaſſio, & dolores.*

Totus Filius crucifixus eſt in intimis viſceribus Matris:quæ iuxta crucem ſtabat velut impaſſibilis per patientiam toto §.369. p.731

Materni doloris acerbitas adhuc copioſè expenditur tunc autem Deipara iuxta crucem cum Diuinitate ſtabat ipſa immobilis, & gaudens. toto §. 370. p.733

Virgo Deipara iuxta crucem nuncupatur, Chriſti Dei *oſſa* §.391.n.7. p.773

*Corredemptrix.*

Virgo Deipara de congruo cum Filio Deo Corredêptrix eſt;apud quem peridonea vnicè Mediatrix eſt.toto §.365. p.724

Eua per ænigma in Corredemptricem Mariam redintegratur, & transfunditur: quæ per latronem Adamum rurſus paradiſum complantat. toto §. 366. p.726

Num B.Virgo Euæ reſtinguit appetentiam, & concupiſcentiam quodammodo in voluntatem reformat;& carnis paſſionem ſoluens, mutat in ſpiritum?toto §.367. p.728

Figurata Eſther potiùs quàm typica, deleuit, quod aduerſus nos erat chirographum. §. 393.num. 6. p.777

*Conceptio Mariæ.*

Fundamentum immaculatæ Conceptionis ſuper ore Patrum incumbit.§.342 n.1. p.682

Spiritus ſanctus quicquid indecens de Virgine dici, vel ſentiri poſſet, penitus remouit. §. 342. n.2. p.682

Quare Eſtheris pulchritudo omnium oculis apparens,incredibilis dicatur.§.342.n.3. p.683

Doctores ſunt poſtes,qui ſuſtentant oſtia,ſeu introitus Deiparæ.§.342.n.4. p.683

Vbi dubietas Ioſephi pellitur, continuò fieri Incarnationis myſterium dicitur.quare? §.342.num.5. p.683

Omnipotentia & auctoritas Dei Deiparam à peccato præſeruant.§.343.n.1. p.684

Diuina Maternitas Conceptioni adeſt velut comes & adminiſtra.§.343.n.2. p.684

Candor lucis æternæ in Conceptione Filij Dei, gratiæ candorem in Matris conceptionem reuerberat.§.243.n.2. p.491

Cur Deiparæ genealogia à Deo incipiat,& terminetur in Deum,arcano circulo?§.343.n.3. p.685

In Mariâ initium & finis vitæ,beatâne gloriâ nectitur?§.343.n.4. p.685

Ex Nabuchodonoſoris arbore, pura Deiparæ Conceptio aſſeritur.§.343.n.5. p.685

Deipara ex Auroræ elogio, à nocte originalis culpæ aliena oſtenditur.§.344.n.1. p.686

Ex Amani diuitiis Eſtheri donatis Marianæ Conceptionis puritas aſſeritur.§.344.n.2. p.686

Quare Diabolus B. Virgini diripiendus traditur? ibidem.

In Filij ſui Conceptione crucem præſentit, quæ in Conceptione ſuâ crucis fructum præſenſerat. §. 344.n.3. p.686

Infimiſſima Deiparæ humilitas eſt eius immaculatæ puritatis menſura,& cenſus.§.344.n.4. p.687

Neomeniæ vetus ſollemnitas, feſtum immaculatæ Conceptionis prænunciat.§.344.n.5. p.687

Cur feſtum Conceptionis primò in cælis, poſteà in terris celebraretur?§.344.n.6. p.687

Sententioſè de B.Virgine dicitur, quod peccatum Originale in eâ non eſt,nec fuit,nec erit. §. 345. n.1. p.687

Lac Virginis nullam vllius peccati amaritudinem admixtam habuit:& indè ab originariâ labe vindicatur.§.345.n.2. p.688

Deus eſt fideiuſſor puri lactis Deiparæ, ne peccati amaritudinem habeat admixtam. ibid.

Vel peccati nomen procul abigitur à Deiparæ immaculatiſſimâ puritate.§.345.n.3. p.688

In Deiparâ nulla vnquam fuit viciſſitudinis obumbratio:quo ſenſu?§.345.n.4. p.689

Puritas Marianæ Conceptionis, puritatem conceptionis Chriſti piè æmulatur.§.345.n.5. p.689

Non pro Deiparâ ſed pro omnibus peccati lex conſtituta eſt.§.297.n.14. p.594

*Diuitiæ Mariæ.*

Anna eſt Omnipotentis gazophylacium, & Maria theſaurus,in quo eſt cor Dei.§.347.p.1. p.691

Oportebat Dei Matrem ea quæ Filij ſunt poſſidere naturali maternitatis iure.§.347.n.2. p.691

Deipara diuinæ Maternitatis iure eſt Monarcha Vniuerſi. ibidem.

Quod B.Virgo ſibi poſſidet, dicitur poſſeſſio multorum.§.347.n.3. p.692

Deus,qui ſibi ſufficiens eſt, cur Deiparæ indignus perhibetur? ibidem.

Dei Filius à muliere quodammodo recognoſcere videtur ſuum eſſe humanum.§.347.n.4. p.692

De theſauro Mariani vteri pretium noſtræ redemptionis depromptum eſt.§.347.n.6. p.693

*Gloria Mariæ.*

Quis niſi Deus oſtendat auroræ Mariæ in cælo locum, aut thronum ſuum?§.373.n.1. p.739

Deipara in cælis ſedet à dextris Filij ſui, in potioribus eius bonis.§.373.n.2. ibid.

Infinitum diſcrimen in cælo traditur inter ſeruos Dei,ac Dei Matrem.§.373.n.3. ibid.

An Deipara ſeipſam inaugurauerit Reginam? §. 373.n.4. p.740

B.Deipara gloriæ æternitate confecta dicitur.quare? ibid.

Quo pacto dicitur, quod Deiparæ gloria principium ignorat, & finem neſcit? §. 373. num. 5. p.740

Matris Virginis ; ac Filij Dei gloria, non tam communis, quàm eadem dicitur. §. 373. n. 6. p. 740
Deiparæ gloria in Filium Deum exundat. §. 374. n. 1. p. 741
Deus Trinitas Deiparæne ſpeciem deſiderat intueri? §. 374. n. 2. ibid.
Agnum virgines, Agnus virginem glorioſè ſequitur §. 374. n. 3. ibid.
Cùm populus Chriſtianus cælo donatur, tunc Chriſtus in domum matris inducitur. §. 374. num. 4. ibid.
Super Deiparam ne incumbit tota Dei gloria? §. 374. num. 5 ibid.
Deipara totius Trinitatis requies perhibetur. §. 374. n. 6. ibid.
Sinus Patris, & Matris venter, duplex Chriſti Dei paradiſus eſt. §. 374. n. 7. p. 742
An ſatis glorificatus videatur Chriſtus, donec Deipara in cœlis glorificetur? §. 374. n. 8. ibid.
Maria dicitur intellectualis Iordanis, quâ ingredimur in Terram promiſſionis, & quæ illam lætificat. §. 375. n. 1. ibid.
Emphaticè dicitur Deipara, intra Trinitatis gloriam euecta. §. 375. n. 2. p. 743
B. Deipara gloriâ ſuâ Sanctos omnes coronat. §. 375. n. 3. ibid.
Quo ſenſu cœlum aliquandò queri dicatur de abſentia Deiparæ. §. 375. n. 4. ibid.
Empyrea Deiparæ gloria, gloriæ cœlitum complementum dicitur. §. 375. n. 5. p. 745
Deuicti ſatanæ præmium aſſignatur, de felicitate Virginis in cœlo participare. §. 375. n. 6. ibid.
Totam Deitatis maieſtatem Deus in Deiparâ oſtentat velut in ſolio. §. 390. n. 5. p. 771

*Humilitas Mariæ.*

Profunda Deiparæ humilitas, in tantâ diuinæ maternitatis auctoritate, multimodè elucidatur. toto §. 351. p. 698
Depreſſior humilitas, index & comes virginitatis, in Virgine Deiparâ micantet elucet. toto §. 352. p. 700
Tam eſt præcelſa Deiparæ magnitudo, ſuper eius puritatem fundata, vt non ſolùm incrementis, ſed etiam diminutione creſcat, emineátque ſemper ſuâ quoque gloriâ maior. toto §. 353. p. 702
Deiparæ virginitas, eius humilitati præſtat obſequium. §. 391. n. 4. p. 773
Virginis Deiparæ in humilitate ſublimitas, Lunæ ſymbolo eleganter exponitur. §. 239. n. 11. p. 485

*Maternitas.*

Vide verbo, *Virginitas Mariæ.*

*Miſericordia Mariæ.*

Quare Maria dicatur diuinæ Miſericordiæ ratio. §. 381. n. 1. p. 754
Coronam æternitatis Chriſto Deipara impoſuit. §. 381. n. 2. ibid.
Ex liberalitate vltra preces idoneè probatur dignè futura Dei mater. §. 381. n. 3. ibid.
Chriſtus ex Mariæ vtero prodiens, ex miſericordiâ, ſeu miſerans prodiiſſe dicitur. §. 381. n. 4. ibid.
Chriſtus Deus matrizat, dum Matris miſericordiam indole refert. §. 381. n. 5. p. 755
Maria ſupplicare volentium preces egrediendo præuenit. §. 382. n. 2. ibid.
Virgini Deiparæ cura eſt de omnibus, quandoquidem inrogata ſubuenit. §. 382. n. 3. p. 756
Non rogata Mariæ pietas, eſſe Dei Matrem præclarè euulgat. §. 382. n. 4. ibid.
Deipara ad ferendam opem, omnia ſcrutatur, obſeruat omnia. §. 382. n. 5. ibid.
Mariæ ſalutatione Ioannes priùs ſenſu deuotionis, quàm ſpiritus infuſione animatur. §. 382. n. 6. ibid.
Deipara eſt fons gratiarum irrigans omnia. §. 383. num. 1. p. 757
Maria dominatur à mari gratiæ, vſque ad mare gloriæ. §. 383. n. 2. ibid.
Deus eſt faber, cuius opus eſt B. Virgo. §. 383. num. 3. p. 758
Deipara eſt officina medicinæ. §. 383. num. 3. ibid.
Fundâtne Deipara diuinæ miſericordiæ fabricam? §. 383. n. 4. ibid.
B. Virgo per conſenſum, quo fit Mater Dei, omnes in ſuis viſceribus baiulat. §. 383. n. 5. ibid.
Fœcunda Deiparæ maternitas, aut Ioannes inuenit, aut facit. ibid.
Dei mater Patris æterni æmula, cum Filio Deo omnia nobis donauit? §. 383. n. 6. ibid.
B. Virgo apud Deum inuenit gratiam, quam omnibus impetraret. ibid.
Quiſquis Chriſtum Deum in Mariâ, & per Mariam quærit, & feliciùs inuenit, & ſecuriùs tenet. toto §. 384. p. 759

*Natiuitas Mariæ.*

Ætas, in quâ B. Deipara non extitit, etſi aliis bonis exundet, bonis viduata perhibetur. §. 341. n. 3. p. 680
Retroacta ætas de typico Mariæ Deiparæ ortu ſibi adulatur. §. 341. n. 4. p. 681
Quo ſenſu Deiparæ vita, velut carens tempore, antiqua dicatur. §. 341. n. 5. ibid.
Quando non eſt Dei genitrix, quæ ſeculorum generauit auctorem? §. 341. n. 6. ibid.
Senio confectus mundus per Mariam exuens ſenectam, pulchrè iuueneſcit. §. 391. n. 6. p. 773
Quouſque Virgo Mater naſceretur, apud Filium Deum pro hominibus aduocatus deerat. §. 365. n. 6. p. 726
Deiparæ ortus omnem inſignem facit ætatem, præſentem, præteritam, futuram. §. 341. num. 2. p. 680

*Nomen Mariæ.*

Mariæ nomen ſignificat, Illuminant me iſti. §. 338. n. 2. p. 672
Maria iuxta ſui præſagium nominis ſignificat, Deus ex genere meo. §. 338. n. 3. p. 673
Eſtne Mariæ nomen velut quoddam gratiæ Sacramentum? §. 338. n. 4. ibid.
Cur Angeli diſſimulare videantur ſe ſcire Mariæ nomen in cælis? §. 338 n. 5. ibid.
Cur Mariæ nomen dicatur prophetiæ germanum? §. 338. n. 6. p. 674
Mariæ nomen eſt Chriſtianorum reſpiraculum, ſeu reſpiratio. §. 338. n. 7. ibid.
Maria non affectauit nominis phantaſma. §. 338. n. 8. ibid.
Quare priùs dicatur gratia plena, quàm Maria ab Angelo nominetur? §. 338. n. 9. ibid.
Apoſtolorum etiam labor fuit, ſanctum Mariæ nomen manifeſtare mundo. §. 338. numero 10. p. 675
Mariæ nomen ſemper nouum dicitur, quaſi beatitudini cognatum. §. 338. n. 11. ibid.
Mariæ nomen habet multum gratiæ. §. 338. num. 12. ibid.
Mariæ nomen, ſenſum & ſpiritum Magdalenæ reſtituit §. 338. n. 13. ibid.

Mariæ

Mariæ nomen gratiarum ænigma eſt. §. 339. n. 1. p.676
Mariæ nomen non ſolum gratiam præfert, ſed aliis præbet.§.339 n. 2. p.676
Magdalena peccatrix, mulier dicitur; iam ſancta; Maria nominatur quare?§.339.n.3. p. 676
Mariæ nomen in ore, reſpirationi aſſimilatur. §. 339. n.4. p.677
A nomine Virginis Mariæ, reliquæ eius virtutes, virgines nominantur.339.n.5. ibid.
Maria tantò eſt Angelis excellentior, quantò præſtantiùs præ illis nomen hereditauit. §. 339. n. 6. p.679
Virgo Deipara olim Maria - Ieſu nominabatur vno vocabulo.§.340.n. 1. p. 677

*Oratio, Mariæ, & ad Mariam.*

Num, quaſi nobis non ſufficeret vnicus Mediator, Deipara apud Filium Deum Mediatrix inauguratur?§.365.n.6. p.766
Deipara velut anchora ſpes naufragas fundat.§.376 n.1. p.744
B.Virgo tota ratio ſpei noſtræ dicitur.quare? §.376. n.2. p.745
Deipara habet cum ſuâ voluntate omnipotentiam Filij concurrentem? inibi.
Spes in Deipara collocata, eſt noſtræ fiduciæ gloriatio.§.376.n.5. p.745
An B. Virgo dum eſt noſtræ fiduciæ gloriatio, faciat ſpei noſtræ fidem?§.376.n.4. ibid.
Omnipotens Deus omnia Deiparæ ſecum poſſibilia eſſe donauit.§.376.n.5. ibid.
Marianæ virginitatis fides adſtruitur, vt inde etiam noſtra ſpes animoſiùs erigatur. §. 376. num. 6. p.746
Siquid ſpei, ſiquid gratiæ in nobis eſt, à Maria redundat.§ 376.n.6. ibid.
Oratio ad Mariam, donorum impetratio eſt; eſt enim ipſa precandi ratio,& precum complementum, adeò vt etiam qui malè eam ſupplicat, ei adulari dicatur.toto §. 377. ibid.
Deiparáne ſupplici imperio, an imperiali prece Filium Deum orat,& exorat?toto §.378. p.748
Dei, ac Deiparæ voluntas,velut ipſa altera eſt, duæ vnum,& idem ambæ.toto §.379. p.750
Chriſtus Matris petitiones adimplens,quaſi exoluit debitum.§.380.n.5. p.753
Impetratio eſt aliqua Marianæ bonitatis conſequentia.§.203.n.4. p.409
Quid debeat Deipara miſerorum clamoribus.§. 251. n.8. p.508
Vide verbo, *Miſericordia Mariæ.*

*Pulchritudo Mariæ.Sanctitas.*

Marianæ pulchritudinis vitalis fulgor, obumbratione nitet:quæ nitet etiam pulchritudine diuinâ cuius corpus ſanctitatis pulchritudine fulget: exinde pulchritudinum pulchritudo nominatur. §.346.n.1.2.3.&c. p.689.690.691
Deipara fuit conſummatio virtutū abbreuiata, quia momenta addenſabat.§.347.n.5. p.692
Sic Deipara impleuit omnes virtutes,quaſi aliquam ſolam coluiſſet.§.347.n.5. ibid.
Marianæ gratiæ plenitudo proponitur, & multimodè expenditur.toto §.348. p.693
Deipara eſt naturæ miraculum, gratiæ prodigium, & vtriuſque ſtupor; adeò vt extra omnia cenſeatur.toto §.349 p.695
Immenſitas Marianæ gratiæ, beatæ gloriæ inſtificatio dicitur, & diuinæ gloriæ auguſtior expreſſio: ipſáque B. Virgo ſuorum prærogatiuis meritorum glorioſior.totò §.350. p. 697

*R. P. Didaci Celada in Eſtherem.*

Deiparæ excellentia nemini manifeſta, ſoli Deo cognita dicitur.§.372.n.2. p. 737
An Deiparæ elogia tanta ſint, vt ipſam lateant. §. 372.n.2. ibid.
Spiritus-ſanctus omnibus virtutibus ſuis eſſentialibus in Virginem ſuperuenit quare.? §.372.n.3. p.738
Ex Marianâ ſanctitatum plenitudine, hactenus Spiritus Domini, iam Spiritus-ſanctus nominatur. §.372.n. 4. ibid.
In Eſthere oſtentauit Aſſuerus diuitias gloriæ ſuæ, & potentiæ ſuæ iactantiam. §. 372. num. 5. ibid.
Num menſura Marianæ gratiæ ſit rerum poſſibilitas,& Dei omnipotentia?§.372.n.6. ibid.
Maria dicitur vas immenſiſſimum. §. 372. num. 7. ibid.
Num Virginis ſpeciem ſic concupiuit Deus,vt propter illam homo factus ſit?§.393.n.2. p. 776

*Sapientia Mariæ.*

Bibliorum Interpretes vectigales ſunt Marianis laudibus Ante?§.338.n.1. p.672
Decebat vt cæli ac terræ Doctor, ex Mariæ vtero, tanquam ex ſapientię conflatorio prodiret?§.364. n.1. p. 722
Totum Verbum quod eſt,& erat in corde Dei, Deiparæ infuſum eſt.§.364.n.2 p.723
Deipara Virgo ſancti Spiritus magiſterio deputatur, & illius ſcholæ præficitur. §. 364. num.3. ibid.
Deipara hoc magiſterio edocta, quid docuerit. §. 364.n.3. ibid.
Deipara dicitur, Veritas Prophetarum. inibi.
Sapitne Maria quantum ſine perſonali vnione, humana conditio patitur?§.364.n.4. p. 724
Deipara generoſæ etiam nobilitatis titulo ſapiens eſt.§.364.n.5. ibid.
B. Virgo dicitur Liber ſeu tabula à Deo conſcripta, §.363.n.1. p. 721
De Mariâ & propter Mariam omnis ſcriptura facta eſt?§.363.n.2 ibid.
Maria eſt liber viuus,in quo Pater Verbum diuinum ſcripſit Spiritus calamo.§.363.n.3. ibid.
Dei Verbum,& ſapientia Deiparæ infuſa,& velut in libro quodam ſcripta eſt. §. 363. num. 4. pag. 722
Verbum in Deipara velut charta impreſſum, ſcidit fraudis chirographum.§.363.n.5. ibid.
Quomodò è Virgine Deiparâ quatuor Euangelia manauerint.§.363.n.6. p.723
Euangelizatrix Deipara dulci colloquio conſectat Ioannem.§.393.n.5. ibid.

*Virginitas, Maternitas Mariæ.*

Virginitas in Matre, notamentum eſt diuinitatis in filio §.354.n.1. p. 704
In illibatâ Deiparæ virginitate, corporaliter plenitudo diuinitatis apparet.§.354.n.2. ibid.
Deipara obumbratione diuinâ, Chriſti corpus ſine vmbrâ genuit.quo ſenſu?§.354.n.3. p.705
Incarnatio appellatur, Virginis myſterium. §. 354, n.4. ibid.
Virginitas, & fœcunditas mutuis ſe radiis illuſtrant §.354.n.5. ibid.
Deiparæ virginitas maternitate conſecrata, approbata,& glorificata eſt.§.354.n.6. ibid.
Virginitas & Dei maternitas in Mariâ, velut ſynonyma ſunt,& duo Idem?§.354.n.7. ibid.
Deiparæ virginitas à partu ampliata, de bonis Deo adulatur, pia quadam pudicitiæ obſtinatione? quæ diuinum Verbum, in ſe corporandum

corporandum probat.§.355. p.706
Deiparæ virginitas Chriſti Dei virginitatem venuſtat;conſenſus illius eſt, viræ perpetuæ idea, & quaſi vitales Angelorum deliciæ. toto §. 356. p. 707
Verecundia, quæ eſt fœcunda & virgo, Deiparæ typus eſt: hæc dum intra merita ſui honoris modeſtè hæret, diuinæ Maternitatis characterem inſigniter præfert.toto §.357. p.709
Deus in ſplendoribus; B. Virgo in obumbratione, eundem generant Filium: ex hâc obumbratione Marianas glorias metari, aut metiri licet. toto §.358. p.711
Myſterium incarnationis (in quo Deus non tantùm ex Virgine ſed à Virgine carnem ſumpſit) quo ſenſu *inoperatum* dicitur; tuncque Deipara ad quandam quaſi cum Deo æqualitatem eleuata?toto §.359. p.713
Chriſtus Deus, totus Matris Virginis eſt:quæ opus Incarnationis, & redemptionis opus ſententioſè appellatur.toto §.360. p.715
Quid ſit Virgo Deipara Filio Deo, planè inſcrutabile eſt,ineffabile eſt.toto §.361. p.717
Deipara Dei maieſtate veſtita, de ſuo vellere Agnum induit ſuum: & de ſui agni vellere homines etiam veſtit.toto §.362 p.719
Num titulo maternæ virginitatis, Chriſtus ſuam hereditatem poſtulat?§.270.n.6. p.545
Deus ex virgine Mariâ ſuo iudicio naſcitur. §. 354. num.1. p.704
Cùm dicitur, Verbum caro factum eſt, carni Virginis velut adulatur Euangeliſta? §. 391. num. 5. p.773
Deiparæ virginitas, & Dei, & bonorum operum fœcunda eſt.§.392.n.1. p. 774
Mariæ opera ab eius virginitate naſci generosè ambiunt. ibid.
In virginis vtero Chriſtus concipitur, in eo à Patre naſcitur, & in eodem Spiritus ſanctus ſpiratur. quo ſenſu?§.392.n.3. ibid.
Quo pacto Chriſtus Deus nomen Filij Dei, à B.Deiparâ mutuari poteſt?§.392.n.4. p.775

*Varia de Maria.*

Nemo par eſt Deiparæ laudandæ. Ante §.338. n.1. p.671
Ieiunium (quæ ſpecies aliqua humilitatis eſt) ſienè præcelluit in Deiparâ, vt ac ſi foret quodammodò ſui corporis pars, ad conceptionem Redemptoris adiuuerit?toto §.371. p.735
Deipara eſt fornax amoris Spiritus ſancti. §. 380. n.1. p.752
Deipara eſt officina,in quâ fabricatum eſt quicquid in gratiâ purificum eſt.§.380.n.2. ibid.
Deiparæ conuerſatio nobis incorporanda eſt. §.385. n.2. p.761
Ex Mariâ obumbratâ, velut ex repercuſſione diuini luminis irradiamur.§.385.n.3. ibid.
Gloria calceamentorum ſynagogæ ablata, Eccleſiæ in Mariâ reſtituitur.§.385.n.4. p.762
Cur veſtigia hominum,qui eam imitatione ſequuntur, in ſe ipſâ B. Virgo velut inculpat? §.385. num. 5. ibid.
B. Deipara oculorum veſtigia ad imitationem reuelat. inibi.
Qui poſt Mariam currit, oblectamentorum phantaſias in virtutis via non patitur.§.385.n.6.p.762
Non Dædaleis, ſed columbæ alis volandum eſt in cœlum.§.385.n.7. p.762
Quàm auide cupiat Deipara, vt ipſam imitentur alij, quos ad Deum imitatione trahit. §. 385. num.8. p.762
Deipara legem beneuolæ clementiæ ſanciens ſuorum clientum pax & concordia eſt. toto §. 386. p.763.
Quam operam Virgo Deipara ad ſactam Euchariſtiam contulerit.toto §.387. p.765
Ad B. Deiparæ deuotionem arcanâ quâdam vi homines populariter feruntur.toto §.388. p.367
Deipara dicitur, Fons ſolis,& Fons lucis ſignatus ſigillo Trinitatis.§.389.n.1. p.768
Maria eſt ciuitas ſolis. ibid.
Cur Deipara dicitur in templo plantata?§.389. n.2. p.769
Tanta eſt Mariæ puritas, vt ſeraphicè cuſtodiri dicatur.§.389.n.3. ibid.
Deipara ſenſu inſenſilis ad peccatum dicitur. §. 389. n.4. ibid.
Eſtheris vtriuſque prudens aſtutia, & induſtrior ſagacitas.§.389.n.5. ibid.
Quare B.Virgo dicatur vniuerſa ſuperficies terræ. §.389.n.6. p.770
Vel Mariæ ſuperficies, eximia eius dignitas eſt ibidem.
Spiritus ſanctus eſt velut vmbra animæ Virginis Deiparæ §.390.n.1. p. 770
Infans Deus,cui ad nutum Angeli parent, ſub Mariæ arbitrio verſatur.§.390.n.2. ibid.
Tellus virginalis Chriſtum Deum ineffabili fictione formaſſe dicitur.quo ſenſu?§.390.n.3. p.771
Deipara eſt terra,in quâ cœleſte ædificium fundari debet.§.390.n.4. ibid.
Quo pacto Deipara dicatur immobilis. §. 390. n.6. ibid.
Singulares virtutes naturæ & gratiæ, in Deiparâ videbantur eſſe communes. inibi.
Vtraque Eſther ſceptrum in manu geſtat.§.390.n.7 p.772
Num Chriſti ſermones ac mores, à Mariâ concipi, ex eâque etiam naſci,piè exambiunt? §.391. n.1. ibid.
Virgo Maria Ioannem,etſi non hominem,tamen virginem generauit.§.391.n.1. ibid.
B.Virgo de virginitatis flore alas aſſumit, vt citiùs Ioannem ſanctificet?§.391.n.3. ibid.
Mariæ virginitas,eius gratitudinem fouet. §. 391. n.4 p.773
Pura Deiparæ caro, Verbum diuinum ex ſe corporandum ad ſe attraxit. §.391.n.5. ibid.
Spiritus ſanctus B. Virginem ſibi totam rapturus erat §.392.n.2. p.774
B. Virgo Verbum de ſinu Patris rapuiſſe dicitur quare? ibid.
Maria optimam partem,id eſt, Filij ſui diuinitatem elegit.§.392.n.5. p.775
Ex ſponſo Ioſepho oſtenditur,quòd B.Deipara,non Deus,ſed homo eſt.§.393.n.1. p. 776
In gratiam Deiparæ Iſraëlicum populum Deus appellat ſuum.§.393.n.3. p.776
Chriſtus Deus eſt virginis Deiparæ ſpeculum, & imago.§.393.n.4. p. 776
Deiparæ obumbratio forſan etiam fuit arcana quædam meritorum abſconſio.§.66.n.4. p.141
In incarnatione Virgo Deipara oſculata eſt ſummitatem virgæ Filij ſui §.142.n.3. p.289
Deipara non tota ſibi intimat Incarnationis ſecretum.§.149.n.3. p.302
Turbatur Maria, ne fortè magnificis ſuis laudibus ſubeſſet adulatio?§.196.n.3. p.391
Quid ſit Eſtheri, (id eſt,B.Virgini.) datum Amani hoc eſt Diaboli cenſum?§.203.n.1. p.409

Deipara prima gratia dicitur eius domus. §. 203. n. 1. p.409

Poteſtas ampliſſima Eſtheri,ſeu Deiparæ,ab Aſſuero, id eſt, cæleſti Rege conceſſa. §. 203. num. 7. p.410

Num Deiparæ elogiis adornetur Chriſtus ? §. 251. n.6. p. 508

Humilis pœnitentia piè ſuperbas cum Mariâ ambit nuptias. §. 263. n. 3. p. 531

*Maritus.*

Maritus loqui debet cum vxore,iuxta linguam, id eſt mores populi ſui. §. 15. n. 11. p. 40

Ne maritus in capeſſendis conſiliis, & officiis obeundis vxoris ſuæ ſuaſionibus ſit obnoxius. toto. §. 181. p. 365

Vide verbo, *Nuptiæ, Virgo, Mulier.*

**Martyr.*

Pulchrum martyris elogium. §. 17. n. 4. p.43

Alieno arbitrio agi, eſtne Euangelicæ perfectionis meta, & atrocior martyrii acerbitas ? toto §. 80. p.168

Homo ne tormentis hominem exuit, vt Deus fiat? §. 96. n. 2. p. 202

Supplicia dicuntur Deorum faciendorum officina: nam qui ſic puniuntur, conſecrantur. § 96. n. 3. p. 202

Martyr pudoris ſanguinem ambitiosè effundit ? §. 96. n. 4. p. 203

Sanguis,quem caſtitas retinet, per martyrium effunditur. ibid.

Gloriáne Chriſti quaſi vnigeniti à Patre, eſt gloria cicatricum ? § 96. n. 5. p. 203

Beatitudo martyrum dicitur Chriſti vita. § 96. n. 6. p. 203

Martyrum tolerantia, Chriſti mores manifeſtat. ibidem.

In martyrum paſſionibus, velut paſſiones Chriſti ſunt. §. 96. n 6. p. 203

Chriſtus licet impaſſibilis, in martyribus pati dicitur. §. 96. n. 7. ibid.

Sua etiam & victo pompa eſt, & de inuerſo gloria Qui Chriſtianè ſapit, etiam cùm contemptim vincitur gloriosè vincit. toto §. 211. p. 425

Chriſtiani dum mori poſt mortem timent interim mori non timent, toto §. 214. p.430

Caro per patientiam velut impatibilis, eruditur ad immortalitatem proficere. §. 245. n. 6. p.496

Vide verbo, *Perſecutio, Labores, Patientia, Victoria, Cicatrices.*

*Matrimonium.*

Vide verbo, *Nuptiæ, Maritus.*

*Mater.*

Matris affectus gratiam iuri; non gratiæ iura præfert. §. 213. n. 5. p. 430

Vide verbo, *Virginitas, Virginitas & Maternitas Mariæ, Pater, Filius.*

*Mendacium, Error.*

Maledica improbitas id vnum ſæpè quærit, vt aliquid aduerſus alium quoquomodo dicat, non vt veroſimile quippiam dicat. toto §. 103. pag. 215

Humanus intellectus fallax eſt: & ſenſus in falſo teſtimonio deprehenſi ſunt. §. 103. num. 4. pag. 216

Oculis noſtris imponimus, & mendacio delectamur. §. 107. n. 1. p.222

Veritas diſſimulationibus fatigatur. §. 107. num. 2. ibid.

Deuenuſtatur veritas dum cogitur adiuuari falſis. §. 107. n. 3. ibid.

Scribæ dum vera dicunt, mendaces dicuntur. §. 107. n.4. p. 223

Sermo obſcurus, furax veritatis perhibetur. §. 107. num. 5. ibid.

Humana lingua diuinam omnipotentiam è peruerſo æmulatur. §. 107. n. 6. ibid.

Quam facile virgo veritas pro variâ referentium libidine conſtupratur; eadem enim res in relationibus, rarò eſt eadem, fere ſemper eſt alia toto §. 166. p. 335

Euidentior, & atteſtatior credibilitas, humanæ incredulitati perſæpè adulatur; & contra. toto §. 238. p.480

Mendacium cenſetur luxuriæ ſequela, & veritas caſtitatis appendix. toto §. 318. p.632

Num ex errorum gymnaſio, fidei veritas aliquandò ſumptuoſiùs ornatur? toto §. 325. p.646

Vide verbo, *Veritas, Credulitas, Fides, Detractio.*

*Mens.*

Vide verbo *Intellectus.*

*Meretrix.*

Vide verbo, *Luxuria, Mulier.*

*Meritum.*

Vide verbo, *Dignus.*

*Metus.*

Vide verbo, *Timor Mortis, Pœna, Iuſtitia.*

*Minæ.*

Deus non comminaretur non pœnitenti, niſi ignoſceret pœnitenti § 200. n. 3. p.399

Paci ſtudet Superior, qui vibratis minis, & inflictis idoneè ſuppliciis, Reipublicæ pacem inquietare videtur. toto § 336. p.665

Vide verbo, *Timor.*

*Miſer, Miſeria.*

Vide verbo, *Labores, Perſecutiones, Felicitas.*

*Miſericordia.*

Imbecillitas dicitur clementiæ affinis. §. 5. numero 3. pag. 8.

Quæ putatur miſericordia erga impios, iræ diuinæ poteſtas eſt §. 155. n. 2. p 312

Iudex, quia periculosè nimis iuſtus eſt, ſub ſecuritate (ſi rite poteſt) ſemper ignoſcit; in aliena calamitate ſibi ipſi conſulens. toto §. 160. p.321

Vide verbo, *Miſericordia Mariæ, Eleemoſyna, Inimicorum dilectio.*

*Modeſtia.*

Glorioſus cruciatur felicitate modeſtiæ. §. 77. n. 15. p.173

Vide verbo, *Ornatus, Fucus.*

*Monachus, Solitudo, Religioſus.*

Vita ſolitaria felicem Dei eſſentiam æmulatur, diuinæ viſioni aptior eſt, cælum habet apertum ? illam percupiebant Apoſtoli tanquam Chriſtianæ libertatis ſymbolum. toto §. 72. p. 151

Solitudo viduata ſpectatorum cenſurâ, peccandi pudore exuta, ſæpè vitia fœcundè maritat. toto §. 73. p.153

Gratiæ vis oſtenditur, dum religioſos domi clauſos continet toto §. 76. p 159

Ne qui dudùm erat p ... uperculus opifex, aut laborioſus ruſticanus, fiat in religione ambitiosè delicatulus toto §. 125. p.257

Vide verbo, *Perfectus vir.*

*Morbus.*

Vide verbo, *Ægrotus,*

*Mora, Cunctatio.*

Derepentè ſublimatur Aman. §. 2. n. 4. p.5

Mora facit ſapientem. §. 6. n. 3. p.9

Scelera impetu, conſilia valeſcunt morâ. §. 59. n. 1. p.127.

Abrahami facinus, conſultius fuit, an audacius? §. 59.n. 2. p.127
Deus velut inito conſilio hominem condit, ne illum repentè feciſſe videatur?§.59.n. 3. p.128
Vel ſeipſum prædamnat, qui citò ſententiam dicit. § 59.n.4. p.128
Noë dignus fuit euadere, qui in tanto orbis metu non feſtinauit euadere.§.59.n.5. p. 128
Quia ſtultus feſtinat labiis, omnia cito tentat, & in momento diſturbat.§.59.n.6. p. 128
Vindicatur Abraham à bello inconſultè ſuſcepto. §. 59.n.7. p. 129
Non præceps paſſione ſcelus, ſed præmeditata malitia, criminoſior cenſetur. toto §.157. p 316
Mora in deliberando, conſilium adornat.toto § 187. p.374
Non ſubitò, ſed per ſuos gradus creſcit Eſther.§ 233. n.7. p.471

*Mores.*

Vide verbo, *Virtus, Conſuetudo, Vitium.*

*Mors.*

Aſſuerus nomina ſuâ ambitioſè multiplicans, appellationum mortes parat.§.16.n.1. p.40
Adam poſteris hereditatē indigeſtæ mortis reliquit. §.17.n.2. p.42
In hora mortis criminum congeries innouatur.§.101. n.4. p. 212
Felicitatis portio eſt, vnâ ſententiâ ad mortem damnari.§.120.n 5. p.249
Mortis periculum ſæpè ipsâ morte acerbius eſt; & repetita mors.§.20.n.10. p. 49
Dum mors è vicino imminet, negotium beatæ æternitatis operosè agendum eſt.toto §.127. p.260
Perfectus vir aſſidua mortificatione mortalitatem penè exhaurit.§.116.n.5. p. 260
Mortis memoria, affectuum nix eſt gazis cæleſtibus opulenta, vicarias Dei gerit vices; & de crudæ mortalitatis indigeſto ructu, immortalem hereditatem ſpondet.toto §.128. p 262
Chriſtiani dum mori poſt mortem timent, interim mori non timent.toto §.214. p.430
Dubia ſemper eſt ſalus, & propè certa damnatio eius, qui ſceleroſæ vitæ pœnitentiam vſque ad horam mortis procraſtinat. §.261. p.529
Suam, ac Dei cognitionem homines deſcriptam legant in puluere ac cinere: qui flos incendij, & mortalium Præfectus eſt.toto § 267. p.538
Vide verbo, *Cinis, Homo, Sepultura, Natiuitas Principum.*

*Mortificatio.*

Eſtne mortificatio, propenſio ad obediendum? §.2. n.3. p.3.
Aſſidua nunc mortificatio, futuræ beatitudinis alimentum eſt, perfectionis menſura; ſepulturam Chriſto præparat, & hominis mortalitatem exhaurire dicitur.toto §. 126. p.259

*Mortuus.*

Vide verbo, *Mors, Sepultura.*

*Mulier.*

An egregia mulierum facta debeant eſſe vulgo nota? Alij aiunt, alij negant. Ante §.1. n.1. p. 1.in Proœmiolo.
Quam citò apud feminas malum exemplum ſerpat. §.16.n.12. p. 42
Sicut magnes ferrum, ita mulier virum attrahit. §. 31.n.5. p. 68
Mulier ſicut aſpis, morū ſibilat morbos.§. 31.n.6.p 68
Qui ſibi à fœminis non cauet, redemptionis quodammodo facit diſpendium?§. 31.n.7. p.68
Sit pudica fœmina non ſatis vrbana, vt ſit ſatis verecunda.§.32.n.7. p.68
Pulchra fœmina, etiam tuta ſibi, aliis intuta, obuiis ſpectatorum oculis obiicit ſe.toto §.33 p.70
Mulierum non bona epitheta ſpiſſantur. §.36. n. 1. & 2. p. 74
Vilis & miſera mulierum infirmitas, valida quæque infirmat ſui amore.§.35.n.3. p. 75
Impoſſibile cenſuit Ioſue, motâ Phœbe Phœbum ſiſtere?§. 35. n.4. p. 75
Iræ nomine concupiſcentia carnis denotatur. §. 35. n.5. p. 75
Mulieris non bona elogia conglobantur. §. 35. n. 7. p 75
Facilius eſt ſeipſum concupiſcentiâ abdicare, quàm improbæ vxori aſſueſcere.§ 35.n.8. p.76
Pugnax ſatellitium ad venuſtioris fœminæ ornatum accitur.§.57.n.10. p. 80
Mulierum ornatus, & fucus multis vapulat. toto § 77. p.161
Dæmoni pœnaliſſimum eſt, vel cum victâ muliere inimicitias agere.§.93.n.4. p.197
Ne vir in capeſſendis conſiliis, vxoris ſuę ſuaſionibus ſit obnoxius.§.182. p. 365
Iracundia, muliebre vitium eſt. §. 186. n. 5. &c. p. 173.& 174
Pulchræ fœminæ etiam dum grauitatem ſimulant, aut languore franguntur, meræ & veræ ſunt caſtitatis inſidiæ.toto §.302. p.601
Vide verbo, *Luxuria, Periculum, Nuptiæ, Virginitas, Caſtitas.*

*Multitudo.*

Vide verbo, *Paucitas*

*Munus, Donum, Beneficium.*

Chriſtus è cælo munerat, vt in cælo eſſe putetur?§ 20.n.2. p. 47
Vtilitatis propriæ ſtudium Numine donauit turbidum Nilum.§.20.n.3. p.48
Centurio de benefico curatore plus credit, quàm audierat.§.20.n.5. p. 48
Gratia liberalitatis in auctorem redit.§.20.n.6. p.48
Fratrem Eſaü inopinatè beneficum, vſque ad adulationem laudat Iacob?§.20.n.5. p. 48
Munera reuerentiam negotiantur.§.93.n.2. p.197
Manus cùm donant, intellectibus ornandæ ſunt. §. 147.n.2.&c. p.298
Vel recuſata munera iudicem ſubornant.§.180.n. 2. p.361.
Regius familiaris maximi æſtimare ſolitat, vt niſi de ſuo arbitrio nemo à Principe muneretur, toto §.206. p. 414
Mens largitoris, muneris cenſus eſt §.216.n.9.p.439
Magiſtratus agnata cupiditate munera expetunt, quibus acceptis, & corrumpunt gratiam, & animam vendunt, atque oculorum velamen ſordidè emunt, toto §.217. p.439
Indigna ſubſidij acceptio, arrogantiæ faſtum deprimit, dum de largitoris mendicitatibus ſe victitare fatetur.toto §.219. p. 461
Vide verbo, *Gratia, Eleemoſyna, liberalitas,*

*Murmuratio*

Vide verbo, *Detractio.*

*Mutatio.*

Aliquandò Gubernatoris inconſtantia, æqui conſtantia eſt, §.311.n.7. p. 621
Homo de luteâ origine mutationibus corporatus, ad conſueta nauſeans, varietate gaudet, noua ſemper exambiens.toto §.320. p. 637
Aliqua in Iudice inconſtantia, ſeu mutatio laudatur. toto §.319. p.635
Vide verbo, *Obſtinatio.*

*Mutus.*
Vide verbo, *Silentium, Lingua, Eloquentia.*

N

*Natiuitas Chriſti.*
Chriſtus non tam propter ſe, quàm propter nos naſcens, glorioſiùs naſci oportebat. §. 125. n. 6. p. 258
Vide Verbo, *Incarnatio, Virginitas & Maternitas Mariæ.*

*Natiuitas Principum.*
Regibus olim ſolenne fuit diem natalis ſui feſto luxu celebrare. §. 19 n. 1. p. 45
Herodes diem natalis ſui agens, fraternitatem cum Diabolis celebrat. §. 19. n. 2. p. 46
Natalitius quotundam dies, apoſtata ſpiritus nominatur. §. 19 n. 3. ibid.
Anniuerſaria natalis Diei ſollennitas, & læta dicitur, & dura, & obliuioſa. §. 9. n. 4. ibid.
Rex hodie iam mortuus eſt, & cras iam mortuus eſt. §. 19. n. 5. p. 47
Male ſe Reges de natiuitatis ſingularitate iactant. §. 19. n. 6. ibid.

*Neceſſitas.*
Vide verbo, *Paupertas.*

*Negligentia.*
Vide verbo, *Otium, Opus.*

*Negotium, Occupatio.*
Vide verbo, *Opus, Otium.*

*Nobilitas.*
Nobilitas, ſeu gentis magnitudo, non benè eſt impunitatis priuilegium § 120 n. 1. p. 248
Virtus nobiliter generoſos facit, citiùs quàm præluſtria Maiorum ſtemmata. toto §. 236. p 476
Nobilitas Eſtheris à ſanguine, à virtute. §. 1. n. 3. p. 1
Vide verbo, *Nobilitas Mariæ.*

*Nomen.*
Reatus impij eſt pium nomen. §. 2. n. 4. p. 3
Aſſuetus nomina ſua ambitioſè multiplicans, appellationum cadauera parat. §. 16. n. 1. p. 40
De Sancto Mariæ nomine dantur multa. §. 338. & 339. p. 672. vſque ad 677
De ſacroſancto Ieſu nomine. §. 340. p. 677
Cur non permittitur homini cælis nomen imponere. §. 166. n. 5. p. 334
Pauper & ignobilis, indignus nomine cenſetur. §. 230. n. 5. p. 464
Nominis *Eſther* etymologia, & multiplex ſignificantia §. 53. n. 9. p. 113

*Nouum, Antiquum.*
Delectamur vetuſtatis inuentu. §. 6. n. 6. p. 10
Res eſt ardua vetuſta renouare ibi.
Vetuſtas cano flore hodie vernat. §. 6. n. 6. p. 10
Hebræorum leges dicuntur, nouæ, quia diuerſæ à Perſarum legibus. §. 90. n. 6. p. 92
Nimia olim vetuſtatis reuerentia, Idololatriæ plaudit, Iudaiſmo militat, Euangelio obſtrepit: ne ergo ſibi Chriſtianus inuideat veri in Chriſto Numinis nouum inuentum. toto §. 113. p. 233

*Nuptiæ, Vxor, Coniux.*
Faciliùs eſt ſeipſum concupiſcentia abdicare, quàm improbæ vxori aſſueſcere. § 35. n. 8. p. 76
Satis magnum regnum eſt marito, bona vxor. §. 36. n. 1.
Vxor eſt baſis quietis. ibi.
Pax ſeu requies, nuptiæ appellantur. §. 36. n. 2. p. 76
Vxor carni, maritus ſpiritui comparatur, ob indiuiduam vnionem. §. 36. n. 3. p. 76
Qui coniugem amiſit, non integer, ſed mutilus homo dicitur. §. 36. n. 4. p. 77
Columba redit ad arcam, quia extrà non inuenit conſortem. §. 36. n. 5. p. 77
Bonæ vxoris idea proponitur. §. 36. n. 6. ibid.
Vxor non eſt exors gratiarum mariti. inibi.
Vxor Dei imago dicitur, ſi viro ſimilis ſit? §. 36. n. 7. p. 77.
Ruth Deo nubit, & Dei Filium in progenitore parit. §. 36. n. 8. ibid.
Vxori caſtitas, eam facit marito dominari. §. 36. n. 9. ibid.
Nuptiæ cælo exulant: Deus tamen dicitur, Coniugij Præſes. §. 37. n. 1. p. 78
Vxor carni, maritus ſpiritui comparatur, ob inteſtina obſtinatiùs diſſidia §. 37 n. 2. ibid.
In ſepulcro coniuges non litigant. §. 37. n. 2. ibid.
Aliquandò nuptiæ ſunt, honeſta aliqua inimici perdendi ſpecies. §. 37. n. 3. ibid.
Qui pacatè viuit neſciens litigia, cœlebs eſt. §. 37. n. 4. p. 79
Quæ nubit, vltrò Euæ maledictum ſubit, quod innupta excutit. §. 37. n. 5. ibid.
In coniugatis voluptas carnis, in carnis tribulationem recuditur. §. 37. n. 6. ibid.
Cælibatus emphaticè dicitur Redemptio. §. 37. n. 7. ibid.
Crux ponitur tanquam nuptiarum typus. §. 37. n. 8. ibid.
Nemo optet in vxore, quod in meretricibus quæri ſolet. §. 38 n. 1. p. 80
E patre nobili, & ignobili matre, nequam filij generantur. §. 38. n. 2. ibid.
Egeſtas patris eſt inopia pudicitiæ in filia. ibi.
Optima vxoris dos eſt prudentia, qua virum hereditat. §. 38. n. 4. p. 80
Cur Luna non bonæ vxoris ſymbolum proponitur. §. 38. n. 5. ibid.
Bona vxor penè ſine iudicio æſtimet, & beatificet virum ſuum. §. 38. n. 6. ibid.
In quonam bonæ vxoris pulchritudo, diuinam gratiam æmuletur. § 38. n. 7. p. 81
Matrimonij corruptio eſt ſcortatio § 38. n. 8. ibid.
Matrimonium non eſt theatrum, ſed myſterium. ibi.
Vxori non eſt danda facies §. 38. n. 9. ibid.
Nuptiæ dicuntur, mortis inchoatio. §. 74. n. 6. p. 156
Vide verbo, *Maritus, Mulier, Virgo.*

O

*Obduratio.*
Vide verbo, *Obſtinatio.*

*Obedientia.*
Mortificatióne eſt propenſio ad obediendum? §. 2. n. 3. p. 5
Exprompta obedientia pulchritudinem conciliat. §. 57 n. 8. p. 124
Alieno arbitrio agi, eſtne Euangelicæ perfectionis meta, & atrocior martyrij acerbitas? toto §. 80. p. 168
Peritior & paratior obedientia eſt fidei æmula, cœcè oculato. toto §. 83. p. 173
Vir obediens de obſequio vitam mutuatur: creatura enim ſentit creatorem, non tam viuendo, quam obediendo. toto §. 84. p. 175
Notitia dependentiæ eſt obſequij exprompţioris lenocinium. §. 133. n. 5. p. 272
Perfecta obedientia Legem neſcit. §. 198. n. 5. p. 395
Eſther dum iubetur ingredi, iam ingreditur. §. 297. n. 1. p. 593
Idemne eſt iuſſioni obedire, ac illi adſentire? §. 311. n. 1. p. 621

Vide verbo, *Lex, Conſilium, Princeps, Index.*

*Obliuio.*

Regum memoria obliuioni ſuccedanea eſt.§.57.n.1. p.123

Aduerſariorum obliuio, eorum proculcandorum præpropera gratulatio eſt.§.93.n.6. p.198

*Obſtinatio.*

Grande in Principibus malum eſt, nolle videri erraſſe, inde nutritur obſtinatio in errore; quæ multis elogiis culpatur. toto §.319. p.635

Gulæ obſtinatio pertinax.§.13.n.8. p.54

*Occaſio.*

Vide verbo, *Periculum.*

*Occultum, Secretum.*

Fœminarum etiam bonitas periculosè publicatur Ante.§.1.n.1.p.1.in Procemiolo.

Boni operis theſaurum ab aliorum oculis cautè abſconſum, à tuis etiam cautiùs abſconde. toto §.66. p.140

Sit Princeps, Principumque Senatus, ſecretorum ſcrupuloſe cuſtos. toto §.149. p.301

De ſecreto eleemoſynæ, conſule §.226. p.456

Oratio in occulto. toto §.273. p.549

*Occupatio.*

Vide verbo, *Opus, Otium.*

*Oculus, Viſus.*

De pulchro oculorum lenocinio mundus in flore eſt.§.1.n.2. p.1

Pulchra femina, etiam tuta ſibi, aliis intuta, obuiis ſpectatorum oculis obiicit ſeſe. toto §.33. p.70

Num mulier, quæ oculos patitur, tota iam ſibi virgo non eſt?§.62.n.6.& 8. p.134

Solitudo viduata cenſorum oculis, ſæpè vitia fœcundè maritat. toto §.73. p.153

Luto non cæcantur oculi, qui dicuntur ipſius animæ membrum.§.107.n.8. p.223

Eiucundus eſt dexter oculus ſiniſtro conſpectu conſertus.§.109.n.8. p.227

*Odium.*

Mutuus amor ſanguini cognatus, ſi ex aliquâ fortè occaſiunculâ exaſperetur, in acerrima odia inhumanè degenerat. toto §.92. p.194

Odium non eſt bonus genealogiarum interpres. §. 93.n.3. p.197

Vide verbo, *Amor, Inimicorum dilectio, Pax.*

*Officium.*

Vide verbo, *Opus, Otium Dignitas, Index, Princeps*

*Opus, Operatio, Officium.*

Strenuus Labor opere aſpectabilis virtutem, virtutiſque præmia glorioſe captat. toto §.175. p.350

Sapiens in actuoſæ operationis officinâ, fortunam ſibi ſedulus fingit. toto §.209. p.421

Virtutis ſtudioſus, diuerſiſſima, & velut ſibi pugnantia munera, integro ſuccidue ardore pleniùs adimplet. toto §.241. p.487

Bona opera ad elogium orationis, & negotium impetrationis feliciter acceptantur. toto §.275. p.553

Non qui eloquitur magna, ſed qui viuit, Euangelium, & Euangelij mores feliciter perſuadet. toto §.327.& 328. p.649. vſque ad 652

Vide verbo, *Otium.*

*Oratio, Preces.*

Orationis acies diriguntur.§.2.n.9. p.4

Multorum Oratio ſibi mutuò auxiliatis eſt. §. 120. n.8. p.249

Idemne eſt ieiunare, ac orare? ibid.

Oratio Amani, Eſtheris oppreſſio putatur. §. 180. n.9. p.363

Palatij faſtus vigorem orationis arrodit. §. 193. n.6. p.386

Supplex hominum rogator nimis vileſcit, quandoquidem alienæ opis (& quidem humanæ) indigum ſe fatetur. toto §.230. p.463

Vitiorumne virtus eſt, quod ſupplex improbitas impetret?§.246.n.5. p.498

Gratiæ decori detrahitur, quod gratiæ precum adiicitur?§.257.n.2. p.520

Quare Eſther feneſtratim orat?§.257.n.5. p.521

Sit eſt fauſtum orationis initium, vt antequam quis ſuppliciter oret, feliciter Deum exoret? toto §.268. p.540

Sæpè humana oratio ſic accedit impetrationis ſecura ac ſi diuinâ promiſſione ſubnixa, beneficium petitione prægustaret. toto §.269. p.541

Quale eſt dogma eſt, neminem ex non petentibus, diuina accipere beneficia? toto § 270. p.543

Humanas preces licet appellare victoriales, cùm victricem opem ritè precantibus moduleutur. toto §.271. p.545

Humana oratio eſt alterum Dæmonum incendium? §.271.n.6. p.546

Hominum preces, Dei gloriam ſumptuoſiùs prædicant, & generoſius negotiantur. toto §. 272. p.547

Sponſa dum ſponſum precibus quærit, quare illum amoris eſſentiam appellat?§.272.n.6. p.548

Vana gloria orantibus multimodè inſidiatur, vt prædiuites orationis gazas ſubdolè deripiat. toto §. 273 p.549

Oratio multorum, dignitas eſt precantis, & deprecationis vigor. toto §.274. 551

Bona opera, ad elogium orationis, & negotium impetrationis feliciter acceptantur. toto §. 275. pagina 553

Humilitatis auxiliare patrocinium, pia exambit oratio: eſt enim humilitas, impetrationis vigor. toto §.276. p.554

Quàm gratè Deus humanis precibus delicietur, illaſque expetat. toto §.277. p.556

Quare auditis humanis precibus, præ compaſſione regina cœli iuſtari dicitur? §. 277. numero 6. p.557

Vt in nobis Spiritus ſanctus præſit, operoſâ diſpoſitione, & iteratâ ſupplicatione opus eſt. toto §. 278. p.558

Muta patientis calamitas, clamor eſt, & grandis clamor diuinam opem precariè implorans. toto §.279. p.559

Friuola, & ſæpè noxia eſt oratio, quæ mundialia bona precario voto auidiùs ſuſpirat. toto §. 228. p.561

Sacri textûs ductu orationis elogia elucidatione miſcellaneâ addenſantur. toto §.281. p.563

Oratio plantat in nobis virtutum paſſiua. §. 281. n. 11. p.565

Vide verbo, *Spes, Liberalitas, Miſericordia, Oratio Maria, & ad Mariam, Eleemoſyna.*

*Ordo.*

Reſpublica vbi nullum eſt parium diſpariumque diſcrimen, & ſeditionum in cœlo ſuſpecta foret, & confuſaneam inferni inordinationem in terrâ æmularetur. toto §.86. p.179

Superbia ordinem contentioſè euertere ſatagit. §. 176.n.7. 353

Pax ſententioſè dicitur, tranquillitas ordinis. §. 86. n.4. p.180

*Ornatus.*

Eſther regiis veſtibus exhonoratur.§.3.n.2. p.5

Feminarum dignitas malè in fucis, & ornamentis collocatur.§.57 n.7. p.124

Pugnax ſa'ellitium, ad venuſtioris puellæ ornatum accitur.§.57 n.10. p.124

In obſcuro & ſordido angulo venuſtior Sponſæ pulchritudo apparet ornatior.§.66.n.3. p.141

Feminæ ſpeculum, tanquam oraculum conſulunt. §.77.n.1. p.161

Gentium idola, non cùm fabricantur, ſed cùm ornantur, diuinitatem mutuare putabantur.§.77.n.2 ibid.

Ornata femina Ægyptiorum templis aptè comparatur, quare?§.77.n.3. ibid.

Cùm quis virginem videt, dubitare non debet an virgo ſit: dubitat, ſi ornatam videt § 77.n.4. ibi.

Femina ſumptuoſiùs ornata, actu colit idola, quæ ore blaſphemat.§.77.n.5. ibid.

Num ornatus aliquid de totâ fidei ſubſtantia detrahat?§.77.n.6. p.162

Fucatæ ornamentorum lenociniis feminæ, elegans deſcriptio.§.77.n.7. ibid.

Fucata mulier priùs diſplicet ſibi, vt aliis placeat. quod eſt meretricum myſterium §.77.n.8. ibid.

Fucata pigmentis facies eſt libidinis ſynonymon. §.77 n.9. ibid.

Comptior femina nunquam eſt ipſa, ſemper eſt alia. §.77.n.10. ibid.

Cultior femina ſpectatorum ſuſpiria poſt ſe trahit. §.77.n.11. p.163

Quæ ſerpentis proculcatione coronatur, de capite ſerpentium gemmas eruet?§.77.n.12. ibid.

Illarum pretioſior cultus eſt, quarum pudicitia vilis.§ 77.n.13. ibid.

Ornatus ex virgine viduam facit.§.77.n.14. ibid.

Natiua pulchritudo regium ornatum vincit. §. 77. n.15. ibid.

Glorioſior mulierum ornatus, aut inuenit Euas, aut facit.§.77.n.16. p.164

Diabolo ornatur, quæ comptiùs ornatur. §.77. n.17. p.165

Ornatior amictus eſt impudicitiæ argumentum. § 77.n.18. ibid.

Sacerdotum ambitioſa auaritia, & ſumptuoſior veſtium ambitio, multis vapulat. toto §.78. p.164

Adſcititia venuſtatis lenocinia, arguta mendacia ſunt.§.107.n.7. p.213

Pœnitentiæ veſtes, puchriùs, & ornatiùs venuſtant. §.142.n.2. p.288

Cultior veſtis dicitur pulchræ feminæ gloria §.197. n.5. p.593

*Otium.*

Ne qui dudùm pauperculus opifex, aut laborioſus ruſticanus, fiat in religione ambitioſè delicatulos. toto §.125. p.257

Aſſuerus etiam in peruigilio actuoſus.§.163.num.1. p.329

Dum non operatur Adam, paradiſum quaſi rapinam arbitratus occupat.§.175.n.3. p.350

Hominis otium, nequiores contra ſe Dæmones facit. §.243.n.2. p.491

Vide verbo, *Opus*.

P

*Pædagogus, Educatio.*

IVbar ſanguinis ſuperat pædagogi induſtria. §. 1. n.3. p. 1

Qualis quis eſt in pueritiâ, talis plerumque eſt vſque ad vitæ finem §.18.n 5. p.45

Diſtrictior morum diſciplina, fomes bonæ indolis dicitur, alteram quodammodò naturam tribuens, imber boni ingenij, & mali fermentum. toto §.81 p.170

In biuio rationis puer inſtituendus, & innouandus eſt, vt in virtute conſeneſcat. §.159.n.9. p.321

Mardochæus in excelſo faſtigio curat de educatione gentis ſuæ.§.233.n.5. p.471

Eſther in manu Mardochæi inſtituta eſt.§.296.n.3. p.593

*Panis.*

Vide verbo, *Euchariſtia, Gula.*

*Pars.*

Multimoda τὸ *partis* ſignificatio traditur. §.54.n.6. p.115

*Parcere.*

Vide verbo, *Inimicorum, dilectio.*

*Paſſiones.*

Qui voracitate præditus eſt, paſſiones per gulam nouit.§.21.n.3. p.49

Mortificatio ferè inſenſibiles facit homines erga paſſiones.§.126.n.6. p.260

Homo ne iiſdem concitationibus, quibus agebatur ad vitia, virtutibus militare deberet toto §. 197. p.393

Homo iiſdem profanis affectibus, quibus agebatur ad vitia, Deo religioſiùs conſecretur, & virtuti obnixiùs militer, toto §. 213. p.419

Vide verbo, *Homo. Tentatio.*

*Paſſio Chriſti.*

Paſſioni aſſimilatur, alterius arbitrio agi. §. 80. n.2. p.168

Vide verbo, *Compaſſio Mariæ.*

*Pater.*

Filius eſt patris cenſus.§ 67.n.1. p.142

De patre, qui flet filium, dubitatur, an pater ſit? §. 67.n.2. ibid.

In Abrahamo, patris erat quod leuauit gladium, Dei fuit quod filio pepercit.§.67.n.2. ibid.

Volucres vitam retinere non poſſunt, vndè vitam ſumpſerunt quare?§.67.n.3. p.143

Heli non corripiens filios, neque thronum neque coronam meruit habere, neque iudicibus annumerari.§.67.n.4. ibid.

Abraham meliùs ſeruauit filium, dum non pepercit. §.67 n.5. ibid.

Cùm Abraham ſtringit gladium, non tam diligere, quàm dilexiſſe filium dicitur.§.67.n.6. ibid.

Halcyon pullos ſuos fluctibus marinis verberandos obiicit.§.67.n.7. ibid.

Qui filios nimis exaſperat, hereditabit ventum.§.67 n.8. p.144

Canos habere mores etiam in iuuentute, patris ſtipendium eſt.§.199.n.4. p. 397

Humanus pater, pater abuſiue dicitur. §. 321. n. 6, p 640

Vide verbo, *Filius, Pædagogus.*

*Patientia.*

Sæpe noſtra patientia eſt alienæ temeritatis fomes. §.5.n.4. p 8

Maledictum per patientiam repercuſſum in ſuum redit auctorem.§.105.n.8. p.229

Miſeriùs eſt nocere, quàm lædi.§. 117.n.1. p.241

Non eſt magnus animus, quem curuat calamitas: flectine ſcia in aduerſis conſtantia, aliquis virtutis faſtus eſt. toto §.121. p.250

Vltrò votiua calamitatum ſuſceptio, illarum moleſtias magnanimiter exarmat. toto §. 124. p.255

Patientia eſt Dominicæ diſciplinæ ſanitas, fidei Præſes, virtutum portus, & conſummatio: & de quâdam prope impaſſibilitate, miſeriam refingit in gloriam. toto §.129. p.264

Dura egeſtas dum nihil habet, ſuſtinet totum, magnâ ſæpe probitatis iacturâ toto §. 153. p.308


Præuium

Præuium malum, luculentior ſubſecuti boni interpretatio eſt, toto §.110 p.423
Caro per patientiam velut impatibilis, eruditur ad immortalitatem proficere. §.245.n.6. p.496
Calamitas magnanimiter ferenda eſt, ne nomen etiam noſtrum nobis eripiat §.283.n.8. p.569
Perſæpè qui ad magnas difficultates ſtrenuè eualet, modicis imbecillè vritur, cedit, ſuccumbit. toto §.293. p.585
Vide verbo, *Labores, Perſecutio, Tentatio, Martyr.*

*Patronus Patrocinium.*

Aliorum fauor, & adulatorum ſuffragium, ambitioſum eſt meritum ad dignitatum repulſam. §.100 n.4.& 3. p.210
Quàm ſit humanum patrocinium debile, friuolum futile, caducum; quò diuinum potiùs exambias. toto §.138. p.281

*Paucitas, Pauci.*

Quæ maior pars eſſe videtur, ſæpè peior eſt. §.29. n.1. p.63
Eccleſia proceſſu ſuo mirè relabi dicitur, & multiplicatione decreſcere. §.29.n.2. p.64
Quò ſublimior eſt perfectio, tanto eſt in paucioribus §.29.n.3. p.64
Primitiuæ Eccleſiæ paucitas, immortales diuitias præſenti paupertatis ambitu emebat. §.29.n.4 p.64
Abrahamidum gens non multa, ſed magna. §.29 n.5. p.64
Quomodo Dei populus quia exiguus eſt, innumerabilis ſit. §.29.n.6. p.65
Culpa multorum inuindicabilis eſt: paucitas autem magiſtra eſt diſciplinæ. §.29.n.7. p.65

*S. Paullus.*

Paullus fere periclitatur ob inanes comitatis nugas. §.99.n.2. p.208.
Summam fraternæ charitatis docendam, Chriſtus Paullo ceſſit? §.116.n.6. p.240
Quomodo Paulli indoles, & peridoneum ingenium gratiam dicatur velut attrahere. §.172.n.3. p.345
Cæleſtis gloria Paullum ambit? §.172.n.6. p.346
Paullus inferior Angelis cenſetur, quando neſcit, an cum corpore in cælum aſcenderit. §.197.n.6. p.394
Paullo familiare eſt quod in aliis arrogantiam ſaperet. §.207.n.4 p.417
Paullus dicitur omnium credentium firmamentum. §.207.n.8 p.441
Paullus omnia omnibus factus, id quod erat, factus eſt §.241.n.7. p.489
Paullus cur pluſquam reliqui Apoſtoli laboraſſe dicatur. §.243.n.5. p.492
Paullus quia peccare poteſt, dicitur implere in carne ſuâ, quæ deſunt paſſionum Chriſti? §.326.n.5. p.648

*Paupertas.*

Diuites de pauperum inopiâ diteſcere exambiunt. toto §.150. p.303
Perfecta paupertas (quæ Apoſtolicus character, & cæleſtis gloriæ ſpecimen dicitur) rarò inuenitur in terris. toto §.151 p.305
Opulentè diuites ſunt diuitiæ, quæ à paupertate ſunt. toto §.152. p.306
Dura egeſtas dum nihil habet, ſuſtinet totum, magnâ, ſæpè probitatis iacturâ. toto §.153 p.308
Cur paupertas apud homines probos, potiùs quàm apud improbos inueniatur? §.153.n.9. p.310
Pauper ante conteſtationem litis, inauditâ cauſsâ punitur. §.192.n.8. p.385
Pagana ambitio pauperem & abiectam cognationem faſtidit, quâ Chriſtiana modeſtia generosè gloriatur toto §.204 p.411
Vide verbo, *Diuitiæ, Felicitas.*

*Pax, Concordia.*

Pax æquè cum Chriſto Deo, generoſo Mariæ vtero gaudet. §.384.n.4. p.760
Pax ſeu requies, nuptiæ appellantur. §.36. n.2. p.76
Pax ſententiosè dicitur Tranquillitas ordinis. §.86. n.4. p.180
Reciproca beneuolentia concordiæ matrix, agnata Chriſtianis eſt, qui ſe amant mutuò penè antequam nouerint. toto §.115. p.237
Mutua charitas, & *vicaria* ſententiosè dicitur, & apud nos retineri iubetur, vt quiſque ſui mater, & filius ſit hinc dum prædicatur concordia, diſcordia vituperatur. toto §.116. p.239
Fraternæ charitatis nexus, arctiùs adhuc multis ſtringuntur. toto §.117. p.241
Quomodo Abſalomi bellum, dicatur Patris pax. §.121.n.2. p.250
Sententiosè dicitur, quod *omnes Iudæi ſuſcepit* feſtum Phurim. §21.6.n.1. p.438
Cur Angeli à Trinitate totam concordiam, vt vnum ſint, accepiſſe dicantur? §.306.n.2. p.609
Paci ſtudet Superior, qui vibratis minis, & inflictis congruè ſuppliciis, Reipublicæ pacem inquietare videtur. toto §.336. p.665
Vide verbo, *Amor, Inimicorum dilectio.*

*Peccatum, Peccator.*

Qui peccat peccati ſui litteras ſcribit. §.393.num.6. p.777
Peccatum abſque hypoſtaſi aut ſubſiſtentiâ eſt. §.138.n.6. p.282
Quò ſenſu peccatores vſque ad inferos non ſunt euaſuri pœnas §.155.n.4. p.313
Non præceps paſſione ſcelus, ſed præmeditata conſiliosè malitia, criminoſior cenſetur, & conſilij ſuffragio ſceleroſior. toto §.157. p.316
Quam ſit pronum iter ad vitia. §.291.n.1. p.581
Chriſtus Deus noſtra peccata ſuſtinens, procidit in faciem, ne ſtellas ſuo aſpectu deſoletur. §.291.n.2. p.582
Peccatores oppugnantur à belli duce peccato. §.291.n.3. p.582
Peccatores à Deo fugientes, in infernum reuerti dicuntur. §.291.n.4. p.582
Peccator in gehennali pœnâ Deo placere dicitur. §.291.n.5. p.582
Quare dicat Dauid: Deo ſolùm peccaui? §.291.n.6. p.583
Peccata ſunt peccatorum fœcundè grauida. §.291 n.7. p.583
Peccata in maiori etiam ætate, velut faſciis infantilibus conſtringuntur. §.291.n.8. p.583
Diuturna malorum felicitas, eſt peccatorum pœnalior appendix. inibi.
Vide verbo, *Pœnitentia, Vitium, Conſuetudo.*

*Peccatum veniale.*

Quàm facile leuis culpa vel bonis viris ſubrepat. §.292.n.1. p.583
Leuis etiam defectus ſpineæ coronæ comparatur. §.292.n.2. p.583
Beatus dicitur, qui in mandatorum obedientiâ timet. §.292.n.3. p.584
Leuis Reguli titubatio, non leuiter reprehenditur. §.292.n.4. p.584
Quam auſteris verbis, leniter delinquentes ab ſe ablegat Deus. §.292.n.5. p.584.
Non ſunt ludi cupiditates, quæ ad blandè nocendum immiſericordes ſunt. §.292.n.6. p.584

Studio

Studioſius ne ſunt vitandæ veniales culpæ, quàm mortalia delicta.quare §.292.n.7. p. 585

Si Ioannes verbum otioſum diceret, eius lingua defloſceret.§.292.n.8. p. 585

Perſæpè qui ad magnas difficultates ſtrenuè eualet, modicis imbecillè vritur, cedit, ſuccumbit. toto.§.293. p.585

*Perfectus vir, Perfectio, Religioſus.*

Honor religionis,religioſi corona eſto.§.16.n.7.p.41

Quo ſublimior eſt perfectio, tanto eſt in paucioribus.§.29.n.3.&c. p.64

Alieno arbitrio agi,eſt ne perfectionis meta,& atrocior martyrij acerbitas?toto §.80. p.168

Perfectus etiam vir maledicentiæ pruriginem vix interſtinguit.§.104.n.6. p.218

Arctior corporis mortificatio eſt Chriſtianæ perfectionis menſura?§.126.n.3. p.259

Corpus extenuandum eſt, vt pars immortalis mortalem partem quodammodò exhauriat.§.126.n.5. p.260

Iuſti opera,diuina eloquia æmulantur. §. 175. n. 4. p.350

Vir perfectus iiſdem concitationibus,quibus agebatur ad vitia,virtutibus militare debet? toto §.197 p.393

Qui immenſiùs amat, & obnixiùs vult, immetatâ quodammodò potentia vltra vires eualet toto §. 198. p.395

Pietatis vota, celeritatem vitiorum anteuertant. §. 203.n.9. p.410

Ex iuſtorum vita Lex diſcit, quod præcipiat, tanquam ex legiſlatorum ſcholâ.§.207. n.2. p.416

Angelos æmulatur Mardochęus,qui ſiue aſcendens, ſiue deſcendens,Deum æquè inuenit.§.207. n.3. ibid.

Perfecto viro familiare eſt,quod in aliis arrogantiam ſaperet.§.207.n.4. p.417

Mardochæus tantum ſe in populo ſuo amat,vt oderit ſe ſine illo.§.207.n.5. ibid.

Perfectus vir virtuti impreſſus dicitur, ſiue eſſe in virtute.§.207.n.6. ibid.

Mardochæus & Eſther ſunt terræ, ſeu populi Dei cardines.§.207.n.7. p.418

Perfectus vir dicitur omnium credentium firmamentum.§.207.n.8. ibid.

Malitia Amani eſt menſura virtutis Mardochæi. §. 207.n.9. ibid.

Perfectus vir diem illis facit,eum quibus viuit.§.207 n.10. ibid.

Mardochæus à crudelitate vindicatur, quia gratia tranſcendit neceſſitatem.§.207.n.11. ibid.

Deus dicitur totus eſſe viri perfecti.quare ? §. 207. n.12. ibid.

Marchæus omnia complexus eſt,quæ Diis Gentium tribuuntur.§.207.n.13. ibid.

Mardochæus Dauidi ſimilis bellator. quare ? §.207. n.14. p.419

Vir perfectus vel ex apparentis vitij latebris inſidiatur ſpectatorum profectui.§.207. n.15. ibid.

Viro perfecto vel diuitiæ aliquando proſunt. quæ rara virtus eſt toto §.208. ibid.

Perfectus vir iiſdem profanis affectibus, quibus agebatur ad vitia, virtuti militat. toto §. 213. p.429

Apud virum perfectum, Dei voluntas, altera ipſa ipſius voluntas eſt,toto §.218. p.441

Virtutis ſtudioſus, diuerſiſſima, & velut ſibi pugnantia munera,integro ſuccidué ardore pleniùs adimplet.toto §.241. p.487

Vitiorum inſolentia, Dei populo virtutum eruditio eſt, & animoſæ probitatis gymnaſium. toto §. 245. p.495

Caro per patientiam velut impatibilis, eruditur ad immortalitatem proficere.§.245.n.6. p.496

Benè Eſther cruciatur felicitate gloriæ:nam Sanctorum elogium eſt,calamitatibus deliciari, gloriari, beari.toto §.289. p.578

Aliquis gratiæ faſtus eſt, vt nuſquam magis quàm in minimis tota eſſe videatur.toto §.284. p.569

Arcana quâdam non virtutum, ſed quaſi vitiorum hypocriſi, vitia in virtute oſtentare, aliquis pius virtutis faſtus eſt.toto §.298. p.594

Quam ſit omnibus proficuus vnus homo eximiè iuſtus §.319.n.1. p.635

Impenſius Sanctorum ſtudium de amplificanda gloriâ Dei,auguſtè glorioſum Chriſto eſt.toto §.326 p.647

Vide verbo, *Monachus.*

*Periculum, Occaſio.*

Pulchrum periculum eſt ad Deum transfugere.§. 3 n.1. p.4

Ex leui etiam occaſiuncula, hominis concupiſcentia ad libidinis voluptates non leuiter ſufflamatur.toto §.31. p.67

Pulchra femina, etiam tuta ſibi aliis intuta, obuiis ſpectatorum oculis obiicit ſeſe. toto §. 33. p.70

Delicatula nimis eſt pudicitiæ valetudo; ſollicitudine languet, ætatis integritate periclitatur:& quæ oculos patitur, tota iam virgo ferè non cenſetur. toto §.62. p.133

Num vel ipſa libidinis damnatio, eſt velut fomes libidinis, & gehennæ ſcintilla? §.144. num. 5. p.293

Aulæ pericula §.193. & 194. p.385.& 387

In periculoſo mari ſoſpites in terrâ patiuntur naufragium.§.248.n.5. p.502

Grandiora pericula facile eludit ſpes; quæ ſi excidat, vel magnanimus ſimul corruet. toto §.249. p.502

Multi dum auerſantur vitia,ea perperam imitantur. §.259.n.9. p.525

Ne dum lacrymis conſcientiam diluis,lutum facias? toto §.265. p.534

Humani periculi anxius timor, ſæpè acerbiùs quàm ipſa calamitas excruciat; dum vanis,& nunquam venturis angitur malis inani metu præſumptis, toto §.304. p.605

Vide verbo, *Luxuria, Mulier, Tentatio.*

*Perplexitas.*

Vide verbo, *Dubius.*

*Perſecutio.*

Non eſt magnus animus, quem curuat perſecutionum calamitas: flectineſcia in perſecutionibus conſtantia, aliquis virtutis faſtus eſt. toto §. 121, p.250

Perſecutionem patientibus impunè inuidere licet:eſt enim perſecutio, à perſecutore aſylum, concupiſcentiæ baptiſmus, & in terram promiſſionis proiectio.toto.§.122. p.251

Gratia tranſcendit neceſſitatem. toto. §. 207. n. 11. p.418.


Perſe

Perſecutiones puta velut quaſdam obſeruantiæ conſequentias. §. 213. n. 4. p. 429
Perſecutionis feruor, conſimilis eſt feruori deuotionis. ibidem
Vide verbo, *Labores*, *Martyr*, *Inimicus*.

*S. Petrus.*

Segregata ab vrbibus loca ſectabatur Petrus, vt potè ſolitudinis amans. §. 72. n. 4. p. 152
Quomodò aliquid habeat Petrus, qui omnia reliquit? §. 151. n. 7. p. 306
Petrus manu ſanitatem præbet; pedibus Claudus prædicat. § 175. n. 5. p. 357
Petrus ex curioſitate Chriſtum negat. §. 178. n. 7. p. 356
Serò Petrus flere incipit. quare? §. 193. num. 2. p. 385
Cùm Petrus nulli ſubditorum ſe præfert, dignè omnibus præficitur §. 239. n. 9. p. 484
Petri fides titubat, ne orationi, citiùs quàm omnipotentiæ, miraculi gloria adſcribatur. §. 269. n. 4 p. 541
Proſperior Petri fortuna, naufragio confinis. §. 295. n. 5. p. 589
Mergi incipit Petrus, quia non per terram, ſed per vndas ambulat? §. 300. n. 7. p. 599
Quare Petrus primam epiſcopi electionem multitudini permittit? §. 312. n. 2. p. 622

*Phantaſia.*

Vide verbo, *Imaginatio.*

*Piger*, *Pigritia.*

Vide verbo, *Otium*, *Opus.*

*Pœna*, *Supplicium.*

Feliciratis portio eſt, vnâ ſententiâ ad mortem damnari. §. 120. n. 5. p. 249
Tuta ſcelera eſſe, ſecura eſſe non poſſunt, de pœnaliſſimo conſcientiæ tormento delinquentis viſcera ſenſim morſicante. toto. §. 177. p. 353
Apud inferos placebit Deo & Sanctis in pœnâ, qui nunc diſplicuit in culpâ. toto §. 184. p. 369
Grauatè fert Deus ſupplicium non putari, quod reuerâ eſt. §. 257. n. 6. p. 521
Exertæ iuſtitiæ ſeuerus pro rei merito, rigor, Principum gloriæ ſumptuoſiùs militat. toto. §. 307. p 612
Paci ſtudet Superior, qui vibratis minis, & inflictis idoneè ſuppliciis, Reipublicæ pacem inquietare videtur. toto. §. 336. p. 665
Vide verbo. *Iuſtitia, Iudex.*

*Pœnitentia, Confeſſio*

Pœnitentiæ ambitus meretur indulgentiam. §. 3. n. 2. p. 5
Pœnitentia ſi non diluit, ornat. §. 7. n. 9. p. 14
Virtutibus diu adſuetus, etſi in vitium impingat, in priſtinam gratiam citò adſurgit. toto §. 82. pagina 172
Pœnitens ante fores gradiens, ad conſpectum diuinæ maieſtatis intrauit. §. 120. n. 2. p. 248.
Surda eſt precatio in ſerâ pœnitentia. §. 180. n. 8. p. 363.
Peccator in confeſſione perpetuam vitam præſenti pudore mercatur. §. 185. n. 6. p. 372
De gemitu beata eſt commutatio ad gaudium, quod præſagit. §. 200. n. 7. p. 400
Perfectior pœnitentia vitioſo ſcelerum colore depingitur. §. 246. n. 6. p. 498
Non bona peccantis elogia, perfectior pœnitentia è diuerſo piè æmulatur, redintegrat, reſculpit. toto. §. 259. p. 524
Vera pœnitentia ſic hominem refingit in alium, vt eadem grauatè iam ferat, in quibus nuper deliciabatur. toto. §. 260. p. 525
Feſtinata pœnitentia famæ peccatoris conſulit, feſtinatiorem inuenit veniam, in Dominum velut transfert peccatum, & peccati alium fomitem reſecat. toto. §. 261. p. 527
Dubia ſemper eſt ſalus, & propè certa damnatio eius, qui ſceleroſæ vitæ pœnitentiam vſque ad horam mortis procraſtinat. toto. §. 262. pag. 529
Appendices pœnitentiæ laudes confeſtim prædicantur. toto § 263. p. 531
Humilis pœnitentia piè ſuperbas cum Mariâ ambit nuptias. §. 263. n. 3. p. 531
Ne dum lacrymis conſcientiam diluis, lutum facias: nam nimis frequens abſque emendatione pœnitentia, impœnitentiæ aut rea, aut ſuſpecta eſt. toto §. 265. p. 534
Suffuſus confeſſioni pudor piè neglectus ſupplicij compendium eſt, memoriam ſcelerum abolet; & Dei munificentiam publicans, de verecundiæ bono extra inuidiam publicatur. toto §. 282. p. 566
Vide verbo, *Peccatum, Pudor*, *Lacryma*, *Cilicium.*

*Porta.*

Portæ mortis, litium portæ dicuntur. §. 148. n. 3. p. 299

*Præceptum.*

Vide verbo, *Lex*, *Obedientia*.

*Prælatus.*

Vide verbo. *Princeps.*

*Præmium*

A Principibus exhibita *præmia*, adulterata aulæ nominatione, *gratia* nuncupatur. §. 163. num. 2. p. 329
Dulce verbum, præmij loco eſt benemerentibus. §. 163. n. 3. p. 330
Præmia qui tollit, ferè virtutem, ſapientiam, atque peritiam omnem ſuſtulit. toto. §. 170. p. 341
Strenuus labor Opere aſpectabilis, virtutem, virtutiſque præmia glorioſè captat. §. 173. p. 350
Quia Deus ad bilancem præmiat, mortuorum reſurrectio adſtruitur. § 175. n. 8. p. 351
Præmiatur Mardochæus munere, quod præhabebat? §. 253. n. 3. p. 511

*Præſens.*

Præſentia & coràm poſita, apud homines vileſcere ſolitant. toto. §. 131. & 132. p. 268. 269
Vide verbo, *Abſens.*

*Princeps*, *Rex*, *Superior.*

Blanditiæ Principum, infidum mare. §. 4. n. 4. p. 6
Principes agricolationi iucundè vacabant. §. 12. n. 3. p. 27
Apud plures nationes, regni quibuſdam legibus Reges ſubduntur. §. 14. n. 8. & §. 15. num. 7. p. 35. & 38
Princeps regni exordium à deuictis hoſtibus ducit. §. 16. n. 2. p. 40

Regia Aſſueri vrbs cur palatium dicitur? ibid. n.3.
Quiſquis iniquè agit, Regem lædit. §. 16. num. 11. p.41
Regibus olim ſollenne fuit diem natalem ſumptuoſiori luxu, & læto funeſtè augurio celebrare. toto. §. 19. p. 45
Largior beneficentiâ, illuſtrioris famæ aucupandæ artifex eſt, de beneloquæ gratitudinis]arbitrio. toto. §. 20. p.47
Boni Principis eſt ſapientes conſulere: ſed eorum cautè examinare ſuffragia, eiuſdem peritia eſto. toto. §. 26. p. 58
Non benè Princeps conſilium aduocat, vt vel malum decretum excuſet, vel vt quod ſibi non benè adridet, auctoratiùs decernat, facili conſultorum adſenſu. toto. §. 27. p. 60
Rex iniquus improſpera paſſurus, non niſi proſpera audire meretur. §. 28. n. 6. p. 63
Principis ira, id æquum videri vult, quod iniquè iudicauit, dum æquitatis prætextum iniquitati iniquius oppandit. toto. §. 34. p.72
Tanta Rex poſſidere creditur quantis dapibus epulatur. §. 45. n. 2. p. 92
Regum memoria obliuioni ſuccedanea eſt. §. 57. n. 1. p.123
Diadema muliebre, non virile, Eſtheri reginæ imponitur. §. 57. n. 11. p.124
Non regni deſiderium, ſed deſiderium, gloriæ regnandi, peruerſitas ambitionis eſt. §. 87. num. 3. &c. p.81
Qui omnibus præponitur, omnium inimicus dicitur. §. 90. n. 3. p.191
Mera Regum vtilitas, non eſt bonus regiminis arbiter. §. 90. n. 7. p 192
Lex à Rege ſcribenda, & exponenda. §. 90. num. 9. p.192
Non bonus eſt Rex, qui dum populus coarctatur, ipſe deliciatur. §. 90. n. 10. p.193
Nil facile credere, atque omnia ſagaciùs cauere, boni Principis elogium eſt. toto §. 106. p.220
Impiè ſæuit Princeps, aut Superior, qui falſato pietatis prætextu ferit. toto §. 108. p. 224
Perennes mandatorum fontes obturet Princeps, ne ſubiectus populus offendat, & paſſim impingat. §. 110. & §. 111. & §. 112. p.227. vſque ad 232
Deus ſuorum oppreſſione opprimi dicitur. §. 130. n. 5. p. 267
Maieſtati maior ex longinquo reuerentia: nam frequens conſuetudo, aut contemptibiles inuenit, aut facit. toto §. 131. p.268
Frequens aſpectus minùs verendos magnos viros ipsâ ſocietate facit. toto §. 132. p.269
Non benè Rex ſceptrum in manu Reginæ inſerit. §. 142. n. 3. p.289
Principum aula per blandimenta decipit. §. 142. n. 4. p.289
Callida Priuatorum ambitio, Ex reges aliquando facit. §. 142. n. 7. p.289
Omnis apud Reges petitio, *quæſtio* ſententiosè dicitur. §. 142. n. 8. p. 289
Effuſa in Principibus liberalitas caſtigatur, ne liberalitate liberalitas pereat. toto §. 147. p. 297
Sit Prinseps, Principumque Senatus ſecretorum ſcrupuloſè cuſtos. toto §. 149. p. 301
Aſſuerus rex etiam in peruigilio actuoſus. §. 163. n. 1. p. 319
A Principibus exhibita *premia*, adulteratâ aulæ nominatione, gratia nuncupatur. §. 163. n. 2. p. 329
Eruditio & ſapientia Reges adornat, & regimen egregiè felicitat. toto §. 164. p.331
Prauas electiones regni depoſitione Reges luunt. §. 172. n. 5. p.345
Conſultior apud homines electio, viros pares negotiis, neque ſupra deſtinat. toto §. 173. p.346
Benè erubeſcit Aſſuerus, quòd ſe, & imperium Priuato tradiderit. §. 180. n. 7. p.362
Loqui de Rege, bene loqui de Rege eſt. §. 180. n. 12. p.363
Mora in deliberando, conſilium adornat: nam ad pœnitentiam properat, qui repentè decernit. toto §. 187. p. 374
Ambitioſior aulicorum adulatio, & principum aures aſſentationi faciles, egregiè vapulant. toto §. 195. p.389
Regiæ poteſtatis inſignia cur faſtidit Aſſuerus? §. 203. n. 1. p.409
Regem offendit, qui quod è regio fiſco dederat, accipit. §. 216. n. 6. p.438
Aſſuerus Rex plus ſubiectorum facultates, quàm vitam æſtimat. ibid.
Regis dignitas, & ſublimitas Mardochæum eligit, & exaltat. §. 233. n. 3. & 4. p.471
Quare Rex dicitur Medicus ſeu Chirurgus? §. 235. n. 5. p. 476
Fruſtra rex Aſſuerus appellari *Magnus* exambit. §. 251. n. 2. p.507
Olim palatij ianua erat morum officina, & eruditio ad dignitates obeundas. §. 251. n. 4. p. 507
Qui Regi inſidiatur, ille glorioſiſſimus coram Rege eſt? §. 253. n. 4. p.511
Qui dominatur quantum vult, vniuerſo orbi dominatur. §. 255. n. 1. p.515
Populorum felicitas eſt regnum perpetuum. §. 255. n. 2. p. 515
Qui aſſuero regi conſulit quod ei non placet, flagris cæditur, etſi bona conſulat. §. 255. n. 3. p. 515
Nouus & inexpertus gubernator valdè timendus. §. 257. n. 8. p. 521
De poteſtatis genio Aſſuerus rex, in leonem degenerat. §. 257. n. 10. p.521
Vnius iuſti preces magno in pretio debent eſſe apud Reges. §. 281. n. 7. p. 564
Regis facies, iuſtum ſupplicium minitans, inflammari gloriâ perhibetur. §. 297. n. 12. p.594
Exertæ iuſtitiæ ſeuerus pro rei merito rigor, Principum gloriæ ſumptuoſius militat. toto §. 307. p.612
Nimia bonitas, non bonum Principis elogium eſt. §. 311. n. 1. p. 621
Facilitas credulitatis in principe reprobatur. §. 311. n. 6. p.621
Aliquandò Gubernatoris inconſtantia, æqui conſtantia eſt. §. 311. n. 7. p.621
Rex in multâ aulicorum turbâ, ſolitudo nuncupatur. §. 311. n. 9. p 622
Bonus Paſtor claudicantem ouem ſupra ſe ſentit. §. 317. n. 2. p.631
Quiſquis ſubiectorum iniquè agit Regem lædit. §. 317. n. 3. p 631
Grande in Principibus malum eſt, nolle videri erraſſe; inde nutritur peruicacia in errore, quæ multis elogiis culpatur. toto §. 319. p.635
Subditi ſunt tractandi velut flores, in quibus eſt tota fructuum ſpes. §. 337. n. 2. p. 667.
Ne Princeps quemquam derepentè ad magnam dignitatem ſublimet §. 337. n. 3. p.668
Regia dignitas eſt coronata ſeruitus. 337. n. 4. p.668
Iacob ſeruiendo etiam impleuit Domini vocabulum

lum §.337.n.5. ibid.

Primus Regum totius orbis, robuſtus Inueſtigator dicitur. quarè? §.337.n.6.& 7. ibid.

Gubernatricis peritiæ faſtus eſt, aliquandò ſimplices præbere aures, & peritè ſtulteſcere §.337.n.8. p.669

Subiecti populi iugum regni portare, delicias reputent. § 337.n.9. ibid.

Non bonus eſt Paſtor, qui ad ſuaue ſuum gregem ducat. §.337.n.10. p.670

Aſſuetus nimiâ munerum ſubtilitate enormiter hebetatur. §.337.n.11. ibid.

Superior, qui beneuole audit delationes, non ingratè ſuas patiatur. §.337 n.12. ibid.

Superior de communicatione paſſionum, doctrinam humanitatis edificat. §.337.n.13. ibid.

Blanda aliquandò condeſcenſio imperantis, vigor poteſtatis eſt, & operis faciendi lenocinium. §.337.n 14. p 671

Vide verbo, *Index*, *Electores*, *Pœna*, *Iuſtitia*, *Aula*, *Vectigal*, *Nouitas Principum*.

*Priuilegium.*

Pœnaliſſimum eſt, legi obnoxium eſſe, etſi priuilegio eximatur. §.297.n.13. p.594

*Promiſſio.*

Idemne eſt expectare à Deo rem promiſſam, ac promiſſionem expectare? § 139.n.2. p.283

Deus à ſe exigit, quod promiſſione debet. §. 229. numero 6. p.463

An oratio noſtra dici poſſit diuina promiſſio? § 269. numero 3. p.542

Humana promiſſa apud homines niue algent, & dubiæ, aut nullius fidei ſuſpecta ſunt. toto §. 284. p.569

Promiſſio Eliæ, Deus Eliæ nuncupatur ab Eliſeo. §.284.n.6. p.571

*Prouidentia.*

Aman ſibi incidit lignum, quod Mardochæo parat. §.142. num. 12. p.290

Veniet tandem ad illum diu impunè felicem ſua portio quiſquis videtur à ceſſante diuinâ prouidentiâ dimiſſus, dilatus eſt. toto §.154 p.310

Gratior impiorum proſperitas, & illis adridens fortuna, calamitoſi infortunij minæ ſunt. toto. §.155. p.312

Arcana Dei prouidentia, per inidonea humanitus media præfixum ſibi ſcopum perſæpè collimat. toto. §.167. p. 335

Diuinæ prouidentiæ officioſitas, etiam ex inuerſo ſapienter operatrix, & inſcrutabiliter arcana eſt. toto §.168. p. 337

Qui diuinam prouidentiam ſcrutatur, oſſa Chriſti conterere dicitur. §.168.n.8. p. 338

Vide verbo, *Felicitas*, *Contrarium*.

*Prudentia.*

Prudenti rarò adeſt fidelitas, & fideli rarò adeſt prudentia? §.26.n.6. p. 59

Quo maior pars eſſe videtur, ſæpè peior eſt: nam paucitas eſt magiſtra diſciplinæ. toto §.29. p.63

Feſtinatio capeſſendi conſilij improuida eſt, & cæca; tempeſtiuâ cunctatio egregiè conſilium adornat. toto §.59. p.127

Hominis prudentia (cuius præſtantiam ex defectu æſtimamus eſt operis faciendi negotium, velut baptiſmus eſt, tanquam Dei intellectus homini aſſiſtens. toto. §.181. p.383

Sapiens in actuoſæ prudentiæ officinâ, fortunam ſibi ſedulus fingit. toto §.209. p. 421

E ſomni naturali gymnaſio erudiatur prudentia. quo ſenſu? §.237.n.2.& 3. p. 478.479

*Pudor, Verecundia, Confuſio.*

Pudor eſt flos virtutum, & probitatis tinctura. §.32 n.1. p.69.

Quare Sol verecundam non anteuertit auroram? §.32.n.2. ibid.

Verecundia in facie, in facie Eccleſiæ decorem efficit. §.32.n.3. ibid.

Vel Marianæ preces verecundiæ patrocinium adſciſcunt. §.32.n.5. ibid.

Non ſatis virgo habetur, quæ requiritur, cū videtur? §.32.n.6. p. 70

Velatur Rebecca non decori timens, ſed pudori. ibi.

Sit pudica femina non ſatis vrbana, vt ſit ſatis verecunda. §.32.n.7. p. 70

Solitudo viduata ſpectatorum cenſurâ, peccandi pudore exuta, ſæpè vitia fœcundè maritat. §.73. p.153

Cur facies Amani, pluratiuo vocabulo opertæ dicuntur? §.180.n.11. p. 363

Quaſi in noſtram naturam verſum eſt confuſionis tormentum: præ venuſtatis abſconſione feminas cruciat: adeoque verecundia terrori eſt, vt mortis compendio moras pudoris redimat. §. 185. p.370

Suffuſus confeſſioni pudor piè neglectus, ſupplicij compendium eſt, memoria ſcelerum abolens: & Dei munificentiam publicans, de verecundiæ bono extra inuidiam publicatur. toto §. 282. p.566

Vide verbo, *Pœnitentia*, *Virginitas*, *Caſtitas*.

*Publicum.*

Vide verbo, *Occultum*.

*Puer, Pueritia.*

Qualis qui eſt in pueritiâ, talis, plerumque eſt vſque ad vitæ finem. §.18.n.5. p.45

Eſther ſana conſilia in annis puerilibus meditatur. §.1 n.4. p. 1

Adhuc puella Eſther à perfectione cœpit. ibidem.

Vide verbo, *Pædagogus*.

*Pulchritudo.*

De pulchro oculorum lenocinio mundus in flore eſt. §.1.n.2. p.1

Ieiunio pulchritudo refrenatur. §.3.n.3. p. 5

In quonam Eſtheris pulchritudo diuinam gratiam æmuletur? §.38.n.7. p. 81

Sterilitas putatur pulchritudinis næuus. §. 56. n. 6. p.121

Pulchritudo, ſicut munera, mentem ſubornat. §. 57. n.6. p. 124

Pulchritudinis gratia ſtipendium ieiunij eſt. §. 148. n.1. p. 282

Formæ gratia eloquenter perſuadet. §.257. num.9. p.521

In Eſthere elucet maieſtati admixta venuſtas. § 297. n. 11. p. 594

Vide verbo, *Ornatus*, *Fucus*, *Luxuria*, *Mulier*, *Virgo*, *Periculum*.

Q

*Quærere.*

DEus, dum ideò quæritur, vt inueniatur, iam propè inuentus eſt vt quæreretur. toto §. 140. p.284
Sponſa dum ſponſum precibus quærit, quare illum amoris eſſentiam appellat?§.272.n.6. p.548
Impalpabilis Deus bonorum operum manibus exquiritur.§.275.n.2. p.553

*Querela.*

Animo dolenter querulo nihil oportet eredere. toto §.130. p.266
Male acutas ſubditorum cõtra Præpoſitos querelas, ſiſtat dubia expoſtulandi cauſſa, & humana abuſiuè paternitas ſiſtat,toto §.321. p.639

R

*Ratio.*

REcta hominis Ratio,à ſummo Deo dictata;Dei ſermo,Deíque veſtigium dicitur;per eam Deus in nobis eſt,vicarias Spiritus-ſancti vices obit, & animæ vita eſt.toto §.144. p.292
Ad ſomnum ratio inuitanda eſt, velut ad prudentiæ conuiuium?§.237.n.3. p.479

*Redemptio,Redemptor.*

Cælibatus emphaticè dicitur Redemptio.§.37.n.7. p.78
Vide verbo,*Corredemptrix Maria.*

*Religioſus.*

Vide verbo,*Monachus,Perfectus vir.*

*Repentè,Subitum.*

Vide verbo, *Mora.*

*Reprehenſio.*

Contumelioſa ſcelerum obiurgatio, emendationem ſæpè corrumpit,& obiurgantem deuenuſtat. toto §.333. p.660
Acerbior delictorum reprehenſio, emendationem plerumque faſcinat. toto §.334. p.662

*Reprobus.*

Vide verbo,*Peccator,Infernus.*

*Repulſa.*

Vide verbo,*Fuga.*

*Reſurrectio.*

Per reſurrectionem noſtra mortalitas in immortalitatem, noſtra contumelia tranſiuit in gloriam §. 33 n.6. p.72
Euchariſtia manè peragitur, quia in eâ reſurrectionem Domini etiam celebramus.§.52.n. 11. p.108
Chriſti abſentia addit ad Reſurrectionis glorias? §. 132.n.2. p.270
Quare Chriſtus dicitur primus ex reſurrectione mortuorum?§.199.n.2. p.397
Ceſſatione à faciendis miraculis, ſuæ reſurrectionis glorioſius miraculum Chriſtus probat.§. 300.n 2. p.598
Num Angelus ſymbola Dominicæ mortis in reſurrectione tractat,ad ſuæ immortalitatis ſolarium?§. 306.n.9. p.611

*Reus,Reatus.*

Reatus impij eſt pium nomen.§.2.n.4. p.3
Reorum ora ne propriæ defenſioni obſtruantur:nam in ipſius rei ore viuacior affulget defenſio:exindè Deus ſecundum multitudinem iræ ſuæ, non quærere perhibetur,toto §.191. p.383
Vide verbo, *Iudex,Pœna.*

*Rex.*

Vide verbo,*Princeps.*

*Rogare.*

Vide verbo,*Oratio.*

S

*Sacerdos.*

SAcerdotum quorundam auaritia, & ſumptuoſior cultus egregiè vapulat. §. 78. numero 1. pagina 164
Sacerdotum Pharaonis elogium eſt, in terris præſertim habere poſſeſſiones. §. 78. num. 2. pag. 165
Num munera Sacerdotibus oblata, ſit eorum gloria?§.78.n.3. p.165
Auaritia Sacerdotum,eſt origo poſſeſſionis in populo?ob probitatem Sacerdotum floret Eccleſia, ob improbitatem,tota fides marcida eſt.§. 78.num.4. p.165
Opulentia nimia Sacerdotum, poteſtatem miraculorum cohibet.§.78.n.5. p.165
Laici facilius emendantur,quàm clerici?§.78.num.5. p.165
Quorundam malè clericorum,quis releuabit faciem indumenti?§.78.n.6. p.166
In eligendo ſacerdote neceſſaria etiam eſt ſecularis peritia,vt ſit varius§.169.n.7. p.340

*Sal.*

Statieulum ſalis, prudentiæ loco ponitur, quæ defuit vxori Lot.§.181.n.2. p.363

*Sanctus.*

Vide verbo,*Perfectus vir.*

*Sapiens,Sapientia.*

Sapientia cur dicitur nobilis poſſeſſio. §. 6. num. 2. p.9
Victrix fortunæ ſapientia.§.6.n.2. p.9
Malitia eſt caligo ſcientiæ §.6.n.3. p.9
Mora facit ſapientem. inibi.
Nemo auferat clauem ſcientiæ §.7.n.1. p.12
Turpe eſt in diuinis diſputationibus tyrannidem ſibi vendicare.§.7.n.1. p.12
Doctor ne ſit velut Legiſlator. ibi.
Non in regno,ſed in errore ſocius quæritur.§.7.n.2. p.12
Doctor nullam ſodalitatem agnoſcit. ibi.
Male putat doctor,ſe eſſe veritatis cognatum. §. 7. num.2. p.12
Barabbas eſt Magiſtri filius.§.7.n.2. p.12
Sophiſtica ars præſtigias facit.§.7.n.4. p.12
Piſcatores,non ſophiſtas Chriſtus elegit. ibi.
Doctores ſunt poſtes, qui ſuſtentant oſtia, ſeu introitus Deiparæ.§.342.n.4. p.685
Super ore Doctorum incumbit fundamentum immaculatæ Conceptionis?§.342.n.1. p.682

Superbus ambit, vt omnes ſapiant ex eius ore. §. 28. n. 1. p. 61
Quæ maior pars eſſe videtur, ſæpè peior eſt: nam paucitas magiſtra eſt diſciplinæ, quo ſenſu? toto §. 29. p. 63
Illuſtratur opinatiſſima illa ſententia: Poſtquam docti prodierunt, boni deſunt. toto §. 30. p. 65
In Salomone fuit inuidioſa ſapientia, & culpæ ſuaſoria. §. 30. n. 2. p. 65
Scientia inflat, quia ſæpè timor eſt, non magnitudo. §. 30. n. 3. p. 65
Apud Principes cautè ſapiat eruditus, ne alienâ innocentiâ deprauetur. §. 3. n. 5. p. 6
Sapiens qui bonis operibus non facit ſibi bonum intellectum, inſipiens eſt. §. 30. n. 7. p. 67
Sapientia, & magiſterium cum ſublimi dignitate non hauritur. §. 90. n. 2. p. 191
Nimis arguta & ſubtilis de fide diſputatio, ſæpè deſtruit, quod adſtruit: quia fides non eſt, vbi quæritur fides. toto §. 97. p. 204
Ciuitas litterarum, ſpinarum vrbs dicitur. §. 98. n. 6. p. 207
Non faſtuoſa diſputantis auctoritas, ſed diſputationis ipſius veritas, ad perſuaſionis energiam requiritur. toto §. 114. p. 235
Regij Familiaris amici litterati, cur ſapientes non dicuntur? §. 142. n. 10. p. 290
Bonus imbonuſue affectus, dum doctrinæ merita cudit in voluntatis officinâ, iudiciorum arbiter eſt. toto §. 145. p. 294
Vbi docti honorantur, multiplicantur docti. §. 170. n. 3. p. 341
Comitas vrbanè placida in Doctore, perſuaſionis lenocinium eſt; opprobria verò diſputantium, noctem vel perſpicuis diſputationibus offundunt. toto §. 319. p. 653
Vide verbo, *Scriptor librorum, Eloquentia, ſubtilitas, Scriptura.*

*Scribæ.*

Scribæ, & procuratores ad grandius excidium auxiliares. §. 216. n. 2. p. 438

*Scriptor librorum.*

Cauſſæ ſcribendi hunc librum conglobantur. §. 6. n. 2. p. 9
Scriptor pendet de alieno faſtidio. §. 6. n. 2. p. 9
De obtrectatione alienæ ſcientiæ fama quæritur. §. 6. n. 3. p. 9
Theſes morales non ſunt degeneres veritatis grano. §. 6. n. 4. p. 10
In damnum gratiæ non excurrat moralis diſciplina. ibid.
Concionatoriè loqui licet. §. 6. n. 4. p. 10
Præſtat otioſum eſſe, quàm nihil agere. §. 6. num. 6. p. 10
Ætas noſtra non eſt impar tranſactis. inibi.
Lima ingeniorum, fabricator ſenſuum. §. 6. n. 6. p. 10
Vetuſtas cano flore hodie in libris vernat. §. 6. n. 6. p. 10
Hodie ſtudium amœnitates quærit. §. 6. n. 7. p. 11
In modum roris doctrina inſtillanda eſt. §. 6. num. 9. p. 11
Nullum ſapientis opus eſt exiguum. inibi
Certa ſemper ſunt in paucis. §. 6. n. 9. p. 11
De auctoritatibus aliqua interſcindere licet ſaluo ſenſu. ibid.
Ne quæ ſunt de noſtro ingenio, ſcripturæ adſcribamus. §. 7. n. 1. p. 12
Quod eſt commune, proprium ne faciat. ibid.
Cum dogmate, non cum dogmatis aſſertoribus congrediendum eſt. §. 7. n. 3. p. 12
Male quis interpretatur Scripturas, vt mordeat. §. 7. n. 3. p. 12
Scriptor ſit velut agnus, non ſicut canis mordax. ibid.
Apud nonnullos vileſcit, quod facile percipitur. §. 7. n. 4. p. 13
Congreſſus intellectus, & virtutis commendatur. ibid.
Aleator quanto in arte eſt melior, tanto eſt nequior. §. 7. n. 4. p. 13
Vtilitas iuuandi, præferenda eſt gratiæ placendi per ſubtilitates. ibid.
Contra vitia impetu, non ſubtilitate pugnandum. §. 7. n. 4. p. 13
Studium noſtrum, non alienum profectum, Deus à nobis requirit. §. 7. n. 5. p. 13
Sermo de Deo non ſolum ſtudentes, ſed & conuerſantes iuuat. ibid.
Idem docenti, ac diſcenti debet eſſe propoſitum. §. 7. n. 5. p. 13
Sine profectu alieno diſcitur, quod ſine proprio legitur. §. 7. n. 6. p. 13
Strenuus Scriptor debet apes imitari: quomodo? ibid.
Concionatores ea, quæ in libris palam ſpernunt, clam furantur. §. 7. n. 6. p. 13
Perdit alienam ſapientiam, qui male facit ſuam. §. 7. n. 7. p. 14
Benignum eſt fateri per quos profeceris. ibid.
Quod quæritur, capi poteſt; ſecùs quod non quæritur. §. 7. n. 8. p. 14
Doctrina non eſt tuenda more cauſſidicorum. §. 7. n 9. p. 14
Quis auctor libri Eſther. §. 8. n. 2. &c. p. 15
Sapientis os non tam loqui quam ſcribere dicitur. §. 255. n. 9. p. 516
Vide verbo, *Sapiens, Concionator, Scriptura, Eloquentia, Subtilitas.*

*Scriptura ſacra.*

Chriſtus extra Scripturam paſſus dicitur, quare? §. 6. n. 4. p. 10
Scriptura cur dicitur corporato Verbo ſimilis? §. 6. n. 5. p. 10
Senſus myſticus diuinitati in Chriſto aſſimilatur. §. 6. n. 5. p. 10
Magi de cælo edocti de Scriptura quærunt firmamentum. ibi.
Moralitas ex vtroque Teſtamento habeat acutum. §. 6. n. 5. p. 10
Ambiguitas ipſa, pars aliquando ſcripturæ eſt. §. 7. n. 1. p. 12
Ne quæ ſunt de noſtro ingenio, Scripturæ adſcribamus. §. 7. n. 1. p. 12
Male quis interpretatur Scripturas, vt mordeat. §. 7. n. 3. p. 12
Chriſtus in Scripturis, velut in præſepio. §. 7. n. 4. p. 13
Apices etiam in Scripturis ſunt ſententiarum fœcundi. §. 7. n. 8. p. 14
De Mariâ, & propter Mariam omnis Scriptura facta eſt. §. 363. n. 2. p. 721
Vide verbo, *Sapiens, Scriptor librorum, Concionator.*

Secre

*Secretum.*

Vide verbo, *Occultum.*

*Senex, Senectus.*

Vinum dicitur, defæcatio ſenectutis. §. 25. n. 2. pag. 56

Senum annoſitas vino moderato recuratur. ibid.

Vitia adoleſcentiæ, & iuuentutis, in ſene repullulant. §. 101. n. 5. p. 212

Non annoſitas ouo(?) cana; ſed, in minori etiam ætate eruditior negotioſe peritia, ad obtinendas dignitates merita cudit. toto §. 312. p. 640

Male ſenes, annorum ſcalis ad dignitatum faſtigia conſcendere præſumunt. toto §. 323. p. 642

*Senſus.*

Senſus in falſo teſtimonio deprehenſi ſunt. §. 103. n. 4. p. 216

Crebra ſenſuum fallacia, de naturæ arbitrio, & artis ingenio. §. 244. n. 7. p. 494

*Sepultura.*

Sepulturam præparat Chriſto, qui carnis facta mortificat. §. 126. n. 4. p. 259

Ephron vendit ſepulturâ, infirmitatem, & imperfectionem emit. §. 128. n. 7. p. 264

Vide verbo, *Mors.*

*Sequi.*

Vide verbo, *imitatio.*

*Sermo.*

Vide verbo, *Eloquentia, Lingua.*

*Serpens.*

Diuina gratia quodammodo ſerpentinæ fraudis æmulatrix dicitur. §. 301. p. 600

*Silentium.*

Maledici criminatores obmuteſcunt quantum ad rem, non tamen tacent. §. 102. n. 4. p. 214

Perquam arduum eſt ſine vllâ conſcientiæ offenſâ tenere vocis, ac ſilentij temperamentum. toto §. 146. p. 296

Sit Princeps, Principúmque Senatus, ſecretorum cruſpuloſè cuſtos. toto §. 149. p. 301

Vide verbo, *Lingua, Occultum.*

*Simplex, Simplicitas.*

Vide verbo, *Dolus.*

*Singularitas.*

Intùs omnia populo diſſimilia ſint in te virtutis; quæ foris apparent, populo conueniant, ne ſint de ſingularitate famoſa. toto §. 299. p. 596

Virtus ſub communi vitâ quodammodò impatibilis prædicatur. §. 299. num. 5. & toto §. 300. p. 597. & 598

*Societas, ſeu Contubernium.*

Vitioſæ imitationis ſcabiem conuictor conuictori allinit, peruerſâ morum æmulatione. toto §. 68. p. 144

Malum exemplum noxiè exhibetur expromptiùs arripitur, & punitur acerbiùs toto §. 69. p. 146

Bonum virtutis exemplum, afflatæ imitationis beneficio, virtutes afficat, ſeminat, propagat, magno ſanctitatum fœnore. toto §. 70. p. 147

Vide verbo, *Exemplum, Imitatio.*

*Societas Ieſu.*

Salutare Ieſu nomen eſt illi velut lex, ſit etiam & nobis. § 340. n. 4. p. 678

Ieſu nomen demus, tanquam noſtræ militiæ teſſeram. §. 340. n. 5. p. 679

Nomen Ieſu eſt velut turris; & qui ad illud confugiunt, tanquam milites ſtationarij. §. 340. n. 7. p. 679

*Sol.*

B. Deipara eſt Fons & Ciuitas Solis. §. 389. num. 1. p. 768

Electi exeunt ab electore, quaſi à Sole radij. §. 171. n. 8. p. 344

Sol de largiori beneficentiâ notiſſimus; naturæ gratia, præſtantia creaturæ, vinculum ad bonum, cœli cor ac mens, atque ſignificatiua & euidens diuinę bonitatis imago nuncupatur. toto §. 242. p. 489

Vide verbo, *Lux, & Varia de Mariâ.*

*Solitarius, Solitudo.*

Vide verbo, *Monachus.*

*Solus.*

Solus, ſeu ſolitarius ſæpè faciliùs vitiis ſuccumbit, viduatus ſpectatorum cenſurâ. toto §. 73. p. 153

Vide verbo, *Monachus, Singularitas.*

*Somnus, Somnium.*

Benè dormit, qui non ſentit quàm male dormit. §. 6. n. 1. p. 9

Aſſuetus etiam in peruigilio actuoſus. §. 163. n. 1. p. 319

Tantùm dormit Chriſtus, quantùm ſinit vſus corporis. §. 175. n. 6 p. 351

Ratio ſæpè inuitanda eſt ad gymnaſium ſomni; homini ſinem laboris adulatur ſomnus, in quo animus futuram in morte abſentiam ediſcit. toto §. 237. p. 478

Cur cæco ſomno veritates Deus permittit? §. 238. n. 7. p. 481

Somnus eſt quaſi veritatis theſaurus. ibid.

*Spes, Fiducia.*

In extremis nihil tentare, perditio eſt. §. 2. n. 9. p. 4

Quàm ſit humanum patrocinium futile, quo ſpes noſtras in Deo potiùs collocemus. toto §. 138. p. 281

Spes non timet, ne non veniat ſperata felicitas: nam qui ſperat, rei expectatæ gaudium iam momordit. toto §. 139. p. 282

Grandiora pericula facile eludit ſpes, quæ ſi excidat, vel magnanimus ſimul corruet. toto §. 249. p. 502

Deſperatúſne dicitur, qui in vno Deo ſpem habet? §. 257. n. 13. p. 521

Erectior in mundialibus bonis, ſeu auxiliis fiducia, languor ſpei eſt, & fictæ erectionis titubatio. toto §. 258. p. 522

Timendum eſt ne aliqua ſpes peccatorem occidat. §. 262. n. 7. p. 530

Sæpè humana oratio ſic accedit impetrationis ſecura, ac ſi diuinâ promiſſione ſubnixa, beneficium petitione prægustaret.toto §.169. p.541
Num fiducia aliquandò recipit beneficium, quod oratio non præſumit?§.270.n.2. p.544
Quia Deus eſt qui eſt, fidentiùs nobis orandus eſt.§.281.n.5. p.564
Vide verbo, *Oratio*, & *Oratio Mariæ*, & *Aduocata Mariæ*, &c.

*Spina.*

Florida pudicitiæ corona, ſpineam coronam mutat in gloriam triumphantis §.61.n.7. p.134
Ciuitas litterarum, ſpinarum vrbs dicitur.§.98. n. 6. p.207
Hæreticorum doctrina, ſpineto ſimilis eſt. ibid.

*Spiritus-Sanctus.*

Spiritus-Sanctus eſt velut vmbra animæ Virginis Deiparæ.§.390.n.1. p.770
Cur Spiritus-Sanctus in die Pentecoſtes aduenerit? §.127.n.4. p.261
Diſcipuli Spiritu-Sancto repleti, ſcitas, breueſque ſententias, cur proferunt?§.146.n 2. p.296
Regia Spiritus-ſancti dignitas, non cùm *repentè* venit, ſed cùm diuturnè *ſedet*, dignoſcitur.§.187.n.5. p.375
Cur Spiritus-Sanctus, Chriſti Dei Procurator appellatur?§.243.n.6. p.492
Spiritus-Sanctus caducam carnem erudit ad immortalitatem proficere.§.245.n.6. p.496
Vt in nobis Spiritus-Sanctus præſit, operoſâ diſpoſitione, & iteratâ ſupplicatione opus eſt. toto §.278. p.558
Spiritus Domini in Samſonis gratiâ proſperari dicitur.§.301.n.6. p.603
Chriſtus Spiritus-Sancti ignem mittit in terram, vt homines in Seraphinos refingat. §.305. num. 6. p.608
Spiritus-Sanctus Virginis Deiparæ cuſtos dicitur.§.306.n.11. p.612
Num Spiritus-Sanctus miniſteria cum Angelis reciprocet? ibid.

*Sponte.*

Vide verbo, *Vltro.*

*Stylus.*

Vide verbo, *Eloquentia*, *Scriptor.*

*Subditus.*

Alieno Arbitrio agi, eſt ne Euangelicæ perfectionis meta, & atrocior martyrij acerbitas? toto §. 80 p.168
Quare ſerui Eſther, eius magiſtri dicuntur?§. 120. n.4. p.248
Pœnaliſſimum eſt, legi ſubditum eſſe, etſi priuilegio eximatur.§.297.n.13. p.594
Male acutas ſubditorum contra Præpoſitos querelas, ſiſtat dubia expoſtulandi cauſſa, & humana abuſiuè paternitas ſiſtat.toto §.321. p.639
Vide verbo, *Obedientia*, *Lex*, *Iudex*, *Princeps.*

*Subornatio.*

Vide verbo, *Munera.*

*Subitum.*

Vide verbo, *Mora.*

*Subtilitas.*

Contra vitia impetu, non ſubtilitate pugnandum. §.7.n.4. p.13
Nimis arguta & ſubtilis de fide diſputatio, ſæpè deſtruit, quod adſtruit.toto §.97. p.204
Vtilitas iuuandi præferenda eſt gratiæ placendi per ſubtilitates. §.7.n4. p.13
Moralitas ex vtroque Teſtamento habeat acumen. §.6.n.5. p.10
Vide verbo, *Sapiens*, *Concionator*, *Scriptor*, *Scriptura*, *Eloquentia.*

*Superbia.*

Humanæ arrogantiæ faſtus, magni æſtimat ambitioſæ comitatis nugas: vir autem magnus in vltimum reiectus locum, non eſt cæteris poſtpoſitus, ſed ſuperpoſitus.toto §.99. p.207
Superbus neminem præter ſe honorari dignum cenſet.§.163.n.5. p.330
Honor appellatur ſuperbia.§.257.numero 11.pagina 521
Superbus dum inſolentiùs vltra ſuum faſtidium præſumit, in abiectiores vilitates ſceleſtè degenerat.toto §.203. p.409
Vide verbo, *Humilitas*, *Ambitio.*

*Superior.*

Vide Verbo, *Princeps*, *Iudex*, *Subditus*, *Obedientia.*

*Supplicium.*

Vide verbo, *Pœna.*

*Suſan.*

Vrbs Suſan ſic à liliis nuncupatur. §. 11. num. 1. p.24
Suſan ciuitas, palatium appellatur.inibi.

T

*Templum.*

CVr Deipara dicitur in templo plantata?§.389. n.2. p.769
Grande quidem eſt templorum numen, in quod irreuerentes granditer delinquunt. toto §.285.pag. 571

*Tenebræ.*

Vide verbo, *Sol*, *Lux*. Et verbo, *Maria*, plura de *obumbratione.*

*Tentatio.*

Homo propriæ imaginationis tormento & tentamento, ſe pœnalius vrget & ſceleroſiùs exagitat, ab inteſtino phantaſiæ dæmone. toto §. 136. pagina 277
Homo ſui ipſius infeſtior hoſtis eſt, aduerſus ſe de propriâ imbecillitate potenter armatus. toto §. 188. p.176
Acres iuſtorum tentationes, dum Dei offenſas periculosè fabricare videntur, diuinæ gloriæ è peruerſo militant.toto §.248. p.500
Vide verbo, *Imaginatio*, *Labores*, *Perſecutio*, *Martyr*, *Paſſiones.*

*Teſtis*

*Teſtis.*

Vide verbo, *Veritas*, *Mendacium*, *Credibilitas.*

*Timor.*

Timor eſt magiſterium ad ſalutem.§.2.n.9. p. 4
Timoris infirmitate hoſtes vincere, omnipotentiæ documentum eſt.§.31.n.3. p. 67
Timor & terror non eſt bonum legiſlatoris ſynonymum.§.112.n.3.& 4.& 5. p.232
Mortis periculum, ſæpe ipsâ morte acerbius eſt; & repetita mors.§.120.n.10. p.249
Chriſtiani dum mori poſt mortem timent, interim mori non timent: & ſane timor fit per incrementum fides; & dum voluptate ſuâ ſe parit, euadit dilectio, funereo ambitu mirabilis, toto §.214. p.430
Timor ex tumore eſt.§.303.n.7. p. 604
Humani periculi anxius timor, ſæpè acerbiùs quàm ipſa calamitas excruciat; dum vanis, & nunquam venturis angitur malis, inani metu præſumptis. toto §.304. p. 605
Vide verbo, *Spes*, *Imaginatio.*

*Tribulatio.*

Vide verbo, *Labores*, *Perſecutiones*, *Patientia.*

*Tributum.*

Vide verbo, *Vectigal.*

*Trinitas*

Deus Trinitas Deiparæ ne ſpeciem deſiderat intueri? §.374 n.2. p.741
Maria eſt fons ſolis ſignatus ſigillo Trinitatis.§.389 n.1. p. 768
Cur Angeli à Trinitate totam concordiam, vt vnum ſint, accepiſſe dicantur? §.306.n.2. p. 609
Trina hypoſtaſis in vnâ Dei naturâ, exemplo freti exponitur.§.324.n.7. p. 645
Vide verbo, *Deus.*

*Triſtitia.*

Triſtatur Mardochæus cùm penè triſtitiæ cauſſas excuſſit.§.120.n.11. p. 249
Triſtitia ante triſtitiam eſt noſtræ imaginationis commentum.§.136.n.7. p. 279
Vide verbo, *Gaudium*, *Labores*, *Felicitas.*

*Triumphus.*

Vide verbo, *Victoria.*

*Tyrannus.*

Sub Tyranno nemo opem miſeris ferre audet. §. 2. n.8. p.4
Vide verbo, *Perſecutio*, *Martyr.*

V

*Vagare per vrbes.*

GRatiæ vis oſtenditur, dum religioſos domi clauſos continet.toto §.76. p.159
Vide verbo, *Monachus.*

*Varietas.*

Vide verbo, *Mutatio.*

*Vaſthi.*

De reginæ Vaſthi nomine, & eius genere. §. 13. n.5. p. 31
Accuſatur reginæ Vaſthi inobſequela.§.14. num. 1. & 2. &c. p. 33. & 34
Iuſſa non eſt apparere nuda.§.14.n.6. p.34

*Vectigal.*

Solutio tributorum irrequieta eſt.§.57.n.12. p. 125
Mera Regum vtilitas, non eſt bonus regiminis arbiter.§.90 n.7. p.192
Qui tributa imminuit, in Regem crudelis nominatur?§.180.n.5. p.362
Tributis grex tondendus, non deglubandus. §. 233. n.2. p. 362
Tributorum durâ exactione, Chriſti Dei paſſio adumbratur: & ſub Nabuchodonoſore, Dei populus liquefit.toto §.234. p.473
Quandò Regis ſceptrum in exactorum duntaxat manu eſt, proximæ ruinæ regnum vicinatur. toto §.235. p. 475

*Venus.*

Vide verbo, *Luxuria*, *Mulier*, *Ornatus*, *Fucus*

*Verbum.*

Vide verbo, *Eloquentia*, *Lingua.*

*Verbum diuinum.*

In quonam Verbi generatio, humanæ beneficentiæ typum gerat.§.224 n.5. p.451

*Verecundia.*

Vide verbo, *Pudor.*

*Veritas.*

Male putat Doctor ſe eſſe veritatis cognatum. §. 7 n.2. p. 12
Dæmon veritatis ſuffragio erroribus patrocinari ambit; non homo.§.103.n.5. p. 216
De ſubdolo mendacij ingenio ſimplex veritas tectius fatigatur.toto §.107. p. 222
Diſputantis auctoritas, veritatem etiam fatigare ſolitat.toto §.114. p.235
Quàm facile virgo veritas pro variâ referentium libidine conſtupratur.toto §.166. p.333
Mendacium putatur luxuriæ ſequela, & veritas caſtitatis appendix.toto §.318. p.632
Vide verbo, *Mendacium*, *Credibilitas.*

*Veſtis.*

Veſtium exquiſitior ornatus in feminis, & in ſacerdotibus, multis vapulat. toto §. 77. & 78.p.161. vſque ad 165.
Veſtium ambitus captat petitionis ſuffragium.§.230. n.6. p. 464

*Via*, *Iter.*

Mãdatorum viam reddere laxã, & ſpatioſam adnitimur.§.108.n.7. p. 225
Cur via iniquitatis à ſe amoueri, Dauid expoſcat? §. 61.n.7. p.132

*Victoria.*

Timoris infirmitate hoſtes vincere, omnipotentiæ documentum eſt.§ 31.n.3. p. 67
Fugâ vincere, caſtitatis triumphus eſt. §.31,n.8. p. 68
Eucharistia eſt victoriale epulum.§.51.n.5. p. 104
Diabolus vitio ſimilis, vinci ſe turpe non putat, aſſuetus ignominiæ.§.161.n.5. p. 324
Sua etiam & victo pompa eſt, & de inuerſo gloria.

Qui Chriſtianè ſapit, etiam cùm contemptim vincitur, glorioſè vincit. toto §. 211. p. 425
Humanas preces licet appellare victoriales, cùm victricem opem ritè precantibus modulentur. toto §. 271. p. 545
Quare Goliath à victore Dauid, filius nuncupetur. §. 223. n. 6. p. 441

*Vincula.*

Quare vincula & carceres appellantur otioſa ſupplicia §. 294. n. 3. p. 587
Sol dicitur vinculum ad bonum. §. 242. n. 4. p. 490

*Vindicta.*

Culpa multorum inuindicabilis: paucitas autem magiſtra eſt diſciplinæ. §. 29. n. 7. p. 65
Impiè ſæuit, quiſquis falſato pietatis prætextu ferit. toto §. 108. p. 224
Vide verbo, *Inimicorum dilectio.*

*Vinum. Ebrietas.*

Crapula indigeriem ſuam ructat ad cælum. §. 21. n. 6. p. 50
Ebria ſacietas eſt inſolentiæ, ac impudentiæ fomes. §. 22. n. 6. p. 52
Ebria edacitas hominis carnem luteam reddere dicitur §. 22. n. 7. p. 52
Conglobata ebrietatis mala. §. 24. n. 1. p. 54
Virgo virginis guſtus, in virgine adhuc ſaliuâ, myſterium continentiæ eſt. §. 24. n. 2. p. 55
Bacchicus libidinum, ac tumultuum fomes. §. 24. n. 3. p. 55
Leges Dei digito conſcriptas, vinum frangit, & oblitterat. §. 24. n. 4. p. 55
Vinum eſt voluntarius Dæmon: quod addenſatis vituperiis culpatur § 24. n. 5. p. 55
Ebrij conuiuæ graphicè depicti. § 24. n. 6. p. 55
Miles vino prorſus abſtineat §. 4. n. 7. p. 56
Magiſtratibus vini vſus interdicitur. inibi.
Cur Bacchus, fontium nymphas habet nutrices? §. 25. n. 1. p. 56
Quare vitis vino grauida, illacrymat dum aqueum humorem ſtillat? ibid.
Moderatum vinum eſt homini, vitæ pars, additamentum vitæ, & defæcatio ſenectutis. §. 25. n. 2. p 56
Senum annoſitas vino moderato recuratur. ibidem.
Sapiens vino maceratus, ſeipſo ſuauior eſt. §. 25. n 3. p. 57
Sobrius vini potus malas affectiones temperat, bonas exigit. ibid.
Vinum dicitur, pulchrum fidei vehiculum. quare? § 25. n. 4. p. 57
Vinum languenti Timotheo pulchrè admodum conueniens erat §. 25. n. 5. p. 57
Hæreticus dicitur; qui ſuper vino non eſt Deo gratus. §. 25. n. 6. p. 57
Gratia mentem vaporat eius, qui non vinum, ſed è vino bibit. §. 25. n. 7. p. 57
Qui moderatè vinum non bibit, eſt velut planta quæ non rigatur. §. 25. n. 6. p. 57
Vide verbo, *Euchariſtia, Gula, Ieiunium.*

*Vir.*

Vide verbo, *Homo, Maritus, Nuptia.*

*Virgo, Virginitas.*

Virginitas gratitudinem fouet. §. 391. n. 4. p. 773
Pulchra virgo non tam oculis, quàm conſideratione æſtimanda. §. 57. n. 3. p. 125
Delicatula nimis eſt pudicitiæ valetudo: ſollicitudine languet, ætatis integritate periclitatur: & quæ oculos patitur, tota iam virgo ferè non cenſetur. toto §. 62. p. 133
Metuitne virginitas, ne ſit ampliùs quàm vocatur indè aliquot eius elogia delibantur, ſi fortè pium eius fatum adæquent. toto §. 65. p. 138
Encomium virginitatis, cuius laude ſic Eſther vſque ad nuptias regales floruit, vt ipſa felix dicatur alienæ luxuriæ ſuffragio toto §. 74. p. 155
Cùm quis virginem videt, dubitare non debet, an virgo ſit: dubitat, ſi ornatam videat. §. 77 n. 4 p. 61.
Sacra virgo dum faciem velat, toto capite lugere repræſentat. §. 163. n. 10. p. 331
Vide verbo, *Caſtitas, Pudor, Virginitas Mariæ*

*Virtus.*

Piorum vita, improborum in ſe cogit criminationes malitioſas. §. 101. n. 3. p. 213
Virtus vitiorum voluptates ſemper offuſcat. §. 145. n. 5. p. 295
Virtus nobiliter generoſos facit, citiùs quam præluſtria Maiorum ſtemmata. toto §. 236. p. 476
Vitiorum inſolentia, Dei populo virtutum eruditio eſt, & animoſæ probitatis gymnaſium. toto §. 245 p 495
Excelſior virtus, audacioris vitij nomine, re vitij vacuo, ad virtutis exaggerationem coloratur. toto §. 246. p. 496

*Vita.*

Vide verbo, *Homo, Natiuitas Principum.*

*Vitium.*

In animi morbis ſuus eſt etiam dies criticus, in quo vitiorum ægritudo plus deſæuit. toto §. 101. p. 211
Vitiorum inſolentia, Dei populo virtutum eruditio eſt, & animoſæ probitatis gymnaſium. toto §. 245. p. 495
Excelſior virtus, audacioris vitij nomine, re vitij vacuo, ad virtutis exaggerationem coloratur. toto §. 246. p. 496
Vide verbo, *Peccatum, Conſuetudo, Exemplum.*

*Vltio.*

Vide verbo, *Vindicta, Inimicorum dilectio.*

*Vltrò, Sponte.*

Vltrò votiua calamitatum ſuſceptio, illarum moleſtias magnanimiter exarmat. toto §. 124. p. 255

*Vnus.*

Vide verbo, *Solus, Singularitas, Monachus.*

*Voluntas.*

Alieno arbitrio agi, eſtne Euangelicæ perfectionis meta, & atrocior martyrij acerbitas? toto §. 80. p. 168
Apud hominem, Dei voluntas, altera ipſa ipſius voluntas, eſto, quam non ſuæ flectere, ſed ſuam diuinæ flexilem exhibere debet, toto §. 218. p. 441
Vide verbo, *Obedientia, Subditus. Vltrò.*

*Voluntarium.*

Vide verbo, *Vltrò, Voluntas.*


*Voluptas.*

*Voluptas.*

Homo voluptate conſtringitur,& humiliatur. §. 39. n.7. p. 83

Cor ipſum cum voluptate vellendum eſt.§.58. n. 1. p.125

Nabuchodonoſor ferreo vinculo,voluptatum herbis alligatur.§.58.n.2. ibid.

Ionas vernantis floſculi , ſeu herbæ exitium nimis funeſtè tulit § 58.n.3. p.126

Mundus ſiniſtra,voluptas dexterâ tenetur.§.58.n.4. ibid.

Areſcit voluptatum flos,cùm vernare incipit. §.58. n.5. ibid.

Scenica tragicè voluptatis cataſtrophe expenditur. §.58.n.6. p.127

Ignis gehennalis myſterium,humanæ voluptatis ſacramentum eſt.§.58.n.7. ibid.

Voluptabile quoduis aut naturæ aut gratiæ,graui labore aut periculo comparatum, concupiſcentiæ gratiùs arridet.§.135. p.276

Voluptas indigentiam excludit. §. 153. num. 3. p.309.

Conſuetudo voluptabilium , adhuc ad ingrata & faſtidita allicit.§ 159.n.7. p 320

Humana voluptas,quæ peribit , iam periit. §. 199. n.5. p.397

Qui hiabat ad ſperata, nauſeat ad poſſeſſa. §. 199. n 6. p.398

Facile quis voluptabilia bona aſpernatur, quæ amittere nequit.§.199.n.7. ibid.

Mundialis voluptas,aut ærumnis permixta eſt , aut valdè confinis.toto §.195. p.588

Vide verbo,*Felicitas,Diuitiæ.*

*Vrbanitas.*

Sit pudica fœmina non ſatis vrbana, vt ſit ſatis verecunda.§.32.n.7. p.70

Sapiens alienæ erga ſe reuerentiæ, & vrbanitatis artifex eſt.§.90 n.4. p.192

Humanæ arrogantiæ faſtus,magni æſtimat ambitioſæ comitatis nugas: vir autem magnus in vltimum reiectus locum,non eſt ceteris poſtpoſitus, ſed ſuperpoſitus,toto § 99. p.207

Gentilis impudicitia vocatur vrbanitas. §. 109. n. 7. p.225

Pacem loquitur,qui in excelſo faſtigio poſitus,comiter loquitur.§.238.n.6. p 481

Comitas vrbanè placida in Doctore,perſuaſionis lenocinium eſt;opprobria verò diſputantium , noctem vel perſpicuis diſputationibus offundunt.toto § 329. p.653

*Vtilitas.*

Propriæ commoditatis ſtudium Numine donauit turbidum Nilum.§. 20.n.3. p.48

Mera Regum vtilitas , non eſt bonus regiminis arbiter.§ 90.n. 7. p. 192

Propè omnes actiones humanas metitur ſua cuiuſque vtilitas?toto §.133. p.271

Vbi multa ſuper hoc argumento.

*Vxor.*

Vide verbo,*Maritus,Nuptiæ,Virgo,Mulier.*

X

*S.Xauerius.*

S. Xauerius qui non ſub lege,ſed in lege voluntatem habebat,in infinitam libertatem ſe extendiſſe dicitur.§ 198.n.5. p.395

Vide verbo,*Perfectus vir,Concionator.*

Z

*Zelotypia*

Virginitas Mariæ & Ioſephi,arcet ſeculorū Zelotypiam.§.397.n.7. p.784

Amor Dei in Euchariſtiâ zelotypiam ſubolere dicitur §.51.n.4. p.104

*Zelus.*

Impiè ſæuit,quiſquis falſato pietatis prætextu ferit. toto §.108. p.224

Nimius de aliena emendatione zelus , adſimilia in zeloſo vitia,aut facit,aut auguratur. toto §.247. p.498

Zelo tabeſcit,& zelo etiam viuit Angelus, qui mori non poteſt.§.306.n.3. p.609

*F I N I S.*

618215

1023

D 53.